SS. PATRUM

HOMILIAE

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

HOMILIAE, SIVE
CONCIONES

PRAESTANTISSIMORVM ECCLESIAE CATHOLICAE DOCTORVM IN TOTIVS ANNI EVANGELIA, AB ALBINO FLACCO ALCVINO IVSSV CAROLI MAGNI PRIMVM ACRI IVDICIO COLLECTAE, ET SVBINDE AB ALIIS NON PARVM AVCTAE:

Quibus nunc demùm accessere in totius æquè anni Epistolas, Conciones exegeticæ, opera F. Laurentij Surij Carthusiani ex præcipuis Patribus accuratè congestæ: cuius etiam studio Homiliæ hactenùs editæ ab innumeris sunt mendis vindicatæ, permultæ suis authoribus inscriptæ, loca etiam annotata, vnde pleræque omnes sumptæ sint.

PATRVM, E QVIBVS HAE CONCIONES DEPROMPTAE, CATALOGVS.

Origenes,
Hilarius,
Ambrosius,
Chrysostomus,
Hieronymus,
Seuerianus,
Augustinus,
Maximus,
Leo,
Fulgentius,
Gregorius,
Isidorus,
Beda,
Albinus,
Theophylactus,
Oecumenius,
Rabanus,
Eusebius Emesenus,
Haymo,
Audbertus,
Ericus,
Bernardus.

ACCESSIT RERVM ET SENTENTIARVM INDEX COPIOSISSIMVS.

BIBLIOTECA PHILOSOPHORUM PROV. CAST. F. J.

COLONIAE,
APVD MATERNVM CHOLINVM.
M. D. LXIX.
Cum gratia & priuilegio Cæsareæ Maiestatis in annos decem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INVICTISSIMO, VERE-QVE CHRISTIANO PRINCIPI AC DOMINO, D. MAXIMILIANO, ROMANORVM IMPERATORI ELECTO, HVNGARIÆ, BOEMIÆQVE REGI, ARCHIDVCI AVSTRIAE, &c. Domino suo longè clementissimo, Salutem & perpetuam felicitatem.

TAMETSI SERENISSIMA MAIEstas tua, Cæsar inuictissime, grauissimis Reip. distracta curis, maximisq; intenta rebus & negotijs, mea interpellatione aliò vel parumper auocari non debuit: at facit tamen mitissimum ingenium tuum, & apud omnes decantata humanitas, vt propemodum etiam importunus esse non dubitarim. Iam enim in castigando adveterum codicũ fidem, itemq; augmentando Homiliario, quod vocant, permultum temporis & operæ posueram, quærendus q; erat insignis aliquis patronus, cuius auspicijs ij qualescunq; labores mei auderent prodire in publicum, nec vel morosorum hominum censuras, vel improborum liuidas obtrectationes vererí. Vbi tum sane nullus mihi alius potuit magis idoneus videri, quàm T. M. Cæsar potentissime. Nam cùm iam olim Carolus ille verè Magnus, Romanorum præpotens Imperator, cui T. M. non minùs in vera asserenda ac tuenda religione, quàm in Imperio succedit, huius conficiendi Homiliarij prouinciam homini doctissimo demandarit, & sua Augusta Maiestate id vel maximè dignum duxerit, vt eius iussu & authoritate hoc opus euulgaretur: dubitare non potui, nec verõ debui, quin sub nullius potiùs quàm T. M. inclyto nomine, non paruo quidem labore meo & emendatum & locupletatum deberet in lucem emitti. Est verõ non obscurum eximiæ in Deum pietatis argumentum, quõd ille longè potentissimus & Christianissimus Imperator colligi voluit optimas quasq; è patribus homilias: vt haberent ad manum qui ad populum concionantur, non qualescunq;, sed grauissimorum patrũ solidas & catholicas Euangeliorum exegeses, à quibus scirent sibi haud temerè discedendum, sed ijsdem expositionis lineis insistendum, modõ ne velint à Catholico Catholicæ Ecclesiæ sensu, quem ex illo perpetuo vereq; admirabili sanctorum patrum consensu facilè perspici licet, in certissimam auditorum perniciem discedere. Quanuis autem necdum satis mihi constat, num hoc potissimũm consilio, aut verõ alio magis fine sanctissimus ille Imperator has Patrum homilias seligi voluerit: at dubitari tamen non potest, laborem hunc nulli ferè perindè commodum & opportunum existere, atq; ijs, qui pro concione populum docere debent. Quibus tamen, vt suam

illi functionem omni ex parte præclariùs & vberiùs exequi possent, id subinde commodi accessit, quòd successu temporum non paucæ ab alijs homiliæ adiectæ sunt: sed nonnullæ sanè in ijs admodùm inconsultè, quæ nihil conuenirent illis locis, quibus insertæ erant, quas propterea submoui, ne cum lectoris fraude alienum sibi locum vendicarent: permultæ sine authoris nomine, quibus suos adscripsi authores: nonnullæ verò etiam alienis attributæ authoribus, quos veris legitimisq; possessoribus restitui: simul etiã ad singulas ferè homilias vel Sermones locum annotaui, vnde sumptæ sunt: quod non parum illis conciliat certioris fidei & authoritatis. Eas autem Homilias, quas Maternus Cholinus, huius amplissimæ vrbis ciuis & senator, tuæq; M. addictissimus, superiori editione hortatu clarissimi viri D. Ioannis Gropperi, quem Paulus IIII. Romanus pontifex in Cardinalium albũ adscripsit, huic præclaro operi apposuit sub Eusebij Emeseni nomine, suis quidẽ reliqui locis, præter paucas, quas ad loca magis cõgrua transtuli: nec authoris mutaui nomen, tametsi viri doctissimi satis ostenderũt, & res ipsa perspicuè testatur, non eas esse Eusebij illius, sed scriptoris longè recentioris: Et nisi me fallunt omnia, puto equidem à studioso quopiam eas ex nescio cuius doctissimi, sed non admodum vetusti hominis luculentis & eruditis in libros diuinos Commentarijs esse descriptas, atq; in homiliarum quandam formam redactas, idq; sine authoris nomine: deinde alium cùm in eas incidisset, vidisseq; breues & perspicuas fereq; plausibiles esse, quales diuus Hieronymus ait Eusebium hunc scripsisse plurimas in Euangelia, nomen Eusebij illis præfixisse. Possem quædam ex ipso proferre authore, quæ me hæc non temerè conieciſſe ostendant, sed nolo T. M. esse onerosus. Cuiuscunq; autem sint, id certum est, multa in ijs haberi lectu dignissima, & quæ è suggestu non sine fructu promi queant. Etsi verò ex his omnibus ingens vtilitas & hauriri, & in alios deriuari poterat, vnum tamen tam egregio operi etiamnum deesse videbatur, nempe, Interpretationem Epistolarum anni totius. Hanc itaq; lacunã me explere voluit is quem antè dixi Maternus Cholinus, amicus meus, & iuuandæ rei literariæ perquàm studiosus. Quanquàm autem id oneris à me vel solo imperitiæ non vano sed vero prætextu amoliri potuerim, at cessi tamen, & bona fide vbicunq; sanctissimorum patrum explanationes ad vulgi captum accommodatas habere potui, eorum verbis totius anni epistolares lectiones exposui: vbi verò patres antiqui materiam non suppeditabant, ex recentioribus Catholicis adscripsi ea, quæ possent vtiliter dici ad populum. Præcipuè enim id ferè operam dedi, vt meo labore ijs prodessem, qui sublimiora & subtiliora capere necdũ possunt: atq; vt ijs verbi diuini præconibus gratificarer, qui vel ob rei familiaris angustiam patrum sibi grandia volumina comparare non possunt, vel temporis copia destituti, patres ipsos perlegere non queunt. Id verò hoc loco commodissimè dici posse existimo, vt obseruet diligens lector, in omnibus his tam diuersis, peruetustis, eruditione & sanctitate præstantissimis patribus quanta sit doctrinæ concordia, quàm nihil discrepans ab ea religionis synceritate, quam hodieq; profitetur Romana Ecclesia. Et cùm hæc doctrina

doctrina à Caroli Magni temporibus ad nostram vsq; ætatem in Germania nostra semper viguerit, tamen non verentur noui dogmatistæ palàm affirmare, Luterum demùm Euangelium Germanis attulisse. Quod cùm cedat in summam omnium superiorum seculorum ignominiam, in intolerabile totsanctissimorum Imperatorum, regum, principum, aliorũq; omnis generis hominum dedecus, & iniuriam, tamen & dicitur & scribitur ab Luteri studiosis, & ab innumeris etiam recipitur. Qua de re etsi multa non immeritò dici possent, at nolim T. M. suos animi refricare dolores, quam non dubito hoc Germaniæ, immò totius ferè Europæ miserabili statu non mediocriter angi & discruciari. Mihi hoc vnũ apud T. M. sereniſsime & clemẽtissime Imperator effeciſſe & impetrasse satis erit, vt hos meos exiguos, & tua sanè M. indignos labores pro solita benignitate & humanitate sua placidè & comiter accipiat. Poterunt enim vberiori cum fructu ab omnibus excipi, si senserint T. M. eos fuisse non ingratos, eiusq; amplissimo patrocinio esse munitos. Quod ad authorẽ attinet, cuius hæ partũ Homiliæ sint studio primùm congestæ, etsi erunt fortasis, qui secuti plerosq; historicos, nõ tam ab Albino Flacco Alcuino, quàm à Paulo Diacono id factũ existiment: in præsentiarum nolo contendere, contentus recepta ferè apud omnes sententia, Albinum Caroli Magni præceptorem primas tam sancto operi admouisse manus: quanquàm vellem eius rei certiora ex veteribus fide dignis historiographis, quos equidem legerim, extare documenta. Nec id tamen magnoperè mouere nos debet, vtrum vel Albini, vel Pauli Diaconi opera prodierint, cùm vterq; vir doctissimus fuerit, & Carolo Magno ob insignẽ eruditionem charissimus: hoc magis curãdum nobis est, vt in hac sanctissimorũ & celeberrimorũ patrũ sana & catholica doctrina, velut per manus à maioribus nostris nobis tradita perseueremus, contemptis ijs omnibus, qui nos aliò transferre conantur, tanquàm hactenùs Germania lucem Euangelij non viderit, eamq; nunc demùm ab illis hominibus discere debeat, qui non modò à perpetuo totius Christiani orbis consensu sibi discedendum putarunt, sed etiam inter sese atrocissimè digladiantur, atq; in tot indies sectas distrahuntur, vt sine summo animi dolore dici non possit. Hic mihi iam ingens pateret campus laudum tuarum, sereniſsime Cæsar, possemq; virtutum tuarum non vanum neq; fallacem agere encomiasten: sed ne sacratissimæ M. T. molestus sim, iam finem facio, Deum rogans, vt M. T. suæ Ecclesiæ in plurimos annos saluam & incolumem conseruare velit. Ex Carthusia Agrippinensi, XIIII. Februarij, Anno M. D. LXIX.

T. S. M.

deuotissimus
clientulus

F. Laurentius Surius
Carthusianus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAROLVS DEI FRETVS AVXILIO, REX FRANCORVM ET LONGOBARDORVM, AC PATRITIVS ROMANORVM,

Religiosis Lectoribus nostræ ditioni subiectis.

VM nos diuina semper domi forisq; clementia, siue in bellorum euentibus, siue pacis tranquillitate custodiat: etsi rependere quicquam eius beneficijs tenuitas humana non prævalet, quia est inæstimabilis misericordia Deus noster, deuotas suæ seruituti benignè approbat voluntates. Igitur quia curæ nobis est, vt nostrarum ecclesiarum ad meliora semper proficiat status, obliteratam penè maiorũ nostrorum desidia reparare vigilanti studio literarum satagimus officinam, & ad pernoscenda studia liberalium artium, nostro etiam, quos possumus, inuitamus exemplo. Inter quæ iam pridem vniuersos veteris ac noui instrumenti libros, librariorum imperitia deprauatos, Deo nos in omnibus adiuuante, examusim correximus. Accensi prætereà memoriæ venerandæ Pippini genitoris nostri exemplis, qui totas Galliarum Ecclesias Romanæ traditionis, suo studio, cantibus decorauit: nos nihilo minùs solerti easdem curamus intuitu, præcipuarum insignire serie lectionum. Denique qui ad nocturnale officium copulatas quorundam casso labore, licet recto intuitu, minùs tamen idoneo, repperimus lectiones, quippe quæ & sine autorum suorum vocabulis essent positæ, & infinitis vitiorum anfractibus scaterent: non sumus passi nostris in diebus, in diuinis lectionibus, inter sacra officia, inconsonantes perstrepere solœcismos, atque earundem lectionum in melius reformare tramitem, mentem intendimus, idque opus Paulo Diacono familiari clientulo nostro elimandum iniunximus: scilicet, vt studiosè catholicorum patrum dicta percurrens, veluti è latissimis eorum pratis, certos quosque flosculos legeret, & in vnum, quæque essent vtilia, quasi sertum aptaret. Qui nostræ celsitudini deuotè parere desiderans, tractatus atque sermones diuersorum catholicorum patrum perlegens, & optima quæque decerpens, in duobus voluminibus, per totius anni circulum, congruentes cuique festiuitati, distinctè & absque vitijs, nobis obtulit lectiones. Quarum omnium textum nostra sagacitate perpendentes, nostra eadem volumina autoritate constabilimus, vestræque religioni in Christi ecclesijs tradimus ad legendum.

PAVLVS DIACONVS.

Vtere fœlix
Munere Christi
Pluribus annis
Luxque decusque
Magne tuorum
Carole Princeps,
Atque togate
Arbiter orbis,
Dardanidæque
Gloria gentis.

INDEX

INDEX DOMINICARVM, SACRARVMQVE DIERVM ALIARVM, QVIBVS HVIVSCE OPERIS HOMILIAE ATTRIBVTAE ET accommodatæ sunt. Admonitum sed te volo, candide lector, non vnam tantùm vnicuique tum Dominicæ, tum diei sacræ attributam esse Homiliam, sed plures etiam, easque optimas atque integras ex Patribus depromptas, adeò vt ex ijsdem amplissimam rectè & construendæ & formandæ concionis materiam & vbertatem hinc sis consequuturus.

DE TEMPORE.

Dominica Aduentus prima	folio 1.	Sabbato post Reminiscere	189
Dominica Aduentus secunda	9	Dominica tertia Quadragesimæ	266
Dominica Aduentus tertia	17	Feria secunda post Oculi	274
Feria quarta quatuor temporum	22	Feria tertia	277
Feria sexta quatuor temporum	28	Feria quarta	280
Sabbato quatuor temporum	34	Feria quinta	284
Dominica quarta Aduentus	40	Feria sexta	285
In vigilia natiuitatis Christi	50	Sabbato post Oculi	291
In nocte natiuitatis Christi	56	In Dominica Lætare	293
In aurora natiuitatis Christi	61	Feria secunda post Lætare	301
In die sancto natiuitatis Christi	64	Feria tertia	304
De sancto Stephano	77	Feria quarta	308
De sancto Ioanne apostolo & euangelista	91	Feria quinta	313
De innocentibus	101	Feria sexta	314
Dominica intra octauam natalis Christi	110	Sabbato post Lætare	320
In circuncisione Domini	117	Dominica in passione, seu Iudica	323
In vigilia Epiphaniæ	125	Feria secunda post Iudica	330
In Epiphania Domini	126	Feria tertia	333
Intra octauam Epiphaniæ	134	Feria quarta	335
In octaua Epiphaniæ	136	Feria quinta	339
Dominica prima post Epiphaniam	139	Feria sexta	340
Dominica secunda post Epiphaniam	145	In vigilia Palmarum	342
Dominica tertia post Epiphaniam	153	In dominica Palmarum	346
Dominica quarta post Epiphaniam	162	Feria secunda post Palmarum	357
Dominica quinta post Epiphaniam	169	Feria tertia	359
Dominica in Septuagesima	175	Feria quarta	362
Dominica in Sexagesima	183	In cœna Domini	364
Dominica in Quinquagesima	189	Feria sexta parasceues	369
In die Cinerum	197	In vigilia Paschæ	372
Feria quinta post Cinerum	200	In die sancto Paschæ	377
Feria sexta post Cinerum	201	Feria secunda Paschæ	384
Sabbato post Cinerum	207	Feria tertia Paschæ	392
Dominica prima in Quadragesima	209	Feria quarta Paschæ	397
Feria secunda post Inuocauit	216	Feria quinta Paschæ	403
Feria tertia	220	Feria sexta	407
Feria quarta	222	Sabbato	410
Feria quinta	227	In octaua Paschæ	414
Feria sexta	231	Dominica secunda post Pascha	424
Sabbato post Inuocauit	235	Dominica tertia post Pascha	429
Dominica secunda Quadragesimæ	238	Dominica quarta	435
Feria secunda post Reminiscere	249	Dominica quinta	441
Feria tertia	251	In Litania minori	447
Feria quarta	253	In vigilia Ascensionis	452
Feria quinta	255	In die Ascensionis	456
Feria sexta	257	Dominica post Ascensionem	464
		In vigilia Pentecostes	472

In

Universidad de Deusto
Biblioteca

In die sancto Pentecostes	476	Dominica duodecima	605
Feria secunda Pentecostes	484	Dominica decimatertia	612
Feria tertia Pentecostes	488	Dominica decimaquarta	618
Feria quarta Pentecostes	494	Dominica decimaquinta	629
Feria quinta	497	Dominica decimasexta	638
Feria sexta	501	Dominica decimaseptima	649
Sabbato post Pentecosten	504	Dominica decimaoctaua	655
In octaua Pentecostes	508	Feria quarta quatuor temporum	664
De sanctißima Trinitate	513	Feria sexta quatuor temporum	666
Dominica secunda post Pentecosten	540	Sabbato quatuor temporum	669
Dominica tertia	547	Dominica decimanona post Pentecosten	672
Dominica quarta	555	Dominica uigesima	678
Dominica quinta	564	Dominica uigesimaprima	687
Dominica sexta	571	Dominica uigesimasecunda	695
Dominica septima	576	Dominica uigesimatertia	702
Dominica octaua	582	Dominica uigesimaquarta	712
Dominica nona	588	Dominica uigesimaquinta	719
Dominica decima	594	Dominica uigesimasexta	726
Dominica undecima	598	In dedicatione Ecclesiæ uel altaris	734

DE SANCTIS.

IN uigilia sancti Andreæ	749	In natali beatæ Magdalenæ	859
In die sancti Andreæ	753	In natali sancti Iacobi Apostoli	868
In octaua sancti Andreæ	759	In uinculis sancti Petri	870
De sancto Nicolao quære in Communi.		De sancto Laurentio	873
De conceptione beatæ Mariæ quære in natiuitate eiusdē.		In uigilia Assumptionis	880
De sancto Thoma	418. & in Communi.	In Assumptione sanctæ Mariæ	ibid.
De sancto Antonio quære in Communi		In festo sancti Bartholomæi	893
In natali sanctæ Agnetis	761	In decollatione sancti Ioannis Baptistæ	894
In conuersione sancti Pauli	763	In natiuitate sanctæ Mariæ	902
In purificatione sanctæ Mariæ	767	In exaltatione sanctæ Crucis, quære in Communi.	
In cathedra sancti Petri	784	In uigilia sancti Matthei Apostoli	913
In festo S. Matthiæ apostoli	788	In festo sancti Matthæi Apostoli	914
In annunciatione beatæ Mariæ	790	In festo sancti Michaëlis	922
In festo sanctorum Philippi & Iacobi	800	In dedicatione Ecclesiæ eiusdem	920
In festo inuentionis sanctæ crucis	807	In natali sancti Lucæ	930
De Sanctis infra Pascha & Pentecosten	816	In festo undecim millium uirginum, quære in Communi de Virginibus	
In uigilia beati Ioannis Baptistæ	818	In festo sancti Seuerini	ibid. de Confessoribus.
In natiuitate sancti Ioannis Baptistæ	821	De festo sanctorum Simonis & Iudæ	ibid. de Apostolis.
In uigilia Apostolorum Petri & Pauli	830	In uigilia omnium sanctorum	937
In festo sanctorum Petri & Pauli	835	In die omnium Sanctorum	939
In commemoratione sancti Pauli	843	In die animarum	948
In octaua sanctorum Petri & Pauli	855	In festo sancti Martini, quære in Cōmuni de Confessoribus	
In festo uisitationis B. Mariæ	851	De sancta Catharina	ibidem de Virginibus.
In natali sanctæ Felicitatis	857		

Commune Sanctorum subsequentibus sacris diebus accommodatur.

De Apostolis	957	De Virginibus	1041
De uno Martyre	977	Hisce addita	
De Martyribus.	993	Homilia de pœnitentia Niniuitarum Emeseni.	1060
De Confessoribus	1015	Homilia de ieiunijs Niniuitarum Maximi.	1061

HOMILIAE PRAESTANTISSIMORVM ECCLESIAE CATHOLICAE DOCTORVM IN TOTIVS ANNI *EVANGELIA, AB ALBINO FLACCO ALCVINO IVSSV* CAROLI MAGNI PRIMVM INGENTI STVDIO COLLECTAE: QVIBVS PRAEter omnes superiorum temporum accessiones, nunc recèns adiunctæ sunt Conciones exegeticæ in totius æquè anni Epistolas, opera F. Laurentij Surij Carthusiani ex præcipuis Ecclesiæ patribus potissimùm congestæ.

IN EPISTOLAM I. DOMINICAE ADVENTVS CONcio exegetica.

1. Tim. 3. HOdiè dilectissimi, Aduentus dominici initia celebramus. Voluit enim pia mater Ecclesia, quæ est columna & firmamentum veritatis, non temere quidem, sed sapientissimo cōsilio, circa illud tempus, quo Christus mundi seruator natus est, singulis annis solennem agi memoriam aduentus Domini: nec tamē illius vnius duntaxat, quo venit in mundum factus homo, sed etiam præteréà aliorum trium, quorum primus est in homines, alter ad obitum singulorum, tertius ad iudicium illud horrendum & æquissimum, quod erit in fine mundi. Ex his primus & secundus inæstimabilem præ se ferunt dignationem, beneuolentiam & charitatem: alij duo pleni sunt immensi timoris & horroris: quod Ecclesia significare voluit omittendis quibusdam canticis lætioribus in officio diuino, puta, Gloria in excelsis, Te Deum laudamus, & alijs nonnullis: itemq; vtendis vestibus ad luctum pertinentibus. Nihil enim in Ecclesiæ cæremonijs otiosum, nihil superuacaneum est: omnia suas habent voces & suas rationes, licet à paucis percipiantur, & intelligantur, vt nihil de illis dicamus, à quibus planè contemnuntur. Primum Domini aduentum
Ioan. 1. paucis exprimit D. Ioannes, Verbum, inquiens, caro factum est, & habitauit in nobis. Secūdum ipse Dominus his verbis declarat: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus
Ioan. 14. diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus: qui aduentus nisi agatur in homine, nihil illi contulerit, sed potiùs maiori erit supplicio primus aduentus in carnem: duoque postremi summo horrori & sempiternæ cōdemnationi. Tertium hæc nobis verba loquuntur:
Luc. 12. Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet. Quartus apud Matthēū prolixè describitur cap. 25. & præcedente cap. 24. paucis verbis idē perspicuè satis explicatur, dicente Domino: Videbūt filiū hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & maiestate. Quadruplicem hunc aduentum referunt quatuor hebdomadæ, quibus Aduentus celebratur, quarum postrema aut vix, aut nunquam absoluitur (vigilia enim Natiuitatis Domini ad Aduentum non pertinet, vt quibusdam placet) vt hoc ipsum nos admoneat, neq; summam illā fœlicitatem beatorum, neq; extremam miseriā impiorum, quam in quarto Aduentu pro meritis vtrisq; iustus iudex redditurus est, nullum vnquam finem habituram. Porrò toto hoc Aduentus tempore solet sese Ecclesia præparare ad dignè suscipiendum Christum ex Virgine matre nasciturum, atque interim in diuino officio quibuscunque vtitur, ea singularem quandam respiunt & præ se ferunt pietatem ac deuotionem: quanquam dolendum est tanto iam penè omnes tepore & socordia teneri, vt hosce dies sanctissimos velut in somno quodam transigāt, nec aduertant diuinæ benignitatis in comprehensam & profusam erga nos liberalitatem, & amorem inæstimabilem, quem in nos tam luculenter declarauit, cùm ad nos in hoc exilium semetipsum exinaniens & formam serui accipiēs, descendere voluit: cui nos oportebat summo cum desiderio ire obuiam, & sanctis exercitijs illi nostris in cordibus parare locum tanta maiestate dignum, vt quemadmodum olim sancti patres ante legem & sub lege ardentissimè illū in carne venturum suspirabant: ita nos in spiritu eum nobis adesse, & in animas nostras aduenire feruenter cuperemus. Ardorem desiderij patrū, ait D. Bernardus, suspirantium Christi in carne præsentiā frequentissimè cogitans, compungor & confundor in memetipso, & nunc vix contineo lachrymas, ita pudet teporis torporisque miserabilium temporum horum. Cui nanque nostrum tantum ingerit gaudium gratiæ huius exhibitio, quantum veteribus sanctis accenderat desiderium promissio? Hæc ille. Ab hoc torpore & nimis exitiosa oscitantia excitare nos volens mater Ecclesia, proponit hodie lectionem ex Apostolo cum primis ad hoc idoneā & efficacem, quam nunc explicaturi sumus. Hora est, ait Apostolus, *iam nos à somno surgere.* Ecce enim iam sol iustitiæ Christus Dominus aduentat, cupitq; lumen suum nostris in cordibus diffundere, & nos adhuc stertimus, neq; pudet nos tantam vltrò oblatam gratiam nec aduertere quidem, immò etiam supinos ac oscitantes habere neglectui? Hora est iam nos à somno surge-

Serm. 2. in Cantica.

re.

Universidad de Deusto
Biblioteca

re. Quid enim tam indignum, tam peruersum, vt cùm Christus aduenìat salutem nostram olim in paradiso amissam instauraturus, cùm patre in gratiam nos restituturus, atque ad patriam illam cœlestem postlimnio nos reducturus, nos nihilo minus vitiorum somno æquè simus dediti, potiusque velimus manere in tenebris, quàm eius luce illustrari? Origenes hûc locum ita interpretatur: Apostolus quò magis auditores incitet ad conuersionem, introducit modò perurgentem temporis rationem, quod est in rebus omnibus summum. Nemo enim ita somnolentus & piger est, quem aduenientis diei non excitet claritas, & cui sol oculis infusus non aperiat aspectum. Est ergo etiam animæ somnus quidam. Si enim sunt ei, vt sæpè iam diximus, proprij oculi, & aures propriæ, & manus propriæ & pedes, quæ singula nô tam membra corporalia inesse ei, quàm virtutes quibus ad vnumquodque mouetur & incitatur, reputandæ sunt, accidit sine dubio ei secundum oculos suos etiam somnus. Si enim non agat tempore oportuno quæ Dei sunt, sed desiderijs torpescat, meritò dormire dicitur. Idcircò igitur Paulus præco Christi, circuiens mundum in somno desidiæ positum, annûciat adesse iam lucem, & tẽpus esse vt surgatur è somno. Hæc ille. D. Ambrosius ait Apostolum hic dicere, tempus esse, quo ad meritũ proficere debeamus. Hoc est enim, inquit, de somno surgere, operari bonum, quasi in die, hoc est, palàm. Illicita enim in nocte, id est, in abscondito fiunt. Iam enim in manifestatione positi, quod est, in notitia Dei, agnoscentes quid sequi debeamus, dare operam debemus, vt purè viuentes, ad promissum præmium veniamus excusso somno, id est, ignorantia siue negligentia. D. Chrysostomus de terribili Dei iudicio, de die illa velut clibanus accẽsa & de futura resurrectione hæc interpretatur. Oportet ergo, inquit, vt deinceps pigri tia nostra liberemur. D. Hieronymus hunc locũ eodẽ ferè modo vt D. Ambrosius exponit, cuius verba non adscribimus. Breuiter hortatur Apostolus, vt à somno peccati, culpæ & negligentiæ seu desidiæ surgamus, ne gratiam in Christi aduentu nobis oblatam nostra culpa & cæcitate negligamus, efficiamusq; vt Christus nihil nobis prosit, qui non stertentibus, sed obtemperantibus sibi factus est causa salutis æternæ. Sequitur: *Nunc enim propior est nostra salus, quàm cùm credidimus.* Postquam per Christi aduentum redemptio nostra patrata est, iam propior est nostra salus tam iustificationis in hac vita, quàm fruendæ gloriæ in futura, quàm cùm eam ex Dei promissis adhuc futuram credidimus & expectabamus. Ita enim Patres omnes ante natum Saluatorem credebant quidem & certò expectabant salutem per Christum instaurandam, sed tamen omnes à possessione regni & illius sempiternæ beatitudinis arcebantur, nondum depenso pro peccatis nostris sanguinis Christi precio, per quã possessionem cõsummatio fit salutis nostræ, quæ hic per fidem inchoatur, ceu per viam ad salutem: quantoq; est fides explicatior per Euangelium, eo propior est nostra salus. Iam enim tempore gratiæ, tot diuinitùs suffulti sacramentis & auxilijs, & per filium Dei patefacto nobis regno cælorum, expeditiores sumus ad faciẽda opera quæ fides per charitatem operatur, præstandaq; officia, ad quæ nos eadem fides erigit & inuitat, quàm dum fides etiamnum in incunabulis esset sub lege, ac veluti sub nubilo delitescebat: atq; eam ob rem nunc quoq; lõgè propior, id est, promptior atque paratior est nostra salus, tam iustificationis per gratiam, quàm possessionis vitæ per gloriam, quàm fuit ante Christi aduentum. Sequitur: *Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die honestè ambulemus.* Nox infidelitatis, peccati & ignorantiæ & vmbrarum Mosaicarum præcesserit, & iam tendit ad interitum illucescẽte Euangelio, & sol iustitiæ, dies gratiæ Christus Dominus, qui se diem manifestauit, in quo operari debemus, appropinquauit. Itaque hoc loco Apostolus statum illum veteris legis, propterea quod tunc passiones peccatorum per legem viuebant, eratque fides tum nubila, & cæremoniæ illæ non nisi quædam futurorum vmbræ, noctem vocat: porrò statum Euangelicum, diem, in quo Christus veluti solis iubar per iustificantem gratiam cæpit orbem irradiare, iuxta illud: Vobis timentibus nomen meum, orietur sol iustitiæ. Porrò cùm nox nihil soleat suadere moderabile, feranturq; homines nocte tanquam in obscuro propensiùs in scelera, aptissimè subiungit apostolus, vt postquam in Christo iustitiæ dies illuxit, opera tenebrarũ deijciamus, id est, peccata, quæ sicut à mentis cæcitate proficiscuntur (omnis enim peccans est ignorans, vt ait Aristoteles) ita ad tenebras illas mittunt exteriores, & terrã tenebrosam & opertam mortis caligine, vbi vmbra mortis & sempiternus horror inhabitat. Origenes opera tenebrarum vocat actus illos, qui à Deo sunt alieni: Ambrosius, vitam carnalem, quæ illecebris agitur secularibus. Et ipse Dominus IESVS ait, eum qui malè agit, odire lucem. Si enim ambularet in luce, videret vtiq; peccati turpitudinem, videret horrenda, in quæ se conijcit, pericula & supplicia, videret oculos cuncta cernentis Dei se coràm intueri & iam in caput suum vibrare gladium, arcum suum intendisse & in eo parasse vasa mortis, & sagittas ardentes: atq; ista cernens fidelibus oculis cordis sui, timeret iram Dei, timendo fugeret peccatum, & ad diuinam se conformaret voluntatem. Sed hæc impij non videt, quia in tenebris ambulãt, ita vt rectè de illis dicat Salomon: Via impiorum tenebrosa: nesciũt vbi corruãt. Iustorum autem semita, inquit idẽ, quasi lux splendens, procedit & crescit vsque ad perfectam diem. Ergo abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis, id est, virtutes, de quibus Chrysostomus loquens, Arma, inquit, lucis sunt: vnde & radijs solaribus illustriorem te faciunt, multum emittentia fulgorem: atque in toto etiam optimè munitum cõstituunt, arma siquidem sunt: deinde & splendidum faciunt, sunt enim arma lucis. Et quẽadmodum è thalamo suo sponsus gloriabundus progreditur, ita & is, qui armis istis munitus est. Simul enim & sponsus est & miles. Hæc ille. De his alibi idem Apostolus ita scribit: Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli. Et infrà: State ergo succincti lũbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis: in omnibus sumẽtes scutũ fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. & galeã salutis assumite, & gladiũ spiritus, quod est verbũ Dei, &c. Et alibi: Nos autẽ qui diei sumus, sobrij simus, induti loricã fidei, & charitatis, & galeã spem salutis. Itemq; : Nõ sumus noctis neque tenebrarũ. Igitur nó dormiamus sicut & cæteri: sed vigilemus & sobrij simus. *Sicut in die honestè ambulemus.* Si Christus in corde nostro sit, ait Origenes, diem nobis facit. Si ignorantias nostras scientiæ ratio fuget, & indignos actus declinantes, pia quæq; & honesta sectemur, in luce simus positi, & quasi in die honestè ambulamus. Hæc ille. Hucplurimum facit Decorum illud, cuius apud Philosophos quoq; præcepta multa nõ contẽnenda leguntur, quodq; elucẽs in vita, mouet approbationẽ eorũ quibuscũ viuitur, ordine, & cõstantia, & moderatiõe dictorũ omniũ atq; factorũ. Neq; enim decet homines ratione præditos in agẽdis ac omittẽdis & rebus quibuscũq; ab hoc decoro recedere, vtpote quibus à natura cõstantiæ, moderationis, tẽperantiæ, verecũdiæ partes datæ sunt. Atq; vtinã à primis incunabulis institueretur pueri ad oẽm pietatẽ & morũ honestatem. Quod enim hodiè tãta cernitur in omni hominũ vita dissolutio, petulãtia & turpitudo, ex malè educata iuuẽtute potissimũ ꝓficiscitur. Nec iã vitia pro vitijs habentur, sed præcipuã ferè laudẽ obtinet apud plerosq; scatere vitijs, nec vllam virtutis ac honesti speciem præ se ferre. Non est timor Dei ante oculos hominum. Non cogitant se perpetuò conspici ab illo exactissimo iudice Deo: itaq; præceptio hæc Apostolica, vt sicut in die honestè ambulemus, iam ad solas terras relegata est. Vitia autem, quę iam consequẽter iubet Paulus, vt videmus, adeò nũc peruulgata sunt, vt qui illis deditus non sit, tanquam hypocrita ac pharisæus, vel certè vt miser & phanaticus despectui habeatur: *Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione.* Comessationes D. Ambrosius dicit esse luxuriosã conuiuia, quæ aut collatione omnium celebrantur, aut vicibus solent à contubernalibus exhiberi: vt neminem illic pudeat aliquid inhonestè dicere aut facere: quia vnusquisque præsumit, quòd suum conuiuium sit. Solent enim in aliena mensa pudore coërceri: sed hic ad hoc conuenitur, vt fœda illic gerantur copia vini, & incitetur libidinis diuersa voluptas. Idcircò euitanda præcipit huiusmodi conuiuia. Hæc ille. Itaque hoc loco comessationes accipiendæ sunt pro immoderatis conuiuijs, illis præsertim, quæ post cœnam fiunt, & in multam noctem protrahuntur, luxu lasciuijsque instructa, quæ ingentẽ proferunt multorũ flagitiorũ segetem: Vnde etiam Dominus ipse nos hortatur, ne corda nostra grauentur in crapula & ebrietate: & alibi Apostolus ebrietates & comessationes numerat inter carnis opera, quæ excludunt à regno Dei. Sunt ergo mortifera peccata. Sed ô Deus bone, quò prolapsa est disciplina ecclesiastica? Olim in primis nascentis Ecclesiæ initijs Apostolus etiam cibum sumere vetuit cum ebriosis. At non modò tantum, verumetiam iam olim, vt Diuus testatur Augustinus, comessationes & ebrietates ita concessæ & licitæ putantur, vt in honorem etiam beatissimorum martyrum, vt ipse ait, non solũ per dies solennes (qd' ipsum quis nõ lugendũ videat, qui hęc nõ carnis oculis inspicitur) sed etiam quotidiè celebrẽtur. Quã fœditatẽ idẽ vir sanctus nõ flagitiosam modò, verumetiã sacrilegã vocat. Sed quotusquisq; id alicuius pẽsi habet? O tẽpora, ô mores. Si quis hodiè amicũ conuiuio excipiat, nõ sibi videtur illum benè tractasse, nisi planè vino aut potu obrutum à se dimittat. Adeò nunc homines ipsis brutis stolidiores & impudentiores tum demũ præclarè se gessisse putant, si id, vnde homo & nomen habet & rem, id est, rationem in seipsis & alijs prosternant iugulentq́e, cùm tamen animal irrationale nulla vel vi vel arte adduci eò potest, vt vltra naturæ necessitatem pabulum insumat. Vbi verò sic viuitur, iam necesse est sequi cubilia & impudicitias, & spurcissimas corporis prostitutiones atque contaminationes, vt nihil dicamus de innumeris morbis inde nascentibus, qui vel soli possent hominem à crapula & ebrietate absterrere, etiamsi nulla alia post hanc vitam impijs essent supplicia constituta. Cubilis nomen, quo hîc vtitur Apostolus, etsi lectum quoque significat, vsitatiùs tamen accipitur pro lustris ferarum à luto dictis, hoc est, pro paludibus & cœnosis locis, in quibus feræ cubant. Itaque hac voce subindicat Apostolus turpitudinem & ignominiam eorum, qui veluti pecora volutantur in cœno & stercore, de quibus propheta quidam loquitur: Computruerunt iumenta in stercore suo. Væ mundo ab hac inexplebili libidinis vorago, quæ totum ferè genus humanum heu miserandum in modum nefandæ consuetudinis æstu absorpsit, adeo vt penè nulla iam sint continentiæ exempla: sed omnes ferè hoc igni tartareo conflagrare videantur. Pauci-

In Epistolã ad Roma. lib. 9.

In Epistolã ad Roma. ca. 45.

Homil. 24 in Epistolam ad Roma.

In epistol. ad Roma.

Hebr. 5.

In Epist. ad Romã. Homil. 24

Ephe. ult.

1. Thess. 5.

Ibid.

In Epist. ad Romã.

Cicer. 1. offic.

In Epist. ad Romã.

Luc. 21.

Gal. 5.

1. Cor. 5.

Epist. 64.

Lœl. 1.

In Epist. ad Romã.

Malac. 2.

3. Ethicorum.

Iob. 10.

Psal. 7.

Prouer. 4.

Ibid.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cissimos inuenire est, qui sobrietati & temperā-
tiæ studeant: omnes se cibo potuq; ingurgitare
volunt, vt mirum non sit si venter vino æstuans,
citò spumet in libidinem. Apostolus corpus suũ
se castigare dicit, & in seruitutem redigere, ne
fortè alijs prædicãs, ipse reprobus efficiatur: sed
hoc tanti Apostoli exemplum in chartis quidem
legitur, at in hominum vita vix vsquam apparet.
Veniet, veniet ille dies, quando hic ignis flagi-
tiosæ libidinis & insanæ turpitudinis, quem iam
in nobis ieiunijs, vigilijs, precibus, lachrymis, e-
leemosynis, sacris lectionibus, sanctis medita-
tionibus, atq; alijs id genus pietatis studijs extin
guere nolumus, in ignem sulphureum picemq;
flagrantissimam mutatus, corpora & animas no-
stras in omnem æternitatem sæuissimo ac imma
nissimo cruciatu exuret, torrebit, depascet. Se-
In Epistolã ad Roma. quitur: *Non in contentione & æmulatione.* Occume-
nius Græcus interpres, per contentionẽ vult ac-
cipi indignationẽ & excandescentiam: per æmu
lationem verò inuidiam. Vtrunq; hoc vitium,
contentionem & æmulationem, ad Galatas scri-
bens Apostolus, inter mortifera peccata recen-
set. Intempestiuis compotationibus amica est
contentio & rixa, quæ plerunq; in homicidia
desinit: porrò inuidia quoq; contentionis est
Sap. 2. Gen. 4. mater. Inuidia diaboli mors intrauit in orbem
terrarum, idemq; execrabile vitium Cain impu-
lit ad parricidium. Ex his ergo vitijs ab Apostolo
non temerè commemoratis, duo priora ad vim
concupiscibilem, & duo posteriora ad irascibi-
1. Offic. lem pertinent, quæ sunt duæ partes appetitus
sensitiui, quas necesse est rationis moderamine
in officio contineri. Efficiendum est, inquit Ci-
cero, vt appetitus rationi obediant, eamq; neq;
præcurrant propter temeritatem, nec propter pi-
gritiam aut ignauiam deserant: sintq; trãquilli,
atq; omni perturbatione animi careant. Sequi-
tur: *Sed induimini Dominum* IESVM *Christum.* Fre-
Origenes. quenter diximus, ait Origenes in hunc locum,
Christum sapientiam esse, & iustitiam, & sanctifi-
cationem, & veritatẽ, & omnes simul virtutes:
quas vtiq; qui assumpserit, Christum dicitur in-
Chrysost. duisse. Et Chrysostomus, Dominum, inquit, ip-
sum nobis vestimenti loco tradit. Hunc enim
indutus, omnem simul in vniuersum virtutem
habet. Quando verò dicit, Induimini, vndiq;
nos illo circũdari iubet. Vult enim animam no-
stram illi domum esse, illoq; nos veluti vestimẽ-
to circundari, vt is omnia nobis sit, siue interna,
Ambros. siue externa respicias. Porrò Ambrosius hunc
locum sic interpretatur: Hic induit Christum,
qui se ab omni errore & turpitudine separaue-
rit, ne in conuiuio nuptiarum sine veste eius in-
uentus, turpiter abiectus, tenebris mancipetur.
Exutis enim veterem hominem, in nouitate vitę
Hieron. manendum est. Et D. Hieronymus, Solus, ait,
Christus videatur in nobis, non vetus homo.
Qui enim dicit se in Christo manere, debet si-
cut ille ambulauit, & ipse ambulare, in quo sunt
omnes virtutes. Hæc ille. Hoc nimirum verè est
Christianum esse, adeò in Christum transfor-
mari, vt præter illum nihil appareat in homine.
Porrò qui Christum ore confitentur, factis ne-
gant, illis nihil proderit Christus. Præstet is no-
bis gratia & benignitate sua, vt illum omninò
indui mereamur, cui est cum patre & spiritu san-
cto omnis honor & gloria in secula seculorum,
AMEN.

DOMINICA PRIMA ADVENTVS DOMINI. Matth. 21.

In illo tempore: Cùm appropinquasset Iesus Hierosolymam, & uenisset Bethphage, ad montem Oliueti, tunc misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum, quod contra uos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: soluite & adducite mihi. Et reliqua. Homilia B. Ioannis Episcopi, alias Chrysostomi.

PVto res ipsa exigit vt quæramus. Est ex
Frequẽter quidẽ Iesus venit in Hie pere
rusalẽ, sicut Ioannes testatur, nun- pers
quã tamẽ sibi adhibuit ministeria in Ma
mentorum, nec ramorum virentia circa se or- theum
namenta constituit, nec ad terribilem laudẽ suæ quod
diuinitatis animos populi excitauit, nisi modò, tur esse
quando vt pateretur, ascendit. Ideo ergo cum Chrysos
tanta gloria ingressus est, vt amplius illorum ad- mi.
uersum se excitaret inuidiam, quia iam tempus
passionis eius instabat, & non mors eum vrge-
bat, sed ipse magis aduersum se cõpellebat mor
tẽ. Quoties enim de manu sacerdotũ elapsus e-
uasit, cùm esset inuisibilis factus? Quando Iudæi
Christum voluerũt occidere, tangere eum non
potuerunt. Quando autem Christus secutus est
mortem, parcere ei Iudæi non potuerunt. Ergo
si Christus eos prouocauit, an fortè de morte sua
fecit eos innoxios? Absit. Non excitauit eos, vt fa
cerẽt, quod antè noluerãt, sed vt possent facere,
quod priùs volebant, facultas eis data est, nõ mu
tata voluntas. *Tunc Iesus misit duos discipulos, dicens: Ite in castellum, quod contra uos est, & confestim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: soluite & adducite mihi.* Asina & pullus eius, Iudæi sunt & gentes. Iu
dæa enim secundum Deum mater est gentiũ. Sic
enim dicit ad illam Deus per Isaiam prophetã: Isai. 54.
Et constituam principes tuos sicut anteà, & cõsi-
liarios tuos, sicut ab initio: & tũc vocaberis ciui-
tas iustitiæ, & mater ciuitatum, id est, ecclesiarũ,
fidelis Sion. Propter quasdã tales similitudines
animalibus his assimilati sunt homines, Deum
vel Dei filiũ non cognoscẽtes. Est enim animal
hoc immundũ, & prę cęteris penè iumẽtis magis
irrationabile & stultum, infirmũ & ignobile, &
oneriferum magis. Sic & homines fuerunt ante
Christum idololatrijs & passionibus diuersis im
mundi, & irrationabiles, verbi ratione carẽtes, &

quantùm ad Deum, stulti. Quid autem stultius,
quàm factorem contemnere quasi facturam, &
opus manuum suarum adorare quasi factorem?
Erant infirmi secundum animam, & ignobiles,
non valentes resistere passionibus suis, & obliti
generationem suam cælestem, facti fuerant ser-
ui passionum suarum & dæmonum, quibus resi-
stere non valebant. Et quicunq; dæmonum vel
philosophorum cuiusq; erroris vel dogmatis a-
licuius farcinam eis voluisset imponere, sufferebant, & omnia non bona patientia supportabãt,
nec resistebant. Propter quæ omnia & Apostolus
1. Cor. 1. ad Corinthios dicit: Videte vocationem vestrã
fratres, quia non multi sapientes secundum car-
nẽ, non multi fortes, non multi nobiles: sed quæ
stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sa-
pientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confun
dat fortia: & ignobilia & contemptibilia mũdi
elegit Deus, & quæ non sunt, vt ea quæ sunt de-
strueret. At vbi Christus super eos ascẽdit, & in-
duxit in templũ, loti per baptismũ, facti sunt de
immũdis animalib. homines sancti. Percepta e-
nim verbi ratione, & sapiẽtia Dei, facti sunt ho-
mines rationabiles & prudẽtes, & inuẽta est irra
tionabilitas eorũ esse simplicitas, & stultitia eo-
rũ mãsuetudo. Nã simplicitas sine ratione verbi,
hominis irrationabilitas est: & mãsuetudo, si nõ
sit propter Deũ, stultitia est. Adhuc autem acce-
pta gratia & recognita generatione sua cælesti, fa
cti sunt de infirmis & ignobilibus fortes & nobi
les: & quæ videbatur infirmitas, innocẽtia inuen
ta est in eis: ignobilitas aũt humilitas. Nam inno
centia sine Deo, infirmitas æstimatur: & humili-
tas non propter Deum, ignobilitas iudicatur. Itẽ
reijcientes à se onera dæmonum, & suscipientes
super se iugum Christi suaue, & onus eius leue,
& ipsum sessorem in cordibus suis suscipientes,
facti sunt patientes. Nam patientia irrationabi-
lis, onerifera æstimatur: ligata, id est, diabolici er
roris vinculo impedita, vt non haberet liberta-
Liberum arbitriũ. tem ire quò vellet. Nam omnes homines ante-
quàm peccemus, liberum quidem habemus ar-
bitrium, si volumus sequi voluntatem diaboli,
an non. Quod si semel peccãtes, obligauerimus
nos operibus eius, iam nostra virtute euadere
non possumus: sed sicut nauis fracto gubernacu
lo illuc ducitur, vbi tempestas voluerit, sic & ho-
mo diuinæ gratię auxilio perdito per peccatum,
non quod vult agit, sed quod diabolus vult: &
nisi Deus valida manu misericordiæ suæ solue-
rit illum, vsq; ad mortem in peccatorum suorum
vinculis permanebit. Ergo nostra quidem volũ-
tate & negligentia alligamur, sed per Dei miseri
cordiã absolumur. Sicut enim videmus in istis
mundialibus regnis, quomodò in primis quidẽ
nemo potest facere seipsum regem, sed populus
creat sibi regẽ quem eligit: sed cùm ille rex fue-
rit factus & confirmatus in regno, iam habet po-
testatem in hominibus, & non potest populus iu
gum eius de ceruice sua repellere. Nam primùm
quidem in potestate populi est, facere sibi regẽ
quem vult: factum autem, de regno iam repelle-
re non est in potestate eius: & sic populi volũtas
postea in necessitatem conuertitur. Sic & homo
priusquàm peccet, liberum habet arbitrium, v-
trùm velit sub regno esse diaboli, an non. Cùm
autem se peccãdo tradiderit sub regnum ipsius,
iam nõ potest de potestate eius exire, sed sic pri-
ma voluntas eius in necessitatem conuertitur.
Et hoc est, quod homines seculares & peccato-
res dicere solent: Nunquid nolumus esse sancti?
&, quis non vult esse iustus? Sed non possumus.
Verum quidem est quod dicunt, sed non habẽt
excusationem, quia primùm potuerunt non esse
sub potestate diaboli, si voluissent: postquàm ve
rò posuerunt thronum diaboli in cordibus suis,
iam nemo potest eos eripere de potestate diabo
li, nisi solus Deus. *Soluite*, inquit. Quomodò? Per
doctrinam vestram, & per miracula vestra: quia
omnes Iudęi & gẽtes per apostolos liberati sunt.
Adducite mihi, ad ministerium, id est, ad gloriam
corrigite illos. Duos autem misit apostolos, quia
per duo generalia mandata omne genus homi-
num de peccato absoluitur. Qualia? Diliges do- Matt. 22.
minum Deum tuum ex toto corde tuo, & proxi-
mum tuum sicut teipsum. In his duobus omne Tob. 4.
peccatum expellitur, & omnis iustitia consum-
matur. Aut certè alia duo: Quod tibi non vis, alij
ne feceris. item: Quod vultis vt faciant vobis ho Matth. 7.
mines, facite & vos illis similiter. Quidam autẽ
duos istos, Petrum & Philippum apostolos expo
nit intelligi oportere, quoniam hi primùm trãs-
gredientes Iudaicos fines, gentes adduxerũt ad Sed hic
Christum: Philippus quidem Samariam, quam Philippus,
ipsam Samariam asinã esse interpretatur: Petrus unus fuit è
autem gentes, accipiẽs Cornelium ex gentibus, 7. diaco-
quasi Samariæ pullũ. *Et si quis uobis dixerit aliquid, di* nis.
cite: Dominus operã eorũ desiderat. Nec dicatis, domi-
nus tuus, neq; dominus noster, neq; dominus iu
dicũ: vt intelligant oẽs, quia ego solus domi-
nus, nõ solùm animaliũ, neq; solùm eorũ, qui mi
hi subditi sunt, sed omniũ hominũ, etiã qui mi-
hi contrarij sunt. Nam & peccatores conditione
quidem mei sunt, voluntate autem sua diaboli.
Meus est enim orbis terræ, & plenitudo eius. Psal. 49.
Dominus operam eorum desiderat. Iustum est
vt aliquando creatura seruiat suo factori. Gen-
tes enim Deus in potestate diaboli pro tempore
reliquit, vt tentet: non in æternum contempsit,
vt perdat. Necesse est autem vt fiat quod scri- Psalm. 35.
ptum est: Homines & iumenta saluabis Do-
mine. *Confestim autem remittet eos.* Animal quidem
postquàm ingressum est in Hierusalem Iudææ,
ad dominum suũ remissum est, animalis autem
prophetia in Iudæa remansit. Nam de animali il-
lo non hoc, quod videbatur, necessarium erat
Christo, sed id quod intelligebatur, id est, non
caro, sed ratio: ideoq; caro remissa est, ratio au-
tem retenta. Aut ita: Non dixit, & iterũ remittet
eos ad te, sed tantùm remittet eos, ne ministeriũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

præcederet rationem. Nam puto in primis homines non sermone nudo vocauit apostolorum, sed per virtutem spiritussancti soluit pariter & addixit. Postquam autem adduxit, iterum dimisit eos in arbitrio, vt labore suo comitante gratia iustificentur. Nam quod vocati sumus, Dei est: quod autem dignè vocatione viuimus, nostrum pariter & Dei est. Hoc est quod ait, Iterum remittet eos, non ad diabolum qui priùs tenebat eos, sed in arbitrio suo, in quo antè fuerunt, adiuuante scilicet dono gratię. *Hoc autem totum factũ est, ut impleretur quod dictum est per prophetam dicentem: Dicite filiæ Sion, Ecce rex tuus uenit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium iumenti.* Dominus noster ascendens ad mortem in Hierosolymam, magnam gratiam pacis & concordiæ mundo vniuerso quasi in testamento reliquit. In mysterium enim gentium futurarum sedens super asinam & pullum eius, intrauit in templum, & sic gentes Iudæis coniunxit. Sciens autem prophetam malitiam Iudæorum, quia contradicturi fuerant Christo ascendenti in templum, ideo antè præmonuit, vt per hoc signum cognoscerent regem suum Iudæi, dicens: Ecce rex tuus venit tibi mãsuetus, sedens super asinam & pullum eius. Ecce, ostendentis est verbum, id est, videte non carnali aspectu, sed spirituali intellectu opera virtutum eius aspicite, non schema visionis eius. Si enim schema tantũ eius aspexeritis, decipiẽdi estis in natura humana. Si autem opus eius consideraueritis, saluandi estis in virtute diuina. Ante tempora autem multa constitutus prophetã, videns eum spirituali aspectu, qui nondum fuerat natus, ideo dicebat: Ecce, vt ostenderet, quia ille, de quo loquebatur, antequàm nascerẽtur, iam erat. Cùm ergo videritis eum in templo Iudæi, nolite superbè agere contra eum, dicen-
Matt.21. tes: In qua potestate facis hæc? Quia ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam. Nolite considerare, in qua potestate facit, sed considerate tantùm, si facere potest: quoniam hoc credere est, illud autem tentare. Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam:
Ioan.19. Nolite dicere: Nos non habemus regem, nisi tantummodò Cæsarem. Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam. Si intellexeris, venit tibi: si non intellexeris, veniet contra te: id est, si intellexeris, veniet vt saluet te, & sub pedibus tuis subiuget gentes, vt gaudens per prophe-
Psal.46. tam dicas: Quoniam dominus excelsus, terribilis, & rex magnus super omnem terram: subiecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris: elegit nos hæreditatem sibi, speciem Iacob quã dilexit. Si autem non intellexeris, veniet vt perdat te, & de templo sanctitatis expellat, & aliam sponsam de gentibus castiorem ducat in cubiculum sanctitatis, vt tu proiecta & in tenebris
Cant.1. constituta, dicas per Salomonem: Ne aspexeritis me, quoniam ego sum denigrata, quoniam despexit me sol. Vis cognoscere mansuetudinẽ venientis? considera speciem aduentus eius. Nõ sedet in curru aureo, preciosa purpura fulgens:
Iob.39. nec ascendit super equum feruidum, amatorem discordiæ & litis, qui iactantia gloriæ pectus habet repletum, qui de longinquo odoratur bellũ, & gaudet ad vocem tubæ, & cùm viderit sanguineam pugnam, dicit in corde suo, Benè factum. sed sedet super asinam, tranquillitatis & pacis amicam. Non autem vides in circuitu eius splendentes gladios, aut cætera ornamenta armorum terribilium. Sed quid? Ramos frondentes, testimonia pietatis. Venit ergo mansuetus, non vt propter potentiã timeretur, sed vt propter mansuetudinem amaretur. *Sedens super asinam & pullũ eius.* Esto. Super matrem sedebat, nunquid & super pullum sedebat? Tametsi corporaliter fieri non poterat, vt super animal vtrunque sederet, spiritualiter poterat, cùm esset Deus, vt & in Iudæis sederet, & in gentibus simul. Sedere autem super iumenta, est in præcordijs eorum habitare, vt dicat illis Christus: Tollite onus meum su-
Matt.11. per vos, & videte, quia mitis sum & humilis corde. Mansueti enim mansuetum debent portare, quia vocauit eos sessor: non vt puniat eos propter peccata eorum, sed vt ipse requiescat in eis propter mansuetudinẽ eorũ. Nam sicut hoc genus iumenti si quid errat, in simplicitate errat, & non in asperitate: ita & homines qui crediderũt in Christũ, siue ex Iudæis, siue ex gentibus, nõ in malitia, sed in ignorantia peccauerunt: ideo sederi debent, non puniri sub graui sessore. Nam sicut peccatores equi sunt diaboli, ita & sancti equi dicuntur Christi: quia diabolus in peccatoribus sedens, instigat eos per deserta facinorum, id est, per fornicationes & per auaritias: Christus autem sedens in sanctis, dirigit eos per plana iustitiæ, id est, in castitate, in humilitate. Ergo equitatus diaboli, perditio est: equitatus autem Christi, salus, sicut Abacuc dicit in Canti-
Abac.3. cis suis ad ipsum: Qui ascendis super equos tuos, & equitatus tuus sanitas est. Ergo induxit populum in templum, vt gentes Iudæis coniungat, vt impleatur, quod Iacob benedicens filium suum Iudam, prophetauit: Alligans, inquit, ad vi-
Gene.49 tem pullum suum. Quæ est illa vitis? Iudæa, quæ de Aegypto translata est, & in oriente plantata. Et sicut prophetauit Noë de filijs suis, dicens:
Gene.9. Benedictus filius meus Sem. Dilatet Deus Iaphet, & inhabitet in tabernaculis Sem. Sem enim erat pater Iudæorum, Iaphet autem pater gentium, quæ per Christum ingressæ sunt in tabernacula Iudæorum. *Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præceperat illis Iesus, & adduxerunt asinam & pullum.* Quod euntes apostoli soluerunt asinam alienam, ministerium quidem fuit illorum, virtus autem & authoritas Christi. Nec enim potuissent tollere iumentum alienum ab illo domino, qui non eos cognoscebat qui essent, nisi prẽueniens eos spiritus Christi, cor domini eius præparasset ad dandum. Sic quòd apostoli solue-

soluerunt Iudæos vel gentes de vinculo inimici, in prima quidem facie, eorum videbatur opus, reuerà autem virtus fuit & gratia Christi. Nec enim à Christo duodecim constituti, totum mundum ligatum sub potestate diaboli soluere potuissent, nisi gratia Christi confregisset virtutem inimici. *Et imposuerunt super eos uestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt.* Vestimenta sunt præcepta diuina, & gratia spiritualis. Sicut enim nuditatis turpitudo vestimento tegitur, sic naturalia mala carnis nostræ, præceptis & gratia diuina teguntur. Omnis enim homo naturaliter non solùm peccator est, sed etiam totus peccatum, di-
Ephe.2. cente Apostolo: Eramus naturã filij iræ, sicut & cæteri. Vnde & Adam ideo se vidit nudum, id est, peccatorem, & ideo folijs sici, id est, mandatis asperæ legis cooperuit nuditatem suam. Et alibi promittens Deus se iustitias suas, & gratias
Osee.2. ablaturum de gente Iudæa, sic dicit per Osee prophetam: Et auferam vestimẽta mea & linteamina, & ostendam gentibus turpitudinem eius. Ergo imposuerunt vestimenta super eos, id est, mandata & gratias, quas ipsi acceperunt à Christo, super Iudæos & gentiles imposuerunt, id est, tradiderunt. Nec enim requiescere in eis potuisset Christus, nisi eius mandata fuissent in eis. *Plurima autem turba uestimenta sua sternebat: alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in uia*, videlicet vt veniente calcarentur iumento. Vestimenta sunt mandata, vt diximus: frondes autem speciem tenent pietatis. Quoniam ergo omnia mandata legis & species Iudaicæ religionis, à Christianis fuerant conculcanda in via, id est, in Christo, ideo iam tunc illa sub pedibus iumenti sternebant in via. Et vide, quoniam super iumentum quidem apostoli posuerunt vestimẽta sua, sub pedibus iumẽti cætera turba Iudaica: quoniã mandatis quidem apostolorum sternũtur Christiani & adornantur, legis autem mandata conculcant. Quotiensçunq; enim circuncisionem spernimus, sacrificia Iudæorum pro nihilo æstimamus, & cæteras consuetudines Iudaicas reprobamus, vestimenta Iudæorum, quibus ipsi inducbantur, nos qui sumus ex gentibus, sub pedibus nostris calcamus. Alius autem sic: Qui vestimenta (inquit) deposuerunt super asinam, apostoli sunt, cæteriq; doctores: vestimenta autem, sunt decus & schemata gloriæ. Gloriã ergo, quam Christus accepit à patre, dedit discipulis suis: discipuli autem accipientes eã à Chri-
Ioan.17. sto, dederunt gentibus, vt delectabiliter Christus sederet in eis, sicut ipse dicit: Et ego gloriã quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Turba autem, quæ vestimẽta sua sternebat in via, credentes erant ex circũcisione, qui gloriam quam habebant ex lege, vidẽtes Christũ, deiecerũt in terrã, semetipsos humi-
Phil.3. liantes, & cum Apostolo Paulo dicẽtes: Secundũ iustitiam quæ ex lege est, conuersatus sum sine querela. sed quę mihi fuerũt lucra, hęc existima-

ui propter Christum detrimenta, & arbitror ster cora esse, vt Christum lucrifaciam. Quid est autem aliud iustitiam legis terræ coæquare, antè sublimem & gloriosam? Qui autem ramos de arboribus præcidebant frondentes, & ipsi erant credentes, & eruditi doctores, qui ex prophetis accipientes exempla viua de Christo, quasi de arboribus semper virentibus, & nunquam folia verborum suorum deijcientibus, ramos frondẽtes anteponebant rudibus gẽtibus, vt per ea exempla quasi per ramos virentes sine offendiculo ambularent per viam vitæ istius, donec introirent in sanctuarium Dei. *Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna filio Dauid, &c.* Memores populi mirabilium eius quæ ostendit eis, & sanitatem quas præstitit eis, exultantes cordibus suis, antè & retrò clamabãt: Hosanna filio Dauid. Qui præcedebant, seniores erant, id est, patriarchæ, prophetæ, cæteriq; sancti, qui ante aduentum Christi de aduentu eius & prædixerunt & cognouerunt: sequentes autem iuniores, id est, apostoli, martyres, cæteriq; doctores, qui post ascensum Christi de resurrectione eius, & de ascensu vel de operibus prædicauerunt & prædicant. Et diuersis quidem temporibus fuerunt, tamen in omnibus vnus exultationis spiritus fuit. Ei illi quidẽ prophetantes de Christo venturo, clamauerunt: Benedictus qui venit in nomine Domini: Isti autẽ laudantes, clamabant de aduentu Christi iam adimpleto. Hosanna autem quidam interpretãtur gloriam, alij verò redemptionem, alij saluifica, siue saluum fac. Nam & gloria illi debetur, & redemptio illi conuenit, qui nos omnes redemit, & preciosi sui sanguinis effusione saluauit, qui cum Deo & patre & spiritusancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

DE EADEM DOMINICA
SERMO BEATI MAXIMI Episcopi.

IGitur, quoniam pro tempore spiritualibus epulis reficere nos debemus, videamus quid euãgelica lectio prosequatur. Ait enim Dominus, sicut audiuimus, de aduentus sui tempore: Sicut
Luc.17. fulgur coruscans de sub cælo, in ea quæ sub cælo sunt fulget, ita erit aduentus filij hominis. Et addidit in consequentibus: In illa nocte erunt duo in lecto vno, vnus assumetur, & vnus relinquetur. Duæ molẽtes in pistrino, vna assumetur, & vna relinquetur. Mouet fortasse vos fratres, cur Dominus aduentũ suũ indicans, noctis se tẽpore ostenderit aduenturũ, cùm vtriq; eius aduẽtus magna cũ claritate diei, magno cũ nitore & timore susçipi deberet à cunctis. Frequẽter nãq; audiuimus sacris literis prædicatũ, priusquã dominus Christus aduenìat, Antichristũ regnaturum, qui ita tenebras humano generi suæ prauitatis infunder, vt lucem veritatis nemo penè re-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſpiciat, & caligine propria operiens mentes hominum, cæcitatem quandam ſpiritualibus oculis exhibebit. Nec mirum, ſi diabolus emittat iniquitatis tenebras, cùm ipſe nox ſit omnium peccatorum. Ad huius igitur tetram caliginem depellendam velut fulgur quoddam Chriſtus aduenit: & ſicut luceſcente die nox ſubuertitur, ita coruſcante ſaluatore Antichriſtus effugatur, nec vlterius poterit diſſeminare iniquitatis ſuæ tenebras, cũ lumẽ veritatis effulſerit. Quod autem ait, Illa nocte erunt duo in lecto vno, vnus aſſumetur, & vnus relinquetur, hîc iam reſurrectionis meritum demonſtratur, quòd pro qualitate viuendi ſit gratia reſurgendi, ac tantam in ſingulis quibuſq; reſurrectionis eſſe diſtãtiam, vt duobus etiã pariter dormientibus, & vna ſede quieſcẽtibus, æqualis nõ poſsit eſſe aſſumptio. Quamuis enim eodem cõſortij lectulo teneantur, pro meritis tamen alter eorum rapietur ad cælum, alter relinquetur in terris. Lectus enim quidam noſter communis eſt terræ huius ampliſsimum ſolum, in quo corpora noſtra depoſita, tutiſsima ſede requieſcunt. In hoc autem lectulo ille molliùs dormit, quiſquis duriùs in vita ſe geſſerit. Poſſumus enim ipſa membra noſtra lectulos noſtros proprios nuncupare, in quibus animæ noſtræ veluti in quodam ſtratu ſuauiſsimè demorantur. Quod quidem ſanctum prophetam ſenſiſſe arbitror, cùm dicit: Vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius. Beatus eſt enim ille, cuius ſtratum Dominus in ipſius infirmitate conuertit, vt qui fuerat paulò antè iracundus, adulter & petulans, & cunctorum ſcelerum infirmitatibus plenus, aſſuetum corpus eius malo verſans Dominus, fiat caſtus, humilis & modeſtus. De quo ſtratu ſpiritualiter ad paralyticum dictum eſt à Domino: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Non enim tam in eo admirationis aliquid erat, vt confracti lectuli ligneam cratem portaret paralyticus, quàm vt reſoluti corporis membra & debilitate confracti, velut animæ ſuæ neceſſarium lectulũ paralyticus ipſe geſtaret, & coràm poſitis Iudæis, proprijs abiret pedibus, qui manibus allatus fuerat alienis. In hoc planè, ſicut dixi, completa eſt prophetica illa ſententia: Verſaſti ſtratum eius in infirmitate eius, vt verſa vice portaret lectum, in quo fuerat paulò antè portatus: & anima illius, quæ priùs vaſculo corporis ferebatur, poſteà corpus ſuum ipſa vtiliùs circumferret. Poteſt etiam accipi quod ait, Erunt duo in lecto vno, vnus aſſumetur, & vnus relinquetur, Chriſtianorum plebs, & populus Iudæorum: qui velut vno lectulo, hoc eſt, vna mandatorum lege tenẽtur, & velut ſimili reſurrectionis ſpecie gloriantur. Tunc igitur Chriſtianorum beatus populus aſſumetur in gloriam: Iudæorum autem execrabilis conuentus relinquetur in terra.

Pſal. 40.

Ioan. 5.

Mar. 2.

ſpe.

DOMINICA PRIMA ADVENTVS.

CVm appropinquaſſet Ieſus Hieroſolymis, & veniſſet Bethphage, ad montem Oliueti, tunc miſit duos diſcipulos, dicens eis: Ite in caſtellum quod contra uos eſt, & ſtatim inuenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea: ſoluite & adducite mihi. Et reliqua. Homilia Euſebij Emeſeni Epiſcopi. Matth. 21.

DVOS diſcipulos ſuos Dominus ante ſe mittit, per quos duo teſtamenta intelligimus. Hos autem diſcipulos ipſe docuit. Hæc duo teſtamenta ipſe edidit, omnisque ſapientiæ & ſcientiæ plenitudine ea repleuit. Sapientes ſunt iſti diſcipuli, & à ſapientiſsimo Magiſtro inſtructi, ſine quorum doctrina nemo ſapiens inuenitur. Hos ante ſe Dominus mãdat, iſti pullum & aſinũ ſoluunt, eosq; ſolutos ad eum ducũt. Sed quid per aſinam, niſi Synagoga: quid per pullum, niſi gentilis populus figuratur? Illa enim à prophetis domita, & legis põdere onerata erat: hic autem laſciuus erat & indomitus, ſupra quem nullus vnquam hominum ſederat. Vterque autem ligatus erat, vterque ſolutione indigebat. Non poterant ſolui ab vno, ſoluuntur à duobus. Nemo enim, niſi vtriuſque teſtamenti fide & doctrina, à peccatorum vinculis liberatur. Sequitur: *Et ſi quis uobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus hus opus habet, & confeſtim dimittet eos.* Dominus, inquit, his opus habet: non qualiſcunque Dominus, ſed horum quoque & omnium Dominus. Vnde & ſine adiectione dicitur Dominus. In eo enim quod Dominus dicitur, & nõ additur cuius, omnium Dominus eſſe oſtenditur. Quis igitur tenere audeat, quos omniũ Dominus ſoluere iubet? *Hoc factum eſt ut adimpleretur quod ſcriptum eſt per prophetã, dicentem: Dicite filiæ Sion, Ecce rex tuus uenit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam, & pullum filium ſubiugalis.* Expoſuit Euangeliſta, cur Dominus omnia hęc agere voluerit, ne fortè inconueniens & indecens hoc alicui eſſe videretur, vt in illo tam paruo itineris ſpatio, quaſi fatigatus, ſuper aſinam Dominus ſederet. Alij enim Euangeliſtæ, non ſuper aſinam & pullum, ſed ſuper pullum ſolum Chriſtum Dominum ſediſſe narrant. Matthęus autem ſuo more, non rem ipſam, ſed ſignificationem ſequens, ſimul cum propheta eum ſuper vtrunque ſediſſe dicit. Corporaliter enim ſuper pullum, ſpiritualiter autem ſuper vtrunque Dominus ſedit. Qui enim intelligit quid vterque ſignificet, intelligit etiam quomodo in vtroque Dominus ſedeat. Anima enim iuſti, ſedes eſt ſapientiæ. *Euntes autem diſcipuli, fecerũt ſicut illis præcepit Ieſus. Et adduxerunt aſinam & pullũ: & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, et eum deſuper ſedere fecerunt.* Si enim, vt ſuperiùs dictum eſt,

Zach. 9.

eſt, duo iſti diſcipuli duo teſtamẽta intelligũtur, quæ erunt eorum veſtimẽta, niſi ſingulæ ſententiæ quibus ornantur & veſtiuntur? Si igitur Chriſtum portare, & eius aſinus eſſe velis, neceſſe eſt vt his ſententijs veſtiaris, & hac doctrina & fide orneris. His enim veſtibus induitur animo, his ornatur & decoratur. Nuda enim & paupercula eſt, quę his induta & ornata non eſt. *Plurima autem turba ſtrauerunt ueſtimenta ſua in uia.* Teſtamẽta quidem duo ſunt, teſtamentorum vero libri plures ſunt. Plurima igitur turba, id eſt, omnis patriarcharum & prophetarum multitudo, veſtimenta ſua ſtrauerunt in via, viam Domino parauerunt, & fidem ſuam alios docuerunt. *Alij autem cædebãt ramos de arboribus, & ſternebant in uia.* Iſti enim alij, apoſtoli ſunt & doctores. Iſti de ſingulis prophetarum libris quaſi de quibuſdam arboribus ramos cædunt, ſententias exponunt, & viam parant & ſternũt, per quam Chriſti animalia incedere debeant. Et bene iſti ramos de arboribus cædere dicuntur, quia non ſuam, ſed aliorũ fidem & doctrinam exponunt & prædicant. *Turbæ autem quæ præcedebant & quæ ſequebantur, clamabant dicentes: Hoſanna filio Dauid, benedictus qui uenit in nomine Domini. Hoſanna in altiſsimis.* Turbę enim precedentes, vtriuſq; populi ſunt. Ambæ igitur clamant, quia vterq; populus Chriſtum prædicat & benedicit. Quid enim aliud ſignificat, Hoſanna filio Dauid, niſi gloria, laus, & honor filio Dauid? ſiue etiã, Salus ſit nobis à filio Dauid? Quãuis enim hæc vox certam ſignificationem non habeat, laudem tamẽ potiùs ſignificare videtur, quæ in ore totius populi ad Chriſti laudem & gloriam perſonabat.

DOMINICA SECVNDA ADVENTVS DOMINI.

In Epiſtolam II. Dominicæ Aduentus, Concio exegetica.

INſignis hodiè ex Apoſtolo proponitur lectio, vel maximè Chriſtianos omnes adhortãs ad mutuam pacem & concordiam, quam non efficit niſi pura germanaq; charitas, qua Deus proximusque ſyncerè diligitur. Atque hæc adhortatio huic præcipuè tempori eſt accõmodatiſsima, quo filius Dei adueniens in mundum, pacem omnibus offert & annunciat, efficitque vtraq; vnum, Iudæos & Ethnicos inter ſe concilians, ad vnius fidei gratiam vtroſque vocans, ex vtroq; populo vnum efficiens ouile, & habitare faciens vtroſq; vnanimes in domo ſua, quæ eſt Eccleſia Catholica: extra quam certum eſt pacem & concordiam veram obtineri non poſſe. Áit ergo Apoſtolus: *Quæcunque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.* Abundat ſcriptura diuina multis optimis tum exemplis, tum inſtitutionibus, ea cauſa proculdubiò ad poſteritatis notitiam tranſmiſsis, vt dum legimus homines Dei fortiter pertuliſſe res aduerſas, & proximorum onera atque infirmitates, interim etiam diuinis recreatos fuiſſe conſolationibus, nos quoque ſpem & fiduciam concipiamus erga Deum, eaque freti, commodè ac placidè triſtia quæque & fratrum infirmitates tum animorum tũ corporũ tolerare diſcamus, maximè cùm Apoſtolus idem alibi dicat, ita nos adimplere legem Chriſti, quæ eſt lex charitatis, ſi alter alterius onera portemus. Sic ergo etiam legendæ ſunt ſcripturæ quando leguntur, vt ibi ante omnia, ea quæ ædificat charitas, inquiratur: alioqui reuerà non ſine periculo ſcripta diuina leguntur, in quibus cùm ſint multa difficilia intellectu, fieri vix poteſt quin facilè alicubi impingat, errorisque ſibiipſi materiã hauriat, quiſquis mẽte impura, & à Chriſti manſuetudine ac humilitate aliena eas ſcrutari ac rimari non veretur. Sequitur: *Deus autem patientiæ & ſolatij det uobis idipſum ſapere in alterutrum & cæt.* Hoc eſt quod toties inculcat Apoſtolus, vt qui Chriſto nomen dederunt, idipſum dicant omnes, & non ſint in eis ſchiſmata, quod fieri non poteſt, niſi inuicem ex animo ſeſe diligant. Itaque etiam Chriſtus ipſe hanc diſcipulorum ſuorum certiſsimam voluit eſſe notam, ſi ſe inuicem diligerent. Ergo contra hunc Apoſtoli locum, totamq; adeò ſcripturam diuinam, cuius ſumma & ſcopus ſiue finis eſt, dilectio, veniunt hæretici & ſchiſmatici omnes, qui ſuas priuatas opiniones præferunt Eccleſiaſticæ charitati & concordi ſententiæ, quos dubium non eſt ab illo regi ſpiritu, qui homicida eſt ab initio & mendacij pater. Vocat autem Apoſtolus Deum patientiæ & ſolatij, ſicut alibi Deum pacis & dilectionis, quod ab illo omnis noſtra proficiſcatur vera patientia, conſolatio, pax & dilectio. Notandum verò eſt, quòd hîc addit Apoſtolus. *Secundum Ieſum Chriſtum.* Vult enim nos idem ſapere, ſed ſecundum Ieſum Chriſtum, qui cùm factus ſit nobis, teſte eodem Apoſtolo, ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio, dubium non eſt, eos qui conſentiunt in illis, quæ ſunt à ſapiẽtia, iuſtitia & ſanctificatione aliena, à Chriſtiana cõſenſione, & animorũ cõſpiratione, quam hîc ipſe præſcribit, longè abeſſe. Sequitur: *Vt unanimes uno ore honorificetis Deum & patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Adhortatio planè Apoſtolica. Vnanimes nos vult eſſe: Quid enim ſuauius concordia, vbi multa hominum millia in id incumbunt, vt de ipſis quoque dici poſsit, quod cum ſumma laude dictum eſt de illis primis noſtræ religionis hominibus, Erat credentium cor vnum & anima vna in Domino? Porrò ſi non nili duo ſint, atque ij inter ſe

Rom. 15.

Gala. 6.

1. Cor. 1.

Ioan. 13.

1. Tim. 1.

Ioan. 8.

2. Cor. 13

1. Cor. 1.

Actor. 4.

ani-

Universidad de Deusto
Biblioteca

animis dissideant, quis eos tolerare queat? Hoc ergo certò sibi persuasum habere debent Christiani oës, eam esse totius Christianæ religionis summam, vt nos diligamus inuicem, idq; secundum Iesum Christum, sicut ille nos dilexit, ita vt hæc omnis dilectio eò tendat, vt vno ore honorificemus Deum, vt ad Deum tanquam ad vltimum finé tota vita nostra, studia, cogitationes, verba, facta omnia referãtur: vbi sanè multa nobis expendenda proponit Apostolus, vt meritò pudere nos debeat, qui cùm Christiani simus, ab huius tamen Apostolicæ institutionis obseruatione tã longè absumus, quorum omnis vita in Dei potiùs contumeliã, quàm honorem tẽdere videtur. Ait porrò Apostolus: *Propter quod susscipite inuicem, sicut & Christus suscepit uos in honorem Dei.* Hoc est: alius alium sibi adiungat, opituletur & foueat, Iudæus gentilem, gentilis Iudæum: firmiores non despiciant infirmos, sed sua mansuetudine & patientia illos ad meliora prouocent: infirmi verò non inuideant firmioribus, non eos iudicent, sed eorum virtutes imitentur, & dum in illis amant ac venerantur, quod se necdum sentiunt assecutos, bonorum illorum se participes reddant. Adfert autem Christi exemplum, qui cùm tantæ esset excellentiæ & maiestatis, vt nulla creatura quouis pacto ei digna sit comparari, tamen adiunxit nos sibi humanam naturam suæ coniungens diuinitati, & ex filijs iræ transferens nos in filios adoptionis Dei, non solùm nihil offensus sceleribus nostris, sed illis ipsis planè abolitis & condonatis: quod meritò vnumquemq;, quantumuis excellentem atque sublimem permouere debet, vt etiam erga infimos omnem declaret beneuolentiam atque humanitatem. Diuus Ambrosius hunc locum exponens, Sic assumpti, inquit, sumus à Christo, dum infirmitates nostras accepit, & ægritudines nostras portauit, vt hoc exemplo nos inuicem nostras infirmitates per patientiam confirmemus, vt nomẽ honoris Dei assumptum in nos non euacuetur. Filij enim dicimur Dei per gratiam Christi. Hæc ille. Vtinam in Christianis hic vigeret mutuæ beneuolentiæ affectus, quo cùm destituti sunt homines, quid obsecro differunt à tartareis dæmonibus? Atque hinc intelligi licet, qui nam ad Christum, quíue ad Satanæ partes pertineãt. Præclara virtus est charitas, quæ sola separat filios Dei à mãcipijs diaboli. Charitas patiés est erga aliorum ferẽdas infirmitates: benigna est erga aliorum subleuandã inopiã. Sed Apostolum audiamus: *Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis, propter ueritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum: Gentes autem super misericordia honorare Deum.* His verbis confirmat Apostolus præcedentia, docens Christum vtrumque sibi assumpsisse, id est, adiunxisse populum, & Iudæorum, & gentium. Sensus autem est: Dum IESVM per seipsum fuisse ministrum circumcisionis, hoc est, vt Ambrosius interpretatur, Iudæis prædicasse. Illi enim genti ipse se ait peculiariter missum: & Deus omnipotens Abrahæ atq; Dauidi speciatim pollicitus erat ex illorum semine nasciturum Christum: cuius promissionis vt esset certa veritas, ex Iudæorum populo natus est Christus, ipsosq; Iudæos in propria persona docere dignatus est, ad confirmãdas promissiones patrũ, quæ patribus factæ erãt. Itaq; tametsi hoc ipsum quoq; gratiæ & misericordiæ fuit, q̃ Christus ex ea gente nasceretur, eamq; sibi peculiariter assumeret, tamẽ quia diuinitùs sic promissũ erat, videbatur quẽdam esse obligatio, vt Deus in suis promissionibus verax probaretur. Gentiles autem, hospites testamentorum & alieni à Christo atque promissis Dei, non nisi diuinæ possunt acceptum referre misericordiæ, quòd ipsi quoque à Christo admissi sunt in partem & societatem filiorum Dei, & promissionum vni populo Iudaico factarum. Itaque etiam ipsi glorificant Deum, sed super misericordia, id est, propter misericordiam ipsis vltrò & oblatam & impensam. Ex quo intelligi potest immensa Dei benignitas, quòd illos etiam in cœlestis regni per Christum recuperati consortium admittere voluit, qui dæmonum cultui dediti, nullam eius gratiam merebantur. Oecumenij in hunc locum eiusmodi est expositio: Iudæi etsi promissiones, inquit, acceperant, nihil tamen per eas adiuti fuissent, nisi eas Christus firmasset. Vos autem gentes, inquit Apostolus, pro sola clementia & humanitate debetis Deum glorificare, postquàm neque promissiones habetis, sed misericordia vobis est communicata, quæ totum id, quicquid est, efficit. Quanto igitur maiori persuasi misericordia estis per gratiam Christi, tanto magis debitores estis Deo, ad imbecillos ac paruos in fide ex Iudæis ferendos. Id enim ad gloriam Dei cedit, concordia vestra paxq; vestra. Hæc ille. Atqui verò hanc misericordiam dubium non est gentibus conciliatam esse meritis Christi, quæ in tota illius vita innocentissimè atque in omnium virtutum genere excellentissimè transacta, præcipuè verò in illa eius nimium tum acerba, tum ignominiosa passione perspicuè relucent, cuius propterea debemus nunquam non memores esse, & quæ nostra causa filius Dei tum fecerit, tum perpessus sit, pia animi deuotione & summa cum gratitudine commemorare. Turpissimum est enim tantæ erga nos charitatis illius obliuisci. Adfert iam Apostolus scripturæ locos aliquot, quibus sua dicta confirmet. Primus est ex Psalmo 17. alter ex Deuteronomio, tertius ex Psalmo 116. quartus ex Esaia. His locis probare vult etiam Gentibus Christum attulisse salutem, non quidem ipsis peculiariter pro-

In Epist. ad Romã.

1. Cor. 13.

Matth. 15.

Ephes. 2.

Oecumen. in Epist. ad Rom.

promissam, quemadmodum Abrahæ & semini eius, in cuius testimonium ipse solus cum suo semine obsignatus fuit charactere circumcisionis: sed tamen antiquis vaticinijs per prophetas prænuntiatam. Primum locum ex Psal. 17. D. Ambrosius dicit esse vocem Christi, qua futurum dixit, quòd in gentibus prædicatio eius fructum habitura esset confessionis sacramenti Dei. Alter locus totidẽ verbis habetur in Cantico Deuteronomij, cuius hic sensus est: Vos gentes, quãdoquidem sua vos vocatione sancta perinde dignatus est Deus, atq; Iudæos, communem cum illis lætitiam percipite, & laudes atq; grates agite Deo, idq; tanto magis, quanto illius in vos profusior est misericordia. Tertius locus hortatur populos omnes, vt laudibus efferãt Deum, quòd ex immẽsa benignitate sua indiscriminatim toti orbi gratiam & misericordiam suam per Euangelij sui prædicationẽ obtulerit. Quartus locus ex Esaiæ cap. xj. iuxta Septuaginta interpretationem citatus, hunc sensum habet, quòd radix Iesse, id est, Christus exurget ad regendum gentes, & in illo non Iudæi tantùm illi qui in Dominum crediderunt, sed etiam gentes sperabunt. Hoc loco sic habet D. Ambrosius: Vt maiorem fiduciam gentibus faciat Apostolus, & spem non dubiam, multis testimonijs firmat decretũ Dei hoc fuisse, vt omnes gentes benedicerentur in Christo, ne insolentia infidentium Iudæorum contristaret & dubios redderet credentium animos gentium, quasi frustrà sibi spem promittant, quòd à Deo Abrahæ accepto feratur fides Iudæorum, vt ipsa securitate & lætitia crescerẽt. Et paulò infrà: Radix, inquit, est Iesse: arbor, David: quæ fructum fecit per ramum, quæ est Maria virgo, quæ genuit Christum. Addit deinde Apostolus: *Deus autem spei repleat uos omni gaudio & pace in credendo, ut abundetis in spe & uirtute spiritus sancti.* Deum spei vocat, quòd ille sit author spei nostræ, sicut & fidei & charitatis, quæ tres virtutes primariæ sunt, de quibus præclarè Origenes, Puto, inquit, quòd prima salutis initia et ipsa fũdamenta fides est: profectus verò & augmenta ædificij, Spes: perfectio autem & culmen totius operis, Charitas. Orat igitur Apostolus, vt Deus spei repleat fideles omni gaudio & pace in credendo, quod gaudium, quamq; pacem certum est impios habere non posse. Expedit autem, adeoq; necessarium est, vt quicunq; aduentũ Domini Seruatoris intra se sentire volũt, gaudio bonæ conscientiæ & vera animi pace atq; pectoris tranquillitate præditi sint. In pace enim factus est locus eius. Porrò hoc gaudium & hanc pacẽ experiri non possunt, qui mundi huius vanitatibus & voluptatibus dediti sunt, & ab incommutabili bono, quod Deus est, ad caduca & labentia, cum quibus ipsi pariter defluunt & euanescunt, sese dedita opera conuertunt. De hac pace pulcherrime scribit Augustinus in Psalmum 146. his verbis: Hanc pacem sectamini, ipsam desiderate: ipsam in domo, ipsam in negocio, ipsam in vxoribus, ipsam in filijs, ipsam in seruis, ipsam in amicis, ipsam in inimicis diligite. Ipsa est pax quam non habent hæretici. Quid agit pax in huius adhuc regionis incertis, in ista peregrinatione mortalitatis nostræ, cùm adhuc nemo est alteri conspicuus, nemo videt cor alterius? Quid agit pax? De incertis non iudicat, incognita non confirmat. Procliuior est ad benè credendum de homine, quàm ad malè suspicandum. Non se multum dolet errare, cùm benè credit etiam de malo: perniciosè autem, cùm malè senserit fortè de bono, nesciens qualis sit. Quid perdo, si credo quia bonus est? Si incertum est, licet vt caueas, ne fortè verum sit, non tamen dãnes tanquam verum sit. Hoc pax iubet. Hæresis quid monet? Damnat incognitos, damnat totũ mundum. Perijt totus mundus, nullus est Christianus, &c. Hæc August. Ita ergo orandus quoque nobis est Deus, vt impleat nos omni gaudio, non mundano & impuro, sed spirituali & diuino: itemq; pace non qualicunque, sed vera, de qua dictum est in Psalmo: Pax multa diligentibus legem tuam, & pace Christi, quæ exuperat omnem sensum, quæ tamen in illa demùm superna beatitudine perficietur, vbi omni superata tentatione, nihil deinceps sentiemus aduersi, quod nos à Deo, in quo vno & solo vera pax est, separare queat. Interim hic nobis danda opera est, vt quicquid in nobis vitiosum residet, vt sunt prauæ cupiditates, affectiones atq; perturbationes edomentur. Nam donec his locum præbebimus, & obsecundabimus, pace & gaudio potiri nõ poterimus. Nec est quod quisquam sibi persuadeat pacem hanc tum se adeptum, si nihil sentiat aduersi, sed si nullis frangatur aduersis, nullisq; vitijs succumbat. In hoc mundo pressuram habebitis, inquit Christus, sed etsi premit mundus, modò ne opprimat, non possumus huius pacis suauissimæ iacturam facere. Atque hic permulti errant, qui eos beatos putant, qui floreant in hoc mundo: miseros, qui multis subiaceant calamitatibus: sed miseri potiùs censendi sunt, qui in hac vita aliud sibi polliceri audent, quàm Christus ipse tum in seipso perpeti, tum suis omnibus prædicere voluit, nempe cruces & afflictiones. Christi sectatores nihil tam expectare debent quàm crucem. Aduersa dum premunt, cogunt nos confugere ad Deum, mundum despicere, animum ab his impuris oblectamentis reuocare: quod dum facimus, ad veram conscientiæ & pectoris pacem pertingimus: atqui prospera euertunt animos infirmos, atque sui faciunt obliuisci, & quadam pernicioſa securitate præsentibus inhærere, futura negligere. Nihil ergo melius, quàm vt vera pace & gaudio repleamur in credendo, sicq; abundemus in spe, quam proculdubiò certiorem & firmiorem reddit testimonium conscientiæ bonæ, & quũ efficit vita innocenter & in bonorum operum studio

Ambr. in hunc Apostoli locũ.

Deut. 32.

In cap. 4. Epistolæ ad Romanos.

Psal. 75.

Psal. 118.

Philip. 4.

Ioan. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

1.Pet.1. dio ſeruenter exacta, ipſo nos Apoſtolorũ principe hortante, vt per bona opera certam faciamus vocationem & electionem noſtram. Quòd autem addit Apoſtolus, *Et virtute Spiritus ſancti*, poteſt non omninò abſurdè de charitate intelligi, licet græca lectio nõ prorſus quadret, quòd charitas peculiariter attribuatur Spiritui ſancto, atque adeò per illam eius virtus præcipuè patefiat, quippe quam ille diffundit in cordibus noſtris. Ita commodiſsimè intelligi licet Apoſtolũ hoc loco tres illas theologicas commendaſſe virtutes, fidem ſcilicet, vnde ſpes naſcitur, & charitatem, per quam eadẽ fides opera efficit, quæ ſunt copioſioris beatitudinis merita. Atq; his tribus virtutibus conſtat cultus Dei, quemadmodum elegantiſsimè tradit Auguſtinus in Enchiridio illo verè aureo ad Laurentium. Neq; temerè factum eſt, vt in extrema ferè Epiſtola ad Romanos Apoſtolus illis precaretur diuinitùs præſtari gaudium & pacem in credendo, atque ſpei & charitatis, vel virtutis & fortitudinis, quæ à Spiritu ſancto proficiſcitur, abundãtiam. Niſi enim animus gaudio perfruatur bonæ conſcientiæ, & pace erga proximos, ſitque ſanus in fide, ſpe firmus, charitate & fortitudine inuictus, nõ poteſt in bono perſeuerare. Inde adeò proficiſcuntur hæreſes, quòd homines turbulenti pacis expertes ſeſe à nouandi ſtudio cohibere non volunt, nec facilè tamen in errorem pelliciunt, niſi quorum eſt perturbata cõſcientia, fides infirma, ſpes nutabunda, & frigida charitas. Iam verò etiam vbi noui quippiam commenti ſint, non diù eadem in ſententia poſſunt permanere, erroresq; alij ex alijs naſcuntur, ijſq; mirè inter ſe pugnantes. Non enim hoc importunis & turbulentis eiuſmodi ingenijs ſtudio eſt, vt veritas pateſcat, ſed vt ipſi præ cæteris veritatem accuratiùs inueſtigaſſe & perſpexiſſe videantur, atq; hoc nomine miſeris ſeſe venditent, tanquam diuinitùs noua quadam luce perfuſos. Sed fallere nõ poſſunt animam Deo certa fide, inconcuſſa ſpe, atq; feruenti charitate & fortitudine inhærentem.

Rom.5.

Gal. 5.

2.Pet 2. Rectè enim dixit Petrus Apoſtolus, quòd pelliciant animas inſtabiles, quæ omni doctrinæ vento circumferuntur, libertatem illis promittẽtes, cùm ſint ipſi ſerui corruptionis. Optimum eſt igitur gratia ſtabiliri cor, & abundare ſpe & virtute Spiritus ſancti. Sunt enim multę & dæmonum & hominum malorum inſidiæ, quibus incautos nituntur ſecum in damnationẽ pertrahere, quas euadere non poterimus, niſi gratia freti & benignitate præpotentis Dei ac Domini noſtri IESV Chriſti, qui in animas noſtras aduenire dignetur, & dignum ſua maieſtate in eis excitare domicilium in laudem & gloriam ſuam ſempiternam, Amen.

Hebr.13.

DOMINICA SECVNDA
Aduentus. Euangelium Luc. XXI.

In illo tẽpore, Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Erũt ſigna in ſole & luna & ſtellis, & in terris preſſura gentium, Et reliqua. Homilia B. Gregorij papæ habita in Baſilica S. Petri.

DOminus ac redemptor noſter paratos nos inuenire deſiderans, ſenescentem mundum quæ mala ſequantur denunciat, vt nos ab eius amore compeſcat. Appropinquantem enim eius terminum quantę †perſecutiones præueniant, innoteſcit, vt ſi Deum metuere in tranquillitate nolumus, vicinum eius iudicium vel †perſecutionibus attriti timeamus. Huic enim lectioni ſancti euangelij, quam modò veſtra fraternitas audiuit, pauló ſuperiùs Dominus præmiſit, dicens: Exurget gens contra gẽtem, & regnum aduerſus regnum, & erunt terræmotus magni per loca, & peſtilentiæ, & fames. Et quibuſdam interpoſitis, hoc quod modò audiſtis, adiunxit: *Erunt ſigna in ſole & luna, &c.* Ex quibus profectò omnibus alia iam facta cernimus, alia in proximo ventura formidamus. nam gentem contra gentem exurgere, earumque preſſuram terris inſiſtere, plus iã in noſtris tribulationibus cernimus, quàm in codicibus legimus. Quòd terræmotus vrbes innumeras ſubruat, ex alijs mundi partibus ſcitis quàm frequenter audiuimus. Peſtilentias ſine ceſſatione patimur. Signa verò in ſole & luna & ſtellis, adhuc apertè minimè vidimus, ſed quia & hæc non longè ſint, ex ipſa iam aëris immutatione colligimus: quamuis priuſquàm Italia gentili gladio ferienda traderetur, igneas in cælo acies vidimus, ipſum qui poſteà fuſus eſt, humani generis ſanguinem coruſcantem. Confuſio autem maris & fluctuum, necdũ noua exorta eſt. Sed cùm multa prænunciata iã completa ſint, dubium non eſt, quin ſequantur etiam pauca quæ reſtant: quia ſequentium rerũ certitudo, eſt præteritarum exhibitio. Hæc nos fratres chariſsimi idcircò dicimus, vt ad cautelæ ſtudium veſtræ mentes euigilent, ne ſecuritate torpeant, ne ignorantia langueſcant: ſed ſemper eas & timor ſolicitet, & in bono opere ſolicitudo confirmet, penſantes hoc quod redemptoris noſtri voce ſubiungitur: *Arescentibus hominibus præ timore & expectatione quæ ſupercument uniuerſo orbi. nam uirtutes cælorum mouebuntur.* Quid enim Dominus virtutes cælorum, niſi angelos, archangelos, thronos & dominationes, principatus & poteſtates appellat? quæ in aduentu diſtricti iudicis noſtris tunc oculis viſibiliter apparebunt, vt diſtrictè tunc à nobis exigant hoc, quòd nos modò inuiſibilis conditor æquanimiter portat. vbi & ſubditur: *Et tunc uidebunt filium hominis uenientem in nubibus, cum poteſtate magna & maieſtate.* Ac ſi apertè diceretur: In poteſtate magna ac maieſtate viſuri ſunt, quem in humilitate poſitum audire noluerunt, vt virtutem eius tanto tunc diſtrictiùs ſentiant, quãto nunc ceruicem cordis ad eius patientiam non inclinant. Sed quia hæc contra reprobos dicta ſunt, mox ad electorum conſolationem verba vertuntur. nam & ſubditur: *His autem fieri incipientibus, reſpicite, & leuate capita uestra, quoniam appropinquat redemptio uestra.* Ac ſi apertè veritas electos ſuos admoneat, dicens: Cùm plagæ mundi crebreſcunt, cùm terror iudicij virtutibus commotis oſtenditur, leuate vos capita veſtra, id eſt, exhilarate corda: quia dum finitur mundus, cuius amici non eſtis, propè ſit redemptio quam quæſiſtis. In ſcriptura etenim ſacra ſæpè caput pro mente ponitur, quia ſicut capite reguntur membra, ita & cogitationes mente diſponuntur. Leuare itaque capita, eſt mentes noſtras ad gaudia patriæ cæleſtis erigere. Qui ergo Deum diligunt, ex mundi fine gaudere atq; hilareſcere iubentur: quia videlicet eum quẽ amãt, mox inueniunt, dum tranſit is, quem non amauerunt. Abſit enim, vt fidelis quiſq; qui Deum videre deſiderat, de mundi percuſsionibus lugeat, quem finire eiſdem ſuis percuſsionibus nó ignorat. Scriptum nanq; eſt: Quicunq; voluerit amicus eſſe ſeculi huius, inimicus Dei conſtituitur. Qui ergo appropinquante mundi fine non gaudet, amicũ ſe illius eſſe teſtatur, atq; per hoc inimicus Dei eſſe conuincitur. Sed abſit hoc à fidelium cordibus, abſit ab his, qui & eſſe aliam vitam per fidem credunt, & eam per operationem diligunt. Ex mundi enim deſtructione lugere eorum eſt, qui radices cordis in eius amore plantauerunt, qui ſequentem vitam non quærũt, qui illam neq; eſſe ſuſpicantur. Nos autem, qui cæleſtis patriæ gaudia æterna cognouimus, feſtinare ad ea quantocyus debemus. Optandum nobis eſt citiùs pergere, atq; ad illam via breuiori peruenire. Quibus enim malis mundus non vigetur? quæ nos triſtitia, quæ aduerſitas non angu-

Luc. 4.

ſtat? Quid eſt vita mortalis, niſi via? Et quale ſit fratres chariſsimi perpendite, in labore viæ laſſeſcere, & tamen eandẽ viam nolle finire. Quod autem calcari mundus ac deſpici debeat, redemptor noſter prouida comparatione manifeſtat, cùm protinùs adiungit: *Videte ficulneam & omnes arbores. Cùm producunt iam ex ſe fructum, ſcitis quoniam propè eſt æſtas. ita & uos cùm uideritis hæc fieri, ſcitote quoniam propè eſt regnum Dei.* Ac ſi apertè dicat: quia ſicut ex fructu arborum vicina æſtas agnoſcitur, ita ex ruina mundi propè eſſe cognoſcitur regnum Dei. Quibus profectò verbis oſtenditur, quia fructus mundi, ruina eſt. Ad hoc enim creſcit, vt cadat: ad hoc germinat, vt quæque germinauerit, cladibus conſumat: Bene autem regnũ Dei æſtati comparatur, quia tunc mœroris noſtri nubila tranſeunt, & vitæ dies æterni ſolis claritate fulgeſcunt: quæ omnia ſub magna certitudine confirmantur, cùm ſubiungitur ſententia, qua dicitur: *Amen dico uobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cælum & terra tranſibunt, uerba autem mea non tranſibunt.* Nihil enim in rerum corporalium natura cælo & terra durabilius, & nihil in rerum natura tam velociter quàm ſermo

tranſit. Verba enim quouſq; imperfecta ſunt, verba non ſunt: cùm verò perfecta fuerint, omnino iam non ſunt, quia nec perfici niſi tranſeundo poſſunt. Ait ergo: Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt: ac ſi apertè dicat: Omne quod apud vos durabile eſt, ſine mutatione, durabile ad æternitatem non eſt: & omne quod apud me tranſire cernitur, fixum & ſine tranſitu tenetur, quia ſine mutabilitate manentes ſententias exprimit meus ſermo qui tranſit. Ecce fratres mei iam cernimus quod audiebamus. Nouis quotidie & crebreſcentibus malis mundus vrgetur: ex illa plebe innumerabili quanti remanſeritis aſpicitis, & tamen adhuc quotidiè flagella vrgent, repentini caſus opprimunt, nouæ nos & improuiſæ clades affligunt quotidiè. Sicut enim in iuuentute viget corpus, forte & incolume manet pectus, toroſa ceruix, plena ſunt brachia: in annis autem ſenilibus ſtatura curuatur, ceruix exiccata deponitur, frequẽtibus ſuſpirijs pectus vrgetur, virtus deficit, loquentis verba anhelitus intercidit (nam etſi languor deſit, plerunque ſenibus ipſa ſua ſalus, ægritudo eſt) ita mundus in annis prioribus velut in iuuentute viguit, ad propagandam humani generis prolem robuſtus fuit, ſalute corporum viridis, opulentia rerum pinguis. At nunc ipſa ſua ſenectute deprimitur, & quaſi ad vicinam mortem moleſtijs crebreſcentibus vrgetur. Nolite ergo fratres mei diligere, quem videtis diù ſtare non poſſe. Præcepta apoſtolica in animo ponite, quibus nos admonet, dicens: Nolite mundum diligere, neq; ea quæ in mundo ſunt: quia ſi quis diligit mundum, non eſt charitas patris in eo. Nudiuſtertius fratres agnouiſtis, quòd ſubito turbine annoſa arbuſta eruta, deſtructę domus atq; eccleſiæ à fundamentis ſunt euerſæ. Quanti ad veſperum ſani atq; incolumes, acturos ſe in craſtinum aliquid putabant, & tamen nocte eadem repentina morte defuncti ſunt, in laqueo ruinæ deprehenſi? Sed conſiderandum nobis eſt dilectiſsimi, quòd ad hæc agenda inuiſibilis iudex venti tenuiſsimi ſpiritum mouit, vnius procellam nubis excitauit, & terram ſubruit, caſura tot ædificiorum fundamenta concuſsit. Quid ergo iudex ipſe facturus eſt, cùm per ſemetipſũ venerit, & in vltionem peccatorum ira eius exarſerit, ſi portari non poteſt, cùm nos per tenuiſsimam nubem ferit? In iræ eius præſentia quæ caro ſubſiſtet, ſi ventum mouit & terram ſubruit? concitauit aëra, & tot ædificia ſtrauit? Hanc diſtrictionem venturi iudicis conſiderans Paulus ait: Horrendum eſt incidere in manus dei viuentis. Hanc Pſalmiſta exprimit, dicens: Deus manifeſtè veniet, Deus noſter, & non ſilebit. Ignis in conſpectu eius ardebit, & in circuitu eius tempeſtas valida. Diſtrictionem quippe tanti iudicis tempeſtas ignisq; comitabuntur, quia tempeſtas examinat, quos ignis exurit. Illum ergo diem, fratres chariſsimi, illum ante oculos poni-

Heb.10.

Pſalm.49

Universidad de Deusto
Biblioteca

te,& quicquid modò graue esse creditur,in eius comparatione leuiatur. De illo etiã die per pro-
Soph. 1. phetam dicitur: Iuxta est dies domini magnus,
Aggeꝰ. iuxta est & velox nimis. Vox diei domini amara:tribulãbitur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulatiõis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ,dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis,dies tubæ & clangoris. De hac die Dominus iterum per prophetam dicit: Adhuc semel,& ego mouebo non solùm terram, sed etiã cælum. Ecce(vt prædiximus)aërem mouit,& terra non substitit. Quis ergo ferat,cùm cælum mouerit? Quid autem terrores quos cernimus, nisi sequentis iræ præcones dixerimus? Vnde & considerare necesse est,quia ab illa tribulatione vltima tantùm sunt tribulationes istæ dissimiles, quantùm à potentia iudicis persona præconis distat. Illum ergo diem fratres charissimi tota intentione cogitate,vitam corrigite,mores mutate, mala tentantia resistendo vincite,perpetrata autem fletibus punite. Aduentum nanq; æterni iudicis tãto securiores quandoq; videbitis,quãto nunc districtionem eius timendo preuenitis.

DE EADEM DOMINICA, SERMO BEATI MAXIMI Episcopi.

SVperiore dominica capitulum euangelicum differentes, partem quandam ex illo perstrinximus: superest vt sequentia decurramus. Descripsi-
Luc. 17. mus enim,quid esset quod ait dominus: In illa nocte erunt duo in lecto vno, & reliqua: Nunc ergo videamus quod reliquum est. Dicit enim eadem sententia diuina: Erunt duæ molentes in pistrino,vna assumetur,& vna relinquetur. Primùm igitur considerandum est,quomodò constet molentis officium: deinde, quæ sint duæ quæ molere dicuntur: tertiò, quid pistrinum sit,quiue molitionis effectus. Nulli dubium est, quòd molere aliter non constat,nisi duobus lapidibus apparatis & conuenientibus sibi,vt alteri ex his magnitudo alterius imponatur:& illum quidem lapidem,qui prior solo sternitur, esse pigrum & tardũ,& pene(vt ita dixerim) ociosum: ac nisi superioris participatione lapidis ornaretur,forsitan necessarius non videretur: ita dum ille operatur,etiam iste vtilis inuenitur. Ille aũt, id est,superior lapis,tanta velocitate operis circunfertur,vt fallens oculos in ipsa celeritate stare credatur,& putetur immobilis esse dum currat. Qui quanto violentiùs actus fuerit,tanto opus perfectiùs consummatur. Ita ergo prior lapis stat,iacet,& penè nihil prodest: Ille verò alter quæ inferuntur cuncta suscipit, quæ veniunt vniuersa complectitur,& per cauernulas quasdã vterque quod operetur acquirit. Qui molit autem,hoc habere videtur officij,vt peruigili cura granorum asperitate confracta, ex intimis eorũ occultisq; visceribus similaginem medullamq; producat,& fordium leuitate discussa, in apertũ proferat omne quod purum est,ex quo mundissimum panem conficiens, gratiam domini consequatur. Hos igitur duos molares lapides, duo Duos
esse arbitror testamẽta,hoc est,legem Moysi, & des
euangelium Domini, quæ ita sunt disposita vel res,
parata,vt sibi testamentum vtrunque conueniat, Matt.
sicut ait Saluator: Non veni soluere legem, sed adimplere. Et ad vicem molarum aliud priùs solo positum,aliud insuper collocatũ,hoc est, legẽ primùm hominibus cõstitutam, deinde ad perfectum euangelium. Quæ lex velut inferioris molæ saxum,ita erat tarda,pigra,& penitùs ociosa,vt quicquid operãdo acceperat,id omne perdiderit,dicente de Iudæis propheta: Omnes de- Psal.
clinauerunt,simul inutiles facti sunt:non est qui faciat bonum,non est vsq; ad vnum. Ergo nisi euangelium superpositum fuisset,adhuc lex velut tarda & grauis iaceret in terra Iudaica,& vnius prouinciæ cooperiretur angustijs: nisi euangelium,inquam,datum esset, lex necessaria omnino non esset. Hoc autem lex operabatur sine euangelio,quod vno saxo fieri potest. Confringere poterat,non prodesse,sicut ait beatus Apo Rom.
stolus: Lex autem iram operatur, gratiam verò non præstat. Stante ergo lege, euangelium datum est,quod veteri super posito testamento, vtrunq; condecorat,ac tanta velocitate operis circunfertur,vt volubilitate sui seculũ omne circumeat:hoc est,inferna visitet,cęlestia penetret, terrena collustret. Quod euangelium tanquam superior mola cũctos credẽtes suscipit,oẽs aduenientes accipit,& veluti per quasdam cauernulas præceptorum ad interiora trãsmittit,vt ibi hinc inde duorum testamentorum salutaribus mandatis, gentilitatis asperitate † mollita, producat † fr
omne quod purum est. Quam similitudinem testamentorum Ezechielem prophetam arbi- Ezec.
tror perstrinxisse,cùm dicit rotam in medio rotæ esse connexam. Harum igitur molarum operatione,id est,noui ac veteris testamenti, hoc agit sancta Ecclesia cura peruigili,vt peccatorum asperitate discussa, ex occultis cogitationibus medullam mundi cordis eliciat, & cælestibus mandatis mundata,ex intimis spiritalia alimenta producat. De quibus alimentis Paulus Apostolus ait: Lac vobis potum dedi,non escam. Et ite- 1. Cor.
rum: Perfectorum est autem solida esca, qui Hebr.
propter habitum sensus exercitatos habent, & reliqua: ac spiritum nostrum omni humanitate purificans, velut similaginem Deo offere contendit,sicut Dauid sanctus ait: Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Tanta autem velocitate circunfertur euangelium,vt non nisi sapientes cursum eius intelligant. Quem beatus 2. Tim.
Paulus intelligens,ait: Vt sermo dei currat & clarificetur in nobis.

De

DE EADEM DOMINICA HOMILIA EVSEBII Emeseni.

QVibusdam interrogantibus Dominum & Saluatorem nostrum, quando veniet regnum Dei, & quod signum aduentus eius,respondit,quòd
Luc. 17. Matt. 24. Luc. 21. priùs surget gens cõtra gentem, & regnum aduersus regnũ, & terræmotus erunt magni per loca,& pestilentiæ,& fames,terroresque de cælo,& signa magna erũt. Vnde & Apostolus
2. Thes. 2. quibusdam idipsum timentibus & scire cupientibus ait: Rogamus vos per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & nostræ congregationis in ipsum,vt nõ citò moueamini à vestro sensu,neq; terreamini,neq; per spiritum,neq; per sermonẽ, neq; per epistolã tanquã per nos missã, quasi instet dies Domini. Quia nisi venerit discessio primũ,& reuelatus fuerit homo peccati,filius perditionis, qui aduersatur & extollitur supra omne qd' dicitur Deus,aut quod colitur,ita vt in tẽplo Dei sedeat,ostendens se tanquam sit Deus. Hæc igitur erunt prima signa aduentus Christi: deinde sequentur & illa,de quibus modò dixit: *Erũt signa in sole,& luna,& stellis.* Sicut enim Christi natiuitatem pax & exultatio præcesserit,cantantibus
Luc. 2. angelis, Gloria in excelsis Deo,& in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et ecce annuncio vobis gaudium magnum,quod erit omni populo, quia natus est vobis hodiè Saluator,qui est Christus dominus,in ciuitate Dauid: Ita & hũc perditionis filium,lites,cõtentiones,dissensiones,terræmotus,pestilentiæ & fames, & alia his similia
Matt. 24. terroris signa præcedent. Erit enim tũc tribulatio magna,qualis non fuit ab initio seculi vsque nunc,neq; fiet. Et nisi Dominus abbreuiasset dies illos, non esset salua omnis caro. Sed propter electos breuiabuntur dies illi,vt nõ tantùm
Dan. 7. viuat,quantùm se viuere sperabit. Regnabit enim per tempus, & tempora, & dimidium tem-
2. Thess. 2. poris,quem Dominus interficiet spiritu oris sui, & illustratione aduentus sui. Sed fortasse dicet aliquis,ea non esse signa quæ frequenter euenire solent, quoniam signum dici non solet, nisi nouum aliquid & inusitatum, quo illa prælia, illos terrores more insolito,multoq; tunc violẽtiùs fieri credere oportet. Vnde non immeritò illa tribulatio talis fore dicitur, qualis nulla alia aliquando fuerit. Et propter hæc omnia ad cumulum totius mali surgẽt pseudochristi, & pseudoprophetæ,& dabũt alia signa & prodigia multa: ita vt in errorem inducantur,si fieri potest, etiam electi. De solis autem & lunæ & stellarum
Matt. 24. signis,alius euangelista dicit,quia Sol obscurabitur,& Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent. His autem conuenire videntur quædam, quæ in annalibus Iudæorum scripta referuntur. In quibus mare super omnes montes quindecim cubitos altiùs exaltari narratur, stantibus aquis,& in nullam partem fluentibus. Et deinde tantum in abyssum demergetur,vt vix ab inspicientibus videri valeat. Postmodùm verò reuertetur in locum suum, & tunc fortasse illa confusio sonitus maris & fluctuum fiet,de qua hic modò loquitur. Neque enim tanta maris fluctuumque commotio sine magna confusione & sonitu fieri poterit. Terra quoq; sua signa dabit, quia terræmotus tam magni fient,vt penè omnia manufacta ruant,omnesq; lapides,etiam parui cõscindantur. Et feræ de montibus descendentes inter homines manebunt,nulliq; nocebunt: ipsi quoque homines quasi amentes, & præ timore arescentes,huc illuc discurrentes tabescent: & his quidem euangelij verba conuenire videntur, quibus Dominus ait: Arescentibus hominibus præ timore & expectatione quæ superuenient vniuerso orbi. Horum autem signorum, & aliorum,quæ hic non dicuntur, vnumquodque vno die & non ampliùs fieri narratur. Nos tamen his quidem authoritatem non damus, quod idcò certè scripsimus, quòd euangelij verbis conuenire videntur. Sequitur: *Nam virtutes cælorum mouebuntur.* Virtutes cælorum, angelorum exercitus intelligimus, quæ ad iudicium venientem Saluatorem nostrum comitabũtur. Vnde & subditur: *Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube, cum potestate magna & maiestate.* Sic enim descẽdet Dominus quemadmodũ ascendit,sicut scriptum est: Viri Galilæi quid statis aspicientes in Act. 1.
cælum? Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum,sic veniet quemadmodum vidistis eum eũtem in cælum. Quis autem dicere & cogitare valeat,quæ tunc lætitia bonis,& quæ tunc erit tristitia malis? Hinc est enim,quod Daniel ait: Aspi- Dan. 7.
ciebam in visione noctis,& ecce in nubibus cæli filius hominis veniebat, & vsq; ad antiquũ dierum peruenit. Dixerat enim se vidisse quatuor Ibid.
bestias grandes & inter se dissimiles. Quarum prima erat quasi leæna,& habebat alas vt aquila: quam cùm aspiceret,euulsæ sunt alæ eius, & ipsa interijt. Posteà verò stetit super pedes eius quasi homo,& cor eius datum est ei. Alia autẽ erat similis vrsæ,erantq; tres ordines dentium in ore, & in diebus eius dictum est ei: Surge, comede carnes plurimas. Tertia verò erat quasi pardus, & habebat alas quatuor super se,& quatuor capita in ea erant,& potestas data est ei. Quarta verò erat dissimilis cęteris,terribilis,& admirabilis,& fortis valdè,dentes ferreos habẽs,comedens,cõminues,& reliqua pedibus suis cõculcãs. Habebat aũt cornua decẽ, quæ cùm Daniel aspiceret, aliud cornu est inter illa ortum,à cuius facie tria de superioribus cornibus euulsa sunt. Erant autem in cornu oculi quasi hominis, & os loquens ingentia. Faciebat verò prælium contra sanctos, & præualebat eis,& putabat quòd posset mutare tempora & leges. Et regnum sanctorum traditũ est in manu eius,vsque ad tempus & tempora, & dimidium temporis,donec antiquus dierũ sedit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

dit,& throni positi sunt.Hæc autem viderat Daniel,quæ cùm intelligere non posset, vnum de assistentibus rogauit,vt ei exponeret quid ista significarent,dictumq; est ei: Quatuor bestiæ,quatuor regna sunt,quæ consurgent de terra: susci pient autem regnum sancti Dei altissimi,& obtinebunt illud vsq; in seculum,& in seculum seculorum.Et de quarta quidem bestia plenius in sequentibus dicetur.De tribus verò, quoniam angelus nihil amplius exposuit, quid dederit Dominus modò dicemus. Prima igitur bestia, regnum Græcorum est, cuius initium Alexander Magnus fuit,qui quasi Leo rugiens tam paruo tempore circunquaq; terras occupauit,vt magis volasse,quàm pugnasse videatur. Vnde non immeritò leonis speciem & aquilæ alas habuisse describitur.Sed quoniã paruo tempore regnauit, ideo alas eius euulsas dixit. Stetit autem super pedes quasi homo,quia tandem se mortalem intellexit:& cor proprium recepit, vt magis de morte, quàm de honoribus cogitaret. Hoc autem regnum quantùm Dei populum afflixerat,Machabæorum libri ostendunt. Secunda verò bestia,regnum Romanorũ intelligitur,quod quidem non cum tanta fortitudine,vt Græcorũ cœpit,sed ad maiorem potentiam venit, quoniã & leo vrso fortior est. Tres autẽ ordines in ore & dentibus,senatum populumq; & ipsos Imperatores vel consules significant: his enim tribus ordinibus regnum Romanorum omnes gentes deuorauit,& suo imperio subiugauit. Vnde & hic dicitur ei: Surge,comede carnes plurimas. Et hoc quidem vsque ad tempora Constantini, Dei populum affligere non cessauit.Per tertiam verò bestiam regnum hæreticorũ intelligimus, à tempore videlicet Arrij & Constantij hæretici & crudelissimi imperatoris. Maiorem enim persecutionem tunc Dei populus passus est, quã illa iam superiùs dicta regna ei mouisset. Maius est enim in corpore & anima, quàm in solo corpore persecutionem pati.Hęc autem bestia pardo similis, & quatuor alas habuisse describitur: quoniam hæreticorum prædicatio velociter & paruo tempore totum mundum volando repleuit.Quatuor enim sunt mundi partes, quæ per quatuor alas & quatuor capita figurantur. Quatuor enim capita habuit hæc bestia, & in quatuor mundi partibus suos prædicatores hæretici habuerunt.Quanta autem potestas Arrianis data fuerit,Ariminense conciliũ manifestat. Nunc autem quid de quarta bestia angelus Danieli respõdit,audiamus:Bestia,inquit, quarta, regnum quartum erit in terra, quod maius erit omnibus regnis. Et deuorabit vniuersam terrã, & conculcabit & comminuet eam. Porrò cornua decem,decem ipsius regni reges erunt. Et alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus,& tres reges humiliabit, & sermones contra excelsum loquetur, & sanctos altissimi conteret, & putabit quòd possit mutare tempora & leges, & tradentur in manus eius vsque ad tempus,& tempora, & dimidium temporis.Hoc autem quartum regnum,de quo nunc angelo exponente audiuimus, circa finem seculi expectamus. Erit enim tunc,vt iam diximus,tribulatio talis,qualis non fuit ab initio seculi vsq; nunc, neque fiet. Vnde & quarta bestia dissimilis cæteris, magisque terribilis fortisque describitur.Per decem verò cornua, omnes mundi reges intelligere possumus: frequenter enim in diuina pagina omnes per decem significantur. Illud verò vnum cornu, in cuius ortu tria cornua euulsa sunt,quod habebat oculos & os loquens ingentia, Antichristus erit, alijs regibus fortior & potentior. Qui post- *Antichristus.*
quàm tres illos reges superabit, & illorum regna subiugabit, in tantam superbiam eleuabitur, vt contra Altissimum loqui, & ore nefario Deum se dicere non timeat. Plenus nanque spiritu satanæ, virtutes multas & miracula arte diabolica operabitur. Et alios quidem ignis, alios verò gladijs ad suam voluntatem conuertet. Præliabitur autem contra sanctos: quia venient tunc Enoch & Elias, quos quia ratione superare non poterit, gladijs interimi faciet. Putabit autem, quòd possit mutare tempora & leges, quia nouum testamentum ad veteris consuetudinem transferre conabitur. Regnabit autem per tempus & tempora & dimidium temporis, per quod tres annos & dimidium intelligimus, quem Dominus interficiet spiritu oris sui, & auferet illustratione aduentus sui. Et tunc quidem, sicut in Euangelio audiuimus, videbunt filium hominis venientem in nubibus cũ potestate multa & maiestate. Perueniet autem vsq; ad antiquum dierum, quia patri se æqualem, eiusdemque antiquitatis se esse ostendet. *His autem fieri incipientibus, respicite & leuate capita uestra, quoniam appropinquat redemptio uestra.* Audistis,inquit,certissima signa futuri iudicij, quæ postquam fieri incipient, respicite & mentis oculos aperite, credite,& dubitare nolite.Leuate capita vestra, & à terrenis ad cælestia erigite mentem vestrã, quoniam appropinquauit redemptio vestra. Quamuis enim diem illum nemo sciat,proximè tamen esse dubitari non poterit, postquam hæc talia & tanta signa fieri incipient. Cuius rei gratia hanc valdè competentem similitudinem subdidit,dicens: *Videte ficulneam & omnes arbores: cùm producunt iam ex se fructum, scitis quia propè est æstas: ita & uos cùm uideritis fieri hæc, scitote quoniam propè est regnum Dei.* Sicut enim fructus,& folia nouiter in arboribus nascẽtia,æstatis aduentum denunciant:ita & signa superiùs dicta, statim vt apparuerint,regnum Dei propè esse certissimè nunciabunt. *Amen dico uobis,quia non præteribit generatio hæc,donec omnia fiant.* Nisi hæc signa priùs apparuerint,hominum generatio finiri, & dies vlti-

ma venire non poterit. *Cælum & terra transibunt,uerba autem mea non transibunt,* sed in suæ veritatis stabilitate semper manebunt: transirent enim si id quod fieri affirmant,non fieri posset, & id quod fieri negant, fieri contigisset.

DOMINICA TERTIA
ADVENTVS DOMINI.
In Epistolam III. Dominicæ Aduentus, Concio exegetica.

QVid de Apostolis,eorumque successoribus Episcopis, pastoribus & præfectis Ecclesiæ sentiendum sit, quales ij præstare se debeant, quanque cauenda sint iudicia, præsertim temeraria, hac lectione præclarè docet Apostolus, quam propterea dubium non est appositè admodum hoc die recitari,quòd in ea mentio habeatur secundi illius Christi aduentus, qui erit in supremo mundi die,quando rediturus est cum potestate magna & maiestate ad iudicandos viuos & mortuos.Principiò igitur ait: *Sic nos existimet homo,ut ministros Christi,& dispensatores mysteriorũ Dei:* Audis Apostolos & Episcopos & Ecclesiarum antistites ministros dici,noli contemnere, quia additum est,Christi:Quid aũt gloriosius, quàm ministrũ esse Christi? Nec simpliciter ministros dicit, sed addit, Et dispensatores mysteriorum Dei, id est, sacramentorum Dei, vt exponit D. Ambrosius.Illis ergo dispensatio credita est, tibi illis obtemperandi incumbit necessitas.Hoc enim alibi luculẽter dicit idem Apostolus: Obedite præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim perui gilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Iam verò ne adhuc vile putes ministri nomen,audi quid de seipso dicat filius Dei,quo nihil sublimius: Ego in medio vestrũ sum,sicut qui ministrat. Et rursus: Filius hominis nõ venit ministrari,sed ministrare.An ne ergo etiam hunc ministrum contemnendum putabis?Atquì ausculta,quid de suis ille ministris, de quibus nunc agimus,dicat:Qui vos audit,me audit: &qui vos spernit, me spernit. Vides ergo, quàm reuerenter accipienda sint, & quanto studio obseruanda procerum Ecclesiæ decreta,constitutiones atq; præcepta? Et qua fronte ausus erit quispiam,ea ceu humanas constitutiunculas habere contemptui?Ita enim plerunq; ea nõ dubitãt appellare homines superbi,& à Christi spiritu multùm alieni. Quàm ridiculũ,immò quàm impium est,vt antistitum tuorum,id est,vicariorum Christi, censorem & iudicem agere non dubites,cùm tu illis subiectus sis authoritate diuina,non illi tibi? Sunt ergo illi dispensatores sacramentorum Dei,in quibus est etiam Eucharistia. Visum est Spiritui sancto & Ecclesiarum rectoribus in Concilio Constantiensi laicis,immò etiam sacerdotibus non sacrificantibus præscribere,vt vna specie contenti sint. Fuerunt in illo Concilio multi excellenti doctrina & sanctitate viri: habitum interim est Concilium Basileæ,itẽ Florentiæ,item Lateranense.Romæ,postremò aliud Tridenti,& in his omnibus nunquã ea Concilij Cõstantien. sententia dãnata est,immò approbata potiùs,& tamẽ in ea nolunt acquiescere permulti.Quid verò hoc aliud est, quàm Christum ipsum insimulare mendacij,quòd cùm pollicitus sit Ecclesiæ suæ Spiritus sancti perpetuam præsentiam,tamen in re tanti ponderis,in dispẽsatione tanti Sacramenti permiserit tot Concilia generalia tam turpiter tanq; perniciose errare? Sed non errauit neq; errat Ecclesia: fuerunt interim, vt nihil dicam de superioribus seculis, hac communione abundè contenti Christiani omnes in toto Occidente, & innumeris possit doceri testimonijs,mira & stupenda Deum sæpenumerò operatum esse in amicis suis,alteram duntaxat speciem religiosè percipientibus. Facessat ergo hæc peruicacia & diffidentia. Securi ac intrepidi in Ecclesiæ sententia acquiescamus, atq; huiusmodi Ecclesiæ proceribus ordinanda relinquamus.Hoc tantùm demus operam,vt vitam nostrã sic instituamus,quò digni simus crebrò ad sacrosanctam Eucharistiam sumendam accedere.Sequitur: *Hic iam quæritur inter dispensatores,ut fidelis quis inueniatur.* Hoc ergo curandum est modis omnibus Ecclesiæ præpositis, vt sint fideles: væ illis,si suum tantum munus mala fide administrent.Verùm de hoc copiosiùs agere alterius loci fuerit. Vos dilectissimi, qui subditi estis,nolite seueri esse censores Antistitũ vestrorum: nihil potestis neque vobis, neq; illis consultius facere,quàm vt Deũ sedulis pulsetis precibus,vt si qua in illis vitia hæreant, ea corrigendi gratiam illis adspiret. Iudicare illos procaciter & contemnere,sine magno scelere non potestis. Audite Apostolum ipsum ab hac iudicandi temeritate nos reuocantem. *Mihi*, inquit porrò, *pro minimo est, ut à uobis iudicer, aut ab humano die,* id est,vt Chrysostomus exponit,à quocunq; homine. Quare pro minimo est? Quia sæpè fallit humanum iudicium,& facilè in alterutram partem vel amore vel odio labitur.Quibus vtiq; verbis, teste Chrysostomo,abducit subditos ab inquirenda & iudicanda præpositorum vita,quod seditionis causa esse queat.An non de impijs illis & prophanis scribis & pharisæis dixit ipse Dominus: Super cathedram Moysi sedent. Omnia ergo quæcũq; dicunt,facite?Non dicit,In vitam illorum inquirite,vtrũ boni vel mali sint, sed simpliciter,Omnia quæcunq; dicũt,facite. Atq; vtinam Christianis omnibus hoc persuaderi posset, vt de suis Prælatis ex animo benè sentiant, & si fortasis tam manifesta sit eorũ improbitas, q^d ad mores attinet,vt dissimulari no possit,tamen non conténant,non lacerent improbis obtrectationibus,nõ iudicent petulanter,sed sperent per Dei gratiã propediẽ meliùs eos victuros, sibiq; persuadeant,qui iam mali esse videantur, breui

Hebr. 13.

Luc. 22.

Matt. 20.

Luc. 10.

Ioan. 14.

Matth. 23.

Universidad de Deusto
Biblioteca

optimos fore. An non ex Saulo sæuissimo persecutore repente extitit insignis Apostolus, & Christianismi præcipuus propagator, qui plus omnibus laborauit? Sequitur: *Sed neq; meipsum iudico.* Si de se quisq; aitalicubi D. Augustinus, aut nō omninò, aut vix potest verā pferre sentētiā, quomodò potest de alio iudicare? Nouerat Apostol⁹ illud Dauidicū, Delicta quis intelligit? Ab occultis meis

Psal. 18. mūda. Iob quoq; ipsius infallibilis iudicis ore tā

Iob. 1. toperè cōmendatus, qp nō esset illi similis in ter-

Iob. 9. ra. Verebar, inquit, omnia opera mea, sciēs qp nō parceres delinquēti. Quo quisq; copiosiùs est diuinitus illustrat⁹, hoc de se tētit submissiùs. Itaq; qui certò statuūt sibi per Christū remissa peccata omnia, atq; hocipso putant iā planè à peccatis omnib. & pœnis absolutos se esse, nihilq; prætereà requiri, hæretici sunt, eorumq; cæca & perniciosa temeritas est. Nō sic Apostol⁹: quin potiùs, Sed neq; meipsum iudico. Alia enim Dei, alia hominū iudicia sunt. Quòd si Apostolus ipse sese nō

1. Cor. 2. iudicat, cùm tamē nemo sciat quid agatur in homine, nisi spiritus hominis, tu quis es qui iudicas Christi vicarios, Ecclesiæ, pceres? *Nihil enim mihi, ait, cōscius sum, sed nō in hoc iustificatus sum.* Securitatē, inquit, nō habeo, vt hūc locū Oecumeni⁹ interpretatur, tametsi nihil mihi cōscius sum, nisi etiā Deus iustificet. Quid enim si peccauerim, nec tamē peccasse mihi visus sim? Basilius Magnus idē

In Constitution. Monastic. cap. 2. hoc esse ait, ac si diceret: Multa delicta cōmitto, quæ cōmittere me nō intelligo. Ita sācti viri nūq; de se præsidūt, sed intra tutissimū sanctæ humilitatis portū sese continēt, atq; hoc ipso superbissimi satanę laqueos oēs euadūt, maioribusq; semper diuinę gratiæ munerib. augentur. Subiungit Apostolus: *Qui aūt iudicat me, Dominus est.* Is est iudex infallibilis, cuius oculis etiam penitissimi & abditissimi animorū recessus & cōscientiarū latebrę patēt. Huius ergo vnius iudicio sciēs se reseruari Apostolus, hominū de se iudicia nō magnipēdebat. Et reuerà si quis recta secùm via reputare velit, nō est cur humana iudicia formidemus, modò Deū iudicē, ppitiū habeam⁹. Sentiāt interim de nobis homines vtcūq; volēt, nos Deū iudicē, dū adhuc licet, modis omnib. nobis cōci-

Rom. 8. liare studeamus. Si enim Deus iustificat, quis est qui condēnet? Si tu, inquit quodā loco Augustinus, tui ipsi⁹ es accusator, & Deus liberator, quid erit sātū nisi calūniator? Hinc iā Apostolus generalē pmit de nō iudicando sententiā, imis pectoribus tenacissimē affigēdam: *Itaq; nolite ante tēpus iudicare, quoadusq; ueniat Dominus, qui & illuminabit abscōdita tenebrarū, & manifestabit consilia cordiū: & tūc laus erit unicuiq; à Deo.* Iniuria iudicis est, ait D. Ambrosius, si ante cognitionē eius, à seruo procedat iudiciū aut sentētia. Chrysostomus quoq;, Cum cæteris malis, nescio, inquit, qua ratione & curiositatis & nimię inuestigationis morbus naturam hominū aggressus est. Qđ voluptatē quidē nullā habet, quemadmodū reliqua peccata, sed pœnā tantūm atq; suppliciū. Nō id tibi præcipitur homo, vt de alijs iudiciū feras, sed rem tuā examines. Quid igitur Domini institutū euertis? Illius iudicia sunt, nō tua. Et D. Augustinus, In his, ait, tenebris rerū humanarū, hoc est, cogitationum alienarum, etsi suspiciones intelligere nō possumus, quia homines sumus, iudicia tamen, id est, definitas firmasq; sentētias cōtinere debemus, nec ante tēpus quicquam iudicare, donec veniat Dominus, &c. Sed cōtra hāc Apostoli saluberrimā admonitionem, immò contra ipsius Domini grauissimā prohibitionē, Nolite iudicare, & non iudicabimini, iam nimis temerè nimisq; pernicioſē venitur ferè ab omnibus. Quare hoc? Quia abūdāte iniquitate, refrixit charitas: quę si ferueret in hominibus, non cogitarent tam facilè malum de alijs. Charitas enim non cogitat malum. Interim tamen notandum est, quemadmodum Chrysostomus habet, Paulum hoc in loco nō de manifestis criminibus esse locutum, sed de prælatione & vitæ inuicem comparationibus, quæ solus ipse nouit certa ratione iudicare, qui occulta nostra iudicaturus est, quæ uel maiori, & quæ minori supplicio & honore digna sint. Nos autem secundum faciem iudicamus. Quod si in quibus ipse peccaui, inquit, nihil certò mihi conscius sum, quo pacto dignus fuero, qui de alijs feram sententiā? Qua aūt ratione si res meas nō satis exploratas habeo, aliena potero dijudicare? Quòd si Paulo hæc cōtingebant, longè magis & nobis. Hæc Chrysostomus. Vulgari quidē, sed nō contēnendo dicitur Prouerbio, Ille sapiens est & bene eruditus, qui omnia bonā in partē interpretatur. Atq; id quidē animo bene constituto, & vni Deo intento perfacile est. Is enim semper dicit sibiipsi: Quicquid agāt alij, sis memor ipse tui. Quisquis ergo iucundā & tranquillā vult vitam viuere, aliorū facta temerè non iudicet, reijciat omnia in Deū, qui æquissimus iudex quandoq; vēturus est, & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia, id est, intentiones cordium, quos nemo meliùs nouit, quàm ille qui scrutatur corda & renes. Hoc autē dicit, inquit Ambrosius, quia in die iudicij nihil occultū erit eorū, quæ gesta aut cogitata sunt: & simplicitas, & hypocrisis illic apparebit: & vt qui despectus habebatur, fortè dignus appareat: & qui aliquid esse putabatur, inueniatur reprobus. Omnia enim nuda erūt in die iudicij, & tūc laus erit bene agēti vel cogitāti. Hīc enim qui laudatur, im pbabile est an dignus sit, sicut & in alio loco dicit, Nō enim qui seipsū cōmendat, ille pbatus est, sed quē Deus cōmēdat, quē vtiq; nihil latet. Hæc Ambrosi⁹. Felix itaq; ille, & terq; quaterq; beatus, qui diuino semper timori inhærēs, posthabitis alijs omnibus, ita se cōparat, vt possit bene paratus occurrere Domino ad iudiciū redituro, & quemadmodū Augustinus ait, ne ab extremo præoccupetur die, extremū cōputat oēm diem: & sic Deo placitos mores perducit vsq; ad extremū dié. Qđ aūt Apostolus dicit, Tunc laus eris

Tract. 90. in Ioan.

Matt. 7.

1. Cor. 13.

In 1. Cor. 4.

2. Cor. 10.

sermone de S. Cypriano.

erit vnicuiq; à Deo, haud obscurè nos reuocat à vanæ gloriæ studio, quia multi adeò dementantur, vt omnia sua dicta factaq; non aliò referāt, nisi vt hominū gratiā & laudes captent, quod

Matth. 5. meritò cauere debent qui Christo placere, & ab illo rectè factorum suorum præmium expectare volunt. Quicquid enim humanæ laudis & vanæ gloriæ studio geritur, non solùm nul-

Esa. 42. 48. lam habet gratiā & mercedē apud Deū, sed etiā suppliciū meretur. Ait quidē Dominus IESVS: Sic luceat lux vestra corā hominibus, vt videant

Ierem. 29. opera vestra bona: sed nō addidit, Et vos glorificēt: sed potiùs, Et glorificēt patrē vestrū qui in cęlis est, qui vtiq; in Propheta ait: Gloriā meā alteri nō dabo. Itaq; dilectissimi caueamus temeraria iudicia, benè de omnibus sentiamus, de nobis viliter, iudiciū omne Deo relinquamus, qui & iudex & testis est, omnia deniq; nostra in Dei laudē & gloriā referamus, vt ex omnibus quæ ex virtutis præscripto gerimus, nobis labor cedat, illi honor & gloria, qui est omniū bonorū nostrorū fons & origo, in quē etiā eadē omnia summa fide, quemadmodū decet bonos filios, refundere debemus, qui viuit & regnat Deus per infinita seculorum secula, Amen.

DOMINICA TERTIA

Matth. 11.

In illo tempore: Cùm audisset Ioannes in uinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es qui uenturus est, an alium expectamus? Et reliqua. Homilia B. Gregorij Papæ, habita in Basilica sanctorū Marcellini & Petri.

Værendū est nobis fratres charissimi, Ioānes propheta, & plus quā propheta, qui venientē ad Iordanis baptisma

Ioan. 1. Dominū ostēdit, dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mūdi, qui & humilitatē suā, & diuinitatis eius potentiā considerās, di-

Ioan. 3. cit: Qui de terra est, de terra loquitur: qui aūt de cælo venit, super oēs est: cur in carcere positus, mittēs discipulos requirit. *Tu es qui uenturus est, an alium expectamus?* Tanquā si ignoraret quē ostenderat, & an ipse sit nesciat, quem ipsum esse prophetando, baptizando, ostendendo clamauerat. Sed hæc citiùs quæstio soluitur, si gestæ rei tempus & ordo pensetur. Ad Iordanis enim fluenta positus, quia ipse redemptor mundi esset asseruit: missus verò in carcerē, an ipse veniat requirit, non quia ipsum redemptorem esse mundi dubitet, sed quærit vt sciat si is qui per se in mundum venerat, per se etiam ad inferni claustra descendat. Quem enim præcurrens mundo nūciauerat, hunc moriendo ad inferos præcurrebat. Ait ergo: Tu es qui venturus es? &c. Ac si apertè dicat, Sicut pro hominibus nasci dignatus es, an etiam pro hominibus † ad inferos descēdere dig-

† mori dignetis. neris, insinua, vt qui natiuitatis tuæ præcursor extiti, descensionis etiam præcursor fiam, & venturum inferno te nunciem, quem iam venisse mundo nunciaui. Vnde & inquisitus Dominus enumeratis potentiæ suæ miraculis, de mortis suæ protinus humilitate respondit, dicens: *Cæci uidēt claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur. Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* Visis tot signis, tantisq; virtutibus, non scandalizari quisq; potuit, sed admirari. Sed infidelium mens graue in illo scandalum pertulit, cùm eum & post tot miracula morientem vidit. Vnde & Paulus dicit: Nos au-

1. Cor. 1. tem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Stultum quippe hominibus visum est, vt pro hominibus author vitæ moreretur, & inde contra eum homo scandalum sumpsit, vnde ei ampliùs debitor fieri debuit. Nam tanto Deus ab hominibus digniùs honorandus est, quanto pro hominibus & indigna suscepit. Quid est ergo dicere, Beatus qui non fuerit scandalizatus in me, nisi aperta voce abiectionem mortis suæ, humilitatemq; signare? Ac si patenter dicat: Mira quidem facio, sed abiecta perpeti non dedignor: Quia ergo mōriendo te subsequor, cauendum valdè est hominibus, ne in me mortē despiciāt, qui signa venerantur. Sed dimissis Ioannis discipulis, quid de eodem Ioanne turbis dicat, audiamus. *Quid existis uidere in deserto, arundinem uento agitatam?* Quod videlicet non asserendo, sed negando intulit. Arundinem quippe mox vtaura contigerit, in partem alteram inflectit. Et quid per arundinem, nisi carnalis animus designatur? qui mox vt fauore vel detractione tangitur, in partē quamlibet inclinatur. Si enim ab humano ore aura fauoris flauerit, hilarescit & extollitur, totumq; se quasi ad gratiam inflectit. Sed si inde vētus detractionis eruperit, vnde aura laudis veniebat, mox hunc quasi in partem alterā ad vim furoris inclinat. Sed arundo agitata vento Ioannes nō erat, quia hunc nec blandū gratia, nec cuiuslibet detractionis ira asperum faciebat. Nec prospera hunc erigere, nec aduersa nouerant inclinare. Arundo ergo vento agitata nō erat, quē ab status sui rectitudine nulla rerū varietas inflectebat. Discamus ergo, fratres charissimi, arundo vento agitata nō esse; solidemus animū inter aures linguarum positū: stet & inflexibilis status mentis. Nulla nos detractio ad iram prouocet, atq; ad remissionem inutilis gratiæ nullus fauor inclinet: non nos prospera eleuent, non aduersa perturbent, vt qui in soliditate fidei figimur, nequaquam rerum transeuntium mutabilitate moueamur. Adhuc autem de eius expressione subiungitur: *Sed quid existis uidere in desertō hominem mollibus uestitum? Ecce qui mollibus uestiuntur, in domibus regum sunt.* Camelorum enim pilis, vt scitis, vestitus Ioannes fuisse describitur. Et quid est dicere, Ecce qui mollibus vestiūtur, in domibus regū sunt, nisi aperta sententia demonstrare, quia nō cælesti, sed terreno regi militant hi, qui pro Deo perpeti aspera fugiunt, & solis exterioribus dediti, præsentis vitæ mollitiē & delectationē quærunt? Nemo ergo existimet in luxu atque

Matth. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

studio precioſarum veſtiũ peccatũ deeſſe: quia ſi hoc culpa non eſſet, nullo modo Ioannem Dominus de veſtimenti ſui aſperitate laudaſſet. Si hoc culpa non eſſet, nequaquam Petrus
1.Pet.3. apoſtolus per epiſtolam fœminas à precioſarum veſtium appetitu compeſceret, dicens: Non in veſte precioſa. Penſat ergo quæ culpa ſit, hoc etiam viros appetere, à quo curauit paſtor Eccleſiæ & fœminas prohibere. Quanuis hoc quod Ioannes non eſſe veſtitus mollibus dicitur, per ſignificationem intelligi & aliter poteſt. Mollibus enim veſtitus non fuit, quia vitia peccantium non blandimentis fouit, ſed vigore aſperæ
Matth.3. Eccl.12. inuectionis increpauit, dicens: Genimina viperarum, quis vobis demonſtrauit fugere à ventura ira? Vnde & per Salomonem dicitur: Verba ſapientium quaſi ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi. Clauis quippe atq; ſtimulis ſapientium verba comparantur, quia culpas delinquentium neſciunt palpare, ſed pungere. *Sed quid exiſtis uidere in deſerto? Prophetam? Etiam dico uobis, & plùs quàm Prophetam.* Prophetæ quippe miniſteriũ eſt ventura prædicere, non etiam demonſtrare. Ioannes ergo plùs quàm propheta eſt, qui eum quẽ præcurrẽdo prophetauerat, etiã oſtẽdendo monſtrabat. Sed quia arundo vento agitata eſſe denegatur, quia non eſſe veſtitus mollibus dicitur, quia prophetæ nomen huic impar eſſe perhibetur, iam quod dignè dici poſsit audiamus. Sequitur: *Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit*
Mala.3. *uiam tuam ante te.* Quod enim Græcè angelus, hoc latinè nuncius dicitur. Rectè ergo qui nunciare ſupernum iudicem mittitur, angelus vocatur. vt dignitatem ſeruet in nomine, quam explet in operatione. Altum quidem nomen eſt, ſed vita nomine inferior non eſt. Vtinam fratres chariſſimi non ad iudiciũ noſtrum dicamus, quia omnes qui ſacerdotis nomine cenſentur, angeli vo-
Mala.2. cantur, propheta atteſtante, qui ait: Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituũ eſt. Sed huius altitudinẽ nominis, etiam vos, ſi vultis, poteſtis mereri. Nam vnuſquiſq; veſtrum inquantùm ſufficit, inquantùm gratiam ſupernæ aſpirationis accepit, ſi à prauitate proximũ reuocat, ſi exhortari ad bonum operandum curat, ſi æternum regnum vel ſuppliciũ erranti denunciat, cùm ſanctæ denunciationis verba impẽdit, profectò angelus exiſtit. Et nemo dicat, monere nõ ſufficio, exhortari idoneus non ſum. Quãtum enim potes exhibe, ne malè ſeruatum talentum quod acceperas, in tormentis exigaris. Ne-
Matth.25 que enim plus quàm vnum talentum acceperat, qui hoc abſcondere magis ſtuduit, quàm erogare. Et ſcimus quòd in Dei tabernaculo non ſo-
Exod.23. lùm phialæ, ſed præcipiente Domino, etiam cyathi facti ſunt. Per phialas quippe doctrina exhuberans, per cyathos verò, parua atq; anguſta ſcientia deſignatur. Alius doctrina veritatis plenus, audientium mentes inebriat. Per hoc ergo quod dicit, profectò phialam porrigit. Alius explere quod ſentit non valet, ſed quia hoc vtcunque denunciat, profectò per cyathum guſtum præbet. In Dei ergo tabernaculo, id eſt, in ſancta Eccleſia poſiti, ſi per doctrinam ſapientiæ miniſtrare phialas minimè poteſtis, inquantùm per diuinam largitatem ſufficitis, proximis veſtris boni verbi cyathos date. Inquantùm vos profeciſſe penſatis, etiam vobiſcum alios trahite, in via Dei ſocios habere deſiderate. Si quis veſtrum fratres ad forum aut fortaſſe ad balneum pergit, quem otioſum eſſe conſiderat, vt ſecum veniat, inuitat. Ipſa ergo terrena actio veſtra vos conueniat: & ſi ad Deum tenditis, curate ne ad eum ſoli veniatis. Hinc etenim ſcriptum eſt: Qui audit, dicat veni, vt qui iam in corde vocem ſuperni amoris acceperit, foras etiã proximis vo Apoc.
cẽ exhortationis reddat. Et fortaſſe panẽ vt indigenti eleemoſynam porrigat, non habet, ſed magis eſt quod tribuere valeat, qui linguam habet. Plus enim eſt verbi pabulo victuram in perpetuum mentem reficere, quàm ventrem morituræ carnis terreno pane ſatiare. Nolite ergo fratres proximis veſtris eleemoſynã verbi ſubtrahere. Mecum vos admoneo, vt ab otioſo ſermone parcamus, inutiliter loqui declinemus, inquantùm reniti linguæ præualemus, in ventũ verba non defluant, cùm iudex dicat: Omne Mat.12.
verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Otioſum quippe verbum eſt, quod aut vtilitate rectitudinis, aut ratione iuſtæ neceſsitatis caret. Otioſa ergo colloquia, ad ædificationis ſtudium vertite: quàm celerrimè huius vitæ tempora fugiant conſiderate: quàm diſtrictus iudex veniat attendite. Hunc ante oculos cordis veſtri ponite, hunc proximorum veſtrorum mentibus intimate, vt inquantùm vires ſuppetunt, ſi annũciare eum non negligitis, vocari ab eo angeli cũ Ioanne valeatis.

DE EADEM DOMINICA,
SERMO BEATI MAximi Epiſcopi.

Vi ſunt in illa nocte duo in lecto, & Matt.
duæ molentes in vnum, & duo in agro, de quibus omnibus binis ſinguli aſſumentur, & ſiguli relinquentur? Tria genera hominũ hic videntur ſignificari. Vnũ eorũ, qui otiũ & quietẽ eligũt, neq; negotijs ſecularibus, neq; negotijs eccleſiaſticis occupati, quæ illorũ quies, lecti nomine ſignificata eſt. Alterũ eorum, qui in plebibus conſtituti, regũtur à doctoribus, agentes ea quæ ſunt huius ſeculi, quos & fœminarũ nomine ſignificauit, quia conſilijs (vt dixi) peritorum regi eos expedit: & molentes dixit propter temporalium negociorum orbem atque circuitum: quas tamẽ in vnum molentes dixit, inquãtùm de ipſis rebus & negotijs ſuis præbent vſibus Eccleſiæ. Tertium eorum, qui operantur in Eccleſiæ miniſterio, tanquam in agro Dei,
2.Cor.7. de qua agricultura Apoſtolus loquitur, dicens: Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis. In his ergo tribus generibus, bina ſunt rurſus genera hominum in ſingulis, & pro robore ſuarum virium diſcernuntur. Cùm enim omnes ad Eccleſiæ membra pertinere videantur, adueniente tamen tentatione tribulationis, & ex illis qui ſunt in otio, & ex illis qui ſunt in negotijs ſeculi, & ex illis qui Deo miniſtrant in Eccleſia, aliqui permanent, aliqui cadunt. Qui permanent, aſſumentur: qui cadunt, relinquentur. Ergo vnus aſſumetur, & vnus relinquetur: non quaſi de duobus hominibus dictum, ſed de duobus generibus affectionum in ſingulis generibus triũ profeſsionum. In illa ergo nocte, dixit, in illa tribulatione. Ad ipſa tria genera quæ aſſumuntur, arbitror pertinere etiam tria illa nomina virorum ſanctorum, quos ſolos liberãdos Ezechiel pro-
Ezech.14 pheta denunciat, Noe, Daniel, & Iob. Videtur enim Noe pertinere ad eos, per quos Eccleſia regitur, ſicut per illum in aquis arca gubernata eſt, quæ figuram geſtabat Eccleſiæ. Daniel autem, quia elegit cœlibem vitam, id eſt, nuptias
2.Cor.7. terrenas contempſit, vt ſicut dicit Apoſtolus, ſine ſollicitudine viueret, cogitans quæ ſunt Dei, genus eorum ſignat, qui ſunt in otio, ſed tamen fortiſsimi in tẽtationibus, vt poſsint aſſumi. Iob autem quia & vxorem habuit & filios, & amplas terrenarum rerum copias, ad illud genus pertinet, cui molendinum deputatum eſt, ſed tamen, vt ſint fortiſsimi in tentationibus, ſicut ille fuit. non enim aliter aſſumi poterunt. Nec puto eſſe alia genera hominum, quibus conſtat Eccleſia, quàm iſta tria, habentia binas differentias propter aſſumptionem & relictionem, quamuis in ſingulis multæ ſtudiorum voluntatumq; diuerſitates, ad concordiam tamen vnitatemque concurrentes, poſsint inueniri.

DE EADEM DOMINICA,
HOMILIA D. EVSEbij Emeſeni.

Oannes Baptiſta in vinculis & in carcere poſitus, cùm audiſſet miracula quæ Dominus operabatur, intelligẽs iã ſibi diẽ mortis imminere, voluit eũ quaſi magiſtrũ interrogare de his, quæ ſibi adhuc incerta videbãtur. Miſit igitur ad eum duos
Matth.11. de diſcipulis ſuis, qui eius verba Chriſto referrent. Hi autem quid dixerũt audiamus. Ioãnes, inquiunt, Baptiſta miſit nos ad te, dicens: *Tu es qui uenturus eſt, an alium expectamus?* Ego quidem nõ puto Ioannis diſcipulos intellexiſſe, quid hac illorum interrogatione magiſtri ſignificaretur: ſicut neq; in Chriſti reſponſione quæſtioné intellexerunt eſſe ſolutam. Tu es, inquit, qui venturus eſt? Ego quidem vado, ego ad Patriarchas, & Prophetas in infernũ deſcendo: ſed nunquid tu quoq; eò venturus es? Debeo te illuc venturum illis annunciare, ſicut te iam veniſſe mundo annunciaui? Deſcendes illuc per te, an alium expectamus à te? Timeo enim hoc credere de te, niſi hoc certum mihi fiat à te. Valdè quidem te humiliaſti, an fortaſſe plùs te humiliabis? Quid dicam illis? Quid nunciabo? *Et reſpondens Ieſus, ait illis: Cæci uident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur: et beatus, qui non fuerit ſcandalizatus in me.* Quid enim aliud Dominus in hac ſua reſponſione ſignificabat, niſi quia & hoc prophetarum oraculũ per ſe cõplere nõ abhorreret, ſicuti nec alia quæ de eo prophetæ prædixerant? Ite, inquit, dicite Ioanni quæ audiſtis & vidiſtis. Ipſa enim hora, ipſiſq; vidẽtibus, vt Lucas teſtatur, fecit Dominus multas virtutes. Et tale erat ac ſi diceret: In mundũ veni, carnẽ aſſumpſi, baptizari volui: nunc aũt prædico, nunc pauperes ad fidem conuerto, cæcos illumino, mortuos reſuſcito, & cætera facio, quæ me facturum eſſe prophetæ nũciarunt. Qui igitur in alijs omnibus & prophetarum teſtimonia confirmo & cõpleo, abſit vt in hoc vno faciã eos eſſe mendaces. Beatus enim, qui non fuerit ſcandalizatus in me. Beatus qui fideliter firmiterq; crediderit, quæcunq; ſcripta & prophetata ſunt de me. Qui enim non horrui virginis vterũ, non vtiq; horreo ad inferna deſcendere. Cloaca mundi eſt infernus, lux tamen ſtercore nõ inquinatur. Mundus tranſeo per immundũ, mundus totũ compleo mundum. Deſcẽde igitur ſecurè, præcurſor mihi es. Vade & præcurre, nuncia gaudiũ fidelibus meis: citò ſequar, & liberabo eos. Conſidera modò, quanta lætitia locus ille tenebrarum, locus ille in mœroris & doloris, conſidera, inquit, quanta lætitia, quantoq; gaudio exultauerit, quando ibi beatus Ioannes hæc verba narrare cœpit. *Illis autem abeuntibus, cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne.* Benè autem illis abeuntibus. Si enim illis præſentibus de Ioanne talia loquerẽtur, poterat fortaſſe adulatione notari ab his, qui non Deum, ſed hominẽ eum eſſe credebãt. *Quid exiſtis in deſertum uidere, arundinem uento agitatã?* Non eſt arundo Ioannes, columna eſt: non mouetur vento, non quatitur timore, non flectitur adulatione: vno eodẽq; vultu reſpicit & illos qui eũ laudant, & eos qui eũ vituperãt. Sic inimicos, vt amicos diligit: ſic potentes, vt impotẽtes arguit. Vide igitur quã cautè Saluator noſter & Ioannis iuſtitiã cõmendat, & ſeipſũ ab adulationis vitio defendit, dũ eum quẽ laudat, laude nõ delectari dicit. *Sed quid exiſtis uidere, hominem mollibus ueſtitum?* Matth.3.
Ioannes enim, ſicut legitur, pilis camelorũ veſtitus erat, qua in re apertiſsimè oſtenderat, quia & mundũ iſtũ etusq; cõcupiſcẽtias pro nihilo ducebat. Inſuper & quia pœnitentiã prædicabat, vt bonus magiſter pœnitẽtibus in ſeipſo pœnitẽtię ſimile exemplũ & regulã dabat. Vnde nõ immeritò

Universidad de Deusto
Biblioteca

ritò quidam ait : Si vis me flere, dolendum est priùs ipsi tibi. *Ecce qui mollibus uestiuntur, in domibus regum sunt.* Qui enim mollibus vestiuntur, conuentus hominum requirunt & videri appetunt: ideoque non in deserto, non in loco solitario, sed in domo regia inueniuntur. Vana quippe gloria premitur, qui propter hoc mollibus vestitur. *Sed quid existis uidere? Prophetam? etiam dico & plus quàm Prophetam. Hic est enim, de quo scriptum est:* Malac.3. *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuam ante te.* Sic igitur angelus Ioānes, & plus quā propheta Ioānes. Priùs enim quàm nasceretur, prophetauit, & non sicut cæteri Prophetæ post multum temporis Christū venturum esse prædixerunt, sed ante faciem eius manens, & eum baptizans & tangens, reuelante Spiritu sancto dixit: Ioan.1. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hoc enim non dixisset, nisi propheta fuisset. Erat autem & plus quàm propheta, quia ipsum, quem prophetauit, digito demonstrabat. Et in eo quidem, in quo dicitur plus quàm propheta, potest dici & non propheta: faciens enim plus quàm prophetam, ostēdit se alium etiam quàm prophetam. Prophetarum enim est, futura prædicere: non prophetarum verò, præsentia demonstrare. Vnde idem Ioan.1. Ioannes interrogatus, an esset propheta, respondit se non esse prophetam. Sequitur: *Amen dico uobis, inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Aequales enim & pares habuit Ioannes, maiores verò non habuit. Pares enim fuerunt ei & Moyses, & Iob, & Elias, & multi alij, maiores tamen non fuerunt, excepto illo, qui minor est in regno cælorum. De quo & subditur: *Qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo.* Quis est enim iste, qui Ioanne maior est, & in regno cælorum minor est, nisi Saluator noster, de quo scriptum est, Minuisti eum paulominùs ab angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum? Hoc autem apostolus exponens, Heb.2. ait: Eum autem qui modico quàm angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionē mortis. Minor est enim angelis Iesus, secundùm hoc quòd mortalis & passibilis factus est: qui tamen omnibus maior est, secundùm quòd Deus & creator omnium est. *A diebus autem Ioannis usque nunc, regnum cælorum patitur uim, & uiolenti diripiunt* Matth.3. *illud.* Ex quo enim Ioannes Baptista cœpit prædicare & dicere, Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum: ex eo ipso regnum Dei, quod est Ecclesia, multis vndique confluentibus, crescere cœpit. Et quia violenter à violentis diripitur, non immeritò vim pati dicitur. Bona violentia, qua acquiritur regnum Luc.11. Dei. Hanc enim violentiam habebat ille, cui, cū amicus eius tres panes accōmodare nollet, propter improbitatem eius dedit illi quotquot habebat necessarios. Vis igitur intrare in regnum cælorum? vis ascribi in exercitu & in militia sanctorum? Esto violentus & improbus. Audi quid Dominus dicat: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. Hæc est igitur violentia, qua diripitur regnum cælorum. *Omnes enim prophetæ & lex usq; ad Ioannem prophetauerunt.* Est igitur Ioannes finis legis, quemadmodum & Chri- Rom. stus. Ioannes enim veteris testamenti & prophetarum omnium vltimus, eum quem cæteri prophetauerunt verbis, digito ostendit. Sic igitur vsq; ad eum prophetiæ venientes, in eo tandem completæ sunt, dum ipse monstrauit eas esse cōpletas. Omnis enim prophetia ibi finitur, vbi id quod prophetauerat adimpletur. Nato etenim Christo completa est prophetia, quæ dicebatur: Esa. Ecce virgo concipiet & pariet filium. Completæ sunt autem propheriæ aliter, quia iam non ad literam, sed spiritualiter intelliguntur. Lex igitur vsq; ad Ioannem prophetauit, quia in nube & caligine loquebatur: deinde verò prophetauit Christus, quoniam eandem legem spiritualiter intelligere docuit. propheta enim dicitur, eò q̄ prophetat & prophetias exponit: eo enim tempore pœnitentiæ & misericordia exclusit sacrificium, & baptisma circunciſiōnem. Venerat enim Dominus, non vt legem solueret, sed adim- Mat. pleret. Sequitur: *Et si uultis scire, Ioannes ipse est Elias, qui uenturus est.* Interrogatus enim Ioannes an esset Elias, respondit, Non sum. Quid est igitur, quòd Dominus eum dicit esse Eliam, qui seipsum negat esse Eliam? Ioannes enim in persona Elias non erat, in spiritu tamen & virtute Elias erat. sic enim de ipso prædixerat angelus: Ipse præibit ante eum in spiritu & virtute Eliæ. Sic itaq; Ioannes erat Elias, & non erat Elias. Vnde & subditur: *Qui habet aures audiēdi, audiat.* Ille enim audiendi aures non habet, qui hoc ad literam intelligens, Ioannem fuisse Eliā arbitratur.

FERIA QVARTA QVATVOR TEMPORVM.

Luc. 1.

In illo tempore: Missus est angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad uirginem desponsatam uiro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomē uirginis Maria. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

Xordium nostræ redemptionis, fratres charissimi, hodierna nobis sancti euāgelij lectio cōmēdat, quę angelū à Deo de cœlis missū narrat ad virginē, vt nouā in carne natiuitatē filij Dei prædicaret, per quam nos abiecta vetustate noxia, renouari atq; inter filios Dei computari possimus. Vt ergo ad promissæ salutis mereamur dona pertingere, primordia

dia eius intenta curemus aure percipere. *Missus est, inquit, Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad uirginem desponsatam uiro, cui nomen erat Ioseph.* Aptum profectò humanæ restaurationis principium, vt angelus à Deo mitteretur ad virginem partu con- Gen.3. secrandam diuino, quia prima perditionis humanæ fuit causa, cùm serpens à diabolo mitte batur ad mulierem spiritu superbię decipiendā: immò ipse in serpente diabolus veniebat, qui genus humanū, deceptis parentibus primis, immortalitatis gloria nudaret. Quia ergo mors intrauit per fœminam, aptè redit & vita per fœminam. Illa à diabolo seducta per serpentem, viro gustum necis obtulit: hæc à Deo edocta per Angelum, mundo authorem salutis edidit. *Missus est ergo angelus Gabriel à Deo.* Rarò autem legimus, quia apparentes hominibus angeli designantur ex nomine. Verùm quotiescunq; fit, ideo vtiq; fit, vt etiam nomine ipso quid ministraturi veniant insinuent. Gabriel nanq; fortitudo Dei dicitur. Et meritò tali nomine præfulget, qui nascituro in carne Domino testimoniū Psalm. 23. perhibet. De quo propheta in Psalmo: Dominus, inquit, fortis & potens, Dominus potens in prælio. Illo nimirū prælio, quo potestates aereas debellare, & ab earū tyrannide mundū veniebat eripere. *Ad uirginē desponsatam uiro, cui nomē erat Ioseph, de domo Dauid, & nomē uirginis Maria.* Quod dicitur de domo Dauid, nō tantùm ad Ioseph, sed Num. 36. etiam pertinet ad Mariam. Legis nanq; erat prę ceptum, vt de sua quisq; tribu ac familia duceret vxorē. Apostolo quoq; attestante, qui ad Timotheum scribens, ait: Memor esto igitur dominū Iesum Christū resurrexisse à mortuis ex semine 2. Tim. 2. Dauid, secundū euangeliū meū. Ideo enim veraciter ex semine Dauid ortus est Christius, quia incorrupta eius genitrix, verā de stirpe Dauid originem duxit. Cur aūt ipse non de simplici virgine, sed desponsata viro concipi & nasci voluerit, plurimæ à patribus rationabiles causæ proferuntur, è quibus permaxima est, ne velut stupri rea damnaretur, si virum nō habens, filium procrearet. Deinde vt in his etiā, quę domestica cura naturaliter exigebat, puerpera solatio sustentaretur virili. Oportebat ergo beatā Mariam habere virum, qui & testis integritatis eius certissimus, & nati ex ea Domini ac Saluatoris nostri esset nutritius fidelissimus, quiq; & pro eo paruulo secundùm legem hostias ad templū deferret, & eum, instante persecutionis articulo, in Aegyptum cum matre ferret, ac referret, aliaq; illi perplura, quæ assumptæ humanitatis fragilitas poscebat, necessaria ministraret. Nec multùm obfuit, si quis illum ad tempus eius filium credidit, cùm prædicantibus apostolis post ascensionem eius, cunctis palàm credentibus quòd de virgine natus esset, patuerit. Nec prætereundum est, quòd beata Dei genitrix meritis præcipuis etiam nomine testimonium reddit. interpretatur enim stella maris. Et ipsa quasi fidus eximiū, inter fluctus seculi labentis, gratia priui legij specialis resulsit. *Et ingressus angelus ad eam dixit: Aue gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.* Quæ salutatio quantùm humanæ consuetudini inaudita, tantùm est beatæ Mariæ dignitati congrua. Verè etenim gratia erat plena, cui diuino munere collatum est, vt prima inter fœminas, gloriosissimum Deo virginitatis munus offerret. Vnde iure angelico aspectu simul & affatu meruit perfrui, quæ angelicam studebat vitam imitari. Verè gratia erat plena, cui ipsum, per quem gratia & veritas facta est, IESVM Ioan.1. CHRISTVM generare donatū est. Et ideò verè Dominus cum illa erat, quā & prius nouo castitatis amore à terrenis ad cælestia desiderāda sustulit, & postmodùm mediante humana natura, omni plenitudine diuinitatis consecrauit. Verè benedicta inter mulieres, quæ sine exemplo muliebris conditionis, cum decore virginitatis gauisa est honore parentis, quodque virginem matrem decebat, Deum filium procreauit. Quæ postquàm more humanæ fragilitatis, & visione angelica & insolita est salutatione turbata, mox idem angelus eam repetito sermone ne timeat hortatur, quodque maximè timorem pellere consueuit, quasi benè cognitam ac domesticam, proprio eam nomine vocat, & quare gratiæ plenam diceret, diligenter edocet. *Ne timeas (inquit) Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, & paries filium, & uocabis nomen eius Iesum. hic erit magnus, & filius altissimi uocabitur.* Notandus solerter ordo verborum, & tantò arctius est cordi inferendus, quantò manifestè patet, quia in his tota redemptionis nostræ summa consistit. Nam manifestissimè dominum Iesum, id est, saluatorem nostrum, & verum Dei patris, & verum hominis matris filium prædicant. *Ecce, inquit, concipies in utero, & paries filium.* Agnosce verum hunc hominem, veram de carne virginis assumpsisse substantiam carnis. *Hic erit magnus, & filius altissimi uocabitur.* Confitere eundem etiam Deum verum de Deo verum, & æterno patri filium semper esse coætérnum. Quod autem futuro tempore dicitur, Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur, nemo ita intelligendum putet, quòd Dominus Christus ante partum virginis non fuerit: sed ita hoc potiùs dictum intelligamus, quia potenter habuit, hanc idem homo natus ex tempore acceperit, vt vna in duabus naturis persona esset mediatoris ac redemptoris nostri. *Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius.* Sedem Dauid regnum dicit Israëliticæ plebis, quod suo tempore Dauid, iubente patre & iuuante Domino, fideli deuotione gubernauit. Dedit ergo Dominus redemptori nostro sedem Dauid patris eius, quando hunc de genere Dauid incarnari disposuit, vt populum

Cur ex Maria desponsata Christus nasci uoluerit.

quem

Universidad de Deusto
Biblioteca

quem Dauid temporali rexit imperio, ipse gratia spiritali ad æternum proueheret regnum. De
Coloſ.1. quo Apostolus ait: Qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ. Hinc est quod idem populus, diuino admonitus instinctu, cùm passurus ille Hierosolymam properaret, in eius laudem gaudens
Ioan.12. decantabat: Benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israël. Et iuxta alium euangelistam:
Mar.11. Benedictum quod venit regnum patris nostri Dauid. Aderat enim tempus, quo redempto per eius sanguinem mundo, rex agnosceretur, non solùm domus Dauid, sed & totius Ecclesiæ, immò omnium conditor & rector seculorum. Vnde rectè angelus, postquam dixit, Et dabit illi dominus Deus sedem Dauid patris eius, continuò subiunxit: *Et regnabit in domo Iacob in æternum.* Domum nanq; Iacob ecclesiam dicit vniuersam, quæ per fidem & confessionem Christi ad patriarcharum pertinet sortẽ, siue in his, qui de patriarcharum stirpe carnis originem duxerunt, seu in illis, quæ de alijs nationibus carnaliter editi, spirituali lauacro sunt in Christo renati. In qua videlicet domo regnabit in æternum, & regni eius non erit finis. Regnat quippe in ea in præsenti vita, cùm electorũ corda per fidem & dilectionem suam inhabitans regit, atque ad percipienda supernæ retributionis dona, continua protectione gubernat. Regnat in futuro, cùm eosdem finito statu temporalis exilij, ad habitationem patriæ cælestis introducit, in qua præsenti eius visione semper admoniti, nihil aliud agere, quàm eius vacare laudibus gaudent. *Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam uirum non cognosco?* Quomodo, inquit, fieri potest, vt concipiam, pariamque filium, quæ in castimonia virginitatis vitam consummare disposui? Non autem quasi incredula verbis angeli, quomodò hæc impleri valeant inquirit, sed certa, quia oporteret impleri, quod & tunc ab angelo audiebat, & priùs à propheta dictum legerat: quo id ordine complendum sit interrogat: quia videlicet prophetæ, qui hoc futurum prædixit, quomodo fieri posset, non dixit, sed angelo dicendum reseruauit. *Respondens ergo angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi: Idcóque & quod nascetur ex te sanctum, uocabitur filius Dei.* Superueniens in virginem spiritus sanctus, duobus modis in ea diuinæ suæ potentiæ efficaciam ostendit, quia & mentem illius adeò, quantum humana fragilitas patitur, ab omni vitiorum sorde castificauit, vt cælesti digna esset partu: & in vtero illius sanctum ac venerabile redemptoris nostri corpus sola sui operatione creauit, id est, nullo interueniente virili attactu, carnem de carne virginis, sacrosanctam de intemerata formauit. Quem enim priùs apertè spiritum sanctum dixit, hunc ipsum denuò virtutem altissimi nominauit, iuxta hoc quod Dominus, cùm eiusdem spiritus aduentum discipulis promitteret, ait: Et ego
Luc.24. mittam promissum patris mei in vos: vos autem sedete in ciuitate quoadusque induamini virtute ex alto. Obumbrauit autem beatæ Dei genitrici virtus altissimi, quia spiritussanctus cor illius cùm impleuit, ab omni æstu concupiscentię carnalis temperauit, emundauit à desiderijs temporalibus, ac donis cælestibus mentem simul illius consecrauit & corpus. *Idcóque & quod nascetur, inquit, ex te sanctum, uocabitur filius Dei*: Quia de sanctificatione spiritus concipies, sanctum erit quod gignitur. Congruit conceptioni natiuitas, vt quæ contra humanæ conditionis morem virgo concipis, supra humanæ consuetudinis modum Dei filium generes. Omnes quippe homines in iniquitatibus concipimur, & in delictis nascimur. Quotquot autem, donante Deo, ad vitam præordinati sumus æternam, ex aqua & spiritusancto renascimur. Solus verò redemptor noster pro nobis incarnari dignatus, mox sanctus natus est, quia sine iniquitate conceptus est. Possumus sanè in eo quod dicitur, Et virtus altissimi obumbrabit tibi, altius quiddam de sacramento dominicæ incarnationis intelligere. Obumbrari enim nobis dicimus, cum feruente meridiano sole, vel arborem mediam, vel aliud quodlibet obumbraculi genus inter nos & solem opponimus, quo ardorem eius vel lucem nobis tolerabiliorẽ reddamus. Redemptor ergo noster non immeritò solis luce vel ardore designatur, qui nos veritatis scientia illustrat, & amore inflammat. Vnde ipse per prophetam dicit: Vobis timentibus nomen
Mal.4. meum, orietur sol iustitię. Cuius scilicet solis radios beata virgo susceptt, quando Dominum concepit. Sed idem sol, id est, diuinitas redemptoris nostri, tegmine se humanæ naturæ quasi vmbraculo quodam obtexit, quo mediante, virginis eum viscera ferre sufficerẽt. Sicque virtus altissimi obumbrauit ei, dum diuina Christi potentia, & eam præsentialiter impleuit, & vt capi ab illa posset, substantia se nostræ fragilitatis obnubilauit. *Et ecce Elizabet cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua.* Non quasi incredulam exemplis hortatur ad fidem, sed vt benè iam credenti quæ audierat, ampliora supernæ dispensationis miracula replicat, vt quæ Dominum virgo erat paritura, præcursorem quoque Domini de anu ac diù sterili parente cognosceret esse nasciturum. Nec mirandum iuxta historiam, quòd Elizabeth cognata dicatur Mariæ, cùm superiùs hæc de domo Dauid, illa de filiabus Aaron orta esse narretur. Legimus nanque, quòd ipse Aaron de tribu Iuda, de qua Dauid ortus est, vxorem acceperit, scilicet Elizabeth filiam Aminadab, sororem Nahason, qui fuit dux tribus Iuda in deserto, cùm egrederentur de Aegypto. Rursusque regnantibus Dauid posteris, legimus quòd Ioiada pontifex maximus vxorem habuit de tribu regali, hoc est, Iosabeth filiam regis Ioram.
2.Par.22. Ipse est Ioiada, cuius filium Zachariam virũ prophetam atque sanctissimum lapidauerunt inter templum & altare, sicut etiam ipse Dominus,
2.Par.24. beatorum martyrum mentionem faciens, in euã
Matth.23 gelio testatur. Vnde tribus vtraque, hoc est, regia & sacerdotalis, cognatione semper ad inuicem probatur esse coniuncta. Potuit autem huiusmodi coniunctio etiam recentiori tempore fieri, datis nuptum fœminis de tribu in tribũ, vt manifestè beatam Dei genitricem, quæ de tribu regia descẽdit, cum tribu sacerdotali cognationem generis habuisse constaret, quod mysterijs cælestibus aptissimè congruit. Oportebat nanque, vt apparens in mundo mediator Dei & hominum, de vtraque tribu carnis originem haberet, quia nimirum ipse in humanitate assumpta vtranq; habiturus erat personam, sacerdotis scilicet ac regis. Siquidem de regia eius potestate, qua electis suis regnum perenne tribuit, & præsens sancti euangelij lectio testatur, Quia regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Porrò de põtificiali illius dignitate, in qua pro nostra redemptione hostiam suæ carnis offerre dignatus est, testatur propheta,
Psal.109. qui ait: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Accepta autem tãta gratia, videamus B. Maria in quanta humilitatis arce persistat, *Ecce, inquit, ancilla domini, fiat mihi, &c.* Magnam quippe humilitatis constantiam tenet, quæ se ancillam sui cõditoris dum mater eligitur, appellat. Beata in mulieribus angelico oraculo prædicatur, incognita adhuc cæteris mortalibus arcana nostræ redemptionis edocetur, nec se tamen de singularitate meriti excellẽtioris singulariter extollit, sed potius suæ conditionis ac diuinæ dignationis in omnibus memor, famularum se Christi consortio humiliter adiungit, famulatum Christo deuota quod iubetur impendit. *Ecce, inquit, ancilla Domini: fiat mihi secundum uerbum tuum.* Magnam quippe humilitatis constantiam tenet, quæ se ancillam sui conditoris, dum mater eligitur, appellat. Beata in mulieribus angelico oraculo prædicatur, incognita adhuc cæteris mortalibus arcana nostræ redemptionis edocetur: nec se tamen de singularitate meriti excellentioris singulariter extollit, sed potiùs suæ conditionis ac diuinæ dignationis in omnibus memor, famularum se Christi consortio humiliter adiungit, famulatum Christo deuota quod iubetur, impendit: Fiat, inquit, mihi secundùm verbum tuum. Fiat, vt spiritussanctus adueniens, me cælestibus dignam mysterijs reddat: fiat, vt in meo vtero filius Dei humanæ substantiæ habitum induat, atque ad redemptionẽ mundi tanquã sponsus suo procedat de thalamo. Cuius vocem mentemq; nos, ó fratres charissimi, pro modulo nostro sequentes, famulos nos esse Christi in cunctis actionibus nostris motibusque recolamus, eius semper obsequijs omnia corporis nostri membra mancipemus, ad eius implendam voluntatem totum mentis nostræ dirigamus intuitum, sicque perceptis eius muneribus, gratias rectè viuendo reddamus, vt ad maiora percipienda digni existere mereamur. Precemur seduli cum B. Dei genetrice, vt fiat nobis secundum verbum eius, illud scilicet verbum, quo rationem suæ incarnationis ipse exponens, ait: Sic enim dilexit
Ioan.3. Deus mundum, vt vnigenitum filium suum daret, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Nec dubitandum, quin nos de profundis ad se clamantes citiùs exaudire dignabitur, propter quos necdum se cognoscentes ipse ad profundam hanc conuallem lachrymarum descendere dignatus est, Iesus Christus dominus noster, qui viuit & regnat cũ patre in vnitate spiritussancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

IN EADEM FERIA, SERMO LEONIS PAPAE, EST-que octauus de ieiunio decimi mensis & eleemosynis.

CVm de aduentu regni Dei, & de mũdi fine ac temporum, discipulos suos Saluator instrueret, totamq; Ecclesiã suam in apostolis suis erudiret: Cauete, inquit, ne grauentur corda vestra crapu
Luc.12. la & ebrietate, & secularibus cogitationibus, Quod vtiq; præceptũ dilectissimi ad nos specialiùs pertinere cognoscimus, quibus denũciatus dies, etiamsi est occultus, non dubitatur esse vicinus. Ad cuius aduentũ omnẽ hominẽ conuenit præparari, ne quenquam aut ventri deditum, aut curis secularibus inueniat implicatũ. Quotidiano enim dilectissimi experimento probatur, satietate carnis aciem mentis obtundi, & ciborum nimietate vigorem cordis hebetari, ita vt delectatio edendi, etiam corporum contraria sit saluti, nisi ratio temperantiæ obsistat illecebrę, & quod futurum est oneri, subtrahat voluptati. Quamuis enim nihil sine anima caro desideret, & inde accipiat sensus, vnde sumat & motus: eiusdem tamen animæ est, quædam subditæ sibi negare substantiæ, & interiori iudicio ab inconuenientibus exteriora frenare, vt à corporeis cupiditatibus sæpiùs libera, in aula mentis possit diuinæ vacare sapientiæ, vbi omni strepitu terrenarum silente curarum, in meditationibus sanctis & in delicijs lætetur æternis. Quòd etsi in hac vita difficile est continuari, potest tamen frequenter assumi, vt sæpiùs ac diutiùs spiritalibus quàm carnalibus occupemur. Et cùm melioribus curis maiores impendimus moras, ad incorruptibiles diuitias, etiam temporales

Universidad de Deusto
Biblioteca

transeunt actiones. Huius obseruantiæ vtilitas dilectissimi in ecclesiasticis præcipue est cõstituta ieiunijs, quæ ex doctrina sancti spiritus ita per totius anni circulũ distributa sunt, vt lex abstinẽtiæ omnibus sit asscripta temporibus. Siquidẽ ieiuniũ vernũ in Quadragesima, æstiuũ in Pẽtecoste, autũnale in mense septimo, hyemale autẽ in hoc qui est decimus, celebramus, intelligẽtes diuinis nihil vacuũ esse præceptis, & verbo Dei ad eruditionẽ nostrã omnia elementa seruire, dum per ipsius mundi cardines, quasi per quatuor euangelia, incessabili tuba dilcimus, quod & prædicemus & agamus. Dicẽte enim Propheta: Cæli enarrant gloriã Dei, & opera manuũ eius annũciat firmamentum: Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiã: quid est, per quod nobis veritas non loquitur? Ipsius voces in die, ipsius audiũtur in nocte: & pulchritudo rerũ vnius Dei opificio conditarũ, non desinit cordis auribus magistrã insinuare rationẽ, vt inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciantur, & nõ creaturis, sed creatori omniũ seruatur. Cum ergo vniuersa vitia per continentiã destruãtur, & quicquid auaritia fitit, quicquid superbia ambit, quicquid luxuria concupiscit, huius virtutis soliditate superetur, quis non intelligat, quantũ nobis præsidij per ieiunia conferatur? In quibus indicitur, vt non solùm à cibis, sed etiam ab omnibus carnalibus desiderijs temperetur. Alioquin superfluum est suscipere esuriem, & iniquã non deponere voluntatem: reciso affligi cibo, & à concepto non desilire peccato. Carnale est non spirituale ieiunium, vbi soli corpori non parcitur, & in his quæ omnibus delicijs nocentiora sunt permanetur. Quid prodest animæ foris agere quasi dominam, & intus seruire captiuam? membris imperare, & ius propriæ libertatis amittere? Et meritò plerunque patitur famulam rebellantem, quæ non reddit Domino debitam seruitutem. Ieiunet ergo corpus ab escis, mens ieiunet à vitijs: & curas cupiditatesque terrenas, regis sui lege dijudicet. Meminerit primam dilectionem Deo, secundam debere proximo, omnesq; affectus suos hac regula dirigendos, vt nec à cultu recedat Domini, nec ab vtilitate conserui. Quomodò autem Deus colitur, nisi vt quod ipsi placet, placeat & nobis, nec ab eius imperio noster vnquam resultet affectus? Quoniam si hoc quod ille vult volumus, ab illo sumet infirmitas nostra virtutem, à quo ipsam accepimus voluntatem. Deus enim est, sicut Apostolus ait, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. Nec superbia itaque homo inflabitur, nec desperatione frangetur, si bonis diuinitus datis in gloriam dantis vtatur, & ab ijs desideria sua reuocet, quæ sibi nocitura cognoscit. Abstinens enim ab inuidiæ malignitate, à luxuriæ dissolutione, à perturbatione iracundiæ, à cupiditate vindictæ, purificabitur veri sanctificatione ieiunij, & incorruptibiliũ deliciarũ voluptate pascetur, vt per vsum spritalẽ etiam terrenas copias, in cælestẽ nouerit trãsferre substantiam, non sibi condendo quæ acceperit, sed magis magisq; multiplicando quod dederit. Vndẽ paternæ charitatis affectu dilectionem vestram monemus, vt ieiuniũ mensis decimi, fructuosũm vobis eleemosynarum largitate faciatis, gaudentes quòd per vos Dominus pauperes suos pascit & vestit: quibus vtique posset eas, quas vobis contulit, tribuere facultates, nisi pro ineffabili misericordia sua, & illos iustificare vellet de patientia laboris, & vos de opere charitatis. Quarta igitur & sexta feria ieiunemus, sabbato autem apud beatissimum Petrum apostolum vigilias celebremus, qui & orationes & ieiunia, & eleemosynas nostras precibus suis dignabitur adiuuare, præstante domino nostro IESV CHRISTO, qui cum patre & spiritusancto viuit & regnat in secula seculorum, AMEN.

Psal. 18.

Rom. 1.

Phil. 2.

DE EADEM QVARTA FERIA HOMILIA EVSEBIJ Emesemi.

Missus est, inquit, angelus Gabriel, qui Dei fortitudo interpretatur, vt Dei virtutem, & Dei sapientiam carnẽ suscipere nũciaret. Sed vbi missus est? *in Nazareth ciuitatem Galilææ*. Ad quã? *Ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid*, de familia regali, de stirpe nobili, & præ cæteris religiosa. Vbi enim castitatis & munditiæ mater, nisi in Nazareth habitare debuerat, quæ flos vel munditia interpretatur? *Et nomen virginis Maria.* Dicitur enim Maria stella maris, huius vtique maris, de quo scriptum est: Hoc mare magnum & spatiosum, illic reptilia quorum non est numerus. Plures stellas habet cælum, mare vnam, quæ præ illis omnibus clarior & melior est. De hac enim vna ortus est sol iustitiæ, cuius fulgore omnia illustrantur. Quem qui sequitur, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Cuius igitur fulgoris illam stellam esse putamus, quæ hunc tantum talemque solem peperit mundo? *Et ingressus angelus ad eam dixit: Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Non enim in plateis erat, non in publico morabatur: intus erat, in penetralibus sola sedebat, nec tamen sola, tanto virtutum exercitu circunscripta. *Aue*, inquit angelus, *gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Non fuit sufficiens aue dixisse, addidit, *Dominus tecum*, & deinde eam benedixit, quasi tribus vicibus sub vna voce eam salutans. Qua in re diligens obsequium, charitatis affectus, & reuerentia declarantur. Sed quis vnquam tantam gratiam habuit, quantam virgo Maria? Alijs enim ad mensuram gratiæ

tiæ dantur: hæc autem gratia plena dicitur. Considera modò, quantę ante eam, quantæ post eam mulieres & virgines fuerunt: hæc tamen sola mater Domini fieri meruit. Magna enim & ineffabilis gratia est, vt vna ex tantis millibus eligatur. Quæ cùm gratia plena sit, priusquam & cõcipiat, post conceptionem quanta Dei abundauit gratia, quis cogitare possit? Hæc autem sola inter omnes mulieres benedicitur, quæ adhuc sub antiquæ præuaricationis maledictione tenebãtur, ex quo primę mulieri à Deo dictum fuerat: Multiplicabo ærumnas tuas, & in dolore paries filios. Hac enim lege nõ tenetur virgo Maria, quæ virgo concepit, virgo peperit, & sine dolore pariens, virginitatis gloriam non amisit. Meritò igitur in mulieribus benedicitur, per quam mulieribus benedictio datur, & mundus à maledictionibus liberatur. *Quæ cùm audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio.* Turbata est, inquit, non in vultu eius, sed in sermone eius. Non enim angelum, sed verbum angeli attendebat, & quid illa tam officiosa salutatio sibi prætenderet, cogitabat. Hoc autem angelus sentiens, ait: *Ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud Dominum.* Si vis audire quam gratiam? *Ecce concipies in utero, & paries filium, & uocabis nomen eius Iesum.* Hæc causa illius salutationis, hoc missus sum nunciare tibi. Accedat timor, cesset cogitatio, esto secura, nulla solicitudine moueris. Hæc enim verba non sunt timoris, sed gaudij. *Partes enim filium.* Non vtiq; alium, nisi omnium rerum creatorem & Dominũ. Creator tuus, erit filius tuus: qui fecit te, nascetur ex te. *Et uocabis nomen eius Iesum.* Hoc enim nomen quicunque inuocauerit, saluus erit. In hoc nomine omne genu flectetur, cælestium, terrestrium & infernorum. De hoc ipse Dominus ait: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. hoc igitur in omnibus orationibus vti debemus. In hoc nomine non petit ille, qui contra Dei dispositionem, & contra suam vel aliorum salutem petit. Imò verò qui taliter petit, cõtra hoc nomen petere non dubium est. Sequitur: *Hic erit magnus, & filius altissimi uocabitur.* Ipse enim qui secundum se semper magnus est, tunc apud homines magnus factus est, quando ab hominibus est cognitus, quem Petrus apostolus in persona totius Ecclesiæ altissimi filium vocauit, dicens: Tu es filius Dei viui. *Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Recipit enim Dominus à Domino sedem Dauid, secundùm hoc quòd filius Dauid. Regnat autem non solùm in domo Dauid, id est, in tribu Iuda, verùm & in domo Iacob, id est, in toto populo Israël. Per quod intelligitur, quòd in eius regni exercitu omnes illi connumerantur, quicunque Dauid & Iacob fidem & iustitiã imitantur. Hoc enim regnum æternum est. Hoc imperium non deficiet: quia regnabit dominus in æternum, & in seculum seculi. *Dixit autem Maria ad angelũ: Quomodo fiet istud, quoniam uirum non cognosco?* Non dubitat fieri, quod angelus fieri promittit. Interrogat tantùm quomodò fiat, quoniam quamuis virginem aliquãdo pariturum audierat, quomodò tamen pareret, non audierat. Dicit enim Esaias: Ecce virgo concipiet, & pariet filium: quomodò tamen pariet non dicit. Quia igitur virgo est, & virum non cognoscit, quomodò pariat, & virgo maneat, interrogat: quia nulli adhuc reuelatum erat. *Et respondens angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi.* Hic est modus pariendi: ita concipies, ita paries: iam nihil est, quod te vlteriùs interrogare oporteat. Spiritus enim sanctus superueniet in te, & virtus altissimi, quæ obumbrabit tibi, & amplexabitur te, totãq; intus & extra muniet te. Quod autem ait, *Spiritus sanctus superueniet in te*, hoc expo suit, dicens, *Et uirtus altissimi obumbrabit tibi.* Hæc enim virtus communis est totius Trinitatis. Tota enim Trinitas vnus Deus, & ipse altissimus. Natus est igitur Christus de Spiritu sancto & Maria virgine, id est, virtute spiritussancti, quæ vna communis est patris & filij & spiritussancti. Filius autem solius patris filius, & pater solius filij pater est. Hæc itaque virtus superueniens obumbrauit Mariam, & ex duabus naturis Christum dominum operata est. Sicut enim anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus. Quantùm igitur ad humanitatem spectat, non solùm à patre & spiritusancto, verùm & à seipso factus & creatus est filius. Quantùm verò ad diuinitatem, nec factus, nec creatus est, sed à patre solummodò genitus. *Et ecce Elizabet cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua.* Non solùm, inquit, in te virtutis suæ miracula his temporibus operabitur Deus, verùm & in Elizabeth cognata tua, quam tu & vetulam esse, & sterilem ab infantia fuisse optimè nosti. *Et hic mensis est sextus illi, quæ uocatur sterilis, ut sciat omnis, quia non erit impossibile apud Deum omne uerbum.* Quid ad hæc increduli Iudæi dicerent? Negant virginem peperisse, neque Euangelio credere volunt. Elizabeth tamen iam anum & sterilem peperisse, negare non possunt. Vtrunq; mirabile est, vtrunque contra naturam factum, neutrum fieri posset, nisi ille mutasset naturam, cui nihil impossibile est. Multa enim contra naturã fecit Deus, quæ negare nõ audet Iudæus. Virgã in serpentẽ, serpentẽ in virgã mutauit: aquas in sanguinẽ, & sanguinem in aquas conuertit: mare aperitur, Manna pluit, asinus loquitur, petra fundit aquas, & Iordanis conuertitur retrorsùm. Sed quid dicam de virga Aaron, quæ cùm sicca esset, sub vna nocte & frondes & flores & fructus germinauit? Virga sicca nuces dare potuit, & virgo parere non potuit? Vbique Deus operatur

Gen. 3.

Ioel. 2.

Philip. 2.

Ioan. 15.

Matth. 16

Esa. 7.

Psal. 9.

Exod. 4. 8. 14. 16. Num. 22. Ios. 3. Num. 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur quicquid vult,& in matre tantummodò ami sit potestatem? *Dixit autem Maria : Ecce ancilla Domini : fiat mihi secundum uerbum tuum.* Auditis rationibus acquieuit, & acquiescendo concepit. Ancilla , inquit , Domini sum : non meæ, sed illius sum potestatis: fiat mihi secundùm verbum tuum . *& discessit Angelus ab ea.*

FERIA SEXTA QVATVOR TEMPORVM.

Lucæ 1.

In illo tempore, Exurgens Maria, abijt in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elizabeth. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

LEctio sancti euangelij quam audiuimus, & redemptionis nostræ nobis semper veneranda primordia prædicat, & salutaria semper imitandæ humilitatis remedia commendat. Nam quia peste superbiæ attactum genus humanum perierat, decebat, vt medicamentum humilitatis quo sanaretur, prima mox incipientis salutis tempora prætenderent. Et quia per temeritatem seductæ mulieris mors in mundum introierat, congruum fuit, vt in iudicium vitæ reuertentis, mulieres se deuotæ humilitatis inuicem ac pietatis præuenirent obsequijs. Prior ergo nobis beata Dei genitrix ad sublimitatem patriæ cælestis iter ostendit humilitatis , non minùs religionis quàm castitatis exemplo venerabilis. Siquidem gloria virginei & intemerati corporis, qualis sit vita supernæ ciuitatis , ad quam suspiramus, insinuat: vbi neque nubent, neq; nubentur, sed sunt sicut angeli Dei in cælis. At virtute mentis oximia quà ad hanc pertingere debeamus indicat. Nanq; sicut præcedente sancti euãgelij lectione cognouimus, postquàm angelica visione & allocutione meruit sublimari , postquàm se cælesti onustandam partu didicit, nequaquã se de donis cælestibus, quasi à se hæc essent, extulit, sed vt magis magisq; donis esset apta diuinis, in custodiam humilitatis gressum mẽtis fixit, ita euangelizanti sibi archangelo respõdens : Ecce ancilla Domini , fiat mihi secundùm verbum tuum. Vt verò ex hodierna lectione audiuimus, eãdem quam angelo exhibuerat humilitatem, hominibus quoq; curauit exhibere, & (quod maioris est virtutis) se etiam minoribus. Quis enim nesciat virginem Deo consecratam, muliere Deo dedita gradum habere potiorem? Quis dubitet matrem regis æterni, iure matri militis præferendam? Attamẽ ipsa memor scripturæ præcipientis , Quanto magnus es, te in omnibus humilia: mox vt angelus qui loquebatur ei, ad cælestia redijt, surgit ac montana conscendit: gestansq; in vtero Deum, seruorum Dei habitacula petit, ac requirit alloquia. Et aptè post visionem angeli in montana subijt, quę gũstata suauitate supernorum ciuium , humilitatis gressibus ad virtutum alta se transtulit. Intrat ergo domum Zachariæ, atq; Elizabeth , quam seruum ac præcursorem Domini parituram nouerat, salutat: non quasi dubia de oraculo quod acceperat, sed vt congratulatura de dono, quod cõ seruam accepisse didicerat. Non vt verbum angeli mulieris attestatione probaret, sed vt mulieri prouectæ ætatis, virgo iuuencula ministeriũ sedula impenderet. *Vt autem audiuit salutationem Mariæ Elizabeth , exultauit infans in utero eius, & repleta est spiritusancto Elizabeth.* Aperiente os ad salutandum beata Maria , repleta est mox spiritusancto Elizabeth, repletus est & Ioannes : atque vno eodemque spiritu ambo edocti, illa salutãtem quæ esset agnouit, & vt matrem Domini sui debita cum benedictione venerata est : ille ipsum Dominum esse qui in vtero virginis portaretur, intellexit: & quia lingua necdum valuit, animo exultante salutauit: officiumque suæ præcursionis quàm deuotè, quàm libenter iuuenis esset impleturus, & antequam nasceretur, aduenìente Domino quibus valebat indicijs intimauit. Aderat nanque tempus, quo impleretur angeli sermo quem dixerat, quia spiritusancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. *Repleta est ergo spiritusancto Elizabeth, & exclamauit uoce magna.* Rectè voce magna , quia magna Dei dona cognouit. Rectè voce magna, quia illum quem vbique præsentem nouerat, etiam corporaliter adesse sentiebat. Magna etenim voce, non tam clamosa quàm deuota intelligendũ est. Neq; enim modicæ vocis deuotione Dominum laudare valebat, quæ spiritusancto plena flagrabat : quæ & illum in vtero gestabat, quo in natis mulierum maior nemo est : & eum aduenisse gaudebat , qui conceptus ex carne matris virginis, filius altissimi vocaretur & esset. *Exclamauit autem & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus uentris tui.* Benedicta tu inter mulieres. Non solùm benedicta inter mulieres, sed inter mulieres benedictas, maiori benedictione specialiter insignis. Benedictus fructus ventris tui . Nec ipse generali sanctorum more benedictus, sed sicut Apostolus ait : Quorum patres, & ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. De huius ortu fructus, Psalmista mystico sermone testatur, dicens: Etenim Dominus dabit benignitatem , & terra nostra dabit fructum suũ. Dedit quippe Dominus benignitatem: quia genus humanum à reatu præuaricationis per vnigenitum suum liberare disposuit. Dedit benignitatem : quia eius ingressui virginalis vteri templum spiritussancti gratia consecrauit. Et terra nostra dedit fructum suum , quia eadem virgo quæ de terra corpus habuerat, filiũ genuit, diuinitate quidem Deo patri coæqualem, sed sibi carnis veritate consubstantialem. De hoc & Esaias humanæ redẽptionis tempus intuens, ait : In die illa erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis. Germen nanque Domini fuit in magnificentia & gloria, cùm sempiternus Dei filius in carne temporaliter apparens, magnitudine virtutum cælestium mundo clarus effulsit. Fructus quoq; terræ sublimis effectus est, quando carnem, quam de nostra natura mortalem susceperat Deus, virtute resurrectionis immortalem iam redditam ad cælos subleuauit. Rectè ergo dicitur : Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Benedicta est enim incomparabiliter, quæ & diuini germinis suscepit gloriam, & coronam integritatis seruauit. Benedicta inter mulieres, per cuius partum virgineum à natis mulierum maledictio primæ matris excluſa est. Benedictus fructus ventris illius, per quem & semen incorruptionis, & supernæ hæreditatis, quam perdidimus in Adam, fructum recepimus. Et verè ac singulariter benedictus, qui no nostro more, postquàm natus est, gratiam à Domino benedictionis percepit, sed ipse ad saluandum mundum benedictus venit in nomine Domini. *Et unde hoc mihi, ut ueniat mater Domini ad me?* O quanta in prophetisę mente humilitas: quã verus sermo Domini, quem dixit : Super quem requiescet spiritus meus , nisi super humilem & quietum , & trementem verba mea? Matrem quidem Domini quæ ad se venerat, mox vt vidit, esse cognouit: sed nihil in se talis meriti reperiens, quo digna fieret à tanta hospite visitari, Vnde hoc mihi, inquit, vt veniat mater Domini mei ad me? Quia nimirum ipse spiritus, qui ei prophetiæ donum cõtulit, munus pariter humilitatis præstitit. Prophetico repleta spiritu, genitricem ad se aduentasse saluatoris intellexit: sed humilitatis spiritu circunspecta, minùs dignam se eius aduentu deprehendit. *Ecce enim ut facta est uox salutationis tuæ in auribus meis , exultauit in gaudio infans in utero meo.* Intellexit Elizabeth, eodem quo impleta erat spiritu reuelante, quid illa exultatio sui significaret infantis, hoc est, illius venisse matrem, cuius ipse præcursor ac demonstrator esset futurus. Et quàm miranda, quàm cita sanctispiritus operatio. Nulla quippè in discendo mora est, vbi spiritussanctus doctor adest. Et vno eodemque momento cum voce salutantis, gaudium nascitur infantis: quia dum vox ad aures peruenit corporales, virtus spiritalis cor intrauit audientis: nec solùm genitricem, sed & sobolẽ amore Dei aduenientis accendit. Vnde mox eadẽ præcursoris Domini genitrix, ea quæ in occulto cognouerat, his qui simul aderant & audiebant, palàm euangelizare curauit. Nã subdit: *Et beata quæ credidit , quoniam perficientur in ea , quæ dicta sunt ei à Domino.* Nam & hoc quoq; per spiritum didicit Elizabet, quæ angelus ad Mariam verba protulerit : quòd illa mox euangelizanti crediderit: quòd hæc, diuina operante potentia, absq; vlla essent dubietate complenda. Mirumque in modum idem spiritus eam cùm repleuit, præsentium simul, præteritorum & futurorũ sciẽtia instruxit. De præsentibus nanq; se edoctã monstrauit, cùm beatam Mariã matrẽ Domini sui vocans, quia redemptorem humani generis in vtero gestaret, indicauit. Vnde etiam fructum ventris eius singulariter benedictũ esse professa est. Præteritorum se notitiam accepisse significauit, quæ & verba angeli ad Mariam , & consensum Mariæ credentis sibi innotuisse prodidit. Sed & futurorum scientiam sibi non negatam intimauit, cùm perficienda à Domino , quæ ei dicta essent, aperuit. Quis autem fratres mei dicere, quis æstimare sufficiat, quæ tunc gratia sancti spiritus Dei genitrice repleuerit, cùm tãta in matre præcursoris lux doni cælestis emicuit? Verùm audiamus verba quæ dixit, si fortè ex his valeamus ali quantulùm dignoscere, quid intus habuerit. Audita ergo responsione Elizabeth, qua eam beatã inter mulieres prædicauit, matrem Domini sui cognominauit, fide fortem laudauit, ad cuius ingressum seipsam cum filio spiritusancto repletã esse significauit, non ampliùs tacere potuit dona quæ perceperat, sed quæ semper animo gerebat, vbi aptum tempus inuenit, etiã deuota oris professione patefecit. Nanq; vt virginalem decebat pudorem, acceptum diuinitùs oraculum aliquãdiù silentio tegebat , arcanum mysterij cœlestis in sui pectoris abdito venerabatur occultum, expectans reuerenter, donec ipse donorum distributor quid sibi doni specialis tribuisset, quid secreti reuelasset, quandocunq; vellet, ostẽderet. At postquàm ea quæ sibi erant charismata præstita, per alios spiritu reuelante esse patefacta cernebat , mox ipsa etiam thesaurum cæli, quem in corde seruabat, aperuit. Ait ergo: *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Quibus profectò verbis primò dona sibi specialiter concessa confitetur: deinde generalia Dei beneficia, quibus generi humano in æternum consulere non desistit, enumerat. Eius autem anima Dominum magnificat, qui omnes interioris hominis sui affectus diuinis laudibus ac seruitijs mancipat: qui obseruantia præceptorum Dei, semper eius potentiam maiestatis se cogitare demonstrat. Eius spiritus in Deo salutari suo exultat, quem nihil in terrenis libet, nulla caducarum rerũ affluentia emollit, nulla aduersitas frangit: sed sola illius, à quo salutem speratur æterna, sui conditoris memoria delectat. Quæ cùm omnibus perfectis verba rectè conueniant, maximè tamen ea beatã Dei genitricem proferre decebat, quæ meriti priuilegio singularis, spirituali ipsius dilectione flagrabat, cuius corporali conceptione gaudebat. Quæ iure in Iesu, id est, in saluatore suo speciali præ cæteris sanctis gaudio potuit exultare: quia quę per-

Matth. 22

Luc. 1.

Eccl. 3.

Esa. 4.

Esa. 66.

Luc. 1

Rom. 9

Esa.

Canticũ virginei expositio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

petuum salutis authorem nouerat, hunc ipsum temporali ortu de carne sua nascitu-
rum esse sciebat, quatenùs in vna eademque persona veraciter & suus filius esset & Domi-
nus. Quæ sequentibus quoque verbis quàm vilia de seipsa senserit, edocet, & quòd omne quicquid boni meriti habuit, hoc superna gra-
tia largiente perceperit, dicens: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Humilem quippe Chri-
sti ancillam suo iudicio se fuisse demonstrat: sed respectu gratiæ cælestis repentè sublima-
tam pronunciat, atque intantùm glorificatam, vt sua beatitudo præcipua, meritò cuncta-
rum gentium voce miretur. Addidit etiam adhuc diuinæ pietatis munera, quæ mirabi-
liter accepit, digna gratiarum actione col-
laudans. *Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius.* Nihil ergo suis meri-
tis tribuit, quæ totam suam magnitudinem ad illius donum refert, qui essentialiter potens & magnus existens, fideles suos de paruis atque infirmis, fortes facere consuecuit & mag-
nos. Benè autem addidit, *Et sanctum nomen eius,* vt admoneret audientes, imò omnes ad quos eius verba peruenirent, instrueret ad fidem & inuocationem eiusdem nominis aduolare, quatenùs & ipsi sanctitatis æternæ & salutis ve-
ræ possent esse participes, iuxta illud prophe-
ticum: Et erit, omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Ipsum est enim nomen de quo suprà ait, Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Vnde adhuc apertiùs addidit: *Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.* Progenies autem & progenies, vel vtriusque populi, Iudæi videlicet & genti-
lis appellat, vel certè omnium per orbem na-
tionum, quas in Christum crediturus esse præ-
uidebat: quia, sicut Petrus ait, Non est per-
sonarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Concinit autem his beatæ Mariæ verbis, ipsius Domini sermo, quo non tantùm matrem, quæ se corporaliter meruit generare, sed & om-
nes, qui sua præcepta seruarent, pronunciauit esse beatos. Cùm enim docente illo populum quodam loco, & miracula faciente, omnes sa-
pientiam eius ac virtutes mirarentur, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. At ille veritatis testimonium prolatum libenter accipiens, continuò respondit: Beati qui au-
diunt verbum Dei, & custodiunt illud: vt ipsa quoque mulier, imò vniuersi qui audiebant, se beatos fore confiderent, si diuinis vellent ob-
temperare mandatis: ac si apertè dicat: Quamuis singulare priuilegium beatitudinis habeat, quæ filium Dei incarnatum virgo in vtero gestare, pa-
rere, ac nutrire digna est, præcipuum tamen in eadem vita perpetuæ beatitudinis locum & ipsi sunt habituri, qui eius fidem ac dilectio-
nem casto in corde concipiunt, qui sedula in mente præceptorum eius memoriam portant, qui hanc & in mente proximorum solerti ex-
hortatione nutrire satagunt. Verùm quia vene-
rabilis Dei genitrix misericordiam eius om-
nibus per orbem qui eum timerent, affuturam esse perdocuit, restat vt etiam superbi & contem
nentes monita veritatis, quid mereantur insi-
nuet. *Fecit, inquit, potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.* In brachio suo, in di-
tione propriæ virtutis significat. Non enim a-
lieno ad operandum indiget auxilio, cui, sicut scriptum est, subest cùm voluerit posse. Quod ad distinctionem nostræ bonæ operationis di-
cit, qui nō in nostrę viribus libertatis, sed in Deo facimus virtutem: & sicut aliàs scriptum est, Et brachium eorum non saluauit eos, sed dextera tua & brachium tuum, & illuminatio vultus tui. Dispersit autem superbos mēte cordis sui, quia initium omnis peccati superbia, ob cuius meri-
tum Dominus genus humanum à stabili habita-
tione patrię cælestis eijciens, in huius peregrina
tionem exilij longè lateq; dispulit: sed & his, qui in peccatis perdurare non timent, grauioré futu
ræ dispersionis vindictam reseruauit. *Deposuit potentes de sede.* Eosdem potentes appellat, quos antè dixerat superbos. Qui ideò nimi-
rùm superbi vocantur, quia supra mensuram se suæ conditionis extollunt. Potentes autem, non quia verè potentes sunt, sed quia confidentes in virtute sua, conditoris auxilium quærere detre-
ctant. Illi autem verè potentes sunt, qui dicere cum Apostolo norunt: Omnia possumus in eo qui nos confortat, Domino Iesu Christo. De p
qualibus scriptum est, Deus potentes nō abijcit, to
cum & ipse sit potens. *Deposuit ergo potentes de sede, & exaltauit humiles.* Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. g
Quanuis etiam ita rectè possit intelligi, quòd nonnunquam illi ipsi, qui meritò suę elationis à Domino fuerant deiecti, denuò miserante illo ad humilitatis gratiam redeant, sicq; meritò de-
uotæ humilitatis erigantur ad gloriam. Deniq; Saulus ob superbiā de fede doctrinæ legalis de-
positus est, sed mox ad humilitatis subiectionē, ad euangelizandum Christi fidem leuatus. *Esu-
rientes implenit bonis, & diuites dimisit inanes.* Qui æ-
terna bona perfectè nunc esuriunt, atque ad hæc appetenda infatigabili operum iustorum instantia certare non desistunt, satiabuntur vti-
que, cùm sui redemptoris gloria, quam deside-
rabant, apparuerit. At quicunque cælestibus di-
uitijs terrenas præponere gaudent, hi nimirùm tempore vltimæ discretionis, inanes totius bea-
titudinis dimittuntur à Domino, ideoque cùm diabolo perēnis miseriæ pœna plectūtur. Quod etiā in hac vita ex parte nō minima videmus im-
pleri, vt & humiles videlicet supernæ bonitatis alimonijs repleantur, virtutumq; cælestium largi-

Psal. 50.

Eccl. 10.

Psal. 17.

Luc. 1.

Act. 10.

Luc. 11.

Ibidem.

Præconiū uteri uirginei.

gitate diteſcant: & qui vel de terrenis diuitijs gloriantes superbiunt, vel de opibus se bonorū operum quasi hæc per se habeant extollunt, in-
tus à lumine veritatis inanescant. Singulis autem his versiculis, quos de diuerso superborum atq; humilium statu beata Maria protulit, adiungen-
dum est quod præmisit, In progenies & proge-
nies: quia nimirùm per omne labentis seculi
Luc. 4. tempus creator iustus & misericors & superbis
1. Pet. 5. resistere, & humilibus dare gratiam consuevit. Vnde & benè post generalem diuinæ pietatis ac iustitiæ commemorationem, ad specialem no-
uæ incarnationis dispensationem, qua mundum redimere Deus dignatus est, cōfessionis suæ ver
ba conuertit, dicens: *Suscepit Israël puerum suum, me-
morari misericordiæ suæ.* Israël quippe vir videns Deum interpretatur. Quo nomine omnis redē-
ptorum hominum cœtus designatur, propter quos vt Deum videre valeant, ipse Deus homo visibilis inter homines apparuit. Qui suscepit Israël quasi medicus ægrum quem curaret, quasi rex populum quem ab hostium incursione de-
fenderet, immò hoste prostrato liberum red-
deret, ac secum perpetuo regnare donaret. Et bene addidit, *Puerum suum*, videlicet humilem obedientēq; significans: quia non nisi per virtu-
tem humilitatis potest quis ad sortem redem-
Matt. 18. ptionis attingere. Vnde & Dominus ait: Nisi con
uersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, non in-
trabitis in regnum cælorum. Bene quoque subiunxit, *Memorari misericordiæ suæ*: quia quòd Deus hominem vt nos redimeret assumpsit, non humanæ meritum cōditionis, sed diuinæ domi pietatis extitit. Quid enim post culpam præuari
† quicunque salutem uitæ amissæ recuperamus cationis, nisi iustam conditoris iram meruimus? Vnde restat, vt † quorquot ad salutem vitam
que recuperamus æternam, non hoc nobis, sed eius gratiæ tribuamus, cui dictū est: In ira mise-
ricordiæ memor eris. *Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham & semini eius in secula.* Patrum me-
Abd. 3. moriam faciens beata Maria, rectè Abraham no
minatim exprimit: quia etsi multi patres ac san-
cti dominicæ incarnationi testimonium mysti-
cè protulerunt, ipsi tamen primo manifestè sunt eiusdem incarnationis ac nostræ redemptionis
Genes. 12. arcana prædicta, ipsi specialiter dictum est: Atq; in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ. Quod ad Dominum saluatorem pertinere nul-
lus fidelium dubitat, qui ad dandam nobis be-
nedictionem perpetuam, de stirpe Abrahæ ad nos venire dignatus est. Semen autem Abrahæ non illos tantùm dicit electos, qui ex Abrahæ progenie sunt corporaliter editi, verumetiam nos, qui de gentibus ad Christum congregati, il-
lis fidei societate patribus copulamur, à quibus prosapiæ carnalis origine longè segregamur. Et nos enim semen ac filij sumus Abrahæ, cùm sacramentis nostri redemptoris, qui de genere Abrahæ carnem assumpsit, renascimur. Nos su-
mus filij Abrahæ, cùm illum videre solerti inue-
stigatione quærimus, cuius diem beatus Abra-
ham exultauit vt videret: & vidit, & gauisus est. Ioan. 8.
Hinc etenim Apostolus ait: Si autem vos Chri- Galat. 3.
sti, ergo semen Abrahæ estis, secundùm promis-
sionem hæredes. Rectè autem in conclusione subiungitur, *in seculā*: quia nimirùm præfata pro-
missio supernæ hæreditatis nullo vnquam fine claudetur. Nam & vsq; in finem seculi huius non deerunt, qui in Christum credendo semen fiant Abrahæ, & futuræ beatitudinis eidem semini manebit gloria perennis. Vnde nos necesse est, fratres charissimi, quibus æterna merces à Do-
mino promittitur, indefesso nisu mētis pro eius perceptione luctari. Oportet enim, vt pro obti-
nendo bono, quod sine fine cupimus habere, si-
ne vlla intermissione, donec accipiamus, certare curemus. Verba igitur euangelicæ lectionis fre-
quenti meditatione reuoluamus, exempla bea-
tæ Dei genitricis Mariæ semper animo retinea-
mus, vt & in conspectu Dei humiles inuenti, & proximis quoq; honore debito submissi, mere-
amur vnà cum ipsa perpetuò sublimari. Studea-
mus sollicite, ne nos laudantium indebitè fauor extollat, cùm illam videamus inter verba ve-
ræ laudationis incōcussam humilitatis tenuisse con
stantiam. Si immoderatus temporalium rerum nos appetitus delectat, reminiscamur quia iudex noster diuites dimisit inanes. Si temporalis affli-
ctio fortè mentem conturbat, recogitemus quia & humiles exaltat. Nunquam de impetranda admissorum venia desperemus, quia misericor-
dia eius à progenie in progenies timentibus se. Nulli inter mala, quæ fecit, grauior impœniten-
di culpa surripiat: quia Deus superbis resistit, eosque à beatorum sorte secernens, per varia pœnarum loca pro peccatorum varietate di-
spergit. Fit autem, largiente domino, vt si bea-
tæ Mariæ semper actus & dicta recolamus, sem-
per in nobis & obseruantia castitatis, & virtutis opera perseuerent. Nam & optimus ac salu-
berrimus in sancta Ecclesia mos inoleuit, vt hym
nus ipsius quotidiè cum psalmodia vespertī-
næ laudis ab omnibus canatur, quatenùs ex hoc animos fidelium & frequentior dominicæ in-
carnationis memoria ad affectum deuotionis accendat, & recogitata sæpius exempla geni-
tricis illius in virtutum soliditate confirment. Et hoc opportunè ad Vesperas fieri compla-
cuit, vt videlicet fatigata per diem & distenta diuersis cogitationibus mens nostra, incum-
bente tempore quietis, ad memoriam se suæ cō-
sideretionis colligeret, iamque salubriter ad-
monita, quicquid superfluum vel nociuum diur-
na vagatione contraxisset, totum hoc noctur-
nis denuò precibus ac lachrymis ex tempore mundaret. Verùm nos quia in longum duxi-
mus sermonem, iam conuersi ad Dominum, cle-
mentiam illius postulemus, vt & memoriam bea
tæ Mariæ congruis veneremur officijs, & ad celebranda dominicæ natiuitatis solennia

Universidad de Deusto
Biblioteca

purioribus animis venire mereamur, adiuuante ipso ad faciẽda opera spiritualia, & ad percipienda dona cælestia desiderium nostrum, qui pro nobis incarnari, atq; inter homines viuendi formam dare voluit vnigenitum suum Christũ Dominum nostrum, cum quo viuit & regnat Deus in vnitate Spiritussancti, per omnia secula seculorum, Amen.

DE EADEM FERIA, SERMO B. LEONIS PAPAE: EST QVE 7. de ieiunio decimi mensis & eleemosynis.

PRæsidia dilectissimi sanctificandis mentibus nostris atq; corporibus diuinitùs instituta, ideò cum dierum temporumq; curriculis sine cessatione reparantur, vt infirmitatum nostrarum ipsa nos medicina commoneat. Natura quippe mutabilis, & de peccati labe mortalis, licet etiam iam redempta, & sacro baptismate sit renata, inquantùm est passibilis, intãtùm est ad deteriora procliuis. Corrumperetur carnali desiderio, nisi spiritali muniretur auxilio: quia sicut illi nũquam deest vnde corruat, ita semper præ-
1. Cor. 10. stò est vnde subsistat, dicente Apostolo: Fidelis Deus, qui non patietur vos tẽtari super id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouẽtum, vt possitis sustinere. Quãuis ergo Dominus protegat bellatores, & milites suos ille, qui potes est in prælio, cohortetur & dicat: Nolite timere,
Ioan. 16. quia ego vici mundum: sciendum tamen est dilectissimi, hoc incitamento formidinem sublatam esse, non pugnam, & retuso aculeo timoris, causam manere certaminis, quod ab hoste versuto terribiliter quidem furore persecutionis mouetur, sed innocentibus specie pacis infertur. Vbi enim in aperto sunt pugnæ, in manifesto sunt & coronæ: & hoc ipsum alit atq; accendit patiẽtiæ fortitudinẽ, quòd sicut proxima est tribulatio, ita est & vicina promissio. Cessantibus verò publicis impugnationibus impiorum, & à cædibus se ac supplicijs fidelium diabolo continente, ne pertinacia crudelitatum, multiplicatio nostrorũ fieret triumphorum, fremens aduersarius cruentas inimicitias ad quietas conuertit insidias, vt quos vincere fame & gelu, ferro flammisq; non poterat, ocio tabefaceret, cupiditatib. irretiret, ambitione inflãmaret, voluptate corrumperet.
Pugnæ spiritalis apparatus. Sed his atque alijs omnibus destruendis habet, Christiana acies potentes munitiones, & arma victricia, Deo scilicet instruente milites suos spiritu veritatis, vt mansuetudo iram, largitas auaritiam, benignitas extinguat inuidiam. Commutante enim dextera excelsi corda multorũ, redijt in nouitatem vetustas, & de famulis iniquitatis ministri prodiere iustitiæ. Subegit luxuriam cõtinentia, humilitas arrogantiam propulsauit: & qui impudicitia sorduerant, castitate nituerunt. His autem conuersionibus dilectissimi, prouidente gratia Dei, addita sunt sancta ieiunia, quæ in quibusdam diebus ab vniuersa Ecclesia deuotionem obseruantiæ generalis exigerẽt. Quanuis enim pulchrum sit atq; laudabile, vt singula quæque membra corporis Christi proprijs ornẽtur officijs, excellentioris tamen est actionis sanctificatioris q; virtutis, cùm in vnum propositum pię plebis corda concurrunt, vt ille cui sanctificatio nostra supplicium est, nõ solùm à patre, sed etiam à soliditate superetur. Cui nunc operi dilectissimi decimus mensis offertur, admonens quodammodò pro qualitate temporis sui, ne cuiquam frigore infidelitatis obtorpeat, sed potiùs charitatis spiritu cõcalescat: quoniam & per ipsa elementa mundi, tanquam per publicas paginas, significationem diuinæ voluntatis accipimus: nec vnquam cessat superna eruditio, quando etiam de his, quæ nobis famulantur, imbuimur. Præter illam nanq; apostolicam sententiã, Luc. qua homines fructu pietatis carentes, vacuis arboribus comparantur, etiam illa ficus nobis cauenda est de suæ infœcunditatis exemplo, quã Matt. Dominus Iesus, sicut in euangelio refertur, nihil habentẽ quod esuriens sumeret, perpetua sterilitate damnauit: vt intelligeremus, quoniam qui esurientem non refouet egenum, illi denegat cibum, qui quod pauperi est datum, sibi dixit impensum. Et huius maledictionis arbores erunt, Matt. quibus à iudicantte dicetur: Discedite à me maledicti in ignem æternum, quem parauit pater meus diabolo & angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & nó dedistis mihi bibere, &c. Quę ideò singula recolũtur, vt animaduertamus nõ futurum extra misericordiam, qui vel partem horum operum fuerit executus. Anima autem neminem iuuans, erit arbor non habens poma, cùm totius fructus pietatis inuenietur aliena. Decimi ergo mensis ieiunium, quod hyemalis est temporis, ad agriculturam nos mysticam vocat, qua segetum & palmitum atque arborum vires, quibus humana sustentatur infirmitas, spiritalibus studijs excolantur, vt dominicus ager suis ditetur impendijs, & quem nunquam expedit esse sine fructu, de propria fiat vbertate fœcundior. Quod vtiq; intelligit sanctitas vestra ad totius Ecclesiæ profectum esse referendum, quorum in fide germen est, in spe incrementum, in charitate maturitas: quia castigatio corporis & instantia orationis, tunc veram obtinent puritatem, cùm eleemosynarum sanctificatione nitescunt, dicente Domino: Date eleemosynam, & ecce omnia munda Luc. sunt vobis. Quarta igitur & sexta feria ieiunemus: sabbato autem apud beatissimum Petrum apostolum vigilias celebremus, ipso præstante & adiuuante, qui cum patre & sancto spiritu viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

DE

DE EADEM FERIA
HOMILIA EVSEBII Emeseni.

VIrgo Deo plena ad montana conscendit, superiora petit, iam non in terris, sed in cælis mente habitat & spiritu conuersatur. Festinat, properat, nihil negligẽter agit, domum religiosam ingreditur, iustam copulãm & sine querela incedentem videre desiderat, suæq; humilitatis & mansuetudinis signa manifestat. Maria ad Elizabeth, Christus ad Ioannem: domina ad ancillam, ad seruum Dominus venire non dedignatur. Hoc enim quid aliud est, quàm humilitatis exemplũ? *Et factum est, ut audiuit salutationem Mariæ Elizabeth, exultauit infans in gaudio in utero eius.* Dic infans, dic
Matt. 11. prophetarum omnium maxime, qui dignè sãtis non propheta, sed plùs quàm propheta vocaberis, vnde tibi hæc exultatio? Nondum natus es, & prophetas: matrem Domini in voce cognoscis: quam quia resalutare non potes, exultando agis quod potes. Quam lætus ei occurreres, si iam natus eam videres, cuius voce audita exultãdo obuiam exire conaris? *Et repleta est spiritu sancto Elizabeth, & exclamauit uoce magna & dixit: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus uentris tui.* Priùs filius, deinde mater per filium repletur spiritu sancto: filius intus latens docet quid mater exteriùs agere debeat. Quasi enim magna vi Elizabeth interiùs commota, non solùm virginem resalutauit, verùm & voce magna clamauit, dicens: *Benedicta tu inter mulieres.* Ad ipsam enim eadem verba & angelus ait: ab omnibus benedicitur, quæ omni benedictione digna habetur. *Et benedictus fructus uentris tui.* Benedicta arbor, benedictus & arboris fructus. Benedicta virga de radice Iesse, benedictus & flos, qui de tali radice ascendit. Benedicta talis mater, benedictus filius talis. *Et unde hoc mihi, ut ueniat mater Domini mei ad me?* Neque sanctitas, neque religio, neque nobilitas aliqua hoc mihi præstitit, vt tanto honore, tantaque beatitudine digna fierem. Ego potiùs debui ire ad te, sed tua tuique filij humilitas te coẽgit venire ad me. *Ecce enim ut facta est uox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in utero meo.* In aduentu, inquit, tuo, non solùm ego, sed & filius meus gratulatur, in tua salutatione lætatur, & quæ voce non potest, gaudio fatur. *Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.* Quæ sunt enim quæ dicta sunt ei à Domino, nisi illa quæ supernus angelus ait: Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum? Et paulò pòst: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi? *Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum.* Anima, inquit, mea, mens mea, virtus mea, omnisque intelMagnifi- ligentia & conscientia mea, magnificat Dominum, laudat, benedicit & prædicat. Dominum re Domi- enim magnificat, qui Domini magnificentiam prædicat. Magnificat autem & ille Dominum, in cuius bonitate magnificatur & laudatur Dominus. Sic enim in discipulis magistri, sic in operibus suis singuli artifices laudantur & magnificantur. *Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Modò, inquit, anima mea Dominum magnificat, modò eius magnificentiã (de qua scriptũ est, Exaltata est magnificẽtia tua super cælos Deus) Psalm. 8. cũctis gẽtibus manifestat, in quo semper exultauit, in quo semper delectata est, quẽ semper dilexit, cunctisq; viribus adhæsit, & cuius seruituti se per omnia subiugauit. Et hoc meritò: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Ad quem enim respicit Esa. 66. Deus, nisi super humilẽ & quietũ & trementem sermones eius? *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Vera est prophetia, quam veritatis mater de seipsa prophetauit. Nulla enim ex eo tempore generatio fuit, quæ eius beatitudinem non prædicauit. Semper eius beatitudinem Ecclesia concinit, in qua simul omnes generationes continentur. *Quia fecit mihi magna qui potens est,* immò qui omnipotens est. Verè vtique magna, & tam magna, quàm magna nulli vnquam alij & fecit, & facturus est. Ex ea carnem suscepit, & cæli terræque dominam & reginam eam constituit. Magna enim fecit hæc: *Et sanctum nomen eius.* Quia nulli in vanum suscipere licet, in quo baptizamur & consignamur, in quo sanctificamur, & Christiani vocamur. *Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.* Eius enim misericordia non in vna progenie est, non in Iudæo tantùm Deus, sed à progenie in progenies dilatatur, crescit, cunctis subueniens timentibus eum. *Fecit potentiam in brachio suo,* præterito pro futuro vtitur. Fecit enim potentiam Dominus in brachio suo, id est, in virtute & fortitudine sua, quia diabolum vicit, infernum expoliauit, & sanctorum animas secum ad cælestia vexit. *Dispersit superbos mente cordis sui.* Mente nanque cordis sui, id est, secundum voluntatem suam, superbos Iudæos vbique terrarum Dominus dispersit, & cunctis nationibus subiugauit. Vnde Psalmista: Dispersge illos, inquit, in virtute tua, & destrue eos Psal. 58. protector meus Domine. De quibus adhuc subditur: *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles,* in gloriam scilicet promissam exaltans gentiles. Hoc enim Dominus semper agit. Omnis enim qui se exaltat, humiliabitur, & Matt. 23. qui se humiliat, exaltabitur. *Esurientes implet bonis, & diuites dimisit inanes.* Esurientes e- Luc. 1. 18. rant gentiles, qui cælestium mandatorum dulcedinem non gustauerant: diuites Iudæi, qui legis & prophetarum diuitijs abundabant. Illos autem spiritualibus bonis impleuit, hos verò inanes & spiritualis intelligentiæ vacuos abire permisit. Huic autem & illa conueniunt, quæ alibi Dominus ait: Beati qui esuriunt & si- Matt. 5. tiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Et, Luc. 6. Væ vobis diuites, qui habetis consolationem

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem vestram. *Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. Sicut locutus est ad patres nostros*, id est, Abraham & semini eius locutus fuerat. *Suscepit Israël puerum suum.* Suscepit enim, recõciliauit, tenuit, & in patriam & promissam hæreditatem induxit. Puerum vtiq; Israël, non autem sedem Israël .i. non veteris, sed noui Testamenti sectatores. *Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, & reuersa est in domum suam.* Decebat enim vt simul manerent, quatenùs in illo paruo temporis spatio, & Elizabeth à Maria, & Ioannes à Christo doceretur. Libet nũc intueri, quantas tunc Zachrias & quãtas Elizabeth lachrymas fuderint, quãdo virgo Maria recessit indè, quando in gaudiũ & stella maris in domum suam reuersa est. Ioannes quoq;, quanuis adhuc in matris vtero clausus, in eius discessu non parùm doluit, qui in illius aduentu tanto gaudio exultauit.

SABBATO.

Luc. iij.

Anno XV. imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Iturææ & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilinæ tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna & Caipha: factum est uerbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto. Et reliqua. Homilia Beati Gregorij papæ.

REdemptoris præcursor quo tempore verbum prædicationis acceperit, memorato Romanę reipublicę principe, & Iudææ regibus designatur, cùm dicitur: Anno quintodecimo imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autẽ Galilææ Herode, Philippo autẽ fratre eius tetrarcha Ituræę & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilinæ tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna & Caipha, factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto. Quia enim illum prædicare veniebat, qui ex Iudæa quosdam, & multos ex gentibus redempturus erat, per regem gentium & principes Iudæorum prædicationis eius tempora designantur.

Quia autem gentilitas colligenda erat, & Iudæa pro culpa perfidiæ dispergenda, ipsa quoq; descriptio terreni principatus ostendit, quoniam & in Romana republica vnus præfuisse describitur, & in Iudææ regno per quartã partẽ plurimi principabantur. Voce etenim nostri redẽptoris dicitur: Omne regnũ in seipsum diuisum, desolabitur. Liquet ergo, quòd ad finem regni Iudęa peruenerat, quæ tot regibus diuisa subiacebat. Aptè quoq; non solùm quibus regibus, sed etiã quibus sacerdotibus actum sit demonstratur, vt quia illum Ioãnes baptista prædicaret, qui simul rex & sacerdos existeret, Lucas euangelista prædicationis eius tempora per regnum & sacerdotium designaret. *Et uenit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Cunctis legentibus liquet, quia Ioannes baptismum pœnitentiæ non solùm prædicauit, verumetiam quibusdam dedit, sed tamen baptismum suum in remissionem peccatorum dare non potuit. Remissio enim peccatorum, in solo nobis baptisinate Christi tribuitur. Notãdum itaq; quod dicitur, Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum: quoniam baptismum quod peccata solueret, quia dare nõ poterat, prædicabat: vt sicut incarnatum verbum patris præcurrebat verbo prædicationis, ita baptismum pœnitentiæ, quo peccata soluũtur, præcurreret suo baptismate, quo peccata solui non possunt: vt quia sermo eius præcurrebat præsentiam redemptoris, ipsum quoq; eius baptisma præcedendo, fieret vmbra veritatis. Sequitur: *Sicut scriptum est in libro sermonum Esaiæ prophetæ: Vox clamantis in deserto, parate uiam Domini, rectas facite semitas eius.* Idem verò Ioannes baptista requisitus quis esset, respondit dicens: Ego vox clamantis in deserto. Qui, sicut ante nos dictum est, ideò vox à propheta vocatus est, quia verbum præibat. Quid autem clamaret aperitur, cùm subditur, *Parate uiam Domini, rectas facite semitas eius.* Omnis qui fidem rectam & bona opera prædicat, quid aliud quàm venienti Domino ad corda audientium viam parat? vt hæc vis gratiæ penetret, lumen veritatis illustret, vt rectas eo semitas faciat, dum mundas in animo cogitationes per sermonem bonæ prædicationis format. *Omnis uallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur.* Quid hoc loco vallium nomine, nisi humiles: quid montiũ & colliũ, nisi superbi homines designantur? In aduentu igitur redemptoris valles impletæ, montes verò & colles humiliati sunt, quia iuxta eius vocem, Omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Vallis etenim impleta crescit, mons autem & collis humiliatus decrescit: quia nimirùm in fide mediatoris Dei & hominum hominis Iesu Christi, & gentilitas plenitudinem gratiæ accepit, & Iudæa per errorem perfidiæ hoc vnde tumebat perdidit. Omnis enim vallis implebitur, quia corda humilium sacræ doctrinæ eloquio virtutum gratia replebuntur, iuxta hoc quod scriptum est: Qui emittit fontes in conuallibus. Et vnde rursum dicitur: Et conualles abundant frumento. A montibus nanque aqua delabitur, quia superbas mentes veritatis doctrina deserit. Sed fontes in conuallibus surgunt, quia mentes humilium verbum prædicationis accipiunt. Iam videmus, iam conualles frumento abundare conspicimus, quia illorum ora pabulo veritatis impleta sunt, qui mites & simplices huic mundo despicabiles esse videbantur. Ipsum quoque Ioannem baptistam, quia mira sanctitate præditum populus viderat, illum hunc esse singulariter celsum ac solidum montem credebat, de quo scriptum est: In nouissimis diebus erit mons domus Domini præparatus in vertice montium. Nam hunc esse Christum putabat, sicut per euangelium dicitur: Existimãte autem populo, & cogitantibus omibus in cordibus suis de Ioanne, ne fortè ipse esset Christus, quem & requirebant, dicentes: Nunquid Christus es tu? Sed nisi idem Ioannes apud se vallis esset, repletus gratiæ spiritu non fuisset. Qui vt hoc quod erat ostenderet, dixit: Venit fortior me post me, cuius nõ sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius. Et rursus ait: Qui habet sponsam, sponsus est. Amicus autem sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc autem gaudium meum impletum est. Illum oportet crescere, me autem minui. Ecce cùm pro mira operatione virtutum talis esset, vt Christus esse crederetur, non solùm Christum non se esse respondit, sed etiam corrigiam calceamenti eius se soluere, id est, incarnationis eius mysterium perscrutari non se dignũ esse perhibuit. Eius esse sponsam Ecclesiam credebant, qui hunc quia Christus esse putabant. Sed ait, Qui habet sponsam, sponsus est. ac si diceret: Ego sponsus non sum, sed amicus sponsi sum. Nec propter vocem suam, sed in voce sponsi gaudere se perhibebat, quia non ideò lætabatur in corde, quoniam à populis humiliter audiebatur loquens, sed quia ipse vocem veritatis audiebat intus, vt loqueretur foras. Quod bene gaudium impletum dicit, quia quicquis de sua voce gaudet, plenum gaudium non habet. A quo & subditur: Illum oportet crescere, me autem minui. Qua in re quærendum est, in quo creuit Christus, in quo minutus est Ioannes, nisi quòd populus Ioannis abstinentiam videns, remotum hunc ab hominibus esse conspiciens, eum Christum esse putabat. Christum verò cum publicanis comedentem, inter peccatores ambulantem intuens, eum non Christum, sed prophetam esse credebat. Sed cùm per accessum temporis & Christus, qui propheta esse putabatur, Christus est agnitus: & Ioannes, qui Christus esse credebatur, propheta esse innotuit, impletum est quod de Christo suus præcursor prædixit: Illum oportet crescere, me autem minui. In æstimatione quippe populi & Christus creuit, quia agnitus est quod erat: & Ioannes decreuit, quia cessauit dici quod non erat. Igitur quoniam & idem Ioannes ideò in sanctitate perstitit, quia in cordis humilitate perduravit, & multi idcircò ceciderunt, quia apud semetipsos elata cogitatione tumuerunt, dicatur rectè: Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur: quia humiles donum accipiunt, quod à se corda superbientium repellunt. Sequitur: *Et erunt prauа in directa, & aspera in uias planas.* Praua directa fiunt, cùm malorum corda per iniustitiam detorta, ad iustitiæ regulam diriguntur. Et aspera in vias planas immutantur, cùm immites atque iracundæ mentes, per infusionem supernæ gratiæ ad lenitudinem mansuetudinis redeunt. Quando enim verbum veritatis ab iracunda mente non recipitur, quasi asperitas itineris gressum pergentis repellit. Sed cùm mens iracunda per acceptam mansuetudinis gratiam, correptionis vel exhortationis verbum recipit, ibi planam viam prædicator inuenit, vbi priùs per asperitatem itineris pergere, id est, prædicationis gressum ponere non valebat. Sequitur: *Et uidebit omnis caro salutare Dei.* Quia omnis caro, accipitur omnis homo, salutare Dei, videlicet Christum, in hac vita omnis homo videre non potuit. Vbi ergo in hac sententia propheta prophetiæ oculum, nisi ad extremum iudicij diem tendit? vbi cùm apertis cælis, ministrantibus angelis, consedentibus apostolis, in sede maiestatis suæ Christus apparuerit, omnes hunc & electi & reprobi pariter videbunt: vt & iusti de munere retributionis sine fine gaudeant, & iniusti in vltione supplicij in perpetuum gemant. Nam quia ad hoc ista sententia intendit, quòd in extremo examine ab omni carne videbitur, rectè subiungitur: *Dicebat autem ad turbas, quæ exibant ut baptizarentur ab eo: Genimina uiperarum, quis ostendit uobis fugere à uentura ira?* Ventura enim ira, est animaduersio vltionis extremæ: quam tunc peccator fugere non valet, qui nunc ad lamenta pœnitentiæ non recurrit. Et notandum, quòd dum malæ soboles malorum parentum actiones imitantur, genimina viperarum vocantur, quia per hoc quod bonis inuident, eosque persequuntur, quòd quibusdam mala retribuunt, quòd læsiones proximis exquirunt, quoniam in his omnibus priorum suorum carnalium vias sequuntur, quasi venenati filij de venenatis parentibus nati sunt. Sed quia iam peccauimus, quia vsu malæ consuetudinis inuoluti sumus, dicat quid nobis faciendum sit, vt fugere à ventura ira valeamus. Sequitur: *Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ.* In quibus verbis notandum est, quòd amicus sponsi non solùm fructus pœnitentiæ, sed dignos fructus pœnitentiæ admonet esse faciendos. Aliud est namque fructum facere, aliud dignum fructum pœnitentiæ facere. Vt enim secundùm dignos pœnitentiæ fructus loquamur, sciendum est, quia quisquis illicita nulla commisit, huic iure conceditur, vt licitis vtatur: sicque pietatis opera faciat, vt tamen si noluerit, ea quæ mundi sunt, non relinquat. At si quis infornicationis culpam, vel fortasse (quod est grauius) in adulterium lapsus est, tantò à se licita debet abscindere, quantò se meminit & illicita perpetrasse. Neque enim par fructus boni operis esse debet eius qui minùs, & eius qui amplius deliquit: aut eius qui nullis, & eius qui in quibusdam

Quis dignus fructus pœnitentiæ.

Luc. 11.

Mich. 3.

Luc. 3.

Ioan. 1.

Ibidem.

Ioan. 3.

Ioan.

Universidad de Deusto
Biblioteca

facinoribus cecidit, & eius qui in multis est lapsus. Per hoc ergo quod dicitur, facite dignos fructus pœnitentiæ, vniuscuiusq; cõscientia conuenitur, vt tantò maiora quærat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quantò grauiora sibi intulit damna per culpam. Sed Iudæi de generis nobilitate gloriantes, idcircò se peccatores agnoscere nolebant, quia de Abrahæ stirpe descenderant: quibus rectè dicitur: *Et ne cœperitis dicere, Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Quid enim lapides nisi corda gentilium fuerũt, ad intellectum Dei omnipotens insensibilia?

Ezc. 12. Sicut etiam quibusdam ex Iudæis dicitur: Auferam cor lapideum de carne vestra. Nec immeritò lapidum nomine gentes significatæ sunt, quæ

Psal. 118. lapides coluerunt. Vnde scriptum est: Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. De quibus nimirùm lapidibus filij Abrahæ suscitati sunt, quia dum dura corda gentilitũ in Abrahæ semine .i. in Christo crediderunt, eius filij facti sunt, cuius semini sunt vniti. Vnde & eisdem gentibus per egregium prędicatorem

Galat. 3. dicitur: Si autem vos Christi, ergo semen Abrahæ estis. Si igitur nos per fidem Christi Abrahæ semen existimus, Iudæi propter perfidiam Abrahæ filij esse desierunt. Quia verò illo die tremendi examinis, parentes boni malis filijs prodesse non possunt, testante propheta qui dicit: Noë,

Ezec. 14. Daniel & Iob, si fuerint in medio eorum, viuo ego dicit dominus Deus, quia filium & filiam non liberabunt, sed ipsi in iustitia sua liberabunt animas suas. Et rursum, quia boni filij nihil malis parentibus prosint, sed ad reatum potiùs parẽtum malorum proficiat bonitas filiorum, ipsa per se veritas Iudeis non credentibus dicit: Si ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij vestri in

Luc. 11. quo eijciunt? Ideò ipsi iudices vestri erunt. Sequitur: *Iam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Arbor huius mũdi, est vniuersum genus humanum: securis verò, est redemptor noster, qui vẽlut ex manubrio & ferro tenetur ex humanitate, sed incidit ex diuinitate. Quæ videlicet securis iam ad radicem arboris posita est, quia etsi per patientiam expectat, videtur tamen quid factura est. Omnis enim arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur: quia vnusquisq; peruersus paratam citiùs gehennæ concremationem inuenit, qui hic fructum boni operis facere contemnit. Et notandum, quòd securim non iuxta ramos positam, sed ad radicem dicit. Cùm enim malorum filij tolluntur, quid aliud quàm rami infructuosæ arboris abscinduntur? Cùm verò tota simul progenies cum parente tollitur, infructuosa arbor à radice abscisa est, ne iam remaneat, vnde iterum praua soboles succrescat. In quibus Ioannis Baptistæ verbis constat, quòd audientium corda turbata sunt, cùm protinùs subinfertur: *Et interrogabant eum turbæ, dicentes: Quid ergo faciemus?* Perculsæ enim terrore fuerant, quæ consilium quærebant. Sequitur: *Respondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.* Per hoc quòd tunica plùs est necessaria vsui nostro quàm pallium, ad fructum dignum pœnitentiæ pertinet, vt non solùm exteriora quęq; & minùs necessaria, sed ipsa valdè nobis necessaria diuidere cum proximis debeamus, scilicet, vel escam, qua carnaliter viuimus: vel tunicam, qua vestimur. Quia enim in le Lc
ge scriptum est, Diliges proximum tuum sicut teipsum, minùs proximum amare conuincitur, qui nõ cum eo in necessitate illius, etiam ea quæ sibi sunt necessaria, partitur. Idcirco ergo de diuidendis cum proximo duabus tunicis datur præceptum, quia hoc de vna dici nõ potuit: quoniam si vna diuidatur, nemo vestitur. In dimidia quippe tunica & nudus remanet qui accipit, & nudus qui dedit. Inter hæc autem sciendum est, quantùm opera misericordiæ valeant, cùm ad fructus dignos pœnitentiæ ipsa præ cæteris præcipiuntur. Hinc etiam per semetipsam veritas dicit: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Hinc rursus ait: Date, & dabitur Lc
vobis. Hinc scriptum est: Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. Ec
Hinc iterum dicitur: Conclude eleemosynam Ec
in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit. Hinc bonus pater innocentem filium admonet, dicens: Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exi- Ec
guum fuerit, etiam exiguum libenter impartiri stude. Vt autem quanta esset virtus incontinentia & susceptione indigentium, redemptor noster ostenderet, dicit: Qui recipit prophetam in
nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. Et qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. In quibus verbis notãdum est, quia nõ ait, mercedẽ de propheta, vel mercedem de iusto, sed mercedem prophetæ, & mercedem iusti accipiet. Aliud est enim merces de propheta, aliud merces prophetæ: atque aliud merces de iusto, aliud merces iusti. Quid est enim dicere, mercedem prophetæ accipiet, nisi quia is, qui prophetam sua largitate sustentat, quamuis ipse prophetiam non habeat, apud omnipotentem tamen Dominum, prophetæ præmium habebit? Iste enim fortasis iustus est, & quantò in hoc mundo nihil possidet, tantò loquendi pro iustitia fiduciam maiorem habet. Hunc dum ille sustentat, qui in hoc mundo aliquid possidet, & fortasse pro iustitia adhuc loqui liberè non præsumit, iustitiæ illius libertatem sibi participem facit, vt cum eo pariter iustitiæ præmia percipiat, quem sustentando adiuuit, quatenùs eandem iustitiam liberè loqui potuisset. Ille prophetiæ spiritu plenus est, sed tamen corporeo eget alimento: & si corpus non reficitur, certum est quòd ipsa vox subtrahatur. Qui igitur alimentum prophetæ, propter

pter hoc quod propheta est, tribuit, prophetiæ illius vires ad loquendum dedit. Cùm propheta ergo mercedem prophetæ accipiet, qui etsi spiritu prophetię plenus non fuit, hoc tamen ante Dei oculos exhibuit quod adiuuit. Hinc est

Epistola Ioan. 3. enim, quòd de quibusdam peregrinantibus fratribus Gaio per Ioannem dicitur: Pro nomine enim Christi profecti sunt, nihil accipientes à gentibus. Nos ergo debemus susc ipere huiusmodi, vt cooperatores simus veritatis. Qui enim spiritualia dona habentibus temporalia subtidia tribuit, in ipsis donis spiritualibus cooperator existit. Nam cùm pauci sint, qui spiritualia dona percipiunt, & multi qui rebus tẽporalibus abundant, per hoc se diuites virtutibus pauperum inserunt, quo eisdem sanctis pauperibus de suis diuitijs solatiantur. Vnde cùm per Isaiæ vocem Dominus derelictæ gentilitati, id est, sanctæ Ecclesiæ spiritualium virtutum merita, tanquam deserto arbustã promitteret, vlmum quo-

Esai. 41. que pariter promisit, dicens: Ponam desertum in stagnum aquæ, & terrã inuiam in riuos aquarum. Dabo in solitudine cedrum & spinam, myrtum & lignum oliuæ. Ponam in deserto abietem, vlmum & buxum simul, vt videant & sciant & recogitent & intelligant pariter. Desertum quippe Dominus in stagnum aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum posuit: quia gentilitati, quæ priùs per ariditatem mentis nullos bonorum operum fructus ferebat, fluenta sanctæ prædicationis dedit: & ipsa, ad quam priùs pro asperitate suæ siccitatis via prædicatoribus non patebat, doctrinæ postmodùm riuos emanauit. Cui adhuc ex munere magno promittitur: Dabo in solitudine cedrum & spinam. Cedrũ, quia magni odoris est, atq; imputribilis na-

Gen. 3. turæ, iure accipimus in promissione. De spina verò cùm peccanti homini dictum sit, Terra tua spinas & tribulos germinabit tibi: quid mirum si sanctæ Ecclesiæ illud promittitur, quod peccanti homini pro pœna multiplicatur? Sed cedri

2. Cor. 2. significantur nomine hi, qui virtutes & signa exhibent in sua operatione, qui dicere cum Paulo valent: Christi bonus odor sumus Deo: quorũ corda ita interno amore solidata sunt, vt ea iam terreni amoris putredo nulla corrumpat. Per spinam verò signatæ sunt doctrinæ spiritualis viri, qui cùm de peccatis ac virtutibus differunt, & modò æterna supplicia minantur, modò cælestis regni gaudia promittunt, cor audientiũ pungunt, sicq; mentem dolore compunctionis perforant, vt ab eorum oculis quasi quidam sanguis animæ, lachrymæ decurrant. Myrtus verò tẽperatiuæ virtutis est, ita vt dissoluta membra temperando constringat. Qui itaq; per myrtũ, nisi hi designati sunt, qui afflictionibus proximorum compati sciunt, eorumq; tribulationem per

2. Cor. 1. compassionem temperant? iuxta hoc quod scriptum est: Gratias autem Deo, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, vt possimus & ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt. Qui dum afflictis proximis verbum vel opem consolationis ferunt, eos proculdubiò ad statũ rectitudinis restringunt, ne immoderata tribulatione in desperatione soluantur. Quos autem per oliuam, nisi misericordes accipimus? Quia & Græcè eleos misericordia vocatur, & quasi oliuæ liquor ante omnipotentis Dei oculos misericordiæ fructus lucet. Cui adhuc in promissione subiungitur: Ponam in deserto abietem, vlmum & buxum simul. Qui per abietẽ, quæ valdè crescendo ad aëris alta sustollitur, nisi hi designati sunt, qui intra sanctam Ecclesiam adhuc in terrenis corporibus positi, iam cælestia contemplantur: & quanuis nascendo de terra exeunt, contemplando tamen iam iuxta æthera verticẽ mentis tollunt? Et quid per vlmum, nisi secularium mentes expressæ sunt, quæ dum terrenis adhuc curis inseruiunt, nullum virtutum spiritualium fructum ferunt? Sed etsi fructum proprium vlmus non habet, portare tamen vitem cũ fructu solet: quia & seculares viri in sancta Ecclesia quanuis virtutum spiritualium dona non habeant, dum tamen sanctos viros donis spiritualibus plenos sua largitate sustentant, quid aliud quàm vitem cum botris portant? Buxus autem quos alios designat, quæ in altum non profi cit, & quanuis fructum non habeat, viriditatem habet, nisi eos qui intra sanctam Ecclesiam adhuc exætatis infirmitate bona opera ferre non valent, sed tamen parentum fidelium credulitatem sequentes, fidem perpetuæ viriditatis tenẽt? Post quæ omnia aptè subiungitur: Vt videant, & sciant, & recogitẽt, & intelligant pariter. Ad hoc enim cedrus in Ecclesia ponitur, vt quisquis à proximo odorem virtutum spiritualium trahit, ipse quoq; ab æternæ vitæ dilectione non torpeat, sed ad donorum cælestium desideria ignescat. Ad hoc spina ponitur, vt qui prædicationis eius verbo compunctus fuerit, ipse quoq; exemplo illius discat, corda sequentium prædicationis verbo compungere. Ad hoc myrtus ponitur, vt qui in ardore tribulationis ab ore vel opere proximi compatientis temperamentum consolationis acceperit, ipse etiam discat, quemadmodùm afflictis proximis suæ consolationis tempe ramẽtum proferat. Ad hoc oliua ponitur, vt qui alienæ misericordiæ opera cognoscit, discat quemadmodùm debeat indigenti proximo & ipse misereri. Ad hoc abies ponitur, vt quisquis vim contemplationis eius agnouerit, ipse quoque ad contemplanda æterna præmia succendatur. Ad hoc vlmus ponitur, vt quisquis eum intuetur, qui habere virtutum spiritualium frudctum non valet, sed tamen eos qui spiritualibus donis sunt repleti sustentat, ipse quoq; sanctorũ vitæ quanta valet largitate inseruiat, & cælestiũ bonorum botros, quos gignendo non valet, sustentando ferat. Ad hoc buxus ponitur, vt qui habere multos adhuc in infirmitate positos, veræ

Universidad de Deusto
Biblioteca

fidei viriditatem considerat,etiam esse ipse infidelis erubescat.Bene ergo descriptis priùs arboribus dicitur: Vt videant,& sciant, & recogitent, & intelligant: vbi & aptè subiungitur,pariter: quia cùm intra sanctam Ecclesiam diuersi hominum mores diuersi sunt ordines, necesse est vt omnes simul discant, dum in ea spirituales viri diuersæ qualitatis,ætatis & ordinis ad imitandũ simul videntur.Sed ecce nos dum monstrare vlmum quærimus,per multa arbusta longiùs euagati sumus.Ad hoc itaq;,propter quod prophetæ testimonium prótulimus, reuertamur. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ,mercedem prophetæ accipiet.quia etsi fructum vlmus non habet, vitem tamen cum fructibus portat. Hæc ipsa sua efficit,quæ bene sustentat aliena.

Quia verò ad magna nos opera Ioannes admonet,dicens:Facite fructus dignos pœnitentiæ. & rursum: Qui habet duas tunicas, det non habéti:& qui habet escas,similiter faciat: iam patéter datur intelligi, quid est quod veritas dicit, A diebus Ioannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur,& violenti diripiunt illud. Quæ supernæ verba sententiæ nobis sunt magnoperè perscrutanda.Nam quærendum est,quomodò vim perpeti regnum cælorum posit. Quis enim cælo violentiam irrogat? Et rursum quærendum est, si pati vim cælorum regnum potest, & violenti rapiunt illud, cur eandem vim à diebus Ioannis Baptistæ,& non etiam antè pertulerit. Sed cùm lex dicat: Si quis hæc vel illa fecerit, morte moriatur: cunctis legentibus liquet,quia peccatores quoq; pœna suæ seueritatis perculit,non autem per pœnitentiam ad vitam reduxit. Cùm verò Ioannes Baptista redemptoris gratiam præcurrens,pœnitentiam prædicat, vt peccator qui ex culpa est mortuus, per conuersionem viuat, profectò à diebus Ioannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur. Quid est autem regnum cælorum,nisi locus iustorum? Solis enim iustis cælestis patriæ præmia debentur, vt humiles, casti, mites atq; misericordes, ad gaudia superna perueniant. Cùm verò quis vel superbia tumidus, vel carnis facinore pollutus, vel iracundia accensus, vel crudelitate impius,post culpas ad pœnitétiam redit,& vitam æternã percipit, quasi in locum peccator intrat alienum.A diebus ergo Ioannis baptistæ regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud: quia qui pœnitentiam peccatoribus indixit, quid aliud quàm cælorum regno fieri violentiam docuit? Recogitemus ergo fratres charissimi mala quæ fecimus, & nosmetipsos assiduis lamẽtis atteramus. Hæreditatem iustorum, quam non tenuimus per vitam,rapiamus per pœnitentiam. Vult à nobis omnipotens Deus talem violentiam perpeti.nam regnum cælorum rapi vult nostris fletibus,quod nostris meritis non debetur.Ab spei ergo certitudine nulla nos malorum nostrorum qualitas, nulla quantitas frangat. Præstat magnam veniæ fidutiam latro ille venerabilis,qui non inde venerabilis vnde latro: nam latro ex crudelitate, venerabilis ex confessione.Cogitate rogo,cogitate quàm sint incõprehensibilia in omnipotẽti Deo misericordiæ viscera. Latro iste cruentis manibus abstractus à facie itineris,suspensus est in patibulo crucis.Ibi confessus,ibi sanatus: ibi audire meruit,Hodie mecum eris in paradiso. Quid est hoc?quis tantam bonitatem Dei possit dicere? quis æstimare sufficiat? De ipsa pœna criminis peruenit ad præmia virtutis.Idcircò autem omnipotens Deus electos suos in quibusdam lapsibus cadere permisit,vt alijs in culpa iacentibus,si toto ad eum corde consurgant,spem veniæ reddat,vt eis per lamenta pœnitentiæ, viã veritatis aperiat.Exerceamus ergo nosmetipsos in lamentis,extinguamus fletibus & dignis pœnitentiæ fructibus culpas. Tempora indulta non pereant,quia qui multos à suis iniquitatibus iam sanatos aspicimus,quid aliud quàm supernæ misericordiæ pignus tenemus?

Matt. 11.

DE EODEM SABBATO. SERMO BEATI LEONIS PAPÆ: & est primus de ieiunio decimi mensis, &c.

SI fideliter dilectissimi atq; sapienter creationis nostræ intelligamus exordium, inueniemus hominem, ideò ad imaginem Dei conditum, vt imitator sui esset authoris: & hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo diuinæ benignitatis forma respondeat.Ad quam vtique nos quotidiè reparat gratia saluatoris,cùm quod decidit in Adam primo,erigitur in secundo,Causa autem reparationis nostræ non est nisi misericordia Dei: quem non diligeremus,nisi prior nos ipse diligeret, & tenebras ignorãtiæ nostrę,veritatis suæ luce discuteret. Quòd per sanctum Esaiam Dominus prænuncians,ait: Adducam cæcos ad viam quã ignorabant, & semitas quas nesciebant, faciam illos calcare. Faciam illis tenebras in lucem, & praua in directa. Hæc verba faciam illis,& non relinquam eos.Et iterum: Inuentus sum,inquit, à non quærentibus me,& palam apparui his, qui me non interrogabant.Quod quomodò impletum sit,Ioannes apostolus docet,dicens:Scimus quoniam filius Dei venit,& dedit nobis sensum, vt cognoscamus Deum verum, & simus in vero filio eius.Et iterum:Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.Diligendo itaque nos Deus ad imaginem suam reparat, & vt in nobis formam suæ bonitatis inueniat, dat vnde ipsi quoque quod operatur,operemur,accendens scilicet mentium nostrarum lucernas,& igne nos suæ charitatis inflammans, vt non solùm ipsum,sed etiam quicquid diligit,diligamus.Nã si inter homines ea demum firma amicitia est, quam

quam morum similitudo sociarit,cùm tamen parilitas voluntatem sæpè in reprobos tendat affectus:quantùm nobis optandum atq; nitendum est,vt in nullo ab his, quæ Deo sunt placita, discrepemus? de quo dicit propheta:Quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius. Quia nó aliter in nobis erit dignitas diuinæ maiestatis,nisi imitatio fuerit voluntatis. Dicente itaq; Domino: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo,& ex tota mente tua,& diliges proximum tuum sicut te ipsum: suscipiat fidelis anima authoris sui atque rectoris immarcescibilem charitatem, totamq; se eius subijciat voluntati,in cuius operibus atq; iudicijs nihil vacat à veritate iustitiæ, nihil à miseratione clementiæ: quoniam etsi magnis quis laboribus & multis fatigetur incommodis,bona est illi causa tolerandi,qui se aduersis vel corrigi intelligat, vel probari. Charitatis verò istius pietas perfecta esse non poterit,nisi diligatur & proximus: quo nomine non hi tantùm intelligendi sunt,qui nobis amicitia & propinquitate iungũtur,sed oẽs prorsus homines,cum quibus nobis natura communis est,siue illi hostes sint, siue socij, siue liberi, siue serui. Vnus enim nos conditor finxit, vnus creator animauit:eodẽ cuncti cælo & aëre, ijsdẽ vtimur diebus & noctibus: cumq; alij sint boni, alij mali,alij iusti,alij iniusti, Deus tamẽ omnib⁹ largitur,omnibus est benignus, sicut Lycaonijs à Paulo & Barnaba apostolis dicitur de prouidentia Dei,qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Et quidẽ non sine testimonio semetipsum reliquit,benefaciens eis,de cælo dans pluuiam & tempora fructifera,implens cibo & lætitia corda vestra. Dedit autem nobis maiores diligendi proximum causas Christianæ gratiæ latitudo, quæ se per omnes partes totius orbis extendens, neminem despectat, dum docet neminem negligendum, & meritò etiam inimicos diligi,& pro persecutoribus sibi præcipit supplicari, qui ex omnibus quotidiè gentibus fractis oliuæ suæ ramis inserens germen oleastri,de inimicis reconciliatos, de alienis adoptiuos,de impijs facit iustos,vt omne genu flectatur,cælestium,terrestrium & infernorum,& omnis lingua confiteatur,quia Dominus Iesus Christus in gloria Dei patris est. Cùm ergo Deus bonos nos velit esse, quia bonus est,nihil nobis debet de eius iudicijs displicere.Nam non per omnia illi gratias agere,quid est aliud,quàm ex quadam eum parte reprehendere?Audet enim plerunque humana insipientia aduersus creatorem suum,non solùm de inopia,sed etiam de copia murmurare, vt cùm aliquid non suppetit,querula: & cùm quædam exuberant,sit ingrata.Multæ messis dominus horreorum suorum plenitudinem fastidiuit, & ad copiam vindemiæ affluentis ingemuit: nec de magnitudine fructuũ gratulatus, sed de vilitate conquestus est.Si autem parcior fuerit in suscep-

Psal.29.

Matt. 22.

Act. 14.

Matth. 5.

Rom. 11.

Phili. 2.

tis terra seminibus, & castigatiore prouentu vites oleæq; defluxerint, accusatur annus, arguuntur elemẽta,& nec aëri parcitur nec cælo, cùm fideles &pios discipulos veritatis,nihil magis cõmẽdet & muniat,quàm perseuerãs in Deũ indefessa laudatio,dicente Apostolo:Semper gaudete,sine intermissione orate, in omnibus gratias agite:Hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis. Huius autem deuotionis quemadmodum poterimus esse participes, nisi rerum varietas constantiam mentis exerceat, vt amor directus in Deũ,nec inter secunda superbiat, nec inter aduersa deficiat? Quod placet Deo,placeat & nobis: de omni mensura munerũ ipsius gaudeamus. Qui bene vsus est magnis, bene vtatur & modicis. Tam nobis copia,quàm parcitate consulitur. Nec in spiritalibus lucris angustia grauabimur fructuum, si fœcunditas non arescat animorum. Oriatur de cordis agro, quod terra non dedit. Semper illi quod largiatur occurrit,cui bene velle non deficit. Ad omnia igitur dilectissimi opera pietatis, omnium nobis qualitas prosit annorum, nec beneuolentiam Christianam difficultas temporalis impediat.Nouit Dominus vasa hospitali viduæ in opus pietatis suæ vacuata complere. Nouit aquas in vina conuertere, nouit de paucissimis panibus millia esurientium saturare populorum. Et ille qui in suis pascitur, quæ potuit augere dando,potest multiplicare sumẽdo. Tria verò sunt, quę maximè ad religiosas pertinent actiones,oratio scilicet,ieiunium, & eleemosyna, quibus exercendis omne quidem tempus promptũ, sed illud est studiosiùs obseruandum,quod apostolicis accepimus traditionibus consecratum,sicut etiam decimus hic mensis morem refert veteris instituti,vt tria illa de quibus locutus sum, diligentiùs exequamur. Oratione enim propiciatio Dei quæritur, ieiunio concupiscentia carnis extinguitur, eleemosynis peccata redimuntur: simulq; per omnia Dei in nobis imago renouatur,si & in laudem eius semper parati,& ad purificationem nostram sine cessatione soliciti, & ad sustentationem proximi indesinenter simus intenti.Hæc triplex obseruantia dilectissimi,omnium virtutum comprehendit effectus: hæc ad imaginem & similitudinem Dei peruenit, & à sancto spiritu inseparabiles facit:quia in orationibus permanet fides recta,in ieiunio innocens vita,in eleemosynis mens benigna. Quarta igitur & sexta feria ieiunemus, sabbato autẽ apud beatissimum Petrum apostolum vigilias celebremus,qui & orationes,& ieiunia, & eleemosynas nostras precibus suis dignabitur adiuuare. Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum patre & sancto spiritu viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Tria sunt opera pietatis.

1. Thes. 5.

DOMINICA QVARTA ADVENTVS DOMINI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

In Epistolam IIII. Dominicæ Aduentus, Concio exegetica.

NOnstat nunc dilectissimi dies ille toti humano generi longè optatissimus, quo hominum redimendorum causa Dei filius ex virgine matre nasciturus est, nosq; è diabolicæ seruitutis captiuitate in filiorum Dei libertatem vindicaturus. Itaq; congruentissimè hodiè S. Mater Ecclesia eiusmodi ex Apostolo lectionem proponit, quæ nos ad spiritale gaudium adhortatur. Et reuerà si qua vnquam fuit humano generi gaudendi materia oblata, tum fuit, cùm Christus nasci dignatus est ex virgine. Quod qui non intelligit, nescio an Chri-
Phili. 4. stianus dicendus sit. Sed ipsam Apostoli lectionem exponere aggrediamur: *Gaudete in Domino semper: iterum dico, gaudete.* In quem locum sic scribit D. Augustinus Sermone 36. De verbis Domi-
Augustinus. ni. Gaudere nos Apostolus præcipit, sed in Do-
Luc. 4. mino, non in seculo. Quicunq; enim voluerit amicus esse huius seculi, sicut scriptura dicit, inimicus Dei reputabitur. Sicut autem non potest homo duobus dominis seruire, sic nemo potest & in hoc seculo gaudere & in Domino. Multum inter se hæc duo gaudia differũt, sũtq; õninò cõtraria. Quando gaudetur in seculo, nõ gaudetur in Domino: quando gaudetur in Domino, non gaudetur in seculo. Vincat gaudiũ in Domino, donec finiatur gaudium in seculo. Gaudium in Domino semper augeatur, gaudium in seculo semper minuatur donec finiatur. Et infrà: In seculo gaudium quod est? Gaudere de iniquitate, gaudere de turpitudine, gaudere de dedecore, & de deformitate. Seculi lętitia, est impunita nequitia. Luxuriẽtur homines, fornicentur, in spectaculis nugentur, ebriositate ingurgitẽtur, turpitudine fœdentur, nihil mali patiantur, & videte gaudium seculi. Ergo fratres gaudete in Domino, non in seculo, id est: gaudete in veritate, non iniquitate: gaudete in spe æternitatis, non
Oecumenius. in flore vanitatis. Hæc ille. Oecumenius item ex Chrysostomo hæc verba sic interpretatur: Chri-
Matt. 9. stus ait: Beati qui lugent: &, Væ illis qui rident. Quomodò itaq; Paulus dicit, Gaudete? Neque Christus mũdi luctum præcepit, hoc est, vt propter cognatorum vel affinium amissionem lugeretur: sed spirituale, vt lugeremus peccata. Nec Paulus mundi huius gaudium dicit: propterea etiam addit. In Domino. Itaq; luctus ille, gaudij huius occasio est. Qui enim propria peccata luget, habebit in Domino gaudium. Hac ratione peccatis per luctum obliteratis, bona quoq; cõscientia secundùm Deum gaudebitis. Hæc Oe-
Basilius. cumenius. In Regulis breuioribus D. Basilij Magni Interrogatio 193. talis est: Cuiusmodi est, quod in Domino gaudium est, & quid est, quod facientes gaudere debeamus? Responsio: In his, quæ secundùm mãdatum Domini fiunt, gaudere, est in Domino gaudere. Quocircà quandocunq; mandata Dei exequimur, aut propter nomen Domini aliquid patimur, gaudere & gratulari inter nos debemus. Hæc ille. Est aũt hoc in Domino gaudium cumprimis necessarium omnibus Deo seruire cupientibus: quibus cùm scriptura diuina interdicat omnibus mundi huius voluptatibus & oblectamentis, nisi intrinsecùs bonæ conscientiæ gaudio perfruantur, Deoque vniti sint, fieri vix potest, vt diù in bono perseuerent. Et cur non gaudeant in Domino semper, quibus pro momẽtaneis laboribus promissa est beatitudo sempiterna? Quòd si premunt aduersa multa, audiant Apostoli sidissimam consolationem: Non sunt condignæ passiones huius tẽ- Rom.
poris ad futuram gloriam, quę reuelabitur in no- 8. Cor.
bis: itemq; illam: Quod in præsenti est momẽ- 4.
taneum & leue tribulationis nostrę, supra modũ in sublimitate æternũ glorię pondus operatur in nobis, nõ contẽplantibus nobis quæ vidẽtur, sed quę nõ vidẽtur. Ita etiã Domin⁹ IESVS suos iusLuc. 6.
sit gaudere discipulos & exultare, q̃ nomina eo- Matth.
rũ scripta essent in cęlis. Immò idẽ ipse iussit gaudere pios in persecutionib⁹: quoniã, inquit, merces vestra copiosa est in cælis. Sẽper ergo omnibus nõ fallaciter Christianis adest copia gaudendi in Domino, cuius amplissimas promissiones certò expectare possunt, si præceptis eius inhæreant. Repetit autem Apostolus hanc gaudendi exhortationẽ, & ait: *iterum dico gaudete*, nimirùm vt significet se seriò id exigere. Est autem valdè grata hæc adhortatio ab illo, qui ipse erat in vinculis: & iam antè cap. 2. de seipso scripserat: Sed & si immolor supra sacrificium & obsequium fidei vestræ, gaudeo & congratulor omnibus vobis: idipsum autem & vos gaudete, & congratulamini mihi. Vbi satis indicat adeò se etiam in rebus duris semper gaudere in Domino, vt mortẽ quoq; ipsam hilariter sit obiturus. Sic & Apostoli cæsi ibant gaudentes à conspectu cõcilij, quòd digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliã pati. Nihil igitur vnquam tam molestum occurrat homini Christiano, quòd eius animo hãc spiritalem iucunditatem & lætitiam eripiat, qua seipsum erigat & confirmet spe futuræ beatitudinis, ad quam certè turpe est absq; labore & dolore, absq; cruce multiplici velle pertingere cohæredes crucifixi. Sequitur: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Modestia hoc loco conuenientissimè accipi potest, p animi moderatione, qua fit, vt etiam molesta & aspera æquabiliter & cõmodè feramus. Non est aũt dubium, eum in quo hæc virtus inest, plurimum vtilitatis adferre alijs eam in illo conspicientibus. Paulus itaq; Philippensibus scribens in afflictione positis, hortatur eos, vt res aduersas tam moderatè & æquanimiter ferant, vt etiam ethnicis & reliquis incredulis omnibus id perspicuum sit, atq; ita illorum modestia & moderatione conuertantur ad Christũ. D. Augustinus modestiam hanc interpretatur Epist.
mãsuetudinẽ. Omnia, inquit, bona opera amant ad Hono-
in lu- rium

Matth. 5. In luce constitui, non propter humanam gloriã, sed vt videant, ait Dominus, bona opera vestra, & glorificẽt patrẽ vestrũ qui in cælis est. Et ideò non sufficit Apostolo monere, vt mansuetudinẽ seruaremus, sed vt eam etiam notã omnibus faceremus. Mansuetudo, inquit, vestra nota sit omnibus hominibus. Hæc Augustinus. Iam verò subiungit Apostolus: *Dominus propè est*, quod quamuis possit de præsentia diuina per omnia sese diffundente non incõmodè accipi, tamẽ cõuenientiùs de Domino propediem ad iudicium
Eccle. 7. venturo accipitur. Sic enim Chrysostomus expo nit, & illum secutus Oecumenius. Nec facilè dici queat, quantum habeat momenti ad tentationes & aduersa omnia superanda diligẽs cogitatio iamiamq; imminentis iudicij Dei & aliorũ, quæ hominis extrema nominantur. De quibus sapiens quidam loquens, Memorare, inquit, nouissima tua, & in æternum nõ peccabis. Ideo etiã Dominus ipse tam sedulò admonet vt vigilem⁹:
Luc. 12. quia qua hora, inquiens, non putatis, filius homi nis veniet. Qui igitur sentiunt se afflictionibus prægrauatos, consolentur sese hac spe, quòd Dominus propediem venturus sit, & ipsorum momentaneas afflictiones sempiternis consolationibus compensaturus. Sequitur: *Nihil soliciti sitis.* Quibus verbis omnis vana & immoderata atq; à rationis præscripto deflectens solicitudo prohibetur. Hoc iam propriè pertinet ad Christiana religione initiatos, quorum est cum Propheta ex
Psal. 39. sententia dicere: Ego autem mendicus sum & pauper: Dominus solicitus est mei. Quãuis, inquit, planè mendicus sim & pauper, non tamen hæc me res angit, non me propterea curis immodicis discrucio, quia Dominus solicitus est mei. Proh pudor ab hac suauissima in Deum fiducia vsq; adeò penè omnes hodiè recessisse, qui Christiani & dici & haberi volunt. Quid non agunt iam pleriq; omnes, quibus nõ curis, angoribus, molestijs cõtabescunt, vt in hoc mundo possint, beati & diuites effici? porrò animarum suarum prorsus incurioſi sunt. Vocati sumus ad sempiternam capessendam beatitudinem, & certè non potest quisquàm ire inficias pauca huius temporis bona sufficere posse vitæ sustentandæ: reliqua omnia potiùs impedimento sunt quàm adiumẽto ad illam beatitudinem, si illis animo inhæreatur: & tamẽ nos miseri curas nostras & cogitationes oẽs eò conferimus, vt habeamus nostræ salutis certissima impedimenta, cùm tamen
1. Tim. 6. potiùs cõniti deberemus, ab illis vt expediri possimus. An non Apostolus apertissimè dicit: Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia
Ibidem. & nociua, quę mergunt homines in interitum & perditionem? Rectissimè ergo hoc loco Apostolus, Nihil, inquit, soliciti sitis. Habentes autem alimenta, & quibus tegamini, his contenti sitis. Non prohibet autem scriptura moderatam solicitudinem, qua sibi & suis prolibus quiq; prospiciant: sed id tamen nõ anxiè, multò verò minùs sceleratè & per fraudem prauasq; machinationes, quibus iam nimiùm vtuntur homines. Breuiter, satis sit vitæ necessaria animis in Deum erectis moderato studio parauisse: reliqua cura omnis transferatur ad cæleſtem obtinendam beatitudinem. Non enim habemus hic manentem Heb. 13.
ciuitatem, sed futuram inquirimus. Addit iam Apostolus: *Sed in omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deũ.* In omni, scilicet re vel negocio (sic enim Græca lectio docet esse intelligendum hunc locũ) orando, obsecrando, gratias agendo preces vestras Deo offerte. Hoc quoq; saluberrimum est, & Apostolico spiritu dignũ præceptũ, vt in rebus omnibus per preces cum gratiarum actione cõiunctas confugiamus ad Deum. Ipse enim dixit, Pe-
Matt. 7. tite, & dabitur vobis. Chrysostomus hæc Apostoli verba exponens, Ecce & aliud, inquit, solatiũ, Chryso-
quod instar est pharmaci, quo resoluitur quic- stomus.
quid vspiam est tristitiæ & incõmdi, & quæcũq; fuerint molestiæ. Quod aũt est istud? Precari & in omnibus gratias agere. Itaq; preces fieri vult, nõ solùm petitionem, immò & gratiarum actionẽ pro illis quæ iam habemus. Quomodò enim futura petet, qui de ijs quæ accepit non agit gratias? Itaq; pro omnibus oportet gratias agere, etiam quæ tristia videntur: nam istud est verè grati. Illud quidem rerum exigit natura, istud verò ab animo fit bene grato, & erga Deum studioſè admodum affecto. Omnia nanq; ad nostrum p- fectum dispensat, tametsi nos hoc non agnoscamus. Hæc Chrysostomus. Ambrosius dicit Apo- Ambro-
stolum velle, præparatos nos esse debere, & vigi- sius.
lare in oratione & prece, Deo gratias agentes: & sepositа mũdi solicitudine, illud sperare & ante oculos habere q̃d Domin⁹ repromisit: atq; inde etiam gratias illi agendas. Domino enim immi-
nente, seculi solicitudo cessat. Vt quid enim solicitus sit de re citò peritura? Innotescant autem preces nostræ apud Deum assiduitate & vigilantia orationis. Hæc Ambrosius. Postremò addit Apostolus: *Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras in Christo Iesu Domino nostro.* Hanc pacem non possunt habere mali, quantuncunq; alioquì floreant, & bonis omnibus affluant in hoc mundo. Quæ enim pax ibi esse posit, vbi animum perpetuò rodit mala conscientia? Est ergo hæc pax, animi tranquillitas, quãdo iam animus in virtutum studio & strenua mandatorum Dei obedientia exercitatus, bona fiducia securus est ab illa magna ira Dei. Præstat enim vita innocenter & religioſè transacta magnam fiduciam & securitatẽ, qua securitate nihil potest esse suauius & iucundius. Secu-
Pro. 15. ra enim mens quasi iuge conuiuium. Ita Paulus Apostolus sentiens impendere sibi supremum huius vitæ diem, cum ingenti optimæ conscien-
2. Ti. 4. tiæ fiducia dixit: Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: de reliquo re-

Universidad de Deusto
Biblioteca

posita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi iustus iudex. Quàm autem miseri sunt illi & ab hac pace Dei longè alienissimi, qui cùm perpetuò subditi sint prauis cupiditatibus & vitijs, tamen persuadent sibi sola in Christum fiducia se seruatum iri. Quæ tamen non est fiducia, sed immanis temeritas: non est pax, sed horrenda perturbatio, & plusquàm Babylonica captiuitas. Orat aũt Apostolus, vt pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, id est, mentem & intellectum (id enim significat græca vox, quam hîc interpres sensum vertit) custodiat corda & intelligentias nostras: hoc est, vt & voluntate constanter inhæreamus Deo, ne vllis tẽtationibus & afflictionibus ab illo diuellamur: atq; etiam ratione & intellectu ita simus cõmuniti certissima fidei veritate, vt nullis erroribus & hæresum figmentis euertamur. Sicq; ferè D. Chrysostomus hæc exponit. Quod sequitur, In Christo IESV, idem Chrisostomus hoc significare vult, vt maneamus in eo, & à fide ipsius non excidamus. Libet hoc loco etiam D. Basilij sententiam ex Psalmi 28. prima interpretatione adscribere, vbi sic habet: Basilius.

Quisquis animum confirmauit ad efficacẽ perfectionem bonorũ operum, is vtiq; Dei benedictione efficitur dignꝰ. Inter porrò diuinæ benedictionis species pax perfectissima esse videtur, cùm status sit mentem procul intemperie omni constabiliens: adeò vt pacificus vir hoc insigni tanquam proprijs notis internosci possit, si quidẽ sedatis est & peramœnis moribus: contrà, qui adhuc compugnantium affectionũ fatigatur intemperie, is nondum effectus particeps est diuinæ illius pacis, quam Dominus suis dedit discipulis: quæ cùm exuperet omnem sensum, vtique illorum præmuniet & tuebitur animas, qui se ea præstiterint dignos. Hanc deniq; Apostolus apprecatur Ecclesijs, dicens: Gratia vobis & pax adimpleatur. Sanè optandum sit, vt post exantlatum & legitimè toleratum vitæ istius agonem, post prudentiam carnis in seruitutem redactam, quæ aduersus Deum inimicitias exercet, anima in tranquillam & ab omni turbella dissitã stationem recepta, promereamur appellari filij pacis, ac diuinæ illius benedictionis effici participes, in Christo IESV Domino nostro, cui gloria & imperiũ, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen. Hucusq; Basilius. 2. Pet. 1.

DOMINICA QVARTA
IOANNIS I.

In illo tempore, Miserunt Iudæi ab Hierosolymis sacerdotes & leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum: Tu quis es? Et confessus est, & non negauit. Et confessus est, quia non sum ego Christus. Et reliqua. Homilia Beati Gregorij Papæ, habita in basilica sancti Petri apostoli.

EX huius nobis lectionis verbis fratres charissimi, Ioannis humilitas cõmendatur. Qui cùm tantæ virtutis esset, vt Christus credi potuisset, elegit solidè subsistere in se, ne humana opinione raperetur inaniter super se. Nam confessus est, & non negauit. *Confessus est, quia non sum ego Christus.* Sed qui dixit, non sum, negauit planè quod non erat, sed non negauit quod erat, vt veritatem loquens, eius membrum fieret, cuius sibi nomen fallaciter non vsurparet. Cùm enim non vult appetere nomen Christi, factus est membrum Christi: quia dum infirmitatem suam studuit humiliter agnoscere, illius celsitudinem meruit veraciter obtinere. Sed cùm ex lectione alia, redemptoris nostri sententia ad mentem reducitur, ex huius nobis lectionis verbis quæstio valdè implexa generatur. Alio quippe in loco inquisitus à discipulis Dominus de aduentu Eliæ, respondit: Elias iam venit, & non cognouerunt eum, sed fecerunt in eo quæcunque voluerunt. & si vultis scire, Ioannes ipse est Elias. Requisitus autem Ioannes dicit, Non sum Elias. Quid est hoc fratres charissimi, quia qd veritas affirmat, hoc propheta veritatis negat? Valdè nanque inter se diuersa sunt: ipse est, &, non sum. Quomodò ergo propheta veritatis est, si eiusdem veritatis sermonibus concors non est? Sed si subtiliter veritas ipsa requiratur, hoc quod inter se contrarium sonat, quomodò contrarium non sit, inuenitur. Ad Zachariam namque de Ioanne angelus dicit, Ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ. Qui idcircò venturus in spiritu & virtute Eliæ dicitur, quia sicut Elias secundum Domini aduentum præueniet, ita Ioannes præuenit primum. Sicut ille præcursor venturus est iudicis, ita iste præcursor factus est redemptoris. Ioannes igitur in spiritu Elias erat, in persona Elias non erat. Quod ergo Dominus fatetur de spiritu, hoc Ioannes denegat de persona: quia & iustum sic erat, vt & Dominus discipulis spiritualem de Ioanne sententiam diceret, & Ioannes eisdem turbis carnalibus non de suo spiritu, sed de corpore responderet. Contrarium ergo veritati videtur esse quod Ioannes sonuit, sed tamen à veritatis tramite non recessit. Qui cùm se etiam prophetam negat, quia videlicet non solùm poterat redemptorem prædicare, sed etiam domonstrare, quisnam sit continuò exprimit, cùm subiungit: *Ego uox clamantis in deserto.* Scitis fratres charissimi, quia vnigenitus filius verbum patris vocatur Ioanne attestante, qui ait: In principio erat verbum & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbũ. Et ex ipsa vestra locutione cognoscitis, quia priùs vox sonat, vt verbum postmodùm possit audiri. Ioannes ergo vocem esse se asserit, quia verbum præcedit. Aduentum itaq; Dominicum præcurrens vox dicitur, quia per eius

eius ministerium patris verbum ab hominibus auditur. Qui etiam in deserto clamat, quia derelictæ ac destitutæ Iudææ solatium sui redemptoris annunciat. Quid autem clamet, insinuat cùm subiungit: *Dirigite uiam Domini, sicut dixit Isaias propheta.* Via Domini ad cor dirigitur, cùm veritatis sermo humiliter auditur. Via Domini ad cor dirigitur, cùm ad præceptum vita præparatur. Vnde scriptum est: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Quisquis ergo in superbia mentem eleuat, quisquis auaritiæ æstibus anhelat, quisquis se luxuriæ inquinationibus polluit, cordis ostium contra veritatem claudit, & ne ad se Dominus veniat, claustra animi seris vitiorum damnat. Sed adhuc qui missi sunt, percontantur. *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta?* Quod quia non studio cognoscendæ veritatis, sed malitia exercendæ æmulationis dicitur, euangelista tacite innotuit, qui subiunxit, dicens: *Et qui missi fuerant, erant ex pharisæis.* Ac si apertè dicat: Illi Ioannem de suis actibus requirunt, qui doctrinam nesciunt quærere, sed inuidere. Sed sanctus quisque etiam cùm peruersa mente requiritur, de bonitatis suæ studio non mutatur. Vnde Ioannes quoque ad verba inuidiæ, prædicamenta respondit vitæ. Nam protinùs adiũgit: *Ego baptizo in aqua: medius autem uestrum stat, quem uos nescitis.* Ioannes non spiritu, sed aqua baptizat, quia peccata soluere non valens, baptizatorum corpora per aquam lauat, sed tamen mentem per veniam non lauat. Cur ergo baptizat, qui per baptismum peccata non relaxat, nisi vt præcursionis suæ ordinem seruans, qui nasciturum nascendo præuenerat, baptizaturum quoq; Dominum baptizando præueniret: & qui prædicando factus est præcursor Christi, baptizando etiam præcursor eius fieret imitatione sacramenti? Qui inter hæc mysterium nostri redemptoris annunciãs, hunc in medio hominũ & stetisse asserit, & nesciri, quia per carnẽ Dominus apparens, & visibilis extitit corpore, & inuisibilis maiestate. De quo etiam subdit: *Qui post me uenit, ante me factus est.* Sic nanq; dicitur, Ante me factus est, ac si dicatur, Ante me positus. Post me ergo venit, quia postmodũ natus: ante me autem factus est, quia mihi prælatus. Sed hæc paulò superiꝰ dicẽs, etiã prælationis eius causas aperuit, cũ subiũgit: *Quia prior me erat.* Ac si apertèdicat: Inde etiã post me natus, me superat, quo eũ natiuitatis suæ tempora non angustant. Nam qui per matrẽ in tempore nascitur, sine matre ante tẽpora ex parte generatur. Cui quantæ reuerentiæ humilitatẽ debeat, subdendo manifestat: *Cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamenti.* Mos apud veteres fuit, vt si quis eam quæ sibi cõpeteret, accipere vxorẽ nollet, ille ei calceamentum solueret, qui ad hãc sponsus propinquitatis iure veniret. Quid igitur inter homines Christus, nisi sanctæ Ecclesiæ spõsus apparuit? De quo & iste Ioannes dicit: Qui habet sponsam, sponsus est. Sed quia Ioannem homines Christum esse putauerũt, quod idẽ Ioannes negat, rectè se indignum ad soluendum esse corrigiam calceamenti eius denunciat: ac si apertè dicat: Ego redemptoris vestigia denudare non valeo, quia sponsi nomen mihi immeritus non vsurpo. Quod tamẽ intelligi & aliter potest. Quis enim nesciat, quod calceamenta ex mortuis animalibus fiunt? Incarnatus verò Dominus veniens, quasi calceatus apparuit, qui in diuinitate sua morticina nostrę corruptionis assumpsit. Vnde etiam per prophetã dicit: In Idumæam extendam calceamentum meum. Per Idumæam quippe gentilitas, per calceamentum verò assumpta mortalitas designatur. In Idumæam ergo Dominus calceamentum suum se extẽdere asserit, quia dum per carnem gentibus innotuit, quasi calceata ad nos diuinitas venit. Sed huius incarnationis mysterium humanus oculus penetrare non sufficit. Inuestigari etenim nullatenùs potest, quomodò incarnatur verbum, quomodò summus & viuificator spiritus intra vterum matris animatur, quomodò is qui initium non habet, & exsistit, & concipitur. Corrigia ergo calceamenti, est ligatura mysterij. Ioãnes itaque soluere corrigiam calceamenti eius non valet, quia incarnationis eius mysterium nec ipse inuestigare sufficit, qui hoc per prophetiæ spiritum agnouit. Quid est ergo dicere, Non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius, nisi apertè & humiliter suam ignorãtiam profiteri? Ac si apertè dicat: Quid mirum si mihi ille prælatus est, quem post me quidem natum considero, sed natiuitatis eius mysterium non apprehendo? Ecce Ioannes Prophetiæ spiritu impletus, mira scientia emicat, & tamen illud de se insinuat, quod ignorat. Qua in re pensandum est nobis fratres charissimi, & tota intentione cogitandum, quomodò sancti viri, vt humilitatis in se virtutem custodiant, cùm quædam mirabiliter sciunt, illud ante mentis oculos student reuocare, quod nesciunt, vt dum ex parte alia infirmitatem suam considerant, ex ea parte qua perfectus est, eorum se animus non extollat. Scientia etenim virtus est, humilitas etiam custos virtutis. Restat ergo vt in omni quod scit, sese mens deprimat, ne quod virtus scientiæ congregat, ventus elationis tollat. Cùm bona fratres agitis, semper ad memoriam mala acta reuocate, vt dum cautè culpa conspicitur, nunquam de bono opere incautè animus lætetur. Superiores inuicem in via Dei, eos maximè qui vobis commissi non sunt, proximos vestros attendite: quia & quos aliqua agere praua conspicitis, quę in eis lateant bona, nescitis. Magnus ergo esse vnusquisque studeat, sed tamen aliquo modo esse se nesciat, ne dũ sibi magnitudi-

Ioan. 14.

Ioan. 1.

Psal. 59.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem arroganter tribuit, amittat intùs quod erat. Hinc etenim per prophetam dicitur: Væ qui sapiẽtes estis in oculis vestris, & coram vosmetipsis prudentes. Hinc Paulus dicit: Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Hinc contra superbientem Saul dicitur: Cùm esses paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es. Ac si apertè diceretur: Cùm tu te paruulum conspiceres, ego te præ cæteris magnum feci: quia verò tu te magnum conspicis, à me paruus æstimaris. Quo contrà cùm Dauid regni sui potentiam coram arca Domini saltando despiceret, dixit: Ludam, & vilior fiam plùs quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis. Quem enim non extolleret, ora leonum frangere, vrsorum brachia dissipare, despectis prioribus fratribus eligi, reprobato rege ad regni gubernacula vngi, timendum cunctis vno lapide Goliam sternere, à rege proposita extinctis allophylis numerosa præputia reportare, regnum ex promissione percipere, cunctumque Israëliticum populum sine vlla postmodum contradictione possidere? & tamen in cunctis se despicit, qui in suis oculis se esse humilem confitetur. Si igitur etiam sancti cùm fortia agunt, de semetipsis vilia sentiunt, quid in sua excusatione dicturi sunt, qui sine opere virtutis intumescunt? Sed etsi quælibet bona adsint opera, nulla sunt, nisi ex humilitate condiantur. Miranda quippe actio cum elatione non eleuat, sed grauat. Qui enim sine humilitate virtutes cõgregat, quasi in vento puluerem portat: & vnde aliquid ferre cernitur, inde deteriùs cæcatur. In cunctis ergo quæ facitis fatres mei, radicem boni operis humilitatem tenete: nec quibus iam superiores, sed quibus adhuc inferiores estis, aspicite: vt dum vobis meliora exempla proponitis, ad maiora semper ascendere ex humilitate valeatis.

Isai. 5.
Rom. 12.
1. Reg. 3. 15.
2. Reg. 6.

DE EADEM DOMINICA, SERMO BEATI Maximi Episcopi.

Alij hunc Sermonem habent in vigilijs Natalis Christi.

LAEtitia quanta sit, quantusque concursus, cùm Imperatoris mundi istius natalis celebrandus est, be nè nostis, quemadmodum duces eius & principes, omnes etiam militantes accurati fericis vestibus, accincti operosis cingulis, auro fulgente preciosis, ambiant solito nitidiùs in conspectu regis incedere. Credunt enim maius Imperatoris esse gaudium, si viderit maiorem suæ apparationis ornatum, tantoque illum lætum futurum, quantò ipsi fuerint in eius festiuitate deuoti: vt quia Imperator tanquam homo corda non conspicit, affectum eorum circa se probet vel habitum contuendo. Ita fit, vt splendidiùs se accuret, quisquis regem fideliùs diligit. Deinde quia in natalis sui die sciunt eum largum futurum, ac donaturum plurima vel ministris suis, vel his qui in domo eius abiecti putantur & viles, tanta priùs thesauros eius replere diuitiarum varietate festinant, vt in quantum prærogare voluerit, in tantum prærogatio copiosa non desit, & antè voluntas donandi deficiat, quàm substantia largiendi. Hæc autem ideò solicitè faciunt, quia maiorem sibi renumerationem pro hac solicitudine sperant futuram. Si ergo, fratres, seculi istius homines propter præsentis honoris gloriam, terreni regis sui natalis diem tanta apparatione suscipiunt, quanta nos accuratione æterni regis nostri IESV Christi natalem suscipere debemus? qui pro deuotione nostra non nobis temporalem largietur gloriam, sed æternam, nec terreni honoris administrationem dabit, quæ successore finitur, sed cælestis imperij dignitatem, quæ non habet successorem. Qualis autem nostra renumeratio sit futura, dicit propheta: Quę oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, præparauit Deus diligentibus se. Quibus aũt indumentis nos exornari oportet? Quod autem diximus nos, hoc est, animas nostras: quia rex noster Christus non tam nitorem vestium, quàm animarum requirit affectũ: nec inspicit ornamenta corporum, sed considerat corda meritorum: nec fragilis cinguli præcingẽtis lumbos operositatem miratur, sed fortis castimoniæ restringẽtis libidinem ad pudicitiam, plus miratur. Ambiamus ergo inueniri ante ipsum probati fide, compti misericordia, moribus accurati: & qui fideliùs Christum diligit, nitidiùs se mandatorum eius obseruatione compo nat, vt verè nos in se credere videat, cũ ita in eius solennitate fulgemus, & eò magis lætus sit, quò nos perspexerit puriores. Atque ideo ante complures dies castificemus corda nostra, mundemus conscientiam, purificemus spiritum, ac nitidi & sine macula immaculati Domini suscipiamus aduentum: vt cuius natiuitas per immaculatam virginem constitit, eius natalis per immaculatos seruos procuretur. Quisquis enim in illa die sordidus fuerit ac pollutus, natalẽ Christi võtumque non curat. Interfit licet dominicæ festiuitati corpore, mente tamen longiùs à saluatore separatur: nec societatem habere poterunt immundus & sanctus, auarus & misericors, corruptus & virgo, nisi quòd magis ingerẽdo se indignus offensionem contrahit, cùm minimè se cognoscit. Dum enim vult officiosus esse, iniuriosus existit, sicut ille in euangelio, qui in cœtu sanctorum inuitatus, ad nuptias venire ausus est, vestẽ nõ habens nuptialem. Et cùm alius niteret iustitia, alius luceret fide, alius castitate fulgeret, ille solus conscientiæ fœditate pollutus, cunctis splendentibus deformi horrore sordebat: & quantò plus simul discumbentium beatorũ candebat sanctitas, tantò magis peccatorum illius apparebat improbitas, qui potuerat minus displicuisse forsitan, si in consortium sanctorum minimè se dedisset. Propterea ergo sublatis manibus & pedibus in tenebras exteriores expellitur: nõ solùm quòd peccator erat, sed quia cũ peccator esset, sanctitatis sibi meritum vendicabat. Igitur fratres suscepturi natalem Domini, ab omni nos delictorum fæce purgemus. Repleamus thesauros eius diuersorum munerum donis, vt in die sancta sit vnde peregrini accipiant, reficiantur viduæ, pauperes vestiantur. Nam qualè erit, si in vna eademque domo inter seruulos vnius Domini, alter exultet in holosericis, alter consumatur in pannis, alius æstuet cibo, alius famem frigusque sustineat? ille eructet hesternam indigestionis crapulam, hic hesternam ieiunij inediam non resoluat? Aut quis erit nostræ orationis effectus? Petimus vt liberemur ab inimico, qui non sumus liberales in fratres. Simus imitatores Domini nostri. Si enim ille pauperes in cælesti gratia voluit nobis esse consortes, cur nobis non sint in substantia terrena consortes? Nec extranei sint alimonijs, qui fratres sunt sacramentis, nisi quòd rectiùs apud Deum per ipsos agimus causam nostram, vt nostris eos alamus sumptibus, qui illi gratias agãt. Quicquid autem pauper Dominum benedicit, illi proficit, quo faciente Dominum benedicit. Et sicut scriptum est de illo, Væ illi homini, per quem nomen Domini blasphematur: ita & de isto scribitur, Pax huic homini, per quem nomen Domini benedicitur saluatoris. Quale autẽ est meritum largientis, vt solus quis operetur in domo, & per multos in ecclesia Dominum deprecetur? & quod ille fortasis petere à diuinitate non audebat, plurimorum interpellantium orationibus etiá quod nõ sperabat, accipiat? Quod adiutorium nostrum commemorans beatus Apostolus, ait: Vt per multos gratiarum actio referatur pro nobis. Et iterum: Vt fiat oblatio nostra accepta, sanctificata in spiritu sancto.

Cultus mysticus nata lis domini

Esai.

2. Cor. 9.
Rom. 15.

SERMO SANCTI AVGVSTINI EPISCOPI: EST- que 2. in Opere Sermonum de Tempore.

SAnctam & desiderabilẽ, glorioſam ac singularem solennitatem, hoc est, natiuitatem Domini saluatoris, fratres dilectissimi, deuotione fideliſsima suſcepturi, totis viribus nos debemus cum ipsius adiutorio præparare, & oẽs latebras animæ nostræ diligenter aspicere, ne fortè sit in nobis aliquod peccatum absconditum, quod & cõscientiam nostram confundat ac mordeat, & oculos diuinæ maiestatis offendat. Nam licet Christus dominus noster post passionem resurrexerit, & in cælum ascenderit, considerat tamen vt credimus, & diligenter attendit, qualiter se vnusquisque seruorum eius, sine auaritia, sine ira, sine superbia atq; luxuria ad celebrandam eius natiuitatem studeat præparare atq; componere: & secundùm quòd vnumquenq; ornatum bonis moribus viderit, ita illi gratiam suæ misericordiæ dispensabit. Si enim viderit charitatis luce vestitum, iustitiæ vel misericordiæ margaritis ornatum, castum, humilem, misericordem, benignum & sobriũ, si talem agnouerit, corpus & sanguinem suum ei non ad iudicium, sed ad remedium per sacerdotum suorum ministerium dispensabit. Si verò aliquem viderit adulterum, ebriosum, cupidum & superbũ, timeo ne hoc illi dicatur, quod in euangelio Dominus ipse dixit: Amice, quomodò huc intrasti non habens vestem nuptialem? Et (quod Dominus auertat) fiat quod sequitur, Ligate illi manus & pedes, & proijcite eum in tenebras exteriores, vbi est fletus & stridor dentium. Ecce qualem sententiam in die iudicij excipiet, qui sine remedio pœnitentiæ ad festiuitatem Domini vitiorum sordibus inquinatus accesserit. In natali enim Domini fratres dilectissimi, quasi in nuptijs spiritalibus sponsæ suæ Ecclesiæ Christus adiunctus est. Tunc veritas de terra orta est, tunc iustitia de cælo prospexit, tunc processit sponsus de thalamo suo, hoc est, verbum Dei de vtero virginali. Processit enim cum sponsa sua Ecclesia, id est, humanam carnem suscepit. Ad istas ergo tam sanctas nuptias inuitati, & ad conuiuium patris & filij & spiritussancti intraturi, videte qualibus indumentis debeamus ornari. Et ideo mundemus quantùm possumus cum Dei adiutorio corda simul & corpora nostra, vt cælestis ille inuitator nihil in nobis sordidum, nihil fœdum, nihil obscurum, nihil oculis suis deprehendat indignum. Hæc ergo, fratres dilectissimi, non transitoriè, sed cum ingenti timore debemus attendere. Inuitati enim sumus ad nuptias, vbi nosipsi, si benè agimus, sponsæ erimus. Cogitemus ad quales nuptias, consideremus ad qualem sponsum, vel ad quale conuiuium inuitati sumus. Inuitati enim sumus ad mensam, vbi non inuenitur cibus hominum, sed panis ponitur angelorum. Et ideo videamus ne fortè inanima, vbi deberemus bonorum operum margaritis ornari, ibi appareamus vitiorum pannis veteribus inuoluti, & quando eos qui boni sunt, in oculis Dei castitas reddet candidos, tunc eos qui mali sunt, reddat luxuria sordida-

Matth. 22.

Psal. 48.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad festos dies ut nos præparare debeamus.

datos. Et ideò quotiescunque aut dies natalis Domini, aut reliquæ festiuitates adueniunt, sicut frequenter admonui, ante plures dies non solùm ab infelici concubinarum consortio, sed etiam à proprijs vxoribus abstinete, ab omni iracundia alienos vos efficite, peccata præterita per eleemosynam & pœnitentiam redimantur, contra nullum hominem odiũ in corde teneatur: quod solebat vanitas per gulã perdere, incipiat iustitia per misericordiam pauperibus erogare: quod luxuria vel gula dissipauit in mundo, pietas reponat in cælo. Et licet hoc expediat, vt semper eleemosynas facere debeamus, præcipuè tamen in sanctis solennitatibus secundùm vires nostras abundantiùs erogemus, pauperes ante omnia frequentiùs adconuiuiũ reuocemus. Nó enim est iustum, vt in sancta solennitate in populo Christiano, ad vnum dominum pertinente, alij inebrientur, alij famis periculo crucientur. Et nos & omnis populus vnius Domini serui sumus, vno precio redempti sumus: pari conditione in hoc mundo intramus, simili etiam exitu migraturi sumus, & si benè agimus, ad vnam beatitudinem pariter veniemus. Et quare pauper tecum non capiat cibum, qui tecum accepturus est regnum? Quare pauper non accipiat vel veterem tunicã, qui tecum recepturus est immortalitatis stolam? Quare pauper non mereatur panem tuum, qui tecum meruit accipere baptismi sacramentum? Cur indignus est accipere reliquias ciborũ tuorum, qui tecum ad conuiuium inuitatus est angelorum? Audite fratres, audite, non meum, sed

Luc. 14. Domini commune præceptum. Sic enim ait in euangelio: Cùm facis prandium aut cœnam, noli inuitare diuites qui te iterum inuitent, & fiat tibi retributio: sed voca pauperes & claudos, & beatus eris: quia non habent vnde retribuant tibi: retribuetur autem tibi in retributione iustorum. Sed dicit aliquis: Ergo amicos aut parentes non debeo ad conuiuium reuocare? Rogandi sunt & parentes & vicini, sed rariùs rogandi sunt: & non nimis sumptuosa & delicioſa, sed tam parca & sobria vel honesta illis debent conuiuia præparari, vt remaneat vnde possint pauperes refici, vnde possit aliquid indigentibus erogari: vt cùm dies iudicij venerit, non cum impijs, qui nunc pauperes despiciunt, audia-

Matt. 25. mus: Discedite à me maledicti in ignem æternum. sed cum iustis & misericordibus audire mereamur: Venite benedicti patris mei, percipite regnum: quia esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere. Simul et-

Ibidem. iam nobis illa vox desiderabilis dirigatur: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium domini tui. Sed vt hæc quæ suggessimus,

Epilogus. sensibus vestræ charitatis tenaciùs inhæreant, breuiter quæ dicta sunt iteramus. Hoc enim admonuimus fratres, vt quia natalis Domini imminet, tanquam ad nuptiale & cæleste conuiuium ab omni luxuria alieni, & bonis operibus adornati, nos per Christi adiutorium præparemus, eleemosynas pauperibus erogemus, iracundiam vel odium velut venenum de nostris cordibus respuamus. Castitatem fideliter cõseruate, ad conuiuia vestra frequẽtiùs pauperes reuocate, ad vigilias maturiùs surgite, in ecclesia stantes aut orate, aut psallite, verba ociosa aut secularia nec ipsi proferte, & eos qui proferre voluerint, castigate: pacem cum omnibus custodite, & quos discordes agnoscitis, ad concordiam reuocate. Hæc si fideliter Christo adiuuãte volueritis implere, & in hoc seculo ad altare Domini secura conscientia poteritis accedere, & in futuro ad æternam beatitudinem feliciter peruenire, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

DE EADEM DOMINICA IIII. HOMILIA EVSEBij Emeseni.

OMnes enim existimabant Ioannem esse Christum, quoniam in moribus & vita, in habitu & sancta cõuersatione alijs omnibus dissimilis erat. Ipse tamen mundi gloriam fugiens, & Christum se non esse respondens, intantùm se humiliauit, vt indignum se esse diceret, qui Christi calceamenta soluere debuisset. *Et interrogauerunt eum, quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non sum.* Interrogatus Dominus de Elia, respondit: Elias quidem venturus est, & restituet omnia. Et si vultis scire, Ioannes ipse est Elias. Quid est ergo, quòd se Ioannes Eliam esse negat, quem Dominus ipse Eliam esse affirmat? Dicit Ioannes: Non sum Elias. Dicit Iesus: Ioannes ipse est Elias. Nec iste quidem mentiri potest, quia veritas est: nec ille, quia discipulus veritatis. Verum ergo vterque dicit: alter enim de persona, alter de spiritu loquitur. Ioannes enim in spiritu Elias erat, sed in persona Elias non erat: de quo angelus ad Zachariam: Ipse, inquit, precedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ. Aiunt illi: *Prophetaes tu? Et respondit, Non.* Non enim simpliciter propheta, sed plusquàm propheta erat Ioannes. Vnde & Dominus ait: Quid exijstis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plusquàm prophetam. Plus enim quàm propheta fuit Ioannes, quia non solùm ventura nunciauit, quod vtique prophetarum est, verùm in digito demonstrauit, quod prophetarum non est. *Dixerunt ergo ei: Quis es tu, ut responsum demus ijs, qui miserunt nos? Ait: Ego vox clamantis in deserto, dirigite uiam Domini, sicut dicit Esaias propheta.* Vox, Ioannes: verbum, Christus. Sicut enim Ioannes precedit Christum, ita & vox precedit verbum. Statim enim vt ore loquentis sonus quallscunque procedit, vox est, verbum autem nondum est, quia omne verbum significat aliquid. Precedit igitur vox, sequitur verbum. Meritò igitur vox Ioannes, & verbum Christus vocatur, quoniam & nascendo, & prædicando, & moriendo, & ipsa sui nominis signi-

Exod. 28. ficatione Christum præcessit. Hanc autem vocem illa tintinnabula aurea significabant, quæ

1. Parã. 16 pendebant in veste Aaron. Hanc significabant

Psal. 80. omnia illa musicorum genera, quibus Dauid

Psal. 150. cantare consueuerat: hanc psalterium iucundũ cum cithara: hanc tympana & organa & cymbala benè tinnientia significabant. Hanc denique

Iosue 6. Num. 10. vocem significabant illæ tubæ, quarum sonitu iubilæus annus nunciabatur, quarum clangore

Iosue 6. totus exercitus & omnia castra mouebantur & figebantur. His nanq; canentibus capta est Hie-

Iud. 7. richo, & post septem dierum circuitum muri corruerunt, & habitatores interierunt. Ijs Gedeon vicit Madianitas. Hæ semper victores fecerunt Israëlitas. Vnde & Propheta ait:

Psal. 80. Canite initio mensis tuba, in die insignis solennitatis vestræ. Semper tubarum sonitu Dei populus sumebat arma, & recedebat ab armis. Sic pugnare

Apoc. 8. solitus, sic vincere assuetus. Lege in Apocalypsi, & septem angelos inuenies tubis canentes, per quos omnes Ecclesiæ prædicatores ab ipsis Apostolis vsque in finem seculi significantur. Omnes igitur istæ tubæ, omnes istæ voces, illam vnam vocem significabant, quomodò in hoc Euangelio loquitur dicens: *Ego uox clamantis in deserto, dirigite uiam Domini, sicut dicit Esaias propheta.* Hæc vox finis veterum, & nouorum

Luc. 16. principium est. Omnis enim lex & prophetæ vsque ad Ioannem. Discant igitur Ecclesiæ prædicatores, non armis pugnare, sed voce. Audiant

Luc. 21. Dominum dicentem: Ego, inquit, dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri. Si ergo volũt vincere, ore pugnent, qui tale os & talem vocem habent, cui inimici resistere nequeunt. Sic Ioannes faciebat, & ideò se interrogantibus dicebat: *Ego uox clamantis in deserto.* Non quis sum, sed quid dico, attendite: non personam, sed vocem considerate. Vocem me esse dico, vocem me esse confiteor. Hæc autem vox in deserto clamabat, quia crudeles & impios ad fidem vocabat, qui non homines pietate, sed bestias crudelitate imitabantur. desertum enim non hominũ, sed ferarum habitatio est. Sed quid dicebat? *Dirigite uiam Domini, sicut dicit Esaias propheta.* Dirigite, inquit, viam Domini, vt ipse advos venire & in vobis habitare dignetur, qui nisi per viã rectam incedere nescit. Fides enim, spes & charitas, pietas, iustitia & misericordia, viæ sunt per quas ad nos Dominus venit, si eas habeamus, & ad Dominum dirigamus. Istæ viæ in illis directæ non sunt, qui non ex veritate, sed similitudine per eas incedunt. *Et qui missi fuerant, erant ex Phariseis.* Pharisæi nanque se præ cæteris iustiores

esse arbitrabantur. Quibus Dominus ait: Publicani & meretrices præcedent vos in regnũ Dei: Matth. 21
quos & viperarum genimina vocauit, dicens: Serpentes, genimina viperarum, quomodò fu- Matth. 23
gietis iudicia gehennæ? *Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta?* Vt quid tibi Christi & prophetarum officia vendicas, si neque Christus es, neque propheta? *Respondit eis Ioannes, dicens: Ego baptizo in aqua: medius autem uestrum stetit, quem uos nescitis.* In aqua enim & in spiritu baptizabat Ioannes, quia peccata non soluebat, sed corpora tantùm lauabat, & Christi baptismum baptizando significabat. Illius igitur baptismum, vmbra quædam erat & significatio melioris baptismi. Ego, inquit, vos in aqua baptizo, medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis. *Ipse est qui post me uenturus est, qui ante me factus est.* Post eum nanq; & nascendo & prædicando & moriendo venit Christus. Factus autem ante eum, quia quasi dominium eius sequitur beatus Ioannes, & post est vadit. Ante enim, hoc in loco non temporis, sed ordinis habet significationem. *Cuius ego non sum dignus, ut soluam eius corrigiam calceamenti.* Christi nanque calceamenti corrigiam soluere, est eius humanitatis & mortalitatis mysterium prædicare. Calceamentum enim, quod ex mortuorũ pellibus fit, carnis morticinium significat. Alia enim nostra indumenta ex alia materia fiunt, calceamenta verò non nisi carnea sunt, vnde & meritò pro carne ponuntur. Vide ergo quantùm se humiliauit præcursor Domini, qui priusquàm eum laudare cœperat, quasi qui eius laudes prædicare idoneus non esset, statim se indignũ esse dixit, qui nõ solùm eius diuinitatis, sed & ipsius humanitatis mysteriũ nunciaret. *Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem, ubi erat Ioannes baptizans.*

DOMINICA EADEM. Marc. 1.

Initium sancti euangelij Iesu Christi filij Dei, sicut scriptum est in Isaia propheta: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuam ante te. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

COnferendum est hoc Euangelij Marci principiũ, principio Matthæi, quo ait: Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham: atq; ex vtro- que vnus Dominus noster Iesus Christus, Dei & hominis est filius intelligendus. Et aptè primus euangelista filium hominis eum, secundus filiũ Dei nominat, vt à minoribus paulatim ad maiora sensus noster exurgeret, ac per fidẽ & sacramẽta humanitatis assumptæ, ad cognitionem diuinæ æternitatis ascenderet. Aptè qui humanam gene-

Universidad de Deusto
Biblioteca

generationem erat descripturus, à filio hominis cœpit, Dauid videlicet siue Abrahæ, de quorum stirpe carnis substantiam assumpsit. Aptè is, qui librum suum ab initio Euangelicæ prædicationis inchoabat, filium magis Dei appellare voluit Dominum nostrum Iesum Christum: quia nimirùm & humanæ erat naturæ, de progenie patriarcharum siue regum veritatem carnis suscipere: diuinæ fuit potentiæ, euangelium mundo prædicare. Euangelium quippe, bonum nuncium dicitur. Quod autem melius est nun-
Matth. 3. cium, quàm, Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum? Hominis itaque est humanitùs nasci: Dei verò, regni cælestis introitum pœnitentibus prædicare. Et ideò Matthæus rectè filium Dauid nuncupat, quem in carne venientem asseuerat. Rectè Marcus filium Dei, quem in prima voluminis sui fronte authorem euangelij, & sponsorem regni designat æterni. Vbi verò notandum, quòd euangelistæ sancti, qui dispensationem nobis dominicæ incarnationis scriptam reliquere, vno quidem spiritu accensi, ad officium scribendi accesserunt, sed secundùm diuersum narrationis suæ primor-
Matthæus dium, singuli diuersum statuere terminum. Matthæus nanq; à natiuitate dominica exordium sumens, ad tempus vsq; dominicæ resurrectionis,
Marcus. seriem suæ narrationis, perduxit. Marcus ab initio euangelicæ prædicationis incipiens, peruenit vsq; ad tempus ascensionis Domini, & prædi
Lucas. cationis discipulorum eius cunctis gentibus per orbem. Lucas à natiuitate præcursoris inchoans euangelium, terminauit in ascensione dominica, cùm redeuntes discipuli Hierosolymam, aduentum sancti spiritus diuinis in laudibus expe-
Ioannes. ctant. Ioannes ab æternitate verbi Dei, per quod omnia facta sunt, principium sumens, & ipse ad tempus vsq; dominicæ resurrectionis euãgelizando pertingit. Scripturus ergo euangeliũ Marcus, congruè primò omnium ponit testimonia prophetarum, quibus hoc futurum iam olim præcinebãt, vt eò cunctis vera ac sine scrupulo dubietatis suscipienda quæ scriberet intimaret, quò hæc à prophetis sancto spiritu impletis anteà præscita ac prædicta esse monstraret. Simulque vno eodemque euangelij sui principio, & Iudæos, qui legem ac prophetas susceperant, ad suscipienda etiam euangelij sacramenta, quæ ipsorum prophetæ prædixerant, instituit: & gentiles, qui per euangelij præconia ad Deum venerant, ad authoritatem quoque legis & prophetarum suscipiendam venerandamque prouocat: ne si quis iuxta hæreticos, aut vetus solummodò testamentum, aut solummodò nouum suscepisset, alienus à testamento Dei remaneret. *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuam ante te.* Angelus vocatur Ioannes, non societate naturæ, iuxta hæresim Origenis, sed officij dignitate. Angelus e-
Ioan. 1. nim Græcè, Latinè nuncius dicitur. Quo nomine rectè appellari potuit homo ille, qui fuit missus à Deo, vt testimonium perhiberet de lumine, & venientem in carne Dominum mundo nunciaret. Nec mirandum mysticè angelum nominari eum, quo inter natos mulierum ma- Mat.
ior nemo surrexit: cùm constet omnes, qui sacerdotij gradu ritè sunguntur, ob euangelizandi officium angelos posse vocari, dicente pro- Mal.
pheta: Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est. *Vox clamantis in deserto: parate uiam Domini, rectas facite semitas eius.* Constat, quia vnigenitus Dei filius verbum patris Ioa.
vocatur, attestante Ioanne, qui ait: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Et ex ipsa nostra locutione cognoscimus, quia priùs vox sonat, vt verbum postmodùm possit audiri. Ioannes ergo vox à propheta vocatur, quia verbum præcedit. Aduentum itaque dominicum præcurrens, vox dicitur: quia per eius ministerium patris verbum ab hominibus auditur. Qui etiam in deserto clamat: quia derelictæ ac destitutæ Iudææ solatium redemptionis annunciat. Quid autem clamaret, aperitur cùm subditur: *Parate uiam Domini, rectas facite semitas eius.* Omnis qui fidem rectam & bona opera prædicat, quid aliud quàm venienti Domino ad corda audientium viam parat: vt hæc vis gratiæ penetret, & lumen veritatis illustret: vt rectas Deo semitas faciat, dum mundas in animo cogitationes per sermonem bonę prædicationis formati. Sanè notandum, quòd ex testimonijs propheticis, quæ posuit Marcus, vnum solummodò in Isaia, aliud inuenitur in Malachia: nec tamen falli aut fallere putandus est euangelista, qui hoc scriptum dicat in Isaia, quod Isaias non scripserit, sed potiùs intelligendum, quia si non hæc verba quæ de Malachia posuit, inueniuntur in Isaia, sensus tamen eorum inuenitur in Isaia, & in nonnullis locis alijs, & manifestiùs in eo, quod ipse hîc subiunxit: Vox clamantis in deserto: parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Quis enim non videat, quanta sit in vtraq; sententia concordia? Nam quod dixit Malachias, *Confessio* mittendum angelum ante faciem Domini, qui *peccatorũ*
præpararet viam eius, hoc est vtique quod dixit Isaias, vocem clamantis audiendam in deserto, quæ diceret: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Quia sicut Ioannes rectè angelus potuit vocari, pro eo, quòd faciem Domini euangelizando præuenit: ita rectè appellari & vox potuit, quia verbum Dei sonando Act. 10.
præibat, sicut & suprà dictum est. In vtraq; autẽ sententia similiter paranda via Domini prędicatur. Ideoq; non fallitur euãgelista, qui & hoc dictum ab Isaia scribit, quod si non eisdem verbis, eodem tamen sensu ab ipso scriptum inuenitur, potuit autem fieri, vt animo Marci euangelium scri-

scribentis, pro Malachia Isaias occurrerit, vt fieri solet, quod tamen sine vlla dubitatione emendaret, saltem ab alijs admonitus, qui ipso adhuc in carne viuente hoc legere potuerunt, nisi cogitaret recordationi suæ, quę spiritusancto regebatur, non frustrà occurrisse aliud pro alio nomen prophetæ, nisi quia ita Dominus hoc scribi constituit. Cur autem ita constituerit Dominus, prima illa causa vtilissima debet facilimè cogitari, etiam sic esse insinuatum, ita omnes sanctos prophetas vno spiritu locutos, mirabili inter se consensione constare, vt hoc multo amplius sit, quàm si omnium omnia prophetarum vno vnius hominis ore dicerentur: & ideò indubitanter accipi debere, quæcunque per eos spiritussanctus dixit, & singula esse omnium, & omnia singulorum. Cùm igitur & quæ dicta sunt per Isaiam, tam sint Malachiæ quàm Isaiæ: & quæ dicta sunt per Malachiam, tam sint Isaiæ, quàm Malachiæ: quid opus erat vt emendaret Marcus, cùm aliud pro alio sibi nomen occurrens à se scriptum legisset, ac non potius sequens authoritatem spiritussancti, à qua mentem suam regi plùs nobis ille vtique sentiebat, hoc ita scriptum relinqueret, sicut eum admonendo constituerat ei Dominus, ad informandos nos, tantam verborum suorum prophetis inesse concordiam, vt non absurdè, immo congruentissimè etiam Isaiæ deputaremus, quod per Malachiam dictum reperimus? *Fuit Ioannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum.* Cunctis legentibus liquet, quia Ioannes baptismum pœnitentiæ non solùm prædicauit, verumetiam quibuldam dedit, sed tamen in remissionem peccatorum dare non potuit. Remissio namque peccatorum in solo nobis baptismo Christi tribuitur. Notandum itaque quod dicitur, Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, quoniam baptismum quod peccata solueret, quia dare non poterat, prædicabat: vt sicut incarnatum verbum patris præcurrebat verbo prædicationis, ita baptismum pœnitentiæ quo peccata soluũtur, præcurreret suo baptismate, quo peccata solui non possunt. *Et baptizabantur ab illo in Iordane flumine, confitentes peccata sua.* Exemplum est confitendi peccata, ac meliorem
vitam, promittendi eis, qui baptisma accipere desiderant, sicut etiam prædicante Paulo in Epheso, multi credentium veniebant confitentes & annunciantes actus suos, quatenùs abdicata vita veteri, renouari mererentur in Christo. Vnde etiam beato Petro offensis in linteo cælesti diuersi generis animantibus, dictum est: Surge Petre, occide & manduca. quod est apertè dicere: Occide infideles ab eo, quod fuerant priùs, abrenunciatione sceleri, & promissione piæ religionis, ac sic fidei christianæ sacramentis imbutos, in sanctæ Ecclesiæ membra comminuta. *Et erat Ioannes uestitus pilis cameli, &*

zona pellicea circa lumbos eius. Pilis, inquit, vestitus, non lana. Aliud austeræ vestis indumentum est, aliud luxuriæ mollioris. Zona autem pelli- 4. Reg. 1.
cea, qua accinctus fuit & Elias, mortificationis indicium est. Porrò quod sequitur: *Et locustas & mel syluestre edebat*, habitatori solitudinis congruum est, vt non delicias ciborum, sed necessitatem humanæ carnis expleret. Potest habitus & victus eius per significationem, etiam qualitatem internæ conuersationis eius non inconuenienter exprimere. Namque austeroribus vtebatur indumentis, sicut etiam Dominus in laudibus eius protestatus est, ad Iudæos
dicens: Quid existis videre? hominem molli- Matth. 11.
bus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. quia vitam peccantium non blandimentis fouit, sed vigore asperæ in-
uectionis increpauit, dicens: Genimina vipera- Luc. 3.
rum, quis vobis demonstrauit fugere à ventura ira? Zonam pelliceam habebat circa lumbos suos, quia carnem suam crucifixit cum vitijs & concupiscentijs suis: quod eorum esse proprios Gal. 5.
qui sunt Iesu Christi, Apostolo attestante didicimus. Locustas & mel syluestre edebat, quia dulce quidem sapiebat turbis prædicatio eius, exi-
stimante populo, & cogitantibus omnibus in Luc. 3.
cordibus suis de eo, ne fortè ipse esset Christus, sed ocyùs finem sortita, intelligentibus eius auditoribus, quia non ipse Christus, sed præcursor & propheta esset Christi. In melle etenim dulcedo, in locustis est alacer volatus, sed citò deciduus. *Et prædicabat dicens: Venit fortior post me, cuius non sum dignus procumbens soluere corrigiam calceamentorum eius.* Mos apud veteres fuit, vt si quis eam quæ sibi competeret, accipere vxorem nollet, ille ei calceamentum solueret, qui ad hanc sponsus iure propinquitatis veniret. Quid igitur inter homines Chri-
stus, nisi sanctæ Ecclesiæ sponsus apparuit? de quo & idem Ioannes dicit: Qui habet spon- Ioan. 3.
sam, sponsus est. Sed quia Ioannem homines Christum esse putauerunt, quod idem Ioannes negat, rectè se indignum esse ad soluendam corrigam eius calceamenti denunciat, ac si apertè dicat: Ego redemptoris vestigia denudare non valeo, quia sponsi nomen mihi immeritus non vsurpo: quod tamen intelligi & aliter potest. Quis enim nesciat, quòd calceamenta ex mortuis animalibus fiunt? Incarnatus verò Dominus veniens, quasi calceatus apparuit, quia in diuinitate sua morticina nostræ corruptionis assumpsit. Sed huius incarnationis mysterium humanus oculus penetrare non sufficit. Inuestigari enim nullatenùs potest, quomodò corporatur verbum, quomodò summus & viuificator spiritus intra vterum matris animatur, quomodo is qui initium nõ habet & exisit, & concipitur. Corrigia ergo calceamenti, est ligatura mysterij. Ioannes itaque soluere corrigiam calceamenti eius non valet, quia incarnationis mysterij nec

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipſe inueſtigare ſufficit, qui hanc per prophetiæ ſpiritum agnouit. *Ego uos baptizaui in aqua, ille baptizabit uos in ſpiritu ſancto.* Non quidem adhuc Ioannes Dominum manifeſtè Deum, aut Dei eſſe filium, ſed tantùm virum ſe fortiorem prædicat. Non enim rudes adhuc auditores tanti capiebãt arcana ſacramenti, quòd filius Dei æternus, homine aſſumpto ex virgine, denuò natus eſſet in mundum: ſed paulatim per agnitionem glorificatæ humanitatis, introducendi erant ad fidem diuinæ æternitatis. Quibus tamen quaſi latenter quodammodò ac velato ſermone Deum hunc eſſe verum declarat, dum eum ſpiritu ſancto baptizaturum eſſe confirmat. Cui enim dubium, nullũ poſſe alium gratiã ſancti ſpiritus niſi Deũ dare? Tempore autem procedente, cùm capacio res iam ad intelligendũ eoſdem ſuos videret audi-
Ioan. 1. tores, etiam filium Dei illum apertè prædicauit, dicens: Sed qui me miſit baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris ſpiritum deſcendentem & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto. Et ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt filius Dei. Baptizamur autem à Domino in ſpiritu ſancto, nõ ſolùm cùm in die baptiſmatis fonte vitæ in remiſſionẽ peccatorum abluimur, verumetiam quotidiè, cùm per gratiam eiuſdem ſpiritus ad hæc agenda quæ Deo placent, accendimur.

Sublimia rudibus paulatim tradenda.

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

Matth. 1.

In illo tempore: Cùm eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph, antequàm conuenirent, inuenta eſt in utero habens de ſpiritu ſancto. Et reliqua. Homilia Origenis de eadẽ lectione.

Eſt Homilia 1. in diuerſos.

VAE ſuit neceſsitas, vt deſponſata eſſet Maria Ioſeph, niſi propterea, quatenùs hoc ſacramentum diabolo celaretur, & ille malignus fraudis commenta aduerſus deſponſatam virginem nulla penitùs inueniret? Vel ideò fuerat deſponſata Ioſeph, vt nato infanti, vel ipſi Mariæ curã videretur gerere Ioſeph, ſiue in Aegyptum tranſiens, ſiue indè denuò veniẽs. Ideò deſponſata fuit Ioſeph, nõ tamẽ in cõcupiſcẽtia iũcta. Mater, inquit, eius. Mater immaculata, ma-
Confeſſio virginitatis Mariæ ter incorrupta, mater intacta. Mater eius: Cuius ei? Mater Dei vnigeniti, domini & regis omniũ, plaſmatoris & creatoris cunctorũ: illius, qui in excelſis ſine matre, & in terra eſt ſine patre: ipſi⁹, qui in cælis ſecundũ deitatẽ in ſinu eſt patris, & in terris ſecundùm corporis ſuſceptionem in ſinu eſt matris. O magnæ admirationis gratia, ô inenarrabilis ſuauitas, ô ineffabile magnumq; ſacramentum. Ipſa eademque virgo, ipſa & mater Domini, ipſa & genitrix, ipſa eius ancilla, plaſmatio eius ipſa quæ genuit. Quis vnquã iſta audiuit? quis vidit talia, & quis cogitare potuit, vt mater virgo eſſet, & intacta generaret, quæ & virgo permãſit, & genuit? Sicut enim quondã rubus cõburi videbatur, & ignis eũ nõ tangebat: & ſicut tres pueri in camino incluſi habebantur, & tamen eos non lædebat incendium, nec odor ſumi erat in eis: vel quemadmodùm Danieli intra lacum leonum incluſo, clauſtris nõ apertis, alla-tum eſt prandiũ ab Abacuc: ita & hæc ſancta virgo genuit Deũ, ſed intacta permãſit: mater effecta eſt, ſed virginitatẽ nõ amiſit: genuit infantẽ, &, vt dictum eſt, virgo permãſit: mater filij facta eſt, & caſtitatis ſigillũ nõ perdidit. Quare? Quia nõ homo iſte tantũ qui videbatur, ſed vnigenitus erat Deus, qui in carne aduenerat. Nec ſubitò carnaliter genitus eſt, ſed perfecta deitas in corpore venit. Integer ergo iſte & indiuiſus Deus, in humano aduenies vel genitus eſt corpore: quicq; Deus & Dominus, figurã ſerui ſuſcepit. Nõ enim pars vnigeniti venit in corpore, nec ſe ipſe diuiſit, vt dimidius eſſet apud patrẽ, & dimidius eſſet in virgine: ſed totus apud patrem, & totus in virgine, totus in ſinu patris, & totus in humano corpore: nõ relinquẽs ſuperna, venit quærere terrena, quæ in cælis ſunt conſeruans, & quę in terra ſunt ſaluans. Vbiq; omnipotẽs, inſciſus, indiuiſus, hic ſanctus vnigenitus Deus. Si enim hoc verbũ humanũ & corporale immiſſũ in aures plurimorũ, nõ diuiditur per ſingulos, vt pars in alio, & pars ſit iterũ in alio, ſed in omnib⁹ integrũ & plenũ habetur, vt in vnoquoq; totũ ſit: quãto magis verbũ Dei vnigenitus vbiq; totus eſt, & in cælo & in terra, & apud patrẽ, & in virgine, & non diuiditur, vt dictum eſt, neq; ſcinditur, neque in partes efficitur, ſed totu, totum tenet, totum implet, totum illuſtrat & poſsidet? Huius itaq; vnigeniti Dei dicitur hæc mater virgo Maria, digna digni, immaculata ſancti, vna vnius, vnica vnici. Nec enim alter vnigenitus ſuper terrã venit, aut alia virgo vnigenitũ genuit. In his omnibus quæ dicta ſunt, deſponſata legitur mater eius Maria. Et ait: *Inuenta eſt in utero habens.* Cui inuenta, aut à quo inuenta eſt? Primò ab angelis cuſtodientibus eam, protegentibus eã, conſeruantibus eam, vel eius beatiſsimam animã, ad honorem illius qui ab ipſa generandus erat. Dehinc inuenta nõ incongruè putatur ab ipſo beato Ioſeph ſancto & iuſto, qui penè licentia maritali, licet eam non contigeret, futuræ tamen, vt putabatur, vxoris omnia nouerat. *Ioſeph autem uir eius, inquit, cùm eſſet homo iuſtus, & nollet eam traducere.* Virum eum appellauit contra Iudæorũ prauitatem, vt aduerſus virginem non fæuirent: propterea & deſponſata fuit ipſi Ioſeph, vt ſuprà dictum eſt. Si enim non fuiſſet deſponſata Ioſeph, omnium bonorum increduli & inimici Iudæi lapidibus eã occidiſſent. Ideò virum eius hîc eum euangeliſta ap-

Ioſephi iuſtitia.

pellauit. Ioſeph vir eius cùm eſſet homo iuſtus. Iuſtus autem in verbo, iuſtus in facto, iuſtus in legis conſummatione, iuſtus in initio gratiæ. *Iuſtus itaque cùm fuiſſet, & nollet eam traducere, uoluit occultè dimittere eam.* Noluit eam traducere, noluit eam accipere, noluit eam malè diffamare: ſed voluit eam occultè dimittere. Occultè eam à ſe dimittere volebat, ſicut pius, ſicut manſuetus, ſicut miſericors. Talis ergo cùm eſſet Ioſeph, cogitabat eam occultè dimittere. *Hæc, inquit, illo cogitante.* Quærendum eſt nobis, nunquid cogitauerit, vt occultè eam dimitteret: & ſi cogitabat vt eam dimitteret, & ſi ita ſuſpicioné in eã habebat, quomodò iuſtus erat. Si ergo non eſt ſuſpicatus, vel tale aliquid cogitauit, cur eam dimittere volebat? Vt immaculatam & ſanctam voluit dimittere? Iniuſtum enim & hoc erat. Sedenim ſimplicem ſenſum audi huius rationis. Ioſeph iuſtus erat, & illa virgo immaculata erat: ſed ideò illam dimittere volebat, quoniam virtutem myſterij, & ſacramentum quoddam magnificum in eadem cognoſcebat, cui approximare ſeſe indignum æſtimabat. Ergo humilians ſe ante tantam & tam ineffabilem rem, quærebat ſe longè facere, ſicut & beatus Petrus Domino ſe humilians aiebat:
Luc. 5. Recede à me Domine, quoniam homo peccator ſum. Vel ſicut ille Centurio ad eundem Dominum mittens, dicebat:
Matth. 8. Non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum: quia nec meipſum dignũ
Luc. 1. exiſtimaui ad te venire. Vel ſicut S. Elizabeth ad ipſam beatam locuta eſt Mariam, dicens: Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me. Sic & Ioſeph iuſtè humilians ſeſe in omnibus, cauebat & timebat ſibimetipſi tantæ ſanctitatis coniunctionem adhibere: & ideirco volebat eam occultè dimittere: Dimittam eam, dicens, & à me longe faciam eam, & à cognitione mea. Maior eſt enim eius dignitas, ſuperexcellit eius ſanctitas, nec meæ congruit indignitati. ideò volebat eam occultè dimittere. *Hæc autem eo cogitante, angelus Domini per uiſum apparuit ei, dicens: Quid dubitas ô Ioſeph?* quare imprudenter cogitas? quare irrationabiliter meditaris? Deus eſt enim qui generatur, virgo quæ generat. Huius generationis miniſter es, & non largitor: ſeruus, & non dominus: mancipium, & nõ plaſmator. Propterea miniſtra, ſerua, cuſtodi, fer curam: intende & huic qui naſcitur, & huic quæ generat. Etenim ſi tibi vxor nominatur, ſi deſponſata tibi eſſe dicitur, non tamen tibi vxor eſt, ſed Dei vnigeniti electa mater eſt. Propterea Ioſeph fili Dauid, qui has promiſsiones accepit, cui iſta fidelia data ſunt teſtamenta, Ioſeph fili Dauid, non tantùm ſecundùm carnem, ſed & ſecundùm ſpiritũ, Ioſeph fili Dauid. Si enim filius Dauid, iuſtè & hæres eius tanquam filius patris. Ideò in hæreditatem accipe ea, quæ illi promiſſa ſunt, teſtamenta fidelia. *Ioſeph fili Dauid, ne timueris accipere Mariam coniugem tuam.* Ne timueris, ne trepidaueris, ne conturberis: ſed ſecurus & intrepidus accipe eam, ſecundùm legis præceptũ vxorem tibi nominatam, ſed ſecundùm nuptiarum conſuetudinem & coniunctionem longè alienam. Accipe ergo eam ſicut commendatum cæleſtem theſaurũ, vt deitatis diuitias, ſicut pleniſsimam ſanctitatem, ſicut perfectam iuſtitiam. Accipe eam ſicut vnigeniti manſionem, ſicut honorabile templum, ſicut domum Dei, ſicut creatoris omnium propriam, ſicut regis ſpõſeph fili Dauid, ne timueris accipere eam tibi commendatam, tuæ religioſitati creditam. Serua, fer curam, attende, fugiens ab Herode, duc in Aegyptum, iterum remeans poſt Herodis mortem, deduc in terram Iſraël. Ne timueris accipere Mariam coniugem tuam. Coniugem audiẽs, non expaueſcas, nec cõturberis, nec tu, nec quiſquam ſequentium vſq; in conſummationem ſeculi. Coniugem eam dico propterea, vt diabolo virginitatem eius occultẽ, & vt Iudæorum prauitatem excludam atq; deijciam, vt legis inſtituta non deſtruam: & in conſequentibus demonſtrabo, quod iſta nec tua coniunx ſecundùm cõſuetudinem coniugij habeatur, nec iſte qui generatur, tuus filius eſſe credatur. *Quod enim naſcetur ex ea, de ſpiritu ſancto eſt.* Quia ſcilicet cooperator huius natiuitatis ſpiritus ſanctus eſt. nam vnigenitus filius, qui ante ſecula ineffabiliter ex ſolo patre natus eſt, iam ſeculi appropinquante fine, ex voluntate patris in humano corpore ſancto cooperante ſpiritu, inter homines venit. Iſte *Iſai. 9.* eſt, de quo ſcriptura prænunciauit, dicens: Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Patris etenim vnigeniti filius, ex virgine generatus eſt, vt illam virginẽ priorẽ ſuam quæ ceciderat, iterum renouaret atq; erigeret: & qui per prauam voluntatem filij effecti fuerant diaboli, per adoptionem gratiæ filios efficeret Dei. *Pariet, inquit, filium, & uocabis nomen eius Ieſum.* Virgo generat, & tu hunc genitum vocabis Ieſum, quod interpretatur ſaluator. *Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Vocabis, ait, nomen eius hoc quod antè fuit, quod ante ſecula nominatum eſt. Non tu ei impones nomen, nec ex te ei vocabulum conſtitues: ſed nomina & voca exultando Ieſum, id eſt, ſaluatorem. Saluatorem eum eſſe teſtare, neque ex tempore cœpiſſe ſaluare, ſed iam antiquiſsimum ſaluatorem. Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Duo enim per hoc verbum præclara deſignantur, quod & Deus ſuerit & Dominus priùs ante incarnationem Chriſtus, & quòd populus eius ab eo ſaluandus, iam tũc annũciabatur. Et ideò dictum eſt: Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum, vt verè Deus. Dei enim eſt virtutis, à peccatis ſaluare, vel peccata dimittere. Iſte ergo filius Dei habẽs populum ſuum, ipſum venit, vt dictum eſt, liberare à peccatis, atque ſaluare, ſiue ex Iu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dæis, siue ex gentibus, de quo ipse iam per prophetam fuerat elocutus, dicens: Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodiè genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuã, & possessionem tuam terminos terræ. Ipse saluabit populum suum à peccatis eorum, sanguine videlicet suo cunctos redimens, morte sua de mortis eos liberans potestate. Ipse saluabit, hoc est, erit saluator omnium hominum fidelium atque credentium. *Hoc autem totum factum est.* Quod totum? Hoc de vnigeniti descẽsione, hoc de ista Domini incarnatione, hoc de angeli ad virginẽ destinatione, hoc de ipsius virginis desponsatione vel castitate. Hoc enim totum factum est ad totius mundi salutem: hoc totum factum est, vt vnum compleretur, vt vnum consummaretur. Quid illud? Quòd virgo genuit, quòd virgo permansit, quòd mater fuit, & intacta virgo perseuerauit. *Ecce virgo in utero concipiet.* Audite quod dicit omnes filiæ Euæ: audite omnes vos, quę hęreditatem doloris & tristitiæ post illam & ex illius condemnatione sumpsistis: vos quæ in tristitia generatis filios, vel magis vos, quæ concupiscentiam corruptibilem non timuistis: audite & lætamini, audite & consolamini, audite quòd virgo in vtero accipiet, non ex desiderio partum concipiens: neque serpentis persuasione decepta est, neque eius afflatibus venenosis infecta est: sed virgo in vtero accipiet, prædicationem angeli suscipiens, prophetarum testimonia assumens. Virgo in vtero accipiet, vt Deum dignanter incarnatum, ad mundi pariat salutem. Ecce, inquit. Hoc ipsum quod dicit, Ecce, admirantis est tanti mysterij magnitudinem, vt omnes velut de somno suscitans, ad hoc dictum euigilet. *Ecce virgo, dicit, in utero accipiet, & pariet filium.* Ad colligandum illum fortem armatum, ad conculcandum serpentis impij caput, ad conterendas vires eius, ad prædam eius diripiendam, adque captiuitatem populi sui conuertendam, pariet filium, ad denuò reparandum Adam, ad inobedientiam Euæ per Mariæ obedientiam excludendam, ad erigendum iacentium genus, quod per mulieris temerariam credulitatem fuerat deiectum. *Et uocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus.* Vocant nomen eius priùs angeli, psallentes in eius generatione atq; gaudẽtes, sicut Deum omnium & regẽ pacis, ad homines venientẽ. Deinde apostoli, vnigeniti Dei dominationem atque virtutem omnibus gentibus prædicãtes. Adhuc & sancti martyres, contra ignes & gladios vsque ad mortem resistentes. Deinde cuncti credentes, hoc ipsum nomen vsque ad consummationem seculi memorantes atque laudantes. Et vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus. Qui vocabunt, nisi iusti, quorum vocabitur in terra nomen nouum, non sicut priùs in figuris & imaginibus, sed facie ad faciem apparentem? Nobiscum Deus. Abrahæ patri credentium tribus horis temporis, licet non per ipsam ineffabilem deitatis substantiam, sed potiùs per angelicam speciem à meridie visus est: nobis trigintatribus annis in terra apparuit, & cum hominibus cõuersari dignatus est. Iacob etiam breui tempore per angelum nihilominùs apparuit colluctans cum eo, quique se ab eo superari permisit, vt hunc mundicordem meritò benediceret, atque Israël nominaret. Nobiscum Deus, ampliùs magis pro nobis magnificum certamen adimplens, & vsque ad mortem accedens, vt morte sua mortem occideret, & benedictionem ac immortalitatem mundo corde populo condonaret, qui fiducialiter dicit, Nobiscum Deus, per euangelistarum & apostolorum prędicationẽ, per sui sancti corporis & sanguinis sacramentũ, per glorioſæ crucis signaculum. Per ista ergo omnia nobiscum Deus, & ad nos atque in nobis, sicut ipse ait: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Qui cum patre & spiritusancto viuit & regnat in secula seculorum, AMEN.

Psal. 2.

Gene. 18.

Gene. 32.

Matth.

DE EADEM VIGILIA. HOMILIA EVSEBIJ Emeseni.

PRimùm autem quærẽdum est, cur beata Maria desponsata fuerit, quæ ante partum virgo, in partu virgo, & post partum virgo, nunquam viro cognita erat. Multæ enim ex hoc rationes reddi possunt. Si enim virum non habuisset, & grauida videretur, nulla ei excusatio subuenire posset, vt quasi adultera non lapidaretur. Quis enim ei crederet sine viro concepisse? quis ei crederet de spiritu sancto eius vterum intumuisse? Erat enim hoc inusitatum & sine exemplo. Melius ergo fuit, vt semper virgo, ad tempus non virgo putaretur, quàm accusata secundùm legem lapidaretur. Non enim violatur virginitas falsa opinione. Occiditur autem innocens plerunq; falsa accusatione. Poterat enim Dominus & aliter matrem suam non solùm ab iniusta damnatione, verùm & à falsa opinione defendere si vellet, qui semper in potestate habuit facere quicquid vellet. Cur autem hæc magis voluerit, ipse scit, non ego. Sic ei placuit, placeat igitur & nobis. Indigebat præterea viri auxilio multis modis virgo Maria, quia secundùm Dei dispositionem in Bethleem paritura erat, & eam simul cum filio in Aegyptum fugere oportebat: sic enim à Deo fuerat dispositum, sicà prophetis anteà nunciatum, sic futurum erat, & mutari non poterat. Hæc est igitur causa, cur desponsata fuerit. *Cùm autem esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequàm conuenirent inuenta est in utero habens de spiritusancto.* Quæritis fortasse, qualis mater. quærite priùs, qualis filius. Non habet filius in hominibus parem, non habet mater in mulieribus similem. Specioſus ille præ filijs hominum: speciosa illa quasi aurora consurgens. Fecit ille matrẽ suam, quod nemo alius fecit: peperit illa filium & virgo permansit: quod nulla alia fecit. Fuit ille antequam mater, non fuit ista antequã filius. Quid enim horum mirabilius tibi esse videtur? vtrumque enim mirabile est: quia nec priùs nec posteriùs factum est. *Antequam conuenirent, inquit, inuenta est in utero habens de spiritu sancto.* Quid est, Antequam conuenirent? antè quàm simul in vna domo habitarent: nondum enim conuenerant, nõdum simul habitabant. Ille in sua, & illa adhuc in sua domo manebat. *Et tamen inuenta est in utero habens de spiritu sancto.* Quererẽ ego à quo inuenta fuisset, si tales inuenire difficile esset. Multa enim signa sunt, quibus grauidæ mulieres cognoscuntur. Videbatur grauida ab ijs, qui ei familiares erant: nemo tamen eam suspectam habebat, quoniam desponsatam esse sciebant. Intellexit hoc tandem Ioseph, & sponsam suam grauidam esse cognouit: mirabatur igitur, & circa sponsam suam zelotypia mouebatur. Quid faceret? prodere eam timebat, ne occideretur: dimittere eam cogitabat, quod & sibi facile, & periculosum esse sentiebat: daret enim ei libellum repudij. Sic enim præcipit lex. Hoc est autem quod sequitur: *Ioseph autem uir eius, cùm esset iustus, & nollet eam traducere, uoluit occultè dimittere*, quam accusare nolebat. Nolebat eam traducere in domum suam, quã videbat grauidã esse de nõ suo. *Hoc autem eo cogitante, ecce angelus Domini in somnis apparuit ei, dicens: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Cùm, inquit, ita cogitaret, cùm his angustijs æstuaret, cùm quid faceret, dubitaret: ecce angelus Domini, ecce nuncius cælestis, ecce Gabriel consiliator virginis, eiusque cõscius castitatis, cui hęc secreta erant commissa, cui hæc mysteria reuelata fuerant, apparuit Ioseph in somnis, & benè quidem in somnis. Si enim Ioseph non dormisset, si extra se nõ fuisset, si mentis oculos apertos habuisset, si solem, qui iam in Maria oriebatur, spiritusancto reuelãte cognouisset, proculdubiò nihil tale cogitare potuisset. Audiamus autem quid angelus dixerit: *Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Noli, inquit, timere, noli dubitare: tollo hanc zelotypiam, pelle suspectionem: non est vt cogitas, nondum cognouisti hanc virginem, nondum benè vidisti Mariam coniugem tuam. Ipsa enim est templum Dei, ipsa est porta cæli, ipsa est Domina tua, quam putas esse sponsam tuam. Accipe igitur eam, iam nunc quasi dominam, non quasi coniugem, accipe eam, non tibi traditam, sed commodatam. Sis ei obediens, non imperans vt maritus. Quare hoc? Vis audire quare? *Quia quod in ea natum est, de spiritu sancto est.* Sufficiebat hoc audire, sufficiebat & credere. Non quæramus qualiter de virgine incarnatus, & qualiter de spiritu sancto natus est Christus. Credidit enim virgo Maria & concepit. Hoc enim testatur Elizabeth: Beata, inquit, quæ credidisti, quia perficientur in te ea, quæ dicta sunt tibi à Domino. Credidit enim virgo, & operante spiritu sancto, verbum caro factum est. *Pariet autem filium, & uocabis nomen eius Iesum.* Quare autem tali nomine vocetur, protinùs subinferens ait: *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Manifestum est igitur, quia saluator interpretatur.

Psal. 44. Can. 6.

Luc. 1.

IN EPISTOLAM PRIMAE MISSAE NATIVITATIS Domini Concio exegetica.

ADest iam dilectissimi, vt verbis vtar beatissimi illius Leonis Papæ, eius nominis primi, dies ille, quãdo in Christo ipsa ad peccatores misericordia ipsa ad errantes veritas, ipsa ad mortuos vita descẽdit, vt verbũ illud coæternũ & coæquale genitori, in vnitatẽ deitatis suæ naturã nostræ humilitatis adsumeret, & Deus de Deo natus, idẽ etiã homo de homine nasceretur. Magna se igitur nobis hodie offert occasio lætãdi, tãta nobis gratuita Dei benignitate oblata gratia: sed interim tamẽ necesse est, vt hæc lætitia non de carne sit, sed de spiritu, non huius mundi, sed Dei, vt ex animo gaudeamus nobis natũ, nobis datum filium Dei, at nihilo minùs quid ipsa sua natiuitate nobis insinuet attentiùs consideremus, & ardentibus animis imitandum suscipiamus. Eò cùm vel maximè nos inuitet & extimulet ea lectio, quæ hoc die in primo Missæ sacro recitatur, eam exponendam suscepimus, spe bona freti, fore vt eius expositio nonnihil vobis vtilitatis adducat. Habetur autem in Epistola ad Titum his verbis: *Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus &c.* Magna sanè & insignis, prorsusque gratuita gratia quæ apparuit in Christo, quando is propter nos miseros factus est homo, vt nos cum Deo patre in gratiã restitueret. Quis hanc gratiam vllis possit verbis consequi? quis vel dignè æstimare sufficiat? Totũ hoc gratiæ fuit, & quidem prorsus gratuitæ. Non est quòd ist huc suis meritis tribuãt homines. Gratia saluati estis, ait alibi idẽ Apostolus, per fidẽ (& hoc nõ ex vobis, Dei enim donũ est) nõ ex operibus, vt ne quis glorietur. Agnoscimus gratiã, amplectimur gratiã, & quoad possumus, tantæ gratiæ totis animi visceribus gratias agere nõ cessamus. Sed num hic iam subsistendũ est, nũ in hac Dei gratia ita acquiescendũ, vt nos interim ceteris omnibus vacui, in vtranq; aurẽ securi dormiamus? Minimè gentiũ: Audiuimus apparuisse omnibus hominibus, Iudæis, ethnicis, seruis, liberis,

Serm. de Natiu. Domini.

Tit. 2.

Ephes. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

beris, maribus, fœminis, græcis, barbaris &c. gratiam Dei saluatoris nostri, & illa gratia cum Deo restituti sumus in gratiã, quod nullis meritis nostris fieri poterat: sed quemadmodum in Epistola ad Ephesios mox addit Apostolus ad ea verba, quæ inde paulò antè citauimus, etiam
Ephes. 2. ista, Ipsius enim factura sumus, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus: ita & in hac ad Titum Epistola è vestigio subiungit: *Erudiens nos, ut abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo, & cæt.* Vbi quis non videat ab ira Dei liberatos quidem nos esse gratuita ipsius Dei gratia, sed postquam per baptismũ, cuius virtus omnis ex Christi sanguine proficiscitur, Deo recõciliati sumus, iam deinceps id à nobis exigi, vt in ea recõciliatione permaneamus, & in Dei gratia in dies crescam⁹, quod fieri non potest, nisi vitiorum profligatione, & sedula virtutum & bonorum operum exercitatione. Sed nec hîc tamen quicquam Deo gratum præstare possumus ex nobisipsis, dicente Domino, Sine me nihil potestis facere, putà,
Ioan. 15. quod Deo gratum sit: at tamen quia bona quæ agimus, Deo nos adiuuante & vires suppeditãte agimus, grata sunt Deo opera nostra, & habent meritum vitæ æternę, non ex nobisipsis, sed ex gratuita Dei promissione, & ex dignitate gratiæ ea per nos, non tamen sine nobis efficientes. Facesset erga omnis praua opinio. Certum est gratuita Dei gratia saluos nos fieri in baptismo, vbi non tam humanorum operũ merita, quã Christi sanguis operatur: at nihilo minus certum est rectissimè dictum ab Apostolo de ijs, qui iam baptizati sunt, Non coronabitur, nisi qui le-
2. Tim. 2. gitimè certauerit. Cùm ergo multa sese offerant homini iam per gratiã renato & iustificato certamina, tum falsarũ opinionũ & errorũ, tũ improbarum cupiditatũ & flagitiorum, necesse est, vt qui iam renatus est & Christi sanguine expiatus, perpetuum suscipiant bellum aduersum istiusmodi, & quemadmodũ Chrysostomus ait, abneget impietatem, id est, peruersa dogmata, itemq; secularia desideria, hoc est sceleratã atq; improbã vitam. Hoc opus, hic labor est: sed
1. Cor. 3. consolatur nos Apostolus, dicens. Vnusquisque
Ioan. 14. propriam mercedem accipiet secundùm suũ la-
1. Cor. 16. borem. Inde est, quod Dominus ait: In domo patris mei mansiones multę sunt, nimirùm propter diuersitatem meritorum. Stella enim ab stella in claritate differt, sic erit & resurrectio mortuorũ. Non ibi sola fides examinabitur, sed etiam opera: immò verò si baptizatis opera defuerint,
Matth. 25 audient à iusto iudice, Ite maledicti in ignem æternum. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare & cæt. Non hîc multis opus est concertationibus: tantùm in seipsum quisq; descendat: inueniet in seipso multam materiã pugnãdi contra seipsum. Et hæc pugna finem non habet, licet sit Deo disponente modò remissior, modò acrior, donec spiritus hos regit artus. Ca- Gal. 5
ro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Sed tamen consolatione plenum est, quod ait Apostolus, Non est Rom. 8
damnatio his qui sunt in Christo Iesu, qui non secundùm carnem ambulant: id est, qui tametsi sentiunt veteris hominis impugnationes, tamen illis non obsequuntur. Sed vt illis non obsequantur, magni laboris est. Itaque Deus bonus & iustus, qui solus laborem & dolorem considerat, gratuita benignitate sua dignatus est eiusmodi pro pietate susceptis laboribꝰ nostris æternã polliceri mercedem, qua eius pollicitatione nos freti, certi sumus bona opera apud ipsum sempiternum habitura præmium, porrò sola, nuda & ociosa contentos fide, cum dæmonibus æterno affligendos supplicio. Ait ergo Apostolus, & quidem Apostolico spiritu: Vt abnegãtes impietatem & secularia desideria (quæ 1. Ioan
exponens Apostolus Ioannes, Omne, inquit, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ) sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo, sobriè, erga nos: iustè, erga proximos: piè erga Deum. Hoc loco pro sobriè. Hieronymus legit, pudicè. Ambrosius temperãter. Chrysostomus, vides, inquit, sobrietas non modò abstinentiã fornicationis iudicat, vtrũ perturbationũ quoq; reliquarum. Ita secundùm Chrysostomum generalem hîc sobrietas habet significationem, vt sit mediocritas quædam non tantùm in illis voluptatibus quæ tactu percipiuntur, sed etiam in appetendis diuitijs & alijs. Immo hunc in locum Chrysostomus scribens, vel maximè perstringit auaros, dicẽs eos fornicatoribus fœdiores atque impotentiores esse. Deinde etiam iustè viuendum est erga proximos. Iustitiæ officia Lib. 6.
sunt, vt inquit Lactantius, humanitas, æquitas, misericordia. Expulsio autem iustitiæ, vt ibidem paulò infrà ait, nihil aliud, quàm desertio diuinæ religionis putanda est, quæ sola efficit, vt homo hominem charum habeat, eumq; sibi fraternitatis vinculo sciat esse constrictum: siquidem pater idem omnibus Deus est, vt Dei, patrisque communis beneficia cum ijs, qui non habent, partiatur: nulli noceat, nullum premat: non fores claudat hospiti, non aurem precanti: sed sit largus, beneficus, liberalis, quas regias esse laudes Tullius existimauit. Hæc est In
profectè iustitia, & cæt. Idem rursus alibi, Secundùm, ait, iustitiæ officium est, hominem agnoscere velut fratrem. Si enim Deus fecit, & vniuersos ad iustitiam, & ad vitam æternam part
conditione generauit, fraterna vtique necessitudine cohæremus: quam qui non agnoscit, iniustus est. Et infrà: Radix iustitiæ, & omne fundamentum æquitatis est illud, Vide vt ne facias vlli, qd' pati nolis: sed alterius animũ de tuo metieris. Si acerbũ est iniuriã ferre, & qui eã fecerit, videtur iniustus, transfer in alterius personam, quod In Tit. cap. 2.

quod in te sentis, & in tua, quod de altero iudicas: & intelliges tam te iniustè facere: si alteri no ceas, quàm alterũ si tibi. Hæc Lactantius. Postremò etiam piè viuere iubemur. Hoc præcipuè erga Deum curandũ est, à quo habemus quicquid & sumus & possumus: vt iure meritoq; totum id quod sumus & possumus, in eius cultum cõferre debeamus. Et hæc est pietas, verus Dei cultus, qui fide, spe & charitate constat. Sed heu, quàm hodiè neq; sobriè, neq; tẽperanter erga seipsos, non iustè erga proximos, non piè erga Deum viuunt homines? Non est ergo, quod ij expectent beatam spem, id est, beatam immortalitatem. Rectè enim D. Hieronymus hunc Apostoli locum interpretans, Pietas, inquit, expectat beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei & saluatoris nostri Iesu Christi. Sicut enim impietas magni Dei reformidat aduẽtum, ita secura de opere suo & de fide illum pietas prestolatur. Hæc Hieronymus. Sobriè ergo, & iustè, & piè qui viuit, expectat beatam spem & aduentũ gloriæ magni Dei, qui est Christus iudex viuorum & mortuorum, qui reddet vnicuique secundum opera eius. Qui autem solam professionem fidei habet sine bonis operibus, vt in hunc locum scribens ait Ambrosius, eius spes frustrata est. Vident hîc iam Christiani omnes, quibus studijs dediti esse debeant: nempe sobrietati, iustitiæ, pietati, vnde nascitur expectatio futurę beatitudinis. Væ ergo illis, qui toto pectore mundi huius voluptatibus & vanitatibus dediti sunt, quos certa manet damnatio nisi resipiscant. Sequitur in Apostolo: *Qui dedit semetipsum pro nobis.* Magnum hoc & stupendũ est beneficium, quòd cùm nos morti sempiternæ addicti essemus, Dei filius peccata nostra in se transtulit, & pœnas ijs debitas ipse luit. Sed cur tandem id fecit? An verò, vt iam nos supini & oscitantes, nullam nostræ salutis curam geramus? Minimè sanè: *sed ut nos redimeret ab omni iniquitate,* id est, incomparabili precioſi sanguinis sui precio liberaret ab omni impietate: Indignissimum ergo fuerit semel à peccati iugo liberatos, iterum peccati seruos fieri. *Et mundaret sibi populum acceptabilem,* id est, egregium & peculiarem. Peculiaris autem tunc esse posset, inquit D. Hieronymus, si bonorum operum æmulator existeret. Hoc enim subdit Apostolus, *sectatorem bonorum operum,* quod Hieronymus ex Græco vertit æmulatorem, cuius vocis emphasim vrgens Chrysostomus, Vides, inquit, vt non simpliciter à nobis opera virtutum exigantur? Addidit nempe sectatorem, græcè ζηλωτὴν, hoc est, magna cum alacritate, atque ingenti studio & animo, virtutis opera capescentem: qua in re vehementia quædam adsit necesse est. Ad hoc enim, vt Ambrosius ait, Christus nos redemit, vt puram vitam sectantes, repleti operibus bonis, regni Dei hæredes esse possimus. Hoc igitur curandum est omnibus è religione Christianis, vt peccatis omnibus in baptismo se nouerint esse mortuos, atque iam inde à baptismo studeant ambulare in nouitate vitæ, quod fit alacri & feruenti executione bonorum operum. Interim verò si nonnunquam labi in peccata contingat, meminerint illius dicti apostolici, si quis peccauerit, aduocatum ha- 1. Ioan. 2.
bemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propiciatio pro peccatis nostris. Sed huius tamen propiciatione aduocati ita gaudeant, vt non dubitent sibipsis quoq; agendam pœnitentiam. Habẽt igitur toto vitæ suæ spatio Christiani omnes satis superq; quod agant. Mundatus es ab omni iniquitate in baptismo: sed remanet fomes peccati, quædam pronitas in peccatum: aduersum hanc luctamen sumendum molestum & perpetuum, quod ni facias, relaberis in pristinam peccati seruitutem, & Christus nihil tibi contulerit, nisi rursum ad pœnitentiæ remedia reuersus, ad nouum contra vitia certamen te accingas. Non est quod putes futuræ beatitudinis immensam gloriam ocio torpentibus & luxu diffluentibus obuenturam. Accingere igitur ad sectanda bona opera feruenti spiritu, & hunc spiritum foue quotidianis bonorum operum exercitijs: sine alios suam inanem & ridiculam iactare fidem, tu tuam erga Deum viuam fidem studiosa mandatorum eius executiõe declara. Qui enim se dicit nosse De- 1. Ioan. 2.
um, & mandata eius non custodit, mendax est. Si quis autem diligit me, ait Christus ipse, ser- Ioan. 14.
mones meos seruabit. Ideo idem ipse iam ascensurus in cælum, dixit ad discipulos suos: Eun- Matt. 28.
tes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis. Quæ cùm sint extrema verba seruatoris nostri iam ex hoc mundo ad Patrem demigrantis, non debent surda aure accipi, sed accuratissimè expendi & diligentissimè obseruari. Et quamuis non absque magno labore fieri possit, quod ait, seruare nos debere omnia quæcunque mandauit Apostolis, non tamen is labor subterfugiendus est, nisi velimus à regno Christi excludi. Sed idem Dominus, qui tam multa & magna exigit à credentibus, tot rursus tamq; præclaris & eximijs nos consolatur promissionibus, suam quoque in hac vita laborantibus fidissimam gratiæ opẽm pollicetur, vt non possimus nisi impudentissimè pro ipso subeundos labores recusare. Bo Galat. 6.
num ergo facientes non deficiamus: suo enim tempore metemus non deficientes, quando vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Deniq; in præsenti lectione addit Apostolus: *Hæc loquere & exhortare.* Vbi perstringit illos, qui perpetuò iactant auditores vana fidei solius iactatione, cùm tamen nihil æquè populo inculcandum sit, quàm vt fidem suam optima viuendi ratione & alacri bonorum operum studio, vitiorum mortificatione, virtutum exercitatione, & omni pietate de-

Universidad de Deusto
Biblioteca

clarent, alioquì proculdubiò nullum habituri cum illo consortium, qui hodiè dignatus est ꝓpter nos homo nasci ex virgine, vt nos ád amissam cæli beatitudinem postliminiò reduceret: cui cũ patre & spiritusancto omnis est honor & gloria per infinita secula, Amen.

IN NOCTE NATIVITATIS DOMINI. Luc. 2.

In illo tempore, Exijt edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur uniuersus orbis. Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino. Et ibant omnes ut profiterentur, singuli in ciuitatem suam. Et rel. Homilia beati Gregorij papæ.

OVia largiente Domino, Missarum solénia ter hodiè celebraturi sumus, loqui diù de euangelica lectione nó possumus: sed nos aliquid breuiter dicere, redemptoris nostri natiuitas ipsa compellit. Quid est quòd nascituro Domino mundus describitur, nisi hoc quòd apertè monstratur, quia ille apparebat in carne, qui electos suos adscriberet in æternitate? Quo contrà de reprobis per
Psal. 63. prophetam dicitur: Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur. Qui bene etiam in Bethleem nascitur. Bethleem quippe domus panis interpretatur. Ipse nanque est qui
Ioan. 6. ait: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Locus ergo in quo Dominus nascitur, domus panis antè vocatus est, quia futurum profectò erat, vt ille per materiam carnis appareret, qui electorum mentes interna satietate reficeret. Qui non in parentum domo, sed in via nascitur, vt ꝓfectò ostenderet, quia per humanitatem suam quam assumpserat, quasi in alieno nascebatur. Alienum videlicet, non secundùm potestatem dico, sed secundùm naturam. Nam de potestate
Ioan. 1. eius scriptum est: In propria venit. In natura etenim sua ante tempora natus est, in nostra venit ex tempore. Qui ergo æternus permanens, temporalis apparuit, alienum est vbi descendit. Et
Esai. 40. quia per prophetam dicitur, Omnis caro fœnũ: factus homo, fœnum nostrum vertit in frumen-
Ioan. 12. tum, qui de semetipso ait: Nisi granum frumenti cadẽs in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Vnde & natus in præsepio reclinatur, vt fideles oẽs, videlicet animalia sancta, carnis suæ frumento reficeret, ne ab internæ intelligentiæ pabulo ieiuna remanerent. Quid aũt est hoc, ꝙ vigilantibus pastoribus angelus apparet, eosque Dei claritas circunfulget, nisi quòd illi præcæteris videre sublimia merentur, qui fidelibus gregibus præesse solicitè sciũt? dumq; ipsi piè super gregem vigilant, diuina super eos gratia largiùs coruscat. Regem verò natum angelus nunciat, eiusq; voci angelorum chori concinũt, & cõgaudentes clamãt: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Priùs quippe quàm redemptor noster per carnem nasceretur, discordiam cum angelis habuimus, à quorũ claritate atq; munditia, per primæ culpæ meritum, & per quotidiana delicta lõgè distabamus. Quia enim peccando extranei eramus à Deo, extraneos nos à suo consortio deputabant angeli, ciues Dei. Sed quia nos cognouimus regem nostrũ, recognouerunt nos angeli ciues suos. Quia enim rex cæli terram nostræ carnis assumpsit, infirmitatem nostram illa iam angelica celsitudo non despicit. Ad pacem nostram angeli redeunt, intentionem prioris discordiæ postponunt: & quos priùs infirmos abiectosq; despexerãt, iam vt socios venerantur. Hinc est enim quòd Loth & Iosue angelos adorant, nec tamẽ adorare prohibentur: Ioannes vero in Apocalypsi sua adorare angelum voluit, sed tamen idem hunc angelus, ne se debeat adorare compescit, dicens: Videne feceris, conseruus enim tuus sum & fratrũ tuorum. Quid est, quòd ante redemptoris aduẽtum angeli ab hominibus adorantur, & tacent, postmodùm verò adorari refugiunt, nisi quòd naturam nostram, quàm priùs despexerãt, postquàm hanc super se assumptam conspiciunt, ꝓstratam sibi videre pertimescunt? Nec iam sub se velut infirmam contemnere ausi sunt, quam super se videlicet in cæli rege venerantur: nec habere dedignantur hominem socium, qui super se adorant hominem Deum. Curemus ergo fratres charissimi, ne qua nos immunditia polluat, qui in æterna præscientia & Dei ciues, & angelis æquales sumus. Vindicemus moribus dignitatẽ nostram. Nulla nos luxuria inquinet, nulla nos turpis cogitatio accuset: non malitia mentẽ mordeat, non inuidiæ rubigo consumat, non elatio inflet, non ambitio per terrena oblectamenta dilaniet, non ira inflammet. Dij etenim vocati sunt homines. Defende ergo tibi, ô homo, contra vitia honorem Dei, quia propter te factus est Deus homo.

DE EADEM NOCTE AC EVANGELIO Luc. 2. HOMILIA venerabilis Bedæ presbyteri.

AVdiuimus ex lectione euangelica fratres charissimi, quia nascituro in mundum redemptore mundi, Deo & Domino nostro Iesu Christo exijt edictum à Cæsare Augusto, qui tunc mundani regni apicem tenebat, vt mundus describeretur vniuersus. Quod non casu contigisse putandum est, sed certissima dispensatione eiusdem nostri redemptoris intelligendum esse prouisum. Ipse etenim mediator Dei & hominum, sicut matri sibi diuinitùs quam voluit præuidit, de qua nasceretur quando vellet humanitùs: ita etiã tẽpora natiuitatis quæ voluit elegit, immò ipse ea qualia

qualia voluit esse donauit, talia videlicet, in quibus sopito turbine bellorum, noua pacis trãquillitas totum contegeret orbem. Quod enim maius in hac vita potuit esse pacis indicium, quàm ab vno homine orbem describi vniuersum, atq; vnius census numismate concludi? Matrẽ quippe elegit virginem, quia nõ aliter Dei filium nasci in carne, quàm de intemerata genitrice decebat. Tempus quando nasceretur summæ pacis
Ephe. 2. elegit, quia hæc nimirùm ei nascendi in mundo causa fuit, vt genus humanum ad supernæ pacis dona reduceret. Hinc etenim scriptum est: Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, id est, qui de angelis & hominibus vnam Dei domum pius mediator & reconciliator instituit. Pacis ergo temporibus natus est Dominus noster, vt etiam
Esa. 9. statu temporis ipsum esse se doceret, de quo ꝓmissa prophetia dicebat: Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Vnde bene idẽ propheta aliàs, cùm incarnationis illius ac nostrę redemptionis sacramenta mystico sermone
Esai. 2. descripsisset, dicens: Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice mõtium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes: serenitatem quoq; pacis quæ tũc esset futura, manifestè signauit, subijciens: Et cõflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltrà ad prælium. Propter quod & mox exhortando subiunxit: Domus Iacob, venite & ambulemus in lumine Domini. Præmisit ergo tempora pacis, & sic apparens in carne ipse author pacis, & temporum conditor, primo domui Iacob, id est, plebi Israeliticæ, deinde cunctis gentibus ad se confluentibus ianuam lucis aperuit, & pacis æternæ gaudia prędicauit. Nec prętereundum, quòd eius pacis terrena serenitas nato regi cælesti non solùm testimonium gratię perhibuit, sed & obsequium impendit: quia prædicatoribus verbi illius peragrãdi orbem facultatem tribuit, & vbicunq; vellent euangelij gratiam disseminandi. Quod fieri minimè posset, si non vno totus orbis regeretur imperio. Sed & ipsa totius orbis descriptio, quæ à terreno rege facta memoratur, cælestis operis regis manifestè designat, qui ad hoc nimirùm apparuit in mundo, vt de cunctis per orbem nationibus electos in vnitatem fidei suæ colligeret, ac nomina sua sicut ipse promisit, in ęternum scriberet in cælo. Hoc quoq;, quòd ad edictum Augusti ibant omnes vt profiterentur, singuli in suam ciuitatem, in nostri regis est nobis seruitio spiritualiter agẽdum. Nostra quippe ciuitas, sancta Ecclesia est, quæ partim adhuc peregrinatur à Domino in terris, partim iam cũ Domino regnat in cælis, & post finẽ huius seculi perfecta in ęternum tota cum illo regnabit. In hanc ergo ciuitatem debemus omnes ire: nullum à tam salubri itinere oportet excusari. Omnes nos necesse est nato regi debitum pendere cẽsum, hoc est, & in vnitate nunc Ecclesiæ præsentis, iussis obtemperare diuinis, & ad ingressum patriæ cælestis infatigabili bonorum operum cursu properare. Dabatur autem in professione census denarius, qui decem nummorum in se pondus habebat, Cæsaris imaginem continens & nomẽ: quod nos quoque spiritualiter oportet imitari. Soluimus enim regi nostro denarium, cùm decę præcepta legis illius implere sătagimus. In quo videlicet denario nomen eiusdem regis nostri conscriptum gestamus, cùm in cunctis actibus nostris meminerimus nos à Christo Christianos vocari, ac dignitatem nominis ipsius intemeratam in nobis conseruare curamus. Imaginẽ quoque eius in eodem denario bonæ nostræ conuersationis exprimere debemus, illam vtiq; quam ipse docuit, dicens: Sancti estote, quia & ego sanctus sum, dominus Deus vester. Hæc est nanque imago Dei, ad quam in primo homine conditi sumus, vt videlicet participatione diuinę sanctitatis perpetuò sancti essemus. Hinc etenim Psalmista ait: Signatum est super nos lumen vultus
Psalm. 4. tui Domine. Sed quia hoc lumen diuini vultus homo peccando amisit, placuit Deo humani vultus habitum in carne nascendo assumere, quò nos doceret in spiritu debere renasci. Placuit in similitudine carnis peccati sine peccato apparere, vt nos emũdaret ab omni peccato, & claritatẽ nobis suæ reformaret imaginis. *Ascẽdit aũt, inquit, Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæã ciuitatẽ Dauid, quæ uocatur Bethleem, eò quod esset de domo & familia Dauid, ut profiteretur cũ Maria desponsata sibi uxore, prægnante.* Diuinitùs constat esse procuratum, vt ad suam quisq; ciuitatem pergens, ibi censum profiteretur, quatenùs hoc edicto generali parentes nostri saluatoris de Nazareth in Bethleem venire contingeret, sicque ad complenda vaticinia prophetarum, vtraque ciuitas incarnationis eius insigniretur arcanis, vna videlicet conceptionis, altera natiuitatis honore præfulgens. Testatur nanque Isaias prophe-
Esai. 11. ta, quòd redemptorem nostrum in Nazareth concipi oporteret, cùm dicit: Egredietur virga de radice Iesse, & Nazaræus de radice eius ascendet. Interpretatur aũt Nazaræus flos siue mundus. Quo vocabulo, incarnatus pro nobis Dei filius rectè potuit cognominari, quia & ipse mundus vitijs omnibus, naturam susceptit hominis, & in se credentibus cunctis flos spiritualium fructuum origoque processit, quibus rectè ac beatè viuendi & monstrauit exempla, & dona concessit. Egressa est ergo virga de radice Iesse, & Nazaræus de radice eius ascendit: quia intemerata virgo Maria de stirpe Dauid orta est, de cuius carne Dominus in ciuitate Nazareth veritatem carnis sine inquinamento carnis assumpsit. Quòd verò in Bethleem esset nasci-

Denarius mysticè ut soluendus.

Leuit. 19.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mich.5. sciturus,hoc quoq; propheticis designatur oraculis,cùm dicitur: Et tu Bethleem Ephrata parvula es in millibus Iuda,ex te enim egredietur, qui sit dominator in Israël. Qui bene in Bethleem nascitur,non solùm propter indicium regij stemmatis,quia Dauid inde fuit: sed & propter nomen ipsum, quia Bethleem domus panis interpretatur. Ipse nanque ait: Ego sum panis viuus,qui de cælo descendi. Quia ergo propterea de cælo ad terram descendit, vt nobis vitæ cælestis alimoniam donaret, nosque æternæ dulcedinis munere satiaret,meritò locus in quo nascitur,domus panis vocatur. Est & alia ratio supernæ dispositionis, qua Dominus noster non in ea,qua conceptus erat,ciuitate,sed in alia nasceretur,vt videlicet ex hoc inimicos insidiantes facilius natiuitatis eius conscij vel ministri deuitarent.Præuidebat quippe,quòd eum mox natum Herodes persequi,atq; ad mortem quærere inciperet. Et propterea sic natiuitatis eius mysterium voluit in ciuitate Dauid peragi,vt parentes eius non ibi domum, non possessionem haberent,sed tantummodò tempore natiuitatis ipsius illò nouitij aduentarent,hospites manerent: statimque completa eadem natiuitate,ac declaratis signis cælestibus,quę ei testimonium dare decebat, Aegyptum cum ipso secederent. Sic etenim factum est, vt non solùm eum dum quæreret Herodes,minimè reperiret, sed nec vl Iam cognatos eius vexandi occasionem haberet, cuius parentes qui essent explorare non poterat. Nec prætereunda silentio maxima conditoris & redemptoris nostri dignatio, qui non solùm incarnari pro nobis, sed eo tempore voluit incarnari,quo mox natus,professione census adscriberetur. Induit enim carnem,vt nos virtute spiritus indueret. Descendit de cælo ad terras, vt nos de terris eleuaret ad cælum. Soluit tributum Cæsari,vt nobis perpetuæ libertatis gratiam donaret.Seruiuit Dei filius in homine regi, qui diuinæ seruitutis ignorabat obsequium, vt nobis per hoc humilitatis formam tribueret. Insinuat videlicet,quantùm per charitatem seruire debeamus inuicem,cùm ipse non despexerit ei, qui veræ charitatis erat nescius,impendere seruitium.Vbi hoc quoq; suo prænonstrauit exemplo, quod postmodùm principis apostolorum erat verbo docturus: Subditi estote omni creatu- 1.Pet.2.
ræ humanæ propter Deum: siue regi, quasi præcellenti,siue ducibus,tanquam ab eo missis. *Factum est autem, inquit, cùm essent ibi, impleti sunt dies ut pareret. & peperit filium suum primogenitum.* Primogenitum vocauit Dominum, non quia credendum sit beatam Dei genitricem alios post eum peperisse filios, quam perpetua castitate vnà cum viro suo Ioseph constat esse memorabilem,sed ob id eum rectè primogenitum appel- Ioan.1.
lat,quia sicut Ioannes ait, Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. In quibus filijs ipse iure primatum tenet, qui & antequàm nasceretur in carne, Dei filius absque initio natus extiterat. Descendit autem ad terras,factus est nostræ particeps naturæ, largitus est nobis suæ participium gratiæ,vt sicut Apostolus ait, Sit ipse primogenitus in multis fratribus. Rom.8.
Et pannis eum, inquit, inuoluit, & reclinauit eum in præsepio,quia non erat ei locus in diuersorio. Et hic intuenda est,fratres charissimi,magna redemptoris nostri dignatio, hic ex totis medullis cordis vnicuique nostrum cum propheta dicendum: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Ille enim cui veraciter canimus,Magnus dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis. Paruulus natus est nobis, vt nos renascendo de paruulis magnos,hoc est,de peccatoribus faceret iustos. Qui ad dexteram patris sedet in cælo,loco egebat in diuersorio, vt nobis copiam felicium mansionum in domo patris sui donaret. Qui omnem creaturam siue in cælis inuisibilem,siue visibilem in hoc mundo, multifarijs induit ornatibus,qui in sua maiestate,sicut de eo proheta dicit,amictus est lumine sicut vestimento, ipse in assumptione nostræ fragilitatis exiguis contegitur pannis,vt primam nobis stolam restituat, id est, ad gratiam nos immortalitatis, quam in primo parente amisimus,miseratus reducat. Ille per quem omnia facta sunt,manuspedesq; suos, immò totum corpus quod induit,cunis inuolui disposuit,vt manus nostras in bono opere promptas redderet,pedes nostros in viam pacis dirigeret, cuncta corporis nostri membra diuinis manciparet obsequijs.Ille,quem cælum & cæli cælorum non capiunt, parui præsepis angustia continetur,vt amplitudinem nobis supernarum sedium tribueret: & quadam præcipui gratia sacramenti in præsepio sibi sedem elegit, vbi animalia solent ad vescendum conuenire. Insinuauit enim iam tunc, quia fideles omnes in sacrosancta altaris mensa, eiusdem incarnationis suæ mysterijs esset refecturus. Indicauit etiam, quia cunctos sibi humiliter obsequentes, internæ suauitatis soleat gratia recreare; quibus bene per prophetam dicitur: Cognouit bos possessorẽ suum, & asinus præsepe Domini sui. In boue etenim designat populum Iudæorum,qui iugum legis portare,& eius consueuerat verba ruminare. In asino autem exprimit populum gentium,qui sordibus idololatriæ semper manebat immundus. Ex quo vtroque populo plurimi ad euangelij gratiam conuersi, & possessorem à quo creati sunt cognouerunt, & cælestibus eius quærebant alimonijs ad perpetuam crescere salutem. Quorum primitias ei consecratas accipimus in pastoribus illis meritò venerandis, qui natum eum primi angelo nunciante videre & prædicare meruerunt,& in Magis,qui ad eius cunabula de Oriente cum muneribus & precibus stella duce venerunt.Hi nanq; de Iudæis ad Dominum, illi venere de gentilibus. Verùm de Magis die sancto Epiphaniæ,ipso ad quem venere Domino propiciante,plenius audiemus. Interim de pastoribus,qui primi ad eum venientes,prioris populi fideles designant,quæ sint gesta videamus. Sequitur: *Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum, & ecce angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circunfulsit illos.* Aptè autem satis hoc superna est prouidentia dispositum, vt nascente Domino pastores in vicinia ciuitatis eiusdem vigilarent,suosq; greges à timore nocturno vigilando protegerent. Oportebat nanque, vt cùm magnus pastor ouium,hoc est,animarum nutritor fidelium, in mundo natus est,testimonium eius natiuitati vigilãtes supra gregem suum pastores darent. Ipse Ioan 10.
enim est qui ait: Oues meę vocem meam audiunt,& ego cognosco eas,& sequuntur me,& ego vitam æternam do eis. Nam & futurum iam tunc erat,vt per orbem vniuersum electi pastores, id est,prædicatores sancti mitterentur, qui ad ouile dominicum,videlicet sanctam Ecclesiam,populos credentium cogerent. Quorum primo, hoc est, beato Petro, cùm se Dominum amare profiteretur,idem Dominus ac princeps pastorum,ad comprobandum eundem amorem præ- Ioan.21.
cepit,dicens: Pasce oues meas. Quia nimirum solus ille cõditorem perfectè diligit, qui & proximis curam puri amoris impendit. *Et ecce, inquit, angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circunfulsit illos, & timuerunt timore magno.* Quid est quòd apparente angelo diuinæ claritatis eos splendor circundedit,quod nunquam in tota testamenti veteris serie reperimus,cùm tam innumeris vicibus angeli prophetis & iustis apparuerunt,nusquam eos fulgore diuinæ lucis homines circundedisse legimus,nisi quòd hoc priuilegium rectè huius temporis dignitati seruatum est? Cùm enim vera lux mundi nascebatur in mundo, dignum profectò fuit, vt præco natiuitatis illius,etiam corporales hominum visus nouitate cælestis perfunderet lucis. Dicit Psal. 117.
nanque de illius natiuitate propheta: Exortum est in tenebris lumen rectis corde. Et quasi quæreremus,quod esset lumen de quo diceret, continuò subdit: Misericors & miserator & iustus Dominus. Cùm ergo misericors & iustus conditor ac redemptor generis humani, mundum gloriæ nouæ natiuitatis illustrare dignatus est, decebat omnibus modis, vt ipsam etiam in qua natus est regionem claritas lucis nouæ compleret. Apparens ergo cum claritate, quid angelus pastoribus dicat,audiamus. *Nolite timere. Ecce enim euangelizo uobis gaudium magnum,quod erit omni populo.* Verè gaudium magnum,quia gaudium cælestę,gaudium æternum,gaudium quod nulla tristitia interueniente turbatur. Quod erit, inquit, omni populo: non omni populo Iudæorum, neque omni populo gẽtium,sed omni populo credentiũ, qui vel de Iudæis vel de gẽtibus orbis totius ad vnam Christi confessionem aggregatur, ab vna eademque mysteriorum Christi perceptione Christianus vocatur,de quo dicit prophe ta:Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lu- Esai.9.
cem magnam. *Quia natus est nobis hodie saluator, qui est Christus Dominus,in ciuitate Dauid.* Bene dixit,hodie natus est: non dixit, Hac nocte: quia videlicet cum luce cælesti apparuit, qui diem natum euangelizabat his, qui vigilias noctis agebant, illum videlicet de quo Psalmista præcinit,dicẽs: Psal. 95.
Bene nunciate diem ex die salutare eius. Salutare quippe Dei,id est, Dominus Iesus, dies est ex die: quia qui temporaliter in ciuitate Dauid homo ex virgine matre apparuit, ipse ante omnia tempora,non localiter,lumen de lumine, Deus verus de Deo vero natus est. Quia ergo habitantibus nobis in regione vmbrę mortis lux orta est vitæ,aptè nuntius ortus eiusdem dicit, Quia natus est vobis hodiè saluator,vt hoc quoq; verbo admoniti semper recordemur,quia nox præcessit antiquæ cæcitatis, dies autem appropinquauit æternæ salutis,& ipsi abijciamus opera tenebrarũ,& vt filij lucis ambulemus. Fructus enim lucis est,sicut idem Apostolus ait,in omni iusti- Ephe.5.
tia,& bonitate,& sanctitate. *Et hoc uobis signum. Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.* Hoc nobis signum nati in carne saluatoris semper animo retinere condecet,vt semper eius beneficijs gratias rependere bene viuendo discamus,quia ita voluit habitum nostrę fragilitatis assumere,vt paupertatis quoq; generalis statum non refugeret. Est enim indicium assumptæ infirmitatis,quòd infans pannis inuolutus est: & paupertatis,quòd non in strato,sed in præsepio positus inuenitur. Misericordias ergo Domini in æternum cantemus,qui vt nos perpetuò beatè viuamus,ipse abiectionis ac mortalitatis nostræ socius fieri non abnuit. Annunciante autem angelo vno gaudium dominicæ natiuitatis, repentè multitudo militiæ cælestis adfuit, quæ eidem nato Domino obsequium suæ deitionis redderet,& quem in cælo glorificare semper consueuerat, nunc solita hymnorum laude apparente in terra concelebrat. Vbi nos quoque sua laudatione cæli ciues instituunt, qualiter huius sacratissimæ solennitatis gaudia celebremus, quod in ea caro factum est, & habitauit in nobis, vt nos ad suæ gloriæ visionem Ioan.1.
subleuaret,nobis participium gratię & veritatis, qua ipsum plenum est, donaret. Laudant ergo Deum, & dicunt: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis.* Et apertè gloriam Deo dicunt,pacem prædicant hominibus: quia illum,in cuius natiuitate lætantur, mediatorem Dei & hominum,hoc est, Deum esse verum & hominem norunt. Gloriam in excelsis Deo cantant,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tant, quia iam venisse tempus illud exultãt, quo mundus abiectis dijs, qui ab hominibus facti sunt, conditorem suum qui in cælis est cognosceret. Pacem optãt hominibus, quia quos eiectos priùs ab æterna felicitate merito peccati despexerant, iam nunc redimente Domino, in eiusdẽ supernæ habitationis gaudijs secùm futuros intelligunt. Pacem hominibus mandant, quos in cælesti Hierusalem, hoc est, in visione perpetuæ pacis socios habere desiderant, vt ipsos quoque homines admoneant, per obseruantiam pacis ad suum debere peruenire consortium. Et bene cùm dicerent, & in terra pax hominibus, adiungunt, bonæ voluntatis: quia cum illis societatem pacis angelici spiritus habere festinãt, quorum mentibus puritatem bonæ voluntatis inesse considerant. Illos secum post absolutionem carnis ad contemplationem veræ pacis subuehere lætantur, quos in carne commorantes, omnia quę agunt aut loquuntur, de radice bonæ voluntatis proferre conspiciunt. Tales nanque etsi infirmitas fortè aliquando, vel ignorantia à perficienda ea, quam cupiunt, bona actione retardat, ante interni tamen arbitri oculos integritas, quam corde tenent, bonæ voluntatis excusãt.

Bona uoluntas quæ sit.

Bona autem voluntas est, diligere conditorem nostrum ex toto corde, tota anima, tota virtute, diligere & proximos tanquam nosipsos, atque eiusdem dilectionis in nobis vigorem indicijs, quibus valemus, piæ actionis ostendere. Quod cùm omnibus horis atq; momẽtis facere debeamus, quanto magis cùm natiuitatem Domini ac saluatoris nostri vel annua festiuitate colimus, vel frequentiore deuotione recolimus? In qua specialiter angelica exhortatione docemur, dona ei bonæ voluntatis offerre, in qua ciues patrię cælestis eidem bonæ voluntati nostræ consortium suæ pacis promittunt: in qua ipsi quoque eundem hymnum angelici concentus Deo dicere solemus. Sit igitur nobis, fratres charissimi, communis ista solennitas terrestribus cum cælestibus, nec tantùm ista solennitas, sed & omnis nostra conuersatio sit supernorum ciuium apta consortio. Meditemur interim in via, quod habere desideramus in patria. Concordemus etiã nos in quantùm valemus, vitæ illi mundissimæ beatorum spirituum, cui tunc associari speramus interna puritate mutuæ dilectionis, si diuinæ laudationis dona, quibus in futuro vacare cupimus, etiam in præsenti sectemur. Discamus cũ

Col. 3.

Apostolo dicere: Nostra conuersatio in cælis est, vnde etiam saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum. Illi namq; saluatorem ad iudicium venientem cum gaudio expectant, qui se ad eius voluntatem, cælestem in terris vitam egisse meminerunt. Dat autem etiam fragilibus nobis ac minus perfectis magnam spem percipiendæ salutis, ipse conditor & saluator noster, qui pro nostra confirmatione fragilis apparens, mox ore consono militiæ cælestis, bonæ nostræ voluntati dona suæ perpetuæ pacis promisit, Iesus Christus Deus & Dominus noster, qui viuit & regnat cũ patre in vnitate spiritus sancti, per omnia secula seculorum, Amen.

IN EADEM SANCTA NOCTE HOMILIA EVSEBII Emeseni.

QVòd mundus vniuersus describitur, & sub vnius potestatis tributum redigitur, magnæ pacis indiciũ est. Si enim mundus adhuc repugnaret, & contra Romanum imperium dimicaret, nequaquàm eius edicto describi, & sub tributum redigi potuisset. De hac enim pace propheta prædixerat: *Et* Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltrà ad prælium. Et Psalmista: Orietur in diebus eius iustitia & *Psal.* abundantia pacis. Quia enim princeps pacis oriebatur, pacem vtique fieri oportebat. *Et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam ciuitatem. Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam ciuitatem Dauid, quæ uocatur Bethleem, eò quòd esset de domo & familia Dauid, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante.* His enim verbis aperte monstratur, quòd hæc descriptio secundũ familias facta fuerat: vnde ad proprias ciuitates atq; familias vbicunque essent, singulos redire oportebat, quatenùs cõmunicato consilio omnes simul tributum dare promitterent, & facta descriptione secundùm vnamquamque familiam totius tributi summam colligerent. Venit itaque & Ioseph cum Maria desponsata sibi vxore prægnante in Bethleem ciuitatem Dauid, vbi eorũ familia habitabat, vt & ipsi, sicut cæteri eandem facerent professionem. *Factum est autem dum essent ibi, impleti sunt dies ut parceret, & peperit filium suũ primogenitum.* Ibi enim Christum nasci oportebat, quia sic per prophetam nunciatum fuerat: Et tu Bethleem terra Iuda, non eris minima in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regnat populum meum Israël. Primogenitus autem secundùm legem filius dicitur, qui primus de matris vtero procedit, siue alij sequantur, siue non sequantur. Cùm enim lex statim post vnum mensem omne primogenitum Domino offerre præcipiat, quis non intelligat sine alicuius relatione primogenita dici, cùm nihil adhuc genitũ sit, cui hoc primogenitum referri possit. Quid enim si mater illicò mortua fuerit, vel si vlteriùs filiũ non genuerit? Nunquid ideircò primogenitus ille non erit, qui ex ea iam natus, & post vnum mensem Deo oblatus, ab ipsa lege primogenitus est vocatus? Igitur aut lex mentitur, aut primogenitus aliquando sine relatione dicitur. Peperit itaque beatissima virgo, concipiens virgo, pariens virgo, & in æternum permanens virgo. Clausa ante

ante partum, clausa in partu, clausa post partum. *Peperit enim filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio.* O pietas immensa, ò humilitas ineffabilis, ô sacramentum inenarrabile. Deus homo fit: æternus, temporalis, immensus, localis, immortalis, passibilis: paruis pannis inuoluitur, qui cæli ambitu pro magnitudine non continetur: Quis audiuit vnquã tale? Quis vidit huic simile? Reclinatur in præsepio, & panis viuus, qui de cælo descendit, non hominibus, sed pecorib.

Esa. 1. anteponitur, id est, non Iudæis, sed gentibus ministratur. Tunc cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Sed quid dicã, ꝙ cæli terræq; creator, quòd Rex regum & Domi-

2. Cor. 8. nus dominantium nõ habuit locum in diuersorio? Sic enim Apostolus ait: Quia cùm omnium diues esset, pro nobis pauper factus est. *Et pastores erant in regione eadem uigilantes & custodientes uigilias noctis super gregem suum. Et ecce angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circunfulsit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis angelus: Nolite timere. Ecce enim euangelizo uobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est uobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid.* Quantum enim ad literam, ea causa esse videtur, vt priùs pastoribus hæc verba angelus nunciaret, ne quasi incauti stabulum intrarent, & in præsepe adire tentarent: in quo puer positus erat: spiritualiter aũt

Ecclesia, stabulum. stabulum, Ecclesia: præsepe, scriptura diuina: pa-

Psal. 67. stores verò, episcopi & doctores intelliguntur. Stabulum enim vocatur Ecclesia, ad quam Dei animalia vndique fluunt, ibiq́ue stant, & morantur in ea, vnde scriptum est: Animalia tua Domine inhabitabunt in ea. Hæc autem animalia, quasi in præsepio, in diuina scriptura cibis spiritualibus nutriuntur: ibi positum inueniunt Christum, ibiq́ue comedunt panem viuum. Beati qui huius præsepis cibis aluntur, & de delicijs ibi positis reficiuntur. Vos autem Ecclesiæ pastores, vos episcopi & sacerdotes, audite & intelligite: vobis angelus loquitur, vobis hoc gaudiũ magnum euangelizat, quia vobis datũ est nosse mysterium regni Dei, vobis datum est nosse & intelligere secreta cæli, Nunciate ergo quod audistis, prædicate quod vidistis, nolite cælare quod cognouistis. Toties enim Christus in stabulo oritur, toties vt paruulus in præsepio ponitur, quoties virginis partum & Christi natiuitatem alijs nunciatis. Inde enim hodierna festiuitas, natiuitas Domini vocatur: non ꝙ hodie Dominus nascatur, non quòd Dominus iterum de virgine oriatur, sed quòd eius natiuitatis memoria hodiè innouatur & in illius commemoratione celebratur & prædicatur. *Et hoc uobis signum. Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.* Vtinam hoc signum Iudæi susciperent, & Christum nobiscum in præsepio quærerent. Quamuis enim pannis sit inuolutus, & sub velamine lateręs iaceat occultus, inuenirent tamen si eũ quę-

rerent, & intelligerent si credidissent. Quisquis igitur es, qui vis videre Iesum, accede ad hoc præsepe, scrutare scripturas, remoue pannos, pelle literam. Litera enim occidit, spiritus autem *2. Cor. 3.* viuificat: & tunc videbis quod videre non poteras. Sic enim Ecclesiæ pastores eum quærunt, & quærentes inueniunt, & inuenientes venerantur & credunt. *Et subitò facta est cum angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Dominum, & dicentium: Gloria in excelsis Deo, &c.*

IN EADEM SANCTA NOCTE, VEL AVRORA, Luc. 2.

In illo tempore, Pastores loquebantur ad inuicẽ: Trãseamus usq; Bethleẽ, & uideamus hoc uerbum quod factũ est, quod fecit Dominus & ostendit nobis. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

NAto in Bethleem Domino saluatore sicut sacra euangelij testatur historia, pastoribus, qui in regione eadem erant vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum, angelus Domini magna cũ luce apparuit, exortumq; mundo solem iustitiæ, non solùm cælestis voce sermonis, verùm etiam claritate diuinæ lucis astruxit. Nusquam enim in tota veteris instrumẽti serie reperimus angelos, qui tam sedulò apparuere patribus, cum luce apparuisse, sed hoc priuilegium rectè hodierno tẽpori seruatum est, quando exortum est in tenebris lumẽ *Psal. 111.* rectis corde, misericors & miserator Dominus. Verùm ne parua vnius angeli videretur authoritas, postquàm vnus sacramentum nouæ natiuitatis edocuit, statim multitudo cælestium agminũ, quæ gloriam Deo caneret, pacemq́; simul hominibus prædicaret, adfuit, apertè demonstrans, quia per hanc natiuitatẽ homines ad pacẽ vnius fidei, spei & dilectionis, atq; ad gloriam diuinæ laudationis essent conuertendi. Significant autẽ *Pastores mysticè.* mysticè pastores isti gregum, doctores quoslibet ac rectores fidelium animarum. Nox cuius vigi- *Nox.* lias custodiebant super gregẽ suum, pericula tentationũ indicat, à quibus se suosq́; subiectos oẽs, qui perfectè vigilant, custodire non desistunt. Et bene nato Domino, pastores super gregẽ vigilant. Ille etenim natus est, qui dicit: Ego sum *Ioan. 10.* pastor bonus: bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Sed & tempus imminebat, quo idem pastor summè bonus, missis in mũdum pastoribus, oues suas, quæ longè lateq́; dispersę errabant, ad semper virentia cælestis vitæ pascua reuocaret. Quorum summo pastori præcepit: Si *Ioan. 21.* diligis, inquiẽs, me, pasce oues meas. Quod apte *Luc. 22.* riens ait: Confirma fratres tuos. *Et factum est, ut discesserunt ab eis angeli in cælum, pastores loquebantur ad inuicem: Transeamus usq; Bethleem, & uideamus hoc uerbum quod factum est, quod fecit Dominus & ostendit nobis. Et uenerunt festinantes, & inuenerunt Mariam & Ioseph, & infantem positum in præsepio.* Pastores quidem illi felici gaudio festinarũt videre quod au-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dierant,& quia ardenti amore quæsierunt,continuò saluatorem quem quęsierunt, inuenire meruerunt. Sed intellectualiũ pastores gregũ, immò cuncti fideles, qua mentis industria Christũ quærere debeant, dictis pariter suis ostenderũt & factis. Transeamus,inquiunt, vsq; Bethleé, & videamus hoc verbum quod factũ est. Transeamus ergo &nos fratres charissimi,cogitãdo vsq; Bethleem ciuitatem Dauid,& recolamus amando,ꝙ in ea verbũ caro factum est,atq; eius incarnationé dignis celebremus honoribus. Trãseamus abiectis concupiscentijs carnalibus, toto mentis desiderio vsque Bethleem supernam, id est,domum panis viui,non manufactam, sed æternam in cælis,& recolamus amando, quia verbum caro factum est. Illuc carne ascendit, vbi in dextera Dei sedet. Illuc eum tota virtutum instãtia sequamur,& solicita cordis & corporis castigatione procuremus, vt quem illi in præsepio videre vagientem,nos in patris solio mereamur videre regnantem. *Et videamus,inquiunt, hoc uerbum quod factum est.* Quàm recta & pura fidei sanctæ confessio. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum,& Deus erat verbum. Hoc verbum natum ex patre,non factum est, quia creatura Deus non est. In qua natiuitate diuina videri ab hominibus non potuit,sed vt videri posset, verbum caro factum est,& habitauit in nobis. Videamus ergo,aiunt, hoc verbum quod factũ est: quia antequam factum esset, hoc videre nequiuimus. Quod fecit Dominus,& ostendit nobis: quod incarnari fecit Dominus, & per hoc visibile nobis exhibuit, *Et uenerunt festinantes, & inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio.* Venerunt pastores festinantes & inuenerunt Dominũ hominé natum,simul & ejusdé natiuitatis ministros. Festinemus & nos fratres mei,non passibus pedum, sed bonorum profectibus operum,videre eandé glorificatã humanitatẽ cum eisdem ministris,digna seruitutis suę mercede remunerati. Festinemus videre illum in diuina patris ac sua maiestate fulgentẽ. Festinemus,inquam,nam tanta beatitudo non cũ desidia ac torpore quæréda,sed alacriter sunt Christi sequenda vestigia. Nam ipse cursum nostrum data manu iuuare desiderat,delectaturq; audire à nobis: Trahe me post te,curremus in odore vnguẽtorum tuorum. Citiùs ergo virtutum gressibus sequamur, vt mereamur consequi. Nemo tardet conuerti ad Dominũ, nemo differat de die in diem: ipsum per omnia precantes, vt gressus nostros dirigat secundum eloquium suum, & non dominetur nostri omnis iniustitia. *Videntes autem cognouerunt de uerbo, quod dictum erat illis de puero hoc.* Et nos,fratres dilectissimi, quæ dicta sunt nobis de saluatore nostro, Deo vero & homine,interim pia fide recipere,plena dilectione festinemus amplecti,vt hoc in futuro perfectè cognitionis visu comprehendere valeamus. Hæc etenim sola ac vera est beatorũ, non solùm hominum,sed & angelorũ vita,faciem perpetuò sui cernere creatoris,quam desiderabat ardenter Psalmista,qui dicebat: Sitiuit anima mea ad Deum viuum,quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Cuius solius visione,nõ aũt vlla terrenarum rerũ affluentia desiderium suũ satiari posse signauit,cùm ait: Satiabor dum manifestabitur gloria tua. Verùm quia non ociosi ac desides, sed virtutum operibus insudantes, diuina cõtemplatione sunt digni,solicitè præmisit: Ego aũt cum iustitia apparebo in conspectu tuo. Videntes ergo pastores cognouerunt de verbo,qd dictum erat illis de Christo, quia visio Dei cognitio eius est,& hęc est sola beata hominis vita, ipso testante ac dicente,qui nos patri commendãs,dicit inter alia: Hæc est aũt vita æterna,vt cognoscant te esse solũ & vnũ Deum,& quẽ misisti Iesum Christum. *Et cẽs qui audierunt, mirati sunt de his,quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.* Non celauere silentio pastores arcana quæ diuinitùs agnouerant,sed quibuscunq; potuere dicebant, quia & spirituales Ecclesię pastores in hoc maximè sunt ordinati,vt verbi Dei mysteria prædicent,& mira quę in scripturis didicerint,miranda suis auditoribus ostendant. Non solùm aũt pastores,episcopi,presbyteri & diacones,vel etiam rectores monasteriorum sunt intelligendi, sed & oẽs fideles,qui vel paruulæ suę domus custodiam gerunt,pastores rectè vocantur,inquantum eidem suæ domui solicita vigilantia præsunt. Et quicũque vestrũ saltẽ vni aut duobus fratribus quotidiano regimine præest,pastoris eisdem debet officium implere: quia inquantùm sufficit,pascere hos verbi dapib. iubetur. Immò vnusquisque,fratres,qui etiam priuatus viuere creditur, pastoris officium tenet,& spiritalem pascit gregem,vigiliasq; noctis custodit super illum, li bonorum actuum cogitationumq; mundarum sibi bi aggregans multitudinem, hæc iusto moderamine gubernare, cælestibus scripturarũ pascuis nutrire,& peruigili solertia contra immundorũ spirituum insidias seruare cõtendit. *Maria aũt conseruabat omnia uerba hæc,conferens in corde suo.* Maria virginalis pudicitiæ iura custodiẽs, secreta Christi quæ nouerat nemini diuulgare volebat, sed ipsum quando vellet hæc,& quomodò vellet diuulgari,reuerenter expectabat. Ipsa autem secreta eadem ore tacito, vigili tamen corde sedula scrutabatur. Et hoc est,quod ait,conferẽs in corde suo. Conferebat quippe ea quæ acta videbat his,quæ agenda legerat. Videbat nãq; se de stirpe Dauid ortam, in Nazareth de spiritusancto filiũ Dei concepisse. Legerat in propheta. Exiet virga de radice Iesse,& Nazaræus de radice eius descendet,& requiescet super eum spiritus Domini. Legerat. Et tu Bethleem Ephrata paruulus es in millib. Iuda,ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël,& egressus eius ab initio, à diebus æternitatis. Videbat se in Bethleé peperisse dominatorem Israël, qui æternus ex patre Deus

Ioan. 1.

Cant. 1.

Psal.118.

Vita beata.

Deus ante secula natus est. Videbat se virginem concepisse,peperisse filium, & vocasse nomen eius Iesum. Legerat in prophetis: Ecce virgo cõcipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuél. Legerat: Bos cognouit possessorem suum,& asinus præsepe domui sui. Videbat Dominum positum in præsepi,quò bos & asinus solent nutriendi aduenire. Meminerat sibi dictum ab angelo, Spiritussanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Legerat modum natiuitatis eius nõ nisi angelo reuelante potuisse cognosci, dicente Isaia: Generationem eius quis enarrabit? Legerat: Et tu turris gregis nebulosa filiæ Sion, vsq; ad te venient, & veniet potestas prima regnum filiæ Hierusalem. Audiebat angelicas virtutes, quæ sunt filiæ supernæ ciuitatis, apparuisse pastoribus in loco, qui à cõuentu pecorum antiquitus turris gregis vocabatur,& est vno milliario ad orientẽ Bethleem, vbi etiam nunc tria pastorum illorum monumenta in ecclesia monstrantur. Nouerat tunc venisse in carne Dominum, cui vna & æterna est cum patre potestas, qui regnum daret Ecclesiæ, filiæ scilicet cælestis Hierusalem. Conferebat ergo beata Maria ea quæ facienda legerat, his quę iam facta cognouit, nec hæc tamen ore promens, sed clauso seruãs in corde. *Et reuersi sunt pastores, glorificãtes & laudãtes Deũ in omnibus, quæ audierãt & uiderãt, sicut dictũ est ad illos.* Discamus & nos, fratres charissimi, ad contemplationẽ dominicæ dispensationis, qua nobis piè subuenire dignatus est, semper ad agẽdas beneficijs eius gratias reuerti. Si enim illi sola adhuc natiuitate eius cognita, reuersi sunt glorificantes & laudantes Deũ in omnibus quæ audierant & viderãt, quãto magis oportet nos, qui totam incarnationis illius seriem ex ordine cognouimus, qui sacramentis illius imbuti sumus, in omnibus gloriam eius ac laudem, non solum verbo, sed etiam factis prędicare? neq; vnquam obliuisci, ꝙ ideò Deus homo natus est, vt nos ad imaginem & similitudinem suæ diuinitatis renascendo reficeret: ideò baptizatus aqua, vt ad nostrorum ablutionem scelerũ omnium fluenta fœcundaret aquarum: ideò tentatus in eremo, vt vincendo tentatorem, nobis quoq; vincendi peritiam virtutemq; tribueret: ideo mortuus, vt mortis destrueret imperium: ideò surrexit,& ascendit in cælum, vt nobis resurgendi à mortuis, atque in cælestibus pepetuò regnandi spem exemplumq; præberet. Pro quibus singulis, reuersi ad intuitum pijssimæ dispensationis eius, glorificemus & laudemus ipsum Deum ac Dominum nostrum Iesum Christum, qui viuit & regnat cum patre in vnitate spiritussancti per omnia secula sæculorum, Amen.

Esai.7.
Esa.1.
Luc.1.
Esai.53.
Mich.4.

IN EADEM SANCTA NOCTE VEL AVRORA, HOMILIA Eusebij Emeseni.

PAstores, inquit, loquebantur ad inuicem,& de his quæ audierant & viderant inter se tractantes, dicebant: Mira sunt quæ audiuimus, stupenda quæ vidimus: cælis gloria, pax terris promittitur. Saluator hodiè natus est nobis, rex nouus hodiè datus est nobis, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. Quid igitur facimus? Cur moramur? *Transeamus usq; Bethleem,* ipsa est enim ciuitas Dauid: *& uideamus hoc uerbum,* & credamus quod in principio erat verbũ, & verbum erat apud deũ & Deus erat verbum. *Quod factum est:* quantum enim ad se, neque factum, neque creatum est. Factum tamen quodammodò est, quia verbum caro factum est. *Quod Dominus ostendit nobis.* Videamus corporaliter, quod Dominus ostendit spiritualiter,& quod mente concepimus & fide tenemus, restat vt oculis intueamur. *Et uenerunt festinantes, & inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio.* In stabulo stellam, in præsepio solem inuenerunt, quia Maria stella maris, Sol iustitiæ Christus vocatur. Recedant igitur tenebræ, fugiat caligo, quia stella in stabulo, & sol in præsepio fulget. Fœtor quoq; ibi esse non potest, vbi est flos campi & lilium conuallium, cuius odore suauissimo nimium delectata Ecclesia, dicit: Trahe me post te,& curremus in odorẽ vnguentorũ tuorum. Sed quid de matre Domini dicam, cuius odoris flagrantiam rex sapientissimus Salomon admirans ait: Quæ est ista, quæ ascẽdit per desertum quasi virgula fumi ex aromatibꝰ myrrhę & thuris,& vniuersi pulueris pigmentarijꝰ? Vbi enim omnium aromatum fumus redolet, ibi fœtoris indicium esse non potest. *Videntes autem cognouerunt de uerbo, quod dictum erat illis de puero hoc.* Hic est enim ille puer, de quo scriptum est: Puer natus est nobis, filius datus est nobis: & factus est principatus super humerum eius,& vocabitur nomen eius admirabilis consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia, amodò vsq; in sempiternum. Zelus Domini exercituum faciet hoc. His enim paucis verbis natiuitas & nobilitas, virtus & fortitudo, imperium & iustitia, & cæteræ,quæ ad laudem & gloriam huius pueri pertinent,describuntur. *Et oẽs qui audierant mirati sunt, & de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.* Quis enim vsq; hodiè non miretur, audiens pastores in Ecclesia prædicare? Quis nõ miretur, audiens presbyteros & episcopos Christi magnalia & verba euangelica nunciare? Quis non miretur, quòd ille qui omnia fecit, hodiè natus est, & quòd verbum caro factum est,& quòd ille qui cælum palmo concluſit, hodiè in præsepio positus est, & paruis pannis inuolutus est? Sed pauca sunt illa, quæ tunc illi pastores nunciabant: multò plura

Cant.1.
Cant.3.
Esai.9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nostri pastores, episcopi videlicet & sacerdotes prædicant & nunciant, valdè miranda multumq; stupenda, & cunctis fidelibus fideliter firmiterque credenda & tenenda. Vnde & subditur. *Maria autem conseruabat omnia hæc uerba, in corde suo conferens.* O mater sapientissima, & sola talis filij dignissima, quæ omnia verba hæc in corde suo ideò conferebat, nobisque conseruabat & memoriæ commendabat, vt posteà ipsa docente, ipsa narrante & nunciante, scriberentur, & in vniuerso mundo prædicarentur, cunctisque nationibus nunciarentur. Ab ipsa enim hæc Apostoli audierunt, & ipsa dictante scripserunt, nobisque legenda mandauerunt. Quis igitur Euangelijs non credat? Quis eis contradicere præsumat, quæ aut matris, aut filij authoritate muniuntur? Quædam enim Apostoli & Euangelistæ à matre Domini audierunt, quemadmodùm ista & cætera, quæ de Saluatoris nostri infantia scripta sunt: plurima verò visu & auditu ab ipso Domino didicerant. Nos quoque à matre Domini exemplum capiamus, & ea quæ de Saluatore nostro nobis annunciantur, fideliter in corde seruare, & memoriæ commendare studeamus. De illis enim qui verbum Dei audiunt, & memoriæ non commendant, scriptum est, Quia venit diabolus & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant. Vnde & illa animalia quæ non ruminant, immunda esse dicuntur, quia suscepti cibi oblata postquàm illum transferunt, eius vlteriùs non recordantur. Munda verò animalia non ita faciunt, sed cibum susceptum iterùm comedendo, & tenuissimè comminuendo, eius nullatenùs obliuiscuntur. Tales igitur sunt viri catholici, qui verba sacri eloquij sine intermissione perscrutantur, & in lege Domini die ac nocte meditantur. Sequitur: *Et reuersi sunt pastores glorificantes & laudantes Dominum in omnibus, quæ audierant & uiderant, sicut dictum est ad illos* Beati illi pastores, qui vsque hodiè in præsepio, id est, in sacris voluminibus Christum quærunt, & in eũ fideliter credunt, eius natiuitatem nunciantes, & eius fidem prædicantes, & eũ vbiq; laudantes & glorificantes. Beati isti pastores qui Christum Dominum videre meruerunt, & Dominum laudantes & glorificantes, ea quæ audierant & viderant crediderunt.

Luc 8.
Leuit. 11.
Deut. 14.

IN DIE SANCTO, IOANNIS I.

In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum, hoc erat in principio apud Deum. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

QVia temporalem mediatoris Dei & hominum, hominis Iesu Christi natiuitatem, quæ hodierna die facta est, sanctorum verbis euangelistarũ, Matthæi videlicet & Lucæ, manifestatam cognouimus, libet etiam de verbi, id est, diuinitatis eius æternitate, in qua patri manet semper æqualis, beati Ioannis dicta perscrutari, qui singularis priuilegio meruit castitatis, vt cæteris altiùs scripturæ conditoribus, diuinitatis ipsius caperet simul & patefaceret arcanum. Neque enim frustrà in cœna supra pectus Domini Iesu recubuisse perhibetur, sed per hoc typicè docetur, quia cælestis haustum sapientiæ cæteris excellentiùs de sanctissimo eiusdem pectoris fonte potauerit. Vnde & meritò in figura quatuor animalium, aquilæ volanti comparatur. Cunctis quippe auibus aquila celsiùs volare, cunctis animantibus clariùs solis radijs infigere consueuit obtutus. Et cæteri euangelistæ quasi in terra ambulant cum Domino, qui temporalem eius generationem pariter & temporalia facta sufficienter exponentes, pauca de diuinitate dixerunt. Hic autem, quasi ad cælum volat cum Domino, qui per pauca de temporalibus eius actis edisserens, æternam diuinitatis eius potentiam, per quam omnia facta sunt, sublimiùs mente volando, & lympidiùs speculando cognouit, ac nobis cognoscenda scribendo contradidit. Ergo alij euangelistæ Christum ex tempore natum deseribunt. Ioannes eundem in principio fuisse testatur, dicens: *in principio erat uerbum.* Alij inter homines eum subitò apparuisse commemorant ille ipsum apud Deum semper fuisse declarat, dicens: *Et uerbum erat apud Deum.* Alij eum verum hominem, ille verum confirmat esse Deum, dicens: *Et Deus erat uerbum.* Alij hominem eum apud homines temporaliter conuersatum, *ille* Deum apud Deum in principio manentem ostendit, dicens: *Hoc erat in principio apud Deum.* Alij magnalia quæ in homine gesit perhibent, ille quòd omnem creaturam visibilẽ & inuisibilẽ per ipsum Deus pater fecerit ostendit, dicens: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Et mirè beatus Ioannes in initio euangelij sui de diuinitate saluatoris & fidem rectè credentium sublimiter imbuit, & hæreticorum perfidiam potenter exuperat. Fuere nanque hæretici qui dicerent: Si ergo natus est Christus, erat tempus quando ille non erat. Quos primo sermone redarguit, cùm ait: In principio erat verbum. Neque verò ait: In principio cœpit verbum esse, vt videlicet eum non ex tempore ortum, sed in exortu temporum existentem, per hoc sine vllo temporis initio de patre natum monstraret, iuxta quod ipse loquitur in proverbijs: Dominus possedit me initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio, ab æterno ordinatus sum. Item fuerunt hæretici, qui tres sanctæ trinitatis personas esse negantes, dicerent: Idem Deus quando vult pater est, quando vult filius est, quando vult spiritus sanctus est, ipse tamen vnus est. Quorum destruens errorem, subiungit: Et verbum erat apud Deum. Si enim alius apud alium erat, duo sunt profectò pater & filius, & nõ ipse vnus, modò pater, modò filius, modò etiam spiritus sanctus est, quasi mutabilis sit diuinæ substantiæ natura, cum apertissimè Iacobus dicat Apostolus. Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Item fuere quidam praui dogmatis authores, qui Christum hominem tantum confitentes, Deum prorsus esse nõ crederent, quos consequenter opprimit cùm ait: Et Deus erat verbum. Fuere alij, qui Deum quidem illum, sed ex tempore incarnationis factum, non autem æternum ante secula natum à patre putarent. Vnde quidam talium dixisse cõmemoratur: Non inuideo Christo Deo facto, quoniam & ego, si volo, possum fieri secundum ipsum. Et horum nefandam refellit sententiam euangelista, cùm ait: Hoc erat in principio apud Deum, id est, hoc verbum quod Deus est, non ex tempore cœpit, sed in principio (inquit) erat verbum, Deus apud Deum. Item fuere veritatis inimici, qui Christum & ante partum virginis fuisse iam non negarent, non tamen natum ex patre Deum, sed factum à patre, & ideò minorem patre, quia creaturam crederent. Etiam hos damnat euangelicus sermo, qui dicit: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Si enim nihil creaturarũ sine ipso factum est, patet profectò, quia ipse creatura non est per quem omnis creatura facta est. Et ne quis audiens factum per dominum creaturam, mutabilem eius crederet voluntatem, quasi qui subitò vellet facere creaturam, quam ab æterno nunquam antè fecisset, manifestè docet euangelista, factam quidem in tempore creaturam, sed in æterna creatoris sapientia, quando & qualis crearetur, semper fuisse dispositum. Et hoc est quod ait: *Quod factum est, in ipso uita erat*: id est: Quod factum in tempore, siue viuum, siue vita carens apparuit, omne hoc in spiritali factoris ratione quasi semper vixerat & viuit: non quia coæternum est creatori quod creauit, sed quia coæterna est illi ratio voluntatis suæ, in qua habuit ab æterno, & habet, quid & quando crearet, qualiter creatum gubernet vt maneat, ad quem finem singula quæ creauit, perducat. Sequitur: *Et uita erat lux hominum.* Quo verbo apertissimè docetur, quòd ipsa vitalis ratio, per quam omnia disposita sunt & reguntur, non omnem creaturam, sed rationalem tantùm, vt sapere possit, illuminat. Homines nanque, qui ad imaginem Dei facti sunt, percipere sapientiam possunt, animalia non possunt. Sed & animalis quicunque est homo, non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Vnde benè cùm dixisset, & vita erat lux hominum, subiũxit & de his, qui ab humanæ conditionis honore procul recedentes, comparati sunt iumentis insipientibus & similes facti sunt illis, atque ideò rectè veritatis lumine priuantur. *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Lux quippe hominũ est Christus, quia omnia, quæ illuminari meretur, corda hominum suæ præsentia cognitionis illustrat. Tenebræ autem, stulti sunt & iniqui, quorum cæca præcordia lux æternæ sapientiæ, qualia sint, manifestè cognoscit, quanuis ipsos radios eiusdem lucis nequaquam per intelligentiam capere possint, veluti si quilibet cæcus iubare solis obsundatur, nec tamen ipse solem, cuius lumine perfunditur, aspiciat. Sed nec tamen tales omninò superna pietas despexit, verùm medelam eis salutis, qua ad videndam lucem peruenire possent, adhibuit. Ipsa lux inuisibilis, ipsa Dei sapientia carne, in qua videri posset, induta est, quæ in hominis habitu apparens, & loquens hominibus, paulatim fide purificata eorum corda ad cognitionem suæ diuinæ visionis proueheret. Missus est ante illum homo magni meriti, cuius testimonio pararentur omnes ad audiendam mox vt apparet ipsa Dei sapientiam, ad videndum ipsum solem iustitiæ nube iam corporis tectum, id est, ad videndum audiendumque hominem, qui Deus esset, plenum gratiæ & veritatis. *Fuit, inquit, homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic uenit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* Non ait, vt omnes crederent in illum. Maledictus enim homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum: sed vt omnes crederent per illum, hoc est, per illius testimonium crederent in lucem, quam nec dum videre nouerant, Dominum videlicet Iesum Christum, qui de seipso testatur: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Sequitur: *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum.* Et sancti quidem homines lux sunt rectè vocati, dicente ad eos Domino: Vos estis lux mundi. & Apostolo Paulo: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Sed multùm distat inter lucem quæ illuminatur, & lucem quæ illuminat, id est, inter eos qui participatione veræ lucis accipiunt vt luceant, & ipsam lucem perpetuam, quæ nõ solùm lucere in seipsa, sed sua præsentia quoscunq; attigerit, illustrare sufficit. Ad cuius veræ lucis comparationem, nõ tantùm minores quilibet electi, verumetiam ipse Ioannes, quo maior inter natos mulierum non surrexit, lux non esse asseritur, vt videlicet Christus non esse quod putabatur, monstretur. Ille enim, vt scriptum est, erat lucerna ardens & lucens. Ardens, scilicet, fide & dilectione, & lucens verbo & actione. † Gratiam verò lucis † peccatoribus infundere,

Lac. 1.

Lux, Christus.

Tenebræ, peccatores.

Ierem. 17.

Ioan. 8.

Matt. 5.

Ephe. 5.

Matt. 11.

Ioan. 5.

† pectoribus.

Cor. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dero, solius est eius, de quo dicitur: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Omnem videlicet qui illuminatur, siue naturali ingenio, siue sapientia diuina. Sicut enim nemo à seipso esse, ita etiam nemo à seipso sapiens esse potest, sed illo illustrãte, de quo scriptũ est: Omnis sapientia à Domino Deo est. Cuius vtranq; naturã & diuinã scilicet, qua semper vbique totus manet, & humanam, ex qua in tempore natus, loco inclusus apparuit, consequenter describit euangelista, dicens: *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. In propria uenit, & sui eum non receperunt.* In mundo quippe erat, & mundus per ipsum factus est, quia Deus erat, quia totus vbique, quia suæ præsentia maiestatis sine labore regens, & sine onere continens quod fecit. Et mundus eum non cognouit: quia lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Mundum nanque dicit hoc loco homines mundi amore deceptos, atq; inhærendo creaturæ, ab agnoscenda creatoris sui maiestate reflexos. *In propria uenit.* Quia in mundo, quẽ per diuinitatẽ fecit, per humanitatẽ apparuit. In propria venit, quia in gente Iudæa, quam sibi præ cæteris nationibus speciali gratia copulauerat, incarnari dignatus est. In mundo ergo erat, & in mundum venit. In mundo erat per diuinitatem, in mundum venit per incarnationem. Venire quippe vel abire, humanitatis est: manere, diuinitatis. Quia ergo cùm in mundo esset per diuinitatem, mundus eum non cognouit, dignatus est venire in mundum per humanitatem, vt vel sic mundus eum cognosceret. Sed videamus quid sequatur: In propria venit, & sui eum non receperunt. Quem enim in potentia deitatis cuncta creantem regentemque non cognouerant, ipsum in carnis infirmitate miraculis coruscantem recipere noluerunt. Et quod est grauius, sui eum non receperunt, homines scilicet, quos ipse creauit. Iudæi quos peculiarem sibi elegerat in plebem, quibus suæ cognitionis reuelauerat arcanum, quos mirificis patrum glorificauerat actis, quibus suæ legis doctrinam contulerat, ex quibus se incarnandum promiserat, & in quibus se incarnatũ vt promiserat, ostendit, ipsi eum recipere venientem ex magna parte recusarunt. Neq; enim eum omnes recusarunt, alioquin nullus esset saluus, & superuacua esset eius incarnatio. Nunc autem multi eum ex vtroque populo non credendo respuerunt, multi credendo receperunt, de quibus euangelista consequenter insinuat, dicens: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Consideremus fratres charissimi, quanta gratia redemptoris nostri, quàm magna sit multitudo dulcedinis eius. Vnicus ex patre natus est, & noluit remanere vnus. Descendit ad terram, vbi fratres sibi, quibus regnũ patris sui dare posset, acquireret. Deus ex Deo natus est, & noluit Dei tantùm filius manere. Hominis quoque filius fieri dignatus est, non amittens quod erat, sed assumens quod non erat, vt per hoc homines in Dei filios transferret, gloriæque suæ faceret cohæredes, qui quod ipse semper habebat per naturam, inciperent habere per gratiam. Consideremus quanta est virtus fidei, cuius merito datur potestas hominibus filios Dei fieri. Vnde benè scriptum est, quia iustus ex fide viuit. Viuit enim iustus ex fide, non illa quæ labiorum tantùm confessione profertur, sed ea quæ per dilectionem operatur. Alioquin fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Nullus seipsum decipiat, nullus de sua salute desperet. Curramus omnes, curramus singuli, vt qui eramus longè, mereamur fieri propè in sanguine Christi. Videamus quod dicitur, quia quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Quotquot, inquit, receperunt. Non est enim personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum & operatur iustitiam acceptus est illi. Quo autem ordine credentes filij Dei possint fieri, & quantùm hęc generatio à carnali distet, subsecutus euangelista designat: *Qui non ex sanguinibus, inquit, neque ex voluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt.* Carnalis quippe nostra singulorum generatio ex sanguinibus, id est ex natura maris & fœminæ à complexu coniugij duxit originem. At verò spiritalis generatio, spiritussancti gratia ministratur, quam Dominus à carnali distinguens, ait: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire regnum dei. Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Verùm ne quis hominum dubitet filium se Dei & cohæredem Christi posse fieri, dat exemplum euangelista, quia & ipse filius Dei homo fieri, & inter homines habitare dignatus est, vt humanæ particeps existendo fragilitatis, homines diuinæ virtutis suæ donaret esse participes. *Et uerbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Quod est dicere, Et filius Dei homo factus est, & inter homines conuersatus est. Solet nanque scriptura modò animæ, modò carnis vocabulo totum designare hominem. Animæ videlicet, vt scriptum est, quia descendit Iacob in Aegyptum in animabus septuaginta. Carnis verò, vt rursus scriptum est: Et videbit omnis caro salutare Dei. Neque enim vel animæ sine corporibus in Aegyptum descendere, vel caro sine anima videri aliquid potest. Sic hîc per animã totus homo designatur per carnẽ. Sic ergo hoc loco quod dicitur, & verbum caro factum est, nihil aliud debet intelligi, quàm si diceretur, & Deus homo factus est, carnem videlicet induendo & animam: vt sicut quisque nostrum vnus homo constat ex carne & anima, ita vnus ab incarnationis tempore CHRISTVS ex diuinitate, carne & anima constet, Deus ab æterno in æternum existens verus vt erat, hominem ex tempore assumens in vnitatem suæ personæ verum, quem non habuerat. Sequitur: *Et uidimus gloriam eius, gloriã quasi unigeniti à patre, plenum gratiæ & ueritatis.* Gloriã Christi, quam ante incarnationem videre non poterant homines, post incarnationem viderunt, aspicientes humanitatem miraculis refulgentem, & intelligentes diuinitatem intus latitantem, illi maximè, qui & eius claritatem ante passionem transfigurati in monte sancto contemplari meruerũt, voce delapsa ad eũ huiu scemodi à magnifica gloria: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi cõplacui. Et post passionẽ, resurrectiõis ac censionisq; ipsius gloria conspecta, spiritus eius dono mirificè sunt refecti. Quibus omnibus manifestè cognouerunt, quod huiusmodi gloria non cuilibet sanctorum, sed illi soli homini, qui esset in diuinitate vnigenitus à patre, conueniret. Quod autem sequitur, *Plenum gratiæ & ueritatis*: gratia plenus erat idem homo Christus Iesus, cui singulari munere præ cęteris mortalibus datum est, vt statim ex quo in vtero virginis concipi, & homo fieri inciperet, verus esset & Deus. Vnde & eadem gloriosa semper virgo Maria, nõ solùm hominis Christi, sed & Dei genitrix rectè credenda & confitenda est. Idem veritate plenus erat & est, ipsa videlicet verbi diuinitate, quæ hominem illum singulariter electum, cum quo vna Christi persona esset, assumere dignata est, non aliquid suæ diuinæ substantiæ, vt hæretici volunt, in faciendam hominis naturã commutãs, sed ipsa apud patrem manens, totũ quod erat, totam de semine Dauid naturam veri hominis quam non habebat, suscipiens. Vnde oportet, fratres charissimi, vt qui humanam redemptoris nostri diuinitatem hodiè annua deuotione recolimus, & diuinam pariter & humanã eius naturam, non annuo, sed continuo semper amplectamur amore: diuinã, per quã creati sumus cùm nõ essemus: humanam, per quã recreati sumus cùm perditi essemus. Et quidẽ diuina cõditoris nostri virtus sine assumptiõe humanitatis, non recreare erat idonea: humana aũt eiusdẽ redemptoris nostri infirmitas, sine assumente se, & inhabitante in se, & operante per se diuinitate, nos recreare nequiuit. Atq; ideò verbũ caro factum est, id est, DEVS homo factus est, & habitauit in nobis, vt per cognatum nobis hominis habitum, nobis conseruando congruere, nos alloquendo instruere, nobis viuendi viam præbere, pro nobis contra hostem confligere, nostram mortẽ mortendo ac resurgendo posset destruere: per coæternam verò patri diuinitatẽ nos interiùs viuificando ad diuina sustolleret, remissionem nobis peccatorum pariter & spiritussancti dona concederet, & post bonorum perfectionẽ operum non solũm nos ad videndam gloriã clarificatæ suæ perduceret humanitatis, sed & incommutabilem nobis essentiam fuæ diuinę ma-

Ecclc. 1.

Ioan.

Matt. 17. 2. Pet. 1.

iestatis ostenderet, in qua viuit & regnat cum patre in vnitate Spiritussancti, per omnia secula seculorum, Amen.

DE EODEM FESTO, SERMO SANCTI Isidori.

NAtalis Domini dies ea de causa à patribus votiua solennitate institutus est, quia in eo Christus pro redẽptione mundi nasci corporaliter voluit, prodiens ex virginis vtero, qui erat in patris imperio. Cuius susceptæ carnis causa hæc est. Postquam enim inuidia diaboli, parens ille primus seductus vaniter cecidit, confestim exul & perditus, in omni genere suo, radicẽ malitiæ & peccati traduxit, crescebatq; in malũ vehementius omne genus humanum, diffusis vbique sceleribus, & quod est nequius, omniũ cultibus idolorum. Volens ergo Deus terminare peccatum, cõsuluit verbo, lege, prophetis, signis, plagis, prodigijs. Sed cùm nec sic quidem errores suos admonitus agnosceret mundus, misit Deus vnigenitum filiũ suum vt carnẽ indueret, & hominibus appareret, & peccatores sanaret. Qui ideò in hominẽ venit, quia per semetipsum ab hominibus cognosci non potuit. Vt autem videretur, verbum caro factum est, assumendo carnem, non mutatum in carnem. Assumpsit enim humanitatem, non amisit diuinitatem. Ita idem DEVS, & idem homo, in natura Dei æqualis patri, in natura hominis factus est mortalis in nobis. Pro nobis enim de nobis, manẽs quod erat, suscipiens quod non erat, vt liberaret quod fecerat. Hæc est ergo dominicæ natiuitatis magna solennitas, hæc est diei huius noua & gloriosa festiuitas, aduentus Dei factus ad homines. Itaque dies iste pro eo, quòd in eo Christus natus est, natalis dicitur: quemq; ideò obseruare per reuolutum circulum anni festa solennitate debemus, vt in memoriã reuocetur quòd natus est Christus, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Cur Deus homo factus.

DE EODEM FESTO, SERMO B. LEONIS Papæ: estq; primus inter eius Sermones de Natiuitate Domini.

SAluator noster, dilectissimi, hodiè natus est, gaudeamus. Neq; enim fas est locum esse tristitiæ, vbi natalis est vitæ, quæ consumpto mortalitatis timore, nobis ingerit de promissa æternitate lætitiã. Nullus ab huius alacritatis participatione secernitur. Vna cũctis lætitiæ communis est ratio, quia Dominus noster, peccati mortisq; destructor, sicut nullũ à reatu liberũ reperit, ita liberãdis omnibus venit. Exultet sanctus, quia propin-

Christi natiuitas, omnibus causa lætandi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quatad palmam. Gaudeat peccator, quia inuitatur ad veniã. Animetur gentilis, quia vocatur ad vitam. Dei nanq; filius secundùm plenitudinẽ temporis, quam diuini consilij inscrutabilis altitudo disposuit, reconciliandã authori suo naturam generis assumpsit humani, vt inuentor mortis diabolus, per ipsam quã vicerat, vinceretur. In quo conflictu pro nobis inito, magno & mirabili æquitatis iure certatum est, dum omnipotens Dominus cum sæuissimo hoste, nõ in sua maiestate, sed in nostra humilitate congreditur, obijciens ei eandem formã eandemq; naturã, mortalitatis quidem nostræ participem, sed peccati totius expertem. Alienum quippe ab hac natiuitate est, quod de omnibus legitur: Nemo mũdus à sorde, nec infans cuius est vnius diei vita super terram. Nihil in istam singularẽ natiuitatem de carnis cõcupiscentia transiuit, nihil de peccati lege manauit, Virgo regia Dauidicæ stirpis eligitur, quæ sacro grauidanda fœtu, diuinam humanãq; prolẽ priùs cõciperet mẽte quàm corpore. Et ne superni ignara cõsilij ad inusitatos paueret effectus, id quod in ea operandum erat à spiritu sancto, colloquio discit angelico, nec damnum credidit pudoris, Dei genitrix mox futura. Cur enim de conceptionis nouitate desperet, cui efficientia de altissimi virtute promittitur? Confirmatur credentis fides etiam præeuntis attestatione miraculi. Donatur Elizabeth inopinata fœcunditas, vt qui conceptum dederat sterili, daturus non dubitaretur & virgini. Verbũ igitur Dei Deus, filius Dei, qui in principio erat apud Deũ, per quem facta sunt omnia, & sine quo factũ est nihil, propter liberandum hominem ab æterna morte factus est homo: ita se ad susceptionẽ humilitatis nostræ sine diminutione suæ maiestatis inclinans, vt manens quod erat, assumensque quod non erat, verã serui formã ei formæ, in qua Deo patri est æqualis, vniret, & tanto fœdere naturã vtranq; consereret, vt nec inferiorem consumeret glorificatio, nec superiorẽ minueret assũptio. Salua igitur proprietate vtriusq; substãtiæ, & in vnam coeunte personã, susceptur à maiestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas: & ad dependendum nostræ conditionis debitum, natura inuiolabilis naturæ est vnita passibili, Deusq; verus & homo verus in vnitatem Domini temperatur: vt quòd nostris remedijs congruebat, vnus atq; idem Dei hominumq; mediator, & mori posset ex vno, & resurgere posset ex altero. Meritò igitur virgineæ integritati nihil corruptionis intulit partus salutis, quia custodia fuit pudoris ædito veritatis. Talis ergo dilectissimi natiuitas decuit Dei virtutẽ, & Dei sapientiã Christũ, qua nobis & humanitate congrueret, & diuinitate præcelleret. Nisi enim esset Deus verus, nõ adferret remediũ: nisi esset homo verus, non præberet exemplum.

Luc. 1.

In Christo gemina natura, & una persona.

Luc. 2. Ab exultantibus ergo angelis nascẽte Domino gloria in excelsis Deo canitur, & pax in terra bonæ voluntatis hominibus nunciatur. Vident enim cælestẽ Hierusalẽ ex omnibus mundi gẽtibus fabricari. de quo inenarrabili diuinæ pietatis opere quantùm lætari debet humilitas hominum, cùm tantùm gaudeat sublimitas angelorũ? Agamus ergo gratias dilectissimi Deo patri per filium eius in spiritu sancto, qui propter multam charitatem suã qua dilexit nos, misertus est nostri: & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo, vt essemus in ipso noua creatura, nouumq; figmentum. Deponamus ergo veterem hominẽ cum actibus suis, & adepti participationem generationis Christi, carnis renunciemus operibus. Agnosce ô Christiane dignitatem tuam, & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatẽ degeneri conuersatione recidere. Memento, cuius capitis, & cuius is corporis membrum. Reminiscere, quia erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen & regnum. Per baptismatis sacramentum, sancti spiritus factus es templum. Noli tantũ habitatorem prauis de te actibus effugare, & diaboli te iterum seruituti subijcere: quia precium tuũ sanguis est Christi, qui veritate te iudicabit, & misericordia te redemit, qui cum patre & sancto spiritu regnat in secula seculorum, Amen.

DE EODEM FESTO, SERMO BEATI LEONIS PAPÆ: & est in eius Sermonibus de hac solennitate 2.

Ioan. 1.

EXultemus in Domino dilectissimi, & spiritali iucunditate lætemur, quia illuxit dies redemptionis nostræ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ. Reparatur enim nobis salutis nostræ annua reuolutione sacramentum, ab initio promissum, in fine redditum, sine fine mansurum. In quo dignum est nos sursùm erectis cordibus diuinũ adorare mysteriũ, vt quod magno Dei munere agitur, magnis Ecclesię gaudijs celebretur. Deus enim omnipotens & clemens, cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia, cuius opus misericordia est, statim vt nos diabolica malignitas veneno suæ mortificauit inuidiæ, prædestinata renouandis mortalibus pietatis suæ remedia, inter ipsa mundi primordia præsignauit, denuncians serpenti futurum semẽ mulieris, quod noxij capitis elationem sua virtute contereret, Christum scilicet in carne venturum Deum hominemque significans, qui natus ex virgine, victoratorem humanæ propaginis incorrupta natiuitate damnaret. Nam quia gloriabatur diabolus hominem sua fraude deceptum, diuinis caruisse muneribus, & immortalitatis dote nudatum, dura mortis subijsse sententiam, seque in malis suis quoddam de prævaricatoris consortio inuenisse solatium, Deum quoque iustæ seueritatis exigente ratione, ergo hominem, quem in tanto honore condiderat, antiquam mutasse sententiam: opus fuit dilectissimi secreti dispensatione consilij, vt incommutabilis Deus (cuius voluntas non potest sua benignitate priuari) primam pietatis suæ dispositionem sacramento occultiore compleret, & homo diabolicæ iniquitatis versutia actus in culpam, contra Dei propositum non periret, ingreditur hæc infima. Aduenientibus ergo temporibus dilectissimi, quæ redemptioni hominum fuerant præstituta, Iesus Christus dominus noster, de cælesti sede descẽdens, & à paterna gloria non recedens, nouo ordine, noua natiuitate generatus. Nouo ordine, quia inuisibilis in suis, visibilis est factus in nostris. Incomprehensibilis, voluit comprehendi. Ante tempora manens, esse cœpit ex tempore. Vniuersitatis Dominus, seruilẽ formam obumbrata maiestatis suæ dignitate suscepit. Impassibilis Deus, non dedignatus est homo esse passibilis, & immortalis, mortis legibus subiacere. Noua autem natiuitate genitus est, conceptus à virgine, natus ex virgine, sine paternæ carnis cõcupiscẽtia, sine maternę integritatis iniuria: quia futurum hominum Saluatorem talis ortus decebat, qui & in se haberet humanæ substãtiæ naturam, & humanæ carnis inquinamenta nesciret.

Incarnationis Christi necessitas.

Luc. 1. Author enim in carne nascenti Deus est, testãte angelo ad beatam virginem Mariam: Quia spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Origo dissimilis, sed natura cõsimilis. Humano vsu & cõsuetudine qđ credimus caret, sed diuina potestate subnixũ est, qp virgo conceperit, virgo peperit, virgo permanserit. Non hic cogitetur parietis cõditio, sed nascentis arbitriũ, qui sic homo natus est, vt volebat & poterat. Si veritatẽ quęris humanæ naturæ, cognosce materiã: si rationẽ scrutaris originis, virtutẽ cõfitere diuinã. Venit enim Dominus Iesus Christus cõtagia nostra auferre, nõ perpeti, nec succũbere vitijs, sed mederi. Venit vt oẽm lãguorẽ corruptionis & vniuersa vulnera sordẽtiũ curaret animarũ: propter qđ oportuit, vt no uo nasceretur ordine, qui nouã impollutæ synceritatis gratiã humanis corporibus inferebat. Oportuit enim, vt primã genitricis integritatem nascẽs incorruptio custodiret, & complacitũ sibi clausturũ pudoris & sanctitatis hospitiũ, diuini spiritus virtus infusa seruaret, quæ statuerat dejecta erigere, cõfracta solidare, & superãdis carnis illecebris, multiplicatã pudicitiæ donare virtutẽ, vt virginitas, quæ in alijs non poterat salua esse generãdo, fieret alijs imitabilis cõfitẽdo, renascendo. Hoc ipsũ aũt dilectissimi, qp Christus nasci elegit ex virgine, nõ ne apparet altissimæ fuisse rationis? vt scilicet humano generi natã salutẽ diabolus ignoraret, & spiritali latente conceptu, quẽ nõ aliũ videret q̃ alios, nõ aliter crederet natũ esse q̃ cæteros. Cuius enim similẽ cũ vniuersis aduertit naturã, parẽ habere arbitratus est cũ omnibus causã: nec intellexit à transgressiõis vinculis liberũ, quẽ ab infirmitate mortalitatis, nõ inuenit alienũ. Verax nãq; misericordia Dei, cũ ad reparandũ humanũ genus ineffabiliter ei multa suppeterẽt, hanc potissimũ consulẽdi elegit viã, qua ad destruendũ opus diaboli, nõ virtute vteretur potẽtiæ, sed ratione iustitiæ. Nã superbia hostis antiqui nõ immeritò sibi in oẽs homines ius tyrannicũ vẽdicabat, nec indebito dominatu premebat, quos à mãdato Dei spõtaneos in obsequium suæ volũtatis allexerat. Non itaq; iustè amitteret originalẽ deditiij generis seruitutẽ, nisi de eo, quod subegerat, vinceretur. Quod vt fieret, sine virili semine editus est Christus ex virgine, quã nõ humanus coitus, sed spiritus sanctus fœcũdauit: & cũ in omnibus matribꝰ nõ fiat sine peccati sorde cõceptio, hæc inde purgationẽ traxit, vnde cõcepit. Quò enim paterni seminis trãsfusio nõ peruenit, peccati se illic origo nõ miscuit. Inuiolata virginitas concupiscentiã nesciujt, substantiãm inistrauit. Assũpta est de matre hominis natura nõ culpa, creata est forma serui sine cõditione virili: quia nouus homo sic contẽperatus est veteri, vt & veritatẽ susciperet generis, & vitiũ excluderet vetustatis. Cũ igitur misericors omnipotẽsq; Saluator, ita susceptionis humanæ moderaretur exordia, vt virtutẽ inseparabilis à suo homine deitatis, per velamen nostræ infirmitatis absconderet, illusa est securi hostis astutia, qui natiuitatẽ pueri, in salutẽ humani generis procreati, nõ aliter sibi, q̃ omnium nascentiũ putauit obnoxiã. Vidit enim vagientẽ atq; lachrymantẽ, vidit pãnis inuolutũ, circunciioni subditũ, & legalis sacrificij oblatione perfunctũ. Agnouit deinceps solita incremẽta pueritiæ, & vsq; ad viriles annos de naturalibus nõ dubitauit augmẽtis. Inter hæc intulit contumelias, multiplicauit iniurias, adhibuit maledicta, opprobria, blasphemias, cõuicia. Omnẽ postrementorũ genera percurrit: & sciẽs quo humanã naturã infecisset veneno, nequaquã credidit pricit esse mortalẽ. Perstitit ergo improbus prædo & auarus exactor in eũ, qui nihil ipsius habebat, insurgere: & dũ vitiatæ originis præiudiciũ generale persequitur, chirographũ quo nitebatur, excedit, ab illo iniquitatis exigens pœnã, in quo nullã reperit culpam. Soluitur itaq; lœtiferæ passionis malesuada cõscriptio, & per iniustitiam plus petẽdi, totius debiti summa vacuatur. Formaligni in caput ipsiꝰ retorquetur. Ligato mũdi principe captiuitatis vasa rapiũtur. Redit in honorẽ suum ab antiquis contagijs purgata natura: mors morte destruitur, natiuitas natiuitate reparatur: quoniã simul & redemptio aufert seruitutem, & regeneratio mutat originem, & fides iustificat peccatorem. Quisquis igitur Christiano nomine piè & fideliter gloriaris, reconcilia-

Cur Christus ex virgine natus fuisse rationis?

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christi incarnatio quid contulerit.

tionis huius gratiam iusto perpende iudicio. Tibi enim quondam abiecto, tibi extruso paradisi sedibus, tibi per exilia longa moranti, tibi in cinerem & puluerem dissoluto, cui iam non erat spes vlla viuendi, per incarnationem verbi potestas data est, vt de longinquo ad tuum reuertaris authorem, recognoscas parentem, liber efficiaris ex seruo, de extraneo proueharis in filium : vt qui ex corruptibili carne natus es, ex Dei Spiritu renascaris, & obtineas per gratiam, quod non habebas per naturam : vt si te Dei filium per spiritum adoptionis agnoueris, Deum patrem audeas nuncupare, malæ conscientiæ reatu absolutus, ad cælestia regna suspires, voluntatem Dei facias diuino fultus auxilio, imiteris angelos super terram, immortalis substantiæ virtute pascaris, securus aduersus inimicas tentationes pro pietate confligas: & si cælestis militiæ sacramenta seruaueris, non dubites te in castris triumphalibus regis æterni pro victoria coronãdum, cumque te resurrectio pijs parata susceperit, in regni cœlestis consortium prouehendum. Habentes ergo tantæ spei fiduciam dilectissimi, in fide qua fundati estis, stabiles permanete, ne ille idem tentator, cuius iam à vobis dominationem Christus exclusit, aliquibus vos iterum seducat insidijs, & hæc ipsa præsentis diei gaudia fallaciæ suæ arte corrũpat, illudens simplicioribus animis de quorundam pestifera persuasione, quibus hic dies solennitatis nostræ non tam de natiuitate Christi, quàm de noui, vt dicunt, solis ortu videtur honorabilis. Quorum corda vastis tenebris obuoluta, & ab omni incremento veræ lucis aliena sunt. Trahuntur enim adhuc stultissimis gentilitatis erroribus, & quia supra id, quod carnali intuentur aspectu, nequeunt aciem mentis erigere, ministra mundi luminaria diuino honore venerãtur. Absit ab animis Christianis impia superstitio, prodigiosumq; mendacium. Vltra omnem modum distantà sempiterno temporalia, ab incorporeo corporea, à dominatore subiecta: quæ etsi mirandam habent pulchritudinem, adorandam tamen non habent deitatem. Illa ergo virtus, illa sapientia, illa est colenda maiestas, quæ vniuersitatem mundi creauit ex nihilo, & in quas voluit formas atque mensuras terrenam cœlestemque substantiam omnipotenti ratione produxit. Sol & luna, & sidera sint commoda vrentibus, sint speciosa cernentibus, sed ita, vt de illis gratiæ referantur authori, & adoretur Deus qui condidit, non creatura quæ seruit. Laudate igitur Deum dilectissimi in omnibus operibus eius atque iudicijs. Sit in nobis indubitata credulitas virgineæ integritatis & partus: reformationis humanæ sacrum diuinũq; mysterium sancto atque syncero honorate seruitio. Amplectemini Christum in nostra carne nascentem, vt eundem Deum gloriæ videre mereamini in sua maiestate regnantem, qui cum patre & spiritu sancto manet in vnitate deitatis in secula seculorum.

DE EODEM FESTO SERMO BEATI MAXIMI episcopi.

Christi natiuitas humilitas.

NVstissimè fratres festiuitate præsentis diei in omne se gaudium totus vbique suscitat mundus, quia hodiè promissus à seculis, vniuerso orbi iudex ortus est & redemptor: & necesse est, vt in commune nos omnes, qui futuri examinis resurrectionisque promissæ salutarem suscepimus fidem, habeamus metũ quidem de iudice, sed de redemptore lætitiam. Omnis nanque fidelis anima timore corrigitur, correctione lætatur. Et in hoc charissimi, quãta erga humanũ genus omnipotentis patris dispensatio est, quanta ve benignitas, vt quem iudicé præparabat incredulis, hunc credituris præmitteret redemptorem? quatenùs præcurrens misericordia, seueritatem aduentantis iudicis præueniret? Hodiè itaque natus est Christus, sed in natiuitate eius nostra omnium habet vita natalem: quia qui priuilegia primæ natiuitatis amisimus, visitante nos Christo, sanctiori partu redimus ad vitam. *Gal. 18.* Hodiè peperit Maria, sed ipsa suum parturiuit autorem. Hodiè edidit mundo hominem, qui non suscepit ab homine. Quid hoc est miraculi fratres? Nascitur caro de carne, non tamen generata per carnem, & secreto quodam incomprehensoque conceptu procedit de mortali fœmina diuina progenies. Nec mirũ sanè si extitit diuina natiuitas, vbi non erat humana conceptio. aut si illam matrẽ nõ violauit partus, quam coitus non fœdauit. Ille quondam futurorum conscius Esaias, populis & gentibus signũ nouæ salutis aperiens, Ecce, inquit, virgo in vtero accipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus. Atque vt aduertamus noui ac veteris testamenti vnum esse consensum, vnumque consilium, audi etiam beatissimus Lucas, dominicæ generationis relator egregius, dicens: Missus est angelus Gabriel à Deo ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, & ait ad illam: Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabunt nomen eius Iesum. Iesus autem, charissimi, latino sermone saluator dicitur. Ecce qualiter inuicem concordantibus sententijs testimonia diuina confirmantur: & cùm prædicantium diuersa sint tempora, non tamen diuersa narratio. Natum partum virginis, quem ille prædixerat, iste testatur. Quis igitur de diuinitate Christi, quis de redemptione cunctetur, quem & Esaias profitetur Deum, & Gabriel annunciat saluatorem? Quis

Quis intactæ puerperæ aluum dubitet floruisse, quod vno penè ore atque eodem spiritu proloquuntur euangelista, angelus & propheta? Vbi tanti talesque sunt testes, non erubescit veritas, sed auditor incredulus confutatur. Sed iam videamus quas pro nobis natus perferat Christus iniurias, quibus ve rursus iniuriæ illæ virtutibus decorentur. Et ante omnia à fœmineo sexu concipi se patitur, qui in exordio mundi omnipotenti manu de masculo operatus est fœminam. Sed hanc humilitatem nascẽdi, virginalis matris sublimat integritas. Et quamuis natus Christus fœmineo, vt infans, lacte pascatur, tamen vterum potens, virgineis nutritur huberibus: atque vt primùm illum in has seculi procellas, & fluctuantis sentinam mundi vterus maternus effudit, vilissimis circundatur pannis. Pannis siquidem induitur ille pro nobis, qui cũ crearet omnia, terras luce perfudit, cælum sideribus adornauit, & ignea solem claritate vestiuit. Obuoluitur quidem pannis, sed hi panni noua radiante stella munerantur à Magis, & exultantibus angelis honorãtur. Et vt nouerimus vniuersa hæc per mysteriũ vel dici vel fieri, hic qui pannis circũuoluitur, prædicatus ab initio de sinu patris, æternoque thalamo salutarium nuptiarum sponsus venit è cælo, sicut ait venerandus Dauid: Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Deinde, vt legitur, ponitur in præsepi, quia, vt ait Euangelista, non erat illis locus in diuersorio. Ne quem fratres ista permoueant : quia omnis hæc in saluatore vilitas, preciosissimum nostræ salutis est sacramentum. Videte enim quanta sapientia collocari Christus dicitur in præsepi, qui gemina quadam gratia humani generis & esca erat futurus, & pastor. Qui benè in præsepio ponitur, vt ad pabula perennis vitæ spiritualium ouium greges, agni cælestis balatus inuitet. Non erat, inquit, eis locus in diuersorio. Nunquid tantæ illius erant angustiæ mansionis, vt nati sub hora paruuli membra non caperet? Sed idcirco mystico refertur sermone, non inueniri locum in diuersorio: quia ingressus mundum Christus, fidem in qua posset requiescere, non inuenit, vt ait ipse in Euangelio, dicens: Filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet. Vnde aduertimus, quia vnicus Dei filius, non in spatiosis domibus, auratisque laquearijs, sed in fide credentium requiescit. Hunc ergo Christum Iesum sugentem hubera, nascentium infantũ more vagiẽtem, vilibus circũdatum pannis, iacentẽ viliùs in præsepi, angelica ministeria prosequuntur, & omnis cælestis exercitus multitudo miratur, cõsona cum voce collaudans, & dicens: Gloria in excelsis Deo, & pax in terra hominibus bonæ voluntatis. Gloria vtiq; Deo, qui desperatis mortalibus munus æternæ salutis exhibuit: Et pax hominibus bonæ voluntatis, quos certamine suo Christus suoque prælio in regnum propriũ diabolica de captiuitate reuocauit. Et quã congruè euangelicus intonat sermo, cùm dicituri Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus, quòd idem ipse Dei filius, & apud angelos gloriosus est in excelsis, & bonæ voluntatis hominibus pacem præstat in terris. Propter quod dilectissimi competentibus gaudijs tanta de salute lætemur, atque angelicis nos vocibus sociantes, honore debito mysteria semper Christi virtutesq; laudemus.

DE EODEM FESTO SERMO BEATI AVGVSTINI episcopi: & est V. de tempore.

SALVATOR noster natus de patre sine die, per quem factus est omnis dies, voluit in terra habere natalem hũc diem, quem hodiè celebramus. Quisquis in die miraris, æternũ mirare potiùs ante omnem diem permanentem, omnẽ diẽ creantem, in die nascentem, à malitia diei liberantem. Adhuc mirare : Quæ peperit, & mater & virgo est : Quem peperit, & infans & verbum est. Meritò cæli loquuti sunt, angeli gratulati, pastores lætati, Magi imitati, reges turbati, paruuli coronati. Lacta mater cibum nostrum, lacta panem de cælo venientem, & in præsepe positum velut piorum cibaria iumentorum. Illic enim cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: circuncisio scilicet & præputium, cohærendo lapidi angulari, quorum primitiæ fuerunt pastores & Magi. Lacta eum qui talem fecit te, vt ipse fieret in te : qui tibi & munus fœcunditatis attulit conceptus, & decus virginitatis non abstulit natus : qui sibi priusquàm nasceretur, & vterum de quo nasceretur, & diem quo nasceretur, elegit. Et ipse condidit quod elegit, vt ille hinc procederet de thalamo suo, quo mortalibus oculis posset videri, & augmentò lucis annuæ se lucem mentium veniisse testari. Prophetæ cecinerunt conditorem cæli & terræ in terra cum hominibus futurum, angelus annunciauit creatorem carnis & spiritus in carne venturum. Salutauit Ioannes ex vtero in vtero saluatorem, Simeon senex Deum agnouit infantem, Anna vidua virginem matrem. Hæc sunt testimonia natiuitatis tuæ Domine IESV, antequàm tibi fluctus substernerentur calcanti, cederent imperanti, antequàm ventus te iubente siluisset, mortuus te vocante vixisset, sol te moriente palluisset, terra te resurgente tremuisset, cælum te ascendente patuisset, antequàm ista alia mirabilia iam iuuenilis tui corporis ætate fecisses. Adhuc in manibus matris portaberis, & iam Dominus orbis cognoscebaris: ipse puer paruulus ex semine Israël, & ipse nobiscũ Deus Emmanuel. Quæ est illa nostra gene-

Esai. 1.

Luc. 1.

Luc. 2.

matth. 8.

Christus in præsepi positus.

Luc. 2.

ne-

Universidad de Deusto
Biblioteca

neratio saluatoris, qua gignenti patri coæternus est, quando hanc generationem ex virgine mundus expauit, quam pia fides agnouit & tenuit, infidelitas autem irrisit, superbia timuit superata? Quæ nam est illa generatio, quia in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum? Vel quod est hoc verbum, quod dicturus antea non silebat, quo dicto non siluit qui dicebat? Quod est verbum sine tempore, per quod facta sunt tempora? Verbū quod labia nullius aperuit cœptum, clausit ue finitum. Verbum quod initium non habet ex ore loquentium, & aperuit ora mutorum. Verbum quod linguis gentium disertis non sit, & linguas infantium disertas facit? Quenam est illa generatio, cui pater moriendo non cedit, quia non eum viuendo præcedit? Segregata ab omnibus locorum temporumq; interuallis, ab omni distentione spatiorum, quam vel in diebus, vel in corporibus sentire consueuimus. Leuemus ad eum quantùm ipso adiuuante animam nostram possumus, si quo modo capere valeamus & natum non præuenientē qui gignit, & gignentem non subsequentem qui gignitur, patrem & filium: nec pariter patres, nec pariter filios, & pariter æternos. Non vtrunque generantem, nec vtrunque nascentem, sed alterum sine altero non viuentem. Et patrem sempiternum genuisse, & filium sempiternum natum esse cogitemus, si valemus: si non valemus, credamus. Non est quod hic dicere volumus, sed tamen non longè positum est ab vnoquoque nostrum. In illo enim viuimus, mouemur, & sumus. Transcendamus carnem nostram, in qua parentes ante filios viuunt: quia vt filios possent generare creuerunt, & filijs crescentibus iam senescunt. Nondum natis filijs parentes vixerunt, quia & parentibus mortuis filij victuri sunt. Transcendamus ad animas nostras, pariunt & ipsæ aliquid cogitando, quod secum habent sciendo: sed possunt amittere obliuiscendo, quia & non habebant anteà nascendo. Cuncta corporalia & temporalia & mutabilia transcendamus, vt videamus super omnia, per quem facta sunt omnia. Ascensus noster in corde est, quia & illud quò ascendimus propè est. Longè autem ab illo sumus, in quantùm dissimiles sumus. Ascendit ergo ad eum sua similitudo, quam in nobis fecit & refecit, quam nondū perfectè palpitat infirmus aspectus, & ineffabilē cādorem lucis æternæ nó potest intueri. Cuius ergo fulgorem mentis acies nondū capit, generationē eius quis enarrabit. Sed verbum caro factū est, & habitauit in nobis. Hanc ergo generationē cuius hodiernū celebramus diem, hanc in qua dignatus est venire per Israël & fieri Emmanuel nobiscum Deus in carnis infirmitate, non nobiscum in cordis iniquitate, accedens ad nos per id quod assumpsit ex nostro, & liberans nos per id quod mansit in suo. Visitauit quippe Dominus seruos suos per mortalem infirmitatem. Hanc ergo generationem, cuius vtcunque capax est humana fragilitas, nó illam quæ sine tempore manet sine matre super omnia, sed istam quæ in tempore facta est sine patre, inter omnia. Hunc virginis filium, & virginum sponsum, de Hunc virginis matre nascentem, & incorruptibili incorrupta matre nascentem, & incorruptibili veritate fœtantem, laudemus, amemus, adoremus, vt in eius misericordia de astutia diaboli fisi triumphemus. Diabolus ad nos decipiendos corrupta fœminea mēte surrepsit: Christus ad nos liberandos incorrupta fœminea etiā carne processit, qui est benedictus in secula seculorum, Amen.

Ioan. 1.

Sap. 10.

Act. 17.

Esai. 53.

DE EODEM FESTO, SERMO BEATI AVGVSTINI

episcopi : & est XIX.
de tempore.

GAudeamus fratres, lætentur & exultēt gentes. Istum diem nobis non sol iste visibilis, sed creator ipsius inuisibilis consecrauit, quando eum pro nobis inuisibilem factum, à quo inuisibili & ipsa creata est, visceribus fœcundis, & genitalibus integris virgo mater effudit. Concipiens virgo, pariens virgo, virgo grauida, virgo fœta, virgo perpetua. Quid miraris hæc homo? Deum sic nosci oportuit, quando esse dignatus est homo. Ille fecit illam, qui est factus ex illa. Antequam fieret enim, erat: & quia omnipotens erat, hoc potuit quod non erat, manens quod erat. Fecit sibi matrem, cùm esset apud patrem, & cùm fieret ex matre, mansit in patre. Quomodò Deus esse desisteret cùm homo esse cœpit, qui genitrici suæ præstitit ne desisteret virgo esse cùm peperit? Proinde quum verbum caro factum est, non verbum in carnem pereundo cessit, sed caro verbo, ne ipsa periret, accessit: vt quemadmodum homo est anima & caro, sic esset Christus deus & homo, idem Deus qui homo, & qui Deus idem homo, non confusione naturæ, sed vnitate personæ. Denique filius Dei generanti coæternus semper ex patre, idem filius hominis esse cœpit ex virgine: ac si & filij diuinitati est addita humanitas, & tamen non est trina personarum facta quaternitas, sed permanet trinitas. Non ergo nobis subrepat quorundam sententia minùs attentorum in regulam fidei, in scripturarum oracula diuinarum. Dicunt enim: Qui filius est hominis, factus est filius Dei: qui verò filius est Dei, non est factus filius hominis. Hoc vt dicerent, quod verum est amauerunt, sed verum eloqui non valuerunt. Quid enim attenderunt, nisi quia humana natura potuit in melius commutari, in deterius autem diuina non potuit? Hoc verum est, sed eriam sic, id est, nequaquam in deterius diuinitate mutata, verbum tamen caro factum est. Neque enim ait Euangelista, Caro verbum facta est: sed ait, Verbum caro factum est. Verbum autem Deus, quia Deus erat verbum. Et quid caro, nisi homo? Non enim sine anima in Christo hominis caro. Vnde ait: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Si ergo verbum Deus, & homo caro, quid est aliud, verbum factum est caro, nisi qui Deus erat, factus est homo? Ac per hoc, qui erat Dei filius, factus est hominis filius, assumptione inferioris, non versione potioris, accipiendo ipse quod non erat, non amittendo quod erat. Nam quomodò in regula fidei confiteremur credere nos in filiū Dei, qui natus est ex virgine Maria, si non filius Dei, sed filius hominis natus est ex virgine Maria? Quis enim Christianus neget ex illa fœmina filiū hominis natum, sed tamen Deum hominem factum, & ita hominem Deum factum? Deus enim erat verbum, & verbum caro factum est. Confitendum est igitur, eum qui filius Dei erat, vt de virgine Maria nasceretur, assumpta forma serui filium hominis factum, quod erat manentem, quod non erat assumentem: esse incipientem quo minor est patre, & semper manentem in eo, quo vnum sunt ipse & pater. Nam si ille qui semper est Dei filius, non est ipse factus hominis filius, quomodò de illo dicit Apostolus: Qui cùm in forma Dei esset, nó rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo? Neq; enim alius, sed ipse in forma Dei æqualis patri, qui est vtiq; vnigenitus Dei filius, semetipsum exinaniuit in similitudinem hominū factus. Neq; alius, sed idem ipse in forma Dei æqualis patri, humiliauit non alium, sed semetipsum, factus obediens vsq; ad mortem, morte autem crucis. Quod totum non fecit Dei filius, nisi in ea forma quæ est hominis. Item si ille qui semper est Dei filius, non est ipse factus hominis filius, quomodò dicit Apostolus ad Romanos: Segregatus in euangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem? Ecce filius Dei, quod vtiq; semper erat, factus erat ex semine Dauid secundùm carnem, quod non erat. Item si ille qui est Dei filius, nó est ipse factus filius hominis, quomodò misit Deus filium suum factum ex mulie re? Quo nomine secundùm Hebræam linguā nó virginem decus negatur, sed fœmineus sexus ostenditur. Quis enim à patre est missus, nisi vnigenitus Dei filius? Quomodò ergo ex mulie re factus, nisi quia idem ipse, qui erat apud patrem Dei filius, missus, factus est hominis filius? De patre natus sine temporis die, de matre natus hodiè. Ita enim diem quem creauit, in quo crearetur elegit, sicut factus est de matre quam fecit. Nam & ipse dies, à quo deinceps incrementum lucis accipit dies, opus Christi significat, in quo interior homo noster renouatur de die in diem. Aeterno quippe creatori in tēpore creato ille dies debuit esse natalis, cui creatura congrueret temporalis, cui honor & imperium per infinita secula seculorum, Amen.

Ioan. 1.

Matt. 26.

Ioan. 1.

Rom. 1.

Gal. 4.

Phil. 2.

ITEM SERMO BEATI AVGVSTINI EPISCOPI, VNde supra : estque VI. de tempore.

IN principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbū. Qui in principio erat, intra se concludit omne principium. Ex matre verò initium sumpsit, sicut legimus per Esaiam: Ecce virgo in vtero accipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus, id est, latens in humana fragilitate maiestas, sicut in Ioanne Euangelista legimus: Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis, id est, in fragilitate corporis nostri. Item de Mariæ virginis generatione: Et porta erat clausa, & non est aperta. Tanquam si interrogaretur cur aperta non esset, adiecit: Quia Dominus transiuit per eam. Porta clausa, id est, signaculum pudoris, immaculatæ carnis integritas. Non enim est violata partu, quæ magis est sanctificata conceptu. Item de Christi gemina Dei hominisque substantia: Et erunt, inquit, duo in carne vna, id est, Deus & homo vnus Christus. Quod Apostolus de Christo & Ecclesia, id est, de Christi corpore præcipit intelligi, sicut ait: Et erunt duo in carne vna. ego autem dico in Christo & Ecclesia. Quod apertè exposuit ad Romanos: Patres nostri, ex quibus Christus secundùm carnem. Asseruit hominis, consequenter asserit proprietatem Dei, dicens. Qui est super omnia Deus benedictus in secula. Tam perfecta hic filij eminentia declaratur, vt dici de patre maiora non possint. Nam si initium haberet, non esset super omnia, sed inter omnia, quæ pro conditione factura intra initium cōtinentur. Sed Christus qui æqualis est patri, nulla temporis, nulla ætatis lege concluditur. Euidenter & ad Phillippenses Apostolus duas Christi natiuitates, & duas substantias prædicat, dicens: Qui cùm in forma Dei esset, formam serui accepit. Quibus regulis plena sunt volumina noui & veteris testamenti. Similiter & Iob prædicat eximius prophetarum: Et in carne mea videbo Deum. Quod de illo tempore prophetauit, quando Christi deitas habitu nostræ carnis induta est. Quia ergo, vt præfati sumus, verbum caro factum est, & duos esse constat hominem & Deum in carne vna, modò homo loquitur patri, modò Deus: modò visibilis ex matre,

Ioan. 1.

Esai. 7.

Ioan. 1.

Ezec. 44

ibidem.

Gene. 2.

Ephes. 5.

Rom. 9.

Aequalis patris & filij.

Iob. 19.

Universidad de Deusto
Biblioteca

modò inuisibilis ex patre. Da verba hominis.
Luc. 9. Ipse in euangelio dicit: Filius hominis non habet, vbi caput suum reclinet. Ostendat hic pauper filius hominis, diuitias suas in gloria diuinitatis. Omnia, inquit, quæ pater habet, mea sunt, dum dicit, Omnia, nihil hic reliquit, quod minùs haberet à patre. Omnia, id est, vnius deitatis
Ioan. 16. potentiam, substantiam, maiestatem. Quis eum minorem dicere non tremiscat, qui se patri generaliter & per omnia veridicus testis exæquat,
Ioan. 5. sicut de eo Euangelista pronunciat? Ideò volebant eum Iudæi interficere, quia patrem suú dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Et ad Phi
Philip. 2. lippenses. Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, id est, æqualitatem diuinitatis, quã rebellis angelus assumere voluit per rapinam, Christus possedit per naturam. Ergo credas ei, cùm se in hominis substantia profitetur æqualem. Loquatur filius hominis: Pater, inquit, maior me est. Loquatur filius Dei: Ego & pater v-
Ioan. 14. nũ sumus. Quasi homo esurit, quasi Deus quin-
Ioan. 10. que millia esurientium, quinque panibus obsequio creaturæ suæ exatiat. Quasi homo in cruce pendet, quasi Deus in paradisum de cruce latronem gestis per omnem mundum loquentibus
Luc. 23. introducit, dicens: Amen dico tibi, hodiè mecú eris in paradiso. Quo tempore corpus Domini in tumulo fuit, anima in inferno, diuinitas in paradiso, in cælo & vbique intra se omnia supereminenti suæ maiestatis immensitate complectens. Secundùm hominem minor dicitur, quãdo comprehenditur, flagellatur, crucifigitur, moritur, sepelitur. Secundùm Deum per virtutem resurrectionis in cælestia sublimatur: quasi homo, suscepta morte: quasi Deus, super mortem. Secundùm hanc regulam modò pauper est, modò diues, modò minor, modò æqualis, modò Dominus, modò seruus. Tunc ergo minor credatur patre, quando angelorũ conditor paulò minùs ab angelis minoratur, sicut in octauo Psalmo legimus. Minorasti eum paulò minùs ab angelis. Tunc ergo patre minor dicatur, quãdo serui formam susceпisse perscribitur, quando etiam matre iunior inuenitur, quando ipse de se in vicesimoprimo Psalmo dicit: Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Quòd autem minor patre secundùm carnem & secundùm hominem nuncupetur, innumeris scripturarum testimonijs
Tit. 2. declaratur. De eius diuinitate ita ad Titum A-
Ibidem. postolus dicit: Apparuit gratia Dei saluatoris nostri. Et iterum: Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei & saluatoris nostri Iesu Christi. Immane piaculum est, vt per infidelis hominis blasphemias minor esse dicatur, quem magnum Deum ipsa veritas profitetur. Nam & Thomas Apostolus in euangelio Ioannis, vbi post resurrectionẽ corpus hominis crucifixi per clauorum signa cognouit, Deum qui intra hominem latebat, apostolica & euangelica authorita-

te confessus est, ità dicens: Dominus meus & Deus meus. Si fides adsit, aperta est ratio, qua Christus nunc minor, nunc æqualis patri sacris voluminibus asseratur, sicut ipse de se dicit: Ego primus & nouissimus. Indubitanter agnosce, quòd priorem non potest habere, qui primus est. Item: Ego sum Alpha & ω. Et sicut alpha literam nulla præcedit, ita & filium Dei nulli secundum constat esse, quia Deus est. Quid respondebimus eis, qui spiritum sanctum aut minorem dicunt, aut (quod sceleratius est) ministerialem magis quàm Deum abrupta impietate pronunciant? Quomodò creatura dicitur, qui Domini creator ex Maria comprobatur? Sicut legimus, Conceptus de spiritu sancto, natus ex Maria virgine. Christus enim non de substantia spiritus sancti, sed de potentia, nec generatione, sed iussione & benedictione cõceptus est: & sicut à patre, ita etiam à spiritu sancto ad redemptionem nostræ malitiæ destinatus est, ipso de se per Esaiam loquente: Misit me pater & spiritus eius. Si spiritussanctus minor creditur, quomodò se filius sicut à patre, ita etiam à spiritu sancto missum esse testatur? Spiritussanctus ipse locutus est in Apostolis, ipse efferbuit in prophetis, dicente beato Apostolo Petro in Epistola sua, Non, inquit, ex hominibus allata est prophetia, sed spiritusancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. Et Saluator in Matthæo ita ait ad discipulos suos: Non vos estis qui loquimini, sed spiritussanctus: Similiter & Dauid plenus spiritusancto, quis per eũ loqueretur, manifesta voce denunciat, dicens: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Hæc est, inquam, via lucis, cuius confessione aperitur ostium salutis. Itaq; qui in hanc professionem ingrediuntur, beatitudinem eius adipiscuntur. Beatitudo ei, qui confitetur Deum patrem & filium & spiritumsanctum. Beatitudo ei, qui confitetur solum Deum, patrem & filium & spiritumsanctũ. Beatitudo ei, qui confitetur vnum omnipotentem Deum, patrem & filium & sanctum spiritum. Beatitudo ei, qui confitetur vnum summũ Deũ, patrem & filium & sanctum spiritum. Beatitudo ei, qui confitetur vnum Deum patrem & filium & sanctum spiritum sempiternum esse. Beatitudo ei, qui confitetur indiuisam substantiam esse patris & filij & sanctispiritus. Beatitudo ei, qui nihil addiderit vel minuerit in vnitate naturę patris & filij & sanctispiritus. Beatitudo ei, qui cõfitetur omnia bona facta fuisse à patre & filio & sanctospiritu. Beatitudo ei, qui confitetur vnam æqualitatem in sempiterna plenitudine deitatis esse, patris & filij & sanctispiritus. Beatitudo ei, qui secundùm singula nomina trinitatis, id est, patris & filij & sanctispiritus, proprias tantum personas distinctas esse confitetur. Vnde oportuit nos ostendere eis, quos ędẽt vię suæ fructus, maledictiones omnium malè credentium, sicut scriptum est: Maledictus omnis, qui non obau-
Deut. 27. dierit verba libri huius, vt faciat ea in corde suo. Maledictus, qui patris & filij & sanctispiritus vnam sempiternam substantiam esse non confitetur. Maledictus, qui secũdùm tres personas, tres diuisas substantias esse confitetur. Maledictus, qui tria principia eorum esse confitetur. Maledictus, qui solum verum Deum patrem, & vnicũ verum Deum filium, & vnicum verum Deum sanctumspiritum nõ confitetur. Maledictus, qui vnicum nomen in deitate trinitatis esse non confitetur. Maledictus, qui indiuisam deitatem patris & filij & spiritussancti nõ cõfitetur. Maledictus, quia propria nomina personarũ tres deos, aut tres dominos, aut tres spiritus confitetur. Maledictus, qui secundũ singulas personas trina nomina tantùm distincta, patris & filij & sanctispiritus non confitetur. Maledictus, qui vnam personam eorum esse confitetur. Maledictus, qui quem patrem dicit, hunc eundem & filium esse designat. Maledictus, qui patrem natum, aut incarnatum, aut passum esse cõfitetur. Maledictus, qui inenarrabiliter filium & verè natum de substantia patris esse non cõfitetur. Maledictus, qui hanc natiuitatem factam, vel creatam, vel conditam esse confitetur. Maledictus, qui verum filiũ Dei ex voluntate tantùm dicit esse, & non potiùs de natiuitate. Maledictus qui dicit, erat tempus quando non erat filius. Maledictus, qui hanc natiuitatem ex nullis extantibus non confitetur, quod Græci ἐξ ουκ ὄντων appellant. Maledictus, qui diuinitatem filij Dei dicit initium habere de tempore, ortum ex nihilo, nomen quasi adoptionis ex altero. Maledictus, qui vnum de vno, filium de patre generatum non confitetur. Maledictus, qui impassibiliter filiũ natũ, de patre nõ confitetur. Maledictus qui dicit, fuit aliquando pater sine filio. Maledictus, qui non cõfitetur ante omne principium, vel initium semper fuisse filium cum patre. Maledictus, qui immortalem deitatem filij Dei non confitetur. Maledictus qui de sempiterno filio dicit, Non erat antequam de Maria nasceretur. Maledictus, qui vnitam deitatem patris & filij & spiritussancti ex charitate concordiæ tantùm esse profitetur, & non magis per hanc ipsam vnitam diuinitatem. Maledictus, qui vnitam deitatem in tribus his personis esse non confitetur. Maledictus, qui aduersus vigorem censuræ diuinæ scripturæ hunc Deum verum, spiritum paracletum, aut filium patris, vel certè sacturam vsurpat debere confiteri. Maledictus, qui filium Dei Deum verum & hominem verum de Maria virgine nuper natum pro nostra salute non cõfitetur. Maledictus, qui filium Dei hominem tantũ pro nostra salute confitetur. Maledictus, qui Deum Dei filium sempiternum de assumptione hominis per hoc principium habere assignat. Maledictus, qui deitatem eius passam esse confitetur. Maledictus, qui incomparabilem deitatẽ trinitatis propriè ad hominis lineamẽta esse con-
fitetur, dum scriptum inueniamus, quia non sit illi similis qui squam Deus in cælo sursum, & in terra deorsum. 3. Reg. 8.

DE EODEM FESTO HOMILIA EVSEBII Emeseni.

NArrant alij Euangelistæ Dominum & Saluatorem nostrũ ab angelo nunciatum, de virgine natum, pastoribus reuelatum, per stellam declaratum, à Magis adoratum, ad templum delatum, & Simeoni præsentatum. Narrant præterea qualiter de Iudæa cum parentibus fugerit, qualiter de Aegypto in Iudæam redierit, qualiter creuerit, & virtute & sapientia profecerit. Hæc autem & bis similia dum Euangelistæ scribebant, verum hominem esse, & veram carnem eum suscepisse firmabant, & hæreticos alitercredentes & docentes superabant. Ioannes autem Euangelista altiùs ascendens, & vsq; ad eius diuinitatem se extendens, ascendit super Cherubin, & volans super pennas ventorum, penetrauit cælos, transcendit archangelos, & peruenit vsq; ad thronum Dei, ibique vidit verbum Dei, ibi vidit Dominum nostrum Iesum Christũ in sinu patris, & tũc intellexit quod scriptum erat: Eructauit cor meum verbum bonum. Intellexit Psal. 44.
vtiq; & dixit: *In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum.* Iesus Christus Dominus noster quemadmodũ dicitur filius Dei, sic dicitur verbũ Dei, sic & virtus & sapiẽtia Dei. Vnũ enim idemq; significant, filius, verbum, virtus & sapientia. De quo verbo ait Psalmista: Verbo Domini cæli firmati sunt. Et vt verbum & sa- Psal. 32.
pientiã idem esse ostẽderet, ait: Omnia in sapiẽtia fecisti. Nunquã igitur pater sine filio fuit, quia Psal. 103.
nunquam sine verbo, nunquã sine virtute, nunquam sine sapientia esse potuit. Hæc autẽ sapiẽtia, hæc virtus, hic Dei filius, quanuis temporaliter de virgine natus sit, in principio tamen & ante tempora erat. Et hoc est quod ait: *In principio erat uerbum.* Taceant igitur, quicunq; Saluatorem nostrum, priusquàm de virgine nasceretur, non fuisse contendunt. Hoc enim Iudæi, & gentiles, & quidam hæreticorum dicere solent: quorum quidem errores Euangelista destruit, dũ eum in principio fuisse dicit. Sed vbi erat? *Et uerbum erat apud Deum.* Semper enim in patre filius, semper in filio pater. Vnde ipse ait: Ego sum in patre, & pater in me est. Denique vbi debuit esse, nisi in Deo, virtus & sapientia Dei? Vbi enim est virtus, & sapientia tua, nisi in te & in animo tuo? Sic igitur & verbum Dei, id est, virtus & sapientia Dei, in principio erat apud Deum: Et quid erat? *Et Deus erat uerbum.* Nihil enim in Deo est, quod Deus non sit. Totus enim idem est, & substantialiter idem. Hoc autem verbum nec syllaIoan. 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bis constat, nec voce profertur, sed semper in sinu manens & in corde patris, cuncta disponit, regit & operatur. *Hoc erat in principio apud Deum.* Hæc autem confirmatio est eorum, quæ dicta sunt. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Si igitur omnia per verbum facta sunt, & omnia in sapientia Dominus fecit, manifestum est quia verbum & sapientia idem sunt: ibi igitur verbum, vbi & sapientia. In nobis autem non ita fit, quia verbum in ore, in corde sapientiâ habemus. Veruntamen sicut sapientia nostra voce induitur, & fit verbum vt audiatur: ita & sapientia Dei carne induta est, & verbum caro factum est, vt ab omnibus videatur. Siue igitur verbum, siue sapientia vocetur Dei filius, nulla differentia est.

Vt Deus operetur. Psalm. 32. 148. Non enim loquendo, sed sciendo & volendo cuncta operatur Deus. Quod enim scriptum est, Ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt: non sic est accipiendum, quasi motu linguæ & aëris percussione aliqua ex ipsius ore vox insonuerit. Sed dicere Dei, voluisse est. Omnia enim per ipsum facta sunt, quæcunque à patre facta sunt, & sine ipso nihil à patre factum est: nihil enim sine sapientia fecit Deus. Deus igitur vnus est, qui in sapientia sua, & in spiritu suo omnia operatus est. Cuius sapientia carnem suscepit, cuius spiritus in igne apparuit. Qualiter autem sapientiam suam, verbum suum, & filium suum ipse genuerit, quia solui non potest, quæri non debet. *Quod factum est in ipso, vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Duo nanque naturæ sunt

Gemina in Christo natura. in Christo, diuina scilicet, & humana, quarum altera facta est, altera facta non est. Humanitas enim quæ in ipso est, & facta & creata est. Ipse enim fecit humanitatem suam, ipse fecit & matrē suam, *per quem facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil.* Hoc igitur solum in ipso est, nihilque aliud est, quod in ipso factum est. Hoc autē vita erat, quanuis hoc Iudæi non credebant. Christi nanque humanitas, omnium in se credentium salus

Ioan. 14. & vita est. Vnde ipse ait: Ego sum via, veritas, &

Ioan. 11. vita. itemque: Ego sum resurrectio & vita. *Et vita erat lux hominum.* Si enim Christi humanitas vita erat, & vita erat lux hominum, ergo & Christi humanitas erat lux hominum. Sed quare lux? Quia lucebat, quia docebat, quia prædicabat, quia populum, qui sedebat in tenebris, illuminabat. Vn-

Esai. 9. de propheta: Populus, inquit, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnā: habitātibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Hinc ipse quo-

Ioan. 8. que Dominus ait: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ. De qua subditur: *Et lux in tenebris lucet.* Lux enim in tenebris lucebat, quando inter peccatores Christus Dominus prædicabat. Hāc autem lucem tenebræ non comprehenderunt, quia peccatum non fecit, nec dolus inuentus

1. Pet. 2. est in ore eius. Ipse enim solus inter peccatores sine peccato viuere potuit. Hæc sola lux nullis tenebris est obfuscata, nulla caligine denigrata, nullis vitijs maculata. Alij autem hunc locum ita distinguunt, vt priùs dicant, *Quod factum est:* deinde subinferant, *In ipso vita erat.* sed videant quomodo his sequentia continentur. Omnia enim quæ temporaliter fiunt, vel facta sunt, priusquàm fierent, in ipso & viuebant, & vigebant. Viuunt enim omnia, quæ in Dei dispositione sunt: quia sicut disposita sunt, non euenire non possunt. *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent in illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.* Omnes enim (sicut Lucas ait) existimabant de Ioanne, ne fortè ipse esset Christus. Erat enim lucerna lucens & ardēs. Sed non erat ipse lux, qui ad hoc solummodò venerat, vt testimonium perhiberet de lumine. *Erat autem lux,* lux æterna & indeficiens, *quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum.* Hanc autem lucem, illud candelabrum significabat, quod de auro purissimo Moyses fieri præcepit. Quid enim tam purissimum, quàm esse sine peccato? quid tam purissimum, vt sapientia, & sol iustitię? Habebat autem hoc candelabrum septem lucernas, quibus totum tabernaculum illuminabatur, per quas septem sancti Spiritus gratias intelligimus, quibus totus mundus illuminatur. Habebat autem in hastili suo quatuor scyphos, qui quatuor Euangelia significabant. Habebat igitur & lucernas, quibus mentis oculos illuminaret: habebat & scyphos, quibus sitientium corda reficeret & sanaret. Omnis autem homo in hunc mundum veniens, sola huius candelabri luce interiùs & exteriùs illuminatur. Hæc oculis visum, & cordi tribuit intellectū. Quj hac luce non illuminatur, cæcus est, & in tenebris manet. Venit autem homo tunc in hunc mundū, quando nascitur: quia tunc primùm in hoc mundo apparet. Vnde & de seipso Dominus ait: Exiui à patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. Deus enim qui vbique est, quando se manifestat, venire: quando se cælat, recedere dicitur. Venit igitur in mundum, quia secundùm carnem quam assumpsit, mundo visibilis apparuit. Et hoc est quòd dicitur. *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit.* Quid est, In mūdo erat, nisi quia visibilis inter homines in hoc mundo conuersabatur? Mundus autem secundùm quosdam eum cognouit, & secūdùm quosdam eum non cognouit. Mundi enim amatores Christum sequi & cognoscere noluerunt: quoniam solam huius mundi voluptatem & gloriam diligunt, non immeritò mundus vocantur. Vnde & discipulis suis Dominus ait: Quia de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. *In propria uenit, & sui eum non receperunt.* Cùm enim omnia sua sint, eius tamen propria Iudæi dicebantur, & isti quidem eum non receperunt, sed eum spernentes dixe-

Luc. 19. dixerunt, Nolumus hunc regnare super nos. *Quotquot autem eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Quid enim illis maius dari potuit, quàm vt essent filij Dei? Si enim filii (ait Apostolus) & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Si verò cohæredes sunt, eandem habent beatitudinem & possessionem. *Qui non ex sanguinibus, neque ex uoluptate carnis, neque ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt.* Quantum enim ad hanc secundam natiuitatem, qua filij Dei homines fiunt, non secundū viri voluntatem, neque ex voluptate carnis & sanguinis, sed secundùm voluntatem Dei ex aqua & spiritu sancto regenerantur & renascuntur homines. Quantū verò ad primā natiuitatē, vno & simili modo & boni & mali omnes nascūtur. *Et uerbū caro factū est, & habitauit in nobis.* Factū est vtiq; verbū caro, nō q̄ verbū mutaretur in carnē, sed quia carnē suscipiendo, ex diuinitate

Baruch. 3. & humanitate vna persona facta est. *Et habitauit in nobis,* sicut Hier. ait: Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius ad eū: qui adinuenit oēm viā scientiæ, & dedit eā Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum

Matth. 17 hominibus conuersatus est. *Et uidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à patre, plenum gratiæ & ueritatis.* Hanc enim Christi gloriam illi viderunt, qui simul cum eo erant, quando in monte transfiguratus est, quādo resplenduit facies eius sicut sol,

Psal. 44. vestimenta eius facta sunt alba sicut nix: quādo & vox patris audita est, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè cōplacui. Erat aūt plenus gratiæ, secundū hoc q̄d Psalmista ait: Speciosus

Ibidem. forma præ filijs hominum: diffusa est gratia in labijs tuis. Erat autem & veritate plenus, secundū illud, Propter veritatem & mānsuetūdinem & iustitiam, deducet te mirabiliter dextra tua.

IN FERIIS D. STEPHANI, CONCIO EXEGETICA IN LECTIONEM Epistolæ loco ea die recitari solitam.

Martyrij triplex. Vm triplex sit martyriū, aliud quod sola voluntate nō re ipsa: aliud, quod & re ipsa & voluntate: tertium, quod re quidem ipsa sed non volūtate susci-

pitur & peragitur: sapientissimè Christi Ecclesia hoc triduo, quod eiusdem Seruatoris natalē diē ordine cōsequitur, eiusmodi diuorū celebrā das instituit solennitates, in quibus triplex hoc martyrij genꝰ cernere liceat. Stephanus enim & animo & corpore martyr fuit: Ioānes animo, nō corpore: beati innocentes corpore solo, non animo. De Stephano nos inpræsentiarum dicturi,

Act. 6. ex B. Luca martyrij eius ordinem cognoscemus. *Stephanus, inquit, plenus gratia & fortitudine, faciebat prodigia & signa magna in populo.* Talem decebat esse primum martyrē, nempe plenū gratia fide & fortitudine, plenū spiritu sancto. Electus autem est ex tota illa credentium multitudine, & cum sex alijs electus, sed ita, vt ipse primum locū obtineret: Ita nanq; Chrysostomus in hunc locum scribens, Vide, inquit, quomodò etiā in illis septē vnus cæteris prę ferebatur, & primatū habebat. Et Oecumenius ex Chrysost. Cū septem, *Oecumen.* inquit, horū (diaconorū) creatio cōmunis fuisset, Stephanus quia aptior erat, maiorem gratiā ex electione consecutus est. Nā cùm ante creationē prodigia nō faceret, vtpote nondū manifestus: vbi per creationē notus est effectꝰ, tūc donū quod ex creationē collatū ipsi fuit, manifestauit, vt planū esse omnibus posset, non solā gratiā fuisse, sed ad gratiæ incremētū electiōe quoque & declaratiōe atq; ordinatiōe esse opus &c. Fuit ergo plenus gratia & fortitudine, nimirū primus Christi testis futurus, cui sanè necessaria erat singularis gratia & sapiētia, qua Iudæorū fidē Christi oppugnantiū argumēta dissolueret, & impietatē redargueret: itēq; eximia fortitudo, qua sæuissimos lapidum ictus intrepidus exciperet, & cōstanter pro Christo mortem oppetendo clarissimum nascenti & teneræ adhuc religioni testimoniū præberet. Et notandū hoc loco, quòd Apostoli publico ministerio adhibendos voluerunt esse boni testimonij, & plenos Spiritu sancto & sapiētia: vt intelligant qui ecclesiasticis deputandi sunt muneribus & functionibus, nō se sua temeritate & ambitione, sed legitima vocatione ad eas pertingere debere: tum quoque integra esse fama, & si non plenus Spiritu sancto & sapiētia, tamen sedulò eò connitentes, vt in dies spiritu sancti & sapientiæ sint capaciores. Væ autem illis, qui cum vitijs & flagitijs cooperti sint, tamen per fas & nefas contendunt ad Ecclesiæ ministeria: quorum certè erit grauissima damnatio: Porrò Stephanus faciebat signa & prodigia magna in populo. Id quidem tum vel maximè erat necessarium. Vt enim Iudaico illi populo persuaderetur, legem iam habere finem, circumcisionem & plerasque alias legis cæremonias, ritus ac instituta deinceps nihil prosutura, Christum verum Deum esse & Messiam in lege promissum, atque id genus alia, opus erat & eximia vitæ sanctimonia, & haud vulgari miracula ædendi facultate. Quæ duo Christus primis illis nostræ religionis professoribus largissimè contulit, non solùm apud Iudæos, sed etiam gentiles, quos itidem certum erat non facilè ab vetusto illo idola colendi more traductum iri, nisi doctrinam nouam insignia miracula & mores inculpati veram testarentur. Sed cùm Stephanus tot claret miraculis, insaniam & inuidiam in se Iudæorum concitauit, de quibus porrò dicitur. *Surrexerunt autem quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorū, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant à Cilicia & Asia, disputantes cum Stephano.* Surrectionem, ait Chrysostomus, vocat illorum exacerbationem & iram. Variæ autem Synagogæ *Chrysost.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

erant, vt inquit idem, Libertinorum, & Cyrenensium. Sed Cyrenenses quidem vltra Alexandrinos siti sunt, & cæt. Oecumenius in hunc locum ita scribit: Libertini, Cyrenenses & Alexandrini apud Hebræos in captiosis disputationibus principatum obtinebant: quorum diuersæ per singulas nationes habitantium in Hierusalem erant synagogæ: synagogas enim, id est, congregationes & conuentus, loca videlicet separata, atque ad lectionem Mosis destinata habebant: quippe cùm multi adorandi causa cùm in Hierusalem ventitarent, præcipuè ad Pascha, quod extra Hierusalem celebrare nõ licebat, ibi commorarentur. Ne enim à patria discedere frequenter cogerentur, illic asidebant. Libertinos autem Romanorum manumissos, id est, vt Chrysostomi interpres vertit, qui à Romanis libertate donati erant, vocabant. Hæc Oecumenius. Quòd verò disputationem cum Stephano susceperũt, ideò eos fecisse dicit Chrysostomus, vt cogerent illum dicere aliquid contra Deum & Moysen. Optabant enim habere iustam aduersus eum causam tollendi illum è medio. Non enim hæc disputatio veritatis illustrãdæ studio est instituta, sed vt Stephanum confunderent, ipsíque vicisse viderentur, aut certè illi necis struendæ materiam haberent. Sic solent etiam hæretici prouocare ad disputationẽ, non vt pateſcat veritas, sed vt apud vulgus imperitum insignis cuiusdam eruditionis & sapientiæ famam sibi concilient, & Catholicos lõgè superasse videantur. Huius insigne exemplum videre est apud Nicephorum Historiæ Ecclesiast. lib. 12. cap. 15. Sed quia nihil est ingenium humanum, & humana sapientia aduersus Dei spiritum & Dei sapientiam, commodè iam subiungitur: *Et non poterant resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur.* Hoc enim suis martyribus pollicitus erat Dominus: Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & cõtradicere oẽs aduersarij vestri. Sed iam quid B. Stephanus dixerit, videamus: *Dura cervice, & incircuncisi cordibus & auribus, vos semper spiritui sancto restitistis.* Nemo hæc putet cum stomacho dici, sed potiùs ex ingenti dolore & commiseratione erga illius obstinatæ gẽtis horrendam cæcitatem. Charitas enim, non animi perturbatio hæc à sancto martyre obiurgationis verba extorsit, non minus quàm preces, quas paulò post lapidatus ab illis pro eorum salute fudit. Optabat illos ad sanitatem reducere, & duris cordibus necessariò acrius & seuerius remedium adhibuit: simul vtilissimum pastoribus & doctoribus relinquens exemplum, vt nouerint aliter tractãda esse aspera & præfracta ingenia, aliter placida & mansueta. Quod verò dicit eos semper spiritui sancto restitisse, itemq; patres ipsorum, id ex sacris literis euidentissimum euadit, quàm sit verè dictum. Vnde etiam mox subijcit: *Quem prophetarum non sunt persecuti patres uestri?* Hoc idem Christus eis opprobrauit. Sed illa persecutio tandem effecit, vt illis in sua cæcitate relictis, Deus lucem Euangelij sui ad gentes transferret. Itaq; videre iam licet, quibus tenebris illa gens immersa sit, hodieq; suũ expectans Messiam, pro Christo receptura Antichristum. Peruenit enim ira Dei super illos vsq; in finem. *Quem prophetarum non sunt persecuti patres uestri?* Et *occiderunt eos, qui prænunciabant de aduentu iusti.* Iustum vocat Dominum Iesum, non quomodocunq; iustum, instar aliorum hominũ, sed essentialiter iustum, immò iustitiam ipsam, de cuius plenitudine suam iustitiam & gratiam hauserũt sancti & iusti omnes. *Cuius, inquit, uos nunc proditores & homicidæ fuistis.* Hæc, inquit Chrysostomus, libertas erat viri in dicendo, qui crucem ferebat. Sed veram dicendi libertatem idem Chrysostomus esse negat, nisi sit cum mansuetudine coniuncta. Dicendi, ait, libertas, bonum opus est: furor, delictum. Igitur nos liberè dicturos, mundos à furore esse oportet, vt ne illi imputentur verba. Licet iusta cum furore dicas, totum perdideris etiamsi liberè loquaris, etiamsi moueas, etiamsi quoduis operatus fueris. Hæc ille. *Audientes autem hæc iudæi,* & verbis sancti martyris haud secus atque æstro quodam perciti, *diſſecabantur cordibus suis,* quos contra cordibus compungi oportuit, & non tam medico irasci, quàm vitijs suis: *Et stridebant dentibus in eum.* Ergo veritas odium peperit. Iam dentibus propemodùm discerpere volebant hominem Dei, cuius nec conspectu digni erant. Sed in tãta martyris persecutione non defuit consolatio Spiritussancti. *Cùm enim esset plenus Spiritusancto, intendens in cælum, uidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris uirtutis Dei.* Quæ sanè visio cùm primis stupenda fuit, hominem in terris positum videre gloriam Dei. Sed quid difficile est Domino Deo nostro? Stantem autem inquit Oecumenius, & non sedentem Iesum beatus Stephanus videt, vt auxilium sibi paratum cognoscat, vtque certatori auxiliatoris habitus & status promptitudinem magnam atq; alacritatem afferat. Et *ait: Ecce uideo cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris uirtutis Dei.* Ibi ergo erat animus martyris, nempe in cælo. Totus flagrabat amore Christi, totus illi vni intẽtus erat: inde factum est, vt etiam adhuc in terris positus, illũ iam in cælis videre mereretur. Beatus ergo vir, cuius est nomen Domini spes eius, cuius cogitatio semper in cælis est, non in terris. Tales cũ Apostolo dicere possunt: Nostra aũt cõuersatio in cælis est, vnde etiã saluatorẽ expectamus Dominũ nostrũ Iesũ Christũ. Væ aũt illis, qui terræ affixi, nil nisi terrena & caduca sectantur, qui in summas adigentur angustias, vbi ad extrema ventum erit. Nec mouere quenquã debet, quod Marcus Dominum sedere dicit, Stephanus stare à dextris Dei. Sedet enim vt iudex, stat vt auxiliator. A dextris autem siue sedere, siue stare cùm dicitur, intelligendum est in potioribus præpotentis patris bonis cum versari. Sed iam ne-

Oecumen.

Luc. 1.

Matt. 23.

1. Thess. 2.

Vera dicendi libertas.

Psalm. 39.

Phil. 3.

Marci vlt.

necesse est, vt Iudęos liuor ex dax nõ sinat amplius à vi inferenda manus continere. *Clamantes ergo uoce magna,* nimirũ præ magna animi insanie & impotente quadam furoris temulentia, quæ non sinit quicquã moderatè agere, *continuerunt aures suas,* sicut illi in Psalmo, ne audirent vocem incantantis sapienter: *& impetum fecerunt unaniter in eum*: non enim iudicio aguntur, sed iræ & inuidiæ stimulis agitãtur. Vbi nos sanè discere debemus, ne pessimo iracundiæ vitio nos superari sinamus, Ira enim, vt ait Sapiens, in sinu stulti requiescit. Nec tamen ira omnis abijcienda est, vt autem & quatenùs ea vtendum sit, pulcherrimè Chrysostomus hoc loco docet, ita dicens. Si canis aduletur quidẽ quibus, ferociat aũt contra externos & vigilet, virtus est canis: & licet esuriat, non tangat oues: & licet fatur sit, non parcat lupis. Talis & ira sit, licet irritetur, mãsuetudinẽ nõ amittat: licet quieta sit, cõtra malas cogitationes insurgat. Suum dominũ etiam percutientem non relinquat, sed agnoscat: alienum autem etiã adulantem impetat. Adulatur diabolus sæpè sicut canis, sed sciant omnes alienum esse. Sic sanè & nos virtuti, etiamsi onerosa sit, applaudamus: & malitiam etiamsi exhilaret, auersemur. Hæc Chrysostomus. *Et eijcientes eum extra ciuitatem, lapidabant.* Extra ciuitatem crucifixus est etiam Dominus, Sancti enim non habent hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirunt. Lapidant autẽ tanquam blasphemum, quia hoc genus supplicij in blasphemos lege constitutum erat. Ita cæci illi pro beneficio reddidere maleficium, & pro saluberrima sancti martyris admonitione, terribilem lapidum imbrem. *Et testes deposuerunt uestimenta sua secus pedes adolescentis, qui uocabatur Saulus.* Permisit Dominus illud vas electionis non solùm in tanti martyris consentire cædem, sed etiã illius persecutores ad lapidandum expeditiores reddere, dum eorum seruauit vestes. Nemo ergo iam desperet veniam, quantacunque scelerũ pressus mole, quando etiam Saulum cruentissimum nascentis Christi Ecclesiæ persecutorem repentè mutatum videt in totius orbis Doctorẽ. Lapidatur Stephanus, & vt expeditiùs & alacriùs lapidetur, Saulus lapidantium vestes custodit. Non leuis, nec simplex hæc culpa fuit: sed vbi abundauit iniquitas, abundauit & gratia. Noli anxiè scrutari tanti Apostoli ad breue tempus erantis lapsus: sed diligenter contemplare, suspice, venerare totam illius à conuersione vitã, quæ certè in plerisque supra hominum vsum fuit: & in his omnibus lauda Dei benignitatem, & da operam, vt si hactenùs malis moribus non modò Stephanum, sed Christum ipsum lapidasti, iam cum Paulo conuersus ex animo, glorifices & portes Deum in corpore tuo. Sed dum lapidatur Stephanus, videamus quid egerit: *Et lapidabant Stephanum inuocantem & dicentem: Domine Iesu suscipe spiritum meũ.* Et hęc quidem pro seipso stans precatus, cupiens dissolui & esse cum Christo, quem iam videbat. Vt autem ostenderet, quãto pro suis hostibus, quàm pro seipso solicitior esset, *positis genibus clamauit uoce magna: Domine, ne statuas illis hoc peccatum,* Ecce & genua nunc flectit, & clamat voce magna, magno cordis affectu, magno desiderio, & ingenti clamore cordis & oris. Plus enim doluit illi cæcitas & iniquitas insanæ gẽtis, quàm proprij corporis cruciatus. O quàm benè hic beatissimus vir imitatus est magistrum & Dominum suum pro suis crucifixoribus orantem. Quàm verè dixit Sapiens: Aquæ multæ (id est, afflictiones & cruces multæ) non poterũt extinguere charitatem, nec flumina (persecutionum obruent) illam. Inter immanes illos lapidũ ictus non solùm nihil commouetur beatus Stephanus, sed illos sæuissimos hostes non alio quã præcipuorum amicorum habet loco, & pro illis magis anxius est quàm pro seipso. Nec putemus inanem fuisse hanc martyris orationem. Nisi precatus esset tam ardenter B. Stephanus, forsitan Paulum Ecclesia non haberet. Cùm ergo magnos Dei amicos in summis persecutionibus videamus erga hostes suos tam benignos, beneuolos, suaues, amantes fuisse, discamus inde etiam nos amare eos qui nobis molesti sunt, cùm nulla sit comparatio eorum quæ nos patimur, cum illis quæ passi sint præcipui Dei amici. Nobile vincendi genus est patientia. Vincit, qui patitur: si vis vincere, disce pati. Nulli malum pro malo reddentes, ait scriptura, sed econtrario benedicentes. At quibusdam dura hæc videntur. Et ipsis durum non est immanes perferre labores pro quibusdam vilibus lucellis temporarijs. O si scirent homines, quæ præmia, quæ beatitudo maneat pios omnes in illa futura vita, tribulos & spinas auidi vorarent, vt vel infimum illic locum obtinerent. Audiamus nunc lectionis huius extrema: *Et cùm hoc dixisset, obdormiuit in Domino.* O verè somnum quietis, & pacis sempiternæ. Dormiunt enim sancti, quia viuunt Deo. Cùm dederit dilectis suis somnum, ait Propheta Dauid, ecce hæreditas Domini. Dormiunt etiam impij, sed somnum sempiternum, & non expergiscentur, ait rex, Dominus exercituum nomen eius. Interim nos dilectissimi beatissimum Christi protomartyrem precibus & lachrymis nobis apud iustum iudicem patronũ comparemus, sedulóq; illum rogemus, vt suis meritis & precibus Dei nobis misericordiam conciliet, cui est omnis honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Psal. 52.

Eccle. 7.

Heb. 13.

Leuit. 24.

Luc. 23.

Cant. 8.

1. Pet. 3.

Psal. 126.

Hier. 15.

DE SANCTO, STEPHANO. Matthæi 23.

In illo tempore: Dicebat Iesus turbis Iudæorum, & principibus sacerdotum. Ecce ego mitto ad uos prophetas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis uestris. Et reliqua. Ex Commentarijs B. Hieronymi in Matthæum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HOC quod antea dixeram, Vos implete mensuram patrum vestrorum, ad personam Domini pertinere, eò quòd occidendus esset abeis potest: & ad discipulos eius referri, de quibus nunc dicit: *Ecce ego mitto ad uos prophetas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis uestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem, ut compleatis mensuram patrum uestrorum.* Simulque obserua iuxta Apostolum scribentem ad Corinthios, varia dona esse discipulorum Christi: alios 1. Cor. 12. prophetas, qui ventura prædicant: alios sapientes, qui nouerint quando debeant proferre sermonem: alios scribas in lege doctissimos. Ex quibus lapidatus est Stephanus, Paulus occisus, crucifixus Petrus, flagellati in Actibus apostolorum discipuli, & persecuti eos sunt de ciuitate in ciuitatem expellentes de Iudæa, vt ad gentium populum transmigrarent. *Vt ueniat super uos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terrã, à sanguine Abel iusti, usq; ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templũ & altare.* De Abel nulla est ambiguitas, quin is sit, quem Cain frater eius occiderit. Iustus autem non solùm ex Domini Gen. 4. nunc sententia, sed ex Geneſis testimonio comibid. probatur, vbi accepta eius à Deo narrantur munera. Quærimus quis sit iste Zacharias filius Barachiæ, quia multos legimus Zacharias. Et ne libera nobis tribuatur erroris facultas, additum est, Quem occidistis inter templum & altare. In diuersis diuersa legi, & debeo singulorum opiniones exponere. Alij Zachariam filium Barachiæ dicunt, qui in duodecim prophetis vndecimus est, patrisque in eo nomen consentiat.

Sed vbi occisus sit inter templum & altare, scriptura non loquitur, maximè cùm temporibus eius vix ruinæ templi fuerint. Alij Zachariam patrem Ioannis intelligi volunt, ex quibusdam apocryphorum somnijs approbãtes, quòd propterea occisus sit, quia saluatoris prædicaret aduentum. Et hoc quia de scripturis non habet authoritatem, eadem facilitate contemnitur qua probatur. Alij istum volunt esse Zachariam, qui occisus est à Ioas rege Iudææ inter templum & altare, sicut Regum narrat historia. Sed obseruan- 2. Par. 24. dum, quòd ille Zacharias non sit filius Barachię, sed filius Ioiadæ sacerdotis. Vnde scriptura refert: Non fuit recordatus Ioas patris eius Ioiadæ, quæ sibi fecisset bona. Cùm ergo Zachariam teneamus, & occisionis consentiat locus, quærimus quare Barachiæ dicatur filius, & non Ioiadæ. Barachia in nostra lingua, benedictus Domini dicitur, & sacerdotis Ioiadæ iustitia Hebræo nomine demonstratur. In euangelio quo vtuntur Nazareni, pro filio Barachiæ, filium Ioiadæ scriptum reperimus. Simpliciores fratres inter ruinas templi & altaris, siue in portarũ exitibus quæ Siloam dicunt, rubra saxa monstrantes, Zachariæ sanguine putant esse polluta. Non condemnamus errorem, qui de odio Iudæorum & fidei pietate descendit. Dicamus breuiter, quare sanguis Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, ab illa generatione requiratur, cùm neutrum eorum occiderit. Regula scripturarum est, duas generationes ponere, bonorum vel malorum, hoc est, singulorum singulas. De bonis sumamus exempla: Quis ascendet in montem Domini, Psal. 23. aut quis requiescet in monte sancto eius: Cumque plures qui ascensuri sunt in montem Do- Ibidem. mini descripsisset, qui diuersis fuere ætatibus, posteà infert: Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem DEI Iacob. Et in alio loco de omnibus sanctis: Generatio Psalm. 111. iustorum benedicetur. De malis verò, vt in præsenti loco, generatio viperarum. Et, Requirentur omnia à generatione ista. Et in Ezechiel Ezech. 14. cùm peccata terræ describisset, sermo propheticus adiecit: Si Noë & Iob & Daniel ibi fuerint inuenti, non dimitti peccata terræ illi. Omnes iustos, qui similes forent virtutibus eorum, per Noë & Iob & Daniel volens intelligi. Ergo & isti qui similia Cain & Ioas contra apostolos gesserint, de vna generatione esse referuntur. *Hierusalem, Hierusalem quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt: quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodum gallina cõgregat pullos suos sub alas, & no luisti?* Hierusalem non saxa & ædificia ciuitatis, sed habitatores vocat, quam patris plangit affectu, sicut in alio loco legimus, quòd videns eam fleuerit. In eo autem quòd dicit, Quoties Luc. 13. volui congregare filios tuos, omnes retrò prophetas à se missos esse testatur. Gallinæ quoque similitudinem congregantis sub alas pullos suos, in Cantico Deuteronomij legimus: Sicut Deut. 32. aquila protegit nidũ suum, & super pullos suos desiderat, expandens alas suas suscepit eos, & tulit super pennas suas. (Vbi contuendum, quia Quæ sicut gallina aliquando oua aliena calefacit, e- parens ducit & nutrit, sic Ecclesia ex multis gentibus habens congregatos homines, gratia spiritussancti fo- non uet. Porrò alæ, Ecclesiæ sancti doctores & Hieron. principes intelligendi sunt. Sed quæritur quo- mihi modò dicat, quoties volui congregare, cùm loco. propheta dixerit: Omnia quæ Dominus vo- Psalm. 113. luit, fecit? Hoc est, volui ex mea, sed noluistis ex vestra parte.) *Ecce relinquetur uobis domus uestra deserta.* Hoc ipsum & ex persona Hieremiæ antè iã Hier. 2. dixerat: Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam: facta est mihi hæreditas mea quasi spelunca Hyænæ. Hyæna bestia est noHier. in cturna, quæ cadaueribus mortuorum viuit, mi. in & de sepulchris solet effodere corpora, ni- 12. Hier. hilque est immunditiæ, qua non vescatur. mich. Talis est Israël offendens Dominum suum, & omnium bestiarum morsibus traditus. Desertam Iudæorum domum, id est, templum illud quod antè fulgebat augustius, oculis comprobamus, quia habitatorem CHRISTVM perdidit, & hæreditatem præripere gestiens, occidit hæredem. [Aliter: Nunc vestra est non mea, quæ dudum domus mea vocabatur. Deserta verò in vindictam crucis dicitur, quia non solùm auis illius omnipotentis (quam Matthæus hic gallinam nuncupat) alis protegi despexit, sed eandem se protegentem Herodi & Pilato crucifigendam tradidit.] *Dico enim uobis, non me uidebitis amodo donec dicatis: Benedictus qui uenit in nomine Domini.* Ad Hierusalem loquitur, & ad populum Iudæorum. Versiculum autem istum, quo & paruuli atque lactentes in ingressu Hierusalem Do- Matt. 21. mini saluatoris vsi sunt, quando dixerunt: Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis, sumpsit de centesimo decimoseptimo Psalmo, qui manifestè de Domini aduentu scriptus est. Et quod dicit, hoc vult intelligi: Nisi pœnitentiam egeritis, & cõfessi fueritis ipsum esse me de quo prophetæ cecinerunt, filium omnipotentis patris, meam faciem non videbitis. Habent Iudæi datum sibi tempus pœnitentiæ. Consiteantur benedictum, qui venit in nomine Domini, & CHRISTI ora confluicient.

Hæc alium dè hic inserta sunt.

DE EODEM FESTO,
Matthæi 23.

In illo tempore: Dicebat Iesus turbis Iudæorum, & principibus sacerdotum: Ecce ego mitto ad uos prophetas & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis uestris. Et reliqua, Homilia Erici.

Erieum abbas Spanheimen. ait fuisse Benedictinum doctissimũ, & claruisse Anno Christi 883.

VAngelicæ huius lectionis intellectus, superiori narrationi hærere videtur. Suprà siquidem redemptor noster scribas & pharisæos plurimis increpatiõibus obiurgasse, atque inter cętera dixisse perhibetur: Væ vobis scribæ & pharisæi, qui ædificatis monumenta prophetarum, & dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus in sanguine prophetarum socij eorum. Atque post pauca: Et vos, inquit, implete mensuram patrum vestrorum. quod est dicere. Quæ illi minus fecerunt, vos supplete. Illi occiderunt seruos, vos Dominum crucifigite. Illi homines, vos Deum. Et quasi ad hæc illi possent obijcere, Non habemus modò prophetas quos occidamus, adiungit: *Ideò ecce ego mitto ad uos prophetas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis uestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem.* Prophetæ hic Apostoli appellantur, quia per donum spiritussancti futurorum habebant notitiam. Ipsi sunt sapientes corde, quia sermonem proferre nouerunt in tẽpore opportuno. Ipsi scribæ, quia legem Dei scriptam habent per spiritumsanctum in cordibus

suis. Ex illis ergo occiderunt Iacobum fratrem Ioãnis, & ipsum Ioannem Baptistam, lapidauerunt Stephanum, crucifixerunt Petrum, flagellauerunt duodecim apostolos, quando ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt hæc pro nomine domini pati, & persecuti Acto. 5. sunt eos de ciuitate in ciuitatẽ: vt non recepti, ab eis iustè ad gentes migrarent. *Vt ueniat super uos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, usq; ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templũ & altare.* Requirendũ cur sanguis omniũ iustorũ à sanguine Abel vsq; ad sanguinem Zachariæ, ab vna Iudæorum generatione requirendus prædicatur, cùm neutrum eorum constet ab illis occisum. Et certè innumerabiles martyres tam in veteri quàm in nouo testamento legimus, quos illi non interfecerunt. Sed mos est scripturarum duas tantùm generationes, bonorum scilicet & malorum texere. De bonorum siquidem generatione dictum est: Generatio Psalm. 111. rectorum benedicetur. Et, Hæc est generatio Psalm. 23. quærentium Dominum. At contrà de reprobis dicitur: Genimina viperarum, & Generatio pra- Math. 23. ua atque peruersa. Vniuersi ergo reprobi, qui in Deut. 32. malitia similes sunt, in vna generatione computantur: & omnes sancti ediuersò, qui se in virtutibus imitantur, vna generatio esse dicuntur. Quærendum rursus, quis sit iste Zacharias, qui occisus inter templum & altare memoratur. Et quidem alij istum Zachariam opinantur illum ipsum esse, qui in ordine prophetarum vndecimus ponitur. Sed licet in eo patris nomen consentiat, quia scilicet filius Barachiæ cognominatur, tamen quomodò inter templum & altare occisus sit, non apparet, præsertim cùm temporibus illius vix ruinæ templi subsiterint. Alij hunc Zachariam patrem Ioannis intellexerunt, asserentes quòd propterea à Iudæis occisus sit, quia aduentum Saluatoris prænunciauerit. Sed hunc nos Zachariam intelligimus sine dubio, quem Ioas rex Iudæ inter templum & altare interfecit, sicut in Regum historia scriptum est: 2. Pa. 24. Et non est recordatus Ioas, inquit, patris eius Ioiadæ, sed interfecit filium eius, qui se eripuerat de morte, & in templo septem annis absconditè nutrierat. Sed quæritur cur hic Barachiæ dicatur filius, cùm in præfata historia filius Ioiadæ asseratur? Quod ita soluitur. Barachias nanque benedictus Domini dicitur, Ioiada iustitia interpretatur. Qui ergo iustitia plenus est, benedictus Domini rectissimè potest appellari. Vnus ergo idemq; homo iuxta nominis interpretationem, & Ioiada & Barachias æquè potest intelligi. Potuit etiam fieri, vt ipse Barachias binominis fuerit, & si altero nomine appellatus Ioiada, sicut & Matthæus euangelista vocatus est Leui. Item quærendum cur dixerit, à sanguine Abel vsque ad sanguinem Zachariæ, à Iudæis sanguinem propheratum exqui-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quirendum. Cur enim à sanguine Abel dixerit, mirum non est: cur verò vlq; ad sanguinem Zachariæ quærendũ est, cùm multi post eum extiterint martyres. Ad quod dicẽdũ, q̃ per hos duos, quorum alter in campo, alter occisus est in templo, duo ordines martyrum designantur. Per Abel quidem, qui in campo occiditur, laici: per Zachariam verò, qui in templo necatur, hi qui ex sacerdotali dignitate ad martyrij prouecti sunt palmam, figurantur. Ideò aũt hos duos tantùm nominatim posuit, quia ambo innocentes, & nulla iusta causa existente interfecti sunt, ambo sacerdotes, ambo pastores, ille ouium, iste animarum. Et sicut ille interfectus est à fratre suo in agro, ita & iste à consobrino & collactaneo suo in templo. Quem occidistis, inquit, inter templũ & altare. Duo erant altaria in templo, vnum incensi interiùs, alterum holocaustorũ exteriùs, inter quod & templum Zacharias est interemptus. Vel inter templum & altare, id est, inter consensum populi & sacerdotum quorum alij per templum, alij per altare signantur. Postremò, quid est quòd in euangelio vel epistolis Abel speciali testimonio iustitiæ honoratur? Profectò quia decebat illum priuilegio quodam tanto cognomine decorari, qui tribus præclaris virtutibus typum Christi in se excellentissimè prætulit. Fuit enim virgo, sacerdos & martyr. Inter tot & tam varias opiniones de Zacharia quinam fuerit, quoniam ad liquidum veritas historiæ scrutari non potest, recurrendum est ad allegoriam. Hic enim est vnicus exitus earum rerum, quæ in sancto euangelio dicta tantùm, non autem facta leguntur. Per Abel designantur omnes sancti, qui fuerunt ab initio mundi vsq; ad passionem Christi, & redẽptionem humani generis, quod ipsa nominis interpretatio demonstrat. Interpretatur enim luctus, vapor, funiculus, vel funiculatio, significans sanctos passionẽ Domini præcedentes, qui considerantes se exules, & à paradisi beatitudine dejectos, in luctu & mœstitia erant, & præsentem vitam tanquam fumidam & transitoriam contemnentes, ad sortem & funiculum supernæ hæreditatis quantocyus properabant. Zacharias verò significat sanctos à passione Domini vsq; ad finem seculi. Interpretatur enim Zacharias memoria Domini, siue memorans vel recordans Domini, eosdem significans sanctos, qui considerantes se sui Domini passione redemptos, eũ semper in memoria habere, ac condignas gratiarum actiones illi agere studeant. Hic Zacharias occisus est inter templum & altare. Altare designat aram dominicæ crucis, in qua singularis ille agnus pro salute humani generis Deo patri oblatus est. Templum verò exprimit ingressum regni cælestis, ad quod omnes sancti peracto iudicio intraturi sunt. Inter templum ergo & altare passus esse dicitur, qui vt dictum est, eos designat, qui à tempore dominicæ passionis vsq; ad ingressum regni cęlestis vel passi vel passuri sunt. *Hierusalem, Hierusalem quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt.* Quod nomen ciuitatis Hierusalem in cognominando replicat, id est, repetit, non saxorum ruinam, sed populi perditionem deplangit. Quæ occidis, inquit, prophetas, vt Isaiam quem serra lignea viuentem per medium secuerunt, & Amos quem similiter transmisso vecte per tempora nefandissimè necauerunt, & cæteros quos diuersis & penè innumerabilibus referuntur vexasse suplicijs. Et lapidas eos qui ad te missi sunt, vt Naboth iustum virum, & Hieremiam prophetam in Aegypto, sicut Epiphanius Cyprius testatur. *Quoties uolui congregare filios tuos*, id est, sæpè volui, *quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas*, & noluisti? Ponit gallinæ similitudinem, quæ circa pullos tanta affectione ducitur, vt pro eis ipsa quoque infirmetur, ipsa etiam raucitate vocis exprimente affectum magnæ compassionis. Qui ergo alibi Herodem vulpem vocat, rectè se hic gallinæ similat. Vt enim vulpes gallinis vorandis iuges prætendit insidias, sic Herodes redemptoris nostri necem sitiens, perennibus odijs infectando infestabat. Cuius sæuitia inde potissimùm claret, quòd cùm Pilatus ad eius iudicium Christum Dominum misisset, ille eum spreuit cum exercitu suo, & illusit. Hoc etiam genus animantis, cui se redemptor noster comparat, quod in cæteris difficilius inuenitur, alis suis pullos protegit, & contra miluum se erigit. Sic & mater nostra, id est, Dei sapientia, quæ Christus est, per carnis susceptionem infirmata quodammodò pro nobis (sicut Apostolus ait: Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus) protegit infirmitatem nostram, & resistit diabolo, ne nos in interitum rapiat. In qua tamen defensione quod gallina contra miluum conatur affectu, hoc aduersùm diabolum perficit potestate. Si autem gallina per significationem Deus intelligitur: duæ alæ eius Moyses & Aaron, qui eduxerunt populum de Aegypto: seu Zorobabel vel Esdras, & Neemias ac Iesus filius Iosedech duces, qui eduxerunt eos de Babylone, & sub quibus idem populus Israëliticus de diuersis captiuitatibus est liberatus vel congregatus. Quid autem est, quod dicit, Quoties volui, & noluisti? Nunquid humana voluntas voluntati Dei præualet, cùm scriptum sit: Omnia quæcunque voluit, fecit? Ad hoc dicendum, quòd liberum arbitrium Deus homini contulit, propter quod dicit, Volui, & noluisti. Ac si diceret: Ex mea parte volui, sed tu ex tua noluisti. Aliter: Ego quidem volui, & quod volui etiam te nolente feci. Illa ergo filios quidem suos ab illo colligi noluit, sed ea quoque nolente, filios eius collegit ipse quos voluit. *Ecce relinquetur uobis domus uestra deserta.* Domum Iudæorum, vel ciuitatẽ Hierusalem, quam iuxta aliũ euangelistam nidum

Duo martyrum ordines.

Abel cur iustus dictus.

Abel quos designet.

Zacharias quorum typus.

Altare mystice.

Item templum.

Luc. 13.

Luc. 13.

1. Cor. 1.

Gallina mystice.

psal. 15.

dum vocauerat: vel augustum in ea templum significat, quod primùm quidem merito infidelitatis eorum à Deo desertum est, clamantibus angelicis potestatibus: Transeamus ab his sedibus: deinde in vindictam crucis dominicæ Romanis vastantibus, & tanquam vacuum nidum diripiẽtibus, cunctis suis habitatoribus est destitutum. *Dico autem uobis, non me uidebitis, amodò donec dicatis, benedictus qui uenit in nomine Domini.* Hoc de futuro tempore, propinquante ad iudicium Domino, dictum est, quando ad prædicationem Eliæ & Enoch, Iudæi conuersi ad fidem, Christum Domini benedictum non voce tantùm, sed & operibus proclamabunt. Nam postquàm hoc Dominus dixit, non legimus Iudæos huiuscemodi cõfessionem in eius laudẽ protulisse. Posteà enim hoc dixit, quàm intrauit in templum cum laudibus turbarum, hunc ipsum versiculum in laudẽ Christi decantãtium. Habent igitur Iudæi tẽpus pœnitentiæ sibi datum, vt si voluerint confiteri Christum Dei patris filium benedictum in nomine Domini, faciem illius intueri mereantur, id est, potentiam diuinitatis eius intellectualibus oculis conspicere, & æqualem patri credere. Tunc autem benedictum illum in nomine patris proclamabunt, cùm prædicatione Eliæ & Enoch percepta, vt dictum est, fidem eius recipient, & gloriam prædicabunt, impleto Apostoli vaticinio: Quia cùm plenitudo gentium intrauerit, tũc omnis Israël saluus erit. His de lectione euangelica prout posse fuit, præmissis, nouerimus, quia beati Stephani primi martyris festiuitati quam colimus, non solùm venerationem debemus, sed & imitationem. Hunc enim primũ Dominus Iesus post suam passionem pro se pati voluit, cuius dilectionem etiam circa inimicos inuictã, nobis omnib⁹ imitabilẽ sanxit. Sed hũc cur primũ martyrẽ vocamus, ante quem millia paruulorum passa fuisse pro redemptore nouimus? Meritò certè in nouo testamento primus martyr dicitur, quia primus omnium post Domini prædicationem, passionem, ac resurrectionem, per effusionem sanguinis meruit palmam consequi supernæ retributionis, atq; ad coronã suo & nomini & labori dedicatam pertingere, præstante eodem Domino nostro Iesu Christo, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

Rom. 11.

Stephanus cur primus martyr dicatur.

Luc. 2.

Charitas reddit inuictos martyres.

IN NATALI SANCTI STEPHANI, SERMO BEATI FVLgentij episcopi.

HErì celebrauimus temporalem sempiterni regis nostri natalem, hodiè celebramus triumphalem militis passionem. Herì enim rex noster trabea carnis indutus, de aula vteri virginalis ẽgrediens, visitare dignatus est mundum: Hodiè miles de tabernaculo corporis exiens, triumphator migrauit ad cælum. Ille sempiternæ diuinitatis maiestate seruata seruile cinctorium carnis assumens, in huius seculi campũ pugnaturus intrauit: iste depositis corruptibilibus corporis indumentis, ad cæli palatiũ perenniter regnaturus ascẽdit. Ille descẽdit carne velatus, iste ascẽdit sanguine laureatus. Ascẽdit iste lapidãtibus Iudæis, quia ille descendit lætantibus angelis. Gloria in excelsis Deo, herì exultantes sancti angeli cantauerunt, hodiè Stephanum lætantes in suum consortium susceperunt. Herì Dominus exiuit de vtero virginis, hodiè miles egressus est de ergastulo carnis. Herì Christus pro nobis pannis est inuolutus, hodiè Stephan⁹ est stola ab eo immortalitatis indutus. Heri præsepis angustia Christũ portauit infantem, hodiè immensitas cæli suscepit Stephanum triumphantem. Solus descendit Dominus, vt multos eleuaret: humiliauit se rex noster, vt suos milites exaltaret. Qui enim corpori suo virginis præparauit vterũ, ipse martyri aperire dignatus est cælum. Dominus Christus angustias intrare non dedignatus est vteri, vt animã Stephani latitudo susciperet cæli. Necessarium tamen nobis est fratres cognoscere, quibus armis præcinctus Stephanus, sæuitiam Iudæorum potuit superare, vt ita meruisset feliciter triumphare. Neq; enim paruipendenda sunt talis virtus talisq; triumphus. An verò vilibus armis potuit præmuniri, qui à multis non potuit superari? Inuictæ nanq; in eo enituit insigne virtutis, quæ nec frementiũ sæuitiam formidauit, nec lapidantiũ ictibus deuicta succubuit. Vsq; adeò enim inter frementes permansit interritus, & inter lapidum fuit cruciamenta securus, vt incredulitatem Iudæorum fidẽter argueret, & benignus pro lapidantibus exoraret. Quod est ergo tam magnum atq; insuperabile genus armorum, quo munitus sæuientes argueret, lapidantes non repercutiens, sed patiens superaret, insuper & occisus, aulam cælestis regni viuus & coronatus intraret? Proculdubiò munimine regio septus, nullatenus est ab aduersarijs superatus. Quoniã rex noster cùm sit altissimus, q̃ nobis humilis venit, sed inanis venire nõ potuit. Magnum quippe donatiuum suis militibus attulit, quo eos nõ solùm copiosè ditauit, sed etiam ad certandum inuictissimè confortauit. Attulit nanq; donũ charitatis, quæ perduceret homines ad consortium deitatis. Quod ergo attulit, erogauit. Nec sibi aliquid minuit, sed mirabiliter & suorũ fideliũ paupertatem ditauit, & indeficientibus thesauris plenus ipse permansit. Charitas ergo quę ad terram de cælo deposuit Christum, ipsa Stephanum de terris eleuauit ad cælum. Charitas quæ præfuit in rege, ipsa subsequenter refulsit in milite. O admiranda vbiq; potentia saluatoris, ô prædicanda indefinenter gratia redemptoris. Ostendit in matre virginitatis æternæ miraculum, demonstrauit in martyre inuictæ charitatis indicium. Integritas quippe intemera-

Universidad de Deusto
Biblioteca

merata permansit in virgine, dilectionis inuicta vestis perseuerauit in martyre. Et sicut in matre Domini non potuit virginitas violari, sic in martyris mente non potuit Christi charitas tanto sęuientium agmine superari. Stephanus ergo vt nominis sui coronam meruisset accipere, charitatem pro armis habebat, & per ipsam vbiq; vincebat. Per charitatē Dei sæuientibus Iudæis non cessit, per charitatem proximi pro lapidantibus intercessit: per charitatem arguebat errantes vt corrigerentur, per charitatem pro lapidantibus orabat ne punirentur. Charitatis virtute subnixus vicit Saulum crudeliter sæuientem, & quem habebat in terra persecutorem, in cælo meruit habere consortem. Ipsa sancta & indefessa charitas desiderabat orando acquirere, quos nequiuit monendo conuertere. Neq; enim fratres existimandus est Stephanus tunc inimicos dilexisse cùm pro eis oraret, & non dilexisse cùm eorū incredulitatem arguendo corriperet. Absit hoc ab animo martyris ad cæli palatiū festinantis. Ipsa enim sancta charitas firmam seruauit in oratione patientiam, quæ rigidam tenuit in correptione censuram. Et ideò in oratione audiri meruit lenitas, quia sine charitate non fuit in correptione seueritas. Ac per hoc siue orando, siue corripiendo charitatem beatus Stephanus reseruauit, quia vtrobiq; salutem errantium cogitauit, & indicio sanctæ orationis ostendit increpationem illam non fuisse odij, sed amoris. Hoc enim faciens, & præsentibus charitatem beatus martyr exhibuit, & vtile nimis exemplum posteris reliquit. Demonstrauit enim geminam ecclesiasticæ dispensationis industriam, vt ad corrigendum cuiuslibet peccantis errorem & non desit in ore correptio, & ad Deum pro eo supplex effundatur oratio, vt qui malum facit, per increpationem de malis operibus confundatur, & per orationem apud Dominum adiuuetur. Ac sic ipsa charitas & in ore iustitiam sonet, vt errantē corrigat: & in corde patientiam seruet, vt pro errante orationem puro affectu dilectionis effundat. Qui etenim errantem non corripuerit, de negligentia iudicabitur. Qui autem pro eo non orauerit, de pernicie condemnabitur. Quocirca fratres, si quando aliquis pro animæ salute corripitur, non aspernanter accipiat monita charitatis, nec præsentem tristitiam suæ voluntatis attendat, sed consideret quæ lucra vtilitatis acquirat. Idcircò enim arguitur, vt à prauis operibus corrigatur. Nec cùm videt correptionem aliqua verborum austeritate feruere, existimet charitatem in corde frigescere. Sic enim vigilat in ore correptio, vt in corde non dormitet oratio. Ac per hoc in vtroque peccanti consultè prospicitur, vt dum homo correptus de peccato confunditur, & à malis omnibus operibus seperetur, & per orationem Deo miserante saluetur. Nam & sancta scriptura dicit: Quoniam quem diligit Dominus corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit. Christi ergo charitate compulsi, & bonos hortemur, vt in bono permaneant, & malos compellamus, vt à malo discedant, præsertim quoniam in istis duobus sanctis, geminū nobis monstratur salutis indicium, vt si quis bonus est, imitetur perseuerātiam charitatis in Stephano: qui autem malus est, sectetur exemplum conuersionis in Paulo: & qui bonus est, æquitatem vsq; in finem teneat: qui autem malus est, quantocyùs à sua peruersitate discedat. Nec bonum hominem præsumptio iustitiæ faciat negligentem, nec malum iniquitas faciat desperantē: sed ille bonum fortiter teneat, iste malum celeriter deserat. Bonus timeat ne cadat, malus conetur vt surgat. Quisquis ergo est, cum Paulo prosternatur in malo, vt cum eo erigatur in bono: quoniam & ille cecidit malus, & surrexit bonus. Prostratus est iniquus, & erectus est iustus. Cecidit sæuissimus persecutor, & surrexit veridicus prædicator. Cadens lumē corporis impius perdidit, surgens lumen cordis iustificatus accepit. Coniunctus est itaq; Stephano, factus ouis ex lupo. Et ecce nunc Paulus cum Stephano lætatur, cum Stephano Christi claritate perfruitur, cum Stephano exultat, cum Stephano regnat. Quò enim præcessit Stephanus trucidatus lapidibus Pauli, illuc secutus est Paulus, adiutus orationibus Stephani. Quàm vera vita fratres mei, vbi non Paulus de Stephani occisione confunditur, sed Stephanus de Pauli cōsortio gratulatur, quoniam charitas in vtroq; lætatur. Charitas quippe in Stephano superauit sæuitiam Iudæorum, charitas in Paulo cooperuit multitudinem peccatorum, charitas in vtroque pariter regnum meruit possidere cælorum. Charitas est igitur omnium fons & origo bonorum, munimen egregium, via quæ ducit ad cælum. In charitate qui ambulat, nec errare poterit, nec timere. Ipsa dirigit, ipsa protegit, ipsa perducit. Quocirca fratres, quoniam scalam charitatis constituit Christus, per quam ad cælum omnis possit conscendere Christianus, puram charitatem fortiter retinete, ipsam vobis inuicem exhibete, & in ea proficiendo conscendite, insistite operibus bonis, vt ad præmia æterna peruenire possitis, adiuti gratia CHRISTI Domini saluatoris.

Correptio & Oratio peccantibus adhibenda.

Pro. 3.

SERMO BEATI MAXIMI EPISCOPI.

LEctio Actuū Apostolorū, quæ nobis hodiè lecta est fratres dilectissimi, cùm plurimū habeat in ipsa specie admirationis, non minùs tamen continet in mysterio dignitatis. Ecce, inquit, Beatus Stephanus dicit: Video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei. Considerate attentiùs dilectissimi fratres, cùm beatus martyr Dominum nostrum Iesum Christum ad dexteram DEI patris stare vidisset, cur se filium hominis videre testatus est, & non

Act. 7.

Filius hominis cur à Stephano uisus.

& non potiùs filium Dei, cùm vtique plus honoris Domino delaturus videretur, si se Dei potiùs quàm hominis filium videre dixisset? Sed certa ratio postulabat, vt hoc ita & ostenderetur in cælo, & prædicaretur in mundo. Omne enim Iudæorum scandalum in hoc erat, cur Dominus noster Iesus Christus, qui secundùm carnem est filius hominis, esse etiam Dei filius diceretur. Ideo ergo pulchrè scriptura diuina filium hominis ad dexteram Dei patris stare memorauit, vt ad confundendam Iudæorum incredulitatem, ille martyri ostenderetur in cælo, qui à perfidis negabatur in mundo. Et illi testimonium cælestis veritas daret, cui fidem terrena impietas derogaret. Vnde licet iuxta Psalmum qui lectus est, preciosa sit in conspectu Domini mors sanctorum eius, si quid tamen distare inter martyres potest, præcipuus videtur esse qui primus est. Nam cùm sanctus Stephanus ab apostolis diaconus ordinatus sit, apostolos ipsos beata ac triumphali morte præcessit: ac sic qui erat inferior ordine, prior factus est passione: & qui erat discipulus gradu, magister cœpit esse martyrio, complens illud quod beatus propheta in Psalmo dixit: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Retribuere enim primus voluit Stephanus martyr Domino, quod cum omni humano genere accepit à Domino. Mortem enim quam Saluator dignatus est pro omnibus pati, hanc ille primus reddidit Saluatori. Post hæc subijcit scriptura sacra & ait: Positis genibus clamauit, dicēs: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Videte dilectissimi fratres affectum beati viri, videte magnam & admirabilem charitatē. In persecutione positus erat, & pro persecutoribus supplicabat, atq; in illa lapidum ruina quando alius obliuisci poterat etiā charissimos suos, ille Domino commendabat inimicos. Quid enim dicebat cū lapidaretur? Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Plus itaque tunc illorum dolebat peccata, quàm sua vulnera: plus illorum impietatem, quàm suam mortem, & rectè plus. In illorum quippe iniquitate erant multa quæ deberent plangi, in illius autem morte non erat quod debuisset doleri. Illorum impietatem mors sequebatur æterna, huius autem mortem vita perpetua. Imitemur ergo in aliquo dilectissimi fratres tanti magistri fidem, tam præclari martyris charitatem. Diligamus nos hoc animo in Ecclesia fratres nostros, quo ille tunc dilexit inimicos suos. Sed quod peius est, aliquoties non solùm inimicos non diligimus, sed nec amicis quidem fidem integram custodimus. Sed dicit aliquis: Non possum diligere inimicum meum, quem quotidiè velut hostem patior crudelissimum. O quicunque ille es, attendis quid tibi fecerit homo, & non consideras quid tu feceris Deo. Cùm enim tu multò grauiora in Deū peccata commiseris, quare non dimittis homini parum, vt tibi Deus dignetur dimittere multum? Recole quid tibi in euangelio veritas ipsa promiserit, & quam tibi quodammodò cautionem fecerit, vel quale tecum pactum inierit. Si enim, inquit, dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cælestis peccata vestra. Si aūt nō dimiseritis, nec pater vester dimittit vestra. Videtis fratres quia cū gratia Dei in potestate nostra positū est, qualiter à Domino iudicemur. Si, inquit, dimiseritis, dimittetur vobis. Iam sæpè dixi fratres & frequentiùs dicere debeo. Nemo se circunueniat, nemo se seducat: qui vel vnum hominem in mundo odio habet, quicquid Deo in operibus bonis obtulerit, totum perdit, quia non mentitur Paulus apostolus dicens: Si dedero omnes facultates meas in cibos pauperum, & si tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Quam rem etiam beatus Ioannes confirmat, dicens: Omnis qui non diligit fratrem suum, manet in morte. Et iterum: Qui fratrem suum odit, homicida est. Hoc loco fratrem, omnem hominem oportet intelligi. Omnes enim in Christo fratres sumus. Nemo itaque sine charitate de virginitate præsumat, nemo de eleemosynis, nemo de orationibus confidat: quia quandiu inimicitiam in corde tenuerit, neque istis, neque alijs quibuslibet bonis operibus placare sibi Dominum poterit. Sed si vult sibi habere propitium Deum, non dedignetur audire consilium bonū. Audiat non me, sed ipsum Dominum suum. Si, inquit, offers munus tuum ad altare, & ibi recordat⁹ fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuū ante altare, & vade, priùs reconciliare fratri tuo, & tūc veniens offeres munus tuū. At nos pugnas habentes intrinsecùs, & dolos in corde versantes, quasi qui bonam conscientiam habeamus, præsumimus accedere ad altare, non timentes quod scriptum est: Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Sed dicit aliquis: Grandis labor est inimicos diligere, pro persecutoribus supplicare. Nec nos negamus fratres: non paruus quidem labor est in hoc seculo, sed grande erit præmium in futuro. Per amorem enim hominis inimici, efficeris amicus Dei, immò non solùm amicus, sed etiam filius, sicut ipse dixit: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, vt sitis filij patris vestri qui in cælis est. Si te aliquis diues homo in hoc seculo vellet adoptiuum filium facere, quomodò seruires, quas indignitates etiam seruorum eius, quæ seruitia durissima, & aliquoties etiam turpissima sustineres, vt ad caducam & fragilem hęreditatem illius peruenires? Quod ergo alius sustinet propter substantiam terrenam, tu sustine propter vitam æternam. Conuincimur enim certissima ratione, quia propter Deum possumus quidem, sed nolumus iniurias sustinere. Denique si nobis aliqua potens persona iniuriam faciat, si nobis etiam in faciem maledi-

Stephani mira charitas.

Matt. 6.

Odium quam pernicio sum.

1. Cor. 13.

1. Ioan. 3.

Ibidem.

Matt. 5.

1. Cor. 11.

Agnoscendum proximis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ledicat,nec reſpondere aliquid aſperum,non di cam vicem reddere audemus. Quare? Ne ab illa potente perſona adhuc maiora quàm pertulimus,patiamur. Quod à nobis extorquet hominis timor, debuerat à nobis exigere CHRISTI amor. Si ergo potens perſona ſæuit contra nos, tacemus,& nihil dicere auſi ſumus. Si verò aut æqualis,aut fortè inferior vel leuem nobis contumeliam fecerit, quaſi fera beſtia ſine vlla patientia,ac ſine aliqua Dei contemplatione conſurgimus,& aut in preſenti noſtram iniuriam vindicamus, aut certè ad maiorem vicem reddendam,noſtrum animum præparamus. Quid eſt hoc,quòd quando potens perſona nobis iniuriam intulit,patienter accipimus: quando inferior,nimio furore ſuccendimur? Quòd ibi timuimus hominem,hic Deum timere nolumus. Vnde rogo vos fratres, vt quantùm poſſumus cum Dei adiutorio, cor noſtrum ad patientiam præparemus,& in omnibus malis hominibus mendicorum vicem agere ſtudeamus, & non ipſos homines,ſed illorum malitiam odio habeamus. Pro bonis oremus, vt ſemper ad meliora conſcendant: pro malis, vt citò ad emendationem vitæ per pœnitentiæ lamenta confugiant. Quam rem orantibus nobis ipſe præſtare dignetur, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat Deus in ſecula ſeculorum, Amen.

SERMO SANCTI AVGVSTINI IN FESTIVItate ſancti Stephani.

FRATRES chariſſimi, celebramus heſterna die natalem, quo rex martyrum natus eſt in mundo: hodiè celebramus natalem, quo primicerius martyrum migrauit ex mundo. Oportebat enim,vt primùm immortalis pro immortalibus ſuſciperet carnem, & ſic mortalis pro immortali contemneret mortem. Et ideò natus eſt Dominus,vt moreretur pro ſeruo,ne ſeruus timeret mori pro Domino. Natus eſt CHRISTVS in terris, vt Stephanus naſceretur in cælis. Ingreſſus eſt Dominus mundum,vt Stephanus ingrederetur in cælum. Altus ad humilia deſcendit, & humilis ad alta aſcendit. Filius dei factus eſt hominis filius, vt filios hominum faceret filios Dei. Fecit Chriſtus mirabilia,fecit & Stephanus. Sed Chriſtus fecit ſine Stephano,nunquid Stephanus potuit facere ſine CHRISTO? Viuebat Stephanus de Chriſto ſicut ſarmentum de vite. Miraris fructum de ſarmento pendentem,vide ſarmentum in vite manentem. Eia ſancte Stephane dic aliquid Iudæis,vt incipias lapidari & poſsis coronari iaculare verba,& excipe ſaxa. Dic aliquid de incircũciſis cordibus,& morieris lapidibus. Dic aliquid de eo cuius nomen nolunt audire. Eruբեſcant & fæuiant,muta efficiantur labia doloſa. Dic eis,vbi vides viuum, quem irriſerunt crucifixum. Dic eis vbi eum vides, & hic non viuis, ſed cum illo melius viuis. Dic eis quia nihil eſt quod fecerunt,viuit quem occiderunt. Dic eis quia vides ad dexteram patris ſtantem,quem irriſerunt in cruce pendentem,& ille inquit: Ecce video cælos apertos, & filium hominis ſtantem ad dexteram Dei. At illi clamantes, continuerũt aures ſuas. Aures clauſerunt, & ad lapides cucurrerunt,impetumq; fecerunt omnes in eum,& lapidabant Stephanum inuocantem & dicentem: Adhæſit anima mea poſt te,quia lapidatur caro mea pro te. Accipe ſpiritum meum,& redde mihi promiſſum tuũ. Orauit Chriſtus pro ſuis crucifixoribus,orauit & Stephanus pro ſuis lapidatoribus. Dominus Ieſus Chriſtus orauit affixus ligno,Stephanus genu flexo. Qui ſtando ſpiritum ſuum commendauit Domino, pro illorum delicto fixo genu orauit. Orabat Dominum pro inimicis vt amicus,dicens: Certè ego patior,ego lapidor,in me ſæuiunt, & in me fremunt: ſed ne ſtatuas illis hoc peccatum,quia vt hoc dicam tibi,à te primo audiui. Ego ſeruus tuus patior, ſed multum intereſt inter me & te. Tu Dominus, ego ſeruus. Tu verbum,ego auditor verbi. Tu magiſter, ego diſcipulus. Tu creator, ego creatus. Tu deus,ego homo. Multum intereſt inter peccatum iſtorum qui lapidant me, & illorum qui crucifixerunt te. Quando ergo dixiſti: Pater, ignoſce illis,quia neſciunt quid faciunt: pro magno peccato petiſti,& me pro minimo petere docuiſti. Domine,inquit, ne ſtatuas illis hoc peccatum,tanquam diceret: Ego patior in carne, iſti non pereant in mente. Illi lapides mittebant, & ſanctus Stephanus orationes fundebat. Magna pietas fratres,magna clementia. Prorſus qualia in menſa Domini ſui comedit,talia & ipſe in ſuo conuiuio præparauit. Scriptum eſt in lege: Ad magnam menſam ſediſti,ſcito quoniam talia oportet te præparare. Talia ergo in oratione exhibuit,qualia in ſui Domini menſa comedit. Dominꝰ Chriſtus dixit: Pater,ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Sanctus Stephanus dixit: Ne ſtatuas illis hoc peccatum. Et hoc dicto, obdormiuit in Domino. O ſomnum pacis. Quid illo ſomno tranquillius? Quid illo ſomno quietius? Qualis ibat ad amicos, qui ſic diligebat inimicos? Nam vt noueritis ſanctitas veſtra quantùm valuerit oratio ſancti Stephani martyris, recurrite nobiſcum ad illum adoleſcentem perſecutorem nomine Saulum, ſicut ex libro dum legeretur, audiuimus. Qui cùm Stephanus lapidaretur,ab ipſo omnium lapidantium veſtimenta ſeruabantur, vt tanquam manibus omnium ipſe lapidare videretur. Hic cùm iret in via,ſubitò circunfulſit eum lumen de cælo,& audiuit vocem dicentem ſibi: Saule Saule,quid me perſequeris? Durum eſt tibi contra ſtimulum calci-

trare. Et ille, Et tu quis es Domine? Et Dominus ad eum: Ego ſum Ieſus Nazarenus,quem tu perſequeris. Quid mihi & tibi? Quare te erigis contra me ad tanta mala quæ cõmiſiſti in me? Olim quidem debui perdere te, ſed Stephanus meus orauit pro te. Saule Saule,quid me perſequeris? Sed quia inſanis contra nomen meum, ego te faciam ſeruum meum. O Saule lupe ra pax,comediſti,expecta paululùm & digeres. Dicam planè, eliſus eſt filius perditionis. Nam ſi ſanctus Stephanus ſic non oraſſet,Eccleſia Paulum non haberet. Sed ideò erectus eſt Paulus, quia in terra inclinatus exauditus, eſt Stephanus. Ergo quod fecit Saulus,patitur Paulus. Quod fecit perſecutor,patitur prædicator. Quod fecit lupus,patitur agnus. Et quia ſic eſt in tali homine vindicãdum, vt diſcat pati quod faciebat, ſentiat & ipſe quod alijs inferebat, dicitur Ananiæ à Domino Ieſu Chriſto: Vade ad eum,& ſigna eum ſigno meo. Multa enim patietur pro nomine meo. Abijt Ananias,baptizauit Saulum,& fecit ex lupo agnũ. Cœpimus habere nos prædicatorem,quem ſanctus Stephanus habuit lapidatorem. Sic ergo exauditus eſt ſanctus Stephanus, vt eius orationibus deleretur peccatum quod commiſerat Saulus. Commendemus ergo nos orationibus eius. Multò magis enim nunc exauditur pro veneratoribus ſuis,qui ſic exauditus eſt tunc pro lapidatoribus ſuis.

DE MIRACVLIS SANCTI STEPHANI, EX AVGVSTINO DE Ciuitate Dei libr. 22. cap. 8.

AD aquas Tibilitanas epiſcopo afferente Proiecto reliquias martyris glorioſiſsimi Stephani, ad eius memoriam veniebat magnæ multitudinis cõcurſus, & occurſus. Ibi cæca mulier vt ad epiſcopũ portantem pignora ſacra duceretur, orauit. Flores quos ferebat dedit,recepit,oculis admouit,protinùs vidit. Stupentibus cunctis qui aderant,præibat exultans,viam carpens,& vitæ ducẽ vlteriùs non requirens. Memorati memoriam martyris,quæ poſita eſt in caſtello Synicenſi,qdꝰ Hipponenſi Coloniæ vicinum eſt,eiuſdem loci Lucillus epiſcopus populo præcedente atq; ſequente portabat: fiſtula cuius moleſtia iam diu laborauerat,& familiariſsimi ſui medici,qui eã ſecaret,opperiebatur manus,illius piæ ſarcinę ve ctatione repentè ſanata eſt. Nam deinceps eam in ſuo corpore non inuenit. Eucharius presbyter ex Hiſpania Calamæ habitans,vetere morbo calculi laborabat,per memoriam ſupradicti martyris,quam Poſsidius illò aduexit epiſcopus, ſaluus eſt factus. Idem ipſe poſteà morbo alio prævaleſcente mortuus ſic iacebat,vt ei iam pollices ligarentur: opitulatione memorati martyris, cùm de memoria eius reportata fuiſſet, & ſuper iacentis corpus miſſa ipſius presbyteri tunica, ſuſcitatus eſt. Fuit ibi vir in ordine ſuo primarius nomine Martialis,æuo iam grauis,& multùm ab horrens à religione Chriſtiana. Habebat ſanè fidelem filiam,& generum eodem anno baptizatum. Qui cùm eum ægrotãtem multis & magnis precibus & lachrymis rogarent vt fieret Chriſtianus,prorſus abnuit,eosq; à ſe turbida indignatione ſubmouit. Viſum eſt genero eius vt iret ad memoriã ſancti Stephani,& illic pro eo quantùm poſſet oraret,vt Deus illi daret mentem bonam; qua credere non differret in Chriſtum. Fecit hoc ingenti gemitu & fletu, & ſynceriter ardente pietatis affectu. Deinde abſcedẽs aliquid de altari florum quod occurrit tulit, eiq; cùm iã nox eſſet,ad caput poſuit. Tunc dormitum eſt. Et ecce ante diluculum clamat, vt ad epiſcopũ curreretur, qui mecum fortè tunc erat apud Hipponem. Cùm ergo eum audiſſet abſentem venire, presbyteros poſtulauit. Venerunt,& ſtatim credere ſe dixit: admirantibus atq; gaudentibus omnibus baptizatus eſt. Hoc quamdiù vixit, in ore habebat: Chriſte accipe ſpiritũ meum, cùm hæc verba beatiſsimi Stephani quando lapidatus eſt à Iudæis, vltima fuiſſe neſciret. Quæ huic quoq; vltima fuerunt: nã nõ multò pòſt etiã ipſe defunctꝰ eſt. Sanati ſunt illic per eundẽ martyrẽ etiã podagrici duo, ciuis vnus, peregrinus vnus, ſed ciuis omnimodò, peregrinꝰ aũt per reuelationẽ, quid adhiberet quãdo doleret audiuit: & cũ hoc feciſſet, dolor continuò conquieuit. Auderus nomen eſt fundi, vbi eccleſia eſt, & in ea memoria martyris Stephani. Puerum quendam paruulum cùm in area luderet, exorbitantes boues, qui vehiculum trahebant, rota obtriuerunt, & cõfeſtim palpitauit expirãs. Hũc mater arreptũ, ad eandem memoriam poſuit, & non ſolùm reuixit, verumetiam illæſus apparuit. Sanctimonialis quædam in vicina poſſeſsione, quæ Caſpaliana dicitur, cùm ægritudine laboraret, ac deſperaretur, ad eandem memoriam tunica eius allata eſt: quæ antequam reuocaretur, illa defuncta eſt. Hac tamen tunica operuerunt cadauer eius parentes, & recepto ſpiritu ſalua facta eſt. Apud Hipponem Baſſus quidam Syrus, ad memoriam eiuſdem martyris orabat pro ægrotante & periclitante filia, eoq; ſecum veſtem eius detulerat: cùm ecce pueri de domo occurrerũt, qui ei mortuam nunciarent. Sed cùm orante illo ab amicis eius exciperentur, prohibuerunt illi dicere, ne ſet iam ſuorum eiulatibus perſonantem, & veſtẽ filiæ quam ferebat, ſuper eam proiecciſſet, reddita eſt vitæ. Rurſus ibidem apud nos Irenæi cuiuſdam collectarij filius ægritudine extinctus eſt. Cumq; corpus iaceret exanime, atque à lugentibus & lamentantibus exequiæ pararentur, amicorum eius quidam inter aliorum cõſolantium verba ſuggeſsit, vt eiuſdem martyris oleo cor-

Sanctimonialis ad uitam reuocatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pus perungeretur, factum est, & reuixit. Itemque apud nos vir tribunitius Eleusinius super martyris memoriam, quæ in suburbano eius est, ægritudine exanimatum posuit infantulum filium suum, & post orationem quam cum multis lachrymis ibi fudit, viuentem leuauit. Si miracula sanitatum, vt alia taceam, modò velim scribere, quæ per hunc martyrem, id est, gloriosissimũ Stephanum facta sunt in Colonia Calamensi & in nostra, plurimi conficiendi sunt libri. Et post pauca sequitur: Vzali etiã, quæ colonia Vticæ vicina est, multa præclara per eundem martyrem facta cognouimus. Cuius ibi memoria longè priùs, quàm apud nos, ab episcopo Euodio constituta est. Cùm enim nuper illic essemus, Petroniam clarissimam fœminam quæ mirabiliter ex magno atque diuturno, in quo medicorum adiutoria cuncta defecerant languore sanata est, hortati sumus volente supradicti loci episcopo, vt libellum daret qui recitaretur in populo, & obedientissimè paruit. In quo posuit etiam, quod hic reticere non possum. A quodam Iudæo dixit sibi fuisse persuasum, vt annulum capillaceo vinculo infereret, quo sub omni veste ad nuda corporis cingeretur: qui annulus haberet sub gemma lapidem in renibus inuẽtum bouis. Hoc alligata quasi remedio, ad sancti martyris limina veniebat. Sed profecta à Carthagine, cùm in cõfinio fluminis Bagradę in sua possessiõe mã fisset, surgẽs vt iter perageret, ante pedes suos illũ iacentẽ annulũ vidit, & capillaceã zonã qua fuerat alligat⁹, mirata tẽtauit. Quam cùm omninò suis nodis firmissimis, sicut fuerat comperisset astrictam, crepuisse atque exiliisse annulum suspicata est. Qui etiam ipse cùm integerrimus fuisset inuentus, futuræ salutis quodammodò pignus de tanto miraculo se accepisse præsumpsit, atq; illud vinculum soluens, simul cum eodem annulo proiecit in flumen. Non credunt hoc, qui etiam Dominum Iesum per integra virginalia matris enixum, & ad discipulos ostijs clausis ingressum fuisse non credunt. Sed hoc certè quærant, & si verum inuenerint, illa credant. Clarissima fœmina est, nobiliter nata, nobiliter nupta, Carthagine habitat, ampla ciuitas, ampla persona, rem quęrentes latere non sinunt. Vnum est apud nos factum non maius quàm illa quæ dixi, sed tam clarum atque illustre miraculũ vt nullũ arbitrer esse Hipponẽsiũ, qui hoc nõ vel viderit, vel didicerit, nullum qui obliuiscì vlla ratione potuerit. Decem quidam fratres fuerũt, quorum septem sunt mares, tres fœminæ, de Cæsarea Cappadociæ, suorum ciuium non ignobiles maledicto matris recenti patris eorum obitu destitutæ, quæ iniuriam sibi ab eis factam acerbissimè tulit, tali pœna sunt diuinitùs coerciti, vt horribiliter quaterentur omnes tremore membrorum. In qua fœdissima specie oculos suorum ciuium non ferentes, quaqua versum cuique ire visum est, toto penè vagabantur orbe Romano. Ex his etiam ad nos venerunt duo, frater & soror, Paulus & Palladia, multis alijs locis miseria diffamante iam cogniti. Venerunt autem ante pascha ferme dies quindecim, ecclesiam quotidie, & in ea memoriam gloriosissimi Stephani frequentabant, orantes vt iam sibi placeretur Deus, & salutem pristinam redderet. Venit & pascha, atque ipso die dominico mane cùm iam frequens populus præsens esset, & loci sancti cancellos vbi martyrium erat, idem iuuenis orans teneret, repentè prostratus est, & dormienti similimus iacuit, non tamen tremens, sicut etiam per somnum solebat. Stupentibus qui aderant, atque pauentibus alijs, alijs dolentibus, cùm eum quidam vellent erigere, nonnulli prohibuerunt, & potiùs exitum expectandum esse dixerunt. Et ecce surrexit, & non tremebat, quoniã sanatus erat, & stabat incolumis, intuens intuentes. Quis ergo, intuentium se tenuit à laudibus Dei? Clamantium gratulantiumque vocibus ecclesia vsquequaque completa est. Inde ad me curritur, vbi sedebam iam processurus: irruit alter quisque post alterum, omnis posterior quasi nouum quod alius prior dixerat nunciantes. Meq́ue gaudente, & apud me Deo gratias agente, ingreditur etiam ipse cum pluribus, inclinatur ad genua mea, erigitur ad osculum meum. Procedimus ad populum, plena erat ecclesia, personabat vocibus gaudiorum, Deo gratias, Deo laudes, nemine tacente, hinc atque inde clamantium. Salutaui populum, & rursus eadem feruentiore voce clamabant. Facto tandem silentio, scripturarum diuinarum sunt lecta solennia. Vbi autem ventum est ad mei sermonis locum, dixi pauca pro tempore & pro illius iucunditate latitiæ. Nobiscum homo prandit, & diligenter nobis omnem suæ fraternæq́ue ac maternæ calamitatis indicauit historiam. Sequenti itaque die post sermonem redditum, narrationis eius libellum in crastinum populo recitandum promisi. Quod cùm ex dominico Paschæ die tertio fieret in gradibus exedræ, in qua de superiore loquebar loco, feci stare ambos fratres. Cùm eorum legeretur libellus, intuebatur populus vniuersus sexus vtriusque vnum stantem sine deformi motu, alteram membris omnibus contrementem: & qui ipsum non viderant, quid in eo diuinæ misericordiæ factum esset, in eius sorore cernebant. Videbant enim quid in illo gratulandum, quid pro illa esset orandum. Inter hæc recitato eorum libello, de conspectu populi eos abire præcepi, & de tota ipsa causa aliquãto diligentiùs cœperam disputare. Cùm ecce me disputante, voces aliæ de memoria martyris nouæ gratulationis audiuntur. Conuersi sunt eò qui me audiebant, cœperuntq́ue concurrere. Illa enim vbi de gradibus descendit in quibus steterat, ad sanctum martyrem orare perrexerat. Quæ mox vt cãcellos attigit, collapsa similiter velut in somnũ, sana surrexit. Dum ergo requireremus quid factum fuerit, vnde ille strepitus lætus extiterit, ingressi sunt cum illa in basilicã vbi eramus, adducentes eam sanam de martyris loco. Tum verò tantus ab vtroq; sexu admirationis clamor exortus est, vt vox continuata cum lachrymis non videretur posse finiri. Perducta est ad eum locũ, vbi paulò antè steterat tremens. Exultabant eam similem fratri, cui doluerant remansisse dissimilem, & nondum fusas preces suas pro illa, iam tamen præuiam voluntatem tam citò exauditam esse cernebant. Exultabant in dei laudem voces sine verbis tanto sonitu, quantum nostræ aures ferre vix possent. Quid erat in cordibus exultantium, nisi fides Christi, pro quo Stephani sanguis effusus est? Cui nisi huic fidei attestãtur ista miracula, in qua prædicatur Christus resurrexisse in carne, & in cœlum ascẽdisse cum carne? Quia & ipsi martyres, huius fidei martyres, id est, huiꝰ fidei testes fuerunt.

X. proles, matre imprecante, diuinitùs puniũtur.

DE FESTO S. STEPHANI
HOMILIA EVSEBII
Emesseni.

Matt. 23. SVperiùs in hoc euãgelio scribis & pharisæis Dominus & saluator noster loquitur, dicẽs: Væ vobis scribæ & pharisæi, hypocritæ, qui ædificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta iustorum, & dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine prophetarum. Ita testimonium estis vobismetipsis, quia filij estis eorum, qui prophetas occiderunt. Væ (inquit) vobis, non quia ædificatis & ornatis sepulchra prophetarũ (hoc enim pietatis opus est:) sed quia filij estis eorum, qui prophetas occiderunt. Filij quidẽ nõ tantùm natura, quantùm imitatione & iniquitate. Sicut enim oẽs boni dicuntur filij Abrahæ, quia imitantur Abraham: ita oẽs iniqui, iniquorũ filij dicuntur, quia imitãtur iniquos. Vnde & Dominus his talib⁹ ait: Si filij Abrahæ essetis, opera vtiq; Abrahæ faceretis. Væ igitur illis quia non Abrahã, nõ prophetarum, non iustorũ filij sunt, quia nõ eos imitantur, immò verò eorũ filij sunt, qui prophetas occiderunt, in omni malitia & iniquitate eos imitantes. Dicũt prętereà, si fuissent in diebus patrum suorum, non fuissent socij eorum in sanguine prophetarum, quum valdè illis nequiores nõ solùm prophetas occiderũt, verùm etiam ipsum Dominum prophetarum. Vnde & subditur: Et vos igitur implete mẽsuram patrum vestrorum. Currite, festinate, vt vsque ad eorum iniquitatis integram perfectamq; mensuram perueniatis. Turpe est enim vt à patribus vestris degeneretis, & minores ab illis nequitia inueniamini. Hoc autem ideò dicit, quia in sua suorumq; discipulorum nece iam nimiùm eos per inuidiam accensos esse videbat. Hic autem loquutionis modus à grammaticis Ironia vocatur. Serpentes, genimina viperarum: quomodò fugietis à iudicio gehennæ? Serpentes enim sunt, quia callidi & venenosi: genimina viperarum, quia cunctis iniquis iniquiores, cùm nec vxor viro, nec filij parentibus parcant. Qui vtiq; gehennæ iudicium aliter fugere non potuerunt, nisi matrem suam occiderent, sicut ipsa quoq; eorum patrem interfecit. Viperarum enim hæc natura dicitur esse, vt quãdo fœmina concipit masculum interficiat: quando verò parit, ipsa nihilominùs à filijs occidatur. Neque enim expectant, vt assueto naturę ordine oriantur, sed perroso matris vtero violenter foras erumpunt. Vipera igitur, Synagoga: vir eius Christus. Venit Christus ad Synagogam, venit ad vxorem suam, quam postquàm suo semine impregnauit, totamque Euangelicæ prædicationis sementem in eam infudit, illa sicut vipera, sicut venenosa & impia, contra eum assurgẽs, eum interfecit, de cuius impio vtero filij eius erumpentes, eam occidunt, quoniam Iudæi ad fidem venientes, eam excommunicant & dãnant. Vnde Apostolus ait: Cùm autem placuit ei qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, &c. Omnes enim hæreses dãnant, quicunque ab hæresibus ad Ecclesiam redeunt. Ideò *ecce ego mitto ad uos prophetas, & sapientes, & scribas.* Ideò (inquit) vt & vos impleatis mẽsuram patrum vestrorum, *ego mitto ad uos prophetas, sapientes, & scribas, & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex illis flagellabitis in Synagogis uestris.* Talis erat beatus Stephanus, de quo modò cùm legeretur, audiuimus, quia plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia & signa magna in populo. Surrexerunt autem quidam de Synagoga, disputantes cum eo, & non poterant resistere sapientiæ, & spiritui qui loquebatur. Vndè & Dominus ait: Ego dabo vobis os & sapientiam, cui nõ poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri. Sic igitur pugnabant sancti, sic eos Dominus pugnare docuit: non armis pugnabant, sed voce. Sic antè pugnauerat Gedeon, cuius prælium hæc omnia sanctorum prælia significauit. Gedeon nanq; cõtra Madianitas pugnatũrus, his qui secũ erant, tubas & lampades parare iussit. Præcepit autem, vt intra lagunculas lampadas occultarẽt, & sic ad prælium profectus est. Nocte verò inimicorum castra ingressi, lagunculis fractis, tenentes tubas dextris, lampadas verò sinistris, tubarum clangore & lamparum splendore omnia circunquaque repleuerunt. Quibus hostes perterriti fugere incipiunt, & quasi insani proprijs gladijs magna ex parte se vicissim interficiunt. Talibus igitur armis vicit Gedeon: talibus & sancti martyres vincebant. Quid enim per tubas, nisi prędicatorum voces intelligimus? quid verò per lampadas, nisi miraculorum splendor figuratur? Lagunculæ verò vasa fictilia sunt,

Ironicè Dominus loquitur.

Natura Viperarũ.

Galat. 1.

Actor. 6.

Luc. 21.

Pugna Gedeonis qd significauerit.

Iud. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

de terra formata, per quæ sanctorum corpora figurantur, de limo terræ plasmata: de quibus Apostolus ait: Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus. Quoniam autem Dominus dixerat, nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: neque lagunculorum fractionem, neque corporis passionem sancti martyres metuentes, ad omnia tormentorum genera parati erant. Vide igitur quàm benè sibi conueniant prælium protomartyris Stephani, & prælium Gedeonis. Si enim per tubas prædicatorum voces significantur, tunc nimirum beatus Stephanus tuba sonabat, quando incredulos Iudæos arguebat & prædicabat. Quando verò prodigia & signa magna faciebat, tunc vtique lampadas manu tenebat. Maior est enim splédor miraculorum, quàm splendor ignis: & multò longiùs refulget miraculorum fama, quàm lampadarum flamma. Tunc autem Iudæi sæuientes & ad lapides currentes, protomartyris lagunculam fregerunt quando eum lapidauerunt & lapidibus interfecerunt. Vicit tamen beatus Stephanus, quoniam coronatus cælos ascendit. Iudæi autē victi sunt, quoniam post paucos annos destructa ciuitate in captiuitatē deducti sunt. Sequitur: *Et persequemini de ciuitate in ciuitatem, ut ueniat super uos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram.* Apostoli enim, martyres, & doctores, prophetæ, sapientes, & scribæ fuerunt, quos ad Iudæos, omnesque mundi nationes prædicandos Dominus misit. Hos autem Iudæi occiderunt, crucifixerunt, flagellauerunt, & de ciuitate in ciuitatem persequuti sunt. Nemo enim Christianorum vsquam occisus est, qui eorum vel manibus, vel affectu non sit occisus. Vnde & omnium rei esse dicuntur, omniumq; iustorum sanguiné super eos venire Dominus ipse testatur. Hoc autem ex quo & vsquequò exponit, dicens: *A sanguine Abel iusti usq; ad sanguinē Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare.* Cùm enim alibi scriptum sit, quòd filius non portabit iniquitatem patris, sed vnusquisq; in peccato suo morietur, quid est quòd modò hic dicitur, quòd omnis sanguis iustus veniet super generationē istā? His enim verbis Saluator noster dicere videtur, quòd hæc impia generatio tantam pœnam pro suo scelere patiatur, quantam pateretur si omnū iustorum sanguinem fudisset, qui ab Abel fusus est vsq; ad Zachariam. Et hoc meritò: Manus enim fuit Christum occidere, eiusq; corpus (quod est Ecclesia) iniquo odio persequi, quàm si omnium iustorum præcedentium sanguinem fudisset. Zachariás autem Barachiæ filius nusquam legitur fuisse occisus. At verò Zacharias filius Iojadæ in atrio templi legitur interfectus: inter tēplum & altare videlicet, quod sub diuo erat, vbi hostiarum sanguis fundebatur. Sed quare dixit, *usq; ad Zachariam*, & nō potiùs vsq; ad seipsum, vel vsq; ad seculi consummationē? Multorum enim iustorum sanguinem Iudæi fuderunt, non solùm vsq; ad Zachariam, verumetiam post Zachariam. Hæc igitur quia historię nō conueniunt, spirtualis intelligentia quærenda est. Puto enim quòd Dominus noster seipsum Zachariam vocat, & præterito pro futuro vtitur. Interpretatur enim Zacharias, memoria Domini. Sicut enim Christus Iesus dicitur verbum Domini, sermo Domini, virtus & sapientia Domini, sic etiam dicitur memoria Domini. Et iste quidem est Barachiæ filius, qui benedictus Domini interpretatur. Vnde & principi sacerdotum se interroganti, an esset Christus filius benedicti, respōdit, Ego sum. Hunc autem occiderunt Iudei inter templum & altare, quoniam ibi de Christi morte inter se cōsiliati sunt. Neq; enim aliter Iudæi Christū Dominū nostrū occiderūt, nisi cōsiliādo, accusando & damnando. Vnde ipsi quoq; dicebant: Nobis nō licet interficere quenquam. Quòd verò in atrio templi de eius morte consilium habitum sit, ipse per Psalmistam ostendit, dicens. Aduersus me exercebātur qui sedebant in porta, & in me psallebant qui bibebant vinum. Sic igitur Zacharias filius Barachiæ inter templum & altare occisus est. *Hierusalem Hierusalem quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt: quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Ego (inquit) filios tuos multoties congregare, & contra malignorum spirituum incursus desuper & circa volantium defendere volui, sicut gallina pullos suos congregat, & sub alas suas eos abscondit, ne ab importunis auibus ei subripiantur, sed noluisti. Ego igitur volui, sed ea conditione, si tu quoque voluisses. Quia ergo tu congregari & saluari noluisti, ego quoque iam nunc congregare & saluare nolo. Vnde & dico: Disperge illos in virtute tua, & destrue eos protector meus Domine. Dominus enim qui potest quæcunque vult, nullum alium saluare vult, nisi eum qui vult saluari ab eo. Vnde & per prophetam ait: Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis: quòd si nolueritis, gladius deuorabit vos. Sicut enim manifestum est, quòd Dominus non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat: & sicut manifestum est, quia neminem vult perire, sed omnes vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, sic tamen si crediderint, & baptizati fuerint, si de peccatis pœnitentiam egerint, & eius voluntatem fecerint: ita etiam manifestum, quòd eos qui neque credere, neque baptizari, neque pœnitentiam agere volunt, qui de bonitate Dei desperant, & de gloria quæ promittitur sanctis non curant, si in hac praua voluntate vsque in finem perseuerant, manifestum (inquam) est, quia hos tales Deus saluare non vult. Quis enim dicere audeat, quòd eos saluare velit, qui saluari non possūt? Impossibile est enim sine fide vel saluari vel placere Deo: Vnde & quibusdam Dominus ait: Quo ego vado, vos non potestis venire. Nota quòd ait, & considera quare non possint. Quia in eum credere nolūt, ideo ad illam beatitudiné peruenire non possunt. Similiter autē & Ioannes Euangelista ait: Propterea Iudæi credere nō poterāt, quia sic de eis Esaias prædixerat: Excæcat populi huius, ne fortè conuertantur & sanentur. Sed quare credere non poterant, nisi quia credere nolebant? Fides igitur in voluntate est. Si enim voluissent, & non potuissent, peccatū nō habuissent. De his autem breuiter in cōmentario diximus, de quo ista sumpta sunt, quę qui nō intelligit, hæc legat vt intelligat. Sequitur: *Ecce relinquetur uobis uestra domus deserta.* Sic in Psalmis: Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Relictis enim Iudæis, in gentibus habitat Dominus. *Dico enim uobis, non me uidebitis amodò, donec dicatis, benedictus qui uenit in nomine Domini.* Postquam (inquit) hac corporali præsentia, qua vobiscum ad tempus conuersatus sum, vos relinquam, non me videbitis amodò, donec me iterum ad iudicium venientem meliùs cognoscatis, simulque & vna consona voce omnes dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini. Hoc est quòd alibi ait: Viuo ego, dicit Dominus, quia mihi curuabitur omne genu, & confitebitur omnis lingua.

Zacharias Christus mystice.

Matt. 14.

Ioan. 16.

psal. 68.

Esai. 45. Rom. 14.

IN FERIIS D. IOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTÆ. Concio exegetica in Lectionem Ecclesiast. 15.

HIc est ille discipulus, quem diligebat Iesus, ob singularē innocentiā & corporis ac animi integritatē. Huic datum est scribere Euangelium cæteris excellentius, cuius initium etiā Philosophi ethnici testati sunt dignū esse quod aureis literis scriberetur. De eo scribens diuus Augustinus, Ioannes, inquit, longè à tribus Euāgelistis superiùs fertur, ita vt hos videas quodāmodò in terra cum Christo homine conuersari: illum autem transcendisse nebulam, qua tegitur omnis terra, & peruenisse ad liquidum cælum: vnde acie mentis acutissima atque firmissima videret in principio Verbum Deum apud Deum, & cæt. Item lib. eodem cap. 6. Ioannes, ait, supra nubila infirmitatis humanæ velut aquila volat, & lucem incōmutabilis veritatis acutissimis atque firmissimis oculis cordis intuetur. Basilius quoque Magnus, In ipsis, inquit, Euangelij laudibus, & sermonis magnitudine, & sententiarū grauitate, Ioannes filius tonitrui primas obtinet. In huius ergo excellentissimi Euangelistę, Apostoli, prophetæ, martyris, confessoris, virginis sacratissima solennitate ex Ecclesiastico Lectio proponitur Epistolæ loco, quam nunc Deo benè iuuante volumus paucis explicare. *Qui timet Deū, faciet bona.* Nouimus duplicem esse timorem, alterum seruilem, quem foras mittit charitas: qui tamen præmissus in cor nostrum, vt inquit Augustinus Epistola 120. pellit inde consuetudinē malorum operum, & seruat charitati locum, quasi tanquam domina veniente, vt illa insideat abscedit. Alter timor filialis est, & castus, & sanctus, permanens in seculum seculi, quem charitas nō eijcit, sed ascisit. Possumus vtriusq; timoris discrimen discere ex adultera & casta muliere. Adultera etiamsi timore viri adulterium non perpetrat, tamen quod deest operi, inest voluntati. Casta verò aliter timet, nam & ipsa timet virum, sed castè, Deniq; timet illa, ne vir infestus adueniat: ista, ne offensus abscedat. Non amanti enim præsentia viri molesta est, amanti autem absentia. Timor ergo non est in charitate, quia perfecta charitas foras mittit timorē, sed illum seruilē, quo cùm se quisq; ab opere malo abstinet, pœna terretur, non iustitia delectatur. Hunc charitas foras mittit, quam non delectat iniquitas, etiamsi proponatur impunitas: Non illum, quo timet anima, ne amittat ipsam gratiam, qua in illa factum est, vt eam non peccare delectet: quo timet, ne Deus eam deserat, &c. Itaque qui sic timet Deum, is vtiq; faciet bona, vt possit magis ac magis placere illi, à quo habet gratiam declinandi à malo & faciendi bonum. Scit enim ex Apostolo creatus nos in Christo Iesu, in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Nouit Dominum singulis quibusque sua dedisse gratiæ talenta, quæ etiam cum vsura sit repetiturus, porrò seruum inutilem, qui operari nolit, missurum in tenebras exteriores. *Et qui continens est iustitiæ, apprehendet illam.* Qui iustitiæ & bonorum operum ac virtutum studiosus est, nouitque iam vitia & perturbationes pranosque affectus sub iugum mittere, ijsq; dominari, is apprehendet sapientiam, quæ Christus est vera & increata Dei sapientia, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ abscónditi, *Et obuiabit illi quasi mater honorificata.* Præoccupat enim sapientia eos qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat. Quoniam dignos se ipsa circumit quærens, & in vijs suis ostendet se illis hilariter, & in omni prouidentia occurret illis: Quasi mater honorificata, summos honores allatura filijs suis diligentibus se & iustitiam colentibus. *Et quasi mulier à uirginitate suscipiet illum:* id est: perinde vt solet sponsa castissima summo affectu excipere sponsum, ita Christus Dei sapientia incredibili beneuolentia complectetur timentem se. Sic ipse in Apocalypsi promisit: Ecce sto ad ostium (cordis) & pulso: si quis audierit vocē meam, & aperuerit mihi ianuā, intrabo ad illū, & cantabo cū illo, & ipse mecū: quod quid sit, soli experti nouerunt. O quanta est erga humanum genus dignatio præpotentis Dei.

De cōsens. Euāgelist. li. 1. cap. 4.

Homilia in principium Ioannis.

Ephes. 2. Matt. 25.

Apoc. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psalm. 4. O filij hominum, vsquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? fallaces huius mundi voluptates? *Cibabit illum pane vitæ & intellectus.* Panem vitæ accipimus ipsum Christum, qui de se dicit: Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet in æternum. Sed væ tepori & torpori, væ fastidio & nauseæ miserabilium temporum horum. Offert seipsum Christus verus Deus in cibum, & pauciſsimos inuenias, qui vel semel in anno ex desiderio tantæ gratiæ accedere velint. Et quid mirum est tam nos hodie omnis gratiæ expertes & vacuos viuere, cùm nolimus ad ipsum totius gratiæ fontem accedere? Annon Christus ipse dicit: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis? Vitam scilicet gratiæ, quam in nobis necesse est deficere, si non identidem hoc vitæ alimento foueantur. Volebat filius Dei fidelibus suis insigne & incomparabile munus relinquere, & cùm seipso nihil haberet præstantius, seipsum reliquit, vt vel ipsa muneris immensitas omnes ad se non inuitaret modò, sed raperet etiam: & ecce non solùm nemo ferè accurrit, sed propemodùm omnes mauseabundi ab hac esca vitali se subducunt. Ergo iustissimè ipsa se quoque indignis & ingratis subduxit. Videmus iam proh dolor, quàm multi negent in Eucharistia veritatem corporis Christi. Itaque cùm non credant ibi esse verum Christi corpus, dubium non est, nolle eos conficere Christi corpus. Ita dum fastiditur tantum Sacramentum, iure illo priuati sumus, sed summo nostro malo. Porrò qui Deum timet & iustitiam colit, eum tanquam immenso bono cibabit Christus pane vitæ, id est, seipso:

Ioan. 6.

Deut. 8. itemque pane intellectus, quod est verbum Dei, de quo scriptum est: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore

Luc. 11. Domini. Itemque: Beati qui audiunt verbum

Psal. 118. Dei, & custodiunt illud. & rursus: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori. Verùm quemadmodùm hoc pane mirificè nutriuntur & pinguescunt atque confirmantur homines pij, à vitijs repurgati, ita illi, qui scelerate viuunt, & nihilo minùs ad scrutanda Dei casta eloquia tumidi & impuri se ingerunt, pro cibo plerunque venenum inde hauriunt suo ipsorum vitio. Inde tot hæreses, tot errores, tam prodigiosa dogmata falsitatis. Sequitur: Et *aqua sapientiæ salutaris potabit illum.* Habuisti cibum, panem vitæ & intellectus: habes & potum, aquam sapientiæ salutaris, quæ est præcipuum donum Spiritussancti, nec est nisi in solis bonis. In maleuolam enim animam non introibit sapientia. De hac in quadam Epistola ad Simplicianum præclarè scribit diuus Ambro-

Sap. 1.

Libr. 2. Epist. 7. sius: Sapiens non metu frangitur, nec potestate mutatur: non attollitur prosperis, non tristibus mergitur. Vbi enim sapientia, ibi virtus animi, ibi constantia & fortitudo. Sapiens semper idem est anima non minuitur, non augetur rerum mutationibus. Nec vt paruulus fluctuat, vt circumferatur omni vento doctrinæ: sed manet perfectus in Christo, fundatus charitate, radicatus fide. Sapiens defectus rerum ignorat, & varijs animum nescit: sed fulget sicut sol iustitiæ, qui in regno patris sui fulget. Hæc Ambrosius. Et *firmabitur in illo, & non flectetur.* Confirmabit enim eum Christus æterna sempiterni patris sapiẽtia, sicut scriptum est, Verbo Domini cæli, id est, iusti firmati sunt: & non flectetur ad consensum iniquitatis. Et *continebit illum, et non confundetur.* Nó est enim vera confusio, nisi quam adfert peccatum & vita flagitiosa: à qua cum lõgè absit qui Deum timet, longè quoque abest ab eiusmodi probrosa confusione. Iustus autem etiamsi peccare impunè liceat, tamen nolet ob peccati turpitudinem, quam sequitur ignominia: & quãuis fortasis lateat peccatũ homines, ipsa tamen sibi confusionem adducit mala conscientia. Quę verò illa consolatio est, si quid probrosè geras, latere id homines, cùm sceleris tui testem perpetuò circumferas ipsam tuam conscientiam? Fœlices ergo illos, quos sic castus Dei timor & ipsa sapientia occupat, vt nulla re magis quàm Dei amore & peccati turpitudine ab ipso peccato retrahantur. Ex *exaltabit illum apud proximos suos.* Hoc quidem iam expetendum non est, ne inanis gloriæ vento abripiamur: sed tamen habet hoc virtus, vt sui possessorem reddat omnibus suspiciendum ac venerabilem, ita tamen vt eum ipsum de nullo viliùs quàm de se sentire faciat. Nam si sibi placeat, hoc ipso iam vera virtute destituitur, apud Deũ vilescit. Et *in medio Ecclesiæ aperiet os eius, & adimplebit eum spiritus sapiẽtiæ & intellectus.* Videmus hoc in beatissimo Apostolo Ioanne, qui cũ alioqui rudis esset & imperitus, tamen Christi aspirante gratia, & os eius aperiente, atque cor illius spiritu sapientiæ & intellectus adimplente, maxima eructauit mysteria, & ex humili piscatore factus est contemplator sublimissimus, & cõcionator egregius. Implcuit enim eum Christus spiritu sapientiæ, quo sublimiter contemplatus est diuina, non quemadmodum Philosophi huius mũdi, qui euanuerũt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiẽs cor eorum: nec perinde vt scioli quidam & nasuti, qui ingenio pollẽt & multa acutè de diuinis rebus, at corde mũdo huic & vitijs dedito cogitare ac speculari norunt: sed cum fœlici quodam gustu interno, spiritussancto intus suis diuinis splendoribus & consolationibus illum suauissimè afficiente, mẽtisq; eius sinus laxante ac expandẽte in Deũ, qui est lumẽ immẽsum, in quo veritas omnis simplici quodã intuitu puris mentibus cõspicièda proponitur. Impleuit etiam illũ spiritu intellectus, vt intelligeret perspicuè ea quę sunt fidei nostrę rationesq; credendorũ, & quanta sit Christianæ fidei

Rom.

fidei synceritas, consonantia, harmonia. Atque hæc in donis septem Spiritussancti præcipuum sibi vendicant locum, quæ quidem hominem mirè illustrant, & deo reddunt charum imprimis, & diuinæ contemplationi maximè idoneum. Sequitur: Et *stola gloriæ induet eum*: stola immortalitatis, cùm corpus & anima clarificabitur in illa beata vita, vbi iusti fulgebunt

Matt. 13. sicut sol. *Iucunditatem & exultationem thesaurizabit super eum* In hac quidem vita præstabit illi affatim multas diuinas & cælestes consolationes, & imperturbabilem in Deo mentis securitatem, vnd necesse est immensam existere pectoris iucunditatem & exultationem, cùm

Prou. 15. scriptum sit, Secura mens quasi iuge conuiuium: vbi contrà homines impij dum per vitæ huius damnatas voluptates contra sui creatoris æternas leges diffluunt, quantũuis sibi fœlices & beati esse videantur, tamen miseri & infœlices sunt ob intolerabilem malæ conscientiæ carnificinam. Non enim potest benè esse animo à sui creatoris voluntate discordanti, eaque quæ

Confess. lib. 9. ca. 4. ille prohibet, vsque consectanti. Volentes gaudere forinsecus, ait Augustinus, facilè euanescunt, & effunduntur in ea quæ videntur & temporalia sunt, & imagines eorum famelica cogitatione lambunt. Hæc ille: Qui ergo vult vera iucunditate & exultatione syncera perfrui, timeat Deum & colat iustitiam, idque constanter & ex animo. Hic iam necesse est, quandam fieri animi auocationem & abstractionem à mundi huius visibilibus & sensibilibus oblectamentis, & integram sui conuersionem ad Deum, qui in ipsis intimis animi penetralibus suam habet sedem, paratus quidem mira operari in omnibus, sed impeditur à plerisque omnibus extra ipsum ad ista vana & caduca se recipientibus, cùm quibus ipsi pariter vani & caduci efficiuntur. Quos obiurgans diuus Augustinus, Redite, inquit, prævaricatores ad cor, & inhærete illi qui fecit vos. State cum eo, & stabitis. Requiescite in eo, & quieti eritis. Quò itis in aspera, quò itis? Intimus cordi est, & cor errauit ab eo. Quod est ab illo sancto viro sapientissimè dictum. Sed quis hoc persuadebit filijs huius seculi, vt contemptis rerum externarum voluptatibus, totos se ad sua intima transferant, illic haud dubiè inuenturi Deum, & in illo bonorum omnium affluentiam? Quàm multi Philosophi, vt possent liberioribus animis vacare inuestigando vero & studio sapientiæ, magnam nauarunt operam frenandis animi perturbationibus & prauis cupiditatibus, omnesque corporis voluptates, quas Cicero blandissimas dominas vocat, respuerunt, facultatesque omnes abiecerunt? At Christiani tanta futuræ beatitudinis spe proposita, vix pedem Christi & virtutis causa moue-

Sap. 5. re dignantur, sed per flagitia & scelera omnia volutantur. Itaque tales quandoque dicturi sunt, sera ducti pœnitentia: Ergo erauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles: viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam vmbra & cæt. Sequitur: Et *nomine æterno hæreditabit illum.* Non debent pij propterea facere, si quid rectè gerunt, vt apud homines celebre nomen obtineant: id enim vanum est & Deo inuisum, cui soli debetur omnis honor & gloria: sed tamen solet Deus sanctos suos etiam in hac vita nominis immortalitate afficere, & in tota Ecclesia celebres efficere: propriè tamen isthæc nominis æternitas pertinet ad vitam futuram, vbi electi Dei omnes habent sua nomina scripta in libro, nulla vnquam obliuione delenda. Denique habet diuus Ioannes Apostolus & Euangelista nomen in Ecclesia celeberrimum, sed in cælis longè præclarius, vbi iam fruitur beata visione Domini ac Magistri sui, qui eum specialiter charum habuit in terris, cui cum Patre & Spiritusancto est omnis honor & gloria in secula seculorum, Amen.

DE SANCTO IOHANNE APOSTOLO ET EVANGELISTA, Ioannis vltimo.

In illo tempore, Dixit Iesus Petro: Sequere me. Conuersus Petrus, vidit illum discipulum quem diligebat Iesus sequentem. Et reliqua. Homilia beati Augustini episcopi.

NON parua quæstio est, cur apostolo Petro, quando se tertiò manifestaturus discipulis, dixerit Dominus, Sequere me: de apostolo autem Ioanne, Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Huic quæstioni quantùm Dominus ipse donauerit, siue pertractandæ, siue soluendæ, sermonem nouissimum huius operis impendimus. Cùm ergo prænunciasset Dominus Petro qua morte clarificaturus esset Deũ, dicit ei: Sequere me. Conuersus Petrus, vidit illum discipulum quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit: Domine, quis est qui tradet te? Hunc ergo cùm vidisset Petrus, dicit Iesu: Domine, hic autem quid? Dicit ei Iesus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me sequere. Exijt ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Iesus, quia non

Est Tract. 124. in Ioannem.

mo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

moritur,sed sic eum volo manere donec veniã, quid ad te?Ecce quousq; in hoc euangelio extẽditur quęstio,quæ sua profunditate non mediocriter mentem scrutantis exercet. Cur enim dicitur Petro, sequere me,nec dicitur cæteris qui simul aderant,& profectò eum sicut magistrum discipuli sequebantur?Sed si ad passionem intelligendum est,nunquid solus pro Christiana veritate passus est Petrus? Nónne ibi erat in illis septem alius filius Zebedęi frater Ioannis,qui post
Actu. 12. eius ascensionem ab Herode manifestatur occisus?Verùm aliquis dixerit, quoniam non est Iacobus crucifixus,meritò dictũ est Petro,sequere me,qui non solùm mortem, sed etiam mortem crucis sicut Christus expertus est.Sit hoc,si nihil aliud quod sit conuenientius,potuerit inueniri. Cur ergo de Ioanne dictum est,sic eum volo manere donec veniã,quid ad te:& repetitum est,tu me sequere, tanquam ille ideò non sequeretur, quoniã eum manere voluit donec veniret?Quis facilè aliud dictum esse credat, quàm quod crediderant qui tunc aderãt,eò quòd scilicet nõ esset discipulus ille moriturus,sed donec Iesus veniret,ista maneret in vita?Sed hanc opinionẽ Ioannes ipse abstulit,nõ hoc dixisse Dominũ, aperta contradictione declarans. Cur enim subiũgeret,Non dixit Iesus , nõ moritur,nisi ne hominũ cordibus quod falsum fuerat inhæreret? Sed cui placet, adhuc resistat & dicat verũ esse quod ait Ioannes, non dixisse Dominum quod discipulus ille non moritur,sed hoc tamen significatum esse talibus verbis , qualia eum dixisse narrauit, & asserat Ioannem viuere, atq; in illo sepulchro eius,quod est apud Ephesum , dormire potius eum,quàm mortuum iacere contendat. Assumat in argumentum , quòd illic terra sensim scatere & quasi ebullire perhibetur,atq; hoc eius anhelitu fieri,siue constanter,siue pertinaciter asseueret. Non enim possunt deesse qui credant, si non
Deut. 34. desunt qui etiã Moysen asserãt viuere,quia scriptum est eius sepulchrum non inueniri, & apparuit cum Domino in monte,vbi & Elias fuit,quẽ mortuum legimus nõ esse,sed raptũ quasi Moysi corpus non potuerit alicui sic abscondi, vt prorsus homines lateret vbi esset,atq; inde ad horam diuinitùs excitari, quando cum Christo Elias & ipse sunt visi,sicut ad horam multa sanctorũ corpora surrexerunt,quando passus est Christus, & post eius resurrectionem apparuerunt multis in
Matt. 28. sancta,sicut scriptum est,ciuitate. Sed tamen , vt dicere cœperam , si quidam Moysen mortuum negent,quem scriptura ipsa (licet sepulchrũ eius nusquam inueniri legimus) mortuum tamen esse sine vlla ambiguitate testatur: quantò magis Ioãnes ex istorum occasione verborum,vbi Dominus ait, sic eum volo manere donec veniam, creditur viuus dormire sub terra,quem tradunt, quod etiam in quibusdam scripturis quanuis apocryphis reperitur, quando fieri sibi iussit sepulchrum,incolumem fuisse præsentem, eoque effosso,& diligentissimè præparato , ibi se tan† eum esse quam in lectulo collocasse, statimq; † fuisse defuncto similem? Vt aũt isti putant qui hęc verba Domini sic intelligunt,nõ defunctũ , sed defuncto similem cubuisse,& cùm mortuus putaretur, sepultũ fuisse dormientẽ, & donec Christus veniat,sic manere, suamq; vitã scaturigine pulueris indicare,qui puluis creditur,vt ab imo ad superficiem tumuli ascendat,flatu quiescentis impelli:huic opinioni superuacaneum existimo reluctari. Viderint enim qui locum sciunt,vtrum hoc ibi faciat vel patiatur terra qđ dicitur , quia & reuerà nõ à leuibus hominibus id audiuimus. Interim cedamus opinioni,quam certis documẽtis refellere non valemus, ne rursus aliud quod à nobis quæratur exurgat,cur super humatũ mortuum ipsa humus quodammodo viuere , ac spirare videatur. Sed nunquam hinc tanta ista soluitur quæstio,si magno miraculo , qualia potest facere omnipotens, tamdiu viuũ corpus in sopore sub terra est , donec veniat terminus seculi? Quinimò sit amplior & difficilior,cur discipulo quẽ præ cæteris diligebat Iesus, in tantũ vt super pectus eius discũbere mereretur,pro magno munere longũ in corpore donauerit somnũ, cũ beatũ Petrũ per ingentẽ martyrij gloriã ab onere ipsius corporis soluerit,eiq; concesserit quod apostolus Paulus se cõcupisse dixit & scripsit,dissolui,& esse cum Christo. Si autem,quod magis creditur,ideò sanctus Ioãnes ait, nõ dixisse Dominũ nõ moritur,ne illis verbis quæ dixit, hoc voluisse intelligi putaretur , corpusq; eius in sepulchro exanime,sicut aliorum mortuorũ,iacet:restat vt si verè ibi sit, quod sparsit fama de terra, quæ subinde sublata succreuit, aut ideò fiat vt eo modo cõmendetur preciosa mors eius, quoniã nõ eam cõmendat martyrium:nõ enim cũ pro fide Christi persecutor occidit, aut propter aliquid aliud quod nos latet : manet tamen quæstio cur dixerit Dominus de homine morituro, sic eum volo manere donec veniam. Illud etiam in his duobus apostolis Petro & Ioanne, quẽ nõ moueat ad quærendũ,cur Ioannẽ plus dilexerit Dominus,cùm ipsum Dominũ plus dilexerit Petrus? Vbicunq; enim se commemorat Ioãnes , vt nomine suo tacito ipse possit intelligi , hoc addit,quòd eum diligebat Iesus, quasi solum intelligeret, quod hoc signo discerneretur à cæteris, quos oẽs vtiq; diligebat. Quid ergo nisi amplius se dilectũ,cũ hoc diceret,volebat intelligi?quod absit vt mendaciter diceret. Quod autem maius dare potuit Iesus maioris erga eum suę dilectionis indicium,quàm vt ipse cum cæteris condiscipulis suis socius tantæ saluris,solus tamen discubuerit super pectus ipsius Saluatoris ? Porrò qđ apostolus Petrus plus alijs dilexerit Christum, possunt quidem documenta multa proferri. Sed vt longè in alia non eamus , in ipsius tertiæ manifestationis Domini paulò superiori lectione, quæ istam præcedit , satis euidenter apparet, vbi

Ioan. ult. bi cum interrogans, ait : Diligis me plus his? quod vtique sciebat, & tamen interrogabat,vt etiam nos qui legimus euangelium, amorem Petri erga Dominum, & illo interrogante, & isto respondẽte nossemus. Quod autem in eo quod respondit Petrus,amo te,non addidit, plus his, hoc respondit quod de seipso sciebat. Non enim quantùm ab alio quolibet diligeretur, scire poterat, qui cor alterius videre nõ poterat. Sed tamen superioribus verbis dicendo,Etiam Domine,tu scis,satis & ipse declarauit,sciẽtem Dominum interrogasse quod interrogauit. Sciebat igitur Dominus non solùm quòd diligeret, verùm etiam quòd plus illis eum diligeret Petrus. Et tamen si proponamus quærentes, quis duorum sit melior,vtrùm qui plus , an qui minùs diligit Christum, quis dubitabit respondere, eum qui plus diligit esse meliorem? Item si proponamus quis duorum sit melior, vtrùm quem minùs,aut quẽ plus diligit Christus, eum qui plus diligitur à Christo, meliorem procul dubio respondebimus. In illa ergo comparatione quam prius posui,Petrus Ioanni: in hac verò altera,Ioannes anteponitur Petro. Proinde tertiam sic proponimus : Quis est duorum discipulorum melior, qui minùs quàm condiscipulus eius diligit Christum, & plus quàm condiscipulus eius diligitur à Christo:an ille quem minùs quàm cõ discipulũ eius diligit Christus,cũ plus ipse quàm suus condiscipulus diligat Christum? Hic planè cunctatur responsio,& augetur quæstio. Quantùm autem ipse sapio, meliorem qui plus diligit Christum , feliciorem verò quem plus diligit Christus,facilè responderem,si iustitiam liberatoris nostri minùs eum diligentis à quo plus diligitur , & eum plus amantis à quo minus diligitur, quemadmodum defenderem,peruiderem. Aggrediar igitur in eius manifestam misericordia, cuius est occulta iustitia,de soluenda quæstione tam ingenti,pro viribus quas ipse donauerit disputare. Hucusque enim proposita est,non exposita. Exponendæ verò eius hoc sit exordium,vt meminerimꝰ in hoc corruptibili corpore, quod aggrauat animam,vitam nos miserã viuere. Sed
Rom. 9. quia iam redempti per mediatorem fumus, & spiritum sanctum pignus accepimus, beatam vitam in spe habemus , etsi re ipsa nondum tenemus. Spes autem quæ videtur,non est spes,quod enim videt quis,quid sperat? Si autem quod nõ videmus speramus,per patientiam expectamus. In malis autem quæ quisque patitur, non in bonis quibus fruitur,opus est patientia. In hac itaque vita,de qua scriptum est:Nunquid non tentatio est vita humana super terram?in qua quoti
Iob. 7. Matt. 6. die clamamus ad Dominum, Libera nos à malo,cogitur homo tolerare aliquam miseriam etiam remissis peccatis , quamuis vt in eam veniret miseriam,primùm fuerit causa peccatũ. Productior est enim pœna quàm culpa, ne parua putaretur culpa,si cum illa finiretur & pœna. Ac per hoc vel ad demonstrationẽ debitæ miseriæ, vel ad emendationẽ labilis vitæ , vel ad exercitationem necessariæ patientiæ temporaliter hominẽ detinet pœna , etiam quem ad damnationem sempiternam, reum non retinet culpa. Hæc est istorum dierum,quos in hac mortalitate agimus malos(quanuis in eis diligamus videre dies bonos)flenda quidem,sed non reprehendenda cõditio. Venit enim de ira Dei iusta , de qua scriptura loquens:Homo,inquit,natus ex muliere, breuis vitæ & plenus iræ.cùm ira Dei nõ sit vt hominis,id est,perturbatio animi concitati, sed trã quilla iusti supplicij constitutio. In hac ira sua Deus non continens, sicut scriptum est, miserationes suas , præter alia solatia miserorum,quæ generi humano præbere nõ cessat,in plenitudine temporis,quo ipse sciebat hoc esse faciendũ,misit filium suum vnigenitum,per quem creauit vniuersa,vt manẽs Deus fieret homo, & esset mediator Dei & hominum,homo Christus Iesus,in quem credentes ,per lauacrũ regenerationis soluto reatu omnium peccatorum,& originalis videlicet,quod generatio trahit,contra quam maximè regeneratio est instituta,& cæterorum quę malè agendo contracta sunt,liberarentur à damnatione perpetua,& viuerent in fide & spe & charitate,peregrinantes in hoc seculo, atque in eius tentationibus laboriosis & periculosis, consolationibus autem Dei & corporalibus & spiritualibus,ambularent ad conspectum eius , viam tenentes, quod eis factus est Christus. Et quia in ipso quoque ambulantes non sunt sine peccatis, quæ de huius vitæ infirmitate subrepunt , dedit eleemosynarum remedia salutaria, quibus eorũ adiuuaretur oratio,vbi eos dicere docuit: Di-
Matth. 6. mitte nobis debita nostra , sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Hoc agit Ecclesia spe beata in hac vita ærumnosa , cuius Ecclesiæ Petrus Apostolus,propter Apostolatus sui primatũ, gerebat figurata generalitate personã. Quod enim ad ipsum propriè pertinet, natura vnus homo erat,gratia vnus Christianus , abundantiore gratia vnus idẽq; primus apostolus. Sed quando
Matth. 16 ei dictũ est. Tibi dabo claues regni cælorum : & quodcũq; ligaueris super terrã,erit ligatũ & in cęlis:& quodcũq; solueris super terrã,erit solutũ & in cælis:vniuersam significabat Ecclesiã , quæ in hoc seculo diuersis tẽtationibus velut imbribus, fluminibus,tẽpestatibus quatitur,nõ cadit,quoniã fundata est super petrã, vnde & Petrus nomẽ accepit. Non enim à Petro petra,sed Petrus à petra:sicut nõ Christus à Christiano , sed Christianus à Christo vocatur, Idem quippe ait Dominꝰ, Super hãc petrã ędificabo Ecclesiã meã,quia dixerat Petrus: Tu es Christus filiꝰ Dei viui. Super hãc ergo,inquit,petrã,quã cõfessus es,ędificabo Ecclesiã meã. Petra enim erat Christus,super qđ fundamentũ etiã ipse ædificatus est Petrus. Fun-
1. Cor. 2. damentũ quippe aliud nemo potest ponere prẽter id qđ positũ est, qđ est Christus Iesus. Ecclesia ergo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

go quæ fundatur in Christo, claues ab eo regni cælorum accepit in Petro, id est, potestatem soluendi ligãdiq; peccata. Quod est enim per proprietatẽ in Christo Ecclesia, hoc est per significationẽ Petrus in petra, qua significatione intelligitur Christus petra, Petrus Ecclesia. Hæc igitur Ecclesia quam significabat Petrus, quamdiù degit in malis, amando & sequendo Christum, liberatur à malis. Magis autẽ sequitur in eis, qui certant pro veritate vsq; ad mortẽ. Sed vniuersitati dicitur, sequere me, pro qua vniuersitate pas-
1. Pet. 2. sus est Christus, de quo idem dicit Petrus: Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplũ, vt sequamur vestigia eius. Ecce propter quẽ ei dictum est, sequere me. Est autem alia vita immortalis, quæ non est in malis: ibi facie ad faciẽ videbimus, quod hic per speculũ & in ænigmate videtur, quando multùm in conspicienda veritate proficitur. Duas itaq; vitas sibi diuinitùs prædicatas & commendatas nouit Ecclesia, quarum vna est in fide, altera in specie : vna in tempore peregrinationis, altera in æternitate mansionis: vna in labore, altera in requie: vna in via, altera in patria: vna in opere actionis, altera in mercede contemplationis. Vna declinat à malo, & facit bonum: altera nullum habet à quo declinet, malum, & magnũ habet quo fruatur bonũ. Vna cum hoste pugnat, altera sine hoste regnat. Vna fortis est in aduersis, altera nil sentit aduersi. Vna carnales libidines frænat, altera spiritualibus delectationibus vacat. Vna est vincendi cura solicita, altera pace victoriæ secura. Vna in tẽtationibus adiuuatur, altera sine vlla tentatione in ipso adiutore lætatur. Vna subuenit indigenti, altera ibi est vbi nullum inuenit indigentẽ. Vna aliena peccata, vt sua sibi ignoscãtur, ignoscit: altera nec patitur quẽ ignõscat, nec facit quod sibi poscat ignosci. Vna flagellatur malis, ne extollatur in bonis: altera tãta plenitudine gratiæ caret omni malo, vt sine vlla tẽtatione superbiæ cohæreat summo bono. Vna bona & mala discernit, altera sola quæ bona sunt, cernit. Ergo vna bona est, sed adhuc misera: altera melior & beata. Ista significata est per Apostolũ Petrũ, illa per Ioannẽ. Tota hic agitur ista vsq; in finem seculi huius, & illic inuenit finem. Differtur illa complenda post huius seculi finem, sed in futuro seculo non habet finẽ. Ideo dicitur huic, Sequere me: de illo aũt, Si eum volo manere donec veniã, quid ad te? tu me sequere. Quid enim est hoc? Quantũ sapio, quantum capio, quid est hoc, nisi tu me sequere per imitationẽ perferendi temporalia mala, ille maneat donec sempiterna veniã reddere bona. Quod apertiùs ita dici potest. Perfecta me sequatur actio informata meæ passionis exemplo, inchoata verò contẽplatio maneat, donec veniã, perficiẽda cùm venero. Sequitur enim Christũ perueniens vsq; ad mortem pia plenitudo patiẽtiæ: manet autẽ donec veniat Christus, tunc manifestanda plenitudo scientiæ. Hic quippe tolerantur mala huius mundi in terra morientiũ, ib videbũtur bona Domini in terra uiuẽtiũ. Quod enim ait, Sic eum volo manere donec veniã, non sic intelligendum est, quasi dixerit, remanere vel permanere, sed expectare: quoniã quod per eum significatur, non vtiq; nunc, sed cùm venerit Christus, implebitur. Quod aũt per hunc significatur, cui dictum est, tu me sequere, nisi nũc agatur, non peruenietur ad illud quod expectatur. In hac aũt actiua vita quanto magis Christũ diligimus, tãtò facilius liberamur à malo. At ipse nos minùs diligit, quales nunc sumus, & hinc ideò liberat, ne semper tales simus. Ibi verò nos ampliùs diligit, quoniam quod ei displiceat, & quod à nobis auferat, nõ habebimus. Nec ob aliud hic nos diligit, nisi vt sanet, & transferat ab his, quæ non diligit. Hic ergo minùs amat, vbi non vult vt remaneamus, ibi ampliùs amat, quò vult transeamus, & vnde non vult vt pereamus. Amet ergo eum Petrus, vt ab ista mortalitate liberemur. Ametur ab eo Ioãnes, vt in illa immortalitate seruemur. Sed ista ratione illud ostenditur, cur ampliùs Ioannẽ quàm Petrum amauerit Christus, non cur ampliùs Petrus quàm Ioannes amauerit Christum. Neque enim si plus nos diligit Christus in futuro seculo, vbi cum illo sine fine viuemus, quàm in isto vnde eruimur, vt illic semper simus, propterea nos tunc eum minùs dilecturi sumus, quando meliores erimus, cùm meliores vtique nisi ampliùs eum diligendo nullo modo esse possimus. Cur ergo Ioannes minùs eum diligebat quàm Petrus, si eam vitam significabat, in qua est multò ampliùs diligendus, nisi quia propterea dictum est, Volo eum manere, id est, expectare, donec veniam, quoniam & ipsum amorem qui tunc multò amplior erit, nõdum habemus, sed futurum expectamus, vt cùm ipse venerit, habeamus. Nam sicut in Epistola sua idem dicit Apostolus, nõdum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniã videbimus eum sicuti est. Tunc ergo amplius quod videbimus, diligemus. Ipse autem Dominus illam, quæ futura est, vitam nostram qualis in nobis futura sit sciens, prædestinatione plus amat, vt ad eam nos amando perducat. Quocirca quoniam vniuersæ vię Domini misericordia & veritas, miseriam nostram præsentem nouimus, quia sentimus: & ideò misericordiam Domini, quam nobis de miseria liberandis exhiberi volumus, plus amamus, eamque quotidie maximè pro peccatorum remissione poscimus & habemus. Hoc per Petrũ significatum est plus amantẽ, sed minùs amatũ, quia minùs nõ amat Christus miseros quàm beatos. Veritatis autẽ contemplationem qualis tunc futura est, minùs amamus, quia nondũ nouimus nec habemus. Hæc per Ioãnem significata est minùs amantẽ, atq; ideò & ad ipsam & ad eius in nobis amorem qualis ei debetur, implendum, donec veniat Dominus expectãtem: sed plus amatum, quia

quia id quod per illum figuratum est, hoc efficit beatum. Nemo tamen istos insignes Apostolos separet, & in eo quod significabat Petrus, ambo erant: & in eo quod significabat Ioannes, ambo futuri erant. Significãdo sequebatur iste, manebat ille. Credendo autem ambo mala præsentia huius miseriæ tolerabant, ambo futura bona illius beatitudinis expectabant. Nec ipsi soli, sed vniuersa hoc facit sancta Ecclesia sponsa Christi ab istis tentationibus eruenda, in illa felicitate seruanda: quas duas vitas Petrus & Ioannes figurauerunt, singuli singulas. Verùm & in hac temporaliter ambulauerunt ambo per fidem, & illa in æternum fruentur ambo per speciem. Omnibus igitur sanctis ad Christi corpus inseperabiliter pertinentibus, propter huius vitæ procellosissimæ gubernaculum, ad liganda & soluenda peccata, claues regni cælorum primus apostolorum Petrus accepit, eisdemque omnibus sanctis propter vitæ illius secretissimæ quietissimum sinum, super pectus Christi Ioannes Euangelista discubuit, quoniam nec ille solus, sed vniuersa Ecclesia ligat, soluitq; peccata. Neq; ille in principio verbum Deũ apud Deũ, & cætera de Christi diuinitate, & de totius diuinitatis trinitate, atque vnitate sublimia, quæ in illo regno facie ad faciem cõtemplanda, nunc autem donec veniat Dominus, in speculo atq; in ænigmate contuẽda sunt, quæ prædicando eructaret, de fonte dominici pectoris solus bibit, sed ipse Dominus ipsum Euangelium pro sua cuiusque capacitate omnibus suis bibendum, toto orbe terrarũ diffudit. Sunt qui senserint, & hi quidẽ nõ contẽptibiles sacri eloquij tractatores, à Christo Ioanne apostolum propterea plus amatum, quòd neq; vxorem duxerit, & ab ineunte pueritia castissimus vixerit. Hoc quidem in scripturis canonicis non euidenter apparet, veruntamẽn id quoque multùm adiuuat congruentiam huiusce sententiæ, quod illa vita per eum significata est, vbi non erunt nuptiæ, in qua viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

DE EODEM FESTO.

Ioannis vltimo.

In illo tempore. Dixit Iesus Petro: Sequere me. Conuersus Petrus, uidit illum discipulum quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit: Domine, quis est qui tradet te? Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteris.

LEctio sancti Euangelij, quæ nobis lecta est fratres mei, tanto maiori à nobis intentione debet per singula verba pensari, quanto magna gratiæ superne dulcedine tota redundat. Commendat enim nobis beatissimus Euangelista, & Apostolus Ioannes priuilegium amoris præcipui, quo cæteris ampliùs meruit honorari à Domino: commendat testimonium Euãgelicæ descriptionis, quod veritate diuina subnixum, nullus fidelium dubitare permittitur: commendat placidam suæ carnis absolutionem, quam Dominus specialiter se visitante percepit. Sed vt perfectè lectionis huius principia considerare valeamus, libet superiora parumper attendere. Apparuit Dominus post resurrectionem discipulis septem, inter quos erant Petrus & Ioannes, quibus frustrà in piscando tota nocte laborantibus, stãs in litore copiosa rete eorum piscium multitudine impleuit. Moxq; egressos ad terram inuitauit ad prandium, & inter prandendũ tertiò Petrum an se amaret, interrogauit, ac tertiò amorem confitenti, quia teẽ eum negauerat, ei tertiò pascendas oues suas commisit. Ac deinde, quia pro earundem ouium, id est, animarum fidelitũ cura pastorali vsque ad martyrium crucis esset peruenturus intimauit, dicens: Amen amen dico tibi, cùm esses iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò non vis. In manuum namq; extensione designauit: quòd per mortem crucis martyrio coronandus: in cinctione alterius, quòd vinciendus à persecutore: in ductu quò non vellet, quòd tormenta passionis contra voluntatem esset passurus humanæ fragilitatis. Sed ne grauis forte videretur Petro prædicta à Domino passio crucis, hanc suo confestim lenire curauit exemplo, vt cruciatum martyrij eò leuiùs ferret, quò se meminisset simile suo redemptori mortis excipere sententiam. Postquam enim significauit ei qua morte clarificaturus esset Deum, protinùs adiunxit, quòd in huius capite lectionis audiuimus. *Et dicit ei: Sequere me.* ac si apertè dicat: Quiã ipse priùs pro tua redemptione crucis supplicium subire non timui, cur tu pro mei confessione nominis crucem pati formides? Qui eò gloriosiore martyrij palma clarificaberis, quò in hac promerenda magistri iter sequêris. Iam verò ab Euangelista non subditur, quid post hæc dicta Dominus & discipuli fecerint, sed ex eo tamen innuitur, quod subiungit: *Conuersus Petrus, uidit illum discipulum quem diligebat Iesus, sequentem.* Patet nanque, cùm dixisset Petro: Sequere me, id est, crucem patiendo imitare, surrexit de loco conuiuij, & abire iam cœpit. Sequutus est autem eum Petrus etiam incessu pedum, cupiens implere quod audiuit, sequere me. Sequutus est & ille discipulus quem diligebat Iesus. Neque enim arcendum se à consectatu Christi putabat, qui non minori se gratia dilectionis à Christo complexum nouerat. Neque incredibile est ideò vtrunq; discipulũ corporali gressu vestigia Domini sequutũ, quia necdũ intellexerat quid significauerit in eo, quòd Petrũ sibi sequi præcepit. Notũ autẽ noui vestræ fraternitati, qui sit ille discipulus quẽ diligebat Iesus, Ioannes videlicet ipse, cuius hodie natalitia

Universidad de Deusto
Biblioteca

festa celebramus, qui hoc scripsit euangelium, atq; ideò suam personam maluit indicijs rerum accidẽtium, quàm proprio designare vocabulo.

Ioannes eum præ cæteris dilectus.

Diligebat autem eum Iesus, non exceptis cæteris singulariter solùm, sed præ cæteris quos diligebat, familiariùs vnum: quẽ specialis prerogatiua, castitatis, ampliore dilectione fecerat dignum.

Ioan. 13.

Omnes quippe se diligere probat, quibus ante passionem loquitur: Sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos, manete in dilectione mea. Sed hũc præ omnibus diligit, qui virgo electus ab ipso, virgo in æuum permansit. Tradunt nanq; historię, quòd eum de nuptijs volentẽ nubere vocauerit, & propterea quem à carnali voluptate retraxerat, potiore sui amoris dulcedine donauit.

Ioan. 19.

Deniq; moriturus in cruce matrem suam ei commẽdauit, vt virginem virgo seruaret, & ipso post mortem ac resurrectionem cælos ascendẽte, nõ deesset eius genitrici filius, cuius casta vita castis eius tueretur obsequijs. Ponit & aliud suæ personæ beatus Ioannes indicium, subiungens: *Qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit: Domine, quis est qui tradet te?* Hoc quomodò gestum sit, superiora huius euãgelij loca plenius ostendũt, quia videlicet in cœna, quam vltimam ante passionẽ cũ discipulis Saluator habuit, in qua eorũ pedes lauit, eisq; corporis & sanguinis sui tradidit mysteria celebrãda, discipulus ille quem diligebat,

Ioan. 13.

super pectus eius recubuerit: & cùm dixisset eis, Amen amẽ dico vobis, quia vnus ex vobis me tradet, respondit ille discipulus, innuente Petro, vt interrogaret & diceret ei: Domine quis est? ait Dominus: Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Quòd autem discipulus ille supra pectus magistri recubuit, non præsentis solummodò dilectionis, sed & futuri erat signũ mysterij. Figurabatur enim iam tũc euangeliũ, quod idẽ discipulus erat scripturus, huberiùs atq; altiùs cæteris

Euangelij Ioannis sublimitas

sacræ scripturæ paginis arcana diuinæ maiestatis esse comprehensurum. Quia enim in pectore Iesu sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, meritò supra pectus eius recubat, quẽ maiore cæteris sapientiæ & scientię singularis munere donat. Cæteros quippe Euangelistas nouimus plura de miraculis nostri Saluatoris, pauciora de diuinitate locutos: Ioannes autem perpauca de humanis scribens actibus, potiùs se exponendis diuinæ naturæ indidit arcanis, patenter insinuans, quanta de pectore Iesu fluenta doctrinæ cælestis, quę nobis eructaret, hauserit. Sequitur: *Hunc ergo cùm vidisset Petrus, dixit Iesu: Domine, hic autem quid?* Quia se beatus Petrus audierat per passionem crucis clarificaturum esse Deum, voluit etiam de fratre & condiscipulo cognoscere, qua esset ipse morte perpetuam transiturus ad vitam. *Dicit ei Iesus: Sic eum volo manere donec veniã, quid ad te? tu me sequere.* Non, inquit, eum per passionẽ martyrij volo consummari, sed absque violentia persecutoris diem expectare nouissimum, quãdo ipse veniens, cum in æternę beatitudinis mãsionem recipiam. Et quid hoc ad te? Tu tantùm crucis patibulum subeundo, mea te vestigia sequi debere memento. Et quidem hanc Domini responsionẽ fratres tunc temporis ita tractabãt, quasi Ioannes nunquam esset moriturus. Quod non ita esse intelligendum ipse Ioannes admonere curauit, qui cùm præmisisset exisse sermonẽ istum inter fratres, quia discipulus ille non moritur, subiunxit, atq; ait: *Et non dixit ei Iesus, quia non moritur, sed sic volo eum manere donec veniam, quid ad te?* Non ergo putandũ, quia discipulus ille non sit mortuus in carne, quia nec Dominus hoc de illo futurum prædixit, & Psalmista ait: Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem? Sed potiùs ita intelligendum, quòd cæteris Christi discipulis per passionem consummatis, ipse in pace Ecclesiæ aduentum suæ vocationis expectauerit. Et hoc est quod Dominus ait: Sic eum volo manere donec veniã: non quia & ipse multos anteà labores pro Domino pressurasq; malorũ nõ toleraverit, sed quia vltimũ in pace seniũ finierit, vtpotè ecclesijs Christi per Asiã, quã regebat, iam lõgè lateq; fundatis. Nam & in Actibus Apostolorum cum cæteris Apostolis flagellatus inuenitur, quãdo ibãt gaudẽtes à cõspectu concilij, quum digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Et à Domitiano Cæsare in feruẽtis olei dolio missus, in Ecclesiastica narratur historia, ex quo tamẽ diuina se protegente gratia, tam intactus exierat, quàm fuerat à corruptione concupiscentiæ carnalis extraneus. Nec multò pòst ab eodem principe propter insuperabilem euangelizandi constantiam, in Patmos insulam exilio relegatur, vbi humano licet destitutus solatio, diuinæ tamen visionis & allocutionis meruit crebra consolatione releuari. Deniq; scribit ibidem Apocalypsim, quam ei Dominus de statu Ecclesiæ præsenti vel futuro reuelauit, sua manu conscripsit. Vnde constat promissionem sic manendi donec veniret Dominus, nõ eò pertinere, quòd sine labore certaminis victurus esset in mundo, sed illò potiùs, quòd sine dolore passionis transiturus esset è mundo. Sic vt enim in patrum literis inuenimus, cùm longo confectus senio, sciret imminere sibi diem recessus sui, conuocatis discipulis suis, post monita exhortationum, ac Missarum celebrationem, vltimũ eis vale fecit. Deinde descendens in desossum sepulturæ suæ locũ, facta oratione appositus est ad patres suos, tam liber à dolore mortis, quã à corruptione carnis inuenitur alienus. Atq; ita completa est veridica Saluatoris sententia, quia sic eum voluerit manere donec ipse veniret. Possumus aũt mysticè in his quæ Petro & Ioanni à Domino prædicta, atq; in eis gesta sunt, duas Ecclesiæ vitas, quibus in præsenti exercetur, actiuã scilicet & contemplatiuam designatas accipere, quarum actiua communis populo Dei via viuendi est: ad contemplatiuam verò perpauci, & in hoc sublimiores quique post perfectionem piæ actionis ascendunt.

Vita actiua.

Actiua quippe vita est, studiosum Christi famulũ iustis insistere laboribus, & priùs quidem seipsum ab hoc seculo immaculatũ custodire, mentem, manum, linguam, ac membra corporis cætera, ab omni inquinamento culpæ tentantis continere, ac diuinis perpetuò subiugare seruitijs: deinde etiam proximi necessitatibus iuxta vires occurrere, esurienti cibum, potũ sitienti, algenti uestitum ministrando, egenos, vagosque in domum recipiendo, infirmum visitando, mortuum sepeliendo, eripiendo inopem de manu fortiorum eius, egenum & pauperem à diripientibus eum, sed & erranti viam veritatis ostendendo, ac cæteris se mancipando fraternæ dilectionis obsequijs, insuper & vsque ad mortẽ pro iustitia certando. Contemplatiua autem vita

Contemplatiua.

est, cùm lõgo quis bonæ actionis exercitio edoctus, diutinæ orationis dulcedine instructus, crebra lachrymarum compunctione assuefactus, à cunctis mũdi negocijs vacare, & in sola dilectione oculum mentis intendere didicerit, gaudiũq; perpetuæ beatitudinis, quod in futura perceturus est vita, etiam in præsenti cœperit ardenter desiderando prægustare, & aliquando etiam, inquãtùm mortalibus fas est, in excessu mẽtis speculando sublimiter euolare. Hæc autẽ vita diuinæ speculationis illos maximè recipit, qui post lõga monasticæ rudimẽta virtutis, secreti ab omnibus degere norũt, eò liberiorẽ ad cælestia meditãda animũ habẽtes, quò corpus quoq; à terrenis separatũ habẽt tumultibus. Nanq; actiua nõ solũ in cœnobio monachis, sed & cũcto, vt diximus, populo Dei generaliter ingrediẽda proponitur: Et quidẽ vtrunq; apostolũ & Petrũ & Ioannem, quanuis inter homines positũ, pro excellẽtis culmine gratiæ cõstet in vtraq; vita fuisse perfectum, at tamen vna vita per Petrũ, alia designatur per Ioannem. In eo etenim, quod ait Petro Dominus, Extendes manus tuas, & alius te cinget & ducet quò nõ vis, perfectionem exprimit

Ioan. 21.

actiuæ cõuersationis, quæ tentationum solet igne probari. Vnde alibi de ea dicit apertiùs: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiã.

Matt. 5.

Cui rectè subiungit, qui dicit, Sequere me: quia nimirùm iuxta eiusdem Petri vocem, Christus

1 Pet. 2.

passus est pro nobis, relinquens nobis exemplũ, vt sequamur vestigia eius. Quod autem dicit de Ioanne, sic eum volo manere donec veniam, statum contemplatiuæ virtutis insinuat, quæ nõ per mortem finienda vt actiua, sed post mortem est perfectiùs Domino veniente complenda. Actiuus namq; labor cum morte deficit, mercedem post mortem accepturus æternam. Quis enim in illa vita panẽ esurienti dat, vbi nemo esurit? Quis aquam sitienti, vbi nemo sitit? Quis mortuũ sepelit, vbi terra viuentium est? Quis cætera opera misericordiæ exercet, vbi nullus miser inuenitur? Actionis ergo ibi labor nullus, sed solus præteritæ actionis perpetuus remanet fructus. Speculatiua autem felicitas quæ hìc inchoatur, illic sine fine perficitur, quando & supernorum ciuiũ & ipsius Domini præsentia, non per speculum & in ænigmate, sicut nunc, sed facie ad faciem videbitur. Vnde rectè de ea sub typo discipuli quẽ diligebat, quemq; supra pectus suum fecit discũbere, dicit Iesus: Sic eum volo manere donec veniam, ac si apertè dicat: Nolo gustum speculatiuæ suauitatis, quam maximè in sanctis meis diligo, sperantibus in protectione alarum mearum, inebriatis ab hubertate domus meæ, sicut laboriosæ vsum actionis lethi conditione finiri, sed post mortem sublimiùs me apparente, atque in meæ conspectũ maiestatis illos perducente perfici. Sequitur: *Hic est discipulus ille, qui testimoniũ perhibet de his, & scripsit hæc: & scimus quia uerum est testimonium eius.* Iam manifestè beatus Ioannes suam personam designat ex officio, quam designare vitat ex vocabulo. Non autem prætereunter intuendum quòd dicitur, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc. Perhibuit quippe testimonium verbo Dei prædicãdo, perhibuit scribẽdo, perhibet denuò eadẽ quę scripserat docendo, perhibet etiã nunc euãgelium quod scripsit ecclesijs legendũ pandendo. Siquidẽ à tempore dominicæ passionis, resurrectionis, & ascensionis in cælũ, vsque ad vltima Domitiani principis tẽpora, per annos circiter sexaginta & quinque absq; vllo scribẽdi adminiculo verbũ dei prædicabat. At vbi à Domitiano, qui secũdus post Neronem Christianorũ persecutor extitit, in exiliũ missus est, irrumpẽtes in Ecclesiã hæretici, quasi in destituta pastore ouilia lupi, Marcion & Cerinthus & Ebion, cæteriq; Antichristi, qui Christum fuisse ante Mariam negabant, simplicitatem fidei euangelicæ peruersa maculauere doctrina. Sed dum ipse post occisionem Domitiani, permittente pio principe Nerua, rediret Ephesũ, cõpulsus est ab omnibus penè tunc Asiæ episcopis, & multarum ecclesiarum legationibus, de coæterna patri diuinitate Christi altiùs facere sermonem, eò quòd in triũ Euangelistarũ scriptis, videlicet Matthæi, Marci & Lucæ, de eius humanitate, ac de his quæ per hominẽ gesserit, sufficiẽs sibi viderentur habere testimonium. Quod ille non se aliter esse facturum respõdit, nisi indicto ieiunio omnes in commune Dominum precarentur, vt ille digna scribere posset. Et hoc ita patrato, instructus reuelatione, ac sancti spiritus gratia inebriatus, omnes hæreticorum tenebras patefacta subitò veritatis luce dispulit. In principio, inquiens, erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Similemque initijs totum sermonis sui cursum faciens, dominũ nostrum Iesum Christum sicut verum hominẽ, verè ex homine temporaliter factum: ita etiam verum Deum, verè ex Deo patre æternaliter natũ, verè cum patre & spiritu sancto semper existentem, clarissima assertione perdocuit, imò omnia diuinæ veritatis & veræ diuinitatis, quantùm alteri mortalium nulli licuit, arcana reserauit. Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

hoc virgini priuilegium rectè seruabatur, vt inseruanda verbi incorruptibilis sacramenta, ipse incorrupto nõ solùm corde, sed & corpore proderet. De cuius dictorum veritate quàm sit nemini ambigendum, ipse quoq; curauit ostendere? qui cùm dixisset, Hic est discipulus qui testimoniũ perhibet de his, & scripsit hæc, continuò subiecit & ait: Et scimus quia verum est testimoniũ eius. Quia ergo & nos cum cæteris fidelibus scimus verum esse testimonium eius, curemus per omnia recta fide intelligendo, recta operatione exercendo quæ docuit, ad bona sempiterna quę promisit peruenire, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui viuit & regnat cum Deo &c.

IN FESTO S. IOANNIS EVANGELISTAE, HOmilia Eusebij Emeseni.

Ioan. 21. LEGitur superiùs in hoc Euangelio, quod discipulos suos ad prandiũ Dominus inuitauerat. Et bene quidé ad prandiũ, quia dies Paschales erãt: dies de quibus ipse dixerat, Non possunt filij sponsi, quandiu cum illis est iponsus. Talibus enim diebus nõ semel, sed tota die, si fieri posset, Matth. 9. Luc. 5. Christi conuiuijs interesse, & spiritualibus cibis refici debuissent Christi fideles. Cũ aut prãdissent, interrogauit Dominus Petrũ, & ter interrogauit, an eũ diligeret. Quo respondẽte, Domine, tu scis quia amo te, ait: pasce agnos meos, pasce oues meas. Priùs agnos, deinde oues ei cõmisit: quia non solùm pastorem, sed pastorum pastorẽ eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit & oues: pascit & filios, pascit & matres: regit & subditos, & prælatos. Omniũ igitur pastor est, quia præter agnos & oues in Ecclesia nihil est. Nihil (inquam) quod non suis pastoribus Christus commiserit. Ecce Petrus qui negauerat ter Dominum, ter se amare respondit, quatenùs amor deleat culpã, & dilectio tollat offensam. Et dicit ei Iesus? *Amen amẽ dico tibi, quum esses iunior, cingebas te, et ambulabas ubi uolebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non uis.* Quod quid significet Euangelista exponens, ait: *Hoc autem dixit, significans qua morte glorificaturus esset Deũ.* In crucis nanq; patibulo pontus beatus Petrus, ibiq́ manus extẽdens, quú iam quidẽ senuisset, & ad vitæ finẽ peruenisset, ab alijs cinctus & ligatus est. Et meritò postquã ter Dominum se amasse respondit, mortem suam ei Dominus nunciauit, in qua quantùm eum dilexerit, apertissimè demonstrauit. *Et quum hoc dixisset, dicit ei: Sequere me.* Quod Petro dicitur, omnibus dicitur: quia enim Petrus præ cæteris maior erat, meritò tota Ecclesia in Petro significabatur. Omnes igitur fideles sibi dictum esse intelligant, id quod soli Petro dictum est, *Sequere me.* Si me, inquit, diligis, sequere me, veni post me, imitare me: vt sicut ego propter te, ita & tu moriaris pro me. Hæc audiens beatus Petrus, & mente & pedibus cœpit ire post Iesum. *Conuersus autem uidit discipulum quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit: Domine quis est qui tradet te?* Pluribus in locis beatus Ioannes apostolus de seipso loquẽs, ait: Hic est discipulus ille quẽ diligebat Iesus: quasi vel solũ ipsum vel præ cæteris ipsũ vnũ dilexisset. Christus autem si aliquẽ plus diligebat, eũ vtiq; plus diligebat, qui cæteris melior erat. Quòd autem oẽs diligeret, ipse ostendens, ait: Sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos. Perfectè igitur diligebat omnes. Non ergo plus diligebat Ioannẽ, quia perfecta dilectiõe nulla dilectio maior est. Sed dicis, ille melior est, qui plus diligitur à Domino. Et ego dico, quòd melior est ille, qui plus diligit Dominum. Non facilè igitur patet qui melior sit: an Petrus, an Ioannes. Quòd enim Petrus plus diligat Dominum, ostendit & ipse Dominus, dum dicit, Simon Ioannis, diligis me plus his? Quòd verò Ioannes plus diligatur à Domino, ipse manifestat, dicens: Hic est discipulus quem diligebat Iesus. Hoc ergo quia ad literã non procedit, significationẽ videamus. Quid enim per Petrũ, nisi vita actiua: quid per Ioannẽ, nisi vita contemplatiua designatur? Iste enim vxorẽ & prolẽ habuit: ille semper in virginitate perseuerauit. istũ ad laborẽ, illũ ad quietem Dominus inuitat. isti dicit, Sequere me: de illo dicit: Sic eũ volo manere donec veniã, quid ad te? Fatigatur enim semper & trãsit vita actiua: manet verò & quiescit contemplatiua. Vnde in Canticis canticorũ dicitur: Adiuro vos filiæ Hierusalẽ per capras ceruosq́; camporum, vt non suscitetis, neq; euigilare faciatis dilectã, donec ipsa velit. Nota modò, quòd ipsa quoq; vita dilecta vocatur, quę per hunc dilectũ significatur. Ipse quoq; Ioannes hoc in loco vitã cõtemplatiuã se significare ostendit, dum se supra pectus Iesu recubuisse dicit. Illi enim recumbunt supra pectus Iesu, qui sapientiæ & scientię operã dant, & qui lectioni vacãt & cõtẽplationi. Si ergo Petrus significat vitã actiuã, Ioãnes aũt contemplatiuã, plus vtiq; diligit Dominus Ioãnem, quàm Petrũ, id est, illã vitã quæ significatur per Ioannem, quàm illam quæ significatur per Petrum, quamuis æqualiter diligat & Ioannem, & Petrum. *Hunc ergo quum uidisset, dicit Iesu: Domine, hic autem quid?* De me, inquit, iam scio, certus sum de morte mea: volo etiam scire, qua morte te clarificet iste frater & conseruus & socius meus. *Dicit ei Iesus: Sic eum uolo manere donec ueniam, quid ad te? tu me sequere.* Tu, inquit, me sequere, tu sicut ego crucem ascende, tu eandem quam ego mortem patere. Hunc autem sic volo manere: non cruce, non persequutoris gladio, non aliqua violentia volo eum vitãm finire, sed in pace & quiete diem vltimum terminare. Veniam ad eum, & quando mihi placuerit vocabo eum. Nemine cogente, sed ipso volente, & me vocante,

Petrus pastor pastorum.

Cant. 3

Ioan. 13

Vita activa

te, de pace in pacem, de quiete in quietem transferam eum. Legitur enim quòd beatus Ioannes longo iam senio confectus, quum in pace & quiete Ecclesiam regeret apud Ephesum, populum ad se conuocans, post longam alloquutionem & missarum celebrationem in locum iuxta altare defossum descenderit, & ita quasi somno quodam leui atq; suaui ad Dominũ transierit. Quid est igitur, *Sic eum uolo manere.* quid est sic? Sic, inquit, vt à nemine occidatur, sed me vocante, suauiter & iucũdè de hac vita in aliam transferatur. *Exijt sermo iste inter fratres, quòd discipulus ille non moritur: & non dixit Iesus, non moritur, sed sic eum uolo manere donec ueniam, quid ad te?* Non bene ergo discipuli intellexerant id quod Dominus de Ioanne dixerat, sic eum uolo manere donec veniam. Nõ enim his verbis Iesu significatur, quòd Ioannes non moriatur. Si enim hoc his verbis significaretur, nequaquam Ioannes dixisset, Et non dixit Iesus, non moritur, sed sic eum volo manere donec veniam. Quid enim aliud dixit Iesus, nisi id quod eius verbis significabatur? Non enim tantùm attendimus verba, quantùm verborum significata. *Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc, & scimus quia uerũ est testimonium eius.*

Missa de S. Ioanne celebrata.

IN SOLENNITATE BEATORVM INNOCENTVM Martyrum, in Lectionem Apocalypseos Concio exegetica.

Matt. 19. SInite paruulos venire ad me, ait Dominus IESVS: talium est enim regnũ cælorum. Idem ergo ipse propter nos paruulus factus, in ipsa sua infantia paruulos cœpit colligere: & ne vllum ei tempus esset absque miraculo, vt ait Leo Papa Serm. 2. de Epiphania sanctissimus, ante vsum linguę testatam verbi tacitus exerebat, & noua gloria coronabat infantes, & de initijs suis paruulorum primordia consecrabat: vt discerneretur neminem hominum diuini non capacem esse sacramenti, quando etiam illa ætas, gloriæ esset apta martyrij, Lectio huius diei, quo beatissimorum paruulorum crudelem necem sancta commemorat Ecclesia, ex Ioannis Apostoli diuina Apocalypsi sumpta est, cuius hoc est initium: *Vidi supra montem Sion agnum stantem, & cum eo centum quadraginta quatuor millia.* Vidit beatissimus Apostolus visione imaginaria agnum Christum, rectè sic dictum ob incomparabilem innocentiam & mansuetudinem, & quia sua sponte oblatus est pro peccatis nostris: stantem supra montem Sion, id est, Ecclesiam militantem, de qua in Psalmo dicitur: Mons Dei, mons pinguis: mons coãgulatus, mons pinguis: coãgulatus coãgulo charitatis, quo destitutæ hæreticorum ecclesiæ, non possunt, neque veræ Ecclesiæ, neque sibijnuicem cohærere, itemque mons pinguis vnctione largissima & vberrimis charismatibus Spiritussancti. Supra hunc montem stat Christus agnus Dei, tanquam caput præsidens mystico suo corpori. Audi ipsum in Psalmo loquentem. Ego autem constitutus sum rex ab eo (Deo Patre) super Sion montem sanctum eius. Porrò non solùm agnum vidit Ioannes, *sed cum eo centumquadraginta quatuor millia, habentes nomen eius, & nomen patris eius scriptum in frontibus suis.* Qui nam sint isti, post audiemus. Habent autem nomen Christi, itemque Patris scriptum in frontibus suis: quia re ipsa & opere palàm confitentur Christum, à quo dicuntur Christiani: & Deum patrem, à quo filij Dei nuncupantur. Sunt alij qui se confitentur nosse Deum, factis autem negant, quibus Dominus in Euangelio dicit: Quid me vocatis, Domine, Domine, & non facitis quæ dico? Talibus Christi fides non solùm nihil conferet, sed cedet etiam ad maiorem cumulum damnationis. Seruus enim qui cognouit voluntatem Domini sui, & non facit, plagis vapulabit multis. Sic ergo etiam nos in frontibus nostris, id est, propalam Christi nomen feramus & confiteamur, vt non tantum verbis, sed multò magis factis nos Christianos declarémus. *Et audiui uocem de cælo, tanquam uocem aquarum multarum, & tanquam uocem tonitrui magni.* Priùs vidit agnum & qui cum agno erant: magnum hoc & diuinæ consolationis plenum: atqui non solùm vidisse præstitum est: additur etiam suauissimæ melodiæ auditio, quam depromebant illa centum quadraginta quatuor millia. Fuit autem vox tanquam aquarum multarum, quia multitudinis magnæ. Aquæ enim, sicut alibi legis in Apocalypsi, populi sunt. Et tanquam tonitrui magni: vt intelligas eos ingenti cordis affectu & maxima animorum contentione laudes & grates egisse præpotenti Deo. *Et uocem quam audiui, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis.* Sunt quidem Christiani fideles & pij omnes citharœdi Dei, dum carnem suam crucifigunt cum vitijs & concupiscentijs suis, sed tamen hoc loco specialiter agit castissimus Euangelista de illis, qui mentis & carnis integritatem seruarunt, sicut infra audiemus. Cithara dum intenditur & aptè pulsatur, reddit suauem melodiam: itemque dum sensus corporei à noxijs continentur voluptatibus, suauiter sonant in auribus Dei. Prona est caro in voluptates suas, breues illas quidem & omnino fœdas: sed longè maior capitur voluptas ex illisipsis carnis voluptatibus contemptis ac mortificatis. Et est reuera quauis terrestri harmonia suauior concentus, quem in auribus Dei reddit spiritus, dum suis non finit carnem frui oblectamentis,

Esai. 67.

Apoc. 17

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed ea pessum premit causa amoris Dei. *Et cantabant quasi canticum nouum ante sedem, & ante quatuor animalia, & seniores.* Canticum vetus fuit: Crescite
Gene. 1. & multiplicamini, & replete terram: Itemque: Non erit infœcunda nec sterilis in terra tua. Nã id temporis vt cresceret humanum genus, & propagaretur populus vnum colens Deum, necesse erat nuptijs ac liberis operam dare, & ea res hoc animo suscepta habuit tũc benedictionem Dei, adeò vt etiam sterilis maledicta diceretur: at in gratia noui testamenti, quando iam appropinquauit regnum cælorum, & ad perfectiora à Christo vocamur, qui non venit soluere legem,
Matt. 5. sed adimplere: iam nouum depromunt canti-
Esai. 54. cum mente ac corpore virgines, iuxta illud Esaiæ: Lauda sterilis, quæ non paris. Tempus
1. Cor. 7. breue est, ait Apostolos: reliquum est, vt & qui habent vxores, tanquam non habentes sint. Qui sine vxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodò placeat Deo. Hoc est ergo canticum nouum, causa amoris Christi, & desiderio cælestis beatitudinis seruare mentis ac corporis integritatem: non quòd malum sit inire coniugium, sed quòd melius & tempori gratiæ accommodatius sit spernere carnis voluptates, & vni vacare Deo, Cantabant autem canticum hoc ante sedem: quia non propterea vt humanam captarent gloriam, sed vt placerent Deo, virgines permanere voluerunt: Itaque longè alia est ratio eorum, qui in ethnicismo vixere continenter, & eorum qui Christianam sunt sectati virginitatem. Illi enim nesciebant quò se referrent, tanquam ad finem vltimum: Christiani verò non ob aliud norunt sibi seruandam virginitatem, nisi vt virginum sponso Christo possint esse gratiores. Habebant ethnici suas Vestales virgines, sed dæmonum cultrices: quod ipsum tamen pudore afficere debet homines Christiana religione initiatos, qui se dicunt continenter viuere non posse, cùm id potuerint dæmonum mancipia: sed longè alia ratio est virginum Christi, quæ integritate sectanda vni cupiunt placere Christo. Hoc enim vel maximè curandum est illis, qui dant operam pudicitiæ & virginitati, vt id faciant causa amoris Christi, qui ineffabili amore prosequitur virgines, virginitatis ipse & fructus & sponsus: quippe qui
Cant. 2. 6. pascitur inter lilia, nec nasci voluit, nisi ex intemerata virgine, quam ipse sibi ab omni æternitate delegerat, quæ sola canticum nouum cantat, quod nemo alius ex toto hominum genere cantare potest, dum & virgo & mater est: regina ipsa virginum & domina angelorum, & mater agni, virginum sponsi. Cantabant etiam ante quatuor animalia & seniores: id est, coram sanctis Euangelistis, Apostolis, patriarchis & prophetis, quibus iunguntur animis, votis, suspirijs, ardentibus meditationibus rerum cælestium ac diuinarum, di-
Philip. 3. cuntque cum Apostolo ex sententia, Nostra autem conuersatio in cælis est, vbi neque nubunt, neque nuptui traduntur, sed inebriantur ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis diuinæ potantur. Quid iam mirum, si tales, quorum tam est cælestis mens & spiritalis cogitatio, non solùm non impossibilem censent virginitatis custodiam, sed iucundam ac delectabilem? Porrò qui nil nisi terrena cogitant, & ventrem suum cibis ac poculis largioribus farciunt, non mirum est, si continentiæ causentur difficultatem. *Et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra.* Hoc igitur erit castarum virginum singulare ac peculiare præmium, hæc illa apud Theologos celebrata virginitatis aureola, ad quam vtique adspirare non audebunt, qui virgines non fuerint. Qui ergo potest capere, capiat. Matt. 9
Cùm verò Christus dicat, omnia possibilia sunt credenti: Et Apostolus, Omnia possum in eo Philip. 4
qui me confortat, quis iam adeò effœminato erit animo, vt putet se continenter viuere non posse? Non igitur terreat Christianum sarcina continentiæ. Leuis erit, vt ait Augu- August.
stinus libro secundo de Adulterinis coniugijs, capite decimonono, si Christi erit. Christi erit, si fides aderit, quæ impetrat à iubente quod iusserit. Porrò quòd hîc dicitur, Qui empti sunt de terra, indicat præcipuè ex merito passionis & precioſi sanguinis agni immaculati id collatum esse virginibus, vt in carne possint præter carnem viuere, & carnis inquinamenta nescire: vt omninò etiam virgines non nisi in Domino glorientur. Empti autem sunt de terra, id est, de carnis infirmitate sursum erecti gratia Dei, vt quod carnis per se infirmitas non poterat, possit virtute gratiæ, cui innititur quisquis rectè sapit, nihil suis viribus tribuens, sed bona sua omnia ab illo se habere confitens, qui dilexit nos & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & confortat nos gratia sua. Sequitur iam, qui sint, de quibus hactenus egit. *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum, quocunque ierit.* Itaque ad virgines pertinet omnis hæc oratio. Habent & coniuges gradum suum, sed nouerint sublimiorem esse virginum. Virginitatem in seipso & in matre sua dedicauit ipse filius Dei: virginitas præcipuum Ecclesiæ est ornamentum, cuius encomia sanctissimi Patres multis libris copiosissimè celebrarunt: & væ illis, qui cum Iouiniano audent matrimonio iunctas æquiparare virginibus. Pergite itaque sancti Dei, ait diuus Augustinus libro de Sancta virginitate, capite 27. pergite pueri ac puellæ, cælibes & innuptæ: pergite perseueranter in finem. Laudate Dominum dulciùs, quem cogitatis vberiùs: sperate fœlicùs, cui seruitis instantiùs: amate ardentiùs, cui placetis attentiùs: Vos afferetis ad nu-

nuptias agni canticum nouum, quod cantabitis citharis vestris, quale nemo poterit dicere nisi vos, qui sequimini agnum quocunq; ierit. Quò ire putamus hunc agnum? Quò nemo eum sequi vel audeat, vel valeat nisi vos. Quò putamus eum ire? In quos saltus & prata? Vbi credo sunt gramina & gaudia: non gaudia seculi huius vana, insaniæ mendaces: nec gaudia qualia in ipso regno Dei cæteris nõ virginibus, sed à cæterorum omnium gaudiorum sorte distincta: gaudium virginum Christi, de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum, &c. Nec est, quòd coniuges inuideant virginibus: ex coniugio virgines nascuntur. Ament in virginibus, quod in se non habent, & ita per charitatem habebunt id in alijs. Virgines autẽ vt possint permanere quod sunt, nec ob superbiam iustè destitutæ ope gratiæ, & relictæ in infirmitate naturæ, excidant à gradu suo, sint humiles, nec vllis quanuis matrimonio iunctis sese audeant anteferre: cogitent occulta Dei dona illas sublimiori apud Deum loco collocare, quàm sint forsitan ipsæ. Hac humilitate non modò virginitas, sed etiam charitas ipsa & reliquæ virtutes omnes custodiuntur, sicut elationis vento facile dissipantur. D. Augustinus lo-
De sancta Virgin. cap. 52. quens virginibus, Existimate, inquit, aliquos in occulto superiores, quibus estis in manifesto meliores. Cùm aliorum bona, fortè ignota vobis, benignè creduntur à vobis, vestra vobis nota non comparatione minuuntur, sed dilectione firmantur. *Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo & agno: & in ore eorum non est inuentum mendacium.* Et hoc quoque ad eximiam virginum commendationem pertinet, quòd ex toto hominum genere empti sunt non auro & argento, sed precioso agni sanguine, primitiæ Deo patri & agno Christo, vt sint mystici corporis Christi nobilior & illustrior portio. Magnum reuerà quiddam, inquit magnus ille Basilius lib. de Virginitate, ac præclarum virginitas est, quę, vt totum simul explicem, hominem incorruptibili Deo similimũ facit. *Et in ore eorum non est inuentum mendacium,* nem
Ioan. 1. pe pernicioſum, quod mittit hominem in tartara. Os enim quod mentitur, occidit animam: & perder Deus omnes, qui loquuntur mendaciũ. Inprimis autem illi pernicioſe mentiuntur, qui hæreſes & praua dogmata ferunt, qui ſunt peſtes Eccleſiæ, quorum ſermo velut cancer ſerpit: & ideò ſimul atque oriri cæperint, ſerò coercendi ſunt, ſi nolint reſipiſcere, ne alios inficiant. Iã quod extremo loco ſubditur: *Sine macula ſunt ante thronum Dei*, propriè ac peculiariter ad noſtros beatiſsimos innocentes martyres referri poteſt, qui reuerà ſunt ſine macula ante thronum Dei, nullo vnquam proprio peccato vel tenuiter inquinati. Porrò originis maculam circumciſio & fuſus pro Chriſto ſanguis eluit. Eſt verò in ipſis beatiſsimis paruulis non negligenter obſeruãdum, quòd cum cæteri martyres propter Chriſtum cæſi ſint, ipſi tanquam in Chriſti perſona trucidati ſunt. Non enim propterea immanis ille tyrannus Herodes illos neci dedit, quòd Chriſtum confiterentur, ſed quòd in ſingulis Chriſtũ ipſum perdere moliebatur. Nec id ſtudio erat tyranno, vt paruulos occideret, ſed vt Chriſtum enecaret. Eſt ergo hoc ſingulare genus martyrij, cui piè credere poſſumus Dominum IESVM in cælis ſingulare & eximium reddidiſſe præmium. Noſtrum eſt dilectiſsimi operam dare, vt beatiſsimorum martyrum imitemur innocentiã, cum ſcriptum ſit. Niſi conuerſi fueritis & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Erimus autem paruuli non ſenſibus, ſed
1. Cor. 14. malitia: animi candore & ſimplicitate, non mẽbrorum teneritudine & errore puerili. Præſtet id nobis gratia & benignitate ſua, qui propter nos factus eſt paruulus, Ieſus Chriſtus Dominus noſter, cui cũ Patre & Spiritũ ſanctõ eſt omnis honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.
Matth. 18

DE INNOCENTIBVS.

Matthæi 2.

In illo tempore, Angelus Domini apparuit Ioſeph in ſomnis dicens: Surge & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & eſto ibi, uſq; dum dicam tibi. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ Preſbyteri.

DE morte precioſa martyrum Chriſti Innocentium, ſacra nobis fratres chariſsimi euãgelij lectio recitata eſt, in qua tamẽ omniũ Chriſtimartyrũ precioſa eſt mors deſignata. Quòd enim paruuli occiſi ſunt, ſignificat per humilitatis meritum ad martyrij perueniendum gloriam, & quia niſi conuerſus fuerit quis, & effectus vt paruulus, non poſsit animam dare pro Chriſto. Quòd in Bethleem & in omnibus finibus eius occiſi ſunt, oſtendit non ſolùm in Iudæa, vnde Eccleſiæ cœpit origo, ſed & in omnibus eiuſdẽ Eccleſiæ finibus, quacunque per orbem diffuſa eſt, perſecutionem ſæuituram perfidorum, & piorum patientiam eſſe coronandam. Qui à bimatu occiſi ſunt, doctrina & operatione perfectos indicant. Qui verò infrà, ſimplices vel idiotas, fidei tamen non ficticæ, conſtantia fortes æquè denunciant. Quòd illi quidem occiſi ſunt, ſed Chriſtus qui quærebatur, viuens euaſit: inſinuat corpora quidem ab impijs poſſe perimi, ſed Chriſtũ, pro quo perſecutio tota ſeuit, nullatenus eis vel viuentibus vel occiſis poſſe auferri, ſed eos veraciter conſtari, quia ſiue viuimus, Domino viuimus: *ſiue*
Rom. 14. *morimur*, Domino morimur: ſiue enim viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus. Quod iuxta
Hier. 31. vaticinium Hieremiæ vox in Rama, id eſt, in excelſo audita eſt, ploratus & vlulatus, manifeſtè

Universidad de Deusto
Biblioteca

denunciat luctum sanctæ Ecclesiæ, quæ de iniusta membrorum suorum nece gemit, non vt hostes garriunt, in vacuum cedere, sed vsque ad solium ascendere superni iudicis, & sicut protomartyris Abel, ita etiam sanguinem cæterorum martyrum de terra clamare ad Dominum, iuxta
Eccles. 35. illud viri sapientis: Non despiciet præces pupilli, nec viduam, si effundat loquelam gemitus. Non ne lachrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt vsq; ad cælum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis.

Quòd Rachel plorasse dicitur filios suos, nec voluisse consolari, quia non sunt: significat Ecclesiam plorare quidem sanctorum de hoc seculo ablationem, sed non ita velle consolari, vt qui seculum morte vicerunt, rursus ad seculi certamina secum toleranda redeant, quia nimirum vltrà non sunt reuocandi in mundum, de cuius ærumnis semel euaserunt coronandi ad Christũ.

Rachel typus Ecclesiæ. Rachel namque, quæ ouis aut videns Deum dicitur, Ecclesiam figuratè demonstrat, cuius tota intentio vt videre Deum mereatur, inuigilat.

Luc. 15. Et ipsa est ouis centesima, quam pastor bonus relictis in cælis nonagintanouem ouibus angelicarum virtutum, abijt quærere in terra, inuentamque suis imposuit humeris, & sic reportauit ad gregem. Quæritur autem iuxta literam, quomodo Rachel ploasse dicitur filios suos, cùm tribus Iuda, quæ Bethleem tenebat, non de Rachel, sed de sorore eius Lya orta fuerit? Vbi tamen facilis patet responsio, qui non tantùm in Bethleem, verùm etiam in omnibus finibus eius pueri sunt omnes trucidati. Tribus autem Beniamin, quæ de Rachel orta est, proxima fuit tribui Iudæ. Vnde meritò credi debet, quòd plaga crudelissimæ necis non paucos etiam Beniamineæ stirpis pueros inuoluerit, quos progenies Rachel elata in excelsum voce plorauerit. Potest & aliter intelligi, quia iuxta Bethleem sepulta est Rachel, sicut titulus monumenti eius manens vsque hodiè testatur ad occidentem ciuitatis, vltra viam quæ ducit Hebron, quòd ea quæ in loco eodem agebantur, ipsa egisse prophetico locutionis modo rectè dicatur, cuius corpore & nomine locus ille fuerat insignis. Quòd Dominus ipse ne occideretur ab Herode, sublatus est à parentibus in Aegyptum: significat electos sæpiùs malorũ improbitate suis effugandos sedibus, vel etiam exilio damnandos. Vbi simul exemplum datur fidelibus, ne dubitent rabiem persequentium vbi opportunum fuerit declinare fugiendo, cùm hoc Deum ac Dominum suum fecisse meminerint. Siquidem ipse qui erat suis præcepturus, Cùm vos persecuti fuerint in ciuitate ista, fugite in aliam: priùs fecit quod præcepit, fugiendo hominem quasi homo in terra, quem Magis paulo antè monstrauit stella in cælo. Quòd occisis pro Domino pueris, Herodes non longè pòst obijt, & Ioseph monẽte angelo Dominum cum matre ad terram Israël reduxit, significat omnes persecutiones quæ contra Ecclesiam erant mouendæ, ipsorum persecutorum morte vindicandas, eiusdemq; mulctatis persecutoribus, pacem Ecclesiæ denuò reddendam, & sanctos qui latuerant, ad sua loca esse reuersuros. Herodes quoque in diabolo fremit, & auferri sibi iniquitatis suæ regnum in his qui ad Christum transeunt, ingemiscit. Vnde si nũ paruulos interficiat, Iesum sibi videtur occidere. Quod vtique sine cessatione molitur, dum primordijs renatorum spiritum sanctum eripere, & quandam teneræ fidei infantiam tentat extinguere: quòd Rachel, id est, Ecclesiam, seu animam fidelem plorare, & suos ac proximorum filios, videlicet opera, oportet. Possumus quoque odium Herodis, quo perdere Iesum voluit, super persecutionibus, quæ apostolorum sunt temporibus factæ in Iudæa, specialiter accipere, quando inualescente inuidia, prædicatores verbi sunt penè omnes expulsi de prouincia, & in gentibus prædicaturi, sunt longè lateque dispersi. Sicque factum est, vt gentilitas, quæ per Aegyptum figuratur, peccatis antè tenebrosa, lumen verbi perciperet. Hoc est enim puerum Iesum & matrem eius per Ioseph in Aegyptum transferri, fidem scilicet dominicæ incarnationis & Ecclesiæ societatem per doctores sanctos gentibus committi, Quòd erant in Aegypto vsque ad obitum Herodis, indicat figuratè per fidem Christum in gentibus mansurum, donec plenitudo earum introeat, & sic omnis Israël saluus fiat. Obitus quippe Herodis, terminũ intentionis malitiosæ quæ nunc cõtra Ecclesiam in Iudæa sæuit, insinuat. Occisæ turbæ paruulorum, mortem humilium spiritu, quos à se fugato Christo Iudæi perimere conantur, designant. Quòd autem defuncto Herode redit ad terram Israel Iesus, finem seculi denunciat, quando Enoch & Elia prædicantibus, Iudæi sopita modernæ inuidiæ flamma, fidem veritatis accipient.

Et bene cùm Iudæam deserit, fugere & hoc in nocte dicitur: cum verò reuertitur in eam, non solum neque fugæ, sed nec noctis fit mentio, quia nimirum quos ob peccatorũ tenebras olim persecutores reliquit, ipsos ob lucem fidei tandem se quærentes recepit. Quòd damnato licet Herode, Ioseph timore Archelai filij eius in Iudæam, vbi metropolim habebat, ire formidans, monente angelo in Nazareth Galilææ secessit, vltima Ecclesiæ præsentis tempora designat, quando pro ea, quæ nunc est, vniuersali gentis illius cæcitate, qua Christianos inquantùm valet persequi non desistit, acrior in quibusdam Antichristi persecutio consurget: & quidem plurimis ad prædicationem Enoch & Eliæ à perfidia conuersis, sed cæteris ad instinctum Antichristi tota intentione cõtra fidem dimicantibus. Pars igitur Iudææ, in qua regnabat Archelaus, perfidos Antichristi sequaces ostendit. Porrò Nazareth

reth Galilææ, quò Dominus transfertur, partem gẽtis illius, quæ tunc temporis fidem Christi est susceptura, designat. Vnde benè Galilæa perpetrata transmigratio, Nazareth flos aut virgultum eius interpretatur: quia nimirum sancta Ecclesia quo ardentiore desiderio ab his quæ in terris videt, ad cælestia promerenda transmigrat, eò maiore spiritualium abundat flore atq; germine virtutum. Vnde oportet fratres charissimi, quia primitias martyrũ hodierna festiuitate veneramur, de æterna quæ in cælis est martyrum festiuitate sedulò cogitemus, eorũq; vestigia inquantum possumus sequendo, & ipsi eiusdem festiuitatis supernæ participes existere curemus, testante Apostolo, quia si socij passionum fuerimus,
2. Cor. 1. simul & consolationũ erimus. Nec tam de morte eorũ lugeam⁹, quàm de iusta palmę perceptione lætemur. Siquidẽ singulos eorũ cùm pertormenta pellerẽtur ex hac vita, Rachel gemebũda. i. sancta Ecclesia quæ genuit, luctu lachrymisq; prosecuta est: sed iam hinc expulsos superna Hierusalem, quę est mater omnium nostrum, mox in alia vita obuijs lætitiæ ministris excepit, atq; in gaudiũ Domini sui perpetuò coronandos introduxit. Vnde dicit Ioannes, Stabant ante thronũ &
Apoc. 7. in conspectu agni amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum. Stant enim modò ante thronũ Dei coronati, qui quondã antè thronos iudicũ terrenorũ iacebant pœnis attriti. Stant in cõspectu agni, nulla ratione illic à cõtẽplanda eius gloria separãdi, à cuius hic amore nec per supplicia poterant separari. Stolis effulgẽt albis, & palmas in manibus habent, quia præmia in operibus habent, dum corpora quæ pro Domino ignibus ac bestijs dilacerari, flagris absumi, per præcipitia dissolui, vngulis abradi, omnimodò pœnarum genere passi sunt disipari, per resurrectionẽ glorificata recipiũt. Et clamabant, inquit, voce magna, dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & agno. Magna voce salutem Deo decantant, qui magna gratiarum actione recolunt, non sua se virtute, sed ipso auxiliante tribulationum impugnantium superasse certamina. Dicit
Ibidem. iterum eorum & præteritos agones, & coronas describens perpetuas: Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerũt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni. Stolas quippe martyres in sanguine agni lauerunt, dum membra sua quæ oculis insipientium visa sunt pœnarum squalore fœdari, sic potiùs fuso pro Christo sanguine, ab omnibus mundauere contagijs: insuper & beata immortalitatis luce digna reddidere, quod est lotas etiã dealbasse stolas in sanguine agni. Ideò sunt, inquit, ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius. Non est laboriosa, sed amabilis & optanda seruitus, in Dei laudibus perpetuò assistere. Dies quippe & nox, non vicissitudinem temporis propriè, sed perpetuitatem tropicè significant. Nox enim nõ erit illic, sed dies vna melior in atrijs Christi su-

Dies. Nox. Psal. 83.

per millia, in quanõ ploratRachel filios suos, sed absterget Deus omnem lachrymã ab oculis eorum, dantq; vocem lætitiæ & salutis æternæ, in tabernaculis iustorum, ei qui viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen. *Apoc. 21.*

DE EODEM FESTO, SERMO SEVERIANI Gabalanorum episcopi.

De hoc Sereno nicephb. lib. 13. cap. 9.

ELus quò tẽdat, quò prosiliat liuor, inuidia quò feratur, Herodiana hodiè patefecit immanitas. Quæ dum temporalis regni æmulatur angustias, ęterni regis ortum molitur extinguere, sicut ait Euangelista: Tunc Herodes, inquit, videns quia illusus esset à magis, misit in Bethleem, & occidit omnes pueros qui erãt in ea, & in omnibus finibus eius. Videns quia illusus esset à magis. Dolet impietas se esse illusam, dilatãs se crudelitas furit, fremit dolositas se deceptam, & in se fraus reuersa colliditur. Herodes strider, cadens ipse in laqueum quem tetendit. hinc iniquitatem quam considerat, euaginat. De fide perfidiæ sumit arma, terreno quærit furore, quem natum cælitùs non credit. Ad sinus matrũ militum cogit castra, inter hubera arcem pietatis oppugnat. In teneris huberibus ferrum durat, lac sunditantequam sanguinem, dat ante mortem sentire quam vitam, tenebras ingerit intrantibus lucem. Sic agit magister mali, minister doli, iræ artifex, inuẽtor sceleris, impietatis auctor, pietatis prædo, inimicus innocentiæ, hostis naturæ: malus omnibus, suis peior, pessimus sibi: quẽ Christus non vt euaderet, sed ne videretur, aufugit. In altum tẽdens, cadit ab alto. Cælũ pulsans, intrat in profundum, & in se vadit cùm vadit in Deum. Se occidit, qui vitam conatur occidere: quia capere non potest perditionem salus, occisione vita, æternitas finem. O ambitio quàm cæca semper, ô quàm præsumptio pessima, ô quàm perdit concessa, qui inconcessa captat. Herodes obsidens terrenũ regnũ, impugnat cæleste. Terrenis inhians, irruit in diuina, ipsamq; pietatem tota impietate insectatur. Audierat natum regẽ, quæsierat vbi, quando, vnde, ad quid. Qualiter quæsiuit, quia apud illum peccandi timor, amor innocentiæ non manebat. Destinatus ad scelus, ad piaculum promptus, paratus ad crimen, causas innocentiæ non requirit, ius abnegat, confundit fasq; nefasq;. Cui nequitia est sodalis, cui odiosa est æquitas, iniquitas est semper amica: qui cædibus viuit, qui se munit sanguine, qui crudelitatibus sæuit, cui de timore stat totum, de amore nihil constat. Herodes tunc cæcus sic Christum gladijs quærit, inuestigat cruore, crudelitate rimatur, successorem timens, incessit in authorem, punit innocen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nocentes, volens innocentiam deperire. Rector populi, morũ custos, disciplinæ cẽsor, iustitiæ indago, seruator innocentiæ, æquitatis defensor, ampliator populi, innocẽtis causam facit, nocentiũ crimen, munus nati, natorum vertit in pœnã, authoris ortũ, orientium mandat occasum, negocium saluantis, saluandorũ iubet esse discrimen. Iudex audientes vocat, interrogat loquentes, negantes arguit, vrget reos, percellit socios, cõscios carpit, addicit cõplices, sentẽtiæ dat detectos. Infantes quid? quorũ lingua tacuit, oculi nihil viderũt, nihil audierunt aures, manus nihil fecerũt, & quibus actus nullus, vnde culpæ? Subierũt morte, qui viuere nescierũt. Non tẽpus aufugit, non excusauit ætas, silentiũ nõ defendit, quibus apud Herodẽ solum quòd nati sunt, hoc fuit crimen. Et reuerà quomodò non redderẽt naturæ creditum, à quibus causa exhibebatur authoris? Infelix homo, qui sibi ad accusationẽ parauit omnia, ad excusandũ spem nõ reliquit, sed totũ parauit ad pœnam. Quis excusabit, quẽ pulsat innocentia, infantia impetit? Lac & sanguis accusat Herodem. Quid? Christus futurorũ præscius, conscius secretorum, cogitationũ iudex, mentiũ perscrutator, quare deseruit quos sciebat quẽrendos esse propter se, & propter se nouerat occidendos? Natus rex, & rex cælestis, quare neglexit milites innocentiæ suæ? Coætaneum sibi quare contempsit exercitum? Quare cunabulis suis deputatas excubias sic reliquit, vt regẽ solũ quæsiturus hostis totum grassaretur in militem? Fratres, Christus non despexit suos milites, sed prouexit, quibus dedit antè triumphare quàm viuere, quos fecit capere sine cõcertatione victoriam, quos donauit coronis antè quàm membris, quos voluit virtutibus vitia præterire, antè cælum possidere quàm terram. Præmisit ergo Christus suos milites, non amisit. Recepit suas acies, non reliquit. Beati quos natos martyrio videmus esse, non seculo. Beati qui labores in requiem, in refrigeriũ dolores, mœrores in gaudium commutarũt. Viuunt, viuunt, quia verè viuunt, qui pro Christo merentur occidi? Beati ventres, qui portauerunt tales: Beata hubera, quæ se talibus infuderunt. Beatæ lachrymæ, quæ pro talibus fusæ, flentibus gratiam baptismatis contulerunt. Nam diuerso modo, dono vno, in lachrymis suis matres, & sui filij suo sanguine baptizantur. In martyrio filiorum passæ sunt matres. Nam gladius filiorũ pertransiens membra, ad matrum corda peruenit: & ideò necesse est, vt sint præmij cõsortes, quæ fuerunt sociæ passionis. Arridebat paruulus occisori, gladio adiocabatur infantulus. Nutricis loco attendebat lactens percussoris horrorẽ: nescia lucis ætas moritura gaudebat, infans filius oẽm hominem non hostẽ respicit, sed parentem. Matres martyres tulerunt, quicquid & angoris extitit & doloris: & ideò non carebũt martyrum gaudio, martyrij lachrymas quæ fuderunt. Hoc loco attendat auditor, attendat vt intelligat martyrium non constare per meritum, sed venire per gratiã. In paruulis quæ voluntas, quod arbitrium, vbi captiua fuit & ipsa natura? De martyrio ergo dem⁹ totum Deo, nihil nobis. Vincere diabolũ, corpus tradere, contemnere viscera, tormẽta expendere, lassare tortorem, capere de iniurijs gloriã, de morte vitam, non virtutis humanæ, sed muneris est diuini. Ad martyrium qui sua virtute currit, per Christũ non peruenit ad coronã. Sed ipse nos cæleste perducat ad palatiũ, qui nostro dignatus est iacere in stabulo, Iesus Christus Dominus noster, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

SERMO IOANNIS
Chrysostomi in natali Innocentium.

DEdicatur nouus ab infantibus sermo sanctis laudibus Christi. In gloriam Domini primam vocem aperiunt Innocẽtes. Fiunt diserti laude, qui fuerunt imperiti sermone. Offerũt Domino primitias linguæ, nouos oris immolãt fructus, verborũ principia libant. Infantia enim quæ per ætatem loqui non poterat, glorias Dei cum gaudio resonabat. Norunt laudare Christũ, qui loqui non norant. Fiunt periti laude, qui fuerant imperiti sermone. Ostendũt laudibus Christum, suffragijs prædicant Christum. Fiunt interea pueri sine magistro diserti, docti sine doctore, periti sine eruditore. Agnoscũt Christũ, prædicant Dominum, non quem persuasio humana docuerat, sed quem diuinitas innocẽtibus inspirabat. Cessant enim humana, cùm diuina tractantur, quia humana ipsa prodesse non poterũt, nisi diuinorũ solatio subleuentur. Necesse est enim terrena succumbere, cùm cælestia prædicantur: naturalia silere, cùm virtutes loquũtur. Erigitur itaq; infantium ætas in laudẽ, quæ delictorũ non nouerat crimen. Dignus à dignis laudatur, & innocens innocẽtium testimonio prædicatur. Accipiunt enim à Christo, & reddunt, consequũtur, & referunt. Vno enim tempore & qui dederat recipit, & qui acceperat reddit: vno, inquã, tempore sua Christo reddũtur, dũ eius laudes illi ab infantibus referuntur. Diximus de laude infantiũ, quid de lactentiũ laudib⁹ proferemus? quorũ laudẽ inuenire nõ possumus, nisi eosipsos qui laudauerint nouerimus. Qui sint, vbi sint, quàm laudẽ intulerint, quęro, qui loqui nõ norãt? Neq; enim ætas illa poterat posse, quod natura nõ dederat, aut celebrari à talibus poterat, quod institutio denegabat. Dicunt nanq; Domino laudes trucidati ab Herode lactẽtes, loquũtur sanguine quod lingua nõ possunt. Passione canũt, qd⁹ sermone nõ norũt: occisi prędicãt, quod viui nõ poterãt. Nec nouũ quid dicitur, vt innocẽs sanguis aut Deo referat laudes aut suas indicet passiões, cùm Abel sanguis clamet ad cęlum, aut occisorũ animæ ab altari vociferentur ad Deũ. Contulit martyriũ laudẽ, quibus negauerat natura sermonẽ. Licuit sanguine clamare, quibus narrare non licebat voce: licuit sanguine loqui quibus lingua nõ licuit: Miscent cum Domino colloquia, quibus humana negata sunt verba. Sed enim occisis innocentibus illis, impleta sunt prophetię verba dicentis: Vox in Rama audita est fletus & ploratio nis Rachelis flentis filios suos, & noluit cõsolari, quia non sunt. Rachelem primò Ecclesiæ esse personã, nemo est qui abnuat, nemo qui aliud cõtra veritatẽ defendat. Sed duo in illa diuersa conspicio, fletus & consolationis contẽptus. Si enim fleuit, cur consolari contempsit? Aut si consolari contẽpsit, cur fleuit? Aut quomodò cõpetit, cõsolari noluisse, cui competit flesse, cùm aut flere non debuit, quæ consolari contẽpsit, aut cõsolari debuit, quæ nõ flere non potuit, cùm manifestum sit fletus consolatione tergi? Vel certè cur indiguit flere, quæ non indiguit consolationis sermone? Sed noluit, inquit scriptura, consolari, quia non sunt: id est, noluit cõsolari, quia sunt. Si idcircò noluit consolari quia sunt, quomodò voluit flere quasi illos qui nõ sunt? Sed vt cõpendiò iam diuersitatum causa reddatur, condition à matre defletur, sed spe gloriæ consolatio humana contẽnitur. Pietatis affectus in fletibus declaratur, sed occisorum gloria repũdium consolationi indicitur. Pugnant enim in matre affectus & fides, humanitas cum deuotione concertat: plangit affectus, sed fides exultat: deflet humanitas, sed deuotio cõsolatur. Licuit enim matri humanitùs flere, cui nõ licuit cõsolatione humanitùs indigere. Ideò & Dominus Christus in Lazaro fleuit, nec tamen ipse quoq; cuiusquam cõsolatione indiguit: quia hominis fuit, qd⁹ fleuit, cùm manifestè Deus sit, qui Lazarũ suscitauit. Sed ô beata lactentiũ gloria, quib⁹ pro Christo contigit dedicare martyria. Expugnant tempore vno natiuitatẽ & mortem, ingressum & exitũ, principiũ & occasum, vt ipsis posset tẽpore vno, vt dixi contingere, & nascẽdo ingredi mundũ, & dedicare martyrio cælũ. Probat nouos exercitus Christus, rudes milites signat, legiones lactentes victoria perpetrata coronat. Fiunt pro Christo victores, qui ætate fuerunt coæquales: fiunt, inquam, infantes sine certa mine fortes, sine pugna victores. Norunt vincere, qui pugnare nõ norant. Existunt victoriæ cõpotes, qui fuerãt ætate imbelles. Mercantur pœna martyrium, gloriam sanguine cõparant, æternam vitã temporali morte cõmutant. Nec timuit ætas illa mortẽ, nec horruit. Timere enim nõ potuit, quæ timere nõ nouit. Tyãsmittit infantes, infans Christus ad cælũ, offert noua xenia patri, primitias fructuum exhibet genitori. Ostendit futurã fœcundissimam messem, dum in semine tantam exhibet hubertatem. Derisit se, derisit hostilis immanitas, quæ putauit turbari posse consiliũ Dei, gloriam Christi, salutem necessariam mundo. Sed contulit infantibus multis martyrium, dum infantem quærit occidere Christum. Præstat hostis, dum nocet: beneficium tribuit, cùm occidit, inuideret enim eorum gloriæ, si amaret. Sed aliæ sunt terrestres pugnæ, aliæ cælestes victoriæ. In prælio Christi moriendo viuitur, cadendo surgitur, victoria per interitum comparatur.

Exod. 4. In primam vocem aperiunt Innocẽtes. Hieron.

Pugna affectus & fidei.

Ioan. 11.

Matt. 2.

Hier. 31.

ITEM SERMO SANCTI AVGVSTINI.

HOdiè, fratres charissimi, natalem illorum infantium colimus, quos ab Herode crudelissimo rege interfectos esse, euãgelij textus eloquitur. Et ideò cum summa exultatione gaudeat terra cælestiũ militum, & tantarum parens fœcunda virtutum. Ecce prophanus hostis nunquam beatis paruulis tantùm prodesse potuisset obsequio, quantùm profuit odio. Nam sicut sacratissimum præsentis diei festum manifestat, quantùm in beatos paruulos iniquitas abundauit, tantum in eis gratia benedictionis refudit. Beata es ô Bethleem terra Iuda, quæ Herodis regis immanitatem in puerorum extinctione perpessa es, quæ sub vno tempore candidatam plebem imbellis infantiæ Deo offerre meruisti. Dignè tamen natalem illorum colimus, quos beatiùs æternæ vitę mundus edidit, quàm quos maternorum viscerum partus effudit. Siquidem antè vitæ perpetuæ adepti sunt dignitatem, quam vsuram præsentis aceperint. Aliorum quidem preciosa mors martyrum laudem in confessione promeruit, horum in consummatione complacuit: quia incipientis vitæ primordijs, ipse eis occasus initium gloriæ dedit, qui præsentis terminum imposuit: quos Herodis impietas lactentes matrum huberibus abstraxit: qui iure dicuntur martyrum flores, quos in medio frigore infidelitatis exortos, velut primas erumpentes Ecclesiæ gemmas, quædam persecutionis pruina decoxit. Et ideò dignum est interfectis pro Christo infantibus honores impendere: cęremonias, non dolores: sacramentis dare vota, non lachrymis: quia ipse illis fuit causa pœnæ, qui extitit & coronæ? Ipse odium causæ odij causa qui præmium. Parante autem Herode paruulis necem, Ioseph per angelum admonetur, vt Christum Dominum nostrum in Aegyptum transferat, Aegyptum idolis plenam. Nam post Iudæorum persecutionem, & ad occidendum Christũ prophanæ plebis assensum, Christus ad gentes idolis deditas transire dignatur, & Iudæã relinquẽs, ignorãti sęculo colẽdus infertur. Et quia ex scripturis diuinis, fratres charissimi, bonos & iustos viros persecutionem malorum semper sustinuisse cognoscimus, si diligenter consideramus, inueniemus illos maiora supplicia sustinere. Omnis enim homo qui aliũ in corpore persequitur, priùs ipse in corde persecutionem sustinere cognoscitur. Nã si etiã illi quẽ persequitur aliquid de substantia sua tulerit, maius sibi ipse dispendium *mi-*

Est Serm. 10. de sanctis.

Persecutores bonorum sibi ipsis perniciosissimi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dium facit, quia nemo habet iniustum lucrũ sine iusto damno. Vbi lucrum, ibi & damnum. Lucrum in arca, damnum in conscientia. Tollit vestem, & perdit fidem: acquirit pecuniam, & perdit iustitiam. Sed hoc homines ideò faciũt, quia diem nouissimum attendere nolunt. Si enim diem mortis suæ cogitare iugiter vellent, animũ suum ab omni cupiditate vel malitia cohiberét. Sed quod modò nolunt salubriter cogitare, necesse habent posteà sine vllo remedio sustinere. Veniet enim illis dies nouissima, veniet dies iudicij, quando eis nec pœnitentiam licebit agere, nec bonis operibus se ab æterna morte poterunt redimere: quia percutitur etiam hac anima duersione peccator, vt moriens obliuiscatur sui, qui dum viueret oblitus est Dei. Veniet dies iudicij, quando mouebuntur fundamenta montium, & ardebit terra vsque ad inferos deorsum: quando cœli ardentes soluẽtur, quando sol obscurabitur, Matt. 24. & luna non dabit lumẽ suũ: quando stellæ cadẽt de cælo quando peccatores, & impij mittentur Apoc. 14. in stagnum ignis, & fumus tormentorum illorũ ascendet in secula seculorum, vbi fletus & stridor dentium. Veniet tempus, fratres charissimi, quando nulli bono erit malè, nulli malo erit benè. Veniet, inquam, nouissima dies, quando discernentur pij ab impijs, iusti ab iniustis, laudatores Dei à blasphematoribus Dei. Veniet & quando discernentur, vt nulli, sicut dictum est, bono sit malè, nulli malo sit benè. Quare ergo modò non sic? Fortè & modò sic. Sed quod nunc est in occulto, tunc erit in manifesto. Lege scripturam diuinam: ingredere mecum si potes in sanctuarium Dei, fortè ibi si possum, docebo te, immò discе mecum ab eo qui docet me, & nunc non esse malis benè, & melius esse bonis quàm malis, quamuis nondum venerit bonorũ plena felicitas, nondumq; venerit malorum pœna nouissima. Si legem Dei diligenter attendis, fortè intelligis mecum non esse benè malis. Rogo enim te & quæro abs te, tibi quare malè est? Respõsurus es: Egestas angit, premit difficultas, dolor fortasse membrorum, timor ab inimico. Tibi ideò malè est, quia pateris mala, & benè est illi, qui est ipse malus? Multum interest inter malum pati, & malum esse. Tu quod pateris non es: malum enim pateris, sed tu malus non es, ille hoc malum non patitur, & malus est. Noli ergo falli. Non potest fieri vt tibi malè sit, quia pateris malum, & illi benè sit qui est malus. Qui enim malus est, putas quia non patitur malum, cùm patitur seipsum? Tibi malè est, quia malum alienũ pateris in corpore tuo: & illi benè est, qui malum seipsum patitur in corde suo? Tibi malè est, qui fortè malam habes vitam: & benè est illi, qui malam habet animam? Esto bonus, qui habes bona. Bonæ sunt diuitiæ, bonum est aurum, bonum est argentum, bonæ familiæ, possessiones. Omnia ista bona sunt, sed vnde facias benè, non quæ te faciant bonum. Habeto bona, quę te faciant bonum. Quæ sunt, inquis ista? Fac iudicium & iusticiam. Bona sunt quæ habes, fac iudicium & iustitiam: esto & tu bonus inter bona tua, erubesce bonis tuis. Esto bonus mãsurus inter bona tua peritura, erubesce bonis tuis. Noli esse malus in eis, ne pereas cũ eis. Ita ergo aurũ & argentũ distribuit hominib⁹ conditor rerũ & administrator Deus, vt ipsum per se natura & gene suo bonum sit, copia verò eis nõ extollat bonos, nec elidat inopia. Malus autem homo & cùm offertur, excæcatur, & cùm aufertur, excruciatur: quia & cùm acquiruntur diuitiæ, falsam lætitiam tribuunt: & cùm perduntur, veram tristitiam derelinquunt. Discamus amare veras diuitias, id est, castitatem & iustitiam, pacem & misericordiam. Istæ enim iustæ dicuntur diuitiæ, quia bonis meritis iustisque tribuuntur. Istæ verè dicuntur diuitiæ, quia quisquis eas habuerit, non egebit: dum iuxta Apostolum, habens victũ & vestitum, his contentus est. Istas vero terrenas diuitias iniustum est putare diuitias, quæ nõ auferũt egestatem. Tantò enim magis quisq; ardebit egestate auaritiæ, quãto magis eas diligẽs maiores habuerit. Quomodò ergo sunt diuitiæ, quibus crescit inopia, quæ amatoribus suis quãto fuerint ampliores, non afferunt satietatem, sed inflammant cupiditate diuitem? Tu putas quia minùs indigeres, si minus haberes: vnde bene quidam dixit: Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit. Cum pecuniæ enim incremento, rabies cupiditatis augetur. Nam omnes auari, vel cupidi, velut hydropis morbo ægrotare videntur. Quomodo enim hydropicus quantò plus bibit, tantò ampliùs sitit: ita auarus vel cupidus acquirendo non satiatur. Nos verò fratres cogitantes peregrinos nos & hospites esse in hoc seculo, hoc tantùm ad quod victum & vestitum opus est nobis in itinere vitæ istius, reseruemus, & quantum possumus in æternam beatitudinem per eleemosynam pauperum dirigamus, vt cùm in die iudicij cupidi & auari pro sterilitate bonorum operum audire meruerint: Di scedite à me maledicti in ignem æternum: nos pro bonis operibus audire possimus: Venite benedicti, percipite regnum: quia esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: nudus fui, & operuistis me. Ad istam benedictionem nos Dominus sub sua protectione perducat, cui est gloria in secula seculorum, Amen.

Verè diuitiæ.

1. Tim. 6.

Falsæ diuitiæ.

Matt. 25.

DE EODEM FESTO, HOMILIA EVSEBII Emeseni.

VEnerant illis diebus Magi ad Dominum, & (sicut Euangelista refert) munera ei obtulerunt: & admoniti ab angelo in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. Qui cùm recessissent, ecce *angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Aegyptum.* Dubitari quidem potest, quomodò completis diebus purificationis, in Hierusalem Christus in templo offerri potuit, si statim vt Magi recesserunt, in Aegyptum fugiens abijt. Aut fortasse tamdiu Magi in Bethleem morati sunt, donec simul cum puero & matre eius Ioseph de Hierusalem post purificationem reuerteretur. Sed melius mihi videtur esse vt sic dicatur: Qui cùm recessissent, aliquanto põst tempore euoluto, & omnibus quæ secundùm legem debebantur expletis, ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Aegyptum. Adhuc omnia quieta erãt: adhuc Herodes Magos expectans, nondum sui cordis malitiam reuelabat. Vnde & securè vadunt in Hierusalem, vt legis mandata perficiant. Inde verò in Aegyptum fugere iubentur, vbi Abraham & Iacob & filij Israël peregrinati sunt.

Esa. 19. Hoc enim Propheta prædixerat, dicẽs: Ecce Dominus ascẽdet super nubẽ leuem, & ingredietur Aegyptum. Nubes enim leuis, & nulli⁹ corruptionis pondere grauis, est virgo Maria, quæ in Aegyptum Christum portauit, vt lux in tenebris luceret, & populus qui sedebat in tenebris, lucem magnam videret. Sunt autem qui etiam ad literam intelligere velint, vt Christo Domino Aegyptũ ingresso, mox omnia phana & simulachra omnia corruissent. Hanc autem Christi persequutionem & Moyses in seipso significauerat. Malta enim sunt, in quibus Moyses Christum significat. Sicut enim Moyses à Pharaone, ita & Christus ab Herode persequutionem passus est: & sicut infantes propter Christum in Iudæa occisi sunt, ita & in Aegypto propter Moysen in flumine necati sunt. Narrat autem Iosephus quendam sacerdotem & Magum Aegyptiorum prophetasse, quòd de Hebræorum gente talis homo nasciturus esset, qui totam terram illam perdere debuisset. Vnde & Pharaoni consilium dedit, vt omnes Hebræorum infantes interficeret. Præcepit igitur Pharao, vt Hebræorum masculos interficerent: & fœminas reseruarent. Hoc autem ideò faciebat, vt ille vnus qui quærebatur, vel sic inter alios occidi potuisset. Eadem autem intentio fuit & Herodis, qui quoniam Christum inuenire non poterat, tot millia puerorum interfici iussit. Illis autem diebus natus est Moyses, de quo longa historia scribitur, quomodò à parentibus occultatus, quomodò in flumen missus, quomodò à filia Pharaonis de aqua susceptus & in filium adoptatus fuerit, quomodò etiam puella de manibus illius impij sacerdotis, qui eum occidere conatus fuerat, eum liberauerit, quando (vt prædictus historiographus narrat) de capite Pharaonis ludens in infantia coronam eiecit. Hæc autem Moyses ideò fortasse prætermisit, ne suum præconium scribere videretur. Veruntamen posteà in Pharaone & in exercitu eius completum vidit, quod tunc in illis quæ infans & inscius agebat, significabatur. Sequitur: *Qui consurgens accepit puerum & matrem eius nocte, & recessit in Aegyptum. Et erat ibi usque ad obitum Herodis.* Ecce fugit Christus, & in nocte fugit, vt fuga quæ per se difficilis est, noctis obscuritate difficilior fiat. Si ergo fugit Herodem, quantò magis nos diabolum & membra eius fugere oportet? Nulla itineris difficultate terreamur: quia melius est duro labore fatigari, quàm ab hostibus necari. Arcta enim Matt. 7. & angusta est via, quæ ducit ad vitam. Veruntamen nec semper est fugiendum, nec semper est resistendum, sed pro temporis & negotij qualitate, & hoc & illud fieri oportet. Nam & sancti aliquando fugiebant, aliquando hostibus sponte occurrebant. Ipse quoque Saluator Math. 10. noster, qui nos de ciuitate in ciuitatem fugere præcepit, cùm & ipse si vellet, fugere potuisset, sponte sua tempore passionis hostibus occurrit. Ioan. 18. Non igitur timore mortis, si iustum & vtile fore putamus, sed timore peccandi, & visibiles hostes & inuisibiles fugere debemus. Quare autem Christus in Aegyptum fugerit, Euangelista subinferens, ait: *Vt adimpleretur quod dictum est à Domino per prophetam dicentem, Ex Aegypto uocaui filium meum.* Si enim in Aegyptum non fugisset, ex Aegypto vocari non potuisset. Sic enim impleta est prophetia, & vtilitas prophetiæ. *Tunc Herodes uidens quòd illusus esset à magis, iratus est ualdè: & mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infrà.* Fecit hoc secundùm tempus quod exquisierat à Magis. Quoniam enim Herodes prophetarum oraculo in Bethleem nasciturum Christum audierat, ideò omnes pueros qui erant in Bethleem & in omnibus finibus eius, occidit, vt quia vnum inuenire non poterat, vnum simul cum cæteris interficeret. Sed quare *à bimatu & infrà?* Quia secundùm Magorum responsionem Christum huius ætatis esse sciebat. Præoccupatus enim alijs negotijs, cùm iam penè duo anni trãsissent, & Magi ad eum non reuerterentur, se illusum esse intelligens, valdè iratus omnes hos pueros occidere iussit. *Tunc impletum est quod dictum est per prophetam Hieremiam dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.* Rama enim interpretatur excelsa. Illi igitur vox in Rama auditur, quæ multum exaltata, præ sua magnitudine longè lateque diffunditur. Multus enim ploratus, multusque vlulatus ibi erat, vbi tot matres, tot parentes, tot homines vtriusque sexus, visa tanta crudelitate, etiam si vellent, voces cohibere non poterant. Quare autem Rachel filios suos plorare dicitur, quum vtique non filij Rachel, quantùm ad literam, sed filij Lyæ sororis eius omnes isti fuerint? Iudas enim non Ra-

Nubes leuis, virgo Maria.

Moyses, typus Christi.

Hier. 13.

Osee 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

chel,sed Lyæ filius fuit,in cuius tribu hæc cædes tam immensa facta est. Sed quia Rachel interpretatur ouis,& significat sanctam Ecclesiã, quæ quinam simplicitatem imitatur, non immeritò filij Rachel esse dicuntur,qui quasi agni innocẽtes & sine voce iugulantur. Deniq; cuius filij sunt agni? non ne ouis? Sunt igitur filij Rachel, siquidem illa est ouis,& isti agni. Plorat autem Rachel,id est,sancta Ecclesia, vsque hodiè filios suos:quia quanuis ad requiem eos ireintelligat, dolet tamen,quia corporaliter ab ea separantur. Sic autem dolebant,& illi,quibus Dominus ait:

Ioan.16. Et vos nunc quidem tristitiam habetis: iterùm autem videbo vos & gaudebit cor vestrum. Et quanuis multò meliùs quàm fuerant,sint (siquidem iã nunc cum Deo sunt)ad tempus tamẽ consolationem non recipit,quoniam in hac vita non sunt. Supplendæ sunt enim scripturæ,vbi ad intelligentiam aliquid deest. Quis enim intelligat, *Noluit consolari,quia non sunt*, nisi aliquid addatr?

Luc. 19. Tale quid & ibi inuenies, vbi de Domino dicitur,quòd videns ciuitatem,fleuit super illam,dicens,Quia si cognouisses,& tu. Quis enim intelligere valeat quid significet,& tu,nisi aliquid additum fuerit? Potest autem & sic intelligi quod dicitur, *Rachel plorans filios suos noluit consolari, quia non sunt.* Sancta namq; mater Ecclesia, quamuis multum de filiorum suorum nece durisque cruciatibus lugeat,consolationem tamen non recipit,quia non sunt in tali euentu dandæ vel suscipiendæ consolationes. Vbi enim lætitia vincit lachrymas,gaudium mœrorem, & gloria passionem,ibi consolatio necessaria non est. Magis enim lætandum est de illa vita,quàm de ista fit dolendum quam amiserunt. Quid est enim hæc vita ad comparationem illius vitæ? Vnde & Dominus ait:

Ioan.12. Luc.9. Qui amat animam suam,perdet eam: & qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Denique cur aliunde quærat consolationes ille qui plenus est consolationibus? Illis enim consolatio necessaria est, qui illos lugent, de quibus bonam spem habere non possunt.

DOMINICA INTRA OCTAVAM NATIVITATIS CHRIsti in Epistolam Concio exegetica.

IN huius diei lectione vtitur Apostolus similitudine,quippe quæ plurimũ habeat momenti & oportunitatis ad persuadendum & demonstrandum. Vtitur crebris parabolis & similitudinibus etiã Christus ipse. Vult autem docere Apostolus, quid interfit inter eos qui lege tenebantur, &

Galat.4. eos qui sub gratia sint. Quanto,inquit, *tempore hæres paruulus est,nihil differt à seruo, cùm sit dominus omnium.* Hoc quidem in rebus humanis necessariò fieri oportere,nemo est,qui non videat. Necesse est,inquam, vt quandoquidem paruulus necdũ id iudicij affecutus est vt possit familiam commodè gubernare,& rebus suis sapienter vti, interim nulla ei fiat potestas regendi, sed seruulorũ conditione teneatur, *subditus tutoribus & actoribus*, qui rerum eius curam gerant, & ipsum disciplinæ quodam fræno contineant,rectèque ac probè instituant,virgis etiam & verberibus si ex vsu sit, coërceant: idque *usque ad præfinitum tempus à patre.* Iam verò applicans suo instituto hanc similitudinem Apostolus: *Ita & nos*,ait,*cùm essemus paruuli sub elementis huius mundi eramus seruientes.* Paruulus erat ille populus Iudæorum, dum etiamnum sub lege degeret, quia ferè carnalibus promissionibus ducebatur, & minis ac terroribus legis retrahebatur à malo: Vnde in ea lege frequens est,Ego Dominus, Ego Dominus: quod terrorem quendam potiùs incutere videtur,quàm ad amorem imbuere. Sed hoc conuenienter impositum fuit onus populo illi duræ ceruicis,qui tamen nec sic quidem vnquam diu potuit in officio contineri. Itaque etiam eadem ipsa lex cùm primũ data fuit,nihil ferè aut cernebatur aut audiebatur aliud,q̃ quòd metũ & formidinem adferret. Audiebantur tonitrua, micabant fulgura,nubes densissima operuit montem,clangorque buccinæ vehementius perstrepebat, atque ex monte Synai ascendebat fumus quasi de fornace,& erat omnis mons terribilis. Quare hoc? Moses ipse respondeat: vt probaret vos venit Deus,inquit,& vt terror illius esset in vobis. Sic ergo institui, quid aliud est quàm quadam teneri seruitute? sed quia paruulus adhuc erat ille populus,voluit Deus eum lege,tanquam elementis paulatim ad meliora prouehi. Vt enim pueri priùs eleméta discũt in scholis, ac deinde ad solidiorem scientiam prouehuntur: sic voluit sapientissimus Deus rudem populum congruis ipsi præceptis tantisper imbui, donec capax esset gratiæ per Christum præstandæ.

Variè quidem exponitur, quod Apostolus ait, sub elementis huius mundi eramus seruientes, sed simpliciter elementa hæc accipi possunt pro ipsa lege Mosaica,qua erudiebatur interim populus ille duræ ceruicis,& reuerà admodum puerilis & pronus in idololatriæ stultitiam, à qua itemque à cæteris maleficijs,pœnis & terroribus retinebatur,quibus ea lex plena est. Nihil igitur differebant à seruis, quia timore potiùs seruili, quàm amore ingenuo ac liberali ducebantur. Sed nunc lætiora audiamus: *At vbi venit plenitudo temporis*,id est,vbi completum est tempus illud, quo ex omni æternitate voluit Deus filium suum humanam sumere naturam, *misit Deus filium suum*,non vt ibi esse inciperet vbi prius non erat: sed misit *natum ex muliere*,id est, nasci voluit ex

ex sacratissima virgine,quam hic mulierem vocat,quia vt Tertullianus & catholici omnes docẽt, virgo etiam mulieris vocabulo significatur: & vt D. Hieronymus apertè asserit, mulier sexũ magis significat,quàm copulam viri. Quanquam & ipsa virgo singularis & nimis quàm beata in

Pro 31. Prouerbijs Salomonis non sine grandi mysterio mulier fortis appellatur. Sequitur: *Factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret.* Voluit enim Dominus sua sponte se legi submittere,vt hoc ipso expiaret graue illud primorum parentum nostrorum crimen,quo noluerunt se submittere diuinæ legi,sicque sua obedientia voluntaria nostrã aboleret inobedientiam: efficeretq̃; hoc ipso immunes nos ab illa veteri lege, quæ propterà admodum multiplex videtur data fuisse Iudæis, q̃ parentes illi primi nec vnam seruare voluerint. D. Augustinus in Psalmum 31. Vnde, inquit, redimeret? A diabolo,à perditione,à peccatis suis, ab eo cui se vendiderant. Vt eos qui sub lege erant,redimeret: Sub lege enim erant, quia premebat eos lex. Idem in Tractatu tertio in Euangelium secundum Ioannem: Ecce, ait, ad hoc venit Christus, vt eos qui sub lege erant redimeret,vt iam non simus sub lege, sed sub gratia.

Quis ergo dedit legem? Ille dedit legem,qui dedit & gratiam. Sed legem per seruum misit, cum gratia ipse descendit. Et vnde facti erant homines sub lege? Non implendo legem. Qui enim legem implet,non est sub lege,sed cum lege. Qui autem sub lege est,non subleuatur sed premitur lege. Omnes itaque homines sub lege constitutos reos facit lex,& ad hoc illis super caput est,vt ostendat peccata, non tollat. Lex ergo iubet, dator legis miseretur in eo quod lex iubet. Conantes homines viribus suis implere quod lege præceptum est, ipsa sua temeraria & præcipiti præsumptione ceciderunt,& non cum lege, sed sub lege facti sunt rei. Et quoniam suis viribus implere non poterant legem, facti rei sub lege, imploraverunt liberatoris auxilium,& reatus legis fecit ęgritudinem superbis. Aegritudo superborum,facta est confessio humilium. Iam confitentur ægroti,quia ægrotant. Veniat medicus,& sanet ægrotos, Medicus quis? Dominus noster Iesus Christus. Hæc ille. Sed num ita sumus redempti à lege,vt iam ab omni lege prorsus immunes simus? Minimè gentium. Ablatum

Actor.15. est ab humeris nostris graue illud onus innumerabiliũ obseruantiarũ,de quo ipse Apostolorum princeps ait: Nunc ergo quid tentatis Deum,imponere iugum super ceruices discipulorum, q̃d neq; nos,neque patres nostri portare potuimus? sed rursus iubemur tollere super nos iugũ Chri-

Math.11. sti, quod est iugum suaue & onus leue. Sed cui tandem? vtique seruenter amanti. Charitas autem vnde? Audi Apostolum: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum

Rom.5. qui datus est nobis. Et hæc charitas vltrò seruat legem adiuuante infirmitatem nostram spiritu Dei. Vbi enim Spiritus Domini,ibi libertas,sci-

2.Cori.3. licet à seruitute peccati: qui autẽ facit peccatum, seruus est peccati: à quo non liberat nos nisi gra-

Ioan.8. tia redemptoris nostri, qui per spiritum suum diffundit charitatẽ in cordibus nostris,qua accẽsi, iam dilatato corde cum Propheta currimus

Psalm.118. viam mandatorum Dei,& in via testimoniorum atque præceptorum Dei delectamur sicut in omnibus diuitijs: quod totum efficit charitas.

Itaque quod dicit alibi Apostolus, Iusto non est

1.Ti.1. lex posita,ideò dicit,quòd iustus impellẽte eum spiritu charitatis suapte sponte totum se submittit voluntati diuinæ,quam nobis filius Dei in sacrosancto Euangelio suo patefecit. Quibus igitur adhuc impossibile videtur viuere secundum præcepta Euangelij, illi se indicant destitutos spiritu charitatis,quem multis lachrymis & gemitibus petere debent à filio Dei,alioqui sine illo semper in peccati misera seruitute permansuri. Sequitur: *Vt adoptionem filiorum reciperemus.* O quis hanc capiat diuinæ benignitatis immensitatem? Omnes eramus natura filij iræ,damnationi obnoxij: & non solùm per Christum ab illa ira & damnatione liberati sumus,sed etiam in filios adoptati. Hoc igitur debemus illi charitati, qua sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum suum

Ioan.3. daret, vt omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam. Liberati igitur per Christum ab ira Dei,in quam peccando incideramus,adoptatiq; in filios,non iam serui sed filij simus. Seruus ex timore seruit Domino suo: filius ingenuus liberaliter obtemperat patri suo: nec putat graue esse quicquid præcipit pater: sed hoc solùm veretur,ne qua culpa sua offendat patrem quem diligit,dignusq; fiat qui à patre abiciatur. Non ergo sic liberati sumus per Christum à lege,vt liceat iam nobis quicquid libet: immò verò missi sumus sub iugum charitatis,quæ longe plus exigit à nobis,quàm vel lex ipsa præscribat. Charitas enim quantuncunq; in omni sese exerceat pietate,quantuncunq; bonis & sanctis insudet operibus,nihil tamen sibi dignum Deo fecisse videtur,quem vnicè amat. Atq; his stimulis & calcaribus vrgetur, vt magis ac magis semper studeat exercere se in illis quæ nouit placere Deo,id est,in vitiorum omnium extirpatione ac profligatione,& exercitatione virtutum. Sequitur: *Quoniam autem estis filij Dei, misit Deus spiritũ filij sui in corda nostra,clamantem Abba,pater.* Hic spiritus electis Dei arrha est sempiternæ adoptionis, quem qui non habet, idem ipse non est Christi viuum membrum. Clamare autem dicitur spiritus,quia nos clamare facit,præstatq̃; fiduciam, vt nõ dubitemus Deũ vocare patrem, non tam strepitu oris,quod & mali possunt, quàm magno affectu cordis & fiducia pij amoris. D. Ambrosius adscribens in hunc locum, Vt probaremur, inquit, adoptari esse à Deo in filios, spiritum suum dedit nobis,qui signum patris ostendat in filios: vt quia hoc non auderemus dicere in infirmitate

Universidad de Deusto
Biblioteca

& in indignitate nostra, suggerat vt audeamus dicere Abba, qđ est pater. Hæc Ambrosius. Obseruandum autem hoc loco est contra Græcorũ errorẽ, dici spiritũ filij Dei, id est, tã à filio procedere spiritum sanctũ quàm à patre, quod Græci negant, licet identidem cum Romana Ecclesia in concordiam redierint, vt etiam postremò in Concilio Florentino. Videat qui volet Augustinum Tractatu 96. in Euangelium secundum Ioannem. Plurimum autem mouere debet omnes è religione Christianos, quòd sic vocantur filij Dei, sicut etiam plerisq; alijs locis, & præsertim
1. Ioan. 3. apud Ioannem, dicentem. Charissimi, nunc filij Dei sumus, itemq; : Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, Quæ est re-
Ioan. 1. uerà mutatio dexteræ excelsi, vt ex filijs iræ fiant filij Dei, non quidem natura, sed gratia. Et habẽt hîc Christiani, modò tales se præstent quales dicuntur, vnde non immeritò gloriari possint, nempe patrem se habere Deum. Solent pleriq; intumescere nobilitate sui stemmatis, & cæteros præ se contemnere. Sed quæ nam potest maior esse dignitas, quàm vt sis & dicaris filius Dei? Magnũ est apud homines esse filium Imperatoris, regis aut principis eximij: sed quæ est horum comparatio ad filios Dei? Non tamen id sibi dignitatis vendicare debent quicunq; Christo nomen dedere, nisi pro suo modulo eius sese moribus & vitæ conformauerint, qui cum vnicus esset æterni Patris filius, nobis id obtinuit, vt possimus ipsius esse fratres ex gratia, & filij Patris adoptiui. Ideò enim ait Apostolus misisse Deum spiritum filij sui in corda nostra, clamantem Abba, pater. Sed non erit ausus Deum vocare patrem, qui nolit eius seruare præcepta. Si patrem appellas Deum, obtemperando iussis eius probes te germanum esse filium. Si autem illi non obtemperas, dubium non est, quin tui pectoris inhabitator non sit spiritus eius, & ideo non potes fidenter eum appellare patrem. Improbus enim dicẽdus est, qui patrem suum vocet, cuius iussa contemnat. Atq; vtinam hic spiritus Christianis omnib⁹ inesset, quo præditi sic viuerent, vt bona fronte patrem suum possent vocare Deum. Sequitur: *Itaq; iam non est seruus, sed filius.* Et tamen pio cuique
Matt. 25. dicturus est Dominus: Euge serue bone, intra in gaudium domini tui. Quomodò ergo nõ est seru⁹? Non est seruus timore seruili, quem charitas foràs mittit: sed timore casto, qui permanet in seculum seculi: qui timor ad filios pertinet, non ad seruos: & licet serui vocentur ob mandatorum obedientem executionem, sed filij potiùs sunt dignatione diuina. *Quòd si filius, & hæres per Deum.* Certè qui filij sunt, ijdem hæredes sint necesse est. Sed addidit: Per Deum, id est, per gratiam Dei, vt ne quis id sibi tribuat. Quæ est autẽ hæreditas, ad quam admittuntur adoptiui? Quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor ho-
In Ioannẽ minis ascenderunt. Magna beneuolentia, ait Au-
Tracta. 2. gustinus, magna misericordia. Vnicus natus est, est, & noluit manere vnus. Multi homines cùm filios non habuerint, peracta ætate adoptant sibi, & voluntate faciunt, quod natura non potuerũt: hoc faciunt homines. Si autem aliquis habeat filium vnicum, gaudet de illo magis, quia solus omnia possessurus est, & non habebit qui cum eo diuidat hereditatem, vt pauperior remaneat. Nõ sic Deus: vnicum eũdem ipsum quem genuerat, & per quem cuncta creauerat, misit in hunc mũdum, vt non esset vnicus, sed fratres haberet adoptatos. Non enim nos nati sumus de Deo, quomodò, ille vnigenitus, sed adoptati per gratiam ipsius. Ille enim venit vnigenitus vt solueret peccata, quibus peccatis implicabamur, ne adoptaret nos: sed hoc impedimentum ipse soluit & fecit nos fratres & cohæredes suos. Cui gratiæ obsecro dilectissimi vt grati sumus, & sic viuamus quemadmodũ decet filios & hæredes Dei, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

DOMINICA INTRA OCTAVAM NATIVITATIS SERMO de silentio, in quo missum est incarnatum verbum.

CVm medium silentium tenerent omnia. Tria sunt silentia. Primum silentium est ignorantia languoris, secundum silentium est desperatio curationis, tertium silentium est adeptio sanitatis. Primum silentium fuit ante legem, secundum inter legem & gratiam, tertium erit post hanc vitam. Primum ergo silentium fuit, quando homo non agnouit morbum suum, & ideò siluit, nec quærebat remedium. Sed postquàm lex subintrauit, & ostẽdit languidis vulnera sua, statim ruptum est silentium & cœperunt mox ægri salutem quærere. Sed quia per opera legis, vbi salus non erat, saluari volebant, quod quærebant inuenire non potuerunt. Tandẽ igitur considerans homo per legẽneminẽ iustificari posse, quasi per diuturnos clamores fatigatus, & iam desperans, rursus loqui cessauit, & subsecutum est secundum silentium. Tunc ergo omnipotens verbum Dei patris in carne veniens, rupit silentium, locutum est pacem, dedit gratiam, proposuit misericordiam, promisit veniam: & cœperunt ægri currere ad medicum, & quasi magnis clamoribus, sic pura fide cordis & vera confessione oris flagitare remedium. Hoc itaq; nunc in præsenti vita agitur, vt homo per gratiam Dei sanitatem recipiat. Sed cùm plenam sanitatem receperit, & ad illam felicitatem immortalitatis perductus fuerit, nõ erit amplius quod petat. Et tunc sequetur tertium illud beatum silentium, quod nunquam habebit finem. Inter primum & medium silentium multa sonuerunt verba, inter medium & vltimum silentium sonat vnum verbum. Multa verba fuerunt,

Ioan. 1. runt, multiplicia legis mandata, quæ per Moysen data est. Vnum verbum est gratia Dei, quæ per Iesum Christum facta est, vel potius Iesus Christus est. Moyses famulus dei multa verba, multos sermones protulit, Deus pater vnum verbũ, vnum sermonem misit. Sed sermones Moysi omnipotẽtes non fuerunt, quia quod dicebant, facere non potuerunt: & ideò tandem quandoq; in promissione deficiendo siluerunt: & tunc omnipotens verbum venit, sermo Dei qui non solùm dixit, sed quæcunq; dixit, immò quæcunq; voluit, fecit. Iste sermo, istud verbum adhuc loquitur, quandiu in fidelibus suis promissiones suas operatur. At cùm promissa impleuerit, quasi tunc loqui cessabit: cùm aũt promissa impleta fuerint, quia ampliùs quod petatur non erit, felix in sempiternum silentium erit. Dum ergo medium silẽtium tenerent omnia. Benè omnia, hoc est, non solùm illi, qui in petitione desperabant, sed & illi qui in promissione defecerant: & nox
Nox mystice. in suo cursu medium iter haberet. Nox etenim in sacra scriptura aliquãdo pro diabolo, aliquando pro membris eius, id est, peccatoribus & iniquis, aliquando pro ipso peccato, aliquando pro præsenti vita accipitur. Per noctem ergo in hoc loco mortalis huius vitę fluxus signatur, sicut per diem alibi claritas vitæ perpetuæ. Nox ista habet
Vespera. vesperam, dies illa habet auroram. Vespera præ-
Aurora. sentis noctis, fuit inclinatio huius diei: aurora illius diei, inclinatio præsentis seculi. Vespera huius noctis fuit ex quo Adam peccauit, donec accepta mortis sententia, à paradiso pulsus, in tenebras huius mundi exijt. Aurora sequentis diei, est à resurrectione Christi vsque in finem seculi: ergo ista vita nox est. Sed quis est cursus vitæ istius? Videamus quò currat. Per mortalitatẽ currit in mortem, per mortem currit in damnationem. Igitur vita mortalis deorsum currit, sicut vita immortalis sursum. Iter sursum est in cælis, iter deorsum in inferis, iter medium stadium vitæ præsentis, quod nascendo intramus, viuendo percurrimus, moriendo eximus. Quando ergo nox in suo cursu medium iter habuit, nisi quando mors vniuersos, quos in stadio vitæ præsentis reperit, secum ad inferos traxit, & nemo adhuc mortalium ad vitam immortalium ascendere potuit? Vel per noctem accipere possumus peccatũ, quæ videlicet nox ab originali peccato cœpit, & per actualia cucurrit. Quando ergo post originalem præuaricationem, primum præuaricatione naturalis legis, ac deinde scriptæ legis præuaricatione succedente, peccatum ad summum incrementum venerat: quasi nox in suo cursu mediũ iter habebat. Sed ista nox vera luce apparente, mox deorsum vergere cœpit, & nunc quasi quadam alterna mutatione paulatim decrescens elongatur, quousq; lux crescendo ad plenam diẽ perueniat. Vide ergo ordinatissimum diuinæ dispensationis consilium. Quando omnis recuperandę salutis spes perierat, & mors omnia secum deorsum rapiebat, peccatum ad summum venerat, tunc omnipotens sermo liberandis mittitur, vt ampliùs diuinæ gratiæ munus commendetur. Venit, inquit. Quis? Vnde? Quo? Sermo altissimi verbu, Dei, vnicus patris, rex filius regis. De consessu patris ad tolerantiam passionis. De æqualitate maiestatis, ad patibulum crucis. De sede regali, ad officinam peccati. De lumine cęli vsq; ad tenebras inferni. Sed nunquid ideò regnum perdidit? Immò eos qui serui erant peccati liberans, vsq; ad conregnandum sibi sublimauit. Et ideò fortassis à regalibus sedibus venit, quia in domo patris eius mansiones multæ sunt, Ioan. 14. & regnabunt cum illo in æternum cùm acceperint regnum quod paratum est ab initio seculi. Vnicus enim regis erat, solus regnum habuit. Math. 25. Sed quia ad conregnandum sibi fratres adoptare venit, iam non à sede regali, sed à sedibus regalibus venire debuit, quia regnum ad quod vocantur electi Dei, præparatum est ab initio seculi.

DOMINICA EADEM INTRA OCTAVAM. Luc. XI.

In illo tempore: Erat Ioseph & Maria mater Iesu mirantes super his quæ dicebantur de illo. Et reliq. Homilia Origenis.

SOngregemus in vnum ea, quæ in or- Homilia
tu Iesu dicta scriptaque sunt de eo, & 16. in Lu-
tunc scire poterimus singula quæque cam.
digna esse miraculo. Quamobrẽ mirabatur & pater (sic enim appellatus est Ioseph, quia nutritius fuit) mirabatur & mater super omnibus quæ dicebantur de eo. Quæ nã ergo sunt, quæ de paruulo Iesu fama disperserat? Pastores erant in regione illa vigilantes, & obseruantes custodias noctis super gregem suum. Venit angelus sub ipsa hora natiuitatis Iesu, & ait ad eos: Annuncio vobis gaudium magnum, ite, & inue- Luc. 2.
nietis infantem inuolutum pannis, & positum in præsepio. Necdum angelus verba finierat, & ecce multitudo cælestis exercitus laudare cæpit & benedicere Deũ. Cùm hoc pastores trepidi perspexissent, & angelus recessisset ab eis, dixerunt ad inuicem: Eamus Bethleem, & videamus fa- Ibidem.
ctum, quod Dominus ostendit nobis. Venerũt, & inuenerunt paruulum. Tam illi, quàm parentes videntes quæ facta fuerant, admirabantur. super hoc & de Simeone scribitur, quod rumorem auxerit, & miraculi vel magna pars fuerit. Tenuit enim puerum in brachijs suis, & ait: *Nunc dimittis Domine seruum tuum in pace, secundum uerbum tuum, quia uiderunt oculi mei salutare tuum.* Fastigium, & vt ita dicam, culmen super his, quæ iactabantur de Iesu, & pater & mater illius mirabantur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sermo Simeonis fuit. Non enim sufficit ei tenere paruulum, & ea quæ de semetipso scripta sunt proloqui, sed benedixit patri illius & matri, & de ipso quoq; prophetauit infante, dicens: *Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur. Tuam quoque ipsius animam pertransibit gladius, ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Quid sibi vult hoc quod ait, Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionē multorum in Israël? Huic quid simile in euangelio secundum Ioannem scriptum reperi: In iudicium ego in mundum istum veni, vt qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant. Quomodò ergo in iudicium venit, vt non videntes de nationibus viderent: & qui priùs videbant de Israël, cæci fierent: sic venit in ruinam & resurrectionem multorum. In aduentu enim Domini saluatoris qui priùs steterant, corruerunt: & qui ceciderant, surrexerunt. Vna est hæc interpretatio de eo quod dictum est, Ecce hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum in Israël. Est autem & altius quid intelligendum aduersus eos vel maximè, qui contra conditorem latrant, & hinc inde de veteri testamento quæ non intelligunt testimonia congregantes, simplicium corda decipiunt. Aiunt enim. Ecce Deus legis & prophetarum, videte qualis sit: Ego, inquit, occidam & viuificabo, percutiam & ego sanabo, & nō est qui eruat de manibus meis. Audiunt occidam, & non audiunt viuificabo: audiunt percutiam, & audire contemnunt, & ego sanabo. Istiusmodi occasionibus creatorem calumniantur. Igitur antequam interpreter quem sensum habeat, Ego interficiam & viuificabo, percutiam & sanabo, opponam eis testimonium euangelij, dicamque aduersum hæreticos. Innumerabiles quippe hæreses sunt, quæ euangelium secundùm Lucam recipiunt. Si propterea cruentus, & tantùm iudex crudelis est conditor, quia dicit: Ego interficiam & viuificabo, percutiam & ego sanabo, manifestissimum est & Iesum ipsius esse filium. Eadem siquidem de eo scripta sunt: Ecce positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum in Israël. Non in resurrectionem tantùm, sed & in ruinam. Si malum est interficere, malum sit & in ruinam venire. Quid respondebunt? Vtrùm ne recedent à cultu eius, an quærent aliquam interpretationē, & ad tropologias confugient, vt & eo in ruinam venerit, benignitatem magis sonet quàm austeritatem? Et quomodò iustum erit, quando quid in euangelio tale reperitur, ad allegorias & nouas intelligentias confugere: quando verò in veteri testamento, statim accusare, & nullam explanationem, quanuis probabilis sit, recipere? Sed & hoc quod sequitur, In iudicium ego veni in mundum istum, vt non videntes videant, & qui vident, cæci fiant: quanuis quærant vt edisserant, implere non poterunt. Ego verò qui opto esse

Ioan. 9.

Deut. 32.

Ioan. 9.

ecclesiasticus, & non ab hæresiarcha aliquo, sed à Christi vocabulo nuncupari, & habere nomen quod benedicatur super terram, & cupio tam opere quàm sensu & esse & dici Christianus, æqualem & in veteri & in noua lege quæro rationem. Loquitur Deus, Ego interficiam. Habeo in me, quod volo libenter, vt ab eo interficiatur. Quando enim vetus in me homo est, & viuo adhuc quasi homo, cupio vt occidat in me veterem hominem Deus, & viuificet me ex mortuis. Primus enim, ait, homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis. Sicut portauimus imaginē terreni, portemus & imaginem cælestis. Secundùm hunc sensum intelligitur & illud: In iudicium ego veni in mundum istum, vt qui non vident videant, & qui vident, cæci fiant. Habemus in nobis omnes homines & aspectum & cæcitatem. Adam & videbat, & non videbat. Eua quoque antequam aperirentur oculi eius, vidisse describitur. Vidit, inquit, mulier lignum, quia bonum erat ad comedendum, & optimum oculis ad videndum, & tollens de fructu ligni comedit, & dedit viro suo, & comederunt. Igitur non erāt cæci, sed videbant. Deinde sequitur: Et aperti sunt oculi eorum. Ergo cæci fuerant, & non videbant, quorum oculi sunt aperti posteà. Sed qui benè antè viderant, post quàm mandatū Dei prætergressi sunt, cœperunt videre malè, & aspectum obedientiæ subrepēte delicto, posteà perdiderunt. Ergo ego sic intelligo & illud, quod dicit Dominus: Quis fecit mutum & surdum, videntem & cæcum? non ne ego dominus Deus? Est oculus corporis, quo terrena ista conspicimus, oculus secundùm sensum carnis, de quo scriptura ait, Frustrà incedens, & inflatus sensu carnis. Cui habemus alium contrarium meliorem, & diuina sapientem: qui quia cæcus in nobis erat, venit Iesus vt faceret eum videre, vt qui non videbant, viderent, qui autem videbant, cæci fierent. Iuxta hunc ergo sensum, & hoc quod nunc in manibus habemus, intelligendum est, Ecce iste positus in ruinam, & resurrectionem multorum in Israël. Habeo aliquid in me quod malè stat, & peccati superbia se erigit. Hoc cadat, hoc subruatur. Quod si ceciderit, id quod antè corruerat, surgens stabit. Interior homo meus quondam iacebat elisus, exterior stabat erectus. Antequàm crederem in Iesum, bonum in me iacebat, malum stabat. Postquam ille venit, tunc quod in me malum fuit, corruit, & expletū est illud? Semper mortificationem Iesu in corpore vestro circumferentes. Et illud: Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationē, immunditiam, luxuriam, idololatriā, veneficia &c. Horū omniū vtilis ruina facta est. Et de hac ruina dicitur: Vbicunq; fuerit cadauer, illuc cōgregabūtur aquilæ. Cadauer quippe à casu nomen accepit. Bona est hæc ruina, ad quā primùm venit Iesus: nec potest facere resurrectionem, nisi

Luc. 1.

1. Cor. 15.

Genes. 3.

Ibidem.

Exod. 4. Colos. 3.

Ioan. 9.

2. Cor. 4. Colos. 3.

Iob. 39.

nisi ruinā præcesserit. Venit antè destruere, quod in me malum fuit, vt illo destructo & mortificato, consurgat in me, & viuificetur id, quod bonum est, vt consequar regnum cælorum.

ITEM DE EODEM HOMILIA ALIA EIVSDEM Origenis: estque XVII. in Lucam.

Luc. 1.

LVcas scripsit: Spiritussanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: propter hoc & quod natū fuerit sanctum, vocabitur filius Dei. Et qui manifestè nobis tradidit, quoniam virginis filius fuit Iesus, nec de humano conceptus est semine, iste patrem eius Ioseph testatus est dicens: *Et erat pater illius & mater admirantes super his, quæ dicebantur de eo.* Quæ igitur causa extitit, vt eū qui pater non fuit, patrem esse memoraret? Qui simplici expositione contentus est, dicet: Honorauit eum spiritussanctus patris vocabulo, quia nutrierat Saluatorem. Qui autem altius aliquid inquirit, potest dicere: Quoniam generationis ordo à Dauid ad Ioseph vsque deducitur, ne videretur Ioseph frustrà nominari, quia pater non fuerat Saluatoris, vt generationis ordo haberet locum, pater appellatus est Domini. Admirabantur igitur pater illius & mater super his quæ dicebantur de eo, tam ab angelo, quàm à multitudine cælestis exercitus, nec nō & à pastoribus. Omnia quippe hæc audientes, vehementissimè admirabantur. Deinde scriptura ait: *Benedixit eis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Quomodò Saluator in ruinam & resurrectionem multorū venerit, contemplandum est. Qui simpliciter exponit, potest dicere in ruinā eum venisse infidelium, & in resurrectionem credentiū. Qui verò curiosus interpres est, dicit eum nequaquam cadere, qui antè non steterit. Da mihi igitur qui fuit ille qui steterit, & in cuius ruinam Saluator aduenerit, necnon & eum qui consurgat. Nam ille vtique consurgit, qui antè corruerat. Videndum est itaque, ne fortè Saluator non alijs atq; alijs in ruinam venerit, & in resurrectionem, sed ijsdem & in ruinam & in resurrectionem venerit. In iudicium, ait, ego veni, vt qui non videbant videant, & qui videbant cæci fiant. Est enim aliud in nobis quod videbat priùs, & posteà videre desiuit, & aliud quod non videbat, & posteà videre cœpit. Verbi gratia: Nolo videre illis oculis, quibus antecà nō videbā, & qui mihi posteà referati sunt, quoniam post inobedientiam Adam & Euæ oculi sunt aperti, de quibus superiori sermone tractauimus. Nunc autem interpretandum, quid sibi velit quod ait, *Ecce positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum in Israel.* Me oportet primùm cadere, & cùm cecidero, posteà bene surgere, ne Saluator mihi fuerit causa malæ ruinæ: sed propterea me cadere fecerit, vt consurgam, & multo mihi vtilior fuerit ruina, quàm illud tempus, quo videbar stare, Stabam enim peccato eo tempore, quo peccato viuebam. Et quia peccato stabam, prima mihi vtilitas fuit vt caderem, & peccato morerer. Denique & sancti prophetæ quando augustius aliquid contemplabantur, cadebant in faciem suā, propterea aūt cadebant, vt peccata per ruinā pleniùs purgarentur. Hoc ipsum & Saluator primū tibi concedit, vt corruas. Ethnicus eras? cadat in te ethnicus. Diligebas scortā? primū in te scortator intereat. Peccator eras? cadat in te peccator, vt possis dehinc resurgere & dicere: Si commortui sumus, & conuiuemus: & si conformes facti sumus mortis, conformes erimus & resurrectionis. Iste igitur in ruinam & resurrectionem multorū positus est in Israel, hoc est, in his qui plena possunt acie & ratione conspicere Deum. *Et in signum cui contradicetur.* Omnibus quæ narrat historia de Saluatore, contradicitur. Virgo mater est, signum est cui contradicitur. Marcionitæ cōtradicunt huic signo, & aiunt, penitùs eum de muliere non esse generatum. Ebionitæ cōtradicunt huic signo, dicentes eum ex viro & muliere ita natum esse, vt nos quoq; nascimur. Habuit corpus humanum, & hoc signum est cui contradicitur. Alij enim dicunt eum venisse de cœlis, alij tale quale nos corpus habuisse, vt per similitudinem corporis, eam corpora nostra redimeret à peccatis, & daret nobis spem resurrectionis. Resurrexit à mortuis, & hoc signū est cui contradicitur, quomodò resurrexerit, & vtrùm ipse, & talis qualis mortuus est, an certè in melioris substantiæ corpus resurrexerit. Et est infinita contentio, alijs dicentibus, fixuram clauorum Thomæ monstrauit in manibus suis, alijs è regione tractantibus, si idem corpus habuit, quomodò clausis ingressus est ostijs, & stetit? Vides igitur, vt argumentis varijs etiam resurrectionis eius quæstio concitetur, vt sit in signū cui contradicetur. Ergo & hoc, quod prophetarum ore prædictum est, puto signum esse cui contradicitur. Sunt enim plures hæretici, qui asserunt eum à prophetis penitùs non esse prædictū. Et quid me necesse est multa persequi? Omnia quę de eo narrat historia, signū est cui cōtradicitur: nō quòd cōtradicant hi qui credunt in eum: nos quippe scimus omnia esse vera quę de eo scripta sunt, sed quia apud incredulos vniuersa quæ de eo scripta sunt, signū sit cui cōtradicitur, deinde Simeon ait: *Et tuam ipsius animā pertransibit gladius.* Nulla docet historia beatam Mariam ex hac vita gladij occisione migrasse, præsertim cùm nō anima, sed corpus soleat ferro interfici. Vnde restat intelligi gladium illum, de quo dicitur: Et gladius est in labijs eorū, hoc est, dolorem dominicæ passionis eius animam

Ioan. 9.

2. Tim. 2.

Psal. 58.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pertransisse, quæ etsi Christum vtpotè Dei filium sponte propria mori, mortemq; ipsam non dubitaret esse deuicturum, ex sua tamen carne procreatum, non sine doloris affectu videre potuit crucifigi. Nam & ferrum quod animam Ioseph pertransisse canitur, nullum meliùs quàm dura tribulatio mentis intelligitur. *Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Cogitationes erant malæ in hominibus, quæ propterea reuelatæ sunt, vt prolatæ in medium perderentur, & interfectæ atq; emortuæ, esse desinerent, & occideret eas ille, qui pro nobis mortuus est. Quamdiù enim absconditæ erant cogitationes, nec prolatæ in medium, impossibile erat eas penitùs interfici. Vnde & nos si peccauerimus, debemus dicere: Peccatum meum notum tibi feci, & iniquitatem meam nó abscondi. Dixi, annunciabo iniustitiã meam Domino. Si enim hoc fecerimus, & reuelauerimus peccata nostra nó solũ Deo, sed & his qui possunt mederi vulneribus nostris atque peccatis, delebuntur peccata nostra ab eo, qui ait: Ecce delebo vt nubem iniquitates tuas, & sicut caliginem peccata tua. Post Simeonis prophetiam, quia necesse erat vt mulieres etiam saluarentur, venit prophetissa mulier, de qua scribitur: *Et erat Anna prophetissa Vhanuel de tribu Aser.* Quàm pulcher ordo, nõ venit ante virum mulier, sed priùs venit Simeon, qui apprehendit infantem, & tenuit in brachijs suis: deinde mulier, cuius non sunt quidem verba digesta, sed generaliter dictum est, quòd confessa sit Domino, & locuta de eo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel. Et iustè sancta mulier spiritum prophetandi meruit accipere, quia longa castitate, longisq; iciunijs ad hoc culmen ascenderat: Videte mulieres testimonium Annæ, & imitamini illud si quando vobis euenerit, vt perdatis viros, considerate quid de ea scriptum sit: *Septem annis uixit à uirginitate sua, cum uiro suo, & reliqua.* Propterea prophetes fuit. Neque enim vt libet & fortuitò spiritussanctus habitauit in ea. Bonum est & primum, si qua potest virginitatis gratiam possidere. Si autem hoc non potuerit, sed euenerit ei vt perdat virum, vidua persteueret. Quod quidem non solùm post mortem viri, sed etiã dum viuit ille, debet habere in animo, vt etiam si non euenerit, voluntas ipsius & propositum à Deo coronetur, & dicat: Hoc voueo atque promitto, si mihi humanum aliquid (quod non opto) contigerit, nihil aliud faciam, quàm incontaminata & vidua persteuerem. *Et ut perfecerunt omnia secundùm legem Domini, reuersi sunt in Galilæam, in ciuitatem suam Nazareth.* Prætermisit hoc loco Lucas, quæ à Matthæo satis expolita nouerat, Dominum videlicet post hæc, ne ab Herode necandus inueniretur in Aegyptum à parentibus esse delatum, defunctoque Herode sic demum Galilæam reuersum. Nazareth ciuitatem suam inhabitare cœpisse. Solent enim Euangelistæ singuli sic omittere quædam, quæ vel ab alijs cõmemorata viderint, vel ab alijs commemoranda in spiritu præuiderint, vt continuata suæ narrationis serie, quasi nulla prætermisisse videantur, quæ tamen alterius euãgelistæ considerata scriptura, quo loco transilita fuerint, diligens lector inueniat. *Puer autem crescebat & confortabatur, plenus sapientia, & gratia Dei erat in eo.* Notanda distinctio verborum, quia dominus noster Iesus Christus in eo quod puer erat, id est, habitum humanæ fragilitatis induerat, crescere & confortari habebat: in eo autẽ, quòd etiam verbum Dei, & Deus æternus erat, nec cõfortari indigebat, nec habebat augeri. Vnde rectissimè sapientia plenus & gratia perhibetur. Sapientia quidem, quia in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Gratia autem, quia eidem mediatori Dei & hominum, homini Iesu Christo magna gratia donatum est, vt ex quo homo fieri cœpisset, perfectus esset & Deus. Cui simile est, quòd Ioannes scribit eum plenum gratia & veritate, eandem ipse diuinitatis excellentiam, veritatis, quam Lucas sapientiæ, nomine commendans.

Confessio peccatorũ

Isai. 44.

Votum continentiæ.

Ioan. 1.

DE EADEM DOMINICA HOMILIA EVSEBII Emeseni.

QVare autem pater eius dicatur Ioseph, in sequentibus Euangelista ostendit, dicens: Et ipse Iesus incipiens, quasi annorum triginta, vt putabatur filius Ioseph. Non igitur in rei veritate, sed in hominũ opinione erat Iesus filius Ioseph. *Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur.* Hoc est enim quod de seipso Dominus ait: In iudicium ego veni in hunc mundum, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. Illis enim in ruinam positus est Dominus, qui eius signo contradicunt: illis verò in resurrectionem, qui eius signa & prodigia venerantur & credunt: quoniam illi in interitum ruunt, isti autem ad gloriam resurgunt. Quod enim de virgine natus est, magnum & inauditum est signum. Huic autem signo nos credimus, Iudæi contradicunt. Resurrexit, cælos ascendit: & hoc quidem signum est. Sunt autem & multa alia signa, quæ fecit Dominus Iesus, quibus infideles contradicunt & excæcantur, fideles credunt & illuminantur. Sic igitur positus est, alijs in ruinam, & alijs in resurrectionem. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Tuam, inquit, ipsius animam pertransibit gladius. Gladius vtique spiritus, qui est verbum Dei, vt tibi ex multis cordibus reuelentur cogitationes, quas nemo nisi Spiritussancto reuelante cognoscere potest. Vt enim de alijs taceamus, ipsas filij sui cogitatiões eã cognouisse ex eo intelligere possumus, quòd ad nuptias

Ioan. 6

Ioan. 2.

ptias vocata, hoc quod ille facere disponebat, ipsa vt faceret, admonebat, dicens: Vinum non habent. Cui quum ille respondereret. Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea, ipsa gladio spiritus per eam transeunte futura prænoscens, ait ministris: Quodcunque dixerit vobis, facite. Hoc enim illa non dixisset, si cogitationes eius non cognouisset: Tale igitur hoc fuit, ac si beatæ Mariæ virgini dixisset Simeon: Ecce dixi tibi, quæ mihi de filio tuo reuelata fuerant, nõ à meipso lòquutus sum. Spiritus enim me docuit, gladius ipsius per me transiuit, & mea viscera penetrauit, qui per te quoque transiturus est, vt tegis & prophetarum consilia & occulta mysteria te cognoscere faciat. Possumus autẽ & per hunc gladium, quo non corpus, sed anima vulneratur, immensum illum dolorem intelligere, quo virgo beatissima de morte vnigeniti filij sui vulnerata & percussa est, *Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Christi namque passio multorum cordium cogitationes & secreta mysteria reuelauit: quoniã prophetarum dicta, cogitationes, & scripta, ibi reuelata & consummata sunt. Quis enim, nisi Christus passus esset, intelligere posset quid propheta cogitasset, quum diceret: Foderunt manus meas & pedes meos, & dinumerauerunt omnia ossa mea? Itemque: Ego dormiui & somnum cepi, & resurrexi, quoniam Dominus suscepit me. Sunt autẽ & alia multa nobis quidẽ reuelata, quæ ideò Iudæi intelligere nõ possunt, quia super Christo dicta non credunt. Vnde in Apocalypsi quum beatus Ioannes omnium prophetarum librum signatum vidisset, multumque fleret quòd nemo eum aperire potuisset, dictum est ei: Noli flere: ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & soluere septem signacula eius. Qua in re manifestum est, omnium prophetarum cogitationes & occulta mysteria Christi passione reuelata esse. Et hoc quidem velum templi significauit, quod eo moriente scissum est, vt omnibus apparerent sancta sanctorum. *Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser. Hæc processerat in diebus multis, & uixerat cum uiro suo annis septem à uirginitate sua. Et hæc quidem uidua erat usq; ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo, ieiunijs & orationibus seruiẽs nocte ac die. Et hæc ipsa hora superueniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Hierusalem.* Hæc igitur mulier venerabilis, cuius nobilitas extollitur, continentia laudatur, ætas commendatur, religio prædicatur, idonea valdè & digna erat, quæ Dei filio testimonium perhiberet. Tales enim non minus, quàm viri in testimonium suscipiuntur. *Et ut perfecerunt omnia secundùm legem Domini, reuersi sunt in Galilæã, in ciuitatẽ suam Nazareth.* Sic enim scriptum est In lege Domini, vt mulier pro masculo offerat Domino par turturum, aut duos pullos columbarum. Talem igitur hostiam offerre debuit virgo Maria, per quam castitas & humilitas figuratur, quæ inter omnes mulieres & castior semper & humilior extitit. Et benè quidem non singula, sed paria obtulit, quæ non corpore tantum, sed corpore & anima casta & humilis erat. Qualiter autẽ hęc animalia offerri debeant, in Leuitico aperitur. Multa hoc in loco scribit Matthæus euangelista, quæ Lucas prætermittit, sicut econtrà omnia hæc quæ hucusq; Lucas narrauit, prætermisit Matthæus. Admonitus enim in somnis Ioseph, vt Matthęus ait, secessit cum puero in Aegyptum, & erat ibi usq; ad obitum Herodis. Defuncto autem Herode redijt in Galilæam, &, sicut hic scribitur, habitauit in ciuitate Nazareth. *Puer autem crescebat & confortabatur, plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo.* Secundùm humanitatem nanq; crescebat, quia secundũ humanitatẽ puer erat. Diuinitas autem crescere non poterat, quia vbique est, & omnia continet. Quotiescunque igitur crescit, vel confortatur, vel tale aliquid agit, omnia ad hominẽ referantur.

Psal 21.

Apoc. 5.

Matth. 27

Luc. 2.

Luc. 2.

IN SOLENNITATE CIRCVNCISIONIS DOMINI IN EPISTOLAM illam, quam quidam hodie legunt ex cap. 2. ad Titum, Apparuit gratia &c. concionem exegeticam habes suprà in ipsa Natiuitate Domini. Alij legunt Epistolam ex cap. 3. ad Galatas: eam nanc explicabimus.

PRæclara est huius diei solennitas, qua Christus paruulus non paruo dolore cœpit pro nobis fundere sanguinem suum, circuncisus ex legis præscripto, cui se per omnia semper libentissimè submisit corporaliter, vt abolita illa carnis circunci sione, nos cordibus circuncidamur, & efficiamur veri Israëlitæ, non litera, sed spiritu. Postquam enim Christus venit plenitudo legis, iam non sub illa lege, sed sub gratia sumus, qua ex seruitute peccati, vnde lex illa liberare nos nõ potuit, in filiorum Dei libertatem vindicati, peccati reliquias & ipsam peccandi libidinem debemus in nobis circũcidere, id est, sanctis exercitijs magis ac magis eneruare, vt etsi sentiatur in nobis læua peccati tyrannis, non tamen vnquam regnet peccatum in nobis. Quod quidem nostris viribus non possumus, sed omnia possumus in eo qui nos cõ fortat, cuius gratiam debemus continenter implorare, nihil fidentes viribus nostris, nec tamen interim omittentes quæ nostrarum sunt partium. Qui enim creauit nos sine nobis, vt rectè ait sanctus Augustinus, non iustificabit nos sine nobis. Adsit enim oportet ex parte nostra liberi consensus arbitrij, qui adiutus ope gratiæ, accommodet se ad omnem Dei voluntatem exemũ venientibus, nec ipse baptismus possit expiare peccata, quibus peccandi voluntas deliberata inhęret. Nãq; ad ipsũ quoq; baptismũ accedẽtibus inesse debet odium veteris vitæ, & propositum no-

Phil. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nouæ. Hinc ergo intelligimus per Christi gratiam, quam mirè prædicat Apostolus in Epistola ad Romanos & Galatas, vnde huius diei lectio sumpta est, liberatos quidem nos esse à lege Mosaica & diabolica seruitute, sed non ita tamen, quin simus legi Christi & virtutum studio obnoxij, & sic quidem ab illa graui legalium obseruationum sarcina exonerati, vt tamen nihilo minùs perpetim nobis pugnandum sit aduersus machinamenta carnis, mundi & diaboli: quibus nisi viriliter resistamus, Christus prodesse nobis non potest. Quod nimirum aduertere debent, qui Epistolam ad Romanos & Galatas legunt, vt earum verba non suo prauo sensui, sed suum sensum illarum genuinæ menti ac intelligentiæ cogant obtemperare. Sed iam huius diei Epistolam tractemus, quæ non caret suis difficultatibus: quanquam non vbique hodiè legitur. Ait ergo Apostolus: *Priusquam ueniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem, quæ reuelanda erat.* Promissio facta Abrahæ, quòd in semine eius benedicendi essent omnes gẽtes, legem antecessit: sed interim vt ad illam promissionem capessendã nonnihil præpararentur eius hæredes, lex diuinitus promulgata est, non quæ ad illã promissionẽ capessendã eos per se redderet idoneos, sed quæ suis quibusdam velut carceribus, id est, præceptorum repagulis & pœnarum cmominationibus à peccatis eos arceret, & in officio contineret, sicque non modò non aboleret promissionem, sed magis ac magis illi ipsos præpararet. Siquidem propter transgressiones posita, vt in hunc locum inquit D. Hieronymus, magis eos arguit peccatores, quibus post repromissionem in custodiam, &, vt ita dicam, in carcerem data est: vt quia per arbitrij libertatem noluerant innocentes expectare promissum, legalibus vinculis præpediti, & in seruitutem mandatorum redacti, custodirentur in aduentum futuræ in Christo fidei, quæ finem repromissionis adferret. Hæc ille. D. Ambrosius hunc locum ita exponit: Hoc est quod dicit Apostolus, autequam veniet Saluator: sub legis custodia agebamus ne peccaremus, vt veniente promissione digni essemus. Hac enim spe lex tutos præstabat nos, vt veniente Christo offerret nos, id est, Iudæos. Ita Ambrosius. *Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide iustificemur.* Solent pædagogi adhiberi pueris, vt lasciuiens refrenetur ætas. Itaque & Moysi lex, ait diuus Hieronymus, populo lasciuienti ad instar pædagogi seuerioris appolita est, vt custodiret eos, & futuræ fidei præpararet: quæ postquam venit, & credidimus in Christum, iam non sumus sub pedagogo. Hæc ille. Quòd autem hic dicitur lex pædagogus in Christo, intelligendum est ad Christum, quia ad illum Iudæos remittebat. Vt *ex fide iustificemur.* Quid igitur? Non habebant prisci illi Iudæi fidem? Certè sine fide impossibile est placere Deo. Et tamen dubium non est permultos ex illis placuisse Deo. Habebant ergo fidem etiam illi: sed tum fides vmbris & figurarum inuolucris velabatur, quæ in Euangelio demum est reuelata: habebant illi fidem implicitam, vt vocant, nos explicitam. *Vt*, inquit, *ex fide iustificemur.* Num sola fide? Sed qui tandem iustificet fides informis, quæ charitate destituta, & propterea mortua est: Iustificat ergo fides, sed citra dubium cum charitate coniuncta: sicque tenendum est, in baptismo, vbi sine vllis præcedentibus meritis gratis omninò iustificamur, cum fide pariter spem & charitatem infundi, nec nobis imputari tantùm iustitiam, sed re vera conferri & communicari. Quæ verò potest esse iustitia, vbi non sit fides, spes, charitas? Immò non dubitat diuus Augustinus dicere, vna Dei charitate verè iustum esse, quicunque iustus est. Idemque ad Bonifacium scribens contra 2. Epistolas Manichæorum, Si in hac vita, inquit, pro nemine dubitante, quantò ampliùs diligimus Deum, tanto sumus vtique iustiores: quis dubitet piam vtramq; iustitiam, cùm fuerit dilectio Dei perfecta, tunc perfici? Sequitur: *At ubi uenit fides, iam non sumus sub pædagogo.* Postquam Christi gratia in libertatem vindicati sumus, & ex serui sacti filij, iam non timore ducimur ad obseruandam legem, sed amore. Vnde D. Ambrosius locum hunc interpretans, ita scribit: Sub pedagogo qui agit, potestatis suæ non est. Paruulus enim & lubricus ad peccãdum, sub pædagogi cura habetur. Veniente autem Christo, qui quasi de minoribus facit maiores, liberati de potestate pædagogi per ablutionem peccatorum facti sumus filij Dei, cũ essemus serui peccati. Hęc ille. Itaque Christi gratia imbuti, non iam spiritu seruitutis ducimur, sed vltrò facimus voluntatem Dei. Hoc enim charitatis est, quæ diffunditur in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis in baptismo: Atq; idcirco danda opera est omnibus è religione Christianis, vt charitatis gratiam modis omnibus, si fortè peccãdo amissa est, recuperent, & eam piorum exercitatione operum in se magis magisq; augmentent. Hæc enim virtus dura omnia prorsus leuia reddit, nec est amanti quicquam difficile. Nec tamen frangãtur animo, qui se sentiunt pronos in vitia, modò adsit bona voluntas, qua velint & studeãt vitijs reluctari, etiãsi non semper cedat ex sententia. Non omnia possumus omnes, nec oẽs æquè sumus ad pugnã armati. Hoc vnũ curandũ omnib. est, vt etiãsi interdũ ex infirmitate labi cõtingat, nõ hæreamus in peccatis, sed per pœnitẽtiã mox ad Dominũ cõuersi, instauremus bonæ volũtatis propositũ, & ita ad vltimum vsque spiritum in lucta contra vitia persistamus: nec dubitemus, quin eiusmodi aduersum peccata conflictus species sit non infima martyrij. Sed Apostolum porrò audiamus. *Omnes enim filij Dei estis per fidem, quæ est in Iesu Christo.* Hoc iam non ad Iudæos tantùm, sed etiam ad gentiles referendum est: qui tametsi sub lege ceu pædagogo non fuerunt, tamen per fidem in Christum id adepti sunt, vt ipsi quoque vocentur, & sint filij Dei, non qualis ille vnicus ex natura, sed vt adoptiui per gratiam. Vbi sanè habet quisque non fallaciter Christianus, vnde possit non immeritò gloriari, quod sit filius præpotentis Dei. Atque ab hac dignitate neminem vel paupertas, vel generis humilitas, vel corporis imbecillitas excludit: omnibus hæc gratia ex æquo offertur: quia non est acceptor personarum Deus, & vt diuus Ambrosius ait, apud Deum nulla discretio personarum est, nisi morum & vitæ, vt homines vnius fidei, meritis distinguantur, non personis. Sequitur: *Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Christum induere, nihil est aliud, quàm omni virtute ornari. Sicut ergo in baptismo virtutes diuinitùs nobis infusas accepimus, & Christum induimus, ita debemus per omnem vitam soliciti esse, vt tam præclara Dei munera in nobis magis atque magis augeamus. vbi tametsi necesse est labor vt haud mediocris non rarò sentiatur, tamen auidi futuræ beatitudinis & immensæ illius gloriæ si fuerimus, molestiam omnem facilè demonstrabimus. Quid verò turpius, quàm cùm Christum indutus sis, vt ab illo degeneres, & eius contempta gratia, diaboli te rursus similem effici malis, factus vitiorum vile mancipium? Quod tamen heu paruipendunt plerique omnes è religione Christiani, in quorum vita non Christus, non Christiana pietas vlla, sed deploratissimas dæmonum ac vitiorum seruitus conspicitur: quasi verò ludus sit Christi precioso sanguine ab illa immani seruitute esse liberatum. Porrò cùm hæc gratia indiscriminatim omnibus parata sit, rectè addit Apostolus: *Non est Iudæus neque Græcus, non est seruus, neque liber, non est masculus neque fœmina.* Quæ verba diuus Hieronymus exponens: Nec Iudæus, inquit, idcircò melior est, quia circumcisus est: nec gentilis ideò deterior, quia præputium habet: sed pro qualitate fidei, vel Iudæus vel Græcus melior siue deterior est. Seruus quoque & liber, non conditione separatur, sed fide: quia potest & seruus libero esse melior, & liber seruum in qualitate fidei præuertere. Masculus similiter & fœmina fortitudine & imbecillitate corporum separantur? Cæterùm fides pro mentis deuotione censetur, & sæpè euenit, vt & mulier viro causa salutis fiat, & mulierem vir in religione præcedat. Cùm aũt ita se res habeat, & tota diuersitas generis, conditionis & corporum Christi baptismate & indumento illius auferatur, omnes vnum sumus in Christo Iesu. Hæc ille. Diuus Augustinus ita scribit in hunc locum: In fide non est distantia Iudæi, neque Græci: non serui, neque liberi: non masculi & fœminæ. Inquantum enim omnes fideles sunt, omnes vnum sunt in Christo Iesu. Et si hoc facit fides, per quam in hac vita iustè ambulatur, quanto perfectiùs atque cumulatiùs id species ipsa factura est, cum videbimus facie ad faciem? Nam nunc quamuis primitias habentes spiritus, qui vita est, propter iustitiam fidei: tamen quia adhuc mortuum est corpus propter peccatum, differentia ista vel gentium, vel conditionis, vel sexus iam quidem ablata est ab vnitate fidei, sed manet in conuersatione morrali, eiusque ordinem in huius vitæ itinere seruandum esse & Apostoli præcipiunt, qui etiam regulas saluberrimas tradunt, quemadmodum secum viuant pro differentia gentis Iudæi & Græci: & pro differentia conditionis, domini & serui: & differentia sexus, viri & vxores, vel si qua talia cætera occurrunt: & ipse prior Dominus, qui ait: Reddite Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt. Alia sunt enim, quæ seruamus in vnitate fidei, sine vlla distantia: & alia in ordine vitæ huius tanquam in via, ne nomen Dei, & doctrina blasphemetur, & cæt. Sequitur. *Omnes enim uos unum estis in Christo Iesu.* Quare vnum? Quia vnius corporis membra. Erubescant hic, qui audent quemlibet quantumuis extremæ sortis Christianum contemnere. Si enim ille membrum Christi est, quis illum nisi impius potest habere contemptui? Si verò vnum sumus, cur non alij alios pro viribus iuuamus? vt nihil dicam de illis, qui fratres suos vel in rebus, vel in corporibus lædunt, quos certum est alienos prorsus esse à vita, quæ est in Christo Iesu, & per corpus eius mysticum diffunditur. Si enim viuerent de spiritu Christi, compaterentur vtique & gratificarentur pro viribus membris omnibus corporis mystici Domini nostri Iesu. Tandem addit Apostolus: *Si ergo uos Christi, ergo semen Abrahæ estis, secundùm promissionem hæredes.* Christus enim cùm secundum carnem sit filius Abrahæ, & nos per gratiam Christi fratres, ergo nos quoque non secundum carnem, sed spiritualiter semen. Abrahæ sumus participes nimirum promissionis, quæ facta est Abrahæ. Itaque hæredes sumus vitæ æternæ per Christi gratiam, qui nos sibi fecit cohæredes, & ombræos Apostolus, factus est causa salutis æternæ, Si igitur hæredes sumus secundum spem vitæ æternæ, quid obsecro terrenis inhiamus? Cras forsitan aut perendiæ morituri, cur non vana ista hæc contemnimus, & ad eam properamus hæreditatem quam habemus nobis repositam in cælis? Ecce filius Dei hodiè se legi subdit, circumcisus secundum legem, vt nos corde circuncisi discamus suspirare cælestia. Id igitur obsecro faciamus. Non deerit nobis conantibus gratia paruuli IESV, cui cum patre & Spiritu sancto est omnis honor & gloria in secula seculorum. Amen.

In 3. cap. ad Galatas

De Natura & gratia cap. 69

Rom. 5.

Ad Galat.

Matth. 22

Hieron.

Ambros.

Heb. 11.

Heb. 5.

IN

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN CIRCVNCISIONE DOMINI, SERMO BEATI Ambrosij episcopi, lib. 2. in Lucam.

Esai. 9. Gal. 4. CIrcunciditur itaq; puer. Quis est iste puer nisi ille de quo dictum est: Puer natus est nobis, filius datus est nobis? Factus est enim sub lege, vt eos qui sub lege essent, lucrifaceret. Sistitur autem in Hierusalem. Quid sit autem in Hierusalem sisti Domino, dicerem, nisi in Isaiæ commentis antè dixissem. Circuncisus enim vitijs, dominico di-
Psal. 57. gnus iudicatur obtutu, quia oculi Domini super iustos. Vides omnem legis veteris seriem fuisse typum futuræ: nam & circuncisio purgationem significat delictorum. Sed quoniam prona quadam cupiditate peccandi, humanæ carnis & mētis, fragilitas inextricabilibus vitijs implicatur, eò per octauam circūcisionis diem culpæ totius futura purgatio, resurrectionis præfigurabatur ætate. Hoc est enim illud: Quia omne mascu-
Exod. 13. linum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur. Verbis enim legis promittebatur virginis partus: & verè sanctus, quia immaculatus. Deniq; ipsum esse qui lege signetur, in eundem modum ab angelo repetita verba declarant: Quia quod nascetur, inquit, sanctum, vocabitur filius Dei. Non enim virilis coitus, vuluæ virginalis secreta reserauit: sed immaculatum semen inuiolabili vtero spiritussanctus infudit. Solus est est enim per omnia ex natis de fœmina, sanctus Dominus Iesus, qui terrenæ contagia corruptelę immaculati partus nouitate non senserit, & cælesti maiestate depulerit. Nam si literam sequamur, quomodò sanctus omnis masculus, cùm multos sceleratissimos fuisse non lateat? Nunquid sanctus Achab? Nunquid sancti pseudoprophetæ, quos ad Heliæ preces vltor cælestis iniuriæ ignis absumpsit? Sed ille sanctus, quem in figura futuri mysterij, pia diuinæ legis præscripta signabant, eò quòd solus sanctę Ecclesię virginis ad generādos populos Dei immaculatæ fœcunditatis aperiret genitale secretum. Hic ergo solus aperuit sibi vuluam. Nec mirum: hic enim
Hier. 1. dixerat ad Prophetam: Priusquàm te formarem in vtero, noui te, & in vulua matris sanctificaui te. Qui ergo vuluam sanctificauit alienam, vt nasceretur propheta, hic est qui aperuit matris suæ vuluam, vt immaculatus exiret.

IN EADEM SOLENNITATE, SERMO D. CYPRIANI Episcopi & martyris, ex libro de Cardinalibus operibus Christi.

DE RATIONE CIRCVNcisionis.

Circuncisio apud quos recepta.

INter omnia testamenti veteris sacramenta nihil circuncisione solennius antiqua celebrauit religio, nec tantùm in Hebręos, sed etiam in Phœnices & Arabes hæc traditio inoleuit. Reliquæ gentes tam mandatum quàm factum irrident, & Deo minimè adserunt conuenire, vt saluatoris benignitas plagis infantium delectetur, & immeritos in ipso vitæ initio periculo mortis addicat. Hoc de bono Domino sentire, qui neminem vult perire, absurdum & irrationabile iudicant. Nec eis tamen omnia reliqua sacrificia sunt horrori, sed in multis naturalem legem sequentes, expiationum retinent instrumenta, & immolant victimas, & incenduntadipes, & cum odoramentis & libaminibus fundunt coram Deo vota & *Iob. 1.* præces. Legimus Iob Dei testimonio approbatum, iugibus sacrificijs occupatum, nec legimus circuncisum. Et poterant esse eo temporum diuersis in locis multi viri insignes, qui iustitiæ Dei subiecti: hoc signo carebant: licet filios Esau & Ismael putandum sit huius traditionis nō fuisse expertes. Verùm cùm opus istud & antiquitas commendet, & iubentis authoritas, inquirenda est tanti mysterij ratio, quæ Abrahæ *Gen. 17.* specialiter & semini eius tanto pondere mādata est, vt quisquis in illa gēte huius signi careret dif- *Leuit. 2.* ferētia, ethnicus, nō Iudæus reputaretur, & à titulo filiorū Israēl abraderetur proscriptus. Hoc cū octaua die iussū sit celebrari, & nomen circūcisio aptari, intimatū est his qui digni sanctorū cōsortio censebātur, quòd eorū nomina scriberentur in cælis, & æternæ beatitudinis, quam post vitæ huius septimanam octaua consequitur, hæredes fierent & consortes, quicunque vitæ innocentia & cœlibatus sanctimonia sese Domino consecrassent. Tenera itaque infantia huiusmodi erat imbuenda doctrina, & ante concupiscibiles motus, quos peccatum meruerat, miserabili pœnæ & ineuitabili vindictę etiam in paruulis adhibēda erant seueritas: & antequam ebulliret sartago libidinum, prouisum est ventilabrum, quo refrigerari posset & extingui depopulatricis flāmæ vagus ardor, & vniuersa perlustrans incendium. Ideoque dolor voluptati, & sanguini delectationis sanguis tormenti opponebatur, vt in primis elementis discerent paruuli, semper proprię memores sectionis, contraria curare cō trarijs, & ad cohibendos refrænandsoque turpitudinum appetitus, necessarium esse sale corrosorio carnis perfricare pruritus, & semper recru- *1. Cor. 5.* descentes deficcare putredines. Ad hoc corpus suum mortificabat Apostolus, non tamē circuncidēs illud seminarium membrum, sed totū se crucifigens, & omnibus extraordinarijs motibus

tibus opponens cauterium, vsque adeò corpus suum redigens in seruitutem, vt diceret, Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus. Cuius facti æmulatores erubescimus in pudendis, & detecto sectoque confusionis operculo, quanuis conscientia testis semper nobis exponat scaturientes intus peccati insidias, nec internum vitare possimus iudicium, viriliter tamen standum est, & rationis authoritate increpandi sunt titillatorij sensus, & summoperè vigilandū est, ne sequatur ascensus. Intra nos pudor iste aboleri omnino non potest: quia nec totum hoc membrum, sed anterior eius portio iussa est circundi. Res sanè maxima est, si non egrediatur foras huius contagio corruptelæ, & insaniens bestia corrupti anhelitus catenis ferreis in vltimis animæ recessibus alligetur, intusque fractis dentibus, seipsam concupiscentia captiua masticet & corrodat. Manet itaque erubescentia pro- *Vitandæ occasiones libidinum* pter sensū, vt qui in agone cōtendit, scięs circūcisionis mysteriū, ab omnib⁹ se abstineat, quæ possunt huic flāmæ ministrare fomentū. Nec tamen peręptoria est contēdentib⁹, sed probatoria huius sensualitatis colluctatio tā veterna: sed institutum est certamen inter spiritum & carnē, vt victor homo peccati & pœnæ, post triumphos solennes coronetur in gloria, sine infestationibus deinceps liber à peccato & pœna. Hanc verecundiam post præuaricationem vanitati subiecta, non volens anima pertulit, & vim sustinet inquietudine perurgente, & inuoluntarijs motibus fatigata, infelicitatis suæ deplorat miseriam, liberari de corpore mortis huius desiderans, & pacifici tranquillique status à Deo postulat libertatem. Quotidiano sanè conflictu spiritus & caro luctantur, & causatur ratio aduersus domesticum malū, quod ita intra se exerceat regnum, quasi natura sit vitium, & secum traxerit creatio prima peccatum. Hoc vtique prima non sentit conditio, sed secutum est transgressorem supplicium, & adhæsit indiuidua pœna peccato, de quo erubescent, quicunque mundo corde regem in decore suo videre desiderāt. Quis in tam assiduis illusionibus non confundatur? Quis non in tantis contumelijs erubescat? Fomes quippe huius mali intus in tenebrosis recessibus latitans, vt viderit animam aliàs occupatam, & minùs ad sui circunspectionem solicitam, irruptionibus vehementius erumpit, & blanditijs venena supponens, pudicitiæ puritatem inopinatis inuadit assultibus. *Circuncisio perpetua.* Ideoque pudibundus homo nuditatem suam operit, & fœditatem confusus occultat. His rediuiuis vulneribus, semper hac sanie illitis, necessaria est per omnem huius vitæ septimanam iugis resecatio putredinum, & continua circuncisio cicatricum. Et in cæteris quidem membra omnia imperio rationis obediunt, & arbitrij retinent libertatem: hic verò vbi Babyloniæ fornax exarserit, & quasi pice & naphtha consperſi libidinum ebullierint appetitus, inflammata caro libertatis priuatur honore, in tantum vt rebellia membra velit nolit in motus nefarios audacter exurgant. Præcedebāt olim integumēta rerum significantia abolitionem peccati, & ad perfectionem inchoata tendebant. Nec hoc sacramentum consuetudini antiquæ subtrahere voluit Christus: & licet non esset in hoc tempore necessarium, tamē ne antiqua religio prorsus reproba videretur, in se voluit circuncisionis aptari signaculum. Sanè originale peccatum, *Remedia perpetua aduersus peccatum originis.* quod à primis parentibus in totam generis humani successionem defluxit, omni tempore aliquibus remedijs oportuit expiari, licet vim plenam significantia non habuerit, donec ad rem ipsam ventum est, quæ figurarum operiebatur velamine. Et licet sacramentorum arcana omnibus non paterent, virtus tamen & effectus eorum ignorari non poterat: quia ab Adam vsque ad Noē sacrificia Deo constat fuisse accepta, quæ vsque ad illud tempus sine legis distinctione, diuinitùs inspirata institutione, primi homines celebrarent. Illa verò sacrificia aut in animalium sanguine, aut aliarum oblationum incensionibus agebantur: nō quòd fumo aut mortibus pecorum delectaretur Deus, sed vt intelligeretur immutabile iudicium, & prolata ab initio sententia in peccatum. Immutabile decretum ab æterna lege exierat, concupiscentiâ affligi & morte peccatorem puniri: nec poterat plagis exterioribus remedium aliquod subuenire, quin stimulus carnis sine vlla exceptione colaphizaret infirmum, & vsque ad dissolutionem mors importuna persequeretur captiuum. Et mors quidem carnis concupiscentiarum intersecabat ludibria, nec poterat vltrà peccare illud, quod erat putredini ac dissolutioni prædestinatum & datum: sed supererat post mortem carnis animæ labor & afflictio spiritus, nec poterat vlla ratione illa absolui damnatio, nisi morti omniū vita omniū subueniret, & pro generali morbo gratiæ Dei singulare propinaret antidotum. Hoc antiquum redemptionis nostræ consilium sanctis patribus reuelauit Deus, voluitq; vt paulatim assuescerent homines passioni, & morti necessariæ voluntariæ mortis opponerent libamentum, & pœnam in medelam, & supplicium in remedium commutarent. Huius oblationis doctrinam sacrificia continebant antiqua & incensiones, & mortes huius cōsummationis gra- *Circuncisio cur instituta.* tiam præsignabant. Propter hoc cùm iam fidei tempora propinquarēt, imperata est circuncisio, & pars illa corporis, in qua est voluptatum seminarium & libidinis officina, iussa etiam in paruulis amputari, vt proprij primitias sanguinis ei, qui totum sanguinem suum oblaturus erat, offerrent, & communia singulorum sacrificia singulare præcederent holocaustum. *Psal. 39.* Vbi verò Christus Dominus venit, de quo in capite libri scriptum erat, vt in morte sua patris voluntatem

Universidad de Deusto
Biblioteca

impleret,cessarunt sacrificia:nec iam truncatio-nem præputij euangelium imperauit, sed circũ-cisionem cordis, & omnem tam membrorum quàm affectionum petulantiam gladio spiritus refecari,immutabili decreto mandauit. Et tantæ dignitatis illa vna redemptoris nostri fuit obla-tio,vt vna ad tollenda mundi peccata sufficeret, qui tãta authoritate in sancta introiuit in sangui-ne proprio,vt deinceps nulla supplicantiũ postu-latio sanguine indigeret alieno. A diebus igitur visitationis nostræ regnum cælorum vim patitur, nec iam in expoliatione carnis circuncisio agi-tur,sed spiritus sancti virtute vetustatis antiquæ sanies expurgatur.

DE EODEM FESTO,

Luc.11.

In illo tempore: Cùm consummati essent dies octo, ut circumcideretur Puer, uocatum est nomen eius Iesus. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

SAnctam venerandamq́ præsentis festi memoriam,paucis quidem ver-bis Euangelista comprehendit, sed non pauca cælestis mysterij virtute grauidam reliquit. Exposita namque natiuitate dominica(cuius gaudia mox angeli dignis lau-dibus extulerunt, pastores deuota visitatione celebrarunt,omnes qui tũc audiere,mirati sunt, nos quoq; pro modulo nostro prout potuimus pr̃sime domino largiẽte cõgruis missarũ,hymno rũq; solẽnijs exegimus)subiunxit atq; ait:*Et postquã cõsummati sunt dies octo,ut circumcideretur Puer,uocatũ est nomẽ eius Iesus. Quod uocatũ est ab angelo,priusquã in utero cõciperetur.* Hæc sunt festiuitatis hodier-næ gaudia venerãda. Hæc sacræ solẽnitas diei. Hæc illa supernæ pietatis munera sacrosancta, Gal.4. quæ fidelium cordibus cõmendans Apostolus ait? Quia vbi venit plenitudo tẽporis,misit deus filiũ suũ factum ex muliere,factũ sub lege,vt eos qui sub lege erãt redimeret,vt adoptionẽ filiorũ re-ciperemus. Magna nãq; dispẽsatione pietatis,ad redemptionẽ generis humani Deus pater,nõ an-gelũ,nõ archangelũ, sed filiũ suũ vnigenitũ mit-tere dignatus est. Quẽ quia in diuinitatis sue spe-cie videre nequiuimus,magna rursũ dilectionis arte prouidit,vt hunc factũ ex muliere, hoc est, ex maternę carnis substãtia,sine virili admixtio-ne conceptũ, ad humanos verũ hominẽ,pferret aspectus,qui in diuina virtute ac substãtia manẽs per omnia qđ erat,veram naturæ mortalis infir-mitatẽ quã nõ habebat,iudueret. Et vt nobis ne-cessariã obediẽdi virtutẽ præcipuo cõmendaret exẽplo,factũ sub lege filiũ suũ misit Deus in mũ-dum,nõ quia ipse legi quicquã debeat,qui vnus magister noster,vnus est legislator & iudex, sed vt eos qui sub lege positi,legis onera portare ne-quiuerãt,sua cõpassione iuuaret,ac de seruili cõ-ditione,quæ sub lege erat,ereptos, in adoptionẽ filiorũ quę per gratiã est,sua largitate reduceret. Suscepit ergo circũcisionẽ lege decretã in carne, qui absq; omni prorsus labe pollutionis apparu-it in carne: & qui in similitudine carnis peccati, nõ aũt in carne peccati aduenit, remediũ,quo ca-ro peccati cõsueuerat mũdari,nõ respuit,sicut e-tiã vndã baptismatis, qua nouæ gratię populos à peccatorũ sorde lauari voluit,ipse nõ necessita-tis,sed exẽpli causa subijt. Scire etenim debet fra-ternitas vestra,quia idẽ salutiferæ curationis au-xiliũ circuncisio in lege cõtra originalis peccati vulnus agebat,qđ nũc baptismus agere reuelatæ gratiæ tẽpore cõsueuit, excepto q̃ cælestis regni ianuã necdũ intrare poterãt, donec aduenięs be-nedictionẽ daret qui legẽ dedit, vt videri possit Deus deorũ in Siõ: tantum in sinu Abrahæ post mortẽ beata requie consolati,supernæ pacis in-gressũ spe felici expectabãt. Qui enim nunc per Euangeliũ suũ terribiliter ac salubriter clamat, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, nõ po-test introire in regnũ Dei: ipse dudũ per legẽ suã clamabat: Masculus cuius pręputij caro circucisa Gen.17 nõ fuerit,peribit anima illa de populo suo, quia pactũ meũ irritũ fecit,id est,quia pactũ vitę in pa-radiso hominib. mandatũ Adã præuaricãte trãs-gressus est,in quo peccauerũt oẽs,peribit de cœ-tu sanctorũ,si nõ fuerit ei remedio salutari sub-uentũ. Vtraq; ergo purificatio, & circuncisionis videlicet in lege,& in euãgelio baptismatis,tollẽ-dæ præuaricationis primę gratia posita est. Et ne cui seculi labẽtis ætati superni respectus munera deessẽt,illi quoq; qui à mũdi exordio vsq; ad tẽ-pora datæ circuncisionis,vel post datã circunci-sionẽ de alijs nationibus Deo placuerũt,vel ho-stiarum oblationibus,vel sola certè fidei virtute suas suorũq; animas creatori cõmendantes,à pri-mi reatus vinculis absoluere curabãt. Sine fide e-nim impossibile est placere Deo, Et sicut aliãs Heb.11. scriptũ est, Iustus aũt ex fide viuit. Sed veniẽs in Abac.2. carne Dei filius,qui solã carnis naturã, nullã aũt peccati contagionẽ traxit de Adã,& qui spiritus-sancti virtute de virgine conceptus & natus est, nullo eguit munere gratiæ renascẽtis,vtrũq; pu-rificationis genus subire dignatus est,& circũci-sus videlicet à paretibus octaua die natiuitatis,& tricesimo ætatis anno baptizatus à Ioãne. Imò e- Luc.2. tiã tertiũ salutaris hostię munus ipse tẽpli domi-nus pro se non respuit offerri: cuius die de hinc trecesimatertia,Domino opitulãte, vestra charis-tas auditura simul est & celebratura mysterium. Cũcta,inquã,& legalis,& euangelicæ purificatio-nis genera,qui nullo indiguit, Dominus suscipe-re nõ despexit,vt & cõsummãdæ iã legis decreta suo tẽpore doceret esse saluberrima, & aduenię-tis euãgelij cũctis fidelibus ostẽderet ęquè sube-unda remedia. Sed & hoc,q̃ eodẽ die suæ circũ-cisiõis nomẽ vt Iesus vocaretur accepit, ad imita-tionẽ priscæ fecit obseruationis,quã ex eo credi-mus sumptã,q̃ Abrahã patriarcha,qui primus cir-cũcisionis sacramentũ in testimoniũ suæ magnę fidei,& diuinæ ad eũ promissionis accepit, codẽ die suæ suorũq; circuncisionis,etiã nominis am-plificatiõe simul cũ cõiuge sua benedici prome-ruit,

Gen.17. ruit,vt qui eatenus Abram, pater excelsus dictus est,deinde Abraham, id est,pater multarum gẽ-tium vocaretur,quia patrem,iniquit,multarũ gẽ-tium constitui te. Quæ fidelissima promissio tã latè per orbem iam patet impleta, vt etiam nos-
Gal.3. ipsi de gentibus ad fidei illius deuotionem vo-cati, ipsum nos patrem spiritualiter habere gau-deamus,dicẽte etiã nobis Apostolo: Si autẽ vos Christi,ergo semẽ Abrahæ estis,secundũ promis-sionẽ hæredes. Et Sarai,inquit, vxorẽ tuã nõ vo-cabis Sarai,sed Sarã,id est,nõ principẽ meam vo-cabis,sed principẽ, videlicet apertè docẽs,vt eã, quę tãtæ fidei particeps & socia facta est,nõ pro-priè principẽ suæ domus, sed absolutè principẽ, id est, omniũ rectè credentiũ fœminarũ vocaret & intelligeret esse parentẽ. Vnde B. Petrus Apo-stolus credẽtes de gẽtibus fœminas,ad humilita-
1.Pet.3. tis,castitatis & modestiæ virtutẽ,puocãs, eiusdẽ matris nostræ Sarę debita cũ laude meminit. Si-cut Sara,inquit,obediebat Abrahæ, Dominũ eũ vocãs, cuius estis filiæ benefaciẽtes,& nõ timẽtes vllã perturbationẽ. Hæc dilectionẽ vestram,fra-tres,admonere curauimus, vt singuli vestrũ me-minerint,etiã seipsos percepta fide Christi cũ pa-triarchis nominis excelsi meruisse consortiũ,se-q́ue percepta in Christo purificatiõe baptismi sa-lutaris, deriuatũ à nomine Christi gaudeãt mu-
Esai. 65. tasse cognomẽ,& hocusq; ad finẽ firmũ intemę-ratumq; seruare cõtendant,gaudentes in illud Isaiæ vaticiniũ esse cõpletũ? Et seruos suos voca-
Act.4. bit nomine alio:hoc est,nomine Christiano,quo nũc oẽs serui Christi se delectãtur insigniri. Ne-que enim nomẽ aliud sub cælo datũ est hominibus,in quo nos oporteat saluos fieri. Vnde pro-pheta cõsequenter adiũgit:In quo qui benedicẽ-
Esai.62. dus est super terrã,benedicetur in Deo, amẽ. Di-cit & aliãs de eodẽ, multiplicandã etiã de gẽtibus Ecclesiã alloquẽs: Videbũt gẽtes iustũ tuũ,& cũcti reges inclytũ tuũ: & vocabitur tibi nomẽ no-uum,qđ os Domini locutũ est. Quare autẽ puer qui natus est nobis, & filius qui datus est nobis, Iesu,id est,saluatoris nomẽ acceperit,nõ exposi-tione vt à nobis possit intelligi,sed solicita ac vi-
Matth.1. gili eget intẽtione,vt etiã nos possimus eiusdem nominis participatione saluari. Legimus quippe angelo interpretãte,quia ipse saluũ faciet popu-lũ suũ à peccatis eorũ. Et indubitanter credimus ac speramus,quia qui à peccatis saluat,ipse etiã à
Psal.202. corruptionibus,quæ ob peccata contigerunt, & ab ipsa morte saluare nõ omittit, Psalmista testã-te qui ait: Qui propitius fit omnibus iniquitati-bus tuis, qui sanat oẽs languores tuos. Dimissis quippe omnib. iniquitatibus nostris,ad integrũ oẽs lãguores nostri sanabũtur, cũ resurrectionis gloria apparẽte,nouissima inimica destructa fue-rit mors. Et hæc est vera ac plenaria nostra circũ-cisio,cũ in die iudicij cũctis simul animæ carnis-q́ue corruptionibus exuti, mox peracto iudicio ad videndã perpetuò creatoris nostri faciẽ, aulã regni cælestis ingredimur, qđ est typicè paruu-los circũcisos ad tẽplum Domini Hierololym cũ laudibus hostiarũ munus acceptabile defer-re. Vera etenim circũcisiõe purgatus tẽplum Do-mini cũ muneribus ingreditur, qui gloria resur-rectionis ab omni labe mortalitatis excoctus,cũ bonorũ fructibus operũ, supernæ ciuitatis gau-
Psal. 115. dia sempiterna subit, Dirupisti,inquiẽs,vincula mea,tibi sacrificabo hostiã laudis. Vota mea Do-mino reddã in atrijs domus Domini,in cõspectu omnis populi eius,in medio tui Hieru salẽ. Quod desideratissimũ tẽpus cęlestis introitus,illa dies octaua, quã circuncisio celebratur, indicat. Sex etenim sunt huius seculi ætates,notissimis tẽpo-rũ distinctæ articulis,in quibus pro Deo labori-bus insistere,& pro adipiscẽda requie sempiter-na ad tẽpus operari necesse est. Septima est ætas, nõ in hac, sed in alia vita quiescentiũ vsq; ad tẽ-pus resurrectionis animarũ. Octaua aũt ætas, ip-se est dies resurrectiõis sine vllo tẽporis fine bea-ta,quãdo vera omnimodò circuncisionis gloria coruscãte, nõ vltrà corpus qđ corrũpitur aggra-uat animã,nõ terrena inhabitatio deprimit sensũ multa cogitantẽ,sed corpo iã incorruptibile lęti-ficat animã, & subleuat cælestis inhabitatio totũ hominẽ visioni sui conditoris inhærentẽ. Cuius ęterni diei beatitudinẽ propheta in illo,cuius su-prà meminimus,psalmo cõsequenter exponit,a-nimã suã ipse & oẽs interioris sui hominis affe-ctus ad benedicẽdũ Dominũ rẽcordãdasq; oẽs Psal. 102. retributiones eius,excitãs, Qui redimit de inte-ritu,inquit,vitã tuã,qui satiat in bonis desideriũ tuũ, qui coronat te in miseratione & misericor-dia,renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua. Et i-deò necesse est,fratres charissimi,vt qui ad huius pulcherrimæ renouationis quasi summæ circũci-sionis desideramus præmia pertingere,curemus interim primitiuæ circũcisionis & renouationis, Ephes. 4. quę quotidianis virtutũ exercitationib9 fit,subi-ectionẽ veterẽ hominẽ,qui corrũpitur secundùm desideria erroris,renouemur spiritu mentis no-stræ,& induamus nouũ hominẽ, qui secundùm Deũ creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. Neq; audiẽtes circuncisionẽ, in vno corporis no-
2.Cor.7. stri mẽbro nos castigare sufficere credamus: sed sicut idẽ alibi monet Apostol. Mũdemus nos ab omni labe & inquinamẽto carnis & spiritus, per-ficiẽtes sanctificationem in timore Dei: Relega-mus Acta Apostolorum, videamus beatissimũ protomartyrẽ Stephanum Iudæis se cum Domi-
Act. 7. no persequentibus terribiliter intonantẽ. Duri ceruice,& incircũcisi cordibus & auribus,vos sem-per spiritui sancto restitistis. Si ergo incircuncisi cordibus & auribus sunt,qui spiritui sancti moni-tis resistunt,& vtiq; cordium & aurium circunci-sio. Et si est cordium & aurium,est & omniũ ex-terioris interiorisq; hominis nostri sensum. Qui enim viderit mulierẽ ad concupiscendũ eã, qui *Incircunci* habuerit oculos sublimes,huius incircũcisus est *si oculis*, visus. Quibus voce veritatis dicitur. Qui ex Deo Ioan. 8. est,verba Dei audit: propterea vos nõ auditis,quia *Auribus*, ex Deo nõ estis,incircuncisi sunt auribus. Incir- *Linguæ*

Universidad de Deusto
Biblioteca

cunciſi lingua & manibus, quorum os locutum
est vanitatẽ,& dextera eorũ dextera iniquitatis.
Quĩ loquũtur pacẽ cũ proximo ſuo,mala autem
ſunt in cordibus eorũ,& dextera eorũ repleta eſt
muneribus. Incircũciſi ſunt guſtu,quos prophe-
ta redarguit, dicẽs: Væ qui potẽtes eſtis ad bibẽ-
dum vinũ, & viri fortes ad miſcendã ebrietatẽ.
Incirçunciſi olfactu & tactu,qui vnguento & va-
rijs ſunt delibuti odoribus,qui ſequũtur ample-
xus meretricis,aſpergẽtis cubile ſuũ myrrha,& a-
loe,& cinamomo. Incircũciſi greſsibus, de qui-
bus Pſalmiſta cõmemorat: Cõtritio & infelicitas
in vijs eorũ,& viã pacis nõ cognouerunt. At qui
omni cuſtodia ſeruãt ſuum cor, qui auertunt o-
culos ſuos ne videãt vanitatẽ, qui ſepiunt aures
ſuas ſpinis,ne audiant linguã nequã,qui guſtant
& vident quàm ſuauis eſt Dominus, quã beatus
vir qui ſperat in eo,qui cuſtodiũt vias ſuas,vt nõ
delinquãt in lingua ſua,qui donec ſupereſt hali-
tus in eis,& ſpiritus Dei in naribus eorũ non lo-
quũtur labijs iniquitatẽ,nec lingua eorũ medita
tur mendaciũ, qui leuant manus ſuas ad mãdata
Dei,quæ diligunt, qui ab omni via mala prohi-
bent pedes ſuos,vt cuſtodiant verbũ Dei,iſti oẽs
1.Cor.10. ſenſus ſuos petra ſpiritualis exercitij oſtẽdunt ſe
habere circunciſos. Petrinis quippe cultris circũ
ciſionẽ fieri legimus. Petra autem erat Chriſtus,
cuius fide,& ſpe,& charitate, non ſolũ in baptiſ-
mate,ſed in omni prorſus actione deuota puriſi-
cãtur corda bonoru. Quę & ipſa quotidiana cir-
cuncisio noſtra,id eſt,cõtinua cordis mundatio,
ſemper octauę diei ſacramentũ celebrare nõ de-
ſiſtit, quia nos in exemplum dominicæ reſurre-
ctionis,quæ octaua die,id eſt, poſt ſeptimã ſab-
bati facta eſt,ſanctificare cõſueuit,vt quomodò
ſurrexit Chriſtus à mortuis per gloriã patris, ita
& nos in nouitate vitę ambulemus,preſtãte Deo,
qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Guſtu, Iſaiæ 5.

Olfactu, Tactu.

Greßibus, Pſal 7.3. Verè circunciſi.

DE EODEM FESTO, HOMILIA EUSEBIJ EMESENI.

Gen. 17. Pro.4. NObis,non ſibi,circũciditur Dominus. Sicut
enim nobis natus eſt,nobis baptizat⁹ &paſ-
ſus,ita & nobis eſt circunciſus. Primus Abraham
circũciſus eſt,de quo Apoſtolus ait,quia ſignũ ac
cepit circũciſionis,ſignaculũ iuſtitiæ fidei. Data
eſt igitur circunciſio nõvt peccata tolleret,quod
baptiſmi propriũ eſt, ſed vt aliquid ſignificaret,
& quadã differẽtia Iudæorũ populũ ab alijs gen
tibus ſepararet. Quanuis itaq; propter mandati
tranſgreſsionẽ,quicunq; olim nõ circunciderẽ-
tur, dãnabatur:nemo tamẽ per circunciſionem
iuſtificabatur. Vt enim Apoſtolus ait. Circũciſio
Rom.2. quidẽ,pdeſt,ſi legẽ obſerues:ſi aũt pręuaricator
legis ſis,circunciſio tua præputium facta eſt. Nõ
enim qui in manifeſto Iudęus,neq; ea quę in ma
niſeſto in carne circũciſio, ſed qui in abſcõdito
Iudęus,& circũciſio cordis in ſpiritu:non litera.
Magnũ igitur aliquid ſignificat circũciſio,& tam
magnũ aliquid,vt quicũq; eo modo circunciſus
nõ fuerit(vt interim de paruulis taceamus)ſalua-
tus.

Circunciſio ſpiritualis.

ri nõ poſsit. De hac enim circunciſione ſcriptũ
eſt: Circuncidite corda veſtra, & nõ corpora ve- Gal.5.
ſtra. De carnis verò circũciſione Apoſtolus ait:
Ego Paulus dico vobis,ſi circũcidamini,Chriſtus
vobis nihil proderit. Hæc enim circunciſio in
Chriſto cõpleta eſt, in quo & aliæ legis cæremo- Rom. 10.
niæ cõſummatæ ſunt. Finis enim legis Chriſtus,
ad iuſtitiã omni credẽti. Ideò enim ipſe circũci- Matth.26.
ſus eſt,vt legẽ cõpleret,& bonã eſſe oſtẽderet,ei-
usq; nobis ſignificationẽ cõmẽdaret. Vnde & ea
noctequa tradit⁹ eſt,cũ diſcipulis agnũ comedit,
& mox quid ſignificaret,oſtẽdit,dũ panẽ & vinũ
benedicẽs,ait: Accipite & comedite: hoc eſt cor-
pus meũ. Et bibite ex hoc oẽs: hic eſt calix noui
teſtamẽti, qui pro vobis & pro multis effũdetur.
Et hoc ſacramentũ tũc ab eo & modò cõpletum,
neq; vlteriùs ſecundũ literã agendũ eſſe vel intel
ligendũ,,ptenus oſtẽdit,dicẽs: Amẽ amẽ dico vo
bis,nõ bibã amodò de hoc genimine vitis,donec
bibã illud vobiſcũ nouũ in regno Dei: Sic igitur
vetus teſtamentum cõpleuit & cõfirmauit,literæ
finẽ impoſuit, & ſpirituali nouæq; intelligentiæ
principatũ Dominus tribuit. Cõſummata eſt er-
go lex atq; pertrãſijt,ſed ſecundum literã: manet
aũt ſemperq; manebit, ſecundũ ſpiritualẽ intel- Luc.22.
ligentiã. Vnde ipſe dominus ait: Cælum & terra Matth.5.
tranſibunt,verba autẽ mea nõ prẽteribunt. Itẽq;:
Amen amen dico vobis,vnũ iota neq; vnus apex
præteribit ex lege,donec omnia cõpleantur. Et
Iudæi quidẽ in vno mẽbro circuncidũtur,quare
tamẽ circuncidãtur, non intelligunt: Chriſtiani
verò quid circunciſio ſignificet intelligentes,nõ
vnum tantũ,ſed omnia mẽbra circuncidunt, nõ
pellis inciſiõe,ſed totius ſuperfluitatis abiectio-
nẽ. Qui enim nõ occidit,nõ mœchatur, nõ furtũ
facit,nõ mentitur,non concupiſcit rem proximi
ſui,qui nulli nocet,nulli iniuriã facit, vana audi-
re,vel videre, vel cogitare non appetit,iſte inte-
riùs & exteriùs perfectè circunciſus eſt. Hoc illa
circunciſio Iudæorum ſignificat, ſine hac autem Luc.2.
ſignificatione inutilis eſt. Si enim intelligerent
quid ſignificet,Sint lumbi veſtri præcincti (hæc
eſt enim illius circunciſionis expoſitio) non ſe
fortaſſe vlteriùs inutiliter vulnerarent. Hæc eſt Ioſue
igitur ſecunda circunciſio,de qua ad Ioſuæ Do-
minus ait: Fac tibi cultros lapideos, & circunci-
de ſecundò filios Iſrael. Et paulò pòſt: Hæc eſt
igitur cauſa ſecundæ circunciſionis, quia popu-
lus qui per quadraginta annos in deſerto natus
fuerat,circunciſus non erat. Quare ergo ſecũda
circunciſio dicitur, vel quare ſecundò cir-
cundi dicuntur, qui priùs circunciſi non erant?
Secundus enim ad primum refertur, neque ſi-
ne primo ſecundus dici poteſt. Sit igitur pri- Circun-
ma circunciſio carnalis: ſecunda verò ſpi- ciſio car-
ritualis. Prima Iudæorũ, ſecunda Chriſtianorũ. nalis.
Prima eorum qui Iordanẽ tranſierunt, ſecunda Spiritu-
eorum qui Iordanem nõ tranſierunt. Populus e- alis.
nim iſte qui in deſerto natus fuerat,(de quò mo
dò dicitur, vt ſecundò circũcidatur) tunc priùs
circũciſus eſt,poſtquã Iordanẽ trãſiuit. Quoniã
non

non illã circunciſionem ſignificabat, quæ fit an-
te baptiſmũ,ſed illã quæ fit poſt baptiſmũ. Iorda
nis enim baptiſmum ſignificat,in quo Dominus
baptizatus eſt,qui veri baptiſmi principiũ & for
mam dedit. Et illa igitur circunciſio, quæ fit an-
te baptiſmũ,& illa quæ fit poſt baptiſmũ,pœnitẽ
tiam ſignificat. Solebãt enim ſancti his qui bapti
ſandi erant,pœnitentiã imponere,& illa quidẽ e-
rat prima circunciſio. Quid eſt enim circunci-
ſio,niſi vitiorũ & peccatorũ abſciſsio? Poſtquàm
verò baptizati ſunt,id eſt,poſtquã Iordanẽ tran-
ſierunt,(baptizari enim,hoc eſt Iordanẽ trãſire)
tunc ſecunda circunciſio ſequitur. Sed quare di-
co ſecundam? Toties enim circunciditur homo,
quoties poſt peccatũ ad pœnitentiã redit. Qui ſi
nunquã peccaret,nunquã poſt baptiſmũ vel cir-
cunciſione,vel pœnitentia indigeret. Quoniam
Ioan.1. aũt niſi per Chriſtũ,peccata nõ tolluntur, (ipſe
eſt enim agnus Dei, qui tollit peccata mundi)
ideò cultris lapideis circũciſio fieri iubetur: quo
1.Cor.10. niã ſicut Apoſtolus ait, Petra autẽ erat Chriſtus.
Pſal. 136. Beatus enim qui tenebit & allidet paruulos ſuos
ad petrã. Sed quare cõpletis octo diebus circun
ciſus eſt Dominus? Quare etiam octaua die fie-
bat circunciſio? Octaua nanque dies ipſa quæ &
prima. Ipſa eſt autẽ,quæ dies dominica vocatur.
Ipſa die mundus cœpit, ipſa Chriſtus à mortuis
reſurrexit,ipſa ſpiritũ ſanctum Apoſtolis dedit,
& ipſa vltima & vniuerſalis reſurrectio fiet. Et
tunc quidẽ perfectè circuncidetur omnis homo:
quia tunc omnibus vitijs abſciſſis,mũdus & pu-
rus à peccato,qualis initio creatus eſt, & talis ad
vitã ducetur æternam. Sequitur: *Et uocatum eſt no-
men eius Ieſus,quod uocatum eſt ab angelo priuſquàm in u-
tero conciperetur.* Ieſus enim ſaluator, ſiue ſalutа-
ris interpretatur. De hoc enim ſalutari, Iacob pa
Gen. 40. triarcha dicebat: Salutare tuum expectabo Do-
Gen.41. mine. Ideo & Ioſeph,qui Chriſtum ſignificabat,
ſaluator mundi à Pharaone vocatus eſt. Multa
ſunt enim,in quibus Ioſeph Chriſtum ſignificat.
Fuit enim & ipſe ouiũ paſtor,Iudæ conſilio ven-
ditus,& à fratribus adoratus. Ipſe inter principes
loquebatur ſapientiam, ipſe totam Aegyptum à
famẽ liberauit,& ſua ſapientia ſaluauit.

Perfecta circunciſio.

dæa contra Eccleſiam ſæuit. *Qui conſurgens accepit
puerum & matrem eius,& uenit in terram Iſrael.* Quod
poſt obitum Herodis puer Ieſus ad terram Iſrael
reuerſus eſt, ſignificat quia circa finem ſeculi ad
ſynagogam eſt reuerſurus, cùm per prædicatio-
nem Enoch & Heliæ in eum crediderint. Vnde
cùm in Aegyptũ deferri iubetur, & fugere,hoc
in nocte præcipitur: Cùm verò ad terrã Iſrael re-
uertitur, nec noctis fit mentio: quia quos nunc
propter incredulitatem in tenebris perfidiæ de-
pieti. *Audiens autem quòd Archelaus regnaret in Iudæa
pro Herode patre ſuo,timuit illò ire.* Archelaus autẽ v-
nus fuit de Herodis filijs, quem poſt ſe ad regnã
dum in Iudęa Herodes inſtituerat, ſed poſteà in-
ſolentiam eius accuſantibus Iudæis, iudicio,
ſenatus,apud Viennã quæ Galliarũ eſt vrbs,exi-
lio relegatus vitam finiuit. Archelaus aũt,qui vin
cens leo interpretatur, Antichriſtũ ſignificat,qui
ad tẽpus in ſanctis victoriã habebit, & quaſi leo
terribilis apparebit. In illam ergo partem,in qua
regnabat Archelaus,cũ puero ire Ioſeph noluit,
quia illã partẽ populi Iudæorum,quæ Antechri-
ſto eſt creditura, Chriſtus nõ inhabitabat per fi-
dem. Poſt necem autẽ Archelai, Chriſtus ad ter-
rã Iſrael reuertitur, quia poſt interfectionẽ An-
tichriſti,ſynagoga in eum creditura eſt,vt ait A-
poſtolus: Cùm plenitudo gentiũ intrauerit,tunc Rom. 11.
omnis Iſrael ſaluus erit. Sed q[illegible]ia in Eccleſia ma-
net & manebit, audiamus vbi habitauerit. *Et ad-
monitus in ſomnis,ſeceſſit in partes Galileæ:& ueniens,ha
bitauit in ciuitate,quæ uocatur Nazareth.* Quia enim
Nazareth flos ſiue virgultũ interpretatur, ſigni-
ficat Eccleſiã,quę & florẽ habet munditię,& vir-
gultum iuſtitiæ,cuius virgulti pulchritudinẽ ad-
mirabatur ſponſus in Canticis Canticorũ,dicẽs: Cant. 5.
Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertũ ſicut vir-
gula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, &
vniuerſi pulueris pigmentarij? Cui iterum voce Cant. 2.
ſponſi dicitur: Ego flos cãpi & liliũ conualliũ. Et
quia Eccleſia de præſentis vitæ amore ad cęleſte
deſideriũ tranſit,rectè Nazareth Galilęæ dicitur,
quæ trãſmigratio interpretatur. Quod aũt ſub-
didit: *Vt adimpleretur quod dictum eſt per prophetas,
Quoniam Nazæus uocabitur*, hoc teſtimonium in
ſeptuaginta interpretibus non habetur. Nonnul
li enim de Iſaiæ prophetæ libro ſumptũ eſſe vo-
lunt,vbi ſcriptum eſt: Exiet virga de radice Ieſſe, Iſai. 11.
& Nazaræus de radice eius aſcendet, Nos autem
dicimus, quia ſi fixum de ſcripturis poſuiſſet E-
uangeliſta teſtimoniũ, non diceret per prophe-
tas, ſed per prophetam. Omnes enim prophetæ
Dominum Nazaræum vocãt, quia ſanctum eum
prædicant: Ipſe enim eſt, de quo per Danielem Dan. 9.
dicitur: Cùm venerit ſanctus ſanctorum, ceſſa- Pſal. 15.
bit vnctio. Et Dauid: Non dabis ſanctum tuum Pſal 4.
videre corruptionem. Et iterum: Scitote quoniã Expoſitio
mirificauit Dominus ſanctum ſuum. Defuncto allegorica
autem Herode, id eſt, mortua lege literæ, vel ex-
cuſſo diabulo de corde Iudæorũ circa finẽ mun-

IN VIGILIA EPIPHANIÆ. Matthæi 2.

*In illo tempore: Defuncto Herode ecce angelus Domini
appꝛuit in ſomnis Ioſeph in Aegypto, dicens: Surge & ac-
cipe puerum & matrem eius, & uade in terram Iſrael. De-
functi ſunt enim qui quærebant animam pueri. Et reliqua.*

Homilia Haymonis.

QVia nõ dixit defunctus, ſed defuncti, ex his
angeli verbis intelligim⁹, multos principes
Iudæorũ cũ Herode in necẽ Domini cõſenſiſſe.
Ideoq; diuina vltione actũ eſt, vt multi ex his cũ
illo perirent,cũ quo in necẽ Domini conſenſe-
rant. Spiritaliter verò obitus Herodis terminum
ſignificat inuidioſæ contentionis, qua nunc Iu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dis:Quia dum Iudęi superstitiosam legem obseruant literæ, regnat diabolus in illis,& est Christus inter gentes.Postquàm verò abiecerint hæc omnia à se,tunc reuertetur filius Dei vel fides ad eos. *Ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph.* Qui Christum credit esse filium Dei, & eum portat in corpore suo,rectè angelus illi apparet. *Surge et accipe puerũ.* Surgit à terra,qui terrena relinquit: Priùs puerum,& posteà matrem iubet accipere: priùs Deum,& posteà proximum diligere. *Et uade in terram Israel.* id est,nemo venit in terrã Israel, hoc est cælestem patriam,nisi portet Christum, & diligat Deum ac proximum. *Defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri.* Totum dicit pro parte. Sic in fine mundi defuncta erit lex literæ, *Audiens aũt quòd Archelaus regnaret in Iudæa,timuit illò ire.* Cur ire voluit in Iudęam? Cur non ibat in Galilæam, vbi habitauit priùs,vel Nazareth,qua propriè habitabat? Quia putabat quòd angelus eum propter templum & orationes,quæ erant in Iudæa iuberet propè commorari. Sed propter mysteriũ non potuit illuc diuertere, quia qui ascendit de Aegypto,hoc est,de tenebris peccatorum,nõ potest priùs ire in Iudæam,id est,confessionẽ, neque in Bethleem,hoc est,domum panis, quæ significat Ecclesiam,nec in Hierusalem,hoc est,visionem pacis,nisi priùs eat in Galilæam, vt emigret & transuolet de malo ad honum, de vitijs ad virtutes,& inde transeat in Nazareth,vt faciat priùs florẽ & munditiã bonorũ operũ, & sic posteà cõscendat Iudæã: florens enim fit flos, posteà fructus:inde per ordinẽ conscendat Bethleẽ,nouissimè Hierusalẽ,id est,visionẽ pacis. Etideò admonitus est Ioseph in somnis ab angelo, ne rediret priùs in Iudæã. Archelaus aũt,qui leo inuestigans interpretatur,significat Antichristũ, qui regnat pro Herode patre suo. Sic regnaturus est Antichristus in fine mũdi pro isto diabulo, qui nunc Iudæos regit. Apud nos aũt regnat Dominus noster Iesus Christus,cuius regnum & imperium permanet in secula seculorum, Amen.

Archelaus typus Antichristi.

IN SOLENNITATE EPIPHANIAE. IN LECTIONEM EX ESAIA CONCIO EXEGETICA.

HAEc est præclara dies,qua sol iustitiæ Christus Dominus oriri dignatus est gentibus, & qui pro omnibus voluit nasci, in ipso suæ natiuitatis exordio à gentium primitijs etiã voluit agnosci. Angustum quidem erat domicilium,vbi tum ex virgine natus sub matris cura mundi totius Dominus tenebatur:sed non potuit illa loci angustia solis illius æterni radios continere, quin se mox in longinquas regiones effunderet, & ad se inquirendum,inueniendum,cognoscendum,adorandum,mysticis muneribus honorandum pertraheret.Itaque habet hodiè peculiarem in Dominum gaudendi & gloriandi materiam Ecclesia gẽtium,quippe quæ posthabito illo quondam electo Iudaico populo admissa, immò adducta est ad cognitionem filij Dei, qui est vnica & vera salus totius mundi, cùm interim in ipsa Iudææ regione,vbi nasci dignatus est, vix à paucissimis est agnitus(immo verò non ab Herode tantùm, sed etiam sacerdotibus & scribis,vt inquit diuus Hieronymus in cap.2.Matthæi,ad necem quæsitus est. Quamobrem etiam legitur hodiè ex Esaia propheta locus,gentium hãc vocationem egregiè describens,quem tamen Hebræi carnaliter sapientes,carnaliter suo more interpretãtur, nimirũ destituti vera luce,quæ ipsis missa quidẽ prę cæteris fuit, sed ab illis minimè admissa.Sed ipsam lectionẽ videamus: *Surge illuminare Ierusalẽ: quia uenit lumen tuum,& gloria Domini super te orta est.* Ierusalem propterea Ecclesiam vocat, quod in illa terrena Ierusalem primùm cœperit Ecclesia, & tendit ad illam Ierusalem cælestem, vbi in summæ & sempiternæ pacis beatissima contemplatione quiescet.Iubetur autem surgere, quia dum sumus in hac vita mortali, mole quadam corporis huius & terrenis desiderijs pressi,crebrò labimur modò in has, modò in illas culpas: sed dãda nobis opera est,vt lapsi mox resurgamus,animi propositũ instauremus,ad superna nos subrigamus, & sic continenter ad illam beatam patriam contendamus. Septies enim in die cadet etiam iustus,sed resurget:impij autem corruent in malum,id est,non adijcient vt resurgant.Sunt enim quædam peccata, quæ in hac vita euitari vix possunt,in quibus tamen non debemus quodam peccandi affectu inhærere, sed ilicò resurgere. Alioquì facilè nobis accidere poterit, quod scriptura ait, Qui spernit modica,paulatim decidet.Sed non satis est surrexisse:etiam supernæ illustrationis auidi esse debemus,alioquì in tenebris permansuri. Quid est obsecro homo diuinæ gratiæ lumine destitutus? Quàm multi olim philosophi,multi omnium gentium etiã doctissimi homines, vt nihil de rudiori populo loquamur, pro vero Deo coluerunt ligna & lapides,immò & dæmones? Sed quare hoc? Quia non erant hoc lumine perfusi. Quid verò de Iudæis ipsis, quibus tam longè antè promissus & prædictus erat Messiæ aduentus, dicturi sumus ? Cur ne illi quidem nosse potuerunt præsentem iam Christum, cur ad tantam lucem cæci permanserunt, nisi quia intus obscuratum erat insipiens cor eorum ? O rem stupendam. Venit Christus ad suos, & non est agnitus, nec receptus quidem, alienis verò mox innotuit : non ob aliud sanè, nisi quia hos intus diuina illustrauit gratia, illos sua malitia excæcauit. Surgamus ergo fratres, & illuminemur. Venit Dominus Iesus, ambulemus in lumine eius. Sequitur enim : *Venit lumen tuum.* Illud vtiq; verum lumen quod illuminat omnem hominem venié-

Ierusalem Ecclesia.

Prou.24.

Eccl. 11

Ioan.1.

tem

tem in hunc mũdum:Sed cur tam multi interim manserunt in tenebris? Quia ipsas suas tenebras, id est,peccata sua dilexerunt. Non potest lucere Sol iustitiæ, vbi amantur tenebræ iniquitatis.

Peccata quidam densissimus murus sunt, qui non sinit hanc lucem suos radios in animam diffundere.Hoc lumen venit ad nos,quando Christus factus est homo,vt tenebras nostras dispelleret,& suam nobis lucem impertiretur. Fratres, certum est sine hac luce nulli spem salutis vllam posse reliquam esse. Cur igitur non magis studiosi sumus lucis huius & obtinendæ & in dies augmentandæ in nobis? Cur tam multi in vitijs & flagitijs vsque volutantur, & clausis oculis præcipites eunt in tartara,inde nunquam posteà emersuri, nisi quia lucis huius expertes sunt? Solent dicere homines sceleribus addicti,Misericors est Deus,dabit veniam nobis vel in supremo spiritu resipiscentibus. Sed non aduertunt veram resipiscentiam rarò admodum contingere illis,qui densissima vitiorum caligine obruti, nèsciunt plerunq;,quid sit resipiscere. Nemo verè resipiscit,nisi cui lux gratiæ diuinitùs infusa ostendit,& quid in se plangere,& quid corrigere debeat.Sequitur : *Et gloria Domini super te orta est:* Nimirum quando Dominus tot præclara edidit miracula,diuinę maiestatis suæ certissima documenta. *Quia ecce tenebræ operient terram,& caligo populos* : Terram exponit D. Hieronymus eos qui terrena sapiunt. Quales pleriq; omnes erant Iudæi,qui in hũc vsq; diem nescio quam sibi terrenam felicitatem pollicentur in aduentu Messiæ sui, nempe Antichristi : sicut olim Chiliastæ hæretici mille annorum somniabant regnum,aurea atq; gemmata de cælis expectantes Ierusalem. Quod autem dicitur,Et caligo populos, D.Hironymus dicit in Hebraico legi,tribus,idque propriè referri ad Iudæos. *Super te autem oritur Dominus.* Ablatum est regnum à Iudæis Christum Dei filium respuentibus,& datum est genti facienti fructum eius. Vtinam nos qui Christiana sumus religione initiati,nõ tam oscitanter attenderemus tremenda Dei iudicia. Quondam Israël electus fuit populus Dei,charissimus propter patres. Promissus illis erat Christus,idq; adeò vt ipse quoq; Dominus dixerit,se nõ missum, nisi ad oues perditas domus Israël. Sed ecce tãta est ingratitudo erga Christũ ab illo populo declarata,vt illis contẽptis,Apostolos iusserit ire in mundũ vniuersum,quibus anteà dixerat, In viã gentiũ ne abieritis. Gentibus ergo oblatũ est Euangeliũ. Amplexa est illud Græcia & pleręq; aliæ gẽtium nationes. Sed cùm illæ quoq; iam inciperent delectari hęresibus & schismatibus,Dominus migrauit in Occidentis obscuras priùs regiones. Scimus enim quando à Græcis ad Germanos translatum est Imperium, vnaq; fides catholica ad plerosq; Germaniæ populos. At nunc quoq; iampridẽ tumultuante & in res nouas audè inhiante Europa, Dominus cum sui luce Euangelij migrat ad incognitas hactenùs orbis regiões,& nobis in tenebris derelictis,illis suæ gratiæ lucem impertit. Hæc pauci aduertunt,quia stultorũ infinitus est numerus,& pauci sunt electi. Qui autem rectè sapiunt, discũt ex omnibus occultam timere Dei iustitiã,& soliciti cauere,ne diuinæ gratiæ lumine destituantur. Quid est enim homo,vt iã antè dixi,hac luce priuatus? Sequitur? *Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui.* Hæc iam possint accommodari ad huius diei sacratissimã solennitatẽ, qua gentiles illecti lumine syderis insoliti, & splendore Christi nascentis,ad Christũ vsq; venire non dubitarunt,nec in ipsa adeò regia ciuitate inquirere,vbi esset recèns natus rex Iudęorum,eumq; se adorare velle profiteri.Sed etiã posteà multi reges Christianæ fidei sua colla submiserunt, credentes in Christũ,quod certè fuit opus dexteræ excelsi. Nec subitò mundus ad Christum conuersus est vniuersus,sed diu se illi opposuerunt,tum Romani Imperatores, tũ alij reges & principes, sed tamen tandem vicit Christus,& splẽdore gratiæ suæ ad se oẽs pertraxit:Sequitur: *Leua in circuitu oculos tuos,& uide; oẽs isti congregati sunt, uenerunt tibi.* Ad omnes mundi partes,ad Aquilonem, Austrum, Orientem & Occidentem monetur se vertere Ecclesia, videlicet q per totũ sit diffusa orbẽ terrarũ. Hic iam manifestè perstringuntur hę- retici oẽs,qui angulos ap[illegible],& ab ha[illegible] toto orbe diffusa Ecclesia se separãt sua sponte. Putant enim apud ipsos solos haberi purũ verbũ Dei & verã fidẽ : alios oẽs fidẽ perdidisse. Sed horũ intolerabilẽ arrogantiam ita solet cõfundere & pudefacere omnipotẽs Deus, vt quẽadmodùm olim illorũ qui Babel extruebãt,cõfudit linguã : sic & in istos immittat spiritũ vertiginis & dissensiõis, & diuidat linguas eorũ,vt nec inter se possint vnã quã cõuenire.Non enim habent spiritum veritatis, vnitatis & pacis, qui facit in magna domo Dei,quę est Ecclesia Catholica,oẽs habitare vnanimes,idipsum sentiẽtes:sed spiritũ huius mundi,spiritũ mẽdacij,qui operatur in filios diffidẽtiæ.Sequitur:*Filij tui de longè uenient,& filiæ tuæ de latere surgent.* Sic legit D.Hieronymus, licet nostra textus habeat,surgẽt.Est aũt idẽ hic rursus sensus, qđ à cunctis mũdi climatibus in vnũ Ecclesiæ corpus sint trãsituri, & vnã Ecclesiã effecturi, cuius caput est Christus,& doctor,consolator ac moderator spiritus sanctus,qui manet cũ ea in æternũ,nec eã sinit errare vnquã:vnde meritò & possumus & debemus in Catholicæ Ecclesiæ sentẽtia acquiescere, spretis hæreticorũ somnijs & adinuentionibus, qui semper discũt,& vnquã ad veritatis scientiã pertingunt. Porrò filiæ,id est,infirmæ & imbecilles animæ credentiũ lacte porantur,quia solidum cibum capere necdũ possunt. Vbi simul saluberrimè instituuntur animarum pastores,vt nouerint singulis suis ouibus pro cuiusq; viribus & capacitate consulere : aliter tractare firmos & robustos, aliter imbecillos.

Hæretici ut se ia-

Ephe. 2.

Rom.11.

Matt. 15.

Mat.10.

Ioan.14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Esa. 42. Nam de ipso quoq; Christo Domino dictũ est, quòd arundinem quassatam non esset contriturus, nec linum fumigãs extincturus. Certè enim habenda est ratio singulorum, vt pro cuiusq; cõditione modò vino austerioris correptionis, modò oleo blandæ consolationis vti norit, qui alijs præest. Et id quidem priuatim obseruandũ est, maximè dum recipiuntur confessiones. Publicè verò pro concione semper potiùs vtendum est quadam verborum acrimonia & moderata seueritate, propterea quòd bona pars hominum vix vllis terroribus aut gehennæ ipsius comminãdis supplicijs potest à sceleribus auelli: quibus si blãda multarum consolationum fomenta adhibere velis, quod multi pernicioſissimo exemplo faciunt, oleum in flammam mittes. Sequitur: *Tunc uidebis & affluues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando cõuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium uenerit tibi.* Non est dubium Ecclesiam in sanctis Apostolis & eorum discipulis immensò persusam fuisse gaudio, cùm ad eorum prædicationem tot gentium millia relicto gentilitatis, errore videret conuerti ad Dominum, & ex dæmonum mancipijs transire in membra Christi. Ideò tam indefessi discurrebant per orbem terrarum, nec vllis parcebant laboribus, vt possent quàm plurimos lucrifacere, idque adeò vt hãc ob causam nullas tyrannorum minas, nulla supplicio-
rum genera r[illegible]torn[illegible]rint. Atqui ô bone Deus, [illegible]nunc est zelus animarum? *Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madiam & Epha.* Madiam & Epha, inquit D. Hieronymus, regiones sunt trans Arabiam fertiles camelorum, omnisq; pro-
3. Reg. 10 uincia appellatur Saba. Vnde fuit & Saba regina, quæ venit sapientiam audire Salomonis. Mysticè per camelos & dromedarios accipi possunt homines vitiorum sarcina graui pressi, qui ad Dominum conuersi, munera Deo grata obtulerunt. D. Hieronymus hoc loco ait per familiaria nomina gẽtium barbararum, quæ vicinæ sunt Israëli, totius mundi conuersionem prædicari. *Omnes de Saba uenient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes.* Hoc hodiè fecerunt beatissimi Magi, admirabili cum feruore ex longinquis regionibus ad natum Saluatorem properantes, nihil neq; itineris prolixitate, neque vllius periculi metu, nec loci deniq;, in quo paruulus Iesus tum erat, vilitate à suo proposito deterriti. Quorum debemus imitari fidem & deuotionem, nec cessare ab inquirendo Domino, donec illum duce gratia, tanquam stella, intra nos in intimis animi nostri penetralibus, vbi eius sedes est, inueniamus: atq; inibi illi offerre myrrham veræ pœnitentiæ, thus deuotionis, aurum flagrantis charitatis. Huc nos inuitant beati Magi, gentium primitiæ, quos necesse est ex omni æternitate peculiariter à Deo fuisse electos, vt filium eius ipsi primi ex omnium gentium multitudine & agnoscerent & adorarent. Scribit Nicephorus Callistus Ecclesiasticæ Historiæ lib. 1. cap. 13. eos ma-
trem & puerum conspexisse in obscura, humili & paupere casa viuentes, & in rebus omnibus ad summam parsimoniam & frugalitatem nihil reliqui facientes. Sic visum fuit regi immortali & rerum omnium præpotenti Domino propter nos se abijcere, & in ipso suo ortu damnare fastũ & superbiam atq; intemperantiam nostram. Non illum puduit à tantis viris in tanta vilitate & inopia conspici, sed iam rebus ipsis clamare cæpit, quod posteà verbis docuit: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Præstet ille om Matth. 11.
nibus nobis gratia & benignitate sua, vt sicut illum hodiè summo gaudio conspexerant beatissimi tres Magi in extrema abiectione & inopia: ita nos in supremò die reuersurum secura mente videre mereamur in eius immensa maiestate & gloria, Qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

IN EPIPHANIA DOMINI SERMO LEONIS PAPAE: EST-que primus de hac solennitate.

Celebrato proximè die, quo intemerata virginitas Mariæ humani generis ædidit saluatorem, Epiphaniæ nobis dilectissimi veneranda festiuitas dat perseuerantiam gaudiorum, vt inter cognatarum solennitatum vicina sacramenta exultationis vigor, & feruor fidei non tepescat. Ad omnium enim hominum spectat salutem, quod infantia mediatoris Dei & hominum iam vniuerso declarabatur mundo, cùm adhuc exiguo detineretur oppidulo. Quanuis enim Israëliticam gentem, & ipsius gentis vnam familiam delegisset, de qua naturam vniuersæ humanitatis assumeret, noluit tamen intra maternæ habitationis angustias ortus sui latere primordia, sed mox ab omnibus voluit agnosci, qui dignatus est omnibus nasci. Tribus igitur Magis in regione orientis stella nouæ claritatis apparuit, quæ illustrior cæteris pulchriorq; syderibus, facilè in se intuentium oculos animosq; conuerteret, vt confestim aduerteretur non esse ociosum, quod tam insolitum videbatur. Dedit ergo aspicientibus intellectum, qui præstitit signum: & quod fecit intelligi, fecit inquiri, & se inueniendum obtulit requisitus. Sequuntur tres viri superni luminis ductum, & præuij fulgoris indicium intenta contemplatione comitantes, ad agnitionem veritatis gratiæ splendore ducuntur, qui humano sensu significatum sibi regis ortum, æstimauerunt in ciuitate regia esse quærendum. Sed qui serui susceperat formam,

mam, & non iudicare venerat, sed iudicari, Bethleem prælegit natiuitati, Ierosolymam passioni. Herodes verò audiens Iudæorum principem natum, successorem suspicatus expauit, & molitus necem salutis author, falsum spopondit obsequium. Quàm felix foret si Magorum imitaretur fidem, & cõuerteretur ad religionem, quod disponebat ad fraudem. O cæca stultæ æmulationis impietas, quæ perturbandum putas diuinum tuo furore consilium. Dominus mundi, temporale non quærit regnum, qui præstat æternum. Quid incommutabilem dispositarum rerum ordinem vertere, & aliorum facinus præoccupare conaris? Mors Christi non est temporis tui. Antè condendum est euangelium, antè prædicandum est Dei regnum, antè sanitates donãdæ, antè sunt facienda miracula. Cur quod alieni futurum est operis, tui esse vis criminis, & non habiturus effectum sceleris, in solum te reatum præcipitas voluntatis? Nihil hac molitione proficis, nihil peragis. Qui voluntate natus est, arbitrij sui potestate morietur. Consummant ergo Magi desiderium suum, & ad puerum Dominũ Iesum Christũ eadem stella præeunte perueniunt: adorant in carne verbum, in infantia sapientiam, in infirmitate virtutem, & in hominis veritate Dominum maiestatis, atq; vt sacramentum fidei suæ intelligentiæq; manifesteut, quod cordibus credunt, muneribus protestantur. Thus deo, myrrham homini, aurum offerunt regi, scienter humanam diuinamq; naturam in vnitate venerãtes: quia quod
† potestate. erat in subſtantijs proprium, non erat in † persona diuersum. Reuersis autem Magis in regionẽ suam, & translato Iesu in Aegyptum ex admonitione diuina, exardescit fruitrata in meditationibus suis Herodis insania, necari omnes Bethleem paruulos iubet. Et quoniam quem metuat nescit infantem, generalem sæuitiam in suspectã sibi tendit ætatem. Sed quos rex impius eximit mundo, Christus inserit cælo: & quibus nondũ sanguinis sui impendit redemptionem, iam martyrij tribuit dignitatem. Erigite ergo dilectissimi fideles animos ad coruscantem gratiam luminis sempiterni, & impensa humanæ saluti sacramenta venerantes, studium vestrum his, quæ p vobis gesta sunt, subdite. Diligite castimoniẽ puritatem, quia Christus virginitatis est filius. Abstinete vos à carnalibus desiderijs, quæ militant
1. Pet. 2. aduersus animam, quemadmodum nos præsens beatus Apostolus suis, vt legimus, verbis hortatur. Malitia paruuli estote, quia Dominus gloriæ
1. Cor. 14. Matth. 11. mortaliũ se conformauit infantiæ. Sectamini humilitatem, quã Dei filius discipulos suos docere dignatus est. Induite vos virtute patiẽtiæ, in qua animas vestras posſitis acquirere: quoniã qui cũ
Coloss. 3. ctorum est redemptio, ipse est omnium fortitudo. Quę sursum sunt sapite, non quæ super terrã. Per viam veritatis & vitæ cõstanter incedite: nec vos impediant terrena, quibus parata sunt cælestia: Per Iesum Christum Dominũ nostrum, &c.

DE EODEM FESTO, Matthæi 2.

Cum natus esset Iesus in Bethleem Iudæ, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab oriente uenerunt Ierosolymam, dicentes: Vbi est, qui natus est, rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente, & uenimus adorare eum. Et reliq. Homilia beati Gregorij Papæ.

Sicut in lectione euangelica fratres audistis, cęli rege nato, rex terrę turbatus est: quia nimirũ terrena altitudo confunditur, cum celsitudo cælestis aperitur. Sed quærendum nobis est, quisdnam sit, quòd redemptore nato pastoribus in Iudæa angel⁹ apparuit, atq; ad adorandũ hunc ab oriente Magos, nõ angelus, sed stella perduxit. Quia videlicet Iudæis, tanquam ratione vtentibus, rationale animal, id est, angelus prædicare debuit: gentiles verò quia vti ratione nesciebant, ad cognoscendum Dominum non per vocem, sed per signa perducuntur: quia & illis prophetiæ tanquam fidelibus, non infidelibus, & istis signa tanquam infidelibus & non fidelibus data sunt. Et notandum, quòd redẽptorẽ nostrũ cùm iam perfectę esset ætatis, eisdem gentibus apostoli prædicant, eumq; paruulum & necdum per humani corporis officium loquentem, stella gentibus denunciat: quia nimirum rationis ordo poscebat, vt loquẽtem iã Dominum loquentes nobis prædicatores innotescerent, & necdum loquentem, elemẽta muta prædicarent. Sed in omnibus signis, quæ vel narrent, aut Innotescerent, aũt
scente Domino, vel moriẽte eo monstrata sunt, ne dicit.
considerandũ nobis est quanta fuerit in quorũdã Iudæorũ corde duritia, quæ hũc nec per prophetiæ donũ, nec per miracula agnouit. Omnia quippe elemẽta authorẽ suũ venisse testata sunt. Vt enim de eis quiddã vsu humano loquar, Deũ hunc cæli esse cognouerunt, quia protinùs stellã miserunt. Mare cognouit, quia sub plantis eius Mat. 14.
se calcabile præbuit. Terra cognouit, quia eo Matt. 27.
moriẽte cõtremuit. Sol cognouit, quia lucis suæ radios abscõdit. Saxa & parietes cognouerunt, quia tẽpore mortis eius scissa sunt. Infern⁹ agnouit, quia hos quos tenebat mortuos, reddidit. Et tamen hunc, quem Deum omnia insensibilia elementa senserunt, adhuc infidelium Iudæorum corda Deũ esse minimè cognoscunt, & duriora saxis scindi ad pœnitendum nolunt, eumq; cõfigteri abnegant, quem elementa, vt diximus, aut signis, aut scissionibus Deum clamant. Qui etiam ad dãnationis suę cumulum, eum quẽ natum despiciũt, nascturũ longè antè præscierũt, & nõ solùm quia nasceretur, nouerant, sed etiã vbi nasceretur. Nam ab Herode requisiti, locũ natiuitatis eius exprimunt, quem scripturæ authoritate didicerunt, & testimonium proferunt quòd Bethleẽ honorari natiuitate noui ducis ostenditur, vt ipsa eorum gemina scientia, & illis fieret ad testi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

testimonium damnationis & nobis ad adiutoriũ credulitatis. Quos profectò bene Isaac cùm Iacob filium suum benediceret, designauit, qui & caligans oculis & prophetans, in præsenti filium non vidit, cũ tamẽ multa in posterum præuidit.

Genes. 27. Quia nimirum Iudaicus populus, prophetiæ spiritu plenus & cæcus, eum de quo multa in futurũ prædixit, in præsenti positũ non agnouit. Sed natiuitate regis nostri cognita, Herodes ad callida argumenta conuertitur, & ne terreno regno priuaretur, renunciari sibi vbi puer inueniretur postulat, adorare eum se velle simulat, vt quasi hũc si inuenire posit, extinguat. Sed quantâ est humana malitia contra consilium diuinitatis? Scriptum quippe est: Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Nã ea quæ apparuit Magos stella perduxit, natum regem reperiunt, munera deferunt, & ne redire ad Herodem debeant, in somnis admonentur.

Pro. 21.

Herodes typus hypocritarum.

Sicq; fit, vt Iesum quem quærit Herodes, inuenire non possit. Cuius persona qui alij quàm hypocritæ designantur? Qui dum fictè quærunt, inuenire Dominum nunquam merentur. Sed inter hæc sciendum est, quòd Priscillianistæ hæretici nasci vnumquenq; hominem sub constitutionibus stellarum putant. Et hoc in adiutorium sui erroris assumunt, quòd noua stella exijt cùm Dominꝰ in carne apparuit, cuius fuisse fatum eandẽ quæ apparuit stellam, putant. Sed si euãgelij verba perpendimus, quibus de eadem stella dicitur, vsque dum veniens staret suprà, vbi erat puer: dum non puer ad stellam, sed stella ad puerum cucurrit, si dici liceat, non stella fatum pueri, sed fatum stellæ is qui apparuit, puer fuit. Sed absit à fidelium cordibus, vt aliquid esse fatum dicant. Vitã quippe hominum solus hanc conditor, qui creauit administrat. Neq; enim propter stellas homo, sed stellæ propter hominem factæ sunt. Et si stella fatum hominis dicitur, ipse suis ministerijs subesse homo perhibetur. Certè cùm Iacob de vtero egrediens, prioris fratris plantam teneret manu, prior perfectè nequaquam egredi potuit, nisi & subsequens inchoasset. Et tamen cùm vno tempore eodemq; momento vtrunq; mater fuderit, non vna vtriusq; vitæ æqualitas fuit. Sed ad hæc solent mathematici respondere, quia virtus constellationis in ictu pungentis est. Quibus è diuerso nos dicimus, quia magna est mora nati uitatis. Si igitur in ictu puncti constellatio permutatur, necesse iam erit vt tot dicant fata, quot sunt membra nascentium. Fateri etiam mathematici solent, quod quisquis signo Aquarij nascitur, in hac vita piscatoris ministerium sortiatur. Piscatores verò, vt fertur, Getulia non habet. Quis igitur dicat, quia nemo illic in stella Aquarij nascitur, vbi piscator omnino non habetur? Rursum quos nasci signo Libræ asserunt, trapezetas futuros dicunt. Et trapezetas multarum gẽtium prouinciæ ignorant. Fateantur ergo necesse est: aut hoc in eis signum deesse, aut effectum fatalem nullo modo habere. In Persarum quoq; Francorũq; terra reges ex genere prodeunt, quibus profectò nascentibus, quis æstimet quanti eisdem momentis horarum ac temporum ex seruili conditione nascuntur? Et tamen regnum filij, vno eodemq; sydere cum seruis nati ad regnũ proficiunt, cùm serui, qui secum fuerant geniti, in seruitute moriantur. Hæc de stella breuiter diximus, ne mathematicorum stultitiam indiscussam præterijsse videamur. Magi verò aurũ, thus, & myrrham offerunt. Aurum quippe regi congruit, thus verò in Dei sacrificiũ ponebatur: myrrha aũt mortuorũ corpora condiuntur. Eum ergo Magi quem adorant, etiam mysticis muneribus prædicant, auro regem, thure Deum, myrrha mortalem. Sunt verò nonnulli hæretici, qui hũc Deum credunt, sed vbiq; regnare nequaquã credunt. Hi profectò ei thus offerunt, sed offerre ei aurũ nolunt. Et sunt nonnulli, qui hunc regẽ existimant sed Deum negant. Hi videlicet ei aurum offerunt, sed offerre thus nolunt. Et sunt nonnulli, qui hũc & Deum & regem fatentur, sed assumptæ mortalitatis nolunt. Nos itaq; nato Domino offeramus aurũ, vt hunc vbiq; regnare fateamur. Offeramus thus, vt credamus quòd is qui in tempore apparuit, Deus ante tempora extitit. Offeramus myrrhã, vt eum quem credimus in sua diuinitate impassibilẽ, credamus etiam in nostra fuisse carne mortalem. Quanuis in auro, thure, & myrrha intelligi & aliud potest. Auro nanq; sapientia designatur, Salomone attestante, qui ait:

Contra Mathematicos,

Gen. 25.

Getulia non habet piscatores

Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapiẽtis. Thure aũt quod Deo incenditur, virtus orationis exprimitur, Psalmista testante, qui ait: Dirigatur Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Per myrrham verò carnis nostræ mortificatio figuratur. Vnde sancta Ecclesia de suis operarijs, vsq; ad mortẽ pro Deo certãtibus, dicit: Manus meæ distillauerũt myrrhã. Nato ergo regi aurum offerimus, si in cõspectu illius claritate supernæ sapiẽtię resplendemus. Thus offerimus, si cogitationes carnis per sancta orationũ studia in ara cordis incendimꝰ, vt suaue aliquid Deo per cæleste desideriũ redolere valeamus. Myrrhã offerimꝰ, si carnis vitia per abstinentiam mortificamus. Per myrrhã nanq;, vt diximus, agitur, ne mortua caro putrefiat. Mortuã verò carnẽ putrescere, est hoc mortale corpus fluxui luxuriæ deseruire, sicut de quibusdã per prophetã dicitur: Cõputruerunt iumenta in stercore suo. Iumenta quippe in stercore suo putrescere, est carnales homines in fœtore luxuriæ vitam finire. Myrrhã ergo Deo offerimus, quãdo hoc mortale corpus à luxurię putredine, per condimentũ cõtinentiæ custodimus. Magnũ verò nobis aliquid Magi innuunt, q̃ in regionem suam per aliam viam reuertuntur. In eo nanq; quod admoniti faciũt, nobis ꝓfectò insinuãt quid facimus.

Prou. 27.

Psal. 140.

Cant. 5.

Ecclꝰ. 24.

Re-

Regio quippe nostra paradisus est, ad quam Iesu cognito, redire per viam qua venimus prohibemur. A regione etenim nostra superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetitũ gustando discessimus: sed ad eam necesse est vt flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atq; appetitum carnis refrænando redeamus. Per aliam ergo viam ad regionem nostram regredimur, quoniam qui à paradisi gaudijs per delecta menta discessimus, ad hæc per lamenta reuocamur. Vnde necesse est, fratres charissimi, vt semper pauidi, semperq; suspecti ponamus ante oculos cordis, hinc culpas operis, illinc iudicium extremæ districtionis. Pensemus quàm districtus iudex veniat: qui iudicium minatur & latet: terrores peccatoribus intentat, & tamen adhuc sustinet: & idcircò citiùs venire differt, vt minꝰ inueniat quos damnet. Puniamus fletibus culpas, & cum Psalmistę voce, præueniamus faciem eius in confessione. Voluptatũ ergo nos fallacia nulla vana lætitia seducat. In proximo namq; est iudex, qui dixit: Væ uobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Hinc enim Salomon ait: Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctꝰ occupat. Hinc iterum dicit: Risum deputaui errorem, & gaudio dixi, quid frustra decipis? Hinc rursus ait: Cor sapientium vbi tristitia est, & cor stultorum vbi lætitia. Pertimescamus ergo præcepta Dei, si celebramus veraciter solennitatem diei. Gratũ est namq; Deo sacrificium afflictio contra peccatum, Psalmista testante, qui ait: Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Peccata nostra præterita in baptismatis perceptione laxata sunt, & tamẽ post baptisma multa committimus, sed lauari iterũ baptismatis aqua non possumus. Quia ergo & post baptismum inquinauimus vitam, baptizemus lachrymis conscientiam, quatenùs regionem nostram per viam aliam repetẽtes, qui ex ea bonis delectati discessimus, ad eã malis amaricati redeamus.

Pſal. 94.

Luc. 6.

Prou. 14.

Eccle. 2.

Eccleſ. 7.

Pſal. 50.

DE EODEM FESTO, SERmo Beati Maximi Episcopi.

IN hac dilectissimi celebritate, sicut relatu paternę traditionis instruimur, multiplici nobis est festiuitate lætandum. Ferunt enim hodiè Christũ Dominum nostrum vel stella duce à gentibus adoratũ, vel inuitatum ad nuptias, aquas in vina vertisse, vel susceptò à Ioanne baptismate consecrasse fluenta Iordanis, suumq; simul purificasse baptistam. Sed quid potissimùm præsenti hoc factũ sit die, nouerit ipse qui fecit, nos tamẽ credere, nec dubitare debemus, quicquid illud est, factum esse pro nobis. Nam quòd eum fulgentioris stellæ radijs incitati adorauere Chaldæi, Deũ verum gentibus spes data est adorandi. Quòd aquæ nouo sunt ordine in vina mutatæ, noui nobis poculi prælibatum est sacramentum. Quòd autem baptizatus est agnus Dei, regenerantis baptismi salutare nobis munus est dedicatũ. Oportet itaq; nos fratres, ob honorem Saluatoris nostri, cuius natiuitatem debita nuper cum exultatione transegimus, omni cum deuotione etiam hunc virtutum eius celebrare natalem. Et quàm rectè tria hæc nobis vno acta in die mysteria prædicantur, qui ineffabilis trinitatis arcanum vno Dei sub nomine confitemur? Per hæc ergo miracula Christus Dominus redẽptorq; noster oculis se voluit reuelare mortalium, quatenùs inuisibilis eius diuinitas, quæ latebat in homine, in opere nõ lateret, vt dũ tentator verbũ omnipotentis patris non deprehẽdit in carne, omnes vbiq; qui in Dei filio verbum & carnem crederent, saluarentur. Et quidem videbat diabolus infantẽ pannis obsitum, sed ignorabat ipsum esse, qui remotis initiò tenebris, mundum luce vestiuit. Videbat eum mortalis matris hubera sugentem, sed nesciebat ipsum esse, qui esurientem Hebræum populũ angelico fecit pane velut cęlesti lacte pinguescere. Videbat paruulum angustis in cunabulis quiescentem, sed videre non poterat ipsum esse, quem non capit mundus. Quanto igitur inimicus in hac Christi humilitate per incerta distractus stupore nutabat, cùm per Chaldæos, præcipuos vtiq; tyrannidis suæ ministros, nouum videret infantulum, velut noui imperij regem, regijs muneribus honorari? Aut quomodò nõ stuperet, cùm turbatus inspiceret à Magis suis adorari puerum, quem ipse nesciret? Quo torqueba tur languore, cùm pariter eius & cunas in terris despiceret, & stellam miraretur in cælo? Vnigenitus aũt altissimi sic humiliter ingressus est mundum vt indubitata diuinitatis suæ deferret indicia. Natus enim de fœmina est, sed natus ex virgine. Latebat in præsepi, sed in sydere rutilabat: vt hominem illum Deumq; esse, & terrena mater, & signum cæleste monstraret. Quibus verò radijs, quanto ue lumine illam Domini stellam antiqua credimus tunc inter astra fulsisse? Quantùm in splendore præcesit, quæ tantùm præbat in munere, quæ velut quidam totius orbis oculis, caligantis mũdi veterem nouauit aspectum? Ecce fratres ad quærendum regem regum, vna Chaldæos stella pertraxit: Iudaicum verò populum ad obedientiã Dei fui, nec ignea quondam potuit columna conuertere. Nec sanè quenquàm moueat tanta hæc perfidia Iudæorum, quòd Christi illos fidem suscipere, neque noui stella fulgoris, nec parturiens virgo compulerit, qui nec tum quidem Deo credidere suo, cùm illos per arentia deserta, ipso comitante Deo cælum pasceret, petra potaret. Sed iam ad illud præcipuum Christi miraculum veniamus, quo pro documento deitatis suæ aquas vertit in vinum. Inuitatus itaq;, vt legitur, Dominus perrexit ad nuptias: sed vt dignaretur hoc virginis filius, nostræ eruditionis est ratio, vt hoc docti exẽplo, legitimarum illum nuptiarum non negemus

Matth. 3.

Splendor

Magis apparuit.

Christus

cur ad nuptias iuerit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gemus authorem. Vadit ergo ad nuptias Dei filius, vt quas dudum potestate constituit, nunc præsentiæ suæ benedictione sanctificet. Vadit ad nuptias veteris instituti, nouam sibi perpetuæ virginitatis sponsam gentium de conuersione facturus. Vadit ad nuptias, quem nuptiæ non creant. Vadit ad nuptias, non vtique vt conuiuijs delectetur, sed vt mirabilibus innotescat. Vadit ad nuptias non sumpturus pocula sed daturus. Nam cùm defecisset nuptiantibus vinum ait illi beatissima Maria: Vinum non habent. Cui velut indignans respondit Dominus: Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea. Hæc verba indignantis esse quis dubitet? Sed idcirco, vt reor, quia tam temerè ei mater de defectu carnalis poculi suggerebat, qui venerat totius orbis gentibus nouum salutis æternæ calicem propinare. Quòd enim ait, Nondum venit hora mea, illam nimirum gloriosissimam passionis suæ horam, atque illud redemptionis nostræ vinum, quod vitæ omnium proficeret, promittebat. Nam quod petebat Maria, erat gratiæ temporalis: quod Christus parabat gaudij sempiterni. Nec tamen piguit benignissimum Dominum, dum magna veniunt, parua præstare. Et ideò venerabilis Maria verè vt mater Domini, in spiritu futura prænoscens, ac dominicam præuidens voluntatem, solicitè ministros admonuit, dicens: Quodcunque dixerit vobis, facite. Sciebat procerto mater sancta obiurgationem illam Domini filijque sui, non irascentis offensam prætendere, sed miserentis portare mysterium. Tunc Dominus increpatæ matris releuans pudorem, suamq; iam aperiens maiestatem, expectantibus ait ministris: Implete hydrias aqua. Nec mora, obsequium suum obediens minister exhibuit. Et ecce repentè aquæ illæ cœperunt mirabiliter fortitudinem sumere, ducere colorem, odorem præbere, saporem concipere, totamq; simul mutare naturam. Quæ permutatio aquarum à sua in aliam creaturam, præsentis creatoris est testata virtutem. Neque verò quisquam conuertere aquas in vsus posset alios, nisi ille qui eas fecit ex nihilo. Stupuit ergo minister attonitus, quia quas miserat, & vina sumebat, lætatusque nimiùm illa se suis humeris fluenta portasse, per quæ Dei esset gloria reuelata. Nemo enim quicquam locutus in tempore illo, hydrijs præter aquam nihil adiectum, ars nulla conducta est, & tam grande miraculum, inter pauida circunstantium silentia, sola tantùm voluntas Domini tacentis effecit. Nec dubitandum charissimi, quin ipse aquas traduxit in vinum, qui eas ab initio † congregauit in niues, durauit in glaciem, Aegyptijs vertit in sanguinem, & Hebræis sitientibus manare arida de rupe præcepit, quæ innumerabilium multitudinem populorum stillicidio noui fontis, vice maternorum huberum nutriebat. Quid primùm stupeas, quid mireris? vinum de aqua, an aquam de petra? Sed nulla te, quicunque inter ista cunctaris, infidelitas turbet, quia dubium non est, ad nutum creatoris creaturarũ elementa pendere. Aut cur non credamus virtute dominica vinum potuisse fieri de aqua, cùm nobis operante Deo, fomentis imbrium terræ de gremio per ministeria vinearum aqua surgat in vinum? Hoc, inquit, fecit Iesus initium signorum in Cana Galiliæ, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius. Crediderunt discipuli, non vtique hoc quod fieri cernebant, sed illud quod carnalis videre non posset aspectus. Crediderunt, non quòd Christus Iesus filius esset virginis, quod sciebatur, sed quòd idé vnigenitus esset altissimi, quod in opere probabatur. Vnde & nos, fratres charissimi, toto corde credamus ipsum esse Dei filiũ, quẽ filiũ hominis cõfitemur. Credamus illũ & nostræ consortẽ naturæ, & paternæ substantiæ coæqualem: quoniã & nuptijs interfuit vt homo, & aquam in vinum mutauit vt Deus, quatenùs fidei huius meritò, nos etiã Dominus noster sobrio illo gratiæ suæ vino propitius potare dignetur, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Ibidem.

Ibid.

Fecerunt Exod. 7. Exod. 17.

DE EODEM FESTO, HOMILIA EVSEBII Emeseni.

NOn vacatà mysterio, quòd beata virgo Maria, relicta patria, ciuitate, & domo, filium suum in Bethleem parere venit. Bethleẽ enim domus panis interpretatur. Iesus autem de seipso loquitur, dicens: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Dignum ergo fuit, vt panis viuus in domo panis nasceretur, cuius Christi natiuitas fuerit causa vt sic vocaretur. Neque enim ideò Christus in ea natus est, quia sic vocabatur: sed ideò ipsa sic vocata est, quia Christus in ea oriebatur. Simus igitur & nos Bethleem, simus domus panis: qui enim panis non fuerit, interibit. Hoc enim Dominus ipse ait: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in nobis. Suscipiamus itaque Christum in domo nostra, suscipiamus eum in mente & in pectore nostro. Oriatur in nobis ipse enim via, veritas, & vita: ipse sapientia & iustitia. Ipse igitur oritur in nobis, quando ista nascuntur & ædificantur in nobis. Sequitur: *Ecce Magi ab oriente uenerunt.* Quare ab oriente? Quia iam interiùs illuminati erant, & iam sol iustitiæ eorum mentes illustrauerat. Sed vbi venerunt? *Hierosolymam.* Et quid dicebant? *Vbi est qui natus est rex Iudæorum?* Vnde hoc scitis? quis hoc vobis indicauit? At illi: *Vidimus stellam eius in oriente, & uenimus adorare eum.* Isti enim sunt primitiæ gentium: isti † priùs ex gentibus in Christum ffor crediderunt. His non terra, sed cæli Christi nati *mi*uitatem prædicauerunt. Et in his quidem complebant

Ibid.

Ioan. 6.

Ioan. 14. 1. Cor. 1.

pletum est illud quod dicitur, Cæli enarrant gloriam Dei. Credunt autem isti cælo non loquenti, sed nouam stellam ostendenti: Iudæi verò credere nolunt Christo prædicanti, prophetias exponenti, mortuos suscitanti, cæcos illuminanti, & alia miracula facienti. Sed nunquid illa stella videbatur ab omnibus? Si enim ab omnibus videretur, nequaquam se eam in oriente vidisse dicerent, quæ non solùm in oriente appareret. Factum est autem, vt visa stella, quicquid per eam significabatur mox intelligerent, non tamen astrologiæ artis demonstratione, sed sanctispiritus illustratione. Christum igitur in stella quærebant, quem diuina inspiratione per stellam significari intelligebant. Hoc enim & Balaam significauerat, dicens: Orietur stella ex Iacob, & exurget homo ex Israël. Est igitur Christus & homo & stella: stella in significatione, homo in veritate: stella gentibus, homo Iudæis. Gentes enim in stella sequuntur, & illuminantur: Iudæi hominẽ tantùm esse putãt, & excæcantur. Vnde ipse quoque ait: In iudicium ego veni in hunc mundum, vt qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant. *Audiens autem Herodes rex, turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo.* Magna quidem erant quæ dicebantur, sed quia lætitiam sonabant, & totius regni innuebant, non itaque perturbari, sed lætari & Herodes & omnis Hierosolyma debuisset. Sic enim infirmi oculi viso lumine perturbari solent. Bene autem isti tales in prophetarum libris per illas aues significantur, quas dies excæcat, & nox illuminat. Sed quis non lætetur, dum puer noster adhuc in cunabilis vagit, & rex terræ cum toto regno suo timore dissoluitur? Ne timeas miser: non enim venit vt regnum tibi auferat, sed vt omnibus de regno expulsis regnum restituat. Sequitur: *Et congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei, In Bethleem Iudæ, Sic enim scriptum est per prophetam: Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te enim exiet Dux, qui regat populum meũ Israël.* Turbatus enim Herodes quiescere non potest, angitur, angustatur, & ne eximprouiso capiatur, principes sacerdotum & scribas populi vocat, vbi Christus nascatur inquirit. Dicitur ei, In Bethleem Iudæ. Timor additur timori, & qui Magorum verbis perturbatus fuerat, iterum scribarum & sacerdotum responsione terretur. Quomodò enim terreri non poterat, qui tantùm terrena sapiens, regnum amittere timebat, dum suo tempore Christum natum esse audiebat? *Tunc Herodes clàm uocatis Magis: diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit illis.* Hoc autẽ ideò faciebat, vt si Christum inuenire non posset, saltem natiuitatis eius tẽpore cognito, qui solus occidi non poterat, simul cum cæteris eiusdẽ ætatis pueris necaretur. Non enim intelligis Herodes, non intelligis quid tibi per Moysen à Domino dicitur: Non coques hœdum in lacte matris suæ, id est, non occides Christum infantem, & ad virginis matris vbera pendentem. *Et mittens eos in Bethleem, dixit: Ite, interrogate diligenter de puero, & quum inueneritis, renunciate mihi, ut & ego ueniens adorem eum.* Nihil proficis, nihil hac tua calliditate agis. Non est consilium, nec fortitudo, neque sapientia contra Deum. *Qui quum audissent regem, abierunt. Et ecce stella quam uiderant in Oriente antecedebat eos, usque dum ueniens staret supra ubi erat puer. Videntes autem stellam, gauisi sunt gaudio magno ualdè.* Recedunt Magi ab Herode, & vident stellam, quia & illi qui à diabolo separantur, vident iustitiæ lumen. Sed quare eos antecedit stella, nisi vt viam eis ostendat, & ad puerum ducat? Sequuntur igitur eam, veniunt Bethleem, stat supra domum illam, in qua erat virgo Maria. Stat stella supra stellam. Maria enim stella maris interpretatur. Stella itaq; filius, stella & mater. Stella oritur de stella, sed maior quæ oritur, quàm illa de qua oritur. Vnde & meritò suprà stare videtur. Non dixit supra puerum. Sed quid dixit? Suprà vbi erat puer. Vbi enim erat puer nisi in sinu matris? Stabat igitur stella, & clamabat. Habet enim linguam suam. Ne enim longè petamus exempla, sic illa stella loquebatur Magis, sicut istæ literæ loquuntur nobis. Significando igitur loquebatur. Sed quid significabat? quid dicebat? Vis audire quid? Hic est puer, hic est mater pueri, hic eum quærite, hic eum inuenietis, hic in paruo corpusculo latet, qui vbique est & omnia replet. Hoc est enim quod dicit, *Videtes autẽ stellam, gauisi sunt gaudio magno ualdè.* Quid est enim videntes stellam, nisi videntes & intelligentes quid significabatur & dicebatur per stellam? Non enim magnum gaudium est, videre stellas. Nam Solem & Lunam sæpè videmus, & non multum videndo gaudemus. Gaudebant igitur non propter stellam, sed propter stellæ significatum. *Et intrantes domum, inuenerunt puerum cũ Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum. Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham.* Quanta igitur tunc tibi exultatio fuerit, ô virgo beatissima Maria, quis cogitare valeat, quando eum quem nuper genueras, iam quasi Deum adorari videbas? Suscipe prima munera filij tui, suscipe tributa quæ ei soluuntur: & quæ alijs tributa soluere veneras, ipsa ab alijs tributa suscipias. Ad hoc enim, vt Lucas ait, venerat Ioseph in Bethleem, vt ipse quoq; sicut cæteri profiteretur, & obligaret se tributa persoluere, eò quòd esset de domo & familia Dauid. Vnde manifestum est, quòd secundùm familias tributa soluebantur, omnesq; eiusdem familiæ propter hoc in vnum conueniebant. Sic quidem & Ioseph & Maria, quia erant de familia Dauid, in Bethleem venire necessarium fuit, vbi illa familia habitabat. Sed quare tria munera Magi obtulerunt, nisi vt Trinitatis mysteriũ reuelarent? Primum enim munus offerimus, credendo in Patrem

Psalm. 18

Num. 24.

Ioan. 9.

Exod. 23. 34.

Deut. 14.

Pro 21.

Luc. 2.

Mystica munera tria.

Universidad de Deusto
Biblioteca

trem; secundum in Filium: tertium in Spiritum sanctum. Hæc tria munera nobis sufficiunt. Qui hæc non offert, à Christo non recipitur. Hæc igitur causa est, quare tria munera Domino obtulerunt. Si enim vel plus vel minus offerrent, fidem catholicam non tenerent. Quòd igitur vnusquisque tria munera obtulit, Trinitatis fidem apertissimè demonstrauerunt. Quid autem per aurum significari putamus, nisi illam, quæ cæteris maior est & latiùs fulget, regiam potestatem? Aurum igitur offerimus Christo, quia omnium Regem eum esse credimus. Offerimus & thus: quia Deum esse confitemur. Thus enim in sacrificijs etiam gentiles dijs suis offerre consueuerant. Myrrham quoque ei offerimus, quia sic illum Deum esse credimus, vt hominem & mortalem esse non dubitemus. Myrrha enim, ne corrumperentur, olim corpora mortuorum condiebantur. Quia ergo Christo obtulimus sua, offeramus ei & nostra. Quòd enim regem, & Deum, & hominã eum esse credimus, suum est: nostra verò sunt, quæ nobis à Deo donata sunt. Habet enim Ecclesia aurum in sapientia, thus verò in sancta & bene Deo redolente conuersatione, myrrham autem in amaritudine pœnitentiæ, & carnis mortificatione. Aurum igitur offerunt doctores, thus martyres & confessores, myrrham iam pœnitentes peccatores. In alijs itaque aurum fulget, in alijs thus suauiter redolet, in alijs myrrha sapienter amarescit. Quid aliud Deo offerre possumus? Omnis nostra oblatio in his tribus muneribus continetur: Talia igitur munera obtulerunt Magi, in quibus & fidei veritatem, & totam Ecclesiæ disciplinam significabant. *Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam uiam reuersi sunt in regionem suam.* Reuertamur igitur & nos per aliam viam in regionem nostram: quia per illam qua exiuimus, redire non possumus. Hoc enim & filijs Israël de Aegypto exeuntibus præcipitur, vt per eandem viam non reuertantur. Regio nanque nostra paradysus est, regio nostra est terra viuentium: ibi habitauerunt parentes nostri, inde exierunt. Sed qua via? Vtique per superbiam, per inobedientiam, per vanam gloriam, per gulæ intemperantiam. Per hanc autem viam an patriam redire non possumus. Alia ergo quærenda est, qua in patriam reuertamur. Hæc autem via, Christus est: ipse enim ait, Ego sum via, veritas & vita: nemo venit ad patrem nisi per me. Inuenimus viam, curramus per eam, si recto itinere in patriam redire velimus. Per hanc enim ille currit, qui eius præcepta custodit. Diliges Dominum deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut teipsum. Hoc ipse præcepit. Hoc tibi sufficit custodire: ne quæras amplius. Hæc via in patriam reducit.

Aurum mystice.
Thus.
Myrrha.
Deut. 16.
Ioan. 14.
Deut. 6.
Mat. 22.

INTRA OCTAVAM
Epiphaniæ Ioannis I.

In illo tempore Vidit Ioannes Iesum uenientem ad se, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

IOannes baptista & præcursor domini saluatoris: quem diù venturum populis verbo prædicauerat, ipsum iam venientem ad se sicut ex lectione sancti euangelij fratres cùm modò legeretur audistis, mox digito demonstrauit, dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ecce agnus Dei, ecce innocens, & ab omni peccato immunis, vtpote qui os quidem de ossibus Adam, & caro de carne Adam, sed nullam de carne paccatrice traxit maculam culpæ. Ecce qui tollit peccata mundi. Ecce qui iustus inter peccatores, mitis inter impios, hoc est, quasi agnus inter lupos apparẽs, etiam peccatores & impios iustificandi habet potestatem. Quomodò autem peccata mundi tollat, quo ordine iustificet impios, apostolus Petrus ostendit, qui ait: Non corruptibilibus argento vel auro redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed præcioso sanguine quasi agni incontaminati & immaculati Iesu Christi. Et in Apocalypsi Ioannes apostolus, cuius est hoc euangelium, Qui dilexit nos, inquit, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Non solùm autem lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, quando sanguinem suum dedit in cruce pro nobis, vel quando vnusquisque nostrum mysterio sacrosanctæ passionis illius baptismo aquæ ablutus est: verumetiam quotidiè tollit peccata mundi, lauatque nos à peccatis nostris in sanguine suo, cum eiusdem beatæ passionis ad altare memoria replicatur, cùm panis & vini creatura in sacramentum carnis & sanguinis eius ineffabili spiritus sanctificatione transfertur, ficque corpus & sanguis illius non infidelium manibus ad perniciem ipsorum funditur & occiditur, sed fidelium ore suam sumitur in salutem. Cuius rectè figuram agnus in lege paschalis ostendit, qui semel populum de Aegyptia seruitute liberans, in memoriam eiusdem liberationis, per omnes annos immolatione sua populum eundem sanctificare solebat, donec veniret ipse, cui talis hostia testimonium dabat, oblatusque patri pro nobis in hostiam odoremque suauitatis, mysterium suæ passionis ablato agno, in creaturam panis vinique, transferret, sacerdos factus in æternum secundum ordinem Melchisedech. Sequitur: Ioannes testimonium perhibens de Domino. *Hic est, inquit, de quo dixi, post me uenit uir qui ante me factus est, quia prior me erat.* Post me venit vir, post me natus est in mundo, post me prædicare incipiet mundo. Qui ante me factus est, qui me potentia maiestatis tantùm, quãtùm sol luciferum licet pòst apparens, antecellit. Quia prior me erat, quia in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Post me venit vir, tempus humanæ natiuitatis, quo Ioanne posterior est, intellige. Qui ante me factus est, primatum regiæ potestatis, quo etiam angelis præsidet, intuere. Quia prior me erat, æternitatem diuinæ maiestatis, qua patri æqualis est, intellige. Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat. Post me venit vir in humanitate, qui ideò me præcellit dignitate, quia prior me erat diuinitate. *Et ego nesciebam eum,* inquit. Certum est, quia sciebat Dominum Ioannes, cui testimoniũ perhibere missus est, quem iudicem omnium venturum prædicabat, dicens: Cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, à quo spiritum sanctum dari debere testabatur, Ipse vos baptizabit, inquiens, spiritu sancto: à quo seipsum ablui desiderabat, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Quomodò ergo dicit, Et ego nesciebam eum, nisi quia eum quem antè nouerat, perfectiùs iam cum baptizaretur agnouit? Quem mundi saluatorem & iudicem nouerat, huius potentiam maiestatis altiùs spiritu sancto super eum descendente cognouit. Neque enim dubitandum est, quin B. Ioannes cùm spiritum sanctum licet corporali specie videret, cum vocem patris licet corporaliter sonãtem meruisset audire, multũ ex hoc visu & auditu profecerit, multum de diuinę potestatis excellentia, reuelatis oculis mentis, scientiæ cælestis acceperit, adeò vt ad comparationem intelligentiæ, qua tunc illustrari cœperat, eatenus illum quantus esset, omnimodis sibi videretur ignorasse. Qui testimonium in quod missus est, Domino diligenter perhibens, adiungit: *Sed ut manifestaretur in Israël, propterea ueni ego in aqua baptizans.* Quod est apertè dicere: Non ideò veni in aqua baptizans, quia peccata mundi baptizando tollere possum: sed vt eum baptizando ac prædicando manifestarem populo Israël, qui in spiritu sancto baptizans, ad tollenda peccata non solùm Israël, sed totius mundi, si ei credere voluerint, idoneus est. Propterea veni ego in aqua baptizans, vt sic baptizando illi viam præpararem, qui baptizaret in remissionem peccatorum. *Et testimonium perhibuit Ioannes, dicens: Quia uidi spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & mansit super eum.* Benè in columbæ specie descendit super Dominum spiritus, vt discant fideles nõ aliter eius spiritu se posse repleri, nisi simplices fuerint, nisi veram cum fratribus habuerint pacẽ, quam significant oscula columbarum. Habent autem oscula & corui, sed laniant, quod columba omnino nõ facit, significantes eos qui loquuntur pacẽ cum proximo suo, mala autem in cordibus eorũ. Columbæ autem natura, quæ à laniatu innocens est, illis innocentibus aptissimè congruit, qui pacem sequuntur cum omnibus & sanctimoniam, solliciti seruare vnitatẽ spiritus in vinculo pacis. Atq; ideò spiritus in columba descendendo, non suã tantummodò, vel eius in quem descendit innocentiam simplicitatemq; designat, sed eorum æquè, qui sentiunt de illo in bonitate, & in simplicitate cordis quærunt illum. Quorum vnanimẽ pietatem ac mansuetudinem, spiritali gratia donatam, Dominus ipse laudans loquitur. Vna est columba mea, vna est matri suæ electa genitrici suæ. Matrem quippe ac genitricem Ecclesiæ spiritus gratiã vocat, qua inspirante percepit, vt ipsa quoq; posset columba rectè nuncupari. Deniq; Hebræo sermone, quo scriptura sancta est edita, spiritꝰ genere fœminino appellatur: propter qđ conuenienter Ecclesia vna Christi columba, & hęc matri ac genitrici suę electa nominatur: quia nimirum cp in vnitate fidei Christianę multis de gentibus congregatur, cp columbina ad inuicem pace lætatur, cp electionis sorte beatur, non suo habet merito, sed dono accepit gratię spiritalis. *Et ego, inquit, nesciebam eum,* subaudis tam sublimiter, quàm spiritu in eum descendente cognoui. *Sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem uideris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, q baptizat in spũsancto.* Baptizat Dominꝰ Christum inspũsancto, per spirituũsancti gratiã peccata dimittẽdo. Siue enim ipse aqua aliquos discipulorũ suorũ primus baptizauerit, per quos ad cæteros fideles baptismi riuus proflueret, eosdem etiam spiritu baptizabat, peccata illis relaxando, & spiritus dona ministrando: siue fideles eius, inuocato nomine ipsius, aqua baptizent electos, & chrismate sacro perungant, eosdem nihilominùs ipse spiritu sancto baptizat, quia nemo præter ipsum peccatorum nexus soluere, aut spiritus sancti valet dona tribuere. Vnde euangelista Ioannes cùm dixisset, Audierunt pharisæi, quia Iesus plures discipulos facit & baptizat quàm Ioannes, protinùs adiunxit: Quanquàm Iesus non baptizaret, sed discipuli eius, apertè dicẽs: Quia etsi discipuli Iesu in nomine eius aqua baptizãt, ipse tamen magis baptizare intelligẽdus est, qui peccata dimittit. Baptizat quoq; Dominus in spiritu sancto, cùm per afflationem eiusdem spiritꝰ corda fidelium suorum feruore suæ suæ diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Baptizat in spiritu sancto, cùm cuilibet electorum dat manifestationẽ spiritus ad vtilitatem, virtutes operãdo. De quo baptismate ascensurus in cælum, dixit discipulis: Vos autem baptizabimini spiritu sancto nõ post multos hos dies. Sed diligentiùs intuendum est, quia cùm dixisset, *Super quem uideris spiritum descendentem*, addidit, *& manẽtem super eum.* Et in sanctos enim eius spiritus descendit: verùm quia quamdiu sunt in corpore, peccato carere nequeunt, quia cælestium contemplationi semper oculum mentis intendere non sufficiunt, sed sæpiùs hũc ad terrenæ curam conuersationis inflectunt, in

Ioan. 1
Matth. 3.
Gratia
Cant. 6.
Ioan. 4.
Rom. 5.
Actor. 1.
Oscula columbarum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

eorum proculdubiò cordibus spiritus aliquādo
Ioan. 3. venit, aliquando recedit. Vnde dictū est: Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed non scis vnde veniat, aut quò vadat. Venit quippe ad sanctos, vadit à sanctis spiritus, vt quem semper haberi idonei non sunt, eius per tempora redeuntis, crebra luce reficiantur. In solo autem mediatore Dei & hominum homine Iesu Christo, spūs perpetuò veraciter manet, in quo nec sordidæ cogitationis maculam, quam refugeret, vllā inuenit. Manſit aūt totus in illo, non ex eo solùm tempore, quo hunc Ioannes super eum vidit descendentē, sed ex quo homo fieri incipiens, eius ministerio & opere conceptus est. Vnde etiam potestatem dandi hominibus spiritum, non minùs habet ipse quàm pater, ipso attestāte qui ait:
Ioan. 14. Paracletus aūt spiritussanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Et alio
Ioan 16. loco, q̄ ipse hunc mittat, ostēdit dicens: Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos: si aūt abiero, mittā eum ad vos. Quia nimirum vna est in diuinitate substantia, inse parabilis operatio patris & filij & eiusdem spūssancti. Nam & de ipso spiritu, q̄ sua sponte veniat vbi velit, sua potestate operetur quę velit, testatur filius vbi ait, q̄
Ioan 3. & suprà memoraui, Spiritus vbi vult spirat. Hæc
1. Cori. 2. aūt omnia, inquit Apostolus, operatur vnus atq; idem spiritus, diuidēs singulis prout vult. Idcircò aūt super eum, in quo semper manebat, baptizatum spūs descendere ostenditur, vt & Baptista ipse celiùs iam quem prædicaret ipse agnosceret, & credentibus daret indicium, nequaquā se nisi baptizatos aqua, spiritus eiusdem posse baptisma mereri. Quærendum intereà, quomodò speciale filij Dei agnoscendi signum fuerit, q̄ super eum descenderit & manserit spūs, cùm etiam discipulis ipse p̄mittat, dicēs: Et ego rogabo pa-
Ioan. 14. trem, & aliū paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spūm veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eū, nec scit eum: vos aūt cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Si enim apud seruos Dei electos manet, & in illis est spiritus, quid magni est in filio Dei, q̄ in ipso manere spiritus astruatur? Notandumq; quòd semper in Domino manserit spiritussanctus, in sanctis autem hominibus, quandiù mortale corpus gestauerint, partim maneat in æternum, partim rediturus recedat. Manet quippe apud eos, vt bonis instent actibus, voluntariam paupertatem diligant, mansuetudinem consequantur, pro æterno desiderio lugeant, esuriant & sitiant iustitiam, misericordes sint, munditiam cordis teneant, tranquillitatem pacis amplectantur, sed & pro obseruatione iustitiæ persecutionem pati non reuereantur, eleemosynis, orationibus & ieiunijs, cæterisque spiritus fructibus insistere desiderent. Recedit autem ad tempus, ne semper infirmos curandi, mortuos suscitandi, dæmones eijciendi vel etiam prophetandi habeant facultatem. Manet semper, vt possint habere virtutē, qua mirabiliter ipsi viuant: venit ad tempus, vt etiam alijs per miraculorum signa quale sint intùs, effulgeant. Et *ego uidi, inquit, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei.* Suprà dixerat, Post me venit vir, qui ante me factus est: nunc testimoniū perhibet, quia hic est filius Dei vtriusq; naturæ veritatē, humanæ videlicet & diuinæ, in vna eademq; Christi persona manifestè designans. Erubescat Manichæus audiens, Venit vir: contiscat Photinus audiens, Hic est filius Dei. Audiāt mansueti & lætentur, quia venit vir post Ioannē fortior Ioanne, qui baptizat in spiritusancto, & quia hic est filius Dei. Quia enim per superbiam recessimus homines à Deo, filius Dei per misericordiam factus est homo, vt idem ipse & per diuinitatem patri, & per humanitatem congrueret nobis: per humanitatē similē nobis: p̄ nobis, cū hoste confligere: per diuinitatē patri consubstantialē, ad imaginem nos Dei & similitudinē, quā peccando amisimus, posset dignè recreare: per mortē nostræ fragilitatis destruere eū, qui mortis habebat imperium: & per impassibilē suæ diuinitatis potentiam reconciliare nos Deo patri, cum quo viuit & regnat Deus in vnitate spiritussancti per omnia secula seculorum, Amen.

IN OCTAVA EPIPHANIAE, Matthæi 3.

In illo tempore, Venit Iesus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

LEctio sancti euangelij, quam modò fratres audiuimus, magnum nobis & in Domino & in seruo dat perfectæ humilitatis exemplum. In Domino quidem, quia cùm sit Dominus, non solùm ab homine seruo baptizari, sed etiam ipse ad hunc baptizādus venire dignatus est: In seruo autem, quia cùm sciret se præcursorem ac baptistam sui saluatoris esse destinatum, memor tamen propriæ fragilitatis, iniunctum sibi humiliter excusauit officium, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Sed quia omnis qui se humiliat, exaltabitur, & Dominus, qui in forma hominis propter homines instruendos humilis apparuit, mox à Deo patre quantùm super homines, immò etiam quantùm super angelos, & super omne quod creatum est emineret, apparuit, voce delapsa ad eū huiusmodi à magnifica gloria: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Et fidelissimus atq; humilimus seruus ille Ioānes qui baptizari à Domino, quàm Dominum baptizare magis optauit, & ipsum baptizare Dominum, & apertis suæ mentis oculis descendentem super eum spiritum præ cæteris mortalibus videre promeruit. Verùm quia breuiter

uiter ista prælibauimus, latiùs iam cuncta exposituri, ipsum sacræ lectionis videamus exordiū.
Ioan. 1. *Tunc uenit, inquit, Iesus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo.* Venit filius Dei baptizari ab
1. Pet. 2. homine, non anxia necessitate abluendi alicuius sui peccati, qui peccatum non fecit vllū, nec inuentus est dolus in ore eius, sed pia dispensatione ad abluendam omnis nostri contagionem
Isa. 53. peccati, qui in multis offendimus omnes, & si di-
Ioan. 1. xerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Venit baptizari in aquis ipsarum conditor aquarū, vt nobis qui in iniquitatibus concepti, & in delictis sumus generati, secundæ natiuitatis, quæ per aquam & spiritum celebratur, appetendum insinuaret mysterium. Dignatus est lauari aquis Iordanicis, qui erat mundus à sordibus cunctis, vt ad diluendas nostrorum sordes scelerum, omnium fluenta sanctificaret aquarum. Sed quia humilimam Domini dispensationem ex lectione euangelica cognouimus, etiam serui humilimam obeditionem solicita intentione videamus. Sequitur: *Ioannes autem prohibebat eum dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu uenis ad me?* Expauit illum ad se venisse vt baptizaretur aqua, cui nulla inerat quæ baptismo tergeretur culpa, immò qui per sui gratiam spiritus, cunctam credentibus mundi tolleret culpam. Vnde rectè intelligitur, quòd hic dicit Ioannes: Ego à te debeo
Ioan. 1. baptizari, hoc esse, quod apud euangelistam Ioannem illo ad se veniente dixisse narratur: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Ab illo enim debemus omnes baptizari, qui ad hoc venit in mundum, vt peccata tolleret mundi. Ab illo debuit ipse Ioannes baptizari, id est, à peccati originalis contagione mundari, qui quanuis nullo inter natos mulierum minor, tamen quasi natus ex muliere, culpæ næuo non carebat. Ideoq; cum cæteris mulierum natis, ab eo qui ex virgine natus in carne Deus apparuit, opus habebat
Iob. 15. ablui. Quoniam ergo scriptum est, Quid est homo, vt immaculatus sit, & vt mundus appareat natus ex muliere? iure timuit homo quanuis sanctus, natus tamen ex muliere, & ob id à culpę macula non immunis, baptizare Dominum, quem ex virgine natum nouerat nullam prorsus habere maculam culpæ. Sed quia vera humilitas ipsa est, quam obedientia comes non deserit, quod priùs officium expauit, humiliter impleuit. Nam sequitur: *Respondens autem Iesus, dixit ei: Sine modò, sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Tunc dimisit eum,* id est, tunc demum dimisit, tunc consensit, tunc passus est eum à se baptizari, cùm tali ordine cognouisset omnem iustitiā debere impleri. Sine modò, inquit. Sine me modò, vt iussi, à te baptizari in aqua, & tu postmodùm à me, quod quæris, baptizaberis in spiritu. Sic enim decet nos prærogare exemplum implendæ omnis iustitiæ, vt videlicet discant fideles mei, neminem posse hominem absque vnda baptismatis perfectè iustum existere, & esse omnibus, quanuis innocenter & iustè viuentibus, necessarium viuificæ regenerationis officium, cùm me, qui spiritussancti opere conceptus & natus sum, cognouerit secundæ natiuitatis subijsse, vel potiùs sibi consecrasse lauacrum. Nulla personarum maiorum contemnat ab humilibus meis in remissionem peccatorum baptizari, cùm meminerint Dominum, qui in spiritusancto baptizans peccata dimittere solet, suum baptizandum in aqua submisisse serui manibus caput. Sequitur: *Baptizatus autem Iesus, confestim ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt ei cæli, & uidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, & uenientem super se.* Et hoc ad impletionem omnis iustitiæ pertinet, q̄ baptizato Domino aper- *Cur Domi*
ti sunt ei cæli, & spiritus descendit super eum, vt *no baptis-*
hinc nimirùm fides nostra confirmetur, per my- *zato cæli*
sterium sacri baptismatis aperiri nobis introitū *sint aperti*
patrię cælestis, & spiritussancti gratiam ministrari. Nunquid enim credi decet, Domino tunc primùm cælestia patuisse secreta, cùm recta fides haberet, non minùs tempore quo cum hominibus conuersatus est, quàm pòst & anteà in sinu patris mansisse, & sedem tenuisse cælestē? Aut à tricesimo ætatis anno, quando baptizatus est, spiritussancti dona percepit, qui à prima conceptione spiritusancto plenus semper extitit? Nobis ergo fratres charissimi, nobis sunt hæc celebrata mysteria. Quia enim nobis Dominus sacrosancto sui corporis intinctu baptismi lauacrum dedicauit, nobis quoq; post acceptum baptisma cæli aditum patere, & spiritum sanctum dari demonstrauit. Et congrua multū distantia, quia primus Adam ab immundo spiritu deceptus per serpentem, gaudia regni cælestis amisit: secundus Adā à spiritusancto per columbam glorificatus, eiusdē regni limina reserauit, flammamq; vibrantem, qua ingressum paradisi, expulso Adā primo, Cherub custos intercluſit, secundus Adam hodierna die per aquam lauacri renascentis extingui debere monstrauit: vt vnde ille cum sua coniuge ab hoste victus exijt, ibi iste cum sanctorum Ecclesia, sponsa videlicet sua, de hoste victor rediret: imò potiora redemptis à peccato, vitæ immorta- *Esai. 9.*
lis munera pater futuri seculi, princeps pacis donaret, quàm præsentis seculi pater, princeps discordiæ, venundatus sub peccato, sua cum stirpe perdidit. Quia nimirùm vita illa beatissima, quā deseruit Adam, quanuis incomparabili luce & pace sublimis, ab omni curarum stimulantium nube serena, crebra Dei & angelorum fuerit visione & allocutione glorifica, in terræ tamen huius erat locis constituta, terrenis quanuis nullo labore quæsitis iam alenda fructibus: at hæc quā Christus tribuit, in cælorum est arce vita perennis, non crebra, sed continua diuinæ contemplationis luce refecta. Prima hominis via beata ita fuit immortalis, vt posset in ea homo non mori, si se à peccati seductione cautus seruaret: secūda verò ita fiet immortalis, vt non possit in ea homo

Universidad de Deusto
Biblioteca

Spiritus sanctus cur in columba apparuerit.

mo mori, nec vlla peccáti pulsantis seductione tentari. Benè autem spiritus reconciliator in columba, quæ multum simplex est auis, apparuit, vt & suæ videlicet naturæ simplicitatem per hu-
Sap. 1. ius speciem animalis ostenderet, (spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum) & eum, in quem descendit, mansuetum, mitemq; ac misericordiæ supernæ præconem, ministrumque doceret mundo esse futurum, simul & omnes, qui
Ibid. sua gratia essent renouandi, simplices ac mundicordes admoneret ingredi, iuxta quod scriptum est: Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum, quoniam in maleuolam animam non intrabit sapientia, nec habi-
Actor. 8. tabit in corpore subdito peccatis. Hinc est q̃ Simon, qui in felle amaritudinis & obligatione iniquitatis permanere consensit, partem sortemq; in hoc spiritu habere nequiuit. Illo enim spiritu plenus erat, qui in serpente hominibus apparendo, qua ipse malitiæ & insidiarum peste infectus esset, corda diligenter edocuit. Sed descendente
Mysterium Trinitatis. super Dominũ spiritu, videamus quid sequitur: *Et ecce uox de cælis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Filius Dei baptizatur in homine, spiritus Dei descendit in columba, pater Deus adest in voce: sanctæ & indiuiduæ trinitatis in baptismo declaratur mysterium. Et rectè, vt qui sacramentorum suorum dispensatoribus erat præcepturus docere omnes gentes, & bapti-
Matt. 28. zare eas in nomine patris & filij & spiritussancti, primus ipse suo in baptismate totam personaliter panderet adesse trinitatem. Quòd ait vox pa-
Matt. 3. terna. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*, ad comparationem terrent hominis dicit, in quo peccante quodammodò sibi displicuisse Deus conditor insinuat, cùm ait: Pœnitet me fe-
Gene. 6. cisse hominem in terra. Pœnitentia quidem in Deum nulla cadit, sed nostro more loquens, qui compungi pœnitentia solemus, quando contra votũ nostra opera verti videmus, pœnitere se dixit hominé fecisse in terra, qué à rectitudine suæ facturæ peccando degenerare conspexit. In filio autem suo vnigenito sibi singulariter complacuit, quia hunc hominem quem induerat, à peccato immunem seruare cognouit. Et in hac quoque voce patris, sicut & in cæteris baptizati Domini mysterijs, omnis iustitiæ declaratur impletio. Coæternus enim & consubstantialis patri filius, descendente super eum spiritu, qui sit hominibus intimatur, vt per hoc discant homines, per gratiam se baptismatis, accepto spiritusancto, de filijs diaboli in filios Dei posse transferri, sicut a-
Rom. 8. postolus edocet, fidelibus ita loquens: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater. Et euangelista Ioannes. Quot-
Ioan. 1. quot autem, inquit, receperũt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. His de baptismo nostri saluatoris, fratres charissimi, prout ipse donauit commemoratis, ad nosipsos reuertamur: & quia humilitatem obedientiamq; baptistæ simul & baptizati audiuimus, per humilem obedientiam baptisma quod suscepimus seruare curemus, mũ-
2. Cor. 7. dantes nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationé in timore Dei. humiliter eius subeunda & seruanda mysteria, eis qui nec dum his sunt initiati, suadeamus: & quotquot per gradum sacerdotalem ad dispensanda sumus illius sacramenta promoti, humiliter iniũctum nobis impleamus officium. Studeamus oés soliciti, vt ianuã patriæ cælestis, quæ nobis est diuinis patefacta mysterijs, humanis ipsi nobis non intercludamus illecebris. Neq; enim
Luc. 5. frustrà Dominum apud euangelistam Lucã post baptisma orasse, & sic cælo aperto spiritum ac vocem patris veniße commemoratur: quia etiam tribus consonantibus euangelistis baptizatus, mox ieiunium quadraginta dierum solitarius exercuit: sed nos profectò docuit, nosq; suo informauit exemplo, vt postacceptam in baptismo remissionem peccatorum, vigilijs, ieiunijs, orationibus, cæterisq; spiritus fructibus operam demus, ne nobis torpentibus minusq; solicitis immundus spiritus, qui de corde nostro expulsus baptismo fuerat, redeat, nosq; spiritalibus diuitijs vacuos inueniens, septemplici peste deprimat, & sint nouissima nostra peiora prioribus. Caueamus seduli, ne ignẽ nobis ipsi, qui vitæ iter occludat, nostrorum crebrò accendamus fomite vitiorum. Flammeus namq; gladius, qualiscunq; ille est qui paradisi ostia seruat, singulis quibusque fidelium fonte baptismatis extinctus est, & vt redire possint ablatus, infidelibus autem manet semper immobilis. Sed & falsò fidelibus vocatis quidem, sed non electis, dum post baptisma se criminibus implicare non metuunt, quasi post extinctionem idem ignis reaccenditur, ne mereantur intrare regnum, quod ficto corde ac duplici requirunt, serpentino potiùs dente fraudulenti, quàm simplici oculo columbini, quem in Ecclesia sua multùm se diligere Dominus demõstrat, qui in amoris cãtico ait: Ecce tu pulchra
Cant. 1. es amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum. Vnde quia nobis ad discendam Deo placitam simplicitatem columbæ forma proponitur, diligentiùs eius naturam videamus, vt per singula innocentiæ eius exempla vitæ nobis emendatioris instituta sumamus. Hæcà felle prorsus aliena est. Et nos igitur à malitię felle alienemur, omnisq; amaritudo, & ira, & indignatio tollatur à nobis cum omni malitia. Nullum ore vel vnguibus lædit, ne minimas quidem musculas, vel vermiculos, quibus minores penè omnes auiculæ se suosque pullos nutriunt & inquirunt. Videamus ne dentes nostri sint arma & sagittæ, ne mordentes & comedentes inuicem, consumamur ab inuicem. Contineamus manus à rapinis. Qui furabatur, iã non furetur. Magis aũt labo-
Ephes. 4. ret operãdo manib⁹ suis qd' bonũ est, vt habeat vnde

Columbæ natura.

vndè tribuat necessitatem patienti. Nam & colũba sæpè alienos quasi suos fertur alere pullos. Ipsa terræ fructibus & semine pascitur. Audiamus
Rom. 14. Apostolum: Bonum est non manducare carné, neq; bibere vinũ. Et Apostolus Petrus, Ministrate, inquit, in fide vestra virtutẽ, in virtute aũt scié
2. Pet. 2. tiam, in scientia aũt abstinentiam, in abstinentia aũt patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate aũt amorem fraternitatis. Gemitum pro
Psal. 94. cantu habet. Miseri simus, & lugeamus, & plore-
Iac. 4. mus coram Domino qui fecit nos. Risus noster
Matt. 5. in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorẽ. Beati enim lugentes, quoniã ipsi consolabũtur. Super aquas sedere consueuit, vt vẽturi raptum accipitris, præuisa in aquis vmbra declinet. Et nos mundi simus, ac mundati scripturarum fluentis seduli assidere curemus, quarũ speculis edocti, dignoscere & præcauere valeamus insidias hostis antiqui. Tales quippe amat Ecclesia,
Cant. 5. sponsa videlicet Christi, quæ in amatoris sui laudibus cantat: Oculi eius sicut columbæ, quæ lactę sunt lotę, & residentiuxta fluenta plenissima. Nidificare solẽt in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ. Petra Christus est, cuius in cruce cla-
Maceria. uis manus, latus est lancea perforatum, vnde con-
Cauerna. tinuò sanguis & aqua, nostræ videlicet sanctificationis & ablutionis mysterium, exiuit. Maceria eius, est virtus coadunata sanctorũ. Cauerna in ea, sinus fraternæ dilectiõis quo teneriores animos fideliũ, dũ ad fidei, spei & dilectiõis perfectionẽ nutriendos suscipiunt, quasi nidificãtibus columbis in se locũ pandunt. Hæc ergo fortiorũ auxilia, qui adhuc in fide pusilli sumus humiliter subeamus, his dominicæ passionis sacramentis semper sanctificari curemus. Talem namque omnium nostrum conuersationẽ Dominus quę-
Cant. 2. rit, talibus intentaram studijs vniuscuiusque nostrũm vitam videre desiderat, talium voce suas laudes decantari ac prædicari gratulatur. Surge, inquit, amica mea, speciosa mea, & veni: columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Hæc de columbæ natura, septem virtutis exempla commemorasse sufficiat. Et rectè sortasse, quia spiritussancti, qui in columba descendit, septiformis est gratia. Verùm ex omnibus, quæ de eius natura moraliter interpretanda, humana potest comperire solertia, præstat vnum quod de eius actu mystico sacra narrat historia. Cùm enim Dominus in figuram futuri
Gen. 18. baptismatis, originalis mundi scelera diluuij aquis ablueret, trãsacta inundatione scire volens
Corui quorum typus. Noe, qualiter se facies terræ haberet, emisit corum, qui ad arcã redire contempsit, significans eos qui abluti licet vnda baptismatis, nigerrimũ tamen veteris habitum hominis emendatiùs viuendo deponere negligunt, & ne sancti spiritus vnctione renouari mereantur, statim ab intima catholicæ pacis & quietis vnitate, exteriora, id est, seculi desideria sequẽdo descisc̃unt. Emisit posteà columbam. At illa venit ad eum vespere, portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore suo. Animaduertitis credo fratres, & me loquentem vestro intellectu præuenitis, ramum oliuæ virentibus folijs, gratiam esse spiritussancti: vitæ verbis abundantem, de cuius plenitudine super Christum requiescente, Psalmus ait: Vnxit te
Psal. 44. Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus
1. Ioan. 2. tuis. De cuius dono consortibus Christi dato loquitur Ioannes: Vos vnctionem habetis à spiritu sancto, & nostis omnia. Et pulcherrima cõparatione vmbra veritati concinit. Ramum oliuæ columba corporalis, ablutum diluuij aquis detulit in arcam: spiritussanctus in specie columbæ corporalis, baptizatum aqua Iordanis descendit in Dominum. Nos quoque Christi & Ecclesiæ mẽbra, quos non solùm homines qui erãt in arca cũ Noe, sed & animantia quæ arca Domini continebat, & ipsa quoque ligna, ex quibus eadem facta est arca, figurant, post acceptum vndæ regenerantis lauacrum, per vnctionem sacri chrismatis gratia spiritussancti signamur, quam conseruare in nobis intemeratam dignetur ipse qui dedit Iesus Christus Dominus noster, qui vi-
uit & regnat in secula seculorum, Amen.

DOMINICA PRIMA POST EPIPANIAM IN EPISTOlam Concio exegetica.

PRoponitur hodiè lectio ex Apostolo longè optima, ad morum integritatem mirificè eos instruens, qui in baptismo iustificati gratuita Dei benignitate ita sese comparare cupiunt, ne gratiam illic ademptam sua culpa amittant. Nam tametsi in baptismo donantur omnia peccata & virtutes atq; iustitia homini diuinitùs communicantur, at manet in eodem fomes peccati, quædam carnis infirmitas, & procliuitas in peccatum, siue peccandi libido, cui nisi continenter resistatur, non potest homo in percepta gratia diù permanere,
Eccl. 27. vt rectè dictum sitã quodam sapiente, Nisi in timore Domini tenueris te instanter, citò subuertetur domus tua. Vt enim olim filij Israël liberati de manu Pharaonis & Aegyptia seruitute, atque in ipsam adeò promissam terram introducti, semper tamen quosdam habuerunt hostes, cum quibus illis dimicandum e-
Iudic. 3. rat, quos etiam propterea Dominus subitò delere noluit, vt erudiret in eis Israëlem, & posteà discerent filij eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi: itemque vt in ipsis experiretur Israël, vtrùm audirẽt mãdata Domini, an nõ: sic etiã fideles liberati in baptismo à diaboli tyrannide & durissima peccati seruitute,

Universidad de Deusto
Biblioteca

hilo minùs coguntur perpetuò ſtare in acie aduerſus infeſtas carnis, mundi & dæmonis oppugnationes, quas tanto faciliùs vincunt, quãto fortiùs inhærent gratiæ & auxilio liberatoris ſui, ab illo fideliter & feruenter petendo opem, & eius voluntatẽ atque præcepta ex animo exequẽdo. Atque hîc certè re ipſa experiuntur omnes ſuæ ſalutis ſoliciti, quàm verè dictum ſit à beato Iob, militiam eſſe vitam hominis ſuper terram, vbi niſi quis legitimè certauerit, non poterit, teſte Apoſtolo, coronari. Porrò clemens & benignus Deus, qui ſolus laborem & dolorem conſiderat, noluit nos ſolis viribus noſtris pugnare, quia profectò ſuccumberemus, ſed per ſpiritum ſuum ſanctum diffũdit charitatem in cordibus noſtris, quæ efficit vt mandata eius grauia non ſint, ſicque ſua gratia adiuuat infirmitatem noſtram, immò ipſe in nobis operatur & velle & perficere bona voluntate: vnde fit vt opera noſtra ope gratiæ eius effecta illi grata ſint, & tum meritum, tum præmium habeant ſempiternum: quod qui negant, hæretici ſunt. Sed ipſa Apoſtoli verba audiamus: *Obſecro uos fratres per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora ueſtra hoſtiam uiuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium ueſtrum.* Vbi diuus Chryſoſtomus, Poſteaquam Apoſtolus, inquit, multa iam de benignitate Dei diſſeruiſſet, ineffabilemq; illius curam pro nobis, ac prouidentiam ſimul & bonitatem, quam nemo ſcrutari queat, oſtendiſſet, eandem deinceps ipſam proponit ad hoc, vt ijs, quibus tanta contigerunt beneficia, perſuadeat conuerſationem etiam vitæ diuino dono dignam oſtendere. Et cũ tantus ſit ac talis, nihil tamen dubitat eos obſecrare. Hæc ille. Obſecrat ergo diuinus Apoſtolus per miſericordiam Dei, qua à peccatis eruti & cum ipſo in gratiam reſtituti, atque iuſtificati & ſeruati ſumus, vt exhibeamus corpora noſtra hoſtiam Deo. Vult igitur, vt ipſa quoque corpora cedant in ſacrificium Dei: nihil ergo nobis inde vult eſſe reliquum, ſed prorſus vni Deo ea impendi, & eius cultui omninò mancipari. Nihil itaque tibi, quiſquis es Chriſtianus, nec oculis videre, nec audire auribus, nec proferre ore, nec manibus tangere vel efficere, nec quicquam omnino vllo corporis membro exequi licet, quod non cedat in gloriam tui creatoris, cuius templum eſt ipſum corpus tuum, quod ſi aliquo peccato violaueris, diſperdet te Deus. Ecce ſi iam vel hoc vnum duntaxat Apoſtoli dictum rectè velint præſtare Chriſtiani, an non ſatis ſuperq; negotij habebunt? Sed hoc etſi moleſtum eſt veteri homini in vitijs enutrito, tamen modò adſit bona voluntas adiuta & corroborata ſpiritu Dei, paulatim non modò tolerabile, ſed facile quoque & ſuaue efficitur. Et eiuſmodi pro pietate ſuſcepti labores ingens habent præmium apud Deum, qui reddet vnicuique ſecundùm ſuum laborem. At ne quis putaret debere nos mactare corpora noſtra, vt Iudæi ſuas pecudes, addit, *Viuentem.* Igitur & viuunt corpora noſtra, & hoſtia ſunt. Sed non viuunt, ſi ſeruiant iniquitati. Nam corpora ſubiecta peccatis, ait diuus Ambroſius, non viua habentur, ſed mortua, ſub deſperatione enim promiſſæ vitæ ſunt. Rectè itaq; Chryſoſtomus, Quando membra noſtra, ait, mortificauerimus, tunc demum viuere poterimus. Et paulò infrà: Quoniam membra tua Deo ſunt ſiſtenda, quoniam hoſtia ſunt, omnem ab illis maculam auferto. Nam ſi maculam habuerint, hoſtia iam vtiq; nó erunt. Neque enim offerri poterit oculus ſcortationi ſeruiens, neque manus rapiens ac defraudans, nec pedes claudicantes theatraq; viſitãtes, nec venter delicijs ſeruiens, voluptatumq́ deſideria inflammans, nec cor iram aut amorem fornicarium fouens, neque lingua turpia loquens. Hæc ille. Atque hæc eſt non modò viuens, ſed etiam ſancta & Deo placens hoſtia. Quid autem ſequitur, *Rationabile obſequium ueſtrum*, idem eſt ac ſi dicas, rationalem cultum, id eſt, interprete Chryſoſtomo, nihil habentem corporei, nihil craſsi, nihil quod ſit ſenſibile. Eſt igitur horum omnium hic ſenſus: Exhibete corpora veſtra Deo præpotenti hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, quæ eſt rationalis cultus veſter, nempe Chriſtianorum: nó cultus corporeus, qualis fuit quondam Iudæorum in mactatione brutorum animãtium: ſed rationalis in mente ſitus & ſpiritualis, quem Chryſoſtomus eſſe dicit, ſi modeſtiã, eleemoſynam, manſuetudinem, patientiam offeramus, &c. Sequitur: *Et nolite conformari huic ſeculo, ſed reformamini in nouitate ſenſus ueſtri.* Omne quod eſt in mundo, inquit, illè dilectus diſcipulus, concupiſcentia carnis eſt, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ. His nos confirmari non debemus, quia Chriſti precioſo ſanguine redempti ſumus. Eſt huius ſeculi figura, inquit Chryſoſtomus, humi depreſſa, vilis, temporalis, nihil habens ſublime, nihil ſtabile, nihil recti, ſed omnia peruerſa. Itaq; ſi recta incedere volens, ne adaptes te ad præſentis vitæ figuram. Nam etiamſi diuitias abieceris, ſi gloriam, ſi delicias, tum etiam cum magnifica videntur, figura tantummodò ſunt, non ipſius quę in rebus eſt veritatis demõſtratio: perſona quędam ſcenica, non conſiſtens rerum ſubſtantia. Hæc ille. Videant hic qui Chriſtiani ſunt, num huic præcepto Apoſtoli obediant. Volumus eſſe beati & diuites, florere in hoc mundo, affluere delicijs, & nihilo minùs dici Chriſtiani, cum tamen hoc nihil ſit aliud, quàm conformari huic ſeculo. Ideò tam multi pereunt, &, vt propheta terribiliter ait, dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſq; vllo termino, quia obliti ſumus ſponſionis in baptiſmo factæ, quia abrenunciauimus diabolo & omnibus pompis eius, & quaſi lud⁹ ſit fidei Chriſtianę ſanctiſſima pro-

Iob. 7.
2. Tim. 2.
Phil. 2.
Rom. 12.
2. Cor. 3.
Ibidem.
1. Ioan. 2.
Ioan 13.
Hebr. 5.
Prou. 14.
Eſai. 5.

feſsio, flagitijs & ſceleribus dediti ſumus haud aliter, acſi necdum vnquam Chriſto nomẽ dederimus. Nihil ergo talibus prodeſt profeſsio Chriſtianiſmi, quia etiamnũ ſeculo conformantur. *Sed reformamini*, inquit, *in nouitate ſenſus ueſtri*: hoc eſt, alios quàm qui huius mundi ſunt, affectus induatis, vt ſic deinceps viuatis quemadmodum à vobis exigit doctrina Chriſti & ſanctum Euangelium, nõ vt habet huius ſeculi corruptiſſima conſuetudo. Non enim iam id ſtudere debetis vt placeatis huic ſeculo, cui nuntium remiſiſtis in baptiſmo, ſed vt ad Chriſti doctrinam & præcepta vos accommoderis, quæ longè aliud à vobis exigunt. Breuiter vult Apoſtolus nos planè valefacere vitijs omnibus, & virtutibus ſtrenuam nauare operam: quod qui non facit, videat quo ſibi iure vendicet nomen Chriſtianũ. *Vt probetis*, ait, *quæ ſit uoluntas Dei bona, beneplacens & perfecta.* Qui præſentibus rebus afficiuntur, ait Chryſoſtomus, qui diuitias beatas exiſtimant, qui paupertatem vilipendunt, qui potentatus ſectantur, qui ad externam gloriam anhelant, qui ſeipſos magni faciunt, ſiquandò ſplendidas domos ædificarint, ſepulchra pretioſa comparauerint, mancipiorum greges habuerint, multamq́ eunuchorum turbam circumtulerint, illi ſcilicet ignorant, & quæ ſibi vtilia, & quæ ſit Dei voluntas. Sunt autem vtraque iſta vnum quiddam. Nam quæ vtilia nobis ſunt, illa vult Deus: & quæ Deus vult, illa demum & vtilia nobis ſunt. Quæ ſunt ergo quæ Deus vult? Vt in paupertate viuamus, in humilitate, in contemptu gloriæ: in temperantia, non delicijs, in tribulatione, non in remiſsione: in luctu, non in voluptate ac riſu: Hæc ille. Alibi Apoſtolus. Hæc eſt, inquit, voluntas Dei, ſanctificatio veſtra: non enim vocauit nos Deus in immundiciam, ſed in ſanctificationem. Sed quid prodeſt noſſe voluntatem Dei, niſi etiam fiat? Si hæc ſcitis, ait Dominus, beati eritis ſi feceritis ea. Voluntatem ſuam in ſacroſancto Euangelio luculẽter Chriſtus expreſsit, ſed quotuſquiſq; eſt, qui ſtudeat Euangelio conuenienter viuere? Et tamen Apoſtolus dicit de Chriſto, quòd factus ſit obtemperãtibus ſibi cauſa ſalutis æternæ. Verũenimuerò non mediocriter torquere ſolet homines pios, q̃ in multis ſæpè nó videant, quid ſit gratũ Deo: vnde neceſſe eſt vt multis precibus voluntatis diuinæ cognitio in omnibus obtineatur. Solet enim ſpecies boni nõ rarò imponere incautis, & quẽadmodum Salomon ait, eſt via quæ videtur homini iuſta: nouiſsima autem eius deducunt ad mortem. Sequitur. *Dico enim per gratiam, quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter uos, Non plus ſapere quàm oportet ſapere: ſed ſapere ad ſobrietatem, & unicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei.* O ſi iſthuc heret, quanta eſſet rerum humanarum tranquillitas, quam benè ageretur cum hominum genere, quã nullæ hæreſes, nulla ſchiſmata vel ſectæ extarent vſquam. Vnde enim hæreſes, niſi quia volũt ingenia importuna plus ſapere quàm oportet ſapere? His igitur verbis ad modeſtiam & humilitatem omnes reuocat Apoſtolus, quæ eſt mater bonorum, imitatus, vt ait Chryſoſtomus, præceptorem ſuum Chriſtum, qui conſcenſo monte moralem illum ſermonem cõtexturus, hinc primùm ordiebatur, eademq́ fundamenta iaciebat, dicens: Beati pauperes ſpiritu. Nimirùm hoc iuſtitiæ velut fundamentum quoddam eſt, ne quis arroganter de ſe ſentiat, præterquàm oporteat de ſe ſentire. Vidiſti hominem ſapientem ſibi videri, ait Sapiens, magis illo ſpem habebit inſipiens. Hoc deteſtabile vitium mala omnia inuehit in genus humanum. Hoc ex Lucifero diabolum, ex primis parentibus noſtris diaboli mancipia fecit. Præclarè autem diuus Bernardus in concione quadam, In veritate didici, inquit, nihil æquè efficax eſſe ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm ſi omni tempore coram Deo inueniaris non altùm ſapere, ſed timere. Beatus homo, qui ſemper eſt pauidus. Time ergo, cùm arriſerit gratia, time cùm abierit, time cùm denuò reuertetur: & hoc eſt ſemper pauidum eſſe. Hoc, vt dixi, præclarè vir ille diuinus, & apoſtolicæ ſanctitatis. Atq; hîc ferè intelligi licet, qui Dei, quíue dæmonis impulſu agantur. Spiritus Dei hortatur ad modeſtiam, pacem, concordiam, cõtemptũ ſui, & deniq; ea omnia quæ virtuti ſunt conſentanea: at ſpiritus ſatanicus ſub quodam virtutis prætextu turbat Eccleſiæ pacem, ſcindit vnitatem, inflat tumore ſuperbiæ, idq́ue efficit in homine, vt ſe vnum plus putet videre, quàm vel tota Eccleſia videat. Quod vtique non eſt ſapere ad ſobrietatem. Ergo vnuſquiſque ſuo ſe pede metiatur, quod Apoſtolus ait, ſicut vnicuiq; diuiſit Deus menſuram fidei. Quæ menſura tanto erit maior, quanto quis etiam in magnis præceptis diuinitùs chariſmatis erit humilior. Superbis Deus reſiſtit, humilibus dat gratiam. Sequitur: *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus ſumus in Chriſto. ſinguli autem alter alterius membra.* His verbis arrogantia omnis retunditur eorum, qui videntur quibuſdam potioribus Dei donis excellere. Si enim ad vnum Chriſti corpus pertinent, de vno ſpiritu viuunt: ergo ab illo ſpiritu habent, quicquid boni habent. Cur igitur ſe efferunt ſupra cætera membra? Diuus Ambroſius hunc locum interpretãs, Exẽplo, ait, corporis docet, non poſſe nos ſingulos omnia: quia ſumus inuicem membra, vt alter alterius egeat: ac per hoc curam noſtri inuicem nos agere debere, nec alterũ alteri obſiſtere, quia inuicem officijs noſtris opus habemus. Hæc ille. Ergo ſtudeant qui volunt eſſe in Chriſti corpore, ſectari ea quæ humilitatis & pacis ſunt, diligant fratres ſuos & eis gratificentur

Prou. 26.
Matt. 5.
Prou. 28.
Serm. 54. in Cantica
Iac. 2.
1. Pet. 5.

vbi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

vbicunque possunt, non se super alios efferant, quia hoc diabolicæ est arrogãtiæ, quæ præcipitat homines in tartara: sint benigni erga omnes, nec facilè offendãtur infirmis moribus fratrum suorum. Non est Ecclesia sine zizanijs, vt non est triticum sine paleis. Multi zelo præpostero ducti sic volunt tollere zizania, vt simul euellant triticum. Ipse Deus & Dominus noster, qui potuit vel solo nutu efficere omnia, tamen in illo angusto duodecim Apostolorum numero vnum tolerauit furem & proditorem, vt nos quoque discamus alter alterius onera portare. Rogandus tamẽ semper est Deus, vt spiritu suo permoueat corda præfectorum Ecclesiæ, vt ij inuigilent vitijs extirpandis: quod si ij negligant, non debẽt laici ius sibi vsurpare in clerum, nec subditi in magistratus tum Ecclesiasticos, tum ciuiles. Sed hæc omnia non præstat nisi vera charitas, quæ nõ
1. Cor. 13. æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa: quàm qui habent, veri sunt filij Dei, & verè pacifici, qui non possunt illa priuari hæreditate, quam promisit Deus diligentibus se, qui viuit & regnat in secula seculorum. Amẽ.

DOMINICA PRIMA POST EPIPHANIAM. Luc. II.

In illo tempore, Cùm factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam secundùm consuetudinem diei festi, consummatisq; diebus cùm redirent, remansit puer Iesus in Hierusalem, & non cognouerunt parentes eius. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

APerta nobis est fratres charissimi, sancti Euangelij lectio recitata, neque opus est vt in ea quid exponendo loquamur. Describit nanque infantiam pueritiamque nostri redemptoris, qua nostræ particeps humanitatis dignatus est fieri: commemorat æternitatem diuinæ maiestatis, in qua patri manfit ac manet semper æqualis, vt videlicet incarnationis eius humilitate ad memoriam reuocata, & ipsi contra omnium vulnera peccatorum medicamentum veræ humilitatis curemus exercere, pio semper animo recolentes, quantùm nos pro diuino amore, quantùm pro nostra salute oporteat humiliari, qui terra sumus & cinis: si tantùm summa illa potestas pro nobis humiliari non respuit, vt ad suscipienda nostræ fragilitatis infirma descenderet. Item audita, credita & confessa diuinitate Domini Saluatoris, qua patri & spiritui sancto consubstantialis semper & coæternus perseuerat, speremus nos per humanitatis eius sacramenta, quibus imbuti sumus vsque ad contemplandam diuinitatis eiusdem gloriam posse pertingere, quam ipse contemplationem fidelibus suis seruis fideli pietate pollicetur, dicens:

Humilitas vulnerum medicina.

Ioan. 14. Qui habet mandata & seruat ea, ille est qui diligit me: qui autem diligit me, diligitur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Meipsum, inquit, manifestabo, id est, nõ qualem me omnes conspicere, qualem etiam infideles videre possunt & crucifigere: sed qualem in decore suo regem seculorum soli videre possunt oculi mundi sanctorum, talem me ad rependendã vicè dilectionis his qui me diligunt, ostẽdã. Igitur speremus nos, vt diximus, per humanitatis eius sacramenta, ad videndam diuinitatis speciem posse conscendere, si tamen eadem sacramenta digno iustitiæ, & sanctitatis, & veritatis honore, vt accepimus, illibata seruemus, si humanæ conuersationis eius exempla, si doctrinæ, quam per hominem nobis ministrauit, humiliter dicta sequamur. Nam qui humilitatis eius vestigia sequi dedignatur, qua temeritate sperat se ad intuenda claritatis eius posse gaudia penetrare? Quod ergo Dominus per omnes annos cũ parentibus in Pascha Hierosolymam venit, humanæ nimirùm est humilitatis indicium. Hominis est nanq; ad offerenda Deo sacrificiorum spiritalium vota cõcurrere, & authorem suum orationibus lachrymisque sibi conciliare, profusis. Fecit ergo Dominus inter homines homo natus, quod faciendum hominibus per angelos imperauerat Deus. Seruauit ipse legem quam dedit, vt nobis, qui puri homines sumus, seruandũ per omnia quicquid Deus iubet, ostenderet. Sequamur iter humanæ conuersationis eius, si deitatis eius gloriã delectamur intueri, si optamus habitare in domo eius æterna in cælis omnibus diebus vitæ nostræ, si iuuat videre voluntatẽ Domini, & protegi à templo sancto eius. Et ne vlla in æternum malorum aura pulsemur, memineri mus præsentis Ecclesiæ domũ necessarijs precũ mundarũ frequentare muneribus. Quòd ipse duodẽnis in templo sedit in medio doctorũ, audiens & interrogans illos, humanæ est humilitatis indicium, imò etiam eximiũ discendæ humilitatis exemplum. Dei quippe virtus & Dei sapiẽtia, æternaque diuinitas loquitur: Ego sapientia habito in consilio, & eruditis interfum cogitationibus. Meum est consiliũ & æquitas, mea prudentia, mea est fortitudo: per me reges regnant, & conditores legum iusta decernunt. Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidiè, & obseruat ad postes ostij mei. Ipsa homine induta, ad audiẽdos homines aduenire dignata est, vt nimirũ hominibus quãuis summo ingenio præditis necessariam discendi verbi formã prærogaret, ne si qui discipuli veritatis fieri refugerẽt, magistri efficerentur erroris. Et benè qui iuuenis erat, doctrinæ subiturus officiũ, puerulus adhuc seniores audit & interrogat, vt videlicet eorum prouida dispensatione cõpescatur audaciam, qui nõ solùm indocti, sed etiã impubes ad docendum, prorũpere magis quàm ad discendũ volunt submitti. Sequamur iter eius humanitatis si nos mansio diuinæ delectat visionis, memo-

Christus fugit honorẽ offertum.

Prou. 1. mores semper illius præcepti: Audi fili mi disciplinã patris tuæ, & ne dimittas legẽ matris tui vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. Per auditũ quippe disciplinæ paternę, ac per obseruantiam maternæ legis, gratia capiti nostro, & collo torques additur: quia quanto quis diuinis intẽtus fuerit auscultare præceptis, quãto ea quæ didicerit, in vnitate matris Ecclesiæ diligentiùs obseruare studuerit, tãto & nunc digniùs ad honorẽ prędicãdi, & in futuro sublimiùs ascẽdet ad beatitudinẽ cũ Christo sine fine regnãdi. Verùm ne quis autumet Dominũ saluatorẽ ob imperitię necessitatẽ adijsse, audisseq; & interrogasse magistros, videamus quid sequitur: *Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentia & responsis eius, & uidentes mirati sunt.* Qui enim idẽ verus homo & verus erat Deus, ad ostendendũ quia homo erat, homines magistros humiliter audiebat: ad comprobandũ quia Deus erat, eisdem loquentibus sublimiter respondebat. Quòd matri quærenti ac dicenti: *Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te, respondit: Et quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ patris*
Ioan. 16. *mei sunt, oportet me esse?* diuinæ maiestatis indiciũ fuit, de qua alibi dicit: Omnia quæcunq; habet pater, mea sunt. atq; ideò rectissimè templum non minùs ad se, quàm ad patrem pertinere testatur. Inuentus quippe in templo dicit, Quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse: quia nimirùm quorum vna est maiestas & gloria, horum etiam vna sedes ac domus est. Nec solùm materialis Dei domus est, quæ ad adorandũ eum temporaliter fieri solet, sed etiam domus intellectualis, quæ ad laudãdum eum in æternum construitur, æque patri & filio, imò etiam spiritui sancto constat esse communis. Deniq; idem filius, qui
Ioan. 14. de se ac patre dilectori suo promittit, Veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus, dicit de spiritu sancto: Et ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat nobiscũ in æternum, spiritum veritatis, qui apud vos manebit, & in vobis erit: quia videlicet eiusdẽ sanctæ trinitatis, cuius vna atque indiuisibilis natura diuinitatis est, mansio in cordibus electorum dispar esse non potest. Ergo quod Dominus in templo sedens dicit, In his quæ patris mei sunt, oportet me esse, declaratio est consempiternæ Deo patri potestatis & gloriæ. Quòd autem rediens Nazareth, erat subditus parentibus, humanæ est veritatis indicium, simulque humilitatis exemplum. In ea nanque natura subditus erat
Ioan. 14. hominibus, in qua minor est patre. Vnde & ipse dicit: Vado ad patrem, quia pater maior me est. in qua etiam minoratus est paulominùs ab angelis. In illa autem, in quam ipse & pater vnum sunt, in qua nõ ex tempore vadit ad patrem, sed semper in ipso est, omnia per ipsum facta sunt, & ipse est ante omnes. Cuius multùm est miranda magnæ dispensatio pietatis, qui dum parentes suos mysterium diuinæ suæ maiestatis necdum capere vidisset, exhibuit eis humanę subiectionẽ humilitatis, vt per hanc eos paulatim ad ad agnitionem diuinitatis instrueret. Cùm enim dixisset, Quid est quòd me quærebatis? an nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse? & ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad illos, sicut Euãgelista consequẽter insinuat, *Descendit cũ eis, & uenit Nazareth, & erat subditus illis.* Dicebat ergo arcanum suæ diuinæ virtutis parentibus humanę suæ fragilitatis, matri suæ scilicet verę suę carnis, & castissimo tutori castitatis illius, qui per id temporis, necdũ prolata luce euãgelica, ab omnibus penè qui eos nosse poterant, carnali coniunctione vir eius, carnali administratione pater æstimabatur simul & vocabatur ipsius Domini saluatoris. dicebat, inquam his, quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse. Qui cùm arcem tanti mysterij ascendere intelligendo non possent, neque aliter eum in his, quæ verè eius patris essent, manere decernerent, nisi vt comprehendere nossent, descendit ipse cũ ipsis ad inferiora cõuersationis eorum, cœpitq; manere in his quæ illorũ erant, & erat eis pia dispensatione subiectus, donec proficiente humilitatis magisterio, quantũ omnibus creaturis esset præferẽdus agnoscerẽt. Quid pro his nostra agat superbia, obsecro paucis attẽdamus. Certè cũ ea quę nõ æternaliter nouimus, sed iuuãti Domino ex tempore didicimus arcana scripturarũ, simpliciores quosq; fratres nobis loquẽtibus intelligere nõ posse sentimus, statim extolli cõsueuimus, eisq; despectis de nostra nos quasi singulari ac perplurima eruditione iactamus, quasi nõ sint perplures etiã nobis multò doctiores: & qui à doctoribus nolumus despici, ipsi indoctiores nobis despicere, imò etiam irridere gaudemus: neq; reminisci curamus, quia nõ eis qui vel mysteria fidei, vel sui præcepta cõditoris tantũ medi
Iac. 3. tãdo percipiũt, sed his potiùs, qui ea quæ discere potuerũt, operando exerceãt, regni aditus patet. Insuper etiã scienti bonum facere, & nõ faciẽti, peccatũ est illi. Et sicut Dominus ipse testatur. Luc. 12. Omni cui multũ est datum, multũ quæretur ab eo. Ne nos ergo scientia inflet, sed charitas potiùs ædificet, sequamur exemplum apparentis in homine filij Dei, qui eis quos se ad sublimia discenda sequi necdum valere conspexit, seipsum benigna humilitate subiecit: cuius exemplo imbutos eorum animos cælesti gratia diter, inquit, *eius conseruabat omnia uerba hæc, conferens in corde suo.* Omnia quæ de Domino vel à Domino dicta siue acta cognouerat mater virgo diligentiùs in corde retinebat, solicitè cuncta memoriæ commendabat, vt cùm demũ tempus prędicãdæ siue scribendæ incarnationis eius aduenire, sufficiẽter vniuersa, prout essent gesta, posset explicare quærentibus. Imitemur & nos fratres mei, piam Domini matrem, ipsi quoque omnia verba & facta Dnmini ac saluatoris nostri fixè in

Mariæ uirginis sedulitas.

cor-

Universidad de Deusto
Biblioteca

corde conseruãdo: horũ meditatione diurna & nocturna importunos inaniũ nocentiũq; cogitationũ repellamus incursus, horum crebra collatione & nos & proximos nostros à fabulis superuacuis & malè dulcoratis detractationũ colloquijs castigare, atq; ad diuinæ frequentiã laudis accẽdere curemus. Si enim, fratres charissimi, in futuri beatitudine seculi habitare in domo Domini, ac perpetuò illum laudare desideramus, oportet nimirum vt in hoc seculo quid in futuro quæramus solicitè præmonstremus, frequentando videlicet ecclesiæ limina, & non solùm in ea laudes Domini canendo, sed & in omni loco dominationis eius, ea quæ ad laudem gloriamq; conditoris nostri proficiant, verbis pariter & factis ostendendo. Et *Iesus, inquit, proficiebat sapiẽtia & ætate, & gratia apud* Deũ *& homines.* Naturam verę humanitatis indicat, in qua proficere ad tẽpus voluit, qui in diuinitate idẽ ipse est, & anni eius non deficient. Iuxta hominis quippe naturam proficiebat sapientia, non quidem ipse sapientior ex tempore existendo, qui à prima conceptionis hora spiritu sapientiæ plenus permanebat, sed eandem, qua plenus erat, sapientiam cæteris ex tempore paulatim demonstrando. Iuxta hominis naturam proficiebat ętate, quia de infantia ad pueritiam, de pueritia ad iuuentutem cõsueto hominibus crescendi ordine peruenit. Iuxta hominis naturam proficiebat gratia, non ipse per accessum temporis accipiendo quod nõ habebat, sed pandendo donum gratiæ quod habebat. Et benè cùm dictũ esset, quia Iesus proficiebat sapientia & ætate & gratia, adiunctum est, apud Deum & homines: quia quantùm proficiẽte ætate hominibus sapientiæ & gratiæ, quæ sibi inerant, dona patefaciebat, tantùm eos ad laudẽ Dei patris semper excitare curabat, peragens ipse quod cæteris agendum præcepit: Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Atque ideò non solùm apud homines gratia & sapientia proficere dicitur, in quantùm ipsi eius sapientiã gratiãq; potuere cognoscere, sed etiam apud Deum, in quantum ad eius laudem, gloriamque, sapientiam ac gratiam, quàm in eo cognouere, retulerunt, cuius beneficijs & muneribus æternis sit laus & gratiarum actio in omnia secula seculorum, Amen. *Matth. 5.*

DE EADEM DOMINICA
HOMILIA EVSEBII
Emeseni.

DIxit modò in proximo superiori versu Euangelista, quia ibant parentes eius per oẽs annos in Hierusalem, in die soléni Paschæ. Religiosi parentes per annos singulos ibant in Hierusalem, vt legem audirent, sacrificijs participarent, solennitatibus interessent, & eius adhuc vmbræ seruiebãt, cuius iam tenebant veritatẽ. Tota enim illa solẽnitas, Christi passionẽ & resurrectionẽ & cætera quæ de eo scripta sunt, significabat. Erat igitur simul cum cæteris Ielus in solennitate, qui totius erat causa solennitatis. Permixtus turbis videbatur ab omnibus, qui in lege & prophetis prædicabatur, in sacrificijs significabatur, & à nemine cognoscebatur, quia duplici velamine tegebatur: inde velamine literæ, hinc carnis pariete. Vnde scriptum est: En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. Ipse iugulabatur in agnis, immolabatur in vitulis, & in omnibus sacrificijs offerebatur. Mater quoq; eius multa ibi in lege & prophetis cantari audiebat, quæ de ipsa dici intelligebat, & in se iã completa esse sciebat: qualia sunt: Ecce virgo cõcipiet & pariet filiũ, & vocabitur nomen eius Emmanuel: itẽq; : Egredietur virgo de radice Iesse, & flos de radice eius ascẽdet: & multa alia. Meritò igitur per annos singulos illuc veniebant, vbi suas laudes ab omni populo prędicari audiebãt. Tandem autem consummatis diebus, & completa solennitate, cũ redirẽt, *remansit puer Iesus in Hierusalẽ*: quæ visio pacis interpretatur, per quã sanctã Ecclesiã intelligimus. Vnde & dicitur: Et factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion. Hoc autem parentes eius, id est, Synagoga & Iudæorum populus non cognouerunt, sed eum in comitatu esse æstimantes, & secum adhuc manere & habitare putantes, venerunt iter diei. Magnus erit iste dies, hic enim dies finẽ non habebit, nisi priùs Iudæi ad fidem conuertantur. Stulti Iudæi, qui secum adhuc eum esse putabant, quem iam occiderant, & dicentem audierant. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, & in psalmis: Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. *Requirentes autem eum inter cognatos & notos, & non inuenientes, regressi sunt in Hierusalẽ, requirentes eũ.* Vsq; hodiè nanq; Iudæi (qui per Ioseph & Mariã significabantur) inter cognatos & notos (id est, in lege & prophetis) quærũt Iesum, sed quia carnaliter quærunt, eum inuenire non possunt. Si igitur eum inuenire desiderant, redeant in Hierusalem, veniant ad templum & ad Ecclesiam: ibi enim est, & ibi eum inuenient. Hoc enim tũc spiritualiter completum est, quando post Christi passionem quidam Iudæorum corde cõpuncti, venientes ad Apostolos, (hoc enim fuit Christum quærere, & redire in Hierusalem) dixerũt: Quid faciemus viri fratres? Quibus Apostolus Petrus, Pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum. Hos igitur, & cæteros, qui tunc temporis crediderunt, significabant parentes Iesu: quoniam sicut illi ignoranter eum perdiderant, ita & isti ignoranter eum occiderant. Vnde & beatus Petrus, Et nunc fratres, inquit, scimus quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri. Meritò autem parentes Iesu hoc in loco Synagogam & Iudæos significant, quo *Passionis typus.* *Cant. 2.* *Esai. 7.* *Esai. 11.* *Psal. 75.* *Matth. 23.* *Psal. 54.* *Act. 3.*

quo eum in Hierusalem duxisse narrantur, vt ea in significatione iam fieri videret, quæ posteà in cruce passurus erat. *Et factũ est post triduũ, inuenerũt illũ in templo sedentẽ in medio doctorũ, audientẽ illos et interrogantem.* Post triduum in templo inuenitur Iesus: quia post resurrectionem, quæ die tertia facta est, ab his qui quærunt eũ in Ecclesia reperitur. Ante triduum quidẽ nõ inueniebatur, quia nõ Deus, sed homo tantũ ab hominibus putabatur. Sed vbi inuenitur? In templo, in Ecclesia, in cõuentu fideliũ, in medio doctorũ, & in cœtu episcoporũ. Qui igitur quæris Iesum, veni ad templum, veni ad Ecclesiã, veni ad Episcopos & sacerdotes, audi quid ipsi dicunt. Ibi enim videbis Iesũ, ibi sedet in medio doctorũ, id est, in cordibus eorũ. Ibi enim audiés docet, & interrogans instruit: ibi oẽs actus nostri & cogitationes respõdent. Nihil ei abscõditur: omnia videt, & cũcta ei loquuntur. *Stupebant aũt oẽs, qui eum audiebãt, super prudẽtia sua & responsis eius.* Ipse igitur interrogabat, ipse respondebat, ipse & suas & illorum quæstiones soluebat: morẽ agés peritissimi magistri, qui nunc interrogando, nunc respondẽdo discipulos instruit. *Et uidentes admirati sunt.* Admirati (inquit) sunt parẽtes eius, quũ eum in medio doctorũ sedere vidissent. Admirãtur vsq; hodiè Iudæi, quicunq; ad Ecclesiã veniunt & ad fidẽ cõuertuntur, dũ ibi Christũ vidẽt, quẽ ipsi Messiã vocãt, quẽ in Synagoga, & inter cognatos & notos, nulla illorũ expositione videre vel intelligere potuerunt. *Et dixit mater eius ad illũ: Fili, quid feceisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Diximus iã per matrẽ Domini, Synagogã significari, de qua Dominus secundũ carnẽ originẽ duxit. Hęc aũt quocunq; tẽpore ad Ecclesiã veniẽs, ibiq; veritatẽ intelligés, suã ignorantiã & Christi absentiã admiratur, & admirando dicit: *Fili, quid feceisti nobis sic?* cur nos reliquisti, & ad gentiũ Ecclesiã pertransisti? *Ecce pater tuus*, populus Iudaicus, *& ego dolentes quærebamus te.* Hoc est enim, quod Apostolus ait: Testimonium illis perhibeo, quia zelũ Dei habẽt, sed nõ secundũ scientiã. Quærũt Iesum, & non inueniunt, quia nondum ad templum & ad Ecclesiam peruenerunt. *Quid est quòd me quærebatis?* Quid est quod me in comitatu infidelium & extra Ecclesiam esse putabatis? Hic eram: hic me quærat, qui quęrere vult. *An nesciebatis, quia in his quæ patris mei sunt,* & inter illos qui patris mei voluntatem faciunt, *oportet me esse? Et ipsi non intellexerũt uerbum, quod locutus est ad illos.* Quare non intellexerunt? Quoniam eos significabant, qui nondum spiritualem intelligentiã habebant. *Et descendit cum eis: & uenit Nazareth, & erat subditus illis.* Audiant hoc subditi, & subditi esse non dedignentur: siquidem omnibus prælatus, subditus fieri non est dedignatus. Prælati quoq; non superbiant: & in Ioseph prælato, & in Christo subdito intelligant, quia sæpè fit, vt maioris meriti sint subditi, quàm prælati. *Et mater eius conseruabat omnia uerba hæc in corde suo.* Nisi enim ipsa ea conseruasset, nos ea non haberemus. De eius nanque thesauris nos ista suscepimus. Et *Iesus proficiebat ætate, & sapientia, & gratia apud Deum & homines.* Proficiebat enim non secundùm diuinitatem, quæ quidem in nullo vel crescere vel minuere potest: sed secundùm humanitatem, qua nobis similis factus est. *Christus vbi inuenitur.* *Rom. 10.* *Luc. 16.* *1. Cor. 14.* *Ephe. 4.* *Rom. 12.*

DOMINCA II. POST EPIPHANIAM IN EPISTOlam Concio exegetica.

HAEC lectio Apostolica cohæret illi, quam audiuimus dominica superiori, eaque commemorãtur diuersa Dei dona, quæ diuersis mẽbris vnius mystici corporis Christi diuinitùs conferuntur, in eius ipsius vtique corporis ædificationem. Itaque videndum est cuique, vt quæ dona accepit ab omnipotente Deo, ijs gnauiter & rectè vtatur: & qui parua adeptus est, non inuideat maiora consecutis: qui verò maioribus prædi ti sunt, nõ contemnant inferiores, quia Dei dona sunt quæ habent. Sed Apostolum ipsum audiamus: *Habentes donationes secundum gratiam quæ data est nobis differentes.* Sic alibi idem dicit explicatiùs: Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & doctores, ad consummationem sanctorum & cæt. Non ergo omnium sunt omnia, sed sunt in Ecclesia distincti gradus & ordines, nec debet pes sibi vsurpare officium manus, nec manus oculi, nec alia membra officia aliorum, ne fiat quædam confusio Babylonica, sed singuli intra suos se limites contineant, hoc vel maximè curantes, vt pro suo quisque modulo nitatur ad publicam conferre vtilitatem, quod priuatim assecutus est. *Siue prophetiam, secundum rationem fidei.* Origenes scribens in hunc locum, Cùm dixisset, inquit, Apostolus singulos quosque credentium membra esse vnius corporis Christi, nunc quasi diuerforum membrorum diuersitatem operis dinumerat: verbi gratia, velut oculo visum, ita menti, quæ est interior oculus, prophetię assignat officium, & alij tanquam manui, ministerium adscribit: alij tanquam linguæ doctrinam tribuit: similiter etiam cætera. Prophetia autem, inquit idem infrà, intelligenda est hæc quã docet Apostolus, non illam esse per quam dicitur, Hæc dicit Dominus: illa enim vsq; ad Ioannem: sed illam, de qua idem Apostolus ait: Qui prophetat, omnibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem. Et ideò adhibere studium ad huiuscemodi prophetiã possibile nobis est & in nostra potestate, vt nobis in Dei opere sudantibus secundum mensurã & rationem fidei, si hæc facimus, addat ad illam quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex Deo est prophetiam. Alij locum hunc de ea accipiunt prophetia, qua futura prædicuntur, de qua Chrysostomus in caput 12. prioris ad Corinthios scribens, eam docet longè aliam esse, quàm sint ethnicorum vatum, per auguria & similia vaticinantium, atq; ita hic erit sensus horum verborum: Si quis prophetat, prophetet secundùm analogiam fidei, non secundùm auguria, & similia. *Siue ministerium in ministrando.* Rem hic generalé ponit, ait Chrysostomus. Nam & Apostolatus ministerium dicitur, & quoduis spirituale bonúque opus, ministerium est. Itaque qui aliquod ministerium sortiti sunt in quocunq; gradu vel ordine Ecclesiastico, vtantur illo cum modestia, non sese efferant, sed ad omnium sese accommodent vtilitatem, vt possint de creditis sibi talétis exactam exactissimo iudici reddere rationem. Multi enim, teste Origene, accepto ministerio, vel accepta doctrina, plus sapuerunt quàm oportet sapere: & elati in arrogantiam, vel in delitijs resoluti, præcipites corruerunt. *Siue qui docet in doctrina.* Hoc est, doctor qui gratiam habet ea quæ ipse benè nouit, alijs quoque luculenter & erudite explicandi, vtatur is dono suo in docendo, non id spectans, vt ab auditoribus ipse laudetur, sed vt prosit audientibus. *Qui exhortatur, in exhortando.* Species est doctrinæ & verbi, vt vult Origenes, quo afflictæ animæ scripturarum diuinarum prudenter aptatis & in vnum collectis sermonibus releuantur. Accidit enim sæpè animæ tribulationum nimietate desperatio, nec facilè reparari aut refici quibuscunque verbis potest, quamuis polita illa sint & plausibilia. Si verò sermo habens virtutem gratiæ Dei fuerit adhibitus, tunc cor eius penetrat, & consolationem præbet, ac spem reuocat desperatione submota. *Qui tribuit, in simplicitate.* Hoc est, inquit idem, qui præstat indigétibus in simplicitate cordis faciat, ne videatur indigétibus benefacere, corde verò laudé quærat ab hominibus. Non est ergo simplicitas, si aliud agi videatur in manibus, & aliud quæratur in corde. Idem Dominus vetat, dum ait: Cùm facis eleemosynam, ne sciat sinistra tua, quid faciat dextera tua: id est, vt exponit D. Augustinus, non se misceat conscientiæ tuæ laudis humanæ appetitio, cùm in eleemosyna facienda diuinum præceptum contendis implere. *Qui præest, in solicitudine.* Quid ni sint soliciti, qui animarum curam gerunt, pro quibus fudit Christus sanguinem suum? Sed multi prohdolor non hoc spectant vt prosint, sed vt præsint, & vt pascant non oues, sed semetipsos. Sub talibus pastoribus increbescunt vitia, quæ nullo zelo persequuntur in subditis suis: existunt hæreses & scandala innumera, quibus innumeri pereunt & strangulantur: atque hoc totum redundat in caput istorum, qui præsunt sine solicitudine, quibus grauissimum imminet iudicium. *Qui misereatur, in hilaritate.* Hilarem enim datorem diligit Deus. Quoniam verò nihil adeò turpe videtur hominibus, teste Chrysostomo, atque ab alijs accipere, nisi excellenti hilaritate is qui confert beneficium suspicionem illam sustulerit, ostenderitq; quòd magis accipiat quàm det, magis dejiciet accipiente quàm refocillabit. Diuus Ambrosius hoc loco sic habet: Sub vno nomine misericordiæ multa Apostolus bona opera significauit, quæ si quis impigrè & sine tædio fuerit operatus, habebit huius operis & in præsenti, & in futuro mercedem. Omnis ergo misericordia & simpliciter, & cum gaudio fieri debet, vt simplicitas excludat hypocrysin: gaudium verò fretum futuræ spei testetur examen. *Dilectio sine simulatione* Ego puto, ait Origines, quòd omnis charitas, quæ non est secundùm Deum, simulata sit, & vera non sit. Sed & si quis proximum suum diligat, & cùm errantem eum viderit non commoneat, non corrigat, simulata ista charitas dicenda est. Et ideò nihil habere adulatorium, nihil fucatum charitas debet. *Odientes malum, adhærentes bono.* Non solùm ab opere, sed & ab affectu qui ad malitiam sit, nos iubet esse alienos, vt inquit Chrysostomus, & non solùm ab affectu, sed vt & vehementer illam auersemur, odioque prosequamur. Et non contentus hoc solo, virtutis etiam studium ac lucrum inducit, dicens. *Adhærentes bono*: quod Origenes interpretatur, vt vnum simus cum bono, & Chrysostomus, vt & animo erga bonum appositi simus. *Charitatem fraternitatis inuicem diligentes.* Hoc est, vt exponit Chrysostomus, feruenter vicissim diligétes, ita vt alij alios amando anteuertere studeatis. Nescio quomodò præceptú istud, ait Origenes, quasi minùs necessarium inter homines spernitur, & odium, quod nobis insitum esse diximus ad hoc, vt mala odio habeamus, præpostero ordine exercemus in bonis, & vitia carnis ac peccata diligentes, fratrem odio habemus. Nec aliter accidit odisse nos quem nó oportet, nisi quia diligimus quæ non oportet. *Honore inuicem præuenientes.* Hæc quippe ratione, ait Chrysostomus, & nascitur dilectio, & nata perdurat. Nihil enim ita facit amicos, vt studium illud proximum honorádo vincendi. Hęc ille. Notandum est autem, sub honoris nominatione omnia munera, beneficiaque & obsequia accipi debere, quæ suo quisque gradu & ordine alteri debet. Præueniat igitur filius patrem obsequio & reuerentia, & vbi necessitas inciderit, re eriam & subsidio: pater verò filium educatione, correctione, consilio & necessariò victu. Præueniat Dominum subditus veneratione & obediétia, subditum autem Dominus, munificentia & fauore. *Solicitudine non pigri.* Superiùs eum qui præest, ait Origenes, in solicitudine debere esse commonuit: nunc verò omnibus dat hoc in commune mandatum, ne quis nostrum audiat à Domino, Serue malè & piger. Ambrosius verò, Hoc est,

Matth. 6. De ferm. Domini in monte lib. 2.

2. Cor. 9.

Hier. 48. est, inquit, quòd dicit Propheta Hieremias, Maledictus qui facit opera Domini negligenter. Piger enim in conuersatione diuina sine spe est. Ideo subiecit: *Spiritu feruentes*: Hoc est iuxta Ambrosium, vt in exercitio diuini operis aut legis non sit tepidus. Quotidiana enim meditatio tollit soporem, & facit vigilanté. Et Origenes, Vult, inquit, vt nos qui sub lege spiritus viuimus, nihil remissum, nihil tepidum habeamus in nobis, sed cum feruore spiritus & calore fidei cuncta peragamus. *Domino feruientes.* Vbi Chrysostomus, Per ista omnia, ait, Domino seruire potes. Quicquid enim in fratrem feceris, in Dominum tuum pertingit: & quasi ipse benè abs te affectus esset, ita tibi mercedem rependet. Diuus Ambrosius hoc loco legit, Tempori seruientes, quod hęretici instar araneorum auidè arripiunt, cùm tamen tam Græcorum quàm Latinorum doctorum reclamet vniuersitas. *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* Hoc est spe gaudere, inquit diuus Ambrosius, in tribulatione patientem esse. De gaudio enim spei tolerat tribulationem, sciens multò maiora esse quæ pro his promissa sunt. *Orationi instantes.* Græca lectio assiduam quandam in precibus instantiam innuit. Est autem, teste Ambrosio, necessaria valdè oratio: quia vt tribulatio possit tolerari, precibus insistendum est. Hinc ipse Dominus discipulos tam sedulò hortabatur ad orandum, ne intrarent in tentationem, Immò verò solet interdum Deus multis hominem permittere inuolui difficultatibus, periculis, calamitatibus, vt uel sic ad orandum extimulet. Et quid tam necessarium miseris mortalibus, mille periculis expositis, quàm vt assiduis precibus implorent auxilium Dei, sine quo nos perire necesse est? Nec minima malorum quæ patimur causa est, quòd ad orandum tam pigri sumus. *Necessitatibus sanctorum communicantes.* Iuxta Chrysostomum, suprà cùm dixit Apostolus, Qui miseretur, in hilaritate, erga omnes esse manum aperiendam docuit: hìc verò de credentibus loquitur. Nec dicit, Necessitatibus illorum subuenite, sed necessitatibus sanctorum communicantes: ostendens quòd plus accipiant quàm præstent, & quòd res ista, negotiatio sit. communicatio siquidem est. Tu pecuniam adfers, illi fiduciam tibi erga Deũ adferunt. *Hospitalitatem sectantes.* Non dicit facientes, ait idem Chrysostomus, sed sectantes: instruens nos, vt non expectemus egenos, donec ad nos veniant, sed ad ipsos curramus & sectemur. Sic Lot fecit, sic Abraham. Totum nanque diem in hoc consumebat, bonam expectans venationem: & si quandò quempiam videbat, insiliebat, occurrebat, ad terram supplicando procidebat, dicens: Si gratiam inueni in conspectu tuo, ne transeas seruum tuum. Non quemadmodum nos, qui cùm peregrinum aut pauperem viderimus, supercilia attollimus, neq; dignos æstimamus quos alloquamur. *Benedicite*

Matt. 26.

Gen. 19.

Gen. 18.

Matth. 5.

persequentibus uos: benedicite, & nolite maledicere. Sic Dominus ipse ait: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Minùs magnum est (inquit diuus Augustinus in Enchiridio, cap. 73.) erga eum esse beneuolum, siue etiam benefícum, qui tibi mali nihil fecerit. Illud multò grandius & magnificentissimæ bonitatis est, vt tuum quoq; inimicum diligas, & ei qui tibi malum vult, & si potest facit, tu bonum semper velis, faciasque cùm possis, audiens dicentem Iesum, Diligite inimicos vestros, benefacite eis qui vos oderunt, & orate pro eis, qui vos persequuntur. Sed perfectorum sunt ista filiorú Dei, quò quidem se debet omnis fidelis extendere, & humanum animum ad hũc affectum orãdo Deum, secumque agendo luctandoque perducere. Hæc Augustinus. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Hic græco more latinus interpres dixit gaudere, pro gaudete. Vsurpant enim Græci infinitiuum pro imperatiuo. Non quibuscunque gaudijs Christianorum, vt hic vult Origenes, gaudia socianda sunt, nec quibuscunque fletibus lachrymæ nostræ iungendæ sunt. Nõ enim si videam gaudere aliquem super quæstu pecuniæ, aut possessionũ latitudine, aut secularis honoris eminentia, congratulari debeo talibus, qui sciam quòd huiusmodi gaudia luctus sequãtur & lachrymæ: sed si quid rectè & ex virtutis præscripto geratur, ibi congaudere debemus. Similiter autem flere cum flentibus, non cum illis qui flent mortuos suos, aut damna secularia, cùm seculi tristitia mortem operetur: sed qui flent pro peccatis suis, qui post delictum conuertuntur ad pœnitentiam, qui cùm lachrymis suspirãt ad supernã patriam. *Idipsum inuicem sentientes.* Hoc est, ait Origenes, vt ita de fratre sentiamus, vt de nobis ipsis, & ita velimus proximo, sicut & nobis volumus, vt in Euangelio Dominus dicit: Quæ vultis vt faciant vobis homines, eadem & vos facite illis. Oecumenius ex Chrysostomo ita scribit in hunc locum: Magnum teipsum existimas? talem & fratrẽ tuum reputa, etiamsi pauper fuerit. Nam apud Deum, diuitiarum atque inopiæ nullus est respectus aut discrimen. Quomodò autem tibi hoc contingat? Si de te ipso non alta sentias, verùm si accommodes & consentias tenuibus, atque ad illorum humilitatem descẽderis. Ex his supercilium Romanorum & inanem gloriam supprimit. Verisimile nanque erat, propter Vrbis amplitudinem tali affectu detineri. Idque sibi volunt ea, quæ sequuntur, Apostoli verba, *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Idem participium est græcè, quòd modò vertit, sentiẽtes. Itaque id vult, ne de nobis arroganter sentiamus. Hoc enim vitium maximè detestandum est in filijs gratiæ, qui debent imitari eum cuius gratia redempti sunt, & discere ab eo, quia mitis est & humilis corde. *Humilibus consentientes.* Humiles hìc, Chrysostomo interprete, non simpli-

2. Cor. 7.

Matth. 7.

Matth. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pliciter eos qui humili sunt affectu vel modesti, sed humili sorte & contemptibiles vocat, veluti pauperes, ignobiles, indoctos, plebeos, & cæt. quibus nos debemus comes & affabiles exhibere. Aduenit tibi pauper in ædes tuas, ait Chrysostomus, fac vt affectu te illi accommodes, non maiorem propter diuitias tuas animi tumorem concipias. Ne erubescas erga illum propter externam amictus vilitatem, sed suscipe propter internam fidem. Faxit præpotens Deus, vt hiscè sanctissimis Apostoli institutionibus conueniẽter viuamus, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi, &c.

DOMINICA SECVNDA.
Ioan. II.

In illo tempore, Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Iesus & discipuli eius ad nuptias. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

QVod Dominus noster atque Saluator ad nuptias vocatus, non solùm venire, sed & miraculum ibidem, quo conuiuas lætificaret, facere dignatus est, exceptis cælestium sacramentorum figuris, etiam iuxta literam fidem rectè credentium confirmat: Porrò Taciani & Marciani, cæterorumque qui nuptijs detrahunt, perfidia quàm sit damnabilis, insinuat. Si enim thoro immaculato, & nuptijs debita castitate celebratis culpa inesset, nequaquam Dominus ad has venire, nequaquam eas signorum suorum initijs consecrare voluisset. Nunc autem quia bona est castitas coniugalis, melior continentia vidualis, optima perfectio virginalis, ad comprobandã omnium electionem graduũ, discernendum tamen meritum singulorum, ex intemerato Mariæ virginis vtero nasci dignatus est, à prophetico vi-
Luc.2. duæ Annæ ore mox natus benedicitur: à nuptiarũ celebratoribus iam iuuenis inuitatus, & hos suæ præsentia virtutis honorat. Sed altior est cælestium lætitia figurarum. Miracula namque fac-
Psal.18. turus in terra Dei filius venit ad nuptias, vt ipsum se esse doceret, de quo sub typo solis Psalmista præcinuit: In sole posuit tabernaculũ suũ, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, Exultauit vt gygas ad currendam viam: à summo cælo egressio eius: Et occursus eius usq; ad summum eius. Qui & ipse quodam loco de
Matth.9 se suisq; fidelibus ait: Nunquid possunt filij sponsi lugere, quàmdiu cũ illis est sponsus? Venient aũt dies, quando auferetur ab eis sponsus, & tũc ieiunabunt: quia nimirũ incarnatio nostri saluatoris ex quo patribus cœpit promitti, multis est sanctorum lachrymis & luctu semper expectata donec veniret. Similiter ex quo post resurrectionem ascendit ad cælum, omnis sanctorum spes ad eius pendet reditũ. Solo aũt quo cum hominibus conuersatus est tempore, flere ac lugere nequiuerunt, quia iam secũ etiã corporaliter eũ quem spiritaliter dilexerunt, habebant. Sponsus ergo Christus, sponsa eius est Ecclesia: filij sponsi vel nuptiarũ, singuli quiq; fidelium eius sunt. Tempus nuptiarum est tempus illud, quãdo per incarnationis mysterium sanctã sibi Ecclesiã sociauit. Nõ igitur casu, sed certi gratia mysterij venit ad nuptias in terra carnali more celebratas, qui ad copulãdã sibi spiritali amore Ecclesiã de cælo descendit ad terrã: Cuius quidem thalamus incorruptæ genetricis vterus fuit, in quo Deus humanæ naturæ coniunctus est, & ex quo ad sociandã sibi Ecclesiam tanquã sponsus processit. Primus nuptiarũ locus Iudæa extitit, in qua filius Dei homo fieri, & Ecclesiã sui corporis participatione cõsecrare, sui spiritus pignore in fide cõfirmare dignatus est. Sed vocatis ad fidẽ gentibus, vsq; ad fines orbis terræ earundẽ nuptiarũ votiua gaudia peruenerũt. Nec vacat à mysterio, quòd die tertia post ea, quæ superior euangelij sermo descripserat, nuptiæ factæ referuntur, sed tertio tempore seculi Dominũ ad adoptandã sibi Ecclesiã venisse designat. Primum quippe seculi tẽpus ante legẽ patriarcharũ exemplo, secũdum sub lege prophetarũ scriptis, tertium sub gratia præconijs Euangelistarum quasi tertiæ diei luce mundo resultit, in quo Dominus & Saluator noster pro redẽptione generis humani in carne natus apparuit. Sed & hoc q̃ in Cana Galilææ, id est, in zelo transmigrationis perpetratæ, eædem nuptiæ factæ perhibentur, typicè denunciat eos maximè gratia Christi dignos existere, qui zelo feruere piæ deuotiõis & æmulari charismata maiora, ac de vitijs ad virtutes bona operando, de terrenis ad cælestia nouerunt sperando & amando tranmigrare. Discumbente aũt ad nuptias Domino, vinum defecit, vt vino meliori per ipsum mirabili ordine facto, manifestaretur gloria latẽtis in homine Dei, & credentiũ in eum fides aucta proficeret. Quòd si mysteriũ quærimus, apparente in carne Domino, meraca illa legalis sensus suauitas paulatim cæperat ob carnalem pharisæorũ interpretationẽ à prisca sua virtute deficere, qui mox ea quæ carnalia videbantur mandata, ad spiritalẽ conuertit doctrinam, cunctãq; literæ legalis superficiẽ, Euangelica cælestis gratiæ virtute mutatur, quod est vinum fecisse de aqua. Sed primò studeamus indagare, quid sit q̃ cùm deficiente vino diceret mater Iesu ad eum, Vinum non habent, respondit, Quid mihi & tibi est mulier? nondũ venit hora mea. Neq; enim matrem suã inhonoraret, qui nobis iubet honorare patrem & matrem: aut eam sibi esse matrẽ negaret, ex cuius carne virginea carnem fuscipere nõ
Rom.1 despexit, etiã Apostolo teste, qui ait: Qui factus est ei ex semine Dauid secundũ carnẽ. Quomodò enim ex semine Dauid secundùm carnem, si non ex corpore Mariæ secundùm carnẽ, quæ ex se-

semine Dauid descendit? Sed in eo quòd miraculum facturus ait, Quid mihi & tibi est mulier? significat se diuinitatis qua miraculũ erat patrãdum, non principium temporaliter accepisse de matre, sed æternitatẽ semper habuisse de patre. Quid mihi & tibi, inquit, est mulier, nondũ venit hora mea, cui ex diuinitate, quã ex patre semper habui, cũ tua carne, ex qua carnẽ suscepi, cõmune non est. Nondum venit hora mea, vt fragilitatem sumptæ ex te humanitatis moriẽdo demonstrem: prius est vt pœnitentiam ęternæ de-
Ioan. 19. tatis virtutes operando patefaciã. Venit autẽ hora, vt quid sibi & matri cõmune esset ostẽderet, cũ eam moriturus in cruce discipulo virginẽ virgini cõmendare curauit. Carnis namq; infirma perpetiens, matrẽ de qua hæc suscepit, piè cognitã, ei quẽ maximè diligebat discipulo cõmendauit, quã diuina facturus quasi incognitã se nosse dissimulat, quia hanc diuinæ natiuitatis authorẽ nõ esse cognoscit. *Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas uel ternas.* Hydriæ vocantur vasa aquarum receptui parata. Græcè enim aqua ὕδωρ vocatur. Aqua autem scripturæ sacræ scientiam designat, quæ suos auditores & à peccatorũ sorde abluere, & diuinæ cognitionis solet fonte potare. Vasa sex, quibus continebatur, corda sunt deuota sanctorum, quorum perfectio vitæ & fidei exemplũ rectè credendi, ac viuendi proposita est generi humano per sex seculi labentis ætates, id est, vsque ad tempus dominicæ prædicationis. Et benè lapidea sunt vasa, qui fortia
Dan. 2. sunt præcordia iustorum, vtpote illius fide & dilectione solidata lapidis, quem vidit Daniel præcisum de monte sine manibus, factumque in mõtem magnum, & implesse omnem terram. Et de
Zach.2. quo dicit Zacharias: In lapide vno septem oculi sunt, id est, in Christo vniuersitas scientiæ spiritalis inhabitat. Cuius & Apostolus Petrus memi-
1.Pet.2. nit, ita dicens: Ad quem accedentes lapidem viuum, & ipsi tanquam lapides viui superædificamini. Benè secundùm purificationem Iudæorũ tantùm positæ erant hydriæ, quia Iudæorum tantùm populo lex per Moysen data est. Nam gratia & veritas Euãgelij non minùs gẽtibus quàm Iudæis per Iesum Christum facta est. *Capientes*, inquit, *singulæ metretas binas uel ternas*, quia scripturæ sanctæ authores & ministri prophetæ, modò de
Psal. 103. patre tantùm loquuntur & filio, vt est illud: Om-
1 Cor.1. nia in sapientia fecisti. Virtus etenim Dei & sa-
Psal.32. pientia, Christus est. Modò etiam spiritussancti faciunt mentionem, iuxta illud Psalmographi: Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Verbũ, Dominum, & spiritum, totam quæ vnus Deus est, intelligentes trinitatem. Sed quantum inter aquam & vinum, tantum distat inter sensum illum, quo scripturæ ante aduentum Saluatoris intelligebantur, & eũ quem veniens ipse reuelauit Apostolis, eorumq; discipulis perpetuò sequendum reliquit. Et quidem potuit Dominus vacuas implere hydrias vino, qui in exordio mundanæ creationis cuncta creauit ex nihilo: sed maluit de aqua facere vinũ, quò typicè doceret, non se ad soluẽdum probandumque, sed ad implendum potiùs legem prophetasq; venisse: neq; alia per se euangelicã gratiã facere & docere, quàm quæ legalis & prophetica scriptura eum facturum docturumque signaret. Videamus ergo fratres sex hydrias scripturarum a qua salutari repletas, videamus eandem aquam in suauissimum vini odorem gustumque conuersam. In prima ætate seculi, Abel I. ÆTas. Gen. 4.
iustũ frater inuidens occidit, & ob hoc ipse perpetua martyrij gloria beatus, etiam in Euangelicis & apostolicis literis iustitiæ laudem accepit, fratricida impius æternæ maledictionis pœnas luit. Quicunque his auditis metuunt cũ impijs damnari, cupientes benedici cum pijs, omnium odiorum & inuidiæ fomitem abijciunt, Deo placere per sacrificium iustitiæ, modestiæ, innocentiæ ac patientiæ curant, vas plenum aquæ in scriptura inueniunt, vnde salubriter abluti potatiq; gaudeãt. Sed si intellexerint Cain homicidã, Iudæorum esse perfidiã: occisionẽ Abel, passionem esse Domini Saluatoris: terram, quæ aperuit os suum, & suscepit eius sanguinem de manu Cain, Ecclesiã esse, quæ effusum à Iudæis Christi sanguinẽ, in mysteriũ suæ renouationis accepit: nimirũ aquã in vinum mutatã reperiũt, quia sacræ dicta legis sacratiùs intelligunt. Secunda ætate II. ÆTas. Gen. 7.
seculi inclinãte, deletus est aquis diluuij mũdus ob peccatorum magnitudinem, sed solus Noe est propter iustitiam cum domo sua liberatus in arca. Huius plagæ audita vastatione horribili, paucorumque liberatione mirabili, quisquis emendatiùs viuere cœperit, liberari desiderãs cũ electis, timens exterminari cum reprobis, hydriam profectò aquæ qua mundaretur vel reciperetur, accepit. At verò dum altiùs aspicere cœperit, & in arca Ecclesiam, in Noe Christum, in aqua diluente peccatores, aquam baptismi quæ peccata diluit, in hominibus vel in animalibus quæ arca continebat, multifariam baptizatorũ differentiam, in columba quæ post diluuium ramum oliuæ intulit in arcam, vnctionem spiritussancti qua baptizati imbuuntur intellexerit, vinũ profectò de aqua factũ miratur: quia in veteris historia facti, suã ablutionẽ, sanctificationẽ, iustificationem prophetari cõtemplatur, III. ÆTas
Tertia ætate seculi Deus tentans obedientiã A- Gen. 22.
brahæ, filium vnicum eius, eum quem diligit, in holocaustum sibi offerre præcepit. Non differt Abrahã facere quæ iubetur, sed pro filio immolatur aries: ipse tamen pro obedientiæ virtute eximia perpetuę benedictionis hereditate donatur. Ecce habes hydriã tertiã. Audiens enim quanta virtus obedientię, quãta mercede remu-
Matth. 3. neretur, & ipse obedientiam discere atque habere satagis Quòd si immolationem filij vnici dilecti, passionem eius intelligis, de quo dicit

Universidad de Deusto
Biblioteca

pater: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: in qua, quia diuinitate impassibili permanente, sola humanitas mortem passa est & dolorem, quasi filius offertur, sed aries mactatur. Si intelligis benedictionis, quæ promissa est Abrahæ, in te qui de gentibus credis munus esse completum, nimirum tibi de aqua vinum fecit, quia spiritalem sensum, cuius

IIII. Aetas. 1. Reg. 16. noua fragrantia debrieris, aperuit. Quartæ ætatis initijs Dauid pro Saule regnum Israëliticæ gẽtis sortitur humilis, innocens, & mitis, exul pro illo, cuius iniusta diù persecutione cruciabatur. Ecce hydria quarta, fonte salutari repleta: Quilquis hæc audiens, humilitati atq; innocentiæ studere, & superbiam cœperit, atq; inuidiam suo de corde repellere, quasi hausturn aquæ lympidissimæ quo reficiatur inuenit. At si in Saule Iudæos persequentes, in Dauid Christum & Ecclesiã significari cognouerit, illorum ob perfidiam & carnale simul imperium & spiritale destructũ, Christi autem & Ecclesiæ regnum semper esse mansurum, poculum vtiq; vini de aqua factum sentiet, quia se suamq; vitã & regnum, sed & seipsum regem ibi scriptum legere nouit, vbi priùs quasi de alijs veterem legebat historiã. Quinta ætate se-

V. AEtas. 2. Para. 36 culi populus peccans captiuante Nabuchodonosor, Babyloniam transmigratur, sed post septuaginta annos pœnitẽs, & correctus, in patriam per Iesum sacerdotem magnum reducitur, vbi domũ Dei quæ incensa est, & ciuitatem sanctã quæ destructa est, reædificat. Hæc legens siue audiẽs quisquis peccandi metũ corripit, & ad pœnitendi remedium confugit, aqua hydriæ purificãtis ablutus est. Si verò intelligere didicerit Hierusalem & templum Dei Ecclesiam Christi, Babylonem confusionẽ peccatorum, Nabuchodonosor diabolum, Iesum sacerdotem magnum, verum, æternumq; pontificem esse Iesum Christũ, septuaginta annos bonorum plenitudinem operum, quæ per spiritussancti dona largiuntur, videlicet propter decalogũ & septiformẽ eiusdẽ spiritus gratiã: videritq; hoc quotidiè fieri, alijs nimirùm à diabolo de Ecclesia peccando raptis, alijs gratia spiritussancti per Christum resipiscẽdo ac pœnitendo reconciliatis, vinũ de aqua factum habet: quia ad se pertinere quę scripta sunt intelligens, magno mox compunctionis ardore quasi musto incalescens, quicquid sibi peccati captiuantis inesse deprehenderit, per Christi gra-

VI. AEtas. Luc. 2. tiam liberari deposcit. Sexta inchoante seculi ætate, Dominus in carne apparens, octaua die natiuitatis iuxta legem circunciſus est, tricesima & tertia post hæc ad templũ delatus, & legalia pro eo sunt munera oblata. Hæc intuentes ad literã, apertè discimus quanta nobis diligentia sunt Euangelicæ fidei subeunda mysteria, quando ipse benedictionem gratiæ afferens, qui legem literę dedit, veterũ primò cæremoniarũ ritu cõsecrari, qui cuncta diuinitùs consecrat, & sic nouæ gratiæ sacramenta susçipere simul & tradere curauit. Ecce hydria sexta ad abluenda peccati contagia, ad potanda vitæ gaudia, mundiorem cæteris afferens vndam. Verùm si in octauæ diei circuncisione baptisma, quod in mysterium dominicæ resurrectionis, à peccatorum nos morte redemit, intelligis in inductione in templum & oblatione hostiæ purificantis figuratum, cognoscis fideles quosq; de baptisterio ad altare sanctum ingredi, ac dominici corporis & sanguinis victima singulari debere consecrari, vino quidẽ de aqua facto, & quidẽ meracissimo donatus es. Porrò si circuncisionis diem ad generalem humani generis resurrectionem, quando mortalis propago cessabit, & mortalitas tota immortalitate mutabitur, interpretaris, & circuncisos inducì in templum cum hostijs intellexeris, quando post resurrectionem vniuersali expleto iudicio, sancti incorruptibiles iam facti, ad contemplandam perpetuò speciem diuinæ maiestatis cum bonorum operum muneribus intrabunt, mirandum profectò vinum de aqua fieri videbis, cuius conditori rectè protesteris, & dicas: Et poculum tuum inebrians quàm præclarum est. Ergo Dominus vinum in gaudia nuptiarum non de nihilo facere voluit, sed hydrias sex implere aqua præcipiens, hanc mirabile conuertit in vinum, quia sex mũdi ætates sapientiæ salutaris largitate donauit, quã tamẽ ipse veniẽs sublimioris sensus virtute fœcundauit. Nã quæ carnales carnaliter tantùm sapiebant, ipse spiritualiter sentiẽda reseruauit. Vultis audire fratres, qualiter de aqua fecerit vinum? Apparuit post resurrectionẽ Luc. 24. suã duobus discipulis ambulantibus in via, ibatque cum illis, & incipiens à Moyse & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. Vultis iterum audire; quomodò eodẽ sunt vino inebriati? Postmodũ cognoscentes quis esset, qui eis verbũ vitæ propinabat, dicebant ad inuicem: Non ne cor nostrũ ardens erat in nobis, cùm loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas? *Dicit ergo Iesus ministris: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas usq; ad summum.* Qui per ministros qui hæc iubentur facere, nisi Christi signantur discipuli? Qui impleuerunt hydrias aqua, non quidem ipsi præteritas mundi ætates legalibus ac propheticis implendo scriptis, sed ipsi intelligendo prudenter, & aperiendo fideliter, quia scriptura quæ à prophetis ministrata est, & salubris esset ad hausturn sapientiæ cęlestis, & ad operum castigationem vtilis. Impleuerunt autem eas vsque ad summum, quia rectè intellexerunt nullũ fuisse tempus seculi à sanctis alienũ doctoribus, qui siue verbis, siue exẽplis, siue etiam scriptis viam vitæ mortalibus panderent. *Et dicit ei Iesus: Hauritè nunc & ferte Architriclino, & tulerunt.* Architriclinus, aliquis legisperitus illius temporis est, fortasse, Nicodemus vel Gamaliel, vel discipulus tũc eius Saulus, nunc autem magister totius Ecclesiæ Paulus Apostolus. Et dum talibus verbum euãgelij creditur, quod in

Ministri mysticè.

Architriclinus quis

literâ legis & prophetiæ latebat occultum, vinum vtiq; architriclino de aqua factum propinatur. Vnde conuenienter perhibetur, q̃ architriclinus vocato sponso dixerit: *Omnis homo primùm bonum uinum ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius est: tu autem seruasti bonũ uinũ usq; adhuc.* Quia doctorum est cognoscere distantiam legis & euangelij, veritatis & vmbræ, cunctisq; veteribus institutis, cunctis terreni regni promissis, nouam euangelicæ fidei gratiam & perpetua cælestis patriæ dona præferre. *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam.* Manifestauit hoc signo quia ipse esset rex glorię, & ideò sponsus Ecclesiæ, qui vt homo communis veniret ad nuptias, sed quasi Dominus cæli & terræ elementa prout voluisset conuerteret. Pulchra autem rerum conuenientia: qui initio signorũ, quæ mortalis adhuc mortalibus erat ostensurus, aquam conuertit in vinum: ipse initio signorũ, quæ immortalis iam per resurrectionem effectꝰ, immortalis vitę studia sola sectantibus ostenderet, carnalem priùs & quasi insipidam mentem eorum sapore scientiæ cælestis imbuit. Nam & primò consistens in terra sui spiritus munere aLuc. 24. Actor. 2. peruit illis sensum, vt intelligerent scripturas: & postmodùm misso eodem de cælis, maiorem superni amoris simul & sapientiæ spiritalis flagrantiam eorum cordibus infudit, data insuper omnium cognitione linguarum, quibus vniuerso orbi eam quam perceperant vitæ gratiam propinare sufficerent. Has ergo Christi & Ecclesiæ nuptias fratres charissimi, quæ & tunc vna in ciuitate figurabantur, & nunc vniuerso celebrantur in orbe terrarum tota mẽte diligamus, gaudijs cælestibus indefessa bonorum operum intentione iungamur. Has quia per fidem vocati intrauimus, mũdo dilectionis habitu celebrare curemus, nostręq; actionis simul & cogitationis maculas ante diem extremi discriminis ipsi solicitiùs examinando diluamus, ne fortè tunc Matt. 22. ingrediens rex, qui has filio suo nuptias fecit, si viderit nos nuptialem charitatis vestem non habere, eijciat nos, & ligatis à bene agendi facultate pedibus nostris ac manibus, exteriores mittat in tenebras. Mundemus fide fortia cordium nostrorum vascula secundùm purificationem præceptorum cælestium: impleamus hæc aqua scientiæ salutaris, sacræ lectioni crebriùs attendendo. Rogemus Deum, vt ipsam quam nobis scientiæ gratiam cõtulit, ne fortè inflet, charitatis suæ feruore calefaciat, & ad superna quærenda sola ac sapienda conuertat, quatenùs spiritaliter inebriati, posśimus & ipsi cum propheta cantare: Potasti nos vino compunctionis: ficq; fiat, vt nobis Psal. 59. quoq; benè proficientibus, & nunc ex parte prout capere sufficimus, & in futuro perfectè Iesus manifestet gloriam suam, in qua viuit & regnat cum patre in vnitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum.

DE EADEM DOMINICA.
HOMILIA EVSEBII Emeseni.



As autem nuptias die tertia Euangelista factas fuisse narrat. Quod qualiter ad literam intelligendum sit, in illo commẽtario exposuimus, de quo ista assumpta sunt. Qualiter autem spiritualiter intelligi debeat, audiamus: Prima namq; dies ante legem, secunda sub lege, tertia sub gratia. Hac autem tertia die, hoc tertio suæ incarnationis tempore, ad nuptias Dominus venire dignatus est, vt errores eorum destrueret, qui nuptijs contradicunt. Non enim abijcit Iesus coniugatos, etsi virgines & continentes meliores sint. Bonæ nuptiæ, quibus mater Iesu interesse dignatur: bonæ nuptiæ, ad quas Iesus inuitatur, & discipuli eius. Tales nuptiæ quotidiè in Ecclesia fiunt, tales nuptias, taliaque conuiuia Episcopi & sacerdotes fidelibus præparant. Hæ nuptiæ non sunt corporum, sed animarum. Hi cibi non sunt carnales, sed spirituales. Toties enim Christum & discipulos eius ad nuptias inuitamus, quoties in ecclesia prædicantes, aliquam sententiam eorum authoritate firmamus. *Et deficiente uino, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent.* Plena enim spiritusancto virgo Maria, iam tunc illud miraculum præuidebat, quod filius eius facturus erat. Quod ergo Iesus facere cogitabat, hoc illa, vt faceret, admonebat. *Et dicit ei Iesus. Quid mihi & tibi est mulier?* Quid mihi, inquit, & tibi commune est, nisi hæc caro mortalis, & humanitas ista quam sero, quæ famem pati, sitire, & mori nouit, miracula autem facere non nouit? Quòd enim in vinum aqua conuertitur, non humanitatis, sed diuinitatis est. *Nõdum uenit hora mea.* Nondum venit hora passionis meæ, in qua quid mihi & tibi sit commune, omnibus innotescat. Tunc enim carnem quam de te susçepi, non virtutes & miracula facere, sed in cruce pendere & mori videbis. Et tunc quidem faciam vinum nouum, tunc faciam omnia noua, tunc literæ vetustate relicta, ad nouam & spiritualem intelligentiam cuncta conuertam. Hoc enim ipse significans, ait: Non Matt. 26. bibam amodò de hoc genimine vitis vsque in diem illum, quum illud bibam vobiscum nouũ in regno Dei. *Dicit mater eius ministris: Quodcunque dixerit uobis facite.* Inter se loquebantur mater & filius: ipsi se intelligebant, ipsi sua secreta nouerant: ipsi quid tunc fieri oportebat, & quid posteà futurum erat, sciebant. Cæteri autem quid ipsi dicerent, ignorabant. *Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ, secundùm purificationem iudæorum, capientes singulæ metretas binas uel ternas.* Sex namque hydriæ, sex mundi ætates sunt. Prima ab Adam vsque ad Noë: secunda à Noë vsque ad Abraham: tertia ab Abraham vsque ad Dauid: quarta à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis: quinta à transmigratione Babylo-

Nuptiæ spiritales.

Hora passionis Christi.

Sex hydriæ, 6. ætates.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis vsque ad Christum: sexta vsque ad finem seculi. *Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas usq; ad summum.* Quid enim per hos ministros, qui iubente Domino implent hydrias aqua, nisi Apostolos & doctores intelligimus? Quoties enim narramus & prædicamus quid in vnaquaq; ætate factum sit, toties has hydrias aqua implemus. Multis enim in locis diuina scriptura aqua vocatur. In prima namque ætate cælum, terram, maria, & omnia quæ in eis sunt, creauit Deus, & tunc fecit hominem ad imaginem & similitudinem suam, & dixit: Non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adiutorium simile sibi. Immisit igitur soporem in Adam, & tulit vnam de costis eius, ex qua mulier facta est. Hoc autem dicentes, implemus primam hydriam aqua. Totum enim hoc ad literam intellectum, quid aliud est nisi aqua? Hæc autem aqua in vinum conuertitur, si spiritualiter intelligatur: vt per Adam, qui ad imaginem Dei factus est, eum intelligamus, de quo Apostolus ait: Qui quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. At verò per Euam omnium viuentium matrem, sanctam Ecclesiam intelligamus. Sicut enim de latere Adam dormientis vna costa subtracta, facta est Eua: ita & de latere Christi in cruce morientis, sanguine effuso facta est Ecclesia. Vnde Ioannes apostolus ait: Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Veniamus modò ad secundam hydriã, non vt eam impleamus, sed vt aliquantula aqua eam infundamus. In secũda namq; ætate de lignis læuigatis facta est arca, in qua omnium animalium genera collecta sunt, vt saluaretur semen vniuersæ carnis in ea, & nõ periret. Hæc igitur est aqua, quæ in vinũ quidẽ conuertitur, si spiritualiter intelligatur. Arca enim, quæ de lignis læuigatis facta est, sanctã Ecclesiã significat: quæ ex sanctis hominibus fabricata, non habet maculã neq; rugã. In qua omnium animaliũ genera sunt collecta, vt illud semen saluaretur & nõ pereat, cui benedixit Deus: de quo propheta, Nisi, inquit, dominꝰ Deus Sabaoth reliquisset nobis semẽ, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus. Nemo saluabitur, quicunq; extra hanc arcam inuentus fuerit. Dicamus modò & de tertia hydria, quæ vtiq; tanta est, vt eius aqua cũctis bibentibus & bibere volentibus abundanter sufficere possit. In hac enim ætate Abraham, Isaac, & Iacob, & duodecim patriarchæ fuerunt. In hac fuit Moyses & Aaron, qui populũ Dei de Aegypto liberantes, & per mare rubrũ ducentes, legẽ susc ipere meruerũt. Propter quos Dominus flagellauit Aegyptios, & Pharaonẽ cũ omni suo exercitu in profundũ maris demersit. Sed huiꝰ quoque hydriæ aqua in vinũ conuertitur, si spiritualiter intelligatur: vt in Moyse Christũ, in Aaró Episcoporũ & sacerdotũ ordinem significemꝰ. Isti enim populum Dei per baptismatis vndas ducẽtes & Pharaonem, id est, diabolũ, cum omnium vitiorum exercitu interficientes, sanctos Dei in terrã viuentiũ, & in promissam eius hæreditatem introducũt. Nũc ad quartam hydriã veniamus: in qua Dauid fortitudo & sapiẽtia narratur, quomodò Goliath interfecerit, & oẽs inimicos suos superauerit: in qua & Salomon templũ ædificauit, & regina Austri venit à finibus terræ, vt eum videat, & eius sapientiã audiat. In hac aũt omniũ prophetarum libri vsq; ad Ieremiã continentur. In qua & Esaias clamat, dicẽs: Sitientes venite ad aquas, & qui non habetis preciũ, properate, emite, & comedite. Ad hanc aũt implendam & exponendam non vnus, sed multi dies necessarij sunt. Quæ sola si in vinum conuersa fuisset, hodiè oẽs nobiscũ Christiani essent. In hac enim Christi natiuitas, passio, resurrectio, & ascensio plenissimè continetur. Cuius aqua quomodò in vinum conuersa sit, qui prophetarum expositiones legit, intelligit. Si igitur per Dauid Christum intelligamus: ipse enim est Deus fortis & potens, Dominus potens in prælio, qui diabolum vicit, & infernum expoliauit: qui sicut Salomon, & verè pacificus, templum Domini, id est, sanctam Ecclesiã ædificauit, consecrauit, & sanctificauit: ad quem regina Austri, id est, sancta Ecclesia venit, eius vultum videre & sapientiam audire desiderans: Si, inquam, ita intelligamus, mox mutato colore & sapore, aqua in vinum conuertitur. Transeamus ad quintam hydriã, in qua populus propter peccata sua ductus in captiuitatem plorat, dicẽs: Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra. Qui tamen ad Deum per pœnitentiam conuersi, sub Iesu sacerdote magno, læti posteà in patriã redierunt. Et hæc quidẽ si quis spiritualiter intelligat, sentiet in vinũ aquã conuersam. Illa enim captiuitas hanc nostrã, quã in hoc mundo patimur, captiuitatẽ significat. In qua dũ populos peccãtes & semper quasi aquas ad inferiora labẽtes (aquæ enim multæ, populi multi) sancti Dei inspiciunt, flent & dolent. Illius supernæ beatitudinis recordantes. Et quia vel pauci vel nulli sunt, qui eorũ monitis acquiescere velint, sanctæ prædicationis organa suspendũt in salicibꝰ, id est, quasi quibusdã vinculis tenacissimis memoriæ cõmẽdãt, dicẽtes cũ Psalmista: In corde meo abscõdi eloquia tua, vt nõ peccem tibi. Memoria enim quia ea, quę intelligit, firmiter ligat & tenet, nõ immeritò salix vocatur. Silẽt enim prędicatores multoties, & à prędicatiõe cessãt, dũ & verba sua paruipẽdi, & seipsos contẽptui haberi cõspiciũt. Sed sicut tunc, ita & modò post pœnitentiã & satisfactionẽ, duce Iesu sacerdote magno, qui tunc per illum Iesum significabatur, oẽs peccatores in patriã reuertũtur. Restat nũc vt de sexta hydria dicamus, quæ aliis omnibꝰ nobilior est, de qua etiã oẽs aliæ saporẽ suscipiũt. In hac enim quatuor euangeliorũ libri, & omnia Apostolorũ dicta cõtinẽtur. Hãc ipse Dominus per seipsũ impleuit.

Ministri doctores.

Actus 1.

Genes. 2.

Philip. 2.

Ioan 19.

Apoc. 1.

Gen. 6. 7.

II. Actus.

Esai. 1.

III. Actus.

IIII. Actus.

Esai. 55.

Psal. 23.

V. Actus.

Psal. 136.

Apoc. 7.

Psal. 118.

VI. Actus.

Hanc

Mar. 16.

Hanc suis discipulis dedit, vt omnes gentes ea satiarent, dicens eis: Ite in vniuersum mundũ, prædicate euangelium omni creaturæ. Huius aqua dulcissima, huius vinum suauissimum est. Sed vis bibere de aqua eius? Audi ipsum Dominum. Simile, inquit, factum est regnum cælorũ homini, qui seminauit bonum semẽ in agro suo. Quum autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizaniam. Quã quũ serui eius colligere voluissent, ait: Sinite vtraque crescere vsque ad messem, & in tempore messis, dicam messoribus: Colligite priùs zizania, & alligate fasciculos ad comburendum, triticum autẽ cõgregate in horreum meum. Hæc est igitur huius hydriæ aqua: quæ vt in vinum conuertatur, dicamus cum Apostolis: Domine edissere nobis parabolam istam. Ager, inquit Dominus, est mũdus. Bonum verò semen, hi sunt filij regni: zizania autem filij sunt nequam. Inimicus autem qui seminauit, est diabolus. Messis verò, consummatio seculi. Messores autem, angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur, sic erit in consummatione seculi. Exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittẽt eos in caminũ ignis: ibi erit fletus & stridor dentium. Sic igitur aqua in vinum conuertitur, sic in spiritualem intelligentiam litera mutatur. Dictum est autẽ, quid sex hydriæ significent. Quæ bene quidem secundùm purificationem Iudæorum ibi positæ erant: quoniam quicquid in eis continetur, baptismus quidam est & purificatio animarum. Capiebant autẽ singulæ metretas binas vel ternas: per quod significatur, quia Dei proximiq; dilectionis, & fidei Trinitatis mensura omnibus sufficit ad bibendum, tenendum, & credendum. Sequitur: *Et dicit eis Iesus: Haurite nunc & ferte Architriclino. & tulerũt. Vt autem gustauit Architriclinus aquam uinum factum, & non sciebat unde esset: ministri autem sciebant, qui hauserant aquam, uocat sponsum Architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primum bonum uinum ponit, & quũ inebriati fuerint, tunc id quod deterius est: tu autem seruasti bonum uinum usque adhuc.*

Matth. 13.

Ibidem.

Architriclinus mysticè.

Quis est iste Architriclinus, cui hoc nouum & mirabile vinum priùs affertur? Iste enim Architriclinus, intellectus mihi esse videtur, à quo solo vinum bonum cognoscitur & laudatur. Habet enim vnusquisq; homo hunc Architriclinũ in palatio cordis sui. Ipse est princeps domus, ipse regit & disponit omnia. Huic autem Ecclesiæ ministri sanctarum scripturarũ vinum quotidiè offerunt: quod ille bibens, quanuis nesciat vnde sit, tamen admiratur & laudat. Quando enim hæc in Ecclesijs recitantur, nulli alij dant saporem, nisi his, qui ea intelligũt. Meritò igitur hoc vinum Architriclino Dominus ferri iussit, quatenus & nos maiora intelligentibus demus vinum, non intelligentibus verò aquam offeramus. Qui enim benè intelligunt, & literam venerantur & spiritum: vnde & hic Architriclinus dicit: Tu autem seruasti vinum bonum vsq; adhuc & primum videlicet & vltimum laudans. Qui verò minoris intelligentiæ sunt, aquam bibant, & scripturarum planissima audiant. *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius.* In sanctarum nãq; scripturarum spirituali expositione, quæ vtique per hoc vinum significatur, Christi gloria manifestatur, vt credentium fides augeatur.

Pro cuiusque captu scripturæ dispensanda.

DOMINICA TERTIA,

post Epiphaniam, in Epistolam Concio exegetica.

Sapientissimè quidem sancta mater Ecclesia filijs suis eiusmodi plerũq; proponit lectiones, quæ ad sectanda gnauiter bona opera extimulẽt, atq; à vitijs & salutis impedimentis reuocent. Hæc enim saluberrimè inculcantur, & sunt diligentiss. in concione explicanda, omissis alijs superuacaneis, quæ plus faciant ad propriæ eruditionis ostentationẽ, aut etiam lactandos immodicis consolationibus auditores. Itaq; videamus, quid ex Apostolo nos hodiè discere velit: *Nolite esse prudentes apud uosmetipsos.* O verbum breue, sed Christianis omnibus accuratissimè expendẽdum, tenacissimè animis affigendum, omni solicitudine obseruandum. Vnde enim hæreses, vnde schismata, vnde sectę, nisi quòd miseri homunciones admodum sibi sapere & prudentes esse videntur? cùm tamen dicat scriptura, Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. Existunt interdum homines tanta animi arrogantia & superbia tumidi, vt suam sententiã non dubitent vniuersæ Ecclesiæ iudicio anteponere. Sed quid hac amentia stultius ac importunius? Rectè igitur Origenes scribens in hunc locum. Qui sibijpsi, ait, prudens esse videtur, hic cũ arrogantia stultus est, nec potest verã sapientiam Dei scire qui suam stultitiam quasi sapientiam colit. O pudeat tales insaniæ suæ. Chrysostomus hoc dicit Apostolum velle, ne quis putet se sibi sufficere. Et propterea, inquit, rursus arrogantiã & fastum amolitur, languoremq; istum constringit. Nihil enim ita à reliquis auellit & abscindit, quemadmodum si quis se sufficere sibijpsi putauerit. Vnde & ita nos Deus constituit, vt alter alterius opera indigeat. Vtut enim prudens sis, altero tamen opus habes. Quòd si te nullius opera indigere putaueris, omnibus factus es stultior & imbecillior. Talis enim nudũ se omni auxilio reddit, & in delictis suis neq; correctionem, neque veniam recipiet: sed & Deum arrogantia sua iritabit, & omninò multùm peccabit. Fit enim sæpenumerò, fit, inquam, vt prudens qd oportebat nõ videat, & stultior aliquid eorũ quæ cõueniũt inueniat: id qd in Moyse & socero suo factũ est, in Saule & puero suo, in Isaac & Rebecca. Ne putes

Esai. 5.

Nemo sibi sufficit.

Exod. 18.

1. Reg. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Genes. 27. putes ergo ideo te deprimi, quòd alio indigeas. Nam hoc ipsum est, quod te exaltat, quod validũ facit, quod splendidiorem, quod securiorẽ reddit. Hæc Chrysostomus. *Nulli malum pro malo reddentes.* Hoc difficile est carni & sanguini: immò putant homines egregiè se præstitisse officium suum, si par pari referant. Verùm hoc barbarorũ est, non Christianorum, qui non sic didicerunt à 1. Pet. 2. Christo capite suo, qui cum malediceretur, non Luc. 23. maledicebat, sed pro ipsis suis atrocissimis persecutoribus orauit, dicens, Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Si vituperabilis & infelix est, inquit Oecumenius, qui tibi iniuriã infert, cur tu imitationem prauorum non fugis, sed dum vltionem expetes, reum teipsum consti tuis, participemque impietatis? Hæc ille. Basilius Magnus in Homilia de legendis libris gentiliũ, duorum ethnicorum præclara patientiæ exem- *Exempla patientiæ.* pla commemorat his verbis: Homo quidam in foro Periclem probris omnibus inceslebat. Is autem minimè curare visus, toto ferè die sustinuit. Deinde vesperi iam discedentem cum lumine comitatus est, ne quid in philosophiæ studio amitteret. Rursus quidam Enclidi Megarensi animo concitatus mortem se iurauit illaturum: ille verò contrà se patienter laturum iurauit, placatumq; & ei quanuis infesto se conciliatum iri. Si hoc præstiterunt homines à Deo alieni, quid excusationis suæ impatientiæ & vlciscendi libidini prætexere poterunt Christiani, Spiritussancti gratia imbuti & adiuti? *Prouidentes bona, non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus:* Prouidere, ait D. Ambrosius, est bona futura ante oculos habere, vt ea gerantur, quæ possint postquàm facta fuerint in reprehensionem non venire: sed magis laudi esse, siue apud *Vitandum scandalum etiam in licitis.* Deum, siue apud homines. Ne quis existimet, quia Deo licita non displicent, idcircò non curandum, si fratri scandalum sint, hoc præmonet, quia illud fieri debet, quod & Deo non displiceat, & fratri scandalum non sit. At si liceat enim, & fratrem scandalizet, Deo non placet: quia Deus saluti studendum monet. Sic ergo prouidentur bona coram Deo & hominibus, si ea quæ licent sic agantur, ne scandalum faciant. Hæc ille. D. Augustinus in libro de bono Viduitatis acriter eos perstringens, qui famam suam negligunt, quam proximis debẽt, ita scriptũ reliquit: Nec audiendi sunt, siue viri sancti siue *Fama non negligenda.* fœminæ, quando reprehensa in aliquo negligentia sua, per quam fit vt in malam veniant suspicionem, vnde suam vitam longè abesse sciunt, dicunt sibi coram Deo sufficere conscientiam, existimationem hominum non imprudenter solùm, verumetiam crudeliter contemnentes: cùm occidunt animas aliorum, siue blasphemantium viam Dei, quibus secundum suam suspicionem quasi turpis, quæ casta est, displicet vita sanctorum: siue etiam cum excusatione imitantium, non quod vident, sed quod putant. Proinde quisquis à criminibus flagitiorum atq; facinorum vitam suam custodit, sibi benè facit: quisquis autem etiam famam, & in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra, alijs fama nostra: & vtiq; etiam quod alijs ministramus misericorditer ad salutem, ad nostram quo- 2. Cor. 8. que redundat vtilitatem. Vnde non frustrà Apostolus, Prouidemus, inquit, bona, non solùm coram Deo, verumetiam coram hominibus, &c. *Si fieri potest, quod in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Quod dicit, ait Chrysostomus, tale est: Quæ tui sunt officij, præsta, nemini dans ansam seu belli, seu dissidij, siue Iudæo, siue Græco. Si verò alicubi pietatem labefactari videris, ne præponas concordiam veritati, sed generosè persistas ad mortem vsq;. Et tamen neq; sic animo eris erga aduersariũ hostili, neq; mente illum auersaberis, sed in rebus tantummodò pugnabis. Quòd si ille pacem non seruauerit, tu vide ne animum tuum inimicitia quasi tempestate oppleas: sed voluntate sis amicus, ita tamen, quemadmodum dixi, vt veritatem nõ prodas. Atq; hæc quidem verissimè Chrysostomus, quæ tamen plerunq; hæretici & schismatici solent in separationis & discessionis ab Ecclesiæ vnitate occasionem rapere. Vident enim in Eccle- *Non defendenda sic peccata fratrum, vt Ecclesia pereat.* sia abusus quosdam, vident vitia & offendicula, & his adeò permouentur, aut potiùs permoueri se fingunt, vt propterea à Catholica Ecclesia deficiant: sed illorum non imitanda, at deploranda est insania. Isti enim vel maximè negligunt hoc de seruanda pace Apostoli præceptum. Audiant miseri Augustinum: Qui sunt, inquit, qui oderunt pacem? Qui conscindunt vnitatem. Si enim pacem non odissent, in vnitate mansissent. Sed videlicet propterea se separauerũt, vt iustiessent, vt non haberent mixtos iniustos. Aut nostra est vox ista, aut illorũ (scilicet, Cum his qui oderũt pacem, eram pacificus) Elige cuius sit. Catholica dicit: Non est dimittenda vnitas, non est præcidenda Ecclesia Dei. Iudicabit Deus de bonis & malis posteà. Si nunc mali à bonis separari non possunt, ferendi sunt ad tempus. Mali in area nobiscum esse possunt, in horreo non possunt. Et fortè hodiè qui mali apparent, cras boni erunt: & qui de bonitate hodiè superbiũt, cras mali inuenientur. Quisquis ergo humiliter malos ad tempus fert, ipse perueniet ad requiem sempiternam. Hæc vox catholica est. Illorum autem vox qualis est, non intelligentium neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant? Ne tangas immundum: & qui tetigerit immundum, inquinabitur. Separemus nos, ne cõmisceamur malis. Et nos illis, Amate pacẽ, diligite vnitatem. Nescitis, à quàm multis bonis separamini, dum quasi malis calumniamini, &c. Hæc ille vir sanctus cõtra eos, qui zelo præpostero acutuli sunt ad perspicienda aliorum vitia, cùm ad sua quibusuis talpis cæciores sint. Atque hoc genus hominum valdè cauendũ est, quia sub specie pietatis pernicio-

siosissimè inficiũt incautos, & dum se abusus odisse simulant, hæreses & sectas perditionis introducunt. Sequitur: *Non uosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ.* Non vult vt homines seipsos sua priuata authoritate vlciscantur, sed cedant iræ ipsos infestantium. Debet enim in Christianis Christi exemplo magna esse patientia, vt etiamsi malint dissimulare iniuriam suam, quàm sese ira stimulati vlcisci. Si teipsum non fueris vltus, ait Chrysostomus, Deus eris qui te iuuando vlciscetur. Permitte itaque, inquit, illi, vt aduersarium tuum in ius vocet.

Hæc Chrysostomus: verùm hîc cauendum est, ne sic iudicium Deo committamus, vt ab illo optemus maiorem sumi de ijs, qui nos lædunt, vindictam, quàm nosipsi inferre possimus. Et ideò rectè D. Ambrosius, Vt & pacis, inquit, fœdera seruari possint, ab ira dissimulandum monet, maximè quoniam per iram solet peccari, quãdo quis furore commotus plus exigit, quàm postulat causa delicti: aut sibijpsi incommodum Eccle. 7. præstat, si grauiora peccata incompetenti vindicta vult exequi. Debilem enim efficit, quem potuit emendatum habere & sanum. Vnde & Salomon, Noli, ait, iustus esse multum. Est enim, inquit, qui perit in sua iustitia. Volens enim singulis peccatis respondere circa vindictam, mortem potest inuenire tam sibi, quàm ei quem plagis affligit, &c. Deut. 32. Psal. 145. Luc. 18. *Scriptum est enim, Mihi vindictam, & ego retribuam dicit Dominus,* Ipse est enim, qui facit iudicium iniuriam patientibus: & qui facit vindictam electorum suorum, clamantium ad ipsum die ac nocte, non vtique pro vindicta: id enim longè debet abesse à filijs gratiæ: sed vt in rebus aduersis diuinitùs confirmentur & adiuuentur. Et certè meritò timere sibi & possunt & debent homines impij, cùm pios affligunt & persequuntur: quia reuerà impendet illis horrendum Dei iudicium, quo plerunque solent tales subitò præfocari à diabolo, aut alijs grauissimis calamitatibus inuolui. *Sed si esurierit inimicus* Pro 25. *tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi, hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.* Adeò non est vltio capienda ex illis qui nos lædunt, vt etiam pro iniuria referre beneficium iubeamur. Verùm quotusquisque id facit? Quis vel verbum vnum potest æquo ferre animo? quis placido vultu intueri eum, qui duriusculè ipsi locutus sit? Sed quare tam imbecilli & miseri sumus, nisi quia refrixit in nobis charitas? quæ si ferueret, neminem putaremus magis amicum, quàm qui nobis omnium esset infestissimus. Iubemur autem inimicis benefacere, quòd plerunque soleant frangi beneficijs, & animo compungi, sicque congeruntur carbones ignis super caput eorum, id est, Libr. 3. de Doctr. Christia. cap. 16. vrentes pœnitentiæ gemitus, vt exponit D. Augustinus, quibus superbia sanatur eius, qui dolet se inimicum fuisse hominis, à quo eius miseriæ subuenitur. Itaq; & Origines, Fortassis, ait, & isti carbones ignis, qui congregãtur super caput inimici, ad adiutorium ipsius congregantur. Potest enim fieri, vt amens, ferus & barbarus inimicus, si sentiat beneficium nostrum, si humanitatem, si affectum, si pietatem videat, compunctionẽ cordis capiat, commissi pœnitudinem gerat, & ex hoc ignis quidam in eo succendatur, qui eum p commisso conscientiæ torqueat & adurat: & isti erunt carbones ignis, qui super caput eius ex nostro misericordiæ & pietatis opere congregantur. Caput verò principale cordis appellatur: & meritò caput dicitur, cuius intellectu & prudentia membra reguntur vniuersa. Hæc ille. *Noli uinci à malo, sed uince in bono malum.* Vincitur à malo, inquit idem Origenes, qui malis prouocatus, reddit malum. In bona autem vincit malum, qui acceptis malis restituit bona. Certum est enim hãc esse mali naturam, vt ex similibus suis augeatur & crescat: sicut ignis, si ignem iungas: sicut noctis tenebræ, si aëris nubilum societur. Bonum verò si adhibeas, exterminatur malum. Contraria nanque contrarijs perimuntur: sicut per aquã ignis extinguitur, & per lucem tenebræ fugãtur. D. Ambrosius scribens in hunc locum, Hæc interpretatio Apostoli est, inquit, cohortantis, ne vicem reddamus inimicis, sicut dictum est. Mul tũ enim proderit nobis, si malitiæ cedamus. Vincit enim malum, qui ad tempus vinci videtur ab illo. Et Saluator enim sic vicit malum, dum non resistit. Contra enim se agit malitia, & dum vincitur, vincere se putat. Id enim agit inimicus, vt & nos de proposito nostro abstrahat, occasionem quærens quomodò peccemus. Ideò si prouocati ab illo, vicem illi non reddamus, vincimus illum in bono. Hæc Ambrosius, Scripsit de Bono patientiæ sermonẽ elegantissimũ D. Cyprianꝰ, imitatus Tertullianum, qui item de Patientia librũ vnum composuit. In hoc sermone inter cætera sic habet Cyprianus: Nos aũt fratres charissimi, qui Philosophi non verbis sed factis sumus, nec vestitu sapientiã sed veritate præferimus, qui virtutũ magis cõscientiã quàm iactantiã nouimus, qui nõ loquimur magna, sed viuimus quasi serui & cultores Dei, patientiã quã magisterijs cælesti- *Patientia ut seruanda.* bus discimus, obsequijs spiritalibus præbeamꝰ. Est enim nobis cũ Deo virtus ista cõmunis. Inde patiẽtia incipit, inde claritas eiꝰ & dignitas caput sumit. Origo & magnitudo patiẽtiæ Deo authore, pcedit. Diligenda res homini quæ Deo chara est. Bonũ, qđ amat, diuina maiestas cõmendat. Si Dominus nobis & Deus & pater est, fectemur patiẽtiã Dei pariter & patris: quia & seruos oportet esse obsequẽtes, & filios non decet esse degeneres. Qualis verò in Deo & quanta patientia, q *Patientia Dei.* in contmeliã suæ maiestatis & honoris instituta ab hominib. ꝓphana tẽpla, & terrena figmẽta, & sacra sacrilega patientiss. sustinẽs, super bonos & malos æqualiter facit diẽ nasci & lumẽ solis oboriri, & cũ imbribꝰ terrã rigat, nemo à beneficijs eius excluditur, quò minùs iustis similiter & iniustis indiscretas pluuias largiatur. Videmꝰ insepara-

bili

Universidad de Deusto
Biblioteca

bili æqualitate patientiæ nocentibus & innoxijs, religiosis & impijs, gratias agentibus & ingratis Dei nutu tempora obsequi, elementa famulari, spirare ventos, fontes fluere, grandescere copias messium, fructus mitescere vinearum, exuberare pomis arbusta, nemora frondescere, prata florere: & cùm crebris, immò continuis exacerbetur offensis Deus, indignationem suam temperat, & præstitutum semel retributionis diem patienter expectat. Cumque habeat in potestate vindictam, mauult diù tenere patientiam, sustinens scilicet clementer & differens, vt si fieri potest, multùm malitia protracta aliquando mutatur, & homo in errorum & scelerũ contagione volutatus, vel serò ad Dominum conuertatur. Hæc nimirum ille beatissimus & constantissimus martyr Cyprianus, vnde discimus, vti nos imitatione Dei & patris nostri debeamus non alienæ malitiæ vicem reddere, sed nostra patientia eorum qui nos infestant sæuitiam & maleuolentiam edomare ac vincere. Hoc enim Christianam decet æquanimitatem & modestiam: nec aliter poterimus magis grati esse Deo nostro, quàm si illi studeamus esse quàm simillimi imitatione charitatis, benignitatis, patientiæ ac longanimitatis eius: id quod ipse nobis præstare dignetur gratia & misericordia sua, qui est benedictus in secula, Amen.

DOMINICA TERTIA,
Matth. 8.

In illo tempore, Cùm descendisset Iesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. Et ecce leprosus ueniens, rogabat eum, dicens: Domine si uis, potes me mundare. Et reliq.

Homilia Origenis.

Est Homilia V. in diuersos.

DOcente in monte Domino, discipuli venerũt ad eum sicut alacres, sicut domestici, sicut proximi, sicut amici vel fratres. Ideò ait & Dominus ad eos: Vos estis sal terræ, & vos estis lux mundi. Nunc verò Matt. 5. descendente eo de monte, turbę, secutæ sunt eũ, quæ in montem ascendere non potuerunt, vt pigri populi, vt negligentes, vt imperfecti. Ita & filij Israël primitùs in montem ascendere non valuerunt, ad obuiandum Deo pergere non potuerunt propter suam irreligiositatem & impietatẽ, sed solus Moyses ascendit, & pauci cum eo seniorum Israël: ita & cum Domino discipuli soli in montem ascenderunt, & tardiores deorsum steterunt. Sic & modò vigilantes & alacres & fideles animæ Deum timentes, & Dominum diligentes, regna cælestia desiderantes, Dominum semper sequentes, post Dominum in illum cælestem montem ascendunt, audientes Apostolum Coloss. 3. dicentem: Quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite, vbi Christus est in dextera Dei sedens. Descendente nunc Domino, hoc est inclinante se ad infirmitatem & impotentiam cæterorum, misertus imperfectioni eorum vel infirmitati, secutæ sunt eum turbæ multæ, aliquãti propter charitatem, aliquanti propter doctrinam, aliquanti propter admirationem & curationem. *Et ecce homo leprosus*, vnus ex illis qui curam quærebant, qui leuamen desiderabant. *Et ecce homo leprosus ueniens, adorabat eum, dicens: Domine, si uis, potes me mundare.* Deorsum currens rogas ô homo, & in monte nihil dicis? Quare sic? Quia tempus & tempora omni rei sub cœlo: tempus doctrinæ, & tempus curationis. In monte docuit, illuminauit, monuit, animas curauit, corda sanauit. Propterea ergo ego illa maiora tentare nolui, illa summa tardare passus sum. Ipsis ergo ab illo completis, deorsum eo de monte ad curandum descendente, sicuti de cælo, sicuti de cælestibus montibus ad saluandos carnales descendente, venit ad eum homo leprosus, adorans eũ. Antequàm peteret, adorare cœpit: antequàm rogaret, cultura m ostendit. Adorauit autem eum, pro hoc ipso Deum & Dominum eum inuocãs. Adorabat eum. Sic & illi beati Magi priùs proci- Matth. 2
dentes adorauerunt eum, & ita demum ei munera obtulerunt. Eodem modo & nunc iste cadens adorabat, & sic supplicem obtulit postulationẽ, Domine, dicens, tu qui dignè adoraris, qui meritò coleris, te ego vt Dominum adoro, ideoque & Dominum dico, opera priùs contestans, & sic verba loquens. Per te enim omnia facta sunt, tu ergo Domine si vis, potes me mundare. Voluntas tua, opus est: ideò si vis: potes me mundare. Voluisti vt hæc immundissima lepra super me veniret, siue propter mea peccata, vt corrept⁹ pœnituissem: siue propter tuam prudentiam, vt mirabiliter me mundans magnificeris. Omnia dispensanter & prouidenter facis, & salutem largiter tribuis. Siue ergo hanc lepram propter mea peccata portaui, dimittens culpas meas, munda me: siue propter prouidentiam tuam, mirabiliter munda me, vt ab omnibus magnificeris. Domine, si vis, potes me mundare. Voluntas tua opus est, quia & opera voluntati tuæ obediunt, ideoque si vis, potes me mundare. Non dubito, non fallor, non dico sicut ille, qui filij salutem deprecabatur. Si quid potes, adiuua nos. Matth. 9
Sed scio quia omnia potes: ideoque non potentiam peto, non fortitudinem quæro, has enim scio esse in deficientes: sed tantùm voluntatem tuam deprecor, & sequens virtus statim hanc gratiam adimplebit. Domine, si vis, potes me mundare, mihi ad beneficium, tibi ad laudem, videntibus autem ad miraculum, & proficiẽtibus ad doctrinam. Domine, si vis, potes me mundare. Tu priùs Naaman principem Syriæ per Heliseum in Iordane tingens lepra mundasti: tu & 4. Reg. 5
modò si vis potes me mundare. Cui respondens Dominus, ait: Confiteris quia ego possum, profiteris quia si ego volo, fit: ideò volo. Mundare.

voluntatem precaris, potentiam confiteris. Volo, Mundare. Magnificè credis, magnificè & mundaberis. Plenissimè confiteris, plenissimè & lætificaberis. Volo, Mundare. Non dubitasti credere, non tardo sanare. Non distulisti confessionem, non differam te mundare. Volo, Mundare. Et vt magnam gratiam tibi ostẽdam, manũ ad te porrigo. *Extendens itaq; Iesus manum, tetigit eum dicẽs:* Leui. 13. *Volo, Mundare.* Et quare tetigit eum Dominus, cùm lex prohibuisset leprosum tangere? Propter hoc tetigit, vt ostendisset quia omnia munda mundis, quia aliorum alijs non adhærent inquinamenta, quia extranea immunditia immaculatos non coinquinat. Sed adhuc propter quid tetigit? Vt humilitatem demonstraret, vt nos doceret nullum spernere, nullum horrere, nullum contemptibilẽ ducere propter corporis læsionem, aut maculationem, quæ à Domino immittuntur pro qua ipse scit ratione. *Extendens ergo manum Iesus, tetigit eum.* Medicus sum, ait, cælestis, corpora cum animabus curare possum: propterea omnes tango, non vt infirmitas mihi adhæreat, sed ideò vt ab his qui eam habẽt expellam. Sol sum enim, ait, incorruptibilis, & luna iustitiæ, ideoq; omnibus appropio, & omnes meis splendoribus ad salutem irradio: ipse verò sicut fui permaneo in singulari meæ sanctitatis pulchritudine. *Extendens manum, tetigit eum.* Non sperno legem, sed curo vulnus. Non destruo mandatum, sed fugo atque mundo lepram. Ideoq; cùm extendo manum, mox effugit hæc contaminatio: meę virtuti proximare, vel resistere meæ potentiæ non potest. Dico: Mundare, & manum ad tangendum extendens, effugit illicò lepra, & inuenta est manus Domini non lepram, sed mundum tetigisse corpus. Consideremus & nos nunc dilectissimi fratres, vt nullus peccati lepram in sua habeat anima, vt nullus contaminationes delictorum in suo retineat corde. Et si habet, instanter adorans Dominum, dicat ad eum: Domine, si vis, potes me mundare. Tu illum priùs multa delicta committentem mundasti Manassen, tu alijs innumerabilibus à seculo peccantibus misertus es. Tu ergo si vis, potes me mũdare. Et Dominus mox misericordiæ porrigens manũ, dicet: Volo, Mũdare. Et Iesus ait illi mundato à lepra, huic cui misertus est, huic credẽti Domino, qui confisus est in virtute eius: huic ergo dixit Iesus: Credidisti, sanus es: speraſti, mundus effectus es. Noli obliuisci qualis fueris, & qualis factus sis. Non cesses gratias agere, non taceas confiteri. Hoc & nos debemus facere charissimi, quando à Domino nostro de aliquo periculo liberamur, quãdo ab dolore saluamur, siue infirmitatis, siue vulneris, siue de qualibet necessitate. Non efficiamur ingrati, non relinquamus liberatorem nostrum, sed alacriter gratiarum actionem ei reddamus, sed & munera secundũ substantiam nostram ad honorificandum eum exhibeamus. Hoc enim & illi mandauit Dominus: *Vade, ait, ad sacerdotem, & offer munus tuum. Dixit ergo ei Iesus: Vide nemini dixeris.* Et quare ô dulcissimè Domine nunc dicis, Nemini dixeris? Propter meam, ait, humilitatem, propter meam dulcedinem, vt & vos doceamini quando aliquid boni facitis, non gloriari, nõ extolli, non inaniter placere velle in conspectu hominum, sicut consuetudo est aliquãtis, siue cùm aliquid boni fecerint, siue cùm ieiunauerint, siue in pauperum eleemosynis & largitatibus, siue in altaris honore, siue in sanctorum honorificentia. Etenim ipsi ante homines volunt glorificari, & sibi placere, ante Dominum mercedem perdentes. *Videnemini dixeris.* Te enim tacente, hoc mirabiliter clamabit: te enim os nõ aperiẽte, omnis tui corporis substantia iubilabit. Hesterno immundus, & hodiè mundus: ante pusillum horribilis, & nunc decorus. *Vide ergo nemini dixeris, sed uade & ostende te sacerdoti.* Ambulantem te ad templum videntes mirabuntur, & sacerdos videns expauescet, quoniam secundùm legem ab eo semel & bis ab eo ablutus, & ostendens te ipsi, mũdari non potuisti. Vade ergo, ostende te sacerdoti, & videns cognoscat, quia non per legis consuetudinem mundatus es, sed per gratiæ operationem: non per terrenorum sacerdotum imaginem, sed per cælestem summi sacerdotis splendorem. *Vade, ostende teipsum sacerdoti.* Sacerdoti te ostende, à summo sacerdote missus. Sacerdoti te ostende, à summo sacerdote Dei patris mundatus. Sed non videaris in conspectu Dei inanis. Non videaris sacerdoti manu vacua ad eum venire, non venias in conspectu sancti templi infructuosus, *sed offer munus tuum.* Ad illum enim tunc hoc dictum, nos admonet omnes: ad illũ loquẽs, nobis omnibus dicit, vt & nos dona & munera nostra nõ teneamus apud nos, sed reddamus Deo, maximè cùm de aliqua liberamur tribulatione. *Offer, inquit, munus tuum.* Quare? Vt omnes qui vident te portare & offerre, credant his mirabilibus, & magnificent Deum, qui misertus est tui: & infidelibus per hoc increpatio & testimonium duritiæ cordis ipsorum fiet. Sic Iob. 5.
& illum triginta & octo annis iacentem in infirmitate, erigens à languore, iussit portare grabatum suum, & ire in domum suam, vt hunc ipsum lectum portatum ab eo per mediam ciuitatem clamasset, saluantem se inuocando & laudando. Sic & illum cæcum in natatoriã Siloë misit, vt vi- Ioan. 9.
dentes ambulare illuc eundem cæcum, & iterum remeantem, mirati & obstupescentes, crederent huic talia mirabilia facienti. Post hæc, quæ superiùs dicta sunt, *Cùm introiisset Capharnaum ciuitatem Galilææ.* Sic cognominata est Capharnaũ, in qua Dominus sæpiùs virtutes suæ magnificentiæ demonstrauit. Ingrediente eo Capharnaum. Cur ibi ingressus est? Propter hoc, quod & inuenit, & statim manifestum est. *Accessit ad eum Centurio.* Accessit verè, non dimidius, sed totus: non aspectu corporis tantùm; sed & animæ plenitudine: non fasie tantùm, sed & immaculato corde. Ac-

Universidad de Deusto
Biblioteca

4. Reg 1. 4. Reg. 1.

cessit centurio, alienigena generatione, sed domesticus corde: alienus natione, sed alacer fide: milirum princeps, sed plus angelorum gaudium. Accessit ad eum Centurio, increpatio illorum. Illi quòdam ad Eliam in Carmelo ascendentes quinquagenarij, mox in infidelitate sua igne combusti sunt, & iste in fide mox in sinu deputatus est Abrahæ. *Accessit ad eum Centurio, rogans eum & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur.* Multi in illo tempore pro diuersis rogabant infirmitatibus, alius pro filio, alius pro aliquo alio, sed nullus pro seruo, nisi iste solus: & hoc ei ad augmentum beatitudinis, ad coronam gloriæ erat. Quid enim cogitabat iste beatus? Quid æstimabat iste omnibus bonis plenus centurio? Iste, aiebat mihi seruus est, & ego seruus creatoris sum. Iste me habet super terram dominum, & ego hunc magnum in cælis habeo dominum. Si ergo ei non misereor, quomodò mihi ille subueniet? Sic debent omnes qui famulos habent & famulas cogitare, sic misereri, sic condolere eis, sic supplicare, sic curam habere de seruis suis, vel de ancillis suis, sicut & ille beatus centurio fecit. *Puer meus, inquit, iacet in domo.* Non in vna re tantùm miserabilis quòd iacet, sed & in alia quòd paralyticus, tertia quòd malè torquetur. Omnia enim ista dolore cognominauit, & iacentem, & paralyticum, & durè detentum, ideò vt & suæ animæ angustias demonstraret, & Dominum commoueret, quatenùs & illius cruciatum demonstraret,

Luc. 5. & Domini beneuolentiam inuitaret. *Puer meus iacet in domo.* Et huc quare non attulisti eum, sicut illi illum paralyticum in lecto portauerũt? Ideò, ait, quia non opus est ostendere illi omnia videnti. Non opus est in conspectu eius asserre, cuius potentia non terminatur, nec includitur, neque excluditur. *Iacet in domo paralyticus, & malè torquetur.* Quid ergo vis? quid cupis? quid desideras? Non multum loquor ait: scio enim, quia ad omnia cognoscentem loquor. Non sum verbosior: scio enim quia ad omnia præscientem respondeo. Ideoq; iste cognoscẽs corda, respondẽs, dicit: Ego *veniam & curabo eum* Ego ad Abrahã veniens, senilem Saræ vterum sanaui, in senectute eis

Gene. 21. Isaac filium donans: ego & nunc veniens ad te, curabo eum. Et quomodò promittis Domine aduentum tuum huic? Nec petit, nec quærit, sciens quòd non acceptabile sit ei vt venias in domum eius. Propter quid omnino hoc profers? Ob hoc, vt & vos prœualeatis, & eius fidei similetis, vel cognoscatis quid sit iste, vel qualis in eo fidei thesaurus habeatur occultus. Iam

Genes. 22. enim & primitùs Abraham tentaui, non pro hoc vt cognoscerem quem antè sciebam, sed vt vos ei similes in omni tentatione; & fortissimi inueniamini Et Iob ita probaui. Non propter hoc

Iob. 1. 2. probaui, quem iustum testificatus sum, sed vt vobis spem & fiduciam vel confidentiam demonstrarem. Ideò & huic dico, Ego veniam & curabo eum, vt & ipse magnam suam fidem proferens, dicat: Domine, terruisti me de hoc promisso, conturbasti me de hoc dicto, interfecisti fortitudinem animæ meæ in hoc verbo. Non sum dignus aspectu, nõ sum dignꝰ appropinquatione, nõ sum dignꝰ accessu vel introitu tuo. *Domine, nõ sum dignus ut intres sub tectũ meũ.* Moyses primitùs ille magnus tuus confabulator, ille mirabilis narrator operum tuorum, ille fidelis in tota domo tua, nimiùm se humiliauit, dicens: Non sum Exod. 4.
dignus ante hesternum & tertium diem. Quanto magis ego dicam, Domine, non sum dignus, vt sub tectum meum intres? Alienigena sum, gentilis sum, miles sum: gladio accinctus, sanguinem fundens, ad prælium exiens: ideoque *non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo*, sed tantùm veni verbo. Verbum tuum, aspectus tuus est: verbum tuum, opus consummatum est. Ideoque dic verbo, ostende absens corpore, quod præsens spiritu consummare potens es. Vbiq; indeficiens tua præsentia, vbique præsens tuus aspectus. Idcircò ego accessu & introitu tuo indignus sum, & iste infirmus verbi tui visitatione indiget, & ideò *dic verbo, & sanabitur puer meus.* Sed & hoc nullum nostrum pertranseat sicut pusillum aliquid, quod dixit iste beatus: *Non sum dignus, ut sub tectum meum intres.* Dominus
Intrat & nunc Domtnus sub tectum credentiũ duplici figura vel more. Nunc enim quando ut intret
sancti & religiosi & Deo acceptabiles ecclesia- sub tectum
rum antistites sub tectum tuum intrant, tunc ibi credentiũ
dem Dominus per eos ingreditur, & tu sic existimes tanquam Dominum suscipiens. Et aliter. Eadem
Quando Dominum sumis cibum, quando illud incorruptum accipis epulum, quando vitæ panem & poculo frueris, quando manducas & bibis carnem & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians temetipsum, imitare hunc centurionem, & dicito: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum. Vbi enim indignè ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur illi accipienti. Sed adhuc quid adiecit ille beatus in sequentibus? *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, & habeo sub me milites: & dico huic, uade, & uadit: & alio, uenì, & uenit: & seruo meo, fac hoc, & facit.* O prudentia, ô intellectus animæ, ô munditia cordis. Prior omnium manifestæ veritatis confessionem reuelauit, & noui testamenti mysterium declarauit, & Ecclesiæ in sese monstrauit imaginem, primitiæque ex gentibus Domino credentium factus est. Ego, ait, homo sum sub potestate regis vel principis, indignus ego habeo sub potestate mea milites & seruos, & tu habes sub potestate tua angelos sicut milites, & sanctos omnes seruos. Ego mando vnicuique, & facit secundùm præceptum meum: & tu mandas, quod & statim completur. Quod enim mandas & dicis, fit. Mandas, & fine mora perficitur. Omnis enim creatura seruit tibi, & ideò dic verbo, &

& perficietur velociter, & sanabitur puer meus. O fides viri, ô religiositas militis. Quomodò te magnificemus, ô dulcissimè amice veritatis? Te admiratur Dominus, & tuam indeficientem magnificat fidem. Quomodò de tenebris gentium tantum lumen processit? Quomodò de errore eorum Deum non cognoscentium, tanta manifestata est iustitia? Quomodò ex ore stultorum idolis seruientium, tam lympida effulsit fides? *Audiens ergo Dominus, admirabatur eũ.* Et quod Deus vnigenitus miratur, quantum sit & quale, inenarrabile & inæstimabile? Percipe sensu, ô charissime, quòd Deo nihil est mirabile, nec aurum, nec

Deo nihil admirabile. diuitiæ, nec regna, nec principatus. Ista omnia sunt in conspectu eius tanquàm vmbra, & sicut nihil, sicut flos decidens. Nihil ergo mirabile in conspectu Dei, nihil magnum, nihil precio sum, nisi tantùm vna fides. Hanc miratur, hanc honorificat, hanc acceptabilem sibi æstimat: Ideoq; conuertens se ad sequentes turbas, dixit: *Amen dico uobis, hoc est, uerè dico uobis, non inueni tantam fidem in Israël.* Non in illo priore Israël beato Iacob tantam abnegat se Dominus fidem inuenisse, ille enim non tantùm credidit Dominum, sed & prophetauit de eo, & apertiùs eius iustitiam demonstrauit, & manifestum in carne aduentum eius prolocutus est. Nisi enim credidisset ei, quomodò de eodem prophetasset? Sic & hi qui de Israël processerunt. Israël enim & ipsi nominati sunt prophetæ & iusti, Dauid, Esaias & Hieremias. Hi omnes clarè & manifestè eius aduentum prænunciauerunt. Omnes nanq; hi habuerunt fidem, habebant etiam & prophetiam. Et iste beatus centurio fidem habuit, sed prophetiam nõ habuit. Ideoq; Dominus admirãs, magnificat fidem eius super illum qui tunc fuit Israël, hoc est, super omnes qui tunc fuerunt tribus Israël, & non super illum qui ab initio fuit Israël, nec super eos, qui posteà prophetæ & iusti inuenti sunt in Israël. *Amen dico uobis, nec in Israël tãtam fidem inueni*, sicut in gẽtibus, sicut in barbaris, sicut in alienigenis. Gentes filium Dei me inuocant omnipotentem, vnigenitum confitentur, Dominum asserunt, & sicut Dominum diligunt, & sicut bene omnia dispensantem adorant: &

Esai. 1. Israël me non cognouit, & populus meus hic me non intellexit. Ideoq; Beelzebub & Samaritanũ

Marc. 5. appellant, & peccatorem æstimant. Iairus Israëlis princeps, pro filia sua me petens, non dixit, dic

Ioan. 3. verbo, sed veni, ait, velociter, antequàm moriatur filia mea. Nicodemus doctor Israël de fide

Ioan. 11. sacramento audiens, ait: Quomodò potest hoc fieri? Maria & Martha me nimiùm diligentes, dicunt: Domine si fuisses hic, non esset mortuus frater meus, tanquam dubitantes, quòd vbique non velox sit adesse mea potentia. Ideoque non inueni tantam fidem in Israël, sicut in isto alienigena. *Dico autem uobis, quòd multi ab oriente, & occidẽte uenient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum.* Dico vobis, testor vobis, annuncio vobis, prędico vobis, quòd multi venient, de quibus iam priùs propheta locutus est, dicens: Et venient gentes multæ, & dicent: Venite ascendamus in montem Domini, & in domum Dei Iacob ingrediamur, & ostendet nobis viam suam, & ambulemus in ea. Multi venient, illi de quibus ait Dominus: Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas adducam, & erit vnus grex, & vnus pastor. Multi venient, illi de quibꝰ dictum est: Vt & filij Dei qui dispersi sunt, congregẽtur in vnũ. Isti ergo oẽs venient. Vnde venient? *Ab oriente & occidente*, hoc est, ex omni gente quæ sub sole est, ab oriente vsq; ad occidentem. Sicut enim per omnes gentes debet hoc euangelium prædicari, si ex omnibus gentibus venturi sunt ad regnum cælorum. Vel adhuc ab oriente hi, qui statim illuminati transeunt: & ab occidente hi, qui passiones & persecutiones vsq; ad mortem tolerarunt pro fide. Multi ergo venient. Et quomodò alibi dicis ô dulcissime Domine, Matt. 22.
Multi vocati, pauci electi? Multi, ait, vocati. Omnes enim tribus hominum ab initio seculi vocatæ sunt, & pauci electi de multitudine. Etenim per diuersas generationes & secula diuersa pauci electi sunt. Simul verò conuenientes, & simul congregati in tempore visitationis, multi inuenientur, nimiumque innumerabiles. *Multi enim uenient ab oriente & occidente, & recumbent*, non carnaliter iacentes, sed spiritualiter requiescentes: non temporaliter potantes, sed Beatitudo
æternè epulantes. *Recumbent in regno Dei*, vbi lux cæli.
est & spes, vbi lætitia & exultatio, vbi est gloria & benedictio, vbi lux oculorum & longæuitas vitæ æternæ, vbi omnes iucundantur, vbi omnes gaudent, vbi patres illi beati recumbunt, vbi omnes prophetæ requiescunt, vbi apostoli & euangelistæ super glorioſos ſedent thronos, vbi multitudo martyrum in æterna gloria gloriatur, vbi copiositas virginum in secula exultat, portans coronam immaculatæ virginitatis. O dulcissimi fratres, vnanimis conuentio, hilaris congregatio, fulgens coniunctio ista est à seculo bene prędicata & annunciata: ista est exultatio, ista est ab initio narrata requies. In istam festinarunt ire omnes Dominum diligentes, ad istam colliguntur omnes ex gentibus Domino credentes, religiositatem seruantes. In eam & nos omnes pergamus, ô religiosi filij Dei, ad istam omni virtute nostra festinemus. Nihil nos reuocet, nihil nos retardet, nihil nos impediat ad hoc desiderabile properare conuiuium. Omnem negligentiam, à nobis pellamus, omnemq; desidiam ab animo, & corporis impedimenta à nobis proijciamus, vt huius beatitudinis & requiei domestici efficiamur, quatenùs sanctæ huius, vt dictũ est, epulationis digni inueniamur. *Vade, sicut credidisti, fiat tibi.* Sic fiet vere vnicuiq; homini, sicut crediderit: secundùm mensuram fidei metietur ei & ista à Domino gratia. Ideoq; dixit ad illum Dominus: *Sicut credidisti, fiat tibi.* Credidisti quia

Universidad de Deusto
Biblioteca

ego omnia possum,credidisti quia ego sum dominus omnium : sicut credidisti, ita & fiat tibi. Credamus & nos fratres charissimi,Iesum Christum Deum ac Dominum nostrum omnia posse, vbiq; presenté esse,remissionem nobis cunctorũ peccatorum eius indulgentia,si tamen eius præcepta seruemus,largiri,vt & vnusquisq; nostrum cum centurione illo audire mereatur : Vade, & sicut credidisti, fiat tibi, Adiuuante ipso Domino nostro Iesu Christo,qui cum Deo patre in vnitate spiritus sancti viuit & regnat in secula seculorum,Amen.

DE EADEM DOMINICA.
HOMILIA EVSEBII
Emeseni.

Matt. 5. QVum (inquit) descendisset Iesus de monte,vbi octo beatitudines prædicauerat,multæ turbæ eius sermone delectatæ,eius virtute sanatæ, eius amori colligatæ,sequutæ sunt eum. *Et ecce leprosus veniẽs adorabat eũ,dicens: Domine si vis,potes me mundare.* Meritò quidem Domino de monte descendenti leprosus occurrit,quia ad hoc venerat, ad hoc de cælis descenderat,vt mundum sanaret,& à vitiorum lepra mũdaret. Sed vide quanta sit fides huius leprosi: hominem videt,Deum adorat, de omnipotentia non dubitat. Sed quid dicit? *Domine si vis,potes me mũdare*, Dominus es,omnipotens es, voluntas tua opus est : omnis creatura tibi obediens est: non promerui beneficium tuum, non sum dignus colloquio tuo : credo tamen,quia si vis,potes me mundare. *Et Dominus ad hæc extendens manum suam tetigit eum,dicens: Volo,Mundare.* Manum suam Dominus extendit,potentiam manifestat, virtutem non cælat: tangit hominem, & fugit lepra: imò etiam priùs lepra fugit,quàm manus ad hominem perueniret,ne,si lepram tetigisset,cõtra legem facere videretur. Lex enim huiusmodi hominem immundum iudicat,quæ omne immũdum tangere interdicit. Sed quid ait? *Volo. Mundare, Credis quia possim?* Volo quia credis: experire fidem tuam,cognosce potẽtiam meam. Volo vt munderis: & ideò mundare. *Et confestim mundata est lepra eius*, vt & fidei virtus,& curantis omnipotentia appareret. *Et ait illi Iesus. Vide nemini dixeris, sed vade, ostende te sacerdoti.* Hoc enim non dixisset, si hoc miraculũ inter turbas fecisset,quæ eum sequebantur,quum de monte descendisset. Neq; enim vnus cælare posset quod tanta millia hominũ vidissent. Et de his quidem in illo volumine pleniùs diximus, de quo ista assumpta sunt: quærendum tantùm est,cur ei Dominus præcipiat,vt nemini dicat. Prædicare namq; & Dei miracula populis nũciare,sacerdotum est. Leprosus verò, etsi mundatus sit,sacerdos tamen fieri no debet: quoniam illi ad hoc officium eliguntur (vt Apostolus ait) qui sine crimine sint. In hoc quoq; & nos docemur, in his quæ benè & laudabiliter agimus,laudem hominũ & vanam gloriam quærere non debere. Sed cur eum ad sacerdoté ire mandas Domine Iesu ? quare iubes vt sacerdoti se ostendat, quem tu sacerdotum omnium maximus,curas? quis eum iudicare audebit, qui tuo iudicio mũdus redit? Hoc igitur agis, vt legis sacramentis cõsentire agnoscaris. Ille enim mundus est,qui sacerdotũ iudicio mũdus iudicatur. Illorum enim est,bonum à malo, iustum ab iniusto,& mundum ab immundo separare. Hoc itaq; priuilegium eis confirmas, dum ad eorum iudiciũ hunc hominem mũdas. Sequitur. *Et offer munus quod præcepit Moyses, in testimonium illis.* Priùs aũt quid leprosus iste significet: (significat verò aliquid:) deinde verò dicamus,quid munus etiã significet,quod eum offerre præcepit Moyses. Iste enim leprosus totum humanum genus,& vnusquisq; peccator intelligi potest. Hæc lepra non corporis sed animæ est. Illa enim anima leprosa est,quæ superbia,ira,auaritia,discordia,odio,& luxuria sordescit. Talis leprosus curratad Iesum,festinet ad medicum,non desperet,pœniteat,& mundari desideret. dicat: Domine si vis potes me mundare: potes vtiq;, quia & ego sum pœnitens,& tu es omnipotens. Tu enim dixisti, quia peccator quacũq; hora conuersus fuerit & ingemuerit,vita viuet,& non morietur. Si enim hoc dixerit,si hoc egerit,certus sit de misericordia,non desperet de venia,quia benignus est Dominus,qui ad se venientem neminem repellit. Deinde verò offerat munus,quod præcepit Moyses. Præcepit enim Moyses, vt leprosus quando mũdatur,offerat pro se duos passeres viuos,quibus vesci licitum sit,& lignum cedrinum,& coccum & hyssopum. Et vnum è passeribꝰ immolet in vase fictili super aquas viuentes: alterum verò in agrum auolare dimittat. Hoc enim vanũ & inutile videretur,nisi fieri ille præcipisset, cui nihil vanum & inutile placet. Ille igitur qui mũdatur, duos passeres offerat,& corpus & animam Domino reddat, vt iam non mundi voluptatibus, sed cí. Deo seruiant. Qui bene viui offerri dicũtur, quoniam de morte ad vitam transferuntur. Quibus quia vesci licitum est,mundos eos esse,& à peccato liberos manifestat. Nihil enim nisi mundũ lex cõmedi iubet. Offerat aũt simul cum his & lignũ cedrinum : vt qui corpus & animam suam Deo reddit, incorruptam fidem & synceram conuersationem se agere promittat. Cedrus enim imputribilis est redolentisq; naturæ. His aũt superaddat & coccum, vt charitatis igne succẽsus, Deum diligat & proximum. Coccus enim ignei coloris est. Offerat prætereà hyssopum, vt in petra radicatus & fundatus, nunquam à Christo separari valeat. Hyssopus enim naturaliter in petra nascitur: petra aũt erat Christus. Postquàm igitur sic se totum Deo reddiderit, immolet vnum de passeribus in vase fictili super aquas viuentes. Hic enim passer corpus est,ideoq; in vase fictili immolatur: quia vasa terrea & fictilia sunt corpora nostra. Immolatur aũt super aquas viuentes, sicut sanctæ scripturæ immolari præcipiũt. Vnde Apostolus : Obsecro, inquit, vos per misericordiã Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiã viuẽte, sanctam, Deo placentẽ, rationabile obsequiũ vestrũ. Hæc est viua aqua, quæ te benè passerem tuum immolare docet. Iudæi enim non benè immolant, quia ad hanc aquam non veniunt. Alterum verò passerem, id est, animam in agrum auo lare dimittat, quatenùs iam libera, nec terrenæ corruptionis mole grauata, virtutum alis ad cælestia volare discat. Quia enim alter passer iam immolatus est, ideò iste liberè volat, & à nullo detinetur. Corpus quod corrumpitur aggrauat animam. Hic est igitur rectus pœnitentiæ ordo, vt quicunque mundandus ad Deum venit, priùs seipsum totum offerat, fidem & charitatem, & in bonis operibus perseuerantiam promittat : carnem quæ peccauerat in seruitutem redigat & affligat,& animam iam libertate donatam,ad cælestia contemplanda volare dimittat. Sequitur : *Quum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum & dicens : Domine, puer meus iacet in lecto paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi Iesus: Ego veniam & curabo eum.* Qualiter Centurio ad Iesum accesserit, Lucas Euangelista demonstrat: qui eũ non per se, sed per seniores Israël ad eum accessisse narrat, quatenùs pro puero ipsius intercederent,& quia magis Domino familiares erant, ipsi pro eo interpellarent. Illi autem quũ venissent ad Iesum, rogabant eum solicitè, dicẽtes ei, quia dignus est vt hoc illi præstes. Diligit enim gentẽ nostrã, & Synagogam ipse ædificauit nobis. Sic igitur Centurio accessit ad Iesum, nõ per se, sed per seniores Israël, videlicet vt nos doceret, quid in tali negotio agere debeamus, quãdo puerum nostrum in domo nostra paralyticum iacere, & malè torqueri sentimus. Quis est enim puer iste nisi anima, secundùm se quidem innocens & pura? Puer aũt à puritate dicitur. Hunc autem Lucas seruum dicit : quia sine seruitio animæ viuere nequimus . Iste igitur puer noster, iste seruus noster, iste iniustè subiugatus & carnis seruitio depressus spiritus noster, iacet in domo paralyticus, iacet in corpore infirmus, iacet in carnis habitaculo vitiorum morbo superatus, & malè torquetur. Hinc luxuria vexatur, hinc superbia fatigatur, hinc auaritia arctatur. Quid igitur? Mittamus ad Iesum. Sed quem mittemꝰ, & quis ibit ex nobis? Mittamus seniores Israël, id est, Episcopos sacerdotes. Isti enim pro alijs interpellare, isti pro infirmis & peccatoribus orare debent. Isti citò veniunt ad Iesum : isti eum mouere, isti eũ flectere, & ad misericordiã inclinare possunt: præsertim si nos sanari volumus, si nos peccasse dolemꝰ, & si boni aliquid egimꝰ, vnde nos apud iudicem commendare queant. Facile enim illi pœnitenti sacerdotes à Domino veniam impetrant, qui de peccatis erubescit, totoque mentis annisu se ad pœnitentiam conuertit. Et multos quidem videmus, qui quanuis in se aliquo vitio torqueantur, bonos tamen diligunt, multisque modis sanctam Ecclesiam ædificant. De his igitur dicere possumus, dignos qui exaudiantur, quia diligunt gentem nostram, & Synagogam ædificauerunt nobis. Sed sequitur. *Ego veniam & curabo eum.* Hoc Matthæus ait. Lucas autem quid? Iesus autem ibat cum illis. Venit enim Iesus ad infirmum, venit cum Episcopis & sacerdotibus ad pœnitentem, quoniam eorum precibus flectitur & orationibus ducitur. Et cùm iam non longè esset à domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens : Domine noli vexari : non enim dignus sum, vt sub tectum meum intres. Propter quod & meipsum non sum dignum arbitratus, vt venirem ad te. Hæc autem Matthæus prætermisit. Cætera verò vtriq; communia sunt. Bene igitur hoc loco hi duo conueniunt, si hoc tantùm in Matthæo subaudiatur, quòd Centurio non per se, sed per seniores Israel, deinde verò per amicos accesserit ad Iesum. Sed qui sunt amici nostri, quos Christo aduenienti, & iam domui nostræ appropinquanti obuiam mittimus ? Isti: intellectu. sunt (vt opinor) intellectus, & animus, & spiritus contribulatus. Animus. Isti enim Christi aduentum sentiunt, isti cum eo loqui audent, isti nos Deo commendant, & eius gratiæ reconciliant. Spiritus contribulatus. Quando enim intus agimus, quando nobiscum in corde tractamus, quæ & quanta fuerit huius nostri Saluatoris benignitas, vt pro nobis carnem sumeret, & mundi iniurias sustineret, tunc prædicti amici nostri cum Domino loquuntur & quodammodò ei dicunt, Domine noli vexari: quoniam eius vexationem & fatigationem mirantur & contremiscunt. Hoc enim faciebat Ioannes Baptista, quum diceret: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Quando verò ad Christi sacramẽtum accedimus, & fragilitatem nostram considera- Eucharistia. mus, quid aliud dicit vnusquisque nostrum, nisi, Non sum dignus vt intres sub tectum meum, nõ sum dignus vt corpus & sanguinem tuum suscipiam in ore meo? Domine dic verbo, & sanabitur puer meus. Tu enim dixisti, & facta sunt omnia: mandasti & creata sunt vniuersa. Eadem virtus tibi est, eadem potentia manet. Dic igitur, vel præcipe vt fiat, & sanabitur puer meus. Nõ enim maius est sanare, quàm creare. *Nã & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites : & dico huic, vade, & vadit : & alij, veni ; & venit : & seruo meo, fac hoc, & facit.* Ego, inquit, homo sum, tu Deus : ego sub potestate, tu super omnes potestates : ego habeo milites, tu angelos : isti mihi obediũt, illi tuã faciunt voluntatem. Manda igitur quem velis: præcipe sanitati vt veniat, & iube infirmitati vt recedat. Placuit Domino consiliũ, laudauit fidem Centurionis. Ad hoc enim Dominus misericordiam differebat, vt hæc tanta fides Centurionis clariùs manifestaretur. Vnde & subditur : *Audiens autem Iesus, miratus est, & sequentibus se dixit : Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël.* Mira-

Leui 13. Deut. 13. Leui. 15.

Miracula Dei populis nuntiare cuius est.

Tit. 1.

Rom. 12.

Passer duo lauat.

Leprosa anima.

Luc. 7.

Puer, anima.

Episcopi & sacerdotes pro quibus intercedant.

Lignum cedrinum

Coccus

Hyssopus

1. Cor. 1

Matth. 3.

Pſal. 148.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur Iesus de fide Cęturionis, miratur de fide gentilis hominis. Et iam tunc fidem Gentium mirabatur, quam vltra fidem Iudæorũ crescere videbat. Non igitur inueni tantã fidem in Israël, quãtam in Gentili populo: qui per Centurionem significabatur. De quibus mox subinferẽs ait: *Dico aũt uobis, quòd multi ab oriente & occidente uenient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorũ: filij aũt regni eijcientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentiũ.* His enim paucis verbis, Ecclesiã ex omnibus mũdi partib⁹ colligendã, & infernо expoliato sanctorum animas ad cęlorũ regna transferendas, & Iudæorũ incredulitatem & dãnationem denunciat. Tenebræ aũt illæ exteriores sunt, vltra quas aliæ tenebræ non sunt. Sunt aũt aliæ tenebræ interiores, ex quibus venitur ad has exteriores, quas infideles homines in mente patiuntur. De quibus Apostolus ait: Cæcitas ex parte contigit in Israël. *Et dixit Iesus Centurioni: Vade, & sicut credidisti fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.* Inter dicere & facere Christi nulla distantia est. Ipse enim dixit, & facta sunt: mãdauit, & creata sunt. Probauit Centurio fidem suam, probauit & virtutem Iesu. Dixerat enim, Domine dic verbo, & sanabitur puer meus. Et Dominus ad eum dixit verbo: Vade, inquit, & sicut credidisti fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.

Tenebræ exteriores. Interiores. Rom. 11.

Psal. 148.

DOMINICA QVARTA
post Epiphaniam in Epistolam Concio exegetica.

BReuis est huius diei lectio epistolaris, sed quæ totius scripturæ diuinæ summam in se paucis verbis complectatur. Hortatur ad fraternum amorem, quem ipsa quoq; natura sic exigit, vt immanis beluæ feritatem vincere videatur, quisquis non amat fratrem suum. Etsi verisimũ hoc est, tamen vsq; adeò hodiè à toto ferè orbe terrarũ exulat vera & germana charitas, vt homines propemodùm omnis humanitatis obliti, id solùm studere videantur, quomodò ex alienis damnis sua compẽdia venentur: atq; vtinam pleriq; contenti essent non gratificari proximo, non etiam modis omnibus nocere conarẽtur. Iubet Deus, hortatur natura, ipsæ quoq; beluæ inuitant, vt diligamus naturæ cõsortes, & nos nihil mouemur. Sed Apostolum ipsum audiamus ex 13. cap. Epistolæ ad Romanos: *Nemini, inquit, quicquam debeatis, nisi ut inuicem diligatis.* Charitatem, ait D. Augustinus, tanto magis debemus, quanto amplius impenderimus: cuius nos perpetuos debitores ostendit Apostolus, dicẽs: Nemini quicquã debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Ipsa quippe dilectio exigit debitum, vt fraternæ charitati seruientes, eum, qui se adiuuari rectè velit, in quo possumus adiuuemus. Item alibi idem Augustinus: Sẽper debeo, ait, charitatem, quę sola, etiã reddita, semper detinet debitorem. Redditur enim, cùm impenditur: debetur autem, etiamsi reddita fuerit, quia nullum est tempus, quando impendenda iã non sit. Nec cùm redditur amittitur, sed potiùs reddendo multiplicatur habendo. enim redditur, non carendo. Et cùm reddi non possit nisi habeatur, nec haberi potest, nisi reddatur. Immò etiã cùm redditur ab homine crescit in homine, & tanto maior acquiritur, quãto pluribus redditur. Quomodò aũt negotur amicis, quæ debetur & inimicis? Sed inimicis cauta impẽditur, amicis secura repẽditur. Et paulò infrà: Nõ ergo sic impenditur charitas, vt pecunia. Excepto enim, cp impendendo illa diminuitur, hæc augetur: etiã illo inter se differunt, quòd pecuniam cui dederimus, tunc ei beneuolẽtiores erimus, si recipere non quæramus: non autem potest esse verus charitatis impẽsor, nisi fuerit benignus exactor: quoniam pecunia cùm recipitur, accedit cui datur, sed recedit à quo datur: charitas verò non solùm apud eum crescit, qui hanc ab eo quem diligit exigit, etiamsi non recipit: sed etiam ille, à quo eam recipit, tunc incipit habere cùm reddit. Hæc ille. Chrysostomus hunc locum sic interpretatur: Rursus ad bonorum matrem, magistram eorũ quæ dicta sunt, omnisq; virtutis effectricẽ confugit, eamq; ipsam dicit esse debitum, non quidem tale, quale est tributum, quale vectigal: sed quod continuò sine intermissione sit præstandum. Nũquam enim illam reddi vult: immò semper quidem reddi vult, non tamen impleri, sed semper deberi. Tale quippe debitum est, vt & reddatur, & semper debeatur. Hæc ille. Porrò Christus ipse hac nota præcipuè voluit internosci discipulos suos, si se mutuò diligerent. In hoc, inquit, cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicem. Ideò etiam magister bonus in illa suauissima concione, quam habuit à suprema cœna, toties suis commendauit mutuam charitatem, tanquam ea sola sufficiat, cùm vtique vbi illa adest, reliquas quoque virtutes necesse sit adesse, & sine qua nihil omninò possit ad salutem prodesse. Neque vel Christus vel Apostolus, dum inuicem nos diligere iubet, Dei amorem excludit, cùm certum sit, teste etiam D. Augustino, vna charitate nos Deum proximumque diligere, immò nemo possit proximum salutariter diligere, nisi Deum amet. Hoc ergo commune Christianorum omnium, & qui Christiano nomine non inaniter gloriari velint, sit studium, vt ament: tanto vtique & meliores in hac vita, & beatiores in illa cælesti futuri, quanto plus amauerint. Sequitur: *Qui enim diligit proximum, legem impleuit.* En quantum tribuit charitati, vt sit summa legis & prophetarum, immò impletio totius legis diuinæ. Rectè igitur dicit scriptura, Iusto non esse legem positam, cùm illum charitas impellat ad

Charitas exulat.

Epist. 62.

Charitas debitum perpetuũ.

lat ad præstanda spontè omnia, quæ lex præscribat. Non enim putandus est iustus esse ex lex, sed quia amore ducitur, non tam lege compelli, quàm sua voluntate ad legis iussa complenda moueri videtur. Nec verò legibus seueris opus est, vbi charitas viget. Nam qui Deum proximumque diligit ex animo, non potest certè facilè adduci, vt eiusmodi aliquid designet, quod ad Dei proximi ue iniuriam pertineat, etiamsi nullis alioqui legibus arceatur. Itaque diuus Augustinus, Legis, inquit, & omnium diuinarum scripturarum plenitudo & finis est dilectio rei, qua fruendum est (hoc est, Dei) & rei, quæ nobiscum ea re frui potest (hoc est proximi.) Atque idemipse proximi nomine omnem omninò hominem vult contineri, immò & sanctos angelos, quin & Christum ipsum. Iam verò, inquit, si vel cui præbendum est, vel à quo nobis præbendum est officiũ misericordiæ, rectè proximus dicitur, manifestũ est hoc præcepto, quo iubemur diligere proximum, etiam sanctos angelos contineri, à quibus nobis tanta misericordiæ officia impenduntur, quanta multis diuinarum scripturarũ locis animaduertere facilè est.

De Doctrin. Christiana lib. 1. cap. 35. lib. ca. 30.

Luc. 10.

Ex quo & ipse Deus & Dominus noster proximũ se nostrũ dici voluit. Nam & seipsum significat Dominus Iesus Christus opitulatum esse semiuino iacenti in via, afflicto & relicto à latronibus. Sequitur: *Nam, Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices. Non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc uerbo instauratur, Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Hoc Moyses, inquit Ambrosius in hunc locum, scriptum accepit à Deo ad reformationem legis naturalis. Itaque in dilectione impleri legem significat Apostolus, sicut dixit: ac si sint alia mandata, quæ nunc tacuit, tamen pro omnibus mandatis dilectio satisfacit. Nam si se humanum genus ab initio dilexisset, iniquitas in terra non esset. Exordium enim iniustitiæ, discordia est: ideoque iniquitatis dilectio, iniquitas est. Hæc Ambrosius. Photius Episcopus hunc locum interpretans, Et qui fiat, inquit, vt qui proximum diligit, legem cõpleuerit vniuersam? Per seipsa planum est. Qui enim diligit, dilecti non violabit matrimonium, in illud quod omnium, quæ in hac vita sunt, maximum est insidias parans, ac dilecto inferens nocumentum: sed nec manus contra ipsum armabit cruentas, nec furari aggredietur, nec alia quouis modo concupiscentia cuiuspiam rei ad ipsum pertinentis inuectus, per vim auferet. Non sunt enim hæc amantis. Neutiquàm sanè falsum contra proximum testimonium feret, neque peierabit. Patrem porrò atq; matrem, quomodò qui proximum diligit, non vehementer diligeret & honorabit? Quo pacto proinde non diuinitatem ipsam, qui eiusmodi est, reuerà ex toto corde, exque tota virtute sua amabit & glorificabit? Qui aute talibus seipsum circũsepserit, quam aliam virtutem ijs, quæ memorauimus, non coagmentabit & coaptabit? Itaque qui proximum diligit, totam prorsus legem impleuit. Hæc Photius. Chrysostomus, aureum illud os & tuba cælestis, Virtutis, inquit, præmiũ ac finis est dilectio. Hanc habet radicẽ, hãc materiã, hãc verticẽ. Si ita q; illa & principiũ est, & plenitudo, quid illi poterit adæquari. Sed nõ simplicẽ dilectionẽ requirit, verùm etiã vehementem. Nõ enim simpliciter dicit, Diliges proximum tuum: sed addit, Sicut teipsum. Propterea & Christus legem ac prophetas ab hac dilectione pẽdere dixit. Et vide, cũ duo posuerit dilectionis genera, istam tamen quò euexerit. Cũ enim dixisset, Primũ præceptum est, Diliges Dominum Deum tuum, subiunxit: Secundum enim (neq; enim obticuit, sed addidit) simile est huic, Et proximũ sicut teipsum. Quid nã poterit huic benignitati conferri? quid huic mansuetudini? Cùm infinitis modis ab ipso distemus, eam tamen dilectionẽ, qua vicissim nos diligimus, iuxta eam constituit, quæ in ipsum tendit, similẽq; eam illi esse dicit, &c. Addit deinde Apostolus: *Dilectio proximi, malum non operatur.* Vtrunque ergo præstat dilectio, quemadmodũ Chrysostomus & Oecumenius exponunt: nimirũ & abstinentiã à malo, & boni efficacem operationem. Qui enim diligit, cauet sibi à peccato, tanquam à certissima peste, qua charitas ipsa enecetur: & seruet in operibus bonis, quibus charitas magis ac magis fouetur. Nõ est enim vnquã otiosa charitas. Operatur enim magna, si est: si verò operari renuit, charitas non est, quod verissimè dictũ est à D. Gregorio Papa in homilia quadam. Itaque si hæc virtus in hominibus vigeret, aurea essent tẽpora, & procul omni depulsa iniquitate, homines iustitiam colerent, & hoc mundo non vt patria fruerentur, quod faciunt impij: sed tanquam exules & peregrini, iuxta beati Petri admonitionem, abstinerẽt à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersùs animam, & quorum finis mors est & certissima damnatio. Postremo loco subiungit Apostolus: *Plenitudo ergo legis, est dilectio,* non solùm faciendorum nobis doctrinam breuiter inducens, vt ait Chrysostomus, sed & ipsorũ exhibitionẽ facilẽ efficiẽs. Nõ enim solũ hoc studiosè satagimus, quomodò quæ præstare debemus addiscamus, id qđ legis est opus: sed & vt illa præstemus etiã, multã nobis opẽ adfert dilectio, nõ aliquã tantũmodò mandatorũ partẽ, sed oẽm in nobis virtutem perficiens. Hæc Chrysost. Hoc ergo præceptũ Domini teneam⁹, inquit Augustin. vt nos inuicẽ diligamus, & quic quid aliud præcipit, faciẽmus. quoniã quicquid est aliud, hic habemus. Discernitur quippe ista dilectio ab ea dilectiõe, qua se inuicẽ diligũt homines sicut homines. Nã vt discerneretur, adiunctũ est, Sicut dilexi vos. Vt quid enim nos dilexit Christus, nisi vt possimus regnare cum Christo? Ad hoc ergo & nos inuicem diligamus, vt dilectionem nostram discernamus à cæteris, qui nõ

In Epist. ad Rom. cap. 13.

Apud Oecumenium in cap. 13 ad Rom.

In Epist. ad Romã. cap. 13.

Matt. 22.

Ibidem.

1. Pet. 2.

Tract. 80.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad hoc se inuicē diligūt, quia nec diligunt, Qui aūt se propter habendū Deū diligūt, ipsi se diligūt. Ergo vt se diligāt, Deū diligunt. Hæc Augustinus, pulcherrimè distinguēs inter eum amorē, quo se possunt etiā mali quodā vel naturæ instinctu vel prauo affectu ducti prosequi, de quo non loquitur hic Apostolus: atq; eum amorē diuinitùs infusum, qui sæparat ciues Babylonios à ciuibus cælestis Hierusalē, hoc est, reprobos ab electis, qui non potest inesse nisi bonis, & diffunditur in cordibus nostris per spiritū sanctū, qui solus huius est dator & auctor muneris: à quo etiam obnixè quotidiè petere debemus, & dicere cum Ecclesia: Veni sancte spiritus, reple tuorū corda fidelium, & tui amoris in eis ignē accende. Hunc amorē siue hanc dilectionem non habent hæretici & schismatici, & ideò ab vnitate corporis Christi, quod est Ecclesia catholica, sese segregant, magno quidē suo malo, cùm certū sit non posse eos viuere de spiritu Christi, dum ab eius
Rom. 8. corpore separantur. Qui aūt spiritū Christi nō habet, hic nō est eius, ait Apostolus. Deus opt. Max. suam nobis præstet gratiam, vt inuicem nos diligamus amore spirituali & casta dilectione, nō verbo neq; lingua, sed opere & veritate, tanto haud dubiè legē oēm perfectiùs impleturi, quāto seruētiùs & syncerius amauerimus, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cui sit omnis honor & gloria in secula seculorum, Amen.

DOMINICA QVARTA.
Matthæi 8.

In illo tempore: Ascendente Iesu in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius: Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut nauicula operiretur fluctibus. Et reliqua. Homilia Origenis.

Est homilia 6. in Diuersos.

IN grediente Domino in nauiculā, secuti sunt eum discipuli eius, non imbecilles, sed firmi & stabiles in fide, mansueti & pij, spernētes mundū, nō duplici corde, sed simplici. Hi ergo secuti sunt eum, non tantùm gressus eius sequentes, sed magis sanctitatem comitantes, & iustitiam eius consectantes. Et ecce, *tempestas magna facta est in mari, ita ut nauicula operiretur fluctibus.* Cùm enim multa magna & miranda ostendisset in terra, transijt ad mare, vt & ibidem adhuc excellentiora opera demonstraret, quatenùs terræ marisque Dominū se esse cunctis ostenderet. Ingressus ergo nauiculā, fecit turbari mare, commouit ventos, concitauit fluctus. Cur hoc? Ideò, vt discipulos mitteret in timorē, & suum auxiliū postularent, suamq; potentiam rogantibus manifestaret. Illa tempestas non ex sese oborta est, sed potestati paruit imperantis, eius qui educit ventos de thesauris suis, qui terminum mari arenā constituit. Dixit enim ei. Vsq; huc venies, & non supergredieris, sed in temetipso confringētur fluctus tui. Huius ergo iussione & præceptō, orta
Iob. 38.

est tēpestas in mari, propter occasiones superiùs memoratas. Facta est ergo tempestas magna, & nō pusilla, vt magnū opus & non pusillū ostēderetur, quantoq; fluctus nauiculæ irruebant, tāto magis timor discipulos conturbabat, vt plus magis desiderarent ad liberandū se mirabilia saluatoris. *Dominus uerò dormiebat.* O res mirabilis & stupēda: is qui nunquam obdormit, dormit: is qui cælum & terrā gubernat, dormit: is qui nunquā dormit neq; dormitat, ipse dormire dicitur. Dormiebat quidē corpore, sed vigilabat deitate: dormiebat corpore, sed cōturbabat mare, erigebatq; fluctus, & apostolos conterrebat suam ostēsurus potentiā. Dormiebat corpore, sicuti & ad puteū de itinere lassus vel fatigatus sedebat, demonstrans quia verè humanū corpus portabat, quod corruptibile induerat. Ipso corpore dormiebat, deitate verò cōcitabat mare, & iterū cōplacabat. Dormiebat itaq; corpore, vt apostolos suscitaret & euigilare faceret, præcipuè autē nos oēs, ne vnquā animo dormiamus, neue intellectu aut prudentia, sed vigilare in omni tēpore, & iubilare Domino, & salutē ab eo postulare studeamus. Nam ipse qui dormiebat corpore, illud sanctū verbū dicit: Ego dormio, & cor meū vigilat. *Ad quem accedentes discipuli, suscitauerunt eum, dicētes: Domine, salua nos, perimus.* Tanto fuerant metu conterriti, & penè animo alienati, vt irruerent in eum, & non modestè aut lenter suggererent, sed turbulenter suscitarent eum, dicentes: Domine, salua nos, perimus. O beati, ô veraces Dei discipuli, Dominum saluatorem vobiscū habetis, & periculū timetis? Vita vobiscum est, & de morte soliciti estis? Maris tumore trementes, creatorē eius præsentē ita suscitatis, quasi non possit dormiente corpore fluctus sedare vel mitigare? Sed quid respondent hi dilectissimi discipuli? Paruuli, inquiunt, sumus, adhuc infirmi, & nondum robusti: ideò timemus, ideoq; trepidamus: necdum vidimus crucem, necdum nos confirmauit passio Domini & resurrectio, nō ascensio in excelsis, non missio vel descensio spiritus sancti paracleti: propterea fragilitate nutamus, propterea & sæpè audiuimus à Domino increpationē pusillæ fidei. Supportamus, toleramus libenter, volūtariè sustinemus. Vnde & nunc dicit Dominus: *Quare conturbati estis pusillæ fidei?* Cur non habetis fortitudinem? Cur non confidentiam & fiduciam apud vos tenetis? Et si mors irrueret, nō ne eam debuistis constantissimè sustinere? Ad omne enim quicquid euenerit, fortitudo necessaria est. Ad omne enim periculum vel tribulationē vsq; ad animæ exitum, similiter & contra delicias & diuitias & honores terrenos animi fortitudo tenenda est, vt neq; extollaris ô homo, neque in superbiam erigaris, non despicias inimicos, neque humiles spernas, neque obliuiscaris Dominum, neque derelinquas creatorem, neq; existas ingratus. Si ergo in necessitate & in periculis fortitudo necessaria est, vt viriliter cum

Vt Christus mitiga-

Cant. 5.

Fortitudo necessaria.

fide toleres vniuersa, multò magis contra delicias, vt dictū est, & luxurias, fortitudo necessaria est, ne in muscipulā incidas diaboli. Quare ergo turbati estis pusillæ fidei: Si potentem me super terrā cognouistis, quare non creditis ep & in mare potens sim? Si Deū me verè esse creatorem omnium suscepistis, quare nō creditis ep ea quæ à me facta sunt, in mea habeam potestate? Quare ergo dubitastis pusillæ fidei? Qui pusillū credit, arguetur: & qui nihil credit, contemnetur: fragiles in fide, corripientur: alieni omninò à fide, punientur. Tales fuerunt Iudæi & pagani, ideoq; in malis suis euanuerūt. Tales etiā hæretici, ideoq; in die iudicij condemnabuntur. *Tunc surgens imperauit uentis & mari, & facta est trāquillitas magna.* Seri
Psal. 77. ptum fuit: Et exurrexit tanquàm dormiens Dominus, tanquàm potens crapulatus à vino, & percussit inimicos suos in posteriora. Et nunc surgens imperat ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. Imperauit ventis & mari, sicut creator, sicut suis, vt potens, vt dominus imperauit ventis & mari, primitùs ante discipulos, vt audiētes firmarentur in fide: & potentia deitatis occulta imperabat & comminabatur ei, magis autem regebat & placabat illud, secundum quod quidā ait: Potentia mitigauit mare. Imperauit ergo ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. De magno vento & tempestate magna, mari conturbato & tumenti, facta est tranquillitas magna. Decet enim hunc magnum, magna & miranda facere. Ideoq; paulò antè magna accinctus potētia, magnificè conturbauit profundum maris, & nunc iterum in eo ipso ostendens suæ magnificentiam potestatis, tranquillitatem magnam fieri iussit. Hæc ideò, vt nimiùm conturbati Apostoli, magnificè exhilarati lætarentur. Dedit enim per hæc omnia nobis Dominus figuram & doctrinæ imaginem, vt & nos in omni conturbatione & contumelia patientiā teneamus, stabiles simus, fidem non deseramus. Et si omnis iste mundus tanquā mare ebulliat atq; in furoré consurgat: & si omnes venti & vertigines dæmonum vndique sæuiant: etsi omnis, vt diximus, tempestas, maris, id est, omnis principatus & potestates mūdi concitentur, & in tumore iracundiæ spument, vt furant super sanctos: & si adhuc vsq; ad cælum sese extollant, vt tempestates maris, malignitates ac dolos, & fremitus concitātes aduersus aliquē vestrum, nolite timere, nolite turbari, nolite contremiscere, nolite deficere. Omnes enim quotquot in fide nauicula cū Domino nauigatis, omnes quotquot in hac nimirùm sanctæ Ecclesiæ nauicula cū Domino per hūc vndosum supernatatis mundū, etsi ipse Dominus dormiat pio somno, vestram patientiam & tolerantiam expectās, vel impiorum pœnitentiam & conuersionē sustinēs, alacriter accedite ad eum orationibus instantes, atq; cum propheta dicentes. Exurge quare obdormis domine? exurge, & ne repellas nos vsq; in finem. Et iterùm: Exurge Do-

Conflictus in aduersu.

Psal. 43.

Ibidem.

Nauicula, Ecclesiæ.

mine, adiuua nos, & redime nos propter nomen tuum. Et ipse surgens imperat ventis, id est, aëreis dæmonum spiritibus. Ipsi enim maris tempestates commouent, hoc est, amaros & elatos concitant fluctus, id est, huius principes mūdi ad persecutionē sanctis omnibus immittendam, ad contumelias fidelibus ingerēdas. Omnibus Dominus imperat, omnibus cōminatur, omnia mitigat, facitq; tranquillitatē magnam circa corpus & spiritū, pacem Ecclesiæ, & serenitatem mūdo. Quomodò nanq; sæpiùs concilia infidelium cōmota sunt aduersus verā & firmam Ecclesiā. Aliquoties paganorū, aliquoties hæreticorū. Quēadmodum sæpiùs sicut maris fluctus irruebant, cōminantes & conterentes huius principes mundi, per omnia perdere se Ecclesiæ filios arbitrātes? Sed surgens Dominus increpauit dæmonum ventos, & oēs euanescere fecit audaces aduersārios fidei, magnāq; pacē & tranquillitatem dedit Ecclesiæ suæ. *Homines autē illi in nauicula mirati sunt.* Qui homines? Scilicet hanc habentes nauiculam, aut ei intendentes nauiculæ. Non putes hic per homines Apostolos significatos. Nusquam enim inuenimus præter honorem cognominari Domini discipulos, sed semper aut Apostoli, aut discipuli nominantur. Mirabantur ergo illi homines, hi qui cum eo nauigabant, hi quorum erat nauicula, illi qui in eadem nauicula sese transigebant, hi mirabantur. Et admiratione dignū fuit, mare à profundo commotum mitigari, eiusque elatos depiacari fluctus, ventos furentes cōpesci. Mirabantur ergo, dicentes: *Qualis est iste, quia uenti & mare obediunt ei.* Non interrogantes dicunt, qualis est iste, sed asserētes, quòd hic talis est, cui mare & venti obediunt, Qualis est iste: hoc est, quantus, quàm fortis, quàm potens, quàm magnus. Qualis est iste: maior Moyse, potentior Elia. Illi enim ambo, è quibus vnus ligno mari percusso, cùm labore discidit, alius ictu melotæ Iordanem pertransijt. Iste verè vno verbo mandat illis qui non habent verba, & obediunt ei: hi qui nō habent auditū, obtemperant: hi qui prudentiæ & intellectus expertes sunt, inclinantur iubēti: quibus neq; loquela, neq; vt diximus, sermo est obediūt. In eadē aūt substantia in qua sunt, & sua natura mouētur, & iussioni deseruiūt, ad confusionē mortalium, ad cōdemnationē corruptibilium. Iubet mari, & non contemnit: dicit ventis & tempestatibus, & mox compescuntur: iubet omni creaturæ, & non supergredi tur iussionem eius: & vnum hominū genus, & vnū quod secundū similitudinē Dei honorificatū est, cui verbū & prudentia data est, hi soli homines resistunt, hi tantum inobedientes sunt, hi soli contemnunt. Ideoq; & hi soli in iudicio damnabuntur, & à iustitia punientur, veluti deteriores mutis animalibus, vel his quæ sine spiritu & anima sunt in hoc mundo. Mirabantur ergo illi, quia mare compescuit, & venti mitigati sunt. Admiremur & nos, quādo & benignitates & be-

Exod. 14. 4. Reg. 2.

Ecclesia sæpè oppugnata.

Homines soli, Deo non obtemperā

ne-

Universidad de Deusto
Biblioteca

neuolentias ostendit circa nos Dominus, quãdo nos de periculis saluare dignatur, qnando de tumultibus & tribulationibus multis nos liberat, quando ab inimicis insequentibus eruit nos. Miremur & mirantes gratias agamus, & gratiæ obaudiamus, obaudientes timeamus, timentes diligamus, vt æternæ charitatis ab eodem hæredes efficiamur. *Mirabantur, dicentes: Qualis est hic?* Sicut homo videtur, & sicut Deus potentiam ostendit. Sicut vnus carnalium putatur esse, & super omnia carnalia, magna ostendit mirabilia. Dormit sicut homo, & imperat mari & ventis sicut Deus. In nauicula sedet, & omnem creaturam iussione inclinat vbi vult. Iesus Christus Dominus noster, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

DE EADEM DOMINICA
HOMILIA XXIII. EX OPERE imperfecto in Matthæum, quod quidam non rectè tribuunt Chrysostomo.

NAuigante Domino cum discipulis, orta magna tẽpestas est, ita vt naué conciti maris insurgentes fluctus obruerent. Ipse verò, inquit, dormiebat. Miratio. Ascẽdit paruã nauiculam vt nauigaret ille, qui totũ mundũ diuina virtute gubernat. Dormit in somnũ qui populũ suũ vigilia æterna custodit. Dormit aũt Dominus, nõ necessitate infirmitatis humanæ, sed spontanea voluntate. Nam cùm in Dei illã æternã naturã somnus nõ cadat, secundũ quod de eo legimus dictum,

Psal. 120. Ecce nõ dormitabit neq; dormiet, qui custodit Israel: tamẽ Dominus ac Saluator noster ad probandã in se susceptæ corporis ueritatẽ, etiam vsq; ad somnũ humanę naturę omnia implere dignatur, vt euidẽter veritatem in se assumpti corporis demõstraret. Sed cùm dormiente Domino, sæuiẽte procella, vsq; ad periculũ nauis violẽti fluctus insurgerent, discipuli timore perculsi Dominũ suscitant, dicẽtes: *Domine libera nos, perimus.* Quod

Psal. 43. idipsum olim Dauid ex persona Apostolorũ suscitantium Dominum significasse videtur, cùm dicit: Exurge, quare obdormis Domine? Exurge, adiuua nos, & libera nos propter nomen tuũ. *Surgens ergo Dominus, att illis: Quid timidi estis modicæ fidei? Et imperauit uento & mari, & facta est tranquillitas magna.* In quo manifestè diuinitatis suæ potentiam Dominus declarauit, dũ violentos maris fluctus

Psal. 76. diuinæ potestatis verbo cõpescuit, neq; enim vẽti vel mare obedire poterãt, nisi Domino & creatori suo. Quod futurum antè prænuntiauerat Dauid, dicendo: Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ & timuerunt, & turbatę sunt abysi:

Matt. 14. Apostoli, nubes. Multitudo sonitus aquarũ, vocẽ dederũt nubes. Et quæ istæ nubes sunt quæ timentibus aquis vocem dederunt, nisi discipuli, qui viso signo diuinæ virtutis exclamauerunt, dicentes: Verè hic filius Dei erat. Nubes autẽ idcircò apostoli intelliguntur, quia modò nubiũ de terra surgentes, ad cælos sine aliquo põdere peccati spiritalis naturæ leuitate feruntur, & ad riganda corda credẽtium pluuiã diuinæ prædicationis infundunt. Alio quoq; loco idẽ Dauid, q̃ Domino imperante verbo, maris violentia mitiganda esset, ita testatus est, dicens: Tu dominaris potestati maris, motũ aũt fluctuũ eius tu mitigas. Et iterùm: Dixit, & stetit spiritus procellæ, & siluerunt fluctus eius. Et iterùm: qui conturbas fundum maris, sonum autem fluctuum eius tu mitigas. Et iterum: Ecce dabit vocem suam, vocem virtutis: hanc vtiq; vocẽ, qua diuinę potestatis virtute ventis imperante, maris trãquillitas restituta est. Beatus quoq; Iob hoc ipsum futurum per spiritũ sanctũ nõ ignorans, cùm de Domino loqueretur, ita ait: Virtute sedauit mare. Cùm igitur sedata tempestate maris, iussione verbi esset tranquillitas restituta. *Hi, inquit, qui erant in naui, mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quòd uenti & mari obediunt ei.* Hanc autem Dominici verbi virtutem, & eorũ qui in naui erant admirationẽ, olim sanctus Dauid prænuntiauerat in psalmo, dicendo, Qui descendunt mare in nauibus facientes operationes in aquis multis. Ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profũdo. Dixit, & stetit spiritus procellę. Et iterùm: Statuit procellam eius in auram, & siluerũt fluctus eius: & lætati sunt quia siluerunt. Hæc itaque primùm secundùm simplicitatem historiæ per Domini virtutem ita gesta cognoscuntur: secundùm allegoricam verò rationem, quæ in his omnibus figura monstrata sit, solicitè debemus intelligere. Quærendum enim est, quid hæc nauis iuxtà spiritalem rationem intelligi debeat, vel quod hoc mare, vel qui insurgentes fluctus, qui venti qui hos fluctus concitant, qui etiam somnus Domini, vel quæ hæc increpatio Domini in ventos, & quæ ista restituta tranquillitas, vel quæ digna admiratio nauigantium. Et non dubium est nauem istam Ecclesiam figurasse, secundùm quòd per Salomonem de ea Spiritus sanctus loquitur, dicens: Facta est tanquam nauis mercatura loginqua: id est, Ecclesia, quæ nauigantibus Apostolis, gubernante Domino, flante Spiritu sancto, prædicationis verbo vbique discurrit, portans secum magnum & inæstimabile precium, quo omne genus hominum, vel potius totum mundum sanguine Christi mercata est. De quo alio quoque loco idem Salomon retulit, dicendo inter cætera, Vestigium nauis pelagizantis inueniri non potest: ostendens conuersationem Ecclesiæ nõ terrenam esse vel seculi, sed cælestem, secundùm quod sanctus Apostolus refert, dicens: Nostra autem conuersatio in cælis est. Mare, seculum intelligitur, quod diuersis peccatis & varijs tentationibus, velut quibusdam fluctibus æstuat: de quo scriptum legimus. Hoc mare magnũ & spatiosum: illic repentia quorum non est numerus. Animalia pusilla cum magnis, & draco iste quẽ formasti ad illudendum ei. Et iterùm: Veni in

in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Venti aũt, nequitiæ spirituales & immũdi spiritus intelligũtur, qui ad naufragiũ Ecclesię per diuersas seculi tentationes, velut per fluctus maris desæuiunt. Dormire verò Dominus in hac naui tunc intelligitur, cũ ad probationẽ fidei, Ecclesiã suã pressuris & persecutionibus mũdi illius tentari permittit. Excitatio verò discipulorum excitantiũ Dominũ & auxiliũ implorantiũ vt liberẽtur, preces sanctorũ omniũ ostẽduntur: qui orta tempestate persecutionis, seuiẽte diabolo & angelis eius, deuota fide ac vigili oratione patientiã Domini, velut de somno excitãt, vt misericordiæ suæ auxilio per timorẽ humanæ infirmitatis periclitãtibus subuenire dignetur: quò increpatis ventis, immũdis scilicet spiritibus, qui auctores sunt persecutionis, & mitigata omni seculi tẽpestate, Ecclesiã suã in pace & tranquillitate restituat. In admiratione verò eorũ, qui in naui erant, qui post factã tranquillitatẽ Dei filiũ confitentur, omniũ credentiũ persona & fides ostẽsa est: qui in ecclesia cõstituti, priùs orationibus Dominũ excitãtes, reddita sibi pace, verè Dominũ ac defensorẽ Ecclesiæ suæ Dei filiũ confitentur.

Ecclesia premi potest, sed nõ opprimi.

Quod factũ statim in Actis Apostolorũ, post Herodis persecutionẽ & Iudæorũ, à sanctis pro Ecclesia recognoscimus. Vnde & quãuis intestatione inimici Ecclesia, vel seculi tẽpestate laboret, quibusuis tentationũ fluctibus pulsetur, naufragiũ facere nõ potest, quia filiũ Dei habet gubernatorẽ. Inter ipsos enim turbines mũdi, inter ipsas seculi persecutiões plus gloriæ ac virtutis acquirit, dum in fide firma & indissolubili permanet. Nauigat enim instructa fidei gubernaculo, felici cursu per huius seculi mare, habens Deum gubernatorem, angelos remiges: portãs choros omniũ sanctorũ, erecta in medio ipsa salutari arbore crucis, in qua euãgelicæ fidei vela suspendens, flãte Spiritu sancto, ad portũ paradisi & securitatẽ quietis æternæ deducitur. Et hæc quidẽ nauis, quãtis per hoc tẽpus vitæ, per has tẽtationes seculi nauiget: nõ est tamẽ seculi nauis, sed Dei. Est enim & alia seculi nauis, non Dei, id est, collectio hæreticorũ, quæ sibi huius nomen Ecclesiæ vẽdicat: aduersùm quã diẽ iudicij futurũ Esaias manifestè declarat, dicẽs: Dies Domini sabaoth aduersus oẽm cõtumeliosum & superbũ. Et post aliquãtum ait: Et aduersus oẽm nauẽ maris, id est, oẽm ecclesiã hæreticorũ: de qua alibi idẽ Esaias, Dirupti sunt, inquit, funes tui, quia nõ valuit arbor tua: inclinauerunt vela tua: & nõ laxabũt vela tua. Nauem verò hãc maris esse dixit, quia huiusmodi Ecclesia nõ Dei est, sed seculi: quę licet habere in se prędicationẽ dominicę crucis videatur, inualidã tamẽ hanc arborẽ eius ostẽdit, quia vbi nõ est veritas fidei, infirma crucis assertio est. Vnde inclinata & laxata vela eius sunt ostẽsa, q̃ nullo flatu sancti spiritus dirigũtur. Et ideo huiusmodi nauis, hoc est Ecclesia hereticorũ, amisso veræ fidei gubernaculo, dominãtibus aduersis spiritibus, in naufragium mortis ęternę demergitur, quæ gubernari à Christo Domino non meretur, qui est benedictus in secula seculorum, Amen.

EADEM DOMINICA IIII.
Homilia Eusebij Emeseni.

Ascendente Iesu nauiculã, sequuti sunt eũ discipuli eius. Matth. 8.

Quid enim nauicula, nisi Ecclesia? quid mare, nisi mundus? quid motus maris, nisi persequutio, & tyrannorũ sęuiẽs indignatio? Ecce enim in nauicula Dominus dormit, & nauicula fluctibus operitur: timẽt discipuli, & nondũ à periculo liberãtur. Clamãt, & excitant Saluatorem: surgit à somno, qui nunquã dormit. Non enim dormitabit, neq; dormiet, qui custodit Israẽl. Imperat vẽtis & mari, & fit tranquillitas magna. Nobis fratres, nobis fiunt ista: nobis dormit Iesus, nobis surgit à somno. Significatio est, nostręq; fragilitatis instructio. Pro nobis dormit, qui pro nobis moritur. Non enim dormiret, nisi nobis suũ somnũ proficere intelligeret. Dormire enim videtur pastor, quãdo lupi in ouem sæuiunt, quando fures rapiũt, & nõ est qui eripiat. Sic igitur & Iesus quanuis nõ dormiat, dormire tamẽ videtur, quãdo Tyrãni sæuiũt, quãdo lupi in bonos insurgũt, quãdo boni vincũtur, & mali vincũt. Nõ dormit quidẽ, sed præliũ intuetur, & certaminis simul finem & bellantiũ fidẽ expectat. Et quia nõ statim adiuuat, quia nõ citò laborãtibus subuenit, dormire putatur. Sed si consideremus eius certaminis qualitatẽ, eiusq; victoriæ modũ, tũc victores exiſtũt, quãdo ab iniquis victi esse credũtur. Tũc enim sancti indubitãter vincũt, quãdo humilitatẽ & patientiã nõ amittũt. Sic igitur dormiat Iesus, quatenùs iniquorũ crudelitas, & sanctorũ patientia innotescat. Et Christi discipuli nõ armis, sed clamore & orationibus, maris huius procellas deponere discãt. Quòd si iã eas sustinere nõ possunt, si tãtis perturbationibꝰ resistere nequeunt, accedãt ad Iesum, suscitent eũ, dicẽtes: *Domine, salua nos, perimus.* Sic se defendãt, hæc arma suscipiãt, hoc auxilio tueãtur, & hoc clypeo muniãtur. Nequeverò ideò se nõ exaudiri existimẽt, quia persequutio nõ cessat: quoniã nihil minùs exaudiũtur, si eis aduersa tolerãdi patiẽtia datur, q̃ si omnis illa persequutio ab eis tollatur. Ipse enim scit, quid nobis opus sit. Nos tamẽ semper dicamus, Domine salua nos, perimus. Qui enim hoc dicit, nihil aliud quã salutẽ quærit. Sed fortasse ille de salute corporis dicit: ipse verò de animæ salute intelligit. Nemo aũt sanctorũ saluté corporis cõ tra animæ salutẽ desiderat: etsi fortasse aliquãdo audit Et *dicit eis: Quid timidi estis modicæ fidei? Ego hic sum*: & vos timetis? Sed quare timetis, nisi quia fidẽ modicã habetis? *Tunc surgens imperauit uẽtis & mari, & facta est tranquillitas magna.* Quotidie quidẽ surgit, quotidiè bella sedat, quotidie visibilibus & inuisibilibꝰ hostibus imperat: & eo iubẽte cessant prælia & lites, fit pax & tranquillitas

Psal. 120.

Iesus quando dormiat.

Victoria victorum.

magna

Universidad de Deusto
Biblioteca

magna. *Porrò homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia uenti & mare obediunt ei?* Meritò enim homines vocantur, qui sicut homines mirantur. Nondum enim Deum esse credebant, quē quasi hominem nunc dormire, & nunc vigilare videbant. Dicebant igitur, Qualis est hic? Dicamus & nos, Quis Deus magnus, sicut Deus noster? Tu es Deus qui facis mirabilia: cui & venti & mare obediunt, cui omnes creaturæ seruiunt, quem mare vidit & fugit, cuius vocē audiuit, & timuit. Sed quare dicitis, ô homines. Qualis est hic? Similem enim quæritis, qui similem non habet? Veruntamen vultis scire qualis est? Scio quia vultis: audite ergo. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus. Ecce talis est, nullus alius talis. Sed quid mirum si venti ei obediunt, qui eos fecit, qui eos creauit, qui producit ventos de thesauris suis. Quod quidem qualiter fiat, nulli hominum ad plenum reuelatum puto. Quatuor sunt mundi partes: quatuor & venti, qui inde veniunt, quibus in mari & in terra & in aēre non paruam Deus tribuit potestatem. Ipsi enim dant pluuias & tempestates, ipsi fugant nubes, & dant serenitates. Ideoq; non immeritò omnes huius seculi potentes significant. Vnde & Daniel se quatuor ventos cæli vidisse dicit, qui pugnabant in mari magno. Vnde & per Salomonem Dominus ait: Surge aquilo, & veni auster, perfla hortū meum, & fluent aromata illius. Hic hortus & hęc nauicula idem sunt. Venīti autem & hic & ibi, idem significant. Et quidem in horto hoc multa sunt arborum genera, multæ florum & aromatū species. In hoc inter rosas martyres, inter lilia confessores & virgines requiescunt. Hic est conclusus, & foris signatus: hic est hortus tutissimus, sanctorum sanctissimus: qui non caret lilijs, neque rosis, nec priuantur arbores suis pomis. Ibi fons dulcissimi est saporis: hunc ventorum flamina, tyrannorum agmina perturbant & ventilant cum furore. Cælum petunt martyres cū honore, delectatur Dominus in odore. Et de aquilone quidem scriptum est, Ab aquilone pandentur mala super omnes habitatores terræ, de austro verò. Deus ab austro veniet. Per illum igitur aduersa, per hunc autem prospera figurātur. Dicat igitur Dominus: Surge aquilo: recede, da locum, quiesce, noli perturbare hortum meum, noli affligere sanctos meos. Veniat auster, veniat pax & securitas, veniant prospera diù expectata, & fiat tranquillitas magna.

Psal. 76.
Psal. 113.
Psal. 134.
Dan. 7.
Cant. 4.
Hier. 1.
Habac. 3.

ITEM ALIA HOMILIA EVSEBII EMESENI.

REgressus est Iesus in virtute spiritus in Galilæam, & fama exijt per vniuersam regionē de illo, &c. Prædicauerat enim Dominus Iesus in Iudæa, & suæ virtutis potentiam in signis & miraculis ostēderat: & deinde regressus est in Galilæā. Sed quomodò regressus est. *In uirtute Spiritus.* Semper enim filius in patre, & pater in filio, & in vtroque spiritus. Quamuis igitur semper in virtute iret Iesus: tunc tamen hoc præcipuè agere videbatur, quando in sermone & opere suæ virtutis potentiam demonstrabat. Vnde & subditur: *Et ipse docebat in Synagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus.* Ideò enim ab omnibus magnificabatur, quia in virtute spiritus prædicabat. *Et uenit Nazareth, ubi erat nutritus: & intrauit secundùm consuetudinem suam die Sabbati in synagogam, & surrexit legere: & traditus est ei liber Esaiæ prophetæ.* In Nazareth nutritus erat, sed literas in Nazareth non didicerat: surrexit tamē legere, quatenùs eis inter quos nutritus fuerat, miraculum faceret. Nusquam enim alibi hoc eum fecisse legimus. Si enim alibi hoc fecisset, literas à magistro didicisse putaretur. Hoc autem isti opinari non poterant, qui eū ab infantia cognouerant, & in scholis nunquam viderant, & nunquam ampliùs legentem audierant. Sed nota quod ait: *Intrauit secundùm consuetudinem suam in Synagogam.* Hanc enim consuetudinē Christiani habere debent, vt quotidiè ad Ecclesiam veniant: quotidiè legant ipsi, vel (si hoc non valent) alios legentes audiant. *Et ut reuoluit librum, inuenit locum ubi scriptum erat: Spiritus Domini super me: propter quod unxit me, euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captiuis remissionem, & cæcis uisum. Dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. Et quum plicuisset librum, reddidit ministro, & sedit. Et omnium in Synagoga oculi erant in eum intendentes. Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodiè impleta est hæc scriptura in auribus uestris. Et omnes testimonium illi dabant, & mirabantur in uerbis gratiæ, quæ procedebant de ore eius.* Nō enim mirabāntur quia legebat, nisi fortasse pro eo quòd literas non didicerat: sed quia ea quæ legebat, mirabiliter exponebat. Erant enim verba illius mirabiliter gratiæ plena, cunctisque ad audiendum suauia: secundùm illud: Speciosus forma præ filijs hominum: diffusa est gratia in labijs tuis. Itemque: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & fauum ori meo? Hanc enim gratiam & dulcedinem nō tantùm lectio, quantùm lectionis expositio dabat. Videamus igitur quid hæc Esaiæ prophetæ, imò Saluatoris nostri lectio significet. De se enim ipse eam intellexit, & in se dixit esse completam. *Spiritus* (inquit) *Domini super me.* Ipse enim est flos de radice Iesse, super quem requiescit Spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & spiritus timoris Domini. Ipse est de quo scriptum est: Dilexisti iustitiā, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ cōsortibus tuis. Decet enim multumque conuenit, vt talis eligatur, & in lege vngatur, qui & iniquitatem oderit, & iustitiam dilexerit. Dicat igitur: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me: euangelizare pauperibus misit me.* Illis vtiq; pauperibus, de quibus dicitur: Beati pauperes spiritu. Vnus ad eum dives venit, qui eius verbis auditis, tristis abijt, quia multas habebat possessiones. Meritò igitur non diuitibus, sed pauperibus Dominus prædicat. Illis enim medicina danda est, qui sanari possunt. Diuites autem quia auari sunt, quanto tempore hoc morbo laborant, sanari non possunt. Vnde & Dominus ait: Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem in regnum cælorum intrare. Hoc autē significabat illa amphora, in qua impietas clausa erat. De qua ne egredi potuisset, massa plumbea os amphoræ claudebatur. Qua in re datur intelligi, quàm difficilè sit de ventre auaritiæ hominem auarum vel trahi vel separari posse. Narrat enim Zacharias propheta se vidisse amphoram egredientem. De qua quum interrogasset quid esset, dictum est ei: Hęc est amphora, & hic est oculus eorum in vniuersa terra. Et ecce mulier vna sedebat in medio amphoræ. De qua quū interrogaret quę esset, dictū est ei, q̄ esset impietas. Os aūt amphoræ massa plūbea clausum erat. Et ecce duæ mulieres quæ habebāt alas quasi milui, leuauerunt amphorā inter terrā & cælū, & portauerunt eam in terrā Sennaar, vbi erat ei domus ædificata, vt ponatur ibi supra basim suā. Quid enim per amphorā, nisi auaritia significatur? Hic est aūt oculus eorū. Quorum? Eorum videlicet, qui eam diligunt in vniuersa terra. Oēs enim ad eam spectant, oēs ad eam attendūt: quoniam (sicut scriptum est) pecuniæ obediunt omnia. In hac aūt sedet Impietas: quoniā diuites & auari, quia misericordiā & pietatē nō habent, nō solùm impij, verumetiā impietas rectè vocātur. Sed quid melùs per duas mulieres quæ amphoram ferunt, quā solicitudo & deceptio intelligi potest? Semper enim auari soliciti sunt in acquirendo: & deceptores, aliena rapiēdo. Vnde & alas milui hæ mulieres habere dicūtur: quoniam miluus inter alias aues rapacissimus est, qui semper pullis & māsuetis auibus insidiatur. Ferūt aūt hæ mulieres, id est deceptio & praua solicitudo, amphorā in terra Sennaar siue Babylonis: quia his duobus vitijs diuites & auari in perditionem rapiuntur. De hac enim Babylone scriptum est: Cecidit Babylō illa meretrix, & facta est habitatio dęmoniorū. Miseri igitur, & per omnia infelices, qui inter dæmonia habitaturi sunt, & in in terra Sennaar domum inuenerunt. Sequitur: *Sanare contritos corde.* Sanat autem cōtritos corde, quia talibus eius medicina facilè subuenit. De quibus Psalmista: Sacrificium, inquit, Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Habeat igitur cor contritum, qui à Deo sanari desiderat. Prædicat & captiuis remissionem: non qua dimittātur à Babylonijs, sed dimittantur à dæmonijs. Prædicat & cæcis visum, interiori lumine excæcatis. De qua scilicet cæcitate Apostolus ait: Cæcitas ex parte contigit in Israel. Dimittit confractos in remissionem: quia quos diabolus lædendo contriuerat, ipse sanando & peccata dimittendo ad indulgentiā vocat. Annum verò Domini acceptum, & diem retributionis prædicat, dicens: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum. Itemq;: Multi prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis, & nō viderunt, & audire quę auditis, & non audierunt. De hoc anno accepto, & hoc die retributionis, Apostolus ait: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Et verè annus acceptus, in quo homines prædicantur, sanantur, & illuminantur: in quo & æternæ delitiæ cunctis fidelibus præparantur.

Esai. 61.
Matt. 5.
Matt. 19.
Luc. 4.
Matth. 19
Zach. 5.
Amphora, auaritia.
Eccl. 10.
Psal. 50.
Esai. 61.
Psal. 44.
Esai. 11.
Psal. 44.
Apoc. 18.
Psal. 50.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM, IN EPISTOLAM Concio exegetica.

NOn esse vocatos ad otiū Christianos homines, scripta diuina per omnes paginas declarant, dum à nobis virtutū omnium studium tam seriò exigunt. In illa prisca lege, illi rudi & carnali populo præcepit Deus, vt faceret sibi fimbrias per angulos palliorū, ponētes in eas vittas hyacinthinas, quas cùm viderent, recordarentur omniū mandatorū Domini, ne sequerentur cogitationes suas & oculos per res varias fornicantes, sed magis memores præceptorum Domini, facerent ea, essentq; sancti Deo suo. Si hoc ab illo populo, cui omnia in figura contingebant, vt ait Apostolus, exegit Deus, vt tam esset soliciti custodes cordiū & cogitationū suarū, tāq; perpetuò memores præceptorum Domini, vt ea facerēt: quid à nobis exigit dilectissimi, qui sumus per eius vnigenitū filium vocati ad gratiam, quibus iam figuræ transierunt in rei veritatem, quibus iam nō terrenæ sed cælestes promissiones abundantissimè proponuntur? Et tamen quotusquisq; isthuc ita vt oportet, attendit? Viuimus haud aliter, atq; si ad otium & ludum vocati simus, & nulla nobis sit quandoq; vitæ nostræ reddenda ratio, aut frustrà & inaniter scripta diuina toties nobis Dei voluntatem inculcent. Sed debemus hanc amentiā à nobis prorsus excludere, & redire ad sanitatē, & auscultare quid in scripturis sanctis à nobis reposcat Deus. Proponitur nobis hac die ex Apostolo lectio breuis, sed mirum in modum sententijs grauida, & quæ vitam hominis Christiani mirabiliter instituat & informet. Ipsum agè Apostolum audiamus: *Induite uos sicut electi Dei, sancti & dilecti, uiscera misericordiæ, benignitatem, humilitatē, modestiam, patientiam: supportantes inuicem, & donantes uobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelā: sicut & Dominus donauit uobis, ita & uos.* Quemadmodū inquit Oecumenius, qui uestimento nudus est, turpiter indecoreq; se gerit: ita & qui virtutibus nudus est. Hæc ille in cōmentarijs Græcis. Vult ergo apostolus, vt virtutibus tanquam ornamento & velut pallio inseparabiliter semper induti

Rom. 12.
Matth. 4.
Luc. 10.
2. Cor. 6.
Num. 15.
1. Cor. 10.
Coloss. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

simus, ne vnquam veris virtutibus destituti inueniamur. Et hîc certè labore opus est, vt has virtutes tum obtineamus, tum seruemus. Atq; ideò vt Dominus nos ad agendum viriliter animaret, laboribus nostris ęterna dignatus est prędmia polliceri, & ea quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Quamobrem etiam in hunc Apostoli locum sic scribit D. Ambros. Vt lucrum possint habere, ad hæc eos facienda hortatur, quæ meritum collocant apud Deum. A peccatis autẽ abstinere timor facit, veretur enim ne mala faciens pœnis subdatur. Hęc autem, quæ nunc facienda monet, ad profectum pertinent meritorum. ex voluntate enim fiũt, nõ ex necessitate. Qui ergo ab illicitis se abstinet, habet laudẽ: qui verò à licitis temperat, & laudẽ habet & prędmiũ. Hæc ille. Sicut ergo decet electos & sanctos & Deo dilectos, vult Apostolus nos induere viscera misericordię, vt erga alios nõ qualitercũq;, sed tanquã medullitus & ex ipsis visceribus misericordes simus, quãdo & Christus ipse ad eandem nos virtutẽ extimulãs, dicit, Beati misericordes, quoniã ipsi misericordiã cõsequẽtur: & è diuerso Iacobus Apostolus duros terrere volẽs, Iudiciũ, inquit, sine misericordia ei, qui non fecit misericordiã. Vult item Apostolus nos esse benignos, id est, affabiles, non asperos & rusticè duros. Humiles quoq;, vt de nobisipsis tenuiter & exiliter sentiamus, & rebus prosperis neutiquã efferamur. Itemq; modestos, id est, mã suetos ac lenes. Et patiẽtes, hoc est, longanimes: quæ virtus in rebus duris maximè est necessaria, ne animis frangamur. Duo sunt tentationũ genera, quibus hominis vita non mediocriter exercetur. In rebus ad voluntatẽ fluentibus tẽtat elatio & superbia, cui resistendũ est humilitate. In rebus tristibus & aduersis quidam torpor & diffidentia atq; desperatio pulsat animum, sed opponenda est longanimitas & patientia, & ea Apostoli sententia animo fortiter affigenda, Fidelis Deus, qui nõ patictur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiã cum tentatione prouentũ, vt possitis sustinere. Contra vtranq; tentationẽ munit nos Apostolus, dũ iubet esse humiles & patientes siue longanimes. Et ea longanimitas tũ maximè necessaria est cũ perseuerãt res aduersæ, & à Deo nulla percipitur consolatio. Si morã fecerit, ait propheta loquens de Deo, expecta eum. Vult prætereà Apostolus, vt supportemus inuicem. Sic & alibi, Alter, inquit, alterius onera portate: & sic adimplebitis legem Christi. Sunt infirmitates corporum, sunt & morum. Vtræq; ferendæ sunt placidè & comiter in fratribus, ita tamen, vt cùm adest opportunitas & speratur fructus, morum vitia in proximis corrigere non omittamus. Multi contra hanc Apostoli institutionem veniunt, nimiùm rigidi censores in aliorum infirmos mores, cùm in seipsis etiam crassa vitia vel non aduertãt, vel dissimulent. Addit verò Apostolus vt donemus inuicem, si quis aduersus aliquem habet querelam. Hoc quoque Christus ipse adeò à nobis exigit, vt dimissis verbis testetur, patrem cælestem non dimissurum nobis peccata nostra, si nõ dimiserimus nos, si quid habeamus aduersus aliquem. Qui ergo vult misericordem experiri Deum & facilem ad indulgentiam, sit ipse quoq; misericors in fratrem, remittat libenter in se peccantibus. Ad quod etiam Apostolus Christi ipsius exẽplo nos inuitat: Sicut & Dominus, ait, donauit vobis, ita & vos. Vbi Chrysostomus, Quando Christi, inquit, exemplum adduxit, condonandum persuasit, etiamsi magna conqueri possemus. Hoc enim innuit qd ait, Sicut & Christus. Et nõ hoc solùm, sed quòd ex toto corde condonandũ sit. Et neq; istud duntaxat, sed & diligere debeamus. Christus enim in medium adductus, omnia ista secùm aduehit: etiamsi magna condonanda sint, & si nihil nos anteà læserimus, & si nos magni simus, illi verò modici: etsi contumelia nos etiam post ista affecturi sint, & si animã pro ipsis ponere oporteat. Hoc nanque exigit illud, Sicut & Christus. Hæc Chrysostomus. Et reuerà si attendere velimus, qualem se erga nos præbuerit Christus, etiã tum cùm adhuc inimici essemus, puto habituros nos insigne erga proximos declarandę misericordię incitamẽtum. Sequitur: *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Vide vt semper Apostolus vel maximè vrgeat charitatẽ. Hæc enim virtus vel sola discernit filios Dei à mancipijs diaboli. Ambrosius hunc locum interpretans, Quia enim omnibus, inquit, maior est charitas, huic magis studendum hortatur. Tunc enim omnia, quæ suprà mandauerat seruãda, ad effectum præmiorum poterunt deduci, si ducę charitate iter ambulent legis. Tota enim mente operatur, qui de amore aliquid operatur aut facit. Hypocrysis & simulatio non est in charitate. Quare & Iohannes Apostolus, Timor, inquit, nõ est in charitate. Qui enim timet, perfectus non est. Perfecta enim dilectio foras mittit timorẽ. Vnde & Dominus amari se maluit quàm timeri. Hæc est enim, quæ complectitur vnitatem: hæc, quæ omnes vnum corpus facit: hæc est, quæ verã habet pacem, quam corde puro custodit. Chrysostomus sic habet: Quod dicere vult Apostolus, hoc est: Nihil illa proderunt, sed peribunt omnia, nisi cum charitate sint coniuncta. Ista cõstringit & complectitur omnia. Quodcunq; bonum dixeris, nisi adsit charitas, nihil est, sed planè diffluit. Et quemadmodum in naui, etiamsi magna sint instrumenta, nisi fuerint subligacula, nihil proderunt: & in domo nisi sint colligationes & contignationes: & in corpore etiamsi magna sint ossa, si non fuerint vincula & compagines, nihil proderunt: ita quæcunque quis habuerit rectè facta, inania erunt omnia, nisi sit charitas, non dixit, quæ vertex est, sed quod maius est, quæ uinculum est. Necessarium est magis hoc quàm illud. Nam vertex quidem per-

1. Cor. 2.

Ambros. in cap. 3. ad Colos.

Matth. 5.

Tentationum duo genera.

2. Cor. 1.

Haba. 2. Gal. 6.

Mar. 11.

Christus in 3. cap. ad Colos.

Chrysost. in 3. cap. ad Colos.

perfectionis est auctio & intentio: vinculum autem conseruatio eorum est, quæ perfectionem efficiunt, tanquam radix quædam. Hæc Chrysostomus. Addit deinde Apostolus: *Et pax Christi exultet in cordibus uestris, in quã & uocati estis in uno corpore: & grati estote.* Pax Dei, inquit Chrysostomus, ipsa est, quæ firma est & solida. Etenim si propter hominem pacem habueris, velociter dissoluitur: si verò propter Deum, non item. Hæc ille. Est autem notatu dignum, quòd ait, Pax Christi. Habent enim multi huic mundo dediti inter se pacem, sed non est ea pax Christi. Quod verò ait, Exultet in cordibus vestris, sic debet intelligi, Vincat & superet in cordibus vestris pax vera, quicquid tandem accidat. Sumus enim inuicem vnius corporis membra, & nihil tam debemus accuratè colere, quàm mutuam pacem, non tamẽ qualemcunq;, sed veram & Christianam. Addit autem, & grati estote. Ante omnia, ait Chrysostomus, gratias continuè agamus in omnibus. Nam ita & præsentia mala quiescent, & nos ad gloriam Dei viuemus, & promissa bona lucrabimur. Sequitur: *Verbũ Christi habitet in uobis abundanter in omni sapientia: docentes & commonẽtes uosmetipsos in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus uestris Deo.* Hæc meditãda monet semper, ait D. Ambrosius, quæ sonent Christum. Hæc in corde habenda, quæ Deo patri semper gratias referant, vt vox canora illi seruiat, illum laudet psalmus, hymnus extollat: & huic soli notum sit, qui occulta peruidet mẽtis, à quo speratur & pręmium. In cordibus illi cantari mandauit, ne fauore hominum fieret & fructum amitteret. Hæc ille. D. Chrysostomus in hunc locum scribens, ait, hymnos esse rem diuiniorem psalmis: Virtutes supernas hymnos cõcinere, nõ psalmos: & quoniam scripturæ lectio laboris & molestiæ, vt ipse dicit, plurimum habet, Apostolum non ad historias legendas inducere, sed ad psalmos. Et saluberrimè profectò hortatur Apostolus, vt mutuò se Christiani doceant & commoneant, non inanibus, non turpibus: nõ scurrilibus sermonibus, sed psalmis, hymnis & canticis spiritualibus, quibus Dei beneficia commemorentur: quæ cùm ore promuntur, debẽt non solo labiorum strepitu, sed multa animi attentione depromi. Philo Iudęus, qui putatur Romæ Petro Apostolo locutus, in libro de vita Contemplatrice inter cætera scribit, primos illos Christianos circà Alexandriam, quos θεραπευτὰς hoc est, cultores vocat, vitam duxisse in primis austerã, tales q; fuisse, quales nũc, inquit D. Hieronymus, monachi esse nituntur & cupiunt: & nõ solùm cotemplationi vacasse, sed nouos etiam hymnos, carmina & laudes in Deum omni genere grauiorum numerorum atq; rhythmorũ cõposuisse. Nostra ætate hęretici ex bonis psalmis Dauidicis fecerũt non bonos psalmos Lutericos, quos cantillant in tabernis & fornicibus. Sed de huiusmodi psalmis non loquitur Apostolus. Postremò subiungit, quod accuratè sit aduertendum: *Omne quodcunq; facitis in uerbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo & patri per ipsum.* Sic enim decet, vt tota vita hominis Christiani referatur in laudem & gloriam Christi, vt qui viuunt, non sibi viuant, sed ei, qui pro illis morruus est. D. Ambrosius sic scribit in hunc locum: Quoniam suprà in corde Deum laudari & illi gratias referri præcepit, nunc tam in verbo, quàm in opere totius conuersationis nostræ, nomen Domini Iesu laudari & exaltari hortatur: vt cùm verba nostra carent reprehensione, & opera nostra bona sunt, magnificetur Dominus Iesus, cuius magisterio inuituperabiles sunt discipuli. Tunc enim veras gratias agimus Deo per ipsum, si modum præceptorum eius custodiamus. Oecumenius quoq;, Rectè, inquit, per ipsum & cum ipso dicitur, tum quidem propter æqualitatem & consubstantialitatẽ cum patre: tum verò, quoniam intercessor noster ac põtifex fieri dignatus est, vbi Verbum caro factũ est secundũ scripturam. Præstet nobis præpotẽs Deus, vt his apostolicis institutionibus conuenienter viuamus, & vitam obtineamus æternam gratia & benignitate ipsius, cui est omnis honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Ibidem.

Ibidem.

In 3. ca. ad Colos.

Ambros. in 3. cap. ad Colos.

DOMINICA QVINTA.

Matth. xi.

In illo tempore: Respondens Iesus, dixit: Confiteor tibi pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea parnulis. Et reliqua.

Homilia beati Augustini episcopi.

De uerbis Domini Serm. 8. & de Tempore 48. ubi totus habetur.

SAnctum euangelium cùm legeretur, fratres, audiuimus Dominum Iesum exultasse in spiritu & dixisse: *Confiteor tibi pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea parnulis.* Hucusq; interim verba Domini si dignè, si diligenter, si quod primũ est, piè consideremus, inuenimus primitus, non semper cùm in scripturis legimus confessionem, debere nos intelligere vocem peccatoris. Maximè autem hoc dicendum fuit, & hinc admonẽda charitas vestra, quia mox vt hoc verbũ sonuit vox lectoris, secutus est etiam sonus tunsionis pectoris vestri, audito sci licet, q Dominus ait. Confiteor tibi pater. In hoc ipso quod sonuit, confiteor, pectora tutudistis. Tundere aũt pectus quid est, nisi arguere quod latet in pectore, & euidenti pulsu occultum castigare peccatũ? Quare hoc feciſtis? nisi quia audistis, Cõfiteor tibi pater? Cõfiteor audistis, qui confitetur nõ attendistis. Nunc ergo aduertite: Si cõfiteor Christus dixit, à quo longè est omne peccatũ, non solus est peccatoris, sed etiam aliquando laudatoris. Confitemur ergo siue laudãtes Deum, siue accusantes nosmetipsos. Pia est vtraq; cõfessio, siue cùm te reprehendis, qui nõ es sine peccato: siue cùm illũ laudas, qui non po-

Universidad de Deusto
Biblioteca

poteſt habere peccatum. Si autem benè cogitemus, reprehenſio tua, laus ipſius eſt. Quare enim iam confiteris in accuſatione peccati tui, in accuſatione ipſius tui? Quare confiteris, niſi quia ex mortuo viuus factus es? Scriptura quippe ait: A mortuo quaſi qui nõ ſit, perit cõfeſsio. Si perit à mortuo cõfeſsio, qui confitetur, viuit. Et ſi peccatum confitetur, vtiq; à morte reuixit. Si peccati confeſſor reuixit à morte, quis eum ſuſcitauit? Nullus mortuus eſt ſuiipſius ſuſcitator. Ille ſe potuit ſuſcitare, qui mortua carne nõ mortuus eſt. Etenim hoc ſuſcitauit, quod mortuũ fuit. Ille ſuſcitabat, qui viuebat in ſe, in carne aũt ſuſcitanda mortuus fuerat. Non enim pater ſolus filium ſuſcitauit, de quo dictũ eſt ab Apoſtolo: Propter quod & Deus eum exaltauit: ſed etiã Dominus ſeipſum, id eſt, corpus ſuũ ſuſcitauit. Vnde dicit: Soluite templũ hoc, & in triduo ſuſcitabo illud. Mortuus eſt autem peccator, maximè ille quem moles conſuetudinis premit, quaſi ſepultus eſt Lazarus. Parũ enim erat quia mortuus, etiã ſepultus. Quiſquis igitur malæ cõſuetudinis, malæ vitæ, ſcilicet terrenarũ cupiditatũ mole premitur, ita vt in illo iam factũ ſit, ſicut in quodã pſalmo mirabiliter dicitur: Dixit ſtultus in corde ſuo, non eſt Deus: fit talis, de quali dictũ eſt, A mortuo velut qui non ſit, perit confeſsio. Quis eũ reſuſcitabit, niſi qui remotolapide clamauit, dicẽs, Lazare, prodi foras? Quid eſt aũt foras prodire, niſi quòd occultũ erat, foras prodere? Qui cõfitetur, foras prodit. Foras prodire non poſſet, niſi viueret: viuere non poſſet, niſi reſuſcitatus eſſet. Ergo in confeſsione ſui accuſatio, Dei laudatio eſt. Dicit ergo aliquis: Quid prodeſt Eccleſia, ſi iam cõfeſſor voce dominica reſuſcitatus prodit? Quid prodeſt Eccleſia confitenti, cui Dominus ait, Quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt & in cælo? Ipſum Lazarũ attende: cum vinculis prodijt. Iam viuebat confitendo, ſed nondũ liber ambulabat vinculis irretitus. Quid ergo facit Eccleſia, cui dictum eſt. Quæ ſolueritis, ſoluta erunt, niſi quod Dominus ait continuò ad diſcipulos, Soluite illũ, & ſinite abire? Siue ergo nos accuſemus, ſiue Deũ laudemus, bis Deum laudamus, ſi piè nos accuſemus, Deũq; laudemus. Quando Deũ laudamus, tanquã eum qui ſine peccato eſt prædicamus. Quando autem noſmetipſos accuſamus, ei per quem reſurreximus, gloriam damus. Hoc ſi feceris, nullam occaſionem inueniet inimicus, qua te circumueniat ante iudicẽ. Cùm enim tu ipſe fueris accuſator, & Dominus liberator, quid erit ille niſi calũniator? Meritò ille hinc ſibi tutelam prouidit aduerſus inimicos non cõſpicuos, carnẽ & ſanguinem, miſerandam potiùs quàm cauendam: ſed aduerſùs illos inimicos, cõtra quos Apoſtolus nos hortatur vt armemur: Non eſt nobis colluctatio aduerſùs carnẽ & ſanguinẽ, id eſt, aduerſùs homines quos videtis ſæuire in nos. Vaſa ſunt, alius vtitur. Organa ſunt, alius tãgit. Immiſit ſe, inquit, diabolus in cor Iudæ, vt traderet Dominũ Ait aliquis: Quid ergo ego feci? Audi Apoſtolũ: Neq; detis locũ diabolo: Tu mala voluntate locũ dediſti: intrauit, poſſedit, vtitur. Locũ ſi nõ dares, nõ poſsideret. Ergo nos admonens, ait: Nõ eſt nobis colluctatio aduerſùs carnẽ & ſanguinẽ, ſed aduerſùs principes & poteſtates. Poſſet quiſq; putare aduerſùs reges terræ, aduerſùs potẽtes ſeculi. Quare? Ipſi nõ caro & ſanguis? Semel dictum eſt: Non aduerſùs carnẽ & ſanguinem. Auertere ab omni homine. Qui ergo reſtant inimici? Aduerſùs principes & poteſtates ſpiritualis nequitiæ, rectores mundi. Quaſi plꝰ dedit diabolo & angelis eius. Plus dedit, quos rectores mũdi appellauit. Sed ne malè intelligas, exponit quid ſit mũdus, cuius ſunt illi rectores. Rectores mũdi, tenebrarũ harũ. Quid eſt mũdi? tenebrarũ harũ. Quibus eſt rector? Dilectoribus ſuis & infidelibus, quibus plenus eſt mũdus. Hos appellat Apoſtolus tenebras. Harũ rectores diabolus & angeli eius. Hæ tenebræ nõ naturales ſunt, nõ incõmutabiles ſunt. Mutãtur, & lux efficiũtur. Credũt, & credẽdo illuminantur. Quod cũ in eis factũ fuerit, audient: Fuiſtis enim aliquando tenebræ, nunc aũt lux in Domino. Nam quando tenebræ, non in Domino. Iterũ quando lux, non in te, ſed in Domino. Quid enim habes, quod nõ accepiſti? Quia ergo ſunt inuiſibiles inimici, inuiſibiliter ſunt expugnandi. Quippe hoſtem viſibilem vincis feriendo, inuiſibilẽ vincis credẽdo. Viſibilis eſt hoſtis homo, viſibile eſt & ferire. Inuiſibilis eſt hoſtis diabolus, inuiſibile eſt & credere. Ergo eſt pugna inuiſibilis aduerſùs inuiſibiles inimicos: Ab his enim inimicis quomodò ſe tutum dicit quidam? Hoc enim cœperam dicere, & neceſſe habebam de iſtis inimicis aliquando cum mora tractare. Iam ergo cognitis inimicis, videamus tutelam. Laudans inuocabo Dominũ, & ab inimicis meis ſaluus ero. habes quid agas. Laudans inuoca, ſed Dominũ laudãs inuoca. Si enim te laudaueris, ab inimicis tuis ſaluus non eris. Laudans inuoca Dominũ, & ab inimicis tuis ſaluus eris: quia, quod ait ipſe Dominus, Sacrificiũ laudis honorificabit me, & ibi via eſt, vbi oſtendam illũ ſalutare meũ? Vbi via? In ſacrificio laudis. Noli pedẽ extra hanc viã mittere, in via eſto: à via noli recedere, à laude Domini nec vnguẽ, nedum pedẽ. Si enim volueris ab hac vita deuiare, & pro Domino te laudare, non eris ſaluus ab illis inimicis, quia de ipſis dictũ eſt: Iuxta ſemitã ſcandalũ poſuerunt mihi. Quicquid ergo putaueris boni habere te abs te, deuiaſti à laude Dei. Quid iã miraris ſi te ſeducit inimicus, quando tu tuiipſius ſeductor es? Audi Apoſtolũ: Qui enim putat ſe eſſe aliquid, cùm nihil ſit, ipſe ſe ſeducit. Dominũ ergo attẽde confitentẽ: *Confiteor tibi pater, Domine cæli & terræ.* Confiteor tibi, laudo te. Laudo te, non accuſo me. Quantũ aũt pertinet ad ipſius hominis ſuſceptionẽ, tota gratia, ſingularis gratia, perfecta gratia. Quid meruit homo ille

Ecclꝰ. 7.

Phil. 2.
Ioan. 2.

Pſal. 13. 52

Eccl. 17.

Ioan. 11.

Matt. 18.

Ioan. 11.

Ioan. 13.

Ephe. 6.

ibidem.

Epheſ. 5.

2. Cor. 4.

Pſal. 17.

Pſal. 18.

Pſal. 18.

Rom. 1.

Gal. 6.

ille qui Chriſtus eſt, ſi tollas gratiam, & tantam gratiam, qua vnum oportebat eſſe Chriſtum, & ipſum eſſe quem nouimus? Tolle iſtam gratiam, quid eſt Chriſtus niſi homo? Quid niſi quod tu? Suſcepit animã, ſuſcepit & corpus, ſuſcepit plenũ hominẽ, cooptat ſibi: vnã facit Dominus cũ ſeruo perſonam. Quanta iſta eſt gratia? Chriſtus in cælo, Chriſtus in terra, Chriſtus ſimul in cælo & in terra: nec duo Chriſti, ſed idẽ Chriſtus in cælo & in terra. Chriſtus apud patrẽ, Chriſtus in vtero virginis, Chriſtus in cruce, Chriſtus apud inferos ſubueniens quibuſdam. Eo autem ipſo die Chriſtus in paradiſo cũ latrone confitente. Et ibi latro quid meruit, niſi quia illã viã tenuit, vbi oſtendit ſalutare ſuum? à qua tibi pes nõ exeat. In eo enim quod ſe accuſauit, Deum laudauit, & vitam ſuam beatam fecit. Præſumpſit quidem de Domino, & ait illi: Domine, memento mei dum veneris in regnũ tuum. Conſiderabat enim facinora ſua, & pro magno habebat, ſi ei vel in fine parceretur. Dominus aũt continuò cùm ille diceret, memento mei, Sed quando? Cùm veneris in regnum tuũ: Amẽ dico tibi, inquit, hodiè mecum eris in paradiſo. Miſericordia obtulit, quod miſeria diſtulit. Audi ergo Dominum confitentem: Confiteor tibi pater, Domine cæli & terræ. Quid confiteor? In quo te laudo? Hæc enim confeſsio, vt dixi, laudem habet. *Quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.* Quid eſt hoc fratres? A cõtrario ſenſu intelligite. Abſcondiſti hæc, inquit, à ſapiẽtibus & prudentibus, & non dixit: Reuelaſti ea ſtultis & imprudentibus, ſed dixit, Abſcondiſti quidem à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Sapientibus & prudentibus irridendis, arrogantibus, falsò grandibus, verè autem tumentibus oppoſuit, non ſapientes, nõ prudẽtes, ſed paruulos. Qui ſunt paruuli? Humiles. Ergo abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus. Nomine ſapientium & prudentium ſuperbos intellige. ipſe expoſuit, cùm ait: Reuelaſti ea paruulis. Ergo abſcondiſti non paruulis. Quid eſt non paruulis? Nõ humilibus. Quid eſt nõ humilibꝰ, niſi ſuperbis? O via Domini: aut nõ erat, aut latebat. Vt reuelaretur nobis, vnde Dominus exultauit, quia reuelatum eſt paruulis, debemus eſſe paruuli. Nã ſi voluerimus eſſe magni, quaſi ſapientes & prudentes, non nobis illud reuelatur. Qui ſunt magni? Sapientes & prudẽtes, dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Habes remediũ à cõtrario. Si dicendo te eſſe ſapientẽ, ſtultus factus es, dic te ſtultum, & ſapiens eris. Sed dic, & intus dic, quia ſic eſt vt dicis. Si dicis, noli coram hominibus dicere, & corã Deo non dicere. Prorſus quod ad teipſum pertinet, quod ad tua, tenebroſus es. Quid eſt enim aliud eſſe ſtultũ, niſi eſſe tenebrotũ in corde? Deniq; de illis ſic ait: Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Antequã hoc diceret, quid rurſum? Et obſcuratum eſt inſipiẽs cor eorum. Dic, quia tu tibi lumen nõ es. Vt multũ oculus es, lumen non es. Quid prodeſt patens ac ſanus oculus, ſi lumen deſit? Ergo dic à te tibi lumẽ nõ eſſe, & clama quod ſcriptum eſt: Tu illuminabis lucernã meam Domine, lumine tuo, Domine illuminabo tenebras meas. Meæ enim nihil niſi tenebræ, tu aũt lumẽ fugans tenebras, illuminãs me, non à me mihi lumẽ exiſtẽs, ſed lumen non participans niſi in te. Et Ioannes amicus ſponſi, Chriſtus putabatur, lumẽ putabatur. Non erat ille lumẽ, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine. Quod autem erat lumẽ? Erat lumen verũ. Quid eſt verũ? Quod illuminat omnem hominẽ. Si verũ lumen eſt, quod illuminat omnem hominẽ, ergo & Ioannem rectè dicentem, rectè confitentem: Nos autem de plenitudine eius accepimus. Vide ſi aliud dixit, quàm, tu illuminabis lucernam meã Domine. Denique iam illuminatus teſtimoniũ perhibebat: Propter cæcos lucerna diei teſtimonium perhibebat. Vide quia lucerna eſt. Vos, inquit, miſiſtis ad Ioannem, & voluiſtis exultare ad horam in lumine eius. Ille erat lucerna ardens & lucens. Ille lucerna, hoc eſt, res illuminata, accenſa vt luceret, quæ accendi poteſt & extingui. Sed vt non extinguatur, ventum ſuperbiæ non patiatur. Ergo cõfiteor tibi pater, Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, lumen ſe putantibus, & tenebræ erant. Et pro eo quòd tenebræ erant, & lumen ſe putabant, nec illuminari potuerunt. Illi autem qui tenebræ erant, & tenebras ſe eſſe confitebantur, paruuli erant, non magni: humiles erant, non ſuperbi. Rectè ergo dicebant: Tu illuminabis lucernã meã Domine. Se agnoſcebant, Dominũ laudabant, à via ſalutari non recedebant: laudantes Dominũ inuocabant, & ab inimicis ſuis ſalui erant. Poſtremò aperit cæleſte myſterium, quod ſcilicet placuerit Deo, vt paruulis magis quàm prudentibus iſtius mũdi gratiam ſuam reuelaret. Quod Apoſtolus Paulus ſtylo pleniore digeſsit, dicens: Nónne ſtultam fecit Deus ſapientiã huius mundi? Nam quoniam Dei ſapientiam nõ cognouit hic mundus per ſapientiam, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credẽtes. Ait ergo: *Ita pater, quoniam ſic fuit placitũ ante te.* Cæleſtium enim verborum arcana atq; virtutes ſapientibus abſconduntur, & paruulis reuelantur. Paruulis malitia, non ſenſu: ſapientibus verò ſtultitiæ ſuæ præſumptione, non prudẽtię cauſis. Factiq; huius æquitatẽ Dominus paternæ volũtatis iudicio cõfirmat: vt qui dedignantur paruuli in Deũ fieri, ſtulti deinceps in ſapientia ſua fiant. Vides quã terribilis in cõſilijs Dominus. Diſce veræ humilitatis exẽpla, nec temerè diſcutias ſupernę diſpẽſationis cõſilia. Cũ enim intuliſſet vtrunq;, ſcilicet q̃ alijs aduentus ſui ſacramẽta reuelarit, ab alijs verò abſcõderit, nõ mox rationẽ reddidit, ſed ſic Deo placitũ dixit, oſtẽdens manifeſtè, quia iniuſtũ eſſe nõ poteſt, *quod placuit iuſto.* Ac ne quid in illo minùs, quàm quod in Deo

Luc. 23.

Hucuſq; in Auguſtini Sermone 8. habetur.

1. Cor. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

eit, æstimaretur, statim subdidit: *Omnia mihi tradita sunt à patre meo.* Pulcherrimus cónectitur de fide locus, quando omnia sibi tradita dicit à patre suo. Cũ omnia legis, omnipotenté agnoscis, non decoloré, non degeneré patris. Cũ tradita legis, filiũ cõfiteris, cui per naturã omnia vnius subsstãtiæ iure sunt propria, nõ dono collata per gratiã. Tradita aũt sibi dicit omnia, nó cælũ & terrã, vel cętera quę ipse cõdidit ac fecit eleméta: sed hos, qui per filiũ accessũ habét ad patrẽ, & antè rebelles, Deũ postèa per fidẽ sentire cœperunt. Vnde

Ioan. 6. & alio loco dicit: Omne quod dat mihi pater, ad me veniet. *Et nemo nouit filiũ nisi pater: neq; patrẽ quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Quũ diceret, Nemo nouit filium nisi pater, nõ dixit, & cui voluerit pater reuelare, quemadmodũ cùm dixerat, Nemo nouit patrem nisi filius, addidit, & cui voluerit filius reuelare. Quod non ita intelligendũ est, quasi à nullo possit cognosci filius, nisi à patre solo, pater aute non solùm à filio, sed etiã ab illis, quibus reuelauerit filius. Sic enim potiùs dictũ est, vt intelligamus & patrem & ipsum filiũ per filium reuelari, quia ipse est mentis nostræ lumen: vt quod posteà intulit, & cui voluerit filius reuelare, non patrem tantùm, sed etiã filium accipias. Ad totum enim quod dixit, illatum est. Verbo enim suo se pater declarat. Verbum enim nõ solũ id quod per verbum declaratur, sed etiã seipsum declarat. Vt scias autem, quia sicut filius patrem, quibus vult, reuelat, ita etiam pater quibus vult filium reuelat, audi dicentẽ ipsum Do-

Matt. 16. minum Iesum, cùm laudaret Petrum, quòd eum filium Dei esse confessus sit: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui est in cælis. Audiamus ergo eum qui sequitur & dicit: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis.* Mirum quibusdam videtur

Sermo D. Augustini de uerbis Domini. charissimi, cùm audiunt Dominum dicentem: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos: Tollite iugum meum super vos, & discite, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue est. Et considerant eos, qui iugũ ipsum intrepida ceruice subierunt, & illam sarcinam mãsuetissimis humeris acceperunt, tantis agitari & exerceri difficultatibus huius seculi, vt non à laboribus ad quietem, sed à quiete ad laborem vo-

2. Tim. 3. cati videantur, cùm & Apostolus dicat: Omnes qui volunt in Christo piè viuere, persecutionem patientur. Ait ergo aliquis: Quomodò iugum leue est, & sarcina leuis, quandoquidem illud iugum & sarcinã ferre, nihil aliud est quãpiè viuere in Christo? Et quomodò dicitur: Venite ad me oẽs qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam, ac non potiùs dicitur, Venite qui vacatis, vt laboretis? Nam & vacantes inuenit, quos cõ

Matt. 2 duxit in vineam, vt ferrent æstum diei, & sub illo iugo leni & sarcina leui, audimus Apostolum di-

2. Cor. 6. cere: In omnibus commendantes nosmetipsos tanquam Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, &c. Et alio loco in eadẽ epistola. A Iudæis quinquies quadragenas plagas vna minꝰ accepit ter virgis cęsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci: nocte & die in profundo maris fui, & cætera pericula quæ numerari quidẽ possunt, sed tolerari, nisi spiritusancto iuuante, non possunt. Omnia ergo illa quæ commemorauit aspera & grauia, frequentiùs & abundantiùs sustinebat, sed profectò aderat ei spiritussanctus, qui in exterioris hominis corruptione, interiorem renouaret de die in diem, & gustata requie spirituali, in affluentia deliciarum Dei, in spe futuræ beatitudinis, omnia præsentia deliniret aspera, & omnia grauia releuaret. Ecce quàm suaue iugum Christi portabat, & quàm leuem sarcinam, vt omnia illa quę superiùs enumerata, dura & immania hominis auditus horrescit, leuem tribulationem diceret, intuens interioribus & fidelibus oculis, quanto precio temporalium emenda esset futura vita: non pati æternos labores impiorum, & sine vlla solicitudine perfrui æterna felicitate iustorum. Secari & vri se homines patiuntur, vt dolores non æterni, sed aliquantò diuturnioris hulceris acriorum dolorum precio redimantur. Pro languida & incerta vocatione breuissimæ atque vltimæ vitæ, immanissimis bellis miles atteritur, pluribus fortasse annis in laboribus inquietus, quàm in ocio quieturus. Quibus tempestatibus & procellis, quàm horribili & tremendæ sæuitiæ cæli & maris imponunt se mercatores, vt diuitias venturas acquirant, maioribus quàm quibus acquisitæ sunt, periculis & tempestatibus plenas? Quos æstus, quæ frigora, quæ pericula ab aquis, à fossis, à pręcipitijs, à fluminibus, à feris perferunt venatores? Quem laborem esuriendi & sitiendi, quãtas vilissimi & sordidissimi cibi & potus angustias, vt bestiã capiant? Et interdum nec ipsius bestiæ carnes, propter quam hæc tanta sustinent, epulis necessariæ, quanquã & si aper ceruusq; capitur, magis suaue sit venantis animo quia captus est, quàm comedentis palato quia coctus est. Quantis cruciatibus propè quotidianarum plagarum tenera puerorum ętas subditur? quantis etiã in scholis vigiliarũ & absti nentiæ molestijs exercentur, non propter discendam sapientiã, sed propter opes honoresq; vanitatis, vt numeros & literas & diffusas fallacias eloqui discant? Sed in his omnibus qui hæc non amant, eadem grauia patiuntur. Qui verò amãt, eadem quidẽ, sed non grauia pati videntur. Om Rom. 8. nia enim sæua & immania, prorsùs facilia & propè nulla efficit amor. Quanto ergo certiùs ac faciliùs ad veram beatitudinẽ charitas facit, quod ad miseriam, quantùm potuit, cupiditas fecit? Quàm facilè toleratur quælibet aduersitas temporalis, vt æterna pœna vitetur, æterna requies comparetur? Non immeritò ille vas electionis cum ingenti lætitia dixit? Non sunt condi- 2. Cor. 4

gnæ

gnæ passiones huius temporis ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Ecce vnde iugum illud suaue est, & sarcina leuis. Etsi an gusta est via paucis eligentibus, facilis tamen om

Psalm. 16. nibus diligentibus. Dicit Psalmista: Propter verba labiorum tuorum, ego custodiui vias duras. Sed quæ duræ sunt laborantibus, eædem ipsis mirescunt amantibus. Propter quod ita diuinæ pietatis dispensatione actum est, vt interiori homini, qui renouatur de die in diem, non adhuc sub lege posito, sed iam sub gratia exonerato sarcinis innumerabilium obseruationum, quod erat reuerà graue iugum, sed duræ ceruici conueniẽter impositum, facilitate simplicis fidei, & bonæ spei, & sanctæ charitatis, quicquid molestiarum exteriori homini forinsecùs intulisset ille princeps, qui missus est foras, interiore gaudio leue fieret. Nihil enim tam facilè est bonæ voluntati, quàm ipsa sibi. & hæc sufficit Deo. Quantumlibet ergo sæuiat iste mundus, verissimè angeli nato in carne Domino clamauerunt: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ vo-

1. Cor. 10. luntatis: quia qui natus erat, suaue iugum eius est, & sarcina leuis: & sicut dicit Apostolus: Fidelis Deus qui nos non sinit tentari super quod possumus ferre, sed facit cum tentatione etiam exitum, vt possimus sustinere. Conuersi ad Dominum Deum patrem omnipotentem puro corde, ei, in quantũ potest paruitas nostra, maximas atq; vberes gratias agimus, precantes toto animo singularem mansuetudinem eius, vt preces nostras in beneplacito suo exaudire dignetur: Inimicũ quoq; à nostris actibus & cogitationibus sua virtute expellat, nobis multiplicet fidẽ, mentem gubernet, spirituales cogitationes concedat, & ad beatitudinem suam perducat, per Iesum Christum filium suum Dominum nostrum, qui cum eo viuit & regnat in vnitate spiritussancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

DOMINICA SEPTVAGESIMÆ, in Epistolam Concio exegetica.

SEptuagesimæ tempus nunc inchoat Ecclesia, & eam recolit calamitatem, in quam incidit totum genus humanum ex primorum lapsu parentũ. Omittuntur nunc cantica lætitiæ, Alleluia, Gloria in excelsis, & quædam alia vestes lugubres in diuinis officijs sumuntur, nuptias celebrare non licet, & omnia ferè quendam præ se ferunt luctũ, vt discant Christiani redire in memoriam exilij sui, suspirare patriam vnde peccando exciderũt, agere pro peccatis pœnitentiam, vt ad patriam liceat postliminiò reuerti. Ab hac die vsq; ad sabbatum post Pascha septuaginta dies numerãtur: inde Septuagesima. Nihil est in Ecclesiæ cæremonijs ociosum, & ideò reuerenter habendæ sunt, non contemnendæ, quod faciunt homines perditi & à dæmone occæcati, quibus imminet grauissima damnatio. Ad Apostolicam lectionem veniamus, quæ sumpta est ex prioris ad Corinthios capite nono: *Nescitis quòd ij, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit brauium?* Hoc dicit, inquit Chrysostomus, non tanquam vnus ex omnibus salutem sit consecuturus, sed tanquam multam debeant adhibere diligentiã. Quemadmodùm enim ex his, qui in stadiũ descendunt, non multi coronãtur, sed ad vnum defertur corona: & non satis est tantùm in spectaculo sedere, neque vngi tantùm & certare: ita & in hoc loco non satis est fidem habere & quomodocunque certare, sed nisi ità nos cursu exercuerimus, vt ad metã vsq; nos inuictos præbeamus, & perueniamus ad propositum præmium, nihil sanè consequi poterimus. Hæc ille, cui alludens Oecumenius, Insinuat, inquit, non satis esse credidisse, sicut nec illis cucurrisse: sed ad brauium vsq; conari oportere, ad coronam, inquam. Nam si scientiam, inquit, habetis fidei, nisi etiam cum fratrum charitate habeatis, nihil inde vtilitatis adipiscemini. Addit Apostolus, *Sic*

1. Cor. 10. *currite ut comprehendatis.* Cursus noster, amor est. Amando currimus, & quò plus amamus, eò alacriùs currimus, & currendo amamus, & amando peruenimus, & perueniendo comprehẽdimus. Non currit temerè, quisquis amat: currit inaniter, sed nec currit quidem, quisquis non amat. Amemus ergo, & magis ac magis amemus, vt quandoq; comprehendamus. Et quid tandem? Deum vtiq;, qui est illud summum & vnicum bonum, cui currendo per amorem inhiamus. Misera conditio hominis Deum non amantis. Nam frigore ac torpore quodam pedes, id est, affectus animi eius constringuntur, vt non modò non currere, sed nec ambulare quidem posit. Itaq; D. Augustinus libr. 8. Confessionum cap. 4. feruenti spiritu sic Dominum precatur: Age Domine & fac: excita & reuoca nos: accende & rape, flagra, dulcesce: iã amemus & curramus. Sequitur: *Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Quid hac particula, Ab omnibus, inquit Chrysostomꝰ, significatur? Non ab vno se abstinet, ad alterum autem se indifferenter habet: sed saturitate, gula, ebrietate, & ab omnibus simpliciter affectibꝰ se abstinet. Hoc quodammodò & in exterioribus fit certaminibus. Neq; enim inebriari licet certãtibus certationis tempore, neq; scortari, ne vires deficiant, neq; circa alia vacare: sed ab omnibus simul abstinendo, solummodò suis vacant certaminibus. Quòd si illic huiusmodi fiunt, vbi in vnum coronam conferri necesse est, multo magis hîc, vbi plurima contentio, neq; vnus tantùm coronatur, & ipsa præmia multò labores exuperant? Hæc Chrysostomus. Si aliquod sit propositũ lucrũ tẽporariũ, nullus labor, nullũ periculũ recusatur: æternæ beatitudinis & incorruptibilis coronæ obtinẽdę causa vix pauci digitũ mouere

Chrysostomus. t. ad Cor. cap. 9.

Augustinus.

Chrysost. in hunc locum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dignantur. Cur non verò libenter ab omnibus rebus noxijs abstineant, quibus pro exiguis & breuibus laboribus promittitur corona incorrupta, vita æterna, salus infinita? Debemus ergo inflammare animum, & pulso torpore, agere viriliter, & si quis interim occurrat labor, consolari nos spe præmij, quod daturus est qui non mentitur Deus, nó tamẽ vt quasi mercenarij, sed vt filij Deo liberaliter seruiamus. Nam præmiũ nostrũ Deus ipse erit, cuius amore & contẽplatione facere & pati omnia debemꝰ. Noli timere Abram, dixit Deus: ego protector tuꝰ, & merces tua magna nimis. Addit porrò Apostolus: *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem uerberans.* Magna spe currere se profitetur, inquit Ambrosius, certum habens quid sit promissum: nec verbis magis, sed rebus se contendere. Sequitur: *Sed castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne forte cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* In hũc locum sic scribit Chrysostomus: Multum sustineo laborem (ego Paulus) vt sobriè viuã. Siquidem intractabilis est cupiditas, & ventris voracitas. Veruntamen eam cohibeo, & non trado meipsum affectibus, sed oẽm fero laborem, vt ab illis nón distrahar. Nolite igitur existimare, me hæc sine labore corrigere. Etenim cursus est & palæstra, & naturæ violentia frequenter se obijciens, & se vendicare annitens in libertatem. Sed non patior, verùm affectus comprimo, & ipsam naturam multis sudoribus subijcio. Hæc autem dico, vt nemo à certando desperet pro virtute. nam laboriosum est. Quare, inquit, castigo & in seruitutem redigo: non dixit, Perdo: non enim inimica caro est: sed castigo & redigo in seruitutem, quod domini est, non hostis: magistri, non inimici exercitatoris, non aduersarij. *Ne fortè cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Quòd si Paulus hoc timuit, ait porrò idẽ Chrysostomus, cùm talis esset præceptor, & post prædicationem, & ot bis terrarum susceptum patrocinium formidauit, quid nam nos dicemus? Nolite enim putare, inquit, solam fidem ad salutem vestram satis esse. Nam si prædicare, docere, innumeros ad salutem adducere, mihi non sufficit ad salutem, nisi me irreprehensibilem exhibeam, longè minùs vobis. Ita Chrysostomus. Habent hic in Apostolo doctores & concionatores verbi Dei exemplum, quod imitentur, ne dum alios docent, seipsos non doceant, & quod verbis ædificant, mala vita destruant. Quòd si verò Apostolus castigat corpus suum, qui alibi de seipso dicit, Certus sum, quòd neque mors, neque vita, &c. poterunt nos separare à charitate Dei: quis iam securus esse debeat? Nemo sibi ipsi aut imponat, aut finat imponi. Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs. Qui aliter docent, pseudoprophetæ sunt. Nec tamen trucidanda est caro, sed prauæ carnis concupiscentiæ: & illa secundum Ambrosium danda corpori, quæ ad vitam profi-

Genc. 15.

Ambros. in 1. ad Cor. 9.

Chrysostomus.

Rom. 8.

...d.

In 1. Cor. 9.

ciant, non ad luxum: sicque subijciendum spiritui, vt non suam perficiat, sed spiritus voluntatem. Ideò autem Apostolus se refrenare corpus suum ostendit, vt hoc loco ait idem Ambrosius, vt remuneratione, quam alijs prædicat, etiã ipse dignus habeatur: ne alijs curatis, ipse remaneret in vulnere. Sequitur: *Nolo enim uos ignorare fratres, quoniam Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari.* Mare rubrum, ait Augustinus, significat baptismum: Moyses ductor per mare rubrum, significat Christum: populus transiens, nem. significat fideles: mors Aegyptiorum, significat aboletionem peccatorum. Alibi quoque, Nubes & mare rubrum, inquit, baptismus vtique, Christi sanguine consecratus: hostes sequentes à tergo, moriuntur peccata præterita: ducitur populus per desertum, baptizati omnes, nondum perfruentes promissa patria, sed quod non videt sperando, & per patientiam expectando, tanquam in deserto sunt. D. Ambrosius hunc locum sic exponit: Iudæorum exemplo, qui negligentia sua offenderunt, solicitos nos vult esse. Ideoque sub nube dicit illos fuisse, quia omnia quæ gesta sunt, in figura nostri facta sunt, vt veritatis nostræ illi habuerint imaginem. Contecti enim nube, & ab aduersarijs suis tuti præstititi, dum à morte liberati sunt, baptizati dicuntur. Illis enim, id est, Aegyptijs in mari mortuis, dum hi duce Moyse feliciter transeunt, erepti sunt à morte: quod præstat baptismum. Non enim illis præterita mala imputata sunt, sed per mare & per nubem purificati, præparati sunt ad accipiendam legem & formam futuri sacramenti nostri. Hæc Ambrosius. Si figura maris, inquit Augustinus Tractatu XLI. in Ioannem, tantum valuit, species Baptismi quantum valebit? Si quod gestum est in figura, traiectum populum ad manna perduxit, quid exhibebit Christus in veritate Baptismi sui, traiecto per eum populo suo? Et paulo infrà: Significabat mare illud rubrum, Baptismum Christi. Vnde rubet Baptismus Christi, nisi Christi sanguine consecratus? Hæc ille. Sequitur in Apostolo: *Et omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt. (bibebant autem de spirituali consequente eos petra: petra autem erat Christus.)* Manna & aqua, quæ fluxit de petra, inquit D. Ambrosius, hæc dicit spiritalia: quia non mundi lege parata sunt, sed Dei virtute sine elementorum commixtione ad tempus creata, habentia in se figuram mysterij, quod nunc nos sumimus in commemoratione Christi Domini. Ideò & panis angelorum dictus est, quia virtute, qua angeli subsistunt, creatus est, hoc significans, quia de cælis venturus erat, qui spiritaliter pasceret. Hæc ille. Quemadmodum autem ille antiquus Iudaicus populus manna cæli nutritus est in deserto annis quadraginta, donec veniret in terram promissionis: ita Christiani aluntur in huius mundi solitudine pane illo viuo, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo: neque id in figura, vt olim Israëlitæ, sed in veritate. Absit enim, vt Christus rursus ad figuras nos reiecerit, cùm in illo figuræ omnes impletæ sint. Nemo debet moueri incredulitate Capernaitarum, dicentium, Quomodò potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum, quos hodiè imitantur hæretici Sacramentarij, quorum est horrenda cæcitas & cæca temeritas, qui cùm capere non possint huius mysterij incomprehensam altitudinem, labuntur in stultissimos & valdè impios errores, negantque corporis & sanguinis Christi in Eucharistia realem præsentiam: quasi verò tam imbecilla & angusta sit Christi virtus, vt facere non possit, nisi quòd humanum capiat ingenium. Omninò sic necessarium erat fragilitati nostræ, ne in huius exilij molesta peregrinatione deficeremus, vt Christus seipsum nobis, non in figura, sed in veritate escam præberet, qua interim confirmemur & corroboremur, atque ad æternitatem etiam corpora nostra solidentur. Hoc enim multi sanctissimi Patres vno ore testantur, nostris corporibus ex carnis Christi in Eucharistiæ communione immortalitatem conferri. Eius enim virtute resurgent in vitam æternam. D. Cyrillus Alexandrinus Episcopus libro quarto in Ioannem, cap. 13. præclarè scribit hunc in modum: Quærendum ita semper est, vt apud eum habitemus, & ad alienas sententias non deferamur. Sed non ita facit animus malignus. Nam quæcunque non intelligit, statim tanquam friuola falsaque per arrogantiam ejcit, nulli cedens, nec aliquid supra ipsum esse existimans: quales Iudæos fuisse comperimus. Nam cùm oporteret eos, qui diuinam virtutem Saluatoris ac potestatem, signorum miraculo perceperunt, sermonem eius libenter suscipere, & si qua difficilia videbantur, eorum solutionem quærere, contrà omninò faciunt, & quomodò potest hic carnem suam nobis dare? de Deo non sine magna impietate conclamant: nec in mentem venit, nihil esse impossibile apud Deum. Nam cùm animales essent, vt ait Paulus 1. Corinth. 2. spiritualia intelligere non poterant: sed fatuitas quædam tam magnum sibi videbatur mysterium. Sed nos magnum, quæso, à peccatis aliorum profectũ faciamus, & firmã fidẽ mysterijs adhibentes, nunquã in tam sublimibus rebus illud, Quomodò, aut cogitemus, aut proferamus. Iudaicum enim hoc verbum est, & extremi supplicij causa. Aliorum igitur, vt diximus, culpa perdocti, cùm Deus operetur, non quæramus, Quomodò? sed operis sui viam atq; scientiam illi soli concedamus. Hæc Cyrillus. Quod autem Apostolus hîc dicit, petram Iudæos esse consecutam, non de petra illa sensibili, sed de Christo accipiendum est, cuius ope vbiq; fruebantur. Sed illis tunc petra erat Christi figura, nos in Eucharistia non figuram, sed verum Christi corpus & sanguinem habemus. Atq; vtinam ferueret in nobis desiderium crebrò sumendi Eucharistiã, vt Christo magis ac magis vniti, potioribus in dies gratiæ donis augeri mereremur, præstante eodem Deo ac Domino nostro, cui est cum patre & spiritusancto omnis honor & gloria in secula seculorum, Amen.

1. Cor. 10.

Ps. 77.

Corpora nostra unde habeatura immortalitatem. Cyrillus.

DOMINICA IN SEPTVAGESIMA, Matth. XX.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum homini patrifamiliás, qui exijt primo mane conducere operarios in uineam suam. Et reliqua. Homilia B. Gregorij Papæ.

IN explanatione sua multa ad loquendum sancti euangelij lectio postulat, quam volo, si possum sub breuitate perstringere, ne nos & extensa processio, & prolixa expositio videatur onerare. Regnum cælorum homini patrisamilias simile dicitur, qui ad excolendam vineam suam operarios conducit. Quis verò patrisamilias similitudinem rectiùs tenet, quàm conditor noster, qui regit quos cõdidit, & electos suos sic in hoc mũdo possidet, quasi subiectos dominus in domo? Qui habet vineam, vniuersam scilicet Ecclesiã, quæ ab Abel iusto vsq; ad vltimum electũ, qui in fine mũdi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi totpalmites misit. Hic itaq; patersamilias ad excolendam vineam suam mane, hora tertia, sexta, nona & vndecima operarios conducit, quia à mundi huius initio vsq; ad finẽ ad erudiendam plebem fidelium prædicatores congregare non desistit. Mane etenim mundi fuit ab Adam vsque ad Noẽ: hora verò tertia, à Noẽ vsq; ad Abraham: sexta quoque ab Abraham, vsq; ad Mosen: nona autem à Mose vsq; ad aduentum Domini. Vndecima verò ab aduentu Domini vsq; ad finem mundi, in qua prædicatores sancti apostoli missi sunt, qui mercedem plenam, & tardè venientes, acceperunt. Ad erudiendam ergo Dominus plebem suam, quasi ad excolẽdam vineam suam, nullo tempore destitit operarios mittere, quia & priùs per patres, & postmodũ per legis doctores & prophetas, ad extremũ verò per apostolos, dum plẽbis suæ mores excoluit, quasi per operarios in vineæ cultura laborauit: quanuis in quolibet modulo vel mensura, quisquis cum fide recta bonæ actionis prædicator extitit, huius vineæ operarius fuit. Operator ergo mane, hora tertia, sexta & nona, antiquus ille Hebraicus populus designatur, qui in electis suis ab ipso mundi exordio dum recta fide Deũ studuit colere, quasi non destitit in cultura vineæ laborare. Ad vndecimã verò Gentiles vocãtur, quibus & dicitur: *Quid hic statis tota die otiosi?*

Aetates mundi.

Qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

Qui enim transacto tam longo mundi tempore pro vita sua laborare neglexerant, quasi tota die ociosi stabant. Sed pensate fratres, quid inquisiti respondeant. *Dicunt ei Quia nemo nos conduxit.* Nullus quippe ad eos patriarcha, nullus propheta venerat. Et quid est dicere, ad laborem nemo nos conduxit, nisi quia vitæ nobis vias nullus prædicauit? Quid ergo nos à bono opere cessantes, in excusatione nostra dicturi sumus, qui pene à matris vtero ad fidem venimus? qui verba vitæ ab ipsis cunabulis audiuimus? qui ab huberibus sanctæ Ecclesiæ potum supernæ prædicationis sumpsimus cum lacte carnis? Possumus verò & easdem diuersitates horarum etiam ad vnumquenq; hominem per ætatum momenta distinguere. Mane quippe, intellectus nostri puritia est: hora autem tertia, adolescentia intelligi potest, quia quasi iam sol in altum proficit, dum calor ætatis crescit: Sexta verò iuuentus est, quia velut in centro sol figitur, dum in ea plenitudo roboris solidatur: Nona autem, senectus intelligitur, in qua sol velut ab alto axe descendit: quia ætas à calore iuuentutis deficit. Vndecima verò hora, ea est ætas, quæ decrepita vel veterana dicitur. Vnde Græci valdè seniores non gerontas, sed presbyteros appellant, vt plus quàm senes esse insinuent, quos prouectiores vocant. Quia ergo ad vitam bonam alius in pueritia, alius in adolescentia, alius in iuuentute, alius in senectute, alius in decrepita ætate perducitur, quasi diuersis horis operarij ad vineam vocantur. Mores ergo vestros fratres aspicite, & si iam Dei operarij estis, videte. Penset vnusquisq; quid agat & consideret si in Dei vinea laboret. Qui enim in hac vita ea quæ sua sunt quærit, adhuc ad Domini vineã nõ venit. Illi nãq; Domino laborant, qui non sua, sed lucra dominica cogitant: qui zelo charitatis, studio pietatis inseruiunt, animabus lucrandis inuigilant, perducere & alios secum ad vitã festinant. Nã sibi viuit, qui carnis suæ voluptatibus pascitur, rectè ociosus redarguitur, quia fructum diuini operis nõ sectatur. Qui verò & vsq; ad ætatem vltimã Deo viuere neglexit, quasi vsque ad vndecimã ociosus stetit. Vnde rectè vsq; ad vndecimam torpentibus dicitur: Quid hic statis tota die ociosi? ac si apertè dicatur: Etsi Deo viuere in pueritia & in iuuentute noluistis, saltem in vltima ætate resipiscite, & ad vitæ vias, cùm iam multum laboraturi non estis, vel serò venite. Et tales ergo paterfamilias vocat, & plerunq; ante remunerantur, quia priùs ad regnum de corpore exeunt, quàm hi qui iam in pueritia vocati esse videbantur. An non ad vndecimam venit latro? qui etsi nõ habuit per ætatem, habuit tamen serò per pœnam, qui & Deum in cruce cõfessus est, & penè cum voce sententiæ spiritũ exhalauit vitæ. A nouissimo autẽ reddere denariũ paterfamilias cœpit, quia ad paradisi requiem priùs latronẽ quàm Petrum perduxit. Quanti patres ante legẽ, quanti sub lege fuerunt, & tamen hi qui in Domini aduentu vocati sunt ad cælorũ regnũ sine aliqua tarditate peruenerunt. Eundẽ ergo denariũ accipiunt, qui laborauerunt ad vndecimam, quẽ expectauerũt toto desiderio, qui laborauerunt ad primã, quia æqualem vitæ æternæ retributionẽ sortiti sunt cum his qui à mundi initio vocati fuerant, hi qui in mundi fine ad Dominum venerunt. Vnde & hi qui in labore præcesserunt, murmurantes dicunt: *Hi nouissimi una hora fecerunt, & pares nobis illos fecisti, qui portauimus põdus diei & æstus?* Pondus siquidẽ diei & æstus portauerunt hi, quos à mundi initio, quia diù hic cõtingit viuere, necesse etiam fuerat lõgiora carnis tentamenta tolerare. Vnicuiq; enim pondus diei & æstus ferre, est per longioris vitæ tempora, carnis suæ calore fatigari. Sed quæri potest, quomodò murmurasse dicti sunt, qui saltem serò ad regnum vocantur. Cælorum enim regnum nullus murmurans accipit, nullus qui accipit, murmurare potest. Sed quia antiqui patres vsque ad aduentum Domini quãtumlibet iustè vixerint, ducti ad regnum non sunt, nisi ille descenderet, qui paradisi claustra hominibus interpositione suæ mortis aperiret: eorum hoc ipsum murmurasse est, q& & rectè pro percipiendo regno vixerunt, & tamen diù ad percipiendũ regnum dilati sunt. Quos enim post peractam iustitiam inferni loca, quanuis tranquilla, susceperunt, eis profectò & laborasse fuit in vinea, & murmurasse.

Quasi ergo post murmurationem denarium accipiunt, qui post longa inferni tempora ad gaudia regni peruenerunt. Nos autem qui ad vndecimam venimus, post laborẽ non murmuramus, & denarium accipim⁹: quia post mediatoris aduentum, in hoc mundo veniẽtes, ad regnum ducimur mox vt de corpore eximus, & illlud sine mora percipimus, quod antiqui patres cum magna percipere dilatione meruerunt. Vnde & ipsdem paterfamiliàs dicit: *Volo & huic nouissimo dare sicut & tibi.* Et quia ipsa regni perceptio eius est bonitas voluntatis, rectè subiungit: *An nõ licet mihi quod uolo facere?* Stulta enim questio est hominis contra benignitatem Dei. Conquerendum quippe esset, non si daret quod non deberet, sed si non daret, quod deberet: Vnde aptè subditur: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Nemo autem se de opere, nemo de tempore extollat, cùm hac expleta sententia subsequenter veritas clamet. *Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi.* Ecce enim etsi iam scimus, quæ vel quanta bona egimus, adhuc supernus iudex qua subtilitate hæc examinet, ignoramus. Et quidem gaudendum cuique summoperè est, in regno Dei esse vel vltimum. Sed post hæc terribile est valdè, quod sequitur: *Multi enim sunt uocati, pauci uerò electi.* Quia & ad fidem multi veniunt, & ad cæleste regnum pauci perducuntur. Ecce enim ad hodiernam festiuitatem quàm multi conuenimus, ecclesiæ parietes implemus, sed tamẽ quis sciat quàm pauci sunt, qui in illo electorum

Actus hominis mystice distributa.

γέροντας πρεσβυτέρους.

Vnus denarius.

Murmurare solebant.

rum Dei grege numerantur? Ecce enim vox omnium Christum clamat, sed vita omnium non clamat. Plerique Deum vocibus sequuntur, motibus fugiunt. Hinc etenim ad Titum Paulus dicit: Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Hinc Iacobus ait: Fides sine operibus mortua est. Hinc per Psalmistam Dominus dicit: Annunciaui & locutus sum, multiplicati sunt super numerum. Vocante enim Domino, super numerum multiplicantur fideles, quia nonnunquam etiam hi ad fidem veniunt, qui ad electorum numerum non pertingũt. Hic enim fidelibus per confessionem admixti sunt, sed propter vitam reprobam illic numerari in sorte fidelium non merentur. Hoc ouile sanctæ Ecclesiæ hœdos cum agnis recipit: sed attestante euangelio, cùm iudex venerit, bonos à malis separat, sicut pastor segregat oues ab hœdis. Neque etenim possunt qui hic carnis suæ voluptatibus seruiunt, illic in ouium grege numerari. Illic eos à sorte humiliũ iudex separat, qui se hic in superbiæ cornibus exaltant. Regnum cælorũ percipere nequeunt, qui hîc in cælesti fide positi, toto desiderio terrena quærunt. Et multos tales intra Ecclesiam, fratres charissimi cernitis, sed eos nec imitari, nec †despicere debetis. Quid enim sit hodiè aspicimus: sed quid cras futurus sit vnusquisque, nescimus. Plerunque, & qui post nos venire cernitur, per agilitatem nos boni operis antecedit, & vix eum cras sequimur, quem hodiè præire videbamur. Ecce cum Stephanus pro fide moreretur, Saulus lapidantium vestimenta seruabat. Omnium ergo lapidantium manibus ipse lapidauit, qui ad lapidandum omnes expeditos reddidit: & tamen eundem ipsum in sancta Ecclesia laboribus anteceſsit, quem persequendo martyrem fecit.

Tit. 1. Iac. 2. Psalm. 39. Matt. 25. Actor. 7. †desperare.

Duo ergo sunt, quæ pensare solicitè debemus. Quia enim multi vocati, sed pauci electi sunt, primum est, vt de se quisque minimè præsumat: quia etsi iam ad fidem vocatus est, vtrùm perenni regno dignus sit nescit. Secundum verò est, vt vnusquisque proximum, quem fortasse iacere in vitijs conspicit, desperare non audeat, quia diuinæ misericordiæ diuitias ignorat. Rem fratres quæ nuper contigit refero, vt si vos peccatores ex corde esse conspicitis, omnipotentis Dei misericordiam ampliùs ametis. Præsenti anno in monasterio meo, quod iuxta beatorum martyrum Ioannis & Pauli ecclesiam situm est, frater quidam ad conuersionem venit: deuotè susceptus est, sed ipse deuotiùs est conuersatus. Hunc ad monasterium frater suus corpore, non corde secutus est. Nam valdè conuersationis vitam & habitum detestans, in monasterio vt hospes habitabat, & monachorum vitam moribus fugiens, recedere à monasterij habitatione non poterat, quia vel quid ageret, vel vnde viueret, non habebat. Erat eius prauitas cunctis onerosa: sed hunc omnes æquanimiter pro fratris eius amore tolerabant. Nam superbus & lubricus, si qua post hoc seculum vita sequeretur, nesciebat. Irridebat verò, si quis illi hanc prædicare voluisset. Itaque cum habitu seculari viuebat in monasterio, verbis leuis, nutibus instabilis, mente tumidus, veste compositus, actione dissipatus. Mense autem Iulio nuper elapso, huius quam nostis pestilentiæ clade percussus est. Qui ad extremum veniens, vrgeri cœpit vt animam redderet. Et vltima iam corporis parte præmortua, vitalis virtus in solo pectore & lingua remanserat. Fratres aderant, eiusque exitium, inquantùm Deo largiente poterant, oratione tuebantur. At ille subitò ad deuorandum se draconem venire conspiciens, magnis cœpit vocibus clamare, dicens. Ecce draconi ad deuorandum datus sum, qui propter vestram præsentiam deuorare me non potest. Quid mihi moras facitis? Date locum, vt ei deuorare me liceat. Cumque hunc fratres vt signum sibi crucis imprimeret, admonerent, respondebat virtute qua poterat, dicens: Volo me signare, sed non possum, quia à dracone premor. Spumæ oris eius faciem meam liniunt, guttur meum eius ore suffocatur. Ecce ab eo brachia mea comprimuntur, qui iam & caput meum in suo ore absorbuit. Cumque hoc ille pallens & tremens & moriens diceret, cœperunt fratres vehementiùs orationibus insistere, & oppressum draconis præsentia, suis precibus adiuuare. Tum repentè liberatus, magnis cœpit vocibus clamare, dicens: Deo gratias. Ecce discessit, ecce exijt: ante orationes vestras fugit draco, qui me acceperat. Mox autem seruiturum se Deo & esse monachum deuouit, atque à tempore illo nunc vsque febribus premitur, doloribus fatigatur. Morti quidem subtractus est, sed adhuc plenius vitæ restitutus non est. Quia enim longis & diuturnis iniquitatibus pressus est, longo languore fatigatur, & durum cor ignis purgationis durior concremat: quia diuina dispensatione agitur, vt prolixiora vitia, ægritudo prolixior exurat. Quis illum vnquàm seruari ad conuersionem crederet? Quis tantam Dei misericordiam considerare sufficiat? Ecce iuuenis prauus draconem vidit in morte, cui seruiuit in vita: nec vidit, vt vitã fũditùs perderet, sed vt cui seruierat sciret, sciendo resisteret, ipsumq; resistendo superaret, & eũ à quo priùs non videbatur, vidit postea ne teneretur. Quæ ergo lingua narrare viscera diuinæ misericordiæ sufficiat? Quis spiritus ad tantæ pietatis diuitias non obstupescat? Has diuinæ pietatis diuitias considerauit Psalmista, cùm diceret: Adiutor meus tibi psallã, quia tu Deus susceptor meus es, Deus meus, misericordia mea. Ecce perpendens in quibus laboribus humana sit vita constituta, Deum appellauit adiutorem. Et quia à tribulatione præsenti in requiem æternam nos suscipit, appellat etiam susceptorem. Sed considerans, quod mala nostra

Exemplũ.

Psalm. 58.

Universidad de Deusto
Biblioteca

stra aspicit & portat, culpas nostras tolerat, & tamen nos per pœnitentiam ad præmia reseruat, noluit Deum misericordem dicere, sed hunc ipsam misericordiam vocauit, dicens: Deus meus, misericordia mea. Reuocemus ergo ante oculos mala quæ fecimus, pensemus ex quanta Dei benignitate toleramur, consideremus quæ sunt pietatis eius viscera, vt non solùm culpas indulgeat, sed cæleste regnum pœnitentibus etiam post culpas promittat, atq; ex omnibus medullis cordis dicamus singuli, dicamus omnes, Deus meus, misericordia mea.

DE EADEM DOMINICA, SERMO BEATI IOANNIS CHRYSOSTOMI, QUOMODÒ PRIMUS HOMO OMNI PRÆLATUS SIT CREATURÆ.

Habetur in Tom. 1. operum Chrysost.

DIgnitas humanæ originis facilè agnoscitur, considerata sublimitate authoris. Neque enim facile poterat esse vel leue, quod manus sacra confinxit, & cælestis flatus in vitalem substantiam animauit: maximè cùm idem artifex Deus protestatem suam in omnem fabricam eidem homini suerat traditurus, vt quem secundum præsidem post se facere disponebat, eundem faceret plenum atque perfectum, habentem in se & dignitatem qua præcelleret, & protestatem qua cùctis animantibus imperaret: soli seruiens illi, à quo ei cuncta fuerant subiugata, vt imperaret mundo, seruiret Deo, creatorem suspiceret, creaturam sibi parere compelleret: tantumq; ditionis sese Domino debere perspiceret, quantum ipse à creatura exigeret, habens in propria protestate & obedientiam & contemptum: obedientiam, *Liberum arbitriũ.* qua viueret: contemptum, quo dignè pro meritis interiret. Vnde effectum est, vt contemnendo mortem incideret, qui obediendo viuere posset. Vnde protestatem concessam dum in contemptum protulit, & vitæ priuilegium perdidit, & mortis sibi sententiam acquisiuit. Et tamen adhuc creatuura eius seruat imperium, licet ipse creatori suo denegarit obsequium. Vnde appareret quid suæ felicitati detraxerit, cùm peccatorũ merita eius statum adhuc mutare non possint.

Grauaris homo, iustè grauaris, & inexcusabili pœna astringeris. Contemnis creatorem, & eius imperas creaturę. Despicis Dominum, & de eius creatura exigis obsequium. Beneficijs Dei perfrueris, & eius potentiam nó extimescis. Et cùm tibi per eum cuncta deseruiant, solus ipse illi nõ seruis. Bis delinquis, & geminum ac duplex crimen incurris, dum nec pro conditione vt seruus obsequeris, nec pro protestate data Domino famularis. Tibi cælum in die lucis splendore vestitur, & solis fulgoribus decoratur: in nocte clarissimo lunæ speculo & astrorum fulgore vario polus ipse illustratur, vt diei noctisq; vicissitudine & numerositas temporum dignoscatur, & post diurnum laborem requies miseris mortalibus præbeatur. Tempora alternis vicibus immutantur, frondescunt syluæ, amœnantur campi, prata *Vices temporum.* virescunt, animantia cuncta diuersis vsibus procreata eduntfœtus, parent imperio, obsequia seruant, scatent fontes, amnes fluunt, institutis terminis maria coërcentur. Gaudet post hyemem verna temperies, æstatis flagrantia decoquit messes, autumnitas temulenta suas exhibet huberta tes: hyeme †macerantur imbribus terræ: suis in- †marcescunt stitutis cuncta deseruiunt, solus homo Deo non *tur humana.* seruit. Quid si tibi vniuersa natura cõstanter edi *rantur.* ceret: Ego tibi à Domino rerum parere præcepta sum: ego circa te iussa implere, instituta seruare, nascentia cuncta tribuere genitoris imperio iussa sum: deniq; pareo, obtempero, seruio, & te mutato non mutor, Pareo, inquam, rebelli, obtempero procaci, deseruio contemptori. Cæterùm si mihi instituta mutare, iussa peruertere, necessaria denegare rerum Dominus præcepisset: creatura cuncta viduata homine remaneret: nec qui contemneret, vlteriùs esset: quia contemptor homo dignè ac meritò interiret. Denique quisquis talis es, qui in hoc contemptu consistis: qui creaturæ imperas, & creatori non seruis: qui dominatum exerces, & Dominum non agnoscis: time Dominum patientem, ne seuerũ sentias iudicem. Corrigat te dilatio differentis, ne censura puniat iudicantis. Facilè enim obsequio tuo facies Deum propitium, si conuersus iam mutaueris vitium. Vsuratum enim redditur, quicquid dilatione temporis fœneratur: nec esse iam poterit impunitum, cui mora temporis non potuit dare remedium. Quid retribuam Do- *Benefi-* mino? Si humana conditio genitori quid debe- *cia Dei* at, noscat, atq; si eius beneficiorum innumeram *humana.* multitudinem momentis omnibus retractando intelligat, inueniet suæ seruitutis obsequia continuis laudibus, iugi gratulatione æquare non posse. Neque enim beneficia ab eo præstita atq; collata, vel modum poterunt habere, vel numerum, certè nec terminum: quippe cùm nec sensus ad inuestigandum sufficiat, nec scientia suppetat ad laudandum. immensitas enim beneficiorum superat cogitationes sensuum, & innumera multitudo donorum vincit volubilitatem verborum. Nec si totum vitæ tempus oris obsequia occupent, laudes teneant, gratiarumactiones insistant, poteris pensare quod debes. Qua in re danda nobis est opera, vt totis viribus deuotio mentis in diuina obsequia † exeratur, & *†exeratur.* laudum glorias os nostrum per omne tempus *tur.* frequentare cogatur, non quo in istis debita cõpensentur, sed vt nostrę deuotionis voluntas his conatibus dignoscatur: vt quicquid fragilitas detrahit ad complendum, hoc deuotio conferat ad promerendum: vt iam quia vis, non quia per

ficis expungaris: nec quia debita compensas, sed quia parere desideras. Velle enim ipsum expungitur, quia per immensitatem rerum idipsum quod cupimus explicare non datur. Quid *Psal. 113.* retribuam, inquit, Domino pro omnibus quæ mihi retribuit? Quærit propheta sanctissimus, quibus meritis beneficia diuina compenset, quo famulatus genere munera percepta coæquet, quibus obsequijs tantis possit muneribus respõdere, quo seruitutis genere innumera debeat dona, & infinita beneficiorum genera comparare. Sit licet excellens hominum meritum, sit naturæ iura conseruans, sit legum iussis obtemperans, impleat fidem, iustitiam teneat, virtutes exerceat, damnet vitia, peccata repellat, semet exemplũ imitantibus præbeat: quicquid gesserit, parum est: quicquid fecerit, minus. Omne enim meritũ breue est comparatione donorum. Numera beneficia, si pores, & tunc considera quod mereris. Cum beneficijs cælestibus tua facta perpende, cum diuinis muneribus actus proprios meditare, nec dignum te iudicabis eo quod fueris, si intelligas quod mereris. Igitur de beneficijs innumeris diuina in te pietate collatis, elige quod libuerit vnum, huic tuum compensari totum non poterit meritum. Cæterùm obtunditur sensus, confunditur animus, spiritus perturbatur, vt ab homine Deus noscatur: nec humana poterunt pensari obsequia, si diuina beneficia compares: & tamen de illo loquimur, qui semet peccare nõ patitur, qui iudicium suæ mentis examinans, cõtendit vt placeat, vt promereatur instat, vt seruiat elaborat. Cæterùm quem aut peccare delectat, aut propriæ mentis segnitia, aut inconsiderati actus, aut vanitas vitæ sic mancipat vitijs, vt sit materia delictorum, minister culparum, seminariũ peccatorum, ita vt in se duplex scelus & geminũ crimen admittat, & ꝙ debita Domino seruitutis nõ reddit obsequia, & quòd innumera beneficia *Merita eu* peccando eius pensare nititur contumelia. Qua- *mulanda.* re nitatur iustus merita propria beneficijs cælestibus coæquare, nitatur & peccator vitia quæ exercebat horrere. Ille incrementis sanctæ vitæ increscat, hic peccata damnando, iustitiam quam non amabat exerceat. Iustus ad meliora vitæ proficiat, peccator corrigatur & viuat. Ille bonis tribuat salutare exemplum, hic malis ostendat correctionis remedium. Ille præmia meriti sancti expectet, hic supplicia semet corrigendo declinet. Sic fit vt & iustus gloriã bene viuendo acquirat, & peccator correctus, indulgentiam diuina pietate percipiat.

DE EADEM DOMINICA HOMILIA EVSEBII EMESENI.

COnditor humani generis Dominus noster Iesus Christus modò superiùs proposuit, dicens: Multi erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. Hanc *Matt. 19.* autem propositionem ad quid attulerit, sequentia manifestabunt: ad hãc enim spectat tota subsequens similitudo. Vnde & in conclusione dicitur: Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. *Matt. 20.* Quod quidem si de mundi ætatibus intelligatur, non video qualiter primi sunt nouissimi, vel nouissimi primi. Primi enim fuerunt patriarchæ & prophetæ, & cæteri prioris testamenti ad vitam prædestinati: nouissimi autẽ nos sumus, de quibus Ioannes ait: Filioli, nouissima hora est. & Apostolus: Nos sumus, in quos fines secu- *1. Ioan. 2.* lorum deuenerunt. Et isti quidem sicut tempore primi fuerunt, ita & primi denarium susceperunt. Hos enim statim post passionem suam Christus Dominus à pœnis eripiẽs, in gloriam introduxit. Apostolus quoq; ait: Quia nos qui residui *1. Cor. 10.* sumus, non præueniemus eos qui dormierunt: quoniam ipse Dominus in iussu & in voce archangeli, & in tuba dei descendet de cælo, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi: deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiã Domino. Quomodò igitur sunt nouissimi primi? Nunc autem ipsam parabolam audiamus. *Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exijt primo mane conducere operarios in uineam suam.* Hoc autem tale est, ac si diceret: Sic fit in regno cælorum, sicut factum est in vinea patrisfamilias, in qua ipse primo mane exiens, operarios conduxit. Regnum cælorum, Ecclesia est: paterfamilias, Christus Dominus noster. Eius nanque familia, & angeli & homines sunt. Magna quidem familia, quia magnus est, & pater familiæ. Venit autem iste paterfamilias, vt conduceret operarios in vineam suam. Vinea enim Dei Sabaoth, domus Israël est. Vinea Dei, *Esai. 5.* Ecclesia est: extra quam qui laborat, mercedem *Vinea, Ec-* non recipit: in qua qui laborat, denarium susci- *clesia.* pit. Iste enim denarius, remuneratio est æternæ *Denarius.* beatitudinis. Ideò vnus denarius, omnibus datur: vnus primis, & vnus nouissimis. Et alij quidem primo mane laborare incipiunt, alij verò circa horam tertiam, alij autem circa sextam & nonam horam, alij quoq; circa horam vndecimam. Hoc est enim quod ait: *Cõuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno, misit eos in uineã suã. Et egressus circa horam tertiam, uidit alios stantes in foro otiosos, & dixit illis: ite & uos in uineam meam, & quod iustum fuerit dabo uobis. Illi autem abierunt. Iterum autẽ exijt circa sextã horã & nonã, & fecit similiter. Circa undecimã uerò exijt, & inuenit alios stãtes, & dicit eis: Quid hic statis tota die otiosi? Dicunt illi: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: ite & uos in uineam meam.* Primo namq; mane in vinea Dei laborare incipiunt, qui à pri- *Mane.* mæua ætate, id est, à pueritia, in Ecclesia Dei, Domino seruiunt. Illi autem circa horam tertiam la- *Hora 3.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

borare veniunt, qui in adolescentia seruire incipiunt. Veniunt autem & illi circa sextam & horã nonam, qui vel in iuuentute, vel in senectute ad
6. & 9. pœnitentiam conuertuntur. Vndecima verò hora illa est, quæ in qualibet ætate fini appropinquat, & morti proxima est. Hanc enim horam nõ
Vndecima solùm iuuenes & senes, verùm etiam pueri habent. In hac igitur hora laborare incipit, & ille qui in decrepita ætate, & ille qui in graui infirmitate ex toto corde ad Deum conuertitur. Nullus ergo locus desperationi, nullus locus restat excusationi, siquidem in omni ætate & in omni hora
Ezec. 18. peccator suscipitur. Peccator enim quacunque hora conuersus fuerit & ingemuerit, vita viuet, & nõ morietur. Cõuertatur igitur vel in vndecima hora, conuertatur vel in vltimo vitæ termino, qui priùs in bono otiosus, & in malo sedulꝰ fuit. Nã & ipse, si voluerit, & si cõuersus fuerit, & si vel ad horã laborare cœperit, simul cum alijs mercedẽ denariumq; recipiet. Has autem horarum siue ætatum distinctiones, illæ quoq; illius templi portæ significare videntur, de quibus in Apoca-
Apoc. 21. lypsi Ioannes Apostolus ait, Ab oriente portæ tres, ab aquilone portæ tres, à meridie tres, ab occasu portæ tres. Templum igitur & vinea idem significant. Sancta nanq; Ecclesia,
Ecclesia templum. & vinea nobis est in qua laboramus, & templum in quo oramus. In hanc autem vineam & in hoc templum pueri & infantes, & primo mane & per portas orientis ingrediuntur: adolescentes autem intrant hora tertia, & per angustas difficilesque magis portas aquilonis. Intrant autem per portas australes, iuuenes & senes, qui sexta & hora nona in vinea Dei laborare cœperũt. Per portas verò occidentales non solùm decrepiti senes ingrediuntur, verùm etiam quicunque in qualibet ætate ad bonum per pœnitentiam conuertũtur. Portas autem aquilonis ideò angustas & difficiles esse diximus, quia multa impedimenta illis fiunt, qui per eas intrare debẽt. Sed quid mi-
Esai. 14. Hier. 1. rum, quum ad aquilonem sedem suam diabolus posuerit, & ab aquilone pandantur mala super omnes habitatores terræ? Miseri adolescẽtes, qui aquilonis flatibus rigescunt: miseri, quos diabolus perflat & ventilat. Beati qui hanc ætatem sine naufragio transire potuerunt. Inde est enim qđ Salomon ait: Lætare iuuenis in adolescẽtia tua.
Eccles. 11. Hoc autem illis iuuenibus dicitur, qui sicin adolescentia vixerunt, vt inde in iuuentute non erubescant. Inde quoq; Salomon difficile esse dicit,
Prou. 30. cognoscere viam hominis in adolescentia sua.
Esai. 21. Hinc est quod per Esaiam prophetam his qui habitabant in terra austri Dominus præcipit, vt cũ pane & aqua occurrerent illis, qui veniebant de terra aquilonis, & fugiebant de Babylonis captiuitate. Fugiebant enim à facie gladij imminentis, à facie arcus extẽti, & à facie grauis prælij. Talibus igitur cum cibo & potu spirituali occurrere debemus, quos diabolum persequentem fugere, & per pœnitentiam ad Ecclesiam redire vide-
mus. Sed quid dicemus de illis impedimentis, quæ in ipso portarum introitu, & quum iam se euasisse putant adolescentes patiuntur? Dicit enim Ezechiel propheta: Conuerti me ad portam Eze. 8.
quæ respicit ad aquilonem, & ecce mulieres sedebant ibi plangentes Adonidem. Vides igitur quia in porta aquilonis sedent meretrices, Veneris luxuriæq; amores plangentes, & amatoria carmina componentes. Hæc sunt igitur & similia, quibus adolescentes impediuntur, ne in vinea Dei laborare, & in templum intrare & orare valeant. Vnde non immeritò sacri Canones, nisi transacta hac ætate, episcopos & sacerdotes fieri interdicunt. Sequitur: *Cùm serò autem factum esset, dixit dominus uineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouissimis usq; ad primos.* Serò enim vnicuiq; fit, quando vltimũ diẽ cũ vita finit. Dei verò procuratores angeli sunt, qui sanctorum animas Deo repræsentant, & in requiem inducunt: de quibus Apostolus, Omnes enim sunt administratorij spiritus, in ministeriũ missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Fit autem plerunq;, vt illi qui posteriùs veniunt, primi denarium & mercedem recipiant: quoniam sæpè cõtingit, vt primi de hac vita exeant, qui posteriùs laborare Deo & seruire incipiũt. Primus enim denarium recipit, qui primus de hac vita exit. Multi enim sanctorum eadem die qua crediderunt, de hoc mundo per martyriũ exierunt. Isti igitur vna & vltima hora in Dei vinea laborãtes, priùs susceperunt denarium, quàm illi, qui à primæua ætate Deo seruiẽtes, & post eos de hoc seculo exeuntes, sicut priùs laborare cœperunt, ita post eos denarios susceperunt. Fit igitur aliquando (etsi non semper) in Ecclesia Dei, quod in vinea patrisfamilias factum fuisse narratur, vt videlicet primi sint nouissimi, & nouissimi primi. Hoc autem quia non semper fit, ideò in principio huius similitudinis Dominus ait: Multi aũt erunt primi nouissimi, & nouissimi primi. Si enim semper hoc fieret, non multos, sed omnes dixisset. Sic igitur multi nouissimi & in mercede suscipienda honorantur, & in precio non minorantur. Vnde & cæteri murmurãtes dicunt: *Hi nouissimi una hora fecerũt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus?* Quos quidem dignè satis Dominus redarguit, dum vni eorum respondit, dicens: *Amice non facio tibi iniuriam: nõne ex denario conuenisti mecum? Tolle quod tuum est, & uade. Volo autem & huic nouissimo dare, sicut & tibi. An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Hæc autem non ideò dicuntur, vt de prouentu aliorum sanctos murmurare, vel nequã & inuidos oculos habere intelligere debeamus: sed potiùs murmurationis & inuidiæ malum quantum sit intelligamus & caueamus. Magnum enim vitiũ est, quod tantoperè à Domino redarguitur. Vnde & Apostolus ait: Neq; murmuraueritis, sicut quidam eorũ murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore. Multoties enim Iudæi murmurauerunt, multoties & propter murmurationem perierũt. Sancti quidẽ & boni sunt quicunq; hunc denarium accipunt. Hunc autem accipiunt & primi & nouissimi. Primi igitur & nouissimi si boni sunt, quomodò murmurare possunt? quomodò nequam & inuidos oculos habent? Tales igitur isti non sunt, & ne tales fiant, illorum exemplo admonentur. Bonum est enim in hac vinea laborare, sed malum est murmurare. Laboremus igitur, nec murmuremus. Illorum reprehensio, sit nostra correptio. Alterum nos inuitat ad bonũ, alterum dissuadet à malo. Illorum enim labor & renumeratio nos inuitat ad bonum: illorum verò murmurationis reprehensio nos à murmuratione compescit. In vtroq; igitur consulit nobis Dominus, dum nos in altero laborare admonet, in altero verò murmurare dissuadet. Quod autem sequitur, *Multi enim sunt uocati, pauci uerò electi:* valdè paucos esse ostẽdit eos qui saluãtur ad cõparationẽ eorũ, qui per singulas horas vocantur. Suscipiunt igitur denariũ & primi & nouissimi: sed neq; omnes primi, neque omnes nouissimi: quia multi vocantur, & ad vineæ laborem inuitantur, qui neq; inter primos, neq; inter nouissimos connumerantur. Vnde Psalmista: Annunciaui & loquutus sum, multiplicati sunt super numerum. Multi enim ad vineam & fidem vocati sunt, qui ad vitam prædestinati non sunt.

Procuratores Dei angeli. Hebr. 1.

Psalm. 39.

DOMINICA SEXAGESIMÆ, in Epistolam Concio exegetica.

Circunuẽti erant Corinthij à quibusdã pseudoapostolis, qui seipsos quoque insolenter prædicare, Paulum Apostolum carpere & dente canino rodere
1. Cor. 11. non dubitarent. Eos Apostolus vocat operarios subdolos, transfigurantes se in Apostolos Christi: nec tamen hoc mirum dicit, quando & Satanas se transfigurat in angelum lucis, vt fallat incautos. Verùm addit, Quorum finis erit secundum opera ipsorum. Vtinam eiusmodi pseudoapostolos, quales multos nostra quoque vidit ætas, Christiani homines accuratiùs & solicitiùs semper cauissent, non tot clades accepisset orbis Christianus, Propter id genus pseudoapostolos Paulus coactus est seipsum commendare: quod certè non fecit vllo laudis vel gloriæ inanis studio ac appetitu, sed vt cõsuleret Corinthijs, quorum saluti insidiabantur pseudoapostoli. Non temerè eam lectionem Apostoli, qua suos labores, sua pericula, suas visiones & reuelationes enumerat, hoc die recitari voluit Ecclesia Dei: sed cùm in Euangelio hodierno de iacto semine & seminatore agatur, porrò Apostolus toto ferè orbe discurrens vbique Christi Euangelium seminarit, vt non immeritò Doctorem & magistrũ gentium ipse se appellet, Ecclesia se illi gratam declarat, idque non solùm lectione recitanda, qua suos, vt dixi, labores recenset, sed etiam in publica prece, quam Collectam vocant, eius singularem facit mentionem, Doctoris gentium contra aduersa omnia protectione muniri petens. Et quid ni libenter iam in cælis degens pro nobis oret, & nostri curam gerat, qui tot olim in terris curas, labores, pericula pro fidelibus susceperit? Lectionem ipsam audiamus: *Libenter suffertis insipientes, cùm sitis ipsi sapientes.* Insipientiæ est seipsum iactanter laudare. Id fecerũt pseudoapostoli, & tamen eos tulerant Corinthij, quos secũdum Ambrosium Apostolus ironicè sapientes vocat, cùm diuersum velit intelligi. Attamen quia tulerunt pseudoapostolos gloriantes, vult se quoque tolerari, dum se laudat inuitus. *Sustinetis enim, si quis uos in seruitutem redigit.* An non est intoleranda seruitus, quòd pseudopropheta sua praua dogmata pro Dei verbo hominibus obtrudunt, & adorari ea volunt? Sic videmus in veteri lege pseudoprophetas sæpè incunctanter dixisse, cùm sui cordis somnia proferrent, Hæc dicit Dominus, & id genus alia: & in noua lege quid aliud crepãt hæretici, q̃ scripturas & verbũ Dei, cùm suos fœdos errores in vulgus spargũt? Quæ verò seruitus indignior, quàm eiusmodi hominum subdi mendacijs, & falsa pro veris amplecti ac colere? *Si quis deuorat, si quis accipit.* Insatiabilis est pseudoprophetarum auaritia: deglubit ad vinum sectatores suos, & nullum facit accipiendi finem. *Si quis extollitur.* Nihil pseudoprophetis vel prauis doctoribus arrogantius, quippe qui suam sententiam totius Christiani orbis iudicio non vereantur anteferre. *Si quis in faciem nos cædit.* In faciem cẽditur, ait Ambrosius hoc loco, in cuius os iniuria irrogatur. *Secundùm ignobilitatem dico, quasi nos infirmi fuerimus in hac parte*: hoc est: contemptim ista loquor, quasi verò & nos non valeamus similiter expoliare & vos subijcere. *In quo quis audet (in insipientia dico) audeo & ego.* Vt gloriam pseudoapostolorum inaniat, inquit Ambrosius, imprudentem se pronunciat, ne illi prudentes viderentur, dum se iactant. Chrysostomus ait, Apostolum appellare insipientiam, audere de seipso magna loqui, etiam vbi necessitas postulat, multùm nos vt hoc fugiamꝰ eruditẽ. Nã si post quam omnia fecerimus, debemus nos pro inutilibus habere: vbi autem nulla causa impulerit, qua venia dignus erit, qui seipsum extollit & gloriatur? Hæc ille. Absit tamen, vt quisquam putet Apostolum insipientiæ arguendum, quòd seipsum laudarit. Non enim vitio id fecit, sed magno desiderio salutis proximorum. Nec tamen debẽt homines imperfecti & vitijs obnoxij hoc Apostolici exẽpli prætextu sese laudare & prædicare: quia longè absunt à beatissimi Apostoli

Luc. 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

animi puritate & candore: multaque licent viris perfectis, quæ in imperfectis meritò reprehendantur. Iam verò Apostolus incipit rem ipsam aggredi, & referre quæ Pseudoapostoli sibi tribuerint. *Hebræi sunt? & ego. Israëlitæ sunt? & ego: Semen Abrahæ sunt? & ego.* Hæc quidem ad carnis gloriam pertinent, quæ non est magnipendenda, cùm sit bonis malisque communis. Per interrogationem hæc legenda esse admonet Augustinus libr. 4. de Doctrina Christiana, cap. 7. sicut & illud, quod sequitur: *Ministri Christi sunt? (ut minùs sapiens dico) plus ego.* Non dicit eos fuisse Christi ministros, quippe quos superiùs vocauit operarios subdolos, transfigurantes se in apostolos Christi: sed cùm illi hoc falsò iactarent, ipse se plus etiam esse confirmat, modestè tamen, vt agnoscas pectus verè Apostolicum, Christi humilitate & mansuetudine imbutum. Non vt minus sapientem, hoc se dicere ait. Quid igitur mirum tam excellēti & multiplici gratia fuisse præditum Apostolum, quando eius incredibilis humilitas nihil eum ferè in sui laudem dicere sinit, nisi priùs insipientiæ seipsum accuset? Humilibus autem Deus dat gratiam. *In laboribus plurimis.* Alio loco dicit, se etiam omnibus veris Apostolis plus laborasse. *In carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.* Hęc illi Christus Dominus antè prædixerat: Ego, inquit ad Ananiam discipulum, ostendam illi, quāta oporteat eum pro nomine meo pati. *A Iudæis quinquies quadragenas, una minus, accepi.* In Deuteronomio præceperat Deus, vt qui dignus esset plagis, vapularet: ita duntaxat, vt quadragenarium numerum non excederent. Putant quidam id factum fuisse loro taurino. Iudæi ergo quinquies atrociter flagellarunt Apostolum: ne tamen legis transgressores viderentur, de plagis quadraginta, vnam illi remiserunt. Theophylactus & Oecumenius ex Chrysostomo affirmant legem fuisse, vt qui plus quadragies vapulasset, omni prorsus honore priuaretur. *Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui.* Verisimile est naufragio facto, in mari natasse Apostolum, & tandem diuina virtute ereptum. Qui enim seruauit Ionam in ventre ceti, idemipse inter tot immanes beluas marinas & vasti æquoris vndas seruauit Apostolū. In Lycaonia autem lapidatus est, sicut habes Acto. 14. Porrò notandum est ex his, quæ ab Apostolo hic referuntur, non omnia eius gesta in Actis Apostolicis haberi. *In itineribus sæpè, periculis fluminum, periculis latronū, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore & ærumna, in vigilijs multis, in fame & siti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate.* Magna sunt hæc & pleraque vel solo auditu horrenda: sed in his omnibus, ait idemipse alibi, superamus propter eum, qui dilexit nos. Charitas ergo facilè vincit dura & aspera omnia. Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, & flumina non obruent eam, ait in Canticis Salomon. Graui bello, ait Chrysostomus in hunc locum, vrgebant Apostolum, sui, alieni, & hypocritæ, & vbique fluctus ac præcipitia, in orbe habitabili & non habitabili, in terra & mari, intus & foris: & neque necessario cibo abundabat, neq; tenui amictu tegebatur, sed luctator ille orbis, nudus luctabatur, & esuriens pugillabat: tantum aberat, vt opibus cumulandis inhiaret. Neq; hoc ægrè ferebat, sed gratias pro his habebat agonothetæ, scilicet, Deo. Hæc ille. Sequitur: *Præter illa, quæ extrinsecùs sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum.* Oecumenius ex Chrysostomo ita habet: Hoc nimirùm omnium caput est. Si enim qui vnius tantùm domus gubernaculum habet, ne vel respirare quidem potest: quid tulisse Apostolum verisimile est, qui cum tot tantisq; periculis, vniuersi orbis curam gerebat? *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Siue magnus, siue tenuis aliquis vel spiritali vel carnali infirmitate teneatur, ita afficior, ac si ipsemet infirmus sim. Sic Oecumenius. *Quis scandalizatur, & ego non uror?* O dignum Christi Apostolum, quem tantoperè vrebant & discruciabant pericula animarum, cui vsque adeò dolebat, quoties vel praua doctrina, vel malo exemplo, aut alia ratione fides alicuius læsa fuisset. Cauenda ergo summoperè sunt scandala infirmorum, ne quis per nos pereat. Væ enim homini illi, per quem scandalum venit. *Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor.* Vides, ait Chrysostomus, quòd nusquam à signis, sed vbique à persecutionibus & tentationibus gloriatur: hoc enim, inquit, infirmitatis est. *Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus in secula, scit quòd non mentior. Damasci, præpositus gentis Aretæ regis, custodiebat ciuitatem Damascenorum, ut me comprehenderet: & per fenestrā in sporta demissus sum per murū, & sic euasi manus eius.* Damasci, hoc loco genitiuus est aduerbialis: nam Præpositus ad sequentia refertur. Porrò Aretas iste socer fuit Herodis tetrarchæ, & rex Arabiæ Petreæ, ac Damascenæ ciuitatis Dominus, secundùm Iosephum libr. Iudaicarum Antiquitatum 18. cap. 9. & 11. Potest autem infirmitatis videri, quòd fugit: Verùm Oecumenius nouisse eum ait dictum esse: Orate, ne intretis in tentationem: quocircà, inquit, nō præcipitauit sese in tentationes. Seruauit autem seipsum prædicationi, magisq; discipulorum saluti gaudebat, quàm suaipsius. Hæc ille. Minimè sanè putandus est fugisse Apostolus vel mortis timore, vel huius vitæ amore: sed Deus eum seruabat Ecclesiæ suæ & innumeris hominibus ad fidem traducendis. Immò & Christus ipse non semel elapsus est ex manibus Iudæorum, quòd nondum venisset hora eius. Iam porrò accedit Apo-

Augustinus.
Iac. 4.
1. Cor. 15.
Actor. 9.
Deut. 25.
2. Cor. 11.
Rom. 8.
Cant. 8.
Matt. 16.
Matt. 26.

Apostolo ad visiones & reuelationes: *Si gloriari oportet, (non expedit quidem) ueniam autem ad uisiones & reuelationes Domini. Scio hominem in Christo, ante annos quatuordecim (siue in corpore, siue extra corpus, nescio: Deus scit) raptum huiusmodi usque ad tertium cælum. Et scio huiusmodi hominem (siue in corpore, siue extra corpus, nescio: Deus scit) quoniam raptus est in paradisum: & audiuit arcana uerba, quæ non licet homini loqui. Pro huiusmodi gloriabor: pro me autem nihil nisi in infirmitatibus meis.* Non expedit, inquit, gloriari propter superbiam, quæ potest in talibus titillare animum: quia de humilitate crescitur, vt ait Ambrosius hoc loco, & auxilium Dei mitibus proficit, non elatis. & secundùm Chrysostomum, nullum lucrum, sed potiùs damnum res hæc affert, nisi necessaria quædam sit occasio & vtilis, quæ in hoc inducat. Porrò ex plurimis reuelationibus, vt idem vult Chrysostomus, non nisi vnam commemorat, idque demum post annos quatuordecim, vt qui tamdiù tacuit, facilè deinceps quoque taciturus fuisse sentiatur, nisi necessitas aperire compulisset. Ambrosius bis raptum dicit, primò in tertium cælum supra firmamentum: ac deinde in paradisum cælestem, illic vbi & ciuitas dicitur esse Hierusalem, mater nostra. Vterque locus potest intelligi cælum empyreum, vbi audiuit arcana verba, ineffabilia mysteria, quæ nō licet homini loqui, quia nullis verbis possunt explicari. Tam autem fuit sublimis hic raptus, vt nescierit vtrum in corpore fuerit, nec ne. Sunt qui putent Apostolum vidisse Deum per essentiā, vt solent loqui D. Theologi. Tanta autem & tam excellens fuit hæc reuelatio, vt pro huiusmodi homine se dicat velle gloriari, sed vtique in Domino: pro se autem nihil, nisi in infirmitatibus suis. Mirabili prudentia sic de seipso magnifica & præclara narrat, vt tamen de alio videatur loqui, & sic rursus de seipso se loqui subindicat, vt, qd maximè volebat, tota hæc narratio non in sui laudem, sed Corinthiorum salutem cedat. Sequitur: *Non enim si uoluero gloriari, non ero insipiens: ueritatem enim dicam.* Securè poterat gloriari tantus Apostolus, quia non suam, sed Domini gloriam se quærere sciebat, nec se ignorabat vera dicere. Itaq; etiamsi esset gloriatus, non poterat argui insipientiæ. *Parco autem, inquit, ne quis me existimet supra id quod uidet in me, aut aliquid audit ex me.* Ostendit, ait Ambrosius, qua causa non apertè glorietur. Ne quis me existimet, inquit, vltrà gloriam meam tendere, quàm limes meritorum admittit. *Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, ut me colaphizet.* Hunc carnis stimulū Theophylactus Veneris incitamenta, Hieronymus in Epistolam ad Galatas ex aliorum sententia, crebros capitis dolores, Chrysostomus Homilia sexta de laudibus Pauli, contemptum corporis dolorem, Ambrosius iniurias aduersariorum, quibus pressus sit, ne animo posset extolli, interpretantur. *Propter quod ter Dominum rogaui, ut discederet à me: & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. nam uirtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me uirtus Christi.* Sæpiùs quidem rogauit Apostolus, sed ter instantissimè, nec tamen est exauditus, quia non expediuisset fortassis saluti eius, quæ magis ac magis augescebat forti tolerantia eiusmodi vexationum. Et nos igitur non debemus frangi animis, si non ad nutum semper exaudiamur in affectionibus nostris. Nouit Dominus, quid magis expediat nobis. Nos verò plerunque quid oremus nescimus. Perficitur autem virtus in infirmitate, quia quò est exercitatior, eò solidior. Libenter igitur, inquit hoc loco Ambrosius, cædi se dicit Apostolus, dummodò à Christo curetur, sciens plus addere medicinam Christi ad saluté, quàm infirmitas detrahat sanitati. Ipsi gloria in secula seculorum, Amen.

Arcana uerba.
Rom. 8.

DOMINICA IN SEXAgesima, Luc. 8.

In illo tempore, Cùm turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad Iesum, dixit per similitudinem: Exijt qui seminat seminare semen suum. Et reliq. Homilia beati Gregorij papæ.

LEctio sancti euangelij, quam modò fratres charissimi audistis, expositione nō indiget, sed admonitione. Quam enim per semetipsam veritas exposuit, hanc discutere humana fragilitas non præsumit. Sed est quod solicitè in hac ipsa expositiōe dominica pensare debeamus, quia si nos vobis semen verbum, agrum mundum, volucres dæmonia, spinas diuitias significare diceremus, ad credendū nobis mens forsitàn vestra dubitaret. Vnde & idem Dominus per semetipsum dignatus est exponere quod dicebat, vt sciatis rerum significationes quęrere in his etiam, quę per semetipsum noluit explanare. Exponendo ergo quod dixit, figuratè se loqui innotuit, quatenùs certos vos redderet, cùm vobis nostra fragilitas figuras verborum illius aperiret. Quis enim mihi vnquàm crederet, si spinas diuitias interpretari voluissem, maximè cùm illæ pungant, istę delectēt? Et tamen spinæ sunt, quæ cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant, & cùm vsq; ad peccatum pertrahūt, quasi inflicto vulnere cruētant. Quas benè in hoc loco, alio euangelista testante, nequaquam Dominus diuitias, sed fallaces diuitias appellat. Fallaces enim sunt, quæ nobis cum diù permanere nō possunt. Fallaces sunt, fallaces.

Diuitiæ, spinæ. Matt. 13. Diuitiæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ mentis noſtræ inopiam non expellunt. Solę autem diuitiæ veræ ſunt, quæ nos diuites virtutibus faciunt. Si ergo fratres chariſsimi, verè diuites eſſe cupitis, veras diuitias amate. Si culmen veri honoris quæritis, ad cæleſte regnum tẽdite. Si gloriam dignitatũ diligitis, in illa ſuperna angelorum curia adſcribi feſtinate. Verba Dei quę aure percipitis, mente retinete: Cibus enim mentis, eſt ſermo Dei. Et quaſi acceptus cibus ſtomacho languente reijcitur, quando auditus ſermo in ventre memoriæ nõ tenetur. Sed quiſquis alimenta non retinet, huius profectò vita deſperatur. Aeternæ ergo mortis pericula formidate, ſi cibum quidẽ ſanctæ exhortationis accipitis, ſed verba vitæ, id eſt, alimenta iuſtitiæ in memoria non tenetis. Ecce tranſit omne quod agitis, & ad extremum iudicium ſine vlla momenti interpoſitione quotidiè volentes nolentesq; properatis. Cur ergo amatur quod relinquitur? Cur illud negligitur, quò peruenitur? Mementote quod dicitur: *Si quis habet aures audiendi, audiat.* Omnes enim qui illic aderant, aures corporis habebant. Sed qui cunctis aures habentibus, ſi quis aures audiendi habet, audiat, dicit, aures proculdubiò cordis requirit. Curate ergo, vt acceptus ſermo in cordis aure remaneat: curate, ne ſemen iuxta viã cadat, ne malignus ſpiritus veniat, & à memoria verbum tollat. Curate, ne petroſa terra ſemẽ excipiat, & fructum boni operis ſine perſeuerantię radicibus mittat. Multis enim libet quod audiunt: boni operis initia proponunt: ſed mox vt fatigari aduerſitatibus cœperint, inchoata derelinquunt. Petroſa ergo terra humorem non habuit, quia hoc quod germinauerat, ad fructum perſeuerantiæ non perduxit. Multi nanq; cùm verbũ contra auaritiam audiunt, eãdem auaritiam deteſtantur, rerum omnium contemptum laudant: ſed mox vt viderit animus quod cõcupiſcat, obliuiſcitur quod laudabat. Multi cùm verbũ contra luxuriam audiunt, pollutiones carnis non ſolùm perpetrare non appetunt, ſed etiam perpetratas erubeſcunt: ſed mox vt carnis ſpecies eorum oculis apparet, ſic mẽs ad deſiderium rapitur, ac ſic adhuc ab ea nihil ſit contra hæc eadem deſideria deliberatum: & damnanda agit, quæ quicquid egiſſe ſe meminit, iam & ipſa damnauit. Sæpè etiam contra culpas compungimur, & tamen poſt fletum ad culpas redimus. Sic Balaam Iſraelitici populi tabernacula contemplatꝰ fleuit, eisq; ſe ſimilem fieri in morte depopoſcit, dicens: Moriatur anima mea morte iuſtorum, & fiant nouiſsima mea horum ſimilia. Sed mox vt hora compunctionis tranſijt, in auaritiæ nequitiam exarſit. Nam propter promiſſa muncra in eius populi mortem conſilium dedit, cuius mortis ſe ſimilem fieri optauit, & oblitus eſt quod plãxerat, cùm extinguere noluit, quod per auaritiã ardebat. Notandum verò eſt, quòd exponens Dominus dicit, quia ſolicitudines & voluptates & diuitiæ ſuffocant verbũ. Suffocant enim, quia importunis cogitationibus ſuis guttur mentis ſtrangulant, & dum bonum deſiderium intrare ad cor non ſinunt, quaſi aditum flatus vitalis necant. Notandum etiam, quòd duo ſunt quæ diuitijs iungit, ſolicitudines videlicet & voluptates: quia profectò & per curam mentem opprimũt, & per affluentiam reſoluunt. Re enim contraria poſſeſſores ſuos & afflictos, & lubricos faciunt. Sed quia voluptas conuenire cum afflictione nõ poteſt, alio quidem tempore per cuſtodiæ ſuę ſollicitudinem affligunt, atq; alio per abundantiam ad voluptates emolliunt. Terra aũt bona fructũ per patientiam reddit, quia ſcilicet nulla ſunt bona quæ agimus, ſi non æquanimiter etiam proximorum mala toleramus. Quanto enim quiſq; altiùs profecerit, tanto in hoc mũdo inuenit, quod duriùs portet: quia cùm à præſenti ſeculo mẽtis noſtræ delectatio deficit, eiuſdem ſeculi aduerſitas creſcit. Hinc eſt enim, quòd plerosq; cernimus & bona agere, & tamen ſub graui tribulationum faſce deſudare. Terrena nanq; deſideria fugiunt, & tamen flagellis durioribus fatigantur. Sed iuxta Domini vocem, fructum per patientiam reddunt, quia cùm humiliter flagella ſuſcipiunt, poſt flagella ad requiem ſublimiter ſuſcipiuntur. Sic vua calcibus tunditur, & in vini ſaporem liquatur. Sic oliua contuſionibus expreſſa, amurcam ſuam deſerit, & in olei liquorẽ pingueſcit. Sic per triturã areę à paleis grana ſeparantur, & ad horreum purgata perueniũt. Quiſquis ergo appetit plenè vitia vincere, ſtudeat humiliter purgationis ſuæ flagella tolerare, vt tanto poſt ad iudicem mundior veniat, quanto nunc eius rubiginem ignis tribulationis purgat. In ea porticu, quæ euntibus ad eccleſiam B. Clementis eſt peruia, fuit quidam Seruulus nomine, quem multi veſtrum mecum nouerunt, rebus pauper, meritis diues, quem longa ægritudo diſſoluerat. Nam à primæua ætate vſque ad finem vitæ paralyticus iacebat. Quid' dicam quia ſtare non poterat, qui nunquàm in lecto ſuo ſurgere vel ad ſedendum valebat? nunquàm manum ſuam ad os ducere, nunquàm ſe potuit in latus aliud declinare. Huic ad ſeruiẽdum mater cum fratre aderat, & quicquid ex eleemoſyna potuiſſet accipere, hoc eorum manibus pauperibus erogabat. Nequaquam literas nouerat, ſed ſcripturæ ſacrę ſibimet codices emerat, & religioſos quoſq; in hoſpitalitatem ſuſcipiens, hos coram ſe legere ſine intermiſione faciebat. Factumq; eſt, vt quantum ad menſuram propriam attinet, plenè ſacram ſcripturam diſceret, cũ ſicut dixi, literas funditùs ignoraret. Studebat in dolore ſemper gratias agere, hymnis Deo & laudibus diebus ac noctibus vacare. Sed cùm iam tempus eſſet, vt tanta eius patientia remunerari de-

Aures cordis.

Num. 23.

Diuitiarũ comites.

Exemplũ patientiæ.

ri debuiſſet, membrorum dolor ad vitalia redijt. Cumque iam ſe morti proximum agnouit, peregrinos viros atque in hſpitalitatem receptos admonuit, vt ſurgerent, & cum eo pſalmos pro expectatione ſui exitus decantarent. Cumque cum eis & ipſe moriens pſalleret, voces pſallentium repentè compeſcuit, cum terrore magni clamoris dicens: Tacete tacete, nunquid non auditis, quantę reſonant laudes in cælo? Cumq; ad eaſdem laudes, quas intus audierat, aurem cordis intenderet, ſancta illa anima cărnis vinculis ſoluta eſt. Sed exeunte illa, tanta illic fragrantia odoris aſperſa eſt, vt omnes qui illic aderant, inæſtimabili ſuauitate replerentur, ita vt per hoc patenter agnoſcerent, quòd eam laudes in cælo ſuſcepiſſent. Cui rei monachus noſter interfuit, qui nunc vſq; viuit, & cum magno fletu atteſtari ſolet, quia quouſq; corpus eius ſepulturæ traderẽt, ab eorũ naribus odoris illius flagrãtia nõ receſsit. Ecce quo fine ex hac vita migrauit, qui hic æquanimiter flagella tolerauit. Iuxta vocẽ ergo dominicã, bona terra fructũ per patientiã reddidit, quæ exarata diſciplinæ vomere, ad remunerationis ſegetem peruenit. Sed vos rogo, fratres chariſsimi attendite, quod excuſationis argumentũ in illo diſtricto iudicio habituri ſumus nos, qui à bono opere torpentes, & res & manus accepimus, ſi præcepta domini egenus & ſine manibus potuit implere? Non contra nos Dominus tunc Apoſtolos oſtendat, qui ad regnũ ſecum fideliũ turbas prędicando traxerunt. nõ cõtra nos martyres exhibeat, qui ad cæleſtẽ patriã ſanguinem fundendo peruenerunt. Quid tunc dicturi ſumus, cũ hunc, de quo locuti ſumus, Seruulũ viderimus, cui longus languor brachia renuit, ſed tamẽ hæc à bono opere nõ ligauit? Hæc vobiſcũ fratres agite, ſic vos ad ſtudiũ boni operis inſtigate: vt cũ vobis bonos modò ad imitandũ proponitis, eorum tunc conſortes eſſe valeatis.

dem homo incautus, dum plus diabolo perſuadenti, quàm Deo iubenti conſenſit: ſic & vitam quam habuit perdidit, & mortem quam ignorabat accepit. Stabat Adam inter vxorem & diabolum, inter Euam & hoſtem, inter mulierem & ſerpentem. Diabolus perſuadet vt noceat. Eua conſentit vt pereat. Diabolus mulierem aſtutia fallendi circumuenit, mulier incauta ſerpentinũ virus accepit. Diabolus quod per ſe non potuit, per vxorem Adam protoplaſtum circumuenit. Adam verò per vxorem inuenit interitum, quã à Deo acceperat in auxilium. Proh dolor proſpera in contrarium cedunt, vtilia perniciem operantur. Denique plus Adam domeſticis, quàm inimici iaculis lędit̃, plus proprio quàm hoſtili enſe perimitur, plus mulieris quàm externo gladio vulneratur. Acceſsit enim ſerpens ſubtilis vt falleret, & acceſsit, non vt viro, ſed vt mulieri ſerpentinum virus infligeret. Acceſsit, inquam, vt vnius conſenſu vtrique nocere potuiſſet. Sed ſoli perſuadet, quod ambobus obeſſet: vtrique obſuit, quòd vnius animum malitia ſerpentis infecit. Deniq; conſentiens mulier talis circa virum extitit, qualem circa ſe malitiam ſerpẽtis inuenit. Adeò perſuaſa eſt, & perſuaſit: infecta eſt, & infecit: decepta eſt, & decepit. Quæ quidem mulier feritur ſententia duplici, altera propria, altera communi: propria, qua filios parere in dolore præcepta eſt: communi, qua cum viro morti addicta eſt. Altera qua ſerpenti aſſenſit, altera qua marito perſuaſit. De conſenſu enim, in mortis ſententiam incidit: de perſuaſu, in dolore filios parere meruit. Hanc igitur ſententiam, & qui non nouit, dum patitur diſcit: & qui neſcit, dum expungitur ſentit: & qui ignorat, dum experitur agnoſcit. Proh nefas: Præceptum Domini contemnitur, & perſuaſio ſerpentis auditur. Deſpicitur Deus prouidens, & ſerpens auditur decipiens. Spernuntur ſalutaria monita, & recipiuntur venenata colloquia. Vnde addicitur homo ex contemptu morti, qui maluit obedire ſerpenti. Spoliantur gloria, dignitate priuantur: facti ſunt quod non erant, dum amittunt quod fuerant. Adeò gaudet ſerpens perpetraſſe quod voluit, lætatur hominem peremiſſe, quod optauit. Exultat malitiæ effectus hominis deceptionem impleſſe, & neſcit infelix vulneratũ ſemet, dum vulnerat: trucidatum, dum trucidat: dũ hominem perimit, ſeipſum eſſe peremptum. Contriſtatus eſt Deus hominem ſententiam mortis †† meruiſſe quã vitã, meruiſſe interitũ quàm ſaluté, gloriam contẽpſiſſe quàm mortẽ: ſed tamẽ plus malitia ſerpẽtis, quàm hominis contẽptu cõmotus eſt: plus fallaciã diaboli, quàm hominis perfidiam denotauit: adeò Dominus Deus & ſæuitiẽ execratus eſt hoſtis, & caſum miſeratus eſt hominis: crudelitatẽ hoſtis exhorruit, & deceptum hominẽ paterna pietate condoluit: inimici atrocitate permotus eſt, & hominẽ clementer doluit deceptus eſt. Deniq; Dominꝰ Deus, Vbi es,

Gen. 3.

ante

DE EADEM DOMINICA
SERMO BEATI IOANNIS CHRYSOSTOMI, de lapſu primi hominis.

Ex Chryſoſtomi.

NEmo qui neſciat principio hominem ſic à Deo plaſmatum, vt inſtrueretur prudentia, conſilio formaretur, rationis capax, diuina prouidentia redderetur. Inſtrueretur, inquam, prudentia, qua hoſtis calliditatem vitaret: conſilio, quo ſalutaria ac recta perquireret: ratione, qua Deo genitori parendum eſſe cognoſceret. Etenim Dominus Deus videns hominem quem fecerat innocentem, inſtruxit, monuit & armauit: quippe qui cum diabolo fuerat pugnaturus, velut quibuſdam armis, hoc eſt, prudentia, conſilio, ratione fuerat inſtruẽdus. Addidit prẽterea legem, qua Dei voluntatem agnoſceret, & quid conſtẽnenti euenire poſſet, addiſceret. Qui qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

Peccati confessionem Deus ab Adam vult elicere.

inquit, Adam? Ad confessionem prouocat, dum interrogat. Vult eum fateri peccatum, dum ab eo inquirit admissum. Quærit misereri, dum cũ reo de culpa colloquitur. Veniam cogitat, qui causam contemptæ legis incusat. Obiurgat culpam, vt possit retribuere veniam, vt quos formare instruendo non potuit, eos possit confitendo purgare. accipiunt indumenta pellicea, vt qui confessi iam delictum fuerant, veniam cultus humilitate perciperent. Ostẽdit Dominus, quibus officijs possint delicta purgari: ostendit confessione & deformitate cultus veniam posse facilimè impetrari. Vt enim contumacia est, celare ꝙ Deo teste commiseris: sic periculosum, si splendore cultus animi innocentiã mentiaris. Nemo itaq;, nemo peccatorũ vitia desperata lætitia cõtegat, nemo infecto delictis animo dissimulationis virus infundat. Animi vitia, corporis mœrore monstrentur. Si vexatus est animus, lugeat corpus: quoniã quoties corpus in causa est, animus mœstitia condolescit. Certè quale est corporis vitia sine animi compassione esse non posse, tale est animi vitia sine corporis cõpassione non priuari. Pariter contristentur, vt veniam pariter consequantur: quoniam vtrosque simul aut beneficio foueri, aut iniuria vexari necesse est. Nec enim aliud homo est, quàm corporis animiq; cõcretio. Hæc enim duo quantùm diffinitionibus differunt, tantùm hominem dum iunguntur efficiunt. Vt enim in vita separari non possunt, ita nunquam boni maliq; merito separantur. Vt enim non potest à corporis bonis animus separari, ita ab animi malis corpus non potest dissociari. Si enim in Dei iudicio vtræq; substantiæ aut supplicio aut prẽmio expungentur, cur non & in isto seculo pariter aut mœstitia aut lætitia pfruũtur? Vnde tibi Christiane excusatio nulla est, qui post seruitutem liberatus es, post captiuitatẽ redemptus, post vexationem curatus, post interitum restitutus. Habes in monitis, quod exerceas: habes exempla, quę timeas. Adam enim nec fallaciam diaboli norat, nec decepti cuiusquã casum defleuerat. Qui quidẽ forsitã posset euadere, nisi prior cum hoste dum confligit occumberet. Te iam instruit Dominus, tibi gestorũ exempla proposuit. Ecce, inquit, sanus factus es, noli iam peccare, ne quid tibi deterius fiat. Noli, inquit, peccare post veniã, noli vulnerari post curã, noli sordidari post gratiam. Cogita, inquit, ô homo grauiorem culpã esse post veniã, renouatum vulnus peiùs dolore post curam, molestiùs hominem sordidari post gratiã. Quare indulgẽtiæ ingratus est, qui post veniã peccat: sanitate indignus est, qui semetipsũ postquã curatus est vulnerat: nec mundari meretur, qui semetipsum post gratiã sordidat. Porrò qui post absolutionẽ non peccat, meretur & præmiũ: qui post curã cautus est, sanitatis possidet donũ: qui gratiã illęsam tenuerit, æternitatis accipiet regnum. Graue est enim hominẽ instructũ delinquere, grauius ãt

Homo quid sit.

Ioan. 5. Cauendũ, ne in culpas recidamus.

solutũ peccare. Seruo peior est, qui patronũ post datam libertatem offendit. Beneficijs ingratus est, qui datorem tumoris arrogantia despicit. Quare aut salutem de exemplo acquire, aut de consortio similem sententiam metue, ne seuerũ sentias iudicem, qui benignum contempseris persuasorem.

DE EADEM DOMINICA.

HOMILIA EVSEBII Emeseni.

MVlta turba sequebatur Iesum, multi vndiq; conueniebat, multi de ciuitatibus ad Deum properabant, qui eius verba audire, ipsumq; & miracula quæ faciebat, videre uenerabãt. Quum autem sic ad eum omnes cõfluerent, dixit per similitudinem. In parabolis enim loquebatur Dominus, & sine parabolis loquebatur nihil. Vnde & per prophetã dixit: Aperiã in parabolis os meũ, loquar propositiones ab initio. Nunc aũt ipsam parabolam vel similitudinem audiamus. *Exijt*, inquit, *qui seminat, seminare semen suum: & dum seminat, aliud cecidit secus uiam, & conculcatum est, & uolucres cæli comederunt illud. Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud. Et aliud cecidit supra petrã, & natum aruit, quia nõ habebat humorem. Et aliud cecidit in terrã bonã, & ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens, clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat.* Non sine causa clamat Iesus: qui enim clamat, audiri desiderat. Meritò igitur clamabat Dominus, quia pauci ibi erant, qui eũ audirẽt. Audiebant quidẽ vocẽ, audiebãt & similitudinẽ: illud tamen nõ audiebant, quod per illã vocẽ, & per similitudinẽ illã significabatur. Vnde & aures audiẽdi requirebat: quia non aures corporis, sed potiùs aures cordis hunc clamorẽ audiunt & intelligunt. *Interrogabãt aũt discipuli eius, quæ esset hæc parabola.* Et isti quidẽ nondũ aures audiendi eius verbis adhibuerãt. *Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mysteriũ regni Dei, cæteris autem in parabolis.* Vobis, inquit, qui creditis, vobis qui fidem habetis, vobis qui veritatem diligitis, vobis qui non carnalia, sed spiritualia quæritis, vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis. Sed quare cæteris in parabolis? *Vt uidentes non uideant, & audientes non intelligant.* Hoc autem tale est, ac si diceret: Vt videntes vmbram, non videant veritatem: & audientes auribus corporis, non intelligant auribus cordis. Hoc autem eorum duritia & infidelitas facit, vt verba Dei intelligere non mereantur. *Est autem hæc parabola. Semen est uerbum Dei. Qui autem secùs uiam, hi sunt qui audiunt: deinde uenit diabolus, & tollit uerbum de corde eorum, ne credentes salui fiant. Nam qui supra petram, hi sunt qui quum audiuerint, cum gaudio suscipiunt uer-*

uerbum. & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem in spinis cecidit, hi sunt qui audierunt, & à sollicitudinibus & diuitijs & uoluptatibus uitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum. Quod autem in bonam terram, hi sunt qui in corde bono & optimo audientes uerbum retinent, & fructum afferunt in patientia. Ecce ipso Domino exponente didicimus, quid sit semẽ, quid ager, quid terra secùs viam posita, quid terra petrosa, quid spinosa, & quid bona terra significet. Semen est verbum Dei. Multum est semen, quia magnus est ager. Hoc enim semine duo magna horrea plena habemus, nouum videlicet ac vetus testamentum. Inde enim sumimus, quicquid vbicunq; seminamus. Ager autẽ tantus est, quãtus & mundus. Vos, fratres mei, vos estis ager, in quem hoc semen seminatur. Videte ergo qualẽ terram huic semini exhibeatis: Videte ne sitis illa terra, quæ secùs viam posita sit: cuius semen illi viatores mali conculcant, qui animæ malè obedienti dicunt: Incuruare, vt transeamus. Hoc autem semẽ diabolus tollit, quia eius persuasione & deceptione fit, vt citissimè à memoria dilabatur. Videte ne sitis terra petrosa, in qua verbi Dei semen radices figere non valet, sed citò arescit: quia talis terra ad tempus credit, & in tempore tentationis recedit. Videte ne sitis terra spinosa, quæ quamuis semen suscipiat, in ea tamen crescere & fructificare non valet, quia vitijs & diuitijs carnisque voluptatibus (quæ per spinas significantur) comprimitur & suffocatur. Benè autem per spinas hæc figurãtur: quoniam etsi carni mollia & suauia sunt, animas tamen vulnerant & affligũt. Illi autem sunt bona terra, qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent: & non solùm audiunt & retinent, verùm etiam operantur, & patientiæ fructum afferunt. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Vnde scriptum est: Intellectus bonus omnibus faciẽtibus eum. Et Ioannes Apostolus in Apocalypsi ait: Beatus qui legerit & qui audiuerit verba prophetiæ huius, & seruat ea, quæ in ea scripta sunt. Sed notandum est quod ait: In corde bono & optimo. Terra enim alia bona, alia melior, & alia optima est. Vnde & Matthęus Euãgelista: Semẽ, inquit, cecidit in terrã bonã, & attulit fructũ, aliud tricesimum, & aliud sexagesimum, & aliud centesimũ. Bona est enim, quæ tricesimum: melior, quæ sexagesimum: optima verò, quæ cẽtesimũ fructũ affert. Si enim libenter audias verbum Dei, & quod audis, benè & Catholicè intelligas, & id quod intelligis operaris, bona terra es. Quid est aũt benè & Catholicè intelligere? priùs videlicet secundũ literã, posteà verò secundùm spiritualem intelligentiã. Decẽ quidẽ sunt verba legis, in quibus tota lex pendet & prophetæ. Quæ si dupliciter intelligamus, ad viginti vsque conscendimus. Ea aũt quę dupliciter, id est, ad literã & spiritualiter intelleximus, si la operemur, fiunt triginta. Bona igitur terra est, quæ decẽ legis mãdata priùs ad literã, deinde verò spiritualiter intelligit, & ea quæ intelligit operatur. Tricesimum ergo fructũ dant boni coniugati, sed non simpliciter, vt Iudęi, sed dupliciter, vt Christiani: legẽ credũt & intelligunt, & ea quæ intelligũt, operãtur & custodiũt. Nunc autẽ ad sexagesimum veniamus, quem continentes reddũt: qui tanto coniugatis meliores sunt, quãto hic numerus illum excedit, quum totus ille in isto duplex inueniatur. Valdè enim meliores sunt, qui corporis & animæ continentiã & castitatem custodiũt, quàm illi, qui solius animæ castitatem obseruant. Constat autem sexagesimus numerus, ex sex & decem: quoniam sexies decẽ, vel decies sex, sexaginta efficiunt. Et in decem quidem totam legis sciẽtiam intelligimus, quoniam (vt iam diximus) in decem legis mandatis vniuersa lex pẽdet & prophetæ. In sex autem integra operatio designatur: quoniam in sex solũmodò diebus, omnem nostrum laborem & operationẽ constituit Deus. Dies nanq; Sabbati nõ ad laborem, sed ad quietem positus est. Dant igitur continentes fructum sexagesimũ, si legẽ, quę in decem mãdatis continetur, credunt & intelligunt, & ea quę intelligũt, operari non negligunt. Restat nunc vt de his dicamus, qui fructum cẽtesimum Domino reddunt. Centenarius nanque numerus, & secundùm se, & secundũ partes suas perfectus est, quoniam replicari quidem potest, crescere autem non potest. Decies nanq; decem, centum faciunt: & decem quidem, & centum, & mille, quia non est vbi crescant, perfecti numeri dicuntur. Illi igitur qui perfecti in Ecclesia sunt, centenarium fructum congruè satis reddere intelliguntur. Et de talibus quidẽ Dominus ait: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me. itemque: Nolite cogitare de crastino, & nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neq; corpori quid induamini. Tales autem illi erant, qui dicebant: Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te. Soli igitur perfecti centesimum fructum reddunt: inter quos nec ipsæ virgines poni debent, nisi & ipsi propter diuinitatem hanc habeant perfectionem. Sic igitur semen quod cecidit in terram bonam, attulit fructum, aliud tricesimum, aliud sexagesimum, atque aliud centesimum.

Semen, uerbum Dei.

Ager, mũdus.

Esai. 51.

Matt. 13. Psal. 77. Luc. 8.

Spinæ, diuitiæ.

Terra bona, melior, optima.

Rom. 2. Psal. 110. Apoc. 1. Matt. 13.

Coniugati

Continentes.

Centenarius numerus, perfectus.

Perfecti.

Matt. 19.

Matth. 6.

Matth. 19

DOMINICA QVINQVAGESIMAE, IN EPISTOLAM Concio exegetica.

ECclesia Dei viui, ingressura iam propediem solenne Quadragesimæ ieiunium, ex Apostolica traditione ad nos vsque perductum, & omnibus seculis cõtinuatum, ostendit filijs suis, quemadmodũ eos oporteat esse cõstitutos, si vel

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnia prodesse. Adfert ex Apostolo lectionem saluberrimã, qua mirificè & copiosissimè charitas cõmendatur, idq; adeò, vt nullius esse vel precij vel vtilitatis alia omnia disertis verbis asserat, 1. Cor. 13. quæ sint charitate destituta. Ipse Apostolus nobis loquatur, nos diligẽter auscultemus: *Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum uelut æs sonans aut cymbalum tinniens.* Linguas hominũ, dicit omniũ gentiũ, secundùm Chrysostomũ: angelorũ verò, beata illorũ inter se colloquia. Habẽt enim & angeli, inquit Oecumenius, significationẽ quandã, per quam mutuò sermocinãtur. Incipit Apostolus, à linguarũ munere, inquit idẽ, quod maximè apud Corinthios habebatur in precio. Si quis igitur incredibili prædit[a] sit eloquẽtia & peritia linguarũ, posit q; summa cũ gratia dicere ad populũ, sit aũt charitate destitutus, poterit quidẽ verborũ sono & dulci tinnitu demulcere & delectare auditorẽ, sed ipse nullũ inde fructũ referet. *Et si habuero prophetiã, & nouerim mysteria omnia, & oẽm scientiã.* Habuere prophetiæ donũ Balaam ariolus, Saul rex impius, etiã tũ, cũ innocentissimũ Dauidẽ ingratus Num. 24. 1. Reg. 19. persequeretur, Caiphas sceleratiss. põtifex: multi Ioan. 11. scripturæ mysteria & scrutari & explicare potuerũt prõptissimè, perplures incredibili fuere scientia præditi, in quibus Ambrosius hoc loco Tertulianũ & Nouatianũ nominatim cõmemorat: sed ad sui damnationẽ ea Dei dona habuere potiùs, quã salutẽ. Nam, vt de Tertulliano & Nouatiano dicit Ambrosius, quia per zelũ charitatis fœdera perdiderũt, in schisma versi, ad perditionẽ sui hæreses creauerunt. Et nostra ætate, qua tot homines summa eruditione præditi floruerũt, vnde tot abominandæ hæreses & impia dogmata manarũt, nisi quòd hoc solũ plerisq; studio fuit, vt mirabilẽ sibi cõpararent rerũ cognitionẽ, neque tamẽ darent operã, vt ad Dei & proximi charitatem sua studia referrent, sed nomen celebre ventosasq; laudes & hominum applausum venarentur? Atquì verò apud Deũ lõgè potior & præstabilior est analphabetus opilio, Deum amans, quã vel summus philosophus charitatis expers. Tum verò cumprimis vtilis est scientia, quando est cum charitate coniuncta. *Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Ipsam fidẽ, inquit D. Augustinus, Lib. 15. de Trinit. ca. 18. non facit vtilẽ nisi charitas. Sine charitate quippe fides potest quidem esse, sed non & prodesse. Hæc ille. Magna sit fides, oportet, quæ montes transferat, sed sine charitate nihil prodest. Multas hìc hæretici imperitis nebulas offundunt, vt hanc Apostoli luculentam sententiam aliò detorqueant, persuadeantq; miseris, solã fidem iustificare: sed quantacunq;, quantũuis multa & magna sit fides, sine charitate nihil est, nihil vtilitatis habet: immò prorsus mortua est. *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem aũt non habuero, nihil mihi prodest.* Papę hyperbolen, ait Ch[rysostomus]. In 1. Cor. 13.

stomus. Nam & hæc ipsa, noũa cũ amplificatione proponit. Neq; enim si pauperibus alterã facultatum mearũ, duas ue aut tres, inquit, dedero partes, sed si vniuersas dedero: & nõ dedero solùm, sed insumpsero, inquit, vt impẽsis administratio etiã summa cũ diligentia coniungatur. Ambrosius quoq;, Apertũ est, ait, quia si omnis substãtia impẽdatur, nihil pficit charitate neglecta: quia caput religionis charitas est: & qui caput non habet, vitã non habet. Sine charitate nihil prodest: quia fundamentũ religionis, charitas est. Quicquid ergo sine charitate fit, caducũ est. Hæc ille. Porrò Augustin. scribẽs Donato presbytero Donatistæ, Foris, inquit, ab Ecclesia cõstitutus, & separatus à cõpage vnitatis & vinculo charitatis, æterno supplicio punireris, etiãsi pro Christi nomine viuus incẽdereris. Hęc ille. O quã multi, animi vel errore vel pertinacia ferunt hìc durissima mortis supplicia, & posteà æterno igni punitũtur. Nõ enim pœna facit martyrẽ, sed causa. Iã Apostolus accedit ad describẽda charitatis signa. *Charitas patiẽs est*, quia fert comiter aduersa, & eos qui molestiam adferũt. Chrysostomus hoc loco hortatur Lectorẽ, vt singula accuratè expendat, quæ ab Apostolo hìc dicũtur, vt & opes charitatis immẽsas, & industriã pictoris admirandã cernat. Nã Apostolũ dicit formã & decus charitatis inæstimabile depingere, partibus eius, velut coloribus quibusdã, illius imaginẽ illustrãs: porrò incipere eũ à patientia, quæ sit vniuersæ philoso- Patientia. phiæ, id est, Christianæ sapientiæ radix: sicut etiã radix. D. Gregorius Romanus Põtifex patientiã vocat custodẽ & radicẽ virtutũ omniũ: Præclaras patiẽtiæ laudes hoc loco promit Chrysostomus, & tãdem addit, q̃ hanc talẽ virtutẽ charitas nobis parit. Sequitur: *Benigna est*, nõ cupiens sua tolerantia irritare aliquem, sed animum iratum potiùs mitigare. Neque enim ferendo solùm generosè, ait Chrysostomus, sed & hortando, consolando sanabimus iræ vulnus. *Nõ æmulatur*, id est, non inuidet alterius bonis. *Nõ agit perperàm*, procaciter aut peruersè. *Nõ inflatur*, Solet plerunq; etiam ex rectè factis quædã animi elatio existere, sed hãc charitas facilè premit & profligat. Est aũt imprimis admirabile, magna & præclara multa agere, & tamen non nisi viliter de se sentire, nihil sibi tribuere. & hoc præstat charitas. *Non est ambitiosa*. non appetit honores, vel non contemnit præ se aliquem. *Non quærit quæ sua sunt.* Qui sua quærit, ait Chrysostomus, non inueniet sua. constat enim vtilitas priuata, vtilitate proximi, & hæc item illa. Hæc Chrysostomus. O si in hominibus hoc vigeret, vt nemo quæreret quæ sua sunt, sed quæ aliorum, omnes beati & diuites essent. Pauci sunt, qui non quærant quæ sua sunt, quia refrixit charitas: quotidiè noui excogitantur modi, quibus res priuata augeatur etiam cum damno proximi. *Non irritatur*, nullis iniurijs, nulla ingratitudine exasperatur. *Non cogitat malũ*, nisi [in] proximo mali suspicatur temerè. *Nõ gaudet super*

super iniquitate. Non lætatur alteri illata iniuria, sed *Congaudet ueritati*: id est, vt ait Chrysostomus, congaudet successibus aliorum, hoc est, cũ gaudentibus gaudet, cum flentibus flet. hinc nõ inuidet, hinc non inflatur: alienos enim successus suos putat. Vides, ait idem, quàm parum absit, quin angelos charitas suos alumnos reddat. Nã qui ira, qui inuidia vacat, & omni prorsus sæuiori affectu liber est, hominis deinceps naturã excessisse, & in angelicã mentis tranquillitatẽ translatus esse videri potest. Hæc ille. *Omnia suffert.* Sint molesta licet, ait Chrysost. sint grauia, sint cõtumeliæ, sint verbera, sit mors, sit quoduis cunque. *Omnia credit.* Sed nõ omni spiritui credit, inquit Augustinus: ac per hoc omnia quidã credit, sed Deo, quia nõ dictũ est, Omnib[us] credit. Quia spirituũ diuersa sunt genera, ait D. Bernardus sermone de septem spiritibus, necessaria est nobis eorũ discretio. Est spiritus malignus, est spiritus carnis, est spiritus mũdi huius: nulli horum credendũ est. Semper spiritus carnis mollia, spiritus mũdi vana, spiritus malitię semper amara loquitur. Quoties verò semper castigãdo corpore, humiliãdo corde, seruanda vnitate, & charitate fratribus exhibẽda, seu cæteris virtutibus acquirendis, cõseruandis, amplificãdis salubris cogitatio in mẽte versãtur, diuinus sine dubio spiritus est, qui loquitur, aut per seipsũ sanè, aut per angelũ suũ. Hæc ferè Bernardus. Itaq; charitas credit omnia, scilicet credẽda: nec tamen omnibus credit: quia qui citò credit, ait sapiẽs quidã, leuis est cor. Eccl. 19. de. *Omnia sperat*, Bona scilicet, inquit Chrysost. & frugi omnia de proximo sibi promittit, sit licèt malus: nã adest corrigẽs, prospiciẽs, studiũ impẽdens, nẽpe, vt melior euadat. Aut aliter, Sperat, putà, sperãda omnia. Nihil est enim in charitate temerariũ. *Omnia sustinet*, id est, lõganimiter & patiẽter expectat. Et id cũprimis necessariũ est, ne deficiamus in huiusvitę tẽtationibus & afflictionibus. Sępè enim Deus differt suã cõsolationẽ, vt pbet nostrã patientiã. Ergo tũ necesse est, vt lõganimiter sustineamus eius benignã visitationẽ. *Charitas nunquã excidit.* nunquã desinit: immò verò in futura vita erit flagrãtior, vbi viderit Deũ, quẽ amat. Fides, spes, & multa alia cũ hac vita desinẽt: charitas manet æternũ. *Siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur.* Omnia charismatum dona, inquit Ambrosius, euacuari dixit, quia nõ tantũ possunt comprehẽdere, quantũ ipsa veritas habet: neq; nos aut capere, aut narrare possumus plenitudinẽ veritatis. Qn̄ enim fieri potest, vt lingua humana cõplectatur omne quod Dei est. *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cùm autem uenerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* Nam, secũdùm Ambrosiũ, destruetur imperfectio nostra. Non id quod verum est euacuabitur, sed dũ additur perfectio, quod deest destruetur. Destructio enim imperfectionis est, quando id, quod imperfectũ est, impletur verũ. Hæc ille.

Ubidem.

Epistola 204.

Lib. de Spiritu & litera.

Multa spirituum genera.

1. Cor. 13.

paruulus loquebar ut paruulus, sapiebam ut paruulus, cogitabam ut paruulus. Quando autẽ factus sum uir, euacuaui quæ erant paruuli. Hoc dicit, ait Ambrosius, quia exeuntes sancti de hoc mundo, plus necesse est inueniant, quàm nunc putant: sicut Ioãnes Apostolus de Saluatore dixit: Tunc videbimus illum sicuti est. In hac ergo vita paruuli sumus ad comparationem futuræ vitæ: quia sicut vita hæc imperfecta est, ita & scientia. Hæc ille. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc aũt facie ad faciẽ. Nunc cognosco ex parte, tunc autẽ cognoscam, sicut & cognitus sum.* In speculo non res ipsa, sed rei imago cernitur. Ita etiam huius vitæ cognitio imperfecta & exilis est comparatione futuræ. Per fidem enim 2. Cor. 5. ambulamus, non per speciem. Porrò tum videbimus facie ad faciem, quod Apostolus Io- 1. Ioan. 3. annes dicit, Videbimus eum sicuti est, & cognoscemus sicuti & cogniti sumus, perfectè scilicet & perspicuè, sed tamen quatenus creaturæ fas est nosse Deum. Sed vt tunc exactiùs & penitùs cognoscamus, hìc interim cordis repurgemus oculos ab omni puluere vitiorum: Beati e- Matth. 5. nim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, tanto vtique clariùs & perspicaciùs, quantò fuerint maioris cordis munditiæ præditi. *Nũc autem manent, fides, spes, charitas, tria hæc: maior autem horum est charitas.* Tria hæc sunt, ait Augusti- De Doctri nus, quibus & scientia omnis & prophetia militat, fides, spes, charitas. Sed fidei succedit spe- stis. lib. 1. cies, quam videbimus: & spei succedit beatitu- cap. 27. & 28. do ipsa, ad quam peruenturi sumus. Charitas autem istis decedentibus augebitur potiùs. Si enim credendo diligimus quod nondum videmus, quanto magis, cùm videre cæperimus? Et si sperando diligimus, quò nondum peruenimus, quanto magis cùm peruenerimus? Inter temporalia quippe & ęterna hoc interest, quòd tẽporale aliquid plus diligitur antequàm habeatur, vilescit autem cùm aduenerit. Non enim satiat animam, cui vera & certa sedes est æternitas. Aeternum autem ardentiùs diligitur adeptũ quàm desideratum. Nulli enim desideranti cõceditur plus de illo existimare, quàm se habet, vt ei vilescat cùm minus inuenerit: sed quantum quisque veniens existimare potuerit, plus perueniẽs inuẽ turus est. Et rursus alio loco idem Augustinus, In Psalm. Nullum, inquit, aliud canticum nos docet Deus, 91. nisi fidei, spei & charitatis, vt fides nostra firma sit in ipso, quamdiù illum non videmus, credentes in eum quẽ non videmus, vt gaudeamus cùm viderimus, & fidei nostræ succedat species lucis eius, vbi iam nõ nobis dicetur, Crede quod non vides, sed, Gaude, quia vides. Spes etiam nostra incõmutabilis sit, & figatur in illo, & nõ mutet & fluctuet, non agitetur: sicut ipse Deus, in quo figitur, non potest agitari. Spes enim quæ modò vocatur, tunc non spes sed res erit. Tamdiù e- Rom. 8. nim vocatur spes, quandiù nõ videtur, quod speratur, dicente Apostolo, Spes aũt quæ videtur, non est spes. Et paulò infrà. Charitas, quæ ter-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tertia nobis adiungitur ad fidem & ad spem, maior est supra fidem & spem: quia fides est rerum, quæ non videntur. erunt autem species, cùm visæ fuerint: & spes rei est, quæ non tenetur: aduenientе ipsa re, non erit iam spes, quia tenebimus, non sperabimus. Charitas autem non nouit nisi crescere magis magisque. Si enim amamus quę non videmus, quomodò amaturi sumus cùm viderimus? Hæc Augustinus. Manent igitur in hac vita fides & spes, sed in futura desinent: at charitas non solùm non desinet, sed multo etiam auctior & ardentior erit. Porrò fide & spe maior est charitas, quia sine charitate mortua est fides, & spes est inanis. Videmus in Ecclesia multos, qui rectè credant, & de Christi bonitate plurimum sperent, nec tamen interim desinant malè viuere: desinerent autem, si amarent. Itaque fides & spes vt sint gratæ Deo, debent habere adiunctam charitatem, sine qua nulla virtus potest esse vel grata Deo, vel homini salutaris. Præstet nobis Dominus Deus, vt in eum credentes, in eum sperantes, eum in omnibus & super omnia amantes peruenire mereamur ad ipsum, cui est omnis honor & gloria in secula seculorum, Amen.

DOMINICA IN QVINquagesima. Lucæ xviij.

In illo tempore, Assumpsit Iesus duodecim discipulos suos, & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis. Et reliqua. Homilia beati Gregorij papæ, habita in basilica sancti Petri.

REdemptor noster prę uidés ex passione sua discipulorum animos perturbandos, eis longè antè & eiusdem passionis pœnam, & resurrectionis suæ gloriam prædixit: vt cùm eum morientem, sicut prædictum est, cernerent, etiam resurrecturum non dubitarent. Sed quia carnales adhuc discipuli, nullo modo valebant capere verba mysterij, venitur ad miraculum. Ante eorum oculos cæcus lumen recipit, vt qui cælestis mysterij verba non caperent, eos ad fidem cælestia facta solidarent. Sed miracula Domini ac saluatoris nostri sic accipienda sunt, fratres mei, vt & in veritate credantur facta, & tamen per significationem nobis aliquid innuant. Opera quippe eius, & per potentiam aliud ostendunt, & per mysterium aliud loquuntur. Ecce enim quis iuxta historiam cæcus ille fuerit ignoramus, sed tamè quem per mysterium significet nouimus. Cæcum quippe est genus humanum, quod in parente primo à paradisi gaudijs expulsum, claritatem supernæ lucis ignorans, damnationis suæ tenebras tur, sed tamen per redemptoris sui præsentiam illuminatur: vt internæ lucis gaudia iam per desiderium videat, atque in via vitæ boni operis gressus ponat. Notandum verò est, quod cùm Iesus Hiericho appropinquare dicitur, cæcus illuminatur. Hiericho quippe interpretatur luna. Luna in sacro eloquio pro defectu ponitur carnis, quia dum menstruis momentis decrescit, defectum nostræ mortalitatis designat. Dum igitur conditor noster appropinquat Hiericho, cæcus ad lumen redit: quia dum diuinitas defectum nostræ carnis suscepit, humanum genus lumen quod amiserat, recepit. Vnde enim Deus humana patitur, inde homo ad diuina subleuatur. Qui videlicet cæcus rectè & iuxta viam sedere, & mendicans esse describitur. Ipsa enim veritas dixit: Ego sum via. Qui ergo æternæ lucis claritatem nescit, cæcus est. Sed si iam in redemptorem credit, iuxta viam sedet. Si autem iam credit, sed vt æternam lucem recipiat rogare dissimulat, atq; à precibus cessat, cæcus quidem iuxta viam sedet, sed minimè mendicat. Si verò & credit & exorat, & iuxta viam sedet cæcus, & mendicat. Quisquis ergo cæcitatis suæ tenebras agnoscit, quisquis hoc quod sibi deest lumen æternitatis intelligit, clamet medullis cordis, clamet & vocibus mentis, dicens: Iesu fili Dauid miserere mei. Sed quid clamante cæco subiungitur, audiamus: *Et qui præibant, increpabant eum ut taceret.* Quid autem designant isti qui Iesu venientem præcedunt, nisi desideriorum carnalium turbas, tumultusque vitiorum, qui priùs quàm Iesus ad cor nostrum veniat, tétationibus suis cogitationem nostrã dissipant, & voces cordis in oratione perturbant? Sępè nanq; dum conuerti ad Deũ post perpetrata vitia volumus, dum contra hæc eadem exorare vitia quæ perpetrauimus conamur, occurrunt cordi phantasmata peccatorum quæ fecimus, mentis nostræ aciem reuerberant, confundunt animum, & vocem nostræ deprecationis premunt. Qui præibant ergo, increpabant eum vt taceret, quia priusquàm Iesus ad cor veniat, mala quæ fecimus, cogitationi nostræ suis imaginibus illisa, in ipsa nos nostra oratióe perturbant. Sed quid ad hæc illuminandus iste cæcus fecit, audiamus. Sequitur: *Ipse uerò multò magis clamabat: Fili Dauid, miserere mei.* Ecce quem turba increpat vt taceat, magis ac magis clamat: quia quanto grauiori tumultu cogitationum carnalium premimur, tanto oratione insistere ardentiùs debemus. Contradicit turba ne clamemus, quia peccatorum nostrorum phantasmata plerunque & in oratione patimur. Sed nimirùm necesse est, vt vox cordis nostri, quo duriùs repellitur, eò valentiùs insistat, quatenùs cogitationis illicitæ tumultum superet, atq; ad pias aures Domini nimietate suæ importunitatis erumpat. Intse, vt suspicor, recognoscit vnusquisque quod dicimus: quia dum ab hoc mundo animam ad mutamus, dum ad orationis opus conuerti-

uertimur, ipsa quæ priùs delectabiliter gesimus, importuna posteà atque grauia in oratione nostra toleramus. Vix eorum cogitatio manu sancti desiderij ab oculis cordis abijcitur, vix eorum phantasmata per pœnitentiæ lamenta superantur. Sed cùm in oratione nostra vehementer insistimus, transeuntem Iesum menti figimus. Vnde illic subditur: *Stans autem Iesus, iussit eum adduci ad se.* Ecce stat, qui antè transiebat: quia cùm adhuc turbas phantasmatum in oratione patimur, Iesum aliquatenùs transeuntem sentimus.

Orationis efficacia. Cùm verò orationi vehementer insistimus, stat Iesus vt lucem restituat: quia Deus in corde figitur, & lux amissa reparatur. Qua tamen in re & aliud aliquid nobis Dominus innuit, quod intelligi de humanitate ac diuinitate illius vtiliter possit. Clamantem etenim cæcum transiens Iesus audiuit, non sedens, sed stans miraculum illuminationis exhibuit. Transire nanq; humanitatis est, stare diuinitatis. Per humanitatem quippe habuit nasci, crescere, mori, resurgere, de loco ad locum venire. Quia ergo in diuinitate mutabilitas non est, atq; hoc ipsum mutari transire est, profectò iste transitus ex carne est, non ex diuinitate. Per diuinitatem verò ei semper stare est, quia vbiq; præsens est, nec per motum recedit, sicut nec per motum venit. Cælum igitur clamantem Dominus transiens audiuit, stans illuminauit: quia per humanitatem suam vocibus nostræ cæcitatis compatiendo misertus est, sed lumen nobis gratiæ per diuinitatis potétiam infundit. Et notandum quid cęco venienti dicat. *Quid tibi uis faciam?* Nunquid qui lumen reddere poterat, quid vellet cæcus ignorabat? Sed petiuit hoc, quod & nos petere, & se cõcedere prænoscit. Importunè nanq; ad orationem nos admonet, & tamen dicit: Scit nanque pater vester cæleſtis quid opus sit vobis, antequam petatis eum. Ad hoc ergo requirit vt petatur, ad hoc requirit, vt cor ad orationem excitet. Vnde & cæcus protinùs adiungit: *Domine, ut uideam.* Ecce cæcus à Domino non aurũ, sed lucem quærit, paruipendens extra lucem aliquid quærere: quia & si habere cæcus quodlibet potest, sine luce videre non potest quod habet. Imitemur ergo fratres charissimi eum, quẽ & corpore audiuimus & mente illuminatũ. Non falsas diuitias, nõ terrena dona, nó fugitiuos honores à Domino, sed lucẽ quæramus: vel lucẽ quæ loco clauditur, quę tẽpore finitur, quæ noctiũ interruptione variatur, quæ à nobis cõmuniter cũ pecoribus cernitur: sed lucẽ quæramus, quã videre cũ solis angelis possimus, quã nec initiũ inchoat, nec finis angustat. Ad quã profectò lucẽ via, fides est. Vnde rectè & illuminãdo cæco protinùs respondetur: *Respice: fides tua te saluum fecit.* Sed ad hæc cogitatio carnalis dicit: Quomodò possum lucẽ spiritalem quærere, quã videre non possum? Vnde mihi certũ est si sit, quæ corporeis oculis nõ infulget? Cui scilicet cogitationi est quod h[illegible]

Matth. 6. *A Deo quid petendum.*

Christus ut imitandus.

Matth. 8. *Ioan. 12.* *Matt. 5.* *Luc. 6.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad laudem Dei & alios accendat. Vnde illic subditur: *Et omnis plebs ut uidit, dedit laudem Deo.*

EADEM DOMINICA, SERMO BEATI IOANNIS CHRYSOSTOMI, de fide Abraham, & de immolatione Isaac.

Habetur in 1. Tomo operum Chrysostomi.

EIdes est religionis sanctissimæ fundamentum, charitatis vinculum, amoris subsidium. Hæc sanctitatem firmat, castitatem roborat, dignitates exornat. In pueris splēdet, in iuuenibus floret, in prouectis apparet. Gubernat sexus, gradus prouehit, officia cuncta custodit. In paupere grata est, in mediocri læta, in locuplete honesta. Fides amicitias seruat, collegia copulat, artes commendat. Nullum despicit, nullum contemnit, nulli deest, nisi qui ei fortè defuerit. Fides mandata tenet, præcepta seruat, promissa consummat. Fi familiares efficit Deo, amicos constituit Christo. Neque enim quisquam fidei promissa percipiet, nisi professionem actibus seruet: aut præmiorum potest compos existere, qui promissam fidem conseruare noluerit: vt iam aut impletæ fidei merces homini recompensetur, aut violatæ pœna competens tribuatur. Huius fidei Abraham ducamus exordium, qui cùm in occidua constitutus ætate, filium à Deo promissum se crederet accepturum, & fidei precium in filio conspexit, & in stellarum suam sobolem numerum redundātem, fide comparauit eadem. Denique vnus filius Abrahæ exoptatur, & immensa ei multitudo promittitur. Solatiū vnius heredis conquiritur, & innumerabilis soboles destinatur. Nescis, inquit, Dominus, nescis Abraham, quid destinatum sit tibi: sed idcircò nescis, quia quid merearis non respicis. Tantùm enim de me tua meruit fides, tantùm tua obsequia valuerunt, vt & quid desideres norim, & facere quod mereris decreuerim. Nanq; tibi nascetur filius, cuius semen diffundetur in millia, vt & similitudini siderū coæquetur, & arenę immēsitatibus cōparetur. Credo, inquit, Abrahā, Domine, credo quia potes: facturū te cōfido, q̄d ſpondes. Nec enim confectā senectuté marcescentis meæ ætatis cōsidero, aut Saræ coniugis sterilem effœtamq; conditionem attendo, sed tuæ maiestatis potentiam tracto: nec cui talia promittantur, sed à quo promittantur agnosco. Generare enim filios senilis ætas non patitur, sed tua Domine iussione completur. Steriles filios habere non possunt, sed hoc posse, tuæ virtutes efficiūt. Natura quidem negat, sed potentia imperat. Aetas prohibet, sed tua potestas ostendit. Impossibile quidem illud videtur nobis, non tibi: homini, non tuæ Domine maiestati: naturæ non Deo: seruis, non Domino. Vnde credo pater, et [illegible] Dominus ad horā procurabit: desine quæ-

Fides operę præstanda.

Domine istud te facturum esse quod dicis, quia his virtutibus cunctis gentibus innotescis. Tunc Sara concepit in vtero, & peperit filium, patrem multarum gentium destinatum. Nascitur Isaac ornamentum generis, parentum gloria, propinquorum lætitia, familiæ decus, hæreditatis spes, fidei precium, promissæ sobolis testimonium. In cuius natiuitate & Dominus promissum reddidit, & Abraham votum quod optauit, accepit. Gaudent omnes, cuncti lætantur. Fit enim Isaac dulcis cùm nascitur, dulcior cùm nutritur. Nec enim poterat esse non dulcis, quem & patris fides condierat, & propria innocentia commendabat. Fit & Sara exsterili mater, fœcunda in filio, fœcundior futura ex ipso. Redit iuuentus in senem, marcēs ætas reparatur in iuuenem, & manente senectutis ætate, iuuenilia geruntur à matre. Denique blanditur, nutrit & lactat, & consequentia complet officia, quæ iam forsitan obliuisceretur, si suo tempore Saræ parere concederetur. Tunc locutus est Dominus ad Abraham, dicens: Accipe filium tuum quem diligis Isaac, & vade in vnum montium, & offer mihi illum in sacrificium. Mox Abraham tam celeriter decernit iussis cælestibus esse parendum, quàm fuerat diuinitus imperatum. Verebatur enim ne votū mora offenderet, aut iussionem tarditas impediret. Deniq; properat quod iussum est perficere, festinat quod præceptum est adimplere. Fuit enim lætus cùm eū acciperet, lętior cùm eum immolandum Dominus postularet. Ostendit Abraham charissimum quidē sibi esse filium, sed multò chariorem filio existere Dominū: nec dulcedine aut affectus pignoris respiciebat, qui iussionē vt perficeret cogitabat. Totos enim affectus cōuertit in Deū, cui iam se nouerat mancipatum. Deniq; illā fidē seruabat in sese, cùm filium iuberetur offerre, quā Deum promeruerat, cùm eum meretur accipere. Adest Isaac patri quidē ætate dissimilis, sed fide ac deuotione æqualis. Adest, inquā, Isaac, qui si quid pater disponeret, ipse fieri libēter optaret. Ita enim filius paruit patri, vt pater diuinæ obtēperaret iussioni: vt de cōsensu filij pater securus existeret, & volūtati patris sese filius māciparet. Erat enim in vtrisq; vnus animus, par sensus, & similis circa Deū affectus: vt generositatē patris in filiū trāsfusam cōspiceres, & innocentiā filij patri non deesse videres: vt & paternæ fidei particeps filius existeret, & simplicitate filij patris sublimitas redundaret. Qua securitate Abraham fretus, sternit sibi asinam, ad sacrificium ligna cōcidit, pueros secum adducit. Cumque ad ciuitatem venissent, estote istic, inquit, ego & puer iste ibimus soli: & cùm adorauerimus Dominū, reuertemur ad vos. Statim pater cum filio proficiscitur solus. Ad quem idem filius: Pater, inquit, ligna video, cultrum & ignē conspicio, hostiam quam immolaturus es quæro. Define, inquit, define istud quærere fili,

Isaac ens ornamentum.

Prompti ssima Abrahæ obedientia.

quærere, quod sibi Dominus iam prouidit: Magnum præsagium promittentis, magna innocentia inquirentis. Isaac hostia, de hostia patrem interrogat, sacrificij effectus desiderat. Ouis ab eo quæ deerat quæritur, ne ipse qui loquitur immoletur. Ast vbi ad locū ventū est, vterq; montem ascendit. Aram pater extruxit, ligna cōposuit, filiū colligauit. Patere me, inquit, fili, patere votū perficere: patere, inquā, per te iussionem Domini adimplere. Deus enim qui te cōdidit, exp etit: qui dedit, quærit: qui te creauit, te sibi desiderat immolari. Non est enim hoc parricidium, nō est crudelitatis admissum, quia votum est. Nec tibi fili à genitore mors miserāda infertur, sed vtriſq; nobis salubriter prouidetur. Tāto eris acceptabilis hostia, quanto libenter gloriosæ mortis acceperis beneficia. Quod iussus pater es, perfice, inquit: quòd disponis, f constanter adimple. Ego enim nec renuo, nec recuso: q̄p volueris, volo: quòd optas, exopto: quod desideras, & ipse desidero. Deniq; eo voto istam mortē excipio, quo te eam mihi inferre velle cognosco. Hæc etsi verque non dixit, tamen cuncta ista in actu ostēdit. Mox pater extensa manu gladium sumit, dexteram erigit, iugulare filium, sacrificium perficere, iussum Domini voluit deuotus implere. & pendente iam atque imminente mucrone, Parce, inquit Dominus, parce: fidē tuam quæsiui, nō filium vt iugulares optaui: nec amabile pignus tibi subtrahere, sed deuotionem tuam volui pertentare. Nunc cognoui, quia amas Dominū magis quàm filiū: imò magis amas filiū, quia diligis Dominū: quia dum non pepercisti filio tuo propter Deum, eundem tecum constituisti Domino glorioſum: quare te benedictionibus cumulem, & infinitā filiorū multitudinem ex eo tibi prouenire cōfirmem. Statim procuratur aries, qui pro Isaac sanctissimo mereretur occidi. Nec enim fas erat, vt Isaac, qui typū Christi portabat, à patre hoc in tempore mactaretur: quia perfecta sacrificij hostia Christo Domino seruabatur. Procurabatur, inquā, aries, qui pro Isaac mereretur occidi, vt & promissum patris de hostia compleretur, & perfecto sacrificio, patri Isaac incolumis redderetur. Tunc vterq; lætus de monte descendit: pater, quòd sacrificij votum saluo filio perfecerit: filius, quòd iussa patris libenter optasset. Gaudet de patre filius, de filio pater. Gaudent propinqui, familia cuncta lætatur: gaudent, inquam, quòd & opus tantū perfectum sit, & quòd patrem cum filio incolumes illis Dominus reuocarit.

f instanter.

Prohibetur Abrahā à cæde filij.

Isaac, typus Christi.

Obiectio Iudæi.

MVlta iam consummata erāt, quæ de filio hominis prophetæ dixerant: multa iam cōpleta erāt, quę de eius humanitate prophetauerant: pauca restabant adhuc, quæ ipsis diebus adimplenda erāt. Quæ ideò quidē suis discipulis Dominus prædicere voluit, vt eū sua sponte passum intelligamus, & ea quæ vētura erant, eum præscisse & prouidisse nemo vnquam dubitare audeat. Sequitur: *Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur: & postquā flagellauerint, occident eum, & die tertia resurget. Et ipsi nihil horum intellexerunt. Erat enim uerbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebātur.* Omnia hæc prophetæ prædixerunt: omnia hæc fieri oportebat. Vnde & quibusdam alibi ait: O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ loquuti sunt prophetæ. Nónne sic oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? itemq;: Quomodò ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri? Oportet enim vt fiat, quicquid Dominus fieri disposuit. *Tunc autē* (vt Matthæus ait) *accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filijs suis, adorās & petens aliquid ab eo.* Tunc, inquit, quando Dominus ascendebat Hierosolymam, vt pro omnibus pateretur: tunc mater filiorū Zebedęi, id est, Iacobi & Ioannis, à filijs admonita, accessit ad Iesum, vt primas sedes filijs postularet. In quo manifestè apparet, quia (vt Euangelista dicit) verba Domini, discipuli non intellexerant, quæ modò de sua passione eis Dominus nunciauerat. Si enim intellexissent, potiùs ad fletus & lachrymas conuerterentur, quàm de dignitatibus aliquid loquerentur. Accessit igitur ad eum mater filiorum Zebedæi, adorans, & petens aliquid ab eo. Mulier ista religiosa & Christo familiaris erat: ideò & magna petit, & confidenter ad Dominū accedit. Valdè enim de Christo præsumebat, dū hoc filijs orat, quod ipsi filij pro se petere timebant. Sed quid dicit? *Dic ut sedeant hi duo filij mei, unus ad dexterā tuā, & unus ad sinistrā in regno tuo.* Cum ambitione loquitur mater, & carnali affectu ambitiosis filijs primas in cælo cathedras postulat. Vnde & meritò eis à Domino dicitur: *Nescitis quid petatis.* Neq; ita petere, neq; ita dare cōuenit primas sedes. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicūt ei: Possumus.* Obscurè eis loquitur Dominus, & fortasse nondùm intelligebant, de quo calice eis loqueretur. Dicebat enim de calice passionis, de quo ad Petrū Apostolū alibi ait: Calicē quem dedit mihi pater, non vis vt bibam illū? Et Psalmista: Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. *Et ait eis: Calicem quidem meum bibetis.* Biberunt enim Iacobus & Ioannes calicē Christi, non quòd ambo martyrio vitā finierint, sed quòd multas persequutiones & angustias & tribulationes ambo sustinuerūt. Et Iacobū quidem occidit Herodes: sicut enim scriptum est: [illegible]dit aūt Iacobum fratrē Ioannis gladio. Ioan-

Luc. 24.

Matt. 26.

Matt. 20.

Calix passionis. Ioan. 18. Psalm. 115.

Act. 12.

DE EADEM DOMINICA HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Assumpsit Iesus duodecim discipulos suos, & ait illis: Ecce ascēdimus Ierosolymā, & cōsummabuntur omnia, quæ scripta sunt de filio hominis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nes autem non occisus, sed in feruentis olei dolio missus, & in Pathmo insula exilio relegatus, magnæ afflictionis & amaritudinis calicem bibit. *Sedere autem ad dexteram meam uel ad sinistram, non est meum dare uobis, sed quibus paratum est à patre meo.* Ac si dicat: Quod vos modò petitis, iam datum est. Non est meum dare vobis modò: non ad me pertinet ordinare & disponere modò, quis ad dexteram meam vel ad sinistram sedere debeat in regno meo: hæc dispositio non est hominis, non est huius temporis: ab æterno factum est, quod modò fieri postulatis. Simul cũ patre ante tempora disposui, neq; iterũ disponere habeo, quã sedẽ ibi vnusquisq; suscipiat. Quibus igitur paratũ est sedere ad dexterã meã vel ad sinistrã, siue vobis siue alijs, illorũ erit: mutari nõ potest, quod paratũ & dispositũ est. *Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus.* Adhuc enim & isti carnales erant, neq; minùs ambitiosi quàm illi. Ideoq; indignabantur, & quod sibi vnusquisq; affectabat, hoc dari alijs inuidebat. *Iesus autem uocauit eos ad se, & ait: Scitis quia principes gentiũ dominãtur eorum, & qui maiores sunt, potestatẽ exercent in eos. Non ita erit inter uos: sed quicũq; inter uos uoluerit maior fieri, sit uester minister: & quicunq; uoluerit inter uos primus esse, erit uester seruus.* Non ita, inquit, erit inter vos, sicut est inter mundi huius potestates: vt ille cæteris dominetur, qui maior cæteris esse videtur: sed potiùs omnibus erit inferior, qui voluerit esse sublimior: & qui plus se humiliauerit, maior à Deo constituetur. Hoc autem ad exemplũ sui ostendit, dicens: *Sicut filius hominis non uenit ministrari, sed ministrare, & dare animã suam in redemptionẽ pro multis.* Sicut (inquit) filius se humiliauit, sic se humiliet, qui maior esse voluerit: qui quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem. Et quasi seruus & minister, suorum discipulorũ pedes lauare non est dedignatus. Hæc autem in via loquebatur Dominus. His & similibus ad sui exemplum discipulos suos informabat, nec in ipso itinere otiosus esse volebat. *Factũ est quum appropinquaret Hiericho, cæcus quidam sedebat secus uiam mendicans.* Hiericho nanque interpretatur luna: cuius mutabilitas tanta est, vt nunquã in eodem statu permaneat. Significat autem mundum istum, cuius mutabilitates infinitæ sunt. Vt enim de alijs taceamus, quis solius hominis mutabilitates dicere valeat? Hanc autem ciuitatẽ qualibus & quibus armis & in quot diebus cœperit Iosue, historia narrat. Quod si benè intelligatur, eodẽ modo, eisdẽ armis, totidemq; diebus, Iesu Christo Domino nostro mundus iste subiugatur. Et tunc quidem appropinquauit Dominus Hiericho, quando factus est homo, & nostræ carnis mutabilitatem susce-

Humilitas exaltatur

Phil. 2.

Ioan. 13.

Iosue 6.

Tunc igitur cæcus iste illuminatus est, in quo multi cæci intelliguntur. Vnde & Matthæus non vnum, sed duos cæcos fuisse dicit: per quos duos populos, Iudæos videlicet & Gentiles intelligimus. Orto nanq; iustitiæ sole, populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam. Ipse est enim, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Omnes enim cæci erant: & quando hæc lux mundo apparuit, vel pauci, vel nulli illuminati erant. Sed nunquid & modò cæci non sunt? Multi quidem cæci sunt & modò. Quomodò enim cæci non sunt, qui diabolum sequuntur, & per deuia vitiorum præcipitantur? Verè vtique cæci sunt, quos diabolus trahit. Videtis cæcos aliquando à pueris, aliquando & à canibus trahi. Et meliùs quidem isti trahuntur, quàm illi qui à diabolo ducuntur. Isti enim cadunt & surgunt: illi verò quos diabolus trahit, postquàm semel in foueam præcipitantur, nunquam vlteriùs leuantur. Cæcus est autem omnis superbus, omnis auarus, omnis adulter & fornicator. Denique omnes cæci sunt, quicunque illam lucem non sequuntur, quæ ait: Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Quisquis igitur es, qui te cæcum esse intelligis, redi ad viam. Quãtò enim quisque iniquior est, tantò à via longiùs est. Sed ad quam viam? ad illam, per quam trãsit & ambulat Iesus. Vniuersæ enim viæ Domini, misericordia & veritas. Ad has igitur redi, per has ambulare disce: clama, & mendica: clama non ore, sed corde: clamor cordis altiùs auditur, cælos penetrat, & in Dei auribus resonat. Clama ergo, & dic: *Miserere mei Domine fili Dauid.* Mendica cum Propheta: Inclina Domine aurem tuam ad me: exaudi me, quoniam egenus & pauper sum ego. O quàm diues iste erat, qui sic mendicabat, & se egenum & pauperem dicebat. Noli audire turbam increpantem, & clamare prohibẽtem. Mala turba, quæ à tali clamore hominem exturbat. Hæc turba, vitiorum & malignorum spirituum exercitus intelligitur, qui nos ad Deũ clamantes, & misericordiam postulantes semper impedire conatur. Si enim cætus tacuisset, & turbæ increpanti credidisset, adhuc illuminatus non fuisset. *Stans autem Iesus, iussit illum adduci ad se. Et quum appropinquasset, interrogauit eum, dicens: Quid tibi uis faciam? At ille dixit: Domine, ut uideam.* Ecce quãtùm oratio potest, ecce quantùm valet clamor mentis. Turbam vicit, Christum sistit: clamore tenetur, qui fortitudine teneri non posset. Stat Iesus, vocat & expectat eum, quid velit interrogat. Nihil nisi lumen requirit: cum lumine loquitur, & à lumine lumen quærit. nihil melius quærere poterat. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Et Iesus dixit illi: *Respice, fides tua te saluum fecit. Et confestim uidit, & sequebatur eum, magnificans Deum.* Inter dicere & facere Dei nulla distantia est. Dixit illi, Respice: confestim vidit. Hoc autem fides fecit, sine qua

Ioan. 1.

Cæci sunt.

Ioan. 8.

Psal. 24

Psal. 6

Matth. 9

Heb. 11. qua impossibile est placere Deo. *Et sequebatur eum, magnificans Deum.* Cæci non sequuntur Iesum: illi eum sequuntur, qui illuminati sunt. Illi verò illuminati sunt, qui in eum credunt, qui veritatẽ intelligunt, & erroris tenebras à se repellunt. Et tales quidem eum magnificant & laudant: quia *Eccl. 15.* non est speciosa laus in ore peccatoris. *Et omnis plebs ut uidit, dedit laudem Deo.* Dignum est enim, vt *Psalm. 135.* omnes eum laudent, qui facit mirabilia magna solus.

IN DIE CINERVM.
Matth. VI.

In illo tempore, Dixit Iesus discipulis suis: Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ, tristes. Et reliqua. Homilia beati Augustini episcopi.

Habetur lib. 2. De Serm. Domini in monte.

MAnifestum est his præceptis omnẽ nostram intentionem in interiora gaudia dirigi: ne foris quærentes mercedem, huic sæculo cõformemur, & amittamus promissionẽ tantò solidioris atq; firmioris, quantò interioris beatitudinis, qua nos elegit Deus conformes fieri imaginis filij eius. In hoc aũt capitulo maximè animaduertendum est, nõ solùm in rerum corporearum nitore atque pompa, sed etiã in ipsis sordibus luctuosis esse posse tactantiã: & eò periculosiorẽ, quò sub nomine seruitutis Dei decipit. Qui ergo immoderato cultu corporis atq; vestitu, vel cæterarũ rerum nitore præfulget, facilè cõuincitur rebus ipsis pomparũ sæculi esse sectator, nec quenquam fallit dolosa imagine sanctitatis. Qui autem in professione Christianitatis, inusitato squalore ac sordibus intentos in se hominum oculos facit, cùm id voluntate faciat, non necessitate patiatur, cæteris eius operibus potest conijci, vtrũ hoc contemptu superflui cultus, an ambitione aliqua faciat. Quia & sub ouina pelle cauẽdos lupos Dominus præcipit. sed ex fructib⁹, inquit, eorũ cognoscetis eos. Cùm enim cœperint aliquibus tentationibus ea ipsa illis subtrahi vel negari, quæ isto velamine vel cõsecuti sunt, vel consequi cupiunt, tunc necesse est vt appareat, vtrùm lupus in ouina pelle sit, an ouis in sua. Nõ enim propterea ornatu superfluo debet aspectus hominum mulcere Christianus, quia parcũ habitum ac necessarium etiam simulatores sæpiùs vsurpant, vt incautos decipiant: quia & illæ oues non debent pelles suas deponere, si aliquando eis lupi se contegant. Quæri ergo solet, quid sit quod ait: Vos autem cùm ieiunatis, vngite capita vestra, & facies vestras lauate, ne videamini hominibus ieiunantes. Non enim rectè quisquam præceperit, quanuis faciem quotidiana consuetudine lauemus, vnctis etiam capitibus cùm ieiunamus

Matt. 7.

debere. Quod si turpissimum omnes fatentur, intelligendum est, hoc præceptum vngendi caput, & faciem lauandi, ad interiorẽ hominẽ pertinere. Vngere ergo caput, ad lætitiam pertinet: lauare autem faciem, ad munditiam. Et ideò caput vngit, qui lætatur interiùs mente atq; ratione. Hoc enim rectè accipimus caput, quòd in anima præeminet, & quo cætera hominis regi & gubernari manifestum est. Et hoc facit, qui non foris quærit lætitiam, vt de laudibus hominum carnaliter gaudeat. Caro autem, quæ subiecta esse debet, nullo modo est totius naturæ humanæ caput. Nemo quidem vnquam carnem suam odio habuit, sicut Apostolus dicit, cùm diligendam uxorem præcipit: sed caput mulieris vir, cui caput est Christus. Interiùs ergo gaudeat in ieiunio suo, eo ipso quo se sic ieiunando auertit à voluptate seculi, vt sit subditus Christo, qui secundùm hoc præceptum caput vnctũ habere desiderat. Ita enim & faciem lauabit, id est, cor mundabit, quo visurus est Deum, non interposito velamine propter infirmitatem contractam de sordibus, sed firmus & stabilis, quoniam mundus & simplex. Lauamini, inquit, mũdi estote, auferte nequitias ab animis vestris, atq; à cõspectu oculorũ meorũ. Ab his ergo sordib⁹ facies nostra lauanda est, quibus Dei aspectus offenditur. Nos enim reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginẽ transformabimur. Sæpè etiam cogitatio necessariarũ rerũ, ad istam vitam pertinentem, fauciat & sordidat interiorem oculũ nostrum, & plerunq; cor duplicat, vt ea quæ videmur cum hominibus rectè facere, non eo corde faciamus, quo Dominus noster præcipit: id est, non quia eos diligimus, sed quia commodum ab eis aliquod propter necessitatem præsentis vitæ adipisci volumus. Debemus autem benefacere hominibus propter salutem ipsorum æternam, non propter temporale commodum nostrum. Inclinet ergo Deus cor nostrum in testimonia sua, & non in emolumentum. Finis enim præcepti, est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Qui autem propter suam de hac vita necessitatem fratri consulit, non vtiq; charitati consulit: quia non illi, quem debet tanquàm seipsum diligere, sed sibi consulit, vel potiùs nec sibi: quandoquidem hinc sibi facit duplex cor, quo impeditur ad videndũ Deũ: in qua sola visione est beatitudo certa atq; perfecta. Rectè ergo Dominus præcipit, qui mundando cordi nostro instat, dicens: *Nolite uobis condere thesauros in terra, ubi tinea & comestura exterminant, & ubi fures effodiunt et furantur. Thesaurizate autem uobis thesauros in cælo, ubi neque tinea, neque comestura exterminant, ac ubi fures non effodiunt nec furantur. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est cor tuũ.* Ergo ii in terra erit cor, id est, si eo corde quisq; operetur aliquid, vt terrenum commodũ adipiscatur, quomodò erit mundũ cor quod [illa] volutatur? Si autẽ in cælo, mundum erit,

Vngere caput.

Ephes. 5.

1. Cor. 11.

Esa. 1.

2. Cor. 3.

Psal. 118.

1. Tim. 1.

Matth. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia munda sunt quæcunq; cælestia. Sordescit enim aliquid, cùm inferiori miscetur naturæ, quantuis in suo genere non sordidæ. Quia etiam de puro argento sordidatur aurum, si misceatur. Ita & animus noster terrenorum cupiditate sordescit, quantuis ipsa terra in suo genere atq; ordine munda sit. Cælum autem hoc loco nõ corporeum acceperim, quia omne corpus pro terra habendum est. Totum enim mundum debet cõ
Psal. 113. temnere, qui sibi thesaurizat in cælo. In illo ergo cælo, de quo dictum est per Psalmistam, Cælum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominũ: id est, in firmamento spirituali. Non enim in eo quod transiet, constituere aut collocare debemus thesaurum nostrum & cor nostrum, sed in
Matt. 24. eo quod semper manet. Cælum autem & terra transient. Et hîc manifestat de mundando corde secuncta ista præcipere, cùm dicit: *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si autem oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Qui locus sic intelligendus est, vt nouerimus omnia opera nostra tunc esse munda, & placere in cõspectu Dei, si fiant simplici corde, id est, intentio-
Rom. 13. ne superna, fine illo charitatis, quia & plenitudo legis charitas. Oculũ ergo hîc accipere debemus ipsam intentionem, qua facimus quicquid faci-
Oculus, intentio. mus. Quæ si munda fuerit & recta, & illud aspiciens quod aspiciendum est, omnia opera nostra, quæ secundùm eam operamur, necesse est vt sint bona. Quæ opera omnia totum corpus appellauit, quia & Apostolus membra nostra dicit quædam opera, quæ improbat, & mortificanda
Colos. 3. præcipit, dicens: Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, auaritiam, & cætera talia. Non ergo quid quisque faciat, sed quo animo faciat, considerandum est. Hoc est enim lumẽ in nobis: quia hoc nobis manifestum est, bono animo nos fa-
Ephe. 5. cere quod facimus. Omne enim quod manifestatur, lumen est. Nam ipsa facta, quæ ad hominum societatem à nobis procedunt, incertum habent exitum: & ideò tenebras eas vocauit. Non enim noui, cùm pecuniã porrigo indigenti & petẽti, quid inde aut facturus sit, aut passurus: & fieri potest, vt vel faciat ex ea, vel propter eam patiatur aliquid mali, quod ego cùm darem, non euenire voluerim, neque hoc animo dederim. Itaque si bono animo feci, quod mihi cùm facerẽ notum erat, & ideò lumen vocatur: illuminatur etiam factum meum, qualemcunque exitum habuerit. Qui exitus quoniam incertus & ignotus est, tenebræ appellatę sunt. Si autem malo animo feci, etiam ipsum lumen tenebræ sunt. Lumen enim dicitur, quia nouit quisque quo animo faciat, etiam cùm malo animo facit: sed ipsum lumen tenebræ sunt, quia non in superna dirigitur simplex intentio, sed ad inferiora declinatur, & duplici corde quasi vmbram facit. *Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ s[unt]*

Lumen quando tenen. Lumen quando tenebræ.

Hoc est: Si ipsa cordis intentio, qua facis quod facis, quæ tibi nota est, sordidatur appetitu rerũ terrenarum & temporalium, atque cæcatur: quantò magis ipsum factum, cuius incertus est exitus, sordidum & tenebrosum est? quia & si benè alicui proueniat, quod tu non recta & munda intentione facis, quomodò tu feceris, tibi imputatur, non quomodò illi prouenerit.

EODEM DIE.
Matth. VI.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ, tristes. Et reliqua. Homilia Venerabilis Bedæ presbyteri.

CLemens & pius Dominus Deus noster humanum genus, quod prædestinauerat ad vitam, non est passus relinquere in morte: sed ita vt suasione deceptum fuerat diaboli per gustum pomi in paradiso, ita etiam sacrosancto ieiunio docuit esse liberandum, vt in præsenti lectione audiuit dilectio vestra. Cùm ieiunatis, inquit, nolite tristes vos coram hominibus pro appetitu laudis humanæ ostendere, sicut hypocritæ faciunt, qui omnia bona sua quæ egerint, propter humanæ tantùm laudis concupiscentiam operantur, de quibus subditur: *Amen dico uobis, quia receperunt mercedem suam*, quam ab hominibus quæsierunt: & non solùm præmio priuati sunt sempiterno, sed etiam pœnas habent sibi præparatas æternas. Vnde etiam de sancto sequitur ieiunio. *Tu autem cùm ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam laua.* Ac si diceret: Sancto igitur ieiunio, sancta adaugere opera festinate. Quod verò caput vngere docet, faciemque lauare, pijs hoc ipsum ieiunium operibus Deo omnipotenti commendari vult. Caput ergo nostrum Christus est, omnesq; fideles eius membra esse dicuntur. Caput ergo nostrum vngimus, faciemq; lauamus, cùm ieiunia nostra eleemosynarũ largitate, pauperumque & peregrinorum cura, venia quoq; delictorum in debitoribus, orationibus sanctis, humiliq́ue confessione, pœnitentia lachrymosa, vigiliarumq; assiduitate, Domino nostro placabilia facimus. Talibus & his similibus iustitiæ vel misericordiæ operibus omnes sordes à nobis delictorũ abluere studeamus, præcipueq; cauere, ne humanę laudis appetitu hæc ipsa perdamus, sed potiùs, Domino largiente, ita sint bona nostra proximis in exemplum, vt videtes bona opera nostra, glorificẽt patrẽ nostrũ, qui in cælis est, & nos pro bonis quæ fecimꝰ, duplicé à Domino mercedem, & pro nostra, & pro aliorũ salute percipere mereamur, sicut sancta nobis lectio repromittit: *Et pater tuus qui uidet in abscondo, reddet tibi.* Ac si diceret: Nam cùm Deus pium ac fidele studium ve-

Caput vngere.

Operũ iustitiæ & misericordiæ lauare.

Matth. 5.

strum viderit, æternę beatitudinis præmio vos remunerabit. Sequitur: *Nolite thesaurizare uobis thesauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate uobis thesauros in cælo, ubi neque ærugo neque tinea demolitur, & ubi fures nõ effodiunt neque furantur.* Quod ad superiora respicit verba, monens eleemosynarum largitatem tantùm in æternum recondi thesaurum. Fures autem sicut malè seruatam pecuniam furantur,
Fur, diabolus. & vt tinea corrumpit & dissipat: ita diabolus, qui hîc fur intelligitur, quicquid boni pro Domino faciamus, omni studio (sicut mille habet artes nocendi) totum hoc fauore hominum (quod
Tinea, fauor humanus. hîc tinea intelligitur) corrumpere, & æternæ retributionis gaudio omnimodis priuare conatur. Vnde, dilectissiminobis, omni studio, iuxta possibilitatem suam vnusquisque humanam laudem in exercitio boni operis fugiat: & tamen exempla sanctitatis in omnibus quantùm poteritis, alijs ad vitam, & vobismetipsis ad gloriam sempiternam demonstrare satagite. Memento-
te quomodò hæc ipsa sancta lectio monet: *Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Quisquis desiderat in cælo habitare cum Christo, eroget quod valet, vel paruum quod habet in terra, vt recipiat in cælo quæ dederit. Quid ad hæc dicere possumus? Si terrena ista & transitoria indigentibus non damus, ea nec in cęlo, nec in terra habebimus. Si ergo humiliter dederimꝰ in terra, sublimiter in cælo præmia recipiemus sempiterna. Amplectamur igitur, dilectissimi, beatam istam sacratissimæ solennitatis inchoationem, & solenne ieiunium concordante proposito bonæ voluntatis ineamus. Nihil à quoquam arduum, nihil asperum à nobis quæritur, nec aliquid quod vires nostras excedat indicitur, siue in abstinentiæ castigatione, siue in eleemosynæ largitione. Sciunt enim singuli, quid possunt, quid ue non possunt. Ipsi modulum suum pensent, ipsi iusta & rationabili consideratione decernant, vt sacrificium misericordiæ, quicquid oblatum fuerit, non cum tristitia Deo offeratur. Nam eleemo
Eleemosynæ ut præstande. synæ illis prosunt, qui vitam mutauerint. Das enim in egeno Christo, vt peccata tua redimas per Christum. Nam si ideò illi das, vt liceat tibi peccare impunè, non Christum pascis, sed iudicem contemnere conaris. Vos ergo ad hoc facite eleemosynas, vt orationes vestræ exaudiantur, ac vt adiuuet vos Deus ad vitam commutandam: & qui commutatis eandem vitam, in melius commutetis: vt per eleemosynas & orationes atq; ieiunia deleantur mala præterita, & futura vobis bona proueniant sempiterna, per Dominum nostrum Iesum Christũ, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus in secula seculorum, Amen.

EADEM QVARTA FERIA,
HOMILIA EVSEBII Emeseni.

TRistes enim dicuntur hypocritæ: quia vt religiosi appareant, tristitiam quandam & seueritatem in vultu ostendũt, quasi qui multo ieiunio sint confecti. Vnde & subditur: *Exterminant facies suas, ut appareant hominibus ieiunantes.* Facies enim suas exterminant, quia vltra suæ pulchritudinis terminos atq; naturam, incultas & informes horrescere sinunt. Si enim informitas Deo placuisset, tam pulchra facie hominem non formasset. Sed quare hoc faciunt? *Vt appareant hominibus ieiunantes.* Si enim soli Deo ieiunium suum cõmendare voluissent, non in facie, sed in corde illud ostenderent. Scriptũ est enim: Homo videt in facie, Deus autem cor. *1. Reg. 16.* da intuetur. Quia igitur nõ Deo, sed hominibus placere volunt, illud exterminant, quod ab hominibus videtur. Ideoq; qui laudem ab hominibus quærunt, mercedem à Deo non recipiunt. Et hoc est quod ait: *Amen dico uobis, receperunt mercedem suam.* Sola igitur intentio facit, vt nostra ie- *Intentio facit opera.*
iunia & cuncta operatio nostra Deo placeant. Vnde in sequẽtibus ait: *Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus nequam fuerit, totũ corpus tuũ tenebrosum erit.* Animæ nanq; oculus, intentio est: quæ si bona fuerit, omnis eius operatio lucida erit. Vnde quidam sapiens ait: Non magno- *Augustin. libr. 2. de Ser. Dom.*
perè considerandũ est quid aliquis agat, sed qua intentione hoc faciat. Qui enim ideò ieiunant, & facies suas exterminant, vt appareant hominibus ieiunãtes, quia stulta & vana intentione hoc faciunt, isti quidem (sicut Dominus ait) receperũt mercedem suã. Similiter aũt & illi, qui omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus, nullam aliam mercedem habebũt. At verò illis, qui bona intentione hoc agunt, præcipit Dominus, vt coram hominibus opera sua faciant. Sic (inquit) luceat lux vestra coram hominibus, vt vi- *Matth. 5.*
deant vestra bona opera, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Sola igitur intẽtio facit, vt opera nostra vel bona vel mala Domino appa- *1. Reg. 16.*
reant. Homo enim in facie videt, Deus autem corda intuetur. Vnde & ipse ait: Nolite iudicare, *Matth. 7.*
& non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. Iudicatis quæ nescitis, condemnatis multoties quæ ignoratis. Aliter vobis, & aliter mihi videtur: cognoscite priùs intentionem, & sic iudicate. Potest enim fieri, vt vnum & simile opus non vna intentione fiat. Palàm enim eleemosynã dare, & bona & non bona intẽtione fieri potest. Si enim ideò das, vt bonũ exẽplum alijs tribuas, & Deus inde glorificetur, bona intẽtio est. Sic igitur in omnibꝰ sola intentio quærẽda est: quę si bona fuerit, totũ corpus virtutum, totaq; massa operationũ lucida erit. Sed dicis: Quomodò ergo ieiunabo? Audi quod sequitur: *Tu autem quum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam laua, ne uideare hominibus ieiunans, sed patri tuo qui uidet in abscondito: & pater tuus, qui uidet in abscondito, reddet tibi.* Hypocrita (inquit) quando ie-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lunat, faciem exterminat, quoniam exterminatorem & triſtitiæ principem in corde habet. Tu verò qui totius conſolationis lætitiæq; Dominũ in cordis habitaculo geſtas, hilarem & pulchram faciem oſtende: appareat exteriùs in facie, quantum lætitiæ bonum præſideat menti. Et virtute ieiunij operante, ſicut animæ caput & facies vngitur & lauatur interiùs: ſic etiam non mœroris, *ieiunij effectus.* ſed gaudij pulchritudo reueletur exteriùs. Hoc enim ieiunium, ſuo ordine celebratum, operatur in nobis, vt mens noſtra ſancti ſpiritus oleo vngatur, & facies animę peccatorũ maculis abſtergatur. Faciei aũt ſpiritualis ſanctæq; lætitia, hypocriſim tollit, eiusq; ſuſpicionem. Qualiſcũque enim ſit facies, Deus tamen non faciem intuetur, ſed cor. Age palàm quicquid vis, finge & ſimula quod vis, ipſe tamen in abſcondito videt: & ſecundùm hoc quod ibi videt, reddet tibi.

Nolite theſaurizare uobis theſauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate uobis theſauros in cælo, ubi neq; ærugo neq; tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur.

Pſal. 38. In terra enim theſaurizanti dicitur, Theſaurizat,
Luc. 12. & ignorat cui congregabit ea. Itemq; : O ſtulte : hac nocte anima tua tolletur à te: quæ autem paraſti, cuius erunt? De illo verò, qui in cælis theſau-
Pſalm. 111. rizat, quid dicitur? Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi, cornu eius exaltabitur in gloria. Et Dominus ad diuitem :
Matt. 19. Si vis perfectus eſſe: vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me, & habebis theſauros in cælo. Qui autem ſic ſuos theſauros reponit, ſecurus eſt, eosq; amittere non timet. Quicunq; igitur es, quicunq; cupis habitare animam tuam in cælo, & eſſe ibi theſauros tuos re-
Matth. 6. pone. Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. Si incælo eſt theſaurus: tibi erit & anima: ſi in terra eſt, in terra erit: In terra vtiq;, de qua
Iob. 10. beatus Iob ad Dominum dicit : Dimitte me, vt plangam paululum dolorem meum, antequã vadam & non reuertar, ad terram tenebroſam, opertam mortis caligine: in terram miſeriæ, & tenebrarũ, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Denique vbi theſaurus, ibi eſt & cor: quia vnuſquiſq; illuc peruenire deſiderat, vbi diuitias ſuas cognoſcit eſſe cõditas. Beatus igitur qui diuitias ſuas in cælo repoſuit, vt ſemper ibi mentem habeat, ſemperq; illuc omnibus viribus & deſiderio tendat.

FERIA QVINTA POST Cinerum, Matth. 8.

In illo tempore : Cùm introiſſet Ieſus Capharnaum, Eſt ſermo acceſſit ad eum Centurio, rogans eum & dicens : Domine 6. de Ver- puer meus iacet paralyticus in domo, & malè torquetur. bis Domi- Et reliqua. Sermo B. Auguſt. epiſcopi.
ni.

AVdiuimus cùm euãgelium legeretur, fidem noſtram in humilitate laudari. Ad domum quippe centurionis cùm ſe promitteret Dominus Ieſus iturum, vt puerum eius ſanaret, ille reſpondit : Non ſum dignus, vt ſub tectũ meum intres: ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus. Dicendo ſe indignũ, præſtitit dignũ: non in cuius parietes, ſed in cuius cor Chriſtus intraret. Neq; hoc diceret cũ tãta fide & humilitate, niſi iam illũ, quẽ timebat intrare domum ſuam, corde geſtaret. Nam non erat magna felicitas, ſi Dominus intraret eius pa-
Luc. 7. rietes, & non eſſet in pectore eius. Magiſter quip pe humilitatis & verbo & exemplo, diſcubuit in domo cuiuſdam phariſęi ſuperbi, nomine Simonis : & cùm in domo eius recumberet, non erat in corde eius, vbi caput filius hominis reclinaret. Ita enim quendam ſuperbum, quantùm intelligitur ex verbis ipſius Domini, vltrò ſecum ire cupientem, à ſuo diſcipulatu reuocauit. Sequar te,
Matth. 8. ait, Domine, quocunque ieris. Et Dominus in eius corde inuiſibilia videns: Vulpes, inquit, foueas habent, & volucres cæli nidos : filius autem hominis nõ habet, vbi caput ſuum reclinet. Hoc eſt: Habitant in te inſidiæ ſicut vulpes, habitat ſuperbia ſicut cæli volatilia : filius autem hominis ſimplex contra inſidias, humilis contra ſuperbiam, non habet vbi caput ſuum reclinet. Et ipſa reclinatio capitis, non erectionis, ſed humilitatis magiſtra eſt. Reuocat ergo iſtum ire cupientem, trahit alium recuſantem. Eodem quippe loco ait cuidam : Sequere me. Et ille : *Ibid.* Sequar Domine, ſed ſine me primò ire, & ſepelire patrem meum. Piè quidem excuſauit, & ideò dignior cuius excuſatio remoueretur, vocatio firmaretur. Pium erat quod volebat facere, ſed docuit magiſter, quid deberet præponere. Volebat enim eum eſſe viui verbi prædicatorem, ad faciendos victuros. Erant autem alij, per quos illa neceſsitas impleretur. Sine, inquit, mortuos ſepelire mortuos ſuos. Infideles quando cada- *Infidles mortui.*
uer ſepeliunt, mortui mortuum ſepeliunt. Illius corpus animam perdidit, illorum anima Deum. Sicut enim vita corporis anima eſt, ſic vita animę Deus. Sicut expirat corpus, cùm animã emittit : ita expirat anima, cùm Deum amittit. Deus amiſ- *Anima mori.*
ſus, mors animæ: anima emiſſa, mors eſt corporis. Mors corporis neceſſaria, mors animæ voluntaria. Diſcumbebat igitur Dominus in domo ſu- *Luc. 7.*
perbi cuiuſdam phariſæi. In domo eius erat, vt dixi, & in pectore eius non erat. In huius verò centurionis domum non intrauit, ſed pectus poſſedit. Zachæus verò Dominum & domo *Luc. 19.*
ſuſcepit, & animo. Huius tamen fides in humilitate laudatur. dixit enim : *Non ſum dignus, ut ſub tectum meum intres* Et Dominus. *Amen dico uobis, non inueni tantam fidem in Iſraël,* ſecundùm carnem. Et iſte iam Iſraëlites erat ſecundùm ſpiritum. Venerat Dominus ad Iſraël carnalem, id eſt, ad Iudæos,

dæos, ibi primùm quærere oues perditas, in quo populo, & de quo populo etiam corpus aſſumpſerat. Non inueni tantam fidem, ipſe dicit. Poſſumus nos metiri fidem hominum, ſicut homines. Ille qui interiora cernebat, ille quem nemo fallebat, perhibuit teſtimonium cordi hominis, audiens verba humilitatis, pronuncians ſententiam ſanitatis. Vnde autem hoc præſumpſit? *Et ego, inquit, homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites: & dico huic, uade, & uadit: & alio, ueni, & uenit: & ſeruo meo, fac hoc, & facit.* Poteſtas ſum quibuſdam ſub me, poſitus ſub poteſtate quadam ſuper me. Si ergo ego, inquit, homo ſub poteſtate, iubendi habeo poteſtatem, quid tu poſsis, cui omnes ſeruiunt poteſtates? Erat autem iſte de gentibus : erat quippe centurio. Iam Iudæa gens habebat militem Romani imperij : ibi iſte militem agebat, quantùm agere centurio poterat, & ſub poteſtate, & habens poteſtatem, ſubditus obediens, ſubditos regens. Dominus autem, quod intendat præcipuè neceſſario charitas veſtra, quamuis in populo Iudaico eſſet, iam pronunciabat Eccleſiam toto orbe terrarum futuram, in quam miſſurus erat apoſtolos, ipſe à gentibus non viſus & creditus, à Iudæis viſus & occiſus. Quomodò enim Dominus huius domum corpore non intrauit, & eius tamen fidem atque ipſam domum abſens corpore, præſens maieſtate ſanauit : ſic & idem Dominus in ſolo Iudæo populo corpore fuit, apud alias gentes nec de virgine natus eſt, nec paſſus eſt, nec pedibus ambulauit, nec humana pertulit, nec diuina mirabilia fecit. Nihil horum in cæteris gentibus egit, & tamen de illo impletum eſt, quod di-
Pſalm. 17. ctum erat: Populus quem non cognoui, ſeruiuit mihi. Quomodò, ſi non cognouit? In auditu auris obediuit mihi. Iudæa gens cognouit, & crucifixit : orbis terrarum audiuit, & credidit. Hanc quodammodò abſentiam corporis ſui, & præſentiam virtutis ſuæ in omnibus gentibus, & in illa muliere ſignificauit, quæ fimbriam veſtimenti eius tetigerat, cùm requirit, dicens : Quis
Luc. 8. me tetigit? Tanquàm abſens requirit, tanquàm præſens ſanat. Turbæ te, inquiunt diſcipuli, comprimunt, & dicis, Quis me tetigit? Quaſi enim ſic ambularet, vt à nullo prorſus corpore tangeretur, ita dixit, Quis me tetigit? Et illi : Turbæ te comprimunt. Et tanquàm diceret Dominus, Tangentem quæro, non prementem : ſic etiam nunc eſt corpus eius, id eſt, Eccleſia eius. Tangit eam fides paucorum, premit eam turba multorum. Corpus enim Chriſti eſſe Eccleſiam, tanquàm filij eius audiſtis : & ſi vultis, ipſi eſtis. A-
Coloſſ. 1. Cor. 12. poſtolus multis hoc locis dicit : Pro corpore, inquit, eius, quod eſt Eccleſia. Et iterùm : Vos autem eſtis corpus Chriſti & membra. Si ergo corpus eius ſumus, quod tunc corpus ipſius in turba patiebatur, hoc patitur Eccleſia ipſius. A turbis premitur, à paucis tangitur. Caro eam premit, fides tangit. Erigite oculos, obſecro vos, qui habetis vnde videatis. Habebitis etenim, quod videatis. Erigite oculos fidei, tangite extremam fimbriam veſtimenti, ſufficiat ad ſalutem. Videte : quod audiſtis ex euangelio tunc futurum, nunc præſens eſt. Ideo, inquit, dico vobis, poſt laudatam centurionis fidem, tanquàm alienigenæ carne, domeſtici corde : propterea, inquit, *Multi ab oriente & occidente uenient.* Non omnes, ſed multi : tamen ipſi ab ori- *Sup.*
ente & occidente. Iſtis duabus partibus totus orbis deſignatur. *Multi ergo uenient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraham, & Iſaac & Iacob in regno cælorum, filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores.* Filij autem regni, Iudæi ſcilicet. Vnde filij regni? Quia legem acceperunt, ad quos prophetæ miſsi ſunt, apud quos templum & ſacerdotium fuit, qui celebrant figuras omnium futurorum. Quarum enim rerum figuras celebrauerunt, præſentiam non agnouerunt. *Filij ergo regni ibunt, inquit, in tenebras exteriores : ibi erit ploratus & ſtridor dentium.* Videmus Iudæos reprobatos, videmus Chriſtianos ab oriente & occidente vocatos ad quoddam conuiuium cæleſte, vt recumbant cum Abraham & Iſaac & Iacob, vbi panis iuſtitia, vbi potus ſapientia. Attendite ergo fratres, hoc enim eſtis, ex hoc populo eſtis : iam tunc prædicato, nunc præſentato. De his vtique eſtis, qui vocati ſunt ab oriente & occidente recumbere in regno cælorum, non in templo idolorum. Eſtote ergo corpus Chriſti, non preſſura corporis Chriſti. Habetis veſtimenti fimbriam, quam tangatis, vt à profluuio ſanguinis, id eſt, à carnalium voluptatum fluxu ſanemini. Habetis, inquam, veſtimẽti fimbriam, quam *Veſtis.* tangaris. Veſtem purate Apoſtolos, ſub textura vnitatis adhærentes lateribus Chriſti. In his apo- *Fimbriæ*
ſtolis erat tanquam fimbria, minimus & nouiſsimus Paulus, ipſo dicente : Ego ſum minimus *1. Cor. 15.* apoſtolorum. In veſte nouiſsimum & minimum, fimbria eſt. Fimbria cum contemptu *1. Cori. 4.* aſpicitur, ſed cum ſalute tangitur. Vſque ad hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, ac colaphis cædimur. Quid tam extremum, quid tam contemptibile? Tange, ſi fluuium ſanguinis pateris: exiet virtus de illo, cuius veſtis eſt, & ſanabit te.

FERIA SEXTA POST Cinerum. Matth. 5.

In illo tempore : Dixit Ieſus diſcipulis ſuis : Audiſtis quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odies inimicum tuum. Et reliqua. Ex Tractatu beati Auguſt. epiſcopi.

Gra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

GRadum esse aliquem in pharisæorum iustitia, quæ ad legem pertinet, hinc intelligitur, quòd multi homines eos etiam, à quibus diliguntur, oderunt: sicut luxuriosi filij parentes coërcitores luxuriæ suæ. Ascendit ergo aliquem gradum, qui proximum diligit, quamuis adhuc oderit inimicum: eius autem imperio, qui venit legem implere, Matth. 5. non soluere, perficiet beneuolétiam & benignitatem, cùm eam vsque ad inimici dilectionem perduxerit. Nam ille gradus, quamuis nonnullis sit tam paruus, est tamen vt cum publicanis etiam possit esse communis. Nec quod in lege dictum est, Oderis inimicum tuum: vox iubentis iusto est accipienda, sed permittentis infirmo. Sic autem diligendus est inimicus, non in- *Inimicus ut diligendus.* quantum inimicus, sed inquantum homo est: vt ei hoc velis prouenire quod tibi, id est, vt ad regnum correctus reuocatusque perueniat.

Proximus est autem omnis homo. Omnes proximi sumus, conditione terrenæ natiuitatis & mortalitatis, & etiam spe cælestis hæreditatis: quia nescimus quis quid futurus sit, quoniam aut Iudæus, aut hæreticus, aut paganus fortè enim per misericordiam Dei conuerteturad Deum, & inter sanctos primum locum habere merebitur. Quòd in lege Dominus non inimicos, sed inimicum præcipit odiri: vt qui spiritales erant in lege, solum diabolum odio haberét, cuius odium Christus non venit soluere, sed adimplere. *Ego autem dico uobis: Diligite inimicos ue-* *Præcepta Dei nõ impossibilia.* *stros, benefacite illis, qui oderunt uos.* Multi præcepta Dei, sua imbecillitate, non sanctorum viribus æstimãtes, putant esse impossibilia quæ præcepta sunt: & dicunt sufficere virtutibus, non odisse inimicos, cæterùm diligere plus præcipi, quàm humana natura patiatur. Sciendum est ergo Christum non impossibilia præcipere, sed
1.Reg. 24 perfecta: quæ Dauid fecit in Saul & Absolon:
2.Reg. 18. Stephanus quoque martyr pro inimicis se lapi-
Actor. 8. dantibus deprecatus est, & Paulus anathema esse
Rom. 9. cupit pro persecutoribus suis. Hæc autem Ie-
Luc. 23. sus & docuit, & fecit, dicens: Pater ignosce illis. In reliquis operibus bonis interdum potest aliquis qualemcunque excusationem prætendere: in habenda verò dilectione nullus se poterit excusare. Potest mihi aliquis dicere, Non possum ieiunare. nunquid potest dicere, Non possum amare? Potest dicere, Propter infirmitatem corporis mei non possum à vino & carnibus abstinere: nunquid potest dicere, Non possum diligere? Potest aliquis dicere, Virginitatem non possum seruare. potest dicere, Non possum res totas vendere, & pauperibus erogare: nunquid potest dicere, Non possum diligere inimicos? Non enim ibi aut pedes laborant currendo, aut aures audiendo, aut manus operando lassantur, vt nos per ipsam excusationem laborare conemur. Non nobis dicitur: Ite ad orientem, & quærite charitatem: nauigate ad occidentem, & inuenietis dilectionem. Intus in corde nostro est, vbi redire iubemur, dicente propheta: Redite præuaricatores ad cor. Non Esai. 46. enim in longinquis regionibus inuenitur, quod à nobis petit. *Et orate pro persequentibus & calumniantibus uos.* Quid aliud pro inimicis orandum est, nisi hoc quod ait Apostolus: Vt det illis Deus 2.Tim. 2. pœnitentiam, & resipiscant à diaboli laqueis, à quo capti tenentur? Sed hic meritò mouet, quomodò huic præcepto Domini non sit aduersum, quòd & in prophetis inueniuntur multæ imprecationes aduersus inimicos, quæ maledictiones putantur: sicut est illud: Fiat mensa eorum co- Psal. 68. ram ipsis in laqueum, & cætera, quæ ibi dicuntur. Et Ioannes apostolus ait: Qui scit fratrem 1.Ioan. 5. suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget quis. Vbi primò videndum, quia prophetæ per imprecationem quid esset futurum cecinerunt, non optantis voto, sed spiritu præuidentis: qui maximè solent figura imprecantis futura prædicere, sicut figura præteriti temporis ea, quæ ventura erant, sæpè cecinerunt. Deinde in Apostoli verbis intelligendum, esse quosdam fratres, pro quibus non orare nobis præcipitur, cùm Dominus etiam pro persecutoribus nostris nos orare iubeat. Quæ solui quæstio non potest, nisi fateamur esse aliqua peccata in fratribus inimicorum persecutione grauiora. Fratres autem Christianos significari, multis diuinarum scripturarum documentis probari potest. Pec- *Peccatum ad mort.* catum ergo fratres ad mortem puto esse, cùm post agnitionem Dei, per gratiam Domini nostri Iesu Christi, quisque oppugnat fraternitatem, & aduersus ipsam gratiam, qua reconciliatus est Deo, inuidentiæ facibus agitatur. Peccatum autem non ad mortem est, si quisquam non amorem à fratre alienauerit, sed officia fraternitati debita, per infirmitatem aliquam animi non exhibuerit. Quapropter & Dominus in Luc. 23. cruce ait: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Nondum enim gratiæ spiritus sancti participes facti societatem sanctæ fraternitatis inierant. Et beatus Stephanus in Actibus apostolorũ Act. 7. orat pro eis, à quibus lapidatur, quia nondũ Christo crediderant, neque aduersus illam communem gratiam dimicabant. Apostolus verò Paulus propterea, credo, non orat pro Alexandro, quia iam frater erat, & ad mortem, id est, fraternitatem inuidentia oppugnando, peccauerat. Pro his autem qui non abruperant amorem, sed timore succubuerant, orat vt eis ignoscatur. Sic 2. Tim. 4. enim dicit: Alexander ærarius multa mala mihi ostendit. reddet illi Deus secundùm opera illius: quem & tu deuita. Valdè enim restitit sermonibus nostris. Deinde subiungit pro quibus orat, ita dicens: In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur. Et nota, quòd Apostolus

lus non ait, reddat, sed, reddet illi Deus secundùm opera eius: quod verbum prænunciantis est, non imprecantis: sicut & de illo hypocrita Iudæorum est dictum, cui euersionem immine- Matth. 23. re cernebat: Percutiet te Deus paries dealbate.

Quæritur autem, quomodo huic præcepto, quo nobis iubetur, Orate pro persequentibus & calumniantibus vos, illud non est contrarium, qd Apoc. 6. in Apocalypsi Ioannis legitur, martyres orare Deum vt vindicentur? Sed hoc quempiam mouere non oportet. Quis enim audeat affirmare, cùm illi sancti candidati se vindicare petiuerũt, vtrùm contra ipsos homines, an contra regnum peccati petierint? Nam ipsa est syncera & plena iustitiæ & misericordiæ vindicta martyrum, vt euertatur regnum peccati, quo regnante tanta Rom. 6. perpessi sunt. Ad cuius euersionem nititur Apostolus, dicens: Non ergo regnat peccatum in vestro mortali corpore. Destruitur autem & euertitur peccati regnum, partim correctione hominum, vt caro spiritui subijciatur: partim † depra- † damnatione. uatione perseuerantium in peccato, vt ita ordinentur, vt iustis cum Christo regnantibus molesti esse non possint. Quis ergo conuincit sanctos nó talem suam vindictam à Domino esse deprecatos? Quod autẽ consequenter positum est, *Vt sitis filij patris uestri, qui in cælis est*: ex illa regula intelligendum est, qua Ioannes dicit: Dedit eis po- Ioan. 1. testatem filios Dei fieri. Vnus enim naturaliter filius Dei, qui nescit omninò peccare: nos potestate accepta efficimur filij, inquantùm ea, quæ ab illo præcipiuntur, implemus. Vnde Apostolica disciplina adoptionem appellat, qua in æternam hæreditatem vocamur, vt cohæredes Christi esse possimus. Filij ergo efficimur regeneratione spirituali, vt adoptemur in regnum Dei, nó tanquàm alieni, sed tanquàm ab illo facti & conditi. Itaq; non ait, Facite ista, quia estis filij: sed, Facite, vt sitis filij patris vestri. Nos autem cùm Luc. 23. patimur inimicos, hoc clamare debemus: Pater, ignosce illis: phrenetici enim sunt. à contrario spiritu possidentur, vt nos persequantur, & maiorem persecutionem à diabolo patiantur. *Qui* Malac. 4. *solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Scriptum est: Orietur timentibus vobis nomen Domini sol iustitiæ, vt etiam pluuiam accipias irrigationem doctrinæ veritatis, quia & bonis & malis apparuit, bonis & malis euangelizatus est Christus. Siue istum solem mauis accipere, non solùm hominum, sed etiam pecorum corporeis oculis prolatum: & istam pluuiam, qua fructus gignuntur, qui ad refectionem corporis dati sunt: quod probabiliùs intelligi existimo, vt ille sol spiritualis non oriatur nisi bonis & sanctis: quia hoc ipsum est, quod plan Psal. 5. gunt iniqui in illo libro, qui sapientia Salomonis inscribitur: Et sol non ortus est nobis. & illa spiritalis pluuia non irriget nisi bonos: quia malos significabat vinea, de qua dictum est: Mandabo nubibus meis, ne pluant super eam imbrẽ. Esai. 5.

Si enim diligitis eos qui uos diligunt, quam mercedem habebitis? Filios & parentes amat latro, amat & leo, *Amor naturalis etiam in feris.* amat & draco, amãt & vrsi, amãt & lupi. Si enim amantes non diligimus filios vel parentes, peiores leonibus vel supradictis bestijs sumus. Si verò amantibus vicem reddimus, adhuc nihil ab istis bestijs distare videmur. *Nonne & publicani hoc faciunt?* Publicani sunt, qui sectantur lucra, & exi- *Publicani.* gunt vectigalia per negociationes, & fraudes, & furta, scæleraq; & periuria. *Et si salutaueritis fratres uestros tantùm, quid amplius facitis? Nonne & ethnici hoc faciunt?* Ethnici ex Græco in Latinum interpretantur gentiles. Ethnos enim Græcè, gens dicitur. Si ergo, inquit, etiam peccatores, publicani, ethnici erga dilectores suos, natura duce, norũt esse benefici, quantò magis vos, quibus vt gradus professionis eximior, ita cura necesse est sit † veritatis huberior, latiori sinu dilectionis am- † uirtutis. plecti debetis & non amantes? Nam diligere inimicos Deus præcipit, & petulantes humanarum mentium motus publicæ charitatis frangit affectu, non solùm iram ab vltione depellens, sed etiam in amorem mitigans iniurioſi: quia gentiũ est amantes amare, & commune est diligere dilligentes. Plùs diligendi sunt inimici, quàm amici. *Inimici plus diligendi, quã amici.* Qui enim inimici sunt, corpori aduersantur, & animæ præparant æterna præmia: quia qui carnalia nostra & terrena rapiunt, cælestia nobis & spiritualia cõgregant. Nonne magis diligendus est quàm odiendus, qui nobis dat æternas opes? Amici verò carnis nostræ nobis suauia suadere cõtendũt, quæ animæ nostræ præparant æternam mortem. *Estote ergo uos perfecti, sicut pater uester cæ-* *lestis perfectus est.* Quis autem hæc facit, nisi plenè perfecteq; misericors? Quo vno consilio miseria deuitatur, opitulante illo, qui ait: Misericordiã Osee 6. magis volo, quàm sacrificium: Perfectio nanque misericordiæ, qua plurimùm animæ laboranti consulitur, vltra dilectionem inimicorum porrigi non potest. Ideoq; sic concluditur: *Estote uos* *perfecti, sicut, & pater uester cælestis perfectus est.* Ita tamẽ, vt Deus intelligatur perfectus, tanquàm Deus: & anima perfecta, tanquàm anima. *Attendite* Matth. 6. *ne iustitiam uestram faciatis coram hominibus, ut uideamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem uestrum, qui in cælis est.* Cauete, inquit, iustitiam vestram facere corã hominibus: id est, cauete hoc animo iustè viuere, & ibi constituere bonum vestrum, vt vos videant homines. Alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cælis est: nõ si ab hominib. videamini, sed si propterea iustè viuatis, vt ab hominibus videamini. Nam & Apostolus dicit: Si adhuc hominibus pla- Gala. 1. cerem, Christi seruus non essem: cùm alio loco dicat: Sicut & ego omnibus per omnia placeo. 1.Cor. 10. Omnem curam rerum præsentium amouet, & attentos tantùm esse in spe futuri iubet: neque

sectari

Universidad de Deusto
Biblioteca

sectari vel hominum fauorem ostentatione bonitatis, vel iactantiam religionis, orationis publi cæ copia: sed intra conscientiam fidei fructum boni operis continendum, quia humanæ laudis cōsectatio eam tātùm, quam ab hominibus expectat, mercedem sit receptura. Iustitia nō aliud est, quàm non peccare: non peccare autem, legis præcepta seruare. Præceptorum autem obseruatio duplici genere continetur, vt nihil eorum quæ prohibentur facias, & omnia quæ iubentur, implere contendas. Hoc est enim quod Psalmista dicit: Recede à malo, & fac bonum. Si à malo recesseris, & non feceris bonum, transgressor es legis: quæ non tantùm in malorum actuum abominatione, sed in bonorum perfectione cōpletur. Neq; hoc solùm tibi præcipitur, vt vestitum suis non spolies indumentis, sed vt spoliatos operias tuis. *Cùm ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in Synagogis & uicis, ut honorificentur ab hominibus.* Hypocrita Græco sermone, simulator interpretatur: qui dum intus malus sit, bonum se palàm ostendit: hypo enim falsum, crisis verò iudicium sonat. Nomen autem hypocritæ translatum est à specie eorum, qui spectaculis tecta facie incedunt, distinguentes vultum cæruleo niueoq; colore, & cæteris pigmentis, habentes simulacra oris lintea gypsata, & vario colore distincta: nonnunquam colla & manus creta perungentes, vt ad personę colorem peruenirent, & populum dū in iudis agerent fallerent, modò in specie viri, modò in forma fœminæ, & reliquis præstigijs. Quæ species argumenti translata est in his, qui fallo incedunt vultu, & simulant quod non sunt. Sed hypocriseos maculam non habere, aut paucorum, aut nullorum est. Nam quicunq; vult se videri quod non est, hypocrita est. Qui tuba canit faciens eleemosynam, hypocrita est. Qui in synagogis & in platearum angulis orat, vt videatur ab hominibus, hypocrita est. Qui ieiunans demolitur faciem, vt ventris inanitatem demonstret in vultu, & hic hypocrita est. Ex quibus omnibus intelligitur, hypocritas esse, qui faciunt quodlibet, vt ab hominibus glorificentur. Mihi videtur & ille, qui dicit fratri suo, dimitte vt tollam festucam de oculo tuo, propter gloriam hoc facere, vt ipse esse iustus videatur. Vnde ei à Domino dicitur: Hypocrita, eijce priùs trabem de oculo tuo. Nō itaq; virtus, sed causa virtutis apud Deum mercedem habet. Et si à recta semita paulùm deuiaris, non interest vtrùm ad dexteram vadas, an ad sinistram, cùm verum iter amiseris. Signanter autem dicit, *Receperunt mercedem suam:* hoc est, Non Dei, sed suam. Laudati enim sunt ab hominibus, quorum causa exercuere virtutes. *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera.* In dextera intelligitur amor Dei: in sinistra, vanitas vel cupiditas mundi. Si pro humana laude dederis eleemosynam, totum est sinistra. Si verò pro remissione peccatorum, totum dextera facit. Quid est ergo, Nesciat sinistra quid faciat dextera, nisi, Quod facit Dei amor, non corrumpat inanitas, vel cupiditas mundi? Nam si hoc aliquis secundùm literam impleri posse credit, quid faciet? Si enim manus dextera doluerit, nunquid de sinistra eleemosynam dare non debet? In superioribus, Cauete, inquit, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus. vbi iustitiam generaliter nominauit, deinde particulariter exequitur. Est enim pars aliqua iustitiæ, opus quod per eleemosynam fit, & ideo cōnectit, dicendo: Cùm ergo facis eleemosynā, noli tuba canere ante te. Ad hoc respicit quod superiùs ait: Cauete facere iustitiam vestrā corā hominib⁹, vt scilicet videamini ab eis. Quod autem sequitur: *Amen dico uobis, receperunt mercedem suam:* ad aliud respicit, quod suprà posuit: Alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cælis est. Deinde sequitur: *Te autem faciente eleemosynam.* Cùm dicit, Te autem, quid aliud dicit, quàm, nō quomodò illi? Quid ergo mihi iubet? Te igitur, inquit faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. Ergo illi sic faciunt, vt sciat sinistra eorum, quid faciat dextera. Quod igitur in illis culpatum est, hoc tu facere vetaris. In eis autem hoc culpatum est, quod ita faciunt, vt laudes hominum quærant. Quapropter nihil consequentiùs sinistra videtur significare, quàm ipsam delectationem laudis. Dextera autem significat intentionem implendi præcepta diuina. Nesciat ergo sinistra, quid faciat dextera, id est: Non se misceat conscientiæ tuæ laudis humanæ appetitio, cùm in eleemosyna facienda diuinum præceptum contendis implere. *Vt sit eleemosyna tua in abscōso.* Quid est in abscōso, nisi in ipsa bona conscientia, quæ oculis humanis demonstrari non potest, nec verbis aperiri? Multi foris faciunt eleemosynam, & intus non faciunt, qui vel ambitione, vel alicuius temporalis rei gratia misericordes volunt videri. *Et pater tuus qui uidet in abscōso, reddet tibi.* Rectissimè omnino & verissimè. Si enim præmium ab eo expectas, qui conscientiæ inspector est, sufficiat tibi ad promerendum Deum ipsa conscientia. *Et cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis & in angulis platearum stantes orare, ut uideantur ab hominibus.* Neq; hic videri ab hominibus nefas est, sed ideò hæc agere, vt videaris, & fructus in eis expectetur placendi hominibus. Plateæ perpetuæ ac latiores ciuitatum viæ sunt, iuxta proprietatem linguæ Græcæ à latitudine nominatæ. πλατὺ enim latum dicitur. *Amen dico uobis, receperunt mercedem suam.* Et hīc ostendit Dominus id se prohibere, vt ea merces appetatur, qua gaudent stulti, cum laudantur ab hominibus. *Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum, & clauso ostio, ora patrem tuum in abscōso.* Cubiculum quod nominat, non occultam domum ostendit, sed cordis nostri secretū. Hinc Psalmista dicit: Quæ dicitis in cordibus ve-

Iustitia quid.

Psal. 36.

Matt. 6.

Hypocrita quid.

Matth. 7.

Dextera. Sinistra.

Sinistra. Dextera.

Cubiculum.

Psalm.

stris, & in cubilibus vestris cōpungimini. Et claudentes ostia, orate, inquit, ad patrem vestrum in abscōdito. Parum est intrare in cubicula, si ostiū pateat importunis: per quod ostium ea quæ foris sunt, improbè se immergunt, & interiora nostra aperiunt. Foris autem dicimus esse omnia temporalia & inuisibilia, quæ per ostium, id est, carnalem sensum in cogitationes nostras penetrant, & turbæ vanorum phantasmatum orantibus obstrepunt. Claudendum est ergo ostium, id est, carnali sensui resistendum, vt oratio spiritualis dirigatur ad patrem, quæ fit in intimo cordis, vbi oratur pater in abscōso. Qui autem vult orationem suam volare ad Deum, faciat illi duas alas, id est, eleemosynam & ieiunium, & ascēdet celeriter, & exaudietur. *Et pater tuus qui uidet in abscōso, reddet tibi.* & hoc tali clausula terminandum fuit. Non enim monet nunc vt oremus, sed quomodò oremus: neq; (vt superiùs) vt eleemosynam faciamus, sed quo animo faciamus: quoniā de corde mundando præcipit, quòd non mūdat nisi simplex intentio in æternam vitam solo & puro amore sapientiæ.

Ostium.

Ostium ut claudēdū.

Ale orationis.

EADEM VI. FERIA
HOMILIA EVSEBII Emesseni.

Matt. 22.

DOmino Iesu Christo docente didicimus, quia maximum & primum mandatum est, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: secundùm autem simile est huic, Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Quod autem hic dicitur: *Et odio habebis inimicum tuū,* illud esse puto, quod filijs Israël Dominus præcepit, vt Ammonitas & Moabitas interficerent, & nunquam cum eis pacem haberent. Similiter autem præcepit de Iebusæis, & Euæis, & Cananæis, alijsque terræ illius habitatoribus, vt non illis parcerent, sed in ore gladij omnes consumerent. *Ego autem dico uobis, Diligite inimicos uestros, benefacite his qui oderunt uos.* Cætera enim quæ superiùs dicta sunt, non contraria legi, sed quoddam legis supplementum esse videntur, secundùm hoc quod dixerat: Non veni soluere legem, sed adimplere. Quæ verò modò dicuntur, contraria sibi esse videntur. Oppositа enim sibi sunt, Odio habebis inimicum tuum, &, Diligere inimicos vestros. Dicit lex: Non diligas inimicum tuum. dicit Christus: Diligite inimicos vestros. Quomodò ergo intelligemus verba veritatis, vtó sint contraria legi? Quis est iste inimicus, quem odio habere & diligere præcipitur? Inimicꝰ iste, homo est. Inimicꝰ, quia peccator: amicus, quia homo. Duo enim audisti, hominē & peccatorem. Dilige igitur hominē, habe odio peccatorem: dilige naturam, non vitium: odio habe vitium, non naturā. Hoc enim modo,

Matt. 5.

Deut. 23.

Deu. 7.

Matth. 5.

Homo, & amicus & inimicus.

& Christus legi, & lex Christo conueniet. Vnus enim idemq; homo, & amicus & inimicus est tibi. Vnus idemq; homo te persequitur, & nō persequitur. Quod enim Deus in homine fecit, amicum tibi est, & non insidiatur tibi: quod verò diabolus in homine fecit, inimicum tibi est, tibique insidiatur. In vno igitur eodemq; homine, & amicū diligimus, & odio inimicum habemus. Quod ergo lex dicit, Diliges proximum tuum, naturam hominis intellige: quæ ideò tibi proxima est, quia de eadem massa factus es. quod verò sequitur: Et odio habebis inimicum tuum, vitium intellige, quod est causa omnium inimicitiarum. Nullæ enim inter homines inimicitiæ essent, si hoc solùm de eis sublatum fuisset. Sequitur: *Benefacite his, qui oderunt uos.* Hoc enim ipse Dominus & docuit & fecit, sicut Iudæis loquens ait. Multa bona opera operatus sum vobis, propter quod horum vultis me occidere? *Et orate pro persequentibus & calumniātibus uos.* Et hoc quidem cōpleuit ipse, quando ipse pro persequutoribus suis orauit, dicens: Pater ignosce illis: non enim sciunt quid faciunt. *Vt sitis filij patris uestri, qui in cælis est.* Quod sic intelligitur: Vt sicut estis filij Dei per creationem, sic etiam sitis eius filij per imitationem. Ipse enim non solùm amicis, verùm etiam inimicis benefacit. Et hoc est quod ait, *Qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Sic inimicos nutrit, vt amicos: & hos & illos sui solis splendore illuminat, & suarum pluuiarum inundatione vtrorumq; possessiones fœcundat. Sed parua sunt hæc: audi maiora. Qui solem suum, filium suum, solem iustiæ, lucem quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, nunc oriri, nunc videri, nunc in tenebris lucere, nunc super bonos & malos splendescere facit. *Et pluit super iustos & iniustos.* Priùs enim per prophetas, inde per filiū, posteà verò per Apostolos & doctores, fidei & doctrinæ pluuias omnipotens Dominus pluit. Magnæ sunt istæ nubes: his Ecclesia fœcundatur: his bonorum semina nutriuntur: his qui infusus non fuerit, totus aridus igne cremabitur. *Si enim diligitis eos qui uos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres uestros tantùm, quid amplius facietis? nonne Ethnici hoc faciunt?* Non enim intelligere debemus, vt eos qui nos diligunt, diligere non debeamus: alioquin nec Deum nec proximum diligeremus, quæ sunt duo maxima legis mandata. Quid igitur, nisi vt non diligamus eos tantùm qui nos diligunt, sed etiam eos qui nos non diligunt? Et nō propter hoc tantùm, quia nos diligunt, (hoc est enim vicem reddere) sed quia eiusdem corporis membra sumus, & eiusdem patris filij sumus. Talis enim amor spiritualis est, & ideò indeficiens. Carnalis enim amor citò delabitur, sicut & ipsa caro. Quali videlicet amore publicani atq; Ethnici se vicissim diligunt. Statim enim vt se ab alijs non diligi intelligunt, ipsi quoque alios

Ioan. 10.

Luc. 23.

Ion. 1.

Pluuia Dei.

Proximus omnis ut amandus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

non diligunt. Nos igitur omnes diligere, omniũ salutem quærere, omnibus charitatis affectum ostendere debemus. Quid enim est aliud salutare, nisi charitatis & dilectionis affectum ostendere? Si enim augetur amor, & concordia crescit. *Estote ergo uos perfecti, sicut & pater uester cælestis perfectus est.* Non dicit vt simus tantùm perfecti, quantùm pater noster cælestis perfectus est: (hoc enim impossibile est) sed dicit vt sim⁹ perfecti, sicut ipse est. Sic enim puer aliquis homo est, sicut & iuuenis: quanuis viribus & scientia non sit perfectus homo, sicut iuuenis. Simus igitur perfecti pro modulo nostro, quoniam perfectus Dominus, bonos & perfectos vult habere fideles. Quæ sit autem ista perfectio, audi quid ipse Dominus dicat: Si vis, inquit, perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Hæc autem specialiter Apostolis dicuntur, eorumq; successoribus per eos mandantur. *Attendite ne iustitiam uestram faciatis coram hominibus, ut uideamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem uestrum, qui in cælis est.* Si enim iustitiam nostram non debemus facere coram hominibus, quid est quod superiùs ait: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videntes bona vestra opera, glorificent patrem vestrum qui in cælis est? Quomodò enim videbunt bona opera nostra, quæ coram eis, ipsis videntibus facere non audemus? Si enim fecerimus, mercedem non habebimus. Videamus ergo quid significet, vt videamini ab eis. In hoc enim tota quæstio soluitur. Non enim perdit mercedem, sicut dicere videtur, qui iustitiam suam facit coram hominibus, sed ideò, quia facit vt videatur ab hominibus. Qui enim ideò facit vt videatur ab hominibus, non iustitiæ mercedem quærit, sed hominum laudem & vanam gloriam, populíque fauorem. Ideoq; non habet mercedem apud Deum, quoniam vanam mercedem laudis suscipit apud homines. *Cùm ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in Synagogis & in uicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen amẽ dico uobis, receperunt mercedẽ suã.* Dico ergo, Quare receperũt mercedem suam? Nunquid ideò, quia pauperes tubæ sonitu colligebant, quos fortasse aliter tam facilè adunare non poterant? aut quia in Synagogis & in vicis hoc faciebant, vbi quia locus spatiosior erat, meliùs fieri videbatur? Non ideò quidem. Quare ergo? Vis audire quare? Quia ideò hoc faciebant, non vt à Deo mercedem reciperent, sed vt honorificentur ab hominibus. Tantum igitur eis amor laudis & gloriæ contulit, vt eleemosynas darent, & mercedem non haberent. Quomodò ergo eleemosynas facere debemus? Sequitur: *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua: ut sit eleemosyna tua in abscondito: & pater tuus qui uidet in abscondito, reddet tibi.* Quid enim per dexteram, vel quid per sinistram intelligamus? Si enim manus nostras in his intelligere velimus, nescio quomodò alteri⁹ opera altera intelligat. Nõ enim in manib. sed in mente est intellectus. Deniq; cur dextera opus suũ sinistræ abscondat, quæ tã cósors ei est, tamq; fideliter in omnibus ei auxiliatur? Aliud igitur per dexteram & sinistram oportet intelligere. Dextera enim nostra, amor Dei est: sinistra verò, amor laudis. Hæc enim ducit ad agnos, illa ducit ad hœdos. Recordare illius Euangelij, in quo agni constituuntur à dextris, hœdi verò à sinistris. Si ergo facis eleemosynam, fac amore Dei, qui hæc præcepit vt faceres. Hæc est enim dextera tua. Nesciat hoc sinistra, id est, amor laudis. Non quæras inde fauorem vulgi, vnde quæris placere Deo. Vtrunq; enim simul etsi habere desideras, simul tamen habere non poteris. Sic igitur in omni opere nostro nesciet sinistra quid faciat dextera, si tantùm amore Dei & iustitiæ agamus illud. Vnde & hic dicitur, *Vt sit eleemosyna tua in abscondito.* Siue enim in Synagoga, siue in vicis & plateis eleemosynam facis, in abscondito tamen facis, quicunq; hoc faciens non ab hominibus, sed à Deo videri desideras. Econtrà verò qui in abscondito facit, & videri cupiens, laudem ex hoc & gloriam quærit, non in abscondito quidem facit, quoniam absconditum non vult quod facit, tantumq; ei valet, ac si in publico faceret. Deus autem qui videt in abscondito, & cui absconditum nihil est absconditum, qui & corda scrutatur & videt cogitationes, reddet vnicuiq; secundùm opera sua. *Et quum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in Synagogis & in angulis platearum stantes orare, ut uideantur ab hominibus. Amen dico uobis, receperunt mercedem suam. Tu autem quũ oraueris, intra cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito. Et pater tuus qui uidet in abscondito, reddet tibi.* Omnes enim hæ similitudines penè idem significant, atq; vno modo absolui & intelligi possunt. Neq; enim peccat aliquis, quia in Synagoga orat, quæ est domus orationis. In plateis quoq; orare, non est peccatum. Quare ergo interdicitur? Audi quod sequitur, & intelliges *vt uideantur ab hominibus.* Quid enim significet velle videri ab hominibus, iam superiùs dictum est. Hæc est causa, quare oratio tua non suscipitur, quia vis videri ab hominibus. Vbicunque enim oras, si ideò oras, vt videaris ab hominib⁹, non suscipitur oratio tua. Sed si vis bene orare, intra cubiculum tuum, redi ad cor. Hoc est enim cubiculum, in quo Deus ipse quiescit. Ibi igitur ora, ibi loquere: ibi & quid dicis, & cui dicis præstò sunt. Claude ostiũ: non indiget sono oris, nó indiget clamore vocis ille quem oras. Ad cor enim respicit Deus, in abscondito videt: non verborum compositionem, sed cordis compũctionem ostendit. Vnde Psalmista, Cor contritum & humiliatum Deus non spernit.

Perfecti ut erimus.

Matt. 19.

Matth. 6.

Matt. 5.

Ne uelimus uelle uideri.

Eleemosynæ ut præstandæ.

Dextera.

Matt. 25.

Hier. 5. Apoc. 2.

Cor, cubiculum.

Psalm. 50.

SAB-

SABBATO POST CINERUM, Marci 6.

In illo tempore: Cùm serò esset factum, erat nauis in medio mari, & Iesus solus in terra. Et uidens discipulos laborantes in remigando: erat enim uentus contrarius eis. Et reliqua. Tractatus uenerabilis Bedæ presbyteri.

Labores Ecclesiæ.

LAbor discipulorum in remigando, & contrarius eis ventus, labores sanctæ Ecclesiæ varios designat: quæ inter vndas seculi aduersantis, & immundorum flatus spirituum, ad quietem patriæ cælestis, *quasi ad fidam littoris stationem peruenire conatur. Vbi ben dicitur, *quia nauis erat in medio mari, & ipse solus in terra*: quia nonnunquam Ecclesia tantis gentilium pressuris, non solùm afflicta, sed & fœdata est, vt si fieri posset, redemptor ipsius eam prorsùs deseruisse ad tempus videretur. Vnde est illa vox eius, inter vndas procellasq; tentationum verrentium deprehensæ, atq; auxilium protectionis illius gemebundo clamore quærentis, Vt quid Domine recessisti longè, despicis in opportunitatibus, in tribulatione? Quæ pariter vocem inimici persequentis exponit in sequentibus Psalmi, dicens: Dixit enim in corde suo, Oblitus est Deus, auertit faciẽ suam, ne videat vsq; in finem. Verùm ille non obliuiscetur orationum pauperum, nec auertit faciem suam à sperantibus in se: quin potiùs & certantes cum hostibus vt vincant, adiuuat, & victores in æternum coronat. Vnde hic quoq; aptè dicitur, *quia uidit eos laborantes in remigando.* Videt quippe Dominus suos laborantes in mari, quanuis ipse positus in terra: quia & si ad horam differre videtur auxilium tribulatis impendere, nihilominùs eos ne in tribulationibus deficiant, suæ respectu pietatis corroborat, & aliquando etiam manifesto adiutorio, victis aduersantib. quasi calcatis sedatisq; fluctuum voluminibus, liberat: sicut hic quoq; consequenter insinuatur, cùm dicitur. *Et circa quartam uigiliam noctis uenit ad eos, ambulans super mare.* Stationes & vigiliæ militares, in terna horarum spatia diuidũtur. Quando ergo dicit quarta vigilia noctis venisse ad eos Dominum, ostendit tota nocte periclitatos, & extremo noctis tempore eis auxilium præbitum. Laborabant ergo toto noctis opacæ tempore, sed diluculo appropinquante, & lucifero solis dieique ortum promittente, venit Dominus, & superambulans, tumida freti terga comprimit: quia cùm pressuris obsita fragilitas humana, pusillanimitatem viriũ suarum considerat, nil ergo se aliud, quàm tenebras angustiarũ, & æstus cernit hostiũ confligentium. Cùm verò mẽtẽ ad superni lumẽ præsidij, & perpetuę dona retributionis erexerit, quasi inter vmbras noctis repentè exortum luciferi conspicit, qui diem proximũ nunciet. Lucifer nanq; cùm plurimum tres horas noctis, id est, totam vigiliam matutinam illuminare perhibetur: aderitq; Dominus, qui sopitis tentationum periculis, plenam libertatis fiduciam suæ protectionis attribuat. Sequitur: *Et uolebat præterire eos. At illi ut uiderunt eum ambulantem super mare, putauerunt phantasma esse, & exclamauerunt. Omnes enim eum uiderunt & turbati sunt:* Adhuc hæretici putant phantasma fuisse Dominum, nec veram assumpsisse carnem de virgine. Deniq; Theodorus, Pharanitanus quondam episcopus, ita scripsit, corporale pondus non habuisse secundùm carnem Dominum, sed absq; pondere & corpore super mare deambulasse. At contrà fides catholica, & pondus secundùm carnem eum habere prædicat, & onus corporeum, & cum pondere atque onere corporali incedere super aquas, non infusis pedibus. Nam Dionysius egregius inter ecclesiasticos scriptores, in opusculis de diuinis nominibus hoc modo loquitur: Ignoramus enim, qualiter de virgineis sanguinibus, alia lege præter naturalẽ formabatur, & qualiter non infusis pedibus, corporale pondus habentibus & materiale onus, deambulabat in humidam & instabilem substantiam. Quomodò autem volebat eos præterire Dominus tanquam alienos, ad quos de periculo naufragij liberandos aduenerat, nisi vt ad horam turbati & pauentes, sed continuò liberati, ampliùs ereptionis suæ miraculum stuperent, ac maiores ereptori suo gratias referrent? Quia & in tempestatibus passionum, quæ pro constantia fidei à perfidis ingeruntur, talis nonnunquàm prouisio diuinitùs ostenditur. Sæpè enim ita fideles in tribulatione positos superna pietas deseruisse visa est, vt quasi laborantes in mari discipulos præterire Iesus voluisse putaretur. Vnde est illud Ecclesiæ, martyrij certamine desudantis: Quarè oblitus es mei? Quarè me repulisti, & quare tristis incedo dum affligit me inimicus, dum confringuntur ossa mea? Sed dicant inimici terrentes: Vbi est Deus eorum? quasi naufragium festis minitantes apostolis. Dicit ipse Deus eorum: Cùm pertransieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te: cùm ambulaueris per ignẽ, non combureris, & flamma non ardebit in te. Vnde hic quoq; rectè subditur: *Et statim locutus est cum eis, & dixit illis: Confidite, ego sum: nolite timere. Et ascendit ad illos in nauim, & cessauit uentus.* Prima trepidantium & periclitantium subuentio est, incussum cordibus expellere timorem: secunda, tempestatum furias suæ præsentiæ virtute compescere. Nec mirandum, si ascendente in nauicula Domino ventus cessauit. In quocunq; enim corde Deus per gratiam sui adest amoris, mox vniuersa vitiorum & aduersantis mundi siue spirituum malignorum bella compressa quiescunt. *Et plus mագis intra se stupebant: non enim intellexerunt de panibus. Erat enim cor illorum obcæcatum.* Dominus quidẽ & in miraculo panum, quòd esset conditor rerum, ostendit: & in ambulando super vn-

Ibid.

Stationes militares.

Theodorus hæreticus.

Dionysius.

cap. 2.

Psalm. 41.

Psal. 113.

Isai. 44.

Universidad de Deusto
Biblioteca

das, ꝙ haberet corpus ab omni peccatorum grauedine liberum, edocuit: & in placando vētos, vndarumq; rabiem sedando, ꝙ elementis dominaretur, monstrauit. Sed carnales adhuc discipuli necdum hunc Deū esse cognoscunt. Et quidem virtutum magnitudinem stupebant, necdū tamen in eo veritatem diuinæ maiestatis cognoscere valebāt. *Cumq; egressi essent de naui, continuò cognouerunt eum. Et percurrentes uniuersam regionem illā, cœperunt in grabatis eos qui se malè habebant circumferre, ubi audiebant eum esse.* Cognouerunt eum rumore, non facie, vel certè pro signorum magnitudine quæ patrabat in populis, etiam vultu plurimis notus erat. Et vide quanta sit fides hominum terræ Genezareth, vt non tantùm præsentium salute contenti sint, sed mittant ad alias per circuitum ciuitates, quò omnes currant ad medicum. *Et quocunq; introibat in uicos uel in uillas aut in ciuitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, ut uel fimbriā uestimenti eius tangerent. & quotquot tangebant eum, salui fiebant.* Qui malè habent, non tangunt corpus Iesu, neque totum vestimentum eius, sed extremam fimbriam: & quicunq; tetigerint, sanabuntur. Fimbriam vestimenti eius, minimum mādatum intellige, quod qui transgressus fuerit, minimus vocabitur in regno cælorum. Vel assumptionem carnis, per quam venimus ad verbum Dei, & illius posteà perfruimur maiestate. Tu autem.

Fimbria uestimenti.

EODEM DIE HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Matt. 14. DE hoc autem Matthæus Euangelista sic ait, quia postquàm Dominus ex quinque panibus quinque millia hominum satiauit, iussit discipulos ascēdere in nauiculam, & præcedere eum trans fretū, donec dimitteret turbas. *Vespere autem facto, solus erat ibi: nauicula uerò in medio mari iactabatur fluctibus.*

Vespera Iudæorum. *Erat enim contrarius uentus.* Ex eo autem tempore Iudæorum populo vesperum fuit, ex quo Christus sol iustitiæ de hoc mundo recessit. Eo enim nascente, lux orta est eis: eo verò moriente, tenebræ factæ sunt eis. Quòd autem nauicula in medio mari iactabatur fluctibus, hoc significabat, quòd post Christi ascensionem, sancta Ecclesia in hoc mundo multa aduersa esset passura. Vnde & benè dicitur, quia ventus erat ei contrarius. Quid enim ventus contrarius, nisi tyrannorum sæuiens persequutio? *Quarta autem uigilia noctis uenit ad eos, ambulans super mare.* Quarta enim vigilia ex eo tempore agitur, quo Saluator noster in mundum venit. Prima enim vigilia, fuit ab Adam vsq; ad Moysen. Secunda, à Moyse vsq; ad Dauid. Tertia, à Dauid vsq; ad Christū.

Ventus cō trarius.

Vigilia 1. 2. 3.

Prima enim vigilia nimio somno grauata, sine lege fuit. Secunda legem habuit. Tertia prophetas. Quarta Euangelium. Quarta igitur vigilia venit ad eos: quia magis in hac, quàm alijs omnibus, seruos suos Dominus visitare dignatur. *Ambulat autē super mare*, quia totus est ei subiectus mundus. *Et uidētes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: quia phantasma est: & præ timore clamauerunt.* Clamor confusus & inordinatus eos timore nimio indicat fuisse turbatos. *Statimq; Iesus loquutus est, dicens: Habete fiduciam, ego sum, nolite timere.* Sic enim & Moysi ait Dominus: Ego sum qui sum, sic dices filijs Israël: Qui est, misit me ad vos. Vel ideò fortasse dixit, *Ego sum*: vt eum quis esset agnoscerent, audita voce quam cognitam habebant. Sæpè enim alicuius vocem audientes à longè, quis sit confestim agnoscimus, etsi eum non videamus. *Respondens autem Petrus, dixit: Domine, si tu es, iube me uenire ad te super aquas. At ipse ait, Veni.* Vbique enim beatus Petrus feruentissimæ fuisse fidei demonstratur. Neq; enim profundissimo pelago sese crederet, nisi fidem rectissimam de Domino haberet. Sciebat enim Saluatorem nostrum omnia posse, & nihil minùs in mari, quàm in terra potestatem eum habere credebat. Veruntamen quòd Petrus super mare graditur, nō solùm magistro, verùm etiam discipulis mūdus iste subiectus esse monstratur. Quanuis & propter hæreticos ita fieri oportebat, qui Christum Dominum eò quòd super mare ambulauerit, non verum, sed phantasticum corpus habuisse posteà dicebant. Vincuntur enim isti, dum beatum quoque Petrum super mare ambulasse audiunt, quem vtiq; verum corpus habuisse nō dubitant. *Et descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquam, ut ueniret ad Iesum. Videns uerò uentum ualidum, timuit: & quum cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine saluum me fac. Et continuò Iesus extendens manum, apprehendit eum, & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti?* Hoc autem facto beatus Petrus ea quæ sibijpsi futura erant, iam ex tunc significabat. In Christi namq; passione quasi super aquas confidenter ambulabat, quum diceret, Etsi omnes scandalizati fuerint, ego nunquam scandalizabor. Videns verò ventum validum, timuit: quia quum Dominus à Iudæis teneretur, ipse quoq; simul cum alijs discipulis fugit. Mersus est autem, quando negauit. Deinde verò clamauit, dicens: Domine saluum me fac, quando egressus foras fleuit amarè. Ipsum enim flere, clamare fuit. Sed continuò Iesus extendens manum apprehendit eum, quando voce angelica eum consolando, & quodammodò ad se trahendo, dictum est mulieribus: Ite, dicite discipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæam. In eo enim quòd proprio nomine eum vocauit, quasi manu apprehensum, tremebundum & iam perire timentem, ad spem gratiæ eum eleuauit. In his autem, Ecclesię quoque prospera & aduersa significari possunt: quæ quidem aliquando mergi, aliquando exurgere vide-

Exod. 3.

Ferunt à Petri.

Matt. 26.

Ibidem.

Mare. 16.

videtur. *Et quum ascendisset in nauiculam, cessauit uentus.* Non est autem intelligendum, vt tunc Iesus in nauiculam ascendisset. Priùs enim venit Capharnaum, ibiq; multa in Synagoga loquutus est, quę

Ioan. 6. Ioannes quidem scribit, Matthæus verò & Marcus prætermittunt. Dicit enim Ioannes, quia voluerunt eum discipuli in nauiculam suscipere, sed statim fuit nauis ad terram, ad quam ibant, id est, Capharnaum. Vnde manifestum est, eū tunc in nauiculam non ascendisse. Iusserat enim Dominus (vt superiùs dictum est) vt discipuli sui eū præcederent: qui quum venissent Capharnaum, ibiq; eum non inuenissent, flectentes iter, ad eū reuertebantur. Et tunc quidem apparuit eis Dominus ambulans super mare, expletis omnibus, quæ modò in hoc euangelio dicta sunt. Postquā ea loquutus est, quæ Ioannes narrat, vsq; ad illū locum, in quo dicitur: Hæc autem loquutus est Iesus in Synagoga, docens in Capharnaum, redierunt ad nauem. *Et quum ascendisset in nauiculam, cessauit uentus.* Nondum enim ventus cessauerat, nec mare à suo feruore quieuerat, sed sicut in nocte, ita & in die eisdem adhuc fluctibus agitabatur. Vt autem Iesus ascendit in nauiculam, mox ventus cessauit. *Qui autem in nauicula erant, uiso tanto miraculo stupentes, adorauerunt eum dicentes: Verè filius Dei es.* Marcus verò eos redarguit, & oblitos & excæcatos dicit, quòd ex hoc stupentes admirantur, quòd prēterita die tam magnum miraculum in quinq; panibus Dominum fecisse cognouerant. Vnde ait: Non enim intellexerant de panibus. Si enim de panum miraculo recordarentur, iam non erat, vt de maris sedati miraculo mirarentur. *Et quum transfretassent, uenerunt in terram Genezareth, & applicuerunt: quumq; egressi essent de naui, continuò cognouerūt eum.* Hoc aut manifestiùs Matthæus dicit. Videtur enim Marcus dicere, quòd discipuli eum non cognouerint, donec de naui egrederentur. Sed non est ita. Non enim hoc de discipulis dicitur, sed de omnibus hominibus regionis illius, qui statim eum cognouerunt, & vndiq; infirmos suos ei ad sanandum obtulerūt. Et hoc est, quod ait Matthæus: *Et quum cognouissent eum uiri loci illius, miserunt in uniuersam regionem illam, & obtulerunt omnes malè habentes, & rogabant eum ut uel fimbriam uestimenti eius tangerent: & quicunq; tetigerunt, salui facti sunt.* Oremus autem & nos Dominum, vt in nauiculam pectoris nostri ascendere dignetur, & superbiæ ventositatem, & vitiorū insurgentium procellas quiescere faciat. Ascendat etiam in nauiculam suam, id est, in sanctam Ecclesiam, & se ibi esse manifestet: qui ibi quodammodò non esse videtur, dum tāto eam persequutionum turbine patitur agitari: & imperet ventis & mari, & fiat tranquillitas magna. Quòd autem ait: *Et cùm cognouissent eum uiri loci illius, miserunt in uniuersam regionem illam, & obtulerunt ei omnes malè habentes, ut eos sanaret*, quid aliud significat, nisi quia viri sancti, qui Deum cognoscere meruerunt, pro aliorum peccatis orare, & alios ei commendare & offerre debent? Sed quid est Christi vestimenti fimbrias tangere? Aliud enim est tangere Christum, aliud vestimenta Christi. Thomas enim Christum tangens, dicebat: Dominus meus & Deus meus. Philippus verò tangebat vestimenta & non Christum, cùm diceret: Domine ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Propinquus igitur Thomas Christum tangebat, quàm Philippus. Vnde & illi dicitur: Quia vidisti me Thoma, credidisti: Huic autem: Non credis quia ego in patre, & pater in me est? qui videt me, videt & patrem. Ille igitur iam vidisse & credidisse, iste verò nondum bene vidisse vel credidisse dicitur. Illi autem tangunt Christum, qui in eum perfectè credentes, catholicæ fidei veritatē cognoscunt. Illi verò tangunt vestimenta Christi, qui quanuis intelligere non valeant, credunt tamen, quod eis à viris catholicis prædicatur. Tanto itaq; vnusquisq; longiùs tāgit Christum, quanto minùs intelligit & cognoscit Christum. Omnes tamen sanantur, qui vel fimbriam vestimenti eius tangunt: quoniam omnis qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.

Marc. 6.

Matt. 14.

Marc. 6.

Matt. 14.

Ibid.

Nauicula Ecclesiæ.

Nauicula Ecclesiæ.

Marc. 16.

DOMINICA PRIMA IN Quadragesima.

Sermo beati Leonis Papæ.

Est sermo 2. de Quadragesima.

LIcèt nobis dilectissimi, appropinquante festiuitate paschali, ieiunium Quadragesimæ ipse legitimi temporis † cursus indicat, cohortatio tamen etiam nostri sermonis adhibenda est, quæ auxiliante Domino, nec inutilis sit pigris, nec onerosa deuotis. Nam cùm omnem obseruantiam nostram ratio istorum dierum poscat augeri, nemo est, vt confido, de vobis, qui se ad opus bonum non gaudeat incitari. Natura etenim nostra, adhuc manente mortalitate, mutabilis, etiamsi ad summa quæq; virtutum studio prouehatur, semper tamen sicut potest habere quò recidat, ita potest habere quo crescat. Et hæc est perfectorum vera iustitia, vt nunquam præsumant se esse perfectos: ne ab itineris nondum finiti intentione cessantes, ibi incidant deficiendi periculū, vbi proficiendi deposuerint appetitum. Quia ergo nemo nostrum, dilectissimi, tam perfectus & sanctus est, vt perfectior sanctiorque esse non possit, omnes simul sine differentia graduum, sine discretione meritorum, ab his in quæ peruenimus, in ea quæ nondum apprehendimus, pia auiditate curramus, & ad mensuram consuetudinis nostræ, necessarij aliquid addamus augmenti. Parum enim religiosus alio tempore demonstratur, qui in his diebus non religiosior inuenitur. Vnde opportunè auribus nostris lectio

† recursus.

Iustitia perfectorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

2. Cor. 16. Apostolicæ prædicationis insonuit, dicens: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Quid enim acceptius hoc tempore? Quid salubriùs his diebus, in quibus bellum vitijs indicitur, & omnium virtutum profectus augetur? Semper quidem tibi, ô anima Christiana, vigilandũ contra salutis tuæ aduersarium fuit, ne vllus pateret locus tentatoris insidijs: sed modò tibi maior cautio & solicitior est assumenda prudentia, quando idem hostis tuus acriori fæuit inuidia. Nunc enim in toto mundo potestas ei antiquæ dominationis ausertur, & innumera illi captiuitatis vasa rapiuntur. Renunciatur atrocissimo prædoni à populis omnium nationum, omniumque linguarum, & nullum iam genus hominum reperitur, quod non iam tyrannicis legibus reluctetur: dum per omnes fines terrarum, regeneranda in Christo multorum millium millia præparantur, & appropinquante nouæ creaturæ ortu, spiritalis nequitia ab his quos possidebat, extruditur. Fremit ergo expoliati hostis impius furor, & nouum quærit lucrum, quia ius perdidit antiquum. Captat indefessus & peruigil, si quas reperiat oues à sacris gregibus negligentiùs euagantes, quas per procliua voluptatum, & per deuexa luxuriæ in diuersoria mortis inducat. Inflammat itaq; iras, nutrit odia, acuit cupiditates, iritat continentiam, incitat gulam. Quem enim tentare non audeat, qui nec ab ipso Domino nostro Iesu Christo conatus suæ fraudis abstinuit? Matth. 4. Nam sicut euangelica patefecit historia, cùm saluator noster post quadraginta dierum noctiumque ieiunium, infirmitatis nostræ in se recepisset esuriem, gauisus diabolus signũ se in eo passibilis atq; mortalis inuenisse naturæ, vt exploraret potẽtiam quam timebat: Si filius, inquit, Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Poterat vtique istud omnipotens, & facile erat, vt ad creatoris imperium, in quam iuberetur speciem, cuiusli- † natura. bet generis † creatura transiret: sicut cùm voluit, in conuiuio nuptiarum aquam mutauit in vinũ. Ioan. 2. Sed hoc magis salutiferis dispensationibus congruebat, vt nequissimi hostis astutia, non potentia deitatis, sed humilitatis mysterio vinceretur. Deniq; fugato diabolo, & omnibus artibus callidi tentatoris elisis, accesserunt ad Dominum angeli, & ministrabant ei. Confundantur itaque filij diaboli atq; discipuli, qui repleti inspiratione viperea, simplices quosq; decipiunt, negantes in Christo vtranq; veram esse naturam, dum aut deitatem homine, aut hominem deitate despoliant, cùm vnius temporis gemino documento vtraq; falsitas sit perempta: quia & per famem corporis, perfecta humanitas, & per famulantes angelos, demonstrata est manifesta diuinitas.

Insidiæ daemonum.

Deu. 6. Matth. 4. Quia ergo dilectissimi, sicut redemptoris nostri magisterio edocti sumus, non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei, prompta deuotione & alacri fide suscipiamus solenne ieiunium, non in sterili inedia, quam plerunq; & imbecillitas corporis, & auaritiæ morbus indicit, sed in larga beneuolentia celebrandum: vt simus de illis, de quibus ipsa veritas dicit: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Deliciæ igitur nostræ sint opera pietatis, & illis cibis, qui nos ad æternitatem nutriant, impleamur. Lætemur in refectionibus pauperũ, quos impendia nostra satiauerint. Iocundemur in vestitu eorum, quorum nuditatem indumentis necessarijs texerimus. Sentiant humanitatem nostram ægritudinis decumbentium, imbecillitates debilium, labores exulum, destitutio pupillorum, & desolatarum lamẽta viduarum: in quibus iuuandis nemo est, qui non aliquam possit exequi beneuolentiæ portionem. Nulli enim paruus est census, cui magnus est animus: nec de rei familiaris modo pendet mensura pietatis: Maiora quidem impendia sunt diuitum, & minora modiocrium: sed non discrepat fructus operum, vbi non dissidet affectus operantium. In ista autem dilectissimi, exercendarum opportunitate virtutum, sunt & aliarum insignia virtutũ, quæ nullo dispendio horreorum, nulla pecuniæ diminutione capiantur, si lasciuia repellatur, si abdicetur ebrietas, & carnalis concupiscentia castitatis legibus edometur: si odia transeant in dilectionem, si inimicitiæ conuertantur in pacem, si tranquillitas extinguat iram, si mãsuetudo remittat iniuriam, si dominorum deniq; seruorũ tam ordinati mores sint, vt & illorum potestas mitior, & istorum sit disciplina deuotior. Hac igitur obseruantia, dilectissimi, obtinebitur misericordia Dei, & abolito peccatorum reatu, religiosè venerandum pascha celebrabitur.

Matth. 5.

Opera pietatis sectãda.

Vitia fre-quẽtia fligenda.

DOMINICA QVADRAGESIMÆ prima, in Epistolam Concio exegetica.

Quadragesimæ etymologia.

IEiunium Quadragesimę omni cũ deuotione excipiendum est, tanquã ab ipso Christo & eius Apostolis institutum. Probat hoc Apostolorum Canõ 69. qui sic habet: Si quis episcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel hypodiaconus, vel lector, vel cantor sanctam Paschæ Quadragesimam nõ ieiunat, vel quartum diem, vel parasceuen, præterq̃ si propter imbecillitatem corporalem impediatur, deponatur. Si verò sit laicus, segregetur. Meminerunt Quadragesimalis ieiunij Chrysostomus, Epiphanius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & multi alij sancti patres, è quibus satis sit hoc loco D. Hieronymũ protulisse, qui ad Marcellã de Mõtani erroribus scribens, Nos, inquit, vnã Quadragesimam secundùm traditionẽ Apostolorũ toto anno, tempore nobis cõgruo ieiunamus: illi tres in anno faciunt Quadragesimas, quasi tres pasi sint Saluatores. Hæc ille. Ipse Christus Dominus dies quadraginta ab omni cibo abstinuit, vt nos suo exemplo ad ieiunandum prouocaret. Non erat illi opus ieiunio, sed nobis esse sciebat. Habemus hostem domesticum, qui nisi congruis ieiunijs castigetur, lasciuit & trahit animam in ruinam. Inter maxima Sanctispiritus dona numerandum est, inquit Leo Papa, eius nominis primus, quòd nobis aduersum illecebras carnis & insidias diaboli, ieiuniorum sunt collata præsidia, quibus omnes tentationes Deo adiuuãte vincamus. Ad Apostoli verba veniamus, quæ sunt in prioris ad Corinthios Epistolæ sexto capite, *Adiuuantes autem exhortamur, ne in uacuum gratiam Dei recipiatis.* Solent hoc Quadragesimæ sacrato tẽpore Christiani agere pœnitentiam, totius anni lugere & castigare peccata, & vitæ emendationi studere, atque communicare passionibus Christi. Vnde hoc autem, nisi ex gratia Dei? Nisi enim ille sua gratia nos permoueat, nos semper in eodem vitiorum luto hæremus. Hortatur ergo Apostolus, ne gratiam Dei in vacuum recipiamus. Nam vt ne putent, ait Chrysostomus, hoc solùm esse conciliationem, credere loquenti, vrget petens vitæ diligens studium. Nam si is, qui à peccatis liberatus est, & amicus factus, iterum inuoluit se prioribus, quid aliud agit, quàm quòd ad inimicitias redit, & in vanum gratiam accipit, iuxta rationem vitæ? Nihil enim impurè viuentes ab illo priore beneficio vtilitatis accipiunt ad salutem, sed inde magis incommodantur & grauantur in peccatis, qui post tantam agnitionem & tantum donum ad priora regrediuntur mala. Hæc ille. Ait enim: *Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te.* Hoc Esaiæ est 49. capite. Hoc tempus maximè accipiendum est de gratiæ tempore, quod nunc agitur, maximè postquam filius Dei factus est homo, & nos Deo patri sua morte reconciliauit. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Nam postquam per Christum depensa est pœna nostris peccatis debita, iam nobis paratior est salus, & licet facilè cum Deo redire in gratiam, modò ne velimus gratiæ deesse. Igitur qui, dum gratiæ tempus adest, inquit Oecumenius, benè viuendo operam dat, facilè præmijs donabitur cumulabiturque, necnon à Deo exaudietur. *Nemini dantes ullam offensionem, ut non uituperetur ministerium nostrum.* Hoc maximè cauere debent doctores & ecclesiastę, ne malo exemplo alios offendant, & seipsos doctrinamq; suam eo nomine reddãt contemptibilem. *Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros.* Aptissimè quadrãt hæc omnia præsenti Quadragesimæ tẽpore, quo sanctè & irreprehensibiliter viuendũ est, sicut decet Dei ministros, ne ieiuniũ nostrũ irrideãt mali dæmones, si illud sceleribus polluamus, & vel hæretici, vel Iudæi, vel dæmonũ cultores vituperẽt nostrũ ministerium, quod Deo ieiunando exhibemus. Nã abstinere à cibis parùm prodest, nisi & à flagitijs abstineas. Iã porrò Christiani & verè pij homines notas subiũgit

Matth. 4.

Rom. 2. de Sacrosanct. Ioan. 2. Cor. 6.

Apostolus: *In multa patientia.* Cũ enim multæ sint tribulatiões vitæ huius, multa quoq; opus est patiẽtia. *In tribulationibus,* quæ nunquã desunt Christiano, quas oportet magno ferre animo. *In necessitatibus.* Hæc enim incrementũ sunt tribulatiõis, ait Chrysostomus, quando mala euadi non possunt, & quasi necessitas quędã iniungitur malorũ, quæ transire nequit. *In angustijs* animi vel corporis, quæ sunt multiplices. *In plagis.* Has passi sunt martyres Christi plerunque intolerabiles, nisi gratia Christi adfuisset patiẽtibus: ipse imprimis Apostolus de se scribit, tulisse se plagas supra modum. *In carceribus,* quos multi propter pietatem passi sunt fœdos & horrendos. *In seditionibus,* quas solent excitare mali & importuni homines, vt pijs molestiam aliquam adferant, vel sua fruantur voluntate. *In laboribus.* Non enim debent recusari labores manuarij, si non possit aliunde suppetere victus & vitæ necessaria. Sic & Apostolus suis manibus laborauit, vt sibi suisque victum pararet, licet Dominus permisisset viuere ex Euangelio ijs, qui Euangelium annunciarent. *In uigilijs.* Nobis autem, vt semel dicam, ait Clemens Alexandrinus, omnibus aduersùs somnum decertandũ est, nos paulatim accessione facta affuefaciẽtibus, vt maiori parte tẽporis per vigiliã simus vitæ participes. Sõnus enim, nõ secùs ac publicanus, dimidiũ vitæ tempus nobiscũ diuidit. Longè autẽ abest, vt permittatur interdiù dormire ijs, qui maximam noctis partẽ ad vigilias resecãt. Hæc Clemens ille. Multi manẽt peruigiles in fœdissimis compotationibus, & interdiù stertunt. Tales vigiliæ non Christo, sed Lucifero militant. *In ieiunijs.* Quantum vtilitatis habeat ieiunium, præter alios Basilius Magnus duabus præclaris Concionibus egregiè declarat: & ipse Dominus IESVS quoddam genus dæmoniorum dicit non exire, nisi per orationẽ & ieiunium. Nec solùm animæ, sed ipsius quoq; corporis valetudini plurimùm confert ieiunium: sicut ediuersò verissimè dixit quidam, plures crapula quàm gladio perimi. Est apud plerosq; mos admodùm detestabilis, quòd & multitudine & varietate ferculorum delectantur. Contra hos Clemẽs Alexãdrinus vetustissimus scriptor citat Antiphanẽ Deliũ medicũ, qui dixerit vel vnã hanc esse morborũ causam, ciborũ varietatem: eodẽq; loco, Multi, inquit Clemẽs, nondũ didicerunt, Deum parasse homini cibũ & potũ, vt conseruetur, nõ aũt vt voluptate afficiatur. Nã nec corporibus quidẽ natura insitũ est, vt ex multiplici ciborũ varietate iuuẽtur. Cõtrà enim omnino, qui escis vtuntur vilissimis, sunt robustiores, saniores & generosiores: vt famuli Dominis, & agricolæ possessoribꝰ: & nõ solũ fortiores, sed etiã prudẽtiores, vt Philosophi diuitibus. neq; enim mentem nutrimẽtis obruerunt, neq; ipsam voluptatibus deceperũt. Hæc Clemens, vir longè doctissimus. *In castitate* & puritate mentis atque corporis. *In scientia.* Scientiam dicit,

Matth. 4.

Notæ hominis uerè Christiani.

2. Cor. 11.

Act. 20.

1. Cor. 9.

Lib. 2. Pædagogi. cap. 9.

Matth. 17.

Lib. Pæda gog. 2. ca. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Discretio, virtus eximia.

quam vulgari nomine dicere solemus, discretionem, sine qua virtutes abeunt in vitia. Hæc facit, vt in omnibus seruemus modum, ne quid plùs, ne quid minùs. Ea virtus vel maximè necessaria est, volenti citra offensionem & errorem vitam transigere, & felici cursu pertingere ad beatitudinem. De Iudæis quidem alibi dicit Apostolus, Aemulationem Dei habent, sed non secundùm scientiam : quam vulgariter appellamus zelum indiscretum : qualis serè in illis est, qui propter mores corruptos Ecclesiæ, segregant se ab Ecclesia, & schismata ac hæreses fabricantur, cuiusmodi importunos homines multos vidit nostra ætas, qui dum Catholicorum carpunt malos mores & vitia cleri, ipsi horrendos in orbem maximeque pugnantes inuexerunt errores & hæreses, quibus Europa multis locis planè perijt. Non sic fecit Christus, qui in paucis Apostolis vnum tulit & furem & proditorem. Nec tamen hoc ita dictum sit, quasi non sint castigandi & coërcendi mali, sed quòd propter malos non sit deserenda neque scindenda Ecclesiæ vnitas. *In longanimitate*, patienter sustinẽdo in rebus duris auxilium & consolationem spiritussancti. *In suauitate.* Adamantino opus est animo, ait Oecumenius, vt cùm quispiam vndique impugnetur, non modò patientiam teneat, verumetiam benignitatem. *In Spiritusancto*, qui nimirùm bonorum omnium est author & largitor: sine quo nihil possumus eorum, quæ dicta sunt, salubriter vel præstare vel exequi. *In charitate non ficta.* Hæc omnium bonorum causa est, inquit Chrysostomus: hæc talem effecit Apostolũ: hæc & spiritum manere faciebat apud illum, per quem omnia illa rectè agebat. *In uerbo ueritatis*, non adulterantes verbum Dei, quemadmodum solent hæretici, qui sui cerebri somnia pro verbo Dei venditant imperitis, & quod valdè dolẽdum est, sub prætextu verbi Dei innumeras animas trahunt in impios errores & æternam gehẽnæ damnationem. *In uirtute Dei.* Ipse est enim, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate, vt ne quis inaniter glorietur, si quid rectè gerat. *Per arma iustitiæ à dextris & sinistris.* Dextra sunt prospera: sinistra aduersa. In vtrisq; permanẽdũ est in iustitia, vt nec prospera nos extollant, nec aduersa deijciant. Hoc fiet, si cogitemus neque hæc neque illa posse in hac vita esse diuturna. Multi cùm arridet prospera, putant se beatos : contrà cùm reflat fortunæ ventus, miseros se & calamitosos arbitrantur: sed in his non est vera fides. Apostolum audi, Omnes qui volunt piè viuere in Christo, persecutionem patientur. Non facit miserum, nisi iniquitas. Salomon hoc dicit, Miseros facit populos peccatum. *Per gloriam & ignobilitatem.* Si defertur gloria, contemnatur : si putamur ignobiles vel vilipendimur, non sit nobis curæ. *Per infamiam & bonam famam.* Varia sunt enim hominum iudicia. Vnam eandemque rem alij laudant, alij vituperant : & quos alij suspiciunt & venerantur, alij despiciunt & execrantur. Multi autem, secundùm Chrysostomum, propter opprobria vel criminationes ceciderunt, & animas suas perdiderunt. Etenim beato Iob, inquit, amicorum opprobria, vermibus & vlceribus molestiora vita sunt. Hæc ille. Et ideò hæreticis hoc valdè familiare est, vt quos veritate vincere non possunt, eos calumnijs, conuicijs, opprobrijs, mendacijs obruant. Sed in his arripiendus est animus magnus, vt hominum deploratorũ figmenta & maledicta prorsus contemnãtur. *Vt seductores & ueraces.* Sic de ipso Christo Domino alij dicebant, Quia bonus est: alij, Non, sed seducit turbas. Hoc igitur conandũ nobis est, vt tametsi homines nõ alio quã seductorum loco habeant, nos tamen veraces simus. *Sicut qui ignoti & cogniti.* Ignoti malis & impijs, cogniti Deo & pijs. Sic de Apostolis scribit hoc loco Chrysostomus, quòd alijs quidem fuerint noti & familiares, qui illos etiam obseruabant: alij autem nec videre illos dignati sint. *Quasi morientes, & ecce uiuimus.* Solent mali homines plerunque damnare pios, & vel hypocritas, vel pharisæos & Deo inuisos appellare, ac planè coram Deo mortuos arbitrari, cùm tamen coram illo viuant, & illi grati & chari sint. Talia multa nostro æuo ab hæreticis catholici perpessi sunt, & præsertim vitæ monasticæ professores, quos hæretici cane peius & angue oderunt, & ex multis locis penitùs exturbarũt, & innumera Deo dicata loca vel subuerterunt, vel in prophanos vsus verterunt. *Vt castigati & non mortificati.* Putabant olim impij martyrum persecutores, se Christi Ecclesiam multiplici cæde posse extinguere, sed semper persecutionibus creuit Ecclesia. Erat igitur vt castigata Ecclesia, sed non mortificata : quia etsi alij cadebant gladijs tyrannorum, at rursus noui existebant. Vicit Ecclesia, inquit Augustinus, vapulando ferientes, patiendo impatientes, diligendo sæuientes. Quare? Quia emendans, inquit, emendauit me Dominus, & morti non tradidit me. Sæpè filios paterfamiliãs per nequissimos seruos emendari iubet, cùm illis hæreditatem, istis compedes præparet. Hæc ille. *Quasi tristes, semper autem gaudentes.* Etsi extrinsecus videamur tristes, afflicti, desolati, tamen intrinsecus semper gaudeamus in Domino, qui nouit pios de tentatione eripere, nec patietur nos tentari supra id quod possumus. Nullum autem armaturæ genus, ait Chrysostomus, validius est, quàm gaudere secundùm Deum, neq; quicquam est, quod hominẽ eiusmodi deiectũ aut tristem reddere queat, sed omnia erecto fortiq; animo perpetitur. Etiã illa, quæ ne audire quidẽ sustinemus, nõ solùm tolerabilia, verumetiã desiderabilia reddũtur per spirituale gaudiũ. Hæc ille. *Sicut egentes, multos aũt locupletãtes.* Videbãtur Apostoli rerũ temporaliũ inopes, sed totũ mundũ spiritalibus di-

Rom. 10.

Philip. 2.

2. Tim. 3.

Prou. 14.

In Psalm. 117.

Tentatio fit tribus modis.

In 2. Cor. cap. 1. Homil. 1.

diuitijs illi locupletabant. *Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Pauperes in seculo, diuites in Christo, in quo possident omnia, qui eum diligunt. Qui enim dedit seipsum pro nobis, quid est omnino in rebus creatis, quod dare nolit, si sit è re nostra? Ne plora propter paupertatem, ait in hunc locum Chrysostomus, sanitatis matrem, sed & exulta: & si vis ditari, contemne diuitias. Non enim habere diuitias, sed non indigere vt habeas, hæc maxima abundantia est. Præstet id nobis præpotens Deus, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

DE EADEM DOMINICA.
Matth. IIII.

In illo tempore : Ductus est Iesus in desertum à spiritu, ut tentaretur à diabolo. Et reliqua. Homilia beati Gregorij Papæ.

DVbitari à quibusdam solet, à quo spiritu sit Iesus ductus in desertũ, propter hoc quod subditur, Et assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem. & rursus, Assumpsit eũ in montem excelsum valdè. Sed verè & absq; vlla quæstione conuenienter accipitur, vt à sancto spiritu in desertum ductus credatur, vt illuc eum suus spiritus duceret, vbi hũc ad tentandum malignus spiritus inueniret. Sed ecce cùm dicitur Deus homo vel in excelsum montem, vel in sanctam ciuitatem à diabolo assumptus, mens refugit credere, humanæ hoc audire aures expauescunt. Qui tamen non esse incredibilia ista cognoscimus, si in illo & alia facta pensamus. Certè iniquorum omnium diabolus caput est, & huius capitis mẽbra sunt oẽs iniqui. An non membrum diaboli fuit Pilatus? An non membra diaboli Iudæi persequentes, & milites crucifigentes fuerunt? Quid ergo mirum, si se ab illo permisit in montem duci, qui se pertulit etiam à membris illius crucifigi? Non est ergo indignum redemptori nostro, quòd tẽtari voluit, qui venerat occidi. Iustũ quippe erat, vt sic tẽtationes nostras suis tentationibus vinceret, sicut mortem nostrã venerat sua morte superare. Sed sciendum nobis est, quia tribus modis tentatio agitur: suggestione, delectatiõe, cõsensu. Et nos cùm tentamur, plerũq; in delectationẽ, aut etiã consensũ labimur: quia de carnis peccato propagati, in nobis ipsis etiam gerimus, vnde certamina toleramus. Deus verò, qui in vtero virginis incarnatus, in mundum sine peccato venerat, nihil contradictionis in semetipso tolerabat. Tentari ergo per suggestionem potuit, sed eius mentem peccati delectatio non momordit : atque ideò omnis illa diabolica tentatio foris, non intùs fuit. Sed si ipsum ordinẽ tentationis eius aspicimus, pensamus quanta magnitudine nos à tẽtatione liberamur. Antiquus hostis cõtra primũ hominem parentem nostrũ, in tribus se tẽtationibus erexit: quia hunc videlicet gula, vana gloria, & auaritia tentauit : sed tentando superauit, quia sibi eũ per cõsensum subdidit. Ex gula quippe tentauit, cùm cibum ligni vetitum ostendit, atq; ad comedendum suasit. Ex vana autem gloria tentauit, cùm diceret : Eritis sicut dij. Et ex proiectu auaritiæ tentauit, cùm diceret, Sciẽtes bonum & malum. Auaritia enim non solùm pecuniæ est, sed etiam altitudinis. Rectè enim auaritia dicitur, cùm supra modum sublimitas ambitur. Si enim non ad auaritiã honoris rapina pertineret, nequaquam Paulus de vnigenito Dei filio diceret: Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo. In hoc ergo diabolus parentẽ nostrum ad superbiã traxit, quòd eum ad auaritiã sublimitatis excitauit. Sed quibus modis primũ hominẽ strauit, eisdem modis secundo homini tentato succubuit. Per gulam quippe tentat, cũ dicit: *Dic ut lapides isti panes fiant.* Per vanam gloriam tentat, cùm dicit: *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Per sublimitatis auaritiam tentat, cùm regna omnia mundi ostendit, dicens: *Hæc omnia dabo tibi, si procidens adoraueris me.* Sed eisdem modis à secundo homine vincitur, quibus primum hominem se vicisse gloriabatur: vt à nostris cordibus ipso aditu captus exeat: quo nos aditu intromissus tenebat. Sed est aliud, fratres charissimi, quod in hac tẽtatione dominica cõsiderare debemus, quia tentatus à diabolo Dominus, sacri eloquij præcepta respondit, & qui eo verbo, quo erat, tentatorem suum mergere in abyssum potuit, virtutem suæ potentiæ non ostendit, sola diuinæ scripturæ præcepta edidit: quatenùs nobis suæ patientiæ præberet exemplum, vt quoties à prauis hominibus aliquid patimur, ad doctrinã potiùs excitemur, quàm ad vindictam. Pensate quanta est patientia Dei, quanta impatiẽtia nostra. Nos si iniurijs, aut aliqua læsione prouocamur, furore permoti, aut quãtùm possumus nosmetipsos vlciscimur, aut quod non possumus, facere minamur. Ecce aduersitatem diaboli Dominus pertulit, & nihil ei nisi mãsuetudinis verba respõdit. Portat quem punire poterat: vt hoc in laudem eius altiùs cresceret, si hostem suum non extinguendo, sed interim patiendo superaret. Notandum verò quod subditur, quia recedente diabolo, angeli ministrabãt ei. Ex qua re, quid aliud quã vnius personæ, vtraq; natura ostẽditur? quia & homo est, quem diabolus tentat: & idẽ ipse Deus est, cui angeli ministrant. Cognoscamus igitur in eo naturam nostram: quia nisi hunc diabolus hominem cerneret, non tentaret. Veneremur in illo diuinitatem suã: quia nisi super omnia Deus existeret, ei nullo modo angeli ministrarent. Sed quia diebus his lectio congruit (nam quadraginta dierum abstinentiã nostri redemptoris audiuimus, qui Quadragesimæ tempus inchoamus) discutiẽdum nobis est, cur

Adam uincitur de tẽtatus

Gen. 3.

Auaritia honoris.

Phil. 2.

Tentatio.

Christus tentatus quid egerit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cur hæc ipsa abstinentia per quadraginta dierũ numerum custoditur. Moyses enim vt legẽ acciperet, secundò quadraginta diebus ieiunauit. Exod.14. 3.Reg.19 Helias in deserto quadraginta diebus abstinuit. Ipse author hominum ad homines veniens, in quadraginta diebus nullũ omnino cibũ sumpsit. Nos quoq; inquantũ possumus, annuo Quadragesimæ tempore, carnẽ nostram per abstinẽtiam affligere conamur. Cur ergo in abstinentia quadragenarius numerus custoditur, nisi quia virtus decalogi, per libros quatuor sancti euãgelij impletur? Denarius etenim quater ductus, in quadragenariũ surgit: quia tũc decalogi mãdata perficimus, cùm profectò quatuor libros sancti euangelij custodimus. Ex qua re sentiri & aliud potest. In hoc enim mortali corpore ex quatuor elemẽtis subsistimus, & per voluptates eiusdem corporis, præceptis dominicis contraimus. Præcepta aũt dominica per decalogum sunt accepta, Qui ergo per carnis desideria decalogi mandata contempsimus, dignum est vt eandem carnẽ quaterdecies affligamus. Quamuis de hoc quadragesimali tempore est adhuc aliud, quod possit intelligi. A præsenti enim die vsq; ad paschalis solennitatis gaudia, sex hebdomadæ veniũt, quarũ videlicet dies quadraginta & duo fiũt. Ex quibus dũ sex dies dominici abstinentiæ subtrahũtur, nõ plus in abstinẽtia, quàm triginta & sex dies remanẽt. Dum verò per trecẽtos & sexaginta quinq; dies annus ducitur, nos autẽ per triginta & sex dies affligimur, quasi anni nostri decimas Deo damus: vt qui nobismetipsis per acceptum annũ viximus, authori nostro nos in eius decimis per abstinentiam mortificemus. Vnde fratres charissimi, sicut offerre in lege iubemini decimas rerũ, ita ei cõtendite offere & decimas dierũ. Vnusquisq; inquantũ virtus suppetit, carnẽ maceret, eiusq; delideria affligat, cõcupiscentias turpes interficiat, vt iuxta Pauli vocẽ hostia viua fiat. Hostia quippe & immolatur, & viua est, quãdo & ab hac vita homo nõ deficit, & tamẽ se à carnalibus desiderijs occidit. Caro nos læta traxit ad culpam, afflicta reducat ad veniam. Author etenim mortis nostræ, per fructũ ligni vetiti, vitæ præcepta trãsgressus est. Qui ergo à paradisi gaudijs per cibum cecidimus, ad hæc inquãtum possumus, per abstinentiã resurgamus. Sed nemo sibi eandem abstinentiam solam credat posse sufficere, cùm per prophetã Dominus dicat: Nónne hoc magis ad ieiunium, quod elegi? subijciens: Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosq; induc in domũ tuã. Cùm videris nudum, operi eum, & carnẽ tuam ne despexeris. Illud ergo ieiunium Deus approbat, quod ad eius oculos manus eleemosynarũ leuat, qđ cũ proximi dilectione agitur, quod ex pietate conditur. Hoc ergo quod tibi subtrahis, alteri largire, vt vnde tua caro affligitur, inde egẽtis proximi caro reparetur. Hinc etenim per prophetã Dominus dicit: Cùm ieiunaretis & plãgeretis, nũquid ieiuniũ ieiunastis mihi? Et cùm comedistis, & bibistis, nunquid non vobis comedistis, & vobismetipsis bibistis? Sibi enim comedit & bibit, qui aliméta corporis, quæ sunt communia dona cõditoris, sine indigẽtibus percipit. Et sibi quisque ieiunat, si ea quæ sibi ad tẽpus subtrahit, nõ pauperibus tribuit, sed vẽtri postmodùm offerẽda custodit. Hinc per Ioẽlem dicitur: Sanctificate ieiuniũ. Ieiuniũ quippe sanctificare, est adiũctis bonis alijs, dignam Deo abstinentiã carnis ostendere. Cessẽt ira, sopiantur iurgia. Incassùm enim caro atteritur, si à prauis suis voluptatibus animus nõ refrenatur, cùm per prophetã Dominus dicat: Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra: ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè, & omnes debitores vestros repetitis. Neq; enim qui à debitore suo hoc quod dedit repetit, aliquid iniustum facit: sed dignum est, vt quisquis sẽ in pœnitentia macerat, etiam hoc quod sibi iustè competit, interdicat. Sic sic nobis afflictis & pœnitentibus, à Deo dimittitur quod iniustè egimus, si pro amore illius, & hoc quod nobis iustè competit, relaxemus.

Ieiunium 40. dierũ mysticè.

Annorum nostrorũ decimas Deo damus.

Leuit. 27.

Rom. 12.

Esai. 58.

Zach. 7.

Ioël.1.

Esai.58.

DE EADEM DOMINICA HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Matth.3.

BAptizatus Iesus, confestim ascendit de aqua: & ecce aperti sunt ei cæli, & vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se: & ecce vox de cęlis, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Quid est enim quod baptizato Domino cæli aperiuntur? Magnũ est hoc mysterium, magnamq; his qui baptizantur lætitiam præfigurat. Clausum erat priùs, nemo illuc ante baptismum ingrediebatur. Nũc autem apertum est, sed baptizatis tantũ est apertum. Sic enim Dominus ait: Nisi quis renatus *Ioan.3.* fuerit ex aqua & spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum. *Et tunc quidẽ ductus est Iesus in desertum à spiritu, ut tentaretur à diabolo. Et quum ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esurijt.* Præcipui sanctæ Ecclesiæ doctores Dominũ Iesum in desertũ à suo spiritu ductũ esse exponunt. Quem si ab alio quoq; spiritu ductũ fuisse *Luc.4.* exposuissent, non esset inconueniens, quum Lucas Euangelista eum in Hierusalem, & in montẽ excelsum valdè à diabolo non assumptũ, sed ductũ apertissimè scribat, dicens: Et duxit illum diabolus in montem altissimum, & ostendit illi omnia regna orbis terræ, in momento temporis: & paulò post: Et duxit eum in Hierusalẽ, & statuit illũ supra pinnã templi. Quod si ibi ab alio spiritu ductũ esse nõ est incõueniẽs, quare in desertũ quoq; ab alio spiritu eũ ductũ fuisse incõueniẽs videatur? Sed siue à suo, siue ab alio ductus fuerit, considerandum est, quare se à diabolo tentari permiserit. Nihil enim sine vtilitate & ratione fecit Saluator noster. Et ibi maximè rationem quærere debemus, vbi ipse aliquid agit, si tamen aliquid agit, quod suæ maiestatis videatur esse indignum. Quis enim audire non horreat, quòd tantà virtus à diabolo vel ducatur vel tentetur? Veruntamen quia sua spõte ducitur, imò ipso iubente ducitur, (eius enim velle, iubere est) nõ est hoc tantùm horrendum, quantùm quid significet mirandum & quærendũ. Quis enim nesciat Pilatũ & Iudæos, qui eũ occiderũt, nõ solũ membra diaboli, sed eius quoq; seruos fuisse? Et quidẽ maior nobis iniuria esse videtur ea, quã à seruis alicuius hominis patimur, quã si ab ipso eorũ Domino eã pateremur. Vnde nõ magis horrendũ est, qp Saluator noster à diabolo ducitur & tẽtatur, quã quòd à Iudæis occiditur & flagellatur. Sic enim Christus occiditur non sibi, sed nobis. Nobis enim mortuus est: quia nobis eius mors necessaria erat. Nisi enim ipse moreretur, nos nõ viueremus. Mortuus igitur est, vt nos viuamus. Similiter autẽ nobis tentatus est, quia eius tẽtatio duplex nobis beneficiũ parat. Alterum quidẽ, vt sciamus quomodò tentatoribus nostris, & his qui nobis iniuriam faciunt, respondere debeamus: alterum verò, vt in nulla nostra virtute vel sapientia cõfidamus, quoniã inimicus noster diabolus, qui ipsum Dominũ nostrũ tẽtare præsumpsit, tanquã leo rugiens semper circuit, quærẽs quẽ deuoret. Reddita igitur causa tẽtationis, videamus & mysteriũ significationis. Quũ enim multis modis diabolus hominem tẽtet, maximè his tribus tantùm eos tentã do aggreditur, id est, aut ciborum appetitu, aut vana gloria, aut honoris & diuitiarum sublimitate. Nititur autem eos quos tentat ad excelsa ducere, & in altum eleuare, vt sicut ipse eleuatus cecidit, sic & alios exaltando ruere faciat. Ipse est enim, qui ait: In cælũ ascendam, super astra Dei exaltabo solium meũ, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis, & similis ero altissimo. Alios itaq; in desertum ducit, alios supra templi pinnaculũ posuit, alios verò in mõtem excelsum exaltat. Et in desertum quidem ducit, quando ab amore cælestis patriæ, & à diuina contemplatione mentes hominum auertit, & terrena quæq; & transitoria cogitare facit. Desertum enim est, quicquid à Deo longè est. Sed quia cogitare non magnum peccatum est, nisi cogitationi delectatio succedat, opponit menti diuersas ciborum delicias: vt sicut primum hominem decepit per gulæ intemperantiam, sic cæteros quoque decipiat. In pane enim omnia ciborum genera significantur, secundùm illud: Intrauit Iesus in domum cuiusdã principis Pharisæorum sabbato manducare panem. Quando hæc igitur tibi in mentẽ venerint, & oblitus eorum quę animę sunt, sola ea, quibus caro delectatur, impinguatur, & superbit, cogitare cœperis: recordare quia in deserto es, tentat te inimicus, & panes suos tibi apponit. Non vult vt ieiunes, non vult vt abstineas, non vult vt sanctorum obseruationes custodias. Inuitat te ad carnis voluptatem, inuitat te ad crapulam & ebrietatem. Scit enim quantùm caro his superbit & eleuatur, scit quantùm anima his premitur & superatur. Respondeitaq;, sicut Dominus tuus respondit, quando ipse quoque ab eo tentabatur. Pane enim nutritur corpus, verbo Dei reficitur anima. Vtrunq; ergo bonum est. Alterum tamen nimiùm appetere, multumq; delectabilem quærere, & in suscipiendo temperantiã non habere, malum est. Ex hoc enim luxuria omnisque carnis petulantia nascitur. Propter hoc & diues *Luc.16.* ille, qui epulabatur quotidiè splẽdidè, quia susceperat bona in vita sua, omnia mala nunc patitur post mortem suam. Videamus modò illos, *Satã quos supra pinnaculum templi diabolus statuit.* quos supra pinnaculum templi diabolus statuit. In quibus mihi clericorum ordo maximè significari videtur. Illi enim à diabolo supra pinnaculum templi eleuantur, qui dum se idoneos esse putant, qui Ecclesiam Dei regere possint, & precio, & precibus, & quibuscunq; modis possunt, Ecclesiæ prælati & episcopi fieri nituntur. Neq; enim se aliter Christus illuc à diabolo duci pateretur, nisi quia tales Christianos suo nomine præsignitos in hoc facto significare volebat. Et bene quidem tunc omnium personas, bonorum scilicet & malorum, in se significando suscepit, quando se à diabolo tentari permisit. Non est autem inconueniens, quòd malos Christianos in se Dominus significare voluit, qui per baptismi sacramentũ eius corpori vniti sunt, cũ ipse alibi dicat: Ego sum vitis vera, & pater meus agricola *Ioan.15.* est. oẽm palmitẽ in me non ferentẽ fructum, tollet eum. Nota quod ait, in me. Omnes enim palmites, etiã infructuosi, per baptismi sacramentũ in ipso sunt, quãuis de ipso aliquando tollendi sunt. Quod autẽ ait: *Si filius Dei es, mitte te deorsum,* quid aliud nisi hoc dicere videtur: Iã inter filios Dei cõputatus es, iam episcopus ordinatus es, iã ab his qui te nõ cognoscũt, videris esse quod nõ es: fac igitur aliquid vnde laudaris, vnde magnus ab hominibus videaris. *mitte te deorsum.* Semper e- *Mittere se deorsum.* nim hi tales se deorsũ mittunt, qui solas diuitias, gloriam & dignitatẽ querẽtes, quotidiè deteriores fiunt. Et hos tamen benignissimus Dominus docere non dedignatur, quomodò suo tẽtatori respondere debeant, si tamen nõ diabolum tentantẽ, sed se salutaria consilia dantem audire velint. Ait enim. *Rursum scriptũ est, Non tẽtabis Dominũ Deum tuũ.* Hoc enim Dominus respondit, quãdo *Deut. 6.* diabolus eum duxit super pinnaculum templi, & quãdo ei dixit, Si filius Dei es, mitte te deorsum. Similiter igitur & tu, quia intelligis te supra Ecclesiam Dei malè ordinatum, & non à Deo, sed à diabolo ibi positum, cæterisque prælatum, qui tibi etiam quotidiè dicit, mitte te deorsum, & te quotidiè præcipitare & perdere nititur, recordare huius testimonij, quod non diabolo, sed tibi & omnibus hominibus à Domino di-

1.Pet.5.

Psa.14.

In desertũ ipsos duc- tus satan.

Luc. 14.

Christus cur se à satana tentari permiserit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicitur. Responde igitur: Non tibi credam, non me deorsum mittam, sed obediã scripturæ mihi dicẽti, Nõ tentabis Dominum Deum tuũ. Quomodò enim Deum non tentat, qui Ecclesiã, quã furtim & per latrocinium inuasit, contra canonũ instituta & Dei voluntatẽ tenet & possidet? Multum enim Deum tentat, qui in eo peccato perseuerat, quo se perire non dubitat. His autem ita dispositis, nunc de illis quoq; videamus, qui supra montem excelsum valdè à diabolo ducũtur, quibus etiã omnia regna mundi, & eorũ gloriã ostendit, & ostensa permittit, si eum procedẽtes adorẽt. Quos enim alios per istos intelligamus, nisi imperatores, reges, duces, principes, cæterosq; huius seculi potentes, quos in montem excelsum, id est, in ipsarũ dignitatũ sublimitatẽ per homicidia, periuria, furta, rapinas, proditiones, fraudes, & cætera huiusmodi, diabolus ducit & exaltat? Et isti quidem eum adorant, eum colũt, & venerantur, eum quasi Deũ sequuntur, & post eum in tenebris demerguntur. Neque enim audiunt, quod dicit Dominus Iesus, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Isti eum imitantur, ei seruiunt & obediunt. Isti sunt eius milites & consiliarij, isti eius faciunt voluntatem. Miseri qui non intelligunt cui seruiunt, quẽ sequuntur, & cuius se seruituti subijciunt. Quãtò enim ampliùs ei seruierint, tantò maiora tormenta ab eo suscipient. Quia igitur dictum est de his, qui in desertum ducuntur, & de his qui supra pinnaculum templi constituũtur, & de illis qui supra mõtem excelsum valdè exaltantur: nunc ad principiũ redeamus, & quare saluator noster quadraginta diebus & quadraginta noctibus ieiunauerit, exponamus. Quæri enim potest, quare neq; plùs, neque minùs ieiunauerit, & quare sibi hoc dierum numero ieiunare placuerit. Tantũ enim Moysen, tantũ & Eliam ieiunasse legimus. Quadragenarius enim numerus ex quatuor cõstat & decem: quater enim decem, vel decies quatuor, quadraginta fiunt. Per quatuor autẽ nouũ testamentum significatur, quoniã in quatuor euãgelijs consistit. Per decem verò significatur vetus, quia in decẽ mãdatis legis cõtinetur. Quadraginta enim diebus ieiunat, qui ab illis omnib⁹ se immunem & ieiunũ custodit, quæ vtrũq; testamentum facere interdicit: vt sicut caro exteriùs ieiunat à cibis, ita & animus interiùs ieiunet à vitijs. Dicit enim scriptura: Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non falsum testimoniũ dices, non concupisces rem proximi tui, & similia. Hi sunt illi cibi, à quibus vtrunq; testamentũ præcipit abstinere. Qui ergo carnẽ ieiunijs macerat, nisi interiùs ab illis cibis se ieiunum custodiat, nõ benè ieiunat. Ieiunemus igitur carne, ieiunemus & mẽte. Noti nobis sunt illi cibi, à quibus abstinere debeamus. Ieiunauit itaq; Dominus Iesus quadraginta diebus & quadraginta noctibus, quatenùs in ciborum ieiunio significaret nobis ieiunium corporis, & in dierum numero demonstraret ieiunium cordis.

In montẽ excelsum qui ducantur.

Exod. 34. 3. Reg. 19

Exod. 20.

Ieiunium corporis et cordis.

FERIA SECVNDA POST INVOCAVIT. Matthæi XXV.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Cùm uenerit filius hominis in maiestate sua. Et reliqua. Homilia Eorici.

IN lectione quæ hanc præcedit, propositum fuit Dominus similitudinẽ hominis peregrè proficiscentis, qui vocatis seruis suis distribuit illis pecunias, prout vnicuique conueniebat, alij quinque talenta, alij duo, alij vnum, & statim profectus est. Post multum verò temporis reuersus, vocatis seruis suis posuit rationem cum eis. Et benè quidem operãtes pro apportatis lucris remunerauit, negligentem verò seruum, & à bono opere torpentem damnauit. Qua finita parabola, hoc quod modò exponendum suscepimus, consequenter adiunxit, probans illam, quam præmiserat, similitudinem ad se pertinere. ait ergo: *Cùm uenerit filius hominis in maiestate sua.* Quia enim tempus passionis eius instabat, & proximè venturo pascha comprehendẽdus & alapandus, conspuẽdus, flagellandus, spinis coronandus, & ad vltimum crucifigendus, aceto potandus, & morti tradendus erat, proinde se in maiestate ad iudicium venturum pronunciat, quatenùs secutura scãdala passionis, compensaret pollicitatio magnæ glorificationis. Ait ergo: *Cùm uenerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo.* Notandum sanè, quòd filium hominis in maiestate venturum dicit, per quod destruit opinionem quorundam hæreticorum, qui dixerunt Dominum nostrum Iesum Christum à tempore resurrectionis & ascensionis nõ manere in natura veraciter assumptæ humanitatis: non attendentes quod angeli in eius ascensione dixerunt: Sic veniet, quemad modùm vidistis eum euntem in cælum. Et hîc Dominus manifestè filium hominis fatetur venturum esse ad iudicium. Idem enim verus filius Dei, idemq; verus & filius hominis: non tamen duo, sed vnus est filius Dei, qui in iudicio per sola videdus est humanitatẽ. Nam in diuinitate sua solis post iudiciũ apparebit electis, quia scriptũ est: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Soli autẽ regem seculorum in decore suo videbũt oculi mundi sanctorum. *Cùm ergo, inquit, uenerit filius hominis in maiestate sua,* hoc est, in diuinitatis suæ potentia, per quam cum patre simul & spiritu sancto genus humanũ iudicabit, benè meritis præmia, impijs & peccatoribus digna repẽdens supplicia, secundùm quã (vt dictũ est) nunquã eum reprobi videre poterũt. Ille ergo qui quondã in assũpto homine iudicandus veniens non clamauit, neq; vocem eius quisquã in plateis audiuit, quia ita humilis venit, vt à nemine cognosceretur: nũc Deus manifestè veniet, Deus noster, & non

Matt. 25.

Act. 1. Sedes Dei.

Esa. 26.

Esa. 42. Matt. 12.

Psal. 49.

non silebit, stipatus ministerio angelorum, qui cum eo ad iudicium venient, vt in eorum præsentia iudicentur, qui sub eorum custodia vixerunt. Angeli enim sunt administratorij spiritus, qui singulis hominibus ad custodiam deputantur, de quibus Dominus: Angeli eorum semper vident faciem patris &c. Hinc & Psalmista dicit: Annunciauerunt cæli iustitiam eius. Cæli nanq; iustitiam eius annunciabunt, quia sancti angeli iustissimum Dei iudicium veneranter prædicabunt. *Tunc sedebit super sedem maiestatis suæ.* Sedem super quã Dominus sessurus est in iudicio, quidam iuxta literam nubem illam accipiũt, in qua Dominus ascendit in cælũ, in qua etiam venturus est ad iudiciũ. Sed competentiùs sedes Dei sancta intelligitur Ecclesia, in qua Dominus sedebit, quia in Ecclesia sua gloriosus ipse eã glorificans apparebit. *Et congregabuntur ante eum omnes gentes.* Omnes videlicet homines à primo Adam vsq; ad eum, qui in fine mũdi nasciturus est, quique ab exordio mũdi iam defuncti sunt, vel qui viui in corpore inueniendi sunt. *Et separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis. Et statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris.* Sicut pastor pecus secernit à pecore, ita Dominus noster, qui est verus pastor, quem oues suæ agnoscunt, eumque sequuntur, separabit in die iudicij bonos à malis. Nam per oues designãtur sancti, simplicitate & innocentia gaudentes: qui ad dexteram Domini statuentur, quia in spe sempiternæ felicitatis collocabuntur. Per hœdos autẽ (qui sunt petulca animalia & lasciua, & ad libidinem semper seruida) designantur reprobi, voluptatibus & illecebris corporalibus dediti: qui ponẽtur ad sinistrã, quia iustè sempiternæ damnationi subijciẽtur. Sed & illud attẽdendũ, quia nõ capras, sed hœdos in sinistra statuẽdos dicit, quoniã capra in bonã accipitur significationem. Signat enim sanctorum animas, quæ velut greges caprarum tonsæ & lotæ ascenderũt de lauacro, & gemellos edũt fœtus, & sterilitatem ignorant. Sciendum verò, quia in iudicio duo erunt ordines, alter bonorum, alter malorum, qui tamen quadrifariè diuidentur. Duo enim erũt ordines bonorum: vnus qui non iudicabitur, sed cum Domino iudicabit: sicut erunt sancti Apostoli & perfecti, quibus dictũ est: Sedebitis super sedes, iudicantes duodecim tribus Israël. Alter erit ordo bonorum, qui iudicabitur & saluabitur, quibus dicetur: Esuriui, & dedistis mihi mãducare, &c. Similiter duo erunt ordines reproborũ. Vnus eorum, qui non iudicabitur, & tamẽ damnabitur, in quo erũt pagani Deũ ignorãtes, de quibus Psalmista dicit: Non resurgẽt impij in iudicio. Et Dominus: Qui nõ credit, iam iudicatus est. Alter erit ordo illorũ, qui iudicabũtur & damnabuntur, quibus dicetur: Esuriui, & nõ dedistis mihi mãducare. *Tunc dicet rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei, possidete præparatum uobis regnum à constitutione mũdi.* Rex, Christus videlicet, qui est rex regum, & Dominus dominantium, quique in die illa solus exaltabitur, & suæ potestatis authoritate sententiam dictabit. Et dicet his qui à dextris eius erunt, hoc est, sanctis qui ad sortem supernæ beatitudinis pertinebunt: Venite benedicti patris mei, & cætera. Vox ista desiderabilis, exoptabilis, & omni gratia suscipienda, qua sancti ad bona perpetua, & ad regnum vocantur sine fine mansurum. Et meritò benedicti dicuntur, hoc est, ad æternam benedictionem, quæ in Christo & per Christum est, prædestinati. Patris autem sui regnum dicit, ad illum referens omnem potestatem, cuius est filius: quia à quo habet essentiam, ab illo habet & potentiam. Vnum tamen est regnum patris & filij & spiritussancti, sicut vna est essentia, eademque maiestas. Quod regnum ab origine mundi illis præparatum asserit, quia ad illud ante secula prædestinati & præordinati sunt. Nam & Apostolus dicit: Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui. Quos autẽ prædestinauit, illos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit. Quibus verò meritis talem promeruerint remunerationem, enumerat subdens: *Esuriui, & dedistis mihi mãducare. Sitiui, & dedistis mihi bibere. Hospes eram, & collegistis me. Nudus, & cooperuistis me. Infirmus, & uisitastis me. In carcere eram, & redemistis me.* Quæ verba apertè exprimunt opera pietatis, & beneuolentiæ munificentiam, quæ corpoream tolerantibus indigentiam necessaria est. Verùm si hæc spiritaliter acceperimus, gratius aliquid impletiõe charitatis intelligere poterimus: quia charitas non solùm circa carnem fratris quandoq; morituram, verùm multo magis circa animã semper victurã est exhibenda. Qui igitur esurientem & sitientem pane verbi satiat, & aqua sapiẽtiæ potat, perfecta charitatis opera adimplet. Qui errantẽ à via veritatis sacra admonitione reuocat, & per pœnitentiã in domũ sanctæ Ecclesiæ recipit, pietatis opera veraciter agit. Qui verò infirmũ in fide suscipit, secundũ Apostolũ, & tribulationũ ac insciticæ carcere clauso, solatium cõpassionis ac sermonẽ cõsolationis impendit, hic vtiq; veræ dilectiõis iura adimplet, atq; ideò pietatis mercede remunerãdus est. Et nota q̃ nõ virtutes maximas, sed sola dilectiõis opera, quæ actiuæ vitæ necessaria sunt, Dominus in iudicio commemorat, vt liquidò ostẽdat, quia charitatis præcepta seruantibus debeãtur regna cælorũ, sine qua nulla virtus, nullũ opus bonum Deo placere potest. *Tunc respõdebũt iusti, dicẽtes: Domine, quãdo te uidimus esurientẽ, & pauimus? sitientẽ, & dedimus tibi potũ? Quando autẽ te uidimus hospitẽ, & collegimus te? nudũ, & cooperuimus te?* Respondebunt ista sancti, stupentes ad immensam & ineffabilem maiestatem regis Christi, & quia omne bonum quodcũque fecerunt, quanuis fuerit maximũ, tunc illis minimum & breuissimum videbitur, præ magnitudine terroris qui tunc erit, sine præ abundã-

Esai. 2.

Heb. 1.

Matt. 18.

Psal. 96

Act. 1.

Sedes Dei.

Oues.

Hædi.

Capra. Cant. 4.

Ordines bonorum & malorum.

Matth. 19 Matt. 25.

Psalm. 1. Matt. 3.

Apoc. 19.

Spiritalia charitatis opera.

Rom. 14.

Rom. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tia inæstimabilis retributionis. Deniq; & B. Ephræm in Homilia quadam de die iudicij, quam plenam compunctione scripsit, dicit sanctos tũc angelos, sub quorũ custodia vixerũt, interrogaturos, quid vnquã boni egerint, aut quid meriti habuerint, vt tali gloria talique digni habeantur mercede? *Et respondens rex, dicet illis: Amen dico uobis, quandiù fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Miranda Domini & saluatoris nostri pia dignatio, qui deuotionem iustorum tali mercede compensat, vt se in pauperibus pastum & vestitum asserat, & quicquid illis impensum est, se suscepisse confirmet. Sanè quod dicit: Quandiù fecistis vni ex his minimis meis, mihi fecistis, potest quidem generaliter de omni paupere accipi, quòd videlicet eleemosyna cuiquã egeno propter Christum impensa, ab ipso suscipiatur. Verũ cùm Dominus notabiliter & quasi demonstrans dicat, vni de mininis istis, ostendit se non generaliter, sed de quibusdam pauperibus, de his videlicet tantũ dicere, qui spiritu pauperes sunt, quiq; propter Deum voluntariam perferũt egestatem: quibus maximè fideles de suis facultatibus subuenire, & sibi amicos facere debẽt, vt ab eis in æterna regni cælorum habitacula recipiantur. *Tunc dicet & his, qui à sinistris eius erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternũ, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Reprobis ad sinistram positis (qui etiam dum in mundo viuerent, sinistra semper, hoc est, transitoria amauerunt, nec vnquã æternorũ, quę per dexterã figurantur, curã habuerunt) dicitur, Discedite à me maledicti in ignẽ æternum. Maledicti verò vocantur hi, qui in malitia oẽm vitã cõsumentes, æternæ maledictioni seipsos præparare non timuerunt. Nunquã quidem mali cum Domino fuerunt, quia non habitabit iuxta eum malignus: sed tunc discedere iubentur, quia in præsenti mali bonis permixti videntur, à quibus in iudicio separabuntur. Sagena enim sanctæ Ecclesiæ malos pisces cum bonis capit, & vsq; ad littus vltimi examinis pertrahit. Sed tunc bonis in vasa collectis piscibus, mali foras proijcientur. Sic & in agro Domini zizania cum tritico germinant, sed cùm ad aream ventum fuerit, triticũ in horreum reconditur, zizania verò in fasciculis colliguntur, & igni comburũtur. Siue discedere eos, hoc est, à præsentia suæ visionis iubet proijci, & in tenebras exteriores expelli. Discedere ergo maledicti iubentur in ignem æternum, vt ibi sine fine ardeant, qui in præsenti ignem vitiorum in se extinguere noluerunt. Iste autem ignis diabolo & angelis eius præparatus est: quia sicut præscientia Dei iustis regnum ab origine mundi præparauit, ita diabolo & angelis eius ac reprobis ignem æternum, in quo perpetualiter crucientur, præordinauit. *Esurui enim, & non dediſtis mihi manducare. Sitiui & non dediſtis mihi potum. Hospes eram, & non collegiſtis me. Nudus eram, & non operuiſtis me. Infirmus, & in carcere, & nonuiſitaſtis me.* Metuenda multumque pertimescenda est ista sententia. Non enim dicit, aliena rapuistis, sed non dedistis mihi manducare. Si ergo ita tenacia damnatur, rapacitas quid meretur? Aut quid recipiet qui alienum tulerit, si sic punietur, qui de suo non dederit? Si tale iudiciũ est ei, qui non fecit misericordiam, quale erit ei, qui fecit rapinam? *Tunc respondebunt & ipsi, dicentes: Domine, quando uidimus te esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, uel in carcere, & non ministrauimus tibi?* Excusare se nituntur, tanquã Deum fallere possint, sicut quondam homines decipiebant. Sed tunc nullam excusationem habere possunt, qui dum potuissent conuerti, noluerunt, & eleemosynis peccata sua delere neglexerunt. *Et respondens, dicet illis: Amen dico uobis, quandiù non fecistis uni de his fratribus meis minimis, nec mihi fecistis.* Qui enim humilibus & despectis Christi membris beneficium impendere negligit, conuincitur Christo minùs esse deuotus, atque ideò nunquam se ei aliquid tribuisse gaudebit. Nam qui non diligit fratrem quem videt, Deum quem non videt quomodò potest diligere? Attendendum verò, quòd & hic, sicut & superiùs, vnitatis fit mentio, cùm dicitur: Quãdiù nõ fecistis vni ex minimis meis, nec mihi fecistis. Per quod innuitur, quia illius largitas Deo accepta est, qui hanc simplici cordis intentione, in vnitate fidei catholicæ studet exhibere. Cæterùm qui se vel ub vnitate fidei hæretica prauitate diuidit, vel de suo bono opere laudem quærit humanam, huius misericordia reproba à Christo iudicatur & indigna. *Et ibunt hi in supplicium æternũ, iusti autem in uitam æternam.* Origenes dogmatizat, omnes reprobos, ipsum etiam diabolum & angelos eius, post multa secula posse indulgentiam peccatorum promereri, & à supplicijs liberari: asserens diuinæ pietati aptissimè conuenire, vt sicut hominem redemit, ita quoq; præuaricatorem angelum saluet. Cui tamen apertissimè hac sententia repugnatur, qua dicitur, Ibũt hi in supplicium æternum. Sed ille ex opposito dicit, hoc Dominum dixisse ad incutiendum timorẽ quibusq; peruersis, quatenùs æterna expauescãt supplicia, & peccare desistant. Cui contra respondẽdum, quia si hoc verum non est, nec illud verum est, quod veritas subdit: Iusti autẽ in vitã æternã. Sed (quod dictu nefas est) sicut illud falsò minatus est, vt timore percelleret: ita hoc falsò promisit, vt vana spe deciperet. Ad hæc fortasse aliquis dicat, iniustum esse vt pro temporali & momentanea delectatione quis æterna persoluat supplicia. Sed sciendum illos æternis subigi tormentis, qui obstinata voluntate in malo perseuerare, & nunquam suis sceleribus terminum ponere voluerunt. Insuper & si semper viuerent, semper vtiq; peccare vellẽt. Iusto igitur Dei iudicio, tales ibunt in supplicium æternũ. Proinde orãdae est misericordia Dei, & corda cũ manib⁹ eleemosynarũ leuãda, vt in præsenti vita ignis timoris sui mala nostra decoquat, quatenùs in tremendi examinis iudicio à malorum statione sinistra liberatos, in dextra cum omnibus sanctis misericorditer collocare, & in vitam æternam cum sanctis angelis connumerare dignetur, in qua viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Luc. 16.

Maledicti qui.

Psalm. 5.

Matth. 13.

Ibidem.

1. Ioan. 4.

Origenis error de damnatorum reparatione.

EADEM FERIA II.
HOMILIA EVSEBII EMESENI.

DOminus enim, qui priùs humilis venit in forma serui, iterum excelsus & sublimis vẽturus est in maiestate sua. Venient autem & omnes angeli cum eo, vt ex ipsa sui exercitus multitudine, & virtus & omnipotentia manifestetur. Et tunc quidem sedebit in sede maiestatis suæ, quoniam tunc patri coæterno æqualis & similis reuelabitur. Nusquã enim meliùs regia dignitas, quàm in sede regia manifestatur. *Et congregabũtur ante eum omnes gentes.* Secundùm illud: Viuo ego, dicit Dominus, quia mihi curuabitur omne genu, & cõfitebitur omnis lingua. Nõ autem erit ei difficile, sicut nõ fuit creare, ita & resuscitare. Et ipse quidẽ pastor bonus, qui oues suas benè cognoscit: bonos à malis separabit, ouesq; statuet à dextris, hœdos autem à sinistris. Oues enim dicuntur boni, propter simplicitatem & innocentiam: hœdi verò dicuntur mali, propter vanitatem & petulantiam. In ipsa autem positione dextræ & sinistræ, iam ex tũc vtraq; pars agnoscere poterit, cui misericordia, & cui pœna immineat. *Tũc dicet rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei, possidete paratum uobis regnum à constitutione mundi.* Quare hoc? Vultis audire quare? *Esurijui enim, & dediſtis mihi manducare: sitiui, & dediſtis mihi bibere: hospes eram, & collegiſtis me: nudus eram, & operuiſtis me: in carcere eram, & uenistis ad me.* Si enim ante mundi constitutionem regnum eis paratum erat, cõstat quia antequàm fierent, ad vitam erant prædestinati. Qui verò ad vitam prædestinati sunt, illi nullatenùs perire possunt. Fit autem conditionaliter prædestinatio Dei, nihilque sine aliqua conditione prædestinatum est. Prædestinatum est enim vt saluaretur mundus, sed per aquã baptismatis, & mortẽ filij Dei. Prædestinati sunt omnes boni ad gloriam, ea tamen conditione, si fidem tenuerint, si charitatem, si humilitatẽ, si sapientiam, si misericordiã & pietatẽ, & his similia habuerint. Tales enim eos futuros præuidit, quos Deus ad vitã prædestinauit: & quasi prędestinãdo eis diceret: Ego quidẽ vos ad vitã prædestino, si tamẽ tales fueritis, si mea mãdata custodieritis, si fidẽ & misericordiã habueritis, & si in bono tandẽ inuẽti fueritis. Qui igitur talis esse nõ vult, qui mãdata Dei custodire nõ nititur, ideò nõ venit ad prædestinationẽ, quia non seruat conditionẽ. Noli ergo attẽdere ad prædestinationẽ Dei, quã ignoras: attende ad verba, quæ audis & intelligis. Sicut enim in prædestinatiõe sua verus est Deus, & mutari nõ potest: ita & verba eius vera sunt, vel mutari non possunt. Vnde & in euangelio Dominus ait: Cælũ & terra trãsibunt, verba autẽ mea non transibunt. Sed audiamus, quæ sunt hæc verba. Peccator, inquit, quacũque hora conuersus fuerit & ingemuerit, vita viuet, & non morietur. itemq;: Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Quod si nolueritis, gladius deuorabit vos. & in euangelio: Qui crediderit (inquit) & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. & iterũ: Si dimiseritis hominib⁹ peccata eorum, dimittet vobis pater vester cælestis peccata vestra. Ne quæras aliam prædestinationem. In his enim verbis, omnis & vitæ, & mortis prædestinatio consistit. Si hæc feceris, esto securus, & crede indubitanter, quòd ad vitam prædestinatus es. Quòd si indurato corde hæc facere nolueris, & in hac malitia perseueraueris, pro certo scias te ad mortem esse prædestinatum. Quanuis enim nullus homo ad peccatum sit prædestinatus, omnis tamen homo ad gloriã, aut ad supplicium prædestinatus est. Sequitur: *Tunc respondebunt ei iusti, dicentes: Domine, quando te uidimus esurientem, & pauimus: sitientem, & dedimus tibi potum? quando autem te uidimus hospitem, & collegimus te? aut quando te uidimus infirmum aut in carcere, & uenimus ad te?* Stupescunt enim admiratione, dum cum esurientem vel sitientem, dum hospitem, infirmũ, aut in carcere fuisse aliquando audiunt, quem nunc in tanta gloria, tantaque sublimitate conspiciunt. Vnde & non immeritò eum interrogãt, quando vel sic eum viderint, vel sic ei ministrauerint. *Et respondens Rex, dicet illis: Amen dico uobis, quandiù fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* In membris suis suscipitur Christus: membra enim sua sunt omnes Christiani. Et ideò quidem dicuntur Christiani, quia membra sunt Christi. Vnde & Apostolus ait: Nescitis quoniã corpora vestra, membra Christi sunt? Tollés ergo membra Christi, faciam membra meretricis? absit. Christus igitur in esurientibus esurit, in sitientibus sitit, in infirmis ægrotat, & in aliis similiter patitur. Magna ergo reuerentia suscipiendi sunt pauperes Christi, cum magna veneratione seruiendum est eis: siquidem Christus in eis suscipitur, & honoratur in eis. *Tunc dicet & his, qui à sinistris eius erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Quare autem hoc præcipiat, subiũgit causam. *Esurijui enim, & non dediſtis mihi manducare: sitiui, & non dediſtis mihi bibere: hospes eram, & non collegiſtis me: infirmus & in carcere, & non uiſitaſtis me.* Si igitur ignis æternus paratus est diabolo & angelis eius, manifestum est, quoniam sic prædestinati sunt mali ad mortem propter malitiam suam, sicut boni ad vitam

Luc. 21.

Ezech. 18

Esai. 1.

Mar. 16.

Matt. 6.

Esai. 45.

Ioan. 10.

Oues.

Hœdi.

Prædestinatio ut fiat.

Christiani membra Christi.

1. Cor. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pro bonitate sua. Sed quæ tormenta patientur qui aliena rapiunt, quum isti talia patiũtur, quia sua non tribuunt? Si talia sustinebunt immisericordes, qualia passuros putamus crudeles? *Et ibũt isti in supplicium æternum : iusti autem in uitam æternam.*

FERIA TERTIA.

Matth. XXI.

In illo tempore: Cùm intrasset Iesus Hierosolymam, cõmota est uniuersa ciuitas. Et reliqua. Homilia Erici.

DOminus & Deus, author & reparator humani generis Christus, ante mundi constitutionem præelegerat cum patre, & vbi pateretur, & quãdo pateretur pro salute hominum. Impleta ergo huius temporis plenitudine, instante iã passione, appropinquare voluit loco suæ passiõis, vbi inueniri posset ab his, per quos eadẽ passio celebranda erat, ne quasi refugiẽs aut detrectãs mortẽ æstimaretur. Nõ enim metuebat mortẽ, sed potestate imperabat morti. Ait ergo Euãgelista: *Quia cùm intrasset Iesus Hierosolymam, cõmota est uniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic?* Ad ingressum Saluatoris cõmota est ciuitas, admirata populi frequentia, ignorans Domini intrantis virtutẽ atq; potentiam. Simile quid & in ascẽsione eius de angelis legimus, qui cũ Dominũ triũphali põpa ascendentẽ cernerẽt, & carnem iam glorificatam ad cælos vehentem,
Psalm. 23. admirãtes dicebãt: Quis est iste rex gloriæ? Notandum verò, quod ante sex dies Paschæ, sicut S.
Ioan. 12. Euãgelista Ioãnes dicit, venit Dominus Bethaniã, vbi Lazarum suscitauerat, atq; in crastinũ asino sedẽs, turbis diuinas sibi laudes acclamãtibus, Hierosolymam ingressus est: quod olim in paschali agno mysticè fuerat præsignatũ. Scriptũ
Exod. 12. nanq; est in lege: Decima die mẽsis primi tollat vnusquisq; agnum per familias & domos suas, & seruabitis eũ, inquit, vsq; ad quartamdecimã diẽ mẽsis huius, immolabitq; eum omnis multitudo filiorũ Israël ad vesperã. Ergo secundùm hãc de paschali agno prophetiã, Dominus Iesus decima die mẽsis primi, hoc est, ante quinq; dies paschę, ciuitatem Hierusalem ingressus, coniurante aduersùm se seniorũ principũq; cõcilio, præstolabatur horã, qua pro mũdi salute Deo patri se in odorẽ suauitatis hostiã offerret. *Populi aũt dicebãt: Hic est Iesus à Nazareth Propheta.* Superbis Iudæis quis nã esset, qui cũ tanta gloria ciuitatem intrabat interrogãtibus, simplex turba quod nouerat fatebatur, Hic est, inquiens, Iesus propheta. Prophetam appellabant, quia errabant, & quid dicerent ignorabant. Nesciebant enim eum Deum,
Deut. 18. aut Dei filiũ appellare, sed error eorum perfecta scientia plenus erat. Nam Moyses de eo dixerat: Prophetã vobis suscitabit Deus de fratribus vestris tanquàm me. Et ipse de se loquitur: Non ca- *Luc.* 13.
pit prophetã perire extra Hierusalẽ. Ita verò accipiendus est esse propheta, vt sit Dominus prophetarum, sicut est rex regũ, & Dominus dominantium. *Et intrauit Iesus in templum.* Quòd Dominus in ciuitatem ingressus, primò templũ adijt, formam nobis religiosæ conuersationis, quã sequi debeamus, ostendit. Cùm enim oppidũ, vel castellũ, siue aliquem locũ, vbi domus orationis Deo sit consecrata, ingredimur, priùs ad illã festinare debemus, & postquàm nos per studia orationum Deo commendauerimus, sic demũ ad ea, quæ necessitas fragilis vitæ exigit, peragenda negocia tutiùs accedamus. *Et cœpit eijcere uendẽtes in illo, & ementes, & mensas nummulariorum, & cathedras uendentium columbas euertit.* Inter omnia miracula, quæ Dominus in mundo corporaliter gessit, hoc præcellentissimum & maximum est. Plus enim fuit, vt dicit B. Hieronymus, hoc quòd vnus homo inermis multa millia armatorum de templo eiecit, quàm quòd Lazarum quatriduanum à mortuis suscitauit. Fulgor enim diuinitatis resplẽdebat in aspectu humanitatis: atq; ideò videntes insolitam claritatem in facie hominis radiantem, terga cædenti dabant, & resistere nõ audebant. *Scriptum est: Domus mea, domus orationis uocabitur: uos autem fecistis illam speluncam latronum.* Domus illa Dei ad hoc à Salomone primùm, & posteà à Iesu sacerdote & Zorobabel constructa fuerat, non quòd Deus in manufactis templis habitet, sed vt ibi nomen eius inuocaretur, ibique deuotæ plebis orationes audiret, vota susciperet, munera & oblationes acceptaret. Sed illi eam speluncam latronum fecerant, quia ad hoc in templo residebant, vt aut non dantes munera corporaliter punirent, aut dantes spiritaliter necarent. Legis siquidẽ præceptũ erat, vt ter *Deut.* 16.
in anno conuenirent omnes ex diuersis regni Iudaici partibus ad augustissimum & sanctissimũ in toto orbe templum, in pascha videlicet, pẽtecoste, & scenopegia: & eiusdem legis præceptũ *Exod.* 23.
erat, ne vacui in conspectu Domini apparerent. *& 34.*
Et plerunq; contingebat, vt hi, qui de remotioribus partibus veniebant, non haberent quod in sacrificio Domini offerrent, qui ob longinquitatem itineris secum pecora sua adducere non valebant. Proinde sacerdotes habebant pinguissima animalia, quæ vsus sacrificij exposcit, & ea nõ habentibus vendentes, accepta pecunia, rursus empta suscipiebant, hoc modo prædam de simplici populo facientes. Verùm erant quidam ita pauperes, qui etiam sumptibus & victu indigebant, & non solùm hostias, sed nec vnde eas emerent habebant. Ad hoc ijdem sacerdotes nũmularios in templo statuerant, qui mutuam eis sub hac occasione pecuniam darẽt. Sed quia lex vsuras prohibuerat, nec apertè ab eis duplicatam pecuniam exigere poterant, excogitauerãt rursus aliam fraudem, vt pro vsuris reciperent varias species munerum: verbi gratia, frixum cicer,

Vide Hieronymum in ca. 21. Matt.

Esai. 56.

Nummularij in templo.

Deut. 23.

vuam

vuam passam, & diuersi generis poma: vt quod in nummo non licebat, in his rebus exigerent, quæ nummis emuntur. Hos appellabãt ipsi proprio sermone collybistas, qui collybia, id est, vilia munuscula dabant, quæ græcè tragemata, latinè bellaria dicuntur. Istiusmodi fraudes & negotiationes Dominus cernẽs in domo patris sui fieri, sicut beatus Ioannes dicit, facto flagello de resticulis, innumeram multitudinem de templo eiecit. Attendant istud Ecclesiæ sacerdotes, & caueant, ne domum Dei in speluncam latronum vertant. Latro enim est, qui lucra de religione sectatur, & ex cultu sanctitatis studet occasioni negotiationis. Proinde metuendum est illis, ne sicut illi de templo materiali eiecti sunt, ita isti de templo spirituali eijciantur. Quotidiè enim Dominus domum patris sui, sanctam videlicet Ecclesiã intrat, & occupatos lucris turpibus eijcit, atq; vnius criminis habet vendentes pariter & ementes. Vendentes enim sunt, qui sacros ordines ad præmium largiuntur. Emẽtes verò, qui pro iniustitia pecuniam tribuunt, & dato precio patronis, emunt peccatum. Notandũ verò quod dicitur, Mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit. Quid enim per mensas nummulariorum, nisi altaria Dei intelliguntur, quæ per auaritiam malorum sacerdotũ, mensæ efficiuntur nummulariorum? Quid verò per cathedras vendentium columbas, nisi magisterialis dignitas in Ecclesia accipitur, quæ & ipsa cùm ad lucra deflexerit, ad nihilum redigitur? Quid verò per columbas, nisi spiritus sanctus ac- *Matth.* 3.
cipitur, qui super Dominum baptizatum in specie columbæ apparuit? Qui autẽ sunt qui colũbas vendunt, nisi hi, qui spiritum sanctũ per manus impositionẽ ad præmium tribuunt? Sed Dominus cathedras vendentium columbas euertit, quia talium sacerdotium destruit. Quicunq; enim episcopus gratiam spiritus sancti vendiderit, etiamsi in conspectu hominum pontificali stola fulgere videatur, iam ante Dei oculos sacerdotio priuatus est. Hinc & sacri canones Simoniacam hæresim anathematizant, & sacerdotio priuari præcipiunt eos, qui pro impensa gratia spiritali precium quærunt. Moraliter: sicut in ciuitate templum cæteris ædificijs præeminet, ita in plebe fidelium vita religiosorum. Templum
1. Cor. 3. ergo Dei, est ipsa mens fidelium, dicente Apostolo: Vos estis templum Dei, & spiritus sanctus habitat in vobis. Hæc igitur mens fidelis, si relicta innocentia, in læsionem proximi peruersas profert cogitationes, spelunca vtiq; latronũ efficitur, nec iam domus orationis vocatur, sed latibulum latronũ: vnde illud meditatur agere, vnde posit proximo nocere. Non ergo sit in domo nostri pectoris negotiatio, non ementium vendentiumq; cõmercia: ne iratus Iesus intret, & flagello districtæ seueritatis puniat concretas sordes suæ mansionis. *Et accesserunt ad eum cæci & claudi in templo, & curauit eos.* Eiectis indignis & prophanatoribus templi, cæcos & claudos mirabiliter sanauit, vt per hoc virtutis suæ suis aduersarijs daret indicium, & vt vocem se laudantium puerorum, Hosanna in excelsis clamantiũ, tali testimonio confirmaret: ostendens opere, quod illi vocibus consonabant: simul etiam, vt visa Christi tanta potentia, conuerterentur & crederent. Ideò enim illis cernentibus cæcos illuminauit, vt illi fidei lumen reciperent: ideò claudos direxit, vt isti claudicationem mentis abijcerent, & meliores pedes in recta operatione habere inciperent. *Videntes autem pueros in templo clamantes, hosanna, benedictus qui uenit in nomine Domini, dixerunt: Audis quid isti dicunt?* indignè ferentes, quòd Christo quasi homini diuinas laudes, & quæ soli Deo conueniunt acclamarent. Verùm Dominus ita responsum suũ ex omni parte prẽmuniuit, ita quod diceret temperauit, vt nec calumniatorum insidijs pateret, vel laudes illas, quasi à pueris errantibus sibi deferrentur, abijceret. Non enim respondit, quòd illi audire volebant, Benè dicũt pueri, iustè de me sic sentiũt. Nec rursus ait: Errant pueri, debetis ignoscere infirmitati. Sed respondit: Audio. sicq; voces illorum testimonio Psalmistæ confirmauit, dicẽs:
Psalm. 8. *Nunquã legistis, Ex ore infantiũ & lactẽtiũ perfecisti laudẽ?* Deus enim pater ex ore infantiũ & lactentiũ laudẽ perfecit, quia per simplices & innocentes filio suo testimonium perhibuit, per quod inimicos suos Iudæos, infestissimos eius persecutores euidentissimè confudit. *Et relictis illis, abijt foras in Bethaniam.* Reliquit calumniatores incredulos, & exijt in Bethaniam, quæ domus obedientiæ interpretatur. Quo iã præmonstrabatur, quia synagogam erat relicturus, & ad domum obedientiæ, hoc est, ad Ecclesiam gentium transiturus. Simul & illud intuendum, quod ita pauper erat, vt nec tugurium haberet: ita nulli adulabatur, vt in tãta vrbe, tamq; populosa à nemine reciperetur. Et die quidem in Hierusalem prædicabat, ferò verò reuertebatur Bethaniam: vbi erat amicus eius Lazarus cum Martha & Maria sororibus. Felices certè, multumq; beati, qui Dominum hospitem habere meruerunt, cuius præsentia tristia cuncta submouebãtur, salubria iucundaq; omnia prouidebantur. Sed & illi nihilominùs felicissimi, summeq; beatissimi, qui ita se ab omni malitia castos immunesq; custodiunt, vt in illis Dominus habitare, & apud eos manere dignetur. Hoc ergo votis sedulis, hoc sanctis desiderijs exposcamus, vt ita in nobis vniuersa vitia, & quicquid fœdũ, quicquid aspectibus suis est indignum, expurget: sic nos virtutum floribus exornet, quatenùs penetralia nostrorum cordium acceptissimum sibi habitaculum dignetur efficere, Dominus & redemptor noster, qui viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

Collybia.

Dan. 2.

Vendẽtes. Ementes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EADEM FERIA TERTIA

HOMILIA EVSEBII E-messeni.

Cùm introiisset Iesus Ieroſolymam, commota eſt uniuerſa ciuitas, &c. Matt. 21.

NAm proximo enim bella acturus, & de hoſtibus triumphaturus, cum triumpho & gloria ad impiam ciuitatem & ad locum certaminis Dominus venit. Certus enim de victoria, ante bellū (quod fieri non ſolet) triumphum ſuſcepit. Ingreſſus igitur ciuitatem cum hac tanta gloria, commota eſt vniuerſa ciuitas, dicens: Quis eſt hic? Omnes enim obuiam ruunt, omnes eum videre deſiderant, & ipſa facie cognoſcere cupiunt, quem iam in miraculorum fama cognouerant. Suſcitauerat enim Dominus Lazarum illis diebus, ad cuius miraculi magnitudinem omnes ſtupebant.

Et intrauit Iesus in templum Dei, & eiecit omnes uendentes & ementes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras uendentium columbas euertit. Audite hæc Simoniaci, audite inſandi negotiatores: aut ceſſate à negotijs, aut exite de templo. Non vnum vel duos, ſed indifferenter omnes vendentes & ementes Dominus templis eiecit. Ipſe & menſas nummulariorum, & cathedras vendentiū columbas euertit. Vos nummularij eſtis, vos colūbas venditis, vos ſine nummo & precio nihil agitis. Columbas enim vendunt, qui vel Eccleſias, vel ſancti ſpiritus gratias precio largiuntur. Horum autem cathedras Dominus euertit, vt per hoc eos non eſſe epiſcopos intelligamus. *Et dicit ei: Scriptum eſt: Domus mea domus orationis uocabitur, uos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.* Latrones enim vos eſtis. Qui enim non intrat per oſtium in ouile ouium, fur eſt & latro. Oſtiū enim Chriſtus eſt, qui quoniam per eum non intraſtis, veſtras cathedras euertit. Per hoc enim oſtium illi intrant, qui ſecundùm canonum inſtituta conſtituuntur. Exite igitur de domo orationis: quæ, quoniam vos in ea habitatis, facta eſt ſpelunca latronum. *Et acceſſerunt ad eum cæci & claudi in templo, & ſanauit eos.* Qui igitur cæcus eſt, & veritatem non intelligit, qui claudus eſt, & recto itinere nō incedit, feſtinet ad templum: ibi inueniet Ieſum, ibi illuminabitur & ſanabitur. *Videntes autem principes ſacerdotum & ſcribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes, Hoſanna filio Dauid, indignati ſunt, & dixerunt ei: Audis quid iſti dicunt?* Ieſus autem dixit eis: Vtique. *Nunquam legiſtis, Quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem?* Quòd enim principes ſacerdotum & ſcribæ indignantur, inuidia eſt: quòd verò pueri Deum laudant, prophetiæ adimpletio eſt. Sic enim prophetauerat ipſe Dauid, quod ex ore infantium & lactentium prædicandus & laudandus Dominus eſſet. *Et relictis illis, abijt foras extra ciuitatem in Bethaniam, ibiq; manſit.* Manet enim Dominus vſque nunc in Bethania, quæ domus obedientiæ interpretatur: quia relicta Synagoga in Eccleſia habitat, quæ eius eſt obediens voluntati. *Mane autem reuertens in ciuitatem, eſuriit: & uidens ſici arborē unam ſecus uiam, uenit ad eam, & nihil inuenit in ea, niſi folia tantum. Et ait illi: Nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternū.* Dominus enim, qui nunquam ſine ratione aliquid agit, quando ſine ratione aliquid agere videtur, alicuius magnæ rei ſignificatio eſt. Cui enim rationabile videtur, vt eo tempore in arbore fructum quærat, quo ſine fructu arbores ſunt? Nunquid enim fructuum tempus ignorat, fructuum & arborum temporis cq; creator? Eſurit igitur Dominus non ficus, ſed fidem: neque fructus arboris quærit, ſed fructus operis. Hæc enim ficus, Synagoga eſt, quæ ſecùs viam plantata, nullū tranſeuntibus ſolatium præſtat. Venit Dominus ad eam, & nihil niſi folia inuenit in ea. Folia enim verba ſunt, folia literæ ſunt: hæc habet Synagoga: benè enim loquitur, ſed non agit qui loquitur. Omnia autem hæc de illa parte Synagogæ intelligi debēt, qua in ſua infidelitate perdurat, & loquacitatis foliis obumbrata, ſpiritualis intelligentiæ fructum non reddit. Huic enim maledixit Dominus. Pro alia verò Synagogæ parte orauit, dicens: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Iſti igitur qui maledicūtur, & qui in æternum fructum non reddunt, ſcribæ & phariſæi ſunt, qui in Saluatoris noſtri morte nimia inuidia exarſerunt. *Et areſecta eſt continuò ficulnea. Et uidentes diſcipuli, mirati ſunt, dicentes: Quomodò continuò aruit?* Altera verò die (vt Marcus ait) cū mane inde tranſiret, dixit Petrus ad Ieſum: Rabbi, ecce ficus cui maledixiſti, aruit. Quotidie Dominus infructuoſis arboribus & hominibus iniquis maledicit, & quotidiè areſiunt, & igni traduntur quibus maledicit. Maledicit autem & per ſe, & per ſeruos ſuos. Vnde & ſubditur. *Reſpōdens autem Ieſus, ait eis: Amen dico uobis, ſi habueritis fidem, & non hæſitaueritis, non ſolùm de ſiculnea facietis, ſed & ſi monti huic dixeritis, Tollere & iacta-re in mare, fiet.* Hanc enim fidem Chriſti diſcipuli poſteà habuerunt, quia cæcos illuminantes, leproſos mundantes, mortuos ſuſcitantes, & alia miracula facientes, verum eſſe quod Dominus promiſerat, ipſo experimento didicerunt.

In Simonia cos.

Columbas qui uendant.

Ioan. 10.

Psalm. 8.

Ficus, Synagoga.

Luc. 23.

Mar. 11.

FERIA QVARTA.

Matth. XII.

In illo tempore, Dixerunt ad Ieſum quidam de ſcribis & phariſæis, &c. Homilia Eiſdem.

NArratur in ſuperioribus, quomodò Dominus dæmoniacum, qui erat cæcus & mutus, triplici miraculo ſanauerit. Sed ſcribæ & phariſæi, qui ad hoc ſemper Domino adhærebant, vt illius admiranda opera vel negarent, vel ſiniſtra interpretatione deprauarent, cœperunt blaſphemantes dicere, quòd in Beelzebub principe dæmoniorum eijceret dæmones. Contra quos cùm longa Dominus diſputatione diſſeruiſſet, ſicut nunc euangeliſta dicit, reſponderunt quidam de ſcribis, dicentes: Magiſter, volumus à te ſignum videre. Sic inſana ratione ſigna poſtulabant, quaſi illa quæ viderant, non re vera ſigna fuerint. Magiſtrum etiam ſubdolè appellabant, cuius doctrinæ aperta malitia repugnabant. Quæ verò ſigna, vel vnde poſtulauerint, alius euangeliſta apertiùs oſtendit, dicens: Volumus ſignum videre de cælo. Volebant igitur, vt vel in morem Heliæ ignem deſcendere præciperet de cælo, vel etiam in ſimilitudinem Samuēlis æſtiuo tempore faceret mugire tonitrua, coruſcare fulgura, imbres ruere, tanquam illa, quæ Dominus fecerat, non de cælo fuiſſent, ſed opera poti⁹ Beelzebub. Sed qui illa calumniabantur, quæ prę manibus habebant, & ſine vtilitate ſentiebant, multo magis illa calumniarentur, & dicerent hæc non virtute Chriſti, ſed varijs aēris paſſionibus accidiſſe.

Fortaſsis etiam dicturi erant, ſimiliter magos in Aegypto multa ſigna feciſſe de cælo. Sunt qui dicunt illos petiſſe à Domino, vt manna plueret de cælo, quia ſecundum alium euangeliſtam dixerunt, Quod ſignum oſtendis nobis? Patres noſtri manna manducauerunt in deſerto. Sed ſiue hoc, ſiue illud petierint, intentione ſtruendæ calumniæ abſq; dubio fecerunt. Verùm videamus, quid eis Dominus reſponderit. *Qui reſpondens, ait illis: Generatio mala & adultera ſignum quærit.* Egregiè ſatis adulteram vocat generationem Iudęorum, quia legitimum virum dimiſerat, & iuxta Ezechielis vaticinium, multis ſe amatoribus copulauerat. *Et ſignum, inquit, non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ prophetæ.* Quia enim illi ſignum de cælo tentando petierant, reſpondit eis Dominus, non ſe ſignum de cælo eis daturum, quod indigni erant accipere, ſed tale, quale Ionas naufragus, & ceto ſorbente voratus, tamen miſeratione Dei liberatus, & accepit & dedit. Non enim merebantur accipere ſignum diuinitatis, ſed humanitatis: paſſionis, non glorificationis. Diſcipulis verò ſuis Dominus ſignum dedit de cælo: quia eis æternæ diuinitatis gloriam, & priùs in monte trāſfiguratus, & pòſt in cælum aſcendendo ſubleuatus, oſtendit. *Sicut enim fuit Ionas in uentre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ſic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.* Manifeſtiſsimū eſt ex hoc loco, Ionam prophetam typum Domini ſaluatoris geſtaſſe. Ionas nanq; interpretatur columba ſiue dolens, quæ nomina vtique competunt redemptori, ſuper quem baptizatum ſpiritumſanctus in ſpecie columbæ deſcendit, & de quo Eſaias dicit: Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Ionas miſſus eſt ad prædicandum Niniuen, quæ interpretatur ſpecioſa: & ſaluator ad ſalutem gentium miſſus eſt, vt illis ad fidem conuerſis, ſibi aptaret Eccleſiam, quam precioſo ſanguine mundaret, & de turpi ſpecioſam faceret. Piſcis autem, qui Ionam vorauit in pelago, ſignificat mortem, quā Dominus pertulit in mundo. Ionas in ventre ceti fuit tribus diebus & tribus noctibus: ſic & Chriſtus in ſepulchro iacuit tribus diebus totidemque noctibus. Et ſicut Ionas in ventre ceti non permanſit, ſed eiectus eſt in aridam: ita & ſaluatoris noſtri anima non eſt relicta in inferno, nec caro eius vidit corruptionem, ſed per gloriam reſurrectionis perductus eſt ad aridam immortalitatis. Quo exemplo declarat iuxta literam, Iudæos (ſicut Niniuitæ quondam fuerant) grauibus peccatis fuiſſe obnoxios, & niſi pœnitērent, ſubuerſioni proximos: verùm ſicut Niniuitis, ita quoq; adhuc dari Iudæis tempus pœnitentiæ, nec eos debere deſperare, ſi vellent pœnitentiam agere. Oritur porrò hoc loco non contemnenda quæſtio, quare dicatur Dominus tribus diebus & tribus noctibus fuiſſe in corde terræ, cùm, ſicut euangelium loquitur, paraſceuæ hora ſexta ſit crucifixus, & circiter horam nonam inclinato capite emiſerit ſpiritum, ſabbato in ſepulchro quieuerit, & prima ſabbati valdè diluculò à mortuis ſurrexerit. Sed hoc ſynecdochicōs accipiendum eſt, à parte videlicet totum. Nam ſi partem paraſceues cum præterita nocte, qua comprehenſus eſt accipias, itemque ſabbatum cum ſua nihilominùs nocte, & rurſum noctem dominicam cum eodem die, quo illucęſcente ſurrexit, inuenies profectò integrum triduum, & tres noctes. Sciendum etiam, quòd dupla erat mors noſtra, in anima videlicet & corpore. Domini verò mors ſimpla fuit, quia peccatum, quod eſt mors animæ, non admiſit, ſic & eius reſurrectio ſimpla extitit. Dominus autem triginta ſex horis iacuit in ſepulchro, vno videlicet die & duabus noctibus. Duodecim verò horæ diei, adviginti quatuor horas duarum noctiū, ſimplum ad duplum ſunt. Et duodecim quidem horæ diurnæ, ſimplæ morti noſtri redemptoris conueniunt. Viginti quatuor autem horę nocturnæ, ad duplam noſtram conſentiunt mortem. Magno ergo ſacramento, vno die & duabus noctibus iacuit in ſepulchro: quia lucem ſimplæ mortis ſuæ, tenebris duplæ mortis noſtrę adiunxit. Veniens enim ad nos, qui in morte carnis & ſpūs eramus, vnam ſuam, id eſt, carnis morte detulit, & duas noſtras abſoluit. Simplā ſuā noſtræ duplæ contulit, & duplā noſtrā ſubegit. *Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ.* Condemnabunt Niniuitæ gentem Iudæorum, non poteſtate, ſed comparatione correctioris vitæ: egerunt enim pœnitentiā in prædicatione Ionæ. Quod quia Iudæi ad prædicationē Domini nō fecerūt, meritò illorum comparatione dānabuntur. *Et ecce plus quàm Iona hic.* Ionas paucis die-

Matth. 12.

Ioan. 6.

Mat. 16.

Ezec. 16.

Mat. 17.

Ionas, typus Christi.

Mat. 13. Ioan. 3.

Mors noſtra duplex, Christi ſimplex

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus prædicauit, Christus tribus semis annis. Ionas missus est ad Assyrios, qui barbari & incredu li erant: Christus ad Iudæos, qui domestici & populus Dei esse debuerãt. Ille exteris gẽtibus, iste ciuibus locutus est. Ionas tantũ voce prædicauit, nihil signorũ exhibuit: Christus tot miracula vbiq; faciés, nõ recipiebatur, sed cõtrà Beelzebub calumniã sustinebat. Plus ergo Iona hic, hoc est, in medio vestrũ. Hic enim, loci aduerbiũ est. *Regina austri surget in iudicio cũ generatione ista, & condemnabit eam, quia uenit à finibus terræ audire sapientiã Salomonis.* Scriptura libri regũ refert, quomodò regina Saba gẽte sua & imperij dignitate relicta, per tot difficultates itineris venerit in Iudæã, volens audire sapiẽtiã Salomonis, quodq; multa munera ei obtulerit, sed plura receperit. Iustè ergo Iudæos in iudicio cõdemnabit, quia ipsa à finibus terræ requisiuit eũ, quem sapientiæ singularis dono nouerat esse famosum. Iudæi secũ habentes Dominũ, qui est virtus & sapientia patris, nõ modò eum nõ audiebant, sed & blasphemabãt. Regina austri, inquit, surget in iudicio cum generatione ista. Paret ex hoc loco vna bonorũ & malorũ resurrectio, cùm regina electa dicitur resurrectura cũ reprobis. *Et ecce plus q̃ Salomon hic*: hoc est: in præsentiarũ inter vos cõuersatur, qui Salomone incõparabiliter præstantior est. Mysticè in Niniuitis pœnitentibus, & electa regina austri, fides Ecclesiæ prædicatur, & Israëli præfertur. Sancta enim Ecclesia ex duabus partibus congregatur: altera eorũ, qui non peccauerũt: altera eorũ, qui peccare desierũt. *Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiẽ, & non inuenit.* Potest quidẽ simpliciter intelligi, q̃ hoc Dominus ad ostẽdendũ distinctionẽ suorũ & satanæ operũ adiũxerit, quia videlicet ipse polluta mũdare velit, satanas verò ea quę mundata fuerint, grauioribus sordibus quærat attaminare: tamẽ etiã potest de quoliber hęretico, vel schismatico, siue falso catholico nõ inconueniẽter accipi. Immundus ñanq; spiritus exit ab homine, quãdo in baptismo per cõfessionẽ fidei catholicæ, & abrenunciationẽ mũdanorũ actuũ, ab hæretico vel schismatico diabolus egreditur. Ambulat per loca arida & inaquosa, id est, circuit corda sanctorũ, quę ab humore fluxæ cogitationis purgata sunt: quęrens requiẽ, id est, inuestigans, si quos in eis nequitiæ suæ gressus figere possit: sed non inueniens, quia in castis & mundis mentibus locum habere non potest, sed solùm in prauorum cordib⁹ gratam habet quietem. Hinc & ad Iob de diabolo Dominus sub specie Leuiatan dicit: Sub vmbra dormit in secreto calami, in locis humentibus: quia nimirùm in tenebrosis ac simulatricib⁹ conscientijs quiescit, & lasciuis ac luxuriosis mentibus delectatur. *Tunc dicit: Reuertar in domum meam unde exiui.* hoc est, requiram hæreticũ, quẽ in baptismo dimisi. Valdè aũt timendus est hic versiculus, ne fortè culpa, quam nobis dimissam credebamus, peiùs nos per incuriã vacantes à bonis operibus opprimat. *Et ueniens, inuenit scopis mundatã & ornatam*, vel, secundùm alium euangelistã, scopis mundatam, vacantem & ornatam. Veniens enim malignus spiritus, domum, id est, mentẽ talis hominis inuenit scopis mũdatam, hoc est, gratia baptismatis à peccatis originalibus ablutã, vacantem à bonis operibus, ornatam simulatis virtutibus. *Tunc uadit, & assumit septem alios spiritus nequiores se: & ingressi habitãt ibi.* Solet septenarius numerus in sacro eloquio pro vniuersitate accipi, quia omne seculi tempus per septem dies voluitur. Per septẽ ergo alios nequiores spiritus, vniuersitas omnium vitiorum designatur. Septẽ ergo nequiores spũs ingrediũtur, quia quẽcunq; post perceptam in baptismo remissionem peccatorũ, vel hæretica prauitas, vel seculi cupiditas arripuerit, omnium seruum facit esse vitiorũ. Vnde bene spũs nequiores dicuntur, quia talis cùm septẽ capitalib⁹ vitijs plenus sit, ipsas tamẽ virtutes se habere simulabit. *Et fiũt nouissima hominis illius peiora prioribus.* Quia melius erat viam veritatis nõ agnoscere, quàm post agnitionem retrorsùm cõuerti. *Sic erit & generationi huic pessimæ.* Quibus verbis apertè ostenditur hæc similitudo specialiter ad Iudæos pertinere. Quod, inquit, specialiter in vnoquolibet geri solere narraui, generaliter in hac generatione Iudæorũ fieri non desinit. Immundus nanq; spũs exijt à Iudæis, quando in mõte Sinai legem accipientes dixerunt: Omnia quę præcepit Dominus Deus noster faciemus, & obedientes erimus. Ambulauit per loca arida, quærens requiem: quia expulsus à Iudæis, ambulauit per solitudines gentiũ, quæ arebant æstu vitiorũ, & pinguedinẽ spiritussanctí non habebant, qua debriari optabat Psalmista, dicẽs: Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. Quæ cùm postea Domino credidissent, ille non inuento in eis loco, dixit: *Reuertar in domum meam, unde exiui*: hoc est, possidebo Iudæos, quos antè dimiseram. *Et ueniens, inuenit mundatam scopis*, per circuncisionem: *uacantem*, hoc est, cælesti auxilio desertam, & Christum hospitem non habentem, qui dicit: Relinquetur vobis domus vestra deserta: *ornatam* superstitiosis traditionibus & hypocrisi pharisæorum. Reuertitur ad eos diabolus, quia tales erãt: & addita septenaria omnium dæmonum plenitudine, habitat pristinam domum. *Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.* Multò enim deteriores sunt nunc Iudæi, Christum in synagogis suis quotidiè blasphemantes, quàm essent olim in Aegypto idola colẽtes. Grauius quippe est non suscipere eum qui venerit, quàm non credere venturum. *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius & fratres stabant foris, quærentes loqui ei.* Occupato Domino in officio prædicationis, stabãt foris mater & fratres eius, quęrentes loqui ei. *Cui quidam nunciauit: Mater, inquiens, tua, & fratres stant foris, uolentes loqui tibi.* Non simpliciter iste hoc Domino nunciasse putãdus est, sed sub dolo, experiri volens, vtrùm operi diuino affectum carnalium præferret propinquorũ. Vnde Dominus prudentissimè se matrem nosse dissimulat, vt ostendat potiùs se cognoscere & amare eos, qui per cognationem spiritus propinqui sunt, quàm qui per cognationem carnis. Vnde sequitur: *At ipse respondens dicenti sibi, ait: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Non autem Dominus maternæ respuit officium pietatis, qui per legem præcepit, dicens: Honora patrem tuum & matrem: sed Dei patris ministeria maternis præponit affectibus. Hinc alibi dicit: Qui amat patrem aut matrem super me, non est me dignus. Nec contemnit fratres, sed cognationi carnis opus præferendum docet esse prædicationis. Nemo autem turbetur, cum audit fratres: quia fratres Domini in euangelio vocantur consobrini eius, filij scilicet Marię matertęre eius, quæ fertur fuisse mater Iacobi minoris, & Ioseph, & Iudæ, quos & in alio euangelio fratres Domini legimus appellatos. Mysticè verò mater Domini, synagoga intelligitur, de cuius carne editus est: fratres autem, populus est Iudæorum. Saluatore igitur intùs posito, mater eius & fratres stant foris: quia cùm Iudæi in Christum credere nollẽt, dum ad eum, qui ad illorum salutem missus fuerat, intrare per fidem negligerent, turba gentium præoccupans ingressa est, & nunc Domini sermonibus fruitur & doctrina, illis foris stantibus, & circa terrenam legis intelligentiam & literæ custodiam diuersantibus: quiq; quantùm in ipsis est, magis Christum ad docenda carnalia foris cogunt exire, quàm ipsi ad discenda spiritualia volunt intrare. *Et extendens manus in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea & fratres mei.* Matrem & fratres apostolos dicit, impletores paternæ voluntatis, qui à Deo patre illum missum credebant, quiq; prædicationibus illius paratissimo animo intendebant. Nec negauit matrem, de qua carnẽ assumpserat (sicut insaniunt Marcionistæ & Manichæi, qui eum dicunt non habuisse verum corpus, sed phantasticum) sed spiritualem propinquitatem, carnis prætulit consanguinitati, vt & nos doceret, in causa Dei nullum de affectione carnis recognoscere. Vnde adhuc sequitur: *Quicunq; fecerit uoluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Quod Dominus eum, qui voluntatem patris sui fecerit, fratrem ac sororem vocat, propter vtrumq; sexum, qui ad fidem colligitur, non est mirum. Valdè autem mirum, & quæsitu dignum est, quomodò etiam mater Domini dici possit? Nam & discipulos fratres dignatus est appellare post resurrectionem, ita inquiens: Ite, nunciate fratribus meis. Qui ergo frater est in eum credendo, & patris voluntatem implendo, quomodò etiam mater fieri possit, inuestigandum est. Sed sciendum, quia sicut quis frater Domini efficitur in eum credendo, ita etiam mater prædicando. Quasi enim mater Christi quis efficitur, cùm per eius prædicationem amor Domini in proximi mente generatur. Magna dignatio, inæstimabilis bonitas, inenarrabilis misericordia, hominem qui seruus vocari dignus non erat, fratrem Domini appellari. Quam quia ex æquo perpendere non valemus, saltem dignè venerari satagamus, omniq; industria laboremus, ne aliqua vitiorum fœditate degeneres, & tanto nomine iudicemur indigni. Defendamus nobis moribus id, quod nomine vocamur, ne non intelligentes honorem diuinæ filiationis, comparemur iumentis insipientibus, & similes illis simus. Et vt ea quæ loquimur, obtinere mereamur, illi⁹ semper adiutoriũ nobis adesse poscamus, qui cùm esset vnicus filius Dei, propter nos dignatus est esse filius hominis, Iesus Christus Dominus noster, qui cum patre & spiritusancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

EADEM FERIA QVARTA, HOMILIA EVSEBII Emeseni.

QVanta est superbia scribarũ & pharisæorũ, tanta est stultitia & infidelitas eorũ. Non rogant, non postulant, sed inflato stomacho & erecta ceruice dicunt, *Volumus à te signum uidere.* Signa videre volunt, credere autẽ nolunt. Sed quare signa quærunt, qui iam tot signa viderunt? Nũquid enim signa non sunt, quòd mortui resurgunt? q̃ cæci illuminantur, leprosi mundantur, paralytici curãtur, & dæmones eijciũtur? Omnia enim hęc, signa sunt. Vnde & † puerum Cẽturionis sanatus Dominus, ait: Nisi signa & ꝓdigia videritis, non creditis. Qui respondens, ait illis: *Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ.* Dum enim signa pharisęi † volunt, audiunt non immeritò, quòd audire nolũt. *Generatio mala & adultera*, quæ toties cum idolis fornicata, & deos gentium est sequuta, *signum quærit.* Iudæi enim signa petunt, & Græci sapientiam quærunt: *& signum non dabitur eis, nisi signum Ionæ prophetæ.* Magnum est enim signũ Ionæ prophetæ, in quo Christi mors, sepultura, & resurrectio, in quo Iudęorum perditio, & salus gentium significatur. *Sicut enim fuit Ionas in uẽtre ceti diebus tribus & tribꝰ noctibꝰ, ita erit filius hominis tribꝰ diebꝰ et tribus noctibus in corde terræ.* Quid est aũt, in corde terræ, nisi in affectu & desiderio Iudæorũ? Et tale est, ac si diceret: Magnũ sit vobis hoc & mirabile signũ, quòd tribus diebus & tribus noctibus ita me vestræ potestati subijciam, vt in me faciatis, quicquid facere desideratis. Terra aũt dicuntur Iudæi, quia cælestiũ obliti, sola terrena & transitoria quærunt. Hæc aũt est illa terra spinosa & petrosa, in qua verbi Dei semen crescere & fructificare non potest. Multoties enim Iudæi voluerunt capere & tenere Iesum, & nõ potuerũt. Sed quid mirum? Nunquam enim si voluisset, in eum potestatem habuissent. Vnde & Pilato ait: Non haberes in me potestatem, nisi fuisset tibi datum desuper. itemq; : Hæc est hora vestra & potestas tene-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tenebrarum. Tribus igitur diebus & tribus noctibus fuit Dominus in corde terræ, id est, in voluntate & potestate Iudæorum: quia & illa nocte in qua captus est, & tota nocte illius diei in qua crucifixus est, & tota nocte sabbati, in eorũ potestate fuit. Similiter autem & tota die in qua passus est, & tota die sabbati, & principio diei dominicæ, in illorum fuit potestate: quia & viuum crucifixerunt, & mortuum sepelierunt, & sepultum in custodia habuerunt. Vsitatissimum etenim est, non solum in scripturis, verùm etiam in vulgata loquutione partem pro toto ponere. Sic enim à longè prospicientes, dicere solemus, Video hominem: cùm non totum hominem, sed aliquam eius videamus partem. Similiter autem dicimus: Ille homo bene videt, bene audit, & bene loquitur: quum soli oculi videant, aures audiant, & sola lingua loquatur. Similiter autem dicimus: Ille homo vulneratus est, cuius solus pes vel sola manus vulnerata sit. Fuit igitur Dominus in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus, quanuis non integris tribus diebus & tribus noctibus. Hæc autem sententia omnibus alijs planior mihi & verior esse videtur. Sequitur:

Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plus quàm Ionas hic. Bene quidem dicit, cum generatione ista: quia (sicut Apostolus ait) omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Omnes enim, siue boni siue mali, astabimus ante tribunal Christi. Condemnabunt autem Niniuitæ Iudæos: quia eorum exemplo damnabuntur, quoniam non egerunt pœnitentiã in prædicatione Christi, sicut illi in prædicatione Ionæ, qui non solum minor, verùm etiam seruus est Christi. *Similiter autem & regina austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam: quia uenit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plus quàm Salomon hic.* Regina Austri Ecclesiam gentium significat, quę ex omnibus mundi partibus Christi fidem & sapientiã audire & recipere venit. *Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit.* Hanc autem similitudinem ideò Dominus dedit, vt Iudæorum generationem malã & adulteram propter duritiam suam & cor impœnitens, no solùm à Niniuitis, verùm etiam ab alijs gentibus meritò damnandam & iudicandã esse ostenderet: quoniã hæc impia natio pœnitere nescit, sed quotidiè seipsa deterior fit, cuius nouissima peiora prioribus fient. Hoc enim ipsi significabãt, quum de Saluatore nostro dicerẽt: Sãguis eius super nos, & super filios nostros. Sic igitur erit generationi huic pessimæ, sicut illi homini, qui ab immundo spiritu possidetur. *Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit.* Facilè enim malignus spiritus & intrat in hominẽ, & exit ab homine. Quoties enim homo vel cogitatione, vel locutione, vel operatiõe nefandũ aliquid agit, diabolus adest. Si verò ex corde pœnitere incipiat, diabolus exit. Exiens aũt ambulat per loca arida & inaquosa, eos videlicet tẽtando, in quibus malitiæ & voluptatis humorẽ non inuenit, quoniã fluxa & humida quærit. Vnde & de eo dicitur: Sub vmbra dormit, in secreto calami, in locis humentibus: quibus loca genitalia significantur. *Tunc dicit: Reuertar in domum meam, unde exiui.* Quia enim in bonis requiem habere nõ potest, ad malos redit. Tentare nanq; bonos diabolus potest, requiẽ aũt in eis habere non potest: quoniã nũc eorum orationibus, nunc eorum fletibus, nunc eorum eleemosynis, alijsq; similibus solicitatur, mouetur, & pellitur. *Veniẽs autem in domum suam, inuenit eam uacantem.* Vacantem quidem, quia nõ inuenit ibi charitatem, nec fidem rectam, nec humilitatem, nec patientiam, nec iustitiam, nec misericordiam, nec cætera quibus sanctorum animæ muniuntur. Qualem igitur eam inuenit? *Scopis mundatam & ornatam.* Talem eam inuenit, qualem inuenire desiderat. Inuenit eam malis scopis mundatam, & malis ornamentis ornatam. Malæ scopæ, quæ virtutes pellunt, & vitia relinquunt. Malæ scopæ, quæ pauimenta dissipant, & pulueren non eijciunt. Luxuria verò, fornicatio, voluptas, superbia, auaritia, discordia, omnisque immunditia, ornamenta diaboli sunt. His autem ornamentis inuenit eam ornatam. *Tunc igitur uadit, & assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi.* Non sufficit ei, vt solus talem domum possideat, locios quærit: spatiosus est locus, multis indiget habitatoribus. Sed qui sunt isti septẽ spiritus? quare nequiores? Quia enim sunt septẽ gratiæ spiritussancti, quibus omnis anima ad fidem conuertitur, & conuersa defenditur: ideò iniquus iste septem spiritus illis contrarios assumpsit, quibus aduersùm eas domum suam tueatur: opponens videlicet spiritum stultitiæ, contra spiritum sapientiæ: & contra spiritum intellectus, spiritum vertiginis & insaniæ: contra spiritum consilij, spiritum temeritatis: contra spiritum fortitudinis, spiritum inconstantię & timoris: contra spiritum pietatis, spiritum impietatis: contra spiritum timoris Domini, spiritum cõtemptus & odij. Infelix illa anima, in qua isti spiritus regnant, & cui isti spiritus dominantur. Isti enim quodammodò nequiores illo sunt, qui eos conduxit: quoniam isti in hac vita animam corrumpunt, ille verò post hanc vitam animam cruciat: ille tentat, isti occidunt: ille ianuas aperuit, isti intromissi cuncta perdunt & dissipant. Ille hominem tentare & vexare potest, animam verò nisi per istos occidere non potest. Sic isti sunt nequiores illo, quia plus nocent isti, quàm ille. Ille enim consiliando & tentando est nequior, isti agendo & corrumpendo sunt nequiores. Illi Apostolus hominem tradidit in interitum carnis, de istis verò dicit: Non regnet peccatum in vestra mortali carne. Non est igitur mirum, si fuerint nouissima hominis illius peiora prioribus, quum priùs vno, postea septem prematur demonibus. *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius & fratres stabãt foris, quærentes loqui ei.* Fratres enim eius, beatæ Mariæ nepotes dicit, Iacobum scilicet, & Ioseph, & Iudam & Simonẽ. Mos est enim diuinæ scripturę, quoscunq; ppinquos, fratres vocare. Dicit autem ei quidam: *Ecce mater tua & fratres tui foris stant, quærentes te. At ipse respondens dicenti sibi, ait: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea & fratres mei. Quicunq; enim fecerit uoluntatem patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, soror, & mater est.* Cum extraneis loquitur Iesus, mater eius & fratres foris stant. Isti cum eo in domo sedent, illi eum foris expectant. Non vacat hoc à mysterio: alicuius rei significatio est. Vsque hodiè nanque videmus Iesum cum extraneis loqui. Cum extraneis enim loquitur Iesus, quando gentium populo hoc Euangelium legitur. Mater eius Synagoga, & fratres eius Iudæi, foris stant. Foris quidem, quia in Ecclesia non sunt. Expectant eum tamen, & cum eo loqui desiderant. Vt enim Apostolus ait, Zelum Dei habent, sed non secundùm scientiam. Veruntamen non loquentur cum eo, neq; videbunt eũ, nisi priùs domum intrauerint, & in Ecclesia baptizati fuerint. Nullum autem sibi Dominus alium dicit esse propinquũ, nisi eos qui patris eius voluntatem faciunt. Eos autem & matrem & fratres vocat, quoniam quasi matrem & fratres eos diligit. Et his quidem verbis apertissimè monstratur, quòd carnali amori, spiritualis amor præferri debet. Eo enim amore & matrem, & fratres, omnesq; propinquos nostros diligere debemus, quo matrem & fratres suos Christus dilexit. Diligebat enim eos, nõ quia magis secũdùm carnem propinqui erant, sed quia patris eius voluntatem magis faciebant. Ille igitur est Christo propinquior, qui melior.

Ioh. 3.

1. Cor. 15.

Regina austri, Ecclesia.

Matt. 27.

Loca arida & inaquosa, eos videlicet tẽtando, in quibus malitiæ & voluptatis humorẽ non inuenit, quoniã fluxa & humida quærit.

Iob. 40.

7. dona spiritus sancti.

7. mandata vitia.

Diabolus.

Ornamẽta diaboli.

1. Cor. 5.

Rom. 6.

FERIA QVINTA,
Ioan. 8.

In illo tempore, Dicebat Iesus ad eos, qui crediderant Iudæis: Si uos manseritis in sermone meo, uerè discipuli mei eritis. Et reliqua. Homilia Erici.

LOquente ad turbas Domino, & diuinitatis suæ mysteria annunciante, sicut superiùs sanctus Ioannes euangelista dicit, multi crediderunt in eum. Iam multi in eum, non tamẽ omnes credebant, quia necdum omnibus prædicatum fuerat, necdum in omnẽ terrã apostolicæ prædicationis sonus exierat, necdum apostolis præceptum fuerat: Ite, docete omnes gentes. Ad hos ergo, qui in se crediderant loquebatur, dicens: *Si uos manseritis in sermone meo, uerè discipuli mei eritis.* Iam doctrina spirituali initiati erant, iam ibi esse cœperant, & ideò dicit: Si manseritis in sermone meo, hoc est, in fide, quæ in vobis credentibus inesse cœpit, tunc verè discipuli mei eritis: Discipuli vtiq; bonitatis, discipuli iustitiæ & summæ veritatis. Sed quò nobis perueniendum est? Nam fides fundamentum est. Ex hoc fundamento ad quam celsitudinem proficiemus? *Cognoscetis, inquit, ueritatẽ.* Veritas Christus est, qui dicit: Ego sum via, veritas & vita. Qui ergo veritatẽ cognoscit, Dominũ cognoscit. Pensandũ ergo quantũ sit præmiũ cognoscere illud, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Nam fides est, quod non vides credere: veritas verò, quod credidisti videre. Hinc ipse alibi dicit: Qui diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligã eum, & manifestabo ei meipsum. Hoc ergo præmiũ, hanc satietatẽ nobis in suo sermone permanentibus Dominꝰ promittit, quã Psalmista exoptat, dicens: Satiabor cùm apparuerit gloria tua. *Et ueritas liberabit uos*, hoc est, liberos faciet, vt liberati ab amore seculi, Deũ, qui solus supra omnia diligendus est, securi ametis, & cum Psalmista dicatis: Mihi aũt adhærere Deo bonũ est. *Dixerũt ergo Iudæi ad eũ: Semẽ Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus unq̃.* Nõ hoc illi dicebãt, qui crediderãt, sed inter eos quidã, qui non credebant: quiq; cum audissent Dominũ libertatẽ sibi promittentẽ, vnde gratiosi & subditi esse debuerant, inde magis indignati sunt, quasi seruos eos denotauerit, quibꝰ libertatẽ pollicebatur. Et reuerà serui erant peccati, à qua pessima seruitute nõ nisi per veritatẽ liberari poterãt. Verũ illi solam carnis libertatẽ cogitantes, cœperũt se de nobilitate carnis extollere, dicẽtes: *Semẽ Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus unq̃.* Stulta & vana superbia. Quid est quod dicũt, Nemini seruiuimus vnquã? Ioseph quippe in Aegypto seruiuit, de quo scriptũ est: Manus eius in cophino seruierũt. Ipse etiam Iudaicus populus in Aegyptũ translatus, grauissima seruitute, nõ saltem auri & argenti, sed luti & lateris, à Pharaone & Aegyptijs oppressus est. Vnde & sæpissimè illis Dominus imputat, quòd eos de domo seruitutis & fornace ferrea Aegypti eduxerit. Sed fortè dicturi erant, patres suos, non aũt se seruisse, quibꝰ tunc Dominus loquebatur. Et quid est quòd Romanis soluebant? Nam hinc Domino laqueũ calumniæ tetenderant, quando eum in dolo interrogabant, dicentes: Licet censum dare Cæsari, an non? Audiamus iam, quid Dominus mentientibus, & de vana libertate tumentibus responderit: *Amen amen dico uobis, quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.* Amen Hebræus est sermo, Latinè verum interpretari potest. Est autem, si dici fas est, iuramentum Domini: quod verbum solus Ioannes euangelista legitur subinde iterasse, & apud omnes ita inuenitur interpretes, nec ab vllo in aliam translatum est linguam, propter honorem & reuerentiam dominici sacramenti. Ingeminat verò amen amen, vt ipsa itera-

Christus extra ut loquatur.

Psal. 72.

Psalm. 80.

Matt. 22.

Universidad de Deusto
Biblioteca

iteratione attentos faciat audientes. Sententia hæc cum magno timore audienda est. Quis enim non contremiscat, quod Dominus dicit: Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati? Nã quis est homo, qui se audeat dicere peccatorem non esse? Si ergo omnis homo est peccator, vtique omnis homo seruus peccati. Miserabilis plane conditio, seruum esse peccati, seruum & diaboli, qui author est. Et hominum quidem serui plerunq; duros & immites dominos fugiunt, fugiendo requiescunt: seruus verò peccati quò fugiat non habet. Sequitur enim eum vindex conscientia, ac semper ei inhæret excrucians eum, nec vel ad modicum cessat grauissimis agitare stimulis, quos subministrat recordatio peccatorum. Cùm ergo omnis qui facit peccatum, seruus est peccati, quæ potest spes superesse libertatis? Sed audiuimus Dominum terrentem, audiamus etiam consolantem. Ita enim timorem incutit, vt asserat securitatem. Nam sequitur: *Seruus autem non manet in domo in æternum, filius manet in æternum.* Domus Dei, est Ecclesia Dei. Apostolus enim loquitur fidelibus, dicens: Templũ Dei
1. Cori. 3. sanctũ est, quod estis vos. Seruus ergo peccati non manet in domo in æternũ, quia qui manet in peccato, nõ permanet in Ecclesia. Ecce apertè ostendit, quia aliud est peccare, aliud esse seruũ peccati. Nemo enim potest nõ esse peccator, sed põt nõ esse seruus peccati. Permanere enim in peccato, hoc est seruũ esse peccati. Seruus verò nõ manet in domo in æternum, quia etsi mali intra sinum Ecclesiæ videantur positi, iam tamen in Dei cuncta cernentis præsentia, ab Ecclesia proiecti, & nouissimè in die iudicij ab electorum societate segregati, ad sinistram sunt statuendi. Vnusquisq; ergo, qui se recognoscit seruum esse peccati, studeat abijcere iugum durissimæ seruitutis: credat in filium Dei, obtemperet præceptis filij Dei, vt possit & ipse effici filius Dei. Hanc enim gratiam dedit in se credentibus & se diligentibus vnicus filius Dei, vt ipsi quoq; merean tur fieri filij Dei. *Si ergo filius uos liberauerit, uere liberi eritis.* Hæc est vera spes, vt à libero liberemur: & liberati à peccato, serui Christi efficiamur: liberati à cupiditate, serui efficiamur charitatis. Hæc est vera & perfecta libertas, Deo Christo seruire, ipsumq; diligere, qui nos de seruitute tenebrarum eripuit, & vocauit in libertatem gloriæ filiorum Dei. Sed Iudæi de carnis suæ nobilitate superbientes, dedignati sunt fieri liberi, cùm essent serui peccati, ideò consequenter ait eis Dominus: *Scio quia filij Abrahæ estis.* Ac si diceret: Filij quidem Abrahæ estis secundùm carnẽ, sed non estis filij Abrahę per imitationem. Agnosco in vobis carnis originem, sed non agnosco fidem. *Sed quæritis me interficere.* Ecce vnde degeneres, ecce vnde non filij Abrahæ. Quæritis me, inquit, occidere. Quod certè nunquam cogitaretis, si filij Abrahæ essetis. *Quia sermo meus non capit in uobis:* id est, non habet locum in cordibus ve-

Vera & perfecta libertas.

stris. Non, inquit, capit in vobis, hoc est, non recipitur à vobis. Si enim caperetur à vobis, caperet vtiq; vos. *Ego quod uidi apud patrem meũ, hoc loquor.* Quid viderat Christus apud patrem? Veritatem vidit, seipsum vtiq; vidit: quia ipse est verbum, quod erat in principio apud Deum. Veritatem ergo vidit apud patrem, veritatem loquebatur in mundo, quia se & Deum patrem annunciabat mundo. *Et uos quæ uidistis apud patrem uestrum, facitis.* Quid facerent, suprà eis dixerat: Quæritis, inquiens, me occidere. Sed hoc apud Abraham non viderunt, quem amicum Dei fuisse scriptura testatur. De quo ergo nunc patre dicat, cuius Iac. 2. opera facerent Iudæi, in sequentibus apertissimè manifestabitur. Dicturus est enim patrem eorum esse diabolum: non quòd ab eo geniti vel creati essent: sed tamen filij eius erant, inquantum mali erant. Filij eius erant vtiq; per imitationem, non per creationem. Apud hunc patrem viderant opera quæ faciebant, quia imitatores diaboli facti fuerãt, cùm non solùm nollent filium Dei recipere, verùm etiam meditarentur occidere. *Responderunt & dixerunt ei: Pater noster Abraham est.* Tu, inquiunt, arguis nos facere opera patris nostri. Certè pater noster Abraham est: quasi verò aliquid possis dicere cõtra Abraham, aut in aliquo reprehendere. Sed Dominus non de Abraham dicebat: quia Abraham non fuit talis qui reprehenderetur, sed qui potiùs à Domino laudaretur: sed isti eum prouocabant, vt diceret aliquid contra Abraham, quatenùs possent in eum vindicare, tanquam inimicum Abrahæ. Sed audiamus, quid eis Dominus responderit, Abraham laudans, istos verò damnans. *Si filij Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis. Nunc autem quæritis me occidere, hominem qui ueritatem locutus sum uobis, quam audiui à Deo. hoc Abraham non fecit.* Iudæis Abraham pro se iactantibus, & ex hoc calumniam Domino struentibus, non respondit Dominus quod illi audire volebant. Non enim dixit, Ego Dominus sum Abrahæ. Quod si diceret, verum certè diceret: sed noluit illis locum dare calumniæ. Interim quod videbant, quòd eum solummodò esse putabant, hominem se appellauit. Ait ergo: Si filij Abrahæ essetis, opera Abrahę faceretis: id est, sic me amaretis, sic de mea præsentia gauderetis, sicut Abraham, qui exultauit vt videret diem meum, & vidit, & gauisus est. Ioan. 8. Nunc autẽ probatis vos non filios esse Abrahæ: quia quæritis me interficere, hominem qui veritatem locutus sum vobis. Veritatem illis loquebatur, cùm se & patrem illis annunciaret: & hanc veritatẽ à Deo audierat, quia ipse, qui est veritas, à Deo patre genitus erat. Audire enim illi, nihil est aliud, q̃ esse à patre. Quæritis, inquit, me occidere, hoc Abraham non fecit, ergo eius filios vos nõ esse conuincitis, dum ei contraria opera agitis. Suprà enim dixerat: Scio quia filij Abrahæ estis, probans in illis originem carnis Abrahæ. Sed nunc ostendit illos non esse filios

Abra-

Christiani filij Abrahæ.

Abrahæ, quia nolebant imitari opera Abrahæ. Multò enim meliùs Christiani dicuntur filij Abrahæ, imitatores fidei & operum Abrahę, quàm Iudæi, quorũ caro ex illo erat, vita aút non erat. *Vos, inquit, facitis opera patris uestri, id est, diaboli: quia ille ab initio homicida est, & uos sequaces eius, quæritis me interficere. Dixerunt itaq; ei: Nos ex fornicatione nõ sumus nati, unum patrem habemus Deum.* Toties nobilitatem generis Abrahæ præferentes, totiesq; conuicti, quòd non essent filij Abrahæ, tandem cœperunt intelligere, Dominum non de carnis generatione, sed vitæ similitudine, morumq; imitatione dicere. Quasi enim adinuicem loquebantur: Quoties nominauerimus Abrahã, dicturus est: Quare non illum imitamini, de cuius genere gloriamini? Dicamus Deum patrem nostrum, & videamus quid nobis respondeat. Nos, aiunt, ex fornicatione non sumus nati. Legerant in scripturis, fornicationem spiritualem appellari idololatriam, per quam misera anima dæmonibus quasi prostituta subijcitur. Ideò dixerunt: Nos ex fornicatione non sumus nati. Iactant ergo se, quòd
Ioan. 31. semper Deum coluerũt, qui Israël suum primogenitum appellauit. Sed audiamus quid illis responsum sit: *Si, inquit, Deus pater uester esset, diligeretis utiq; me.* ac si diceret: Iactatis vos Deum habere patrem, agnoscite me vel fratrem. Etsi nondũ me vt Deum, aut Dei filium venerari vultis, saltẽ me vt fratrem diligite. *Ego enim ex Deo processi & ueni.* Processio ista æterna est & ineffabilis abiq; tempore, quia filius processit à patre vt Deus, & æqualis vt filius & verbum patris. Processit ex Deo & venit, quia verbum quod erat in principio, caro factum est, & habitauit in nobis. Venire enim humanitatis est, sicut manere diuinitatis. Processit à patre & venit, quia à patre in mundũ missus est, sicut ipse dicit: *Nõ enim á meipso ueni, sed ille me misit.* Quæ missio vtiq; incarnatio intelligenda est. *Quare loquelam meam non cognoscitis? quia non potestis audire sermonem meum.* Quare sermonem eius audire non poterant, nisi quia in eum credere, & à sua impietate corrigi nolebant? Adhuc quare non poterant audire? quia filij diaboli elegerant manere. Vnde sequitur: *Vos ex patre diabolo estis.* Filios diaboli dicit Iudæos, non nascendo, sed imitando. Nam consuetudinis est sacræ scripturæ, ex imitatione vel similitudine filios
Ioan. 8. 16. appellare, iuxta quod Ezechiel propheta loquitur ad Iudæam: Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. Quia enim Iudæi imitati fuerant impietates Amorrhæorum & Cethæorum, iure parentes illos habuisse dicuntur, de quibus in moribus nascerentur, & cum quibus pro simili scelere damnarentur. Omnis ergo homo inquantum à Deo creatus est, bonus est: inquantũ verò per liberum arbitrium peccando se subijcit diabolo, patrem habet diabolum. Nam & ipse diabolus inquantum naturalem habet substãtiam, & inquantum creatura est, à Deo factus est, & bonus est: inquantũ verò superbiendo & inobediendo prolapsus est, diabolus factus est, & malus est. Diabolus enim interpretatur deorsum ruens. Ait ergo Dominus Iudæis, diaboli imitatoribus: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris uestri perficere uultis.* Quæ erant desideria patris illorum? suprà ait: Quæritis me occidere. Hæc erant desideria diaboli, quia & ipse inuidit homini, & occidit eum. Nam Euam per serpentem seduxit, & per illam decepit virum, sicq; occidit eũ: quia ex iusto fecit peccatorẽ, ex immortali fecit mortalem. *Ille, inquit, homicida erat ab initio.* Diabolus cõtra primum hominem non ferro accinctus, sed lœthifera persuasione armatus venit: nec eum gladio, sed ferro necauit. Omnis ergo qui alicui homini malum persuadet, dum illum ad peccatũ pertrahit, occidit. De talibus Psalmista dicit: Filij hominum, dentes eorum arma & sagittæ: & lin- *Psalm. 56.* gua eorum gladius acutus. *Et in ueritate non stetit, quia ueritas in eo non est.* In veritate non stetit, quia prolapsus à veritate, non voluit permanere in suæ originis sanctitate. Factus enim fuerat ad imaginem & similitudinem Dei, sed superbiendo retinuit quidem imaginem, quia non perdidit naturam immortalitatis: amisit tamen veritatem similitudinis, quia ex iusto & bono angelo, diabolus iniustus & malus factus est. De quo adhuc subditur: *Cum loquitur mendacium, de proprijs loquitur: quia mendax est, & pater eius,* subauditur, mendacij. Diabolus à semetipso mendax fuit, & ipse genuit mendacium suum. Ideò cùm loquitur mendacium, de proprijs loquitur, quia à nemine prorsùs audiuit & didicit mendacium. Et idcircò mendax est, & pater mendacij: sicut Deus verax, pater est veritatis. Et quare mẽdax est? Quia in veritate non stetit, hoc est, in Deo non mãsit, quia Deus veritas est. Nam & homo, quia & ipse à veritate declinauit, & peccando à Deo discessit, mendax vocatur, dicente Psalmista: Omnis homo mendax. *Psalm. 115.* Et quia homo à diabolo deceptus, & mendax effectus fuerat, ideò filius diaboli erat, non natura, vt dictum est, sed imitatione. *Quis ex uobis arguet me de peccato?* Quia enim ipse eos redarguerat de eorum peccato, dat electionem, vt si possint, ipsi quoq; eum de suo peccato reprehendant. Et considerandũ, quanta sit humilitas nostri redemptoris. Ad relaxãda hominum peccata venerat, & tamen non dedignatur ostendere se peccatorem non esse, qui ex potentia diuinitatis poterat peccatores iustificare. *Si uerit item dico, quare uos non creditis mihi?* Veritas Christus est. Et quid aliud veritas, quàm veritatẽ *Ioan. 14.* loqueretur? Veritatem loquebatur, cùm diceret: Ego ex Deo processi & veni, quare vos non creditis mihi? Quare? nisi quia ex patre diabolo estis, & in patre mẽdacij permanere elegistis? *Qui ex Deo est, uerba Dei audit.* Audire verba Dei, est præceptis illius, quę per scripturas suas loquitur, obedire. Proindè si ille verba Dei audit qui ex illo est, & audire verba eius non potest quisquis ex illo non est: interroget se vnusquisq;, vtrùm

Processio filij Dei.

Audire uerba Dei.

Universidad de Deusto
Biblioteca

trùm verba Dei aure cordis perceperit, & intelliget vnde sit. Iubet enim Deus cælestem patriã desiderari, carnis desideria conteri, mundi gloriam fugere, aliena non rapere, propria largiri. Hanc Dei vocem si quis in sui cordis aure conualuisse cognouerit, gaudens cognoscat, q̃ ex Deo sit. Sed (q̃ non sine mœrore dici potest) sunt nõnulli, qui verbum Dei nec aure quidé corporis percipere dignantur. Quid isti aliud, nisi patenter indicãt, quia membra diaboli sunt, & in eius sorte potiùs, quàm in Dei permanere elegerunt? Quotidiè Dominus per scripturas suas clamat, nosq; vt perituri mũdi oblectamenta fugiamus, & ad ea, quæ finiri nesciunt, perennium bonorũ gaudia mẽtis desiderio transeamus, inuitat. Studeamus ergo nunc vocantem & admonẽtem sequi: ne si modò loquentis verba contemnimus, cùm iudex in maiestate venerit, ab illo quasi ignoti & alieni contemnamur. Quin potiùs eum in præsenti audire, & præceptis eius obedire festinemus, quatenùs ab eo in beatam patris mansionem recipi mereamur, præstante eodem Domino nostro Iesu Christo.

DE EADEM FERIA V.

HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Egressus Iesus, secessit in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa, clamauit dicens: Miserere mei Domine fili Dauid, &c. Matt. 15.

HAec est igitur causa, cur clamantem mulierem Deus non exaudit. Hæc est causa cur misericordia non miseretur. Hæc est causa, cur ille qui in principio erat verbum, quãuis multa verba mulier multiplicet, non tamen respondet ei verbum. *Non sum, inquit, missus nisi ad oues, quæ perierũt domꝰ Israël.* Quid est igitur quod propheta ait, Erit radix Iesse, & qui exurget regere gentes, in eum gentes sperabunt? Si non es missus nisi ad oues, quæ perierũt domus Israël, quid est quod tibi à patre dicitur, Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ? Itemq; si non es missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël, quid est quod in Esaia pater loquitur, dicens: Parùm est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & ad fæces Israël conuertendas: ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsq; ad extremum terræ? Hoc enim testimonio magis ad gentes, quàm ad Israël missus esse videris. Parùm enim videtur patri, & meritò quidem parùm, vt qui eius æqualis es, pro tam vili precio eius seruus fis, homo fias, seruilem formam suscipias, si tantùm tribus Iacob & fæces Israël conuertere & vocare venisti. Pater dicit, Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ: & tu dicis, Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël. Contraria hæc esse videntur, contraria tamen nó sunt. Missus est enim ad oues, quæ perierunt domus Israël, vt eas vocaret, eas sanaret, eis prędicaret, & ad fidem eas conuerteret: & hoc per se. Missus etiam ad gentes vocandas, sanandas, prædicandas, ad fidem conuertendas: sed per discipulos suos, & non per se. Missus est deniq; priùs prædicare Iudæos, deinde Gentiles. Vnde & eisdem Iudæis Apostolus ait: Vobis primùm oportuerat prædicari verbum Dei: sed quia repulistis illud, & indignos vos fecistis æternæ vitę, ecce conuertimur ad Gentes. Sic igitur & missus, & non missus est Dominus. Audiuimus quid discipulis suis pro ea interpellantibus in itinere Christus responderit: nunc autem videamus, quid etiam veniens domum egerit. Marcus enim Euangelista, qui omnia hæc quæ in itinere dicta sunt, prætermittit, cætera quæ sequuntur non in via, sed in domo facta fuisse describit. Ait enim: *Et inde surgens abijt in fines Tyri & Sidonis. Et ingressus domum, neminem uoluit scire: & non potuit latere. Mulier autem statim ut audiuit de eo, cuius habebat filia spiritum immundum, intrauit, & procidit ad pedes eius. Erat enim mulier gentilis, Syrophœnissa genere.* Quia enim non erat missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël, ideò clamanti mulieri nihil in via respondit. Insuper & domum ingressus, neminé scire voluit, & tamen latere non potuit. Sed quare neminem scire voluit? Quia omnes illi gentiles erant. Gentilibus autem nondum reuelari volebat. Quare ergo latere non potuit? Inconueniens enim esse videtur, vt ille qui omnia potest, latere velit, & latere non possit. Non igitur sic est accipiendum, quasi latere voluisset, & latere non potuisset. Simplici enim sermone hoc in loco vtitur euangelista. Quid est enim, neminem voluit scire, nisi quia præcepit eis discipulis, vt eum ibi esse nemini dicerent. Neque enim hoc aliter discipuli intelligerent, nisi ipse eis, ne eum manifestarent, præciperet. Sciri igitur voluit, & quia voluit, latere non potuit. Similiter autem de eodem ipso alibi quoque dicitur, quia ipse se finxit longiùs ire, cùm ire longiùs noluisset. Latere igitur nolebat, domum tamen ingressus se latêre velle ostendebat, quia nondum tempus aduenerat, quo gentili populo prædicandus erat. Mulier autem quæ post eum clamauerat in via, postquàm eum inter discipulos non inuenit, interrogat vbi esset. Vt audiuit de eo, statim domum intrauit, & procidit ad pedes eius. Sed quid dixit? Domine, adiuua me. Qui respondẽs ait: *Non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus.* Misera misericordiam sequitur, repulsa nõ erubescit, domum ingreditur, importune clamat, Saluatorem adorat, & iam tandem responsum audire meretur. Probat eam Dominus, an patientiam habeat, an humilitatem teneat. Canẽ eam vocat, canem se illa esse fatetur. *Non est* (inquit)

quit) *bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. Dicit illa: Etiam Domine.* Canis ego sum, de populo gentili, de genere Cananeo: Non sum digna pane filiorum, non sum digna beneficio sanctorũ: sed quia canis sum, porrige mihi micas. *Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorũ.* Docet nos mulier ista, qualiter orare debeamus. Euangelium non legerat, & sicut euangeliũ præcepit, orat. Scriptum est enim: Petite, & accipietis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Tunc respondens Iesus, ait illi: *O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut uis.* Cum improbitate panem petisti, propter improbitatem tuam dabuntur tibi quotquot habes necessarios. Vade, quia sanata est filia tua. *Et sanata est filia eius ex illa hora.* Oremus igitur & nos Dominũ, vt sanet filias nostras. Oremus vt sanet, & à peccatis liberet animas nostras. Illa enim anima vexatur à dæmonio, quæ peccare non cessat, & in crimine perseuerat. Quæ si benè conuersa fuerit, & de Christi misericordia non desperauerit, dicetur ei à pijssimo Domino: Fiat tibi sicut vis: & sanabitur ex illa hora. Quia peccator quacunq; hora conuersus fuerit & ingemuerit, vita viuet, & non morietur.

FERIA SEXTA.

Ioan. 5.

In illo tempore: Erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam. Est autem Hierosolymis probatica piscina. Et rel. Homilia Erici.

IN euangelica lectione, quam modò audiuimus, duo nobis miracula recitata sunt: vnum inuisibiliter per angelicam administrationem patratum, alterum per dominicam præsentiam visibiliter exhibitum. Ergo vtriusq; nobis sunt breuiter exponenda mysteria. *Erat, inquit euangelista, dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam.* Quia enim Deus pro hominibus homo factus erat, cum hominibus solennitates, Dei lege constitutas, celebrat. *Erat autem Hierosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum.* Probatica Græcè, Latinè dicitur pecualis. προβατον quippe dicitur ouis. Et piscina illa probatica vocatur, quia ibi sacerdotes hostiarum, quas in templo Dei immolabant, cadauera abluebant. Mysticè verò probatica piscina, quę quinq; porticibus cingebatur, significat populum Iudæorum, legis custodia vndiq;, ne peccare deberet, munitum. Quinq; enim porticus, legem quæ in quinq; libris Moysi continetur, insinuant. Et bene idem populus per aquam signatur piscinæ: quia ficut aqua piscinæ nunc placida ventis stare, nunc ijsdem ventis irruentibus turbari solet: ita ille populus in quibusdam vitæ munditiam seruare, in quibusdam immundorum spirituum solebat tentationibus agitari. Aptè quoq; eadé piscina probatica vocatur, quia nimirum erant quidam in illo populo, qui meritò simplicis & innocentis vitæ Deo placere, & cum Psalmista dicere poterant: Nos autem populus tuus & oues pascuæ tuæ. Multitudo laguentium, quæ in memoratis porticibus iacebat aquæ motum expectans, designat eos qui verba legis audientes, hanc se suis viribus implere non posse dolebant, atq; ideò dominicæ gratiæ auxilium totis animę affectibus exoptabant. *Iacebat ibi, inquit, multitudo magna languentium, cæcorũ, claudorum, aridorum.* Cæci erant, qui necdum fidei lumen habebant: claudi, qui bona quæ agenda essent nouerant, sed ad implenda ea boni operis gressibus assurgere non valebant: aridi, qui oculum quidem scientiæ habent, sed spei & dilectionis pinguedine egent. Tales in quinq; porticibus iacebant, sed non nisi angelo in piscinam descendente sanari poterant: quia per legem cognitio est peccati, gratia verò remissionis non nisi per Christum poterat dari. Quem meritò designabat angelus, qui inuisibiliter descendens in piscinam, aquam mouebat, eiq; virtutem sanandi suggerebat. Motus enim aquæ, passionem Domini, quæ turbata gente Iudæorum facta est, insinuat. Descendit ergo carne indutus, hic magni consilij angelus, id est, paternæ voluntatis nuncius, in piscinam populi Iudæorum. Mouit illos miraculis & doctrina sua, vt eum morte crucis afficerent, qui genus humanum non solùm à languoribus peccatorum sanare, sed etiam ab ipsa morte æterna sufficeret liberare. Descendentes ergo in aquam piscinæ turbatam, sanabantur: quia per passionem Domini, quam motus aquæ designat, recepti sumus de maledicto legis. Lex siquidem Moysi, quæ quid agendum, quidue cauendum esset edocuit, neminem tamen ad perfectum duxit: quasi eductos de sedibus ignorãtiæ prioris, in porticibus continebat languidos, nec tamen sanabat. Gratia aũt & fides dominicæ passiõis sanat omnes infirmitates iniquitatum nostrarum, & quasi eiectos de porticibus, in aquam piscinæ turbatam immittit: quia à peccatis, quæ lex ostẽderat, per aquam baptismatis abluit, iuxta quod Apostolus dicit: Quotquot baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Notandum verò nobis est, quod dicitur: *Quia qui primus descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat, à quocunq; languore detineretur.* Vnus, inquit, ex tanta languentium multitudine sanabatur, quia vnus Deus, vna fides, vnum baptisma. Quicunq; ergo in vnitate catholicæ fidei mysterijs Christi in baptismo imbuitur, ab omni prorsus peccatorum languore sanatur. Qui verò ab vnitate Ecclesiæ discrepat, salutem quæ ab vno &

Universidad de Deusto
Biblioteca

per vnum est, habere non meretur. His de primo miraculo, quod per angelum inuisibiliter fiebat, præmissis, nunc de sequente, quod per verũ angelum Christum visibiliter patratum est, paucis loquamur, in quo etiam similiter vnus sanatus est. Poterat quidem Dominus omnes, qui ibi erant, infirmos sanare, sed vnum tãtùm certi causa mysterij sanare voluit, vt profectò ostenderet, præter Ecclesiam nemini patere locum salutis. *Erat ibi homo triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cùm uidisset Iesus iacentem, & cognouisset quia multum iam tempus haberet, dixit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, ut cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam. Dum uenio enim ego, alius ante me descendit. Dicit ei Iesus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo, & sustulit grabatum suum, & ambulabat.* Sanaturus Dominus infirmum diuturno languore tabescentem, interrogauit, vtrùm vellet sanus fieri: nõ quòd eum id velle ignoraret, sed vt eum ad maius sanitatis desiderium accenderet, qui iam longa decubatione penè salutem desperauerat, nec saltem pro sua restauratione rogare nouerat. Vnde & ille causam impossibilitatis cœpit obtendere, & conqueri quòd hominem non haberet, qui eum post motum aquæ in piscinam mitteret. Sed Dominus languentis miseratus imbecillitatem, pariterq; insciam simplicitatem, ait illi: *Surge, tolle lectum tuum, & ambula.* Ille continuò receptis viribus, & iamdudum amissum persentiens robur, tulit in quo iacebat, & abijt in domũ suã. Iuxta spiritualem intelligentiam, homo iste multorum annorum infirmitate detentus, designat peccatorem, multorum & grauium scelerum numerositate depressum. Nam & ipsa temporis quantitas, quo languidus decumbebat, huic significationi congruit. Nam triginta & octo annos in infirmitate habuisse dicitur, duo videlicet mi[n]* de quadraginta. Quadragenarius aũt numerꝰ, qui denario quater ducto conficitur, pro perfectione rectæ operationis in scripturis accipi solet. Ille enim rectè viuit, qui decalogum legis per quatuor sancti euangelij libros implere studuerit. A` qua perfectione duo minùs habet, quisquis dilectionem Dei & proximi, quam legis & euangelij pariter scriptura commendat, seruare negligit. Quod & Dominus signanter expressit, qui sanaturus infirmum præcepit, dicens: Surge, tolle lectum tuum, & ambula. Lectus noster proximus intelligitur, qui nobis in corporis vel animi infirmitate solatium exhibuit: quẽ sanati portare præcipimur, vt ei quoq; in suis necessitatibus adiutorium subministremus. Ait ergo ei Dominus quem sanabat: Surge, tolle lectũ tuum, & ambula. Surge, inquit, vitiorũ torporẽ, quo diù langueras, excute, & ad exercitium virtutum erigere. Tolle lectum tuum; Porta proximum tuum, eius infirma patienter tolerando, à quo es diù multumq;, cùm adhuc sub graui fasce tentationum gemeres, sustentatus. Hinc & Apostolus dicit: Alter alterius onera portate. Ambula verò, quotidianis bonorum operum profectibus, de virtute in virtutem progredere. Surge peccata relinquendo, tolle lectum tuum fratri succurrendo, ambula supernam patriam desiderando, & ad videndam creatoris faciem festinãdo. *Erat autem sabbatum in illa die. Dicebant ergo Iudæi ei, qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum.* Mira & vehementer stupenda perfidorum dementia. Cùm enim ad tam inopinatam hominis diù languentis sanitatem credere, & diuinam potentiã laudare debuerant, contrà scandalizabantur, & saluatorem pariterq; saluatum calumniabantur. Saluatorem quidem, qꝛ die sabbati hominem curasset, lectumq; suum tollere præceperit: saluatum verò reprehendunt, quia sabbato grabatum portauerit. *Dicebant ergo ei qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum.* Legis literam stultissimè defendebant, ignorantes dispensationem Domini saluatoris, qui ipsam legem quondam per seruum dederat, ac nunc per semetipsum veniens, eandem legem in gratiam sancti euangelij mutare disponebat: vt quod anteà iuxta literam carnaliter à carnalibus obseruabatur, deinceps spirituales spiritualiter obseruandum susciperent. Deniq; die septimo populus ab omni opere seruili vaca repræceptus fuerat. Spiritualis verò sabbati obseruatione, quod est in luce septiformis spiritussancti, ab omni peccato, quod reuerà seruile opus accipitur, non vna die, sed omni vitæ nostræ tempore feriati esse præcipimur, nec solùm à prauis operibꝰ abstinere, sed etiam bonis operibus insistere iubemur. Quod & in huius hominis sanatione liquidò monstratum est, cùm Dominus eum, quem à languore liberabat, non solùm surgere, verùm etiam lectum suum tollere præcepit, videlicet apertè insinuans, eos qui volunt à vitiorum tabe resurgere, discusso torpore negligentiæ, cum fraternæ charitatis pignore, ad visionem sui conditoris debere properare, nec malorum contradictionibus seu persecutionibus à cœpto boni operis studio cessare. Nam & homo iste cùm ei Iudæi contradicerent, eumq; ne lectum ferret prohiberent, dicentes, Sabbatũ est, non licet tibi tollere grabatum tuum: non ideò lectum deposuit, sed fiduciaIiter cœptis insistens, respondit: *Qui me sanum fecit, ille mihi præcepit, Tolle grabatum tuum, & ambula*: illius potiùs volens obtemperare mandatis, à quo sanatus fuerat, quàm illorum falsæ religioni cedere, qui eius sanitati & Domini sui gloriæ inuidebant. *Et interrogauerunt eum: Quis est ille homo qui dixit tibi, tolle grabatum tuum, & ambula? ille autem*, vt ait euangelista, *ignorabat quis esset.* Iam saluatus erat, sed adhuc saluatorem suum ignorabat: dignus tamẽ erat, cui se saluator ostenderet, cuius imperio sic deuotus obtemperasset. *Iesus autem declinauerat à turba constituta in loco.* Declinauerat, inquit, à turba turbatꝝ, diuino eos deserendos auxilio innuens, cuius virtutibus obstinata malitia conabantur resistere. *Postea inuenit eum Iesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es.* Per hoc, quòd is qui sanatus fuerat, Iesum non in turba, sed in templo cognoscit, mysticè nos instruimur, vt si gratiam conditoris nostri cognoscere, & ad eius visionem desideramus peruenire, fugiamus turbam cogitationum & affectuum prauorum, declinemus solicitè conuenticula hominum improborum, qui bonum nostrum propositum, vel mala exemplo demonstrando, vel nostra opera deridendo, aut etiam prohibendo, conantur impedire. Confugiamus deuoti ad templum Dei, vbi illi de perceptis beneficijs gratias agere, ac propercipiendis exorare satagamus, nosque ipsos templum Dei, in quo misericorditer venire & mansionem facere dignetur, præparare curemus. Attendere autem debemus, quid à se sanato Dominus dicit: *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Quibus verbis ostenditur, quia propter peccata sua languerat, nec nisi illis dimissis sanari poterat. Sed credendum nobis est, quòd Dominus qui eum sanauit exteriùs ab infirmitate, intùs etiam absoluit à scelere. Vnde & eum Dominus cautè prænouit, ne vlteriùs peccaret, ne iterùm peccando grauioris sententiam damnationis incurreret. Non autem semper propter sola peccata datur hominibus infirmitas. Quipque enim modi à sanctis doctoribus deprehensi sunt, quibus infirmitas hominibus contingit. Aliquando enim datur infirmitas hominibus pro gloria Dei manifestanda, sicut illi cæco nato, & sicut Lazaro, de quo Dominus dixit: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed vt glorificetur filius Dei per eam. Nonnunquàm verò ad probationem, & virtutum augmẽtum, sicut beato Iob & Tobiæ, qui cùm ante flagellum sancti extiterint, sanctiores ex flagello & probatiores apparuerunt. Datur plerunq; infirmitas ad virtutum custodiam, sicut B. Paulo apostolo. Datur præterea infirmitas hominibus ob delicti castigationem, sicut huic, qui triginta & octo annis decubuerat languens, & sicut illi paralytico, cui Dominus dixit: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. De qualibus dicitur: Flagellat Deus omnem filiũ quẽ recipit. Quintus modus reproborum est, quib. datur infirmitas, vt hic torqueri incipiant, & per hæc tormẽta temporalia trãseant ad æterna, quemadmodùm contigit Antiocho & Herodi, in quibus impletũ est, quod scriptum est: Duplici contritione cõtere eos. Quocunq; ergo modo diuina prouidentia nos iubeat infirmari, discamus semper flagellis pij patris humiliter subdi, & iudicia illius iustissima venerari, arbitrantes nos minus quàm meremur sustinere, illius sentẽtiæ memores: Beatus homo qui corripitur à Deo. Hoc enim agentes, & in præsenti de eius verbere, pficere, & in futuro ad æternã requiẽ post flagella merebimur peruenire, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum patre & spiritusancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Mystica interpretatio languidi.

Quid faciendum Iesu nosse uenti.

Morbi aliquãdo ex culpa, aliquãdo ob causam.

Galat. 5.

Leuit. 23. Spiritualis sabbatum.

Cæcus Iudæus.

DE EADEM DIE
HOMILIA EVSEBII Emesseni.

Erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam. Ioan. 5.

AD diem festum Iudæorum Dominus ascendit, vt populis vndiq; conuenientibus fidei doctrinam annunciet, salutis mysteria pandat, & veritatis lumen ostendat. *Est autem Hierosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraice † Bethsaida, quinque porticus habens.* Hæc piscina baptismatis aquas significabat. Vnde non immeritò probatica, id est, ouina dicebatur, quoniam oues Dei fiunt, qui in baptismate lauantur: de quibus in Canticis Canticorum Ecclesiæ dicitur: Dentes tui sicut greges tonsarum ouium, quæ ascenderunt de lauacro. Hæc autem piscina quinque porticus habet, quia quinque libri sunt Moysi, in quibus baptismi sacramentum plenissimè continetur, eorumq; authoritate munitur, & doctrina declaratur. *In his iacebat multitudo languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum.* Hi enim languentes, qui in prædictis porticibus iacebant, Iudæi intelliguntur, qui sub lege erant, legisq; fræno & moderamine arctabantur, legis tamen medicamine non iustificabantur. Vnde Apostolus ait: Si enim data esset lex, quæ posset iustificare, verè ex lege esset iustitia: sed conclusit scriptura omnia sub peccato. Lex igitur & scriptura sunt porticus illi, qui languentes continent, quia sub peccato omnia claudunt. Nemo in porticibus sanabatur, quia non erat data lex quæ posset iustificare. Inde tamen languentes videbant piscinam, descendebant in eam & sanabãtur, vt promissio ex fide Iesu Christi per baptismum daretur credentibus. A[n]* *enim Domini secundùm tempus descendebat in piscinam & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat, à quacunq; infirmitate detinebatur.* Angelus enim Domini secũdùm tempus descendebat in piscinam, quando tempore præfinito saluator noster ad baptismum venit. Ipse enim est ille magni consilij angelus, de quo scriptum est: Et statim veniet ad templum sanctum suum dominator quem vos quæritis, & angelus testamenti quem vos vultis. Et ipse quidem aquam cõmouit, ipse baptismatis aquas sanctificauit, omnemq; inimici latentem infestationem suo tactu ab eis remouit. Post cuius commotionem, tantam in se virtutem aqua suscepit, vt omnes hominum in eam descendentium sanet languores, pellat ægritudines, & soluat peccata. Sed notandũ, quia solus ille sanatur, qui prior

† Bethesda

Cant. 4.

Galat. 3.

Angelus, Christus.

Mala. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecclesia. post motionem aquæ in piscinam descendit, per quem totus populus Christianus intelligitur, qui solus & vnicus, prior & vltimus, vnus & inseparabilis in aquis baptismi & lauatur & sanatur. Sed quis est qui post eum descédit, nisi ille, qui huic corpori ecclesiastico non inhæret? Si enim huius corporis esset, non post eum, sed in eo descédere diceretur. Post eum nanq; hæretici descendũt, & descendentes nihil sibi proficiunt. Hæretici. *Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cùm uidisset Iesus iacentem, & cognouisset quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, ut quum mota fuerit aqua, mittat me in piscinam. Dum uenio enim ego, alius ante me descendit.* Homo enim iste eos designat, qui post baptismum peccata criminalia committunt, pro quibus graui longæq; pœnitentiæ subijciuntur, qua nimirum corpus ægrotat, sed anima sanatur. Vt enim pro suis iniquitatib⁹ hunc ægrotasse intelligas, ipse Dominus ostendit, dicens: Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Tales autem quia non bene pœnitent, etsi longo tempore languere, & pœnitere, & carnem macerare videantur, valdè tamen difficilè curantur. Si enim bene pœnituissent, nó triginta & octo annos, sed quadraginta ex integro in hac tali infirmitate habuissent. Imperfecta est enim omnis pœnitentia, quæ de hoc numero aliquid minus habet. Quare autem perfecta pœnitentia hoc numero designetur, attende. Hic enim numerus ex quatuor constat & decem: quater enim decem, vel decies quatuor, quadraginta fiunt. In quatuor aũt nouum testamentum, in decem verò vetus figuratur: quoniã hoc in quatuor euangelijs, & illud in decem verbis consistit. Nulla aũt pœnitentia, profit ad salutem, quæ noui veterisq; testaméti authoritate nõ agitur. Hoc enim ipse Dominus significans, quadraginta diebus & noctibus ieiunauit. Similiter aũt & Moyses & Elias. Hoc igitur numero pœnitẽtiam agat, id est, secundùm vtriusq; testamenti doctrinam disciplinamq; pœniteat, quicunq; sibi suam pœnitentiam vult esse fructuosam. Declinet igitur homo à malo, & faciat bonum: inquirat pacẽ, & sequatur eam. Hæc est enim vera pœnitentia. Sed nota, quia misericors Dominus, etiam non bene & legaliter pœnitentes, bonam tamen voluntatem habentes, & salutis remedia expectantes, visitare, sanare, & illuminare dignatur. Vnde & huic languido dicit: Vis sanus fieri? ac si diceret: Sanari quidem vis, ideò enim hic iaces, ideò ægrotas, ideò carnem maceras, & hanc qualécunq; pœnitentiam agis. Respondit ei languidus: Domine, hominem nó habeo, vt quum mota fuerit aqua, mittat me in piscinam. Quid enim his verbis aliud significat, nisi quandam baptizandi, & in illam piscinã descendendi impossibilitatem? Impossibile est enim eos qui semel baptizati sunt, iterum per bãptismum renouari, & peccatorum contagione mundari. Vnde & iste quanuis sanetur, non tamẽ mergitur in piscinã: quia eos significat, qui post baptismum sola pœnitentia sanãtur. Quod autẽ ait, Dum venio enim ego, alius ante me descendit, de ipso adhuc gentili & catechumeno dicere videtur. Ipse enim quum adhuc gentilis & catechumenus esset, in piscinam descendit: modò verò quia Christianus est, in eam descendere non potest. Idem igitur ipse alius est, & ipse qui descendit ante seipsum. *Dicit ei Iesus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* Noli (inquit) iam vlteriùs hominem quærere, qui te mittat in piscinam: surge tantummodò, erige mentem, contemplare cælũ: quæ sursum sunt quære, non quæ super terram. Hac enim via illi, qui baptizati sunt, recuperant sanitatem, si eos ægrotare contingat. Tolle grabatum tuum, porta & contine, & in seruitutẽ redige carnem tuam. Lectus nanq; animæ, corpus est. In quo si vitiosum fuerit, tota infirma & languida iacet anima. Vnde scriptum est: Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam. *Et ambula*, non sis otiosus. Otiositas enim animæ inimica est, quæ & vitia nutrit, & virtutes necat. *Et statim sanus factus est homo, & sustulit grabatum suum, & ambulabat.* Facilè igitur est Deo & sanare hominem, & peccata soluere. *Erat autem sabbatum in illa die. Dicebant ergo Iudæi illi, qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit, Tolle grabatum tuum, & ambula.* Maioris (inquit) authoritatis, quàm vos sitis, est ille qui me sanum fecit. Illi igitur, & non vobis, me obedire oportet. *Interrogauerunt autem eum: Quis est ille homo qui dixit tibi, tolle grabatum tuum, & ambulabis? autem qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset.* Nõ mirum si iste nesciebat quis esset. neq; enim facilè est cognoscere Iesum. Vnde & ipse Dominus ait: Nemo nouit filium nisi pater, & nemo nouit patrem nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. *Iesus ergo declinauit à turba constituta in loco. Postea inuenit eum Iesus in templo.* Vbiq; est Iesus, sed non vbiq; cognoscitur. Non cognoscitur in turba, cognoscitur aũt in templo. Fugiamus igitur turbam, & simul cum Iesu declinemus à turba. Eamus in templũ, ibi nos inueniat, ibiq; à nobis inueniatur. Ideò enim ipse ab hominũ turba discessit, vt & nos à vitiorũ turba discedere doceat. *Et dixit illi Iesus: Ecce sanus factus es, iã noli peccare, ne deterius tibi aliquid cõtingat.* Hoc (inquit) cõtigit tibi, quia peccasti: iã noli peccare, nõ tibi sit volũtas peccãdi. Nõ peccare enim, valdè difficile, & penè impossibile est. Multi enim peccant, qui peccare nolunt. Vnde Apostolus: Non enim quod volo, hoc ago, sed quod nolo, illud facio. Magnum igitur peccatum est, voluntas peccandi. Voluntariè enim (vt ait Apostolus) peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur hostia pro peccato. Quod de illis quidem intelligitur, qui vsq; in finẽ sua sponte in peccatis perseuerant. *Abijt ille homo, & nunciauit Iudæis, quia Iesus esset qui fecit eum sanum.*

Numerus quadragenarius.

Mat. 4.

Psalm. 36.

Baptismus non potest repeti.

Lectus animæ. Sup. 9.

Matth.

Rom. 7

Hebr. 6

SABBATO, Matth. XVII.

In illo tempore, Assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. Et reliqua. Homilia beati Leonis Papæ.

EVangelica lectio, dilectissimi, quæ per aures corporis interiorẽ mentium nostrarum pulsauit auditum, ad magni sacramenti nos intelligentiam vocat. Quam aspirante gratia Dei faciliùs assequemur, si considerationem nostrã ad ea, quæ paulò superiùs sunt enarrata, referamus. Saluator enim humani generis Deus Christus, condens eam fidem, quæ impios ad iustitiam, & mortuos reuocat ad vitã, ad hoc discipulos suos doctrinæ monitis, & operum miraculis imbuebat, vt idem & vnigenitus Dei & filius hominis crederetur. Nam vnum horum sine alio non proderat ad salutẽ, & æqualis periculi erat, Dominũ Iesum Christũ aut Deũ tantummodò sine homine, aut sine Deo solùm hominẽ credidisse, cũ vtrunq; esset pariter confitendũ: quia sicut Deo vera humanitas, ita homini inerat vera diuinitas. Ad confirmandum ergo huius fidei salubritatẽ, interrogauerat discipulos suos Dominus inter diuersas aliorũ opiniones, quid ipsi de eo crederent, quidue sentirent. Vbi Apostolus Petrus per reuelationẽ summi patris corporea superãs, & humana transcendens, vidit mentis oculis filiũ Dei viui, & confessus est gloriã deitatis: quia non ad solã respexit substantiã carnis & sanguinis, tantũq; in hac fidei sublimitate cõplacuit, vt beatitudinis felicitate donatus, sacrã inuiolabilis petræ acciperet firmitatẽ, supra quã fundata Ecclesia, portis inferni & mortis legibus præualeret: nec in soluẽdis aut ligãdis quorũq; causis, aliud ratũ esset in cælo, quã quod Petri sedisset arbitrio. Hæc aũt, dilectissimi, laudatæ intelligẽtiæ celsitudo, instruẽda erat de inferioris substãtiæ sacramẽto, ne Apostolica fides ad gloriã confitendæ in Christo deitatis euecta, infirmitatis nostræ receptionem indignã impassibili Deo atq; incongruã iudicaret, & ita iã in ipso humanã crederet glorificatã esse naturã, vt nec supplicio posset affici, nec mortẽ dissolui. Et ideò dicẽte Domino, quòd eum oportet ire Hierosolymã, & multa pati à senioribus & scribis ac principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere: cùm beatus Petrus, qui superno illustratus lumine, de ardentissima filij Dei confessione feruebat, contumelias illusionum, & crudelissimæ mortis, opprobrium, religioso, vt putabat, & libero fastidio respuisset, benigna ab Iesu increpatione correptus, & ad cupiditatem participandæ cum eo passionis animatus est. Subsequens enim exhortatio saluatoris hoc inspirauit, hoc docuit, vt volentes eum sequi, negarent se sibi, & pro spe æternorum leuissimum ducerent temporalium detrimentum: quia is demum animam suam saluam faceret, qui eam pro Christo perdere non timeret. Vt ergo istam felicis constantiæ fortitudinẽ, toto Apostoli corde conciperent, vt nihil de suscipiendæ crucis asperitate trepidarent, vt de supplicio Christi non erubescerent, nec pudendam sibi eam patientiam crederent, quæ sic subitura erat sæuitiam passionis, vt non amitteret gloriam potestatis, assumpsit Iesus Petrum & Iacobum, & fratrem eius Ioannem, & conscenso cum eis seorsùm monte præcelso, claritatem illis suæ gloriæ demonstrauit. Quia licet intellexissent in eo maiestatem Dei, ipsius tamen corporis, quo diuinitas tegebatur, potentiam nesciebant. Et ideò propriè signanterque promiserat, quosdam de astantibus discipulis, non priùs gustare mortem, quàm viderent filiũ hominis venientẽ in regno suo, id est, in regia claritate, quam specialiter ad naturam suscepti hominis pertinentem, his tribus viris voluit esse conspicuam. Nam illam ipsius deitatis ineffabilẽ & inaccessibilem visionem, quæ in æternam vitam mundis corde seruatur, nullo modo mortali adhuc carne circundati intueri poterant & videre. Aperit ergo Dominus coram electis testibus gloriam suam, & communem illam cum cæteris corporis formam tanto splendore glorificat, vt & facies eius solis fulgori similis, & vestitus candori niuium esset æqualis. In qua transfiguratione illud quidem principaliter agebatur, vt de cordibus Apostolorum crucis scandalum tolleretur, nec conturbaret eorum fidem, voluntariæ humilitas passionis; quibus reuelata esset absconditæ excellentia dignitatis. Sed non minore prouidentia spes sanctæ Ecclesiæ fundabatur, vt totum Christi corpus agnosceret, quali esset commutatione donandũ, & eius sibi honoris consortiũ mẽbra promitteret, qui in capite præfulsit, de quo idẽ Dominus dixerat, cùm de aduentu sui maiestate loqueretur: Tũc iusti fulgebũt sicut sol in regno patris sui: protestante hoc ipso beato Paulo Apostolo, atq; dicente: Existimo enim, quòd nõ sint cõdignæ passiones huius temporis ad futurã gloriam, quæ reuelãbitur in nobis. Et iterum: Mortui enim estis, & vita vestra abscõdita est cũ Christo in Deo. Cũ enim Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cũ ipso in gloria. Confirmandis verò Apostolis, & ad omnem scientiã prouehendis, alia quoque in illo miraculo accessit instructio. *Moyses enim & Elias*, Lex scilicet & prophetæ, *apparuerunt cum Domino loquentes*: vt verissimè in illa quinq; virorum præsentia compleretur, quod dictum est: In duobus vel tribus testibus stabit omne verbum. Quid hoc stabilius, quid firmius verbo, in cuius prædicatione veteris ac noui testamenti concinit tuba, & cum Euangelica doctri-

Matth. 16

Matth. 16

Matth. 3

Rom. 8

Col. 3.

Deut. 19. Matt. 18.

Universidad de Deusto
Biblioteca

na antiquarum protestationum instrumenta cõcurrunt? Astipulantur enim sibi inuicem vtriusque fœderis paginæ, & quem sub velamine mysteriorum præcedentia signa promiserant, manifestum atque perspicuum præsentis gloriæ splendor ostendit: quia, sicut ait beatus Ioãnes:

Ioan. 1. Lex per Moysen data est, gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est: in quo & prophetarum impleta est promissio figurarum, & legalium ratio præceptorum, dum & veram docet prophetiam per sui præsentiam, & possibilia facit mandata per gratiam. His ergo sacramentorum reuelationibus Petrus Apostolus incitatus, mundana spernens & terrena fastidiens, in æternorum desiderium quodam mentis rapiebatur excessu, & gaudio totius visionis impletus, ibi cum Iesu optabat habitare, vbi manifestata eius gloria lætabatur. Vnde & ait: *Domine, bonum est nos hic esse, si uis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Heliæ unum.* Sed huic suggestioni Dominus non respondit, significans non quidem improbum, sed inordinatum esse quod cuperet, cùm saluari mundus, nisi Christi morte nõ posset, & exemplo Domini in hoc vocaretur credentium fides, vt licèt non oporteret de beatitudinis promissione dubitari, intelligeremus tamẽ inter tentationes huius vitæ, priùs nobis tolerãtiam postulandã esse, quàm gloriã, quia tempora patiendi non potest felicitas præuenire regnandi. *Adhuc ita q; loquente eo, ecce nubes lucida obumbrauit eos: Et ecce uox de nube, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite.* Præsens quidem erat in filio pater, & in illa Domini claritate, quam ad discipulorum temperat aspectum, non separabatur ab vnigenito genitoris essentia. Sed ad commendandum proprietatem vtriusq; personæ, sicut visui significauit filium splendor ex corpore, sic auditui patrem vox nunciauit ex nube. Qua voce accepta, discipuli quòd in faciem ceciderunt & timuerunt valdè, non de patris tantùm, sed & filij maiestate tremuerunt. Altiore enim sensu, vnam vtriusq; intellexere deitatem, & quia in fide non erat hæsitatio, non fuit in timore discretio. Latum ergo illud & multiplex testimonium fuit, & plus in virtute verborum, quàm in sono vocis auditum est. Dicente enim patre, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè cõplacui, ipsum audite: nónne euidẽter auditum est: Hic est filius meus, cui ex me & mecum esse sine tempore est? quia nec genitor genito prior, nec genitus est genitore posterior. Hic est filius meus dilectus, quem à me non separat deitas, non diuidit potestas, non discernit æternitas. Hic est filius meus, non adoptiuus, sed proprius: non aliunde creatus, sed ex me genitus: non de alia natura mihi factus comparabilis, sed de mea essentia natus æqualis. Hic est filius meus, per quẽ omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil: qui omnia quæ facio similiter facit, & quicquid operor, inseparabiliter mecum

Filius Dei patri æqualis.

Ioan. 1.
Ioan. 5.

atque indifferenter operatur. In patre enim est filius, & in filio pater, nec vnquàm vnitas nostra diuiditur: & cùm alius ego sim qui genui, alius ille quem genui, non aliud tamen de illo vobis cogitare fas est, quàm de me sentire possibile est. Hic est filius meus dilectus, qui eam quam mecum habet æqualitatem, non rapina appetijt, *Philip. 2.* nec vsurpatione præsumpsit, sed manens in forma gloriæ meæ, vt ad reparandum genus humanum, exequeretur commune consilium, vsq; ad formã serulem inclinauit incõmutabilẽ deitatem. Hũc ergo in quo mihi per omnia benè cõplaceo, & cuius prædicatione manifestor, cuius humilitate clarificor, incunctanter audite: quia *Ioan. 14.* ipse est veritas & vita, ipse virtus mea atq; sapien- *1. Cor. 1.* tia. Ipsum audite, quem legis mysteria pronunciarunt, quem prophetarum ora cecinerunt. Ipsum audite, qui mundum sanguine suo redimit, qui diabolum ligat, & vasa eius rapit, qui pecca- *Luc. 11.* ti chirographum & præuaricationis pacta dissũpit. Ipsum audite, qui viã aperit ad cælum, & per *Coloss. 2.* crucis supplicium gradus vobis ascensionis parat ad regnum. Quid trepidatis redimi? quid paruetis saluti liberari? Fiat quod me volente vult Christus. Abijcite carnalem formidinem, & fideli vos armate cõstãtia. Indignũ est, vt in saluatoris passione timeatis, quod ipsius munere nec in vestro fine metuetis. Hæc, dilectissimi, nõ ad illorum tantùm vtilitatem dicta sunt, qui ea proprijs auribus audierunt: sed in illis tribus Apostolis vniuersa Ecclesia didicit, quicquid eorum & aspectus vidit, & auditus accepit. Confirmetur ergo, secundùm prædicationem sacratissimi Euãgelij, omnium fides, & nemo de Christi cruce, per quã mundus redẽptus est, erubescat. Nec ideò quisquã aut pati pro iustitia timeat, aut de promissorum retributione diffidat, quia per laborem ad requiem, & per mortem trãsitur ad vitã, cùm omnem humilitatis nostræ infirmitatem ille susceperit, in quo si in confessione & dilectione ipsius permanemus, & quod vicit vicimus, & quod promisit accipimus. Quia siue ad facienda mãdata, siue ad aduersa tolerãda, promissa semper vox patris debet auribus nostris insonare, dicentis: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipsum audite: qui viuit & regnat cum patre & cum spiritusancto in secula seculorum, Amen

EODEM DIE HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Matth. 16. DOminus & saluator noster (sicut legitur paulò superiùs) promiserat discipulis suis, dicens: Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt morte, donec videãt filiũ hominis venientẽ in regno suo. Si enim de illo regno & de illa gloria hoc intelligamus, in qua modò cum angelis suis se iudicaturum venire promisit, stare non potest. Nemo enim ibi erat, vbi Dominus ista dicebat, qui mortẽ iá nõ gustasset: ipse tamen ad iudiciũ nondũ venit. Qualiter autẽ hæc intelligi debeant, sequẽtia manifestãt. Ait

Matth. 17 enim Euangelista: *Et post dies sex assumpsit Iesus Petrum, & Iacobũ, & Ioannem fratrẽ eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos.* Isti igitur sunt, de quibus modò dixerat: Qui nõ gustabunt morte, donec videant filium hominis venientẽ in regno suo, id est, apparentẽ in virtute & gloria regni sui. Transfiguratus enim Dominus, talis tunc in monte tribus istis suis discipulis apparuit, qualis post hanc vitam in regno suo cunctis suis fidelibus apparebit. Sed quare saluator noster in illam suæ claritatis speciem transfigurare se voluit, nisi vt illius gloriæ, quam

Mal. 2. prædicabat, nos redderet certiores? Vnde & tres suos discipulos, qui Ecclesiæ columnæ alibi vocantur, adesse voluit, qui huius tantæ visionis te-

Deut. 19. stes existerent. Sufficiũt enim isti tres ad hoc

Matt. 18. testificandum: quia (sicut scriptũ est) in ore duorum vel trium stabit omne verbum. Quis enim non credat, quod Petrus & Iacobus & Ioannes testantur? Rectè autem in excelso monte ista fiebant, quæ postmodùm in cælis fieri debebant.

2Pet. 1. Fiunt verò post dies sex, quia (vt Apostolus ait) huius vitę labore finito, qui in sex diebus agitur, relinquitur sabbatismus, & requies populo Dei. Multùm igitur desiderare debemus, vt hi sex dies transeant, quatenùs regem nostrum in suo

1. Ioan. 3. decore, suæq; maiestatis gloria videamus. Scimus enim (ait Ioannes) quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. *Et resplenduit facies eius sicut sol: uestimenta aũt eius facta sunt alba ut nix.* Nihil Euangelista sole splendidius, nihil niue candidius inuenire poterat, cui Christi faciem & vestimenta assimilaret: nos tamen splendidiorem eum esse non dubitamus.

Non enim creatura creatori ad plenũ similis esse

Lex & prophetæ Christum prædicant Habac. 3. potest. *Et ecce apparuit Moyses, & Elias cum eo loquentes.* Sed quare Moyses & Elias? In Moyse nanq; legem, in Elia prophetas videmus. Vident igitur Apostoli Moysen & Eliam cum Christo loquentes, vident legem & prophetas ei testimoniũ dãtes. Vnde & Abacuc propheta ait: In medio duorum animalium cognosceris. In medio nanque vsque hodiè duorum animaliũ, in medio Moysi & Eliæ, id est, in lege & prophetis Christus cognoscitur & videtur. Lege libros Moysi, lege prophetarum libros: ibi Christum inuenies, ibi eum cognosces & videbis: ibi enim trãsfiguratur, ibi

Luc. 9. suis fidelibus eius manifestatis gloria reuelatur. Loquebantur autem isti duo viri, vt Lucas ait, simul cum Iesu de morte eius, quam in proximo passurus erat in Hierusalem. Et fortasse lati, quia videbant suæ redemptionis, totiusque humani generis diem appropinquare. *Respondens autem Petrus, dixit ad Iesum: Domine bonum est nos hic esse, si uis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum.* Cognouit igitur Petrus & Moysen & Eliam, quos nunquam ampliùs viderat: quanuis (vt alij Euangelistæ dicunt) quid dice- *Mar. 9.* ret, ignoraret. Ignorabat quidem, quia non à *Luc. 9.* seipso loquebatur: alius enim erat, qui loquebatur in eo. Plura tabernacula facere non est necesse, tria sufficiunt. De tribus enim tabernaculis Apostolus scribens ait Hebræor. 9. Tabernaculum factum est primum, in quo erat candelabrum, & mensa, & propositio panum, quod dicitur sancta. De secundo verò sic ait: Post velamẽtum autem secundum tabernaculum, quod dicitur sancta sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam testamenti, circunte ctam ex omni parte auro, in qua vrna aurea, habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ testamenti. De tertio verò, sic: Christus (inquit) assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non huius creationis, neq; per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Primum igitur tabernaculũ est 3. *Tabernacula* Synagoga, secundum Ecclesia, tertium cælum. & primum quidẽ fuit Moysi, qui illius populi prin- *mysticè.* ceps fuit: secundum autem est Eliæ, de quo Dominus ait: Elias quidem venturus est, & restituet *Matth. 17* omnia: tertium verò Christi, de quo Apostolus ait: Non enim in manufacta sancta introiuit Ie- *Hebr. 9.* sus, sed in ipsum cælum, vt appareat vultui Dei pro nobis. Primum in vmbra fuit & figura, secundum in figura est & veritate, tertium in veritate sola. In primo ostenditur vita, in secundo datur, in tertio possidetur. Non enim sacramen- *Sacramenta Ecclesiæ, sicut sacramenta Synagogæ, medicinam docent & ostendunt, sed ipsa potiùs sunt medicina & remissio peccatorum. Et primum quidem tabernaculum habuit candelabrum, patriarchas videlicet & prophetas: habuit & me- sam, legem scilicet iuxta literam, in qua mensa- rant panes, id est, cibi spirituales, qui in illa co- tinebantur. Sed quid illud candelabrũ, mẽsa- & panes habuisse profuit? Apostolus enim di- Cæcitas ex parte contigit in Israël. & prophe- Quis cæcus, nisi populus meus? Itẽq;: Excęca- populi huius. Et Psalmista: Fiat, inquit, mẽsa e- rũ corã ipsis in laqueũ, & in retributionem, & in scandalum: paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Sicut igitur Iudæi habentes nõ habuerũt, & legẽ tenentes, nesciuerunt. Secun- dũ aũt tabernaculũ thuribulũ aureum habuit: ipsos videlicet Apostolos, qui odorẽ notitiæ Dei manifestantes in omni loco, alijs erant odor vitæ ad vitã, alijs odor mortis ad mortẽ: & arcam. Arca verò & Ecclesia idem significant: quæ benè auro circumtecta dicitur, quia & interiùs per scientiã & sanctitatem, & exteriùs per prædicationẽ & operationem refulget. In hac autem est vrna aurea, habens manna: Christus videlicet Dominus noster, vt per vnam humanitatem, & per manna diuinitatem intelligamus.*

Thre. 4.
Hier. 2.
2. Cor. 2.

In

Universidad de Deusto
Biblioteca

In hac est virga Aaron quæ fronduerat, per quã beatam Mariam virginem intelligimus, quæ cõ-
Num. 17. tra naturam florui, contra naturam concepit & peperit: sicut & illa virga cùm esset sicca, contra naturam & flores & frondes & nuces germinauit. Tabulæ verò testamenti, quæ ibi erant, vtriusque testamenti scientiam, sanctam Ecclesiam & habere & possidere significabãt. De tertio verò tabernaculo nihil tale dicitur: non candelabrum, non mensa, non arca vel vrna ibi ponitur: nihil ibi est in figura, omnia in veritate.
1. Cor. 13. Vnde Apostolus ait: Videmus nunc per speculũ in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem sicut & cognitus sum. Hæc sunt igitur tria tabernacula, quæ beatus Petrus in ecstasi positus, facere voluisse narratur. Sequitur: *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos, & ecce uox de nube, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipsum audite.* In nube enim Deus apparuit, quia in sua maiestate ab hominibus videri non potest, sicut ipse
Exod. 33. ait: Non me videbit homo, & viuet. Possumus au-
Nubes lucida, scriptura sacra. tem per hanc nubem, diuinam scripturam significare, quæ aqua sapientiæ plena, intelligentibus lucida, non intelligentibus obscura apparet. In hac autem nube omnipotens Deus audiri quidem potest, videri autem & intelligi, sicuti est, omnino non potest. Vbique enim loquentem audimus, nusquam autem, nisi per speculum & in ænigmate, eum videmus. Ipse enim in prophetis, ipse in Apostolis loquitur. Vnde ipse Domi-
Matth. 10 nus ait: Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Nubem igitur videre possumus, ipsum autem qui in nube loquitur, videre non possumus. Nam & modò in hac nube sacri Euangelij eum loquentem audiuimus, eum tamen non videmus. Cuius enim nisi illius vox est, hoc quod iste literæ nant, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè com-*
cuit Benè enim in filio suo sibi complacuit, qui minis creatione sibi displicuit. Vnde & ipse
: Pœnitet me fecisse hominem. Hunc autem
idire, huic & credere & obedire nos admonet.
ui enim, nisi sapientiæ, iustitiæ, & veritati crere debemus? Ipse enim est Dei virtus & Dei sapientia: ipse est via, veritas & vita. *Et audientes discipuli, ceciderunt in factem suam, & timuerunt ualdè.* Quid enim si speciem eius vidissent, qui eius vocem ferre non potuerunt? *Et accessit Iesus, & tetigit eos, dixitq; eis: Surgite & nolite timere.* Beati illi, quos tangit Iesus: beati illi quos salus tangit & vita. Illi enim surgunt, illi sine timore, & securi fiunt. Rogemus igitur eum, vt & nos tangat, & à somno stuporis & insipientiæ excitet, atq; ad se videndũ oculos nobis aperiat. *Leuantes autem oculos suos, neminem uiderunt, nisi solum Iesum.* Sufficit enim videre Iesum, sufficit videre illam lucem, quam qui se-
Ioan. 8. quitur, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. *Et descendentibus illis de monte, præcepit Iesus, dicens: Nemini dixeritis uisionem, donec filius hominis à mortuis resurgat.* Conueniens enim erat, vt hæc tanta eius gloria tunc primũ prædicaretur, quando carnis mortalitate exutus, nouæ resurrectionis gloria & decore indueretur.

DOMINICA SECVNDA QVADRAGESIMAE, SERMO beati Leonis Papæ.

Est Sermo 3. de Quadragesima.

SEmper quidem nos dilectissimi sapienter & iustè viuere decet, & in id voluntates nostras actionesque dirigere, quod diuinæ nouimus placere iustitiæ. Sed cùm hi appropinquant dies, quos illustriores nobis salutis nostræ sacramenta fecerunt, diligentiori solicitudine corda mundanda sunt, & studiosiùs exercenda est disciplina virtutum: vt sicut ipsa mysteria quadam sui parte maiora sunt, ita & nostra obseruantia superet in aliquo consuetudinem suã: & cui festiuitas est celebranda sublimior, ipse quoque in ea reperiatur ornatior. Si enim rationabile & quodammodò religiosum videtur, per diem festum in vestitu nitidiore prodire, & habitu corporali hilaritatem mentis ostendere, si ipsam quoque orationis domum propensiori tunc cura & ampliori cultu quantùm possumus adornamus: nonne dignum est vt anima Chri- *Anima ad ornanda.*
stiana, quæ verum viuumque Dei templum est, speciem suam prudenter exornet, & redemptionis suæ celebratura sacramentum, omni circumspectione præcaueat, ne vlla eam macula iniquitatis obfuscet, aut duplicis cordis ruga dedecoret? Nam quid prodest honestatis formam præferens cultus exterior, si interiora hominis, aliquorum sordeant contaminatione vitiorũ? Omnia igitur, quæ animi puritatem & speculum mẽtis obnubulant, abstergenda sedulò, & quadam elimatione radenda sunt. Scrutetur quis- *Scrutanda conscientia Ioan. 4.*
que conscientiam suam, seque ante se statuat proprij censura iudicij. Videat si in secreto cordis sui illam, quam Christus dat, inuenit pacem, si desiderium spiritus nulla concupiscentia carnis impugnat, si humilia non spernit, si alta non appetit, si iniquo non delectatur lucro, si immoderato rerum suarum non gaudet augmento, si denique aliena felicitate non vritur, aut inimici miseria non lætatur: & cùm harum perturbationum nihil in se fortè reperit, syncero disquirat examine, qualium cogitationum specie frequentetur, & vtrùm nullis vanitatum imaginibus acquiescat, vel quàm citò animum ab his, quæ noxiè blandiuntur, abducat. Nam nullis illecebris commoueri, nullis cupiditatibus titillari, non est istius vitæ, quæ tota tentatio est, & qua nimiùm vincitur, qui vinci ab eadem non veretur. Superbum est

est enim de non peccandi facilitate præsumere,
1. Ioan. 2. cùm hoc ipsum præsumpsisse, peccasse sit, dicente beato Ioanne Apostolo: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Nemo ergo se fallat, dilectissimi, nemo decipiat: neque ita quisquam de cordis sui puritate confidat, vt putet se nullis tentationum periculis subiacere, cùm peruigil ille tentator, eos acrioribus pulset insidijs, quos maximè viderit abstinere à peccatis. Nam à quo
Matth. 4. dolos suos contineat, qui ipsum quoque Dominum maiestatis ausus est calliditatis suæ fraude tentare? Viderat superbiam suam baptizati Domini Iesu humilitate calcatam, intellexerat quadraginta dierum ieiunio omnem concupiscentiam carnis exclusam, & tamen non desperauit de artibus suæ malitiæ spiritalis improbitas, tantũq; sibi de naturæ nostræ mutabilitate promisit, vt quem verum experiebatur hominẽ, præsumeret posse fieri peccatorem. Si ergo ab ipso Domino saluatore nostro deceptionum suarum diabolus non reuocauit insidias, quanto magis fragilitatem nostram impugnare præsumit, quos exinde vehementiori odio, & inuidia sæuiore persequetur, ex quo ei in baptismo renunciauimus, & ab illa, cui dominabatur, origine in nouam creaturam diuina regeneratione transiuimus? Vnde quia dum mortali carne circunda- *Tentatio quando cessat.*
mur, non desinit nobis antiquus hostis laqueos peccati vbiq; prætendere, & tunc maximè aduersum Christi membra sæuire, quando ab eis sacratiora sunt celebranda mysteria: meritò doctrina spiritussancti hac eruditione imbuit populum Christianum, vt ad paschale festum se per quadraginta dierum continentiam præpararet: cuius purificationis ratio iam nos inuitat ad obseruantiam suæ salubritatis, & diligentiam nobis propositæ castigationis indicit. Quanto enim sanctiùs quisq; hos dies inuenietur egisse, tanto probabitur pascha Domini religiosiùs honorasse. In diebus igitur sanctorum ieiuniorum, pietatis opera, quibus semper studendum est, abundantiùs exequamur, misericordes simus ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei, vt in ipsis quoque eleemosynarum distributionibus bonitatem patris cælestis imitemur, qui solẽ
Matth. 5. suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Quanuis ergo fidelium sit præcipuè adiuuanda paupertas, etiam illi tamẽ, qui nondum Euangelium receperunt, in suo labore miserandi sunt, quia in omnibus hominibus naturæ est diligenda communio, quæ nos etiam his benignos debet efficere, quibus quacunq; sunt conditione subiecti, maximè si eadem gratia iam renati, & eodem sanguinis Christi precio sunt redempti. Simul enim cum istis habemus, quòd ad imaginẽ Dei conditi sumus, nec carnali origine à nobis, nec spiritali natiuitate diuisi sunt. Eodem spiritu sanctificamur, eadẽ fide viuimus, ad eadẽ sacramenta cõcurrimus. Non spernatur hæc vnitas, nec vilis sit nobis tanta communio, sed hoc ipsum nos per omnia faciat mitiores, quod eorum vtimur subiectione, cum quibus vni Deo eadem subijcimur seruitute. Si qui ergo horũ grauioribus dominos suos offendere delictis, indulgentiam nunc in diebus reconciliationis accipiãt: auferat miseratio seueritatem, & venia deleat vltionem. Nullum custodia teneat, nullum carcer includat: quoniã Deus noster misericordiam suam hac conditione promisit, vt is remittenda sibi nosset peccata propria, qui remisisset aliena. Dissensionum materiæ dilectissimi, & inimicitiarum aculei cõterantur. Cessent odia, deficiant simultates, in vnitatem dilectionis omnia Christi membra conueniant. Beati enim pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Nec solùm filij, sed etiam hæredes, co- *Matth. 5.*
hæredes autem Christi Domini nostri, qui viuit *Rom. 8.*
& regnat in secula seculorum, Amen.

DOMINICA II. QVADRAGESIMAE, IN EPISTOlam Concio exegetica.

PErgit Ecclesia hortari filios suos, vt hoc sacro tempore à vitijs abstineant, & magis ac magis studeant proficere in vera pietate. Cùm enim totũ hoc Quadragesimæ tẽpus destinatũ sit agẽdæ pœnitentiæ & virtutibus acquirẽdis, magnoperè curandũ est, ne scelera sceleribus cumulemus, & labores nostri sine fructu abeãt, cũ vtiq; parũ prosit plãgere vitæ superioris errata, si non desinas noua indies adijcere. Lectio Apostolica nobis recitatur ex prioris ad Thessalon. cap. 4. Ea sic habet: *De cætero fratres, rogamus uos & obsecramus in Domino Iesu, ut quẽadmodum accepistis à nobis, quomodò oporteat uos ambulare, & placere Deo, sic et ambuletis, ut abundetis magis.* Vide Apostoli modestiã nõ imperat, sed obsecrat, quia morigeris loquebatur. Apud duros & refractarios opus est multa obiurgatione & seueritate: apud morigeros satis est admonuisse: sed Apostolus etiã orat & obsecrat. At idem ipse Timotheo discipulo suo scri- *2. Tim. 4.*
bẽs, Prædica, inquit, verbũ: iusta oportunè, importunè: argue, obsecra, increpa, in omni patientia. Ne quis aũt putet sufficere solã fidẽ ad salutem, Apostolus orat Thessalonicẽses, vt sic ambulent, quẽadmodùm ab ipso didicerint, & abũdent magis. Quemadmodũ enim telluré, ait Chrysostomus, oportet nõ accepta dũtaxat semina referre ac credere: ita & animam oportet nõ in acceptis tantũ præceptis cõsistere, sed etiã trãscẽdere. Occumenius vult hoc dicere Apostolũ, vt plus aliquid quã quæ audierint faciãt: & perinde ac pueris imperfecta se præcepisse: in fide autem soli-
dati, proficiant etiam conuersatione. Pulcherrimè hac de re scribit Diuus Bernardus Epistola

Universidad de Deusto
Biblioteca

254. ad Garinum Abbatem Alpensem: Currentem Christum, inquit, non apprehendit, qui & ipse pariter non currit. Et quid prodest Christũ sequi, si non contingat consequi? Ideò Paulus adiebat: Sic currite, vt comprehendatis. Ibi tu Christiane fige tui cursus profectusque metam, vbi Christus posuit suam. Factus est, inquit, obediẽs vsque ad mortem. Quantumlibet ergo cucurreris, si vsque ad mortem non peruueneris, brauium non apprehendis. Brauium Christus est. Quòd si illo currente tu gradum sistis, non Christo appropias, sed te magis elongas, timendumq; tibi est, quod ait Dauid: Ecce qui elongant se à te Domine, peribunt. Itaque si proficere currere est, vbi proficere, ibi & currere desinis: vbi verò non currere, ibi & deficere incipis. Hinc planè colligitur, quia nolle proficere, non nisi deficere est. Vidit scalam Iacob, & in scala angelos: vbi nullus residens, nullus subsistens apparuit, sed vel ascendere, vel descendere videbantur vniuersi: quatenùs palàm daretur intelligi, inter profectum & defectum in hoc statu mortalis vitæ nihil medium inueniri: sed quomodò ipsum corpus nostrum continuè aut crescere cõstat aut decrescere, sic necesse sit & spiritum aut proficere semper aut dficere. Hæc Bernardus. *Scitis enim, quæ præcepta dederim uobis per Dominum Iesum.* Addit, Per Dominum Iesum, ne putent contemnenda. Vnde & Dominus dicit de Apostolis & eorum successoribus: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. *Hæc est enim uoluntas Dei, sanctificatio uestra, ut abstineatis uos à fornicatione.* Sanctificatio vestra, id est, castitas vestra. Sic enim ex Chrysostomo Oecumenius exponit, additque: In qualibet Epistola castitatis maximè sermonem in longum protrahit Apostolus. Et Chrysostomus, Quemadmodùm porcus, ait, in cœno volutatus, quocunq; ingressus fuerit, omnia fœtore replet, ac sensus graueolenti stercore imbuit: ita & scortatio malum est, quod difficile abluatur. Eodem loco Chrysostomus hortatur parentes, vt filios suos vbi adoleuerint, iungãt matrimonio. Sed ne quis putet eum voluisse libidini laxare habenas, non multò pòst sermone ad iuuenes conuerso, Admonui quidem, inquit, patres vestros, quòd oporteat vos statim ad nuptias adigere, attamen neque vos à supplicio immunes euadetis. Nisi enim & alij iuuenes vobis plures fuissent in castitate & temperantia viuentes, & olim & nunc, meritò quandam haberetis excusationem. Si verò sunt, vnde poteritis dicere, concupiscentiæ flammam vos cohibere non potuisse? Nam illi vos arguunt, qui potuere, cùm eiusdẽ vobiscùm sint naturæ. Audite quid Paulus dicat: Pacem sectemini & sanctificationem, sine qua nemo Dominum videbit. An istæ minæ vos absterrere non poterunt? Vides alios semper castos ac temperantes, atque in pudicitia degentes, & tu ne vsque ad iuuentutis quidẽ tempora te cohibes. Vides alios sæpenumerò voluptatem viciſſe, & tu ne semel quidem illam sustines. Si vultis, causam ego dicam. non enim in causa iuuentus est: alioquin futurum esset, vt omnes in vniuersum adolescẽtes lasciui essent. Sed ipsi nosipsos in flammam & incendium impellimus. Quando enim ascendis in theatrum ac sedes, nudis mulierum membris oculos inescans, ad tempus quidem oblectaris, nouissimè verò magnam inde febrem tibi contrahis. Et infrà: Si gentes sæpenumerò, quæ Deum ignorant, castæ sunt ac tẽperantes, erubescamus si quãdo peiores illis sumus. Facile est assequi castitatem, si voluerimus: & omninò nihil est volentibus difficilè, nihil nolentibus nobis facilè. Sunt enim omnia nostri arbitrij. Quapropter & scriptura dicit: Si volueritis & audieritis me. Et iterum: Si verò nolueritis, nec me audieritis. Itaque totum in eo situm est, an vel velimus, vel nõ velimus. Propterea & punimur & laudamur. Hæc Chrysostomus homilia 5. in priorem ad Thessalonicenses Epistolam. *Vt sciat unusquisq; uestrum uas suum possidere in sanctificatione & honore, nõ in passione desiderij, sicut & gentes, quæ ignorant Deum.* Vult Apostolus, vt vnusquisque possessor & dominus sit sui corporis. Quod non exigeret, si à nobis præstari non posset. Nos ratione & libero arbitrio præditi sumus, nec debemus instar pecudũ duci sensuum appetitionibus, sed sub iugum eas mittere, vt pariant rationis imperio. Turpe est, subdi carnis voluptatibus: eas autem respuere, edomare, profligare, honorificum est, & tales etiam barbaris hominibus sunt admirationi. Qui verò libidinis mancipia sunt, & proni feruntur in libidinem, brutis sunt deteriores, præsertim si se non corrigant, sed vt iumenta computrescant in stercore suo. Hoc quidem plerunque faciunt gentes, quæ ignorant Deum, & propterea neque spe futuræ beatitudinis, neq; timore æterni supplicij retrahuntur à peccatis. *Et ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum.* Benè dixit, ait Chrysostomus, Ne supergrediatur. Vnicuique Deus suam dedit vxorem: terminos posuit naturæ, commixtionem illam cum vna. Itaque quæ cum altera fit, transgressio est, latrocinium & fraus: immò quouis latrocinio peior ac grauior. Non enim ità dolemus propter ablatas pecunias, atque propter violatum & corruptum coniugium. Fratrem vocas, & defraudas, idque vbi minimè oportet? De adulterio hîc dicit: suprà verò etiam de quauis scortatiõe. Cùm enim dicturus esset, non supergrediendum neq; defraudandum esse fratrem, Ne putes me, inquit, de fratre duntaxat ista loqui: sed neque aliorum vxores, neque innuptas, neque eas quæ communes sunt, habere oportet: ab omni scortatione abstinendum est. Ita Chrysostomus. Et principaliter quidem videtur Apostolus de vitando adulterio loqui, & ne quis alium vi opprimat: potest tamen etiam ad alia referri, ne facias alteri, quod tibi nolis fieri: atque negotij nomine

Luc. 9.
Philip. 2.
Psal. 72.
Gen. 28.
Luc. 10.
Iuuenes studere debent continentiæ.
Hebr. 12.
Esai. 1.
Ibidem.
Adulterij immanitas.

ne intelligi licet venditionem, emptionem, mutuum, locationem, & id genus alia, quæ ad hominum commercia pertinent, in quibus plerunque miræ fiũt fraudes & impostura in proximorum perniciem: quæ vt solicitiùs caueantur, addit Apostolus: *Quoniam uindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus uobis, & testificati sumus.* Vnde enim pestes, vnde bella, vnde annonæ summa caritas, vnde innumera alia horrenda flagella, nisi propter peccata nostra? Neque enim impunè hęc facimus, ait Chrysostomus, neque tantum voluptatis nunc capimus, quantum expectamus ac sustinebimus supplicij. Hæc ille. Attamen videmus plerunq; homines impios rebus prosperis frui, diù viuere, florere in hoc mundo: & quia non profertur citò contra malos sententia, vt inquit Salomon, absq; timore vllo filij hominum perpetrãt mala. Hieremiam prophetam res ista mouisse videtur, dum ait ad Dominum: Iustus quidem tu es Domine, si disputem tecum: veruntamẽ iusta loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur? benè est omnibus qui prœuaricantur & iniquè agunt. Plantasti eos, & radices miserunt: proficiunt & faciunt fructum: propè es tu ori eorum, & longè à renibus eorum. Verũ hoc ipsum est genus grauissimi supplicij, cùm non vlciscitur Deus hominum scelera, sed dimittit eos secundùm desideria cordis eorum, vt posteà in punctο ad inferna descendant, & ibi luãt pœnas sempiternas. Quàm autem multis modis hodiè alij alios circunueniant in negocijs & commercijs, dici vix queat. In illis planè mortua est fides. Non enim cogitant Deum esse horum vindicem & vltorem, non pensant immanitatem tormentorũ, quæ ferre oportebit apud inferos. Quid facitis miseri? Vt diuites efficiamini, nullũ genus fraudis prætermittitis, quo fratrẽ circũueniatis. Cur non vobis in mentẽ venit, Deum horum esse vindicem? Non sine causa hoc dixit Apostolus. nam si accuratè cogitaretur diuina vltio, diuina seueritudo, diuina animaduersio, cessaretis vtiq; ab hac amentia. Quid enim stultius, quid amẽtius, quã pro vili lucello teipsum reddere obnoxium vltioni sempiternæ? Verùm hæc plerunq; surdis auribus accipiuntur: sed quid futurum est, vbi ventum erit ad illum gehennæ carcerem, vbi omnia ad nouissimum vsq; quadrantem exigentur? Væ cæcitati & amentiæ nostræ, quos nullæ minæ, nulli terrores reuocant ad sanitatem. Sequitur: *Non enim uocauit nos Deus in immũditiam, sed in sanctificationem.* Lex Euangelica, totius puritatis & sanctimoniæ lex est. Nõ debẽt Christiani studere carnis voluptati, quia alienum est à Christiana professione. In sanctificationem vocati sumus, adeò vt Apostolus velit omnes homines esse sicut seipsum, hoc est, continentes, & ipsius quoq; matrimonij, si fieri possit, expertes: non quòd matrimonium malum sit, sed quòd qui habet vxorem, solicitus sit, quæ sunt mundi, quomodò placeat vxori, & diuisus sit: qui autem sine vxore est, solicitus sit quæ Domini sunt, quomodò placeat Deo. Atque eam ob rem eodem loco hoc quoq; dicit: Tempus breue est: reliquum est, vt & qui habent vxores, tanquam non habentes sint. Sed quia vnusquisq; propriũ habet donum ex Deo, qui ducit vxorem, non peccat: verùm si id fiat libidinis causa, vt verendum est à multis fieri, non est sanè laudandum, cùm id non sit congruum illi sanctificationi, ad quam vocati sumus à Deo. Porrò verò cùm etiã illi ducunt vxores, qui Deo perpetuam vouerũt continentiam, illi iam planè damnationem habent, quia primam fidem irritam fecerunt, & erit illorum longè grauissima damnatio, quia nõ modò non studuere castitati & sanctificationi, quam professi sunt, sed etiam cum totius Christiani orbis scandalo contra fidem Deo datam, incestæ libidinis se mancipia reddiderunt. Tales multos vidit nostra ætas, qui seipsos desperantes, tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis. Vos autem non ita didicistis Christum, ait Apostolus ad Ephesios eodẽ loco, si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis (sicut est veritas in Iesu) deponere vos secũdùm pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris. Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundùm Deũ creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis. Hoc ferè idem est, quod in præsenti lectione dicitur, Non vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. Sic etiam in cantico Zachariæ legimus: Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Hîc iam necesse est multa occurrere certamina, multas offerri difficultates. Caro petulans appetet voluptates, mundus fomenta suggeret, diabolus prauas cogitationes & tela ignea cumulatim in hominis pectus conijciet. Num propterea cedẽdum est? Minimè. Nõ coronabitur, ait Apostolus, nisi qui legitimè certauerit. Militia est vita hominis super terram: post militiam, post pugnas, post labores perueniet ad requiem, & accipiet, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui est cum Patre & Spiritu sancto omnis honor & gloria in secula seculorum, AMEN.

Psal. 80. sub 21.
Euan Dica.
1. Cor. 7.
Luc. 1.
1. Tim. 5.
Eph. 4.
Tit. 1. sub 7.
1. Cor. 2.

EADEM DOMINICA.
Matth. XV.

In illo tempore, Egressus Iesus, secessit in partes Tyri & Sidonis. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN lectione sancti Euangelij, quæ modò nobis lecta est, fratres charissimi, audiuimus magnã mulieris fidẽ, patientiam, constantiam & humilitatẽ. Cuius eo magis est admiranda mentis deuotio, quò ipsa quidem vtpote gentilis, à diuinorum eloquiorum funditùs erat segregata doctrinis, nec tamen illis, quas eadem eloquia prædicant, est priuata virtutibus. Habebat nanq; magnã fidei perfectionẽ, quæ pietatem saluatoris implorans, ait: *Miserere mei Domine, fili Dauid.* Cùm enim eundem Dominum filium Dauid appellat, patet profectò, quia verum hunc hominẽ, verũ credit & Deum. Cùm pro filia rogans, non illam secum adducit, nõ Dominum ad eam venire precatur, constat apertissimè, quòd eum verbo salutem posse dare cõfidit, cuius præsentiã corporis nullã requirit. Sed & in hoc cẽ eũ post multas lachrymas tandẽ prostrata adorat, dicens: *Domine, adiuua me,* nequaquam se de eius diuina maiestate ambiguam docet, cuius adorandã vt Dei didicit esse potentiam. Habet patientiæ virtutem nõ exiguam, quæ Domino ad primam petitionem eius non respondente verbum, nequaquã à precibus cessat, sed ampliori instantia auxiliũ quod cœperat pietatis eius implorat. Respondere autem differt ei Dominus, nõ quia misericors medicus miserorum preces despicit, de quo veracissimè scriptum est: Desiderium pauperũ exaudiuit Dominus: sed vt perseverantiam mulieris nobis semper imitabilẽ demõstret: quæ quò magis contẽpta videbatur à Domino, eò ardentiùs cœptis præstabat in precibus. Respõdere differt, vt discipulorũ quoq; suorũ misericordes animos (qui quasi homines ad clamorẽ mulieris, publicè eos prosequentis, erubescebant) ad postulandum simul cum ea prouocaret. Nam ipse tementum misericordiæ suæ nouerat, qui omnia in mẽsura & numero & põdere disponit. Respõdere distulit, ne daretur occasio Iudæis calumniandi, quòd gentiles eis in docẽdo vel sanando prætulerit, ideò ipsi fidẽ eius susciperе iustè recusauerint. *Et hoc est quod ait: Non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.* Quia per se ipse solus docebat Iudæos, qui per suos discipulos etiam gentiles ad fidei gratiam vocauit. De quibus dicit alibi: Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocẽ meam audient: & fiet vnum ouile, & vnus pastor. Hinc est, quòd vnam per se in corpore gentilem sanaturus puellam, non hoc antè, quàm probata omnibus incomparabili matris fide perficit. Habet autem eadem mater etiam constantiæ & humilitatis insigne præcipuum, quæ canibus comparata à Domino, nec sic quidem ab instantia precandi desistit, vel à sperãdo pietatis munere mẽtem reuocat: sed susceptam libenter amplexata contumeliam, non solùm canibus se similẽ non negat, sed & catellis seipsam æquiparandam adiungit, prudentique argumento Domini sententiam confirmat, nec à suæ tamen petitionis improbitate quieuit. Confirmat nanque sententiã Domini, cui dicenti, *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. respondit, Etiam Domine.* id est, Veraciter vt asseris, ita est: quia non est bonum sumere salutem plebi Israël cælitùs destinatam, & dare eam gẽtibus. Sed cùm addit, *Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum:* prudentissimè demonstrat, quantam humilitatem, qualem intus gerat pectoris constantiam, quæ indigna quidem sit integris dominicæ doctrinæ, qua Iudæi vtebantur, epulis refici, sed quantulacunque ei à Domino foret impertita gratia, hanc sibi ad salutem sufficere posse putauerit. Vnde rectè à pio Saluatore, qui preces illius non superba dedignatione, sed dispensatione prouida ad tempus distulit, audire meruit: *O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis.* Magnam quippe satis habebat fidem, quæ nec prophetarum antiqua, nec recentia ipsius Domini miracula, præcepta vel promissa cognoscens, insuper à Domino toties contempta, perseverat in precibus, & quem fama tantùm vulgante didicerat saluatorem, rogando pulsare non omittit. Propter quod & magnum suæ postulationis consequitur effectum, cùm Domino dicente, *fiat tibi sicut vis, sanata est filia eius ex illa hora.* Meritò autem hæc mulier, natura quidem gentilis, sed corde constans & credula, congregatæ de gentibus Ecclesiæ fidem deuotionemque significat, quam expulsi de Iudæa prædicatores sancti, verbo simul & mysterijs gratiæ cælestis imbuerunt. Relegamus nanque superiorem sancti Euangelij lectionem, & inueniemus, quia venientes ab Hierosolymis scribæ & pharisæi, grauissimis Dominũ & discipulos eius perfidiæ suæ pulsauere tumultibus, quos ipse mox digna inuectione coercitos reliquit: *& egressus inde, secessit in partes Tyri & Sidonis.* Vbi manifestè præfiguratur, quòd post passionem resurrectionemque suam Dominus in prædicatoribus suis, Iudæorum perfida corda relicturus, & in partes gentiũ exterarum esset secessurus. Tyrus quippe & Sidon, quæ ciuitates fuere gentilium, munimenta doctrinæ ac vitæ gentilis, in quibus stulti confidunt, indicant. Vnde benè mulier, quæ Dominũ credula precatur, à finibus illis egressa perhibetur: quia nisi priscæ cõuersationis habitacula vana reliquisset, ad Christi Ecclesiam nunquam veniret: nisi tota antiqui dogmata anathematizasset erroris, nequaquam nouam fidei suscipere gratiam posset. Filia dæmoniosa, pro qua postulat, anima quælibet est in Ecclesia, malignorum spirituum magis deceptionibus, quàm cõditoris sui mancipata præceptis: pro qua necesse est mater Ecclesia Dominum solicitè interpellet, vt quã ipsa foris monẽdo, obsecrando, increpãdo corrigere non valet, ille interiùs aspirando corrigat,

Mulieris Chananææfides.

Patientia.

Psalm. 9.

Sap. 11.

Ioan. 10.

Constantia & humilitas.

Mulier Chananæa, typus Ecclesiæ.

Matt. 15.

Filia demoniosa, anima quælibet.

rigat, atque ab errorum tenebris conuersam ad agnitionem veræ lucis excitet. Verùm etiamsi ad primas rogãtis Ecclesiæ lachrymas Dominus respondere, id est, postulatam errantibus sospitatem mentis dare distulerit, nec sic quidẽ à petendo, quærendo, pulsando desistendum est, neque impetrandi subeunda est desperatio: sed tãta potiùs perseuerandum instantia, tam obstinato frequentandus clamore saluator, tanta etiam sanctorũ eius inter litanias appetenda suffragia, donec & ipsi de cælis Domino pro audienda supplicent Ecclesia. Sicq; fit, vt si mentem ab intentione proposita non mutauerit, nequaquam fructu petitionis fraudetur: sed siue pro sua fragilitate quis, seu pro alijs interuenerit, desiderato potiatur effectu. Nam & si quis nostrum cõscientiam habet auaritiæ, elationis, vanæ gloriæ, indignationis, iracundiæ, vel inuidiæ, cæterorum ue vitiorum sorde pollutam, filiam profectò habet malè à dæmonio vexatam, pro cuius sanatione supplex ad Dominũ currat, quia nimirũ de corde cogitationem progenitã, diabolica tolerat arte dementatam, cuius emendationem à pio conditore crebris, imò continuis debeat flagitare lamentis & precibus. Si quis bona quæ gessit, fortè periurij, furti, blasphemiæ, detractionis, rixæ, vel etiam corporalis immunditiæ, cæterorũue huiusmodi peste fœdauit, filiam habet immũdi spiritus furijs agitatam: quia videlicet actionem, quam benè laborando ediderat, iam diaboli fraudibꝰ stultè seruiẽdo disperdidit: Ideoque necesse est, vt cùm reatum suũ cognouerit, mox ad preces lachrymasq; confugiat, sanctorũ crebris intercessionibus auxilia quærat, qui pro animæ eius salute rogantes, Domino dicãt: Precamur Domine miserator & misericors, patiẽs & multæ miserationis, dimitte eum, quia clamat post nos. Dimitte reatum, & dona gratiam, quia nostrum intimo affectu quærit pronus suffragium. Necesse est debita submissus humilitate, non iam se ouium Israëliticarum, id est, mundarum consortio dignum iudicet animarum, sed potiùs cani comparandum, & cælestibus indignum arbitretur esse muneribus. Nec tamen desperando à precandi quiescat instantia, sed indubitata mente de largitoris summi bonitate confidat: quia qui de latrone confessorem, de persecutore Apostolum, de publicano Euangelistam, de lapidibus potuit facere filios Abrahæ, ipse etiam canem impudentissimum conuertere Israëliticam possit in ouem, cui merito donatæ castitatis etiã vitæ æternæ pascua largiatur: id est, peccatorem conuersum à via sua mala iustum facere dignetur, quem merito bonæ actionis ad regnum cæleste perducat. Videnscque Dominus tantum fidei nostræ ardorem, tam pertinacem orandi perseuerantiam, tandem miserebitur, & nobis quoque sicut volumus fieri concedet: vt videlicet expulsis vitiosarum tumultibus cogitationum, dimissis peccatorũ nexibus, & pura nobis serenitas mentis, & perfectio boni redintegretur operis. Notandum interea, quòd hæc orandi pertinacia ita solùm meretur esse fructifera, si quod ore precamur, hoc etiam mente meditemur, neque aliò clamor labiorum, quàm cogitationum scindatur intuitus. Sunt enim, qui intrantes Ecclesiam, multis psalmodiam vel orationem sermonibus prolongant: sed alibi corde intendentes, nec ipsi quid dicant recolunt. Ore quidem orantes, sed mente foris vagantes, omni se orationis fructu priuant, putantes à Deo precem exaudiri, quam nec ipsi qui fundunt audiunt. Quod antiqui hostis instinctu fieri, nemo est qui animaduertere nequeat. Sciens enim vtilitatem orandi, & inuidens hominibus gratiam impetrandi, immittit hominibus multimoda cogitationum leuium, & aliquando etiam turpium nocentiumque phantasmata, quibus orationem impediat, adeò vt nonnunquam tales tantosque discurrentium cogitationum fluctus prostrati in oratione toleramus, quales nec in lecto resupini iacentes tolerare nouerimus. Vnde necesse est, fratres charissimi, vt agnitam diaboli curemus superare malitiam, & ipsi videlicet animũ ab huiusmodi nebulis, quas hostis aspergere gaudet, inquantùm possumus serenando, & pij defensoris perpetuum flagitando præsidium, qui potens est (quanuis indignis peccatoribus) & purè orandi, & perfectè impetrandi cõcedere gratiam. Multùm autem iuuat orationis puritas, si in omni loco vel tempore nos ab actibus temperemus illicitis, si semper ab ociosis sermocinationibus auditum pariter castigemus & linguã, si in lege Dei ambulare, & testimonia eius assuescamus toto corde scrutari. Quæcunq; enim sæpiùs agere, loqui vel audire solemus, eadem necesse est sæpiùs ad animum, quasi solitam propriamque recurrant ad sedem. Et sicut volutabra sues palustria, columbæ lympida solent frequentare fluenta, ita cogitationes impuræ mentem immundam perturbant, castam spirituales sanctificãt. Sanè si ad exemplum Chananææ mulieris, in orando perstemus, fixique maneamus, aderit gratia conditoris nostri, qui cuncta in nobis errata corrigat, immunda sanctificet, turbulenta serenet. Fidelis nanque & iustus est, vt remittat nobis peccata nostra, & mundet nos ab omni iniquitate, si ad illum sedula mentis voce clamemus: qui viuit & regnat cum patre in vnitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Suffragia sanctorum

Solitam interpellationes expetere.

EADEM DOMINICA.

Matth. XV.

In illo tempore, Egressus Iesus, secessit in partes Tyri & Sidonis. Et reliqua. Homilia diui Ioannis Chrysostomi, habita in Matthæũ locis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

MIratur Euangelista. Ecce mulier vetusta armatura diaboli, quæ hominem de paradiso expulit, mater peccati, initium iniquitatis, præuaricationis materia: ipsa illa mulier venit, ipsa natura. Noua res & admiranda: Iudæi fugiunt, & mulier sequitur: *Et ecce mulier à finibus illis egressa, rogabat eum, dicens: Miserere mei Domine fili Dauid.* O præclara confessio. Euangelista fit mulier, deitatem eius & dispensationem annuncians. Confitetur enim & dominationem & incarnationem eius. Miserere mei. Vide philosophicam mulieris animam, dicentis: Miserere mei. Non, inquit, habeo conscientiam bonorum operum, nec rectæ vitæ fiduciam. Ad misericordiam confugio, ad tranquillum portum peccantium. Ad misericordiã confugio, vbi cessat iudicium: ad misericordiam confugio, vbi ineffabilis salus est. Dic mihi mulier, quèadmodùm ausa es, cùm sis peccatrix & iniqua, accedere ad eum? Ego, inquit, noui quid agam. Vide prudentiam mulieris. Non rogat Iacobum, non obsecrat Ioannem, neque pergit ad Petrum, nec intendit Apostolorum chorum, nõ quæsiuit mediatorem: sed pro omnibus illis pœnitentiã accepit comitem, quæ aduocati locũ impleuit, & sic ad summum fontem perrexit. Propterèà (inquit) descendit, propterèà carnem assumpsit & homo factus est, vt & ego ei audeã loqui. Sursum in cælis Cherubim eum tremunt, & Seraphim metuunt, & deorsum meretrix loquitur cum eo, Miserere mei. Nudus quidem sermo, sed immensitatem salutis continens: Miserere mei. Propterèà (inquit) venisti, propterèà carnem assumpsisti, propterèà factus es quod ego sum. O admiranda res. Sursũ tremor, & deorsum fiducia. Miserere mei. Non opus habeo mediatore, Miserere mei. Quid habes opus? Misericordiam, inquit, quæro. Quid pateris? *Filia, inquit, mea malè à demonio uexatur.* Egressa est aduocatrix filiæ. Non affert infirmantem puellam, sed defert fidem deuotam, hæc intra semetipsam conferens & dicens: Deus est ad quem vado. Absentia videt, occulta inspicit, omnia nouit. *Miserere mei, filia mea malè à dæmonio uexatur.* Fletus pessimus stimulus naturæ, viscera mea dirũpit. Quid faciam misera? Vide prudentiam. Nõ dixit, miserere filiæ meæ: sed miserere mei. Illa enim insensibili passione tenetur, nescit quid habet, non sentit dolorem, velatum cor habet, nequissimo spiritu obducente. Miserere mei spectatricis diuturnorum malorum, quotidiè cruciatus meos video. Vbi vadam? quò pergam? In eremum ire non audeo, nec illam solam relinquere: in domo sedere non possum, quia intrinsecùs est inimicus: Fluctus in portu sunt, in tranquillitate tempestas est: & quo nomine eam vocem, inuenire non possum. Mortuam dicam? sed mouetur. Viuam appellem? sed nescit quid faciat. Inuenire non possum, quo eam appellem nomine. Miserere mei. Si mortua esset filia mea, non talia paterer. Tradidissem vtique corpus in sinum terræ, & tempore euoluto obliuionẽ malorum haberem, & dolor conquiesceret. Nunc autem mortuum habeo pertinax corpus, sine sensu viuum, spectaculum lamentabile: increscentia premunt eam vulnera, passionum multiplicata doloribus. Cerno enim oculos eius transuersos, aspectũ sanguineũ, manus intortas, crinẽ dissolutum, contortum collum, ora spumãtia, inimicum incendentem, & non apparentem: tortorem clausum, & flagella resonantia, neminem interrogantem, & illam cum clamore loquentem. Adsum sermocinatrix malorum meorum, præstò sum stimulante natura. Miserere mei. Pessima tempestas, passio & timor. Passio naturæ, timor dæmonis. Accedere nõ possum neq; cõtingere. Adigit me passio, explodit timor. Miserere mei. Considera mulieris philosophiã, inspice animã generosam. Non perrexit ad diuinos, non vocauit magos, non alligaturas quæsiuit, non impostrices mulieres adduxit, illas quæ solent dæmones prouocare, & incantationibus suis vulnus augere. Reliquit illa omnia, dimisit diaboli falsitates, omnia purgamenta contempsit, & venit ad salutarem animarum nostrarum portum. *Miserere mei Domine fili Dauid, filia mea malè à dæmonio uexatur.* Nostis passionem, quanticunque fuistis patres, quantæcunque matres vocatæ estis. Non possum interpretari tempestatem, quã fustinuit mulier illa. Miserere mei, filia mea malè à dæmonio vexatur. Vidisti instantiã mulieris, vidisti virilitatem, vidisti longanimitatem, vidisti fidem. *Qui non respondit ei sermonem.* O noua rerum materies. Rogat mulier, obsecrat, deprecatur, deflet casum suum, auget tragœdiã, enarrat passionem: & amator hominum non respondit. Sermo tacet, fons clausus est, medicus medicamenta retinuit. Quid tam nouum? quid tam admirabile? Alios prouocas ad sequendum, & hãc miserabilem insequentem abigis? Sed considera medici sapientiam, Qui non respondit ei verbum. Cur non respondit? quia fidem illius ampliùs prouocabat, & animum perseuerantia exercebat, & discipulorum miserationes exercitabat. *Dicunt quippe ad eum discipuli eius: Dimitte eam, quia clamat post nos.* Vos, inquit, deforis clamare auditis, ego autem intrinsecùs video. Grandis quidem vox ex ore procedit, sed maior est mentis. Dimitte eam, quia clamat post nos. Alius Euangelista dicit, ante nos. Diuersi quidem sermones, sed vna sententia est: nec est mendacium in vtrisque. Vtrunque enim faciebat mulier in causa doloris. Priùs post tergum clamabat, & cùm vidisset quia non respondit, antè cucurrit, quasi canis Domini vestigia lambens, Dimitte, inquiunt, eam. Theatrum nobis clamoribus excitabit, omne conuocabit vulgus. Et illi quidem quasi homines ad clamorem illius erubescebãt, sed Dominus temperamentum misericordiæ

suæ nouerat. *Dimitte eam, quia clamat post nos. Ipse autem respondens, ait: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël.* Et cùm hoc dixisset, peius eius hulcus effecit. Medicus enim erat secans, non vt diuidat, sed vt coniungat. Hic paululùm charissimi accommodate mentem vestram: thesaurum enim inuestigare volo absconditum. Non sum, inquit, missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël. O Domine, hoc est totum, ideò homo factus es, ideò carnem assumpsisti, gubernantias tantas operatus es, vt vnum saluares angulum, & hunc pereuntem? Orbis terrarum vniuersus desertus est, & Schytæ, Thraces, Indi, Mauri, Cilices, Cappadoces, Syri, Phœnices. Quantãcunq; sol respicit terram transisti, & propter Iudæos solos venisti, gentes autem in desolatione constitutas despicis? & illos quidem cotẽnentes patrem tuum, & idola adorantes, & incensa illis offerentes, insuper & filios suos dæmonibus cõsecrantes, hæc omnia dissimulas, & nos miseros expectantes te despicis? Et certè omnes prophetæ & ipse proauus tuus Dauid secundùm carnẽ dicit: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Et Esaias, qui te in sede maiestatis tuæ contemplatus est, dicit: Et erit radix Iesse, & qui exurget imperare gentibus, in ipsum gentes sperabũt. Et Iacob patriarcha dicit: Non deficiet princeps ex Iuda, neq; dux de femoribus eius, donec veniat cui repositum est, & ipse erit expectatio gentium. Malachias quoq; propheta dicit: Ab ortu solis vsq; ad occasum, glorificatur nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificia muda offeruntur Deo. Et ipse Dauid ita dicit: Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis: quia Deus excelsus terribilis, rex magnus super omnem terrã. Ascendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ. Et alter dicit: Lætamini gẽtes cũ populo eius. Et reliqui omnes aduentũ tuũ salutarem gentibus annunciarunt. Nam & ipse in aduentu tuo Magos ab oriẽte vocasti, & principia gentilitatis per illos cessare fecisti, & Euãgelistas eos ad sua remisisti. Et tu quidẽ Magos per stellã conuocasti, prophetæ autem gentibus annunciauerunt. Exurgens ab inferis, dicis discipulis tuis: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritussancti. Et nunc cùm venisset miseranda & infelix mulier, pro filiæ suæ infirmitate te obsecrãs, & casus suos deplorans, dicis: Nõ sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël? Nam & cũ accessisset centurio, rogans pro famulo suo, dicis: Ego veniam & curabo eum. Et latroni obsecranti respondes: Hodiè mecum eris in paradyso. & paralytico dicis, Surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam. & Lazaro quatriduano mortuo, & iam fœtenti dicis: Lazare, veni foras. Et qui leprosos mundas, mortuos suscitas, paralyticos stringis, cæcos illuminas, latrones saluas, meretricem castificas, huic miseræ nihil respondes? O noua res & admiranda. Considerate charissimi constantiam virilitatemque mulieris, & Domini benignam sapientiam pariter & clementiam, quomodò dilatio & excusatio eius diuitias contulit obsecranti: vt & tu si oraueris, & statim non acceperis quod rogasti, non desinas deprecando. Considera enim diligentiùs charissime legis diuinæ secretum. Quando Iudæi de Aegyptiorum damnatione & tyrannide sunt liberati, & effugiẽtes manus Pharaonis, ad eremum perrexerunt, intraturi terram Chananæorum, repletam idolorum cultibus, adorantem ligna & lapides, legem acceperunt, vt cùm fuissent ingressi, non acciperent filias eorũ in matrimonio, neq; connubia mutuò iungerẽt, neq; conuiuia sociarent, ne per societatem mutuã auerterent illos à mandatis Domini, & deprauarent mores eorũ. Nihil tibi, inquit, & Chananæis: sed esto in finibus tuis, & in gente tua negocia exerce & connubia iunge: quia linguã tuam habes, & legem quæ tibi per Moysen data est, quam sicut maceriam & sepem quandam inter vos & illos posui. Sicut enim vinea aut hortus maceria circundatur, sic Iudæis lex data est, vt transgredi non liceret. Prohibitum itaq; erat à lege, vt non miscerentur Chananæis, neq; vllã communionem haberent cum illis, ne amicitiæ causa, impietatis occasio fieret. Cùm ergo abominabiles Iudæis essent Chananæi, tanquam idolatræ & immundi, cum quibus nec fabulari fas erat: & quia ista mulier de finibus erat Chananæorum egressa, accessit autem ad Christum, & Christus Iudæis dicebat insidiantibus sibi, Quis ex vobis arguet me de peccato, eò quòd præuaricauerim legem? quoniam ergo homo erat, & omnia quæ legis sunt implebat, & sicut iam dixi, abominabiles erant Chananæi Iudæis, qui sub lege mandante tanquam sepe erant vallati: veniens autem Christus, hoc est, natus ex virgine, octaua circuncisus die, pro quo in templo oblatio celebrata est, & omnes cæremoniæ impletæ sunt legis, & ideò impleuit legem, ne dicerent Iudæi, non potuit implere legem, propterèà dissoluit eam: priùs eam complet, & posteà soluit, vt omnem illis querimoniæ auferret occasionem. Clamabat enim & dicebat, Quis ex vobis arguet me de peccato? ne ergo occasione accepta dicerent Iudæi, Non credimus tibi, quia iniquè fecisti soluens legem: quia perrexisti ad fines Chananæorum, & confabulatus es cum illis, quod ne fieret, lege prohibitum est: ideò nihil interim loquitur mulieri, sed legem custodiens, retardat salutem: & Iudæos refrenat, & hanc recreat. *Qui non respondit ei uerbum.* Nolo vt in me occasiones querimoniarum inuenias ô Iudæe. ecce non loquor, ecce non respondeo. Adest occasio benefaciendi, & pietatem meam interim differo. Ecce naufragium imminet, & gubernator quiescit: & increscente calamitate, differtur sanitas propter vos qui ingrati extitistis,

Matth. 2.
Psal. 71. Num. 15. Gen. 49.
Malach. 1
Psalm. 46
Rom. 15.
Matth. 28
Matth. 8. Luc. 23. Luc. 2.
Ioan. 11.
Exod. 34. Deut. 7.
Ioan. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt omnis vobis auferatur occasio detrahendi. Ecce mulier multitudinem mihi clamoribus suis congregauit, & nondum accepit responsum: me forte dicatis, quia vobis præposui Chananæos, & transgressus sum legem, & ideò mihi non credatis. *Qui non respondit ei uerbum,* subauditur, eò quòd ad Iudæos sermonem faceret, qui beneficijs eius erant ingrati. Hæc autem omnia pro ineffabili clementia sua faciebat Deus, vt illos paulatim ab infidelitate erigeret, & omnem cauillationem de animis eorum tolleret. Nam & *Matth. 8.* cùm leprosum curasset, dicebat: Vade, ostende te sacerdotibus, & offer munus, quod præcepit Moyses pro emundatione tua. O inauditâ rem. Dominus mundat, & mittit eum ad legem Moysi. Et cur hoc facit considera, ne Iudæi videlicet redarguerent eum, tanquam præuaricatorem legis. Nam quomodo curauerit leprosum, eloqui curationis modum non inuenio. *Ibidem.* Ecce, inquit, leprosus accedens, rogabat eum dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens Iesus manum suam, tetigit eum, dicens: Volo: mundare. Imperatiuo modo legendum est, non indicatiuo. Quia dixerat ille, si vis: respõdit Dominus, Volo. Potes, inquit, me mundare. & ipse ait: Mundare. In lege non licebat tangi leprosum: quia quicunque tetigisset, immundus tota die fiebat. Nam & beatus Eliseus hoc sciés, cùm ad eum Naaman venisset leprosus alienigena, missus à rege suo, mandat illi per discipulum *4. Reg. 5.* suum, dicens: Vade ad Iordanem fluuium, & lauare septies, & mundaberis à lepra tua. Ipse verò non fuit ausus ire, & videre lepram, vel tangere illum. Et Eliseus quidem mundauit leprosum, & Christus curauit leprosum. Ne ergo dicerent Iudæi, Quid magnum fecit Christus? hoc fecit, quod fecerat Eliseus. Sed ille quidem tangere ausus non fuit leprosum, ne contaminaretur: iste autem tetigit, & mundauit. Et ideò tetigit, vt ostenderet quoniam qui seruus est, subditus est legi. Dominus autem est, qui imperat legi. Volo, Mundare. Et statim mundatus est. Nõ inuenit Euangelista verbis edicere velocitatem curationis. Statim enim dicendo, aliud quod diceret, non inuenit. Tanta enim fuit operantis authoritas, vt in ingressu sermonis fugaretur infirmitas. Et ideò dicit: Vade, ostende te sacerdoti, & offer munus tuum pro emũdatione tua, quod præcepit Moyses in testimonium illis, quibus? Iudæis, ne dicant præuaricasse me legem. Nam & occultè diuinitatem suam manifestabat illis, vt ex operibus crederent quia filius sit Dei: & in illa die veniens leprosus coarguat eos, cui præceptum fuerat munus secundùm legem offerre. & ideò multa propter Iudæos faciebat. Sic & nũc responsionem suã ad preces mulieris temperat & retardat. *Miserere, inquit, mei, quia filia mea malè à dæmonio uexatur. Qui non respondit ei uerbum. Accedentes autem discipuli eius, dicunt: Dimitte eam, quia clamat post nos. Respondit Dominus: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël.* Ne fortè dicerent Iudæi: Dimisisti nos, & ad extraneos perrexisti, & ideò non credimus tibi: ecce de gentibus veniunt, & non suscipio: vos fugientes conuoco, di- *Matth. 11.* cens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & venire non vultis. Hanc repello, & *Psal. 17.* recedere non vult. Verè impletur illud, quod scriptum est: Populus quem non cognoui, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Et alibi: *Esai. 65.* Apparui his, qui me non quærebant: inuentus sum ab his, qui me non interrogabant: ex quibus & Chananæa erat. *Dimitte* (inquiunt) *eam, quia clamat post nos.* Videamus ergo quid dicit Dominus. *Non sum,* inquit, *missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël.* Considerate clementiam Domini. Non dixit, Recede à me: sed, Non sum ad vos missus. Non veni propter te, sed propter Iudæos, oues perditas domus Israël. *Quæ cùm audisset, accessit & adorauit eum, dicens: Domine, adiuua me. Qui respondens, ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Considera precantis instantiam, & Domini temperantiam. O clementia medici. In desperationem adducebat eam, vt ampliùs rogaret, & augmentum fidei faceret. *Non est bonum* (inquit) *sumere panem filiorum.* Quorum filiorum? Iudæorum videlicet: *& mittere canibus.* Quibus? Sine dubio vobis. Hæc ad opprobrium dicebantur Iudæorum, qui filij vocati, *Philip. 3.* canes effecti sunt, dicente Paulo: Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem. Nos enim sumus circuncisio. Gentes verò canes appellati, facti sunt filij. Filioli mei, *Gal. 4.* quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Laus Iudæorum, accusatio illis erat. *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit: Etiam Domine.* O violentia mulieris, ô intentio animi, ô profectus fidei. Medicus dicit, Non. Hæc dicit, Etiam. Dominus dicit, Non: ista dicit, Etiam. Non quasi procax aut impudens reputanda est, sed laudanda magis, quia expectat salutem. *Non est,* inquit, *bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. Etiam Domine.* Tu canem me vocas, ego te Dominum voco. Tu me iniurias, ego te glorifico. *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadũt de mensa dominorum suorum.* Non respuo opprobrium, tantùm accipiam vel escam canis. Dicit rem quæ in consuetudine est. Tu fac quod debetur cani. Quia canem me vocas, da mihi micas. O Domine, aduocatus factus es meæ postulationis: abnegando promittis. *Etiam Domine. Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Quid ergo? Qui abnegabat, qui repellebat, qui nõ respõdebat, qui dicebat, Nõ est bonũ sumere panẽ filiorũ, & mittere canib⁹: qui dicebat, Nõ sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël: in laudes mulieris subitò erũpit, dicés. *O mulier.* Propterea, inquit, laudo constantiã eius, laudo fidem, quia iniuriata permansit, & ratione extorsit. Si enim

enim ab initio dimisissem illam, nec illa paulatim erudita fuisset, nec tu scisses virtutem animæ eius, nec latentem fidei thesaurum: & ideò suspẽdi donationem, vt tu agnosceres fidem. O mulier. Deus dicit, O mulier. Audiant hæc qui iactã ter orant, & fastidiosè precantur. Quando dico, Charissime, roga Deum, obsecra eum, famulare illi, dicit: Rogaui semel, secundò & tertiò, & decies & vicies, & quidnam accepi? inquis. Ne recedas, quousq; accipias. Finis postulantis, acceptio deprecantis est. Tunc cessa, quando acceperis. Imò magis nec tunc cesses, sed tunc perseuera, agens gratias pro eo quod accepisti, vt perseue- *Deus, qui* ret tibi quod acceperis. Nonnulli introëuntes *iuga men* ecclesiam, in mille versus extendunt orationem *te precan* suam, quasi apud Deum multitudo sermonum *tur.* opus sit, tanquam ignoranti quid postules, qui antequàm cogites nouit. Nam & illi quidẽ quid dicant nesciunt: labia mouentur solummodò, mens autem sine fructu est, & aures eius surdæ sunt. Tu non audis orationem tuam, & Dominũ vis audire precem tuam? Flexi, inquis, genua. Curuasti quidem genua intùs, sed mens tua foris vagatur. Corpus tuum intùs, sed sensus foris. Os quidem loquebatur, sed mens vsuras cogitabat, possessionum redditus supputabat, descriptiones domorum videbat, amicorum verba voluebat, negligentias intuebatur famulorum, para sitorum vrbanitates ridebat, mulierum speciem *Dæmones impedire conantur orantes.* considerabat. Diabolus enim cùm sit astutus, scit quoniam in tempore orationis grandia postulamus, & sæpiùs impetramus, impedire festinat improuidas mentes: Nam aliquoties cùm resupini iacemus in lectulo, nihil tale cogitamus: sed cùm venimus ad orationem, cogitationum nos opprimunt nubes, vt nos auocent, & sine fructu efficiant. Hæc igitur sciens in orationibus fieri, imitare Chananæam vir mulierem, quæ vigilanter & cum summa sapientia rogabat Dominum, & ideò meruit impetrare. Sed forsitan dices: Non habeo filiam, quæ dæmone plena sit: sed habes animam peccatis refertam. Et quid dixit Chananæa? Miserere mei Domine, quia filia mea malè à dæmonio vexatur. Dicito & tu: Miserere mei Domine, quia anima mea malè à dæmonio vexatur. Grandis enim dæmon, peccatum est. Est ille quidem in propatulo habens, velociùs curari potest: qui autem occultat peccata sua hominibus, & pœnitere non vult, sed contemnens securus delinquit, odibilis est. Et ille quidem pro ipsa vexatione veniam habebit, iste verò responsione indignus probabitur. Miserere mei. Modicus quidem sermo, sed immensum benignitatis continet pelagus. Vbi enim misericordia postulatur, ibi vniuersa cõprehensa sunt bona. Quod si foris ecclesiam es, dic tu: Miserere mei Domine, non solùm labia mouens, sed mente ingemiscens: quia & tacentes audit Deus. Non quæritur locus, sed deuotio mentis. Hieremias in lacũ cœni demersus erat, & fideliter o- *Ier. 38.* rans, Domini gratiam promeruit. Daniel in lacũ *Dan. 6.* leonũ missus, ad se Dei misericordiã inclinauit. Tres pueri in camino ardenti erant, & Domino *Dan. 3.* placuerunt. Latro in cruce erat, & exauditus est *Luc. 23.* fideliter postulando: & nihil obfuit crux, sed cõfessio fidei paradisum aperuit. Iob in sterquilinio erat, & per patientiam suam Deum propiciabat. Quòd si & in balneis es, ora. Vbicunq; fueris, ora. Templum Dei estis, & spiritus sanctus habitat in vobis. Voluntas solùmodò deuotę menti opus est. Quòd si in iudicio assistis, ora. Et cũ iratscitur rex, ora: vbiq; Deus præsens est: nõ claditur loco: inuocanti dicit, Assum. Nam & cùm *Exod. 14.* eduxisset Moyses populum de Aegypto, & per desertum ad mare rubrũ venisset, Aegyptij post tergum erant insequentes populum. Ante mare fremebant fluctus. Moyses in angustia erat. Tacebat quidem, sed mente grandia cogitabat. In medio tribulationis erat: inde Aegyptij insequẽtes, hinc mare intumescens. Ad Dominum igitur mente clamabat, & vox penitùs non audiebatur. Ideò Dominus dicit ad eum: Quid clamas ad *Ibidem.* me? cùm ore quidem non clamaret, sed corde. Et tu igitur quando astiteris furenti iudici ac rabido tyranno, ora Deum tuum, & orante te flu- *Deum.* ctus mitigabuntur. Iudex ad te, tu ad eum confugito. Iudex prope te, tu Deum inuoca, qui in te est. Nunquid longè à te est, vt vadas ad locum aliquem? Deus non clauditur loco, sed semper in proximo est. Et qui loco non clauditur, fide tenetur. Nam si hominem rogare volueris, interrogas quid facit: & audies, dormit: aut, non vacat, aut certè non dignabitur minister respondere tibi. Ad Deum autem nihil horum opus est: sed vbicunq; fueris & inuocaueris, audit te. Nõ ostiarius, non mediator, non minister opus est: sed dicito, Miserere mei, & Deus ilicò aderit. Adhuc te *Esai. 58.* loquente, dicit, Assum. O sermo mansuetudine & benignitate plenus. Non expectat consummari orationem, sed statim tribuit petitionem. Miserere mei. Hanc imitemur Chananæam: Miserere mei Domine, filia mea malè à dæmonio vexatur. *O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut uis.* Vbi sunt hæretici? Nunquid dixit, rogabo patrẽ meum, obsecrabo genitorem meum? Nunquid oratione eguit? Non vtique, quia author salutis est, & vniuersitatis creator, & verbum Deus. Ideò dixit: O mulier, magna est fides tua: quanuis & pro dispensatione carnis orauerit. Et quia magna est fides, copiosa effusa est gratia. Vbi autem oratio necessaria est, infirmatio est. O mulier, magna est fides tua. Non vidisti mortuum suscitatum, nec leprosum mundatum, nec prophetas audisti, nec legem meditata es, neque mare in diuisionibus scindi vidisti. Nihil horum contemplata es, insuper & despecta & contempta à me es, & non recessisti, sed perseuerasti petendo: O mulier, grandis est fides tua. Mortua est mulier, & præconia eius vigent. Vbicunq; ieris, audies Christum dicentẽ: O mulier,

Universidad de Deusto
Biblioteca

magna est fides tua. In † Scythia, in India, in Mauritania, quantamcunq; sol respicit terram, clamat Christus & non tacet verbum: O mulier, grandis est fides tua: fiat tibi sicut vis. Non dixit, Sanetur filia tua: sed, fiat tibi sicut vis: Tu, inquit, eam cura, esto medicus, tibi committo medicamentum vt imponas ei: fiat tibi sicut vis: Voluntas tua curet eam. Chananæa volũtate curauit, & filius Dei, sicut dicunt hic, à semetipso non curat? Fiat tibi sicut vis. Neq; iussit mulier, neq; imperauit dæmoni: sed sola mulieris voluntas curauit filiam dæmonemq; fugauit. Vbi sunt qui audent dicere, Christum per orationem virtutes fecisse? Vide quid dicat. Fiat tibi sicut vis. Considera sermonis germanitatem. Patrem suum imitatur.

Scotia. *†Gotia.*

Genes. 1. Quando enim faciebat Deus cælum, dixit: Fiat cælum. Et factum est cælum. Fiat terra, & facta est terra: Fiat sol: fiant astra cæli, & facta sunt vniuersa. Iussio adduxit substantiam parentelæ, sermo communionem ostendit naturæ. *Et sanata est, inquit, filia eius ex illa hora.* Ex qua hora? Non ex qua venit mater eius domo, sed ex qua Domini sermo processit. Et cùm redisset domum, inuenit eam sanæ mentis, & voluntate, imò fide eius curatam. Pro his autem omnibus gratias agamus Deo, per Christum Dominum nostrũ, cum quo est Deo patri vna cum spiritu sancto honor & gloria & potestas, per immortalia secula seculorum, Amen.

FERIA SECVNDA.

Ioan. 8.

In illo tempore: Dixit Iesus turbis Iudæorum: Ego uado, & quæretis me, & in peccato uestro moriemini. Et reliqua. Homilia Erici.

Ioan. 8. REfert superiùs sanctus euangelista Iohannes, quia cùm doceret Dominus in gazophylacio templi, & diuinitati suę mysteria apertissimè populis panderet, voluerunt eum Iudæi apprehendere, sed nemo misit in eum manus, quia nondum venerat hora eius. Nondum enim venerat voluntatis ipsius & dispositionis hora: quia sicut voluntate natus, sic & volũtate passus est. Quia ergo illi Dominum apprehendere voluerant, vt ostenderet inefficaciter illos conari, quãdiù ipse nollet, ideò Dominus dixit eis quod modò audiuimus: *Ego uado, & quæretis me.* Ac si alijs verbis diceret: Fruſtrà me persequimini, incassum mihi manus injicere tentatis. Ego enim præfiniui tẽpus, quando pro humani generis salute pati debeam. Ego, inquit, vado, ego volens ad passionem pergo. Vos autem nec modò mihi aliquid mali facere potestis, quia ego nolo. Et quæritis me, nõ amore, sed odio. Deniq; cùm Christus de mundo discesisset, postquam per passionem oculis se hominum absentauit, quæsierunt eum Iudæi, perse quendo illum in apostolis & cæteris credentib⁹. Vnde & Saulo persecutori dictum est: Saule Saule, quid me persequeris? Quæsierunt etiam eum sancti apostoli amatores ipsius, illum præsentem habere cupientes, & desiderio visiones eius exæstuantes. Hoc ergo modo eum quærere debemus, quo eum quæsierunt apostoli, vt illum semper diligamus, edicatq; illi cor nostrum: Exquisiui vultum tuum, vultum tuum Domine requiram: ne auertas faciem tuam à me. Hoc modo requiramus animam Christi, non ꝓlo, quo eum quæsierunt Iudæi inimici Christi. Illi enim quærebant vt haberent, isti vt perderent. Vnde & ne putaretur benè illos eum quæsituros, adiunxit: *Et in peccato uestro moriemini.* Ille in peccato suo moritur, qui permanet in peccato vsq; ad mortem. Et quia præuidebat illos in sua malitia perseueraturos, ideò dixit: In peccato vestro moriemini. Et quia videbat in illis omnibus vnam voluntatem similemq; malitiam, ideò singulari numero dixit, In peccato: plurali aũt, Vestro, quia pari affectu omnes eum perdere volebant, qui ad saluandos eos venerat. *Quò ego uado, uos non potestis uenire.* Non poterant venire quò ibat, quia in eum credere nolebant, quia eum non diligebant. Atq; ideò, ad illam gloriam, ad quam ille per mortẽ festinabat, ipsi venire nõ poterãt. Hoc ipsum alibi apostolis loquens, dixit: Quò ego vado, vos non potestis venire modò. Neq; enim tunc, quò ipse ibat, venire poterant, quia necdũ pro illo pati idonei erant, sed pòst venturi erant. Non ergo abstulit eis spem, sed prædixit dilationem. Iudæi verò nunquam quò ibat venturi erant, quia in eum credere nolebant. Et idcircò audierunt: In peccato vestro moriemini. Sed audiamus quid responderunt verbo Domini, carnaliter tantum audientes, & non intelligentes. *Nunquid interficiet semetipsum, quia dicit, quò ego uado, uos non potestis uenire?* Quàm cæca mens, & suis tenebris obscurata. Nunquid enim si Dominus se interficeret, sequi eum ad mortem non poterãt? Aut nunquid mori ipsi non valebant? Ergo quò ego vado, dixit, non de eo quò ibat ad mortem, sed de eo quò venturus erat post mortem, hoc est, de gloria ad quam per passionem & mortem properabat: & ad hanc illi peruenire nullo modo poterant. Sed iam videamus, quid his Dominus responderit. *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum.* De deorsum, inquit, estis: terrena sapitis, terrenis delectamini, terrenis inhiatis, sursum corda non leuatis. Ego de supernis sum, hoc est, à patre, quo nihil est superius, quia pater de nullo est. De his supernis, id est, de patre Deo erat, quia verbum eius erat, & ab illo coæternus & consubstantialis genitus fuerat ante omnem creaturam, ante tempus, vel quicquid in tempore cogitari potest. *Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo*

Actor. 9.

Ioan. 13.

Exod. 3.

Christus, principiũ

Psal. 103.

Ioan. 8.

Ioan. 3.

Ioan. 13.

De hoc mundo erant, quia peccatores, quia iniqui & infideles erant. Sed nunquid apostoli & cæteri sancti de hoc mũdo nõ erant? De mundo erant, quia de Adam nati fuerant: sed de mũdo, id est, de carnali conuersatione à Domino electi fuerant, iuxta quod alibi dicit: Ego vos elegi de mundo. De mundo ergo fuerant, sed iam non erant de mundo, quia electi de mundo erant, & ad eum pertinebant, per quem factus est mundus. Iudæi verò quia perseuerabant in peccato, permanebant in mundo. Propterea eis dictum est, In peccato vestro moriemini. *Dixi ergo uobis, quia moriemini in peccato uestro. Si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato uestro.* Reddit illis spem, & ostendit quomodò possint non mori in peccato suo, videlicet si in eum credant.

Ergo inter eos, quibus Dominus loquebatur, erant plurimi, qui non erant crediturí, erant & alij, qui crediturí erant: atque ideò illi in peccato suo morituri erant, isti verò à peccato liberandi erant. Notandum verò quod dicit, Si non credideritis quia ego sum, nec addit quid esset. Non dixit, Si nõ credideritis, quia ego sum Christus, vel ego sum filius Dei, vel ego sum quem prophetæ prædixerunt: nihil horum dixit, sed tantùm, Ego sum. Nimirum, vt ostenderet se illum esse, qui olim Moysi dixerat: Ego sum qui sum. Eodẽ verbo essentiæ vsus est loquens populo Iudæorum, quo tunc vsus est ad Moysen, loquens per angelum, quem dirigebat ad liberandũ populũ suum. Ac si diceret: Ego qui tunc veni per angelum, vt mitterem Moysen ad liberandum populum meũ, ego ipse per memetipsum veni liberare genus humanum. Nisi ergo credideritis, quia ego sum Deus, moriemini in peccato vestro.

Sed illi in sua stultitia perseuerantes, & subtilitatem verborum Domini non intelligentes, respõderunt: *Tu quis es?* Sed Dominus ad instruendos eos, qui in eum crediturí erant, respondit: *Principium, qui & loquor uobis.* Principium se Dominus appellat, quia omnia per ipsum facta sunt. Ipse est enim Dei sapientia, de qua Psalmista Deo patri dicit, Omnia in sapientia fecisti. Si igitur omnia fecit in sapientia, id est, in filio suo, vtique ipse est principium omnium rerum, quas per eum Deus pater creauit. Dicitur & pater principium, quia in principio erat verbum, id est, in patre erat filius. Vnum tamen est principium pater & filius, quia vnus est Deus pater & filius. *Principium, ait, qui & loquor uobis.* Ac si diceret: Ego sum Deus, qui propter vos humilis factus ad hoc descẽdi, vt vobis loqui possem per susceptam serui formam. Credite ergo me esse principium, quia vt hoc credatis, loquor vobis. *Multa habeo de uobis loqui & iudicare.* In alio euangelij loco dixit: Ego non iudico quenquam. Quid est quod nunc dicit, Multa habeo de vobis loqui & iudicare? Sed illud de primo suo aduentu dixit, quo non venit vt iudicaret mundum, sed vt saluaret. Quòd autem nunc dicit, Multa habeo de vobis loqui & iudicare, secundum aduentum suum insinuat, quando ad iudicandos viuos & mortuos venturus est. *Sed qui me misit, uerax est.* Ac si diceret: Idcircò veritatẽ dico, quia filius sum veracis. pater enim verax est, filius veritas. Et sicut est filius à patre, sic veritas à verace. Et attendendum, quòd omnem gloriam dat Deo patri vnicus filius, vt nos tali instruat exemplo: quia si ipse, qui est coæternus filius, omnẽ gloriam dat ei à quo est, multo magis nos Deum in suis operibus glorificare debemus, cuius serui sumus. *Et ego quæ audiui apud eum, hæc loquor in mundo.* Quid audierat apud patrem, nisi veritatem? Veritatem ergo audierat, veritatem loquebatur. Audiuit autem apud patrem, quia est à patre. Nihil enim est illi aliud audisse, nisi esse: quia ab illo habet audientiam, à quo habet essentiam. *Et non cognouerunt, quia de patre eis diceret.* Quare non cognouerunt? Quia adhuc carnalibus inhærebant, necdũ oculos cordis apertos habebant, quibus patris & filij æqualitatem intelligere valerent. *Dixit ergo eis: Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* Exaltationem hoc loco passionem suam vocat, qua exaltatus est in cruce. Hæc nanque exaltatio humiliationis fuit, non glorificationis, secundùm quam humiliauit semetipsum, factus obediens patri vsque ad mortem. Ait ergo: *Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* Præuidebat enim ibi quosdam, quos ante mũdi constitutionem prædestinauerat, post suam passionem credituros. De quibus in Actibus apostolorum legimus, quia prædicante Petro vna die crediderunt tria millia, alia die quinque millia, & deinceps multa millia. *Tunc,* inquit, *cognoscetis quia ego sum.* Ac si diceret: Idcirco differo fidem vestram, vt impleam passionem meam. Cùm verò me in cruce exaltaueritis, sicut quondam Moyses exaltauit serpentem in deserto, tunc cognoscetis me Deum vnius cum patre substantiæ. *Et à meipso facio nihil.* quia nec sum à meipso. Ab ipso est mihi operatio, à quo & generatio. *Et sicut docuit me pater, hæc loquor* in mundo. Non sic docuit pater filium, quasi indoctum genuerit, sed docuit, hoc est, scientem genuit. Simplex est enim natura veritatis, & hoc est illi esse quod nosse, & ab illo habet scientiam, à quo habet essentiam. *Et qui me misit, mecum est.* Deus pater filium misit, quia eum incarnari constituit. Missio enim eius, ipsa incarnatio est. Deus ergo pater cum filio est, quia vnum sunt pater & filius, vna est illis substantia, eademq; deitas, indiuisa maiestas. Et tamen cùm simul sint, solus filius missus est, hoc est, solus filius incarnatus est, sicut & solus filius passus est. Deus ergo pater semper cum filio fuit, & eum non reliquit, & tamen, vt dictum est, solius filij persona carnem assumpsit, & passioni ac morti subiacuit. Dei autem patris persona, ab ista incarnatio-

Exod. 3.

Christus, principiũ

Psal. 103.

Ioan. 8.

Ioan. 3.

Ioan. 13.

Exaltatio Christi in cruce. *Philip. 2.*

Act. 2. *Actor. 4.*

Num. 21.

nis

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis & passionis iniuria aliena fuit. Vt enim aliquo vtamur exemplo, sicut arbor aliqua radium solis in se suscipiens, ferro inciditur, cùm tamen radi⁹ solis nec incidi possit, nec ab arbore separari: ita Deus pater, & ipsa in Christo diuinitas, pati non potuit, sed sola humanitas Christi passibilis fuit. *Quia quæ placita sunt ei, semper facio.* Quæ Deo patri placita erant, semper faciebat, quia voluntatem eius salutem humani generis operando adimplebat, & peccati toti⁹ perpetuò expers
1. Pet. 2. immunisq; perseuerabat: quia peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Quapropter & nos si membra eius esse volumus, capitis nostri exempla imitari studeamus. Agamus quæ Deo placita sunt, castificemus animum ab omni concupiscentia, edomemus illicitos carnis appetitus, mala quæ nos perpetrasse meminimus, lachrymis pœnitentiæ diluamus, & bonis inquantùm possumus operib⁹ insistamus, quatenùs Deum & inter seculi pressuras adiutorem & protectorem habere, & in futuro ad illud summum bonum visionis eius mereamur feliciter peruenire, Amen.

EADEM FERIA HOMILIA EVSEBII Emesen.

Ioan. 8. EGo, inquit, *uado*, ego ad patrem redeo: vos autem *quæritis me*, non vt in me credatis, sed vt me occidatis, & idcircò *in peccato uestro moriemini. Quò ego uado, uos non potestis uenire.* quare? quia non creditis, quia me occidere quæritis; quia ad vitam præde-
Ioan. 14. stinati non estis. Nemo enim venit ad patrem, nisi per me. *Dicebant ergo Iudæi: Nunquid interficiet semetipsum, quia dicit, Quò ego uado, uos nō potestis uenire?* Non ipse interficiet semetipsum, sed vos quia interficietis ipsum, interficietis etiam vosmetipsos: & idcircò non venietis ad ipsum. Et *dicebat eis: Vos de deorsum estis, ego de supernis sum.* Vos, inquit, de deorsum estis, de terra estis, terram diligitis, & terrena sapitis. Ego verò de supernis sum, de cælo, de patre, qui cunctis superioribus superior est. *Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.* Quantùm enim ad humanitatē, sicut cæteri homines, ita & Christus de mundo est: quantùm verò ad diuinitatem, non ipse est de mundo, sed mundus de ipso: quia non ipse à mundo cœpit, sed mundus ab ipso. Omnia enim
Ioan. 1. per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Vnde & superiùs dicitur: In mundo erat, &
Ibidem. mundus per ipsum factus est, & mundus eum nō cognouit. *Dixi ergo uobis, Moriemini in peccatis uestris.* Nunc autem audite rationem, quare in peccatis vestris moriemini. *Si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato uestro.* Quid est ego sum? Nunquid enim eum Iudæi esse non credebant, quem & videbant & audiebant? Nunquid & ipse solus est, & alia non sunt? quia dicit, *Nisi credideritis quia ego sum.* Ille enim solus est, qui sem- Deus solus
per est, qui immutabilis est, qui idē ipse est, qui *est.*
nunq; esse cœpit, qui nūq; desinit esse, qui omni-
b⁹ dat esse, qui de proprio esse non mutatur in esse
vel nō esse, de quo per Moysē dicitur filijs Israēl, Exod. 3.
Qui est, misit me ad vos. Qui igitur sic eum esse non crediderit, morietur in peccato suo. *Dicebāt ergo ei: Tu quis es? Dicit eis Iesus: Principium, qui & loquor uobis.* Ego, inquit, sum principium, qui propter vos & secundùm humanitatem & factus & creatus, & appareo vobis, & loquor vobis. Quidam autem codices habent, Quia & oquor vobis, & tale est ac si diceret: Ego sum principium: principium me esse credite, quia vt vos me credatis esse principium, homo factus sum, & loquor vobis, & loquendo viam veritatis & salutis ostendo vobis. Siue etiam, principium me esse credite, quia ego qui mentiri non possum, hoc loquor atq; testificor. *Multa habeo de uobis dicere & iudicare, sed qui misit me, uerax est.* Non enim, inquit, modò vos iudico, etsi iudicio digni sitis. quare? quia non venit modò filius hominis, vt iudicet Ioan. 3.
mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum: iudicabit tamen quandoq;, & vero iudicio iudicabit, quia veracis patris verax filius est. Et hoc est quod ait: *Qui me misit uerax est, & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor.* Non sic est accipiendum, quasi alter alteri loquatur, sed audiui, hoc est, cognoui. Ab eo enim habet filius cognitionem, à quo & esse habet. Sicut enim dicitur verbum & sapientia Dei, sic dicitur & cognitio Dei. *Et non cognouerūt, quia patrem suum esse dicebat Deum. Dixit ergo eis Iesus: Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, & à meipso facio nihil, sed sicut docuit me pater, hæc loquor.* Non omnibus qui ibi aderant, sed quibusdam hæc Iesus loquitur. Videbat enim aliquos ibi, qui post eius passionē crediturі erant. Multi enim ex his, qui eū crucifixerūt, posteà corde cōpūcti, ad fidem cōuersi in eum crediderūt, & veraciter cognoscentes, sicut Dei filium coluerunt & adorauerunt. In eo verò quod ait, *Sicut docuit me pater, hæc loquor*: patris doctrinam se esse ostendit. Quid est enim doctrina patris, nisi sapientia patris? Dicit ergo: *Sicut docuit me pater, hæc loquor, & à meipso facio nihil*: non secundùm humanitatem loquor: hæc doctrina non est hominis: hæc doctrina diuinitatis est. *Sicut docuit me pater, hæc loquor*: id est: secundùm scientiam & doctrinam diuinitatis loquor. Ipsum enim genuisse, docuisse fuit. *Et qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum, quia ego quæ placita sunt ei, facio semper.* Quanuis enim filius à patre missus est, quanuis incarnatus & homo fact⁹ est, (hoc est enim missio, quod incarnatio) semper tamen in filio pater, & semper in patre filius est. Hic est ille filius Matth. 3.
dilectus, in quo ipse sibi bene complacuit. *Hæc illo loquente multi crediderunt in eum.*

FE-

FERIA TERTIA.
Matth. XXIII.

In illo tempore: Locutus est Iesus ad turbas & ad discipulos suos, dicens: Super Cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisæi. Et reliq. Homilia Erici.

REpudiatis Dominus, vt dignum erat, tentatoribus, ad suos sermonem conuertit, vt illorum confusio, istorum fieret disciplina. Infructuosum nanq; est verbū, in quo sic alter cōfunditur, vt nō alter erudiatur. *Super cathedram*, inquit, *Moysi sederūt scribæ & pharisæi.* Non quidem materialis cathedra, cui sederat Moyses, vsq; ad illud tempus seruabatur apud Iudæos: sed per cathedram Moysi intelligitur doctrina, quam scribæ & pharisæi, licet non facerent, prædicabant. *Omnia ergo quæcunq; dixerint uobis, seruate & facite: secundùm uerò opera eorū facere nolite.* Tanquàm diceret eis: Doctrinam quam docuit Moyses legislator, prædicāt & annunciant scribæ & pharisæi: sed quia quod ore prædicant, opere destruunt, quod vobis annunciant seruate, quod verò faciunt, facere nolite. Et mira bonitate Dominus à pharisæis tentatus, eorū machinas dissipat, & nihilominùs propter sacerdotij dignitatē, hortatur homines vt eis subijciantur, non opera illorum, sed doctrinam imitantes. Frequenter enim & de homine malo, bona doctrina procedit, & vilis terra preciosum aurum producit. *Alligant autem onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere.* Onera grauia & importabilia, legis dicit mandata, quæ Iudeis maximè propter peccatum vituli adorati constat fuisse imposita. Quæ quidem mādata scribæ & pharisæi, permixtis suis traditionibus, tanquàm grauissima onera simpliciori populo imponebant, quæ ipsi nec vno digito mouere, hoc est, nec in minimis quidem præceptis volebant perficere. Tales sunt modò in Ecclesia indiscreti sacerdotes, qui omnem iustitiam populo mandant, sed ipsi nec modica seruant. Si enim fascem lignorum super alicuius humeros, qui ferre non valet, posueris, necesse habet vt aut fascem à se reijciat, aut sub pondere ruat. Sic & homini, cui graue pondus pœnitentiæ imponitur, necesse est vt aut pœnitētiam reijciat, aut suscipiens, dum ferre non valet, scādalizatus ampliùs pecceat. Nam si erramus modicam pœnitentiā peccantibus imponentes, melius est tamen de misericordia à Deo iudicari, quàm de crudelitate condēnari. Qui enim vult apparere sanctus, circa vitam suam debet esse austerus, circa aliorum benignus. *Omnia enim opera sua faciunt, ut uideantur ab hominibus.* Scribę & pharisæi omnia, quæ operabantur, ad hoc faciebant, vt ab hominibus viderentur, hoc est, vt laudem & fauorem populi exteriùs caperent. Similiter & omnis homo, quicunque opera sua ideò tantùm facit, vt ab hominibus videatur, similis est scribis & pharisęis. Ex proposito nanq; vniuscuiusq; hominis accipit diabolus occasionem, vt eis retia texat: quia à semetipso nil agere potest, nisi occasionem ex nobisipsis acceperit. Tollamus ergo hoc vitium à nobis, ne velimus ab hominibus videri, hoc est, laudari, & sine labore omnia vitia resecabimus. *Dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias.* Quia Græco sermone φυλάττειν, seruare dicitur, thorah verò lex appellatur, phylacteria vocat illas membranas vel pittaciola, quæ quasi ex præcepto legis in frontibus portabant, laudem captantes popularem ob custodiam & monumentum diuinorum mādatorum quæ inibi scribebantur: non intelligentes quia lex Num. 15.
diuina in corde sit meditanda, non in corpore ostendenda. Præcepto etiam legis iubebatur fieri fimbria parua & breuis in quatuor pallij summitatibus, vt sicut circuncisione legis à cæteris gentibus, sic etiam veste distarent: qualis erat fimbria, quam mulier sanguine fluens, in Domini pallio tetigit. Sed superstitiosi magistri, laudis popularis auidissimi, componebant sibi grādes fimbrias, acutissimas spinas in eis ligantes, vt ambulantes vel sedentes crebrò pungerentur, & quasi admoniti ad eloquia diuina meditanda recurrerent. Ex qua re creditur in Ecclesia inoleuisse, quòd quidam aliquam partem euangelij scriptam, vel reliquias martyrum deferre consueuerunt. Sed sciendum, quòd cui in auribus euangelica posita non prosunt verba, eum circa collū suspensa non saluant; quia virtus euangelij non est in figuris literarum, sed in intellectu sensuu. Sequitur: *Amant enim primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro.* Non prohibet eos Dominus salutari in foro, neq; primos discumbere in prandijs, quibus iure hoc officium debetur: sed ab illis docet esse cauēdum, qui cùm hæc habere digni nō sint, vltra modū tamē ea sibi exhiberi desiderāt. Hæc aūt verba saluatoris si corporaliter intelligantur, nō solū nō ædificant, sed adhuc magis destruunt auditorē. Audiens enim aliquis laudabile esse in vltimo loco discumbere, discumbit post omnes: & non solùm iactantiam cordis non amittit, sed adhuc aliam iactantiam de sua humilitate acquirit, vt qui priùs desiderabat ab alijs videri iustus, etiam humilis esse videatur. Multi enim superbi corpore quidem in vltimo loco discumbunt, cordis autem elatione videntur sibi maioris meriti esse. At contrà multi sunt humiles in primo loco recumbentes, & tamen in conscientia se existimāt in vltimo esse. Sed quia Deus spiritus est, qui loquitur fidelibus suis, & non ad carnem loquitur Deus, sed potiùs ad spiritum: caro enim spiritum non intelligit, dicente Apostolo, Qui spiritum Dei habet, intelligit quæ dico, quia Domini sunt mandata: quæcunque Dominus loquitur, non carnaliter loquitur, sed spiritualiter. Vnde & hæc verba spiritualiter sunt

intel-

Universidad de Deusto
Biblioteca

intelligenda. Non enim curat Deus, vbi corpus hominis iaceat, sed in qua parte mens sit collocata. Vnde & iubet nos Deus in vltimo loco recumbere, nō præcipit vt corpore in vltimo loco iacea mus, sed vt animo nouissimos omnium nos esse iudicemus. Sine causa enim loco se humiliat, qui corde se præfert. *Et salutationes in foro.* Non solum hoc exigebant scribæ & pharisæi à populo, vt priùs eos salutarent, voce magna dicentes: Aue rabbi, sed vt flexis capitibus ad genua eorum incuruarētur. *Et uocari ab hominibus rabbi*, subaudiē dum, amāt. Desiderabant nanq; scribæ & pharisæi vocari rabbi, & nolebant esse magistri: nomen appetebant, sed officium negligebant. *Vos autem nolite uocari rabbi. unus est enim magister uester. Et patrem nolite uocare uobis super terram. unus est enim pater uester, qui in cælis est.* In his omnibus prohibetur, ne quod Deo debetur, hominibus deferatur. Sed cùm omnia præcepta diuinæ scripturæ à Deo procedant, mouet multos, cur contra præce
Exod. 20. ptum alterius scripturæ quæ dicit, Honora patrē,
2. Tim. 1. prohibeat vocari patres vel magistros. Nam & Paulus magistrum gentium se esse testatur. Sed aliud est esse patrem vel magistrum naturā, aliud permittente indulgentia. Nos enim si hominem patrem vel magistrum vocamus, honorem deferimus his, à quibus incrementum vel originem sumpsimus, non eos authores nostræ vitæ ostendimus. Tamen secundùm quòd à Deo conditi sumus & gubernamur, nec pater, nec magister

Deus ut solus pater & magister.

vocandus est alius, nisi Deus. Pater vocandus est, quia ex ipso sunt omnia: Magister, quia per ipsum sunt omnia, vel quia ipse est singularis magister, qui omnes interiùs naturaliter edocet. Homo enim nō præstat homini intellectum docendo, sed illum tantummodò exercet admonēdo. Doctrina nanque cotis officium tenet, quæ ferrum non facit, sed acuit. *Qui maior est uestrum, erit minister uester.* Ac si dicat: Quicunque vult fratrem præuenire regnādo, priùs illum necesse est præueniat obsequendo. Quod in ipso Christo veraciter impletum esse nouimus, qui cùm maior sit omnibus fidelibus, tamen suis non solùm exteriora ministrauit, sed etiam animam suam pro illis in mortem tradidit. Hoc enim quod dicit: Qui maior est vestrum, erit minister vester, congregationum prælatis specialiter præcipitur, vt quibus spirituali regimine principantur, eorum indigentiam pariter releuare, atque supplementum familiaris paupertatis, studiosa subministratione procurent. *Qui autem se exaltauerit, humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Videmus multos honoribus & diuitijs huius seculi florere, & in his vsq; ad finem perseuerare. Cernimus econtrà nonnullos paupertate & inopia laborare, & in eadem egestate vsq; ad exitum vitæ permanere. Cùm ergo isti in inchoata felicitate, & illi in pristina paupertate vsq; ad terminū vitæ permaneant, quomodò verum esse cōstat, quod Dominus dicit, omnem hominem exaltatum humiliari, atq; humiliatum exaltari? Sed quoniam veritas falli non potest, quæ dicit, Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur: sciendum quia etsi in præsenti hoc non semper adimpleri videmus, in futuro tamē complēdum non dubitamus. Omnis enim qui in præsenti vita ita se exaltat, vt diuinis præceptis se subdere cōtemnat, hic in die iudicij cum superbis & impijs sociatus humiliari cogetur, auditurus à Domino, Ite maledicti in ignem æternum. *Matt. 25.* Qui verò diuino amore hic se humiliare studuerit, imitās illū qui dicit, Discite à me, quia mitis *Matth. 11.* sum & humilis corde: ipse in futuro iudicio à Domino exaltabitur, cùm optabilē vocē audire meruerit: Venite benedicti patris mei, percipite re- *Matt. 25.* gnum quod vobis paratum est à constitutione mundi.

DE EADEM FERIA
HOMILIA EVSEBII
Emeseni.

Vid est enim sedere super cathedrā Moysi, nisi Moysi doctrinam & legem prædicare, & populum regere & admonere? Hoc erat autem officium scribarum & phariseorum: vnde & super cathedram Moysi sedere dicuntur. Sed quid est quod Dominus alibi præcipit, dicens: Cauete à fermento Pharisæorum, quod est *Matt. 23.* *Matt. 16.* hypocrisis? Hic autem dicit: *Omnia quæcunque dixerint uobis, seruate & facite.* Pharisæorum enim doctrina fermentum dicitur, sed non illa quam docent, quando sedent super cathedram Moysi. Sedent enim super cathedram Moysi, quando nihil aliud prædicant, nisi ea quæ præcepit Moyses. Hæc autem & seruanda & facienda sunt. Quando verò per fraudem & hypocrisim, non legis verba, sed suas traditiones docent, tunc eis obedire & credere nō oportet, quoniā in Moysi cathedra nō sedēt. Qualiscūq; igitur sit prædicator, si tamē nō sua, sed Dei verba annūciat, populus ei & obedire & credere debet. Sequatur eum in his quæ dicit, non quæ agit. Quod enim dicit, Dei est: quod autem agit, suum est. *Alligant enim onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere.* His autem verbis clementissimus Dominus nos admonere videtur, vt in peccatoribus ad pœnitentiam conuersis, pietatem & misericordiam habeamus, eorumq; onera potiùs cum eis portemus, quàm supra vires eos oneremus. Vnde & sa *Numer. 18.* cerdotes in lege iniquitatem sanctuarij portare iubentur. Vnde & per Moysen Dominus ait: *Exod. 21.* Qui percusserit seruum suum vel ancillam virga, & mortui fuerint in manibus suis, criminis reus erit. Fit enim multoties, vt pastor Ecclesiæ peccantem seruum vel ancillam, id est masculū

vel

vel fœminam sibi subiectos, eorum facinora exaggerando, & tormenta futura minando, durāque canonum pœnitentiam nunciando, nimis asperè virga correctionis percutiat. Qui si in eius manibus mortui fuerint, id est, si eos propter immanitatem sceleris & importabile onus pœnitentiæ, veniam desperare senserit, eosque verbis mitioribus & antidoto pietatis non confortauerit, quasi qui malè medendo ægrum occiderit, reus erit. Habeat igitur pœnitentia modum, & vnicuiq; rationabiliter onera imponantur. Magis enim ad cordis contritionem, quàm ad ieiunium & carnis macerationem respicit Deus. Magna enim misericordia ei fieri potest, qui iam ex corde pœnitet & peccare cessat. Qui verò aliter agit, etsi multùm ieiūnet, tamen nihil agit. *Omnia uerò opera sua faciunt, ut uideantur ab hominibus.* Ideò enim scribæ & pharisæi nullam de operibus suis mercedem suscipiunt, quia omnia opera sua faciunt non pro iustitia, vel animarum salute, sed pro vana gloria, vt videātur & laudentur ab hominibus. *Dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias.* Phylacteria, id est, chartulas quasdam in manibus, vel circa collum appensas ferebant, in quibus verba legis scripta erant, vt semper ad ea respicientes, à iustitia non declinarent. Hanc autem consuetudinem ex eo
Exod. 13. loco sumpsisse videntur, vbi dicitur: Erit igitur hoc quasi signum in manu tua, & quasi appēsum quid ob recordationem ante oculos tuos. Quod quidem si bono & simplici animo fecissent, non valdè reprehensibile esse videbatur. De fimbriā-
Num. 15. rum quoq; vsu Moysi à Domino dicitur: Loquere filijs Israēl, & dices ad eos, vt faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinctinas, quas cùm viderint, recordētur omnium mandatorum Domini, ne sequantur cogitationes suas, & oculos per res varias fornicantes, sed magis memores præceptorum Domini, faciant ea. Hoc autem quid significet, nō multa indiget expositione: siquidem ipse qui scripsit, exposuit. Ad hoc enim vittas hyacinthinas in fimbrijs ponere iusserit, vt signum quoddam eis esset, quo cælestium mandatorum memores, vana & inutilia non cogitarent. Sūt igitur fimbriæ, legis mandata. Vittæ verò hyacinthinæ, sanctæ cogitationes, quæ si simul iunctæ fuerint, ab omni vanitate oculos auertunt, & totā mētem ad cœlestia dirigunt. Videntes enim hyacinthum, cælum recordamur, quoniam vnius coloris sunt cælum & hyacinthus. Hoc autem in pharisæis Dominus non reprehendisset, nisi quia omnia opera sua faciebant, vt viderentur ab hominibus. De quibus adhuc subditur: *Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & uocari ab hominibus Rabbi.* His autem verbis scribæ & pharisæi de vana glori, superbia, & ambitione notantur. His autem & nos admonemur, ne eos in talibus imitemur. Primæ nanq; cathedræ ad ambitionem, cætera verò ad superbiam & vanam gloriam spectant. *Vos aūt nolite uocari Rabbi, unus est enim magister uester.* Quia enim omnis vana gloria peccatum est, peccat vtique, qui pro vana gloria sic vocari desiderat. Discipulus quoq; non effugiet culpam, qui magistri nomen sibi vsurpat. *Omnes aūt uos fratres estis. Et patrē nolite uocare uobis super terrā. unus est enim pater uester, qui in cælis est. Nec uocemini magistri, quia magister uester unus est Christus.* Vnus est pater, vnus est *Iaco. 3.* magister. Vnde & Iacobus ait: Nolite plures magistri fieri fratres mei. Vbi enim plures magistri, ibi & plures sententiæ: vbi plures sententiæ, ibi *1. Cori. 1.* schisma. Vnde Apostolus admonet, vt idipsum dicamus omnes. Bonum habemus magistrum, ipsum sequamur: ipsa sententia, vna sit. Patrem verò in terra quærere non debemus, quia omnes fratres sumus, & vnum in cælis patrem habemus. illi credere, illi obedire oportet: cuius amore patres & matres, fratres & sorores, magistros & doctores, & quæcunq; in mūdo sunt, & in terra versantur, abijcere & abnegare debemus. *Qui maior est uestrum, erit minister uester.* Hoc enim de seipso Dominus ait, qui vsq; ad lauandos pedes di- *Ioan. 13.* scipulorum se humiliare dignatus est, præbens nobis humilitatis exemplum. Vnde & subditur: *Qui aūt se exaltauerit humiliabitur, & qui se humiliauerit, exaltabitur.* Deus enim superbis resistit, humi- *Iaco. 4.* *Luc. 1.* libus autem dat gratiam. Deponit enim potētes de sede, & exaltat humiles.

FERIA QVARTA,
Matth. XX.

In illo tempore, Ascendens Iesus Hierosolymam, assumpsit duodecim discipulos secretò, & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam. Et reliq. Homilia Erici.

DOminus ac redemptor noster, præuidens discipulorum animos de sua passione turbandos, longè antè eis & pœnam eiusdem passionis, & gloriæ suæ resurrectionis prædicere voluit: vt cùm eum morientem cernerent, resurrecturum quoq;, sicut eis prædixerat, minimè dubitarent. Et crebrò quippe hocipsum eis prænunciauerat: sed quia temporis accessu quod audierant, labi à memoria poterat, idcircò iturus ad passionem, & secùm eos ducturus, iteratò eis futura prædicit, quatenùs eos contra venientem tentationem præpararet, ne veniente crucis persecutione & passionis ignominia, terrerentur. Minùs enim afficiunt mala quæ præsciuntur. Nam subiti casus, etiam fortissimos quosq; obruere solent. *Assumpsit*, inquit, *duodecim discipulos suos.* Initio suæ prædicationis plures Dominus voluit habere discipulos, è quibus duodecim elegit, quos & apostolos nominauit, quibus euangelij sacramenta committeret, & per quos totum mundum ad suam fidē
Luc. 22. conuocaret. Quibus & alibi dicit: Vos estis, qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

permansistis mecum in tentationibus meis. His ergo assumptis secretò, ait illis: *Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum & scribis, & condemnabunt eum morte.* Attendendum, quòd Dominus filium hominis tradendũ & morte condemnãdum dicit: qui cùm sit idem filius Dei, & filius hominis Dominus Iesus Christus, solus tamen filius hominis, id est, humanitas, assumi, tradi & comprehendi, ac passioni & morti subiacere potuit. Simul & illud considerandum, quia penè in omnibus sancti euangelij locis potiùs se Dominus filium hominis, quàm filium dei appellat, vt videlicet nobis ad memoriam reducat, quid pro nobis factus sit. Nam qui erat Deus excelsus supra omnia, factus est homo humilis inter omnia. Sed quantò magis ille humanitatis suæ infima commendat, tantò magis nos sublimia diuinitatis eius venerari ac glorificare oportet. *Tradetur*, ait, *principibus sacerdotum.* Primùm enim ad Annam sacerdotem, deinde ad Caiphæ domum adductus est, qui erat pontifex anni illius. *Et condemnabunt eum morte.* Morte eum condemnauerunt, quando clamauerunt dicentes: Reus est mortis: Et, Tolle, tolle, crucifige eum. *Et tradent eum gentibus ad illudendum.* Traditus est gẽtibus, quia sicut textus passionis eius apertè loquitur, vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt eum Pontio Pilato præsidi, qui vtiq; gentilis erat, non Iudęus. Ipse verò flagellatum eum tradidit militibus Romanis ad crucifigendum. Sciendum autem à multis Dominum fuisse traditum. Tradidit nanq; eum Deus pater, iuxta quod Apostolus ait: Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Tradidit se ipse filius, eodem Apostolo dicente: Qui dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis. Tradidit eum Iudas Iudæis, Iudæi nihilominùs tradiderũt eum Pilato, Pilatus, vt dictum est, tradidit eum militibus. Si ergo eum Deus pater tradidit, & si se ipse tradidit, quid Iudas & Iudæi peccauerunt? quid tantum sceleris admiserunt, vt sic execrationi & horrori sint omnibus in Christum credentibus? Sed in re vna dispar fuit affectus. Quod enim Deus pater cum coæterno sibi filio fecit, amore & dilectione humani generis: hoc fecit Iudas, hoc Iudæi fecerunt odio & inuidia. Ideoq; Deus pater dignissimè cum Christo filio suo benedicitur, & continuis laudibus prædicatur: illi verò æterna maledictione & supplicio condemnantur. *Tradetur*, inquit, *gentibus, ad illudendum & flagellandum.* Illusus est Dominus, quando (sicut euangelium refert) susципientes eum milites velauerunt faciem eius, & induerũt eum purpura, & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arũdinem in dextera eius, & venientes dixerunt: Aue rex Iudæorum, & dabant ei alapas. Flagellatus est, ad columnam religatus, in qua hodieque fusi cruoris indicia feruntur apparere. Quòd verò priùs flagellatus, deinde crucifixus est, ex Romano more factum est, qui reos & morti adiudicatos, primùm flagellis verberabant, deinde securi cædebant. *Et die tertia resurget.* Solet scriptura diuina tristibus læta subiũgere. Vnde & Dominus prædictam suæ passionis ignominiam, resurrectionis è vestigio futuræ gloria euacuauit, subdens: *Tertia die resurget.* Et iure die tertia, quia author vitæ, diù à morte teneri non potuit. De quo psalmista dicit: De torrente in via bibet, quia videlicet mortem nostram in transitu gustauit, & caro illius corruptionem non vidit. *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filijs suis, adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei, Quid uis? Ait illi: Dic ut sedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistrã tuam, in regno tuo.* Mater filiorum Zebedæi, ipsa est Maria mater Iacobi & Ioãnis, cuius & in resurrectione Domini mẽtio agitur. Sed cùm Dominũ suam superiùs legatur prædixisse passionem, ꝙ videlicet tradendus, & illudendus, & flagellandus esset, quærendum vnde mater filiorum Zebedæi ad hanc regni opinionem inducta sit, vt filijs à Domino regnandi cum eò gloriam quæreret. Ea enim quæ Dominus in se implenda prædixerat, contraria videbantur gloriæ regni. Sed quia Dominus subiunxerat se die tertio resurrecturum, putauit hæc mulier post resurrectionem ilicò eum in mũdo regnaturum, arbitrans in primo aduentu Domini implendum, quod in secundo promittitur. Ideoq; immemor futurorum, auiditate fœminea præsentem gloriam concupiscit. Sed & vsq; hodiè Iudęorum opinio est Christum suum cùm venerit, per mille annos feliciter in mundo regnaturum, omnibusq; gentibus imperaturum, ipsosq; Iudæos omni pace & prosperitate gauisuros, atq; omnibus populis esse venerandos. Hac opinione correpta fuit hæc mulier, ideoq; errore muliebri & affectu materno, filijs volebat regnum impetrare. Quòd verò Dominus interrogat quid illa vellet, non de ignorantia facit, sed ex dispensatione: vt videlicet illius petitio nota omnibus fieret, sicq; & Dominꝰ aptè responderet. *Respondens Iesus, dixit: Nescitis quid petatis.* Matre postulãte, nó matri Dominꝰ, sed filijs respondit: quia nouerat matris preces ex filiorũ venire volũtate. Nesciebant enim quid peterẽt, qui conregnare & consedere Christo volebant, quod necdũ merebãtur. Necdũ enim ꝓ Christo pati poterant, vt Apostolus dicit: Si compatimur, & conregnabimus. Delectat ergo eos culmen honoris, sed priùs debet eos via exercere laboris. Iam desiderant sublimiter regnare cum Christo, sed priùs debent pati pro Christo. Bonũ certè erat eorum desiderium, sed incõsiderata petitio: atq; ideò Dominus non voluntatem aut propositum illorum culpauit, quod de eius amore nascebatur, sed solam ignorantiam reprehẽdit, dicens: *Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Nomine calicis vel baptismi, in sancto euãgelio labor martyrij solet designari. Vnde alibi Dominus dicit: Baptismate habeo

Christus filium hominis cur se crebriùs dicat.

Ioan.18.

Matth.26 Luc.23.

Math.27.

Christus à multis traditus.

Rom.8. Ephes.5.

Iudæorum de suo regia pertio.

2.Timo.2.

Luc.11. Luc.22. beo baptizari, & quàm coartor, vsq; dum perficiatur? In passione quoq; patrem orat: Si vis, transfer calicem istum à me. Interrogat ergo illos, si possent bibere calicem, quem ipse erat bibiturus, per hoc se & illos per passionem insinuans consummandos. Quod illi intelligentes, responderunt: *Possumus. Et Dominus, Calicem, inquit, meum bibetis.* Quæri solet, quomodò ambo hi fratres, Ioannes videlicet & Iacobus, calicem Domini biberint, cùm solum Iacobum legamus pro *Actor.12.* Christo ab Herode capite cæsum, Ioannem verò in pace quieuisse, & propria morte vitam finisse. Sed legimus in historijs, ipsum quoq; causa *Act.5.* nominis Christi multa sustinuisse. Nam & cum cæteris apostolis cæsus in Actibus apostolorum inuenitur, & deinceps à Domitiano Cæsare in feruentis olei dolium missus, itemq; ab eodem principe propter inuictam euangelizandi cõstantiam, in Patmos insulam exilio narratur fuisse relegatus. Videmus ergo nó defuisse animũ martyrio, & ipsum quoq; bibisse calicẽ passiõis, quãuis persecutor non fuerit eius sanguinem. *Sedere autem ad dexteram meam & sinistram, non est meum dare uobis, sed quibus paratum est à patre meo.* Quod dicit, Non est meum dare vobis, ita sentiri potest: non est meum, sed vestrum. Non est meum dare, quia regnum cælorum in accipientis est potestate. Quicunq; enim talem se exhibuerit, vt dignus sit regno cęlorum, hic talis illud accipiet, quia regnum cælorum, non persona sed vita consequitur. Si itaq; & vos tales fueritis, vt digni sitis accipere illud regnum, quod Deus pater solis victoribus, & vsq; in finem in bono perseuerantibus præparauit, vos quoq; illud absq; dubio accipietis. Siue etiam alio sensu: Non est meum dare vobis, hoc est, non est meum dare illud regnum superbis & elatis, quod adhuc erant. Si ergo illud vultis accipere, nolite esse quod estis, id est, nolite esse elati, quia tales indigni sunt accipere regnum cælorum. Ergo priùs humiliamini, & tunc vobis quoque præparabitur regnum cælorum. *Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus.* Non contra matrem indignantur, sed ad filios referunt præsumptionem huiusce postulationis, quod quasi ignorantes mensuram sui, immodica cupiditate ad petendum regnum exarserint. Iuxta quod Dominus quoq; suprà non petenti matri, sed tacentibus filijs respondit, Nescitis quid petatis, Ex qua Domini responsione, simul & decem apostolorum indignatione, datur intelligi, quòd filij matrem instigauerint ad grandia petenda. *Iesus autem uocauit eos ad se, & ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter uos, sed quicũq; uoluerit inter uos maior fieri, sit uester minister: & qui uoluerit inter uos primus esse, erit uester seruus.* Humilis ac benignus magister, formaque omnium magistrorum, nec illos duos de immodica & irrationabili petitione, nec hos decem de indignatione & liuore, quem contra illos habebant, redarguit, sed tale ponit exemplum, quo manifestè doceat illum verè esse maiorem, qui minorem se exhibuerit, illumq; existere primũ, qui fuerit seruus omnium. Qui ergo vult fratrẽ prævenire regnando, præueniat eum se humiliando. Vincat eum obsequio, quem vult vincere dignitate. Fruſtrà igitur illi grandia quærebant, fruſtrà & isti de illorum insolenti desiderio indignantur, cùm à Domino doceantur, ad summæ dignitatis culmen, non potentia, sed humilitate conscendere. *Sicut filius hominis non uenit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.* Proponit illis ex seipso formam discendæ humilitatis, vt si docentis verba parui penderent, inuitarentur exemplo. Non venit, inquit, filius hominis ministrari, id est, vt ministraretur ei, sed ministrare. Si ego, inquit, qui cùm sim Dei filius & Deus, propter vos homo factus, non ad hoc in mundum veni, vt hominum obsequia vel ministeria mihi requirerem, sed vt ipse potiùs vobis obsequerer, vobisq; ministrarẽ: quare vos homines ab hominibus, mortales à mortalibus superba seruitia requiritis, nõ vt naturæ, cui satis parua sufficiunt, necessitatibus subueniatis, sed vt maiores & celsiores cæteris appareatis? Attendant hoc ecclesiarum præpositi, & caueãt: audiant à Domino, quia gentilis & non ecclesiasticæ consuetudinis est, subiectis dominari, & super eos, quibus prælati sunt, potestatis dominiũ exercere. Discant igitur boni magistri exemplo, non se fastu superbiæ super minores extollere, sed potiùs illis se contemperare, atq; æquales in omnibus se exhibere studeant, quatenùs ab illo, qui non venit ministrari, sed ministrare, cælestẽ mereantur consequi magistratum. Ministrauit autem Dominus, quando in cœna linteo se præ- *Ioan.13.* cinxit, & omnium discipulorum pedes lauit. Ministrauit etiam, cùm in crucis altari seipsum pro nostra redemptione Deo patri hostiam obtulit. Vnde sequitur: *Et dare animam suam redemptionem pro multis.* Commendandum memoriæ, quòd nó pro omnibus, sed pro multis se dicit animam suã dare: pro his videlicet, qui credere voluerint: pro his, qui sunt de numero saluandorum, & ad vitam æternam prædestinatorum.

FERIA QVINTA,
Lucæ 16.

In illo tempore, Dixit Iesus discipulis suis, Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & byſſo. Et reliqua.

Homiliam require prima dominica post octauas Pentecostes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE EADEM V. FERIA
HOMILIA EVSEBII
Emeseni.

Homo quidam erat diues, & induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidiè ſplendidè.

HAec enim verba & diuitibus & pauperibus valdè neceſſaria ſunt, quia & illis dant timorem, & his conſolationem. Audiunt hic diuites pœnas ſuas, audiunt & pauperes gaudia ſua. *Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, ulceribus plenus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa diuitis, & nemo illi dabat.* Sanctorum etenim nomina ſcripta ſunt in cælis: malorum verò nomina nō ſunt ſcripta in libro vitæ. Vnde & hoc loco diuitis nomen non dicitur, mendici verò dicitur. Hic Lazarus vocatur, ille quomodò vocetur neſcimus. Talibus enim dicturus eſt Dominus: Amen dico vobis, neſcio vos. Quid igitur mirum, ſi illum neſcimus, quem ille neſcit qui omnia ſcit? Se viciſsim vterque videt, vt illius impietas manifeſtetur, & huius patientia creſcat. Videt iſte diuitem delicijs affluentem, videt ille pauperem inopia tabeſcentem: ille epulatur, iſte cruciatur. Neque ille tantùm peccaret, ſi hunc non vidiſſet: neq; iſte tantùm cruciaretur ſi illius delicias non aſpexiſſet. Vterq; igitur erat alteri materia mali: ille temporalis, iſte æterni. Habebat tamen pauper hāc vnam cōſolationem, quòd canes veniebant & lingebant vlcera eius. Canum enim lingua medicamētum quoddam eſt, & lingendo vulnera curat. *Factum eſt autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & diues, & ſepultus eſt in inferno.* Nam & Abraham, ſicut & cæteri patriarchæ & prophetæ, in inferno erat, inferni tamen pœnas non patiebatur. Sinus igitur Abrahæ ille locus intelligitur, in quo ſimul collecti ſancti quieſcebant. Infernus autem pœnarum locus, in quo iniquorum animæ cruciantur. *Eleuans autem oculos ſuos cùm eſſet in tormentis, uidit Abraham à longè, & Lazarū in ſinu eius.* Hoc eſt enim quod Dominus ait: Eadem quippe menſura qua menſi fueritis, remetietur vobis. Maiora tamē ſunt tormenta diuitis: quàm fuerant vlcera Lazari. Contrà diues iam videre incipit Lazarum ſuperiorem, & tam ſuperiorem, vt niſi oculis eleuatis eum videre nō poſſit. Videt Abraham, videt & Lazarum in ſinu Abrahæ: & quanuis longè poſitus, videt tamen omnes delicias illi ante poſitas. Videt & concupiſcit: cruciatur, & non eſt qui eius miſereatur. Et tantò quidem ampliùs cruciatur, quātò maiores delicias contemplatur. Viſus enim multoties appetitum parit: & ea quæ non videmus, minùs appetere ſolemus. Vnde & ait: *Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digiti ſui in aqua, & refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma.* Micas panis de menſa diuitis Lazarus concupiuit: guttam aquæ de digito Lazari diues quæſiuit. Sed quare de digito Lazari? Fortaſſe quia timebat, ne eum accuſaret, & vt eum quem offenderat, vel talibus verbis ad miſericordiam inclinaret: Aut quia non alium videre ei cōcedebatur, niſi eundem ipſum pro quo cruciabatur. Non enim licet malis videre quod volunt, quanuis liceat bonis videre, & audire & habere quæcunq; volunt. Fruſtrà autē miſericordiam petit, qui miſericordiam nō fecit. Vnde & ſubditur: *Et dixit illi Abrahā: Fili recordare, quia recepiſti bona in uita tua, et Lazarus ſimiliter mala: Nunc aūt hic conſolatur, tu verò cruciaris.* Hinc eſt enim, q̄ Dominus ait: Væ vobis diuites, qui habetis conſolationem veſtrā: &, Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Diuitiæ igitur ad miſeriā, pauertas ad beatitudinem perducit: pauperibus cælum, diuitibus infernus aperitur, diuitibus vtiq;, qui his diuitijs malè vtuntur. *Et in his omnibus, inter nos & uos chaos magnum firmatum eſt, ut hi qui uolunt hinc tranſire ad uos, non poſſint, neq; inde huc tranſmeare.* Magnum enim chaos, Dei diſpoſitio eſt, quæ tam firma & ſtabilis eſt, vt contra Dei voluntatē penitùs immutari non poſsit. Igitur neq; boni miſerando poſſunt tranſire ad malos, neq; mali ad bonos tranſmeare valent. Volunt tamen boni compatiēdo tranſire ad eos, ſi Deus velit: ſed quia hoc Deus non vult, ipſa talis compaſsio deficit in eis, quoniam omnis eorū voluntas in Dei voluntate conſiſtit. *Et ait: Rogo ergo te pater, ut mittas illum in domum patris mei. Habeo enim quinq; fratres, ut teſtetur illis, ne & ipſi ueniant in hunc locum tormentorum.* Hæc autem colloquutio Abrahæ & diuitis, non ſono vocis, ſed ſola mentis cogitatione facta eſt. Et boni quidem omnia cognoſcunt: malis verò ea tātummodò ſcire datur, in quibus eorum pœna magis creſcat & augeatur. Vnde & diues iſte pro fratribus ſolicitus magis torquetur, timens ne ipſi quoq; ſimilia patiātur. Si enim illorū penitùs oblitus fuiſſet, minus aliquid tormenti habuiſſet. *Et ait illi Abraham: Habent Moyſen & prophetas, audiant illos.* Sufficit enim hos audire, ſi his credere voluerint. Omnibus enim ad ſalutem ſufficiunt ſoli Moyſi & prophetarum libri, ſi tamen benè intelligantur. *Et ille dixit: Non pater Abraham, ſed ſi quis ex mortuis ierit ad illos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: Si Moyſen & prophetas non audiūt, neq; ſi quis ex mortuis ſurrexerit, credent ei.* Ideò enim Chriſto Domino reſurgenti, vſque hodiè Iudæi credere nolunt, quia Moyſen & prophetas nō audiunt. Vnde ipſe Dominus: Si crederetis, inquit, Moyſi, crederetis vtiq; & mihi. de me enim ipſe ſcripſit. Hæc autem ſi allegoricè intelligantur, diues iſte Iudaicum populum ſignificat. Solus enim Iudæorum populus legis & prophetarum diuitijs & delicijs locupletatus, omnes alios deſpiciebat, multisq; in cibis ſpiritualibus, quibus abundabat, communicare nolebat. Hoc enim vitio vſq;

Luc. 13.

Sinus Abrahæ

Luc. 6.

Luc. 6. Matth. 5.

Chaos magnum.

Expoſitio allegorica.

vſq; nunc populus ille laborat: & ſic omnia cælat, ac ſi reuelando perdere debuiſſet. Qui purpura quidē in regib⁹, in ſacerdotib⁹ aūt byſſo induebatur. Cuius quinq; fratres, quinq; populi partes intelliguntur, reges ſcilicet, ſacerdotes, ſcribæ & phariſæi, & cætera populi multitudo. Mendicus verò, id eſt, Lazar⁹, qui adiut⁹ interpretatur, quē Dominus adiuuit & à mortis periculo liberauit, gentilis populus eſt, qui priùs quidem cęleſtium bonorum egenus & pauper, veritatē cognoſcere & Deū intelligere cupiebat, ſed nemo illi dabat, nemo illi veritatis arcana reuelabat: ſed tandē canes, tādē Chriſti apoſtoli veniētes eius vlcera linxerunt, & lingendo curauerunt. Sicut enim canes, ita & apoſtoli & doctores medicamentum lingua ferunt, quia prædicando ſanant. Videamus quod ſequitur. *Factum eſt autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & diues, & ſepultus eſt in inferno.* Quoti diè nanq; & Iudæi & Gentiles moriuntur: quoti diè Chriſtiani in cælum feruntur, quotidiè Iudæi in inferno ſepeliuntur: ibiq; ſua tormenta ſentientes, dum ſecum recogitant in quibus peccauerint, intelligunt quàm ſtulti & increduli fuerint, quantùm à fide & iuſtitia patris ſui Abrahæ deuiauerint. Et dum à Gētili populo, ſi fieri poſſit, adiuuari concupiſcunt, dumq; Abraham eorum vana & inutilia deſideria, & ſerā pœnitentiā conſiderat, quodāmodò Abraham loquitur, cū eis, rogatur ab eis, & reſpondet eis. Sola enim cogitatio ſufficit eis ad colloquendum quæcunq; volunt. Quoniam aūt de ſua ſalute deſperat, pro fratribus timet & orat, ne & ipſi decipiantur, & ſimilia patiantur.

FERIA SEXTA,
Matth. XXI.

In illo tempore: Dixit Ieſus principibus ſacerdotum & ſenioribus populi parabolam hanc: Homo erat paterfamilias, qui plantauit uineam, & ſepem circundedit ei, Et reliqua. Homilia Erici.

PAſſurus pro ſalute hominū Dei filius, venit Hieruſalem triumphali pompa ab exultantibus turbis exceptus, quò tali gloria inimicorum ſuorum animos ad ſuam necem maturandam ampliùs incitaret: ibiq; per quinque dies non ceſſauit docens populum, & propoſitis ſimilitudinibus, ſcribarū & phariſæorum ſcelera redarguens. Nam quia ipſi interrogauerāt eum, cùm eos de templo mirabili authoritate eijceret, In qua poteſtate iſta facis? eiq; in ſermone laqueos tetenderant, cùm ſimulata veneratione interrogabant, vtrùm liceret dare cenſum Cæſari, an non: idcircò ipſis ſuis artibus ſuperantur à Domino, & in parabolis audiunt, quòd apertiùs non merebantur audire.

Matth. 21.

Hæc denique ſimilitudo, Iudæorum inuidiam, quam contra ſaluatorem conceperant, & paſsionis eius totum complectitur ſacramentum. Homo iſte paterfamilias, Deus omnipotens eſt: qui ſic homines in mūdo, quaſi dominus ſuos ſamulos poſsidet in domo. Hic eſt ille paterfamilias, qui habuit duos filios, quiq; ſecundùm alterius loci parabolam, conduxit operarios in vineam ſuam. *Qui plantauit uineam*, plebem videlicet Iſraēliticam, quam de omnibus gentibus in populum ſibi peculiarem elegit. Hæc eſt illa vinea, de qua Iſaias in Cantico locutus, ad vltimum addidit: Vinea Domini ſabaoth, domus Iſrael eſt, de qua & Pſalmiſta dicit: Vineam de Aegypto tranſtuliſti, eieciſti gentes, & plantaſti eam. *Et ſepem circundedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis.* Sepes vel murum vrbis, vel angelica præſidia deſignat. Sepem ergo vineæ circundedit, quia & munimine murorum, & auxilio angelorum illam plebem vallauit. Torcular, altare: quia ſicut in torculari vuæ exprimuntur, ita in altari Deo hoſtiæ immolantur. Hæc ſunt illa torcularia, quorum titulo tres Pſalmi prænotantur ita: IN finem pro torcularibus. *Aedificauit turrim*, templum ſcilicet. Hæc eſt illa turris, ad quā loquitur Michęas ꝓpheta, dicēs: Et tu turris gregis nebuloſa filia Sió. *Locauit eā agricolis.* Agricolas, principes Iudæorum dicit, quibus Deus vrbem templumq; & vniuerſam ſimul plebem tradidit gubernandam. *Et peregrè profectus eſt.* Profectus eſt peregrè, non loci mutatione. Nam quò poteſt recedere, qui per prophetam loquitur: Cælum & terram impleo? Et alibi: Deus de propè ego ſum, & non Deus de longe. Sed abiiſſe dicitur, liberum illis relinquendo arbitrium, vtrùm vellent operari in vinea, an non. *Cùm autem tempus fructuum appropinquaſſet.* Tempus fructuum fuit, ex quo interfectis hoſtibus terram repromiſsionis ſecuri incolere cœperunt. Et pulchrè non prouentum, ſed tempus fructuum dicit: quia nullus huius vineę prouentus, nullus proterui populi extitit boni operis fructus. *Miſit ſeruos ſuos ad agricolas, ut acciperent fructus eius. Et agricolæ apprehenſis ſeruis eius, alium cæciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidauerunt.* Serui qui primùm ad agricolas miſsi ſunt, Moyſes legiſlator, & Aaron, & reliqui ſacerdotes intelliguntur, qui per quadraginta annos continuos in deſerto fructum legis quā illis Deus dederat, exigebant. Sed agricolæ miſſos ad ſe ſeruos occiderunt, flagellantes illos verberibus linguarum. Scriptum eſt enim: Irritauerunt Moyſen in caſtris, Aaron ſanctum Domini. Et iterum: Vexatus eſt Moyſes propter eos, quia exacerbauerūt ſpiritum eius. De qua vinea quid ipſe Moyſes ſentiat, in Cantico Deuteronomij declarat, dicens: De vinea Sodomorum vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorræ. Vua eorum vua fellis, & botrus

Hier. 23.

ibid.

Matt. 20.

Esai. 5.

Pſal. 79.

Pſal. 105.

ibidem.

Deut. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

botrus amarissimus. Notãdum quòd alius euangelista dicit, Alium in capite percusserunt. Per hunc namq; seruũ intelligitur Dauid, quia & ipse seruus patrisfamilias erat, qui eũdem populũ ad superna desideria incitabat, & iucundam psalmorum melodiam concinendo mulcebat. Sed hũc in capite percusserũt, quia ipsum spũalis musicę repertorẽ abiecerũt, dicentes: Non est nobis pars in Dauid, neq; hæreditas in filio Isai. Nobile quoq; regnũ eius ignobili tradiderunt, & religionem impietate mutauerũt. Sed ille huius iniuriæ immemor, pro hac vinea hunc patrẽfamilias precabatur, dicẽs: Domine Deus virtutũ cõuertere, respice de cælo & vide, & visita vineam istam. *Iterum misit alios seruos, plures prioribus.* Per seruos qui secundo loco missi sunt, choros prophetarũ debemus accipere, qui suis oraculis populũ conueniebant, & quæ huic vineæ imminerent prædicabant. Sed & hos similiter persecuti sunt, & occiderunt eos qui prænunciabant de aduẽtu iusti. Audiamus quid Isaias de huius vineæ steritate queratur: Ego te plãtaui vineam electam omne semen verum. quomodò conuersa es in amaritudinem vitis alienæ? *Fecerunt, inquit, illis similiter.* Quosdam enim lapidauerunt, vt Ezechielem in Chaldæa, Ieremiam in Aegypto: Alios occiderunt, vt Naboth. Alios secuerunt, vt Esaiam. Nonnullos vecte ferreo perculerunt, vt Amos. Et ostenditur hic patientia & sustentatio Domini, qui crebrò seruos suos ad malos colonos direxit, quatenùs ab illis conuenti pœnitentiam ageret. Sed illi contemnentes, iram sibi in die iræ thesaurizauerunt. *Nouissimè autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur forsitan filium meum.* Nouissimè, inquit, misit filium suum: quia, vt Apostolus dicit, quando venit plenitudo temporum, misit Deus filium suum factum ex muliere. Non autẽ misit, vt de malis & pœnæ obnoxijs colonis sententiam iudicialem ferret, sed adhuc post tanta scelera, post seruorum suorum impias mortes, locum veniæ misericorditer reseruaret. *Verebuntur filium meum.* Quod quasi ambigens dicit, *Verebuntur filium meum*: non ita est accipiendum, quòd ignorans hoc dixerit. Nam quid Deus, qui cuncta singulariter & summè nouit, ignorare posset? Sed dubitare dicitur, vt in homine potestas liberi arbitrij demonstretur. *Agricolæ autem uidentes filium, dixerunt: Hic est hæres, uenite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius.* Ex hoc loco manifestissimè comprobantur principes Iudæorum non per ignorantiam, sed per inuidiam crucifixisse redemptorem. Nouerant enim eum esse filium Dei, intelligebant hunc esse illum, cui loquitur Deus pater, Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terrę. Agnoscebant eum ad hoc venisse in mundum, vt oẽs gentes ad fidẽ suam conuerteret: ideoq; quasi consulentes sibi, dicebant: Ecce mundus totus post eũ abijt: & si dimittimus eum sic, oẽs credẽt in eum. Hereditas aũt filij, Ecclesia est, in cunctis ei data nationibus, quam non moriens pater ei reliquit, sed ipse morte sua illam misericorditer acquisiuit, atq; à mortuis resurgendo, illam sub testamento vitæ æternæ possedit. De qua Apostolus: Attendite, inquit, gregi, in quo vos posuit Christus regere Ecclesiam, quam acquisiuit sanguine suo. Hanc hæreditatem nequã coloni occiso hærede percipere cupiebant, quia ad hoc persequebantur Christum, vt fidem, quæ per eum est, extinguerent, & carnalem iustitiam legis, iustitiæ euangelij prę ferrent, atq; omnibus gentibus imbuendis inserent. *Et apprehensum, inquit, eum eiecerunt extra uineam, & occiderunt.* Extra vineã vineæ hæres occiditur, quia Christus extra ciuitatẽ in loco qui Golgatha, id est, Caluariæ dicitur, crucifixus est. Vnde Apostolus, Iesus, ait, vt sanctificaret per suũ sanguinẽ populũ, extra portam passus est. Siue eiecerunt eum extra vineam, & occiderũt: quia priùs per incredulitatem à suis eum cordibus expulerunt, ac sic crucis supplicio affecerunt. Hoc olim præsignabat, & Moyses in tabernaculo Dei, altare holocausti, in quo victimarum sanguis effundebatur, nõ intra tabernaculum, sed ad ostiũ posuit, mysticè innuens quia crucis ara extra portã Hierosolymorũ erigenda erat, & Christus Dei patris filius non in domo Iudæorum, hoc est, in mentibus illorum recipiendus, sed foris esset immolandus. Quòd aũt Marcus mutato ordine dicit, & apprehendentes occiderunt eum, & eiecerunt eum extra vineam, pertinaciam infidelitatis illorum denotat, qui nec post eius passionem & resurrectionem credere voluerunt, sed quasi cadauer inutile proiecerũt, prædicatores verbi illius à suis finibus excludentes, & ad nationum populos transmittentes. *Cùm ergo uenerit dominus uineæ, quid faciet agricolis illis?* Interrogat eos; nõ quò ignoret quid illi respõsuri essent, sed vt eos propria ipsorum responsione condemnet. *Aiunt illi: Malos malè perdet, & uineam suam locabit alijs agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.* Veniẽs Dominus malos malè perdidit, quia incredulos & crudeles sui homicidas digna vltione punijt, locum, gentem, simul & regnum eis auferendo, & per omnes mundi terminos lõgè lateq; disseminando. Locauit aũt vineam alijs agricolis, quia nobis scripturarum mysteria, & suam cognitionem tribuit ea conditione, vt suis temporibus fructum reddamus, id est, noueri-mus quid vnoquoq; tẽpore nos loqui vel agere cõueniat. Sed hoc qd' illi dixerunt, q̃ scilicet malos malè perderet, & vineam alijs agricolis locaret, Dominus ipse diuinitùs procuratum prophetico ostendit exẽplo, respondens: *Nunq̃ legistis in scripturis: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: A Domino factum est illud, & est mirabile in oculis nostris?* Ipsos quos superiùs colonos vocauerat, nunc ædificantes appellat: quia principes & sacerdotes Iudæorum, subditam plebem ad offerendos iustitiæ fructus, quasi vineam excolere, ipsi etiam hanc vt Domino inhabitatore digna fieret, quasi domum construere & exornare debuerant. Nã & Apostolus huic sensui adstipulatur, fidelibus loquens: Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. Sed illi quasi mali coloni, fructum vineæ reddere noluerant, id est, quasi mali cementarij electum & pretiosum lapidem, vel in fundamento, vel in angulo domus Dei ponendum, subtrahere re, hoc est, fidem Christi auditoribus conabãtur eripere. Ait ergo: *Nunquam legistis in scripturis: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris?* Ac si diceret: Quomodò implebitur hæc prophetia, quæ lapidem ab ædificantibus reprobatum, in caput anguli factum dicit, nisi Christus à vobis reprobatus & occisus, crediturus gentibus prædicetur? Ipse enim quasi lapis pretiosus (iuxta quod Apostolus ait, Petra erat Christus) in caput anguli factus est, quia duos parietes, circũcisionis & præputij, in sua fide copulauit, & vnã Ecclesiam è duobus populis constituit. *Ideò dico uobis, auferetur à uobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Regnum Dei, hoc loco sanctæ scripturæ intelligendæ sunt, quas Dominus infidelibus Iudæis abstulit, & nobis tradidit, vt earũ fructum faciamus. Ista est illa vinea, quæ quondam locata est agricolis, sed illi nomen tantùm scripturarum habuerunt, fructum verò illarum nullum consequi meruerunt. *Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem uerò ceciderit, conteret eum.* Multum distat inter eum, qui per fragilitatem aut ignorantiam peccando offendit Christum, & eum qui per superbiã negat Christum. Qui ergo credens in Christum peccat, super lapidem cadit & confringitur: sed nõ omnino conteritur, quia reseruatur ad pœnitentiam. Si verò quis negauerit Christum, cadet, id est, irruet super eum, lapis iste & ita conteret eum æterno interitu, vt ne testa quidem remaneat, in qua parum aquæ de fouea hauriatur. Potest & hoc dici, q̃ illi super lapidem cadebant, qui tunc eum per simplicitatem & ignorantiam contemnebant, & iniurijs afficiebant: ideò conquassantur, non tamen penitùs conteruntur. Qui verò illum scientes Dei filium, per inuidiam negabant, & cõtra suam conscientiã eius opera Beelzebub assignabant, super hos irruet lapis & conteret eos sempiterna perditione, atque comminuet, vt sint impij sicut puluis ante faciem venti. *Et cùm audissent principes sacerdotum & pharisæi parabolas eius, cognouerunt quòd de ipsis diceret. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas, quoniam sicut prophetam eum habebant.* Principes sacerdotum & scribæ, propria redarguti conscientia, quærebant interficere Dominum, quasi mentientem contra se. Sed hoc agentes, probant vera esse quæ dixerat. Ipse enim erat hæres, cuius mors iniusta vindicanda erat à patre. Ipsi verò erant nequam coloni, qui ab occidendo filio Dei ad modicum quidem humano timore retardari poterant, donec hora eius veniret: nunquam verò diuino timore aut amore cohiberi voluerunt. Hæc verò quæ de hac parabola super malitia Iudæorum exposuimus, morali intellectu ad vnumquemq; nostrum referre possumus. Cùm enim alicui fidelium mysterium baptismi, quod operãdo excolat locatur. Mittitur vnus & alter seruus, & tertius, qui fructus accipiant, cùm legitur lex, prophetia & Psalmi: quorum monitis instructus, bonorum fructus operum reddere debeat. Sed seruus contumelijs affectus ejicitur, cũ sermo Dei vel contemnitur, vel etiam (quod grauius est) blasphematur. Insuper & hæredẽ, quantùm in se est occidit, qui immemor misericordiæ omnipotẽtis Dei ipsum filiũ Dei respuit, & spiritui sanctõ, quo regeneratus est, contumeliã facit. Propter quod malis agricolis malè perditis, datur alteri vinea: quia dono gratiæ, quod ingratus spreuit, humilis quisque ditatur. Sed & hoc, quod de illis in fine Euangelij dictum est, quia quærentes tenere Christum, timore turbarum præpediuntur, quotidiè videmus agi in Ecclesia. Multi enim sunt in Ecclesia solo nomine fratres, qui Ecclesiasticæ fidei & pacis vnitatem, quam non diligunt, propter cohabitantium bonorum fratrum multitudinem, aut erubescunt, aut timent impugnare. Sed his, sicut Dominus ad Iob de struthione loquitur, cùm tempus fuerit, in altum alæ erigentur: qui nacta occasione, Ecclesiam persequi, & Christum cum pharisæis cruci addicere, & ostentui conantur habere. Pertimescere debemus ipsi quæ loquimur, & cauere ne exempla pharisæorum sequamur. Curemus solicitè, ne solo nomine tantũ simus Christiani, nec sub specie pietatis, impietatis titulum subcelemus. Agamus Domino gratias, qui scripturarum scientiã, in qua quondam Iudæi florebant, illis pro irreuocabili malitia abstulit, & nobis pro sola misericordia largitus est. Veneremur eum, non sicut simplices turbæ, vt prophetã, sed vt Deum & Dominum prophetarum, saluatorem & redemptorem nostrum: Qui viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, AMEN.

Gal. 4.

Psal. 79.

Act. 7.

Esai. 5. Hier. 2.

Psalm. 2.

Ioan. 12.

Marc. 12.

Act. 20.

Heb. 13.

Exod. 40

Regnum Dei scriptura sacra.

Psalm. 34.

1. Cor. 3.

1 Cor. 10.

Moralis huius parabolæ expositio.

Psalm. 79

Esai. 5.

Ioh. 39.

DE EADEM FERIA VI. HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Homo erat paterfamilias, &c. Matth. 21.

IN figura huius hominis patrisfamilias, Deum patrem significat, qui vineã Sorec ex Aegypto transtulit, & in mõtibus Israël eã plantauit. Vnde & Psalmista. Vineã (inquit) ex Aegypto transtulisti, & eiecisti gẽtes, & plãtasti eã: de qua & propheta ait: Vinea facta est dilecto in cornu filio olei. Et paulò ibidem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

paulò pòst. Vinea enim Dei Sabaoth, domus Israël est. *Huic autem sepem circundedit*, quia suæ virtutis præsidio eã muniuit. *Et fodit in ea torcular*: per quod altare intelligitur, in quo, quasi vinum in torculari, hostiarum sanguis quotidiè fundebatur. *Aedificauit turrim* in medio eius, templum videlicet, in quo Iudæorum populus maximè confidebat. *Et locauit eam agricolis*: quia terram illam, lacte & melle manantem, Iudæis tra-
Psal. 18. didit ad inhabitandum. *Et peregrè profectus est*: quia longè est à peccatoribus salus. *Cùm autē tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, ut acciperent fructus eius, & agricolæ apprehensis seruis suis, alium cæciderunt, aliũ occiderunt, aliũ uerò lapidauerunt.* Hoc est enim qd propheta ait: Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas. Isti enim
Esai. 5. serui, viri sancti & prophetæ fuerunt, quos ad illum populum corrigendum & ad seruitium suum inuitandum Dominus præmisit. *Iterum misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter.* Vnde
Act. 7. & beatus Stephanus ait: Quem enim prophetarum non sunt persecuti patres vestri? & occiderunt eos qui prænunciabant de aduentu iusti, cuius vos nũc proditores & homicidæ fuistis. *Nouissimè autem misit ad eos filium, dicens: Verebuntur filiũ meũ. Agricolæ autem uidentes filium, dixerunt intra se, Hic est hæres: uenite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius.* Manifesta sunt hæc, in quibus passionem suam Dominus prophetabat: nos autem omnia jam completa videmus & credimus. Agricolæ
Ioan. 11. enim, id est, principes sacerdotum, nisi Christum interficerent, & locum & gentem se amittere timuerunt. Ideoque dederunt consilium populo, vt eum interficerent. *Et apprehensum eum eiecerunt extra uineam.* Quid est extra vineam, nisi extra ci-
Hebr. 13. uitatē? Hoc est enim, quod Apostolus ait: Quorum enim animalium infertur sanguis in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Ita & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinē populum, extra portã passus est. Compleuerunt igitur isti malo suo, quod illi significabant in sacrificio suo. *Cùm ergo uenerit Dominus uineæ, quid faciet agricolis illis?* Interrogat autem Dominus sententiam iudicij, vt ipsimet suo iudicio seipsos damnarent. *Aiunt illi: Malos malè perdet: & uineam suam locabit aliis agricolis: qui reddent ei fructũ temporibus suis.* Quid est, ò principes sacerdotum?
Matth. 21. Quomodò non respondetis, Nescimus, sicut superiùs cùm de baptismo Ioannis vos Dominus interrogaret, nisi quia hanc parabolam nondùm intelligitis? Si enim intelligeretis eam, aut nullum, aut aliud daretis responsum. Lucas tamen
Luc. 20. dicit, quòd pharisæi audito hoc verbo, responderint, Absit: quod tale fuit, ac si dicerent: Absit
Psal. 17. vt te occidamus, & ideò pereamus. *Dicit illis Iesus: Nunquam legistis in scripturis: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris?* Hæc enim superior parabola idem significat. Principes enim sacerdotum, & scribæ, & pharisæi, qui legem exponentes & populum docentes, Synagogam ædificabant, Christum Dominum nostrum, lapidem videlicet angularem, nó solùm reprobauerunt, verùm etiam morte turpissima occiderunt. Hic autem factus est in caput anguli, iungens duos parietes, vnũ ex circuncisione, alterum ex præputio venientem. Et hoc quidem à Domino factum est, & est mirabile in oculis nostris. Cui enim non videatur esse mirabile, quòd ille, qui modò cum latronibus suspensus fuit, nunc ab vtroque populo caput & Dominus habeatur, & vbique regnans ab omnibus adoretur? *Ideò dico uobis, quia auferetur à uobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Quia enim hæc & illa fecerunt, quia hunc lapidem reprobauerunt, & Dei filium occiderunt, ideò regnum Dei auferetur ab eis, & dabitur gentili populo, Osee. 2.
qui est melior eis. Vnde & per prophetam Dominus ait: Vocabo non plebem meam, plebem meam, & non misericordiam consequutam; misericordiam consequutam. *Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem uerò ceciderit, conteret eum.* Illi enim super istum lapidem cadent, qui malè de Christo intelligentes, & à fide catholica aberrantes, in eum offendunt. Vnde A- Rom. 9.
postolus ait: Offenderunt enim in lapidem offẽsionis, sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lapi Esai. 28.
dem offensionis, & omnis qui crediderit in illũ, &c.
non cõfundetur. Ipse quoq; Dominus ait: Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. *Super quem uerò ceciderit, conteret eum.* Super quem enim cadit Dominus, nisi super eos quibus irascitur & indignatur? Ipse est enim ille lapis, qui in Danie- Dan. 2.
le absciſſus de monte sine manibus, totam illam famosissimam statuam comminuit, per quã omnis iniquorum multitudo figuratur. *Et cùm audissent principes sacerdotum & pharisæi parabolas eius, cognouerunt quòd de ipsis diceret. & quærentes eũ tenere, timuerunt turbam, quoniam sicut prophetam eum habebant.* Apparet igitur, quòd eius verba priùs non intellexerunt, atque ideò sua se responsione damnauerunt. Multoties enim Iudæi eum tenere voluerunt, & non potuerunt: vt adimpleretur quod ipse dixerat: Generatio praua & peruersa signum quærit, & signũ non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus: tribus, & non ampliùs. Hæc est igitur causa, quòd eum tenere volentes, tenere non poterant.

Matt. 11.

Matt. 12.

SABBATO
Luc. XV.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam habuit duos filios, & dixit adolescentior ex illis patri. Et reliqua. Homilia Erici.

SCribis & pharisæis contra authorẽ nostræ salutis murmurantibus, sicut requisita, quæ hanc præcedit, sancti Euangelij lectio declarat, proposuit Dominus duas parabolas: alterã, hominis de inuenta oue
Luc. 15. perdita gaudentis: alterã, mulieris super perdita & reperta drachma gratulabũdè exultantis: ostẽdẽs in cõclusione parabolæ, quantum sit gaudiũ in cælo super cõuersis peccatoribus. Deinde dixit & hanc similitudinem: non solùm suum de conuersis peccatoribus gaudium demonstrans, verumetiam inuidentium murmurationem reprehendens. Ait ergo: *Homo quidam habuit duos filios.* Homo iste, Deus omnipotens pater intelli-
Duo filij, Iudæi & gentiles. gitur, qui duos habuit filios: quia ipse est genitor ac creator duorum populorum. Et maior Iudæos designat, qui in cultura vnius Dei permanserunt: Minor verò populos significat gentium, qui relicto creatore, colendo creaturam, etiam vsq; ad ipsum Dei inimicũ diabolum adorandũ peruenit. *Et dixit adolescẽtior ex illis patri: Da mihi portionẽ substãtiæ quæ me cõtingit. & diuisit illis substantiã.*
Substantia diuisa. Substantia quæ inter fratres diuisa est, sensus rationalis homini à Deo attributus intelligitur. Nam viuere, intelligere, meminisse, ingenio aliquo præeminere, diuini muneris substantia est. Quam substantiam tunc minor filius à patre expetijt, cùm homo in sua volés esse potestate, per liberum arbitrium se regere conatus est: sicque dominium cõditoris sui quæsiuit superbus abijcere. Diuisit ergo eis substantiam: quia fidelibus suæ protectionis gratiam, quam desiderabant, impertijt: infidelibus verò naturalis tantùm ingenij beneficium, quod sibi sufficere putabant, attribuit. *Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam.* Quòd non post multos dies cõgregatis omnibus profectus est, designat quia non multò post institutionem humani generis visum est animæ, vt bona naturę suæ, quæ per se ad bona opera facienda infirma & impotens est, nisi eius, qui eam dedit, auxilio fulciatur, ad explenda sua desideria sibi aggregaret vel attribueret. *Et dissipauit substãtiam suam, uiuendo luxuriosè.* Viuendo luxuriosè dicit, amando hanc vitam prodigã: quæ pompis exterioribus spatiari gaudet, intùs non metuit inanescere. Lõgè verò profectus est, non loci, sed animi mutatione. Quantò enim quis ampliùs delinquit, tantò longiùs à Dei sui conditoris gratia recedit. *Et postquàm omnia cõsummasset, facta est fames ualida in regione illa.*
Fames. Fames in longinqua regione, indigentiam designat verbi Dei. In regione longinqua, id est, in
Amos 8. obliuione conditoris. De qua Dominus per prophetam minatur: Mittam famem super terram: non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbi Dei. *Et ipse cœpit egere, & abijt, & adhæsit uni ciuium regionis illius.* Meritò egere cœpit, qui thesauros diuinæ sapientiæ & diuitiarum cæ-
Ciuis. Ioan. 12. lestium dereliquit. Vnus ciuium regionis illius, cui iste prodigus adhæsit, diabolus est. quẽ Dominus principem huius mundi appellat, quia merito peruersitatis suæ terrenis concupiscentijs præpositus est. *Et misit illum in uillam suam, ut pasceret porcos.* Villa, carnalem concupiscentiam si-
Villa. gnat, de qua is, qui inuitatus ad spirituales epu-
Luc. 14. las ire excusat, dicit: Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam. In villam ergo mitti, est cupiditatibus mundi subiugari. Porcos verò
Porcos pascere. pascere, est ea quibus maligni spiritus delectatur, operari: qui merito immunditiæ & impuritatis designantur per animal sordibus & cœno semper gaudens. *Et cupiebat implere uentrem suum de siliquis, quas porci manducabant.* Siliqua genus est le-
Siliquæ. guminis, follibus maximum & sonorum, sed granorum paucitate sterile, & penè vacuum. Ideoque per siliquas designãtur doctrinæ seculares, sterili suauitate resonãtes: in quibus laudes idolorum, id est, fabulæ & carmina concrepant poẽtarum, quibus porci, id est, dæmones delectãtur. His prodigus iste saturari cupiebat: quia aliquid solidum, & quod ad beatam vitam pertineret, in talibus inuenire volebat, nec poterat. Hoc est enim quod subiungitur: *Et nemo illi dabat. In se autem reuersus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo?* In se reuer
se, inquit, reuersus. Vnde iste reuersus fuerat? Ab his nimirùm, quæ foris per oblectamenta no ti.
xia illiciunt & seducunt, ad conscientiæ interiora mentis intentione redierat. *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo?* Licet enim gentes in magna veri ignorantia, & errore cultus Dei versabantur, tamen prædicãtibus apostolis, cœperũt quodãmodò resipiscere, & ad agnitionem suæ inediæ verbi saturitate perspecta, reuocari. Mercenarij autem Mercenarij.
sunt, qui intuitu supernæ mercedis, digna fatagunt operari. Hi mercenarij in domo patris panibus abundant: quia tales in Ecclesia spiritualis gratiæ reficiũtur alimonijs. At verò qui extra ædes huius patris familias positi sunt, fame verbi Dei pereunt, & ventrẽ siliquis implere cupiunt, quia scientiam veritatis non habentes, beatam vitam in studijs inanis philosophiæ requirunt. Sicut enim panis, qui cor hominis confirmat, Psal. 103.
verbo Dei meritò comparatur: ita siliqua (quæ foris nitida, intùs vacua est, nec reficit ventrem, sed onerat) seculari scientiæ comparatur, quæ est sermone sonora, vtilitate vacua. *Surgam*, inquit, quia pessimè me iacere sentio. *Ibo ad patrem meum*, à quo longè recessi. *Ad patrem*, inquit, *ibo*, quia sub porcorũ principe miserabili egestate tabesco. Et qu ẽpiũ & misericordẽ nouerat patrẽ, qui quãquam offensus, quanquã magnis

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis sceleribus irritatus, non dedignatur patris audire vocabulum? *Pater, inquit, peccaui in cælum,* hoc est, in angelis, & in sanctis animabus, quæ sunt sedes Dei. Anima, inquit, iusti, sedes sapien
Esai. 66. tiæ. Et Dominus dicit: Cælum mihi sedes est. Addidit: *Et coram te,* hoc est, in ipso interioris cõscientiæ secreto, quod Dei solius oculi penetrare possunt. *Et iam non sum dignus uocari filius tuus. fac me sicut unum ex mercenarijs tuis.* Meminit se esse filium, & pro affectu cuncta quæ patris sunt, sua non esse ambigit: sed prioris ignorantię memor, ad hæc nequaquam aspirare præsumit. Ideoque sicut mercenarium se fieri poscit, patri pro mercede, non pro hæreditate seruiturus, fac me, inquiens, sicut vnum ex mercenarijs tuis. Verùm ne hoc quidem nisi paterna dignatione promereri posse testatur. Quapropter taceant Pelagiani, qui ore temerario garriunt, hominẽ sua virtute sine Dei adiutorio posse saluari, cùm apertissimè veritas dicat: Sine me nihil potestis fa-
Ioan. 15. cere. *Et surgens uenit ad patrem suum.* Ad patrem
Venire ad patrem. venire, est ad Ecclesiæ societatem per fidem accedere, vbi est legitima & fructuosa peccatorum confessio. *Cùm autem adhuc longè esset,* hoc est, cùm nondum adhuc Deum intelligeret, sed iam pia deuotione quæreret, vidit illum pater, hoc est, misertus est illius. Videre nanque Domini,
Luc. 22. misereri est, sicut & de Petro scriptum est: Respexit Dominus Petrum. *Et misericordia motus, accurrit.* Reuertẽti filio pater accurrit, quia Deus semper fuit cum vnigenito filio suo. Et licet solus filius pro nostra salute carnem assumpserit, tamen in eo Deus pater semper mansit, & cum eo ad hanc nostram peregrinationem descẽdit.
2. Cor. 5. Apostolus enim dicit: Deus erat in Christo, mũdum reconciliãs sibi. Hinc ipse saluator ait: Qui
Ioan. 8. me misit, mecum est, & non reliquit me solũ. Et alibi: Pater in me manens, ipse facit opera. *Et ceci-*
Ioan. 14. *dit,* inquit, *super collum eius, & osculatus est eum.* Super collum filij cadere, est in amplexus eius brachium inclinare. Deus ergo pater super reducis filij collum cecidit, quia brachium suum, hoc est, verbum suum ad hæc mundi infima immensa misericordia fudit. Osculatus est eum, videlicet ad spem veniæ peccatorum verbo gratiæ re-
Matth. 4. duxit, cùm per filium diceret: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. *Dixitq; filius ad patrem: Pater, peccaui in cælum, & coram te iam non sum dignus uocari filius tuus.* Postquàm ad patrem reuersus est, hoc est, in Ecclesia iam positus, incipit peccata confiteri: sed non dicit omnia, quę se dicturum suprà promiserat. Dixit enim: Iam non sum dignus vocari filius tuus, nec addidit quæ speriùs se dicturum meditabatur. Fac me sicut vnũ de mercenarijs tuis. Cùm enim adhuc longè esset, & patrem nõ haberet, cupiebat vt mercenarius esset. At postquàm patris osculo meruit honorari, generosissimè iam dedignatur mercenarius esse. Multam nanque intelligit distantiam esse inter seruum, mercenarium, & filium. seruus nanq; est, qui adhuc metu pœnarum gehennæ, vel legũ mundanarũ formidine, à vitijs abstinet: mercenarius verò est, qui spe ac desiderio regni cælestis bona agit: filius verò est, qui affectu boni & virtutum amore, delectabiliter Deo per charitatem famulatur: quam summam & perfectionem omnium virtutum Apostolus commemorat, dicens: Nunc autẽ
1. Cor. 13. manent fides, spes, charitas, tria hæc: maior autẽ horum est charitas. Ergo prodigus iste primò quasi seruus ad se reuersus, diræ famis cœpit supplicia formidare. Mox reuerti ad patrem volẽs, de statu mercenarij cœpit cogitare. Postquã verò accurrens pater, amplexatus & osculatus est eum, oblitus statum serui, oblitus & mercedem mercenarij, de sola iam hæreditate cœpit solicitus esse parentis. Et hoc est, quod Apostolus di-
1. Ioan. 4. cit: Perfecta charitas foras mittit timorem. *Dixit autem pater ad seruos suos: Citò proferte stolam primam, & induite illum.* Stola prima, beata vestis est innocentiæ, quam protoplastus Adam, benè à Deo conditus accepit, sed à diabolo malè deceptus
Gen. 3. amisit. Vnde & post culpam præuaricationis primi homines cognouerũt se esse nudos, & amissa immortalitatis gloria, pelliceum, id est, mortale acceperunt indumentum. Serui quibus hoc præcipitur, sunt sancti prædicatores: qui protulerunt primam stolam, quando homines Deo reconciliatos prædicabant esse tanta gratia sublimãdos, vt nõ solũ ciues angelorum, sed etiã hæ-
Rom. 8. redes Dei, & cohæredes fierent Christi. *Et date annulum in manu eius.* Annulo solet res secreta signari. Per annulum ergo signaculum fidei debemus accipere, quo cuncta Dei promissa in fidelium cordibus confirmantur. Annulo etiã spon sa nuptiali fœdere pignoratur: idcircò per annulum intelligitur pignus nuptiarum Christi & Ecclesiæ. Annulũ ergo prodigus filius accepit, cùm per fidem Christus Ecclesiam ex gẽtibus sibi sociauit. Et benè in manu datur annulus, vt opera fidẽ adstruant, ipsa opera fide confirmẽtur. Dan
Calceamenta. tur & calceamenta in pedes. Per calceamenta, officium euangelizandi signatur. Scriptum est e-
Rom. 10. Ephe. 6. nim: Quàm speciosi pedes euangelizantiũ pacẽ, euangelizantium bona. Et Apostolus: Calceati, inquit, pedes in prædicatione Euangelij pacis. Filio ergo ad patris pietatem reuerso, manus & pedes ornantur. Manus quidem, vt quiq; fideles rectè viuant: pedes verò, vt pijs sanctorũ muniri exemplis, ad æterna gaudia properemus. *Et*
Vitulus saginatus. *adducite uitulum saginatum, & occidite.* Vitulus saginatus, ipse est filius Dei, Dominus Iesus Christus. Qui benè vitulus dicitur saginatus, quia caro eius spirituali pinguedine & virtute fertili opima est, adeò vt sola sufficerit ad tollẽda totius mundi peccata. Adducere autem vitulum præcepit & occidere, mortem eius per Apostolos prædicari. Quasi enim recens vitulus iste occiditur, cùm ab vnoquoque occisus creditur. Tunc comeditur, cùm sacramentũ passionis eius casto cor-

corpore & munda mente percipitur. *Et manducemus & epulemur, quia hic filius meus mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuẽtus est.* Intuendum quòd pluraliter dicitur: Mãducemus & epulemur. Quòd enim carne sacra sancti huius vituli non solùm ille, qui mortuus reuixerat, perditus inuentus fuerat, verùm pater & serui illius sunt epulati, ostenditur quia lætitia patris est nostra salus, & illius gaudium est nostrorum remissio peccatorum: nec solũ patris, sed & spiritus sancti: quia
Gen. 18. sanctæ trinitatis vna est operatio, vnum gaudiũ, vnaq; dilectio. Hoc præsignabat olim, quòd Abrahã tribus angelis hospitio receptis, vitulũ tenerrimum & optimum legitur occidisse, & eis apposuisse, quia immolata pro nostra redẽptione caro Christi, totius trinitatis est lætitia. *Et cœperunt epulari.* Epulæ istæ nunc in Ecclesia per totum orbem dilatatæ celebrãtur. Quotidiè enim
Ecclesiæ turgę sacrificium. in sancta Ecclesia vitulus iste sacerrimus Deo patri per sacerdotes offertur, & in vitam percipientes pascit æternam: quia cùm quotidiè immolatur, semper integer permanet, & immolatus, &
Hier. 31. viuus. *Erat uerò filius senior in agro.* Filius senior populus Iudæorum est, qui prior cogitationem habuit Dei, quique à Deo per prophetam primogenitus appellatus est filius: qui quanuis longè à patre non discessisset, non tamen domi, sed in agro erat: quia idem populus neque cultum creatoris toto propter idola deseruit, nec tamen legis sibi datæ interiora mysteria penetrauit, sed superficie tantum literæ delectatus, exteriora, id
Esai. 1. est, terrena tantũ operari & sperare nouerat: vnde & ei terrena ꝓmittebãtur, Domino per prophetam dicente: Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. *Et cùm ueniret & appropinquaret domui, audiuit symphoniam & chorum.* Sæpè cõtingit, vt aliquis diligens ac studiosus doctor Iudæorum, legis arcana scrutari incipiat: cumque ex eisdem scripturis libertatem Ecclesiæ perceperit, laborem seruilis operis, cui literam legis obseruando, intentus erat, perhorrescit. Hoc est enim quasi de agro recedere, & domui appro
Ecclesiæ Iudæorum symphonia. pinquare. Audit symphoniam & chorum, hoc est, prædicatores sancto spiritu plenos, consonis vocibus intelligit prædicare. Denique & Apostolus: Obsecro vos, inquit, vt idipsum dicatis om-
1. Cor. 1. nes. *Et uocauit unum de seruis, & interrogauit eum quæ hæc essent.* Vocat vnum de seruis, cùm sumit in manibus ad legendum aliquem ex prophetis, qui sunt veri serui huius patrisfamilias. Et solicitus inuestigans, quasi requirit quæ tam iucunda Ecclesiæ festa sint, quibus se videt minimè interesse. Isque ei respondet: *Frater tuus uenit, & occidit pater tuus uitulum saginatum.* Quod est apertè dicere: Gentilis populus Deum eatenus ignorans, qui per errorem longè à Deo discesserat, nunc ex omnibus mundi partibus, ab extremis quoque terrarum finibus ad eum conuertitur, & pro eius salute tanta exultatione nouum Deo canticum cantat. Propter quem etiam occisus est vitulus ille pinguissimus, cui per mistam dicitur: Holocaustum tuum pingue fiat.
Psal. 19. *Indignatus est autem, & nolebat intrare.* Obstinato adhuc animo Iudæi foris sunt, & nolunt fidem Ecclesiæ intrare. *Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum.* Nouissimo seculi tempore implebitur vocatio Iudæorum, quia crediturí sunt ad prædicationem Heliæ & Enoch. Hanc ergo apertam illorum vocationem, egressum patris vocat. Tunc enim quodammodò egredietur, & rogabit eum, vt ingressa iam gentium plenitudine,
Rom. 11. quasi minore filio, omnis enim Israël saluus fiat, cui ex maxima parte contigit cæcitas infidelitatis. *At ille respondens, dixit patri suo: Ecce tot annis seruio tibi, & nunquàm mandatum tuum præteriui.* Cùm frequentissimè legamus, illum populum contra mandatum Domini idola coluisse, quid est quòd nunc dicit, Nunquam mandatum tuũ præteriui? Sed hoc non de omnibus generaliter Israëlitis, sed particulariter de quibusdam accipiendum est: de his scilicet tantùm, qui semper Deum coluerunt, & nunquam ad idola defluxerunt. Hi tales enim quanuis terrena tantùm delectantes, quasi in agro essent, ipsa tamen bona terrena, à solo Deo sperabant accipere. Quod & testimonio ipsius fratris confirmatur, cùm respondet in sequentibus. *Et nunquam dedisti mihi hœdum, ut cum amicis meis epularer.* Hœdus animal olidum & petulcum, in scripturis diuinis peccatoris figuram tenere solet. Sed hoc loco, hœdi nomine Christum debemus intelligere, quem ille populus in similitudine carnis peccati venisse conspiciens, peccatorẽ esse existimauit. Vnde & cæco illuminato dicebant: Nos scimus, quia
Ioan. 9. hic homo peccator est. Et alibi Samaritanũ eum
Ioan. 8. esse, & dæmonium habere blasphemabant. Nec mirũ videri debet, si hic per hœdum Christum figuratũ dicimus, cũ & in lege hoc nomine legatur appellatus. ait enim: Nõ coques hœdũ in la-
Exod. 23. cte matris suæ. Quod ergo dicit, Nõ dedisti mihi hœdum, tale est ac si dicat: Illum qui hœdus mihi videbatur, non dedisti mihi, hac de causa illum mihi subtrahens, quia hœdus mihi videbatur. Nam quia Christum prophanatorem legis, & violatorem sabbati dicebant, idcircò epulis eius iucundari non meruerũt. Quod verò sequitur, Vt cum amicis meis epularer, ex principum persona accipiendũ est, qui cum amicis, id est, reliqua plebe epulari volebant. Potest & ex persona populi Hierosolymitani dictũ intelligi, cùm cæteris populis Iuda. *Sed postquàm filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, uenit, occidisti illi uitulum saginatum.* Mere-
Meretrices. trices cum quibus substantiam suam deuorasse dicitur, superstitiones gentilium & nefanda figmenta sunt, in quibus totum naturale ingenium expenderunt: & relicto Deo quem virum animæ habere debuerunt, cum turba dæmonum turpissima cupiditate fornicati sunt. *At ipse dixit: Fili, tu semper mecum es.* Nõ redarguit quasi

Universidad de Deusto
Biblioteca

si mentientem, sed eius perseuerantiam in suo obsequio comprobans, ad collætandum sibi, simulque pro filio epulandum iniuitat. *Et omnia mea tua sunt.* Ad patrem loquens quodam loco filius, dicit: Et mea omnia tua sunt: & tua mea sunt. Ecce hoc similimũ huic sonare videtur: Et omnia mea tua sunt. Sed distinctè & multùm dissimiliter, omnia quæ patris sunt habet is, qui per naturam est filius Dei, quàm hi, quos gratia fecit filios Dei. Illius enim sunt omnia patris per naturam, istorum per donatoris Dei clemẽtiam. Ille sicut vnicus habet omnia potestate: isti sicut adoptati, concessa diuinitùs pietate. Ille habet omnia per id, quòd de Deo Deus patri æqualis natus est: isti per hoc, quòd ex Deo renati sunt. Sanè cùm dicit, Omnia mea tua sunt, nõ sic accipiendũ, quasi nõ sint & fratris. Nã in terrena hæreditate quædam sunt angustiæ, nec potest maior frater habere omnia, si minor etiam partem habuerit. At in spiritualium & cælestium bonorum hæreditate, sic à perfectis & immortalibus filijs omnia possidentur, vt & singula sint omnium, & omnia singulorum, operante in omnibus charitate, quæ nihil nouit cum angustia possidere. Quam Psalmista magna laude sublimans, ait: Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis. Hanc igitur efficacissimè tenere studeamus, per hanc mutuis profectibus congaudere discamus. Diligamus id quod est supra nos, & quod intra nos: diligamus quod est iuxta nos, & quod infra nos. Diligamus Deum, qui est supra nos, tota anima, tota mente, tota virtute. Diligamus quod est intra nos, id est, interiorem nostrum hominem, animã videlicet nostram, eamq; Deo semper subdere curemus. Diligamus quod est iuxta nos, id est, proximum, sicut nosipsos. Diligamus quod est infra nos, carnem videlicet nostram, vt eius illicitos appetitus frangamus, eamq; spiritui obtemperare cogamus, Christum sedulò poscentes, vt spiritum, animam, simulq; corpus sine querela in suo sibi aduentu custodiat, Deus & Dominus noster, qui cũ patre & spiritu sancto viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

Ioan. 17.

Psal. 118.

EADEM DIE HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Homo quidam habuit duos filios, &c. Luc. 15.

Filij duo.

HOmo iste, Deus ipse hoc in loco intelligitur: qui quoniã ad eius imaginẽ factus est homo, non dedignatur vocari homo. Huius duo filij, duo populi sunt, Iudæus scilicet & gẽtilis. Horum aũt adolescentior, gentilis est, nõ tam men ætate, sed scientia. Inde enim puer centum annorũ maledicitur. Inde & Apostolus ait: Nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli esto te. Dicuntur igitur pueri & adolescentes, non solùm ætate, sed & scientia & malitia. In senibus enim maturior est sapientia. Senior igitur erat Iudaicus populus, siquidem sapientior & melior. Hæc autem substantia, quam filio adolescenti & stulto, i. populo Gentili, omnium rerum creator & pater Deus diuisit, intellectus est, memoria, ratio, sensus, scientia, omnisq; animę virtus & possessio: nulla substãtia talis, nullæ diuitiæ his diuitijs comparari possunt. Has etenim diuitias & bonis & malis largitus est Dominus. *Congregatis igitur omnibus, adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam, uiuendo luxuriosè.* Omnis enim regio longinqua est, quæ à Deo lõgè est. Longè aũt est à Deo, qui lõgè est à fide, à pietate, à misericordia & iustitia. Ab his enim lõgè fit, qui vitijs appropinquat. Citò igitur, & post dies non multos in longinquam regionem vnusquisque proficisci potest. Ibi autem miser homo dissipat substantiam suam, ibi perdit diuitias animæ, inter vitia & peccata viuẽdo luxuriosè. *Et postquàm omnia consummasset, facta est fames ualida in regione illa, & ipse cœpit egere.* Virtutibus enim fugatis eget anima, & fame perit. De hac enim fame dicitur per prophetam: Immittam in vobis non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbũ Dei. Magna igitur fames est in regione illa: magna egestas est in peccatore illo, vbi verbi Dei memoria nulla habetur: quod quidem postquàm sit, totus iam homo diabolo traditur, totusque ab eo possidetur. Vnde & hic subditur: *Et abijt, & adhæsit uni ciuium regionis illius, & misit illum in uillam suam, ut pasceret porcos.* Iste enim ciuis, omnium iniquorum princeps & caput, diabolus intelligitur. Possumus autem per hunc ciuem, errorem specialiter intelligere: cui ille populus non solùm adhæsit, verùm etiam ex toto subditus fuit. Error enim hoc fecit, vt à Deo recederet, animæq; substantiam cum meretricibus dissiparet. Error illum in villã immundorum spirituũ misit, qui modò per porcos significantur, vt illos pasceret, illos sequeretur, illis seruiret & obediret. Multi enim sunt maligni spiritus: magna est eorum ciuitas & cõgregatio. Vbicunq; autem maligni spiritus habitãt, ibi est villa diabuli. Porci autem ipsi quoq; maligni spiritus sunt, quia in fœtore & vitiorũ stercore delectãtur. Hos autem porcos illi pascunt, qui eorum voluntati obediunt, eorumque desideria complent. Quicunque igitur adulterantur, fornicantur, furantur, & alias iniquitates operantur, magnam his porcis refectionem parant. *Et cupiebat implere uentrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Superbia enim, luxuria, auaritia, & similia, siliquæ sunt, quibus maligni spiritus nutriuntur. His autem ventrem suum implere peccatores cupiunt, quia præ nimio peccandi desiderio his satiari non possunt. Quantò enim ampliùs peccant, tantò ampliùs pec-

Esai. 66.
1. Cor. 14.

Subſtantia diſtributa.

Regio longinqua.

Fames ualida.

Amos 8.

Error.

Porci.

Villa.

Porcos qui poſſ cunt.

Siliquæ.

peccare desiderant. Hoc enim in fornicatoribus, auaris, & raptoribus probari potest, quorũ iniqua desideria nunquam ad satietatem perueniunt. Vnde & hìc dicitur: *Et nemo illi dabat.* Quia enim non tantum eis datur, quantum sibi dari appetunt, ideò neminem eis dedisse dicit. Datur igitur eis quod volunt, sed non quantum volunt. Fit enim multoties, vt homines iniqui sua desideria, Domino prohibente, adimplere non valeant. Sequitur: *Ipse autem in se reuersus, dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo?* Nisi enim fuisset extra se, non diceretur reuersus in se. Tunc enim in se reuersus est, quando memoriam recuperauit, vt domus patris sui recordaretur. Mercenarij autẽ hoc in loco scribæ & pharisæi dicuntur, qui magis decimarum & oblationum mercede, quã ex charitate Domino seruiebãt. Et isti quidem iam tunc & spiritualibus & carnalibus panibus in domo Domini abundabant, cùm adhuc gentilis populus extrà positus, spiritualis alimoniæ fame periret. Qui tamen in se reuersus & pœnitentia ductus, ait, *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cælum & coram te, iam non sum dignus uocari filius tuus. fac me sicut unum ex mercenarijs tuis. Et surgens uenit ad patrem suum.* Apostolus enim dicit: Surge qui dormis, surge à mortuis, & illuminabit te Christus. Sic igitur surrexit, qui priùs mortuus in peccato iacebat. *Et uenit ad patrem suum.* Sed quomodò venit, nisi pœnitentia, & corde contrito, & spiritu contribulato? Hac enim via redeunt peccatores ad Dominum. *Et cùm adhuc longè esset, uidit illum pater ipsius, & misericordia motus est.* Clementissimus pater, qui statim vt filius compungitur & pœnitere incipit, quanuis adhuc in peccatis, misericordia mouetur, & pœnitentem filium læto vultu respicere dignatur. *Et occurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* In hoc enim quid aliud, nisi pax & perfecta reconciliatio significatur? *Dixitq; ei filius: Pater, peccaui in cælum*, plùs diligens terram, quàm cælum, *& coram te*, qui vbique es, & omnia vides: *Iam non sum dignus uocari filius tuus*, tanto tempore conuersatus cum inimicis tuis: *fac me sicut unum de mercenarijs tuis.* De his enim mercenarijs beatus Iob loquitur, dicens: Sicut ceruus desiderat vmbram, & sicut mercenarius præstolatur finem operis sui: sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeraui mihi. *Dixit autem pater ad seruos suos: Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manu eius, & calceamenta in pedes eius.* Prima enim stola immortalis est, quam primus homo peccando amisit, & amissa, mox nudum se esse intellexit. Hæc autem vestis per baptismum & pœnitentiam recuperatur: & tunc quidem datur homini annulus, & fidei arrha, signum videlicet quo in Dei exercitu connumeretur. Deinde verò dantur calceamenta, id est, virtus & potestas, vt securè possit calceare super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici. Et sic demum accedit ad patris conuiuium, vt Christi carnem & sanguinem recipere mereatur. Vnde & subditur: *Et adducite uitulum saginatum, & occidite illum, ut manducemus & epulemur: quia hic filius meus mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuentus est.* Hic enim vitulus saginatus Christus est, omni virtute & gratia plenus, de patriarcharum & prophetarum armento susceptus: qui quanuis semel pro nobis (vt ait Apostolus) mortuus sit, & iam non moritur, & mors illi vltrà non dominetur: toties tamen occiditur, & à fidelibus comeditur, quoties in hoc altaris sacramento immolatur. Hunc vitulum & corpore manducamus & mente. Et mente quidem audiendo, eiusque passionem commemorando. Per hunc à morte redempti, per hunc Deo quotidiè reconciliamur. Sequitur: *Erat autem filius senior in agro: & cùm ueniret & appropinquaret domui, audiuit symphoniam & chorum, & uocauit unum de seruis, & interrogauit quid hoc esset. Isq; dixit illi: Frater tuus uenit, & occidit illi pater tuus uitulum saginatum, quia saluum illum recepit.* Ab agro enim, à labore, & à legis seruitio Iudaicus populus rediens, cùm iam domui Ecclesiæ per fidem appropinquaret, Apostolorum symphoniam, chorum & prædicationem audiuit. Cumque interrogaret quid hæc essent, dictum est ei, quòd Gentilis populus cognita veritate, Christi sanguine redemptus, ad fidem cõuersus esset, & iam non Iudæorum Deus tantùm, immò & Gentium. *Indignatus ergo, nolebat introire.* Hoc est enim quod in actibus Apostolorum legitur, quòd cùm venisset Petrus Hierosolymam, disceptabant aduersus eum, qui erant ex circuncisione, dicentes: Quare introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis? Quibus Petrus narrauit omnia, quæ ei acciderant, & quomodò gentes credidissent. Senior igitur frater illam Iudæorũ partẽ significat, quæ in primitiua Ecclesia de Gentilis populi conuersione contra Apostolos scandalizata est, de quibus in actibus Apostolorum, & in Epistolis Pauli multa dicuntur. *Pater ergo illius cœpit rogare illum.* Omnes enim rationes, quas de Gentium conuersione Iudæis Apostoli reddebant, quid aliud nisi quædam omnipotentis Dei placationes & preces erant? Quale est illud Apostoli: Non enim est distinctio Iudæi & Græci. omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Nam idem Dominus omnium, diues in omnibus qui inuocant illum. *At ille respondens, dixit patri suo: Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatũ tuum præteriui, & nunquam dedisti mihi hœdum, ut cùm amicis meis epularer. Sed postquàm filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, uenit, occidisti illi uitulum saginatum.* Ex parte mentitur, & ex parte verum dicit senior filius. In eo enim quod ait, quia reuertenti filio vitulum saginatum pater occiderit, verum

Mercenarij.

Iob 7.

Stola prima.

Annulus.

Calceamẽta.

Luc. 10.

Vitulus saginatus.

Rom. 6.

Act. 11.

Rom. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum dicit: mentitur autem, dum Dei præceptum nunquam se præteriisse iactat. Insuper & ingratus esse videtur, dum tantorum, quibus quotidiè mundabatur, sacrificiorum oblitus, nunquã vnum hœdum se à patre suscepisse conqueritur. Hæc autem quia Iudaicus populus ille ad fidem conuersus cogitare poterat, dum Iudæos reprobari, & Gentiles eligi vidisset, sic posita sunt, ac si ea loquutus fuisset. Quis enim non miretur tantam immutationem esse factam, vt Iudæos, quos tantùm dilexerat, in sua cæcitate Dominus perire permitteret: & pro Gentili populo, quem odio habebat, vnigenitum filium morti traderet? Sed hæc cogitãdo simul cum filio seniore quasi indignati, contra Dei dispositionem quodammodò loquimur. Nec valdè quidem mirandum est, si Iudæi nouiter ad fidem conuersi, Gentibus communicare noluissent, cùm hanc talem communionem lex eis per omnia interdixisset. Vnde iste neque pro hac indignatione hic reprehenditur, sed potiùs reddita ratione pater eum placere conatur, dicens: *Fili, tu mecũ semper es, & omnia mea tua sunt: Epulari aũt oportebat & gaudere: quia hic frater tuus mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuentus est.* Semper enim ille populus (secundùm quosdam) cum Deo fuit, & secundùm quosdam cum Deo non fuit. Vnde Apostolus, Cæcitas, inquit, ex parte contigit in Israël. Elias quoq; cùm diceret, Domine prophetas tuos occiderunt, & altaria tua suffoderunt, & relictus sum ego solus, & quærunt animam meam: Ait ei Dominus: Reliqui mihi septem millia virorũ, qui non curuauerunt genua sua ante Baal. De his igitur & similibus Dominus ait: Fili, tu semper mecum es. Pro qualibus & de Ecclesia dicitur, quòd non habeat maculam neque rugam. Si enim ad vniuersitatem spectes, multas maculas habet Ecclesia. Et tales quidem filij hæredes sunt, talibusq; omnis patris possessio debetur, eis ad beatitudinẽ sufficiens & necessaria. Denique omnia quæ Dei sunt, quodammodò nostra sunt, si taliter & habeamus, vt aliter ea habere nolimus.

Exod. 34.

Rom. 11.

3. Reg. 19 Rom. 11.

Ephes. 5.

DOMINICA TERTIA IN QVADRAGESIMA, SERMO beati Leonis Papæ.

Est Sermo 4. de Quadragesima

PRædicaturus vobis, dilectissimi, sacratissimum maximumq; ieiunium, quo aptiùs vtar exordio, quàm vt verbis Apostoli, in quo Christus loquebatur, incipiã, dicamq; quod lectum est. Ecce nũc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis? Quãuis enim nulla sint tempora, quæ diuinis non sint plena muneribus, & semper nobis ad misericordiã Dei per ipsius gratiã præstetur accessus: nunc tamen omnium mentes maiore studio ad spiritales profectus moueri, & ampliore fiducia animari oportet: quando ad vniuersa pietatis officia, illius nos diei, in quo redempti sumus, recursus inuitat: vt excellens super omnia dominicæ passionis sacramẽtum, purificatis & corporibus & animis celebremus. Debebatur quidem tantis mysterijs ita incessabilis deuotio, & continuata reuerentia, vt tales permaneremus in conspectu Dei, quales nos in ipso paschali festo dignum est inueniri. Sed quia hæc fortitudo paucorum est, & dum carnis fragilitati austerior obseruantia relaxatur, dumq; per varias actiones, vitæ huius solicitudo ostenditur, necesse est de mundano puluere etiam religiosa corda sordescere: magna diuinæ institutionis salubritate prouisum est, vt ad reparandam mentium puritatem, quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas, & pia opera redimerent, & ieiunia casta decoquerent. Ingressuri igitur, dilectissimi, dies mysticos, & purificandis animis atque corporibus sacratiùs institutos, præceptis Apostolicis obedire curemus, emundãtes nos ab omni inquinamẽto carnis & spiritꝰ, vt castigatis colluctationibus, quæ sunt inter vtranq; substantiã, animus (quem sub Dei gubernaculis cõstitutum, corporis sui decet esse rectorẽ) dominationis suæ obtineat dignitatem: vt nemini dantes vllam offensionem, vituperationibus obloquentium nõ simus obnoxij. Digna enim ab infidelibus reprehensione carpemur, & nostro vitio linguæ impiç in iniuriam se religionis armabunt, si ieiunantiũ mores à puritate perfectæ continentiæ discreparint. Non enim in sola abstinentia cibi stat nostri summa ieiunij, aut fructuosè corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate reuocetur, & ab obtrectationibus lingua cohibeatur. Sic ergo nobis edendi est moderanda libertas, vt etiã aliæ cupiditates eadem lege frenentur. Mansuetudinis & patientiæ, pacis & tranquillitatis hoc tempus est: in quo excluſa omni contaminatione vitiorum, perpetuitas nobis est obtinẽda virtutum. Nunc piarum mentium fortitudo, donare culpas, negligere contumelias, & obliuiſci assuescat iniurias. Nunc fidelis animus per arma iustitiæ à dextris se exerceat & sinistris: vt per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, securam conscientiam nec laudes inflent, nec opprobria defatigent. Religiosorũ modestia non sit mœsta, sed sancta: nec inueniãtur in eis vllarum murmura querelarum, quibus nunquam desunt sanctorum solatia gaudiorũ. Nec timeatur inter opera misericordiæ terrenarum diminutio facultatum. Semper diues est Christiana paupertas: quia est plus quod habet, quàm quod non habet: nec pauet in isto mũdo indigentia laborare, cui donatum est in omnium rerum Domino omnia possidere. Operãtibus

2 Cor. 13. 2. Cor. 6.

Quadragesima solubriter instituta.

2. Cor. 7.

2. Cor. 6.

2. Cor. 6.

tibus ergo quæ bona sunt, non est omninò metuendũ, ne eis facultas desit operandi: cùm & in duobus nummis Euangelicæ illius viduæ sit laudata deuotio, & pro calice aquæ frigidæ præmiũ habeat gratuita largitio. Ex affectibus enim piorum, benignitatis mensura taxatur: & nunquam eum miserendi efficacia deserit, in quo misericordia ipsa non deficit. Experta est hoc vidua illa de Sarepta, quæ B. Heliæ in tempore famis vnius diei cibum, quem solũ habebat, apposuit: & prophetæ esuriem necessitati suæ præferens, exiguum farinæ ac pusillum olei incunctanter expendit. Sed non ei defuit, quod fideliter erogauit: & in vasis pia effusione vacuatis, fons nouæ hubertatis exortus est: vt sanctis vsibus non minueretur eius substantiæ plenitudo, cuius nõ fuerat formidata defectio. His autem studijs, dilectissimi, ad quæ vos voluntariè confidimus præparatos, non ambigitis diabolum, qui omnium virtutum est aduersarius, inuidere, & ad hoc vim suæ malignitatis armare, vt pietati laqueos de ipsa pietate prætendat: & quos non potuerit deijcere per diffidentiam, conetur superare per gloriam. Quia difficile est, vt laudabiliter viuentem laus humana non capiat, nisi, vt scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Cuius verò ille hostis iniquissimus non audeat impugnare propositum, cuius non appetat violari ieiunium, quando versutias suas, sicut Euangelica lectione patefactum est, nec ab ipso mundi saluatore continuit? Expaueſcens enim in eo quadraginta dierum noctiumq; ieiunium, explorare callidè voluit, vtrùm hanc continentiam donatam haberet, an propriã, vt nõ metueret deceptionũ suarũ opera resoluẽda, si Christus eius esset conditionis cuius & corporis. Primò itaq; dolo scrutatus est, an ipse esset substãtiarũ creator, qui rerum corporearũ posset in quæ vellet mutare naturas. Secũdò, an sub humanæ carnis specie diuinitas obũbrata tegeretur, cui facile esset peruiũ sibi aëra facere, & terrena per vacuum mẽbra librare. Sed cùm illi Dominus iustitiam maluisset opponere veri hominis, quàm potentiam manifestare deitatis: ad hoc conuertit tertiæ fraudis ingenium, vt eum in quo diuinæ potestatis signa cessauerant, dominandi cupiditate tentaret, & ad venerationem sui, regna mundi pollicẽdo traduceret. Sed prudentiam diaboli, stultitiam fecit sapientia Dei, vt superbus hostis hominem videns quẽ aliquando superauerat, non metueret eum persequi, quem pro omnibus oportebat occidi. Huius igitur aduersarij dolos, non solùm in illecebris gulæ, sed etiã in proposito abstinentiæ caueamus. Qui enim sciuit humano generi mortem inferre per cibũ, nouit & per ipsum nocere ieiunium: & ad contrariæ fraudis effectum, famulis vtendo Manichæis, sicut per serpentem intulit interdicta præsumi, ita per famem suadet concessa vitari. Vtilis quidem est continentia, qua parco assueta victu, deliciarum cohibet appetitum: sed væ illorum dogmati, apud quos etiam ieiunando peccatur. Damnant enim creaturarum naturam in creatoris iniuriam, & contaminari edentes asserunt his, quorum non Deum, sed diabolum conditorem esse definiunt, resultantes dicenti Apostolo, Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum, sed inquinata sunt eorum & mens & conscientia. Vos autem, dilectissimi, catholicæ matris sancta generatio, quos incola veritatis spiritussanctus erudiuit, libertatem vestram congrua ratione moderamini, sciẽtes quia bonum est etiam à licitis abstinere. Et cùm castigatius viuendum est, ita discernite cibos, vt vsus eorum remoueatur, non natura damnetur: & à prædictorum pestifero contagio vos remouete, vt cum Christo Domino omnium creatore regnetis.

Luc. 21. Matth. 10

3 Reg. 18.

1. Cor. 1.

Matth. 4.

Rom. 14. Tit. 1.

DOMINICA III. QVADRAGESIMAE, IN EPISTOLAM Concio exegetica.



PTimas habet hæc lectio institutiones, & sacrato cõgruas tempori, quibus & ad virtutes incitamur, & à vitijs reuocamur, quę est summa totius scripturæ diuinæ. Nam postquã primorũ parentum lapsu & culpa ab illa prima & originali iustitia excidimus, & miserabiliter in nobisipsis & in natura nostra corrupti & deprauati sumus, semper in vitia propendemus, & difficilè ad virtutes sectandas adducimur. Itaq; omnis scriptura diuina eò tendit, vt excitet nos ad vitandam peccati corruptionem, & studendum iustitiæ atque omni virtuti, vt sic quandoque possimus redire ad pristinam innocẽtiam & integritatem. Sed cùm nulla sit virtus potior aut excellentior charitate, ad eam vel maximè nos adhortantur scripta diuina, sicut & huius diei lectio, quæ sumpta est ex cap 5. Epistolæ ad Ephesios, cuius hoc est initium: *Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis.* Sicut Dei patris imitatores nos esse vult, ait Ambrosius, in benignitate & misericordia, ita & Christi filij eius in dilectione: vt sicut ille dilexit nos, tradens se pro nobis: ita & nos inuicem pro nobis etiam animas ponere debeamus. Hæc ille. Dilexit nos Deus etiam tum, cùm adhuc inimici essemus, & misit filium suum, qui sua morte nostra aboleret peccata: atque idemipse quotidiè solem suum ortiri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos: immò quid non præstat Deus etiã impijs & peccatoribus? Quicquid enim boni habent, à quo habent nisi ab illo? Non ergo iubet nos Apostolus imitari Deũ in faciendis miraculis, sed in dilectione, quæ virtus Deo & ho-

Summa scripturæ diuinæ.

In Ephe. 5.

Matth. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mini communis est, & homines Deo præcipuè coniungit, redditque similimos. Aspiciamus redemptorem nostrum Christum: en vltrò dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis. Sponte sua tradidit, non vlla necessitate, sed amore gratuito ac liberali: & quidem oblationem & hostiam Deo patri in odorem suauitatis. Hic cogitetur ipsa offerendi ratio, & videbimus Christi erga nos charitatem. In ipsam vsq; crucis ignominiosissimam mortem se obtulit. Hoc exemplo incomparabili vult nos Apostolus inflammari ad amandum tum Deum, tum proximum. Quid hac Christi oblatione admirabilius? quid suauius? Quid tam omnem vincit admiratione, quàm Christum verum & viuum Deum videre in cruce? Num frustrà Christus in cruce? Neutiquam sanè, sed vt nos simus imitatores Dei, & ambulemus in dilectione. Non enim eo solo nomine Christus voluit ferre supplicium crucis, vt nos redimeret, sed etiam vt nos suo exemplo ad amandum accenderet. Amor est, quem potissimum Christus exigit à nobis: & ideò ipse ait, in duobus charitatis mandatis totam legem pendere & prophetas: & Apostolus legis plenitudinem dicit esse dilectionem. Hęc facit ex seruis filios, & quidem charissimos. Chrysostomus odorem suauitatis dicit esse & hostiam acceptabilem, pati pro inimicis, quod vtique Christus fecit. Quòd si mortuus fueris, inquit, pro illis, tum demùm eris victima: additque: Istud scilicèt est imitari Deum. *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur in uobis, sicut decet sanctos* Iohannes Apostolus in prima sua Epistola, omne qđ est in mundo, inquit, concupiscentia carnis est, ad quam pertinet fornicatio & immunditia omnis: & concupiscentia oculorum, ad quam pertinet auaritia. Iam vide quantam vitæ sanctimoniam à Christianis exigat Apostolus, dum ea vitia, quibus plenus est mũdus, nec nominari vult inter illos. Atqui hæc vitia adeò nũc apud Christianos increuerunt, vt pudor sit dicere. Solo itaque nomine Christiani sumus, res ipsa relegata est ad Indos. *Aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet: sed magis gratiarum actio.* D. Hieronymus ait, turpitudinẽ hic significare abscõditam cogitationem, cùm inflammatur sensus noster ad libidinem, & carnis titillationibus anima ignita succenditur. Alij volunt esse verborum obscœnitatem, vel operum fœditatem. Stultiloquiũ verò est sermo stultus & ineptus. Scurrilitas hic ponitur pro facetijs & iocis, præsertim intempestiuis. Quid prodest vrbanè vel scurriliter dixisse, ait Chrisost. in hũc locũ? Risum duntaxat mouisti. Dic mihi, facit ne coriarius quicquã eorũ, quæ ad artẽ suã non pertinent, aut possidebit aliquod tale instrumẽtum? Nequaquã. Quæ enim nullo sunt vsu, nihil illa ad nos. Nullus sit nobis sermo otiosus: ex otioso quippe sermone incidimus & inabsurdos. Præsens tempus non effundẽdi gaudij, sed luctus est, tribulationũ & lamentationũ. Tu verò leuiter vrbanis facetijs iocularis? Quis athletarũ stadiũ ingressus, relicta solicitudine cũ aduersario certandi, facetijs vtitur? Instat diabolus, circumit rugiẽs vt rapiat, omnia mouet ac tentat, omnia aduersus caput tuum inuertit, extraque nidum te eijcere molitur, dentibus stridet ac fremit, igné spirat aduersus salutem tuã, & tu sedes facetias effundens, & quæ stulta sunt & ad rem non conueniunt effutiens? Poteris itaque ipsum benè superare? Hæc & multa alia Chrysostomus contra facetias, quibus tamen permulti mirificè studẽt, nec alicuius pensi habent, quod Dominus terribiliter ait, de omni verbo otioso reddituros nos rationem in die iudicij. Itaque repudiatis id genus infrugiferis & noxijs sermonibus, gratiarũ actioni potiùs operam demus. Loquamur de beneficijs Dei erga genus humanum. Quis ea explicare sufficiat? Et vt alia omittamus, quis dignè commemoret, quòd nostra causa homo fieri voluit, & in nostra natura tam multa facere & pati, vt nos ad vitam & salutem à morte & damnatione, non qualicunque, sed æterna reuocaret? Hic nunquam deesse potest materia, de qua loquamur, & vnde Deo gratias agamus. Augustinus Epistola 77. Quid melius, inquit, & animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, q̃ Deo gratias? Hoc nec dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi grãdius, nec agi fructuosius potest. Hæc ille. *Hoc enim scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus (quod est idolorum seruitus) non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.* Non desunt inepti quidam, qui putent fornicationem, quę sit extra matrimonium, non esse peccatum mortiferum. Sed illorũ stultitiam tum iste, tum alij plures scripturæ diuinæ loci coarguunt. D. Augustinus Homilia vltima in libro 50. Homiliarum, Quapropter præsumere quis audeat, inquit, de nomine Christiano, & non cum omni obedientia & timore audiat Apostolum dicentẽ, Hoc enim scitote cognoscentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus (quod est idolorum seruitus) nõ habet hæreditatem in regno Christi & Dei? Et paulò infrà: Quisquis ergo post baptismum aliquo pristinorum malorum opere obligatus tenetur, vsq; adeò sibi inimicus est, vt adhuc dubitet vitam mutare dum tempus est, cùm ita peccat & viuit? Nam vtique quòd ita perseueranter peccat, thesaurizat sibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei. Quòd autem adhuc viuit, patientia Dei ad pœnitentiam eum adducit. Implicatus ergo tam mortiferorũ vinculis peccatorum, detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipsas claues Ecclesiæ, quibus soluatur in terra, vt sit solutus in cælo? Et infrà: Iudicet ergo seipsum homo in istis (scilicet, operibus carnis, quæ ex capite 5. ad Galatas hic recensuit) voluntate dum potest, & mores cõuertat in melius, ne cùm iam non poterit, etiam præter voluntatẽ à Do-

Charitas Christi erga nos.

Matth. 22. Rom. 13.

In iocos et facetias.

1. Ioan. 2.

Matth. 12

Ephes. 5.

Rom. 2.

Confessio peccatorũ

mino iudicetur. Et cũ in se protulerit seuerissimæ medicinæ, sed tamen medicinæ sententiam, veniat ad antistites, per quos illi in Ecclesia claues ministrantur, & tanquam bonus incipiés iam esse filius, maternorũ membrorũ ordine custodito, à præpositis sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum, vt in offerendo sacrificio cordis cõtribulati deuotus & supplex, id tamen agat, quod non solùm illi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum: vt si peccatum eius nõ solùm in graui eius malo, sed etiam in scandalo est aliorum, atque hoc expedire vtilitati Ecclesiæ videtur antistiti, in notitia multorum, vel etiã totius plebis agere pœnitentiam non recuset, non resistat, non setali & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorẽ, &c. Hæc Augustinus, præclarè adhortans ad peccatorum confessionem, & agendam pœnitẽtiam etiam publicam, si sit peccatum publicum, & cum aliorum scandalo coniunctum. Est autẽ hoc loco obseruandum, quòd Apostolus auaritiam vocat idolorum seruitutem. Auarus enim nummum pro Deo colit. Hoc detestabile vitiũ præter alia mala, etiam rerum omnium caritatem adducit. Cùm enim auari priuatis semper lucris inhient, & omnia ad se rapiant, inde fit vt tam multi summa premantur inopia, tam crebra existat annonæ & aliarum rerum caritas. Rectè dixit Sapiens quidam: Auaro nihil est scelestius. Vt autem fornicatio & voluptas venerea præcipuè infestat adolescentes & iuuenes: ita senibus familiarior est auaritia. Vtrumq; autem vitium certissimè excludit à regno Dei. *Nemo uos seducat inanibus uerbis: propter hæc enim uenit ira Dei in filios diffidẽtiæ.* Quemadmodũ in veteri lege pseudopheræ vanis persuasionibus populum auertebant, ne veris prophetis iram Dei & supplicia comminantibus fidem commodarent, dictaque sanctorum prophetarum eleuabant, quemadmodùm in Hieremia legimus fecisse Ananiam illum, quem propterea Dominus eodem anno percusit: sic in nouo testamento hæretici blandis sermonibus euertũt plurimos, omniaq; facilima prædicant, solam fidem sufficere ad salutem, opera non esse necessaria, Christum pro nobis abundè satisfecisse, & id genus alia apud imperitos deblaterant. Contra tales impostores munitos nos esse volens Apostolus, Nemo vos, ait, seducat inanibus verbis. Inanes sermones sunt, inquit Chrysostomus, qui ad tẽpus gratiam habentes, nequaquam re ipsa ostenduntur. Est enim seductio res ista. Hæc ille. Certum autẽ atq; persuasum nobis esse debet, propter fornicationem, immunditiam, auaritiã venire iram Dei in filios diffidentiæ, in incredulos & immorigeros, qui non obtemperant mãdatis Dei, sed suis indulgent affectibus, prauasq; sectantur cupiditates, quas ex verbi Dei præscripto in seipsis persequi & extirpare deberẽt. *Nolite ergo effici participes eorum.* Hoc eodem capite, vnde hæc lectio sumpta est, alijs verbis sic dicit Apostolus: Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarũ (hominũ impiorũ, qui propter cordis cæcitatẽ rectè tenebræ vocãtur) magis aũt redarguite. Duo igitur exigũtur: vt nõ cõsentias alterius iniquitati, & vt eam redarguas. Primũ semper est necessariũ: alterũ fieri debet, si speretur vtilitas & adsit opportunitas. *Erratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Vt filij lucis ambulate.* Quemadmodũ in ipsis corporibus, ait D. Augustinus, ea quæ inferiora sunt, sicut terra, & aqua, & ipse aër, meliora fiunt participatione melioris, id est, cùm luce illuminantur & feruore vegetãtur: sic incorporeæ creaturæ rationales ipsius creatoris fiũt participatione melliores, cùm ei cohærent purissima & sanctissima charitate: qua omnimodò si caruerint, tenebrescunt & obdurescunt quodãmodò. Proinde infideles homines tenebræ sunt, qui per fidem conuersi ad Deũ, quadã præmissa illuminatione lux fiunt: in qua proficiendo, si ex fide ad speciẽ peruenerint, vt id quod credunt, etiã conspicere, sicut tantũ bonum potest conspici, mereãtur, perfectam recipient imaginẽ Dei. Talibus enim dicit Apostolus: Fuistis aliquando tenebræ, nũc autẽ lux in Domino. Hæc ille. Quòd verò subiungit Apostolus, Vt filij lucis ambulate, alibi sic dicit, Sicut in die honestè ambulemus. Debent Christiani sic viuere, vt nihil fœdũ, nihil inhonestum in eorũ dictis & factis appareat. *Fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & ueritate.* Hæc ergo qui sectantur, veri sunt Christiani & filij lucis. Et hinc possunt internosci filij Dei à seruis diaboli, quòd filij Dei student bonitati, iustitiæ & veritati, & si interdùm offendunt & labuntur, ad pœnitentiæ remedia ilicò confugiũt: porrò serui diaboli volutantur in cœno vitiorũ, studẽt libidini, immũdiciæ, auaritiæ & operibus tenebrarum, quod etsi semper, tamen vel maximè cauendum est his Quadragesimæ diebus, quibus non sine causa tot sanctissimæ adhortatiões nobis ex Apostolo depromũtur. Præstet nobis Dominus Deus noster, vt ijs cõuenienter viuamus, cui est gloria & honor in secula seculorum, AMEN.

Publica pœnitentia curanda.

Hier. 28.

Sermones inanes.

Rom. 13.

Ecclesiast. 10.

EADEM DOMINICA.

Luc. XI.

In illo tempore: Erat Iesus eijciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cùm eijcisset dæmonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Matth. 12. DAEMONIACVS iſte apud Matthæum non ſolùm mutus, ſed & cæcus fuiſſe narratur: curatuſque dicitur à Domino, ita vt loqueretur, & videret. Tria generalia ſigna ſimul in vno homine perpetrata ſunt: cæcus videt, mutus loquitur, poſſeſſus à dæmone liberatur. Quod & tûc quidem carnaliter factum eſt: ſed & quotidiè completur in conuerſione credentium, vt expulſo primùm dæmone, fidei lumen aſpiciant, deinde ad laudes Dei tacentia priùs ora laxentur.

Quidam autem ex eis dicebant: In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Non hoc aliqui de turba, Mat. 9. 12 Mar. 3. ſed phariſæi calumniabantur & ſcribæ, ſicut alij Euangeliſtæ teſtantur. Turbis quippe, quæ minùs eruditæ videbantur, Domini ſemper facta mirantibus, illi contrà vel negare hæc, vel quæ negare nequiuerãt, ſiniſtra interpretatione peruertere laborabant: quaſi hæc non diuinitatis, ſed immundi ſpiritus opera fuiſſent, id eſt, Beelzebub, qui deus erat Accaron. Nam Beel quidé Beelzebub quid. ipſe eſt Baal, zebub autem muſca vocatur. Nec iuxta quædam mendoſa exemplaria, vel l. litera vel d. in fine nominis eſt legenda, ſed b. Beelzebub ergo Baal muſcarum, id eſt, vir muſcarum, ſiue habens muſcas interpretatur, ob ſordes videlicet immolaticij cruoris, ex cuius ſpurciſſimo ritu vel nomine, principem dæmoniorum cognominabant. *Et alij tentantes, ſignum* 4. Reg. 1. *de cælo quærebant de eo.* Vel in morem Heliæ, ignẽ de ſublimi venire cupiebant: vel in ſimilitudi- 1. Reg. 12. nem Samuelis, tempore æſtiuo mugire tonitrua, coruſcare fulgura, imbres ruere: quaſi non poſſint & illa calumniari, & dicere ex occultis & varijs aëris paſſionibus accidiſſe. At tu, qui calumniaris ea quæ oculis vides, manu tenes, vtilitate ſentis, quid facies de his quæ de cælo venerint? Vtique reſpondebis & magos in Aegypto ſigna multa feciſſe de cælo. *Ipſe autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in ſeipſum diuiſum, deſolabitur, & domus ſuper domum cadet.* Non ad dicta, ſed ad cogitata reſpondit, vt vel ſic compellerentur credere potentiam eius, qui cordis videbat occulta. Si autem omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolatur, ergo patris & filij & ſpirituſſancti regnum non eſt diuiſum, quod ſine vlla contradictione non aliquo vnquam poterit labefactari impulſu. Si verò ſanctæ & indiuiduæ trinitatis indiuiduum (imò quia indiuiduum) manet regnum, deſiſtant Ariani minorem patre filium, minorem filio ſpiritum ſanctum dicere: quia quorum vnum eſt regnum, horum eſt vna maieſtas. *Si autem & ſatanas in ſeipſum diuiſus eſt, quomodò ſtabit regnum ipſius, quia dicitis in Beelzebub me eijcere dæmonia?* Hoc dicens, ex ipſorum confeſsione volebat intelligi, quòd in eum non credendo, in regno diaboli eſſe delegiſſent, quod vtique aduerſum ſe diuiſum ſtare non poſſet. Eligant ergo phariſæi quid voluerint. Si ſatanas ſatanam non poteſt eijcere, nihil contra Dominũ quod dicerent inuenire potuerunt. Si autem poteſt, multò magis ſibi proſpiciant, & recedant de regno eius, quod aduerſum ſe diuisùm, ſtare non poteſt. In quo autem Dominus Ieſus Chriſtus eijciat dæmones, ne dæmoniorum principem exiſtiment, attendant quod ſequitur: *Si autem ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij veſtri in quo eijciunt? Ideò ipſi iudices veſtri erunt.* Dixit vtique hoc de diſcipulis ſuis, illius populi filijs, qui certè diſcipuli Domini Ieſu Chriſti, benè ſibi conſcij fuerant, nihil ſe malarum artium à bono magiſtro didiciſſe, vt in principe dæmoniorum eijcerent dæmones. *Ideò*, inquit, *iudices veſtri erunt.* Ipſi, inquit, ipſi ignobilia & contemptibilia huius mundi, in quibus non artificioſa malignitas, ſed ſancta ſimplicitas meæ virtutis apparet, ipſi teſtes mei, iudices erunt veſtri. Aliter: Filios Iudæorum, exorciſtas gentis illius ex more ſignificat, qui ad inuocationem Dei eijciebant dæmones. Et coartat eos interrogatione prudenti, vt confiteantur ſpirituſſancti eſſe opus. Quòd ſi expulſio, nquit, dæmonum in filijs veſtris, Deo non dæmonibus deputatur, quare idem in me opus non eandem habeat cauſam? Ergo ipſi iudices veſtri erunt, non poteſtate, ſed comparatione, dum illi expulſionem dæmonum Deo aſſignant, vos Beelzebub principi dæmoniorum. *Porrò ſi in digito Dei eijcio dæmonia, profectò peruenit in uos regnum Dei.* Iſte eſt digitus, quem & confitentur magi, qui contra Moyſen & Aaron ſigna faciebant, dicentes: Digitus Dei eſt iſte, quo & tabulæ lapideæ ſcriptæ ſunt in monte Sinai. Si igitur manus & brachium, Dei filius eſt, & digitus eius ſpirituſſanctus, Patris & filij & ſpirituſſancti vna ſubſtantia eſt. Non te ſcandalizet membrorum inæqualitas, cùm æ- Digitus dificet corporis vnitas. Aliter: Digitus Dei Dei. vocatur ſpirituſſanctus, propter partitionem donorum: quæ in eo dantur vnicuique propria, ſiue hominum, ſiue angelorum. In nullis enim membris noſtris magis apparet partitio, quàm in digitis. Quod autem dixit, *Peruenit in uos regnum Dei*, regnum Dei nunc dicit, quo damnantur impij, & à fidelibus de peccatis ſuis pœnitentiam nunc agentibus ſecernuntur. *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ea ſunt quæ poſſidet.* Fortem, diabolum: atrium verò illius, mundum, qui in maligno poſitus eſt, appellat: in quo vſq; ad ſaluatoris aduentum, malè pacato potiebatur imperio, quia in cordibus infidelium ſine vllacõtradictione quieſcebat. Vnde & alibi princeps mundi vocatur, dicente Domino: Ve- Ioan. 14. nit enim princeps mundi, & in me nihil inuenit. Et iterùm: Nunc princeps huius mundi Ioan. 12. eijcietur foras. De qua hic eiectione ſubiungitur: *Si autem fortior illo ſuperueniens uicerit eum, uniuerſa*

ſa arma eius auferet in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet. De ſeipſo quippe loquitur, quòd non concordi fallax operatione, quemadmodùm calumniabantur, ſed fortiori potentia victor, homines à dæmonio liberaret. Arma, in quibus Arma dæmonis. malè fortis ille confidebat, aſtutiæ doliquæ ſunt Spolia. nequitiæ ſpiritalis. Spolia verò eius, ipſi homines ſunt ab eo decepti, quæ victor Chriſtus di- Epheſ. 4. ſtribuit, quod eſt inſignæ triumphantis: quia captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus: quoſdam quidem apoſtolos, alios euangeliſtas, hos prophetas, illos paſtores ordinans & doctores. *Qui non eſt mecum, aduerſum me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit.* Non putet quiſquam de hæreticis hoc dictum & ſchiſmaticis, quanquam & ita ex ſuperfluo poſsit intelligi: ſed ex conſequentibus textuque ſermonis ad diabolum refertur, & quòd non poſsint opera ſaluatoris, Beelzebub operibus comparari. Ille cupit animas hominum tenere captiuas, Dominus liberare. Ille prædicat idola, hic vnius Dei notitiam. Ille trahit ad vitia, hic ad virtutem reuocat. Quomodò ergo poſſunt habere cõcordiam inter ſe, quorum opera diuiſa ſunt? *Cùm immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquoſa.* Quanuis ſimpliciter intelligi poſsit Dominum hæc ad diſtinctionem ſuorum & ſatanæ operum adiunxiſſe, quòd ſcilicet ipſe ſemper polluta mundare, ſatanas verò mundata grauioribus feſtinet attaminare ſordibus: tamen & de hæretico quolibet vel ſchiſmatico, vel etiam malo catholico poteſt non inconuenienter accipi: de quo tempore baptiſmatis ſpiritus immundus, qui in eo priùs habitauerat, ad confeſsionem catholicę fidei abrenunciationemq; mundanæ conuerſationis eijciatur: locaq; inaquoſa peragret, id eſt, corda fidelium, quæ à mollitie fluxæ cogitationis expurgata ſint, callidus inſidiator explorer, ſi quos ibi fortè ſuæ nequitiæ greſſus figere poſsit. Sed benè dicitur, *Quærens requiem, & nõ mueniens*: quia caſtas mentes effugiens, in ſolo diabolus corde paruorum gratam ſibi poteſt inuenire quietem. Vnde & de illo Dominus, Sub vmbra, inquit, dormit, in ſecreto calami, in locis humentibus. In vmbra videlicet tenebroſas conſcientias, in calamo, qui foris nitidus, intùs eſt vacuus, ſimulatrices, in locis humentibus laſciuas mollesque mentes inſinuans. *Tunc dicit: Reuertar in domum meam, unde exiui.* Timendus eſt iſte verſiculus, non exponendus: ne culpa, quam in nobis extinctam credebamus, per incuriam nos vacantes opprimat. *Et cùm uenerit, inuenit ſcopis mundatam*: hoc eſt, gratia baptiſmatis à peccatorum labe caſtigatam, ſed nulla boni operis induſtria Matt. 12. cumulatam. Vnde benè Matthæus hanc domum vacantem, ſcopis mundatam, atque ornatam dicit inuentam: mundatam videlicet à vitijs priſtinis per baptiſmum, vacantem à bonis actibus per negligentiam, ornatam ſimulatis virtutibus per hypocriſin. *Et tunc uadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi.* Per ſeptem malos ſpiritus, vniuerſa vitia deſignãtur. Quemcunq; enim poſt baptiſma ſiue prauitas hæretica, ſeu mundana cupiditas arripuerit, mox omnium proſternet in ima vitiorum. Vnde rectè nequiores tunc eum ſpiritus dicuntur ingreſſi, quia non ſolùm habebit illa ſeptem vitia, quæ ſeptem ſpiritualibus ſunt cõtraria virtutibus, ſed per hypocriſin ipſas ſe virtutes habere ſimulabit. *Et ſunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.* Melius quippe erat ei viam veritatis nõ 2. Pet. 2. agnoſcere, quàm poſt agnitionẽ retrorſum conuerti. Quod in Iuda traditore vel Simone Mago cæteriſque talibus ſpecialiter legimus impletum. Quò autem generaliter hæc parabola tendat, ipſe ſecundùm Matthæum ſaluator expoſuit, vbi ea terminata, mox ſubdidit dicens: Sic Matt. 12. erit & generationi huic peſsimæ: id eſt, quod de vnoquolibet ſpecialiter geri ſolere narraui, hoc in tota generaliter huius populi gente geri non deſinit. Immundus quippe ſpiritus exiuit à Iu- *Immundus* dæis, quando acceperunt legem, & ambulauit *ſpiritus et* per loca arida, quærens ſibi requiem: expul- *exit &* ſus videlicet à Iudæis, ambulauit per genti- *redit ad* um ſolitudines. Quæ cùm poſteà Domino *Iudæos.* credidiſſent, ille non inuento loco in nationibus, dixit: Reuertar in domum meam priſtinam, vnde exiui: habebo Iudæos, quos antè dimiſeram. Et veniens inuenit vacantem & ſcopis mundatam. Vacabat enim templum Iudæorum, & Chriſtum hoſpitem non habebat, dicen- Matt. 23. tem: Dimittetur vobis domus veſtra deſerta. Quia igitur Dei & angelorum præſidia non habebant, & ornati erant ſuperfluis obſeruationibus phariſæorum, reuertitur ad eos diabolus, & ſeptenario ſibi numero dæmonum addito, habitat priſtinam domum, & fiunt poſteriora illius populi peiora prioribus. Multo enim nunc maiore dæmonum numero poſsidentur, blaſphemantes in ſynagogis ſuis Chriſtum Ieſum, quàm in Aegypto poſſeſsi fuerant ante legis notitiam: quia aliud eſt venturum non credere, aliud eum non ſuſcepiſſe qui venerit. Septenarium autem numerum adiunctum diabolo, vel propter ſabbatum intellige, vel propter numerũ ſpirituſſancti, vt quomodò in Eſaia ſuper Eſai. 11. virgam de radice Ieſſe, & florem qui de radice conſcendit, ſeptem ſpiritus virtutum deſcendiſſe narrantur: ita & è contrario vitiorum numerus in diabolo conſecratus ſit.

IN COMMEMORATIO-

ne beatiſsimæ virginis Mariæ, de euangelio: Extollens vocem quædam mulier de turba, dixit &c. *Hæc pertinent ad eandem*

Bedæ hom.

Universidad de Deusto
Biblioteca

FActum est autem cùm hæc diceret, extollens uocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus uenter qui te portauit, & ubera quæ suxisti. Magnæ deuotionis & fidei hæc mulier ostenditur, quæ scribis & pharisæis Dominum tentantibus, simul & blasphemantibus, tanta eius incarnationem præ omnibus synceritate cognouit, tanta fiducia confitetur, vt & præsentium procerum calumniam, & futurorum confundat hæreticorum perfidiam. Nam sicut tunc Iudæi sancti spiritus opera blasphemando verũ consubstantialemq; patri Dei filium negabant: sic hæretici posteà negando Mariam semper virginem, sancti spiritus operante virtute, nascituro ex humanis membris vnigenito Deo carnis suæ materiam ministrasse, verũ consubstantialemq; matri filium hominis fateri non debere dixerunt. Sed si caro verbi Dei secundùm carnem nascentis à carne virginis matris pronunciatur extranea, sine causa venter, qui eam portasset, hubera quę lactassent beatificantur. Qua enim consequentia eius lacte credatur nutritus, cuius semine negatur esse conceptus: cùm ex vnius eiusdemq; fontis origine secundùm Physicos vterque liquor emanare probetur? Nisi fortè putanda est virgo semẽtiuam suæ carnis materiam, nutriendo in carne Dei filio suggerere potuisse, incarnãdo aũt, quasi maiori & inusitato miraculo, minimè potuisse. Sed huic opinioni obstat Apostolus, dicens: Quia misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege. Neq; enim audiendi sunt, qui legendum putant, natum ex muliere, factum sub lege: sed, factum ex muliere, quia conceptus in vtero virginali, carnem nõ de nihilo, non aliunde, sed materna traxit ex carne. Alioquin nec verè filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine. Et nos igitur his contra Eutychen dictis, extollamus vocem cum Ecclesia catholica, cuius hæc mulier typum gessit, extollamus & mentem de medio turbarum, dicamusq; saluatori: Beatus venter qui te portauit, & hubera quę suxisti. Verè enim beata parens, quæ sicut quidam ait, enixa est puerpera regem,

Qui cælum terramq; regit per secula, cuius
Numen, & æterno complectens omnia gyro
Imperium sine fine manet: quæ ventre beato
Gaudia matris habens cum virginitatis honore,

Nec primam similem visa est, nec habere sequentem. *At ille dixit: Quinimò, beati qui audiunt uerbum Dei, & custodiunt illud.* Pulchrè saluator attestationi mulieris annuit, nõ eam tantummodò beatam, quæ verbum Dei corporaliter generare meruerat, sed & omnes, qui idem verbum spiritaliter auditu fidei concipere, & boni operis custodia, vel in suo, vel in proximorum corde parere, & quasi alere studuerint, asseuerãs esse beatos: & quia hæc eadem Dei genitrix & inde quidem beata sit, quia verbi incarnandi ministra facta est temporalis: sed inde multò beatior, quia eiusdem semper amandi custos manebat ęterna. Qua sententia sapientes Iudæorum clàm percutit, qui verbum Dei non audire & custodire, sed negare & blasphemare quærebant. Vnde & rectè dicitur: Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud: quia non auditores legis, iusta Iacobi apostoli sententiam, iustificabuntur apud Deum, sed factores legis. De quo & Psalmista ait: Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitias eius in omni tempore: quia illis merces in gloria retribuetur sempiterna, vbi contẽplantes faciem Dei, laudes illi in perpetuum cantabunt: qui in trinitate & vnitate perfecta regnat & permanet Deus per omnia secula seculorum, Amen.

Galat. 4.

Is damnatus est in Synodo Chalcedonen.

Sedulius.

Iacob. 1. Rom. 2. Psal. 105

EADEM DOMINICA III.
HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Erat Iesus eijciens dæmonium, &c. Luc. 11.

BEatus Matthæus Euangelista hominem istum non solùm mutum, sed etiam cæcum fuisse narrat. Cæcus est enim omnis homo, qui eam lucem non sequitur, quæ ait: Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Mutus verò, qui peccatum suum confiteri, & in Dei laudibus labia sua aperire nescit. Dæmonium autem ille habet, qui in aliquo magno peccato perseuerat. Ideoque Apostolus nos admonet dicens: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Quandiù enim peccatum in homine regnat, tamdiu vinctus & captus à diabolo possidetur. Hic igitur cæcus & mutus si Domino offeratur, si ad pœnitentiam conuertatur, mox Iesus curabit eum, ita vt eiecto dæmonio loquatur & videat. Loquatur autem non vana & inutilia, vt priùs: sed sancta & religiosa, qualia loqui cõuenit Christianum. Videat verò non vanitates oculis corporis, sed lumen vitæ & veritatis oculis mentis. *Quidam aũt ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* De his autem Matthæus Euangelista sic ait: Pharisæi autem hæc audientes dixerunt: Hic non eijcit dæmonia, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. Quantò enim Pharisæi cęteris meliores & sapientiores esse videbantur, tantò multoties maiori inuidia contra Dominum mouebantur. Sed quis Pharisæi vos ista docuit? Nisi enim Beelzebub discipuli essetis, hæc talia in eius præconio non diceretis. Videtis Iesum mortuos suscitare, cæcos illuminare, leprosos mundare, omnes languores omnesq; infirmitates curare, &

Ioan. 8.

Rom. 6.

Matth. 12.

re, & dicitis quòd in Beelzebub eijcit dæmonia? Nunquid enim Beelzebub deus muscarum hæc aliquando facere potuit? *Alij autem tentantes, signum de cælo quærebant ab eo.* Quibus quid Dominus responderit, alius euangelista exponit, dicens: Generatio hæc praua & peruersa signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctib⁹, ita erit filius hominis in corde terræ tribus dieb⁹ & tribus noctibus. Sufficiat vobis hoc signũ: neq; de terra, neq; de cælo dabitur vobis aliud signũ. Magnũ enim & admirabile signũ est, cp ille, qui omnia in potestate habet, se tribus diebus & tribus noctib⁹ in peccatorũ potestate esse permisit. Quid est enim in corde terræ, nisi in affectu, in potestate, & in desiderio peccatorũ? Vnde & ipse quoque Dominus Pilato dicebat: Non haberes in me potestatẽ, nisi datũ fuisset tibi desuper. Sicut autem cælũ significat iustos, ita & terra significat peccatores. Hæc aũt iam superius expolita sunt. Sequitur: *Ipse autem ut uidit cogitationes eorum, dixit: Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet. Si autem & satanas in seipsum diuisus est, quomodò stabit regnum ipsius, quia dicitis in Beelzebub eijcere me dæmonia?* Euidenti syllogismo eos cõcludit, qui in Beelzebub eum eijcere dæmonia dicunt. Si enim ita esset, vt illi dicunt, iam quidẽ Beelzebub vires principatus & regnum penitùs amisisset. Si enim contra se dæmonia bellum gereret, aut paruas aut nullas vires contra homines haberent. Sed quod peius est, vix inueniuntur aliqui homines, qui tantam concordiam habeant in bono, quantam maligni spiritus habent in malo. Cùm enim infiniti sunt & innumerabiles, omnes tamen in vno concordant, cp nihil nisi facere malum desiderant. Si igitur hanc iniquitatis concordiam non habuissent, & ad pœnitentiam conuerti voluissent & potuissent, iam quidem regnum Beelzebub desolatum fuisset. Hoc enim in alijs regnis fieri videmus. Non est igitur vt illi dicunt, neque satanas satanam eijcit: quin potiùs omnes in omnibus sibi inuicem auxiliantur.

Matt. 12. Ion. 2.

In corde terræ, quid sit. Ioan. 19.

Dæmonũ concordia

Iob 41.

Corpus diaboli.

Vnde etiam ad beatum Iob à Domino de diabolo dicitur, Corpus illius quasi scuta fusilia, & cõpactum squamis se prementibus: vna vni coniũgitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas: vna alteri adhærebit, & tenentes se nequaquàm separabuntur. His enim verbis malignos spiritus tantam inter se concordiam habere designat, vt nullatenùs ab inuicem separari queant. Corpus enim diaboli, totus ille malignorum spirituum exercitus intelligitur. Dicuntur autem scuta fusilia maligni spiritus, propter fortitudinem. Dicuntur & squamæ se prementes, secq; mutuò tenentes, sibiq; inuicem adhærentes, propter nimiam concordiam & vnitatem, quam habent in omni malitia & nocendi cupiditate. Vtinam si fieri posset, hæc tanta illorum pax & concordia rumperetur, & regnum illud iniquitatis soluere-

tur. Sequitur: *Et si ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij uestri in quo eijciunt?* Si, inquit, de me talia cogitatis, quid dicitis de discipulis meis? scio enim quia non benè intelligitis de discipulis, qui tam nefanda de magistro cogitatis. Hoc est enim quod superiùs dixerat: Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domesticos eius? Dicuntur autem Apostoli filij Pharisæorũ, quoniam & ipsi, & cæteri omnes qui credebant resurrectionẽ, quam pharisæi prædicabant, quasi patres & magistros Pharisæos habebant. Vnde etiam illius sectæ eos fuisse intelligi potest. Hæc enim secta cæteris melior erat, quanuis & ipsa in pluribus bona non erat. Ideoq; in Actibus Apostolorum Paulus quoque Apostolus clamasse legitur: Pharisæus sum, de spe & resurrectione mortuorum ego iudicor. Hæc est igitur causa, cur Christi discipuli pharisæorum filij dicantur. Sequitur: *Ideò ipsi iudices uestri erũt.* Ipsi enim sedebunt super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. *Porrò si in digito Dei eijcio dæmonia, profectò peruenit in uos regnum Dei.* Hoc autem quid significet, alius euangelista ostendit, dicens: Si ego in spiritu dei eijcio dæmones, quod vtiq; verum est & dubitari non debet, igitur peruenit in vos regnum Dei. Vbi enim est spiritus Dei, ibi est & regnum Dei. Vocatur autem digitus Dei spiritus sanctus, propter multiplicem gratiarum diuisionem. In nulla enim corporis parte tanta diuisio, quanta in digitis inuenitur. Et tale est ac si diceret: Ego quidem in spiritu Dei & in virtute diuinitatis dæmones eijcio, quoniã mihi subditi sunt, quoniam in mea potestate sunt, quoniam mihi resistere non possunt, quoniam ligatos eos teneo & vinctos habeo. Et hoc est quod ait: *Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet: si autem fortior illo superueniens uicerit eum, uniuersa arma eius auferet in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.* Fortis enim erat diabolus, sed fortior ego sum. Intraui in domum eius, veni in hunc mundum, quẽ ipse vt domum propriã possidebat: sed propè est, vt princeps huius mũdi ejiciatur foras. Ligaui eũ, vasa eius diripui, & miseros homines, quos ipse inuaserat, de eius seruitute liberaui. Nõ est igitur ipse mecũ, neq; cõgregat mecũ, neq; dæmones eijcit mecũ: non sanat homines vt ego, nõ cõgregat oues, neq; ad vitæ pascua ducit, sicut ego. Quid igitur facit? Vis audire quid? Spargit, dissipat, occidit, & quoscunq; potest, ad mortẽ & æternam damnationem secũ *boli*trahit. Hoc est enim quod dicit: *Qui non est mecum aduersum me est, & qui non colligit mecum, dispergit. Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, & non inueniens, dicit: Reuertar in domum meam, unde exiui. Et ueniens, inuenit eam uacantem, scopis mundatam, & ornatam: & tunc uadit & assumit septẽ alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi: & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Sic erit generationi huic pessimæ.* Hanc autem simili-

Matt. 10.

Filij Phari sæorũ cur Apostoli.

Actor. 23.

Matth. 12.

Ioan. 12

Operadia

litu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iudei à quibus damnãdi.

litudinem ideò Dominus dedit, vt Iudęorum generationē malā & adulterā, propter duritiā suam & cor impœnitens, non solùm à Niniuitis, verùm etiā ab alijs gentibus meritò damnandam & iudicandā esse ostenderet. Quoniā hæc impia generatio pœnitere nescit, sed quotidiè seipsa deterior fit, eius nouissima peiora prioribus fiēt. Hoc enim ipsi significabant, cùm de Saluatore nostro

Matt. 27. dicerēt: Sanguis eius super nos & super filios nostros. Sic igitur erit generationi huic pessimæ, sicut illi homini, qui ab immundo spiritu possidetur. Cùm enim immundus spūs exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requié & non inuenit. Facilè enim malignus spiritus & intrat in hominem, & exit ab homine. Quoties enim homo vel cogitatione vel operatione nefandum aliquid agit, diabolus adest: si verò ex cor-

Loca arida & inaquosa. de pœnitere incipiat, diabolus exit. Exiens autē ambulat per loca arida & inaquosa, eos videlicet tentando, qui malitiæ & voluptatis humorem non habent, in quibus requiem non inuenit, quoniam fluxa & humida quærit. Vnde & de

Iob 40. eodem dicitur: Sub vmbra dormit, in secreto calami, in locis humentibus, quibus loca genitalia significantur. *Tunc dicit: Reuertar in domum meam, unde exiui.* Quia enim in bonis requié habere nō potest, ad malos redit. Tentare nanq; bonos diabolus potest, requiē aūt in eis habere non potest: quoniā nūc eorū orationibus, nūc eleemosynis, alijsq; similibus solicitatur, mouetur, & pellitur. *Venięs aūt in domū suā, inuenit eā uacantē.* Vacantem

Domus uacans. quidē, quia non inuenit ibi charitatē, nec fidem rectam, nec humilitatem, nec patientiam, nec iustitiam, nec misericordiā, nec cætera quibus sanctorū animæ muniuntur. Qualem igitur eam inuenit? *Scopis mundatam, & ornatam:* talē eam inue-

Scopis mūdata & ornata. nit, qualē inuenire desiderat. Inuenit enim eam malis scopis mundatā, & malis ornamentis ornatā. Malæ scopę, quæ virtutes pellunt, & vitia relinquūt: malæ scopæ, quæ pauiméta dissipant, & pulueré non ejciunt. Luxuria verò, fornicatio, voluptas, superbia, auaritia, discordia, omnisq; immūditiæ, ornamenta diaboli sunt. His aūt ornamentis inuenit eam ornatam. *Tūc igitur uadit & assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, & ingressi habitāt ibi.* Nō sufficit ei vt solus talē domū possideat, socios quærit: spatiosus est locus, multis indiget habitatoribus. Sed qui sunt isti septē spiritus? quare etiam septē? quare nequiores? Quia enim septē sunt gratiæ spiritussancti, quibus omnis anima

7. Dona spiritus sancti. ad fidem Christi conuertitur, & conuersa defenditur: ideò iniquus iste, septem spiritus illis contrarios secum assumpsit, quibus aduersus eas dominum suam tueatur: Opponēs videlicet spiritum

7. Vitia. stultitiæ contra spiritum sapientiæ: & contra spiritū intellectus, spiritum vertiginis & insanię: cōtra spiritum consilij, spiritum temeritatis: contra spiritū fortitudinis, spiritum inconstantiæ & timoris: contra spiritum scientiæ, spiritum insciētiæ: contra spiritum pietatis, spiritum impietatis: contra spiritū timoris Domini, spiritum cōtemptus & odij. Infelix illa anima, in qua isti spiritus regnant, & cui isti dominantur. Isti enim quodāmodò nequiores illo sunt, qui eos cōduxit: quoniā isti in hac vita animas corrumpunt, ille verò post hanc vitam animas cruciat: ille tentat, isti occidunt: ille ianuas aperit, isti intromissi cuncta perdunt & dissipant: ille hominē tentare & vexare potest, animam verò nisi per istos occidere nō potest. Sic igitur isti sunt nequiores illo, quia plus nocent isti quàm ille. Ille enim consiliando & tentando est nequior, isti agendo & corrumpēdo sunt nequiores. Illi Apostolus homines tradidit in interitum carnis, de istis verò dicit. Non regnet peccatum in vestra mortali carne. Non est igitur mirum, si fiunt nouissima hominis illi⁹ peiora prioribus, cùm priùs vno, & postea septē alijs prematur dæmonibus. *Factum est autem cùm hæc diceret, uocem extollens quædā mulier de turba, dixit illi: Beatus uenter qui te portauit, & ubera quæ suxisti. At ille dixit: Quinimò, beati qui audiunt uerbum Dei, & custodiunt illud.* Hoc tale est ac si diceret: Beata quidem est mater mea, felix est venter qui me portauit: sed non ideò beata, quia mater mea, neq; ideò felix, quia me portauit: sed ideò felix atque beata, quia verbum Dei audiuit, audiendo credidit, credendo custodiuit. Hoc enim nisi fecisset, neq; felix, neq; mater mea esse potuisset.

1. Cor. 5. Rom. 6.

FERIA SECVNDA.

Lucæ 4.

In illo tempore, Dixerunt Pharisæi ad Iesum: Quanta audiuimus facta in Capharnaum: fac & hic in patria tua. Et reliqua. Homilia Ertet.

Luc. 4. REfert superiùs euangelista, quia cùm uenisset Dominus Nazareth, & in synagoga lectoris functus officio, ab omnibus intēta studiosaq; intentione auditus fuisset, omnesq; mirarentur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore illius, cœperunt scribæ & pharisæi inuidentes dicere: Nónne hic est filius Ioseph fabri? Quorum quanta esset cæcitas, hinc liquidò cognoscimus, quia Dominū quem in verbis factisq; mirabantur, & Christum agnoscebant, ob solam generis notitiam contēnebant, quia illum apud se nutritum, & per ætatum tempora profecisse viderant. Vnde & eum

Luc. 2. qui de virgine natus fuerat, filium Ioseph appellabant: qui sponsus integerrimæ matris eius, & baiulus ac nutricius fuerat ipsius. Erait illis Dominus: Vtiq; dicetis mihi hāc similitudinē: Medice cura teipsum. Quid aūt hoc vulgare cōtineret prouerbium, aperit euangelista, cùm subiungit: *Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.* Quod est dicere: Quia, inquiunt, in Capharnaum plures te curasse fama vulgante cōperimus, cura etiam teipsum, id est, fac similiter in patria: hoc est, in tua ciuitate. Patria enim vel ciuitas Domini, Nazareth erat: in qua secundùm assumptum hominem & cōceptus est & nutritus.

Nazareth patria Christi.

tritus. Et intuere, q̄ sicut superiùs Christum fabrum vel filium fabri, ita nunc eadem erroris insania medicum cognominant. Sed error iste insanus, plenus est sanæ fidei & veritatis. Reuerà enim filius erat fabri illius, qui in principio cælū terramq; fabricatus est: quiq; sicut verus faber,

Matth. 3. igni operatur & spiritu, iuxta quod de Christo tanquam fabri filio Ioannes dicit: Ipse vos baptizabit in spiritu sancto & igne. Hic faber in magna huius mundi domo facit diuersi generis vasa: aliud quidem in honorem, aliud verò in contumeliā. Ipsa etiam vasa iræ, spūssancti igne molliendo, in vasa conuertit misericordiæ, iuxta q̄d

Mala. 3. Malachias ex persona Dei patris de Christo loquitur: Et sedebit conflans, & emundans argentū. Est ergo Christus verè faber, de quo scriptum

Ioan. 1. est: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Est & medicus, quia per ipsum in cælis & in terris omnia sunt restaurata: Quiq; de

Matth. 9. se alibi dicit: Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus. Sed videamus adhuc, quo genere medicaminis iste medicus vtatur. Legimus in euangelio Ioannis, quia præteriens vidit

Ioan. 9. cæcum à natiuitate, & expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit super oculos cæci, & dixit ei: Vade ad natatoriam Siloë, quòd interpretatur missus. Abijt, & lauit, & venit videns. Cuius mirabilis curationis mysterium, quia suo loco iuuante Domino est exponendū, hic dicere supersedemus. Monetur ergo Christus ab irridentibus ciuibus, vt seipsum curaret: hoc est, in sua patria virtutes faceret, quasi non reuerà alibi fecerit, quæ rumor semper incertus vulgauerat, cū apud suos ciues, tanquam apud domesticos & affines, nihil tale gessisset, quibus multò conueniētiùs talia beneficia impendenda erant. Quod quare Dominus non fecerit, alius euangelista apertè ostendit, & excusat Dominum, dicēs: Quia

Luc. 6. non poterat ibi virtutē vllam facere, nisi paucos infirmos curauit. Et mirabatur, inquit, propter incredulitatē illorū. Non ergo viluerat Domino patria sua, sed incredulitas illorum hoc non merebatur. Amabat quidē ciues, sed ipsi despiciētes Christum quasi notum, & non credentes, patriæ se charitate priuabant. *Ait autem: Amen dico uobis, quia nemo propheta est acceptus in patria sua.* Quòd verò Dominus in scripturis propheta soleat appel-

Luc. 4. Iacob. 18. lari, Moyses testatur, qui dicit: Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus vester de fratribus vestris tanquàm me. Non autem solùm Dominus, qui est caput & Dominus prophetarum, verum etiam Elias & Hieremias, cæteriq; sancti prophetæ, minores atq; inferiores apud ciues semper habiti sunt, quàm apud exteras nationes. Naturale enim quodammodò & proprium est, ciues ciuibus inuidere: quia non præsentia opera, non prudentiam, non virtutem in viro considerant, sed fragilis infantiæ recordantur, veluti non & ipsi per eosdem gradus ad maturam peruenerint ætatem. *In ueritate dico uobis: multæ uiduæ erant in diebus Eliæ in Israël, quando clausum est cælum annis tribus & mensibus sex, cùm facta esset fames magna in omni terra, & ad nullam earum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem uiduam.* Notissimo vtitur exemplo viduæ Sareptanæ, ad quam Elias famis tempore missus est, plùs vt eam pasceret, quàm vt ab ipsa pasceretur: cùm tamen in Israël tunc temporis innumeræ essent viduæ. Ac si apertè diceret: Non est contrarium exemplis prophetarum, quòd vobis ciuibus meis beneficia operū meorum subtraho. Sicut enim quondam fame totam terram premente, nemo est in Iudæa repertus, qui dignus esset Eliæ hospitio, sed exteræ nationis vidua quæsita est, quæ à tanto propheta visitaretur: sic & vos modò, qui me inuidiæ & persidiæ causa spernitis, ipsi vos superno munere priuatis. Hoc prophetæ iuxta historiam factum, mystičè superbiam Iudæorum, & fidem ac salutem gentium designat. Nam vidua ista sanctam præ- *Vidua, typus Ecclesiæ.*
monstrat Ecclesiam, quę vidua erat, quia diutiùs à suo conditore deserta remanserat. Hæc filium pauperē egena stipe nutriebat: quia populū rectæ fidei nescių, verbo secularis scięntiæ absq; vtilitatis fructu docebat. Bene hæc vidua in Sarepta Sidonię fuisse dicitur. Sidonia nanq; venatio inutilis, Sarepta autem incēdium vel angustia panis interpretatur. Quibus omnibus gētilitas exprimitur, quæ inutili venationi dedita erat, lucris ac negocijs temporalibus inseruiens. Eratq; in Sarepta, in incendio videlicet carnalium cupiditatū, panisq; spiritualis patiebatur angustias. Ad hanc missus est Elias, id est, sermo propheticus, qui in Iudæa fame periclitabatur, clausa cæli ianua, id est, cessante scripturarum intelligentia, meritò infidelitatis Iudæorum. Venit ergo ꝓpheticus sermo ad Ecclesiā, vt pasceretur & pasceret, vt videlicet receptus à credētibus, reficeret corda credentium. Vbi ergo anteà panis spiritualis erat angustia, nunc farina & oleum benedicitur, id est, fructꝰ & hilaritas charitatis, vel gratia dominici corporis, & sacri chrismatis munera consecrantur: & hactenùs hæc diuina munera apud Ecclesiā nō deficiunt. Pulchrē verò mulier mysticū factura panem, priùs se dixit duo ligna colligere. Vbi non solùm quòd lignum nominauit, verùm quòd duo ligna dixit, figurā cru- *Duo ligna figura crucis.*
cis euidentissimè exprimit, in qua nobis vitæ æternæ præparatus est panis. *Et multi leprosi erant in Israël sub Heliseo propheta, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.* Quoniam historiæ narratio satis omnibus liquet, quæ ad mysterium *4. Reg 5.*
pertinent videamus. Naaman, qui decor interpretatur, populus est nationum, qui antequam *Naaman, typus gentium.*
in Christum crederet, perfidiæ & scelerum lepra maculosus erat: sed in Christum credendo, per baptismum ab omni fœditate mentis purgatus est. De quo benè dicitur, quòd puellæ consilio monitus sit, vt ad prophetam Heliseum veniret: quia gratia supernæ inspirationis, quam puella significat, populus gentium cœpit salutē, quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ est in Christo, sperare. Iubetur à propheta septies in Iordane lauari: quia nimirùm illud baptisma credentes saluat, quod septiformi spiritu regenerat. De quo illud signanter dicitur, quòd postquàm lauit, restituta est caro eius, sicut caro pueri paruuli: quia cunctos in Christo baptizatos, in vnam purgat gratia mater infantiam. Siue quòd sicut puer renouatus est, signat, quia per baptismum in Christo, vetere homine deposito, vitia respuere scimus, eiusque corpori conformamur, de quo scriptum est: Paruulus natus est nobis, filius datus est nobis. Nec illud vacat à mysterio, quòd partem terræ sanctæ secum tulisse dicitur: quia baptizati, corporis & sanguinis dominici debent perceptione confirmari. His igitur exemplis duorum prophetarum Eliæ atq; Heliseí, probatur Dominus non causa impotentiæ ciuibus virtutum doctrinam negasse, sed propter eorum inuidentiam atq; infidelitatem. *Et repleti sunt omnes in synagoga ira, hæc audientes. Et surrexerunt, & eiecerunt eum extra ciuitatem.* Quod Dominus suprà de eis dixerat, hoc ipsi verum esse facto testantur. Nam repleti ira, surrexerunt & eiecerunt eum extra ciuitatẽ. Hoc nempe eorum sacrilegium, quod nunc in euangelio fecisse memorantur, olim per Psalmistam prænunciatum ita fuerat: Retribuebant mihi mala pro bonis. Cùm enim Dominus per populos sanationum beneficia diffunderet, illi è contrario iniurias ei irrogabant. Nec mirum, si salutem habere non merentur, qui saluatorem de suis finibus expulerunt. *Et duxerunt, inquit, eum usq; ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum. Ipse autem transiens, per medium illorum ibat.* O pessimo magistro peiores discipuli. Diabolus enim tantùm Dominum tentat verbo, isti facto. Ille hortatur vt deorsum se mittat: isti adoriuntur vt mittant. Feruntautem hi, qui sanctorum locorum miracula curiosè inuestigare, & diligenter scribere studuerũt, quòd cùm Dominus de manibus Iudæorum elapsus, per medium illorum de rupis vertice descendisset, atq; sub ipsa rupe delitesceret, subitò ad tactum vestis ipsius saxum illud subtersugit, & instar ceræ reliquatum ac resolutum, sinum quendam, quo corpus dominicum muniretur & reciperetur effecit, tantę vtiq; capacitatis, quantæ ipsum corpus Domini extitit quantitatis. In quo hodieq; vniuersa lineamẽta & rugæ vestis, quæ à tergo Domini fuerãt, veluti manu sculptoris expressa seruantur. Et illi quidem ad hoc illum ad supercilium montis duxerunt, vt illum præcipitarẽt: sed subitò illorum mente mutata, & maiestate ineffabili stupefacta, per medium illorum transiens descendit, adhuc illis locum rerseruãs pœnitentiæ, vt vel sic intelligentes eius potentiam, à consilio mortis ei inferendæ animum reuocarent. Nondum enim venerat hora passionis eius, quæ non sabbato, sed parasceue paschæ futura erat. Nondum locum eiusdem passionis adierat, quæ non in Nazareth, sed in Hierosolymis erat implenda, vbi & per agni paschalis immolationem eius mors prænunciabatur. Sed nec hoc genus mortis elegerat. Neque enim modò à Nazarenis præcipitari, neque alibi ab Hierosolymitis se permisit lapidari, nec multò antè ab Herode se puerum voluit perimi: quia ante secula elegerat mortem crucis, cuius signo frontes fidelium armarentur, quæ celerrimo dextræ motu exprimi potest, contra diaboli tentamenta: simulq; vt se monarchiam totius orbis per crucis positionem obtinuisse monstraret, cuius cacumẽ ad cælos tendit, ima petunt inferos, terram cornua tegunt. Hinc Apostolus eiusdem crucis mysterium exponens, dicit: Vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris: qui viuit & regnat cum patre & spiritu sancto per omnia secula seculorum, Amen.

Esai. 9.

Psalm. 34.

Mors eius cunctę secula à Domino electa.

Philip. 2.

DE EADEM II. FERIA
HOMILIA EVSEBII
Emeseni.

Lucæ 4.

LEgitur superiùs in hoc euangelio, cum Dominus venisset in patriam suam, & secundùm consuetudinem Synagogam introisset, traditus est ei liber Esaiæ prophetæ. In quo cùm legisset, & sicut voluit exposuisset, omnes ei testimonium dabant, & admirantes dicebant, Quomodò hic literas scit, cum non didicerit? Et paulò pòst mente mutata, inuidia quadam & indignatione dicere cœperunt, Nónne hic est filius Ioseph? Hoc igitur solùm minùs habere videbatur, quòd extraneus nõ erat, quòd eius parentes nouerant, & quòd ibi nutritus fuerat. Si enim aliunde venisset, eisq; omnino incognitus esset, tunc eis per omnia venerabilis omniq; reuerentia dignus haberetur. Et ait illis: Vtiq; dicetis mihi hanc similitudinem: Medice, cura teipsum: *quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.* Hoc enim derogando dicebant, & ea quæ de ipso audierant, non credebant. Et tale est ac si dicerent: Si medicus es, si infirmos curare & languores pellere potes, quod nos non credimus, cura priùs teipsum, cura carnem tuam, parentes scilicet, vicinos, propinquos, & patriam tuam, & ea quæ in Capharnaum & alijs ciuitatibus te fecisse audiuimus, fac & hic in patria tua, vt nos videamus. *Ait autem: Amen dico uobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua.* Ideò (inquit) non curo patriam meam, quia ei acceptus non sum, quia fidem in ea non inuenio, & quia mihi sicut cæteri non credit patria mea. Delectatur in verbis meis, admiratur in sermonibus meis, & scandalizatur in parentibus meis. Tantoq; minùs cognoscit, quantò plus præ cæteris me notum habuit. *In ueritate dico*

dico uobis, multæ uiduæ erant in diebus Eliæ in Israël, quando clausum est cælum annis tribus & mensibus sex, cum facta esset fames in omni terra, & ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sareptam Sidoniæ ad mulierem uiduam. 3. Reg. 17

Non ad vos (inquit) missus sum, non vos curare & sanare veni, quia non ad omnes viduas missus est Elias. Hoc enim ille significabat: & quod ego in ciuitate, hoc ille in vrbe faciebat. Illã ego viduam curare, illam cibis spiritualibus satiare, & ab omni fame & penuria eripere veni, de qua

Psal. 131. scriptum est: Viduam eius benedicens benedicam, pauperes eius saturabo panibus. Hæc enim

Vidua, Ecclesia. vidua & sancta Ecclesia vniuersaliter, & vnaquæque fidelis anima singulariter intelligi potest.

Ioan. 15. Venit enim Dominus vocare omnes, prædicare omnibus, sed non venit sanare & à fame eripere omnes. Nisi enim venisset, & loquutus eis fuisset, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccatis suis. Prædicante itaq; Domino, cælum aperitur, fames tollitur, & fideles animæ cælesti nectare inebriantur. Econtrà autem infidelibus & iniquis minatur, dicens:

Amos 8. Ecce ego mittam in vobis non famem panis, neq; sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei.

4. Reg. 5. Sequitur. *Et multi leprosi erant in Israël sub Eliseo propheta, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.* Similitudo eadem est quæ superior. Multi enim leprosi, multi sunt peccatores. Vnus Naaman, vnus populus gentium, siue vnusquisq; fidelis intelligitur. Hic autem ad Dominum veniens, & eius tandem sermonibus credens, baptizatur, sanatur, & mundatus est. *Et repleti sunt omnes in Synagoga hæc audientes ira.* Repleti sunt quoniam hæc aduersum se dicta fuisse intellexerunt, seque indignos æstimari cognouerunt, quos ille talis tantusque propheta visitare debuisset. *Et surrexerunt & eiecerunt illum extra ciuitatem, & duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum. Ipse autem transiens, per medium illorum ibat.* Sęuiant homines quantùm velint, fremant & irascantur, securus est Dominus: nihil timet, omnia in potestate habet, & nisi ipse velit, teneri non potest. Non tamen restitit, sed per medium inimicorum transiens, canes contemnit hinc inde latrantes.

FERIA TERTIA,
Matth. XVIII.

In illo tempore, Respiciens Iesus in discipulos suos, dixit Simoni Petro: Si peccauerit in te frater tuus, uade & corripe eum inter te & ipsum solum. Et reliqua. Homilia Eiusd.

NOta hæc sancti euangelij lectio moralibus nos præceptis instruit, & qualiter erga eos qui in nos delinquunt, facere debeamus, satis necessaria admonitione ostendit. Ideoq; tantò propensiùs est audienda, tantoq; studiosiùs addiscenda, quantò constat, quia sine huius doctrina illibatæ charitatis vinculum, quo status Ecclesiæ continetur, solidum atq; indiruptum seruari non potest. Ait ergo Dominus, discipulos ad habendam cum fratribus pacem erudiens: *Si peccauerit in te frater tuus, uade & corripe eum inter te & ipsum solum.* Notandum verò priùs est, quòd si in nos frater peccauerit, & qualibet causa nostrum animum læserit, dimittendi nobis conceditur potestas, imò ingeritur necessitas: quia aliter nobis nostra scia mus debita non relaxari, nisi & nos debitoribus nostris dimiserimus. Si verò quis in Deum peccauerit, non est arbitrij nostri, sed solius est dimittere Dei. Scriptum est enim: Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Deum peccauerit, quis orabit pro eo? Sed nos ordine peruerso, in vlciscenda Dei iniuria, lœtali pietate torpemus, in nostris verò contumelijs odia exercemus. Priùs tamen corripiendus est, qui in nos peccat, seorsum, ne putet non esse peccatum quod facit: sicque amissa semel verecundia, in peccato permanere velit. Et si quidem nos audierit, lucrifacimus animam eius: quia per illius salutem nobis quoq; datur remissio peccatorum, Iacobo apostolo dicente: Qui conuerti

Matth. 6.

1. Reg. 2.

Ordo in correptione adhibẽdus.

Iac. 5.

fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinẽ peccatorum. Ergo docet quo ordine scandala vitare possimus, videlicet si neq; ipsi aliquem læsimus, si peccantem zelo iustitiæ corripimus, si pœnitenti viscera pietatis toto corde pandimus. Cũ ergo fratrem delinquentem corripimus, si nos non audierit, adhibendi sunt fratres vnus aut duo: vt qui ab vno non potuit, à pluribus corrigatur, vel etiam eorum testimonio conuincatur. Porrò si nec illos audierit, tunc Ecclesiæ dicere præcipimur, vt ab omnibus detestetur, & cæteris cauetur: quatenùs si noluit pudore corrigi, saltem corrigatur multorum opprobrijs. *Si autem nec Ecclesiam audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Ethnos græco sermone gens dicitur: inde ethnicus, id est, gentilis deriuatur, qui sic permanet vt natus est, & non est in Christo renatus. Publicani verò sunt, qui publicè peccant, vel qui publicis negocijs inseruiunt per fraudes ac furta & scelerata periuria. Sanè cum incorrigibilem fratrem sicut ethnicum & publicanum dicit habendum, ostendit grauioris criminis eum esse reum, qui sub specie fidelis, opera agit infidelium, quàm eum qui apertè infidelis & publicanus existit.

Cui uenia danda.

Sed & hic cautè attendendum, quòd non passim aut leuiter, sed obedienti, & pœnitentiam commissi sui agenti, ac veniam petenti fratri dimittere iubemur. Vnius enim sceleris rei tenentur

Universidad de Deusto
Biblioteca

apud Deum,& is qui peccantem videns fratrem, corrigere noluerit,sed negligens paruipenderit: atq; ille,qui pœnitentiam agenti fratri dimittere noluerit. Nam Dominus cùm dixisset: Si peccauerit frater tuus,corripe,statim subiunxit: Si dixerit,Pœnitet me,dimitte. Igitur largienda est venia post increpationem, sed illi, qui pœnitentiã egerit,& se ab errore cõuerterit:quia nec difficilis venia,nec remissa debet esse indulgentia. *Amen dico uobis,quæcunq; ligaueritis super terram,erunt ligata & in cælis.* Quia dixerat durum & impœnitentem fratrem, sicut ethnicum & publicanum habendum, ne aliquis ita vecors,& desperatione mortifera contemptor existeret, vt tacitus apud se loqueretur:Si me despicis,& ego te despiciam:si me honoras,vtiq; mea sententia honoraberis.Idcircò Dominus apostolis potestatem ligandi tribuit & soluendi,vt hi qui condemnantur,sciant humanam sententiam diuina firmari, & quod fuerit ligatum in terra, ligari nihilominùs in cælo. Hęc verò potestas specialiter sanctis Ecclesię episcopis collata est,generaliter verò omni Ecclesiæ data creditur. Nam quod & Dominus alibi beatò Petro hanc potestatem ligandi atq; soluendi dedit,vtiq; in Petro, qui typum gerebat Ecclesiæ, omnibus fidelibus hoc concessisse non dubitatur. *Iterum dico uobis,quia si duo ex uobis consenserint super terram,de omni re quamcunque petierint,fiet illis à patre meo qui est in cælis.* Magnam fidelibus authoritatem & fiduciam tribuit,& ecõtrà magnum contẽptoribus metũ incutit, dicens à Deo patre in cælis fieri,quicquid duorum consensu super terram fuerit constitutũ. Et hoc prẽmio ad concordiam prouocat, quò solicitùs festinemus ad pacem, cùm se dicit inter duos aut tres aliquid statuẽtes,medium fore. Nam sequitur: *Vbi enim fuerint duo uel tres congregati in nomine meo,ibi sum in medio eorũ.* In medio, inquit,sum eorum, vt vel recipiam humilem pœnitentem, vel proijciam superbum & contumacem. Et quicquid illi iudicando ad hominum salutem agunt in terra,meo desuper iudicio roboratur in cælo.

Matt. 16.

Concordia spiritus,animæ & corporis.

Spiritualiter verò illud dicere possumus:quia vbi spũs,anima & corpus cõsenserint,nec bellum inter,se discordantium habuerint voluntatũ,carne aduersùs spiritum,& è diuerso spiritu concupiscente aduersùs carnem,de omni re quã petierint à patre,impetrare possint. Nec dubitandum iustam & acceptam Deo petitionem, vbi ea vult caro quæ spũs. *Tunc accedens Petrus ad eum,dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? usque septies? Dixit illi Iesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.* Superioribus verbis Domini prouocatus apostolus Petrus, solita sibi fiducia accedens, interrogauit quoties deberet in se peccãti dimittere,an ne vsq; septies?Cui respondit Dominus:Non solùm vsq; septies,sed vsq; septuagiessepties, id est, quadringentis nonaginta vicibus,si toties in die peccare potuerit. Impossibile est enim aliquem quadringentis nonaginta vicibus in fratrem posse delinquere. Et hæc multiplicatio,secundũ B. Hieronymum facta est. Cæterùm B. Augustinus docet hunc numerum simpliciter & non multipliciter accipiendum,idcircò quòd totus per aduerbium fit. Ars enim arithmetica docet,vt numer⁹ aliquis si per solum fiat aduerbium,vel per solum nomen, nõ multiplicetur:si verò ex nomine simul & aduerbio: vt verbi gratia: septies septuageni, vel conuersìm septuagies septeni, possint multiplicari. Quòd ergo dicit septuagiesseptem,septuaginta septẽ vicibus idem doctor intelligit. Sed tam venẽdum est ad mysterium. Neq; enim abs re esse potest,q⁹ Dominus hunc & nõ alium aliquem numerum in relaxandis fratris erratibus cõstituere voluit. Cõstat enim ex septenario & vndenario. nam siue septies vndeni, siue vndecies septeni dicamus,septuagintaseptem perficimus. Et septenarius quidem numerus sacratissimus est donis septiformis spiritus. Vndenarius verò numerus figuram tenet omnis peccati: in vndenario nãq; transgressio est denarij. Et nos cùm peccamus, decalogum profectò præceptorum Dei transgredimur. Hinc est,quòd in tabernaculo Dei vndecim saga cilicina fuisse memorantur.ciliciũ nãq; habitum pœnitentium,& pro peccatis mœrentiũ designat. In tabernaculo ergo Dei vndecim saga cilicina fieri iussa sunt, quia sancta Ecclesia non solùm ex iustis & immaculatis,verumetiã ex peccatoribus pœnitentibus & conuersis consistit. Huius numeri sacramentum Petrus apostolus agnoscens,Iuda perdito, noluit apostolos in vndenario numero remanere, sed electo Matthia, duodenariam summã curauit supplere. Septuagiessepties ergo Dominus dimittere præcepit,vt ostendat quia quoties & quoties aliquis peccauerit,toties & toties ei dimittere,& nũquam à dimittendo cessare debemus. Quod enim per hũc numerum remissio significatur peccatorum,illud quoq; manifestat,q⁹ B. Lucas catalogum dominicæ generationis septuagintaseptem generationibus terminauit,incipiens à Ioseph,& vsq; ad ipsum Deum conditorem perueniens. Quia enim Dei filius ad soluenda mundi peccata veniebat,ideò iure eius incarnatio septuaginta septem generationibus texitur,& hoc ascẽdendo: Quia videlicet humilitas incarnationis filij Dei, nostra exaltatio fuit: & vnde ille descendit,inde nostra abiectio ascendere meruit. Quòd verò hic numerus ex septenario & vndenario multiplicatus exurgit,significat, quia omnis peccatorum remissio per gratiam sancti spiritus fit, cuius donis priuari merẽtur, quicunq; fratribus in se peccantibus dimittere noluerint. Sanè aliter fratri pœnitenti, aliter præcipimur inimico persequenti veniam dare. Huic nanq; dimittendum est,vt accepta remissione peccati, quo nos insontes læsit,socia dehinc nobis charitate communicet: illi verò,vt cùm malum vult nobis, aut facit,nos illi semper bonum velimus,& si possumus,

Septuagiessepties quid sit.

Exod. 36.

Saga cilicina.

Act. 1.

Luc. 3.

mus,etiam faciamus. Non enim illis, quandiù in malo perseuerant, peccati sui veniam dare possumus,licet velimus. Habemus hinc duo conuenientissima exempla. Ioseph nanq; fratribus suis Gene. 45. 2. Reg. 1. salubriter castigatis,beneuolè ignouit. Dauid verò persecutoribus suis impœnitentibus, & in malitia perdurantibus, quanuis eos fleuerit, veniam tamen illis præstare non potuit. Hæc igitur præcepta tenendæ charitatis,quæ à Christo, qui est author pacis,audimus, sedulò operari curemus: ne grauemur minima dimittere,cùm sciamus nobis innumera millia peccatorũ in baptismo dimissa. Sed & quotidiè delinquentes,quotidianam à Domino veniam postulemus. Exẽplo nanque suo nos ipse ad facilitatem indulgentiæ prouocat, qui totius mundi peccata non solùm dimittere, verùm etiam proprio cruore dignatus est expiare, Iesus Christus Dominus noster, qui cũ patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus in omnia secula seculorum, Amen.

EADEM FERIA III. HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Respiciens Iesus discipulos suos, dixit Simoni Petro. Si peccauerit in te, &c. Matt. 18.

HAec autem Apostolis,eorumq; successoribus,episcopis videlicet & sacerdotibus Dominum specialiter dixisse, ex eo maximè intelligi potest,quòd mox ipse in sequentibus ait: *Amen dico uobis, quæcunq; ligaueritis super terram,erũt ligata,& in cælo: & quæcũq; solueritis super terram,erunt soluta & in cælo.* Vnde & benè subditur: *Si peccauerit in te frater tuus.* Peccat enim in pastorem,qui oues affligit: peccat in episcopum,qui populo sibi commisso iniuriam facit. Ad hos enim pertinet corripere, ad hos pertinet excommunicare & de Ecclesia pellere. Hoc autem quo ordine faciamus, ipse Dominus nos docuit,dicens: *Vade & corripe eum inter te & ipsum.* Si enim hoc faciamus,non est vnde frater noster meritò scandalizari debeat, præsertim cùm bona suadẽtes,veritatẽ ei dicam⁹. Qui si nos audierit,nostra humili alloquutione Domino reconciliabitur. *Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum uel duos,ut in ore duorum uel trium testum stet omne uerbum.* Paucos adhuc Dominus adhibere iubet, ne ille qui corrigitur, multorum redargutione scandalizatus,deterior fiat. Sufficiunt tamen isti ad testimonium, si vel de iniusta conuentione, vel se non ita,vt dicitur, eis respõdisse,contra episcopum vel sacerdotem aliquando agere voluerit. *Quòd si non audierit eos,dic Ecclesiæ:* quatenùs vel omnium obiurgatione erubescat,qui paucorum humili alloquutione satisfacere noluit. Vnde & Apostolus ait:Sufficit illi qui eiusmodi est, obiurgatio quæ fit à pluribus. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus,* vt excommunicatus & ab Ecclesia separatus,nullus Ecclesiæ filius ei communicet,qui Ecclesię credere noluit,eiusq; consilijs obedire contempsit:& cæteri hoc audiẽtes timeant,atq; vnius exemplo corrigantur multi. *Amen dico uobis,quæcunq; ligaueritis super terram,erunt ligata & in cælo: quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Hoc episcopi audiant,& hunc ligandi & soluendi ordinem teneant. Priùs singulariter,aut per se,aut per alium peccantes conueniant:deinde cum paucis:postmodùm verò cum tota Ecclesia: quam si audire contempserint,iam tunc eos ligare non dubitẽt. Qui enim sic ligantur,& in cælo & in terra ligati sunt. *Iterum dico uobis,quia si duo ex uobis consenserint super terram,de omni re quamcunq; petierint fiet illis à patre meo qui in cælis est. Vbi enim sunt duo aut tres cõgregati in nomine meo,ibi sum in medio eorum.* Qualiter enim intelligere debeam⁹ hoc quod ait,*De omni re*, determinatur dum dicitur,*In nomine meo.* Non enim malã petitionẽ facere possũt, qui in eius nomine cõgregantur, & in quorũ medio ipse est,id est,in quorum corde ipse presidet: quia ideò ibi est,vt corda regat,cõsilia dirigat, petitiones disponat, eosq; sibi inuicẽ in bono cõsentire faciat. Videtur aũt huic loco illud cõuenire,quod alibi dicitur: Quicquid petieritis patrẽ in nomine meo,dabit vobis. Illi enim sibi in bono cõsentiunt,in nomine Iesu cõgregantur & petũt, qui ea postulãt, quæ ad salutem pertinẽt. Quid enim nisi salus in saluatoris nomine quæritur? Iesus enim saluator interpretatur. Qui igitur salutem nõn petit, quãuis vocet Iesum, non tamen petit in nomine Iesu:quia hoc non petit,quod interpretatur Iesus. Dicatur ergo: Si duo ex vobis consenserint super terram,de omni re,quancunque cum fide & sine hæsitatione petierint in nomine meo, fiet eis. Vnde hoc? *Quia ubi sunt duo uel tres congregati in nomine meo,ibi sum in medio eorum.* Quòd si duo vel tres sibi in bono consentientes, & in Christi nomine petentes sic exaudiuntur, quantò magis plures,quantò magis totam Ecclesiam Deus exaudit? Sed dicis: Quid si in nomine Iesu pro dãnatorum salute petant,nunquid exaudiuntur? Nã pro Iudæis,& schismaticis, & hæreticis quotidiè Ecclesia orat,& non exauditur. Orauit & Dominus pro Iudæis,dicens:Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciũt. Sic igitur pro multorum salute orant sancti,& nõ exaudiuntur:determinandum est igitur & istud, vt sic dicatur: Si duæ ex vobis in bono consenserint super terrã, de omni re quancunque petierint in nomine meo,si tamen tale sit,quod Dei ordini & dispositioni conueniat,fiet eis à patre meo qui in cælis est. Aliter enim non exaudiuntur, quanuis sibi consentiant,quanuis petant in nomine Iesu. Quoties igitur oramus & non exaudimur, ideò fit,quia aut in nomine Iesu nõ petimus, aut quia contra eius ordinem & dispositionem petimus. Ipse enim scit quos elegit, ipse scit quid nobis

Ordo ligãdi & soluendi.

Ordo correctionis fraternæ.

1. Cor. 2.

Luc. 23.

Universidad de Deusto
Biblioteca

opus sit, antequam petamus. *Tũc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei, usq; septies? Dicit illi Iesus: Non dico tibi usque septies, sed usq; septuagies septies.* Quod tale est, ac si diceret: Quoties peccauerit, toties dimitte: si septies, septies: si decies, decies: si centies, centies: si millies, millies, vt non ille plus in te peccare, q̃ tu illi dimittere possis. Aliter nõ dimittetur tibi.

Matt. 6. Vnde superiùs dixit: Nisi dimiseritis hominibus peccata eorum, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. Ecce lex, ó homo, tibi à Domino posita est: si dimiseris, dimittetur tibi: si non dimiseris, non dimittetur tibi. Quoties autem peccaueris & indulgentiam quæsieris, dimittetur tibi, si & tu fratri tuo dimiseris, non tantùm septies, sed & vsque septuagies septies. Neque e-

Psal. 118. nim frustra Psalmista ait: Viam iniquitatis amoue à me, & de lege tua miserere mei. De lege (inquit) tua miserere mei, vt quoties peccauero, mihi dimittas, sicut me iubes fratri meo in me peccanti, semper dimittere: semper quidem, quia non tantùm septies, sed vsq; septuagies septies. Putabat enim beatus Petrus sibi sufficere, si septies dimitteret: quoniam scribæ & pharisæi legem & prophetas exponentes, & non intelligentes, multum in suis sermonibus hunc numerum commendabant, quem satisfactioni & emendationi sufficere posse putabant. Vnde sep-

Exo. 12. 13 tem diebus azyma comedunt. Vnde & lepro-
Leuit. 13. sus quando mundatur, & vir qui fluxum seminis
Leui. 15. patitur, septem diebus separatur. Separatur au-
Leui. 12. tem septem diebus & mulier menstruata. Simi-
4. Reg. 5. liter quando pariebat, septem diebus immunda
Leu. 16. erat. Naaman quoq; ex præcepto Elisæi septies immergitur in Iordanem: & sacerdos offerens sacrificium, tingens digitum in sanguine, septies illum contra Dominum spargit. Psalmista quoq;

Psal. 118. sic ait: Septies in die laudem dixi tibi. Propter hæc igitur, & alia multa, quæ de hoc numero secundùm literam Iudæi intelligebant, dixit beatus Petrus: *Vsque septies?* Legis verò & prophetarum magister, altiùs omnia intelligens, addidit super hæc, septuagies septies. Veruntamen si benè intelligatur septies, nihil minus est septies, quàm septuagies septies. De hoc autem in Leuitico sufficienter diximus.

FERIA QVARTA.

Matth. XV.

In illo tempore, Accesserunt ad Iesum scribæ & pharisæi, dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Et reliqua. Homilia Erici.

QVia Dei filius pro salute omnium in mundum venerat, ideò loca singula citis gressibus percurrebat, vt omnibus prodesset, vniuersis succurreret, postremò cunctorum in communi saluti consuleret. Denique, vt superiùs euangelista loqui-

Matth. 4. tur, venit Dominus cum discipulis in terram Gazenorum, vt illis quoq; optatum leuamen suæ visitatione ferret. Ibi quoq; pharisæi, iustitiæ inimici, eum persecuti sunt, non studio discendæ veritatis, sed causa perstruendæ falsitatis. Nam sicut lectum est. *Accesserunt ad Iesum scribæ & pharisæi, dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Non enim lauant manus suas, cùm panem manducant.* Quàm vera est confessio Domini, qua superiùs Deum patrem laudans, dixerat: *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Ecce Gerazeni, qui minùs docti erant, ad Dominum veniunt, infirmos suos secum deferunt, remedia salutis sibi suisq; tactu saltem fimbriæ Domini requirunt. Atq; ideò cupitæ salutis remedia, plena id fide promerente, consequuntur. At verò scribæ & pharisæi, qui populi doctores esse debuerant, non ad audiendũ verbũ, nõ ad aliquã animæ vel corporis capiẽdã medelam, sed ad mouendas quæstionum pugnas conueniunt: eosq; de non lotis manibus vituperare laborant, in quibus nil immunditiæ sordidantis reperire valebant. Re enim vera seipsos magis culpare debuerant, qui lotas aqua manus habentes, conscientiam liuore pollutam gestabant. Quare, inquiunt, discipuli tui transgrediũtur præcepta seniorum? Stupenda dementia. Eũ, qui est filius Dei, reprehendunt, cur hominũ traditiones non seruet. Non enim, aiunt, lauant manus suas, cũ panẽ manducant. Proprium, & quodãmodò cõsuetudinariũ erat Iudæis, crebrò manus abluere, & aliquando totum corpus, maximè si cõtigisset eos cũ quolibet gentiliũ loqui. Sed iã videamus, qua sententia veritatis reuinceuntur filij falsitatis. *Ait illis: Quare & uos trãsgredimini præceptũ Dei propter traditionẽ uestrã?* Ac si diceret: Cũ vos præcepta Dei ꝓpter traditionẽ hominũ negligitis, quare discipulos meos reprehenditis, q̃ seniorũ traditiones paruipendant, vt diuina iussa custodiant? *Nam Deus dixit: Honora patrẽ tuum & matrẽ. Et: Qui maledixerit patri uel matri, morte moriatur.* Honor in sacro eloquio dupliciter accipitur, videlicet nõ solùm in salutando & conquiniscẽdo, sed etiã in eleemosyna, & rerũ necessariarũ collatione. Hinc Apostolus dicit: Presbyteri duplici honore digni habeantur: vt non solùm illis officiũ venerationis deferatur, verùm etiã opportuna subsidia ministrentur. Et alibi idẽ Apostolus præcipit: Honora viduas, quæ verè viduæ sunt: id est, dona illis & cõpetentia largire munuscula. *Vos aũt dicitis? Quicunq; dixerit patri uel matri, Munus quodcunq; ex me, tibi proderit, & non honorificabit patrẽ aut matrẽ suã: & irritũ fecistis mandatũ Dei propter traditionẽ uestrã.* Vniuersorũ conditor & parẽs Deꝰ, imbecillitates vel ætates parentũ considerans, in lege præceperat, vt filij parentes suos honorarẽt, & res vitæ necessarias ministrarẽt. Hanc ꝓuidentissimã legẽ Dei, scribæ & pharisæi subuertẽtes, & impietatẽ ꝓ pietate inducentes, docebant pessimos filios, vt quæ in vsus parentum deputanda erant, Deo offerrent, oblationes Dei parentum

Lotiones crebræ apud Deos.

Exod. 20. Exod. 21.

1. Tim. 5

Ibidem.

muneribus præponentes. Ita fiebat, vt liberorũ oblatio, sub occasione templi, in lucra cederet sacerdotũ. Ipsi enim parentes, ea quæ sciebant à filijs Deo cõsecrata, ne sacrilegiũ cõmitterent, tangere nolebãt, ac per hoc egestate & fame afficiebantur. Cùm igitur pater indigens & imbecillis à filio aliquid exposceret, respondebat ei, doctꝰ à magistris iniquitatis: O pater, noli contristari, sed patienter necessitatis huius penurias perferre stude: quia munus qđ est ex me oblatũ Deo, tibi proderit, si nõ corporaliter, at certè spiritualiter. Potest & hunc sub interrogatione habere sensum: O pater, munus quod ex me est, tibi ꝓderit? Ac si diceret: Exigis vt donũ quod oblaturus eram Deo, in tuos vsus consumã, & hoc tibi ꝓderit? Docebãt hoc scribæ & pharisæi, vt parentes miseri timerent accipere, quod Deo oblatũ videbant, & eligerent magis inopẽ vitã ducere, quàm Deo consecrata contingere. *Hypocritæ, bene prophetauit de uobis Esaias dicẽs: Populus hic labijs me honorat, cor aũt eorum longè est à me.* Prouidens propheta Esaias Iudæorũ simulationẽ, ꝙ contra euãgelij prædicationẽ venturi, & Christo repugnaturi essent, benè de istis prophetauit, non quòd hoc quod de illis dicebatur, bonũ esset, sed quia ipsa prophetia optimè eorũ moribus conueniret. Ait ergo propheta ex persona Domini: Populus hic labijs me honorat. Iudæi labijs Deum honorabant, cùm legẽ ab eo datam scrutarẽtur, psalmos etiam & diuinos hymnos modularẽtur. Sed cor eorũ longè erat ab eo, quia semper in malũ proni ferebantur, cordibus idola colẽtes: de quibus etiã scriptũ est, ꝙ reuersi sunt cordibus in Aegyptum. Honorabant labijs Deum, quãdo ad Christum subdola fraude dicebant: Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces. Sed cor illorũ longè ab illo erat, quia idcircò loquebantur ista, vt possent eum præsidis tradere potestati. Hoc enim signauit euangelista cũ prẽmisit, quia abeuntes pharisæi consiliũ inierunt, vt caperent Iesum in sermone. *Sine causa aũt colunt me, docentes doctrinas & mandata hominũ.* In vanum illũ labijs & lingua colebant, quorũ corda auersa erãt: quia cũ cæteris Dei cultoribꝰ mercedẽ expectare nõ poterant, ipso Domino alibi dicente: Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorũ. Doctrinas verò & mãdata hominũ docebant, quia præcepta Dei negligentes, suas, vt suprà ostẽsum est, traditiones statuere volebant. *Et conuocatis ad se turbis, dixit eis: Audite & intelligite: Nõ quod intrat in os, coinquinat hominẽ, sed quod exit de ore.* Hoc verbũ, ꝙ est, cõmunicat, sancta rũ scripturarũ est ꝓprium. Siquidẽ Iudæi, qui se populũ & partẽ Dei esse iactant, cõmunes cibos vocabant, quibus in cõmune oẽs homines vtuntur, præter ipsos Iudæos: sicut lepores, ostreæ, suilla caro, & istiusmodi animãtia, quibus Iudęis præceptũ est abstinere. Cõmune ergo illud vocabant, quod cæteris hominibus ad vtendũ patet, & non est de sorte Dei, atq; ideò immundũ. In-

Esai. 29.

Matth. 7.

Deut. 14.

Commune quid apud Iudæos.

Marc. 7.

Non quod intrat in os, coinquinat hominem.

Scandalũ.

1. Cor. 8.

Liberum arbitrium

Hier. 2.

1. Cori. 3.

Ibidem.

Prauidores uitandi.

suis erroribus ac libero arbitrio dimittendos, sciens eos postquã semel exciderint, aut vix, aut nullatenùs ad veritatem posse trahi. Hinc & Apostolus præcipit, dicens: Hæreticũ hominem post primã & secundã correptionem deuita. *Tit.3.* *Responsens aũt Petrus, dixit: Edissere nobis parabolam istam. At ille dixit: Adhuc & uos sine intellectu estis?* Sancti apostoli adhuc minùs docti erant, & ideò verba Dei absolutè prolata non intelligebant: sed quod apertè dictum fuerat, & patebat auditui, parabolicè dictũ putabant. ideoq; in re manifesta mysticam requirebant intelligentiã. Proinde corripiuntur à Domino, quia per figuras dictum putarent, qđ perspicuè locutus fuerat. *Adhuc*, inquit, *et uos sine intellectu estis? Non intelligitis, quia omne quod intrat in os, in uentrẽ uadit, & in secessum emittitur?* Hãc Domini sententiam hæretici calumniantur, eũq; reprehendunt, quasi physicæ disputationis ignarũ, qui putet oẽs cibos in ventrẽ ire, & in secessũ digeri. Dicunt enim susceptas escas, & attritu dẽtium colliquefactas, per artus, venas, medullas, neruosq; diffundi. Vnde & videmus multos, qui vitio stomachi perpetem patiuntur vomitũ, post prandia statim euomere quod ingesserunt, & tamen corpulentos esse, quia ad primum escæ attactum, liquidior cibus & potus per mẽbra funditur. Sed hi tales cùm volunt reprehendere impe- *Taxantur hæretici.* ritiam alienã, ostendunt suã. Quanuis enim tenuissimus humor & liquens esca sit, tamen & ipsa cùm artubus & venis susceptа & decocta fuerit, per occultos meatus, quos poros dicunt, ad inferiora purganda dilabitur, & sic in secessum vadit. *Quæ aũt procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.* Notandum, qđ Dominus cogitationes malas de corde dicit exire. Nam Plato phi- *Sedes animæ ubi.* losophus dicit sedem animæ in cerebro esse: sed oportet vt principale animę in corde accipiamus, vbi quasi in quodã meditullio cõsistens, cogitationes disponit, & mẽbris corporis vitalem submministrat affectum. Simul etiã hæc sententia [illegible] qui dicunt cogitationes à diabolo immitti, & non ex propria voluntate nasci. Diabolus enim adiutor & incentor potest esse malarũ cogitationũ, author verò esse nõ potest. Sed neque recipiendũ est, diabolũ secreta cordis posse rimari. Ille enim in insidijs semper posit⁹, quid animo versem⁹, ex habitu & gestib. ipsi⁹ corporis æstimat, cùm tamẽ penitùs cogitationes cordis nequeat intueri, qđ soli sibi Deus reseruauit, cui *3.Reg. 8.* dictum est: Tu solus nosti corda filiorum hominum. Cùm ergo ipsas cogitationes videre non possit, signis quibusdam & motibus illas deprehendit. Verbi gratia: Si nos pulchrã mulierem viderit crebrò respicere, intelligit cor amoris iaculo vulneratũ, ficq; prauis suggestionibus stimulat ad fornicandum. Si nos contra proximum rancorem vocis, vel trucem aspectum leuare cõspexerit, intelligit cor inuidia tabescere, ficque per iram ad homicidij facinus inflammat. Si ieiuniorum tempore viderit nos crebrò ad fenestrã respicere, & in solis radio curiosiùs horam denotare, gulæ vitio conijcit animum sauciatum. Si gemmarũ, vel auri, vel quarũlibet rerum pulchritudinẽ nos ardẽter intueri cõspexerit, intelligit in corde latere malũ auaritię, & idcircò ꝓuocat ad furta. Attẽdendum verò, quòd hæc, quæ apertа sunt opera, saluator cogitatiões appellat: quia primùm concupiscentia corde concepta, cogitationum tomitibus nutritur, & sic demum ad operationem perducitur. Et ideò Dominus hæc opera cogitationes vocat, quarum indicia hostis callidus per quasdam habitudines morum inuestigans, humanum genus decipere festinat, & adagenda quæ diuinus sermo prohibet, instigat, vt hominem ad imaginem Dei conditum polluat. Vnde & Saluator, enumeratis cogitationibus malis, subiunxit: *Hæc sunt quæ coinquinant hominem: non lotis autem manibus manducare, non coinquinant hominem.* Sed pharisæi iuxta literam cuncta ac- *Cæcitas pharisæorum.* cipientes, & spiritualia prophetarum verba spiritualiter intelligere nolentes, quæcunque illi de cordis simul & corporis munditia præcipiebant, dicentes: Lauamini, mundi estote. Et ali- *Esai.1.* bi: Mundamini qui fertis vasa Domini: hæc *Esai.52.* isti in sola corporum nuditate seruanda credebant. Sed frustrà manus abluebant, frustrà baptizabantur, qui fonte saluatoris ablui contemnebant. Sed quid prodest exteriùs excandidare cutem, & interiùs inuidia & auaritia, cæterisque vitijs sordidam gestare mentem? Tales enim rectè comparantur sepulchris dealbatis, quæ à foris candida videntur, interiùs verò sordibus & fœdo cadauere plena sunt. Er- *2.Cor.5.* go secundùm Apostolum, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, satagamus habere mundam animam in corpore mundo, vt sic perficiamus sanctificationem in timore Christi, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

EADEM FERIA IIII.
HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Accesserunt ad Iesum ab Hierosolymis scribæ & pharisæi, dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? Matth. 15.

Senio-

SENIORVM nanque traditiones, non prophetarum dicta, sed maiorum consuetudines vocantur, quibus docentur & manus, & vrceos, & calices, & omnia vasa frequenter lauare, semperq; munda & nitida habere. His autem Iudæi magis, quàm legi & prophetis obedientes erant. Habebant autem & alias multas traditiones & consuetudines, quæ etiã legi & prophetis contrariæ erant, de quibus Dominus subsequenter eos redarguens, ait: *Quare & uos transgredimini mandatum Dei propter traditionem* *Exod.20.* *uestram? Nam Deus dixit: Honora patrem tuum & matrẽ* *Exod. 21.* *tuam: & Qui maledixerit patri uel matri, morte moriatur, uos autem dicitis: Quicunque dixerit patri uel matri, Munus quodcũq; est ex me, tibi proderit, & nõ honorificabit patrem suũ aut matrẽ suã: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem uestram.* Hoc aũt Marcus *Mar.7.* Euãgelista aliquantò planiùs dicere videtur. Ait enim: Vos auté dicitis: Si dixerit homo patri aut matri, Donum quodcunq; est ex me, tibi profuerit, & vltrà non dimittitis eum quicquam facere patri suo aut matri, rescindentes verbum Dei. Quod tale est, ac si diceret: Deus parentes honorare præcepit, vos autem honorem malè interpretantes, parentes suos filios inhonorare docetis. Dicitis enim hoc parentibus ad honorẽ sufficere, si verbis & oratione à filijs honorentur: quoniam Moyses eos honorare præcepit, sed quomodò honorẽtur, non præcepit. Et hoc agẽtes, non dimittttis eos quicquam vltrà facere parentibus suis, quoniam malè à vobis instructi, vanis verbis eos consolantur, vt sic eos honorare videantur. Honor enim in diuina scriptura magis in obsequijs, quàm in verbis intelligitur, secundùm illud: Honora Dominũ de tua substantia. & Apostolus: Honora viduas, quę verè viduę sunt. Vnde & homines dicere solent: Ille & ille benè me honorauit, si illum in domum suã suscepit, & libẽter ei seruiuit, & affluenter necessaria ministrauit. Tali igitur honore parentes nostros honorare debemus. Per hoc autem intelligere datur, quòd scribæ & pharisæi suis vtilitatibus prouidentes, à parentum seruitio filios retraherent, & ad templi seruitia, & munera, & sacrificia offerenda eos inuitarent. Quibus cũ illi se id minimè facere posse responderent, quoniã pauperes suos parentes de suis facultatibus eos sustentare oporteret, dicebãt magis Deo obtemperandum esse quàm hominibus. At illi ecõtrà: Cur igitur Deus parentes honorare præcepit? Quibus illi dixerunt: Nemo meliùs parẽtes suos honorat, quàm ille, qui pro se & pro illis munera Domino offert. Qui igitur benè parẽtes suos cupit honorare, dicat patri & matri suæ: Munus quodcunq; est ex me, non mihi tantùm, sed & tibi proderit: sicut pro me, ita & pro te munera offero: omnis mea oblatio, non mea tantùm, sed & tua est. Hoc autem parentes cùm audirent, magis volebant fame torqueri, quàm talia munera impedire. Hoc igitur ingenio scribę & pharisæi, & parentes fame cruciabant, & filios suos facultatibus spoliabant. Et hoc est quod ait: Et vltrà nõ dimittitis eum quicquam facere patri suo aut matri, rescindentes verbum Dei. Verbum enim Dei rescindũt, qui illud tam malè interpretãtur. Mala interpretatio, qua homo decipitur, misericordia tollitur, & auaritia nutritur. Nihil vltrà parentibus faciunt, omnia eis offerunt, quæ parentibus dare debuerant. Peccãt equidé illi, qui sic suos parentes honorant: sed plus illi peccant, qui sic eos honorare docent. *Hypocritæ, benè prophetauit de uobis Esaias, dicens: Populus hic me labijs honorat, cor autem eorum longè est à me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* Isti enim sunt, de quibus dicitur: Qui loquuntur pa- *Psal 27.* cem cum proximo suo, mala autem sunt in cordibus eorum. Sine causa autem Dominũ colunt, quia nullam de seruitio suo retributionem susci pient. Deus enim non verba, sed corda attendit. Redarguit autem eos, qui legis & prophetarum præcepta relinquentes, hominum doctrinas & mandata docebant, ea scilicet quæ seniorum traditiones vocabant. *Et conuocatis ad se turbis, ait eis: Audite & intelligite. Non quod intrat in os, coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* Vos, inquit, audite & intelligite: quoniam isti quidem audire volunt, sed intelligere nolunt. excæcauit enim eos malitia eorum. *Tunc accedentes discipuli eius dixerunt: Scis quòd pharisæi audito hoc uerbo, scandalizati sunt? At ille respondens, ait: Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cælestis, eradicabitur.* Omnis igitur plantatio philosophorũ, *Plantatio nes eradicandæ.* omnis plantatio hæreticorum, omnis plantatio scribarum & pharisæorum, quæcunque contra Deum est, contra veritatem, contra iustitiam est, eradicabitur. Quæ enim plantatio contra hæc non est, etiamsi ab illis fiat, illorum tamen non est. Plantat enim Deus plantationem suam, non solùm per bonos, verùm etiam per malos. Vnde etiam & eorundem scribarum & pharisæorum plantationem alibi commendat Dominus, dicens: Super cathedrã Moysi sederunt scribæ & pharisæi. Quæcunque dixerint vobis, facite: Non tamen simpliciter quæcunque, sed illa tantùm omnia, quæ Moysi cathedræ doctrinæque conueniant. Talis enim doctrina & plantatio, & illorum est, quia per eos fit: & illorum non est, quia eorum traditio non est. Omnis enim doctrina, si bona est, à quocunque fiat, Dei est. *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Cæcus enim si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.* Hæc autem cæcitas, non corporis, *Cæcitas cordis.* sed cordis est. Cæcus enim est, qui errorem sequitur, & veritatem non intelligit: quoniam lumen mentis, intellectus est. In foueam autem cadunt, qui in infernum descendunt. *Respondens aũt Petrus, dixit ei: Edissere nobis parabolam istam. At ille dixit: Adhuc & uos sine intellectu estis?* Erant enim

Honor quid significet in scripturis Prou.3. Prou.5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Apostoli sine intellectu,dum ea non in parabolis,sed plano Dominus dixerat.Vnde & illi meritò redarguuntur,quia ea quæ ad literam intelligi debent,allegoricè exponere conantur. Non intelligitis,quia omne quod in os intrat,in ventrem vadit,& in secessum emittitur?Manifestum est enim,quòd cibus in ventre digeritur, eiusq; pars ad corpus nutriendum per membra diffunditur,alia verò pars , quæ corpori necessaria non est,in secessum emittitur. Vnde etiam vigilanter dictum est *Omne*,& non,*Totum*.Si enim *totum* dixisset,non esset verum. Nõ enim totum quod in ventrem vadit,in secessum emittitur:aliud est enim totum,& aliud omne.Si enim dicas, omnis homo corporeus est,verum dicis: si verò dicas,totus homo corporeus est,verum non dicis, quoniam anima,cùm sit pars hominis, incorporea est. Sic igitur omne quod in ventrem vadit, in secessum emittitur. Omnia igitur quæ ad corpus nutriendum in ventrem vadunt,etiam si minima sint,& digestionem , & egestionem suscipiunt.*Quæ autem procedunt de ore,de corde exeunt, & ea coinquinant hominem.* Taceant igitur philosophi, qui mentem & rationem,memoriam & intellectum,in cerebro esse confirmant. Qui enim fecit hominem,ipse scit quid in vnaquaque parte hominis posuerit. Ipse enim scrutatur renes & corda.Sed dicunt: Si hæc in corde & non in capite sunt, quare capitis ægritudine amittuntur, & eiusdem bona valetudine recuperantur? Cur insanis & phreneticis,vt ad mentem redeant,capiti & non cordi medicamen apponitur? Eis enim qui talia patiuntur,penè omnis cura nõ cordi,sed capiti adhibetur.Sciant isti mentem & rationem,memoriam & intellectum,principaliter & propriè in corde sedem habere , quæ sicut capitis infirmitate aliquãdo impediuntur,ita eiusdẽ sanitate conualescunt.Scimus enim visum in oculo esse,cui si manum opponas, mox visus tollitur:si manus tollitur,visus recipitur. Sed nunquid idcircò non in oculo, sed in manu visum esse dicis,quia eius impedimento visus tollitur? Sic igitur ratio , quamuis capitis impedimento tollatur,non in capite tamen , sed in corde esse creditur.Calor enim naturalis, qui pulsuum vehiculo per totum corpus ex corde diffunditur, in infirmo capite,aliqua re nobis incognita, aliquando corrumpitur, cuius corruptione postquam cor tangitur, & mens & ratio in eo obscuratur. Vnde fit vt sanato capite corruptio tollatur,& mens & ratio conuertat.Sequitur:*De corde enim exeunt cogitationes malæ,homicidia,adulteria,fornicationes,furta,falsa testimonia,blasphemiæ.Hæc sunt quæ inquinant hominem.* De corde enim exeunt, quæ in corde generantur,ibique sedem habent.Siue enim hominis adinuẽtione , siue à diabolica persuasione ibi fiant, de corde tamen ea exire non dubium est.Hæc autem coinquinant hominem, hæc homines à Deo separant, & abominabilem faciunt.*Non lotis autem manibus manducare , non coinquinat hominem.* Manducare enim non lotis manibus,rusticitas est,non peccatum.

Mens, ratio, memoria, intellectus ubi sedem habeant.

Calor naturalis.

FERIA QVINTA,
Luc. iiij.

In illo tempore , Surgens Iesus de Synagoga, introiuit in domum Simonis. Et reliqua.

HOMILIAM REQVIRE SABBATO
post Pentecosten.

EADEM FERIA V. HOMILIA EVSEBII Emeseni.

SCire enim oportet , quæ sit vxor Petri , vt posimus scire quæ sit socrus eius.Petri nanq; vxor Ecclesia est,quoniã ei à Domino specialiter tradita est, dicente Domino:Si diligis me,pasce oues meas. Eius igitur socrus est Synagoga,quia ipsa est mater Ecclesiæ.Vnde eidem in Canticis Canticorũ Dominus ait: Sub arbore malo suscitaui te : ibi corrupta est mater tua,ibi violata est genitrix tua.Hęc autem iacet in domo Petri,& febricitat, quoniã vsq; hodiè inter Christianos Synagoga infirmatur & habitat.Vbicunq; est Ecclesia,ibi est domus Petri. Huius autem manum circa finem mundi Dominus tanget,& tunc febre fugata surget,& ministrabit Domino. Tunc enim eius manum tanget , quando ipsius opera approbabit. *Vespere autem facto,obtulerunt ei multos dæmonia habentes,& eijciebat spiritus uerbo,& omnes malè habentes curauit:ut adimpleretur quod dictum est per Esaiam prophetam,dicentem:Ipse infirmitates nostras accepit : & ægrotationes nostras portauit.* Verbo enim spiritus eijcit ille,de quo scriptum est : In principio erat verbum.Verbo quidem,quia propria virtute. Sed quarè facto vespere, nisi quia hac vltima ætate, hac extrema hora ad sanandum & curandum, ad pellendum venerat dæmonia ? Neque enim debuerat populus ille curari , nisi facto vespere, qui ad medicum non redit vsque ad vesperam. Vnde Psalmista ait: Conuertentur ad vesperam, & famem patientur vt canes , & circumibunt ciuitatem.Tunc enim venient,tunc conuertentur, tunc ægros suos, tunc animas suas multo languore confectas, Iudæi ad Dominum afferent, & sanabit eos,& eijciet dæmonia ab eis. Cùm enim plenitudo gentium introierit , tunc Israël saluus fiet. Et si fuerit numerus filiorum Israël sicut arena maris,reliquiæ conuertentur ad Dominum. *Videns autem Iesus turbas multas circum se,iussit ire trans fretum.* Puto enim quòd Iesus ideò trans fretum propter turbas ire iussit, quia nisi per aquas baptismatis transeuntes , vitiorum turbas & malignorum spirituum exercitus euadere non poteramus. *Et accedens unus scriba, ait illi: Magister,sequar te quocunque ieris. Dixit ei Iesus: Vulpes foueas habent,& uolucres cæli nidos:filius autem hominis non habet,ubi caput suum reclinet.* Nihil Deum latet, nulla simulatio eius oculis absconditur, omnia videt,cogitationi respondet. Dicit scriba:Magister sequar te quocunque ieris.dicit Iesus:Nõ est ita: non vis me sequi , non vis mea præcepta seruare,non video in te , vbi caput meum reclinem. Caput Christi,Deus est.Deus autem in humili habitat,& in quieto, & tremente sermones eius . In te autem,quasi dicat,vulpes foueas habent, & ideò cum simulatione & calliditate loqueris. Vulpes enim propter astutiam maligni spiritus dicuntur. Dicuntur autem & volucres cæli,quoniam in hoc aëre obtinẽt principatum. Et isti quidem in peccatoribus & iniquis hominibus nidos & foueas faciunt, quoniam in eorũ cordibus malas cogitationes & iniquitatum germina pariunt. *Alius autem discipulus eius ait illi: Magister,sequar te. Ait illi,Sequere. At ille ait:Domine,permitte me primùm ire,& sepelire patrem meum . Iesus autẽ ait illi:Sequere me,& dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Alio enim spiritu loquebatur iste.Vnde & meritò non scriba,sed discipulus dicitur, neq; sequi Dominum prohibetur,imò verò sequi & imitari iubetur.Volebat tamen primùm ire, & sepelire patrẽ suum. Opus quidem pietatis facere volebat,pietatis tamen patri & Domino non placebat. Quare hoc?Quia aliud significabat,nobisq; in hoc facto exempla dabat. Et tale erat ac si diceret : Venisti ad vitam,vis redire ad mortem? Ego sum vita , ego sum pater & creator tuus : me sequere , & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Mortui enim mortuos sepeliunt,quando peccatores(qui Deo mortui sunt, mortui quidem,quia vita , de qua modò diximus,in eis non est)mortalia opera,& criminalia peccata in se abscondunt & cælant. Et non solùm hæc, verùm etiam & patrem suum diabolũ (de quo Iudæis Dominus ait, Vos ex patre diabolo estis)in sepulchro pectoris sui sepeliunt,& quasi bonum aliquod seruant & occultant. Talem igitur patrem sepelire,& sic sepelire Dominus prohibet.

Vxor Petri, Ecclesia. Ioan. 21. Socrus, Synagoga. Cant. 8.

Vulpes, Lemures.

Mortui qui sepeliunt mortuos.

FERIA SEXTA,
Ioan. 4.

In illo tempore,Iesus fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Et reliqua. Homilia Erici.

EX hac lectione vera nostri redemptoris,quã ex nobis & pro nobis assumpsit,humanitas cõmendatur. Cùm enim esset verus filius Dei, beatè summus,& summè beatus, bona cuncta tribuens,nullius egens,propter nos rẽdimendos homo factus , ita sese nostræ contemperauit ac cõmodificauit infirmitati,vt omnia quæ nostræ fragilitati cõueniunt,in se,excepto peccato,susciperet. Denique is qui panis vitæ erat, esurijt, fons iustitiæ sitiuit,fatigatus est ab itinere, qui erat via:quique lux erat mundi,nostro permisit mẽbra sopori.Quid nempè modò ait Euangelista?*Iesus fatigatus ex itinere,sedebat sic super fontẽ.* Sed videndum,ex quo itinere Dominus fatigatus dicatur. Suprà legitur,quòd cùm audisset Iesus, quia dixerunt de eo pharisæi, quòd plures discipulos facit & baptizat quàm Ioannes , quanuis Iesus ipse non baptizaret , sed discipuli eius, reliquit Iudæam , & abijt iterum in Galilæam.Venit ergo in ciuitatem Samariæ,quæ dicitur Sychar , iuxta prædium quod dedit Iacob filio suo Ioseph, vbi erat fons Iacob. ac deinde , *Iesus fatigatus ex itinere.* Pro nobis ergo & ex nobis fatigari potuit, qui in se motu stabilis,& statu mobilis semper fuit. Sedebat super fontem , vt lassitudinis incommodum releuaret, & personam ac dignitatem magistri intenderet. Sedere nanque magistrorum est. Venit ergo Dominus in ciuitatem Samaritanorum, vt illis quoque in transitu doctrinæ suæ beneficiũ impartiret. Ad prædium verò quod dedit Iacob filio suo Ioseph,idcircò accessit, vt illum se esse ostenderet, quem S.Ioseph præsignauerat:quẽ verè sol & luna venerantur , & cui astra omnia famulantur,quemq;e fratres impij,Iudæi videlicet,iniusto odio persequebantur. Sedit super fontem, quia ibi nouerat venturam mulierem, quam credituram ante secula præsciebat. Vnde sequitur: *Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Iesus:Da mihi bibere.* Quid est quòd Dominus à muliere Samaritana potum exposcit,qui in sequentibus spiritualis affluentiam fontis in se credentibus se daturum promisit?Sed sitiebat, non tam aquam , quàm mulieris salutem & fidem. Denique qualis sit sitis Domini,ex sequentibus claret,vbi dicit:Meus cibus est,vt faciam voluntatem patris mei. Qualis ergo cibus eius, talis est & potus.Hoc ergo desiderabat,hoc sitiebat, vt in illa voluntatem patris perficeret. Sed carnalis adhuc mulier, sitim Domini carnaliter accipiens,respondit:*Quomodò tu Iudæus cùm sis , bibere à me poscis , quæ sum mulier Samaritana?* Hoc quare miraretur,ostendit subinferens:*Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.* Non coutuntur,id est nõ communicant Samaritanis Iudæi , nullius rei vsum cum illis habẽt,nec in aliquo participes sunt eorum.Execrantur enim illos & odiunt, quòd ipsorum regionem possideant , vel quòd Deum simul & idola colant. Vnde & pro magna contumelia ducebant,si quem Samaritanum vocassent, quo nomine Christũ crebrò leguntur iniuriasse.Sed audiamus quid Dominus adhuc errãti,& in tenebris agenti mulieri responderit. *Si scires,inquit , donum Dei,& quis est qui tibi dicit, Da mihi bibere*

Iudæi detestantur Samaritanos.

Ioseph,typus Christi.

Ioan. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam uiuam. Donum Dei quid est aliud, quàm spiritus sanctus? Hoc donum post suam ascensionem
Psalm. 67 fidelibus dedit, quta ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatē, dedit dona hominibus.
Ioan. 7. Et sicut alibi idem Euangelista dicit: Nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Ostendit se ergo Dominus non talem sitire aquam, qualem illa intelligebat. Fidē nanque eius sitiebat, & idcircò ei sitienti spiritū dare volebat. Hæc est aqua, de qua alibi stans in
Ioan. 7. templo, dicebat: Qui sitit, veniat & bibat, & de ventre eius fluent aquæ viuæ. Quod exponens Euangelista, subiunxit: Hoc autem dicebat de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Ait ergo: *Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi: Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam uiuam.* Scire Christum non poterat, quia donum Dei, id est, spiritum sanctum non habebat: Atque ideò quia Christum ignorabat, aquam viuam ab eo petere nesciebat. Sed adhuc in carnali sensu perseuerans mulier, respondit: *Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est. Vnde ergo habes aquam uiuam? Nunquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius?* Notandum verò, quòd hîc puteum dicit, cùm superiùs fontem nominauerit: quia nimirum omnis puteus fons, non autē omnis fons puteus. Quæ verba sicut aperta & plana trāscurrentes, audiamus quid ei Dominus responderit, superiora verba sua exponens. Ait enim: *Omnis qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam.* Quibus Domini sermonibus delectata, & tanti muneris compos esse cupiens, & adhuc prudentiam carnis amplectens, respondit: *Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque ueniam huc haurire. Ait illi Dominus: Vade, uoca uirum tuum, & ueni huc. Dicit ei: Non habeo uirum. Dicit ei Iesus: Benè dixisti, quia non habeo uirum. quinque enim uiros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus uir.* Nouerat certè Dominus illam non habere virum, & ista loquebatur, vt paulatim eam à carnali intellectu retraheret, & ad intelligendum quis esset, qui cum ea loquebatur, perduceret. Denique mulier audiens quæ circa se erant, primò eum prophetam, postmodùm Christum esse confessa est. Sed hęc historię sic est plana simplicitas, vt in ea sensuum lateat alta profunditas. Si ergo aliquid iam de hoc dono Dei, & de spirituali aqua gustauimus, spiritualiter ista tractemus. Et primò videamus quid significet, quòd hora sexta Dominus ad puteum venisse dicitur. Hora sexta, sextam mundi ætatem significat, quando tanquam in senectute mundi, Dominus & redemptor noster hominem indutus, venit ad puteum, ad tenebrosam videlicet huius mundi profunditatem, de illa cælorum sublimitate ad infimas terræ partes dignatus est descēdere. Hora ergo sexta Dominus ad puteum venit, quando sol ad inferiores circulos à summo cæli centro incipit declinare: quia nouissima seculi, vt dictum est, ætate filius Dei ad terrenum laborē nostrum dignatus est descendere, vt nos docet exuere veterem hominē cum affectibus suis, & induere nouum, qui secundùm Deum creatus est. Quòd fatigatus venit, infirmitatem carnis: quòd sedit, humilitatem ostendit. Fatigatus ergo resedit: quia & imbecillitatem carnis pro nobis suscepit, & homo humilis inter homines apparuit. De hac infirmitate carnis eius dicit propheta: Vidimus eū, & nō erat aspectus: & desiderauimus eum despectū, & nouissimū virorū, virum dolorum, & scientem infirmitatem. De humilitate verò eius ait Apostolus: Humiliauit semetipsum, factus obediens vsq; ad mortē, mortem autem crucis. Mulier hæc Samaritana gentium est Ecclesia, quæ benè Samaritana vocatur. Samaria enim pro idololatria solet accipi. Hinc propheta Christi prænuncians incarnationem, dicit: Antequàm sciat puer vocare patrē aut matrem suam, accipiet virtutem Damasci, & spolia Samariæ. Christus nanq; virtutem Damasci accepit, quando ei Magi aurum obtulerunt, in quo quondam ipsa potentissima ciuitas confidebat. Accepit & spolia Samariæ, id est, homines idolatriæ captiuitate oppressos, ad libertatem nouæ gratiæ reduxit. Aptè igitur hæc mulier Samaritana dicitur, quia sancta Ecclesia ante Christi aduentum idololatriæ dedita cultui erat, nihilq; aliud agere nouerat, quàm circa seculi curas vanis cupiditatibus occupari. Hoc enim significat, quòd cum hydria ad puteum hæc mulier aquā haurire veniebat. Poscebat Dominus ab ea bibere, salutem gentium sitiens, quatenùs eas ab errore erueret, & ad Christianæ fidei religionē adduceret. Quinq; viri quos habuerat, quinque corporis sensus accipiūtur, visus videlicet, auditus, gustus, odoratus & tactus. Et visu quidē alba & nigra, & quoquo modo colorata videmus. Auditu rauca & sonora captamus. Olfactu odora fœtentiaq; discernimus. Gustu dulcia & amara percipimus. Tactu verò, qui per omnia corporis mēbra diffūditur, calida & frigida, mollia & dura, lenia, & aspera sentimus. Istis quinq; sensibus Ecclesia gentiū ante aduentū Christi subdita erat, & lucē mentis non habens, carnalē vitā absq; vlla intelligentia transibat. Et quia istos sensus nō error reperit, sed natura contribuit, rectè viri quasi legitimi dicuntur, quibus primis seculi tēporibus oēs homines seruiebant. Sed iam venerat tempus, quo non illis sensibus rectoribus anima vteretur, sed haberet virum, id est, rationalem spiritum, cui illos priores viros, id est, quinque sensus in famulatum subijceret, nec iam anima quinq; viris subderetur, sed verbum Dei amplecteretur, spiritu Christo inhæreret, nec præ-

Hora sexta mysticè.
Ephes. 4.
Esai. 54.
Philipp. 2.
Mulier Samaritana, Ecclesia.
Esai. 8.
Quinq; viri, sensus.
spiritus rationalis, anima.

præsentibus delectaretur, sed æternorum amore frueretur. Sed quoniam adhuc pristino errore tenebatur, nec eam post quinque viros, id est, post tempus quinque sensuum carnalium verbū Dei acceperat, sed diabolus complexu adulterino illectam obtinebat, ait Dominus: Voca virum tuum, & veni huc. quod est dicere: Remoue te ab affectione carnali, in qua nunc es, & spiritu intelligentiæ euocato, præsens adesto. Vir enim animæ, est quodammodò spiritus hominis, qui animalem affectionem tanquam coniugem regit. De quo Apostolus dicit: Nemo scit
1. Cor. 2. hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est. Sed cùm illa responderet, Non habeo virum, audiuit: Benè dixisti. quinq; enim viros habuisti, id est, primo tēpore quinq; sensibus corporis seruiuisti. Nunc ergo quem habes, non est tuus vir, quia non est in te spiritus, qui intelligat Deum, cum quo legitimum possis habere coniugium, sed error diaboli tibi dominatur, qui te adulterina commaculatione corrumpit. Et fortasse ad hoc pertinet, quòd hęc mulier post quinque carnales responsiones, sexta iam Christum nominat: Nam prima eius responsio fuit, Quomodò tu cùm Iudæus sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Secunda, Domine neque in quo haurias habes, & puteus altus est. Tertia, Domine, da mihi hāc aquam, vt non sitiam, neq; veniam huc haurire. Quarta, Non habeo virum. Quinta, Video quia propheta es tu: patres nostri in monte hoc adorauerunt. Sexta iam responsione Christum fatetur, dicēs: Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus. Sed adhuc errat, quia venturum eum expectabat, quem præsentem habebat. Nōdum enim virum suum vocauerat, sed vicinum erat, vt error iste tanquam adulter expelleretur, & intellectus rationalis introduceretur. Ait ergo mulier: *Domine, video quia propheta es tu.* Iam quasi vir cœperat intellectus eius appropinquare, sed nōdum plenè veniebat. Prophetam enim Dominum putabat, nec per omnia errabat. Nam & ipse se prophetam vocare dignatus est, dicēs:
Gen. 12. Non capit propheta perire extra Hierusalem.
Deut. 18. Et longè antè Moyses de eo dixerat: Prophetam vobis suscitabit Deus de fratribus vestris, tanquàm me, ipsum audite. *Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & uos dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet.* Contentio erat inter Iudæos & Samaritanos, quia Iudæi solummodò Hierosolymis in templo à Salomone constructo Deum adorabant: Samaritani verò longè positi, & ipsi Deum, sed non in illo templo adorabant. Ideoque Iudæi se extollebant, & meliores se illis dicebant, qui Deum in templo à sapientissimo hominum ædificato colebant. Quibus dicebant Samaritani: Quare vos meliores nobis esse putatis, quia templum habetis, quod nos nō habemus? Nunquid patres nostri qui Deo placuerunt, non in hoc monte adorauerunt? & ipsi certè templum non habebant, sed hic adorabant, vbi & nos adoramus. Vtrique contendebant, illi pro templo, isti pro monte, & vtrique iguari veritatis erant. Sed quid Dominus mulierem doceat, audiamus. *Dicit ei Iesus: Mulier crede mihi, quia uenit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis patrē.* Crede, inquit, mihi. Est enim in te qui credit, quia cœpisti adesse intellectui, quando me prophetam agnouisti. Crede ergo mihi, quia scriptum est: Si nō crediderit is, nō intelligetis. Ve-
Esai. 7. nient, ait, dies, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis patrem. Tempus Euangelicæ gratiæ, quod iam instabat, dicit, quādo ablata omni membra figurarum, veritas pura luce mentes credentium illustratura erat. Deus enim non loco continetur, qui
Hier. 23. cælum & terram adimplet, nec in templis ma-
Act. 17. nufactis, sed in sanctis mentibus habitat. *Vos, inquit, adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus.* Multum honorem Iudæis tribuit, qui Dei cognitionem habebant, legem & prophetas acceperant, quorum est testamentum, & legisla-
Rom. 9. tio & promissa, quorum patres, ex quibus Christus, qui est benedictus in secula. Hoc est enim quod dicit: *Salus ex Iudæis est*: quia saluator ex illo populo natus est. Honorabat ergo Iudæos, sed non istos reprobabat. Ipse enim erat lapis angularis, qui ex gentibus parietem parieti ex Iudæis copulat. Quòd verò ait, Nos adoramus quod scimus, non ad omnium personas est referendum, sed ad illos tantùm, qui sapientes & veritatis doctores erant, quales erant Apostoli, quales fuerant prophetæ, cæteriq; e qui vel Christum venturum fide expectauerunt, vel venientem fideliter susceperunt. *Dicit illi mulier: Scio quia Meßias uenit, qui dicitur Christus.* Pietas catholica satis nouit, quia Mes-
Meßias, Christus, unctus. sias Hebraicè, Christus Græcè, vnctus Latinè dicitur. Scio, inquit. ac si diceret: Quid necesse est nos pro monte, illos pro templo contendere? Cùm enim Christus venerit, montem spernet, templum euertet, & nos docebit, vt in spiritu & veritate adorare noscamus. Sciebat iam hæc mulier à quo docenda esset, sed docentem nondum agnoscebat. Ideoque digna erat quæ non differretur, sed cui Christus iam manifestaretur. *Dicit ei Iesus: Ego sum, qui loquor tecum.* Ecce, adest vir, quem vocare iubebat. Fa-
1. Cor. 11. ctus est secundùm Apostolum caput mulieris, vir: caput autem viri, Christus. Sed illa postquàm audiuit, Ego sum, nihil respondit, quia manifestè iam Christum cognouit. *Et continuò discipuli eius uenerunt, & mirabantur quòd cum muliere loquebatur.* Venerunt discipuli, qui erant in ciuitate, vt cibos emerent. Mirantur tantam Christi dignationem, tantam clementiam, qua perditam ouem quærebat, qua gentilem & erroneam mulierem docebat. Hanc eius misericordiam, hanc eius bonitatem inæstimabilem

1. Responsiones mulieris.
Contentio inter Iudæos et Samaritanos

Universidad de Deusto
Biblioteca

lem mirabantur, non mali aliquid suspicabantur. *Reliquit ergo mulier hydriã suam, & abijt in ciuitatẽ, & dicit illis hominibus: Venite, & uidete hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci.* Proiecit hydriam, quam ob nimiam auiditatem suam nõ iam vsui, sed oneri deputabat, vt expedita atque exonerata Christum annunciaret. Sed & mysticè, sancta Ecclesia, postquàm ad fidem Christi venit, hydriam proiecit, quia cupiditatibus seculi renunciauit. Hydria enim illa, amorem seculi figuraliter exprimebat, quia sibi homines de tenebrosa, ac in imum demersa conuersatione, quasi de puteo, voluptatem hauriebant. Quia percepta, iterùm sitiunt: quia expleta voluptas non satiat, sed ad maiorem sitim mali operis accendit. *Venite*, inquit, *& uidete hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci.* Paulatim venit ad prædicandum Christum. Primò vocat eum hominem, ne, si Christum primò diceret, auditores irascerentur & indignarentur, sicque ad eum exire nollent. *Interea rogabant eum discipuli, dicentes: Rabbi, manduca. Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare, quem uos nescitis. Dixerunt ergo discipuli eius: Numquid aliquis ei attulit manducare?* Quid mirum, si mulier Samaritana superiùs non intelligebat, quam aquam Dominus ei promitteret? Ecce ipsi discipuli nunc intelligunt de qua esca Dominus dicat. Sed verus magister instruit eos, non sicut mulierem per anfractus & sermonum circuitus, sed apertè ostendit spiritualem se nominare cibum. Ait enim: *Meus cibus est, ut faciam uoluntatem patris mei, qui in cælis est, ut perficiã opus eius.* Volũtas patris est, vt credamus in filiũ eius: sicut alibi dicit: Hæc est voluntas patris mei qui misit me, vt credatis in eum quem misit ille. Opus verò patris, prouisio nostræ redemptionis. Cibus ergo Christi, fides nostra & salus est. Atque ideò perficiebat voluntatem patris, omnes in se credere docendo. Perficiebat opus eius, humanæ redemptionis mysterium maturando. *Nõne uos dicitis, quia adhuc quatuor menses sunt, & messis uenit?* Opus illum vrgebat, & quodam feruore properandæ salutis nostræ exardescebat, iamque operarios, id est, prædicatores, in mundum mittere volebat. Vos, inquit, dicitis quòd adhuc quatuor mẽses sunt, & messis venit. Sed ego vobis aliã messem iam ortam, iam maturam, & ad metendum paratam ostendo. *Ecce, inquit, dico uobis: Leuate oculos uestros, & uidete regiones, quia albæ sunt iam ad messem.* Ergo tempus est vt messores mittãtur. Quod est apertè dicere: Intellectu mentis considerate, Deum mundo reconciliari, & transacta hyeme infidelitatis, adesse fidei calorem, iamque parata esse corda gẽtium, vt ex illis messem iustitiæ vestra prædicatione colligatis. *In hoc enim uerbum est uerum, quia alius est qui seminat, alius qui metit. Ego misi uos metere, quod uos non laborastis. Alij laborauerunt, & uos in labores eorum introistis.* Non misit Dominus seminare discipulos, sed metere. Dirigun-

Hydria, amor mũdi.

Ioan. 6.

Cibus Christi.

tur enim vbi iam alij laborauerunt, id est, ad Iudæos primùm, quibus prophetæ Christum priùs annunciauerant. Et vbi laboratum erat, vtiq; seminatum erat. Quod verò seminatum erat, iam maturum, falcem & trituram quærebat. Dirigun tur ergo Apostoli, quo iam prædicauerant prophetæ. Ipsi enim seminauerunt hoc, quod ad hu ius mulieris notitiã peruenerat. Vnde dicebat: Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus. Hæc messis primùm in Iudæa collecta est, quando prædicante Petro vna die crediderunt tria millia, alia die quinque millia, & deinceps multa millia. Quando etiam qui crediderãt, afferebant rerum suarum precia, & ponebant ante pedes Apostolorum, vt expediti à sarcinis seculi, liberi Christum sequerẽtur. De hac messe pauca grana per orbem sparsa, innumeram messem per totum mundum genuerunt, quę in fine seculi colligenda est. Intuendum verò quod suprà dixit: *Vt & qui seminat simul gaudeat, & qui metit.* Prophetæ enim seminatores, & Apostoli messores, disparis temporis labores habuerũt, sed vnam mercedem acceperunt, & fructum pariter in vitam æternam congregauerunt. *Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter uerbum mulieris testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia quæcunque feci. Cùm uenissent ergo Samaritani ad illum, rogauerunt eum ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies, & multò plures crediderunt in eum propter sermonem eius. Et mulieri dicebãt: Quia iam non propter tuam loquelam credidimus: ipsi enim audiuimus & scimus, quia hic est uerè saluator mundi.* Primò quidã famã Domini audierunt, postmodũ cõspexerunt. Nec hoc suffecit, sed etiam rogauerunt eum, vt saltem aliquot dies maneret apud illos. Nec iam se propter hoc, de quo mulier testimonium perhibuerat, credere dicebant, sed seipsos verè cognouisse & scisse, quia ipse est saluator mũdi. Ci ta credulitas Samaritanorum, exaggerat multùm & aggrauat infidelitatem Iudæorum. Samaritani certè nullum miraculum viderant, non mortuum resuscitatum inspexerant, nõ mare pedibus transmeatum acceperant, sed tantùm quod mulier dicebat, quia dixit mihi omnia quæcunque feci. Iudæi verò innumera quotidiè mirabilia cernentes, non solùm non credebant, verumetiam suæ salutis persequebantur authorem. Sic etiam fit quotidiè apud gentiles. Cùm enim à Christi amicis Christũ prædicari audiunt & credunt, quasi per famam mulieris prædicantis ad Christum veniunt: sicque eo apud illos manente, iam robustiùs per seipsos quanta veritas sit Christianæ fidei, quanta salus in Christum credentibus, ex tempore cognoscunt. Nec vacat, quòd biduò apud eos mansisse dicitur: quia nimirum in se credentes Christus duobus præceptis instruit charitatis, docens eos diligere Deum super omnia, & proximum sicut seipsos. Biduo ergo apud Samaritanos mansit, quia in eo-

Prophetæ Apostolis viam præparant.

Act. 4.

Iudæorum obstinatio.

eorum cordibus requieuerit, quos geminæ charitatis lampade feruere cognouerit. Nec illud omittendum, quòd nulla noctis, sed solius diei fit mentio. Nam quæ potest esse societas luci ad tenebras? Ioannes enim dicit, quia Deus charitas est. Idem quoque alibi dicit: Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. Si ergo Deus charitas est, & si Deus lux est, ergo charitas lux est. Vbi ergo charitatis lux est, quis tenebris locus esse potest? Et econtrà, vbi charitas non est, nulla ibi lux, sed omnia terra obscuritate nigra sunt. Hinc Ioannes: Omnis qui non diligit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quo eat. Qui autem diligit, in lumine manet. Hanc igitur inquantùm possumus efficaciter teneamus, vt Christo inhabitante gaudere mereamur. Proijciamus à nobis noxiarum hydriam cupiditatum, & ad bona quæ Deo inspirante cognouimus, nobiscum alios trahere festinemus, clementiamque nostri redemptoris pijs votis ac bonis actibus exoremus, vt quibus iam suam dignatus est dare cognitionem, cũ virtutum profectu vsq; ad suę gloriæ dignetur perducere visionem, Amen.

1. Ioan. 4.
1. Ioan. 1.
1. Ioan. 2.

EADEM FERIA HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Venit Dominus Iesus in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sychar, iuxta prædium quod dedit Iacob filio suo, &c.
IOAN. IIII.

Gen. 48.

HOc enim est illud prædium, de quo Iacob filium suum Ioseph benedicens, ait: Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo. Ibi autem erat fons Iacob. Si enim Iacob erat ille fons, bonam aquam habebat, cùm scriptum sit: In ecclesijs benedicite Deo Domino de fontibus Israël. Fons iste, profunda patriarcharum fides & doctrina esse videtur. Vnde non solùm fons, sed & puteus vocatur. Fons quidẽ, propter viuam aquam: puteus verò, propter profunditatem. Valdè enim profunda est legis & prophetarum scientia. *Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic super puteum: hora autem erat quasi sexta.* Fatigatur enim Iesus, sed secundùm carnem. Nisi enim fatigaretur, nisi esuriret & sitiret, homo esse non crederetur. Sic igitur idem fatigatus, sedebat super puteum. Qui ergo sunt fatigati, & requiescere volunt, veniant ad puteum, veniant ad scripturas prophetarum: ibi inuenient Iesum, ibi eum dicentem audient: Venite ad me qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Ideò enim Iesus super puteum fatigatus quieuit, vt nobis vbi quietem quæramus, ostenderet. *Erat autem hora quasi sexta*, quia ætas sæculi sexta. Prima enim ætas ab Adam vsque ad Noë: secunda vsque ad Abraham: tertia vsque ad Dauid: quarta vsq; ad transmigrationem Babylonis: quinta vsq; ad Christum: sexta vsque ad finem seculi. *Venit mulier de Samaria haurire aquas.* Hæc enim mulier tota illa plebs Israëlitica mihi esse videtur, quæ ad puteum Iacob, ad fontes Israël, ad scripturas patriarcharum & prophetarum quotidiè venit: sed quia virum non habet, bibendo satiari non potest. Hæc autem in sequentibus exponentur. *Dicit ei Iesus: Da mihi bibere.* Sitit Iesus, sitit fons vitæ, de quo scriptũ est, Quoniã apud te est fons vitæ. Sed si fons viuus est, quomodò sitiri potest? Nõ aquã, sed fidem nostrã sitit Iesus. Vnde in sequẽtibus ait: Meus cibus est, vt faciam voluntatem patris mei qui in cælis est. Patris autem voluntas erat, vt populum saluaret & ad fidem conuerteret. Hoc igitur erat, quod sitiebat Iesus. *Discipuli autem abierant in ciuitatem, ut cibos emerent. Dicit ergo mulier Samaritana: Quomodò tu Iudæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.* Quanuis enim Samaritani Israëlitæ erant, tamen sequuti Hieroboam, qui eos idola colere docuit, intantùm à lege erant alienati, vt quasi Gentiles à Iudæis haberentur. *Respondens autem Iesus, dixit ei: Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam uiuam.* Si me (inquit) cognosceres, & sancto spiritu illuminata esses (donum nanque Dei, est spiritus sanctus) forsitan petisses à me, sicut ego modò peto à te, & dedissem tibi aquam viuam, & aquam indeficientem, aquam in vitam æternam sufficientem. *Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est. Vnde ergo habes aquam uiuam? Nunquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum istum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius?* Tu mihi, inquit, aquam viuam promittis: viua autẽ hęc aqua est: sed neque hauritorium habes, neq; vas neque funem te habere conspicio, insuper & puteus altus est, ad cuius profunditatem manibus attingere non vales. Vnde ergo tibi aqua viua? aut si mihi aliam promittis, ad cuius comparationem hanc aquam non viuam sed mortuam intelligas, quare pater noster Iacob eã nobis nõ dedit? nunquid tu maior illo es? Hoc aũt illa mulier dicebat, quia nondum Christi verba intelligebat. *Respondens Iesus dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam.* Paulatim separat eam Dominus à suo intellectu, vt ad meliorem intelligentiam eam trahat. Hæc autem aqua illa est, de qua alibi ait: Qui sitit, veniat & bibat, & de ventre eius fluent aquæ viuæ. Quod quid significet, mox Euangelista exposuit, dicẽs:

Sex mundi ætates.

Mulier, plebs Israẽ litica.

Psalm. 35.

Ioan. 7.

Fons, & puteus.

Matt. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hocautem dicebat de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum. *Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, ut non ſitiam, neq; ueniam huc haurire.* Separata iam mulier aliquantulũ à priori intelligentia, non illius putei aquam intelligit: aliã aquam petit, qua ſemper abundans, ampliùs eã illuc venire non ſit neceſſe. Sed quia iſte quoq; intellectus carnalis eſt, ad aliũ intellectũ eam Dominus inuitat, dicens: *Vade, uoca uirũ tuũ, et ueni huc.* Voca (inquit) virum tuũ, adhibe intellectũ tuũ, & veni huc: eſto præſens, noli iã per diuerſa fluctuare. Vir enim animę, intellectus eſt, quo & regitur & gubernatur. *Reſpondit mulier & dixit: Nõ habeo uirum. Dicit ei Ieſus: Benè dixiſti, quia non habeo uirũ: quinq; enim uiros habuiſti, & nunc quem habes, nõ eſt tuus uir. hoc uerè dixiſti.* Quãuis enim aliud iſta ſignificent, credendũ tamẽ eſt hanc fœminã quinq; viros habuiſſe: nunc aũt alicui in fornicationẽ conſenſiſſe. Quod vtriq; Dominũ non latebat. Spiritualiter autem quinq; viri, quinque libri Moyſi, quibus plebs illa Iſraëlitica (quæ per hanc mulierem ſignificatur) ad tempus coniuncta, quaſi vxor à maritis regebatur, docebatur & gubernabatur. A quibus tãto tempore diuiſa erat, quãto tempore Dei ſui oblita, eis inobediens erat. Sæpè enim alios amatores ſecuta, & cum idolis fornicata, hos viros legitimos fugiens, errori cõſenſit. Hic igitur eſt, de quo hic dicitur: Et nũc quẽ habes nõ eſt tuus vir. Error eſt, non maritus: deceptor eſt, non amator. *Dicit ei mulier: Domine, ut uideo, Propheta es tu.* Hoc enim mulier nõ dixiſſet, niſi virum ſuum vocaſſet. Iam igitur error fugit, iam fornicator abſcedit. Sequitur: *Patres noſtri hoc in monte adorauerunt, & uos dicitis quia Hieroſolymis eſt locus, ubi adorare oportet.* Video (inquit) quia propheta es tu: reſpõde igitur mihi quod interrogo & diſcere concupiſco: Quid eſt hoc, quod vos Iudæi dicitis, quia Hieroſolymis eſt locus vbi adorare oportet, cùm certum ſit, quòd patres noſtri in monte hoc adorauerunt. *Dicit ei Ieſus: Mulier crede mihi, quia uenit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hieroſolymis adorabitis patrem. Vos adoratis quod neſcitis, nos adoramus quod ſcimus: quia ſalus ex Iudæis eſt: ſed uenit hora, & nunc eſt, quando ueri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & ueritate.* Veniet igitur (inquit) hora, & nũc eſt, quãdo veri & ſpirituales oratores, nõ in monte vel in ciuitate, ſed in ſpiritu & veritate Deũ adorabũt. Quãuis enim alicubi eos orare oporteat, nõ tamẽ ad mõtẽ vel ad ciuitatẽ, ſed potiùs ad cor reſpicit Deus. Nec montẽ altioręm, nec ciuitatẽ nobiliorẽ attendit: ſed cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit. Intra igitur in cubiculũ tuũ, & clauſo oſtio ora patrẽ tuũ. Ora nõ labijs tantũ, ſed ſpiritu & veritate. Soli aũt Iudæi, ſoli cõfeſſores, ſoli legis obſeruatores adorant quod ſciunt: cæteri verò adorant quod neſciunt. Quare? quia ſalus ex Iudæis eſt. Ex quibus Iudæis? Audi Apoſtolum: Non enim qui in manifeſto Iudæus, neq; quæ in manifeſto in carne circunciſio: ſed qui in abſcondito Iudæus, & circunciſio cordis in ſpiritu, non litera. Nos ſumus igitur illi Iudæi, nos Chriſtiani, nos membra Chriſti: pro quibus omnibus caput noſtrum modò dicit: Vos adoratis quod neſcitis, nos adoramus quod ſcimus. Sequitur: *Nam et pater tales quærit, qui adorent eũ:* ſubauditur, in ſpiritu & veritate. Si enim corporeus & localis eſſet, in monte, vel in ciuitate quærẽdus eſſet: ſed quia ſpiritus eſt, in ſpiritu adorãdus eſt. Dicit ei mulier: *Scio quòd Meſſias uenit, qui dicitur Chriſtus, cùm ergo uenerit, ille nobis annunciabit omnia.* Ac ſi diceret: Obſcurè loqueris, & ea quæ dicis non intelligo: ſcio tamen quia Meſſias veniet, qui dicitur Chriſtus: ille cũ venerit, omnia nobis annunciabit, ille & tua & aliorum prophetarum obſcura myſteria nobis reuelabit. *Dicit ei Ieſus: Ego ſum, qui loquor tecum. Et continuò uenerunt diſcipuli eius, & mirabantur quia cum muliere loquebatur.* Quare mirabantur? quia hoc fortaſſe in vſu non habebat. *Nemo tamen dixit: Quid quæris? aut quid loqueris cum ea?* nullam ſuſpicionem habentes in eo de ea. Illis autem venientibus, ſiluit mulier, multum fortaſſe (niſi illi veniſſent) adhuc loquutura. *Reliquit ergo hydriam ſuam,* reliquit prauã intelligentiam ſuam, cum qua de fontibus Iſraël carnaliter & nõ ſpiritualiter bibere ſolebat. *Abijt in ciuitatem,* abijt ad Eccleſiam gentium, iuit in vniuerſum mundum prædicare Euangelium omni creaturæ. *Et dicit illis hominibus: Venite & uidete hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci. Nunquid ipſe eſt Chriſtus? Exierunt ergo de ciuitate, & ueniebant ad eum:* ſignificantes eos, qui relicta Gentilitate, vſque hodiè conuertuntur ad eum. *Interea rogabant eum diſcipuli, dicentes: Rabbi, manduca. Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare, quem uos neſcitis. Dicebant ergo diſcipuli ad inuicem: Nunquid aliquis attulit ei manducare?* Ecce diſcipuli non intelligunt, de quo cibo Dominus loquatur: ſicut & mulier ſuperiùs non intelligebat aquam, de qua ei Dominus loquebatur. *Dicit eis Ieſus: Meus cibus eſt, ut faciam uoluntatem eius qui miſit me, ut perficiam opus eius.* Hoc cibo delector, hoc reficior: quem (quia adhuc carnales eſtis) nondùm ad plenum intelligitis. *Nõne uos dicitis, quia adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis uenit? Ecce dico uobis, leuate oculos ueſtros, & uidete regiones, quia albæ ſunt iam ad meſſem.* Videns enim Ieſus totam ciuitatem illam ad ſe confluentẽ, & iam ad credẽdum maturã & paratã, ſub meſſionis figura de ea loquitur. Diſcipulos ad videndum inuitat, & oculos eis lauare præcipit, vt verbi Dei falcem arripientes, metere incipiant, dum meſſes iam albas, ad colligendũ vident eſſe ideneas. Et ne labor ipſe grauis & aſper eſſe videatur, operis mercedem eis promittit, dicens: *Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in uitam æternam, ut & qui ſeminat, ſimul gaudeat, & qui metit.* Seminatores enim prophetæ fuerunt, qui fidei & doctrinę ſemina primi in illo populo ſeminarunt. Meſſores verò, Apoſtoli: qui populos iam penè inſtructos & credulos, in Eccleſiæ aream collegerunt: pro quibus nimirùm fructum ſuſcipient, vitam æternam: quatenùs ſeminatores & meſſores ſimul gaudeant, ſimulq; æterna beatitudine perfruantur. *In hoc enim eſt uerbum uerum, quia alius eſt qui ſeminat, & alius eſt qui metit. Ego miſi uos metere, quod uos non ſeminaſtis: alij laborauerunt, & uos in labores eorum introiſtis.* Niſi enim prophetæ ſeminaſſent, & Chriſti aduentum & cætera, quæ de eo ſcripta ſunt, prænunciaſſent, tantam fidelium meſſem in illo populo Apoſtoli non collegiſſent. Et in hoc eſt verbum verum, quia alius eſt qui ſeminat, & alius eſt qui metit. In hoc enim Euangelij verbum verum & indubitabile eſſe probatur, quia hoc quod Apoſtoli affirmãt, prophetæ prædixerunt. Quod iſti dicunt factũ, illi dixerunt eſſe futurum. Vnde nõ tantùm ſua, quantùm prophetarum teſtimonia confirmãtes, non ſua, ſed aliorum ſemina metunt. Credãt igitur prophetis, qui Apoſtolis credere nolunt, & in ore tantorum teſtium ſtet omne verbum. Nemo illud verbum verum eſſe dubitet, quod vtriuſque teſtamenti teſtimonio roboratur. *Ex ciuitate autem illa multi crediderũt in eum Samaritanorum, propter uerbum mulieris teſtimonium perhibentis, Quia dixit mihi omnia quæcunque feci. Cùm uenissent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eum ut ibi maneret: & manſit ibi duos dies.* Rogemus igitur eum & nos, vt & nobiſcũ maneat duos dies: duos dies dixi, quatenùs duo præcepta charitatis, duorumque teſtamentorum fidem nos & amare & tenere doceat. Hæc enim ſufficiunt nobis ad illuminationem, ſufficiunt & ad vitæ plenitudinem: quia charitas nunquam excidit, charitas finem nõ habet. Magni igitur dies iſti, qui finem non habẽt. Sequitur: *Et multò plures crediderunt in eũ propter ſermonẽ eius,* quàm propter ſermonẽ mulieris. Inſtabat mulier & prædicabat, & verbum per quod omnia facta ſunt, prout poterat verbis adiuuabat. Dicebant igitur ei, iam deſpicientes audire eam: *Quia iam non propter tuam loquelam credimus,* non tua prædicatione indigemus. *Ipſi enim audiuimus & ſcimus, quia hic eſt uerè ſaluator mundi.* Sciebat enim Dominus Ieſus, quales iſti erant, quando eos meſſes maturas vocabat, dicens: Videte regiones, quia albę ſunt iam ad meſſem. Hoc enim teſtimonium eis non dediſſet, niſi eos ad audiendum & credendum voluntarios præuidiſſet.

Vir animæ, intellectus.

V. Viri, 5. libri Moyſi.

Pſalm. 50

Matth. 6.

Veri adoratores.

Rom. 2.

Hydria.

Prauã intelligentia

Meſſores.

Duo dies, i. præcepta charitatis.

1. Cor. 13.

Falſa uera Dei.

Seminatores.

OMnipotentiſsimus conditor, & benigniſsimus amator hominum, Dominus Deus noſter Ieſus Chriſtus, cuius vniuerſæ viæ miſericordia & veritas, hãc ſibi maximè circa ſuã paſſionẽ familiarẽ effecerat connſuetudinẽ, vt diebus quidem in templo, quod Hieroſolymis erat, verbum Dei prædicaret, ſigna & miracula oſtenderet, quibus ſe Dei eſſe filiũ declararet: ſero autem reuerteretur in Bethaniã, & apud amicũ ſuũ Lazarũ, ſororesq; eius Mariã & Marthã noctibus hoſpitaretur: ſicq; iterũ diluculo ad ſimile prædicatiõis opus Hieroſolymam reuerteretur. Secundùm hunc igitur ſibi cõſuetum morem, cùm tota die in die feſto ſcenopegiæ, id eſt, tabernaculorum, in templo prædicaſſet: veſperaſcente iam die, ſicut aſſerit ſanctus Euangeliſta, perrexit in montem Oliueti, & inde rurſus diluculo venit in templum. Myſticè, mons Oliueti ſublimitatem dominicæ pietatis ac miſericordiæ deſignat: quod & ipſo ſatis vocabulo claret, quia mons Oliueti à miſericordia nomen trahit. Ἔλεος nanque Græcè, Latinè miſericordia dicitur. Natura quoque olei myſterio aptiſsimè conuenit. Superfertur enim omnibus liquoribus, atq; gratiam præmonſtrat miſericordiæ Dei: de qua Pſalmiſta, Suauis inquit, Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Olei quoq; perunctio feſſis ac dolentibus membris ſolet afferre leuamen. Et Pſalmiſta miſerationes Domini gratioſa laude commemorans: Qui propiciatur, inquit, omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas. Pergebat ergo Dominus in montem Oliueti, ibiq́ue manebat, vt arcem miſericordiæ in ſe conſtare, immò ſe oſtenderet eſſe ipſam miſericordiam, ſecũdùm Pſalmiſtæ vocem, Deus, inquit, ſuſceptor meus es: Deus meus, miſericordia mea. Tempus verò diluculi, quo prædicaturus Hieroſolymam rediebat, exortum nouæ gratiæ deſignat, quando remota legalium vmbra figurarum, lux Euangelicæ veritatis mundo reuelanda erat. *Et omnis, inquit, populus uenit ad eum, & ſedens docebat eos.* Seſsio Domini, humilitatem incarnationis eius inſinuat, per quam mundo ſubuenire dignatus eſt. Domino ergo in templo ſedente, omnis populus venit ad eum: quia poſtquam per ſuſceptam humanitatem, viſibilem ſe hominibus præbuit, cœperunt multi prædicationem eius audire, & in eum credere: & tantò libentiùs, quantò eum ſibi per aſſumptam carnem proximum factum eſſe meminerant. Multi autem diximus, quia plurimi ſuperba mente ſalutem quam attulera, tcon tempſerunt. Vnde multò antè per prophetã prædictum fuerat: Audiant manſueti & lætentur. Mãſuetis igitur & ſimplicibus ſermonẽ Domini mirantibus, & intentiſsimè audientibus, quid contemptores fecerint audiamus. *Adducunt autem ſcribæ & phariſæi mulierem in adulterio deprehenſam, & ſtatue-*

Pſalm. 144.

Pſal. 102.

Pſal. 58.

Pſal. 33.

Mons Oliueti myſticè.

Ioan. 8.

SABBATO.

Ioan. viij.

In illo tempore, Perrexit Ieſus in montem Oliueti, & diluculo uerũm uenit in templum. Et reliqua. Homilia Erici.

Universidad de Deusto
Biblioteca

statuerunt eam in medio, & dixerunt ei: Magister, hæc mu-
Luc. 20. *lier modò deprehensa est in adulterio. In lege autem Moy-*
ses præcepit nobis huiusmodi lapidare. tu ergo quid dicis?
O captiosa veneratio, ô simulatum venenatæ mentis obsequium, ô labia dolosa in corde & corde loquentia. Interrogant non vt quod rectũ est discant, sed vt veritati laqueos nectant. Sciebant enim idcircò vel maximè Dominum à turbis amari, quia misericordiam prædicabat, & peccatores benignissimè susciebat. Ideoque cùm inuenissent mulierem in adulterio, exultabant inuenisse se tentandi occasionem. Adduxerunt ergo eam ad Dominum, percontantes quid de ea fieri iuberet. Dicebant enim ad inuicem: Si dixerit, lapidãda est hæc mulier iuxta decretum Moysi, quasi crudelem & oblitum misericordię, quam prędicabat, deridebimus, sicq; eum odiosum turbis à quibus diligitur faciemus. Si verò lapidari eam prohibuerit, quasi legis aduersarium, & fautorem scelerum publicè comprehendemus, & mortis supplicio condemnabimus. Sed quid peruersitas valeret humana contra po-
Prou. 21. testatem diuinam? Scriptum nanq; est: Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Sequitur enim: *Iesus autem inclinauit se deorsum, & digito scribebat in terra.* Per hoc q̃ se Dominus inclinauit, humilitatẽ assumptæ humanitatis ostendit. Per digitum, qui cõiunctionibus articulorum compositus, atq; ideò cæteris membris flexibilior est, sublimitas discretionis exprimitur. Per terram verò, humanum cor ostẽditur, quod bonarum vel malarum actionum solet reddere fructus. Expectatus ergo Dominus à Pharisæis, vt de adultera sententiam ferret, nõ statim iudicat, sed priùs inclinãs se digito in terra scribit, ac sic demum illis obnixè insistentibus iudicat, vt nos hoc exemplo typicè moneat, quatenùs cùm quælibet mala proximorum conspicimus, non statim ea temerè reprehendendo damnemus: sed priùs ad nostri cordis conscientiam humiliter conuersi, digito discretionis ea solicitè disquiramus, & vtrum sint in ea opera Deo placentia, an displicentia, diligenti meditatione inuestigemus. Temerarium est enim iudicare de erratibus alienis, si adhuc reprehẽderis proprijs. Hinc & Apostolus dicit: Fratres, & si
Gal. 6. præoccupatus fuerit quis in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tẽteris. *Cùm autem perseuerarent interrogantes eum, erexit se, & dixit eis: Qui sine peccato est uestrũm, primus in illam lapidem mittat.* Pharisæi quidem & scribæ ex omni parte laqueos tetenderant, credebãtq; se eũ posse ostendere vel immisericordẽ, vel iniustũ. Sed Dominus fraudes illorum facillimè sicut fila aranex pertransijt, seruans per omnia & iustitiæ districtionem, & pietatis mansuetudinem. Ait enim: *Qui sine peccato est uestrũm.* ecce temperãtia miserãtis. Rursum, *Primus in illam lapidẽ mittat.* ecce iustitia iudicantis. Ac si patenter diceret: Dicitis quia Moyses præcepit huiusmodi lapidare: sed hoc à iustis, non à peccatoribus fieri præcepit. Primò igitur iustitiam legis implete, & sic mundis manibus & corde ad lapidandam ream concurrite. Primò fidem & misericordiam, spiritualia videlicet præcepta, perficite, & sic ad carnalia iudicia venite. Hoc iudicio dato, *Dominus iterum se inclinans, scribebat in terra.* Potest intelligi fecisse hoc Dominus iuxta morem humanæ consuetudinis, vt quasi aliud agens, & vultu aliò intendẽs, liberam eis facultatem egrediendi daret, quos sua responsione perculsos, & in ruborem actos, citiùs exituros, quàm plura interrogaturos esse cernebat. Deniq; ait Euangelista: *Qui audientes, unus post unum exibant, incipientes à senioribus.* In hoc verò, quòd & ante datam sententiam & post, inclinans se scribebat in terra, figuratè admonuit, vt & priusquam peccantem fratrem corripiamus, & posteaquàm ei ministerium debitæ correptionis impenderimus, solicita atq; humili inuestigatione perpendamus, vtrùm aut ipsis de quibus alium castigamus, aut alijs peccatis obnoxij simus. Sæpè enim contingit, vt ille qui alium, verbi gratia, de homicidio iudicat, ipse per odium fratris ante oculos conditoris reus homi-
1. Ioan. 3. cidij habeatur, quia scriptum est: Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Nonnunquam aliquis alium de fornicatione accusat, & in se facinus superbiæ absconditum celat. Cùm ergo peccantem aliquem corripimus, pensemus solicitè, quàm deiecti, quàm fragiles ex nobis simus, si non diuinæ pietatis auxilio sustentemur. Ita enim fiet, vt nequaquam contra eum, quem corripimus, superbiamus, nec proteruo spiritu iudicantes condẽnemus: sed memores propriæ conditionis, mansuetè ac leniter ad pœnitentiam & emendationẽ delicti salubri exhortatione prouocemus. *Erigens autem se Iesus, dixit ei: Mulier, ubi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnauit? Quæ dixit: Nemo Domine.* Nullus quippe ausus est condemnare peccatricem mulierem, quia Domino ancipiti verbi sui gladio eorum conscientias penetrante, singuli in se cernebant, quòd magis damnari deberent. Sed quia accusatores iustitiæ authoritate prostrauit, eam quæ accusabatur, magno pietatis munere subleuauit. Sequitur enim: *Dixit ei Iesus: Nec ego te condemnabo, uade, & amplius noli peccare.* Tanquam pius præterita peccata ignoscit: sed quasi iustus, ne ampliùs peccare præsumat, interdicit. Quia enim Deus erat & homo, per id quòd homo erat, accusatæ misereri potuit: per id verò quod Deus est, dimisso scelere eam absoluit. Veneremur ergo eũ per id, quòd Deo patri æqualis est: diligamus eũ per id, quòd nobis proximus fieri dignatus est. Precemur eius misericordiã pijs vocibus, iustis operibus, vt nos ab omnibus peccatorũ nexibus soluat, & de cætero nõ peccare concedat: sicq; mentes nostras sancti amoris sui flammis accendat, vt secũdùm beneplacitum suum in omni bono perseuerabiles

Peccans frater ut tractãdus.

Cur Dominus bis in terra scripserit.

les faciat Iesus Christus Dominus noster, qui cũ Deo patre & spiritu sancto viuit, &c.

EODEM SABBATO.
HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Perrexit Iesus in montem Oliueti, & diluculo iterùm uenit in templum, &c. Ioan. 8.

QVòd enim Iesus in montem Oliueti ire & orare solebat, sanctam Ecclesiam, oliuarum arboribus consitam, se diligere semperque habitare significabat. De his enim oli-
Psal. 51. uis ille erat, qui dicebat: Ego sicut oliua fructifera in domo Domini, sperabo in misericordia Dei mei in æternum & in seculum seculi. Tales oliuæ sunt, quicunque pacem & misericordiam diligunt. Sed cùm Iesus iterùm veniret in templum, & sedens doceret populum, econtrà inimici eius scribæ & pharisæi, qui semper ei insidiãtes, iniquo odio eum persequebantur, adducunt mulierem quandam in adulterio deprehensam, & statuunt eam in medio, & dicunt: *Magister, hæc mulier modò deprehensa est in adulterio: in lege autẽ Moy-*
Fraus phariseorum. *ses mandauit huiusmodi lapidare, tu ergo quid dicis?* Sciebant enim misericordem & pium esse. Vnde potiùs eum ad misericordiam & pietatem, quàm ad legis verba attẽdere sperabant: quod si fecisset, ilicò eum de legis transgressione accusare volebãt. Vnde & subditur: *Hoc autem dicebant tentantes, ut possent accusare eum. Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. Cùm autem perseuerarent interrogantes eum, erexit se, & dixit eis: Qui sine peccato est uestrum, primus in illam lapidem mittat.* Quòd Iesus digito scribebat in terra, tale erat ac si diceret: Vos legis mihi testimonia affertis, vos legis mihi verba narratis, qui legem ipsam non intelligitis. Hic est ille digitus, qui eã scripsit: hoc digito illæ tabulæ exaratæ sunt, de
Exod. 31. quibus dicitur: Descendit Moyses de monte, ferens duas tabulas in manibus suis, scriptas vtrasque digito Dei. Ego igitur legem composui, & vos legis exẽplis me irritare nitimini. Stulti estis, si meis argumentis me capere & superare speratis. Præcepit enim lex mulierem huiusmodi lapidare, sed non sicut vos intelligitis, neque à talibus quales vos estis. Ego sum finis legis, in me
Leu. 20. Rom. 10. lex cõpleta est: ecce omnia noua facio. Spiritualiter intelligantur, quæ hactenùs ad literam intelligebantur. *Qui igitur sine peccato est, primus in illam*
1. Ioan. 1. *lapidem mittat.* Quis enim sine peccato? Si enim dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Potest enim aliquis sine crimine esse, sed sine peccato quis erit? Peccatum hoc igitur in loco pro crimine ponitur, alioquin impossibilia iuberet Iesus. Et Apostolus quidem ad episcopatum tales eligi præcepit, qui sine crimine sint. Isti igitur sunt, qui in huiusmodi mulierem primi lapidem mittere debent. Dicendum est itaque quid mulier adultera, & quid lapides isti significent. Est enim mulier adultera, omnis anima hæretica prauitate corrupta. Hæc autem tunc lapidatur, quando ad Episcoporum vel sacerdotum concilium ducta, & de sua iniquitate conuicta, à toto concilio excommunicatur. Sed primus in illam lapidem mittit ille, qui sine peccato est: per quẽ episcopum intelligimus, quem Apostolus sine crimine esse præcepit. Deinde autem quicunque illi sunt, qui excommunicationem confirmant, omnes in illam lapidem mittunt. Hoc igitur Moyses significauit, quando mulierem adulteram lapidare præcepit. Hoc Dominus exposuit, quando eum qui sine peccato esset, primum in illam lapidem mittere iussit. Sed hoc Iudæi non intelligebant, & quid contradicerent non habebant. Sic enim suum sermonem temperauit Iesus, vt legi non contradiceret, & pietatem non amitteret. *Audientes autẽ unus post unum exibant, incipientes à senioribus: & remansit solus Iesus, & mulier in medio stans.* Quare exibant? Quia omnes se peccatores esse sciebant: ille autem solus remansit, qui solus erat sine peccato. Adhuc mulier timebat, adhuc in medio stabat: hinc misericordiam, & inde iudicium expectabat. Quid est enim in medio, nisi inter misericordiã & iudiciũ? Benè igitur Psalmista ait: Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. *Erigens autem se Iesus, dixit ei: Mulier, ubi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnauit? Quæ dixit: Nemo Domine.* Non igitur condemnauit eam Iesus in eo, quod ait, *Qui sine peccato est, primus in illam lapidem mittat.* Si enim eam condemnasset, nequaquam ei dixisset, Nemo te condemnauit? *Dixit autem ei Iesus: Nec ego te condemnabo.* Noli timere, esto secura, crede tantummodò consilijs meis: non abijcio peccatores, pœnitentes suscipio. *Vade, & amplius noli peccare.* Sic igitur liberata est misera, iubente misericordia.

Mulier adultera. anima hæretica.

Vt lapidetur.

In medio ut steterit mulier.

Psal. 100.

IN DOMINICA LAETARE, SERMO BEATI Leonis Papæ. Est verò V. in Quadragesima.

Universidad de Deusto
Biblioteca

POSTOlica dilectissimi doctrina nos admonet, vt deponentes veterem hominem cum actibus suis, de die in diem sancta conuersatione renouemur. Si enim templum Dei sumus, & mentium nostrarum spiritussanctus habitator est, dicente Apostolo, Vos enim estis templum Dei viui: multa nobis vigilantia laborandum est, vt cordis nostri receptaculum tanto hospite non sit indignum. Et sicut in domibus manufactis laudabili diligentia prouidẽdum est, vt si quid aut infusione imbrium, aut turbine procellarum, vel ipsa fuerit antiquitate corruptum, cita in integrum cura restituat: ita iugi oportet solicitudine præcaueri, ne quid in nostris animis incompositum, ne quid inueniatur immundum. Quanuis enim ædificium nostrum sine ope sui non subsistat artificis, nec fabrica nostra possit esse incolumis, nisi ei prætio præfuerit conditoris: tamen quia rationabiles lapides sumus, & viua materies, sic nos authoris nostri extruit manus, vt cum opifice suo etiam is qui reparatur, operetur. Gratiæ igitur Dei obedientia se humana non subtrahat, nec ab illo bono, sine quo non potest bona esse, deficiat: ac si quid sibi impossibile aut arduum in mandatorum effectibus experitur, non in se remaneat, sed ad iuuantem recurrat: qui ideò dat præceptum, vt excitet desiderium, & præstet auxilium, dicente propheta: Iacta in Dominum cogitationem tuam, & ipse te enutriet. An fortè quisquam tam insolenter superbit, & ita se illæsum, ita immaculatum esse præsumit, vt nullius iam renouatiõis indigeat? Fallitur prorsus ista persuasio, & nimia vanitate veterascit, quicunq; inter tentationes huius vitę, ab omni se vulnere credit immunẽ. Plena omnia periculis, plena sunt laqueis. Incitant cupiditates, insidiantur illecebræ, blandiuntur lucra, damna deterrent, amaræ sunt obloquentium linguæ, nec semper veracia sunt ora laudantium. Inde sæuit odium, hinc decipit mẽdax officium, vt faciliùs sit vitare discordem, quàm declinare fallacem. In ipsis autem virtutibus obtinendis, tam dubius modus, & tam incerta discretio est, vt si quisquam inter bonorũ malorumq́ue confinia, subtilissimi discriminis potuerit seruare mensuras, difficilè sit, vt benè sibi conscium probitatem obtrectantium ligua non mordeat, & iniquorum euadat opprobria, cui est amica iustitia. Iam cùm ad ipsas rerum temporalium varietates cogitatio humana conuertitur, quantæ se opponunt caligines, quanti prauarum opinionum oboriuntur errores, vt de obiectu contrariorum sumatur materia quærelarum? Nam licet omnium fidelium corda non dubitent, nullis mundi huius partibus, nullisq; temporibus prouidentiam abesse diuinã, nec de stellarũ potestate, quæ nulla est, secularíũ negociorũ pendere prouẽtus, sed æquissimo & clemẽtiss. summi regis arbitrio cũcta disponi: quoniã, sicut scriptum est, Vniuersæ viæ Domini, misericordia & veritas: tamen cùm quædam non secundùm desideria nostra procedunt, & sub humani errore iudicij, superior est plerunque iniqui causa quàm iusti, vicinũ nimis atque contiguũ est, vt etiã magnos animos ista cõcutiant, & in aliquod illicitæ causatióis murmur impellãt: siquidẽ istis varietatibus etiam excellentissmus propheta Dauid vsq; ad periculũ se turbatum profiteatur, & dicat: Mei aũt penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei: quia zelaui in peccatoribus, pacẽ peccatorũ videns. Vnde quia paucorũ est tã solida fortitudo, vt nulla inæqualitatum perturbatione quatiantur, & multos fidelium non aduersa tantùm, sed etiam secunda corrumpant: sanandis vulneribus, quibus humana infirmitas sauciatur, diligens est adhibenda curatio. Ideò enim de periculis, quibus mundus hic plenus est, quædam breuiter percurri, vt dicente scriptura, Quis gloriabitur castum se habere cor, aut mundum se esse à peccato? omnes sibi intelligant delictorum indulgentiam, & reparationis necessariam esse medicinam. Quãdo autem opportunius, dilectissimi, ad remedia diuina decurrimus, quàm cùm ipsa nobis sacramẽta redemptionis nostræ temporum lege referuntur: quæ vt digniùs celebremus, saluberrimè nos quadraginta dierum ieiunio præparemus? Non enim hi tantùm, qui per mortis Christi resurrectionisq́ue mysterium, in nouam vitã baptismo sunt regenerante venturi, sed etiã omnes populi renatorũ, & vtiliter & necessariè præsidium sibi huius sanctificationis assumunt: illi, vt quæ nondum habent, accipiant: isti, vt accepta custodiant. Dicente nanque Apostolo, Qui stat videat ne cadat: nemo tanta est firmitate suffultus, vt de stabilitate sua debeat esse securus. Vtamur ergo, dilectissimi, saluberrimi temporis venerabilibus institutis, & solicitiore cura cordis nostri specula tergamus. Quantumlibet enim castè & sobriè mortalis hæc vita ducatur, quodã tamẽ puluere terrena conuersationis aspergitur, & nitor mentium ad Dei imagiñe conditarũ, nõ ita à fumo totius vanitatis alienus est, vt nulla possit sorde fuscari, & non semper indigeat expoliri. Quod si etiã cautissimis animis necessariũ est, quãto illis ampliùs est expetendũ, qui tota fortè anni spatia aut securiùs, aut negligẽtiùs transierunt? Quos charitate debita commonemus, vt non ideo sibimet blandiãtur, quia nobis conscientiæ singulorũ patere non possunt, cùm oculos Dei simul vniuersa cernentis, non abdita locorũ, nõ parietũ septa secludant: nec solùm ei acta & cogitata, verũ & agenda & cogitanda sint cognita. Ista ergo scientia summi iudicis, iste est tremendus aspectus, cui peruium est omne solidum, & apertum omne secretũ: cui obscura clarent, muta respondent, silentiũ confitetur, & sine voce mens loquitur. Nemo patientiã bonitatis Dei de peccatorũ suorũ impunitate contemnati

Ephes. 4. Col. 3.

1. Cor. 6.

Cooperari debemus gratiæ.

Psal. 54.

Tentationes huius vitæ.

Psalm. 24

Psalm. 72.

Prou. 20

Matth. 6.

Ignoscendum proximis.

Deo nihil non pernotum.

nat: nec ideò illum æstimet non offensum, quia necdum est expertus iratum. Non sunt longæ vitæ mortalis induciæ, nec diuturna est licentia insipientium voluntatum, in æternarum dolorem transitura pœnarum, si dum iustitiæ sententia suspenditur, pœnitentiæ medicina non quæritur. Confugiamus ergo ad præsentem vbique misericordiam Dei, & vt sanctum pascha Domini digna obseruantia celebretur, cunctorum se fidelium corda sanctificent. Mitescat sæuitia, mansuescat iracundia, remittant sibi omnes culpas inuicem suas, nec exactor sit vindictæ, qui petitor est veniæ. Dicentes enim, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: durissimis nos vinculis illigamus, nisi quod profitemur impleamus. Vnde si orationis huius sacratissimum pactum, non tota sui conditione seruatum est, nunc saltem conscientiam suam vnusquisq; cognoscat, & alienis ignoscendo delictis, abolitionem suorum obtineat peccatorum. Dicente nanque Domino: Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis & pater vester, qui in cælis est, delicta vestra: non longè est ab vnoquoq; quod poscit, cùm de benignitate supplicis, sententia pendeat iudicantis: qui humanarum precum misericors & iustus auditor, æquitati suæ de nostra lenitate præscribit, vt non haberet in eos ius seueritatis, quos non inuenisset cupidos vltionis. Clementes autem & mites animos, etiam largitas decet. Nihil enim est dignius, quàm vt homo sui sit authoris imitator, & secundùm modum propriæ facultatis, diuini sit operis executor. Nam cùm aluntur esurientes, vestiuntur nudi, fouentur infirmi, nónne auxilium Dominicæ manus explet ministri, & benignitas serui, munus est Domini? Qui cùm ad effectus misericordię suæ adiutore non egeat, ita suam omnipotentiam temperauit, vt laboribus hominum per homines subueniret, & meritò Deo gratiæ referrentur de pietatis officijs, cuius opera viderentur in famulis. Propter quod ipse Dominus discipulis suis ait: Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videntes opera vestra bona, magnificent patrem vestrum qui in cęlis est, per Christum Dominum nostrum, Amen.

Matth. 5.

Operamisericordiæ exercẽda.

DOMINICA QVARTA QVADRAGESIMAE, IN Epistolam Concio exegetica.

AM peruenimus ad Quadragesimæ medium, & ecce vt spe bona & firma futuræ beatitudinis sese consolentur, qui in laboribus pœnitentiæ, in ieiunijs & castigatione corporis, in vigilijs & precibus hoc sacro tempore versantur, cæremonijs quibusdam lætitiam præ se ferentibus Ecclesia hoc die vtitur, & sacrosanctæ liturgiæ officium à voce lætitiæ inchoat, concinitq́ue quibusdam locis Paschale Kyrie eleison, ad spiritalem nos lætitiam & iucunditatem prouocans, quæ maximè necessaria est in pœnitentia laborantibus, tum ne animis deficiant, tum quòd hylarem datorem diligat Deus. Apostoli lectionem audiamus, huic diei congruentissimam, ex 4. Cap. ad Galatas sumptam: *Scriptum est, quoniam Abraham duos filios habuit: unum de ancilla, & unum de libera.* Nota est historia ex Genesi de Agar ancilla Abrahæ, quæ ei peperit Ismaëlem: & de Sara coniuge, vnde suscepit Isaac iam centenarius. *Sed qui de ancilla, secundùm carnem natus est: qui autem de libera, per repromißionem.* Augustinus libr. 15. de Ciuitate Dei, cap. 2. Parit, inquit, ciues terrenæ ciuitatis peccato vitiata natura: cælestis verò ciuitatis ciues, parit à peccato naturam liberans gratia. Vnde illa vocantur vasa iræ, ista vasa misericordiæ. Significatum est hoc etiam in duobus filijs Abrahæ, q́p vnus de ancilla, quæ dicebatur Agar, secundùm carnem natus est Ismaël: alter autem de Sara libera, secundùm promisionem natus Isaac. Vterq; quidẽ de semine Abrahæ: sed illum genuit demonstrans consuetudo naturam: istum verò dedit promissio, significans gratiã. Ibi humanus vsus ostẽditur, hîc diuinum beneficiũ commẽdatur. Et paulò pòst, cap. 3. Natus est ergo Ismaël, sicut nascũtur homines permixtione sexus vtriusq;, vsitata lege naturæ. Ideò dictum est, Secũdùm carnem: non quòd ista beneficia Dei non sint, aut non illa operetur Deus, cuius opifex sapiẽtia attingit, sicut scriptum est, à fine vsq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter: sed vbi significandum fuerat Dei donum, quod in debitũ hominibus gratis gratia largiretur, sic oportuit dari filium, quemadmodùm naturæ non debebatur excursibus. Et post pauca: Rectè igitur significat Isaac, per repromissionem natus, filios gratiæ, ciues ciuitatis liberæ, socios pacis æternę, vbi sit non amor propriæ ac priuatæ quodammodò voluntatis, sed communi eodemq́; immutabili bono gaudens, atq; ex multis vnum cor faciens, id est, perfectè facta concors obedientia charitatis. Hæc Augustinus. Dicitur ergo Ismaël, populi Iudaici typum gerens, natus secundùm carnẽ, quia ex Agar fœcunda eum genuit Abraham: Isaac verò populi Christiani typus, per repromissionem, quia & sterilitas & senectus nõ patiebantur vt Sara pareret, ac peperit nihilominùs, non naturæ, sed promisionis efficacia. *Quæ sunt per allegoriam dicta*, id est, secundùm intelligentiã spiritualem, vt D. Hieronymus exponit. Apud infideles frustrà adhibentur allegoriæ, itaque notandum est, Apostolum allegorijs vti apud Galatas, quòd essent fideles. Sic & Christus multa dixit parabolicè pro captu vniuscuiusq;

Filij naturæ & gratiæ.

Sap. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& simplex plebecula similitudinibus, parabolis, allegorijs faciliùs permouetur. *Hæc enim sunt duo testamenta*, id est, significant duo testamenta, & duas Ecclesias: putà, testamentum vetus cum sua synagoga: & testamentum nouum cum noua Ecclesia. *Vnum quidem in monte Sina, in seruitutem generans, quæ est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui coniunctus est ei, quæ nunc est Ierusalem, & seruit cum filijs suis.* Agar dicta est ancilla, ait Chrysostomus.

Mons Sina. Mons autem Sina ita sonat illius (putà, Arabicæ) gentis lingua, vt omnes, qui ex veteri Testamento nati sunt, oporteat seruos esse. Nam mons ille, vbi vetus Testamentum datum est, commune nomen habet cum ancilla. Hæc Chrysostomus.

Cur coniunctus dicatur Ierusalem. Dicitur autem mons Sina propterà quadam similitudine coniunctus terrenæ illi Ierusalem, quòd sicut lex seruitutis data est in monte Sina, ita eius cultus & seruitus viguit tum in Ierusalem, adeò vt Christi Euangelium & gratiam recipere noluerint Iudæi, & ipsum quoq; Christum interfecerint. Non tamen sentiendum est iustos, qui sub lege fuere, à Christi gratia exclusos esse: siquidem vt nos in Christum credimus, qui iampridem venit: sic illi credebant in venturum, & per Christi gratiam sunt etiam illi veram spiritus & filiorum Dei libertatem adepti. Sunt qui dicant montem Sina idcircò dici coniunctum terrenæ Ierusalem, quòd continua montana sint ab Arabia Petræa vsque ad Cades Barnea Iudææ. Et ipsa quidem Ierusalem cum filijs suis seruiuit legi spiritu seruitutis in timore: seruiuit etiam Romanis, illorum armis subacta. *Illa autem, quæ sursùm est Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra.*

Ecclesia Christi. Hæc est Christi noua Ecclesia, quæ sursùm esse dicitur, quia eius conuersatio in cælis est, quia fide & spe tendit ad cælestia. Et hæc libera est, nempè à priscæ legis seruitute liberata, spiritu timoris seruilis mutato in spiritum amoris liberalis. Et est mater nostra, omnium qui in Christum credidimus. Sicut autè ipsa libera est, ita proculdubiò etiam populum parit liberum, quandoquidem partus sequitur vterum. Nascimur igitur ex Christo libertatis huius authore, & eius sponsa Ecclesia, quam in libertatem vendicauit ex legis seruitute: & datur nobis spiritus sanctus, in quo clamamus, Abba, pater: & per quem diffunditur charitas in cordibus nostris, qua fit vt iam non seruili timore, sed amore ingenuo ac liberali seruiamus Deo in iustitia & sanctitate, carnem cum vitijs & concupiscentijs sponte crucifigamus. Scimus nanque debitores nos esse, non carni, vt secundùm carnem viuamus. Si enim secundùm carnem vixerimus, vtiq; moriemur, & nihil nobis proderit parta per Christum libertas, quæ sanè non carnis est, sed spiritus: Si autem spiritu facta carnis mortificauerimus, viuemus, nimirum vita gratiæ, idq; tantò magis, quantò studiosiùs carnis operibus profligandis & mortificandis incubuerimus: non tamen quasi nolentes & inuiti, sed vltrò & voluntariè: ita vt ipsa quoque sacrata Quadragesimæ ieiunia, ob carnis castigationem saluberrimè diuinitùs instituta, libentibus & alacribus animis seruemus.

Rom. 8. Nam cùm dixisset Apostolus, Si autem filij sumus Dei, ergo & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, mox subiecit: Si tamen compatimur, vt & conglorificemur. Et ne obmurmuraret carnalis homo, Existimo, inquit eodem loco, quòd non sunt condignæ passionis huius temporis ad futuram gloriam, quę reuelabitur in nobis. Ita etiam extenuat & paruipendit omnes vitæ huius perpessiones, nimirum spe futuræ beatitudinis, & promptitudine bonæ voluntatis, quam efficit charitas, vltrò iam se offerens ad compatiendum Christo, vt simul cum illo glorificetur. Neque enim libertas est, vbi seruitur iniquitati, vbi carnis obtemperatur concupiscentijs, vbi fræna laxantur prauis cupiditatibus, vbi licet quicquid libet. Non est hæc *Ioan. 8.* Christiana libertas, sed teterrima seruitus: quoniam qui facit peccatum, seruus est peccati, & ira Dei manet super eum. *Scriptum est enim: Lætare sterilis, quæ non paris: erumpe & clama, quæ non parturis: quia multi filij desertæ, magis quàm eius quæ habet uirum.* Locus est ex Esaia propheta, euidens ferens testimonium de fœcunditate Ecclesiæ, & Synagogæ desolatione. Fuit enim ad Christum vsque sterilis gentilitas, & diù fœcunda Synagoga. Sed post Christi aduentum cùm Synagoga nollet eum recipere, datus est ei libellus repudij, & meretrix gentilitas, quæ cum multis dijs, immò dæmonibus fornicata erat, in sponsam castissimam accita est, cuius posteà longè plures fuere filij, quàm Synagogæ vnquam. Ita quæ priùs deserta erat à Deo, facta est fœcundissima parens: & Synagoga à Deo propudiata, & toto orbe dispersa, sterilis manet & infœcunda. *Nos autem fratres secundùm Isaac promissionis filij sumus.* Non enim sterilis tantùm erat Ecclesia, ait Chrysostomus, quemadmodum Sara: neque solùm multorum liberorum mater facta est, vt illa: sed & ita genuit, quemadmodùm illa. Vt enim illam non natura, sed Dei repromissio fecit matrem: sic & nostra renascentia, natura quidem nulla est, cæterùm verba Dei, quæ norunt fideles, hæc in aquæ lauacro per sacerdotem pronunciata, tanquam in vtero quodam formant ac regenerant eum qui baptizatur. Proinde si sterilis filij sumus & liberi. Hæc ille. *Sed quemadmodùm tunc is, qui secundùm carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundùm spiritum: ita & nunc.* D. Augustinus in Sermone de Agar & Ismaële, dicit lusum illum Ismaëlis cum Isaac fuisse persecutionem, quòd Ismaël tunc Isaaco illuserit: nam alioqui scriptura expressè non meminit persecutum esse Ismaël-

Ismaëlem fratrem suum Isaac. Persequuti sunt autem etiam Iudæi Christianos, persequuntur hodieq; hæretici Catholicos. Nam hæretici filij sunt ancillæ, & à gratia alieni, filios gratiæ persequuntur: non enim habent coagulum charitatis. Itaq; non cohærent corpori Christi, nec viuũt de spiritu Christi, sed habent spiritum huius mundi: vnde mirum non est, si corpus Christi, id est, Catholicam Ecclesiam persequantur, cuius caput est Christus, qui illi vitam impertit, & suo eam vegetat spiritu. *Genes. 21.* *Sed quid dicit scriptura? Eijce ancillam & filium eius. Non enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ.* Eiecta est Synagoga cum filijs suis, & quanuis nati sint secundùm carnem ex Abraham, non tamen illi in hæreditate succedunt: sed filij liberæ, id est, Ecclesiæ, fiunt hæredes, & quod natura negat, præstat gratia. Sic eijciuntur etiam omnes hæretici, de ancilla generati. Iactant quidem se Christianos, iactant se filios Abraham, sed propter superbiam eijciuntur. *Ioan. 8.* Non enim faciunt, quod Christus ait: Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite: nolunt imitari obedientiam Abrahæ, diuinæ voluntati promptissimè etiam in rebus difficilimis obtemperantis. Non sunt igitur hæredes Abrahæ. *Itaq; fratres non sumus ancillæ filij, sed liberæ: qua libertate Christus nos liberauit.* Quare toties inculcat hanc libertatem Apostolus, nisi vt Christo liberatori grati simus, eius gratiam agnoscamus, eius gratię *Rom. 6.* cooperemur, & asserti in libertatem, in ea constanter permaneamus: hoc deinceps vel maximè curantes, ne regnet peccatum in mortali corpore nostro, ne dominetur nobis iniquitas, & à gratia per peccati consensum excidamus? Hoc etiam vult nobis inculcare, isto præsertim tempore, mater Ecclesia: quia frustrà plangimus peccata præterita, nisi & in posterum ab illis accuratè nobis caueamus. Fuimus ancillæ filij, ait Ambrosius in hunc locum, dum peccatis eramus obnoxij: sed accepta remissione peccatorũ, à Christo liberati sumus. Hæc ille. Hanc igitur libertatem modis omnibus teneamur, ne peccati rursus mancipia efficiamur. Quid ergo dicemus, ait Apostolus alibi: Manebimus in peccato, vt gratia abundet? Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodò adhuc viuemus in illo? An ignoratis fratres, quia quicunq; baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: vt quomodò Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus: hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltrà non seruiamus peccato. Ecce hæc est libertas nostra, vt liberati à peccatis, vltrà non seruiamus peccatis. Erimus autem proculdubiò etiam nos non liberæ, sed ancillæ filij, si in peccatis permanserimus: nequę nobis proderit Christi gratia, quæ vtique non est fotrix sed expultrix peccati: neque sic nos absoluit à lege veteri, vt iam simus prorsùs exleges, sed liberat à spiritu seruitutis, & assicit nos spiritu amoris & dilectionis, atque ex seruis facit filios, ad quos illa D. Petri adhortatio perti- *1. Pet. 1.* net: Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrij, perfecti, sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam, in reuelationem Iesu Christi, quasi filij obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desiderijs: sed secundùm eum, qui vocauit vos, sanctum, vt & ipsi in omni conuersatione sancti sitis, quoniam scrip- *Leuit. 11.* tum est: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. *19. 20.* Ita ergo agamus, freti gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cui est cum patre & spiritu sancto omnis honor & gloria in secula seculorum, Amen.

EADEM DOMINICA, Ioannis VI.

In illo tempore: Abijt Iesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis. Et sequebatur eum multitudo magna, quia uiderant signa, quæ faciebat super his qui infirmabantur. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.



Miracula Christi ut accipiẽda.

VT signa & miracula Domini ac saluatoris recte, cùm legunt vel audiunt, accipiunt, non tam in his quid foris stupeant attendunt, quàm quid horum exemplo ipsi intùs agere, quid in his mysticum perpendere debeant, inspiciunt. Ecce etenim propinquante pascha die festo Iudæorum, sequentem se multitudinem Dominus verbo salutis pariter & ope curationis erigebat. Nam sicut alius euangelista scribit, loquebatur illis *Luc. 9.* de regno Dei, & eos qui cura indigebant sanabat, eademque doctrina & sanatione completa, paucis de cibarijs abundantissimè refecit. Et nos ergo, fratres charissimi, huius exemplo facti, propinquante pascha die festo nostræ redemptionis, adiũcta fratrum caterua, Dominum toto corde sequamur, quo actionum itinere ingressus sit, diligentissimè contemplemur, vt vestigia eius sequi mereamur. Qui e- *1. Ioan. 2.* nim dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Quicquid in nobis imperitiæ nocentis inesse deprehenderimus, crebra verbi illius auditione tergamus:

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus: quicquid vitij tentãtis, morbi videlicet spiritalis, nos interiùs vastare sensserimus, solitæ pietatis illius munere põstulemus emundari. Sed & si ei vnitos nos cælestis vitæ dulcedine conspexerimus, eius gratiam flagitemus, vt necessariæ nos cõpunctionis, & cæterarũ virtutũ spiritaliũ donis satiare dignetur: quatenùs tẽpore sacrosanctæ resurrectionis illius interiùs exteriusq; decenter ornati, sacramẽta nostrę salutis puro corpore simul & corde sumamus. Verùm quia breuiter ista prælibauimus, libet diligentiùs totam sacræ seriẽ lectiõis intueri, & quicquid in ea mysticũ indagare valemus, vestræ pandere charitati. *Abijt Iesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis.* Primò dicendũ iuxta historiã, quia mare Galilææ, quod multis pro diuersitate circumiacentiũ regionũ vocabulis distinguitur, illis tantùm in locis Tiberiadis vocatur, vbi Tiberiadẽ ciuitatem, aquis (vt aiunt) calidis salubrem, ab occidente præmonstrat. Siquidẽ interfluẽte Iordane, duodeuiginti passuũ millibus in longũ, & quinq; extenditur in latũ. Mysticè aũt mare, turbida ac tumentia seculi huius volumina significat, in quibus praui quilibet iniustè delectati, quasi profũdo dediti pisces, mentem ad superna gaudia nõ intendunt. Vnde benè idem mare Galilææ, id est, rota cognominatur: quia nimirùm amor labentis seculi, quasi in vertiginẽ corda mittit, quę ad perennis vitę desideria erigi nõ permittit. De qualibus Psalmista, In circuitu, inquit, impij ambulant. Sed abeuntem trãs mare Galilææ Iesum multitudo maxima sequebatur, quę doctrinæ, sanationis & refectionis ab eo cælestis summa munera perciperet: quia priusquã Dominus in carne appareret, sola illum gens Iudæa sequebatur credendo. Postquàm verò per incarnationis suæ dispensationẽ, fluctus vitę corruptibilis adijt, calcauit, transijt, maxima mox eum multitudo credentium secuta est nationũ, spiritaliter instrui, sanari ac satiari desiderãs, & cum Psalmista deprecans: Domine ad te confugi, doce me facere voluntatẽ tuam. Miserere mei domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam cõturbata sunt ossa mea. Et iterũ de percipiẽdis ab eo vitæ perpetuæ alimonijs cõfisa, Domin⁹ (inquit) pascit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit. Quòd autẽ subiens in montem Iesus, ibi sedebat cum discipulis suis, sed veniente ad eum multitudine descendit, atq; hanc in superioribus reficit, quã in inferioribus paulò antè curauerat: nequaquã fruſtrà factũ credamus, sed ad significãdum mysticè, quia doctrinam & charismata sua Dominus iuxta percipientiũ capacitatẽ distribuit. Infirmis quidẽ adhuc mentib⁹, ac paruulis spiritu, simpliciora credens sacramẽta: celsioribus aũt quibusq;, & perfectioribꝰ sensu, secretiora suæ maiestatis arcana referans, arctiora deuotæ conuersationis itinera suggerens, & altiora præmiorũ cælestium dona promittens.

Mare Galilææ vbi Tiberiadis nocetur.

Psalm. 11.

Psal. 142.

Psalm. 6.

Psalm. 22.

Deniq; cuidã scisciranti, quid faciens vitã æternã possideret, quasi inferiùs adhuc posito, communia suæ dona largitatis impendit, dicens: Nõ occides, non mœchaberis, non furtum facies, nõ falsum testimonium dices: honora patrẽ tuum & matrẽ. Cui postmodùm maiora quærenti, & veluti ad montẽ virtutum accedere cupienti: Si vis, inquit, perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurũ in cælo: & veni, sequere me. Cuius discretionem moderaminis, non per se solùm Dominus in carne docens exhibuit, verùm nũc quoq; per verbi sui ministros exhibere non cessat. Vnde de eisdem sub vnius boni serui persona testatur, quia dare debeant conseruis in tempore tritici mensuram, id est, pro captu audientiũ opportunè & mensuratè verbi dapes suggerere. Quòd verò appropinquante pascha, Dominus turbas docet, sanat & reficit, possumus ita mysticè interpretari, quia pascha transitus dicitur, & quoscunq; Dominus interna munerũ suorũ suauitate recuperat, ad salubrẽ profectò transitũ præparat, vt carnis videlicet concupiscẽtias, mentis sublimitate transcendant, infima mundi desideria, prospera pariter & aduersa, cęlesti spe & amore conculcẽt. Etsi necdũ anima vel carne ad superna valent pertingere, quia hoc nimirũ in futuro promittitur, quicquid tamen carnales quasi altũ amplecti conspiciunt, comparatione æternorũ quasi nihili despiciant, iuxta exemplum illius, qui videns impium superexaltatũ & eleuatum super cedros Libani, transijt tẽporalia contemplando, & quasi non esse videbat, quẽ citò tollendũ præuidebat. Quòd subleuasse oculos Iesus, & venientẽ ad se multitudinem vidisse perhibetur, diuinæ pietatis indicium est: quia videlicet cunctis ad se venire cupientibus, gratia misericordiæ cælestis occurrere consueuit, & ne quærendo errare possint, lucem sui spiritus aperire currentibus solitus est. Nam quòd oculi Iesu dona spiritus eius mysticè designent, testatur in Apocalypsi Ioannes, qui figuratè loquens de illo: Et vidi, inquit, agnum stantem tãquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram. Quòd tentans Philippũ Dominus, *Vnde, inquit, ememus panes, ut manducent hi?* prouida vtiq; dispensatione facit, non vt ipse quæ nõ nouerat discat, sed vt Philippus tarditatem suæ fidei, quam magistro sciente ipse nescie bat, tẽtatus agnoscat, & miraculo facto castiget. Neque enim dubitare debuerat præsente rerum creatore, qui educit panem de terra, & vino lætificat cor hominis, paucorum denariorum panes sufficere turbarum millibus non paucis, vt vnusquisque sufficienter acciperet, etiam saturatus abiret. Quinque autem panes, quibus multitudinem populi saturauit, quinq; sunt libri Moysi: quibus spiritali intellectu patefactis, & abundantiore iam sensu multiplicatis, auditorum fidelium

Matt. 19. Luc. 18.

Ibid.

Luc. 11.

Transitus spiritalis.

Oculi ipsius mystice. Apoc. 5.

Psal. 103.

V. Panis. 5. libri Moysi.

delium quotidiè corda reficit. Qui benè hordeacei fuisse referuntur, propter nimirum austeriora legis edicta, & integumenta literæ grossiora, quę interiorem spiritalis sensus quasi medullam celabant. Duo aũt pisces quos addidit, psalmistarum non inconuenienter & prophetarum scripta significant, quorum vnum canendo, alterum colloquendo suis auditoribus futura Christi & Ecclesiæ sacramenta narrabant. Et benè peraquatilia animantia figurantur illius æui præcones, in quo populus fidelium sine aquis baptismi viuere nullatenus posset. Puer quinq; panes, & duos pisces habuit, nec tamen eos esurientibus turbis distribuit, sed Domino distribuẽdos obtulit, populus est Iudæorum, literali sensu pueriles, qui scripturarum dicta clausa secum tenuit, quæ tamẽ Dominus in carne apparens accepit, & quid intus haberẽt vtilitatis ac dulcedinis ostendit: quàm multiplici spiritus gratia, quæ pauca ac despecta videbantur, exuberarent patefecit, & hæc per apostolos suos, apostolorumq; successores, cunctis nationibus ministranda porrexit. Vnde benè alij ferunt euangelistæ, quia panes & pisces Dominus discipulis, discipuli autem ministrauerunt turbis. Cùm enim mysterium humanæ salutis initio cœpisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmatum est. Quinq; siquidem panes & duos pisces fregit, & distribuit discipulis suis, quando aperuit illis sensum, vt intelligerent omnia quę scripta essent in lege Moysi & ꝓphetis & Psalmis de ipso. Discipuli apposuerũt turbis, quãdo ꝓfecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Fœnum in quo discumbens turba reficitur, concupiscentia carnalis intelligitur, quam calcare ac premere debet omnis, qui spiritalibus alimentis satiari desiderat. Omnis enim caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni. Discumbat ergo super fœnum, vt florem fœni conterat, id est, vt castiget corpus suum, & seruituti subijciat, voluptates carnis edomet, luxuriæ fluxa restringat.

Duo pisces.

Puer portans panes Iudæum.

Matt. 14. Marc. 6. Luc. 9. Ioh. 2.

Luc. 24.

Marc. 16.

Isai. 40.

Quisquis panis viui cupit suauitate refici, quisquis supernæ gratiæ dapibus renouari amat, ne infima vetustate deficiat, caueat. Quinq; millia virorum qui manducauerunt, perfectionem eorum, qui verbo vitæ reficiuntur, insinuant. Virorum quippe nomine, solent in scripturis perfectiores quiq; figurari, quos fœminea mollities nulla corrumpit, quales cupit eos esse, quibus dicit Apostolus: Vigilate, state in fide, viriliter agite & confortamini. Millenarius autem numerus, vltra quem nulla nostra computatio succrescit, plenitudinem rerum, de quibus agitur, indicare consueuit. Quinarioverò numero, quinq; notissimi corporis nostri sensus exprimũtur, visus videlicet, auditus, olfactus, gustus & tactus. In quibus singulis quicunq; viriliter agere & confortari satagunt, sobriè & piè & iustè viuendo, vt cælestis sapientiæ mereantur dulcedine recreari, hi nimirum quinq; millibus virorum, quos Dominus mysticis dapibus satiauit, figurãtur. Nec prętereundum q̃ refecturus multitudinem, gratias egit. Egit quippe gratias, vt & nos de perceptis cęlitùs muneribus gratias semper agere doceret, & ipse quantùm de nostris profectibus gratuletur, & de nostra spiritali refectione gaudeat, intimaret. Vultis etenim nosse fratres, quantùm nostræ congaudeat saluti? Narrat euangelista Lucas, dedisse eum discipulis potestatem calcandi supra omnem virtutem inimici, eorumq; nomina scripta indicasse in cælis, & statim infert: In ipsa hora exultauit in spiritu sancto, & dixit: Confiteor tibi pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Claret ergo quia saluti ac vitæ fidelium congratulatur, qui patrem gratias agendo collaudat, quòd ea quæ superbientibus abscondit, humilibus spiritu secreta reuelauerit. Quòd autem saturata multitudine, iussit discipulos colligere quæ superauerant fragmẽta, ne perirẽt, hoc profectò signat, quia pleraq; sunt arcana diuinorum eloquiorum, quæ vulgi sensus nõ capit: nonnulla quæ per se quidem minùs docti assequi nequeũt, sed à doctoribus exposita mox intelligere queunt. Hæc ergo necesse est, vt qui valent, diligentiùs scrutando colligant, & ad eruditionem minorum suo vel dicto vel scripto faciant peruenire, ne alimenta verbi illorum desidia pereant, plebibusq; tollantur, qui hæc Domino donante interpretando colligere norunt.

Luc. 10.

Fragmenta colligi iussa.

Collegerunt ergo, inquit, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum. Quia duodenario numero solet perfectionis cuiuslibet summa figurari, rectè per duodecim cophinos fragmentorum plenos, omnis doctorum spiritaliũ chorus exprimitur, qui obscura scripturarum, quæ per se turbæ nequeunt, & meditando colligere, & meditata & mandata literis, suo pariter & turbarum vsui conseruare iubentur. Hoc ipsi fecere apostoli & euangelistæ, non pauca legis & prophetarũ dicta mystica suis (interpretatione addita) inserendo opusculis: hoc sequaces eorum Ecclesiæ toto orbe magistri, etiam integros nonnulli vtriusq; testamenti libros diligentiori explanatione discutiẽdo, qui quanuis hominibus despecti: cęlestis tamẽ gratiæ sunt pane fœcũdi. Nã seruilia cophinis solent opera fieri. Vnde de populo, qui in luto quondã ac lateribus seruiebat in Aegypto, dicit Psalmista: Manus eius in cophino seruierunt. *Illi ergo homines cum vidissent quod fecerat Iesus signũ, dicebant: Quia hic est vere propheta, qui venturus est in mũdum.* Rectè quidẽ dicebant Dominũ prophetam, magnũ magnæ salutis præconem iam mundo futurũ. Nam & ipse prophetam se vocare dignatur, vbi ait: Quia nõ capit prophetã perire extra Hierusalem. Sed necdum plena fide proficiebãt, qui hunc etiam Deum dicere nesciebant. Ergo illi videntes signum quod fecerat Iesus, dixerunt: Quia hic est verè propheta, qui venturus est in mun-

Numerus perfectionis.

Psalm. 80

Luc. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mundum. Nos certiori cognitione veritatis & fidei, videntes mundum quem fecit Iesus, & signa quibus illum repleuit, dicamus: Quia hic est verè mediator Dei & hominum, qui implet mũdum diuinitate, & mundus per ipsum factus est: qui in propria venit, genus humanum quærere & saluare quod perierat, ac recreare mundum quem fecerat: qui cum suis fidelis per præsentiam diuinitatis est in mundo omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi, qui in consummatione seculi per humanitatem venturus est in mundum, vt reddat singulis secũdùm opera eorum, impios quidem & peccatores ęternum proijciens in ignem, iustos autem in vitam introducens ęternam, in qua viuit & regnat cum patre in vnitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Math. 28.

Matt. 25.

EADEM DOMINICA, HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Abijt Iesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis, &c. Ioannis 6.

MAgna Dominus miracula facturus, & noui mirabilisq; panis delitias populo daturus, montem ascẽdit, quatenùs & nos quotiescunq; spiritualibus nouisq; epulis satiari cupimus, non montis, sed mentis altitudinem & ingenij sublimitatem ascendamus. Quoniam autem talibus delitijs refecti, festiuitatem agere, & Christi carnem & sanguinem suscipere digni sunt, meritò hic dicitur, quia proximum erat Pascha, dies festus Iudæorum. Securi enim ad hanc festiuitatem veniunt, qui talibus epulis sunt repleti. *Cùm subleuasset ergo oculos Iesus, & uidisset quia multitudo maxima uenit ad eum, dixit ad Philippum: Vnde ememus panes, ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum. Ipse enim sciebat, quid esset facturus.* Sciebat enim Dominus quid facturus erat, sed tentando Philippum, audire volebat quid de eius omnipotẽtia sentiebat: simulq; nouum illud miraculum discipuli responsione extollebat, cùm ex quinq; panibus tot homines reficeret, quibus (secundùm illius testimonium) ducentorum denariorum panes non sufficerent, vt vnusquisq; modicum quid acciperet. Sic enim Philippus respondet, dicens: *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisq; modicum quid accipiat. Dicit ei unus ex discipulis eius, Andreas frater Simonis Petri. Est puer unus hic, qui habet quinq; panes hordeaceos & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos?* Puer iste populus Iudaicus est, sensu adhuc & intelligentia puerilis: quinq; verò panes, quinq; libri Moysi intelliguntur. Quos panes populus ille vbique secũ portat, & non comedit, quia legit tantùm scripturas, & non intelligit. De his beatus Matthæus Euangelista sic ait: *Vespere autem facto accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes: Desertus est locus, & hora iam præterijt: dimitte turbas, ut euntes in castella, emant sibi escas. Iesus autem dixit eis: Non habent necesse ire: date illis uos manducare.* Vespere enim Dominus turbas reficit, quia nouissima hora & vltima ætate prædicare cœpit. Vnde Ioannes ait: Filioli, nouissima hora est. Et Apostolus: Nos sumus, in quos fines seculorum deuenerunt. Hoc autem agit in deserto, id est, in populo syluestri, indomito, indisciplinato & indocto. De quo Psalmista ait: In terra deserta, & inuia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam & gloriam tuam. In hoc deserto & Ioannes Baptista prædicabat, dicens: Ego vox clamantis in deserto, Parate viam Domino. Si autem discipuli eius scirent hoc, quod Dominus facturus erat, sicut sciebat mater eius ad nuptias inuitata, nequaquam ei dixissent: Dimitte turbas, vt euntes in castella emãt sibi escas. Illa enim spiritu Dei pleha, iam futura prænoscens dicebat: Vinum non habent: quoniam sciebat filium suum, nouum vinum ibi esse daturũ. Sed quid ait Dominus? *Date illis uos manducare. Responderunt ei: Non habemus hic nisi quinq; panes & duos pisces.* Vides igitur, quia nondum Christi discipuli intelligebant, quid duo pisces & quinque panes significarent. Ideoque tantæ turbæ putabant non posse sufficere, quod vniuerso mundo sufficiebat. Quinque enim panes, quinque sunt libri Moysi: in quibus (si spiritualiter intelligantur) totum & nouum & vetus testamentum plenissimè continetur. Quorum quidem diuitię cunctis hominibus ad manducandum sufficiũt. Semper enim crescunt, sicut & isti panes: & qui plus comedit, plus abundat. Duo verò pisces, intellectus & memoria sunt. Sine his panes isti neque comedi, neque in ventre animæ retineri valent. Talis enim cibus intellectu comeditur, & memoria retinetur. Igitur nec panis sine piscibus, nec pisces sine panibus saporem habent. Quid enim legere prodest, si nõ intelligas? quid verò intelligere, si id quod intelligis, memoriæ non cõmendes? Comedamus igitur panes, comedamus & pisces. Legamus & intelligamus, & ea quæ intelligimus, memoria retineamus. Qui autem aliter agunt, venit diabolus & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant. Iussit igitur Dominus panes illos sibi afferri: *& eũ iussisset turbam discumbere super fœnũ, acceptis quinq; panibus & duobus piscibus, aspiciens in cælũ benedixit, & fregit, & dedit discipulis panes, discipuli autem turbis.* Ecce Saluator noster super fœnum turbas discũbere facit, quatenùs hoc cibo ille se intelligat esse indignum, qui nondum supra fœnum discubuit. Propheta enim dicit: Verè fœnum est populus: siccatum est fœnum, & cæcidit flos. Quicunq; igitur es, qui vis satiari de panibus Christi,

Matt. 14. De incepto euangelio hoc secundum Matthæum interpretatur.

1. Ioan. 2. 1. Cor. 10.

Psalm. 62.

Ioan. 2.

V. panes.

Duo pisces.

Luc. 8.

Esai. 40.

Discumbere super fœnum. Coloss. 3.

Luc. 1.

Basil. 1.

Ioan. 6.

Genes. 1.

Panes frangere. Luc. 24.

1. Cor. 11.

Fœnum. Basilius.

sti, discumbe priùs super fœnum: imò priùs teipsum fœnũ esse cognosce. Non iam luxuriet in te viriditas carnis. Audi Apostolum dicẽtem: Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram. Intellige quia flos & pulchritudo huius vitæ citò arescit. *Accipiens autem Dominus quinq; panes & duos pisces, aspiciens in cælum, benedixit & fregit, & dedit discipulis suis.* Magna munera discipulis daturus, priùs in cælum Dominus aspicit: vt & nos intelligamus, quoniam omne datum optimum, & omne donum perfectum, de sursum est descendens à patre luminum. Omnis enim sapientia à Domino Deo est, & cum eo fuit semper, & est ante æuum. Vnde & de seipso Dominus ait: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Illuc igitur Dominus aspicit, vnde veniunt omnia bona. Benedicit autẽ panes, vt sua benedictione multiplicentur. Sic etenim & primis seminibus à principio Dominus benedixit, cuius benedictione semel accepta, vsq; hodiè fructificare nõ cessant. Et *fregit*: quod valdè necessarium erat. Quid est enim panes frangere, nisi scripturarum mysteria reuelare? Ipse enim discipulis sensum aperuit, vt scripturas intelligerent. Ipse eos panes frangere, & scripturas exponere docuit. Hoc est enim, quod ait: *Et dedit discipulis suis, discipuli dederunt turbis.* Ipse enim discipulos suos, discipuli verò nos docuerunt. Vnde Apostolus ait: Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis. Nos quoq; panes alijs frangimus, quos à Christi discipulis fractos accepimus, eosq; quotidiè turbis apponimus, dum hæc sacri Euangelij verba exponimus. *Et manducauerunt omnes & saturati sunt. Manducantium autem fuit numerus quinq; millia uirorum, exceptis mulieribus & paruulis.* Non sunt panes nisi quinq;, manducantes autem plus millibus quinq;. Illi manducant, panes crescunt, certamen sit inter panes & homines: vincunt panes, superantur homines: illi sufficiunt, isti deficiunt: nisi enim manducare homines cessassent, fortasse in infinitũ panes creuissent. Sic igitur & cibus spiritualis, sic panis vtriusq; testamenti, quantò plus comeditur, tantò amplius crescit. Nonne vides quomodò panis iste mihi quoq; in faucibus crescit? Pauca enim verba sunt quæ exponuntur: quæ si quis comedendi auidus & ruminandi validus, qui & dentes fortiores & stomachum saniorem haberet, ruminare adhuc & plus frangere voluisset, multas adhuc delicias ex his parare sibi potuisset. Sequitur: *Et sustulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmẽtorum plenos.* Valdè enim plures sunt reliquiæ panũ, quàm fuissent ipsi panes. Duodecim enim sunt cophini reliquiarum, panes verò omnes antequam manducarentur intra vnum cophinum poni potuissent. Si quis aũt ista miratur, miretur & cætera omnia quæ Dominus operatur. Quid enim fecit Deus, quod mirabile non sit? Cœlum & terram fecit, mirabile est: Homines & cuncta animalia creauit, & hoc mirabile. Sed cur quidem illud quoq; mirabile non est, quòd ex pauco semine per singulos annos tanta nobis horrea replet? Quid, cùm terræ humor idem sit, & in vnaquaque arbore vel herba mutat saporem? & cùm secundùm se neque dulcis neque amarus sentiatur in alijs tamen dulcis & alijs amarus inuenitur? Sic igitur quære per singula, & nihil inuenies, quod non sit mirabile. Noli autem ista mirari, sed potiùs illum mirare, qui hæc & alia omnia tam admiranda creauit. Illud quoque considerandum est, quòd tot sunt cophini, quot & Apostoli. Vnusquisque Apostolorum ex istorum quinque panum fragmentis cophinum suæ mentis repleuit, vt haberet vnde sibi commissum populum reficere posset. Vide modò in hoc vno cophino beati Matthæi Euangelistæ, quem ante mentis nostræ oculos effudit, quantæ deliciæ contineantur. Quem de piscibus quoque multum suscepisse dubitare non possumus, cùm tam benè hæc intellexerit omnia, & intellecta memoriæ commẽdauerit. Similiter autem & beatus Ioannes cophinum suum ex his panibus impleuit, qui eos hordeaceos fuisse describit. Verè itaq; hordeacei erant, ad comedendum insuaues & difficiles, ideoq; Dominus eos fregit, & pisces eis addidit, cum quibus faciliùs comedi potuissent.

XII. Cophini.

Ioan. 6.

FERIA SECVNDA. Ioannis II.

In illo tempore: Prope erat Pascha Iudæorum, & ascẽdit Iesus Hierosolymam. Et inuenit in templo uendentes oues, & boues, & columbas, & nummularios sedentes. Et reliqua. Homilia Eiusd.

BEatus Ioannes, quia vltimus omnium euangelistarum suum scripsit euangelium, idcircò pleniùs ac profundiùs ea, quæ à tribus euangelistis omissa fuerant, describere curauit. Illi enim ea tantùm scripserunt, quæ à Domino duobus annis ante passionem eius gesta sunt, incipientes à tempore, quo Ioannes Baptista missus est in carcerem. Ergo diligentissimè sancti euangelij narratione considerata, reperimus bis Dominum saluatorem ad Paschalem solennitatẽ celebrandam Hierosolymam venisse: semel primo anno suæ prædicationis, quod Ioannes scribit: & iterũ ipso quo passurus erat anno, quãdo quinta die ante pascha asino sedens, Hierosolymam intrauit. Vtraq; tamen viceauaritiam scribarum, sacerdotumq; impietatem detestatus, quam in tẽplo exercebant, eos cum omnibus qui negotia ibi habebant, eiecit. Qua de re patet, non esse hanc ipsam lectionem, quæ apud Matthæum & Lucam legitur, quoniam bis idem miraculum in pascha gestum est: Primo scilicet anno prædicationis, qui est tertius ante passionem, & tertio imminente iam hora ipsius passionis. His per

Bis Christus ad pascha uenit Hierosolymam. Ioan. 12. Matth. 21. Luc. 19.

Universidad de Deusto
Biblioteca

excessum necessariò præmissis, ad exponendam per ordinem accedamus sancti euangelij lectionem. *Propè, inquit, erat Pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam.* Quòd Dominus appropinquante paschaHierosolymã ascẽdit, nobis profectò exemplum dedit, quanta cura & studio diuinis subdi debeamus imperijs. Si enim ille qui erat Dei filius, in infirmitate nostræ carnis apparens, decreta legis à se datæ implebat, solennitates legitimas cum cæteris hominibus frequentando, quid nobis qui serui sumus, agẽdum est? quanto studio & hæ, & aliæ festiuitates bonis operibus sunt præueniendæ, & digna reuerentia cùm venerint celebrandæ? *Et inuenit in templo uendentes oues, & boues, & columbas, & numularios sedentes. Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoq; & boues: & numulariorum effudit æs, & mensas subuertit.* Non est putãdum, quòd hæc venalia in ipso templo fuerint, sed potiùs in porticibus, quibus ipsum templum cingebatur. Oues ergo & boues & columbæ ad hoc ibi emebantur, vt in sacrificio Domini offerrentur. Numularij verò ad hoc ibi residebãt, vt inter emptores venditoresq; hostiarũ prõpta fieret pecuniæ taxatio. Ergo quodãmodo honesta erat & licita ista negotiatio, quia ad hoc (vt dictũ est) emebãtur hostiæ, vt Deo offerrentur. Quid ergo putamus fecisset Dominꝰ, si inuentisset eos rixis dissidẽtes, aut fabulis ociosis, aut turpibꝰ & obscœnis colloquijs vacantes, aut quolibet alio scelere reperisset occupatos, si ita in eos desæuit, & de templo eliminare festinauit, qui ea negociabantur in templo, quæ Domino offerre volebant? Hæc contra illos dicimus, qui ecclesiam ingressi, non sicut in domo Dei cũ metu & reuerentia ibi consistunt, sed lasciuientibus obtutibus vagi, inanibus fabulis occupantur, cachinno soluũtur, spretaq; intentione orandi, peccata pro quibus exorare debuerant, augent. Quodq; grauius est, si quis eos pro huiusmodi stulta præsumptione redarguere ausus fuerit, odijs eũ & maledictis persequuntur, nec diuinum ex hoc iudicium reformidant, cuius templum nefario ausu prophanãt. Hoc sanè, quod tunc corporaliter gestum est in templo, quotidiè geri in Ecclesia nullus qui rectè sapit, ignorat. Quotidiè nanq; Dominus sanctam spiritualiter intrat Ecclesiam, & qualiter in ea vnusquisq; conuersetur, attendit. Cauendum ergo & valdè pauendum est, ne improuisus ueniens, peruersum in nobis aliquid, vnde meritò flagellari, & de Ecclesia eijci debeamus, inueniat. Maximè verò hoc obseruare debemus in ea, quæ specialiter domus Dei vocatur, ne quid ibi ineptum geramꝰ, ne dicatur de nobis quoq;, qdꝰ per prophetã Dominus dixit: Dilectus meus in domo mea fecit scelera multa. Nec obliuiscamur nosipsos templum Dei esse, ideoq; ab omni immunditia & iniquitate conscientiam nostram immunem custodiamus, illud cum tremore recolentes, quod dicit Apostolus: Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Notãdum autem est, quòd vendebantur in templo boues, & oues, & columbæ. Boues quippe terram exarant, & susceptendis seminibus præparant. Quid ergo per boues, nisi doctrina cælestis accipitur? Boues igitur vendunt, qui verbum euangelij nõ pro auditorum vtilitate, nec causa amoris Christi, sed intuitu temporalis lucri auditoribus impendunt. Oues, simplicia & mansueta animalia, vestiendis hominibus sua vellera præstant. Et quid per oues, nisi opera simplicitatis & innocentiæ signantur? Vendunt ergo oues, qui gratia humanæ laudis opera agunt pietatis. De qualibus dicitur: Receperũt mercedem suam. Quid verò per columbã, quæ felle caret, nisi spiritus sanctus intelligitur, qui in specie huius volucris super baptizatum Dominum ostensus est? Columbas igitur vendunt, qui spiritus sancti donum per impositionem manus, vel ad præmium, vel ad vulgi fauorem tribuunt, qui sacros ordines non pro vitæ meritò, sed pro gratia largiuntur. Numularij verò sunt in templo, hi, qui in Ecclesia apertè terrenis rebus inseruiunt, quæ sua sunt quærentes, non quæ Iesu Christi. Hos omnes Dominus facto flagello de resticulis, eiecit de tẽplo. Quid per funiculum, nisi crementa intelliguntur malarum actionum? Hinc Esaias dicit: Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis. Et Salomon: Funiculis peccatorum suorum vnusquisq; cõstringitur. Cùm enim peccator aliquis prioribus peccatis grauiora accumulat, quasi funiculum quo flagelletur, paulatim agendo prolõgat. Eiecit ergo hos Dominus, eiecit cum eis boues simul & oues, cæteraq; venalia, quia talium doctrina pariter cum suis authoribus reprobanda est, & à domo Dei depellenda. Numulariorum quoq; æs effunditur, & mensæ subuertũtur, quia damnatis in fine mundi reprobis, etiam illarum rerum quas dilexerunt, auferetur figura, iuxta quod Ioannes dicit: Mundus transit, & concupiscentia eius. *Et his qui columbas uendebant, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negociationis.* Venditionem columbarum in templo fieri prohibet, quia gratia spiritus sancti non ad præmium danda est, sed gratis accepta, & gratis debet dari. Vnde omnes qui eandem pro præmio vel accipere vel dare voluerint, similes sunt scribis & pharisæis. Domum verò Dei faciunt domum negociationis, qui sacros ordines dando vel accipiendo præmium vel à manu, vel ab ore requirunt, & ministerium quod perceperunt, non simplici intentione, sed pro humana retributione in Ecclesia peragunt: nec student, vt Deus in his quæ agunt glorificetur, sed vt ipsi potiùs laudentur & remunerentur. Sed & hoc non negligenter prætereundum, quòd hic vtraque Domini saluatoris natura nobis commendatur. Humana quidem, quia sicut homo ad celebrandam paschæ solennitatem cum cæteris ascendit. Diuina verò, secundùm quam his quos eijciebat de templo, dixit: Nolite facere domum patris mei domum negociationis. Apertè nanque se filium Dei ostendit, qui templum Dei patris sui domum apellat. *Recordati uerò sunt discipuli eius, quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me.* Zelus hoc loco, in bonam partem accipitur. Est enim zelus feruor quidam, quo mens reiecto humano timore, pro defensione veritatis accenditur. Zelo ergo Dei patris saluator impios negociatores eiecit de templo.

Sed & nos quantùm possumus, zelemus domum Dei, & ne quid prauum in ea geratur, studiosè curemus: Quod tunc rectè agimus, si fratrem, qui templum Dei esse debuerat, videmus vel superbia tumidum, vel luxuria eneruatum, vel ebrietati deditum, seu cuilibet vitio substratum, & inquantùm vires suppetunt, corrigere, & ad emendationis vitæ ordinem reducere satagimus: Vel etiam in ipsa domo orationis, vbi corporis Christi sacrosancta mysteria conficrantur, vbi angelorum & ipsius Dei præsentia angustiùs esse non dubitatur, ne quid inhonestum aut indecens agatur, solicitè procuremus. *Responderunt Iudæi, & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis? Respondit illis Iesus: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* De quo templo hoc dixerit, ostendit euangelista cùm subdit: *Hoc autem dicebat de templo corporis sui.* Templum dignissimè sanctum corpus suum dicit, sacrarium diuinitatis, quia, vt Apostolus ait: In ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & sunt in illo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Hoc templum soluendum erat in passione, excitandum citissima diei tertij resurrectione. Non dicit, sicut illi in passione confinxerunt, destruam, sed honesto verbo, Vos, inquit, soluite. Neque enim conuenit, vt nosipsi nobis manus inferamus.

Vos ergo, ait, soluite: quia ab illis impendendus, id est, excruciandus & crucifigendus erat. Meritò igitur de templo illo typico eiecti fuerant, qui ipsum verum Dei templum, in quo nulla prorsus peccati macula esse poterat, soluere per mortem quærebant. *Dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta & sex annis ædificatum est hoc templum, & tu in tribus diebus excitabis illud?* Carnaliter Domino responderunt, quia carnaliter superiora eius verba intellexerunt. Quod enim ipse de sui corporis templo dixerat, hoc isti de materiali templo dictum putabant. Verùm quòd dicunt quadraginta & sex annis templum ædificatum: non primam, sed secundam eius indicant ædificationem. Primò nanque templum ipsum à Salomone, in maxima regni pace, decentissimo opere, septem annorum spatio perfectum est. Hoc destructum postea à Chaldæis, rursùm post septuaginta annos, iubente rege Persarum, relaxata populi captiuitate, à filijs transmigrationis sub Zorobabel & Iesu principibus reædificari cœptum est. In quo opere sic impediti sunt, impugnantibus se vicinis gentibus, vt vna manu gladium tenerent, altera lapidem in parietis structuram ponerent. Atque ita factum est, vt per quadraginta sex annos inchoata templi fabrica, vix potuerit impleri. Hic autem annorum numerus, perfectioni dominici corporis aptissimè congruit. Tradunt nanque physici, tot dierum spatio formam humani corporis in vtero matris perfici. Susceptum nanque semen primis sex à conceptione diebus lactis habet similitudinem, nouem sequentibus vertitur in sanguinem, reliquis duodecim coagulatur, & in carneam soliditatem redigitur, alijs verò decem & octo formatur vsque ad perfecta membrorum lineamenta: hinc iam vsque ad tempus editionis magnitudine semper augetur. Sex autem, & nouem, & duodecim, & decem & octo in summa collecti, quadraginta quinque faciunt. Quibus si ipsum diem adijcias, quo discretum per membra corpus incipit sumere crementum, quadraginta sex absque errore reperies. Per quod videlicet tot dies in ædificatione corporis Domini, quot annos in fabrica templi legimus, numerantur. Possumus quoque hunc ipsum numerum in nomine Adam, supputato ipsarum literarum numero, inuenire, cuius nomen ex principalibus quatuor climatum mundi literis apud Græcos constat. Per quod innuitur, ipsum primum parentem nostrum de paradiso eiectum, & in totum orbem fuisse disseminatum. Nomina quippe quatuor mundi partium secundùm Græcos sunt, ἀνατολὴ, δύσις, ἄρκτος, μεσημβρία, hoc est, septentrio, occidens, oriens, & meridies. Nomen verò Adam ex α, δ, α, μ, constat. Quarum literarum secundùm Græcos numerus est α vnum, δ quatuor, & rursum α vnum, & μ quadraginta, quæ simul sunt quadraginta sex. Tot nimirum diebus corpus Christi in vtero virginali formatum ac perfectum est. Per quod designabatur, primum Adam per orbem dispersum, per secundum Adam, id est, Christum, colligendum, atque in vnionem fidei congregandum. *Cùm ergo surrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hæc dicebat: & crediderunt scripturæ, & sermoni quem dixit Iesus.* Nondum sancti apostoli scripturas intelligebant, quia necdum Christus à mortuis resurrexerat, nondum illis spiritum sanctum apertè dederat. At ipso die resurrectionis suæ apparens illis, aperuit illis sensum, vt intelligerent omnia, quæ de ipso erãt in lege Moysi & prophetis & psalmis scripta. Tunc recordati sunt verborum, quæ ante passionem Dominum dicentem audierant. Et crediderunt, inquit, scripturæ prophetarum, quæ eum resurrecturum prædixerat: & sermoni quem dixit eis Iesus, hoc videlicet quod præmissum est: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excita-

Ioan. 2.

Vbi sederint uendentes.

In eos, qui in templis sistunt, sed insolenter se gerunt.

Hier. 11.

Templum Dei sumus

1. Cor. 3.

Boues qui uendant.

Oues.

Qui columbas.

Numularij.

Esai. 5.

Pro. 5.

L. Luc. 2.

Coloss. 2. Templum corporis Christi.

Psalm. 68

Zelus bonus.

De his ui. de 3. partem summæ S. Thomæ Aquinatis, quæst. 33. articulo 1.

Luc. 24.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ho illud. *Cùm autem esset Iesus Hierosolymis in pascha in die festo, multi crediderunt in eum. Ipse autem non credebat semetipsum eis, eò quòd ipse nosset omnes, et non opus erat vt quis testimonium perhiberet de homine. Ipse enim sciebat quid esset in homine.* Patet causa, quare Dominus ad festa celebranda accesserit. Cur Dominus ad festa celebranda accesserit.

Nus ad testuitates Iudæorum celebrandas corporaliter venerit, vt videlicet plures per eius prædicationem in eum crederent. Ait enim euangelista, quia cùm esset Iesus Hierosolymis, multi crediderunt in eum: sed ipse non credebat seipsum eis, quia illi non sic credebant in eũ, vt digni essent, cum quibus Christus familiariter habitaret. Licet enim iam credere putarentur, ipse introrsùs corda eorum intuebatur. Hoc est enim, quod dicitur: Eò quòd ipse nosset omnes. Nec volebat à talibus prædicari, quos præuidebat in sua passione posse scandalizari. *Non enim illi opus erat, ut quis testimonium perhiberet de homine. ipse enim sciebat quid esset in homine.* Hi nimirum typum tenebant catechumenorum, qui iam credunt in Christum, sed ipse non se credit eis, quia nondum renati sunt aqua baptismatis. Nemo enim potest introire in regnum Dei, nisi priùs renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto. Inde etiam mos ecclesiasticus obtinuit, vt catechumenis non credantur mysteria corporis & sanguinis Christi, quanquàm ipsi se in Christum credere fateantur. Nos verò, qui & in Christo iam renati, & viuificis corporis eius sacramentis sumus initiati, agamus nomini eius æternas gratias, eiusq; misericordiam dignis inquantùm sufficimus laudibus extollamus, qui nobis ita se credere, ita dignatus est incomprehensibili pietate contradere, vt ipse in nobis, & nos maneremus in eo. Magnum est certè q̃ præsumimus, sed securi sumus de eius veracissima promissione, qua ait: Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Proinde inspiciamus diligenter penetralia cordium nostrorum, & quicquid vitijs fœdum, quicquid sordidum deprehenderimus, his præcipuè diebus festinemus orationibus, ieiunijs, & lachrymis emundare profusis. Præueniamus modò faciem eius in confessione, si cupimus eius in futuro vultum cernere sine confusione. Ad cœlestem patriã tendentes, nulla seculi obiecta præpediant, nec prospera reuocent, nec aduersa retardent. Neq; enim vile aut caducũ aliquid nobis promittitur, sed illud quod nec oculꝰ vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽdit. Ad quod mereamur peruenire, opitulante ipso, qui nos dignatus est vocare, Amen.

Ioan. 6.

1. Cor. 2.

HOC LOCO DESIDERATVR HOMILIA EVSEBII Emeseni.

FERIA TERTIA. Ioannis VII.

In illo tempore, iam die festo mediante, ascendit Iesus Hierosolymam in templum, & docebat. Et mirabantur Iudæi, dicentes: Quomodò hic literas scit, cùm non didicerit? Et reliqua. Homilia Erici.

IN lectione quæ hanc præcedit, narrat sanctus euangelista, quia ambulat Dominus in Galilæam: non enim volebat ire in Iudæam, quoniam Iudæi quærebant eum occidere. Cùm ergo ibi esset, & (vt ita dictum sit) propter concitatam cõtra se persecutionem delitesceret, esset; in proximo dies festus scenopegiæ, dixerunt fratres eius ad eum: Transi hinc, & vade in Iudæam, vt & discipuli tui videant opera tua quæ facis. Quos videns Dominus labilem & caducam huius mundi gloriam quærere, & cælestem paruipendere, respondit: Vos ascendite ad diem festum, ego non ascendam ad diẽ festum istum. Cùm igitur hæc & plura alia ad redarguendos confundendosque humanæ laudis cupidos dixisset, tunc quidem mansit in Galilæa. *Iam autem mediante die festo*, (nam per octonos dies agebatur ipsa solennitas) sicut nunc lectum est, & ipse Iesus ascendit. *Et mirabantur Iudæi, dicentes: Quomodò hic literas scit, cùm non didicerit?* Quid'nam hoc est, quòd antequàm Dominus ad testiuitatem veniret, quærebant eum, & murmur magnum de eo erat? Ecce adest, qui quærebatur, docet qui latebat, palàm loquitur, & nõ tenetur. Sed illud erat exempli, hoc potestatis. Latuit enim, vt nos doceret persecutionem debere fugere, secundùm quod alibi præcepit: Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Et mirabantur, inquit, Iudæi. Mirabantur, non tamen ab infidelitate conuertebantur. Sed vnde mirarentur, aperitur cùm subditur: *Vnde hic literas scit, cùm non didicerit?* Nouerant vbi natus, & quomodò fuerit educatus. Nunquàm eum viderant literas discentem, audiebant tamen eum de lege disputantem, legis & prophetarum testimonia proferentem: quod nemo alius faceret, qui legem ipsam non legisset. Nemo autem ipsam legem legeret, nisi priùs literas didicisset. Hac de causa mirabantur, non intelligentes eum legis authorem & Dominum. Quod si credere voluissent, nequaquàm mirarentur, si ille legem nosset, qui ipsam legem dedisset. Verùm hæc illorum admiratio, facta est veritatis magistro, altioris doctrinæ insinuandæ occasio. Respondit enim Dominus aliquid profundum, & attentiùs inspiciendum. Nam sequitur: *Respondit eis Iesus: Mea doctrina non est mea, sed eius qui me misit.* Paucis verbis quasi contrarium aliquid Dominus dixisse videtur. Non enim ait, Ista doctrina non est mea, sed, Mea doctrina non est mea. Quærendum ergo quid sit, Mea doctrina non est mea. Si enim tua, quomodò non tua? Sed recolamus, quid beatus Ioannes in exordio huius euangelij dixerit, & ibi reperire po-

Ioan. 7.

Math. 10.

re poterimus solutionem huius quæstionis. Ait enim: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Quæ est ergo doctrina patris, nisi verbum patris? Verbum enim, alicuius est verbum. Et ideò suam doctrinam dixit non suam, quia ipse non à se est, sed est verbum patris. Quod ergo ait, Mea doctrina nõ est mea, tale est, ac si diceret: Ego qui doceo, nõ sum à meipso. Cùm enim credamus & confiteamur filium patri esse æqualem per diuinitatem, nec vllam recipiamus inter generantem & genitum, vel naturæ vel substantię differentiã, tamen ille pater, ille filius. Et pater quidem de nullo, quia de se Deus est. Filius verò non de se, sed de patre genitus est Deus, sicut spiritus sanctus à patre procedit & filio. Et hi tres vnus Deus, vnum lumen, vna potentia, vna maiestas. Et quia hoc tam profundum mysterium videbat non omnes posse intelligere, dat consilium, quid agentes ad illud pertingere valerent. *Si quis, inquit, uoluerit uoluntatẽ eius facere, cognoscet de doctrina mea, utrùm ex Deo sit, an ego à meipso loquar.* Si quis voluerit voluntatem patris facere, hoc est, si quis voluerit in filiũ eius credere, cognoscet de doctrina mea, hoc est, intelliget. Ergo intellectus est merces fidei. Non ergo intelligendum est vt credamus, sed priùs credendum vt intelligamus. Scriptum nanque est: Si non credideritis, non intelligetis. Ergo faciamus voluntatem patris, hoc est, credamus in filium Dei patris. Hæc est voluntas patris, iuxta quod alibi idem filius dicit, hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille. Cognoscẽda sanè est necessariò huius verbi structura. aliud enim est, cùm dicimus per datiuum casum, credo tibi: aliud per accusatiuum, credo in te. Dicimus certè credere nos Paulo, sed non in Paulum. Dicimus credere nos Petro, sed non in Petrum. Ergo aliud est credere Deo, aliud est credere in Deum. Credere enim Deo, est verbis illius fidem accommodare, secundùm quod & dæmones credunt ei, & contremiscunt. Credere verò in Deum, est Deum credendo amare, credendo diligere, membris eius credendo incorporari. Hæc est fides quam à nobis exigit Deus, quæ per dilectionem operatur. Si quis ergo facit voluntatem patris credendo in filiũ eius, cognoscet de doctrina Christi: quia non aliũde, non de nihilo, sed de patre est, manens in patre, æqualis patri. *Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit.* Quibus verbis Antichristum notat, thesaurum malitiæ, & perditionis filium: Qui (vt Apostolus ait) aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur: ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. Hic ergo cùm venerit, à semetipso loquetur, sua se authoritate venisse, non à Deo missum dicens: nec Dei, sed suam gloriam quæsiturus est. De quo alibi dicit: Ego veni in nomine patris mei, & non suscepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. *Qui autem quærit gloriam eius qui misit eum, hic uerax est, & iniustitia in illo non est.* Se vtiq; Dominus his verbis insinuat, qui cùm per diuinitatem æqualis esset patri, tamen per susceptam serui formam apparens in tempore, qui erat creator temporum, non suã quæsiuit gloriam, sed patris. Vel nobis certè per hoc præbuit humilitatis exemplum, vt nos qui puri homines sumus, nec ex nobis boni quicquã possumus, totum Deo tribuamus, ad eius laudẽ & gloriam referamus, cùm vel boni aliquid facimus, vel eius largiente clementia rectè scripturas illius intelligimus. Sed nos econtrà bona quæ agimus, nobis superbè asscribimus, mala verò nostra creatori nostro irrogamus, causantes quòd tales nos fecerit. Christus verò Dominus noster gloriam patris quærebat, & idcirco verax est, & iniustitia in illo non est. In Antichristo verò injustitia est, & verax non est, quia suam, non Dei gloriam quæsiturus est. Non est à Deo missus, sed venire permissus. *Nonne Moyses dedit uobis legem, & nemo ex uobis facit legem? Quid me quæritis interficere?* Illi quidem gloriabantur se legis præcepta implere, sed aperta reuincuntur sententia. Lex enim homicidium vetat. quomodò ergo legem faciebant, qui saluatorem interficere cogitabant? Nam si legem rectè legissent, & opere implessent, in ipsis scripturis suis Christum agnoscerent, & nunquam de eius morte tractassent. *Respõdit ei turba.* Turba, inquit, semper incerta & turbata, nulla rationis ordine prædita. *Dæmonium habes. Quis te quærit interficere?* O scelus inexpiabile: ô blasphemia, neq; in hoc seculo neque in futuro remittenda. Nam peius fuit hoc dicere, quàm Christum occidere. Ei nanq; dicebant, Dæmonium habes, qui suo imperio dæmonia expellebat. Obturandæ essent aures ad tam scelestam contumeliam, nisi ipsius Domini exẽplo disceremus habere patientiam. Neq; enim à furiosis & turbatis hæc audiens turbatus est, sed in sua veritate tranquillus permanens, non reddidit malum pro malo, nec maledictum pro maledicto. Quibus si respondere voluisset, Vos potiùs habetis dæmoniũ, verum vtiq; diceret: quia nisi pleni dæmonio essent, tam peruersè de Deo loqui non possent. *Respondit ergo eis: Vnum opus feci, & omnes miramini.* Ac si diceret: Qui tantùm miramini in sanatione vnius hominis, quantũ miramini, si omnia opera mea videretis? Vnã enim rem fecerat: sanauerat in sabbato paralyticum, qui triginta & octo annis decumbebat, & turbati sunt, quia non intelligebant eum esse authorem sabbati. Non destruxerat sabbatum, hominem in eo sanando: quia ad salutem hominum, sabbati custodia hominibus data fuerat. *Propterea Moyses dedit uobis circuncisionem: non quia ex Moyse est, sed ex patribus.* Moyses quidẽ legẽ decreuit, vt circuncisio seruaretur, sed non ipse author est circuncisionis. Multò enim ante legem tempore Abraham primus recepit circuncisionem à Domino, in signum magnæ fidei suæ. *Et in sabbato, in-*

Doctrina patris, uerbũ patris.

Ioan. 1.

Ioan. 7.

Ioan. 5.

Credere Deo. Iac. 2.

Credere in Deum. Fides, quã Deus exigit.

1. Thes. 2.

Ioan. 5.

Immanis Iudæorum blasphemia.

Exod. 12.

Genes. 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quit, *circunciditis hominem.* Tanquam diceret: Reuincit vos Moyses. Præcipitur in lege, vt hominem octaua die circuncidatis: præcipitur etiam, vt sabbatizetis septimo die. Si ergo octaua dies illius qui natus est, euenerit die septimo, hoc est, in sabbato, quid facietis? Vacabitis, vt custodiatis sabbatum, an circũcidetis infantem, vt implea tis octaui diei sacramentum? Sed noui quia circuncidetis, quoniam signum salutis est, & nõ debet homo in sabbato vacare à salute. Ergo nec mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato: quia & curatus est, vt sanus esset in corpore: & credidit, vt sanus esset in anima. *Si circũcisionem accipit homo in sabbato, ut non soluatur lex Moysi: mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato?* Illa quippe circũcisio ob tres præcipuè causas data fuerat. Primò, vt signum esset magnæ fidei Abrahæ. Secundò, vt per eam à cæteris nationibus discernerentur in corpore, sicut fimbrijs palliorum distinguebantur in veste. Tertiò, vt illam in virili membro susci pientes, castitatem mentis & corporis se obseruare debere cognoscerent. Et tantundem valebat tunc circuncisio, quantum & in nouo testamento baptisma: quia omnia peccata per eam dimittebantur, excepto quòd ianuam regni cælestis nequaquam aperire poterat. Nõ ergo à tam vtili & proficua re, propter inanis ocij sabbatum, vacare debebant. Mysticè verò illa circuncisio figurabat baptisma, quod nunc in Ecclesia geritur, quo verissimè omnia peccata dimittũtur, & cæleste regnum credentibus aperitur. Ex hibebatur verò circuncisio in virili membro, per quod humana propagatio ministratur, vt ostenderetur, per vnum hominem peccatum intrasse in mundum, & per peccatum mortem: & sicut omnis homo cum præputio nascitur, ita etiam omnis homo cum originali peccato generatur, à quo cum omnibus vitijs per baptismum, quod est vera & spiritualis circuncisio, expoliamur. Petrinis autem cultris circuncidebantur homines, quia, vt ait Apostolus, Petra erat Christus: per cuius nominis inuocationem, simplex aqua baptismatis spirituali potentia fœcundatur, vt hominibus spiritualem posit præstare generationem. *Nolite iudicare secundùm faciem, sed iustum iudicium iudicate.* Secundùm faciem iudicare, est personam in iudicio considerare. Et isti personaliter iudicabant, quia illis qui in sabbato paruulos circuncidebant, non irascebantur: Domino autem indignabantur, quia in sabbato totum hominem salvum fecisset. Iustum, inquit, iudicium iudicate: quod si facitis, neque me, neq; Moysen condemnabitis: sed veritate perspecta, nullatenùs mea opera Moysi præceptis contraire videbitis. Sanè hæc Domini admonitio, non solis facta est Iudæis: nos etiam Dominus monuit, nos instruxit. Sic ergo verba eius audiamus, quasi præsens nobis loquatur. Ait enim: *Nolite iudicare secundùm faciem, sed iustum iudicium iudicate.* Magni laboris est hoc vitium effugere, id est, non ad intuitum personæ iudicare, sed iustum iudicium proferre. Nullus quippe alius hoc potest implere, nisi ille qui omnes æqualiter diligit: qui in iudicandis causis nõ attendit ambitum, sed meritum: nec considerat quis iudicandus, sed vnde sit iudicandum. Nec hoc dicimus de illis, quos pro graduum honore diuerso modo iubemur honorare: sed de illis, quorum causas discere ac dijudicare iubemur. *Dicebant autem quidam ex Hierosolymis: Nonne hic est quem quærunt interficere? Ecce palàm nunc loquitur, & nihil ei dicunt.* Isti qui hoc dicebant, nouerant quia Dominus à Iudæis quærebatur, sed non intelligebant, quòd sua potentia non tenebatur: atq; ideò putauerunt principes iam credidisse, quia ipse esset Christus. Dicunt enim: *Nunquid uerè cognouerunt principes, quia hic est Christus?* Sed ostendunt se nondum credidisse, cùm subiungunt: *Sed istum nouimus unde sit. Christus autẽ cùm uenerit, nemo scit, unde sit.* Quid est quod dicunt: Christus cùm venerit, nemo scit vnde sit? Nam Herode locum natiuitatis Christi requirente, respondẽrũt quòd in Bethleem nasciturus esset, & ipsa sua verba prophetica authoritate confirmauerunt. Sed nouerant locum natiuitatis eius, non autem poterant comprehendere generationem diuinitatis eius, propheta dicente: Generationem eius quis enarrabit? Ac si dicerent: Istum sicut aliquem ex cæteris hominibus nouimus: nihil in illo diuinum, nihil regale attendimus. Christus verò noster Deus omnipotentissimus venturus est, & vniuerso mundo imperaturus. Hæc erat causa morbi illorum. Ideò enim in Christum credere nolebant, quia humanitatem solam in eo considerabant, diuinitatem perpendere non valebant. Vnde & Dominus illis ad vtrunque respondit, videlicet & de humanitatis fragilitate, & de diuinitatis maiestate. *Clamabat enim docens in templo: Et me scitis, & unde sim scitis.* Hoc de sua dixit humanitate, secundùm quã & locum natiuitatis eius, & parentum nobilitatem, & vultus effigiem nouerant. Sciebant ergo eum, quia de regali stirpe descenderat, & nobilitatis lampade illustris, latere non poterat. *Et à meipso non veni, sed est uerus qui misit me, quem uos nescitis.* Hoc ad suam retulit diuinitatem, secundùm quam ignorabant eum esse Dei filium, & à patre missum in mundum. Nesciebant etiam Deum patrem, qui verus est ipsius genitor veritatis, quem nesciebant: quia ignorantes filium, nec in eum credentes, ad Dei patris notitiam peruenire non merebantur. Denique subiungit: *Ego autem noui eum.* Si ergo eum cognoscere vultis, à me quærite vt sciatis, quia ab illo sum, & ille me misit. Pulcherrimè & quambreuissimè diuinitatem simul & humanitatem suam complexus est. *Ab ipso, inquit, sum:* quia filius de Deo patre natus sum. Quicquid enim est filius, ab ipso est, & ei debet, cuius est filius.

Leui. 12.

Circuncisio tres ob causas mãdata.

Circuncisio, typus baptismi.

1. Cor. 10

Iudicare secundùm faciem.

filius. *Et ipse me misit:* hoc est, incarnari constituit: hoc est, quod me videtis, quod præsentem attẽditis. Cùm autem audiamus Deum patrem misisse filium, non cogitemus naturæ dissimilitudinem, sed patris authoritatem. *Quærebant ergo eum apprehendere, & nemo in eum misit manus, quia nondum uenerat hora eius.* Nemo, inquit, in illum misit manus, hoc est, nullus vim fecit, nullus eum rapere præsumpsit: quia nondum venerat hora eius, hora videlicet voluntatis illius. Sicut enim voluntate natus, sic & voluntate passus est. Nam sicut ante secula præordinauit matrem virginem de qua nasceretur, sic etiam præsciuit & præelegit mortem quam pateretur, & tempus quando pateretur. Huius horæ reminiscens dum penderet in cruce, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritũ. Non ergo potuerũt eum Iudæi comprehendere: quia ipse mortem suam & ministros mortis suæ in sua habebat potestate, ac cùm ipse voluit pati, etiam si voluissent à nece eius Iudæi abstinere, nõ potuissent. In altero igitur misericordia, in altero veritas prærogata est. Misericordia quidem in humilitate carnis, qua pati voluit: veritas in potestate diuinitatis, qua donec ipse voluit, comprehẽdi nequiuit. Vtrũq; propter nostram salutem gestum est, propter quos homo factus fuerat, qui hominem fecerat, ne periret quod fecerat. Non ergo simus ingratitantis beneficijs, quæ ab ipso immeriti accepimus & indigni. Obediamus præceptis eius, vt simus compotes promissionis eius. Quæramus spirituali desiderio vultum eius, quæramus faciem eius semper. Quæramus eum, non sicut Iudæi, vt eum occidamus, sed vt ab ipso viuificemur. Quæramus non vt eum à nobis expellamus, sed vt cum eo in perpetuum maneamus, AMEN.

Christus voluntate natus & passus.

Ioan. 19.

EADEM III. FERIA,
HOMILIA EVSEBII
Emeseni.

Iam die festo mediante, ascendit Iesus in templum, & docebat, &c. Ioan. 7.

DIximus superiùs hanc festiuitatem septẽ diebus celebrari. quod igitur ait: *Iam die festo mediante*, tale est, ac si diceret: Cũ adhuc media pars dierũ supereesset de tota festiuitate, ascẽdit Iesus in templũ & docebat. Mirabantur aũt Iudæi eum audientes, quoniam mira loquendi suauitate de lege & prophetis eum scholasticè disputare audiebant, quẽ nũquam in scholis literas didicisse cognouerant. Quia enim solum hominem videbant, nihil nisi hominẽ eum credebant. Sed latet diuinitas, omnis huius doctrinæ informatrix atque magistra. Vnde etiam ipse Dominus subinferens, ait, *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.* Sed si sua erat, quomodò nõ sua erat? & si sua non erat, quomodò sua erat? Ipse enim vtrunq; dicit, suã & nõ suam. Sed sua erat, quia diuinitatis erat: & sua non erat, quia humanitatis non erat. sic igitur & *sua, et non sua* erat, & sua non erat. Similiter enim & illud intelligitur, quod superiùs ait: Quia descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Et quidem vnũ sunt & pater & filius. Hoc enim ipse ait: Ego & pater vnum sumus. Vna igitur voluntas vtriusq;. Si igitur facit voluntatẽ patris, facit & voluntatẽ suam. Facit igitur & voluntatẽ suam, & non voluntatẽ suam. Facit enim voluntatẽ suam secundùm diuinitatem: sed non facit voluntatem suam secundùm naturã humanitatis. Dicebat igitur Dominus Iudæis admirantibus in doctrina eius: *Mea doctrina non est mea.* Mea doctrina nõ est hominis, mea doctrina nõ est humanæ sapientię, neq; ego ab homine didici eam. nolite mirari: diuinitatis est, intus est magister, qui me talia docuit. De quo suo magistro per Esaiã sic ait: Erigit manè, manè erigit mihi aurẽ, vt audiã quasi magistrũ. Idẽ igitur ipse, & magister & discipulus est. Magister, secundũ diuinitatẽ: discipulus, secundùm humanitatẽ. Planũ est itaq; quod ait: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.* Tale quidẽ etiã discipulis ait: Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. *Si quis uoluerit uoluntatẽ eius facere, cognoscet de doctrina, utrũ ex Deo sit, an ego à meipso loquar.* Soli igitur illi hanc doctrinã intelligere & cognoscere possunt, qui patris voluntatẽ faciunt. Est autẽ voluntas patris, vt in eũ credamus, quẽ ipse misit. Nisi igitur credideritis, nõ intelligemus. Vnde & Esaias ait: Nisi credideritis, nõ intelligetis. Fides igitur nobis est necessaria, vt ad hãc doctrinam peruenire valeamus. Sed quid est quod ait: Vtrũ ex Deo sit, an ego à meipso loquar: nisi vtrũ secundùm diuinitatem loquar? Loquitur enim Dominus à seipso, sed secundũ alterã partẽ suiipsius. *Qui à seipso loquitur, gloriã propriã quærit: qui aũt quærit gloriam eius qui misit illũ, hic verax est, & iniustitia in illo nõ est.* Non generaliter de omnibus, sed specialiter de seipso & de Antichristo dicit Iesus. Ille enim nõ à spiritu sancto loquetur, sed à semetipso: ille nõ Dei, sed suã gloriã quæret, qui supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, se exaltabit, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquã sit Deus. Econtrà verò Christus, qui verax est, imò qui veritas est, & in quo iniustitia nulla est, vbique patris qui misit illum, & non suam gloriam quærit. Vnde ipse ait: Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi crediderunt super me. *Nonne Moyses dedit uobis legem, & nemo ex uobis facit legem?* Hoc autem quare dixerit, subiũgens ostendit. *Quid me quæritis interficere?* Si enim legem fecissent, si legis mandata custodissent, nũ quã innocentẽ & iustum interficere quæsissent. *Respondit turba, & dixit: Dæmonium habes. quis te quærit interficere?* Sic enim respondit turba, sicut sordida,

Ioan. 6.

Ioan. 10.

Ioan. 6.

Esai. 7.

Antichristo.

2. Thess. 2.

Psal. 68.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dida, & turbata, sicut turbulenta & turbida. Respondit Iesus & dixit eis: *Vnũ opus feci, & omnes miramini.* Non eorum responsione mouetur, non conuitijs conuitia reddit: Vnum, inquit, opus feci, & omnes miramini. Miramini quidem non quia magnum aliquid feci, (talis enim admiratio bona est) sed quia in sabbato feci. Quare ergo & vobis ipsis non indignamini, qui in sabbato circunciditis hominem? *Si circuncisionẽ accipit homo in sabbato, ut non soluatur lex Moysi, mihi indignamini, quia totum hominem sanum in sabbato feci? Propterea Moyses dedit circuncisionem,* videlicet vt vos ab infirmitate sanaret. *Non quia ex Moyse est circuncisio, sed ex patribus.* Priùs enim, quàm de circuncisione aliquid
Gen. 17. diceret Moyses, circuncisi sunt Abraham, Isaac, & Iacob, & multi alij. Omni ergo die fieri licet, quicquid ad salutem pertinet, & idcirco in sabbato circunciditis hominem. Iniustum est igitur vt mihi indignemini, quia totum hominem sanum feci in sabbato. Si enim mihi non licet, nec vobis licet. Licet autem: si enim non licuis-
Leuit. 12. set, Moyses non iussisset. Præcepit enim Moyses, vt octauo die circuncidatur infantulus, siue ipsum sabbatum, siue alius quilibet dies occurrat. *Nolite iudicare secundùm faciem, sed iustum iudicium iudicate.* Aut simul me cum Moyse reprehendite, aut me quoq; simul cum Moyse iustificate. Ambo enim idem facimus, ambo in sabbato salutem operamur. Sed illum non reprehenditis, quia timetis: hoc etenim est secundùm faciem iudicare. *Dicebant ergo quidam ex Hierosolymis: Nonne hic est, quem quærunt Iudæi interficere? Ecce palã loquitur, & nihil ei dicunt. Nunquid uerè cognouerunt principes, quia hic est Christus? Sed hunc scimus unde sit: Christus autem cùm uenerit, nemo scit, unde sit.* Hoc autem tale est, ac si dicerent: Decepti sunt principes nostri, si Christum hunc esse putãt, cuius nos & natiuitatis locum, & parentes cognouimus. Quod enim dicunt, Christus autem cùm venerit, nemo scit vnde sit, ex eo loco hoc testimoniũ
Esai. 53. sumpsisse videntur, vbi dicitur: Generationem eius quis enarrabit? Sciebãt tamẽ Iudæi in Bethleem Iuda Christum Dominum nasciturum esse,
Mich. 5. secundùm illud: Et tu Bethleem terra Iuda, nõ eris minima in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israël. *Clamabat ergo docens in templo Iesus, & dicens: Et me scitis, & unde sim scitis, & à meipso non ueni, sed est uerus qui misit me, quem uos nescitis.* Quid autem aliud his verbis significatur, nisi quia & me scitis, & me nescitis? Cùm enim vnum sit & pater & filius, qui patrem nescit, & filium nescit. Sciebãt igitur eum, quia hominem eum esse credebant: & nesciebãt eum, quia Deum esse ignorabant. Sciebãt quoq; esse de Nazareth, sed non sciebant esse de patre. Dicat igitur: Et me scitis: & vnde sum scitis: & à meipso non veni, sicut de quo suprà dixi, Alius
Ioan. 5. venier in nomine suo, illum accipietis: sed est
Ioan. 10. verus, qui misit me pater. Verus igitur & ego: ego enim & pater vnum sumus, quem vos nescitis. *Ego scio eum: & si dixero quia nescio eum, ero similis uobis mendax. Ego enim eum scio, quia ab ipso sum, & ipse me misit.* Ab ipso enim est: quia Deus de Deo, lumen de lumine, eiusdem cum patre substantiæ est. Pater enim de nullo, filius de patre, spiritus verò sanctus ab vtroque procedit. Quid est autem quod ait, *Qui misit me,* nisi qui me hominem fieri & carnem susципere voluit? Hæc autẽ operatio, totius Trinitatis, & non solummodò patris est. Notandum igitur, quomodò vbique patrem honorat atque glorificat. *Quærebant ergo eum apprehendere, & nemo in illum misit manus, quia nõdum uenerat hora eius.* Illa videlicet, qua tradendus & crucifigẽdus erat. Hæc autẽ hora, nisi eo volente, venire non poterat. Potestatẽ enim habe-
Ioan. 10. bat, (sicut ipse ait) ponendi animam suam, & iterum sumendi eam. *De turba autem multi crediderunt in eum.* Hoc est enim quod ipse alibi ait: Confi-
Matth. 11. teor tibi Domine pater cæli & terræ, quia abscõdisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. *Et dicebant: Christus cùm uenerit, nunquid plura signa faciet, quàm quæ hic facit?* Septimum argumentum, & huic assertioni valdè idoneum.
Ioan. 10. Sic & ipse Dominus ait: Opera quæ ego facio in nomine patris mei, ipsa testimonium perhibent de me.

FERIA QVARTA,
Ioannis IX.

In illo tempore: Præteriens Iesus uidit hominem cæcũ à natiuitate. Et interrogauerunt eum discipuli eius: Rabbi, quis peccauit, hic aut parentes eius, ut cæcus nasceretur? Et reliqua. Homilia Erici.


Venerat Dei filius ad solennitatem sce nopegiæ, & nouissimo die eiusdem festiuitatis stans in templo, docebat populum, qui ad diem festum confluxerat. Redarguebat Iudæos infideles, & mysterijs diuinitatis suæ instruebat fideles. Sed miseri, & totius boni inimici Iudæi, verba illius ferre non valentes, ad lapides confugerunt, quærẽtes obruere, quẽ non poterãt intelligere. Ipse autem transiens, per medium illorum ibat. Necdum quippe venerat hora, quam præfiniuerat
Ioan. 7. & 8. passioni: quia non in scenopegia, sed in pascha pati dispoſuerat. *Præteriens ergo Dominus,* sicut nũc
Ioan. 9. sanctus Euangelista loquitur, *uidit hominem cæcum à natiuitate:* hoc est, cæcum natum, quem mater de tenebris vteri profuderat in noctem mundi. Vidit, inquit, illum, id est, misertus est illius. Vi-
Luc. 22. dere enim illius, miserere est. Hinc scriptum est: Respexit Dominus Petrum. *Et interrogauerunt eum discipuli eius: Rabbi, quis peccauit, hic aut parentes eius, ut cæcus nasceretur?* Nouerãt sancti Apostoli, ob multas causas dispensatione Dei dari infirmitates hominibus, aliquando propter purgationem peccatorum, aliquando ad probationem, nonnunquàm ad virtutum custodiam:

Morbi ob uarias causas corporis inflictiones

sed

sed ignorabant, qua harum causa homo ille cæcus natus fuisset. Ideoque interrogauerunt Dominum quasi magistrum, vt ab eo discerent quod nesciebant. *Respondit Iesus: Neque hic peccauit, neque parentes eius.* Quid est quod dicit Saluator, neque illum, neque parentes eius peccasse? Si enim nullus hominum sine peccato, quomodò parentes cæci non peccauerant? aut nunquid ipse cæcus cum originali peccato natus non fuerat? Nunquid etiam viuendo & conuersando in mundo, non plura peccata addiderat? Si ergo & hic & parentes eius peccatum habebant, quare Dominus dixit, Neque hic peccauit, neque parentes eius? Sed sciendum, quia Dominus ad rem, de qua fuerat interrogatus, respondit. Illi enim interrogauerant, vtrùm pro suo, vel parentum peccato cæcus natus fuisset. Ad hoc respondit Dominus, neque illum, neque parentes eius peccasse, hoc nimirum, vt ille cæcus nasceretur. Habebant ergo & ipse & parentes eius peccata innumera, sed non propter illa ipse cæcus editus fuerat. Quare ergo? *Sed, inquit, ut manifestarentur opera Dei in illo?* Veritatis magister docet, quòd ad hoc natus sit, vt opera Dei manifestarentur in eo, quatenùs ab ingenita cæcitate illum liberãdo, & lumen restituendo, solius Dei esse omnibus apertè clarescceret. *Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est.* Sicut vbique, ita & nunc omnem gloriam Deo patri attribuit, eius se dicens opera facere, cuius est filius. Ista e-

Opera patris per Christum.

rant opera Dei patris, propter quæ Dei filius venerat, illuminatio videlicet & sanatio generis humani. Nam per illuminationem huius cæci, illuminatio significabatur humani generis. Miracula denique nostri redemptoris, ita iuxta literam facta creduntur, vt mysticè considerata, aliquid innuant faciendum. Cæcus ergo iste genus humanum præsignat, quod in primo parente cæcatũ est, quia ex illo oẽs traximus nõ solùm originẽ mortis, sed etiam iniquitatis. Et benè nõ solum cæcus, sed etiam cæcus à natiuitate dicitur: quia oẽs homines (excepto illo, qui de virgine natus est) cũ peccato originali nascimur, & grauissima cæcitate depressi, in mundum venimus: quam cæcitatem de radice primi parẽtis contraximus. Qui benè vidẽs cõditus fuerat, sed diabolicis suasionibus obtemperando, cæcitatẽ incurrerat, quam in omnes suos posteros transmittebat. Præteriens autem Dominus vidit cæcũ. Nõ enim stans, sed præteriens vidit cæcum, quia in similitudine peccati apparuit, sed in via peccatorũ nõ stetit, quoniã peccatũ nõ fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Hinc est, quòd secundũ alterius loci parabolã, Samaritanus secùs sauciũ venit. Quod enim ibi per saucium, hoc signatur hîc per cæcũ. Et quòd ibi dicitur, venit: hic, præterijt. Venit ergo Dominus secùs sauciũ, & præteriẽs vidit cæcum: quia appropinquauit vitæ mortalitatis nostræ, non tamen fixit vestigium in via peccatorũ. Venit enim vt cæcitatẽ peccatorũ nostrorũ tolleret, non vt ipse eam susciperet. Hæc ergo opera patris se dicebat oportere operari, quia venerat quærere perdita, restaurare corrupta. Donec, inquit, dies est. *Venit nox, quando nemo potest operari.* Quam diem vellet intelligi, definitè expressit, cùm subiungit: *Quandiu sum in mundo, lux sum mundi.* Sed quid est quod dixit: Me oportet operari donec dies est? Nunquid enim tantummodò operatus est, quando præsentia corporali fuit in mundo? Si enim hoc receperimus, iam post eius ascensionem est ista terribilis & metuenda nox in mũdo, qua nemo potest operari. Et certè ipse alibi repromisit: Ecce ego vo-
Matt. 28. biscum sum omnibus diebus vsq; ad cõsummationem seculi. Si ergo est cum sanctis vsque ad finem seculi, vtique semper operatur vsque ad finem seculi. Qui enim tunc præsentia corporali fuit in mundo, nunc diuina potentia vbique præsens est mundo. Quærendum ergo, quæ sit ista nox, qua nemo potest operari. Nox ista im-

Nox impiorum.

piorum est, quibus dicetur: Ite maledicti in ig-
Matt. 25. nem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius. Nox ista erit, quando damnatis omnibus reprobis, nullus iam locus pœnitentiæ, nulla facultas veniæ restabit: quia in inferno nemo
Psal. 6. confitebitur Domino. Operatur ergo Dominus donec dies est, quia dum hic viuimus, expectat, hortatur ad confessionem, & punire detrectat, adest omnibus inuocantibus se in veritate. Venit nox qua nemo operatur, quia finito mundo, receptis cælo electis, clauso ostio, vanus labor est, & sera pœnitudo. Clamantibus enim,
Matt. 25. Domine, Domine aperi nobis, respõdebit: Ne-
Luc. 13. scio vos, discedite à me operarij iniquitatis. Proinde audiamus Apostolum dicentem: Dum
Gal. 6. tempus habemus, operemur bonum. Nunc est tempus operandi, tunc verò recipiendi quod feceris operatus. Sed videamus quid Dominus fecerit. *Hæc cùm dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & linuit super oculos eius, & dixit: Vade, laua in natatoria Siloe, (quod interpretatur missus)* Mirabilis & ipsa sui nouitate stupẽda cæci curatio, magnum si intelligamus, commendat mysterium. Expuens quippe in terram fecit lutum, & oculos cæci inunxit. Spurum quod à

Sputum.

capite in os defluit, diuinitatem Christi significat, quia caput Christi Deus. Et sapientia loquitur: Ego ex ore altissimi prodiui, primogenita
Eccl. 24. ante omnem creaturam. Et Salomon de ipsa: Va-
Sap. 7. por est enim virtutis Dei, & emanatio quædam

Lutum è terra.

maiestatis eius syncera. Lutum de terra, caro Christi est. Expuens ergo in terram lutum fecit, quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Inunctus iam cæcus nondum videt, do nec venit in natatoria Siloe, quod interpretatur, missus. Non vacat à mysterio, quòd Euangelista huius nominis posuit interpretationem: quod, inquiens, interpretatur missus. Quis enim missus, nisi ille qui dicit, Non veni à meipso, sed
Ioan. 8. à patre missus sum? Christus igitur verus est

missus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

missus, quia nisi ille fuisset missus, nullus nostrũ à peccato fuisset dimissus. Piscina ergo illa, baptismus est Christi. Lauit cæcus in piscina Siloe, quod interpretatur missus, & illuminatus est: quia in Christo baptizati, illuminamur. Cùm ergo inunctus est, quasi catechumenus factus est: sed egebat lauari, id est, baptizari, vt illuminaretur. Catechumenus enim inungitur, vt doceatur. Nam catechumenus græcè, latinè instructus dicitur. Baptizatur verò, vt verum lumen agnoscat, & remissionem omnium peccatorum accipiat. *Itaque uicini, & qui nouerant eum prius, quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic est, qui sedebat & mendicabat? Alij dicebant, Quia hic est: alij autem, Non, sed similis eius est.* Hunc errorem aperti oculi fecerãt, illuminatus quasi mutauerat vultum. Sed ille nõ ingratus, nec collati immemor beneficij, dicebat: Ego *sum*. Confitebatur se esse, & laudabat eum, qui tam benè ipsum fecerat esse. *Dicebant ergo: Quomodò aperti sunt tibi oculi? Respondit: Ille homo qui dicitur Iesus, lutum fecit, & unxit oculos meos, & dixit: Vade ad natatoria Siloe, & laua: & abij, & laui, & uideo.* Benè iam videbat, qui sic gratiam sibi præstitam annunciabat. Iam ergo euangelizat Christum, prædicat illuminatorem suum. *Dixerunt illi: Vbi est ille? Ait: Nescio.* Adhuc inunctus, necdum spiritualiter illuminatus erat. Prædicabat Christum, sed quem prædicaret, ignorabat. Nam & suprà, Ille, ait, homo, nesciens Deum dicere, quia quasi catechumenus erat, & doceri necesse habebat. *Adducunt eum ad pharisæos, qui cæcus fuerat. Erat autem sabbatum in die illa, quando lutũ fecit Iesus, & aperuit oculos eius. Iterũ ergo pharisæi interrogabãt eum, quomodò uidisset. Ille ergo dixit eis: Lutum posuit mihi super oculos, & laui, & uideo. Dicebant ergo ex pharisæis quidam: Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit.* Non omnes hoc dicebant, sed quidam. Iam enim inungebantur, iam veritas eorum cordibus subrutilare incipiebat. Isti verò qui Dominum reprehendebant, potiùs cæci erant, nec inuncti erant, nec videbant. Reprehendebant enim Dominum, quòd non custodiret sabbatum, cùm ipse perpetuò ab omni seruili opere vacaret, quia peccatum non fecit. Hoc est nanque spiritualiter sabbatum obseruare, feriatum esse à peccato, quod est opus seruile: quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Sed illis ista dicentibus, alij qui iam illuminationi appropinquabant, dicebant: *Quomodò potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos.* Schisma Græcè, Latinè scissio. Scissi ergo erant, quia pars veritati assentiebat, pars fallitati applaudebat. Christus dies, inter lucem & tenebras diuisus est. *Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de eo, qui aperuit tibi oculos?* Interrogant quid de suo illuminatore sentiret, vt occasionẽ inuenirent, qua eum de Synagoga proijcerent. Sed ille quid de eo existimaret, constanter aperuit. Ait enim: *Quia propheta est.* Necdum in cor-

Piscina.

Sabbatum seruare spiritaliter. Ioan. 8.

de illuminatus, sed inunctus tantùm, nescit dicere filium Dei, sed confitetur prophetam esse: nec tamen errans per omnia fallebatur. Ipse enim de se ait: Non capit prophetam perire extra Hierusalem. &: Nemo propheta sine honore, nisi in patria sua. *Nõ crediderunt de illo, quia cæcus fuisset & uidisset, donec uocauerunt parentes eius qui uiderat, & interrogauerunt eos, dicentes: Hic est filius uester, quem uos dicitis, quia cæcus natus est? Quomodò ergo nunc uidet? Responderunt eis parentes eius, & dixerunt: Scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est: quomodò autem nunc uideat, nescimus: aut quis eius aperuit oculos, nos nescimus. Ipsum interrogate, ætatem habet, ipse de se loquatur.* Videbãt enim & sibi & illi calumniam strui, & ideò dicunt: Scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est. Si autem vultis scire quomodò nunc videat, ipsum interrogare debetis, quia ætatem habet, olim loquitur. Iustè quippe pro infante loqui cogeremur, quia infans per ætatem loqui rationabiliter non potest. Hæc autem illos non ob ignorantiam, sed ob metum dixisse Euangelista ostendit, cùm subdit: *Hæc dixerunt parentes eius, quia timebant Iudæos. Iam enim conspirauerant Iudæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret.* Pro magno apud illos tunc temporis ducebatur, si quem de Synagoga eiecissent. Sicut enim modò homicidæ, vel adulteri, vel cæteris capitalibus criminibus rei, ab Ecclesia pelluntur: ita tunc confessores Christi à Synagoga Iudæorum eliminabantur. Hoc metuebant incurrere parentes cæci, ideoque dixerunt: Ipse de se loquatur. *Vocauerunt rursum hominem qui cæcus fuerat, & dixerunt ei: Da gloriam Deo.* Gloriam Deo dare, est, veritatem de aliqua re quasi præsente Deo loqui. Sed isti volebant, vt negaret Christum. Nam quid est aliud dicere, Da gloriam Deo, nisi, nega donum quod accepisti? cùm certè hoc non sit gloriam Deo dare, sed potiùs blasphemare Deum. *Nos scimus, quia hic homo peccator est.* Sic illum volebant dare gloriam Deo, vt sicut ipsi, Christum diceret peccatorem. Sed ille, vt neque pateret calumniæ, neque veritatem subcelaret, non dixit, scio eum iustum, sed respondit: *Si peccator est, nescio: unum scio, quia cæcus cùm essem, modò uideo. Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? quomodò aperuit tibi oculos?* Ille qui toties interrogatus, toties responderat, iam quasi quodam tædio affectaretur, propter illorum duritiam & incrudelitatem, cum quadam aporia respondit: *Dixi uobis iam, & audistis, quid iterum uultis audire? Nunquid & uos uultis eius discipuli fieri?* Quia enim ipse iam credebat, iam Domini discipulus factus erat, ideò dicebat: Nunquid & vos, sicut & ego, vultis in eũ credere, & discipulatui eius inhærere? *Maledixerunt ei, & dixerunt: Tu discipulus illius sis.* Maledictũ hoc ve-

Matt. 13.

Eijci de Synagoga.

veniat super nos Christianos. Si enim cor eorũ intuearis, maledictũ est, quia hoc maledicentis affectu protulerũt. Si verò verba ipsa perpẽdas, exoptabilis est benedictio. Quis enim non desideret discipulus esse Christi? *Nos, inquit, Moysi discipuli sumus.* Falluntur, semetipsos decipientes. Nam si discipuli Moysi essent, crederẽt Moysi Christũ annuncianti, & cognoscerent eũ, qui per Moysen prænunciatus est. Sic enim ait Dominus: Si crederetis Moysi, crederetis & mihi. *Nos scimus quia Moysi locutus est Deus, hũc aũt nescimus unde sit.* Despicientiũ verba sunt. Nam quomodò nesciebant vnde esset, cùm vbi natus fuisset, & de qua tribu esset, nossent? Hinc & suprà dixerunt: Sed hunc scimus vnde sit. Tale quid & in libro Regum legimus. Cùm enim Dauid adolescens Goliã viris fortibus formidabilem strauisset, ait Saul ad Abner: Cuius filius est iste puer Abner? Certè armiger eius fuerat, citharã coram eo crebrò percusserat, & nunc quis esset interrogabat. Quasi enim nõ agnoscebat, in quo ætatem adolescentis, & habitũ pastoralẽ contẽnebat. Simili modo miserandi homines, Dei filium cernẽtes hominẽ, intantùm contemptibilẽ & nouissimũ iudicabant, vt dicerent: Nescimus vnde sit: consueto more hominũ, qui quos abijciunt, nescire se dicunt. *Respondit ille, & dixit: In hoc mirabile est, quia uos nescitis unde sit, & aperuit oculos meos.* Tanquam diceret: Hic quem vos nescire dicitis, latet humilitate, proditur signorũ virtute. Nescitur vnde sit, & sicut Deus cæcos videre facit. *Scimus autem, quia Deus peccatores nõ audit: sed si quis Dei cultor est, & uoluntatem eius facit, hunc exaudit.* Tanquam inunctus, & necdũ illuminatus loquitur: exaudit nanq; Deus etiam peccatores. Denique exauditus est publicanus, qui in templo Dei à lõgè stans, & oculos in terram demittens, pectusq; pugnis percutiens, dicebat: Deus, propicius esto mihi peccatori. Qua confessione sic exauditus est, vt iustificatus à templo rediret, qui iniustus venerat ad templum. Exaudiũtur ergo, vt dictũ est, peccatores, sed resipiscunt à peccatis, si mala præterita lachrymis abluunt, & ex corde abnegant esse quod fuerant. *A seculo non est auditum, quia aperuit quis oculos cæci nati. Nisi esset hic à Deo, non posset facere quicquam.* Ingens fiducia, libera constantia: Principes sæuiebãt, ille indignatione eorum posthabita, confessus est veritatem. Quis enim alius tanta & talia faceret, nisi Deus? Sed & si qui sunt, qui hæc aliquando fecerunt, ab ipso vt facere possent, habuerũt. Ipse enim dixit: Sine me nihil potestis facere. *Responderunt & dixerunt: In peccatis natus es totus:* id est, cum clausis oculis. Improperant enim, quòd propter parentum peccata sic natus sit. Sed qui oculos aperuit, totum saluauit: quiq; foris illuminauit, ipse cor illius ab omni iniquitatis nubilo purgauit. *In peccatis natus es totus, & tu doces nos?* Ipsi certè eum interrogauerant, ipsi eum coẽgerant, vt diceret quid de Christo suo illuminatore sentiret: & nunc confitentem arguunt, & de synagoga propellunt. Nam sequitur: *Et eiecerunt eum foras.* Illi quidem eum eijciebant, sed Christus suscipiebat. Tunc magis meruit cognoscere Christum, cùm eiectus est de consortio inimicorum Christi. *Audiuit namque Iesus, quia eiecissent eum foras: & cùm inuenisset eum, dixit illi: Tu credis in filium Dei?* Sed ille, qui eum tantũ corporeis oculis videbat, corde nondũ intelligebat, respondit: *Quis est Domine, ut credam in eum?* Quibus verbis ostẽdit iã dudũ paratum se cor ad credendum habuisse, sed in quem deberet credere ignorasse. *Ait illi Dominus: Et uidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est.* Iam Dominus inuncti faciem lauat, iam cordis oculos illuminat. Denique ille lotus & illuminatus spiritualiter, respondit: *Credo Domine.* Sed hoc parum fuit. Non sufficit credere: quin etiam procidens adorauit eum, per hoc quodammodò contestans se Deum credere, quem adorabat. Sed inter hæc, quid nobis superest, qui istalegimus, propter quos etiam scripta sunt? Quæcunq; enim scripta sunt, vt ait Apostolus, ad nostram doctrinam scripta sunt. Quid igitur nobis agendum est, nisi vt ea quæ in scripturis legimus, vel audimus, imitari satagamus? Multum est dicere, vt imitemur Petrum Apostolum, cuius vestigijs mare se calcabile præbuit. Non igitur Petrũ, non reliquos Apostolos nobis in exemplum proponere necesse est: hunc saltem, hunc ante modicũ cæcum, iam benè illuminatum imitemur, quem non truculentorum minæ principum, non eatenùs gestæ cæcitatis opprobrium, non solùm sibi, sed & suis parentibus terribilis ac formidabilis de synagoga eiectio, nõ hæc neq; alia potuerũt seducere, & à cõfessione supprimere veritatis. Audiamus prædicantem, & verè profitentẽ, quia si quis Dei cultor est, & voluntatẽ eius facit, hunc exaudit. Colamus ergo Dominum non thuris vaporibus, non taurorum mugientium iugulis, sed gratissimis fidei & dilectionis victimis: faciamus voluntatem eius, hoc est, mandata illius impleamus, & timorem illius, & sanctam spem promissionum eius in mentibus habeamus, quoniã beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperãt super misericordia eius. Cui gloria per infinita secula, Amen.

Peccatores non audiuntur à Deo.

Ioan. 15.

1. Reg. 17.

Luc. 18.

Psal. 146.

EADEM FERIA HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Præteriens Iesus, uidit hominem cæcum à natiuitate, &c. Ioan. 9.

IPSE saluator noster apertissimè ostendit, quòd eius miracula aliquid significẽt, dum ea faciendo aliquid agit, quod ratione carere videatur. Nisi enim aliquid signifi-

ca-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ficaret, quid necessarium fuit in huius cæci illuminatione vt lutum faceret, quo oculos eius liniret, cui solùm dicere sufficiens erat? Ipse enim dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt omnia. Quæramus igitur significationem, & videamus quid cæcus iste significet. Cæcus iste & à natiuitate cæcus, genus humanum esse videtur.

Psal.148.

Cæcus quē significet.

Sed quare à natiuitate, nisi quia à primo homine? Cùm enim primo homini lignū vetitū comedere diabolus suaderet, dicens? Comedite & aperientur oculi vestri, nonne cæcum eum esse mōstrabat? Cæcus tamē adhuc nō erat, sed comedendo cæcus factus est. Ab hoc ergo vno cæco, omnes homines nascuntur cæci. Hæc autem cæcitas, non corporis, sed animæ est. Hæc cæcitas facit, vt homines non cognoscant creatorē suū. Sed audiamus, quid discipulis interrogantibus Dominus responderit. *Neq; hic peccauit*, inquit, *neque parētes eius, ut propter hoc cæcus nasceretur.* Quare ergo cæcus natus est? *Vt manifestentur opera Dei in illo.* Peccauerat enim & iste & parētes eius, sed non propter sua vel illorum peccata cæcus natus est, sed potiùs vt manifestētur opera Dei in illo. Sequitur: *Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est. Venit nox, quando nemo potest operari. Quandiu in mundo sum, lux sum mundi.* Adhuc igitur operatur Dominus, quia adhuc dies est. Operatus est enim per se, operatus est & per discipulos suos, operatur nunc quoque, & operabitur vsque ad seculi cōsummationem per fideles suos. Posteà verò sequetur nox, in qua nemo potest operari. Igitur dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. Et ne putes hunc diem citò siniri, audi quid ipse Dominus dicat: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. Sed quandiù in mundo est, lux est mundi. Est igitur & modò lux mundi, quia modò est in mundo. Si enim nobiscum est, & in mundo est, quia nos in mundo sumus. *Hæc cùm dixisset, expuit in terram, & linuit lutum super oculos eius, & dixit ei: Vade, & laua in natatoria Siloe.* Quid autē interpretatur Siloe, Euangelista subdit, dicens: *Quod interpretatur missus.* Diximus iam, quid cæcus iste significet: nunc autem quomodò & quo medicamine cæci illuminētur, videamus. Sputū enim, qd naturaliter ex capite descēdit, Christi diuinitas est: cuius caput (vt ait Apostolus) Deus est. Hæc autem in terram recidit, quando in virginem venit. Et factum est lutum, quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Hoc est igitur illud medicamen (id est, incarnatio filij Dei) quo cæci illuminantur. Cæci enim sunt illi oculi, qui hoc luto non tanguntur. Hoc autem luto illi tanguntur, qui Deum & hominem Christū esse credunt. Non sufficit tangere terram, nō sufficit tangere sputum: sufficit autem tangere & credere lutum, quod ex vtroque factum est: Sic tamen, si ille qui lutum tetigit, & Deum & hominem Christum credidit esse, vadat ad natatoriā Siloe, festinet ad baptismum, ibiq; lauetur & regeneretur. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei. Vtrunque enim necessarium est, & credere & baptizari: neque alterum sine altero valet. Non autem vacatà mysterio, quòd Siloe interpretatur missus. In Iordane cœpit baptismus, interpretatur missus. In Iordane cœpit baptismus, qui per Apostolos regenerandis hominibus vbique gentium missus est. *Abijt ergo, & lauit, & venit videns.* Itaque vicini, & qui viderant eum prius, quia mē dicus erat, dicebant: *Nonne hic est qui sedebat & mendicabat? Alij dicebant, Quia hic est, alij autem, Nequaquam, sed similis est eius. Ille verò dicebat, quia ego sum. Dicebant ergo ei: Quomodò aperti sunt tibi oculi? Respondit: Ille homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit & liniuit oculos meos.* Quid est enim, Lutum fecit, nisi verbū caro factum est? Tetigit autem oculos mentis nostræ, vt eum videamus, & veritatem intelligamus. *Et dixit mihi: Vade ad natatoriam Siloe, & laua: & abij, & laui, & vidi.* Considera modò, quanta lætitia hæc verba plena sunt, quanta exultatione redundāt. *Dixerunt illi: Vbi est ille? Ait: Nescio.* De homine illi interrogabant, de homine ille respondit. Nō est igitur incōueniens quod ait, *Nescio*: quia etsi iam Christianus erat, propheta tamen non erat. *Adduxerunt eum ad pharisæos, qui cæcus fuerat. Erat autem sabbatum, quando lutum fecit Iesus, & aperuit oculos eius.* Qui igitur illuminari volunt, sabbatizent à pēcato, à seruili opere requiem habeant. Tale nanque sabbatum colit Ecclesia, ex quo Deum cognouit & vidit. *Iterum ergo interrogabāt eum pharisæi, quomodò vidisset. Ille autem dixit eis: Lutū mihi posuit super oculos, & laui, & video. Dicebant ergo ex pharisæis quidam: Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit.* Nondum enim isti illuminati erant, qui sabbati obseruantiam sic intelligebant. Nondum enim tetigerant lutum, nondum venerant ad lauacrum. *Alij dicebant: Quomodò potest homo peccator hæc signa facere?* Isti enim iam quodammodò propinquabant ad lucem, & videre incipiebant. *Et schisma erat inter eos. Dicunt cæco iterùm: Tu quid dicis de eo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit, quia propheta est.* Benè quidem dixit, sed melius dicere poterat, nisi timuisset. Nam ipse quoque Dominus prophetam se esse ostendit, dicens: Non est propheta sine honore, nisi in patria sua. *Nō crediderūt ergo Iudæi de illo, quia cæcus fuisset & vidisset, donec vocauerunt parentes eius qui viderat, & interrogauerunt eos, dicentes: Hic est filius vester, quem vos dicitis, quia cæcus natus est? quomodò ergo nunc videt? Respōderunt eis parentes eius, & dixerunt: Scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est: quomodò autem nunc videat, nescimus: aut quis eius aperuit oculos, nos nescimus, ipsum interroga, ætatem habet, de se loquatur.* Hæc autem quare illi dixerint, Euangelista exponens ait: *Hæc dicebant parentes eius, quia timebant Iudæos. Iam enim conspiraverant Iudæi, ut si quis eum confiteretur Christum, extra Synagogam fieret. Propterea parentes eius dixerunt: Ætatem habet, ipsum interroga. Vocauerunt*

Sputum mysticè.

1. Cor. 11.

Gal.6.

Matt. 28.

Gen.3.

Sabbatizare à peccato.

Matt. 13.

Synagoga non videt Iesum.

ergo rursum hominem qui cæcus fuerat, & dixerunt ei: Da gloriam Deo. Quid est da gloriam Deo? Nega hunc esse Christum, nega te esse Christianum. Hoc autem non est dare, sed auferre gloriam Deo. *Nos scimus, quia homo peccator est. Dixit ergo ille: Si peccator est, nescio. Unum scio, quia cæcus cùm essem, modò video.* Ego (inquit) eius peccata ignoro, ego eum de peccatis non accuso: vnum scio, illud dico & prædico: Cæcus eram, & eo iubente modò video. *Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? quomodò aperuit tibi oculos?* At ille indignatus, quia toties eadē verba dicebant, ait: *Dixi vobis iam, & audistis: quid iterum vultis audire?* Quid toties eadem repetere iuuat? *Nunquid & vos vultis discipuli eius fieri?* Si scirem vos quoque eius discipulos fieri velle, sicut ego sum, iterum atque iterum, & adhuc multoties eadem dicere non recusarem. *Maledixerunt ergo illi, & dixerunt: Tu discipulus illius sis: nos autem Moysi discipuli sumus.* Beati illi, super quos talis maledictio cadit. Vtinam & super nos ista maledictio veniat. Sequitur: *Nos scimus, quia Moysi loquutus est Deus: hunc autem nescimus unde sit. Respondit ille homo, & dixit eis: In hoc mirabile est, quia vos nescitis unde sit, & aperuit meos oculos.* Vbi est ergo sapientia vestra? Vbi est doctrina, quam prædicatis? Cur legem legitis, si non intelligitis? Dicitis peccatorē hunc esse: inauditum, & inusitatum est, vt peccatores talia operentur. *Scimus enim, quia peccatores Deus non audit: sed quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit.* Non est mirandum si rudis adhuc nouiterque illuminatus, contra Ecclesiæ doctrinam aliquid ignoranter loquatur. Neque enim verum est, vt Deus peccatores non audiat. *A seculo non est auditum, quia aperuit quis oculos cæci nati? Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quicquam. Respōderunt & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos?* Quia enim cæcus natus fuerat, plus cæteris eum peccatorem esse putabant. Quod ipsos quoque discipulos Christi sensisse intelligi potest, qui Dominum interrogantes dicebāt: Quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur? *Et eiecerunt eum foras.* Multū ei profuit, quòd foras eiecerunt eum: quia foras eiectus Iesum videre & cognoscere meruit. Non enim Iudæi possunt videre Iesum, nisi priùs de Synagoga exeant. *Audiuit Iesus, quia eiecerunt eum foras, & cùm inuenisset eum, dixit ei: Tu credis in filium Dei? Respondit ille, & dixit: Quis est Domine, ut credam in eum?* Nō de essentia dubitat, sed de persona interrogat. Nōdum enim personaliter eum cognoscebat, quem tamen Dei filium esse credebat. *Dixit ei Iesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait: Credo Domine: & procidens, adorauit eum. Dixit ei Iesus: In iudicium in hunc mundum ego veni, ut qui non vident videant: & qui vident, cæci fiant.* His autem verbis, quid hæc illius cæci illuminatio significaret, ostendit. In iudicium (inquit) ego veni in hunc mundum. In quod iudicium? Iustificationis & damnationis. Iustificantur enim insipientes, damnantur sapientes: isti illuminantur, illi excæcantur: isti lucem sequuntur, & illi in tenebras demerguntur. *Et audierunt quidam ex Pharisæis qui cum ipso erant, & dixerunt ei: Nunquid & nos cæci sumus?* Si illi (inquiūt) qui vident, cæci fiunt, nunquid & nos, quia videmus, cæcos esse dices? *Dicit eis Iesus: Si cæci essetis, non haberetis peccatum. Nunc autem quia dicitis, videmus, peccatum vestrum manet.* Ideò (inquit) manet peccatum vestrum, quia dum vos videre putatis, non quæritis vt videatis. Si enim apud vos cæci essetis, id est, si vos cæcos esse intelligeretis, peccatum non haberetis, quia lucem quæreretis.

Cæcus arguit pharisæos.

Iohan. 3.

FERIA QVINTA,
Lucæ VII.

In illo tempore: Ibat Iesus in ciuitatem, quæ vocatur Naim: & ibant cum eo discipuli eius, & turba copiosa. Et reliqua.

Require Homiliam Dominica XVII. post festum Pentecostes.

EADEM FERIA V.
HOMILIA EVSEBII Emeseni.

HAEc enim vidua, quam multa turba sequitur, sancta Ecclesia est, de qua dicitur: Viduam eius benedicēs benedicam. Vidua quidem est, non quòd virum non habeat, sed quia videre eum non potest, quem adhuc post multa tempora venturum expectat. Dicitur enim vidua, quasi à viro diuisa. Idipsum autem & per viduam mulierem, & per hanc ciuitatem figuratur. Huic autem ciuitati Dominus appropinquat, qui quotidiè Ecclesiam suam visitare non cessat. De hac ciuitate toties defunctus effertur, quoties aliquis in peccato mortuus ab ea sepa-ratur: quem tamen pia mater lachrymis prosequitur, quia nec fugientis filij Ecclesia obliuiscitur. Luget enim (vt Apostolus ait) quotidiè de omnibus illis qui peccauerunt, & pœnitentiam non egerunt de peccatis suis. *Quam cùm vidisset Dominus, misericordia motus super illam, dixit ei: Noli flere. & accessit, & tetigit loculum. Hi autē qui portabant steterunt, & ait illi: Adolescens, tibi dico, surge. & resedit qui erat mortuus, & incœpit loqui: & dedit illum matri suæ.* Mœrentium consolator Deus, illorum maximè lachrymas intuetur, qui aliorum deflent peccata. Tangit loculum, sistit portitores, & mortuum suscitat, dum suæ visitationis attactu ad pœnitentiam hominem reducit. Mali isti portitores, qui ad sepeliendum hominem ferunt: boni illi, qui à sepulchris ad vitam hominem reducunt. Isti enim portitores, vitia & maligni spiritus, hæretici

Psal.131.

Defunctus effertur.

2. Cor. 12.

Mali portitores.

& seductores intelliguntur. Hos enim nisi Dominus sisteret, quoscunque semel acciperét, sepulturæ & æternæ damnationi traderent. Suscitatus igitur adolescens, sedet, loquitur, & matri redditur: quia ad pœnitentiam conuersus, iam non ad flagitia & mortem ruit, sed in Ecclesiæ pace quiescit, Dei magnalia loquitur, sua peccata confitetur, & Deo & Ecclesiæ per omnia recõciliatur. Non autem vacat à mysterio, quòd cùm plures mortuos Dominus suscitauerit, tres tantùm Euangelistæ eum suscitasse scripseruut. Suscitauit enim filiam Archisynagogi adhuc intra domum manentem, & in abditis penetralibus iacentem. Suscitauit autem & hunc viduæ mulieris filium, iam quidem extra ciuitatis portas elatum, sed nondum humatum. Suscitauit præterea Lazarum non solùm sepultum, verumetiam fœtentem quatriduanum. Isti ergo tres mortui tria mortis genera significant. Moritur enim homo cogitatione, moritur operatione, & moritur peccandi consuetudine. Sed hæc tertia mors illis alijs duabus peior est, sicut & secunda valdè prima deterior est, Peccat enim mala cogitando, sed plus peccat malè operando, & eò ampliùs in peccato perseuerando. Qui enim cogitando illicita & nefaria concupiscit, mortuus est: sed adhuc in domo manens, & peccatum interiùs celans, nõdum ad sepulchrum effertur. Et iste quidem facilè suscitatur, si eum visitauerit, vocauerit, & tetigerit Iesus. Talem enim animam, quia facilè excitatur, non penitùs mortuam, sed quasi dormientem Dominus reputat, dicens: Non est mortua puella, sed dormit. Si verò malum quod intus cogitauit, foris ostendat, & in effectũ perducat, non solùm mortuus est, verùm etiam extra domum, imò extra ciuitatem elatus, & longè ab Ecclesia factus, iam sepulchro & perditioni proximus est. Pro hoc igitur necesse est vt ploret, lachrymetur, & oret mater Ecclesia, quatenùs ad perditionem ruenti occurrat Iesus, suscitet eum, ad vitam reducat, portitores sistat, matri reddat, & Ecclesię reconciliet. At verò si & cogitatione, & operatione, & longa consuetudine peccandi mortuus est, hic quasi Lazarus quatriduanus iam fœtet. Suscitatur tamen & iste, sed non tam facilè sicut illi. Quantò enim ampliùs in peccato aliquis perseuerat, tantò difficiliùs ab eo separatur. Hoc autem ex eo ostenditur, quòd in morte Lazari lachrymatus est Iesus, & nõ qualicunq;, sed magna voce vocauit eum, dicens: Lazare veni foras. Qui quasi longis prauæ cõsuetudinis funibus irretitus, manibus pedibusque ligatis prodijsse refertur.

Luc. 8.

Luc. 7.

Ioan. 11.

Tres mortui, 3. genera mortis animæ.

Luc. 8.

FERIA SEXTA,
Ioan. XI.

In illo tempore: Erat quidam languens Lazarus à Bethania, de castello Mariæ & Marthæ sororum eius. Et reliqua. Homilia Erici.

INter omnia miracula quæ Dei filius, vt suam panderet diuinitatem, operatus est, supereminet hoc, & quasi quendam obtinet principatũ, quod circa Lazarum fecit. Et quidem singula opera eius admiratione dignissima sunt. Quis enim non venerabiliter admiretur, quòd claudi rectis gressibus incesserunt, quòd mutis linguarum claustra soluta sunt, quòd cæcorum diù clausa lumina, tactu sacræ manus eius reserata sunt? Quis hæc & plura alia considerans, nõ diuinam potentiam stupens admiretur? Sed hæc omnia parua ad ingentem Christi maiestatẽ videbantur, nisi amicus eius Lazarus moreretur. Quem idcircò mori permisit, vt eũ nouo & omnibus seculis admirando ordine suscitando, sese vitæ mortisque Dominum esse declararet. Accesit etiam ad singularem dignitatem miraculi, speciale meritum dignissimi descriptoris. Nullus quippe alius omnium Euangelistarum hoc descripsit, sed soli dilecto Domini Ioanni reseruatum est: quia nimirum res tam vnica & tam egregia nullum alium, quàm dilectissimũ Christo virginem habere debuit relatorem. Verùm quoniam hæc lectio ex maiore sui parte per se clara est, & per singula expositione non eget, capitulatim magis quàm verbatim eam explanandam suscepimus, vt ad ea quæ magis necessaria sunt veniamus. Denique suprà legitur, quòd cũ esset Dominus in templo, & in porticu, quæ Salomonis appellatur, doceret, nõ terétes Iudæi verba diuinitatis eius, sustulerunt lapides vt lapidarent eum: Dominus verò inter manus se lapidare volentium illæsus exiuit de templo, & abijt trans Iordanem, vbi priùs fuerat Ioannes baptizans. Cùm ergo ibi esset, infirmabatur Lazarus in Bethania, quod erat castellum Mariæ & Marthæ, proximum Hierosolymis. *Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, & extersit capillis suis pedes eius.* Quoniam tunc temporis plures erant huius nominis, ne erraremus ex nomine, ostẽditur ex notissima actione. Ipsa enim est Maria, quæ quondam, vt Lucas Euangelista narrat superiùs, peccatrix veniens pedes Domini vnguento perunxit, lachrymis rigauit, capillis detersit, sicque multorum criminum veniam à Domino promeruit. Miserunt ergo ad illum, quoniam absens erat trans Iordanem, nunciantes quòd frater illarum Lazarus infirmaretur: vt tam sibi quã fratri succurreret, istas dolore, illũ ægritudine liberaret. Sed videamus, quid nũciantes dixerũt. *Domine, ecce quẽ amas, infirmatur.* Nõ dixerũt, Veni vt languẽtem sanes: nõ hoc certè ausę sunt dicere: sufficiebat illis, si tãtùm nosset quòd infirmaretur. Sciebant enim, quòd non desereret quem amabat. Ecce, inquiunt, quem amas, infirmatur. Tanquam dicerent: Sat est, vt hoc noueris Domine, nec opus est vt ad nos veniens fatigeris. Ibi præcipe, & hic quod iusseris fiet. *Audiens autem Iesus, dixit: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut*

præcipuũ miraculũ.

Ioan. 10.

ut glorificetur filius Dei per eam. Quare dicis Domine, ad mortem non est, cùm Lazarus ineuitabiliter sit moriturus? Nouerat & hoc Dominus, & vt sic fieret ipse voluerat, sed post mortem eum suscitare decreuerat. Quod ergo respondit, Infirmitas hæc non est ad mortem, tale est, ac si dicatur: Mors hæc non est ad mortem. Non enim moritur, vt sicut cæteri homines mortui, à morte teneatur, sed vt mirabiliter resuscitetur. Pro gloria Dei, vt filius Dei glorificetur per eam, subaudiendum, infirmitatem. Hæc autem glorificatio nõ ipsum auxit, qui summè perfectus est, & proficere non nouit: sed nobis profuit, quatenùs per hoc tantum miraculum in eum crederemus, & æternam animæ mortem euaderemus. Sed videamus diligentiùs, quid dixerit. Ait enim: Pro gloria Dei. deinde adiũxit: Vt glorificetur filius Dei per eam. Ergo filius Dei, Deus. Hoc contra hæreticos, qui dixerunt Christum non esse naturaDeum, sed gratia. Vnde quidam illorum dixit: Non inuideo Christo facto Deo. hoc & ego fieri possum, si volo. *Diligebat autem Iesus Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum.* Ille languebat, illæ dolebant: sed spem maximam habebant, quoniam diligebatur ab eo, qui & dolentiũ est consolator, & languentium sanator, ipsorum etiam mortuorum resuscitator. *Vt ergo audiuit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodẽ loco duobus diebus.* Noluit tunc Dominus venire: distulit sanare, vt posset mirabiliùs resuscitare. Mansit ergo illic, donec quatriduum impleretur. *Deinde post hæc dixit discipulis suis: Eamus in Iudæam iterum.* Territi sunt discipuli, quòd audiebant illum velle iterum in Iudæam venire. Nouerant conspirationem immanissimam, qua illum Iudæi persequebantur, & morti tradere laborabant: idcircò dicebant ei: *Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc?* Respondit eis, qui humanam rabiẽ timere non poterat: *Nónne duodecim horæ sunt diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi uidet. Si autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux in eo non est.* Audierant sancti discipuli Dominum in Iudæã iterum velle venire, & formidantes ne bonus magister à Iudæis comprehenderetur, quasi consilium ei dare, & ab incepto reuocare volebant. Non adhuc perfectè intelligebãt dispensationem, propter quam venerat. Ad hoc enim Deus hominem induerat, vt pro salute hominum moreretur. Sic & B. Petrus cùm audisset Dominũ de passione sua loquentem, quasi reuocare eũ volens, dixit: Absit hoc à te Domine, nõ morieris. Cũ ergo Apostoli Dominum cõsulere & quodãmodò consiliũ dare vellẽt, redarguit eos dicens: Nõne duodecim sunt horæ diei? Se profectò diẽ appellauit, qui est dies ex die, lumẽ de lumine, quiq; de se alibi dicit: Ego sum lux mundi. Et vt se diẽ ostẽderet, duodecim Apostolos elegit, de quibꝰ nũc dicit: Nónne duodecim horæ sunt diei? Ac si diceret: Vos qui horæ estis diei, quare sic consiliũ dare vultis? Horæ diẽ sequuntur, & die moderãte peragũtur. Sed fortè dicat aliquis: Iudas ex duodecim vnus erat: nũquid & ipse hora diei erat, qui ipsã diẽ ad mortẽ tradebat? Sed quãdo hoc Dominus dicebat, nõ ipsum Iudã attẽdebat, sed Matthiã in locũ illius eligebat. Deniq; Iuda in locũ sibi debitũ abeũte, electus est Matthias Apostolus: & sic perfectus mãsit Apostolicus numerus. Christus ergo dies est, *Christus, dies.* & qui in hac die ambulauerit, errare nõ poterit. Illi enim adhæret, qui dixit: Ego sum lux mũdi. qui sequitur me, nõ ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Nã qui sine hac luce est, errare potest, ambulare nõ potest. *Hæc ait, & post hæc dixit eis: Lazarus amicus noster dormit, sed uado, ut à somno excitem eum.* Mortuus quidem erat, sed Christo viuebat. Nullus quippe tanta facilitate potest aliquem excitare à somno, quãta Christus Lazarũ resuscitare valebat è tumulo. Deniq; & oẽs defuncti, si potentiã Dei cõsideres, à quo in nouissimo sunt resuscitãdi, dormiẽtes possunt vocari, iuxta qꝰ Apostolus dicit: Nolo vos ignorare fratres de dormiẽtibus. Et alio loco: Oẽs quidẽ dormiemus, sed nõ oẽs immutabimur. *Domine, si dormit, saluus erit.* Sicut verba Domini intellexerunt, sic respõderũt. Si dormit, inquiũt, saluus erit. Solet enim somnus in ægrotãte iuuene iudiciũ esse salutis. *Et Dominus quidẽ dixerat de morte eius: illi aũt putauerũt, quia de dormitione somni diceret. Tũc dixit eis Iesus manifestè: Lazarus mortuus est, & gaudeo propter uos, ut credatis, quia nõ erã ibi.* Lazarus languẽs, non mortuus fuerat nũciatus. Sed quid latere posset eũ, cuius oculis omnia nuda & aperta sunt? Quomodò ignoraret mortẽ Lazari, qui ipsum Lazarũ creauerat? Gaudebat igitur propter discipulos, qui mirabãtur sic eum cũcta nosse, & per hoc verũ Deũ certiùs & manifestiùs eum esse credebant. Licet enim iam crederent, talis tamẽ erat illorũ fides, quæ adhuc proficeret, quæ miraculis ædificata creseeret. *Sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos: Eamus & nos, & moriamur cum illo.* Quibus verbis verum prodidit amantis affectũ. Amabant quippe Apostoli incõparabiliter Dominũ: quia eorũ vita ex illius præsentia pendebat, adeò vt aut cũ eo viuere, aut certè cũ eo mori iucundum haberent. Eamus, inquit, & moriamur cum eo. Quia, inquit, videmus eum ad inimicos & ad mortem præparare, neq; eum à tali consilio valemus reuocare: eamus & nos, & cum eo moriamur: ne post eius necẽ deserti & inconsolati remaneamus. *Venit itaq; Iesus, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem.* Sic ipse voluerat: ad hoc anteà venire distulerat, vt illud quatriduũ impleretur, & gloriosiùs ille resuscitaretur. Sed quoniam ea quæ sunt ad literam, satis per se patent, ad indagandũ mysteriũ accedamus. Significatur ergo per hunc Lazarum Lazarũ peccator aliquis, qui iam nõ solũ peccauit, verũ etiã peccandi consuetudinem recepit. Sed fortassis aliquis tacitus dicat: Quomodò Lazarus typum peccatoris gerebat, quem sic Do-

Hæretici, Ariani.

Matt. 16.

Ioan. 8.

Heb. 4.

Lazari suscitati circa Lazarum fecit.

Act. 1.

Christus, dies.

Ioan. 8.

quem significet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

minus amabat? Sed solent aliquādo significatio-
2. Reg. 11 nes rerū ex cōtrario accipi. Deniq; Dauid rex & propheta adulterium in Bethsabee vxore Vriæ admisit, & ipsum fidelem & innoxium militē suum, gladio filiorum Ammō interfecit. In quo facto si respicias historiam, quis dubitet Vriam innocenter occisum, merito iustitiæ & innocentiæ, Dauid adultero & homicidæ præferendum? Sed si arcanum interroges mysterium, per Vriā diabolus, per Dauid ex contrario intelligitur Christus. Verùm cùm hoc sit, non idcircò merita diuersarum partium depreciantur. Et sæpè videtur nomen diaboli teterrimum auro vel minio scriptum, nomen verò Christi splendidissimum atramento notatum. Ergo per Lazarum, vt præmissimus, peccator aliquis figuratur. Amabatur à Christo, quia Christus pro peccatoribus suam dignatus est exhibere præsentiam. Ipse e-
Matth. 9. nim dixit: Non veni vocare iustos, sed peccatores. Quærēdum nunc, quid designetur per quatuor dies, quibus mortuus in sepulchro iacebat. Omnis homo mortuus nascitur cum peccato originali. Hinc Apostolus dicit, Quia per vnū hominem peccatum intrauit in mundū, & per pec-
Rom 5. catum mors. Hæc est prima dies mortis, quā dedit origo, ppaginis. Deinde crescendo adolescit homo, venit ad annos rationis capaces, incipit
I. dies mortis. in se habere naturalē legē, qua docentur naturaliter homines, vt quod sibi fieri nolunt, alijs non
Lex naturæ. faciant. Sed & hanc transgrediuntur, & qui patiuntur furtum nolunt, furtum faciunt. ecce altera dies
II. dies. mortis. Accessit adhuc lex data per Moysen.
Exod. 20. Præcipitur nanq; ibi: Non occides, non mœchaberis, non furtum facies: honora patrem tuum & matrem. Scripta est hæc lex, sed ipsa quoq; con-
III. dies. temnitur: & sic iam quasi tertia dies mortis. Post omnia venit Christus, attulit Euangelium, prædicauit regnum cælorum, malefacientibus minatus est gehennam, benè viuentibus vitam promisit æternam. Quid plura? Etiam Euangelium
IIII. dies. contemnitur, & est hæc quarta dies mortis. Possunt & aliter hi quatuor dies exponi. Diximus nanq; per Lazarum figurari peccatorē, qui iam mala peccandi cōsuetudine & desperatione sepultus est. Ad consuetudinem verò peccati quar-
Quatuor peccati gradus. to quodam progressu peruenitur. Primò enim est titillatio in corde, secundò consensus, tertiò factum, quartò consuetudo. Quidam enim quū illicita cogitatione pulsantur, ita eam à corde repellunt, vt penitùs nulla mali delectatione moueantur. Quosdam delectat quidem, sed nō adducuntur vt consentiant. Ad delectationem accedit consensus, & sic in opus erumpitur. Iam factum in consuetudinem vertitur, & impletur illud mortis quatriduum: & quasi quædam sit desperatio, vt dicatur, Iam fœtet: quatriduanus enim est. *Martha ergò ut cognouit quia Iesus uenit, occurrit illi. Maria aūt domi sedebat.* Dixit ergo *Martha ad Iesum: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus: sed & nunc scio, quia quæcunq; poposceris à Deo, dabit tibi Deus.* Quàm moderatis verbis vtitur, quæ ita temperanter dolet interitum fratris? Non enim dixit, Rogo te vt suscites eum, sed tantùm, Scio, quia quęcūq; poposceris à Deo, dabit tibi Deus. Tanquam diceret: Certa quidem sum, quia potes: scio potentiam in te esse indeficientem, sed si vis, facis. Non ergo præsumo petere vt facias, quia nescio si velis. *Dicit illi Iesus: Resurget frater tuus. Dicit ei Martha: Scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die.* Dominus quidem in præsenti fratris resurrectionem promittebat: sed Martha de ea resurrectione, qua omnes homines resurrecturi sunt, eum dixisse putabat. Viderāt certè crebrò Dominum mortuos suscitasse, sed hoc tantum erat, quantum nec ipsa ausa est fides optare. De illa ergo resurrectione secura erat, de hac autem incerta manebat. *Dicit ei Iesus: Ego sum resurrectio & uita.* Ac si diceret: Quare dubitas nūc fratrem posse resurgere, cùm ego qui sum resurrectio & vita, illum resurrecturum promittam? Per quem resurget quando resurrecturi sunt & cæteri homines, per eum potest & modò resurgere. Ipse ergo est resurrectio & vita, quia per eū resurgimus à peccato, vt viuamus iustitię. *Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, uiuet.* hoc est: si mortuus fuerit carne, viuet spiritu. Nō est enim Deus mortuorum. De morte enim corporis hìc loquitur. Quicunq; enim in Christum credit, & secundùm quod credit, viuit, etiamsi carne moriatur, vniuersale cunctorum hominum persoluendo debitum, viuit tamen in anima, Christo, qui vita animæ est, inhærendo. *Et omnis, inquit, qui uiuit,* subaudiendum in carne, *& credit in me,* & si mortuus fuerit ad tēpus morte corporis, *non morietur in æternum,* propter vitam spiritus, & immortalitatem resurrectionis. *Credis hoc?* Sciebat hoc, quē nil latere potest, quòd crederet, sed cō fessionē qua saluaretur quærebat. Corde enim Rom. 10. creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. *Ait illi: Vtique Domine. Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei uiui, qui in hunc mundum uenisti.* Cùm autem credidit eum filium Dei, credidit etiam vitam & resurrectionem, quodq; omnis, qui in eum crederet, in æternum non moreretur. Nam suprà Dominus vtrùm hoc crederet, interrogauerat. *Et cùm hæc dixisset, abijt & uocauit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & uocat te.* Silentium hic suppressam vocem dixit. Neq; enim siluit, quæ dixit, Magister adest, & vocat te. *Illa ut audiuit, surgit citò, & uenit ad eum. Nondum enim uenerat Iesus in castellum: sed erat adhuc in loco illo, ubi occurrerat ei Martha. Iudæi igitur qui erāt cum ea in domo, & consolabantur eam, cùm uidissent Mariam quia citò surrexit & exijt, secuti sunt eam, dicentes: Quia uadit ad monumentū, ut ploret ibi.* Putantes Iudæi, qui ad illam consolādam conuenerant, quòd ad fratris tumulū festinaret, lachrymis solatiū quæsitura, & dolori suo fletibus satisfactura, secuti sunt eam, diuina id agente prouidentia: vt plures tam præclarū miraculum

culum quatriduani mortui resurgētis cernerēt, sicq; in Christū crederēt. *Maria ergo cū uenisset ubi erat Dominus, uidēs eū, cecidit ad pedes eius, dicens: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Ac si queratur, dicens: Dū nobiscū præsens fuisti, non morbus, non infirmitas aliqua nobis appropinquare ausa est, apud quas vitā hospitari nouerat. At vbi abscessisti, adfuit mors inuida, quę fratrē nostrū te adhuc posito in seculo, acerbo funere rapuit: quod si tu adfuisses, amicus tuus Lazarus mori nō potuisset. *Iesus ergo ut uidit eā plorantē, & iudæos qui cū ea uenerāt plorātes, infremuit spiritu, & turbauit semetipsum, & dixit: Vbi posuistis eū?* O fremitus pietatis, ô turbatio turbatorū sublatura mœstitiā, & æternā prærogatura lætitiā. Turbauit ergo semetipsum Dominus potestate, quia nullus alius poterat eum turbare. Turbatus est, quia voluit: sicut mortuus est, quia ipse mortē ad se venire permisit. Sed magnū aliquid in hac sua nobis innuit perturbatione. Diximus suprà, per Lazarū quatriduanū, peccatorē significari desperatū, & longa peccati consuetudine quasi mole sepulchri depressum, ac mala opinione fœtentē & tabidū. Suscitaturus eū Christus fremuit, & turbauit se, vt ostendat, cū qui talis est, perturbari & ingemiscere, atq; intimo cordis rugitu fremere debere, & attendere quæ fecit, & sic secū agere: Quid mihi misero contigit? Dimissa erant mihi in baptismo omnia peccata: sed ecce post sanctū lauacrū peiùs sordidatus sum, post medicinā graiùs vulneratus. Peccaui grauiter, nec vnquā peccatis meis terminum ponere volui, & semper me Dei clementia ad pœnitentiā expectauit, & peccantē statim punire noluit: cū ego miserrimus & æternis cruciatibus dignus, eius mansuetissimā lenitatē semper nouis & subinde recrudescentibus sceleribus irritare nō timuerim. Quādo ista peccator secū plāgit, tam fremit & turbatur in eo Christus. Ad hoc enim tunc fremuit, vt doceret peccatorē fremere, & peccata sua accusare debere, si vult ad vitā animę redire. *Vbi, inquit, posuistis eū?* Nūquid ignorabat vbi positus esset, quē volebat resuscitare? Sed interrogat, vt ostēderet ea solū se cognoscere, quæ iusta & sancta sunt: peccatorē verò ignorat, quia reprobat. Vnde Adę post Gen. 3. Luc. 13. peccatum dicitur: Vbi es? Et reprobis in iudicio Matth. 25. dicturus est: Nescio vos vnde sitis. Quid est enim dicere, Nescio vos, nisi nō vos in luce iustitiæ recognosco? *Dicunt ei: Domine, uem & uide.* Vide, hoc est, miserere. Videre nanq; eius, misereri est. *Et lachrymatus est Iesus.* Lachrymatus est, quia fons pietatis erat. Sed illæ lachrymæ inexplebi le gaudiū erant pariturę. Hinc pulchrè Sedulius: Lachrymis impleuit amicū, Maiestate Deū. Flebat enim eū pro parte humanitatis, quē resuscitare poterat per potentiā diuinitatis. Lachrymatus est etiā Dominus ea de causa, qua superiùs fremuit & turbatus est, vt peccatores doceret fletibus & lachrymis indigere profusis. *Dixerūt ergo Iudæi: Ecce quomodò amabat eum. Quidā aūt ex ipsis dixerūt: Nō poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, ut hic non moreretur?* Poterat hoc certè Dominus: sed permisit vt Lazarus moreretur, quatenùs maiore maraculo suscitaretur. *Iesus aūt iterū fremens in semetipso, uenit ad monumentū. erat aūt spelunca, & lapis superpositus erat ei.* Per lapidē, quo mortuus pre- Lapis, lex mebatur, figuratur lex, qua peccator reus condēnatur. Et benè lex per lapidē accipitur, quia in lapideis tabulis scripta fuit. Mortuus ergo sub lapide, reus est sub lege. Nam hi qui benè viuunt, sub lege nō sunt: quoniā iusto lex nō est posita, 1. Tim. 1. sed iniustis & peccatoribus. Hunc lapidē Dominus iusit remoueri, quādo gratiā sancti Euāgelij iusit per totū orbē prædicari. *Dicit ei Martha, soror eius qui mortuus fuerat: Domine, iam fœtet. quatriduanus est enim.* Iam quasi desperabat, potiusq; timebat remoto lapide fœtorē excitari, quàm fratrē posse resuscitari. *Dicit ei Iesus: Nonne dixi tibi, quia si credideris, uidebis gloriam Dei.* cùm videlicet quatriduanū & putentē suscitauero. Sed & cùm desperatus aliquis à sepulchro peccatorū eripitur, Dei potētia ab intuētibus prædicatur: quia vbi abundauit iniquitas, superabundat gratia. *Tulerūt ergo* Rom. 5. *lapidē. Iesus aūt eleuatis sursum oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniā audisti me. Ego aūt sciebā, quia semper me audis: sed propter populū qui circunstat, dixi, ut credant quia tu me misisti.* Quibus verbis quid aliud, quàm gloriā Dei patris in hoc, sicut & in alijs operibus requirebat? Nam quia per humanitatem minor erat patre, ab illo Lazari quærebat resuscitationem, atq; ab eo se dicebat exauditū, & hoc propter circunstantē turbā, vt eum vel sic crederent Dei filiū, & ab eo missum, quē patrem chari filij cōpellebat affectus. Iam inferi turbabantur, iam sub pedibus Domini reseratus patuit infernus. Oēs mortui expectabāt nomina sua vocari. *Clamabat ergo Iesus uoce magna, dicens: Lazare, ueni foras.* Vno nominatim vocato, cæteri intercepti sunt. Sed quanta in huius mortui resuscitatione facta esse dicuntur? Fremuit Dominus, turbatus est, voce magna clamauit: quia videlicet difficilè & cū læ consuetudinis morte resurgit, quē moles mala premit. *Et statim prodijt, qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes institis, id est, fasciolis: & facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Iesus: Soluite eum, & sinite abire.* Potuit quidē Dominus soluere mortuū, quem valuit resuscitare: sed noluit secreti gratia sacramenti. Ad magnā enim vocē Domini surgit mortuus, quando magna Dei gratia relipiscit peccator. Prodit de monumento, quando confitetur peccata sua: sed tamen ad- Confessio huc ligatus est, adhuc reus, nec suis viribus ab- peccatorū solui potest. Præcipit ergo Dominus discipulis vt eum soluant, & abire sinant: quia ipsis & reliquis ministris sanctæ Ecclesiæ, successoribus eorum, data est potestas dimittendi peccata. Ait enim: Quæcunq; solueritis super terram, erunt so- Matt. 18. luta & in cælo. Simul etiam commēdata est hoc loco vnitas Christi & Ecclesiæ. Quia etenim Vnitas eccl. Christus caput est, & Ecclesia corpus eius, Chri- Christi stus Ecclesiæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

stus suscitat, discipuli soluunt: vt liquidò mõstretur, neminem sine vnitate fidei catholicæ posse à peccatorum morte suscitari. Sanè non est omittendum, quòd in sancto Euangelio tres tantùm mortuos resuscitasse Dominus legitur. Plures quidem resuscitasse non dubitatur, quoniã quidem beatus Ioannes dicit: Multa alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Sed tres tantùm referuntur, certi causa mysterij. Denique suscitauit filiam archisynagogi, adhuc intra domesticos parietes constitutam: nec permisit secum quenquã intrare, nisi Petrũ & Iacobũ & Ioannẽ, & patrem & matrem puellæ. Suscitauit etiam filium viduæ mulieris, extra portam suæ ciuitatis elatum, multis coràm positis & cernentibus. Suscitauit præterea Lazarum iam sepultum, iam fœtidum. Ista tria genera mortuorum, significant tria genera hominum peccatorum, quos & hodiè suscitat Christus. Nam per filiam archisynagogi, quæ intra domum paucis vidẽtibus resuscitata est, designantur hi, qui peccatum intus in conscientia clausum habent, & necdum ad opus erumpunt. Verbi gratia: Commotus est aliquis mala concupiscentia, deliberat si adsit facultas implere, quod illicitè concupiuit. Iam mortuus est, sed intra domum clausus est. Dicit enim Dominus: Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Necdum corpore ad eam accessit, sed corde cõsensit. mortuus iam est, sed nondum elatus est. Hic si aliquando diuina inspiratione reprehenderit prauam concupiscentiã, punit nequã consensum, reuiuiscit ad salutem in secreto cogitationis. Sunt alij, qui post consensum ad perpetrandum facinus exeunt, & quasi mortuum de latebris animæ proferunt, vt quod latebat in secreto, appareat in publico. Sed hi tales plerunq; diuinitùs admoniti conuertũtur, & ad vitã animæ resuscitantur. Sunt præterea nonnulli, qui facien do quod malum est, etiam se mala consuetudine implicãt, adeò vt ipsa mali cõsuetudo nõ permittat eos intelligere malũ esse quod faciunt. Nonnunquam defendũt malũ quod agunt, irascuntur cùm reprehenduntur. Hi tales iam quasi sepulti, & ingenti mole, hoc est, pondere malæ consuetudinis obruti sunt. Ad hos quoq; dignatur venire Dominus occulto suæ misericordiæ instinctu, si tamẽ habuerint sorores, id est spirituales animæ virtutes, quarũ interuentu possint reuocari ad vitã. Verũ quasi quandã ostẽdit Dominus difficultatẽ, cùm fremit spiritu, cùm turbat seipsum, cũ clamat voce maxima, vt ostẽdat magnæ obiurgationis clamore opus esse aduersus eum, qui peccandi consuetudine duruerit. Non ergo de his desperandũ est. Ad vocẽ nãq; Domini contremuit infernus, surrexit quatriduanus mortuus, liberatus est peccator etiã à cõsuetudine committendi reatus. Sed priùs eum intrinsecus per seipsum viuificat, postea per sacerdotum

Ioan. 20.

Luc. 8.

Luc. 7.

Tria genera peccatorum.

Matt. 5.

Mala consuetudo.

ministeriũ absoluit. Nullus quippe peccator absoluẽdus est, antequã per dignã pœnitentiã correctus, & intrinsecus appareat viuificatus. *Multi aũt ex Iudæis, qui uenerant ad Mariam & Martham, & uiderant quæ fecit, crediderũt in eum.* Facto tã glorioso, & cunctis seculis prædicando miraculo, non omnes, sed multi Iudæorum credidisse dicuntur. Quo loco durissima infidelitas & inconuertibilis in malo pertinacia notata est. Et reuerà tantũ erat peccatum illorum, vt aliter non possent digni fidem Christi suscipere, nisi priùs filiũ Dei interficerent. Hinc Psalmista: Imple facies eorũ ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Priùs enim cõfusione & ignominia repleti sunt, cùm post Christi ascensionem, audientes Apostolos eius resurrectionem prædicantes, cœperunt erubescere, & perpendere quantum scelus in nece saluatoris admisissent: sicq; nomen eius quæsierunt, cùm perculsi timore Apostolis dixerunt: Quid faciemus viri fratres? indicate nobis. Quibus beatus petrus: Pœnitẽtiam, inquit, agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum in remissionem peccatorẽ. Sic enim ante secula decreuerat, vt morte sua illum, qui habebat mortis imperiũ, id est, diabolum, destrueret, ipsosq; mortis suæ ministros mortuus sibi subiugaret. Quocircà tã insigni mortis triumphatori gratias dignissima exultatione soluamus, illum diebus & noctibus meritis laudum præconijs extollamus, & præcipuè misericordiam illius imploremus: quatenùs nos ita suis per omnia faciat obedire mandatis, quò nullo in nobis regnante peccato, ipsi mente & desiderio adhærere, atque ad gaudium beatæ eius visionis mereamur feliciter peruenire, Amen.

Peccator quando absoluendus.

Psal. 82.

Act. 2.

Heb. 2.

EADEM VI. FERIA, HOMILIA EVSEBII Emesseni.

Erat quidam languens Lazarus à Bethania, de castello Mariæ & Marthæ sororum eius, &c. Ioan. 11.

IN magnis laudibus Mariæ scripsit hęc Euangelista, quę Dominũ vngere, eiusq; pedes tangere meruit. Beatæ illæ animæ, quæ ad similitudinem huius Mariæ, cum aromatibus, cũ vnguẽto, & bono odore ad Dominũ accedũt. Hæc est illa, quæ in Canticis canticorum loquitur, dicens: Cùm esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suũ. Tres mortuos Dominũ suscitasse legimus: Filiã scilicet principis synagogæ, in domo: Filium mulieris viduæ, extra portã ciuitatis: & hũc Lazarum, in sepulchro quatriduanum. Per hos enim tres mortuos, tria mortis genera significantur. Moritur enim homo praua & illicita cogitando, moritur malè operando, moritur in peccatis perseuerando. Cogitas aliquid agere, quod non licet: mortua est anima tua, sed

Cant. 1.

Luc. 8.

Luc. 7.

Ioan. 11.

Peccatum in cogitatione.

Operis.

in domo adhuc & in occulto iacet mortua, quia latet peccatum & nondum diuulgatũ est. Si verò cogitationem ad effectum perducas, non solùm mortua est, sed iam etiam extra ciuitatis portam elata, & per peccatũ ab Ecclesia separata, & perditioni proxima est. At verò ille, qui peccatum aliquod magnum cõmisit, & multo tempore in eo perseuerat, nõ solùm mortuus est, & sepultus, verumetiam iam fœtet, quia eius turpissimam famam circunquaq; audire abhorret. Omnes tamen hos suscitat Iesus, si à peccato cessent, & ex corde pœniteant, & pro eis parentes, & sorores, & mater vidua deprecetur. Vnde scriptum est: Confitemini alterutrùm peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini. Multum enim valet deprecatio iusti assidua. Sed quid per quatuor dies, quibus Lazarus in sepulchro mortuus iacuit, nisi quatuor ætates intelligimus? Quatuor enim ætatibus, quasi quatuor diebus fœtens, in peccati sepulchro mortuus iacet ille, qui in pueritia, & adolescentia, in iuuentute, & senectute, in malo quod cœperat perseuerat. Infãtia enim, quia ignorantiæ plena est, his diebus non annumeratur. Considera igitur, quanta sit benignitas Saluatoris nostri, qui post tantam perseuerantiam in malo, putidum & fœtentem resuscitare non dedignatur. *Miserunt ergo sorores eius ad eum, dicẽtes: Domine, ecce, quem amas infirmatur.* Audis igitur, quia Dominus amat peccatores, peccatores vtiq; iã pœnitentes. Tales enim significat Lazarus, de qualibus ipse Dominus ait: Gaudeo magis super vno peccatore pœnitentiam agente, q̃ super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia. *Audiens autem Iesus, dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eam.* Non ideò, inquit, moritur Lazarus, vt in morte maneat, sed vt pro gloria Dei à mortuis resurgat. *Diligebat Iesus Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum.* Diligit enim Dominus & actiuam vitam, & contemplatiuam, & peccatores ad pœnitentiam conuersos. De his autem aliàs disputabitur. *Vt ergo audiuit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus: Deinde post hæc dicit discipulis suis: Eamus in Iudæam iterum. Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quærebant te Iudei lapidare, & iterum uadis illuc? Respondit Iesus: Nónne duodecim horæ sunt diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt: si autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.* Quid est (inquit) quod dicitis? Me sequimini, post me venite: ego sum lux mundi: ego sum dies, vos horæ. Nónne duodecim sunt horæ dei? Ideò ego vos duodecim elegi, quia duodecim sunt horæ diei. Quia igitur horæ estis, diem sequimini: hoc enim horarum proprium est. Si quis autem hunc diem sequatur, si quis in eo ambulauerit, si quis mihi crediderit, non offendet. Quare? Quia lucem huius mundi videt. Ego sum lux mundi. Si verò in nocte ambulauerit, si erroré & tenebrarum principem sequutus fuerit (hoc est enim in nocte ambulare) offendet & cadet. Quare? quia lux non est in eo, quia erroris tenebræ obcæcauerunt oculos eius. *Hæc ait, & post hæc dicit eis: Lazarus amicus noster dormit, sed uadam ut à somno excitem eũ. Dixerunt ergo discipuli eius: Domine si dormit, saluus erit.* Assolet infirmis somnus signum esse salutis. *Dixerat autem* (ait Euangelista) *Iesus de morte eius, illi autem putauerunt, quia de dormitione somni diceret.* Et tale erat, ac si diceret: Dormit Lazarus, sed mihi: alijs autem mortuus est. Faciliùs ego eum de morte resuscitare possum, quàm aliquis homo eum de somno excitare valeat. Vado igitur, vt à somno excitem eum. *Tunc ergo dixit Iesus manifestè: Lazarus mortuus est: & gaudeo propter uos, ut credatis, quoniam non eram ibi. Sed eamus ad eum.* Gaudeo (inquit) *quoniam non eram ibi.* Si enim Iesus ibi esset, ille mortuus non esset. Vbi enim est vita, mors esse non potest. Ego (inquit Dominus) sum resurrectio & vita. Gaudeo, inquit, sed propter vos. Quare propter vos? Vt credatis, vt illius resurrectione fides vestra roboretur, cuius mortem ego absens vobis annuncio. *Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos: Eamus & nos, & moriamur cum eo.* Hoc enim dicit Thomas, quia tanto odio aduersus Iesum & discipulos eius Iudæos inflammatos esse sciebat, vt nihil nisi mortem & pœnam ab eis expectaret. *Venit itaq;, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem.* Quid quatuor dies significent, superiùs diximus. *Erat autem Bethania iuxta Hierosolymam quasi stadijs quindecim. Multi autem Iudæorum uenerant ad Martham & Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo. Martha ergo ut audiuit, quia Iesus uenit, occurrit illi: Maria autem sedebat domi.* Quare autem vbique Martha solicita sit, & Maria quieta, illi sciunt, qui per eas actiuam & contemplatiuã vitam significari intelligunt. *Dixit ergo Martha ad Iesum: Domine si hic fuisses, frater meus non fuisset mortuus.* Quomodò enim mori posset, si ibi vita fuisset? de se enim Dominus ait: Ego sum via, veritas, & vita. *Sed & nunc scio, quia quæcunq; poposceris à Deo, dabit tibi Deus.* Dicit illi Iesus: Resurget frater tuus. *At illa, Scio, inquit, quia resurget in resurrectione in nouissimo die.* De illa resurrectione certa sum: hanc autem te facere posse non dubito: sed vtrùm facias, certa non sum. *Dixit ei Iesus: Ego sum resurrectio & uita, per me resurgunt & viuunt, quicunque viuunt & resurgunt. Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, uiuet.* Qui igitur non credit, non viuet: viuet autem, sed in pœnis. Talis autem vita, mors est potiùs dicenda, quàm vita. Vera enim vita mortis amaritudinem non habet. Qui igitur credit in Christum, quanuis temporaliter moriatur, viuet tamen in æternum. Similiter autem ille qui viuit, & credit in eum (credere enim, viuere est: quia vita animæ, fides est) nunquam moritur. *Credis hoc? Ait illi, Vtique Domine: ego credidi, quia tu es Christus filius Dei, qui in hunc mundum uenisti. Et cùm dixisset, abijt, & uocauit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest,*

Præue consuetudinis.

Luc. 15.

Christus uocat: Apostoli horæ.

Ioan. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& uocat te. Illa ut audiuit, surrexit citò, & uenit ad eum. Nondum enim uenerat Iesus in castellum, sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha. Iudæi igitur, qui erant cum ea & consolabantur eam, cùm uidissent Mariam quia citò surrexit, & exijt, secuti sunt eam, dicentes: Quia uadit ad monumentum, ut ploret ibi. Maria igitur cùm uenisset ubi erat Iesus, uidens eum cecidit ad pedes eius, & dixit ei: Domine si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. Ambæ sorores idem dicunt, idem intelligunt, & veram vitam Christum esse credunt, quo præsente & volente nemo moriatur. Iesus ergo uidens eam plorantem, & Iudæos qui uenerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, & turbauit seipsum. Non aliundè turbatus est, sed ipse turbauit seipsum, & magnum a-

Fremitus & turbatio Christi quid sibi uelint.

liquid significauit nobis per hoc ipsum. Iste enim fremitus & hęc turbatio nos docet, quid nos quoq; in tali re agere debeamus, quando vel pro nobisipsis, vel pro alijs in peccatis turpiter degentibus & fœtentibus Deum oramus. Nos enim (ait Apostolus) quid oremus nescimus, sed spiritus-

Rom. 8.

Psalm. 50

sanctus orat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Vnde & Psalmista: Sacrificium Deo spiritus cõtribulatus: cur contritũ & humiliatũ Deus nõ spernit. Et dixit Iesus: Vbi posuistis eum? Sic enim & primo homini à Deo dicitur, Adã vbi es? Quod quidem tale fuit, ac si diceret: Considera modò, de quanta gloria in quantam miseriam deuolutus es. Et taliter quidem illi ponũtur, qui per Lazarũ significantur. Sed à quibus ponũtur, nisi à mulieribus? Mulierum nanq; consilio factum est, vt omnis homo moriatur, & in sepulchro ponatur.

Genes. 3.

Et lachrymatus est Iesus. Lachrymemur igitur & nos ꝓ omnibus illis, quos in fœtore vitiorum iacere sentimus, si fortè nostris lachrymis Dominꝰ eos resuscitare dignetur. Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodò amabat eũ. Quidam aũt dixerunt ex ipsis: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci, facere, ut & hic nõ moreretur? Iesus ergo rursum fremens in semet ipso, uenit ad monumentũ. Erat aũt spelunca, & lapis superpositus erat ei. Ait Iesus: Tollite lapidem. Non enim possunt resurgere, qui lapide premuntur & clauduntur. Lapis iste

Lapis, legis litera.

litera legis est, quoniã in lapide scripta data est: litera enim occidit, spũs aũt viuificat. Dicit ei Martha, soror eius qui fuerat mortuus: Domine iam fœtet: quatriduanꝰ enim est. Quid est enim fœtor, & quid dies quatuor significent, superiùs dixim⁹. Dicit ei Iesus: Nõne dixi tibi, quia si credideris, uidebis gloriã Dei? Tulerũt ergo lapidẽ. Iesus aũt sursum eleuatis oculis, dixit: Pater gratias ago tibi, quoniã audisti me. Ego aũt sciebã quia semper me audis. Iesus enim secundũ eã partẽ, qua homo est, fremuit, turbatur, lachrymatur, orat, exauditur, & gratias agit. Hęc aũt quare dixerit, quare orauerit & gratias egerit, mox reddidit causam, dicẽs: Propter populũ qui circunstat dixi, ut credãt, quia tu me misisti. Hinc est enim, qd alibi ait: Ego à me ipso nõ veni, sed pater meus misit me. Hæc cũ dixisset, uoce magna clamauit. Qui magno somno grauatur, magna voce excitãdus est. Magno enim somno grauatur, qui in peccato sepultus, neq; in peccatis, neq; in adolescentia, neq; in iuuentute, neq; in senectute excitatur. Hoc enim significant illi quatuor dies, quibus Lazarus iã fœtens iacuit in sepulchro. Et statim prodijt qui erat mortuus, ligatus pedes & manꝰ institis: & facies illius sudario erat ligata. Nulla desperationi datur occasio, cũ Lazarus fœtens & quatriduanꝰ à mortuis resurgat. Et valdè quidẽ mirabile, non solũ quia mortuus resurrexit, verumetiã quia pedib. manibusq; ligatus, foras processit. Et hoc fortasse significatio est, vt intelligamus, quia peccator quacunq; hora cõuersus fuerit & ingemuerit, vita viuet & non morietur. Ligatus tamen adhuc esse videtur, donec ab episcopis solutus, Ecclesię sacramẽtis reconcilietur. Iste enim talis, quanuis foris ligatus appareat, intus tamẽ ligatus non est: quia peccatorũ vinculis solutus, iã Deo per pœnitentiã iunctus est. Vnde & Lazarus, ac si penitùs ligatus nõ esset, de sepulchro liber exiuit. Quẽ tamen Dominus soluere iussit, quatenùs & nos eos ostendamus esse solutos, qui audita voce Euãgelij, in anima per pœnitentiã suscitari meruerũt. Multi ergo ex Iudæis, qui uenerant ad Mariam & Martham, & uiderant quæ fecit Iesus, crediderunt in eum. Quidam autem ex his abierunt ad Phariseos, & dixerunt eis quæ fecit Iesus. Hoc autem vtrùm eius gloriam prædicando, an eum accusando dixerint, dubitari potest.

Ezech. 18.

SABBATO,

Ioannis VIII.

In illo tempore, Dicebat Iesus turbis Iudæorũ: Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen uitæ. Et reliqua. Homilia Erici.

POstquàm Dominus & redẽptor noster mulierẽ in adulterio deprehensam, à sęuitia Iudęorũ eam lapidare volentiũ eripuit, & à reatu adulterij misericordissimè absoluit: ne alicui fortassis in dubiũ veniret, vtrùm nam is, quem verũ hominẽ videbãt, posset peccata dimittere, dignatur apertissimè quid sit, ex diuinitatis potẽtia demõstrare. Ait enim: Ego sum lux mundi. Lux quippe erat incomprehensibilis, & incircunscripta diuinitas, quæ sub velamine assumptæ carnis latebat, cuius authoritate & huic mulieri, & cuicunq; volebat, peccata dimittebat. Hæc est illa vera lux, quæ illuminat omnem hominẽ venientem in hũc mundum, Dei videlicet sapientia, quæ de illo lumine æterno & indeficiẽti processit. Cuius splendorem humana fragilitas aliter sufferre non potuisset, nisi se illa maiestas nube carnis circundedisset, per quam veluti lucidissimum speculum diuini huius luminis claritas humanis mentibus innotesceret. Ergo purganda est interioris hominis acies, & ab omni vitiorum labe, quasi humore noxio, immunis custodienda, vt veri huius luminis aspectu digna reddatur. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen uitæ. Ac si verbis alijs manifestiùs diceret: Qui in præsenti meis iussis obsequitur, & mea in-

Ioan. 8.

quantum sufficit exempla imitatur, in futuro nõ timebit tenebras æternæ damnationis, sed lumine vitæ æternę perfruetur, vbi sublato metu mortis, de sola dabitur perennitate gaudere. Hæ sunt

Tenebræ damnationis.

metuendæ tenebræ, omni nocte tetriores: non exteriorum oculorum, quibus alba & nigra videmus, sed interiorum, quibus iusta & iniusta discernimus, quibus non corporeas & visibiles formas aspicimus, sed ipsam veritatem intelligibiliter contemplamur. Respondérunt ei pharisęi: Tu de teipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est uerum. Sic ista respondent, tanquàm solus ipse sibi testimonium perhiberet, atq; verum non esset eius testimonium, cùm constet quia antequã veniret Dominus, & per carnem visibilis appareret, multos testes præmisit, & quasi lucernas spiritu prophetię accendit, qui eius natiuitatem, passionem, resurrectionem, necnon & ascensionem prædixerunt. Ex quibus præcipuus & maximus fuit Ioannes Baptista, cuius magnitudini ipse saluator attestatur, dicens: Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. Quem alibi idem Dominus lucernam vocat, dicens: Ille erat lucerna ardens & lucens. Hic ergo testimonium Domino nostro Iesu Christo perhibẽs, dixit: Ego vos baptizo: sed ille qui post me venit, fortior me est, cuius non sum dignus corrigiam calceamenti soluere. Sed Iudæi ista non attendẽtes, & horũ facti immemores, quasi solus sibi ille testimonium daret, dicebant: Tu de teipso testimoniũ perhibes: testimoniũ tuum nõ est verũ. Sed audiamus, quid eis Dominus responderit. Et si ego testimonium perhibeo de meipso, testimoniũ meũ est uerũ: quia scio unde ueni, & quò uado. Quibus verbis se simul & Deum patrem ostendit, cui omnẽ gloriam dabat vnigenitus filius. Si, inquit, ego perhibeo testimoniũ de me, verum est meũ testimoniũ, quod patris testimonio confirmatur. Scio enim vnde veni, quia ab eo missus sum: & quò vado, quia peracto mysterio meæ incarnationis, reuertar ad patrẽ. Non aũt quando ad nos venit, patrẽ deseruit: nec rursum quãdo ad patrẽ rediit, terras per implentẽ omnia diuinitatẽ reliquit. Neq; enim tale lumẽ est Christus, quod locis tẽporibusq; cõprehendatur: sicut sol iste corporeus, qui nõ potest accedere ad occidentẽ, nisi recedat ab oriente. Non ita de illo vero lumine, quod est Christus, sentiendũ est, quod vbiq; totũ est, & vbiq; ineffabiliter lucet. Ipse enim alibi dicit: Deũ nemo vidit vnquã. Vnigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit. In terris loquebatur, & apud patrẽ se esse dicebat: sed per ascẽsionem iã recessurus de mundo, ꝓmisit fidelibꝰ, dicẽs: Ecce ego vobiscũ sum omnibus diebus vsq; ad consummationẽ seculi. Verum ergo erat testimoniũ, quod de se perhibebat: quia à patre missus, eius testimonium habebat: atq; hoc impleto, eò vnde venerat, redibat. Vos secundùm carnem iudicatis, ego non iudico quenquã. Hoc de primo eius aduentu accipi debet. Duo siquidem sunt Domini aduentus: Primus misericordiæ, secundus iudicij: ille peractus est, iste in fine seculi futurus est. Si enim primo Dominus iudicare venisset, omnes puniendos reperisset. Priùs ergo prærogranda erat misericordia, pòst iudicium exercendũ: Quia & Psalmista dixit: Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Priùs misericordiã, pòst iudicium se dixit Domino cantaturum. Per hanc misericordiam factus est pro hominibus homo, opprobria, irrisiones, sputa, flagella, postremò ipsam crucẽ sustinuit, vt hominem perditũ saluaret. De hoc ergo primo aduentu suo, quo misericorditer venerat genus humanum redimere, ait: Ego non iudico quenquam. Nam de secũdo, quo iudex venturus est, subiungit: Et si iudico ego, iudicium meum uerum est. Vnde utem verũ esset iudiciũ eius, aperit cùm subdit: Quia solus nõ sum: sed ego, & qui misit me pater, id est, incarnari mecum stituit. Missio enim ista, incarnatio est. Missus ergo à patre filius fuerat, sed à patre nõ recesserat. In mundũ nanq; venit per humanitatẽ, sed mãsit cum patre per coæternam illi diuinitatem. Inde ergo verum erat iudicium eius, quia ipse verus erat Dei filius. Et in lege, inquit, uestra scriptum est: Quia duorum hominum testimonium uerum est. In lege vestra dicit, in lege, quæ vobis data est. Sic quotidiè dicimus orantes, Panẽ nostrum, id est, quẽ nobis dari exposcimus. Quærendum verò, quomodò duorum hominum testimonium verũ sit. Nunquid enim duo falsi testes non fuerunt, qui in passione Domini falsum testimonium protulerunt? Aut nunquid illi duo presbyteri falsi testes non fuerunt, qui in libro Danielis contra Susannam castissimam, falsi criminis testimonium tulerunt? Sed hoc modo in lege cùm diceretur, In ore duorum vel trium testiũ stabit omne verbum: trinitatis commendatũ est mysteriũ, quæ etiam Susannæ castitati intus in conscientia suo testimonio suffragabatur, cùm à duobus presbyteris falsò accusaretur. Et est sensus: Si duorum hominum testimonium verum esse vestra lex approbat, qui nonnunquàm falsum dicere possunt, etli non studio mentiendi, tamen errore decepti, dũ putãt vera esse quæ falsa sunt: Si ergo horũ testimonium improbare vel reijcere nõ audetis, qua ratione meũ, & Dei patris, & spiritus-sancti testimonium, quod summa veritate stabilitum est, verum non esse dicere præsumitis? Accipite potiùs nostrum testimonium, ne sentiatis iudicium. Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso. Ipse de seipso testimonium perhibet, nec requirit alium testem, quàm seipsum: quia omnia nouit etiam antequã fiant, & quicquid ex quo fonte ꝓcedat, euidẽtissimè cõsiderat. Omnia enim nuda & aperta sunt oculis eius: nec ab aliquo requirit qualis sit vita singulorũ, qui iudex est omniũ hominũ, quiq; reddet vnicuiq; secundùm opera sua. Sequitur: Et testimonium perhibet de me, qui

Duo aduentus Christi.

Psal. 100.

Matt. 11.

Ioan. 5.

Luc. 3.

Matt. 28.

Matt. 26.

Dan. 13.

Deut. 19.

Hebr. 4.

misit

Universidad de Deusto
Biblioteca

misit me pater. Non solus, inquit, de me testimonium perhibeo, quia pater qui misit me, ipse testimonium reddit mihi. Sed Iudæi verba Christi carnaliter accipientes, patrem Christi carnaliter intellexerunt, ideoq; dixerunt: *Vbi est pater tuus?* Videbant nanq; in aperto hominẽ, sed non intelligebãt in occulto Deũ. Vbi est, inquiũt, pater tuus? Audiuimus, aiunt, te dicentẽ, quia non esses solus, sed qui te misit pater, tecum esset. Te autem solum videmus, patrem tecum videre nõ possumus. Ostende igitur nobis patrem tuum. *Et Dominus: Neq; me scitis, neq; patrem.* Ac si diceret: Sic vultis vt patrem vobis ostendam, quasi me iam sciatis: sed adhuc neq; me scitis, neque patrem meum. Nam quia me ignoratis, idcirco patrem meum scire nõ potestis. Prius est vt me cognoscatis, & tunc ad patris mei notitiam peruenire poteritis. *Si enim me sciretis, forsitan & patrem meum sciretis.* Vna est enim cognitio patris & filij, quorum vna est substantia, nec alter sine altero cognosci potest. Nouerant igitur Christum secundùm carnem, secundùm quam alibi eis dixit: Et me scitis, & vnde sim scitis: sed ignorabant eius diuinitatem. Dicit autem, forsitan, nõ dubitando, sed infidelitatem illorum increpando. Hoc enim aduerbiũ cùm ab hoc homine dicitur, dubitationẽ significat: cùm à Deo, cui nihil occultum esse potest, increpationem. Nam & Apostolus cum diceret: Puto quia spiritũ Dei habeo, nõ se spiritum Dei habere dubitabat, sed dubitantes & incredulos arguebat. Cùm ergo dicit: Si me sciretis, forsitan & patrem meum sciretis, increpat infideles, qui nesciebant vnam esse cognitionẽ patris & filij, nec alterum sine altero posse cognosci. Hinc alibi Philippo poscenti, vt eis ostenderet patrem, respondit: Qui me videt, videt & patrem meum: Quia enim vnum sunt pater & filius, ideircò eorum vna est visio, vna & scientia. *Hæc uerba locutus est Iesus in gazophylacio, docens in templo.* Gazophylacium locus erat in templo, vbi thesauri recõdebantur. Gaza quippe lingua Persica diuitiæ, φυλάττω græcè dicitur seruo. Gazophylacium ergo composito nomine vocatur, quòd ibi diuitiæ seruarentur. Magna porrò constantia, ingens fiducia loquentis Domini demõstratur, qui in ipsis templi penetralibus, coram scribis & pharisæis inimicis suis, diuinitatis suæ verba imperterritus loquebatur. Mysticè verò gazophylacia, mysteria designant scripturarũ, quæ bene templo adhærebant. Christus nanque templum est, cui omnia legis & prophetarũ adhærent mysteria, & ad eum pertinent, atque non nisi in eo implenda erant. Hęc Gazophylacia spiritualia, post eius resurrectionẽ aperienda erant, ipso apostolis intelligentiam tribuente, & cuncta in se impleta monstrante. Vnde euangelista dicit, quia resurgens à mortuis, illis aperuit sensum, vt intelligerent omnia quæ de ipso scripta erant. Sed tunc Dominus in Gazophylacio locutus est, quia Iudæis in parabolis nõ intelligentib. & non credentibus loquebatur. *Et nemo apprehendit eum, quia nondũ uenerat hora eius:* hora videlicet voluntatis & dispositionis ipsius. Sicut enim voluntate natus est, sic & voluntate passus est: quiq; si voluisset, nunquam pateretur: si nonpateretur, nunquam genus humanum redimeretur: si non redimeretur, nullus hominũ saluaretur. Ad hoc ergo Deus homo factus est, vt ex infirmitate humanitatis redimeret, quos ex diuinitatis potentia creauisset. Vnus ergo idemq; est filius Dei & filius hominis, Deus & Dominus noster Iesus Christus, non confusus, nec verbo diuisus, perfectus Deus & perfectus homo, cuius beneficijs ęternis sit sempiterna gratiarum actio: Qui cum patre & spiritusancto viuit & regnat, Amen.

Ioan. 7.

1. Cor. 7.

Ioan. 14.

Gazophylacium.

Gazophylacia, mysteria scripturarũ.

Luc. 24.

EODEM DIE HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, &c. Ioan. 8.

EGo, inquit, sum lux mundi: ego sum illa lux, quę illuminat oẽm hominem venientem in hunc mũdum: ego sum illa lux, quæ soli splendorem, oculis visum, & mẽti tribuit intellectũ: per me sol splendet, oculi vidẽt, & anima intelligit. Ego igitur sũ vera lux, per quẽ illuminantur cũcta, & sine quo tenebresc ũt omnia: hac luce illuminantur cæci, resurgunt mortui, & ad videndũ Deum mẽtis oculi aperiũtur. Meritò itaq; hac luce abeunte, tenebræ factę sunt in vniuersa terra. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* In quibus tenebris? Sunt enim tenebræ noctis, sunt & tenebræ ignorantiæ & erroris. Si enim de noctis tenebris intelligamus, nemo in nocte sequitur lucẽ. Qui verò hãc lucẽ nõ sequitur, nõ est Christianus. Nunquid igitur in nocte Christiani non sumus, quia in nocte ambulamus in tenebris, & nemo qui Christũ sequitur, ambulat in tenebris? Nõ est igitur hoc intelligendũ de tenebris noctis, sed potiùs de tenebris ignorantiæ & erroris. Christus enim & sapientia & veritas est. Vbi aũt sapientia & veritas, ibi error & ignorantia esse non potest. Non ambulat igitur in tenebris ignorantię & erroris, qui Christum sequitur. In his aũt tenebris totus mũdus sedebat, quando lux mundi Christus apparuit. Vnde scriptũ est: Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucẽ magnã. Dicat igitur saluator noster, *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen uitæ.* Sequi aũt, imitari est: at verò lumẽ vitę, quod vitam præstat æternam. Per quod nimirũ doctrinam & agnitionem veritatis intelligimus. *Dixerunt ergo ei Pharisæi: Tu de teipso testimoniũ perhibes, testimonium tuum non est uerum.* Miseri Pharisæi, qui testimonium veritatis verum non esse dicunt. Veritas enim mentiri non potest. Sed fortasse hoc ideò dicebant, quia scriptum est:

Lau-

Temebræ multiplex.

Esaiæ 9.

Pro. 27. Laudet te os alienum, & non tuum. Non enim ad laudem sui, neque pro vana gloria talia Dominus loquebatur, sed vt eos instrueret, qui credere debuissent. Vnde & ipse ait: Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Sequitur: *Et si ego testimonium perhibeo de meipso, uerum est testimonium meum.* Vnde hoc? *Quia scio unde uenio, & quò uado.* Mirabilis argumentatio. Ideò ergo verũ est testimonium tuum Domine, quia scis vnde venis, & qua vadis? Dic ergo nobis vnde venis, & quò vadis. Exiui (inquit) à patre, & veni in mundum. iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. Si enim à patre existi, & ad patrem vadis, filius Dei es. Si filius Dei es, mentiri non potes. Verum est igitur testimonium tuum, quia scis vnde venis, & quò vadis, id est, quia filius Dei es. *Vos autem nescitis, unde uenio & quò uado.* Quare nescitis? Quia non creditis me esse filiũ Dei. Illi enim soli hoc sciũt, qui Dei filiũ me esse credunt. Scimus igitur nos quòd à patre exiuit, & ad patrem vadit: qualiter tamen à patre exiuit, & qualiter ad patrem iuit, nescimus. Quomodò enim vadit vel venit, qui vbiq; est? Qui enim vadit, illuc vadit vbi non est: aut quomodò exijt à patre & redit ad patrẽ, qui semper est in patre, & in quo semper est pater? hoc enim ipse ait: Ego sum in patre, & pater in me est. *Vos secundùm carnem iudicatis: ego non iudico quenquã.* Quid est ergo, quod alibi dicit: Pater nõ iudicat quẽquam, sed omne iudiciũ dedit filio? sic filius quoq; nõ iudicat quẽquã. Iudicat igitur filius, sed nõ sicut Pharisæi: non secundùm carnẽ. Vnde & subditur: *Et si ego iudico, iudicium meum uerum est: quia solus non sum, sed ego & qui misit me pater.* Eadem argumentatione iudicium suum verum esse probat, quo testimonium suum esse probauit: videlicet quia Dei filius est. Ideò (inquit) verum est iudicium meum, quia solus non sum, quia homo solummodò non sum: omnis enim homo mendax: sed Deus & homo sum, & cum patre simul vnum idemq; sum, quanuis in persona alius sum. *Et in lege uestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium uerum est.* Alioquin iniustè damnati sunt illi duo senes, quos Daniel occidere iussit. Quid igitur? Mentitur lex, quæ duorum hominum testimonium verum esse dicit? Absit. Si enim tales fuerint testes, quales leges & canones quærunt, duorum hominum testimonium verum est. Quod si spiritualiter intelligatur, per duos homines duorum testamentorum viri catholici figurantur, quorum vtique testimonium verum est. Si verò duorum hominum verum est, quis contradicere audeat, quod pater testatur & filius? Hoc est enim quod ait: *Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me pater.* Perhibet enim pater de filio testimonium, vbi ait: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. *Dicebant ergo ei: Vbi est pater tuus? Respondit: Neq; me scitis, neque patrem meum.* De patre (inquit) me interrogatis, quasi iam mei notitiam habeatis: priùs me quem videtis agnoscite, & sic posteà, si potestis, ad patris notitiã peruenite. Nemo enim nouit patrẽ nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. *Si me sciretis, forsitan & patrem meum sciretis.* Quod enim, forsitan, dicit, non dubitando, sed increpando dicit. Malus enim seruus Dominum suum non cognoscit, nisi eum iratum videat. Verum est igitur, quod dicitur, Cognoscetur Dominus iudicia faciens. Sic enim propter suos discipulos magister dicere solet: Si ea quæ tibi parantur scires, tu forsitan lugeres. *Hæc uerba locutus est Iesus in Gazophylacio, docens in templo.* Reponamus igitur hæc verba in Gazophylacio pectoris nostri, seruemus hunc thesaurum in secretario cordis nostri, quatenùs cum Apostolo dicere possimus: Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus. Ideò enim in Gazophylacio hæc verba dicta sunt, quia valdè custodienda, seruanda, & memoriæ commendanda sunt. *Et nemo apprehendit eum, quia nondum uenerat hora eius.* Quare nondum venerat? quia ipse nolebat. Non igitur ipse horam, sed hora ipsum expectabat. Omnia enim in eius potestate posita sunt. Erat igitur & hora eius in eius potestate tunc, vt non anteà veniret, quàm ipse iuberet.

Psalm. 9.

2. Cor. 4.

DOMINICA IN PASSIONE, SERMO LEOnis Papæ.

Est nonus inter Sermones de Passione Domini.

SAcramentum dilectissimi dominicæ passionis, in salutem humani generis ante tempora æterna dispositum, & per multas significationes omnibus retrò seculis nunciatum, non adhuc expectamus manifestãdum, sed iam adoramus impletum, concurrentibus ad eruditionem nostram & nouis testimonijs & antiquis: dum quod prophetica cecinit tuba, euãgelica pandit historia, & sicut scriptum est, Abyssus abyssum inuocat in voce cataractarum tuarum: quoniam ad enarrandam gloriam gratiæ Dei, paribus sibi vocibus vtriusque testamenti altitudo respondet, & quod erat sub velamine figurarum profundũ, sit reuelata luce perspicuum. Si enim inter illa miracula saluatoris, quę sub populorũ gerebantur aspectu, pauci veritatis præsentiam sentiebant, ipsiq; discipuli voluntaria Domini passione turbati, non euaserũt scandalum crucis sine tentatione formidinis: vn de fides nostra intelligentiam sumeret, vnde cõstantia robur acciperet, nisi quæ facta cognoscimus, prædicta legeremus? Peracto igitur dilectissimi, saluatoris triumpho, & cõsummatis dispensationibus, quas omnia veteris testamenti eloquia nunciarunt, lugeat carnalis Iudæus, sed spiritalis gaudeat Christianus: & festiuitas, quæ illis conuersa est in noctem, nobis coruscet

Psal. 41.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Crux Christi, credentium gloria.

cet in lucem : quoniam crux Christi eadem est & credentium gloria, & non credentium pœna. Quanuis enim persequentium furor, nihil aliud in Dominum maiestatis operatus sit, quàm atrocem crudelitatem, & immite supplicium : redẽptis tamen hac Domini passione, verior est iustiorq; lætandi ratio, quàm dolendi. Fuerit tunc discipulorum excusabilis pauor, nec diffidentiæ culpam apostolicus mœror inciderit, quando concurrentibus ad vnum scelus Iudæis Iudæorumq; principibus, superbus taurorum pinguiũ tumor, & proterua vitulorum petulantia sæuiebat, quando sub oculis ouium pastoris iusti sanguinẽ frementium bestiarum rabies expetebat, quando deniq; etiã ipse qui pati venerat, de no-

Matt. 26. stræ naturæ communione dicebat: Tristis est anima mea vsq; ad mortem. Nunc autem postquam per susceptionem infirmitatis, potentia est clarificata virtutis, nulla fidelium mœstitudine paschalis est obscuranda solennitas, nec cum tristitia nobis gestorum ordo recolendus est: cùm ita Dominus vsus sit malitia Iudæorum, vt de intentione facinoris, voluntas sit impleta miserentis. Si autem in exitu Israël de Aegypto agni sanguis fuit restitutio libertatis, & sacratissima est facta festiuitas, quæ per hostiam pecudis iram auerteret vastatoris: quanta populis Christianis concipienda sunt gaudia, pro quibus omnipotens pater filio suo vnigenito non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: vt in occisione Christi pascha esset verum & singulare sacrificium, quo non ex dominatione Pharaonis vnus populus, sed ex diaboli captiuitate totus mundus eruitur? Hoc ergo illud est, dilectissimi, sacramentum, cui ab initio omnia sunt famulata mysteria.

Abel Christi, Cain Iudæorum typus.

Nunc sanguis iusti Abel mortem summi pastoris eloquitur, & in parricidio Iudæorum Cain interfector fratris agnoscitur. Nunc diluuium & Noë arca manifestat, quid sit renouationis in baptismo, & quid salutis in ligno. Nunc Abraham gentium pater promissos acquirit hæredes, & in semine eius non germen carnis, sed fidei propago benedicitur. Nunc ad prænunciatum festis

† enituit. omnibus festum, sacer nouorum mensis † emicuit, vt in quo accepit mundus exordium, in eodem haberet Christiana creatura principium.

Quãuis ergo furentes Iudæi fecerũt in Dominũ Iesum quæcunq; voluerunt, & susceptí hominis veritatem nullis eorum ausibus potestas diuina subtraxerit: patientia tamen Domini consilij sui munus impleuit, & pertinacia sacrilegæ crudelitatis profecit operi saluatoris: quod non scribæ, non pharisæi, non summi intellexere pontifices.

1. Cor. 2. Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Nec ipse itaq; diabolus intellexit, quòd sæuiendo in Christum, suum destrueret principatum : qui antiquæ fraudis iura non perderet, si se à Domini Iesu sanguine contineret. Sed malitia nocendi auida, dũ irruit, ruit: dũ capit, capta est : & dum persequitur mortalem, incidit in saluatorem. Inuenit sanè in illo molimine imprudentis audaciæ dignum cooperatorem, dignumque consortem : cùm impius Iudas maluit minister esse diaboli, quàm apostolus Christi : quem non timoris perturbatione deseruit, sed pecuniæ cupiditate distraxit. Videte dilectissimi, & prudẽter inspicite, quę germina, & quales fructus de auaritiæ stirpe nascantur : quam meritò Apostolus radicem esse malorum omnium definiuit, quia nullum peccatum sine cupiditate committitur, & omnis illicitus appetitus istius auiditatis est morbus. Amori pecunię vilis est omnis affectio, & anima lucri cupida, etiam pro exiguo perire non metuit, nullumq; est iustitiæ in illo corde vestigium, in quo sibi auaritia fecit habitaculum. Hoc perfidus Iudas inebriatus veneno, dum sitit lucrum, peruenit ad laqueum: & tam stultè impius fuit, vt triginta argẽteis & dominum venderet & magistrum. Cùm autem se ad excipiendum iniquitatis iudicium Dei filius præbuisset, beatus apostolus Petrus, cuius fides ea deuotione feruebat, vt Domino & compati paratus esset & commori, ancillã sacerdotis calumniante perterritus, infirmitate periculum negationis incurrit. Ob hoc, sicut apparet, hęsitare permissus, vt in Ecclesiæ principe remedium pœnitentiæ conderetur, & nemo auderet de sua virtute confidere, quando mutabilitatis periculum nec B. Petrus potuisset euadere.

Deteſtatio auaritiæ.

1. Tim. 6

Dominus autem Iesus, qui intra pontificale concilium solo corpore tenebatur, trepidationem discipuli foris positi diuino vidit intuitu, & pauentis animum mox vt respexit, erexit, & in fletus pœnitudinis incitauit. Felices, sancte apostole, lachrymæ tuæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuere baptismatis. Assuit enim dextera Domini Iesu Christi, quæ labentem te priùs quàm deijcereris exciperet, & firmitatem standi in ipso cadendi periculo recepisti. Vidit in te Dominus non fidem fictam, nó dilectionem auersam, sed constantiam fuisse turbatam. Abundauit fletus, vbi non defecit affectus, & fons charitatis lauit verba formidinis: nec tardum est remedium abolitionis, vbi non fuit iudicium voluntatis. Citò itaq; in soliditatem suam redijt petra, tantam recipiens fortitudinem, vt quod tunc in Christi expauerat passione, in suo pòst supplicio non timeret.

DOMINICA QVINTA QVADRAGESIMAE, IN Epistolam Concio exegetica.

AM ad Dominicam passionem accedimus, cui, sicut par est, hoc sacro Iunij tempore pro modulo nostro aut compatimur, aut compati debemus:

mus: nec quicquã omninò est, quod nos ad pœnitentię labores alacri animo perferendos perinde inflammare queat, atque passio Christi, quæ diligenter considerata possit vel saxea pectora permouere & compungere. Itaque hos paucos, qui supersunt dies, cum Christo patiente ipsi pariter compatientes transigamus, & sedulò versemur in pertractandis animo, quæ illa maiestas nostrã causa pertulit. Hoc, dilectissimi, expedit nobis, hoc fructus nobis adferet immensos, hoc nos ad gratitudinem & ad omnem pietatem mirabiliter excitabit. Sed ad lectionem diei huius nos conferamus, quæ excerpta est ex Epistolæ ad Hebræos capite nono : *Christus assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manufactum, id est, non huius creationis: neq; per sanguinem hircorum aut uitulorum, sed per propriũ sanguinẽ introiuit semel in sancta, æterna redẽptione inuenta.* Christus pontifex æternus secundùm

Ps. 109. ordinem Melchisedec, meliora nobis attulit bona: quæ stante etiamnum tabernaculo Mosaico futura dicebantur, sed nunc in Ecclesia præsentia sunt, & per Christum fidelibus conferuntur: per amplius & perfectius tabernaculum, id est, propriam carnem, quæ secundùm Chrisostomum ideò rectè maius & perfectius tabernaculum dicitur, quòd & Deus verbum, & cuncta spiritus operatio habitet in ea, & tota plenitudo diuinitatis corporaliter. Ea verò non est manufacta, id est, non huius creationis, hoc est, nequaquam opere humano sed sanctispiritus potentia effecta. Nam etsi eiusdem cum nostra carne substantiæ est, non tamen iuxta coniugale connubium nata est, sed ipse totius sanctitatis spiritus, vt habent Græca Oecumenij scholia, eam præparauit. Itaque non est huius creationis, hoc est, non iuxta legem naturæ formata, adeoque diuinitati per subsistentiam coniuncta, vt nullo pacto ab ea separari potuerit. Per hanc igitur carnem, & non per sanguinem hircorum aut vitulorum, qui nunquam potuit auferre peccatum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, id est, in cælum empyreum, æterna redemptione inuenta. Per sanguinem hircorum & vitulorum Iudaicus pontifex semel in anno ingrediebatur in sancta sanctorum, sed illo sanguine impossibile erat peccata

Hebr. 10. expiari : at Christus æternus sacerdos per proprium sanguinem in cruce fusum ita semel ingressus est in cælum, vt æterna nobis redemptio parta sit, & aditus in ipsum quoq; cælũ patefactus. Quid verò hac charitate benignius, quid hac beneuolentia admirabilius, q̃ proprio sanguine, tam largiter & cruciabiliter fuso, ab æterna morte redimere nos voluit Christus verus Deus?

Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis uitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quantò magis sanguis Christi, qui per spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo uiuenti? Varijs modis olim Iudæi reddebantur immundi, & à templo arcebantur : porrò sanguine pecuino, & aqua expiationis, fusa super cineres vaccæ rufæ, mundabantur, non tamen secundùm interiorem, sed exteriorem duntaxat hominem. Si ergo carnem, inquit Chrysostomus, potest mundare sanguis taurorum, multò ampliùs animæ sordes diluet sanguis Christi: *Qui per Spiritum sanctum seipsum obtulit immaculatum Deo*, non per ignem, non per aliena quædam. *Emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis.* Benè dixit, Ab operibus mortuis. Si quis enim tangebat mortuum, polluebatur : & hic si quis tetigerit opus mortuum, contaminatur per conscientiam. *Ad seruiendum Deo uiuo.* Hic manifestat, quia opera mortua habentes, non possunt seruire vero & viuo Deo, quia illa mortua sunt & falsa : & meritò. Nullus igitur opera mortua habens ingreditur huc. Si enim eum, qui corpus mortuum tangebat, non oportebat intrare in templum : quanto magis eum, qui opera mortua habet? Pollutio quippe est pessima. Mortua quippe omnia opera sunt, quæ vitam non habent, quæ putorem spirant. Sicut enim mortuum corpus ad nullum sensum est vtile, verumetiam contristat appropinquantes : sic & peccatum confestim rationem nostram percutit, & non permittit neque mentem ipsam quiescere, sed perturbat & commouet. Hucusque Chrysostomus. Emundat ergo Christi sanguis conscientiam nostram à peccatis, vt deinceps seruiamus Deo viuenti. Non enim emundat Christi sanguis illos, qui perseuerant in operibus mortuis, rursus crucifigentes sibi filium Dei, & spiritui gratiæ contumeliam facientes. Huius autem oblationis, quæ facta est in cruce, perpetua fit repræsentatio in Missa, vbi incruentè Christus Deo patri offertur in memoriam cruenti illius in cruce litati sacrificij. Non enim voluit Deus Testamentum nouum suo & sacerdotio & sacrificio carere, quorum typum videmus in lege veteri. Atque hæc oblatio illa munda est, quæ, iuxta Malachiæ vaticinium, in omni loco offertur Deo, sicut hoc innumeris sanctissimorum Patrum testimonijs doceri potest. Vnum Chrysostomum attulisse satis sit. Is in Ca. X. Epistolæ ad Hebræos Homilia 17. sic habet: Quid ergo nos? Nónne per singulos dies offerimus? Offerimus quidem, sed ad recordationem facientes mortis eius. Et vna est hæc hostia, non multæ. Quomodò vna est, & non multæ? Quia semel oblata est, oblata est in sancta sanctorum : hoc autem sacrificium exemplar est illius, idipsum semper offerimus. Nec nunc quidem alium agnum, crastina alium : sed semper eundem ipsum. Proinde vnum est hoc sacrificium hac ratione. Alioquin quoniam in multis locis offertur, multi Christi sunt? Nequaquam, sed vnus vbique est Christus, & hic

Num. 19.

Opera mortua.

Hebr. 6.

Hebr. 10

Missæ sacrificium incruentum.

Mala. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

plenus existens,& illic plenus, vnum corpus. Sicut enim qui vbique offertur, vnum corpus est,& non multa corpora: ita etiam & vnum sacrificium. Pontifex autem noster ille est, qui hostiam mundantem nos obtulit: ipsam offerimus & nunc,quæ tunc oblata quidem, consumi non potest. Hoc autem quod facimus, in commemorationem quidem fit eius,quod factum
Luc. 22. est.Hoc enim facite,inquit,in meam commemorationem. Non aliud sacrificium, sicut pontifex,sed idipsum semper facimus: magis autem recordationem sacrificij operamur. Hæc Chrysostomus,quibus euidentissimè, sicut & reliqui sancti Patres omnes, confutat huius calamitosi ævi nostri hæreticos, qui valdè indignè sentiunt de Ecclesiæ hoc sanctissimo sacrificio, illudque prorsus reijciunt, vt amplissima itinera venienti parent Antichristo. Sequitur: *Et ideò noui Testamenti mediator est: ut morte intercedente,in redemptionem earum præuaricationum,quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant qui uocati sunt æternæ hæreditatis.* Volebat pater ille, aiunt Græca Oecumenij scholia,vt promissionum suarum fieremus hæredes: sed nequibamus, cùm & inimici essemus,bellumque contra eum gereremus. Quid igitur? Ipse per sese filius medius intercesit, suoque nos patri reconciliauit. Cæterùm quia oportebat, vt & nos terrigenæ pœnas eorum,quæ deliquimus, lueremus (nam etsi clemens est Deus, iustus tamen est) & has ipsas pro nobis filius pertulit crucifixus. Hæc scholia Græca ex Chrysostomo. Inter homines non est ratum testamentum, dum viuit qui testatus est. Christus ergo moritur, & suo sanguine nouum confirmat testamentum: & nos,qui supplicio digni eramus,adimus hæreditatem. Ipsa verò Christi Iesu immerita morte abolentur & eæ præuaricationes omnes, quæ erant sub priori Testamento, quas sanguis pecorum nullo pacto expiare potuit: & simul ele-
Apo.7.22 cti omnes, dum stolas suas lauant in sanguine agni,iam super niuem dealbati & candidati, admittuntur in possessionem hæreditatis æternæ. In veteri Testamento carnalibus promissionibus inuitabantur & sulciebantur, adhuc obsera-
Hebr. 2. to regno cælorum: in nouo Testamento, ruptis per Christum mortis vinculis, & destructo per eius mortem diabolo,qui habebat mortis imperium, adituque in cælos patefacto, terrena potiùs contemnere iubemur, & vocamur ad cælestia, vt videamus bona Domini in terra viuentium. Ibi enim est æterna & semper mansura
Rom. 8. hæreditas, promissa vocatis illis omnibus, de quibus alibi dicit Apostolus: Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs qui secundùm propositum vocati sunt sancti. Nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui,vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit,hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit. Hi nimirũ ad æternam peruenerunt hæreditatem,in veteri Testamento sub carnalibus promissionibus & figuris occultatam, in nouo euidentissimè declaratam. Vnde etiam D. Augustinus lib.4. Quæstionum super Numeros, cap.33. Eadem sunt,inquit,in veteri & nouo Testamento: ibi obumbrata, hic reuelata: ibi præfigurata, hic manifestata. Nam non solùm sacramenta diuersa sunt, verumetiam promissa ibi videntur temporalia proponi, quibus spiritale præmium occultè significetur: hic autem manifestissimè spiritalia promittuntur & æterna. Temporalium autem bonorum atque carnalium, & spiritalium atque æternorum, quæ clarior certiorque distinctio est, quàm passio Domini nostri Iesu Christi,in cuius morte satis constitit, non istam terrenam transitoriamque felicitatem à Domino Deo pro magno munere sperandam & optandam, quandoquidem in vnigenito filio suo, quem tanta illa perpeti voluit,longè aliud à se peti expectarique oportere apertissima distinctione declarauit? Hæc Augustinus. Itaque ipsa Christi passio ad futuræ illius & sempiternæ hæreditatis spem atque expectationem nos inuitat, hortaturq; vt huius vitæ blanda & prospera contemnamus, quando Christus tam dirè propter nos perpeti voluit,vt spes nostra sit in cælis,non in terris. Dolendum verò inprimis est,Christi passionem vsque adeò abire in obliuionem, vt rarissimè animo reuoluatur. Est ea exitialis prorsus ingratitudo, tantæ charitatis tam turpiter obliuisci. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi,ait Sponsa in Canticis: inter vbera mea commorabitur. D. Bernardus Sermone 10. in Cantica, Sponsæ hæc vbera interpretatur congratulationem & compassionem, iuxta illud Apostoli, Gaudere
Rom. 12. cum gaudentibus, flere cum flentibus. Porrò Sermone 43.in eadem Cantica etiam hæc addit de Sponsa: Quia verò, inquit, inter aduersa & prospera versans, nouit vtrobique pericula non deesse, medium huiuscemodi vberum suorum vult habere dilectum, cuius aduersùs vtraque continua protectione munitam, nec læta extollant,nec tristia deijciant. Tu quoque si sapis, imitaberis Sponsæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam charum fasciculum de principali tui pectoris necad horam patieris auelli: amara illa omnia, quæ pro te pertulit, semper in memoria retinens,& assidua meditatione reuoluens, quò possis dicere & tu: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi: inter vbera mea commorabitur. Et ego fratres ab ineunte mea conuersione pro aceruo meritorum, quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligare, & inter vbera mea collocare curaui, collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei.

Pri-

Primùm videlicet infantilium illarum necessitatum: deinde laborum, quos pertulit in prædicando,fatigationum in discurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in ieiunando, lachrymarum in compatiendo: postremò periculorum in falsis fratribus, conuiciorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationũ, clauorum, horumque similium, quæ in salutem nostri generis sylua Euangelica copiosissimè noscitur protulisse. Et post pauca: Hæc meditari,dixi sapientiam: in his iustitiæ mihi perfectionem constitui,in his plenitudinem scientiæ, in his diuitias salutis, in his copias meritorum. Ex his mihi interdum potus salutaris amaritudinis,ex his rursum suauis vnctio consolationis. Hæc me eriguntin aduersis, in prosperis reprimunt, & inter læta tristiaque vitæ præsentis via regia incedenti tutum præbent vtrobique ducatum, hincinde mala imminentia propulsando. Hæc Bernardus, vir eximia sanctitate & insigni eruditione, quem vtinam nos dilectissimi pro modulo nostro imitemur,&, hoc præsertim tempore,Domini Iesu acerbissimam passionem sedulis & gratis mentibus cogitemus, atque eius contemplatione libentissimè breues huius sæculi ieiunij & totius vitæ labores perferamus. Præstet id nobis idemipse Dominus Iesus Christus,qui cum Patre & spiritusancto viuit & regin æterna secula,Amen.

EADEM DOMINICA.
Ioannis VIII.

In illo tempore,Dixit Iesus turbis Iudæorum & principibus sacerdotum: Quis ex uobis arguet me de peccato? Si ueritatem dico,quare non creditis mihi? Et reliqua. Homilia beati Gregorij papæ.

PEnsate fratres charissimi mansuetudinem Dei. Relaxare peccata venerat,& dicebat: *Quis ex uobis arguet me de peccato?* Non dedignatur ex ratione ostendere se peccatorem non esse, qui ex virtute diuinitatis poterat peccatores iustificare. Sed terribile est valdè, quod sequitur. *Qui ex Deo est,uerba Dei audit: propterea uos non auditis,quia ex Deo non estis.* Si enim ipse verba Dei audit qui ex Deo est, & audire verba Dei non potest, quisquis ex illo non est: interroget se vnusquisque, si verba Dei in aure cordis percipit,& intelliget vnde sit. Cælestem patriam desiderare veritas iubet, carnis desideria conteri,mundi gloriam declinare, aliena non appetere, propria largiri. Pensет ergo apud se vnusquisque vestrum, si hæc vox Dei in cordis eius aure conualuit,& quia iam ex Deo sit,agnoscit. Nam sunt nonnulli, qui præcepta Dei nec aure corporis percipere dignantur. Et sunt nonnulli,qui hæc quidem corporis aure percipiunt, sed nullo ea mentis desiderio complectuntur. Et sunt nonnulli, qui libenter verba Dei suscipiunt,ita vt etiam in fletibus compungantur,sed post lachrymarum tempus ad iniquitatem redeunt: hi profectò verba Dei non audiunt, quia hæc exercere in opere contemnunt. Vitam ergo vestram fratres charissimi, ante mentis oculos reuocate, & alta consideratione pertimescite hoc, quod ex ore veritatis sonat, Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Sed hoc quod de reprobis veritas loquitur, ipsi hoc de semetipsis reprobi suis operibus ostendunt. Nam sequitur: *Responderunt ergo Iudæi,& dixerunt ei: Nonne benè dicimus nos,quia Samaritanus es tu,& dæmonium habes?* Accepta autem tanta contumelia, quid Deus respondeat,audiamus. *Ego dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum,& uos inhonorastis me.* Quia enim Samaritanus interpretatur custos, & ipse veraciter custos est, de quo Psalmista ait: Nisi
Psal. 126. Dominus custodierit ciuitatem, frustrà vigilat qui custodit eam. Et cui per Esaiam dicitur,
Esai. 21. Custos quid de nocte,custos quid de nocte? respondere Dominus noluit, Samaritanus non sum, sed, Ego dæmonium non habeo. Duo quippe ei illata fuerant: vnum negauit,aliud tacendo consensit. Custos nanque humani generis venerat, & si Samaritanum se non esse diceret,esse se custodem negaret. Sed tacuit quod recognouit, & patienter repulit, quod dictum fallaciter audiuit,dicens: Ego dæmonium non habeo. In quibus verbis quid aliud,nisi superbia nostra confunditur? quæ si exagitata vel leuiter fuerit,atrociores iniurias reddit, quàm acceperit,facit mala quæ potest,minatur quæ facere nõ potest. Ecce iniuriam suscipiens Deus non Patientia trascitur,non contumeliosa verba respondet. Christi no Qui si eisdem ista dicentibus respondere voluisset,dæmonium vos habetis,verum profectò diceret: quia nisi impleti dæmonio, tam peruersa de Deo loqui non possent. Sed accepta iniuria, etiam quod verum erat, dicere veritas noluit,ne non dixisse veritatem,sed prouocatus contumeliam reddidisse videretur. Ex qua re quid nobis innuitur,nisi vt eo tempore, quo à proximis ex falsitate contumelias accipimus,eorum etiam vera mala taceamus, ne ministerium iustæ correptionis in arma vertamus furoris? Sed quia quisquis zelo Dei vtitur, sæpè à prauis hominibus dehonestatur, in semetipso nobis Dominus patientiæ præbuit exemplum,qui ait: Sed honorifico patrem meum,& vos inhonorastis me. Sed quid nobis ad ista faciendum sit, adhuc exemplo nos admonet, cùm subiungit: *Ego autem non quæro gloriam meam,est qui quærat & iudicet* Scimus certè quod scriptum est, quia pater
Ioan. 5. omne iudicium dedit filio: & tamen ecce idem filius iniurias accipiens,gloriam suam non quærit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

rit, illatas contumelias patris iudicio reseruat: vt nobis profectò insinuet, quantùm nos esse patientes debeamus, dum se adhuc vlcisci non vult & ipse qui iudicat. Cùm verò malorum peruersitas crescit, non solùm prædicatio † frangi non debet, sed etiã augeri. Quod suo Dominus exẽplo nos admonet, qui postquàm habere dæmonium dictus est, prædicationis suæ beneficia largiùs impẽdit, dicens: *Amen amen dico uobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem nõ uidebit in æternũ.* Sed sicut bonis necesse est, vt meliores etiam per contumelias existant, ita semper reprobi de beneficio peiores fiunt. Nam accepta vera prædicatione, iterùm dicunt: *Nunc cognouimus, quia dæmoniũ habes.* Quia enim æternæ morti inhærẽrãt, & eandem mortẽ cui inhærebant non videbant, dũ solam mortẽ carnis aspicerent, in veritatis sermone caligabant, dicentes: *Abraham mortuus est, & prophetæ: & tu dicis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem nõ gustabit in æternum?* Vnde & ipsi veritati eundem Abrahã & prophetas quasi venerantes præferũt. Sed aperta nobis ratione ostẽditur, quia qui Deũ nesciunt, Dei quoq; famulos falsò venerantur. Et notandum, ꝙ vidit eos Dominus aperta sibi impugnatione resistere, & tamen eis se iterata non definit voce prædicare, dicens: *Abraham pater uester exultauit ut uideret diem meum: uidit, & gauisus est.* Tunc quippe diẽ Domini Abrahã vidit, cùm in figura summæ trinitatis tres angelos hospitio suscepit. Quibus profectò susceptis, sic tribus quasi vni locutus est: quia etsi in personis numerus trinitatis est, in natura vnitas diuinitatis est. Sed carnales mentes audientium, oculos à carne non subleuant, dum in eo solã carnis ætatem pensant, dicentes: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham uidisti?* Quos benignè redemptor noster à carnis suæ intuitu submouet, & ad diuinitatis contemplationẽ trahit, dicens: *Amen amen dico uobis, antequam Abrahã fieret, ego sum.* Antè enim, præteriti tẽporis est, sum, præsentis. Et quia præteritum & futurũ tempus diuinitas non habet, sed semper esse habet, nõ ait, ante Abraham ego fui, sed, ante Abraham ego sum. Vnde & ad Moysen dicitur: Ego sum qui sum: & sic dices filijs Israël: Qui est, misit me ad vos. Antè ergo & pòst Abraham habuit, qui & accedere potuit per exhibitionem præsentiæ, & recedere per cursum vitæ. Veritas verò semper esse habet, quia ei quicquam nec priore tempore incipitur, nec subsequenti terminatur. Sed sustinere ista æternitatis verba mentes infidelium non valentes, ad lapides currunt, & quem intelligere nõ poterãt, obruere quærebant. Quid aũt contra furorem lapidantiũ Dominus fecerit, ostenditur, cũ protinùs subinfertur: *Iesus autem abscondit se, & exuit de templo.* Mirũ valdè est fratres charissimi, cur persecutores suos Dominus se abscondendo declinauerit, qui si diuinitatis suæ potentiã exercere voluisset, tacito nutu mentis in suis eos ictibus ligaret, aut in pœna subitæ mortis obrueret. Sed qui pati venerat, exercere iudicium nolebat. Certè sub ipso passionis tempore, & quãtum potuit ostendit, & tamẽ hoc ad quod venerat perferre tulit. Nam cũ persecutoribus suis se quærentibus diceret, Ego sum: sola hac voce eorum superbiã perculit, & oẽs in terrã strauit. Qui ergo & hoc in loco potuit manus lapidantium non se abscondendo euadere, cur abscondit se, nisi quòd homo inter homines factus, redemptor noster alia nobis verbo loquitur, alia exemplo? Quid autem nobis hoc exemplo loquitur, nisi vt etiam cùm resistere possumus, iram superbientium humiliter declinemus? Vnde & per Paulum dicitur: Date locum iræ. Quanta humilitate iram proximi ferre debeat, perpendat homo, si furores irascentium abscõdens se declinauit Deus. Nemo ergo se contra acceptas contumelias erigat, nemo conuicijs conuicium reddat. Imitatione etenim Dei, gloriosius est iniuriam tacendo fugere, quàm respondendo superare.

Sed contra hoc superbia dicit in corde: Turpe est, vt accepta iniuria taceas. quisquis conspicit quia contumeliam accipis & taces, non putat quia patientiam exhibes, sed crimen agnoscis. Sed vnde vox ista in corde nostro contra patientiam nascitur, nisi quia in imis cogitationem fiximus, & dum in terra gloriam quærimus, placere ei qui nos de cælo conspicit, non curamus? Accepta ergo contumelia, meditemur in opere vocem Dei: Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat & iudicet. Hoc autem quod de Domino scriptum est, Abscondit se, intelligi & aliter potest. Multa quippe Iudæis prædicauerat, sed prædicationis eius verba deridebant. Deteriores quoque ex prædicatione facti sunt, qui vsque ad iaciendos lapides peruenerunt. Et quid abscondẽdo se Dominus signat, nisi quòd eis ipsa veritas absconditur, qui eius sequi verba contemnunt? Eam quippe quam non inuenit humilem, veritas fugit mentem. Etq̃ multi sunt hodiè, qui Iudæorum duritiã detestantur, quia prædicationem Domini audire noluerunt: & tamen quales illos arguunt fuisse ad fidem, tales ipsi sunt ad operationem. Præcepta Dei audiunt, miracula cognoscunt, sed conuerti à suis prauitatibus renuunt. Ecce vocat, & redire nolumus: ecce sustinet, & eius patientiam dissimulamus. Dum ergo tempus est fratres, prauitatem suam vnusquisq; deserat, Dei patientiam pertimescat, ne quem nunc tranquillum despicit, iratum postmodùm nequaquàm euadere possit.

EADEM DOMINICA, HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Quis ex uobis arguet me de peccato, &c. Ioan. 8.

PRæceperat Dominus per Moysen sacerdotibus Iudæorum, vt ad nullum omnino mortuum accederent, nisi ad patrem, & matrem, & fratres, & sorores, quæ virum non haberent. Præceperat præterea de summo sacerdote, vt neque ad patrem, neque ad matrem, neque ad aliquem omninò mortuum accederet. Sed quid per mortuum, nisi peccatum? Peccatum enim mortis causa fuit: quoniam nisi primus homo peccasset, nemo vnquàm hominum moreretur. Accedere igitur ad mortuum, hoc est, accedere ad peccatum: & est effectus pro causa. Præcepit igitur Dominus, vt sacerdotes ad mortuum non accedant, id est, vt mortalia peccata non committant. Quanuis enim sine peccato esse non possint, sine crimine tamen esse oportet. Sed quia sine originali peccato nullus esse valet, ad parentum & propinquorum mortem sacerdotes accedere non prohibentur. Omnium enim commune est originale peccatum: omnes igitur ad illud accedere non dubium est. Sed quid per sororem, quæ virum habet, intelligere debeamus, nisi illas animas, quæ à patris domo & ab Ecclesia separantur? Iudæi nobis & hæretici sunt in exemplum, qui suas sequentes voluptates, extra Ecclesiam pereunt. Isti igitur sunt illæ sorores mortuæ, ad quas accedere non licet. Hoc audiant nostri sacerdotes, & ab omni opere mortuo, ab omni peccati contagione se immunes custodiant. Omnia enim in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correctionem nostram. Nunc autem de summo sacerdote videamus: per quem Dominum & saluatorem nostrum intelligimus, sacerdotum omnium maximum. Ipse enim ad nullum mortuum accesit, quia neque originale peccatum à parentibus traxit, neque à se peccãtum aliquod commisit. Ipse est enim, de quo scriptum est: Qui peccatum nõ fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Ipse igitur solus est, qui ãd patris & matris mortem & peccatum non accesit. Dicat igitur, & confidenter dicat: *Quis ex uobis arguet me de peccato?* Hoc enim significabat illa vacca rufa, quæ sine macula fuisse describitur. De qua modò in Apostolo cũ legeretur audiuimus. Sic enim dixerat Dominꝰ Moysi: Præcipe, inquit, populo, vt adducat ad te vaccam rufam, non habentem maculam, ætatis integræ, & quæ nunquam portauit iugum: & cætera quæ sequuntur. Sed quid vacca rufa, nisi caro Christi saluatoris, de armento patriarcharum & prophetarum assumpta, intelligitur? Sed quare rufa, nisi quia proprio sanguine cruentata? Cur autem ætatis integræ, nisi quia in iuuentute passus est Dominus? Iugum autẽ non traxit, quia peccatũ non fecit. Nolite (inquit Apostolus) iugum ducere cũ infidelibus. Vnde & immaculata dicitur. Vnde & modò Dominus ait: *Quis ex uobis arguet me de peccato? Si ueritatem dico, quare uos non creditis mihi?* Quis (inquit) ex vobis arguet me de peccato? quid vidistis in me, quod meritò reprehendere debeatis? Si veritatem dico, quare vos nõ creditis mihi, nisi quia ex Deo non estis? *Qui enim est ex Deo, uerba Dei audit: & propter eà uos nõ auditis, quia ex Deo nõ estis.* Si enim ex Deo omnia sunt, quomodò isti ex Deo non sunt? Omnia enim ex Deo sunt, quia ab eo creata sunt. Vnde & de saluatore nostro superiùs dicitur: Omnia per ipsũ facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Sunt igitur isti ex Deo secundũ naturam, sed non ex Deo secundum malitiam: sunt ex Deo secundũ creationem, sed non sunt ex Deo secundũ corruptionẽ. Quicquid enim ex Deo est, bonum est: & quicquid bonũ non est, à Deo non est. Sic igitur mali ex Deo sunt, & ex Deo non sunt. *Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmoniũ habes?* Miseri Iudei, vos ipsi verum esse probatis id, quod modò Dominus ait, quia ex Deo non estis. Si enim ex Deo essetis, hæc Dei filio nõ diceretis. Ideò enim hęc dicitis, quia ex patre diabolo estis. *Respondit Iesus: Ego dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum, et uos inhonorastis me.* Vbiq; Dominus ad patiẽtiæ & mansuetudinis exemplum nos prouocat. Accepta iniuria non irascitur, neq; conuitia conuitijs reddit, & dæmonium se non habere respondit, se tamen Samaritanum esse non negat. Si enim Samaritanũ se esse negasset, ipsemet suis verbis contradixisset, quia alibi seipsum Samaritanum vocat. Recordare illius euangelij, vbi Samaritanus sanat vulneratum hominẽ à latronibus, qui descẽdebat ab Hierusalem in Hiericho. Et quia Samaritanus interpretatur custos, meritò Dominus Samaritanus vocatur. De quo scriptum est: Custos quid de nocte? Et Psalmista: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, in vanum vigilant, qui custodiunt eam. *Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat & iudicet.* Non enim quærebat Dominus gloriam suam, qui de tanta sublimitate se humiliando, factus est opprobrium hominum, & abiectio plebis. *Sed est pater, qui quærat & iudicet.* Quærebat enim pater gloriam filij, ipsumque super omnia iudicabat, quando dicebat: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipsum audite. Hæc igitur gloria super omnem gloriam est. Sequitur: *Amen dico uobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternum.* Quare (inquit) non creditis mihi? quare sermonem meum non seruatis? *Amen amen dico uobis, si quis mihi crediderit, & sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternum.* Quid est mortem non gustabit? Mortis dolorem & amaritudinem non sentiet: mortis vtique non temporalis, sed æternæ. Quod enim dixit, in æternum, tale fuit, ac si diceret: Mortem non gustabit æternam. *Dixerunt igitur*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iudæi: *Nunc cognoscimus, quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, & prophetæ, & tu dicis, Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternum? Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? & prophetæ mortui sunt: quem teipsum facis?* Ac si dicant: Talis homo nunquam fuit, qualis tu es. Si verum est quod dicis, si verum est, vt illi non moriantur, qui sermonem tuum seruabunt, maior es tu quàm Abraham, & omnibus prophetis maior es tu. Illi enim mortui sunt, tu verò non solùm immortalis es, sed hos etiam immortales facis, qui tibi credunt & obediunt. Nimiùm te exaltas, nimiùm te glorificas. *Respondit Iesus: Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Est pater meus qui glorificat me, quem uos dicitis, quia Deus uester est, & non cognouistis eum. Ego autem noui eum. & si dixero quia nõ noui eum, ero similis uobis mendax. Sed scio eum, & sermonem eius seruo.* Sed dicet aliquis: Quomodò ipse non glorificat seipsum, si pater glorificat seipsum, cum idem sit pater & ipse? Ioan. 10. Ipse enim dicit: Ego & pater vnum sumus. Sic enim vnum sunt, quem pater glorificat, & filius glorificat: glorificat igitur & ipse filius seipsum. Quid est ergo quod ait, Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est? Quia enim Saluator noster & Deus & homo est, si secundùm diuinitatem glorificat seipsum, magna est gloria eius. Magna quippe gloria est, paralyticos curare, cæcos illuminare, leprosos mundare, ventis imperare, super mare siccis pedibus ambulare, & mortuos suscitare. Sed omnis ista gloria, diuinitatis est. Si verò secundùm humanitatem glorificat seipsum, gloria eius nihil est. Glorificantur enim homines, non quia hõmines sunt, sed quia sapientia & fortitudine, alijsque virtutibus præditi sunt. Hæc autem vbicunque sunt, non hominis, sed Dei sunt.

Galat. 6. Ideoque Apostolus ait: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego
2. Cor. 1. mundo. Itemq; Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Sequitur: *Abraham pater uester exultauit, ut uideret diem meũ: & uidit, & gauisus est.* Omnes enim patriarchæ & prophetæ, Christi natiuitatis diem cum magno desiderio expectabant, per quem ad supernæ beatitudinis gloriam se venturos esse sciebant. Potest tamen per hunc diem illius temporis dies intelli-
Genes. 18. gi, quo dum staret Abraham ad ilicem Mambræ, vidit tres viros, in quibus per spiritum sanctum Christum agnoscens, vnum adorauit. Sed quid mirum, si priùs quàm Christus homo fieret, A-
Dan. 3. braham eum vidit, cùm ipse quoque Nabuchodonosor in fornace ignis eum se vidisse testetur? *Dixerunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham uidisti? Dixit eis Iesus: Amen dico uobis, antequam Abraham fieret, ego sum.* Secundùm diuinitatem loquitur, sed illi hoc non intelligunt, quia non Deum, sed hominem vident. Hominem vtique paruæ ætatis, & longè à temporibus Abrahæ. Et cùm verborum rationem quærere debuissent ab eo, cuius verba non vana & otiosa esse sciebant, vt quia ipsi per se eum intelligere non poterant, ipse eis verba sua exposuisset, ad lapides concurrunt, & eum occidere volunt. Vnde & subditur: *Tulerunt ergo lapides, ut iacerent in eum: Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo.* Abscondit se Iesus, & exiuit de templo, non secundùm quod est antequam Abraham, sed secundùm hoc, quod est filius Abrahæ. Facile est itaque duas naturas in Christo cognoscere: vnam, secundùm quam omnis creatura ei obedit: alteram, super quam turba iniquorum impia sæuit. Quòd autem Iesus se abscondit, non timor est, sed significatio: figura est, non trepidatio. Abscondit se Iesus, sed malis occultatur vita & iniquis. Vsquè hodiè nanque quærunt Iudæi Iesum, & non inueniunt. Legunt in lege & prophetis, veritatem tamen inuenire non possunt. Quare hoc? Quia Iesus abscondit se, & exiuit de templo. Vnde ipse ait: Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Matth. 23. Voces quoque angelorum, vt Iosephus refert, in templo auditæ sunt dicentium: Relinquamus has sedes. Beati igitur Christiani, quibus solis vita reuelatur. Beati mundo corde: Matth. 5. quoniam ipsi Deum videbunt.

Gemina in Christo natura.

FERIA SECVNDA.
Ioannis VII.

In illo tempore: Miserunt scribæ & pharisæi ministros, ut comprehenderent Iesum. Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum tempus uobiscum sum, & uado ad eum, qui me misit. Et reliqua. Homilia Erici.

Duritia scribarum & pharisæorum.

NEmo satis dignè sufficit admirari, quanta fuerit in scribarum & phariseorum corde duritia. Cùm enim redemptor noster assidua prædicatione & miraculorum operatione illos ad fidem vocaret, turbis simplicibus credentibus, & facta Domini simul & verba glorificantibus, illi econtrariò non solùm in eum credere nolebant, verùm etiam eum apprehendere laborant. In amore nanque seculi radicem cordis fixerant: idcircò verba doctrinæ cælestis recipere non valebant. *Miserunt ergo ministros, ut comprehenderent eum.* sed Dominus, qui in sua potestate habebat, quando, & quomodò vellet mori, respondit dicens: *Adhuc modicum tempus uobiscum sum.* Ac si diceret: Præproperum est, quod nunc agere vultis. Quod enim vultis, facturi estis: sed non modò, quia ego nolo. *Adhuc modicum tempus uobiscum sum, & uado ad eum, qui misit me.* Priùs ego implere de-

debeo dispensationẽ susceptæ carnis, & sic peruenire ad locum suscipiendæ passionis. *Quæretis me, & non inuenietis: & ubi sum ego, uos non potestis uenire.* Quibus verbis designauit tempus suæ resurrectionis. Qui enim præsentem loquentẽ sibi, & miraculis se Deum contestantem recipere noluerunt, post eius resurrectionem eum quæsierunt, cùm vbiq; viderent innumeram multitudinem iam credentem, & longè lateque signa & Ioan. 15. miracula per Apostolos fieri, illo in eis & per eos operante, qui alibi dicit: Sine me nihil potestis facere. Tunc ergo quæsierunt eum, & non inuenerunt: quia iam præsentia corporali de mundo recesserat, & ascendendo ad patrem, cælos penetrauerat. *Et ubi sum ego, uos nõ potestis uenire.* Perpendendum, quòd de futuro dixit, Quæretis me, & non inuenietis: de præsenti nunc dicit, Vbi ego sum, vos non potestis venire. In sinu quippe patris consempiternus & consubstantialis illi filius erat. In terra loquebatur, sed apud patrẽ & in patre commorabatur: quò illi venire non poterant, qui eum patri æqualem credere nolebant. Ad ipsum enim nõ loco, sed fide veniendũ est. Sed Iudæi more sibi consueto verba ipsius non intelligentes, & carnaliter illum loqui putantes, cœperunt adinuicem conqueri & dicere: *Quò hic iturus est, quia non inueniemus eum? Nunquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes?* Quod dicentes, ignorauerunt quid dicerent, tamen quia ille voluit, prophetauerunt. In dispersionem nanque gentium iturus erat, illasque doIoan. 7. cturus, non corporali præsentia, sed per Apostolos suos, per quos & quibus ipse loquebatur, si-
2. Cor. 13. cut quidam illorum loquitur, dicens: An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? Sancti enim prædicatores, pedes Christi e-
Esai. 52. rant, propheta dicente: Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Per hos pedes iturus erat ad gentes, vt fidem & salutem, quam Iudæi spreuerant, gentes reciperent. *In nouissimo autem die magno festiuitatis stabat Iesus, & clamabat, dicens: Si quis sitit, ueniat & bibat. Qui credit in me (sicut dicit scriptura) flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ.* Solennitas scenopegiæ tunc celebrabatur, id est, tabernaculorum, in memoriam illius temporis, quando per quadraginta annos in vmbraculis habitauerunt in deserto. Agebatur autem hæc solennitas mense septimo, qui à latinis september appellare consueuit. Solenni-
Leuit. 23. zabantque eam per octo dies, & octaua, id est, nouissima dies erat celeberrima & sanctissima. In hac nouissima die solennitatis huius stabat Iesus, & non vtrunque loquendo, sed clamando omnes ad se vocabat, dicens: Qui sitit, veniat ad me, & bibat. Sitis ista nõ est corporis, sed mẽtis. Si quis ergo sitit, hoc est, si quis vult credere & diligere Christũ, veniat nõ passibꝰ corporis, sed affectibus mentis: veniat non migrando corporaliter ad Christum, sed amando Christum: recedat ab amore seculi, & suscipiat amorem Dei.

Solennitas scenopegiæ.

Qui credit in me (sicut dicit scriptura) flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Quam aquam intelligere deberemus, necessariò curauit Euangelista exponere, subdens: *Hoc autem dicebat de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Quæ igi- Aqua, charitas. tur hæc est aqua, nisi charitas, quæ per spiritũ sanctum diffusa est in cordibus fidelium? Ait enim Apostolus: Charitas Dei diffusa est in cordibus Rom. 5. nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Venter, quo hanc aquam recipere debeamus, interior conscientia est: quæ cùm hanc spiritussancti aquã biberit, id est, cùm Christi charitatem habere cœperit, habebit fontem aquæ Fõs, benuolentia. viuæ, imò ipsa efficietur fons. Fons enim iste de ventre conscientiæ fluens, beneuolentia est, quæ de charitatis aqua procedens, vult consulere proximo. Nam qui bonum quod habet, sibi soli putat sufficere, nec ad aliorum satagit deriuare profectum, non fluũt aquæ viuæ de ventre eius. Si verò alijs vult ex bono quod accepit, prodesse, fluit aqua de ventre eius, quia diffunditur ad proximos beneuolentia illius. Nec vlla ariditate fons iste siccabitur, sed magis magisq; profluo cursu semper augebitur. Hoc autem dicebat de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Spiritum sanctum dicit, quem nos tertiam in sancta trinitate veneramur personam. Sciendum nanque omnibus fidelibus est, quia tota trinitas Deus spiritus est, Domino dicente: Deus spiritus est. Pater ergo spiritus, & filius spi- Ioan. 4. ritus: atque ideò vt distinctio fiat patris & filij, tertia trinitatis persona iam non absolutè spiritus, sed cum epitheto spiritussanctus appellatur. Hunc spiritũsanctum ante ascensionem Apostolis promisit, & post ascensionem die pentecostes in linguis igneis misit. Atque ideò Euangelista dicit: Quem accepturi erant credentes in eũ. Habebant quidem sancti Apostoli & reliqui fideles spiritum sanctum ante resurrectionem Christi, sed non ita aperta datione illum acceperunt, sicut postea accepturi erant. Habebant spiritum sanctum, vt ipsi rectè viuerent, & quibusdã prodessent: acceperunt postmodùm spiritum sanctum, vt omne genus hominum ad fidem Christi conuertere possent. Hoc spiritu vniuersaliter *Spiritus* tota Ecclesia illuminatur, instruitur, & inter secu- *sanctus ad-* li pressuras spe futurorum bonorum consolatur. *est Eccles.* Cuius efficacissimam potentiam Apostolus enu- *sie.* merans, ait: Alij datur per spiritum sermo sapiẽ- 1. Cor. 12 tiæ, alij sermo scientiæ, alij genera linguarum, & cætera vsquequò concludens, dicit: Hæc autem omnia operatur vnus atq; idem spiritus, diuidẽs singulis prout vult. Hunc igitur deuoti poscamus, vt sic mentes nostras ab omnibus desideriorum carnalium sordibus euacuet, quatenùs nos sua inhabitatione dignos efficiat, tota id operante omnipotentissima trinitate: Quæ viuit, & cæt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EADEM II. FERIA,

HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Miserunt principes & pharisæi ministros, ut apprehenderent Iesum, &c. Ioan. 7.

NVanum (inquit) laboratis & vos & principes vestri. Ad hoc misi estis & ad hoc venistis, vt me apprehendatis. Hoc autem non in vestra, sed in mea est potestate. *Adhuc modicum tempus uobiscum sum:* expectate dum tempus adueniat, vt suo ordine omnia compleantur. Citò vos relinquam, non diutiùs vobiscum morabor: propè est vt ad eum reuertar, qui misit me. *Quæretis me, & non inuenietis: et ubi sum ego, uos non potestis uenire.* Quærebāt enim Iudæi Iesum: & quia malè quærebant, non inueniebant. Quærunt enim adhuc, & non inueniunt: scripturas legunt, & non intelligunt. Ibi quærunt Iesum: sed quia carnaliter quærunt, non inueniunt. Vis inuenire Iesum? Vade ad templum, vade ad Ecclesiam, ibi sedet in medio doctorum, in conuentu episcoporum & presbyterorum. Sed quid est, quod ait, *Vbi sum ego, uos non potestis uenire.* Vbi enim tunc erat Iesus? nónne inter eos? Quomodò ergo venire non poterant, vbi ipse erat? Erat enim in cœlis Iesus secundùm diuinitatem: quò vtique venire non possunt, quicunq; in eum credere nolunt. *Dixerunt ergo Iudæi ad semetipsos: Quò hic iturus est, quia non inueniemus eum? Nunquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes? Quis est hic sermo, quem dixit: Quæretis me, & non inuenietis: & ubi sum ego, uos non potestis uenire?* Non possunt Iudæi verba Christi intelligere, quia animalis homo non percipit ea, quæ spiritus Dei sunt. Putant eum corporaliter ad gentilem populum pergere velle, quasi illuc eum sequi non potuissent, si illuc ire Dominus voluisset. *In nouissimo autem die magno festiuitatis, stabat Iesus & clamabat, dicens: Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat? Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ.* Inuitat eos Dominus ad bibendum, quia fons est: inuitat vtique, sed sitientes, & bibere & credere cupientes. Quod autem ait, Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, Euangelista exposuit dicens: *Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Viua igitur aqua, spiritus. Hac enim aqua & lauamur & viuificamur. Proxima sibi sunt spiritus & aqua. Vnde & spiritus Dei ferebatur super aquas. Hinc est etiam quod dicitur: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei. Meritò igitur spiritus aqua vocatur, & non qualiscunque, sed viua aqua. Hac autem aqua plenus est, qui in Christum credit. Hac Apostoli abundabant: huius flumina de eorum ventre fluebant. Vide modò, quàm magnum flumen de istius qui hic loquitur pectore fluit, cuius fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Omnia igitur flumina, omnia sanctarum scripturarum volumina ex hac aqua fluunt. Sed quare dixit, *Quem accepturi erant credentes in eum?* Vis audire quare? *Quia nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum fuerat glorificatus.* Post Christi namque glorificationem & ascensionem, visibiliter in linguis igneis spiritussanctus Apostolis datus est: quod nunquam anteà factum est. Vnde & Saluator noster eisdem suis discipulis dicebat: Nisi ego abiero, paracletus non veniet ad vos. si aũt abiero, mittam eũ ad vos. Oportebat igitur priùs glorificari Iesum, vt spiritussanctus daretur credentibus. *Ex illa ergo turba cùm audissent hos sermones, dicebant: Hic est uerè propheta. Alij dicebant: Hic est Christus.* Et illi, & illi benè dicebāt: sed meliùs illi, qui dicebant eum esse Christum. Et ideò meliùs, quia plus quàm prophetam eũ esse credebant. *Quidam autem dicebant: Nunquid à Galilæa Christus uenit? Nónne scriptura dicit, quia ex semine Dauid, & de Bethleem castello, ubi erat Dauid, uenit Christus?* Vides ergo, quàm necessarium fuit, vt Christus nasceretur in Bethleem. Puto enim istos ignorasse, Saluatorem nostrum in Bethleem natum fuisse. *Dissensio itaque facta est in turba propter eum.* Hoc est enim, quod Dominus ait: Nolite putare quia veni pacem mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. *Quidam autem ex ipsis uolebant apprehendere eum, sed nemo misit super illum manus.* Volebant illi apprehendere eum: sed ille nolebat: & quia nolebat, nemo misit super illum manus. Oblatus est igitur, quia ipse voluit. Vnde ipse quoque ait: Nemo tollet à me animam meam, sed ego pono eam, & iterum sumo eam. *Venerunt ergo ministri ad pontifices & pharisæos, & dixerunt eis: Quare non adduxistis eũ? Responderunt ministri: Nunquam sic loquutus est homo, sicut hic homo:* Ac si dicerent: Vtinam & vos præsentes fuissetis, vtinam & vos eius verba audissetis: nunquã fortasse vlteriùs aduersus eum aliquid ageretis. Nunquã enim sic loquutus est homo, sicut hic homo, qui maius aliquid videtur esse quã homo. Ipse enim est Deus & homo. *Responderunt ergo eis Pharisæi: Nunquid & uos seducti estis?* Seducti itaq;, sed benè. Benè enim seducuntur, qui de malo ad bonũ ducuntur. At illi: *Nũquid aliquis ex principibus credidit in eum, aut ex pharisæis? Sed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti sunt.* Non enim isti maledicti sunt, sed vos potiùs maledicti estis, qui in eum credere noluistis, per quem à legis maledictione solui debuistis. Excæcantur igitur sapientes, illuminantur insipientes: sicut ipse Dominus ait: In iudicium ego veni in hunc mundum, vt qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant. *Dicit Nicodemus ad eos, ille qui uenit ad eum nocte, qui unus erat ex ipsis: Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi audierit ab ipso prius, & cognouerit quid faciat?* Nemo enim secundùm legem damnatur, nisi à seipso confessus, vel ab alijs convictus. *Responderunt & dixerunt ei: Nunquid & tu*

Iudæi malè quærũt Iesum.

Spiritus, aqua uiua.

Gen. 1.

Ioan. 3.

Psal. 45.

Act. 2.

Ioan. 16.

Mich. 5.

Matt. 10.

Esai. 53.

Ioan. 10.

Ioan. 9.

tu Galilæus es? scrutare scripturas & uide, quia propheta à Galilæa non surgit. Hoc igitur de Christo intelligunt, quem in Bethleem, & non alibi nasciturum prophetæ prædixerant. *Et reuersi sunt unusquisque in domum suam,* valdè dolentes, quia facere nó potuerunt voluntatem suam.

FERIA TERTIA,

Ioannis VII.

In illo tempore, Ambulabat Iesus in Galilæam. nõ enim uolebat ambulare in tudæam, quia quærebant eum Iudæi interficere. Et reliqua. Homilia Erici.

Vita Christi, exemplar credentium.

DOminus noster Iesus Christus per omnia memor nostræ salutis, in cũctis quæ faciebat, futuris fidelibus suis exempla quę imitari deberent, proponebat. Quia enim persecutionem infideliũ prævidebat causa sui nominis in sancta Ecclesia excitandam, sciebat etiã infirmiora mẽbra sua immanitatẽ persecutionis tolerare non posse: ne hi tales salutẽ desperarent, & quasi à Christo se alienos arbitrarentur, si vnquã territi passionẽ refugissent, dignatus est eis Dominus præcepto simul & exemplo cõsulere. Præcepto quidẽ, quo tales ingruente persecutionis tẽpore fugere permisit, dicẽs: Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliã. Exẽplo verò, quo adhuc puer ad declinandam Hærodis sæuitiã, non solùm de ciuitate in ciuitatẽ, verùm etiam de regione in regionẽ fugere dignatus est, delatus à parentibus in Aegyptũ. Factus etiã iuuenis, cùm eum Iudæorum principes propter Euangelij prædicationẽ vellẽt interficere, crebrò Iudæam deseruit, & ad alias trãsit regiones: ne videlicet mẽbra illius hoc facere metuerent, quod nouerãt in suo capite præcessisse, néue alicui pro crimine obijceretur, si quando captus formidine, fugæ præsidiũ requisisset. Ait enim sanctus Euangelista, qui lectus est: *Quia ambulabat Iesus in Galilæam. Non enim uolebat ambulare in Iudæam, quia quærebant eum Iudæi ut interficere.* Neque enim Dominus suam amiserat potestatem, sed nostram hoc faciens consolabatur infirmitatem. Nam si vellet, poterat tutus inter illos ambulare, qui ipsam quoque mortem in potestate se habere testatur, dicens: Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam. Denique hanc potestatem demonstrauit, quando tempore passionis ad vocem illius hi, qui ad eum comprehendendum venerant, abierunt retrorsùm, & ceciderunt in terram. Sed omnia prouidentissima dispensatione disponens, præbendi gratia exempli, vt dictum est, dignatus est ad tempus se persecutoribus absentare. *Erat autem in proximo dies festus Iudæorum Scenopegiæ.* Scenopegia erat festiuitas tabernaculorum, quãdo mense septimo omnes Iudæi in tabernaculis lege præcipiebantur habitare, in memoriam illius temporis, quo per xl. annos in tabernaculis absq; vllis domibus commorati sunt in deserto. Dies autem festus dicitur, non quò tamen vna die ista ageretur festiuitas (nam per vij. dies in tabernaculis habitabant) sed quotquot dies essent eiusdem celebritatis, vnã diẽ propter vnã solennitatẽ consueuerant appellare Iudæi. *Dixerũt ergo ad eum fratres eius: Transi hinc & uade in Iudæã.* Fratres Domini vsitatissimo more sacræ scripturæ, consanguinei ipsius secundũ carnẽ, consobrini videlicet ipsius intelliguntur. Nã quòd quidã hæretici dixerunt, fratres Domini appellari filios Ioseph spõsi Mariæ semper virginis, de quadã vxore eius Esta nomine, nulla authoritate subnixũ est, atq; ideò à fidelibus nullo modò recipiendũ. Sciendum siquidẽ, quòd in sacro eloquio fratres tribus modis dici solent, natura, gente, & cognatione. Natura, sicut Iacob & Esau. Gẽte, sicut oẽs Iudęi, de quacunq; tribu fuissent, fratres appellabãtur. Vnde dicitur in lege: Si attenuatus frater tuus Hebræus vẽdiderit se tibi. Cognatiõe, sicut Abrahã & Lot fratres dicti sunt, cùm Abrahã patruus fuerit Lot. Scriptũ est enim: Dixit Abraham ad Lot: Ne quæso sit iurgium inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos. fratres enim sumus. Quartus quoq; modus addi potest religionis, secundũ quã oẽs Christiani fratres dicimur, qui vnũ Deũ patrẽ nos habere gaudemus. Illo ergo tertio modo, quo iuxta cognationem fratres vocari diximus, & hic & vbicũq; fratres Domini legimus, hoc vocabulũ recipere debemus. Hoc itaque modo Iacobus frater Domini dictus est: quia filius fuit Mariæ materteræ Domini. *Dixerũt ergo fratres eius ad eũ: Trãsi hinc, & uade in Iudæã, ut et discipuli tui uideãt opera tua, quæ facis. Nemo quippe in occulto aliquid facit, & quærit ipse in palã esse. Si hæc facis, manifesta teipsũ mũdo.* Quare ista dicerẽt, S. Euãgelista aperire curauit, cũ subsecutus adiũxit. *Neque enim fratres eius credebãt in eũ.* Potuerũt enim secundũ carnẽ cosanguinei Christi esse, sed credegloriã mundanã requirebãt, in eũ quẽ gloriæ huius contemptorẽ nouerãt, credere nolebãt. Putabant ergo illũ tantũ esse hominẽ, atq; ideò eũ ex sese metiẽtes, & sicut ipsi honoris erãt cupidi, ita eũ arbitrãtes ab hac cupiditate nequaquã esse immunẽ, quasi consolãtes & consiliũ ei dãtes, dixerũt: Trãsi hinc, & vade in Iudæã, vbi caput regni totius est, vbi metropolis ciuitas, & venerabile omni mũdo templum, vt ibi hominibus innotescas, & ab omnibus glorificeris. Quod verò dicũt, Vt & discipuli tui videant opera tua quæ facis: Videbant quidem sancti Domini discipuli opera ipsius, sed nõ ad hoc, quod illi quærebant, vt ea terrenis & popularibus fauoribus attollerẽt, quoniam diuina opera diuinis laudibus nouerant efferẽda. Sed audiamus, quid amatoribus gloriæ Dominus respõderit. *Tempus meũ nondũ aduenit.* Illi quidem suadebant ire in Iudæam, & suam potentiam miraculis mundo innotescere,

Vide Hieronym. ad uersus Elu. uidium.

Fratres Domini.

Leuit. 25.

Gen. 13.

Festũ Scenopegiæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ne latens, ignobilis & inglorius haberetur. Verùm Dominus respondit, nondum aduenisse tẽpus gloriæ suæ. Prius fuit tempus humilitatis eius, per quam ad cælestem sublimitatem dispositum erat peruenire. Ait ergo: Tempus meum, id est, tempus meæ glorificationis nondum aduenit. Primò nanq; passurus, & sic demum resurgẽdo, & ad cælos ascendendo erat glorificandus. *Tempus autem uestrum, ait, semper est paratum.* Tempus videlicet gloriæ, quam semper affectatis, propter quam omnia facienda putatis. Sed licet omni studio mundi gloriam quærerent, eam cõsequi non valebant: quoniam gloria suos persequitur & ambit cõtemptores, despicit & execratur suos appetitores. Quos benè notat illa fabula, qua dicuntur quidã ita apud infernũ dãnati, vt saxũ ingens cõtra montẽ voluant. Sicut enim qui lapidẽ ad altiora impellit, retroactus põdere saxi, ad inferiora relabitur: sic ambitiosi quique turpẽ patiũtur repulsam, nec ad id quod conantur valẽt assurgere. Tempus ergo gloriæ Christi nondum aduenerat, quod plenissimè erit in fine seculi, quando is qui venit iudicandus, veniet iudicaturus viuos & mortuos: & qui se exhibuit in humilitate, apparebit in maiestate. *Vos ascendite ad diem festum hunc.* Ad hunc, inquit, diem ascendite, in quo vos ad mundi gloriã extenditis, nec cælestem cogitatis. *Ego non ascendam ad diem festum istum, quia tempus meum nondum impletum est.* Quare dicit Dominus, Non ascendam, cùm in sequẽtibus mediante iam die festo legitur ascendisse? Sed est attendendum, quòd dicit, Ad diem festũ istum. Tunc enim nõ cum illis ascendit, sed post aliquot dies festiuitatis emensos. Quia tempus meum, hoc est, gloriæ meæ, nondum impletum est. Tunc enim erit meus festus dies, non certis diebus pertransiens, sed cõtinua celebritate permanens. *Hæc cùm dixisset, ipse mansit in Galilæa. Vt aũt ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifestè, sed quasi in occulto.* Quantùm ad ad literam, occultè Dominus ascendit, quia non fauores hominum requirebat, non pompis seculi & stipantium sese turbarum obsequijs oblectabatur. Mysticè verò, occultus ascendit, quia ipse in illis solennitatibus latebat, typicis hostiarum, quæ ibi offerebantur, sacrificijs prælignatus erat, sed non intelligebatur. Iam verò sub gratia sancti Euãgelij manifestus est, quia quod illis in vmbra & figura exhibebatur, nobis reuelata veritatis luce agitur. *Iudæi ergo quærebant eum in die festo,* quia ipse cum fratribus non ascenderat. An tequam veniret, quærebant eum, & dicebãt: *Vbi est ille? Et murmur multum erat in turba de illo.* Murmur illud magnum de contentione factum est, quam inter se dissidentes habebant. Nam sicut Euangelista subiungit, *quidam dicebant quia bonus est: alij autem, non, sed seducit turbas.* Alij enim eum bonum asserebant, alij seductorem blasphemabant. Sed quod tunc de Domino ab impijs dicebatur, hoc ipsum hodieq; de fidelibus seruis eius dicitur.

Occultus Christi ascensus.

Nam quicunque religiosus est, & Deo in simplicitate cordis seruiens, ab irreligiosis & malitiosis vituperatur, & ab alijs bonus, ab alijs impostor & seductor vocatur. Hoc igitur valet plurimùm ad consolationem nostram. Quare enim exhorrescant membra Christi, quod ipsi illatum est capiti suo? Non refugiant serui Christi audire à seculi amatoribus, quod dictum est de Christo à Iudæis murmuratoribus. *Nemo tamen palàm loquebatur de illo propter metum Iudæorum.* Quòd dicit, Nemo palàm loquebatur de illo, ad illos tantùm respicit qui dicebant, Quia bonus est: hi enim silẽtio & voce minima & sono pressiore loquebantur. Illi verò qui dicebãt, Seducit turbas, clariùs resonabant: eorũ sonitus clariùs audiebatur tanquã arentium foliorum. Sed Deo gratias: permutatæ sunt in melius voces. Quanuis enim necdum venerit illa gloria Christi, quam deuoti præstolamur, per quam æternitatis præmia nos adepturos speramus: tamen ita per vniuersum mundum iam dilatata creuit Ecclesia, sic sese per omnes orbis partes quaquauersùm diffundit, vt eius laudes ab omnibus fidelibus libera & excelsa voce psallantur, palamque dicatur ab vniuersis, quoniã bonus est. Si qui verò sunt hæretici, qui pauci velut nauis tabulæ post naufragium remanserunt, non apertè, sed velut in angulo susurrant potiùs, quàm loquuntur, quia sicut dicit Psalmista: Obstructum est os loquentium iniqua. Clauso nanq; ore infidelium, aperta sunt ora fidelium, & iam laudant nomen Christi in choro, & psallunt ei in tympano & psalterio: qui exaltatus in cruce traxit ad se omnia, vt in omnibus gentibus ipse solus colatur, & habeatur Deus super omnia benedictus in secula: Cui est honor & gloria cum patre & spiritu sancto per omnia secula seculorum, Amen.

Laus Christi toto orbe.

Psal. 62.

EADEM FERIA,
HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Ambulabat Iesus in Galilæam: non enim uolebat in Iudæam ambulare, &c. Ioan. 7.

HOc enim faciebat Iesus, non quòd mortẽ, vel quòd Iudæos timeret, sed vt fidelibus suis exemplum præberet. Vnde & alibi ait: Si vos persequuti fuerint in ciuitate vna, fugite in aliã. *Erat aũt in proximo dies festus Iudæorũ scenopegia.* Scenopegia nãq; festiuitas erat tabernaculorũ, & habitabãt filij Israél in vmbraculis septẽ diebus. Sed (sicut Apostolus ait) omnia hæc in figura cõtingebãt illis. Illa enim festiuitas hãc nostrã festiuitatẽ significabat, in qua viri sancti à Christi resurrectione vsq; ad seculi consummationẽ à seruili & iniquo opere quiescentes, in bono opere perseuerant. Benè autem fiebat diebus septem, per quos ex tunc omnes isti dies significãtur: siquidem non sunt dies nisi septem. Sed quare in vmbraculis habitabãt, nisi quia vmbracula citò deficiunt, vtpotè non habentia fundamentũ, paruoq; tempore in eis habitatur? Vnde & Apostolus ait: Non enim habemus hic manentẽ ciuitatem, sed futurã inquirimus. Et Psalmista: Quoniã incola ego sum apud te in terra, & peregrinus, sicut omnes patres mei. *Dixerunt autem fratres eius: Transi hinc, & uade in Iudæam, ut & discipuli tui uideant opera tua quæ facis, Nemo quippe in occulto aliquid facit, & quærit ipse in palàm esse.* Qui sint autẽ isti fratres, sæpè iam diximus. Isti enim sunt, qui eius propinqui erãt secundũ carnẽ, consanguinei videlicet virginis Mariæ. Mos etenim est sanctarũ scripturarũ, quoslibet valdè propinquos, fratres vocare. Carnales igitur fratres, carnale consiliũ dabãt, quò saluator nostер mundi gloriã acquireret, & suũ nomẽ longiùs dilataret. Ideoq; nõ in occulto, sed palã in cõuentu multorũ miracula Christũ Dominum facere admonebant. Ostẽdunt enim plures discipulos in Iudæa eũ habuisse, qualis fuit Nicodemus, & multi alij, qui eius opera videre cupiebant, in eo quod dicunt, vt & discipuli tui videant opera tua, quæ facis. *Si hæc facis, manifesta teipsum mundo.* Hoc aũt tale est, ac si diceret: Aut cessa à miraculis: aut si ea facis, ita fac, vt mũdo per miracula manifesteris. *Neq; enim fratres eius credebant in eum.* Quãuis enim credebant eum esse prophetam, nondum tamẽ Dei filium esse credebant. *Dicit ergo eis Iesus: Tempus meum nondum aduenit, tempus autem uestrum semper est paratum.* Dicitis, inquit, mihi, vt me mundo manifestem: dicitis vt laudem & gloriam quæram, sed tempus gloriæ meæ nondum aduenit. Veniet autem in iudicio, quando mihi curabitur omne genu, & confitebitur omnis lingua. *Tẽpus autem uestrum semper est paratum,* quo & mundi laude, omniumque fauore, & vana gloria decipiamini. *Non potest mundus odisse uos: me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera eius mala sunt.* Quid est enim quod ait, Non potest mundus odisse vos, cum ipsos mundi amatores (qui per istos significantur) tam multa per odiũ inter se bella, lites, & contentiones habere videamus? Quod igitur ait: *Non potest mundus odisse uos,* tale est, ac si diceret: Non potest mundus odisse vestros mores, opera vestra, & malitiã vestram. si enim odisset, non fecisset: ac per hoc de hoc mundo mũdus non esset. *Me aũt odit, quia ego testimoniũ perhibeo de illo, quia eius opera mala sunt.* Hæc enim maxima & principalis causa est, quare oẽs iniqui & ipsum Christum, & membra Christi odio habent. Hinc est quòd tyranni, sacrilegi, adulteri, periuri, omnesque facinorosi in Ecclesiam insurgunt. *Vos ascendite ad diem festum hunc: ego autem non ascendo ad diem festum istum, quia tempus meum nondum impletum est.* Vos (inquit) qui hominum laudem quæritis, qui populi fauorem concupiscitis, qui mundi gloriam desideratis, vos ascendite ad diem festũ hunc: vbi non misericordia, non Dei gratia, non peccatorum remissio, sed laus sola & inanis gloria quæritur. Ego enim qui talibus nõ delector, & huiusmodi gloriam non appeto, nõ ascendo ad diem festum istum. Quare? *Quia tempus meum nondum impletum est.* Priùs enim plenitudo Gentium intrabit, priùs omnis Israël saluus fiet, priùs ad iudicium veniam, quàm huius tantæ gloriæ tempus adueniat. *Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum.* Ascendit vtique ad diem festum, sed non ad illum, ad quem fratres eius ascenderunt. Alioquin verum non esset, quod ipse ait, Ego non ascendo ad diẽ festum. Dies festus Domini non exteriùs, sed interiùs: non in facie, sed in mente agitur. De quo Psalmista: Quia cogitatio (inquit) hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationũ diem festum agent tibi. Sic igitur age diem festum, si ad tuam festiuitatem vis venire Iesum. Noli hoc agere in manifesto, neque vt ab hominibus videaris. Qui enim hoc agunt, receperunt mercedem suã. Nõnne audis quia ipse Dominus nõ in manifesto, sed quasi in occulto venit ad diem festũ? Venit enim Dominus in occulto ad diẽ festũ, quia quamuis tota illa festiuitas in eius honore & gloria agebatur, ipse tamen à paucis vel à nullis ibi intelligebatur. Erat igitur in die festo, sed occultus. Miseri Iudæi, in quorũ festiuitatibus semper manet occultus. Hoc enim significabat Isaac, quia quãdo Iacob filio suo benedicebat, eũ nõ cognoscebat. *Iudæi ergo quærebãt eũ in die festo, & dicebant: Vbi est ille?* Vsq; hodie nãq; in omni sabbato & in omni sua festiuitate legunt Iudæi, & quærũt Iesum: nõ tamẽ inueniũt, quia non benè quærunt. quærũt enim cum inuidia & murmuratione. Vnde & subditur: *Et murmur multum erat de eo in turba. Quidam enim dicebant, quia bonus est: alij autem dicebãt: Non, sed seducit turbas.* Quid igitur mirum, si de viris sanctis & religiosis, ini qui homines aliquando malè loquuntur, cùm de ipso Dei filio talia ioquerentur? *Nemo tamẽ palàm loquebatur de illo, propter metum Iudæorum.* Ijdem igitur ipsi, qui bonum eum esse dicebant, palàm hoc dicere non audebant, quia magis homines quàm Deum timebant.

Hebr. 13.

Psal. 38.

Esai. 45.

Psalm. 75.

Vitanda in benè factis uana gloria.

Gen. 27.

FERIA QVARTA.
Ioannis X.

In illo tempore, Facta sunt encænia in Hierosolymis, et hyems erat. Et ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis. Et reliqua. Homilia Erici.

ENCAENIA plurali numero, vocabatur festiuitas dedicationis templi, quam populus Iudæorum ex antiqua patrum consuetudine per annos singulos celebrare solebat. Encæniare

Encænia.

Universidad de Deusto
BibliotecA

cæniare nanque græcè, initiare, vel inchoare latinè dicitur. Verùm non ab re esse credẽdum est, quòd S. Euangelista tempus quoq;, quo ista dedicatio facta est, intimare curauit, dicens: *Et hyems erat.* Per hoc quippe ostendit, quòd hæc encænia non ad primam templi dedicationem, sed ad eam quæ vltima fuit pertinent. Tertiò nanque templum ipsum dedicatum in sanctis literis inuenimus. Prima siquidem eius dedicatio à Salomone, magna gloria, & totius regni pace autũnali tempore facta est. Secunda à Zorobabel, & Iesu sacerdote magno, ac reliquis filijs transmigrationis, veris tempore perfecta est. Tertia à Iuda Machabæo & fratribus eius, hyemis tempore peracta est: quando etiam specialiter constitutũ est, vt singulis annis hęc eadẽ dedicatio solennibus frequentaretur officijs. Quæ constitutio vsque ad tempus Saluatoris seruata est, sicut ex hac sancti Euangelij lectione datur intelligi. Verùm hæc obseruatio ab illis cœpta, salubriter nũc in Ecclesia, venerabiliterq; haberi dignoscitur, cùm per annos sibi iugiter succedentes dies anniuersaria dedicationis Ecclesiæ diuinis laudibus à populo fidelium deuotè satis excolitur: tãtoque propensiùs ac maiori studio celebratur, quantò esse gratissima redẽptori nõ dubitatur: adeò vt in hac die ipsum templum intrare, & diuinitatis suæ mysteria populo pandere dignatus sit. Sanè per asperitatem hyemis, duritia denotatur infidelitatis, quæ in mentibus quorundã Iudæorum tunc erat, quibus conueniebat illud, ꝙ Dominus alibi dicit: Quoniã abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorũ. *Et ambulabat Iesus in tẽplo, in porticu Salomonis.* Porticũ Salomonis dicit, in qua rex ille quondã potẽtissimus ad adorandum stare solitus erat: atq; ideò ex eius nomine cognominari cœperat. Solẽt aũt portic⁹, quibus templũ illud cingebatur, nomine templi appellari. Si ergo tunc Dei filius in templo, in quo sanguis brutorũ animalium fundebatur, voluit corporaliter ambulare: multò ampliùs nunc domum suæ Ecclesiæ, vbi corporis & sanguinis mysteria conficrantur, inuisere & inhabitare gaudebit. Si tunc in porticu, in qua rex ille, quanuis potentissimus & sapientissimus, tamen mortalis atque terrenus, stare solebat, perambulare nõ despexit: multò magis penetralia cordium nostrorũ suæ præsentia maiestatis dignabitur illustrare: si tamen nostras mentes porticũ esse Salomonis, id est, si eas timoris sui plenas, qui est initium sapientiæ, viderit. Neq; enim putare debemus, quòd hæc tantùm domus, in qua ad adorãdum conuenimus, sit templũ Dei. Nos enim ipsi, qui conuenimus, templũ Dei & dici & esse debemus, Apostolo dicente: Vos estis templũ Dei viui. *Circundederunt ergo eum Iudæi, & dixerunt ei: Quousq; animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.* Apparet cur præmiserit Euangelista, Hyems erat. Circundederunt enim Dominũ, non studio agnoscendæ veritatis, sed gratia ingerendæ tentationis, & struendæ calumniæ, vt inuenirent quomodò eum accusarent. *Quousq;*, aiunt, *animam nostram tollis?* Causantur, quòd animas eorũ, incertos ac suspensos eos dimittendo, tolleret, qui ad hoc venerat, vt animas in se credentiũ saluaret. *Si tu es Christus, dic nobis palàm.* Iudæi Christum purum tantùm hominẽ futurũ, & regem cæteris excellentiorẽ credũt venturũ: quod etiã posteri eorũ vsq; in præsens, & quousq; Antichristũ pro Christo suscipiant, dementissimè arbitrari non desinunt. Volebant ergo, vt se Dominus Christũ esse diceret, quatenùs possent eũ quasi Augusto repugnantẽ, & imperiũ sibi vsurpantem, præsidis potestati tradere puniendum. Quapropter Dominus ita prudenter ac temperanter suã responsionẽ circuntulit, vt & illis aditum calumniæ obstrueret, & quia ipse Christus est, futuris fidelibus, aperta voce panderet. *Respõdit enim eis, dicens: Loquor uobis, & non creditis.* Ecce apertissimè ostendit, quod ipse sit Christus. Dicens enim, loquor vobis: respondit se verbum, hoc est, filium Dei, coæternum & consubstãtialem patri. tanquam diceret: Ego me semper filiũ Dei esse operum attestatione pronũcio: sed vos vestra infidelitate cæcati, nec mihi loquenti creditis, nec opera quæ facio attendere vultis. Quæ si dignè consideraretis, Dei filium me esse proculdubiò crederetis. *Opera, inquit, quæ ego facio in nomine patris mei, ipsa testimonium perhibent de me.* Et nota, quòd suorum operum omnem gloriã Deo patri asscribit, cùm ea in eius se nomine facere asserit. Ipsa ergo opera quæ faciebat, cæcos illuminando, paralyticos sanitati restituẽdo, de paucis panibus multa millia hominũ reficiẽdo, mortuos etiam, quatriduanos quoq; fœtidos ad vitã reuocãdo: ipsa, inquã, opera testimoniũ reddebant, quòd esset verus filius Dei, cuius gloriã in omnibus operibus suis requirebat. *Sed uos non creditis.* Causamq; cur non crederent reddens, subdit: *Quia non estis ex ouibus meis.* Oues suas, fideles & sibi obsequentes dicit, qui eum pastorem diligunt & sequuntur, atq; ad pascua æternę satietatis, boni pastoris sequendo vestigia, perueniunt. Ergo hos, qui in se nolebant credere, dicebat nõ esse ex ouibus suis, quia videbat iam æternę perditioni præparatos, nec sui sanguinis precio ad vitam perpetuam esse comparandos. *Oues meæ uocem meam audiunt, & ego agnosco eas, & sequuntur me.* Vsitato more sanctæ scripturæ agnoscere pro eligere ponitur. Vnde scriptum est: Nouit Dominus, qui sunt eius. Nescire verò pro improbare. Illud enim Deus ignorat, quod dignum æternæ vitæ nõ approbat. Vnde impijs in iudicio dicturus est: Nescio vos. Oues ergo Christi vocẽ eius audiũt, quia præceptis illius ex animo obediũt. Et ipse eas cognoscit, quia vt Apostolus de se & sui similibus dicit: Elegit nos ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius. Sequuntur autem eum, & hic mansuetudinis & innocentiæ eius vias incedendo, & pòst

3. Reg. 8.
1. Esdr. 6.
1. Mach. 4
Dedicationis ecclesiarum festum.
Matt. 24.
Porticus Salomonis
Psalm. 110
2. Cor. 6.
Oues Christi.
2. Tim. 2.
Matt. 25.
Ephes. 1.

pòst cum eo ad gaudia sempiternę vitæ feliciter intrando, vnde sequitur: *Et ego uitam æternam do eis.* Hæc sunt illa pascua, quæ pollicitus est se daturum ouibus suis, nulla vnquã ariditate marcentia, sed indefectiua amœnitate vernantia. *Et non peribunt*, inquit, *in æternum*: quia pastor eorum & saluator talis est, apud quem nihil omninò possit perire. Videbantur quidem perire sancti martyres oculis insipientiũ, cùm hanc mortalẽ vitã per tormenta amittebant: sed non peribant in æternum: quia soluti vinculis carnis, debita sibi præmia à Christo percipiebant. Vnde consequenter adiungit: *Et non rapiet eas quisquam de manu mea*, id est, potestate mea. Eos enim, quos semel prædestinando Christus assumpserit, nulla vis diabolicæ tentationis, non immanitas humanæ persecutionis de potestate eius potest auferre. Nam & si sunt quidã, qui post perceptã gratiam de numero ouium Christi pereunt, hi certe in Dei oculis oues nõ sunt. Nitebantur quidẽ persecutores rapere pios confessores Christi de manu eius, cùm eos tormentis fidem Christi negare cõpellebant, vt eorum animas à Christo alienas efficerent: vel cùm superati constantia morientium, corpora eorum aut ignibus exurenda tradebant, aut aqua dissoluenda immergebant, tanquã possent à Christo ea resuscitandi tollere facultatẽ. Sed nemo potest rapere de manu eius, qui sanctos inter certamina vt vincãt adiuuat, & victores in cælis coronat. Quibus etiam verbis illorum redarguit temeritatẽ, qui sibi mortis laqueos tetenderant. stultissimè enim de eius nece cogitabant, cùm non solũ in ipsum nihil possent agere, verumetiam neminẽ de suis possent auferre. Verùm ne hæc dicendo suam videretur quærere gloriã, totã hanc potentiam ad patrem refert, subiungens: *Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est.* Hoc quod Deus pater mediatori Dei & hominum dedit, maius omnibus est: quia dedit illi, vt sit eius vnigenitus filius, nec natura dissimilis, nec virtute inferior, nec tempore posterior. Et hoc gignendo dedit, quia Deus Deũ genuit: hoc est, quod maius omnibus est. Idcircò idẽ Ioannes locuturus de verbo Dei, transcendit omnẽ angelicã & humanam creaturã, & sic peruenit ad illud, quod maius est omnibus, & dixit: In principio erat verbũ. Hoc verò, quod Dei filius habuit ante secula per diuinitatẽ, accepit ex tempore per humanitatem. *Et nemo potest rapere de manu patris mei.* Suprà dixit: Nõ rapiet eas quisquã de manu mea. Hic dicit, Nemo potest rapere de manu patris mei: vt liquidò intelligeremus, hoc esse virtutẽ suã, esse & patris, atq; ideò Christũ se esse credendũ: qui nõ, vt cæteri sancti, per gratiã acceperit ex tẽpore: sed verus semper extiterit Dei filius. Quod etiã subsequenti sententia ostendit, cùm dicit: *Ego & pater unum sumus.* Vnum, inquit, sumus: vna nobis substantia, vna diuinitas, perfecta æqualitas. Quibus verbis nõ solũ Iudæorũ quæstionem, qui tentantes an ipse esset Christus interrogabant, absoluit, verùm etiam hæreticorum, quos futuros præuidit insaniam, quàm sit detestanda, mõstrauit. Sabellius nanq; dogmatizat vnam personam esse patris & filij, quẽ conuincit cùm dicit, Ego & pater, vbi apertissimè duæ sonant personæ. Sed Iudæi, qui eatenùs loquentem Dominum quasi patienter audierant, cùm dixisset, Ego & pater vnũ sumus, ampliùs vim verborum eius ferre non valentes, quia ipsi lapidea corda gestabant, ad lapides cucurrerunt. Nam sequitur: *Sustulerunt lapides Iudæi, ut lapidarent eum.* Verùm quia ille nec tunc volebat pati, nec se ab illis lapidari disposuerat, elata & iam iamq; ferientia brachia suo nutu continuit, & adhuc eos alloquitur. *Respõdit eis Iesus: Multa bona opera ostendi uobis ex patre meo*, videlicet in sanitatibus infirmorum, in assidua exhibitione doctrinæ & miraculorum, quæ vniuersa ex patre se dicit ostendisse, vt se indicaret eius per omnia gloriam quærere. *Propter quod, inquit, eorum opus me lapidatis? Et responderunt ei: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia.* Quanquàm inuiti & nolentes confitentur, nec possunt negare multorum beneficiorum bona sibi à Christo impensa fuisse: sed miseri, qui quod ille de sua & patris æqualitate dixerat, pro blasphemia deputabant. Considerandum verò, quod dicunt: *Tu homo cùm sis, facis teipsum Deum.* Ecce infideles Iudæi intellexerunt, quod Arriani adhuc intelligere negligunt. Id enim quod Dominus dixerat, Ego & pater vnum sumus, intellexerunt non posse dici vnum, nisi vbi esset æqualitas: quod isti pro blasphemia idcircò receperant, quia eum tantùm hominem esse credebant, Deum nullatenùs credere volebant. *Respondit eis Iesus: Nõne scriptum est in lege uestra, Ego dixi, dij estis?* In lege vestra, dicit, in lege vobis data. Sed & hoc notandum, quòd hoc Psalmographi testimonium in lege scriptũ dicit, quia nimirum omnes scripturæ aliquando lex appellantur generali vocabulo: nonnunquã distinctè per se lex accipitur, & à prophetis distinguitur, sicut ipse Dominus alibi dicit: Lex & prophetæ vsq; ad Ioannem. Plerunq; in tria eædem distribuũtur scripturæ, vt est illud: Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent omnia, quæ de ipso erant scripta in lege Moysi, & prophetis, & psalmis. *Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura*: hoc est, non potest argui falsitatis, atque ideò non audetis illam reijcere. *Si ergo illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est: quem pater sanctificauit, & misit in mundum, uos dicitis, Quia blasphemas, quia dixi filius Dei sum?* Ac si diceret: Si idcircò homines dij appellati sunt, quia sermo Dei ad eos factus est, ipsum verbum Dei (quod erat in principio apud Deum) quomodò nõ est Deus? Si illi dij vocari meruerunt, qui participes facti sunt sermonis Dei, ipse sermo Dei, vnde participant, cur non sit Deus? Notandum verò, quòd dicit, *Quem pater sanctificauit, & misit in mundum.* Sanctificauit nanque pater filium, non quò sanctificarit.

Pater quid dederit filio.
Ioan. 1.
Scriptura sacra omnis, lex dicitur.
Luc. 16.
Luc. 24.
Psalm. 81.
Pater ut filium sanctificarit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd vnquam ille ſanctus non fuerit, ſed ſanctificauit, quia illum ſanctũ genuit. Sicut enim Deus Deum, immenſus immenſum, ſic ſanctus ſanctũ pater filium genuit: & miſit in mundum, quia cũ incarnari conſtituit pro ſalute hominum. *Si non facio opera patris mei, nolite mihi credere: Si autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite.* Ac ſi diceret: Si tantummodò nudis verbis Dei me filiũ eſſe dico, & non etiam operum exhibitione me id eſſe comprobo, cum eos quos aut natura imperfectos edidit, aut vitium deprauauit, aut certè infirmitas affixit, potenti maieſtate reſtauro, nolite credere mihi. Si verò iſta facio, quæ nullus niſi Dei filius facere poſſet, ſi mihi non creditis, his ſaltem operibus credite. *Vt cognoſcatis et credatis, quia in me eſt pater, & ego in patre.* Dixerat iam, Operibus credite, nunc iterum dicit, Vt cognoſcatis & credatis. Quod taſe eſt, ac ſi diceret: Credite, vt credentes cognoſcatis. Eſt verò ſenſus: Si mihi nõ creditis, operibus credite, vt cognoſcatis credentes, quia in me eſt pater, & ego in patre. Debemus ergo credere, vt poſſimus cognoſcere: quia cognitio, merces eſt fidei. Credentes enim intrabimus in potentias Domini, & cognoſcemus quomodò in filio eſt pater, & filius in patre. Sanè ſciendum eſt, quia non ſic pater eſt in filio, vel filius in patre, quomodò dicitur Deus eſſe in aliquo ſancto viro, & ſanctus quicũque in Deo. Filius quippe in patre eſt, per æqualitatem vnius eiuſdemq; ſubſtantiæ: homo verò in Deo eſt, per participationem gratiæ. Deniq; vir ſanctus poteſt dicere, Quia Deus eſt in me: non autem poteſt dicere, Ego & Deus vnum ſumus. nec rurſus: Qui videt me, videt Deum. Hoc enim vnigenito ſolùm filio conuenit, qui ſic eſt in patre, vt ſit æqualis patri, ſit vnum cum patre: Cum quo illi eſt omnis honor & gloria, in ſancti ſpiritus vnitate per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Cognitio, merces fidei.

EADEM FERIA,
HOMILIA EVSEBII
Emeſeni.

Facta ſunt encænia in Hieroſolymis, & hyems erat, &c. Ioan. 10.

ENCAENIA dicebant Iudæi illã feſtiuitatem, quam celebrabant pro tẽpli ædificatione ſiue innouatione. In hac autem feſtiuitate ambulabat Ieſus in templo, in porticu Salomonis, oſtendens ſe illam ſapientiã eſſe, quæ laudatur in libris Sapientiæ Solomonis. Sed quia hyems erat, & quia inuidiæ gelu Iudæi congelati erant, & charitatis ignem non habebant, Regem & Dominum ſuum occidere cupiebãt. Proxima enim ſibi ſunt frigus & mors. *Circundederunt ergo eum Iudæi*, non vt in eum crederent, ſed vt eum perderent. *Et dicebant ei: Quouſq; animam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis palàm.* Quem nos regem dicimus, Iudæi Chriſtum appellabant. Dolo igitur loquebantur, vt ſi ſe Chriſtum eſſe Dominus reſponderet, quaſi qui Cæſari contradixiſſet, mox Romanorum miniſtris occidendus traderetur. Hinc eſt enim, quod Pilato dicunt: Si hũc dimittis, non es amicus Cæſaris: omnis enim qui ſe regem facit, contradicit Cæſari. *Reſpondit eis Ieſus: Loquor vobis & non creditis. opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me.* Cur me (inquit) interrogatis, cùm verbis meis nõ credatis? Loquor vobis, & non creditis. Sed quia verbis non creditis, vel operibus credite: opera non mentiuntur. *Sed vos non creditis verbis meis, quia non eſtis ex ouibus meis.* Manifeſtum eſt igitur, quòd ex ouibus Chriſti non ſunt, quicunq; Euangelicis verbis credere nolunt. *Oues meæ vocẽ meã audiunt, & ego agnoſco eas, & ſequuntur me: & ego vitam æternam do eis, & non rapiet eas quiſquã de manu mea.* Et de his quidem ſatis iam ſuperiùs diximus. Probat aũt, quod nõ rapiat eas quiſquã de manu ſua, dũ dicit: *Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus eſt: & nemo poteſt rapere de manu patris mei.* Sed ne aliquis diceret. Quia non inde conſequitur, vt de eius manu rapi non poſsit, addidit, dicens: *Ego & pater vnum ſumus.* Si enim ipſe & pater vnum ſunt, cũ nemo eas rapere poſsit de manu patris, nemo poteſt rapere de manu filij: Sed vnde vel ille pater, vel iſte filius eſſe probatur. Ex eo vtique, quod ait: *Pater meus quod dedit mihi, maius eſt omnibus.* Hoc autem quid aliud eſt, niſi quia ipſe me genuit? Hoc enim donum maius omnibus eſt: ipſum enim dediſſe, genuiſſe fuit. Non enim priùs fuit ille qui dedit, quàm ille cui dedit: quia non priùs fuit ille qui genuit, quàm ille quem genuit. Neq; enim aliquãdo pater ſine filio fuit: quia ſine verbo, ſine virtute & ſapientia, ſine vita & veritate nunquam eſſe potuit. Hoc enim totũ filius Dei. Ipſe enim eſt veritas & vita: ipſe eſt verbum, virtus & ſapientia patris. Sapientia vtiq;, quam ipſe genuit, eſt verax: quia veritatem genuit. Sed quia nunquàm fuit non ſapiens & non verax, nunquã fuit ante ſapientiam & veritatem. Nunquã enim ſapiens ſine ſapientia eſſe poteſt. *Sustulerũt ergo lapides Iudæi, vt lapidarẽt eũ. Reſpõdit eis Ieſus: Multa bona opera oſtendi vobis ex patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* An quia ad veritatis viã vos reuocõ? an quia vos ab æternæ mortis periculo ſeruo? an ideò fortaſſe, quia infirmos veſtros ſanaui, cæcos illuminaui, leproſos mũdaui, paralyticos curaui, & mortuos ſuſcitaui? Hæc enim opera nõ lapidatione, ſed honore digna ſunt. *Reſponderunt ergo Iudæi: De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia: & quia tu homo cùm ſis, facis teipſum Deum.* Stulti Iudæi interrogant ipſum quis ſit, & palàm eum reſpondere rogant: & quia veritatem eis reſpondet, eum occidere volunt. *Reſpondit eis Ieſus: Nõne*

Dolus Iudæorum.

Ioan. 19.

Ioan. 14.

1. Cor. 1.

Chriſto quid patet dederit.

ne ſcriptum eſt in lege veſtra, Quia ego dixi, dij eſtis? Legem hoc in loco pſalmos vocat, quia & ipſi iudicant, dum & nocentes damnant, & bonos iuſtificãt. *Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & nõ poteſt ſolui ſcriptura: quem pater ſanctificauit & miſit in mundum, vos dicitis quia blaſphemat, quia dixi, Filius Dei ſum?* Si, inquit, adoptiui filij, dij dicuntur, quare naturalis filius Deus non dicatur? Si illi dicuntur dij, ad quos ſermo Dei factus eſt, & ideò quidẽ dij dicuntur, quia ſermonem Dei cuſtodiunt, quare non magis ipſe ſermo Dei dicatur Deus? Non enim poteſt ſolui ſcriptura, quia non præteribit ex ea iota vnum, neq; vnus apex, donec tota compleatur. Quòd aũt ait: *Quem pater ſanctificauit.* Tale eſt, ac ſi diceret, Quem pater ſanctus genuit. Idem enim fuit & ſanctificaſſe, & genuiſſe. *Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi.* Mirabilia ſunt opera patris, mirabilia ſunt & opera filij: facit ille quod vult, facit & iſte quicquid vult. Sequitur: *Si autem facio, & ſi mihi nõ vultis credere, operibus credite: vt cognoſcatis et credatis, quia in me eſt pater, & ego in patre.* Quia enim vnum ſunt pater & filius, & filius eſt in patre, & pater in filio. *Quærebant ergo eum apprehendere, & exiuit de manibus eorum.* Quæramus igitur & nos, ſed non ſicut illi: quæramus fide & pietate, & non effugiet de manibus noſtris. His enim manibus apprehenditur & tenetur Ieſus. *Et abijt iterũ trans Iordanẽ in eum locũ, vbi fuerat Ioãnes baptizans primũ, et mãſit illic. Et multi ueniebant ad eum, & dicebant, Quia Ioannes quidem nullum ſignum fecit. Omnia autem quæcunque dixit Ioannes de hoc, uera erant: & multi crediderunt in eum.* Fortaſſe ad hoc iuerat Dominus illuc, vt iſti ad eum venirent, eum viderent, & in eum crederent.

Matt. 5.

FERIA QVINTA,
Luc. vij.

In illo tempore: Rogabat Ieſum quidam phariſæus, ut manducaret cum illo. Et ingreſſus domum phariſæi, diſcubuit. Et reliqua.

Homiliam require de ſancta Maria Magdalena.

EADEM FERIA,
HOMILIA EVSEBII
Emeſeni.

IN hoc Euangelio Phariſæi ſuperbia deprimitur, & peccatricis mulieris humilitas commendatur. Phariſæus iſte, Iudæorum populus eſt: hæc mulier peccatrix, Gentilitas intelligitur. Illum Dominus à lepra curauit, huic multa peccata dimiſit. Nõ eſt igitur qui faciat bonũ, nõ eſt vſq; ad vnũ. Oẽs enim, vt ait Apoſtolus, peccaue rũt, & egẽt gloria Dei. Venit Ieſus in domũ phariſæi, venit ad populũ Iudæorum. Vnde ipſe ait: Nõ ſum miſſus, niſi ad oues quæ perierũt domus Iſraël. Sed quare venit? Vt manducaret cũ illo, vt carnalibus & ſpiritualibus cibis frueretur cũ illo, & patris voluntatẽ operaretur in illo. Ipſe enim dixit: Meus cibus eſt, vt faciã voluntatẽ patris mei, qui in cælis eſt. Ad tẽpus enim cõuerſatus cũ Iudæis, legis & prophetarũ cibũ ſuſcipiebat cũ eis, & annonã diuini eloquij miniſtrabat eis. Hoc aũt cognouit mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix: hoc Gẽtilitas intellexit, quæ in huius mũdi ampliſsima ciuitate conuerſabatur. Et quid egit? Vis audire quid? *Attulit alabaſtrũ unguenti.* Per quod nihil meliùs, quàm pectus, & cordis ſecretariũ, plenũ fide & charitate intelligere poſ ſumus. Tale enim alabaſtrũ, huiuſmodi vnguẽtum ſeruare cõſueuit. Idipſum enim ſignificauit & regina Auſtri, quæ veniẽs à finibus terræ audire ſapientiã Salomonis, precioſiſsima ei aromata ſecũ attulit. Nullũ aũt vnguentũ, nulla aromata ſic Domino redolẽt, ſicut fides & charitas cæteræq; virtutes. *Et ſtans retro pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius.* In eo enim, quòd mulier retro ſtat, deuotio & humilitas agnoſcitur. In eo enim quòd lachrymis pedes rigat, vera pœnitentia & compunctio demonſtratur. Et quoniã eaſdẽ lachrymas capillis tergit, & tergendo ne videantur abſcondit, & delet, ſeſe vtique de illis non eſſe oſtendit, qui omnia opera ſua faciunt, vt videãtur ab hominibus, de quibus Dominus ait, quia receperũt mercedem ſuã. *Et oſculabatur pedes eius, & unguento ungebat.* In oſculo enim pacẽ, amorẽ, & dilectionẽ monſtrabat: in vnguento verò, cordis intima blandimẽta, & deuoti in Chriſtũ obſequij affectionẽ ſignificabat. Huic aũt vnguento illud oleũ contrariũ eſt, de quo dicitur: Oleũ aũt peccatoris non impinguet caput meũ. Quàm ſimilis eſt iſte phariſæus illi alij, de quo alibi dicitur: Duo homines aſcẽderunt in templũ vt orarẽt, vnus phariſæus, & alter publicanus: qui phariſæus in ſua cõfidens ſuperbia, ſtãs hæc apud ſe orabat: Deus, gratias ago tibi, quòd nõ ſum ſicut cæteri homines, raptores, iniuſti, adulteri, velut etiã hic publicanus. Sicut enim ille illũ publicanũ, ita & iſte iſtã peccatricẽ mulierẽ horrebat & deſpiciebat. Vnde & ſubditur: *Videns autem phariſæus qui vocauerat eum, ait intra ſe, dicens: Hic ſi eſſet propheta, ſciret utiq;, quæ & qualis eſt mulier quæ tangit eum: quia peccatrix eſt.* Neſcis phariſæe ſtultè, neſcis: nuper te mundauit à lepra, quem modò non credis eſſe prophetam. Et propheta quidem eſt, & optimè ſcit, quæ & qualis ſit mulier quæ tangit eum, & quia peccatrix eſt. Ad hoc enim ipſe venit, ad hoc ipſe de cælis deſcendit. Non enim venit vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Hoc & ipſe teſtatur: eius verba ſunt hæc. Non horret igitur peccatores, qui pro peccatoribus factus eſt homo. *Et reſpondens Ieſus, dixit ad illum: Simon, ha-*

Pſal. 13.

Rom. 3.

Matt. 15.

Ioan. 4.

Alabaſtrũ myſticè.

3. Reg. 10

Matt. 23.

Matth. 6.

Pſal. 140.

Luc. 18.

Matth. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

beo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister, dic. Duo debitores erãt cuidam fœneratori. unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, donauit utrisque. Quis ergo eum plùs diligit? Respondens Simon, dixit: Aestimo, quia is cui plùs donauit. At ille dixit ei: Rectè iudicasti. Valdè enim iustum & rationabile est, vt ille plùs diligat, cui plùs donatur. Illud quoque æquum esse videtur, vt qui plùs diligit, magis ametur. Meritò igitur hanc peccatricem mulierẽ Dominus diligebat, à qua se multũ diligi sciebat. Ideò enim dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum. Vide ergo, quàm pulchra similitudo de eo qui plùs, & de eo qui minùs debebat: in qua pharisæus secundùm suam responsionem intelligere poterat, quia minùs ipse quàm Maria Christum diligebat, siquidem se nec tantum debere, nec tantũ sibi quantum illi dimissum esse credebat. Vnde & subditur: *Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? intrau i in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis terfit. Osculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti: hæc autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Ad mulierem conuersus est Dominus, quia de muliere loquutus erat. Sed quid ait? Vides (inquit) hanc mulierem? non talis est, qualem tu eam esse arbitraris. Aliter videtur à me, & aliter videtur à te: tu exteriùs, & ego interiùs: tu in facie, & ego in corde video. Mihi eius fides, eius amor non est occultus. *Intrau i in domum tuam, aquam pedibus meis nõ dedisti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos.* Quantum igitur interest inter aquam & lachrymas, tantum est inter tuum & illius amorem. Sed hæc præter literam aliud significare videntur. Neque enim credibile est, eũ qui Christum ad conuiuium inuitauerat, eius pedibus aquam dare noluisse. Diximus enim per pharisæum Iudæos, per mulierem Gentiles significari. Christi verò pedes, humanitatem: sicut eius caput, ipsius diuinitatem significat. Hoc enim Apostolus ait: Omnis viri caput, Christus: Christi caput, Deus. Christi igitur pedibus Iudæi aquam non dant, neque eos lauant, imò verò quantùm possunt sordidant & deturpãt, quia saluatorem nostrum cum iniquis deputantes, vitiorum puluere & terrena contagione iudicant esse pollutum. At verò Apostolus Petrus, Christi pedes lauabat, cùm de eo diceret: Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Nemo enim sic lotus, nemo sic mũdus, sicut ille qui sine peccato est. Vnde & Ecclesia iam baptizata & à peccatis mundata, dicit: Laui pedes meos; quomodò inquinabo illos? Nos autem non solum aquam, sed & lachrymas Christi pedibus damus: quia eius humanitati nos humiliter inclinamus, & inde peccatorum veniam expectamus, eamque adoramus & veneramus, & cum lachrymis deprecamur. Sequitur: *Osculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos.* Osculum enim, pacis & dilectionis signum est. Osculum igitur Iudæi Christo Domino non dederunt, quem gratis & sine causa odio habentes, vsque ad mortem persecuti sunt. Vnde & ipse ait, Quia odio habuerunt me gratis. Gentiles verò eius pedes osculari non cessant, quia ab eius amore non separantur, & in ipsius nominis confessione mori non timent. Quodãmodò enim Christi martyres osculabantur eũ, dum eum confitentes, & benè de eo loquentes, moriebãtur pro eo. *Oleo caput meum nõ unxisti: hæc autem unguento unxit pedes meos.* Maiorem igitur reuerentiam Christi humanitati ferunt Gentiles, quàm eius diuinitati Iudei aliquando exhibuissent. Ipsi eum neque esse Deum, neque sancti spiritus gratia vnctum credunt: nos autem etiam secundùm humanitatem omni virtute & gratia plenum esse confitemur, dicentes cum Psalmista: Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatẽ: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. In ipso enim, vt Apostolus ait, habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Hoc enim Apostolus dicens, eius vtiq; corpus, eius humanitatem & pedes vngebat. Audiamus igitur, quid beatissimæ mulieri, audiamus quid in eius figura Gentium Ecclesiæ pro huius tantæ seruitutis obsequio Dominus dicat. *Dixit autem ad illã: Mulier remittuntur tibi peccata.* Vide ergo, quid lachrymæ possint: vide, quid fides & dilectio operetur. Paruo temporis spatio iustificata est mulier, & ab omni peccato mundata, quæ tam peccatrix fuerat, vt eam videre pharisæus dedignaretur. Nemo igitur desperet, nemo de Domini misericordia diffidat. Clemens est Dominus, qui ex corde conuersis tam facilè miseretur.

Alia Dei, alia hominum iudicia.

1. Cor. 11.

1. Pet. 2.

Can. 5.

Ioan. 15.

Psalm. 44 col. 2.

FERIA SEXTA,
Ioannis XI.

In illo tempore: Collegerunt pontifices & pharisæi cõcilium aduersus Iesum, & dicebant: Quid faciemus, quia hic homo multa signa facit? Et reliqua. Homilia Erici.

RESuscitato à saluatore Christo Lazaro, tam ingenti miraculo, multi ex Iudæis, qui præsentes fuerant, vel viderant quæ fecit Iesus, crediderunt in eum. Quidam verò ex ipsis, siue qui iam in eum crediderant, siue qui ad Martham & Mariam cõsolandi causa venerant, abierunt ad pharisæos, & nunciauerunt eis quæ fecit Iesus, siue pio studio, vt & ipsi in eum crederent: siue gratia deferendi, vt contra eum sæuirent. Protinus illi malitia suã contenebrati, & quò se verterent nescientes (videbant enim se signorum euidentia superari) collegerunt concilium, non vt conuerterentur & crederent, sed vt eum nefanda conspiratione morte damnarent. Ineunt consilium vt eũ perderent, non vt sibi consulerent. *Quid, inquiunt, faciemus?* Miseri, non dicebant credamus, sed velut exacuentes, & ad necem eius sese mutuò cohortantes, dicebant: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Vélint nolint confitentur, quia ille quem quasi hominem despiciebant, sicut Deus signis & miraculis coruscabat. *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & uenient Romani, & tollent locum nostrum & gentem.* Temporale regnum amittere timuerunt, de vita autem æterna cogitare neglexerunt: atque ideò vtrunque iustissimo Dei iudicio amiserunt. Nam quadragesimo secundo anno post eius passionem, simulque gloriosam ascensionem, venientes Romani sub Tito & Vespasiano principibus, locum simul & regnum & gentẽ illis abstulerũt, & ipsos ferro, fameque & captiuitate deleuerunt. Et qui in pascha Christum occiderant, in eadem solennitate ab hostibus captiuati sunt. Quique in iniuria filij patrem offenderant, ipsi à patre & filio, id est, Vespasiano & Tito deleti sunt: sicque rei & miseri ad æterna supplicia transierunt, iuxta quod Matth. 8. Dominus alibi de eis dixerat: Filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores. *Venient, inquiũt, Romani, & tollent nostrum locum & gentem.* Putabant Iudæi doctrinam Christi contra templum & paternas traditiones esse: ideoque timebant, ne si omnes in Christum crederent, nullus remaneret, qui pro ciuitate & templo contra Romanos pugnando resisteret. *Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine, cùm esset pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* Quod eum à semetipso non dixisse, sed quia erat pontifex anni illius, prophetasse, agente ipso pontificatus sacramento quod indignus gerebat, subsecutus Euangelista ostendit, dicens: *Hoc autem à semetipso non dixit, sed cùm esset pontifex anni illius, prophetauit, quia Iesus moriturus erat pro gente.* Quo loco discimus, plerunque etiam malos per spiritum prophetiæ futura prædicere. Vnde & in iudicio Domino dicturi sunt: Domine, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus? Quæri verò potest, quomodò hic Caiphas dicatur pontifex anni illius, cùm Dominus per legem præcepisset, vt vnus tantùm esset summus sacerdos, cui mortuo filius succederet, & loco patris sacerdotium administraret? Sed sciendum, hoc primò ab Aaron vsque ad Dauid regis tempora seruatum, qui volens augere culturas templi, plures pontifices, Domino nihilominùs agente, esse decreuit: qui per ordinem vicibus sibi succederent, ac per annos singulos ministrarent. Hinc Lucas Euangelista de Zacharia refert: quia cùm sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Dominum, sorte exijt, vt poneret incensum ingressus in templum Domini. Potest etiam intelligi, moderno tempore hoc per ambitiones dignitatum & cõtentiones constitutum fuisse apud Iudæos, vt plures essent pontifices, & vicibus in templo Domini ministrarent, quibus post annum alij succedebant. Nam & de hoc Caipha refert Iosephus, quòd precio sibi vnius anni sacerdotium redemerit ab Herode. Quid verò prophetauerit, videamus. *Vos nescitis quicquam, neque cogitatis, quia expedit ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem,* ait Euangelista, *à semetipso non dixit: sed cùm esset pontifex anni illius, prophetauit, quia Iesus moriturus erat pro gente: & non tantùm pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum.* Prophetauit ergo Caiphas, quòd pro Iudæorum tantùm gente Christum mori expediret: sed Euangelista nouerat eum pro salute totius humani generis passurum: quatenùs illos, qui ante secula prædestinati erant, vt essent filij Dei, in vnum congregaret, & ex credentibus Iudæis & gentibus vnũ gregẽ & vnũ ouile perficeret, sicut ipse alibi dicit: Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient: & fiet vnum ouile, & vnus pastor. Non enim iam tunc filij Dei vel oues erant, sed ipse pro eis patiendo, eosque precioso suo sanguine redimendo, ex filijs diaboli fecit filios Dei, & ex nocentibus lupis, innocentes oues esse constituit. *Ab illo ergo die cogitauerunt ut interficerent eum.* Non quò & anteà iam non hoc cogitassent, cùm superiùs in eius necem cõspirasse, & crebrò eum comprehendere voluisse legantur: sed quia tunc ineuitabilitèr se scelere perficiendæ mortis eius constrinxerunt, & quò citiùs possent, iniqua sua consilia accelerare decreuerunt. *Iesus ergo iam non palàm ambulabat apud Iudæos: sed abijt in regionem iuxta desertum in ciuitatem, quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis.* Non vtique ille, qui est Dominus virtutum, formidare poterat, nec eum suæ diuinitatis potestas deseruerat: quia si vellet, poterat palàm inter Iudæos conuersari, & nihil mali ab illis pati. Sed recedendo, ac sæuitiam inimicorum declinando, nobis exemplum dare dignatus est, vt si tempus persecutionis ingruerit, non dubitemus refugij latebram quærere, & furorem sceleratorum hominum latendo deuitare. Sanè quòd Dominus relictis Iudæis abijt in regionem iuxta desertum, significat, quia illos, qui quondam plebs Dei, & populus acquisitionis fuerant, propter suam perfidiam & incredulitatem relicturus erat, & ad gentes, quę quondã desertæ fuerãt à Deo, per apostolicam prędicationẽ erat transiturus. Nam & ciuitatis ipsius vocabulum, in qua cum discipulis commoratus est, huic rei aptissimè congruit. Ephrem namque fructificatio interpretatur, nimirùm sanctam præsignans Ecclesiam ex gentibus, quæ quondam sterilis & infœcunda, postquàm verbum fidei Christi suscepit, spiritualibus bonorum operum fructibus abundare studuit. Et quæ aliquando terra perusta ac

Vastatio Iudæorum

Prophetiã habent etiam mali. Matt. 7.

Malitia in decretũ excæcati. Luc. 1.

Christus cur Iudæorum sæuitiæ se subduxerit.

Ephrem, Ecclesiam præfigurat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

squalida, nihil virēs gignere nouerat, modò fructiferis arboribus fœcunda, in diuersorum fructuum prolatione gratiam simul & vsum latè per totum orbem propinat. Nec iam desertum, sed meliori nomine hortus deliciarum, & paradisus Dei digna est appellari. Redemptor noster, quia sciebat instare tempus suæ passionis, voluit se absentare modicum à Iudæis, expectans vt veniente pascha, quod in proximo erat futurum, sese illorum manibus, sicut ante secula præfinierat, comprehendendum traderet, & crucifigendum. Quam & nos solennitatem, sacra dierum quadragesimalium obseruatio commonet vigilantissimè expectare. Ideoq; necesse est, eius qui nos magno sui cruoris precio redemit, clementiam votis sedulis exorare, vt nos cum remissione peccatorū, cumq; gratia & misericordia sua, ad eum sibi placitos faciat peruenire, qui viuit & regnat, &c.

EADEM FERIA.

HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Collegerunt pōtifices & pharisæi concilīū, & c. Ioan. 11.

AVdierant pontifices & pharisei Saluatorem nostrum Lazarum quatriduanum resuscitasse, cuius miraculi magnitudine territi, inter se cōsiliantes dicebant: *Quid facimus?* Occidamus Iesum. Quare? *Quia multa signa facit. Si enim dimittimus eū sic, oēs credent in eum,* videntes signa & virtutes, quæ fiunt per eum. Quod si fecerint, *Venient Romani, & tollent nostrū locū & gentē.* Timebant enim, ne regē cōstituerēt, & ob hoc cōtra se Romanorū exercitū concitarēt, quorū imperio sicut cæteræ gētes, Psal. 13. 25 Iudęi quoq; subditi erāt. Sed sicut Psalmista ait, Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Si enim Christo credidissent, si Iesum non occidissent, nec locū nec gentē amisissent. Sed quia Christum occidere non timuerunt, & locum & gentem perdiderunt. *Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine, cùm esset pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Hoc autem (ait Euāgelista) *à semetipso non dixit, sed cùm esset pontifex anni illius, prophetauit, quia Iesus moriturus erat pro gente: & non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.* Vos (inquit) nescitis quicquam, neq; cogitatis ea quæ necessaria sunt. Ego autem scio, & cognoui, quia necesse est, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem non dixit à semetipso, sed à spiritu sancto, quia aliter quā ipse intelligebat, verba illa dirigebat in ipso. Aliud Caiphas se dicere putabat, atque aliter sua verba intelligebat. Tota enim eius intentio erat, vt Iudæi Christum occiderent, ne ipsi à Romanis occiderentur. Prophetabat tamen, quòd Iesus moriturus erat pro Iudæorum gente, & non tantùm pro illa gente, sed vt filios Dei, qui vbique gentium dispersi erant, in vnam fidē & Ecclesiā congregaret, vt fierent vnum ouile & vnus pastor. *Ab illo ergo die cogitauerunt vt interficerent eum.* Ioan. 10.

Quasi enim vtili accepto consilio, ex quo Caiphas hæc loquutus est, tota illa pharisæorū multitudo quomodò Christum interficeret cogitabat. *Iesus ergo iam nō in palàm ambulabat apud Iudæos, sed abiit in regionem iuxta desertum in ciuitatem, quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis.* Hoc enim non timore fecit Iesus, qui vbiq; securus erat, qui ipsos quoq; inimicos in potestate habebat, quē Iudæi nec tenere nec occidere possent, si nollet. Quare ergo? Vt nos doceret, vt prouidos redderet, vt nos quoq; iniquorum hominū furori & iræ cedamus, si eos fortasse nostra præsentia & alloquutione non corrigi, sed deteriores fieri videamus. *Proximum autem erat Pascha Iudæorum, & acceſſerunt multi Hierosolymam de regione ante Pascha, ut sanctificarent seipsos.* Hoc pascha miseri Iudæi cruentum habuerūt: hoc regem & Dominum suum interfecerunt. Hoc multi Hierosolymam vndiq; confluxerunt, & qui seipsos sanctificare venerant, Christo Domino interfecto, valdè deteriores ad propria remearūt. *Quærebāt ergo Iesum, & colloquebantur in tēplo stātes: Quid putatis, quòd nō uenit ad diē festū?* Quærebant (inquit) Iesum: & ideò quærebāt, quia occidere eum volebant. In templo stabant, non orabant, sed de Saluatoris morte inter se tractabāt. Mirabātur quia non veneratad diem festum, qui eos docere solebat in diebus festis: & eum perdidisse timebāt, quē occidere quærebant. *Dederant autem pontifices & pharisæi mandatū, ut si quis cognouerit ubi sit, indicet, ut apprehendant eum.* Qui enim ita quærunt Iesum, non possunt scire vbi sit, neq; inueniunt eum. Si vultis scire Iudæi, & inuenire Iesum, venite ad Ecclesiā, venite ad nos, & indicabimus vobis eū, non prodendo, sed credendo, non vt eam occidatis, sed vt nobiscum in eū credatis.

Iesus cur Iudæis cesserit.

IN VIGILIA PALMARVM,

Ioan. xvij.

In illo tempore: Sublcuatis Iesus oculis in cælum, dixit: Pater, uenit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te. Et reliqua.

Homiliā require in vigilia ascensionis Domini.

EODEM DIE HOMILIA

Eusebij Emeseni.

Cogitauerunt principes sacerdotum, ut & Lazarum interficerent, &c. Ioan. 12.

STulti Iudæi eū occidere volebāt, quem nuper Dominꝰ suscitauerat, ac si iterū eū resuscitare non posset. *In crastinū aūt turba multa, quæ uenerat ad diē festū, cum audisset quia uenit Iesus Hierosolymā, accepērūt ramos palmarū, & processerūt obuiā ei.* Rami palmarū victoriā significāt, quā Dominꝰ illis dieb. de hoste triūphās suscepturꝰ erat. Palma enim in scripturis sępissimè pro victoria ponitur. *Et clamabāt: Hosanna, benedictus qui uenit in nomine Domini, rex Israel.* Hosāna interiectio est, nihilq; aliud significat, nisi quen-

si quendā populi affectū, cōgratulantis & Deū laudantis. Venit autem Dominus in nomine Domini, secundùm quod ipse ait: Ego veni in nomine patris mei, & non recepistis me: alius veniet in nomine suo, & illum accipietis. *Et inuenit Iesus asellū, & sedit super eū, sicut scriptū est: Noli timere filia Sion: ecce rex tuus uenit, sedens super pullū asinæ.* Hæc aūt in Matthęo exposuimus. De hac enim asina & pullo Iacob patriarcha loquitur, dicens: Iuda, te laudabūt fratres tui. Manus tuæ in ceruicib. inimicorū tuorū: catulus leonis Iuda. Ad prædā fili mi ascēdisti: accubuisti vt leo, & quasi leæna, quis suscitabit eū? Et paulò pòst: Ligās ad vineā pullū suū, & ad vitē ō fili mi asinā suā. Hæc enim asina, Synagoga est, quæ alio nomine vinea nuncupatur: pullus verò, populus gentiū indomitus & lasciuus: vitis aūt Christus, qui ait: Ego sum vitis vera. Ligauit igitur ad vineā pullū suū, quia gentilē populū Synagogæ cōiunxit, vt fieret vnū ouile & vnus pastor. Sed quia priùs secundū quandā partē synagogā sibi cōiūxerat, asinā quoq; ligauit ad vitē. Per se enim Synagogam, & per synagogā nos prædicauit, & prædicādo nos Synagogæ sibiq; ligauit. Sequitur: *Hæc non cognouerūt discipuli eius primùm, sed quādo glorificatus est Iesus, tūc recordati sunt, quia hæc scripta erāt de eo, & hæc fecerunt ei.* Quid hæc significarēt, nō cognouerūt discipuli eius primùm, sed quādo glorificatus est, id est, postquā eorum sensus aperuit, vt scripturas intelligerēt. *Tūc recordati sunt, quia hæc scripta erāt de eo, & hæc fecerūt ei:* nō alio modo, nisi eo quo antè per prophetā fuerāt prænūciata de eo. *Testimoniū ergo phibebat turba, quæ erat cū eo, quādo Lazarū uocauit de monumēto, & suscitauit eū à mortuis. Propterea & obuiā ei uenit turba, quia audierāt eū fecisse hoc signū.* Miraculis igitur trahebantur, qui verbis nō mouebātur. *Pharisæi ergo dixerūt inter se, & ad semetipsos: Videtis quia nihil proficimus: ecce mūdus totus post eū uadit,* cuius nomē delere cogitauimus. Quæ sunt enim istæ voces, quæ in eius gloria resonāt? Quid est, Hosanna filio Dauid? quid est qđ populus dicit, Benedictus qui venit in nomine Domini? Proximū est, vt rex ab omni populo cōstituatur, & Romanis venientibus locus iste fūditùs destruatur. *Erāt aūt gentiles quidā ex his qđ ascenderāt, ut adorarēt in die festo.* De talibus enim Matth. 8. fuit Cēturio, de quo ipse Dominus ait: Amen dico vobis, nō inueni tantā fidē in Israēl. *Hi ergo accesserūt ad Philippū, qđ erat à Bethsaida Galilææ, & rogabāt eum, dicētes: Domine, uolumus Iesum uidere.* Et Iudæi & Gētiles quærūt Iesum. Iudęi, vt perdāt: Gentiles, vt credāt. *Venit Philippus, & dicit Andreæ. Andreas rursum & Philippus dixerūt Iesu. Iesus aūt respōdit eis, dicens: Venit hora, ut clarificetur filius hominis.* Modò (inquit) occidetur filius hominis: modò cū iniquis reputabitur: modò sol iustitię obscurabitur: sed venit hora post hæc, vt clarificetur, & nō tātùm ab his, sed à cūctis gētibus adoretur. Hoc autē factū est post Christi resurrectionē, vbiq; Apostolis prędicātibus, & Christi nomē in signis & miraculis declarātibus. *Amē amē dico uobis, nisi granū frumēti cadēs in terrā mortuū fuerit, ipsum solū manet: si aūt mortuū fuerit, multū fructū affert.* Hoc est enim illud granū frumēti, qđ virgo & inarata terra produxit, de quo Psalmista ait: Veritas de terra orta est, & iustitia de cælo ꝓspexit: Etenim Dominus dabit benignitatē, & terra nostra dabit fructū suū. Huius aūt grani immēsa multiplicatiōe, omnia Ecclesię horrea repleta sunt. De hoc frumēti grano ille panis cōficitur, de quo ipse Dominus ait: Ego sū panis viuus, qui de cælo descēdi. Constat aūt hoc & ad literā verū esse, ꝙ frumēti granū, si in arca seruetur, nō crescit: si aūt seminetur, si in terra soluatur & moriatur, multū fructū affert. *Qui amat animā suā perdet eā: & qui odit animā suā in hoc mūdo, in uitā æternā custodit eā.* Hoc enim nō dixisset, si animas nostras & benè & malè odisse nō possemus. Ipse enim exponit, quid sit malè amare: & ipse exponit, quid sit benè odisse. Malè enim animā suā amat in hoc mūdo, qui ꝓpter hūc mūdū, & ꝓpter hāc vitā præsentē, eā amat. Ille enim perdet eam: qui sic amādo, æternæ morti & perditioni tradet eā. Qui enim benè amat animā suā, sic eā amat, vt in æternū viuat, nō vt breui tēpore in delicijs viuat. Vnde & in vitā æternā eā custodit, qui sic in hoc mūdo animā suā odit. Ille animā suā & vitā suā odisse videtur, qui mori non timet: qui ieiunijs & vigilijs, qui paupertate & nuditate, alijsq; similib. eā affligit. Ille deniq;, qui sic amat animā suā, vt eā, si necesse sit, ꝓ Christi fide ponere nolit, perdet eā. Qui verò sic odit, vt eā in tali necessitate ponere non recuset, in vitā æternā custodit eā. *Si quis mihi ministrat, me sequatur.* vt sicut ego pro ipso, ita & ipse (si necesse sit) ꝓ me moriatur. Sequi enim, imitari est. Ministrāt enim Domino nō solū episcopi & sacerdotes, cæteriq; illius ordinis, verū etiā qui facit eleemosynas, vestit nudos, visitat infirmos, aliaque his similia misericordię & pietatis opera facit, Domino ministrat. Vnde & ipse quoq; Dominus ait: Qđ vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis: ostēdēs eos ministrare sibi, qui ipsius mēbris ministrāt. Sed quid eis sibi ministrasse proderit? Sequitur: *Et ubi sum ego, illic & minister meus erit.* Dicis fortasse, nō hoc tibi sufficit. Audi qđ sequitur: *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eū pater meus.* Magnꝰ honor, magna gratia, immēsæ diuitię. Beatꝰ ille, qué Dominꝰ honorificabit. Ille enim ditabitur illis bonis, quę oculus nō vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascēdit, quæ præparauit Deꝰ diligētib. se. Deniq; qui ibi erit, vbi ipse est, quid melius vnquā habere potest? Hoc .n. Psalmista desiderans, ait: Beati qui habitāt in domo tua Domine: in seculū seculi laudabūt te. Itēq;: Vnā petij à Domino, hāc requirā, vt inhabitē in domo Domini omnib. diebus vitę meæ. Et Apostolus, Cupio, inquit, dissolui, & esse cū Christo. Sequitur: *Nūc anima mea turbata est: & qđ dicāt, Pater, saluū me fac ex hac horā. Sed propterea ueni in hāc horā. Pater glorifica nomē tuū.* Dixit supiùs, Venit hora, vt clarificetur filiꝰ hominis: nūc aūt dicit, ꝙ aia eius turbata est. Sed vnde turbata, nisi quia ex

Asina, Synagoga. Pullus, gentiles. Ioan. 15.

Luc. 24.

Ioan. 5.

Zach. 9.

Gene. 49

Malè amat animā suā.

Benè amat animā.

Odire animam suā.

Psalm. 84

Ioan. 6.

1. Cor. 2.

Psalm. 83.

Psalm. 22.

Philip. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsa sua clarificatione, multos vbiq; terrarum nō solùm turbari, verùm etiam flagellari & occidi, cunctisq; tormentorum generibus affligi videbat? Quis in eum credidisset, si clarificatus non fuisset? Nisi enim à mortuis resurrexisset, cælos ascendisset, tantaq; fideles sui in ipsius nomine miracula fecissent, nemo in eum credidisset. dicat ergo: Nunc anima mea turbata est: non meæ mortis timore, sed meorum fidelium compassione: homo enim sum, & humanis affectionibus moueor. Et quid dicam, cùm pro meo nomine fideles meos sic affligi & cruciari videam? Pater saluum me fac: salua mẽbra mea, salua & custodi fideles meos ex hac hora, ex hoc tempore meæ passionis, & illorum perturbationis.

Persecutio Ecclesiæ quando cœperit.

Simul enim & passio Christi & Ecclesiæ persequutio cœpit: quia dum ipse capitur, Apostoli fugiunt, Petrus negat, & scandalum patiuntur omnes. Sed propterea veni in hanc horam, vt ex hora hac fideles mei saluentur, & meo sanguine mundentur. Tunc verò *Pater clarifica nomen tuum*, vt me die tertia resurgente, clarum & manifestũ fiat, qd' tu pater, & ego filius vocor. Si enim cognouerint nomen tuum, cognoscent & nomen meum: quia pater sine filio esse non potest. *Venit ergo uox de cælo, dicens: Et clarificaui, & iterum clarificabo.* Clarificaui per miracula, & iterum clarificabo per resurrectionem & ascensionem. Clarificaui paucis, clarificabo multis, & demum clarificabo omnibus. Pauci enim fuerunt illi, qui eum dicentem audierunt, Hic est filius meus dilectus. Multi verò sunt, qui Dei filium eum esse credũt. Sed hoc in iudicio plenius declarabitur: quando omnis lingua confitebitur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. *Turba ergo quæ stabat & audierat, dicebat tonitruum factum esse: alij dicebãt, Angelus ei loquutus est.* Illi igitur & illi vocem audierunt, sed neq; illi neq; alij eam intellexerunt. *Respondit Iesus, & dixit: Non propter me hæc uox uenit, sed propter uos.* Nulla enim tali colloquutione indigebat, qui patris volũtatem per omnia sciebat. Linguæ enim, vt ait Apostolus, in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus. *Nunc iudicium est mundi: nunc princeps mundi huius ejcietur foras.* Hoc enim iudicio agitur, vt bonum à malo, & iustum ab iniusto discernatur. Ex eo igitur tempore mundus iudicari & iudicare cœpit, ex quo Christi doctrinam suscepit: quia tunc primùm veritatem à mẽdacio discernere nouit. Ex tunc princeps mundi huius, id est, diabolus, rex & Dominus iniquorũ, eiectus est foras: non foras vtiq; de mundo, sed foras de populo baptismate mundato, quẽ Christus sub sanguine lauit, & baptismatis aqua mundauit. *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Ille, inquit, foras eiectus, amittet principatum: ego autem exaltatus, ad meipsum omnia traham: omnia videlicet, quæ trahenda sunt. *Hoc autem dicebat*, ait Euangelista, *significans qua morte erat moriturus. Respondit ei turba: Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum: & quomodò tu dicis, Oportet exaltari filium hominis? Quis est iste filius hominis?* Videtur Iudæi hoc in loco intellexisse, quid hac tali exaltatione Dominus significauit, dum eum intelligunt, qui sic exaltatur, non posse manere in æternum. *Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum lumen in uobis est. Ambulate dum lucem habetis, ut non tenebræ uos comprehendant. Qui ambulat in tenebris, nescit quò uadit. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filij lucis sitis.* Adhuc, inquit, modicum lumen intelligentiæ in vobis est, dum nescitis quis sit filius hominis. Illi enim soli illuminati sunt, qui eum cognoscunt, & qui eum esse credunt filium Dei & filium hominis. Ambulate, festinate, currite ad lucem, dum potestis, dum proxima est, dum eam videtis & ante oculos eam habetis: & non tenebræ erroris & mortis vos comprehendant. Qui enim ambulat in tenebris ignorãtiæ & erroris, nescit quò vadit. *Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumẽ uitæ.* Ergo dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis. *Hæc loquutus est Iesus, & abijt, & abscondit se ab eis.* Et hoc quidem significatio est. Ideò enim Dominus tunc ab eis se abscondit, quia vsq; hodiè ab eis non inuenitur. Quotidiè enim in lege & prophetis loquitur eis, & tamẽ nō inuenitur ab eis: & hoc erat quod significabat, quando se abscondit ab eis.

Princeps mundi, diabolus.

Matth. 3. 17.

Philip. 2.

1. Cor. 14

Ioan. 13

Ioan. 1.

DOMINICA IN RAMIS PALMARVM, SERMO BEATI AVgustini episcopi: sumptus ex secunda expositione Psalmi 21.

DEus Deus meus, respice me, quare me dereliquisti? Istũ versum primũ in cruce audiuim⁹, vbi Dominus dixit, Eli Eli, quod est, Deus me⁹, Deus meus lamma azabthani, quod est, Quare me dereliquisti? Interpretatus est illud euangelista, & dixit eum Hebraicè dixisse: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? Quid voluit dicere Dominus? Non enim dereliquerat illum Deus, cùm ipse esset Deus, vtique filius Dei Deus, vtiq; verbum Dei Deus. Audi à capite illum euangelistam, qui eructabat quod biberat de pectore Domini: videamus si Deus est Christus. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Ipsum ergo verbum, quod Deus erat, caro factum est, & habitauit in nobis. Et cùm verbum Deus factum esset caro, pendebat in cruce, & dicebat: *Deus meus, Deus meus, respice me, quare me dereliquisti?* Quare dicitur, nisi quia nos ibi eramus? nisi quia corpus Christi Ecclesia? Vt quid dixit: Deus meus, respice me, quare me dereliquisti, nisi quodammodò intentos nos faciens, & dicens, Psalmus iste de me scriptus est? *Longe à salute mea uerba delictorum*

rum meorum. Quorũ delictorum, de quo dictum est: Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius? Quomodò ergo dicit, Delictorũ meorum, nisi quia pro delictis nostris ipse precatur, & delicta nostra sua delicta fecit, vt iustitiam suam nostram iustitiã faceret? *Deus meus clamabo ad te per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad insipientiam mihi.* Dixit vtiq; de me, de te, de illo. Corpus enim suum gerebat, id est, Ecclesiam: nisi fortè putatis fratres, quia quando dixit Dominus: Pater si fieri potest, transeat à me calix iste, mori timebat. Non est fortior miles, quàm imperator. Sufficit seruo, vt sit sicut dominꝰ eius. Paulꝰ enim dicit miles regis Christi: Compellor è duobus, concupiscentiam habens dissolui, & esse cũ Christo. Ille optat mortem, vt sit cum Christo, & ipse Christus timet mortem? Sed quid nisi infirmitatem nostram ipse portabat, & pro his, qui adhuc timent mortem, in corpore suo constitutis, ista dicebat? Inde erat illa vox: mẽbrorum ipsius vox erat, non capitis, sicut hic: Per diem clamaui, & non exaudies. Multi enim clamant in tribulatione, & non exaudiuntur: sed ad salutem, nõ ad insipientiam. Clamauit Paulus, vt auferretur ab eo stimulus carnis, & non est exauditus vt auferretur, sed dictum est ei: Sufficit tibi gratia mea: nã virtus in infirmitate perficitur. Ergo non est exauditus, sed non ad insipientiam, sed ad sapientiam: vt intelligat homo medicum esse Deum, & tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem. Sub medicamento positus vreris, secaris, clamas: non audit medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem. *Tu autem in sancto habitas, laus Israël.* In illis habitas quos sanctificasti, & quos facis intelligere, quia ad vtilitatem quosdam non exaudis, & ad damnationem quosdam exaudis. Ad vtilitatem nõ est exauditus Paulus, ad damnationem exauditus est diabolus. Petijt Iob ad tentandum, & concessum est. Dæmones petierunt se ire in porcos, & exauditi sunt. Dæmones exaudiuntur, Apostolus non exauditur: sed illi exaudiuntur ad damnationem, Apostolus non exauditur ad salutem: quia non ad insipientiam mihi. *Tu autem in sancto habitas, laus Israël.* Quare non exaudis & tuos? Quare dico ista? Mementote semper dici, Deo gratias: & magna est hic multitudo, & qui non solent venire, venerunt. Omnibus dico, quia in tribulatione positus Christianus probatur, si non derelinquit Deum suum. Nam quando benè est homini, desertus est sibi Christianꝰ. Ignis intrat in fornacem, & fornax aurificis magni sacramenti res est. Ibi est aurum, ibi est palea, ibi ignis in angusto operatur. Ignis ille non est diuersus, & diuersa agit: Paleam in cinerem vertit, auro sordes tollit. In quibus autem habitat Deus, vtiq; in tribulatione meliores fiunt, tanq; aurũ probati. Et si fortè petierit inimicus diabolus, & cõcessum illi fuerit, siue aliquo dolore corporis, siue damno, siue amissione seruorum: fixum cor habeat in illo qui se non subtrahit, & si quasi subtrahit aurem ploranti, sed apponit misericordiam deprecãti. Nouit quid agat, qui nos fecit: nouit & reficere nos. Bonus est structor, qui ędificauit domum: & si aliquid ibi ceciderit, nouit resarcire. Et vide quid dicat: *In te sperauerunt patres nostri, sperauerunt, & eruisti eos.* Et nouimus & legimus, quàm multos patres nostros sperantes in se eruit Deus. Eruit ipsum populum Israël de terra Aegypti, eruit tres pueros de camino ignis, eruit Danielem de lacu leonũ, eruit Susannam de falso crimine. Omnes inuocauerunt, & eruti sunt. Nunquid defecit ad filium suum, vt in cruce pendentem non exaudiret? Quare autẽ ipse non eruitur modò? Quia ipse dixit, *In te sperauerunt patres nostri, sperauerunt, & eruisti eos. Ego autẽ sum uermis, & non homo.* Nam est & homo vermis: sed ille vermis, & non homo. Vnde non homo? Quia Deus. Quare ergo sic se abiecit vt diceret, sum vermis? An quia vermis de carne sine concubitu nascitur, sicut Christus de Maria virgine? Et vermis, & tamen non homo. Quare vermis? Quia mortalis, quia de carne natus, quia sine cõcubitu natus. Quare non homo? Quia in principio erat verbũ, & verbũ erat apud Deũ, & Deus erat verbum. *Opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Videte quanta passus est. Iam vt dicamus passionem, & ad illam maiori gemitu veniamus, videte quanta modò patitur, & deinde videte quare. Quis enim fructus? Ecce sperauerunt patres nostri, & eruti sunt de terra Aegypti. Et sicut dixi, tam multi inuocauerunt, & statim ad tempus, non in futura vita, sed continuò liberati sunt. Ipse Iob diabolo petenti concessus est, putrescens vermibus: tamen in hac vita recuperauit salutem, dupla accepit quæ perdiderat. Dominus autem flagellabatur, & nemo subueniebat: sputis deturpabatur, & nemo subueniebat: colaphis cędebatur, & nemo subueniebat: spinis coronabatur, & nemo subueniebat: leuabatur in ligno, nemo eruit: clamat: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me: non subuenitur. Quare fratres mei? quare? qua mercede tanta passus est? Omnia ista quæ passus est, precium erant. Cuius rei precio tanta passus est recitemus, videamus quæ dicat. Primò quæramus quæ passus sit, deinde quare, & videamus quàm sint hostes Christi, qui confitentur quia tanta passus est, & tollunt quare. Hic audiamus totum in isto Psalmo, & quæ passus sit, & quare. Tenete ista duo, quid, & quare. Modò ipsum quid explicem. Non ibi immoremur, & meliùs ad vos perueniunt ipsa verba Psalmi. Videte quæ patitur Dominus: attendite Christiani: *Opprobrium hominum, & abiectio plebis. Omnes qui uidebant me, subsannabant me, locuti sunt in labijs, & mouerunt caput. Sperauit in Domino, eruat eum: saluum faciat eum, quoniam uult eum.* Sed quare dicebant ista? Quia homo factus erat, dicebant tanquam in hominem. *Quoniam tu es, qui extraxisti me de uẽtre.* Nũquid

1. Pet. 2.

Matt. 26.

Philip. 1.

2. Cor. 12.

Affectio, medicina salutis.

Iob 1. Matth. 8.

Exod. 14.

Dan. 3.

Dan. 14.

Dan. 13.

Ioan. 1.

Iob 2.

Iob 42.

Matt. 27.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quid dicerent talia in illud, quod in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum? Verbũ enim illud, per quod facta sunt omnia, nõ extractum est de ventre, nisi quia verbum caro factũ est, & habitauit in nobis. *Quoniam tu extraxisti me de uentre: Deus meus ab huberibus matris meæ.* Nam ante secula pater meus, ab huberibus matris meæ Deus meus. *In te iactatus sum ex utero*, id est, vt mihi tu solus esses spes, iam tanquam homo, iam tanquam infirmus, iam verbum caro factum est. *De uentre matris meæ, Deus meus es tu.* Non de te Deus meus: nam de te pater meus, sed de ventre matris meæ Deus meus. *Ne discedas à me: quoniam tribulatio proxima est, & non est qui adiuuet.* Videte desertũ, & væ nobis si ipse nos deserat, quoniã non est qui adiuuet. *Circumdederunt me uituli multi, tauri pingues obsederunt me*, populus & principes: populus, vituli multi: principes, tauri pingues. *Aperuerũt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens.* Audiamus rugitum eorum in euangelio: Crucifige crucifige. *Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea.* Ossa sua, firmos suos dicit: ossa enim firma sunt in corpore. Quando dispersit ossa sua? Quando dixit illis: Ecce ego mitto vos velut agnos in medio luporum. Firmos suos dispersit, & sicut aqua effusus est. Aqua enim quãdo effunditur, aut abluit, aut irrigat. Effusus est Christus sicut aqua, abluti sunt sordentes, rigatæ sunt mentes. *Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio uentris mei.* Ventre suũ, dicit infirmos in Ecclesia sua. Quomodò cor ipsius factũ est sicut cera? Cor ipsius, scriptura ipsius, id est, sapiẽtia ipsius, quę erat in scripturis. Clausa enim erat scriptura, nemo illam intelligebat. Crucifixus est Dominus, & liquefacta est sicut cera, vt omnes infirmi intelligerent scripturam Nam inde & velum templi scissum est: quia quod velabatur, reuelatum est. *Exaruit uelut testa uirtus mea.* Magnificè quid dixit: Firmius factum est nomen meum de tribulatione. Quomodò enim testa ante ignem mollis est, post ignem fortis: sic Domini nomen ante passionem cotemnebatur, post passionem honorificatur. *Et lingua mea adhæsit faucibus meis.* Quomodò membrũ illud in nobis non valet nisi ad loquendum: sic prædicatores suos linguam suam dixit adhæsisse faucibus suis, vt de interioribus eius caperent sapientiam. *Et in puluerem mortis deduxisti me. Quoniam circumdederunt me canes multi, concilium malignantium circumdedit me.* Etiam videte Euangelium. *Foderunt manus meas & pedes meos.* Tunc facta sunt vulnera, quorum vulnerum cicatrices dubitans discipulus contrectauit ille, qui dixit: Nisi misero digitos meos in cicatrices vulnerum eius, non credam: quando ei dixit, Veni, mitte manum tuam incredule. Et misit manum suam, & clamauit, Dominus meus & Deus meus. Et ille: Quia vidisti, & credidisti: beati qui non vident, & credunt.

Ioan. 19.

Matt. 1.
Luc. 10.

Matt. 27.

Ioan. 20.

DOMINICA PALMARUM, in Epistolam Concio exegetica.

Serm. 1. huius Dominicæ.

NOn sine causa, ait D. Bernardus, spiritum Sponsi pariter & Dei sui habens Ecclesia, processionem hodiè noua quadam & mira coniunctione addidit passioni. Nam processio plausum habet, passio planctum. Quoniam ergo sapientibus & insipientibus debitores sumus, videamus quid vtrisq; conferat hæc coniunctio. Et priùs quidem, quid secularibus indicet: quoniam non prius quod spirituale, sed quod animale. Videat secularis anima, videat & intelligat, quoniam extrema gaudij luctus occupat. Propter hoc enim, qui cætera quoq; cœpit facere & docere, non solùm verbis prædicans, sed exemplis, quod antè prædixerat per prophetam, Quoniam omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni, etiam apparens in carne, manifestè studuit probare in seipso. Vnde & processionis gloria voluit sublimari, qui paulò pòst sibi nouerat imminere diẽ ignominiosissimę passionis. Quis ergo sperare iam debeat in incerto gloriæ tẽporalis, cùm videat in ipso quoq; qui peccatum nõ fecit, creatore temporũ & conditore vniuersitatis, post exaltationẽ tantã, tantã nihilo minùs humiliationem sequi? In eadem enim ciuitate, à plebe eadem & eodem tempore, nunc quidem processionis gloria & diuinis est laudibus honoratus: postmodùm verò interrogatus contumelijs & tormento, & cum sceleratis deputatus. Hic est transitoriæ finis lætitiæ, hic fructus gloriæ temporalis. Hæc Bernardus. Iam ad Apostolicam huius diei lectionem accedamus, quæ est in Epistolæ ad Philippenses capite 2. *Hoc enim sentite in uobis, quod & in Christo Iesu: qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem. Deo, sed semetipsum exinanuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo.* Sic nos Apostolus vult esse affectos, vt fuit Christus Iesus. Vis nosse, vt ille affectus fuerit? Audi eum dicentem, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Ante huius lectionis verba Apostolus præmisit, vt in humilitate nobisipsis inuicem nos superiores arbitremur. Hoc non possunt facere, qui non sentiunt in se, quod fuit in Christo Iesu, id est, qui nolunt eius imitari mansuetudinem & humilitatem. Superbia omnibus se præfert. Verùm etiam illud cogitandum, inquit Augustinus, nullum esse hominem, qui non possit habere aliquod bonum, quod tu nondum habes, etiamsi lateat, in quo sine dubio posit te esse superior. Quæ cogitatio ad contundendam edomadamq; superbiam valet,

Pro. 14.

Esa. 40.

Matt. 11.

Lib. 83. Quæstio. nũ. Quæst. 71.

valet, ne arbitreris quoniam bona tua quidem eminent & apparent, ideò alterum nulla habere quæ lateant, & fortissis maioris ponderis bona, quibus te superat nesciente. Hæc Augustinus, docens nos quẽadmodùm alios nobis anteferre debeamus, & nobis superiores non simulatè sed ex animo existimare. Quæ autem Apostolus postea subiungit, nempe hodiernæ lectionis exordium, idem Augustinus libro octogintatrium Quæstionum, Quæstione 73. sic interpretatur: Cùm ergo Apostolus de vnigenito Dei filio loqueretur, quantum pertinet ad eius diuinitatem, secundùm id quòd verissimus Deus est, æqualem dixit esse patri: quod non ei fuit tanquam rapinam, id est, quasi alienum appetere, si semper manens in ea æqualitate, nollet hominem indui, & hominibus vt homo apparere: sed semetipsum exinaniuit, non formam suam mutans, sed formam serui accipiens: neque conuersus aut transmutatus in hominem, amissa incommutabili stabilitate, sed tanquàm verum hominem suscipiendo, ipse susceptor in similitudinem hominum factus, non sibi, sed eis quibus in homine apparuit, habitu inuentus est vt homo: id est, habendo hominem, inuentus est vt homo. Non enim poterat inueniri Deus ab his, qui cor immundum habebant, & verbũ apud Patrem videre non poterant, nisi hoc suscipiẽdo qđ possent videre, & per quod ad illud lumen interius ducerẽtur. Et paulò post: Hoc ergo nomine habitus satis significauit Apostolus, quemadmodùm dixerit, In similitudinem hominum factus: quia non transfiguratione in hominem, sed habitu factus est, cùm indutus est hominem, quem sibi vniens quodammodò atque conformans, immortalitati æternitatique sociaret. Hæc Augustinus. Eximia autem hic nobis imitanda, vt dixi, proponitur humilitas filij Dei: qui cùm in forma Dei esset, patrique nulla re inferior, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, quemadmodùm Lucifer ille superbus per rapinam voluit sese efferre vsque ad Dei æqualitatem, cùm non ignoraret se longè abesse à præstantia naturæ diuinæ: sed semetipsum exinaniuit, & vsque ad incredibilem abierit humilitatem, non quidem amissa forma Dei, sed formam serui accipiens. Vbi exclamans Chrysostomus, Discite, ait, quid animi humilitas sit, vos qui diabolicam elationem habetis.

Humilitas.

Quid igitur est animi humilitas? Humilibus affici. Humilibus verò afficitur, non qui necessariò humili sorte est, sed qui seipsum humiliat. Hæc ille. Longè absunt à Christi humilitate superbi oẽs, quorũ rex est Lucifer ille superbus & arrogans: inprimis aũt hæretici nihil cõmune habent cum humili filio Dei, qui suum iudicium totius Ecclesię iudicio intolerabili arrogantia anteponunt, & innumeras animas in errores inducunt. Porrò huiusipsius arrogantiæ ea pœna est, quòd in sua amentia manent pertinaces, & proficiunt in peius, errantes & in errorem mittentes: sed sequitur ignominia & confusio sempiterna. Verùm ijs omissis, videamus quid porrò dicat Apostolus: *Humiliauit semetipsum, factus obediẽs usq; ad mortem: mortem autem crucis.* Creator hominis, inquit Augustinus, homo esse dignatus est: factus est qđ fecerat, ne periret quod fecerat. Quid huic misericordiæ addi potest? Et tamẽ addidit. Parũ fuit ei hominẽ fieri, sed voluit etiã ab hominib⁹ reprobari. Parũ fuit reprobari, & exhonorari. Parum erat exhonorari, & occidi. Sed & hoc parum est, morte crucis (scilicet, occidi voluit) Nam & cùm eius obediẽtiam vsq; ad mortem factam commendaret Apostolus, parum illi fuit dicere, Factus obediens vsq; ad mortem, nõ enim quaelemcunq; mortem: sed addidit: Mortem autem crucis. Illa morte nihil peius fuit inter omnia genera mortium. Denique vbi dolores acerrimi exagitant, cruciatus vocatur, à cruce nominatus. Pendentes enim in ligno crucifixi, clauis ad lignum pedibus manibusq; confixi, producta morte necabantur. Non enim crucifigi, hoc erat occidi, sed diù viuebatur in cruce: non quia longior vita eligebatur, sed quia mors ipsa protendebatur, ne dolor citiùs finiretur. Mori voluit pro nobis. parum dicimus: Crucifigi dignatus est, vsque ad mortem crucis obediens factus. Elegit extremum & pessimum genus mortis, qui omnem fuerat ablaturus mortem. De morte pessima occidit omnem mortem. pessima enim erat non intelligentibus Iudæis: nam à Domino electa erat. Ipsam enim crucem suam signum habiturus erat, ipsam crucem de diabolo superato tanquam trophæum in frontibus fidelium positurus, vt diceret Apostolus, Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mũdus crucifixus est, & ego mundo. Nihil erat tunc in carne intolerabilius, nihil est nunc in fronte gloriosius. Quid seruat fideli suo, qui talem honorem dedit supplicio suo? Hæc Augustinus. Hanc patientiam & humilitatem, ait D. Ambrosius, imitari nos decet, vt non solùm coæqualibus nos non anteponamus, verumetiam inclinemus nos, authoris nostri secuti exemplum. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine IESV omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus IESVS CHRISTVS in gloria est patris.* Quid & quantum humilitas mereatur, inquit Ambrosius, ostendit, vt magis hanc appeteremus, calcata iactantia. Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam. De qua re & Dominus, Qui se, inquit, exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur. Hæc est ergo humilitas, si sibi quis nec quod deberi nouit defendat. Denique Pharisæus ille vera de se dicens, exaltasse se dictus est, ac per hoc humiliatus est. Christus autem plus fecit: qui cùm Deus sit, caro factus, hominibus se incli-

2. Tim. 3.

Tractatu 36. in Ioan

Galat. 6.

In Philip. 2.

Ibidem.

1. Pet. 5.

Matt. 23.

Luc. 18.

Universidad de Deusto
Biblioteca

clinauit. Hæc Ambrosius. Si post incarnationem, ait Basilius Magnus lib. 4. aduersus Eunomium, propter obedientiam nomen quod supra omne nomen est, filio qui Deus erat, pater donauit, omnisque lingua eum confessa est Dominum: ante incarnationem verò neque nomen, quod supra omne nomen esset, habebat, neq; ab omnibus confessionem quòd esset Dominus: maior igitur factus est post incarnationé, quàm fuerit ante incarnationem: quod est absurdum.

Matt. 28. Tale porrò est & illud: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. De humanitate itaque, & non de diuinitate, intelligenda hæc sunt. Sic etiam D. Augustinus exponit hunc locum libro 2. contra Maximinum, cap. 5. Homini, inquit, donauit ista, non Deo. Neq; enim cùm in forma Dei esset, non excelsus erat, aut non ei genua flectebant cælestia, terrena & infernа. Sed cùm dicitur, Propter quod eum exaltauit, satis apparet, propter quid exaltauerit, id est, propter obedientiam vsq; ad mortem crucis. In qua ergo forma crucifixus est, ipsa exaltata est, ipsi donatũ est nomẽ, qđ est super omne nomẽ, vt cùm ipsa forma serui nominetur, filius vnigenitus Dei intelligatur. Hæc Augustinus. Quid verò, ait Chrysostomus in hunc locum, est cælestium, terrestrium & infernorum? Hoc est, Omnis mundus, & angeli, & homines, & dæmones: aut & iusti, & viuentes, & peccatores. Hæc ille. Discimus hinc, etiam corporis & membrorum obsequio debere nos cultum & reuerentiam præstare Domino nostro Iesu Christo. Ab illo enim habemus & animam & corpus, & vtrunq; debemus eius cultui & veneration impendere. Quod verò sequitur, Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris, satis indicat, & angelos & homines & dæmones confiteri & agnoscere in Christo diuinam maiestatem: & licet inuiti id faciant dæmones, tamen agnoscunt in eo diuinam potentiam & maiestatem. Græcè legitur, In gloriam, idq; Chrysostomus, Theophylactus & Oecumenius sic exponunt, quòd omnis lingua confiteatur Christum esse Dominum, idq; in gloriam Patris. Verùm qui obseruarit Apostolum præpositione εἰς ferè vti pro ἐν, videbit nostrum latinum interpretem non temere vertisse, In gloria: & id quoque sententiæ Apostolicæ rectè congruere videtur. Discimus autem ex hac breui lectione permulta: inprimis autem veram & voluntariam humilitatem, quæ summa fuit in Christo: & promptam obedientiam, quam Christus vsq; ad probrosissimam crucis mortem exhibuit. Hæ virtutes mirificè ornant Christianum, vt è diuerso superbia & inobediẽtia reddũt hominẽ cõtemptibilẽ, & Deo inuisũ. Quàm multos nostra vidit ætas, intolerabili arrogantia & superbia tumidos, suas stultissimas opiniones totius Ecclesiæ dogmatis antefere: & eos quidem miratur mundus, sed apud Deum nihil illis est vilius. Magnum malum arrogantia, inquit Chrysostomus Sermone 7. in Epistolam ad Philippenses. Satius fuerit fatuũ & insipiẽtẽ esse. Nã illic quidẽ stultitia ex solo mentis defectu est: hic verò stultitia peior est, & stultitiæ cũ insania cõiuncta. Fatuꝰ sibi ipsi nocet, arrogãs verò & alios lædit. Ex dementia, ista animi passio generatur. Non potest superbus esse, qui fatuus non est. Qui verò stultitia plenus est, is & arrogans est. Et paulò pòst: Tumidus animus peiorem intercute morbum habet: sedatus verò ab omni passione liberatus est. Quanta igitur bona nobis animi parit humilitas? Quid vis? Clementiam? mansuetudinem? benignitatem? sobrietatem? alacritatem? Omnia ista bona à modestia vel humilitate, & contraria ab arrogantia nascuntur. Necessariò qui arrogans est, & contumeliosus est, & percussor, & iracundus, & amarulentus, & tristis: bestia magis quàm homo. Hæc Chrysostomus. Itaq; imitemur humilem filium Dei: gloriosum est vel aliqua ex parte ad quandam filij Dei similitudinem potuisse accedere. En alta pendet à cruce, saturatus opprobrijs, nouissimus virorũ. Clamat vt si cũ ipso gloria & honore coronari velimꝰ, priùs ex animo humilitati studeamus, tanto hauddubiò in cælis futuri gloriosiores, quanto hic fuerimus humiliores, ipso præstante, cui cum Patre & Spiritu sancto est omnis honor & gloria in infinita seculorum secula, Amen.

Arrogantia quam malũ.

Humilitas quæ parit bona.

EADEM DOMINICA.
Matth. XXI.

In illo tempore: Cùm appropinquassent Hierosolymis, & uenissent Bethphage ad montem Oliueti, tunc Iesus misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum, quod contra uos est. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

MEdiator Dei & hominũ, homo Christus Iesus, qui pro humani generis salute passurus, de cælo descenderat ad terras, appropinquante hora passionis, appropinquare voluit & loco passionis: vt etiam per hoc claresceret, quia non inuitus, sed sponte pateretur. In asino venire, & à turbis rex appellari ac laudari voluit, vt etiam per hoc eruditus quisque agnosceret ipsum esse Christum, quem sic illò venturum prophetia olim præmissa signauerat. Ante quinque dies paschæ venire voluit, sicut ex Ioannis euangelio didicimus, vt etiam per hoc ostenderet se esse agnum immaculatum, qui peccata tolleret mundi. Agnus quippe paschalis, cuius immolatione populus Israel ab Aegyptia seruitute est liberatus, ante quinque dies paschæ, id est, decima luna domum inferri, & ipsa die paschæ, id est, quarta decima luna ad vesperam, iussus est immolari: significans eum, qui nos suo sanguine redempturus, ante quinq; dies paschæ, id est, hodierno die, mag-

Christi passio uoluntaria.

Ioan. 13.

Ioan. 1.

magno præcedentium sequentiumq; populorũ gaudio ac laudatione deductus, venit in templũ Dei, & erat quotidie docens in eo. Quinta demum peracta die, vbi veteris paschæ sacramenta hactenùs obseruata consummauit, ac noui deinceps obseruanda discipulis sacramenta contradidit, egressus in montem Oliueti, tentus est à Iudæis: & mauè crucifixus, ipsa nos die à dæmoniaca dominatione redemit: qua antiquus ille Hebræorum populus, per immolationem agni iugum Aegyptiæ seruitutis abiecit. Ergo Dominus instar agni paschalis, ante quinq; dies q̃ pati inciperet, locũ passionis adijt, vt se insinuaret esse illum, de quo prædixit Esaias: Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. Et paulò superiùs: Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, & liuore eius sanati sumus. Sed inuidorũ corda principũ, in cunctis quę prouidè gessit, eum persequi, quàm in eum credere maluerunt, & multùm miseri, vitæ authorem morti potiùs dare, quàm per eum ipsi viuificari studebant. Verùm nos perfidorum cæcitate declinata, eorum magis exempla, qui fideliter Dominum laudauere, sequamur, & iter eius mysticũ, mystica (vt decet) interpretatione scrutemur. Asina & pullus, quibus sedens Hierosolymam venit, vtriusq; populi, Iudæi videlicet & gentilis simplicia corda designant, quibus ipse præsidens, quæque à noxia libertate suo frenans imperio, ad visionem supernæ pacis perduxit. Hierosolyma etenim visio pacis interpretatur. Et bene cùm ad montem Oliueti venisset Dominus, discipulos qui hæc animalia adducerent, misit: quia non nostris ad eum meritis, sed sola ipsius gratia largiente peruenimus, Ioanne attestante, qui ait: Et in hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum: sed quòd ipse dilexit nos. Mons nanq; Oliueti, celsitudinem dominicæ dilectionis, qua nos misericorditer illustrare ac saluare dignatus est, insinuat: non solũ quia olei natura lucis ministra est, & laborũ dolorumq; solamẽ, verùm etiã quia cunctis, quibus immiscetur, solet excellere liquoribus. Et Apostolus de charitate loquuturus: Adhuc, inquit, excellentiorem viam vobis demonstro. Ad montem igitur Oliueti veniens Dominus, asinos sibi, quibus Hierosolymam petat, præcipit exhiberi, figuratè significans hoc, quod alibi dicit apertè: Quia sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Duos ad exhibenda sibi iumenta misit discipulos, vt significaret in vtrunq; populum, circuncisionis scilicet & præputij, prædicatores esse destinandos. Vel certè duos misit, vt eosdem prædicatores doctrina simul & operatione perfectos esse moneret, ne vel erroris verba indocti veritati miscerent, vel ea quæ rectè docuissent, peruersè viuendo negarent. *Inuenietis, inquit, asinam alligatam, & pullum cum ea. soluite, & adducite mihi.* Pullum quoque alligatum fuisse, alij euangelistæ testantur. Vterque enim populus funibus peccatorum erat circumplexus, & solutione diuina opus habebat: iste lege quam acceperat malè vtendo, ille nũquam accipiendo peccauerunt. Vnde benè dicit Apostolus: Quia non est distinctio. omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei, iusti ficati gratis per gratiam ipsius. Et pulchrè alij tres euãgelistæ, qui gentibus scripserunt, pullum solummodò Domino allatum memorant. Mathęus autem euangelista, qui ex Hebræis & Hebræo sermone scriplit euangelium, etiam asinæ facit mentionem, prouida vtique dispensatione: vt quorum salutem scribendo quæsierunt, hos saluandos à Domino mysticè docerent esse figuratos. *Et si quis uobis, inquit, aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos.* Et doctoribus præcipitur, vt si quid eis obstiterit aduersitatis, si quis prohibuerit peccatores à laqueis diaboli solui, & per confessionem fidei Domino adduci, non tamẽ prædicando desistant, sed constanter insinuent, quia Dominus ad ædificandam Ecclesiam talibus opus habet. Quanuis enim sæuus sit persecutor & immanis, nõ potest eorum obsistere saluationi, quos nouit Dominus quia sunt eius, quos ad vitam præordinauit æternam. Adhibetur autem huic facto prophetæ testimonium, vt appareat Dominum quidem in omnibus, quæ de ipso erant scripta, compleße, sed inuidia cæcatos scribas & pharisæos, ea quæ ipsi legebant, intelligere nequiuisse. *Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus uenit tibi Zach. 9. mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis.* Filia Sion, Ecclesia est fidelium, pertinens ad supernam Hierusalem, quæ est mater omnium nostrũ, cuius portio tũc nõ minima erat in populo Israel: regem habens mansuetum, quia non terrena immitibus, sed mansuetis cælestia regna dare consuevit, dicens: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. De quibus Psalmista: Mãsueti, inquit, possidebunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. Rex ergo mãsuetus mãsuetis, id est, humilibus corde terrã pacis tribuit, quos in terra belli & tribulationum quondam rex impius, id est, diabolus superbiæ vulnere strauit. *Sedens*, inquit, *super asinam & pullum filium subiugalis*, quia requiescit in corde humilium & quietorũ, & trementium verba eius: siue eorum, qui in synagoga iugum legis trahere nouerunt: seu illorum, qui gentili diu libertate effrenes, eiusdem synagogæ instantia ad fidei & veritatis sunt gratiam conuersi. *Adducentes autem asinam & pullum discipuli, imposuerunt super eos uestimenta sua, & Dominum desuper sedere fecerunt.* Vestimenta discipulorum opera sunt iustitiæ, Psalmista teste, qui ait: Sacerdotes tui induantur iustitia. Asinos, quos nudos inueniunt, discipuli suis sternunt vestimentis, & ita Dominum desuper imponunt, cùm prædica-

Mons Oliueti.

Asina & pullus mystice.

Matth. 4.

2. Cor. 12.

Ioan. 3.

Discipuli duo.

Matth. 9.

Marc. 11. Luc. 19.

Rom. 3.

Matthæum euangelium scripsit Hebraicè.

Esa. 53.

Filia Sion, Ecclesia.

Matt. 11.

Psalm. 36.

Esa. 66.

Vestes Apostolicæ.

Psal. 131.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tores sancti quoslibet à sanctitatis habitu vacuos inueniunt, hosq; virtutum suarum exemplis ad suscipiendam fidem, & dilectionem sui conditoris imbuunt. Non enim nudam Dominus asinā, non nudum voluit ascendere pullum: quis siue Iudæus, siue gentilis, nisi sanctorum fuerit dictis ornatus & actis, nō potest Dominum habere rectorem, sed regnat potius peccatum in mortali eius corpore ab obediendū cōcupiscentijs eius. *Plurima autem turba strauerunt uestimenta sua in uia.* Plurima hæc turba, innumerabilem martyrum desig-
Turba plurima. nat exercitum, qui corpora sua, animarum videlicet tegumenta, pro Domino dabant, quò sequētibus electis planiorem rectè viuendi callem facerent, ne qui videlicet dubitarent sui pedem bonæ actionis ponere in pace, vbi non paucos viderent in bello præcessisse martyrij. *Alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in uia.* Rami ar-
Rami arborum. borum, dicta sunt patrum præcedentium & exēpla. Et quisquis in exemplum rectè credendi siue operandi, quid prophetæ, quid apostoli, quid cæteri sancti dixerunt seu fecerūt, pandit, ramos profectò de arboribus cædit, quibus iter asini Dominum portantis cōplanet: quia sententias de sanctorū libris excerpit, per quas simplicium Christi corda, ne in via veritatis errent, ædificet. *Turbæ aūt quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna filio Dauid.* Vna eademq; confessionis & laudationis voce Dominū qui præcedunt & qui sequuntur, exaltant: quia vna nimirum fides est eorum, qui ante incarnationem dominicam, & qui posteà fuere probati, quanuis sacramēta habuerint pro temporum ratione dispa-
Actor. 15. ria, Petro attestante, qui ait: Sed per gratiam Domini Iesu credimus saluari, quemadmodùm & & illi. Quod autem aiunt, Hosanna filio Dauid,
Psalm. 5. hoc est, quod in Psalmo legimus: Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua: Hoc quod in magnæ deuotione laudis in Apocalypsi
Apo. 7. sanctorum chorus resonat: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & agno. *Benedictus, qui uenit in nomine Domini.* In nomine Domini, in nomine Dei patris significat, quod ipse alibi Iudæis
Ioan. 5. non credentibus dicit: Ego veni in nomine patris mei, & nō recepistis me: alius veniet in nomine suo, illū recipietis. Venit enim Christus in nomine Dei patris, quia in omnib. quæ gessit & dixit, patrē glorificare, & glorificandū hominibus prædicare curauit. Veniet Antichristꝰ in nomine suo, qui cùm sit homo omniū hominū nequissimꝰ, & diabolo comite plenus, dedignatur se filiū
2. Thes. 2. Dei cognominari: aduersatur & extollitur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur. Assumunt autem versiculum laudis turbæ de Psalmo centesimo decimoseptimo, quem de Domino cantatum nemo est qui dubitet. Vnde pulchrè
Psal. 117. de ipso in eodem Psalmo præmittitur: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: quia videlicet Christus, quē reprobauerunt Iudæi, ædificantes suarum decreta traditionum, factus est in munimentum vtriusq; populi credentis, Iudæis scilicet atque gentibus. Quòd enim in Psalmo lapis angularis vocatur Christus, hoc est vtique, quod in euangelio præcedentium sequentiumq; collaudatur voce turbarum. Quòd autem in eiusdem laudis prosecutione subiungitur Hosanna, id est, salus siue saluifica in altissimis, perspicuè docet aduentum Domini in carne, non solùm humani generis in terra, sed & angelorum in cælis esse salutem: quia dum nos redempti ad superna perducimur, eorum profectò numerus, qui satana cadente erat minoratus, impletur. Hinc enim Paulus ait, in- Ephes. 1.
staurari omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt, in ipso. Rectè igitur Hosanna in altissimis, in eius laude canitur, cuius tota incarnationis dispensatio, pro implenda gloria patriæ cælestis aderat. Proinde necesse est fratres mei, vt ad promissam nobis patriam tota mentis deuotione tendamus, semper recordantes, quia & si angusta est via qua ingredimur, beata est mansio ad quam festinamus. Felicius quippe est per aspe-
rum iter ad regnum, quàm per amœnum planúque ad supplicium duci. Felicius est continentia carnis temporali gaudiū perenne mereri, quàm pro lasciuia parui temporis, æternam luere vindictam. Ecce ieiunium quadragesimale, Domino auxiliante, iam plurima ex parte cōpleuimus: Ieiunium
testis est vnicuiq; conscientia sua, quia quantò Quadragesimale.
districtiùs se sanctis his diebus Domino mancipasse meminit, tantò ampliùs gaudens, sanctum dominicæ resurrectionis tempus expectat. At si quem fortè adhuc conscientia minùs perfectè castigata accusat, nulli dubium, quin pauidus & tremens tantæ solennitatis præstoletur aduentum. Nec tamen hic talis de salute diffidat, ne ali-
qua suorum numerositate vel enormitate scelerum confusus, barathrum desperationis incidat, Pro. 18.
iuxta illud Salomonis: Impius cùm venerit in profundum malorum, contemnit: sed solicitus perpendat, quia si tempus annuæ festiuitatis, qua de authoris nostri resurrectione lætamur, tanto vel gaudio castos, vel impuros metu & confusione afficit: multò magis in tempore districti examinis, quando generalis omnium resurrectio celebratur, etiam audita iudicis sententia, hos conscientia munda excusans lætificat, illos noxia accusans in perpetuum damnat. Quicunq; ergo, fratres dilectissimi, continentiæ armis accincti, ab initio iam quadragesimæ cum tentatore superbo certare cœperunt, videant cautè ne cœpta deserant, priùs, quàm hoste prostrato ministerijs donentur angelicis. Qui verò hactenùs armaturam virtutum non induit, vel hodiè incipiat, hodiè cum turbis illis fidelibus fidei opera assumat, imploret pietatem eius, qui in nomine patris aduenies, benedictionem mundo attulit, Hosanna in altissimis proclamans, saluari se superna in patria flagitet. Sternat vestimenta sua in
via,

via, id est, membra sui corporis humiliet in præsenti, vt exaltet ea Deus in futuro, memor illius
Psalm. 50. Dauidici, quia exultabunt ossa humiliata. Ramos de arboribus cædat, & sibi sternat in via, id est, sanctorum scripta sedulus ad memoriam reuocet, quibus stantes ne cadant roborant, lapsos ne diutiùs iaceant hortantur, resurgentes vt virtutibus exerceantur instruunt, exercitatos virtutibus præmia in cælis vt sperent erigunt: hisq; gressus suæ actionis, ne in lapidem offensionis & petram scandali offendant, præmuniat, ac sic eriā ipse cum cęteris fidelibus redemptoris sui vestigia sequatur, passionisq; ac resurrectionis eius mysteria digna mentis puritate veneretur, quæ electis omnibus, membris videlicet suis, in remedium vulnerum simul & cælestium gaudiorum pignus dare dignatus est Iesus Christus Dominus noster, qui viuit & regnat cum patre in vnitate spiritusancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

EADEM DOMINICA,
HOMILIA EVSEBII
Emeseni.

Scitis quia post biduum pascha fiet, & filius hominis tradetur ut crucifigatur, &c. Matt. 26.

NVnciat Dominus Pascha post biduū, nunciat & passionem suam, vt in Pascha occidatur, qui per Pascha significatur. Tota enim illa festiuitas, per tot annos anteà celebrata, nihil aliud nisi Christi passionem significabat. Meritò igitur simul conueniunt, & significatio & significatum. Meritò il la & non alia die iam tandem morti traditur, qui per singulos annos in huiꝰ facti significatione illa die immolabatur. Pascha enim siue Phase, trāsi-
Pascha, transitus. tus dicitur, siue quia tunc Dominus transiens per
Exod. 12. castra Aegyptiorum, omnia eorum primogenita interfecit: siue etiam, quia tunc Saluator noster transiuit ex hoc mundo ad patrem. Vnde Ioan-
Ioan. 13. nes ait: Sciens Iesus, quia venit eius hora, vt trāseat ex hoc mundo ad patrē, cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos. Hæc aūt solennitas septem diebus celebrabatur: de qua in Exodo sufficienter diximus. *Tunc congregati sunt principes sacerdotum & seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas: & consilium fecerunt, ut Iesum dolo tenerent & occiderent.* Sicut enim per singulos annos, omnes Iudæi conuenire solebant, vt in hac solennitate vnum hœdum immolarent:
Hœdus, typus Christi. ita & nunc omnes colliguntur in vnum, vt Christum dolo teneant, & occidant, quem ille hœdus significabat: de quo scriptum est: Iuxta quem ri-
Exod. 12. tum tolletis & hœdum, & immolabit eum omnis multitudo filiorum Israēl ad vesperū. Cui enim nō videretur ridiculū esse, vt sexcenta millia hominum & eo amplius in vnum conuenirent, vt vnum hœdum interficerēt, nisi quia hoc tam magnū sacramētum in illo facto significabatur? *Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.* Timebant enim ne populi seditione de illorum manibus Christus tolleretur, qui illuc ad diem festum vndiq; conuenerant. *Cùm autem esset Iesus in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis.* Simon iste leprosus fuerat, quem iam anteà sanauerat Dominus. Hæc autem mulier vtrùm eadem sit, quæ lachrymis pedes eius rigauit, an alia, non contendo. Mihi tamen non videtur inconueniens, si ad Christi caput vngendum accessit, cui iam Dominus peccata dimiserat, dicens: Mulier, dimittuntur tibi pec-
Luc. 7. Marc. 14. Ioan. 12. cata. Hoc aūt vnguentum alius Euangelista spicatum, alius pisticum vocat. Et spicatum quidem dicitur, ab ea specie quæ spica nardi vocatur. Pisticum aūt fidele interpretatur: cui illud contrarium est, de quo dicitur: Oleum aūt peccatoris
Psal. 140. non impinguet caput meum. Manifestum est igitur, quid vtrunq; significet. *Videntes aūt discipuli, indignati sunt, dicentes: Vt quid perditio hæc? potuerat enim hoc uenundari multo, & dari pauperibus.* Hoc aūt solum Iudam dixisse Ioannes Euangelista narrat: &
Ioan. 12. hoc fortasse, quia plus cæteris hoc ei displicuisset. Et cæteris quidem, propter pauperes: Iudæ verò, quia fur erat, & loculos habebat. Quia enim huius rei significatum non intelligebant, inutiliter eis fieri videbatur. *Sciens Iesus, ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me.* Sciens enim Iesus, quid hoc significaret, defendit, & laudat mulierem de opere bono. *Nam semper pauperes habebitis uobiscum: me autem non semper habebitis.* Hoc enim de præsentia sui corporis dicit, quam illi modicùm secum habituri erant. *Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Significatio (inquit) est, non perditio: in proximo enim passurus sum, ideoq; hæc mulier hoc vnguentum mihi obtulit ad sepeliendum. Mos enim antiquitus fuit, vt nobilium cor-
Mos condendorum pora sepelienda vnguentis preciosis vngerentur, & cum aromatibus sepelirentur. *Amen dico uobis, cadauerū ubicunq; prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quòd hæc fecit in memoriam eius.* Vos, inquit, insipienter pro eo facto eam reprehenditis, pro quo ipsa laudanda est in vniuerso mundo. *Tunc abijt unus de duodecim, qui dicebatur Iudas Scarioth, ad principes sacerdotum, & ait illis: Quid uultis mihi dare, & ego uobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos: & exinde quærebat opportunitatem ut eum traderet.* Hoc enim totum à prophetis prænunciatum fuerat, & quòd à discipulo traderetur, & quòd triginta argenteis venderetur. Vnde Psal-
Psalm. 40 mista: Homo pacis meæ, in quo sperabam, qui edebat panes meos, ampliauit aduersùm me supplantationem. Et alibi: Appenderunt mercedem
Zach. 11. meam triginta argenteis: de quorū precio ironicè dixit, quia indecorum & inconueniens erat, vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

mundi Saluator tam vili precio vẽderetur. *Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Vbi uis paremus tibi comedere Pascha.* Pascha enim hoc in loco agnum illum vocat, qui in Pascha immolabatur, quem nocte illa comedebant in azymis & lactucis agrestibus. *At Iesus dixit: Ite in ciuitatẽ ad quendam, & dicite ei: Magister dicit, Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis.* Iste enim quidam non parui meriti fuisse credendus est, apud quem non solùm Dominus Pascha fecit, verùm etiam passionis reuelat arcanum, dicens ei: *Tempus meum propè est. Et fecerunt discipuli sicut præcepit illis Iesus, & parauerunt Pascha. Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis: & edentibus illis, dixit: Amen dico uobis, quia unus uestrum me traditurus est. Et contristati sunt ualdè, & cœperunt singuli dicere, Nunquid ego sum Domine? At ipse respondens ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.* Prius dicit: Vnus vestrum tradet me: deinde dubitantibus omnibus, & vnoquoque timente pro se, (sciebant enim eum mentiri non posse) manifestius eum ostendit, dicens: *Qui intingit mecum manum in paropsidã, hic me tradet. Filius quidem hominis uadit, sicut scriptum est de illo: Væ autem homini illi, per quem tradetur.* Vtrunq; enim prophetatum erat, & quòd filius hominis traderetur, & quòd væ illi esset, per quem traderetur. Vtrunque enim præuiderat Deus, & mortem suam, & iniquitatem proditoris sui. Vtrunq; ergo prædicere voluit, vt eo ampliùs sibi quisq; caueret, & proditionem facere timeret. *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Simplici sermone & vulgata loquutione loquitur, non quòd bonum vel malum ei sit, qui omnino nó est: nisi fortè quis hoc subtiliùs intelligere velit, vt formato corpore, & susceptа anima, si Iudas in matris vtero, priùs quàm nasceretur, moreretur, melius illi esset, quàm vt ad hoc tantum scelus perueniisset: quoniam etsi gloriam beatitudinis non haberet, pœnam tamen proditionis non sustineret. Credimus enim omnes homines, etiam non natos resurgere, quibuscunq; vel ad horam concessum est viuere. *Respondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit: Nunquid ego Rabbi? Ait illi: Tu dixisti.* Ecce miser: vide Dominum omnia scire, nec tuam conscientiã eũ latere: cessa igitur, & confitere. *Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit ac fregit, deditq; discipulis suis, & ait: Accipite & comedite. hoc est corpus meum.* Exponit Dominus hoc in loco, quid significaret cùm alibi diceret: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Ecce sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech, panem & vinum virtute ineffabili in sui corporis & sanguinis substantiam conuertit. Sicut enim tunc & viuebat & loquebatur, & tamen à discipulis comedebatur, & bibebatur: ita & modò integer & incorruptus manet, & à fidelibus suis in panis & vini sacramẽto, quotidiè bibitur & manducatur. Nisi enim panis & vinum in eius carnẽ & sanguinẽ verterẽtur, nunquã ipse corporaliter manducaretur & biberetur. Mutantur enm ista in illa, comeduntur & bibuntur illa in istis: quod qualiter fiat, ipse solus nouit, qui omnia potest, & omnia nouit. Dixit enim tunc per se, dicit & modò per suos ministros, Hoc est corpus meum. Et tanta est eius verbi virtus & efficacia, vt statim fiat quod dicitur. Similiter aũt dum dicit: *Hic est sanguis meus*, mox in eius sanguinem vinũ conuertitur. *Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effunditur in remissionẽ peccatorũ.* Hic, inquit, est sanguis meus, qui fundendus est, non alius iste & alius ille, sed vnus idemq; & iste & ille. Cras igitur fundetur ex hoc meo latere, quem vos modò bibitis, & videtis in calice. Aliter enim testamentum nouum confirmari non potest. Et hoc est quod Apostolus ait: Vbi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est. Alioquin nõdũ valet, dum viuit qui testatus est. Vnde nec primum quidẽ sine sanguine dedicatũ est. Sanguine igitur vetus testamentum, sanguine dedicatur & nouum: sed illud quidem sanguine hircorum, hoc aũt sanguine Christi. *Dico autem uobis, Nõ bibam amodò de hoc genimine uitis, usq; in diem illum, cum illud bibam uobiscum nouum in regno patris mei.* Regnum Dei Ecclesia est, in qua vinum vetus non bibitur, nec vetus doctrina suscipitur: quia non ad literam, sed spiritualiter scriptura intelligitur. In hac igitur Christus nouum vinum bibit nobiscum, quia in nobis manens in nobis esurit & sitit, in nobis cibatur, atque potatur. Sic enim ipse ait: Esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere. Ipse enim secundùm te iam nunc neque esurit neque sitit, neque manducat neque bibit. Spreto igitur vino veteri, vinum nouum nobiscum in Ecclesia bibit: quia repulsa Iudæorum fide atq; doctrina, nostram fidem & doctrinam recipit. Quasi enim de vno vino bibimus, dum vnam fidem & doctrinam tenemus. Lucas enim duos calices ponit, duo significans duo testamenta. Et in primo quidem calice dicitur, *Non bibã amodò de hoc genimine vitis, vt intelligamus vetus testamentũ iuxta literam esse cõpletum. Vnde & mox subditur: Donec bibam uobiscum illud nouum in regno Dei. Et hymno dicto, exierunt in montem Oliueti.* Meritò enim post talem refectionem hymnum dicunt, & in montem Oliueti ascendunt, quoniam qui Christi carne & sanguine reficiuntur, Deum laudare & montem pacis ascendere digni sunt. *Tunc dicit illis Iesus: Omnes uos scandalum patiemini in ista nocte in me.* Scandalum enim dubitationis passi sunt, dum eum quasi impotentem teneri, ligari, & flagellari viderunt. *Scriptum est enim: Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis.* Scripturæ testimonio probat, quod dixerat. Nam & Psalmista ait: Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt, Percussit pater filium: quia (sicut ipse ait) non habe-

Christus corporaliter editur & bibitur

Hebr. 9.

Gethsemani.

Reg. Dei, Ecclesia.

Duo calices.

Luc. 22.

Transsubstantiatio.

Ioan. 6.

Zach. 13.

Psalm 68.

Ioan. 19.

haberent in eum potestatem, nisi hoc eis datum fuisset desuper. *Postquàm autem resurrexero, præcedam uos in Galilæam.* Hęc enim prophetia, consolatione plena est. In Galilæam eos præcedit, id est, in patriam eorum: (omnes enim Galilæi erant) significans se tandem illos ad meliorem patriam reducere. *Respondens autẽ Petrus, ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Non enim putabat beatus Petrus, vt alicuius persequutionis timore suæ fidei & dilectionis flamma extingui potuisset. *Ait illi Iesus: Amẽ dico tibi, quia in hac nocte antequàm gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus: Etiã si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt.* Nemo igitur in se, nemo in viribus suis confidere potest. Omnis constantia, omnis virtus & fortitudo, non hominis, sed Dei est. *Tunc uenit Iesus cum illis in uillam, quæ dicitur Gethsemani, & dixit discipulis suis: Sedete hic, donec uadam illuc, & orem.* Quia enim Gethsemani vallis pinguium interpretatur, illuc oraturus Dominus venit, vt ex ipsa loci appellatione ostenderet, quanta pietatis & misericordiæ pinguedine abundaret, qui pro suis quoque inimicis patrem oraret. *Et assumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi, cœpit contristari & mœstus esse.* Quòd enim Dominus orat, quòd contristatur & mœstus fit, omnia ad hominem referenda sunt. Hoc autem tribus discipulis testibus agit, siue vt nos doceret pro inimicis nostris orare, siue etiam vt se ostenderet eos Iudæos velle saluare, si voluissent.

Matt. 23. Vnde & ad Hierusalem loquitur, dicens: Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Nemo enim saluabitur, qui saluari non vult. Tunc ait illis: *Tristis est anima mea usque ad mortem: sustinete hic, & uigilate mecum.* Tristis est enim Dominus de perditione Iudæorum: sed hæc tristitia citò finitur, quoniam mors proxima est. Vique ad mortem itaque tristis est, quia post mortem nulli tali subiacet passioni. Vt enim de Domino taceamus, nemo sanctorum post resurrectionem, tristitiæ & dolori subiacebit: alioquì beati non essent. Qui enim aliquo indiget, vel sui voti compos non est, beatus dici non potest. Tristis verò lætitia indiget, & tristitia carere desiderat: non est igitur tristis beatus. *Sustinete hic, & uigilate meum.* Mecum (inquit) vigilate, mecum hoc onus sustinete: & quod me pro inimicis meis facere videtis, hoc & vos facite pro inimicis vestris. Aliter enim non eritis hic, id est, in villa Gethsemani, in loco pinguedinis & misericordiæ. *Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans, & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.* Separatur à discipulis, pusillùm progreditur, in faciem procidit, quatenùs nos doceat, quid in nostris orationibus agere debeamus. Nemo autem putet timore mortis eum orare, vt calix passionis ab eo transferatur, cùm Petro de passione dissuadenti dicat: Vade retrò Satana, scandalum mihi es, quia non sapis ea quæ Dei sunt. Non enim absolutè orat, vt calix ab eo transferatur, sed calix iste: quia etsi pro salute mundi mori venerat, à Iudæis tamen, si fieri posset, occidi nolebat. Pater verò contrà ab illis eum occidi volebat, qui alijs omnibus nequiores erant, quatenùs ad suæ damnationis cumulum hoc addidissent, qui vtique damnandi erant, etiam si Christum non occidissent. *Veruntamen non sicut ego uolo, sed sicut tu uis.* His autem verbis apertè ostendit, se non diuinitatis, sed humanitatis affectu omnia illa fuisse loquutum, quoniam vna eademq; voluntas est ei cum patre secundùm diuinitatem. *Et uenit ad discipulos suos, & inuenit eos dormientes, & dicit Petro: Sic non potuistis una hora uigilare mecum?* Sic (inquit) agitis? sic mei memores estis? sic mecũ vigilatis? *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Ille enim intrat in tentationem, qui iam quasi victus ipsa tentatione tenetur illaqueatus. Aliud igitur est tentari, aliud in tentationem intrare. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Quanùs enim anima tentationibus potenter resistat, caro tamen quæ illam grauat, infirma & fragilis est, nisi oratione & attenta solicitudine roboretur. *Iterum secundò abijt, & orauit dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat uoluntas tua.* Si non potest (inquit) fieri, vt me Iudæi non occidant, & sic in voluntate tua positum est, fiat voluntas tua. Voluntas igitur patris fuit, vt Christum Iudæi interficerent. Quia enim pro salute mundi moriturus erat, vt aliqua gens eum occideret oportebat. Oportebat enim pati Christum, & resurgere à mortuis, & ita intrare in gloriam suam. Sed quæ alia gens Christum occidere debuit, nisi illa quæ iniquior erat, & quæ plus cæteris eius sanguinem sitiebat? Deus enim neminem cogit ad peccandum: eos tamen peccare permittit, qui vehementer peccare desiderant. Vult igitur Deus vt hi tales, quorum tota voluntas prona est ad malum, sanctos suos interficiant, quatenùs & his maior pœna, & illis abundantior gloria crescat. Fit itaq; in morte martyrum duplex bonum, quoniam & mali (qui etiamsi eos non occiderent, tamen perituri erant) in eorum morte maiorem sibi pœnam acquirunt: & boni, dum pro Christi fide occiduntur, maiori gloria cumulantur. Ac per hoc voluit Deus pater, vt filium suũ Iudæi interficerẽt, & quia nequissimi erant, maximum scelus perpetrarent, quatenùs nullam habeant excusationem, & maiori pœnæ subijciantur: vt veniat super eos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram. *Et uenit iterum, & inuenit eos dormientes: erant enim oculi eorum grauati.* Somnus iste discipulorum, Ecclesiæ somnum & torporem significabat, quæ in magnis tẽtationibus sæpè tabescit & deficit, nisi Christi frequenti visitatione excitetur. *Et relictis illis, iterum abijt, & orauit tertiò eundem sermonem dicens.*

Tristitia Christi.

Matt. 16.

Luc. 24.

In nece gemmum bonum.

Matt. 23.

Tunc uenit ad discipulos, & dicit illis: Dormite iam &

Universidad de Deusto
Biblioteca

requieſcite, ecce appropinquauit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum: ſurgite, eamus: ecce appropinquauit, qui me tradet. Hæc enim non præcipiendo, ſed redarguendo dicit. Non enim dormiendo, ſed redarguendo dicit. Non enim dormiendum vel quieſcendum, ſed potiùs vigilãdum eſt, & orationibus inſtandum, in magnis perturbationibus. Ideoq; protinus eos excitans, ait: *Surgite, eamus.* Quod vtiq; non dixiſſet, ſi eos dormire & quieſcere voluiſſet. *Adhuc ipſo loquente, Iudas unus de duodecim uenit, & cum eo turba multa cum gladijs & fuſtibus, miſſi à principibus ſacerdotum & ſenioribus populi.* Vbi enim ille qui impetitur, ſe defendere non vult, fuſtes & gladij neceſſarij non ſunt. Si enim Dominus ſe defendere voluiſſet, neq; fuſtes, neque gladij ei reſiſtere potuiſſent. Hoc enim ipſe monſtrauit, cùm ad vnam reſpõſionem eos proſtrauit. Vt enim dixit, Ego ſum, abierunt retrorſum, & ceciderunt in faciem ſuam. Ioan. 18. *Qui aũt tradidit eum, dedit eis ſignum, dicens: Quemcunq; oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum. Et confeſtim accedens ad Ieſum, dixit: Aue rabbi: & oſculatus eſt eum.* Hoc enim ſignũ propter Romanorũ milites, qui Chriſtũ nõ cognoſcebant, proditor Iudas dediſſe videtur. *Dixitq; illi Ieſus: Amice, ad quid ueniſti?* Amicum eum per contrariu vocat, qui ei inimicus erat. Sic & beatus Iob benedicere pro maledicere poſuit, dicẽs: Iob 1. Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerunt Deo in cordibus ſuis. *Tunc acceſſerunt, & manus iniecerunt in Ieſum, & tenuerunt eũ. Et ecce unus ex his qui erãt cum Ieſu, extendens manum exemit gladium ſuum, & percutiens ſeruum principis ſacerdotum, amputauit auriculam eius.* Iſte vnus, beatus Petrus Apoſtolus fuit: qui poſtquam Dominum ſuum teneri vidit, dolore cõmotus, ſe vlteriùs cohibere non potuit. Amputauit igitur auriculam ſerui principis ſacerdotũ, quæ nondum circunciſa fuerat, & idcircò malis conſilijs obedierat. Vocabatur aũt Malchus ſeruus iſte, qui regnaturus interpretatur. Soli enim illi regnabunt & viuent, qui aures circuncifas habebunt. Vnde & huius aurem Dominus tetigiſſe Luc. 22. & ſanaſſe ab alio euangeliſta dicitur. Quæ enim aures ab Apoſtolis & doctoribus circuncidũtur, illas Dominus tangit & ſanat. *Tunc ait illi Ieſus: Converte gladiũ tuũ in locum ſuũ. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Diſplicet Deo factũ Petri: quoniam etſi bonum ſignificabat, non tamen bono animo ferebat. Omnes enim qui acceperint gladium, id eſt, qui iniuſta animi cõmotione aliquem interfecerint, niſi fortè dignè pœnituerint, gladio peribunt: gladio vtiq; perpetuæ vltionis. Omnis enim pœna gladius vocatur. Beatus aũt Petrus iuſtam cauſam habebat, ſed neq; fuſtè neque iniuſtè Dominus armis defendi volebat. Vnde & ſubditur: *An putas, quia non poſſum rogare patrẽ meum, & exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones angelorum.* Vos (inquit) duodecim homines eſtis, qui pro me vtcunq; pugnare contenditis: ego aũt, ſi volo, plus quàm duodecim legiones angelorũ ſubitò habere poſſum. Quòd igitur me non defendo, non eſt impotentia, ſed voluntas. Si enim me defendero, nihil poterunt aduerſum me: q; ſi nihil poterunt, *quomodò ergo implebuntur ſcripturæ quia ſic oportet fieri?* *In illa hora dixit Ieſus turbis: Tanquàm ad latronem exiſtis cum gladijs & fuſtibus comprehendere me: quotidiè ſedebam apud uos in templo docens, & non me tenuiſtis.* Quod quidem non ſine ratione & Dei nutu euenille, euangeliſta exponit, dicens: *Hoc autem totum factum eſt, ut adimplerentur ſcripturæ prophetarum. Tunc diſcipuli omnes, relicto eo fugerunt.* *Et illi, tenentes Ieſum, duxerunt illum ad Caipham principem ſacerdotũ, quò ſcribæ & ſeniores conuenerant. Petrus autem ſequebatur à longè uſq; in atrium principis ſacerdotum. Et ingreſſus intrò, ſedebat cum miniſtris ut uideret finem.* Adhuc (inquit) Petrus ſequebatur Dominum, ſed à longè: iam proximus erat enim negationi. Vnde & non immeritò cum miniſtris ſedebat, finem rei videre deſiderans. Vbi enim ſedet qui Chriſtum negat, niſi inter Iudæos, Iudæorumq; miniſtros. *Principes autem ſacerdotum & omne conſilium quærebant falſum teſtimonium contra Ieſum, ut eum morti traderent: & non inuenerunt, cùm multi falſi teſtes acceſſiſſent.* Secundùm legẽ Chriſtum damnare volunt, & falſa teſtimonia quærũt, pietatem cùm lex ipſa falſa teſtimonia non ſuſcipiat. Qua in re maxima Iudæorum iniquitas, & odium crudele & execrabile comprobatur. *Nouiſſimè autem uenerunt duo falſi teſtes, & dixerunt: Hic dixit, Poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduũ reædificare illud.* Hoc enim Chriſtus nõ dixerat: quòd ſi dixiſſet, facere vtiq; potuiſſet. Dixerat enim: Soluite templũ hoc, & in triduo excitabo illud. Quod quid ſignificet, euangeliſta exponens, ait: Hoc aũt dicebat de tẽplo corporis ſui. *Et ſurgens princeps ſacerdotum, ait illi: Nihil reſpõdes ad ea, quæ iſti aduerſum te teſtificantur? Ieſus aũt tacebat.* Tacet Chriſtus & reſpõdere nõ vult, tum quia vana & inutilia audit, tum quia ſcriptum eſt, Ex ore altiſſimi non exierunt nec bona nec mala. *Et princeps ſacerdotum ait illi: Adiuro te per Deum uiuum, ut dicas nobis, ſi tu es Chriſtus filius Dei uiui. Dicit ei Ieſus: Tu dixiſti.* Ad ea enim reſpondet Dominus, quæ videt eſſe digna reſponſione. Si enim à principe ſacerdotũ, (qui pro ſui officij dignitate ab omnibus venerabatur) ſic adiuratus non reſpondiſſet, Deum non timere & paruipendere videretur. Sequitur: *Veruntamen dico uobis, Amodò uidebitis filium hominis ſedentem à dextris uirtutis Dei, & uenientem in nubibus cæli.* Hoc aũt erit in iudicio, quando omnis oculus eum videbit. *Tunc princeps ſacerdotum ſcindit ueſtimenta ſua, dicẽs, Blaſphemauit: quid adhuc egemus teſtibus? Ecce nunc audiſtis blaſphemiam. Quid uobis uidetur? At illi reſpondentes, dixerunt: Reus eſt mortis.* Veſtimenta ſua ſcindit princeps ſacerdotum, ſeipſum maximam & principalem cauſam eſſe ſignificans, cur Iudæorum ſacerdotium ſcindatur & deſtruatur. *Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum cæciderunt.* Sic enim prophetatum fuerat. *Alij aũt palmas in faciem eius dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt qui*

Dominus non temerè reſpondet.

qui te percuſſit? Nuſquam reſpondet Dominus, niſi vbi eius reſponſio neceſſaria & vtilis eſt. *Petrus uerò ſedebat foris in atrio, & acceſſit ad eũ una ancilla, dicens: Et tu cum Ieſu Galilæo eras. At ille negauit coram omnibus, dicens: Neſcio quid dicis* Negat Petrus, vt magiſtri prophetia impleatur. *Exeunte autem illo ianuam, uidit eum alia ancilla, & ait his qui erant ibi: Et hic erat cũ Ieſu Nazareno. Et iterùm negauit cũ iuramento, quia nõ nouiſſet hominẽ. Et poſt puſillum acceſſerunt qui ſtabant, & dixerunt Petro: Verè & tu ex illis es: nam & loquela tua manifeſtum te facit. Tunc cœpit deteſtari & iurare, quia non nouiſſet hominem* Et ecce paſtor Eccleſiæ non ſolùm à viris, verùm etiam à mulieribus compellitur negare Dominum. Hoc autem non ſemel, ſed & bis, & ter. Qua in re & illi ad indulgendum regula datur, vt in ſeipſo aliorum fragilitatem cognoſcens, alijs miſereatur: & nobis etiam in maximis exceſsibus delictorum veniam ſperare conceditur. *Et continuò gallus cantauit. Et recordatus eſt Petrus uerbi Ieſu, quod dixerat, Priùs quã gallus cantet, ter me negabis. Et egreſſus foras, fleuit amarè.* In alio verò Euangeliſta legitur, quia reſpexit Dominus Petrum. Tenebatur Dominus à turbis, trahebatur & flagellabatur, & tamen diſcipuli memor, quem verbis (ne proderetur & caperetur) conſolari timebat, ſolo reſpectu conſolatur & ſanat, & ſui vultus illuminatione ad ſpem venię inuitat. Cognoſcit igitur Petrus reatum ſuum, cognoſcit & voluntatem Domini ſui, dolet & pœnitet, egreditur foras, relinquit cõſilium malignantium, locum petit ſecretum, lachrymis & pœnitẽtiæ amicũ. Flet amarè, certiſſimè intelligẽs quia ſacrificium Deo ſpiritus eſt contribulatus, cor cõtritum & humiliatum Deus non ſpernit. Hic eſt pœnitentiæ modus. peccaſti, quieſce, dole, & lachrymare, & diſce cum Apoſtolo flere amarè. *Mane autem factò, conſilium inierunt omnes principes ſacerdotum & ſeniores populi aduersùs Ieſum, ut eum morti traderent. Et uinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præſidi.* In vnum conueniunt, conſilium faciunt, coniurant aduerſus Ieſum, timent ne aliquis bonus & iuſtitiæ defenſor inter eos inueniatur. Vinctum Ieſum Pilato tradunt, vt ex hoc reus mortis & venia indignus eſſe credatur. *Tunc uidens Iudas, qui eum tradidit, quòd damnatus eſſet, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum & ſenioribus, dicens: Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum.* Cognoſcit Iudas ſe peccaſſe, argenteos reddit, quaſi eodem precio, quo eum vendit, Chriſtum Dominum redimere poſſit. *At illi dixerunt: Quid ad nos? Tu uideris.* Tu (inquit) videas quid egeris, quia ad nos non pertinet, ſi tu peccaſti, & ſi iuſtum ſanguinem tradidiſti. *Et proiectis argenteis in templo, receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Infelix Iuda: ad viã ſalutis redire cœpiſti, ſed diabolus qui te ad tradendum magiſtrum & Dominum incitauit, ipſe tibi vt teipſum occideres, conſilium dedit. Hoc enim ſolum ſufficiebat tibi ad perditionem, etiam ſi Dominum non tradidiſſes. Quanto tibi melius fuerat, vt Chriſti pedibus te humiliares, & ab eo indulgentiam peteres, qui neminem ad ſe venientem repellit. *Principes autem ſacerdotum acceptis argenteis, dixerunt: Non licet mittere eos in corbonam, quia precium ſanguinis eſt.* Dico ergo: Si non licet mittere eos in corbonam, quia precium ſanguinis eſt, neque licet eos trahere de corbona, vt precium ſanguinis fierent. *Conſilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in ſepulturam peregrinorum.* Iſte figulus nos finxit. Huius vaſa fictilia omnes nos ſumus: huius ager Chriſti precio emitur, in quo eius peregrini ſepeliuntur & requieſcunt. *Propter hoc uocatus eſt ager ille Achelde-* Ager ſanguinis.
mach, hoc eſt, ager ſanguinis, uſq; in hodiernum diẽ. Merito enim ager ſanguinis vocatur, qui Chriſti ſanguine comparatur. Ager enim iſte terra viuentium eſt, in qua qui ſepeliuntur, non moriuntur. *Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Hieremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, precium appreciati, quem appreciauerunt à filijs Iſrael, & dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus.* Audis quia Dominus hoc conſtituit, hoc ante tempora diſpoſuit, quòd triginta argenteis Chriſtus Dominus venderetur, ex quibus ager figuli emeretur. Hoc autem exemplum non in Hieremia, ſed in Zacharia inuenitur. Dicitur tamen in quibuſdam Hieremiæ exemplaribus hoc inueniri, quibus nos nõ vtimur. *Ieſus autem ſtetit ante præſidem, & interrogauit eũ præſes, dicens: Tu es rex Iudæorum? Dicit ei Ieſus: Tu dicis.* Quod præſes interrogatiuè dixit, Chriſtus affirmatiuè ſuſcepit. *Et cùm accuſaretur à principibus ſacerdotum & ſenioribus, nihil reſpondit:* quoniam ille ſimpliciter eum interrogauit, iſti verò malitiosè contra eum loquebantur. Per omnia enim ad contradicendum parati, indigni erant quibus Dominus reſponderet. *Tunc dicit illi Pilatus: Non audis, quanta aduersùm te dicunt teſtimonia? Et non reſpondit ei ad ullum uerbum, ita ut miraretur præſes uehementer.* Non enim conueniens erat, vt tunc Pilato Dominus reſponderet, quando eum ad litigandum contra falſos & inuidos prouocabat. Nihil enim eſt niſi labor, reſpondere ijs, qui veritatem audire nolunt. *Per diem autem ſolennem conſueuerat præſes dimittere populo unum uinctum, quem uoluiſſent. Habebat autem tunc uinctum inſignem, qui dicebatur Barrabas. Congregatis ergo illis, dicit Pilatus: Quem uultis dimittam uobis? Barrabam, an Ieſum qui dicitur Chriſtus? Sciebat enim, quòd per inuidiam eum tradiſſent. Sedente autem illo pro tribunali, miſit ad eum eius uxor, dicens: Nihil tibi & iuſto illi: multa enim hodie paſſa ſum per uiſum propter eum.* Quanuis enim & mali in viſione multa præuideant, ego tamen hanc mulierem boni ſpiritus fuiſſe crediderim. *Principes autem ſacerdotum & ſeniores perſuaſerunt populis, ut peterent Barrabam, Ieſum verò perderent.* Vult Pilatus dimittere Chriſtum: inſtant Iudæi, ne

Vxor Pilati laudatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dimittatur. Vnde & ipsi meritò eum crucifixisse dicuntur, quanuis non ab ipsis, sed à gentibus sit crucifixus. *Respondens autem præses, ait illis: Quē uultis uobis de duobus dimitti? At illi dixerunt: Barrabam. Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus? Dicunt omnes: Crucifigatur.* Occidunt Iudæi Dominum suum, damnant & crucifigi præcipiunt Saluatorem suum: petunt sibi Barrabam, qui filius magistri eorum interpretatur. Magister nanque eorum diabolus est, qui eos sic clamare, & hanc adoptionem facere docuit, vt filium diaboli eligerent sibi, & Dei filium crucifigerent. *Ait illis præses: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes: Crucifigatur.* Iam nō accusatione, sed clamore: non iudicio, sed violentia, Christum Iudæi occidere contendunt. Interrogat Pilatus, quid mali fecerit: nihil huic interrogationi respondent, quoniam quid respondeant non habent. Clamant igitur, fremunt, & insaniunt, vt scriptura impleatur, quæ ait: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduersùs Dominum, & aduersùs Christum eius. *Videns autem Pilatus, quòd nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua lauit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum à sanguine iusti huius. Vos uideritis.* Lauat Pilatus manus suas, vt sicut manus habet mundas à sordibus, ita se innocentem à Christi morte esse ostendat. Sed non est ita. Quanuis enim ipse eum non iudicauerit vel damnauerit, reus tamen est, quia alijs eum ad iudicandum tradidit, quem sine causa & per inuidiam damnari sciebat. *Et respondens uniuersus populus, dixit: Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Hanc enim hæreditariam maledictionem in posteros suos Iudæi transmiserunt, cui subiacent omnes, qui illos imitantur, & quibus hoc illorum factum non displicet. *Tunc dimisit illis Barrabam: Iesum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur.* Flagellauit Pilatus Iesum, siue vt illa talis satisfactione Iudæi satiati quiescerent, & sic eum emendatum dimitterent: siue etiam quia leges Romanæ, eum qui crucifigendus erat, priùs flagellare iubebant. *Tunc milites præsidis suscipientes Iesum in prætorio, congregauerunt ad eum uniuersam cohortem. Et exuentes eum, chlamydem coccineam circundederunt ei. Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dextra eius: & genu flexo ante eum, illudebant, dicentes, Aue rex Iudæorum.* Illi enim (sicut hic dicitur) omnia hæc illudentes fecerunt: nobis autem magni sacramenti significationes sunt, neque pro ludo, sed omnia in veritate hæc suscipimus & veneramur. Quod autem corona spinea est, regnum ex peccatoribus colligendum significabat. Sceptrum ei ex arundine datur, vt iustos in cælis, peccatores in terra scribat, secundùm illud: Domine omnes qui te oderunt, confundētur: recedentes à te, in terra scribentur: Bonis autem Dominus ait: Quia nomina vestra scripta sunt in cælis. Iudæi enim cum arundine scribere consueuerant. In veste verò coccinea siue purpurea, qua & cæteri reges vtebantur, quocunq; animo illud faciebant, regem tamen esse eum apertissimè prædicabant. *Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius.* Vt enim Apostolus ait, Caput Christi Deus. Caput igitur Christi arūdine percutit, qui contra eius diuinitatem scripturam componit, vel ipsum Deum non esse, alicuius scripturæ authoritate defendit. *Et postquam illuserunt ei, exuerūt eum chlamyde, & induerūt eum uestimentis suis, & duxerunt eum ut crucifigerent.* Neq; enim conueniebat, vt cum regio apparatu crucifigeretur, sed humilis appareret in habitu, qui seipsum humiliauerat maiestate. *Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem. Hunc angariauerunt, ut tolleret crucem eius.* Cyrenæus, hæres: Simon, obediens interpretatur. Gentilis igitur homo, patricæ lestis hæres, & Deo obediens, crucem Christi portat. De quo ipse Dominus alibi ait: Qui vult venire post me, abneget semetipsū, & tollat crucē suam, & sequatur me. *Et uenerunt in locū, qui dicitur Golgatha, quod est Caluariæ locus.* Locus autē iste sic vocatus est, quia ibi damnatitij filij decollabantur, ibiq; capitis caluarias amittebāt. Fuerūt tamen, qui hunc locum à Caluaria primi hominis sic nominatum fuisse putarūt. *Et dederunt ei uinum bibere cum felle: & cùm gustasset, noluit bibere.* Vnde Psalmista: Et dederunt, inquit, in escam meā fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Gustauit autem, sed bibere noluit: quia mortis amaritudinem, quam gustaturus erat, momentaneam & citò in dulcedinem conuertendam significabat. *Cùm serò autem factum esset, uenit homo quidam diues, ab Arimathæa, nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat Iesu. Hic accessit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu. Tunc Pilatus iussit corpus reddi.* Quia enim iste Ioseph dives & nobilis erat, ideò Christi corpus tam facilè à Pilato potuit impetrare. *Et accepto corpore Ioseph, inuolut illud in sindone munda, & posuit illud in monumento suo nouo, quod excíderat in petra, & aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti, & abijt.* Docet nos Ioseph, qualiter Christi corpus suscipere debeamus: docet nos mundo corde & pura conscientia illud suscipere, quòd ipse in sindone munda inuoluit, & in nouo monumento ponit. *Erat autē ibi Maria Magdalene, & altera Maria, sedentes contra sepulchrum.* Meritò eis Dominus post resurrectionem suam priùs apparuit, quæ sic eum custodiebant, sic eum videre cupiebant: & quia eum iam videre non poterant, ante ipsius sepulchrum sedebant. Notabant locum, quem frequentare volebant, & à quo (si fieri posset) recedere nolebāt. Tædet iam Iudæorum audire blasphemias: conueniunt iterum, rogant Pilatum vt sepulchrum custodiat: quasi in sepulchro teneri valeat, qui vbiq; est, & omnia cōtinet. At ille iam fatigatus, & eos iam audire contēnens, *Ite* (inquit) *uos, & custodite sicut scitis.* Vadunt illi, sepulchrum muniunt, custodes ponunt, lapidem signant, & tam diligenter omnia faciunt, vt & ipsi, quanuis nolentes, sibi tamen testes sint, Dominum resurrexisse, & nullo modo sic positum furari potuisse.

Importunitas Iudæorum.

Psal. 2.

Non est insons Pilatus.

Cur flagellatus Dominus.

Hier. 17.

Luc. 10.

1. Cor. 11.

Locus Caluariæ.

Psalm. 68

Christi corpus sumendum

FERIA SECVNDA,

SERMO LEONIS Papæ.

Est Sermo 1. de passione Domini.

GLoria, dilectissimi, dominicæ passionis, de qua nos etiam hodiè locuturos esse promisimus, humilitatis maximè est miranda mysterio, quæ omnes nos & redemit & docuit, vt vnde datū est precium, inde & iustitia sumeretur. Omnipotentia enim filij Dei, quæ per eandem essentiam æqualis est patri, potuisset humanum genus à dominatu diaboli solo imperio suæ voluntatis eruere, nisi diuinis operibus maximè congruisset, vt nequitiæ hostilis aduersitas de eo, quod vicerat, vinceretur, & per ipsam materiam naturalis repararetur libertas, per quam generalis fuerat illata captiuitas. Dicente autem Euāgelista, quòd verbum caro factum est, & habitauit in nobis: & dicente Apostolo, quòd Deus erat in Christo, mūdum reconcilians sibi: ostensum est, quia vnigenitus patris summi tale inijt cum humana humilitate consortium, vt suscepta nostræ carnis animæq; substantia, vnus atq; idem Dei filius permaneret, nostra augendo, nō propria: quia infirmitas erat prouehenda, non virtus, vt cùm suo creatori creatura esset vnita, nihil assumpto diuinum, nihil assumenti deesset humanum. Hoc consilium iustitiæ & misericordiæ Dei, licet in præteritis seculis quibusdam velaminibus fuerit obumbratū, non tamen ita obtectum est, vt sanctorum, qui ab initio vsq; ad aduentum Domini laudabiles extiterūt, intellectui negaretur, cū & propheticis verbis, & rerū gestarū significationibus salus, quæ in Christo erat ventura, promissa sit: quā non solùm qui prædicabāt adepti sunt, sed etiā omnes, qui prædicantibus crediderunt. Vna enim fides iustificat vniuersorū temporum sanctos, & ad eandē spem fideliū pertinet, quicquid per mediatorē Dei & hominū Iesum Christum, vel nos confitemur factū, vel patres nostri adorauere faciendū. Nec inter Iudæos atq; gētiles vlla distinctio est. Siquidē, sicut ait Apostolus, circuncisio nihil est, & præputiū nihil est, sed obseruatio mandatorū Dei. Quæ si cū fidei integritate seruentur, veros Abrahæ filios. i. perfectos faciunt Christianos, dicēte eodē Apostolo: Quicunque enim in Christo Iesu baptizati estis, Christū induistis. Non est Iudæus neq; Græcus, nō est seruus neq; liber, nō est masculus neq; fœmina. omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu. Si autem vos Christi, ergo Abrahæ semen estis, secundùm promissionem hæredes. Nō est ergo dubium, dilectissimi, naturam humanam in tantam connexionē à filio Dei esse suscepta, vt non solùm in illo homine, qui est primogenitus totius creaturæ, sed etiam in omnibus sanctis suis vnus idemq; sit Christus: & sicut à membris caput, sic à capite diuidi membra non possunt. Quanuis enim non istius vitæ sit, sed æternę, vt sit Deus omnia in omnibus, tamen etiā modò templi sui, quod est Ecclesia, indiuisus habitator est, secundū quod ipse promisit, dicēs: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi. Quibus Apostolus consonans, ait: Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens: quia in ipso complacuit omnem plenitudinē diuinitatis inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipso. His autem & pluribus alijs testimonijs quid insinuatur cordibus nostris, nisi vt per omnia ad eius imaginem renouemur, qui permanens in forma Dei, carnis peccati forma esse dignatus est? Omnes enim infirmitates nostras, quæ veniunt de peccato, absque peccati communione suscepit, vt & famis ac sitis, somni & lassitudinis, mœroris ac fletus affectionibus non careret, doloresq; sæuissimos vsq; ad mortis extrema pateretur: quia nemo posset laqueis mortalitatis absolui, nisi ille, in quo solo innocens erat natura omnium, sineret se interfici manibus impiorū. Vnde saluator noster filius Dei vniuersis in se credentibus, & sacramentum condidit & exemplum, vt vnum apprehenderent renascendo, alterum sequerentur imitando. Hoc enim docet B. Petrus Apostolus, dicens: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuētus est dolus in ore eius. Qui cū malediceretur, non maledicebat: cū pateretur, non comminabatur. Tradebat autem iudicanti se iniustè, qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui iustitiæ viueremus. Sicut ergo nemo est credentiū, dilectissimi, cui dona neganda sint gratiæ: ita nemo est, qui non sit Christianæ debitor disciplinæ: quia etsi remota est mysticæ legis asperitas, volūtariæ tamen obseruantiæ creuit vtilitas, dicēte Ioanne Baptista: Quia lex per Moysen data est, gratia aūt & veritas per Iesum Christū facta est. Omnia enim quę secundùm legē, siue in circuncisione carnis, siue in diuersitatibus hostiarū, siue in sabbati obseruantia præcesserūt, Christum testificata, Christi sunt gratiam prælocuta, & ipse est finis legis, non euacuando significationes ipsius, sed implendo. Qui licet idem sit author veterum qui nouorū, figuratarū tamē promissionū sacramenta mutauit, quia promissa perfecit, & denunciationibus cessationē imposuit, quoniā denunciatus aduenit. quæ non

1. Cor. 5.

1. Cor. 7.

Gal. 3.

Prou. 20.

Matth. 28

Col. 1.

Ioan. 1.

Rom. 10.

Legis uetera mutata,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nit. In præceptis autem moralibus nulla prioris testamenti decreta reprobata, sed Euangelico magisterio multa sunt aucta, vt perfectiora & lucidiora essent dantia salutem, quàm promittentia saluatorem. Omnia igitur quæ Dei filius ad reconciliationem mundi & fecit & docuit, non in historia tantùm præteritarum actionum nouimus, sed etiam in præsentium operum virtute sentimus. Ipse est, qui de spiritu sancto ex matre editus virgine, incontaminatam Ecclesiam suam eadem inspiratione fœcundat, vt per baptismatis partum, innumerabilis filiorum Dei multitu-
Ioan. 1. do gignatur. De quibus dicitur: Qui non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex volũtate viri, sed ex Deo nati sunt. Ipse est, in quo semen Abrahæ totius mundi adoptione benedicitur, & fit patriarcha gentiũ pater, dũ promissionis filij fide, non carne, nascuntur. Ipse est, qui nullius gentis exceptionem faciens, de omni natione quæ sub cælo est, vnum sanctarũ ouiũ efficit gregem, & quotidiè implet quod promiserat,
Ioan. 10. dicens: Habeo & alias oues, quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & erit vnus grex, & vnus pastor.
Ioan. 21. Quanuis enim beato Petro principaliter dicat, Pasce oues meas, ab vno tamé Domino ipsa omnium regitur cura pastorum: & venientes ad petrã tam lętis tamq; irriguis pascuis alit, vt innumeræ oues dilectionis pinguedine roboratæ, sicut bonus pastor dignatus est pro ouibus suis animã suã ponere, ita & ipsæ non dubitent pro nomine pastoris occumbere. Ipse est, cui non solùm gloriosa martyrum fortitudo, sed etiam omniũ renascentium fides in ipsa regeneratione compatitur. Dum enim renunciatur diabolo, & creditur Deo, dum in nouitatem à vetustate transitur, dum terreni hominis imago deponitur, & cælestis forma suscipitur: quædam species mortis, & quædam similitudo resurrectionis interuenit, vt susceptus à Christo, Christumq; suscipiens, non idem sit post lauacrũ, qui ante baptismum fuit, sed corpus regenerati, fiat caro crucifixi. Hæc
Psal. 76. commutatio, dilectissimi, dextræ est excelsi, qui
1. Cor. 12 operatur omnia in omnibus, vt singulis fidelibus per bonæ conuersationis qualitatem, ipsum piorum operum intelligamus authorem, gratias agentes misericordię Dei, qui innumeris charismatum donis ita vniuersum Ecclesiæ corpus exornat, vt per multos vnius luminis radios idem vbiq; splendor appareat, nec possit nisi gloria esse Christi, cuiuslibet meritũ Christiani. Hoc est illud verũ lumẽ, quod omnẽ hominẽ iustificat & illustrat: hoc est qđ eruit de potestate tenebra-
Coloss. 1. rũ, & trãsfert in regnũ filij dei: hoc est, quod per nouitatẽ vitæ desideria animæ prouehit, & cõcu-
1. Cor. 5. piscentias carnis extinguit: hoc est, q̃ pascha Domini in azymis synceritatis & veritatis legitimè celebratur, dũ fermento malitię veteris abiecto, noua creatura de ipso Domino inebriatur & pascitur. Non enim aliud agit participatio corporis & sanguinis Christi, quàm vt in id, quòd sumimus, transeamus, vt in quo commortui, & cõsepulti, & conresuscitati sumus, ipsum per omnia & spiritu & carne gestemus, dicente Apostolo: Mortui enim estis, & vita vestra abscondita
Col. 3. est cum Christo in Deo. Cùm enim Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cũ ipso in gloria: qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

EADEM FERIA.
HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Ante sex dies Paschæ uenit Iesus in Bethaniam, ubi fuerat Lazarus mortuus, quem suscitauit Iesus, &c. Ioan. 12.

MIrum si Euangelista omnia hæc sine aliqua significatione tã officiosè dicere voluit. Bethania enim domus obediẽtiæ interpretatur. Esto igitur Bethania, sis obediens Deo, quatenùs ad te Dominus veniens, in domo pectoris tui hospitari dignetur. Præpara ei cœnam, crede in eum, ob- *Cœna Christi in*
serua mandata eius. tali enim cœna delectatur *anima.*
Dominus. Vnde ipse ait: Ego sto ad ostiũ, & pul-
so: si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cœ- *Apoc. 3.*
nabo cum ipso, & ipse mecũ. Noli ista quærere extra te. Tu enim ipse & Bethania, & Martha, & Lazarus, & Maria esse potes. Si benè ministraueris, si eleemosynas dederis, nudos vestieris, infirmos visitaueris, aliaq; his similia feceris, eris Martha. Omnia enim hæc ad actiuã vitã pertinent, *Martha.*
quæ per Martham significatur. Vis esse Lazarus? *Lazarus.*
Fuge mortem, veni ad vitam, age pœnitẽtiam, &
resuscitaberis. Ideò enim hîc dicitur, quia Laza- *Ioan. 12.*
rus vnus erat ex discumbentibus cum eo. Pecca- *Ezech. 18*
tor enim quacunq; hora conuersus fuerit, & ingemuerit, vita viuet, & non morietur. Quòd si
hoc tibi fortasse non sufficit, sed altiùs ascẽdere *Maria.*
volens, vis esse Maria, vade, vende omnia quę habes, & da pauperibus: & spretis omnibus quæ
mundi sunt, soli lectioni, & orationi, & diuinæ
contẽplationi vocare studeas. Hãc enim optimã *Luc. 10.*
partẽ elegit Maria, quæ non auferetur ab ea. Sequitur: *Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistiçæ pretiosi, & unxit pedes Iesu, & extersit capillis suis pedes eius: & domus impleta est ex odore unguenti.* Hoc enim vnguentum fidem significat. Vnde & meritò pisticum vocatur, quoniam pistis fides interpretatur. Nullo vnguento magis quàm hoc delectatur Iesus. Sine hoc vnguento ad eum accedere, eum
Heb. 11. tangere non licet. Impossibile est enim sine fide placere Deo. Hoc vnguento impletur domus, hoc tota Ecclesia redolet. Fœtent igitur Domino infideles, quia hoc vnguentum non ferunt. Quòd autem pedes vngit, & capillis tergit, principium & finem, Deum & hominem eum esse intelligit. Caput enim pedibus quodammodò iun-

iungit, qui Deum & hominem eum esse credit.
Matth. 26 Vnde non solùm pedes, sed etiam caput, hæc mulier Saluatori nostro vnxisse narratur. *Dicit ergo unus ex discipulis eius, Iudas Simonis Scarioth, qui erat eũ traditurus: Quare hoc unguentum non uenditur trecentis denarijs, & datum est egenis?* Hoc autem ne pietatis affectu & misericordiæ studio dixisse putaretur, Euangelista subdidit, dicens: *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur portabat.* Nemo igitur nos reprehendat, si iniquos homines toleramus, & citò ab Ecclesiæ communione non separamus, cùm ipse Saluator noster Iudam pateretur, quem non solùm proditorem, sed furem quoq; & sacrilegum esse sciebat. *Dixit ergo Iesus: Sine illã, ut in diem sepulturæ meæ seruet illud.* Hoc autem tale est, ac si diceret: Mysterium est quod agitur, in
Mar. 14. quo mors & sepultura mea citò fieri significatur. Vnde & alius Euangelista dicit: Præuenit vn gere corpus meum in sepulturam. *Pauperes enim semper habetis uobiscum: me autem non semper habebitis.*
Matt. 28. Quid est igitur quod alibi ait, Ecce ego vobiscũ sum omnibus diebus, vsque ad consummationẽ seculi? Si enim omnibus diebus cum eis est, quomodò eum non semper habebunt? Facilis est solutio, si duarum in Christo naturarum memores simus. Quòd enim ait: Me autem nõ semper habebitis, de præsentia carnis intelligere debemus, quia post resurrectionem die quadragesimo cælos ascendit. *Cognouit ergo turba multa ex Iudeis, quia illic esset: & uenerunt non propter Iesum tantùm, sed ut Lazarum uiderent, quem suscitauit à mortuis.* Isti non amore, sed admiratione ducebantur, & sicut se habebat cupiditas hominum, noua videre & audire cupiebant.

FERIA TERTIA.
SERMO LEONIS Papæ.

Est sermo de passione Domini.

SIcut quidem dilectissimi, paschale festum tam sublimis esse mysterij, vt non solùm humilitatis meæ tenuissimum sensum, verumetiam magnorũ ingeniorũ superet facultatem: sed non ita mihi diuini operis consideranda est magnitudo, vt vel diffidam vel erubescam de seruitute quam debeo, cùm sacramentum salutis humanæ non liceat taceri, etiamsi nequeat explicari. Auxiliantibus autem orationibus vestris, assuturam credimus gratiam Dei, quæ inspirationis suæ rore sterilitatẽ nostri cordis aspergat, vt linguæ pastoralis officio, quæ sancti gregis auribus sint vtilia, proferãtur. Dicẽte enim Domino, bonorũ omnium largitore, Aperi os tuum, & ego implebo illud: audemus eidem verbis propheticis dicere: Labia
Psal. 80. Psal. 50. mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Incipientes ergo, dilectissimi, Euangelicam de passione Domini historiam retractare, diuino intelligimus dispositum fuisse consilio, vt sacrilegi Iudæorum principes, & impij sacerdotes, qui sæuiendi in Christum occasiones sæpè quærierant, non nisi in solennitate paschali exercendi furoris sui acciperent potestatem. Oportebat enim, vt manifesto implerentur effectu, quę diù figurato fuerant promissa mysterio, vt ouem significatiuam ouis vera remoueret, & vno expleretur sacrificio variarum differentia victimarum. Nam omnia illa, quæ de immolatione agni diuinitùs per Moysen fuerant instituta, Christum prophetauerunt, & Christi occisionem propriè nunciauerunt. Vt ergo vmbræ cederent corpori, & cessarent imagines sub præsentia veritatis, antiqua obseruantia nouo excluditur sacramento: hostia in hostiam transit, sanguine sanguis aufertur, & legalis festiuitas dum mutatur, impletur. Vnde cùm scribas & seniores populi ad impietatis consilium pontifices congregarent, omniumq; animos sacerdotum cura admittendi in Iesum sceleris occupasset, ipsi se doctores legis lege priuarunt, & spontaneo defectu ritus sibi patrios sustulerunt. Incipiente enim festiuitate paschali, qui ornare templum, vasa mundare, victimas prouidere, & legitimis purificationibus sacratiorem diligentiam adhibere debuerant, parricidalis odij furore concepto, ad vnum opus vacant, & in vnum facinus simili crudelitate coniurant: quid assecuturi supplicio innocentiæ, condemnatione iustitiæ, nisi vt & noua mysteria non apprehenderent, & antiqua violarent? Prouidentibus ergo principibus, ne in sancto die tumultus oriretur, non festiuitati, sed facinori studebatur: nec religioni seruiebat hæc cura, sed crimini. Diligentes enim pontifices & soliciti sacerdotes, seditiones turbarũ fieri in præcipua festiuitate metuebant, non vt populus non peccaret, sed ne Christus euaderet. At Iesus consilij sui certus, & in opere paternæ dispositionis intrepidus, vetus testamentum consummabat, & nouum pascha condebat. Discumbentibus enim secum discipulis ad edendam mysticã cœnam, cùm in Caiphæ atrio tractaretur, quomodò Christus posset occidi, ille corporis & sangui- *Eucharistia sacramentum*
nis sui ordinans sacramentum, docebat qualis *Deo hostia deberet offerri, nec ab hoc quidem*
Deo hostia deberet offerri, nec ab hoc quidem *mentum*
mysterio traditore submoto, vt ostenderetur *& sacrificium.*
nulla iniuria exasperatus, qui voluntaria erat
impietate præscitus. Ipse enim sibi fuit materia ruinæ, & causa perfidiæ, sequens diabolum ducem, & nolens Christum habere rectorem. Dicens itaq; Dominus: Amẽ dico vobis, quia vous
Matth. 26 vestrũm me traditurus est, notã sibi proditoris sui conscientiam demonstrauit, non aspera, nec aperta impiũ increpatione confundens, sed leni & tacita admonitione cõueniens, vt facilius corrige-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rigeret pœnitudo, quem nulla deformasset abiectio. Cur infelix Iuda tanta benignitate non veteris? Ecce parcit ausibus tuis Dominus, & nulli te nisi tibi indicat Christus. Nec nomen tuũ nec persona detegitur, sed veritatis & misericordiæ verbo, cordis tui tantùm arcana tanguntur. Non Apostolici ordinis honor, nec sacramentorum tibi communio denegatur. Redi in integrum, & depositio furore resipisce. Clementia inuitat, salus pulsat, ad vitam vita te reuocat. Ecce immaculati & innocentes condiscipuli tui, ad significationem facinoris expauescunt, & omnes sibi non edito impietatis authore formidant. Contristati enim sunt non de conscientiæ reatu, sed de humanæ mutabilitatis incerto, timentes ne minùs verũ esset, quod in se quisq; nouerat, quã quod ipsa veritas præuidebat. Tu autem in hac trepidatione sanctorum, abuteris Domini patiẽtia, & abscondi te tua credis audacia. Addis impudentiam sceleri, nec signo euidentiore terreris. Cumq; se alij à cibo, in quo indicium Dominus posuerat, continerent, tu manum non retrahis à paropside, quia animum non auertis à crimine. Secutum itaque est, dilectissimi, sicut Ioãnes Euangelista narrauit, vt cùm traditori suo Dominus manifestiùs designando panem porrexisset intinctum, totum Iudam diabolus occuparet, & quem malignis cogitationibus obligaret, tam ipso impietatis opere possideret. Corpore enim tantùm cum cœnantibus recumbebat, mente autem sacerdotum inuidiam, testium falsitatẽ, & furorem imperitæ plebis armabat. Deniq; Dominus videns cui Iudas flagitio esset intentus, Quod facis, inquit, fac celerius. Vox hæc non iubentis est, sed sinentis: nec trepidi, sed parati: qui habẽs omnium temporum potestatem, ostendit & morã non facere traditori, & se ad redemptionem mundi, paternam exequi voluntatem, vt facinus quod à persequentibus parabatur, nec impelleret, nec timeret. Postquàm ergo Iudas persuasus à diabolo, discessit à Christo, seq; à corpore Apostolicæ vnitatis abscidit, nullo Dominus pauore turbatus, sed de sola redimendorum salute solicitus, omne temporis spatium, quod à persequentium vacabat incursu, mysticis sermonibus, sacratæque doctrinæ, sicut Ioannis Euangelio declaratur, impendit, eleuans ad cælum oculos, & pro vniuersa Ecclesia supplicans patri, vt omnes quos dedisset, daturusq;, esset filio pater, vnum fierent, & in gloria redemptoris indiuidui permanerent, adijciens postremò illam orationem, qua ait: Pater, si fieri potest, trãseat calix iste à me. Vbi non existimandum est, quòd Iesus passionem & mortem, cuius iam discipulis suis tradiderat notionem, voluerit declinare, cùm ipse Apostolum Petrum deuota fide & charitate feruentem, vti aduersus persecutores gladio vetet, dicẽs: Calicem quem dedit mihi pater, non bibam illum? certumq; sit & quod secundùm Euangelium Ioannis Dominus ait:

Ioan. 15.

Ibidem.

Ioan. 17.

Matt. 26.

Ioan. 18

Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam: & quod de ipso ait Apostolus Paulus: Christus nos dilexit, & tradidit semetipsum pro nobis hostiam Deo in odorem suauitatis. In saluandis enim hominibus per crucem Christi, communis erat voluntas patris & filij, commune consilium, nec vlla poterat ratione turbari, quod ante æterna secula & misericorditer erat dispositum, & incommutabiliter præfinitum. Qui ergo verum, dilectissimi, totumq; assumpsit hominem, veros & corporis sensus, & animi suscepit affectus. Nec quia omnia in illo plena erant sacramentis, plena miraculis, ideò aut falsis lachrymis fleuit, aut mendaci esurie cibum sumpsit, aut simulato sopore dormiuit. In nostra humilitate cõtemptus, in nostra mœstitudine contristatus, in nostro est dolore crucifixus. Passiones enim mortalitatis nostræ ob hoc misericordia subijt, vt sanaret: ob hoc virtus recepit, vt vinceret. Quod Esaias apertissimè prophetauit, dicens: Hic peccata nostra portat, & pro nobis dolet: & nos putauimus illũ esse in dolore, & in plaga, & in vexatione: ipse autem vulneratus est propter facinora nostra, & infirmatus est propter peccata nostra, & liuore eius sanati sumus. Cùm igitur Dei filius dicit: Pater, si fieri potest, trãseat calix iste à me, nostræ vtitur voce naturæ, & causam agit fragilitatis & trepidationis humanæ, vt in his quæ toleranda sunt, & patientia roboretur, & formido pellatur. Deniq; cessans hoc ipsum petere, excusato quodammodò nostræ infirmitatis metu, in quo nobis remanere non expedit, in alium affectum transit, & dicit: Veruntamẽ nó sicut egovolo, sed sicut tu. Et iterũ: Sed si nõ potest, inquit, calix iste transire à me, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Hæc vox capitis, salus est totius corporis. Hæc vox omnes fideles instruxit, omnes confessores accendit, omnes martyres coronauit. Nam quis mundi odia, quis tentationũ turbines, quis possetpersecutionum superare terrores, nisi Christus in omnibus & pro omnib⁹ diceret patri, Fiat voluntas tua? Discant igitur hanc vocem omnes Ecclesiæ filij, magno precio redempti, gratis iustificati: & cùm aduersitas violentæ alicuius tentationis incubuerit, præsidio potentissimæ rationis vtantur, vt superato tremore formidinis, acciptant tolerantiam passionis. Hinc iam, dilectissimi, ad perstringendum ordinem dominicæ passionis sermo est dirigendus, quem, ne vos cumulo prolixitatis oneremus, in sextam sabbati, diuiso communi labore differamus. Aderit precantibus vobis gratia Dei, quæ mihi soluendi debiti tribuat facultatem, per Dominum nostrũ Iesum Christum, viuentem & regnantem cũ patre & spiritusancto, Amen.

Ioan. 3.

Ephe. 5.

Matth. 26

Fiat voluntas tua.

EADEM FERIA, HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Amen

Amen amen dico uobis, non est seruus maior domino suo, neq; apostolus maior eo, qui misit illum, &c. Ioan. 13.

I, inquit, scitis quæ fecerim vobis, & hoc exemplum sequuti, feciſtis similiter alijs, quemadmodum ego feci vobis, beati eritis. Sed quare vestris æqualibus nõ facitis, quod me vobis meis seruis & discipulis facere videtis? *Non de omnibus uobis dico: ego scio quos elegerim.* Dixi, inquit, vobis, Beati eritis, sed non omnibus dixi. illis dixi, qui facturi sunt ea: illis dixi quos elegi, non tantùm ad Apostolatum, verùm etiam ad beatitudinem. Ad Apostolatum enim & Iudas electus est. Vnde & superiùs Dominus ait: Nónne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est? *Sed ut adimpleatur scriptura: Qui manducat meum panem, leuabit contra me calcaneum suum.* Sic enim scriptum est: Homo pacis meæ, in quo sperabam, qui edebat panes meos, ampliauit aduersùm me supplantationem. *Amodò dico uobis priusquam fiat, ut credatis cùm factũ fuerit, quia ego sum:* ille, subauditur, de quo illa scriptura hoc dicit. *Amen amen dico uobis, qui accipit si quem misero, me accipit: & qui me accipit, accipit cũ qui misit me.* Quanuis enim aliter sit pater in filio, & aliter filius in Apostolis, tamen quia Christus in eis est, quicunq; accipit Apostolos, accipit & Christum. *Cũ hoc dixisset Iesus, turbatus est spiritu, & protestat⁹ est, & dixit: Amẽ amẽ dico uobis, quia un⁹ ex uobis tradet me.* Spiritu enim turbatur, qui spiritualiter turbatur, Spiritualis enim turbatio, ad pietatem & misericordiam spectat: carnalis autem turbatio iram excitat & furorem. Spiritu igitur turbatur Iesus, siue quia discipulus eum tradit, & tradendo perit: siue vt nos doceat quid agere debeamus, quando in magnum facinus & scelus aliquẽ hominem ruere videmus. Erat autem Iudas vnus ex eis, quia carnaliter conuersabatur cũ eis, quãuis mente & fide iam recessisset ab eis. Inter eos ad Apostolatum electus fuerat, sed cum eis ad vitam æternam prædestinatus non fuerat. *Aspiciebant ergo ad inuicem discipuli, hæsitantes de quo diceret.* Vnusquisq; sibi timebat, quod in conscientia non habebat, quia eũ mentiri non posse sciebant. *Erat ergo recumbens unus ex discipulis in sinu Iesu, quem diligebat Iesus.* Quis est enim iste discipulus, nisi idem ipse qui hæc scribit, beatus Ioãnes, qui secundùm consuetudinem sanctarum scripturarum, sic de se quasi de alio loquitur? Sic enim Moyses frequenter dicit, Loquutus est Dominus ad Moysen, & alij prophetę similiter. Recumbebat autem discipulus iste in sinu. i. in pectore Iesu, & super illum fontem sapientiæ, de quo omnia hæc haurire promeruit, quæ per totum hoc Euangelium tam affluenter nobis eructat. *Innuit ergo huic Simon Petrus, & dicit ei: Quis est de quo dicit?* Innuit (inquit) id est, admonuit secretò, vt de quo diceret, interrogaret. *Itaq; cũ recubuisset supra pect⁹ Iesu, dicit ei: Domine, quis est qui tradet te?* *Respondit Iesus: Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cùm intinxisset panẽ, dedit Iudæ Simonis Scarioth.* In eo fortasse quòd panem intinctum ei dabat, eum diabolica nigredine tinctum & infectũ significabat: *Et post buccellã, tunc in illũ introiuit Satanas.* Introiuerat enim iam anteà in eũ Satanas ad tentandũ & decipiendũ, sed tunc primùm intrauit in eum ad possidendũ. Et forsitan adhuc dubitabat, atq; timebat, ne Iudas resipisceret & à prodi tione quiesceret: sed postquã per buccellã designatũ vidit, quasi propriũ inuasit, & suæ seruituti eũ subiugauit. *Dicit ei Iesus: Quod facis, fac citius.* Nõ præcipiendo hoc dixit, sed prædicendo: quia videbat eius animũ præ nimio desiderio accelerãdi quod cœperat, non posse quiescere. *Hoc autem nemo sciuit discumbentium, ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quòd dixisset ei Iesus, Eme ea quæ opus sunt nobis ad diẽ festũ, aut egenis ut aliquid daret. Cũ ergo accepisset buccellã, exiuit continuò. Erat autem nox.* Benè, quia nox erat, quoniã in noctem & in mortem & in tenebras ibat. *Cũ ergo exisset, dicit Iesus: Nunc clarificatus est filius hominis, & clarificatus est Deus in eo. Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificauit eum in semetipso, & continuò clarificauit eum.* Nunc, inquit, quia filius noctis & tenebrarũ recessit à discipulis meis, nunc filius hominis clarificatus est in eis, nunc nihil caliginis & tenebrarum sentit in eis. Et Deus clarificatus est in eo, quia nihil tenebrarũ aliquando diuinitas sensit in eo. Ipse est enim illa lux quæ in tenebris lucet, & tenebræ eam nõ cõprehenderunt. Quãuis igitur clarificetur in alijs, in se tamen clarissimus est. In alijs enim clarificatur dũ illi clarificã tur, qui eius membra sunt. Similiter aũt & Deus clarificatus est in eo, quia clarũ fecit eum. Et hoc est quod ait: Si Deus clarificat⁹ est in eo, & Deus clarificauit eum. In quo? In semetipso. Quando? Continuò. Quid est continuò? statim vt genitus est. Cæteri enim homines priùs generãtur & nascuntur, deinde per pœnitentiã, per baptismũ, & per ministeriũ sacerdotũ regenerantur & clarificantur. Filius aũt hominis non priùs genitus est, quã clarificatus. Diuinitas enim humanitati coniũcta, statim in ipsa vnitione siue commixtione hominẽ illũ assumptũ sanctificauit & clarificauit, & ab omni corruptela primæ præuaricatiõis mũdauit. Dicatur ergo: Nũc filius hominis clarificatus est in discipulis suis, in quo filio hominis Deus clarificatus est continuò, vt se humanitati coniũxit, quã ipse in semetipso clarificauit & sanctificauit. *Filioli, adhuc modicũ uobiscũ sum.* Hoc autẽ de carnis præsentia dicit, quæ non post multos dies ascendit. *Quæretis me, & sicut dixi Iudæis, quò ego uado, uos nõ potestis uenire, & uobis dico modò.* Quærebant enim discipuli videre Iesum, & desiderio quærebant, quia semper cũ eo esse cupiebãt. Vnde Apostolus ait: Cupio dissolui, & esse cũ Christo. Sed non poterant tunc venire quò ipse ibat, quanuis illuc posteà ituri erant. Vnde & subdi-

Turbatio Spiritalis, Carnalis.

Ioan. 6.

Psalm. 40

Ioan. 13.

Ioan. 1.

Christus ut clarificetur,

Philip. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dit: *Et uobis dico modò.* Iudæis (inquit) absolutè dixi, Quò ego vado, vos non potestis venire: vobis aũt dico, quia nõ potestis venire modò, quò ego vado. Priùs enim vos oportet ire, & prædicare Euangelium omni creaturæ. *Mandatum nouũ do uobis, ut diligatis inuicem, sicut dilexi uos.* Diligere nanq; non est nouum mandatum, sed sic diligere sicut ipse dilexit, nouum mandatum est. Lex enim proximos diligere præcepit, sed pro eis mori nõ præcepit. *In hoc cognoscẽt oẽs, quòd discipuli mei estis, si dilectionẽ habueritis ad inuicẽ.* Dixit ei Simon Petrus: *Domine, quò uadis? Respondit ei Iesus: Quò ego uado, non potes me modò sequi, sequeris aũt postea.* Dicit ei Petrus: *Quare nõ possum te modò sequi? animã meã pro te ponã. Respondit ei Iesus: Animã tuã pro me pones? Amen amẽ dico tibi, non cantabit gallus, donec me ter neges.* Solus Marcus dicit, Non cantabit bis Gallus. Vt igitur Euangelia cõueniant, sic dicatur: Non cantabit, id est, non complebit cantum, donec me ter neges. Huic aũt simile esset, si diceremus: Nõ priùs cœnauit Iesus, quàm lauit pedes discipulorũ: id est, non priùs cœnam compleuit, & si priùs cœnare cœpit.

Leuit. 19.

Mar. 14.

FERIA QVARTA.

SERMO LEONIS Papæ.

Est Serm. 19. de Passione Domini.

SAcram, dilectissimi, dominicę passionis historiam, euangelica (vt moris est) narratione decursam, ita omniũ vestrũ arbitror inhęsisse pectoribus, vt vnicuiq; audientium ipsa lectio quædam facta sit visio. Habet enim hanc potentiam fides vera, vt ab his mente non desit, quibus corporalis præsentia interesse non potuit: & siue in præteritum redeat, siue in futurũ se cor credentis extendat, nullas sentiat moras temporis cognitio veritatis. Adest ergo sensibus nostris imago rerũ pro nostra salute gestarũ, & quicquid tũc discipulorum perstrinxit animos, nostros quoq; tangit affectus, non q̃ aut tristitia deprimimur, aut sæuitia furentiũ Iudæorũ terremur, cùm etiam eos, quos illius tempestatis magnitudo concussit, ad inuictam constantiam resurrectio Domini ascẽsioq; prouexerit: sed quia in cogitationem venit, quales tunc Hierusalẽ populi, & quales fuerint sacerdotes, cũ magno accipimus tremore mentiũ tantũ facinus impiorum. Quanũs enim ad salutem humani generis pertineret passio saluatoris, & æternę mortis vincula temporali sint Domini morte dirupta: aliud tamẽ crucifixi patientia, aliud crucifigentiũ egit insania: nec ad eosdem rerũ exitus misericordia & ira tendebãt, cũ eiusdẽ sanguinis fusione Christus solueret mundi captiuitatem, Iudæi interficerẽt omnium redemptorem. Obdurauit igitur carnalem Israël malignitas sua, & nihil ei legis testificatio, nihil mysteriorũ imagines, nihil prophetarum oracula profuerunt, cũ pascha Domini tot seculis celebratũ, in eo Ioãnes doceret impletũ, de quo publica protestatione dicebat: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Repugnat iniquitas iustitiæ, cæcitas luci, mendaciũ veritati: sed de sæuitia obluctantium, de scelere crudelium obtinuit Iesus æternæ dispositionis effectum: & ita humano generi sua morte cõsuluit, vt sacramentum salutis etiam ipsis persecutoribus non negaret. Qui enim venerat vniuersis credentibus omnia peccata dimittere, à generali indulgentia nec Iudaicum voluit crimen excludere. Quorũ itaq; perfidiã detestamur, eorũ fidem, si conuertantur, amplectimur: & imitãtes misericordiam Domini, qui pro eis, à quibus erat crucifixus, orabat, nos quoq; cum B. Paulo Apostolo nostras iungimus preces, & vt ille populus misericordiam consequatur optamus, ob cuius offensionem gratiam recõciliationis accepimus, quoniam sicut ait idem magister gentiũ: Conclusit Deus omnia incredulitate, vt omniũ misereatur. Quid autẽ illud fuit, quod & Iudæis intellectum abstulit, & sapientium mundi corda turbauit, nisi crux filij Dei, quæ & philosophicam vanescere prudentiam, & Israëliticam fecit caligare doctrinam? Omnem nanq; sensum humanæ mentis excessit diuini altitudo cõsilij, cũ placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes, vt mirabilior fieret constantia fidei ex difficultate credendi. Inconsequens enim & irrationabile videbatur recipere animo, quòd creatorẽ omniũ naturarũ in substantia veri hominis virgo intemerata peperisset, quòd æqualis patri filius Dei, qui impleret omnia, & cõtineret vniuersa, furentium manibus comprehẽdi, iniquorum iudicio cõdemnari, & post dedecora illusionum cruci se permisisset affigi. Sed in his omnibus simul sunt & humilitas hominis, & celsitudo deitatis: nec misericordiæ ratio maiestatem miserentis obscurat, quia de ineffabili potentia factũ est, vt dum homo verus est in Deo inuiolabili, & Deus verus est in carne passibili, cõferretur homini gloria per contumeliã, incorruptio per suppliciũ, vita per mortem. Nisi enim verbũ caro fieret, & tã solida exist eret vnitas in vtraq; natura, vt à suscipiente susceptã, nec ipsum breue mortis tempus adiungeret, nunquã valeret ad æternitatẽ redire mortalitas. Sed affuit nobis in Christo singulare præsidium, vt in natura passibili mortis conditio non maneret, quã impassibilis essentia recepisset: & per id qd̃ nõ poterat mori, posset id quod erat mortuũ suscitari. Huic sacramẽto, dilectissimi, vt inseparabiliter congruamus, magna nobis & animi & corporis intentione nitendum est, vt cùm grauissimi sit piaculi festũ paschale negligere, periculosius sit ecclesiasticis quidẽ cõuentibus iungi, sed in dominicæ passionis consortio non haberi. Nã discente Domino, Qui non accipit crucẽ suã, & sequitur me, non est me dignus: Et dicente Apostolo:

Obdurati o Iudæorum.

Ioan. 1.

Luc. 23.

Rom. 10.

Rom. 11.

Crux Christi stulta apud Iudæos & philosophos quid efficerit.

Matt. 10.

2. Ti. 2. Verus Christi cultor.

lo: Si compatimur, & conregnabimus: quis verè Christũ passum, mortuũ & resuscitatũ colit, nisi qui cum ipso & patitur, & moritur, & resurgit. Et hæc quidẽ in omnibus Ecclesiæ filijs ipso iã regenerationis sunt inchoata mysterio, vbi peccati interitus vita est renascentis, & triduanã Domini mortẽ imitatur trina demersio, vt dimoto quodã aggere sepulturæ, quos veteres suscepit sinus fõtis, eosdẽ nouos edat vnda baptismatis. Sed implendũ est nihilominùs opere, qd̃ celebratũ est sacramento, & natis de spiritusancto, quantumcunq; superest mundani tẽporis, non sine crucis susceptione ducendũ est. Quãuis enim forti & crudeli tyranno per potentiã crucis Christi vasa antiquæ deprædationis erepta sint, & dominatio principis mundi à redemptorũ sit eiecta corporibus: insidiari tamẽ etiã iustificatis eadẽ malignitas perseuerat, & multis modis eos, in quibus nõ regnat, impugnat: vt si quas animas negligẽtes imprudentesq; repererit, seuerioribus eas laqueis rursus innectat, & à paradiso Ecclesiæ raptas, in consortiũ suæ dãnationis inducat. Vnde cùm quispiã se limites obseruantiæ Christianæ sentit excedere, & in id cupiditates suas tendere, quod eũ à recto itinere faciat deuiare, recurrat ad crucẽ Domini, & ligno vitæ motus noxiæ voluntatis affigat, ac voce prophetica ad Dominũ clamet, & dicat: Cõfige clauis à timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui. Quid aũt est clauis timoris Dei carnes habere cõfixas, nisi corporeos sensus ab illecebra illiciti desiderij sub metu cõtinere diuini iudicij: vt qui resistit peccato, & cõcupiscentias suas (ne quid morte dignũ operetur) interficit, audeat cũ Apostolo dicere: Mihi aũt absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quẽ mihi mũdus crucifixus est, & ego mũdo? Ibi ergo se cõstituat Christianus, quò eum secũ sustulit Christus: & ad id diriget oẽm viam suã, vbi scit humanam saluatã esse naturam. Passio enim Domini vsque ad finem producitur mundi, & sicut in sanctis suis ipse honoratur, ipse diligitur, & in pauperibus ipse pascitur, ipse vestitur: ita in omnibus, qui pro iustitia aduersa tolerãt, ipse cõpatitur: nisi fortè æstimandum est, multiplicata per orbem fide, & rarescente impiorum numero, oẽs persecutiones, & omnia quæ aduersùs beatos martyres sæuierunt, finita esse certamina, tanquam suscipiendæ crucis illis tantùm necessitas incubuerit, quibus ad expugnandam Christi dilectionem atrocissima sunt illata supplicia. Sed aliud seruientium Deo pietas experitur, aliud etiam Apostoli prædicatio protestatur, qui dicit: Omnes qui volunt piè viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. Qua sententia nimis tepidus & segnis ostenditur, qui nulla persecutione pulsatur. Pacem enim cum hoc mundo nisi amatores mũdi habere non possunt, & nulla vnquam iniquitati cum æquitate communio, nulla mendacio cum veritate concordia, nullus est tenebris cum luce consensus: quia etiamsi pietas bonorũ cupiat malos corrigi, conuersionẽq; multorum per gratiam Dei miserantis obtineat: malignorum tamen spirituum aduersùs sanctos insidiæ nõ quiescunt, & siue occulto dolo, siue aperto prelio, in omnibus fidelibus propositum bonæ voluntatis infestãt. Inimicum nanq; illis est omne quod rectum, omne quod castum est: & quum eis nihil in quenquam ampliùs liceat, quàm iustitia diuina permiserit, quæ dignatur suos aut corripere disciplina, aut exercere patientia: agunt tamẽ versutissima arte fallaciæ, vt ex arbitrio propriæ potestatis, aut lædere videantur, aut parcere, & multis (quod dolendum est) ita per nequitiã simulationis illudunt, vt quidam illos & timeant pati infensos, & velint habere placatos, quũ beneficia dæmonũ omnibus sunt nocentiora vulneribus: quia tutius est homini inimiciti am diaboli meruisse, quàm pacem. Sapientes itaq; animæ, quæ vnum timere, vnum diligere, & in vnũ sperare didicerunt, mortificatis cupiditatibus, & crucifixis corporis sensibus, ad nullum hostium metum, ad nullum inclinantur obsequium. Voluntatem enim Dei etiam sibi præferunt, & tanto ampliùs se amant, quãto ampliùs pro Dei amore se non amant. Cumq; audiunt sibi diuinitùs dici, Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere: diuidũt affectus suos, & legem mentis à corporis lege discernũt, vt ex quadam se parte sibi denegent, perdentes se in his, quæ carnaliter diligunt, & inuenientes se in his, quæ spiritaliter concupiscunt. Sanctum igitur pascha, dilectissimi, in talibus membris corporis Christi legitimè celebratur, & nihil illis deest † triumphi, quos passio saluatoris obtinuit: quoniam in his, qui Apostolico exemplo castigant corpus suum, & seruituti subijciunt, ijdem hostes eadem fortitudine conteruntur. Et nunc enim à Christo vincitur mundus, & cùm à seruis eius quorumcunq; vitiorum incentiua superantur, ipsius virtus est, ipsiusq; victoria. Hæc, dilectissimi, quæ ad participationem crucis pertinent, sufficienter (vt arbitror) vestris sunt hodiè auribus intimata, vt paschale sacramentum etiam in membris corporis Christi legitimè celebretur. Superest, vt de obtinendo resurrectionis consortio differamus. Quod ne continuato sermone, & mihi & vobis fiat onerosum, in diem sabbati promissa differemus. Aderit, vt credimus, gratia Dei, vt debitum nostrum ipsius auxilio compleatur, qui viuit & regnat cum patre & spiritusancto in secula seculorum. AMEN.

Versutia dæmonum.

Eccl. 18.

† triũphis 1. Cor. 9.

Crux perpetim feruida.

Psal. 118.

Gal. 6.

2. Ti. 3.

Pacem in mundo qui habeant.

EADEM FERIA.

HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Appropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur Pascha, & quærebant principes sacerdotum, quomodò Iesum interficerent: timebant uerò plebem, &c. Luc. 22.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Luc. 22. VEnit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha. & misit Petrum & Ioannem, dicens: Euntes parate nobis Pascha, ut manducemus. Mittit Dominus Petrum & Ioannem parare Pascha. Quibus introëuntibus ciuitatem, occurrit homo amphoram aquæ portans: quem ipsi sequuntur in domum, in quã intrat. Et ostendit eis paterfamilias cœnaculũ magnum stratum. Isti enim duo Christi discipuli, duo testamenta sunt, quæ dum diuina inspiratione mittũtur ad ciuitatem pectoris nostri, Pascha ibi parant: quia quid agnus ille secundùm legem immolatus significet, & qualiter Pascha nostrum immolatus est Christus, nos docent & intelligere faciunt: quibus interior homo occurrit, qui quoniam baptizatus est, amphoram aquę non immeritò portare dicitur. Nemo enim non baptizatus, hanc amphoram portat. Hunc igitur sequuntur vsque in domum, vsque in cordis secretarium interius, ibique inueniunt patremfamilias, id est, intellectum, à quo interior nostra regitur & gubernatur. *Et ipse ostendit eis cœnaculum magnum stratum*, per quod fidem intelligimus, alijs virtutibus ornatam. Ibi enim hæc cœna paratur, quia per fidem reuelatur. Vnde recte dicitur: Nisi crediderit is, non intelliget is. Hoc enim cœnaculum infideles non habet. *Et cùm facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo, & ait illis: Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Multùm (inquit) hoc Pascha vobiscum manducare desideraui, vt vetera compleré, & ad noua transirẽ. *Dico enim vobis, quia ex hoc nõ manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.* id est, donec in Ecclesia spiritualiter intelligatur. & agatur. *Vos estis, qui permansistis mecũ in tentationibus meis: & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus, regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super sedes, iudicantes duodecim tribus Israel.* Sic (inquit) ego vobis Ecclesiæ regnũ trado & dispono, sicut & pater meus mihi illud disposuit, vt mea vice illud regatis, & super mensam meam edatis panẽ verum qui de cælo descendit, & bibatis calicẽ noui testamenti. Hoc autem & de illa cæleſti mensa intelligi potest, in qua sancti sola summi boni contemplatione reficiuntur: De qua Psalmista, Ego (inquit) cum iustitia apparebo conspectui tuo: satiabor dũ manifestabitur gloria tua. *Ait autem Dominus Simonis Simon, ecce Satanas expetiuit, ut cribraret uos sicut triticum.* Sicut enim olim beatum Iob, ita & Apostolos ex Dei permissione cribrauit, si quid forsitã zizaniæ & corruptionis in eis inueniret. *Et dixit eis: Quando misi uos sine sacculo, & pera, & calceamẽtis, nunquid aliquid defuit uobis? At illi dixerunt, Nihil.* Nihil enim eis deesse poterat, quos Dominus ipse regebat. Vnde Psalmista: Dominus regit me, & nihil mihi deerit. Miserat enim eos Dominus non prædicare, sed infirmos sanare, dicens eis: Ite, sanate omnes languores, omnesque infirmitates. Ideoque neque sacculo indigebant, neq; pera, neq; calceamentis. Nondum enim calceati erant in præparatione Euangelij pacis. *Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat, similiter & perã.* Nunc (inquit) & sacculum & peram vos ferre cõcedo, non ad colligendum, sed ad tribuendum: nõ vt aliena in eis coaceruetis, sed vt inde trahatis, quod alijs detis. Hæc enim duo præter hoc quod misericordiam & largitatem indicant, vtrunque etiam testamentum significant. Ex his enim, quasi ex sacculo & pera, cunctis diuitijs plenis trahebant Apostoli, vnde mentes famelicas & sitientes reficerent. Securi sint igitur Apostoli, & nihil timeant, quia nihil deerit eis portãtibus sacculum & peram, quibus nec priùs aliquid defuit sine sacculo & pera. *Et qui non habet, uendat tunicam suam, & emat gladium.* Qui (inquit) nõ habet gladium spiritus, quod est verbum Dei, vendat tunicam suam, & emat eum, vt omnibus exutus, nudus nudam crucem sequatur. His igitur verbis apertè monstratur, quòd illi soli prædicare & gladium spiritus ferre debent, qui simul cum Apostolo dicere possunt: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Qui enim nihil possidet, meritò nudus & absque tunica dicitur. *Dico enim uobis, quoniã adhuc hoc, quod scriptũ est, oportet implerí in me: Et cũ iniquis deputatus est. etenim ea quæ sunt de me, finẽ habẽt.* Adhuc (inquit) parũ qd reſtat, oportet impleri in me. Penè enim iã finita sunt, quæ de me secundũ carnẽ scripta sunt: sed adhuc illud restat, vt cum iniquis me deputantes Iudæi, crucifigant. Et tunc tandem ego à prædicatione cessabo: vos autem omnibus venditis emite gladium, accingimini, & ad prædicandum vos præparate. *At illi dixerunt: Domine, ecce gladij duo hic. At ille dixit eis: Satis est.* Sufficiunt enim duorũ testamentorum gladij, ad totius prædicationis opus peragendum. Vide quàm benè omnia conueniant: quanuis quid verba Domini significarent, Apostoli non intelligebant. *Et apparuit illi angelus Domini de cælo confortans eum: & factus est in agonia, & prolixiùs orabat: & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terrã.* Hæc enim pugna saluatoris nostri, martyrum agones & certamina significabat. Ille sudor sanguineus, eorum sanguinem de toto eius corpore (quod est Ecclesia) vbique fundendum manifestabat. Orabat autẽ prolixiùs, quatenùs nobis ostenderet, quid in tali pugna agere debeamus, vt angelorum cõsolationem recipere mereamur. Cætera quæ sequuntur, in Matthæo exposita sunt.

Duo discipuli, 2. Testamenta.

Homo interior.

Intellectus

Fides uiua

Esai. 7.

Pſal. 16.

Pſal. 22.

Matt. 10.

Sacculus & pera.

Gladius spiritus.

Matth. 19

2. Gladij duorum testamentorum.

Sudor sanguineus.

IN COENA DOMINI EX tractatu D. Augustini Episcopi in Psalmum LXIII.

EX.

AVdi Deus orationem meam dum tribulor, à timore inimici erue animã meã. Sæuierunt inimici in martyres. Quid orabat ista vox corporis Christi? Hoc orabat, vt eruerentur ab inimicis, & nó eos possent occidere inimici. Ergo exauditi non sunt, quia occisi sunt, & deseruit Deus cõtritos corde seruos suos, & sperantes in se despexit? Absit. Quis enim inuocauit Dominum, & derelictus est ab eo? Quis sperauit in eum, & desertus est ab eo? Exaudiebantur ergo, & occidebantur, & tamen ab inimicis eruebantur. Alij timentes consentiebant & viuebant, & tamen ipsi ab inimicis absorbebantur. Occisi eruebantur, viuentes absorbebantur. Inde est illa vox gratulationis: Forsitan viuos absorbuissent nos. Multi absorpti, & viui absorpti, multi mortui absorpti. Qui putarunt inanem esse fidem Christianam, mortui absorpti sunt. Qui autem scientes veritatem esse prædicationem Euangelij, Christum esse filium Dei scientes, & hoc credentes, & hoc intus tenentes, cesserũt tamẽ doloribus, & idolis sacrificauerũt, viui absorpti sunt. Illi absorpti, quia mortui: illi autẽ, quia absorpti, mortui. Non enim absorpti viuere potuerunt, quãuis viui absorberẽtur. Ergo hoc orat vox martyrũ: *A timore inimici erue animã meam*, non vt me nõ occidat inimicus, sed vt non timeam occidentem inimicum. Hoc orat in psalmo impleri seruus, quod modò Dominus iubebat in Euangelio. Quid modò iubebat Dominus? Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere: sed potiùs eum timete, qui habet potestatem & animam & corpus occidere in gehẽnam ignis. Et repetiuit: Ita dico vobis, eum timete. Qui sunt qui corpus occidunt? Inimici. Quid iubebat Dominus? Ne timerentur. Oretur ergo vt præstet quod iubet. *A timore inimici erue animam meam.* Eruc à timore inimici, & subde timori tuo. Non timeam eũ qui corpus occidit, sed timeam eum, qui habet potestatem & corpus & animam occidere in gehennam ignis. Non enim à timore volo esse immunis, sed à timore inimici liber, sub timore Domini seruus. *Protexisti me à conuentu malignantium, à multitudine operãtium iniquitatem.* Iam ipsum caput nostrum intueamur. Multi martyres talia passi sunt, sed nihil sic elucet, quomodò caput martyrũ. Ibi meliùs intuemur, quod illi experti sunt. Protectus est à multitudine malignantium, protegente se Deo, protegente carnem suam ipso filio, & hominem quem gerebat, quia filius hominis est, & filius Dei. Filius Dei propter formã Dei, filius hominis propter formam serui: habẽs in potestate ponere animam suam, & recipere eam. Quid ei potuerunt facere inimici? Occiderunt corpus, animam non occiderũt. Intendite. Parum ergo erat Domino hortari martyres verbo, nisi firmaret exemplo. Nostis qui conuentus erat malignantium Iudæorũ, & quæ multitudo erat operantium iniquitatẽ. Quam iniquitatem? Quia voluerũt occidere Dominum Iesum Christum. Tanta opera bona, inquit, ostendi vobis, propter quod horum me vultis occidere? Pertulit omnes infirmos eorum, curauit omnes languidos eorum, prædicauit regnum cælorum, nõ tacuit vitia eorum, vt ipsa potiùs eis displicerẽt, non medicus à quo sanabantur. His omnibus curationibus eius ingrati, tanquã multa febri phrenetici, insanientes in medicum, qui venerat curare eos, excogitauerũt consilium perdendi eũ: tanquam ibi volẽtes probare, vtrùm verè homo sit, qui mori possit, an aliquid super homines sit, & mori se non permittat. Verbum ipsorum agnoscimus in sapientia Salomonis: Morte turpissima, inquiunt, condemnemus eũ. Interrogemus eum: erit enim respectus in sermonibus illius. Si enim verè filius Dei est, liberet eũ. Videamus ergo, quid factum sit. *Quia exacuerunt tanquam gladium linguas suas.* Filij hominum, dentes eorum, arma & sagittæ, & lingua eorũ gladius acutus. Quod dicit & alius Psalmus, sic & hic: *Exacuerunt tanquã gladium linguas suas.* Non dicant Iudæi, Non occidimus Christum. Etenim propterea eum dederunt iudici Pilato, vt quasi ipsi à morte eius viderentur immunes. Nam cùm dixisset eis Pilatus, Vos eum occidite, responderunt: Nobis nonlicet occidere quenquam. Iniquitatem facinoris sui in iudicem hominem refundere volebant. Sed nunquid Deum iudicem fallebant? Quid fecit Pilatus? In eo ipso quod fecit, aliquãtùm particeps fuit: sed in comparatione illorum multo ipse innocentior. Instituit enim quantum potuit, vt illum ex eorum manibus liberaret. nam propterea flagellatum produxit ad eos. Non persequendo Dominum flagellauit, sed illorum furori satisfacere volens, vt vel sic iam mitescerẽt, & desinerẽt velle occidere, cùm flagellatum viderent. Fecit & hoc. At vbi perseuerauerunt, nostis illũ lauisse manus, & dixisse, qd ipse nõ fecisset, mundum se esse à morte illius. fecit tamẽ. Sed si reus, quia fecit vel inuitus, illi innocẽtes, qui coëgerũt vt faceret? Nullo modo. Sed ille dixit in eã sententiã, & iussit eum crucifigi, & quasi ipse occidit: & vos ô Iudæi occidistis. Vnde occidistis? Gladio linguæ. Acuistis enim linguas vestras. Et quando percussistis, nisi quando clamastis, Crucifige, crucifige? Propterea enim non est præmittendum, quia venit in mentem, ne fortè aliquem perturbet lectio diuinorum librorũ. Quidam Euangelista dicit hora sexta crucifixum Dominum, & quidã hora tertia. Nisi intelligamus, perturbamur. Et iam incipiente sexta hora, dicitur Pilatus sedisse pro tribunali. Et reuerà quando leuatus est Dominus in ligno, hora sexta erat. Sed alius Euangelista intuens animum Iudæorum, quia volebãt se immunes videri à morte Domini, narrando eos ostendit reos, dicens Dominum hora tertia crucifixum. Considerantes autem omnem circunstantiã lectionis, quan-

Eccl. 2.

Pſal. 96.

Matth. 10

Luc. 12.

Ioan. 10.

Ioan. 10.

Sap. 2.

Pſal. 56.

Ioan. 18.

Matt. 27.

Ioan. 19.

Mar. 15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ta agi potuerunt, cùm apud Pilatum Dominus accusaretur vt crucifigeretur, inuenimus horam tertiam esse potuisse, quando illi clamauerunt, Crucifige, crucifige. Ergo veriùs illi tunc occiderunt, quàdo clamauerũt. Apparitores potestatis hora sexta crucifixerunt, præuaricatores legis hora tertia clamauerunt. Quod illi manibus hora sexta, hoc isti lingua hora tertia. Rei magis isti, qui clamando sæuiebant, quàm illi, qui obtemperando administrabant. Ipsum est totũ acumen Iudæorum: hoc est, quod pro magno quæsierunt: Occidamus, & non occidamus. Sic occidamus, vt non ipsi occidisse iudicemur.

EODEM DIE.

Ioan. xiij.

Ante diem festum paschæ, sciens Iesus quia uenit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad patrem, cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

SCripturus Euangelista Ioãnes memorabile illud Domini ministeriũ, quo discipulis in pascha, priusquã ad passionem iret, pedes lauare dignatus est, primò ipsum nomen paschæ quid mystice significaret, aperire curauit, ita incipiens: *Ante diem festum paschæ, sciens Iesus quia uenit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad patrem.* Pascha quippe transitus interpretatur, nomen ex eo vetus habens, quòd transierit in eo Dominus per Aegyptum, percutiens primogenita Aegypti, & filios Israël liberans: & quòd ipsi filij Israël transierint illa nocte de Aegyptia seruitute, vt venirent ad terram promissæ olim hæreditatis & pacis: Mysticè autem significans, quòd in eo Dominus trãsiturus esset ex hoc mũdo ad patrem, & quòd eius exemplo fideles, abiectis temporalibus desiderijs, abiecta vitiorum seruitute, continuis virtutum studijs transire debeant ad promissionem patriæ cælestis. Quomodò autem transierit Iesus ex hoc mundo ad patrem, pulchro sermone designat Euangelista, cùm dicit: *Cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Id est, intantùm dilexit, vt ipsa dilectione vitã ad tẽpus finiret corporalẽ, mox de morte ad vitam, de hoc mundo transiturus ad patrem. Maiorem nanq; hac dilectionẽ nemo habet, quàm vt animam suam quis ponat pro amicis suis. Vnde rectè vterq; transitus, & legalis videlicet & euangelicus, sanguine consecratus est: Ille agni paschalis, iste eius de quo dicit Apostolus: Etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Iste sanguine fuso in cruce, ille in crucis modum medio limine & superliminari, medijs aspersio in postib⁹. *Et cœna (inquit) facta, cùm diabolus iam misisset in cor, ut traderet eũ Iudas Simonis Scarioth filius, sciens quia omnia dedit ei pater in manus, & quia ex Deo exiuit, & ad Deum uadit, surgit à cœna, & ponit uestimenta sua.* Loquturus de maxima humilitate assumptæ humanitatis, priùs commemorat æternitatẽ diuinæ potestatis, vt & ipsum verum Deum hominemque demonstraret, & nos illius præcepti admoneat, vt quanto magni sumus, humiliemur in omnibus. Homo nanq; erat verus, qui hominum pedes tangere ac lauare, per hominem tradi, atq; ab hominibus poterat crucifigi: Deus erat verus, cui omnia dedit pater in manus, quia à Deo exiuit, & ad Deum redijt. Sciebat ergo Dominus, quia diabolus iam miserat in cor Iudæ vt traderet eum: sciebat quia omnia dedit ei pater in manus, inter quæ omnia & ipsum traditorem, & eos quibus tradendus erat, & mortem quam erat passurus: vt de his omnibus quæ vellet faceret, malumq; eorum sua potentia conuerteret in bonum. Sciebat, quia per humilitatẽ incarnationis à Deo exiuit, & per victoriam resurrectionis ad Deum erat rediturus, nec Deũ cùm inde exiret, nec nos deserens cùm rediret. Sciebat quidem omnia hæc, & tamen in magnæ suæ indicium pietatis, in magnæ nostræ exemplum humilitatis, surgit à cœna, & ponit vestimẽta sua, lauat pedes discipulorum, non Dei Domini, sed hominis serui implens officium, & eius quoque pedes humiliter abluens, cuius manus in sua traditione nouerat, peaciter esse polluendas. Quòd si altiori indagine ministerium hoc humilimũ nostri saluatoris pertractare delectat, cœna hæc sacrosancta, in qua cum discipulis recubuit Dominus, tempus significat vniuersum, quo corporaliter in Ecclesia demoratus, & dapibus verbi salutaris, ac miraculorum suorum dulcedine, cũctos longè lateque pauit, & ipse audientium fide ac dilectione pastus est: quia quotquot ad gratiã veritatis conuertit, per hos nimirũm corporis sui, quod est Ecclesia, quasi more vescẽtium fecit augmentum. Surrexit autem à cœna, & posuit vestimenta sua, quando temporaliter cum hominibus ampliùs conuersari desistens, membra corporis assumpti deposuit in cruce. Accepto linteo præcinxit se, quando accepto à patre mandato patiendi pro nobis, in ipso passionis exercitio sua membra circundedit. Solet nanque per linteum, quod multifario tormentorum labore conficitur, afflictio passionum figurari. Et Dominus ponens vestimenta, linteo præcingitur, vt significet se habitũ corporis quẽ induit, non sine pressura dolorum, sed longa crucis tribulatione deponere. Misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorũ, & extergere linteo quo erat præcinctus, quando defunctus in cruce, aquam vna cum sanguine de latere suo profudit in terram, quibus credentium opera mundaret, eadẽq; opera non solũ passionis sacramentis sanctificare, sed etiã eiusdẽ exemplis cõfirmare dignatus est. Quòd aũt inchoata pedum lauatione dicitur, *Venit ergo ad Simonẽ Petrũ:* non

Pascha, transitus. Exod. 12.

Ioan. 15.

1. Cor. 5.

Lauat Christus sui pedes proditoris cœna, mystice.

Linteum, mystice.

Ioan. 13.

non ita intelligendum est, quasi post aliquos ad illum venerit, sed quia ab illo, qui primus apostolorum erat, cœperit, & ille tale ministerium, quia mysterium nesciebat, non frustrà horruerit.

Petrus primus apostolorum.

Pedum lotio, mystice.

Quòd etiam quilibet eorum acturus fuisse non dubitatur, si non illa terreretur sententia, qua Petro dictum est, *Si non lauero te, non habebis partem mecum* Vbi apertè monstratur, quòd hæc pedum lauatio spiritalem animæ & carnis purificationem, sine qua ad consortium Christi peruenire non potest, insinuat. Vnde Petrus hæc audiens, solito mox amoris diuini feruore correptus, respondit: *Domine, non tantum pedes meos, sed & manus & caput.* Ac si apertè dicat: Quia iam te docente intelligo, quòd lauando pedes meos, errata mea te mundare significas, non solum pedes, sed & manus & caput tibi lauandum offero: quia non solùm incessu, sed etiam actu, visu quoque, auditu, gustu, olfactu, & tactu multa me committere, quæ à te debeant dimitti, non ambigo. Sed feruido amori quid respondeat Dominus, quomodò hunc ad intelligentiam mysticæ lauationis paulatim prouocet, audiamus: *Qui lotus est, inquit, non indiget nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus.* Manifestè denunciat, quòd lauatio pedum illa, remissionem quidem peccatorũ designaret, non tamen eam quæ semel in baptismate datur, sed illam potiùs, qua quotidiani fidelũ reatus, sine quibus in hac vita non viuitur, quotidiana eius gratia mundantur. Pedes nanq;, quibus incedẽtes terrã tangimus, ideoq; eos à contagione pulueris, sicut reliquum corpus, immunes custodire nequim⁹, ipsam terrenæ inhabitationis necessitatem designant: qua inquantum quotidiè desides nos & negligentes afficimur, intantum etiam magni quiq; & summæ conuersationis viri, à cælesti, quam maximè diligunt, contemplatione reuocantur: vt si dixerimus quia peccatũ non habemus, nosipsos seducamus, & veritas non sit in nobis. *Qui ergo lotus est, non indiget nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus:* quia qui ablutus est fonte baptismatis in remissionem omnium peccatorũ, non indiget rursus, imò non potest eodẽ modo ablui: sed quotidiana tantùm mundanæ conuersationis contagia necesse habet quotidiana sui redemptoris indulgentia tergantur. Est enim toto actionũ suarum corpore mundus, exceptis duntaxat his, quæ menti necessitate curæ temporalis adhæserũt. Ob quorũ quotidianã sordidationẽ simul & emundationẽ quotidiè dicimus, orantes: Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Verùm hæc de apostolis eorumq; similibus dicta sunt, beatis videlicet & immaculatis, qui timentes Dominũ, ambulant in vijs eius. At nos qui diuini turpe timoris obliti, iter læuum incedimus, non illa leui & quotidiana orationũ solennitate possumus ab erratũ nostrorũ sorde liberari, sed maior necesse est inquinatio maiori orationũ, vigiliarum vel ieiuniorũ, lachrymarũ atq; eleemosynarum exercitio purgetur, ipso nimirum interiùs vestigia cordis nostri mundante, qui sedens in dextera Dei, per assumptæ habitum humanitatis quotidiè interpellat pro nobis. *Postquàm uerò lauit discipulorum pedes Dominus, accepit uestimenta sua: & cùm recubuisset iterùm:* aperuit verbo mysterium lauationis, quod eis paulò antè facto necdum scientibus exhibuerat: quia postquàm patiendo in cruce lauacrum nobis remissionis consecrauit, accepit membra iam immortalia, quæ mortalia posuerat: & cùm post resurrectionem apparuisset discipulis, ac familiariter cum eis esset etiam in conuescendo per dies quadraginta conuersatus, exposuit eis vtilitatem suæ passionis, cui⁹ eatenùs, quia virtutem mysticam nesciebant, euentum satis timebant. *Si ergo ego, inquit, laui uestros pedes Dominus & magister, & uos debetis alter alterius lauare pedes.* Quæ videlicet sententia & ad literam & ad mysticum sensum rectè accipi, & deuotè debet impleri. Ad literam quidem, vt per charitatem seruiamus inuicem, non solùm in lauãdo pedes fratrum, sed in quibuslibet eorum necessitatibus adiuuandis. Ad mysticum verò intellectum, vt sicut nobis Dominus peccata pœnitentibus dimittere consueuit, ita etiam nos peccãtibus in nos fratrib⁹ dimittere festinemus. Sicut ille lauit nos à peccatis nostris, interpellãdo patrẽ p nobis, ita & nos si scimus fratrem nostrum peccare peccatum ad mortẽ, petamus vt detur ei vita peccanti nõ ad mortẽ. Sit sicut apostolus Iacobus admonet, confiteamur alterutrũ peccata nostra, & oremus pro inuicem vt saluemur: sicut ille pro nobis animam suam posuit, sic & nos instante temporis articulo, pro fratribus animas ponamus. Sequitur: *Amen amen dico uobis, non est seruus maior domino suo, neq; apostolus maior eo qui misit illũ.* Hoc ideò dixit, quia lauerat pedes seruorum Dominus: & ipse qui misit, eorum quos misit. Apostolus græcè, latinè dicitur missus, vt ostenderet ea quæ excelsius fecit humiliter, multo magis humilibus & infirmis humiliter esse facienda: Sed vt & hoc in loco spiritualis intellectus commoneret, quia si ipse qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, interpellat pro nostris excessibus, multò magis ipsi debeamus orare pro inuicem. Sed & si dimittit nobis ille, cui non habemus quod dimittamus, multò magis oportet nos alterutrum dimittere nobis debita nostra. Quod ipsum Apostolus quoque præcipiens, ait: Estote autem inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit vobis. *Si hæc scitis, inquit, beati eritis, si feceritis ea.* Salutaris hæc multùm nostri saluatoris, & sedulò est cogitanda sententia, quia beati erimus sciendo cælestia præcepta, si tamen ea quæ nouimus, operando sectemur. Qui enim cognita eius mandata seruare negligit, beatus esse non valet. Qui hæc vel cognoscere contemnit, multò longiùs à beatorum sorte secluditur. Congruit his Psalmista, qui

Rom. 8.

Charitatis mutua officia.

1. Ioan. 4.

Iac. 5.

1. Ioan. 1.

Matth. 6.

1. Pet. 1.

Ephes. 4.

Ioan. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mortalium cordà perpendens, æquè omnes beatitudinem amare, sed paucos vbi est quærere cõspiciens, ipse quæ sit maxima in hac vita hominis beatitudo, manifestè protestatus est, dicens:

Psal. 118. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Et ne putaretur hæc vita immaculatorum ac beatorum, ab imperitis passim & rudib⁹ posse comprehendi, consequenter adiunxit & ait: Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum. Quapropter, charissimi, rogemus eius clementiam, qui mandauit mandata sua custodiri nimis, vt dirigat ipse vias nostras ad custodiendas iustificationes suas: Ipse post custodiam mandatorum suorum, ad beatitudinem nos suæ perpetuæ visionis inducat, Iesus Christus Deus & Dominus noster, qui viuit & regnat cum patre in vnitate spiritussancti, per omnia secula seculorum.

EADEM FERIA HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Ante diem festum Paschæ, sciens Iesus quia venit eius hora, ut transeat ex hoc mundo ad patrem, cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos, &c. Ioan. 13.

Ioan. 12. NArrat superiùs euangelista, quòd ante diem festum Paschæ saluator noster in Bethaniam venit, vbi Lazarum à mortuis suscitauit. Fecerunt autem ei cœnam ibi, & Martha ministrabat. Lazarus autem vnus erat ex discumbentibus. Cogitauerunt autem Iudæi, vt & Lazarum interficerent, quoniam multi credebãt propter eum. Quid autem significet Bethania (quæ domus obedientiæ interpretatur) quid Maria & Martha, & quid Lazarus à mortuis suscitatus, iam superiùs exposuimus. Inde autem cùm super pullum asinæ sedens Hierosolymam Dominus appropinquasset, ramos palmarum accipientes, omnes obuiàm procedunt. Cum tanto igitur taliq; triũpho ciuitatẽ ingressus, ad templum venit, omnesq; in eo & ementes & vendentes foras eiecit. Cùm autem frequenter illis diebus iret Bethaniam, & rediret Matt. 21. Hierosolymam, videns arborem fici, accessit ad eam: quæ quia fructum non habebat, maledixit eam, & aruit. Hæc autem in Matthæo exposita sunt. *Ante diem autem festum Paschæ*, præmissis discipulis, qui ei pascha pararent, venit ad locum passionis, & ad impiam ciuitatem, vt tandem ea compleret, quæ de eo per prophetas fuerant nuncupata. *Sciens igitur quia uenit eius hora, ut transeat ex hoc mundo ad patrem, cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Sciens (inquit) Iesus, quia venit eius hora: sciebat enim quando veniret, qui ante mundi constitutionem, & tempus & annum & diem disposuit, in quo veniret. Sed quæ hora? Vt transeat ex mundo ad patrẽ. Ab hoc enim transitu, Pascha transitus interpretatur. Cùm semper dilexisset suos qui erant in hoc mundo, in finem dilexit eos, & vsq; ad mortem dilexit eos, & in fine ostendit, quanto amore dilexerit eos. Maiorẽ enim hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Hoc enim ipse dixit, & hanc tantam dilectionem & docendo significauit, & patiendo monstrauit. *Et cœna facta, cum misisset diabolus iam in cor, ut traderet eum Iudas Simonis Scariothis: sciens quia omnia dedit ei pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum uadit, surgit à cœna, & ponit uestimenta sua.* Ponit vestimẽta sua, accipit linteũ, præcingit se, mittit aquã in peluim: & tam charitatiuè, tam honestè, tam officiosè præparatus, venit lauare & tergere pedes discipulorum. Et vt omnia ratione & ordine faceret, & faciendo nos instrueret, venit ad Simonem Petrũ. Ipse enim inter alios maior erat. *Et dicit ei Petrus: Domine tu mihi lauas pedes?* Non decet, non cõuenit: tu Dominus, ego seruus: tu Deus, ego homo: tu creator, ego creatura: & tu mihi lauas pedes? *Respondit Iesus, & dicit ei: Quod ego facio, tu nescis modò: scies autem postea.* Hæc mea humiliatio, magni est sacramenti significatio: quam me docente & exponente, posteà scies. At ille de tanta filij Dei inclinatione perterritus, adhuc in eadem voluntate persistens, respondit: *Non lauabis mihi pedes in æternum.* Nunquam hoc patiar, nunquam hoc feram, nunquam de manibus Domini mei hoc tale seruitium recipiam. *Respondit ei Iesus: Si non lauero te, non habebis partem mecum.* Illi igitur partem habebunt cum Christo in regno suo, quos ipse dilexit, & lauit à peccatis in sanguine suo. *Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantùm pedes meos, sed & manus & caput.* Isti igitur sunt illi pedes, quos etiam illos qui iam loti & baptizati sunt, frequenter lauare oportet. Sed quid de animæ affectionibus dicam, cùm ipsis quoq; bonis actionibus, superbia & vana gloria sæpè se immisceat? Et hæc igitur lauatio necessaria est. Sequitur: *Et uos mundi estis, sed non omnes.* Hæc autem quia euangelista exposuit, nobis aliter exponere non licet. *Sciebat enim* (ait euangelista) *quisnam esset, qui traderet eum: propterea dixit: Non estis mundi omnes. Postquàm ergo lauit pedes eorum, & accepit uestimenta sua, cùm recubuisset iterum, dixit eis: Vos uocatis me magister & Domine: & benè dicitis: sum etenim.* Benè (inquit) dicitis, quia me magistrum & Dominum vocatis: sicut enim dicitis, ita est. Sed quia magister sum, meam doctrinã recipite: & quia Dominus, meũ mandatum custodite. Quod mandatum? Vultis audire quod? *Si ego laui pedes uestros Dominus & magister, & uos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplũ enim dedi uobis, ut quemadmodum ego feci uobis, ita & uos faciatis.* Quanuis enim hoc ad literam custodire, plenũ sit charitate & humilitate, maius tamen aliquid significare videtur, sicut & cuncta quæ saluator noster similiter egit. Et hoc est fortasse quod Apostolus ait: hæc est forsitan illa lex, quam

Pascha, transitus.

Ioan. 13.

Galat. 6. quam nos adimplere præcepit, quando dixit: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi, id est, mandatum Christi. Vnde & Iacobus Apostolus ait: Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini. Dum enim pro se inuicem sancti orant, alter alterius pedes lauant.

Iac. ultimo

FERIA SEXTA PARASceues, ex Augustini Tractatu in Psalmum 63.

EXacuerunt tanquam gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram. Arcũ dicit insidias. qui enim gladio pugnat, comminus pugnat, apertè pugnat: qui sagittã mittit, fallit vt feriat. Priùs enim sagitta percutit, quàm venire ad vulnus præuideatur. Sed quem lateret insidiæ cordis humani? Nunquid & Dominum nostrum Iesum Christum, qui non opus habebat vt ei testimonium quisquã perhiberet de homine? Ipse enim sciebat quid esset in homine, sicut euangelista testatur. Tamen audiamus eos, & intueamur eos, quasi nesciente Domino facere qd' moliuntur. *Intenderunt arcum rem amarã, ut sagittarent in abscondito immaculatum.* Quòd dixit, Intenderũt arcum, hoc est, in abscondito, quasi fallentes insidijs. Nostis enim quibus dolis id egerint, quẽ admodùm discipulum ei cohærentem pecunia corruperint, vt sibi traderetur: quomodò falsos testes procurauerint, quibus insidijs & dolis egerint, vt sagittarent in abscondito immaculatum. Magna iniquitas. Ecce de abscõdito venit sagitta. Quam maculam fecit in eo, qui nec tantam habebat maculam, quanta potest pungi à sagitta? Agnus quippe immaculatus, totus immaculatus, semper immaculatus: non cui maculæ ablatæ sint, sed qui maculas nullas contraxerit. Nam fecit multos immaculatos, donando peccata, ipse immaculatus non habendo peccata. *Vt sagittent in abscondito immaculatum. Repentè sagittabunt eum, & nõ timebunt.* O cor durum, occidere velle hominem, qui mortuos suscitabat. Repentè, id est, insidiosè, quasi inopinatè, quasi non præuisè. Similis enim nescienti erat inter ipsos Dominus, ignorãtes quid nesciret, & quid sciret, imò ignorantes eum nihil nescire, & omnia scire, & ad hoc venisse vt illi facerent, quod se facere sua potestate arbitrabantur. *Repentè sagittabunt eum, & non timebũt, firmauerunt sibi sermonem malignum.* O firmauerunt. Facta sunt tanta miracula, & non sunt moti. Perstiterunt in consilio sermonis maligni. Traditus est ille iudici, trepidat iudex, & nõ trepidant qui iudici tradiderunt. Contremiscit potestas, & nõ contremiscit malignitatis immanitas. Vult ille lauare manus, & illi inquinant linguas. Sed quare hoc? Firmauerunt sibi sermonem malignum.

Quanta egit Pilatus, quanta, vt refrenarentur? Quæ dixit? quid egit? Sed firmauerunt sibi ser-

Ioan. 19. monem malignum, crucifige, crucifige. Repetitio, confirmatio est sermonis maligni. Vide acriùs, quomodò firmauerunt sibi sermonem malignum. Regemvestrum crucifigam? Dixerunt: Non habemus regem nisi Cæsarem. O firmauerunt sibi sermonem malignum. Offerebat ille regem filium Dei, illi ad hominem recurrebant: digni qui illum haberent, & illum non haberent. Adhuc audi, quomodò firmauerunt sibi sermonem malignum: Non inuenio aliquid in isto homine, ait iudex, quo dignus sit morte: & illi, qui firmauerunt sibi sermonem malignum: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Firmauerunt sibi sermonem malignum. Firmauerunt sermonem malignum, nõ Domino, sed sibi. Quomodò enim nõ sibi, cùm dicunt, Sanguis eius super nos & super filios nostros? Quòd ergo firmauerunt, sibi firmauerunt: quia ipsius vox est alibi: Foderunt ante faciem meam foueam, & ipsi inciderũt in eam. Dominum mors nõ occidit, sed ipse mortem. Illos autem iniquitas occidit, quia noluerũt occidere iniquitatem. Prorsus fratres certum est: aut occides iniquitatem, aut occideris ab iniquitate. Noli autem quærere occidere iniquitatem, tanquàm aliquid extra te. Ad teipsum respice. vide quid tecum pugnet in te, & caue ne expugnet te. Iniquitas tua est inimica tua, quandiù interfecta non erit. Ex te enim est, & anima tua aduersum te rebellat, non aliud aliquid. Ex quadam parte cohæres Deo, ex quadam parte delectaris seculo. Illud quo delectaris seculo, pugnat aduersùs mentem quæ cohæret Deo. Sed quæ cohæret, cohæreat, non deficiat, non se dimittat. Magnum adiutorium habet. vincet quod in illa sibi rebellat: perseueret in pugnando. Est peccatum in corpore tuo, sed non regnet. Non ergo regnet, inquit, peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum desiderijs eius. Si non obedieris, & si est quod suadeat, quod delectet ad malum, non obtemperando facis vt non regnet quod est: & ita fiet posteà, vt non sit quod erat. Quando? Cùm absorbebitur mors in victoria, cũ corruptibile hoc induerit incorruptionem. Ibi non erit quod tibi repugnet, & non erit quod te aliud delectet, nisi Deus. Ergo & isti Iudæi inuiderunt Domino. delectabat eos principatus quidam. Videbant sibi ab eo auferri principatum, & ex delectatione sua rebellauerunt aduersus Dominum. Qui si rebellassent aduersùs delectationem suam malã, ipsam inuidentiam vincerent, nec vincerentur ab ea, & esset illis Dominus saluator, qui venerat vt sanaret. Nunc aũt fauerunt febri, repugnauerunt medico. Quicquid suggerebat febris, faciebant: quicquid contrà iubebat medicus, negligebãt. Ergo illi magis occisi sunt, non Dominus. nam in Domino mors occisa est, in illis iniquitas vixit. Viuente autem in se iniquitate, illi mortui sunt. *Narrauerunt ut absconderent muscipulas: dixerunt, Quis uidebit eas?* Latere putabant eum quẽ occidebant. Lateret Deum? Ecce puta, homo erat Christus sicut & cæteri homi-

Rom. 6.

1. Cor. 15.

Matt. 27.

Psal. 56.

Luc. 23.

Pascha, transitus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

homines, nesciebat quid de illo cogitaretur. Nunquid & Deus nescit? O cor humanũ, quare tibi dixisti, Quis videt me, cùm ille videat qui fecit te? Dixerunt, Quis videbit eas? Videbat Deus, videbat & Christus, quia & Christus Deus. Sed quare videbatur eis non videre? audi sequentia. *Perscrutati sunt iniquitatem, defecerunt scrutantes scrutationes*, id est, acerba & acuta consilia. Non tradatur per nos, sed per discipulum suum: non occidatur à nobis, sed à iudice. Totum
Luc. 23. nos faciamus, & nihil feciſſe videamur. Et vbi est
Ioan. 19. clamor linguæ, Crucifige crucifige? Sic cęci estis, vt & surdi sitis. Simulata innocentia, non est innocentia. Simulata æquitas, non est æquitas, sed duplex iniquitas, quia & iniquitas est, & simulatio. Ibi ergo isti defecerunt scrutantes scrutationes. Quantò acutiùs sibi excogitare videbantur, tantò magis deficiebant: quia à lumine veritatis & æquitatis, in profunda consiliorum malignorum demergebantur. Habet iustiIustitia, lux. tia quandam lucem suam, perfundit & illustrat animam inhærentem sibi. Anima verò auertens se à luce iustitiæ, quantò magis quærit quod inueniat contra iustitiam, tantò plùs à luce repellitur, & in tenebrosa demergitur. Meritò ergo & isti perscrutantes quod contra iustum moliebãtur, à iustitia recedebant: & quantò à iustitia recedebant, tantò plus deficiebant perscrutantes scrutationes. Magnum consilium innocentiæ. Quando ipsum Iudam pœnituit, quòd tradidisset Christum, & proiecit illis pecuniam
Matt. 27. quam dederant: illi noluerunt eam mittere in gazophylacium, sed dixerunt: Pecunia sanguinis est, non illam mittamus in gazophylacium.
Gazophylacium, arca Dei. Quid est gazophylacium? Arca Dei, vbi colligebantur ea, quæ ad indigentiam seruorum Dei mittebantur. O homo, cor tuum sit potiùs arca Dei, vbi habitent secreta Dei, vbi sit nummus Dei mens tua, habens imaginem imperatoris tui. Cùm ergo hæc ita sint, qualis illa innocentiæ simulatio fuit, pecuniam sanguinis non mittere in arcam, & ipsum sanguinem mittere in conscientiam? Sed quid eis contigit? Defecerunt scrutantes scrutationes. Vnde? Quia dicebant, Quis videbit eas? id est, quia eas nemo videbit. Hoc dicebant, hoc apud se opinabantur, quòd nemo eas videret. Vide quid contingat animæ malæ. recedit à luce veritatis, & quia ipsa non videt Deum, putat se non videri à Deo. Sic & isti recedendo ierunt in tenebras, vt ipsi non viderẽt Deum: & dixerunt, Quis nos videbit? Videbat & ille, quem crucifigebant. Illi deficiendo, nec ipsum filium, nec patrem videbant. Si ergo & ille videbat, quare se patiebatur teneri ab eis, occidi ab eis? Quare, si videbat, voluit consilia eorum prævalere in se? Quare? Quia homo erat propter hominem, & Deus latens in homine: quia venerat nescientibus exemplum fortitudinis dare. ideò sciẽs ipse omnia sustinebat. Quid enim sequitur? Accedat homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Illi dixerunt, quis nos videbit? Defecerunt scrutantes scrutationes, id est, consilia mala.

EADEM FERIA SERMO Leonis Papæ.

Est Sermo 8. de Passione Domini.

DEcursis, dilectissimi, sermone proximo his quæ ad comprehensionem Domini præcesserunt, supererit nunc, vt auxiliante gratia Dei, de ipso iam passionis ordine, sicut promisimus, differamus. Nam cùm verbis sacræ orationis suæ Dominus declarasset, verissimè sibi atque plenissimè & humanam & diuinam inesse naturam, ostendens vnde esset quòd pati nollet, & vnde quòd vellet, depulsa trepidatione infirmitatis, & confirmata magnanimitate virtutis, redijt in sententiam dispositionis æternæ: & sæuienti diabolo per ministeria Iudæorum formam serui nihil peccati habentis obiecit, vt per eum ageretur omnium causa, in quo solo erat omnium natura sine culpa. Irruerunt ergo in lumen verum filij tenebrarum, & vtentes faculis atq; laternis, non euaserunt infidelitatis suæ noctem, quia non intellexerunt lucis authorem. Occupant paratum teneri, & trahunt volentem trahi. Qui si vellet obniti, nihil quidẽ in iniuriam eius impiæ manus possent, sed mundi redemptio tardaretur, & nullũ saluaret illæsus, qui pro omnium erat salute moriturus. Sinens igitur inferri sibi quicquid sacerdotum incitamentis furor popularis audebat, ad Annam Caiphæ socerum, ac deinde ad Caipham ex Annæ transmissione perducitur: & post infanas calumniantium obiectiones, post cõmentitias subornatorũ testium falsitates, ad † examẽ Pilati põtificum delegatione transfertur. Qui diuino iure neglecto, clamantes se regẽ non habere nisi Cæsarem, tanquam Romanis deuoti legibus, omne iudiciũ potestati præsidis reseruassent, expetierunt executorẽ magis sæuitiæ, quàm arbitrũ causæ. Offerebãt enim Iesum duris nexibus vinctũ, colaphis & alapis frequẽtibus cæsum, sputis oblitum, clamoribus prædamnatũ: vt inter tot præiudicia, quẽ oẽs vellent perire, non auderet Pilatus absoluere. Deniq; nec in accusato eo reperisse culpã, nec in sententia sua tenuisse constantiã, docet ipsa cognitio: in qua iudex, quem innocentẽ pronunciat, damnat, addicens iniquo populo sanguinem iusti, à quo abstinendum sibi & intellectu proprio senserat, & somnio vxoris nouerat. Non purgant contaminatum animũ manus lotæ, nec in aspersis aqua digitis expiatur, quod famulante impia mente cõmittitur. Excesit quidem Pilati culpã facinus Iudæorum, qui illũ nomine Cæsaris territũ, & inuidiosis vocib⁹ increpatum, ad effectum sui sceleris impulerunt. Sed nec ipse euasit reatum, qui cooperatus seditiosis, reliquit iudicium proprium, & in crimen transijt alienum.

† tandem tiam.

Pilati iniquitas.

num. Quòd ergo Pilatus, dilectissimi, implacabilis populi victus insania, multis Dominum Iesum dehonestari ludibrijs, & immodicis vexari permisit iniurijs, quòdque eum flagris cæsum, spinis coronatum, & amictu irrisoriæ vestis indutũ, scribarum & sacerdotum ostentauit aspectui, mitigandos proculdubiò inimicorũ animos existimauit: vt exaturatis inuidiæ odijs, non vltrà iam crederent persequendum, quem tot modis intuebantur afflictum. Sed cùm inardesceret ira clamantiũ, vt Barrabam indulgentia relaxaret, & Christum crucis pœna susciperet, quum cõsono
Psal. 27. fremitu diceretur à turbis, Sãguis eius super nos, & super filios nostros: obtinuerunt iniqui in dãnationem suam, quod pertinaciter exigebant,
Psal. 65. quorum dentes, sicut propheta testatus est, arma erant & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Frustrà enim à cruci figendo maiestatis Domino manus impias continebant, in quem letalia vocũ spicula & venenata verborum tela vibrauerant. Vobis vobis, ô falsi Iudæi & sacrilegi principes populi, totũ facinoris istius pondus incumbit: & licet immanitas sceleris & præsidem obligarit, & milites, omnis tamen facti summa vos arguit: & si quid in supplicio Christi, vel Pilati peccauit iudicium, vel cohortis obsequiũ, hoc vos facit humani generis odio digniores: quia vestri furoris impulsu, nec illos innocentes esse licuit, quibus iniquitas vestra non placuit. Traditus itaque Dominus Iesus sæuientium voluntati, ad irrisionem regiæ dignitatis, supplicij sui iussus est esse gestator, vt impleretur quod Esaias propheta præui-
Isa. 9. derat, dicens: Ecce natus est puer, & datus est nobis filius, cuius imperium super humeros eius. Cùm ergo Dominus lignum portaret crucis, qđ in sceptrum sibi conuerteret potestatis, erat quidem apud impiorum oculos grande ludibrium: sed manifestabatur fidelibus grãde mysterium, quia glorioſissimus diabolo victor, & inimicarum virtutum potentissimus debellator, pulchra
Crux Christi adoranda. specie triumphi sui portabat trophæum, & inuictæ patientiæ humeris signum salutare adorandum regnis omnibus inferebat, tanquam & tunc ipsa operis sui imagine omnes imitatores suos
Matt. 10. confirmaret, & diceret: Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Euntibus autem cum Iesu turbis ad locum pœnæ, Si-
Simon Cyrenæus. mon quidam Cyrenæus inuentus est, in quem lignum supplicij transferretur à Domino: vt etiam tali facto præsignaretur gentium fides, quibus crux Christi non confusio erat futura, sed gloria. Non ergo fortuitum, sed figuratum & mysticum fuit, vt Iudæis in Christum sæuientibus, ad compatiendum ei peregrinus occurreret, di-
Rom. 8. cente Apostolo: Si compatimur, & conregnabimus. vt sacratissimo saluatoris opprobrio, non Hebræus quisquam, nec Israëlita, sed alienigena subderetur. Per hanc enim translationem à circuncisione ad præputium, à filijs carnalibus ad filios spiritales, immaculati agni propiciatio, & omnium sacramẽtorum plenitudo transibat. Si-
1. Cor. 5. quidem pascha nostrum immolatus est Christus, qui se nouum & verum reconciliationis sacrificium offerens patri, non in templo, cuius iam erat finita reuerentia, nec intra septa ciuitatis ob meritum sui sceleris diruendæ, sed foris & extra castra crucifixus est, vt veterum victimarum cessante mysterio, noua hostia nouo imponeretur altari, & crux Christi non templi esset ara, sed mundi. Exaltato igitur, dilectissimi, per crucem Christo, non illa tantùm species aspectui mentis occurrat, quæ fuit in oculis impiorũ, quibus per Moysen dictũ est: Et erit pendens vita tua ante
Deut. 28. oculos tuos, & timebis die ac nocte, & nõ credes vitæ tuæ. Isti enim nihil incrucifixo Domino præter facinus suum cogitare potuerunt, habẽtes timorẽ, non quo fides vera iustificatur, sed quo conscientia iniqua torquetur. Noster verò intellectus, quẽ spiritus veritatis illuminat, gloriã cru-
Gloria crucis. cis cœlo terraq; radiantem, puro ac libero corde suscipiat, & interiori acie videat quale sit quod Dominus ait, cùm de passionis suæ loqueretur instantia: Venit hora, vt clarificetur filius homi-
Ioan. 12. nis. & infrà: Nunc, inquit, anima mea turbata est, & quid dicam? Pater, salua me ex hac hora. Sed propter hoc veni in hanc horam. Pater, clarifica filium tuum. Et cùm vox patris venisset è cælo dicens: Et clarificaui, & iterùm clarificabo: respondens Iesus circunstantibus, dixit: Non propter me hæc vox facta est, sed propter vos. Nunc iudicium est mundi, nunc princeps mundi mittetur deorsum. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. O admirabilis potentia crucis, ô ineffabilis gloria passionis, in qua & tribunal Domini, & iudiciũ mundi, & potestas est crucifixi. Traxisti enim Domine omnia ad te, & cũ
Esai. 65. expandisses tota die manus tuas ad plebem non credentẽ, & contradicentem tibi, confitendæ maiestatis tuæ sensum totus mundus accepit. Traxi-
Christus ut traxerit omnia ad se. sti Domine omnia ad te, quoniam in execrationem Iudaici sceleris vnã tulerunt omnia elemẽta sententiã, cùm obscuratis luminaribus cæli, & conuerso in noctẽ die, terra quoq; motibus nutaret insolitis, vniuersaq; creatura impiorũ se vsui negaret. Traxisti Domine omnia ad te, quoniam scisso templi velo, sancta sanctorũ ab indignis pontificibus recesserunt, vt figura in veritatẽ, prophetia in manifestationem, & lex in euangelium verteretur. Traxisti Domine omnia ad te, vt quod in vno Iudææ Iudæorumq; templo obumbratis significationibus agebatur, pleno apertoque sacramento vniuersarum vbique nationum deuotio celebraret. Nunc enim & ordo clarior leuitarum, & dignitas amplior seniorum, & sacratior est vnctio sacerdotum: quia crux tua omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobio, vita de morte. Confiteamur igitur, dilectissimi, quod beatus magister gentium Paulus glorioſa

Universidad de Deusto
Biblioteca

1. Timo. 2. riosa voce confessus est, dicens: Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere. Hinc enim mirabilior est erga nos misericordia Dei, ꝙ nō pro iustis neq; pro sanctis, sed pro iniquis & impijs Christus est mortuus: Et cùm mortis aculeum recipere non posset natura deitatis, suscepit tamen nascendo ex nobis, quod posset offerre pro nobis. Olim enim morti nostrę mortis suæ potentiam minabatur, dicens per Osee ꝓphetam: Ero mors tua ô mors, ero morsus tuus inferne. Leges enim inferni moriendo subijt, sed resurgendo dissoluit, & ita perpetuitatem mortis incidit, vt eam de ęterna faceret temporalē. Sicut 1. Cor. 15. enim in Adā oēs moriuntur, ita & in Christo oēs 2. Cor. 5. viuificabuntur. Fiat itaq;, dilectissimi, quod Apostolus ait, vt qui viuunt, iam sibi non viuant, sed ei qui pro omnibus mortuus est, & resurrexit. Et quia vetera transierunt, & facta sunt omnia noua, nemo in carnalis vitæ vetustate permaneat, sed omnes de die in diem proficiendo renouentur. Quantumlibet enim quisq; iustificatus sit, habet tamē dum in hoc corpore est, quo probatior esse possit & melior. Qui autem nō proficit, deficit: & qui nihil acquirit, nō nihil perdit. Currendum ergo nobis est fidei gressibus, misericordiæ operibus, amore iustitiæ, vt diem redemptionis nostræ spiritaliter celebrantes, non in fer- 1. Cori. 5. mento veteris malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis, resurrectionis Christi mereamur esse participes, Qui viuit & regnat cū patre & spiritusancto, in secula seculorū, Amen.

Osee 13.

IN VIGILIA PASCHAE, ex Augustini Tractatu in Psalmum LXIII.

Accedet homo ad cor altū, & exaltabitur Deus. Illi dixerunt, Quis nos videbit? Defecerunt scrutantes scrutationes, consilia mala. Accesit homo ad ipsa consilia, passus est se teneri vt homo. Non enim teneretur nisi homo, aut videretur nisi homo, aut cæderetur nisi homo, aut crucifigeretur & moreretur nisi homo. Accesit ergo homo ad illas oēs passiones, quæ in illo nihil valerent, nisi esset homo. Sed si ille non esset homo, nō liberaretur homo. Accesit homo ad cor altum, id est, cor secretum, obijciens aspectibus humanis hominem, seruans intus Deum, celans formam Dei, in qua æqualis est patri, & offerens formam serui, qua minor est patre. Ipse enim dixit vtrunq;. Sed aliud est ex forma Dei, aliud ex Ioan. 10. forma serui. Dixit ex forma Dei, Ego & pater vnum sumus. dixit ex forma serui, Quoniam pater maior me est. Vnde ex forma Dei, Ego & pa- Ioan. 14. ter vnum sumus? Quia cùm in forma Dei esset Philip. 2. constitutus, non rapinā arbitratus est esse æqualis Deo. Vnde ex forma serui, Quoniam pater maior me est? Quia semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Accesit ergo homo ad cor altum, & exaltatus est Deus. Occiditur homo, & exaltatur Deus. Quòd enim occisus est, ex infirmitate humana fuit: ꝙ resurrexit & ascendit, ex potestate diuina. Accedit homo ad cor altū, cor secretū, cor abditū, nō ostendēs quid nosset, nō ostēdens quid esset. Illi putātes hoc totum esse qđ videbatur, occidunt hominem in corde alto, & exaltatur Deus in corde diuino. Potentia enim maiestatis suę exaltatus est. Et quò iuit exaltatus? Vnde non recesit humiliatus. Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Propterea iam attendite fratres mei cor altum hominis. Cuius ho- Psalm. 68. minis? Mater Sion, dicet homo, & homo factus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. In ipsa ciuitate factus est homo, quam idē ipse fundauit altissimus, qui in ea factus est homo. Ergo accessit homo ad cor altum. Intuere hominē in corde alto. Vide quantū potes, si potes, & Deum in corde alto. Accesit homo, & quia Deus erat, & quia passurus erat volens, & quia exemplum prębiturus infirmis, & quia nihil ei facturi erant qui sæuiebant tanquam passuro Deo, sed in homine, sed in carne, quid sequitur? *Sagittæ infantium factæ sunt plagæ eorum*, Vbi est illa sæuitia? vbi est ille fremitus leonis, populi rugientis & dicentis, Crucifige crucifige? Vbi sunt insidiæ arcum tendentiū? Nónne sagittæ infantium factæ sunt plagæ eorū? Nostis quemadmodum sibi faciunt de cannicijs sagittas infantes. Quid feriunt, aut vnde feriunt? Quæ manus, aut quod telum? Quæ arma, aut quæ membra? Sagittæ infantium factæ sunt plagæ eorum. *Et infirmatæ sunt super eos linguæ eorum.* Acuant nunc linguas suas tanquam gladium, firment sibi sermonem malignum. Meritò sibi eum firmauerunt, quia infirmatæ sunt super eos linguæ eorum. Nunquid poterat esse hoc firmum aduersus Deum. Mētita est, inquit, iniquitas sibi. Infirma- Psal. 26. tæ sunt super eos linguæ eorum. Ecce resurrexit Dominus, qui occisus erat. Transibant ante crucem vel stabant, & intuebantur illum, sicut tanto antè Psalmus prædixerat: Foderunt manus meas Psalm. 21. & pedes meos, dinumerauerūt omnia ossa mea. Ipsi verò considerauerunt & aspexerunt me. Tūc caput agitabant, dicentes: Si filius Dei es, descen- Matt. 27. de de cruce. Tentauerunt quodammodò, vtrùm filius Dei esset, & quasi inuenerant ꝙ non esset, quia insultātibus illis, de cruce nō descendebat. Si descēderet de cruce, filius Dei esset. Quid tibi videtur, qui de cruce non descendit, & de sepulchro surrexit? Quid ergo prosecerunt? Quòd & si Dominus non resurrexisset, quid profecissent, nisi quod prosecerunt & persecutores martyrū? Nam & martyres nondum surrexerunt, & tamen illi non prosecerunt: nondum resurgentium iam Martyrū natalia celebramus. Vbi est furor sæuientium? Sagittæ infantium factæ sunt plagæ eorum, & infirmatæ sunt super eos linguæ eorum. Quò perduxerunt illas scrutationes suas, quas perscrutantes desecerunt, vt etiam mortuo Domino & sepulto, custodes ponerent ad sepulchrum? Dixerunt Matt. 27. enim Pilato: Seductor ille (hoc appellabatur nomine Dominus Iesus Christus, ad solatiū seruorum suorum, quādo dicuntur seductores. Ergo illi Pilato, Seductor ille inquiunt) dixit adhuc viuens: Post tres dies resurgam. Iube itaque custodiri sepulchrum vsque in diem tertium, ne fortè veniant discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi, Surrexit à mortuis: & erit nouissimus error peior priore. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam. Ite & custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus. Posuerunt custodes milites ad sepulchrum: concussa terra Dominus resurrexit. Miracula talia facta sunt circa sepulchrum, vt & ipsi milites, qui custodes aduenerant, testes fierent, si vellent vera nunciare: sed auaritia illa, quæ captiuauit discipulum comitem Christi, captiuauit & militem custodem sepulchri. Damus vobis, inquiunt, pecuniam, & dicite, quia vobis dormientibus venerūt discipuli eius, & abstulerunt eum. Verè defecerunt scrutantes scrutationes. Quid est quod dixisti, ô infelix astutia? Tantum ne deseris lucem consilij pietatis, & in profunda versutiæ demergeris, vt hoc dicas: Dicite, quia vobis dormientibus venerunt discipuli eius, & abstulerunt eū? Dormientes testes adhibes? Verè tu ipse obdor- Amentia iudeorum misti, qui scrutando talia defecisti. Si dormierūt, quid videre potuerunt? Si nihil viderunt, quomodò testes sunt? Sed defecerūt scrutātes scrutationes. Defecerūt à luce Dei, defecerūt in ipso effectu consiliorum suorū: quādo qđ voluerūt, nihil perficere potuerunt, vtiq; defecerūt. Quare hoc? Quia accesit homo ad cor altū, & exaltatus est Deus. Propterea posteà cū innotuisset Christi resurrectio, & veniens spūssanctus impleret fiducia timentes quosdam discipulos, vt auderent iā mortem non timentes prædicare quod viderāt, exaltato Deo in maiestate sua, qui propter nostram infirmitatem humilis iudicatus est: & vbi cæperunt tubæ cælestes personare iudicem venturum, quem primò viderant iudicatum, *Conturbati sunt omnes, qui uidebant eos.* Exaltato Deo, vt dixi, prædicato Christo, visi sunt Iudæi à quibusdā Iudæis, visi sunt deficiētes in scrutationibus suis. Videbant enim illi in nomine crucifixi & occisi manibus suis, fieri tanta miracula, & recesserunt corde ab eis, qui permanserunt in impietate, displicuit eis illorum duritia, quæ fierunt consilium Actor. 2. salutis suæ, & dixerunt apostolis: Quid faciem? Conturbati sunt ergo oēs qui videbant eos, id est, qui intelligebant, ꝙ linguæ eorum infirmatæ sunt super eos: qui intelligebant, quia in omnibus suis malis perscrutationibus consiliorum vtiq; defecerunt. Conturbati sunt isti. *Et timuit omnis homo.* Qui non timuerūt, nec homines fuerūt. Timuit omnis homo, id est, omnis vtens ratione ad intelligenda, quę facta erant. Vnde illi qui nō timuerunt, pecora potiùs nominandi sunt, bestię potiùs immanes & truces, leo rapiens & rugiens ille adhuc populus. At verò, omnis homo timuit, id est, qui credere voluerunt, qui iudicium futurum contremuerunt. *Et timuit omnis homo. Et annunciauerunt opera Dei.* Ille qui dicebat, A timore inimici erue animam meam, timuit omnis homo: à timore inimici eruebatur, sed timori Dei subdebatur. Non timebat eos qui corpus occidunt, sed Matt. 10. eum qui potestatem habet & corpus & animam mittere in gehennam. Prædicauerunt Dominū. Nam primò Petrus timuit, & inimicum timuit: nondum erat anima eius eruta ab inimico. Interrogatus ab ancilla, ꝙ inter discipulos eius esset, negauit Dominum ter. Resurrexit Dominus, firmauit columnam. Iam Petrus prædicat sine timore & cum timore. Sine timore eorū, qui corpus occidunt: cum timore eius, qui habet potestatem & corpus & animam occidendi in gehennam ignis. Timuit omnis homo, & annunciauerunt opera Dei. Nanq; annunciantes istos apo- Acto. 5. stolos opera Dei, exhibuerunt sibi principes sacerdotum, & comminati sunt dicentes, ne in nomine Iesu prædicarent. Et illi dixerunt: Dicite nobis, cui magis obtemperare oporteat, Deo an hominibus? Quid illi dicerent? Hominibus potiùs quàm Deo? Sine dubio non responderunt, nisi Deo potiùs. Illi autem sciebant quid iuberet Deus, & contempserunt minantes sacerdotes. Quia ergo timuit omnis homo, non terruit homo, & annunciauerunt opera Dei. Si timet homo, non terreat homo. Eum enim timere debet homo, à quo factus est homo. Quod supra homines est, time, & homines te non terrebunt. Mortem sempiternam time, & præsentem non curabis. Voluptatem illam incorruptā, & quietem sine labe concupisce: & promittentem dona ista temporalia, & totum mundum deridebis. Ama ergo, & time: ama quod promittit Deus, time qđ minatur Deus: nec corrumperis ex eo quod promittit, nec terreberis ex eo quod minatur homo. Et timuit omnis homo, & annunciauerunt opera Dei. *Et facta eius intellexerunt.* Quid est, Facta eius intellexerūt? Hoc erat illud, ô Domine Iesu Christe, ꝙ tacebas & sicut ouis ad victimam ducebaris, & non aperiebas coram tondente os tuum.

IN EADEM VIGILIA, Matth. XXVIII.

Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, uenit Maria Magdalene & altera Maria uidere sepulchrū. Et ecce terræmotus factus est magnus. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presb.

VIgilias nobis huius sacratissimæ noctis, sicut ex lectione euangelica audiuimus fratres charissimi, resurrectio Domini ac saluatoris nostri dedicauit. Iustè etenim hanc pro eius amore vigilijs celebramus & hymnis, qui pro nostro a-

Universidad de Deusto
Biblioteca

more in ea dormire in morte, ac de morte voluit
Rom. 4. excitari. Nã sicut Apostolus ait: Mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit ppter iustificationem nostrã. Quod ipso quoq; statu temporis, quo vel mortuus est in cruce, vel à mortuis resurrexit, ostendit. Circa horã quippe nonam, cũ inclinata iam esset ad vesperã dies, & tepefactus à meridiano feruore radius solis, mysteriũ victoriosissimæ passionis consummauit, euidenter se insinuans, propter auferenda scelera, quibus à diuina luce & dilectione in huius noctem peregrinationis incidimus, crucis subijsse patibulũ. Surrexit mane prima sabbati, quæ nũc dies dominica vocatur: manifestè docens se nos à morte animæ resuscitatos, in lucem perpetuæ felicitatis esse perducturum. Sed & aliud nobis memorabile mysteriũ tempore suæ passionis, sepulturæ & resurrectionis intimare curauit. Sexta quippe feria
Mysteriũ mortis & resurrectionis Christi. crucifixus est, sabbato quieuit in sepulchro, dominica resurrexit à mortuis: significans electis suis per sex huius seculi ætates, inter pericula persecutionum bonis operibus insudandũ: in alia aũt vita, quasi in sabbato perpetuo, requiem animarum sperandã. Porrò in die iudicij, quasi in die dominica, corporũ quoq; immortaliũ receptionẽ esse celebrandã, in quibus deinceps animæ superno gaudio sine fine fruantur. Quòd aũt in lectione euangelica dictum est, quia sanctæ mulieres vespere sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venerint videre sepulchrum, ita intelligendum est, quia vespere quidẽ venire cœperint, sed lucescente mane in primã sabbati, ad sepulchrũ peruenerint: id est, vespere aromata parauerint, quibus corpus Domini vngere desiderabant, sed parata vespere aromata, mane ad sepulchrũ detulerint. Quod Matthæus quidẽ breuitatis causa obscuri posuit: sed alij euangelistæ quo ordine sit factum, euidentiùs ostendunt. sepulto nanq; sexta feria Domino, reuersæ à monumento mulieres, parauerunt aromata & vnguenta, quandiù
Luc. 23. operari licebat, & sabbato quidem siluerũt secũdùm mandatũ, sicut Lucas apertè designat. Cùm aũt transisset sabbatũ, vesperaq; adueniente tempus operandi redisset, mox prõptæ ad deuotionẽ emerunt, quæ minùs parauerant aromata, sicut
Marc. 16. Marcus cõmemorat, vt venientes vngerent eum. & valdè manè vna sabbatorum veniunt ad monumentũ. Quærendũ aũt, cur noctẽ dominicæ resurrectionis euangelista describens, ait: Vespere aũt sabbati quæ lucescit in prima sabbati: cùm cõsuetus ordo temporũ habeat vesperã magis tenebrescere in noctẽ, quàm in diẽ lucescere. Sed mysticè loquens euangelista, quantũ dignitatis hæc sacratissima nox de gloria deuictæ mortis acceperit, insinuare studuit, dũ eius exordiũ, quo deuotæ Christo fœminæ in obsequiũ illius vigilare cœperint, in sequentẽ iã diẽ lucescere perhibuit. Nam Dominus author & ordinator temporum, qui in vltima noctis huius parte surrexit, totã eã nimirum eiusdem resurrectionis luce festiuam reddidit & coruscam. Siquidẽ ab exordio mundanæ creationis vsq; huc ita temporũ cursus distinguebatur, vt dies noctem præcederet, iuxta ordinem videlicet primæ conditionis. Hac aũt nocte per mysteriũ resurrectionis Domini, temporum ordo mutatus est. nam quia nocte resurrexit à mortuis, die verò sequenti eiusdem resurrectionis effectum discipulis ostendit, ac particepato cum eis cõuiuio, veritatem virtutis eius mirantibus simul & gaudentibus astruxit: rectissimè nox illa sequentis diei coniuncta est luci, ac sic temporum ordo statutus, vt dies noctẽ sequatur. Et quidem aptissimè quondam diẽ sequebatur nox, quia homo à luce paradisi peccando lapsus, in huius seculi tenebras ærumnasq; decidit: aptissimè nunc dies sequitur noctẽ, quando per fidem resurrectionis à peccati tenebris & vmbra mortis ad lucẽ vitæ Christo largiente reducimur. Qua ppter necesse est, fratres charissimi, vt quia noctem hanc præcipuè gratia dominicæ resurrectionis illustratam cognouimus, ipsi quoq; solicitè curemus, ne qua eius particula nostro in corpore tenebrescat, sed tota lucescat in diem: & núc videlicet nobis vigilias eius digna deuotione laudis agentibus, & completis quoq; vigilijs, sobria ac pura cõscientia diei dominicæ paschalia festa expectantibus. *Venit, inquit, Maria Magdalene, & altera Maria uidere sepulchrũ.* Duæ vnius nominis, eiusdemq; amoris ac deuotionis fœminę, quæ dominicum venerunt inuisere sepulchrũ, duas fidelium plebes, Iudaicam scilicet & gentilem designant: quæ vno atq; indissimili studio passionem resurrectionemque sui redemptoris, quacunq; eius Ecclesia per orbẽ diffusa est, celebrare desiderant. Quòd aũt terræmotus resurgẽte Domino de sepulchro, sicut etiam moriẽte in cruce, factus est magnus, significat terrena priùs corda à cælesti spe deiecta, per fidẽ passionis ac resurrectionis eius cõcutienda ad pœnitentiam: ac saluberrimo pauore permota, ad vitam sublimanda perpetuã. Quòd angelus aduenit, obsequium suæ seruitutis quod Domino debuit, exoluit. Quia enim Christus Deus & homo est, inter acta humanitatis eius semper angelorum ministeria Deo debita non desunt, sicut inquisita sancti euãgelij copiosissimè probat historia. Reuoluit aũt lapidem, non vt egressuro Domino ianuam pandat, sed vt egressus eius iam facti, hominibus præstet indicium. Qui enim mortalis adhuc clauso virginis vtero potuit nascendo mundum ingredi, ipse absq; vlla dubietate iam factus immortalis, clauso licet sepulchro, potuit resurgendo exire de monumento. Nec prætereundũ, quare testis dominicæ resurrectionis angelus sedens apparuerit, cùm is qui natiuitatis eius mundo gaudium euangelizabat, iuxta pastores stetisse legatur. stare quippe pugnantis est, sedere regnantis. Et rectè stans apparuit angelus, qui aduẽtum Domini in mundo prædicabat, vt etiam stando signaret, quia is quem prædicabat, ad debellandum mundi principem veniret. Rectè præco resurrectionis eius sedisse memoratur, vt etiam sedendo figuraret, eum superato mortis authore, sedem regni iam cõscendisse perpetui, de qua
Matt. 28. ipse paulò pòst discipulis apparens, ait: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Et euãge
Marc. 16. lista Marcus: Et Dominus quidem Iesus, inquit, postquàm locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei. Sedebat autem super lapidem reuolutum, quo ostium monumenti claudebatur, vt claustra inferorum sua dominum virtute deiecisse ac superasse doceret, quatenùs omnes quos ibi suos inuenisset, ad paradisi lucẽ requiemque subleuaret, iuxta illud propheticum:
Zach. 9. Tu quoq; in sanguine testamẽti tui eduxisti vinctos de lacu, in qua nõ est aqua. *Erat autem aspectus eius sicut fulgur, & uestimẽta eius sicut nix.* vt ipso quoque habitu & vultu significaret, quia is cuius gloriam resurrectionis nunciabat, & terribilis ad dãnandum reprobos, & benignus esset ac blandus ad consolandum electos. In fulgure enim terror timoris, in niue autem blandimentum candoris exprimitur. In cuius indicium diuinæ disrectionis ipse quoq; angelus qui apparet, & custodes sepulchri impios timore perterret, ac mortuorum instar terræ prosternit, & visitatrices eiusdem sepulchri pijssimas benigna consolatione refouet, ac ne paueant confortat: insuper etiã familiari affatu prior ipse, quia sciret eas Iesum quærere, dicit, & quia iã surrexit, addit: mox etiã ipsas honorifico ac lætissimo subditas ministerio, gaudium resurrectionis eius euangelizare præcipit. Et quàm felices fœminæ, quæ angelico doctæ oraculo, triumphum resurrectionis mundo annunciare meruerunt, atq; mortis (quã Eua serpentino seducta affatu contraxit) imperium prædicare dirutum. Quanto feliciores animæ virorum pariter & fœminarum, quotquot in die iudicij, percussis pauore ac digna vltione reprobis, ipsę cęlesti gratia adiutæ, triumphare de morte, & gaudium beatæ resurrectionis intrare meruerint? *Currentibus autem eis euangelizare discipulis, occurrit Iesus, eas q; salutat*, ostẽdens se omnibus iter virtutum inchoantibus, vt ad salutem perpetuam peruenire queant, adiuuando occurrere. *Illæ autẽ accesserunt, & tenuerunt pedes eius.* Videamus fratres, in Domino resurgente à mortuis, veritatem nostræ carnis, videamus gloriam nouæ incorruptionis. Superiùs quippe lectum est, quia clauso surrexit monumento: nunc autem legitur, quia mulieres tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum.
Christus clauso pro dit sepulchro. Surrexit enim clauso ostio monumenti & exijt, vt immortale iam factum doceret esse corpus, quod in monumento clausum fuerat mortuum. Tenendas mulieribus præbuit plantas, vt veram se habere carnem, quæ à mortalibus tangi posset, intimaret. *Ite, inquit, nunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam: ibi me uidebunt.* O mira pietas saluatoris, mira benignitas. Quos ante passionem discipulos, & aliquando etiam seruos vocare consueuerat, hos post resurrectionem fratres appellat, vt & eiusdem se humanitatis quam & antè habuerat, habitum resurgendo resumpsisse monstraret, & illos quoque ad promerendam sperandãque in sua carne coronam immortalitatis, qua ipse iam præminebat, erigeret. Sanè quòd se in Galilæa videndum à discipulis prædixit, & sicut sequentia sancti euangelij declarant, exhibuit, etiam in hoc mysticè & veritatem suæ resurrectionis, & nostræ profectum vitæ spiritalis insinuant. Galilæa quippe transmigratio facta interpretatur. Et benè in Galilæa videtur à discipulis, qui iam de morte ad vitam, de corruptione ad incorruptionem, de pœna transmigrauerat ad gloriam: & victoriam resurrectionis non solùm ostensione corporis, & exhortatione sermonis, sed nomine quoque loci, in quo appareret & loqueretur, commendabat. Sed & ipsi gaudio resurrectionis eius ita solùm tunc frui valemus, si nunc de corruptela vitiorum ad virtutum opera transmigrare satagimus. Vnde curandum summoperè est, fratres mei, vt quia resurrectionis Domini & saluatoris nostri tẽpus agnouimus, quia eius solennia celebramus, continuis bonorum operum profectibus ad contemplãdam eius celsitudinem transmigremus: quia nostræ resurrectionis tempus ignoramus, quod tamen futurum nullo modo ambigimus, & omni quidem tempore, & in hac præcipuè nocte, solicitas pro eius expectatione vigilias agamus. Obsecremus misericordiam illius, qui susceptam pro nobis humiliter mortem, mox sublimiter superauit, vt nostrę nos tempore resurrectionis de morte ad vitam transmigrare concedat. Rogemus eum, qui pascha nostrum immolatus est Christus, vt inchoata paschalis gaudij solennia, nos dignè peragere, & per hæc contingere ad gaudia præstet æterna. Inter hæc verò notandum, quòd huius sacratissimæ noctis ac redemptionis nostræ, quam colimus, solennitas, iam olim est in antiquo Dei populo mysticè designata. Cùm enim idem populus diù fuisset Aegyptia seruitute grauatus, nec eum dimittere vellent Aegyptij ad liberum sui conditoris exire seruitium, tandem præcepit ei Dominus in celebratione paschæ immolare agnum, eiusque carnes hac nocte assare, & edere: eiusque sanguine, qui esset fusus in limine, postem domuum suarum vtrunq; ac superliminare, perungere, atque intùs paratum ac vigilantem horam suæ redemptionis expectare. Quod dum faceret, ecce noctis huius medio Dominus aduenies, percussis Aegyptiorum primogenitis, liberauit populum suum à pondere longę seruitutis, atque ad terram promissæ olim patriæ perduxit, iubens eum hanc noctem in memoriam suæ saluationis omnibus annis immolatione agni paschalis agere solennem. Quæ perfectò redemptio populi illius, spiritalis nostræ redemptionis, quæ resurgente à mortuis Domino hac nocte completa est, typum gessit:

In Christi resurrectione ordo temporum mutatus.

Duæ Mariæ, duarũ gentium typus.

Ibid.

Luc. 2.

Galilæa.

Paschatis nostri typus.

Exod. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sicut etiam carnales eiusdem populi oppressores Aegypti, duriora nequitiæ spiritalis arma designant, quibus subiectum sibi genus humanũ impia dominatione premebat. Sed veniens agnus immaculatus Iesus Christus, dignatus est immolari pro nobis, dedit sanguinem suum nostræ salutis precium: qui morte ad tẽpus susceptа, mortis imperium perpetuò damnauit: mirandoq; ac desiderabili spectaculo agnus innocenter occisus, leonis qui eum occiderat, vires potenter attriuit. Agnus qui tollit peccata mundi, leonem qui intulit peccata mundo confregit. Agnus qui nos suæ carnis & sanguinis libamine, ne pereamus, reficit, leonem qui nos rugiens circumit, & quem de nobis perdat inquirit, mira virtute superauit. Agnus qui suæ mortis signum frontibus nostris ad decutienda tela mortiferi hostis impo suit, (nam & ideò sanguis agni legalis in limine superliminari & vtroq; poste domorum, in quibus edebatur, iussus est poni, vt etiam quadripartita sanguinis distinctio, quadrifidum dominicę passionis vexillum, quo nos signati liberamur, exprimeret) deiecit aduersarium nostræ libertatis & pacis, qui insidiatur nobis in occulto, sicut leo in cubili suo. Sicut ergo nocte hac immolato agno in Aegypto, signatis eius sanguine domibus fidelium, comestis eius carnibus, venit Dominus repentè, & eos qui mysterij cælestis exortes manebant, puniens, econtrà populum, quem sacramentis salutaribus imbutum vidit, redemit: ita nimirùm Dominus & redemptor noster, cùm suum pro nobis corpus & sanguinem hostiam patri obtulisset, subuertit potentiam diaboli & satellitum eius, spirituum videlicet immundorum audaciam comminuit, disiecit claustra inferni, electos qui ibidem quanuis in trâquillitatis sinu tenebantur, eruit, & hac ipsa nocte resurgens à mortuis, ad cælestis regni gaudia reduxit, implepsalm. 67. ta prophetia quæ dixit: Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem. Nec iustos solùm, quos apud inferos inuenit, abstulit: verùm etiam quos in carne adhuc positos, suos esse cognouit, necnon & nobis, quos in se credituros in fine temporum præuidit, remedium salutis morte sua ac resurrectione procurauit: nobis & antequam crearemur spiritalem vitæ alimoniam qua recrearemur, sacrauit: signum victoriæ, quo ab hostium insidijs muniremur, parauit: vitæ perennis iter quod sequamur, aperuit. Vnde & ipsi meritò nocte hac redemptionis nostræ memores, vigilijs Domino dignis instamus & precibus, lectionibus diuinis, quæ datæ nobis gratiæ munera narrant, audiendis operam damus, nouam adoptionis plebem spiritalis Aegypti domino subtractam, vni vero Deo fonte regenerationis sacramus, Missarum solennia celebramus, corpus sacrosanctum & preciosum agni nostri sanguinem, quo à peccatis redempti sumus, denuò Deo in profectum nostræ salutis immolamus. Et quia de resurrectionis dominicæ simul & crep- *Christiro*
tionis nostræ mysterijs annua solennitate læra- *surrectio*
mur, studeamus, charissimi, hæc eadem mysteria *ut celebrẽ*
interno mentis amore complecti, hæc viuendo *da.*
semper tenere: hæc quasi munda animalia nunc oris locutione ruminanda, nunc cordis penetralibus retractanda seruemus. Et ante omnia talibus vitam ducere curemus actibus, quibus nostræ quoque resurrectionis euentũ lætantes mereamur aspicere: vt cum tuba nouissima totum genus humanum excitans, ad tribunal iusti iudicis aduocauerit, nos à sorte reproborum secernat signum eiusdem iudicis nostri quo sacramur, à pœna negligentium secernãt vigiliæ, quibus aduentum eius expectamus: eisq; digna vltione mulctatis, ipse nos ad mansionem supernæ pacis, quam ante secula promisit, inducat, qui viuit & regnat &c.

Agnus Christus, leonem diabolum protriuit. 1. Pet. 3.

EADEM VIGILIA PASCHAE, HOMILIA EVSEBIJ Emeseni.

Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, uenit Maria Magdalene & altera Maria uidere sepulchrũ, &c. Matth. 28.

VEsper enim, qui & Hesperus dicitur, stella est, quæ alio nomine Lucifer vocatur. Et Hesperus quidẽ siue vesper vocatur in fine diei: Lucifer verò in principio. Sæpè enim quando oritur, paucissimo interuallo solem præcedit. Quòd autem Euangelista hoc de stella intellexerit, ex eo appa ret, quòd fœminino genere dixit, Quæ lucescit in prima sabbati. Ad quid enim, nisi ad stellam, quæ pronomen referatur? Sabbatum autem vnumquemq; diem Iudæi vocabant. Dicatur ergo: Vespere autem sabbati apparente, id est, illa stella, quæ Vesper & Lucifer vocatur, iam diem proximam nunciante: non autem illam dico, quę apparet in fine diei, sed illam quę videtur in principio, id est, quæ lucescit in prima sabbati, hoc est quæ lucere incipit in prima parte diei primi, qui nunc dies Dominicus appellatur: Venit Maria Magdalene & altera Maria videre sepulchrũ. Hanc enim stellam, quia cæteris clarior est, iter agentes obseruare solent. Huius igitur signo hæ sanctæ mulieres ad sepulchrum venire cœperunt. Et valdè manè, quum adhuc tenebræ essent, vt Ioannes ait: sole tamen iam oriente, vt Marcus *Ioan. 20.*
dicit, veniunt ad monumentum. Priùs enim *Marc. 16.*
fit ortus solis, quàm recessio tenebrarum. Hæc capiat qui vult, ad credendum autem neminem compello. Sequitur: *Surrexit enim, sicut dixit: Venite & uidete locum, ubi positus erat Dominus.*

Nam & Ecclesiæ doctores sæpè nobis locum ostendunt, in quo Dominus positus fuerat, dum sanctarum exempla scripturarum exponentes, vbi eius natiuitas, passio, & resurrectio sit prophetata, nos docent. Vis videre locum in quo
fal. 3. *Dominus fuerat positus? lege in Psalmis: Ego dormiui, & somnum cepi, & resurrexi, quia Dominus suscepit me. Et citò euntes dicite discipulis eius, quia surrexit: & ecce præcedet uos in Galilæam: ibi eum uidebitis, ecce prædixi uobis.* Ecce mulier quæ fuerat ianua mortis, prima prædicat resurrectionem, & ostendit ianuam vitæ. In Galilæam præcedit Dominus, ibiq; discipulos expectat: quia tunc sancti Deum videbunt, quando in patriam reuersi fuerint. Galilæa nanque, Apostolorum patria
Mar. 1. *fuit: vnde & viri Galilæi dicuntur. Et exierunt citò de monumento, cum timore & gaudio magno, currentes*
Luc. 16. *nunciare discipulis eius.* Marcus autem dicit, quòd fugientes de monumento, quia terror inuaserat eas, nemini quicquam dixerunt. Per quod datur intelligi, quia priùs de visione angelorum nihil dixerunt, solummodò narrantes de monumento Dominum fuisse sublatum. Sic igitur se habet ordo: Venerunt mulieres ad monumentum, viderunt angelum (quem tamen non angelum, sed iuuenẽ esse putabant) cucurrerunt ad Apostolos: & de angelo quidem & eius verbis, quibus Dominum resurrexisse audierant, nemini quicquã
Ioan. 20. dixerunt: hoc solùm nunciantes, Dominum in monumento non esse. Cucurrerunt ergo simul Petrus & Ioannes, & sola linteamina posita inuenerunt: quibus recedentibus, manserunt mulieres ibi. Et tunc quidem Maria Magdalene inclinauit se & prospexit in monumentum, & vidit duos angelos ibi sedentes: qui cùm eam consolarentur, conuersa est retrorsùm, & vidit Iesum stantem: quem non Iesum, sed hortulanum esse putabat. Quem cùm in voce cognouisset, accessit ad eum: & quanuis ei diceret, Noli me tãgere: tenuit tamen, & osculata est pedes eius. Tunc &
Luc. 24. aliæ mulieres venerunt (plures enim Lucas fuis-
Matt. 28. se commemorat) quas cùm Dominus benignè salutasset, & ipsæ tenuerunt pedes eius. Vnde & hic subditur: *Et ecce Iesus occurrit illis, dicẽs: Aucte. Ille aũt accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerũt eum. Tunc ait illis Iesus: Nolite timere: ite, nunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam: ibi me uidebunt.* Certæ itaque de resurrectione, iam non sicut priùs Dominum de monumento sublatum annunciant, sed eum se vidisse, & cum eo se loquutas esse affirmant. Dicunt discipulis vt vadant in Galilæam, & ibi eum videbunt, sicut prædixerat. *Quæ cùm abijssent, ecce quidam de custodibus uenerunt in ciuitatem, & annunciauerunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant. Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite quia discipuli eius nocte uenerunt, & furati sunt eũ, nobis dormientibus. Et si hoc auditum fuerit à præside, nos suadebimus ei, & securos uos faciemus. At illi accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti. Et diuulgatum est uerbũ istud apud Iudæos usq; in hodiernum diem.* Ergo ne tantum potest auaritia, tantum potest amor pecuniæ? Priùs Christum vendidit, nunc iterum eius resurrectionem negari compellit. O miseri Iudæi, sufficiebat vobis semel Christum occidisse, sufficiebat verbis eum emisse. Iterum pecunia emitis, & maiori quàm priùs pecunia comparatis. Et quantum in vobis est, ecce iterum eum occiditis, dum eum resurrexisse & viuere negatis.

IN DIE SANCTO PASCHAE, in Epistolam Concio exegetica.

DIrupto in Christi morte templi velamine, inquit beatissimus Cyprianus, verus agnus, solus inter filios hominum sine macula Christus, ætate vltima, in qua mundi vesperascit cõditio, ab vna populi Christiani familia, in vnitate Ecclesiæ, assus in cruce, proiectis foràs hæreticorum fermentis, synceræ fidei solidata compagine, inconsumptibiliter editur, creditur & tenetur. Noua & vetera sub hoc nomine conuenerunt: egreditur Israël de seruitute Aegypti: exit populus Dei de regno diaboli, baptizantur in nube & mari Hebræi, & iam Spiritu sancto & sanguine Christi mundatur à peccatis populus Dei. Ex diuersis familijs vna fit domus, vna sit tribus, vnus est cibus: significantia & significata, res & signa, virtus inuisibilis & inuisibilia sacramenta sic faciunt vnum corpus, sicut caro & spiritus: & quod videtur, & nomine & virtute Christi corpus censetur. In hac rerum conuenientia honorificatus est Christus, & glorioſæ laudis triumphos lætabunda hodiè canit Ecclesia, in lapide angulari consocians diſiunctos olim parietes, quos in vnum mirabilis artifex fuſo sanguine glutinauit, & reprobato diù à malignis fidei fundamento, charitatis suæ nexibus diuisas copulauit macerias, & redegit partes in totum, & multa in vnum: & facti sunt vna domus confœderati parietes & stabile fundamentum. Honorificatus est Christus resurgens à mortuis, victor mortis spolians inferos, & captiuos præmittens ad superos. Hucusque per humilitatis gradus ascendens, modò gloria & honore coronatus, nil mortale, nil passibile retinens, impassibilitatis & immortalitatis donauit nos gloria, & resurgentes in beatitudine constituit sempiterna. Hæc Cyprianus. Magna hodiè solennitas agitur, & Christo resurgenti, ipsa etiam elementa congratulari videntur. Nouam vitam Christi noua resurrectio exigit, vt qui cum illo volunt coronari, cum illo priùs in vitæ nouitatem resurgant. In Quadragesima planximus & castigauimus veteris hominis errata: iam non licet nobis ad illa redire, sed studendum est virtu-

Sermone de Resurrectione Domini.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tibus,ne semper in eodem luto vitiorum hæreamus,& nihil nobis prosit Christi passio,si nõ etiam illius resurrectio appareat in nobis. Eò nos inuitat Apostolus hac ipsa lectione,quam Ecclesia voluit hodiè recitari ex prioris ad Corinthios cap.5. *Expurgate*,inquit,*uetus fermentum,ut sitis noua conspersio,sicut estis azymi*.Sic alibi Ephesios hortatur Apostolus,vt deponant secundùm pristinam conuersationem,veterem hominem,qui corrũpitur secundùm desideria erroris : renouentur autem spiritu mentis suæ,& induant nouum hominem,qui secundùm Deum creatus est,in iustitia & sanctitate veritatis. Atq; hæc est summa totius scripturæ diuinæ,vt mortui peccato, iustitiæ viuamus. In primo Adamo per peccati consensum mortui sumus:in secundo,id est,Christo resurgimus in vitæ nouitatẽ,eius vestigijs insistentes: quandoquidem exemplum dedit nobis,vt quemadmodùm ipse fecit,ita & nos faciamus.

Ephe.4. *Summa totius scripturæ.*

Et qui sic affecti sunt,illi iam lætissimũ celebrãt Pascha,& cantant in vijs Domini,in semitis Christi seruatoris sui,quoniam magna est gloria Domini iam à mortuis resurgentis,cuius paulò antè summa fuit ignominia pendentis à cruce. Chrysostomus scribens in hunc locũ,oẽm malitiam dicit esse vetus fermentũ:porrò Apostolum non Purgate,sed,Expurgate,dixisse, vt ostenderet diligentiam adhibendã,vt neq; reliquiæ, neq; minima illius vmbra supersit. Quòd aũt ait, *Sicut estis azymi*,id significat, quemadmodùm vos decet esse ab omni vitiorum fermento alienos.Nõ enim dicit, teste Chrysostomo, omnes puros fuisse,sed sicut eos esse decet.Ita nimirùm sanctꝰ Apostolus non mediocrem exigit à Christianis vitæ & animi puritatem,ne quis falsò persuasus putet solã fidem sufficere.Habet in seipso quisque quandam ad mala propensionem , cum qua perpetuò luctandum est,ne regnet peccatum in mortali corpore nostro:& in hac luctꝰ clamandũ est ad Dominum cum Propheta : Gressus meos dirige secundùm eloquium tuum,& non dominetur mei omnis iniustitia.Multo sanè & diutur no studio ac labore opus est, vt vetus peccati fermentum penitùs expurgetur. Sed hic labor pro Christi amore susceptus mercedem habet sempiternam in cælis,dicente Apostolo:Vnusquisq; propriã mercedẽ accipiet secundùm suũ laborẽ. Si mercatores vilis lucelli causa per mare,per teras, per tot discrimina rerum iactantur intrepidi & alacres,quid nos pro vita æterna & Christi causa facere æquum est? *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus*.Non dixit,ait Chrysostomus,mortuus est,sed ꝓpriè propositũ,immolatus est.Noli igitur quærere huiusmodi azyma,cùm talẽ agnum habeas.Noli igitur fermentũ quærere,cùm azyma tua non sint talia. Oportet vt oẽm malitiã fidelis abijciat. Vt enim Iudæus perit, cùm apud eum vetus inuenitur fermentum:sic apud nos is, in quo inuenitur malitia.Nõ enim in vmbra quidem tantum suppliciũ,in nobis autem non multo maius.Nam si domus tantopere fermenta purgant Iudæi , & murium foramina diligenter inquirunt: longè magis nos animã inuestigare oportet,vt omnem immundam abijciamus cogitationem.Hæc ille.*Itaq; epulemur,non in fermento ueteri,neq; in fermẽto malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & ueritatis.* Pascha nostrũ immolatus est Christus,& ille nobis iam edendus proponitur, hoc præsertim sacratissimo tempore, quo Christiani omnes sacrosanctam Eucharistiam percipiunt.Sed hic necesse est, vt malitiæ & nequitiæ fermento ex conscientia expurgato , in synceritate & veritate accedamus ad celsissimum sacramentum,ne indignè sumendo,iudicium mãducemus,& rei efficiamur corporis & sanguinis Domini. Est apud D. Bernardum saluberrima adhortatio,quæ sit animis nostris non negligenter affigenda. Quid nos dicimus,inquit, qui sacram Domini resurrectionem. Paschæ priuamus nomine,vt sit nobis in reditum magis quàm in trãsitum?Luximus his diebus, compunctioni & orationi,grauitati & abstinentiæ dediti, cæterorum negligentias temporum sacro hoc quadragenario redimere & diluere cupientes.Communicauimus passionibus Christi, complantati ei denuò sumus per baptismum quendam lachrymarum,pœnitentiæ,confessionis. Si ergo mortui sumus peccato , quomodò viuemus adhuc in illo?Si negligentias planximus , quid causæ est, vt recidamus nunc in easdem ? Inueniemur nunc iterùm curiosi, vt antè, verbosi vt antè, pigri,& negligentes vt antè,vani, suspiciosi, detractores, iracundi,cæterisque impliciti vitijs,quæ tam anxiè deplorauimus his diebus? Laui pedes meos,quomodò iterùm inquinabo eos? Exui me tunicam meam,quomodò induam eam ? Non est transmigratio hæc fratres : non sic videbitur Christus : non hoc iter, quo ostẽdat nobis Deus salutare suum.Denique qui retrò respicit, indignus est regno Dei. Sic amatores seculi , inimici crucis Christi, cuius in vanum accepto nomine dicuntur Christiani,toto hoc tempore Quadragesimali ad instantes inhiant dies resurrectionis, heu vt liberiùs indulgeant voluptati.Obnubilat fratres solennitatis lætitiã materia tristior: sed ipsius plangimus solennitatis iniuriam, quã dissimulare non possumus nec in ipsa,immò minus in ipsa.Pròh dolor peccandi tẽpus,terminus recidendi, facta est resurrectio Saluatoris. Ex hoc nempe comessationes & ebrietates redeunt,cubilia & impudicitiæ repetuntur, & laxatur concupiscentijs fræna: quasi ad hoc surrexerit Christus , & non magis propter iustificationem nostram. Sic honoratis miseri Christum, quem suscepistis? Venturo parastis hospitium , confitentes peccata cum gemitu, castigantes corpora, eleemosynas impendentes : & ecce susceptum proditis inimicis, immò exire compellitis , priores nequitias admittendo . Neque enim cohabitatio esse

Cor.5. *Expurgate uetus fermentum, ut sitis noua conspersio, sicut estis azymi.*

Psal.118.

Luc.9.

Sermon.1. de Resurrectione Domini.

Pascha te recidit in pristina uitia.

potest luci ad tenebras, Christi cum superbia,cũ auaritia,cum ambitione, cum fraterno odio,cũ luxuria,cum fornicatione. Quid enim minùs præsenti debetur quàm vẽturo? Quid minus reuerentiæ resurrectionis tempus exigit, quã passionis?Sed vos,vt manifestum est,neutram honoratis.Nam si compateremini,&conregnaretis:si commoreremini,& conresurgeretis. Nunc autẽ ex sola consuetudine temporis & simulatione quadam humiliatio illa processit,quam non sequitur exultatio spiritualis. Propter hoc: vt ait Apostolus , multi infirmi & imbecilles,& dormiunt multi. Propter hoc crebra in diuersis regionibus hominum mortalitas , specialiter his diebus. Quid enim? Deprehensi estis inter angustias præuaricatores , non qui præuaricati estis, sed qui persistitis in peccato, adddentes præuaricationem,aut penitùs impœnitentes, aut tepidè pœnitentes,nec pericula fugientes , vel post miseram experientiam incentiua peccati. Si hac conscientia Christi sacramenta resurgitis , nihil vobis commune cum Christo, non habetis vitã in vobis.Si indignè susciꝑitis , iudicium vobis mãducatis,sanctum Domini non dijudicantes. Redite ergo præuaricatores ad cor , & in toto corde quærite Dominum, & odite malum,pœnitentes non verbo tantùm & lingua,sed spiritu & veritate.Hæc D.Bernardus, quibus luculenter explicat,vt epulari debeamus,non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ,sed in azymis synceritatis & veritatis.Chrysostomus hanc epulationem sic interpretatur,vt ob maxima Dei beneficia perpetuò nos lætari debere nouerimus.Epulationis,inquit,præsens est tempus.Nam cùm dixisset Apostolus,Epulemur:non quòd Pascha esset,non quòd Pentecoste,ideircò epulandum intellexit,sed quòd omne tempus,epulationis tempus esset Christianis, propter collatorum beneficiorum excellentiã. Quod enim non concessum est bonum ? Filius Dei propter te homo factus est, morte te liberauit,in regnum vocauit. Cùm igitur huiusmodi assecutus sis & assequaris,qua ratione non omni tempore tibi epulandum est? Nemo igitur in paupertate,morbo,insidijs contristetur. Epulationis enim nostræ omne tempus est. Idcircò, inquit Paulus:Gaudete in Domino semper:iterùm dico,Gaudete. In epulationibus nemo turpia induat vestimenta. Non de vestibus nobis sermo est,sed de operibus immũdis. Hæc Chrysostomus,adhortans nos ad mentis alacritatem, qua perpetim Deo laudes gratesq; agamus pro immensis eis in nos collatis beneficijs. Nemo hic putet se ad comessationes & compotationes inuitari,quæ vitia excludunt à regno Dei.Spiritaliter epulari & gaudere iubemur omni tempore:idq́ue præsertim hac sacratissima solennitate,qua Christus ruptis mortis vinculis aditũ nobis patefecit ad patriam cælestem, à qua tot anorum millibus exulauit totum genus humanũ. Solennes hac die in Ecclesia Catholica cæremoniæ,pijssimis significationibus plenę,seruantur, & festiuum creberrimè repetitur Alleluia , tamdiù intermissum,cunctaq; adeò elementa Christo resurgenti,vt diximus, congratulari videntur. Tristia & lugubria pœnitentiæ cantica omittuntur,læta omnia & iucunda,non modò cantica,sed etiam vestimenta & ornamenta cæremonialia repetuntur,vt qui per Quadragesimæ sacratos dies Christo morienti pro modulo nostro pœnitentiæ laboribus ferendis compassi ac velut commortui sumus,hisce rebus admoneamur cum Christo resurgente , & admirabiliter de morte & diabolo triumphante lætari & exultare,maximè quod non sibi duntaxat,sed nobis quoque resurrexerit, & certissimam nostræ resurrectionis spem attulerit. Tantùm opera nobis danda est, ne à diaboli captiuitate per illum redempti,rursus in illam teterrimam captiuitatem,peccando recidamus. Quod quidẽ hodiè à paucissimis cauetur:immò plerique omnes tam negligenter & dissolutè tantoque cum tædio agunt tempus Quadragesimæ,atque ad peccatorum suorum faciendam confessionem exactam & accuratam adeò nihil sese accommodant,immò tam nullam præ se ferunt vitę emendationẽ, vt verendum sit maxima ex parte homines ad sacrosanctam Eucharistiã indignè accedere,quod est certè horrendum & grauissimum peccatum, cùm,teste Apostolo,rei fiant corporis & sanguinis Domini. Talibus fortiter inculcandum est, vt conuenienter doctrinæ Apostolicæ,expurgẽt vetus peccati fermentum per puram & integram confessionem, cum firmo deinceps à peccatis abstinendi proposito coniunctam, atque ita in synceritate à vitijs , vt exponit Gloza interlinearis, & veritate bonorum operum accedant ad Christi venerabile sacramentum. Ipse enim Pascha nostrum est:ipse verus agnus,qui abstulit peccata mũdi:qui mortem nostram moriẽdo destruxit,& vitam resurgendo parauit. Si qui verò manent in peccandi proposito , & nihilo minùs ad Domini mensam accedunt, ij cum sceleratissimo Iuda proditore cibum vitæ sibi vertũt in exitium,& Satanę se tradunt occupandos,atq; in omne vitiorum genus pertrahendos. Quod à nobis auertat Christus Deus & Dominus noster,cui est cum patre & spiritusancto omnis honor & gloria in secula seculorum,Amen.

Cæremoniæ Ecclesiæ.

1. Cor. 11.

Philip. 4.

EODEM DIE
Mar. xvj.

In illo tempore:Maria Magdalene,& Maria Iacobi,& Salome emerunt aromata , ut uenientes ungerent Iesum. Et reliqua.Homilia beati Gregorij papæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

MVltis vobis lectionibus, fratres charissimi, per dictatum loqui consuesui: sed quia lassescẽte stomacho ea, quæ dictaueram, legere ipse non possum, quosdam vestrũ minùs libenter audientes intueor. Vnde nunc à memetipso exigere contra morem volo, vt inter sacra Missarum solennia, lectionem sancti Euangelij non dictando, sed colloquendo edisseram. Sicq; excipiatur vt loquimur: quia collocutionis vox corda torpentia plus quã sermo lectionis excitat, & quasi quadã manu solicitudinis vt euigilent, pulsat. Et quidẽ ad hoc opus me sufficere posse nõ video: sed tamẽ vires quas imperitia denegat, charitas ministrat. Scio nãq; *Psal. 80.* qui dixit: Aperi os tuũ, & ego implebo illud. Bonũ ergo opus nobis in voluntate sit. nã ex diuino adiutorio erit in perfectione. Dat loquẽdi ausum etiã resurrectionis dominicæ tãta solennitas: quia & indignũ valdè est, vt hodie laudes debitas taceat ligua carnis, quo videlicet die caro resurrexit authoris. Audistis, fratres charissimi, ꝙ sanctæ mulieres, quæ Dominũ fuerãt secutæ, cũ aromatibus ad monumentum venerunt: & ei quẽ viuentẽ dilexerant, etiã mortuo studio humanitatis obsequuntur. Sed res gesta, aliquid in *Res gestæ aliquid facientiũ significat.* sancta Ecclesia signat gerendũ. Sic quippe necesse est, vt audiamus quæ facta sunt, quatenùs cogitemus etiã quæ nobis sint ex eorũ imitatione facienda. Et nos igitur in eum qui est mortuus credẽtes, si odore virtutum referti, cũ opinione bonorum operũ Dominũ quærimus, ad monumentũ profectò illius cum aromatibus venimus. Illæ autem mulieres angelos vidẽt, quæ cum aromatibus venerunt: quia videlicet illæ mentes supernos ciues aspiciunt, quæ cum virtutum odoribus ad Deum per sancta desideria proficiscuntur. Notandũ verò nobis est, quid nam sit, quòd in dextris sedere angelus cernitur. Quid nanq; per sinistrã, nisi vita præsens: quid verò per dexteram, nisi perpetua vita designatur? Vnde scriptum est: *Cant. 2.* Læua eius sub capite meo, & dextra illius amplexabitur me. Quia igitur redemptor noster iam præsentis vitæ corruptionem transierat, rectè angelus, qui nunciare perennẽ eius vitã venerat, in dextera sedebat. Qui stola candida coopertus apparuit, quia festiuitatis nostræ gaudia nunciauit. Candor enim vestis, splendorem nostræ denunciat solennitatis. Nostræ dicamus, an suæ? Sed vt fateamur verius, & suæ dicamus, & nostræ. Illa quippe redemptoris nostri resurrectio, & nostra festiuitas fuit, quia nos ad immortalitatem reduxit: & angelorum felicitas extitit, quia nos reuocando ad cælestia, eorũ numerum impleuit. In sua ergo ac nostra festiuitate angelus albis vestitus apparuit, quia dum nos per resurrectionem dominicam ad superna reducimur, cælestis patriæ damna reparantur. Sed quid ad veniẽtes fœminas affatur, audiamus: *Nolite expauescere.* Ac si apertè dicat: Paueant illi, qui non amant aduentum supernorũ ciuiũ: pertimescant, qui carnalibus desiderijs pressi, ad eorũ se societatem posse pertingere desperant. Vos autẽ cur pertimescitis, quæ vestros cõciues videtis? Vnde & Matthæus angelũ apparuisse describẽs, *Matth. 28* ait: Erat aspectus eius sicut fulgur, & vestimenta eius sicut nix. In fulgure enim terror timoris est, in niue autem blandimentum candoris. Quia verò omnipotens Deus & terribilis est peccatoribus, & blandus iustis, rectè restis resurrectionis eius angelus, & in fulgure vultus, & in candore habitus demonstratur: vt de ipsa sua specie & terreret reprobos, & mulceret pios. Vnde rectè *Exod. 13.* quoq; populum per deserta gradientem, columna ignis in nocte, & colũna nubis præibat in die. In igne enim terror est, in nube aũt visionis lene blãdimentũ. Dies verò vita iusti, & nox accipitur vita peccatoris. Vnde & conuersis peccatoribus Paulus dicit: Fuistis aliquando tenebræ, nunc au- *Ephe. 5.* tem lux in Domino. In die ergo per nubem columna monstrata est, & in nocte per ignem: quia omnipotens Deus & blandus iustis, & terribilis apparebit iniustis. Istos in iudicio veniens, per lenitatis mansuetudinem demulcet: illos verò per iustitiæ districtionem terret. Sed iam quid angelus subiungat, audiamus: *Iesum quæritis Nazarenum.* *Iesus, Saluator.* Iesus, latino eloquio salutaris, id est, saluator interpretatur. At verò multi tunc Iesus dici potuerant, nõ tamen substantialiter, sed nuncupatiuè. Ideò & locus subiungitur, vt de quo Iesu dictũ sit, manifestetur: Nazarenum. Et causam protinùs subdidit: *Crucifixum.* Atq; addidit: *Surrexit, non est hic.* Non est hic dicitur, per præsentiam carnis, qui tamen nusquam deerat per præsentiam maiestatis. *Sed ite, dicite discipulis eius & Petro, quia præcedet uos in Galilæam.* Quærendum nobis est, cur nominatis discipulis, Petrus designatur ex nomine. Sed si hunc angelus nominatim non exprimeret, qui magistrum negauerat, venire inter discipulos non auderet. Vocatur ergo ex nomine, ne desperaret ex negatione. Qua in re considerandum nobis est, cur omnipotens Deus eum, quẽ cunctæ Ecclesiæ præferre disposuerat, ancillæ vocem pertimescere, & seipsum negare permisit. Quod nimirùm magnæ actum esse pietatis dispensatione cognoscimus, vt is qui futurus erat pastor Ecclesiæ, in sua culpa disceret, qualiter alijs misereri debuisset. Priùs itaque eum ostendit sibi, & tunc præposuit cæteris, vt ex sua infirmitate cognosceret, quàm misericorditer affirmitate cognosceret, quàm misericorditer affirmitate toleraret. Benè autem de redemptore nostro dicitur: *Præcedet uos in Galilæam: ibi eũ uidebitis, sicut dixit uobis.* Galilæa nanque transmigratio facta interpretatur. Iam quippe redemptor noster à passione ad resurrectionem, à morte ad vitam, à pœna ad gloriam, à corruptione ad incorruptionem transmigrauerat. Et priùs post resurrectionem in Galilæa benè à discipulis videtur: quia resurrectionis eius gloriam pòst læti videbimus, si modò à vitijs ad virtutũ celsitudinem

nem transmigramus. Qui ergo in sepulchro nũciatur, in transmigratione ostẽditur: quia is qui in mortificatione carnis agnoscitur, in transmigratione mentis videtur. Hæc, fratres charissimi, pro tanta diei solennitate, de lectionis Euangelicæ expositione transcurrimus: sed libet, vt de hac eadem solennitate aliquid subtiliùs lo- *Duæ vitæ.* quamur. Duæ etenim vitæ erant, quarum vnam nouimus, alterã nesciebamus. Vna quippe mortalis est, altera immortalis: vna corruptionis, alia incorruptionis: vna mortis, alia resurrectionis. Sed venit mediator Dei & hominũ, homo Christus Iesus: suscepit vnam, & ostendit alteram. Vnam pertulit moriendo, & ostendit alterã resurgendo. Si igitur nobis mortalem vitam scientibus, resurrectionem promitteret carnis, & tamẽ hanc visibiliter non exhiberet, quis eius promissionibus crederet? Factus itaque homo apparuit in carne, mori dignatus est ex voluntate, resurrexit ex potestate, & ostendit exemplo, quod nobis promisit in præmio. Sed fortasse aliquis dicat: Iure ille surrexit, qui cùm Deus esset, teneri à morte non potuit. Ad instruendam ergo ignorãtiam nostram, ad roborandã infirmitatẽ nostrã, suæ tantũ resurrectionis exemplum nobis sufficere noluit. Solus illo in tempore mortuus est, & *Matth. 27* tamen solus minimè surrexit. nã scriptũ est: Multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerũt. Ablata ergo sunt omnia argumẽta perfidiæ. Ne quis enim dicat: Sperare de se non debet homo, quod in carne suo exhibuit homo Deus: ecce cũ Deo homines resurrexisse cognoscimus, & quos puros fuisse homines nõ dubitamus. Si igitur mẽbra nostri redemptoris sumus, præsumamus in nobis, quod gestum constat in capite. Si multùm nos abijcimus, sperare in nobis debemus nos membra vltima, quod de mẽbris eius *Idem.* superioribus audiuimus. Ecce verò ad memoriam redit, quod crucifixo Dei filio Iudæi insultantes dicebant: Si rex Israël est, descẽdat de cruce, & credimus ei. Qui si tunc de cruce descẽderet, nimirũ insultantibus cedens, virtutẽ nobis patientiæ non demonstraret. Sed expectauit paulũ, tolerauit probra, irrisiones sustinuit, seruauit patientiã, distulit admirationẽ, & qui de cruce descendere noluit, de sepulchro surrexit. Plus igitur de sepulchro surgere, quã de cruce descẽdere: plus fuit mortẽ resurgendo destruere, quã vitã descendendo seruare. Sed cùm Iudei hũc ad insultationes suas de cruce descendere minimè cernerẽt, cùm morientẽ viderẽt, eum se vincisse crediderũt, nomen illius se quasi extinxisse gaudent. Sed ecce, clarificatũ de morte nomẽ eius per mundũ creuit, ex qua hoc infidelis turba extinxisse se credidit: & quem gaudebat occisum, dolet mortuũ: quia hũc ad suã gloriã cognoscit *Psal. 16.* peruenisse per pœnã. Quod benè in libro Iudicũ Samsonis illius facta significant: qui cũ Gazam ciuitatẽ Philistinorũ fuisset ingressus, Philistæi ingressum eius protinùs cognoscẽtes, ciuitatem repentè obsidionibus circundederũt, custodes deputauerunt, & Samsonẽ fortissimũ se iam comprehendisse gauisi sunt. Sed quid Samson fecit, agnouimus. Media nocte portas ciuitatis abstulit, & montis verticem ascendit. Quem fratres charissimi hoc in facto, quẽ nisi redemptorem nostrum Samson ille significat? Quid Gaza ciuitas, nisi infernum designat? Quid per Philistæos, nisi Iudæorum perfidia demonstratur? Qui cùm mortuũ Dominum viderent, eiusq; corpus in sepulchro iã positũ, custodes ilicò deputauerunt, & eum qui author vitæ claruerat, inferni claustris retentũ, quasi Samsonẽ in Gaza se deprehendisse sunt lætati. Samson verò media nocte non solùm exijt, sed etiã portas tulit: quia videlicet redemptor noster ante lucem resurgens, non solũ liber de inferno exijt, sed ipsa etiam inferni claustra destruxit: portas tulit, & mõtis verticem subijt: quia resurgendo claustra inferni abstulit, & ascendendo cælorum regna penetrauit. Hanc ergo resurrectionis eius gloriam, fratres charissimi, quæ & priùs demonstrabatur ex signo, & pòst patuit ex facto, tota mente diligamus, pro eius amore moriamur. Ecce enim in resurrectione authoris nostri, ministros eius angelos conciues nostros agnouimus. Ad horum ergo ciuium illam frequentem solennitatem festinemus: his, cùm necdum visione possumus, desiderio ac mente iungamur. Transmigremus ad virtutes de vitijs, vt in Galilæa redemptorem nostrum videre mereamur. Adiuuat omnipotẽs Deus ad vitam desiderium nostrum, qui pro nobis in mortem dedit vnicum filium suum, eundem Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum eo viuit & regnat in vnitate spiritussancti Deus per omnia secula seculorum, Amen.

Samson. Gaza. Philistæi.

SERMO ALIVS EODEM die, sumptus ex Moralibus Gregorij.

DVAE quippe vitæ sunt hominis in corpore consistẽtis: vna ante mortem, alia post resurrectionẽ. Quarum vnam omnes agendo nouerant, alteram nesciebant: & humanum genus soli huic quã nouerat, intendebat. Venit per carnem Dominus, & dum suscepit vnam, alteram demonstrauit: dum hanc nobis cognitam suscepit, illam quę nobis est incognita, ostendit. Moriendo quippe vitam exercuit quam tenemus, resurgẽdo aperuit quã quęramus: exemplo suo nos docens, quòd hæc vita, quam ante mortem ducimus, non propter se amanda sit, sed propter alteram toleranda. Nullus autem nostrũ quid post mortem sequeretur agnosceret, nisi vitæ nostrę conditor ad pœnam vsque nostræ mortis veniret. Nisi enim ipse misericorditer infima peteret, nequaquàm nos post suam imaginem perditos iustè ad summa re-

Lib. 30. cap. 31. in Iob.

Li. 29. ca. 5. in Iob.

Universidad de Deusto

Iob 38. reuocaret. Vnde & rectè ad B. Iob dicitur: *Nunquid ingressus es profundum maris, & in nouissimis abyssi deambulasti?* Ac si dicat: Vt ego, qui non solùm mare, id est, seculum per assumptam humanam carnem atque animam petij, sed etiã per eam sponte in morte positus, vsque ad vltima inferni, quasi ad maris profunda descendi. Si enim mare, more diuini eloquij, seculum debet intelligi, nil prohibet profunda maris, inferni claustra sentiri. Quod profundum maris Dominus petijt, cũ inferni nouissima electorum suorum animas eEsai. 51. repturus, intranit. Vnde & per prophetam dicitur: Posuisti profundum maris viam, vt transirẽt liberati. Hoc nanque profundum maris ante redemptoris aduentum non via, sed carcer fuit: quia in se etiam bonorum animas, quanuis non in locis pœnalibus clausit: Quod tamen profundum viam Dominus posuit, quia illuc veniens electos suos à claustris inferi (hodierna die) ad cælestia transire concesit. Vnde & aptè illic dicitur, Vt transirent liberati. Quod verò profundum maris dixerat, hoc alijs verbis replicans, abyssi nouissimum vocat: quia sicut aquarũ abyssus nulla nostra visione comprehenditur, ita occulta inferni nullo à nobis cogitationis sensu penetrantur. Qui enim hic subtrahantur cernimus, sed quæ illos iuxta meritum retributio supLib. 29. cap. 6. pliciorum maneat, non videmus. Vigilanti verò est cura pensandũ, quod in nouissimis abyssi deambulasse se perhibet. Deambulare quippe non constricti, sed liberi est. Quẽ enim vincula strinPsal 87. gunt, eius nihilominùs gressus impediunt. Quia igitur Dominus nulla peccati vincula pertulit, in inferno deambulauit: liber quippe ad ligatos venit. Vnde scriptũ est: Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber. In nouissimis ergo abyssi Domino deambulare, est in loco damnationis nil suæ retẽtionis inuenire, attestante Pe-Act. 2. tro, qui ait: Solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illũ ab eo. Vel certè, quia deambulando nos cũ de loco ad locũ ducimur, hic illicq; præsentes inuenimur, deambulasse in inferno Dominus dicitur, vt electis animabus in locis singulis, per diuinitatis potentiã præsens Sap. 7. fuisse monstretur. Vnde & spiritus sapientiæ mobilis describitur, vt per hoc & nusquã deest, vbique nobis occurrere designetur. Quã descẽsionem suã Dominus tanto mirabilẽ respicit, quãto eam redẽpto homini crebriùs infundit. Eam nanq; adhuc replicans, subdit: *Nũquid apertæ sunt*
Iob. 38. *tibi portæ mortis, & ostia tenebrosa uidisti?* Portę enim
Portæ mortis, dæmones. mortis sunt potestates aduersæ, quas descendẽs Dominus aperuit, quia earũ fortitudinẽ morien do superauit. Quæ appellatione quoq; alia tenebrosa ostia vocãtur, quia dũ per occultatiõis suæ insidias nõ vidẽtur, deceptis mẽtibus viã mortis aperiunt. Quæ tenebrosa ostia Dominus videt, quia immundorũ spirituũ fraudulentã malitiam & respicit & premit: quos nisi ipse, nobis nescientibus, videndo prohiberet, & nil de insidijs eorum mens nostra cognosceret, & ijsdem insidijs capta deperiret. Quæ tenebrosa ostia nos etiam cernimus, quando supernæ lucis radijs illustramur. Vnde & per prophetam dicitur: Dominus Psalm. 117 mihi adiutor est, & ego videbo inimicos meos. Hostes igitur nostros ipse videt, qui suo eos munere nobis visibiles facit. Vel certè tenebrosa ostia tunc Dominus vidit, cùm claustra inferni penetrans, crudeles spiritus perculit, & mortis præpositos moriendo damnauit. Quod idcircò hic nõ adhuc de futuro, sed iam de præterito dicitur, quia hoc quod facturus erat in opere, nimirùm iam fecerat in prædestinatione. Quia verò post mortem resurrectionemq; eius creuit Ecclesia, atq; in cunctis est gentibus dilatata, aptè subiungitur: *Nunquid cõsideraſti latitudinẽ terræ?* Dũ Iob. 38. enim Dominus angustias mortis petijt, fidẽ suã Lib. 29. in gẽtibus dilatauit, atq; ad innumera corda cre-cap. 7. dentiũ sanctam Ecclesiã extendit, cui per prophetã dicitur: Dilata locum tentorij tui, & pel-Esai. 54. les tabernaculorũ tuorum extẽde: ne parcas. Lõgos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida. Ad dexterã enim & ad lævè penetrabis, & semen tuum gẽtes hæreditabit. Quę latitudo terræ profectò non fieret, nisi ipse priùs & vitam quã nouimus moriẽdo despiceret, & vitã quã nõ nouimus, resurgendo monstraret. In morte quippe sua nostræ oculos mentis aperuit, & quæ esset vita, quæ sequeretur, ostendit. Vnde & hunc in Euangelio ordinem tenens, discipulis dicit: Sic o-Luc. 24. portebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes. Pauci enim ex plebe Israëlitica ipso prædicante crediderunt, innumeri verògentium populi, viam vitæ illo moriente secuti sunt. Superbos nanq; dũ adhuc passibilis viueret, pertulit: à passibili verò vita multos dũ moreretur, stra-Iud. 16. uit. Quod benè Samson in semetipso dudum figuraliter expresit, qui paucos quidem dum viueret interemit: destructo aũt tẽplo, hostes interemit: dũ moreretur, occidit. Quia nimirũ numeros, cùm moreretur, occidit. Quia nimirũ Dominus ab elatione superbiæ paucos dũ viueret, plures verò cùm templũ sui corporis solueret, plures verò cùm templũ sui corporis solueret extinxit, atq; electos ex gentibus, quos viuendo sustinuit, simul oẽs moriẽdo prostrauit. Rectè itaque postquàm inferna penetrasse se edocuit, considerandam mox terræ latitudinem subiũxit. Dominus itaque noster ad humani ge-Libr. 33. neris redemptionem veniens, velut quendam cap. 10. in de se in necem diaboli hamum fecit. Assumpsit Iob. enim corpus, vt in eo Behemoth iste quasi escam suam mortem carnis appeteret: quam mortem dum in illo iniustè appetit, nos quos quasi iustè tenebat, amisit. In hamo ergo eius incarnationis captus est, quia dum in illa appetit escam corporis, transfixus est aculeo diuinitatis. Ibi quippe inerat humanitas, quæ ad se deuoratorem duceret: ibi diuinitas, quæ perforaret. Ibi aperta infirmitas, quæ prouocaret: ibi occulta virtus, quæ raptoris faucem transfigeret. In hamo igitur captus est, quia inde interijt, vnde deuorauit. Et quidem Behemoth iste filium Dei incarnatum nouerat, sed redemptionis nostræ ordinem nesciebat. Sciebat enim, quòd pro redemptione nostra incarnatus Dei filius fuerat, sed omnino quòd idem redemptor noster illũ mo-
Lib. 33. ca. riendo transfigeret, nesciebat. Ne ergo iste humanis mortibus cetus insidians, quos vellet vltrà deuoraret, hamus hic raptoris fauces tenuit, & sese mordentẽ momordit. Superest, vt vnusquisq; nostrum tãtò se plenius authori subijciat, quantò cõtra se veriùs violentas aduersarij vires pẽsat. Quid nãq; nos nisi puluis sumus? Quid verò ille, nisi vnus atq; ex cælestibus spiritibus, & quod adhuc maius est, summus? Quid ergo de propria virtute audeat, quãdo contra angelorũ principẽ puluis pugnat? Sed quia supernorũ spiritũ cõditor terrenũ corpus assũpsit, rectè iam superbientẽ angelũ puluis humilis vincit. Inhærẽdo quippe veræ fortitudini vires accipit, quas trãsfuga spiritus cũ semetipsum sequitur amisit. Et dignũ est vt vincatur à puluere, qui fortem se credidit deserto creatore, vt superatus inueniat, quia defecit elatus. Valdè aũt anhelat fœuiens, & cùm ipsum ima cruciẽt, homo ad summa cõscendat, & in illa celsitudine subuecta caro permaneat, à qua tãtus ipse spiritus sine fine proiectus iacet. Sed loca mentiũ mutauit ordo meritorũ. Sic superbia meruit deijci, sic humilitas exaltari: quatenùs & cæleſtis spiritus erigẽdo se tartarũ tolleret, & terra humilis sine termino super cẽlos regnet: præstante Domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Cùm esset rex in accubitu suo, nardus mea de-Cant. 1. dit odorem suum. Hæc autẽ significabat Ecclesiam gentium, de qua Dominus septem dæmo-Mar. 16. nia eiecit: quæ quidem quoniã dilexit multùm, Luc. 7. dimissa sunt ei peccata multa. Maria verò Iacobi, quæ Christi matertera fuit, plebem Iudaicam figurabat, de qua secundùm humanitatem Saluator noster originem duxit. At verò Salome, quæ interpretatur pacifica, tota ex vtroq; populo sanctorum collecta multitudo intelligitur. In hac igitur tota Ecclesia, in illis verò Ecclesiæ partes figurantur. Possunt tamen hæ tres mulieres, tres mundi partes significare, Asiam videlicet, Africam, & Europam, in quibus Ecclesia tota cõsistit. Et istæ quidem vngunt Iesum, istæ eum delectant, istæ eius passionem prædicant, & odorem notitię illius cunctis gentibus manifestant. Ecce autem mulieres, quæ vsque ad hunc diem erubescebãt, & se mortis ianuam, totius humani generis ruinam esse dolebant, hodiè lætantur, hodiè prædicant, hodiè originale peccatum deletum affirmant, & ipsis quoq; Apostolis resurrectionis gloriam annunciant. *Et ualdè manè una Sabbatorum ueniunt ad monumentum, orto iam sole.* Non est autem sibi contrarium hoc, quod ait: Et valdè manè, & orto iam sole. Vnde & alius Euan-Ioan. 20. gelista dicit: Cũ adhuc tenebræ essent. Solis itaque ortum intelligere oportet, ex quo eius splẽdore cælum illustratur, quanuis nondum terris appareat, raris adhuc tenebris existẽtibus. Quid *Valdè manè quid sit* est igitur valdè manè, nisi iam rubescente auroraẽ? Neque enim sine causa Euangelista non manè simpliciter, sed valdè manè dixit. *Et dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes uiderunt reuolutum lapidem. Erat quippe magnus ualdè.* Narrat enim Matthæus Euangelista, Matth. 28 quòd Christo resurgente, angelus Domini descendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. Et euntes in ciuitatem, nunciauerunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant. At illi dederunt eis copiosam pecuniam, dicentes: Dicite quòd vobis dormientibus nocte venerunt discipuli eius, & furati sunt eum. Sequitur: *Et introeũtes in monumentum, uiderunt iuuenem sedentem in dextris, coopertũ stola candida, & obstupuerunt.* Sedet angelus in dextris, stola candida coopertus, quoniã & lætitiam & prosperitatem prædicat, gloriã resurrectionis & carnis innouationem annunciat. Considera modò, quo dilectionis igne interiùs ardebãt, quæ fœminei timoris & fragilitatis oblitæ, non solũ in nocte veniunt, verùm etiam cõfidenter in monumentum ingrediũtur. Vnde & consolationis verba audire meruerunt, dicente angelo: *Nolite expauescere: Iesum quæritis Nazarenum, crucifixũ. surrexit, non est hic: ecce locus ubi posuerũt eũ.* Locũ, inquit, videre potestis, ipsum aũt modò videre non potestis. Surrexit enim, non est hic: sed ex-

EODEM DIE RESVRRECTIONIS, HOMILIA Eusebij Emeseni.

Maria Magdalene & Maria Iacobi & Salome emerũt aromata, &c. Mar. 16.

SAbbato enim neq; vendere, neq; emere aliquid licebat, quoniam tale aliquid in sabbato fieri lex interdicebat. Veniũt aũt hę sanctæ mulieres vngere Iesum. Sed quomodò veniũt cũ aromatibus. Aliter enim ad Iesum venire non licet. Sunt autem hæc aromata: fides, spes, charitas, pax, patiẽtia, humilitas, mãsuetudo, cõcordia, misericordia, & similia. Hæc enim Deo suauiter redo-Psal. 37. lẽt, sicut & è cõtrario vitia fœtẽt. Vnde Psalmista, Putruerunt & corruptæ sunt, inquit, cicatrices meę à facie insipiẽtię meæ. Beatæ igitur illę mulieres, beatæ illæ animæ, quæ sicut Maria Magdalene, semper cũ vnguẽtis, semper cũ aromatibus ad Dominũ veniũt. Hæc enim est, quæ alibi ait:

Universidad de Deusto
Biblioteca

expectate paulisper, & videbitis eum. Non enim ibi erat præsentia corporis, qui vbiq; est potentia diuinitatis. Sed vbi tunc eum fuisse putamus? Ego quidem dicere timeo, quod Euangelistæ non dicunt. Et fortasse ad matrem iuerat, quæ eius amoris desiderio plus omnibus afficiebatur. Quod ut ipsa inter oēs mulieres beatissima virgo simul cū alijs ad monumentū nō venit, hæc (vt opinor) causa fuit: quia ex quo vnigenitū filiū suum teneri, flagellari, & crucifigi vidit, delicatis manibus delicata pectora tundens, & se dolore nimio, vigilijs, ieiunijs q; affligens iam viribus pariter & spiritu attenuata, alicubi sola in secreto sedebat, & de his, quæ sibi acciderant, calamitatibus lamentabatur & flebat. Sed nos hæc verba, pietate plena & cogitatione digna interim relinquamus, & quid angelus dixerit audiamus. Ite (inquit) *dicite discipulis eius, & Petro, quia præcedet uos in Galilæam: ibi eum uidebitis, sicut dixit uobis.* Nisi enim beatum Petrum ex nomine vocasset, fortassè cū cæteris venire timuisset, eò quòd ter Dominū & magistrū negasset. Quòd enim in Galilæa, quæ Apostolorū patria fuit, à discipulis Dominus videtur, quid aliud significat, nisi quia eum, quem nunc videmus per speculū in ænigmate, cùm nos ad antiquam patriam nostrā reduxerit, tunc facie ad faciem videbimus? Vnde & Galilæa transmigratio perpetrata interpretatur. Nulla enim post illam transmigrationē alia vltèriùs transmigratio fiet. Sciendū est aūt, quòd illa hora, qua Saluator noster inclinato capite emisit spiritum, corpore in cruce derelicto, anima simul cum diuinitate ad inferna spolianda descendit. Et tunc quidem illud Psalmistæ adimpletum est: Tollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quibus interrogantibus: Quis est iste rex gloriæ? Responsum est eis: Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Ingressus igitur Dominus loca tenebrarū, omnia circūquaq; suo splendore illuminauit. Fit clamor permixtus, bonis præ lætitia exultantibus, malis verò præ timore fugere cupientibus. Tunc primi parentes occurrerunt, & videntes creatorem suum, lætis vocibus clamāt: Tandem Christe venis magnis nos soluere pœnis. Tunc patriarchæ & prophetę obuiam ruunt: tunc omnis sanctorum exercitus eius pedibus se prosternit: O, inquiunt, diù desiderate, ô tanto tempore expectate, quæ te tantæ tenuere moræ? Tunc citharista Dauid, Hoc est, inquit, quod dicere solebam: Auditui nostro dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata. Ecce nunc vident, ecce nunc audiunt, quod eos & videre & audire desiderasse Dominus ipse dicebat. Ait enim: Multi prophetæ & reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderūt: & audire quæ auditis, & nō audierūt. Tunc & Ioānes Baptista, Ecce, inquit, de quo dicebam vobis, videtis illum, cuius aduentū nunciabam vobis. Sed quis per singula dicere valeat, quanta ibi lætitia fuerit, cùm Christus sol iustitiæ eis apparuit? Tūc allegato diabolo, magno sanctorum exercitu comitante, cum gloria & triumpho lætus Dominus ad superos redijt, dicens: Quoniam nō derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes mihi pater in dextra tua, vbi tecum sedeo, & viuo, & regno in secula seculorum, Amen.

Cur Petrus nominatim ex pressus.

Psal 23.

Psal. 50.

Luc. 10.

FERIA SECVNDA PASCHAE, IN LECTIONEM Epistolæ loco, Concio exegetica.

Ser. 1. de Resurrect. Domini.

SVm quadraginta dierum obseruātia, inquit Leo eius nominis I. Romanus, idemq; sanctissimus & doctissimus Pontifex, hoc voluerimus operari, vt aliquid sentiremus crucis in tempore dominicæ passionis, admonendum est nobis, vt etiam resurrectionis Christi inueniamur esse consortes, & de morte ad vitam, dum in isto corpore sumus, transeamus. Vnicuiq; enim homini, qui ex alio in aliud aliqua conuersione mutatur, finis est, nō esse quod fuit, & ortus, esse quod nō fuit. Sed interest, cui quis aut moriatur, aut viuat: quia est mors, quæ causa est viuendi: & est vita, quæ causa est moriendi. Nec alibi, quàm in hoc transitorio seculo vtrunq; cōquiritur, vt ex qualitate temporalium actionum, differentiæ retributionum pendeant æternarum. Moriendū ergo est diabolo, & viuendum Deo: deficiendum iniquitati, vt iustitiæ resurgatur. Occumbāt vetera, vt oriātur noua: & quoniā, sicut ait veritas, nemo potest duobus dominis seruire, dominus sit, non ille qui stantes impulit in ruinam, sed ille qui deiectos erexit in gloriam. Dicente ergo Apostolo, Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis: qualis terrenus, tales & terreni, & qualis cælestis, tales & cælestes: sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem eius qui est de cælo: multū nobis de hac commutatione gaudendū est, qua de ignobilitate terrena ad cælestē transferimur dignitatem, per illius ineffabilem misericordiā, qui vt nos in sua proueheret, in nostra descēdit, vt non solùm substantiam, sed etiā cōditionem naturæ peccatricis assumeret, & ea sibi pateretur inferri diuina impassibilitas, quæ miserrimè experitur humana mortalitas. Hæc Leo Pontifex, quæ & solennitati præsenti mirificè sunt accommodata, & pulchrè conueniūt cum lectione diei huius, quam nunc explicandam suscipimus. Habetur autem in Actibus Apostolicis, capite 10. vbi legimus Cornelium Centurionem virum iustum,

Operanostra sequitur æternæ tribuitio.

Matth. 6.

1. Cor. 15.

stum, & eleemosynis ac precibus mirificè vacantem, tantā apud Deum gratiam sibi conciliasse, vt misso cælitùs angelo iussus sit accersire Simonem Petrum, à quo disceret Dei volūtatem. Accersitus Petrus incunctanter venit, vt erat hominum ad Christi fidem traducendorum sitientissimus, ingressusq; domum Cornelij, cùm multos illic congregatos inuenisset, inter cætera ea quoq; locutus est, quæ hac lectione continētur: *Vos scitis*, inquit, *quod factum est uerbum per uniuersam Iudæam.* Fama de præclaris Seruatoris operibus iam longè lateq; sparsa erat, vt etiam ethnicos non lateret, quales erant isti, quibus hæc Petrus loquebatur, designati per illa omnis generis animantia, quæ in linteo cælitùs demisso in visione illi ostensa erāt, de quibus Gregorius Nyssenus ita ait: Bestias, id est, bestialem & irrationabilem speciem hominum mactare Petrus iubetur, vt ipsis expurgatis, quod reliquum est, esui aptum efficiatur. Et quidem tertiò id factum eodem capite legitur, cuius mysticam significationem idem Gregorius exponens, Simpliciter, inquit, atque apertè pietatis ratio traditur, cùm non semel dixerit diuina vox, non esse commune id quod Deus purificauit, sed ter: vt intelligamus prima voce Deum Patrem, altera Deum vnigenitum, tertia Spiritum sanctum purificare. Hæc ille. *Incipiens enim à Galilæa, post baptismum quod prædicauit Ioannes: Iesum à Nazareth, quomodo unxit eū Deus spiritu sancto & uirtute.* Omnia, quæ in symbolo dicuntur, ait Beda in hunc locum, breuiter complexus est, quòd Iesus sit Christus, quòd omniū Dominus, quòd mundū Deo reconciliare missus, (Hæc enim lectionem hanc præcedit) quòd Ioannis voce præconizatus, quòd Spiritu sancto perunctus, quòd Deo inhabitante per miracula declaratus, quòd crucifixus, & à mortuis suscitatus, suisq; manifestatus, quòd iudex omniū in fine venturus, quodq; Ecclesiam suam per fidem totum sit dilataturus in orbem. Hæc ille. Quòd verò dicitur hic Christus vnctus Spiritu sancto, de humanitate eius accipiendum est. Rectè itaque Augustinus lib. 15. de Trinitate, cap. 26. Dominus ipse Iesus, inquit, Spiritum sanctum non solùm dedit vt Deus, sed etiam accepit vt homo, propterea dictus est plenus gratia. Et manifestiùs de illo scriptum est in Actibus Apostolorum, Quoniam vnxit eum Deus spiritu sancto: non vtique oleo visibili, sed dono gratiæ, quòd visibili significatur vnguento, qua baptizatos vngit Ecclesia. Nec tamen tunc vnctus est Christus Spiritu sancto, quando super eum baptizatum velut columba descendit. tunc enim corpus suum, id est, Ecclesiam suam præfigurare dignatus est, in qua præcipuè baptizati accipiunt Spiritum sanctum: sed ista mystica & inuisibili vnctione tunc intelligendus est vnctus, quando verbum Dei caro factum est, id est, quando humana natura sine vllis præcedentibus bonorum operum meritis Dei verbo est in vtero virginis copulata, ita vt cum illo fieret vna persona. Hæc Augustinus. *Qui pertransijt benefaciendo, & sanandos omnes oppressos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo.* Beneficia Seruatoris innumera præclarè commemorant Euangelistæ, nec tacent summam Iudæorum, quibus peculiariter missus erat, erga illum ingratitudinem. Dicebat se missū non nisi ad perditas oues domus Israël, & ab illa ipsa gente tanta perpessus est, vt nemo satis explicare sufficiat. Cùm eijceret dæmones ex obsessorum corporibus, hoc recepit beneficij, vt in Beelzebub dæmoniorum principe eos eijcere diceretur: cùm ægros sanaret in sabbatis, legis transgressor dicebatur: cùm sceleratissimorum scribarum & pharisæorum flagitia amantissimo animo reprehenderet, illorum plusquàm Vatinianum in se concitauit odium: at interim nihilo minùs à benefaciendo non cessauit vnquàm, bona pro malis rependens. Illius ea vox est in Psalmo: Posuerunt aduersùm me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea: Erat autem Deus cum illo, id est, vt ait Beda, Pater cū filio. Melius est enim sic intelligere, quàm diuinitatem filij cum homine, quem assumpsit cohabitantem significari, ne Christi personam geminare, & in Nestorij dogma cadere videamur. Hæc ille. Pauci considerāt hanc ineffabilem Dei erga humanum genus dignationem, quòd voluit nostra causa homo fieri, & inter homines tot annis corporali præsentia visibilis commorari, nec interim tamen pro tam eximia charitate quicquam præter iniurias & contumelias referre. *Et nos testes sumus omnium, quæ fecit in regione Iudæorum, & Ierusalem: quem occiderunt suspendentes in ligno.* Hoc nimirū Dominus IESVS in cælū ascensurus illis mandarat, cùm ait: Et eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ. Ita nimirùm illa æterna sapientia homines rudes & simplices, & qui dicta sua phalerare nescirent, testes habere voluit gestorum suorum, quorum etiam opera, quod omnem admirationem superat, totum sibi subegit orbem, & omnes Philosophorum ac mū di sapientum linguas retudit, rationes enerauit, scholas dissipauit: quæ vel sola res euidentissimo potest esse argumento, Christum verum Deum esse: quem tamen Iudæi recipere noluerunt, recepturi quandoque Antichristum: sed eum occiderunt suspendentes in ligno, vt ad supplicij acerbitatem etiam summa ignominia accederet. Nam in lege maledictus pronuntiatur, qui pendet in ligno. *Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo, nobis qui manducauimus & bibimus cum illo, postquàm resurrexit à mortuis.* Illis se voluit rediuiuum exhibere, quibus iam antè dixerat se tertia die resurrecturum. Vulgus ineptum se illudi putasset, si se illis visendum exhibuisset. Sapientia sapienter omnia fecit. Nec tamen suæ resurrectionis testes habere voluit mundi huius

Act. 10. Ita commēmorijs Græcis Occumenij. Ibidem.

Psal. 108.

Act. 1.

Deut. 21.

Christmate iam omnium unctiones baptizati.

Universidad de Deusto

vel potentia, vel opulẽtia, vel ſapientia tumidos, ſed ſimplices piſcatores & idiotas, quibus tamen & os dedit & ſapientiã, ſicut erat pollicitus, cui non poſſent reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij eorum. Chryſoſtomus hunc locum interpretans, Vides, inquit, vnde reſurrectionem ſtabilit? A cõmedendo. Quare autem non reſurgens fecit ſignum, ſed comeditac bibit? Quia & reſurrectio ipſa per ſe magnum ſignum erat. Nihil autem ad oſtendendam illam maius, quàm comedere ac bibere. Hæc ille. Voluit autem Dominus poſt reſurrectionem non ſtatim aſcendere in cælum, ſed apud diſcipulos morã in terris facere, vt reſurrectio, quam plerique difficilè erant creditur, multis argumentis doceretur & adſtrueretur. Et ita quidem poſcebat ordinatiſsimus æternę Sapientiæ proceſſus, vt id genus ſublimia myſteria primò electis quibuſdam & maioribus, ac deinde per illos alijs reuelarentur. *Et præcepit nobis prædicare populo, & teſtificari, quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo iudex uiuorum & mortuorum.* Hæc eſt illa incommutabilis veritas, inquit Auguſtinus libr. de vera religione, capite triceſimo primo, quæ lex omnium artium rectè dicitur, & ars omnipotentis artificis. Vt enim nos & omnes animæ rationales ſecundùm Veritatem de inferioribus rectè iudicamus, ſic de nobis, quando ei cohæremus, ſola ipſa Veritas iudicat. De ipſa verò nec Pater: non enim minor eſt quàm ipſe, & ideo quę Pater iudicat, per ipſam iudicat. Pater ergo non iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio. Hæc Auguſtinus. Porrò non ſine cauſa voluit Chriſtus prædicari, ſe conſtitutum eſſe iudicem viuorum & mortuorum. Hoc enim meritò deterret à peccando mortales, quòd ſe norunt factorum ſuorum, immò & dictorum & cogitationum omnium apud Deum olim rationem reddituros. Eſtque omninò danda opera, vt crebrò veniamus in memoriã futuri illius iudicij, quemadmodum ſanctos oẽs feciſſe conſtat. Ita D. Iob ab ipſo Deo mirificè commendatus, Verebar, inquit, omnia opera mea, ſciens quòd non parceres delinquenti. Itemque: Nónne ipſe conſiderat vias meas, & cunctos greſſus meos dinumerat? Quid enim faciam, cùm ſurrexerit ad iudicandum Deus? Semper quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum. Horrendum eſt, ait Apoſtolus, incidere in manus Dei viuentis. An non verò Chriſtus ipſe terribiliter dicit, In die iudicij reddituros nos rationem de omni verbo otioſo, quod locuti fuerimus? Nec tamen hæc cogitatio debet nos ad quandam deſperationem adigere, ſed religioſam in nobis excitare ſolicitudinem, ne labamur in vitia, ne Deum creatorem & redemptorem noſtrum peccando offendamus. Itaque ſæpè dicamus cum Propheta: Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui. *Huic omnes prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum.* Ille enim lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſua. Non autem debemus hæc ita accipere, quaſi ad veniam peccatorum impetrandam ſufficiat credere in Chriſtum abſque deteſtatione veteris vitæ, & propoſito rectiùs viuendi. Nam & in illis, qui in matura ætate baptizantur, neceſſe eſt inueniri pœnitentiam, qua doleant ſe peccaſſe in Deum, & propoſitum deinceps vitandi peccata. Nam ſi in peccandi voluntate perſecutaretur, nec ipſe baptiſmus peccata auferre poteſt. Vbicunque ergo fides tribuitur remiſsio peccatorum, de ea fide accipiendum eſt, quę cum ſpe & charitate coniuncta eſt. Eiuſmodi enim fides charitate inflammatur ad vitanda omnia, quibus offenditur Deus, & exequenda ea, quæ ſint grata Deo. Diuus Auguſtinus libro de Fide & operibus admodùm reprehendit eos, qui baptizandis putent ſola credenda, non etiam agenda proponi debere. Sciant, inquit, in Chriſto crucifixo multa homines diſcere, & maximè quòd vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt euacuetur corpus peccati, & vltrà non ſeruiamus peccato. Vnde etiam de ſeipſo dicit: Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Proinde attendant & videant, quemadmodum docendus atque diſcatur Chriſtus crucifixus, vt ad ceatur atque diſcatur Chriſtus crucifixus, vt ad eius crucem nouerint pertinere, quòd etiam eius crucem nouerint pertinere, quòd etiam nos in eius corpore crucifigimur mundo: vbi intelligitur omnis coërcitio malarum concupiſcẽtiarum: ac per hoc fieri non poteſt, vt eis, qui cruce Chriſti informantur, profeſſa adulteria permittantur. Nam & Apoſtolus Petrus de ſacramento ipſius crucis, hoc eſt, paſsionis Chriſti admonet, vt qui ea conſecrantur, peccare deſiſtant, ita loquens: Chriſto ergo paſſo per carnẽ, & vos eadem cogitatione armamini: quia qui mortuus eſt carne, deſijt peccare, vt iam non hominum deſiderijs, ſed voluntati Domini Dei reliquum in carne viuat, & cæt. Quibus conſequenter oſtendit, eum pertinere ad Chriſtum crucifixum, hoc eſt, per carnem paſſum, qui in eius corpore, crucifixis carnalibus deſiderijs, benè viuit per Euangelium. Hæc Auguſtinus. Noſtræ ætates hæretici miſeræ plebeculæ fidem adrauim vſq; deprædicant, bonorum operum nulla volunt eſſe merita. Itaq; multis locis homines ad quendam atheiſmum vel ethniciſmum relabuntur, & eſt miſeranda multis locis rerum confuſio. Atqui oportebat diſſolutos hominum animos & ſua ſponte in deteriora procliues religione obſtringere, diuini iudicij ſeueritate identidem commemoranda ad vitæ emendationem & iuſtitiæ ac pietatis opera ſectanda permouere. Præpotens ac miſericors Deus ſuam gratiam adſpiret miſerè euerſis & ſeductis hominibus, & præſtet vt à morte vitio-

Luc. 21.

Lex omnium artium, incommutabilis veritas.

Cap. 10.

Rom. 6.

Gal. 6.

1. Pet. 4.

Iob 9.

Iob 31.

Heb. 10.

Matth. 12.

Pſal. 118.

tiorum ſimul omnes excitati, cum Chriſto in vitæ nouitatem reſurgamus, cui eſt omnis honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

FERIA SECVNDA PASCHAE, IOAN. XXIIII.

In illo tempore: Duo ex diſcipulis Ieſu ibant ipſa die in caſtellum quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Hieruſalem, nomine Emaus. Et reliqua. Homilia B. Gregorij Papæ.

IN quotidiana vobis ſolennitate laborantibus pauca loquenda ſunt, & ſortaſſe hæc vtiliùs proderunt: quia ſæpè & alimenta quæ minùs ſufficiunt, auidiùs ſumuntur. Lectionis ergo Euangelicæ ſummatim ſenſum ſtatui, non per ſingula verba diſcutere, ne dilectionẽ veſtrã valeat ſermo prolixior expoſitionis onerare. Ecce audiſtis, fratres chariſsimi, quia duobus diſcipulis Ieſu ambulantibus in via, non quidem credentibus, ſed tamen de ſe loquentibus Dominus apparuit, ſed ijs ſpeciem, quam recognoſcerent, non oſtendit. Hoc ergo egit foris Dominus in oculis corporis, quod apud ipſos agebatur intus in oculis cordis. Ipſi nanque apud ſemetipſos intus & amabant, & dubitabant. Eis autem Dominus & foris præſens aderat, & quis eſſet non oſtendebat. De ſe ergo loquẽtibus præſentiam exhibuit: ſed de ſe dubitantibus cognitionis ſuæ ſpeciem abſcondit. Verba quidem cõtulit, ſed duritiam intellectus increpauit, ſcripturæ ſacræ myſteria, quæ de ſeipſo erant, aperuit: & tamen quia adhuc in eorum cordibus peregrinus erat à fide, ire ſe longiùs finxit. Fingere nanque componere dicimus, vnde & compoſitores luti figulos vocamus. Nihil ergo ſimplex veritas per duplicitatem fecit, ſed talem ſe eis exhibuit in corpore, qualis apud ipſos erat in mente. Probandi autem erant, ſi hi qui eum & ſi necdum vt Deum diligerent, ſaltem vt peregrinum amare potuiſſent. Sed quia extranei eſſe à charitate nõ poterant hi, cum quibus veritas gradiebatur, eũ ad hoſpitium quaſi peregrinum vocant. Cur autem dicimus, vocant, cùm illic ſcriptũ ſit, Et coëgerunt illum? Ex quo nimirùm exemplo colligitur, quia peregrini ad hoſpitium non ſolùm inuitandi ſunt, ſed etiam trahendi. Menſam ponunt, panes ciboſque offerunt, & eum, quem in ſacræ ſcripturæ expoſitione non cognouerant, in panis fractione cognoſcunt. Audiendo ergo præcepta Dei, illuminati non ſunt, faciendo illuminati ſunt, quia ſcriptum eſt: Non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur. Quiſquis ergo vult audita intelligere, feſtinet ea quæ iam intelligere potuit, opere implere: Ecce Dominus non eſt cognitus, dum loqueretur: & dignatus eſt cognoſci, dũ paſcitur. Hoſpitalitatem ergo, fratres chariſsimi, diligite, charitatis opera amate. Hinc enim per Paulũ dicitur: Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hoſpitalitatẽ nolite obliuiſci: per hãc enim quidam placuerunt, angelis hoſpitio receptis. Hinc Petrus ait: Hoſpitales inuicem ſine murmuratione. Hinc ipſa veritas dicit: Hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me. Opinata res eſt valdè, & ſeniorum noſtrorum nobis relatione tradita. Quidam paterfamilias cum tota domo ſua, magno hoſpitalitatis ſtudio ſeruiebat. Cũq; quotidiè ad mẽſam ſuam peregrinos ſuſciperet, quodam die peregrinus quidã inter alios aduenit, ad menſam ductus eſt. Dumq; paterfamilias ex humilitatis cõſuetudine aquam vellet in eius manibus fundere, conuerſus vrceum accepit, ſed repẽtè eum, in cuius manibus aquam fundere volebat, non inuenit. Cumque hoc factum ſecum ipſe miraretur, eadem nocte ei Dominus per viſionem dixit: Cæteris diebus me in membris meis, heſterno autem die me in memetipſo ſuſcepiſti: Ecce in iudicium veniens, dicet: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Ecce ante iudiciũ dũ per membra ſua ſuſcipitur, ſuſceptores ſuos etiam per ſemetipſum requirit, & tamen nos ad hoſpitalitatis gratiam pigri ſumus. Penſate fratres, quanta hoſpitalitatis virtus ſit. Ad menſas veſtras Chriſtum ſuſcipite, vt vos ab eo ſuſcipi ad conuiuia æterna valeatis. Præbete modò peregrino Chriſto hoſpitium, vt vos in iudicio nó quaſi peregrinos neſciat, ſed vt proprios recipiat ad regnum.

Tur ſe Chriſtus peregrinũ oſtenderit

Rom. 2.

Exemplũ hoſpitalitatis.

Ibidem.

EADEM FERIA. SERMO SANCTI MAXIMI Epiſcopi.

EXultãdum nobis eſt, fratres chariſsimi, in hac die, quã fecit Dominus, continuata lætitia & in eius feſtiuitate iugi gloria gratulandum. Nec quia nox ſolennitati interuenit, gaudia noſtra præcidit: nec quia obſcuritas diſtinxit tempora veſpertina, reſurrectionis lux vota æterna deſeruit. Nobis enim heri & hodiè dies vnus, dies ipſe eſt, quia ſic dicit de ſaluatore B. Apoſtolus: Ieſus Chriſtus heri & hodiè ipſe eſt. Ergo ſi Ieſus Chriſtus heri & hodiè ipſe eſt, ipſe atque idem nobis ſemper eſt dies: quia in ipſo viuimus, in

Heb. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Act. 17. ipſo mouemur, in ipſo non morimur. Non morimur, inquam, quia ſicut lucem Chriſti nulla peccati inceſit obſcuritas, ita & viuentes in ea nulla temporis abſumit vetuſtas. Lætemur ergo in Chriſti reſurrectionis die. Communis enim omnium, communis eſt noſtra lætitia. Communis planè, quia omnes illo reſurgẽte ſurreximus. Omnium enim reuixit ſaluti, qui pro omnium peccatis addictus eſt paſſioni. Reſurrexit igitur ſaluator à mortuis: noua res & mira, ſed habet hæc aſſertio veritatem. Nam vt taceam prophetarum oracula, angelorum miniſteria, aperta ſepulchri penetralia, ipſum Dominum poſt reſurrectionem cum diſcipulis loquentem, conuerſantem, edentem. Thomam quoque clauorum vulnera etiam digito contrectantem: vt hæc omnia prætermittam, tamen fidem noſtram confirmat impietas Iudæorum. Nam ſufficit ad credulitatem nobis eorum nimiùm cauta crudelitas.

Ioan. 20.

Fidem noſtram confirmat curioſitas Iudæorum.

Quò enim diligentiùs cuſtodierunt tumulum, eò conſtat illum manifeſtiùs reſurrexiſſe. Quò plures apoſuere cuſtodes, eò plures teſtium reliquere. Nam hoc procurauit diuina prouidẽtia, vt reſurrectioni dominicæ non ſolùm angeli, nõ ſolùm diſcipuli, ſed & teſtimonium perhiberent (quod eſt ampliùs) inimici. Libentiùs ergo accipimus, quòd eum diligentiùs obſeruarunt. Credimus enim ſub tot cuſtodibus potuiſſe illum prodire citiùs quàm perire: de tumulo iure domini progredi, quàm diſcipulorum fraude ſubduci. Tanta enim ſolicitudine ſepulchrum obſtruxit impietas, vt id nõ præualeret manꝰ humana deſtruere, niſi ſola virtus reſurgẽtis aperiret.

Matt. 28. Denique dicit ſanctus Euangeliſta, deſcendente angelo, magno terram trẽmore fuiſſe commotam, vt fundamenta tumuli mouerentur, & percuſſos pauore cuſtodes, qui venerant cuſtodire mortuum, eſſe factos vt mortuos. Vt mortuos, inquam: Dignum planè iudicium, ſi cùm iuſtus reſurgit, peccator emoritur: cùm reuiuiſcit innocens, eius interficitur inimicus. Nam ideò nec progredientem Dominum cernere potuerunt, quia criminoſas mentes terror oppreſſerat, dum ſuſtinere fulgorem reſurrectionis rutilæ non valebant. Maiore ergo ſolicitudine pharisæi Dominum cuſtodierunt mortuum, quàm viuum ſunt perſecuti. Siquidem cauſa illos maior vrgebat. intelligebant enim faciliùs fuiſſe apud ſuperos deſpici, quàm redeuntem ab inferis poſſe contemni: & quòd tunc prædicans facilè potuerit occidi, nunc autem reſurgens iam nõ

Rom. 6. poſſit occidi, dicente Apoſtolo: Reſurgens autẽ iam non moritur, mors illi vltrà non dominabatur. Cuſtodiebant ergo eũ ſolicitè in ſepulchro, præſertim quia ſe die tertia dixerat ſurrecturũ. Cuſtodiebant autem ſolicitè in ſepulchro, quia neceſſe illis erat eum iam non doctorem timere, ſed iudicem. Iudicem, inquam, non ſui tantùm, ſed & crudelis ſententiæ ſuæ, qua filios poſterosque ſuos ſceleribus addixerunt, dicentes: Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Matt. 27.

Crudelitas Iudæorum in poſteros.

Crudelis ſub tali ſententia impietas Iudæorum, quæ facinore ſuo non ſolùm præſentes liberos damnat, ſed etiam non natos occidit. Quantos enim hac voce ad conſcientiam facinoris vocãt, ſceros, quos ſcientia criminis non tenebat? Crudelis, inquam, impietas, quòd poſteros antè in reatum vocat, quàm producat in lucem, vt priùs futuris contingeret peccare quàm viuere. Cruenti planè genitores, qui antè parricidæ facti ſunt quàm parentes, & antè eos ſocios ſuis ſceleribus aſſumpſerunt, quos vtrũ ſanguinis participes poſſent habere, neſcirẽt. Non igitur mirandum eſt, ſi in ſaluatorem tam crudeles fuerũt, quia extiterũt in ſuos poſteros tã crudeles. Nõ immeritò in hac die ſanctus Dauid ſine exceptione exultandum præcepit & lætandum, in qua die totius mũdi gaudia celebrantur. Omnibus enim lætandũ eſt, quia omnibus prodeſt. Cunctis exultandum eſt, quia cunctis eſt ſalutare. & ideò non adulatoria eſt adhibenda, nec fucata lætitia. Quiſquis enim in Chriſti reſurrectione lætatur, lætetur potiùs, quia in Chriſto ipſe ſurrexit. In illo enim noſtra portio, noſtra conditio, & mortem pertulit, & reuixit. Et licet nos adhuc reſolutio corpuſculi maneat, cœpimus tunc in Chriſto æterna vita iam viuere. Vnde quanuis fragilitatem noſtram acceleret immaturę mortis occaſio, in ſaluatore tunc didicimus priùs reſurgere, quàm perire. Antè enim futurus homo reſurrexit in Chriſto, quàm vitam ſortiretur in ſeculo. Nõ enim tãtum illi Dominꝰ generationi reſurrectionis præſtitit gratiam, in cuius generationis tempore reſurrexit: ſed etiam ſecuturis poſteà populis hoc ſpopondit, vt priùs eſſemus de reſurrectione ſecuri, quàm de morte ſoliciti: & antè cum Deo viueremus in cælis, quàm cum hominibus conuerſaremur in terris. In ſaluatore enim omnes reſurreximus, omnes reuiximus, omnes ad cęleſtia trãſmigrauimus. Etenim in illo Chriſti homine vniuſcuiſque noſtrum carnis & ſanguinis portio. Vbi ergo portio mea regnat, regnare me credo: vbi dominatur ſanguis meus, me ſentio dominari: vbi glorificatur caro mea, me glorioſum eſſe cognoſco. Quãuis igitur peccator, de hac cõmunione gratiæ non diffidat: quia etſi peccata nos prohibent, ſubſtantia nos requirit: & ſi delicta propria nos excludunt, naturę cõmunio non repellit. Nam propter bonitatem diuinitatis, peculiarem nobis ſaluator debet affectum, ſcilicet quia ſicut Deus noſter in ipſo eſt, ita & ſanguis noſter in illo eſt. Miſericordiam igitur mihi debet præſtare diuinitas, neceſsitudinem exhibere debet affinitas. Neque enim tam immitis eſt Dominus, vt obliuiſcatur hominis, & non meminerit illius quem ipſe geſtat, vt quem cauſa mei ſuſceperit, non eius cauſa quem ſuſceperit, me requirat. Non, inquã, tam immitis eſt Dominus, vt non diligat carnem ſuam, membra ſua, viſcera ſua. Ait S. Apoſtolus: Nemo vnquam carnẽ ſuã odio

Ephes. 5.

odio habuit, ſed nutrit & fouet eã, ſicut & Chriſtus Eccleſiã. Nihil ergo de venia deſperemus, fratres, nihil de odio timeamus. Habemus prærogatiuam ſanguinis noſtri. In Chriſto enim caro noſtra nos diligit. Sumus enim mẽbra eius &

Ephes. 5. Gen. 2. caro, ſicut dicit idẽ B. Apoſtolus: Hoc nũc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Sacramentũ hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. Exultemus ergo fratres, ſicut ait ſcriptura, in hac die Domini, exultemus planè: quia

Pſal. 117. cum votis Domini gratulamur, magis noſtra vota curamus. Quid tandem dicit prophera? Hæc

Idem. eſt dies, quã fecit Dominus. Bonus planè dies, qui lucem intulit vniuerſis: verùm non huius ſeculi lucem, ſed reſurrectionis æternæ. Lux enim iſta, non caliginem noctis detulit, ſed mortis tenebras amputauit. Bonus, inquam, dies, & melior hic quàm ille, in quo primùm mundus enituit. Ille enim hominibus ad laborem creatus eſt, hic factus eſt ad quietem. Ille mortem meruit, hic formidinem mortis euaſit. Ille bonis maliſque communis eſt, hic proprius eſt iuſtorum. Illius diei lux tenebris ſepelitur, huius diei ſplendor etiam ſepulturas illuminat. Ad poſtremum illius diei lucem mortui non vident, huius diei lumen etiam defunctis emicuit, ſicut ait

Eſai. 9. propheta: Qui ſedebant in vmbra mortis, lux orta eſt eis. Lætemur ergo in hac die, quæ & viuos circunfulget, & mortuos viuificat, & venturos illuminat, ſicut ait beatus Euangeliſta. Erat

Ioan. 1. lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

EADEM FERIA,
HOMILIA EVSEBII
Emeſeni.

Duo ex diſcipulis Ieſu ibant ipſa die in caſtellum, quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Hieruſalem, & cæt. Luc. 24.

Nus autem iſtorũ, qui hæc ſcribit, beatus Lucas fuiſſe putatur. Mos enim fuit antiquorum, vt in ſuis ſcriptis ſic de ſe, quaſi de alijs loquerentur. Vnde & Moyſes frequenter dicit: Loquutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens. Et Matthæus,

Matth. 9. Præteriens Ieſus, inquit, vidit hominem ſedentẽ in telonio, Matthæum nomine: & multa alia. *Et factum eſt, dum fabularentur, & ecce quærerent, & ipſe Ieſus appropinquans, ibat cum illis.* Bonum eſt igitur loqui de Ieſu, bonum eſt eum ſemper in mente habere: quia nec ipſe eorum obliuiſcitur, qui eius memores ſunt. Sicut & hîc, quia iſti duo de eo loquebantur, ipſe appropinquans, ibat cum eis. Beati cum quibus ambulat Ieſus, beati cum quibus ambulat ſalus & vita: qui quoniam cum luce vadunt, diù errare non poſſunt. Sequitur: *Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoſcerẽt.* Quia enim dubitabant, quia nondùm perfectè credebant, ideò eum videntes non agnoſcebanꝰ *Et ait ad illos: Qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad inuicẽ ambulantes, & eſtis triſtes? Et reſpondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu ſolus peregrinus es in Hieruſalẽ, & non cognouiſti quæ facta ſunt in illa his diebus?* Acſi dicat: Tantum ſcelus nouiter in Hieruſalem perpetratum eſt, vt præ ſua magnitudine omninò celari non poſsit: & quomodò tu ſolus ea, quæ his diebus ibi facta ſunt, non cognouiſti? *Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt de Ieſu Nazareno, qui fuit uir propheta, potens in opere & ſermone coram Deo & omni populo: & quomodò eum tradiderunt ſummi ſacerdotes et principes noſtri in damnationem mortis, & crucifixerunt eũ. Nos autẽ ſperabamus, quòd ipſe eſſet redẽpturus Iſrael.* Multum ægrotabant iſti, multumque eis neceſſe fuerat, vt eis medicus & ſaluator apparuiſſet. Quod enim dicunt, *Nos ſperabamus*, ſe iam à ſpe quodammodò decidiſſe oſtendunt. *Et nunc ſuper hæc omnia, tertia dies eſt hodiè, quòd hæc facta ſunt.* Hodiè igitur ſecundùm promiſsionem ſuam reſurrexiſſe debuerat. Qui tamen vtrùm reſurrexerit, ignoramus. *Sed & mulieres quædam ex noſtris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum: & non inuento corpore eius, uenerunt dicentes ſe etiam uiſionem angelorum uidiſſe, qui dicunt eum uiuere. Et abierunt quidam ex noſtris ad monumentum, & ita inuenerunt ut mulieres dixerunt, ipſum uerò non inuenerunt.* His auditis ſecretorum omnium cognitor, & videns eos amare & dubitare, eorum infidelitati reſpondens, ait: *O ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ loquuti ſunt prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & reſurgere à mortuis, & ita intrare in gloriã ſuam? Et incipiens à Moyſe & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de eo erant.* Et meritò quidem à Moyſe Dominus incipit, quoniam & inter alios prophetas maior eſt, & pluribus in locis Chriſti paſsionem & reſurrectionẽ pleniſsimè ſignificat. Quale eſt illud de vacca rufa, quæ in libro Numeri immolari iubetur. Quale eſt & illud de agno & hœdo Paſchali, quorũ alter per domos comedebatur, alter verò ab omni populo circa veſperam immolabatur. De quibus ad Moyſen & Aarõ Dominus in Aegypto loquutus eſt, dicens: Loquimini ad vniuerſum cœtum filiorum Iſraël, & dicite eis, vt ſumat vnuſquiſque agnum per familias & domos ſuas, ſecundùm numerum animarum, quæ ſufficere poſsint ad veſcendum agnum. Sin autẽ minor eſt numerus ad eſum agni, aſſumat vicinum, qui coniunctus eſt domui eius. Erit autem agnus abſque macula, maſculus, anniculus. Iuxta quem ritum tolletis & hœdum, immolabitque eum vniuerſa multitudo filiorum Iſraël ad veſperum. Chriſtus enim & agnus eſt, propter innocentiam, & hœdus dicitur, propter ſimilitudinẽ carnis.

Moyſes præcipuus inter prophetas.

Num. 19.

Exod. 12.

Chriſtus & agnus & hœdus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioan. 1. carnis peccati. De hoc enim dicitur: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. De hoc similiter dicitur: Ne coquas hœdum in lacte matris suæ. Ad hunc autem vescendum vicinos & propinquos inuitare debemus, vt qua charitate omnium salutem desideramus, innotescat. Vicinus etenim omnis Christianus est noster, & quicunque ab Ecclesia longè non est. Est autem

Exod. 23. 34.

1. Pet. 2. agnus iste absque macula, quoniam (sicut scriptum est) peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Est autem & masculus, anniculus, quia nihil habet fœmineum, nihil corruptioni obnoxium, nihil carnalis sentiens titillationis. Et agnus quidem per domos comeditur, hœdus verò ab omni multitudine immolatur. Per qđ aptissimè designatur & hoc sacrificium, quod modò in Ecclesia sumitur, & illud quod à Iudæis insanientibus in ara crucis est immolatum. Quanuis enim & hoc & illud vnum idemq; sit, tamen aliter & aliter fit. Vnde illi hœdum occidunt, inter iniquos & peccatores mundi saluatorem deputantes, sicut scriptum est: Et inter iniquos deputatus est. Itemq;: Nisi esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Nos autẽ, quia innocentem, sanctum, & iustum, & sine omni cõtagione peccati, Dei filium esse credimus, agnũ absq; macula & immolamus & sumimus. Ideoque quanuis agnus & hœdus immolatur, solus tamen agnus à populo manducatur. Illud enim sacrificium in isto sumitur, quia hoc in illud verissimè conuertitur. Nunquam enim illud comederetur, nisi hoc in illud conuerteretur. Est autem hæc mutatio dextræ excelsi. Omnis autem multitudo filiorum Israël hœdum immolauit.

Ecclesiæ sacrificiũ.

Esai. 53. Ioan. 18.

Sed quando? Ad vesperam: quoniam proditor Iudas circa hanc horã cum Iudæis loquutus Christum vendidit, nummos accepit, atque altera die circa horam vespertinam, id est, post nonam Saluator noster spiritũ emisit. Vnde Psalmista ait:

Psal. 140. Eleuatio manuum mearum, sacrificium vespertinum. Sequitur: Et sument de sanguine agni, & ponent super vtrunq; postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum. Super vtrunq; etenim postem agni sanguinem ponunt, qui & ore & corde illum suscipiunt. Qui verò vel indignè suscipiunt, vel etiam suscipientes, Christi sanguinẽ esse non credunt, isti in vnũ tantummodò postẽ sanguinem ponunt. De quibus Apostolus ait: Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Nos igitur & ore sumentes, & corde Christi sanguinem esse credentes, in vtrunq; postem eum ponamus, & corpore & mente suscipiamus. Cùm autem crucis signum, quæ Christi sanguine cruenta est, in nostris frontibus facimus, tunc in superliminaribus domorum Christi sanguinem ponimus. Sequitur: Et edent carnes nocte illa assas agni, & azymos panes cum lactucis agrestibus. Idem enim hoc in loco & per carnes & per panes azymos intelligimus. Et benè vtrunque posuit, quoniam de panibus hæ carnes fiunt. Has autem cum lactucis agrestibus comedunt, qui corde compũcto & humiliato eas suscipiunt, & crucis amaritudinem, Christo compatientes, in cordis palato quodammodò sentiũt. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantùm igni. Non sunt enim hæ carnes crudæ, quia passus est Christus: neque in aqua coctæ, quia non occultè, sed palàm & cunctis videntibus est crucifixus. Latent enim carnes, quæ in aqua coquuntur: apparent autẽ quæ assantur. Talis igitur fuit passio Christi, quia cũctis videntibus est crucifixus. Redolet caro cùm assatur, redolet & passio Christi. Caput cũ pedibus & intestinis vorabitis, nec remanebit ex eo quicquam vsq; mane. Caput enim Christi (sicut Apostolus ait) Deus est. Pedes verò, qui terram tangunt, eius carnem significant, quæ de terra assumpta est. Quid verò eius intestina, nisi occulta omnia & profunda mysteria? Caput igitur illius cum pedibus & intestinis vorant, qui & Deũ & hominem esse credunt eum, & quæcunque de eo scripta sunt, dignè fideliterq; suscipiunt. Non enim sufficit, si & Deum & hominem eum esse credamus, nisi intestina quoq; eius suscipientes, & de virgine natum, & circuncisum, & veraciter passum, & die tertia resurrexisse, & cætera, quæ de eo scripta sunt, indubitanter crediderimus. Vnde & subditur: Nec remanebit ex eo quicquam vsq; mane. Omnia sumantur, omnia credãtur, nihil de hoc agno remaneat, quod in fidei pectore non claudatur. Mane aũt vitæ huius finis intelligitur, quãdo Christus sol iustitiæ apparebit, & fugatis tenebris, nox vlteriùs non erit. Tunc aũt non erit tempus conuertendi, vel agni carnes comedendi: quia tunc credere incipient, quãdo cũ satuis virginibus audient: Amẽ dico vobis, nescio vos. Si quid residuum fuerit, igne cõburetis. Residua enim sunt, quæ comedi nequeũt, vt est pellis & ossa. Pellis etenim agni, caro Christi est: quæ quidẽ qualiter Deo vnita, qualiter verbũ caro factũ est, neq; dici, neq; intelligi potest. Sed quis illa ossa comedere, vel (vt ita dixerim) corrodere valeat, vt qualiter ante omnia tẽpora sit à patre genitus, diuinissimè si licuerit, temperq; inuestigando intelligat? Sunt autem & alia multa, quæ quoniam comedi & intelligi nõ possunt, charitatis igne fideiq; ardore comburantur. Sufficit enim credere, si nõ datur intelligere. Plures enim credendo, quã intelligẽdo has carnes comedunt. Comedant igitur qui possunt: qui verò non possunt, credant, & charitatis igne comburãt. Sequitur: Sic aũt comedetis illum. Renes vestros accingetis, & calceamẽta habebitis in pedibus, tenẽtes baculos in manibus, & comedetis festinãtes. Renes quidẽ accingere, est castitatis & continẽtiæ cingulo luxuriã refrænare. Vnde & ipse Dominus ait: Sint lũbi vestri præcincti. Calceamenta verò in pedibus habent, qui quasi alio pergere parati, peregrinos se in hoc mundo esse cognoscunt. Et isti quidem viam mandatorum Dei currentes, securè & sine timore (vtpotè benè calceati) super serpentes calcant & scorpiones. Baculos autem in manibus teneant, vt se ab incurrentibus aduersarijs defendere valeant. Habes humilitatem: baculus est tibi. Hoc enim superbiam vincis. Habes castitatem: & hic baculus est, quo luxuria superatur. Sed quid multa? quot virtutes, tot baculos habes. Sic igitur præparetur, sic muniatur, sic armetur, qui has carnes comedere venit. Citò autem & festinantes comedetis eas, vt cùm Dominus venerit, iam pleni & saturi sitis, nec tunc credere incipiatis, quando per fidem liberari debetis.

Matt. 25.

In fide nanque suscipienda nulla mora debet esse. Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam. Christi præterea passionem & resurrectionem alibi quoque significat Moyses. Scribit qualiter Iacob Iudam filium suum benedixerit, de cuius progenie Dominus

Gene. 49 natus est, dicens ei: Iuda, te laudabunt fratres tui. Manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum: catulus leonis Iuda. Ad prædam fili mi ascendisti, accubuisti vt leo, & quasi leæna: quis suscitabit eum? Ad prædam enim Christus in crucem ascendit, quia de diaboli potestate, morte sua mundum eripuit. Sed quasi leo accubuit, quia nec ipsa morte fortitudinem amisit. Quis autẽ suscitauit eum, nisi Deus pater, & diuinitas ipsa, quæ in eo erat? Similiter autem Dauid, Christi passionem & resurrectionẽ significans, ait: Ego dormiui & somnum cepi, & resurrexi, quoniam Dominus suscepit me.

Psalm. 3.

Psalm. 12. Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. &: Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.

Ibid.

Esai. 50. Et in Esaia: Corpus (inquit) meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. Faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me. Et alibi: Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Oblatus est, quia ipse voluit, & peccata nostra ipse portauit. Propter scelus populi mei percussi eum, & dabit impium pro sepultura, & diuitem pro morte sua. Quæris fortassè, quis sit iste dies & impius, quem pro morte & sepultura sua Dominus dedit. Dies iste & impius, populus Iudaicus intelligitur: dies quidem, quia legis & prophetarum diuitijs spiritualibus abundabat, & terram lacte & melle manantem possidebat. Impius autem, quia Dominum & creatorem suum damnare non timuit. Hunc autem dedit Dominus pro morte sua, quia eum occidit: & pro sepultura, quia etiam sepultum ne resurgeret custodiuit. Sed quibus dedit? Romanis vtique: vt implerentur quod scriptum est: Quod timet impius, veniet super eum. His enim in perpetuam seruitutem, & in vltimam infelicitatem, propter Christi mortem Iudæi traditi sunt. Dum hæc & his similia Dominus loqueretur, & prophetarum illis testimonia interpretaretur, appropinquabant castello quò ibant. Et tunc quidem non solùm corporis habitudine, sed & ipsa facie, quanuis longiùs ire noluerit, longiùs se tamen ire ostendit. Sic enim & superiùs dicitur, quòd Samaritani noluerunt recipere eum, quia facies eius erat euntis in Hierusalem.

Prou. 10.

Luc. 9.

Hoc igitur modo probabat eos Dominus, quo affectu & qua charitate peregrinos suscipiebat, quatenùs & nos ab eis discamus, qualiter eos suscipiamus. Si enim aliter eos tenere non possumus, piam eis violentiam inferre debemus. Vnde & hic dicitur: *Et coëgerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Et intrauit cum illis. Et factum est dum recumberet cum illis, accepit panem, & benedixit ac fregit, & porrigebat illis.* Sic enim facere solebat, quando adhuc inter eos conuersabatur. Et apertis oculis eorum, assuetam eius consuetudinem videntes, cognouerunt illum, & ipse euanuit ex oculis eorum. At illi gaudio pariter & mœrore commoti, dixerunt ad inuicem: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in uia, & aperiret nobis scripturas?* Quare eum non tenebamus? quare vel ad pedes eius non corruimus? quare nobis ipsis & cordibus nostris non credidimus? Vbi eum quæremus? vbi eum inueniemus? *Et surgentes eadem hora, regressi sunt in Hierusalem, & inuenerunt congregatos undecim, & eos qui cum ipsis erant, dicentes, quia surrexit Dominus uerè, & apparuit Simoni. Et ipsi narrabant, quæ gesta erant in uia, & quomodò cognouerunt eum in fractione panis.* Considera modò, quanta ibi lætitia fuerit, dum illi & illi vicissim sibi sua gaudia nunciarent. Nunquam autem tam benè cognoscitur Iesus, sicut in fractione panis. Panis iste spiritualis est, non carnalis: panis iste cibus animæ est. Hoc pane nutritur anima, & pinguescit intelligentia. De hoc pane scriptum est: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. De hoc pane per prophetam dicitur: Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Miseri Iudæi, qui panem quidem habent, sed qui panem eis frangat non habent. Nobis autem panem fregit, nobis scripturas exposuit, & sensum aperuit Iesus Christus Dominus noster, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum Amen.

Signũ crucis in frontẽ.

1. Cor. 11.

In Eucharistia fides adhibenda

Luc. 12.

Maculi, uitulates sunt

Nusquam melius quàm in communione cognoscitur Christus.

Deut. 8. Thre. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

FERIA TERTIA PASCHÆ, in lectionem Epistolæ loco, Concio exegetica.

OB confirmandam in credentium pectoribus dominicæ resurrectionis fidem, multis lectionibus tota hac hebdomada eam ipsam resurrectionem commemorat Christi Ecclesia: simul etiam excitare nos volés tum ad congratulandũ Christo post summas calamitates in summam gloriam resurgenti, tum ad præparandos nos per nouæ vitæ studium ad futuram resurrectionem, quam in fine seculi expectamus, sed planè frustrà, quod ad beatitudinem attinet, nisi hìc priùs à vitijs resurgamus, quæ est resurrectio prima, de qua in Apocalypsi dicitur: Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem, si tamen perseuerauerint vsq; in finem. Apoc. 20.

Lectio huius diei, sicut & hesternæ, ex Actibus Apostolicis sumpta est, quã nunc paucis percurremus: *in diebus illis, Surgens Paulus, & manu silentium indicens, ait: Viri fratres filij generis Abraham, & qui in uobis timent Deum, uobis uerbum salutis huius missum est.* Hæc Paulus locutus est apud Antiochiam Pisidiæ in Synagoga Iudæorum, in quam Oecumenius eum cũ Barnaba ingressum scribit habitu Iudæorũ ne ejicerentur, atq; ita rem bene gessisse. Vocat autem eos filios Abraham, quòd sic illi libenter appellarentur. Sed quid prodest patrem habere Abrahamum, nisi fidem & iustitiam Abrahæ fecteris? Sic Christus ad Iudæos, Si filij, inquit, Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Ioan. 8. Præclarius ergo est, qd ait, Et qui in vobis timét Deum. Illi enim germani sunt filij Abrahæ, qui vsq; adeò diuino timori posthabuit omnia, vt etiam charissimum filium suum Isaac, in quo amplissimas Dei promissiones acceperat, suis manibus immolare voluerit. Gene. 22. *Vobis uerbũ salutis huius missum est*, quod de Messia iam misso annunciabatur. Multum illi genti præstitit Deus, Matt. 15 adeò vt Christus ipse testatus sit, se non missum, nisi ad perditas oues domus Israël.

Sed cùm illi obstinato animo gratiam oblatã repellerent, ad ethnicos translata est, & delictum Iudæorum salus est gentium. Multa Apostolus Paulus de illis præclara scribit: Optabam, inquit, ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem, qui sunt Israëlitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum patres, ex quibus est Christus secundùm carnem. Rom. 11. Rom. 9. Sed præpotés Deus dum suam gratiam sentit negligi, tollit eam ab ingratis, & alijs largitur, qui ea probè vtantur. Sic primùm ablata est Iudæis, & data gentibus. At vbi Græci & pleriq; alij Orientis populi eam habuere contemptui, atque in hæreses & vitia alia prolapsi sunt, impijssimi Mahometani, Deo permittente, eos sibi subiugarunt, atq; fides Christiana in plerasque Occidentis & Septentrionis regiones propagata est, vbi aliquot seculis mirabiliter floruit, adeò vt à Græcis imperium quoque Occidentis in Germanos translatum sit. Sed his quoque nationibus hæreses & schismata amplectentibus, Christus migrauit ad Antipodes & remotissimas à nostro orbe prouincias, vbi innumera hominum idolloatrarum multitudo intra annos non adeò multos conuersa est ad fidẽ Christi, sic vt vnus sacerdos septies centena hominũ millia baptizasse legatur, præter eos, quos alij baptizarunt. Quod ideò dictum sit, vt qui stat, videat ne cadat: qui habet gratiam Dei, solicitè eam custodiat, eaq; rectè vtatur. *Qui enim habitant Ierusalem, & principes eius, hunc ignorantes, & uoces prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, iudicantes impleuerunt.* Mirum est tot signis, tanta vitæ sanctimonia, tanta doctrinæ synceritate & maiestate non potuisse adduci Iudæos, vt crederent in Christum. Conqueritur hoc de illis Christus ipse apud Ioannem: Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Porrò non omninò ignorasse eos Christum, ex illa apparet parabola, quam Matthæi 21. & Lucæ 20. eis Dominus proposuit de homine qui plantauit vineam, & ad extremum filium suum misit ad agricolas, quẽ illi videntes dixerunt: Hic est hæres, venite occidamus eum, & habebimus hęreditatem eius. Nam & ipsi principes sacerdotum & pharisæi, quibus loquebatur, intellexerũt hanc parabolam ad ipsos pertinere. Aliquo ergo modo cognouerunt, sed inuidentia & detestabili ambitione atq; auaritia excæcati, cùm illos acriter reprehenderet, omnia eius dicta factaq; in peiorem partem interpretabantur, adeò vt etiam dæmoniacũ & populi seductorem eum appellarent, tantum abest, vt suum Messiam & filium Dei eum agnoscerẽt. Sap. 2. Ita rectè dictum est, Excæcauit eos malitia eorũ. Sed licèt & ipsum & voces prophetarum, quæ de illo per omne sabbatum legebantur, quibus etiã passurum significabatur, ignorarẽt, tamen eas ipsas voces dum Christum necandum curant, impleuerunt. *Et nullam causam mortis inuenientes in eo, petierunt à Pilato, ut interficerent eum.* Hoc quidem maximè tanti sceleris auget immanitatem, quòd innocentissimum & ab omni noxa alienum necare voluerunt. Hinc ergo liquet, quòd ea, ci dare voluerunt. Ioan. 15. quæ coram Pilato & Herode Domino obiecerunt, contra suam conscientiam impudentissimè confixerunt. sciebant enim, nihil dignum morte gessisse eum: sed & Pilatus ipse non ignorabat, quòd stimulante inuidia eum tradidissent. O cor durum, inquit Augustinus, *in Psalmũ* occi- 63.

occidere velle hominem, qui mortuos suscitabat. Facta sunt miracula, non sunt moti. Traditus est ille iudici: trepidat iudex, & non trepidant qui iudici tradiderunt. Delectabat eos principatus quidam. Videbant sibi à Domino auferri principatum, & ex delectatione sua rebellauerunt aduersus Dominum. Qui si rebellassent aduersus delectationem suam malam, ipsam inuidentiam vincerent, nec vincerẽtur ab ea, & esset illis Dominus saluator, qui venit vt sanaret. Nunc autem fauerunt febri, repugnauerũt medico. Ergo illi magis occisi sunt, nõ Dominus. Nam in Domino mors occisa est, in illis iniquitas vixit. Viuente autem in se iniquitate, illi mortui sunt. Hæc Augustinus. *Cumq; consummassent omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento.* Ab impijs quidem occisus est Dominus, sed à pijs sepulturæ mãdatus. Et vt maior esset certitudo & exploratio notitia Domini re vera excitati, non absq; Dei proMatt. 27. uidentia factum est, vt princeps sacerdotũ mirabili industria & monumentũ obsignandũ, & adhibita etiã militũ custodia seruandum curarint. Sed hìc quoq; eorũ incredibilis extitit malitia, quòd milites narrantes ea quę circa sepulchrum Matt. 28. cõtigerant tẽpore resurrectionis, pecunia copiosa corruperunt, vt dicerẽt ipsis dormientibus venisse discipulos, & eius corpus esse suffuratos. Et licet id impudentissimã habeat vanitatẽ, tamen persuasum est infelici turbæ populi Iudaici: sicut etiam hodiè videmus hæreticos quantumuis absurda multa proferant, tamẽ inuenire qui ipsorũ impijs cõmentis fidem cõmodent. *Deus autem suscitauit eum à mortuis tertia die.* Et Christus seipsum Act. 2. excitauit. Soluite, inquit ad Iudæos, templũ hoc, & ego in tribus diebus excitabo illud. *Qui usus est per multos dies his, qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Ierusalem, qui usq; nunc sunt testes eius ad plebem.* Non sine causa Dominus à resurrectione diù cũ discipulis morari voluit: &, vt ait Leo Pontifex Serm. 1. de Ascensione Domini. eius nominis primus, dies illi, qui inter resurrectionem Domini ascensionemq; fluxerunt, non otioso trãsiere decursu, sed magna in eis confirmata sacramenta, magna sunt reuelata mysteria. In ijs metus diræ mortis aufertur, & non solùm animę, sed etiam carnis immortalitas declaratur. Ioan. 20. In ijs per insufflationem Domini infunditur Apostolis omnibus Spritus sanctus, & beato Apostolo Petro supra cæteros, post regni claues, ouilis dominici cura mandatur. Per omne hoc tempus quod inter resurrectionẽ & ascensionẽ Domini exactum est, hoc prouidentia Dei curauit, hoc docuit, hoc suorũ & oculis insinuauit & cordibus, vt Dominus Iesus verè agnosceretur resuscitatus, qui verè erat natus, & passus, & mortuus. Hæc Leo. Quanta autem sit gratiæ efficientia, vel hinc satis liquet, quòd Apostoli, qui paulò antè prę nimio timore Dominum deseruerãt, & ob metum Iudæorum intra domum obseratis ostijs latitabant, post acceptũ Spiritum sanctum palàm & intrepidè Christum omnibus prædicarunt. Quicquid ergo in nobis boni est, id gratiæ est. Quid habes, inquit Apostolus, quod non accepisti? Si aũt accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Isthuc qui nouerũt, nõ facilè intumescunt superbia, nec se alijs anteponunt. *Et nos uobis annunciamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est: quoniam hanc Deus adimpleuit filijs uestris, resuscitans Iesum.* Quod illi prisci patres cum ingenti desiderio tot seculis, immò tot annorum millibus longanimiter expectarunt, vobis nunc exhibetur, vt in Christo salutem adipiscamini, & cum Deo per illius sanguinem in gratiam restituti, & de manu inimicorum vestrorum liberati, posśitis ad amissam postliminiò redire beatitudinem, à qua totum genus humanum à prima illa in paradiso transgressione exulauit. Absurdum autem nihil est, vt ait Oecumenius, quòd Iesus suscitatus esse à Deo dicatur. Nam si nihil aliud est Iesus, quàm verbum quod carnem assumpsit: Verbum autem, Patris vis est & potentia, quo videlicèt omnia operatur, iuxta illud, Christus Dei vis, vel virtus: ipse seipsum etiam suscitasse intelligetur, etiamsi à Patre fuisse suscitatus dicatur, in quem vt principium & causam tempore carentem omnia referuntur. Hæc ille. In Christi ergo resurrectione promissio diuina impletur, & morte destructa reuocamur ad certam spem vitæ & resurrectionis, vt quò caput præcesśit excitatum à mortuis, eò sequantur & membra, vitam ex capite suscipientia. Non enim sibi vni Christus resurrexit, sed nobis omnibus, quotquot ad eius corpus pertinemus, resurrectionem in fine seculi donabit, quando triumphantes cantabimus: Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus? Oportet enim corruptibile hoc, induere incorruptionem: & mortale hoc, induere immortalitatem. Sed interim, dum hæc vita præsens agitur, aduersus prauas cupiditates & peccati corruptionem pugnandum est, & per arctam salutis viam post Dominum Iesum, acceptа in humeros cruce, constanter eundum, vt sic priùs peccato mortui, & carne cum vitijs & concupiscentijs crucifixa, posśimus etiam cum Christo tandem resurgere in illam vitam sempiternam. Si enim commortui fuerimus, & conregnabimus. At non sic faciunt 2. Tim. 2. filij huius seculi, qui ex exilio sibi paradisum fingunt: qui ducunt in bonis dies suos, edunt, bibunt, ludunt, totosq; se fallacissimis mundi prærerlabentis ac instar fumi euanescentis oblectamentis tradunt, nec alicuius penti habent, quòd Christum audiunt in Psalmo loquentem, Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus: & rursus: Pauper sum ego & in laboribus à iuuentute mea: itemque: Afflictus sum 1. Cori. 4. 1. Cori. 1. 1. Cori. 15. Psalm. 30 Psal. 87. Psalm. 37.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sum & humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei. Nolunt Seruatoris sui vestigijs insistere, sed planè diuerso itinere ingredi: sed hoc iter necesse est eò tandem eos perducat, vbi pro momentaneis voluptatibus pœnas cogantur luere sempiternas. Quantò igitur satius, hîc breui tempore cum Christo & electis omnibus crucẽ ferre, & peccatis mori, vt posteà liceat felicissimè cum Christo resurgere, & in omnem æternitatẽ illis bonis perfrui, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt? Præstet id nobis per vnigenitum suum Deus Pater omnipotens, cum quo in vnitate Spiritus sancti viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

FERIA III. PASCHAE.

Luc. XXIIII.

In illo tempore, Stetit Iesus in medio discipulorum suorum, & dixit eis: Pax uobis: ego sum, nolite timere. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

REsurrectionis suæ gloriam Dominus & redemptor noster paulatim discipulis & per incremẽtum temporis ostendit, quia nimirum tanta erat virtus miraculi, vt repẽtè hanc totã capere fragilia mortalium pectora non possent. Consulens igitur ipse imbecillitati quærentium, primò venientibus ad monumentum, & fœminis suo amore feruentibus & viris, reuolutum lapidem, & ablato suo corpore, linteamina, quibus inuolutum erat, sola posita monstrauit. Deinde curiosiùs inquirentibus fœminis, & de eo quod inuenerant mente consternatis, angelorum visionem ostendit, qui illum resurrexisse certa manifestatione patefacerent, ac sic præcurrente fama patratæ resurrectionis, tandem ipse Dominus virtutum & rex glorię apparens, quanta potentia mortem, quam ad horam gustauerat, deuicisset, aperuit. Et quidem quantum ex euangelicæ serie lectionis inuenimus, quinquies ipsa, qua resurrexit, die visus est hominibus. Primò Mariæ Magdalene ad monumentum, quando ei desideranti pedes eius amplecti, dictum est: Noli me tangere. nondum enim ascendi ad patrem meum. Deinde duabus à monumento currentibus nũciare discipulis, quæ ab angelis de perfecta eius resurrectione didicerant, de quibus scriptum est: Quia accesserunt & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Apparuit ipso die aduesperascente, duobus euntibus in castellum Emaus, qui eum ad hospitium vocantes, in panis fractione cognouerunt. Apparuit & Petro: quod si euangelista quando vel vbi factum sit, minimè designauerit, tamen quia factum sit Lucas non tacet, scribens, quia cum præfati duo discipuli cognito Domino in Emaus, statim rediissent Hierusalem, inuenerint cõgregatos vndecim, & eos qui cum ipsis erant, dicentes, quia surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni. Ac deinde subiungit: Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via, & quomodò cognouerunt eum in fractione panis. Statimq; annectit quintam eius apparitionem, de qua modo cum legeretur audiuimus, ita incipiens: *Dum hæc autem loquuntur, stetit Iesus in medio eorum, & dixit eis: Pax uobis, ego sum, nolite timere.* Vbi primò notandum, & diligenter memoriæ commendandum est, quòd de se loquentibus discipulis, Dominus adstare in medio, & præsentiam suæ visionis reuelare dignatus est. hoc est enim, quod fidelibus cunctis alibi promisit, dicens: Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum ni medio eorũ. Ad confirmandã nanq; fidei nostræ constantiam, quod semper agit præsentia diuinę pietatis, aliquando etiã prę sentia voluit corporalis ostendere visionis. Nam & de nobis, quanuis porrò infra apostolorum pedes iacentibus, hoc ipsum eius misericordia fieri cõfidere debemus, ipsum videlicet esse in medio nostri, quotiescunq; conuenientes in nomine illius congregamur. Nomen quippe illius est Iesus, id est saluator. Et cum de acquisitione perpetuæ salutis locuturi conuenimus, constat nimirum, quia in nomine Iesu congregamur. Nec dubitare fas est, de his quæ ipse amat cõferentibus nobis, eum esse præsentem, & tantò vtiq; veriùs, quantò ea quæ ore proferimus, perfectiori corde retinemus. Deinde videndum, quòd apparens saluator discipulis, pacis eis statim gaudia mãdat, idipsum celebrata immortalitatis gloria iterans, quod ad passionem mortis iturus, quasi pignus eis speciale salutis ac vitæ commendauerat, dicens: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Cuius gratiam muneris, eo quoque nato, visi mox pastoribus angeli prædicabant, laudantes Deum, & dicentes: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Quia nimirum tota redemptoris nostri in carne dispensatio, mundi est reconciliatio. Ad hoc quippe incarnatus, ad hoc passus, ad hoc resuscitatus est à mortuis, vt nos, qui peccando iram Dei incidimus, ipse reconciliando ad Dei pacem reduceret. Vnde rectè & à propheta pater futuri seculi, princeps pacis nominatur. Et Apostolus de eo scribens his, qui ex gentibus crediderant, ait: Et veniẽs euangelizauit pacem vobis, qui lõgè fuistis: & pacem his qui propè: quomodo per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad patrem. *Apparente autem sibi Domino, conturbati & territi discipuli, existimabant se spiritum uidere.* Agnoscentes quidé Dominũ esse qui apparuit, sed putãtes, quia non in corporis eũ, sed in spiritus sui substantia viderent, id est, quia non corpus ipsius, quod defunctum & sepultum nouerant, iam resuscitatum à morte conspicerent, sed spũm potiùs, quem relicto corpore, in manus patris cõmendauerat, præ oculis haberent. Sed hũc eorũ errorẽ simul & pauorẽ: quo ad nouã incognitamq; visionẽ fuerant perculsi, benigna magister

Marc. 16. Ioan. 20.

Ioan. 20.

Matt. 28.

Luc. 24.

Ibid.

Luc. 24.

Quinta Christi apparitio.

Matt. 18.

Adest Christus piis congregatis.

Ioan. 14.

Luc. 4.

Luc. 2.

Esai. 9.

Ephes. 2.

ster pijssimus gratia cõsolationis & admonitionis abstergere curauit. *Quid, inquiens, turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda uestra? Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum.* Non autem fine causa manus suas & pedes potiùs, quàm vultũ, quẽ æquè nouerant, eos videre ac recognoscere iubet, sed vt visis clauorũ signis, quibus cruci erat affixus, non solùm corpus esse quod videbant, sed vt ipsum Domini sui corpus esse, quod crucifixũ nouerãt, intelligere possent. Vnde benè Ioannes huius dominicæ apparitionis memoriã faciens, latꝰ quoq; suum, quod à milite fuerat vulneratũ, discipulis eum ostẽdisse perhibet, vt quò plura notissimæ passionis, ac susceptæ mortis indicia cognoscerẽt, eò certiori patratæ iã resurrectionis ac dirutæ mortis fide gauderẽt. Qui vt illos per omnia de fide resurrectionis certos redderet, nõ tãtùm oculis intuendũ, sed attrectandũ quoq; manibus corpus, qđ immortale illis ostẽderat, exhibuit, dicẽs: *Palpate & uidete, quia spiritus carnẽ & ossa nõ habet, sicut me uidetis habere*: Quatenùs gloriã resurrectionis prædicaturi, modũ quoq; nobis resuscitati corporis qualis esset sperãdus, absq; omni ambiguitate monstrare valerẽt. Vnde cũ magna fiducia beatus Ioãnes apostolus auditores suos, ad sequenda fidei & veritatis, quæ didicit, arcana ꝓuocat, dicẽs: Quod fuit ab initio, quod audiuimus & vidimus oculis nostris, qđ perspeximus, & manus nostrę contrectauerũt de verbo vitæ. Solent aũt gentiles hoc in loco simplicitati fidei nostræ deceptionũ tendere laqueos, dicẽdo: Qua temeritate cõfiditis, quia Christus quẽ colitis, vestra de puluere corpora possit incorrupta reducere, qui nec suorũ vulnerum, quæ in cruce susceptit, potuit cicatrices obducere, sed resuscitato, vt dicitis, suo corpore à mortuis, signa adhuc mortis inesse nõ celauit? Quibus respondemus: Quòd Christus cùm omnipotẽs sit Deus, & nostra, vt promisit, corpora de corruptione ad corruptionẽ, de morte ad vitã, de terræ puluere cælestẽ suscitabit ad gloriã: & suũ, qđ moriẽdo exuerat, corpus quale voluit reuocauit ad vitã: qđ cũ abolitis passionis indicijs ostendere discipulis posset, certę vtiq; dispensationis gratia passionis in eo maluit indicia reseruare: Primò videlicet, vt discipuli qui hæc videbant, manifestè possent dignoscere, nõ spiritum sine corpore, sed corpus esse spiritale qđ videbãt, certãq; fidẽ peractæ resurrectionis eius, certã spẽ futuræ omniũ hominũ resurrectionis mũdo prædicarent. Deinde, vt ipse Dominus & Deus noster Iesus Christus, qui in humanitate patrẽ interpellat ꝓ nobis, ostensis vulnerũ suorum cicatricibus, quãtùm pro humana salute laborauerit, ei perpetuò demõstret, miroq; & ineffabili nobis ordine, eum qui nil vnq̃ potest obliuisci, qui semper misereri paratus est, absq; intermissione admoneat, quàm cõgruè hominibꝰ misereatur, quorũ particeps naturę, doloris & passionis ipse Dei filius effectus sit, pro quibus ipse cõfligens, mortis imperiũ moriendo ꝓstrauerit. Tertiò, vt oẽs electi in perpetua beatitudine susceptí, vidẽtes in Deo ac Domino suo signa passiõis, nunquã illi gratias agere desistãt, per cuius mortẽ se viuere cognoscunt: sicq; fieri valeat, quod voce totius Ecclesiæ cantat prophetа in Psalmis: Misericordias Domini in æternum cãtabo. Ad extremũ, vt etiam reprobi in iudicio signa eiusdẽ passionis aspiciant, sicut scriptũ est: Videbunt in quẽ transfixerunt: ac se iustissimè damnandos intelligant, non solùm hi, qui ei impias intulere manus, sed & illi, qui vel susceptа eius mysteria pro nihilo contẽnunt, vel sibi oblata nunquã susciperе curarũt: vel etiã maiori impietate in eis, qui susceperãt, odijs ac persecutionibꝰ extinguere aut corrumpere laborãt. Non ergo fallit nos fides resurrectionis Christi, non decipit nos spes resurrectionis nostræ: quia Deus pater & Dominũ suscitauit, & nos suscitabit per virtutẽ suã. Et sicut alibi idem Apostolus ait: Quòd si spũs eius, inquit, qui suscitauit Iesũ à mortuis habitat in vobis: qui suscitauit Iesum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra per inhabitantẽ spiritũ eius in vobis. Quod de electis spiritualiter dictũ constat, quoniamquidẽ oẽs resurgemus, non aũt oẽs immutabimur, sed soli qui nunc sancti spiritus inhabitatione regũtur, tunc in æternæ vitæ beatitudine, maiori eiusdem spũs gratia subleuantur. Igitur Dominus ad confirmandã resurrectionis fidẽ, seipsum viuum discipulis præbuit, verba exhortationis attulit: vestigia passionis nõ solùm intuenda, sed & palpanda demonstrauit. Sed infirma adhuc eorum præcordia nouitatẽ tantæ potẽtiæ capere nequeunt, magisq; mirari præ gaudio quod videbant, q̃ credere quod docebãtur incipiũt. Verùm Dominus, ne quid in eorũ mẽte resideret ambigui, sumptis etiã epulis comedit corã eis, vt si visibus oculorũ, si suorũ tactibus nõ crederẽt digitorũ, vel alimentorũ carnaliũ perceptione carnẽ esse quæ apparuit cognoscerẽt. Qua in re fratres, caueuenda est hæresis stulta Cerinthianorũ, ne quis videlicet pueriliter desipiẽs, æstimet vel mediatoris Dei & Domini nostri corpꝰ excitatũ à mortuis, sustẽtaculo eguisse ciborum, vel nostra post resurrectionẽ corpora in vita & cõuersatione spiritali escis reficiẽda carnalibꝰ, vbi diuinæ contẽplatio claritatis esurire & sitire, sicut & bonorũ cæterorum penuriã pati, nullatenùs sinit. Vnde ardentissimus vitæ illius amator, de sua certꝰ deuotione, Deo spe lætabũdus loquitur: Ego autẽ cũ iustitia apparebo in cõspectu tuo, satiabor dũ manifestabitur gloria tua. Et Philippus eodẽ feruẽs amore: Domine, inquit, ostẽde nobis patrẽ, & sufficit nobis. Simpliciter itaq; & pie sentiendũ est, resuscitatũ à morte, & immortale iã factũ corpus dominicũ, nullam quidẽ necessitatẽ, attamen facultatem habuisse vescendi. Ideoq; vbi opportunitas probandæ substantiæ naturalis exigebat, cibis esse refectum: qui nimirum cibi nullum saginæ adiumentum, vt mortalium corporibus solẽt, illi præbuerint, sed quomodo in ignẽ missa

Ioan. 1.

Ioan. 20. Christus vulnerum signa resurgens retinuerit

Psal. 88.

Ioan. 19.

1. Cor. 6. Rom. 8.

1. Cor. 15.

Hæresis Cerinthi.

Psalm. 16

Ioan. 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

missa aqua, ita mox comesti, spirituali eius sint virtute absumpti. Sed & nostra post resurrectionem corpora cælesti gloria prædita, credendum est ad quicquid voluerint agendum esse potentia, ad perueniendum vbicunque libuerit esse promptissima. Sed quia tunc nulla manducandi necessitas vel vtilitas aliundè potest incurrere, nullarenus immortale seculum cibis mortalibus est fruiturum, vbi filijs resurrectionis non aliud esca & potus, quàm vita & salus, gaudium, pax, & omnia bona, quum illud nimirum fit, quod
Psal. 83. in Psalmo canitur: Beati qui habitant in domo
Ibid. tua Domine: in secula seculorum laudabunt te. Et iterum: Videbitur Deus deorum in Sion. Vnde & Apostolus illius seculi arcana describens,
1. Cor. 15. ait: Quando erit Deus omnia in omnibus. Expleta autem refectione, Dominus adhuc exhortationis monita subiunxit, dicens: *Hæc sunt uerba, quæ locutus sum ad uos, cùm adhuc essem uobiscum.* id est, cùm mortali adhuc & passibili carne vestri essem similis. *Quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & prophetis, & Psalmis de me.* Omnem magister veritatis tollit scrupulum simulationis, vndique veritatis iura confirmat. Videtur, palpatur, reficitur, sermo exhortationis per singula præbetur. Et ne solum eius testimonium minùs sufficere putaretur, etiam Moysi & prophetarum authoritas, qui eius incarnationem, passionem, & resurrectionem suis præsignauerunt scriptis, ad medium producitur. Ne verò ad intelligenda horum mystica dicta tardi fortè remanerent, sensum quoque illis, quò hæc intelligere possent, aperuit. Quo facto nil vltra priscæ dubietatis in eorum mente residere permisit, nec tamen illis adhuc rationem passionis ac resurrectionis suæ reddere destitit. Nam sequitur: *Et dixit illis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis die tertia, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes.* Ideò autem Christum pati & resurgere oportebat à mortuis, quia impossibile erat mundum saluari, nisi Deus homo veniret, qui in hominis habitu apparens, & homines quę essent diuina instrueret, & mortem vt homo susciperet, diuina virtute reuinceret: sicq; in se credentes, & ad contemptum subeundæ mortis accenderet, & certitudine sperandę resurrectionis ac vitæ perpetis animaret. Quo enim aptiùs exemplo poterant homines ad fidem participandæ gloriæ, & promerendæ vitæ immortalis erigi, quàm cùm ipsum Deum cognoscerent humanitatis ac mortalitatis suæ factum fuisse participem? Quo efficaciùs ordine ad toleranda pro sua salute aduersa quęque prouocarentur, quàm cùm authorem suum didicissent, pro eorum salute & innumera ab impijs genera probrorum, & ipsam mortis subijsse sententiam? Qua ratione congruentiùs spem resurrectionis acciperēt, quàm cùm eius se sacramentis ablutos & sanctificatos, eius corpori adunatos esse meminissent, qui pro ipsis morte gustata, citiùs exemplū resurgendi à morte præberet? Oportebat itaque pati CHRISTVM, & resurgere à mortuis die tertia. *Et prædicari, inquit, in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes.* Qui nimirum ordo erat necessarius, vt priùs pro salute mundi sanguis funderetur CHRISTI, postque per eius resurrectionem & ascensionem patefieret hominibus cælestis ianua regni: & sic demum mitterentur, qui cunctis per orbem nationibus verbum vitæ prædicarent, ac sacramenta fidei, quibus saluari, atque ad gaudia supernæ patriæ possent attingere, ministrarent, cooperante ipso mediatore Dei & hominum, homine CHRISTO Iesu, qui viuit & regnat cum patre in vnitate spiritussancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Passio & resurrectio Christi cur necessaria.

EADEM FERIA HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Stetit Iesus in medio discipulorum suorum, & dixit eis: Pax uobis. &c. Luc. 24.

LOquebantur discipuli de Iesu, & ea quæ viderant, in commune referebant, cùm statim ipse adfuit, & sua eos præsentia reddidit certiores. Semper enim in medio illorum est Iesus, qui piè loquūtur de eo, & qui congregātur in nomine eius. Vnde ipse ait: Vbi duo vel tres *Matt. 18.* congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Pacem aūt eis cōmendat, pacem eos habere persuadet, quia sine pace impossibile est placere Deo. In eis enim habitat Dominus, qui *Psalm. 75.* pacem & concordiam diligunt. Vnde Psalmista: Et factus est (inquit) in pace locus eius. Sequitur: *Ego sum, nolite timere.* Ego (inquit) sum, cognoscite vocem meam: non in spiritu, vt putatis, sed corporaliter me videtis. *Cōturbati enim & cōterriti, nō ipsum Dominū quē videbāt, sed spiritū se uidere putabant. Et dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda uestra?* Nihil est quod cogitetis, quia non phantasticum aliquid, sed veritatē videtis. Et protinùs eis manus & pedes ostendens, ait: *Videte manus meas, & pedes meos, quia ipse ego sum.* Cognoscite vel vulnerum cicatrices, si me nec in persona, nec in voce cognoscitis. *Palpate, & uidete, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me uidetis habere.* Ideò enim suorum vulnerum cica- *Vulnerum cicatrices cur Christus seruarit.*
trices Dominus reseruauit, vt in eis discipulorū suorum corda sanaret, & in seipso ostendendo vulnera carnis, sanaret in eis vulnera mentis. Sciebat enim quòd Apostolus Thomas aliquando dicturus esset: Nisi videro in manibus *Ioan. 20.* eius figuram clauorum, & mittam digitum meū in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Propter hoc igitur cicatrices delere noluit, quas si voluisset, omnimo dò delere potuisset. Nemo autem hinc argumētando, nos cum omnibus nostri corporis cicatricibus resurgere arbitretur: quoniam nihil in sanctorum resurget corporibus, quod inconueniēs vel indecens videatur. *Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid, quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis.* Hoc igitur offeramus & nos, semper hæc oblatio inueniatur in nobis. Hoc enim cibo ipse delectatur, quia in hoc cibo nostra fides continetur. In quo Christi passio & resurrectio, in quo & vitæ nostræ perfecta forma significatur. Quia enim & de ipsius passione dolemus, & iterùm de eiusdem resurrectione gaudemus, vtiq; offerimus ei & piscem assum pro passione, & fauum mellis pro resurrectione. Nam & beatus Paulus piscem assum ei offerebat, cùm diceret:
1. Cor. 9. Castigo corpus meum & in seruitutem redigo,
2. Cor. 11. ne fortè cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Iremq;: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? Multum enim ille piscis assatur, qui pro omnibus vritur. Oēs enim pisces sumus, quicunq; in baptismo natauimus. Offerimus aūt & Domino fauū mellis, quando eius amoris dulcedine pleni, si-
Psal. 118. mul cum Psalmista dicimus: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & fauū ori meo? Hoc enim cibo nobiscum reficitur Iesus, quo & ipse delectatur, & mentes nostræ pinguescunt. Vnde & subditur: *Et cùm manducasset coram eis, sumens reliquias, dedit eis.* Christi nāq; reliquias sumimus, si eum imitamur & eius sermonem. Eius nanq; reliquiæ sunt hæc euangelia, quæ ad comedendum & agendum ipse nobis reliquit. His enim mēs nutritur, reficitur anima, pinguescit intellect⁹. Vnde & subditur: *Hæc sunt uerba quæ locutus sum ad uos, cùm adhuc essem uobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & prophetis, & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas.* Dedit igitur eis reliquias, dedit & dentes, quibus eas comedere possunt. Has enim comedere nequeunt, quibus sensus diuinitùs non aperitur. *Et dixit eis: Quoniam sic scriptum est.* Quod vos quidem, quia vsq; nunc scripturas non intelligebatis, sicut scriptum est, esse nesciebatis. *Et sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis die tertia, & prædicari in nomine eius pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem. Vos autem estis testes horum.* Vobis prædicantibus, testantibus, vbi hęc omnia firmabūtur. *Et ego mittam promissum patris mei in uos.* De quo
Act. 2. propheta: Erit (inquit) in diebus illis, effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt. *Vos autem sedete in ciuitate, quoad usq; induamini uirtute ex alto.* Nemo igitur ab Ecclesia recedat, quicunq; hac virtute indui desiderat. Hæc enim virtus nulli datur, qui extra hanc ciuitatem inuenitur. Vnde & sacri canones negant hæreticos dare posse Spiritum sanctum. Ideoque à catholicis consignari præcipiunt, qui ab eis baptizati sunt.

Piscis assus & fauus mellis semper offerendus.

Christi reliquiæ.

Hæretici nō possūt dare Spiritū sanctū.

FERIA IIII. PASCHAE, Ioannis XXI.

In illo tempore: Manifestauit se iterum Iesus discipulis suis ad mare Tiberiadis. Manifestauit autem sic. Et reliqua. Homilia beati Gregorij Papæ.

LEctio sancti euangelij, quę modò in auribus vestris lecta est, fratres mei, quæstione animū pulsat, sed pulsatione sua vim discretionis indicat. Quęri etenim potest, cur Petrus, qui piscator ante cōuersionē fuit, post cōuersionē ad piscationē redijt: & cū veritas dicat, Nemo *Luc. 9.* mittens manū suam ad aratrum, & aspiciens retrò, aptus est regno Dei: cur repetijt quod dereliquit? Sed si virtus discretionis inspicitur, citò videtur, quia nimirùm negocium quod ante conuersionem sine peccato extitit, hoc etiā post conuersionem repetere culpa non fuit. Nam piscatorem Petrum, Matthæum verò telonarium scimus. Et post conuersionem suam ad piscationem Petrus redijt: Matthæus verò ad telonei negocium non resedit: quia aliud est victum per piscationē quærere, aliud telonei lucris pecunias augere. Sunt enim pleraq; negocia, quæ sine peccatis exhiberi aut vix, aut nullatenùs possunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc necesse est vt post conuersionem animus non recurrat. Quæri etiā potest, cur discipulis in mari laborantibus, post resurrectionem suam Dominus in litore stetit, qui ante resurrectionem suam coram discipulis in fluctibus maris ambulauit. Cuius rei ratio festinè cognoscitur, si ipsa, quæ tunc inerat, causa pensetur. Quid enim mare, nisi præsens seculū *Mare, præsens seculum.* designat, quod se †casuum tumultibus, & vndis vitæ corruptibilis illidit? Quid per soliditatē lito *lum.* ris, nisi illa perpetuitas quietis æternæ figuratur? *†causarū.* Quia igitur discipuli adhuc fluctibus mortalis vitæ inerant, in mari laborabant. Quia autem redemptor noster iam corruptionem carnis excesserat, post resurrectionem suam in litore stabat: ac si ipsum resurrectionis suæ mysterium rebus discipulis loqueretur, dicens: Iam vobis in mari non appareo, quia vobiscum in perturbationis fluctibus non sum. Hinc est, quòd in alio loco post resurrectionem suam eisdem discipulis dicit: Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cùm *Luc. 24.* adhuc essem vobiscum. Neq; enim cum ipsis nō erat, quibus præsens corporaliter apparebat. Sed tamen tam se cum ipsis esse denegat, à quorum mortali corpore carnis immortalitate di-

Universidad de Deusto
Biblioteca

stabat. Quòd illic cum ipsis positus fatetur, non se esse cum ipsis, hoc quoq; hic situ corporis indicat, cùm adhuc eis nauigantibus esse se iam in litore demonstrat. Facta est autem discipulis piscationis magna difficultas, vt magistro vemente fieret admirationis magna sublimitas. Qui protinùs dixit: *Mitte in dexteram nauigij rete, & inuenietis.* Bis in sancto euangelio legitur, quia Dominus iussit vt ad piscandum retia mitterentur, ante passionem videlicet, & post resurrectionem. Sed priusquàm redemptor noster pateretur & resurgeret, mitti quidem rete ad piscandum iubet, sed vtrùm in dexteram, an in sinistram mitti debuisset, non iubet. Post resurrectionem verò discipulis apparens, mitti rete in dexteram iubet. In illa piscatione tanti capti sunt, vt retia rumperentur: in ista autem & multi capti sunt, & retia tamen rupta non sunt. Quis verò nesciat bonos in dextera, ac malos in sinistra figurari? Illa igitur piscatio, in qua specialiter in quâ partem mitti rete debeat non iubetur, præsentem Ecclesiam designat, quæ bonos simul & malos colligit, nec eligit quos trahat, quia quos eligere possit, ignorat. Hæc autem piscatio post Domini resurrectionem facta, in solam dexteram missa est: quia ad videndum claritatis ipsius gloriâ sola electorum Ecclesia pertingit, quæ de sinistro opere nihil habebit. In illa piscatione præ multitudine piscium rete rumpitur, quia nunc ad fidei confessionem, etiam cum electis reprobi tanti intrant, qui ipsam quoq; Ecclesiam hæresibus scindant. In ista verò piscatione, & multi pisces & magni capiuntur, & rete non rumpitur, quia sancta electorum Ecclesia in continua authoris sui pace requiescès, nullis iam dissensionibus dilaniatur. *Captis autem tam magnis piscibus, ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram.* Iam credo, quòd vestra charitas aduertat, quid est, quòd Petrus rete ad terram trahit. Ipsi quippe sancta Ecclesia est commissa: ipsi specialiter dicitur: Simon Ioannis, amas me? pasce oues meas. Quod ergo postmodum aperitur in voce, hoc modò signatur in opere. Quia igitur prædicator Ecclesiæ nos à mundi huius fluctibus separat, nimirũ necesse est, vt rete plenum piscibus Petrus ad terram ducat. Ipse enim pisces ad soliditatem litoris pertrahit, quia sanctæ prædicationis voce, stabilitatem æternæ patriæ fidelibus ostendit. Hoc egit verbis, hoc epistolis, hoc agit quotidiè miraculorum signis. Quoties enim per eum ad amorem quietis æternæ conuertimur, quoties à terrenarum rerum tumultibus separamur, quid aliud quàm missi intra rete fidei, vt pisces, ad litus trahimur? Sed cùm rete magnis piscibus plenum dicitur, additur & quantis, scilicet centum quinquaginta tribus. A magno mysterio numerus non vacat, sed intentos vos tanti mysterij, & sunditas expectat. Neque etenim quantitatis summam solerter euangelista exprimeret, nisi hanc sacramento plenam esse iudicasset. Scitis nanque, quòd in testamento veteri omnis operatio per decalogi mandata præcipitur. In nouo autem eiusdem operationis virtus per septiformem gratiam spiritus sancti multiplicatis fidelibus datur: quem propheta denuncians, dicit: Spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini. Sed ille in hoc spiritu operationem percipit, qui fidem trinitatis agnoscit, vt & patrem & filium & eundem spiritum sanctum vnius virtutis credat, vnius substantiæ esse fateatur. Quia igitur septem, quæ superiùs diximus, per nouum testamentum latiùs data sunt, decẽ verò per vetus præcepta, omnis nostra virtus & operatio per decem & septem potest plenè comprehendi. Ducamus ergo per trigonum decem & septem, & veniunt quinquaginta & vnum. Qui profectò numerus à magno mysterio non vacat, quia in testaméto veteri legimus, quòd annus quinquagesimus Iubileus vocari iussus est, in quo videlicet cunctus populus ab omni operatione quiesceret. Sed vera requies in vnitate est, diuidi quip vnum non potest. Vbi enim scissura diuisionis est, vera requies non est. Ducamus igitur per trigonum quinquaginta & vnum, & fiunt centum quinquaginta tres. Quia igitur omnis nostra operatio, in fide Trinitatis exhibita, ad requiem tendit, decem & septem ter ducimus, vt ad quinquaginta & vnum venire debeamus. Et quia vera nostra requies tunc est, cùm ipsam iam claritatem Trinitatis agnoscimus, quam in vnitate diuinitatis esse certum tenemus: quinquaginta & vnum ter ducimus, & electorum summam in superna patria, quasi centum quinquaginta trium piscium, numerum tenemus. Post resurrectionem ergo Domini missum rete dignum fuit, vt tot pisces caperet, quot solummodò electos ciues supernæ patriæ designarent. Inter hæc verò, & hesterna sancti euangelij lectio, & hodierna nos admonet, vt vigilanter debeamus inspicere, cur Dominus & redemptor noster post resurrectionem suam piscem assum legitur comedisse. Non enim vacat à mysterio, quod iteratur in facto. In hac etenim lectione panem, & assum piscem: in illa verò, quæ hesterna die lecta est, cum asso pisce etiam fauum mellis comedit. Quid autem signare piscem assum credimus, nisi ipsum mediatorem Dei & hominum passum? Ipse enim latere dignatus est in aquis generis humani, capi voluit laqueo mortis nostræ, & quasi tribulatione assatus est tempore passionis suæ. Sed qui piscis assus fieri dignatus est in passione, fauus mellis nobis extitit in resurrectione: & qui in pisce assos figurari voluit tribulationem passionis suæ, in fauo mellis vtranque naturam exprimere voluit personæ suæ. Fauus quippe, mel in cera est: mel

Luc. 5.

Boni, dextra. Mali, sinistra.

Petrus rete trahit ad litus.

Pisces 153. mysticè.

Ioan. 21.

mel verò in cera, est diuinitas in humanitate. Quod ab hac quoque lectione non discrepat: nam piscem comedit & panem. Qui enim assari vt piscis potuit ex humanitate, pane nos reficit ex diuinitate, qui ait: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Assum ergo piscem comedit & panem, vt ipso suo cibo nobis ostenderet, quia & passionem ex nostra humanitate pertulit, & refectionem nostram ex sua diuinitate procurauit. Quod si vigilanter inspicimus, nobis quoque qualiter ad imitandum congruit videmus. Sic enim sua facta redemptor indicat, vt imitationis viam nobis sequentibus sternat. Ecce in cibo suo Dominus noster pisci assо coniungere fauum voluit, quia videlicet illos in suo corpore ad æternam quietem suscipit, qui cùm hic tribulatiõnes pro Deo sentiunt, ab amore internæ dulcedinis non recedunt. Cum asso pisce fauus sumitur, quia qui hic afflictionem pro veritate suscipiunt, illic dulcedine vera satiantur. Notandum quoque, quòd vltimum conuiuium Dominus cum septem discipulis habuisse describitur. Petrus nanque & Thomas, Nathanaël, filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo, in eo fuisse memorantur. Cur autem cum septem discipulis vltimum cõuiuium celebrat, nisi quòd eos tantummodò, qui septiformi gratia spiritus sancti pleni sunt, futuros secum in æterna refectione denunciat? Septem quoque diebus omne hoc tempus euoluitur, & sæpè septenario numero perfectio designatur. Illi ergo vltimo conuiuio de præsentia veritatis epulantur, qui nunc perfectionis studio terrena transcendunt, quos mundi huius amor non ligat, quibus & si vtcunque per tentamenta obstrepit, cœpta tamen eorum desideria non retundit. De hoc extremo conuiuio aliàs per Ioannem dicitur: Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt. Idcircò enim non ad prandium, sed ad cœnam vocatos narrat, quia nimirum in fine diei conuiuium, cœna est. Qui ergo finito præsentis vitæ tempore, ad refectionem æternæ contemplationis veniunt, non ad agni prandium, sed ad cœnam vocantur. Quæ videlicet cœna hoc vltimo conuiuio exprimitur, cui septem discipuli adesse memorantur: quia illos, vt diximus, tunc interna refectio reparat, qui pleni nunc septiformi gratia in amore spiritus anhelant. Hæc ergo vobiscum fratres agite, huius spiritus repleri præsentia desiderate: quid vos sequi in futurum possit, ex præsenti perpendite. Pensate si hoc spiritu pleni estis, & nostis, si ad illud conuiuium peruenire valeatis. Quisquis nanque ille est, quem nunc spiritus iste non reparat, profectò ab illa æterni conuiuij refectione ieiunat. Memento quid de eodem spiritu Paulus dicat: Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. Quasi quidam titulus diuinæ possessionis, est iste spiritus amoris. Nunquid nam spiritum Christi habetis, cuius mentem odia dissipant, elatio inflat, ira vsque ad diuisionem mentis exasperat, auaritia cruciat, luxuria eneruat? Pensate quis sit spiritus Christi. Profectò ille, qui facit amicos & inimicos diligi, terrena despici, pro cælestibus æstuari, carnem propter vitia conteri, mentem à concupiscentijs refrenari. Si ergo vultis ius cognoscere possessionis Dei, personam perpendite possessoris vestri. Ecce enim quod diximus, voce veridica Paulus clamat: Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. Ac si apertè dicat: Qui nunc Deo inhabitante non regitur, de diuinæ claritatis specie postmodùm nõ lætatur. Sed nos tamen, si ad hæc quæ dicta sunt infirmamur, necdum culmen perfectionis attingimus, in via Dei quotidiè sancti desiderij gressus ponamus. Consolatur nos veritas, quæ per Psalmistam dicit: Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur. Non omnino erit nobis noxia nostra imperfectio, si in Dei itinere constituti, & ad transacta non respicimus, & ea quæ restant, transire festinamus. Nam qui imperfectorum desideria dignanter inflammat, hæc quandoq; ad perfectionem roborat, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum eo viuit & regnat Deus in vnitate spiritus sancti, per omnia secula seculorum, Amen.

Ioan. 6.

Vltimum Domini conuiuiũ.

Apoc. 19.

Cœna Agni.

Rom. 8.

Rom. 8.

Psal. 138.

EADEM FERIA IIII.

Paschæ, Sermo sancti Augustini.

† prædicatio. Est Sermo 5. inter eos, qui Louanij separatim excusi sunt Anno 1564.

LIberatoris nostri † piscatio, nostra est liberatio. Duas autem aduertimus in sancto euangelio Domini piscationes, id est, quando ad verbum ipsius missa sunt retia. Vnam priùs, quando discipulos elegit: & hanc alteram, quando à mortuis resurrexit. Illa piscatio significauit Ecclesiam, qualis modò est: ista verò post resurrectionem Domini significauit Ecclesiam, qualis futura est in fine seculi. Denique in illa priore piscatione iussit mitti retia, & non dixit in quam partem, sed tantummodò vt mitterentur præcepit. Miserunt discipuli. non dictum est, in dexteram: non dictum est, in sinistram. Pisces enim, homines significabant. Si ergo diceretur, in dexteram, soli boni futuri erant: si diceretur, in sinistram, soli mali. Quia verò permixti futuri erant in Ecclesia, & boni & mali, sine differentia missa sunt retia, vt caperentur pisces, significantes mixturam bonorum & malorum. Deinde & hoc ibi scriptum est, quia tantum piscium ceperunt, vt duæ nauiculæ mergerentur, hoc est, ad submersionem premerentur. Non enim submersa sunt illa duo nauigia, sed periclitata. Vnde periclitata? Multitudine piscium. Significatum est hinc, quia per multitudinem,

Luc. 5.

Pisces, homines.

Ibid.

dinem, quam collectura erat Ecclesia, periclitatura erat disciplina. Et hoc adiunctum est in illa piscatione, atque narratur, quia & retia præ multitudine piscium dirupta sunt. Dirupta retia quid significauerunt, nisi futura schismata? Tria ergo ista in illa piscatione significata sunt, mixtura bonorum & malorum, pressura turbarum, separationes hæreticorum. Mixtura bonorum & malorum, quia nec in dexteram nec in sinistram missa sunt retia. Pressura turbarum, quia tantum captum est, vt naviculæ premerentur. Separationes hæreticorum, quia tanta fuerat multitudo, vt retia rumperentur. Respicite nunc ad istam piscationem, quæ hodiè recitata est. Facta est enim post resurrectionem Domini, vt significaret talem futuram Ecclesiam post nostram resurrectionem. Mittite, inquit, rete in dexteram partem. Discretus est ergo numerus eorum, qui ad dexteram stabunt. Meministis enim Dominum dixisse, venturum se esse cum angelis suis, & quòd congregabuntur ante eum omnes gentes, & diuidet eas sicut pastor diuidit oues ab hœdis. Oues ponet ad dexteram, hœdos ad sinistram. Quibus dicturus est: Venite, percipite regnum. Hœdis dicturus est, Ite in ignem æternum. *Mittite in dexteram.* Tanquam diceret: Iam resurrexi. Ecclesiam volo significare, quæ erit in resurrectione mortuorum. Mittite in dexteram. Missa sunt retia in dexteram, nec poterant ea leuare præ multitudine piscium. Et ibi dicta est multitudo, sed hic certus numerus, & multitudo, & magnitudo: ibi autem non est dictus numerus. Modò enim antequam veniat resurrectio, & separentur boni à malis, illud impletur, quod ait propheta: Annunciaui & locutus sum. Quid est, Annunciaui & locutus sum? Retia misi. & quid? Multiplicati sunt super numerum. Est numerus, sunt super numerum. Numerus ad sanctos pertinet, qui sunt regnaturi cum Christo. Super numerum modò in Ecclesiam intrare possunt, in regnum cælorum non possunt. Quare admoneo, vt eripiatis vos de præsenti seculo malo. Quare admoneo, vt qui vultis viuere, non imitemini malos Christianos. Non dicatis: Quare? Ille non fidelis est, & inebriatur? Quare? Ille non fidelis est, & concubinas habet? Quare? Ille non fidelis est, & quotidiè fraudes facit? Quare? Ille non fidelis est, & mathematicos consulit? Modò enim qui volueritis esse grana, tunc inueniemini cum massa. Qui autem volueritis esse palea, inueniemini in magno aceruo, sed magno igne incendendo. Quid ergo? Adduxerunt, inquit, retia ad litus. Petrus attraxit retia ad litus. Modò cùm euangelium legeretur, audistis. Vbi audistis litus, intelligite finem maris: vbi audistis finem maris, intelligite finem seculi. In illa piscatione non ad litus attracta sunt retia, sed ipsi pisces qui capti sunt, in nauiculas fusi sunt. Hic autem traxerunt ad litus. Spera finem seculi. Venturus est finis, bono dextrorum, malo sinistrorum. Attraxerunt, inquit, retia habentia pisces centum quinquaginta tres. Et adiecit euangelista rem necessariam: Et cùm tam magni essent, non est scissum rete. Magni erunt, sed hæreses non erunt. & ideò magis hæreses non erunt, quia magni erunt. Qui sunt magni? Lege verba ipsius Domini in euangelio, & inuenies magnos. Ait enim quodam loco: Non veni le- *Matth. 5.* gem soluere & prophetas, sed adimplere. Amen enim dico vobis, quòd quicunque soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit. Soluerit malè viuendo, & docuerit. Soluerit & docuerit bona docendo: minimus vocabitur in regno cælorum. Sed in quo regno cælorum? In Ecclesia, quæ modò est, quia & ipsa vocatur regnum cælorum. Nam si non vocaretur regnum cælorum & ista Ecclesia, quæ colligit malos & bonos, non diceret ipse Dominus in parabola loquens: Simile est regnum *Matt. 13.* cælorum sagenæ missæ in mare, & congregat omnia genera piscium. Sed quid sequitur: Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare. Sagena, retia sunt, congregat omnia genera piscium. Sed quid? Trahunt illa ad litus. Hoc in parabola Dominus dicit. Et cùm traxerint ad litus, sedent & colligunt bonos in vascula, malos autem proijciunt. Et exposuit, quod proposuit. quid enim ait? Sic erit in consummatione seculi. Intellexistis litus? Veniunt, inquit, angeli, & colligunt malos de medio iustorum, & mittunt in caminum ignis ardentibus: ibi erit fletus, & stridor dentium. Tamen regnum cælorum est appellata Ecclesia: & quia mare habet pisces simul natantes & bonos & malos, in isto regno cælorum, id est, in Ecclesia huius temporis, minimus vocatur ille, qui docet bona, & agit mala, quia ibi est & ipse. Non enim non est ibi: ibi est in regno cælorum, id est, in Ecclesia, qualis est isto tempore. Docet bona, agit mala. Necessarius est, mercenarius est. Amen dico vo- *Matt. 6.* bis, ait, perceperunt mercedem suam. Prodest aliquid. Nam si nihil prodessent, qui bona docent, & malè viuunt, non diceret ipse Dominus suo populo: Scribæ & Pharisæi cathedram Moy- *Matt. 23.* si sedent: quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite. Quare? Dicunt enim, & non faciunt. Intendat ergo charitas vestra. Volo e- *Matt. 5.* nim exponere, qui sint pisces magni. Qui soluerit (inquit) vnum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum: ibi erit, sed minimus erit. Qui autem fecerit & docuerit sic, magnus vocabitur in regno cælorum. Ecce, *Magni pisces qui sint.* isti sunt illi pisces magni, ad dexteram capti. Qui fecerit, & sic docuerit. Bona fecerit, bona docuerit, non sibi loquenti malè viuendo contradixerit, cùm malæ vitæ testem habeat linguam bonam. Qui ergo fecerit & sic docuerit, magnus

Dirupta retia, schismata.

Ioan. 21.

Matt. 25.

Psalm. 39.

nus vocabitur in regno cælorum. Et sequitur: Dico enim vobis, quia nisi abundauerit iustitia vestra super scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Modò quomodo intelligitis regnum cælorum? Illud, vnde dicitur *Matt. 25.* dextris: Venite benedicti patris mei, percipite regnum. Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Quid est, Plùs quàm scribarum & Pharisæorum? Respice scribas illos & pharisæos, qui cathedram Moysi sedent, de quibus dictum est, Quæ dicunt, facite: quæ autem faciũt, facere nolite. dicunt enim, & non faciunt. Ergo iustitia pharisæorum est, dicere, & non facere. Abundet iustitia vestra super scribarum & pharisæorum, vt & bona dicatis, & benè viuatis. Iam ergo de numero centum quinquaginta trium piscium quid opus est eadem retexere? Nostis illa. A decem & septem nascitur numerus crescens. Incipe ab vno, perueni ad decem & septem, vt omnes addas, id est, vnum addas ad duos, & fiant tres. addas tres, & fiant sex: addas quatuor, & fiant decem: sic oẽs adde vsq; ad decẽ & septem, & peruenis ad centum quinquaginta tres. Tota ergo intẽtio nostra esse non debet, nisi quid sibi volunt decem & septẽ. ibi est enim fundamentũ centum quinquaginta trium. Quid sibi volunt decem & septem? In lege agnosce de- *Exod. 20.* cem. Decem præcepta data sunt prima. Decalogus dicitur scriptus in tabulis digito Dei. In decem agnosce legem, in septem agnosce spiritum sanctum. Septenario enim numero commendatur spiritus sanctus. Ideò in lege non nominatur sanctificatio, nisi septimo die. Fecit *Genes. 1.* Deus lucem, non dictum est, sanctificauit eam. Fecit firmamentum, non dictum est, sanctificauit firmamentum. Discreuit mare à terra, iussit germinare terram: non dictum est, sanctificauit eã. Fecit lunam & sydera, non dictũ est sanctificauit. Iussit animalia procedere de aquis natantia & volantia, non dictum est, sanctificauit. Iussit de terra exire animalia quadrupedia & omnia reptantia, non dictum est, sanctificauit. Fecit ipsum hominem, non dictum est, sanctificauit. Ventum est ad septimum diem, vbi requieuit, & ipsum sanctificauit. Per requiem suam Deus sanctificauit requiem nostram. Ibi ergo erit sanctificatio nostra plena, vbi cum illo sine fine requiescamus. Nam quare Deus requiesceret? Non enim operando fatigatus est. Tu si verbo facias, non fatigaris. Si iubeas, & continuo fiat, stas, integer manes. Pauca verba dixit, vnde totum fecit, & subitò lassatus est? Ergo legem agnosce in decem, spiritum sanctũ agnosce in septem. Iungatur spiritus legi: quia si acceperis legem, & defuerit tibi adiutorium spiritus, non imples quod legis: non imples quod iubetur tibi, sed homo sub lege insuper præuaricator tenetur. Accedat spiritus, adiuuet: & fit quod iubetur. Si desit spiritus, litera occidit te. Quare litera occidit te? Quia præuaricatorem te faciet, nec potes te excusare de ignorantia: quia legem accepisti, iam quod faceres didicisti. Ignorantia te non excusat, spiritus te non adiuuat, ergo perijsti. Sed quid ait Apostolus? Litera occidit, spiri- *2. Cor. 3.* tus autem viuificat. Vnde spiritus viuificat? Quia facit impleri literam, ne occidat. Isti sunt sancti, qui faciunt legem Dei ex dono Dei. Lex iubere potest, iuuare non potest. Accedit adiutor spiritus, & fit iussum Dei cum gaudio, cum delectatione. Nam multi faciunt ex timore. Sed qui faciunt legem timendo pœnam, mallent non esse quod timerent. Qui autem faciunt legem, amando iustitiam, gaudent ibi, quia non habent inimicam. Ideò dicit Dominus: Concorda cum *Matth. 5.* aduersario tuo citò, dum es cum illo in via. Quis est aduersarius tuus? Sermo legis. Quæ est via? vita ista. Quomodò est ille aduersarius? Dicit, Non mœchaberis, & tu vis mœchari. Dicit, Non concupisces rem proximi tui, & tu vis rapere res alienas. Dicit, Honora patrem & matrem, & tu contumelioſus es in parentes. Dicit lex, Noli dicere falsum testimonium, tu à mendacio non recedis. Quando vides, quia ille sermo aliud iubet, & tu aliud facis, est aduersarius tuus. Aduersarium habes malum, non tecum intret in secretarium: compone, dum es cum illo in via. Adest Deus, qui vos concordet. Quomodò vos concordat Deus? Donando peccata, & inspirando iustitiam, vt fiant opera bona. Cùm ergo concordaueris cum aduersario tuo, id est, cum decalogo legis per spiritum sanctum, pertinebis ad decem & septem. Cùm pertinueris ad decem & septem, iam exinde excrescet numerus ad centum quinquagintatres. Eris ad dextram coronãdus, ne remaneas ad sinistram damnandus.

Sanctificatio nostra plena.

EADEM FERIA HOMILIA EVSEBII Emesent.

Manifestauit se Iesus discipulis suis ad mare Tiberiadis. Manifestauit autem sic, &c. Ioann. 21.

QVid est enim, quod Apostolus Petrus de piscatione à Domino vocatus, ad piscationem iterum redit? similiter autem & filij Zebedęi? Ipsi enim sunt, quibus Dominus dixerat: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. In hoc igitur ostenditur, in his & similibus victum quærere quotidianum, non esse peccatum. Vnde & Apostolus proprijs manibus laborans, vnde viuat, cæteros quoque ad laborandum inuitat, dicens: Laboret vnusquisque operando manibus suis *Ephe. 4.* quod bonum est, vt habeat, vnde tribuat necessitatem patientibus. *Exierunt & ascenderunt nauem, &*

Universidad de Deusto
Biblioteca

illa nocte nihil prendiderunt. Quia in nocte nihil laborabant, & nondum ad eos venerat Iesus. Insuper quia per se ad piscandum venerant, & ab alio missi non fuerant. Eos enim adhuc significabant, qui non ex præcepto canonum, sed proprio arbitrio Ecclesiam prædicare & regere vellent. Tales enim, pisces Dei fugiunt, & eorum retia intrare, eorumque prædicationes audire dedignantur. *Mane autem iam facto, stetit Iesus in litore, non tamen cognouerunt discipuli, quia Iesus est.* Ecce iam aliud significare incipiunt: quia iam non in nocte laborant, ad diem veniunt, & Dominum vident. *Dicit ergo eis Iesus: Pueri, numquid pulmentarium habetis? Respondérunt ei: Non. Dicit eis: Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis.* Ac si diceret: Ego hac vice non misi vos: in nocte venistis: sinistrorsum laborastis, nihil prendidistis: nunc ergo mittite in dextram nauigij rete, ex meo præcepto laborate, meam doctrinam prædicate: nesciat sinistra vestra, quid faciat dextra vestra, & inuenietis. In dextera igitur piscari, est veram & catholicam doctrinam syncero affectu & mundo corde prædicare. Piscatores enim Apostoli sunt, prædicatores, & doctores: retia verò hæc, Euangelia, omnisque sermo diuinus. Pisces autem, omnes fideles intelliguntur. Tales enim pisces in baptismatis flumine natant, tales retibus Euangelij & amore fidei rapiuntur. *Miserunt ergo, & iam non ualebant illud trahere præ multitudine piscium.* Magnum miraculum: per totam noctem laborantes nihil ceperunt, & tam subitò ad Domini iussionem tanta piscium conuenit multitudo. Possumus aût per hanc primam & nocturnam piscationem, intelligere eam, quam tunc apud Iudæos Apostoli habuerunt, quando eis nolentib⁹ credere Apostol⁹ ait: Vobis primũ oportuit prædicari verbũ Dei: sed quia repulistis illud, & indignos vos fecistis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Quid est enim: Ecce conuertimur ad gentes, nisi quod hic dicitur, Mittite in dexteram nauigij rete? Quia enim pisces Iudaici fluminis, Apostolorum retia intrare noluerunt, ad flumina gentium Apostoli missi sunt. Et tunc quidem doctores piscantur in nocte, quando auditores interiùs excæcati veritatem non intelligunt. Miserunt ergo ad dexteram nauigij rete, & iam nõ valebant illud trahere præ multitudine piscium. Hoc est enim, quod Psalmista ait: Annunciaui & loquutus sum, multiplicati sunt super numerum. Quo viso miraculo, *discipulus ille quem diligebat Iesus, dixit Petro, Dominus est. Simon ergo Petrus, cùm audisset quia Dominus esset, tunica succinxit se, (erat enim nudus) & misit se in mare.*

Vbique Petrus feruentioris fidei, & maioris dilectionis inuenitur. *Alij autem discipuli nauigio uenerunt, non enim longè erant à terra.* Quid enim per hanc terram, nisi terram viuentium intelligimus? à qua isti non longè erant, quia corporeis vinculis resoluti, citò illuc ituri erant. *Quasi cubitis ducentis, trahentes rete piscium.* Cẽtenarius numerus perfectus est, qui tunc quidem duplicatur, quando sermone & opere adimpletur. Trahunt igitur doctores rete piscium cubitis ducentis, quando & sermone & opere post se ad æternam vitam ducunt audientes. *Vt ergo descenderunt in terram, uiderunt prunas positas, & pisces superpositos & panes.* Hoc enim cibo Christi piscatores & prædicatores semper recreantur, & vires suscipiunt, quotiescunque fatigati ab hoc opere redeunt. Quoties enim prunas, & piscem super prunis positum, & panem vident, quoties Christi passionis recordantur, toties laboris & fatigationis, & omnium suarum angustiarum obliuiscuntur. Quid est enim piscis prunis assus, nisi Christus in cruce passus? Quid est panis, nisi Euangelica prædicatio, qua eos Dominus resicere solebat, dicens: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. His enim Apostoli recreantur, his animantur & satiantur, & ad laborem iterùm incitantur. *Dicit eis Iesus: Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc.* Semper enim Apostoli & doctores pisces Domino offerunt, semper exemplo & doctrina fidelium animas ad eum ducunt. Vnde & subditur: *Ascendit ergo Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piscibus, centum quinquaginta tribus. Et cùm tanti essent, non est scissum rete.* Boni pisces erant isti, à quibus rete scissum non est. Mali pisces, hæretici & schismatici, qui Euangeliorum retia quotidiè scindunt. Sed quid per centum quinquaginta & tres pisces, nisi omnes baptizatos & fideles intelligimus? Hoc enim significant tres, quod centum quinquaginta. Si enim in æquas partes centum quinquaginta diuidamus, tres & non amplius quinquagenæ fiunt. Tres enim sunt mundi partes, quæ per tres pisces, & tres quinquagenas significantur, Asia videlicet, Aphrica, & Europa. Inde est, quòd mulier abscondit fermentum in tribus satis farinæ, donec fermentaretur. Inde est, quòd in cruce titulus Hebraicè, Græcè & Latinè scribitur. Capiunt igitur Apostoli tres pisces & centum quinquaginta, quoniam eorum exemplo & sermone ducuntur, quicunque ex his tribus mundi partibus ad Ecclesiam veniunt. Meritò denique centum quinquaginta & tres pisces capti referuntur, quoniam in huius numeri sacramento, id est, in fide Trinitatis, omnes Christiani in baptismate fidei retibus capiuntur. *Dicit eis Iesus: Venite, prandete. Et nemo audebat discumbentium interrogare eum: Tu quis es? scientes quia Dominus est. Et uenit Iesus, & accepit panem, & dabat eis. Et piscem similiter.* Quotidiè nos Dominus ad prandium inuitat, quotidiè nobis & panem & piscem apponit, quotidiè cibum Euangelicum & sui corporis & sanguinis administrat. Dum hæc enim Euangelia legimus, sui panis cibo nos interiùs reficit. Hic & piscem assum nobis tribuit, quia qualiter pro nobis passus est, hic inuenimus. Nec benè Christi retia trahere possunt,

Non missi, non debẽt prædicare.

In dextra piscari quid sit.

Actor. 13.

Piscari in nocte.

Psalm. 39.

Numerus cẽtenarius.

Contẽplatio passionis Christi quid præstet.

Matt. 10.

Mali pisces.

Matt. 13.

Ioan. 19.

sunt, qui his cibis assiduè non reficiũtur. *Hoc iam tertiò manifestatus est Iesus discipulis suis, cùm resurrexisset à mortuis.* De illis hic manifestationibus loquitur, quæ vel omnibus, vel pluribus in vnũ collectis factæ sunt.

FERIA QVINTA PASCHAE, Ioan. XX.

In illo tempore: Maria stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum. Et reliqua. Homilia Gregorij Papæ.

MAria Magdalene, quæ fuerat in ciuitate peccatrix, amando veritatem, lauit lachrymis maculas criminis, & vox veritatis impletur, qua dicitur: Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Quæ enim priùs frigida peccando remanserat, postmodũ amando fortiter ardebat. Nam postquã venit ad monumentũ, ibiq; corp⁹ Dominicũ non inuenit, sublatũ credidit, atq; discipulis nunciauit. Qui venientes viderunt, atq; ita esse vt mulier dixerat, crediderunt. Et de eis protinùs scriptũ est: Abierunt ergo discipuli ad semetipsos. Ac deinde subiungitur: *Maria autem stabat ad monumentum foris plorans.* Qua in re pensandum est, huius mulieris mentem quãta vis amoris accenderat, quæ à monumẽto Domini etiã discipulis recedẽtibus non recedebat. Exquirebat quẽnon inuenerat, flebat inquirendo, & amoris sui igne succẽsa, eius quem sublatũ credidit, ardebat desiderio. Vnde contigit vt eum sola tunc videret, quæ remãserat vt quæreret: quia nimirũ virtus boni operis perseuerãtia est. Et voce veritatis dicitur: Qui aût perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit. Et præcepto legis, cauda hostię in sacrificio iubetur offerri. In cauda quippe finis est corporis. Et ille benè immolat, qui sacrificiũ boni operis vsq; ad finẽ debitæ perducit actionis. Hinc Ioseph inter reliquos fratres talarẽ tunicã habuisse describitur. Tunica quippe vsque ad talũ, est opus bonũ vsq; ad cõsummationẽ. Sed Maria dũ fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentũ. Certè monumentũ iã vacuũ viderat, iam sublatũ Dominũ nunciauerat. Quid est, ꝙ se iterum inclinat, iterũ videre desiderat? Sed amanti semel aspexisse nõ sufficit, quia vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis. Quæsiuit ergo priùs, & minimè inuenit: perseuerauit vt quæreret, vnde & contigit, vt inueniret. Actũq; est vt desideria dilata crescerent, & crescentia caperent ꝙ inuenissent. Hinc est enim, ꝙ de eodẽ sponso Ecclesia in Canticis canticorũ dicit: In lectulo meo per noctẽ quæsiui, quẽ diligit anima mea. Quæsiui illũ, & non inueni. Surgã & circũibo ciuitatẽ: per vicos & plateas quærã, quẽ diligit anima mea. Quæ defectũ quoq; inuentionis ingeminat, dicens: Quæsiui illũ, & nõ inueni. Sed quia diũ inuentio se nõ elõgat, si inquisitio nõ desistat, adiungit: Inuenerũt me vigiles, qui custodiunt ciuitatẽ. Nũ quem diligit anima mea, vidistis? Paululũ dum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea. Dilectũ nanq; in lecto quærimus, quãdo in præsentis vitæ aliquãtula requie redemptoris nostri desiderio suspiramus. Per noctem quærimus, quia etsi iã in illo mens vigilat, tamẽ adhuc oculus caligat. Sed qui dilectũ suũ nõ inuenit, restat vt surgat, ciuitatem circumeat, id est, sanctã electorum Ecclesiã mente & inquisitione percurrat: per vicos eum & plateas quærat, id est, per angusta & lata gradientes aspiciat, vt siqua inuenire in eis valeat, eius vestigia exquirat: quia sunt nõnulli etiã vitę secularis, qui imitandũ aliquid habeant de actione virtutis. Quærentes aût nos vigiles inueniunt, qui custodiunt ciuitatẽ, quia sancti patres, qui Ecclesię statũ custodiũt, bonis nostris studijs occurrunt, vt suo vel verbo vel scripto nos doceant. Quos cùm paululũ pertransimus, inuenimus quẽ diligimus: quia redemptor noster etsi humilitate homo inter homines, diuinitate tamẽ super homines fuit. Cũ ergo trãseunt vigiles, dilectus inuenitur: quia cũ prophetas & apostolos infra ipsum esse conspicimus, illũ qui naturã Deus est, esse supra homines cõsideramus. Priùs ergo nõ inuentus quæritur, vt pòst inuentus strictiùs teneatur. Sancta enim desideria, vt prædiximus, dilatione crescunt: si aût dilatione deficiũt, de fide ria nõ fuerunt. Hoc amore arsit, quisquis ad veritatẽ pertingere potuit. Hinc nanq; Dauid ait: Sitiuit anima mea ad Deum viuũ, quãdo veniã & apparebo ante faciẽ Dei? Hinc nos admonet, dicens: Quærite faciẽ eius semper. Hinc prophe ta ait: Anima mea desiderauit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordijs meis de mane vigilabo ad te. Hinc iterũ Ecclesia in Cãticis canticorũ dicit: Vulnerata charitate ego sum. Iustũ quippe est, vt ex visione medici pertingat ad salutẽ, quæ per æstũ eius desiderij vulnus amoris portat in pectore. Hinc rursus ait: Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est. Mens nanque hominis, conditoris sui speciem non quærentis, malè dura est, quia in semetipsa remanet frigida: at si iam ardere ex desiderio cœperit, ad sequendum quem diligit, liquefacta per ignem amoris currit. Fit desiderio anxia, vilescunt in seculo cuncta quæ placebant, nihil est quod extra conditorem libeat: & quæ priùs delectabant animum, fiunt postmodùm vehementer onerosa. Nil eius mœstitiam consolatur, quousq; adhuc qui desideratur, non aspicitur. Mœret mens, lux ipsa fastidio est, talique igne in mente decoquitur rubigo culpæ, & succensus animus quasi auri more, quia per vsum speciem perdidit, per incendiũ clarescit. Ista ita q; quæ sic amat, quæ se ad monumentũ quod perspexerat iterùm inclinat, videamus quo fructu vis amoris in ea ingeminat opus inquisitionis. Sequitur: *Vidit duos angelos in al-*

Luc. 7.

Ioan. 20.

Matth. 10 & 24.

Leuit. 3.

Gen. 37.

Cant. 3.

Vigiles, sancti patres, tres.

Psal. 41.

Psal. 104.

Esai. 26.

Cant. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bis sedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Iesu. Quid est quòd in loco Dominici corporis duo angeli videntur, vnus ad caput, atque alius ad pedes sedens, nisi quod latina lingua angelus vocatur nuncius, & ille ex passione sua nunciandus erat, qui & Deus ante secula est, & homo in fine seculorum? Quasi ad caput sedet angelus, cùm per Apostolum Ioannem prædicatur, quia in principio erat verbum, & verbū erat apud Deum, & Deus erat verbum. Et quasi ad pedes sedet angelus, cùm dicit: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Possumus etiā per duos angelos, duo testamenta cognoscere, vnum prius, & aliud sequens. Qui videlicet angeli per locum Dominici corporis sibimet sunt coniuncti, quia nimirum vtraque testamenta dū pari sensu incarnatum & mortuum, ac resurrexisse Dominum denunciant, quasi testamentum prius ad caput, & testamentum posterius ad pedes sedet. Vnde & duo Cherubin, quæ propiciatorium tegunt, sese inuicem aspiciunt, versis vultibus in propiciatorium. Cherubin quippe plenitudo scientiæ dicitur. Et quid per duo Cherubin, nisi vtraq; testamenta signantur? Quid verò per propiciatorium, nisi incarnatus Dominus figuratur? de quo Ioannes ait: Ipse est enim propiciatio pro peccatis nostris. Et dum testamentum vetus hoc faciendum denunciat, quod testamētum nouum de Domino factum clamat, quasi vtraque Cherubin se inuicem aspiciunt, dum vultus in propiciatorium vertunt: quia dum inter se positum incarnatum Dominum vident, à suo aspectu non discrepant, quæ dispensationis eius mysterium concorditer narrant. Requirunt angeli Mariam, dicentes: *Mulier, quid ploras? Et dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum.* Ipsa nanque sacra eloquia, quæ in nobis lachrymas amoris excitant, eadem lachrymas consolantur, dum nobis redemptoris nostri speciem promittunt. Sed notandum iuxta historiā est, quòd mulier non ait: Tulerūt corpus Domini mei, sed, Tulerunt Dominum meū. Vsus nanque sacri eloquij est, vt aliquando ex parte totū, aliquādo verò ex toto partē significet. Ex parte enim totū significat, sicut de Iacob filijs scriptū est: Quia descendit Iacob in Aegyptum in animabus septuaginta. Neque in Aegyptum animæ sine corporibus descenderunt, sed per solam animam totus homo signatur, quia ex parte totum exprimitur. Et solum Dominicū corpus in monumento iacuerat, & Maria non corpus Domini, sed sublatum Dominum quærebat, videlicet ex toto designans partem. *Hæc cùm dixisset, cōuersa retrorsùm, vidit Iesum stantem, & nesciebat quia Iesus esset.* Notandum quòd Maria, quæ adhuc de Domini resurrectione dubitabat, retrorsùm cōuersa est, vt videret Iesum: quia videlicet per eandem dubitationem suam quasi tergum in Domini faciem miserat, quem resurrexisse minimè credebat. Sed quia amabat & dubitabat, videbat & non agnoscebat, eumque illi & amor ostenderat, & dubietas abscondebat. Cuius adhuc ignorantia exprimitur, cùm infertur, Et nesciebat, quia Iesus esset. *Qui dicit ei: Mulier, quid ploras? Quem quæris?* Interrogatur doloris causa, vt augeatur desiderium: quatenùs cùm nominaret quem quæreret, in amore eius ardētiùs æstuaret. *Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, et ego tollam.* Forsitan nec errando hæc mulier erravit, quæ Iesum hortulanum credidit. An non ei spiritaliter hortulanus erat, qui in eius pectore per amoris sui semina, virtutū virētia plantabat? Sed quid est, quòd viso eo quem hortulanū credidit, cui necdum dixerat, quem quærebat, ait: Domine, si tu sustulisti eum? Quasi enim iam dixisset, ex cuius desiderio plangeret, eum dicit, quem non dixerat. Sed vis amoris hoc agere solet in animo, vt quem ipse semper cogitat, nullum alium ignorare credat. Rectè & hæc mulier quem quærit, non dicit, & tamen dicit, Si tu sustulisti eum: quia alteri non putat incognitum, quē sic ipsa continuo plangit desiderio. *Dicit ei Iesus: Maria.* Postquàm eam communi vocabulo appellauit ex sexu, & agnitus non est, vocat eam ex nomine, ac si apertè dicat: Recognosce eum, à quo recognosceris. Perfecto quoque viro dicitur: Noui te ex nomine: quia homo commune omnium nostrum vocabulū est, Moyses verò proprium: cui rectè dicitur, quia ex nomine scitur, ac si ei Dominus apertè dicat: Non te generaliter vt cæteros, sed specialiter scio. Maria ergo quia vocatur ex nomine, recognoscit authorē: atq; eum protinùs rabboni, id est, magistrum vocat: quia & ipse erat, qui quærebatur exteriùs, & ipse, qui eam interiùs vt quæreret docebat. Iam verò ab Euangelista non subditur quid mulier fecit, sed ex eo innuitur, quod audiuit: cui dicitur: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum.* In his nanq; verbis ostenditur, quòd Maria amplecti voluit eius vestigia quem recognouit: sed ei magister dicit, Noli me tangere, non quia post resurrectionem Dominus tactum renuit fœminarum, cùm de duabus ad sepulchrum eius venientibus scriptū sit: Accesserunt & tenuerunt pedes eius: sed cur tangi non debeat, ratio quoq; additur, cùm subinfertur: Nondum enim ascendi ad patrem meū. In corde etenim nostro tunc Iesus ascendit ad patrē, cùm æqualis creditur patri. Nam quisquis eum æqualem patri non credit, adhuc in eius pectore ad patrem Iesus nō ascendit. Ille ergo Iesum veraciter tangit, qui patri filium coæternū credit. In corde etenim Pauli iam ad patrē Iesus ascēderat, cùm idem Paulus dicebat: Qui cùm in forma Dei esset, non rapinā arbitratus est esse se æqualem Deo. Vnde Ioannes quoque redemptorem nostrum manu fidei tetigit, qui ait: In principio erat verbū, & verbū erat

Duo angeli in monumento.

Ioan. 1.

Ibidem.

Exod. 25.

1. Ioan. 2.

Gen. 46.

Matth. 28

Iesum tangere.

Philipp. 3.

Ioan. 1.

erat apud Deum, & Deus erat verbum. hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt. Tangit ergo Dominum, qui eum patri æternitate substantiæ æqualem credit. Sed fortasse aliquis tacita quæstione pulsatur, quomodò filius patri esse æqualis possit. Qua in re humana natura quod admirando comprehendere non valet, restat vt hoc sibi esse credibile ex admiratione alia sciat. Habet nanq;, quid ad hęc sibi sub breuitate respondeat. Constat enim, quia ipse creauit matrem, in cuius virgineo vtero ex humanitate crearetur. Quid ergo mirum, si æqualis est patri, qui prior est matre? Paulo quoq; attestante didicimus Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Qui ergo filium minorem putat, patri specialiter derogat, cuius sapientiā esse ei inæqualem fatetur. Quis etenim homo potēs æquanimiter ferret, si quis ei diceret: Magnus quidem es, sed tamen sapientia tua te minor est? Ipse quoq; Dominus dicit: Ego & Pater vnū sumus. Sed rursus ait: Pater maior me est. De quo etiam scriptum est, quia subditus erat parētibus suis. Quid ergo mirum, si ex humanitate sua minorem se patre asserit in cælo, ex qua subiectus erat etiam parentibus in terra? Ex qua humanitate nunc Mariæ dicitur: *Vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad patrem meum, & patrem uestrum: Deum meum & Deum uestrum.* Cùm meum dicat & vestrum, cur non communiter dicit, nostrum? Sed distinctè loquens indicat, quia eundem patrem & Deum dissimiliter habeat ipse, quam nos. Ascendo ad patrem meum, videlicet per naturam: & patrem vestrum, per gratiam: ad Deum meum, quia descendi: ad Deum vestrum, quia ascendetis. Quia enim & ego homo, Deus mihi est: quia vos ab errore liberati, Deus est vobis. Distinctè ergo mihi pater & Deus est: quia quem ante secula Deum genuit, hominē in fine seculorum me mecum creauit. *Venit Maria Magdalene annuncians discipulis, quia uidit Dominū, & hæc dixit mihi*: Ecce humani generis culpa ibi abscinditur, vnde processit. Quia enim in paradiso mulier viro propinauit mortem, à sepulchro mulier viris annunciauit vitam, & dicta sui viuificatoris narrat, quæ mortiferi serpentis verba narrauerat: ac si humano generi nō verbis Dominus, sed rebus dicat: De qua manu vobis illatus est potus mortis, de ipsa suscipite poculum vitæ. Hæc de expositione lectionis Euangelicæ succinctè trāscurrimus, nunc opitulante eodem, de quo loquimur: Domino, & resurrectionis eius gloriā, & pietatis eius viscera consideremus. Citiùs enim à morte voluit resurgere, ne nostra diù anima in infidelitatis morte remaneret. Vnde benè quoq; per Psalmistam dicitur: De torrēte in via bibet, propterea exaltabit caput. In humano quippe genere, ab ipso mundi initio torrēs mortis effluxerat. Sed de hoc torrente Dominus in via bibit, quia mortē in transitu gustauit: atq; ideò exaltauit caput: quia hoc quod moriēdo in sepulchro posuit, resurgēdo super angelos eleuauit: & inde antiquū hostem in æternū perculit, vnde sæuire cōtra se manus persequentiū temporaliter permisit. Quod apertè Dominus beato Iob indicat, dicens: Nunquid capies Leuiathan hamo? Per Leuiathan quippe, quod additamentum eorū dicitur, vetus ille deuorator humani generis designatur: qui dum se diuinitatē homini addere spopondit, immortalitatē sustulit. Qui prēuaricationis quoq; culpam, quam primo homini propinauit, dum se sequentibus pessima persuasione multiplicat, pœnas eis sine cessatione coaceruat. In hamo autem esca ostenditur, aculeus occultatur. Hunc ergo pater omnipotens hamo cepit, quia ad mortem illius vnigenitum filium incarnatum misit, in quo & caro passibilis videri posset, & diuinitas impassibilis videri non posset. Cumque in eo serpens iste per manus persequentium escam corporis momordit, diuinitatis illum aculeus perforauit. Priùs verò eum in miraculis Deum cognouerat: sed de cognitione sua ad dubitationem cecidit, quando hunc passibilem vidit. Quasi hamus ergo fauces glutientis tenuit, dum in illo esca carnis patuit, quā deuorator appeteret, & diuinitas passionis tempore latuit, quæ necaret. In hamo eius incarnationis captus est: quia dum in illo appetijt escam corporis, transfixus est aculeo diuinitatis. Ibi quippe inerat humanitas, quæ ad se deuoratorem duceret: ibi diuinitas, quæ perforaret: ibi aperta infirmitas, quæ prouocaret: ibi occulta virtus, quæ raptoris faucem transfigeret. In hamo igitur captus est, quia inde interijt, vnde momordit: & quos tenebat mortales, iure perdidit: quia eum in quo ius non habuit, morte appetere immortalē præsumpsit. Hinc est etiā, quòd hæc ipsa, de qua loquimur, Maria viuit: quia ille pro humano genere qui morti nil debebat, occubuit. Hinc est, quòd nos quotidiè ad vitam post culpas reuertimur, quia ad pœnā nostram cōditor sine culpa descendit. Ecce iam antiquus hostis, ea quæ de humano genere ceperat spolia amisit, supplantationis suæ victoriam perdidit: quotidiè peccatores ad vitam redeunt, quotidiè de eius faucibus redemptoris manu rapiuntur. Vnde benè quoq; ad beatum Iob voce dominica iterùm dicitur: Aut armilla perforabis maxillam eius? Armilla vbi ponitur, ambiēdo cōstringit. Quid igitur per armillam, nisi circumplectēs nos diuina misericordia designatur? Quæ Leuiathan istius maxillam perforat, dum nobis post perpetrata vitia quæ prohibuit, adhuc pœnitentiæ remedium ostendit. Armilla Dominus Leuiathan maxillā perforat, quando ipse ineffabili misericordiæ suæ potētia sic malitię antiqui hostis obuiat, vt aliquādo etiā eos quos iā cepit, amittat. Et quasi ab ore illius cadūt, qui post perpetratas culpas ad innocentiam redeūt. Quis enim ore illius semel raptus, maxillam eius euaderet, si perforata non esset? An non in ore Da-

Diabolus hamo captus.

Ioan. 10.

Ioan. 14.

Luc. 2.

Psal. 109.

Iob 40.

Iob 40.

2. Reg. 11.

uid

Universidad de Deusto
Biblioteca

uid tenuit,cùm in tantam se luxuriæ voraginem
Matt.26. merlit? An non in ore Petrum tenuit,cũ negauit?
Sed dum ad vitã vterq; per pœnitentiã redijt,Leuiathan iste eos aliquo modo quasi per maxillæ suæ foramen amisit. Per foramen ergo maxillæ ab eius ore subtracti sunt, qui post perpetrationem culpæ nequitiæ pœnitendo redierunt. Quis autem hominum Leuiathan istius os euadat, vt illicita nulla committat? Sed hinc cognoscimus quantũ redẽptori humani generis debitores simus,qui non solũ nos in ore Leuiathan ire prohibuit, sed ab ore eius etiã redire concesit: qui spem peccatori nõ abstulit, quia maxillã eius vt euadẽdi viã tribueret,perforauit: vt saltem post morsum fugiat,qui incautus priùs cauere noluit, ne morderetur. Vbiq; ergo nobis occurrit superna medicina:quia & dedit homini præcepta ne peccet, & tamen peccanti dedit remedia,ne desperet. Vnde cauendũ summopere est,ne quis delectatione peccati Leuiathan istius ore rapiatur:& tamen si raptus fuerit,non desperet: quia si peccatum perfectè lugeat, adhuc foramen in
Luc. 7. maxilla eius inuenit,per quod euadat. Adest testis diuinæ misericordiæ hæc ipsa,de qua loquimur,Maria:de qua pharisæus,dum pietatis iontem vellet obstruere,dicebat:Hic si esset prophe
† tetigit. ta,sciret vtiq; quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum,quia peccatrix est. Sed lauit lachrymis maculas cordis & corporis, & redẽptoris sui vestigia † terst, quæ sua itinera praua dereliquit. Sedebat ad pedes Iesu, verbumq; de ore illius audiebat:viuenti adhæserat, mortuũ quærebat: viuentem reperit,quem mortuum quæsiuit:tantumq; apud eum locum gratiæ inuenit, vt hunc ipsis quoque Apostolis, eius videlicet nuncijs, ipsa nunciaret. Quid igitur fratres,quid in hac re debemus aspicere,nisi immensam misericordiam conditoris nostri,qui nobis velut in signo
Exempla pœnitentiæ. ad exemplum pœnitentiæ posuit eos, quos per pœnitentiam viuere post lapsum fecit? Perpendo etenim Petrum,considero latronem, aspicio Zachæum,intueor Mariam: & nihil in his aliud video,nisi ante oculos nostros posita spei & pœ
Matth.26 nitentiæ exẽpla. Fortasse enim in fide lapsus est aliquis,aspiciat Petrũ,qui amarè fleuit, quod timidè negauerat. Alius cõtra proximũ suũ in ma-
Luc. 23 litia crudelitatis exarsit:aspiciat latronẽ, qui & in ipso mortis articulo ad vitæ præmia pœnitendo peruenit. Alius auaritiæ æstibus anhelans, a-
Luc. 19. liena diripuit:aspiciat Zachæũ,qui si quid alicubi abstulit,quadruplũ reddidit. Alius libidinis igne succẽsus carnis munditiã perdidit: aspiciat Mariã,quæ in se amorẽ carnis, igne diuini amoris excoxit. Ecce omnipotens Deus vbiq; oculis nostris quos imitari debeamus obijcit,vbiq; exempla suæ misericordię opponit. Mala ergo iam displiceant vel experta. Libẽter obliuiscitur omnipotens Deus,quòd nocentes fuimus: paratus est pœnitentiam nostram nobis ad innocentiam deputare. Inquinati post aquas salutis, renasca-
mur ex lachrymis. Itaq; iuxta primi pastoris vo- 1. Pet. 2.
cem,sicut modò geniti infantes lac cõcupiscite. Redite ergo paruuli filij ad sinum matris vestræ æternæ sapientiæ, fugite larga hubera pietatis Dei:transacta plangite,imminentia vitate. Redemptor noster momentaneos fletus vestros æterno consolabitur gaudio, qui viuit & regnat cum Deo patre in vnitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum,Amen.

EADEM FERIA, HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Maria stabat ad monumentum foris plorans, & cæt. Ioan.20.

REcedunt discipuli:stat mulier, & plorat. Adest Iesus mœrentium consolator, & pias mulieris lachrymas intuetur. Expectat quid mulier agat, neq; in loco se manifestat. Inclinat se illa, nec semel vidisse sufficit. Nihil est satis amanti: prospicit in monumentum,& videt duos angelos, qui ni- *Duo angehil meliùs,quàm duo testamenta significabant. li, duo te-*
Quibus nunciantibus Christi natiuitatem, pas- *stamenta.*
sionem,& resurrectionẽ, & quæcũq; de eo sunt, plenissimè instruimur & docemur. Qui quoniã gaudium & resurrectionẽ modò specialiter nuncIare venerant,non immeritò, sed dignè satis in albis apparent. Stat vnum duorum testamentorum,quæ per angelos figurantur,ad caput Domini monumenti,& vnum ad pedes: quia nunc de diuinitate,nunc de humanitate nobis loquũtur. Per Christi enim caput, diuinitatem:& per pedes, eius humanitatem intelligimus. Hoc enim significauit Moyses: qui cùm de agno illo Exod. 12.
Paschali &significatiuo loqueretur,ait:Et comedetis carnes agni nocte illa, cum azymis & lactucis agrestibus: caput & pedes cum intestinis vorabitis. Sed audiamus, quid flenti mulieri angeli dicant:*Mulier*(inquiunt)*quid ploras?* Non est plorandum,sed plaudendum:hic dies lætitiæ,nõ mœrorris. Lęta venimus nũciare tibi. Sed potiùs ad illum respice, quem tanto amore videre desideras. *Dicit eis:Quia tulerunt Dominum meum,& nescio ubi posuerunt eum.* Magnus,inquit,dolor me flere compellit,magna tristitia coarctat viscera mea, quia tulerunt mihi Dominũ meũ, & nescio vbi posuerunt eum. *Hoc cùm dixisset, conuersa est retrorsùm,audit Iesum stantẽ:& nesciebat,quia Iesus est. Dicit ei Iesus:Mulier,quid ploras?quẽ quæris?* Sciebat enim Dominus,quid illa quærebat:nec ignorãdo,sed cõsolãdo eam interrogabat,& ideò interrogationẽ duplicauit,vt audita voce eũ agnosceret Illa æstimãs,quia hortulanus esset,dicit ei:*Domine,si tu sustu-*

stulisti eum,dicito mihi ubi posuisti eum, & ego eum tollã. Quasi de cognito loquitur:& quem ipsa diligebat,omnes scire cogitabat. *Dicit ei Iesus:Maria.* At illa vt se suo nomine vocari audiuit, mox eum cognouit,& à monumento (à quo præ nimio amore oculos auertere non poterat)ad illum cõuersa,ait:*Rabboni.* Quid autem significet Rabboni,Euangelista exposuit:*quod dicitur,Magister.* Statim autem vt eum cognouit, corruit ad pedes eius. Cui Dominus:*Noli me tangere: nondum enim ascendi ad patrem meum.* Ac si dicat:Noli me manibus tangere,quem nondum fide tetigisti: crede quia surrexi, & quia inferno expoliato iam secundùm animam cælos ascendi: nec me quæras in monumento,qui vbiq; sum,& loco arctari nõ possum. Nondum me credis ascendisse ad patrẽ, nondum me credis æqualem patri. Quid est enim ad patrem ascendere, nisi patri æqualẽ esse? non altiùs extenditur pater,quàm filius:vbicũq; est pater, ibi est & filius. Non igitur eum tangat, neq; ad eum accedere præsumat,quicunq; talem & tantũ eũ esse non credit. Tenuit tamen illa pedes eius,sicut & aliæ mulieres,de quibus alij Eu- Matt.28.
angelistæ scribunt. *Vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad patrem meum & patrem uestrum, ad Deum meum & ad Deum uestrum.* Notissima verba, & quæ per seipsum sæpè eis prædixerat, illis mandat: quatenùs ea audientes,faciliùs crederent verum esse,quod mulier nunciabat. *Venit Maria Magdalene,annuncians discipulis, quia uidit Dominum, & hæc dixit mihi.*

Tangere Christum hic.

FERIA SEXTA PASCHAE, Matthæi xxviij.

In illo tempore: Vndecim discipuli abierunt in Galilæam,in montem ubi constituerat illis Iesus, Et uidentes eũ adorauerunt,quidam autem dubitauerunt. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

EVangelica lectio,fratres charissimi, quam modò audiuimus,& iuxta literam gaudio plena refulget, quia triumphum redemptoris nostri,simul & redemptionis nostræ dona, plano sermone describit:& si hanc enucleatiùs pertractare velimus,gratiorem in litera fructum spiritalis sensus
Sermo Dei aromatum instar. inditum esse comperimus. Sermo etenim Dei, aromatum more,quò subtiliùs quasi terendo & cernendo discutitur, eò maiorem internæ suæ virtutis fragrantiam reddit. Planum nanq; est,& dulce ad audiendum pijs, quòd discipuli abierunt in Galilæam, in montem vbi constituerat illis Iesus,& videntes eum adorauerunt. Sed nõ vacat à mysterio, quòd Dominus in Galilæa post resurrectionem,vel quòd in monte discipulis apparuit. In monte etenim apparuit,vt significaret, quia corpus quod de communi humani generis terra nascendo susceperat, resurgendo iam super terrena omnia subleuatum cælesti virtute induerit. In monte apparuit, vt admoneret fideles, si illic celsitudinem resurrectionis eius cupiunt videre,hic ab infimis cupiditatibus ad superna studeant desideria transire. Nomen verò Galilææ quid mysterij salutaris contineat, crebra patrum expositione notissimum est. Sed non ab re est,sæpiùs verbo repetere, quod semper necesse est animo retinere. Galilæa quippe *Galilæa, transmi-*
transmigratio facta,vel reuelatio dicitur. Vtra- *gratio fa-*
que autem interpretatio nominis,ad vnum finẽ *cta, uel re-*
respicit. siquidem supra legimus dixisse angelum mulieribus:Ite,dicite discipulis eius, quia *uelatio.*
surrexit: & ecce præcedet vos in Galilæam,ibi *Matth.28*
eum videbitis:& nunc Euangelista narrante cognouimus,quòd abierunt discipuli in Galilæam, & videntes eum adorauerunt. Quid est ergo, quòd Iesus præcedit discipulos in Galilæam,vt videatur ab eis, sequuntur illi,& videntes eum adorant: nisi quòd surrexit Christus à mortuis, primitiæ dormientium:sequuntur autem hi,qui sunt Christi, & ipsi in suo ordine ad vitam de morte transmigrant,ibique eum videntes adorant, quia in specie suæ diuinitatis contemplantes,sine fine collaudant? Cui visioni cõgruit illud, quòd Galilæa etiã reuelatio interpretatur.
Tunc enim reuelata facie(sicut Apostolus testa- 2. Cor. 3.
tur)gloriã Domini speculantes,in eandẽ imaginem transformamur,quicũq; modò reuelamus ad eum viam nostram,eiusq; vestigia sequimur fide non ficta. *Et uidentes(inquit)eum adorauerũt:quidam autem dubitauerunt.* † Sed quærentibus vnde † *Si quæ-*
dubitauerint,qui videntes Dominum adorauerunt, nulla magis causa occurrit, quàm ea cuius Lucas meminit, quum ipso resurrectionis suæ die discipulis eum apparuisse narraret. Conturbati verò & conterriti, existimabant se spiritum *Luc.24.*
videre. Videntes ergo Dominum cognoscunt: & quia hunc Deum esse didicerant, demissis in terram vultibus adorant. Sed inerat mentibus eorum nõ cõtemnenda dubietas:quia se nõ corpus,in quo passus est,resuscitatum,sed spiritum, quem finita passione tradidit,solum videre putabant. Vnde confestim magister pius,& eos qui iam crediderunt,in fide confortat: & illos qui adhuc dubitauerunt,ad fidei gratiam conuocat: omnibus scilicet intimans, ad quantam gloriæ magnificentiam assumpta pro hominibus,& morti data humanitas, resurgendo peruenerit. *Data est mihi (inquit) omnis potestas in cælo & in terra.* Non enim hæc de cœterna patri diuinitate, sed de assumpta loquitur humanitate: quam susciendo, minoratus est paulò minùs ab angelis: & in qua resurgendo à mortuis,gloria & honore coronatus est,& constitutus super opera ma-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ra manuum patris: omniaque subiecta sub pedibus eius, inter quæ omnia etiã mors ipsa, quæ ei ad tempus prævalere visa est, eius pedibus substrata est. Quod ergo Psalmista de Domino resurgente à mortuis ait patri, Omnia subiecisti sub pedibus eius, hoc est vtique, quod resurgẽs ipse Dominus discipulis ait: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Et quidem etiam priusquàm à morte resurgeret, nouerant angelicæ in cælo virtutes iure se subditas homini, quẽ à suo conditore specialiter assumptum esse videbant: sed cæci homines in terra dedignabantur ei subijci, quem communi secum mortalitate cognouerant indutum: & contemnebant eius virtutem in miraculis intelligere diuinam, cui infirmitatem in passionibus inesse cernebant humanam. Propter quod benignè mediator Dei & hominum etiam hominibus in terra notum fieri volens, quia data sit ei omnis potestas in cælo & in terra, quatenùs & ipsi cum angelis in cælo vitam possint habere perennem, misit doctores, qui cunctis per orbem nationibus verbum vitæ prædicarent. *Euntes, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritussancti: docẽtes eos seruare omnia, quæcunq; mandaui uobis.* Rectissimus autem ordo prædicãdi, & modernis quoque prædicatoribus Ecclesiæ diligentissimè sectandus, vt primò quidem doceatur auditor, deinde fidei sacramentis imbuatur, deinde seruandis Domini mandatis ex tẽpore liberiùs instruatur: quia neq; indoctus quisq; & ignarus Christianæ fidei, potest eiusdem fidei sacramentis ablui: neque lauacro baptismi à peccatis emundari sufficit, si non post baptisma studeat quisq; bonis operibus insistere. Prius ergo docere gentes, id est, scientia veritatis instituere, ac sic baptizare præcipit: quia & sine fide impossibile est placere Deo, & nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritusancto, nõ potest introire in regnũ Dei. Ad extremum verò subiungit: *Docentes eos seruare omnia, quæcunq; mandaui uobis*: quia sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est. Quanta autem merces piæ conuersationis, quale pignus futuræ beatitudinis etiam in præsenti fideles maneat, subsequenter insinuat, dicens: *Et ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.* Libet autem conferre huic testimonio, quod Marcus ait: Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei. Quia enim ipse Deus & homo est, assumptus est in cælum humanitate, quam de terra susceperat: manet cum sanctis in terra diuinitate, qua terrã pariter implet & cælum. Manet autem omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Ex quo intelligitur, quòd vsque ad finem seculi nõ sunt defecturi in mundo, qui diuina mansione & inhabitatione sint digni: nec dubitandum, eos post huius seculi certamina manere cum Christo in regno, qui in seculo certãtes, Christum in sui cordis hospitio meruerunt habere mansorẽ. Notandum interea, quòd præsens vbique diuina maiestas aliter electis suis, aliter adest reprobis. Adest enim reprobis potentia naturæ incõprehensibilis, qua omnia cognoscit nouissima & antiqua, intelligit cogitationes à longe, & omnes vias singulorum præuidet. Adest electis gratia piæ protectionis, qua illos specialiter per præsentia dona vel flagella quasi filios pater erudit, atque ad possessionem futuræ hæreditatis erudiendo prouehit. Adest electis, vt scriptum est, iuxtà est Dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit. Adest reprobis, vt præmissum est, & sicut ibi sequitur: Vultus autẽ Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Vnde necesse est, vt semper in operibus nequam paueant mali, quorum etiã cogitationes singulæ conspectui districti iudicis patent: semper in operatione iustitiæ, & in his quæ propter iustitiam patiuntur, gaudeant boni, quibus Deum diligentibus omnia cooperantur in bonum, & in quacunque tribulatione positis nunquam eius pietas abest, cui canitur in Psalmo: Tibi derelictus est pauper, pupillo tu eris adiutor: contere brachium peccatoris & maligni. Quam pietatis suæ præsentiam, non tantùm nobis verbo promisit, sed & euidentibus designauit indicijs, cùm post resurrectionem suã discipulis sæpiùs vsque ad diem, quo cælos petijt, apparuit, eorumque animos admonendo, increpando, spiritussancti domum tribuendo roborauit. Ex quibus quidem apparitionibus decem solummodò in Euangelistarum scriptis inuenimus, sed plures fuisse docet Apostolus, dicens: Et resurrexit tertia die secundùm scripturas, & visus est Cephæ, & post hæc vndecim. Deinde visus est plus quàm quingentis fratribus simul, deinde visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus, nouissimè autem omnium tanquam abortiuo visus est mihi. Quibus enim locis vel tẽporibus factæ sint visiones, quas commemorat, ignoramus: tantùm scimus, quia quòd sibi nouissimè visum esse Dominum confirmat, post ascensionem eius factum est: vel quando illum de cælo alloquens, de persecutore doctorẽ Ecclesiæ fecit: vel quando in paradisum & tertium cælum raptus, audiuit arcana verba, quæ non licebat homini loqui, & sicut alibi dicit, mysterium Euangelij, quod ab homine non accepit, per reuelationem Iesu Christi didicit. Decies verò visum, vt diximus, post resurrectionem Dominum, euangeliorum nobis & Actuum Apostolorum prodit historia: vbi ipso resurrectionis suæ die quinquies apparuisse legitur. Primò quidem Mariæ Magdalene, flenti ad monumentum. Deinde eidem Mariæ, & alteri eiusdẽ nominis fœminæ, regredientibus à monumento nunciare discipulis quæ ibi compererant, occurrens apparuit. Tertiò, Simoni Petro. Quartò, Cleophæ, & socio eius, cum quibus ipse gradiens

Psal. 8.

Quis ordo in prædicando seruãdus.

Heb. 11.
Ioan. 3.

Iac. 2.

Mar. 16.

Hier. 23.

Psal. 138.

Ioan. 20.

Mar. 16.

Psal. 33.

Vt Christus ubiq; præstò sit fidei.

Rom. 8.

Psalm. 9.

1. Cor. 15.

Act. 9.
1. Cor. 12.
Gal. 1.

Apparitiones Dominj.

Ioan. 20.
Matth. 28

Luc. 24.

diens in Emaus, ibidẽ in panis fractione cognitus est. Qui mox reuersi Hierosolymam, inuenerunt discipulos loquentes, quia surrexit verè Dominus, & apparuit Simoni. nam plenius alibi, quando Simoni apparuerit, nõ legitur. Quintò, apparuit eis in eodem loco ianuis clausis, vbi non erat Thomas. Sextò, post dies octo, quando erat cum eis & Thomas. Septimò, piscantibus ad mare Tiberiadis. Octauò, in monte Galilææ, quod hodierna lectione audiuimus. Nonò, recumbentibus illis vndecim, apparuit die quo ascendit in cælum. Decimò, viderunt eum ipsa die non iam in terra positum, sed eleuatum in aëra, cælosq; petentem, dicentibus sibi angelis: Sic veniet, quemadmodùm vidistis eum euntẽ in cælum. Hac ergo frequentia corporalis suæ manifestationis, ostendere voluit Dominus, vt diximus, in omni loco se bonorum desiderijs diuinitùs esse præsentem. Apparuit nanque ad monumentum lugentibus: aderit & nobis absentiæ eius recordatione salubriter contristatis. Occurrit reuertentibus à monumento, vt agnita resurrectionis gaudia prædicarent. Aderit & nobis, dum bona quæ nouimus, proximis fideliter annunciare gaudemus. Apparuit in fractione panis his, qui se peregrinum putantes esse, ad hospitium vocauerunt. Aderit & nobis, quum peregrinis & pauperibus quæcunq; possumus libenter impendimus. Aderit nobis in fractione panis, cũ sacramenta corporis eius, videlicet panis & vini, casta ac simplici conscientia sumimus. Apparuit in abdito de sua resurrectione loquentibus. Adest & nobis modò, eius dono idem agentibus. Aderit nobis semper, cùm ab ex extrinsecis operibus ad tempus vacantes, de eius gratia locuturi conuenimus. Apparuit, cum foribus clausis intus metu Iudæorum residerent: apparuit, cùm minorato eodem metu, apertis eum gressibus in montis vertice requirerent. Affuit quondam confortaturus suo spiritu Ecclesiam, cùm ab infidelibus premeretur, & ad publicum venire ac dilatari prohiberetur. Adest eidem & nũc, cùm inclinato ad fidem culmine regali, terror quieuit persecutionis, & omnis mundi sublimitas Apostolicis est subdita vestigijs. Apparuit piscantibus, eisq; appropians, diuinis adiuuit beneficijs. Aderit & nobis, cùm necessaria vitæ temporalis recta intẽtione curamus, iustisq; nostris laboribus subsidium suæ pietatis adiungit. Apparuit recumbentibus. Aderit & nobis, cùm iuxta Apostoli monita, siue manducamus, siue bibimus, siue aliud quid agimus, omnia in gloriã Dei facimus. Apparuit primò in Iudæa, deinde in Galilæa, post hæc rursus in Iudæa die quo ascendit in cælum. Aderat Ecclesiæ, cùm primò solius Iudææ terminis clauderetur: adest modò, cùm Iudæis ob culpam perfidiæ derelictis, trãsmigrauit ad gentes. Aderit in futuro, cùm ante finem seculi reuerteretur ad Iudæam: & sicut Apostolus ait, intrante gentium multitudine, sic omnis Israël saluus erit. Nouissimè illis apparuit ascendens in cælum: aderit & nobis, vt eum post mortem sequi mereamur ad cælos, si ante mortem eum in Bethaniam, vnde ascendit, id est, in domum obedientiæ sequi curamus. Ipse etenim cælos ascensurus, Bethaniam venit: quia sicut Apostolus ait, Factus est obediens vsq; ad mortem, mortem autẽ crucis. Propter quod & Deus illum exaltauit. Veniemus ibidẽ & nos, si quod ille monet agimus, quod promisit intendimus. Esto, ait, fidelis vsq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Fitque ipsius gratia largiente, vt qui nobiscum vsq; ad vitæ huius terminum manet, post hanc nos vitam ad videnda secum vitæ cælestis præmia subleuet, in qua viuit & regnat cum patre Deus in vnitate spiritus sancti per omnia secula seculorum, Amen.

1. Cor. 10.

Rom. 11.

Luc. 24.

Philipp. 2.

Apoc. 2.

EADEM FERIA.
HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Vndecim discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Iesus, &c. Matth. 28.

HAEC autem visio quando facta sit, incertum habeo: quoniam Thomas (qui vnus erat ex istis) ante dies octo Dominum vidisse narratur. Sed non vacat à mysterio, quòd de Iudæa in Galilæam discipulos suos Dominus ire præcepit, vbi se illis manifestare voluit. Narrant enim Euangelistæ, mulieres ad sepulchrum Domini venisse, & angelum eis dicentẽ audisse: Nolite timere: scio enim quia Iesum quæritis Nazarenum, crucifixum: surrexit, non est hic. sed citò euntes, dicite discipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. Quid aũt mulieres significent, & quare se illis post resurrectionẽ priùs Dominus manifestare voluit, cur etiam Petrus nomine vocetur, iã superiùs exposuimus. Dicendũ est igitur, quid per Galilæã, & quid per montem, ad quem eos venire constituit, significetur. Galilæa nanq; quæ transmigratio interpretatur, Ecclesiam significat, ad quã & de qua magna quotidiè transmigratio fit. Magna quidem de peccatoribus transmigrãtibus ad ipsam: magna verò & de iustis ad cælos transmigrantibus ab ipsa. Sed quid ad Ecclesiam venisse profuit, nisi & in montem ascendamus, in quo se Dominus videndum esse constituit? Mons iste hoc Euangelium mihi esse videtur, in quo Christi passio & resurrectio nunciatur, in quo & ipse suis fidelibus manifestatur, cognoscitur, & adoratur. Sed vis audire Iesum suis discipulis in hoc monte loquentem? audi & intellige. O stulti, inquit, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ loquuti sunt prophetæ. Nónne sic oportuit

Matth. 28
Mar. 16.

Galilæa.

Ecclesiam significat.

Mons, Euangelium.

Luc. 24.

pati Christum,& resurgere à mortuis, & ita intrare in gloriam suam?Itemq;:Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut vos videtis me habere. Sunt autem & multa talia, quibus se Dominus in hoc monte suis discipulis manifestat. Vis etiam videre Iesum in monte Dauid,id est,in Psalterio se manifestantem,& discipulos alloquentem? Ego,inquit,dormiui, & somnum cepi,& resurrexi:quoniã Dominus suscepit me.Et iterùm:Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipsi verò considerauerunt & cóspexerunt me: diuiserunt sibi vestimenta mea,& super vestẽ meã miserunt sortem.Sed quid dicimus ? Tot sunt montes,quot & prophetæ:tot sunt montes,quot & librorum volumina. De his enim montibus scriptũ est:Leuaui oculos meos ad montes,vnde veniet auxiliũ mihi.Et alibi:Vt quid suspicamini montes coagulatos?mons in quo beneplacitũ est Deo habitare. Venite,ascendamus igitur in montẽ Domini,& ad domũ Dei Iacob,& docebit nos vias suas,& ambulabim⁹ in semitis eius. Ideò enim & Apostoli in Galilæam abierunt,& in montem vbi constituerat Iesus illis ascenderunt,& videntes eum adorauerunt, quidam autem dubitauerunt.Ego quidem puto, quòd illi qui dubitauerunt, hæreticos significabant,qui ex nobis quidẽ exierunt,sed nó erant ex nobis. Sequitur:*Et accedens Iesus, locutus est eis, dicens:* Data *est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Qui enim secundùm diuinitatẽ semper simul cũ Patre & spiritusancto omniũ rerum potestatẽ habuit, nunc etiam secundùm humanitatẽ omniũ rerũ potestatem accepit:vt homo ille qui nuper passus est, & cæli & terræ dominetur : neq; iam solummodò Iudæorum,verùm etiã omnium Gentium & Deus & Dominus esse credatur.Habet enim in cælo potestatem eligendi quoscunq; vult: quia hic & ibi facit,quicquid vult. *Euntes ergo docete omnes gentes,baptizantes eos in nomine patris,& filij,et spiritussancti.* Iam,inquit,nulla distinctione, qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit:omnes docete,oẽs vocate,&baptizate , siue Iudæi fuerint,siue Gentiles:docete eos seruare omnia, quæcunq; mandaui vobis. Cui hoc videtur impossibile,solam teneat charitatem & custodiat. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus,usq; ad consummationem seculi.* Magna promissio,magnus & insuperabilis clypeus securitatis. Ego,inquit,vobiscũ sum,in vobis sum,in vobis pugno,vos defendo: nihil timeatis,ite securi. Si enim Deus pro nobis,quis contra nos?Dicite ergo: In Deo faciemus virtutem,& ipse ad nihilum deducet inimicos nostros:Cui est honor & gloria in secula seculorum,Amen.

Ibidem.

Mons Dauidis.

Psal. 3.

Psalm. 22.

Tot montes,quot prophetæ

Psal. 120.

Psal. 67.

Esai. 2.

1. Ioan. 2.

Mar. 16.

Rom. 8.

Psal. 107.

SABBATO POST PASCHA, Ioan. xx.

In illo tempore: Vna sabbati Maria Magdalene venit manè, cùm adhuc tenebræ essent, ad monumentum, & vidit lapidem sublatum à monumento. Et reliqua. Homilia beati Gregorij Papæ.

Tractus lõga molestia stomachus, diù me charitati vestræ de lectionis Euangelicæ expositione loqui prohibuit. Vox nanq; ipsa à clamoris virtute succumbit,& quia à multis audiri non valeo,loqui(fateor) inter multos erubesco. Sed hanc in me verecundiam & ipse reprehendo. Quid enim?Nunquid si multis prodesse nequeo, nec paucis curabo?Et si ex messe portare manipulos multos nó possum,nũquid nam debeo ad aream vacuus redire?Quanuis enim quantos debeo ferre non valeo, certè vel paucos,certè vel duos,certè vel vnum feram. Habet nanq; ipsa infirmitatis intentio mercedis suæ certitudinem,quia supernus arbiter noster etsi pondus considerat in retributione,tamẽ vires pensat in pondere. Lectio sancti Euangelij,quã modò fratres audistis,valdè in superficie historica est aperta , sed eius nobis sunt mysteria sub breuitate requirenda. *Maria Magdalene, cũ adhuc tenebræ essent,uenit ad monumentum.* Iuxta historiam notatur hora,iuxta intellectum verò mysti cum,requirentis signatur intelligentia.Maria enim authorem omnium, quẽ carne viderat mortuum,quærebat in monumento,& quia hũc minimè inuenit,suratum credidit.Adhuc ergo erãt tenebræ,cùm venit ad monumentũ.Cucurrit citiùs, discipulis nunciauit: sed illi præ cæteris cucurrerũt, qui præ cæteris amauerũt,videlicet Petrus & Ioannes.Currebant autem duo simul,sed Ioannes præcucurrit citiùs Petro:venit prior ad monumentum,& ingredi non præsumpsit. Venit ergo posterior Petrus,& intrauit. Quid fratres,quid cursus iste significat? Nunquid nã hæc tam subtilis Euangelistæ descriptio à mysterijs vacare credenda est ? Minimè. Neque enim se Ioannes & præisse,& nõ intrasse diceret,si in ipsa sui trepidatione mysterium defuisse credidisset. Quid ergo per Ioãnem,nisi Synagoga: quid per Petrum,nisi Ecclesia designatur?Nec mirum esse videatur , quòd per iuniorem synagoga,per seniorem verò Ecclesia significari perhibetur: quia etsi ad Dei cultũ prior est synagoga quàm Ecclesia gentium,ad vsum tamen seculi prior est multitudo gentium,quàm synagoga, Paulo attestante,qui ait: Quia non priùs quod spiritale est,sed quod animale.Per seniorem ergo Petrũ significatur Ecclesia gentium, per iuniorem Iudæorum. Cucurrerunt ambo simul,quia ab ortus sui tempore vsq; ad occasum pari & communi via,etsi nó pari & communi sensu, gentilitas cũ synagoga cucurrit. Venit synagoga prior ad monumentũ, sed minimè intrauit:quia legis quidem mãdata percepit, prophetias de incarnatione ac passione dominica audiuit,sed credere in mortuum noluit.Vidit enim Ioannes posita linteamina , non tamen introiuit:quia videlicet synagoga & scripturæ sacræ sacramenta cognouit,& tamen ad fidem dominicæ passionis credendo intrare distulit:quẽ diù longeque prophetauit, præsentem vidit, & recipere renuit:hominem esse despexit,Deũ carne mortalem factum credere noluit. Quid ergo est,nisi quia & citiùs cucurrit,& tamen ante monumentum vacua stetit? *Venit autem Simon Petrus sequens eum,& introiuit in monumentum:* quia secuta posterior Ecclesia gentium,mediatorem Dei & hominum,hominem Iesum Christum, & cognouit carne mortuum, & viuentem credidit Deũ. *Vidit linteamina posita , & sudarium quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum.* Quid esse credimus fratres , quòd sudarium capitis Domini cum linteaminibus non inuenitur in monumento, nisi quia,Paulo attestante,caput Christi Deus,& diuinitatis incõprehensibilia sacramẽta ab infirmitatis nostræ cognitione disiuncta sunt,eiusq; potentia creaturæ transcendit naturam ? Et notandum,quòd non solùm separatim,sed & inuolutum inueniri dicitur in vnum locum. Linteum quippe quod inuoluitur,eius nec initium nec finis adspicitur. Rectè ergo sudariũ capitis inuolutum inuentum est, quia celsitudo diuinitatis nec cœpit esse,nec definit:nec per initium nascitur,nec termino coangustatur. Benè autẽ additur,In vnum locũ: quia in scissura menriũ Deus non est.Deus quippe in vnitate est : & illi habere eius gratiam merentur, qui se ab inuicem per sectarum scandala non diuidunt.Sed quia solet per sudarium,laborantium sudor detergi,potest etiam sudarij nomine exprimi labor Dei:qui in se quidem quietus semper atq; incommutabilis permanet,sed tamen laborare se denunciat,cùm duras hominum prauitates portat. Vnde per prophetam dicit:Laborani sustinens. Deus autem apparuit in carne,laborauit ex nostra infirmitate.Quem laborẽ passionis eius dum increduli viderunt,eum venerari noluerunt. Quem enim videbant carne mortalem, dedignati sunt credere immortalem esse diuinitate. Vnde etiã Ieremias ait : Reddes eis vicem Domine,iuxta opera manuum suarum : dabis eis scutum cordis,laborem tuum.Ne enim prædicationis spicula eorum corda penetrarent,dum passionis eius laborem dedignati sunt,quasi eundem laborem illius pro scuto tenuerunt , vt eò ad se transire eius verba non permitterẽt,quò eũ laborare vsque ad mortẽ viderent.Quid aũt nos nisi capitis nostri,id est,Domini membra sumus?Per linteamina itaq; corporis,laborum ligamenta signantur,quæ nunc electos oẽs,id est,eius mẽbra constringunt.Sudariũ ergo, quod super caput eius fuerat,seorsùm inuenitur : quia ipsa redemptoris nostri passio,longè à nostra passione disiũcta est:quoniam ipse sine culpa pertulit, quod nos cum culpa toleramus. Ipse spontè morti succũbere voluit,ad quam nos venimus inuiti.Sequitur:*Tunc ergo introiuit & ille discipulus , qui venerat prior ad monumentum.* Post quàm intrauit Petrus, ingressus est & Ioannes. Posterior intrauit,qui prior venerat.Notũ est fratres,quòd in fine mũdi ad redemptoris fidem etiam Iudæa colligetur,Paulo attestante,qui ait: Donec plenitudo gentiũ intraret, & sic omnis Israël saluus fieret. *Et uidit,& credidit.* Quid fratres,quid æstimandus est credidisse?Nunquid quia Dominus surrexerat,quem quærebat?Nõ vtiq;, quia adhuc tenebræ erant ad monumentum:& subiuncta quoq; verba contradicunt,cùm dicitur:*Nondum enim sciebant scripturas: quia oporteret eum à mortuis resurgere.* Quid ergo vidit,& quid credidit? Vidit linteamina posita,& credidit,quod mulier dixerat,de monumento Dominum fuisse sublatum. Qua in re diuinæ dispensationis magnitudo pensanda est, quòd discipulorum corda & accenduntur vt quærant,& differuntur ne inueniant:quatenùs infirmitas animi ipso suo mœrore cruciata,purgatior ad inueniendum fiat: & tantò validiùs teneat cùm inuenerit, quantò tardiùs inuenit quod quærebat. Hæc sub breuitate,fratres charissimi, de euangelica lectione transcurrimus:nunc restat vt de ipsa tantæ solennitatis nobilitate aliquid loquamur.Hanc enim rectè nobilitatem solennitatis dicam, quia solennitates cæteras antecedit. Sicut enim in sacro eloquio sancta sanctorum,vel Cantica canticorum pro sui magnitudine dicuntur: ita hæc festiuitas rectè dici potest solennitas solennitatum. Ex hac quippe solennitate exemplũ nobis resurrectionis datum est,spes cælestis patriæ aperta,& facta superni regni iã præsumptibilis gloria.Per hanc electi,qui quanuis in tranquillitatis sinu, tamen apud inferni claustra tenebantur, ad paradisi amœna reducti sunt.Quod ante passionẽ dixit,in resurrectione sua Dominus impleuit:Si exaltatus fuero à terra,omnia trahã ad me. Omnia etenim traxit,qui de electis suis apud inferos nullũ reliquit.Omnia abstulit,vtiq; electa. Neq; etenim infideles quosq; , & pro suis criminibus æternis supplicijs deditos, ad veniam Dominus resurgendo reparauit, sed illos ex inferni claustris rapuit,quos suos in fide & actibus recognouit. Vnde rectè etiam per Osee dicit:Ero mors tua ô mors,ero morsus tuus inferne. Id nanque quod occidimus,agimus vt pœnitùs non sit. Ex eo autem quod mordemus , partẽ abstrahimus, partem reliquimus. Quia ergo in electis suis funditùs occidit mortẽ,mors mortis extitit:quia verò ex inferno partem abstulit, & partem reliquit,non occidit funditùs,sed momordit infernum.Ait ergo:Ero mors tua ô mors.Ac si apertè dicat: Quia in electis meis te funditùs perimo, ero mors tua ô mors. Ero morsus tuus inferne, quia sublatis eis, te ex parte transfigo. Quæ est

Etiam paucis consulendum.

Cursus Petri & Ioãnis.

Ioannes, Synagoga Petrus, Ecclesia.

1. Cor. 15.

Hier. 6.

Thre. 3.

Pascha cæteras antecellit solẽnitates.

Rom. 11.

Ioan. 12.

Osee 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ista ergo solennitas, quę inferni claustra destruxit, & ianuas nobis regni cælestis aperuit? Inquiratur subtiliùs nomen eius: requiratur egregrius prædicator, videamus quid de eius æstimatione denunciet. Ait enim: Etenim pascha nostrum im-
1. Cor. 5. molatus est Christus. Si igitur pascha Christus, pensandum nobis est, quid de pascha lex loquitur, vt indagemus subtiliùs, an de Christo dicta
Exod. 12. videantur. Moyses quippe ait: Sument de sanguine agni, ac ponent super vtrunq; postem & in superliminaribus domorum, in quibus come-
Esus agni dent illum. Et edent carnes nocte illa assas igni,
paschalis. & azymos panes cum lactucis agrestibus. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantùm igni. Caput cum pedibus eius & intestinis vorabitis: nec remanebit ex eo quicquam vsque mane: si quid residuum fuerit, igni comburetis. Vbi & additur: Sic autem comedetis illum: Renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus, tenētes baculos in manibus, & comedetis festinantes. Quæ videlicet cuncta magnam nobis ædificationem pariunt, si fuerint mystica interpretatione discussa. Quis nanq; sit sanguis agni, non iam audiendo, sed bibendo didicistis. Qui sanguis super vtrunque postem ponitur, quando nō solùm ore corporis, sed etiā ore cordis hauritur. In vtroq; etenim poste agni sanguis est positus, quando sacra
Passio Christi imi mētum passiōis illius cū ore ad redemptionē sutando. mitur, ad imitationē quoq; intenta mente cogitatur. Nā qui sic redēptoris sui sanguinē accipit, vt imitari passionē illius necdū velit, in vno poste sanguinē posuit: qui etiam in superliminaribus domorū ponendus est. Quid enim spiritualiter domos, nisi mentes nostros accipimus, in quibus per cogitationē inhabitamus? Cuius domus superliminare est ipsa intentio, quæ præeminet actioni. Qui igitur intentionē cogitatiōis suæ ad imitationē passionis dominicæ dirigit, in superliminari domus agni sanguinē ponit. Vel certè domus nostræ ipsa sunt corpora, in quibus quousq; viuimus, habitamus. Et in superliminari domus agni sanguinē ponimus, quia crucem passionis illius in fronte portamus. De quo adhuc agno subditur: Et edent carnes nocte illa assas
Agnus in igni. In nocte quippe agnum comedimus, quia nocte edi- in sacramento modo dominicum corpus accipitur. mus, quando adhuc ab inuicē nostras conscientias non videmus: quæ tamē carnes igni assandæ sunt, quia nimirū ignis dissoluit carnes, quas aqua coxerit: quas verò ignis sine aqua excoquit, roborat. Carnes itaq; agni nostri ignis excoxit, quia eū ipsa vis passionis illius ad resurrectionē valentiorē reddidit, atq; ad incorruptionē robo rauit. Qui enim ex morte cōualuit, videlicet carnes illi⁹ ab igne duruerūt. Vnde etiā per Psalmi-
Psal. 21. stam dicit: Exaruit velut testa virtus mea. Quid nanq; est testa ante ignē, nisi molle lutum? Sed ei ex igne additur, vt solidetur. Virtus ergo humanitatis eius velut testa exaruit: quia ab igne passionis ad virtutem incorruptionis creuit. Sed sola redemptoris nostri percepta sacramenta, ad veram solennitatem mentis non sufficiunt, nisi eis quoq; & bona opera iungantur. Quid enim Bona opera sectanda. prodest corpus & sanguinē illius ore percipere, & ei peruersis moribus cōtraire? Vnde benè ad-
Exod. 12. huc ad comedendum subditur: Et azymos panes cū lactucis agrestibus. Panes quippe sine fermento comedit, qui recta opera sine corruptione vanæ gloriæ exercet, qui mandata misericordiæ sine admixtione peccati exhibet, ne peruersa sine admixtione peccati fermentū bonæ suæ actioni misceat, quibus prophetæ voce per increpationē Do-
Amos 4. minus dicebat: Venite ad Bethel, & impiè agite. Atq; post pauca: Et sacrificate de fermento laudem. De fermento nanq; laudē immolant, qui Deo sacrificium de rapina parant. Lactucæ verò agrestes valdè amaræ sunt. Carnes ergo agni cū lactucis agrestibus sunt edendæ, vt cū corpus re- Eucharistiam sumpturus, lachrymis se purget. dēptoris accipimus, nos pro peccatis nostris in fletibus affligamus: quatenus ipsa amaritudo pœnitētiæ, abstergat à mentis stomacho peruersæ humoré vitæ. Vbi & subditur: Nō comedetis ex eo crudū quid, nec coctū aqua. Ecce iā nos ipsa verba historiæ ab intellectu historico repellunt. Nunquid, fratres charissimi, Israëliticus ille populus in Aegypto cōstitutus, comedere agnum crudū coniuenerat, vt ei lex dicat, Non comedetis ex eo crudum quid? Vbi & additur: Nec coctum aqua. Sed quid aqua, nisi humanam scientiam designat, iuxta hoc quod per Salomonem sub hæreticorū voce dicitur, Aquæ furtiuæ dul-
Prou. 9. ciores sunt? Quid crudæ agni carnes, nisi inconsiderata, ac sine reuerentia cogitationis relictā illius humanitatē significant? Omne enim quod subtiliter cogitamus, quasi mente coquim⁹. Sed agni caro nec cruda edenda est, nec aqua cocta: quia redemptor noster nec purus homo æstimāndus est, neq; per humanam sapientiam qualiter Deus incarnari potuit, cogitandus. Omnis enim qui redemptorē nostrū purū hominem credit, quid iste aliud, quā agni carnes crudas comedit, quas videlicet coquere per diuinitatis eius intelligentiā noluit? Omnis verò qui incarnationis eius mysteria iuxta humanā sapientiā discutere conatur, carnes agni aqua vult coquere, id est, dispensationis eius mysteriū, per dissolutā vult scientiā penetrare. Qui ergo paschalis gaudij so- Agnus nec aqua coctus, nec crudus edendus. lennitate celebrare desiderat, agnū nec aqua coquat, nec crudū comedat: vt neq; per humanam sapientiā profunditatē incarnationis illius penetrare appetat, neq; in eū tanquā in hominē purū credat: sed assas igni carnes comedat, vt dispensari omnia per sancti spiritus potentiā sciat. De quo adhuc rectè subiungitur: Caput cū pedibus & intestinis vorabitis: quia redēptor noster est α. & ω. Deus videlicet ante secula, & homo in fine seculorū. Sicut iam prædiximus fratres, Paulo
1. Cor. 11. attestante, didicimus, quia caput Christi Deus. Ca-
Calceamēta in pedibus habere put

put ergo agni vorare, est diuinitatem illius fide percipere. Pedes verò agni vorare, est vestigia humanitatis eius amando & imitando perquirere.
Intestina. Quid verò sunt intestina, nisi verborū illius occulta & mystica mandata? quæ tunc voramus, cū verba vitæ cum auiditate sumimus. In quo deuorationis verbo, quid aliud quàm pigritiæ nostræ torpor reprehenditur, qui eius verba atq; mysteria & per nosmetipsos nō requirimus, & dicta ab alijs audimus inuiti? Nō remanebit ex eo quicquā vsq; mane: quia eius dicta sunt magna solicitudine discutenda: quatenùs priusquā dies resurrectiōis appareat, in hac præsentis vitæ nocte omnia illius mādata intelligendo & operādo penetrēt. Sed quia valdè est difficile, vt omne sacrum eloquiū possit intelligi, & omne eius mysteriū penetrari, rectè subiungitur: Si quid aūt remāserit, igni cōburetis. Quod ex agno remanet, igni cōburimus, quando hoc ꝙ de mysterio incarnationis eius intelligere & penetrare non possumus, potestati sanctiſpiritus humiliter reseruamus: vt nō superbè quis audeat vel contemnere vel denunciare, quod nō intelligit. Sed hoc igni tradit, cùm spiritui sancto reseruat. Quia igitur qualiter edendū sit pascha cognouimus, nūc à qualibus edi debeat agnoscamus. Sequitur: Sic autem comedetis illum. Renes vestros accingetis. Quid in renibus, nisi delectatio carnis accipi
Psalm. 25. tur? Vnde & Psalmista postulat, dicēs: Vre renes meos. Si enim voluptatem libidinis in renibus esse nesciret, eos vri minimè petisset. Vnde quia potestas diaboli in humano genere maximè per
Iob 40. luxuriam prævaluit, de illa voce dominica dicitur: Potestas eius in lūbis eius. Qui ergo pascha comedit, habere renes accinctos debet, vt qui solennitatem resurrectionis atq; incarnationis agit, corruptioni iam per vitia nulla subiaceat, voluptates edomet, carnē à luxuria restringat. Neq; enim cognouit quæ sit solennitas incorruptionis, qui adhuc per incontinentiam corruptioni
Matth. 7. subiacet. Hæc quibusdā dura sunt, sed angusta porta est, quæ ducit ad vitam. Et habemus iā multa exempla continentiū. Vnde benè adhuc subditur: Calceamenta habebitis in pedibus. Quid etenim sunt pedes nostri, nisi opera? quid verò calceamenta, nisi pelles mortuorum animalium? Calceamenta aūt pedes muniūt. Quæ verò sunt mortua animalia, ex quorum pellibus nostri muniūtur pedes, nisi antiqui patres, qui nos ad ęternā patriā pręcesserunt, quorum dum exempla cōspicimus, nostri operis pedes munimus? Calceamenta ergo in pedibus habere, est mortuorū vitam conspicere, & nostra vestigia à peccati vulnere custodire. Tenentes baculos in manibus. Quid lex per baculos, nisi pastoralem custodiā designat? Et notandum, quòd priùs præcipimur renes accingere, postmodùm baculos tenere: quia illi debent curam pastoralem suscipere, qui iam in suo corpore sciūt fluxa luxuriæ domare, vt dum alijs fortia prædicant, ipsi desiderijs mollibus eneruiter non succumbāt. Benè autē subditur: Et comedetis festinantes. Notate charissimi fratres, notate quod dicitur, Festinantes. Mādata Dei, mysteria redemptoris, cælestis patriæ gaudia cum festinatione cognoscite, & præcepta vitæ cum festinatione implere curate. Quia enim adhuc hodiè licet benè agere scimus: vtrū cras liceat, ignoramus. Festinantes ergo pascha comedite. i. ad solennitatem patriæ cælestis anhelate. Nemo in huius vitæ itinere torpeat, ne in patria locum perdat. Nemo moras ad appetēda studia innectat, sed cœpta perficiat, ne minimè liceat implere quod inchoat. Si ad amorem Dei pigri non sumus, adiuuat ipse quem amamus, Iesus Christus Dominus noster, qui viuit & regnat cum patre in vnitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

EODEM DIE.
HOMILIA EVSEBII Emesēni.

Vna Sabbati Maria Magdalene uenit manè, cùm adhuc tenebræ essent ad monumentum, &c. Ioan. 20.

QVantùm ad literam, magnus amor cōpellebat hāc mulierem, vt ante lucem ad monumentum Dominum quæreret. Quantùm autem ad spiritualē intelligentiam, adhuc tenebris inuoluta erat, quia nondum interiùs illuminata Christi resurrectionem credebat. Vnde etiam illi à Domino dicitur: Noli me tangere: nondum enim ascendi ad patrem meum. Sed quid mirum, si resurrectionem mulier ignorabat, cùm hic idem dilectus Domini discipulus de seipso dicat, qđ nondùm sciebat scripturas, quia oporteret eum à mortuis resurgere. *Cucurrit ergo, & uenit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum, quem amabat Iesus, & dicit eis: Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus ubi posuerunt eum.* Quia enim in monumento Dominus non erat, non resuscitatum, sed sublatum eum esse credebat. Et hoc ideò, quia adhuc ei tenebræ erant, & nondum mentis oculos apertos habebat. Dolebat tamen de corpore Iesu, quod iam vbi quæreret, nesciebat. *Exijt ergo Petrus, & ille alius discipulus, & uenerunt ad monumentum.* Sed quo modo venerūt? Currendo vtiq;. Et hoc est quod ait: *Currebant aūt duo simul: & ille alius discipul⁹ præcucurrit citiùs Petro, & uenit primus ad monumentum. Et cùm se inclinasset, uidit linteamina posita, non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus, sequens eum, & introiuit in monumentum, & uidit linteamina posita, & sudarium quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in uno loco. Tunc ergo introiuit & ille discipulus, qui uenerat primus ad monumentum, & uidit. & cre-* Duo discipuli, duos populos significant, ducentes, populorū.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tes, Iudæos scilicet & Gentiles. Ex his enim tota consistit Ecclesia. Et Ioannes quidem significat Iudæos: Petrus verò Gentiles designat: quoniã Iudaicus populus minor & iunior est, Gentilis verò maior & antiquior, sicut Petrus est maior & antiquior Ioanne. Sed Ioãnes præcucurrit citiùs Petro, quia Iudaicus populus priùs quàm Gentilis ad fidei cognitionem venire cœpit. Et venit ad monumentum, sed non statim introiuit, quia Christi resurrectionem audiens, nõ credidit. Si enim statim introisset, & linteamina tetigisset, cùm ibi Christum nõ esse sensisset, resurrexisse credidisset. Sed quid per linteamina Christi, per indumenta verbi Dei, nisi literã intelligimus, qua verbum indutum non apparet? Verbũ vtiq;, quod in principio erat verbũ & verbum erat apud Deũ, & Deus erat verbũ: qd' quidem nisi literæ velamine expoliatũ fuerit, neq; videtur, neq; cognoscitur. *Venit Ioãnes ad monumentum, inclinauit se, uidit linteamina, sed non tetigit*: quia & Iudæi vsq; hodiè se ad legendum inclinant, sed non intelligunt. Tangere enim, intelligere est. Nunc autẽ videamus, quid Petrus quoq; fecerit, qui post Ioannem ad monumentũ venit. *Venit*, inquit, *Simon Petrus, sequens eum*. Et quid fecit? *Et introiuit in monumentũ*. Sed non introisset, nisi cognouisset. Introiuit ergo, & vidit, diligenterq; inspexit sola linteamina ibi esse posita, & illum resurrexisse cognouit, qui in illis linteaminibus priùs inuolutus latebat. Sic & nos cùm ad librũ accedimus, id est, ad monumentũ Christi, in qua eius mortis & resurrectionis recordamur, & admonemur: dũ intelligendo intramus, literæ velamina reuoluimus, mox Christum Dominũ resurrexisse cognouimus. Cũ enim legimus, Ego dormiui, & somnum cepi, & resurrexi, quoniã Dominus suscepit me: (Si tamen hoc monumẽtum cũ Petro intramus: intramus autem, si intelligimus, & literæ velamina reuoluim⁹) Christũ Dominũ resurrexisse cognoscimus. Hoc autem Iudæi nõ cognoscunt, quia & si monumentum & linteamina, id est, librum & literas videant, illuc tamen intelligendo non intrant, vsitata locutione: vt in illam sententiam nos nõ posse intrare dicamus, quam intelligere non valemus. Videamus etiam quid sudarium illud significet, quod super eius caput positum fuerat. Si enim (vt Apostolus ait) caput Christi, Deus est, quid sudariũ quo tegitur caput, nisi illam scripturã designat, quæ loquitur de diuinitate? Vis videre sudariũ, quo tegitur caput Christi? lege huius Euãgelij caput: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Vnde & benè de hoc sudario dicitur, quia nõ cum cæteris linteaminibus positũ, sed seperatim in vno loco inuolutũ erat: quoniã magna distantia est inter eas scripturas, quæ de Christi diuinitate, & eas, quæ de eius humanitate loquũtur. Hinc est, q̃ de quibusdã separatis sacrificijs nemo comedit, nisi Aaron cũ filijs masculis. *Tunc ergo introiuit & ille discipulus, qui uenerat primũ ad monumentum, & uidit, & credidit*. Hoc est enim, quod Apostolus ait: Cùm plenitudo gentiũ introierit, tunc Israël saluus fiet. Priùs igitur necesse est vt Petrus introeat cum tota gentium plenitudine, quæ per eum significatur: & sic posteà intrabit Ioãnes cum Iudæorum populo, qui per eum designatur. Quòd autem ait, Et vidit, & credidit, non planè de resurrectione, sed de his quę mulier dixerat, Dominum videlicet de monumento fuisse sublatum, intelligi debet. Vnde & subditur: *Nondum enim sciebat scripturam, quia oportuit eum à mortuis resurgere*. Ideò enim scripturam nondum sciebat, quia adhuc linteamina à longè videbat. Diximus enim scripturam per linteamina significari.

Linteamina Christi mystice.

Psal. 3.

1. Cor. 11. *Sudarium capitis.*

DOMINICA IN OCTAVIS PASCHAE, IN EPISTOLAM

Concio exegetica D. Bernardi, Abbatis sanctissimi atq; doctissimi.

Omne quod natum est ex Deo, uincit mundum. Post quã vnigenitus Dei nõ rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, hominis quoq; dignatus est fieri filius, & habitu inuẽtus vt homo, non immeritò iam de cæleſti generatione exiguitas humana præsumit. Neq; enim indignum est Deo, eorum fieri patrem, quorum se Christus fecerit fratrẽ. Hinc est, quòd B. Ioannes, qui sæpiùs nobis ac studiosiùs hanc cõmendat adoptionẽ filiorum Dei, in ipso quoq; Euangelij sui principio, Quotquot, inquit, receperunt eum, dedit eis potestatẽ filios Dei fieri. Huic ergo verbo simile est, quod audiuimus hodiè de eius Epistola recitari. *Omne*, inquit, *quod natum est ex Deo, uincit mundum*. Quotquot enim sunt Christi, cum Christo eos mũdus odit, sed cũ Christo superatur, pariter & ab ipsis. Nolite, ait, mirari, si odit vos mũdus: scitote quia priorem me vobis odio habuit. Et item, Confidite, inquit, ego vici mundum. Sic nimirùm manifesta fit sermonis illius veritas, quem ait Apostolus: Quos præscíuit, inquit, (haud dubium, quin Deus pater) & prædestinauit conformes fieri imagines filij sui. Vide cõformationem. Post ipsum adoptantur, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. post ipsum odit mũdus eos, post ipsum & ab eis vincitur mũdus. Benè ergo quod natũ est ex Deo, vincit mundũ, vt sit testimonium cæleſtis generationis victoria tentationis, & sicut is, qui filius est per naturam, mundũ cũ suo principe triũphauit: sic & nos victores inueniamur, quotquot sumus filij adoptionis. Victores sanè, sed in ipso qui confortat nos, in quo

1. Ioan. 5. Philipp. 2.

Rom. 11.

Ioan. 1.

Ioan. 15.

Ioan. 16.

Rom. 8.

Philip. 4. quo & possumus omnia. *Quia hæc est uictoria, quæ uincit mundum, fides nostra*. Fide siquidem in Dei filios adoptamur, fidem in nobis mundus in maligno positus odit atque persequitur, fide quoque & vincitur, sicut scriptum est, Sancti per

Hebr. 11. fidem vicerunt regna. Quid ni attribuatur fidei

Habac. 2. victoria, cuius est etiam vita? Iustus, inquit, ex fide viuit. Quoties ergo tentationi resistis, quoties vincis malignum, noli proprijs tribuere viribus, noli in te, sed magis in Domino gloriari. Quando enim fortis ille armatus tuæ cederet infirmitati? Audi denique, quid dominici constitutus pastor ouilis admoneat: Aduersarius, inquit, vester diabolus, tanq̃ leo rugiens circumit, quærens quem deuoret: cui resistite fortes in fide. Vides quemadmodùm sibi veritatis testimonia concinant? Paulus side regna vicisse sanctos, Petrus principi mũdi resistendum in fide, Ioannes quoque, Hæc est, inquit, victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. Sequitur: *Quis est qui uincit mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est filius Dei?*

1. Pet. 5.

Ioan. 3. Certum id quidem fratres, omnem qui non credit in filium Dei, ex hoc ipso iam non modò victum esse, sed etiam iudicatum. Sine fide enim

Heb. 11. impossibile est placere Deo. Veruntamen potest fortè mouere, quòd tam multos videmus credẽtes Iesum filium Dei esse, adhuc tamen mundi nihilo minùs cupiditatibus irretitos. Quid ergo ait, Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit

Iac. 2. quia Iesus est filius Dei, cùm & ipse iam mundus id credat? An non ipsi quoque dæmones & credunt & contremiscunt? Sed dico: Putas ne filium Dei reputat Iesum, quisquis ille est homo, qui ipsius nec terretur comminationibus, nec attrahitur promissionibus, nec præceptis obtemperat, nec consilijs acquiescit? Nónne is, etiamsi

Iacob. 2. fateatur se nosse Deum, factis tamen negat? Porrò fides sine operibus mortua est in semetipsa. Nec sanè mirum videri potest, si nequaquam vincit, quæ nec viuit quidem. Quæris quæ nam

Ephes. 3. sit viuida & victoriosa fides? Illa sine dubio, per quam Christus habitat in cordibus nostris. Chri

Coloss. 3. stus enim & virtus est & vita nostra. Cùm Christus apparuerit vita vestra, ait Apostolus, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Vnde gloria, nisi de victoria? Aut quare cum ipso apparebimus, nisi quia in ipso & vincimus? Denique si his tantùm data est potestas filios Dei fieri, qui suscipiunt Christum, de his quoque solis intelligendum est quod dicitur, Omnis qui natus est ex Deo, vincit mundum. Inde est, quòd hic quoque cùm dixisset, Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quia Iesus est filius Dei, vt planius faceret eam commendari fidem, per quam, vt dictum est, Christus in cordibus nostris habitat, addidit continuò de ipsius aduentu, dicens: *Hic est qui uenit per aquam & sanguinem, Iesus Christus*. Adhuc autem supereminentiorem viam ostendens, *Et spiritus est*, inquit, *qui testificatur, quoniam Iesus est filius Dei*. (Sic legit D. Bernardus. Nos legimus, Quoniam Christus est veritas.) Sanè quòd interponit, signanter repetens, *Non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine*, ad Moysi differentiam arbitror accipiendum. Moyses quidem in aqua venit, à qua & nomen accepit, vt Moyses vocaretur. Recolant quibus nota est historia veteris testamenti, quemadmodùm in Aegypto dum parauli omnes Israëlitici germinis necarentur, exposito in aquis Moysen tulerit filia Pharaonis. Et vide si non manifestè Christi & in hoc ipso videtur præcessisse figura. Simili nempe cum Pharaone etiam Herodes suspitione laborans, ad eadem conuersus est crudelitatis argumenta, sed eodem modo est & ipse delusus. Vtrobique pro vnius suspecta persona trucidatur numerositas puerorum, vtrobique qui quærebatur euadit. Et quomodò Moysen filia Pharaonis, ita Christum quoque Aegyptus, quæ non immeritò Pharaonis intelligitur filia, susceperit conseruandum. Manifestè tamen plus quàm Moyses hic, vtpotè qui non venerit in aqua tantùm, sed in aqua & sanguine. Aquæ enim multæ, populi multi. Venit ergo in aqua tantùm, qui cõgregauit quidem populũ, sed populum non redemit. Nam & ipsa quoque de seruitute Aegyptia liberatio, non Moysi sed agni sanguine facta est, liberandos nos præfigurans à vana nostra conuersatione huius seculi sanguine agni immaculati Christi Iesu. Hic est verus legifer noster, apud quem copiosa est redemptio. Mortuus est enim non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui dispersi erant, congregaret in vnum. Memento sanè hunc esse Ioannem, qui vidit, & testimonium perhibuit, & scimus quia verum est testimonium eius, exisse de latere Domini dormientis in cruce, sanguinem simul & aquam: quò videlicèt dormienti nouo Adæ noua de latere suo proferretur pariter & redimeretur Ecclesia. Sic ergo hodiè quoque ad nos per aquam & sanguinem venit, vt sit aqua & sanguis testimonium aduentus eius, fideique victricis. Non solùm autem, sed testimonium est maius his, quod perhibet spiritus veritatis. Horum trium testimonium verum certumque est, & felix anima quæ meretur illud accipere. *Tres enim sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, Aqua & Sanguis*. In aqua quidem baptismum intellige, in sanguine martyrium, in spiritu charitatem. Spiritus enim est qui viuificat, & fidei vita, dilectio. Denique si quæris, Quid spiritui & charitati? respondeat Paulus, Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritũ sanctum, qui datus est nobis. Necessariò quoq; additur spiritus aquæ & sanguini, cùm eodẽ Apostolo teste, sine charitate quicquid habeas, nihil prosit. Iam verò quia baptismũ aqua, martyriũ dixim⁹ sanguine designari, memẽto & vnicũ, & quotidianũ esse baptismum, similiter & martyriũ. Est .n. & martyrij genus, & quædã sanguinis effusio in quotidiana corporis afflictione: est & baptism⁹ aligs in cõpũctiõe cordis, & lachry

Apoc. 17.

Exod. 2.

Matth. 2.

Ioan. 11.

Ioan. 19.

Ioan. 6.

Rom. 5.

1. Cor. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

marum assiduitate. Sic quippe infirmis & pusillis corde necesse est, vt quem semel pro Christo ponere non sufficiunt, saltem mitiori quodam sed diuturniori martyrio sanguinem fundant.

Sic & baptismi sacramẽtum quoniam iterari nõ licet, his qui sæpiùs in multis offendunt, frequenti oportet ablutione suppleri. Vnde & Propheta, *Psalm. 6.* Lauabo, inquit, per singulas noctes lectum meũ, lachrymis meis stratum meum rigabo. Vis ergo nosse, quis est qui vincit mundum? Quę in eo vincenda sunt, diligentiùs intuere. Siquidem & hoc *1. Ioan. 2.* ipsum beatus iste Ioannes indicat, dicens: Charissimi, nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo sunt. Omne enim quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorũ, & ambitio seculi. Hæ sunt tres turmæ, quas *Iob 1.* fecerunt Chaldæi: sed memini quoq; sanctum *Gene. 32.* Iacob tres turmas, cùm timeret à facie Esau rediens de Mesopotamia. Et vobis ergo aduersus triplex genus tentationis, triplici opus est munimẽto, vt carnis quidem concupiscentia ipsius mortificatione vincatur, quam, si meministis, in sanguinis testimonio diximus intelligendam: oculorum verò concupiscentiam superet studium compunctionis & assiduitas lachrymarum. porrò ambitionis vanitatem virtus charitatis excludat, quæ sola castificat animum, sola purgat intẽtionem. Certum quippe triumphati mundi testimonium est, si corpus castiges & subijcias seruituti, ne perniciosa libertate seruiat voluptati: si fletui præbeas oculos magis quàm petulantię vel curiositati: si denique spirituali dilectione flagrãs, nulli animum dederis vanitati. Meritò sanè vnus est, qui in terra pariter & in cælo testimoniũ perhibet, spiritus: quia siue corporis afflictio, cessabit, siue lachrymarum fons, exiccabitur: sed cha-
1. Cor. 13. ritas nunquam excidit. Prælibatio quædam est in præsenti, cõsummatio & plenitudo in futuro manet. Veruntamen licet maneat post aquam & sanguinem spiritus (aqua quippe & sanguis regnum Dei non possidebunt) interim tamen aut vix, aut nullo modo inuenire est spiritum sine illis: *Quoniam hi tres*, inquit, *unum sunt*, vt quolibet ex his tribus deficiente, adesse cætera non præsumas. Simul verò iuncta testimonia ista credibilia facta sunt nimis, nec poterit cui in terris suppetunt hæc, carere testimonio vel in cælis. Confitetur Dei filium coram hominibus, non verbo neque lingua, sed opere & veritate: & filius quoq; confitebitur eum coram angelis Dei. An verò ei deesse poterit in testimonio Pater, cui filium videat attestantem? Sine dubio confitebitur & ipse, quod viderit in abscondito. Sed neq; Spiritus quidem à Patre Filioq; dissentiet: quippe qui Patris Filijq; sit Spiritus. Denique quo nam modo careat testimonio eius in cælo, qui habere illud meruit & in terra? *Tres ergo sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.* (Nos legimus, Pater, Verbum & Spiritus sanctus.) Et ne quam fortè dissonantiam suspiceris, hi tres, vnũ sunt. Magnum profectò habituri sunt testimonium, quos in cælo Pater susceperit tanquã filios & hæredes, Filius asciuerit tanq̃ fratres & cohæredes, Spiritus sanctus adhærentes Deo, vnum spiritum faciat esse cum eo. Est enim Spiritus ipse indissolubile vinculum Trinitatis, per quem sicut Pater & Filius vnum sunt, sic & nos vnum sumus in ipsis, eo miserante, qui pro discipulis hoc *Ioan. 17.* ipsum orare dignatus est, Iesu Christo Domino nostro. Hucusq; D. Bernardus in Sermone in Octaua Paschæ. Restant autem pauca adhuc de lectione eadem, breuiter exponenda: *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est: quoniam hoc est testimonium Dei quod maius est, quoniam testificatus est de filio suo. Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se.* Hoc loco, vt ait Oecumenius, confirmationem à minori subiungit Apostolus, atq; inquit: Si testimonium hominum aliqua de re admittimus, nónne multò iustiùs Dei, qui maior est, admittere testimonium debemus? At hoc testimonium de filio suo, id est, de Christo, à Deo est. Qui igitur in filium Dei credit, quòd videlicèt Deus sit, vtpotè Dei filius, in seipso habet testimonium, cùm se adoptatum in filium credat per Iesum, qui adoptatus à Deo est. Qui non credit, obnoxius duob⁹ malis manet, cùm & Deum mendacem faciat, & adoptione, atque ob id vita æterna, seipsum priuet: quam quidem vitam adoptatis à se filijs promisit Christus, atq; in se habet, sicut in Euangelio scribitur: In ipso vita e- *Ioan. 1.* rat. Quare qui habet filium per sanctum baptisma, vitam etiam habet. Quicunq; enim baptizati *Gala. 3.* in Christum sumus, id est, iuxta mandatum eius, Christum induimus. At qui filium Dei per baptisma non habet, neque vitam habet, sed mortuus est. Nam mortuos nos peccatis suscipiens, per sanctum baptisma ad vitam suscitat. Sicut enim sæpè dictum est, qui consepultus cum Christo est per demersionem in sancto baptismate, is mundo, id est, mundanis cupiditatibus mortuus est, & non amplius sibi, sed Christo tantummodò viuit, dum iuxta mandata eius in nouitate vitæ ambulat, nullumque aditum peccato amplius præstat. Hæc Oecumenius. Multa in hac lectione tribuuntur fidei, sed illi fidei, quæ est in illis Christianis, qui, vt præclarè inquit Augustinus Tractatu 10. in priorem Ioannis Epistolam, non solùm nomine Christiani sunt, sed factis & vita. Fides enim Christiani, vt ait Augustinus ibidem, cum dilectione est, dæmonis sine dilectione. Itaque fratres, inquit, nemo hæreticorum dicat vobis, Et nos credimus. Ideò enim de dæmonibus exemplum proposui, ne gaudeatis ad verba credentium, sed exploretis facta viuentium. Hæc Augustinus. Christus Iesus præstet nobis suam gratiam, qui cum Patre & spiritu sancto viuit & regnat per omnia secula, Amen.

IN

IN OCTAVA PASCHAE.

In illo tempore: Cùm esset serò die illa una sabbatorum, & fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum, uenit Iesus, & stetit in medio eorum, & dicit eis: Pax uobis. Et reliqua. Homilia B. Gregorij Papæ.

PRima lectionis huius euangelicæ quæstio animum pulsat, quomodò post resurrectionem corpus dominicum verum fuit, quod clausis ianuis ad discipulos ingredi potuit. Sed sciendum nobis est, quòd diuina operatio si ratione comprehenditur, non est admirabilis: nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Sed hæc ipsa redemptoris nostri opera, quæ ex semetipsis comprehendi nequaquàm possunt, ex alia eius operatione pensanda sunt, vt rebus mirabilibus fidem præbeant facta mirabiliora. Illud enim corpus Domini intrauit ad discipulos ianuis clausis, quod videlicet ad humanos oculos per natiuitatem suam clauso exijt vtero virginis. Quid ergo mirum, si clausis ianuis post resurrectionẽ suam in æternum iam victurus intrauit, qui moriturus veniens, non aperto virginis vtero exiuit? Sed quia ad illud corpus, quod videri poterat, fides intuentium dubitabat, ostendit eis protinùs manus & latus, palpandam carnẽ præbuit, quam clausis ianuis introduxit. Qua in re duo mira, & iuxta humanam rationem sibi valdè contraria ostendit, dum post resurrectionem corpus suũ & incorruptibile, & tamen palpabile demõstrauit. Nam & corrumpi necesse est, quod palpatur: & palpari non potest, quod non corrũpitur. Sed miro modo atq; inæstimabili redemptor noster & incorruptibile post resurrectionẽ, & palpabile corpus exhibuit, vt monstrando incorruptibile, inuitaret ad præmium: præbendo palpabile, formaret ad fidem. Et incorruptibilẽ se ergo & palpabilem demonstrauit, vt profectò esse post resurrectionem ostenderet corpus suum & eiusdem naturæ, & alterius gloriæ. *Dicit eis: Pax uobis. Sicut misit me pater, & ego mitto uos.* Pater filium misit, qui hunc pro redemptione generis humani incarnari constituit. Quem videlicet in mundum venire ad passionem voluit, sed tamen amauit filium, quem ad passionem misit. Electos verò apostolos Dominus non ad mundi gaudia, sed sicut ipse missus est, ad passiones in mũdum mittit. Quia ergo & filius amatur à patre, & tamẽ ad passionem mittitur: ita & discipuli amantur à Domino, qui tamen ad passionem mittuntur in mundo. Itaq; rectè dicitur: Sicut misit me pater, & ego mitto vos: id est, ea charitate vos diligo, cùm inter scandala persecutorum mitto, qua me charitate pater diligit, quem venire ad tolerandas passiones fecit. Quanuis mitti etiam iuxta naturam diuinitatis possit intelligi, eo enim ipso à patre filius mitti dicitur, quo à patre generatur. Nam sanctum quoq; spiritum, qui cũ sit coæqua-

Humana ratio non capit opera Dei.

Corpus Christi et palpabile, & incorruptibile.

lis patri & filio, non tamen incarnatus est, idem se filius mittere perhibet, dicens: Cùm venerit *Ioan. 15.* paracletus, quem ego mittam vobis à patre. Si enim mitti solummodò incarnari deberet intelligi, sanctus proculdubiò spiritus nullo modo diceretur mitti, qui nequaquàm incarnatus est: sed eius missio, ipsa processio est, qua de patre procedit & filio. Sicut itaq; spiritus mitti dicitur, quia procedit: ita & filius non incongruè mitti dicitur, quia generatur. *Hoc cùm dixisset, insufflauit, & dicit eis: Accipite spiritum sanctum.* Quærendum nobis est, quid est, quòd spiritum sanctum Dominus noster & semel dedit in terra consistens, & semel cælo præsidens. Neque enim alio in loco datus spiritus sanctus apertè monstratur, nisi nunc cùm per insufflationem percipitur, & postmodùm cùm de cælo veniens, in linguis varijs demonstratur. Cur ergo priùs in terra discipulis datur, postmodum de cælo mittitur: nisi quòd duo sunt præcepta charitatis, dilectio videlicet Dei, & pximi? In terra datur spiritus, vt diligatur proximus: è cælo datur spiritus, vt diligatur De⁹. Sicut ergo vna est charitas & duo præcepta, ita vnus spiritus, & duo data: priùs à consistente Domino in terra, postmodũ è cælo: quia in proximi amore discitur, qualiter peruenire debeat ad amorem Dei. Vnde & idẽ Ioannes dicit: Qui nõ dili- *1. Ioan. 4.* git fratrẽ suum quem videt, Deum quẽ nõ videt, quomodo potest diligere? Et antè quidẽ discipulorum mentibus idem spiritus sanctus inerat ad fidem, sed tamẽ manifesta datione non nisi post resurrectionem datus est. Vnde & scriptum est: *Ioan. 7.* Nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum fuerat glorificatus. Vnde etiã per Moysen dici- *Deut. 32.* tur: Suxerunt mel de petra, & oleũ de firma petra. Neq; enim quicquã tale iuxta historiã legitur, si tota testamenti veteris series recensetur: nusquã de petra mel, nusquã oleũ ille populus sumpsit. Sed quia iuxta Pauli vocẽ, petra erat Christ⁹, *1. Cor. 10.* mel de petra suxerunt, qui eiusdẽ redẽptoris nostri facta & miracula viderunt. Oleũ verò de firma petra suxerunt, quia effusione sancti spiritus post resurrectionem eius vngi meruerũt. Quasi ergo infirma petra mel dedit, quãdo adhuc mortalis Dominus miraculorũ suorũ dulcedinẽ discipulis ostẽdit: sed firma petra oleũ fudit, quia post resurrectionẽ suã factus iam impassibilis, per afflationem spũs donũ sanctę vnctionis emanauit. De hoc oleo per prophetã dicitur: Cõputrescet *Esa. 10.* iugum à facie olei. Sub iugo quippe tenebamur dæmoniacæ dominationis, sed vncti sumus oleo spũssancti. Et quia nos gratia libertatis vnxit, dæmoniacæ dominationis iugũ putruit, Paulo attestante, qui ait: Vbi spũs Domini, ibi libertas. Sci- *2. Cor. 3.* endũ verò est, q⁹ hi qui spũmsanctũ priùs habuerũt, vt & ipsi innocenter viuerent, & in prædicatione quibusdã prodessent: idcircò hũc post resurrectionẽ Domini patenter acceperunt, vt pdesse nõ paucis, sed pluribꝰ possent. Vnde & in hac ipsa datione spiritus dicitur: *Quorum remiseritis peccata, re-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ta, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Libet intueri, discipuli illi ad tanta onera humilitatis vocati, ad quantum culmen gloriæ sint perducti. Ecce non solùm de semetipsis securi fiunt, sed etiam alienæ obligationis, potestatem relaxationis accipiunt: principatum superni iudicis sortiuntur, vt vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent. Sic sic eos à Deo decebat erigi, qui tantùm pro Deo consenserant humiliari. Ecce qui districtum Dei iudiciũ metuunt, animarum iudices fiunt: & alios damnant vel liberant, qui semetipsos damnari metuebãt.

Episcopi, successores apostolorum. Horum profectò nunc in Ecclesia episcopi locũ tenent: ligandi atq; soluendi authoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur. Grandis honor, sed graue pondus istius est honoris. Durum quippe est, vt qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, iudex vitæ fiat alienæ. Et plerunq; contingit, vt hic iudicij locum teneat, cui ad locũ vita minimè concordat: ac proindè sæpè agitur, vt vel dãnet immeritos, vel alios ipse ligatus soluat. Sæpè in soluendis ac ligandis subditis suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur. Vnde fit, vt ipsa hac ligandi ac soluendi potestate se priuet, qui hanc pro suis voluntatibus, & non pro subiectorum moribus exercet.

Sæpè fit, vt erga quemlibet proximum odio vel gratia moueatur pastor. Iudicare autem de subditis dignè nequeunt, qui in subditorum causis sua vel odia, vel gratiam sequuntur. Vnde rectè per

Ezec. 13. prophetam dicitur: Mortificabant animas, quæ non moriuntur, & viuificabant animas, quæ non viuunt. Non morientem quippe mortificat, qui iustum damnat: & non victurum viuificare nititur, qui reum à supplicio absoluere conatur.

Soluendi & ligandi potestas vt exercenda. Causæ ergo pensandæ sunt, & tunc ligandi atque soluendi potestas exercenda: videndum quæ culpa, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam: vt quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absoluat. Tũc enim vera est absolutio præsidentis, cùm interni arbitrium sequitur iudicis. Quod benè quatriduani mortui resuscitatio illa significat, quæ videlicet demonstrat, quia priùs mortuum Dominus vocauit, & viuificauit, dicens: Lazare, veni foras: & postmodùm is, qui viuens egressus fuerat, à discipulis est solutus, sicut scriptum est: Cumq; egressus esset, qui fuerat ligatus instítis, tũc dixit discipulis: Soluite eum, & sinite abire. Ecce illũ discipuli iam viuentem soluunt, quem magister suscitauerat mortuum. Si enim discipuli Lazarũ mortuum soluerent, fœtorem magis ostenderẽt quàm virtutem. Ex qua consideratione intuendum est, quòd illos nos debemus per pastoralẽ authoritatem soluere, quos authorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam viuificare.

Confessio peccatorum. Quæ nimirum viuificatio ante operationem rectitudinis in ipsa iã cognoscitur confessione peccati. Vnde & huic ipsi mortuo Lazaro nequaquàm dicitur, Reuiuisce: sed, Veni foras. Omnis quippe peccator, dum culpam suam intra conscientiam abscondit, introrsùs latet, in suis penetrabilibus occultatur. Sed mortuus venit foras, cũ peccator nequitias suas sponte confitetur. Lazaro ergo dicitur, Veni foras: ac si apertè cuilibet mortuo in culpa diceretur: Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? Foras iam per cõfessionem egredere, qui apud te interiùs per negationem lates. Veniat itaq; foras mortuus, i. culpã confiteatur peccator. Venientem verò foras soluant discipuli, vt pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amouere quã meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit. Hæc de solutionis ordine breuiter dixerim, vt sub magno moderamine pastores Ecclesiæ vel soluere studeant, vel ligare.

Pastoris sententia etiam iniusta timenda. Sed vtrùm iustè an iniustè obliget pastor, pastoris tamen sententia gregi timenda est: ne is qui subest, & cũ iniustè forsitan ligatur, ipsam obliga tionis suæ sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo vel absoluere indiscretè timeat, vel ligare. Is autem qui sub manu pastoris est, ligari timeat vel iniustè, nec pastoris sui iudicium temerè reprehendat, ne, & si iniustè ligatus est ex ipsa tumidæ reprehensionis superbia, culpa quæ nõ erat, fiat. Sed quia hæc breuiter per excessum diximus, ad expositionis ordinem reuertamur.

Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur didymus, non erat cum eis, quando uenit Iesus. Iste vnus discipulus defuit, reuersus qd' gestũ est audiuit, audita credere renuit. Venit iterum Dominus, & non credenti discipulo latus palpandum præbuit, manus ostendit, & ostensa suorum cicatrice vulnerum, infidelitatis illius vuln⁹ sanauit. Quid fratres charissimi, quid inter hęc animaduertitis? Nunquid casu gestũ creditis, vt electus ille discipulus tunc deesset, pòst autem veniens audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet? Non hoc casu, sed diuina dispẽsatione gestum est. Egit nanq; miro modo superna clementia, vt discipulus ille dubitans, dum in magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis. Plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quàm fides credentium discipulorum profuit: quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postposita, in fide solidatur. Sic quippe discipulum post resurrectionem suam dubitare permisit, nec tamen in dubitatione deseruit, sicut ante natiuitatem suam habere Mariam sponsum voluit, qui tamen ad eius nuptias non peruenit. Nam ita factus est discipulus dubitans & palpans, testis vectus est discipulus dubitans & palpans matris fuerat curæ resurrectionis, sicut sponsus matris fuerat curæ resurrectionis, sicut sponsus matris fuerat custos integerrimæ virginitatis. Palpauit autem & exclamauit: *Dominus meus & Deus meus. Dicit ei Iesus: Quia uidisti me, credidisti.* Cùm Paulus apostolus dicat: Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium: profectò liquet, quia fides illarum rerum argumentum est, quæ apparere non possunt. Quæ etenim apparent, iam fidem non habent, sed agnitionem. Dum ergo vidit Thomas, dum palpauit, cur ei dicitur, Quia vidisti me, credidisti? Sed aliud vidit, aliud credidit. A mortali quippe homine diuinitas videri non potuit. Hominem igitur vidit, & Deum confessus est, dicens: Dominus meus, & Deus meus. Videndo igitur credidit, qui considerando verum hominem, hunc Deum, quem videre non poterat, exclamauit.

Thomæ incredulitas nostra confirmat fidem.

Lætificat valdè, quod sequitur: *Beati qui non uiderunt, & crediderunt.* In qua nimirùm sententia nos specialiter signati sumus, qui eum quem in carne non vidimus, mente retinemus. Nos signati sumus, sed si fidem nostram operibus sequimur.

Vera fides Ille etenim verè credit, qui exercet operando quod credit. Quo contrà de his, qui fidem nomi

Tit. 1. netenùs retinent, Paulus dicit: Confitentur se

Iac. 2. nosse Deum, factis autem negant. Hinc Iacobus ait: Fides sine operibus mortua est. Hinc ad B. Iob de antiquo hoste generis humani Dominus

Iob 40. dicit: Absorbebit fluuium, & non mirabitur: & fiducia habet, quòd influat Iordanis in os eius. Quis etenim per fluuium designatur, nisi humani generis fluxus? Quod videlicet genus ab ortu ad finem defluit, & quasi aquæ more, vsq; ad cõpetentem terminum ex carnis liquore percurrit. Quid per Iordanem, nisi baptizatorũ forma signatur. Quia enim in Iordanis flumine ipse author redẽptionis nostræ baptizari dignatus est, rectè Iordanis nomine eorum multitudo exprimitur, qui intra sacramentum baptismatis continẽtur. Antiquus ergo hostis generis humani fluuium absorbuit, quia à mũdi origine vsq; ad redẽptoris aduentum, vix paucis electis euadentibus, in ventrem suæ malitiæ genus humanũ traxit. De quo rectè dicitur: Absorbebit fluuium, & non mirabitur: quia pro magno non habet, cùm infideles rapit. Sed graue est valdè, quod subditur: Et habet fiduciã, quòd influat Iordanis in os eius: quia postquã infideles quosq; à mundi origine rapuit, adhuc se posse decipere etiam fideles præsumit. Nã ore pestiferæ persuasionis eos quotidiè deuorat, in quibus à confessione fidei reproba vita discordat. Hoc ergo, fratres charissimi, tota intentione pertimescite, hoc apud vos solicita mente cogitate. Ecce paschalia solẽnia agimus: sed ita videndum est nobis, vt peruenire ad æterna festa mereamur. Transeunt cuncta, quæ tẽporaliter festiua celebrantur. Curate qui his solennitatibus interestis, ne ab æterna solennitate separemini. Quid prodest interesse festis hominũ, si deesse cõtingat festis angelorũ? Vmbra venturæ solẽnitatis est solẽnitas præsens. Idcircò hãc

Solennitates ut agẽde. annuè agimus, vt ad illam, quæ non est annua, sed continua, perducamur. Cùm hæc statuto tẽpore geritur, ad illius desideriũ memoria nostra refricatur. Frequẽtatione ergo gaudij temporalis, ad ęterna gaudia mens incalescat & feruear: vt ex veritate lętitię perfruatur in patria, quod de vmbra gaudij meditatur in via. Vitã igitur vestrã fratres mores q; cõponite. Is qui mitis resurrexit ex mortem, quàm districtus in iudicio veniat, præuidete. Certè in die tremendi examinis sui cum angelis, cum archangelis, cum thronis & dominationib⁹, cum principatibus & potestatibus apparebit, cælis ac terris ardentibus, cunctis videlicet elementis in sui obsequij terrore commotis. Hunc ergo tanti pauoris iudicem ante oculos ponite, hunc venturum timete, vt hunc cùm venerit, non timidi, sed securi videatis. Timendus ergo est, ne timeatur. Terror eius nos ad vsum bonæ operationis exerceat, metus illius vitam nostram à prauitate compescat. Mihi fratres credite, quia tanto tunc erimus securi de eius præsentia, quanto nunc esse satagimus suspecti de culpa. Certè si aliquis vestrum cum suo aduersario causam dictu rus, in meo iudicio die crastina esset exhibend⁹, totam fortasse noctem insomnem duceret, quid sibi dici posset, quid obiectionibus respõderet, secum solicita & æstuanti mente versaret: ne me inueniret asperum, vehementer metueret: ne apud me appareret noxius, formidaret. Et quis ego, aut quid ego? Nimirum non longè pòst futurus post hominem vermis, atq; post vermem puluis. Si ergo tanta cura pertimescitur iudiciũ pulueris, qua intentione cogitandum est, qua formidine prouidendum tantæ iudicium maiestatis? Sed quia sunt nonnulli, qui de resurrectione carnis incerti sunt, & hanc tunc rectiùs docemus, si etiam cordium vestrorum quæstionibus occultis occurimus, pauca nobis de ipsa resurrectionis fide loquenda sunt. Multi etẽnim de resurrectione dubitantes, sicut & nos aliquando fuim⁹, cũ corpus carnem in putredinem, ossaq; in puluerem redigi per sepulchra conspiciunt, reparari ex puluere carnem & ossa diffidunt, sicq; apud se quasi ratiocinantes dicunt: Quando homo ex puluere reducitur? Quãdo agitur, vt cinis animetur? Quibus breuiter respondemus, quia longè minus est Deo reparare quod fuit, quàm creasse qd' non fuit. Aut quid mirum si hominem ex puluere reficit, qui simul omnia ex nihilo creauit? Mirabilius nanq; est, cælum & terram ex nullis existentibus condidisse, quàm ipsum hominem ex terra reparare. Sed cinis attenditur, & in carnem redire posse desperatur, & diuinæ operatiõis virtus comprehendi quasi ex ratione quæritur. Qui scilicet hæc idcircò in suis cogitationibus dicũt, quia eis quotidiana Dei miracula ex assiduitate viluerunt. Nam ecce in vno grano paruissimi seminis, latet tota quæ nascitura est arboris moles. Constituamus nanq; ante oculos cuiuslibet arboris miram magnitudinem: cogitemus vnde oriendo cœpit, quæ ad tantam molem crescendo peruenit. Inueniemus proculdubiò eius originem paruissimum semen. Consideremus nũc, vbi in illo paruo seminis grano latet fortitudo ligni, asperitas corticis, saporis odoris q́ue magnitudo, hubertas fructuum, viriditas foliorum. Contrectatum nanque seminis granum non est

Resurrectio dubitantes.

Ctio corpus rũ adstruit tur.

Quotidiana Dei miracula.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est validum: vnde ergo processit ligni duritia? Non est asperum: vnde asperitas corticis erupit? Non est saporum: vnde sapor in fructibus? Olfactum nil redolet? vnde odor in fructibus fragrat? Nil in se viride ostendit: vnde foliorum viriditas exiuit? Cuncta ergo in semine simul latent, quæ tamen non simul ex semine prodeunt. Ex semine quippe producitur radix, ex radice prodit virgultum, ex virgulto oritur fructus, in fructu etiam producitur semen. Addamus ergo; quia & semen latet in semine. Quid ergo mirum, si ossa, neruos, carnem capillosque reducat ex puluere, qui lignum, fructus, folia in magna mole arboris, ex paruo quotidiè semine restaurat? Cùm ergo dubitans animus de resurrectionis potentia rationem quærit, earum rerum ei quæstiones inferendæ sunt, quæ & incessanter fiunt, & tamen ratione comprehendi nequaquam possunt: vt dum non valet ex visione rei penetrare quod cõspicit, de promissione diuinæ potentiæ credat quod audit. Illa ergo vobiscum, fratres charissimi, promissa cogitate, quæ permanent: quæ verò cum tempore transeunt, velut iam dimissa despicite. Ad huius resurrectionis gloriam, quam in se veritas ostendit, tota intentione festinate: terrena desideria, quæ ab authore separant, fugite: quia tanto altiùs ad conspectum Dei omnipotentis pertingitis, quãto mediatorem Dei & hominum singulariter amatis, qui viuit & regnat cum patre in vnitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, AMEN.

EADEM DOMINICA,

Sermo beati Augustini episcopi ad neophytos.

Est Sermo 157. de Tempore.

PAschalis solennitas hodierna festiuitate concluditur, & ideò hodiè neophytorum habitus commutatur: ita tamen, vt cãdor qui de habitu deponitur, semper in corde teneatur. In qua quidem primùm nobis agendum est, vt quia paschales dies sunt, id est, indulgentiæ ac remissionis, ita nobis sanctorum dierum festiuitas agatur, vt relaxatione corporum puritas non obfuscetur, sed potiùs abstinentes ab omni lusu, ebrietate, lasciuia, demus operam sobriæ remissioni, ac sanctæ synceritati, vt quicquid modò corporali abstinentia non acquirimus, mentium puritate quæramus. Ad omnes quidem pertinet sermo, quos cura nostra complectitur: veruntamen hodiè terminata sacramentorum solennitate, vos alloquimur nouella germina sanctitatis, regenerata ex aqua & spiritu sancto, germen pium, examen nouellum, flos nostri honoris & fructus laboris, gaudium & corona mea, omnes qui statis in Domino. Apostolicis verbis vos alloquor: Ecce nox præcessit, dies autem appropinquabit: abijcite opera tenebrarum, & induite vos arma lucis, sicut in die honestè ambulemus. Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione: sed induimini Dominum Iesum Christum. Habemus, inquit, certiorem propheticum sermonem, cui benefacitis intendẽtes, tanquam lucernæ in obscuro loco, donec dies lucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris. Sint ergo lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes, & vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptijs. Ecce dies aduenient, in quibus Dominus dicit: Pusillum, inquit, & non videbitis me: & iterùm pusillum, & videbitis me. Hæc est hora, de qua dixit: Vos tristes eritis, secu lum autem gaudebit: id est vita ista tentationibus plena, in qua peregrinamur ab eo. Sed iterũ, inquit, videbo vos, & gaudebit cor vestrũ, & gaudiũ vestrũ nemo tollet à vobis: cuius spei tam grãtum & tã gratuitũ etiã pignus sanctũ spiritũ accepimus, qui in cordibus nostris inenarrabiles gemitus operatur sanctorũ desideriorum. Concepimus enim, sicut ait Esaias, & parturiuimus spiritum salutis. Et mulier cùm parturit, ait Dominus, tristitia est illi, quia venit dies eius: sed cùm peperit, fit gaudium, quoniam natus est homo in seculo. Hoc est gaudium, quod nemo aufert à nobis, quo in æternæ vitæ lucem de hac fidei conceptione transfundimur. Nunc ergo ieiunemus & oremus, cum dies parturitionis est. Hoc totũ corpus Christi in toto orbe diffusum, id est, tota hæc agit Ecclesia, & illa vnitas, quę dicit in psalmo: A finibus terræ ad te clamaui, dum anxiaretur cor meum. Vnde iam nobis elucet, cur Quadragesima instituta sit huius humiliatio nis solennitas. Qui enim à finibus terræ clamat, cùm anxiaretur cor eius, à quatuor orbis terræ partibus clamat, quas frequẽter etiam scriptura commemorat, oriente & occiduo, aquilone & meridie. Per hoc totum ille decalogus legis, iam non per literam tantummodò metuendus, sed per gratiam charitatis implendus, inditus est. Vnde quater multiplicatis decem, videmus quadraginta compleri, sed adhuc in labore tentationis cum venia delictorum. Quis enim perfectè implet, Non concupisces? Vnde ieiunãdum & orandum, à bono tamen opere non cessandum. Cui labori merces illa redditur in fine, quæ denarij nomine nuncupatur. Sicut autem ternarius à tribus, quaternarius à quatuor, ita denarius à decem nomen accepit: qui cùm iunctus est quadragenario, tanquàm merces labori redditur. Quinquagenarij numeri figura tempus illius gaudij significat, quod nemo auferet à nobis: cuius in hac vita nondum perfectionem habemus, sed tamen post solennitatem dominicæ passionis, à die resurrectiõis eius, per dies quinquaginta, quibus ieiunia relaxamus, hoc in dominicis laudibus personante alleluia celebramꝰ. Nunc itaq; in persona Christi, vt non possideamur à satana, exhortor vos dilectissimi, vt quotidianis & largioribus eleemosynis, frequẽtioribus orationibꝰ Dominũ propiciemꝰ. Nunc tẽpus est, vt vnusquisq; abstineat se nõ tantùm ab illicitis, sed etiam à quibusdam licitis, & orationibus atq; ieiunijs vacet: quanuis & per totũ annũ certis diebus hoc facere debeat: & quanto crebriùs, tanto vtiq; meliùs: quia & qui concessa immoderatè appetit, eum qui concessit, offendit. Oratio quippe spiritalis res est, & ideò tanto est acceptior, quanto magis suæ naturæ implet affectum. Tanto magis aũt spiritali opere funditur, quanto magis animus qui eam fundit, à carnali voluptate suspenditur. Quadraginta diebus ieiunauit Moyses legis administrator, quadraginta Elias prophetarum excellentissimus, quadraginta ipse Dominus, testimonium habens à lege & prophetis. Baptismus ille præponitur. Ioannes enim baptizauit Christum, cùm se Christo profiteretur minorem. Christus aũt baptizauit Christianum, qui se ostendit & Ioanne esse maioré: sicut circũcisione carnis (quanuis eã & Christus accepit, & nemo Christianus accepit) melius est sacramentũ resurrectionis Christi, ꝙad expoliẽdã carnalem hanc veterem q; vitã corde circumciderétur Christianus, vt audiat Apostolum dicentem: Sicut Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, sic & nos in nouitate vitæ ambulemus: sicut ipsum vetus pascha, quod agni occisione celebrari præceptum est, non ideò quia hoc cum discipulis celebrauit Christus, iã melius est pascha nostro quod immolatus est Christus. Pertinuit enim ad præbendum nobis humilitatis & deuotionis exemplum, vt illa etiam sacramenta veniens susciperet dignaretur, quibus venturus ipse prænunciabatur, vt hinc ostenderet, quanta religione nos oportet accipere hęc sacramenta, quibus iam venisse nunciatur. Non ergo quia Christus post acceptum baptismum continuò ieiunauit, tanquam regulam obseruationis dedisse credendus est, vt post ipsius Christi baptismum acceptum, continuò ieiunare necesse esset: sed plane illo exemplo docuit ieiunandum esse, quãdo fortè acriore luctamine cum tentatore confligitur. Ob hoc enim & Christus, qui sicut homo dignatus est nasci, non respuit sicut homo tentari, vt Christianus magisterio eius instructus, non posset à tentatione superari. Siue ergo continuò post baptismum, siue quolibet interuallo temporis interposito, quando simile prælium tentationis infertur, homini ieiunandum est, vt & caro impleat de castigatione militiam, & anima impetret de humilitate victoriam. In illo ergo dominico exemplo, illius causa ieiunij, non Iordanis tinctio, sed diaboli tentatio fuit. Cur autẽ nos ante solennitatem passionis Domini ieiunemus, & illa ieiuniorum relaxatio quinquagesimo die perficiatur, hæc ratio est. Omnis qui relaxatiõis. ctè ieiunat, aut animam suam in gemitu oratio-

Nunc tempus est ieiunandi et orandi.

Psalm. 60

Quadragesima cur instituta.

Exod. 20.

Merces operum.

Quando ieiunandũ

Ratio ieiunij Quadragesimæ, et eius Posteriorꝰ

nis, & castigatione corporis humiliat ex fide non ficta: aut ab illecebra carnis inopia aliqua spiritali veritatis & sapientiæ delectatione suspensa, ad famem sitimq; patiendam descendit. Interro- *Matt. 9.*
gantibus pharisæis, cur discipuli eius non ieiunarent, de illo primo, quod habet animæ humiliationem, Non possunt, inquit, lugere filij sponsi, quandiù cum eis sponsus est: sed veniet hora quando auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. De illo autem altero, quod habet epulas mentis, ita consequenter locutus est: Nemo as- *Ibidem.*
suit pannũ nouum vestimento veteri, ne maior scissura fiat: neq; mittunt vinum nouum in vtres veteres, ne rumpantur, & vinum effundatur: sed vinum nouum in vtres nouos mittunt, vt vtrunq; seruetur. Proinde quia iam sponsus ablatus est, vtiq; nobis filijs illius pulchri sponsi lugendum est. Speciosus enim forma præ filijs hominum, *Psal. 44.*
cuius diffusa gratia in labijs eius, inter manꝰ persequentiũ nõ habuit speciẽ neq; decoré, & ablata *Esai. 53.*
est de terra vita eius. Et rectè quidé lugemus, si flagramus desiderio eius. Beati quibus eũ licuit ante passionẽ tũc habere præsentem, interrogare sicut vellẽt, audire sicut audire deberẽt. Illos dies concupierunt videre patres ante aduentum eius, neq; viderũt: quia in alia dispensatione fuerant ordinati, per quos venturus annunciaretur, non à quibus veniens audiretur. De his enim aposto lus loquitur, dicens: Multi iusti & prophetæ vo- *Matt. 13.*
luerunt videre quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. In nobis aũt illud impletum est, quod idem ipse dicit: Ve- *Luc. 17.*
nient dies, quando desiderabitis videre vnum de diebus istis, & non poteritis. Qui sancti desiderij flamma vritur, quis hic non lugeat, quis nõ laboret in gemitu suo, quis non dicat, Factæ sunt *Psalm. 41*
mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidiè, vbi est Deus tuus? Credimꝰ quippe eum iam sedentem ad dexteram patris, sed tamẽ quandiù sumus in corpore, peregrina- *2. Cori. 5.*
mur ab eo, nec de eo dubitantibus vel negantibus & dicentibus, vbi est Deus tuus? valemus ostendere. Meritò Apostolus eius concupiscebat *Philip. 1.*
dissolui, & esse cum illo: manere aũt in carne, non sibi optimum dicebat, sed necessarium propter nos: vbi cogitationes mortalium timidæ, & incer- *Sap. 9.*
tæ prouidentiæ nostræ, quoniam deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Inde tentatio est vita humana super terram, & in hac *Iob 7.*
nocte seculi circumit sicut leo quærens quem *1. Pet. 5.*
deuoret. Non leo de tribu Iuda rex noster, sed leo diabolus aduersarius noster. Ille enim qua- *Apo. 4. 5.*
tuor animalium de Apocalypsi Ioannis figuram in se vno exprimens, natus vt homo, operatus vt leo, immolatus vt vitulus, volauit vt aquila: volauit super pennas ventorum, & posuit tenebras latibulum suum. Posuit tenebras, & facta est nox, *Psal. 103.*
in qua pertranseunt omnes bestiæ syluæ: catuli leonum rugientes, tentatores videlicet, per quos diabolus quærit quem deuoret: non quidem ha-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bentes potestatem, nisi in eos, in quos acceperint, quia in Psalmo ipso ita sequitur: Quærentes à Deo escam sibi. In tam periculosa & tentationibus plena huius seculi nocte, quis non timeat? quis non medullis omnibus cõtremiscat, ne dignus iudicetur, qui deuorandus dimittatur in fauces tam crudelis inimici? Vnde & ieiunandum & orandum est, & tanto potiùs, tanto instantiùs, quanto propinquiùs & ipsa dominicæ resurrectionis solennitate, passionisq; celebritate anniuersaria, quodammodò nobis eiusdem noctis memoria resculpitur, ne obliuione deleatur, & nos non corpore, sed spiritu dormientes, ille rugiens deuorator inueniat. Nã & ipsa dominica passio, quid nobis aliud in capite nostro Iesu Christo, quam ipsam vitæ huius tentationem maximè commendauit? Vnde adueniente iam mortis suæ tempore, Petro dixit: Postulauit satanas vexare vos sicut triticum: sed ego oraui pro te Petre, ne deficiat fides tua. vnde & tu conforta fratres tuos. Et planè confortauit nos per apostolũ, vel quando ei cum his duobus ieiunij huius celebratoribus, Moyse videlicet & Elia, in monte se ostendit. Nos aũt quia tã longũ ieiuniũ perpetuare non possumus, vt per tot dies & noctes nihil alimentorum, sicut illi, accipiamus, saltem quantum possumus faciamus: & exceptis diebus, per quos certis de causis mos Ecclesiæ prohibet ieiunare, Domino Deo nostro vel quotidiana à nobis crebrò ieiunia exigamus. Sed licet sicut à cibo & potu abstinentia, per tot dies non possit esse continua: tamẽ propter hominum errores, qui per vaniloquia & seductiones, & prauas consuetudines, nobis molestam pro vobis curam inferre non cessant, tempus humiliandæ animæ quantùm potui commendaui. Sunt enim quidam obseruatores Quadragesimę, delicioſi potiùs quàm religiosi, exquirentes nouas suauitates magis, quàm veteres concupiscentias castigantes: qui preciosis copiosisq; apparatibus, fructuum diuersorum quorumlibet varietates & sapores superare contendunt. Vasa in quibus coctæ sunt carnes, tanquàm immunda formidant, & in carne ventris & gutturis luxuriam non formidant. Ieiunant, non vt solitam temporando minuant edacitatem, sed vt immoderatam differendo augeant auiditatem. Nam vbi tempus reficiendi aduenerit, opimis mensis tanquàm pecora præsepibus irruunt, ventresque distendunt artificiosis & peregrinis condimentorum diuersitatibus: tantum capiunt manducando, quantũ digerere non sufficiunt ieiunando. Sunt etiam qui vinum ita non bibunt, vt aliorum expressionem pomorũ, aliosq; sibi liquores, non salutis causa, sed iucunditatis exquirant, tanquam non sit Quadragesima piæ humiliationis obseruatio, sed nouæ voluptatis occasio. Quanto enim honestius esset, vt qui propter infirmitatem stomachi aquam potare non poterat, vino vsitato & modico sustentaretur? Quid autem absurdius, quàm tẽpore, quo caro arctiùs est castiganda, tantam suauitatẽ carni procurare, vt ipsa faucium concupiscentia nollet Quadragesimã præterire? Quid inconuenientius, quàm diebus humilitatis, quando parum victus omnibus imitanduum est, ita viuere, vt si toto tempore sic viuatur, vix possint victum patrimonia sustinere? Cauete ista dilectissimi. Cogitate qđ scriptũ est: Post concupiscentias tuas nõ eas. Quod saluberrimũ præceptum si omni tempore obseruandum est, quanto ampliùs his diebus, quando ita turpe est, si cupiditas nostra ad inusitatas relaxetur illecebras, vt meritò culpetur, qui non restrinxerit vsitatas? Præcipuè sanè pauperum mementote, vt quod vobis parciùs viuendo subtrahitis, in cælesti thesauro reponatis. Accipiat esuriens Christus, quod ieiunans minus accipit Christianus. Castigatio volentis, fiat sustentatio non habentis: copiosæ voluntatis inopia, fiat necessaria inopis. Copiosa sit etiam in animo placabili & humili misericors ignoscendi facilitas: petat veniam, qui fecit iniuriam: det veniam, qui accepit iniuriam: vt non possideamur à satana, cuius triumphus est dissensio Christianorũ. Et hæc enim magni lucri eleemosyna est, debitum relaxare cõseruo, vt tibi relaxetur à Domino. Vtrunq; opus bonũ cælestis magister discipulis cõmendauit, dicens: Dimittite, & dimittetur vobis: date, & dabitur vobis. Mementote serui illius, cui omne debitum dominus eius qđ donauerat replicauit, quia conseruo sibi debenti centum denarios, misericordia non rependit, q̃ de talentorũ X. millibus, quę debebat, accepit. In hoc genere operis boni nulla est excusatio, vbi sola voluntas tota facultas est. Potest quisq; dicere, Ne stomachus doleat, ieiunare non possum. potest etiam dicere. Volo dare pauperi, sed vnde, non habeo: aut tantum habeo, vt timeam egere, si dedero. Quanquam & in his operibus excusationes pleriq; sibi homines falsas faciunt, quas veras non inueniunt: veruntamen quis equidem dicat, ideò non ignoui veniam petenti, quia me valetudo impediuit: aut quia manus qua porrigerẽ, non fuit? Dimitte, vt dimittatur tibi. cordis hoc opus est, nullum vel carnis suæ membrum in adiutorium animæ assumitur, vt hoc impleat quod rogatur. Voluntate agitur, voluntate perficitur. Fac securus. nihil in corpore dolebis, nihil in domo minus habebis. Iam verò fratres videte, quid malum sit, vt pœnitenti fratri non ignoscat, cui præceptum est, vt inimicũ adhuc diligat. Quæ cùm ita sint, & cùm scriptum sit, Sol non occidat super iracundiam vestram: considerate fratres, vtrum Christianus sit dicendus, qui his diebus inimicitias non vult finire, quas nũquàm debuit exercere.

Passio Christi quid nobis innuat. Luc. 22.

In eos, qui in Quadragesima indulgẽt gulæ.

Triũphus satanæ.

Luc. 6. Matt. 18.

Ephe. 4.

EADEM DOMINICA, HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Cùm

Cùm esset serò die illo, una sabbatorum, & fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum, &c. Ioan. 20.

Hier. 9. QVicunq; intelligit illud, quod scriptum est: Mors intrat per fenestras nostras, intelligit etiam, quid apostoli significabant, cùm clausis ianuis intus sedebant propter metum Iudæorum. Vno enim Iudæorũ nomine, oẽs Ecclesiæ inimici significantur. Nam & vitia, & maligni spiritus, hæretici, & tyranni, omnesq; Ecclesiæ persequutores, hoc vno nomine intelliguntur. Claudam⁹ igitur fenestras, claudamus ianuas corporis nostri, non tantùm propter metum Iudæorũ, quantùm propter metum dæmoniorum, & falsas persuasiones hæreticorum, & corruptelas innumeras vitiorum. Ideò enim Apostolus ait: Corrumpunt mores bonos colloquia mala. Ideò & Psalmista dicit: Auerte oculos meos ne videant vanitatem. Multi enim videndo, multi audiẽdo, multi loquẽdo & comedẽdo perierũt. Istę igitur sunt illæ fenestræ, istæ sunt illæ ianuæ, per quas mors ingreditur in hominem. Primi parentes sint nobis in exemplum: nisi enim serpentis vocem audissent, & malè suadenti credidissent, nisi lignũ vetitum vidissent, & pomum conpiscentię comedissent, in tantum barathrum non corruissent. Hoc igitur Apostoli significabant, cùm clausis ianuis in domo sedebãt. Nemo aũt miretur, si clausis ianuis, corpore iam per resurrectionem glorificato, ad discipulos Iesus intrauit, qui corpore mortali adhuc & corruptibili de matris vtero exiuit, clausa & incorrupta semper virgine matre permanente. Caro enim nostra post resurrectionem & einsdem naturæ erit, & alterius gloriæ. Pacem aũt eis cõmendat, quia sine pace impossibile est placere Deo: & vbi pax non est, discordia regnat. Vnde Psalmista: Factus est (inquit) in pace locus eius. Pacem veniens attulit, & hinc abiẽs pacem reliquit. *Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus & latus. Gauisi sunt ergo discipuli, uiso Domino.* Sed quare manus & latus? Vt videntes vulnerum cicatrices, eum manifestiùs clariusq; cognoscerent, neque iam vlteriùs de illius resurrectione dubitarent. Sed quod tunc Dominus egit ad sananda vulnera mentis, inde hæretici vulnerantur in mente, qui hic malè argumentantur, suis deformitatibus, & accidentibus, nec ipsã resurrectione corpora nostra posse sanari. Quod si (quod absit) verum esset, multos sanctorum sine oculis & manibus, sine pedibus alijsq; membris resurgere oporteret. Hunc autem errorem ille destruit, qui suis discipulis promisit, dicens: Quòd capillus de capite vestro non peribit. *Dixit ergo eis iterum: Pax uobis.* Frequẽter eis pacem commendat, quoniam perfectio tota Christianæ fidei & religionis, in pace & dilectione consistit. Vnde & ipse discipulis ait: In hoc cognoscent omnes, quòd discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. *Sicut misit me pater, & ego mitto uos.* Meos vicarios vos constituo, mea vice vos mando, meum officium vobis commendo: ad docendum, ad prædicandum, ad baptizandum, ad saluandũ, ad meum & patris nomen glorificãdum vos mitto. *Hoc cùm dixisset, insufflauit, & dixit eis: Accipite spiritum sanctum:* cuius auxilio & spiratione hoc tantum onus ferre valeatis. Et fortassè ideò insufflauit, vt per hoc intelligamus, firmiterq; credamus, quia Spiritus sanctus sicut à patre, ita & ab ipso procedit. Sed dicet aliquis: Si modò discipulis suis dedit Dominus Spiritum sanctum, Sed non ea plenitudine, qua posteà daturus erat. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quorum (inquit) peccata remiseritis, siue per baptismum, siue per pœnitẽtiam, siue per sanctam confessionem, remittuntur eis: quorũ retinueritis, siue per illorũ infidelitatẽ, siue per cor impœnitens, siue per inobedientiã, retenta sunt. Hæc sunt enim, quibus vnusquisq; vel absoluitur, vel ligatur. *Thomas autem unus de duodecim, qui dicitur didymus, nõ erat cum eis, quãdo uenit Iesus. Dixerunt ergo ei alij discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi uidero in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, et mittam manum meam in latus eius, non credam.* Ecce ad quid Dominus suorum vulnerum cicatrices reseruare voluit, & delere noluit: quia per hoc eius discipulum sanare, & eius mentis vulnera curare disponebat. Tamen dubitatio hæc Apostoli Thomæ multos alios confirmat, & à dubitatione liberat. Hæc enim scripta non essent, si Thomas non dubitasset. Proderunt aũt hæc multis legentibus & audientibus, vsq; ad seculi cõsummationẽ. *Et post dies octo iterũ erant discipuli eius intus, & Thomas cũ eis. Venit Iesus ianuis clausis, & dixit eis: Pax uobis. Deinde dicit Thomæ, ut in eius latus digitum inferat, manus uideat, & iam non sit incredulus, sed fidelis. Respondet Thomas, & dicit ei, Dominus meus, & Deus meus.* Quid est Dominus meus, & Deus meus? Iam nihil dubito, certus sum, confirmo resurrectionem, prædico immortalitatem, Tu es Dominus meus, magister meus: ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Tu es deniq; Deus meus, qui me creasti, pro me carnẽ suscepisti: quam vt me redimeres morti tradidisti, & vt me tecũ resuscitares, nunc à mortuis resurrexisti. Hæc est fides mea: ita sentio, & ita credo. *Dicit ei Iesus: Quia uidisti me Thoma, credidisti: beati qui non uiderunt & crediderũt.* Si enim ideò credidit, quia eum vidit: constat, quòd si eum vidisset, non credidisset. Vnde meritò beati sunt, qui corporeis oculis eum non viderunt: & hæc & his similia audientes, in eum crediderunt. *Multa quidẽ & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc.* Signum enim fuit, q̃ clausis ianuis ad discipulos intrauit. *Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus filius Dei, & ut credentes uitam habeatis in nomine eius.* Hæc enim sola sufficere poterãt ad fidei documentũ, etiamsi alij euangelistæ cætera eius facta non scripsissent.

Christus suum corpus per clausas intulit ianuas.

Psalm. 75.

Luc. 21.

Christianæ religionis perfectio.

Ioan. 13.

DOMINICA SECVNDA

post Paſcha, in lectionem Epiſtolæ loco, Concio exegetica.

PRoponitur hodiè lectio ex prioris D. Petri Epiſtolæ cap. 2. vehementer ad Chriſti imitationem & peccati vitationem nos extimulans. Expedit enim Chriſtianos ſedulò & continenter admoneri, vt in Dei gratia per Chriſtum nobis parta perſeuerent: quod fit extirpatione vitiorum, & ſtudio virtutum, quæ in Chriſto vel maximè relucent.

Gratia Dei ut cõſeruetur.

Qui verò in vitijs iacent, & Chriſtianæ profeſſioni congruenter viuere nolunt, illis Chriſtus fruſtrà paſſus eſt & reſurrexit, ſi tales permaneant. Oportebat autem Chriſtianos in Chriſti vitam, paſſionem, reſurrectionem & clariſsima virtutum exempla ſemper eſſe intentos, vt ad eorum imitationem ſeſe pro ſuo modulo componerẽt, alioqui ſanè ex Chriſtiano nomine non niſi ſummam ignominiam olim reportaturi. Sed Apoſtolorum principis omni maieſtate plenam orationem audiamus: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia eius.* Multi noſtro æuo de Chriſti paſsione mirabiliter gloriantur, ea ſe in libertatem vindicatos perpetim iactitant, & adeò ſunt ex Chriſti paſsione ſecuri, vt de imitatione Chriſti vix quicquam vnquam ſibi cogitandum putent: & ſic miſeri præpoſtera quadam fiducia grauiorem ſibi ex Chriſti paſsione damnationem conciliant, dum inde ſibi occaſionem ſumunt licentiùs & fidentiùs in vitijs permanendi, vnde illos oportebat ad fugienda & deteſtanda vitia vel maximè incitari. Non enim hoc ſolo nomine Chriſtus pro nobis paſſus eſt, vt nos redimeret, ſed etiam vt ſuæ paſsionis, id eſt, obedientiæ, humilitatis, patientiæ, manſuetudinis, charitatis, quæ in illa veneranda paſsione tam mirabiliter relucent, exempla ſectemur. Hoc ſibi vult Petrus Apoſtolus, dum ait, Chriſtum pro nobis paſſum, & exemplum reliquiſſe, vt ſequamur veſtigia eius. Audis, inquit Beda in hunc locum, quia paſſus eſt pro nobis, & gaudes quia pro te mortuus eſt, attende quod ſequitur: Relinquens vobis exemplum, vt ſequamini veſtigia eius: exemplum tribulationum, non deliciarum, contumeliarum, flagellorum, dolorum, opprobriorum, ſpinarum, crucis, vulnerum, mortis. In Pſalmo ſcriptum eſt: Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras: Propter quæ verba labiorum Dei, niſi quibus promittit vitam æternam? Hæc Beda. Proſper quoque, Sequenda ſunt, inquit, veſtigia Chriſti præſtando beneficia ingratis, non retribuendo ſecundùm merita ſua maleuolis, orando pro inimicis, amando bonos, miſerendo peruerſis, inuitando aduerſos, ſuſpiciendo in charitate conuerſos, & æquaminiter patiendo ſubdolos ac ſuperbos.

Cur Chriſtus paſſus

1. Pet. 2.

Pſalm. 16.

Hæc Proſper. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.* Nullo Chriſtus neque hæreditario, neque proprio vnquam peccato fuit obnoxius, ſed ideò venit in hunc mundum, vt ex peccatoribus iuſtos efficeret. Porrò dolus à ſimplici veritate, quæ Chriſtus eſt, longiſsimè ſemper abfuit. Habes Chriſtiane quod imiteris. Agnoſce dignitatem tuam, inquit Leo ſanctiſsimus Ponti fex, & diuinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuerſatione recidere. Memento cuius capitis & cuius corporis ſis membrum. Reminiſcere quia erutus de poteſtate tenebrarum, translatus es in Dei lumen & regnum. Per baptiſmatis ſacramentum, Spiritus ſancti factus es templum. Noli tantum habitatorem prauis de te actibus effugare, & diaboli te iterum ſeruituti ſubijcere. Venit Dominus Ieſus, ait ille idem, contagia noſtra auferre, non perpeti: nec ſuccumbere vitijs, ſed mederi. Hæc ille. *Qui cùm maledicereturnon maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur.* Fortè dicet quiſpiam, inquit Oecumenius in hunc locum, Quo pacto ait nunc Petrus, Dominum cùm conuicijs afficeretur, non conuiciatum contrà fuiſſe, & cùm pateretur, non fuiſſe minatum? cùm tamen videamus ipſum & Iudæos canes mutos, & Phariſæos cæcos vocare: & Iudæ item minari, cùm inquit: Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille. &, Tolerabilius erit Sodomis, quàm ciuitati illi. &, vbi vermis ipſarum non deſinit. & alia complura huiuſmodi. Dicimus igitur, non aſſerere hic Petrum, Chriſtum conuiciatum non fuiſſe, aut minatum non fuiſſe: ſed cùm conuicijs afficeretur, non fuiſſe contrà conuiciatum: & cùm pateretur, non minatum fuiſſe, quaſi per contentionem & vindictam: ſed ſi quid modò conuiciatus eſt alicui, id increpando & exprobrando duritiam dixit. Nam cùm conuicijs afficiebatur à Iudæis, dum dicerent, Dæmonium habes: &, In principe dæmoniorum dæmonia eijcis: &, Ecce homo vorax & potator vini: nunquid ipſis viciſsim quippiam cõtumelioſum per conuicium reſpondit? Non ſanè, ſed manſuetè admodùm illis dixit: Si ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij veſtri in quo eijciunt? Alijs qui vocem & potatorem eum vocabant, parabolam eam puerorum obiecit, qui in platea aduerſus colluſores ſuos indignabantur, qui cùm tibia cecinniſſent ipſi, illi non ſaltaſſent: & cùm luctũ præcinuiſſent, non planxiſſent. Cùm verò eruci affigebatur & patiebatur, magis orabat quàm minabatur: & Iudæ antequam eum prodidiſſet, & ſcelus illud perpetraſſet, ne mali aliquid pateretur minabatur, vt à prauo illo propoſito reprimeret. Simili modo eos, qui non ſuſcepturi erant diſcipulos, peius quid paſſuros eſſe quàm Sodomitas aſſeruit, partim vt ad hoſpitalitatem illos incitaret, partim vt terrore eo prædicationi euangelicę locum aperiret, ita vt hæc minimè dum malè pateretur minatus ſit, & veriſsima hæc Petri oratio de

Ser. 1. de Natiu. Domini.

Ser. 2. de Natiu. Domini.

Eſai. 56.

Matt. 7.

Matth. 26

Matt. 10.

Ioan. 7.

Matt. 12.

Matt. 11.

de Domini tolerantia eſſe deprehendatur, qua inquit nemini eum inſultanti & cõtumeliam inferenti cõtumelioſè fuiſſe aduerſatũ. Hæc Oecumenius. *Tradebat autẽ iudicanti ſe iniuſtè.* Paſſus eſt ſe ab iniquo iudice, qui illum ſciebat innoxium & per inuidiam traditũ, capite damnari, & morti turpiſsimæ adiudicari. Græca Oecumenij ſcholia hunc locum ſic interpretantur: Tradebat vindictam Deo qui iuſtè iudicat, qui reddet vnicuiq; ſecundùm opera ſua. id enim iuſtum eſt. *Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus: cuius liuore ſanati eſtis.* Cùm ſuprà ad ſeruos ſpecialem fecerit ſermonẽ, ait Beda, nunc generaliter admonet, vt etiam domini in memoriam reuocent, quid pro illis Deus ſuſtinuerit: immò & totam Eccleſiã inſtruit, quid pro eius liberatione ſuus author pertulerit. Hæc ille. Porrò & hîc quoq; dicit Apoſtolus, Chriſtũ peccata noſtra pertuliſſe in corpore ſuo ſuper lignum, nempe crucis, quod ſuis humeris pius Seruator tulit, vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus.

Matth. 27

Rom. 2.

Pœnitentiæ ſacramentum.

Heb. 12.

Sic etiam Paulus Apoſtolus, Deponentes, inquit, omne pondus & circunſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in authorem fidei & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta. Et quanuis veriſsimè dicat hîc D. Petrus, *Cuius liuore ſanati eſtis*, nempè à peccãti vulneribus, tamen niſi in ea ſanitate permaneamus, aut ſi interdum vulnerari cõtingat, ad pœnitentiæ remedia confugiamus, nihil nobis pdeſſe poſſunt liuores & vulnera Chriſti, quibus ſanati ſumus. Cùm enim ſua ſacroſancta paſsione & immenſis corporis atq; animi doloribus hoc voluerit Chriſtus efficere, vt quæ nobis per peccatum inflicta erant vulnera curarentur, & deinceps ſanitati reſtituti, peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus, nimis profectò erga tantam filij Dei charitatem, tantoſque ex amore perpeſſos dolores ingratum ſe declarat, quiſquis ad iniquitatem ſpõtè relabitur, & in vitijs perſeuerat. Hoc enim propemodùm eſt rurſus crucifigere filium Dei, & eius renouare vulnera. Porrò qui ex infirmitate nonnunquàm ſuccumbunt vitijs, ſed citò ad pœnitentiæ medicinam recurrunt, nõ ſunt aſperè repellendi. Nam ne quis deſperaret, propterea q; baptiſmus repeti ſine ſummo ſcelere nõ poteſt, pijſsimus Seruator Pœnitentiæ ſacramentum inſtituit, datis Eccleſiæ clauibus, quibus ſoluantur peccata. Nec quiſquam omninò quantũuis ſceleratus & ſæpè in vitia relapſus deſperare debet, quanquã nihil perindè cauere debet Chriſtianus, q; ne recidat in peccata mortifera, propterea q; & vulnera repetita difficiliorem habeant curationem, & nimiam erga Chriſtum ingratitudinẽ declaret, qui eius contempta gratia, diabolo ſe iterùm captiuum tradit. *Erratis enim ſicut oues errantes: ſed conuerſi eſtis nunc ad paſtorem & epiſcopum animarum veſtrarum.* Ita quoq; in Eſaia legimus:

1. Pet. 2.

Eſai. 53.

Oẽs nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſq; in viã ſuam declinauit. Et Chriſtus in Euangelio cùm turbas vidiſſet, miſertus eis legitur, q; eſſent vexati, & iacentes ſicut oues non habentes paſtorem. Hoc maximè verum fuit ante aduẽtum Seruatoris, quando totum ferè humanum genus miſerè à Deo creatore ſuo auerſum, colebat ligna & lapides, & dæmones adorabat, quorum impulſu in omnem ſcelerum immanitatem ruebant. At vbi Sol iuſtitiæ Chriſtus deſcendit in terras, radios ſuos diffudit in totum orbem terrarum, quibus cæca mortalium pectora illuſtrata, cœperunt agnoſcere Deum creatorem ſuum, & ita ſuperioris ætatis damnato errore, veritati nomen dedere, credentes in Dominum Ieſum, paſtorẽ & epiſcopum animarum ſuarum, clamãtem humaniſsimè in Euangelio ſuo, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos, ego paſcam, ego enutriam vos. De hoc paſtore legimus in Eſaia propheta: Sicut paſtor gregẽ ſuum paſcet: in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit, fœtas ipſe portabit. Item in Ezechiele: Saluabo gregẽ meum, & nõ erit vltrà in rapinã, & iudicabo inter pecus & pecus: & ſuſcitabo ſuper ea paſtorem vnum qui paſcat ea, ſeruum meum Dauid: ipſe paſcet ea, & ipſe erit eis in paſtorem: quo in loco etiam ſecundũ Hebræos per paſtorem intelligitur Meſsias, dictus Dauid, q; ex ſemine Dauid futurus erat. Ad hunc ergo paſtorem & epiſcopum genus humanum, ab eo præſertim tempore, quo in oẽm terram ſonus Apoſtolicæ prædicationis exiuit, conuerſum eſt magno & ineffabili Dei munere, & hodieque in nouo orbe ab Hiſpanis inuento in dies conuertuntur gentes innumeræ, quæ hactenùs idola coluerunt ſuperſtitione intolerabili. In quo ſanè orbe & inſulis occidentalibus, quas non ſine Numinis ſingulari prouidentia Hiſpani noſtra memoria repererunt, dæmones per vias oẽs & compita frequentiſsimè homines illic degentes alloquebantur, & quæ fieri vellent admonebant: ſicut etiam auorum noſtrorum memoria in Canaria & alijs inſulis Fortunatis dæmones varijs formis exhibebant ſe illis populis conſpiciendos, & eos alloquebantur, inducebantq; ad multa genera ſacrificiorum ſæua & horrenda, vt, ad paruos filios iugulandos, exurendos, & alia huiuſmodi: quæ tamen omnia prorſus ceſſarunt, poſtquam eę gẽtes ad Chriſtum paſtorem & epiſcopum animarũ ſuarum conuerſæ ſunt. Quàm verò nulla poteſt ratione ſatis quiſquam pro dignitate efferre laudibus & prædicatione gratiam Dei, q; homines miſeros & perditos ſic vocat ad ſui cognitionem, fidẽ & amorẽ: tã non poteſt ſatis deplorari eorũ ingratitudo, qui poſt veritatis agnitionẽ, redeũt ad iniquitatẽ, & contẽpta ſui redemptoris voluntate, in cœno vitiorũ vlq; volutãtur: & neq; ſummæ beatitudinis ampliſsimis promiſsionibus, neq; ineffabilibus gehennæ intentatis ſupplicijs poſſunt emolliri ad pietatem. Hi Chriſtum iudicem ſentiẽt longè ſeueriſsimum in illo ſupremo

Matt. 9.

Matt. 11.

Eſa. 40.

Ezec. 34.

Pſalm. 18.

Nota dæmonum inſolentiam.

Universidad de Deusto

mundi die. Agamus ergo dilectissimi pro viribꝰ, & Christi pastoris & Episcopi nostri vestigijs insistamus, peccata vitemus, iustitiæ studiosi simꝰ, ne frustrà, quod absit, eius sanguine redempti simꝰ. Spes nostra non est de seculo, vt ait Augustinus: ab amore huius seculi vocati sumus, vt aliud seculum speremus & diligamꝰ. Præster id nobis Christus IESVS pastor bonus, qui animam suam posuit pro ouibus suis, cui est cum Patre & Spiritu-sancto omnis honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Ioan. 10.

DOMINICA SECVNDA POST PASCHA.

Ioannis X.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: *Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis. Et reliqua. Homilia B. Gregorij papæ.*

AVdistis fratres charissimi, ex lectione euãgelica eruditionem vestram: audistis ex lectione euangelica periculum nostrum. Ecce enim is qui non ex accidẽti dono, sed essentialiter bonus est, dicit: *Ego sum pastor bonus.* Atq; eiusdem bonitatis formam, quam nos imitemur, adiungit, dicẽs: *Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis.* Fecit quod monuit, ostenditque quod iusserit. Bonus pastor pro ouibus suis animam suam posuit, vt in sacramento nostro corpus suum & sanguinem verteret, & oues quas redemerat, carnis suæ alimento satiaret. Ostensa nobis est de contemptu mortis via quam sequamur, apposita est forma cui imprimamur. Primum nobis est, exteriora nostra misericorditer pro ouibus eius impendere. Postremum verò si necesse sit, etiam mortem nostram pro eisdem ouibus ministrare. A primo autem hoc minimo peruenitur ad postremum maius.

Eucharistiæ sacramentum.

Sed cùm incomparabiliter longè sit melior anima qua viuimus, quàm terrena substantia quam exteriùs possidemus: qui nõ dat pro ouibus substantiam suam, quando pro his daturus est animã suam? Et sunt nonnulli, qui dum plus terrenam substantiam quàm oues diligunt, meritò nomen pastoris perdunt, de quibus protinùs subditur:

Mercenarius autem & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, uidet lupum uenientem, & dimittit oues & fugit. Non pastor, sed mercenarius vocatur, qui nõ pro amore intimo oues dominicas, sed ad tẽporales mercedes pascit. Mercenarius quippe est, qui locum quidem pastoris tenet, sed lucra animarũ non quærit, terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, temporalibus lucris pascitur, impensa sibi ab hominibus reuerentia lætatur.

Mercenarius quis.

Mercedes mercenarij.

Istæ sunt etenim mercedes mercenarij, vt pro eo ipso quod in regimine laborat, hic quod quærit inueniat, & ab hæreditate gregis in posterũ alienus existat. Vtrùm verò pastor sit an mercenarius, cognosci veraciter non potest, si occasio necessitatis deest. Trãquillitatis enim tempore plerũq; ad gregis custodiam, sicut verus pastor, sic & mercenarius stat: sed lupus veniens indicat, quo quisque animo super gregis custodiã stabat. Lupus etenim super oues venit, cùm quilibet iniustus & raptor fideles quosq; atq; humiles opprimit. Sed is qui pastor esse videbatur, & non erat, relinquit oues & fugit: quia dum sibi ab eo periculũ metuit, resistere eius iniustitiæ non prætumit. Fugit aũt non mutando locum, sed subtrahendo solatium. Fugit, quia iniustitiam vidit & tacuit. Fugit, quia se sub silentio abscondit. Quibus bene per prophetã dicitur: Non ascendistis ex aduerso, neq; opposuistis murum pro domo Israël, vt staretis in prælio in die Domini. Ex aduerso quippe ascendere, est quibuslibet potestatibus prauè agẽtibus rationis libera voce contraire. Et in die Domini pro domo Israël in prælio stamus, ac murũ opponimus, si fideles innocentes cõtra peruersorũ iniustitiã ex iustitiæ authoritate vindicamꝰ. Quod quia mercenarius non facit, cùm veniente lupũ viderit, fugit. Sed est alius lupus, qui sine cessatione quotidiè nõ corpora, sed mẽtes dilaniat, malignus videlicet spũs, qui caulas fideliũ insidians circumit, & mortes animarũ quærit, de quo lupo mox subditur: *Et lupus rapit, & dispergit oues.* Lupus venit, & mercenarius fugit, quia malignus spiritus mentes fideliũ in tentatione dilaniat, & is qui locũ pastoris tenet, curã solicitudinis non habet. Animæ pereunt, & ipse de terrenis cõmodis lætatur. Lupus rapit & dispergit oues, cùm aliũ ad luxuriã pertrahit, alium in auaritiam accẽdit, aliũ in superbiã erigit, aliũ per iracundiã diuidit, hũc inuidia stimulat, illũ fallacia supplantat. Quasi ergo gregem lupus dissipat, cùm fidelium populos diabolus per tentationes necat. Sed contra hæc mercenarius nullo zelo accenditur, nullo feruore dilectionis excitatur: quia dum sola exteriora cõmoda requirit, interiora gregis damna negligenter patitur. Vnde & mox adiungitur: *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus.* Sola ergo causa est, vt mercenarius fugiat, quia mercenarius est. Ac si apertè diceretur: Stare in periculo ouium non potest, qui in eo quod ouibus præest, non oues diligit, sed lucrum rerum quærit. Dum enim honorem amplectitur, dũ temporalibus cõmodis lætatur, opponere se cõtra periculũ trepidat, ne hoc quod diligit, amittat. Sed quia redemptor noster culpas ficti pastoris innotuit, iterũ formã cui debeamus imprimi ostendit, dicens: *Ego sum pastor bonus.* Atq; subiungit: *Et cognosco meas,* hoc est, diligo: *& cognoscũt me meæ.* Ac si patenter dicat: diligentes obsequuntur. Qui enim veritatem non diligit, ad hanc minimè cognouit. Quia ergo audistis fratres charissimi, periculum nostrum, pensate in verbis dominicis etiam periculum vestrum. Videte si oues eius estis, videte si eum cognoscitis, videte si lumen veritatis scitis. Scitis autem dico, non per fidem, sed per amorem. Scitis dico, non ex

Ezec. 13.

Lupus, diabolus.

ex credulitate, sed ex operatione. Nam idem ipse qui hæc loquitur, Ioannes Euangelista testatur, dicens: Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius nõ custodit, mẽdax est. Vnde & in hoc loco protinùs Dominus subdit: *Sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem: & animam meam pono pro ouibus meis.* Ac si apertè dicat: In hoc cõstat, quia & cognosco patrem, & cognoscor à patre, quia animã meam pono pro ouibus meis: id est, ea charitate qua pro ouibus morior, quantùm patrem diligam, ostendo. Quia verò non solùm Iudæam, sed etiam gentilitatem redimere venerat, adiungit, dicens: *Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & uocem meam audient, & fiet unum ouile, & unus pastor.* Redemptionẽ nostram, qui ex gentili populo venimus, Dominus aspexerat, cùm se adducere & alias oues dicebat. Hoc quotidiè aspicitis fratres fieri, hoc recõciliatis gentibus factum hodiè videtis. Quasi ex duobus gregibus vnum ouile efficit, quia Iudaicum & gentilem populum in sua fide coniungit, Paulo attestante, qui ait: Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Dum enim ad æternam vitam ex vtraque natione simplices eligit, ad ouile proprium oues deducit. De quibus profectò ouibus rursus ait: *Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego uitam æternam do eis.* De quibus & paulò superiùs dixit: Per me si quis introierit, saluabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Ingredietur quippe ad fidem, egredietur verò à fide ad speciem, à credulitate ad contemplationem: pascua autem inueniet in æterna refectione. Oues ergo eius pascua inuenient, quia quisquis illum corde simplici sequitur, æternæ viriditatis pabulo nutritur. Quæ autem sunt istarum ouium pascua, nisi interna gaudia semper virentis paradisi? Pascua nanq; electorum sunt, vultus præsens Dei, qui dum sine defectu conspicitur, sine fine mens vitæ cibo satiatur. In istis pascuis de æternitatis sa tietate lætati sunt, qui iam laqueos voluptuosæ temporalitatis euaserunt. Ibi hymnidici angelorum chori, ibi societas supernorum ciuium, ibi dulcis solennitas à peregrinationis huius tristi labore redeuntium. Ibi prouidi prophetarũ chori, ibi iudex Apostolorum numerus, ibi innumerabilium martyrum victor exercitus, tanto illic lætior, quanto hic duriùs afflictus: ibi confessorum constantia præmij sui perceptione consolata. Ibi fideles viri, quos à virilitatis suæ robore voluptas seculi emolire non potuit. Ibi sanctæ mulieres, quæ cum seculo & sexum vicerunt. Ibi pueri, qui hic annos suos moribus transcenderunt. Ibi senes, quos hic & ætas debiles reddidit, & virtus operis non reliquit. Quæramus ergo fratres hæc pascua, in quibus cum tantorum ciuium solennitate gaudeamus. Ipsa nos lætantium festiuitas inuiter. Certè sicubi populus nũdinas celebraret si ad alicuius Ecclesiæ dedicationem denunciata solennitate concurreret, festinaremus omnes simul inueniri, interesse vnusquisq; satageret, graui se damno afflictum crederet, si solennitatem cõmunis lætitiæ nõ videret. Ecce in cælestibus electorum ciuium lætitia agitur, vicissim de se omnes in suo conuentu gratulantur: & tamen nos ab amore æternitatis tepidi, nullo desiderio ardemus, interesse tantæ solẽnitati non quærimus: priuamur gaudijs, & læti sumus. Accendamus ergo animum fratres, recalescat fides in id quod credidit, inardescant ad superna nostra desideria: & sic amare, iam ire est. Ab internæ solennitatis gaudio nulla nos aduersitas reuocet: quia & si quis ad locum propositũ ire desiderat, eius desiderium quælibet viæ asperitas nõ immutat. Nulla nos prosperitas blandiens seducat, quia stultus viator est, qui in itinere amœna prata conspiciens, obliuiscitur ire quò tendebat. Toto ergo desiderio ad supernã patriam animus anhelet, nihil in hoc mundo appetat, quod constat quia citiùs relinquat: vt si cælestis pastoris veraciter oues sumus, quia in viæ delectatione non figimur, æternis pascuis in peruentione satiemur, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat cum patre in vnitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

1. Ioan. 2.

Ouile Christi ex Iudæis & gentibus.

Ephes. 2.

Ioan. 10.

Pascua electorum.

EODEM DIE. HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Go (inquit) sum bonus pastor. Audite hoc pastores, & à me vno pastore boni pastores esse discite. Bonus enim pastor est, qui animam suam dat pro ouibus suis. Hæc est definitio boni pastoris, hoc ego feci: hoc & vos facite, si necesse fuerit. Maiorem enim dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. *Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, uidet lupum uenientem, & dimittit oues, & fugit.* Bonus pastor fuit Iacob, bonus pastor & Moyses, bonus pastor erat & Dauid, qui pro tuẽdis ouibus vrsis & leonibus (quanuis puer esset adhuc) se obijcere non timebat. Nam & leonem & vrsum ipse interfecit, sicut ad Saul loquens ipse testatur. Illi enim vrsi, & illi leones, vitia & malignos spiritus, hæreticos & schismaticos significabant, contra quos nunc Ecclesiæ pastores pugnant & dimicant. Non erat ille mercenarius, qui dimissis ouibus fugeret, & luporum impetꝰ formidaret. Ille igitur bonus pastor, hũc pastorem optimum significabat, qui modò in hoc Euangelio loquitur, dicens: *Ego sum pastor bonus.* Vis videre etiam ipsum Dauid boni pastoris definitionem, quæ hic describitur, adimplesse? Cùm enim angelus in populum desæuisset, & euaginato gladio multos interfecisset, morti seip-

Bonus pastor.

1. Reg. 17

Vrsi & leones, hæretici.

2. Reg. 24

Universidad de Deusto
Biblioteca

sum obijciens, clamauit, dicés. Ego sum qui pec cauí, ego iniquè egi: isti qui oues sunt, quid fece runt? Vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei. Dicat itaque noster Dauid: (filius autē illius Dauid, sed fortior, quā ille Dauid) Ego sum pastor bonus. Quòd autem pastorem se Dominus dicit, dignatio est, nō promotio: inclinatio est, non dignitatis alicuius aliqua sublimatio. Sed non dedignetur se pastorē dicere, qui pastoris officium, iniurias, & labores non est dedignatus subire. Ipse enim est, de quo

Esa 40. propheta ait: Sicut pastor gregem suum pascet, & in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit: fœtas ipse portabit. Cui autem non videatur iniurioſum esse, vt agnos & oues fœtas & sordidas in sinum congreget, & super humeros portet? Tales tamē erāt oues Christi, tales priùs erant oēs Christiani, quos ipse suo sanguine lauit, & aquis baptismatis mundauit, & proprijs humeris ad pascua reportauit. Sed dicat idē propheta, qualis secundùm diuinitatem sit, qui

Ibidem. secundùm humanitatem tantū humiliare se voluit. Quis (inquit) mensus est pugillo aquas, aut cælos palmo ponderauit. Quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in statera? Ipse, inquit, qui pastoris iniurias sustinuit, ipse est qui cælum & terram fabricauit, ipse est qui pugillo metitur aquas, qui pluuię guttas & stellarum numerū nouit, ipse est, qui virtute omnipotentis Trinitatis, quasi triū digitorum operatione, librauit in pondere mōtes & colles in statera. Ipse in medio firmamēti terram stabiliuit, quæ suis libra ta ponderibus, cùm nullum habeat fundamentum, nusquàm tamen

Sap 11. cadere potest. Denique ipse est, qui in pondere, & numero, & mensura omnia fecisse legitur. Per

Omnia in pondere, numero, et mensura. certum enim pondus, & certum numerum, certamque mensuram omnia fecisse legitur. Certū enim pondus, & certum numerum, certamq; mēsuram omnibus posuit, vltra quæ extendere se nulla valet creatura. Tot igitur erunt homines, quot ipse dispositit: eius ponderis grauitatem, & fortitudinem eius virtutis, sapientiæ, honoris, dignitatis quantitatem & mensuram vnusquisque habebit, quam ipse ante tempora habere dis-

Iob. 28. posuit. Ideò enim & ventis pondus dedisse legitur, quia angelicis potestatibus & iustorum animabus grauitatem eam & fortitudinem tribuit, quam superbiæ leuitas à proprio statu mouere non posset. Hanc autem grauitatem & hoc pondus ille non habuit, qui superbiæ leuitate eleEsai. 14. uatus dixit: In cælum ascendam, supra astra Dei exaltabo solium meum. In voluntate igitur tua

Esther 13. Domine vniuersa sunt posita, & non est, qui possit tuæ resistere voluntati. Sequitur: *Mercenarius autem & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum uenientem, & dimittit oues, & fugit.* Mer-

Mercenarius quis. cenarius enim est ille episcopus, qui in pascendis & regendis ouibus sola temporalia, & transitoria quærit: qui non amore cælestis patriæ, sed pro lucro & mercede temporalium rerum, oues dominicas pascit. Et iste quidem apud Deum pastor non est, etsi ab hominibus pastor dicatur. Hic autem non habet oues proprias, sed mercede conductas. Si enim eius propriæ essent, diligeret vt proprias, & se pro eis periculis obijcere non dubitaret. Sed videt lupum venientem, vi-

Satellites diaboli. det diabolū eiusq; satellites imminentes (satellites nanq; diaboli, hæretici & schismatici sunt, omnesque deceptores) & dimittit oues, & fugit. Dimittit vtique non auxiliando, veritatem non prædicando, constantiam & patientiam non admonendo, & hæresi non resistendo. Vnde per

Ezech. 13 Ezechielem à Domino dicitur: Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israël, vt staretis in prælio in die Domini. Omnia enim hæc verba murus quidā sunt, quibus ab hæreticis oues Ecclesiæ defendūtur. His lupus pellitur, his vincitur & fugatur. *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus.* Non enim fugeret, si mercenarius non

1. Ioan. 4. esset: non fugeret, si pro amore & charitate, & non pro mercede seruiret. perfecta enim charitas foras mittit timorem. Et ideò quidem fugit, quia non pertinet ad eum de ouibus. *Ego sum pastor bonus, & cognosco meas, & cognoscunt me meæ.*

2. Ti. 2. Nouit enim Dominus, qui sunt eius. Cognoscere autem Dei, diligere est. Vnde & quibusdam in iudicio dicturus est: Amen dico vobis,

Matth. 25 nescio vos: alioquin, qui omnia scit, quomodò ignorare aliquid potest? Quod igitur ait: *Et cognosco meas, & cognoscūt meæ*: tale est, ac si diceret: Diligo meas, & diligor à meis. Sed quomodò cognosco? Vis audire quomodò? *Sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem.* Sic, inquit, cognosco, id est, diligo meas, & diligor à meis, sicut diligo pa-

Ioan. 15. trem. Vnde & in sequentibus ait: Sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos. Itemque: Non pro

Ioan. 17. his rogo tantum, sed pro eis, qui crediturí sunt per verbum illorum in me: vt omnes vnum sint, sicut & tu pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint. *Et animam meam pono pro ouibus meis.* Nisi enim eas dilexisset, animam pro eis non posuisset. *Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & uocem meam audient: & fiet unum ouile, & unus pastor.* Hoc est

Ephes. 2. enim, quod Apostolus ait: Ipse est pax nostra, qui fecit vtrunque vnum. Iunxit enim duos parietes: vnum ex circuncisione, & alterum ex præputio venientem. Iudæis loquebatur Dominus, quibus se Gentiles iungere promittebat, vt ex duobus populis vna domus ædificaretur, & vna Ecclesia construeretur. Facta est igitur pax inter Iudæos & Gentiles: vnum est ouile, vnus est pastor: vnam legem tenent, vnum Deum adorant, & vnius pastoris vocem sequuntur. Hos autem duos ouium greges, hos duos Ecclesiæ parietes, Moyses quoque significauit, qui ex decem cortinis (iubente Domino) tabernaculum fieri

Exod. 36. præcepit. Erant autem quinque cortinæ in pariete

riete vno, ansulis hiacyntinis sibi mutuò coniunctæ. Erant autem & aliæ quinq; in pariete altero, simili modo sibi mutuò consortes. Quinque verò & quinque, id est, duo parietes aureis circulis sibi inuicem iungebantur: ex quibus videlicet duobus parietibus vnum tabernaculum construebatur. Omnes autem cortinæ opere pluma rio contextæ erant, pulchraque varietate distinctæ. Hæc autem quid significent, in Exodo exposuimus.

DOMINICA TERTIA POST PASCHA,

in Epistolam Concio exegetica.

RVrsus ex principis Apostolorū priori Epistola lectio depromitur, plena optimis institutionibus, in qua sanè perspicuè videre licet, quàm longè distent pseudoprophetæ à veris doctoribus: tum etiā quēadmodùm nos viuere conueniat, dum sumus in hoc mundo. Pseudoprophetæ pleriq; omnes sua mendacia, quia veritate & ratione non possunt, dolis & armis, concitandisque seditionibus tueri ac promouere solent: cùm è diuerso qui vera docent, modis omnibus studeant paci, concordiæ, atq; vnitati Ecclesiasticæ, quæ salua esse nō potest, nisi subditi pareant Magistratibus, & pro se quisque suum faciat officium: ad quæ nos hodierna lectio verbis Apostolorum principe dignis, & quidem amantissimè hortatur: *Obsecro uos tanquam aduenas & peregrinos, abstinere uos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam.* Post illud

Aduenæ sumus & peregrini. primorum hominum peccatum, omne humanū genus è paradiso in hoc exiliū detrusum est, vbi sumus aduenæ & peregrini. Sed multò maxima hominum pars exilium sibi vertit in paradisum, & degunt in hoc mundo, tanquam perenniter huius lucis vsura fruituri. Hoc quidē efficit malignus dæmon, vasta quadam caligine offusa interioris hominis oculis, vt non videat vbinā sit, sed in summa miseria haud secùs atq; in vera beatitudine: in summis periculis, haud aliter atq; in præcipua securitate versetur. Itaq; D. Petrus Ecclesiæ pastor tales amanter admodùm obsecrat, vt meminerint se esse aduenas & peregrinos in hac vita, & eò minùs terrenis rebus dediti sint, quò magis agnoscunt se patriam habere in cælis. Eius rei præclarissima exempla habemus in beatissimis patriarchis Abrahamo, Isaac, & Iacob, de

Hebr. 11. quibus in Epistola ad Hebræos sic scribit Apostolus: Fide Abraham demoratus est in terra repromissionis tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac & Iacob, cohæredibus repromissionis eiusdem. Expectabat enim fundamēta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus. Et paulò infrà: Iuxta fidē defuncti sunt oēs isti, non acceptis repromissionibus, sed à longe eas aspicientes & salutantes, & confitentes quia peregrini & hospites sunt super terrā. Qui enim hæc dicunt, significāt se patriam inquirere. Si sic affecti fuere illi patres longè ante legem veterē, quibus adhuc tot seculis expectanda erat cælestis patriæ beatitudo, quanta magis nos debemus in hac vita tanquā aduenæ & peregrini degere, qui iam per Christum habemus patefactū in cælos aditum, & scriptis Apostolicis atq; Euāgelicis iubemur mundū hūc contemnere, & fer-

Luc. 9. re post Dominum crucē nostrā, atq; per angustā

Luc. 13. portam & arctam viam ingredi? Et rectè quidem hoc loco Beda ait, inter electos & reprobos in hac vita hoc distare solere, quòd electi peregrini nunc & exules patriā expectant in futuro, tantoq; minùs in præsenti gaudijs delectantur caducis, quanto futura sine fine gaudia se sperant accipere, & in æternū regnare cum Christo: at verò reprobi hīc habent patriam, cuius solùm vitæ desiderijs norūt inhiare. Ideoq; post hanc vitam in exiliū relegabuntur perpetuū, vbi cūctis carentes voluptatibus, sola in tormentis patiantur aduersa. Hęc Beda. Carnales aūt cupiditates, vt ait Oecumenius, militare, inquit, aduersùs animam, propterea quòd, vt inquit etiam B. Paulus,

Gal. 5. caro concupiscit aduersus spiritum: quippe cùm carnis cupiditates circa fruitionem & voluptatē sensibilium rerum versentur, rationem nostram & consilium conturbent, seruilemq; animā nostram efficiant. Hæc Oecumenius. Videat hīc vnusquisq;, quā ex animo abstineat à carnalibus desiderijs, quæ certè militant aduersus animam. Illis ergo studere atque operam dare, quod tam multi etiam Christiani faciunt, quid est aliud, quàm planè odisse animam suam, eamque prorsus velle perditam? Paulus Apostolus certam quandā indicaturus notā, qua Pseu-

Veri Christiani qui sint. dochristiani à veris interno scantur, Qui aūt, inquit, sunt Christi, carnem suā crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs. Ergo è diuerso, qui car-

Gal. 5. nis fouent vitia & concupiscentias, nouerint se esse alienos à Christo. Sed quotusquisq; hæc alicuius pensi habet? Heu viuunt homines, tanquā mors nulla sequatur, Et velut infernus fabula vana foret. *Conuersationem uestram inter gentes habentes bonam, ut in eo quòd detrectant de uobis, tanquàm de malefactoribus, ex bonis operibus uos considerantes, glorificent Deum in die uisitationis.* Hæc admonitio etsi nunquam non, tamen tum vel maximè fuit opportuna, immò & necessaria, cùm fides Christi apud ethnicos primùm oriri cœpit, paucosque haberet professores comparatione idololatrarum, quorum improbæ obtrectationes nulla re alia efficaciùs, quàm vitæ innocentia & inculpatis moribus confutari poterant. Atq; eodē omnino remedio aduersū hæreticos vtendū est Christia-

Vita inculpata detonis catholicis. nis. Facilè enim impia cōmenta prauorum *struuntur hæreses.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

uorum dogmatum destruuntur, si in Catholicis appareat vitæ integritas: cùm alioqui, sicut nostra ætate compertum est, parum apud illos possit proficì, quandiu habent, quod in Catholicorum vita & moribus carpere queant. Plerunque contigit, ait Beda, vt pagani, qui fidem Christianorum vituperabant, quia deos suos dereliquissent, postmodùm considerantes castam eorum conuersationem, & inuictum in Christo animum, cessarent eis detrahere, magisq; Deum glorificare ac laudare inciperent, qui bonitate ac iustitia cultorum suorũ bonus esse probaretur & iustus. Glorificent, inquit, Deum, in die visitationis, hoc est, in tempore retributionis quãta vobis sit gloria per Deum donanda iamnunc agnoscant increduli, cũ vos constanter inter obstantia pericula illũ sequi perspexerint. Hæc Beda. *Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Dominum: siue regi, quasi præcellenti: siue ducibus, tanquã ab eo missis ad uindictam malefactorum, laudem uerò bonorum.* Humanam creaturam, inquit Oecumenius, hîc magistratus vocat, qui à regib. creãtur: quinetiam ipsos reges, propterea quòd ipsi quoq; ab hominibus constituuntur. Solet enim scriptura
Ephes. 2. constitutionẽ & positionẽ, creaturã etiam quandoq; appellare: vt cùm inquit, Vt duos creet in vnum nouum hominem, id est, ponat & cõstituat. Inquit igitur: Subditi estote mundanis principibus, ac subditi quidé propter Dominũ, id est, eo modo quo Dominus præcipit. Sed quid præcipit
Matth. 22 Dominus? Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo: vt si quid cõtra Dei institutionẽ mandarint, obediendũ eis nõ sit. Hoc enim prorsus et Dominus & eius discipulus præcipit ea causa, ne dicere Græci possint, Christianismũ vitæ subuersionẽ adferre, turbationisq; & cõfusionis causam esse. Hæc Oecumenius. Quòd verò ait, *Ad uindictã malefactorum, laudẽ uerò bonorũ.* Beda sic exponit, Non quòd omnes quidem reges aut duces, vel malefactores punire, vel laudare bonos nouerint; sed quæ esse debeat actio boni iudicis simpliciter narrat, hoc est, vt malefactores coerceat, benè agentes remuneret. Qui etsi iniustè agit si bonos dãnet, nihilo minùs ad laudem eorũ pertinent quę facit, si patiẽter eius improbitatẽ tolerent, & patienter eius stultitiæ re-
Rom. 13. sistãt. Vis (inquit) nõ timere potestatẽ? Bonũ fac, et habebis laudem ex illa. Non dicit, Ab illa, sed, Ex illa: quia etsi potestas humana nõ laudat, immò si etiã persequitur, si occidit gladio, vt Paulũ, si crucifigit, vt Petrum, habebis ex illa laudẽ, dũ ex eo, quod illa male facit in te iustũ & innoxiũ, tuæ virtutis patiẽtia coronã laudis meretur. Hæc ille. *Quia sic est uoluntas Dei, ut benefacientes, obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* Præclarè hoc admonet Apostolus, quia reuerà nulla sunt ad confutandos tum hæreticos, tum ethnicos & à fide Dei alienos arma validiora, quàm studium pietatis & bonorum operum, vt omni ex parte caueamus nobis quidem à peccato, proximis verò à scandalo. Cùm enim cernũt nos inculpatè viuere, & animo syncero minimeq; fucato colere iustitiam, & bonis operibus esse addictos, non habent quod carpant: immo plerũq; etiam hac ratione homines perditi ad sanitatem reducũtur, & ab errore & stultitia sua resipiscũt. Quòd ergo nostro æuo tantos progressus habuẽre impia hæreticorum dogmata, inde potissimũ accidit, quòd apud Catholicos penè nulla secuta est morum correctio: quæ si secuta esset, iampridem mutuis odijs & armis hæresum architecti cum suis commentis interijssent, & misera plebs ab illis euersa & seducta, celerrimè ad Christi vnicum ouile redijsset. *Quasi liberi, & non quasi uelamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut serui Dei.* Liberi rectè vocamur, inquit Beda, qui per bap- *Christiani*
tismа à peccatorum sumus nexibus absoluti, qui *ut sint libe*
à dæmoniaca seruitute redempti, qui filij Dei *ri.*
effecti, non tanto dono libertatis potiorem peccãdi facultatem vel licentiam accepimus: quinimò si peccamus, mox libertate perdita, serui efficimur peccati. Et quisquis se ad hoc liberatũ à Domino putat, vt libentiùs peccet, talis suam libertatem in velamen malitiæ mutat. Hæc Beda. Non sumus ad carnis, sed spiritus libertatem vocati: & licet à multis priscæ legis oneribus simus absoluti, at nihilo minùs habemus à Christo nobis præscriptam Euangelij legem, & sumus diuinæ obnoxij seruituti: sed sic seruire, regnare est. Non est libertas, vbi dominatur iniquitas: summa libertas est, vbi Christo addictissimè seruitur. *Omnes honorate, Fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorificate.* Sunt homines omnes conditi ad imaginem Dei, sunt precioso Christi sanguine redempti, sunt capaces beatitudinis æternæ, vbi erunt filij & hæredes Dei: ergo non immeritò honorandi. Apud Malachiam *Malach. 2*
prophetam legimus: Nunquid non pater vnus omnium nostrũm? Nunquid non Deus vnus creauit nos? Quare ergo despicit vnusquisq; nostrũm fratrem suum, violans pactum patrũ nostrorum? Est quoque diligenda fraternitas, quia diuites & pauperes, potentes & humiles vnius magni patris filij, & proinde inter nos fratres sumus. Multùm detestanda est eorũ superbia, qui cùm honore: diuitijs aut id genus alijs præditi sunt, proximos suos, præsertim inopes & humilioris conditionis despiciunt, & ipsi olim à Deo despiciendi. Debebant rebus & facultatibus
suis miserorum leuare inopiam, & impauperi- *Luc. 16.*
bus atque abiectis fratribus suis Christum Ie-
sum intueri & venerari. Cogitent diuitis epulonis & Lazari mendici exempla, & egenos atque calamitosos non solùm non contemnant, sed etiam sibijpsis anteponant, in eisque Dominum beneficijs & puro amore prosequantur. Iam quod addit Apostolus, *Deum timete*, omnia in se totius diuinæ legis præcepta comple- *Eccl. 7.*
ctitur. Qui enim timet Deum, nihil negligit. Est autem hîc accipiendus castus filiorum timor, non

non ille seruilis, quem rectè Cicero vocat non diuturni magistrum officij. Qui sic timet Deum, putà, castè & purè, vt decet filios ingenuos, is ob Dei voluntatem etiam Reges & magistratus honore afficit, & ex animo eos obseruat ac veneratur. *Serui, subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dy-*
Ephes. 6. *scolis.* Sic & Apostolus Paulus, Serui, inquit, obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: nõ ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi, facientes voluntatẽ Dei ex animo: cum bona voluntate seruientes Domino, & non hominibus, scientes quòd vnusquisque quod fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus, siue liber. Itaque in dominis suis contemplari debent serui Christum, atq; ita fiet, vt faciliùs præstare queant, quod hîc ait Petrus Apostolus, vt subditi sint & morigeri non solùm bonis & modestis atq; humanis dominis, sed etiam dyscolis, difficilibus & morosis, quos causa amoris Christi commodè & placidè ferent, & sua fide, diligentia, alacritate, obediendi promptitudine commodos & tractabiles efficient. Quod autem hîc seruis præcipitur, omnes Christiani ad se pertinere putabunt, vt meminerint obtemperandum sibi esse Ecclesiæ præpositis & antistitibus, non modò bonis & vitæ inculpatæ, *Præpositi Ecclesiæ.*
sed etiam malis ac improbis, sicut etiam in Euan
gelio Dominus ait, Super cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisæi. Omnia ergo quæcunque dicunt vobis, facite. Præstet nobis Deus suã *Matt. 23.*
gratiam, qui est benedictus in secula, Amen.

DOMINICA TERTIA POST PASCHA,

Ioan. xvj.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Modicùm, & iam uidebitis me, & iterum modicùm, & uidebitis me. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

SAEta Domini & saluatoris nostri promissa, fratres charissimi, læto cordis auditu percipere debemus, seduláque intentione persistere, quatenùs ad hæc pertingere mereamur. Quid est enim, quod meritò lætiùs audiatur, quàm peruenire posse ad gaudium, quod nunquam possit auferri? Notandum autem, quòd tota lectionis huius Euangelicæ series illis conuenit, qui eam præsentes audierunt à Domino: pars autem illius etiam nobis, qui post passionem & resurrectionem Dominicã ad fidem venimus, aptissimè cõgruit. Quòd ergo ait: *Modicum, & iam non uidebitis me: & iterum modicum & uidebitis me, quia uado ad patrem,* ad illos specialiter pertinet, qui eius discipulatui prædicantis in carne adhærere, & post tristitiam passionis visa resurrectione & ascensione eius lætificari meruerunt. Nam quia hæc illa, qua tradebatur, nocte locutus est, modi cum erat, id est, eiusdem noctis & diei sequentis tempus, vsque ad horam, qua illum non videre inciperent. Tentus enim nocte illa à Iudæis, & in crastinum crucifixus, cùm serò factum esset, depositus est de cruce, & inter septa sepulchri ab humanis seclusus obtutibus. Et iterùm modicum erat, vsque dum illum viderent. Resurre-
xit enim à mortuis die tertia, & apparuit eis in *Act. 1.*
multis argumentis per dies quadraginta. Quare autem modicum esset vt non viderent eum, & iterum modicum vt viderent eum, ann ectit causam, dicens: *Quia uado ad patrem.* Ac si apertè dicat: Ideò post modicum à vestris aspectibus in monumenti claustris abscondor, & iterùm post modicum destructo mortis imperio, vobis intuendus appareo, quia tempus est, vt expleta dispensatione assumptæ mortalitatis, cum resurrectionis triumpho iam reuertar ad patrem. Potest & aliter intelligi quòd ait, Modicùm & iam non videbitis me, & iterùm modicùm, & videbitis me. Modicum quippe tempus futurum erat quo eum non viderent, illuc scilicet triduum, quo erat quieturus in monumento: & iterum modicum erat futurum quo viderent eum, illi videlicet dies quadraginta, in quibus eis post passionem suam sæpiùs vsque ad tempus ascensionis apparuit. Quod autem subiunxit, Quia vado ad patrem, iuxta hũc sensum ad illud specialiter respicit quod præmisit, Et iterùm modicùm, & videbitis me. Ac si apertè diceret: Propterea me resuscitatum à mortuis modico tempore videbitis, quia non semper in terra corporaliter mansurus, sed per humanitatem quam assumpsi, iam sum ascensurus in cælum. Hæc quidem verba Domini, vt diximus, illis specialiter, qui eius resurrectionem videre potuerunt, conueniunt. Quod verò illis quærentibus exponendo subiungit, *Amen amen dico uobis, quia plorabitis & flebitis uos: mundus autem gaudebit, uos autem contristabimini: sed tristitia uestra uertetur in gaudium,* & ipsorum & totius Ecclesiæ statui congruit. Plorabant quippe & flebant amatores Christi, cùm illum comprehendi ab hostibus, ligari, ad concilium duci, damnari, flagellari, derisui haberi, ad vltimum crucifigi, lanceari, & sepeliri viderent. Gaudebant mundi amatores (quos ob infimas *Mundus,*
cogitationes mundum vocat Dominus) quum *mũdi ama-*
morte turpissima condemnarent illum, qui gra- *tores.*
uis erat eis etiam ad videndum. Contristabi- *Sap. 2.*
tur discipuli posito in morte Domino: sed agnita eius resurrectione, tristitia illorum versa est in gaudium: visa ascensionis potentia, iam maiori gaudio subleuati, laudabant & benedicebãt
Dominum, vt Lucas testatur. Sed & cũctis fide- *Luc. 24.*
libus hic Domini sermo conuenit, qui per lachry-

mas

Universidad de Deusto
Biblioteca

mas pressuras q; præsentes ad gaudia æterna perue-
nire contendunt. Qui meritò in præsenti plo-
rant, flent, & tristes sunt, quia necdum valent vi-
dere quem diligunt: quia quandiù sunt in corpo
re, peregrinari se à sua patria & regno cognos-
cunt, quia per labores & certamina ad coronam
sibi perueniendũ esse non dubitant. Quorũ tri-
stitia vertetur in gaudiũ, quum finito agone vitæ
huius, brauium vitæ perennis accipiunt. De quo
Psal. 125. dicitur in Psalmis: Qui seminãt in lachrymis, in
Impij hic gaudio metent. Flentibus autem & cõtristatis fi-
lætantur. delibus, mũdus gaudet: quia iure in præsentibus
qualecunque gaudium habent, qui alterius vitæ
vel nulla esse gaudia sperant, vel se ad hæc pertin
gere posse desperant. Quod tamen specialiter
de persecutoribus fidei Christianæ potest intel-
ligi, qui cruciatis occisisque martyribus, ad tem
pus se præualuisse gaudebant, sed non post mul-
tum illis in occulto coronatis, ipsi pœnas perfi-
diæ suæ simul & homicidiæ subibant æternas.
Quibus diuina increpatione rectè dicitur per
Esai. 65. prophetam: Ecce serui mei lætabuntur, vos autẽ
confundemini: ecce serui mei exultabunt in læ-
titia, vos autem clamabitis præ dolore cordis ve-
stri, & præ contritione spiritus vlulabitis. Sequi-
tur: *Mulier cùm parit, tristitiam habet: quia uenit hora*
Mulier san- *eius.* Mulierem dicit sanctam Ecclesiam, videli-
cta Eccle- cet propter fœcunditatem bonorum operum, &
sia. quia spirituales Deo filios gignere nunquam non
Luc. 13. desinit, de qua & alibi dicit: Simile est regnũ cæ-
lorum fermento, quod acceptum mulier abscon
dit in farinæ sata tria, donec fermentaretur to-
tum. Mulier quippe fermentum accepit, cùm Ec
clesia vim supernæ dilectionis & fidei, Domino
largiente, consecuta est. Abscondit hoc in farinę
sata tria, donec fermentaretur totum, cùm Asiæ,
Europæ & Aphricæ partibus verbum vitæ mini-
strauit, donec omnes terrarum termini, regni cæ
lestis amore flagrarent. Ad huius mulieris mem
bra se pertinere signabat, qui recedentibus qui-
Gal. 4. busdam à castitate fidei, tristis aiebat: Filioli
mei, quos iterum parturio, donec formetur Chri
stus in vobis. Ad huius se mẽbra pertinere testã-
tur, qui cælestibus desiderijs accensi, in condito-
Esa. 26. ris sui laude proclamant: A timore tuo Domine
concepimus & parturiuimus, & peperimus spiri
tum. Hæc mulier cùm parit, tristitiã habet, quia
venit hora eius. *Cùm autem pepererit puerum, iam non*
meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo
in mundum. Quia nimirùm sancta Ecclesia quan-
diù in mundum spiritualium virtutum profecti-
bus insistit, nunquàm mundi tentationibus exer
ceri desistit. At quum deuicto laborum certami
ne ad palmã peruenerit, iam non meminit pres-
suræ præcedentis, propter gaudium percepte
Rom. 8. retributionis. Non sunt enim condignæ passio-
nes huius temporis ad superuenturam gloriam,
quæ reuelabitur in nobis. Non meminit, inquit,
pressuræ propter gaudium, quia natus est homo
in mundum. Sicut enim mulier nato in hunc mũ
dum homine lætatur: ita Ecclesia natò in vitam
futuram fidelium populo, digna exultatione re-
pletur: pro qua eius natiuitate multùm laborans
& gemens in præsenti, quasi parturiens dolet.
Nec nouum debet cuiquam videri, si natus dica
tur: qui ex hac vita migrauerit. Quomodò enim
consuetè nasci dicitur, cùm quis de vtero matris
procedens, hanc in lucem egreditur: ita etiam
rectissimè potest natus appellari, qui solutus à
vinculis carnis, ad lucem sublimatur æternã. Vn
de mos obtinuit ecclesiasticus, vt dies beatorũ *Cur mar-*
martyrum siue confessorum Christi, quibus de *tyrum obi*
seculo transierunt, natales vocitemus, eorumq; *tum, nata-*
solennia non luctuosa funebria, sed natalitia di- *les & nata-*
cantur: Sequitur Dominus, exponens ipse para- *litia dica-*
digma, quod de muliere proposuit. *Et uos igitur mus.*
nunc quidem tristitiam habetis: iterum aũt uidebo uos, &
gaudebit cor uestrũ, & gaudiũ uestrũ nemo tollet à uobis.
Quod de ipsis quidem discipulis facilè intelligi-
tur, quia tristitiã habuerunt passo ac sepulto Do
mino, sed peracta resurrectionis gloria, gauisi
sunt viso Domino. Et gaudium illorum nemo
tulit ab eis, quia etsi postmodùm persecutiones
pro Christi nomine ac tormenta passi sunt, spe
tamen resurrectionis & visionis illius accensi, li- Luc. 1.
benter aduersa quæque ferebãt: imò omne gau-
dium existimabant, cùm in tentationes varias
inciderent. Deniq; cæsi à principibus sacerdotũ, Act. 5.
vt scriptum est, ibant gaudentes à conspectu cõ-
cilij, quoniã digni habiti sunt pro nomine Iesu
contumeliam pati. Gaudium eorum nemo tulit
ab eis, quia talia patiendo pro Christo, meruе-
runt regnare sine fine cum Christo. Sed & om-
nis Ecclesia per huius vitæ labores & angustias
ad æterna cælestium tendit præmia gaudiorum, Act. 14.
attestante Apostolo: Quia per multas tribulatio-
nes oportet nos introire in regnũ Dei. Quòd aũt
ait, Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum.
Videbo vos, dixit, eripiam vos ab aduersarijs, co
ronabo vos victores, me vos decertantes sem-
per vidisse probabo. Quando enim non videret
suos, maximè pressuris circundatos, cum quibus Mat. ult.
seipse omnibus diebus ¦ seculi manere promi-
sit? Sed morientibus inter tormenta fidelibus, ar
bitrabantur eos tortores diuino carere præsidio,
dicentes: Vbi est Deus eorum? Vnde quidam ex Psal. 113.
his circunseptus ærumnis, aiebat: Vide Domine Thre. 1.
afflictionem meam, quoniam erectus est inimi-
cus meus. Quod est apertè dicere: Quoniam ini
micus insequens ceruicem superbiæ contra tuos
humiles attollit, tuo nos auxilio conditor noster
omnipotens subleua: te victis ac repulsis hosti-
bus, nostros semper agones vidisse, tibi hos pla-
cuisse comproba. Videt itaque electos post tri-
stitiam Dominus, cùm eorum patientiam, dam-
nato impugnatore, remunerat. Potest etiam in-
telligi quod ait, Iterùm autem videbo vos, quasi
diceret: Iterùm vobis videndus apparebo, quo- Gen. 21.
modò dixit Abrahæ: Nunc cognoui quòd ti-
meas Dominum, pro eo vt diceret, Nunc cog-
nosce-

nosce homines feci, quòd timeas Deum, qui
hactenùs nesciebant, quod apud me semper ha-
bui certum. Si ergo, fratres charissimi, salubri
Rom. 12. nunc tristitia afficimur, si iuxta hortamenta A-
postoli spe gaudentes, in tribulatione existimus
patientes, si nostra errata corrigimus, si miserias
proximorum debita lamentatione deflemus,
videbit nos iterum Dominus, id est, viden-
dum se nobis ostendet in futuro, qui quondam
nos videre, fidei suæ nobis agnitionem largien-
do, dignatus est. Videbit vt coronet, qui quon-
dam vidit vt vocaret. Videbit & gaudebit cor
vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vo-
bis, quia hæc est vera & vnica merces eorum, qui
secundùm Deum cõtristantur, de perpetua eius
visione gaudere. Quam profectò mercedẽ pro-
Matth. 5 misit ipse sublimiter, cùm ait: Beati mundo cor-
de, quoniam ipsi Deum videbunt. Quàm desi-
derabat ardenter propheta, cùm dicebat: Sitiuit
Psal. 41. anima mea ad Deum viuum, quando veniam &
apparebo ante faciem Dei? Quam se Apostolus
cum sui similibus accepturũ esse gratulatur, qui
certaminum suorum conscius, confidenter pro-
1 Cor. 13. testatur, dicens: Videmus nunc per speculum &
in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Quam
nos quoq; & fideliter quęrere, & veraciter appre
hẽdere donet ipse certantiũ auxiliator, & remu
nerator vincentium, Iesus Christus Dominus
noster, qui viuit & regnat cum patre in vnitate
spiritussancti, per omnia secula seculorum, A-
MEN.

EODEM DIE.
HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Modicùm, & iam non uidebitis me: & iterùm modi-
cùm, & uidebitis me, & cæt. Ioan. 16.

Act. 1. MOdico enim tempore in sepulchro
Dominus iacuit, quo eum discipuli
videre nõ potuerunt. Et iterùm mo-
dico tempore post resurrectionem
eum viderunt: quia (vt Lucas ait) per
dies quadraginta apparuit eis, loquens de reg-
no Dei. Et hoc est quod ait: *Modicùm, & iam non ui-*
debitis me: & iterum modicùm, & uidebitis me. Sed
quare modicùm? *Quia ad patrem uado.* Si enim ad
partem non iuisset, non modico, sed multo tem-
pore eum vidissent. Hoc autem discipuli non
intelligentes, dicebant: *Quid est hoc, quod dicit no-*
bis, Modicùm, & non uidebitis me, & iterum modicùm, &
uidebitis me, & quia uado ad patrem? Quid est, quòd di-
cit, Modicùm? Nescimus quid loquitur. Sciebant enim
discipuli, quòd ad patrem Dominus iret, quia
iam multoties hoc eis nunciauerat. Vnde & mo-
Ioan. 16. dò superiùs ait: Vado ad eũ qui misit me, & ne-
mo ex vobis interrogat me, Quò vadis? Et ideò
nemo me interrogat modò, Quò vadis, quoniã
certissimè scitis, quia ad patrẽ vado. Hoc igitur
solùm erat, quod Apostoli intelligere non pote
rant, & hoc solùm discere cupiebant, quid aliud
modicùm significaret, quo eum & viderent &
non viderent. *Cognouit autem quia uolebant eum in-*
terrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter uos, quia di-
xi, Modicum, & non uidebitis me: & iterum modicum, &
uidebitis me. Amen amen dico uobis, quia plorabitis & fle-
bitis uos, mundus autem gaudebit: uos autem contristabi-
mini, sed tristitia uestra uertetur in gaudiũ. Hæc est igi-
tur expositio, sed obscura: & tale est, ac si dice-
ret: Modò quidem non intelligitis, quid signifi-
cet, Modicùm, & non videbitis me: sed me post
modicùm mortuo & sepulto, vestrisque ab ocu-
lis sublato, quando pro morte mea plorabitis &
flebitis, quando & mundi amatores, scribæ vi-
delicet & pharisæi de mea morte gaudebunt,
tunc vtique intelligetis, quid significet, Modi-
cùm, & non videbitis me. Intelligetis etiam, quid
significet illud quod sequitur, Et iterùm modi-
cùm, & videbitis me, quando me die tertia resur- Ioan. 20.
gente, tristitia vestra vertetur in gaudium. Gaui- Esa. 29.
si sunt enim discipuli viso Domino. Vnde &
Psalmista, Ad vesperum, inquit, demorabitur
fletus, & ad matutinum lætitia. *Mulier cùm parit,*
tristitiam habet, quia uenit hora eius: cùm autem peperit
puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium,
quia natus est homo in mundo. Et uos quidem nunc tri-
stitiam habetis. Sic, inquit, fiet vobis, sicut fit mu-
lieri prægnanti & parturienti: quæ quidem cùm
parit, tristitiam habet, quia mortis horam timet
adueniſſe: sed tanta lætitia sequitur post partũ,
vt toti⁹ illius tristitiæ & pressuræ nõ recordetur,
propter pueri natiuitatem. Sic igitur & Apostoli
quando pariebant, quando prędicabant & ba-
ptizabant, quando per fidem adoptionis filios
generabant, tunc quidem tristitiam habebant,
quia moriendo pariebant. Pariebant vtique, vt
Apostolus ait: Filioli mei, quos iterùm parturio, Gal. 4.
donec Christus formetur in vobis. Itemq;: Nam 1. Cor. 4.
& si multos pædagogos habeatis, sed nõ multos
patres: in Christo Iesu per Euangelium ego vos
genui. Hoc autem significabat Rachel, quæ pa-
riendo mortua est. Vnde & filium moriens vo- Gen. 35.
cauit Benoni, id est, filium doloris mei. Pariebãt *Partus A-*
igitur Apostoli in dolore, quia propter hunc talẽ *postolorũ.*
partum occidebantur, & cruciabantur, multos
dolores multasque angustias patiebantur. Bea-
tus iste partus, quo tanta soboles tam nobilium
filiorum vbique gentium germinauit. De hac
quoque muliere prægnante & pariente Ioannes
Apostolus in Apocalypsi loquitur, dicens: Et sig Apoc. 12.
num magnũ apparuit in cælo, mulier amicta so-
le, & luna sub pedibus eius, & in capite eius coro
na stellarum duodecim, & in vtero habens cru-
ciabatur vt pariat. Hęc enim mulier, Ecclesia est, *Ecclesia,*
quę solis pulchritudine & splẽdore circũamicta, *mulier a-*
multos suæ claritatis lumine ad sese & post sese *micta sole*
attrahit amatores. Sole nanque vestitur, quate-

Universidad de Deusto Biblioteca

Ephes. 4. nus soli iustitiæ placeat. Induite, inquit Apostolus, nouum hominẽ, qui secundùm Deum creatus est. Est & luna sub pedibus eius. Luna enim propter defectionem, suiq; mutabilitatem, mundum istũ significat. *Luc. 10.* Vnde quia Iericho interpretatur luna, homo ille qui de Hierusalem veniebat, in Iericho descendisse à Domino narratur. Habet igitur Ecclesia lunam sub pedibus, quoniam cuncta terrena & transitoria & mutabilia despiciens & pro nihilo ducens, sola cælestia cõcupiscit. Coronam verò in capite portat, duodecim stellis quasi duodecim margaritis ornatam. Hæc enim corona, Apostolorum duodenus numerus intelligitur. Isti enim vicerunt, isti Ecclesiam coronauerunt, isti primi milites in capite positi quasi stellæ in Ecclesia fulgẽt. Et in vtero habẽs cruciabatur vt pariat. Multos enim in vtero habet, multos quotidiè filios parit Ecclesia: nõ tamẽ sine cruciatu quodã atq; dolore. Vnde & in hoc Euangelio Dominus ait: Mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius. Et Apostolus: *Gal. 4.* Filioli mei: quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis. Maiores tamen in persequutionis tempore pariẽdo Ecclesia cruciatus patiebatur. Ideò enim sancti occidebantur, quoniam parere cupientes, ad baptismum alios inuitabat. *In baptismo partus Ecclesiæ.* Ibi enim parit Ecclesia, ibi legitimos filios generat. Et visum est aliud signum in cælo: & ecce draco magnus rufus, habens capita septem, & cornua decem, & in capitibus suis septem diademata, & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram. *Draco, diabolus.* Draco iste magnus & rufus, diabolus est, qui in specie serpentis primum hominem decepit. Et nũc quidem propter sanguinem martyrum, quem fundere non cessat, rufus apparet. Hic autem septem capita habere perhibetur, septem videlicet peccata principalia, quæ de matre superbia exorta sunt: ex quibus quasi principijs omnia alia vitia oriuntur. *7. Peccata capitalia.* Hæc autem sunt, Vana gloria, inuidia, ira, tristitia, auaritia, ingluuies, luxuria. Decem verò cornua, omnia alia vitia sunt, quæ ab his capitibus deriuantur. Quæ quoniam multa sunt, eum numerum ponere voluit, in quo omnes numeri continentur. Non enim progreditur numerus vltra decem: sed ipse in se reuolutus, omnes alios numeros complet. Quid igitur cornua decem, nisi cornua multa? *Corona, diaboli flagitia.* Habet autem in capitibus suis septem diademata, quia pro vnoquoq; vitio suam portat coronam. Quoties enim per inuidiam vincit, toties per inuidiam coronatur. Sic & alijs. *7. Hæresiarchæ.* Possunt autem septem capita, septem hæresiarchæ: & decem cornua, decem reges intelligi, qui in tempore Antichristi, non solùm falsis prædicationibus, verùm etiam tyrãnica potestate sanctam Ecclesiam affligent. Et cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram. Quid enim per caudam, nisi eius deceptionem intelligimus? Cauda igitur eius, id est, ipsius calliditatis & hæreticæ prauitatis deceptio, tertiam partem stellarum cæli, multos videlicet qui in Ecclesia fulgere videbantur, trahebat, & misit eos in terram: vt non iam cælestia, sed sola terrena & transitoria diligerẽt. De hac autem tertia parte iam sæpisimè dictũ est: quæ quoniam neq; in prælatorum, neque in subiectorum numero continetur, hæreticos & falsos Christianos eam significare diximus. Et draco stetit ante mulierem quæ paritura erat, vt cùm peperisset, deuoraret filium eius. Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea. Et raptus est filius eius ad Deũ, & ad thronũ eius. Et mulier fugit in solitudinẽ, vbi habet locum paratum à Deo, vt ibi pascant illam diebus mille ducentis sexaginta. Semper enim Ecclesiæ filijs diabolus insidiatur. Non enim magnoperè de alijs curam habet. Sunt enim escæ eius electæ. Et, secundùm illud propheticum, *Habac. 1.* fiduciam habet, vt influat Iordanis in os eius. *Iob 40.* Neminem enim ita persequitur, quemadmodùm Ecclesiæ filios, & aqua baptismatis regeneratos. Hoc est enim, quod dicit: Vt cùm peperisset, deuoraret filium eius. Quod autem ait, Et peperit filium masculum, singularem pro plurali posuit, Nullum filium nisi masculum parit Ecclesia. *Ecclesia non nisi masculos parit.* Nam & si multas filias habeat, solę illius sunt, quæ non mollitiem muliebrem, sed virile & masculinum robur obtinere nitũtur. Nam neq; masculi propter sexum, sed propter fortitudinem & constantiam filij eius esse dicuntur. Tales autem in virga ferrea gentes regunt, tales vitia & malignos spiritus superant, tales imperio forti & insuperabili Dei populum per rectam viam incedere docent. Et raptus est filius ad Deum & thronũ eius. Quotidiè nanque Ecclesiæ filij ad Deum rapiuntur, quotidiè ad thronum eius ab angelis deferuntur, atque ab ipsius faucibus deuorare cupientis, sæpisimè prçda subtracta gaudens & triumphans cælos ascendit. *Fugere in solitudinẽ.* Mulier autem in solitudine fugit, quoties malorum vitans consortia, ad mentis secretum, ad Dei contemplationẽ sancta Ecclesia sese confert. Vnde & scriptum *Psal. 54.* est: Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Ibiq; locum habet à Deo paratum. Sed quomodò paratum? Vis audire, quomodò? Vt ibi pascant illam diebus mille ducentis sexaginta. Sed qui sunt, qui eam pascunt, nisi sacra volumina scripturarum? *Cibus Ecclesiæ.* Lege Esaiam, & ipse te pascet. Lege & alios prophetas, & ibi pascua inuenies, nullis delicijs comparanda. De quibus dicitur: *Psalm. 22.* Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit. Per dies autem mille ducentos sexaginta, omne tempus in quo Antichristus regnabit, intelligimus. Regnabit enim, sicut scriptum est, per tempus & tempora, & *Dan. 7.* dimidium temporis, id est, per tres annos & dimidium, *Apoc. 12.* in quibus sancta Ecclesia, verbi Dei pane nutrita, nullatenùs ab eo superari poterit. Sequitur: *Iterum autem uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollet à uobis.* Quando

enim

enim eos non videat, qui semper & vbique omnia videt? De illa igitur visione dicit, qua æterna est & finem nõ habet, quæ semper in gaudio est, cuius lætitia & beatitudo offerri nõ potest. Vnde & ait: Et gaudiũ vestrũ nemo tollet à vobis.

DOMINICA QVARTA POST PASCHA,

In Epistolam Concio exegetica.

HAc die ex D. Iacobi Epistola nobis lectio recitatur. Fuerunt nostro seculo hæretici, qui eam tanti Apostoli Epistolam è sanctarũ catalogo scripturarum reijcere, & stramineam appellare non dubitarint. Vsq; eò progreditur cæca & impia humanæ arrogantiæ væsania, vt in ipsas quoq; scripturas diuinas, blasphemias vomere non dubitet. Atqui verò sanctisimi & eruditisimi Patres Hieronymus, Augustinus, & cæt. crebra ex hac Epistola testimonia proferunt, & Catholica Christi Ecclesia inter Canonicas noui testamenti scripturas non postremum illi locum semper tribuit. Hodierna lectio breuis est verbis, sed vberes habet salutaris doctrinæ sententias. Ipsam agè audiamus: *Omne datum optimũ, & omne donum perfectum, desursùm est, descendens à patre luminum.* *Error Pelagianus.* Fuerunt olim hæretici Pelagiani, qui dicerent nostris viribus posse nos iustos effici: à Deo enim habere nos, quòd homines sumus: à nobisipsis verò, quòd iusti sumus. Illos planè cõfutat his paucis verbis per Apostolum suum spiritussanctus. *Hi libri attribuũtur Prospero Aquitanico.* Nam D. Ambrosius lib. 1. de Vocatione gentium, cap. 9. dicit Iacobum Apostolũ hac oratione docere, omnis boni Deum esse authorem, cuius dona nec incerta sunt, nec mutabilia, sed ex æterna voluntate venientia. Beda hũc locum interpretans, ait Apostolum ostendere, quicquid boni agimus, hoc Deo donante nos percepisse. Vnde & eum patrem, inquit, luminũ appellat, quem authorem nouit spiritalium charismatum. Hæc Beda. Itaque quicquid in nobis boni est, id totum ex Deo ad nos promanauit. *1. Cor. 4.* Quid enim habes, ait Paulus Apostolus, quod non accepisti? Inde est ergo etiam meritum bonorum operum nostrorum, quia Deo operante fiunt per nos. Hic iam necesse est & omnem in nobis superbiæ tumorem prorsus comprimi, dũ videmus quicquid boni habemus, non nostrum id esse, sed Dei? & ingentem quoq; erga Deum existere gratitudinem, qui tot nos beneficijs affecerit. Omnia naturæ, omnia gratiæ, omnia glorię dona à Deo ad nos proficiscũtur. Amemus ergo eum & illi perpetim gratias agamus, & vt sua in nobis dona conseruet & augeat obnixè rogemus. Gratitudinem enim exigit tam profusa benignitas: ingratitudo fontem benignitatis prorsus obturat. *Apud quem non est transmutatio, nec uicissitudinis obumbratio.* Ipsa mutabilitas, inquit D. Gregorius, *Li. 12. ca. 17. Moralium.* vmbra est, quæ quasi obscuraret lucem, si hanc per aliquas vicissitudines permutaret. Sed quia in Deo mutabilitas non venit, nulla eius lumen vmbra vicissitudinis intercidit. Hæc Gregorius. Est enim natura Dei incõmutabilis, qui semper idẽipse est: & cùm supplicia in reos cõstituit, & cùm beneficijs afficit pios, vnus atq; idem est, in seipso immotus & tranquillus perseuerans. *Voluntariè enim genuit nos uerbo ueritatis.* Per verbum enim, id est, Filium suum fecit omnia: per idem quoq; verbum, cùm iam perditi essemus, regenerauit nos, donans nobis in baptismo omnia peccata. Et quidem vtrunq; putà quòd creatione nos genuit, redemptione regenerauit, suæ voluntatis fecit liberali bonitate, nõ vel nostris meritis, vel vlla necessitate adactus. *Vt simus initium aliquod creaturæ eius.* Ne in eo quod ait, Genuit, hoc nos fieri putaremus, inquit Beda, quod ipse est, ideò principatum quendam in creatura nobis hac adoptione concessum ostendit. Hos etenim versiculos quidam ita transtulit: Volens genuit nos verbo veritatis, vt simus primitiæ creaturarum eius, id est, vt cæteris, quas cernimus, creaturis simus meliores. Primitias nanq; *Exod. 23.* frugum vel animantium Domino consecrari lex prçcipit: primitias aũt auri & argenti ad opus tabernaculi *Deut. 26.* iusit cõferri, id est, optima quæq; in *Exod. 35.* metallis. Hæc Beda, cui Oecumenius consentanea scribit, dicens Deum nos procreasse, vt essemus primitiæ, id est, primi atque honoratisimi inter creaturas eius. Creaturas autem, hic visibiles tantùm res creatas vocat. Hæc Oecumenius. *Scitis fratres mei dilectisimi.* Ea quæ dixi, arbitror vobis esse nota atq; perspecta, tanquã ex lege eruditis atq; benè institutis. *Sit aũt omnis homo uelox ad audiendum,* haud dubiè verbũ Dei, de quo scriptura diuina loquens, Non in solo, inquit, pa *Deut. 8.* ne viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Qui ergo vult viuere, auidè debet sumere animæ cibum, id est, cupidè audire verbum Dei: quod maximè pertinet ad vulgares & indoctos homines, qui debent studiosè auscultare sacras conciones, vt nouerint quid in tota viuendi ratione aut amplecti, aut respuere debeant. Talia enim debent pro concione diligenter inculcari, omissis illis, quæ tantùm ad ingenij & eruditionis fastuosam ostentationẽ, aut ad oblectandos inutiliter auditores faciunt. Porrò velocitas hæc, quam hic exigit Apostolus, nõ ad simplicem, vt ait Oecumenius, auditionem *Auditio uerbi Dei operosa.* refertur, sed ad operosam auditionem, cùm simul atque audiuit aliquis, ad ea quæ imperata sunt, aggredienda incitatur. Intelligit enim de eo, qui studiosè ita ijs quæ dicuntur aures adhibet, vt ad opere ea implenda promptum se præstet. Hæc Oecumenius. *Tardus autem ad loquendum.* Certè si nihil aliud, vel vnica illa Christi æterni

 iudi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

iudicis sententia ab incauta locutione absterre-
re nos potest, qua ait : De omni verbo otioso,
Matt. 12. quod locuti fuerint homines, reddent de eo ra-
tionem in die iudicij. In vniuersum autem, in-
quit Basilius Magnus in Regulis breuioribus,
Verbum otiosum quod sit. interrogatione 23. omne verbum, quod ad pro-
positum in Domino vsum nó facit, otiosum est:
& adeò magnum est huiusmodi verbi periculũ,
vt licet genere ipso de numero bonorũ sit quod
dicatur, tamen nisi ad ædificationem fidei dirigatur, nequaquàm propterea quòd bonum sit, li-
ber sit à periculo qui illud locutus sit: quippe qui
videlicet ex eo, quòd ad ædificationem illud nó
accommodauerit, cótristasse noscitur Spiritum-
sanctum Dei. Hoc enim apertè docuit Apostо-
Ephes. 4. lus, cùm dixit: Omnis sermo malus ex ore vestro
non procedat, sed si quis bonus ad ædificationé
fidei, vt det gratiam audientibus. Et subiecit il-
lud: Nolite contristare Spiritum sanctum Dei,
in quo signati estis: Quàm autem pernitiosa res
sit contristasse Spiritum sanctum, de hoc verò
qui opus est vt dicatur? Hæc Basilius. Vidisti ho-
minem velocem ad loquendum, ait sapientis i-
Prou. 29. mus Salomon: stultitia magis speranda est, quã
Eccl. 7. illius correctio. *Et tardus ad iram.* Ne sis velox ad
Prou. 15. iracundum, ait idem Salomon: quia ira in sinu
stulti requiescit. Et alibi: Vir iracundus prouo-
cat rixas: & qui ad indignandum facilis est, erit
ad peccandum procliuior. Nõ autem ita veloci-
tatem iræ vetat hîc Apostolus, vt Beda inquit, vt
huius tarditatem approbet: sed hoc potiùs ad-
monet, vt & hora perturbationis aclitium ne no
bis ira subrepat caueamus: aut si fortè subrepse-
rit, intra oris septa eius cohibeamus impetum, &
exacta hora discriminis, liberiùs eam ad integrũ
à nostro corde per tempus expurgemus. Vel cer
tè tardos ad iram nos esse præcipit, vt non qua-
libet ob causas serenitatem nostri vultus in au-
steritatem vertamus, sed certa existente ratione.
Verbi gratia: Si aliter corrigi proximos, maximè
qui nobis sunt comissi, non posse cernamus, se-
ueritatem erga eos verbi, vel etiam iudicij distri-
ctioris exhibeamus, manente tamen, quantùm
natura humana patitur, statu mentis nostræ sere-
no. Hæc Beda. Porrò Oecumenius hunc locum
interpretans, illam prophetæ sententiam citat,
Psalm. 4. Irascimini, & nolite peccare, id est, vt ipse expo-
nit, Ne irascentes statim furorem, qui ab ira sug-
geritur, effundatis: ac deinde addit: Nam & in lo
quendo tarditas, & in irascendo lentitudo effi-
cit, vt ad rectum & oportunum opus cunctando
reducamur: atque ex consideratione, quæ per
moram fit, cõcitatus animi impetus vel omninò
refoluatur, vel sicut res postulat, cohibeatur ac
moderetur, & præcipuè iræ, quæ cùm inconside-
ratè effertur, è iustitia Dei nos exturbat. Ita
Oecumenius. Est sanè cuiuis in id diligẽter incú
bendũ, præsertim cholerico, vt irę feruescẽtis im
petus cõpescere, & animo suo moderari discat,
ne dum vult improbæ huic perturbationi vel
commotioni obsequi, Deum ipsum à se peni-
tùs expellat. Nil iracundia peius, inquit Chryso- Hom. 29.
stomus, nil ira intempestiuius. Itaque vos hor- ad populũ
tor, vt omnia faciatis, vt hanc feram cohibeatis. Antioche-
Acutum est ira vitium, acutum & efficax animas num.
nostras furari. Propterea passim oportet ei adi-
tum obstruere: absurdum enim est, feras quidé
mansuefacere posse, animam verò nostram inso
lescenté despicere. Ignis est vehemẽs ira, omnia
deuorans. nam & corpus perdit, & animam cor-
rumpit, & reddit insuauem, & visu quenq; tur-
pissimum. Quòd si furoris tempore posset ira-
scens sibimetipsi notus fieri, non alia foret opus
admonitione. Nihil enim irascentis deformius
aspectu. Ebrietas quædam est ira, immò verò dis
ficilior ebrietate, & dæmone miserabilior: sed
si modestè agere meditemur, optimam philoso-
phiæ viam inueniemus. Hæc Chrysostomus. *Ira*
enim uiri, iustitiam Dei non operatur. Non habitat Spi-
ritussanctus, ait idem Chrysostomus Homil. 30.
ad populum Antiochenum, vbi furor: maledi-
ctus iracundus. Nihil sani potest emanare, vnde
procedit ira. Sicut enim in maris tempestate mul
tus tumultus, clamor magnus, nec ibi quis Philo
sophandi tempus habet: ita nec in ira. Hæc ille.
Si iustitia est habitus in anima nostra, inquit in
hunc locum Oecumenius, qui quod vnicuique
conuenit, pro dignitate distribuit: ira autem, vt Prou. 15.
scriptura inquit, prudentes etiam ipsos perdit:
qui fieri potest, vt quę nimia perturbatione men
tem obtenebrando prudentes etiam perdit, vir-
tutem illam constituat, quę iusto cum iudicio v-
tutem illam constituat, quę iusto cum iudicio v-
nicuique distribuit quod suum est? Vult igitur,
vt dupliciter tarditatem exerceamus, & in loquẽ
do videlicet, & irascẽdo: quippe cùm facere cú-
ctatio soleat, vt ab incitatione atque impetu ab-
stineamus. Hæc Oecumenius. *Propter quod abiici-*
entes omnem immunditiam, & abundantiam malitiæ, in mã
suetudine susci pite insitum uerbum, quod potest saluare a-
nimas uestras. Prius & corpus & mentem, ait Beda,
à vitijs iubet expurgare, vt digni existere possint,
qui verbum salutis percipiant. Qui enim nõ de-
clinat priùs à malo, non potest facere bonũ. Om
nem quippe immunditiam, & carnis & animæ
nuncupat: malitia autem propriè ad interioris
hominis prauitatem respicit. Suscipite, inquit,
insitum verbum, id est, verbũ quod vestris cor-
dibus prædicando imponimus, vos discendo sus
cipite. Hæc Beda. Vult ergo Apostolus, vt vitijs
propudiatis, tranquillo ac sereno pectore au-
diamus verbum Euangelij, & in intimos animi
recessus illud admittamus, vt non satis sit audi-
uisse, sed etiam illi conuenienter viuere conę-
mur. Inseritur enim illud nobis, dum prædican-
do instillatur: sed non potest saluare animas no-
stras, nisi cum amore & desiderio suscipiatur, &
in opus conferatur. Non enim auditores legis Rom. 2.
iusti sunt apud Deum: sed factores legis iustifi-
cabuntur. Quamobrem Dominus Iesus, cùm ser
monem illum prolixum in monte habuisset, &
multa

multa præclarè docuisset, ita tandem concluſit:
Matth. 7. Omnis ergo qui audit verba mea hęc, & facit ea,
assimulabitur viro sapienti, qui ædificauit do-
mum suam super petram, & descendit pluuia, &
venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt
in domum illam, & non cecidit: fundata enim e-
rat super petram. Et omnis qui audit verba mea
hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui æ-
dificauit domum suam super arenam, & descen
dit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt ven-
ti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit
ruina illius magna. Itaque & hoc loco Iacobus
Apostolus in mansuetudine verbum Euangelij
susci piendum docens, pectus exigit à vitiorum
perturbatione expurgatum, tranquillum, sere-
Psal. 75. num. In pace enim factus est locus Dei, & non
nisi in pacis studioso pectore habitat. Possunt
aũt verbum Dei audire etiam impij, sed illud in
mansuetudine non susci piunt, dum instar ma-
Esa. 57. ris feruent, quod quiescere non potest. Vnde
Ibidem. etiam rectè eodem loco Propheta subiungit:
Non est pax impijs, dicit Dominus: Sic ergo au-
diendum est Euangelium, vt eius præcepta &
institutiones, quæ militant contra vitia & pra-
uas cupiditates nostras, in operis exercitiũ ve-
niant, & ita paulatìm ad id perfectionis & san-
ctitatis pertingamus, vt in moribus nostris & to-
ta viuendi ratione intus & foris reluceat Euan-
gelium & doctrina Christi, & ita proculdubiò
Iac. 4. inde vitam & salutem hauriemus. Porrò scienti
2. Pet. 2. bonum, & non facienti, peccatum est illi: & me-
lius erat non cognoscere viã iustitię, quam di-
scimus ex verbo Euangelij, quàm post agnitio-
nem retrò conuerti à sancto mandato. Nam qui
eiusmodi sunt, ijs contingit illud veri prouerbij,
Prou. 26. Canis reuersus ad suum vomitum: &, Sus lota in
volutabro luti. Quod à nobis prohibeat Chri-
stus Iesus, Deus ac Dominus noster, qui cum Pa-
tre & spiritu sancto viuit & regnat in secula secu
lorum, AMEN.

DOMINICA QVARTA POST PASCHA,

Ioan. XVI.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Vado ad eum qui me misit, & nemo ex uobis interrogat me, Quò uadis? Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

Sicut ex lectione euangelica fratres audiuim⁹, Dominus & redẽptor no-
ster imminente suæ passionis articu
lo, discipulis & gloriam ascensionis, qua ipse post mortem & resurrectionem erat cla
rificandus, & aduentum spiritus sancti, quo illi
erant illustrandi, patefecit: quatenùs instante ho
ra passionis eiusdem, minùs pro illius morte do-
lerent, quem post mortem ad cælos subleuan-
dum non dubitarent: minùs de sua desolatione
trepidarent, quos, abeunte licet Domino, spiri-
tussancti gratia consolandos esse sperarent. *Vado,*
inquit, ad eum qui misit me, & nemo ex uobis interrogat
me, Quò uadis? Ac si apertè dicat: Reuertor ascen-
dẽdo ad eũ, qui me incarnari constituit, & tanta
tamque manifesta erit eiusdem ascensionis cla-
ritas, vt nemini vestrum opus sit interrogare
quò vadam, videntibus cunctis, quia ad cælos
pergam. Benè autem, quum de ascensione sua
dixisset, Vado ad eum qui me misit, addidit: Et
nemo ex vobis interrogat me, Quò vadis? Su-
periùs nanq; cùm de sua passione protestaretur,
dicens: Quò ego vado, vos non potestis venire, Ioan. 13.
interrogauit eum Petrus, & ait: Domine, quò
vadis? respõsumque est ei: Quo ego vado, non
potes me modò sequi: sequeris autem postea.
quia nimirùm passionis mortisque eius myste-
rium necdum intelligere, necdum poterant imi-
tari: maiestatem verò ascensionis statim vt vide-
runt, cognouerunt, totisque animi votis, vt sequi
mererentur, optabant. *Sed quia hæc locutus sum uo-*
bis, tristitia implcuit cor uestrum. Sciebat Dominus
ipse, quid hæc sua verba in discipulorum cordi-
bus agerent, quia videlicet tristitiam magis de
abscessu quo eos desereret, quàm de ascensu
quo patrem peteret, lætitiam generarent. Vnde
benignè consolando subiunxit: *Sed ego ueritatem*
dico uobis, expedit uobis ut ego uadam. Expedit vobis,
vt forma serui vestris subtrahatur aspectibus,
quatenùs amor diuinitatis arctiùs vestris figatur
in mentibus. Expedit vt notam vobis formam
cælo inferam, quatenùs maiori per hoc deside-
rio illuc suspiretis, sicque suspensis ad superna
cordibus vestris, ad accipienda iam spiritussan-
cti dona capaces fiatis. *Si enim non abiero, paracletus*
non ueniet ad uos: si autem abiero, mittam eum ad uos. Nõ
quia non poterat ipse in terra positus dare spiri-
tum discipulis, hæc loquitur, (cùm apertè lega- Ioan. 20.
tur, quia post resurrectionem apparens eis, in-
sufflauit & dixit eis, Accipite spiritum sanctum)
sed quia ipso in terra posito, & corporaliter con
uersante cum eis, non valebant illi erigere men-
tem ad sitienda munera gratiæ cælestis. Ascen-
dente autem ipso ad cælos, & ipsi pariter omne
desiderium suum illò transferebant, iuxta hoc Matth. 6.
quod alibi audierunt: Vbi est thesaurus tuus,
ibi & cor tuum erit. Ideoq; capaces spiritus iam
facti erant, non vltrà de morte eius contristati,
sed de promissionis eius munere lętati, Luca at- Luc. 24.
testante, qui ait: Et factum est dum benedice-
ret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum. Et
ipsi adorantes, regressi sunt in Hierusalem cum
gaudio magno: & erant semper in templo, lau-

Universidad de Deusto

dantes & benedicentes Dominum. Patet autem, nec laboriosa expositione indiget, cur eundem spiritum paracletum, id est, consolatorem cognominet, quia nimirùm corda discipulorum, quæ recessus ipsius mœsta reddidisset, huius consolaretur & recrearet aduentus. Sed & singulis quibusque fidelium vel de peccati perpetratione mœrentibus, vel communi seculi huius afflictione laborantibus, dum spem veniæ & misericordiæ cælestis inspirat, profectò ab angore tristitiæ mentẽ eorũ illustrando subleuat. Quia verò spiritus idem menti quam replet, non solũ vim diuinæ charitatis infũdit interiùs, verũ etiã carnali timore depulso, ad increpandam prauitatem malorum foris fiducium præstat, rectè subditur: *Et cùm uenerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio.* Claret nanq; quòd ipse Dei filius Dominus noster Iesus Christus, cùm esset in mundo, arguebat mundum, id est, sectatores mundi de peccato suæ incredulitatis: arguebat de iustitia, quia videlicet iustitiam fidelium nolent imitari: arguebat de iudicio, quarè videlicet diabolũ, qui iam iudicatus ac condẽnatus erat, sequerentur. Sed non sine causa spiritũ, cùm venerit, hoc idem dicit acturũ: quia profectò per huius inspirationẽ corroborandus erat animus discipulorum, ne mundum, qui contra se fremebat, arguere timerent. Exponens ergo sententiã suam Dominus, adiunxit: *De peccato quidem, quia non crediderunt in me.* Peccatum incredulitatis quasi speciale posuit, quia sicut fides origo est virtutum, ita solidamentum est vitiorũ in incredulitate perstere, Domino terribiliter attestante, qui ait: Qui aũt nõ credit, iam iudicatus est, quia nõ credit in nomine vnigeniti filij Dei. At cõtrà, Iustus ex fide viuit. *De iustitia uerò, quia ad patrem uado, & iam non uidebitis me.* Iustitia discipulorum Christi erat, quòd Dominũ, quem verũ hominem cernebant, verum quoq; filium Dei esse crediderũt: & quem sibi corporaliter ablatum nouerant, certo semper amore colebant. Iustitia cæterorũ fidelium, id est, eorum qui Dominum in carne nõ viderunt, hæc est, quòd eum quem corporali intuitu nunquam viderunt, Deum & hominem verũ corde credũt ac diligũt. De qua profectò iustitia fidei arguuntur infideles, cur ipsi videlicet cũ similiter verbũ vitæ audirent, crederet ad iustitiam. Neq; enim nequitia malorum ex sua solum tortitudine, verũ etiam ex comparatione rectorum, quàm sit damnanda, monstratur. Hinc enim scriptum est: Probata autem virtus corripit insipientes. Arguit ergo mundum spiritus sanctus de peccato suo, quia non crediderit in Christum: arguit & de iustitia credentium, quia exemplum eorum sequi noluerit, qui hunc ad patrem ascendisse, neque vltrà corporaliter in terris conuersaturum esse sciebant, nec tamen ab eius dilectione poterant vlla ratione separari. Hoc est enim, quod ait: Quia ad patrem vado, & iam non videbitis me. Non videritis me post quàm ascendero, qualem nunc videre soletis, carne mortali & corruptibili circundatum, sed in maiestate ad iudicium venientem, & peracto iudicio, in maiori gloria sanctis apparentem. Sequitur: *De iudicio autem, quia princeps mundi huius iudicatus est.* Principem mundi diabolum dicit, quia principatur eis, qui ordine peruerso mundum potiùs quàm mundi conditorem diligunt. Qui iudicatus est à Domino, qui ait: Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem. Iudicatus est ab eo, cùm & ipse demonia eijceret, & discipulis daret potestatem calcandi super omnem virtutem inimici. Arguitur itaque mũdus de iudicio, quo diabolus est iudicatus, quando homines ne Dei voluntati resistere præsumant, exemplo damnati propter superbiam terrentur archangeli. Arguit mundum spiritus sanctus de iudico, quo princeps mundi iudicatus est, cùm loquens in spiritu sancto Iudas Apostolus, ad corrigendam hominum praua eorum nequitiam, pœnam superbientium commemorat angelorum, dicens: Angelos verò, qui non seruauerunt suum principatum, sed reliquerunt suum domicilium, in iudicium magni Dei vinculis æternis sub caligine reseruauit. Sequitur: *Adhuc multa habeo uobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm autem uenerit ille spiritus ueritatis, docebit uos omnem ueritatem.* Certum est quidem, quia veniente desuper spiritu, Apostoli maiorem multò scientiam veritatis, quàm carnales eatenùs potuere, consecuti sunt, maiori desiderio certandi pro veritate succensi sunt. Non tamen putandum est, in hac vita quempiam omnem veritatem posse comprehendere, cùm hæc fidei nostræ merces in alia sit vita promissa, ipsa veritate dicente: Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Et alibi ad Iudæos: Si manseritis in verbo meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatẽ. Vnde & apostolus, qui ad tertium cælum raptus, audiuit arcana verba, quæ non licebat homini loqui: Ex parte, inquit, cognoscimus, & ex parte prophetamus. Intelligendum est ergo quod ait de spiritu, Docebit vos omnem veritatem, quasi diceret: Diffundetin vestris cordibus charitatem, cuius magistrio intùs edocti, proficiatis de virtute in virtutẽ, digniq́ue efficiamini peruenire ad vitam, in qua vobis & æterna claritas summæ veritatis, & veræ sublimitatis, id est, contemplatio vestri conditoris appareat. *Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur.* Non loquitur spiritus à semetipso, id est, sine patris & filij communione. Neque enim diuisus ac separatus est spiritus: sed quæcunque audiet loquetur. Audiet videlicet per vnitatem substantiæ, & proprietatem scientiæ. Non loquitur à semetipso, quia non est à semetipso. Pater quippe solus de alio non est. Nam & filius de patre natus est, & spiritus sanctus de patre procedit. Ab ipso autẽ audiet spiritus sanctus,

Spiritus sanctus cur dictus paracletus.

Ioan. 3.
Habac. 2.

Iustitia discipulorũ Christi.

Iustitia fidelium.

Sap. 1.

Principes mundi, diabolus.

Luc. 10.

Ibidem.

1. Cor. 13.

Spiritus sanctus ut Christum clarificaret.

Actor. 4.

Spiritus quæcunque audiet, loquetur.

ut non loquatur à semetipso.

ctus, à quo procedit: quia non est à seipso, sed ab illo à quo procedit. A quo est illi essentia, ab illo vtique & scientia. Ab illo igitur audientia, quod nihil est aliud quàm scientia. Quod verò adiunxit: *Et quæ uentura sunt, annunciabit uobis*: constat innumeros fidelium per donum sancti spiritus prænouisse ac prædixisse ventura. Sed quia sunt nonnulli, qui spiritus gratia pleni infirmos curant, mortuos suscitant, dæmonibus imperant, multis virtutibus coruscant, ipsi angelicam in terris vitam gerunt, nec tamen quæ sibi sunt ventura, spiritus eiusdem reuelatione cognoscunt: potest hic Domini sermo etiam sic accipi: Quia spiritus adueniens, quæ ventura sunt nobis annunciat, cùm gaudia nobis patriæ cælestis ad memoriam reducit, cùm festa illa supernæ ciuitatis per donum nobis suæ adspirationis innotescit. Ventura nobis annunciat, cùm nos à delectatione præsentium abstrahens, promissi in cælis regni desiderijs inflammat. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit uobis.* Spiritus clarificauit Christum, quia per eum tanta charitas in cordibus discipulorum accensa est, vt abiecto timore carnali, effectum resurrectionis eius constantes prædicarent, à quo tempore passionis pauidi fugerant. Vnde scriptum est: Et repleti sunt omnes spiritusancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia. Spiritus clarificauit Christũ, cùm impleti gratia spirituali doctores sancti, tot & tanta miracula in nomine Christi fecerunt, quibus orbem totum ad fidẽ Christi conuerterunt: tot ac tanta pro Christi nomine passionum certamina pertulerunt, donec ipsa etiam superborum colla persecutorum suauissimo Christi iugo submitterent. Spiritus clarificat Christum, cùm sua nos inspiratione ad diligendam eius visionem accẽdit, cùm illum patri in diuinitate æqualem esse credendum, fidelium cordibus intimat. *Quia de meo, inquit, accipiet, & annunciabit uobis.* De patre accipit spiritus sanctus, vnde accipit & filius, quia de hac trinitate de patre natus est filius, de patre procedit spiritus sanctus. Qui autẽ de nullo natus est, de nullo procedat, pater est solus. *Omnia quæcunq; habet pater, mea sunt: propterea dixi, Quia de meo accipiet, & annunciabit uobis.* De his dixit, quæ ad ipsam patris diuinitatem pertinent, in quibus illi est æqualis, omnia quæ habet pater, habendo. Neque enim spiritus sanctus de creatura, quæ patri est subiecta & filio, erat accepturus quod ait, De meo accipiet, sed vtique de patre, de quo procedit spiritus, de quo natus est & filius. Sed quia donante Domino, lectioné sancti euãgelij, patrum vestigia sequentes, exponendo transcurrimus, restat vestrã fraternitatem, charissimi, mecum pariter admonere, vt eius memoriam solicita semper intentione seruemus, eius suauitatem & deuoto pectore seruemur, & casto sæpiùs ore ruminemus. Quid enim prodest ad audiendum Dei verbum conuenire, & expleto auditu ad inania mox & secularia colloquia vel acta conuerti? Recolamus ergo, iuxta quod eadem admonet lectio, quia Dominus noster expleta passione redijt ad patrem, à quo missus est, nec patrem cùm ad nos veniret, nec nos deserens cùm rediret. Illuc eius vestigia toto mentis nisu sectemur: & vt illò peruenire, & illius regni ianuam mereamur intrare, perpendamus magnopere, quibus actionum gressibus in terris degens incesserit. Qui enim dicit se in Christo manere, debet sicut ipse ambulauit, & ipse ambulare. Certè ipse per agones passionum ad coronam peruenit gloriæ. Meritò ergo intimatur & nobis, quia per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Vnde & apostolus Petrus, obsessis feruore tentationum quibusdam fratribus, consolans aiebat: Nolite pauere, quasi noui aliquid vobis contingat: sed communicantes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Reuocemus ad mentem, quia gratiam spiritus discipulis & se missurum esse promisit, & misit: & curemus omni vigilantia, ne cogitationibus illecebrosis contristemus spiritum sanctum Dei, in quo signati sumus in die redemptionis. Sic enim scriptum est: Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu. Vnde prouidè Psalmista, cùm huius spiritus accipiendi desiderio flagraret, priùs cordis mundi hospitium, in quo hunc recipere posset, & sic demùm tanti hospitis ingressum quærebat: Cor mundum, inquit, crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Priùs quippe cor mundum in se creari, ac deinde spiritum rectum in suis visceribus precabatur innouari: quia vtique sciebat spiritum rectum in corde polluto sedem habere non posse. Retineamus sedulo corde, quia idem spiritus arguit mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. Caueamus ne ima quęrendo, ad mundũ pertineamus, quia mundus transibit, & concupiscentia eius. Quæ sursùm sunt quæramus, quæ sursùm sunt sapiamus, vbi Christus est in dextera Dei sedens. Conuersationem nostram cum Apostolo habeamus in cælis, & ne de peccato incredulitatis arguamur, exerceamus operando quod credimus. fides enim sine operibus ociosa est. Ne ex comparatione iustorum, quos imitari noluerimus, acriùs iudicemur, solerti animo memoremus, quod de contemptoribus suæ gratiæ Dominus ait: Regina austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis: & ecce plus quàm Salomon hic. Ne cum mũdi principe damnemur, restam illi fortes in fide, & fugiet à nobis. Loquamur veritatẽ in corde nostro, nec faciamus dolũ in lingua nostra, vt spiritus veritatis magis magisq; diffundẽdo charitatẽ in cordibus nostris,

1. Ioan. 2.

Actor. 14.

1. Pet. 4.

Ephes. 4.

Sap. 1.

psal. 50.

1. Ioan. 2.

Coloss. 3.

Philip. 3.

Iac. 2.

Luc. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ducat nos in agnitionẽ omnis veritatis. Huius ſpiritus gratiam in cunctis actibus noſtris, chariſsimi, huius precemur auxilium. Dicamus ſinguli
Pſal. 124. Domino, dicamus omnes: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Sicq; fit, vt qui apoſtolis ſuperueniẽs, ea quæ ventura erant annũciauit, noſtris quoque mentibus venturæ vitæ gaudia patefaciat, nos adhæc inquirenda benignus incendat, cooperante ipſo, qui hunc & polliceri ſuis fidelibus & dare conſueuit, Ieſu Chriſto Domino noſtro, qui viuit & regnat cum patre in vnitate eiuſdem ſpiritus ſancti, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

EODEM DIE HOMILIA EVSEBII Emeſeni.

Vado ad eum qui miſit me, et nemo ex uobis interrogat me, Quò uadis? & c. Ioan 16.

DIXerat ſuperiùs beatus Petrus: Domine, quò vadis? ſed iam nunc eius ſermonibus oẽs edocti & inſtructi, nemo eum interrogat quò vadit, quoniam certiſsimè ſciunt, quia ad patrẽ vadit. Vt quid enim interrogarent quod ſciebant, & vnde non dubitabant. *Sed quia hæc locutus ſum uobis, triſtitia impleuit cor uestrum.* Videbat enim eos contriſtatos de receſſu ſuo, quem modò audierunt & cognouerunt in ſermone ſuo. Quis enim non doleret à tali, tam bono, tam dulci, tamq; ſuaui Domino ſeparari? *Sed ego ueritatem dico uobis, Expedit uobis ut ego uadam.* Quid enim veritas, niſi veritatem dicere poteſt? Dicit igitur hoc non tantùm ſermonẽ ſuum confirmando, quantùm illorũ corda conſolãdo. *Si enim non abiero, paracletus non ueniet ad uos: ſi autem abiero, mittam eum ad uos.* Quanuis enim &
Sap. 1. ibi & vbiq; ſpiritus paracletus erat, (ſiquidẽ ſpiritus Domini repleuit orbem terrarum) aliter tamen venturus erat. Sic enim ante tempora prædeſtinatum fuerat, vt priùs Dei filius de virgine naſceretur, moreretur, reſurgeret, cælos aſcenderet, & ſic tandem Spũm ſanctum conſolandis diſcipulis mitteret: ſic erat diſpoſitum, ſic præfinitum, & aliter venire non poterat. *Et cùm uenerit, ille arguet mũdum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio.* Hoc aũt exponit. *De peccato quidem, quia non credunt in me: de iuſtitia uerò, quia ad patrem uado, & iam non uidebitis me: de iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus eſt:* Ecce tibi appoſuit, in quibus Spiritus ſanctus mundũ redarguit: de quibus ipſe quoq; Dei filius eũ priùs redarguerat. Tale eſt ac ſi diceret: Ego quidẽ ad patrem vado, ſed ſpũm vobis paracletũ mitto, qui mea vice vos doceat, cõfirmet, & corroboret, qui in vobis & per vos lo-

Spiritus ſanctus per apoſtolos arguit mundum.

quatur, & per vos arguat mundũ de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio: de peccato quidẽ infidelitatis, quia nõ credũt in me, & qui non credunt in me, iuſtitiã non operantur: & ideò arguet eos ſpũs ſanctus etiã de iuſtitia. Sed quare ipſe vice mea, & nõ ego per meipſum? Quia ego ad patrẽ vado, & iam non videbitis me. Ipſe enim hanc redargutionẽ facere poterat, niſi quia ſecũdum carnem cælos aſcendebat, & quia corporaliter in hoc mundo vlteriùs non manebat. Et nõ ſolùm de peccato, & de iuſtitia, verùm etiam de iudicio arguet mundum ſpũs ſanctus. De quo iudicio? De illo quidem, de quo ſuperiùs ait: Núc iu- Ioan. 12.
dicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Vnde & benè hic dicitur: De iudicio quidem, quia princeps huius mundi iam iudicatus eſt, id eſt, foras eiectus eſt. De tali nãq; iudicio ait pſalmiſta: Iudica Domine iudiciũ meũ & cauſam meã. Itemq; : Iudica iudiciũ Pſalm. 118
meũ, & redime me. Qd̃ eſt iudiciũ mũdi niſi redemptio mundi? Quod eſt iudiciũ mũdi, niſi iudiciũ in quo iudicatur, dãnatur, & de cordibus fideliũ eijcitur princeps mundi? De hoc igitur iudicio arguitur mũdus, quia tanti beneficij ingratus, adhuc ſequitur principẽ mũdi. Arguitur ergo mundus de peccato, quia in Chriſtũ credere noluit. Arguitur & de iuſtitia, quã eo docẽte audiuit, & ſeruare noluit. Arguitur & de iudicio, quo princeps mundi eſt dãnatus, & mundus ipſe liberatus: ſed tãti beneficij ingratus, nondũ Chriſtũ ſequitur ſuæ ſalutis authorẽ, ſed potiùs diabolũ deceptorẽ. Poteſt aũt & ſic intelligi qd̃ ait: Ipſe arguet mundũ de peccato, & de iuſtitia, & iudicio. Ac ſi diceret: Ipſe arguet mundũ de peccato ſuo, & de iuſtitia mea, & de iudicio ſuæ pra-
uæ electionis. De peccato quidẽ, quia nõ credũt Ioan. 15.
in me. Si enim nõ veniſſem & loquutus eis fuiſſem, peccatũ nõ haberẽt: nũc aũt excuſationem nõ habẽt de peccato. Arguet aũt mundũ & de iuſtitia mea, quã ego quidẽ tunc habebã, cùm me Dei filiũ eſſe dicebã. Ille verò cõtrà iniuſtè clamabãt: Secũdùm legẽ debet mori, quia filiũ Dei Ioan. 19.
ſe fecit. Hæc aũt mea iuſtitia nunc manifeſtabitur, quia ecce ego nunc ad patrẽ vado, & iam nõ videbitis me. Neq; enim ad eum quaſi ad patrẽ ire potuiſſẽ, ſi eius filius nõ fuiſſem. Etalij quidẽ omnes ibunt ad eum quaſi ad Dominum, ſolus filius iuit ad eum quaſi ad patrem. Arguet prætereà ſpiritus ſanctus mundum de iudicio prauæ ſuæ electionis, quo videlicet iudicio mundi principi (qui iam & damnatus & iudicatus eſt) ſeruire elegit, & me ſuæ ſalutis authorem damnauit, & reprobauit. Sequitur: *Adhuc multa habeo uobis dicere, ſed non poteſtis portare modò. Cùm autem uenerit ille ſpiritus ueritatis docebit uos omnem veritatem.* Multa (inquit) iam dixi vobis, multa habeo dicere adhuc vobis: quæ ideò non poteſtis portare modò, quia illam tantam mei ſpiritus plenitudinem nondùm vobis infundere volo. Quare? Vt omnia ſuo tempore fiant, vt priùs cæ-

los

Ioel. 2. Ios aſcendam, & tunc tandem effundam de ſpiri-
meo ſuper oẽm carnem, & prophetabunt. Cùm
Spiritus veritatis. aũt venerit ille ſpiritus veritatis, qui nihil docet niſi veritatem, de quibuſcunq; rebus vos docuerit, ſine alicuius falſitatis admixtione, integram & perfectam omnemq́ue veritatem vos docebit. Et propter hoc quidem, quia ſpiritus docet oẽm veritatẽ, Dominus & Saluator noſter de ſpiritu ſancto dicere videtur, q̃ omne peccatum & blaſ-
Matt. 12. phemia remittetur: ſpiritus aũt blaſphemiæ non remittetur. Et quicunq; peccauerit in filium hominis, dimittetur ei: qui aũt peccauerit in ſpiritũ ſanctũ, non dimittetur ei neq; in hoc ſeculo, neq;
Vnum peccatum irremiſſibile in futuro. Vnum igitur peccatum eſt, & præter ip-
ſum nullum aliud eſt, quod hominibus nõ dimittatur. Hoc aũt eſt, veritati credere nolle. Ideò enim pereunt Iudæi & pagani, quia veritati credere nolunt. Quicunq; igitur eſt, qui vult vt dimittantur ei peccata ſua, credat veritati: & ſi Chriſtianus non eſt, conuertatur ad fidem & baptizetur.
Marc. 16. Hoc enim veritas dicit, Quia qui non crediderit, condemnabitur. Si verò Chriſtianus eſt, credat veritati, recedat à peccato, pœniteat & dimittetur ei peccatum. Dicit propheta de ſpiritu ſan-
Pſal. 94. cto: Hodiè ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Dicit & Apoſtolus per ſpiritũ
Rom. 2. ſanctum: Secundùm duritiam autem tuam & cor impœnitens theſaurizas tibi iram in die irę & reuelationis iuſti iudicij Dei. Hoc autem verum eſt, & omninò verum eſt, cui veritati quicunque indurato corde credere noluerit, non dimittetur ei neque in hoc ſeculo, neque in futuro. Sicut autem proprium eſt filio carnem ſuſcepiſſe, & mundum à morte perpetua ſuo ſanguine liberaſſe: ita & ſpiritui ſancto propriè pertinere videtur, vtà patre filioq́; procedens, per Apoſtolos Eccleſię; doctores oẽm veritatem doceat & prædicet. Vn-
Matt. 10. de & Dominus ait: Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis. Quanuis igitur in totam Trinitatem peccet,
In ſpiritũ S. propriè quis peccet. quicunq; in vnam de tribus perſonis peccat: tamen propriè in ſpiritum ſanctum peccare videtur, quicunq; veritati non credens, eius doctrinæ & magiſterio contradicit. Sequitur: *Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunq; audiet loquetur, & quæ uentura ſunt, annunciabit uobis.* Sic enim & de ſeipſo Do-
Ioan. 14. minus ait: Ego à meipſo non loquor. Itemq; : &
Ibidem. ſermonem quem audiſtis non eſt meus, ſed eius qui miſit me. Quod quidem, ſicut ſuperiùs, tale eſt, ac ſi diceret: Ego non ſum à meipſo. Pater enim à nullo, filius à patre, ſpiritus verò ſanctus, à patre filioq́; procedit. Non igitur loquitur à ſe-
Ioan. 3. metipſo, quia non eſt à ſemetipſo: quia ſpiritus vbi vult ſpirat, ſed non tantùm à ſemetipſo, quia non eſt à ſemetipſo, quia vnum ſunt pater & filius cum ipſo. Tres igitur in vno loquuntur, quia tres vnum ſunt. Dicatur ergo: *Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunq; audiet loquetur.* Quid eſt, *Audiet?* Neq; enim intelligendum eſt, vt in illa Trinitate inuiſibili vocalis aliqua & clamoſa colloquutio

fiat. In eo ergo ſe audiunt, quo idem ſciunt & volunt. Loquetur igitur ſpiritus ſanctus, quæcunq; patrem & filium velle cognoſcet. Sicut enim voluntas communis eſt, ſic & auditus. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet & annunciabit uobis.* Et hoc exponit: *Omnia quæcunq; habet pater, mea ſunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit uobis.* Ille me (inquit) clarificabit, id eſt, meam claritatem vobis reuelabit, & per vos multis alijs me Dei eſſe filium manifeſtabit: & hoc ideò, quia de meo accipiet. Si enim ſpiritus ſanctus accipit de his quæ patris ſunt, accipit vtiq; de his quæ ſunt filij, quoniam omnia quęcunq; habet pater, filij ſunt. Eſt igitur ſpiritus ſanctus, ſpiritus filij: ſiquidem eſt ſpiritus patris. Pater enim ad filium refertur, & filius ad patrem. Spiritus verò ſanctus ad patrem & ad filium. Sed ad ſpiritum ſanctum nihil refertur. Eſt enim pater, filij pater: & filius, patris filius. Spiritus verò ſanctus, ſpiritus eſt & patris & filij. Sed neq; pater, ſpiritus eſt pater: neq; filius, ſancti ſpiritus filius eſt. Nihil igitur refertur ad ſpiritũ ſanctum. Quoniam aũt & ſpiritus ſanctus, & patris & filij ſpiritus eſt, vnde habet eſſe, inde habet & ſapientem & veracem eſſe. Quod enim eſt eſſe ei, hoc eſt ei ſapientem & veracem eſſe, & ſimilia. eſt enim ſpiritus ſapientiæ & intellectus, eſt & ſpiritus omnis veritatis. Sed hoc de patre filioq́; habet & accipit. Et hoc eſt, vnde Dominus ait: Quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Hæc autem quoniam omnium trium communia ſunt, & ſubſtantialiter communia, poterat dixiſſe Dominus, ſi voluiſſet, Quia de meo & de ſuo accipiet, & annunciabit vobis. Nam & filius quando prædicabat, & de ſuo, & de his quæ patris & ſpiritus ſancti ſunt, accipiebat, quoniam vna eſt ſapientia & veritas omnium trium. Vnde & ipſe dicebat, Mea doctrina non eſt mea. Ioan. 7.

DOMINICA QVINTA POST PASCHA, in epiſtolam Concio exegetica.

ON ſine cauſa putanda eſt Eccleſia Dei, quę magiſtrum habet ſpiritum ſanctum, ita conſtituiſſe & ordinaſſe, vt Dominicis omnib⁹, quæ inter Paſcha & Pentecoſten occurrunt, ex Epiſtolis illis, quas Canonicas vocamus, lectiones recitentur. Ne enim perſuaſum haberent recens ad Chriſtum conuerſi, & baptiſmatis vndis expiati, (quod olim fiebat in Paſcha & Pentecoſte fieri) ad ſalutem ſufficere ſolã fidẽ, quæ opinio, teſte Auguſti- *Libr. de Fide & Operib. cap. 14.*
no, iã Apoſtolorũ tẽporibus exorta fuit, & contra eã Apoſtolicæ Epiſtolæ Petri, Ioãnis, Iacobi, Iudę vel maximè ſcriptæ ſunt, vt idem docet Auguſti-

nus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nus, ex ijſdem Epiſtolis lectiones propterea his diebus dominicis depromptæ videntur, vt nouerint recèns baptizati, quemadmodùm viuere debeant, nihilq; ambigant, vt hic ait Auguſtinus, ſi-

Ibid. dem ſine operibus nihil prodeſſe. Nam & D. Petrus, inquit idem Auguſtinus, ſciens de Apoſtoli Pauli quibuſdam ſubobſcuris ſententijs nonnul los iniquos accepiſſe occaſionem, vt tanquàm ſecuri de ſalute, quæ in fide eſt, benè viuere non cu-

2. Pet. 3. rarent, commemorauit quædam ad intelligendũ difficilima eſſe in Epiſtolis eius, quæ homines peruerterent, ſicut & alias ſcripturas, ad propriũ ſuum interitum: cùm tamẽ & ille Apoſtolus (Paulus) de ſalute æterna, quæ niſi benè viuentibus non daretur, eadem ſentiret quæ cæteri Apoſtoli. Ita Auguſtinus. Et nos igitur diligenter animũ aduertamus ad lectiones iſtas, præſertim quando hodiè per importunos homines rurſum ab inferis excitata eſt peruerſiſsima opinio, ſolam fidẽ ad ſalutem ſufficere, qua innumera hominũ millia iam perierunt, & plurimi in dies pereunt. Ho-

Iac. 1. diè ex Iacobo Apoſtolo lectio profertur: *Eſtote*, inquit, *factores uerbi, & non auditores tantùm, fallentes uoſmetipſos.* Eſt quidem laudandum eorum ſtudium, qui ſedulos ſe præbent verbi Dei auditores, adhibent operam vt poſsint ex ſacra cõcione vltrà progrediuntur, vt quod faciendum didicerint, opere exequi nitãtur, oleum & operam perdunt: & ij certè luculenter fallũt, & deludunt ſe-

Luc. 12. metipſos. Seruus enim qui cognouit voluntatem Domini ſui, & non fecit, plagis vapulabit multis.

Ioan. 13. Si hæc ſcitis, ait Dominus Ieſus, beati eritis, ſi fe-

Pſal. 102. ceritis ea. Et Propheta regius, Miſericordia, inquit, Domini ab æterno & vſq; in æternum ſuper timentes eum: & iuſtitia illius in filios filiorum, his qui ſeruant teſtamentũ eius: & memores ſunt mandatorum ipſius ad faciẽdum ea. Et id genus ſententijs ſcriptura diuina abundat, vt iã meritò hanc in curam vnicuiq; non fallaciter Chriſtiano incumbendum ſit, primò, vt ſedulò & diligenter audiat verbum Dei: deinde etiam illi congruenter viuat. Qui ſecus fecerit, ſibijpſi prorſus imponit. *Quia ſi quis auditor eſt uerbi, & non factor: hic comparabitur uiro conſideranti uultum nativitatis ſuæ in ſpeculo. Cõſiderauit enim ſe et abijt, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit.* Qui ſe in ſpeculo contemplatur, videre quidẽ poteſt nævos & maculas vultus ſui: ſed ſi id faciat perfunctoriè, nullo adhibito ſtudio corrigendi & abſtergendi maculas, manet qualis antè fuit. Sic etiam qui audiũt vel legunt verbũ Dei, haud dubiè cernunt & cognoſcunt vitia ſua: ſed ſi nulla adſit cura ea emendandi, manẽt in ſæcibus ſuis. Nemo igitur contentus ſit vel auſcultatione, vel lectione verbi Dei: ſed ſi nolit grauiùs inde condemnari, quod faciendum omittendum´ue didicit, vel faciat vel omittat. Piger ſeruus, qui vnum

Matth. 25 à Domino talẽtum acceperat, abiens fodit in terram, & eo nomine damnatus eſt, quia noluit ex talento operari. Ridiculum eſt, immò ſtultum & impium laborare vt ſcias quid ſcriptura diuina, id eſt, verbum Dei faciendum præſcribat, & tamen nolle facere quod illud præſcribit, ſed ſemper permanere in vita flagitioſa, quæ illi vel maximè aduerſa eſt. *Qui autem perſpexerit in lege perfectæ libertatis, & permanſerit in ea, non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit.* Legem perfectæ libertatis, inquit Beda, gratiam dicit Euangelij, nihil enim ad perfectum adduxit Lex. Hebr. 7.
Et alibi: Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis Rom. 8.
iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum. Et iterùm: Vbi enim ſpiritus Domini, ibi libertas. Et ipſe Dominus, Si vos, inquit, Ioan. 8.
filius liberauerit, verè liberi eritis. Hæc Beda.
Qui ergo Euangelium audiunt, quod eſt lex perfectæ libertatis, & in eo permanent, non contenti illud auditu percepiſſe, quod poſſunt etiam ſceleratiſsimi & perditiſsimi nebulones, ſed illi vitam moresq; ſuos ex animo accommodãt, quod meritò deberent omnes è religione Chriſtiani, ij iã beati ſunt, nõ ex Euangelij auſcultatione, ſed accurata & liberali executione. Sumus enim per peccatum miſerè deprauati, & nihil eſt boni in nobis ex nobiſpſis. Ex Euãgelio diſcimꝰ, quo pacto reformari debeamus: Chriſtus nobis & verbo & exemplo iter monſtrauit, quod amplecti nos oporteat, ſi ſanari velimus. Si qua ergo in nobis eſt cura ſempiternæ ſalutis noſtræ, obtemperemus conſilijs redẽptoris noſtri, eius iuſſa próptis animis capeſſamus: parum ſit nobis didiciſſe quid in Euangelio iuſſerit, etiam factis nos morigeros declaremus. Hoc nimirum & decet & declarat probè Chriſtianos. In libertatem à Domino Ieſu vocati ſumus, eam libertatem modis omnibus tueamur: id autem ita demùm conſequemur, ſi non ſimus verbi auditores obliuioſi, ſed factores operis: id eſt, ſi à vitijs deinceps ſeriò nobis caueamus, & Euangelio dignè viuamus.
Væ aũt impijs & perditis, qui Euãgelij gratiam ore iactitant, & tamen eam ipſam gratiam ſceleratè viuendo contemnunt & profligant. *Si quis autem putat ſe religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, huius uana eſt religio.* Monuerat ſuprà, ait Beda, verbum Dei no ſolùm audire, ſed & facere: nunc addit, quia etſi quis mandata Domini, quæ didicit, factis exercere videtur, ſi non etiam linguam à detractionibus, mẽdacijs, blaſphemijs, ſtultiloquijs, ab ipſo etiã multiloquio, cæteriſq; quibus peccare ſolet, refrænauerit, fruſtrà ſe de operũ iuſtitia iactat. Hæc ille. Peccatũ quod per linguam admittitur, inquit Magnus ille Baſilius, In Pſal. 33.
omnium ferè ꝓpenſiſsimum, ſed & idem multiforme. Iratus es? mox lingua occurrit. Concupiſcentia teneris? Habes & hic linguam ante omnia Lingua q̃ ferax
quaſi lenam & conciliatricem, quæ cooperetur peccato, quæ per ſimulationem proximis impo- iutiorum.
nat. Eſt tibi lingua quoq; vice ſcuti ad iniquitatem, cùm non ex corde loquitur, ſed ea ꝓmit, quæ ad fraudem & impoſturam faciunt. Denique quid opus commemorare, quæ per linguam

guam peccentur? Vita noſtra referta eſt linguæ delictis, turpiloquio, vrbanitate, ſtultiloquio, & quæ non conueniunt, detractione, otioſo ſermone, periurio, falſis teſtimonijs. Hæc mala omnia, & adhuc illis plura, ſunt linguæ opera. Qui verò aduerſùs Dei gloriam os aperiunt, & imquitatem in excelſum loquuntur, alio´ne aliquo, quàm linguæ organo impietatem ſuam perficiunt? Quoniam igitur ex tuis verbis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis, prohibe linguam tuam à malo, nec vana mendacíque lingua iram tibi theſaurizabis. Hæc Baſilius. In lubrico poſita eſt lingua, & difficilè poteſt cor peccatis, qui linguæ neſcit frænum injicere. Nec poteſt ſanè religioſus iure appellari, qui linguæ laxat habenas, quæ nobis propterea data eſt, vt ea Deum laudemus, & proximos verbis vtilibus & ſalutaribus ad Deum trahamus.

Matt. 12.

Lingua cur homini data.

Pſalm. 38. Dixi, Cuſtodiam vias meas, ait regius propheta, vt non delinquam in lingua mea: idemque ſic orat Deum: Pone Domine cuſtodiam

Pſal. 140 ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis.
Quare hoc? Quia nouerat, quàm difficile ſit inter loquendum immunem ſe ſeruare à peccato. Quòd ſi etiam ſancti viri tam ſunt ſoliciti cuſtodes oris ſui, quàm ſolicitos eſſe oportet homines in vitia pronos? Certè procax loquacitas etiam vitioſis alioquì hominibus moleſta & inuiſa eſt in alijs: contrà verò, verecunda & prudens taciturnitas multam apud omnes gratiam meretur. Simus ergo memores futuri iudicij, vitæ præſentis incredibili celeritate continenter præterfluentis breuitatem accuratè penſitemus, & ita erimus linguæ frænandæ ſtudioſi. Sapienter nos admonet Sapiens, immò per

Prou. 21. illum Spiritus ſanctus, dum ait: Qui cuſtodit os ſuum & linguam ſuam, cuſtodit ab anguſtijs animam ſuam. Nam qui ſuo ori non inuigilant, ſed effutiunt quicquid in buccam venit, innumeris ſeſe peccatis obſtringunt, quæ plerunque tamen etiam ipſi præ cordis cæcitate non aduertunt. At vbi ventum erit ad extrema, cordis oculi aperientur, & aderunt dæmones, dictaque omnia nobis procaciſsimè ob oculos reuocabunt, & in ſummas nos anguſtias adducent: quæ res pleroſque ſolet in deſperationem adducere, eos præſertim, qui iã ſalutis ſuæ incurioſi viuunt, & frænandæ linguæ nullam nauant operam. *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc eſt, viſitare pupillos & uiduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo.* Quia dixerat factorem operis, inquit Beda, beatum in facto ſuo futurum, nunc quæ facta maximè Deo placeant dicit, miſericordia ſcilicet & innocentia. Nanque in eo, quòd pupillos & viduas in tribulatione eorum viſitare iuſsit, cuncta quæ ergo proximum miſericorditer agere debeamus inſinuat. Quod quantùm valeat, ipſo iudicij tempore pandetur, vbi dicturus eſt iudex: Quandiù feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Porrò in eo, quòd immaculatos nos ab hoc ſeculo cuſtodire præcipit, vniuerſa in quibus noſipſos caſtos ſeruare decet, oſtendit: in quibus ſunt ea, quæ ſupra obſeruare monuerat, vt tardi ſimus ad loquendũ, & tardi ad iram.

Matth. 25

Hæc Beda. Totius Chriſtianæ religionis ſumma eſt, declinare à malo & facere bonum. Hæc duo paucis comprehendit hic Iacobus Apoſtolus, dum hortatur ad opera miſericordiæ, & ad linguæ refrænationem, atque vt immaculatos nos ſeruemus ab hoc ſeculo, id eſt, à concupiſcentia carnis & oculorum, vitæque ſuperbia, quibus plenus eſt mundus, & ex quibus tanquam fontibus reliqua vitia omnia promanant. Hinc ergo poſſumus probè Chriſtianos à pſeudochriſtianis internoſcere. Multi habent Chriſtum in ore, iactant Euangelij gratiam, ſe Chriſti ſanguine redemptos prædicant, ſed moribus ſuis Chriſtũ ipſum & eius gratiam impugnant. Horum certè impura eſt religio & cultus Deo inuiſus. Vult Chriſtus, vt ſuis inſiſtamus veſtigijs, ſimus humani & benigni in proximos, præſertim inopes, afflictos, ac noſtri indigos, ſeruemus nos immunes à vitijs & flagitijs, cum quibus nihil commercij habere poteſt gratia & libertas Euangelij, mundi huius prauas cupiditates, faſtum, ambitionem fugiamus: Hæc qui faciunt, eos iure dixeris Chriſtianos: qui autem planè diuerſo gradiuntur itinere, à Chriſto alienos eſſe non dubites, quantumuis Chriſti fidem & Euangelium iactitent. Chriſti religio munda & immaculata non tam oris iactatione, quàm vitæ innocentia, bonorum operum ſtudio, mundi huius & voluptatum omnium contemptu declaranda eſt. Audi veritatem ipſam, quæ nec fallit, nec fallitur: Non omnis, inquit, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: ſed qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum. Multi mihi dicent in illa die, Domine Domine, non´ne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, Quia nunquam noui vos: diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. Nihil ergo fides prodeſt, nihil Euangelij buccinatio, nihil miracula, ſi te interim præſtes mancipium peccati & iniquitatis. Chriſtianam religionem iactitas? fac eluceat in factis & moribus tuis: ſis miſericors & pius in miſeros, diligenter exerceas te in charitatis & pietatis operibus, ſtude humilitati, manſuetudini, temperantiæ, iuſtitiæ, ſobrietati, pudicitiæ & virtutibus omnibus, & immaculatum te cuſtodi ab hoc ſeculo, id eſt, ſeculi vitijs omnibus: ita demum

Matt. 7.

Summa religionis Chriſtianæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ita demum constare poterit, non vanam, sed puram & immaculatã esse religionem tuam: quam omnibus nobis largiatur Christus Deus ac Dominus noster, Amen.

DOMINICA QVINTA POST PASCHA.

Ioannis XVI.

In illo tempore: Dixit Iesus Discipulis suis: Amen amen dico uobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Vsque modò non petistis quicquam in nomine meo. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presby.

POtest mouere infirmos auditores, quomodò in capite lectionis huius euangelicę discipulis saluator præmittat, Si quid, inquiens, petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis: cùm non solùm nostri similes, multa quæ patrem in Christi nomine videntur petere, non accipiant, verumetiam ipse Apostolus Paulus tertiò Dominum rogauerit, vt à se angelus satanæ, à quo tribulabatur, abscederet, nec impetrare potuerit. Sed huius motio quæstionis, antiqua iam patrum explanatione reserata est, qui veraciter intellexerunt, illos solummodò in nomine saluatoris petere, qui ea, quæ ad salutem perpetuam pertinent, petunt: ideoque Apostolũ nõ in nomine saluatoris petisse, vt tétatione careret, quam ob causam humilitatis accepe-rat: quia si hac caruisset, saluus esse non posset, ipso affirmante, cùm ait: Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet. Quotiescunque ergo petentes non exaudimur, ideò fit, quia vel contra auxilium nostræ salutis petimus, ac propterea à misericorde patre beneficij gratia nobis quod ineptè petimus negatur: quod eidem Apostolo Paulo contigisse probatur, cui ter petenti responsum est: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Vel vtilia quidem, & quæ ad veram salutem respiciunt petimus, sed ipsi malèviuendo, auditum à nobis iusti iudicis auertimus, incidentes in illud Salomonis: Qui auertit aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Vel dum pro peccantibus quibusdam vt resipiscant oramus, & si salubriter petimus, atque ex nostro merito digni sumus audiri, ipsorum tamen peruersitas ne impetremus obsistit. Fit etiam aliquando, vt salutaria prorsùs & precibus solicitis & deuotis quæramus actionibus, nec tamẽ statim quę petimus obtineamus, sed in futurum petitionis nostræ differatur effectus. sicut cùm genibus flexis quotidiè rogamus patrem, dicentes: Adueniat regnum tuum: idem tamen regnum nõ mox oratione finiat, sed tempore congruo sumus accepturi. Quod pia prouisione nostri conditoris constat actitari, vt videlicet desideria nostræ deuotionis dilatione crescant, & incremento quotidiano magis magisque prouecta, tandem perfectiùs capiant gaudia quæ requirunt. Inter quæ notandum, quia cùm pro peccantibus oramus, & si eorum saluationem impetrare nequimus, nequaquam tamen fructu precis nostræ priuamur: quia & si illi digni non sunt saluari, nos tamen amoris, quem illis impendimus, mercede donabimur, sicque in tali petitione implebitur nobis illa Domini promissio, qua ait: *Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis.* Intuendum enim, quia non ait simpliciter, Dabit, sed, Dabit, inquit, vobis: quia & si non eis, pro quibus petimus, dabit, nobis tamẽ cùm pro aliorum erratibus misericorditer interuenimus, præmium nostræ benignitatis restituet. Sequitur: *Vsque modò non petistis quicquam in nomine meo.* Non petierunt eatenùs in nomine saluatoris, quia dum ipsum saluatorem visibili præsentia complecterentur, minùs ad inuisibilia salutis dona mentis intuitum erexerant. Sed & nostra fragilitas patrem petens, nõ in nomine Iesu, id est, saluatoris petit, dum contra rationem suæ petit salutis: non, vt apostolorum simplicitas, corporali visu sui saluatoris ab æternæ salutis petitione retardata, sed obstaculo propriæ cupiditatis ab intuitu dominicæ voluntatis impedita. Quid autem principaliter petendum, ac sine vlla dubietate eis, qui fideliter in petendo perstiterint, sit sperandum à patre, Dominus subdendo manifestat, dicens: *Petite, & accipietis, ut gaudium uestrum sit plenum.* Ordo quippe sensus est: Petite, vt gaudium vestrum sit plenum, & accipietis. Plenum ergo gaudium, beatitudinem perpetuæ pacis appellat. Nam vt taceamus de gaudio reproborum, quo sibi luctum mercantur æternum, habent sancti etiam in præsenti gaudium de spe cælestium bonorum, cùm pro Domino terrenis exercentur aduersis, habẽt gaudium, quum amore fraternitatis suadente, discunt gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Sed non est plenum gaudium, quod fletu variãte misceatur. Plenũ quippe gaudium est, vbi nemine flente, cum solis datur gaudere gaudentibus. Aut itaq; Petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenũ, ac si patenter dicat: Non fluxa seculi gaudia, quæ & mœrore semper mixta, & certo fini obnoxia: sed illud singulare gaudium à patre petite, cuius plenitudo nullo cuiuslibet inquietudinis attactu minuitur, æternitas nullo vnquam termino dissoluitur. Si enim perstiteritis in petendo, proculdubiò quæ petitis, percipietis. De huius plenitudine gaudij Petrus fidelibus scribit, dicens: Credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata, reportantes finem fidei vestræ salutem animarum vestrarum. Petere autem huiusmodi gaudium, est, non verbis tantummodò patriæ cęlestis introitum flagitare, sed & digna operatione pro eius perceptione certare.

2. Cor. 12. — In Iesu nomine qui petant. — 2. Cor. 12. — Prou. 28. — Matt. 6. — *Gaudia mundi uana.* — 1. Pet. 1.

re. Neq; enim quippiam vtilitatis affert benè orando superna quærere, qui non desistit peruersè viuendo infimis implicari. *Hæc in prouerbijs locutus sum uobis. Venit hora, cùm iam nõ in prouerbijs loquar uobis, sed palàm de patre meo annunciabo uobis.* Iam nimirùm horam signat, qua eis, peracta sua passione ac resurrectione, spiritus sancti gratiam erat daturus. Tunc enim spiritualiter intus instructi, & spirituali dilectione succensi, quo perfectiùs omnia, quæ de agnitione diuinitatis mortalibus erant capienda, ceperant, eo ardentiùs sola quæ ad eius visionem promerendam iuuarent, petere ac desiderare curarunt. Hoc est enim, quod subiungit: *illo die in nomine meo petetis.* Possumus horam quam pollicetur, in futura vita intelligere, in qua palam de patre annunciabit, id est, palàm ostẽdet patrem electis, quando sicut Apostolus ait, videbimus eum facie ad faciem. De qua annũciatione dicit Ioannes: Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus. Scimus quia cùm apparuerit, similes ei erimus, videbimus enim eum, sicuti est. Vbi & veraciter in nomine Iesu petunt electi, dum pro nostra fragilitate intercedunt, quatenùs ad suæ saluationis sortem pertingamus, à qua adhuc inter insidias hostium peregrinamur in terris. Quam sanctorum petitionem aptissimè in die futuram promisit: Illo, inquiens, die in nomine meo petetis. In die etenim petunt, quia nõ inter tenebras pressurarum, vt nostra in præsenti, sed in luce sempiternæ pacis & gloriæ beatorum spirituũ pro nobis intercessio funditur. Possunt autem ijdem spiritus electorum in illa ciuitate cælesti positi, etiam pro seipsis in nomine saluatoris petere intelligi, quia videlicet tempus vniuersalis iudicij & resurrectionis corporum, in quibus pro Domino certauere, venire desiderant. Vnde & Ioannes ait: Vidi sub altare Dei animas interfectorum propter verbũ Dei, & propter testimonium quod habebãt, & clamabant voce magna, dicentes: Vsq; quò Domine sanctus & verus, non iudicas & vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra? Vbi continuò subinfertur: Et datæ sunt eis singulæ stolæ albæ: & dictum est illis, vt requiescerent tempus adhuc modicum, donec implerentur cõ serui eorum, & fratres eorum. Singulas quippe stolas albas nunc habent animæ, quum sola sua felicitate fruuntur. Binas tunc accipient, quum impleto in fine numero fratrum, corporũ quoq; immortalium receptione lætabuntur. *Et non dico uobis, quia ego rogabo patrem de uobis.* Quia Dominus noster Iesus Christus, & Deus & homo est, modò summa deitatis, modò humanitatis humilia loquendo designat. Quod enim dicit, non rogaturum se patrem de discipulis, propter consubstantialem patri diuinitatis suæ potentiam dicit, in qua nõ patrem ipse rogare, sed rogata cum patre consueuit donare. Quod verò Petro ait, Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & de illo Ioannes: Aduocatum, inquit, habemus apud patrem Iesum Christum iustum: propter dispensationem dictum est assumptæ humanitatis, cuius cùm triumphum patris ostendit oculis, pro nostra infirmitate propitius interuenit. Potest & ita non inconuenienter accipi, quod ait: Et non dico vobis, quia ego rogabo patrem pro vobis: quia non de præsenti rogo, sed de futuro tempore posuit, rogabo, quòd sanctis in æterna pace receptis, non opus iam aliquid rogari de illis, quia nimirum tanta beatitudine donati sunt, qua amplior esse non potest. *Ipse enim pater amat uos, quia uos me amastis, & credidistis quia à Deo exiui.* Non ita intelligendum est, quasi amor & crudelitas discipulorum, præcesserit amorem quo illos pater amaret, meritumque humanum prius sit muneribus gratiæ cælestis, cùm apertissimè dicat Apostolus: Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Sed ita potiùs, quia pater illos gratuito amore præuenerit, atq; ad amandum credendumque filium amando sustulerit: & quia ipsi agnitam filij dilectionem atque fidem pio & solicito corde seruauerint, maioribus eos donis paternæ dilectionis esse remuneratos. Non autem arbitrandum, quia pater sine filio & spiritu sancto amare, vel amoris possit munera dare. Nec rursus æstimandum, quia filius sine patre & spiritu sancto valeat amari vel credi. Quod ergo ait, Ipse enim pater amat vos, intelligendum est, vnà cum filio & spiritu sancto amare, quos amore dignos iudicat. Et quod adiunxit, *Quia uos me amastis*, eadem ratione sentiendum est, quia quicunque filium rectè amat, hunc cum patre & amborum spiritum amet: quia quorum inseparabilis est natura diuinitatis, horum eadem sunt dona virtutis. *Exiui à patre, & ueni in mundum. Iterùm relinquo mundum & uado ad patrem.* Exiuit à patre, & venit in mundum, quia mundo visibilis apparuit in humanitate, qui est inuisibilis apud patrem in diuinitate. Exiuit à patre, quia non in ea forma qua æqualis est patri, sed in assumpta creatura minor apparuit. Et venit in mundum, quia in forma serui quam accepit, etiam mundi huius amatoribus se videndum præbuit. Iterum reliquit mundum, & redijt ad patrem, quia ab aspectu amatorum mundi quod viderant abstulit, & se amatoribus suis æqualem patri esse credendum docuit. Reliquit mundum, & redijt ad patrem, quia humanitatẽ quam induit, per ascensionem ad inuisibilia perduxit. Hæc quidem verba Domini mystica, & sicut ipse testatur, in prouerbijs sunt dicta: sed discipuli quibus dicebãtur, adeò carnales adhuc erant, vt eorum profunditatem minimè caperent, & non solùm arcana dictorum, sed nec ipsam ignorantiam suam intelligerent, putantes simpliciter & dilucidè prolata, quæ non intelligentibus prouerbia erant. vnde cõtinuò respondẽrunt: *Ecce nunc palàm loqueris, & prouerbium nullum*

1. Ioan. 2. — *Christus ut pro nobis intercedat.* — 1. Cor. 13. — 2. Ioan. 3. — *Sancti in cælis pro nobis orãt* — Apoc. 6. — *Stolæ singulæ, Binæ.* — Luc. 22. — Rom. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lium dicis. Palàm igitur eum loqui autumabant, cuius mysteria dictorum necdum comprehendere valebant. Quod autem adiungunt: *Nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi, ut quis te interroget: in hoc credimus, quia à Deo existi*: apertè ostendunt, quia loquens ad eos Dominus, de his maximè disputabat: quæ illos delectabat audire: & quæ illi interrogare volebant, hæc ipse, præueniens eos, vltrò proferebat. Vnde meritò illum scire omnia quasi Deum, & quasi Dei filium à Deo venisse credunt & confitentur. Apertum nanque diuinitatis indicium est, cogitationum nosse secreta, Salomone affirmante, qui Deo

3. Reg. 8. supplicans, ait: Tu enim solus nosti corda omnium filiorum hominum. Vnde etiam Ieremi-

Hier. 11. as ait: Tu autem Domine Sebaoth, qui iudicas iustè, & probas renes & corda. Neque enim hæc transeunter aut negligenter commemoranda sunt, sed solerter inuigilandum est fratres mei, vt non verba tantùm & opera nostra, sed ipsa quoque cordium secreta diuinis aspectibus digna reddamus. Non in templo nostri pectoris odiorum flamma, non inuidiæ rubigo resideat, non inde turpis vel contumelioſi sermonis radix oriatur, non ibi meditatio facti nocentis innascatur. Memores simus dominicæ comminа-

Esai. 66. tionis, qua dicitur: Ego enim opera & cogitationes eorum venio, vt congregem: & expulsis vitiorum ruderibus, talem cordis nostri paremus mansionem, cuius ipse dignetur inesse mansor, qui eius ineuitabilis inspector & iudex est. Sci-

Triplices malæ cogitationes. endum autem, quia triplex est modus cogitationum nequam. Vnus earum, quæ deliberatione & proposito peccandi mentem contaminant. Alius earum, quæ defectatione quidem peccati perturbant mentem, nec tamen hanc ad peccandi consensum pertrahunt. Tertius earum, quæ naturali motu mentem percurrentes, non tam hanc ad perpetranda vitia illiciunt, quàm à bonis quę cogitare debuit, impediunt: veluti est cũ phantasmata eorum, quæ aliquando superuacuè gesta vel dicta nouimus, ad memoriam reducimus: quorum crebra retractatio, quasi importuna muscarum improbitas, cordis oculos circumuolare, ac spiritalem eius aciem inquietare magis, quàm excæcare consueuit. A cunctis autem his cogitationum nequam generibus castigari mo-

Prou. 4. nuit Salomon, cùm dicit: Omni custodia serua cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit. Cuius monita sequentes, agamus soliciti, vt si quid con-

Confessio peccatorũ sensu perpetrandi facinoris in animo deliquimus, cita hoc confessione, & dignis pœnitentiæ fructibus abstergamus. Si delectatione peccandi nos tentari senserimus, noxiam delectationem crebris precibus ac lachrymis, crebra amaritudinis perpetuæ recordatione pellamus. Et si nos solos ad hanc propulsandam sufficere non posse viderimus, fratrum quæramus auxilia, vt quod nostris viribus nequimus, illorum consilio & intercessione sumamus. Multum enim valet deprecatio iusti assidua, & sicut idem præmisit: Oratio fidei saluabit infirmum, & alleua- Iacob. 5.
bit eum Dominus: & si in peccatis sit, dimittentur ei. Quia superuacuis cogitationibus ad integrum carere non valemus, has inquantùm possumus immissione bonarum cogitationum, & maximè frequenti scripturarum meditatione fugemus, iuxta exemplum Psalmistæ, qui di- psalm. 118
cit: Quomodò dilexi legem tuam Domine, to ta die meditatio mea est. Petamus supernam clementiam, quod est verè in nomine saluatoris petere, vt & cordis nobis munditiam, & boni operis præstet efficatiam: & ante omnia illam sedula mente recolamus horam, illam citiùs venire optemus, in qua non iam per scripturas loquatur nobis Dominus, sed palàm de patre annunciet nobis, cum quo viuit & regnat Deus in vnitate spiritus sancti, per omnia secula seculorum, Amen.

EODEM DIE HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Amen amen dico uobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis, &c. Ioan. 16.

SI consideramus hęc verba, quibus specialiter proprieq; dicantur, facilis est solutio. Apostolis enim loquebatur Dominus, quos in nomine Christi Iesu cæcos illuminasse, paralyticos curasse, mortuos suscitasse, & alia multa miracula fecisse legimus: nihilq; patrẽ in nomine filij eos petijsse audiuim⁹, quod non acceperunt. Vnde & quosdam malè petentes Iacobus Apostolus redarguens ait: Pe- Iacob. 4.
titis & non accipitis, eò q⁹ malè petatis. Itemq; : Iacob. 1.
Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide, nihil hæsitans. Apparet igitur his verbis, Apostolum quoq; ideò exauditũ nõ esse, eò quòd nõ in nomine Iesu, & 2. Cor. 12.
non benè petisset. Si tamen non exauditum dicamus, qui quasi meliùs exauditus, se quòd petebat, non accepisse lætatur. Noluit enim exaudiri, postquam se malè petijsse cognouit. Atque in eo exauditus meliùs est, quòd de his quæ petebat, exauditus non est. Est enim exauditus de his quæ petebat, sed de his quæ volebat, non de his quæ petebat, sed de his quæ volebat. Nemo autem sic exauditur, sicut ille, qui vtiliter accipit quod vult. Sequitur: *Vsque modò non petistis quicquam in nomine meo.* Quid est hoc? Legi- m⁹ enim Christi discipulos priùs etiã, quàm hęc eis Domin⁹ diceret in nomine Iesu Christi infirmos multos sanasse, & dęmonia eiecisse. Vn-

Luc. 10. de & ad eum reuersi (vt Lucas ait) cum gaudio dicebant: Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo. Legim⁹ etiã eos increpasse quendam, qui eos non sequebatur, eò quòd in

Luc. 9. nomine Iesu dæmonia eiecissent. Quid est igitur, quod ait: *Vsque modò non petistis quicquam in nomine meo*, cùm manifestum sit eos in nomine Iesu tam multa petisse? Dicis fortasse eos non petisse in nomine Iesu, id est, non petisse ea quæ pertinent ad salutem. sic enim hoc quidam intelligere volunt. Sed non est verum. Quid igitur di-

Luc. 10. cemus? dicunt discipuli: Etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo: dicit magister: Vsque modò nõ petistis quicquã in nomine meo. Tene igitur, quod superiùs ait: Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis: deinde iunge quod sequitur, Vsq; modò non petistis quicquam (subauditur, à patre) in nomine meo. Quia enim non patrem sed filium videbant, ad filium solummodò respiciebant. Sed postquàm filius cælos ascendit, meliùs instructi, & à spiritu veritatis edocti, & patrem & filium rogare cœperũt. Vult igitur filius, vt quod in nomine eius petitur, à patre petatur, semperque pater in filio honoretur. Sequitur adhuc de ipsa petitione: *Petite, & accipietis, ut gaudium uestrum plenum sit.* Dixit vt peterent, & vt à patre peterent, & in suo nomine peterent: nunc autem eos docet, quid petere debeant. Petite, ait. Quid? Vultis audire quid? vt

Quid petendum à Deo. gaudium vestrum plenum sit. Illud enim gaudiũ plenum est, quod perfectum & integrum est, quod nunquam finitur, & æternum est. Hoc igitur petendum est, vt ad tale gaudium perueniatur. Quæ verò ab isto gaudio hominem separãt, ea petenda non sunt. Sic igitur temporalia quæramus, vt nostrum desiderium ab ęterno gaudio non separetur: sic transeamus per bona temporalia, vt non amittamus æterna. Audiamus semper, quod hîc dicitur: Petite, vt gaudium vestrum plenum sit, & accipietis: accipietis vtique, sed non modò: accipietis, sed non in hac vita. Hoc enim gaudium non accipitur, nisi post hanc vitã.

Matth. 6. Quærite igitur primũ regnũ Dei, & iustitiã ei⁹, &

Luc. 12. hæc omnia adijcientur vobis. *Hæc in prouerbijs locutus sum uobis. Venit hora cùm iã non in prouerbijs loquar uobis.* Hoc est enim, quod alius Euangelista

Matth. 13. ait: Quia in parabolis loquebatur Iesus, & sine parabolis non loquebatur eis. In prouerbijs enim aliud auditur, & aliud intelligitur. Per illam autem horam, qua non in prouerbijs, sed palàm

Palàm quando locutus sit Christus. se loquuturum de patre dicit, ab eius resurrectione omne tempus futurum significatur, siue per se visibiliter, siue per spiritum sanctum inuisibiliter eis loquatur. Adueniente nanque spiritu sancto, tunc palàm & manifestè nunciatum & reuelatum est eis, quod priùs de patre ignorabant. Neque fuit necessarium, vt vlteriùs dice-

Ioan. 14. rent, Domine ostende nobis patrem, & sufficit nobis: videntes in patre filium: & in filio patrẽ, & in vtroque spiritum sanctum. *In illo die in nomine meo petetis.* In illo (inquit) die petetis in nomine meo, vt in virtutibus quæ per vos fient, glorificetur & pater, quem vos petistis in nomine meo. Non enim dixit, Nomen meum, sed petetis in nomine meo, vt ostenderet nobis à quo, & in quo petere debeamus. Superiùs dixerat: In illo die me non rogabitis quicquam: nunc autem dicit, In illo die in nomine meo petetis, quod vtique contrarium esset, si de eodem die intelligeretur. Hic igitur dies hũius seculi est, ille verò alterius seculi: hic ante iudicium, ille post iudicium. *Et non dico uobis, quia ego rogabo patrẽ de uobis. Ipse enim pater amat uos, quia uos me amastis, & credidistis quia à Deo exiui.* Post quàm (inquit) cælos ascendero, nõ dico me rogare patrẽ de vobis, sed vos ipsi rogate in nomine meo, & qđ volueritis, dabit vobis. Diligit enim vos, quia vos me amastis, & credidistis, quia à Deo exiui. *Exiui à patre, & ueni in mundũ: iterũ relinquo mundũ, & uado ad patrẽ.* A patre exiuit, quia à patre genitus est: In mundũ venit, quia per susceptã humanitatẽ mundo se visibilẽ præbuit. Quomodò exiuit nescitur, quia quomodò genitus est ignoratur. Mundum verò relinquit, & ad patrem vadit, non secundùm diuinitatem, qua vbique est, sed secundùm humanitatem, qua localis est. Dicunt ei discipuli eius: *Ecce nunc palàm loqueris, & prouerbium nullum dicis. Nunc scimus, quia scis omnia, & non est tibi opus, ut quis te interroget.* Volebamus (inquiunt) te interrogarę, quia illa quæ dicebas minimè intelligebamus: sed sine omni nostra interrogatione tu ipse nobis ea exposuisti, de quibus te interrogare volebamus. Vnde pro certo scimus, quia scis omnia, & non est opus tibi, vt quis te interroget. *Et in hoc modò credimus, quia à Deo existi.*

IN LITANIA MINORI. Luc. XI.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Quis uestrũ habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes: quoniam amicus uenit de uia ad me, & non habeo quod ponam ante illum. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

ROgatus à discipulis Dominus saluator, non modò formam orationis, sed & instantiam frequentiamque tradit orandi. Amicus ergo ad quẽ media nocte venitur, ipse Deus intelligitur, cui in media tribulatiõe supplicare, & tres panes, id est, intelligentiã Trinitatis, qua præsentis vitæ consolentur labores, efflagitare debemus. Amicus qui venit de via, ipse noster est animus, qui toties à nobis recedit, quoties ad appetenda terrena & temporalia foris vagatur. Redit ergo, cælestique

Amicus, Deus. Tres panes. Amicus de uia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

alimonia reficí desiderat,cùm in se reuersus,superna cœperit ac spiritalia meditari. De quo pulchrè qui petierat adiúgit, se nō habere quod ponat illum: quoniam animæ post seculi tenebras Deum suspiranti, nil præter eum cogitare, nilque libet intueri : solum quod recognouit, summæ Trinitatis gaudium contemplari, atque ad hoc pleniùs intuendum peruenire satagit. Et *ille deintùs respondens, dicat: Noli mihi molestus esse : iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili : non possum surgere, & dare tibi.* Ostium amici, diuini est intelligentia sermonis, quod sibi Apostolus orat aperiri ad loquendum mysterium Christi: clausumq; est tempore famis, cum intelligentia verbi non datur. Et illi, qui Euangelicam sapientiam tanquam panem erogantes, per orbē terræ prædicauerunt, pueri patrisfamiliàs iam sunt in secreta quiete cum Domino: & tamen orando efficitur, vt accipiat desiderans intellectum ab ipso Deo, etiam si homo desit, per quem sapientia prædicetur. *Et ille si perseuerauerit pulsans, dico uobis, & si non dabit illi surgens eò quòd amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quot quot habet necessarios. Et ego dico uobis: Petite, & dabitur uobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur uobis.* Comparatio est à minore. Si ergo homo amicus surgit de lecto, & dat non amicitia, sed tædio compulsus : quantò magis dat Deus, qui sine tædio largissimè donat quod petitur ? Dominus etenim saluator noster, ad cælestis regni gaudia nos peruenire desiderans, & nos eadem gaudia à se petere docuit, & nobis petentibus se hæc daturū esse promisit. Petite, inquit, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Quę nobis sunt verba Domini nostri, fratres charissimi, magnoperè ac toto corde pensanda, quia videlicet regnum cælorum non ociosis & vacantibus, sed petentibus, quærentibus, & pulsantibus, dandum, inueniendum, & aperiendum esse testatur. Petenda est ergo regni ianua orando, quærenda rectè viuendo, pulsanda perseuerando. Non enim sufficit verbis tantummodò rogare Dominum, si non etiam quærimus diligentiùs, qualiter nobis sit viuendum, vt digni simus impetrare quæ poscimus, ipso attestante, qui ait: Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. Neque aliquid prodest bona inchoasse, si non quisque studeat ea quæ benè inchoauerit, vsque ad finem firmum perducere: quinimò melius erat non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsùm conuerti. Vnde necesse est fatres mei, vt petamus seduli sine intermissione, oremus & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino qui fecit nos: & vt nos exaudiri mereamur, videamus soliciti qualiter nos viuere velit, quid nos facere iusserit, qui fecit nos. Quæramus Dominum & confirmemur, quæramus faciem eius semper : & vt hunc inuenire ac videre mereamur, mundemus nos ab omni inquinamēto carnis & spiritus, quia non nisi corpore casto in die resurrectionis ad cælos subleuari, non nisi mundo corde gloriam valemus diuinæ maiestatis intueri. Pulsemus infatigabili desiderio æternæ beatitudinis aures pij conditoris, nec deficiamus à cœptis, priusquā illo aperiente, de carcere mortis huius eripi, ac portam mereamur cælestis patriæ ingredi. Nemo sibi blandiatur de innocentia, nullus fidens suis actibus (quasi qui misericordia iusti i udicis non egeat) à precibus cesset: quin potiùs etiam cùm se aliquid boni quis egisse cognouerit, quia qua hoc districtione iudicetur ignorat, tremens cum propheta clamet: Ne intres in iudicium cū seruo tuo, quia nō iustificabitur in cōspectu tuo omnis viuens. Et cum beato Iob: Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me. Si innocentem ostendero, prauum me comprobabit. Memor semper illius Apostolici sermonis, quia si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus, quoniam non peccauimus, mēdacem facimus eum, & verbum eius non est in nobis. Neque rursus quispiam considerata peccatorum suorum qualitate seu quantitate, à petenda venia mentem desperando reuocet. Neminem vlsa suorum putredo vulnerum, sui magnitudo languoris, à salute quærenda retrahat. Præbeat magnam obtinendæ sanitatis fiduciàm, quòd ipse conditor noster, medicus nobis fieri, ipse ad nos venire in carne, ipse infirmitates nostras susciperе vt sanaret, dolores nostros vt auferret, portare dignatus est: ipse suum pro nobis sanguinem fudit, suā pro vita nostra mortem obtulit. Ipse magnis peccantium commissis, magna pœnitentię remedia ostendit, dicens per præcursorem suum: Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Et paulò pòst inquit: Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat. Ipse leuioribus quotidianisque nostris erratibus, sine quibus hæc vita transigi non potest, quotidiana confessionis & intercessionis mutuæ medicamenta concessit, dicens per Apostolum Iacobum: Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini. Ipse rogari vt præstet, amat, qui animos inopum ad se rogandum largus donator erigit. *Omnis, inquiens, qui petit, accipit : & qui quærit, inuenit : & pulsanti aperietur.* Non ergo dubitandum quòd petentes accipimus, quærentes inuenimus, pulsantibus nobis aperietur, quia nimirùm fallere non potuit veritas, quæ promisit. Sed hoc est vigilantiùs intuendum, quia non omnes qui coram hominibus orare videntur, in conspectu æterni arbitri petere, vel quærere, vel cælestis regni aditū pulsare probantur. Neque enim propheta diceret, Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum

Ostium amici. Col. 4.

Pueri patrisfamiliàs.

Petere. Quærere. Pulsare.

Matth. 7.

2. Pet. 2.

Psalm. 94

Psal. 104.

2. Cor. 7.

Psal. 142.

Iob 9.

1. Ioan. 1.

Iacob. 5.

Christus medicus noster.

Luc. 3.

Ibidem.

Psal. 144.

eum in veritate, si non aliquos Dominū inuocare sed non in veritate cognosceret. Inuocant quippe Dominum in veritate, qui in hoc quod caudo dicunt, viuendo non contradicunt. Inuocant Dominum in veritate, qui suas ei preces obaturi, primò iussa illius implere satagunt : qui dicturi ei in oratione, Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris : illud eius mandatum impleue-runt, quo dicit: Et cùm stabitis ad orandum, remittite si quid habetis aduersùs aliquem, vt & pater vester qui in cælis est, dimittat vobis peccata vestra. Vnde & de talibus aptè subiungit prophe ta: Voluntatem timentium se faciet, & orationes eorum exaudiet, & saluos faciet eos. Illi itaque in veritate Dominum inuocant, qui eum timere comprobantur. Horum ipse cùm clamauerint, orationes exaudit: horum cùm ad se suspirauerint, pia desideria perficit : hos cùm de hac vita transierint, ad salutem sustollit æternam. At contrà sunt, qui Dominum, sed non in veritate inuocant, quos redarguēs Iacobus, ait: Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis. Malè nanque petunt, qui perseuerantes in peccatis, pro eisdē peccatis, quæ ipsi minimè dimittunt, vt sibi à Domino dimittantur, impudenter exorant, quales ipse per Esaiam reprobat, dicens: Et cùm extenderitis manus vestras, auertā oculos meos à vobis: & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam. manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Quibus adhuc consulendo, qua ratione possint impetrare quæ poscerent, ostendit cùm subdit: Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Malè petunt, qui vocem Domini iubentis audire obtemperā do contemnunt, & nihilominùs Dominum suā vocem supplicantium exaudire miserando deposcunt, quos ipse repellens in Euangelio loquitur: Quid autem vocatis me Domine, Domine, & non facitis quæ dico ? De quibus & Salomon in prouerbijs: Qui declinat, inquit, aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Malè petunt, qui non supernę mercedis intuitu, sed ad exemplum phariſæorum humanæ gratia laudis, longis incumbunt precibus. De quibus ipse testis & iudex terribiliter proreſtatur, quia receperunt mercedem suam. Malè petunt & illi, qui terrena magis in oratione quàm cælestia bona requirunt, quorum preces Apostolus in ipsa, de qua loquimur, sententia specialiter reprehendit. Cùm enim dixisset, Petitis & non accipitis, eò quòd malè petatis, adiunxit continuò: Vt in concupiscentijs vestris insumatis. Neque enim prohibentur ciues patriæ cælestis in peregrinantes, pro pace temporum, pro sanitate corporum, pro hubertate frugum, pro fertilitate aurarum, pro cæteris huius vitæ necessarijs Dominum petere, si tamen hæc non nimiè quantur, & si ob id solūmodò petantur, vt abundante viatico in præsenti, liberiùs ad futura donā tendatur. Sed quia sunt nonnulli, qui temporalem quietem & prosperitatem à suo creatore requirunt, non quidem vt eidem creatori deuotioribus animis obediāt, sed vt abūdantiùs comessationibus & ebrietatibus vacent, & securiùs ac licentiùs concupiscentijs suis, & carnis suæ seruiant illecebris, meritò tales malè petere dicuntur. Verùm quia omnes huiusmodi petitores, eò quòd malè petant, accipere non merentur: studeamus dilectissimi & benè petere, & digni ad obtinenda quæ petimus existere. Quod ita fit, si & ea quæ Deus iusit, orando quærimus, & quales ipse nos fieri docuit, tales ad orandum procedimus: & intenti in precibus, donec impetremus, insistimus. Si autem scire cupimus, quæ ipse nos petere velit, audiamus illud Euangelicū: Quærite primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Regnum autem Dei & iustitiam eius quęrere, est & cælestis patriæ dona desiderare, & quibus iustitiæ meritis ad hæc peruenire debeat, indesinenter inquirere, ne si à via fortè, quæ illò ducit, aberremus, peruenire quò nitimur, minimè queamꝰ. Quòd si verba Domini & saluatoris nostri, quibus nos de exemplo terreni parentis ad rogandum Deū patrem hortatur, diligenter inspicimus, citiùs agnoscimus, quæ sit magna iustitia, quæ iter nobis cælestis regni aperiat. *Quis, inquit, ex uobis patrem petit panem : nunquid lapidem dabit illi ? Aut piscem: nunquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ouū, nunquid porriget illi scorpionem?* Aperta etenim est comparatio hæc, & cunctis audiētibus facilima: quia si homo quilibet mortalis & fragilis, & peccati adhuc carne grauatus, petentibus se filijs quos diligit, quæ habet bona, quanuis terrena & fragilia, dare non denegat: multo magis pater cælestis petitoribus suis, suo timore & amore præditis, non defectiua in cælis bona largitur. Sed iuxta typicam intelligentiam, panis dilectionem significat: quia sicut ille principalis est cibus, ita vt sine eo mensa inops esse videatur: ita hæc principalis est virtus, ita vt sine illa virtutes reliquæ spirituales, virtutes esse nequeāt: quia nimirùm quicquid boni agitur, in sola dilectione perficitur. Vnde dixit Apostolus, quia si linguis hominum loqueretur & angelorum, & si haberet prophetiam, & nosset mysteria omnia, & omnē sciētiam, & si haberet omnem fidem, ita vt montes transferret, & si distribueret oēs facultates suas in cibos pauperum, & si traderet corpus suum ita vt arderet, charitatem autem non haberet, nihil ei prodesset. Charitas autem vera est, qua & Dominum Deum ex toto corde, tota anima, tota virtute, & proximum tanquàm nosipsos diligere præcipimur. Nec tantum proximis & amicis, verumetiam inimicis perfectus quisque beneficium dilectionis impendere debet, Domino dicente: Diligite inimicos vestros, benefaci-

Inuocare Deum in ueritate.

Matth. 6.

Mat. 11.

Psal. 14.

Mat. 6.

Iacob. 4.

Qui malè petant.

Esa. 1.

Ibidem.

Luc. 6.

Prou. 8.

Luc. 6.

Ornamenta ecclesiarum.

Panis, charitas.

Sine charitate, nulla est uirtus.

1. Cor. 13.

Charitas uera.

Matth. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

te his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est. In pisce autem, fides non fictà exprimitur. Quomodò enim piscis sub tecto fluminis aquarum nascitur, viuit & alitur: sic & fides, quæ in Deum est, quæ alterius vitæ gaudia per lamenta præsentia fletusque requirit, inuisibiliter in corde gignitur, inuisibili gratia spiritus per aquam baptismatis consecratur, inuisibili auxilio diuinæ protectionis ne deficiat, nutritur, inuisibilium præmiorum intuitu quęque bona valet operatur: memor illius Apostolici, Quia quæ videntur, temporalia sunt: quæ aũt non videntur, æterna sunt. Possumus & hoc dicere, quòd piscis in eo fidei typum teneat, q̃ sicut ille crebris maris fluctibus tunditur, nec perimitur: ita fides firma quantislibet aduersantis mundi pressuris impugnetur, inconuulsa perlistat, immò etiam de certamine gloriosior existat, adiuuante illo, qui missis ad prædicanda eiusdem fidei dona discipulis ait: In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum. Porrò per ouum, spei nostræ certitudo figuratur: quia in ouo nondùm cernitur fœtus, sed futuræ auis fœtus speratur. Et fideles quique necdũ in præsenti supernæ patriæ gloriam quam credunt intuentur, sed futuram sperando præstolantur. Vnde dicit Apostolus: Si autem quod nõ videmus, speramus, per patientiam expectamus. Hæc igitur sunt, fratres charissimi, bona, quæ principaliter à Domino petere, hæc iustitia regni Dei, quam ante omnia quærere debemus, fides videlicet, spes & charitas: quia & scriptum est: Iustus nanque ex fide viuit: sperantes autem in Dominum misericordia circundabit: & plenitudo legis, est dilectio. Omnis enim lex in vno sermone impletur: Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Et iterum: Dilectio proximi malum non operatur. Non est autem metuendum, ne si gratiam dilectionis à Domino pia deuotione quæramus, si intimo ex corde dicamus, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: ille cor nostrum rigore odiorum constringi permittat. Hunc etenim rigorem per duritiam lapidis insinuat, cùm dicit: Quis ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? Non est formidandum, ne si fortitudinem fidei contra hostis antiqui tentamenta precemur, toto ex corde dicentes: Domine adauge nobis fidem, ille nos infidelitatis sinat interire venenis. Iure enim nomine serpentis, virus infidelitatis, quod per ipsum generi humano aspersum est, exprimitur, cùm dicitur: Aut si piscem petit, nunquid pro pisce serpentem dabit illi? Non est timendum, ne si spem cælestium bonorum, per quam præsentia aduersa simul & prospera contemnere possimus, à Domino postulemus, ille auditum auertat, ac nos desperatione futurorum retrospicere, id est, ea quæ reliquimus, patiatur labentis sęculi commoda virulenta requirere. Rectè nanque immutatio boni propositi nociua, & concupiscentiæ carnalis repetitio, veneno scorpionis (quod retrò, id est, in cauda gestat) comparatur, cùm dicitur: Aut si petierit ouum, nunquid porriget illi scorpionem? Hæc itaque petamus à Domino, fratres charissimi, vt scilicet alimentum nobis puræ charitatis, quæ pectora fidei, certæ spei tribuat, vt duritiam odiorum, vt perfidiæ virus, vt aculeum nobis dissperationis, qui ad caduca retrahere solet, auferat: & absque vlla dubietate quod petimus, accipiemus. Ait enim veridica voce Ioannes Apostolus: Quia quæcunq; petierimus secundùm volũtatem eius, audit nos. Sed & ipse Dominus certam nobis fiduciam dat impetrandi, quæ rectè petimus, cùm subiungit: *Si ergo vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quanto magis pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se?* Malos autẽ vocat discipulos, qui vtique quantùm ad humanum spectat iudicium, boni erant: quia nimirũ nemo est, qui in hac vita à cunctis valeat immunis esse delictis, Salomone affirmante, qui ait: Quia non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & nõ peccet. Vnde prouidè Dominus, qui grauibus peccantium reatibus, grandiora pœnitendi medicamenta demonstrat, ipse quotidianos electorum erratus (qui verbo maximè vel cogitatu contingunt) quotidianis orationum studijs docet debere curari, quos inter alia sic orare præcipit: Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Vel certè malos appellat discipulos, quia in cõparatione diuinæ bonitatis, omnis creatura mala esse probatur, dicente Domino: Nemo bonus, nisi vnus Deus: cùm tamen participatione eiũsdem diuinæ bonitatis, rationalis creatura bona fieri posse cognoscitur. Vnde & Dominus pia promissione testatur, quia pater de cælo dabit spiritum bonum petentibus se, vt profectò ostendat, quia qui ex seipsis mali sunt, per acceptã spiritus gratiam boni possunt effici. Spiritum bonum petentibus dandum à patre pollicetur, quia siue fidẽ, spem, charitatem, siue alia quælibet bona cælestia desideramus adipisci, non aliter nobis hæc, quàm per spiritussancti donum tribuũtur. Hinc est enim, quòd idem spiritus in Esaia, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientię & pietatis, spiritus timoris Domini, & in alio loco spiritus dilectionis & pacis, spiritus gratiæ & precum nominatur: quia nimirũ quicquid boni veraciter habemus, quicquid benè agimus, hoc eodem spiritu largiente percipimus. Quod intelligens propheta, cùm cordis munditiam quæreret, dicens: Cor mundum crea in me Deus, continuò subiunxit: Et spiritum rectum innoua in visceribus meis. Qui si nõ interiora nostra spiritus Domini rectus impleuerit, cor in nobis mundum vnde sit non habet. Cumque operis boni profectũ concupiscẽs

Piscis fides.

Ioan. 16.

Ouũ, spes.

Rom. 8.

Habac. 2.
Psal. 31.
Rom. 13.

Lapidis duritia.

Luc. 17.
Infidelitatis virus.

Scorpio, mysticè

A Deo petenda.

1. Ioan. 5.

Eccles. 7.

Psal. 50.

Mat. 6.

Esai. 11.

Psal. 142. dixisset, Domine ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam: statim quo hanc ordine consequi deberet, ostendit, cùm subdit: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Cuius vestigijs iuxta modulum nostrum, fratres dilectissimi, adhærentes, petamus Deum patrem, vt spiritus sui gratia nos in viam rectæ fidei, quæ per dilectionem operatur, inducat. Et vt optata mereamur obtinere, taliter viuere studeamus, ne tanto patre simus indigni: quin potiùs mysterium regenerationis, quo in baptismate filij Dei sumus effecti, illibato semper corpore pariter & mente seruemus. Certum nanq; est, quia si summi patris mandata seruamus, remunerabit nos hæreditate sempiternæ benedictionis, quam nobis ante sęcula parauit, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cũ eo viuit & regnat Deus in vnitate spiritussancti, per omnia sęcula sęculorum, Amen.

Gal. 5.

Filij Dei in baptismo efficimur.

EODEM DIE,
HOMILIA EVSEBII
Emeseni.

Quis vestrùm habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & cæt. Luc. 11.

Ecclesiast. 1.

HIs enim verbis admonemur, vt spiritum sapientiæ & intellectus ab eo quæramus, à quo est omnis sapientia, cum quo fuit semper, & est ante æuum: quatenùs amicis nostris de via venientibus, & sanctarum scripturarum panem petentibus, cibum spiritualem apponere valeamus. De hoc enim & Iacobus Apostolus ait: Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide, nihil hæsitans. Quando enim subiecti nos de scripturis interrogant, tũc amici nostri veniunt de via ad nos, & tanto quidem de longiori via, quanto longiùs sunt ab intelligentia. Oportet igitur nos habere quod eis apponamus, & vnde illorum mentes famelicas reficiamus. Quòd si non habemus, surgamus media nocte. (Hæc enim nox ignorantia est:) legamus, & scripturas perscrutemur, rogemus Dominum vt oculos mentis nostræ aperiat, & tres panes illos nobilissimos nobis commodare dignetur. Tres enim istos panes, legem & prophetas & euangelia intelligimus. De quibus Moyses metaphoricè ait: Dominus de Sina venit, & de Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharam, & cum eo sanctorum millia. Tres isti montes, tres panes sunt, & tria modò dicta sanctarum scripturarum volumina. Sina enim legem significat, quia ibi lex data est. Seir prophetas, quia hispidus interpretatur. Prophetæ enim valdè hispidi, & asperi, & difficiles sunt. At verò mons Pharam, qui frugifer dicitur, euangelia designat, cuius semina præ cunctis seminibus vbique gentium fructificasse cognouimus. Venit igitur Dominus de Sina, quia eius aduentus pluribus in locis in lege (id est, in libris Moysi) annunciatur, secundum illud: Prophetam vobis suscitabit Dominus de fratribus vestris, tãquàm me ipsum audietis. Ortus est autem & de Seir, quia eius ortus & natiuitas manifestissimè in prophetis inuenitur. Vnde Esaias: Ecce virgo concipiet & pariet filiũ, & vocabitur nomẽ eius Emmanuel. Apparuit autem de monte Pharam, quia eius natiuitas, passio & resurrectio, quid egerit, & qualiter vixerit, in euangelijs declaratur. Hos igitur tres panes quæramus, sine quibus anima non viuit, qui cunctis esurientibus sufficere possunt: quæramus, & non deficiamus: pulsemus, & perseueremus, etiam si ille amicus noster vnicuiq; nostrum dixerit: *Noli mihi molestus esse, iam ostiũ clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili: non possum surgere, & dare tibi.* Hoc enim amicus noster, id est, Deus & Dominus noster, qui intantùm dilexit nos, vt mori pro nobis nõ dubitaret, hoc (inquã) ipse non dicit: dicere tamen videtur, cùm post multum laborem, post multas preces, post multum intelligendi desiderium nos non exaudit. Quid enim sic orat, vt sancta desideria? Nisi desiderium oraret, Psalmista non diceret: Desiderium pauperum exaudiuit Dominus. Tunc igitur benè oramus, quando bonum aliquod desideramus. Nemo autem est qui sacras scripturas intelligere non desideret. Nemo igitur est, qui Deum pro his panibus non oret. Sed quia Dominus iã cælos ascendit, & ostium clausit, id est, à prædicatione quieuit, qui iam pueros suos, sanctos videlicet Apostolos, in æternum quietis cubiculũ secum collegit, iam ad nos docendum neque ipse, neq; illi huc vlteriùs corporaliter redire possunt. Et hoc est quod ait: Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili: non possum surgere, & dare tibi. Nos tamen ab hac molestia, ab hac importunitate, & ab hac violentia non cessemus. Ipse enim Dominus ait: Regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. Bona est igitur hæc violentia, bona est hæc molestia & improbitas, & intantùm bona, vt panes, quos nobis Dominus pro ipsa amicitia dare non vult, propter improbitatem tamen surgens det nobis ad sufficientiam & necessitatem. Hoc est enim, quod ait: *Et ille si perseuerauerit pulsans, dico vobis, & si non dabit illi eò quòd amicus eius sit, propter improbitatẽ tamẽ eius surgens dabit ei, quot quot habet necessarios.* Vnde & adhuc subditur: *Et ego dico vobis: petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate & aperietur vobis.*

Psal. 9.

Pueri Dei, apostoli.

Matth. 11.

Tres panes.

Deut. 33.

Amicus noster Deus.

Nox, ignorantia.

Amicus de via.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bis. *Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur.* Hac enim tanta verborũ incul catione manifestè Dominus ostendit, quã solicitos, molestos, importunos, violentos, & improbos ad petendũ nos esse velit. Vnde quidam ait: Virg. i. Georg. Labor improbus omnia vincit. Sed quomodò verum est, Omnis enim qui petit, accipit? Multi enim petunt, & non accipiunt quod petunt. Hoc Luc. 11. autem de illa petitione intelligatur, de qua suprà dixit: Quærite primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Non enim in stultis petitionibus fideles suos Deus exaudit. Ipse enim scit, quid nobis opus sit. In illis igitur nos exaudit, quæ nobis salutaria esse cognoscit. Omnis igitur qui petit, accipit: si tamen ipsa petitio digna sit, quæ exaudiatur. Aliam autem petitionem Deus non exaudit. Vnde subditur: Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, nunquid lapidem dabit? aut si piscem petierit, nunquid serpentem porriget? *Si ergo uos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs uestris, quanto magis pater uester, qui in cælis est, dabit bona petentibus se?* ac si diceret: Vos qui mali estis, non mala tamẽ, sed bona data datis filijs vestris: & Deus, qui naturaliter bonus est, bona data non dabit fidelibus suis? Dabit vtique bona data, & non nisi bona dabit eis, etiam si inutilia quærant, dum se sibi profutura quærere sperant. Aliquando enim sancti non recipiendo quod petunt, magis exaudiuntur, quàm exaudirentur, si illud recipe- 2. Cori. 12. rent. Plus enim non recipiendo beatus Paulus exauditus est, quàm si illud recepisset, pro quo (sicut ipse ait) ter Dominum rogauerat. Exauditus est igitur, ne exaudiretur. Non enim nisi bona Apostolus quærebat, quanuis illud non bonum sibi esse non intelligebat. Exauditus est igitur recipiendo bonum, ne exaudiretur recipiendo non bonum. Qui enim sibi bonum non quærit, dum se sibi bonum quærere putat, si id recipiat quod quærit, non exauditur: si non recipit, exauditur. Deus igitur qui non aliud, nisi quærentis affectum considerat, bonum ei reddit, qui se bonum quærere credit, etiam si sibi non sit bonum quod quærit. Videamus autem, quid per panem, & piscem, & quid per lapidem & serpentem significetur. Ego quidem in pane sanctarũ scripturarum spiritualem intelligentiam significari puto, literam verò in lapide, quoniam in tabulis lapideis scripta est. At verò in pisce Dominum nostrum intelligo, qui in baptismi flumine primus natauit, & ad piscis similitudinem sine coitu de virgine natus est. In serpente verò quis alius intelligatur, nisi ille, qui primum hominẽ in serpente decepit? Lucas verò Euangelista præterea ouum quoque & scorpionem posuit. In ouo igitur resurrectionem intelligamus, in qua velut pulli de ouis, omnes sancti & electi de sepulchris resurgentes, sursùm ad cælestia conuolabunt. In scorpione autem diabolum vel Antichristum, qui dum latenter homines diripiũt, quasi cauda eos percutiunt. Boni itaque filij, id est, Christiani, panem petũt, quia in lege & prophetis spiritualem intelligentiam quærunt. Petunt autem & piscem, quia Christi carne saluari desiderãt. Petũt similiter & ouũ, quia firmissima spe, carnis expectant resurrectionem. At verò mali filij, id est, Iudæi, lapidem petunt, quia in scriptis voluminibus solam literam quærunt. Petũt autem & serpentem, quia in veneno & tortitudine diabolum imitantur. Petunt similiter & scorpionem, Antichristum expectantes, quem Messiam vocant: vt qui in mundi exordio in primo homine occisi sunt à dracone, circa mundi finẽ percutiantur à scorpione. Sic itaque bonis filijs, bona data petentibus, bonus pater bona data tribuit. Mali verò mala data petentes, à malo patre mala data suscipiunt.

Panis, mystice. *Lapis.* *Piscis.* *Serpens.* *Luc. 11.* *Ouum.* *Scorpio.* *Christiani quid petãt* *Quid impij dei.*

IN VIGILIA ASCENSIONIS. Ioan. xvij.

In illo tempore: Subleuatis Iesus oculis in cælum, dixit: Pater, uenit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te. Et reliqua. Homilia beati Augustini episcopi.

ANte ista, quæ nunc sumus adiuuante Domino tractaturi, 104. dixerat Iesus: Hæc locutus sum vobis, vt in me pacẽ habeatis. Quæ non recentiora paulò superi⁹ ab eo dicta, sed omnia debemus accipere, siue quæcunque illis locutus est, ex quo eos cœpit habere discipulos, siue certè ex quo post cœpit habere discipulos, siue certè ex quo post cœnam exorsus est hunc admirabilem prolixumque sermonem. Talem quippe commemorauit causam, cur eis sit locutus, vt ad eum finem rectissimè referãtur, vel omnia quæ locutus est eis, vel ea maximè, quæ dixit iam pro eis moriturus, tanquam verba nouissima, posteaquàm de conuiuio sancto ille, qui eum fuerat traditurus, egressus est. Hanc ergo commendauit causam sermonis sui, vt in illo pacem haberent: propter quod totum agitur, quòd Christiani sumus. Hęc enim pax finem temporis non habet, sed omnis piæ nostræ intentionis actionisq; finis ipsa erit. Propter hanc sacramentis eius imbuimur, propter hanc mirabilibus eius operibus & sermonibus erudimur, propter hanc spiritus eius pignus accepimus, propter hanc in eũ credimus & speramus, & eius amore quantũ donat accendimur. Hac pace in pressuris omnibus cõsolamur, hac à pressuris omnibus liberamur. Propter hanc oẽm tribulationẽ fortiter sustinemus, vt in hac felicitersine

Ex Tract. 104. in Euangelium Ioannis *Pax, finis noster.*

sine vlla tribulatione regnemus. Cùm ergo dixisset, propter quid omnia sit locutus, vt in illo scilicet pacem haberẽt, in mundo habentes pressuram, exhortatusq; fuisset vt confiderent, quia ipse vicit mundum, eo qui erat ad illos, sermone finito, deinde ad patrem verba direxit, & orare iã cœpit. sic enim Euãgelista sequitur, dicens: *Hæc locutus est Iesus, & subleuatis oculis in cælum, dixit: Pater, uenit hora, clarifica filium tuum.* Poterat Dominus noster vnigenitus & coæternus patri, in forma serui, & ex forma serui, si hoc opus esset, orare silentio: sed ita se patri exhibere voluit precatorem, vt meminisset nostrum se esse doctorem. Proinde eam, quam fecit orationem pro nobis, notam fecit & nobis: quoniam tanti magistri nõ solùm ad ipsos sermocinatio, sed etiam ipsius pro ipsis ad patrem oratio, discipulorum esset ædificatio. Et si illorum, qui hęc dicta erant audituri, profectò & nostra, qui fueramus conscripta lecturi. Quapropter hoc quod ait: Pater, venit hora, clarifica filium tuũ: ostendit omne tempus & quid quãdo faceret, vel fieri sineret, ab illo esse dispositum, qui tempori subditus nõ est: quoniã quæ futura erant per singula tempora, in Dei sapientia causas efficientes habent, in qua nulla sunt tempora. Non ergo credatur hæc hora fato vrgẽte venisse, sed Deo potiùs ordinante. Dicit ergo: Pater, venit hora mea: qui cum patre dispofuit omnes horas, tanquàm dicens: Pater, quam propter homines & apud homines ad me clarificandum simul constituimus, venit hora: clarifica filium tuum, vt & filius tuus clarificet te. Clarificatum à patre filium nonnulli accipiunt in hoc, quòd ei nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Sed si passione clarificatus dicitur, quanto magis resurrectione? Nã in passione magis eius humilitas, quàm claritas cõmendatur, Apostolo dicẽte, qui ait: Humiliauit semetipsum, Rom. 8. factus obediens vsq; ad mortẽ, mortẽ aũt crucis. Deinde sequitur, & de eius clarificatione iam dicit: Propter quod & Deus illum exaltauit, & do- Philip. 2. nauit ei nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Hæc est glorificatio Domini nostri Iesu Christi, quæ ab eius resurrectione sumpsit exordiũ. Vt ergo mediator Dei & hominũ, homo Christus Iesus resurrectione clarificaretur vel glorificaretur, priùs humiliatus est passione. Nõ enim à mortuis resurrexisset, si mortuus nõ fuisset. Humilitas, claritatis est meritũ: & claritas, humilitatis est prẽmium. Sed hoc factũ est in forma serui. In forma verò Dei semper fuit, semper erit claritas: immò nõ fuit, quasi iã nõ sit: nec erit, quasi nondũ sit: sed sine initio, sine fine semper est claritas. Quod ergo ait, Pater, venit hora, clarifica filium tuũ, sic intelligendum est, tanquã dixerit: Venit hora seminandæ humilitatis, fructum non differas claritatis. Sed quid sibi vult, quod sequitur: *Vt filius tuus clarificet te?* Nunquid etiam Deus pater humilitatem pertulit carnis siue passionis, ex qua illum clarificari oporteret? Quomodò igitur eũ clarificaturus erat filius, cuius claritas sempiterna, nec ex forma serui potuit videri minor, nec in diuina posset esse amplior? Sed glorificatũ à patre filium secundùm formam serui, quam pater suscitauit à mortuis, & ad suam dexterã collocauit, res ipsa indicat, & nullus ambigit Christianus. Sed quoniam non tantùm dixit: Pater, clarifica filium tuũ, sed addidit etiam, Vt filius tuus clarificet te: meritò quæritur, quomodò patrẽ clarificauerit filius, cũ sempiterna claritas patris, nec diminuta fuerit in forma humana, nec augeri potuerit in sua perfectione diuina. Sed in seipsa claritas patris nec minui, nec augeri potest: apud homines autem proculdubiò minor erat, quando in Iudæa tantummodò Deus notus erat, nondùm à solis ortu vsque ad occasum laudabant pueri nomen Domini. Hoc aũt quia per Euangelium Christi factũ est, vt per filiũ pater innotesceret gentibus, profectò patrem clarificauit & filius. Si aũt tantummodũ mortuus fuisset filius, nec resurrexisset, proculdubiò nec à patre clarificatus esset, nec patrem ipse clarificasset. Nunc autẽ resurrectione clarificatus à patre, resurrectionis suæ prædicatione clarificat patrem. Hoc quippe aperit ordo ipse verborum: Clarifica, inquit, filium tuum, vt filius tuus clarificet te. tanquàm diceret: Resuscita me, vt innotescãs toti orbi per me. Deinde magis magisq; pandens, quomodò clarificet patrem filius. *Sicut, inquit, dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis uitam æternã.* Omnẽ carnem, dixit omnem hominem, à parte totum significans: quemadmodùm rursus à parte superiore significatus est homo totus, vbi ait Apostolus: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Quid enim dixit, Omnis anima, nisi Omnis homo? Et hoc autẽ, q⁹ potestas Christo à patre data est omnis carnis, secundũ hominẽ intelligendũ est. Nam secundũ Deũ omnia per ip. Ioan. 1. lo & in terra, visibilia & inuisibilia. Sicut ergo de- Col. 1. disti ei potestatẽ, inquit, omnis carnis, ita clarificet te filius, id est, notũ te faciat omni carni, quã dedisti ei. Sic enim dedisti vt omne q⁹ dedisti ei, det eis vitã æternã. *Hæc est aũt uita æterna, inquit, ut cognoscãt te solũ uerum Deũ, & quẽ misisti Iesum Christum.* Ordo verborũ est: Vt te & quem misisti Iesum Christũ, cognoscãt solũ verum Deũ. Consequẽter enim & spiritus sanctus intelligitur, quia spiritus est patris & filij, tanquã charitas substantialis & cõsubstantialis amborũ: quoniã nõ duo dij pater & filius, nec tres dij pater & filius & spiritussanctus: sed ipsa Trinitas, vnus solus verus Deus, nec idem tamen pater qui filius, nec idem filius qui pater, nec idẽ spiritussanctus, qui pater & filius: quoniam tres sunt, pater & filius & spiritus-

Ex Tract. 105. in Ioannem *Psal. 75.* *Psalm. 112.* *Rom. 13.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tus sanctus: sed ipsa Trinitas, vnus est Deus. Si ergo eo modo te glorificat filius, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis: & sic dedisti, vt omne ꝙ dedisti ei, det eis vitam æternam: & hæc est vita æterna, vt cognoscant te: sic te igitur filius glorificat, vt omnibus quos dedisti ei, te cognitum faciat. Porrò si cognitio Dei est vita æterna, tanto magis viuere tèdimus, quàto magis in hac cognitione proficimus. Non autem moriemur in vita æterna. Tunc ergo Dei cognitio perfecta erit, quando nulla mors erit: summa est tunc Dei gloria. A veteribus autem gloria, qua glorioſi homines dicuntur, ita est diffinita: Gloria est frequens de aliquo fama cum laude. At si homo laudatur, cùm fame creditur, quomodò Deus laudabitur, quàdo ipse videbitur? Propter quod scriptum est: Beati qui habitant in domo tua: in secula seculorum laudabunt te. Ibi enim erit Dei sine fine laudatio, vbi erit Dei plena cognitio. Et quia plena cognitio, ideò summa clarificatio vel glorificatio. Sed priùs hic clarificatur Deus, dũ annunciatus hominibus innotescit, & per fidem credentium prædicatur, propter quod dicit: *Ego te clarificaui super terram: opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam.* Non ait, iusisti, sed dedisti: vbi cõmendatur euidens gratia. Quid enim habet, qđ non accepit, etiam in vnigenito humana natura? An non accepit, vt nihil mali, sed bona faceret omnia, quando in vnitatem personæ suscepta est à verbo, per quod facta sunt omnia? Sed quomodò consummauit opus, quod acceperit vt faciat, cùm restet adhuc passionis experimentum, vbi martyribus suis maximè præbuit, quod sequerentur exemplum, (vnde Apostolus Petrus: Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum, vt sequamini vestigia eius) nisi quia consummasse se dicit, quod se consummaturum esse certissimè nouit? Sicut longè antè in prophetia præteriti tẽporis vsus est verbis, quando post annos plurimos futurũ erat quod dicebat: Fodederunt, inquit, manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Non ait, Fodient & dinumerabunt. Et ipse in hoc Euangelio: Omnia, inquit, quæ audiui à patre meo, nota feci vobis: quibus ait posteà: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Qui enim certis & immutabilibus causis omnia futura prædestinauit, quod facturus est, fecit. Nam & per prophetã dictum de illo est. Qui fecit quæ futura sunt. Secũdùm hoc etiam quod sequitur, dicit: *Et nũc clarifica me tu pater apud temetipsum, claritate quã habui prius quàm mundus esset apud te.* Nã & suprà dixerat: Pater, venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. In quo verborum ordine ostenderat priùs à patre clarificandum filium, vt patrem clarificaret & filius. Modò autem dixit: Ego te clarificaui super terram, opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam, & nunc clarifica me: tanquàm ipse prior clarificauerit patrem, à quo deinde vt clarificetur exposcit. Ergo intelligendum est vtroque verbo superiùs vtum, secundùm id quod futurum erat, eoque ordine quo futurum erat, clarifica filium, vt filius te clarificet: modò verò vsum fuisse verbo præteriti temporis de re futura, vbi ait: Ego te clarificaui super terram, opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam. Deinde dicendo, Et nunc clarifica tu me pater apud temetipsum, quasi posteriùs esset clarificãdus à patre, quem priùs ipse clarificauerat: quod ostendit, nisi superiùs vbi ait: Ego te clarificaui super terrã, ita locutum se fuisse, tanquã fecisset, quod facturus esset: hic autem poposcisse vt pater faceret, per quod illud filius facturus esset. i. vt pater clarificaret filiũ, per quam clarificationẽ filij, etiam filius esset clarificaturus patrem? Sed hanc prædestinationẽ in sua clarificatione manifestiùs aperuit, qua eum clarificauit pater, in eo quod adiunxit, Claritate quã habui priusquàm mundus esset apud te. Ordo verborũ est: Quam habui apud te, priusquàm mundus esset. Ad hoc valet, quod ait: Et nunc clarifica me, hoc est, sicut tunc, ita & nũc. Sicut tunc prædestinatione, ita & nunc perfectione. Fac in mũdo, quod apud te iã fuerat ante mundũ. Fac in suo tempore, quod ante omnia tempora statuisti. Hoc quidã sic intelligendũ putarunt, tanquã natura humana, quæ suscepta est à verbo, conuerteretur in verbum, & homo mutaretur in Deum, immò si diligentiùs quod opinati sunt cogitemus, homo periret in Deo. Non enim quisquam ex ista mutatione hominis, vel duplicari Dei verbum dicturus est vel augeri, vt aut duo sint quod vnum fuit, aut amplius sit quod minus fuit. Porrò si natura humana in verbum mutata atque conuersa, verbum Dei quantum erat, & quod erat, hoc erit, vbi est homo si non perit? Sed ad hanc opinionẽ, quam veritati prorsùs non video conuenire, nihil vos vrget, si filio dicẽte, & nunc clarifica me tu pater apud temetipsum, claritate quam habui priusquã mũdus esset apud te: intelligamus prædestinationem claritatis humanæ, quę in illo est, naturæ ex mortali immortalis apud patrem futuræ: & hoc iam prædestinando fuisse factũ antequàm mundus esset, quod in mũdo etiam suo tempore fieret. Si enim de nobis dixit Apostolus: Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, cur abhorrere putatur à vero, si tunc pater caput nostrũ glorificauit, quando nos in ipso vt membra eius essemus, elegit? Hinc audiamus Apostolum in suarũ exordio literarum. Nam & prima epistolarũ eius quæ est ad Romanos, & ipsius epistolæ principium est, vbi legitur: Paulus seruus Christi Iesu, vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, quod antè promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo, qui factꝰ est ei ex semine Dauid secundũ carnem,

Cognitio Dei, vita æterna.

Cicero 2. de inuent.

Psalm. 83.

1. Pet. 2.

Psal. 21.

Ioan. 15.

Ioan. 16.

Ephes. 1.

Rom. 1.

nem, qui prędestinatus est filius Dei in virtute secundùm spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum. Secundùm hanc ergo prædestinationem etiam clarificatus est antequàm mũdus esset, vt esset claritas eius ex resurrectione mortuorum apud patrem, ad cuius dexteram sedet. Cùm ergo videret illius prædestinatæ suæ clarificationis venisse iam tempus, vt & nunc fieret in redditione, quod fuerat in prædestinatione iam factum, orauit dicens: Et nunc clarifica me tu pater apud temetipsum, claritate quã habui, priusquàm mundus esset apud te. Tanquã diceret: Claritatem quã habui apud te: id est, illam claritatem, quam habui apud te in prædestinatione tua, iam tempus est, vt apud te habeã etiam viuens in dextera tua. *Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum seruauerunt. Nunc cognouerũt, quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt: quia uerba quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt, & cognouerunt uerè, quia à te exiui, & crediderunt quia tu me misisti.* Quanquàm & hæc omnia de futuris omnibus fidelibus dici potuerunt specie perfecta, cùm adhuc essent futura: sed vt de his solis, quos tũc habebat, discipulis hæc loqui intelligatur, illud magis vrget, quod paulò pòst ait: *Quum essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo: quos dedisti mihi, custodiui, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut scriptura adimpleatur.* Iudam significans, qui tradidit eum. ex isto quippe duodenario Apostolorum numero solus perijt. Deinde subiungit: *Nunc autem ad te uenio.* Vnde manifestũ est, eum de corporali sua dixisse præsentia, Cùm essem cum eis, ego seruabam eos, veluti iam cum eis ea præsentia non esset. Eo modo enim significare voluit ascensionem suam mox futuram, de qua dixit: Nunc autem ad te venio: iturus vtique ad dexteram patris, vnde est venturus ad viuos & mortuos iudicandos, prędentia itidem corporali secundùm fidei regulam, sanamque doctrinam. Nam præsentia spiritali cum eis erat vtique futurus post ascensionem suam, & cum tota Ecclesia sua in hoc mundo vsque ad consummationem seculi. Non itaq; rectè intelliguntur, de quibus dixerit, Cùm essem cum eis, ego seruabam eos: nisi hi, quos in se credentes seruare iam cœperat prędentia corporali, & quos relicturos erat absentia corporali, vt eos cum patre seruaret prędentia spiritali. Pòst verò adiungit & cæteros suos, vbi dicit: Non pro his autẽ rogo tantùm, sed & pro eis, qui crediturí sunt per verbum eorum in me. Vbi manifestiùs ostendit, quòd non de omnibus ad eum pertinentibus superiùs loqueretur, ab eo loco vbi ait, Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi: sed de his tantùm, qui eum eũ illa diceret, audiebant. Iã nũc ergo videamus, quid de illis, à quibus tunc audiebatur, discipulis suis dicat: *Manifestaui*, inquit, *nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi.* Non ergo nouerant Dei nomen, cùm essent Iudæi? Et vbi est, quod legitur: Notus in Iudæa Deus, in Israël magnum nomen eius? Ergo manifestaui nomen tuum hominibus istis, quos dedisti mihi de mundo, qui me audiunt hæc dicentem. Non illud nomen tuũ, quo vocaris Deus, sed illud quo vocaris pater meus: quod nomen manifestari sine ipsius filij manifestatione non posset. Nam quod Deus dicitur vniuersæ creaturæ, etiam omnibus gentibus, antequàm in Christum crederent, non omnimodò esse potuit hoc nomen ignotum. Hæc est enim vis verè diuinitatis, vt creaturæ rationali iam ratione vtenti, non omninò ac penitùs possit abscondi. Exceptis enim paucis, in quibus natura nimiũ deprauata est, vniuersum genus humanũ Deũ mundi huius fatetur authorẽ. In hoc ergo, quòd fecit hunc mundum cælo terraq; conspicuum, & antequàm imbuerentur in fide Christi, notus omnibus gentibus Deus. In hoc autem, quòd non est iniurijs suis cum dijs fallis colendus, notus in Iudæa Deus. In hoc verò, quòd pater est huius Christi, per quẽ tollit peccata mũdi: hoc nomẽ eius priùs occultum omnibus, nũc manifestauit eis, quos dedit ei pater ipse de mũdo. Sed quomodo manifestauit, si nondum venit hora, de qua superiùs dixerat, quòd veniet hora, cùm iam non in prouerbij, inquit, loquar vobis, sed palàm de patre meo annũciabo vobis? An verò annũciat: o manifesta putabitur in prouerbijs? Cur ergo dictum est, Palàm annunciabo vobis, nisi quia in prouerbijs non est palã? Quod autem non in prouerbijs occultatur, sed verbis manifestatur, proculdubiò palàm dicitur. Quomodò ergo manifestauit, quod nondùm palàm dixit? Proinde sic intelligendum est, pro tempore futuro præteritum positum, quemadmodùm illud: Omnia quæ audiui à patre meo, nota feci vobis: quod nondùm fecerat, sed loquebatur quasi fecisset, quod immutabiliter esse præscium sciebat vt faceret. Quid est autem, *Quos dedisti mihi de mundo?* Dictum est enim de illis, quòd non essent de mundo. Sed hoc illis regeneratio præstitit, non generatio. Quid est etiam, quod sequitur: *Tui erant, & mihi eos dedisti?* An aliquando erant patris, quando non erant vnigeniti filij eius, & habuit aliquando pater aliquid sine filio? Absit. Veruntamen habuit aliquid aliquando Deus filius, quod nondum habuit idem ipse homo filius, quia nondum erat homo factus ex matre, quando tamen habebat vniuersa cum patre. Quapropter quod dixit, Tui erant: non se inde separauit Deus filius, sine quo nihil vnquam pater habuit: sed solet ei tribuere omne quod potest, à quo est ipse qui potest. A quo enim habet vt sit, ab illo habet vt possit: & simul vtrunq; semper habuit, qui nunquàm non fuit, & nunquã non potuit. Quocirca quicquid potuit pater, semper cum illo filius potuit: quoniã ille qui nunquam non fuit, & non potuit, nunquã sine patre fuit, nunquã sine illo pater fuit. Ac per hoc sicut pater æternus omnipotẽs, ita filius co-

Ex Tract. 106 in Ioannem.

Psal. 75.

Vis uera deitatis.

Ioan. 15.

æter-

Universidad de Deusto
Biblioteca

æternus omnipotens:& si omnipotens, vtique omnitenens. Id enim verbum potiùs verbo interpretamur,si propriè volumus dicere, quod à Græcis dicitur παντοκράτως: quod nostri non sic interpretarentur, vt omnipotens dicerent, cũ sit παντοκράτωρ omnitenens, nisi tantundem valere sentirent. Quid igitur vnquàm habere potuit æternus omnitenens , quod non simul habuerit coæternus omnipotens? Quòd itaque ait, & mihi eos dedisti: hominem se accepisse hanc potestatem, vt eos haberet, ostendit : quoniam qui semper omnitenens fuit, non semper homo fuit. Quamobrem cùm patri potiùs tribuisse videatur, vt ab eo illos acceperit: quoniam ex ipso est, quicquid est de quo est: etiam ipse sibi eos dedit: hoc est , cum patre Deus Christus homini Christo, quod cum patre non est, homines dedit. Denique qui hoc loco dicit, Tui erant,& mihi eos dedisti, iam superiùs eisdem discipulis dixerat: Ego elegi vos de mundo. Conteratur hic cogitatio carnalis, atque dispereat. De mundo sibi à patre dicit filius datos homines, quibus alio loco dicit : Ego vos elegi de mundo. Quos Deus filius de mundo elegit cum patre, idem ipse homo filius de mundo eos accepit à patre. Nõ enim illos pater filio dedisset, nisi elegisset. Ac per hoc filius sicut non inde separauit patrem, quando dixit: Ego vos de mundo elegi, quoniã simul eos elegit & pater: sic nõ inde separauit & se, quando dixit: Tui erant, quia & ipsius filij pariter erant. Nunc autem homo idem ipse filius accepit eos, qui non erant ipsius : quia & formã serui accepit Deus , idem, quæ non erat ipsius. Sequitur ac dicit: *Et sermonem tuum seruauerunt. Nũc cognouerunt , quia omnia quæ dedisti mihi , abs te sunt*: id est, cognouerũt, quia abs te sum. Simul enim pater dedit omnia, cùm genuit qui haberet omnia. *Quia uerba, inquit, quæ dedisti mihi, dedi eis , & ipsi acceperunt.* Id est, intellexerunt atque tenuerũt. Tunc enim verbum accipitur, quando mente percipitur. *Et cognouerunt, inquit, uerè, quia à te exiui: & crediderunt, quia tu me misisti.* Et hic subaudiendũ est, verè. Quòd enim dixit, Cognouerũt verè, exponere voluit adiungendo, Et crediderunt. Hoc itaque crediderunt verè, quod cognouerunt verè. Id est enim, A te exiui, quod est, Tu me misisti. *Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo , sed pro his, quos dedisti mihi.* Mundum vult modò intelligi, qui viuunt secundùm concupiscentiam mundi, & nõ sunt in ea sorte gratiæ, vt ab illo eligantur ex mũdo. Non itaque pro mundo, sed pro his, quos ei pater dedit, rogare se dicit. Per hoc nanq;, quòd eos illi pater iam dedit, factum est vt non pertineant ad eum mundum, pro quo non rogat. Deinde subiungit: *Quia tui sunt.* Neque enim quia pater eos dedit filio, amisit ipse quos dedit, cùm adhuc filius sequatur, & dicat : *Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt.* Vbi satis apparet, quomodò vnigeniti filij sint omnia, quę sunt patris. Per hoc vtiq;, quod etiam ipse Deus est, & de patre patri natus est æqualis. *Et clarificatus sum, inquit, in eis.* Nunc suam clarificationem tanquàm facta sit dicit, cùm adhuc esset futura. Dicendo enim esse iam factum, ostendit iam fuisse prædestinatum, & certum haberi voluit, quod esset futurum. *Et iam, inquit, non sum in mundo, & hi in mundo sunt.* Si horam prorsùs illam, qua loquebatur, attendas, vtrique adhuc in mundo erant, & ipse scilicet, & illi de quibus hæc dicebat. Non enim secundùm profectum cordis & vitæ hoc accipere possumus vel debemus, vt illi propterea adhuc esse dicantur in hoc mundo, quòd mundana adhuc sapiãt: ille autem iam non esse in mundo, sapiendo diuina. Positum est hîc enim vnum verbum, quod nos ita intelligere omnino non sinat, quia non ait, Et non sum in mundo, sed, Iam non sum in mundo: per hoc ostendens fuisse se in mundo, iam non esse. Nunquid ergo fas est, vt eum credamus aliquando mundana sapuisse, & ab hoc errore liberatum, iam illa non sapere? Quis tam impio sensu se induerit? Restat igitur, vt secundùm id, quòd ipse etiam in mundo priùs erat, in mundo se dixerit iam non esse: profectò præsentia corporali, à mundo scilicet absentiam suam iam citò futuram, illorũ autem tardiùs : per hoc ostendens, quòd se iam non hic esse, illos autem hic esse dixit, cùm & ipse hic & illi adhuc essent. Sic enim est locutus homo congruens hominibus, vt mos loquendi sese habet & humanus vsus. An non quotidiè dicimus, Iam non est hic, de aliquo quantocius abituro? Et maximè hoc de morituris solet dici. Quanquàm & ipse Dominus, tanquàm præuidens quid lecturos moueret posset, adiecit: Et ego ad te venio, sic exponens quodammodò cur dixerit, Iam non sum in mundo.

Ioan. 15.

Ex Tract. 107. in Ioannem.

IN ASCENSIONE CHRISTI, IN LECTIONEM Epistolæ loco, Concio exegetica.

Sicut in solennitate Paschali, inquit Leo I. Romanus pontifex, resurrectio Domini fuit nobis causa lætãdi: ita ascensio eius in cælos præsentium nobis est materia gaudiorũ, recolentibus illam diem & ritè venerantibus, qua naturæ nostræ humilitas in Christo super omnem cæli militiam, super omnes ordines angelorum, & vltra omnium altitudinem potestatum, ad Dei patris est prouecta confessũ. Quo ordine operum diuinorum nos fundati, meritò reuerentiam sui sentiebantur indicere, fides non deficeret, spes non fluctuaret, charitas non teperet. Hæc ille. Sed ad ipsam sacratissimę diei

Ser. 2. de ascensione Domini.

diei huius lectionẽ, ex actis Apostolicis sumptã, iam agè accedamus. *Primum quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Iesus facere & docere, usque in diem, qua præcipiens Apostolis, per spiritum sanctum quos elegit, assumptus est.* Hunc Theophilum Oecumenius principem fuisse dicit: Ambrosius exponens proœmium S. Lucæ in Euangelium suum, ait illud scriptum ad eum, quem diligit Deus: sic enim Theophylus latinè redditur. Si Deum diligis, inquit idem Ambrosius, ad te scriptum est. Si ad te scriptum est, susципe munus Euangelistæ, pignus amici in penetralibus animi diligenter asserua. Hæc Ambrosius. Chrysostomus hîc Euangelistæ Lucæ obseruat humilitatẽ, quòd non Euangelium , sed sermonem vocet priorem librum suum, tanquàm se agnoscat Euangelistæ nomine indignum. Magna enim in illis beatissimis patribus, putà Apostolis & Euangelistis, modestia & humilitas fuit, adeò vt ipse quoque Gentium Doctor Paulus se minimum vocet Apostolorum, immò Apostoli vocabulo indignum asserat. Aduertendum autem est, Lucam Euangelistam se non omnia facta & dicta Domini Iesu, sed de omnib⁹ scripsisse testari, vt secundùm Chrysostomum, nouerimus eũ summatim & in genere se scripsisse intelligi velle, aut certè de omnibus necessarijs. Iam quòd ait se ea scripsisse, quæ cœpit Iesus facere & docere, non temerè annotarunt sanctissimi Patres, Christum quæ verbo docuit, priùs factis præstitisse. Et tu fac similiter. Nihil enim eo doctore frigidius, teste Chrysostomo in hunc locũ, qui verbis dũtaxat philosophatur. neq; enim hoc doctoris est, sed histrionis & hypocritæ. Eoque Apostoli, vt ait idem, priùs vitæ exemplis docebant, deinde verbis. Quid autem præcepit Apostolis? Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis. Sic Chrysostomus. *Quibus & præbuit seipsum uiuum post passionem suam, in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.* Qua de causa, ait Chrysostomus hoc loco, non apparuit omnibus, sed discipulis tantùm? Quoniam multis illorum visum fuisset spectrum, videlicet ijs , qui non nouerant arcanum mysterij. Etenim si ipsi discipuli diffidebant initiò ac turbabantur, & opus erat vt manibus contrectarent, opus erat mẽsa cõmuni, quomodò verisimile est affectos futuros fuisse vulgares istos? Diuus Cyprianus in Sermone de ascensione Domini, Celebrata, inquit, in cruce solenni victoria, cùm iam templum corporis sui, quod persecutio Iudæorum effoderat, Dominus reparasset, noluit statim ad Patrem ascendere, & glorificati corporis præsentiam inferre cælestibus: sed necessaria dispensatione discipulorum infirmitati consulens, vtiliter distulit, & quadraginta diebus in terra conuersatus, & visus est sæpè, & locutus cum Apostolis, & manducauit & bibit, & vulnera, quæ ad dubietatem eorum tollendam in corpore reseruarat, & vidẽda & palpanda exposuit, & impleta in se, quæ in scripturis erant prædicta, euidentia rerum edocuit. Ad hoc necessaria fuit huius temporis mora, vt recollectis quos in fugam timor impegerat, quos supplicium crucis terruerat, in multis argumentis apparens, mentes quæ diffidentia titubauerant, solidaret: nec esse phantasticum sed verum corpus quod surrexerat, tam comessationibus quàm contrectationibus probaret. Ad hoc dilata est ascensionis gloria, vt sub hoc dierum interstitio præcedens doctrina affectibus firmaretur, immò vt discipulorum desideria recessionem eius corporalem ambirent : quia spiritalis præsentiæ plenitudo, quandiù conspectu carnis præsens aderat, aduentare non poterat: & paulatim in hoc conducti sunt, vt libenter consuetudine conuictus assueti carerent , cùm inhabitator Spiritus sanctus eorum animas possidens, inuisibili accessu synceriores eis affectus infunderet, & aperiret interiores oculos ad intuendum intellectu puro patrem luminum , & substantia rerum sperandarum proposita apparentia sepeliret: nec incertitudinis scrupulus superesset, cùm Dominus & Magister , quem verũ hominem probauerant, eis videntibus cælum ascenderet: sed iam securi se crederẽt secuturos, nec esse impossibile, quin & ipsi in carne & spiritu ad superos transferrentur. Hæc Cyprianus. Est autem hîc obseruandum, iuxta Chrysostomum , quòd non dicitur diebus quadraginta, sed per dies quadraginta apparuisse discipulis. Non enim ità erat perpetuò cum illis à resurrectione, vt anteà: sed modò aduolabat, modò deuolabat, vt discipulorum animos ad altiora subueheret, ne sic erga ipsum essent affecti, vt priùs. Itaque & subinde se visendum prębebat, vt veritas resurrectionis ostẽderetur: & rursùm se subducebat, vt deinceps maior humana conditione haberetur. Nec de rebus friuolis cum illis locutus est, sed de regno Dei, tam de militãte quàm triumphante Ecclesia, & quæ ad hanc flagranti desiderio appetendam, ad illam disponendam pertinerẽt. *Et conuescens præcepit eis, ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem patris, quam audistis, inquit, per os meum: quia Ioannes quidem baptizauit aqua, uos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.* Conuesci voluit, vt resurrectionis fides adstrueretur. Quemadmodùm verò milites, ait Chrysostomus, in multitudinem erupturos nemo patitur exire, priusquàm armati fuerint, neque quisquam equos finit à carcere prosilire, priusquàm aurigam nacti sint : ita nec Christus discipulos suos passus est in acie conspici, priusquàm descenderet Spiritus, ne facilè caperentur & abducerentur à multitudine. Sed quam ob causam non tum protinùs venit Spiritus sanctus? Oportebat illos desiderio promissi *tus* teneri, atque ita donum accipere. Ideoque cùm ipse digressus esset, tum aduenit Spiritus: qui si *tus* ve-

Act. 1.

Theophilus quis fuerit.

Cur Dominus suam in cælos ascensionem distulerit.

Vt Christus discipulis apparuerit.

Cur dilatus sanctus?

Universidad de Deusto
Biblioteca

veniſſet eo præſente, non habuiſſet illos tam ardens expectatio. Et ideò non protinùs ab aſcenſione Domini venit ſpiritus, ſed poſt octo aut nouem dies. Itidem & nos tum maximè excitamur in Deum, quoties in neceſsitate conſtituti ſumus. Hæc Chryſoſtomus. Fuiſſe autem Apoſtolos iam antè baptizatos baptiſmo Chriſti, ſatis indicare videtur Auguſtinus Epiſtola 108. ad Seleucianam. Quòd verò Dominus non certum exprimit diem, quo venturus ſit ſpiritus ſanctus, eò facit, vt ad ſui præparationem accuratiorem eos excitet: nec tamen diù dilatum iri propterea ſignificat, ne animis deijciantur, vt vult Chryſoſtomus. *Igitur qui conuenerant, interrogabant eum dicentes: Domine, ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſraël? Dixit autem eis: Non eſt ueſtrum noſſe tempora uel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate.* Diſcipuli quidam adhuc rudes & ignari, quale eſſet regnum Chriſti, ſperaſſe videntur Chriſtum regnum Iſraëliticum inſtauraturum: ſed meminiſ-
Ioan. 18. ſe debebant illum dixiſſe Pilato, Regnum meũ non eſt de hoc mundo. Non ideò filius Dei dignatus eſt eſſe filius hominis, vt temporarium reſtitueret regnum, ſed vt æternùm cum ipſo regnemus in cælis. Placidè verò illorum caſtigat curioſitatem, qua id noſſe volebant, quod nullo eis eſſet vſui futurum. Hac autem Domini reſponſione, vt innuit Oecumenius, Mathematici delirantes egregiè retunduntur, qui cùm ab aſtris pendeant, non vident Deum Opt. Max. tempora in ſua poſuiſſe poteſtate. Et eſt certè dolendum tam multum tribui à pleriſq; ſuperſtitioſæ huic aſtrologorum diuinationi, quæ à ſcripturis diuinis, à patribus ſanctiſsimis, & ciuilibus quoque legibus damnatur. *Sed accipietis uirtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in uos, & eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ.* Solent boni præceptores non id dicere diſcipulis, quod noſſe delectet, ſed quod expediat: ita & Chriſtus non reſpondet diſcipulorum percontationi, verùm id dicit, quod eis ſciebat longè fore vtiliſsimum, nempe eos propediẽm accepturos virtutem Spiritus ſancti, quæ adeò ipſos confirmaret, vt qui paulò antè ne Ieroſolymis quidem eum auſi fuerint prædicare, iam toto orbe illi ſint teſtimonium reddituri. Quibus verbis etiam Catholica Eccleſia commendatur, quæ toto eſt terrarum orbe diffuſa, cùm hæreſes plerunque in aliquo orbis angulo latitent, aut ſi propagentur longiùs, citò tamẽ in multas ſcindantur, easque pugnantes factiones. *Et cùm hæc diciſſet, uidentibus illis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.* Non aliena, ſed propria virtute eleuatus eſt, & aſpectantibus diſcipulis è terris in cælum aſcendit, vt & illorum & noſtrum omnium deſideria ſurſùm attraheret, ne in his caducis rebus hæreamus. Suſcepit autem eum nubes, quod erat cœli ſymbolum, vt ait Chryſoſtomus. Papæ, inquit idem, quo ſpectaculo dignatus eſt diſcipulos Dominus? *Cùmque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo uiri aſtiterunt iuxta illos in ueſtibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cælum? Hic Ieſus qui aſſumptus eſt à uobis in cælum, ſic ueniet, quemadmodùm uidiſtis eum euntem in cælum.* His verbis, inquit Leo Pontifex Sermone 2. de aſcenſione Domini, omnes Eccleſiæ filij docebantur, vt Ieſus in eadem, qua aſcenderat, carne venturus viſibilis crederetur: nec poſſet ambigi omnia illi eſſe ſubiecta, cui ab ipſo corporeæ natiuitatis exordio famulatus ſeruiſſet angelicus. Sicut enim concipiendum Chriſtum de Spiritu ſancto beatæ virgini Luc. 1.
angelus nunciauit, ſic & editum de virgine vox Luc. 2.
cæleſtium paſtoribus cecinit. Sicut reſurrexiſſe à mortuis ſupernorum nunciorum prima teſtimonia docuerunt, ſic ad iudicandum mundum in ipſa carne venturum angelorum officia prædicarunt: vt intelligeremus quantæ poteſtates ſint adſuturæ cum iudicaturo, cui tantæ miniſtrarunt etiam iudicando. Hæc Leo. Quòd ait, Nubes ſuſcepit eum, inquit Chryſoſtomus hoc loco, his verbis declarat illum eſſe regem cęlorum. Quemadmodùm currus regalis declarat ipſum regem, ſic & ad illum miſſum eſt regale vehiculum, ne quid triſte loquerentur, nec idem illis
4. Reg. 2. accideret, quod accidit Eliſæo, qui magiſtro aſſumpto in cælum, dilacerauit tunicam ſuam. Quid autem dicunt angeli? Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet. Quùm verò ſic eſſent locuti, ne conſternarent illorum animos, ſubiecerunt, Sic veniet. Reſpirarunt aliquantulùm, cùm audiſſent eum denuò rediturũ, præterea ſic rediturum, vt intelligerent illum ſic rediturum, vt adiri poſsit. Rurſus hæc particula, A vobis, non ſimpliciter addita eſt, ſed commendat Domini charitatem erga illos, quos è mundo ſelegerat, docetque eum nunquam deſerturum quos elegerat. Itaque ſuæ quidem reſurrectionis ipſe fuit teſtis, quòd id eſſet omniũ maximè mirandum, quæ acciderant poſt partum virginis, immò & omnium quæ contigerũt ante virginis partum, videlicet quòd ipſe ſuſcitaret ſeipſum. Ait enim, Soluite templum hoc, & Ioan. 2.
ego excitabo illud. Cæterùm poſterioris aduentus angeli fuere teſtes, dicentes, Sic veniet. Proinde ſi quis deſiderat videre Chriſtum, ſi quis dolet quòd illum non viderit, hoc angelorum audito ſermone, Sic veniet, vitam admirandis virtutibus componat, & omninò viſurus eſt, quem deſiderat, nec fruſtrabitur ſuo voto. Nam maiore cum gloria veniet: ſic tamen veniet, cum nube cum gloria veniet: ſic tamen veniet, cum corpore. Sed multò magis admirandum eſt, videre eum è cælo deſcendentẽ, quàm è terris in cælum aſcendentem. Hæc Chryſoſtomus. Poſtquàm igitur Chriſtus aſcendit in cælum, aſcendat cum illo & cor noſtrum, ſit deinceps conuerſatio noſtra in cælis: & ſi Chriſtus eſt theſaurus noſter, ſit in cælis cor noſtrum. Nó habemus hic manentem ciuitatem, ſed domum non manufactam, æternam in cælis. Ibi nos expectant quotquot eò iam peruenerunt, liberati ab his periculis & tempeſtatibus, quibus plenus eſt hic mundus. Cupiunt nos ſecum habere in illis beatis & lucidiſsimis manſionibus. Agedùm incaleſcamus animis, tendamus ad illam veram ſemperque manſuram beatitudinem, & ſine tædio & abſque pigritia tendamus. Tot nos ſanctorum millia præceſſerunt, vt dubitare iam nó liceat patere etiam nobis aditum, modò peruenienti non deſit ſtudium. O nos miſeros, qui im menſa illa beatæ vitæ gaudia, illas cæleſtis paradiſi ineffabiles delicias vſqueadeò faſtidimus.
Pſaml. 35. Filij hominum, ait Propheta regius, in tegmine alarum tuarum ſperabunt: inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Præſtet id nobis gratia & benignitate ſua Chriſtus Deus ac Dominus noſter, Amen.

IN DIE ASCENSIONIS.
Mar. XVI.

In illo tempore: Recumbentibus undecim diſcipulis, apparuit illis Ieſus, & exprobrauit incredulitatem illorum & duritiam cordis. Et reliqua. Homilia beati Gregorij Papæ.

Cunctatio diſcipulorum noſtram confirmat fidem.

QVòd reſurrectionem dominicam diſcipuli tardè crediderunt, non tam illorum infirmitas, quàm noſtra, vt ita dicam, futura firmitas fuit. Ipſa nanq; reſurrectio illis dubitantibus per multa argumenta monſtrata eſt, quæ dum nos legentes agnoſcimus, quid aliud, quàm de illorum dubitatione ſolidamur? Minùs enim mihi Maria Magdalene præſtitit, quæ citiùs credidit, quàm Thomas, qui diù dubitauit. Ille enim dubitãdo vulnerum cicatrices tetigit, & de noſtro pectore dubietatis vulnus amputauit. Ad inſinuandã quoque veritatem dominicæ reſurrectionis, no
Act. 1. tandum nobis eſt, quid Lucas referat, dicens: Conueſcens præcepit eis, ab Hieroſolymis ne
ibidem. diſcederent. Et poſt pauca: Videntibus illis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Notate verba, ſignate myſteria. Conueſcẽs eleuatus eſt. Comedit & aſcendit, vt videlicet per effectum comeſtionis, veritas pateſceret carMar. 19. nis. Marcus verò priuſquàm cælum Dominus aſcenderet, illum de cordis atque infidelitatis duritia increpaſſe diſcipulos memorat. Qua in re quid conſiderandum eſt, niſi quod idcircò Dominus tunc diſcipulos increpauit, cùm corporaliter reliquit, vt verba quæ recedens diceret, in corde audientium arctiùs impreſſa remanerent? Increpata igitur eorum duritia, quid admonendo dicat, audiamus: *Euntes in mundũ uniuerſum, prædicate euangelium omni creaturæ.* Nũquid, fratres mei, ſanctũ Euangeliũ vel inſenſatis rebus, vel brutis animalibus fuerat prædicandũ, vt de eo diſcipulis dicatur, Prædicate omni creaturæ? Sed omnis creaturæ nomine ſignatur homo. Sunt nãq; lapides, ſed nõ viuũt nec ſentiũt. Sunt herbæ & arbuſta, viuunt quidem, ſed non ſentiunt: viuunt dico non per animam, ſed per viriditatem, quia & Paulus dicit: Inſipiens, tu quod ſeminas, non vi- 1 Cor. 15.
uificatur, niſi priùs moriatur. Viuit ergo, quod moritur, vt viuificetur. Lapides itaque ſunt, ſed non viuunt. Arbuſta etiam ſunt & viuunt, ſed nõ ſentiunt. Bruta verò animalia ſunt, viuunt, ſentiunt, ſed non diſcernunt. Angeli etenim ſunt, viuunt, ſentiunt, & diſcernunt. Omnis autẽ creaturæ aliquid habet homo. Habet nanq; commune eſſe cum lapidibus, viuere cum arboribus, ſentire, cũ animalibus, intelligere cũ angelis. Si ergo commune habet aliquid cum omni creatura homo, iuxta aliquid omnis creatura eſt homo. Omni ergo creaturæ prædicatur Euangeliũ, cùm ſoli homini prædicatur: quia videlicet ille docetur, propter quem in terra omnia creata ſunt, & à quo omnia per quandam ſimilitudinẽ aliena non ſunt. Poteſt etiam omnis creaturæ nomine, omnis natio gentium deſignari. Antè enim dictum fuerat: In viam gentium ne abieritis. nunc autem dicitur: Prædicate Euangelium omni creaturæ, vt ſcilicet priùs à Iudæa Apoſtolorum repulſa prædicatio, tunc nobis in adiutorium fieret, cùm hanc illa ad damnationis ſuæ teſtimonium ſuperba repuliſſet. Sed cùm diſcipulos ad prædicandum veritas mittit, quid aliud in mundo facit, niſi grana ſeminis ſpargit? & pauca grana mittit in ſemine, vt multarum meſsium fruges recipiat ex noſtra fide. Neque enim in vniuerſo mundo tanta fidelium meſsis exurgeret, ſi de manu Domini ſuper rationalem terrã illa electa grana prædicantium non veniſſent. Sequitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui uerò non crediderit, condemnabitur.* Fortaſſe vnuſquiſque apud ſemetipſum dicat: Ego iam credidi, ſaluus ero. Verum dicit, ſi fidem operibus tenet. Vera etenim fides eſt, quæ in hoc quod ver- Vera fides
bis dicit, moribus non contradicit. Hinc eſt enim, quod de quibuſdam falſis fidelibus Paulus Tit. 1.
dicit: Qui confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. Hinc Ioannes ait: Qui dicit ſe noſſe 1. Ioan. 2.
Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt. Quod cùm ita ſit, fidei noſtræ veritatem in vitæ noſtræ conſideratione debemus agnoſcere. Tunc enim veraciter fideles ſumus, ſi quod Verè fideles.
verbis promittimus, operibus implemus. In die quippe baptiſmatis omnibus nos antiqui hoſtis operibus, atque omnibus pompis abrenunciare promiſimus. Itaque vnuſquiſque veſtrum ad cõſiderationem ſuam mentis oculos reducat, & ſi ſeruat poſt baptiſmum, quod ante baptiſmum ſpopondit: certus iam quia fidelis eſt, gaudeat. Sed ecce quod promiſit, minimè ſeruauit: ad excenda praua opera, ad concupiſcendas mundi pompas dilapſus eſt: videamus ſi iam ſit plange-

Omnis creatura, homo.

Omnia propter hominem condita. Matth. 10

Universidad de Deusto
Biblioteca

re,quòd errauit. Apud misericordem nanque iudicem,nec ille fallax habebitur,qui ad veritatem reuertitur etiam postquam mentitur : quia omnipotens Deus dum libenter nostram pœnitentiam suscipit, ipse suo iudicio hoc quod erramus,abscondit. *Signa autem eos qui crediturí sunt, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Nunquidnam fratres mei, quia ista signa non facitis,minimè creditis? Sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt. Vt enim ad fidem crescęret, miraculis fuerat nutrienda: quia & nos cùm arbusta plantamus,tandiù eis aquam fundimus, quousque ea in terra iam conualuisse videamus. At si semel radicem in terra fixerint,irrigatio cessabit. Hinc est enim,quod Paulus dicit: Linguæ in signum sunt,non fidelibus,sed infidelibus. Habemus de his signis atque virtutibus,quæ adhuc subtiliùs considerare debeamus. Sancta quippe Ecclesia quotidie spiritaliter facit, quod tunc per Apostolos corporaliter faciebat. Nam sacerdotes eius cùm per exorcismi gratiam manum credentibus imponunt,&habitare malignos spiritus in eorum mẽte contradicunt,quid aliud faciunt, nisi dæmonia eijciunt? Et fideles quique, qui iam vitæ veteris secularia verba derelinquunt, sancta autem mysteria insonant, conditoris sui laudes & potentiam quantum prævalent,narrant: quid aliud faciunt,nisi nouis linguis loquuntur? Qui dum bonis suis exhortationibus malitiam de alienis cordibus auferunt,serpentes tollunt. Et dum pestiferas persuasiones audiunt, sed tamen ad operationem prauâ minimè pertrahuntur,mortiferum quidem est quod bibunt,sed non eis nocebit. Qui quoties proximos suos in bono opere infirmari conspiciunt,dum eis tota virtute cõcurrunt,& exemplo suæ operationis illorum vitam roborant, qui in propria actione titubant, quid aliud faciunt, nisi super ægros manus imponunt,vt benè habeant? Quæ nimirùm miracula tanto maiora sunt,quanto spiritalia: tanto maiora sunt,quanto per hæc non corpora, sed animæ suscitantur. Hæc itaque signa,fratres charissimi,authore Deo,si vultis,vos facitis. Ex illis enim exterioribus signis obtineri vita ab hæc operantibus non valet. Nam corporalia illa miracula ostendunt aliquando sanctitatem,non autẽ faciunt. Hæc verò spiritalia,quæ aguntur in mente,virtutem vitæ non ostendunt,sed faciunt. Illa habere & mali possunt, istis autem perfrui nisi boni non possunt. Vnde de quibusdam veritas dicit: Multi dicent mihi in illa die: Domine Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus,& in nomine tuo dæmonia eiecimus ,& in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc cõfitebor illis,quia nunquam noui vos, discedite à me omnes,qui operamini iniquitatem. Nolite ergo,fratres charissimi , amare signa, quæ possunt cum reprobis haberi communia: sed hæc, quæ modò diximus,charitatis atque pietatis miracula amate,quæ tanto securiora sunt, quanto & occulta:& de quibus apud Dominum eò maior fiet retributio,quò apud homines minor est gloria. Sequitur: *Et Dominus quidem iesus postquàm locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei.* In veteri testamento cognouimus, quòd Elias raptus sit in cælum. Sed aliud est cælum aereum,aliud æthereum. Cælum quippe aëreum terræ est proximum: vnde & aues cæli dicimus, quia eas volitare in aëre videmus. In cælum itaque aëreum Elias subleuatus est, vt in secretam quandam terræ regionem repentè duceretur: vbi in magna iam carnis & spiritus quiete viueret,quousque ad finem mundi redeat, & mortis debitum soluat. Ille enim mortem distulit, non euasit. Redemptor autem noster,quia non distulit,superauit,eamque resurgendo consumplit,& resurrectionis suæ gloriam ascendendo declarauit. Notandum quoque est , quod Elias legitur in curru ascendisse, vt videlicet apertè monstraretur,quia purus homo adiutorio egebat alieno. Per angelos quippe facta illa & ostẽsa sunt adiumenta , quia nec ad cælum quidem aëreum per se ascendere poterat, quem naturæ suæ infirmitas grauabat. Redemptor autem noster non curru,non angelis subleuatus legitur: quia is qui fecerat omnia,nimirùm super omnia sua virtute ferebatur. Illò etenim reuertebatur,vbi erat:& inde redibat,vbi remanebat: quia cùm per humanitatem ascenderet in cælum , per diuinitatẽ suam & terram pariter continebat & cælum. Sicut autem Ioseph à fratribus venditus,venditionem redẽptoris nostri figurauit: sic Enoch translatus,atque ad cælum aëreum Elias subleuatus, ascensionem Dominicam vterque designauit. Ascensionis ergo suæ Dominus prænuncios & testes habuit,vnum ante legem , alium sub lege, vt quandoque veniret ipse, qui veraciter cælos penetrare potuisset. Vnde & ipse ordo in eorum quoque vtrorunque subleuatione,per quædam increméta distinguitur. Nam Enoch translatus, Elias verò ad cælum subuectus esse memoratur, vt veniret postmodùm , qui nec translatus,nec subuectus,cælum æthereum sua virtute penetraret. Qui nobis in se credentibus, quia carnis suæ quoque munditiam largiretur,& sub eo per incrementa temporum virtus castitatis excresceret,in ipsa quoque eorum translatione,qui ascensionem Dominicam, vt videlicet famuli designarent,& in seipso qui ad cælum ascendit,Dominus ostendit. Nam Enoch quidem vxorem & filios habuit : Elias verò neque vxorem,neque filios legitur habuisse. Pensate ergo,quomodò per incrementa temporum creuerit munditia sanctitatis : quod & per translatos famulos, & per ascendentis Domini personã patenter ostẽditur. Translatus nanque est Enoch,& per coitũ genitus, & per coitũ generans. Raptus est Elias, per

1. Cor. 14

Signa Ecclesiæ spiritalia.

Miracula spiritalia potiora externis.

Matth. 7.

Gene. 37.
Gene. 5.

4. Reg. 2.

Carnis integritas creuit sub Euangelio

Ascendente Christo abolitum damnationis chirographum.

per coitum genitus, sed non per coitum generans. Assumptus verò est Dominus, neq; per coitum generans,neque per coitum generatus. Cõsiderandum verò nobis est,quid est, quod Marcus ait, Sedet à dextris Dei: & Stephanus dicit: Video cælos apertos,& filium hominis stantem à dextris Dei. Quid est, quòd hunc Marcus sedentem,Stephanus verò stantem se videre testatur? Sed scitis fratres , quia sedere iudicantis est, stare verò pugnantis vel adiuuantis. Quia igitur redemptor noster assumptus in cælum , & nunc omnia iudicat, & ad extremum iudex omnium veniet , hunc post assumptionem Marcus sedere describit,quia post ascensionis suæ gloriam , iudex in fine videbitur. Stephanus verò in laboris certamine positus,stantem vidit, quem adiutorem habuit : quia vt iste in terra persecutorum infidelitatem vinceret,pro illo de cælo illius gratia pugnauit. Sequitur: *illi autem profecti prædicauerunt ubique , Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Quid in his considerandũ est, quid memoriæ commendandum,nisi quòd præceptum obedientia,obedientiam verò signa secuta sunt? Sed quia authore Deo breuiter lectionem Euangelicam exponendo transcurrimus , restat vt aliquid de ipsa tantæ considerationis solennitatis dicamus. Hoc autem nobis primùm quærendum est,quisdnam sit quòd nato Domino apparuerunt angeli,& tamen non leguntur in albis vestibus apparuisse: ascendente autem Domino , missi angeli in albis leguntur vestibus apparuisse. Sic etenim scriptum est: Videntibus illis eleuatus est,& nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cælum euntem illum,ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis. In albis autem vestibus,gaudiũ & solennitas mentis attenditur. Quid est ergo, quòd nato Domino non in albis vestibus,ascendente autem Domino in albis vestibus apparent , nisi quòd magna tunc solennitas angelis facta est , cùm cælum Deus homo penetrauit? Quia nascente Domino videbatur diuinitas humiliata,ascendente autem Domino, est humanitas exaltata. Albę etenim vestes exaltationi magis congruũt,quàm humiliationi. In assumptione ergo eius angeli in albis vestibus videri debuerũt,quia qui in natiuitate sua apparuit Deus humilis,in ascensione sua ostẽsus est homo sublimis. Sed hoc nobis magnoperè,fratres charissimi,in hac solennitate pensandum est,quia deletum est hodierna die chirographũ damnationis nostræ,mutata est sentẽtia corruptionis nostræ. Illa enim natura, cui dictũ est: Terra es,& in terram ibis,hodiè in cælum iuit. Pro hac ipsa nanq; carnis nostræ subleuatione,per figuram beatus Iob Dominum auem vocat. Quia enim ascensionis eius mysterium Iudæam non intelligere conspexit,de infidelitate eius sententiam protulit,dicens: Semitam ignorauit auis. Auis enim rectè appellatus est Dominus, quia corpus carneum ad ęthera librauit. Cuius auis semitam ignorauit,quisquis eum ad cælum ascendisse non credidit. De hac solennitate per Psalmistam dicitur: Eleuata est magnificentia tua super cælos. De hac rursus ait: Ascendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ. De hac iterum dicit: Ascendens in altum,captiuam duxit captiuitatẽ, dedit dona hominibus. Ascendens quippe in altum,captiuam duxit captiuitatem , quia corruptionem nostram virtute suę incorruptionis absorbuit. Dedit verò dona hominibus, quia misso desuper spiritu , alij sermonem sapientiæ , alij sermonem scientiæ , alij gratiam virtutum , alij gratiam curationum , alij genera linguarum,alij interpretationem sermonum tribuit. Dedit ergo dona hominibus. De hac ascensionis eius gloria etiam Abacuc ait: Eleuatus est sol,& luna stetit in ordine suo. Quis enim solis nomine,nisi Dominus : & quæ lunæ nomine,nisi Ecclesia designatur? Quousq; enim Dominus ascendit ad cælos,sancta eius Ecclesia aduersa mundi omnimodò formidauit. At postquàm eius ascensione roborata est,apertè prædicauit,quod occultè credidit. Eleuatus est ergo sol,& luna stetit in ordine suo: quia cùm Dominus cælum petijt,sancta eius Ecclesia in authoritate prædicationis excreuit. Hinc eiusdẽ Ecclesiæ voce per Salomonem dicitur: Ecce iste venit saliens in montibus,transiliens colles. Considerauit nanque tantorum operum culmina,& ait: Ecce iste venit saliens in montibus. Veniendo quippe ad redemptionem nostram , quosdam (vt ita dixerim) saltus dedit. Vultis,fratres charissimi,ipsos eius saltus cognoscere? De cælo venit in vterum virginis,de vtero venit in præsepe, de præsepio venit in crucem , de cruce venit in sepulchrum,de sepulchro redijt in cælum. Ecce vt nos post se currere faceret, quosdam pro nobis saltus manifestata per carnem veritas dedit,quia & exultauit vt gigas ad currendum viã , vt nos ei ex corde diceremus: Trahe me post te,curremus in odore vnguentorum tuorũ. Vnde fratres charissimi oportet, vt illuc sequamur corde,vbi eũ corpore ascendisse credimus. Desideria terrena fugiamus: nihil nos iam delectet in infimis, qui patrem habemus in cælis. Et hoc nobis magnoperè est perpendendum, quia is qui placidus ascendit,terribilis redibit: & quicquid nobis cũ mansuetudine præcepit, hoc à nobis cum districtione exiget. Nemo ergo indulta pœnitentiæ tempora paruipendat, nemo curam sui dum vacat agere,negligat: quia redemptor noster tanto tunc in iudicium districtior veniet, quanto nobis ante iudicium magnam patientiam prærogauit. Hæc itaque vobiscum fratres agite,hæc in mente sedula cogitatione versate. Quanuis adhuc rerum perturbationibus animus fluctuet, iam tamen spei vestrę anchoram in æterna patria figite, intentionem mentis in vera luce solidate. Ecce ad cælum ascendisse Dominum audiui-

Veste albæ quid in dicent.

Act. 1.

Marc. 16.
Acto. 7.

Psalm. 8.
Psal. 46.
Psalm. 67

Saltus in vterum virginis, de vtero venit in præsepe, de præsepio venit in crucem , de cruce venit in sepulchrum, de sepulchro redijt in cælum.

1. Cor. 12.

Abac. 3.

Can. 2.

Psalm. 18.
Can. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus: hoc ergo seruemus in meditatione quod credimus: etsi adhuc hic tenemur in infirmitate corporis, sequamur tamẽ eum passibus amoris. Nõ autem deserit desiderium nostrum ipse qui dedit, Iesus Christus Dominus noster: Qui viuit & regnat cum Deo patre in vnitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, AMEN.

IN EODEM FESTO.
SERMO LEONIS
Papæ.

Est Serm. 1. de ascensione Domini.

POst beatam & gloriosam resurrectionem Domini nostri IESV CHRISTI, qua verum Dei templum, Iudaica impietate resolutum, diuina in triduo potẽtia suscitauit, quadragenarius hodiè dilectissimi sanctorum dierum expletus est numerus, sacratissima, ordinatione dispositus, & ad vtilitatem nostræ eruditionis impensus: vt dum à Domino in hoc spatio mora præsentiæ corporalis extenditur, fides resurrectionis documentis necessarijs muniretur. Mors enim CHRISTI multùm discipulorum corda turbauerat, & de supplicio crucis, de emissione spiritus, de examinati corporis sepultura, grauatis mœstitudine mentibus, quidam diffidentiæ torpor obrepserat. Nam cùm sanctæ mulieres, sicut Euangelica pandit historia, reuolutum *Mar. 16. Luc. 24.* à monumento lapidem, & sepulchrum corpore vacuum, & viuentis Domini testes angelos nunciarent, verba earum Apostolis alijsque discipulis deliramentis similia videbantur. Quam vti- *Cur Apostoli permissi sint hæsitare.* que hæsitationem, humana infirmitate nutantẽ, nequaquàm permisisset spiritus veritatis prædicatorum suorum inesse pectoribus, nisi illa trepida solicitudo, & curiosa cunctatio, nostræ fidei fundamenta iecisset. Nostris igitur perturbationibus, nostris periculis in Apostolis consulebatur: nos in illis viris contra calumnias impiorũ, & contra terrenæ argumenta sapientiæ docebamur: nos illorum instruxit aspectus, nos erudiuit auditus, nos confirmauit attactus. Gratias agamus diuinæ dispensationi, & sanctorum patrum necessariæ tarditati. Dubitatum est ab illis, ne dubitaretur à nobis. Non ergo hi dies, dilectissimi, qui inter resurrectionem Domini ascensionemq; fluxerunt, ocioso transiere decursu: sed magna in eis confirmata sacramenta, magna sunt reuelata mysteria. In his metus diræ mortis aufertur, & non solùm animæ, sed etiam carnis immortalitas declaratur. In his per insufflationem Domini infunditur Apostolis omnibus *Ioan. 21.* spiritus sanctus: & beato Apostolo Petro supra cæteros post regni claues, ouilis dominici cura cõmendatur. In his diebus duobus discipulis ter- *Luc. 24.* tius in via Dominus comes iungitur, & ad omnẽ nostræ ambiguitatis caliginem detergendam, pauentium ac trepidantium tarditas increpatur. Flammam fidei illuminata corda concipiunt, & quæ erant tepida, referante scripturas Domino, efficiuntur ardentia. In fractione quoque panis conuescentium aperiuntur obtutus, multò feliciùs eorum oculis patefactis, quibus naturæ suæ manifestata est glorificatio, quàm illorum generis nostri principum, quibus præuaricationis suę est ingesta confusio. Inter hæc autem aliaque mi- *ibidem.* racula, cùm discipuli trepidis cogitationibus æstuarent, & apparuisset in medio eorum Dominus, dixissetque, Pax vobis: ne hoc in eorum re- *Ioan. 20.* maneret opinionibus, quod voluebatur in cordibus (putabant enim spiritum se videre, nõ carnem) redarguit cogitationes à veritate discordes: ingerit dubitantium oculis manentia in manibus suis & pedibus crucis signa, & vt diligẽtiùs pertractetur inuitat: quia ad sananda infidelium cordium vulnera, clauorum & lanceæ erant ser- *Cur vulnerum vestigia Christus seruauit.* uata vestigia, vt non dubia fide, sed constantissima scientia teneretur, eam naturã in Dei patris confessuram thronũ, quæ iacuerat in sepulchro. Per omne ergo hoc tempus, dilectissimi, quod inter resurrectionẽ & ascẽsionem Domini exactum est, hoc prouidentia Dei curauit, hoc docuit, hoc suorũ & oculis insinuauit & cordibus, vt Dominus Iesus Christus verè agnosceretur resuscitatus, qui verè erat natus, & passus, & mortuus. Vnde beatissimi Apostoli, omnesque discipuli, qui & de exitu crucis erant trepidi, & de fide resurrectionis ambigui, ita sunt veritate perspicua roborati, vt Domino in cælorum eunte sublimia, non solùm nulla afficerentur tristitia, sed etiam magno gaudio replerentur. Et reuerà magna erat & ineffabilis causa gaudendi, cùm in conspectu sanctæ multitudinis, supra omnium creaturarum cælestium dignitatem humani generis natura conscenderet, supergressura angelicos ordines, & vltra archangelorum altitudines eleuanda, nec vllis sublimitatibus modum suæ prouectionis habitura, nisi æterni patris recepta consessu, illius glorię sociaretur in throno, cuius naturæ copulabatur in filio. Quia igitur Christi ascensio, nostra est prouectio, & quò præcesserit gloria capitis, eò spes vocatur & corporis: dignis, dilectissimi, exultemus gaudijs, & pia gratiarum actione lætemur. Hodie enim non solùm paradisi possessores firmati sumus, sed etiam cælorum in Christo superna penetrauimus, ampliora adepti per ineffabilem Christi gratiam, quàm per diaboli amiseramus inuidiam. Nam quos virulentus inimicus primi habitaculi felicitate deiecit, eos sibi concorporatos Dei filius ad patris dexteram collocauit, cum quo viuit & regnat in vnitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

IN

IN EODEM FESTO,
HOMILIA EVSEBII
Emeseni.

Recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis IESVS, *& cæt. Marc. 16.*

VEnit ad discipulos suos Dominus IESVS, inuenit eos recumbentes, inuenit eos, manducantes & bibentes discubuit cum illis, manducauit & bibit cum illis, vt se non phantasmaticum, sed verum corpus assumpsisse ostenderet, & sua eos præsentia roboraret. Redarguit eos de infidelitate sua, confirmauit eos colloquio suo. Et sicut scriptum est, cõuescens præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed *Act. 1.* expectarent promissionem patris. Quicunq; igitur es, qui sancti spiritus promissionem expectas, noli ab Hierosolymis discedere, noli Ecclesiam relinquere, noli sanctorum consortium deserere: ibi expecta, ibi mane, quia nulli extra Ecclesiã datur spiritus sanctus, & eos etiã qui habẽt, si ab ea se separauerint, derelinquit. Redarguit autem eos propter duritiam suam, reprehendit eos de infidelitate cordis sui. Quanuis enim Simon Petrus, & Maria Magdalena, & duo illi discipuli, quibus in specie peregrini Dominus apparuerat, certissimè firmissimeque nunciarent Dominum resurrexisse, seque illum vidisse, cæteri tamen illis non credebant. Et quid mirum est, cùm nec sibijpsis, nec suis oculis crederent, & eum videntes non viderent? Nar- *Matth. 28* rat enim Matthæus Euangelista, quòd vndecim discipuli abierunt in Galilæam in montem, vbi constituerat Iesus illis, & videntes eum adorauerunt: quidam autem dubitauerunt. Non enim verum corpus, sed spiritum se videre putabant. *Luc. 24.* Vnde ipse ait: Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et fortassè hæc tanta illorum dubitatio ex immenso amore procedebat. Non enim facilè credimus, quod multum desideramus: sicut econtrà quod timemus, leuiter posse accidere credimus. *Et dixit eis: Euntes in mundum uniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Priùs enim di- *Matt. 10.* xerat: In vias gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis. Non enim *Matth. 15* sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israël. Nunc autem eos præcipit ire in vniuersum mundum. In quo Iudæorum abiectio, & Gentium electio apertissimè monstratur. Vn- *Psalm. 2.* de & illi à patre dicitur: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Quod autem ait, *Prædicate Euangelium omni creaturæ*: Alius Euangelista exponit, dicens: Ite, docete omnes gen- *Matth. 28* tes. Idem enim per omnem creaturam, & per omnes gentes significatur. Sic enim Apostolus ait de charitate, quia omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. quod quidem verum non est, nisi aliter determinetur. Si enim charitas omnia credit, credit vtique Pharisæis & Saducæis, alijs affirmantibus, alijs negantibus resurrectionem: quod fieri non potest. Non igitur charitas omnia credit. Sic ergo determinetur: Omnia credit, quæ credenda sunt. Si- *Charitas* militer igitur & id quod dicitur, Prædicate Euan- *ut omnia* gelium omni creaturæ, determinandum est, vt *credat.* sic dicatur: Omni creaturæ prædicate Euangelium, cui prædicandum est. Non enim est Euangelium prædicandum vel lapidibus, vel alijs quibuscunque rebus sensu & ratione carentibus. Sunt autem qui hęc subtiliùs intelligẽtes, ea quę plana sunt, difficilia reddunt. Et multa quidem in prophetis & Apostolis & in verbis Dominicis reperiuntur, quibus hæc vna determinatio sufficere potest. Quale est illud: Cùm *Ioan. 12.* exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum: cui si addatur, quæ trahenda sunt, nihil erit inconueniens. Aliter autem, quanta inconuenientia sequantur, quis non intelligat? Valdè enim pauca sunt ea, quæ illuc trahuntur, ad comparationem illorum, quæ ad se Dominus non trahet: siquidem solos homines, & ipsos non omnes trahet ad se. His igitur & similibus facilè intelligitur, quid in eo significetur quod dicitur: Prædicate Euangelium omni creaturæ. Cui videlicet Euangelio, *qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Dicit tibi Euangelium: Dili- *Matth. 22* ges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximũ tuum sicut teipsum. Hoc enim consiliũ si credideris & feceris, saluus eris. Dicit autem & alia multa, quæ & salutem parant & vitam æternã. *Qui uerò non crediderit, condemnabitur.* Quanuis enim homo baptizatus sit, & omnia peccata in baptismo sint ei remissa, condemnabitur tamen quicunque est ille, nisi Euangelio crediderit, eiusque consilijs assensum præbuerit. *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & benè habebunt.* Omnia enim hæc in primitiua Ecclesia non solum Apostolos, sed & alios sanctos fecisse legimus. Neque enim aliter ab idolorum cultura homines infideles conuerterentur, nisi his tantis signis & miraculis Euangelica prædicatio firmaretur. Prædicabant enim Christi discipuli (vt Apostolus ait) Christum crucifixum, *1. Cor. 1.* Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. Sed cum subitò dæmonia ejicerent, linguis loquerentur nouis, serpentes solo verbo aut occiderent, aut fugarent, venenum sine læsione biberent, & non solùm tactu, verùm etiam sui corporis vmbra ægros sanarent, mox in

Universidad de Deusto
Biblioteca

admirationem Gentiles cõuersi clamabant: Vnus Deus, quem Apostoli prædicant: vnus Dominus Iesus Christus, qui talia operatur. Nobis autẽ signa & miracula iam nunc necessaria nõ sunt, quibus ea quæ facta sunt, solummodò legere & audire sufficit. Credimus enim Euangelio, credimus & scripturis ista narrantibus. Nemo modò in Ecclesia dicit: Nõ tibi credo, nisi mortuos suscites, nisi cæcos illumines, & nisi hæc & similia facias. Signa tamen in Ecclesia quotidiè siũt, quæ si quis attendere velit, multo maiora cognoscet, quàm illa, quæ tunc ab illis corporaliter fiebant. Quotidiè enim sacerdotes populum baptizando, & ad pœnitentiam vocando, dæmonia ejiciunt: quotidiè linguis loquuntur nouis, diuinas scripturas exponentes, dum literæ vetustatẽ in spiritualis intelligentiæ nouitatem conuertunt. Serpentes verò tollunt, quia concupiscentias malas, quia vitia & peccata sua admonitione à peccatorum cordibus auertunt. Bibunt autẽ mortiferum, sed non eis nocet: quia paganorum & hæreticorum libros legentes, & amara & venenosa conuitia sibi illata sæpiùs audientes, surda aure transeunt, & pro nihilo ducunt. Super ægros verò manus imponũt, & benè habent: quia animas infirmas suis orationibus sanant, & Deo reconciliant. Eadem signa igitur & nunc sancti Dei faciunt, quæ tunc eos Dominus facturos esse promisit. Et *Dominus quidem Iesus postquàm locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei.* Qualiter autem assumptus est, liber Actuũ Apostolorum ostendit, dicens: Et cùm hæc dixisset, videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. *Illi autem profecti, prædicauerunt ubique, Domino cooperante, & sermones confirmante sequentibus signis.* Et tunc quidem adimpleta est prophetia, quæ ait: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Signa quotidiana in Ecclesia.

Act. 1.

Psalm. 18.

DOMINICA INTRA OCTAVAS ASCENSIONIS, in Epistolam Concio exegetica.

ADuentante iam sacratissimo illo die, quo in Apostolos & credentes descendit visibiliter Spiritus sanctus, congruenter admodùm in hodierna lectione inter alia ad orandum inuitamur, quò possimus etiam nos capaces effici Spiritus sancti: Sic enim legimus in Actis Apostolicis, discipulos à monte Oliueti post Christi ascensionem reuersos Ierosolymam, ascendisse in cœnaculum, & ibi vnanimiter perseueransse in oratione & obsecratione. Hac enim ratione præparabant sese vẽturæ propediẽm gratiæ, vt illorum exemplo nos quoque discamus à Deo multis & continuis precibus gratiam petere. Lectionem diei huius ex prioris D. Petri Epistolæ capite 4. excerptam constat, quam nunc explicandam suscipimus: *Estote prudentes, & vigilate in orationibus.* Hoc maximè curandum est volentibus larga sancti spiritus charismata percipere, vt sint prudentes, sobrij, & vigiles atque attenti in precibus. Pulcherrimè D. Cyprianus martyr docet in Sermone de Oratione Dominica, quemadmodùm orandum sit: Quando stamus ad orationem, inquit, fratres dilectissimi, inuigilare & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis & secularis abscedat, nec quicquam tunc animus, quàm id solũ cogitet quod precatur. Ideò & sacerdos ante orationem præfatione præmissa, parat fratrum mentes, dicendo, Sursum corda: vt dum respondet plebs, Habemus ad Dominum, admoneatur nihil aliud se, quàm Dominũ cogitare debere. Claudatur contra aduersarium pectus, & soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei tempore orationis adire patiatur. Obrepit enim frequenter & penetrat, & subtiliter fallens, preces nostras à Deo auocat, vt aliud habeamus in corde, & aliud in voce: quãdo intẽtione syncera Dominũ debeat nõ vocis sonus, sed animus & sensus orare. Quę aut segnitia est, alienari & capi ineptis cogitationibus & profanis, cùm Dominũ deprecaris, quasi sit aliud qd magis debeas cogitare, quàm quod cum Deo loqueris? Quomodò te audiri à Deo postulas, cùm teipse non audias? Vis esse Deum memorem tui cùm rogas, cùm tuipse memor tui non sis? Hoc est ab hoste in totum non cauere, hoc est quando oras Deum, maiestatem Dei negligentia orationis offendere, hoc est vigilare oculis & corde dormire, cùm debeat Christianus, & cùm dormit oculis, corde vigilare: sicut scriptum est ex persona Ecclesiæ, loquentis in Cantico canticorum: Ego dormio, & cor meum vigilat. Quapropter solicitè semper & cautè Apostolus admonet, dicens: Instate orationi, vigilantes in ea, docens scilicet & ostẽdens, eos impetrare quod postulant de Deo posse, quos Deus videat in oratione vigilare. Hæc Cyprianus. Qui igitur cupiunt in suas animas aduentantem recipere Spiritum sanctum, imitentur Apostolos, sedeant vnanimes in vna Ecclesiæ Catholicæ domo, instent precibus attẽtis & assiduis, præparent intra sese purum cordis sui domicilium, quod sit tanto hospite dignum, & ita nunc quoque sentient copiosam sibi diuinitùs illabi gratiam, qua freti in alios planè homines mutentur cum Apostolis, quos certè imbecillos & imperfectos in summũ totius sanctitatis gradum repentè euexit Spiritus sanctus, vt ex eorum omnium persona non immeritò dicat Apostolus Paulus, ipsos primitias, id est, præcipua dona & charismata Spiritus accepisse. Sed quia sine charitate nihil potest esse gratum Deo, rectè subdit Petrus Apostolus: *Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Imprimis & ante omnia iubemur habe-

Act. 1.

In precibus ut nos gerere debeamus.

Can. 5.

Col. 4.

Quis sit templum Spiritus sancti.

Rom. 8.

habere charitatem, symbolum certissimum germanè Christianorum, dicente Domino Iesu: In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicem. Hæc præcipuè virtus Deo nos & similes & gratos efficit, & vt fratribus eam libentissimis animis impendamus, ipsa nos natura & inuitat, & impellit. Omne enim animal diligit simile sibi. Quid verò insinuauit crebriùs discipulis suis Dominus, inquit Cyprianus, quid inter salutaria monita & præcepta cælestia custodienda seruandaque magis mandauit, quàm vt eadem dilectione, qua discipulos ipse dilexit, nos quoque inuicem diligamus? Hæc ille. Benè addidit, *Continuam*, ait Beda, quia semper diligere valemus: semper autem vigilare in orationibus, fragilitate carnis obstante, nequimus: semper his, quas subiungit, virtutibus insistere minimè valemus, id est, hospitalitati, doctrinæ, administrationi gratiarum vel communium vel specialium in proximos, cæterisque eiusmodi. quia hæc nimirùm & per officium corporis, & per tempora opportuna fieri necesse est: Ipsa autem charitas, cuius instinctu hæc foris aguntur, quia interiori homini præsidet, semper ibidem haberi potest, quanuis in publico non semper ostendi possit. Hæc Beda. Præclarè autem subiungitur, quod charitas operit multitudinem peccatorum. Sic enim & Dominus de illa peccatrice muliere ait, Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Et in prouerbijs Salomonis legimus, Vniuersa delicta operit charitas. *Hospitales inuicem sine murmuratione.* Hilariter & ex animi beneuolentia, non cum tædio & inuitè vult nos studere hospitalitati, cuius illustria exempla habemus in D. Iob & Abrahamo, multisque alijs sanctis patribus. Et mirum profectò est, tam nullos ferè hospitalitati esse deditos, cùm Dominus in illo tremendo iudicij die dicturus sit, Hospes eram, & collegistis me, vt non dubitemus in peregrinis & miseris Christum ipsum hospicio recipi. O si fides in nobis mortua non esset, bonorum operum non tam essemus incuriosi. *Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Sumus enim vnius corporis membra: porrò membrorum omnium non idem officium est: habẽt singula suas functiones, ita tamen vt in totius corporis vsum & vtilitatem cedant officia singulorum. Neq; enim sibi duntaxat vident oculi, non sibi tantum aures audiunt, non sibi solis pedes ambulant, manus contrectant, sed toti corpori proficit cuiuslibet membri ministeriũ: ita & nos, qui pro mensura donationis Christi, singuli peculiarem accepimus gratiã, debemus eam in communem omnium vtilitatem conferre, ne talẽtum diuinitus acceptum in terram defodisse, & turpiter neglexisse iudicemur. Multiformis est gratia Dei, sicut Apostolus satis indicat, vbi ait: Vnicuique autem datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Alij quidẽ per spiritũ datur sermo sapientiæ: alij aũt sermo scientiæ, secũdùm eundẽ spiritũ: alteri fides, in eodẽ spiritu: alij gratia sanitatum, in vno spiritu alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarũ, alij interpretatio sermonũ. Hæc aũt omnia operatur vnus atq; idẽ spiritus, diuidẽs singulis prout vult. Sed diuidit ille quidem dona sua, non autem, vt præclarè ait D. Hilarius, diuiditur in donis. Nostrum verò est donis Dei rectè atq; sapienter vti, vt digni semper reddamur potioribus augeri Spiritus sancti charismatis, qui nobis gratificare semper cupit, modò ne nostra incuria & peruersitate illi obicem ponamus. Multi habẽt magna Dei dona, sed ijsdem in Dei contumeliam abutuntur, quorũ erit horrenda damnatio nisi resipiscant. Habẽt multi excellentia ingenia, multiplici sunt eruditiõe instructi, & possent, modò vellent, & sibi & alijs maximo esse vsui, cùm tamen interim, quod dolendũ valdè est, suis ingenijs & doctrina aut ad fastum & superbiã, aut ad praua comminiscenda dogmata, quibus & se & alios secũ trahant in tartara, sceleratissimè abutantur. Vtinam illi aduerterent, quod in hac lectione sequitur: *Si quis loquitur, tanquam sermones Dei.* Solent quidem etiam hæretici suas prauas opiniones pro Dei verbo & sermonibus, obtrudere imperitis, sed impia commenta facilè deprehenduntur, cùm non vnitati, sed dissensioni & schismati pleraq; omnia seruiant, quando è diuerso tota scriptura diuina ad animorum suauẽ concordiã, pacem, conspirationem nos inuitat. Vult ergo Apostolus, vt qui docent & prædicant verbum Dei, nihil dicãt quod nõ sit verbo Dei consentaneum: syncerè tradant verbũ Dei, quemadmodũ habet Catholicæ Ecclesiæ consuetudo, vt re ipsa ostendant, se nõ sui cerebri figmenta, sed Dei sermones annũciare. Id aũt tum demũ cõsequentur, si in interpretando & prædicãdo verbo à Catholicæ Ecclesiæ sensu & consensu minimè discedant. Sed & in priuatis sermonibus, quos inter se Christiani conferunt, id curare debent, vt cedãt in gloriã Dei & ipsorũ salutẽ atq; profectũ: quemadmodũ Apostolus Ephesijs scribens, hortatur his verbis: Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad ædificationẽ fidei, vt det gratiã audiẽtibus. *Si quis ministrat, tanquã ex virtute quã administrat Deus.* Sub hoc ministerio possint cõprehendi officia omnia fraternæ charitatis & beneuolẽtiæ, quæ in proximos cõferuntur, in quibus sanè, sicut & in alijs omnibus, quæ à nobis rectè geruntur, persuadere nobis debemus, non nostra virtute, sed Dei gratia nos facere ea quæ facimus. Hoc qui sapienter & accuratè pensare norunt, ex nulla re superbiunt, non sese iactitãt, non inaniter & stolidè gloriantur, sed laudem & gloriam Deo tribuunt, à quo tanquàm ex fonte inexhausto bona omnia proficiscuntur. Quid habes, quod non accepisti, ait Apostolus?

Ioan. 13.

Ser. de zelo et liuore

Luc. 7.

Prou. 10.

Matth. 25

Matt. 25.

1. Cori. 12.

Vt expondo & prædicãdo verbo sensu & consensu Dei ueritatis sermonibus, nendum bum.

Ephes. 4.

1. Cor. 3.

Si

Universidad de Deusto
Biblioteca

Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis. Hoc autem seruus ille nescit, vt in caput
Tract. 85. 15. Ioannis scribit Augustinus, qui nescit quid faciat Dominus eius: & cùm aliquid boni facit, sic extollitur quasi ipse hoc faciat, non Dominus eius, & in se, non in Domino gloriatur, cùm se ipse deceperit, quia sic gloriatur quasi non acceperit. Hæc Augustinus. Fuerunt olim hæretici Pelagiani, qui ad id vsq; insaniæ progressi sunt, vt dicerent à Deo quidem se accepisse, quòd essent iusti, quemadmodùm id Augustinus commemorat Tractatu 81. in Ioannem: sed eosipsos ibidem meritò vocat homines mente corruptos, reprobos circa fidem, additq́ue paulò pòst: Qui à semetipso se fructum existimat ferre, in vite non est: qui in vite non est, in Christo non est: qui in Christo non est, Christianus non est. Hæc sunt profunda submersionis vestræ. Et ne quisquàm putaret saltem paruum aliquem fructum posse à semetipso palmitem ferre, cùm dixisset Dominus, Hic fert fructum multum, non ait, Quia sine me parum potestis facere, sed, Nihil potestis facere. Siue ergo parum, siue multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest. Hæc Augustinus contra Pelagianos, qui nimium tribuebant libero arbitrio, atque ideo loco eodem rectè ab Augustino vocantur non assertores, sed præcipitatores liberi arbitrij. Nostra ætate quidam hæretici è contrario prorsus omne tollunt & negant hominis liberũ arbitrium, & incredibili blasphemia audent Deum facere authorem omnium scelerum nostrorum. Tales non verbis, sed verberibus: non argumentis sed tormentis & supplicijs reprimendi sunt. *Vt in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum, cui est gloria & imperiũ in secula seculorũ, Amẽ.* Si
Iacob. 1. secundùm Iacobum Apostolũ, omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum: si Deus est, qui
Philip. 2. teste Paulo operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate, id est, largitur nobis & bonæ voluntatis feruorem, & boni operis effectum atque consummationem, cur non illi vni omnis honor & gloria, omnis laus & prædicatio tribuatur? Quid verò tam improbum, quàm cùm rectè facta & bona nostra omnia illius sint dona, tibi ex illis vsurpare laudem & gloriam, quæ illi vni
Esa. 42. 48. debetur, & quã ille apud Esaiã nõ semel testatur se alteri minimè daturum? Hic ergo facilè potest discerni affectus filiorum ab affectu seruorum. Filius nihil habet antiquius, nihil charius fide & amore erga parentem: ita fit vt illius iniuriã omnem prorsùs detestetur. Quid verò tam iniquũ, tamque iniurium, quàm honore & gloria sua
Serui sunt, non filij, qui suam gloriam uenantur. spoliare Deum? Ergo qui id faciunt, nõ filij sunt, sed serui: non id eis studio est, vt in omnibus honorificent Deum ac Dominum suum: sed ex illius donis intumescunt, inflantur, laude & prædicatione efferri, & pro magnis haberi volunt. Nõ enim amore liberali instar filiorum, sed pœnæ formidine qualemcunque Deo famulatum offerunt. Est autem certè etiam timendus Deus, sed timore casto & ingenuo, qui metuit ne qua iniuria offendat pijssimum creatorem, ne quid tale admittat, quo eius gratiam, nullo vel auro vel argento ęstimandam perdat, libenter & fideliter seruiturus Deo, etiamsi nulla forent supplicia inferorum, nec vlla gaudia beatorum. Qui sic affecti sunt, ij in omnibus sitiunt honorẽ Dei ac Domini sui, idq́ue per Iesum Christum, cuius meritis & gratia fit, vt nostra quoque rectè facta sint grata Deo & digna vitæ æternæ præmio, cui cum Patre & Spiritu sancto est gloria & imperiũ in secula seculorum, Amen.

DOMINICA POST ASCENSIONEM, IOANNIS XV.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Cùm uenerit paracletus, quem ego mittam uobis à patre, spiritum ueritatis, qui à patre procedit, ille testimoniũ perhibebit de me. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

EX multis sancti Euangelij locis inuenimus, quia discipuli ante aduentum spiritus sancti minùs capaces erant ad intelligenda arcana diuinæ sublimitatis, minùs fortes ad toleranda aduersa humanæ prauitatis: sed eis adueniente spiritu, cum augmento diuinæ agnitionis, data est etiam constantia vincendæ humanæ persecutionis. Vnde illis nunc dominica promissione dicitur: *Cùm uenerit paracletus, quem ego mittam uobis à patre, spiritum ueritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, & uos testimonium perhibebitis.* Notandum autem in primis, quòd Dominus spiritum veritatis & à se mittendũ esse testatur, & eundem mox à patre procedere subiungit: non quia idem spiritus aliter à patre procedit, quã à filio mittitur: aut alio tempore à patre procedit, quàm cùm à filio mittitur: sed ideò filius eum à se mitti, & à patre dicit procedere, vt aliam patris, aliam esse suã personam designet: atque in eadem distinctiõe personarum, vnam esse operationem ac voluntatem suam cum patris voluntate & operatione denunciet. Cùm enim eiusdem spiritus gratia
Spiritus datur hominibus, profectò mittitur spiritus à patre, mittitur & à filio: procedit à patre & à filio: quia & eius missio, ipsa processio est, à patre qua ex patre procedit & filio. Venit & sua spon- *& filio, te, quia sicut coæqualis est patri & filio, ita eandẽ habet voluntatem cum patre & filio communẽ.* *sanctus procedit.*
Ioan. 3. Spiritus enim vbi vult, spirat. Et sicut enumeratis Apostolus donis cælestibus, ait: Hæc autem
2. Cor. 12. omnia operatur vnus atq; idem spiritus, diuidẽs singulis prout vult. Adueniens autem spiritus testimonium perhibuit de Domino, quia discipulorum corda adspirans, omnia quæ de illo scienda erant mortalibus, clara illis luce reuelauit, quòd videlicet æqualis & consubstantialis erat patri ante secula, quòd consubstantialis nobis factus est in fine seculorum, quòd de virgine natus sine peccato vixit in mundo: quòd quando voluit, & qua voluit morte transiuit de mundo: quòd veraciter mortem resurgendo destruxit, verã in qua passus est & resurrexit carnem ad cęlos ascendendo leuauit, atque in paternæ gloriæ dextera constituit: quòd omnia prophetarum scripta illi testimonium perhibent: quòd confessio nominis eius vsque ad fines erat propaganda terrarum, cæteraq; fidei illius mysteria, spiritus sancti testimonio sunt reserata discipulis. Neq; illis tantummodò, sed & omnibus, qui secundũ verbum eorum credunt in Dominum, quicquid rectè sapiunt, eiusdem spiritus est munere concessum. Ille ergo, inquit, testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis: quia quæ spiritu intùs docẽte perceperunt, hæc abiecto timore pristino, foris loquendo & alijs ministrabant. Ipse nanque spiritus corda eorum & scientia veritatis illustrauit, & ad docenda quæ nossent, culmine virtutis erexit. Vnde rectè a-
Esa. 11. *Spiritus scientiæ, Fortitudinis.* pud Esaiam, spiritus idem fortitudinis & scientiæ nuncupatur. Est etenim spiritus sciẽtiæ, quia per ipsum quæ rectè agere, vel etiam cogitare debeamus, agnoscimus. Est & fortitudinis, quia etiam per ipsum vt quæ benè nouimus, viriliter operemur, accipimus, ne aduersitate aliqua à bonis quæ cœpimus repellamur. *Et uos, inquit, testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Cùm data spiritus gratia etiam hoc fiduciam discipulorum iuuit, quòd ab initio erant cum Domino: ideoq́ue quæ apud illum viderunt & audierunt, absque vlla ambiguitate prædicare valebant. Vn
Act. 1. de benè Petrus alium pro Iuda ordinare volens Apostolum, non hunc neophytum, sed probatũ ex tempore curauit eligere, dicens: Oportet ergo ex his viris, qui nobiscùm congregati sunt in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus, testem resurrectionis eius nobiscùm fieri vnum ex istis. Hinc ipse gentibus
Actor. 10. Christum euangelizans, confidenter aiebat: Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo nobis, qui manducauimus & bibimus cum eo, postquàm resurrexit à mortuis. Sed quia crescentibus electorum meritis, statim crescere soletantiqui hostis inuidia, qua vel per seipsum latenter, vel per homines suæ malignitatis subditos, patenter inchoata pietatis germina conetur obruere: rectè Dominus promissa discipulis prædicandi fiducia, persecutionem quoque eorum, qui eidem prædicationi resisterent, pariter exoriturã ostendit, dum subdidit: *Hæc locutus sum uobis, ut nõ scandalizemini. Absque synagogis facient uos.* Curauit

nanq; pius magister futura discipulis prauorum bella prædicere, quò minùs hæc eos venientia possent offendere: quia solent nimirùm leuiùs ferri aduersũ, quæ possunt antè prænosci. Nanque si imparato ac non præuidenti animo mala ingeruntur, grauiùs hunc sępè ab integritatis suę statu deijciunt. Vnde benè Salomon admonet, dicens: Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in
Eccl. 2. iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Non solùm verò discipulos saluator à contribulium societate pellendos, sed ab eis etiam mortis pericula passuros fuisse prænonuit. Nam sequitur: *Sed uenit hora, ut omnis qui interficit uos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Arbitrabantur autem obsequium se Deo præstare Iudæi in eo, quòd ministros noui testamenti odijs insequebantur & mortibus: quia
Rom. 10. (sicut illis testimonium perhibet Apostolus) æmulationem Dei habent, sed non secundùm
Act. 26. scientiam. Et de seipso loquitur: Et ego quidem existimaueram me aduersùs nomen Iesu Nazareni debere multa contraria agere, quod & feci Hierosolymis. Prædictis ergo pressuris aduersantium, repentè quasi consolans discipulos adiunxit: *Sed uenit hora, ut omnis qui interficit uos, arbitretur se obsequium præstare Deo.* Ac si apertè dicat: Bella quidem tribulationum à contribulibus vestris estis passuri: sed eo tolerabiliùs hæc suscipite, quo non tam odio vestri, quàm diuinæ legis æmulatione ingerentur vobis. Cuius memor admonitionis beatus martyr Stephanus, flexis genibus pro his qui se interficiebant, pia voce supplicabat,
Act. 7. dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Arbitrabantur ergo legis æmulatores obsequium se præstare Deo, dum præconibus gratiæ neces inferrent: sed frustrà legem, quæ per famulum data est, defendunt, qui gratiam, quam ipse filius offert, accipere renuunt. Incassum se Deo patri placere existimant, qui Dei filium cõtemnere, imò etiam persequi ac blasphemare laborant. Vnde rectè subiungitur. *Et hæc facient uobis, quia non nouerunt patrem, neque me.* Quia enim
Ioan. 14. filius in patre, & pater est in filio: & qui videt filium, videt & patrem: profectò patet, quia quicunque filij credulitati obstinata mente resistunt, nec patrem nosse probantur. Vnde etiam idem Ioannes veritatem diuinæ vnitatis insinuans, ait: Omnis qui negat filium, nec
1. Ioan. 2. patrem habet: qui confitetur filium, & patrem habet. Et iterùm: Et omnis qui diligit eum
1. Ioan. 5. qui genuit, diligit & eum qui natus est ex eo. Verùm quia discipuli, qui patrem benè nouerant & filium, multa pro eiusdem scientiæ defensione ac propalatione fuerant passuri, prouida Dominus admonitione subiungit: *Sed hæc locutus sum uobis, ut cùm uenerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi uobis.* Magnoperè pensandum est, quod ait, Ego dixi vobis. Ego, qui pro vestra vita ac salute moriturus sum, qui vos meo sanguine

Universidad de Deusto
Biblioteca

guine redempturus, qui in tribulatione vos sem
per adiuturus, qui æterna vobis præmia post tri-
bulationem daturus sum. Magnum quippe cer-
tantibus leuamen, magnam consolationis gra-
tiam præstat, quando ille certamina eadem futu
ra prædixisse reminiscitur, qui & milites suos ne
vinci possint adiuuare: & ne incassum vincant,
immortalem post prælia solet rependere pal-
mam. Qui enim hic horam persecutionis ventu
ram fuisse præmonuit, ipse paulò pòst in eadem
persecutione suum fidelibus auxilium pollice-
Ioan.16. tur, dicens: In mundo pressuram habebitis: sed
confidite, ego vici mundum. Ipse alibi legitimè
certantibus coronam vitæ repromittit, dicens:
Matth. 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter iu-
stitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.
Hæc de euangelica lectione, fratres charissimi,
breuiter explanando transcurrimus: nunc libet
Solennitas Quinqua gesimæ. de ipsa, quam colimus, Quinquagesimæ solen-
nitate subtiliùs aliquid loqui. Sicut enim immi-
nentibus solennijs paschalibus, Quadragesimã
ieiuniorum obseruantia celebrauimus, sic eis-
dem peractis Quinquagesimam, non sine certi
causa mysterij, festa deuotione agimus. Nam
quia sancta Ecclesia in quibusdam suis mem-
bris adhuc pro æterna requie laborat in terris, in
quibusdam verò omni finito labore, cum Chri-
sto iam regnat in cælis: in memoriam vtriusque
Quadra gesima cur instituta. vitæ constituêre patres nostri gemina hæc con-
gruæ religionis solennia, Quadragesimam vi-
delicet afflictionis & ieiuniorum, instante iam
dominicæ resurrectionis tempore, gaudijsque
paschalibus: vt per eam nobis sæpiùs ad memo-
riam reuocarent, quia per labores & continen-
tiam, per vigilias & orationes, & per cætera, quæ
2. Cori. 6. Apostolus commemorat, arma iustitiæ; ad vitæ
Cur item Quinqua gesima. immortalis præmia debeamus attingere. Porro
Quinquagesimam ab ipso dominicę resurrecti-
onis die inchoare, & gaudijs potiùs laudibusq;
diuinis, quàm ieiunijs voluerunt esse celebrem:
quatenùs annuis eius festis dulciùs admonere-
mur, desiderium nostrum ad obtinenda festa,
quæ non sunt annua, sed continua, non terre-
na, sed cælestia, semper accendere, fixum-
que tenere, quia non in tempore mortalita-
tis huius, sed in æternitate futuræ incorru-
ptionis, vera nobis quærenda felicitas, vera est
inuenienda solennitas: vbi cessantibus cunctis
languoribus, tota in Dei visione ac laude vita
geritur, iuxta hoc quod propheta corde pariter
Psalm. 83. & carne in Deum viuum exultans aiebat: Beati
qui habitant in domo tua, in secula seculorum
laudabunt te. Vnde meritò Quinquagesimæ
diebus in memoriam huius nostræ quietissimæ
ac felicissimæ actionis, crebriùs ac festiuiùs Al-
Alleluia cur frequens à Pascha usq; Pentecosten. leluia canere solemus. Alleluia nanq; Hebræus
sermo est, & interpretatur latinè, Laudate Do-
minum. Deniq; in psalmis vbi nos canimus, Lau
date Dominum, pro hoc verbo, apud Hebræos
semper Alleluia canitur. Quod euangelista Io-
annes in Apocalypsi sua cælestium agmina vir- Apoc. 19.
tutum cantantia se audisse perhibet. Sed & vene
rabilis pater Tobias, ex visione angelica intelli-
gens qualis supernorum ciuium gloria, quanta
ipsius Hierusalem cælestis sit claritas, hæc my- Tob. 13.
stica voce dicebat: Ex lapide precioso & mundo
omnes plateæ eius sternentur, & per vicos eius
alleluia cãtabitur. Rectissimè autem & pulcher- Alleluia cur He braicè cantetur.
rimè generalis sanctæ Ecclesiæ mos inoleuit, vt
hoc diuinæ laudationis carmen propter reueren
tiam primæ authoritatis, à cunctis per orbem fi-
delibus Hebræa voce cantetur. Quod ideò fit,
vt per talis consonantiam deuotionis omnis ad-
moneatur Ecclesia, quia & nunc in vna fidei cõ-
fessione ac dilectione Christi consistere debe-
at, & ad illam in futuro patriam festinare, in qua
nulla diuersitas mentium, nulla est disso- Actо. 4.
nantia linguarum. Nam quomodò in Hie-
rosolymis quondam multitudinis creden-
tium erat cor vnum & anima vna, & erant il-
lis omnia communia: ita in illa summæ pacis
visione, multitudinis videntium Deum erit cor
vnum, & anima vna, videlicet diligendi ac lau-
dandi eum, cuius se gratia viderint esse saluatos.
Et ibi veraciter erunt omnibus omnia commu- 1. Cor. 15.
nia, quia, sicut Apostolus ait: Erit Deus omnia
in omnibus. In cuius typum temporis, ac lauda-
bundæ nostræ quietis vltimi septem Psalmi, qui
specialiter in Domini laudem canuntur, alleluia
titulo prænotantur. Septima quippe dies sab-
bati .i. requiei, per legem vocari & haberi præ-
cepta est. Et aptè liber Psalmorum post tanta cæ-
lestium præceptorum institutа, tot arcanorum
spiritalium mysteria decantata, tantas saluberri-
mæ confessionis ac deprecationis humilimæ vo
ces editas, septem alleluia titulis finitur: quia
quicquid in vita boni gerimus, quicquid in ob-
sequium redemptoris nostri lingua exultante
proferimus, quicquid pro æternæ patriæ deside-
rio cogitamus, cuncta hæc nimirùm ea nobis
mercede recompensantur, vt in requie sempiter
na & audire vocem laudis eius, & ipsi cum san-
ctis eius eum benedicere, gloriam regni eius di-
cere, potentiam virtutis eius loqui mereamur.
Idcircò autem plures Ecclesiæ magistri decan- Alleluia cur in Quadra gesima intermitta tur.
tationem Alleluia, tempore Quadragesimæ in-
termittendam esse sanxerunt: quanuis in Eccle-
sia nunquàm à diuina laude cessetur, sed alijs
verbis, quæ idipsum perfectè significant, eius
quotidiè dona cantantur, vt noua repetitio eius, Psal. 136
maiorem gratioremq; paschalibus gaudijs ho-
norificentiam reddat & splendorem. Sed & hoc
in eo mysterium maximè designare voluerunt, 1. Cori. 15
quòd in huius exilij peregrinatione, sicut ex par
te nouimus, & ex parte prophetamus, ita etiam
ex parte Dominum laudamus, dicentes cum
propheta: Quomodò cantabimus canticum Do
mini in terra aliena? Cùm verò nostram patri-
am, terram scilicet viuentium, domumq; regni
cælestis nobis olim à Domino repromissam in-
tra-

trare merebimur, tunc vt illum perfectè intueri,
sic etiam perfectè valebimus laudare, iuxta illud
Psalm. 28. Psalmistæ: Et in templo eius omnes dicent glo-
Psalm. 18. riam. Vnde & alibi dicit: Cæli enarrant gloriam
Dei. Cælos quippe, cælestis patriæ ciues appel-
lat. Et quidem terrigenæ gloriam Dei narrare
possunt, non autem hanc enarrare nisi cæli ciues
sufficiunt, qui quo hanc viciniùs vident, eo cer-
tiùs valent eloqui. Vtranque sanè hanc solenni-
Quadra gesima & Quinqua gesima à Christo instituta. tatem, hoc est, & Quadragesimæ & Quinquage-
simæ, non quorumlibet hominum, sed ipsius Do
mini ac saluatoris nostri prima nobis sanxit au-
thoritas: Quadragesimam videlicet in eo, quòd
quadraginta diebus ac noctibus ieiunauit in de-
serto, victaque tentatoris versutia, ministerijs
fruebatur angelicis: vbi suo nos informauit
exemplo, quia per macerationem carnis, aduer-
sarij spiritalis machinas euitare, & ad angelo-
rum debeamus peruenire consortium. Porrò
Quinquagesimę nobis in eo gaudia seruanda
monstrauit, quòd post resurrectionem seipsum
discipulis viuum in multis argumentis per dies
quadraginta præbuit, apparens eis, & loquens
Act. 1. de regno Dei, & conuescens, vt in eorum Acti-
bus legimus, quia illos suæ frequentia visitatio-
nis lætabundum hoc tempus habere fecit ac fe-
stiuum. Sed & in cęlũ ascendẽs, nequaquàm eis
prisce suæ præsentiæ dulcedine abstulit, sed ean
Ibid. dem potiùs promisso spiritussancti charismate
cumulauit. Denique cùm promitteret eos spiri-
tusancto baptizandos post dies non multos, eis-
que benedicẽs ascenderet, ac ferretur in cælum,
quadragesima vtiq; die suæ resurrectionis, mox
Luc. 24. illi adorantes, regressi sunt in Hierusalem cum
gaudio magno, & erant semper in templo laudã
tes & benedicentes Deum. Hoc quoque nobis
gaudio, ac laude & benedictione cælesti, qua spi
ritussancti præstolabantur aduentum, vsque ad
Pẽtecoste. diem quinquagesimam, quam Græci penteco-
sten appellant, solennitatis huius lætitiam docu-
erunt esse protelandam. Inter hæc verò solertiùs
intuendum, fratres charissimi, quòd Dominus
hac quadraginta dierum conuersatione cum dis
cipulis, non solùm futuri seculi gaudia, quæ cum
illo sumus habituri, præsignauit: verumetiam in-
effabilem circa nos suæ pietatis ostendit affe-
ctum: qui deposita iam infirmitate corpo-
ris, immò finita, & per resurrectionis virtutem
in cælestem gloriam commutata, dignatur tamẽ
adhuc discipulorum interesse conuiuio, vt eos
socios possit habere in cælo, & vt præcepta, qui-
bus ad regnum Dei perueniant, viuaciùs ipsa fa-
miliaritate commẽdet. Quid enim fratres mei,
quid sibi vult horum coniunctio verborum, qua
dicitur: Apparens eis, & loquens de regno Dei,
& conuescens? nisi quia patenter ostenditur,
quòd ob hoc maximè conuictui sociabatur eo-
rum, cùm de regno Dei loqueretur, vt terrenas
inter eos epulas sumens, quibus cæleste corpus
suum monstrabat, arctiùs eos vinculis sui amo-
ris obligaret, atque illius temporis memoria ro-
boraret, de quo eis ante passionem suam promit
tendo prædixerat: Et ego dispono vobis, sicut Luc. 22.
disposuit mihi pater meus, regnum, vt edatis &
bibatis super mensam meam in regno meo. Me-
ritò ergo sacrosanctis diebus his nos quoq; ma-
ioribus epulis atq; hymnis cælestibus vacamus,
ob reuerentiam nimirùm Dominicæ resurre-
ctionis, ob memoriam Dominici cõuictus cum
discipulis, simul & ob spem futuræ nostræ quie-
tis, ac vitæ immortalis. Sed & genu in oratione Cur genu
minimè iuxta morem flectimus, quia pro certo flexo non
genuum inflexio, pœnitentię & luctus indicium oremus
est. Quod etiam omnibus Dominicis diebus intra
obseruandum, propter eiusdem resurrectionis Quinqua
vel Dominicæ, vel nostræ sacramenta patres in- gesimam.
stituerunt. De sacramento autem quinquagena-
rij vel quadragenarij numeri, multipliciter à pa-
tribus disputatum est. Sed nos quia in longum
duximus sermonem, breuiter modò fraternitati
vestræ dicere sat est, quòd rectè ieiuniorum cæ- Ieiunia
remoniæ quadragenario dierum numero obser cur contin
uantur, vt scilicet per hoc insinuetur, quòd toto neantur
huius vitæ tempore, pro æternæ vitæ perceptio- numero
ne laborare debeamus. Quater enim deni, qua- quadra
draginta sunt. Et vita præsens congruè quater- genario.
nario numero figuratur, vel quia quatuor anni
temporibus tota variatur, vel quia mundus ipse,
in quo viuimus, quatuor elementis subsistit, vi-
delicet igne, aëre, aqua & terra. Futuræ autem vi-
tæ beatitudo, denario numero non inconuenię-
ter exprimitur. Hinc est enim, quòd Dominus Matth. 20
operarios vineæ, denario remuneratos esse
perhibet. Operarij quippe vineæ, cultores sunt
sanctæ Ecclesiæ. Denarius autem vitæ cælestis
perfectionem designat, in qua gloriam Domini, 2. Cori. 3.
summi videlicet regis speculantes, in eandem
imaginem transformamur: non solùm quidem
in eo, quòd regis imaginem habet & inscriptio-
nem, verumetiam in eo, quòd decem obolis, qui
est perfectus numerus, constat, vnde & nomen
accepit. Recte ergo quadragenario, hoc est,
quater denario dierum numero ieiunium annuè
celebramus, vt per hoc specialiùs admoneamur,
quia quandiù viuimus in mundo, pro cælestium
præmiorũ adeptiõe semper laborare debeamus.
Rectè etiam quinquagenario dierum numero, Mysterium
statum futuræ nostræ beatitudinis in imagine ve numeri
neramur, ieiunia videlicet relaxando, alleluia ca quinqua
nendo, stantes orando, quæ sunt aptissima per- genarij.
petuæ quietis, resurrectionis & laudis præsagia.
Septies enim septem, quadragintanouem faciũt.
Et quidem per septem, sæpè requiem designari
luce clariùs est. Septem verò septies ducta, eius-
dem requiei perfectionem insinuant, quæ nullo
vnquàm fine clauditur, nulla labe maculatur:
sed vbi dies iudicij vniuersalis, ac resurrectio-
nis aduenerit, ampliori corporum receptorum
gratia perficitur. Quòd enim ad septem sep-
timanas monas additur .i. ipsa dies Dominica

Universidad de Deusto
Biblioteca

pentecostes, qua spiritum sanctum accepit Ecclesia primitiua, & ita quinquagenarius numerus perfectè completur, ipsum iudicij & resurrectionis omnium tempus ostendit, quando sanctorum requies animarum quæ nunc in illa vita geritur, etiam corporum immortaliũ receptione geminabitur, & ille Apostoli sermo adimplebitur: Quòd si spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis: qui suscitauit Iesum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis. Verùm hoc quoque quòd non statim peracta die quinquagesima genu ad orãdũ curuamus, sed & illa adhuc septimana stantes Domino supplicamus, & quanuis intermissa repetentes ieiunia, tamen alleluia quotidiè personamus, nemo absq; discretione, sed apta & congrua ratione mysterij putet actitari. Quia enim spiritussanctus septiformis est gratia, iure solennitas aduentus eius per septem dies laude hymnorum debita, simul & missarum celebratione colitur. Quia tempore Pentecostes, Ecclesia toto orbe nouos semper Deo populos per aquam regenerationis aggregare consueuit, meritò saluti eorum congaudentes, quousque albis induuntur stolis, & nitorem puritatæ mentis, splendore habitus præmonstrant, hymnum Deo deuotæ laudis offerimus, iuxta præceptum ipsius pijssimi pastoris ac redemptoris nostri, quo ait: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat. Meritò etiam tunc stantes oramus, ob significantiam videlicet liberationis eorundem, quia per donum spiritussancti de morte animæ ad vitam resuscitari ac resurgere meruerunt, cuius donante gratia, etiam carnis immortalitate nos in nouissimo die vestiendos, atque ad gaudia beatæ resurrectionis perducendos esse speramus, iuxta hoc quod paulò antè Apostolo teste docuimus. Quòd verò inter hæc ieiuniorum castigatio repetitur, de ipsorum Apostolorum exemplo sumptum credere debemus, qui accepto spiritu, quo perfectiùs noua cælestium bonorum suauitate fruebantur, eo altiùs mentem à memoria deliciarum abstulêre terrestrium. Iam enim aduenerat tempus illud, de quo Dominus prædixit, quia discipuli ipso secum conuersante ieiunare non possent, ablato autem eo ieiunarent. Nam cùm interrogarent eum discipuli Ioannis, dicentes: Quare nos & pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant? ait illis: Nũquid possunt filij sponsi lugere, quandiù cum illis est sponsus? Veniet autem dies, cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. Qui ergo & ante passionem & post resurrectionem Dominicam, propter ipsius Domini præsentiam lugere ac ieiunare nequiuerant, constat profectò, quòd post ablationem eius, spontaneis sese subdidere ieiunijs. Nanque vbi sancti spiritus sunt acceptione recreati, sicut à cæteris mundialibus illecebris, sic & ab epularũ appetitu mentẽ prorsũ auerterunt, animæ potiùs quàm corporis alimonia gaudentes, & pro memoria patriæ cælestis, orationibus ac lachrymis insistentes salubribus. Deniq; Luca referente cognouimus de illis tribus millibus virorum, qui ipso die Pentecostes, Petro prædicante, crediderunt, quàm parco victu contenti fuerint, quàm sobriam cælestemq; in terris egerint vitam. Erant, inquit, perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Et paulò pòst: Quotidiè quoque perseuerantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panes, sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis, collaudantes Deum, & cætera huiusmodi. Ad quorum nos exemplum, vitã moresq; soler ter aptare necesse est: quia perfectum vitæ magisterium est, Ecclesiæ primitiuæ semper actus imitari, illamq; ædificij spiritalis normam adfinem vsq; seruare, quam ab ipsis Apostolis in fundamento fidei liquet esse propositam. Nec dubitandum, quia quorum nunc vestigia sequimur, ad eorum in futuro sumus præmia peruenturi. Et quidé, fratres mei, pulcherrimã etiã in præsẽti futuræ beatitudinis figurã gerimus, de qua modò aliquanta perstrinximus. Sed ita nobis viuendũ est, vt quæ exteriùs in imagine colimus, ante interni arbitri oculos veraci corde seruemus. Perseueremus ergo & nos in doctrina sanctorum, vt videlicet discendo, & operibus exercendo quæ docent, orationibus incumbamus assiduis, dominici panis communione digni satagamus existere, vnanimiter in Ecclesia horis persistamus canonicis, panem indigenti proximo, vel quicquid valemus piæ consolationis porrigamus: ita cibum corpori indulgeamus, vt memoria viui panis potiùs mentis intima lætificet: simplicitatem cordis in omnibus teneamus, quod est sola intentione supernæ retributionis bona operari, & quod præsentia festa maximè decet, hymnum diuinæ laudis consona voce simul & mente personemus. Sic enim solummodò Deo nostro iucunda fit laudatio, si quod ore canimus, non impugnamus opere: si quum labijs alleluia proferimus, à turpi & maligna cogitatione præcordia casta gestamus. Et tantum ratione suauis erit ei laudatio nostra, si non in rebus caducis & infimis, sed delectemur in Domino. Quod ipse præstare dignetur, qui tanta nobis tamq; præclara beneficiorum pignora, per paschalia sacramenta prærogauit, Iesus Christus Dominus noster, qui viuit & regnat cum patre in vnitate spiritussancti, per omnia secula seculorum, Amen.

Rom. 8.

Cur per octauas pẽtecostes stantes oremus, &c.

Imitari debemus priorũ exemplum.

Luc. 15.

Ieiunia pẽtecostes ab Apostolis professa.

Matth. 19

EODEM DIE HOMILIA EVSEBII EMESENI.

Cùm uenerit paracletus, quem ego mittam uobis à patre, spiritum ueritatis, qui à patre procedit, ille testimoniũ perhibebit de me, &c. Ioan. 15. SEM-

Horæ canonicæ

SEMper Saluator noster tristibus miscet læta, vt discipulorum corda mœrentia cõsoletur. Cùm, inquit, venerit paracletus, qui consolator interpretatur, ille testimoniũ perhibebit de me: ille & vos & alios multos perfectissimè intelligere faciet, quis & qualis ego sum: ipse enim in vobis loquetur & per vos. Cùm igitur stetteritis ante reges & præsides, nolite cogitare quomodò aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Et ipse quidem testimonium perhibebit de me, eiusq; virtute & inspiratione innumerabilis hominum multitudo conuertetur ad me. Et non solùm ipse, *sed uos quoque testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Multa (quasi diceret) iam scitis, quæ ab initio me referente audistis, quoniam ex tũc mecum fuistis, in quibus testimonium mihi perhibebitis. Non enim habebant necessarium iterum discere, quæ ab ipsa sapientia didicerant, & memoriæ iam commendauerant. Vna enim eademque doctrina est & patris & filij & spiritus sancti. Et quanuis quædam personaliter agere videantur, vna tamen omnium trium est operatio. Quos igitur docet filius, docet pater & spiritus sanctus: sic & in alijs. Vnum enim sunt, simul vbique & inseparabiles. Paucis enim verbis hoc in loco spiritus sanctus & à se venire, & à patre si lioque procedere ostenditur. In eo enim quòd dicitur, *Cùm uenerit*, à seipso ostenditur: in eo verò quòd Dominus ait, *Quem ego mittam uobis à patre*, ab vtroque procedere monstratur. Quid est enim, quem ego mittam vobis à patre, nisi quem ego & pater mittam vobis? Ab vtroque enim mittitur, quia ab vtroque procedit. Sed quia pater à nullo, filius à patre, spiritus sanctus à patre & filio, ideò Dominus ait, Qui à patre procedit. Et tale est, ac si diceret: Ab illo procedit spiritus, à quo & ego genitus sum, à quo & ego exiui, & veni in mundum. Multa enim (vt in hoc libro apparet) habet filius cum patre communia, quæ tamẽ non ad se, sed ad patrẽ honorando refert. Quomodò autem & quando Spiritus sanctus super Christi discipulos venerit, Lucas Euangelista in Actibus Apostolorum plenissimè narrat. Ait enim: Cùm complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco. Et factus est repentè de cælo sonus tanquàm aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquàm ignis, seditque supra singulos eorum Spiritus sanctus. Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout spiritus sanctus dabat eloqui illis. Et meritò quidem die quinquagesimo venit Spiritus sanctus, quia ipse est remissio omnium peccatorum. Annus enim quinquagesimus, qui hũc diem significabat, Iubileus vocatur, id est, annus remissionis: in quo & seruis dabatur libertas, & omnis hæreditas ad priores reuertebatur. Quod quidem tunc completum est, quando Ecclesiæ duces in Spiritu sancto baptizati, ab omni vitiorum seruitute liberati sunt. Vnde ipse Dominus ait: Quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini in Spiritu sancto, non post multos hos dies. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnũ Dei. Hac igitur die & hæreditas & libertas redita est nobis, quia ille, sine quo hæreditas & libertas haberi non potest, datus est nobis. Hæreditas nostra regnum Dei est, in quod non intratur, nisi per aquam & spiritum sanctum. Hac itaque die genus humanum venit ad Iubileũ. Hac die venit ad annũ libertatis & remissionis. Hoc anno cœperunt Apostoli clangere tubis, & loqui & prædicare omnibus linguis. Has enim tubas illæ tubæ significabant, quibus tunc incipiente Iubileo, tota illa terra ad festiuitatem parabatur. Apparuit autem in igne Spiritus sanctus, vt manifestissimè intelligamus, quia eius præsentia mentis oculi illuminantur, peccata vruntur, & corda fidelium igne charitatis accenduntur. Sed quia ignis iste linguarũ speciem habebat, ipsum qui in sanctis loquitur se ostendebat esse, & linguis quodammodò linguas tangebat, & sic ad loquẽdum Apostolos instruebat. Sequitur: *Hæc locutus sum uobis, ut non scandalizemini.* Vndè? Vultis audire vndè? *Absque synagogis facient uos*, & quasi iniquos & contra legem facientes à se repellent & à synagogis eijcient. Vos autem verborum meorum memores, non scandalizemini, sed patienter & fidutialiter omnia sustinete. Dixi vobis, quia absque synagogis facient vos. ecce plus dico: *Venit hora, ut omnis qui interficit uos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Totus contra vos mundus coniurabit, totus exercitus satanæ contra vos armabitur. Hinc Iudæi, inde Gentiles: illi propter legis obseruationem, isti propter deorum religionem. Et intantùm omnes abominabuntur vos, vt magnum obsequium arbitretur præstare Deo, quicunque interfecerit vos. *Et hæc facient uobis, quia non nouerunt patrem neque me.* Si enim patrem & filium cognouissent, se errasse vtique intellexissent, & sic errorem reliquissent, & ad fidem veniissent. *Sed hæc loquutus sum uobis, ut cum uenerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi uobis.* Quare ergo reminiscaminí? Vt in ipsis tribulationibus & angustijs constantiùs firmiusque pugnetis, cùm me omnia præscisse & prædixisse cognoscetis. *Hoc autem uobis ab initio non dixi, quia uobiscum eram.* Si enim cum eis semper corporaliter esset, hac tali consolatione eos præmunire necessarium non esset.

Leui. 25.

Act. 1.

Ioan. 3.

Leui. 25.

Trinitatis una opera tio.

Act. 1.

Cur die quinquagesimo uenerit spiritus sanctus

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN VIGILIA PENTECOSTES, IOANNIS XIIII.

In illo tempore, Dixit Iesus discipulis suis: Si diligitis me, mandata mea seruate: & ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternum. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

QVia sancti spiritus hodiè, fratres charissimi, celebramus aduentum, debemus ipsi congruere solennitati quam colimus. Hoc etenim ordine tantæ festiuitatis huius dignè gaudia celebramus, si nos quoque Domino opitulante aptos reddiderimus, ad quos spiritussanctus aduenire, & in quibus habitare dignetur. Ea autem solummodò ratione, aduentu & illustratione spiritussancti apti existimus, si & corda nostra diuino amore repleta, & corpora sint Dominicis mancipata præceptis. Vnde in exordio lectionis huius Euangelicæ, discipulis veritas ait: *Si diligitis me, mandata mea seruate: & ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit uobis.* Paracletus quippe, consolator interpretatur. Et spiritussanctus rectè paracletus vocatur, quia corda fidelium, ne inter huius seculi aduersa deficiant, cœlestis vitæ desiderijs subleuat ac reficit. Vnde in Actibus Apostolorum crescente sancta Ecclesia dicitur: Et ædificabatur ambulans in timore Domini, & consolatione sancti spiritus replebatur. Quod ergo ait: Si diligitis me, mandata mea seruate: & ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis: in ipsis quidem discipulis, qui verè eum dilexisse, vereque mandata eius obediisse non dubitantur, hodierna die completum est, quando illis in cœnaculo orantibus, repentè spiritussanctus in igneis linguis apparuit, eosq; & in ore per diuersitatem linguarum docuit, & in corde per amoris sui consolationem roborauit. Habebant autem & priùs paracletum, ipsum videlicet Dominum secum in carne commorantem, cuius & miraculorum dulcedine, & ope prædicationis, ne infidelium persecutione scandalizari possent, erigi & confortari solebant. Verùm quia ille post resurrectionem ascendens in cælum, eos corporaliter deseruit, quibus tamen diuinæ præsentia maiestatis nunquàm defuit, rectè de hoc paracleto, i. spiritusancto, subiunxit: *Vt maneat uobiscum in æternum.* In æternum quippè manet cum sanctis, quos in hac vita semper inuisibiliter intùs illustrat, & in futuro ad contemplãdam perpetuò speciem suæ maiestatis introducit. Sed & nos, fratres charissimi, si Christum perfectè diligimus, ita vt eiusdem dilectionis veritatem, mandatorum eius obseruatione probemus, rogabit etiam pro nobis patrem, & alium paracletum dabit nobis pater. Rogabit patrem per humanitatem, qui dabit cum patre per diuinitatem. Neque enim putandum est, quòd ante passionẽ suã tantũmodò pro Ecclesia rogauerit, & non etiam nunc post ascensionem roget, cùm dicat de illo Apostolus: Qui est ad dexterã Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Habemus autẽ Christum & nos paracletum Dominum nostrum Iesum Christum, quem & si corporaliter videre nequimus, ea tamen quæ in corpore gessit & docuit, in Euangelijs scripta tenemus. Et si his audiendis, legendis, inuicem conferendis, corde & opere conseruandis, curam impendimus, constat nimirùm, quòd ærumnas seculi facilimè, quasi Domino nobiscum perpetuò commorante, ac nos consolante, vincamus. Si ergo hunc paracletum diligimus, eiusque mandata seruamus, rogabit patrem, & alium paracletum dabit nobis, id est, spiritus sui gratiam nostris cordibus clementer infundet, quæ nos inter diuersa præsentis exilij patriæ cælestis expectatione lætificet, ita vt cum propheta possimus dicere: Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo αἱ παρακλήσεις, id est, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Alium ergo, inquit, paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum. Et addidit: *Spiritum ueritatis, quem mundus non potest accipere.* Mundum autem appellat, homines mundi huius amori deditos, sicut econtrà sancti, qui cælestium desiderio flagrant, rectè cæli vocantur, dicente Psalmista: Et annunciabunt cæli iustitiam eius populo qui nascetur. Quod est apertè dicere: Annunciabunt excelsi mente, voce, actione doctores iustitiam eius, populo qui ad fidem veniendo nuper, in illo nasci desiderat. Quisquis igitur consolationem foris in mundi rebus inquirit, hic diuinæ consolationis munere intùs reformari non valet. Quisquis infimis delectationibus inhiat, non potest spiritum veritatis accipere. Fugit enim spiritus veritatis cor, quod vanitati subditum cernit: solosque eos, quos mandata veritatis per dilectionem operari conspicit, aduentus sui luce reficit. Vnde benè cùm diceret, Quem mundus non potest accipere, mox addidit, dicens: *Quia non uidet eum, nec scit eum: uos autem cognoscetis eum, quia apud uos manebit, & in uobis erit.* Dominum nanque saluatorem & infideles ante passionem in carne viderunt: sed quia Dei filius esset, quia paracletus à Deo missus in mundum, non nisi fideles scire potuerũt. Spiritum autem sanctum neq; oculis videre infideles, neq; animo cognoscere valebant: quia nõ indutus humanitate discipulis apparuit, sed ita ad eos venire, ita apud eos maluit manere, vt in ipsis eorum cordibus gratissimam sibi sedẽ consecraret. Hoc est enim, quod ait: *Vos autem cognoscetis eũ, quia apud uos manebit, & in uobis erit.* Qui autem inuisibiliter in hac vita manet cũ electis, intuisibiliter vtiq; eis gratiam suæ cognitionis exhibet. *Non uos relinquam orphanos, ueniam ad uos.* Videbatur infidelibus, quòd moriens in cruce Dominus, discipulos relinqueret orphanos: sed nõ reliquit orphanos, quibus & seipsum præbuit viuũ post passionem suam in multis argumentis per dies quadraginta, & post dies decem assumptionis suæ, hoc est, hodierna die, spiritus sancti illos de cælo charismate donauit: vbi ipsum Christũ ad eos venisse nullus ambigit, qui inseparabilẽ sanctę Trinitatis naturam, virtutem & operationem esse cognouit. Quod ipsum latiùs exequẽs, quantum causa illorum de gente non sancta sit discreta, denuntiat: *Adhuc modicum, & mundus me iam non uidet. Vos autem uidetis me, quia ego uiuo, & uos uiuetis.* Nam quia hæc ad passionem iturus loquebatur, modicum erat vsq; ad tempus expletæ passionis, ex quo illum reprobi nunquam videre valebant. Soli etenim iusti, qui morte illius erant contristati, gaudium resurrectionis eius videre meruerunt. At qui visa morte eius exultabãt, nequaquàm ipsi visa eius resurrectione lætati, sed audita conturbari, ac dolere, prout decebat, habebant. Vos aũt videtis me, inquit, quia ego viuo, & vos viuetis. Ego viuo, præsentis temporis verbo posuit: & vos viuetis, futuri: quia nimirùm in proximo adesse cernebat, ideoq; quasi præsentem nominabat horam, in qua ipse morte destructa, in æternam resurgeret vitam. Illorum verò vitam in futurum nouerat esse differendã: quos & vsque ad præfinitum mortis suæ tempus singulos pro ingressu vitæ perennis agonizari, & vsque ad finem seculi resurrectionem sui corporis expectare oportebat. ait ergo: Adhuc modicum, & mundus iam me non videt: vos aũt videtis me, quia ego viuo, & vos viuetis. Ac si apertè dicat: Adhuc modicum, & mundi amatores me mortalem vltrà videre desistunt: resurgentẽ verò à mortuis cernere nequeũt: quia illam nesciunt vitam, cuius soli amatores gloriam meæ resurrectionis merentur intueri. Vos autem ideò me post hæc videre valetis, quia & ego viuo resuscitatus à mortuis, & vos digni estis meæ resurrectionis exemplo confortari, qui & ipsi ad perpetuam vitam & beatæ resurrectionis estis gaudia venturi. *In illo die uos cognoscetis, quia ego in patre meo, & uos in me, & ego in uobis.* Nouerant etiã tunc apostoli Christum esse in patre per vnitatẽ individuę diuinitatis, nouerant se esse in Christo per susceptionem fidei & sacramentorum eius, nouerant in se esse Christum per dilectionẽ & obseruatiam mandatorum eius. Dixit enim eis ipse: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & pater meus diliget eum, & ad eũ veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Hæc vtique & tunc imbuti à Christo nouerant apostoli, & nũc apostolicis imbuta literis, nouit omnis Ecclesia Christi. Sed in illo nimirum die, quo veraciter viuere incipiunt, lógè meliùs ea iusti cognoscũt, id est, in die resurrectionis, quando eo perfectiùs cuncta quæ scienda sunt sciũt, quo ipsum sientiæ fontẽ viciniùs sine fine conspiciunt. Quod etiam de quibusdã perfectioribus sanctis & ante tempus resurrectionis fieri dubium non est, illis videlicet, qui fidutia bonorum operum dicere cum Apostolo valent: Cupio dissolui, & esse cum Christo. mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Hæc quidẽ omnia Dominus quasi apostolis specialiter dicere videtur: sed ne putaremus eum illis solummodò, & non etiam nobis, si illorum exempla sequeremur, beatitudinem diuinæ cognitionis polliceri, generalem post hæc sententiam subintulit, & omnibus se diligentibus eadem suæ visionis & cognitionis præmia promittit, dicens: *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me: qui autem diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Vbi omni intentione considerandum, quia Christum verè diligere, est non ipsam dilectionẽ labijs profiteri, sed mandata Christi, quæ discendo habemus, operando seruare. Vnde & Ioannes admonens, ait: Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate. Omni gaudio amplectendum est, quia merces veræ nostræ dilectionis illa erit, qua maior esse nulla poterit, nos scilicet à patre & filio diligi, nobis contemplandam perpetuò filij Dei gloriam reuelari. Non aũt dubitandum, quia quibus gloria filij Dei reuelabitur, eisdem quoq; patris & spiritussancti liceat adesse conspectui: quia quorum vna est diuinitas, vna vtiq; & inseparabilis visio est. Hinc etenim dicit: Qui me videt, videt & patem. Et notandum, quia cùm præsentis temporis verbo diceret, Qui aũt diligit me, adiecit de futuro, Diliget ur à patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Diligit nanq; etiam nunc dilectores suos cum patre filius: sed nunc diligit ad hoc, vt rectè viuant ex fide, quæ per dilectionem operatur: tunc ad hoc diliget, vt perueniant ad visionem veritatis, quã per fidem gustauerant, & pro qua ad mortem vsque certauerant. Non aũt frustrà cum additamẽto ait: Et manifestabo ei meipsum. Se enim cunctis hominibus, seipsum verò solis manifestabit electis. Nam & reprobi in iudicio Christum videbunt, sed, sicut scriptum est: Videbunt in quẽ transfixerunt. soli autem regem in decore suo videbunt oculi iustorũ. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbũt. Hæc de lectione euãgelica fraternitati vestræ, charissimi, prout Dominus dedit, exponendo diximus. Videtur autem opportunũ, de solennitate adhuc hodierna breuiter aliqua differere. In primis aũtẽ sciendum est, quòd hæc solennitas non euangelicis tantum consecrata charismatibus, verũetiam legalibus iam olim præsignata est mysterijs, ac Domino iubente per omnes annos sacris obseruata cæremonijs. Hodierna etenim die, vt nouimus, positis in cœnaculo discipulis, factus est repentè de cœlo sonus, & spiritus sanctus in visi-

Vt simus capaces spiritus sancti.

Actor. 9.

Item spiritus sanctus

Psalm. 93

Mundus mysticè.

Psalm. 21.

Act. 1.

Soli pij Christum uiderunt rediuiuũ.

Vt Christus in patre, nos in Christo et Christus in nobis. Ioan. 14.

Philip. 1.

Christum quis uerè amet.

1. Ioan. 3.

Ioan. 14.

Pẽtecoste in utroq; testamento solẽne.

Deut. 16.

Act. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

one ignis apparens, scientiam illis omniũ linguarum tradidit. Facta autè hac voce, conuenere viri religiosi, qui de diuersis nationibus, Hierosolymam paschalis festiuitatis gratia confluxerant, stupebantque mirantes, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes magnalia Dei. Exponentibus autem discipulis, quia spiritus sancti esset gratia quam cernebant, olim quidem voce prophetarum promissa, tunc autem Christi munere missa, crediderunt ex eis tria milia virorum, & baptizati acceperunt etiam ipsi donum spiritus sancti. Hęc est diei huius annua celebritas, hæc est gratiæ cælestis semper grata festiuitas. Ob huius memoriam fidelium cordibus arctiùs imprimendam, pulcherrimus sanctæ Ecclesiæ mos inoleuit, vt annis singulis in ea baptismatis mysteria celebrentur, ablutisque fonte salutari credentibus, superuenienti spiritui sancto templum venerabile paretur: ac per hoc non solùm veteris facti recordatio, verumetiã in nouos adoptionis filios, nouus in ea spiritus sancti celebretur aduentus. Attendat ergo charitas vestra, fratres mei, qualiter huic nostræ festiuitati, legalis festi typus & figura concinat.

Cur in pentecoste collatus baptismus.

Exod. 12. Liberati de Aegyptia seruitute filij Israël per immolationem agni paschalis, exierunt in desertum, vt venirent ad terram promissionis: peruenerunt̃que ad montem Sinai. Et descendens Dominus in igne super montem, comitantibus

Exod. 19. & 20. sonitum buccinæ tonitruis ac fulgoribus, quinquagesimo die peracti paschæ, legis decalogum eis aperta voce disposuit, atque in memoriam

Leuit. 23. datæ legis statuit, eo die per annos singulos sacrificium sibi nouum de frugibus eiusdem anni, panes videlicet primitiarum duos ad altare deferri. Quæ autem sit agni paschalis immolatio, quæ Aegyptiæ seruitutis absolutio, cunctis legẽtibus liquet, quia videlicet pascha nostrum immolatus est Christus. Et ipse est verus agnus,

1. Cor. 5. qui abstulit peccata mundi: qui sui sanguinis precio nos à peccatorum seruitute redemit, suæ resurrectionis exemplo nobis spem vitæ & per-

Exod. 19. & 20. petuæ libertatis ostendit. Quinquagesimo verò die post occisionem agni data est lex, descendente Domino super montem in igne: & quinquagesima æquè die post resurrectionem nostri redemptoris, quæ est hodiè, data est gratia spiritus sancti discipulis in cœnaculo constitutis, quę apparente foris igne visibili inuisibiliter eorum pectora luce scientiæ irradiauit, ac inextinguibili charitatis ardore succendit. Et hic autem altitudo cœnaculi, & ibi cacumen montis, sublimitatem præceptorum & donorum indicat cælestium: & quia nemo infimis adhuc desiderijs inhærens, vel diuinis obtemperare mandatis, vel supernis possit dignus existere donis. Sed hic in maioris signum perfectionis, omnes qui accipiebant spiritum, in cœnaculo erant positi: illic ad designanda infirmorum corda auditorum, populus quidem omnis infra montem stabat, at pauci seniorum montis partem conscenderant: solus autem Moyses in ipsum eius verticem, vbi in igne & caligine diuina maiestas præfulgebat, ascendit: quia nimirùm altiora & intima legis arcana, perfectiores solùm capere & seruare nouerunt: populus verò carnalis literæ superficie contentus, quasi exteriùs & infrà positus, verbi cælestis adstabat auditui: at nunc data latiùs gratia spiritus sancti, ad intelligenda sublimiùs, simul & implenda perfectiùs sancti euangelij dicta, fidelium corda subleuantur. Ibi inter flammas ignium & micantia fulgura, fragor quoque tonitruorũ & clangor sonabat buccinæ: hic cum ignearum visione linguarum, sonitus pariter de cælo tanquàm spiritus vehemẽtis aduenit. Sed cùm in vtraque datione, & legis videlicet & gratiæ, foris audiretur sonitus: hic tamen ampliori miraculo cũ auditu sonitus, adfuit virtus doni cælestis, quæ intùs sine sonitu discipulorum corda doceret. Ibi auditis legalibus edictis, respondit omnis populus vna voce concorditer, dicens: Omnia verba quæ locutus Exod. 24.
est Dominus, audiemus & faciemus: hìc accepta illustratione spiritus, nascentis Ecclesiæ cœtus omnium nationum linguis Dei magnalia loquebatur: certæ vtique discretionis gratia: quia legis obseruatio vni tantùm genti Iudææ data sit: verbum verò euangelij cunctis per orbem gentibus prædicandum, cunctorum linguis populorum Christianæ fidei essent præconia dicenda, impleta prophetia quæ dicit: A solis ortu vs- Psal. 112.
que ad occasum laudabile nomen Domini: excelsus super omnes gentes Dominus. Sed & Leuit. 23.
hoc, quòd in venerationem acceptæ legis omnibus annis sacrificiũ nouũ Domino die Pentecostes offerri iussum est, & in nostra quoq; festiuitate spiritualiter agi ex acceptæ gratiæ tẽpore nunquam desijt. Nouum quippe in eo sacrificiũ offert Ecclesia, cum sabbato incipientis sanctæ Pentecostes, nouum adoptionis populũ per baptisma Domino cõsecrat, ritu verè decentissimo, sicut & supra docuimus, vt nõ solum populis Christianis veteris facti memoria innouetur, sed & in nouã renatorũ sobolem noua paracleti à patre missio celebretur. Nouũ in ea sacrificiũ Domino ipsi quoq; apostoli mox accepto dono spiritus obtulerunt, cũ euangelizãtes his qui cõuenerãt, plurimos cõuerterũt ad fidẽ, & hos fonte baptismatis renouatos, ac spiritus gratia sanctificatos, viuas vtiq; noui testamenti primitias, ad cõmunionem dominici altaris obtulerũt. Be nè aũt duo panes primitiarũ de nouis frugibus iubebãtur offerri, quia nimirũ Ecclesia de vtroque populo, Iudæorum scilicet & gentium, colligit, quos in nouam suo redemptori familiam consecret. Inter hæc verò solerter intuendum est, quòd non sine magno mysterio quinquagenarius numerus in datione vel legis vel gratiæ

Nouũ Ecclesiæ sacrificium in Pentecoste.

Numeri quinquagenarij mysteria

gratiæ obseruatus est. Nam quinquagesima die Paschæ, & illa in monte populo data, & hæc discipulis in cœnaculo missa est. Sed hoc nimirùm numero perpetuitas futuræ quietis ostenditur, in quo rectè vel legis decalogus mandatur, vel spiritus sancti gratia datur hominibus, vt apertè monstraretur, quia quicunque diuinæ legis iussa, iuuante spiritus gratia perficiunt, ad

Leuit. 25. veram profectò requiem tendunt. Quia enim quinquagesimus annus in lege iubileus, id est, dimittens siue mutatus appellari iussus est, in quo populus ab omni operatione quiesceret, omnium debita laxarentur, serui liberi redirent, annus ipse maioribus solennijs ac laudibus diuinis eminentior cæteris existeret: meritò per hunc numerum illa summæ pacis tran-

1. Cor. 15. quillitas indicatur, quando, sicut Apostolus ait, canente nouissima tuba mortui resurgent, & nos immutabimur in gloriam: vbi cessantibus huius seculi laboribus & ærumnis, dimissis omnium culparum debitis, in sola diuinæ visionis contemplatione cunctus electorum populus in æternum gaudebit, impleto illo desiderabili

Psal. 45. Domini ac saluatoris nostri mandato, Vacate & videte, quoniam ego sum Deus. Ad quam profectò vacationem & visionem incommutabilis veritatis, quia non nisi per obseruantiam præceptorum cælestium, & spiritus sancti donum pertingitur, rectè & legem decalogi, & eiusdem spiritus gratiam, in eo dierum numero, qui requiem designaret, dari decebat. Neque hoc prætereundum, quòd ideò numerus quinquagenarius significatione æternæ quietis aptatur, quia ex septem septimanis & mona-

Exod. 20. de perficitur. Sex quippe diebus in lege po-

Exod. 23. pulus operari, septima quiescere, sex annis arare & metere, septimo iussus est cessare: quia scilicet & sex diebus Dominus mundi ornatum perfecerit, septimo ab opere suo cessauerit. Quibus omnibus mysticè admonemur, quòd hi qui in hoc seculo, quod sex ætatibus constat, bonis operibus pro Domino instant, in sabbatum in futuro, id est, in requiem à Domino inducuntur æternam. Quòd autem septem dies vel anni septies ducuntur, multiplicem eiusdem requiei abundantiam designant, in qua præmium illud sublimæ datur electis, de quo Apo-

1. Cor. 2. stolus ait, Quòd oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his qui diligunt illum. Cuius præmij cognitionem, quia in cor hominis, id est, humana adhuc sapientis, ascendere non posse testatur, aperit subsequenter vnde hæc diligen-

Ibidem. tibus Deum possit ostendi. Nobis autem (inquit) reuelauit Deus per spiritum suum. Per spiritum ergo reuelatur præmij magnitudo perennis, quia dum ipse corda quæ implet, appetitu inuisibilium inflammat, eadem bona inuisibilia quàm sint præclara, quàm terrenis omnibus præferenda, manifestat. Vnde benè eiusdem spiritus gratia septiformis à prophera de- Esai. 11.
scribitur, quia nimirùm & per eius inspirationem ad requiẽ peruenitur, & in eius plena perceptione ac visione requies vera possidetur. Porrò ipse dies, vel annus quinquagesimus, qui septem septimanis supereſt, & maiore præ cæteris erat solennitate venerabilis, tempus futuræ resurrectionis indicat, in quo illa requies, qua nunc animæ fruuntur electorum, corporum quoque receptorum gloria cumulabitur. Vsolicitiùs, fratres mei, intuendum est, quia spiritus sanctus non solùm in futuro perfectam, sed in præsenti maximam iustis quietem tribuit, cùm eorum mentes cælestis igne charitatis accẽdit. Dicit nanque Apostolus: Spes autem non Rom. 5.
confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Et hæc est vera, imò hæc est sola in hac vita requies animarum, diuina dilectione repleri, spe supernæ retributionis prospera mundi simul & aduersa contemnere, terrena à se desideria funditùs extirpare, concupiscentijs renunciare secularibus, illatis pro Christo contumelijs & persecutionibus gaudere, & cũ Apostolo dicere posse: Et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei: Ibidem.
non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus. Nam qui in rerum mundanarum delectationibus & opulentia se requiescere posse cõfidit, fallitur: etenim & creberrimis eiusdem mũdi perturbationibus, & ipso fine conuincitur, quia super arenam fundamentum suæ quietis posuerit. At quicunque sancto afflati spiritu, suauissimum illud Dominicæ dilectionis iugum super se leuauerint, atque exemplo illius mites esse & humiles corde didicerint, non- Matth. 11
nulla etiam in præsenti futuræ quietis imagine fruuntur, dum à conturbatione hominum securis semper reminisci gaudent, atque ad perfectam eius contemplationem pertingere sitiunt, dicentes sibi cum Ioanne Apostolo: Scimus 1. Ioan. 3.
quia cùm apparuerit, similes ei erimus: videbimus enim eum, sicuti est. Ad cuius præmium visionis si peruenire desideramus, oportet fratres charissimi, vt huius Euangelicæ lectionis perpetuò memores, à mundi nos illecebris immunes exhibeamus, quatenùs ad percipiendam spiritus sancti gratiam, quam mundus non potest accipere, digni existere valeamus. Diligamus Christum, eiusque mandata quæ habemus incipiendo, seruemus perseuerando. Fit enim iusta mercede, vt illum diligendo, diligi ampliùs mereamur à patre: sed & ipse maiorem dilectionis suæ nobis gratiam præstare dignetur in futuro. Dat enim nunc diligendo nos, vt credentes speremus in eum: tunc autem, vt videamus eum facie ad faciem manifestabitq; seipsum nobis, hoc est, in claritate quã

Vera quies animi in hac uita.

Universidad de Deusto
Biblioteca

habuit, priusquàm mundus esset apud patrem, cum quo viuit & regnat in vnitate spiritussancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen,

IN SACRATISSIMA PENTECOSTE, IN LECTIONEM Epistolæ loco Concio exegetica.

HAC die longè celeberrima, qua Spiritus sanctus in discipulos sicut sperabatur influxit, ex Actis Apostolicis lectio recitatur, ad cuius explanationem antequàm accedamus, libet verbis vti beatiss. martyris Cypriani, ijs videlicet: Adesto sancte spiritus, & paracletin tuã expectantibus illabere cælitùs: sanctifica templũ corporis nostri, & consecra in habitaculum tuum. Desiderantes te animas tua præsentia lætifica, dignam te habitatore domum compone, adorna thalamum tuum, & quietis tuæ reclinatorium circunda varietatibus virtutum: sterne pauimenta pigmentis, niteat mãsio tua carbunculis flammeis, & gemmarum splendoribus, & omniũ charismatũ intrinsecùs spirent odorameta: affatim balsami liquor fragrantia sua cubiculum tuum imbuat, & abigens inde quicquid tabidum est, quicquid corruptelæ seminarium, stabile & perpetuum hoc facias gaudiũ nostrum, & creationis tuę renouationẽ in decore immarcesibili solides in æternum. Ita quidem Cyprianus in sui exordio Sermonis, formam nobis efficacissimæ precationis exhibens, qua spiritum sanctum vt in nos quoq; adueniat, obsecremus. Sed iam quæ sit lectio inspiciamus. *Dùm complerentur dies Pentecostes, erãt omnes pariter in eodem loco.* Die quinquagesimo ab exitu filiorum Israël ex Aegypto olim data eis lex est in monte Synai: die itidem quinquagesimo à Domini resurrectione missus est in credẽtium pectora Spiritussanctus, qui legem Euangelicam non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus exararet, sicut per Ieremiam Dominus erat pollicitus. Solennis vtrobiq; dies & apud veteris, & apud nouæ legis homines. Pulchrè aũt annotatum est, fuisse discipulos oẽs pariter in eodẽ loco, vt perspicuè intelligamus spiritum sanctum capere non posse nisi eos, qui vnanimes in vna catholicæ Ecclesiæ domo cõmorentur. Non enim possunt viuere de spiritu Christi, qui non sunt in Christi corpore, quod est Ecclesia. Non venit spiritus sanctus in hæreticos & schismaticos, licet plurimùm ipsi iactitent se solos habere spiritum Dei. *Et factus est repentè de cælo sonus, tanquàm aduenientis spiritus uehementis, & repleuit totam domum ubi erant sedentes.* Rectè Ambrosius, Nescit, inquit, tarda molimina spiritussancti gratia. Repentè factus est sonus vehemẽs, vt turba rei nouitate permota, ad tam insigne spectaculum concurreret, & qui Christum crucifixerant, hoc quoque stupendum opus coràm spectarent, & suæ impietatis conuicti errorem suũ agnoscerent, atque in Christum immani scelere à se crucifixum crederent, sicque compleretur, quod Dominus ipse antè prædixerat, Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. Nam hoc ipso die legimus conuersa fuisse ad Dominum Iudæorũ tria millia, quibus insigne reddit scriptura diuina testimonium, & perseuerarint in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. D. Ambrosius lib. 2. cap. 5. de Sacramentis ita hunc locum interpretatur. Post mortem, inquit, Domini nostri Iesu Christi apostoli erant in vno loco congregati, & orabant in die Pentecostes: & subitò factus est magnus sonus, quasi cum vi magna spiritus ferretur, & visæ sunt linguæ dispersæ sicut ignis. Quid hoc significat, nisi descensum Spiritus sancti, qui se voluit incredulis etiã corporaliter demonstrare? hoc est, corporaliter per signum, spiritaliter per sacramentũ. Ergo manifestũ testimoniũ eius aduentus, nobis aũt iam fidei prærogatiua defertur: quia in principio signa incredulis fiebant, nobis iam in plenitudine Ecclesiæ non signa, sed fidei veritas colligenda est. Hæc ille. Implet autem totam domum, scilicet Ecclesiæ, extra quam nemo potest esse capax Spiritussancti, nec tamen etiam in ipsa Ecclesiæ domo quoslibet replet, sed sedentes, id est, quietos & humiles. Sic apud Esaiã loquitur ipse Spiritus sanctus secundum septuaginta versionem: Super quem respiciam, nisi humilẽ & quietũ, & trementem sermones meos? Vbi sic habet diuus Hieronymus: Considerantes iudicium Dei, quietem agunt à malis operibus, & sedentes in domo, æterno requiescunt sabbato, ne moueãt se ad opus seruile peccati. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquàm ignis, sedítque supra singulos eorum.* Benè in igne apparuit Spiritus, ait Diuus Gregorius papa Homilia tricesima, quia ab omni corde quod replet, torporem frigoris excutit, & hoc in desiderium suæ æternitatis accendit. In igneis autem linguis monstratus est, quia idem Spiritus coæternus est filio, & habet cognationem maximam lingua cum verbo. Verbum quippe Patris est filius: & quia vna est Spiritus & verbi substantia, idem spiritus monstrari debuit in lingua. Hæc Gregorius. Sedit autem supra singulos, id est, secundum Chrysostomum, mansit apud illos, & in illis requieuit. Nam sedendi verbum stabilitatem ac mansionem declarat. *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui uarijs linguis, prout spiritus sanctus dabat*

In Serm. de sancto spiritu.

Act. 2.

Exod. 20.

Iere. 31.

Spiritus sancti qui sint capaces.

Esai. 66.

eloqui illis. Rectè sic locutus est, inquit Chrysostomus: nec enim vulgariter acceperũt gratiã spiritus, sed eousq;, vt implerẽtur. Illud aũt considera, inquit idẽ, cũ instãt deprecationi, cùm charitatem inter se habent, tum aduenit Spiritus. Hæc ille. Propter hanc singularem gratiæ plenitudinem, quæ venit in Apostolos, Paulus quodã loco de se cæterisque loquens Apostolis, Et nosipsi, ait, primitias spiritus habentes, per primitias vtiq; præcipua Spiritus sancti charismata volẽs intelligi. Sed sic oportebat illos beatissimos patres impleri, vt possent toti orbi de sua plenitudine communicare. Facilè autem licet intelligi, non nisi sublimia & admiranda esse locutos, qui ea dixerint, quæ Spiritus sanctus suggessit. Est hoc verò omni admiratione dignum, quòd homines rudes & imperiti, qui vix natiuum callerent idioma, repentè gentium omnium loquũtur linguis, sic vt ab omnibus quarumlibet regionum hominibus intelligerentur. Id autem iam tum præsignificabat, toto orbe terrarum diuulgatũ iri Christi Euangelium, & nationes omnes Deum confessuras atque prædicaturas vno ore. Quis non stupeat, vnum hominem ea voce sua sensa depromere, vt à diuersissimorum idiomatum nationibus tanquam singularum lingua vtens facilimè capiatur. Sed hoc non humanæ, sed diuinæ virtutis opus fuit, totumque cedit in laudem & gloriam Dei, qui facit mirabilia magna solus, qui est mirabilis in sanctis suis. Non est hic Spiritus in schismaticis & hæreticis, qui eodem etiã idiomate, eadem omninò lingua sæpè diuersa & pugnantia docent, atque mirum in modum inter se dissentiunt, atque in varias opiniones distrahuntur: quos propterea cauere debent, quotquot nolunt destitui gratia Spiritussancti, qui habitare facit vnanimes in domo Ecclesiæ. *Erant autem in Hierusalem habitantes Iudæi, uiri religiosi, ex omni natione, quæ sub cælo est.* Sub Cyro rege Persarum facta est potestas Iudæis, quos Nabuchodonosor rex Babylonis in captiuitatem abduxerat, in Iudæam reuertendi: & multa quidem millia tunc rediere, sed permulti in locis, in quæ dispersi erant, permanere maluerunt, sicque iuxta præpotentis Dei comminationem in omnes ferè regiones inter gentes dispersi sunt, multisque locis permissum eis est habere suas synagogas, vt in Actis Apostolicis crebrò videre licet. Fortassis autem quosdam incesit cupido Ierosolymis vel perpetuò, vel ad tempus commorandi, aut certè ob dies solennes Paschæ & Pentecostes ex diuersis prouincijs Ierosolymam adorationis causa confluxerunt. Chrysostomus ait, eos è tam multis profectos nationibus, & patria, & domo, & cognatis relictis, habitasse Ierosolymis. *Facta autem hac uoce, conuenit multitudo, & mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes.* Qui inter hos religiosi fuere, ij rei nouitate attoniti, turbãtur: erat enim res admiratione digna: porrò impij & scelesti irridẽt Apostolos & alios cum illis, & licet tempus illud, vt ait Chrysostomus, mustum neutiquàm haberet, tamen summa vesania & malitia inaudita plenos musto dicũt: & qui Deum in tam stupendo opere laudare & glorificare debebant, ad blasphemias conuertuntur. Rectè proinde à Diuo Stephano paulò pòst audiunt: Dura ceruice & incircuncisi cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut & patres vestri. *Stupebant autem omnes & mirabantur, adinuicem dicentes: Nónne ecce omnes isti qui loquuntur Galilæi sunt? Et quomodò nos audiumus unusquisque linguam nostram in qua nati sumus? Parthi, & Medi, & Elamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Iudæam & Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam & Pamphyliam, Aegyptum & partes Libyæ, quæ est circa Cyrenen, & aduenæ Romani, Iudæi quoque & Proselyti, Cretes & Arabes: audiuimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.* Non sine causa tam insigne miraculum voluit edere Spiritussanctus, sed vt stuporem & admirationẽ adferret Iudęis, qui Christũ crucifixerant, & vt ipse Christus testatus erat, de cõpuncti in Christũ crederent. Nã & hoc Dominus Iesus proximus passioni fore prædixerat: Cùm autem venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre, Spiritus veritatis qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Nam paracletus, vt in eum locum scribit Augustinus, quando venit, spiritus veritatis, eos qui viderunt & oderunt, testimonio manifestiore conuicit: immò verò etiam aliquos ex illis, qui viderunt & adhuc oderant, ad fidem quæ per dilectionem operatur, sui manifestatione conuertit. Venit enim Spiritussanctus die Pentecostes in 120. homines congregatos, in quibus & Apostoli omnes erant, qui illo adimpleti cùm linguis omnium gentium loquerentur, plures ex his qui oderant, tanto miraculo stupefacti, quandoquidem viderunt loquente Petro tam magnum atque diuinum testimonium perhiberi de Christo, vt ille qui occisus ab eis inter mortuos deputabatur, resurrexisse & viuere probaretur, compuncti corde conuersi sunt, & tanti sanguinis tam impiè atque immaniter fusi indulgentiam perceperunt, ipso redempti sanguine quẽ fuderunt. Hæc Augustinus. Ab ipsa igitur tam insignis miraculi admiratione veniunt ad agnitionem sui facinoris, sicut hoc eodem capite, vn de præsens lectio sumpta est, refertur, & ad tria millia hacipsa die baptizantur. Horum ergo causa visibili & signo & sonitu in credentes venit Spiritussanctus, qui alioquì tacito illapsu poterat suorum implere pectora, & largissimis charismatis suis ea perfundere ac illustrare. Verùm ea res tantam admirationem non habuisset, nec tam illustre Christo rediuiuo & in cælis regnanti testimonium attulisset. Quis verò hanc capiat diuinæ misericordiæ immensitatem, quòd etiam illos voluit ad sui cognitionem adducere, qui Christi san-

Rom. 8.

Quid significarit, quòd Apostoli linguis uarijs loquebantur.

Psal. 135.

Psalm. 67.

Tract. 92.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sanguinem fuderant? O duritiam cordis humani, quod tanta non potest ad sui amorem permoueri benignitas. Videmus erga genus humanũ incomprehensibilem amorem Dei, & tamen nõ solùm non redamamus, sed contemnimus etiã. Enumerantur deinde regiones variè, è quibus Ierosolymam venerant Iudæi, qui huic spectaculo interfuere. Primo loco ponũtur Parthi. Est aũt Parthia regio Assyriæ. Inde Medi ex Media Asiæ regione, quæ hodiè paret Persarũ regibus. Et Elamitæ, qui Plinio sunt Arabiæ populi: porrò secundùm Iosephum, etiam Persarũ principes, ab Elam filio Sem, sic vocantur. Et qui habitant Mesopotamiam, quæ est regio inter Tigrim & Euphratem sita. Sequitur Iudæa, quæ interdum pro tota Iudæorum regione, aliàs pro tribu Iuda & Beniamin accipitur. Et Cappadocia, quæ Pontica regio est. Et Pontus, prouincia Asiæ minoris. Et Asia. Asia maior, tertia est pars orbis. Asia minor, pars quædam est Asiæ maioris. Et Phrygia, quæ item est regio Asiæ minoris. Et Pamphylia, regio inter Ciliciam & Syriam. Et Aegyptus, & Libyæ Cyrenaciæ partes. Libya est Aphrica: cuius oppidum est Cyrene, à quo vocatur Libya Cyrenaica. Et aduenæ Romani, quos debemus professione quidem Iudæos accipere, sed vel natione, vel habitatione Romanos. Iudæi quoque & Proselyti, quorum illi priores sunt in Iudaismo nati, at isti posteriores ex gẽtibus ad Iudaismum traducti. Item Cretes ex Creta insula in medio Ponto, centum vrbibus clara. Postremò, Arabes. Arabia regio est inter Iudæam & Aegyptum. Est verò obseruandum triplicem esse Arabiam. Prima, est Arabia felix, inter sinum Arabicũ & Persicum. Altera, Arabia deserta, finitima Mesopotamiæ. Tertia, Arabia petrea, finitima Palæstinæ. Hi omnes ex tam longinquis & diuersis Deo sic ordinãte collecti prouincijs. *Audiuimus*, inquiunt, *eos loquentes nostris linguis magnalia Dei*. Neque enim quidlibet garriebant, vt ait Chrysostomus, sed admiranda quædam loquebantur. Notatu dignum est, quod idẽ paulò pòst subiungit de beatissimis Apostolis: Illud, inquit, mirabilius, quòd Apostoli nudo corpore consistebant aduersùs armatos, aduersùs principes qui publicum in ipsos ius habebant: imperiti, elingues ac simplices idiotæ, aduersùs impostores & circunuentores, aduersùs sophistarum, rhetorum ac philosophorum turbam, qui in Academia Platonis & Aristotelis deambulationib⁹ exercitati depugnarãt, & in Stoicorum porticibus fuerant occupati. Hos ita superauit Petrus, quasi cum mutis piscibus certamen fuisset. Ille Galilæus, ille Bersaidæ natus, ille rusticanus vniuersos illos deuicit. Hoc nimirùm faciebat gratia Spiritussanctí, qui quoscunque accesserit, eos pro luteis reddit aureos. Vtinam & nos ille adorandus Spiritus sui faciat capaces, cui cum Patre & Filio par est potestas in æterna secula, Amen.

Parthi.
Medi.
Elamitæ.
Mesopotamia.
Iudæa.
Cappadocia.
Pontus.
Asia, &c.

IN DIE SANCTO PENTECOSTES, IOANNIS XIIII.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Et reliqua. Homilia beati Gregorij Papæ.

Hibet, fratres charissimi, Euangelicæ verba lectionis sub breuitate trãscurrere, vt pòst diutiùs liceat in contemplatione tantæ solennitatis immorari. Hodiè nanque spiritussanctus repentino sonitu super discipulos venit, mentesque carnaliũ in sui amorem permutauit: & foris apparentibus linguis igneis, intùs facta sunt corda flammantia: quia dum Deum in ignis visione suscipiunt, per amorem suauiter arserunt. Ipse nanque spiritussanctus amor est. Vnde & Ioannes dicit: Deus charitas est. Qui ergo mente integra Deum desiderat, profectò iam habet quem amat. Neque enim quisquam posset Deum diligere, si eum quem diligit, non haberet. Sed ecce vnusquisq; vestrum si requiratur an diligat Deũ, tota fiducia & secura mente respondet, Diligo. In ipso autem lectionis exordio audistis, quid veritas dicit: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit*. Probatio ergo dilectionis, exhibitio est operis. Hinc in Epistola idem Ioannes dicit: Qui dicit quia diligo Deum, & mandata eius non custodit, mendax est. Verè enim diligimus, si mandata eius seruamus. Verè diligimus, si à nostris nos voluptatibus coarctamus. Nam qui adhuc per illicita desideria diffluit, profectò Deum nõ amat, quia ei in sua voluptate contradicit. *Et pater meus diliget eum: & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Pensate, fratres charissimi, quanta sit ista solennitas, habere in cordis hospitio aduentum Dei. Certè si domum vestram quisquam diues & præpotens amicus intraret, omni festinantia domus tota mundaretur, ne quid fortasse esset, quod oculos amici intrantis offenderet. Tergat ergo sordes praui operis, qui Deo præparat domum mentis. Sed videte quid veritas dicat: Veniemus, & mansionem apud eum faciemus. In quorundam etenim corda venit, & mansionẽ non facit: quia per compunctionem quidem Dei respectũ percipiunt, sed tentationis tempore hoc ipsum quod compuncti fuerant obliuiscuntur, sicq; ad perpetranda peccata redeunt, ac si hæc minimè planxissent. Qui ergo Deum verè diligit, qui eius mandata custodit, in eius corde Dominus & venit, & mansionẽ facit: quia sic eumdiuinitatis amor penetrat, vt ab hoc amore tẽtationis tempore non recedat. Ille ergo verè amat, cuius videlicet mentẽ delectatio praua

1. Ioan. 4

1. Ioan. 2

Rom. 8.

Deũ quis verè amet

Apud quos Deus mansionem facit.

ua ex consensu non superat. nam tanto quisque à superno amore disiungitur, quanto inferiùs delectatur. Vnde & adhuc subditur: *Qui non diligit me, sermones meos non seruat*. Ad vosmetipsos ergo, fratres charissimi, intrursùs redite, si Deum verè amatis exquirite: nec tamen sibi aliquis credat, quicquid sibi animus sine operis attestatione responderit. De dilectione conditoris, lingua, més, & vita requiratur. Nunquàm est Dei amor ociosus. operatur enim magna, si est: si verò operari renuit, amor non est. *Et sermonem quem audistis, non est meus, sed eius qui misit me patris*. Scitis, fratres charissimi, quia ipse qui loquitur vnigenitus filius, verbum patris est: ideò sermo, quem loquitur filius, non est filij, sed patris, quia ipse filius verbum est patris. *Hæc locutus sum uobis apud uos manens*. Quando non maneret apud eos, qui ascensurus cælum, promittit dicens: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi? Sed verbum incarnatum & manet, & recedit: recedit corpore, manet diuinitate. Apud eos ergo tunc mansisse perhibet, quia is qui inuisibili semper potestate præsens erat, corporali iam visione recedebat. *Paracletus autem spiritussanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia, & suggeret uobis omnia, quæcunque dixero uobis*. Nostis plurimi, fratres mei, quòd Græca locutione paracletus, Latina aduocatus dicitur, vel consolator. Qui idcircò aduocatus dicitur, quia pro errore delinquentium apud iustitiam patris interuenit. Qui vnius substantiæ cum patre & filio exorare pro delinquentibus perhibetur, quia eos quos repleuerit, exorantes facit. vnde & Paulus dicit: Ipse enim spiritus postulat pro vobis gemitibus inenarrabilibus. Sed diceret quis: Minor est qui postulat, quã qui postulatur. Quomodò ergo spiritus postulare dicitur, qui minor non est? Sed ipse spiritus postulat, quia ad postulandum eos quos repleuerit, inflammat. Consolator autem idem spiritus vocatur, quia de peccati perpetratione mœrentibus dum spem veniæ præparat, ab afflictione tristitiæ mentem leuat. De quo rectè promittitur: *Ipse uos docebit omnia*, quia nisi idem spiritus cordi adsit audientis, ociosus est sermo doctoris. Nemo ergo docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit: quia nisi intùs sit qui doceat, doctoris lingua exteriùs in vacuũ laborat. Ecce vnam loquentis vocem omnes pariter auditis, nec tamen pariter sensum auditæ vocis percipitis. Cùm ergo vox dispar nõ sit, cur in cordibus vestris dispar est vocis intelligentia, nisi quia per hoc, quòd vox loquẽtis cõmuniter admonet, est magister interior, qui de vocis intelligentia quoddã specialiter docet? De hac vnctione spiritus rursus per Ioannẽ dicitur: Sicut vnctio eius docet vos de omnibus. Per vocẽ ergo nõ instruitur, quãdo mẽs per spiritũ nõ vngitur. Sed cur ista de doctrina hominũ loquimur, quãdo & ipse cõditor nõ ad eruditionẽ hominis loquitur, si eidẽ homini per vnctionẽ spiritus nõ loquatur? Certè Cain priusquàm fratricidium opere perpetraret, audiuit: Peccasti, quiesce. Sed quia culpis suis exigentibus, voce est admonitus, nõ vnctione, audire Dei verba potuit, sed seruare contẽpsit. Requirendũ verò nobis est, cur de eodem spiritu dicatur, Et suggeret vobis oia, ncũ suggerere esse soleat minoris? Sed quia suggerere aliquando dicimus subministrare, inuisibilis spiritus suggerere dicitur, non quòd nobis scientiã ab imo inferat, sed ab occulto. *Pacẽ relinquo uobis, pacem meã do uobis*. Hic relinquo, illic do: sequentibus relinquo, peruenientibus do. Ecce fratres charissimi, verba sacræ lectionis sub breuitate discussimus, nunc ad contemplationem tãtæ festiuitatis animum transferamus. Sed quia cum lectione Euangelica nobis est etiam Actuũ Apostolorum lectio recitata, ex ea ergo aliquid in vsum nostræ contemplationis trahamus. Audistis enim, quia spiritussanctus super discipulos in igneis linguis apparuit, omniumq; linguarum scientiam dedit: quid scilicet hoc miraculo designans, nisi quòd sancta Ecclesia eodem spiritu repleta, omnium gentium erat voce locutura? Qui verò contra Deum turrim ædificare conati sunt, communionem vnius linguæ perdiderunt. In his autem qui Deum humiliter metuebant, linguæ omnes vnitæ sunt. Hic ergo humilitas virtutem meruit, illic superbia confusionẽ. Sed quærendum nobis est, fratres dilectissimi, cur spiritussanctus patri & filio coæternus, in igne apparuit, cur in igne simul & liguis, cur aliquã do in colũba, aliquando verò in igne mõstratur, *sancto*, cur super vnigenitũ filium apparuit in specie columbæ, & super discipulos in igne, ita vt neq; super Dominũ veniret in igne, neq; super discipulos mõstraretur in colũba? Per quatuor itaq; quæ proposuimus, soluẽdo redeamus. Patri nanq; & filio coæternus spiritus in igne mõstratur, quia incorporeus, inuisibilis atq; ineffabilis ignis est Deus, attestante Paulo: Deus noster ignis cõsumẽs est, Deus quippe ignis dicitur, quia per hũc peccatorũ rubigo cõsumitur. De hoc igne veritas dicit: Ignẽ veni mittere in terrã, & quid volo, nisi vt accẽdatur? Terra enim vocata sunt corda terrena, quæ dũ semper infimas in se cogitationes congerunt, à malignis spiritibus conculcantur. Sed ignem Dominus in terrã mittit, quum afflatu sancti spiritus corda carnalium inflammat: & terra ardet, cùm cor carnale in suis prauis voluptatibus frigidum, relinquit concupiscentias præsentis seculi, & incenditur ad amorem Dei. Benè ergo in igne apparuit spiritus, quia ab omni corde quod replet, torporem frigoris excutit, & hoc in desiderio suæ æternitatis accendit. In igneis autem linguis monstratus est, quia idem spiritus coæternus est filio, & habet in lingua nationẽ maximã lingua cum verbo. Verbũ quip pe patris est filius. Et quia vna est spiritus & verbi substantia, idem spiritus debuit monstrari in lin-

Otia nescit amor.

Matth. 28

Spiritus sanctus aduocatus.

1. Ioan. 2.

Vnctio sanctus spiritus.

Gene. 4.

Gene. 4.

Aliquot quæstiones de S. Spiritu.

Cur S. Spiritus in lingua ignis apparuerit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lingua. Vel certè, quia per linguam procedit verbum, in linguis igneis apparuit spiritus: quia quisquis spiritu sancto tangitur, Dei verbum .i. vnigenitum Dei filium confitetur, & negare Dei verbum non valet, quia iam sancti spiritus linguam habet. Vel certè in linguis igneis apparuit spiritus: quia omnes quos repleuerit, ardentes pariter & loquentes facit. Linguas igneas doctores habent, quia dum Deum amando prædicant, corda audientium inflammant. Nam & ocio sus est sermo doctoris, si præbere non valet incendium amoris. Hoc doctrinæ incendium ab ipso veritatis ore
Luc. 24. conceperant, qui dicebant: Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas? Ex audito quippe sermone exardescit animus, torporis frigus recedit, sit mens in superno desiderio anxia, à concupiscentijs terrenis aliena. Amor verus, qui hanc repleuerit, in fletibus cruciat: sed dum tali ardore cruciatur, ipsis suis cruciatibus pascitur: audire ei libet præcepta cælestia, & quot mãdatis instruitur, quasi tot facibus inflammatur: & quæ torpebat priùs per desideria, ardet postmodùm per verba. Vnde benè per Moysen dici
Deut. 33. tur: In dextera eius ignea lex. Sinistra quippe reprobi, qui ad sinistram ponẽdi sunt: dextera autem Dei appellantur electi. In dextera ergo Dei
Nota quid sermo Dei efficiat in bonis. ignea lex est, quia electi mãdata cælestia nequaquã frigido corde audiũt, sed ad hæc amoris inimi facibus inardescunt. Sermo ad aurem ducitur, & mens illorum sibimet irata, internæ dulcedinis flamma concrematur. In columba verò spiritussanctus & in igne monstratus est, quia omnes quos repleuerit, simplices & ardentes facit: simplices puritate, ardentes æmulatione. Neque enim placet Deo aut simplicitas sine zelo, aut zelus sine simplicitate. Hinc ipsa veritas dicit:
Matt. 10. Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Qua in re notandum est, quòd discipulos suos nec de columba sine serpente, nec de serpente sine columba voluit Dominus admonere, quatenùs & columbæ simplicitatem astutia serpentis accenderet, & serpentis astutiam columbæ simplicitas temperaret. Hinc Paulus
1. Cor. 13. ait: Nolite pueri effici sensibus. Ecce prudentiã serpentis audiuimus, nunc de simplicitate colũbæ moneamur. Sed malitia paruuli estote. Hinc
Iob 1. de B. Iob dicitur: Erat vir simplex & rectus. Quę est autem rectitudo sine simplicitate, aut quæ simplicitas sine rectitudine? Quia ergo & rectitudinem docet iste spiritus, & simplicitatem, & in igne monstrari debuit, & in columba: quatenùs omne cor, quod eius gratia tangitur, & mansuetudinis lenitate tranquillum, & zelo iustitiæ accensum fiat. Ad extremum verò quærendum est, cur in ipso redemptore nostro, mediatore Dei & hominum, per columbam apparuit, in discipulis verò per ignem. Certè vnigenitus Dei filius, iudex est generis humani: Sed quis eius iustitiam ferret, si priusquàm nos per mansuetudinem colligeret, culpas nostras per zelũ rectitudinis examinare voluisset? Homo ergo pro hominibus factus, mitè se hominibus præbuit, noluit peccatores ferire, sed colligere. Priùs voluit mansuetè corripere, vt haberet quos postmodùm in iudicio saluaret. In colũba ergo apparere super eum debuit spiritus, qui non veniebat vt peccata iam per zelum percuteret, sed adhuc per mansuetudinem toleraret. At contrà super discipulos in igne debuit spiritussanctus demonstrari, vt hi qui erant simpliciter homines, atque ideò peccatores, eos contra semetipsos spiritalis feruor accenderet, & peccata quæ Deus per mansuetudinem parceret, ipsi in se per pœnitentiam punirent. Nec ipsi quippe esse poterant sine peccato, qui adhærebant cælesti magisterio, Ioanne attestante, qui ait: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est. In igne venit ergo in hominibus, in columba verò apparuit in Domino: quia peccata nostra, quæ piè Dominus per mansuetudinem tolerat, nos per zelum rectitudinis debemus cautè conspicere, & ardore semper pœnitentiæ cremare. Igitur per columbam spiritus in redemptore monstratus est, per ignem verò in hominibus: quia quanto nobis nostri iudicis facta est seueritas temperata, tanto erga se debet fieri nostra infirmitas accensa. Quatuor itaque propositionum expleta ratione, ad eiusdem spiritus dona contemplanda transeamus. De isto quippe spiritu scriptum est: Spiritus eius ornauit cælos.
Iob 26. Ornamenta enim cælorum, sunt virtutes prædicantiũ, quæ videlicet ornamenta Paulus enume
1 Cor. 12. rat, dicens: Alij datur per spiritũ sermo sapiẽtiæ, alij sermo scientiæ, secundùm eundem spiritum: alteri fides, in eodem spiritu: alij gratia sanitatum, in vno spiritu: alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum: alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Quot ergo sunt bona prædicantium, tot sunt ornamenta cælorum. Hinc rursùm scriptum est: Verbo Domini cæli firmati sunt. Verbum enim Domini, filius est patris. Sed eosdem cælos, videlicet sanctos Apostolos, vt tota simul Trinitas ostendatur operata, cuius virtus firmauerit, repentè de spiritussancti diuinitate adiungitur: Et spiritu oris eius omnis virtus eorum. Cælorum igitur virtus de spiritu sumpta est, quia mũdi huius potestatibus contraire non præsumerent, nisi eos spiritussancti fortitudo solidasset. Quales nanque doctores sanctæ Ecclesiæ ante aduentum huius spiritus fuerint scimus, & post aduentum illius cuius fortitudinis sint facti aspicimus. Certè iste pastor Ecclesiæ, ad cuius sacratissimum corpus sedemus, quantæ debilitatis, quantæque formidinis ante aduentum spiritus fuerit, ancilla ostiaria requisita dicat. Vna enim mulieris voce percussus, dum mori timuit, vitam negauit. Et pensandum, quia eum cõprehensum Petrus negauit in terra, quem suspensum latro confessus est in cruce. Sed vir iste tantæ formidinis, qualis post aduentum spũs existat, audiamus. Fit conuentus magistratus atq; seniorũ, cæsis denunciatur apostolis, ne in nomine Iesu loqui debeant. Petrus
Act. 5. magna authoritate respondet: Obedire oportet Deo magis q̃ hominibus. Et rursum: Si iustũ est in conspectu Dei vos potiùs audire quàm Deũ, iudicate. Non enim possumus quæ vidimus & audiuimus, non loqui. Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliã pati. Ecce gaudet Petrus in verberibus, qui antè in verbis timebat. Et qui priùs ancillæ voce requisitus timuit, post aduentũ spiritussancti vires principũ cæsus premit. Libet oculos fidei in virtute opificis huius attollere, atq; sparsim patres testaméti
Virtus ineffabilis Spiritus sancti. noui ac veteris considerare. Ecce apertis eiusdẽ fidei oculis Dauid, Amos, Danielem, Petrum, Paulum, Matthæum intueor, & sanctus iste spiritus qualis sit artifex considerare volo, sed in ipsa mea consideratione deficio. Implet enim citharœdum puerum, & psalmistã facit. Implet pastorem armentarium sycomoros vellicantẽ, & prophetam facit. Implet abstinẽtem puerum, & iudicem senum facit. Implet piscatorem, & prędicatorem facit. Implet persecutorem, & doctorem gentium facit. Implet publicanum, & euangelistam facit. O qualis artifex est iste spiritus? Nulla ad discendum mora agitur. In omne quod voluerit, mox vt tetigerit mentẽ, docet, solũq; tetigisse, docuisse est. Nam humanum animum subitò vt illustrat, immutat: abnegat hinc repentè quod erat, exhibet repentè quod non erat. Pensemus sanctos prædicatores nostros quales hodierna die reperit, quales fecit. Certè qui in vno conclaui propter Iudæorum metum residebant, natiuitatis suæ singuli linguam nouerant, & tamen nec ea ipsa lingua, quam nouerant, apertè Christum loqui præsumebant. Venit spiritus, & in ore eos per diuersitatem linguarum docuit, in mente autẽ ex authoritate roborauit. Cœperunt & in alie
Ornamenta cælestia mystice. na Christũ eloqui, qui de illo priùs & in sua lingua loqui metuebant. Inflammatum enim cor despexit torméta corporis, quæ antè metuebat. Vicit vim carnalis formidinis, præ amore conditoris: & qui priùs suis aduersarijs succumbebãt formidine, eis iam præerant authoritate. Qui ergo in tantæ eos celsitudinis culmen erexit, quid aliud dixerim, nisi quod mentes terrenorum hominum cælos fecit? Pẽsate fratres charissimi, post
Præstantia solemnitatis Pentecostes. incarnationem vnigeniti filij, qualis sit hodierna solẽnitas de aduẽtu spiritussancti. Sicut enim illa, ita quoque & hæc est honorabilis. In illa quippe Deus in se permanẽs, suscepit hominẽ: in ista verò homines venientem desuper susceperunt Deum. In illa Deus naturaliter factus est homo, in ista homines facti sunt per adoptionem dij. Si ergo remanere carnales in morte nolumus, hunc fratres charissimi viuificantem spiritum amemus. Sed quia caro spiritum nescit, dicat fortassè carnali cogitatione aliquis: Quomodò diligere valeo, quem ignoro? Hæc & nos concedimus, quia mens visibilibus intenta, videre nescit inuisibilem. Nulla enim nisi visibilia cogitat, eaque cùm non agit, eorum imagines introrsùs trahit: dumque in imaginibus corporeis iacet, surgere ad incorporea non valet. Vnde fit, vt tanto deteriùs creatorem nesciat, quanto in cogitatione sua familiariùs creaturam corpoream portat. Sed cum Deum videre non possumus, habemus aliquid quod agamus, vnde iter fiat, quo ad eũ nostræ intelligentiæ oculus veniat. Certè quem in se nullo modo videre valemus, hunc in seruis suis iam videre possumus: quos dum mira conspicimus agere, certum nobis fit in eorum mentibus Deum habitare. In re autẽ incorporea à rebus corporalibus vsum trahamus. Nemo etenim nostrũ orientem clarè solem, in sphæram illius intendẽdo, valet conspicere, quia tensi in eius radijs oculi reuerberantur: sed sole illustratos montes aspicimus, & quia iam sol ortus est, videmus. Quia ergo solem iustitiæ in seipso videre non possumus, illustratos montes claritate illius videamus, sanctos videlicet apostolos, qui virtutibus emicant, miraculis coruscant, quos nati solis claritas perfudit, et cùm in seipso inuisibilis sit, per eos nobis quasi per illustratos montes se visibilẽ præbuit. Virtus enim diuinitatis in se, quasi sol in cælo est: virtus diuinitatis in hominibus, sol in terra. Solem ergo iustitiæ intueamur in terra, quem videre non possumus in cælo: vt dum inoffenso pede operis per hunc in terra gradimur, ad intuendum illum quandoq; oculos & in cælum leuemus. Sed inoffenso pede iter nostrum in terra agitur, si Deus ac proximus integra mente diligatur. Nec enim Deus verè sine proximo, nec proximus verè diligitur sine Deo. Hinc est, quòd, sicut in alio sermone iam diximus, idem Spiritus secundò legitur discipulis datus: priùs à Domino in terra degente, posteà à Domino cælo præsidente. In terra quippe datur, vt diligatur proximus: è cælo verò, vt diligatur Deus. Sed cur priùs in terra, postmodùm è cælo, nisi quòd patẽter datur intelligendi, quia iuxta Ioannis vocẽ, qui nõ diligit fratrẽ suũ quẽ videt, Deũ quem non videt, quomodò potest diligere? Diligamus ergo proximum fratres, amemus eũ qui iuxta nos est, vt peruenire valeamus ad amorem illius, qui super nos est. Meditetur mens in proximo, quod exhibeat Deo, vt perfectè mereatur in Deo gaudere cum proximo. Tunc ad illam supernæ frequentiæ lætitiam peruenietur, de qua nunc sancti spiritus pignus accepimus. Ad istum finem toto amore tendamus, in quo fine sine lætabimur. Ibi supernorum ciuium societas sancta, ibi solennitas certa, ibi requies secura, ibi

ra, ibi pax vera, quæ iam nobis non relinquitur, sed datur per Dominũ nostrum Iesum Christũ, qui viuit & regnat in vnitate spiritussancti Deus, per omnia secula seculorum Amen.

DE EODEM FESTO HOMILIA BEATI Maximi Episcopi.

Est ex Homilia prima de Pentecoste.

NOSSE credo vos fratres, quæ sit ratio, quòd venerabilem hanc pentecostes diem non minori lętitia celebramus, quam sanctum pascha curauimus celebrare: & quòd eadem devotione huius solennitatis obseruatiam decurrimus, sicut illius obsequia festiuitatis impleuimus. Tunc enim, sicut modò fecimus, ieiunauimus sabbato, vigilias celebrauimus, orationibus pernoctanter insistimus. Vnde necesse est, vt similis obseruantia similem lætitiam consequatur. Est lætitia planè consimilis: Tunc enim ab inferis resurgentem suscepimus saluatorem, modò autem spiritum sanctum expectamus è cælis. Tunc anxij vel soliciti Christi precabamur aduentum: modo trepidi vel ieiuni paracleti desideramus aduentum. In omnibus enim Deus saluti prouidit humanæ. Tũc enim nobis ad resurgendum tartara Saluator aperuit, modò nobis ad regnandum paracletus cælestia reserauit: & quibusdam quasi profectuum gradibus tunc de morte ad vitam didicimus remeare, modò autẽ de rerris ad cælos meditamur ascendere. Hæc autem omnia operatur in nobis Christus Dominus, qui priusquàm rediret ad cælos, promisit discipulis suis, dicens: Cùm autem ascendero, rogabo patrem meum, & mirtet vobis alium paracletum, qui vobiscum sit in æternum, spiritum veritatis. Vnde credendum est ad patrem peruenisse Christum, cùm videmus ad apostolos descendisse paracletum. Credendum est, inquam, sicut ait Dauid, saluatorem in Dei dextera considere: quia cernimus spiritum sanctum, sicut promisit Dominus, in discipulis exultare. Hanc sanctam Pẽtecostes diem qua ratione curemus, vel cur istorum quinquaginta dierum numero sit nobis ingis & continuata festiuitas, ita vt hoc omni tempore neque ad obseruandum indicemus ieiuuia, neque ad exorandum Deum genibus succidamus, sed sicut Dominica solemus facere, erecti & feriati resurrectionem Domini celebremus. Dominica enim nobis ideò venerabilis est atque solennis, quia in ea saluator velut sol oriens, discussis infernorum tenebris, luce resurrectionis emicuit, ac propterea ipsa dies ab hominibus seculi, dies solis vocatur, quòd ortus eam sol iustitiæ Christus illuminet. Ad instar ergo dominicæ, tota quinquaginta dierũ curricula celebrantur, & omnes isti dies velut dominici deputantur. Resurrectio enim dominica est. Nã in dominica resurgens saluator, reuersus ad homines est, & post resurrectionem tota † quadragesima cum hominibus commoratus est. Aequalis ergo eorum necessariũ vt esset festiuitas, quorũ æqualis esset & sic quantitas. Sic enim disposuit Dominus, vt sicut eius passione in quadragesimæ ieiunijs mœrebamus, ita eius resurrectiõe in quinquagesimæ ferijs lætaremur. Non igitur ieiunamus in quinquagesima, quia in his diebus nobiscum Dominus cõmoratur. Non, inquã, ieiunamus præsente Domino, quia ipse ait: Nunquid possunt filij sponsi ieiunare, quãdiù cum illis est sponsus? Cur enim abstineat corpus à cibo, cùm anima præsentia Domini saginatur? Nõ potest enim esse ieiunus, qui reficitur gratia saluatoris. Societas enim Christi, quodammodò esca est Christiani. Reficimur ergo in quinquagesima Domino nobiscũ cõuersante. Cùm aũt post hos dies ascendit in cælũ, iterum ieiunamus, sicut ait idem saluator dicẽs: Venient autem dies cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabũt. Lætemur ergo in hac sancta die, sicut in Pascha lætati sumus. Est enim in vtroq; die similis eademq; solennitas. In Pascha enim omnes gentes baptizari solent: in Pentecoste aũt apostoli baptizati sunt, sicut ait Dominus discipulis suis ascensurus in cælum: Ioannes baptizauit aqua, vos aũt baptizabimini spiritu sancto, quẽ accepturi estis, non post multos hos dies. Et ideò dicit Lucas: Cùm aũt complerentur dies Pentecostes, factus est subitò sonus de cælo, tanquàm aduenientis spiritus validi: seditq; super singulos eorum.

† *quinquagesima*

In Quinquagesima cur nõ ieiunemus

Matth. 9.

Ibidem.

Act. 1.

Act. 2.

EODEM DIE HOMILIA EVSEBII EMESENI.

Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, &c. Ioan. 14.

DOminus & saluator noster paulò superiùs discipulis loquitur, dicens: Qui habet mandata mea & seruat ea, ipse est qui diligit me. Et mox quo fructu, quaue mercede hoc faciat, subdẽs manifestat. Qui autem diligit me, diligetur à patre meo. Et quid inde? Et ego diligam eum. Qua vtilitate? Et manifestabo ei meipsum. Si ergo nõ sufficit tibi vt diligaris à patre, si nõ sufficit tibi vt te filius diligat, sufficiat tibi, q̃ ille qui sapientia est, qui veritas est, qui iustitia est, manifestabit seipsum tibi. In his enim omnis animæ beatitudo cõsistit. Hoc solũ desiderabat Moyses, cũ Domino diceret: Si inueni gratiã in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam vt videam te. Hinc & Psalmista ait: Ego autem cum iustitia apparebo in cõspectu tuo, satiabor dum manifestabitur gloria tua. Satiabor, inquit, satis mihi erit, nihil ampliùs quæram, postquam teipsum mihi manifestabis.

Ioan. 14.

Anime plena beatitudo.

Exod. 33.

Psal. 16.

Beatus

1. Ioan. 3. Beatus igitur ille cui ille manifestabitur, quo manifestato nihil deerit ad beatitudinem. Scimus enim quia cùm apparuerit & reuelabitur nobis, similes ei erimus, quia videbimus eũ sicuti est. Sed cui non sufficit, vt sit similis filio Dei? Similis autem eius est, qui videt eum sicuti est. Sufficiat ergo nobis hoc, quòd seipsum manifestabit nobis. Dicit ei Iudas, non ille Scariothes: Domine, quid factũ est, quia nobis manifestaturus es teipsum, & non mundo? Respondit Iesus, & dixit ei: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non seruat.* Magna quæstio, magnæq; quæstionis nobilissima solutio. Ideo, inquit, mũdo, id est, mũdi amatoribus me non manifesto, quia me non diligunt. Quod ex eo quidem apertissimè probatur, quia sermonem meum non seruant. Mei autem discipuli & fideles, quia diligunt me, & quia mandata mea custodiũt, digni sunt quibus meipsum manifestare debeam: vt cognita sapientia sint sapientes, cognita iustitia sint iusti, cognita veritate sint veraces, & vita cognita in æternum viuant. Hæc enim omnia Christus est, omnia hæc manifestantur in Christo. Et non solum hæc, inquit, habebit ille qui diligit me, sed & pater meus diliget eum. Quanta dilectione? Vis audire quanta? *Et ad eum ueniemus.* Et non tantùm veniemus, sed mansionem quoque apud eum faciemus. In illis enim mãsionem Dominus facit, in quibus veniens manet, & à quibus postquàm venit non recedit. Venit enim Dominus in eos, sed mansionem non facit in eis, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Sequitur: *Et sermonem quem audistis non est meus, sed eius qui misit me patris.* Hoc est enim, quod alibi ait: Mea doctrina nõ est mea, sed eius qui misit me. In hoc enim apertissimè mõstrat, omnia hæc verba, quæ discipulis audientibus loquutus est, non humanitatis, sed diuinitatis esse. Et eius igitur erat sermo iste secundùm diuinitatem, & eius non erat secundum humanitatem: Potest autem & altiùs intelligi, vt sic dicatur: *Et sermonem quem audistis, non est meus, sed eius qui misit me patris*: id est, Ego non sum à meipso, sed à patre qui misit me, cuius vtique verbum, & sermo, & sapientia ego sum. Me igitur loquente quid audistis, nisi verbum patris, quod in principio erat verbũ, & sermonem, & sapientiam patris? Verbum autẽ, sermo, & sapientia, non à se, sed ab alio sunt. Sermo igitur quem audistis, non est meus: quia ego nõ sum à meipso. *Hæc loquutus sum uobis apud uos manens.* Hæc, inquit, omnia verba loquutus sum ego verbum: mea sunt igitur hæc verba, sed ego non sum meum verbum. Cuius ergo? illius de quo dicitur: Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia, & suggeret uobis omnia, quæcunque dixero uobis.* Doletis, inquit, quia non semper vobiscum corporaliter maneo, & quia hęc mea verba meæque carnis præsentiam subtraho vobis: sed nolite contristari, quia mea vice & in meo nomine magnus consolator & doctor sapientissimus dabitur vobis. Ille vos consolabitur, ille vos docebit, ille vobis omnia suggeret & ministrabit, quæcunq; dixero vobis. *Pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis: sed non quomodò mundus dat, ego do uobis.* Mundus enim non dat pacem nisi his, à quibus accipit pacem. Sed quid dicit Apostolus? Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes, &cæt. Et Psal misita, Cum his qui oderunt pacem eram pacificus, cùm loquebar illis, impugnabant me gratis. Et talem quidem pacem dedit Iesus discipulis suis, dicens eis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Hanc autem pacem debemus habere cum malis, non vt eis in malitia consentiamus, sed vt ab iniquitate eos ad iustitiæ viam trahamus. Inde est enim, quòd Dominus ait: Nolite putare quia veni pacem mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. *Non turbetur cor uestrum neque formidet: audistis quia ego dixi uobis, uado & uenio ad uos.* Non turbetur cor vestrum de morte mea, neq; formidet de absentia mea. Estote semper memores quia ego dixi vobis, vado, & venio ad vos. Non dixi solummodò, Vado, sed, vado & venio. Sicut igitur turbamini quia dixi, Vado, ita cõfortamini, quia dixi, Venio. Ad patrẽ vado, sed vos non relinquo: maior est diuinitas quæ vobiscum remanet, quàm humanitas quæ cælos ascendet. Iam enim & illius imbecillitatem, & huius potentiam cognouistis. Vadit igitur Christus ad patrem per humanitatem, qui vbique est per diuinitatem. Quomodò ergo venit? Ipse vtrunque dicit, Et vado, & venio. Venit enim, & inuisibiliter venit, præbendo auxilium, dando solatium, corroborando fidem, & confirmando charitatem. Sic enim Dominus ad Apostolum venerat, qui ait: An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? Hoc autem modo non solùm filius, sed pater quoque vadit & venit. Vnde & modò superiùs, Ad eum, inquit, veniemus, & mansionem apud eum faciemus. *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia ad patrem uado, quia pater maior me est.* Diligebant enim eum Apostoli, sed nondùm spirituali perfectoque amore, dum solam carnis præsentiam se amittere dolebant. Hoc enim nõ fecit Ioannes Baptista: neque corporaliter cum eo conuersatus est, quem secundùm diuinitatem apud se semper habebat, semperque mentis oculis inspiciebat. Si diligeretis me (inquit) sicut me diligere debetis, & sicut post aduentum Spiritus sancti diligetis, vnde vos modò doletis, inde vtique gauderetis. Doletis igitur quia ad patrem vado, quia portas paradisi aperio, quia cæli ianuam pãdo, quia vitæ semitam vobis ostendo, & spiritum paracletum vobis mando. Nisi enim ego abiero, paracletus

Ioan. 7.

Ioan. 1.

Psal. 32.

Amor discipulorũ Christi imperfectus arguitur?

Ioan. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

racletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Vado igitur ad patrem, quia pater maior me est: id est, secundùm hoc vado ad patrem, secundùm quod maior est pater. Aequalis est enim patri secundùm diuinitatem, minor verò secundùm humanitatem. *Et nunc dixi vobis prius quàm fiat, ut cùm factum fuerit credatis.* Quid credatis? Quæcunque vobis dixi & credere iussi. *Iam non multa loquar vobiscum.* Quare? Vultis audire quare? Quia iam passioni appropinquo, iam cum satellitibus suis princeps mundi huius ad prædam occurrit. Et hoc est, quod ait: *Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquàm.* Venit aduersùm me, sæuit & fremit contra me, sed
Ioan. 10. nihil habet in me. Potestatè enim habeo ponèdi animā meā, & iterū sumendi eā. Nemo tollit eā à me, sed ego pono eā à meipso. Cōsidera modò, quid in aliorū exitu facit, qui contra ipsum mūdi saluatorem & Dominum venire præsumpsit.
Cuius mūdi princeps sit diabolus. Sed quare princeps mūdi dicitur diabolus? quare huius? Non enim sine causa dictum est huius. aliquid enim determinatur, dum dicitur, *Huius.* Non enim diceretur princeps mundi huius, si totius mundi princeps esset. Est igitur princeps mundi huius: huius nequā & præsentis, & Christum occidere cupientis. Est denique princeps mundi huius, id est, omnium illorum qui nō habent curam alterius, nisi seculi huius. Et quasi aliquis diceret, Si princeps mundi huius non habet quicquàm in te, & si nihil potest aduersùm te, quare te non defendis? quare te occidi permittis? ait: *Sed ut cognoscat mundus quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio.* Amor (inquit) est, non impotentia: non est defectus, sed obedientia. Poteram enim me defendere si voluissem, nunquam morerer si noluissem. Sed vt cognoscat mundus quia diligo patrē & cognoscendo me imitetur, factus sum obediens patri vsque ad mortem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio: sicut voluit pater, sic facio. Ipsum enim voluisse mandasse fuit, quoniam vna eademque voluntas est in vtroque. *Surgite eamus hinc.* Non est hic locus nostræ habitationis: cælum attendite, quia inde originem habetis.

FERIA SECVNDA PENTECOSTES, IN LECTIONEM Epistolæ loco, Concio exegetica.

Serm. 1. de Pentecoste.

HOdiernam solennitatem, vt verbis beatissimi Leonis Pontificis vtamur, in præcipuis festis esse venerādam, omnium Catholicorum corda cognoscunt: nec dubiū est quāta huic diei reuerentia debeatur, quem Spiritus sanctus excellentissimo sui muneris miraculo cōsecrauit. Nam ab illo die, quo Dominus super omnium cælorum altitudinē ad dexteram Dei patris consessurus ascendit, decimus iste est, qui ab eiusdem resurrectione quinquagesimus nobis in eo, à quo cœpit, illuxit, magna mysteria veterum sacramentorum in se continens & nouorum, quibus manifestissimè declaratur, & gratiam prænuntiatam fuisse per legem, & legem impletam esse per gratiam. Sicut enim in Hebræo quondam populo, ab Aegyptijs liberato, quin- Exod. 20.
quagesimo die post immolationem agni lex data est in monte Sina: ita post passionem, qua verus Dei agnus occisus est, quinquagesimo à resurrectione eius die, in Apostolos plebemque Act. 2.
credentium Spiritus sanctus illapsus est: vt facilè diligens Christianus agnoscat, initia veteris Testamenti Euangelicis ministrasse principijs, & ab eodem Spiritu conditum fœdus secundū, à quo primum fuerat institutum. Ita Leo. Porrò notatu dignum est, hesterno die lectionem fuisse depromptam ex Actis Apostolicis, quæ Spiritus sancti in Iudæos descensum explicaret: hodiè eam recitari, quæ non multùm dissimilem etiam in gētiles eiusdem sacratissimi pneumatis illapsum exponat. Non enim Iudæorum tantùm Deus, sed & gentium: nec solis Iudæis Rom. 3.
hanc gratiam Christus promiserat, sed etiam gētibus. Lectionem ipsam inspiciamus: *Aperiens Petrus os suum, dixit: Nobis præcepit Dominus prædicare populo & testificari, quia ipse est qui constitutus est à Deo, iudex uiuorum & mortuorum.* Hæc verba pars quædam sunt concionis illius, quam habuit D. Petrus Apostolici agminis princeps in ædibus Cornelij centurionis, quando eò venit ex Ioppe accersitus, & multos inuenit ibi cōgregatos ethnicos, amicos Cornelij. Et hæc quidem iam suprà exposuimus feria 2. Paschæ. Certè autem non immeritò admirari quis possit, cur hoc vel maximè D. Petrus commemoret Dominum mandasse, vt testificarentur ipsum esse iudicem viuorum & mortuorum. Scilicet, admonitum vnumquenque esse voluit Dominus illius horrendi & *Dies iudicij sæpe cogitandus.* Matt. 24.
seueri iudicij, vt norit ita hīc omnem exigere vitam, quò tunc rationes suas omnes habeat prōptas & expeditas. Sic ipse Dominus in Euangelio sæpè nos admonet vt vigilemus, Quia nescitis, inquit, qua hora Dominus vester venturus sit, scilicet ad iudicium. Cur autem tam dissolutè viuunt homines, nisi quòd huius iudicij prorsùs aut immemores, aut incurioſi degunt? Qui autem sic viuunt, quo pacto possunt alacriter exire obuiàm venienti Christo? Cur non igitur potiùs cogitant diem iudicij, & cum incertum habeant, quis ipsis sit futurus vitæ huius supremus dies, omnē diem ea pietate & solicitudine trāsigunt, tanquàm eoipso hinc sint emigraturi? Hoc quidem molestum est carni & sanguini, sed propterea nobis de cælo & promittitur & mittitur Spiritus sanctus, vt per eius gratiam possimus, quod per nos neutiquàm possemus. Interim rogamus quotidiè Deum & dicimus, Adueniat re- Matth.
gnum tuum, & tamen sic viuimus, vt nihil videamur

mur minùs optare, quàm aduentum illius regni. Quod verò rogamus & petimus, inquit D. Cyprianus sermone de mortalitate, vt adueniat regnum cælorum, si captiuitas terrena delectat? Quid precibus frequenter iteratis rogamus & poscimus, vt acceleret dies regni, si maiora desideria & vota potiora sunt seruire hic diabolo, quàm regnare cum Christo? Hæc Cyprianus. Optimè igitur & saluberrimè voluit Dominus Iesus prædicari futurum iudicium, & eius seueritatē nobis ob oculos proponi, vt viuamus hic solicitè, & à vitijs atque flagitijs abstinentes, capaces in dies efficiamur gratiæ abundantioris, atque tandem immensæ illius beatitudinis, quā promisit Deus diligentibus se. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibēt, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum.* Rom. 10.
Christus finis est legis ad salutem omni credenti: Christus opus est omnium Prophetarum. Multa in veteri lege sub typo præcepta fuere sacrificia, ritus & cæremoniæ, sed his omnibus non potuit obtineri peccatorū remissio. Impossibile est enim, Hebr. 10.
vt ait Apostolus, sanguine taurorum & hircorū Ibidem.
auferri peccata. Et, vt idem inquit, omnis sacerdos præstò est quotidiè ministrans, & easdem sæpè offerens hostias, quæ non possunt auferre peccata: Christus verò vna oblatione consummauit Apoc. 1.
in sempiternum sanctificatos. Ipse est enim, qui dilexit nos, & lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Atq; hoc testantur prophetę omnes, Christum suo sanguine humani generis peccata expiaturum. Itaque in eum crediderunt electi omnes & qui ante legem, & qui sub lege fuerūt, tanquàm in redemptorem suum, sicut & illi qui sub Euangelij gratia extitere. Nec tamen ita hoc accipiendum est, quod plerique & veteres, & noui hæretici blaterant, quasi nuda fides sufficiat ad salutem vel peccatorum remissionē, sed necessariò etiam in ipsis baptizandis adsit oportet odium, peccati & propositum vitæ in melius cōmutandę. Hæc autem charitas efficit in homine.
Ioan. 14. Rectè enim ait Christus: Si quis diligit me, sermones meos seruabit. Amor enim facit vt fugias ea, quæ scis odire illum quem amas, & cupidè etiam facias, quæ nosti illi grata esse. Itaque etiam baptizandi, sine charitate manent in morte animæ. Quantumcunque enim quis credat in Christum redemptorem suum, si interim perseuerat in peccandi voluntate, vtique diuinæ gratiæ obicem ponit, vt etiam baptismus ipse, quo peccata omnia penitùs tolluntur, nihil ei prosit. Sed qui sic credunt in Christum, vt deinceps velint illius præceptis conuenienter viuere, ij remissionem peccatorum accipiunt per nomen eius, maximè in baptismo, vbi sine vllis præcedentibus bonis operibus, si hęc adsit bona voluntas, peccata omnia plenissimè condonantur. *Adhuc loquēte Petro uerba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant uerbum.* De hoc loco sic scribit Augustinus lib. 2. Quæstionum Euāgeliorū, Quæstione 40. Cornelius etiam cùm eleemosynę eius acceptæ, & preces eius auditæ illi ab Angelo nuntiarentur, propter doctrinæ tamen sacramētorumq; vnitatem ad Petrū iubetur mittere, tanquàm illi & suis diceretur, Ite, ostendite vos sacerdotibus. Nam & cùm irent mundati sunt. Iam enim ad eos venerat Petrus, sed tamen ipsi nondū accepto baptismatis sacramento, nondū spiritaliter ad sacerdotes peruenerunt: & tamē infusione Spiritus sancti, & admiratione linguarū eorum mundatio declarata est. Hęc Augustinus. In eundē locum Beda sic habet: Ne baptisma gētibus tradere dubitet, Spiritus sancti testimonio cōfirmatur, ipsas lauacri aquas, quas sanctificare solet nouo ordine præcurrentis: quod semel in testimoniū fidei gentium, nunquàm verò in Iudæis euenisse reperitur. Hæc Beda. *Et obstupuerūt ex circumcisione fideles, qui uenerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum.* Nos iam non immeritō admirari possimus, vsq; adeò illos obstupuisse ad tantā Dei benignitatē & munificentiam, quasi solis Iudæis seruandis venerit Christus, & nō etiam ethnicis. At Christus etiam gentes ad se pertinere satis indicauit, cùm & ante passionē dixit: Alias oues habeo, quæ nō sunt Ioan. 10.
ex hoc ouili (putà, ex Synagoga Iudæorū) & illas oportet me adducere, & vocem meā audient, & fiet vnū ouile, & vnus pastor: itemq; post passionem iam in cælum ascensurus ait ad discipulos: Euntes in mundū vniuersum, prædicate Euange- Marc. 16.
liū omni creaturæ. Nō ergo mirandū fuit, quòd etiam in gentiles effusa est gratia Spiritus sancti, quia facile erat Deo ex lapidibus, id est, gentilibus saxea idola colentibus, facere filios Abrahæ, & certè etiam permultis Iudæis longè meliores. Immò verò gratiā Christi Iudæis respuentibus, Dominus ipse terribiliter dixerat, Auferetur à Matt. 21.
vobis regnū Dei, & dabitur genti facienti fructū illius: quibus verbis Iudæi ob suā ingratitudinē & contemptū repudiantur: gentiliū deuotio, studium & obedientia prædicatur. Sed tamen omnibus omnibus laudāda & prædicanda est bonitas Dei, quòd impios & à se prorsùs alienos & auersos, dæmonū & scelerū cultores voluit ad sui agnitionem toto terrarū orbe adducere, nullis præcedentibus bonorū operū meritis, vt gratia Dei illustrior appareat, donans eis in baptismo omnia peccata, & in filios atq; hæredes eos adoptās, vt conuersi ad Deum viuū & verū, deinceps illi seruiant in sanctitate & iustitia corā ipso omnibus diebus vitæ suæ. Oecumenius hoc loco ait, Deū magnam D. Petro defensionē præparasse. Facilè enim apud Iudæos, qui posteà cum eo cōtenderunt & ad ethnicos esset ingressus, hac ratiōe defendit, quòd ijs quoq; gratia Spiritus sancti esset collata. *Tunc respondit Petrus: Numquid aquā quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt sicut & nos?* Acceperunt sane etiam isti Spiritum sanctū signo visibili sicut Apo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

stoli, licet non sit certum cuiusmodi hoc signum fuerit: sed non ea plenitudine accepere Spiritum, quo Apostoli, qui primitias Spiritus adepti sunt. Videtur autem Petrus hac vti percontatione ad Iudæos, vt ne quid temerè fecisse dicerentur, si illos subitò baptizare iussisset, nulla priùs reddita sui facti ratione. *Et iussit eos baptizari in nomine Domini Iesu Christi.* Tametsi Christus iusserat, vt in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti baptizarentur credentes, at nihilominùs aliquādiu Apostoli baptizarunt in Christi nomine, vt apud gentes Christi IESV nomen celebrius & illustrius redderetur, quod apud Iudæos contemptibile habebatur. Nec dubium, quin formam baptismi ab ipso Domino disertis verbis traditam Apostoli non aliqua leuitate, sed ex Sancti spiritus instinctu ad tempus mutarint, licet nec sic quidem ab ea forma, quam Dominus præscripsit, discessum sit. Vt enim D. Ambrosius ait lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 3. si Christum dicas, & Deum Patrem, à quo vnctus est Filius, & ipsum qui vnctus est Filium, & Spiritum quo vncti estis designasti. Hæc Ambrosius. Vnde etiam potest intelligi, quanta sit Ecclesiæ authoritas, quæ vtique eodem regitur Spiritu sancto, quo Apostoli: & ideò si quid ea præscribat vel faciendum vel omittendum, non aliter debet accipi, quàm si Deus ipse iussisset. Vt enim de Ecclesiæ authoritate prorsùs nihil dubitaremus, Ecclesiæ præpositis dixit: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Vbi sanè illorum execranda impietas apparet, qui nihil voluntate recipiendum, quod non sit expressè in diuinis literis vel iussum vel vetitum, & confidenter contēnunt generalium Conciliorum & Pontificum decreta, nec vident quòd is contemptus in Deum ipsum redundet. Christus non fallit Ecclesiam suam, cum qua se futurum promisit omnibus diebus vsque ad consummationem seculi, cui etiam promisit paracletum, spiritum veritatis, vt maneat cum ea in æternum. Is est Spiritus pacis, spiritus concordiæ, quem non possunt habere filij defertores, qui se à Catholica Ecclesia, id est, à Christi corpore separant, atque ideò nō viuunt de spiritu Christi, quibus mirabiliter illudunt spiritus tenebrarum, & in horrenda eos errorum præcipitia abducunt. Oecumenius hunc locum exponens, Non dixit Petrus, inquit, Quid opus est aqua, cùm Spiritus sanctus in ipsos deuenerit, sed iussit eos statim in nomine Domini baptizari. Nouerat siquidem diuina in baptismate mysteria ac sacramenta inesse, sepulturam videlicet, & mortificationem, & resurrectionem, & vitam. Quemadmodum enim facile nobis est demergi & emergi, ita Deo sepelire veterem hominem, & nouum proferre facile est. Ter autem id fit, vt Patris & Filij & Spiritus sancti potentia id fieri intelligamus. Hæc Oecumenius. Nostrum iam est rogare obnixè Spiritum sanctum, vt se nobis quoque impertire dignetur. Est autem obseruatu dignum, quòd & illi centum viginti, de quibus heri dictum est, & isti Cornelij centurionis amici, de quibus hodiè non temerè lectio proponitur, intra vnum locum collecti, vnanimiter verbum Dei audiuisse, & summa concordia locuti esse magnalia Dei, & Deum magnificasse scribuntur. Non enim venit Spiritus sanctus, nisi in illos, qui intra vnā Catholicæ Ecclesiæ domum pacifici & concordes in bono commorantur, qui idem dicunt, idem sapiunt, in quibus non sunt schismata, qui vno ore laudant & magnificant Deum: atque hæc ipsa præstari non possunt, nisi gratia Spiritus sancti, vt non sit mirum nihil horum conspici apud schismaticos & hæreticos, cùm illos certum sit non esse capaces Spiritus sancti, qui non est dissensionis Deus, sed pacis. Quid verò horrendum magis est, quàm esse destitutum gratia Spiritus sancti, cùm sine illo nihil omninò possimus boni, cùm sine illo necesse sit penitùs nos perire & arescere, vtpotè omni gratiæ vitalis succo & humore destitutos? Auertat hoc à seruis suis Christus IESVS Deus & Dominus noster, mittatque in corda nostra hūc viuificantem Spiritum, qui ignem sui amoris accendat in cordibus nostris, & regat atque possideat nos per infinita secula seculorum, Amen.

Rom. 8.

In quos ue niat Spiritus sanctus

1. Cor. 14.

Ecclesiæ authoritas.

Luc. 10.

Matt. 28.

Ioan. 14.

FERIA SECVNDA PENTECOSTES, Ioannis III.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam. Et reliqua. Homilia B. Augustini Episcopi.

EXTRACTA cordis nostri intentio, fratres, ad euangelium tu 12. in Ioannem. lectum refertur. nemo aliundè cogitet. Si enim qui totus adest vix capit, qui se per cogitationes diuersas diuidit, nonne & quod ceperat fundit? Audite auribus, accipite mētibus dilectissimi loquentibus nobis, sed ipso docēte, qui non recedit à nobis. Dominus dicit commendans charitatem patris in nobis, quam exhibuit ipse filius moriēdo pro nobis, quomodò cùm legeretur audistis: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipso, non pereat.* Etenim filius mortuus est,

est, & ipsa morte liberauit nos à morte: morte occisus, mortem occidit. Et nostis fratres, quia mors ista per diaboli inuidiam intrauit in mundum. Deus mortem non fecit, scriptura loquitur: Nec lætatur, inquit, in perditione hominum. Creauit enim, vt essent omnia. Sed quid ibi ait? Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarū. Ad mortem à diabolo propinatam, non veniret homo vi addactus. Non enim cogendi potentiam diabolus habebat: sed persuadendi versutiam. Si non consentires, nihil inuexerat diabolus. Consensio tua, ò homo, te perduxit ad mortem. A mortali mortales nati, & ex immortalibus mortales facti. Ab Adam omnes homines mortales. Iesus autem filius Dei, verbum Dei, per quod facta sunt omnia, vnicus, æqualis patri, mortalis factus est, quia verbum caro factū est, & habitauit in nobis. Ergo mortem suscepit, & mortem suspendit in cruce, & de ipsa morte liberātur mortales. Quod in figura factum est apud antiquos, commemorauit illud Dominus: Et sicut, inquit, exaltauit Moyses serpentem in eremo, ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Magnum sacramentum: & qui legerunt, nouerunt. Deinde audiant vel qui non legerunt, vel qui fortè lectum vel auditum obliti sunt. Prosternebatur in eremo populus Israël morsibus serpentum: fiebat magna strages multarum mortium. Plaga enim Dei erat corripientis & flagellantis, vt erudiret. Demonstratū est ibi magnū sacramentū rei futuræ: ipse Dominus testatur in hac lectione, vt nemo possit aliud interpretari, quàm quod ipla veritas de se indicat. Dictum est enim ad Moysen à Domino, vt faceret serpentem æneum, & exaltaret illum in ligno in eremo, admoneretque populum, vt si quis morsus esset à serpente, illum serpentem exaltatum in ligno attenderet. Factum est, mordebantur homines, intuebantur, sanabantur. Quid sunt serpentes mordētes? Peccata de mortalitate carnis. Quis est serpens exaltatus? Mors Domini in cruce. Quia enim à serpente mors, per serpentis effigiem figurata est mors. Morsus serpentium lætalis, mors Domini vitalis. Ergo fratres, vt à peccato sanemur, Christum crucifixum intueamur. Quomodò qui intuebantur illum serpentem, non peribant morsibus serpentum: sic qui intuentur fide mortem Christi, sanantur à morsibus peccatorum. Sed illi sanabantur ad vitam temporalem: hic autem ait, vt habeant vitam æternam. Hoc enim interest inter figuratam imaginem & rem ipsam. Figura præstabat vitam temporalem: res ipsa, cuius illa figura erat, præstat vitam æternam. *Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum.* Ergo quantùm in medico est, sanare venit ægrotum. Ipse se interimit, qui præcepta medici obseruare non vult. Venit saluator in mundum. Quare saluator dictus est mundi, nisi vt saluet mundum, non vt iudicet mundum? Saluari non vis ab ipso? ex teipso iudicaberis. Et quid dicam, Iudicaberis? Vide quid ait: *Qui credit in eum, non iudicatur. Qui autem non credit*: quid dicturum speras, nisi, Iudicatur? *Iam, inquit, iudicatus est.* Nondum apparuit iudicium, & iam factum est iudicium. Nouit enim Dominus qui sunt eius. Nouit qui permaneant ad coronam, qui permaneant ad flammam. Nouit in area sua triticum, nouit paleam, nouit segetem, nouit zizania. Iam iudicatus est, qui non credit. Quare iudicatus est? *Quia non credidit in nomine unigeniti filij Dei. Hoc est autem iudicium, quia lux uenit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis, quàm lucem. Erant enim mala opera eorum.* Fratres mei, quorum opera bona inuenit Dominus? Nullorum. Omnium enim mala opera inuenit. Quomodò ergo quidam fecerunt veritatem, & venerunt ad lucem? Et hoc enim sequitur: *Qui autem facit ueritatem, uenit ad lucem: ut manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.* Quomodò ergo quidam bonum opus fecerunt, vt venirent ad lucem, id est, ad Christum? Et quomodò quidam dilexerunt tenebras? Si enim omnes peccatores inuenit, & omnes à peccato sanat, & serpens ille, in quo figurata est mors Domini, eos sanat qui morsi fuerant, & propter morsum serpentis erectus est serpens, id est, mors Domini propter mortales homines, quos inuenit iniustos, quomodò intelligitur, Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem, erant enim mala opera eorum? Quid est hoc? Quorum enim erant bona opera? Nónne venisti, vt iustifices impios? Sed dilexerunt, inquit, magis tenebras, quàm lucem. Ibi posuit vim. Multi enim dilexerunt peccata sua, multi confessi sunt peccata sua: quia qui confitetur peccata sua, & accusat ea, iam cum Deo facit. Accusat Deus peccata tua: si & tu accuses, coniungeris Deo. Quasi duæ res sunt, homo & peccator. Quod audis, homo, Deus fecit: quod audis, peccator, ipse homo fecit. Dele quod fecisti, vt Deus saluet quod fecit. Oportet vt oderis in te opus tuum, & ames in te opus Dei. Cùm autem cœperit tibi displicere quod fecisti, inde incipiunt bona opera tua, quia accusas mala opera tua. Initium operum bonorum, confessio est operum malorum. Facis veritatem, & venis ad lucem. Quid est, Facis veritatem? Non te palpas, non tibi blandiris, non tibi adularis: non dicis, iustus sum, cùm sis iniquus: & incipis facere veritatem. Venis autem ad lucem, vt manifestentur opera tua, quia in Deo sunt

Sap. 1.

Sap. 2.

Ioan. 1.

Ioan. 3.

Num. 21.

2. Ti. 2.

Qui peccata sua accusat, cum Deo facit.

Facere ueritatem.

Venire ad lucem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt facta: quia & hoc ipsum, quod tibi displicuit peccatum tuum, non tibi displiceret, nisi Deus tibi luceret, & eius veritas tibi ostenderet. Sed qui & admonitus diligit peccata sua, odit admonentem lucem & fugit eam, vt non arguantur opera eius mala, quæ diligit. Qui autem facit veritatem, accusat in se mala sua: non sibi parcit, non sibi ignoscit, vt Deus ignoscat. Quia quod vult vt Deus ignoscat, ipse agnoscit, & venit ad lucem, cui etiam vberes gratias agit, quòd illi quid in se odisset ostendit, & dicit Deo: Auerte faciem tuam à peccatis meis: & qua fronte dicit, nisi primitùs dicat: Facinus meum ego cognosco, & peccatum meum coram me est semper? Sit ante te, quod non vis esse ante Deum. Si autem post te feceris peccatum tuum, retorquet tibi illud Deus ante oculos tuos, & tunc retorquet, quando iam pœnitentiæ fructus nullus erit. Currite, ne vos tenebræ comprehendant. Fratres mei, euigilate ad salutem vestram, euigilate dum tempus est. Nullus retardetur à templo Dei, nullus retardetur ab opere Domini, nullus auocetur ab oratione continua, nullus à deuotione solita fraudetur. Euigilate ergo, dum dies est. Lucet dies, Christus est dies. Paratus est ignoscere, sed agnoscentibus: punire autem defendentes se, & iustos se iactantes, & putantes se aliquid esse, cùm nihil sint. In dilectione autem eius, & in misericordia eius qui ambulat, liberatur iam ab illis lætalibus & grandibus peccatis, qualia sunt facinora, homicidia, furta, adulteria. Propter illa verò quæ videntur minuta esse peccata, linguæ, aut cogitationum, aut immoderationis in concessis rebus, facit veritatem præueniendo faciem Domini in confessione, & venit ad lucem in operibus bonis: quoniam plura minuta peccata si negligantur, occidunt. Minutæ sunt guttæ, sed flumina grandia implẽt. Minuta sunt grana arenæ: sed si multa arena imponatur, premit atque opprimit. Hoc facit sentina neglecta, quod facit fluctus irruens. Paulatim per sentinam intrat, sed diù intrando, & non exhauriendo, mergit nauim. Quid est autem sentinam exhaurire, nisi semper solicitè bonis operibus insistere: vt non obruant peccata, gemendo, petendo, ieiunando, tribuendo, ignoscendo, omnes rupturas peccatorum occludere? Iter autem huius seculi molestum est, plenum est tentationibus. In rebus prosperis ne extollat, in rebus aduersis ne frangat. Qui tibi dedit felicitatem huius seculi, ad consolationem tuam dedit, non ad corruptionem. Rursus, qui te flagellat in hoc seculo, ad emendationem, nõ ad damnationem facit. Ferto patrem erudientem, ne sentias iudicem punientem. Hæc quotidiè dicimus vobis, & sæpè dicenda sunt, quia bona & salutaria sunt.

Ioan. 9.

FERIA TERTIA PENTECOSTES, IN LECTIONEM LOCO EPISTOLÆ, CONCIO EXEGETICA.

CElebramus dilectissimi hodiè spiritus sancti solennitatem, tota cũ iucunditate celebrandam, dignam omni deuotione. Dulcissimum enim quiddam in Deo Spiritus sanctus est, benignitas Dei, & idem ipse Deus. Proinde si celebramus sanctorum solennia, quantò magis eius, à quo habuerunt vt sancti essent, quotquot fuere sancti? Si veneramur sanctificatos, quantò magis ipsum sanctificatorem conuenit honorari? Hodiè itaque festiuitas est Spiritus sancti, qua visibiliter apparuit inuisibilis: sicut & filius, cùm sit nihilo minùs inuisibilis in seipso, dignatus est exhibere se in carne visibilem. Hodiè Spiritus sanctus reuelat nobis aliquid de seipso, sicut antè de Patre & Filio aliquid noueramus. Nam perfecta Trinitatis cognitio, vita æterna est. Sic nimirùm D. Bernardus 1. Sermone de Pentecoste, quæ ceu prefatiunculæ cuiusdam loco dicta sint: nunc ad Lectionem hodiernam veniamus. Habetur ea in Actis Apostolicis cap. 8. *cùm audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quòd recepisset Samaria uerbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem.* In ea persecutione, quæ post necem Stephani Ierosolymis grassabatur, præter Apostolos dispersi sunt omnes per regiones Iudeæ & Samariæ. In ijs fuit etiam Philippus, vnus ex septem primis diaconis: qui venit Samariam, & multos tum verbo, tum signis admirandis conuertit ad Dominum, atque in nomine Iesu Christi baptizabantur viri ac mulieres. Baptizatus est etiam Simon ille magus, qui multorum fuit author errorum, atque hæreticorum patriarcha. Ea fama conuersæ Samariæ vbi Ierosolymam perlata est, primarios Apostolos Petrum & Ioannẽ ad eos misẽrũt, qui eos in Dei gratia confirmarent. Ita habemus hic duo Sacramenta, Baptismum quo abluimur à peccatis, & abrenuntiamus Satanæ: Confirmationem, qua ad certandum viriliter contra vitia, diabolum, mundum & carnem corroboramur. In Baptismo Christo nomen damus: In Confirmatione armis spiritalibus accingimur & communimur, vt cum Apostolo bonum certamen certare queamus. Nam & si in Baptismo remittantur peccata omnia, at nihilo minùs manet quædam infirmitas & pronitas in malum, & fomes peccati, aduersùs quæ opus est gratia Spiritussancti, quam in Confirmatione accipimus. Sed quare non contulit hanc gratiam Philippus? Quia, vt ait Chrysostomus, facultatem hanc non habebat dandi Spiritumsanctum. hoc enim donum solorum Apostolorum erat. Rectè igitur in Ecclesia etiam hodiè non nisi Episcopi, qui sunt successores Apostolorũ, conferunt Sacramentũ Cõfirmationis, cùm baptismũ conferant presbyteri, & vbi vrget necessitas, etiã fœminæ seruata Ecclesiæ forma cõferre queãt. Vnde etiam Beda hunc locũ interpretãs, Notandũ, inquit, quòd Philippus, qui Samariæ euãgelizabat, vnus de septẽ fuerit. Si enim Apostolus esset, ipse vtiq; manũ imponere potuisset, vt acciperent Spiritũ sanctũ: hoc enim solis põtificibus debetur. Nã presbyteris siue extra Episcopũ, seu præsente Episcopo baptizent, chrismate baptizatos vngere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum: non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cùm tradunt Spiritum paracletũ baptizatis. Hæc Beda. Missi autem dicuntur Petrus & Ioãnes, quos in scripturis diuinis sæpè legimus coniunctos, quorum alter ardentiùs Christum amauit, alter familiariùs à Christo dilectus est. *Qui cùm uenissent, orauerunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum.* Iam quidem in baptismo acceperant Spiritum sanctũ, sine quo non potest fieri remissio peccatorum: at nihilo minùs orant pro illis Apostoli, vt accipiant Spiritum sanctum: non vt iam in illis esse incipiat, sed vt dona sua in illis augeat & tueatur: quod etiam hic factum est signo visibili. Id quod facilè inde constare potest, quòd impius ille Simon magus, cùm vidisset per impositionem manus Apostolorum dari Spiritum sanctum, pecunia ab Apostolis eam potestatem mercari voluit, qua posset etiam ipse manibus impositis conferre spiritum sanctum. Cur autem id fecerit, Epiphanius contra Simonianos scribens explicat his verbis: Cùm Philippus diaconus esset, non habebat potestatem imponẽdi manus, vt per hoc daret Spiritum sanctũ. Cùm aũt Simon non haberet rectum cor, neq; cogitationem rectam, sed turpi lucro ac studio pecuniarum intentus esset, & à prauo proposito suo nusquã decederet, offerebat pecunias Petro Apostolo, vt daret ipsi potestatem exhibendi Spiritum sanctum per manuum impositionem: ita ratione secum inita, quòd dare vellet multis pro modica pecunia, atq; sic per exhibitionem Spiritus multas pecunias cumulare ac lucrari. Hæc Epiphanius. *Nondum enim in quenquam illorũ uenerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu.* Hoc quidem sic accipiendum est, q̃ non venerit signo visibili spiritussanctus in illos. Nam alioqui non possunt in Christi membris viuis numerari, qui non habent spiritum sanctum. Si quis nõ habet Spiritum Christi, ait Apostolus, hic non est eius. Præclarè de his duobus Sacramentis in Epistola ad omnes Hispaniæ Episcopos scribit Miltiades Papa, è qua pauca hic commemorare libet: Sed fortè cogitat aliquis, inquit: Quid mihi prodest post mysterium baptismatis, mysterium confirmationis? Aut quantùm video, non totum de fonte suscepimus, si post fontẽ adiectione noui generis indigemus. Non ita, dilectissimi. Attendat charitas vestra. Sicut exigit militaris ordo, vt cùm Imperator, quemcunque in militum receperit numerum, non solùm signet receptum, sed etiam armis competentibus instruat pugnaturum: ita in baptizato benedictio illa munitio est. Dedisti militem, da ei adiumentum militiæ. Nunquid prodest, si quisquam parentum magnam pupillo conferat facultatem, nisi prouidere studeat & tutorem? Itaque paracletus regeneratis in Christo, custos & consolator & tutor est. Ideò dicit sermo diuinus: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustrà vigilat qui custodit eam. Ergo Spiritus sanctus, qui super aquas Baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in fonte plenitudinem augmentum præstat ad gratiam. Et quia in hoc mundo tota ætate victuris, inter inuisibiles hostes & pericula gradiendum est, in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam: in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur. At si continuò transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia, &c. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritumsanctum.* Diuus Augustinus lib. 2. contra Literas Petiliani, cap. 104. Confirmationem vocat Sacramentum Chrismatis, ideméque in genere visibilium signaculorum sacrosanctum esse dicit, sicut & ipsum Baptismum: at nihilo minùs esse illud posse & in hominibus pessimis, in operibus carnis vitam consumentibus, & regnum cælorum non possessuris. Verùm istiusmodi homines, de quibus id asserit Augustinus, etsi extrinsecùs Episcopi ministerio confirmantur, nõ tamen accipiunt Spiritum sanctum, cuius gratiæ per malam voluntatem & improbam vitam obicem ponunt. Adhibetur autem Chrisma in Confirmatione ex Apostolica traditione, loco visibilis descensionis Spiritus sancti: atque ipsum Chrisma & impositio manuum, signum est externum Sacramenti huius: porrò eiusdem sacramenti res, est vngi spiritaliter notissima illa septiformi gratia spiritussancti: puta Spiritu sapientiæ & intellectus, spiritu consilij & fortitudinis, spiritu scientiæ, pietatis & timoris Domini. Porrò Confirmationis Sacramentum non nisi ab Episcopis tribui, præter alia declarant illa verba D. Hieronymi, quibus vtitur in Dialogo aduersus Luciferianos. Quòd si hoc loco quæris, inquit, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum sanctum, quem nos asserimus in vero Baptismate tribui, disce hanc obseruationem ex ea authoritate descendere, quòd post *ascensum* Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit. Hæc Hieronymus. Ipsa verò manus im-

Soli episcopi conferunt confirmationem.

Act. 8.

Simon magus hæresiarcha.

Sacramenta Baptismi & confirmatio.

2. Tim. 1.

Rom. 8.

Claruit Anno Domini. 312.

Act.

Augustin. confirmationem dicit Sacramentum.

Cur Chrisma in Confirmatione.

Psal. 126.

Esai. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

impositio significat diuinam potestatem, virtutem, robur, auxilium, & gratiam Spiritus sancti, quæ manus impositionem accipientibus, vel ad emundationem, vel recõciliationem, vel sanctificationem, vel ad robur, vel ad felicitatis incrementum, Dominica authoritate hominibus concessa conferuntur. Est autem in scripturis diuinis frequens admodùm, per Dei manum, Dei virtutem significare: cumq; Dei munere fungantur eius ministri, quibus est ea collata potestas, persuasum quisque habere debet, cùm ij manus imponunt more & ritu Ecclesiastico, Deum suã hominibus manum per illos imponere, & sua dona atque charismata impertiri. Vt enim luculenter ab D. Ambrosio de dignitate Sacerdotali cap. 5. dicitur, Homo imponit manum, Deus largitur gratiam. Quod sicut D. Ambrosius verissimè asserit, ita dubitandum non est, Confirmationem rectè inter Sacramenta reponi, quippe in quo sub signo visibili inuisibilis Spiritus sancti gratia confertur, non tamen quibuslibet, sed ijs qui gratiæ obicem non ponant. Vsque adeò enim Sacramenta suam non habent efficientiam in illis, quibus conferuntur, quod ad spiritalis gratiæ infusionem attinet, si quis in peccandi proposito perseueret, vt etiã Baptismus, qui est Sacramẽtorum omnium velut ianua quædam & aditus, non emundet à peccatis baptizatum, nisi & peccasse se doleat, & deinceps à peccato cauere velit: immò baptismus dari non debet in peccandi proposito permanentibus. Multa hoc loco de Confirmationis Sacramento dici possent, præsertim cùm id hæretici horum temporum è numero Sacramentorum impiè excludant, sed satis sit ex Michaële Syngelo Ierosolymitano presbytero ea retulisse, quæ is in Encomio D. Dionysij Areopagytæ scribit, quem certè testatur catechizatum, exorcizatum, baptizatum, candido vestitum, perfectione (id est, confirmatione: sic enim Ambrosius lib. 3. cap. 2. de Sacramentis Confirmationem notat) dignum fuisse habitum, & lucis armis indutum. Is verò Dionysius discipulus fuit Pauli Apostoli. Inde iam certò licet colligi, quàm sit ab ipso Christo in Apostolos, & ab ijs in nos vsque deriuatum hoc Sacramentum. In quo etiam Chrismatis vsum longè esse vetustissimum idem Michaël Syngelus ibidem satis declarat, cùm subiungit Dionysiũ gratia illa, quæ ex baptismo est, obmunitum, diuino esse vnguento delibutum. Τῶ θείῳ inquit, χρίσις ἀλείμματι. Nec quisquam dubitare debet eum, qui Sacramentum Confirmationis ex contemptu & incuria nolit accipere, graui se scelere obstringere. Sicuti autem aqua corpus tangit, & corabluit, quod ait Augustinus: ita Confirmationis oleum frontem linit, & animam spiritali atque inuisibili Spiritus sancti charismate inungit atque imbuit, & donis cumulatioribus auget. Nostræ ætatis hæretici hoc Sacramentum & sacrum chrisma per summum scelus audacter reijciunt & irrident, sed illos non imitari, verùm fugere debemus tanquàm datos in reprobum sensum. Iam suprà quædam attulimus ex Miltiade Pontifice de hoc sacramento, ex quo rursus nonnulla adijcere libet, vt magis accendamur desiderio cælestium charismatum, quæ nobis per Spiritum sanctum largissimè conferuntur: Cum Spiritus sanctus, inquit Epistola suprà memorata, infunditur, cor fidele ad prudentiam & constantiam dilatatur. Itaque ante descensionem Spiritus sancti, vsque ad negationem Apostoli deterrentur: post visitationẽ verò eius, vsq; ad martyriũ contemptu salutis armantur. Secũdum hoc per Christũ redimimur, per spiritũ verò sanctũ dono sapiẽtię spiritualis illuminamur, ædificamur, erudimur, instruimur, consummamur, vt illam sancti spiritus vocem audire possimus. Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac qua gradieris. De Spiritu sancto accipimus, vt spirituales efficiamur, quia animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. De Spiritu sancto accipimus, vt sapiamus inter bonum malumq́ue discernere, iusta diligere, iniusta respuere, vt malitiæ ac superbiæ repugnemus, vt luxuriæ ac diuersis illecebris, & fœdis indignisq́ue cupiditatibus resistamus. De Spiritu sancto accipimus vitæ amorem, & gloriæ ardorem, vt succensi diuinitùs, erigere à terrenis mentem ad superna & diuina valeamus. Hæc ille sanctissimus pontifex. Superest dilectissimi, vt gratiam Sancti spiritus in Baptismo primùm, deinde in Confirmationis sacramento nobis collatam, crebrò in nobis resuscitemus, quemadmodùm etiam discipulum suum Timotheum hortatur Paulus Apostolus, idq́ue his præsertim sacratissimis diebus, quibus agitur solennitas Spiritus sancti. Sine gratia sancti spiritus nihil possumus boni efficere. Itaque semper in eam curam incumbere debemus, ne nos illius gratia reddamus indignos. Res est incomparabilis precij, gratia, tametsi multo maxima hominum pars eam prorsùs negligit, imò & abijcit & conculcat pedibus, dum sponte vitam viuit à Dei gratia prorsus abhorrentem. Id quod à nobis auertat ineffabilis benignitas Spiritus sancti, cum patre & filio viuentis & regnantis per infinita secula seculorum, AMEN.

Dei manus, Dei virtus.

Peccant, qui nolunt confumari

FERIA TERTIA PENTECOSTES, IOannis X.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Amen amen dico uobis, qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde: ille fur est & latro. Et reliqua. Homilia beati Augustini Episcopi.

DE illu-

Est Tract. 45. in Ioã.

DE illuminato illo qui natus est cæcus, sermo ad Iudæos Domini exortus est. Huic itaq; lectioni hodiernam esse contextã, scire debuit & commoneri charitas vestra. Cum enim Dominus dixisset, In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant, quidam ex pharisæis dixerunt: Nunquid & nos cæci sumus? Quibus respondit: Si cæci essetis, non haberetis peccatum. Nunc autem dicitis, Quia videmus, peccatum vestrum manet. His verbis subiunxit ea, quæ hodiè cũ recitarentur audiuimus, *Amẽ amen dico uobis, qui non intrat per ostium in ouile ouiũ, sed ascẽdit aliundè, ille fur est & latro.* Dixerant enim se cæcos non esse. Videre autem tunc possent, si oues Christi essent. Vnde sibi vsurpabant lumen, qui furebant contra diem? Propter illorum ergo vanam & superbam & insanabilem arrogantiã, Dominus Iesus ista contexuit, in quibus nos salubriter, si aduertamus, admonuit. Multi enim sunt, qui secundùm quandam vitæ huius consuetudinem dicuntur boni homines, boni viri, bonæ fœminę, innocentes, & quasi obseruantes ea quæ in lege præcepta sunt, deferentes honorem parentibus suis, non mœchantes, non homicidium perpetrantes, non furtum facientes, non falsum aduersùs quenquam testimonium perhibentes, & cætera quæ in lege mandata sunt, velut obseruantes, & Christiani non sunt, & plerunque se iactant quomodò isti, Nunquid & nos cæci sumus? Quia verò ista omnia quæ faciunt, nesciunt ad quem finem referant, inaniter faciunt, non Dominus de grege suo & ostio, quo intratur ad ouile, similitudinem posuit in hodierna lectione. Dicant ergo pagani, Benè viuimus. Si per ostium non intrant, quid eis prodest, vnde gloriantur? Ad hoc enim debet vnicuique prodesse benè viuere, vt detur illi semper viuere. Nam cui non datur semper viuere, quid prodest benè viuere? Quia nec benè viuere dicendi sunt, qui finem benè viuendi vel cæcitate nesciunt, vel inflatione contemnunt. Non est autem cuiquam spes vera & certa semper viuendi, nisi agnoscat vitã, quod est Christus, & per ianuã intret in ouile. Quærunt ergo plerunque tales homines etiam persuadere hominibus, vt benè viuant, & Christiani non sunt. Per aliam partem volunt ascendere, rapere & occidere, non vt pastor conseruare atque saluare. Fuerunt ergo quidã philosophi, de virtutibus & vitijs subtilia multa tractantes, diuidentes, diffinientes, rationacinationes acutissimas concludentes, libros implentes, suam sapientiam buccis crepantibus ventilantes, qui etiam dicere auderent hominibus, Nos sequimini, sectam nostram tenete, si vultis beatè viuere. Sed non intrant per ostium. Perdere volebant, mactare, & occidere. Quid de istis, dicam? Ecce ipsi pharisæi legebant, & in eo quod legebant, Christum sonabant: venturum spe-

Ioan. 9.

Ioan. 30.

Ethnici licet benè uiuant, non tamen referãt, quò referãt.

Philosophi, fures & latrones.

Pharisei non intrãt per ostiũ

rabant, & præsentem non agnoscebant. Iactabãt se etiam ipsi inter videntes, hoc est, inter sapientes, & negabant Christum, & non intrabant per ostium. Ergo & ipsi si quos fortè seducerent, mactandos & occidendos, non liberandos seducerent. Et hos dimittamus: videamus illos, si fortè ipsi intrant per ostium, qui ipsius Christi nomine gloriantur. Innumerabiles enim sunt, qui se videntes non solùm iactant, sed à Christo illuminatos videri volunt. sunt autem hæretici. Fortè ipsi per ianuam intrauerũt? Absit. Sabellius dicit: Qui filius est, ipse est & pater. Sed si filius nõ est pater, non intrat per ostium, qui filium dicit patrem. Arrius dicit: Aliud est pater, aliud filius. Rectè diceret, si diceret alius, non aliud. quando enim dicit, aliud, ei contradicit, à quo audit: Ego & pater vnum sumus. Nec ipse ergo per ostium intrat. Prædicat enim Christum qualem sibi fingit, non qualem veritas dicit. nomen habet, rem non habet. Alicuius rei nomẽ est Christus, Tene ipsam rem, si vis prodesse tibi nomẽ. Alius, nescio vnde, sicut Photinus, Christus homo est, inquit, Deus non est. Nec ipse intrat per ostium, quia Christus & homo est & Deus. Et quid opus est multa percurrere, & multa vana hęresum enumerare? Hoc tenete, ouile Christi esse Ecclesiam catholicam. Quicunq; vult intrare ad ouile, per ostium intret, Christum verum prædicet. Non solùm Christum verum prædicet, sed Christi gloriam quærat, non suam. Nam multi quærendo gloriam suam, oues Christi sparserũt potiùs, quã congregauerũt. Humilis enim ianua est Christus Dominus. Qui intrat per hãc ianuã, oportet humiliet se, vt sano capite possit intrare. Qui autem se non humiliat, sed extollit, per maceriam vult ascendere. Qui autem per maceriã ascendit, ideò exaltatur, vt cadat. Tectè tamen adhuc loquitur Dominus Iesus, nondum intelligitur. Nominat ostium, nominat ouile, nominat oues. Commendat hæc omnia, sed nondum exponit. Legamus ergo, quia venturus est ad ea verba, in quibus aliqua quæ dixit, dignetur exponere, ex quorum expositione dabit nobis fortasse etiam illa, quæ non exposuit, intelligere. Pascit enim manifestis, exercet obscuris. Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, væ misero, quia casurus est. Sit ergo humilis, per ostium intret, plano pede veniat, & nõ offendet. Ille, inquit, fur est & latro, Oues suas vult dicere oues alienas: ad hoc suas, id est furto ablatas, nõ vt saluet, sed vt occidat. Ergo fur est, quia quod alienum est, suum dicit. Latro, quia & quod est furatus, occidit. *Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium. huic ostiarius aperit.* De ostiario isto tunc quæramus, quando & ab ipso Domino audierimus quod sit ostium, & qui sit pastor. *Et oues uocem eius audiunt. Et proprias oues uocat nominatim.* Habet enim nomina eorum scripta in libro vitæ. Proprias oues vocat nominatim. Hinc dicit Apostol⁹: Nouit Dominꝰ qui sunt eius. 2. Ti. 2.

Hæretici se illuminatos uideri uolunt.

Ouile Christi, Ecclesia.

Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et educit eas: & cùm proprias oues emiserit, ante eas uadit, & oues illum sequuntur, quia sciunt uocem eius. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt uocem alienorum. Tecta sunt verba hæc, plenaq; quæstionibus, grauida sacramentis. Sequamur ergo, & audiamus magistrum ex his obscuris aliquid aperientem, & per id quod aperit, nos fortè intrare facientem. *Hoc prouerbium dixit illis Iesus. Illi autem non cognouerunt, quid loqueretur eis.* Fortè nec nos. Quid ergo interest inter illos & nos, antequam ista verba agnoscamus & nos? Quia nos pulsamus, vt aperiatur nobis: illi autem Christum negando nolebant intrare seruandi, sed foris remanere perdēdi. Quòd ergo nos audimus hæc piè, quòd antequam illa intelligamus, credimus vera esse atq; diuina, magna ab istis diuersitate distamus. Incipiamus ergo audire exponentem, quem audiuimus proponentem. *Dixit ergo illis iterùm Iesus: Amen amen dico uobis, quia ego sum ostiũ ouium.* Ecce ipsum ostium, quod clausum posuerat, aperuit. Ipse est ostium. Agnouimus, intremus, aut nos intrasse gaudeamus. *Omnes quotquot uenerunt, fures sunt & latrones.* Quid est hoc Domine, Omnes quotquot venerunt? Quid enim? Tu non venisti? Sed intellige, Omnes quotquot venerunt dixit, Vtique præter me. Recolamus ergo. Ante aduentum ipsius venerunt prophetæ. Nunquid fures & latrones fuerunt? Absit: non præter illum venerunt, quia cum illo venerunt. Venturus præcones mittebat, sed eorum corda quos miserat possidebat. Vultis nosse quia cum illo venerunt? Quid est ipse semper? Carnem quippe accepit ex tempore. Quid est ergo semper? In principio erat verbum. Cum illo ergo venerunt, qui cum verbo Dei venerunt. Ego sum, inquit, via, & veritas, & vita. Si ipse est veritas, cum illo venerunt, qui veraces fuerũt. Quotquot ergo præter illũ, sunt fures & latrones. i. ad furandum & occidendum. *Sed non audierunt eos oues.* Maior hæc quæstio est: non audierunt eos oues. Ante aduentum Domini nostri Iesu Christi, quo humilis venit in carne, præcesserunt eum iusti, sic ineũ credentes venturum, quomodò nos credimus in eum qui venit. Tempora variata sunt, nõ fides: quia & ipsa verba pro tempore variantur, cùm variè declinantur. Alium sonum habet, Venturus est: alium sonum habet, Venit. Mutatus est sonus, venturus est, & venit. Eadem tamen fides vtrosque coniungit, & eos qui venturum esse, & eos qui eum venisse crediderunt. Diuersis quidem temporibus, sed vtrosque per vnum fidei ostium, hoc est, per Christum videmus ingressos. Nos credimus Dominum Iesum Christum natum ex virgine, venisse in carne, passum esse, resurrexisse, in cælum ascendisse. Totum hoc, sicut auditis verba præteriti temporis, impletum esse iam credimus. In eius sunt fidei societate nobiscum & illi patres, qui crediderunt de virgine nasciturum, passurum & resurrecturum, in cælos ascensurum. Illos enim ostendit Apostolus, vbi ait: Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum: et nos credimus, propterquod & loquimur. Vt scias autem quòd vna sit fides, audi dicentẽ: Habentes autem eundem spiritum fidei, & nos credimus. Quotquot ergo illo tempore crediderunt vel Abrahæ, vel Isaac, vel Iacob, vel Moysi, vel alijs patriarchis, alijsq; prophetis Christum prænunciantibus, oues erant, & Christum audierunt: non alienam vocem, sed ipsius audierunt. Iudex fuerat in præcone, quia & quando iudex loquitur per præconem, exceptor non facit, Præco dicit, sed, Iudex dicit. Alij sunt ergo quos non audierunt oues, in quibus non erat vox Christi, errantes, falsa dicentes, inania garrientes, vana fingentes, miseros seducentes: Quid est ergo quod dixi, maior hæc quæstio est? Quid habet obscurum & ad intelligendum difficile, audite obsecro: Ecce Dominus ipse Iesus Christus venit, prædicauit. Vtiq; multo magis vox pastoris erat expressa ipso ore pastoris. Si enim per prophetas vox pastoris erat, quanto magis vocem pastoris proferebat lingua ipsa pastoris? Non omnes audierunt. Sed quid putamus? Qui audierunt, oues erant? Ecce audiuit Iudas, & lupus erat: sequebatur, sed pelle ouina tectus, pastori insidiabatur. Aliqui verò eorum, qui Christum crucifixerunt, non audiebant, & oues erant. Ipsos enim videbat in turba, quando dicebat: Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum. Quomodo ergo ista soluitur quæstio, Audiunt non oues, & non audiũt oues? Sequuntur vocem pastoris quidam lupi, & ei quędam contradicunt oues, postremò pastorem occidunt oues? Soluitur quæstio. Respondet enim aliquis, & dicit: Sed quando non audiebant, oues nondũ erant: tunc lupi erant. Vox audita eos mutauit, exlupis oues fecit. Quãdo ergo factæ sunt oues, audierunt, & pastorem inuenerunt, pastoremque secutæ sunt, pastoris promissa sperauerunt, quia iussa fecerunt. Soluta est vtcũque ista quæstio, vt cuiq; fortè sufficiat: me autem adhuc mouet, & quid me moueat communico vobiscum, vt quodammodò quęrens vobiscum, reuelante illo vobiscum merear inuenire. Quid ergo me moueat, accipite. Per Ezechielem prophetam Deus obiurgat pastores, & dicit inter cætera de ouibus: Errantem ouem non reuocastis. Et errantem dicit, & ouem apellat. Si quãdo errabat, ouis erat, cuius vocem vt erraret, audiebat? Proculdubiò enim non erraret, si vocẽ pastoris audiret. Sed ideò errauit, quia vocem pastoris audiret. Sed ideò errauit, quia vocem furis & latronis audiuit. Certè latronum vocem non audiunt oues. Qui venerũt, inquit, & intelligimus, præter me, fures sunt & latrones, & non audierunt eos oues. Domine, si non audierunt eos oues, quomodò errant oues? Si oues non audiunt nisi te, tu autem veritas es, quisquis veritatem audit, non vtique errat. Illi autem errant, & oues appellantur. Nam si in

Ostium ouium, Christus.

Ioan. 1. Ioan. 14.

2. Cor. 4. Psal. 115.

Ioan. 8.

Ezec. 34.

si in errore ipso oues non appellarentur, non diceretur per Ezechiẽlem, Errantem ouem non reuocastis. Quomodò & errat, & ouis est? Vocẽ alieni audiuit. Certè non audierunt eos oues. Audistis fratres altitudinem quæstionis. Dico ergo: Nouit Dominus, qui sunt eius: nouit præscitos, nouit prædestinatos. Nouit Dominus, qui sunt eius. Ipsæ sunt oues. Aliquando se ipsæ nesciunt, sed pastor nouit eas. Secundùm istã prædestinationem, secundùm istam Dei præscientiam, secundùm electionem ouium ante constitutionem mundi. (Nam hoc dicit Apostolus: Sicut elegit nos in ipso ante constitutionem mundi.) Secundùm ergo istam præscientiam Dei & prædestinationẽ, quàm multæ oues foris, quàm multi lupi intùs, & quàm multæ oues intùs, & quàm multi lupi foris. Quid est quod dixi, quã multæ oues foris? Quàm multi modò luxuriantur, casti futuri: quàm multi blasphemant Christum, crediturí in Christum: quàm multi se inebriant, futuri sobrij: quàm multi rapiunt res alienas, donaturi suas? Veruntamen modò alienã vocem audiunt, alienos sequũtur. Item, quàm multi intùs laudant blasphematuri, casti sunt fornicaturi, sobrij sunt se vino posteà sepulturi, stant casuri: non sunt oues. De prædestinatis enim loquimur: de his loquimur, quos Dominus nouit, qui sunt eius. Et tamen ipsi quandiù rectè sapiunt, Christi vocem audiunt. Ecce audiunt ipsi, non audiunt illi, & tamen secũdùm prædestinationẽ non oues isti, oues illi. Adhuc manet quæstio, quæ mihi interim nũc videtur ita posse dissolui. Est aliqua vox, est, inquam, vox aliqua pastoris, in qua oues nõ audiunt alienos, in qua nõ oues non audiunt Christum. Quæ est ista vox? Qui perseuerauerit vsq; ad finẽ, hic saluus erit. Hanc vocem non negligit proprius, non audit alienus. Nã & ipse hoc ei prædicat, vt perseueret apud ipsum vsq; in finem: sed nõ apud eum perseuerando, non audit hanc vocem. Istam qui audierit, ouis est. Sed audiebat illã nescio quis, & desipuit, refriguit, audiuit alienam. Si prædestinatus est, ad tempus errauit, in æternum non perijt. Redit vt audiat quod neglexit, faciat quod audiuit. Si enim de his est qui prædestinati sunt, & errorem ipsius Deus præsciuit, & conuersionem futuram. Si aberrauit, redit vt audiat vocẽ illam pastoris, & sequatur dicentem: Qui perseuerauerit vsq; in finẽ, hic saluus erit. Bona vox, fratres, & pastoralis. Ipsa est vox salutis in tabernaculis iustorum. Perseuerare vsq; in finem, hoc est ouium vocem pastoris audientiũ. Tentatio accedit: perseuera vsq; in finem, quia tentatio perseuerat vsq; in finem. Vsq; in quem finẽ perseuerabis? Quousq; finias viam, hoc est, istã mortalem vitam. Vt potui, vt Deus donauit, profundam multùm quęstionem aut exposui vobis, aut tractaui vobiscum. Per hoc ergo quod exposuit Dominus, quia ipse est ostiũ, introeamus ad ea, quæ proposuit nec exposuit. Et pastor quidem quisnã sit, quanuis non dixerit in ista lectione, quæ hodiè recitata est, tamẽ in ea quæ sequitur, apertissimè dicit, Ego sum pastor bonus. Quod & si non diceret, quem aliũ præter ipsum intelligere deberemus in eis verbis, vbi ait: Qui intrat per ostium, pastor est ouium: huic ostiarius aperit, & oues vocat nominatim, & educit eas: & cũ proprias oues emiserit, ante eas vadit, & oues eũ sequuntur, quia sciunt vocem eius? Quis enim alius oues proprias vocat nominatim, & educit eas hinc ad vitam æternã, nisi qui nouit nomina prædestinatorum? Vnde ait discipulis suis: Gaudete, quoniã nomina vestra scripta sunt in cælo. Hinc enim eas vocat nominatim. Et quis alius eas emittit, nisi qui eorũ peccata dimittit, vt eum sequi duris liberatæ vinculis possint? Et quis eas præcessit, quò eum sequantur, nisi qui surgens à mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà nõ dominabitur? Vnde illud, quod ait: *Ego sum ostium: per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur & egredietur, & pascua inuenet.* In hoc euidenter ostendit, non solũ pastorẽ, sed etiã oues intrare per ostium. Non pigeat nos, fratres, secundũ quasdam similitudines ipsum accipere ostiũ, ipsum ostiarium. Quid est enim ostiũ? Quo intramus. Quis est ostiarius? Qui aperit. Quis ergo se aperit, nisi qui seipsum exponit? Ecce Dominus dixerat ostium, non intellexeramus: quando non intelleximus, clausum erat: qui aperuit, ipse est ostiarius. Nulla est ergo necessitas aliquid aliud quærere, nulla necessitas, sed fortè est voluntas. Si est voluntas, noli exorbitare, noli à Trinitate discedere. Si personã aliam quæris ostiarij, spiritussanctus occurrat. Non enim dedignabitur ostiarius esse spiritussanctus, quando ipsum ostiũ esse dignatus est filius. Vide ostiariũ, fortè spiritumsanctum: ipse Dominus discipulis suis de spiritusancto dicit: Ipse vos docebit omnẽ veritatẽ. Ostiũ quid est? Christus. Quid est Christus? Veritas. Quis aperit ostium, nisi qui docet omnem veritatem? Sed quid est, Ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet? Ingredi quippe in Ecclesiam per ostium Christum, valdè bonum est. Exire autem de Ecclesia, sicut ait iste ipse Ioannes Euangelista in epistola sua: Ex nobis exierunt, sed nõ erant ex nobis: non est vtiq; bonum. Talis ergo egressus non posset à bono pastore laudari, vt diceret: Et ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Est ergo aliquis, non solùm ingressus, verùm etiam egressus bonus per ostiũ bonũ, quod est Christus. Sed quis est iste laudabilis & beatus egressus? Possem quidẽ dicere ingredi nos, quando interiùs aliquid cogitamus: egredi autem, quando exteriùs aliquid operamur: & quoniã, sicut dicit Apostolus: Per fidem habitat Christus in cordibus nostris, ingredi per Christum, esse secundùm ipsam fidem cogitare: egredi aũt per Christum, secundùm ipsam fidem etiam foris, id est, corã hominibus operari. Vnde & in Psalmo legitur: Exiet homo ad opus suum. Et ipse

Ephes. 1.

Matth. 10

Psalm. 117

Ioan. 16.

Luc. 10.

Rom. 6.

1. Ioan. 2.

Psalm. 103

Hæc inserta sunt ex Tract. 46 in Ioannẽ.

Hæc uero ex his sunt ex Tract. 45

Universidad de Deusto
Biblioteca

Matth. 5. Dominus dicit: Luceant opera vestra coram hominibus. Sed plùs me delectat, quod ipsa veritas tanquàm pastor bonus, & ideò doctor bonus, quodammodò nos admonuit, quemadmodũ intelligere debeamus quod ait, Ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet, cũ secutus adiunxit: *Fur non uenit nisi ut furetur, & macet, & perdat: ego ueni ut uitam habeant, & abundantiùs habeant.* Videtur enim mihi dixisse, Vt vitam habeant ingredientes, & abundantiùs habeant egredientes. Non autem potest quisq; per ostiũ, id est, per Christum egredi ad vitam æternam, quæ erit in specie, nisi per ipsum ostium, hoc est, per eundem Christum, in Ecclesiam eius, quod est ouile eius, intrauerit ad vitam temporalem, quæ est in fide. Ideò ait: Ego veni vt vitã habeãt, hoc est, fidem quæ per dilectionẽ operatur, per quam fidem in ouile ingrediũtur vt viuant, quia iustus ex fide viuit. Et abundantiùs habeant, qui perseuerando vsq; in finem, per illud ostium, id est, per fidem Christi egrediuntur, quoniam veri fideles moriuntur. Et abundantiùs habeant vitam, veniendo quò pastor ille præcessit, vbi nunquàm deinde moriantur. Quanuis ergo & hic in ipso ouili non desint pascua, quòniam ad vtrunque possumus intelligere quod dictum est, Et pascua inueniet, id est, & ad ingressum & ad egressum: tamen tunc verè pascua inuenient, vbi saturentur qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quia pascua inuenit, cui dictum est: Hodiè mecum eris in paradiso.

Gal. 5.

Abac. 2.

Luc. 23.

FERIA QVARTA PENTECOSTES, Ioan. VI.

In illo tempore: Dixit Iesus turbis Iudæorum: Nemo potest uenire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. Et reliqua Homilia beati Augustini Episcopi.

Ex Tract. 26. in Ioã.

VM Dominus noster Iesus Christus, sicut in Euangelio cùm legeretur audiuimus, panẽ se esse dixisset, qui de cælo descendit, murmurauerunt Iudæi, & dixerunt: Nónne hic est IESVS filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem & matrem? Quomodò ergo dicit hic, quia de cælo descendi? Isti à pane de cælo longè erant, nec eũ esurire nouerant: fauces cordis languidas habebant, auribus apertis surdi erant: videbant, & cæci stabant. Panis quippe ille interioris hominis quærit esuriem. Vnde alio loco dicit: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Iustitiam verò nobis esse Christum, Paulus Apostolus dicit. Ac per hoc qui esurit hunc panem, esurit iustitiam, sed iustitiã quæ de cælo descendit, iustitiã quam dedit Deus, non quam sibi facit homo. Si enim nullam sibi faceret homo iustitiam, non diceret idem Apostolus de Iudæis: Ignorantes enim Dei iustitiam, & suam volentes cõstituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Inde erant isti, qui panem de cælo descendentẽ non intelligebant, quia sua iustitia saturati, iustitiam Dei non esuriebant. Quid est hoc, iustitia Dei, & iustitia hominis? Iustitia Dei hic dicitur, non qua iustus est Deus, sed qua dat homini Deus, vt iustus sit homo. Per quem? Per Deũ. Quæ autem erat illorum iustitia? Qua de suis viribus præsumebant, & quasi impletores legis sese ipsos ex sua virtute dicebant. Nemo autem implet legem, nisi quem adiuuerit gratia, id est, panis qui de cælo descẽdit. Legis enim plenitudo, cõpendio, vt ait Apostolus, charitas est: charitas non nummi, sed Dei: charitas non terræ, non cæli, sed eius qui fecit cælum & terram. Vnde ista charitas homini? Ipsum audiamus: Charitas, inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Daturus ergo Dominus spiritum sanctum, dixit se panem qui de cælo descendit, hortans vt credamus in eum. Credere enim in eum, hoc est manducare panem viuum. Qui credit in eum, manducat: inuisibiliter saginatur, quia inuisibiliter renascitur. Infans intus est, nouus intus est. Ibi nouellatur, ibi satiatur. Quid ergo talibus murmurantibus respondit Iesus: Nolite murmurare inuicem. Tanquàm dicens: Scio quare non esuriatis, & istum panem non intelligatis, neque quæratis. Nolite murmurare inuicem. *Nemo potest uenire ad me, nisi pater qui misit me, attraxerit eum.* Gratiæ hæc magna commendatio. Nemo venit nisi tractus. Quem trahat, & quem non trahat: quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle iudicare, si non vis errare. Semel accipe, & intellige. Nondum traheris? ora vt traharis. Quid hic dicimus fratres? Si trahimur ad Christum, ergo inuiti credimus, ergo violentia adhibetur, non voluntas excitatur. Intrare quisquam ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere sacramentum potest nolens, credere non potest nisi volens. Si corpore crederetur, fieret in nolentibus: sed non corpore creditur. Apostolum audi. Corde creditur ad iustitiam. Et quid sequitur? Ore autem confessio fit ad salutem. De radice cordis surgit ista confessio. Aliquando audis confitentem, & nescis credentem: sed nec debes vocare confitentem, quem iudicas non credentem. Hoc est enim confiteri, dicere quod habes in corde. Si autem aliud in corde habes, aliud dicis, loqueris, non confiteris. Cùm erbo in Christum corde credatur, quod nemo vtigo in Christum corde credatur, quod nemo vtique facit inuitus: qui autem trahitur, tanquàm inuitus cogi videtur: quomodò istam soluimus quæstionem, Nemo venit ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum? Si trahitur, ait aliquis, inuitus venit: si inuitus venit, non credit: si non credit, nec venit. Non enim ad Christum ambulando currimus, sed credendo. Nec motu corporis, sed voluntate cordis accedimus. Ideò illa mulier quæ fimbriam tetigit, magis tetigit quàm turba,

Ioan. 6.

Matth. 5.

1. Cor. 1.

Rom. 10.

Luc. 8. turba, quæ pressit. Ideò Dominꝰ dixit: Quis me tetigit? Et mirantes discipuli, dixerunt: Turba te comprimit, & dicis, Quis me tetigit? Et ille repetiuit: Tetigit me aliquis. Illa tangit, turba premit. Quid est tetigit, nisi credidit? Vnde & mulieri illi post resurrectionem dixit, volenti se mittere ad pedes eius, Noli me tangere: nondũ enim ascendi ad patrem meum. Quod vides, hoc solùm me esse putas. Noli me tangere, quid est? Hoc solùm me esse putas, quod tibi appareo. Noli sic credere, hoc est, noli me tangere: nondum enim ascendi ad patrem meum. Tibi non ascendi: nam inde nunquàm recessi. In terra non tangebat stantem, quomodò tangeret ad patrem ascendentem? Sic tamen, sic se tangi voluit: sic tangitur ab eis, à quibus benè tangitur, ascendens ad patrem, manens cum patre, æqualis patri. Inde & hic si aduertis, Nemo venit ad me, nisi quẽ pater attraxerit. Nolite cogitare inuitum trahi. Trahitur animus & amore. Nec timere debemus, ne ab hominibus qui verba perpendunt, & à rebus, maximè diuinis, intelligendis longè remoti sunt, in hoc scripturarum sanctarum euangelico verbo forsitan reprehendamur, & dicatur nobis: Quomodò voluntate credo, si trahor? Ego dico, Parùm est voluntate, etiam voluptate traheris. Quid est voluptate trahi? Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Est quædam voluptas cordis, cui panis dulcis est ille cælestis. Porrò si poëtæ licuit dicere: Trahit sua quenque voluptas: non necessitas, sed voluptas: non obligatio, sed delectatio: quanto fortiùs nos dicere debemus trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iustitia, delectatur sempiterna vita, quod totum est Christus? An verò habent corporis sensus voluptates suas, & animus deficitur à voluptatibus suis? Si animus non habet voluptates suas, vnde dicitur,

Ioan. 20.

Pſal. 36.

Voluptates spiritus animi.

Pſalm. 35. Filij autem hominum in tegmine alarũ tuarum sperabunt, inebriabuntur ab hubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniã apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen? Da amantem, & sentit quod dico. Da desiderantem, da esurientem, da in ista solitudine peregrinantem atq; sitientem, & fonti æternæ patriæ suspirantem: da talem, & scit quid dicam. Si autem frigido loquor, quid loquor? Tales erant isti, qui inuicem murmurabant. Pater, inquit, quẽ traxerit, venit ad me. Quid est autem, Pater quem traxerit? Ipse Christus trahat. Quare voluit dicere, Pater quem traxerit? Si trahendi sumus, ab illo trahamur, cui dicit quædã, quæ diligit: Trahe me post te: post odorem vnguentorum tuorũ curremus. Sed quid intelligi voluit aduertamus, & quantum possumus capiamus. Trahit pater ad filium eos, qui propterea credunt in filiũ, quia eum cogitant patrẽ habere Deum. Deus enim pater æqualem sibi genuit filium. Et qui cogitat, atq; in fide sua sentit & ruminat, æqualem esse patri eum in quẽ credidit, ipsum trahit pater ad filiũ. Arrius credidit creaturam: non eum traxit pater, quia non considerat patrẽ, qui filiũ non credit æqualẽ. Quid dicis ô Arri? Quid hereticè loqueris? Quid est Christus? Non, inquit, Deus verus, sed, quẽ fecit Deus verus. Non te traxit pater: non enim intellexisti patrem, cuius filium negas. Aliud cogitas. Non est ipse filius: nec à patre traheris, nec ad filium traheris. Aliud est enim filius, aliud quod tu dicis. Photinus dixit: Homo solus est Christus, nõ est & Deus. Qui sic credit, non pater eum traxit. Quem pater traxit, Tu es, inquit, Christus filius Dei viui. Non sicut propheta, non sicut Ioãnes, non sicut aliquis magnus iustus, sed sicut vnicus, sicut æqualis: Tu es Christus filius Dei viui. Vide quia tractus est, & à patre tractus est. Et Dominus quid? Beatus es Simon Bariona, quia nõ tibi reuelauit caro & sanguis, sed pater meus, qui in cælis est. Ista reuelatio, ipsa est attractio. Ramum viridem ostendis oui, & trahis illam. Nuces puero demonstrantur, & trahitur: & quia quòd currit trahitur, amando trahitur, fine læsione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur. Si ergo ista, quæ inter delicias voluptatesq; terrenas reuelantur amantibus, trahunt, quoniam verum est, Trahit sua quenque voluptas, non trahit reuelatus Christus à patre? Quid enim fortiùs desiderat anima, quàm veritatem, quò auidas fauces habere debet? Vnde optare debet, vt sanum sit intùs palatum vera iudicandi, nisi vt manducet & bibat sapientiam, iustitiam, veritatem, & æternitatem? Vbi autem hoc, ibi melius, verius ibi, plenius ibi. nam hic facilius possumus esurire, & hoc, si bonam spem habemus, quàm satiari. Beati enim, inquit, qui esuriunt & sitiunt iustitiam hic: quoniam saturabuntur, sed ibi. Ideò cùm dixisset, Nemo venit ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum, ilicò subiecit: Et ego *resuscitabo eum in nouissimo die.* Reddo illi quod amat, reddo quod sperat. Videbit, quod adhuc non vidẽdo credidit: manducabit quòd esurit, saturabitur eo quod sitit. Vbi? In resurrectione mortuorum: quia ego resuscitabo eum in nouissimo die. *Scriptum est enim in prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei.* Quare hoc dixi ô Iudæi? Pater vos non docuit, quomodò me potestis agnoscere? Omnes regni illius docibiles Dei erunt. Non ab hominibus audient, & si ab hominibus audiunt, tamen quod intelligunt, intùs datur, intùs coruscat, intùs reuelatur. Quid faciunt homines forinsecùs annuntiantes? Quid facio ego modò, cùm loquor? Strepitum verborum ingero auribus vestris. Nisi ergo reueler ille qui intùs est, quid dico, vel quid loquor? Exterior cultor arboris, interior est creator: qui plãtat & rigat, extrinsecùs operatur. Hoc facimus nos. Sed neque qui plantat, est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incremẽtum dat Deus. Hoc est: Erunt omnes docibiles Dei. Qui omnes? *Omnis qui audiuit à patre et didicit,*

Cant. 1.

Pater quos trahat ad filium.

Matth. 16

Ibidem.

1. Cor. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

didicit, uenit ad me. Videte quomodò trahit pater? Docendo, non necessitatem imponendo. Ecce quomodò trahit. Erunt omnes docibiles Dei, trahere Dei est. Omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me, trahere Dei est. Quid igitur fratres? Si omnis qui audiuit à patre & didicit, ipse venit ad Christũ, Christus nihil docuit? Quid, quòd patrem magistrum, homines non viderũt, filium viderunt? Filius dicebat, sed pater docebat. Ego homo cùm sim, quem doceo? quem fratres, nisi eum qui audit verbum meum? Si ego cũ homo sim, illum doceo qui audit verbum meũ, illum docet & pater, qui audit verbum eius. Si illum docet pater, qui audit verbum eius, quære
Ioan. 1. quid sit Christus, & inuenies verbum eius. In principio erat verbum. Non in principio fecit
Gen. 1. Deus verbum, quomodò in principio fecit cælũ & terram. Ecce quia non est creatura. Discere trahi ad filium à patre, doceat te pater, audi verbũ eius. Quod verbum eius, inquis, audio? In principio erat verbum. Non factum est, sed erat. Quomodò homines in carne constituti, audiant tale
Ioan. 1. verbum? Quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Exponit hoc & ipse, & ostendit nobis quid dixerit. Qui audiuit à patre & didicit, venit ad me. Continuò enim subiecit, quod cogitare possimus. *Non quia patrẽ uidit quisquam, nisi is qui est à Deo, hic uidit patrẽ.* Quid est quod ait: Ego vidi patrem, vos non vidistis patrem, & tamen non venitis ad me, nisi trahamini à patre. Quid est autem vos trahi à patre, nisi discere à patre? Quid est discere à patre, nisi audire à patre? Quid est audire à patre, nisi audire verbum patris, id est, me? Ne fortè ergo cũ dico vobis, Omnis qui audiuit à patre & didicit, dicatis apud vos, Sed nunquam vidimus patrem, quomodò discere potuimus à patre? à meipso audite, Non quia patrem vidit quisquam, sed qui est à Deo, hic vidit patrem. Ego noui patrem, ab illo sum: sed quomodò verbum ab illo, cuius est verbum, non quod sonat & transit, sed quod manet cum dicente, & trahit audientem. Admoneat quod sequitur: *Amen amen dico uobis, qui credit in me, habet uitam æternam.* Reuelare se voluit quid esset. Nã compendiò dicere potuit: Qui credit in me, habet me. Ipse enim Christus verus est Deus, & vita æterna. Qui ergo credit in me, inquit, it in me: & qui ir in me, habet me. Quid est autem habere me? Habere vitam æternam. Vita æterna mortem assumpsit, vita æterna mori voluit, sed de tuo, non de suo. Accepit à te, vbi moreretur pro te. Ab hominibus enim carnem assumpsit, sed non more hominum. Nam patrem habens in cælo, matrem elegit in terra. Et illic natus sine matre, & hic sine patre. Assumpsit ergo vita mortem, vt vita occideret mortem. Nam qui in me credit, inquit, habet vitam æternam: non quod patet, sed quod latet. Vita enim æterna, verbum erat in principio apud Deum, & Deus erat verbum, & vita erat lux hominum. Ipse vita æterna, dedit & carni susceptæ vitam æternam. Mori venit, sed die tertio resurrexit. Inter verbum susciens & carnem resurgentem, mors media consumpta est. Ego, *inquit, sum panis uitæ.* Et vnde illi superbiebant? *Patres, inquit, uestri manducauerunt in deserto manna, & mortui sunt.* Quid est vnde superbitis? Manducauerunt manna, & mortui sunt. Quare manducauerunt, & mortui sunt? Quia quod videbant, credebant: quod non videbant, non intelligebant. Ideò patres vestri, quia similes estis illorum, & infidelium filiorum infideles patres. Nam quantum pertinet fratres mei ad mortem istam visibilem & corporalem, nũquid nos non morimur, qui manducamus panem de cælo descendentem? Sic sunt mortui & illi, quẽ admodùm nos sumus morituri, quantum attinet (vt dixi) ad mortem huius corporis visibilem atque carnalem. Quantum autem pertinet ad illam mortem de qua terret Dominus, quia mortui sunt patres istorum, manducauit manna & Moyses, manducauit manna & Aaron, manducauit manna & Phinees, manducauerunt ibi multi, qui Domino placuerunt, & mortui non sunt. Quare? Quia visibilem cibum spiritaliter intellexerunt, spiritaliter esurierunt, spiritaliter gustauerunt, vt spiritaliter satiarẽtur. Nã & nos hodiè accipimus visibilẽ cibũ: sed aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti. Quàm multi de altari accipiunt & moriũtur, & accipiendo moriũtur? Vnde dicit Apostolus: Iudicium sibi mãducat
1. Cor. 11. & bibit. Nõ enim buccella Dominica venenum fuit Iudæ, & tamẽ accepit. Et cùm accepit, statim in eum inimicus intrauit: non quia malum accepit, sed quia bonum malè malus accepit. Videte ergo fratres: panem cælestem spiritaliter mandu cate, innocentiam ad altare portate. Peccata & si sint quotidiana, vel non sint mortifera. Antequàm ad altare accedatis, attẽdite quid dicatis: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimitti Mat. 6.
mus debitoribus nostris. Dimittis, dimittitur tibi. Securus accede: panis est, non venenũ. sed vide, si dimittis. Nam si non dimittis, mentiris: & ei mentiris, quem non fallis. Mentiri Deo potes, fallere Deum non potes. Nouit ille quid agatur. Intùs te videt, intùs te examinat, intùs inspicit, intùs iudicat, intùs aut damnat, aut coronat. Patres autem istorum, id est, mali patres malorum, infideles patres infidelium, murmuratores Murmur
patres murmuratorum. Nam de nulla re magis tione uel
Deum offendisse ille populus dictus est, quàm maxime
contra Deum murmurando: ideò & Dominus offende
eos volens ostendere talium filios, hinc ad eos runt ipsi
cœpit: Quid murmuratis inuicem, murmura- litæ Dei
tores filij murmuratorum? Patres vestri manducauerunt manna, & mortui sunt. Non quia malum erat manna, sed quia malè manducauerunt. *Hic est panis, qui de cælo descendit.* Hunc panem significauit manna, hunc panẽ significat altare Dei. Sacramenta illa fuerunt. In signis diuersa sunt: in
1. Cor. 10 re quæ significatur, paria sunt. Apostolum audi:

Vita occidit mortẽ.

di: Nolo enim vos, inquit, ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt, in nube & in mari, & omnes eandẽ escam spiritalem manducauerunt. Spiritalem vtique eandem, nam corporalem alteram: quia illi manna, nos aliud: spiritalem verò quam nos. Sed patres nostri, non patres illorum, quibus nos similes sumus, non quibus illi similes fuerunt. Et adiungit: Et omnes eundem potum spiritalem biberunt. Aliud illi, aliud nos: sed specie visibili, quod tamen hoc idem significaret virtute spiritali. Quomodò enim eundem potum spiritalem bibebant? Bibebant autem, inquit, de spiritali sequenti petra: petra autem erat Christus. Inde panis, inde potus. Petra Christus in signo: verus Christus in verbo & in carne. Et quomo-
Num. 10. dò biberunt? Percussa est petra de virga bis. Gemina percussio, duo crucis ligna significat. *Hic est ergo panis de cælo descendens, ut si quis ex ipso mãducauerit, non moriatur:* Sed quod pertinet ad virtutem sacramenti, non quod pertinet ad visibile sacramentum. Qui manducat intùs, non foris: qui manducat corde, non qui premit dente. Ego *sum panis uiuus, qui de cælo descendi.* Ideò viuus, quia de cælo descendi. De cælo descendit & manna: sed manna vmbra erat, iste veritas est. *Si quis manducauerit ex hoc pane, uiuet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi uita.* Hoc quando ca-
Caro Chri ro caro, quòd dixit panem carnem? Vocatur
sti in Eu- caro, quod non capit caro: & ideò magis non ca
charistia. pit caro, quia vocatur caro. Hoc enim exhorruerunt, hoc ad se multum esse dixerunt, hoc non posse fieri putauerunt. Caro mea est, inquit, pro mundi vita. Norũt fideles corpus CHRISTI, si corpus CHRISTI esse non negligant. Fiant corpus Christi, si volunt viuere de spiritu Christi. De spiritu Christi non viuet, nisi sit corpus christi. Intelligite fratres mei, quid dixerim: Homo es, & spiritum habes, & corpus habes. Spiritũ dico, quæ anima vocatur, qua constat quòd homo es. Constas enim ex anima & corpore. Habes itaque spiritum inuisibilem, corpus visibile. Dic mihi quid ex quo viuat. Spiritus tuus viuit ex corpore tuo, an corpus tuum ex spiritu tuo? Respondet omnis qui viuit: qui autem hoc non potest respondere, nescio si viuit. Quid respondet omnis qui viuit? Corpus vtique meum viuit de spiritu meo. Vis ergo & tu viuere de spiritu CHRISTI? In corpore esto CHRISTI. Nunquid enim corpus meum viuit de spiritu tuo. Meum viuit de spiritu meo, &
1. Cor. 10. tuum de tuo. Non potest viuere corpus Christi, nisi de spiritu Christi. Inde est, quòd exponens nobis Apostolus Paulus hunc panem: Vnus, inquit, panis, vnum corpus multi sumus. O sacramentum pietatis, ô signum vnitatis, ô vinculum charitatis. Qui vult viuere, habet vbi viuat, habet vnde viuat. Accedat, credat, viuat in Deo, Deo incorporetur, vt viuificetur. Non abhorreat à compage membrorum: non sit putre membrum, quod resecari mereatur: non sit distortum, de quo erubescatur. Sit pulchrum, sit aptum, sit sanum. Hæreat corpori, viuat Deo de Deo. Nunc laboret in terra, vt postea regnet in cælo.

FERIA QVINTA PENTECOSTES, Lucæ IX.

In illo tempore: Conuocatis Iesus duodecim Apostolis, dedit illis uirtutem & potestatem super omnia dæmonia, & ut languores curarent. Et reliqua. Homilia ex Ambrosio, Hieronymo, & alijs patribus contexta.

PRæcedentibus sancti huius Euangelij locis narrat beatus Lucas, quia in illis diebus exijt Iesus in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Et cùm dies, inquit, factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis. Forma tibi præscribitur, ô homo, quam debeas æmulari. Quid enim te pro salute tua facere oportet, quando pro te Christus in oratione pernoctat? Quid te facere conuenit, cùm vis aliquod officium pietatis adoriri, quando Christus missurus Apostolos, priùs orare curauit? Nõ autem omnis qui orat, ascendit in montem. Est enim oratio, quæ peccatum facit. Sed qui benè orat, qui Deum orando quærit, hic à terrenis ad superiora progrediens, verticem * curiæ sublimioris ascendit. Qui verò de diuitijs, aut de honore seculi, aut certè de inimici morte solicitus obsecrat, ipse in infimis iacens, viles ad Deũ preces mittit. Orat autem Dominus, non vt pro se obsecret, sed vt pro me impetret. Nam & si omnia posuerit pater in potestate filij, filius tamen vt formam hominis impleret, obsecrandum patrem putat pro nobis esse, quia aduocatus nosLluc. 6. ad orandũ inuitat. * curæ.
ter est. Aduocatum enim, inquit, habemus apud 1. Ioan. 2.
patrem, Iesum Christum. Si aduocatus est, debet pro meis interuenire peccatis. Non ergo quasi infirmus, sed quasi pius obsecrat. Vis scire quia omnia quæ vellet posset? Et aduocatus & iudex est. In altero pietatis officium, in altero insigne est potestatis. Vis quoq; scire, quia mihi, non sibi orauerit? Et cùm dies, inquit, fa-Luc. 6.
ctus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis. Vbi notandum, quòd euangelica & apostolica scriptura non solùm illos duodecim appellat discipulos Christi, sed & omnes Discipuli
in eum credentes, qui eius magisterio ad regnũ Christi
cælorum erudiebantur. Discipuli quippe à dis- qui sint.
cendo sunt vocati, de quorum multitudine quos ipse voluit elegit, quos & apostolos nominauit. Apostoli Græcè, Latinè missi dicuntur. Cuius sacramentum nominis exponens euangelista Mar
cus, ait: Et fecit vt essent duodecim cum illo, & vt Mar. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mitteret eos prædicare Euangelium. Et ipse Do-
Ioan. 20. minus dicit : Sicut misit me pater,& ego mitto vos. Qui benè duodecim sunt electi,vt videlicet mundi salutem quam verbo prædicarent , suo quoque numero mysticè commendarent. Ter enim quaterni,decas dipondius. Hinc est illud,
1. Par. 4. quia cùm in typo Ecclesiæ Salomon Domino templum conderet,fecit & mare æneum, in quo sacerdotes lauarentur : duodecimq; hoc boum clunibus imposuit,quorum tres aquilonem,tres occidentem,tres meridiem,& tres aspicerent orientem:figuraliter insinuans,quoniam apostoli apostolorúq; successores, cúctas orbis quadrati plagas fide & confessione sanctæ Trinitatis essent à peccatorum labe purgaturi. Qui benè etiam in móte eligúntur. Mons ille, in quo apostolos elegit Dominus,altitudinem designat iustitiæ,qua instituendi erant, & quam prædicaturi hominibus. Nam quia missurus erat eos ad prædicandum euãgelium regni cælestis, meritò per sublimitatem loci in quo electi sunt, admonere eos voluit,non in infimis desiderijs animũ dissoluere,sed ad superna desideranda & quærenda semper erigere debere. Sic etiam legem daturus priori populo suo,in monte apparuit, de mõte quæ agenda essent innotuit. Verùm quia nec-
Matth. 3. dum erat tempus vt diceretur: Pœnitentiam agite,appropinquabit enim regnum cælorum , sed
Exod.20. tantùm dicebatur: Honora patrem tuum & matrem,vt sis longæuus super terram,quam Dominus Deus tuus dabit tibi : quanuis hæc eadem verba typicè regnum nobis æternum, quod est in terra viuentium,promittant,nequaquam po-
Exod. 19. pulus loquẽti in monte Domino appropinquare valuit, sed de inferioribus quę dicerentur audiuit, quia necdum mente capaci ad intelligenda mystica quæ dicebantur,ascendere nouerat:solusq; Moyses,quia legem spiritaliter audire didicerat,montis in quo erat Dominus, verticem conscendit. Benè autem dicitur,quia ascendens in montem Dominus , vocauit ad se quos voluit ipse. Non enim illorum electionis ac studij,sed diuinæ erat dignationis & gratiæ,vt in a-
Ioan. 15. postolatum vocarentur. Vnde & alibi dicit: Non vos me elegistis,sed ego elegi vos. Modò autem fratres,cùm euangelium legeretur, audiuimus, quia *conuocatis Iesus duodecim Apostolis,dedit illis potestatem & uirtutem super omnia dæmonia, & ut languores curarent.* Benignus & clemens Dominus ac magister non inuidet seruis atque discipulis virtutes suas exercere. Et sicut ipse curauerat omnem languorem & omnem infirmitatem, Apostolis quoque suis tribuit potestatem, vt curarent omnem languorem,omnemque infirmitatem. Sed multa distantia est inter habere & tribuere,donare & accipere. Iste quodcunque agit,potestate Domini agit. Illi si quid faciunt, imbecillitatem suam, & virtutem Domini con-
Act.9. fitentur,dicentes: In nomine Iesu surge & ambula. Notandum autem, quòd in duodecimo lo-

co secundùm Matthæum,prima potestas signorum Apostolis conceditur. Nec hoc mysterio caret,quòd duodenario numero chorus Apostolicus concluditur , vt scilicet mundi salus, quæ verbo ab eis prædicaretur , suo etiam numero commendaretur. Ter etenim quaterni, duodecim faciunt. Et ter quaterni ad prædicandũ sunt missi apostoli , vt per vniuersas quadrati orbis plagas baptizarent gentes in nomine patris & filij & spiritus sancti. Vnde & de ciuitate sancta Apoc. 21.
Hierusalem,descendente de cælo à Deo , scriptum est, quia erant ei ab oriente portæ tres,& ab aquilone portæ tres , & ab austro portæ tres, & ab occasu portæ tres. Vbi figuraliter ostendebatur,quia prædicãtibus apostolis,apostolorũq; successoribus,cunctæ per orbem nationes in fide sanctæ Trinitatis Ecclesiam essent ingressurę. In quo etiam sacramẽto ita quondam filij Israël circa tabernaculum castra metabantur,vt ex omni parte per quadrũ ternæ tribus manerẽt. Quia primitiua nimirùm Ecclesia , quæ erat in Iudæa, vndiq; per circuitum sui credentibus toto orbe nationibus , spiritualia Deo castra erat in fide & confessione sanctæ Trinitatis fixura. *Dedit, inquit,illis uirtutem & potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent.* Postquàm Dominus nefandos spiritus se prædicare prohibuit , elegit sanctos,qui & immundos spiritus eijcerent, & ipsi euangelium munda mente ac lingua prædicarent:quibus etiam cæteras infirmitates curandi, necnon & mortuos suscitandi (vt Matthæus E- Matth.10
uangelista scribit)contulit facultatem. *Et misit illos prædicare regnum Dei,& sanare infirmos.* Fortasse Cur Apenim nemo crederet hominibus illiteratis, pro- stolis cõmittentibus regna cælorum:ideò concessit illis ta facprimùm potestatem signorum , & tunc misit tæ signrum.
prædicare regnum Dei,vt promissorum magnitudini attestaretur etiam magnitudo factorum, fidemque daret verbis virtus ostensa , & noua faceret,qui noua prædicarent : atque ad hoc visibilia miracula in sanandis infirmitatibus exhiberent,vt corda audientium ad fidem inuisibilium pertraherent. Vnde nunc quoque cùm fidelium numerositas excreuit , intra sanctam Ecclesiam multi sunt , qui vitam virtutum tenent, & signa virtutum non habent: quia frustrà miraculum foris ostenditur , si deest quod in- 1. Cor. 14.
tùs operetur. Nam iuxta magistri gentium vocem, linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus. Verùm signa quæ tunc per Apostolos corporaliter fiebant, quotidiè in sancta Ec- Miracula
clesia per sanctos prædicatores spiritaliter fiunt. spiritalia
Cùm in fide quis infirmus, eorum prædicatione Ecclesiæ.
roboratur ad fidem : cùm mortuus quis in peccatis , gratia & misericordia Dei compunctus, per eorum eruditionem resuscitatur ad pœnitentiam & confessionem peccatorum suorum, dignaque emendatione vitam meretur sempiternam:cùm seductus quis à diabolo in fornicatione,aut auaritia,quę est idolorum seruitus,aut Ephes. 5.
etiam

etiam quorundam capitalium criminum deceptus errore,quæ omnia esse lepra animæ iudicãtur,per ora doctorum, vel etiã per exempla sanctitatis compuncti,redeunt ad sinum matris Ecclesiæ , confitentes se iugiter in maximis deliquisse,& gemitum peccatorum suorum incessabiliter ostendentes,culpas suas eleemosynis,cæterisq; operibus misericordiæ redimunt, donec emendationem vitiorum,quibus implicati fuerant,in pœnitentia permanentes percipiant:nõne hi quasi à lepra mundati, salutem merentur æternam? *Et ait ad illos: Nihil tulerittis in uia, neque uirgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.* Tanta ergo sacerdotibus debet in Deo esse fiducia,vt nequaquam curis terrenæ negotiationis , nec desiderijs seculi implicentur : & quanuis præsentis vitæ sumptus non prouideant, tamen hos sibi nunquàm deesse certissimè sciant, si in opere voluntatis Dei,in verboque prædicationis fideliter laborent,ne dum mens eorum occupatur ad temporalia , minùs subiectis prouideant æterna. Pauperem videlicet vitam sacerdotes debere habere demõstrat, ne viderentur causa lucri prædicare: quia qui diuitias detruncauit , propemodum & necessaria vitæ amputauit:thesaurisque prohibitis , etiam
Virga. gulam prohibet, cùm panem portare contradicit. In virgæ prohibitione nos admonet, non aliunde,nisi à Domino auxilium quærere,vt qui
Luc. 11. Domini habemus auxilium, baculi præsidia nõ quæramus. Vnde alibi dicit: Quærite ergo
Pera. primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijciẽtur vobis. Cùm peram prohibuit, honores terrenos , vel etiam humanos fauores, necnon & delectationes carnis omnimodis nos
Panis. vitare debere demonstrat. Cùm panem contradicit,monet vt non in crapula & ebrietate sit cõuersatio nostra:& qui alijs abstinentiam prædicamus, nos vitium gulæ à nobis abscindamus.
Mar.6. Porrò Marcus dicit, sandalijs eos calceatos esse præcipi,vt neque pes tectus sit,neque nudus terram tangat:id est, vt terreni commodi appetitu nequaquàm prædicatio occultetur , nec etiam
Pecunia. exempla praua à sacerdotibus subditis demonstrentur. Per pecuniam occulta sapientiæ designantur. Qui enim sapientiæ verbum habet, sed hoc erogare proximo negligit, quasi pecuniam clausam portat. Verùm quisquis officium doctoris accipit,neque oneribus secularium negociorum deprimi , neque desiderijs carnalibus resolui , neque commissum sibi talentum verbi
Duæ tunicæ. sub ocio debet lenti torporis abscondere. Cùm duas tunicas prohibet , monet nos non duplici esse animo,aliud ore loquentes , & aliud in corde gestantes : sed benevolos & benignos esse
Matth.10 ad omnes. In alio Euangelio scribitur Dominum Apostolos vetuisse possidere aurum vel argentum,neque pecuniam in zonis , non peram
Ibidem. in via,& cæt. Consequenter hoc præcipit euangelizatoribus veritatis,quibus antè dixerat: Gratis accepistis,gratis date. Si enim sic prædicant, vt precium non accipiant, superflua est auri argentique & nummorum possessio. Nam si habuissent aurum & argentum , viderentur non causa salutis hominum , sed causa lucri prædicare. Aes verò in sacculis ideò amputauit, vt Apostoli doctores veræ religionis,qui instituebãt omnia prouidentia Dei gubernari,seipsos ostenderent nihil cogitare de crastino. Non peram, inquit,in via. Et ex hoc præcepto arguit philosophos , qui vulgò appellantur Bactroperitæ, quòd contemptores seculi , & omnia pro nihilo ducentes,cellarium secum vehebant. Neque duas tunicas. In duabus tunicis videtur mihi duplex ostendere vestimentum:non quòd in locis Scythiæ & glaciali niue rigentibus vna quis tunica debeat esse contentus , sed quòd in tunica vestimentum intelligamus,ne alio vestiti, aliud nobis futurorum timore seruemus. Neque calceamenta. Et Plato præcepit duas corporis summitates non esse velandas,nec assuefieri debere mollitiei capitis & pedum. Cùm hæc enim habuerint firmitatem,cætera robustiora sunt. Neque virgam. Qui Domini habemus auxilium, baculi præsidium cur quæramus? Et quia quodammodò nudos & expeditos ad prædicandũ miserat apostolos,& dura videbatur esse conditio magistrorum,seueritatem præcepti sequenti sententia temperauit,dicens: Dignus est operarius cibo suo. Tantum(inquit)accipite, quãtum in victu & vestitu vobis necessarium est. Vnde & Apostolus replicat: Habentes victum & ve- 1. Ti. 6.
stitum,his contenti simus. Et in alio loco: Com- Gal. 6.
municet autem is qui catechizatur verbo , ei qui se catechizat,in omni bono: vt quorum discipuli metunt spiritualia , confortes eos faciant carnalium suorum,non in auaritia,sed in necessitate. Hæc historicè dixerimus. Cæterùm secundùm anagogen: Non licet magistris aurum & argentum & pecuniam,quæ in zonis est , possidere. Aurum sæpè legimus pro sensu , argentũ pro sermone,æs pro voce. Hæc nobis non licet ab alijs accipere,sed data à Domino possidere. Neq; hæreticorum & philosophorum,peruersæq; doctrinæ susceptre disciplinas , non seculi ponderem premi,neque duplici esse animo , neq; pedes nostros mortiferis vinculis alligare:sed sanctam terram ingredientes esse nudos : neque habere virgam,quæ vertatur in colubrum: neque in aliquo præsidio carnis inniti,quia istiusmodi virga & baculus arundineus est , quem si paululum
Matth. 26. presseris,frangitur,& manum transforat incumbentis. Item neque virgam,id est, potestatis extraneæ iure non indigere, habentes virgam de
Mar. 6. radice Iesse. Nam quæcunque alia fuerit, non erit Christi. Solet autem quæri,quomodò Matthæus & Lucas cõmemorauerint dixisse Dominũ discipulis,vt nec virgã ferrent,cùm dicat Mar cus: Et præcepit eis ne quid tollerent in via , nisi virgã tantùm. Quod ita soluitur,vt intelligamus

Universidad de Deusto
Biblioteca

sub alia significatione dictam virgam, quæ secundùm Marcum ferenda est, & sub alia illam, quæ secundùm Lucam & Matthæum non est ferenda: sicut sub alia significatione intelligitur
Luc. 1. tentatio, de qua dictum est, Deus neminem ten-
Deut. 13. tat: & sub alia de qua dictum est: Tentat vos Dominus Deus vester, vt sciat si diligitis eum. Illa seductionis est, hæc probationis. Vtrunque ergo accipiédum est à Domino apostolis dictum, vt nec virgam ferrent, & vt nó nisi virgã ferrent.
Matt. 10. Cùm enim secundũ Matthæũ diceret eis, Nolite possidere aurum & argentum &c. continuò sub iecit, Dignus est operarius cibo suo. Vnde satis ostendit, curhæc eos possidere ac ferre noluerit, non quòd necessaria non sint sustentationi huius vitę, sed quia sic eos mittebat, vt eis hęc deberi monstraret ab eis, quibus euangelium credentibus annunciarent. Claret autem hæc ita non præcepisse Dominum, tanquam euangelistę viuere aliunde non debeãt, quàm eis præbentibus, quibus annunciant euangelium. Alioquin
Act. 20. contra hoc præceptum fecit Apostolus, qui victum de manuum suarum laboribus transigebat, ne cuiquam grauis esset: sed potestatem dedisse, in qua scirent sibi ista deberi. Cùm enimà Domino aliquid imperatur, nisi fiat, inobedientiæ culpa est: cùm autem potestas datur, licet vnicuique non vti, & tanquam de suo iure cedere.
1. Cor. 9. Hoc ergo ordinans Dominus, quod eum ordinasse dicit Apostolus, his qui euangelium annũciant, de euangelio viuere, illa apostolis loquebatur, vt securi non possiderent neque portarẽt huius vitæ necessaria, nec magna, nec minima. Ideò posuit, Nec virgam, ostendens à fidelibus suis omnia deberi ministris suis, nulla superflua requirentibus. Ac per hoc addendo, Dignus est enim operarius cibo suo, prorsus aperuit & illustrauit, vnde hæc omnia loqueretur. Hanc ergo potestatẽ, virgæ nomine significauit, cùm dicit, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm: vt intelligatur, quia per potestatem à Domino acceptam, quæ virgæ nomine significata est, etiam quæ non portantur, non deerunt. Hoc & de duabus tunicis intelligendum est, ne quisquam eorum præter eam, qua esset indutus, aliam portandam putaret, solicitus ne opus esset, cùm ex illa potestate posset accipere. Quòd verò secundùm Marcum non portari, vel haberi duas tunicas, sed expressiùs indui prohibet, dicens: Et ne induerentur duabus tunicis, quid eos monet, nisi non dupliciter, sed simpliciter ambulare: (Sufficit enim nobis semel Christus indutus) néue per prauitatem intelligentiæ nostræ, altera deinceps vel hęreseos, vel veste legis induamur? Aliter: In prohitione duarum tunicarum, monemur omnia superflua nostra indigentibus erogare. Vnde & Apostolus nos monet, vt habentes
1. Ti. 6. victum & vestitum, his cõtenti simus. Non mũdi
Matth. 6. pompas quæramus, nõ diuitias seculi, sed thesaurizemus nobis thesauros in cęlo, vbi neq; ærugo, neq; tinea demolitur, & vbi fures non effodiũt, neque furantur. Quia vbicunque thesaurus noster est, ibi & necessariò cor nostrũ erit. Ideòindigentibꝰ dare oportet, quę nobis superfũt, quoniam manus pauperis, gazophylacium Christi est. Nos ergo fratres dispensatores Domini sumus. Quapropter videamus & recogitemus, quia cum magna à nobis districtione exigetur, quod hic nobis ad erogandum tribuitur. Vnde fideles nos esse dispensatores oportet. Nam de substantia quam habemus, nullus fidelior est dispensator, quàm nosipsi. Dum ergo licet, & dum tempus habemus, solicitè tribuamus. Memores simus, quòd quidam sapiens dixit: Munera quæ tibi dat moriens, hæc munera non sunt. Dicit ergo, non esse Deo placabilia munera nostra data post mortem, vt ea, quæ in incolumitate huius vitæ dantur. Quod ergo homo voluerit habere in patria æterna, præparet sibi quousque moratur in hac præsenti vita: quia quæ hic recondit in manu pauperis, illic inueni et in præsentia diuinæ maiestatis.
Melius est ergo, vt quisque viuens quæ habet, Deo offerat, quàm alius post mortem eius: quoniam qui semetipsum non negligit, post mortem non pœnitebit. Vnde & Dominus fideli
Matth. suo dispensatori in fine dicturus est: Euge serue bone, in modico fuisti fidelis: intra in gaudium Domini tui. Sequitur: *Et quamcunque domum intraueritis, ibi manete, & inde ne exeatis.* Dat constantiæ generale mandatum, vt hospitalis necessitudinis iura custodiant, alienum à prædicatore regni cælestis astruens cursitare per domos, & inuiolabilis hospitij iura mutare. Nec ociosè secundùm Matthæum domus, quam ingredientur apostoli, eligenda decernitur, vt mutandi hospitij necessitudinisque violandæ causa non suppetat. Sic enim scriptum est: In quam-
Matth. cunque ciuitatem aut castellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit, & ibi manete donec exeatis. Super ordinatione episcopi &
1. Tim. diaconi Apostolus loquitur: Oportet autem testimonium eos habere bonum ab his, qui foris sunt. Apostoli nouam introeuntes vrbem, scire non poterant, quis qualis esset. Ergo hospes fama eligendus est populi, & iudicio vicinorum, ne prædicationis dignitas suscipientis infamia deturpetur. Cùm vniuersis debeant prædicare, hospes vnus eligetur, non tribuens beneficiũ ei qui apud se mansurus est, sed accipiens. Hoc enim dicitur, quis in ea dignus sit, vt magis se nouerit accipere gratiam, quàm dare. *Et quicunq; non receperit uos, exeuntes de ciuitate illa, etiam puluerem pedum uestrorum excutite in testimoniũ super illos.* Puluis excutitur de pedibus in testimoniũ laboris sui, quòd ingressi sunt in ciuitatem, & prædicatio apostolica ad illos vsq; peruenerit. Siue excutitur puluis de pedibus, vt nihil ab eis accipiãt, nec ad victum quidem necessarium, qui euangeliũ spreuerint. Allegoricè aũt, qui verbo humiliter intendunt,

tendunt, si quibus vt homines, terrenæ leuitatis næuis obscurantur, per ea mox, quæ recipiunt, euangelicæ prædicationis vestigia purgantur.
Qui verò perfidia, vel negligentia, vel etiam studio contemnunt, horum vitanda communio, fugienda synagoga censetur. Excutiendus est pedum puluis, ne gestis inanibus, & pulueri comparandis, mentis castæ vestigium polluatur. Aliter: Pedes discipulorum, ipsium opus, incessumque prædicationis significant. Puluis verò quo asperguntur, terrenæ leuitas est cogitationis, à qua etiam ipsi summi doctores immunes esse nequeunt, cùm pro auditoribus soliciti, salubribus curis incessanter intendunt, & quasi per itinera mundi, vno vix calcaneo terræ puluerem legunt. Qui ergo receperint verbum, ipsi afflictiones curasque doctorum, quas pro se tolerabant, in argumentum sibi vertunt humilitatis.
Qui verò spreuerint doctrinam docentium, sibi labores & pericula, tædiumque solicitudinum ad testimonium damnationis inflectunt.
Luc. 10. Et ipse est puluis, qui in euangelij contemptores alibi extergi mandatur, & à quo per bonos
Ioan. 13. auditores, euangelistarum iubentur pedes abluti, immò per ipsum saluatorem narrantur abluti. *Egressi autem circumibant per castella, euangelizãtes & curantes ubique.* Quid euangelizarent, vel quomodò curarent apostoli, Marcus exponit
Marc. 6. pleniùs: Prædicabant, inquit, vt pœnitentiam
Iac. 5. agerent, & vngebant oleo multos infirmos, & sanabantur. Dicit & Iacobus: Infirmatur quis ex vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, vt orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & alleuiabit eum Dominus: & si in pecca-
Extrema tis sit, dimittentur ei. Vnde patet ab ipsis apunctio, A- stolis hunc sanctæ Ecclesiæ morem esse contrapostolicæ ditum, vt pontificali benedictione consecrato traditiõis. oleo perungantur ægroti. Prædicabant autem,
Luc. 9. vt pœnitentiam agerent. Et suprà: Misit illos, inquit, euangelizare regnum Dei, quia videlicet vtrunque (iuxta Ioannis Baptistæ, vel ipsius Domini saluatoris exemplum) prædicabant: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Regni cælorum ianuis appropinquare, est de his quenque, quibus ab eo discesserat, pœnitere.

FERIA SEXTA PENTECOSTES, Lucæ V.

In illo tempore: Factum est una dierum, & Iesus sedebat docens. Et erant pharisæi sedentes, & legis doctores, qui uenerant ex omni castello Galilææ & Iudææ, & Hierusalem. Et uirtus Domini erat ad sanandum eos. Et reliqua. Homilia ex Commentarijs uenerabilis Bedæ presbyteri in Marcum & Lucam maxima ex parte contexta.

SAluator omniũ Dominus salutari omnia lustrat incessu, & nũc in desertis, nunc in ciuitate, nunc ad mare doctrinæ cælestis, & virtutũ dona turbis ministrat. Nunc in mõte solus orat, nunc laborantes in mari ne perire debeant, adiuuat. Vbiq; munera salutis impertit, vt omnes gradus ac conditiones ad suam gratiam pertinere demonstret. Conueniebant, inquit euangelista, turbæ multæ vt audirẽt
Luc. 5. Iesum, & curarentur ab infirmitatibus suis: ipse autem secedebat in desertum, & orabat. Iuxta mysticum intellectum, post factũ in ciuitate miraculum, perfecta vtiq; leprosi curatione, quẽ su-
Ibidem. prà describit euangelicus sermo Domino tangente mundatum, secedit in desertum, ibiq; conuenientes ad se turbas benigna pietate suscipit, vt ostendat se magis quietam, & à seculi curis remotam diligere vitam, atque ob huius appetitũ se sanandis curam adhibere corporibus. Et quidem more humano quasi frequentiam se quærentium declinans, nolebat manifestè in ciuitatẽ introire: sed allegoricè docebat, quia tumultuosis carnalium mentibus apertam sui manifestationem veritas non exhibet, sed quoscunque Veritas quibus se reuelet. ab illecebris rerum temporalium viderit esse discretos, his suorum lucem donorum largiùs infundit. Verùm quia nec carnales superna pietas deserit, quin etiam ijs gratiam suæ visitationis, per quam & ipsi spirituales effici valeant, indulget, post desertum (vt Marcus scribit) Dominus
Marc. 2. redit in ciuitatem, multisq; eodem conuenientibus loquitur verbum, ac sanato paralytico, pluribus occasionem internæ sanationis, quæ est in fide tribuit. Aliter: Quòd in vrbe Dominus mi-
Beda in 5. racula facit, in deserto verò, vel (vt legitur) in cap. Lucæ monte orando pernoctat, vtriusque vitæ nobis, & actiuæ scilicet & contemplatiuæ, documenta præmonstrat, vt nec cõtemplationis studio quis proximorũ curam negligat, nec cura proximorum immoderatiùs obligatus, contemplationis studia derelinquat: quatenùs nec amorem Dei præpediat amor proximi, nec amorem proximi, quia transcendit, abijciat amor Dei. In monte quippe orare, est relictis infimarum cogitationum curis, tota mente quemlibet ad æterna supernæ contemplationis gaudia festinare. In desertum secedere, & orare, est exurgẽtem intrinsecùs strepitum terrenorum desideriorum premere, & quoddam sibi cum Domino intra se secretum uærere, vbi cum illo, cessante exteriore tumultu, per interna desideria silenter loquatur. Quòd verò legitur secundùm Marcum, quia
Marc. 2. docente Domino in domo, tam multi conue- Hæc rura nerunt, vt non caperent, neque ad ianuam, nosis ex Bestram propriè saluationem, qui de gentibus ad da in 2. ca. fidem venimus, designat: quia prædicante in lus Marci. dæa Domino, nec eum intrare ad audiendum valuimus: ad quos tamen etsi foris positos, verba suæ doctrinæ fecit peruenire: quia nos ipse per sancto-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sanctorum ora prædicatorum collegit,& quanuis extra synagogam, in qua ipse prædicabat, inuentos, euangelij sui fecit esse participes.

Consideratis quæ ab euangelista compendiò sunt præmissa, quod sequitur de euangelio, & hodiè lectum est, consequenter & nos videamus, & quod Dominus donauerit, hinc dicamus: *Et factum est in una dierum, & Iesus sedebat docens. Et erant pharisæi sedentes & legisdoctores, qui uenerant ex omni castello Galilææ, & Iudææ, & Hierusalem. Et uirtus Domini erat ad sanandum eos.* Vbi Beda in 5. cap. Lucæ Dominus sedens docuerit, quando scribis & pharisæis consedentibus paralyticum curauit, Matth. 9. Lucas breuiandi causa præterit: sed Matthæus Marc. 2. & Marcus qui narrant, quæstionem facere videntur, quoniamquidem Matthæus in ciuitate sua, Marcus in Capharnaum hoc eum fecisse testantur. Quæ difficiliùs solueretur,si Matthæus etiam Nazareth nominaret. Nunc verò vel ipsa Galilæa, in qua erat Nazareth, intelligenda est dicta ciuitas Christi, ad distinctionem videlicet regionis transmarinæ Gerazenorum, de qua transfretando, sicut Matthæus scribit,venerat Galilæam:vel certè ipsa Capharnaum ciuitas Christi est dicta, quam non nascendo, sed virtutibus illustrando, suam ipse fecerat. *Et ecce uiri portantes in lectulo hominem, qui erat paralyticus, & quærebant eum inferre & ponere ante Iesum.* Obtulerunt autem eum paralyticum iacentem in lectulo, quia ipse ingredi non valebat. Curatio paralytici huius, animæ post diuturnam illecebræ carnalis inertiam, ad Christum suspirantis indicat saluationem: quæ primò omnium ministris, qui eam subleuent, & Christo offerant, id est, bonis doctoribus, qui spem sanationis opemque intercessionis suggerant, indiget. Qui benè Marco narrante, quatuor fuisse reperiuntur, siue quia quatuor euangelij libris omnis prædicantium virtus, omnisque sermo firmatur: seu quia quatuor sunt virtutes, quibus ad promerendam sospitatem fiducia mentis erigitur. De quibus in æternæ Sapientiæ laude dicitur: Sobrietatem enim, & sapientiam docet, & iustitiam, & virtutem, quibus vtilius nihil est in vita hominibus:quas nonnulli versis nominibus prudentiam, fortitudinem, temperantiam & iustitiam appellant. *Et non inuenientes qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum per tegulas.* Desiderant paralyticum Christo offerre, sed turba interposita, ab omni parte recluduntur: quia sæpè anima post infirmi corporis desidiam ad Deum resipiscens,supernæque gratiæ remedio cupiens renouari, priscæ consuetudinis obstaculo retardatur. Sæpè inter ipsas orationis secretæ dulcedines, & quasi suaue cum Domino colloquium, turba cogitationum interueniens, aciem mentis, ne Christus videatur, intercludit. Et quid inter hæc agendum? Non vtique in infimis exteriùs, qua turbæ tumultuantur, remanendum, sed tectum domus in qua Christus docet, ascendendum, id est, sacræ scripturæ sublimitas est appetenda, lexque Domini cum psalmista dicq noctuque meditanda. In quo enim corrigit iuuenior viam suam? In custodiendo, inquit, sermones tuos. *Et submiserunt illum cũ lecto in medio ante Iesum.* Patefacto tecto, æger ante Iesum submittitur, quia reseratis scripturarum mysterijs, ad notitiam Christi peruenitur,hoc est, ad eius humilitatem fidei pietate descenditur. Et benè domus Iesu tegulis contecta describitur: quia sub contemptibili literarum velamine, si adsit qui referet, diuina spiritalis gratiæ virtus inuenietur. Denudatio etenim tegularum in domo Iesu,apertio est in vilitate literæ sensus spiritualis, & arcanorum cælestium. Quòd autem cum lecto deponitur, significat, ab homine in ista carne adhuc constituto Christum debere cognosci. Iuxta mysticum verò sensum,iam in paralytico gentium vniuersitas offertur medenda.Et curationis ipsius Domini verba sunt contuenda. Non dicitur paralytico, Saluus esto: non dicitur, Surge & ambula: sed (vt Matthæus scribit) tantùm dicitur, Constans esto fili,remissa tibi peccata. In Adam vno peccata vniuersis gentibus remittuntur. Hic itaque angelis ministrantibus curandus offertur, hic filius nuncupatur, quia primum Dei opus est. Huic remittuntur animæ peccata, & indulgentia primæ transgressionis ex venia est. Hoc est enim, quod subsequitur: *Quorum fidem ut uidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua.* Hominem Dominus à paralysi curaturus, primò peccatorum vincula dissoluit, vt ostenderet eum ob nexus culparum, artuum dissolutione damnari, nec nisi his relaxatis, membrorum posse recuperatione sanari. Sic & illi paralytico,qui iuxta probaticam piscinam diù aquæ motum frustrà præstolabatur, sanato à Domino dicitur: Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Et bene is, cui peccata dimittebantur, homo vocatur: qui hoc ipso, quòd homo erat,non posset dicere, nõ peccaui. Simul etiam, vt ille qui homini errata dimittebat, intelligeretur Deus. In Matthæo & Marco ei dicitur: Confide fili,remittuntur tibi peccata tua. O mira humilitas: despectum & debilem, totisque membrorum compagibus dissolutum filium vocat, quem sacerdotes non dignabantur attingere. Aut certè ideò filium vocat, quia dimittuntur ei peccata sua. Iuxta tropologiam, interdum anima iacens in corpore suo, totis membrorum virtutibus dissolutis, à perfecto doctore offertur curanda Domino: quæ si misericordia eius sanata fuerit, tantũ roboris accipit, vt portet statim lectulum suum. Intuendum sanè, quanti propria cuiusque fides apud Deum valeat, vbi tanti valuit aliena, vt totus homo repentè, id est, exteriùs interiusque iam saluatus exurgeret,aliorumque merito

IIII. Virtutes Cardinales.

Psal. 118. Ibidem. Matth. Marc. Hieron. 9. cap. Matthæi. Beda in 2. cap. Marci.

alijs laxarentur errata. *Et cœperunt cogitare scribæ & pharisæi,dicentes: Quis est hic, qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Legimus in prophetis,dicẽte Domino, Ego sum qui deleo iniquitates tuas. Consequenter ergo scribæ,quia ipsum hominem putabant,& verba Dei intelligebant,arguunt eum blasphemiæ. Verum vtique dicunt scribæ,quia nemo dimittere peccata, nisi solus Deus potest: qui per eos quoque dimittit,quibus dimittendi tribuit potestatem: & ideò Christus verè Deus esse probatur, quia dimittere peccata quasi Deus potest. Verum Deo testimonium reddunt, sed personam Christi negando falluntur. Errant itaque Iudæi, qui cùm Christum & Deum esse, & peccata dimittere posse credunt, Iesum tamen Christum esse non credunt. Sed multo dementiùs errant Arriani,qui cùm Iesum & Christum esse,& peccata posse dimittere euangelij verbis deuicti negare non audeant, nihilominùs tamen Deum negare non timent. At ipse perfidos saluare desiderans, & occultorum cognitione, & virtute operum, Deum se esse manifestat. *Respondens autem, dixit ad illos: Quid cogitatis mala in cordibus uestris?* Eidem nanque Deo, qui dicit, Ego sum, ego sum ipse,qui deleo iniquitates tuas,sapientissimus orator ait: Tu enim solus nosti corda omnium filiorum hominum. Eadem ergo, inquit,maiestate & potentia, qua cogitationes vestras intueor, possum & hominibus delicta dimittere. Ex vobis intelligite, quid paralyticus consequatur. *Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata, an dicere, Surge & ambula?* Inter dicere & facere, multa distantia est. Vtrum sint paralytico peccata dimissa, solus nouerat qui dimittebat. Surge autem & ambula, tam ille qui surgebat,quàm hi qui surgentem videbant,approbare poterant. Fit igitur carnale signum, vt probetur spirituale: quanquã eiusdem virtutis sit,& corporis & animę vitia dimittere. Et datur nobis intelligentia, propter peccata plerasque euenire corporum debilitates: & idcircò forsitan priùs dimittuntur peccata, vt causis debilitatis ablatis, sanitas restituatur. Quinque siquidem sunt differentiæ causarum, pro quibus in hac vita molestijs corporalibus affligimur. Aut enim ad merita augenda per patientiam, iusti corporis infirmitate grauãtur, vt beati patres Iob & Tobias, & innumeri martyres in vtroque testamento. Aut ad custodiam virtutum perceptarum, ne superbia tentante dispereant, sicut apostolus Paulus, ne magnitudine reuelationum extolleretur, datus est illi stimulus carnis suæ, angelus satanæ, qui eum colaphizaret. Aut ad intelligenda & corrigenda peccata nostra, sicut Maria soror Aaron in eremo ob verba temeritatis & superbiæ, lepra percussa est: & sicut paralyticus de quo tractamus, qui non nisi primò dimissis peccatis potuit ab infirmitate curari. Aut ad gloriã Dei saluantis, siue per seipsum, siue per famulos suos: sicut cæcus natus in euangelio, qui neque ipse peccauit, neque parentes eius, sed vt manifestarentur opera Dei in illo: & sicut Lazarus, cuius infirmitas non dicebatur esse ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificaretur filius Dei per eam. Aut ad inchoationem damnationis æternæ, quod reproborum est proprium, sicut Antiochus & Herodes, qui vterque suo tempore aduersus Deum repugnantes, quid tormentorum in gehenna perpetuò passuri essent, præsentium afflictionum miseria cunctis ostẽdebatur. Quibus congruit illud prophetæ: Et duplici contritione contere eos. Vnde necesse est in omnibus, quæ aduersa temporaliter patimur, cum humilitate Domino gratias agamus,& infirmitatis nostræ consci,de collatis nobis remedijs gratulemur. Necesse est vt ad conscientiam nostram reuersi,solerter opera nostra simul & cogitationes exploremus, & quicquid nos peccasse deprehẽdimus,digna castigatione purgemus: quicquid de his, quæ nos rectè fecisse credebamus,vitio nobis elationis perisse comperimus,& hoc humili satisfactione castigemus. Hæc enim nobis fæpiùs fuit causa flagellorum. Cæterùm innocẽtes & iustos ob augmenta præmiorum flagellari, perfectorum est donum speciale virorum: verberibus autem temporalibus ad æterna tormẽta compelli, impœnitentium est pœna reprobo-rũ. *Vt sciatis autem, quia filius hominis potestatem habet in terra dimittendi peccata.* Si & Deus est iuxta Psalmistam, qui quantum distat oriens ab occasu, elongauit à nobis iniquitates nostras, & iuxta memoratum Esaiæ testimonium, qui delet iniquitates nostras: & filius hominis potestatem habet in terra dimittendi peccata: ergo idem ipse & Deus,& filius hominis est: vt & homo Christus per diuinitatis suæ potentiam peccata dimittere possit, & idem Deus Christus per humanitatis suæ fragilitatem pro peccatoribus mori. *Dixit paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & uade in domum tuam.* Et anima paralytica si surrexerit, si pristinum robur recuperauerit, portat lectum suum in quo iacebat antè dissoluta, & portat illum in domum virtutum suarum. Spiritaliter de lecto surgere, est animam se à carnalibus desiderijs,vbi ægra quiescebat, abstrahere. Lectum verò tollere,est ipsam quoque carnem per continentiæ frena correptam,spe cælestium prę miorum delicijs priuare terrenis. Ipse enim est lectus, qui per singulas noctes lauatur à Dauid,id est,pro vnius cuiusque noxæ maculis,digno pœnitentiæ flumine castigatur. Sublato autem lecto domum ire, ad paradisum redire est. Ipsa est enim vera domus,quæ hominem prima suscepit, non iure amissa, sed fraude, tandemq; restituta per eũ, qui fraudulento hosti nihil debuit. Aliter: Sanus qui languebat, lectũ reportat domũ, cùm anima peccatorum remissione accepta, ad internam sui custodiam cum ipso se corpore refert, ne post veniam quid, vnde iterũ iustè

Ioan. 9. Ioan. 11. 2. Mac. 9. Hieron. in 9. cap. Matthæi. Beda in 5. cap. Lucæ Psal. 6.

Esaiæ 43. 3. Reg. 8. D. Hieronym. in 9. cap. Matthæi. Num. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

iustè feriatur, admittit. Per lectum enim, in quo carnis est requies, ipsa caro signatur: per domum verò conscientia figuratur. Et quia cùm mente mortui in vicijs iacemus, in carnis delectatione quiescimus, infirmi portamur in lecto. Cùm verò sanati mẽte fuerimus, vt iam vicijs carnis pulsantibus resistamus, necesse est vt tentationum contumelias de nostra infirmitate toleremus.

Aegro itaque mirè ad salutem reducto precipitur, Tolle lectum tuum, id est, illud in quo portatus es: quia necesse est vt portet quisque contumeliam carnis, in qua priùs iacebat ægrotus.

Quid ergo est dicere, Tolle lectum tuum, & vade in domum tuam, nisi, porta tentationes, in quibus hactenùs iacuisti, ac reuertere ad conscientiam, vt videas quæ feceris? *Et confestim surgens coram illis, tulit in quo iacebat, & abijt in domum suam, magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum.* Mira diuinæ potentiæ virtus, vbi nulla temporis interueniente morula, iussu saluatoris salus festina comitatur. Meritò qui adfuerant, damnatis blasphemiæ iaculis, ad laudem tantæ maiestatis stupentia corda conuertunt. Nam primò Domini virtutem suæ perfidiæ fore vltricem turbę timent: dehinc cessante iam desperatiõis timore, honor Deo redditur, quòd tantam dedit hominibus potestatem. Hoc enim sequitur: *Et repleti sunt timore, dicentes, Quia vidimus mirabilia hodiè.* Sed soli hoc Christo erat debitum, soli de communione paternæ substantiæ hoc agere erat familiare. Non ergo hoc venit in admirationem, quòd posset ista. Quid enim Deus non posse creditur? Alioquin laus de vno homine, non de pluribus extitisset. Sed delati Deo honoris huius causa est, quòd potestas hominibus ac via data sit per verbum eius, & peccatorũ remissionis, & corporum resurrectionis, & reuersionis in cælum.

SABBATO POST PENTECOSTEN. Lucæ 4.

In illo tempore: Surgens Iesus de Synagoga, introiuit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & rogauerunt illum pro ea. Et reliqua.
Homilia beati Ambrosij in Commentarijs in Lucam.

Psal. 108. SACRILEGIA Iudæorũ, quæ multò antè Dominus prænuntiauerat per prophetas, & Psalmi versiculo declarauerat, quæ passurus esset in corpore constitutus, dicẽs: Retribuebant mihi mala pro bonis: in euangelio docet esse completa. Nam cùm ipse per populos beneficia diffunderet, illi iniurias irrogabãt. Nec mirum si perdiderunt salutẽ, qui eiecerunt de suis finibus saluatorẽ. Moralis enim Dominus, & qui docuerat exemplo sui apostolos suos omnibus omnia fieri, nec volentes repudiat, nec inuitos alligat, nec eijcientibus reluctatur, nec rogantibus deest. Sic Gerasenos alibi cũ virtutes eius sustinere nõ possent, quasi infirmos & ingratos reliquit. Simul intellige, nõ ex necessitate fuisse, sed voluntariam corporis passionem: nec captum à Iudæis, sed à seipso oblatum. Etenim quando vult capitur, quãdo vult elabitur, quando vult suspenditur, quando vult non tenetur. Et hic in supercilium montis præcipitandus ascenderat, & ecce per medium illorum, mutata subitò, vel obstupefacta furentium mente, descendit. Nondum enim hora venerat passionis: quinetiam malebat adhuc Iudæos sanare quàm perdere, vt inefficaci furoris exitu desinerent velle, quod implere non possent. Vides igitur & hic diuinitatis esse, quòd non captus est, & illic voluntatis esse, quòd captus est. Nam quemadmodùm à paucis teneri potuit, qui à populo non tenetur? Sed noluit sacrilegium esse multorum, vt in authores culpæ, crucis inuidiam retorqueret: atque à paucis quidem affigeretur, sed pro toto orbe moreretur. *Et in Synagoga erat homo, habens spiritum immundum. Et infrà. Surgens autem de Synagoga, intrauit in domum Simonis & Andreæ. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.* Vide clementiam Domini saluatoris. Nec indignatione commotus, nec scelere offensus, nec iniuria violatus Iudæam deserit: quinetiam immemor iniuriæ, memor clementiæ, nunc docendo, nunc liberando, nunc sanando, insidæ plebis corda demulcet. Et benè sanctus Lucas virum à spiritu nequitiæ liberatum antè præmisit, & substituit fœminæ sanitatem. Vtrunque enim sexum Dominus curaturus aduenerat, & prior sanari debuit, qui prior creatus est: nec prætermitti illa, quæ mobilitate magis animi, quàm prauitate peccauerat. Sabbato medicinæ dominicæ opera cœpta significat, vt inde noua creatura cœperit, vbi vetus creatura antè desiuit: nec sub lege esse Dei filium, sed supra legem in ipso principio designaret: nec solui legem, sed impleri. Neque enim per legem, sed verbo factus mundus, sicut legimus: Verbo Domini cæli firmati sunt. Non soluitur ergo lex, sed impletur, vt fiat renouatio hominis iam labentis. Vnde & Apostolus ait: Expoliantes vos veterem hominem, induite nouum qui secundùm Deum creatus est. Et benè sabbato cœpit, vt ipsum se ostenderet creatorem, qui opera operibus intexeret, & persequeretur opus quod ipse iam cœperat: vt si domum faber renouare disponat, non à fundamẽtis, sed à culminibus incipit soluere vetustatem. Itaque ibi priùs manum admouet, vbi antè desierat: deinde à minoribus incipit, vt ad maiora perueniat. Liberare à dæmone & homines, sed in verbo Dei possunt: resurrectionem mortuis imperare, diuinæ solius est potestatis. Nec quenquam mouere debet, quòd Iesu Nazareni nomen in hoc libro diabolus dixisse primus inducitur. Nec enim ab eo Christus nomen acce-

Luc. 8.

Luc. 4.

Psal. 5.

Ephe.

pit, quòd de cælo angelus ad virginem detulit.

Dæmonis impudentia. Est huius impudentię, vt inter homines aliquid primus vsurpet, & ad homines quasi nouum deferat, quò terrorem suæ potestatis incutiat. Denique & in Genesi primus Deum homini nuncupauit. Sic enim habes: Et dixit serpens mulieri: Quid vtiq; dixit Deus, ne edatis ab omni ligno? Vterq; igitur deceptus à diabolo est, sanatus à Christo. Sequere cætera, & euangelicæ lectionis disce mysteria, atq; in duorum sanitate, publicæ sacramentum salutis agnosce. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Quis est ille, qui in synagoga spiritum dæmonij habebat immundum, nisi populus Iudæorum? qui quasi serpentinis spiris reuinctus, & innodatus diaboli laqueis, simulatã corporis munditiam, interioris mentis sordibus inquinabat. Et benè in synagoga homo erat, qui spiritum immundum habebat, quia spiritũ sanctum amiserat. Introierat enim diabolus, vnde Christus exierat. Simul ostenditur natura diaboli non improba, sed opera iniqua. Nam quẽ per superiorem naturam Deum confitetur, opere negat. Et in hoc apparet eius nequitia, & improbitas Iudæorum, quòd ità populo væsanæ cæcitatem mentis offudit, vt populus neget, quem dæmones confitentur. O peior magistro discipulorum hæreditas: ille verbo tentat Dominũ, hi facto. Ille dicit, Mitte te, isti adoriuntur vt mittant. Si altiori consilio ista pendamus, animi debemus intelligere & corporis sanitatem: vt priùs animus, qui serpentinis laborabat insidijs, absolutus sit. Anima enim à corpore nunquam vinceretur, nisi priùs à diabolo tentaretur. Nam cùm anima corpus agat, viuificet & gubernet, quemadmodùm in eius illecebras captiua raperetur, nisi & ipsa superioris alicuius potestatis vinculis stringeretur? Denique non priùs Eua esurijt, quàm serpentis eam versutia tentauit: & ideò aduersus ipsum authorẽ peccati priùs debuit medicina salutis operari. Fortasis etiam in typo mulieris illius, socrus Simonis & Andreæ, varijs criminum febribus caro nostra languebat, & diuersarum cupiditatũ immodicis æstuabat illecebris. Nec minorem febrem amoris esse dixerim, q̃ caloris. Itaq; illa animum febris, hæc corpus inflãmat. Febris enim nostra auaritia est, febris nostra libido est, eò q̃ ignitæ sunt cupiditates. Vnde & Apostolus ait: Si non se cõtinent, nubãt. melius est enim nubere, quàm vri. Febris nostra luxuria est, febris nostra ambitio est, febris nostra iracũdia est. Quæ licet corporis sint vitia, ignem tamen ossibus implicant, mentem, animum, sensumq; pertentant. Hæc prior diaboli solicitatur arte. Etenim ager bonus, vestis, monile, suadela serpentis est: honorum gratia, sublimitas potestatum, epularum suauitas, forma meretricis laqueus est diaboli, & quasi quidam nequitiæ spiritalis illecebrosus affatus, qui per carnis illecebram, quæ cito fœminea quadam leuitate mollitur, animam quoque de gradu deijcit. Neque enim formam mulieris animus priùs, quàm corporis oculus concupiscit. Denique quod non videris, non amabis. Sed vbi caro concupierit, compatientis quoque animi constantia defatiscit, & mens consortio amoris inflectitur. Duo enim in carne vna sunt, ad quam mors irrepit sceleris effectu, tentante diabolo, carne suadente. Vehementior tamen est animi quàm corporis febris, & ideò pro animi voluntate corporis salus plerunque contemnitur, nec à periculis abstinetur. Vnde non alienũ videtur repetere, quemadmodùm Theotimus, cùm graui oculorum incommodo laboraret, & amaret vxorem, interdicta sibi à medico facultate coéundi, cupiditatis impatiens, atque impetu libidinis raptus, se moderari nequiuerit. Sciẽs enim prudens q̃, quòd esset oculos amissurus, priusquàm conueniret vxori, in ipso æstu feruentis cupiditatis & consuetudinis apparatu, Vale, inquit, amicum lumen. Sic febre libido flagrantior est, grauiusque præcipitat & inflammat. Sed vbi quis resipuerit à furore, tunc conscientiæ interioris visus aperitur, factique succedit pœnitentia, & pudenda sui vnusquisque facinoris erubescit. Tunc Deus timetur, & peccator se celare cupit, sed non potest. Tunc caro arguitur, diabolus accusatur: hæc quasi lena vitiorum, ille quasi author erroris. Patescit deformitas. nudum est enim Deo omne secretum, nec vllius ficus folijs, hoc est, tegmine corporali vel iactantia seculari, flagitiorum secreta velantur: & vnusquisque diuinum peccati conscia formidat mente iudiciũ, dicens: Qui super me montes cadent, in quibus me abscondam fissuris petrarum, cùm venerit confringere terram? Tunc tribulos & spinas animo caro, hoc est, curarum morsus solicitudinũque generat, æstusque quos sibi per concupiscentiam carnis animus ipse circundedit. Etenim quasi clauis quibusdam sustigitur anima corporeis voluptatibus, & cùm semel adhæserit cupiditatibus demersa terrenis, difficilè in altum potest, vnde descendit, sine Dei fauore reuolare. Actuum enim suorum vincta laqueis, & delicia rum secularium illecebris obnoxia iam tenetur. Hunc ergo Adam, hanc Euam Dominus liberaturus aduenit, quorum alter ad imaginem Dei factus, altera virtutem sui accipiens viri, quandiù fuit subdita fortiori, vnam gerebant in vno spiritu Deo placitam voluntatem, & in paradiso positi Dei, vitæ cælestis operabantur alimoniã. Posteà verò quàm caro suadere diuersum, & legem cœpit primam non timere, paradisi exules facti, in hunc inferiorem dimersumq; locum peccati merito reciderunt. Nec quisquam putet incongruum esse, si Adam atque Eua in typo animæ & corporis æstimentur, cùm in typo Ecclesiæ æstimentur & Christi. Nam cùm duos esse in vna carne Apostolus diceret, adiecit: Sacramentum enim hoc magnum est. ego autem dico in

Libido febris.

Febris amoris,

Auaritiæ,

Libidinis.

1. Cor. 7.

Luxuriæ,

Ambitionis,

iræ.

Christi & ecclesiæ.

Ephes. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christo & in Ecclesia. In quo ergo superni Dei, in eo multo magis animi nostri potest esse mysterium. Sed hęret, suffixus est, captus est, & corporeis succensus febribus, compassione carnis ægrescit. Quærendus est medicus. Sed quis iste tantus est, qui sauciæ mentis medeatur hulceribus? Quis tantus est homo, qui possit alijs subuenire, cùm sibi ipse non possit? Quis alijs possit vitam reddere, cùm ipse mortem nō possit euadere? Oés enim in Adam moriuntur, quia per vnū hominem in hunc mundū peccatum introiuit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt. Illius igitur culpa, mors omnium est. Deniq; missi sunt sancti, missi sunt & prophetæ, qui oracula diuina loquerentur, nec quicquam promouere potuerunt. Quæramus ergo aliquem de angelis aut archangelis medicum. Sed quemadmodùm mihi possunt præsidium ferre ne peccem, cùm ipse archangelus à peccato non potuerit abstinere? Quemadmodùm ad paradisum angelus reuocare me poterit, cùm ipse satanas & angeli sui sedem, quam acceperant, seruare non potuerint?

1. Cor. 15.
Rom. 5.

EODEM SABBATO,
Luc. IIII.

In illo tempore: Surgens Iesus de synagoga, introiuit in domum Simonis. Et reliqua. Homilia ex Bedæ commentarijs in Lucam magna ex parte confecta.

Mar. 1.

IN isto sancti Euangelij capitulo non idem ab Euangelistis seruatus est ordo. Hoc denique factum Marcus & Lucas antequàm de leproso, qui Domino descendente de monte mūdatus est, quid dicerent, narrant. Matthæus verò post terminatū in monte sermonem, leprosi præmissa mundatione, puerique centurionis curatione, subiungit de restitutione socrūs Simonis Petri. Sed nihil obstat narrandi diuersitas, vbi eadem res nūciatur. Et notandū, quòd leprosus ille apud Matthæum primus specialiter curatus sit, secundò puer centurionis, tertiò socrus Petri febriens in Capharnaum, quartò in loco qui oblati sunt ei dæmonio vexati, quorum spiritus verbo eijciebat, quando & omnes malè habentes curauit. Quoniam inuidia diaboli mors intrauit in orbē terrarum, ideò contra ipsum mortis authorem primò debuit medicina salutis operari, primò lingua serpentina ne vltrà virus spargeret, occludi: ac deinde fœmina, quæ prima seducta est, à carnalis concupiscentiæ febre, curari: tertiò vir qui malè suadentis dicta coniugis audiuit, ab erroris sui lepra castigari, vt ipse apud Lucā Euangelistam esset ordo restaurationis, qui fuerat & casus. Paulò superiùs enim refert, quia in synagoga erat homo habens dæmonium immundum. Cuius integra restitutione sanitatis descripta, subdit hoc quod ex lectione audiuimus hodierna: *Surgens autem de synagoga Iesus, introuit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.* Sed & huius releuationis à Domino collatæ explicita narratione, nonnullis interpositis, viri qui erat plenus lepra, subinfert mundationem. Benè autem vbi leprosus mundatur, certus non exprimitur locus, vt ostendatur, non vnum populum specialis alicuius ciuitatis, sed omniū populos fuisse sanatos. Hæc per excessum necessarium præmisimus, vt mysticum ordinem ab Euangelista seruatum monstraremus, vt dictum est, restaurationis in Domino, qui erat & casus in protoplastis. Intēdamus nunc mentis obtutū ad hoc Euangelij capitulum, quod nobis exponendum hac lectione propositum est. Si virum à dæmonio liberatum, moraliter animum ab immunda cogitatione purgatum dixerimus significare, consequenter fœmina febribus tenta, sed ad imperium Domini curata, carnem ostendit à concupiscentiæ feruore per continentiæ præcepta frenatam. Omnis enim amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia, spiritus immundi furor est. Fornicationem verò, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est simulacrorum seruitus, febré illecebrosæ carnis intellige. *Et rogauerunt illum pro ea. Et stans super illam, imperauit febri, & dimisit illam.* In Euangelio Matthæi scriptum est: Et tetigit manum eius, & dimisit eam febris. Modò enim saluator rogatus, modò vltrò curat ęgrotos, ostendens se contra peccatorum quoq; passiones & precibus semper annuere fidelium, & ea quæ ipsi minimè in se intelligunt, vel intelligenda dare, vel piè petentibus etiam non intellecta dimittere, iuxta quod Psalmista postulat: Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine. Tangitur verò manus mulieris, & sanatis operibus eius, peccatorum infirmitas fugit. *Et continuò surgens, ministrabat illis.* Naturale est febricitantibus, incipiente sanitate lassescere, & ægrotationis sentire molestiam. Verùm sanitas, quæ Domini confertur imperio, simul tota redit: nec solùm ipsa redit, sed & tanto robore comitante, vt eis continuò, qui se adiuuerant, ministrare sufficiat: & (iuxta leges tropologiæ) mēbra quæ seruierant immunditiæ ad iniquitatem, vt fructificarent morti, seruiant iustitiæ in vitam æternam. Sed & secundùm mysticos intellectus, saluato centurionis puero, ac fide gentium in centurione laudata, consequenter socrus Petri, hoc est, synagoga Iudaica ab æstu febrium sanatur. Domus nāq; Petri, plebs Israelitica intelligitur, Domus in qua, iuxta quod Paulus Apostolus refert, ipse Petrus apostolatus ministerium accepit. Socrus verò Petri, eiusdem plebis est synagoga, quę mater primitiuæ Ecclesiæ, tanquam vxoris Petri, ob tri. hoc conuenienter accipitur, quoniam ex ipsa synagoga, primaria discipulorum Christi Ecclesia

Beda in 4. cap. Matthæi.
Matth. 8.
Esai. 53.
Ephes. 5.
Col. 3.
Matth. 8.
Psalm. 18.
Psalm. 49
Socrus Gal. 1.

clesia carnis originem traduxisse cognoscitur: quæ Petro veluti desponsata, sed spiritu sanctigratia inuisibiliter fœcundata, in exemplum beati Ioseph & Mariæ virginis, salubriter creditur. At verò socrus Petri, hoc est, synagoga Iudaica interim perfidiæ febribus æstuat, donec plenitudo gentium introëat, & sic omnis Israël saluus fiat. Cuius manum tangere, est in ea bonas actiones informare: quia nisi mūdatæ fuerint manus Iudæorum, quæ sanguine sunt plenæ, synagoga eorum febricitans iacet. Sed tunc eam febris dimittit, cùm multiplex perfidiæ languor ipsam deserit. Porrò surgit ac ministrat, cū mortuis operibus abrenuncians, atq; ea quæ sursùm sunt quærens, in nouitate vitæ perambulat. *Cùm sol autem occidisset, omnes qui habebant infirmos uarijs languoribus, ducebant illos ad illum. At ille singulis imponens manus, curabat eos.* Matthæus ita scribit: Vespere, inquit, facto obtulerunt ei multos dæmonia habētes, & eijciebat spiritus verbo, & omnes malè habentes curauit, vt impleretur quod dictum est per Esaiam prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotatiōes portauit. Omnes non manè, non meridie, sed ad vesperam curantur, quando sol occubiturus est, quando granum tritici in terra moritur, vt multos fructus afferat. Solis nanq; occubitus, passionem mortēq; illius significat, qui dixit: Quādiù in mūdo sum, lux sum mundi. Et sole occidente plures dæmoniaci quàm antè, plures sanātur ægroti: quia temporaliter in carne viuens, paucos Iudæorum docuit: calcato regno mortis, omnibus per orbem gentibus fidei salutisq; dona transmisit. Cuius ministris, quasi vitæ lucis q; præconibus, Psalmista canit: Iter facite ei, qui ascendit super occasū. Super occasum quippe Dominus ascendit, quia vnde in passione occubuit, inde maiorem suam gloriam resurgendo manifestauit. *Exibant autē dæmonia à multis, clamantia & dicentia: quia tu es filius Dei. Et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.* Dæmonia filium Dei confitebantur, & attestante Euangelista, sciebant ipsum esse Christum: quia quem dierū quadraginta ieiunio fatigatum diabolus hominem cognouerat, nec tētando valebat, an & Dei filius esset, experiri, iam nunc per signorum potentiam vel intellexit, vel potiùs suspicatus est esse filium Dei. Non igitur ideò Iudæis eum crucifigere persuasit, quia Christum, siue filium Dei non esse putauit, sed quia se morte illius non præuidit esse damnandū. Verè enim de hoc mysterio à seculis abscondito dicit Apostolus, Quod nemo principum huius seculi cognouit. Si enim cognouissēt, nunquā Dominum gloriæ crucifixissent. Quare aūt dæmonia Dominus se loqui prohibebat, manifestat Psalmista, qui ait: Peccatori aūt dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas? ne quis dū audit prędicātem, sequatur errantem. Improbus enim magister est diabolus, qui falsa veris semper permiscet, vt specie veritatis testimonium fraudis obtexat. Aliàs autem non soli dæmones, qui inuiti confitebantur, iubentur silere à Christo, sed & illi, qui ab eo sanati sponte confiteri volebant: immò ipsi Apostoli, qui eum post resurrectionem toto erant orbe prædicaturi, ante passionem eius præcipiuntur omninò reticere de illo, ne diuina videlicet maiestate prædicata, passionis dispensatio differretur, & dilata passione, salus mundi, quæ per hanc futura erat, negaretur. *Facta autem die, egressus ibat in desertum locum. Et turbæ requirebant eum, & uenerunt usque ad ipsum, & detinebant eum ne discederet ab eis. Quibus ille ait: Quia & alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei.* Si occasu solis, Domini mors exprimitur, quare non die redeunte resurrectio illius indicetur? Cuius manifestata luce, à credentium turbis inquiritur, & in gentium deserto inuentus, ne abeat detinetur: maximè cùm hæc prima sabbati, quo resurrectio celebrata est, egressio, quæsitio, & inuentio contigerit. Quòd autē secundùm Marcū abijt in desertū locū Dominus, ibiq; orabat, hoc facto intimatur, quia resurrectionis suæ patefacta gloria, abijt in desertū gentiū, ibiq; in suis fidelibus orabat, quia corda eorum per gratiam sui spiritus ad virtutē orationis excitabat. Et nos igitur, fratres, exemplo eorum qui Dominum fideliter exquisierūt, & ideò inuenire meruerūt, atq; præsentiæ eius dulcedine capti detinebant illū ne discederet ab eis, intendamus mentis obtutū; & adiuuāte Domino, Dominū requiramus. Diuini cantici vox est: Quærite Dominum, & viuet anima vestra. Quæramus inueniendū, quæramus inuentū. Vt inueniō dus quęratur, occultus est: vt inuentus quæratur, immensus est. Vnde & alibi dicitur: Quærite faciem eius semper. Satiat enim quærentem inquantùm capit, & inuenientem capaciorem facit, vt rursus quærat impleri, vbi plus capere cœperit. Non ergo dictum est, quærite faciem eius semper, quemadmodùm de quibusdam, semper discentes, & ad veritatis scientiā nunquam peruenientes: sed potius sicut ille ait: Cùm consummauerit homo, tunc incipit, donec ad illā vitam veniamus, vbi sic impleamur, vt capaciores non efficiamur, quia ita perfecti erimus, vt iam non proficiamus. Tunc enim ostenditur nobis quod sufficit nobis. Hic autem semper quæramus, & fructus inuentionis non sit finis inquisitionis. Neque enim propterea non semper, quia hic tantùm: sed ideo hic dicimus esse quærendum, ne aliquando hic putemus ab inquisitione cessandum. Nam & de quibus dictum est, semper discentes, & ad veritatis scientiā nunquā peruenientes, hi sunt vtiq; discentes. Cùm verò de hac vita exierint, iam non erunt discentes, sed erroris sui mercedē recipiētes. Sic enim dictū est, semper discentes, & ad veritatis scientiā nunquā peruenientes: tanquā diceretur, semper ambulantes, & nunquam ad viam peruenientes. Nos aūt semper ambulemus in via, donec eò veniamus quò

Rom. 11.
Matth. 8.
Esai. 53.
Ioan. 9.
Matth. 8.
Psalm. 67
Psalm. 18.
1. Cor. 2.
Psalm. 49
Mar. 1.
Psalm. 68
Psalm. 104.
2. Tit. 3.
Eccles. 18.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ducit via. Nusquā remaneamus in ea donec perducat vbi maneamus: atque ita & quærendo tēdimus, & inueniendo ad aliquid peruenimus, & ad id quod restat, quærendo & inueniendo trāseamus, quousque inueniendo ibi fiat finis quærendi, vbi post perfectionem non superest inuētio proficiendi, in Christo Iesu domino nostro, per quem nunc gratiam reconciliationis accepimus, & accessum habemus ex fide, iustificati ex ea in gratiam spei gloriæ filiorum Dei, qui & dedit nobis pignus spiritus: ipsi semper gloria, virtus & in patre & spiritusancto ante secula, & nūc per immortalia secula seculorum, Amen.

Rom. 5.
2. Cor. 5.

IN SOLENNITATE SACROSANCTAE ET TERADORANdę Trinitatis, In Epist. Concio exegetica.

HAC die, quæ est octaua Pentecostes, seruatur plerisq; locis solennitas summæ & adorandæ Trinitatis. Et meritò quidē seruatur, sed si præstent mortales oēs, quicquid modis omnibus possunt in laudem & cultū eius incomprehensæ Trinitatis, quantulū quæso est, si ad eius maiestatis conferas immensam dignitatem? Et tamen vult à creaturis suis laudari & coli Deus, non q̄d possint pro dignitate, sed q̄ sic expediat earū saluti. Cùm verò certū sit cultū omnem, qui Deo vel à creaturis simul omnibus impēditur, nihil esse ad eius infinitā excellentiam: quàm illi mortales detestabiles sunt, qui nō solū pro modulo suo non colūt & laudant Deum, sed etiā impijs facinoribus & prauis moribus quotidiè illum dirè & atrociter offendunt, & ineffabili iniuria afficiunt? De talibus cōqueritur Deus per prophetam Malachiam: Filius, inquit, honorat patrem, & seruus Dominum suum. Si ergo pater ego sum, vbi est honor meus? & si Dominus ego sum, vbi est timor meus? Multa igitur sunt in Ecclesia Dei instituta festa, multæ solennitates, quia multiplici cultu, perpetua laude & veneratione, omni studio & deuotione prosequendus est nobis Dominus Deus noster. Et quanuis ille nostra deuotionis officia & obsequia grata habeat, & æternis compēsēt præmijs, tamen quantumcunque in eius cultu nos occupemus, semper ex animo & possumus & debemus fateri, serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus: idq; ob immensam Dei dignitatem. Sed nūc quid hodierna sibi lectio velit inspiciamus: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibila sunt iudicia eius, & inuestigabiles uiæ eius.* Cùm multa dixisset Apostolus de Iudæorum occæcatione & gentium vocatione, tandem obstupefactus ex contemplatione inscrutabilium cōsiliorum Dei, in hæc verba prorupit: O altitudo diuitiarū &c. Hæc verò inscrutabilia iudicia, inquit Augustinus lib. de Gratia & libero arbitrio, cap. 22. & inuestigabiles vias peruersi homines non cogitantes, & procliui ad reprehendendum, non idonei ad intelligendum, putabant & iactitabant Apostolos dicere, Faciamus mala, vt veniant bona. Quod absit vt Apostoli dicerent: sed homines non intelligentes, hoc putabant dici, quando audiebant quod dixit Apostolus, Lex autem subintrauit, vt abundaret delictum: vbi autem abundauit delictum, superabundauit gratia. Sed vtique gratia id agit, vt iam fiant bona ab eis, qui fecerunt mala, non vt perseuerent in malis, & reddi sibi existiment bona. Non itaque debent dicere, Faciamus mala, vt veniant bona: sed, Fecimus mala, & venerunt bona: iam faciamus bona, vt in futuro seculo recipiamus pro bonis bona, qui in hoc seculo recepimus pro malis bona. Hæc Augustinus. Ex hoc Apostoli loco discimus, quàm reuerenter omnia Dei iudicia suspicere & venerari debeamꝰ, nō discutere curiosè, multo minùs reprehendere. Fixum debet esse & immobile in corde nostro, vt eiusdem libri cap. 21. ait Augustinus, quia non est iniquitas apud Deum. Et ad hæc occulta Dei iudicia reuocandum est, sicut eodem lib. cap. 23. dicit, quando in vna causa, quam certè habent omnes paruuli, hæreditarium malum trahentes ex Adam, videmus huic subueniri vt baptizetur, illi non subueniri, vt in ipsa obligatione moriatur: illum baptizatum in hac vita relinqui, quem præsciuit Deus impium futurum: istum verò baptizatum rapi ex hac vita, ne malitia mutet intellectum eius. Nec in his danda est iniustitia vel insipientia Deo, apud quem iustitiæ fons est & sapientiæ. Hæc ille. Chrysostomus non solùm incomprehensibilia, sed etiam inscrutabilia dicit esse iudicia Dei. Si ergo bonus es, noli altum sapere, sed time, ne corruas, memor illius seueritatis Dei, qua nec angelis peccantibus, nec ramis naturalibus pepercit: si malus es, noli tanquam de misericordia Dei securus permanere in malo, quòd noueris multis eiusmodi peperciſſe Deum, sed cogita quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te inuitat, quam si differas, iam gladium suum illum vibrasse, arcū intendisse, & in eo parasse vasa mortis. Origenes hunc locum interpretans, Neque enim inscrutabilia, inquit, iudicia, neque inuestigabiles viæ eius dicerentur, nisi quia nulla est creatura, quæ vel inuestigare valeat vel scrutari. Solus est enim filius, qui nouerat Patrem, & solus est Spiritus sanctus, qui scrutatur omnia, etiam altitudinem Dei. Et ideò hanc altitudinem Dei, quam & inscrutabilem dicit & inuestigabilem, creaturæ omni inscrutabilem & inuestigabilem dicit. De filio verò & spiritu sancto dicere ista non poterat, quia filius in Euangelio dicit ad Patrem, Pater, omnia mea tua sunt, & tua mea. Et de Spiritusancto ipse Paulus pronuntiat, dicens: Nemo scit hominum, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est. Ita & quæ in Deo sunt nemo cognouit,

Malac. 1.
Luc. 17.
Rom. 11.
Rom. 5.
Occulta Dei, sed mea iudicia

uit, nisi Spiritus Domini. Vides ergo, quòd Paulus in præsenti capitulo, in his quæ dicit, *Quis enim cognouit sensum Domini aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* de creaturis dicat, naturā verò Trinitatis excipiat: quippe cui nihil sit cum creatura cōmune, nisi beneficentiæ opus. Sed & quod ait, Quis illi consiliarius fuit? non quasi minùs ipse sufficiens, consilio indigeret alterius, sed consilij participem nullam quidem in creaturis esse pronūtiat. Cōsilium verò sapienti necessariò in sapientia sua est quidem Christus, & in sanctitate quidem Spiritus sanctus. Simili autem modo, & Quis prior dedit illi, & retribuetur ei, intelligendum est. Nemo enim aliquid factori suo prior contulit: quippe cum etiam hoc ipsum quod est, vnusquisque à coditore susceperit. Hucusque Origenes in 11. cap. ad Romanos. Hæretici hunc locum solent obijcere contra merita operum nostrorum, sed insulsè & imperitè, vt pleraque omnia.

Philip. 2. Cùm enim apertissimè alibi dicat Apostolus, Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate, ab illo certè est & initium bonæ voluntatis nostræ, & consummatio operis. Inde ergo est etiam meritum nostrum.

Vita æterna, merces bonorum operum. Itaque Augustinus Enchiridij cap. 107. vitam æternam dicit esse certam mercedem operum bonorum, & ipsa hominis bona opera esse Dei munera. Nō enim possunt fieri sine gratia Spiritus sancti, qua si sint destituta opera nostra, Deo vtique grata esse non possunt. Idemq̄ Augustinus Epistola 105. Omne meritum nostrum, inquit, non in nobis facit nisi gratia, & cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat quàm munera sua. Vnde & ipsa vita æterna, quæ vtiq; in fine sine fine habebitur, & ideò meritis præcedētibus redditur, tamen quia eadē merita quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud nisi quia gratis datur, nec ideò quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita quibus datur. Hæc Augustinus. Chrysostomus ita scribit in hunc locū: Quod aūt dicit Apostolus, tale est: Quòd adeò sapiens est Deus, non hoc ab alio quopiam habet, sed ipse per se fons est bonorum. Et quòd tanta perfecit nobisq̄ contribuit, non ab alio mutuatus est, sed de suo copiosè effudit. Neq; aliquid retributionis cuiquam debet, quasi quid ab illo acceperit, sed ipse perpetuò in beneficijs prior est. Nam illæ veræ demum sunt diuitiæ, in omnibus exuberare, neque alterius cuiusquam opera indigere. Hæc Chrysostomus. *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Vides, inquit Origines, quomodò in vltimis ostendit, quòd in omnibus, quæ suprà dixit, segregauit mysteriū Trinitatis. Sicut enim in præsenti loco quod ait, Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, cōuenit illis dictis, quę idem Apostolus in alijs memorat locis, cùm dicit, Vnus Deus pater, ex quo omnia: & vnus Dominus noster Iesus Christus, per quē omnia: & iterùm Spiritu Dei dicit reuelari omnia: & per hæc designat in omnibus esse prouidentiā Trinitatis. Ita & cùm dicit, Altitudo diuitiarum, Patrē, ex quo omnia dicit esse, significat: & sapientię altitudinē, Christū qui est sapientia eius ostendit: & scientiæ altitudinē, Spiritū sanctū, qui etiā alta Dei nouit. Veruntamen quod dicit, Ex ipso, hoc ipsum q̄ sumus indicat: Per ipsum aūt, quòd per eius prouidentiā dispensamur in vita: In ipso verò, quòd perfectio omniū & finis in ipso erit tunc, cùm erit Deus omnia in omnibus. Hæc Origenes. Possumus igitur ex hac Paulina sententia intelligere beatissimā Trinitatē, vt Pater sit, ex quo omnia: Filius, per quē omnia: (per verbū enim, quod est Filius, facta sunt omnia:) & Spiritus sanctus, in quo omnia. De hac Trinitate sic habet Augustinus lib. de vera religione, cap. 55. Religet ergo nos religio vni omnipotenti Deo, quia inter mentem nostrā, qua illū intelligimus Patrē, & veritatē, id est, lucē interiorem, per quā illū intelligimus, nulla interposita creatura est. Quare ipsam quoq; veritatē, nulla ex parte dissimilem, in ipso & cū ipso veneremur, quæ forma est omniū, quæ ab vno facta sunt, & ad vnū nitūtur. Vnde apparet spiritalibus animis, per hanc formā esse facta omnia, quę sola implet quod appetunt omnia. Quæ tamen omnia neq; fierent à Patre per Filiū, neq; suis finibus salua essent, nisi Deus summè bonus esset, qui & nulli naturę, quę ab ipso bona esse posset inuidit, & in bono ipso alia quantùm vellēt, alia quantùm possent vt manerent dedit. Quare ipsum donū Dei cū Patre & Filio æquè incōmutabile colere & tenere nos cō uenit, vnius substantiæ Trinitatē, vnū Deū à quo sumus, per quē sumus, in quo sumus: a quo diſcesimus, cui dissimiles facti sumus, à quo perire nō permisi sumus: principiū ad quod recurrimus, formā quā sequimur, & gratiā qua reconciliamur: vnū Deum quo authore cōditi sumus, & similitudinē eius, per quam ad vnitatē reformamur, & pacē qua vnitati adhæremus: Deū qui dixit, Fiat, & verbum per quod factum est omne quod substātialiter & naturaliter factū est, & donum benignitatis eius, quo placuit & reconciliatum est authori suo, vt nō interiret quicquid ab eo per verbum factū est: vnū Deū, quo creatore viuimus, per quem reformati sapienter viuimus, quem diligentes, & quo fruentes beatè viuimus: vnum Deū, ex quo omnia, per quē omnia, in quo omnia: ipsi gloria in secula seculorū, Amen. Hęc Augustinus loco memorato, qui idem lib. 1. de Doctrina Christiana, cap. 5. sic ait: Res igitur qui bus fruendū est, Pater & Filius & Spiritus sanctus est: eademq; Trinitas, vna quædā summa res cōmunisq; omnibus fruentibus ea, si tamen res & non rerū omniū causa sit, si tamen & causa. Non enim facilè nomē, quod tantæ excellentiæ cōueniat, potest inueniri, nisi q̄ melius ita dicitur: Tri

Fruendum quibus sit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nitas hæc vnus Deus, ex quo omnia, per quẽ omnia, in quo omnia. Ita Pater & Filius & Spiritus sanctus, & singulus quisq; horum Deus, & simul omnes vnus Deus: & singulus quisq; horũ plena substantia, & simul omnes vna substantia. Pater, nec Filius est, nec Spiritus sanctus: Filius nec Pater est, nec Spiritus sanctus: Spiritus sanctus nec Pater est, nec Filius: sed Pater tantùm Pater: & Filius tantùm Filius: & Spiritus sanctus tantùm Spiritus sanctus. Eadẽ tribus æternitas, eadẽ incommutabilitas, eadẽ maiestas, eadẽ potestas. In Patre vnitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto vnitatis æqualitatisq; concordia. Et tria hæc vnũ omnia propter Patrẽ, æqualia omnia propter Filium, cõnexa omnia propter Spiritũ sanctũ. Hæc Augustin. Multa possent alia de ter adorãda Trinitate adduci, sed omissis alijs, pauca ex D. Bernardo adseremus, quæ faciãt ad præsentẽ Apostoli locũ. Is ergo sanctissimus Pater de Consideratione lib. 5. scribit hunc in modũ: Quid est Deus? Ex quo omnia, per quẽ omnia, in quo omnia. Ex quo omnia creabiliter, nõ seminabiliter. Perquẽ omnia, ne alium authorem atq; alium opificem arbitreris. In quo omnia, non quasi in loco, sed quasi in virtute. Ex quo omnia, tanquàm vno principio authore omnium. Per quem omnia, ne alterum inducatur principium artifex. In quo omnia, ne tertium inducatur, locus. Ex quo omnia, non de quo, quia non est materia Deus. Efficiens causa est, non materialis. Frustrà Philosophi materiam quẽrunt: non eguit materia Deus. Non enim officinam quẽsiuit, non artificem. Ipse per se in se omnia fecit. Vnde? De nihilo. Nam si ex aliquo fecit, illud non fecit, ac per hoc nec omnia. Absit vt de sua incorrupta incorruptibiliq; substantia tam multa fecerit, etsi bona, corruptibilia tamen. Quæris, Si in ipso omnia, ipse vbi? Nihil non minùs inuenio. Quis capiat locus? Quæris vbi non sit? Ne hoc quidẽ dixerim. Quis sine Deo locus? Incõprehensibilis est Deus, sed non parùm apprehendisti, si hoc tibi de eo compertum est, quòd nusquam sit, qui non clauditur loco, & nusquam tamen non sit, qui non excluditur loco. Suo autem sublimi atque incomprehẽsibili modo sicut omnia in ipso, sic ipse in omnibus est. Denique, sicut ait Euangelista, in mũdo erat. Aliàs verò, vbi erat antequàm mundus fieret, ibi est. Nõ est quod quæras vltrà, Vbi erat? præter ipsum nihil erat. Ergo in seipso erat. Hæc Bernardus. Nobis iam superest, vt cum Apostolo totis animi visceribus dicamus: *ipsi gloria in secula seculorum, Amen.* Sic alibi Apostolus dicit: Regi autem seculorum immortali, inuisibili, soli Deo honor & gloria in secula seculorum, Amẽ. Ipse est enim Dominus Deus noster, cui sicut nos totos debemus, ita totos impendere debemus, nec vnquã ab eius cultu deficere, sed in eo magis magisque proficere, donec eò perueniamus, vbi sine fine cum illo erimus. Præstet id nobis Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, qui viuit & regnat per infinita secula, Amen.

Deus quid sit.

Nusquam Deus, & ubiq; Deus

Ioan. 1.

1. Tim. 1.

IN OCTAVA PENTECOSTES. Ioan. 3.

In illo tempore: Erat homo ex pharisæis Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Hic venit ad Iesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus quia à Deo uenisti magister. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

Sicut ex lectione sancti euangelij, fratres charissimi, audistis, princeps Iudæorum venit ad Dominum nocte, cupiens secreta eius allocutione pleniùs discere mysteria fidei, cuius aperta ostensione signorũ aliquatenùs iam rudimenta perceperat. Qui quoniam prudenter ea, quę ab illo fieri videbat, intelligere curauit, sublimiter ea quæ ab illo quærebat, inuestigare promeruit. *Rabbi, inquit, scimus quia à Deo uenisti magister. Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* A Deo igitur Iesum venisse ad magisteriũ cæleste mundo adhibendũ confessus est, Deum cum illo fuisse, miraculis prodentibus intellexit: necdũ tamen ipsum Deũ esse cognouit. Sed quia quem magistrum nouerat veritatis, studiosè docendus adijt, meritò ad agnitionem diuinitatis eius perfectè doctus subijt: meritò vtriusq; natiuitatis eius, diuinæ scilicet & humanæ, sed & passionis & ascensionis ipsius arcana percepit: necnon etiam modũ secundæ generationis, ingressum regni cælestis, aliaq; perplura doctrinæ euangelicæ sacramenta, Domino reuelante, didicit. *Respondit etenim Iesus, & dixit ei: Amen amen dico tibi, nisi quis natus fuerit denuò, non potest uidere regnum Dei.* Quæ sententia tanto apertiùs cunctis fidelibus lucet, quanto constat, quia sine huius luce fideles esse nequeunt. Quis etenim sine lauacro regenerationis remissionem peccatorum consequi, & regnum valet intrare cælorum? Sed Nicodemus, qui hõcte venit ad Dominum, necdum lucis mysteria capere nouerat: nam & nox in qua venit, ipsam eius qua premebatur ignorãtiam designat. Necdum enim eorum numero sociatus erat, quibus ait Apostolus: Fuistis aliquãdo tenebræ, nunc autem lux in Domino: sed inter eos potiùs remanebat, quibus loquitur Esaias: Surge, illuminare Hierusalem: quia venit lumẽ tuũ, & gloria Domini super te orta est. Respondit ergo Domino, & ait: *Quomodò potest homo nasci, cùm sit senex? Nunquid potest in uentrem matris suæ iteratò introire, & nasci?* Quia enim secundæ natiuitatis adhuc nescius perseuerabat, de salute autem sua iam solicitus extiterat, necessariò de vna quam nouerat natiuitate, an posset iterari, vel quo ordine regeneratio posset impleri quærebat, ne huius expers remanendo, vitæ cælestis

Nicodemus quæ Christo dicit.

Ephes.

Esaiæ 60.

cælestis particeps esse nequiret. Notandũ autem, quia quod de carnali dixit, hoc etiã de spirituali est regeneratione sentiendũ, nequaquã videlicet eã postquã semel expleta fuerit, posse repeti. Siue enim hæreticus, siue schismaticus, siue facinorosus quisq; in cõfessione S. Trinitatis baptizet, nõ valet ille qui ita baptizatus est, à bonis catholicis rebaptizari, ne cõfessio vel inuocatio tãti nominis videatur annullari. Et quia Nicodemus ad primã Domini responsionẽ solicitus, quomodò sit intelligẽda, diligenter inquirit, meretur iã planiùs instrui: & quia secunda natiuitas nõ carnalis, sed spiritualis sit, audire. Respondit nanq; ille Iesus: *Amẽ amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, nõ potest introire in regnũ Dei.* Cuius natiuitatis modũ subsequẽter exponẽs, prorsusq; à carnali distinguẽs, ait: *Quod natũ est ex carne, caro est: & quod natũ est ex spiritu, spiritus est.* Natura spiritus, inuisibilis: carnis, visibilis est: atq; ideò carnalis generatio visibiliter administratur visibilibus incremẽtis: qui in carne nascitur, per ætatum momẽta proficit: spiritalis aũt generatio tota inuisibiliter agitur. Nam videtur quidẽ baptizandus in fontẽ descendere, videtur aquis intingi, videtur de aquis ascendere: quid aũt in illo lauacrũ regenerationis egerit, minimè potest videri. Sola hoc fideliũ pietas nouit, quia peccator in fontẽ descendit, sed purificatus ascẽdit: filius mortis descendit, sed filius resurrectionis ascendit: filius præuaricationis descẽdit, sed filius reconciliationis ascendit: filius iræ descendit, sed filius misericordiæ ascẽdit: filius diaboli descẽdit, sed filius Dei ascendit. Sola hæc Ecclesia mater quæ generat, nouit. Cæterũ oculis insipientiũ videtur talis exire de fonte, qualis intrauit, totũque ludus esse quod agitur. Vnde in fine videtes gloriã sanctorũ, dicent gementes in tormentis: Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & similitudinẽ improperij. Quomodò ergo cõputati sunt inter filios Dei? Et Apostolus Ioãnes: Charissimi, inquit, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Quod ergo natũ est ex spiritu, spiritus est: quia qui ex aqua & spiritu regeneratur, inuisibiliter in nouũ mutatur hominẽ, & de carnali efficitur spiritalis. Qui ideò rectè non solùm spiritalis, sed etiam spiritus vocatur: quia sicut substãtia spiritus inuisibilis est nostris aspectibus, ita is qui per gratiam Dei renouatur, inuisibiliter fit spiritalis, & Dei filius, cùm visibiliter omnibus caro & filius hominis appareat. Sequitur: *Non mireris, quia dixi tibi, oportet uos nasci denuò. Spiritus ubi uult spirat, & uocem eius audis, sed non scis unde ueniat, aut quò uadat. Sic est omnis qui natus est ex spiritu.* Spiritus vbi vult spirat, quia ipse habet in potestate, cuius cor gratia suæ visitationis illustret. Et vocem eius audis, cùm te præsente loquitur is, qui spiritu sancto repletus est. Sed non scis vnde veniat aut quò vadat, quia etiam si te præsente quempiam spiritus ad horam impleuerit, non potes videre quomodò in eum

Baptismus nõ potest repeti

Generatio carnalis, Spiritalis.

Effectus baptismi.

Sap. 5.

1. Ioan. 3.

Ioan. 2.

intrauerit, vel quomodò redierit, qui natura est inuisibilis. Sic est omnis qui natus est ex spiritu. Et ipse enim (inuisibiliter agente spiritu) incipit esse quod non erat, ita vt infideles nesciant vnde veniat, aut quò vadat, id est, quia à gratia regenerationis venit in adoptionem filiorum Dei, & vadit in perceptionem regni cælestis. Quærẽte autẽ adhuc Nicodemo, quomodò possent hæc fieri, subiunxit Dominus, dicens: *Tu es magister in Israël, & hæc ignoras?* Non quasi insultare volens ei, qui magister vocetur, cùm sit ignarus sacramentorum cęlestiũ, sed ad humilitatis illum viã prouocans, sine qua ianua cælestis non potest inueniri. *Si terrena dixi uobis, & non creditis: quomodò si dixero uobis cælestia credetis?* Terrena illis dixit, vt in superiori lectione inuenimus, cùm de passione ac resurrectione sui corporis, quod de terra assumpserat, loqueretur, dicens: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Non tamen credebant verbo, quod dixit: sed ne hoc quidem intelligere valebant, quia non de alio, quàm de templo corporis sui diceret. Qui ergo terrena audientes non capiebant, quanto minùs ad cælestia, id est, diuinæ regenerationis capienda mysteria sufficiunt? Addit autem adhuc Dominus & de cælestibus sacramẽtis & de terrenis instruere eum, quem vidit sapienter ac diligẽter his quæ audit, intendere. Cælestis nanq; est ascẽsio eius ad vitam sempiternam, terrena verò exaltatio eius ad mortem temporalem. Dicit ergo de cælestibus: *Et nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, filius hominis qui est in cælo.* Subiũgit verò de terrenis: *Et sicut Moyses exaltauit serpentẽ in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* Meritò aũt quæritur, quomodò dicatur filius hominis vel descendisse de cælo, vel eo tempore, quo hæc loquebatur in terra, iã fuisse in cælo. Nota est nãq; cõfessio fidei catholicæ, quia descẽdens de cælo filius Dei, filium hominis in vtero virginali suscepit, eumque completa dispensatione passionis suæ, resuscitauit à mortuis, & assumpsit in cęlum. Non ergo caro Christi descendit de cælo, neque ante tempus ascensionis erat in cælo. Et qua ratione dicit, Nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo, nisi quia vna Christi persona est, in duabus exiftens naturis? Atq; ideò filius hominis rectè dicitur & descendisse de cęlo, & ante passionẽ fuisse in cęlo: quia quod in sua natura habere non potuit, hoc in filio Dei, à quo sumptus est, habuit: sicut propter eandem vnius Christi personam, quæ ex duabus extat naturis, Apostolus ait: Vos spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quã acquisiuit sanguine suo. Neque enim Deus in sua substantia, sed in homine assumpto sanguinem, quem pro Ecclesia funderet, habuit. Hinc etiã Psalmista dicit: Ascẽdit Deus in iubilatione. Quomodò enim Deus nisi in homine ascenderet, qui in sue natura maiestatis semper vbiq; presens adest? Sed & hoc quærẽdũ, quomodò dictũ

Christi una persona, geminæ naturæ.

Actor. 20.

Psalm. 46

Universidad de Deusto
Biblioteca

sit, Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo: cùm omnes electi veraciter confidant ascensuros se in cælum, promittente sibi
Ioan. 12. Domino, quia vbi ego sum, illic & minister meus erit? Cuius tamen nodum quæstionis apertissima ratio soluit, quia videlicet mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, electorum omnium caput est, itemque omnes electi eiusdem
Ephes. 1. capitis membra sunt, dicente Apóstolo: Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam. Et rur-
1. Cor. 12. sum: Vos enim estis corpus Christi, & membra de membro. Nemo ergo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo. Quod est apertè dicere: Nemo ascendit in cælum, nisi Christus in corpore suo, quod est Ecclesia: qui in seipso quidem primum cernentibus apostolis, eminentioribus nimirùm membris suis, ascendit, & exinde in mẽbris suis quotidiè ascendens, se colligit in cælum. Hinc est enim, quòd ipsum corpus eius inter aduersa præsentis seculi deprehensum, gloriatur & dicit:
Psalm. 36. Nunc autem exaltauit caput meum super inimicos meos. Ac si apertè dicat: Qui occisum à Iudæis Christum, caput videlicet meum, suscitauit à mortuis, ac frustratis omnibus inimicorum insidijs subleuauit in cælum, spero quòd me etiã de præsentibus periculis eruens, meo capiti iungat in regno. Quia ergo nemo ascendit in cælũ, nisi qui descendit de cælo, quisquis in cælum ascẽdere desiderat, ei qui descẽdit de cælo, & est in cælo, se vera fidei dilectionisque vnitate coniungat: apertè intelligens, quia nullo alio ordine, nisi per eum qui descendit de cælo, potest ascendere in cælum. Vnde aliàs ipse dicit: Nemo
Ioan. 14. venit ad patrem, nisi per me. Hæc ideò Nicodemo, ideo cunctis dicuntur catechumenis, vt discant eius membris renascendo incorporari, per quem possint ascendere in regnum Dei. Et quia ascensio vel ingressus regni cælorum fieri nõ potest absq; fide & sacramento Dominicæ passionis, rectè subinfertur: *Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis: ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat uitam æternam.* Mira magisterij cælestis arte Dominus magistrum legis Mosaicæ ad spiritalẽ legis eiusdem sensum inducit, recordans historiæ veteris, & hanc in figuram suæ passionis atque humanæ
Num. 21. salutationis factam edisserens. Narrat quippe liber Numerorum, quòd pertæsus in eremo populus Israel itineris longi ac laboris, murmurauerunt contra Dominum & Moysen: ideoq; Dominus immiserit in illum ignitos serpentes, ad quorum plagas, mortesq; plurimorum cùm clamarent ad Moysen, & ipse oraret pro eis, iussit eum Dominus facere serpentem æneum, & ponere pro signo. Qui percussus, inquit, aspexerit
Vtilitas serpentum ignitorũ. in eum, viuet. Et ita factum est. Plagæ igitur serpentum ignitorum, venena sunt, & incentiua vitiorum, quæ animam quam tangũt, spiritali morte perimunt. Et benè murmurans contra Dominum populus, serpentum morsibus sternebatur, vt ex ordine flagelli exterioris agnosceret, quantam intùs perniciem murmurãdo pateretur. Exaltatio autem serpentis æneĩ, quem dum percussi aspicerent sanabantur, passio est nostri redemptoris in cruce: in cuius solùm fide regnum mortis & peccati superatur. Rectè etenim per serpẽtes peccata, quæ animam simul & corpus ad interitum trahunt, exprimuntur: non solùm quia igniti, quia virulenti, quia ad perimendum sunt astuti: verùm etiam quia per serpentem primi parentes nostri ad peccandum persuasi, ac de immortalibus sunt peccando mortales effecti. Rectè per serpentem æneum Dominus ostenditur, qui venit in similitudine carnis peccati: quia sicut æneus serpens effigiem quidem ignitis serpentibus similem, sed nullum prorsùs in suis membris habuit ardorem veneni nocentis, quin potiùs percussos à serpentibus sua exaltatione sanabat: sic nimirum, sic redemptor humani generis non carnem peccati, sed similitudinem induit carnis peccati, in qua mortem crucis patiendo, credentes in se ab omni peccato, & ab ipsa etiam morte liberaret. Sicut ergo Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita (inquit) oportet exaltari filium hominis: quia sicut illi, qui exaltatum pro signo serpentem æneum aspiciebãt, sanabantur ad tempus à corporali morte & plaga, quam serpentium morsus intulerat: ita & qui mysterium Dominicæ passionis, credendo, cõfitendo, synceriter imitando aspiciunt, saluantur in perpetuum ab omni morte, quam peccando in animo pariter & carne contraxerant. Vnde rectè subiungitur: *Vt omnis qui credit in ipso non pereat, sed habeat uitam æternam.* Cuius quidem verbi patet sensus: quia qui credit in Christum, non solùm perditionem euadit pœnarum, sed & vitam percipit æternam. Et hoc inter figuram distat & veritatem, quia per illam vita protelabatur corporis, per hanc vita datur sine fine mansura. Sed curandum solerter est, vt quod intellectus benè sentit, operatio condigna perficiat, quatenùs cõfessio rectæ nostræ fidei, piè & sobriè conuersando, ad perceptionem promissæ nobis vitæ mereatur attingere. Verùm quia hæc de filio hominis dicuntur, qui exaltari in cruce, & mortem potuit pati, ne putaret Nicodemus filium tantùm hominis esse eum, à quo vita esset expectanda perpetua, curauit ei Dominus etiam diuinitatis suæ patefacere sacramentum, vnumque & eundem filium Dei, & filium hominis, mundi ostendere saluatorem, nam sequitur: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam.* Vnde notandum, quòd eadem de filio Dei vnigenito replicat, quæ de filio hominis in cruce exaltato præmiserat, dicens: Vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam: quia profectò idem redemptor noster, filius Dei ante secula existens, filius hominis factus

ctus est in fine seculorum: vt qui per diuinitatis suæ potentiam nos creauerat ad perfruendam vitæ beatitudinem perennis, ipse per fragilitatem humanitatis nostræ nos restauraret ad recipiendam quam perdidimus vitam. Vnde nobis satagendum est, fratres charissimi, vt diuinis beneficijs vicem rependentes, diligamus toto corde,
Rom. 8. tota anima, tota virtute Deum patrem, qui nos tanto amore prior dilexit, vt proprio filio suo non parceret, sed pro nobis omnibus traderet il-
Philip. 2. lum. Diligamus ipsum filium, qui cùm in forma Dei esset, nostræ libertatis & vitæ gratia formam serui accepit, factusque est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: & (sicut de eo dicit Ioannes Apostolus) qui dilexit nos & lauit
Apoc. 1. nos à peccatis nostris in sanguine suo: diligamus sanctum eiusdem patris & filij spiritum, cuius
Ephes. 4. vnctione signati sumus in die redemptionis: qui vbi vult spirat, & vbicunque spirat, continuò flammam eiusdem diuinæ dilectionis accendit. Credamus ipsum patrem & filium & spiritum sanctum vnum esse Deum & Dominum nostrũ, ac debitis laudibus attollamus nomẽ eius in inuicem, cui est gloria, imperium, & potestas ante omnia & in omnia secula seculorum, AMEN.

ALBINI FLACCI ALCVINI
LIBRI TRES DE SANCTA TRINITATE, ET FIDE, AD GLORIOSISSIMVM DEO QVE DEVOTVM IMPERATOREM CAROLVM. PROLOGVS.

DOMINO GLORIOSO CAROLO IMPERATORI Augustissimo atque Christianissimo, humilis Leuita Alcuinus, in Domino Deo præsentis prosperitatis ac perpetuæ beatitudinis salutem.

VM DIGNITAS IMPERIALIS A DEO ordinata, ad nihil aliud exaltata esse videtur, nisi populo præesse & prodesse, proinde datur à Deo electis potestas & sapientia. Potestas, vt superbos opprimat, & defendat ab improbis humiles. Sapientia, vt regat & doceat pia solicitudine subiectos. His duobus, sancte Imperator, muneribus diuina gratia vestram incomparabiliter sublimitatem eiusdẽ nominis & numinis antecessoribus superexaltauit & honorauit, terroré potentiæ vestræ super omnes vndiq; gentes immittens, vt voluntaria subiectione ad vos veniãt, quos prioribus bellicus labor tẽporibus sibi subdere nõ potuit. Quid igitur, quid agendũ est vestrę Deo deuotissimæ solicitudini tempore serenitatis & pacis, quo militaris laboris cingulo soluto, totus pacifica quiete populus concurrere festinat ad vestræ iussionis edictũ, intentusq; ante thronum gloriæ vestræ consistens, quid cuique personæ vestra authoritas præcipere velit: nisi etiam omni dignitate iusta decernere, rata præcipere, sancta admonere, vt quisque lætus cum perpetuæ salutis præceptis domum redeat? Ne verò meæ in Domino deuotionis studium ocio torpens, vestro in prædicatione catholicæ fidei defuisset adiutorio, direxi sanctissimæ authoritati vestræ de fide sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, sub specie manualis libelli sermonem, vt diuinæ laus & fides sapientiæ, sapientissimi hominum probaretur iudicio. Nec videlicet alio quolibet vestræ Imperialis maiestatis munere digniorem æstimabam sapientiam, nec alium quemlibet tam excellenti dono in accipiendo æque dignum putabam, dum principem populi Christiani cuncta scire & prædicare, quæ Deo placeant, necesse esse notissimum est. Neque enim quenquam magis decet vel meliora nosse vel plura, quàm Imperatorem, cuius doctrina omnibus prodesse debet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

debet subiectis. Non quò Imperator inuicte & sapientissime, ac refulgens rector, aliquid scientiæ vestræ fidei catholicæ incognitum esse, vel rudius exploratum cogitarem: sed vt mei nominis, quo à quibusdam magister (licet non meritò) vocabar, officium ostenderem, necnon vt conuincerem eos, qui minùs vtile existimabant, vestram nobilissimam intentionem dialecticæ disciplinæ discere velle rationes, quas beatus Augustinus in libris de sancta Trinitate apprimè necessarias esse putauit, dum profundissimas de sancta Trinitate quæstiones, non nisi categoriarum subtilitate explanari posse probauit. Quod etiam in antè nominato eiusdem patris opusculo, pius & deuotus inquisitor facilè inueniet, si philosophiæ cognitionem in discendo habere non negligit. Hæc omnia deuotæ mentis acie considerans, tempore celeberrimi conuentus, quo sacerdotes Dei, & populi prædicatores Christiani in vnum Imperiali præcepto conueniunt, non ignaua, vt reor, opum pondera in rationem catholicæ fidei vestræ excellentissimę authoritati attuli: si Dominus, qui voluntatem dicendi dederat, spiritu gratiæ cor, vt de eius confido misericordia, in agnitione veritatis illuminauit. Nec aliquid mea inuenire valuit deuotio, quod liberiùs offerret, nec quod regalem beneuolentiam gratiùs accepisse putarem. Quid exinde efficere sit ratum, vestræ probationis expectat iudicium, si dignè meus iste labor in sacerdotales procedere valeat aures. Ergò vestræ dignitatis dextera dante ad legendum, nemo iustè mea dicta spernere poterit: quia probantis authoritas pluris æstimabitur, quã scribentis deuotio. Multa est omnibus fidelibus in vestra pietate gloriandi facultas, dum clementiæ vestræ solicitudo sacerdotalem, vt decet, habet in prædicatione verbi Dei vigorem, & perfectam in catholica fide scientiam, & sanctissimam pro hominum salute deuotionem. Quapropter vniuersorum precibus fidelium optandum est, vt in omnem gloriam vestrum extendatur imperium, vt scilicet catholica fides, quæ humanum genus sola viuificat, sola sanctificat, veraciter in vna confessione cunctorum cordibus infigatur: quatenùs summi regis donante pietate, eadem sanctæ pacis & perfectæ charitatis omnes vbique regat & custodiat vnitas. Nec aliud omnipotenti Deo munus amabilius esse probatur, quàm in catholica fide diuinæ concordia charitatis, vt omnes vnum sint in Christo, qui pro omnibus mortuus est, per quem cuncti credentes in eum, efficiantur filij æternæ beatitudinis.

O rex auguste clarissime dignus honore,
Et dux, & doctor, & decus imperij.
Te pater atq; patris proles, te spiritus almus
Protegat, exaltet, saluet, honoret, amet.
Quem tua per populos, terras, per regna, per vrbes,
Mens pia permandet semper amare Deum.

INDEX

INDEX CAPITVM primi Libri.

1 Quòd ad veram beatitudinem, nisi per fidem catholicam, peruenire nemo poterit.
2 Quæ sit vera fides.
3 Quòd sit vnus Deus, pater & filius & spiritus sanctus.
4 Quòd quædam de Deo substantialiter, quædam relatiuè dicuntur.
5 Quòd spiritus sanctus relatiuè dicitur ad patrem & filium.
6 Quòd spiritus sanctus communis est patris & filij spiritus.
7 Quòd de patre dicitur, ut etiam de filio dicatur.
8 Quòd necessario discernendum sit, quid de Deo substantialiter, uel quid relatiuè dicatur.
9 Quòd non sit maius aliquid pater & filius & spiritus sanctus simul dicti, quàm una quælibet persona ex eis.
10 Quod nihil secundùm accidens in Deo dicatur.
11 Quòd non sit diuersum in substantia, patrem uel filium dicere.
12 Quæ sint propria unicuiq; personæ in S. Trinitate.
13 Quòd quædam opera sanctæ Trinitatis quibusdam personis propriè conueniant.
14 Quòd sancta Trinitas non sit separabilis natura, nec in personis dicenda.
15 Quid sit inter ingenitum & patrem, & quòd filius solus sit genitus: spiritus sanctus nec genitus, nec ingenitus.
16 Quomodò intelligendæ sint locutiones prædicamentorum de Deo.

Quòd ad veram beatitudinem, nisi per fidem catholicam, peruenire nemo poterit. Caput I.

QVanuis in huius exilij ærumnosam cæcitatem pro originalis peccati iustissima pœna à gaudio beatæ felicitatis deiecti sumus, non tamen ita inde preciti atq; abrupti sumus, vt etiam in istis mutabilibus & temporalibus æternitatem, veritatem, beatitudinem quærere vel desiderare ignoremus. Quod ex eo perspicuum est, quòd nec mori, nec falli, nec miseri esse, voluntatem habemus. Vnde ex hoc naturali instinctu beatos esse velle, omnibus commune est hominibus, licet diuerso modo in animis singulorum beatitudinis appetitus fiat. Quidam verò beatum existimant esse, regno potiri terreno, alij diuitijs abundare, alij honoribus exaltari. Quidam verò laudibus celebres esse gaudent, alij voluptatibus inhiant carnalibus: sed nequaquam in huius vitæ volubilitate vera inueniri poterit beatitudo. Quocirca tota sanctarum series scripturarum nos à terrenis ad cælestia erigi hortatur, vbi vera & sempiterna est beatitudo, ad quam nisi per fidem catholicæ pacis, cooperante charitate Dei & proximi, neminem peruenire posse certissimum est.

Omnes beati esse uolunt.

Quæ sit uera fides. Caput II.

DEniq; ad veram beatitudinem peruenire volentibus, primò omnium vera fides necessaria est, sicut Apostolica docet authoritas, dicens: Sine fide impossibile est Deo placere. Cõstat ergo neminem ad verã peruenire posse beatitudinem, nisi Deo placeat: & Deo neminem placere posse, nisi per fidem. Fides nanq; est bonorum omniũ fundamentum. Fides est humanæ salutis initium. Sine hac nemo ad filiorum Dei potest consortium peruenire: quia sine hac ipsa nec in hoc seculo quisquam iustificationis consequitur gratiam, nec in futuro vitam possidebit æternã. Et si quis hic non ambulauerit per fidẽ, non perueniet ad speciẽ beatæ visionis Domini nostri Iesu Christi. Proinde omnis anima rationalis ætate congrua discat fidem catholicã: maximè populi prædicatores Christiani, & ecclesiarũ Dei doctores, vt possint veritati contradicentibus resistere, & catholicã amãtibus pacẽ prodesse. Quomodò docet quis, quod non didicit? vel qualiter pastor esse poterit, si pane vitæ gregẽ sibi cõmissum pascere ignorat? Nec erubescat nescius discere quod ignorat, nec sciens tardus sit docere quod nouit. Sciat vterq;, se suo Domino acceptæ pecuniæ rationem redditurum. Tunc desiderabilem fidelis seruus audiet vocem Domini, dicentis: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.

Matth. 25

ibidem.

Quòd sit unus deus, pater & filius & spiritus sanctus. Caput III.

OMnis itaq; scriptura veteris & noui testamẽti diuinitùs inspirata, si catholicè intelligitur, hoc insinuat, quòd pater & filius & spiritus sanctus, vnus sit Deus, eiusdem substantiæ, vniusq; essentiæ, atq; inseparabilis in diuinitate vnitatis. Ideoq; non sunt tres dij, sed vnus Deus, pater & filius & spiritus sanctus: quatuis pater filium genuerit, & ideò filius non sit, qui pater est, filiusq; à patre sit genitus, & ideò pater nõ sit, qui filius est: spiritusq; sanctus, nec pater sit, nec filius, sed tantum patris & filij spiritus, patri & filio etiam ipse coæqualis, & ad Trinitatis pertinens vnitatem. Et hæc Trinitas vnus est Deus, ex quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia, B. Paulo apostolo attestante, vbi ait: Quoniã ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in secula seculorum, Amen. Teneamus igitur firmissimè, patrem & filium & spiritum sanctum, vnum esse naturaliter Deum: nec tamen ipsum patrem esse, qui filius est: nec filium ipsum esse, qui pater est: nec spiritum sanctum ipsum esse, qui pater aut filius est. Vna est enim patris & filij & spiritus sancti essentia, in qua non est

Rom. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est aliud pater, aliud filius, aliud spiritussanctus: quanuis personaliter sit alius pater, alius filius, alius spiritussanctus. Quod nobis maximè in ipso sanctarum scripturarum demonstratur initio, vbi Deus dicit: Faciamus hominem ad imaginem Gen. 1. & similitudinem nostram, cùm enim singulari numero dicit, Imaginem: ostendit vnam naturã esse, ad cuius imaginem homo fieret: cùm verò dicit pluraliter, Nostram: ostendit eundem Deũ, ad cuius imaginem homo fiebat, non vnam esse personam. Si enim in illa vna essentia patris & filij & spiritussancti, vna esset persona, non diceretur, Ad imaginem nostram, sed, ad imaginem meam: nec dixisset, Faciamus, sed, faciam. Si verò in illis tribus personis tres essent intelligendæ vel credendæ substantiæ, non diceretur, Ad imaginem nostram, sed, ad imagines nostras. Sed ad vnam imaginem vnius Dei homo factus dicitur, vt vna sanctæ Trinitatis essentialiter diuinitas intimetur. Hanc quoque Trinitatem personarum, atque vnitatem naturæ, propheta Esaias re- Esai. 6. uelatam sibi non tacuit, cùm se dicit Seraphim vidisse clamantia: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth. Vbi prorsus in eo, quòd dicitur tertiò, sanctus, personarum Trinitatem: in eo verò, quòd semel dicitur, Dominus Deus sabaoth, diuinæ naturæ cognoscimus vnitatem. Planè & absque omni dubitatione credendum est, patrem & filium & spiritumsanctum, vnum esse Deum omnipotentem, æternum, incommutabilem, & singulus horum Deus, & simul omnes vnus Deus. Et singulus quisque horum plena & perfecta & æterna substantia, & simul omnes vna substantia. Quia quicquid est pater eo, quòd Deus est, quòd substantia est, quòd æternitas est, hoc filius, hoc spiritussanctus est. Ita etiam & filius eo, quòd Deus est, quòd substantia est, quòd æternitas est, hoc pater est, hoc spiritussanctus est: & quicquid spiritussanctus est, eo quòd Deus est, quòd substãtia est, quòd æternitas est, hoc pater est & filius est. Vna in tribus diuinitas, vna essentia, vna omnipotentia, & quicquid substantialiter de Deo dici potest. Si fortè de solo patre interrogatus fueris quid sit pater, respondes, Deus: interrogatus de filio, respondes, Deus: interrogatus de spiritussancto, respondes, Deus. Si interrogatus fueris simul de patre & filio & spiritussancto, non deos, sed Deum respondes, vnum, omnipotentem, incommutabilem.

Quòd quædam de Deo substantialiter, quædam relatiuè dicuntur. Cap. IIII.

SCiendum est, quòd quædam de Deo substantialiter dicuntur, vt est, Deus magnus, omnipotens, & quicquid ad se dicitur. i. substantiam diuinitatis significans. Quædam itaque relatiuè dicuntur, vt pater ad filium, & filius ad patrem, & spiritussanctus relatiuè ad patrem & filium. Ad se autem siue pater, siue filius, siue spiritussanctus, Deus substantialiter dicitur. Itaque pater eo quòd Deus est, hoc ipso substantia est. Quia eiusdem substãtiæ filius & spiritussanctus, proculdubiò & filius Deus est, & spiritussanctus Deus. At verò Deus eo, quòd pater est, relatiuè dicitur, quia non substantiæ nomen est, sed refertur ad filium. Non sic dicimus filium Patrem esse, quomodò dicimus filium Deum esse: nec ita dicimus patrem filium esse, sicut dicimus Deum esse: quia Deus substantialiter dicitur, pater & filius & spiritussanctus relatiuè dicuntur.

Quòd Spiritussanctus relatiuè dicitur ad patrem & filium. Caput. V.

PRorsus & spiritussanctus relatiuè dicitur ad patrem & filium, sed non eo modo, quo inter se pater & filius. Sicut enim relatiuè pater & filius dicuntur, ita & spiritussanctus ad patrem & filium quodammodò relatiuè dicitur, quia patris & filij spiritus est: Sed ipsa relatio spiritussancti non ita reciproca ratione conuerti potest, sicut pater & filius. Nam pater filij pater dicitur, & filius patris filius dicitur: spiritus verò sanctus vniformiter dicitur ad patrem & filium, quia patris & filij spiritus est. Dicimus enim spiritumsanctum spiritum patris, sed non vicissim dicimus patrem spiritussancti: ne filius eius intelligatur spiritussanctus. Item dicimus spiritumsanctũ spiritum filij, sed non dicimus filium spiritussancti, ne pater eius intelligatur spiritussanctus. Dicitur & idem spiritus donum Dei, quia Deus donator doni sui est. In quibus nominibus circumferri potest vicissim relationis regula, vt si dicamus donator doni, & donum donatoris: quia in his vocabulis potuit inueniri vsitata huic categoriæ, quæ dicitur ad aliquid, circumlatio.

Spiritus sanctus

donum

Quòd Spiritussanctus communis est patris & filij & spiritus. Caput VI.

ERgo hoc donum Dei. i. spiritussanctus, qui de patre & filio æqualiter procedit, ineffabilis quædam patris filijq; communio est, & ideò fortasse sic appellatur, quia patri & filio potest eadem appellatio conuenire. Nam hoc ipse propriè dicitur, quod illi communiter dicũtur: quia & pater spiritus, & filius spiritus, & pater sanctꝰ, & filius sanctus rectè dicitur. Ergo vt nominibus iunctis, quæ seperatim vtrique personæ conueniunt, vtriusq; communio propriè significetur, vocatur spiritussanctus, qui est tertia in sancta Trinitate persona, patri & filio per omnia coæqualis, coæternus & consubstantialis: & hæc Trinitas vnus est Deus, solus bonus, magnus, æternus, omnipotens. Ipse sibi vnitas, deitas, magnitudo, bonitas, omnipotentia, & quicquid ad se substantialiter dicitur. Non ita in relatiuis vocabulis intelligendum est, vel dicendum: quia dici non potest pater sibi pater, vel filius sibi filius, vel spiritussanctus sibi spiritussanctus: sed hæc relatiua vocabula proculdubiò ad personas referri debent.

Spiritus sanctus

donum

Cur dicatur

tum

Quòd de patre dicitur, ut etiam de filio dicatur. Caput VII.

QVicquid ergo ad se dicũtur pater & filius, non dicitur alter sine altero, id est, quicquid dicuntur, quod substantiam eorum ostendat, ambo simul dicuntur. Si hæc ita sunt, iam ergo nec pater est Deus sine filio, nec filius Deus sine patre. i. non ita dicitur pater Deus, quasi filius non sit Deus: nec filius ita dicitur Deus, quasi pater non sit Deus: sed ambo simul Deus, etiam & vnus Deus. Quocirca quicquid secundùm substantiam vel æternitatem de eis dici potest, ambo simul sunt: Quanuis de filio dicatur, Deus de Deo, lumen de lumine, ambo simul Deus, ambo simul lumen: sed non pater Deus de Deo, nec lumen de lumine: sed filius Deus de Deo, & lumen de lumine: ambo tamen semper simul Deus vnus, & vnum lumen. Sic etiam & de alijs appellationibus, quæ secundùm substantiam dicuntur, id est, quod simul ambo sunt, dici debet, vt omnipotens, magnus, bonus, æternus, & cætera, quæ ad se dicuntur. Quod si ita est, hoc solum de eis dici non potest, illud de illo, quod simul ambo non sunt: sicut verbum de verbo dici non potest, quia non simul ambo verbum, sed solus filius verbum. Nec imago de imagine, quia non simul ambo imago, sed solus filius imago. Nec filius de filio, quia non simul ambo filius. Nec pater de patre, quia non simul ambo pater. Et ideò quod Euangelista ait, Et verbum erat apud Deum, multum est vt sic intelligatur: Verbum quod solus est filius, erat apud Deum, quod non solus est pater, sed pater & filius simul Deus. In quo perfectè intelligitur, quòd nõ præcesserit genitor illud quod genuit: & quòd ipse in Euangelio ait: Ego & pater vnum sumus. Vnum sumus, ait, id est, quod ille, hoc & ego secundùm essentiam, non secundùm relatiuum. Quod dicimus, Lumen de lumine, non duo lumina intelligenda sunt, vel separatio luminis: sed ita intelligendum est, quòd filius effulgentia æterna luminis est æterni, sicut imago sempiternæ substãtiæ sempiterna est imago.

Ioan. 1.

Ioan. 10.

Quòd necessariò discernendum sit, quid de Deo substantialiter, uel quid relatiuè dicatur. Caput VIII.

EXempli gratia: Si quæris quid sit Abraham iuxta substantiam, respondetur, Homo. Si quæris de Abraham, cur pater sit, relatiuè respondetur, Quia filium habet Isaac. Si quæris de Isaac, cur sit filius, relatiuè respondetur, Quia patrem habet Abraham. Omnis verò relatio ad aliud aliquid refertur. Et hæc regula relationis in personis sanctæ Trinitatis intelligenda est. Si ergo interrogatus fueris de Deo, cur dicatur pater, relatiuè responde, quia habet filium: Ita etiam & de filio relatiuè respondeo, ideò esse filium, quia habet patrem. Si ergo de Deo dictum tibi fuerit, Quomodò pater hoc est quod filius, & filius hoc est quod pater? responde, Secundùm substantiam hoc est filius quod pater, & pater quod filius: quia vnus est Deus & vna substantia, pater & filius. Ad se enim Deus substantialiter dicitur: ad patrem filius, & filius ad patrem, relatiuè dicitur. Iuxta personæ proprietatem non est pater qui filius, nec filius qui pater est. Iuxta substantiæ vnitatẽ, hoc est pater quod filius, id est, vnus Deus omnipotens. Quicquid ergo ad seipsum dicitur Deus, & de singulis personis dicitur, patre & filio & spiritusancto, & simul de ipsa Trinitate, nõ pluraliter, sed singulariter dicendum est. Quippe non aliud est Deo esse, & aliud magnum esse: vel aliud esse, & aliud bonum esse: sed hoc idem illi est & esse & magnum esse, & esse & bonum esse. Propterea sicut non dicimus tres deos, nec tres essentias, sic non dicimus tres magnitudines, nec tres bonitates, sed vnum Deum, vnam essentiam, & vnam magnitudinem, & vnam bonitatem.

Quòd non sit maius aliquid pater & filius & spiritussanctus simul dicti, quàm una quælibet persona ex eis. Caput IX.

ABsque omni scilicet dubitatione credi necessarium est, quòd pater plenus & perfectus est Deus, filius plenus & perfectus est Deus, spiritussanctus plenus & perfectus est Deus: non tamen tres dij pater & filius & spiritussanctus, sed vnus Deus plenus & perfectus. Nec aliquid maius tres simul dicti, pater & filius, & spiritussanctus, quàm vnusquilibet, vel pater, vel filius, vel spiritussanctus: quia cadẽ magnitudo est in vnaquaq; persona semel dicta, quæ est in tribus personis simul nominatis. Nõ ita dicimus in hominibus fieri posse. Abraham plenus homo, Isaac plenus homo, Iacob plenus homo: & hi omnes vnius substantiæ, quantùm ad humanam pertinet naturam. Non tamen hi tres vnus homo, sed tres omnimodis homines: & aliquid maius in tribus cognoscitur, quàm in quolibet vno eorum. Item Abraham vnus homo, non tamen tres personæ in eo, sicut in vno Deo tres sunt personæ plenæ & perfectæ: sed vna persona in Abraham, sicut in vno solet homine esse.

Quòd nihil secundum accidens in Deo dicatur. Caput X.

IN Deo autem nihil quidem secundùm accidens dicitur, quia nihil in Deo mutabile est: est tamen omne quod de Deo dicitur, secundũ

In Deo nõ accidẽs est

Universidad de Deusto
Biblioteca

substantiam dicitur, vt in superioribus diximus. Quanuis enim dicatur pater ad filiũ, & filius ad patrẽ, secundũ aliquid, nõ est tamẽ accidens patri patrẽ esse, vel filio filiũ esse: quia & ille semper pater, & ille semper filius: quia æternitas & incõmutabilitas negat accidẽtis alicuius in Deo instabilitatem: quia omne accidens secundùm tempus vel esse vel non esse potest, vel potuit, vel etiã poterit: quia pater nunquam non pater, & filius nunquam non filius: nec cœpit vnquam pater esse pater, nec filius esse filius. Quòd si aliquando cœpisset pater pater esse, vel filius filius esse, vel si desineret esse quod erat, secundùm accidens diceretur pater & filius. Si verò quod dicitur pater, ad seipsum diceretur, non ad filium: & quod dicitur filius, ad seipsum diceretur, non ad patrem, secundùm substantiam diceretur. Sed pater non dicitur pater, nisi ex eo quòd est ei filius: & filius nõ dicitur filius, nisi ex eo quòd habet patrem, non secundùm substantiam, vt dictum est in prioribus: quia non quisq; eorũ ad seipsum, sed ad inuicem atq; alterutrum ista dicuntur: neque secundùm accidens, quia & quod dicitur pater, & quod dicitur filius, æternum atque incommutabile est eis.

Quòd non sit diuersum in substantia, patrem uel filium dicere. Caput XI.

QVanuis alius sit pater, alius filius, non est tamen diuersa substãtia patris & filij: quia hoc non secundùm substantiam dicũtur, sed secundùm relatiuum. Quod tamen relatiuum nõ est accidẽs, quia nõ est mutabile. Cùm itaq; tantus est solus pater, vel solus filius, vel solus spiritussanctus, quantus est simul pater & filius & spiritussanctus, nullo modo triplex dicendus est Deus, quia non est quo crescat illa perfectio summæ Trinitatis. Perfectus enim siue pater, siue filius, siue spiritussanctus, & perfectus Deus pater & filius & spiritussanctus: Ideò Trinitas potiùs, quàm triplex dicenda est.

Deus non est dicendus triplex, sed Trinitas.

Quæ sint propria unicuiq; personæ in sancta Trinitate. Caput XII.

HAbent itaque singulæ in sancta Trinitate personæ aliquid proprium, quo inseparabili æqualitate aliquam in se ostendant proprietatem. Pater solus est pater, & filius solus est filius, & spiritussanctus solus est spiritussanctus. Et pater hoc habet proprium, quòd ex omnibus quæ sunt, solus est, quia ab alio non est: ac per hoc solus est in paternitatis persona, non in deitatis essentia. Vnigenitus verò filius Dei hoc habet proprium, quòd ex solo, id est, patre consubstantialiter & coessentialiter solus genitus est, & in hoc est personæ suæ proprietas. Spiritussanctus itaq; hoc habet propriũ, quòd ex patre & filio æqualiter procedit, & est amborũ spiritus, eiusdẽq; substantiæ & æternitatis cum patre & filio. Sed hæc tria verè etiam tria sunt, ineffabiliterq; tria, & essentialiter tria, habentia proprietates suas: & hæc tria vnum, & verè vnum, & hoc vnũ tres. Sed non tres patres, nec tres filij, nec tres spiritussancti: sed tres personæ, vnus pater, vnus filius, vnus spiritussanctus. Et hi tres. i. pater & filius & spiritussanctus, vnum sunt in natura, omnipotentia, & æternitate. Sed hoc etiam atque etiam firmiter tenendum est, nihil in sancta Trinitate ad se dictum, plurali numero esse dicendum: quia simplex illa summæ diuinitatis natura singulari numero designari debet, non plurali: ac ideò nec tres deos, nec tres omnipotentes, nec tres bonos, nec tres magnos, nec tres essentias in Deo dicere fas est. Cùm enim personaliter alius sit pater, alius filius, alius spiritussanctus, his tamen vnum est naturæ nomen, quod dicitur Deus, vel substantia, vel essentia, vel omnipotentia, vel alia multa, quæ substantialiter, non relatiuè de Deo dicuntur.

Proprium patri,

Filio,

Spiritui sancto.

Quòd quædam opera sanctæ Trinitatis quibusdam personis proprie conueniunt. Cap. XIII.

INdubitanter siquidem credere debemus, ipsam sanctam Trinitatẽ esse inseparabilis substantiæ atq; essentiæ, inseparabiliterq; operari, quicquid à singulis personis legimus operatum esse, quanuis certissimum sit patrem esse solum qui dixit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui: & filium esse solum, super quem illa vox solius patris insonuit, quando in Iordane secundùm hominem baptizatus est idem vnigenitus Deus, qui carnem solus accepit: & spiritum sanctum patris & filij solum esse, qui in specie columbæ super eundem baptizatum ascendẽtem de aqua descendit, & quinquagesimo die post resurrectionem Christi fideles in vno loco positos, in linguarum ignearum visione adueniens repleuit. Illam tamen verissimè vocẽ, qua solus locutus est Deus pater, & illã carnẽ, in qua solus homo factus est vnigenitus Deus, & illã columbam, in cuius specie spiritussanctus super Christum descendit, illasque linguas igneas, in quarum visione fideles vno in loco constitutos repleuit, opera esse totius sanctæ Trinitatis, id est, vnius Dei, qui fecit in cælis & in terra visibilia & inuisibilia, verissimè credendum est.

Matth. 3.

Act. 2.

Quòd sancta Trinitas non sit separabilis natura, nec in personis dicenda. Cap. XIIII.

DEus ergo per immensitatem naturæ suæ, continet ac per hoc totum quicquid est, implet pater, totum filius, totum spiritussanctus: quia pater & filius & spiritussanctus naturaliter vnus est Deus.

Omnia Deus continet & implet.

In-

Inseparabilis igitur naturæ vnitas, non potest separabiles habere personas. Hęc verò summę Trinitatis atque indiuiduæ vnitatis natura, quæ sola est vbique tota, sicut vbique inseparabilem habet vnitatem naturæ vel operis, sic separationem non potest recipere personarum. Nominãtur quidem illæ personæ aliquando singulæ, sed ita se voluit ipsa Deus Trinitas inseparabilem ostendere in personis, vt nullum ibi nomen sit in qualibet persona, quod ad aliam secundùm relationis regulam non referatur, sicut pater ad filium, vel filius ad patrem, vel spiritussanctus ad patrem & filium verissimè refertur. Ea verò nomina, quæ substantiam, vel potentiam, vel essentiam Dei significant, vel quicquid propriè ad se dicitur Deus, omnibus personis æqualiter conueniunt, vt, Deus magnus, bonus, æternus, omnipotens, & omnia quæ naturaliter de Deo dicuntur. Non est igitur aliquod nomen naturæ, quod sic patri conuenire possit, vt aut filio aut spiritui sancto æqualiter conuenire nequeat. Dicitur enim pater naturaliter Deus, sed naturaliter est Deus & filius, naturaliter est Deus & spiritussanctus: nec tamen tres dij, sed naturaliter vnus Deus, pater & filius & spiritussanctus. Idcirco inseparabilis est sancta trinitas in personis sensu intelligenda, quanuis in voce separabilia habeat nomina, quia pluralem numerum in naturę suæ nominibus nullatenùs recipit. In hoc ostenditur personas non posse diuidi in sancta Trinitate, quia cuiuslibet personæ nomen semper ad alteram respicit personam. Si patrem dicis, filiũ ostendis. Si filium nominas, patrem prædicas. Si spiritum sanctum appellas, alicuius esse spiritum necesse est intelligas. i. patris & filij. Et hoc regulariter tenere debemus, omnia naturæ diuinę nomina vel essentiæ, sicut in vna persona singulariter, sic etiam in tribus semper singulari numero dici debere. Si quis verò minùs in talibus est exercitatus mysterijs summæ Trinitatis, votis agat apud Deum, vt intelligat quæ Dei sunt: non mecum querelis, quòd ea scripsi, quæ in sanctorum dictis doctorum legebam.

Inseparabiles personæ.

Quid sit inter ingenitum & patrem, & quòd filius eius solus sit genitus, spiritussanctus nec genitus, nec ingenitus. Caput XV.

SCiendum est, quòd non per omnia idem est patrem dicere & ingenitum, quia etsi filium non genuisset, nihil prohiberet eum dici ingenitum: quia dum dicitur ingenitus, non quid sit, sed quid non sit ille, de quo dicis ingenitus, significatur. Pater itaque secundùm affirmationem, ingenitus secundùm negationem dicitur. Negatur itaque genitum esse eundem, de quo hoc dicitur: nec tamen aliquid eum genuisse significatur, cùm dicitur ingenitus. Patrẽ itaque dum dicimus, significamus filiũ eum genuisse: quia filius propriè ideò genitus dicitur, quia patrem habet qui eum genuit. Sed non est inter patrem & filium diuisio vel scissio, quia alter in altero est, sicut in euangelio legimus ipsum Dominum dicentem: Ego in patre, & pater in me est. Vnus ab vno genitus, perfectus à perfecto, plenitudo diuinitatis in vtroque, nihil differens alter ab altero, quia vita à vita est, filius à patre, sicut ipse ait: Sicut pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso, id est, talem genuit filium, qui vitam haberet in semetipso. Spiritus siquidem sanctus nec ingenitus, nec genitus alicubi dicitur: ne si ingenitus diceretur sicut pater, duo patres in sancta Trinitate intelligerentur: aut si genitus diceretur sicut filius, duo itidem filij in eadem æstimarentur esse sancta Trinitate: sed tantummodò procedere de patre & filio, salua fide, dicendus est. Qui tamen non de patre procedit in filiũ, & de filio procedit ad sanctificandam creaturam, sicut quidam malè intelligentes, credendum esse putabant: sed simul de vtroque procedit, quia pater talem genuit filium, vt quemadmodùm de se, ita de illo quoque procedat spiritussanctus.

Ioan. 14.

Ioan. 5.

Non idem est pater, & ingenitus.

Spiritus sanctus nec genitus, nec ingenitus.

Quomodò intelligendæ sint locutiones prædicamentorum de Deo. Caput XVI.

DEcem genera sunt humanæ locutionis, quibus homines suos sensus solent inter se conferre: non de illis dico, quas grammatici partes orationis vocant: sed de illis, quas philosophi Græcè categorias, Latinè prædicamenta appellare solent: quæ quidem ab eis sic nominãtur, Substantia, quantitas, qualitas, ad aliquid (quod genus locutionis relatiuum dicitur) item habitus, situs, tempus, locus, facere, pati. Hæ sunt igitur causæ locutionis nostræ. Aut enim de substantia cuiuslibet rei loquimur, vel quantitate, id est, magnitudine, aut etiam de qualitate, in quo genere locutionis bonos dicimus qui boni sunt. Aut verò ad aliquid, id est, dum persona quælibet inter se conferuntur, vt dominus non dicitur, nisi seruus intelligatur: nec iterum seruus, nisi respiciat ad dominum. Item de habitu animi vel corporis: aut de situ, in quo consideratur stare, sedere, iacere. De loco & tempore, id est, quid in quo loco vel tempore fiat. Item quis quid faciat, vel quid patiatur, sæpè loquela nostra ostendit. His ergo omnibus modis solet sancta scriptura de Deo loqui, sed aliter propriè, aliter translatiuè, aliter relatiuè. Propriè Deus dicitur substantia vna, summa & ineffabilis, quæ semper idem est quod est, cui nihil accidens vel recedens inesse poterit, quæ semper est quod est, quia semper immutabilis. Item Deus magnus dicitur, non alia magnitudi-

Decẽ prædicamẽta.

Locutio de Deo propria, translatitia, relatiua.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ne, nisi quia ipse magnus est & immensus. Ea igitur magnitudine magnus est, quæ ipse est: & ea bonitate bonus est, quæ ipse est. Nec Deo aliud est esse, aliud magnum esse, aliud bonum esse: sed eo quo est, magnus est & bonus. Ideò nec tres substantias, nec tres magnos, nec tres bonos de Deo dicere fas est. Quod autem facere dicitur, de Deo verisimè dicitur, per quem omnia
Ioan. 5. facta sunt quæ sunt, Domino dicéte: Pater meus vsque modò operatur, & ego operor. Hæc propriè in prædicamentis suprà nominatis de Deo dicuntur, si tamen de illo propriè aliquid dici ore hominis potest. Relatiuè itaque de Deo dicitur pater & filius & spiritussanctus, sicut suprà abundanter docuimus. Situs verò & habitus, & loca, & tempora, & pati, non propriè, sed translatiuè per similitudines dicuntur in Deo. Nam & sedere super Cherubim dicitur, quod ad situm:
Psal. 77. & abyssus tanquàm vestimentum amictus eius,
103. quod ad habitum: & anni tui non deficiét, quod
101. ad tempus: & si ascendero in cælum, tu ibi es,
138. quod ad locũ pertinet. Dicitur & de Deo, Pœni-
Gen. 6. tét me fecisse hominem, quod est pati, vel etiam,
Esai. 1. Laboraui sustinens. Neque enim aliquid Deus patitur, quantum ad eius substantiam pertinet: quia Deus est, quia incommutabilis & impassibilis substantia est: dum aliæ omnes substantiæ capiunt accidentia, quibus in eis fiat vel magna, vel quantacunque mutatio. Deo autem huiusmodi aliquid accidere non potest: & ideò sola est incommutabilis substantia vel essentia, quæ Deus est: cui profectò ipsum esse, vnde essentia nominata est, maximè & verisimè competit. Cui soli optimè congruit illud nomen, quod
1. Cor. 1. Græci dicunt ὤν, Latini, Est, sicut Apostolus ait: Non est in illo, Est, & Non: sed est in illo, Est. Iam verò sublimitas huius tam arduæ disputationis, respirare aliquantulùm dictantem admonet, vt liberiori sensu ea quæ deinde dicenda sunt, ingrediatur explanare.

Finis primi libri.

INDEX CAPITVM
Secundi Libri.

1 Quòd Deus omnium sit causa, quæ sunt ut sint.
2 Quòd Deus super omnia sit.
3 Quòd melius sit de Deo æqualia dicere, quàm similia.
4 De immensitate Dei.
5 Quare Deus dicatur magis in cælo habitare, quàm in terra.
6 Quanuis humano more scriptura de Deo loquatur, nil tamen commutationis in Deo esse.
7 Quòd Deus ubiq; sit totus potestate naturali.
8 Quòd Deus aliter in sanctis sit, aliter peccatoribus præsit.
9 De diuersitate eorum, quæ sunt.
10 Quòd quædam mirabilis facta est coniunctio creatoris ad creaturam.
11 Vtrùm anima Christi plenam habeat diuinitatis suæ cognitionem.
12 Quomodò dicatur in euangelio, filium nescire diem iudicij. Mar. 13
13 Quòd unum opus sit patris & filij.
14 Omnia per Christum facta esse: ipsum uerò natum, non factum.
15 De eo quòd sicut pater est uita, ita & filius est uita.
16 Quòd substantia diuinitatis omnimodis inuisibilis sit & incomprehensibilis in sua natura creaturis.
17 Quòd illæ uisiones, quæ in ueteri testamẽto patribus apparuisse leguntur, per angelicas administrationes fierent.
18 Non de solo patre intelligendum quod dicitur, Qui facit mirabilia magna solus.
19 De unitate spiritussancti cum patre & filio.
20 Quòd nihil temporale debemus intelligere de spiritusancto, dum dicitur donum Dei.
21 Cur idem spiritussanctus bis à Christo datus sit.
22 Quanuis diuersa sint dona Dei in sanctis, ab uno eodemq; spiritu singulis singula dantur.

PRAEFATIO IN LIBRVM secundum.

OMNIS itaque sanctorum authoritas librorum hoc nobiscum agit, vt rectè de Deo credamus, eumque tota intentione amemus. Sed mentis humanæ visio inualida est ad aspiciendam diuinę maiestatis excellentissimam lucem, nisi iustitiæ, fidei, & dilectionis, diuina donante gratia, illustretur splendore. Quapropter diuina votis omnibus postulanda est gratia, vt mundetur oculus cordis ad videndũ, quàm propriè Trinitas sit vnus, & solus, & verus Deus, & quã rectè pater & filius & spiritussanctus vnius eiusdemque substantiæ vel essentiæ dicatur, intelligatur, credatur. Ad huius sacratissimæ beatitudinis visionem nemo nisi per fidem mũdato corde attingere poterit, dicéte ipsa
Matth. veritate: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Hæc verò visio non carnalibus æstimanda est oculis cerni posse, sed puræ mentis intuitu consideranda est, secundùm quòd spiritussancti gratia nostræ mentis aciem illustrare dignabitur.

Quòd

Quòd Deus omnium sit causa, quæ sunt, ut sint. Caput I.

EORVM igitur quæ sunt vel fuerunt, vel futura sunt, causa est Deus, & horũ dator & creator. Et non est dicere, hoc esse ipsum, quod sunt illa, quibus vt essent dedit: nec alicui creaturæ partem suæ substantiæ dedit, & cùm ipse sit immutabilis, mutabilia sine sui mutabilitate creauit. Ideò in illo hymno laudabili, quem peracta cœna mystica coram discipulis suis in laudem patris Deus fi-
Ioan. 17. lius decantauit, non dixit de fidelibus suis, Vt vnum sint nobiscum, sed vt vnum sint in nobis, quia diuersa substantia est creatoris & creaturę. Nec etiam dixit: Ego & ipsi vnum, quanuis per id quod Ecclesiæ caput est, & corpus eius Ecclesia, possit dicere: Ego & ipsi non vnum, sed vnus, quia caput & corpus, vnus est Christus. Sed di-
Ibidem. uinitatem suam consubstantialem patri ostẽdit, dum ait: Vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Vult ergo suos esse vnum, sed in ipso, quia in seipsis nõ possent, dissociati ab inuicem per diuersas voluntates. Cùm enim sit sancta Trinitas vnus & solus Deus, in substantia solus, in personis tria quædam: cùm multa voluit esse, non illud esse ea voluit, quod ipse est, dum ea quæ voluit esse, originem habent: illi siquidem sine origine est esse.

Quòd Deus super omnia sit. Caput II.

DEum supra omnem existentiam, supra omnem vitam, supra omnem intelligentiam credimus esse: & illa est summa existentia, summa intelligentia, summa vita, à quo omnis vita, omnis intelligẽtia, & omnis existẽtia. Dei enim esse idem ipsum est, & potentia, & substantia, & diuinitas: & hæc omnia vnum, & hoc vnum simplex.

Quòd melius sit de Deo æqualia dicere, quàm similia. Caput III.

Philip. 2. DE Dei filio doctor egregius beatus Paulus Apostolus dicit: Cùm esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Proinde melius esse videtur æqualitatem de diuinis dicere personis, quàm similitudinẽ, quanquam vtrunque inueniatur: quia vna quælibet substantia secundùm quod substantia est,
Trinitatis una substantia. non est alia, vt sit similis ad aliã. Nec enim in sancta Trinitate substantia substãtiæ similis est, sed vna & ipsa eadem substantia est patris & filij & spiritussancti. Nec sunt tres substantiæ similes, sed vna trium æqualiter: nec pater filio prior est, nec filius patre posterior, sicut Arriani voluerunt. Nam & Abraham & Isaac licet vnius sint substantiæ secundùm humanitatem, tamen Abraham prior est tempore, & Isaac posterior. Quanuis sint similes substantia, tamen illa similitudo substantiæ in filio posterior est tempore: quod impiũ est in Deo dicere aliquid prius esse vel posterius, quia non ex tẽpore Deus cœpit esse pater, sed sicut semper Deus, ita semper pater, semper habẽs filium, quem semel genuit ex sua æqualẽ sibi natura. Addũt quoq; dialectici, quòd omne simile receptibile possit esse dissimilitudinis: sicut duo homines quanuis similes sint substantia, dissimiles tamen possunt esse moribus. Ideò non possunt rectè per omnia æquales dici: & sunt duæ substantiæ in eis diuisæ, vnusquisque in sua substantia plenus homo. In patre verò & filio & spiritu sancto non est similis substantia substantiæ, sed vna æqualis per omnia: & ideò ὁμοούσιος, id est, vnius substantiæ: non ὁμοιούσιος, id est, similis substãtiæ, sicut hæretici voluerunt.

De immensitate Dei. Caput IIII.

QVicquid in natura creaturarum est, creatura est Dei, cuius omnipotentia ea gubernat, regit & implet quæ creauit. Nec ideò Deum omnia implere dicimus, vt eum contineant, sed vt ipsa potiùs contineantur ab eo. Nec particulatim Deus implet omnia, nec vllatenùs ita putandum est in omnibus esse Deum, vt vnaquæque res pro magnitudine portionis suæ capiat eum, id est, maxima maius, & minima minus, dum sit potiùs ipse totus in omnibus, siue omnia in ipso, cuius omnipotentia omnia concludit, nec euadendi potentiam eius quis aditum inuenire poterit. Qui enim eum non habet placatum, nequaquam euadet iratũ. Immensitas diuinæ magnitudinis ista est, vt intelligamus eum intra omnia, sed non inclusum: extra omnia, sed non exclusum: & ideò interiorem, vt omnia contineat: ideò exteriorem, vt incircunscriptæ magnitudinis suæ immensitate omnia concludat. Per id ergo quod exterior est, ostenditur esse creatori. Per id verò qđ interior, gubernare omnia demonstratur. Ac ne ea quæ creata sunt, sine Deo essent, Deus intra omnia est. Verùm ne extra Deum essent, Deus exterior est, vt omnia concludantur ab eo, non locali magnitudine, sed potentiali præsentia, qua vbiq; præsens est, & omnia illi præsentia: quanuis quidam hoc intelligant, quidam verò non intelligant. Nam cæco sol absens, quanuis sit in sole, & soli præsens. Sed in talibus de Deo dictis, nihil humana mens localitatis, vel temporalitatis, vel mutabilitatis fingere vel cogitare debet.

Immensitas magnitudinis Dei.

Quare Deus dicatur magis in cælo habitare, quàm in terra. Caput V.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Matth.6. QVòd verò in dominica oratione dicitur: Pater noster qui es in cælis, vel quod in Psalm.122 Psalmis legitur: Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis: non corporaliter intelligendum est, sed spiritaliter, quia non spatio locorum continetur Deus. Sunt autem cæli excellentissima quædam mundi corpora, quæ non possunt esse nisi in loco. Sed si in cælis, tanquam in superioribus mundi partibus, locus Dei esse creditur, melioris meriti sunt aues, quarum vita est Deo vicinior. Non autem scriptum est: Propè est Dominus excelsis hominibus, aut eis qui Psal.144. in montibus habitant: sed scriptum est: Propè est Dominus obtritis corde, quod magis pertinet ad humilitatem. Sed quemadmodùm terra appellatus est peccator, cùm ei dictũ est, Terra es, & in terram ibis: sic cælum iustus è contrario dici potest. Iustis enim dicitur: Templum Gen. 3. Dei sanctum est, quod estis vos. Quapropter si 1. Cor. 3. in templo suo habitat Deus, quia sancti templũ eius sunt: rectè dicitur, Qui es in cælis, id est, in sanctis. Et accómodatissima ista similitudo est, vt spiritualiter tantùm interesse videatur inter iustos & peccatores, quantum corporaliter inter cælum & terram. Cuius rei significandæ gratia, *Cur orantes ad oriẽ nos uertamus.* cùm ad orationem stamus, ad orientem conuertimur, vnde cælũ surgit & lumen oritur: non tanquàm ibi habitet Deus, quasi cæteras mũdi partes deseruerit, qui vbique præsens est, non locorum spatijs, sed maiestatis potentia: sed vt admoneatur animus ad naturam excellentiorem se cõuertere, id est, ad Deum, qui est lumen verum, illuminans omnem hominem venientem in hunc Ioan.1. mundum, cùm homo ipsum corpus suum, quod terrenum est, ad corpus excellentius, id est, ad corpus cæleste conuertit. Nam si cælum istud corporeum, quod oculis videmus, intellexerimus esse habitationem Dei, transitura est habi- Matth.24 tatio Dei, quia cælum & terra transibunt. Deinde antequàm faceret Deus cælum & terram, vbi habitabat? Sed dicit aliquis: Et antequàm faceret Deus sanctos, vbi habitabat? Cui respondẽdum est: In se habitabat, apud se habitabat, & a- *Cur Deus in cælis habitare dicatur.* pud se est Deus, & in se manet. Sed ideò dicitur in cælis habitare, quia maior cognitio est in cælis illius summæ maiestatis & essentiæ, id est, in angelis, vel in sanctis animabus sanctorum, quã in terra habitantibus sanctis, propter grauitatẽ carnalis habitationis, quæ vix permittit animam ad purum veritatis lumen euolare, sicut dicitur: Sap.9. Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Cùm igitur exuta erit anima hac mortali habitatione, & sereno reddita perpetuo, tunc videbit facie ad faciem, quod nunc per speculum in ænigmate considerat. 1. Cor. 13.

Quanuis humano more scriptura de Deo loquatur, nihil tamen in Deo commutationis esse.
Caput VI.

SAnctæ scripturæ ad cognoscendum Deum nobis diuinitùs per sanctos doctores administratæ, à terreno & humano sensu ad diuinũ & cælestem nos erigentes, vsque ad ea verba descẽderunt, quibus humana vtitur consuetudo, ita vt etiam commotiones humanæ mentis, & passiones vel affectiones Deo adscriberent, sicut zelare, irasci, pœnituisse, aliquid ex tempore velle vel nolle Deum dicerent, quæ sunt humanæ mẽtis instabilitates, non diuinæ serenitatis immutationes, quę semper idem est. Quòd ergo Deus irasci dicitur, non est perturbatæ mentis motio, quia Dei ira non est passibilis sicut hominis. Irascitur itaque Deus sine aliqua suæ simplicis naturæ passibilitate, vel perturbatione, aut etiam immutatione. De eo nanque dicitur: Tu autem Domine virtutum cum tranquillitate iudicas. Quod autem tranquillum est, non est perturbatum. Sic etiam & humani corporis membra Deo adscribuntur: sicut, Manus tuæ fecerunt me. Et iterùm: Ambulabo inter eos. Et iterùm: Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum: dum omnimodis nihil tale vel corporale de Deo mens humana putare debet. Tam clementer Deus humanæ consuluit infirmitati, vt quia eum sicut est, non possumus agnoscere, nostræ locutionis more seipsum nobis insinuare vellet, quatenùs ad sua per nostra nos traheret, & dum condescendit per pietatem nostræ infirmitati, ascendamus nos per intelligentiæ puritatem ad illum secundùm suæ donum gratiæ.

Quòd Deus ubiq; sit totus potestate naturali.
Caput VII.

HOc maximè intelligere debemus, sanctæ Trinitatis vnam eandemque naturam ita totum implere, vt non sit aliquid vbi non sit, sicut acutissimè quidam Christianus philosopho interroganti vbi esset Deus, respondisse fertur: Dic tu priùs ô philosophe, vbi non sit. Tota itaque diuinitas, vbique tota est, & nullo continetur loco, quia non est localis Deus. Tota scilicet in spiritualibus singulis & corporalibus, & tota simul in omnibus creaturis. Nec adhuc de gratia loquimur, quà se gratuito munere misericordiæ suæ saluandis hominibus præbet: sed de natura, qua Deus omnia quæ fecit, & implet & continet, secundùm quam dicit: Cælum & terram ego impleo. & secundùm quam ipsi Deo beatus Dauid dicit: Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? & de Christo qui est sapientia Dei, dicitur: Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. De spiritu quoque sancto scriptura sancta sic loquitur: Quia spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Trinitas itaque, quæ est Deus vnus, verus, & bonus, æternus, incommutabilis, vbique tota est secundùm immensitatem atq; omnipotentiam naturalem, quanuis non in omnibus inhabitet secundùm gratiæ largitatem.

Quòd Deus aliter in sanctis sit, aliter peccatoribus præsit. *Cap.* VIII.

Deus ut ad sit pijs. DEus ergo bonis natura propinquat & gratia. Natura, qua eos facit homines: gratia, qua eosdem peccatores iustificat. Natura, qua eos facit ex hominibus nasci: Gratia, qua dat eis potestatem filios Dei fieri. Natura, qua facit vt viuant: gratia, qua facit vt sobriè & iustè & piè viuant. Natura, qua eos facit in hoc mundo paruo tempore manere: gratia, qua eos facit in cælo *Deus ut sit in malis.* sine fine regnare. In malis verò sola est Dei immensitas atque omnipotentia naturalis, qua eos facit esse, viuere atq; sentire, rationales esse, liberum quoque voluntatis habere arbitrium, sed liberum, non liberatum. Liberum enim arbitrium manet etiam nunc in hominibus per naturam, quod in quibus voluerit Deus dignatur liberare per gratiam, ne malam habeant voluntatem. Ex quo enim primus homo libero arbitrio venundatus est sub peccato, ideò mala cœpit esse libertas hominis, quia ipsi libero arbitrio ablata est bonitas voluntatis: quam exinde nemo à seipso habere potuit, nisi gratia diuinæ misericordiæ adiutus habuisset, sine cuius adiutorio liberum arbitrium nec conuerti potest ad Deum, nec proficere in Deum. Vtrunq; tamen credere debemus, & gratiam Dei, & liberum arbitrium hominis. Si ergo non est Dei gratia, quomodò saluatur mundus? Et si non est liberum arbitriũ, quomodò iudicabitur mundus?

De diuersitate eorum, quæ sunt.
Caput IX.

OMne quod est, aut semper fuit, & non esse cœpit: aut non semper fuit, & esse cœpit. *Solus Deus semper fuit.* Quod itaque non cœpit esse, sed semper fuit, solus Deus est, pater & filius & spiritus sanctus. Quod verò esse cœpit, omnis est creatura. Ideò in rerum natura hæc duo tãtùm sunt, id est, creator & creatura. Sed quod semper fuit & semper est, aut ingenitum est, aut genitum: aut nec ingenitum, nec genitum: & sunt hæc tria æternaliter tria. Quod ingenitum est, pater est sõlus, qui à nullo esse habet quod est, nisi à seipso. Quod genitum est, filius est, cui à patre est esse quod est. Quod verò nec ingenitum est nec genitum, spiritus sanctus est, cui est esse à patre & filio procedere: & hæc tria Trinitas est vera, consubstantialis & coæterna. Quia igitur aliud est genuisse quàm natum esse, aliud est procedere quàm genuisse vel natum esse, manifestum est, quomodò alius est pater, alius filius, alius spiritus sanctus. Trinitas itaque ad personas patris & filij & spiritus sancti refertur, vnitas ad naturam æternæ deitatis pertinet. Porrò plurima in eis quæ facta sunt, & esse cœperunt, distantia inueniri esse. Nam quædam ex eis sunt spiritalia, quædam corporalia: quædam inuisibilia, quædam verò visibilia. Quiddam itaq; in eis factum dicitur & non natum, vt cælum, terra, & multa in creaturis. Quiddam verò factum dicitur & natum, sed insensibiliter, vt arbores & herbæ de terra. Quiddam verò est factum natumq; sensibiliter, vt homines & animalia. Aliquid etiam factum est & natum & renatum, vt homo factus à Deo, natus à parentibus, renatus gratia Dei ministerio baptismatis. Quæ regeneratio in solo homine inuenitur, sed non in omni. Quiddam verò in his quæ facta sunt, rationale est & mortale, vt idẽ homo: sed hoc in solo homine & in omni reperitur. Quiddam verò rationale tantùm est, non mortale, vt angelus: & hoc similiter in sola angelica natura inuenitur, & in omni. Sed ex his, id est, angelis quidam sunt æternaliter miseri, quidam æternaliter beati: sicut etiam de hominibus quidam sunt pœnales propter merita malitiæ: quidam verò cum angelis, qui suum seruauerũt principatum, beati æternaliter erunt per gratiam Dei. Sed hæ diuersitates creaturarum & commutabilitates ab vno solo & incommutabili Deo creatæ sunt: quia omnia quæ sunt in cælo & in terra, absq; vlla dubitatione sicut voluit fecit. Hoc quoq; sciendum est, quòd omnis substantia, quæ Deus non est, creatura est: & quæ creatura non est, Deus est.

Quòd quædam mirabilis facta est coniunctio creatoris ad creaturam.
Cap. X.

INter has scilicet creaturarũ mirabiles & speciosas varietates, ex quibus pulcherrima vnicitur, Et erant omnia valdè bona: bona verò, Gen.1. quia à bono condita sunt creatore: sed non sic bona, sicut creator, qui solus est summum & incommutabile bonum: homo solus ad imaginẽ *Ibidem.* & similitudinem conditoris creatus esse legitur, & felicissimus horti, qui paradisus dicitur, habitator constitutus, vnisque tantummodò epulis prohibitus, quatenus tam facilis obseruatione mandati cælestem mereretur beatitudinem. Sed inuidia ruentis angeli de beatitudine *Lapsus ho* sua, huius mandati transgressor effectus est, atq; *minis.* in huius exilij, sicut comminatus est ei creator, ærumnosam deiectus est miseriã, & pœnali mortis cõditione mulctatus. Sed mitissimus creator nolens facturã imaginis suæ æternaliter perire, misit filium suum vnigenitũ Deum, per quẽ creá- *Reparatio* uit hominem: vt per eundem redimeretur, per quẽ creatus est. Qui carnem ex virgine assumés, *per Christum.* ita humanæ naturæ adunatus est, vt idem esset homo qui Deus est, & Deus qui homo: quia ta-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lis erat illa susceptio, quæ Deum hominem face ret, & hominem Deum : nec vlla est in hac duarum coniunctione naturarum, id est, diuinitatis atque humanitatis personalis separatio. Ergo quia forma Dei accepit formam serui, vtrunque Deus, & vtrunque homo : sed vtrunque Deus propter accipientem Deum , vtrunque homo propter acceptum hominem: non tamen illa susceptione alterum eorum in alterum conuersum est atque mutatū. Nec diuinitas quippe in creaturam mutata est, vt desisteret esse diuinitas: nec creatura in diuinitatem, vt desisteret esse creatura : vnum tamen horum miraculis claruit, aliud succubuit iniurijs : sed nullatenùs alius fuit qui miraculis claruit, alius qui iniurijs fatigatus est: sed vnus atque idem, in forma Dei consubstantialis patri, in forma serui consubstantialis matri, anima & carne plenus homo.

Vtrùm anima Christi plenam habeat suæ diuinitatis cognitionem. Caput XI.

CONfidenter planè & indubitanter dicimus de sanctis angelis atque hominibus sanctis, quòd quanuis quilibet per adoptionis gratiam nuncupatiuè deus dicatur, nulla tamen ratione Deus angelorum, vel Deus sanctorum naturaliter dici potest, sicut de Christo dicitur:
Psalm. 96 Et adorent eum omnes angeli Dei. &:
Psalm. 8. Omnia subiecit sub pedibus eius. In eo quòd ait,
Hebr. 2. Omnia subiecit, nihil dimisit nō subiectum ei. Quāuis quilibet sanctus diuinæ habitatione gratiæ præcipuus esset , nullus tamen eorum in vnam cum diuinitate personam electus est, nisi Christus Deus & homo. Anima quippe & caro Christi cum verbo , vnus est Christus & vnus filius. Proinde absurdum valdè est, & à firmitate fidei
Vide hinc S. Thomā parte 3. Summæ, quæst. 10. artic. 1. 2. 3. penitùs alienum, vt dicamus animam Christi nō plenam suæ deitatis habere notitiam , cum qua
Ioan. 3. naturaliter vnam creditur habere personam. Vn
Col. 1. de Ioannes Baptista Christo singulariter, ac sine mensura datam spiritus largitatem dixit: Non enim, ait, ad mensuram Deus dat spiritum. Hominibus ad mensuram dat: vnico autem filio ad mensuram non dedit, quia omnis plenitudo diuinitatis in eo habitat. Ipse est enim qui dat sanctis, ipse est qui accepit: & quia potens est ad mē suram dare, ideo non potuit ad mensuram accipere. In forma enim Dei manens, spiritum dat: formam serui accipiens, spiritum accepit. Ipsum enim quem ad mensuram dat, totum accepit. Ad mensuram quippe dat multis filijs, sed non ad mensuram accepit, qui vnicus est filius : qui sic est naturaliter homo verus, vt idem sit naturaliter etiam Deus verus. In Christo autem secundùm catholicæ fidei veritatem , in vnitate personæ , simul & deitatem fatemur, & animam rationalem, & carnem : in quo tamen deitas spiritum accipere nō potuit, quia secundùm deitatem pater & filius & spiritussanctus vnus est Deus. Non ergo potuit spiritum sanctum diuinitas filij accipere, cùm ipse spiritussanctus sic procedat à filio , sicut procedit à patre, & sic detur à filio, sicut datur à patre. Restat itaque , vt anima Christi spiritum acceperit, quem tamen non ad mensuram accepit, quia totum accepit. Vbi enim mensura dicitur , non esse plenitudo perfectionis , & perfectio plenitudinis inuenitur: per quam etiam plenitudinem spiritus , plenitudinem diuinæ cognitionis habere manifestum est. Inquantùm enim cuilibet sanctorum spiritus datur, intantùm cognitio diuinitatis accipitur ab eo. Non enim æstimandum est animæ Christi in aliquo plenam diuinitatis deesse notitiam , cuius vna est persona cum verbo: quam sic sapientia suscepit, vt cum ipsa diuinitate sua, vna sit in Trinitate persona , idem Chri- *1. Cor.*
stus crucifixus, quem Dei virtutem, Deique sapientiam Paulus Apostolus prædicat.

Quomodò dicatur in Euangelio, filium nescire diem iudicij. Caput XII.

IN scripturis sanctis genus est locutiōis, quod apud grammaticos metonymia dicitur, id est, dum per efficientem designatur id quod efficitur. Hoc enim genere locutionis Deus nescire dicitur, quia nescientes facit: & scire Deus dicitur, quia scientes facit, sicut scriptum est: Tentat *Deut.*
vos Dominus Deus vester , vt sciat si diligatis eum. Non enim sic intelligēdum est, quasi Deus nesciat si diligant eum, de quibus hoc dicitur: sed vt ipsi sciant, quantùm in Deum dilectione profecerint, quod nisi in tētationibus quæ accidunt, non plenè ab hominibus agnoscitur: & ipsum, Tentat, pro eo positum est, quod tentari fi- *Matth.*
nat. Sic & cùm dicitur nescire Deum , aut pro eo dicitur quòd non approbat, sicut impijs dicturus est: Nescio vos: aut pro eo, quòd vtiliter *Marc.*
nescientes facit: siue etiam pro eo, quòd non est tempus sciendi, sicut in Euangelio dicitur: De die illa & hora nemo scit, neque angeli in cælo, neque filius, nisi pater. Hoc enim genere locutionis nescire dicitur filius , quia nescientes fecit, quod vtile illis fuit nescire , id est, quod non ita sciebat, vt eos scire fecisset: quia vtilius illis fuit diem iudicij nescire , quàm scire , vt semper parati essent & vigilantes , dum qua hora dies Domini quasi fur veniret, paratos inueniret eos.

Quòd unum sit opus patris & filij. Caput XIII.

OPERATVR enim pater per filium, per quem fecit omnia, & semper operatur, sicut dictum est : Omnia per ipsum facta sunt. *Ioan.*

Item:

Ioan. 5. Item: Pater meus vsque modò operatur, & ego operor: non diuersitatem operis designans, quia opus patris, est & filij: sed personarum proprietatem ostendens. Ipsa itaque operatio Dei, id est, sanctæ Trinitatis, voluntas est Dei, & voluntas Dei simplex est, & semper in requie beatitudinis. Nec aliud est Deo operari, aliud velle: sed
Voluntas Dei. idem est illi velle & operari, quia voluntas Dei effectiua est potentia : nec Deo aliud est esse, aliud velle, sed vnum atque idem : & hoc totum simplex, totum vnitas, totum Trinitas, totum ὁμοούσιον: quia esse quod substantiale est, vnum est in patre & filio & spiritu sancto : & horum vna actio est, sicut vna voluntas. Fuerunt enim omnia ab æterno in Deo, operatione autem, id est, virtute Dei, qui est filius , apparuerunt omnia, & facta sunt sicut voluit, & quando voluit, & quomodò voluit, qui fecit omnia : sed non ille factus est, per quem facta sunt omnia. Natus est ergo filius Dei ex æterno æternus, de Deo deus, de lumine lumen , sicut sæpissimè diximus, & semper dicemus.

Omnia per Christum facta esse : ipsum uerò natum, non factum. Caput XIIII.

Gen. 1. IN principio fecit Deus cælum & terram, id est, in Christo, qui est filius Dei, qui est verbum Dei, qui est virtus & sapientia Dei, sicut in
Psalm. 103 Psalmo dicitur: Omnia in sapientia fecisti. Sed ipse idem filius ante omnia semper est, & semper Deus, & semper in Deo: idcirco ὁμοούσιος, cōsubstantialis pater & filius. In eo verò, quòd filius dicitur & est, genitus est, non factus , quan-
1. Cor. 1. uis Apostolus dixisset: Qui factus est nobis sapientia à Deo : non quòd factus sit in substantia sua vt esset, sed effectus est , vt Dominus esset omnium, quæ facta sunt , dum fuerunt quibus Dominus esset. Creaturas ergo fecit Deus per filium, sed non filium fecit, per quem fecit omnia, sed genuit de substantia sua æqualem sibi. Natus est ergo Christus, non factus. Vbicunque ergo dicitur quoniam factus est , post primam generationem dicitur, quæ æterna est, & vna est, & sancta, & ineffabilis. Legitur in Actibus Apo-
Act. 2. stolorum: Certissimè igitur sciat omnis domus Israël, quia hunc Christum Deus fecit, quem vos
Gal. 4. suspendistis in cruce. Et Apostolus : Qui factus
Ioan. 1. est ex muliere. Et Euangelista: Verbum caro factum est. Ista omnia non in eius existentiam vel substantiam , sed in actus & in ministrationem
1. Cor. 1. eius potentiæ atque virtutis dicuntur. Quòd Apostolus ait Christum Dei virtutem , & Dei sapientiam , non ita intelligendum est, quòd pater dici non possit virtus vel sapientia , sicut dici non potest filius vel verbum , quia hæc relatiua sunt nomina, sicut superiùs dictum est : illa verò, id est, virtus & sapientia, substantialia sunt. Ideò pater virtus & sapientia, filius virtus & sapientia , & spiritussanctus virtus & sapientia : non tamen tres virtutes , nec tres sapientiæ, sed vna virtus & vna sapientia , pater & filius & spiritussanctus : sicut vna substantia, & vna omnipotentia, & alia , quæ de substantia diuinitatis dicuntur. Et ita intelligitur filius sapientia *Christus*
patris, quomodò dicitur lumen patris, id est, vt *ut est pa-*
quemadmodùm lumen de lumine, & vtrunque *tris sapiē-*
vnum lumen, sic intelligatur sapientia de sapien *tia.*
tia, & vtrunque vna sapientia: quia in illa simplicitate diuinæ naturæ, non est aliud sapere quàm esse, nec aliud esse quàm posse , nec aliud posse quàm viuere. Eadem ibi sapientia quæ essentia, eadem potentia quæ essentia , eadem vita quæ essentia. Et hæc omnia vnum & vnus Deus.

De eo, quòd sicut pater est uita, ita est & filius. Caput XV.

SIcut pater viuificat , sic & filius quos vult *Ioan. 5.*
viuificat : non tamen alios vel aliter pater, & alios vel aliter filius , sed eosdem quos pater viuificat , viuificat & filius similiter: nec spiritussanctus ab hac viuificatione secernendus est , quia vnum opus est patris & filij & spiritussancti , sicut vna substantia atque essentia. Sicut enim pater viuens vita est , ita & filius vita. Manet ergo pater vita , manet & filius vita. Pater vita in semetipso , non ab alio: filius vita in semetipso, sed à patre, qui eum talem genuit, vt vitam haberet in semetipso. Dictum quippe est, sicut ipse filius ait : Sicut pater *Ibidem.*
habet vitam in semetipso, sic dedit & filio vitam habere in semetipso : id est , genuit filium vitam in semetipso habentem . Hoc solùm interest, quòd pater vita est non nascendo, filius verò est nascendo. Pater de nullo patre , filius de Deo patre. Pater propter filium pater est, filius verò & quòd filius est, propter patrem est: & quòd est, à patre est, & à vita vita est. Pater qui est vita in semetipso, genuit filium qui esset vita in semetipso. Ideò quod ipse filius ait: Sicut vi- *Ioan. 6.*
uit pater, & ego viuo propter patrem: non ita dictum est, quasi in semetipso filius propriam non haberet vitam , sed participatione paternæ vitæ vitam haberet, sicut oculus carnalis participatione lucis alterius lumen accipit, quod non habet in semetipso , nisi aliunde mutuet : sed talis à patre genitus est filius , qui in semetipso viuat. Sicut pater non est indigens vita, sic & filius non indiget alterius vitæ. Et pater vita, & filius vita : vtrique tamen vna vita , non duæ: quia vnus Deus, non duo dij. In hac verò vita viuit mundus, & viuet quandiù obedierit huic vitæ. Vnde & Petrus ait: Tu verba vitæ æter- *Ioan. 6.*
næ habes, id est, qui tibi obedierit , vitam æternam habebit. Et ipse Dominus : Amen amē *Ioan. 5.*
dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quan-

da

Universidad de Deusto
Biblioteca

do mortui audient vocem filij Dei: & qui audierint, viuent. Quid est enim audient, nisi obaudient, id est, obedient? Quantum enim pertinet ad auris auditum, non omnes qui audient, viuét. Multi enim audiunt, & non credunt, vel non faciunt quæ credunt. Audiendo & non credendo, non obediunt: non obediendo non viuent. Itaque hi qui audient, nihil est aliud, quàm obedient. Qui ergo obedient, viuent.

Quòd substantia diuinitatis omnimodò inuisibilis sit, & incomprehensibilis in sua natura.

Caput XVI.

SIcut igitur immutabilis est omninò Deus, ita & inuisibilis est in natura magnitudinis suæ, quanuis multoties legatur, quod apparuisset Deus cuilibet in veteri testamento patrum: sed apparuit quibus voluerat, per subiectã creaturam, in qua voluerat specie, & quomodò voluit: sed nullatenùs à quolibet visus est in substantia diuinitatis suæ, quæ omninò inuisibilis & incommutabilis est. Quod beatissimus & magnus propheta Moyses intelligens, ait Deo, cum quo vt amicus ad amicum, facie ad faciem locutus esse dicitur: Si inueni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum. Si itaque eius naturam substantiamque conspiceret, nullatenùs diceret, Ostende mihi temetipsum. Ipsi ergo apparuit Deus in ea specie qua voluerat, non in natura propria, quam Moyses videre cupiebat manifestè. Nouerat vtique, quòd corporaliter videbat quodcunque videbat, & veram visionem Dei spiritaliter requirebat. Locutio quippe illa quæ fiebat in vocibus, sic modificabatur, tanquàm esset amici loquentis ad amicum. Confirmat verò Euangelista, Dei esse naturam omnimodis inuisibilem, vbi ait: Deum nemo vidit vnquam: quia plenitudinem diuinitatis, quæ in Deo est, nemo oculis vidit, nemo mente comprehendit. Nec etiam angelicæ naturæ comprehensibilis est Deus, qui verè incomprehensibilis dicitur: sed secundùm mensuram donationis Dei, ita Deum vel angeli vel animæ sanctorum intelligunt. Proinde quanuis vsque ad æqualitatem angelicam humana post resurrectionem natura proficiat, & ad contemplandum Deum glorificata consurgat, videre tamen eius essentiam plenè non valeat, sed vnicuique sanctorum ad suæ sufficientiam beatitudinis, manifestabitur gloria eius.

Vt Deus patribus apparuerit.

Exod. 33.

Ioan. 1. & 1. Ioan. 4.

Quòd illæ uisiones, quæ in ueteri testamento patribus apparuisse leguntur, per angelicas administrationes fierent. *Caput* XVII.

QVòd verò omnia, quæ patribus visa sunt, congruis temporibus vel locis, secundùm dispensationem Dei, per angelicas essent administrationes, apertissimè eximius mundi doctor, qui in tertium raptus cælum, audire meruit quædam arcana mysteriorum Dei verba, ostendit vbi ait: Nónne omnes sunt administratorij spiritus, ad ministrationem missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis? volens intelligi, illa omnia non solùm per angelos facta, sed etiam propter nos facta, quæ in veteribus leguntur figurationibus. & paulò pòst: Si enim sermo per angelos dictus, factus est firmus: omnia quæ data sunt vel dicta populo priori, per angelos ministrata esse ostendit. Nostræ verò salutis originem & plenitudinem per ipsum Dei filium, mox in sequentibus eiusdem epistolæ verbis ministratam esse demonstrauit. Et beatus Stephanus protomartyr, angelum Moysi locutum esse in flamma ignis asseruit in disputatione, quam habuit contra lapidatores suos: dum in eadem visione dicitur Dominum apparuisse Moysi, apparuerunt verò angeli, & locuti sunt in persona illi⁹, qui eos direxerat. Sed quæri potest, cur scriptura non dicat, Apparuit angelus, vel, Locutus est angelus cuilibet patrum. Quanuis quidem præco verba referat iudicis, non scribitur in gestis, Præco dixit vel fecit, sed, Iudex dixit vel fecit. Quapropter probabili ratione videri potest patribus nostris ante incarnationem Christi sub persona Domini apparuisse vel locutos esse angelos. Nec illos etiam in sua apparuisse substantia credendum est, sed in quibusdam subiecta creatura, quæ ab illis tempore opportuno assumpta est ad ministrationem officij sui. Sicut anima hominis inuisibilis est, ita etiam angelicam carnalibus oculis naturam inuisibilem esse certissimum est.

Act. 7.

Heb. 1.

Act. 7.

Non de solo patre intelligendum, quod dicitur, Qui facit mirabilia magna solus. *Caput* XVIII.

VBICVNQVE in scriptura sancta legitur, solus Deus, non de vna qualibet persona in sancta Trinitate intelligendum est, sed de tota sancta Trinitate, quæ æqualiter operatur omnia, quæcunque operanda esse iudicat. Vnde quod in psalmis dicitur: Qui facit mirabilia magna solus, qui fecit luminaria solus, non de solo patre, sicut aduersarij volunt, intelligitur dictum, sed de tota sancta Trinitate, quæ est vnus solus Deus. Similiter de patre solo non est intelligendum, quod Apostolus ait: Beatus & solus potens, rex regum & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem, quam nemo hominum vidit, nec videre potest. In quibus verbis nec pater propriè nominatus est, nec filius, nec spiritussanctus, sed absolutè, beatus & solus potens rex regum & Dominus dominantium: quod est, vnus solus, beatus, potens,

Solus Deus.

Psal.

potens, inuisibilis, verus Deus, ipsa Trinitas, quę æqualiter beata est, æqualiter potens, imò omnipotens, etiam & vnipotens, quia vna potẽtia est totius sanctæ Trinitatis. Neq; enim quia ipse filius alibi loquens voce sapientiæ (ipse est enim sapientia Dei) ait: Gyrum cæli circumiui sola, seorsum à me patrem. Quanto magis ergo non est necesse, vt tantummodò de patre præter filium vel spiritum sanctum intelligatur, quod dictum est, Solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem?

1. Cor.

Eccles. 24

De unitate spiritussancti cum patre & filio.

Caput XIX.

SPiritus itaque sanctus, sicut pater & filius, plenus est Deus & perfectus: imò vnus Deus cum patre & filio, atque vna substantia, sicut suprà memorauimus: quoniam ipse est spiritussanctus, qui in scripturis dicitur spiritus Dei, vel spiritus Christi, siue spiritus patris, siue spiritus paracletus, etiam & spiritus veritatis, nec non & spiritus vitæ, qui à patre & filio æqualiter procedit, & cum patre & filio æqualiter adoratur, quia æqualiter est Deus. Totus patris & totus filij spiritus, quia vnus naturaliter spiritus est & patris & filij. Proinde totus de patre procedit, & totus de filio: totus in patre manet, & totus in filio: quia sic manet vt procedat, sic procedit vt maneat. Vnde naturaliter hanc habet cum patre & filio vnitatis plenitudinem, & plenitudinis vnitatem, vt totum patrem habeat, totumque filium, ipse quoque totus habeatur à patre, totus habeatur à filio. Qui etiam à patre & filio æqualiter datur, imò & à seipso datur, sicut filius de eo dicit: Spiritus vbi vult spirat. Ipse in prophetis locut⁹ est. Per ipsum Apostoli sine timore secularium potestatum testimonium proferebant de Christo, quia ipse loquebatur in illis, sicut ipse Dominus ait: Nõ enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. In ipso enim habent omnes fideles remissionẽ peccatorum, siue in baptismo, siue etiam in pœnitentia. Ipse charitas dicitur, quanuis pater & filius sit charitas, sicut & filius sapientia Dei dicitur, quanuis sit pater & spiritussanctus sapientia. Ipse paracletus, id est, consolator dicitur, quia reuerà dum dona sacramentorum distribuit, consolationem animæ præbet: per quem diffunditur in cordibus nostris Dei charitas, per quam nos tota inhabitat Trinitas. Quocirca rectissimè spiritussanctus cùm sit Deus, vocatur etiam donum Dei. Quod donum propriè charitas intelligitur, quæ perducit ad Deum, & sine qua quælibet alia virtus boni operis non perducit ad Deum.

Nomina spiritussancti in scripturis.

Ioan. 3.

Matth. 10

Rom. 5.

Cauetamen, ne putes eandem esse charitatem quæ Deus est, & quæ uirtus est theologica.

Quòd nihil temporale debemus intelligere de spiritussancto, dum dicitur donum Dei. *Caput* XX.

HOc verò donum Dei, quod est spiritussanctus, coæternum est & consubstantiale donatori, quia donum donabile potest dici, quanuis non sit cui donetur. Quod donum, id est, ipsa spiritussanctus, non ex tempore, sed ab æternitate procedit. Sed quia sic procedebat vt esset donabile, iam donum erat & antequàm esset cui daretur. Aliter enim intelligitur cùm dicitur donum, aliter cùm dicitur donatum. Nam donum potest esse & antequàm detur: donatum autem, nisi cuilibet datum fuerit, nullo modo dici potest. Et hoc itaque donum Dei, occultum fuit ab æterno in patre & filio, manifestandum opportuno tempore, dum essent quibus manifestari deberet. Et hoc donum, id est, spiritussanctus, in eadem vnitate substantiæ & æqualitate cum patre & filio consistit. Siue enim sit vnitas amborum, siue sanctitas, siue charitas: siue ideò vnitas, quia charitas, & ideò charitas, quia sanctitas: nequaquàm minor est in aliquo illis, ex quibus procedit. Et hæc est summa charitas, qua genitus à gignente diligitur, genitoremque suum diligit: & ideò non amplius quàm tria sunt, vnus diligens eum qui de illo est, & vnus diligens eum à quo est, & ipsa dilectio, de qua dicitur, quia Deus charitas est. Et hæc summa & ineffabilis Trinitas, non vnius Dei dici debet, sed vnus Deus.

1. Ioan. 4.

Cur idem spiritus bis à Christo datus sit.

Caput XXI.

ABsque dubitatione ideò spiritus sanctus bis datus est, vt cõmendarentur duo præcepta charitatis. Duo enim sunt præcepta, sed vna est charitas: sicut etiam vnus spiritus, & duo data: nec alia charitas diligit proximum, quàm illa quæ diligit Deum. In terra datur spiritus, vt diligatur proximus: de cælo datur, vt diligatur Deus. Quanuis sit aliud Deus, aliud proximus, tamen vna charitate diligendus est Deus & proximus, dum plus seipso Deum, proximum vt seipsum amator amet. In terra Christus dedit spiritum, sed de cælo est quod dedit. Ille enim dedit, qui de cælo descendit: hic inuenit cui daret, sed inde attulit quod daret. Sed ista charitas non tenetur, nisi in vnitate Ecclesiæ Christi: nec illam habent, qui se diuiduntab vnitate catholicæ pacis.

Cur bis datus spiritussanctus

Quanuis diuersa sint dona in sanctis, ab uno tamen eodemq; spiritu singulis singula dantur. *Caput* XXII.

DOna sancti spiritus membris Ecclesiæ singulatim diuiduntur, & singulis singula dona tribuuntur. In Christo siquidem solo omnis plenitudo donorum, quia omnis plenitudo diuinitatis in eo habitat. Vnde plenus gratiæ & veritatis ab Euangelista prædicatur. In spiritu sancto omnis gratia donorum existit: ipse enim

Col. 1.

Ioan. 1.

prout

Universidad de Deusto
Biblioteca

1. Cor. 12. prout vult, gratias donorum largitur, alijs dans sermonem sapientiæ, alijs scientiæ, alijs fidem: atque ita vnicuique in virtute sancti spiritus gratia tribuitur secundùm voluntatem largitoris. Et in omnibus idē spiritus habetur, sicut in prophetis vnus atque idem locutus est spiritus. Ipse etiam ineffabilia docet, quæ proferre humanus sermo non potest. Ipse enim dicitur ab Apostolo gemitibus inenarrabilibus postulare pro nobis. Postulare planè dicitur, quia nos postulātes facit ineffabili cordis gemitu. Sed non nunc, vt quondam, dona sancti spiritus sunt in hominibus. Nam paucis in populo Israël dona emicuerunt sancti spiritus per quælibet signa vel prophetias: nunc autem in omni credentium multitudine spiritus sancti gratia diffunditur secundū voluntatem distribuentis spiritus. Et hoc est, quod in Euangelio dicitur: Nondum erat spiritus datus, quia Iesus nōdum fuerat clarificatus. Sicut enim vnius corporis membra diuersa habent officia, quæ tamen omnia vna operatur anima & regit, distribuens vnicuiq; membro quid faciat, oculo vt videat, manu vt operetur, pedi vt ambulet, auri vt audiat: sic sunt etiam diuersa dona fidelibus tanquàm membris ad mensuram cuique propriam distributa. Quanuis enim & in omni fidelium multitudine diuersæ sint donorum gratiæ, vnum tamen corpus est Ecclesiæ per vnum spiritum, vna charitatis compage conglutinatum atque connexum. Qui spiritus meæ humilitatis spiritum inspirare dignetur, quid deinceps dicendum sit de ineffabili Christi Domini nostri natiuitate, de qua propheta ait: Generationem eius quis enarrabit? quod ab alio incipiendum esse exordio melius arbitror.

Rom. 8.

Esai. 53.

Finis Libri secundi.

INDEX CAPITVLORVM LIBRI III.

1 De *gratia Dei, qua Deus homo factus est.*
2 *Ad commendationē eiusdem gratiæ euangelista Christum ait plenum gratia & ueritate.*
3 *Quomodò non sit Christus filius spiritussancti, dum in symbolo dicitur, de spiritu sancto & Maria uirgine natus.*
4 *Quomodò intelligenda sit filij missio à patre.*
5 *Quomodò missio spiritussancti intelligenda sit.*
6 *Cur solus pater missus non legatur.*
7 *Quare filius nunc æqualis, nūc minor patre dicatur.*
8 *Quare nusquā spiritus sanctus patre minor legatur.*
9 *Quòd aliter intelligendum sit, Verbum caro factum, atq; aliter uerbum Dei in quolibet sanctorum.*
10 *Quòd nec pater, nec spiritussanctus, sed solus filius incarnatus sit.*
11 De *eo quòd uerbum Dei suæ carnis conceptione conceptum sit in utero uirginis.*
12 De *mediatore Dei & hominum, homine Christo Iesu.*
13 De *eo quòd in Christo sit naturarum distantia, non personæ, & in sancta Trinitate personarum, non naturæ.*
14 De *Maria uirgine & incarnatione uerbi Dei.*
15 *Quid cuiq; naturæ in Christo conueniat.*
16 *Quòd diuinitas hominem quem assumpsit, nunquàm dimisit.*
17 De *baptismo Christi, & quòd omnia quæ gerebantur in Christo, nostræ salutis causa gesta sunt.*
18 *Quòd Deus pater quædam opera facit per filium sibi coæternum in forma Dei, quædam per eundem filium in forma serui filium hominis.*
19 De *nouissimis seculi temporibus.*
20 De *resurrectione corporum in nouissimo die.*
21 De *iustorum præmio, & pœna peccatorum.*
22 De *æterna beatitudine sanctorum.*

PROOEMIVM LIBRI III.

DVas creaturas rationales condidit creator, vnam cælestem, alteram terrestrem: & vtranque liberi arbitrij potestate nobilitauit, vt voluntariè in dilectione Dei, & diuinæ potentiæ laude perpetualiter atque beatè permanerent. Sed quia prior, id est, angelica, non tamen tota, propria delectādo potentia, ab amore summi boni recedens, in leipsam delapsa, sui homicida facta est, ærumnosam atque pœnalem impietatis suæ æternitatem experta: proindè inuidia cōtra hominem inardescens, ne cælestem beatitudinis sedem possideret, incitauit eum ad peccandum, efficiens eum suæ socium miseriæ: quasi quoddam solatium sibi esset, cum plurimis pœnas pati, vel etiam vt iniuria creatori ingereretur, si creatura ad imaginem suam condita, perdito dignitatis suę nomine, in æternum ignem suæ subderetur impietati. Quod pius conditor non passus, miseratus hominem, reformare eum volens ad pristinæ dignitatis nobilitatem, misit vnicum filium suum hominem suscipere, vt idem qui Deus erat ex Deo, esset homo ex homine, & immortalis haberet aliquid, vnde mori potuisset. Assumpsit itaque Dei filius ex mortalitate nostra, vnde salua sua immortalitate mortalis esset, & diabolum hominis victorē magis vinceret iustitia, quàm

Liberi arbitrij.

Dei persona.

potentia, vt ostenderet vtrunque, & perpetuam æquitatis suæ iustitiam, & æternæ bonitatis misericordiā: iustitiam in angelo homicida suijpsius atque hominis: in homine verò ab eodem perdito misericordiam, quē gratuito magnæ pietatis suæ munere redimere voluit. quod in sequentibus diuina inspirante nobis gratia, dicturi sumus.

Dei iustitia,

Misericordia.

De *gratia Dei, qua Deus homo factus est.* Caput I.

IN hoc euidenter commendatur, quòd spiritussanctus sit donum Dei, sicut suprà ostēdimus, dum dicitur in symbolo Catholicæ fidei, quòd Christus de spiritu sancto & Maria virgine sit natus, cùm aliter de illo, aliter de illa natus sit: non de illo sicut de patre, de illa verò sicut de matre. Quod tamen hic sancti spiritus mētio facta est, quid est, nisi quòd magna Dei gratia commendatur? Quid enim natura humana in homine Christo meruit, vt in vnitatem personæ vnici filij Dei singulariter esset assumpta? Quæ bona voluntas, cuius boni propositi studium, quæ bona opera præcesserunt, quibus mereretur iste homo vna fieri persona cum Deo, immò & homo ipse Deus? Nempe ipse ex quo esse homo cœpit, nō aliud cœpit esse quàm Dei filius, & hoc vnicus, vnigenitus, & proprius, & propter Dei verbum, quod caro factum est, vtique Deus, vt quemadmodùm est vna persona quilibet homo, anima scilicet rationalis & caro, ita sit Christus vna persona, verbum & caro. Vnde naturæ humanæ tanta gloria, nullis præcedentibus meritis? Sine dubitatione gratuito munere, nisi quia magna hic & sola Dei gratia, fideliter & sobriè considerantibus, euidenter ostenditur, vt intelligant homines, per eandem gratiam se iustificari posse à peccatis, per quam factum est, vt homo Christus nullum posset habere peccatum? Sic sanctam virginem, matrem scilicet filij Dei, angelus salutauit, quando ei futurum nunciauit partum: Aue (inquit) gratia plena. Et paulò pòst: Inuenisti (ait) gratiam apud Deum. Et hæc quidem gratia plena, & inuenisse apud Deum gratiam dicitur, vt Domini sui, immò Domini omnium, salua virginitate, mater esset.

Luc. 1.

Ad commendationem eiusdem gratiæ, beatus Euangelista Christum ait plenum gratia & ueritate. Caput II.

DE ipso autem Domino Ioannes Euangelista cùm dixisset: Verbum caro factū est, & habitauit in nobis, adiunxit: Vidimus (inquit) gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis. Quòd ait, Verbum caro factum est, hoc est plenū gratię. Quòd ait: Gloriam quasi vnigeniti à patre, hoc est plenum veritatis. Veritas quippe ipsa vnigenitus est Dei filius, non gratia, sed natura. Gratia suscepit hominem tanta vnitate personę, vt idem ipse esset etiam filius hominis, qui Dei filius vnicus vnigenitus. In ipso vno Deo & homine plena gratia humanitatis, plenaque diuinitatis veritas agnoscitur. Hæc plenitudo diuinitatis in seipsa plenitudinem habet gratiæ, qua est tota humanitas in diuinitate sua: & plenitudo gratiæ plenitudinem in se habet veritatis, qua est tota diuinitas in humanitate sua, ita vt plenitudo veritatis, plenitudinem in se habeat gratiæ: & plenitudo gratię, plenitudinem in se habeat veritatis. Sic est ergo Christus plenus gratiæ & veritatis, vt sicut à diuinitate plenitudo humanitatis suscepta est, ita in humanitate eius plenitudo sit diuinitatis, Apostolo testante, qui ait: In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.

Ioan. 1.

Col. 1.

Quomodò non sit Christus filius spiritussancti, dum in symbolo dicitur, de spiritussancto ex Maria uirgine natus. Caput III.

ILLud verò mouere poterit, quomodò dictum sit Christum de spiritusancto natum ex Maria virgine, cùm filius nullo modo sit spiritussancti. An ideò dicitur de spiritusancto natus, quia fecit eum de virgine nasci, quia hoc opus mirabile totum dono Dei factum est, & donum Dei dicitur propriè spiritussanctus? Neq; enim quia mundum istum fecit Deus, dici eum fas est Dei filium: aut eum natum de Deo, sed factum, vel creatum, vel conditum, vel constitutum ab illo, vel si quid huiusmodi rectè possumus dicere. Non ergo cōcedendum est, quicquid de aliquare nascitur, continuò eiusdem rei filio nuncupā dum, vt de multis exemplis hoc vnum proferā. Certè qui nascuntur ex aqua & spiritusancto, nō filios eos rectè quisquam dixerit aquæ vel spiritus sancti, sed planè dicuntur filij Dei patris, & matris Ecclesiæ. Sic ergo de spiritusancto natus, est filius Dei patris, & non spiritussancti. Si enim filius spiritussancti diceretur secundùm humanitatem, duo patres essent in sancta Trinitate, & Deus homo factus duos habuisset patres, vnum diuinitatis, alterum humanitatis. Sed quis hoc dicere audebit?

Quomodò intelligenda sit missio filij à patre. Caput IIII.

QVærēdum est, quomodò intelligatur missio filij. Pater enim solus nusquam legitur missus. de filio quidem ita scribit Apostolus: Cùm autem venit plenitudo temporis, misit

Gal. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deus filium suum factum ex muliere, factũ sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret. Cùm autem ait, Misit Deus filium suum factũ ex muliere, satis ostendit eo ipso missum filium, quo factus est ex muliere. Quòd ergo de Deo natus est Dei filius, in hoc mundo erat, sicut Euangelista ait: In mundo erat, & mundus per ipsum factus est. Quòd autem de virgine Maria natus est, in hunc mundum missus aduenit. Nam & ipse Dominus ait: Ego à patre exiui, & veni in hũc mundum. Ergo à patre exire, & venire in hunc mundum, hoc est mitti. Quid igitur est, quod de illo idem ipse Euangelista dicit, In mundo erat, & mundus per eum factus est, & mundus eum non cognouit? Deinde subiungit: In propria venit? Illuc vtique missus est, quò venit. At si in hũc mundum missus est, illuc missus est, vbi erat: in mundo erat, & in mundum missus est. Quam missionem opus esse sanctæ Trinitatis, nulli catholico dubitandum est.

Ioan. 1.

Ioan. 16.

Ioan. 1.

Quomodò missio sanctiſpiritus sit intelligenda.
Caput V.

Sicut à patre spiritussanctus mittitur, ita & à filio. vtrunque enim in Euangelio legitur, ipso Domino dicente: Dum autem venerit paracletus, quem pater mittet in nomine meo, & illud de ipso: Cùm autem venerit paracletus, quẽ ego mittam in nomine patris mei. Sed ista missio per quasdam visibiles ad horã facta est creaturas. Facta est enim quædam creaturæ species ex tempore, in qua visibiliter ostenderetur spiritussanctus, siue cùm super ipsum Dominum baptizatum corporali specie columba descendit, vel etiam corporali specie in linguis igneis visus est super Apostolos descendisse: hæc operatio visibiliter expressa, & oculis oblata mortalibus, missio sancti spiritus dicta est, non vt appareret eius ipsa substantia, qua & ipse inuisibilis & incommutabilis est, sicut pater & filius: sed vt exterioribus visis hominum corda commonerentur, temporali manifestatione venientis, ad occultam se æternitatem semper præsentis conuertere.

Ioan. 14.

Ioan. 15.

Spiritus sanctus ut apparuerit.

Matth. 3. Act. 2.

Cur solus pater missus non legatur.
Caput VI.

Ideò pater missus non legitur, quia incarnatus non creditur. Congruenter dictus est missus ille, quia in carne apparuit: misisse autem ille, qui in ea non apparuit. Forma igitur illa susceptibilis hominis, filij persona est, non etiam patris. Quapropter pater inuisibilis vnà cum filio secum inuisibili, eundem filium visibilem faciẽdo, misisse eum dictus est. Ita verò accepta est forma serui, vt maneret incommutabilis forma Dei. Quòd verò in filio apparuit carnalibus oculis, ab inuisibili sancta Trinitate factum est.

Quare filius nunc æqualis, nunc minor patre dicatur.
Caput VII.

EX vna sententia Apostoli, duæ in filio Dei naturæ intelliguntur: vna, in qua est per omnia æqualis patri: altera, in qua minor est patre, vbi ait: Qui cùm in forma Dei esset, non rapinã arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui susceipiens. Proinde quædam ita dicuntur in scripturis sanctis, vt minor filius intelligatur, sicut ipse ait: Pater maior me est. Quædam verò ita dicuntur, vt æqualis patri ostendatur, sicut ibi, vbi idem ipse ait: Ego & pater vnum sumus: vnum, propter substantiæ vnitatem: sumus, propter personarum proprietatem. Quod diligentissimè prudens lector considerare debet, quid pro qua dicatur forma, cùm tamen in forma serui, & in forma Dei idem ipse sit filius vnus vnigenitus Dei patris, in forma Dei æqualis patri, in forma serui minor patre. Quapropter non immeritò scriptura vtrunque dicit, & æqualem patri filium, & patrem maiorem filio. Illud enim propter formam Dei, hoc autem propter formam serui, sine vlla personæ discretione intelligitur. In forma Dei: in principio erat verbum: in forma serui, verbum caro factum est, id est, Deus homo factus est: in illa ex æterno æqualis patri, in ista ex tempore minor. In forma qua æqualis est patri, fecit hominem: in forma, qua minor est patre, factus est homo. Proinde in catholica fide sine vlla dubitatione confirmatum est, hominem illum, quem suscepit sapientia Dei ex virginali vtero, nihil minus habuisse quàm cæteri homines, quantum pertinet ad integritatem humanæ naturæ, in qua homo creatus est, & nihil omninò ex eo quod deceptor homini inuexit. Quantum autem ad excellentiam personæ, longè aliud est quàm cæteri homines, quia idem homo vna persona cum Dei verbo factus est.

Ioan. 1.

Ioan. 8.

In forma nus Christ

Quare spiritussanctus nusquam patre minor legatur.
Caput VIII.

Ideò autem nusquam scriptum est, quòd Deus pater maior sit spiritussancto, vel quòd spiritussanctus minor Deo patre, quia nõ est ita à spiritusancto columba, in qua apparuit, assumpta, vel ille ignis in quo descendit super apostolos, in vnam diuinitatis suæ personam, sicut assumpta est à filio Dei ex Maria virgine humanitas in vnam suæ deitatis personam. Neq; enim columbam beatificauit spiritussanctus, vel illum flatum, vel illum ignem, sibique & personæ suæ in vnitatem habitumque coniunxit internum: sed apparuerunt ista, sicut opportunè apparere debuerunt, creatura seruiente creatori, & ad nutum eius, qui incommutabiliter in seipso permanet, ad eum significandum & demonstrandum, sicut

Ignis columba tempo rarius

sicut significari & demonstrari mortalibus oportebat, mutata & conuersa. Quanuis spiritussanctus apparuisset in specie columbæ vel ignis, nõ possumus tamen dicere spiritum sanctum Deum & columbam, aut Deum & ignem, sicut dicimus filium Deum & hominem. Propter has ergo corporales formas, in quibus apparuit spiritus sanctus, missus dicitur, non propter eas minor patre dici potest, sicut filius propter formam serui: quia illa forma serui inhæsit illi ad vnitatem personæ perpetualiter, illæ verò species corporales, columba & ignis, ad demonstrandũ quod opus fuit, ad tempus apparuerunt, & esse posteà desstiterunt.

Philip. 2.

Ioan. 8.

Quòd aliter intelligendum sit, uerbum caro factum, atque aliter uerbum Dei in quolibet sanctorum. Caput IX.

Hæb. 1.

MVltis modis dicit deiloquus Paulus Deũ locutum esse patribus in Prophetis: nouissimè verò diebus istis locutum nobis esse in filio suo. Et vt certissimè intelligeretur de quo filio dixisset, mox subdidit, dicens: Quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & secula. Per illum verò, per quem omnia creauit, id est, Christum Dei filium, locutus est nouissimis seculi temporibus sanctis suis: quanuis Deum locutum esse in prophetis legamus, sicut dicitur: Principium loquendi Domino in Osee: vel etiam verbum Domini factum ad quemlibet prophetam, sicut legitur: Verbum Domini factum est ad Esaiam prophetam. Non igitur Christus ita verbum Dei habuit in se, sicut alij sancti, sed ipse est verbum Dei. Aliud est enim verbum in carne, aliud est verbum caro factum: aliud est Deus in homine, aliud est Deus homo. Ideò Dei filius non solùm secundùm veram diuinitatem, quam habet de natura Dei patris, sed etiam secundùm carnem, quam habet veram naturaliter de corpore beatæ genitricis, Deus verus & creditur & prædicatur ab omnibus catholicis: quoniam æterna diuinitas filij cum plena humanitate sua, & eadem plena humanitas filij cum æterna diuinitate sua, vna est in sancta Trinitate persona: & hæc non adoptiua, sed propria & perfecta, & ipse totus in diuinitate ac humanitate sua vnigenitus & verus filius Dei: ideò cũ patre & spiritusancto vnus est Deus: non nuncupatiuus, sicut Hispanica hæresis impia temeritate affirmare præsumpsit, asserens Dei filium in diuina natura Deum esse verum, & in humana nũcupatiuum. Similiter & in diuina natura proprium filium Dei, & in humana adoptiuum, diuidens vnam personam filij Dei cum Nestorio in duas personas, id est, veri filij & adoptiui, cùm certissimum constet, in illam personam, quam habuit æternaliter de patre genitus, Dei filium humanam assumpsisse naturam, quam nemo

Osee 1.

Esaiæ 38.

De hac hæresi uide in Tomis Conciliorum Synodum Francofordien.

catholicus fide confirmatus adoptiuam esse ausus est dicere. Deus Dei filius humanam assumpsit naturam, non personam: in æternam suscipiens personam diuinitatis, temporalem humanitatis substantiam: homo transiuit in Deum, non versibilitate naturæ, sed propter diuinæ vnitatem personæ. Ideò non sunt duo Christi, nec duo filij, sed vnus Christus, & vnus filius, Deus & homo.

Quòd nec pater nec spiritussanctus, sed solus filius sit incarnatus. Caput X.

QVanquàm vna sit sanctæ Trinitatis natura, non tamen tota Trinitas incarnata est, sed sola filij persona humanam susceipit misericorditer naturam: nec tamen ita Dei filius incarnatus est, vt vna esset in eo natura diuinitatis & carnis. Neque enim in Christo hoc deitas potuit esse quod caro, aut caro quod deitas: quia vtraque natura, id est, diuinitatis & humanitatis in sua permansit proprietate. Propterea vtique humanam naturam, id est, carnem, rationabilẽq; animam, non à tota Trinitate, sed à solo filio cõfitemur susceptam in vnitatem personæ, non in vnitatem naturæ. Vtique persona filij non est eadem, quæ patris aut spiritussancti. Vnitas ergo personæ, manente duntaxat vtriusque proprietate substantiæ, sicut in Christo personam non fecit duplicem, sic humanæ naturæ susceptionem non fecit sanctæ Trinitati communem. Ad personam quippe Dei verbi tantummodò accessio illa seruilis formæ pertinet: sed nihil diuinæ plenitudinis abstulit, nihil dominatiõis ademit in Christo, humanitatis susceptio. Hinc est, quòd in vno eodẽq; Christo, & humanæ naturæ veritas claruit, & diuinæ naturæ incommutabilis permansit essentia. Hoc tamen sciendum est, quòd hanc seruilem formam, quam solus Dei filius accepit, tota Trinitas fecit: quam tamen certum est à tota sancta Trinitate factam, ad solam filij Dei pertinere personam. Non enim pater carnem assumpsit, neque spiritussanctus, sed filius tantùm: vt qui erat in diuinitate Dei patris filius, ipse fieret in homine matris virginis filius, ne filij nomen in alteram transiret personam, qui non esset natiuitate filius. Dei ergo filius, hominis factus est filius, natus secundùm veritatem naturæ ex Deo Dei filius, & secundũ veritatem naturæ ex homine hominis filius, in vtraq; natura, non appellatione tantùm vel adoptione, sed veritate Dei filius.

Solus filius naturam sumpsit humanam.

De eo, quòd uerbum Dei suæ carnis conceptione conceptum sit in utero uirginis.
Caput XI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SOlus itaq;, sicut diximus, filius Dei accepit carnem, vt posset corporeis oculis videri,& corporeis manibus contrectari. Solus humanam naturam sic accepit, vt suam faceret,& per illam diuinitatis quoque suæ notitiam misericorditer hominibus insinuaret. Nec tamen vllatenùs credi debet, carnem CHRISTI sine diuinitate conceptam in vtero virginis, priusquam susciperetur à verbo, sed ipsum verbum Deum suæ carnis cõceptione conceptũ, ipsamq; carnem verbi Dei incarnatione conceptam, eandemque carnem humanæ naturæ veram habere Dei filium, qua de virgine verbum Deus natus est. Non ergo ad beatam virginem locali motu verbi diuinitas venit, sed ineffabili potentiæ suæ manifestatione, vterum matris gignendus impleuit: nec dimisit patrem, cùm venit ad virginẽ, vbique totus, vbique perfectus. Nec plenitudo diuinitatis partiri potest, sed totus filius in patre, totus filius in vtero virginis, totus filius ex vtero eiusdem beatæ virginis carnem assumens: In qua crucifixus est & sepultus, in qua resurrexit,& in cælum ascendit, & in dextera Dei sedet, in qua etiam venturus est iudicare viuos & mortuos,& in qua videbunt eum omnes tribus terræ, non in ea humilitate qua iudicatus est, sed in ea claritate, qua iudicaturus est vniuersum mundum.

Dei filius ut uenerit in uirginẽ

De mediatore Dei & hominum, homine Christo Iesu. Caput XII.

NVllus planè veram pacem cum Deo habere poterit, nisi per mediatorem Dominũ Christum, qui est in duabus naturis verus Deus, verusque homo, vnus Christus, idem sacerdos & sacrificium, veniens ad nos offerre pro nobis, quod sumpsit ex nobis, vt auferret à nobis quod inuenit in nobis, id est, peccata. Sicut enim diabolus mediator est ad mortem, qui superbus superbientem hominem perduxit ad mortem: ita Christus mediator ad vitam, humilis hominem obedientem reduxit ad vitam: quia ille elatus cecidit,& deiecit consentientem, iste humiliatus surrexit,& erexit credentem. Idcircò autem mediator, quia idem Deus atque homo verus, habens cum patre eandem diuinitatis naturam, & humanitatis eandem cum matre substantiam: habens ex nobis vsque ad mortem iniquitatis nostræ pœnam, habens incommutabilem cum Deo patre iustitiam: propter nostram iniquitatem temporaliter mortuus, propter suam iustitiam & ipse semper viuus: qui crucifixus est ex infirmitate nostra, sed viuit ex virtute sua.

Christus sacerdos & sacrificium.

Christus cur mediator.

1. Cor. 13.

De eo, quòd in Christo sit naturarum distantia, non personæ: & in sancta Trinitate personarum, non naturæ. Caput XIII.

NEque Dei filius Deus æternus ex patre, Deum deseruit patrem, quanuis homo factus esset ex matre: sed idem qui gerebat quæ hominis sunt in terris, idem ipse gerebat in cælis quæ Dei sunt, sicut ipse ait in Euangelio: Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo. Hæc loquebatur in terra filius hominis, sed idem ipse filius hominis erat in cælo. Quanuis in vnius corpusculi videretur latuisse angustia, tamen omnium creaturarum regebat latitudinem. Nec alius est per quem omnia creata sunt, alius qui creatus est homo: idem ipse & creator & creatura. Creator in diuinitate,& creatura in humanitate: non alius, sed aliud: quia non vna natura in eo, sed vna est omnimodis persona: non alius in persona, sed aliud in natura. Non ita est in sancta Trinitate dicendum vel intelligendum. Non enim fas est dicere de patre & filio & spiritusancto aliud, quia vna horum est natura: sed alius, quia personarum distantia est in eis. In Christo itaq; nõ est personarũ distãtia, sed naturarũ: ideò alius dici non debet, sed aliud de eo. Quocircà omnimodis vnus est atque idem, mortalis & immortalis, passibilis & impassibilis. Ideò Dominum gloriæ dixit Apostolus crucifixum, quanuis sola humanitas passionibus subiaceret. Crucifixus est Dei filius, sed secundùm carnem, sicut in alio loco idem Apostolus ait: Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Iudæis & Græcis Christum Dei virtutem,& Dei sapientiam.

Ioan. 3.

Christus pariter in cælo & terra.

1. Cor.

De Maria uirgine, & incarnatione uerbi Dei. Caput XIIII.

BEatus Euangelista vt proprietatem vnius personæ in Christo ostenderet, ait: Verbũ caro factum est. Verbum quod erat apud Deũ antequàm mundus esset, per quod mundus factus est. Verbum quod non amisit æternitatem suam, quanuis in tempore ex virginali vtero carnem assumendo, homo fieri voluisset. Quod verbum per omnipotentiam suam voluit hunc hominem, quem assumpsit, hoc fieri ex tempore, quod ipse semper fuit sine tempore, id est, proprius filius Dei, vt non possint dici duo filij Dei, alius ante tempora genitus,& alius natus ex tempore, sed vnus Dei filius proprius & perfectus, Dominus noster Iesus Christus: quem beata Maria virgo, salua sui integritate corporis, Deum edidit & hominem. Quæ fuit vt lana mundissima,& virginitate clarissima,& incomparabilis vniuersis, quæ erant sub cælo, virginibus, eratque talis ac tanta, vt sola digna fieret diuinitatem in se recipere filij Dei, sicut conchylij sanguinem susc ipit lana, vt purpura ex eadem, imperiali maiestate tantummodò digna, fiat, qua mũdus nullus alius induatur, nisi angusta præditus dignitate. Ita spiritus sanctus superuenit in beatam virginem, & virtus altissimi obumbrauit eam, vt quasi lana fieret diuinitate purpurata, solummodò æterno Imperatori indui dignissima. Et sic facta est beatissima virgo Maria Theotocos, sicut & Christotocos. Nam & ante eam fuerunt & aliæ in populo Dei Christotocæ, id est, Christorum genitrices, non tamen virgines, nec spiritusancto & virtute altissimi obumbratæ, vt Deum dignæ generare inuenirentur. Hæc autem & Christotocos, & sola Theotocos,& sola virgo, ex spiritusancto & virtute altissimi concepit, ac sic glorificata, vt Deum Dei filium, coæternum & consubstantialem patri, generaret virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum. Dignum enim erat, vt Deo nascente meritum cresceret castitatis, ne per eius aduentum violarentur integra, qui venerat sanare corrupta: nec regnator cæli, virginalis vteri dedignatus est angustias intrare, qui omnium creaturarum implet latitudinem, cui angelorum militia nato decantare venerat: Gloria in excelsis Deo,& in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Luc. 2.

Quid cuiq; naturæ in Christo conueniat. Caput XV.

Gemina in Christo natura.

FIrmissimè credere debemus, sub vnius personæ proprietate, duarum esse in Christo naturarum insignia, non vt diuisionem faciamus vnius Christi, sed vt in vno Dei filio & vno Christo duas distinguamus substantias: vnam quæ initium habuit ex virginali vtero, alteram quæ sine initio coæterna est Deo patri: vnã, quę ætate proficiebat & sapientia, alteram quæ æter na est Dei virtus,& Dei sapientia. Vt de pluribus pauca dicamus, vnam quæ dormiebat in naui,& exeitata est à discipulis: alteram quæ imperabat ventis & fluctibus: vnam quæ plorat amicum & mortuum, alteram quæ voce sola vocat eum de sepulchro,& resuscitat ad vitam: vnam quæ tristatur vsque ad mortem, aliam quæ liberat sanctos à tristitia, & dat eis gaudium vitæ perpetuæ: vnam quæ videntibus Apostolis ascẽdit in cælos,& sedet ad dexteram Dei patris, alteram quæ de sinu patris nunquam abscessit, sed semper cum patre & in patre fuit,& esse non desinit. Salua igitur proprietate vtriusque naturæ, & in vnam coëunte personam, suscepta est à maiestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas,& ad perficiendum opus salutis humanæ, natura incommutabilis naturæ est vnita passibili, vt mediator Dei & hominum homo Christus Iesus,& mori posset ex vno,& mori nõ posset ex altero. Propter vnius verò personæ identitatem, communis Deo & homini dicitur vel gloria, vel contumelia. Proinde sic in vno Christo communia naturæ vtriusq; inueniũtur officia, vt cùm non diuidatur in virtutibus atq; infirmitatibus Christus, tamen in opere aliquid vtriusque naturæ non sit commune. Quicquid tamen gestum est in Christo, vnus hoc gerebat Christus, non duo Christi. In operibus proprietas discernitur naturarum, in potestate vnitas personæ intelligitur.

Luc. 2.

1. Cor. 1.

Matth. 8.

Ioan. 11.

Matth. 26

Mar. 16.

Quòd diuinitas hominem quem assumpsit, nunquam dimisit. Caput XVI.

INnulla siquidem proprietate operum, quæ naturas distinguunt in Christo, diuinitas deseruit humanitatem, nec etiam in ipsa passione. Quod vt faciliùs intelligi possit, exemplis fides roboranda est. Verbi gratia dicamus: Si fecuris ictu arborem verberaueris,& splendorem in ea simul & calorem percusseris solis, arbori quidẽ vulnus infligis, solem verò, cuius & splendorem simul percutis & calorem, impassibilem derelinquis. Quòd si arborem ictu fecuris percussam sol non deserit, quanto magis sanctum suum Dei filium, quod est verbum, in passione non deseruit, quanuis ipsa diuinitas impassibilis semper in sua permaneat natura? Sicut Moyse duce populi Dei vidente rubus flammam habuit, sic verè passa est humanitas Christi. Et sicut verè non incensus est, sic verè non est passa diuinitas. Non tamen alicubi diuinitas humanitatem, ex quo in vnitatem suæ personæ assumpta est, deseruit, verùm etiam de eodem matris vtero idem Deus homo factus exiuit,& in cruce idem Deus homo factus pependit, & in sepulchro idem Deus homo factus iacuit: sed in sepulchro secundùm solam carnem idem Deus homo iacuit, & in infernum secundùm solam animam descendit. Quicquid enim in Christo factum esse legitur, ab vno Christo & ab vno Dei filio gestum esse nullus catholicus dubitare debet. Hæc verò omnia personaliter totus Christus dignatus est agere. Ipse quippe suas passiones inuenitur operatus, qui nihil habuit quod pateretur inuitus: ipse etiam & opus, & author operis. Iam verò cùm Christus vno eodemque tempore & in sepulchro iacuit, & in infernum descendit, quis non inseparabile naturæ vtriusque opus videat, & quis in ipso vno atque inseparabili opere propria carnis & animæ ac diuinitatis non euidenter agnoscat? Vt enim secundùm carnem in sepulchro iaceret, totus Christus fecit, sed sepulturæ capax sola caro naturaliter fuit. In infernum quoque vt secundùm animam Christus descenderet, naturæ vtriusque, id est, diuinæ atque humanæ vnum fuit opus: sed solius animæ naturalis fuit ille descensus: sicut eodem tempore totus in cælo & in terra non cessabat Christus operari, sed solius diuinitatis fuit & loco non contineri, & quæ ad gubernationem vniuersitatis pertinebant, cum patre naturaliter & æqualiter operari. Inde est, quòd in omnibus illis operibus passionis & mortis, authoritas Apostolica, quod totus in se operatus est Christus, sic vni personæ operan-

Exod. 3.

Caro Christi in sepulchro, Anima apud inferos, Diuinitas in cælo & in terra.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tis assignat, vt quid cuius naturæ sit, indubitäter ostendat. Nam & beatus Paulus de vno eodemque Christo dicit: Etsi crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei. Et beatus Petrus propheticum sic protulit de Psalmis eloquium, vt Christi animam, quam in infernum nouerat descendisse, ipsam diceret in inferno non derelictam. Qua de inferis ad carnem die tertio reuertente, idem Deus homo secundùm carnem, qua in sepulchro iacuit, de sepulchro resurrexit, & quadragesimo post resurrectionem die, idem Deus homo factus, in cælum ascendens, in dextera Dei sedet, inde in fine seculi ad iudicandum viuos & mortuos venturus.

1. Cor. 15. Act. 2. Psalm. 15.

De baptismo Christi, & quòd omnia quæ gerebantur in Christo, nostræ salutis causa gesta sunt. Caput XVII.

Matth. 3. DIcit Euangelista, Christum beato respondisse baptistæ, dum ad eius venit baptismum: Sine modò: sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Quid est aliud quod ait, Omnem iustitiam implere, nisi quòd in seipso totius vitæ nostræ ordinem ostendere voluit, vt ipse alio demonstrat in loco, dicens: Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Baptizatus est ergo Christus, non vt eius vlla dilueretur iniquitas, qui omninò nullam habuit, sed vt eius magna commendaretur humilitas. Ita quippe in eo baptism⁹ nihil quod ablueret, sicut mors nihil quod puniret, inuenit: qui solus vtique sic natus potuit, vt ei non esset opus renasci. Non enim renascebantur qui baptizabantur baptismate Ioannis, à quo & ipse baptizatus est. Quapropter baptismus Christi non fuit in aqua tantùm, sicut Ioannis, sed in spiritusancto in remissionem peccatorum, ipso alibi dicente: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritusancto, non potest introire in regnum Dei, vt de spiritusancto regenerati, qui in Christum credunt, habeãt omnium remissionem peccatorum. De quo spiritu Christus generatus, regeneratione non eguit, qui spiritussanctus eo baptizato, in specie columbæ descendisse super eum visus est. Nec credendum est tunc donatum sanctispiritus primò suscepisse, qui à prima conceptione spiritusancto plenus semper extitit: sed vt sanctæ & indiuiduæ Trinitatis in baptismate demonstraretur mysterium, filius Dei baptizatur in homine, spiritus Dei descendit in columba, pater Deus adest in voce, sine cuius inuocatione, id est, sanctæ Trinitatis, nullum baptisma prodesse poterit. Ideò Dei filius primus ipse suo in baptismate totam personaliter ostendere voluit adesse Trinitatem, qui sacramentorum suorum dispensatoribus erat præcepturus, docere omnes gentes, & baptizare eas in nomine patris & filij & spiritussancti.

Vita Christi, nostræ vitæ exemplar. Ioan. 8. Ioan. 3. Matt. 3. Baptismus ut sit inefficax. Matth. 28

Quicquid igitur gestũ est in cruce Christi, in sepultura, in resurrectione tertia die, in ascensione in cælum, & sessione ad dexteram patris, ita gestum est, vt his rebus non mysticè tantùm dictis, sed etiam gestis configuraretur vita Christiana, quæ hic geritur. Nam propter eius crucem dictum est: Qui autem Christi Iesu sunt, carnem suam crucifixerunt cum passionibus & concupiscentijs. Propter sepulturam dictum est: Consepulti enim estis Christo per baptismũ in mortem. Propter resurrectionem: Vt quemadmodùm Christus resurrexit à mortuis in gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Propter ascensionem in cælum, sessionemq; ad dexteram patris: Si consurrexistis cum Christo, quæ sursùm sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursùm sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.

Gal. 5. Rom. 6. Col. 3.

Quòd Deus quædam opera facit per filium sibi coæternum in forma Dei, quædam per eundem filium in forma serui filium hominis. Caput XVIII.

IPse Dominus de potestate, quam habet ex æterno cum patre, & de potestate, quam accepit ex tempore in forma serui, sic ait: Sicut enim pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio vitam habere in semetipso. Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Genuit itaque Deus pater filium, vitam & potestatem in semetipso habentem. Dedit potestatem eidem filio iudicium facere, qui in forma serui factus est homo. Deus pater per duas in Christo operatur naturas: per vnam, quæ ei communis est cum Deo patre, ex eo quòd Deus est, per alteram, qua ex virgine Maria homo factus est. Per has duas naturas in vno filio Dei duas facit Deus pater resurrectiones humani generis, id est, animarum & corporum: habent enim & animæ mortem suam in impietate atque peccatis, secundùm quam morte mortui sunt, de quibus idem Dominus ait: Sine mortuos sepelire mortuos suos, vt scilicet in anima mortui, in corpore mortuos sepelirent. Mors est videlicet animæ, quando Deus deserit eam ob peccatorum magnitudinem: corporis, quando anima deserit corpus. Ab his duobus mortis generibus resuscitatos, duas dicimus resurrectiones. Nunc enim animarũ in Ecclesia per filium Dei, verbum Dei fit resurrectio, quando per gratiã Dei viuificatæ, resurgunt à morte iniquitatis. Et hæc est prima resurrectio, quã qui habent, in secunda, quæ est corporum, feliciter resurgent in vitam æternam. Filius verò hominis accepit potestatem iudicium facere, quod iudicium in fine erit seculi. Et ibi non erit resurrectio animarum, sed corporum. Ideò ipse Dominus has duas designat in eodem

Ioan. 5. Ibidem. Rom. 11. Antichristi extrema persecutio. 2. Thes. 2. Apo. 11. & 13.

eodem loco resurrectiones: animarũ, vbi ait: Amen amẽ dico vobis, quia venit hora, & nũc est, quando mortui audient vocem filij Dei. Corporum verò: Veniet hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem eius. Hora enim nunc est vt resurgant mortui: hora erit in fine seculi, vt resurgant mortui: sed resurgunt nunc in mente, tunc in carne. Resurgunt nunc in mẽte per verbum Dei, filium Dei: resurgent tunc in carne per verbum Dei carnem factum, filium hominis. Animas ergo nunc suscitat Deus per verbum filium Dei, vt viuant in Christo. Corpora suscitat Deus in fine seculi per eundẽ filium hominis, vt æternaliter viuant cum Christo. Neq; enim ad iudicium viuorũ & mortuorũ pater ipse venturus est, nec tamen recedet à filio pater. Quomodò ergo nõ ipse vẽturus est? Quia nõ ipse indutus est forma serui, nec videbitur in iudicio: videbunt nanq; impij, in quẽ cõpunxerunt. Forma illa erit iudex, quæ stetit sub iudice: illa iudicabit, quæ iudicata est. Iudicata est enim iniquè, iudicabit iustè. Talis apparebit iudex, qualis videri possit & ab eis, quos coronaturus est, & ab eis, quos damnaturus est. Forma ergo serui videbitur, occulta erit forma Dei, quę iustis videri tantummodò permittitur, quibus ad æternum beatitudinis præmium prædestinatum est peruenire.

Zach. 12.

De nouissimis seculi temporibus. Caput XIX.

QVædam videlicet signa, quæ ipse Dominus in euangelio ante finem mundi futura esse prædixit, transacta leguntur, quædam verò imminentia quotidiè sentiuntur. Quædam itaq; necdùm acta sunt, sed futura esse certissimè creduntur, id est, fides Israëlitici populi, de qua Apostolus ait: Cùm intrauerit plenitudo gentiũ, tũc omnis Israël saluus fiet: & regnum Antichristi, & crudelitas eius in sanctos. Hæc erit nouissima persecutio, nouissimo imminente iudicio, quã sancta Ecclesia toto terrarum orbe patietur, vniuersa scilicet ciuitas Christi ab vniuersa diaboli ciuitate, quantacunq; erit vtraque super terram. Cuius persecutionis authorem esse eundem Antichristum non dubium est, quem Apostolus filium nominauit perditionis, atq; refugam vtiq; à Domino Deo, qui extolletur super omne id, quod dicitur Deus, aut quod colitur. Ecclesia equidem sancta dicitur Deus. Colitur itaq; recte tantummodò sancta Trinitas Deus, cuius honorẽ impijssimus ille refuga sibi vendicare præsumet, alios adulationibus, alios terroribus, alios signis illicitans, vt se colant pro Deo, cuius persecutionem trium semis annorum spatio excandescere super terram, in Apocalypsi prædictum est. Sed ne tam immanis & crudelis persecutio improuisa veniens, omnes minùs paratos inuoluat, Eliam & Enoch maximos prophetas venturos esse, Ecclesiæ habet fides, per quorum doctrinã populus Israëliticus conuertetur ad fidem. Qui cùm ipsi primò tres semis annos prædicauerint, in ipsa eadẽ persecutione cum alijs fidelibus Christi glorioso coronabũtur martyrio. Percusso aũt illo perditionis filio, & impijssimo totius iniquitatis magistro ab ipso Domino, sicut Apostolus ait: Quẽ Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentꝰ sui: non continuò dies iudicij secuturus esse credendus est, vt impleatur quod ipse Dominus in euangelio ait: De die aũt illo & hora nemo scit, neq; angeli, neq; filius, nisi pater solus. Quæ Domini verba quomodò intelligenda sint, loco opportuno superiùs exposuimus.

2. Thes. 2. Mar. 13. Lib. 2. cap. 12.

De resurrectione corporum in nouissimo die. Cap. XX.

IPse Dominus noster Iesus Christus in resurrectione carnis suæ, quam die tertia suscitauit de sepulchro, nobis nostræ carnis veram ostẽdit resurrectionem. Quam videlicet absq; omni dubitatione firmissimè credere debemus, vt in ea carne, qua hic quisq; viuebat in hac præsenti vita, in eadem resurgere debeat. Nec alicui incredibile debet esse, potentiam diuinam corpora nostra de cuiuscunq; conditionis corruptione resuscitare posse. Absit hoc à fide nostra dubitare, vt ad resuscitanda corpora vitæq; reddenda, non possit omnipotentia creatoris omnia reuocare, quæ vel bestia, vel ignis absumpsit, vel in puluerẽ cineremq; conuersum, vel in humorem resolutũ, vel in auras est exhalatum. Absit, vt sinus vllus secretumque naturæ ita recipiat aliquid subtractũ sensibus nostris, vt omniũ creatoris aut cognitionẽ lateat, aut effugiat potestatẽ. Resurgent equidem sanctorum corpora ad gloriã sine vllo vitio, sine vlla deformitate: in quibus tanta facilitas erit, quanta & felicitas. Quanuis enim aliquid deformitatis habeant corpora eorum in hac præsenti vita, vel maius, vel minus habentia, quàm humanæ naturæ deceat pulchritudinem, nihil tale habebunt in illa perpetuæ felicitatis perfectione: in ea scilicet mensura & dignitate, qua vel futura erant, si ante perfectæ ætatis decorem moriuntur, siue etiam habuerunt ante vergentis ad infirmitatem ætatis annos, membrorum omnium pulchritudine congruo decore seruata: ita vt nihil incongruum habeant in vlla corporis parte, quia spirituale erit corpus, nõ carnale. Et quanuis caro sit, non spiritus, non tamen carnalibus subiacebit vitijs, de quibus Apostol⁹ ait: Quia caro & sanguis regnũ Dei nõ possidebit. Procul erit ab eis omnis infirmitas, omnis deformitas, omnis tarditas, omnis corruptio, omnis egestas, omnis indigentia, & si quid aliud illud summi regis non decet regnum, in quo

Corpora iustorum qualia resurgent. 1. Cor. 15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

resurrectionis & promissionis filij æquales erũt angelis Dei. Ergo quicquid de corporibus viuis, vel post mortẽ de cadaueribꝰ perijt, humanosq; effugit visus, simul cum eo qđ in sepulchris remãsit, in spiritalis corporis nouitate ex animalis corporis vetustate mutatũ, resurget, incorruptione atq; immortalitate vestitũ. Resurgẽt & impij, vnusquisq; cum sua carne, vt cũ diabolo & angelis eius puniantur. Vtrùm sane ipsi cum vitijs & deformitatibus eorum corporum resurgãt, quęcunq; in eis vitiosa & deformia membra gestauerunt, inquirẽdo laborare quid opus est? Neq; enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo vel pulchritudo, quorum erit certa & sempiterna damnatio. Hoc certissimè sciendum est, quia nemo nisi per indebitam misericordiam Dei liberabitur, & nemo nisi per debitum iudicium damnabitur. Tunc sancti scient pleniùs, quid boni eis contulerit gratia, vel quid essent consecuturi, si diuina eos gratuitò munere non elegisset misericordia, & quàm verum sit, quod in Psalmo canitur: Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.

Corpora impiorũ.

Psal. 100.

De iustorum præmio, & pœna peccatorum.

Caput XXI.

DE igne diei iudicij Apostolus ait: Vniuscuiusq; opus quale sit, ignis declarabit. Dene purgatorio hoc eum dixisse non est dubitandum, quẽ ignẽ aliter impij sentient, aliter sancti, aliter iusti. Impij siquidem de illius ignis cruciatu ad perpetuas ignium flammas detrudentur: sancti verò, qui sine omni peccatorum macula in corporibus suis resurgẽt, qui supra fundamentum, quod est Christus, aurum, argentum & lapides pretiosos ædificauerunt, tanta facilitate illũ peruolabunt ignem, quanta integritate fidei & dilectionis, Christi in hac vita custodierunt præcepta, eritq; illis ille ignis diei iudicij, sicut trib. pueris caminus Babylonicæ fornacis fuerat, qui absq; omni flammarũ læsione in Domini laudes omnium pulchritudinem creaturarum conuocabant. Sunt ergo quidam iusti minutis quibusdã peccatis obnoxij, qui ædificauerunt supra fundamentum, quod est Christus, fœnum, ligna, stipulã, quæ illius ignis ardore purgantur: à quib. mũdati, æternæ felicitatis digni efficiãtur gloria: illoq; transitorio igne & toto extremi diei iudicio completo, diuidẽtur duæ cõgregationes, sanctorum & impiorũ, vna Christi, altera diaboli: vna bonorũ, altera malorũ, vtraq; angelorum & hominum. Istis volũtas, illis facultas nõ poterit vlla esse peccãdi, nec vlla cõditio moriẽdi: istis in æterna vita verè feliciterq; viuẽtibus, illis infeliciter in æternis tormẽtis sine moriẽdi potestate durãtibus. Quãdo vtiq; extremi iudicij ventilabrũ discernet frumentũ à paleis, vnusquisq; secundũ modum meritorũ aut damnabitur aut coronabitur. Quidam videlicet iuxta peccatorũ qualitatẽ mitiùs torquẽtur, qui minorũ scelerum põdere grauantur. Sunt etiam & sanctorũ merita diuersa, quorum quisq; secundùm meritorũ magnitudiné, æternæ recipiet præmia beatitudinis: quod ipse Dominus in euangelio significabat, dicẽs: In domo patris mei mãsiones multæ sũt. Sed nemo in illis alicuius lætitię vel beatitudinis sentiet detrimentũ, quia vnicuiq; sufficiet quod accipiet, quia Christus erit omnia in omnibus.

1. Cori. 3. Ignis purgatorius.

1. Cor. 3.

Dan. 3.

1. Cori. 3.

Quisq; accipiet pro meritis.

De æterna beatitudine sanctorum.

Cap. XXII.

QVid verò acturi sunt in illa requie summæ beatitudinis, Psalmista exposuit dicẽs: Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te. Expressiusq; ipse Dominus in euangelio, vbi ait: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Hæc est absq; omni perturbatione beata Dei pax, quæ exuperat omnem sensum, in qua videbitur Deus deorum in Sion, i. in speculo perpetuæ quietis. Omnia quippe membra & viscera incorruptibilis corporis, quę nunc videmus per vsus necessitatis distributa habere ministeria, proficiẽt laudibus Dei: quia nulla erit eis tunc necessitas laborandi, nulla cuiuslibet indigentiæ molestia, sed plena certaq; securitas, & sempiterna felicitas, & indeficiens lætitia. Quàm ineffabilis felicitas erit illa, vbi nullũ erit malũ, vbi nullũ deerit bonũ? Vacabitur Dei laudibꝰ, qui erit omne bonũ in omnibus, vnus amor omniũ, vna cõcordia cũctis. Verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno: nec ad eum perueniet vllus indignus, vbi nullus permittetur esse nisi dignus, vbi pax, vbi nihil aduersum à seipso quisquã, nec ab alio patietur. Præmiũ virtutis erit ipse qui virtutẽ dedit, & qui seipsum, quo melius & maius nihil posset esse, promisit, qui erit beata satietas omnibus. Quod propheta spiritu inspiratus sancto præuidit optãdo, inquiẽs: Satiabor dũ manifestabitur gloria tua. Tũc erit ipse Deus sanctorũ satietas, beatorũ iucũditas, & omnia quæcũq; ab eis honestè desiderari possunt, & vita & salus, & victus & copia, & gloria & honor & pax & æterna beatitudo, & beata æternitas. Ipse erit perfectio desideriorũ nostrorũ, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Tunc erit vera immortalitas, vbi nullus mori poterit. Prima conditio hominis fuit, posse nõ mori: cui ꝓpter peccati pœnã cõtigit, nõ posse nõ mori: restat illa felicitate illud tertium, nõ posse mori. Tunc plenè erit liberũ arbitriũ, quod primo homini fuit sic datum, posse non peccare: sed illud beatius erit, quando tale erit, non posse peccare. Tunc sabbatismus, æternæ quietis dies omnib. sanctis erit: ibi videbitur qui amabitur, & qui amabitur laudabitur: qui nobis huius sermonis initium & causa fuit, sic etiam perfectio & finis. Pro cuius amore legentes flagitamus pro nobis apud eius intercedere misericordiam, vt cum eis eo miserante mereamur ad illud peruenire regnum, cuius nullus est finis.

Psalm. 83.

Matth. 5.

Philip. 4.

Deus immortalitas.

Spes certa.

Sabbatismus.

Laus.

EPL-

EPILOGVS.

CRedimus sanctam Trinitatem, id est, patrem & filium & spiritum sanctum, vnum Deum omnipotentem, vnius substantiæ, vnius essentiæ, vnius potestatis, creatorem omnium creaturarum, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Patrem à seipso, non ab alio: filium à patre genitum, Deum verum de Deo vero, lumen verum de lumine vero, non tamen duo lumina, sed vnum lumẽ. Spiritum sanctum à patre & filio æqualiter procedentem, consubstantialem, coæternum patri & filio. Pater plenus Deus in se, filius plenus Deus à patre genitus, spiritussanctus plenus Deus à patre & filio procedens. Non tamen tres deos dicimus, sed vnum Deum omnipotentem, æternũ, inuisibilem, incommutabilem, qui totus vbique est, totus vbiq; præsens est, non per partes diuisus, sed totus in omnibus, non localiter sed potentialiter, qui sine commutatione sui mutabilia creauit, & creata gubernat, semper manens quod est, cui nihil accidens esse poterit, quia simplici diuinitatis naturæ nihil addi vel minui potest, quia semper est quod est. Cui proprium est, cui sempiternum est, cui idẽ est esse, viuere, & intelligere: & hæc tria vnus Deus, & vnus Deus hęc tria: idem Deus & Dominus, vera & sempiterna Trinitas in personis, vera & sempiterna vnitas in substantia, quia vna est substantia pater & filius & spiritussanctus. Hæc verò sancta Trinitas nihil maius est in tribus personis simul nominatis, quàm in vna qualibet persona semel dicta: quia vna quæq; persona plena est substantia in se, non tamen tres substantiæ, sed Deus vna substantia, vna potentia, vna essentia, vna æternitas, vna magnitudo, vna bonitas, pater & filius & spiritussanctus: nec aliud est pater in natura, quàm filius vel spiritussanctus, nec aliud filius & spiritussanctus quàm pater in natura quibus vna natura, sed alius est pater in persona, alius filius in persona, alius spiritussanctus in persona. In patre æternitas, in filio æqualitas, in spiritusancto æternitatis æqualitatisq; connexio: vnum omnes in substantia & essentia, omnipotentia & deitate. Sicut enim eadem sancta Trinitas inseparabilis est in substantia, ita inseparabilis est in operibus, quanuis quędam opera Dei quibusdam personis specialiter conueniant, sicut patri vox illa, quæ de cælo sonuit super CHRISTVM baptizatum: & ad filij personam humanitatis tãtummodò pertinet susceptio: & spiritussancti personæ propriè congruit illa columba, in cuius specie idem spiritussanctus descẽdit super eundem filium Dei, secundùm hominem baptizatum: tamen absq; omni dubitatione illam vocem & illam columbam & CHRISTI humanitatem, tota sancta Trinitas operata est, cuius opera inseparabilia sunt.

Esse, Viuere, Intelligere

Matt. 3.

Ibidem.

CRedimus eundem filium Dei verbum Dei æternaliter natum de patre, consubstantialem patri per omnia, temporaliter natum de spiritusancto & Maria virgine, duas habentẽ natiuitates: vnam ex patre ęternam, alteram ex matre temporalem. Qui etiam filius Dei suæ carnis conceptione conceptus est, & suæ carnis natiuitate natus est. Deum verum confitemur conceptum, Deum verum natum. Eundem verum Deum, & verum hominẽ, vnum Christum, vnum filium Dei vnigenitum, proprium & perfectum in duabus naturis, in vnius personæ singularitate, impassibilem & passibilem, mortalem atq; immortalem, crucifixum in infirmitate nostra, eundẽq; semper viuẽtem in virtute sua: qui mortuus est carnis suæ morte, & sepultus, atq; ab inferis, damnato & spoliato principe totius iniquitatis, rediens tertia die resurrexit, atq; cum triumpho gloriæ videntibus discipulis cælum ascendit, sedens in dextera patris, id est, maiestate diuinitatis, inde tam venturus iudicare viuos & mortuos. Quem impij videbunt iudicantem in ea forma, qua crucifixus est, non in ea humilitate qua iniustè iudicatus est, sed in ea claritate qua iustè iudicaturus est mundum. Cuius visio æterna erit omnium sanctorum beatitudo & gloria. Gratia & pax à Deo patre & filio eius Iesu Christo Domino nostro sit ista confitenti in omnia secula seculorũ, AMEN.

Finit liber tertius.

SEQVITVR EVANGELIVM festi Trinitatis. Ioannis XV. & XVI.

In illo tempore, Dixit Iesus discipulis suis: Cum uenerit paracletus, quem ego mittam uobis à patre spiritum ueritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Et reliqua. Homilia Erici.

POsitus in cœna Dominus cum discipulis, postquã mysteria noui testamenti corporis sanguinisq; sui consecratione signauit, instante iam hora suæ traditionis, inter cętera quibus eos dignatus est erudire, monuit, ne impiorum contra se persecutione sæuiente terrerẽtur, ne & sensi cederẽt, sed in omnibus inuictum robur constantię tenerent: aduentu etiam spiritussancti promisso, cuius gratia terreno timore priuarentur, & virtutis cælestis robore fundarẽtur. Deniq; si diuinæ scripturæ oracula consulamus, apertè cognoscemus, quòd sancti apostoli ante perceptionẽ sancti spũs, qui die decimo post eius ascensionem in cælos super eos missus est, minùs idonei & capaces fuerant ad intelligenda mysteria diuinæ sublimitatis, minùs etiã fortes ad toleranda aduersa illatæ persecutionis. Aduenientę autem super eos spũsancto, cum augmento diuinę cognitionis constantiã perceperunt ad perferenda tormenta passionis. Quod vt exempli gra-

Ioan. 15. & 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gratia euidentiùs pateat, ipsum apostolici culminis verticem beatum Petrum in medium deducamus, qui antequàm spiritusancto roboraretur, adeò infirmus & pauidę mentis fuit, vt ad vocem vnius ancillę Dominum se vel nosse negauerit. Verùm postquàm sanctispiritus ignis timore antè frigidum pectus accendit, tantâ subitò fortitudinem animo concepit, vt præcunctis apostolis ad gloriam resurrectionis Christi publicè prædicandam emicaret, atq; principum tericulamenta transiret, dicens: Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Et iterùm: Non possumus quæ vidimus & audiuimus, nõ loqui. Admiremur ergo beatum Petrum prędicantem, quem dolueramus inficiantem. Tanto enim spiritussancti fulgore illustratus est, tantaq; veritatis authoritate solidatus, vt ipsos qui paulò antè fuerant interfectores Christi, ita conuerteret, quòd etiam mori vellent pro amore Christi.

Matth. 26.
Act. 5.
Act. 4.

Proinde loquens Dominus discipulis, & promittens eis aduentum spiritussancti, qui eos doceat scientiam diuinæ cognitionis, & corroboret ad fidutiam prædicationis, atque constantiam passionis, dicit: *Cùm uenerit paracletus quem ego mittam uobis à patre, &c.* Ordo verborum talis est: Cùm venerit paracletus, ille testimonium perhibebit de me. Paracletus nanque, hoc est, spiritussanctus, testimonium perhibuit de Domino Iesu Christo, quia cordibus apostolorum illapsus, plenissimam eis diuinitatis & humanitatis Christi scientiam contulit: adeò vt quantum mortalis fragilitas patitur, quicquid de eo sentiendum est nossent, qualiter vnius cum patre esset substantiæ, eiusdemq; maiestatis: quòd is qui ante secula Deus erat apud Deum, homo inter homines apparuit in fine seculorum: quòd de virgine natus acceperit, vt idem homo, idem esset & Deus: quòd sponte passus, sua virtute à mortuis resurrexerit, atq; in cælum ascendens, in dextera patris sederit: postremò quòd ipse in fine mundi æquus omnium iudex venturus sit. Hæc omnia sancti apostoli de Christo spiritussancti magisterio didicerunt. Nec solùm illi, verumetiam omnes, qui rectè aliquid de Christo sentiunt, huius spiritus gratia hoc promeruisse credẽdi sunt. Perhibuit etiam testimonium, quando apostolis constantiam, ea quæ didicerant, prædicandi inspirauit. Vno enim eodemque spiritu & scientiæ spiritualis dote, & virtutis ad prædicandum ope donati sunt. Quod autem ait, Quem ego mittam vobis à patre spiritum veritatis, qui à patre procedit, per interpositionem dictum est, quæ figura Græcè dicitur parenthesis. quam sententiam ideò interponere voluit, vt apertè ostenderet in patre & filio vnam esse voluntatem, & vnam operationem cum distinctione personarum: ita videlicet, vt intelligamus aliam quidem personam patris, aliam filij, aliam spiritussancti, sed in tribus personis vnam atq; eandem potestatem maiestatis. Intuendum verò, quòd spiritum sanctum & à se mitti, & à patre procedere dicit, non quòd separabilis sit patris & filij operatio, sed vt distantia personarum patris & filij manifestetur, in qua tamen personarum distinctione, vna filij voluntas atque operatio, cum patris voluntate & operatione concordat. Sicut ergo spiritussanctus mittitur à filio, sic mittitur & à patre: & sic procedit à filio, quomodò & à patre. Ipse spiritussanctus quia vnius est voluntatis, eiusdemque operationis cum patre & filio, dicitur quoque ipse sua sponte venire.

Ioan. 15.

Spiritus sanctus ut Christo perhibuerit testimonium.

Quod patenter in eo loco Dominus ostendit, vbi ait: Spiritus vbi vult spirat. Et Apostolus enumeratis diuinorum charismatum distributionibus, subdit: Hæc omnia operatur vnus atque idem spiritus. Idipsum quoque Dominus in hoc loco ostendit, dicens: Cùm venerit paracletus. Quia verò & à filio mittatur, subsequitur ipse filius & dicit: Quem ego mittam vobis. Et vt ostendat à patre illum etiam procedere, subinfertur: Spiritũ veritatis, qui à patre procedit. Propterea quæsitu indignum non est, cur spũssanctus non natus, non genitus, non ingenitus, sed potiùs procedens dicatur. Cui quæstioni hac ratione à patrib. obuiatur: Spiritus enim sanctus de patre procedit & filio, sed ideò non dicitur genitus, ne duo in Trinitate filij suspicẽtur: ideò non vocatur ingenitus, ne duo similiter in Trinitate patres credantur existere. Procedens autem dicitur testimonio Christi, dicentis: Spiritum veritatis, qui à patre procedit. Inter nascentem verò filium & procedentem spiritũsanctum ista distantia est, quòd filius ex vno nascitur, spiritus verò sanctus ex vtroq; procedit. Aduentu autem suo spiritussanctus testimoniũ perhibuit de Domino, quia discipulorum mentibus infusus, omnia quæ de eo mortalibus erãt cognoscenda, clara eius luce reuelauit, apertè videlicet eis insinuans, quomodò sit pater ingenitus, filius genitus, spiritussanctus neque genitus neq; ingenitus, sed ex vtroq; procedens, & in his tribus personis vna maiestas atq; vna substantia. *Et uos, inquit, testimonium perhibebitis.* Testimonium perhibuerunt apostoli Domino Iesu Christo, *unde* quando die pentecostes spiritussancto illustrati, *lorum* quæ per illius aspirationem agnouerunt intrinsecùs, hæc forinsecùs abiecto timore liberè alijs prædicauerunt. *Quia ab initio mecum estis.* Quia enim ab initio prædicationis cum Domino fuerant, poterant alijs prædicare quę nouerant. Multum enim ad fidem prædicandam, & ad perhibẽdum testimonium de Christo Apostolis profuit, quòd ab initio dominicæ prædicationis cũ eo conuersati sunt: quia & temporis quantitate, & sui assiduitate pleniùs cælestem disciplinam ceperunt, & (vt ita dictum sit) medullitùs imbiberunt. Vnde & ea, quæ ab ipso viderunt & audierunt, absque ambiguitate alijs prædicabant. Cui rei attestatur beatus Petrus, qui in locum Iudæ proditoris alium substituere volens apostolum,

Spiritus sanctus cur procedere dicatur.

Ioan. 1. Cor. 12.

Testimonium.

stolum, non hunc neophytum, id est, rudem, sed longa conuersatione probatum, ex tempore videlicet dominicæ prędicationis, eligere studuit, dicens: Viri fratres, oportet ex his viris qui nobiscum conuersati sunt in omni tempore, quo intrauit inter nos Dominus Iesus & exiuit, testem fieri resurrectionis eius ad plebem, vnum ex istis, Matthiam scilicet, qui fuit vnus de septuaginta discipulis, quos Dominus in ipso prædicationis suæ exordio post apostolos elegit.

Act. 1.

Matthias è 70. discipulis.

Quanta etiã authoritate resurrectionem Domini prædicaret, alibi insinuat, ita de CHRISTO dicens: Quem Deus suscitauit à mortuis, & dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus à Deo præordinatis, nobis qui manducauimus & bibimus cum illo, postquàm resurrexit à mortuis. *Hæc locutus sum uobis, ut non scandalizemini.* Præuidebat Dominus, quæ persecutionum procellæ contra prædicantes Apostolos resurrecturæ essent, ideoque prouidè dignatus est eis pòst ventura prædicere, quò vementia facilius possent tolerare. Minùs enim nos afficiunt mala quæ prænoscuntur, grauiùs verò improuisa perturbant. Et intuendum, quia cùm dixisset eos aduentu spiritussancti illustrandos, & sibi testimonium reddituros, illicò futuræ persecutionis aduersa subiunxit. Quanto enim ampliùs sancti ad virtutum sublimia eniituntur, eo maior contra eos diaboli inuidia oritur, quę eorum profectibus resistere, & siue per se, siue per membra sua inchoati boni operis initia quærit radicitùs extirpare. Ait ergo Dominus: Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini, ac si diceret: Idcircò vobis ventura postmodùm innotesco, vt præscientiæ clypeo muniti, nequaquàm à statu vestræ soliditatis deijciamini. *Absque synagogis facient uos.* In euangelio inuenimus conspirasse Iudæos, vt si quis confiteretur CHRISTVM, extra synagogam fieret. Quod nimirùm apud illos pro magno piaculo deputabatur. Hanc apud Iudæos olim viguisse consuetudinem nemo dubitauerit, vt eos qui vel blasphemiæ, vel alicuius sceleris arguebantur, extra conuentum suum expellerent. Sicut enim nunc homicidæ vel incestuosi, vel capitalibus criminibus obnoxij, imperio canonum ab Ecclesiæ consortio & altari detruduntur, ita tunc temporis nominis Christi confessores à synagoga eliminabantur. Quod passi sunt Nicodemus & Gamaliel, multique alij, qui elegerunt ad tempus hominum societate priuari, vt Christo in perpetuum adhærerent. Quod autem non solùm à synagogis eijcerentur, verumetiam morte à conciuibus suis plecterentur, manifestat Dominus cùm subiungit: *Sed uenit hora, ut omnis qui interficit uos, arbitretur se obsequium præstare Deo.* Iudæi dum præcones sancti euangelij odijs mortibusque persequerentur, obsequium se præstare Deo arbitrati sunt, putantes se per hoc legis exercere vindictam. Vnde & beatus Paulus testimonium illis reddidit, dicens: Aemulationem legis habent, sed non secundùm scientiam. Vnde & hæc verba Domini, non de gentibus, sed de Iudæis singulariter oportet intelligi, ac si diceret: Tribulationes quidem à ciuibus gentis vestræ passuri estis, sed tanto eas perferte libentiùs, quanto non tam odio vestro, quàm paternæ legis æmulatione vobis eas inferre tentabunt. Verùm nihil prodest eis legem, quæ per seruum data est, defendere, qui gratiam euangelij, quæ per filium facta est, noluerunt recipere. Quibus verbis non minimè apostoli consolantur, dum videlicet audiunt (vt diximus) non sui odio, sed zelo diuinæ legis persecutionis aduersùm se rabiem concitari. *Et hæc facient uobis, quia non nouerunt patrem, neque me.* Satis iam sanctæ Ecclesiæ fides accepit, patrem & filium vnius esse deitatis & potentiæ, atque ideò notitiam patris sine filij cognitione haberi à nemine posse. Hinc idem Euangelista alibi dicit: Omnis qui negat filium, nec patrem habet: qui confitetur filium, & patrem habet. Et alibi: Qui diligit eum qui genuit, diligit & eum qui genitus est ab eo. Frustrà ergo Iudæi de patris cognitione gloriantur, qui filium recipere obstinato corde renuerunt. Iactent se de cultu Dei patris quantùm volunt, fidem nostram, quæ in Christo & per Christum est irrideant: nunquam certè Deo patri placere poterunt, nunquam ad notitiam illius peruenire valebunt, nisi Christum, in quo ianua ad patris scientiam perueniendi est, per fidem receperint, & æqualem Deo patri per omnia crediderint. Quid verò vtilitatis, quidue leuaminis hæc verba Domini apostolis conferrent, illicò manifestatur cùm subditur: *Sed hæc locutus sum uobis, ut cùm uenerit hora eorum,* id est, malorum quæ passuri estis, *reminiscamini quia ego dixi uobis.* Ac si diceret: Idcircò vobis ea, quæ mei nominis causa passuri estis, prænuntio, vt cùm venerit hora, hoc est, tẽpus eorũ quæ prædicta sunt, ad memoriã reducatis me illa vobis prædixisse, sicq; præsentia mala sufferatis, sciẽtes quia ego qui potui vobis prædicere, potero cùm venerint liberare. Magnũ siquidẽ genus cõsolationis apostolis fuit, cùm reminiscerentur inter aduersa à magistro suo de talibus se fuisse præmonitos, à quo se pro laborum exercitijs sine dubio nouerant remunerandos. Magnoperè verò hæc verba Domini sunt ponderanda, & non ociosè audienda quibus ait, *Ego dixi uobis.* Ego videlicet Deus omnipotentissimus, ego qui pro vobis proq; vestra salute sum moriturus, vosq; meo sanguine redempturus, qui in tribulatiõe vobis semper adiutorius ministrabo, & post tribulationes immortalibus præmijs vos victores remunerabo. Ego prædixi vobis: tãquàm diceret: Cũ ea quę futura vobis prædixi adimpleta videritis, me filium Dei esse credatis, qui potui talia facere cùm prædixissem, & prædicere antequàm facerem. Notandum verò, quòd ipse, qui hic

Ioan. 9.

Synagogæ quos in deicecerunt.

Rom. 10.

1. Ioan. 2.

1. Ioan. 5.

Iudæorum cæcitas et zelus præposterus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hic persecutionem futuram prædixit, ipse post pauca in eadem persecutione fidelibus suis auxilium promittit, dicens: In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum. Ipse quoq; alibi eisdem legitimè certantibus præmium pollicetur, dicens: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Qui & milites suos ne vinci possint adiuuare, & ne incassum vincât, immortalem solet post prælia palmam rependere, Iesus Christus Dominus noster, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus per æterna secula, Amen.

Ioan.16.

Matt.5.

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN, IN EPISTOLAM

Concio exegetica, D. Augustini ex Tractatu 7. 8. & 9. in Epistolam Ioannis.

PRIus lectio diei prolixa est verbis, sed sensibus longè prolixior. Sumpta est ex prima Epistola dilecti discipuli, & mirificè nobis commendat charitatem, quam qui habet, eum solum ex Deo natum, Deumque cognoscere: qua quisquis caret, eum Dei quoque ignoratione præditum ait. Ipsa agè lectio in medium adferatur. *Deus charitas est.* Quid amplius dici potuit fratres? inquit in hunc locum Augustinus. Si nihil de laude dilectionis diceretur per omnes istas paginas huius Epistolæ, si nihil omninò per cæteras paginas scripturarum, & hoc solùm vnum audiremus de voce spiritus Dei, quia Deus dilectio est: iam videte, quia facere contra dilectionem, facere contra Deum est. Nemo dicat, In hominem pecco, quando non diligo fratrem meum: & facile est peccatum in hominem, si in Deum solùm nõ peccem. Quomodò non peccas in Deum, quando in dilectionem peccas? Deus dilectio est. Ecce habetis fratres scripturas Dei, canonica est ista Epistola, per omnes gentes recitatur, orbis terræ authoritate tenetur, orbem terrarum ipsa ædificauit. Audis hic ab spiritu Dei, Deus dilectio est. Omnes qui non diligunt Deum, alieni sunt, Antichristi sunt: & quanuis intrent basilicas, nõ possunt numerari inter filios Dei. Possunt habere baptismum & prophetiam, accipere sacramẽtũ corporis & sanguinis Domini, habere nomẽ Christi, id est, Christiani vocari etiã mali: habere charitatẽ mali nõ possũt. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis.* Si pigri eram⁹ ad amandũ, nõ simus pigri ad redamãdũ: prior amauit nos, nec sic nos amamus. Iniquos amauit, sed non ad iniquitates congregauit: ægrotos amauit, sed sanãdos visitauit. *Quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundũ, ut viuamus per eum.* Ibi probata est dilectio Christi in nos, quia mortuus est pro nobis. Dilectio Patris vnde probata est in nobis? Quia filium suum vnicum misit mori pro nobis. Sic & Paulus Apostolus dicit: Qui filiõ proprio non peper cit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Videte quid commendamus: quia non discernuntur facta hominum, nisi de radice charitatis. Nam multa fieri possunt, quæ speciem habẽt bonam, & non procedunt de radice charitatis: habent enim & spinæ flores. Quædam verò videntur aspera, videntur truculenta, sed fiunt ad discipli nam dictante charitate. Semel ergo breue præceptum tibi præcipitur, Dilige, & quod vis fac. Siue taceas, dilectione taceas: siue clames, dilectione clames: siue emendes, dilectione emendes: siue parcas: dilectione parcas. Radix sit intus dilectionis, non potest de ista radice nisi bonum existere. *In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Non illum dileximus priùs. nam ad hoc nos dilexit, vt diligamus eum. *Et misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Sacrificauit filius pro peccatis nostris. Vbi inuenit hostiam? Vbi inuenit victimam, quam puram volebat offerre? Aliud non non inuenit: seipsum obtulit. *Charissimi, si sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere.* Petre, amas me. Et ille dixit, Amo. Pasce oues meas. *Deum nemo uidit unquam.* Res est inuisibilis, non oculo, sed corde quærendus est. Sed quemadmodum si solem istum videre vellemus, oculum corporis purgaremus, vnde videri lux potest: volentes videre Deum, oculum quo Deus videri potest purgemus. Et vbi est iste oculus? Audi Euangelium: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Sed nemo sibi pro concupiscentia oculorum cogitet Deum. Facit enim sibi aut ingentem formam, aut magnitudinem aliquam inæstimabilem, distendit per loca velut lucem istam, quam videt his oculis, auget per campos quantum potest, aut facit sibi aliquem quasi venerabilis formæ senem. Nihil horum cogites. Est quod cogites, si vis videre Deum: Deus dilectio est. Qualem faciem habet dilectio? Qualem formam habet? Qualem staturam habet? quales pedes habet? quales manus habet? Nemo potest dicere. Habet tamen pedes. nam ipsi ducunt ad ecclesiam: habet manus. nam ipse pauperi porrigunt: habet oculos. nam inde intelligitur ille qui eget. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Habet aures, de quibus dicit Dominus: Qui habet aures audiendi, audiat. Non sunt enim membra distincta per loca, sed intellectum totum simul videt. Qui habes charitatem, habita & inhabitaberis, mane & manebitur in te. *Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est.* Incipe diligere, perficieris. Cœpisti diligere, cœpit in te Deus habitare: ama eum qui in te cœpit habitare, vt perfectiùs inhabitando faciat te perfectũ. *In hoc cognoscimus, quòd in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis.* Benè, Deo gratias. Cognoscimus, quia habitat in nobis? Et hoc vnde cognoscimus, quia cognoscimus, quia habitat in nobis? Quia hoc ipse Ioannes dixit, Quia de spi-

Qui non diligunt, Antichristi sunt.

Rom. 8.

de spiritu suo dedit nobis. Vnde scimus, quia de spiritu suo dedit nobis? Hoc ipsum quia de spiritu suo dedit tibi, vnde cognoscis? Interroga viscera tua. Si plena sunt charitate, habes spiritum Dei. Vnde cognoscimus, quia inde cognoscis habitare in te spiritum Dei? Paulum interroga Apostolum: Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. *Et nos uidimus, & testificamur, quoniam pater misit filium suum saluatorem mundi.* Securi estote qui ægrotatis, talis medicus venit. Desperabatis, magni erat morbi, insanabilia erant vulnera, desperata erat ægritudo. Magnitudinem mali tui attendis, omnipotentiam medici non attendis? Tu desperatus es, sed ille omnipotens est, cuius testes sunt isti, qui primò sanati, & annuntiantes medicum, & ipsi tamen plus spe sanati quàm re. Nam, sicut dicit Apostolus, Spe salui facti sum⁹. *Quisquis cõfessus fuerit, quoniam Iesus est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo.* Iam si à multis confessus fuerit, non dicamus verbo, sed facto: nõ lingua, sed facto, nam multi confitentur verbis, sed factis negant. *Et nos cognouimus & credimus charitati, quam habet Deus in nobis. Deus charitas est.* Iam dixit superiùs: ecce iterùm dicit. Ampliùs tibi non potuit dilectio commendari, quàm vt diceretur Deus. Fortè munus Dei contempturus eras. Et Deum contemnis? *Deus charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Vicissim se habitant, qui continet & qui continetur. Habitas in Deo, sed vt continearis: habitat in te Deus, sed vt contineat ne cadas, ne fortè sic te putes domum Dei fieri, quomodò domus tua portat carnem tuam. Si subtrahat se domus in qua es, cadis: si autem se te subtrahas, non cadet. Deus integer est, cùm eum deseris: integer, cùm ad illũ redieris. Tu sanaris, non illi aliquid præstabis: tu mundaris, tu reficeris, tu corrigeris. Ille medicamentum est non sano, regula est prauo, lux est tenebrato, habitatio est deserto. omnia ergo tibi conferuntur, non Deo. Sit tibi domus Deus, esto domus Dei: mane in Deo, & maneat. Maneat in te Deus, vt te contineat: maneas in Deo, ne cadas: quia sic de charitate dicit Apostolus: Charitas nunquam cadit. Quomodò cadit quę continet Deus? *In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die iudicij: quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo.* Quisquis fiduciam habet in die iudicij, perfecta est in illo charitas. Quid est habere fiduciam in die iudicij? Non timere, ne veniat dies iudicij. Cœpit aliquis credere diem iudicij, si cœpit credere, cœpit & timere: sed quia timet, nondum habet fiduciam in die iudicij, nondum est in illo perfecta charitas. Nunquid tamen desperandum est? In quo vides initium, cur desperas finem? Quod initiũ video, inquies? Ipsum timorem. audi scripturã: Initium sapientiæ timor Domini. Cœpit ergo timere diem iudicij, timendo corrigit se, vigilat aduersus hostes suos, id est, peccata sua, incipit reuiuiscere interiùs, & mortificare membra sua, quæ sunt super terram, sicut Apostolus dicit, Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram. Spiritalia nequitiæ dicit membra super terram. Nam sequitur & exponit, Auaritiam, immundiciam, & cætera quæ illic exequitur. Quãtùm autem mortificat iste, qui timere cœpit diẽ iudicij, membra sua super terram, tantùm surgunt & corroborantur membra cælestia. Membra autem cælestia, omnia opera bona. Surgentibus cælestibus membris, cœpit desiderare qd timebat. Timebat enim ne veniret Christus, & inueniret impium quem damnaret: desiderat vt veniat, quia inuenturus est quem coronet. Iam cùm cœperit desiderare venientem Christum casta anima, quæ desiderat amplexus sponsi, renuntiat adultero, fit virgo interiùs ipsa fide, spe & charitate. *Quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo.* Audisti causam fiduciæ tuæ. Quia sicut ille est, inquit, & nos sumus in hoc mundo. Debemus hoc referre ad ipsam charitatem, & intelligere quid dictum sit. Deus diligit inimicos suos, qui facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Si ergo ad hanc perfectionem nos inuitat Deus, vt diligamus inimicos nostros, sicut & ipse dilexit suos, ea nobis fiducia est in die iudicij, quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo: quia sicut ille diligit inimicos suos, faciendo solem suum oriri super bonos & malos, & pluendo super iustos & iniustos, nos quia inimicis nostris non possumus præstare temporalem solẽ & pluuiam, præstemus lachrymas cùm pro illis oramus. Iam ergo de ipsa fiducia videte quid dicat. Vnde intelligitur perfecta charitas? *Timor non est in charitate.* Quid ergo dicimus de illo, qui cœpit timere diẽ iudicij? Si perfecta in illo esset charitas, non timeret. Perfecta enim charitas faceret perfectam iustitiam, & non haberet quare timeret: immò haberet quare desideraret, vt tranieat iniquitas, & veniat regnum Dei. Ergo timor non est in charitate. Sed in qua charitate? Non in inchoata. In qua ergo: *Sed perfecta charitas foras mittit timorẽ.* Ergo incipiat timor, quia initium sapientiæ timor Domini. Cùm autem cœperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei præparauit locum. Quantùm enim illa crescit, ille decrescit: & quãtùm illa fit interior, timor pellitur foras. Maior charitas, minor timor: minor charitas, maior timor. Si autem nullus timor, non est quà intret charitas. Sicut videmus per setam introduci filum, quando aliquid suitur: seta priùs intrat, sed nisi exeat, non succedit filum: sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor: quia ideò intrauit, vt introduceret charitatem. *Quia timor pœnam habet.* Torquet conscientia peccatorum: nondum facta est iustificatio. Stimulat timor, sed noli timere: intrat charitas, quæ sanat quod vulnerat timor. Opus est, vt intret timor primò, per quem veniat charitas. Timor me-

Rom. 5.

Vt Deus habitet in homine.

1. Cori. 13.

Psal. 110.

Coloss. 3.

Membra terrena.

Membra cælestia.

Matt. 5.

Psal. 110.

Timor h. o. lum, troducit charitatẽ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

medicamentum,charitas sanitas. *Qui autem timet, non est perfectus in charitate.* Est alia sententia, quæ videtur huic esse contraria, si non habeat intellectorem. Dicitur enim quodam loco in Psalmo : Timor Domini castus, permanens in seculum seculi. Sed est timor alius, qui dicitur castus : est alius, qui non dicitur castus : Aliud est timere Deum, ne mittat te in gehennam cum diabolo ; aliud est timere Deum, ne recedat à te. Ille timor, quo times ne in ignem mittaris cum diabolo, nondum est castus.non enim venit ex amore Dei,sed ex timore pœnæ.Cùm autem times Deum,ne deserat te præsentia eius,amplecteris eum,ipso frui desideras.Timorem non castum charitas exeludit: timor castus permanet in seculum seculi. *Nos ergo diligamus Deum,quoniã Deus prior dilexit nos.* Nã vnde diligeremus,nisi ille prior diligeret nos?Diligẽdo amici facti sumus:sed inimicos ille dilexit,vt amici efficeremur. Prior dilexit nos,& donauit nobis vt diligeremus eũ.Nondũ diligebamus:diligendo pulchri efficimur.Anima nostra,fratres mei,fœda est per iniquitatem: amando Deũ pulchra efficitur. Qualis amor est, qui reddit pulchram amantem? Deus autem semper pulcher est,nunquam deformis,nunquam commutabilis.Amauit nos prior,qui semper est pulcher : & quales amauit,nisi fœdos & deformes? Non idcò tamen,vt fœdos dimitteret,sed vt mutaret,& ex deformibus pulchros faceret.Quomodò erimus pulchri? Amando eum qui semper est pulcher. Quantùm in te crescit amor,tantùm crescit pulchritudo,quia ipsa charitas est animę pulchritudo.Pulcher es iã,sed noli te attendere,ne perdas quod accepisti:illum attende,à quo factus es pulcher. *Si quis dixerit,Quoniam diligo Deum,& fratrem suum odorit,mendax est.* Vnde probas,quia mendax est? Audi:*Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt,Deum,quem non videt,quomodò potest diligere?*

Charitas nos reddit speciosos.

Psal. 18.

Psalm. 72.

Quid ergo? Qui diligit fratrem, diligit Deum? Necesse est,vt diligat Deum, necesse est vt diligat ipsam dilectionem. Diligẽdo dilectionem, diligit Deũ.Si enim Deus dilectio est, quisquis diligit dilectionem,Deum diligit.Dilige ergo fratrem,& securus esto.Quare autem non videt Deum,qui fratrem non diligit? Quia non habet ipsam dilectionem.Ideò non habet dilectionẽ, quia non diligit fratrem.Propterea ergo non videt Deum,quia non habet dilectionem : nam si habeat dilectionem,Deum videt:quia Deus dilectio est.Et purgatur ille oculus magis magisq; dilectione,vt videat illam incõmutabilem iubstantiam, cuius præsentia semper gaudeat, qua perfruatur in æternum coniunctus angelis. Sed currat modò,vt aliquando in patria lætetur. Nõ amet peregrinationem,non amet viam. Totum amarum sit, præter illum qui vocat, quousq; inhæreamus illi, & dicamus quod dictum est in Psalmo. Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.Et qui sunt, qui fornicantur? Qui discedunt & amant mundum. *Et hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Prorsùs non diligis Deum,si odisti fratrem. Dedit nobis Deus præceptum,vt diligamus inuicem. Quomodò diligis eum,cuius odisti præceptum? Dicis te diligere Christum.Serua mandatum eius, & dilige fratrem. Si autem fratrem non diligis, quomodò eum diligis, cuius mandatum contemnis? Hæc ad verbum ex Augustini Tractatu 7. 8. & 9. in Ioannis Epistolam excerpta sunt, hincinde multis omissis studio brevitatis. Præstet omnibus nobis præpotens Deus, vt magis magisque illum semper amemus, & eò tandem perueniamus, vbi illum semper visuri sumus, & videndo longè etiam ardentiùs amaturi,& amando laudaturi per infinita seculorum secula, AMEN.

DOMINICA II. POST Pentecosten. Luc. XVI.

In illo tempore,dixit Iesus discipulis suis : Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè. Et reliqua. Homilia beati Gregorij Papæ.

SIcut in verbis sacri eloquij, fratres charissimi,priùs seruanda est veritas historiæ,& postmodùm requirenda spiritualis intelligentia allegoriæ. Tunc nanque allegoriæ fructus suauiter carpitur,cùm priùs per historiam in veritatis radice solidatur. Sed quia nonnunquam allegoria fidem ædificat, & historia moralitatem, nos qui authore Deo iam fidelibus loquimur, non ab re credimus,si ipsum loquendi ordinem postponamus quatenùs qui fidem iam firmam tenetis, priùs de allegoria aliquid breuiter audire debeatis, & quod vobis de moralitate historiæ valdè est necessarium,hoc in expositionis nostræ ordine seruetur postremum:quia ea plerunq; solent meliùs recoli,quæ contingit postmodum audiri. Sensus ergo allegoricos sub breuitate transcurrimus, vt ad moralitatis latitudinem citiùs venire valeamus. *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidiè splendidè.* Quem fratres charissimi, quem dives iste, qui induebatur purpura & byssо,& epulabatur quotidiè splendidè, nisi Iudaicum populum signat, qui cultum vitæ exteriùs habuit,qui acceptæ legis delicijs ad nitorem vsus est,non ad vtilitatẽ? Quem verò Lazarus hulceribus plenus, nisi gentilem populum figuraliter exprimit, qui dum conuersus ad Deum, peccata sua confiteri non erubuit,huic vulnus in cute fuit? In cutis quippe vulnere virus à visceribus trahitur, & foras erũpit. Quid est ergo peccatorum confessio, nisi quæ-

Confessio peccatorũ

quædam vulnerum ruptio? quia peccati virus salubriter aperitur in confessione,quod pestiferè latebat in mente. Vulnera etenim cutis, in superficiem trahunt humorem putredinis. Et confitendo peccata, quid aliud agimus, nisi malum quod in nobis latebat,aperimus? Sed Lazarus vulneratus cupiebat saturari de micis,quæ cadebant de mensa diuitis,& nemo illi dabat : quia gentilem quenque ad cognitionem legis admittere superbus ille populus despiciebat,qui dum doctrinam legis non ad charitatem habuit, sed ad elationem, quasi de acceptis opibus tumuit: & quia ei verba defluebant de scientia, quasi micæ cadebant de mensa. At contrà iacentis pauperis hulcera lingebant canes. Nonnunquam

Canes mystice.

solent in sacro eloquio per canes prædicatores intelligi. Canum etenim lingua vulnus dum lingit curat,quia doctores sancti dum in confessione peccati nostri nos instruunt, quasi vulnus mentis per linguam tangunt:& quia nos loquẽdo à peccatis eripiunt, quasi tangendo vulnera ad salutem reducunt. Quia enim canum nomine prædicatorum lingua signatur, à Domino

Psal. 67.

per Psalmistam dicitur : Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. Ex Iudæis quippe infidelibus sancti prædicatores electi sunt, qui in assertione veritatis contra fures latronesq; veniẽtes, magnos pro Domino (vt ita dicam) latratus dederunt. Quo contrà de quorundam reprobatione dicitur:

Esai. 56.

Canes muti, non valentes latrare.

Iaco. 5.

Quia ergo prædicatores sancti peccata damnant, confessionem verò peccatorum approbant,dicentes : Confitemini alterutrùm peccata vestra,& orate pro inuicem,vt saluemini:hulcera Lazari canes lingunt. Sancti etenim doctores dum gentilium confessiones accipiunt, mentium vulnera saluti restituunt. Vnde & benè Lazarus interpretatur adiutus,quia ipsi hunc ad ereptionem iuuant, qui eius vulnera per linguæ correptionem curant. Potest etiam per linctionem canum, lata adulantium lingua signari.

Adulatores.

Adulantibus etenim vulnera nostra lingere est, quòd plerunq; solent etiam ipsa mala, quæ nos in nobis reprehendimus, improbo fauore laudare.Contigit verò vt vterq; moreretur:&dives qui induebatur purpura & byssо, sepultus est in inferno,in sinum verò Abrahæ Lazarus ab angelis ductus est. Quid Abrahæ sinus, nisi secretam requiem significat patrum? de qua veritas dicit:

Sinus Abrahæ. Matt. 8.

Multi venient & recumbent cum Abrahã, Isaac & Iacob in regno cælorum,filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores. Qui enim purpura & byssо indutus dicitur, rectè regni filius vocatur. Qui de longinquo ad videndum Lazarum oculos leuat, quia dum per damnationis suæ supplicia infideles in imo sunt,fideles quosque ante diem extremi iudicij supra se in requie attendunt, quorum post gaudia contemplari nullatenùs possunt.Longè verò est quod conspiciunt,quia illuc per meritum non attingunt. In lingua autem ampliùs ardere ostenditur,cùm dicit:*Mitte Lazarum,ut intingat extremum digiti sui in aquam,ut refrigeret linguam meam,quia crucior in hac flamma.* Infidelis populus verba legis in ore tenuit, quæ opere seruare contempsit. Ibi ergo ampliùs ardebit,vbi se ostẽdit scire, quod facere noluit. Quapropter benè de doctis & negligẽtibus per Salomonem dicitur : Omnis labor hominis in ore eius,sed anima eius non implebitur : quia quisquis hoc solummodò laborat, vt sciat quid loqui debeat, ab ipsa refectione scientiæ suæ mente vacua ieiunat. Ab extremo digiti se tangi desiderat,quia æternis supplicijs datus, optat operatione iustorum vel vltima participari. Cui respondetur, quòd in hac vita bona receperit, quia omne suum gaudium felicitatem transitoriam putauit. Habere hic etenim possunt & iusti bona,nec tamen hæc in recompensatione recipere:quia dum meliora,id est,æterna appetunt, eorum iudicio quælibet bona adfuerint, quum sanctis desiderijs æstuant, bona minimè videntur. Vnde Dauid propheta,qui regni diuitijs, multisq; obsequijs fulciebatur, quanuis & hæc ad necessitatem bona esse conspiceret, vni tamẽ singulariter bono inhianter æstuabat,dicens:Mihi autem adhærere Deo bonum est.Inter hæc verò notandum est,quòd ei dicitur,Memento fili. Ecce enim Abraham filium vocat, quem tamen à tormento non liberat : quoniam huius infidelis populi præcedentes patres fideles, quia multos à sua fide deuiantes considerant , eos nulla compassione à tormentis eripiunt, quos tamen per carnem filios recognoscunt. In tormentis autem diues positus, quinq; fratres habere se perhibet,quia superbus idẽ Iudaicus populꝰ, qui ex magna iã parte dãnatus est,sequaces suos, quos super terram reliquit,quinq; libris Moysi carnaliter intellectis,vel quinq; sensibus corporis deditos nouit.Quinario ergo numero fratres quos reliquerat,exprimit : & quia eos ad spiritualem intelligentiam non assurgere in inferno positus gemit,petit vt ad eos Lazarus mittatur. Cui quia Moysen & prophetas habeant dicitur : sed ait, quia non credent,nisi quis ex mortuis resurrexerit.Cui protinùs respondetur:Si Moysen & prophetas non audiunt, neq; si quis ex mortuis resurrexerit,credent. Certè de Moyse veritas dicit:Si crederetis Moysi,crederetis vtiq; & mihi. de me enim ille scripsit.Impletur ergo,quod per Abrahæ responsionem dicitur.Ex mortuis enim Dominus resurrexit. Sed Iudaicus ille populus quia Moysi credere noluit,ei etiam qui resurrexit à mortuis,credere contempsit.Cumq; Moysi verba spiritualiter intelligere contempsit, ad eũ de quo Moyses locutus fuerat,nõ peruenit. Hęc nos,fratres charissimi,pro indagandis allegoriæ mysterijs,succinctè transcurrisse sufficiat : nunc ad intuendam latiùs rei gestæ moralitatem animus recurrat : *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura & byssо,& epulabatur quotidiè splẽdidè. Et erat*

Ecclesi. 6.

Psal. 72.

Ioan. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ante ianuã diuitis, hulceribus plenus. Nonnulli putant præcepta veteris testamenti districtiora esse, quàm noui: sed hi nimirũm improuida consideratione fallũtur. In illo enim non tenacia, sed rapina multatur. Ibi res iniustè sublata, restitutione quadrupla punitur: hic aũt diues iste non abstulisse aliena reprehenditur, sed propria non dedisse. Nec dicitur, quia vi quempiã oppressit, sed quia in acceptis rebus se extulit. Hinc ergo, hinc summoperè colligendum est, qua pœna mulctãdus sit qui aliena diripit, si inferni damnatione percutitur, qui propria non largitur. Nemo itaq; securum se æstimet, dicens: Ecce aliena non rapio, sed concessis licitè rebus fruor: quia diues iste non idcircò punitus est, quoniã aliena abstulit, sed quia acceptis rebus semetipsum malè dereliquit. Hoc quoq; fuit, quod hunc inferno tradidit, quia in sua felicitate tumidus fuit, quia percepta dona ad vsum arrogantiæ inflexit, quia viscera pietatis ignorauit, quia peccata sua redimere, etiam cùm sibi abundaret precium, noluit.

Præcepta legis prisc. non sunt seueriora præceptis Euangelij.

Et sunt nonnulli, qui cultum subtilium preciosarumq; vestium non putant esse peccatũ. Quod si videlicet culpa non esset, nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret, q̃ diues qui torquetur apud inferos, byssо & purpura indutus fuisset. Nemo quippe vestimenta preciosa nisi ad inanem gloriam quærit, videlicet vt honorabilior cæteris esse videatur. Nam quia pro sola inani gloria vestimentum preciosius queritur, res ipsa testatur, quod nemo vult sibi preciosis vestibus indui, vbi ab alijs non possit videri. Quam culpã possumus meliùs etiã ex diuerso colligere, quia si abiectio vilis indumenti virtus non esset, euangelista vigilanter de Ioanne non diceret: Erat indutus pilis camelorum. Sed notandum magnoperè est, in ore veritatis de superbo diuite & humili paupere, quantus sit ordo narrationis.

Matt. 5.

Ecce enim dicitur: Homo quidam erat diues, & protinùs subinfertur: Et erat quidam mendicus nomine Lazarus. Certè in populo solent magis nomina diuitũ quàm pauperum sciri. Quid est ergo, q̃ Dominus de paupere & diuite verbum faciens, nomen pauperis dicit, & nomen diuitis non dicit, nisi q̃ Dominus humiles nouit atq; approbat, & superbos ignorat? Vnde & quibusdam de miraculorum virtute superbientibus in fine dicitur est: Nescio vos vnde sitis: discedite à me oẽs operarij iniquitatis. At cõtrà Moysi dicitur: Noui te ex nomine. Ait ergo de diuite: Homo quidã. ait de paupere: Egenus nomine Lazarus: ac si apertè dicat: Pauperem humilẽ scio, superbũ diuitem nescio. Illum cognitũ per approbationem habeo, hunc per iudicium reprobationis ignoro. Pensandum est etiam nobis, conditor noster quanta omnia consideratione dispenset. Vna etenim res non pro vna re agitur. Nam ecce hulceribus plenus mendicus Lazarus ante ianuã diuitis iacet: qua de re vna Domin⁹ duo iudicia expleuit. Habuisset enim fortasse aliquam excusationem diues, si Lazarus pauper & hulcerosus ante eius ianuam non iacuisset, si remotus fuisset, si eius inopia nó esset oculis importuna. Rursum si longè esset diues ab oculis hulcerosi pauperis, minorem tolerasset in animo tentationem pauper. Sed dum egenum & hulceratum ante ianuam diuitis & delicijs affluentis posuit, in vna eademq; re, & ex visione pauperis non miserenti diuiti cumulum damnationis intulit, & rursùm ex visione diuitis tentatum quotidiè pauperem probauit. Quantas nanq; hunc egenum & vulneribus obsessum tentationes creditis in sua cogitatione tolerasse, cum ipse egeret pane, & non haberet etiam salutem: atq; ante se diuitem cerneret salutem & delicias habere cum volũptate? se dolore & frigore affici, illum gaudere conspiceret, & byssо & purpura vestiri? se deprimi vulneribus, illum diffluere acceptis rebus? se egere, illũ nolle largiri? Quantus putamus, fratres charissimi, tunc in corde pauperis tumultus tentationis fuit, cui certè ad pœnam sufficeret paupertas, etiam si sanus fuisset: & rursum suffecisset ægritudo, etiam si subsidium adesset? Sed vt ꝓbaretur ampliùs pauper, simul hunc & paupertas & ægritudo tabefecit: atq; insuper videbat procedentẽ diuitem obsequentibus cuneis circunfulciri, & se in infirmitate & inopia à nullo visitari. Nam quia nemo ei ad visitandũ aderat, testãtur canes qui licenter eius vulnera lingebant. Ex vna ergo re omnipotens Deus duo iudicia exhibuit, dum Lazarum pauperem ante ianuam diuitis tacere permisit, vt & diues impius damnationis sibi augeret vltionem, & tentatus pauper crescceret ad remunerationem. Cõspiciebat ille quotidiè, cui non misereretur: videbat iste, de quo probaretur. Duo inferiùs corda, sed vnus desuper inspector, qui & hunc tentando exercebat ad gloriã, & illum tolerando expectabat ad pœnam. nam sequitur: *Factum est autem, ut Lazarus moreretur, & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno.* Qui nimirùm dies eum, cui in hac vita misereri noluit, in suo iã supplicio positus, patronum quærit. Nam ecce subiungitur: *Qui eleuans oculos cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius, & ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* O quãta est subtilitas iudiciorum Dei, ô quàm districtè agitur bonorum actuum malorumq; retributio. Certè superiùs dictum est, quia Lazarus in hac vita cadentes micas de mensa diuitis quærebat, & nemo ei dabat: nunc de supplicio diuitis dicitur, quia de extremo digito Lazari destillari aquam in ore suo concupiscit. Hinc ergo, hinc fratres colligite, quanta sit districtio seueritatis Dei. Diues enim iste, qui vulnerato pauperi mẽsæ suæ vel minima dare noluit, in inferno positus, vsq; ad minima quærenda peruenit. Nam & gutta aquæ petijt, qui micas panis negauit. Sed no tandum valdè est, quid sit quòd diues in igne positus linguam suam refrigerari petit. Mos quippe est sacri eloquij, vt aliquando aliud dicat, sed ex eodem dicto aliud innuat. Superiùs aũt hunc superbum diuitem Dominus nõ loquacitati vacantem dixerat, sed superfluè conuiuãtem: neque hunc de loquacitate notauit, sed cum elatione & tenacia de edacitate peccasse. Sed quia abundare in conuiuijs loquacitas solet, is qui hic malè conuiuatus dicitur, apud infernum grauiùs in lingua ardere perhibetur. Primò nanque malè conuiuãtibus famulatur culpa loquacitatis, post loquacitatem ludendi etiam leuitas sequitur. Nam quia edacitatem lusus sequatur, testatur sacra scriptura, quæ ait: Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Sed priusquam ad lusum moueatur corpus, ad iocos & verba inania mouetur lingua. Quid ergo est quod innuitur, quia in tormentis positus diues linguam suam refrigerari postulat, nisi quòd is, qui conuiuando magis de loquacitate peccauerat, per retributionis iustitiam in lingua atrociùs ardebat? Sed cum graui valdè est pauore pensandum hoc, quod ei per Abrahæ responsionem dicitur: *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* Ista charissimi fratres sententia pauore potiùs indiget, quàm expositione. Nam si qui estis, qui in hoc mundo exterioris boni aliquid accepistis, ipsum (vt ita dicam) donum exterius pertimescere debetis, ne vobis pro quorundam vestrorum actuum recompensatione sit datum, ne iudex qui hic bona exteriora restituit, à retributione boni intimi repellat, ne honor hic vel diuitiæ non adiumentum virtutis, sed remuneratio sint laboris. Ecce enim dum dicitur, Recepisti bona in vita tua, indicatur & diues iste aliquid boni habuisse, ex quo in hac vita bona recepit. Rursumq; dũ de Lazaro dicitur, quia recepit mala, profectò monstratur & Lazarus habuisse malum aliquod, quod purgaretur. Sed mala Lazari purgauit ignis inopiæ, & bona diuitis remunerauit felicitas transeuntis vitæ. Illum paupertas afflixit & terſit, istum abundantia remunerauit & repulit. Quicunq; ergo bona in hoc seculo habetis, cùm vos bona egisse recolitis, valdè de ipsis pertimescite, ne concessa vobis prosperitas eorundem remuneratio sit bonorum: & cùm quoslibet pauperes nonnulla reprehentibi lia perpetrare conspicitis, nolite despicere, nolite desperare: quia fortasse quos superfluitas tenuissimæ prauitatis inquinat, caminus paupertatis purgat. De vobis omninò pertimescite, quia nõnulla etiam malè acta prospera vita secuta est: de illis verò solicitè pensate, quia eorum vitam etiam magistra paupertas cruciat, quousq; ad vitæ rectitudinem perducat. Sequitur: *Et in his omnibus inter nos & uos chaos magnum firmatum est, ut hi qui uolunt hinc ad uos transire, non possint, neq; inde huc transmeare.* Qua in re valdè quærendum est, quomodò dicitur: Hi qui volunt hinc ad vos transire, nõ possunt. Quia enim hi qui in inferno sunt, ad beatorum sortem transire cupiunt, dubiũ nó est: qui verò in beatitudinis sorte susceptí sunt, quo pacto dicitur, quia transire ad eos qui in inferno cruciantur, volunt? Sed sicut transire reprobi ad electos cupiunt, id est, à suppliciorũ suorũ afflictione migrare: ita ad afflictos atq; in tormentis positos transire iustorum est, mente ire per misericordiam, eosq; velle liberare. Sed qui volunt de beatorum sede ad afflictos atq; in tormentis positos transire, non possunt: quia iustorum animæ quanuis in suæ naturæ bonitate misericordiam habeant, tam tunc authoris sui iustitiæ coniunctæ, tanta rectitudine constringuntur, vt nulla ad reprobos compassione moueantur. Ipsi quippe iudici concordant cui inhærent, & eis quos eripere non possunt, nec ex misericordia condescendunt: quia tantùm illos tunc à se videbunt extraneos, quantùm & ab eo quem diligunt authore suo conspiciunt repulsos. Nec iniusti ergo ad beatorum sortem transeũt, quia damnatione perpetua constringuntur: nec iusti ad reprobos transire possunt, quia electi iam per iustitiam iudicis, eis nullo modo ex aliqua compassione miserentur. Sed postquàm ardenti diuiti de se spes tollitur, eius animus ad ꝓpinquos quos reliquerat, recurrit: quia reproborum mentem pœna sua quandoq; inutiliter erudit ad charitatem, vt iam tunc etiam suos spiritualiter diligant, qui hic dum peccata diligerent, nec se amabant. Vnde nunc subditur: *Rogo ergo te pater, ut mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi ueniant in hunc locum tormentorum.* Qua in re notandum est, ardenti diuiti quanta ad supplicium cumulantur. Ad pœnam nanque suam ei & cognitio seruatur, & memoria: cognoscit enim Lazarum quem despexit, sratrum quoque suorum meminit, quos reliquit. Perfecta quippe ei vltio de paupere non esset, si hunc in retributione non recognosceret: & perfecta pœna in igne non esset, si non hoc quod ipse patitur, etiam suis timeret. Vt ergo peccatores in supplicio ampliùs puniantur, & eorum videant gloriam quos contempserunt, & de illorum etiam pœna torquentur, quos inutiliter amauerunt. Credendum verò est, quòd ante retributionem extremi iudicij iniusti in requie quosdam iustos conspiciunt, vt eos videntes in gaudio, non solùm de suo supplicio, sed etiã de illorum bono crucientur. Iusti verò in tormentis semper intuentur iniustos, vt hinc eorum gaudium crescat: quia malum conspiciunt quod misericorditer euaserunt: tantoque maiores creatori suo gratias referunt, quanto vident in alijs, qd̃ ipsi perpeti, si essent derelicti, potuerũt. Nec illam tantæ beatitudinis claritatem apud iustorum animos fuscat aspecta pœna reproborum, quia vbi iam compassio miseriæ non erit,

Loquacitas familiaris conuiuijs. Item ludendi leuitas. Exod. 32.

Timenda uitæ huius prosperitas.

Iusti in cælis nulla ex damnatos commiseratione mouentur.

Iusti in cælis semper affectant damnatos.

Cur mendici expressum sit, diuitis supressum nomẽ.

Matth. 7. Exo. 33.

Dei iudicia quàm exacta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

minuere proculdubiò beatorum lætitiam non valebit. Quid autem mirum, si dum iusti iniustorum tormenta conspiciunt, hoc illis eueniat in obsequium gaudiorum, quando & in pictura niger color substernitur, vt albus vel rubens clarior videatur? Sicut dictum est, tanto bonis gaudia sua excrescunt, quanto eorum oculis damnatorum mala subteriacent, quæ euaserunt. Et quanuis eis sua gaudia ad perfruendum plenè sufficiant, mala tamen reproborum absque dubio semper aspiciunt: quia qui creatoris sui claritatem vident, nihil in creatura agitur, quod videre non possint. Petenti autem diuiti, vt Lazarus mittatur, ab Abraham protinùs respondetur: *Habent Moysen & prophetas, audiant illos.* Sed qui Dei verba despexerat, hæc audire non posse suos sequaces æstimabat. Vnde & respondit, dicens: *Non pater mi, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.* Cui mox veraci sententia dicitur: *Si Moysen & prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent ei:* quia nimirùm qui verba legis despiciunt, redemptoris præcepta, qui ex mortuis resurrexit, quanto subtiliora sunt, tanto hæc difficiliùs implebunt. Minus est enim quicquid per legem dicitur, quàm hoc quod per Dominum iubetur. Illa enim dari decernit: redemptor verò noster ab his, qui perfectionem sequuntur, omnia dimitti iubet. Illa peccata carnis resecat, redemptor verò noster cogitationes etiam illicitas damnat.

Sanctiin Deo quæ iudicant.

Euangelium longè maiora quàm lex exigit.

Si ergo Moysen & prophetas non audiunt, neq; si quis ex mortuis resurrexerit, credent ei: quia hi qui viliora præcepta implere negligunt, saluatoris nostri mandatis altioribus obedire quando conualescunt? Et nimirùm constat, quia cuius implere dicta renuunt, ei proculdubiò credere recusant. Hæc nos de ipsa rei gestæ consideratione dixisse sufficiat. Sed vos fratres charissimi, & requiem Lazari, & pœnam diuitis cognoscentes, solerter agite, culparum vestrarum intercessores quærite, atque aduocatos vobis in die iudicij pauperes procurate. Multos enim nunc Lazaros habetis, ante ianuas vestras iacent, atque his indigent, quæ vobis iam satiatis quotidiè de mensa cadunt. Verba sacræ lectionis debent nos instruere ad implenda mandata pietatis. Quotidiè Lazarum si quærimus, inuenimus: quotidiè Lazarum si non quærimus, cernimus. Ecce importunè se pauperes offerunt: rogant nos, qui tunc pro nobis intercessores venient. Certè nos omninò rogare debuimus, & tamen rogamur. Videte si negare debemus quod petimur, quando patroni sunt qui petunt. Nolite ergo misericordiæ tempora perdere, nolite accepta remedia dissimulare, Ante supplicium cogitate de supplicio. Cùm quoslibet in hoc mundo abiectos aspicitis, etiam si qua reprehensibilia eorum esse videantur, nolite despicere: quia fortasse quos morum infirmitas vulnerat, medicina paupertatis curat. Quorum si qua sunt talia, quæ debeant iure reprehendi, hæc si vultis, ad vsum vestræ mercedis inflectitis, vt ex ipsis eorum vitijs cumulentur vobis incrementa pietatis, quatenùs panem pariter detis & verbum, panem refectionis cum verbo correptionis, & duo à vobis alimenta percipiat, qui vnum quærebat: dum exteriùs cibo, & interiùs sàtiatur eloquio. Pauper ergo cùm reprehensibilis cernitur, moneri debet, & despici non debet. Si verò reprehensionis nil habet, venerari summoperè sicut intercessor debet. Sed ecce multos cernimus, quis cuius sit meriti, nescimus. Omnes ergo veneranda sunt, tantoque necesse est vt omnibus te humiliare debeas, quanto quis sit Christus, ignoras. Rem fratres refero, quam benè is qui præsto est, frater & compresbiter meus Speciosus nouit. Eodem tempore quo monasterium petij, anus quædam Redempta nomine, in sanctimoniali habitu constituta, in vrbe hac iuxta Mariæ semper virginis ecclesiam manebat. Hæc illius Herundinis discipula fuerat, quæ magnis virtutibus pollens, super Prænestinos montes vitam eremiticam duxisse ferebatur. Huic duæ in eodem habitu discipulæ adhærebant, vna nomine Romula, & altera quæ nunc adhuc superest, quã quidem facie scio, sed nomine nescio. Tres itaque hæ in vno habitaculo commorantes, morũ quidẽ diuitijs plenam, sed tamen rebus pauperẽ vitã ducebãt. Hæc aũt quã prefat⁹ sum Romula, Redemptam alia quã prædixi condiscipulã suam, magnis vitæ meritis anteibat. Erat quippe miræ patientiæ, prædita summæ obedientiæ, custos oris sui, ad silentium studiosa valdè, & ad continuæ orationis vsum. Sed plerunque hi, quos iam perfectos homines æstimant, adhuc in oculis summi opificis aliquid imperfectionis habent, sicut sæpe imperiti homines necdum perfectè sculpta sigilla conspicimus, & iam quasi perfecta laudamus, quæ adhuc artifex considerat & limat: laudari iam audit, & tamen ea tundere meliorando non desinit: hæc quam prædiximus Romula, ea quam græco vocabulo paralysim medici vocant, molestia corporali percussa est, multisq; annis in lectulo decumbens, penè omnium iacebat membrorum officio destituta, nec tamen hæc eadẽ eius mentem ad impatientiam flagella perduxerant. Nam ipsa et detrimenta membrorum facta fuerant incrementa virtutum: quia tanto solicitiùs ad vsum orationis excreuerat, quanto & aliud quodlibet agere nequaquam valebat.

Non sunt despiciẽdi pauperes.

Nocte igitur quadam eandem Redemptam, quam præfatus sum (quæ vtrasque discipulas suas filiarum loco nutrierat) vocauit, dicens: Mater veni, mater veni. Quæ mox cum alia eius discipula surrexit, sicut vtrisque referentibus, & multis res eadem claruit, & ego quoque eodem tempore audiui. Cumq; noctis medio lectulo iacentis assisterent, subitò cælitùs lux emissa, omne illius cellulæ spatium impleuit, & splendor tantæ claritatis emicuit, vt corda assistentium inæstimabili pauore perstringeret, atq;, vt post ipsæ referebant, omne in eis corpus obrigesceret, & in stupore subito remanerent. Cœpit namque quasi cuiusdam magnæ multitudinis ingredientis sonitus audiri, ostiũ cellulæ concuti, ac si ingredientiũ turba premeretur: atq; vt dicebãt, intrantium multitudiné sentiebant, sed nimieta te timoris & luminis nil videre poterãt: quia earum oculos & pauor depresserat, & ipsã tanti luminis claritas reuerberabat. Quam lucẽ protinùs miri odoris est fragrãtia subsecuta, ita vt earum animũ, quia lux emissa terruerat, odoris suauitas refoueret. Sed cùm vim claritatis illius ferre non possent, cœpit eadem Romula assistentẽ & trementem Redemptam, suorum morum magistram, blanda voce consolari, dicens: Noli timere mater, non morior modò. Cumq; hoc crebrò diceret, paulatim lux quę fuerat emissa, subtracta est, sed is qui subsecutus est odor remansit, ficq; dies secundus & tertius transijt, vt aspersa fragrantia odoris remaneret. Nocte igitur quarta eandẽ magistram suam vocauit, qua veniente, viaticum petijt, & accepit. Necdum verò eadem Redempta vel alia eius discipula à lectulo iacentis discesserat, & ecce subitò in platea ante cellulæ eiusdem ostium duo chori psallentium constiterunt, & sicut se dicebant sexus ex vocibus discreuisse, psalmodiæ cantus dicebant viri, & fœminæ respondebãt. Cũq; ante fores cellulæ exhiberentur cælestes exequiæ, sancta illa anima carne soluta est. Qua ad cælum ducta, quanto chori psallentium altiùs ascendebant, tanto cœpit psalmodia leniùs audiri, quousque & eiusdem psalmodiæ sonitus & odoris suauitas elongata finiretur. Hæc igitur quandiù vixerat in corpore, quis illam haberet in honore? Indigna cunctis hominibus & despecta videbatur. Quis enim ad illã accedere, quis ad illã venire dignaretur? Sed latebat in sterquilinio margarita Dei. Sterquiliniũ fratres hanc ipsam corruptibilitatẽ corporis appello, sterquiliniũ abiectionẽ paupertatis nomino. Assumpta est ergo margarita, quæ iacebat in sterquilinio, & posita est in cælestis regis ornamento. Iam inter supernos ciues emicat, iam inter ignitos illos lapides æterni diadematis coruscat. O vos qui in hoc mũdo vos diuites aut esse creditis aut estis, conferte si potestis, falsas diuitias vestras veris diuitijs Romulæ. Vos in huius mundi via omnia amissuri possidetis, illa nil quæsiuit in itinere, & omnia inuenit in peruentione. Vos lætam vitam ducitis, tristem mortem timetis: illa tristem vitã pertulit, ad lætam mortem peruenit. Vos ad tempus quæritis obsequia hominum, illa despecta ab hominibus, inuenit socios choros angelorum. Discite ergo fratres temporalia cuncta despicere, discite honorem temporalem contemnere, æternam gloriã amare. Honorate quos pauperes cernitis, & quos foris conspicitis despectos seculi, intus arbitramini amicos Dei. Cum his participamini quod habetis, vt quandoque dignentur vobiscum participare quod habent. Pensate quod ore magistri gentium dicitur: In hoc tempore vestra abundantia illorum inopiã suppleat, vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementũ. Pẽsate quod ipsa per se veritas dicit: Quandiù feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Ad tribuendum ergo pigri cur estis, quando hoc quod iacenti in terra porrigitis, sedenti in cælo datis? Sed hæc omnipotens Deus, qui per me in vestris auribus loquitur, per se in vestris mentibus loquatur: qui viuit & regnat cum patre in vnitate spiritus sancti Deus, per omnia secula &c.

Honorãdi pauperes.

Moritura petit & accipit Eucharistiam.

2. Cor. 8.

Matth. 25

DOMINICA III. POST

Penteconsten, In Epistolam Concio exegetica.

MVltis locis scriptura diuina commendat charitatẽ, sed nescio, inquit Augustinus Tractatu 5. in Ioannis Epistolam, si alicubi ampliùs, quàm in ea ipsa Epistola commendetur. Ex ea igitur rursus nobis loctio depromitur, quã nũc tractandã sumimus. *Nolite mirari fratres, si odit uos mũdus.* Mũ *Mundus,* dum hic non cælum, non terrã, nec ista opera quę *mũdo huic* Deus fecit, sed dilectores mundi vult intelligi, *deditt.* vt ait Augustinus. Mundus, inquit idẽ hoc loco, quando in laude ponitur, cælũ & terra est, & quę in his opera Dei. vnde dicitur, Et mũdus per eũ factus est. Item mundus plenitudo terræ, sicut dixit ipse Ioannes: Non solũ aũt nostrorũ propitiatio peccatorũ est, sed & totius mũdi, id est, omniũ fideliũ per orbẽ sparsorũ. Mũdus aũt in malo, amatores mũdi sunt. Qui amãt mundum, fratres amare nõ possũt. Hæc ille. Cõtra hoc mũdi odiũ Christus suos in Euãgelio cõfirmat & cõsolatur his verbis: Si mũdus vos odit, scitote quoniã me priorem vobis odio habuit. Quæ verba Tractatu 87. in Ioannẽ exponens Augustin. Cur fas esse in corpore, si nõ vis odiũ mũdi sustinere cum capite. Et paulò superiùs dixerat: Pro dilectione patiẽtiæ debemus etiã mundi odia sustinere. necesse est enim vt nos oderit, quos cernit nolle q̃ diligit. Sed & Christus ipse eodẽ loco causam huius odij differtis verbis explicat, dũ ait ad discipulos: Si de mũdo fuissetis, mũdus quod suũ erat diligeret. quia verò de mũdo nõ estis, sed ego elegi vos de mũdo, propterea odit vos mũdus. Vbi Augustinus, Totus, inquit, mundus Ecclesia est, & totus mũdus odit Ecclesiã. Mundus igitur odit mundũ, inimicus reconciliatũ, damnatus saluatũ, inquinatus mundatum. Hæc ille. Rectè igitur Christus prædixit suis, q̃ in mũdo pressurã sint habituri: quia reuerã improbi homines multis modis affligũt pios: quos tamẽ blãdissimè consolans Dominus, *Confidite, inquit,* quia ego vici mundũ. Inq; Christi virtute vincitur mundus etiam à *pijs* quos premit. Ad

1. Ioan. 2.

Ioan. 15.

Ioan. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tit. 1. hunc autem mundum impiorum pertinent non solùm infideles omnes, sed etiã pseudochristiani, qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant. *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad*

Qui non diligit fratrem, manet in morte. *vitam, quoniam diligimus fratres.* Ille veraciter charitatem habet, inquit D. Gregorius Homilia 27. in Euangelia, qui & amicũ diligit in Deo, & inimicum propter Deum. Nam sunt nõnulli qui diligunt proximos, sed per affectũ cognationis & carnis. Hi nimirũ & proximum diligunt, & tamẽ illa sublimia dilectionis præmia nõ assequũtur: quia amorẽ suum non spiritaliter sed carnaliter

Ioan. 15. impendũt. Proinde cùm Dominus diceret, Hoc est præceptũ meum, vt diligatis inuicẽ, protinùs addidit, Sicut dilexi vos: ac si apertè dicat: Ad hoc amate, ad quod amaui vos. Hæc Gregorius. Ergo, vt ait Augustinus Tractatu 83. in Ioannem, Discernitur ista dilectio ab illa dilectione, qua se inuicẽ diligunt homines sicut homines. Nã vt discerneretur, adiunctũ est, Sicut dilexi vos. Vt quid enim diligit nos Christus, nisi vt regnare possimus cum Christo? Ad hoc ergo & nos inuicẽ diligamus, vt dilectionẽ nostrã discernamus à cæteris, qui non ad hoc se inuicem diligunt, quia nec diligunt. Qui autem se propter habendum Deum diligunt, ipsi se diligunt. Ergo vt se diligant, Deum diligunt. Nõ est hæc dilectio in omnibus hominibus. Pauci se propterea diligunt, vt sit Deus omnia in omnibus. Hæc Augustin. Qui igitur purè & syncerè diligunt proximos, in Deo quidẽ si sint amici, & ppter Deũ si sint inimici, ij iam translati sunt à morte ad vitã. Fieri enim nõ potest, quin tales etiã Deũ diligãt. Vbi verò hæc charitas est Dei & proximi, vt Tractatu memorato ait Augustinus, quid est quod possit deesse? Vbi autem nõ est, quid est quod possit prodesse?

Qui nõ diligit, manet in morte. Eãt igitur homines & iactent fidẽ suã, iactent verbũ Dei & Euangeliũ, vt hac ætate faciunt hæretici, in morte vt permaneant necesse est, si nõ diligunt. Potest esse in hominibus etiã magna & firma fides, at ijipsi possunt manere animo frigidi & ad bona opera pigri ac torpidi, si non etiam ament. Atqui vbi seruet charitas, ibi alacriter datur opera exercitijs pietatis & omnibus rebus Deo gratis. Odio habetur iniquitas, diligitur iustitia, carnis cõcupiscentijs frenum injicitur, Deus timetur, mundus contemnitur, præsentia in fastidio sunt, futura

Signa vitæ spiritalis. appetuntur. Hæc vitæ interioris signa sunt, quæ sine charitate haberi non potest. *Omnis qui odit fratrẽ suũ, homicida est.* Iam ergo, inquit hic Augustinus, si contemnebat quisquam odium fraternũ, nunquid & homicidiũ in corde suo contempturus est? Non mouit manũ ad occidendũ hominẽ, homicida iã tenetur à Domino. Viuit ille, & iste iam interfector iudicatur. Hæc ille. Terribilis hæc scripturæ sententia est, & tamen verissima. Qui enim fratrem odit, etiamsi illum non occidat, at certè tamen occidit ipso odio animam suam. Longè verò atrocius homicidium est animam occidisse quàm corpus. Plerunque autem ex odio nasci solet etiam proximi cædes corporalis. Vt igitur ab immani scelere homicidij tum corporalis, tum spiritalis longè semper possimus abesse, odium ex omnibus animi recessibus procul arceamus. *Et scitis, quoniam omnis homicida non habet uitam æternam in se manentem.* Quicunque igitur odit fratrem suum, alienus est à gratia, quam sequitur vita æterna: nec potest in se habere Deum, qui charitas est. Vbi autem Deus non est, diabolus vt adsit & dominetur oportet. Caueamus hoc detestabile vitium, quod Deum excludit, & satanæ dominio subdit. Facilè contemnit & abijcit odium, qui Deum cupit habere propitium: qui secogitat in multis offendisse Deum, & ideò libenter ignoscit fratri in se peccanti, nec vllo modo patitur erga vllũ in suo pectore hærere odium, quandoquidem non vult Deum sibi sentire iratum. Qui autẽ huic mundo & mundi cupiditatibus dediti sunt, facilè inueniunt iræ & odij materiam: at tamen quãto atrocius proximos & ira & odio prosequũtur, tãto sibijpsis exitialiùs nocent. A seipsis enim Deũ & eius gratiam expellunt: quod nimirùm non facerent, si sibi consultum vellent. Omne animal diligit simile sibi, & homo ratione præditus odit fratrem suum? Ab odio autem facilè peruenitur ad homicidium. Quem enim quis habet odio, eum extinctum cupit. Porrò sicut is qui videt mulierem ad concupiscendũ eam, iam mœchatus est eã in corde suo: sic qui hominẽ optat extinctũ, iam reus tenetur homicidij, etiãsi manũ nunquã moueat ad cædẽ perpetrandã. Vnde constat sola voluntate & animi consensu multa sæpè grauissima peccata admitti. *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Verè charitas incomparabilis, Deum mori pro hominibus, immò pro inimicis & impijs, sicut Apostolus ait: Commendat charitatem suam Deus in nobis: quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est. Eramus omnes natura filij iræ, nec erat spes vlla redeundi cum Deo in gratiam: & ecce causam nostram heu nimis malam in se recepit vnicus filius Dei, & vt patris à nobis iram auerteret, factus inæstimabili dignatione homo, pro nobis sanguinem fudit. Quis hoc dubitet immensi fuisse amoris, & quem nulla mens capere queat? Quid verò pro tanto amore reposcit à nobis? Vt & nos pro fratribus animas ponamus, vbi res postulat. Et hæc quidem est summa & præcipua probatio amoris, pro fratribus animam ponere. Maiorem enim dilectionem nemo habet, vt ait Christus ipse, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Sed certè Christus etiam pro inimicis mortuus est. Non omnes hanc habent charitatis perfectionem, vt possint pro fratribus animas ponere.

re. At tamen etiam imperfectos consolatur D. Augustinus his verbis: Noli citò de te desperare: fortè nata est charitas, sed nondum perfecta est: nutri eam, ne effocetur. Sed quomodò nutriam, inquis? Audi quod sequitur: *Qui habuerit substantiam huius mundi, & uiderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit uiscera sua ab eo, quomodò charitas Dei manet in eo?* Ecce, inquit Augustinus, vnde incipit charitas. Si nondum es idoneus mori pro fratre, iam idoneus esto dare de tuis facultatibus fratri. Iam percutiat viscera tua charitas, vt non de iactantia facias, sed de intimo adipe misericordiæ, vt consideres illum in egestate positum. Si enim superflua non potes dare fratri tuo, animam tuam potes dare pro fratre? Iacet pecunia in sinu tuo, quam tibi tures possunt auferre: & si illam non auferent fures, moriendo illam deseres, etiam si te illa viuentem non deserat. Quid inde facturus es? Esurit frater tuus, in necessitate positus est, forta sis suspenditur, à creditore angustatur. Non habet ipse, habes tu: frater est, simul empti estis, vnum est precium vestrum, ambo sanguine Christi redempti estis. Vide si misereris, si habes facultates mundi. Quid ad me pertinet, fortè dicis? Ego daturus sum pecuniam meam, ne ille molestiam patiatur? Si hoc tibi responderit cor tuum, dilectio patris non in te manet. Si dilectio patris non in te manet, non es natus ex Deo. quomodò te gloriaris esse Christianum? Nomen habes, & factum non habes. Si autem nomen secutum fuerit opus, dicat te quisquam paganum, tu factis ostẽde Christianum. Nam si factis non ostendis Christianum, omnes te Christianum vocent, quid tibi prodest nomen, vbi res non inuenitur. Hæc Augustinus. Vbi iam sunt diuites auari & tenaces, qui erga miseros & inopes nulla mouentur mi-

Matth. 25 sericordia, & cùm Christus dicturus sit: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis, nolũt in paupere Christũ ipsum pascere, iure propterea olim audituri à Christo, Ite maledicti in ignẽ

Ibidem. æternum. In id genus hominibus nõ est charitas, quia dominatur ijs mundi cupiditas, quæ est charitatis excidium. Et mirum certè est tam crudelia esse multorum diuitum viscera erga pauperes, cùm tamen quicquid conferunt in miseros, id Christus in se collatum testetur. Fit autem iusto Dei iudicio, vt plerunq; tales habeant hæredes qui eiusmodi sunt, qui eorum facultates omnes multis curis multoq; labore partes & asseruatas, egregiè dilapident, & suo indulgendo genio, breui ad summam egestatem redigãtur.

Filioli mei, non diligamus uerbo, neque lingua, sed opere & ueritate. Multi diligunt Deum, sed verbo & lin-

Esai. 29. gua tantùm, de quibus conqueritur Dominus in Esaia, Appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me, cor autem eius longè est à me. Sunt etiam qui diligant Deum, sed dum eius fruuntur multis & magnis beneficijs: ad quorum gregem pertinet ille, de quo in Psalmo dicitur, Confitebitur tibi, cùm beneficeris ei. Præclare D. Bernardus libro de Diligendo Deo scribit in hunc modum: Est qui confitetur Domino, quoniam potens est: & est qui confitetur, quoniam sibi bonus est: & item qui confitetur, quoniam simpliciter bonus est. Primus seruus est, & timet sibi. Secundus mercenarius, & cupit sibi. Tertius filius, & defert patri. Itaque & qui timet, & qui cupit, vtriq; pro se agunt: sola, quæ in filio est, charitas nõ quærit quæ sua sunt. Hæc ille. Talis ergo diligit Deum opere & veritate. Multi etiam diligunt proximos, sed lingua tantùm. Si sit præstandum beneficium, amor omnis expirat. Quam multi sunt miseri & calamitosi homines, qui re minima possent à diuitibus subleuari, & tamen parcitur pecuniæ vilissimæ, nec parcitur fame & inedia aut morbo pereuntibus. Vtinam attenderent illi, quod ait Ambrosius Sermone 81. Neq; minus est criminis habenti tollere, quàm cùm possis & abundes, indigentibus denegare. Esurientium panis est, quẽ tu detines: nudorum indumentum est, quod tu recludis: miserorum redemptio est & absolutio, pecunia quam tu in terram defodis, &c. Tales cũ diuite epulone quærent apud inferos guttam a- Luc. 16. quæ frigidæ, & nõ inuenient. Permittit omnipotens Deus permultos premi egestate & inopia, vt homines pecuniosi habeant materiam exercendæ charitatis, cuius certè tanta est virtus, vt Christus auaris illis pharisæis dixerit, Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Diligamus ergo non verbo neq; lingua, sed opere & veritate. Qui habent substantiam huius mundi, esurienti & pauperi Christo liberaliter impertiantur, nec dubitent & in præsenti & futura vita Christum liberalissimè remuneraturũ. Da- Luc. 6. te, inquit, & dabitur vobis. Sed hoc ille nostris 2. Cor. 8. in cordibus agat & operetur, qui cùm dives esset, propter nos egenus factus est, vt nos eius inopia ditaremur, Iesus Christus Deus ac Dominus noster, cui est cum Patre & Spiritusancto omnis honor & gloria in secula seculorum, Amen.

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN Luc. XIIII.

In illo tempore, Dixit Iesus discipulis suis: Homo quidam fecit cœnam magnam, & uocauit multos. Et misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis ut uenirent. Et reliqua. Homilia beati Gregorij Papæ.

Discrimen inter animi & corporis delicias.

HOC distare, fratres charissimi, inter delicias corporis & cordis solet, quòd corporales deliciæ cùm non habentur, graue in se desiderium accendunt: cùm verò habitæ edunsatur, comedentem protinus in

fasti-

Universidad de Deusto
Biblioteca

fastidium per satietatem vertũt. At contrà spirituales deliciæ cùm non habẽtur, in fastidio sunt: cũ verò habentur, in desiderio: tantoq; à comedẽte ampliùs esuriũtur, quãto ab esuriente ampliùs comedũtur. In illis appetitus placet, experiẽtia displicet: in istis appetitus vilis est, experiẽtia magis placet. In illis appetitus saturitatem, saturitas fastidiũ generat: in istis appetitus saturitatem, saturitas appetitũ parit. Augent enim spirituales deliciæ desiderium in mente dum satiant, quia quanto magis earum sapor percipitur, eo ampliùs cognoscitur, quod auidiùs ametur. Et idcircò non habitæ amari non possunt, quia earum sapor ignoratur. Quis enim amare valeat, quod ignorat? Proinde Psalmista nos admonet, dicens: Gustate & videte, quoniã suauis est Dominus. Ac si apertè dicat: Suauitatẽ eius nó agnoscitis, si hanc minimè gustatis: sed cibũ vitæ ex palato cordis tangite, vt probãtes eius dulcedinem amare valeatis. Has aũt homo delicias tunc amisit, cũ in paradiso peccauit: extrà exijt, cùm os à cibo æternæ dulcedinis clausit. Vnde nos quoque nati in huius peregrinationis ærumna, huc fastidiosi iam venimus, nescimus quid desiderare debeamus: tantoq; se ampliùs fastidij nostri morbus exaggerat, quanto se magis ab esu illius dulcedinis animus elongat: & eo iam internas delicias non appetit, quo eas comedere diù longeq; dissuescit. Fastidio ergo nostro tabescimus, & longa inediæ peste fatigamur. Et quia gustare intus nolumus paratã dulcedinẽ, amamus foris miseri famem nostrã. Sed superna nospietas nec se deserentes deserit. Contẽptas enim illas delicias ad memoriæ nostræ oculos reuocat, easq́ue nobis proponit: in promissione torporẽ excutit, atq; vt fastidium nostrum repellere debeamus, inuitat. Ait nanq;: *Homo quidã fecit cœnã magnam, & vocauit multos.* Quis iste homo est, nisi ille de quo per prophetã dicitur: Et homo est, & quis cognoscit eum? Qui fecit cœnam magnam, quia satietatẽ nobis dulcedinis internæ præparauit. Qui vocauit multos, sed pauci veniũt, quia nonnunquã ipsi, qui ei per fidẽ subiecti sunt, æterno eius cõuiuio malè viuendo contradicunt. *Misit aũt seruũ suum hora cœnæ dicere inuitatis, vt venirent.* Quid hora cœnæ, nisi finis est mundi? In quo nimirũ nos sumus, sicut iamdudũ Paulus testatur, dicens: In quos fines sæculorum deuenerunt. Si ergo hora cœnæ iam est cùm vocamur, tanto minùs nos debemus excusare à conuiuio Dei, quanto appropinquasse iam cernimus finẽ sæculi. Quo enim pensamus, quia nihil est quod restat, eo debemus pertimescere, ne tẽpus gratiæ quod præstò est, pereat. Idcircò autem hoc conuiuiũ Dei non prandiũ, sed cœna nominatur, quia post prandiũ cœna restat, post cœnã verò conuiuiũ nullũ restat. Et quia æternũ Dei conuiuiũ nobis in extremo præparabitur, rectũ fuit vt hoc nõ prãdium, sed cœna vocaretur. Sed quis per hũc seruũ, quià patresfamilias ad inuitandũ mittitur, nisi prædicatorum ordo signatur? De quo videlicet ordine, quãuis adhuc indigni existimus, quanuis peccatorũ nostrorũ ponderibus grauamur, & nos tamen in istis diebus sumus, & cũ de ædificatione vestra vobis aliquid loquor, hoc est quod ago. Seruus enim sum summi patrisfamilias: cũ vos admoneo ad contemptũ seculi, inuitare vos venio ad cœnã Dei. Nemo me propter me hoc in loco despiciat. Etsi ad inuitandũ nequaquã dignus appareo, sed tamẽ magnæ sunt deliciæ quas promitto. Sæpè solet, fratres mei, euenire quod dico, vt persona potẽs famulũ habeat despectũ: cumq; per eum suis fortè vel extraneis aliquod responsum mandat, non despicitur persona loquẽtis serui, quia seruatur in corde reuerentia mittẽtis domini: nec pensant qui audiunt, per quẽ, sed quid vel à quo audiant. Ita ergo fratres, ita vos agite, & si nos forsan dignè despicitis, in mente tamẽ vestra vocantis Domini reuerentiã seruate. Conuiuæ fieri summi patrisfamilias libẽter obedite, corda vestra discutite, atq; ex eis mortale fastidiũ pellite. Ad repellendum nanq; fastidium vestrum iam parata sunt omnia. Sed si adhuc carnales estis, fortasse epulas carnales inquiritis. Ecce ipsæ carnales epulæ in spiritale vobis alimentũ conuersæ sunt. Ad abstergendum nanq; mentis vestræ fastidium, in cœna Dei ille vobis singularis agnus occisus est. Sed quid agimus, qui hoc quod subiungitur, adhuc fieri à multis videmus? *Et cœperunt omnes simul excusare.* Offert Deus, quod rogari debuit: non rogatus dare vult, quod vix sperari poterat, quia dignaretur largiri postulatus, & tamẽ cõtemnitur. Cõtemptoribus verò paratas delicias refectionis æternæ denunciat, & tamen simul oẽs excusant. Ponamus ante oculos mentis minima, vt possimus dignè pensare maiora. Si quispiam potens ad inuitandum quemlibet pauperem mitteret, quid fratres rogo, quid pauper ille faceret, nisi de eadem sua inuitatione gauderet, responsum humile redderet, vestẽ mutaret, ire quantocyùs festinaret, ne prior se ad potentis conuiuiũ alter occurreret? Homo ergo diues inuitat, & pauper occurrere festinat. Ad Dei inuitamur conuiuiũ, & excusamus. Sed ecce inter hæc æstimare possum, quid sibi corda vestra respondeant. Occultis enim fortasse sibimet cogitationibus dicunt: Excusare nolumus. Ad illud enim supernæ refectionis conuiuiũ & vocari & peruenire gratulamur. Loquentes vobis talia mentes vestræ, verũ dicunt, si non plus terrena quã cælestia diligunt, si non ampliùs rebus corporalibus quã spiritalibus occupantur. Vnde hic quoq; ipsa excusantium causa subiungitur, cũ protinùs subinfertur: *Primus dixit: Villam emi, & necesse habeo exire & videre illam: rogo te, habe me excusatum.* Quid per villam, nisi terrena substantia designatur? Exit ergo videre villam, qui sola exteriora cogitat propter substantiam. *Alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te, habe me excusatum.* Quid in

Pſalm. 33.

Deliciæ animi in paradiso perditæ.

Hora cœnæ.

1. Cor. 10

Ordo conuiuatorũ

Villa.

V. iuga bo-um, 5. sensus.

Curiositas

Vxor, cur possim uenire.

Alius uoluptas.

quinque iugis boum, nisi quinque sensus corporis accipimus? Qui rectè quoque iuga boum vocata sunt, quia in vtroque sexu geminantur. Qui videlicet corporales sensus, quia interna comprehendere nesciunt, sed sola exteriora cognoscunt, & deserentes intima, ea quæ extrà sunt tangunt, rectè per eos curiositas designatur, quæ dum alienam vitam quærit discutere, semper sua intima nesciens, studet exteriora cogitare. Graue nanque est curiositatis vitium, quę dum cuiuslibet mentem ad inuestigandam vitã proximi exteriùs ducit, semper ei sua intima abscondit, vt aliena sciens, se nesciat: & curiosi animus quanto peritus fuerit alieni meriti, tanto fiat ignarus sui. Propter hoc nanque & de eisdẽ quinq; iugis boum dicitur, Eo probare illa: rogo te, habe me excusatum. Ipsa enim excusantis verba à vitij sui significatione non discrepãt, dũ dicit, Eo probare illa: quia videlicet aliquando pertinere probatio ad curiositatẽ solet. Sed notandum, quòd & is qui propter villam, & is qui propter probanda iuga boum à cœna sui inuitatoris excusat, humilitatis verba permiscet, dicens: Rogo te, habe me excusatum. Dum enim dicit, Rogo, & tamen venire contẽnit, humilitas sonat in voce, superbia in actione. Et ecce hæc dijudicat prauus quisq; cum audit: nec tamen ea quæ dijudicat, agere desistit. Nam dum cuilibet peruersè agenti dicimus, Conuertere, Deum sequere, mundũ relinque, vbi hunc nisi ad dominicam cœnã vocamus? Sed cùm respondet, Ora pro me, quia peccator sum, hoc facere non possum: quid aliud agit, nisi & rogat & excusat? Dicẽs nãq;, Peccator sum, humilitatẽ insinuat: subiungens aũt, Conuerti non possum, superbiam demonstrat. Rogando ergo excusat, qui & humilitatem superducit in voce, & superbiã exercet in actione. *Alius aũt dixit: Vxorem duxi, & ideò nõ possum uenire.* Quid per vxorẽ, nisi voluptas carnis accipitur? Nam quanuis bonum sit coniugium, atq; ad propagandam sobolem diuina prouidẽtia constitutũ, nonnulli tamen non per hoc fœcũditatem prolis, sed desideria expetunt voluptatis: & idcircò per rem iustam significari potest non incongruè tes iniusta. Ad cœnã ergo nos æterni conuiuij summus paterfamilias inuitat, sed dum alius auaritiæ, alius curiositati, alius voluptati carnis est deditus, nimirũ reprobi simul omnes excusant. Dum hunc terrena cura occupat, illum alieni actus sagax cogitatio deuastat, alterius etiam mentem voluptas carnis inquinat, fastidiosus quisque ad æternæ vitæ epulas non festinat. Sequitur: *Reuersus seruus, nunciauit hæc domino suo. Tunc iratus pater familias, dixit seruo suo: Exi citò in plateas et uicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, cæcos & claudos introduc huc.* Ecce qui terrenæ substantiæ plus iusto incubat, venire ad dominicam cœnam recusat: qui labori curiositatis insudat, præparata vitæ alimenta fastidit, qui carnalibus desiderijs inseruit, spiritalis conuiuij epulas respuit. Quia ergo venire superbi renuunt, pauperes eliguntur. Cur hoc? Quia iuxta Pauli vocem, infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia. Sed notandum nobis est, quomodò describantur qui ad cœnam vocantur, & veniunt. Pauperes & debiles dicuntur, qui iudicio suo apud semetipsos infirmi sunt. Nam pauperes & quasi fores sunt, qui & positi in paupertate superbiunt. Cæci verò sunt, qui nullũ ingenij lumẽ habent. Claudi quoq; sunt, qui rectos gressus in operatione non habent. Sed dum morum vitia in membrorum debilitate signantur, prosectò liquet, quia sicut illi peccatores fuerũt, qui vocati venire noluerũt: ita hi quoq; peccatores sunt, qui inuitãtur & veniunt. Sed peccatores superbi respuũtur, vt peccatores humiles eligantur. Hos itaque elegit Dominus, quos despicit mundus: quia plerunque ipsa despectio hominem reuocat ad semetipsum. Is enim qui patrem reliquit, & partem substantiæ quam perceperat, prodigè expendit, postquàm esurire cœpit, in se reuersus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus? Longè quippe à se discesserat, quãdo peccabat, & si non esuriisset, in semetipsum minimè rediisset: quia postquàm terrenis rebus indiguit, tunc cogitare cœpit, quid de spiritalibus amisit. Pauperes ergo & debiles, cæci & claudi vocantur & veniunt, quia infirmi quique atq; in hoc mundo despecti plerũq; tãto celeriùs vocem Dei audiunt, quanto & in hoc mundo nó habẽt, vbi delectẽtur. Quod benè Amalechitarũ puer ille Aegyptius designat, qui Amalechitis prædantibus atq; currẽtibus æger remãsit in via, & fame sitiq; aruit. Quẽ tamen Dauid inuenit, & ei cibum potumq; præbuit. Qui ilicò cõualecẽs, dux Dauid factus est, cõuiuantes Amalechitas reperit, & eos qui se debilẽ reliquerant, cum magna fortitudine prostrauit. Amalechita quippe populus lambẽs vocatur. Et quid per lambentẽ populũ, nisi mentes sæculariũ designãtur, quæ terrena cũcta ambiẽdo quasi lambũt, dũ solis tẽporalibus delectãtur. Quasi enim populus lambẽs prædã facit, dũ terrena diligẽtes, lucra delienis dãnis exaggerãt. Sed puer Aegyptius ęger in via relinquitur: quia peccator quisq; dũ infirmari ab huius mũdi statu cœperit, mox sæcularibus mentibus in despectũ venit. Quẽ tamẽ Dauid inuenit, eiq; cibũ & potũ præbet: quia manu fortis Dominus abiecta mũdi nõ despicit, & plerũq; eos qui sequi mundũ minimè valẽtes, quasi in via remanent, ad amoris sui gratiã conuertit, eisq; verbi sui cibum potumq; porrigit, & quasi duces sibi in via eligit, dũ suos etiã prædicatores facit. Dũ enim Christũ peccatorũ cordibꝰ inferũt, quasi Dauid super hostes ducũt. Qui cõuiuantes Amalechitas velut Dauid gladio feriunt, quia superbos quosq;, qui se in mũdo despexerãt, Domini virtute prosternũt. Puer ergo Aegyptius, qui in via remãsit, Amalechitas interfecit: quia plerunq; ipsi mentes sæculariũ prædicando

1. Cor. 1.

Pauperes & debiles

Cæci.

Claudi.

Luc. 15.

1. Reg. 30

Amalechite mystice

su-

Universidad de Deusto
Biblioteca

superant,qui priùs cum secularibus in hoc mundo currere non valebant. Sed deductis ad cœnã pauperibus, quid puer subiungat, audiamus: *Domine factum est ut imperasti, & adhuc locus est.* Multi tales ad cœnam dominicã ex Iudæa collecti sunt, sed multitudo, quæ ex Israëlitico populo credidit, locum superni conuiuij non impleuit. Intrauit iam frequentia Iudæorum, sed adhuc vacat locus in regno, vbi suscipi debeat numerositas gentium. Vnde & eidem seruo dicitur: *Exi in vias & sepes, & cõpelle intrare, ut impleatur domus mea.*

Iudæi ciuiles. Cùm de vicis & plateis ad cœnam quosdam Dominus inuitat, illum videlicet populum designat, qui tenere legem sub vrbana conuersatione nouerat. Cùm verò conuiuas suos colligi ex

Gentiles agrestes. vijs & sepibus præcipit, nimirùm agrestem populum colligere, id est, gentilem quærit. De cuius

Psalm. 95. significatione per Psalmistã dicitur: Tunc exultabunt omnia ligna syluarum ante faciem Domini, quoniam venit. Ligna enim syluæ gentes vocatæ sunt, quia in infidelitate sua tortæ & infructuosæ semper fuerunt. Qui ergo ex illo agresti vsu conuersi sunt, ad cœnam dominicam, quasi ex sepibus venerunt. Notandum verò est, quòd in tertia hac inuitatione non dicitur, Inuita, sed, Compelle intrare. Alij enim vocantur, & venire contemnunt: alij vocantur, & veniunt: alij autem nequaquàm dicitur quia vocantur, sed compelluntur vt intrent. Vocantur & venire cõtemnunt, qui donum quidem intellectus accipiunt, sed eundem intellectum operibus nõ sequuntur. Vocantur & veniunt, qui acceptam intellectus gratiam operando perficiunt. Quidam verò sic vocantur, vt etiam compellantur. Nam sunt nonnulli, qui bona facienda intelligunt, sed hæc facere desistunt: vident quæ facere debeãt, sed hæc ex desiderio nõ sequũtur. His, vt superiùs diximus, plerunque contingit, vt eos in carnalibus desiderijs suis mũdi huius aduersitas feriat:

Plerique mũdi gloriam frustrà aucupantur. apprehendere temporalem gloriam conentur, & nequeant: & dum per alta pelagi, quasi ad grãdiores curas huius seculi nauigare proponunt, semper aduersis flatibus ad delectionis suæ litora repellantur. Cumque se frangi in desiderijs suis aduersante mundo conspiciunt, quid de se authori suo debeant, commemorant, ita vt ad eũ erubescentes redeant, qui eum superbiẽtes pro amore mundi deserebant. Sæpè nanque nonnulli ad temporalem gloriam proficere volẽtes, aut longa ægritudine tabescunt, aut afflicti iniurijs concidunt, aut percussi grauibus damnis affligũtur, & in mundi dolore vident, quia nihil confidere de eius voluptate debuerunt, seque ipsos in sui desiderijs reprehendentes, ad Deum corda conuertunt. De his quippe Dominus per

Oseæ 2. prophetam dicit: Ecce ego sepiã viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non inueniet: & sequetur amatores suos, & non apprehendet eos: quæret, & non inueniet eos, & dicet: Vadam & reuertar ad virum meum priorẽ, quia benè mihi tunc erat magis, quàm nunc. Vir vniuscuiusq; fidelis animæ, Deus est, quia hęc videlicet ei est cõiuncta per fidẽ. Sed illa quęcõiuncta fuerat Deo anima, amatores suos sequitur, quãdo mens quæ iam per fidẽ credidit, adhuc se immundis spiritibus in operatione substernit, mundi gloriam quærit, carnali delectatione pascitur, exquisitis voluptatibus nutritur. Sed plerunque omnipotens Deus talem animam misericorditer respicit, & eius voluptatibus amaritudines permiscet. vnde dicit: Ecce ego sepiã vias tuas spinis. Viæ etenim nostræ spinis septę sunt, quando in hoc quod malè cupimus, dolorũ punctiones inuenimus. Et sepiam eam maceria, & semitas suas non inueniet. Viæ nostræ maceria sepiuntur, cùm desiderijs nostris duræ in hoc mundo obiectiones resistunt. Et semitas nostras inuenire non possumus, quia hoc quod malè quærimus, adipisci prohibemur. Et sequetur amatores suos, & non apprehendet eos: quæret, & non inueniet eos: quia malignos spiritus, quibus se in suis desiderijs anima subdit, ad desideriorum suorum effectum minimè comprehendit. Sed de hac salubri aduersitate quanta vtilitas nascatur, adiungit cùm subditur: Et dicet: Vadam & reuertar ad virum meum priorem, quia benè mihi erat tunc magis, quàm nunc. Postquã ergo vias suas spinis septas inuenit, postquam amatores suos apprehendere non valet, ad amorem viri prioris redit: quia plerunq; postquam in hoc mundo non possumus obtinere quæ volumus, postquam in terrenis desiderijs de impossibilitate lassamur, tunc ad mentem Deum reducimus, tunc placere incipit qui displicebat, & cuius nobis amara fuerant præcepta, repentè dulcescit in memoria, & peccatrix anima quæ adultera conata est esse, nec tamen aperto opere potuit, decernit esse fidelis coniunx. Qui ergo huius mundi aduersitatibus fracti, ad Dei amorem redeunt, atque à præsentis vitæ desiderijs corriguntur, quid isti fratres charissimi, nisi compelluntur vt intrent? Sed valdè tremenda est sententia, quæ protinùs subinfertur. Intenta hanc cordis aure percipite, fratres & domini mei: inquãtùm peccatores, fratres mei: inquantùm iusti, domini mei: intenta hanc aure percipite, vt tanto eam minùs sentiatis in examine, quanto nunc auditis formidolosiùs in prædicatiõe. Ait enim: *Dico autẽ vobis, quòd nemo virorũ illorũ qui vocati sunt, gustabit cœnã meã.* Ecce vocat per se, vocat per angelos, vocat per patres, vocat per prophetas, vocat per Apostolos, vocat per pastores, vocat etiã per nos, vocat plerunque per miracula, vocat plerunque per flagella, vocat aliquando per mundi huius prospera, vocat aliquando per aduersa. Nemo contemnat, ne, dum vocatus excusat, cũ voluerit, intrare non valeat. Audite quid sapientia per Salomonem dicat: Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: manè consurgent, & non inuenient me. Hinc est, quòd fatuæ virgines tardè ve-

Matth. 25 nientes clamant: Domine Domine, aperi nobis. Sed iam tunc aditum quærentibus, dicit: Amen dico vobis, nescio vos. Quid inter hæc, fratres charissimi, nisi relinquere omnia debemus, curas mundi postponere, solis desiderijs æternis inhiare? Sed hęc paucis data sunt. Admonere

Mundi facultates ut habendæ. vos volo, vt relinquatis omnia, sed non præsumo. Si ergo cuncta mundi relinquere non potestis, sic tenete quæ huius mundi sunt, vt tamen per ea non teneamini in mundo: vt terrena res possideatur, non possideat: vt sub mentis vestræ sit dominio quod habetis: ne si mens vestra terrenarum rerum amore vincitur, à rebus suis magis ipsa possideatur. Sit ergo res temporalis in vsu, æterna in desiderio: sit res temporalis in itinere, desideretur æterna in peruẽtione. Quasi ex latere respiciatur, quicquid in hoc mũdo agitur: ante nos aũt tendant mentis oculi, dum tota intentione illa conspiciunt, ad quæ peruenimus. Extirpentur funditùs vitia, non solùm ab actu operis, sed etiam à cogitatione cordis euulsa. Non nos voluntas carnis, non solicitudo curiositatis, non æstus ambitionis à dominica cœna præpediat: sed ipsa quoq;, quæ honesta in mũdo agimus, quasi ex quodam mentis latere tãgamus, vt terrena quælibet sic nostro corpori inseruiant, quatenùs cordi minimè obsistant. Nõ ergo fratres audemus vobis dicere, vt omnia relinquatis: sed tamen si vultis, omnia etiam retinendo relinquitis, si sic temporalia geritis, vt tamen

1. Cor. 7. tota mente ad æterna tendatis. Hinc etenim Paulus apostolus dicit: Tempus breue est: reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam nõ habentes sint: & qui flent, tanquàm non flentes: & qui gaudent, tanquã non gaudentes: & qui emunt, tanquàm non possidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquàm nõ vtantur. Præterit enim figura huius mundi. Vxorem nanq; habet, sed quasi non habens, qui sic scit carnis debita exoluere, vt tamen per ea mundo tota mente nõ cogatur inhærere. Nam cùm idẽ rursùm egregius

Ibidem. prædicator dicat: Qui habet vxorẽ, cogitat quæ sunt huius mundi, quomodò placeat vxori: ille vxorẽ habet quasi non habens, qui sic studet placere coniugi, vt tamen non displiceat conditori. Flet quoq;, sed tanquàm non fleat, qui sic temporalibus damnis affligitur, vt tamen de æternis lucris semper animũ consoletur. Gaudet verò, sed tanquã non gaudeat, qui sic temporalibus bonis hilarescit, vt tamen semper perpetua tormenta consideret, & in hoc quòd mentẽ gaudio subleuat, hanc cõtinuò pondere prouidi timoris premat. Emit autẽ, sed quasi nõ possidens, qui ad vsum terrena præparat, & tamen cauta cogitatione præuidet, quòd hæc citiùs relinquat. Mundo quoq; vtitur, sed quasi nõ vtatur, qui & necessaria cuncta exteriùs ad vitæ suæ ministerium redigit, & tamen hęc eadem nõ sinit suæ mẽti dominari: vt subiecta foris seruiant, & nunquã intentione animi ad alta tendẽtis frangant. Quicunq; igitur tales sunt, eis profectò terrena omnia non ad desiderium, sed ad vsum assunt: quia rebus quidem necessarijs vtuntur, sed nihil habere cũ peccato cupiunt. De ipsis quoque rebus habitis quotidiè mercedes acquirunt, & plùs gaudẽt bono opere, quàm bona possessione. Ac ne aliquibus ista difficilia esse videantur, rem de persona refero, quàm multi vestrum mecũ nouerunt, quam videlicet rem ipse ante triennium in Centumcellensi vrbe à personis fidelibus didici. Nu-

Exempli memorabile Theophanij comitis. per nanque in eadem ciuitate Theophanius comes fuit, vir misericordię actibus deditus, bonis operibus intentus, hospitalitati præcipuè studens. Exercendi comitatus actibus occupatus, agebat terrena & temporalia, sed vt pòst ex fine eius claruit, magis ex debito, quàm ex intentione. Nam cùm propinquãte mortis eius tempore, grauissima aëris tempestas obsisteret, ne ad sepeliendum duci potuisset, eumq; coniunx sua cũ fletu vehementissimo inquireret, dicens: Quid faciam, quomodò te ad sepiliendum eijcio, quę ostium domus huius egredi præ tempestate nimia non possum? Tunc ille respondit: Noli mulier flere, quia mox vt ego defunctus fuero, serenitas aëris redit. Cuius protinùs & vocem mors, & mortem serenitas est secuta. Cuius manus & & pedes podagræ humore tumescentes, & versi in vulneribus fuerant, & profluente sanie putrebant. Sed cùm corpus illius ex more ad lauandum fuisset detectum, ita sanum repertum est, ac si vnquam vulneris nihil habuisset. Ductus itaque ac sepultus est, eiusque coningi visum est, vt quarto die in sepulchro illius marmor, quod superimpositum erat, mutari debuisset. Quod videlicet marmor corpori eius superimpositum, dum fuisset ablatum, tanta ex eius corpore fragantia odoris emanauit, ac si ex putrescẽte carne illius pro vermibus aromata ferbuissent. Hæc igitur dixi, vt è vicino exemplo ostendere possem, nonnullos & secularem habitum gerere, & secularem animum non habere. Quos enim talis in mundo necessitas ligat, vt ex omni parte exui à mundo non possint, sic ea quæ mũdi sunt, debent tenere, vt tamen eis nesciant ex mentis factione succumbere. Hæc ergo cogitate, & cùm relinquere cuncta quæ mundi sunt nõ potestis, exteriora exteriùs benè agite, sed ardenter interiùs ad æterna festinate. Nihil sit quod desiderium mentis vestræ retardet, nullius vos rei in hoc mundo delectatio implicet. Si bonum diligitur, mens in bonis melioribus, id est, in cęlestibus delectetur: si malum metuitur, mala animo æterna proponantur, vt dum illic esse conspicit & ampliùs quod diligat, & ampliùs quod pertimescat, hic omninò non hæreat. Ad hæc agenda habemus mediatorem Dei & hominum adiutorem nostrum, per quẽ citiùs cuncta obtinebimus, si ad illum vero amore flagramus: qui viuit & regnat cum patre, &c.

Plerique sub habitu secularem animum habent

Universidad de Deusto
Biblioteca

DOMINICA EADEM,
HOMILIA EVSEBII
Emeseni.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & uocauit multos, &c. Luc. 14.

HIc enim homo, ipse est qui hæc loquitur, Iesus Christus Dominus noster. Magna aût eius cœna, hæc Euangelia sunt, quæ ipse quidem nobis præparauit, quæ & nos quotidiè legimus, legendo comedimus, & mentem reficimus. Magna quidé est hæc cœna, cunctisq; delicijs plena, quę omnibus etiam sufficienter administrat. Ad hanc autem cœnam vocauit Dominus multos, Iudæos scilicet & Gentiles, sed Iudæos primùm, deinde Gentiles. Quia enim Iudæi venire noluerunt, Gentiles vocati sunt. Vnde & subditur: *Et misit seruos suos hora cœnæ dicere inuitatis ut uenirēt, quia iam parata sunt omnia. Et cœperunt omnes simul excusare.* Tunc enim primùm seruos suos Dominus mi-
Matth. 10 sit, quando suis discipulis ait: In vias Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed potiùs ite ad oues quæ perierũt domus Israël. Euntes autem prædicate, dicentes quia appropinquauit regnum cælorum. Hoc est enim, quod hic dicitur: Quia iam parata sunt omnia. Mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite: gratis accepistis, gratis date. Euntes igitur serui, dixerunt inuitatis vt venirent. At illi cœperunt omnes simul excusare. Ad hanc etenim cœnam iam ante Christi incarnationem omnes Iudæi inuitati fuerant, ad hanc & patriarchæ & prophetæ eos inuitauerant. Illi autem venire noluerunt, sed cœperunt omnes simul excusare. *Primus dixit ei: Villam emi, & necesse habeo exire, & uidere illam: rogo te, habe me excusatum. Et alius dixit: Iuga boum emi quinq;, & eo probare illa: rogo te, habe me excusatum. Et alius dixit: Vxorem duxi, et ideò non possum uenire.* In illo enim qui villam emit, auaritiam: in illo qui emit quinq; iuga boum, falsam religionem: in illo verò qui vxorem duxit, luxuriã & carnis voluptates cognoscimus. Multos enim hæc tria separant à regno Dei. Villam enim emit, qui huius mundi possessiones, diuitias, honores, & dignitates quærit. Ad hanc autem villam ille exire, semperq; videre eam desiderat, qui in his multum delectatur, omnemque suam spem in eis ponit. Talibus autem si quando Episcopi, & sacerdotes meliora persuadent, promittunt se facere quod eis præcipitur, sed impedimenta obijciunt, excusationes inueniunt, & vt ipsi pro eis Deum deprecentur exorant. Hoc autem quid est aliud dicere, nisi, Rogo te, habe me excusatum? Quinq; autem iuga boum, quinq; sunt libri Moysi. Hos autem Iudæi emerunt, pro his circuncisi sunt, pro his decimas & primitias & sacrificia offerũt. Hos tamen nondum probatos habent, quia nondũ eos intelligunt. Si enim eos intellexissent, nulla esset excusatio, quin ad hanc cœnam iam venissent. Sed quia eos non intelligunt, dum eos venerari se simulant, suam iustitiam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Vt enim Apostolus ait, Zelum Dei habent, sed non secundùm scientiam. His autem & si excusationem quærant, excusatio tamen nulla erit. Sic enim ait Dominus: Si non venissem & loquutus eis fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Benè autem non per quinque boues, sed per quinque iuga boum, hi quinque libri significantur: quoniam dupliciter intellecti (id est, secundùm literam & secundùm spiritualẽ intelligentiã) quinque iuga faciunt. Qui verò sic eos coniunxerit, confidenter cum eis in agro dominico laborare & arare potnit, quorum quidem labor inutilis est, si ab inuicem separati fuerint. Iudæi enim qui alterum bouem, id est, intellectum spiritualem non habent, in altero boue, id est, in sola litera laborare volentes, nullum de labore fructum suscipiunt. Illi verò vxorem ducunt, qui se luxuriæ carnisque voluptatibus per omnia subijciũt. Inter quos illi computari non debent, quibus Apostolus ait: Qui habent, tanquàm non habentes sint. Et isti quidem excusari non quærunt, quia solam hanc vitam diligentes, aliam pro nihilo ducunt. Cogitant enim, vt Apostolus ait, de his solummodò quæ mundi sunt, quomodò placeant vxori. *Et reuersus seruus, nũciauit hæc Domino suo.* Vnde Esaias: Domine quis credidit auditui nostro? *Tũc iratus pater familiæ, dixit seruo suo: Exi citò in plateas & uicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, cæcos, & claudos introduc huc.* Quia enim Iudæi ad cœnam venire & credere noluerunt, ad Gentes Apostoli mittuntur. Vnde Apostolus: Vobis, inquit, primùm oportebat prædicari verbum Dei: sed quia repulistis illud, & indignos vos fecistis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Pauperes enim, debiles, cæci, & claudi erant Gentiles, quia nec legis diuitias, nec virtutum fortitudinem, nec scientiæ lumen habebant, nec in via mandatorum Dei rectis pedibus incedebant. Inuitati tamen ad conuiuium Christi, diuites & fortes facti sunt, & interiùs illuminati, iam in via non errant, sed recto tramite gradiuntur. Et *ait seruus: Domine, factum est ut imperasti, & adhuc locus est.* Iste enim locus tunc complebitur, quãdo hęc vita finietur. Adhuc enim quotidiè mittuntur serui, adhuc ad hanc cœnam veniunt fideles, alijs per baptismum, alijs per pœnitentiam festinãtibus. Iam neque viæ, neque sepes, neque locus vllus siue abditus siue manifestus relictus est, ad quem Christi serui scrutandum non peruenerunt. Qui igitur huic cœnæ defuerint, non seruorum negligentiæ, sed suæ hoc inobedientiæ de-

Auaritia. Falsa religio. Luxuria.

V. iuga boum.

deputent. Sequitur: *Dico autem uobis, quòd nemo uirorum illorum qui uocati sunt, gustabit cœnam meam.* Nemo enim illorum qui vocati sunt, & venire noluerunt, Christi cœnam gustabit: nemo simul cum sanctis ad æterni conuiuij epulas intrabit.

DOMINICA IIII. POST PENTECOSTEN,
In Epistolam Concio exegetica.

HOdiè nobis ex Apostolorum principis Epistola priore lectio profertur, digna quæ nostris animis diligẽter affigatur. Habet admonitiones saluberrimas, non perfunctoriè duntaxat auribus hauriendas, sed in opus conferendas. Ipsum Apostolũ sua, immò Spiritus sancti verba promentem auscultemus: *Humiliamini*
1. Pet. 5. *sub potenti manu Dei, ut uos exaltet in tempore uisitationis.* Diabolus in cælo, & protoplastus Adam in paradiso superbia ceciderunt. Detestabile prorsus vitium, quod ex angelo diabolum, ex homine beato & felice miserum & calamitosum fecit. Quamobrem non immeritò sanctus Dauid orat, Non veniat mihi pes superbiæ. Et quare sic orat seruari à superbia? Quia ibi, inquit, ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem, expulsi sunt nec potuerunt stare. Nec mirũ: quia superbis Deus resistit. Superbia, inquit Augustinus in psalmum 35. lapsi sumus, vt ad istam mortalitatẽ perueniremus: & quia nos superbia vulnerauerat, humilitas sanos fecit. Hæc ille. In Euangelio cùm discipuli quærerent à Domino, quis maior esset in regno cælorum, ille paruulum in medio eorum statuit & ait, Quicunq; humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno cælorum. Tanto ergo quisq; sublimior est, quanto humilior. Et cur se non etiam infra omnes infimos abijciat homo peccator, quando id fecit vnicus filius Dei? Eligat quisq; alterum è duobus: aut hic humiliari cum filio Dei, & posteà æternũ cum illo regnare: aut hic superbia intumescere cum Lucifero, & apud inferos extremè cum illo humiliari. Nec frustrà additur, *Sub potẽti manu Dei*, cui sanè resistere nemo potest. Nihil igitur neq; æquius, neq; consultius, quàm sponte humiliari sub Deo, cuius est manus valida & omnipotens. Quod aût sequitur, *Vt uos exaltet in tẽpore uisitationis.* Oecumenius sic exponit: In tempore, inquit, addidit, vt de exaltatione, quæ in futurũ tempus fit, intelligat: quæ vel solo exaltatio est, cùm non mutetur, sed in perpetuũ duret. Quę verò hîc fit, cũ instabilis sit & caduca, semper sibi succedentẽ humiliationẽ habet, vt citiùs quãdoq; quàm exaltatus quispiam sit, in humiliationẽ delabatur. At ex humiliatione altitudinem & sublimitatem comparari, ipse Dominus certus sponsor testatur, cùm inquit: Vnusquisq; qui se humiliat, exaltabitur, &c. Cùm igitur inquit, In tempore, in futurum ex humiliatione exaltationem promitti significat: quippe cùm inuariabilium rerum tempus in futuro & incorruptibili seculo sit. Hæc Oecumenius. Tempus itaq; visitationis, tempus iudicij accipitur. *Omnẽ solicitudinẽ uestram proijcientes in eum, quoniã ipsi curæ est de uobis.* Vt timorem omnem, inquit Oecumenius, ex humiliatiõe hac auferat (fortasse enim vereri aliquos videbat, ne si in hac vita seipsos humiliarent, mali aliquid paterentur) idcircò subiungit: Ne timeas: curam omnem & solicitudinẽ tui in Dominum conijce. nam si id feceris, prouido ac fido procuratori teipsum commiseris: ipsi enim cura est de his omnibus. Hæc ille. Alludit Apostolus ad eam Psalmi sententiam, Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet. Christus in Euangelio præcipit, ne simus soliciti in crastinum, sed primùm & ante omnia quæramus regnum Dei. Quid igitur? Sedebunt ne homines otiosi, & expectabunt vt pluat illis Deus manna è cælo, vt olim filijs Israël? Hoc quidé esset tentare Deũ. Nó igitur prohibet scriptura, ne sis solicitus, sed ne sis immoderatè solicitus: vt Deo tuo benè cõfidas, ac interim tamẽ eius ope fretus facias quod in te est, sed absq; mẽtis perturbatione, anxietate & nimia implicatione. Dicas cum Propheta: Ego mendicus sum & pauper: Dominus solicitus est mei. Porrò qui inexplebili auaritia semper soliciti sunt de rebus suis magis magisque cumulandis, eorum planè ridenda & detestanda stultitia est, de quibus rectè dicitur, Auaro nihil scelestius. Attendant tales, quod in Psalmo legitur: Videbunt iusti & timebunt, & super eum ridebunt & dicent, Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum: sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum. Beatos ergo illos, qui cum Apostolo dicunt ex sententia: Habentes victum & quibus tegamur, his contenti simus. *Sobrij estote & uigilate.* Eos qui intellectualiter, inquit Oecumenius, dormire, id est, vanis rebus oscitanter vacare consueuerunt, atq; inlesta desperationis fera inuadit. Id quod euitans Christi discipulus, monet vt vigilemus semper, & zizaniorum seminatorem caueamus: ne fortè dormientibus nobis, id est, negligenter & ignarat, atq; à vera vita nos seducat. Hæc ille. Hortatur aût ad sobrietatem & vigilantiã Apostolus, ne grauẽtur corda nostra in crapula & ebrietate, sed semper tanq; in statione simus vigiles. *Quia aduersarius uester diabolus, tanq; leo rugiẽs circuit quærẽs quẽ deuoret.* Præclarè in hunc locũ scribit D. Cyprianus in Sermone de zelo & liuore: Porrò autem, inquit, Dominus prudentes esse nos iussit, & cauta solicitudine vigilare præcepit, ne aduersarius vigilans semper & semper insidians, quan-

Matth. 18

Superbia detestabilis.

Psalm. 35.

Matth. 25

Psalm. 54

Matth. 6.

Psalm. 39.

Eccles. 10

Psalm. 51.

1. Ti. 6.

Luc. 21.

Universidad de Deusto
Biblioteca

do in pectus obrepat, de scintillis conflet incendia, de paruis maxima exaggeret: & dum remissis & incautis leniore aura & flatu molliore blanditur, procellis ac turbinibus excitatis, ruinas fidei & salutis, ac vitæ naufragia moliatur. Excubandum est itaque fratres dilectissimi, atq; omnibus viribus elaborandum, vt inimico sæuienti, & iacula sua in omnes corporis partes quibus percuti & vulnerari possumus, dirigenti solicita & plena vigilantia repugnemus, secundũ quòd Petrus quoque Apostolus in Epistola sua præmonet & docet, dicens: Sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus, tanquàm leo rugiens, & aliquid deuorare quærens, circumit. *Nota insidias diaboli.* Circumit ille nos singulos, & tanquàm hostis clausos obsidens muros, explorat & tentat, an sit pars aliqua membrorum minùs stabilis & minùs fida, cuius aditu ad interiora penetretur. Offert oculis formas illices & faciles voluptates, vt visu destruat castitatẽ. Aures per canorã musicã tẽtat, vt sonꝰ dulciori auditu soluat & molliat Christiani vigorẽ. Linguã cõuicio prouocat: manus in iurijs lacessentibus ad petulantiã cædis instigat. Vt fraudatorem faciat, lucra opponit iniusta: vt animam pecunia capiat, ingerit pernicios compẽdia: honores terrenos promittit, vt cælestes adimat: ostentat falsa, vt vera subripiat. Et cùm latenter non possit fallere, exertè atque apertè minatur, terrorem turbidæ persecutionis intentat, ad debellandos seruos Dei inquietus semper & semper infestus: in pace subdolus, in persecutione violentus. Quamobrem, fratres dilectissimi, contra omnes diaboli vel fallaces insidias, vel apertas minas stare debet instructus animus & armatus, tam paratus semper ad repugnandũ, quàm est ad impugnandum semper paratus inimicus. Hæc Cyprianus. Ex his autem D. Petri verbis licet animaduerti, quanta sit amentia corum, qui diabolo tentanti facilè consentiunt & succumbunt, quandoquidem se illi sæuissimo leoni deuorandos tradunt. Itaq; si delectat peccatum, à peccato deterreat tam immane periculum, nedũ ad momentaneã peccati delectationẽ cæcis diaboli laqueis implicati captamus, eius dentibus & vnguibus laceremur. Si terroribus pulsat inimicus & supplicia minatur, gehennæ supplicia versentur ob oculos, vt horum contemplatione dolores omnes temporarij aut contemnantur, aut saltem moderatè ferantur. *Cui resistite fortes in fide.* Consentit hic locus cum ea Paulina sententia, quæ est in Epistola ad Ephesios ca. 5. In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Magnum præsidium est fides vera, fides viua, de qua dicit in Euangelio Dominus, Omnia possibilia sunt credenti. Resistendum autem diabolo etiam Iacobus Apostolus monet, dum ait: Resistite diabolo, & fugiet à vobis. Ergo diabolus tentat quidem, sed non potest ab inuitis extorquere consensum. Ille praua suggerit, at in nostro arbitrio situm est vel admittere, vel respuere. D. Ambrosius Officiorum lib. 1, ca. 49. Non inueniat, inquit, in te aduersarius imaginẽ suam, non rabiem, non furorem. in his enim imago nequitiæ est. Aduersarius enim diabolus sicut leo rugiens quærit quem occidat, quem deuoret. Non inueniat auri cupiditatem, non argẽti aceruos, non vitiorum simulachra, ne auferat tibi vocem libertatis. Vox enim libertatis illa est, vt dicas: Veniet huius mundi princeps, & in me inueniet nihil. Hæc Ambrosius. O quàm securè hinc emigrabunt, qui bono suæ testimonio conscientiæ perfruentur, quòd restiterint fortes in fide & blandienti & sæuienti inimico. *Scientes eandem passionem ei quæ in mundo est, uestræ fraternitati fieri.* Quæ verba sic interpretatur Beda venerabilis: Tanto fortiores estote in fide, tanto maiorem habetote fiduciã ad superãdas diaboli versutias, quanto constat, quia non vos soli tentamini: sed ipsa passio quæ vos fatigat, ei quoque quæ per totum mundum est Ecclesiæ Christi, vestræ videlicet fraternitati, communis est: & quod à constitutione mundi semper passi sunt iusti, pudeat vos solos præ omnibus sustinere non posse. Huic Bedæ expositioni concordat Oecumenius, cuius hæc verba sunt: Hi ad quos Petrus scribit, vt videtur, multis ob Christum calamitatibus affligebantur: ideircò etiam subinde hinc & inde consolari eos conatur: dũ modò sicut socij sunt Domini passionum, ita gloriæ quoque, quæ reuelabitur, futuros hæredes ait: modò non solos eos pati, sed omnes qui in mundo sunt fideles, ijsdem afflictationibus affici asserit: quippe cùm sociarum manuum admonitio, in subleuando pondere multùm conferre consueuerit. Hæc Oecumenius. Necessaria est igitur omni Christiano patiẽtia propter perpetuas diaboli infestationes, qui quod per seipsum non potest, sæpe per suos administros & satellites, homines impios efficere conatur: quos necesse est vt pij æquo animo ferant, donec adueniente Christo triticum colligatur in horrea patriæ cælestis, & paleæ igni comburantur inestinguibili. Abel esse renuit, inquit D. Gregorius, quem Cain malitia non exercet. Sic ab ipso mundi exordio semper mali homines persecuti sunt bonos: ciues Babylonij ciues Hierosolymæ cælestis: quando etiam ipse Cain primus homicida innocentem fratrem liuore stimulatus occidit, de quo D. Cyprianus in Sermone de Bono Patientiæ scribit in hæc verba: Sic Abel originem martyrij & passionem iusti hominis initiãs primus & dedicãs, aduersùs fratrẽ fratricidã non resistit, nec reluctatur, sed humilis & mitis patienter occiditur. *Deus autem omnis gratiæ, qui uocauit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit solidabitq;.* His verbis mirificè erigit afflictos oẽs. Id verò genus cõsolationibus plena est omnis scriptura diuina, vt in rebus duris & asperis discamus de Deo benè semper sperare, nec ambigere, quin sicut per gratiam suam dignatus est nos vocare in Christo Iesu, qui dilexit nos & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, in æternam suam gloriã, ita etiam modicum passos (non sunt enim condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, & propterea modicæ vocantur comparatione beatitudinis æternæ) per suam gratiam perficiet quod in nobis imperfectum est, confirmabit ac fulcietnos, ne à gratia excidamus, solidabitq; vt stabiles in ipso permaneamus. Et obseruandum quòd dicit, Modicum passos, conuenienter illi Paulinæ sententiæ: Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ &c. Sancti enim dum fidelibus oculis contemplãtur tam immania propter ipsos in hac vita perpessum filium Dei, agnum sine macula, tamq; pro temporarijs huius vitæ afflictionibus immensam nobis paratam in cælis beatitudinem, pro nihilo ducunt labores & cruces suas omnes: immò cum Apostolo gloriãtur in tribulationibus: aspicientes in authorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contẽpta. Quid non faciunt plerique mortales, quæ non pericula intrepidi adeunt causa cuiusdam lucelli aut compendij temporarij? Quid igitur nos pro Deo, pro vita æterna, pro iustitia recusare debemus? Addit ad extremum Apostolus, quod nos semper & vbique & spectare & dicere conuenit: *Ipsi gloria & imperium in secula seculorũ, Amen.* Ita etiam Paulus Apostolus scribens Timotheo suo, ait: Regi autem seculorum immortali, inuisibili, soli Deo honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Amentia eorum, qui diabolo ob sequuntur

Mar. 9.

Iac. 4.

Apoc. 1.

Rom. 8.

2. Cor. 4.

Rom. 5.

Heb. 12.

1. Tim. 1.

DOMINICA IIII. POST PENTECOSTEN.
Luc. XV.

In illo tempore: Accesserunt ad Iesum publicani & peccatores, ut audirent illum. Et murmurabant pharisæi & scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit. Et reliqua. Homilia beati Gregorij papæ.

ÆStiuum tempus, quod corpori meo valdè contrariũ est, loqui me de expositione euãgelij longa mora interueniente prohibuit. Sed nũquid quia lingua tacuit, ardere charitas cessauit? Hoc etenim dico, quod apud se vestrũ vnusquisq; recognoscit. Pierũq; charitas quibusdã occupationibus præfulta, & intùs flagrat in corde, & tamẽ non mõstratur in opere: quia & sol quum nube tegitur, non videtur in terra, & tamen ardet in cælo. Sic esse occupata charitas solet: & intùs sui vim ardoris exercet, & foris flãmas operis nõ ostendit. Sed quia nunc ad loquendum tempus redijt, vestra me studia accendunt, vt mihi tanto ampliùs loqui libeat, quanto hoc vestræ mentes desiderabiliùs expectant. Audistis nanq; in lectione euãgelica, fratres mei, quia peccatores & publicani accesserunt ad redemptorem nostrum, & non solùm ad colloquendum, sed etiam ad conuescendum recepti sunt. Quod videntes Pharisæi, dedignati sunt. Ex qua re colligite, quia vera iustitia compassionem habet, falsa iustitia dedignationem: quanuis & iusti soleant rectè peccatoribus indignari. Sed aliud est quod agitur typho superbiæ, aliud quod zelo disciplinæ. Dedignantur etenim, sed non dedignantes, desperant, sed non desperantes: persecutionem commouent, sed amantes: quia & si foris increpationes per disciplinam exaggerant, intùs tamen dulcedinem per charitatem seruant. Præponunt sibi in animo ipsos plerunq; quos corrigunt, meliores æstimant eos quoq; quos iudicant. Quod videlicet agentes, per disciplinam subditos, & per humilitatem custodiunt semetipsos. At contrà hi qui, de falsa iustitia superbire solent, cæteros quosq; despiciunt, nulla infirmantibus misericordia condescendunt, & quo se peccatores esse non credunt, eo deteriùs peccatores fiunt. De quorum profectò numero pharisæi extiterunt, qui dijudicantes Dominũ, quòd peccatores susciperet, arenti corde ipsum fontem misericordiæ reprehendebant. Sed quia ægri erant, ita vt se ægros esse nescirent, quatenùs quod erant agnoscerent, cælestis eos medicus blandis fomentis curat, benignum paradigma objicit, & in eorum corde vulneris tumorem premit. Ait nanq;: *Quis ex uobis homo qui habet centum oues, & si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, & uadit ad illam quæ perierat?* Ecce mira dispensatione pietatis, similitudinem veritas dedit, quã & in se homo ipse recognosceret, & tamen hæc specialiter ad ipsum authorem hominum pertineret. Quia enim centenarius perfectus est numerus, ipse centum oues habuit, cũ angelorũ substantiam & hominum creauit. Sed vna ouis tunc perijt, quando peccando homo pascua vitæ dereliquit. Dimisit autem nonagintanouem oues in deserto, quia illos summos angelorum choros reliquit in cælo. Cur autem cælum desertum vocatur, nisi quòd desertum dicitur derelictum? Tunc autem cælum homo deseruit, cùm peccauit. In deserto aũt nonagintanouem oues remanserunt, quando in terra Dominus vnam ouem quærebat: quia rationalis creaturæ numerus, angelorum videlicet & hominũ, qui ad videndum Deum conditus fuerat, pereunte homine erat imminutus, & vt perfecta summa ouium integraretur in cælo, homo perditus quærebatur in terra. Nam quod hic Euangelista dicit, In deserto, alius dicit, In montibus, vt significet in excelsis: quia nimirum oues quæ non perierant in sublimibus stabant. *Et cùm inuenerit ouem, impo-*

Vera iustitia compassionẽ, falsa dedignationem habet.

Centum oues.

Cælũ desertum dicatur.

Matth. 18

Universidad de Deusto
Biblioteca

mit in humeros suos gaudens. Quem suis humeris imposuit, quia humanam naturam suscipiens, peccata nostra in se portauit. *Et veniens domum, cõuocat amicos suos & vicinos, dicens eis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat.* Inuenta oue, ad domum redit, quia pastor noster reparato homine, ad regnum cæleste redijt. Ibi amicos & vicinos inuenit, illos videlicet angelorum choros, qui amici eius sunt, quia voluntatem eius continuè in sua stabilitate custodiunt. Vicini quoque eius sunt, quia claritate visionis illius sua assiduitate perfruuntur. Et notandum quòd nó dicit: Congratulamini inuentæ oui, sed mihi: quia videlicet eius est gaudium vita nostra, & cũ nos ad cælum reducimur, solennitatem lætitiæ eius implemus. *Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.* Considerandum nobis est, fratres mei, cur Dominus plus de conuersis peccatoribus, quàm de stantibus iustis in cælo gaudium esse fateatur. Vnde hoc? nisi quòd ipsi per quotidianum visionis experimentum nouimus, quia plerunque hi, qui nullis se oppressos peccatorum mollibus sciunt, stant quidem in via iustitiæ, nulla illicita perpetrant, sed tamen ad cælestem patriã anxiè non anhelant, tantoq; sibi in rebus licitis vium præbent, quanto se perpetrasse illicita nulla meminerunt: & plerunq; pigri remanent ad exercenda bona præcipua, quia valdè sibi securi sunt, & nulla commiserunt mala graviora. At cõtrà, nónunquàm hi, qui se aliqua illicita egisse meminerunt, ex ipso suo dolore compuncti, inardescunt in amorem Dei, seseq; in magnis virtutibus exercent: cuncta difficilia sancti certaminis appetunt, omnia mundi derelinquũt, honores fugiunt, acceptis cõtumelijs lætantur, flagrãt desiderio, ad cælestem patriam anhelant, & quia se errasse à Deo considerant, damna præcedentia lucris sequentibus recompensant. Maius ergo de peccatore converso, quàm de stante iusto gaudium fit in cælo: quia & dux in prælio plùs cum militem diligit, qui post fugam reuersus, hostem fortiter premit, quàm illum, qui nunquã terga præbuit, & nunquã aliquid fortiter gessit. Sic agricola illam ampliùs terrã amat, quæ post spinas huberes fruges profert, quàm eam, quæ nunquã habuit spinas, & nunquã fertilẽ messem produxit. Sed inter hæc sciendum est, quia sunt pleriq; iusti, in quorum vita tantum est gaudiũ, vt eis quæhibet peccatorum pœnitentia præponi nullatenùs possit. Nam multi & nullorum sibi malorum sunt conscij, & tamen in tanti ardoris afflictione se exercent, ac si à peccatis omnibus coangustentur. Cuncta etiam licita respuunt, ad despectum mundi sublimiter accinguntur, licere sibi nolunt omne quod libet, bona sibi amputant etiam concessa, contemnunt visibilia, inuisibilibus accenduntur, lamentis gaudent, in cunctis semetipsos humiliant, & sicut nonnulli peccatorum operum, sic ipsi peccata cogitationum deplorant. Quid itaq; istos, nisi & iustos dixerim, & pœnitentes, qui se & in pœnitentia de peccato cogitationis humiliant, & recti semper in opere perseuerant? Hinc ergo colligendum est, quantum Deo gaudium faciat, quando humiliter plangit iustus, si facit in cælo gaudium, quãdo hoc quod malè gessit, per pœnitentiam damnat iniustus. Sequitur: *Aut quæ mulier habens drachmas decem, & si perdiderit drachmam unam, nónne accendit lucernam, & euertit domum, & quærit diligenter donec inueniat?* &c. Qui signatur per pastorem, ipse & per mulierem. Ipse etenim Deus, ipse & Dei sapientia. Et quia imago exprimitur in drachma, mulier drachmam perdidit, quando scilicet homo, qui conditus ad imaginem Dei fuerat, peccãdo quasi à similitudine sui conditoris recessit. Sed accendit mulier lucernam, quia Dei sapientia apparuit in humanitate. Lucerna quippe lumen in testa est: lumen verò in testa, est diuinitas in carne. De qua videlicet testa sui corporis dicit ipsa sapientia: Exaruit velut testa virtus mea. Quia enim testa in igne solidatur, eius virtus sicut testa exaruit, quia assumptam carnem ad resurrectionis gloriam ex passionis tribulatiõe roborauit. Accensa aũt lucerna euertit domum, quia mox vt eius diuinitas per carnẽ claruit, omnis se nostra conscientia concussit. Domus nanq; euertitur, quũ consideratione sui reatus humana conscientia perturbatur. Qui euersionis sermo nõ discrepat ab eo, quod in alijs codicibus legitur, Emundat: quia nimirum praua mens si non priùs per timorem euertitur, ab affluetis vitijs non emundatur. Euersa ergo domo inuenitur drachma, quia cùm perturbatur conscientia hominis, reparatur in homine similitudo conditoris. *Et cùm inuenerit, conuocat amicas & vicinas suas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdideram.* Quæ amicæ vel vicinæ, nisi illæ potestates cælestes sunt tam superiùs dictæ, quæ tanto superna sapientiæ iuxtà sunt, quanto ei per gratiam continuę visionis appropinquant? Sed inter hæc nequaquã relinquere debemus, cur ista mulier, per quam Dei sapiẽtia figuratur, decẽ drachmas habuisse perhibetur, ex quibus vnã perdidit, quã cũ quæreret inuenit. Angelorũ quippe & hominũ naturã ad cognoscendũ se Dominus cõdidit, quã dum cõsistere ad æternitatẽ voluit, eam proculdubiò ad suã similitudinẽ creauit. Decẽ verò drachmas habuit mulier, quia nouẽ sunt ordines angelorũ: sed vt compleretur electorum numerus, homo decimus est creatus, qui à conditore suo nec post culpã perijt, quia hunc æterna sapientia per carnem miraculis coruscans, ex lumine testare reparauit. Nouẽ verò ordines angelorũ diximus, quia videlicet esse, testãte sacrã eloquio, scimus angelos, archãgelos, virtutes, potestates, principatus, dominatiões, thronos, Cherubim, & Seraphim. Esse nanq; angelos & archãgelos, penè oẽs sacri eloquij paginæ testantur.

Amici & vicini, chori angelorum.

Feruor quorundã perfectè pœnitentium.

Iusti pœnitentes.

Cherubim verò atq; Seraphim sæpè, vt notũ est, libri prophetarũ loquuntur. Quatuor quoq; ordinũ nomina Paulus apostolus ad Ephesios enumerat, dicens: Supra oẽm principatũ, & potestatẽ, & virtutẽ, & dominationẽ. Qui rursus ad Colossenses scribens, ait: Siue thronos, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. Dominationes verò, principatus ac potestates iam ad Ephesios loquẽs descripserat. Sed ea quoq; Colossensibus dicturus, præmisit thronos, de quib. nec dum quicquã fuerat Ephesijs locutus. Cùm ergo illis quatuor, quæ ad Ephesios dixit, id est, principatibus, potestatibus, virtutibus atq; dominationibus coniunguntur throni, quinq; sunt ordines, qui specialiter exprimuntur. Quibus dum angeli & archangeli, Cherubim atq; Seraphim adiunẽta sunt, proculbiò nouem esse angelorum ordines inueniuntur. Vnde & ipsi angelo, qui primus est conditus, per prophetam dicitur: Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in delicijs paradisi Dei fuisti. Vbi notandum, quòd non ad similitudinẽ Dei factus, sed signaculum similitudinis dicitur: vt quo in eo subtilior est natura, eo imago Dei in illo similiùs insinuetur expressa. Quo in loco mox subditur: Omnis lapis preciosus operimentum tuum, sardius, topazius, iaspis, chrysolithus, onyx & beryllus, sapphirus, carbunculus, & smaragdus. Ecce nouem dixit nomina lapidum, quia profectò nouem sunt ordines angelorum. Quibus nimirum ordinibus ille primus angelus ideò ornatus & apertus exstitit, quia dum cunctis agminibus angelorum prælatus est, ex eorum comparatione clarior fuit. Sed cur istos perstitentium angelorum choros enumerando perstrinximus, si non eorum quoque ministeria subtiliter exprimamus? Græca etenim lingua angeli nuncij, archangeli verò summi nuncij vocãtur. Sciendum verò, quod angelorum vocabulũ nomẽ est officij, non naturæ. Nam sancti illi cælestis patriæ spũs semper quidẽ sunt spũs, sed semper vocari angeli nequaquam possunt: quia tunc solùm sunt angeli, cũ per eos aliqua nunciantur. Vnde & per Psalmistã dicitur: Qui facit angelos suos spũs. Ac si patẽter dicat: Qui eos, quos semper habet spũs, etiã cùm voluerit angelos facit. Hi autẽ qui minima nunciant, angeli: qui verò summa nunciant, archangeli vocantur. Hinc est enim, quòd ad Mariã virginẽ non quilibet angelus, sed Gabriel archangelus mittitur. Ad hoc quippe ministeriũ, summũ angelũ venire dignũ fuerat, qui summum omniũ nunciabat. Qui idcircò etiã priuatis nominib. censentur, vt signetur per vocabula, etiã in operatione quid valeant. Neq; enim in illa sancta ciuitate, quã de visione omnipotentis Dei plena scientia perficit, idcirco propria nomina sortiuntur, ne eorum personæ sine eo nominib. sciri non possint: sed cùm ad nos aliquid ministraturi veniunt, apud nos etiã nomina à ministerijs trahũt. Michaël nãq;, Quis vt Deus, Gabriel aũt, Fortitudo Dei, Raphaël verò, dicitur Medicina Dei. Et quoties miræ virtutis aliquid agitur, Michaël mitti perhibetur, vt ex ipso actu & nomine detur intelligi, quia nullus potest facere, quod facere prævalet Deus. Vnde & ille antiquus hostis, qui esse Deo per superbiã similis concupiuit, dicẽs: In cælum conscendam, super astra cæli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis: ascendam super altitudinẽ nubium, similis ero altissimo: dum in fine mũdi in sua virtute relinquetur extremo supplicio perimẽdus, cũ Michaële archangelo præliaturus esse perhibetur, sicut per Ioannem dicitur: Factum est prælium cum Michaële archangelo: vt qui se ad Dei similitudinẽ superbus extulerat, per Michaëlem peremptus discat, quia ad Dei similitudinem per superbiã nullus exurgat. Ad Mariam quoq; Gabriel mittitur, qui Dei fortitudo nominatur. Illum quippe nunciare veniebat, qui ad debellandas aëreas potestates humilis apparere dignatus est, de quo per Psalmistam dicitur: Tollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potẽs in prælio. Et rursùm: Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ. Per Dei ergo fortitudinẽ nunciandus erat, qui virtutũ Dominus, & potens in prælio, ad debellandas potestas aëreas veniebat. Raphael quoq; interpretatur (vt diximus) medicina Dei, quia scilicet dum Tobiæ oculos quasi per officium curationis tetigit, cæcitatis illius terlit tenebras. Qui ergo ad curandum mittitur, dignum videlicet fuit, vt Dei medicina vocaretur. Sed quia angelorũ nomina interpretando perstrinximus, nunc superest, vt ipsa officiorũ vocabula breuiter exequamur. Virtutes etenim vocãtur illi nimirum spũs, per quos signa & miracula frequẽtiùs fiunt. Potestates etiam vocantur hi, qui hoc potẽtiùs cæteris in suo ordine perceperunt, vt eorum ditioni virtutes aduersæ subiectæ sint, quorum potestate refrenantur, ne corda hominũ tantũ tentare valeant, quãtum volũt. Principatus etiam vocãtur, qui iis quoq; bonis angelorũ spiritibus præsunt, qui subiectis alijs dum quęq; sunt agenda disponũt, eis ad expleda diuina ministeria principãtur. Dominationes aũt vocãtur, qui etiã potestates principari, est inter reliquos priorẽ existere: dominari vero, est etiã subiectos possidere. Ea ergo ampro eo quòd eis cætera ad obediẽdum subiecta sunt, dominationes vocantur. Throni quoq; illa agmina sunt vocata, quibus ad exercenda iudicia semper Deus omnipotẽs præsidet. Quia enim thronos latino eloquio sedes dicimus, throni Dei dicti sunt hi, qui tanta diuinitatis gratia replẽtur, vt in eis Dominus sedeat, & per eos sua iudicia decernat. Vnde & per psalmistã dicitur: Sedes super thronum, qui iudicas æquitatẽ. Cheru-

Ephes. 1.

Colos. 1.

Eze. 28.

Psal. 103.

Angeli. Archangeli.

Michaël.

Esai. 14.

Apo. 12.

Gabriel.

Psal. 23.

Raphael

Tob. 11.

Virtutes.

Potestates

Principatus.

Dominationes.

Throni.

Psal. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cherubim. bim quoq; plenitudo scientiæ dicitur: & sublimiora illa agmina idcirco Cherubim vocata sunt, quia tanto perfectiori scientia plena sunt, quãto claritatem Dei viciniùs contemplantur, vt secundùm creaturæ modum eo plenè omnia sciant, quo visioni creatoris sui per meritum dignitatis appropinquant. Seraphim etiam vocantur illa sanctorum spirituũ agmina, quæ ex singulari propinquitate conditoris sui incomparabili ardent amore. Seraphim nanq; ardentes vel incendẽtes vocantur. Quæ quia ita Deo coniuncta sunt, vt inter hæc & Deũ nulli spũs alij intersint, tãto magis ardent, quanto hunc viciniùs vident. Quorum profectò flamma amor est: quia quo subtiliùs claritatem diuinitatis eius aspiciunt, eo validiùs in eius amore flammescunt. Sed quid prodest nos de angelicis spiritibus ista perstringere, si non studeamus hæc etiam ad nostros profectus congrua consideratione deriuare? Quia enim superna ciuitas illa ex angelis & hominib. constat, ad quam tãtum credimus humanum genus ascendere, quantos illic contigit electos angelos remansisse, sicut scriptum est: Statuit terminos gentium secũdùm numerum angelorũ Dei: debemus & nos aliquid ex illis distinctionibus supernorum ciuium ad vsum nostræ conuersationis trahere, nosq; ipsos ad incrementa virtutũ bonis studijs inflammare. Quia enim tanta illuc ascensura creditur multitudo hominũ, quanta multitudo remansit angelorum, superest, vt ipsi quoq; homines, qui ad cælestem patriam redeunt, ex eis agminibus aliquid illuc reuertentes imitentur. Distinctæ nanq; conuersationes hominum, singulorum agminum ordinibus cõgruũt, & in eorum sortem per conuersationis similitudinem deputantur. Nam sunt pleriq; qui parua capiunt, sed tamen hæc eadem parua pie annunciare fratribus non desistunt. Isti itaq; in angelorum numerum currunt. Et sunt nonnulli, qui diuinæ largitatis munere refecti, secretorum cælestium summa & capere præualent, & nunciare.

Deu. 32.

Seraphim.

Qui homines inter Angelos collocãdi.

Qui inter Archangelos.

Quò igitur isti, nisi inter archangelorum numerum deputantur? Et sunt alij, qui mira faciunt, signa valenter operantur. Quò igitur isti, nisi ad supernarum virtutum sortem & numerum conscendunt? Et sunt nonnulli, qui etiam de obsessis corporibus malignos spiritus fugant, eosq; virtute orationis & vi acceptæ potestatis eijciũt. Quò itaq; isti meritum suum, nisi inter potestatum cælestium numerum sortiuntur? Et sunt nõnulli, qui acceptis virtutibus, electorum etiã hominum merita transcendunt, cumq; & bonis meliores sunt, electis quoq; fratribus principãtur. Quò ergo isti sortem suam, nisi inter principatuum numeros accipiunt? Et sunt nonnulli, qui sic in semetipsis cunctis vitijs omnibusq; desiderijs dominantur, vt ipso iure munditiæ, dij inter homines vocentur. Vnde & ad Moysen dicitur: Ecce constitui te deum Pharaonis. Quò ergo isti, nisi inter numeros dominationum currunt? Et sunt nonnulli, qui dum sibimetipsis vigilanti cura dominãtur, dumq; se solicita intentione discutiunt, diuino timori semper inhærẽtes, hoc in munere virtutis accipiunt, vt iudicare rectè & alios possint. Quorum profectò mentibus dum diuina contemplatio præstò est, in his velut in throno suo Dominus præsidens, aliorum facta examinat, & cuncta mirabiliter de sua sede dispensat. Quid ergo isti, nisi throni sui conditoris sunt? Vel quò nisi ad supernarum sedium numeros asscribuntur? Per quos dum sancta Ecclesia regitur, plerunq; de infirmis quibusdã actibus suis etiam electi iudicantur. Et sunt nonnulli, qui tanta Dei & proximi dilectione pleni sunt, vt Cherubim iurè nominentur. Quia enim, vt præfati sumus, Cherubim plenitudo scientiæ dicitur: & Paulo dicente didicimus, quia plenitudo legis est dilectio: omnes qui Dei & proximi charitate cæteris ampliùs pleni sunt, meritorũ suorum sortem inter Cherubim numeros percepe-runt. Et sunt nonnulli, qui supernæ contemplationis facibus accensi, in solo conditoris sui desiderio anhelant, nil iam in hoc mundo cupiunt, sed solo æternitatis amore pascuntur, terrena quæq; abijciunt, cuncta temporalia mẽte transcendunt, amant & ardent, atq; in ipso suo ardore requiescunt: amando ardent, loquendo & alios accendunt, & quos verbo tangunt, ardere protinùs in Dei amore faciunt. Quid ergo istos nisi Seraphim dixerim, quorum cor in igne conuersum lucet & vrit: quia & mentium oculos ad superna illuminant, & compugendo in fletibus, vitiorum rubiginẽ purgant? Qui ergo ita ad amorem sui conditoris inflammati sunt, quò nisi inter Seraphim numerum sortem suæ vocationis acceperũt? Sed hæc, fratres charissimi, me loquente introrsùs vos ad vosmetipsos reducite, secretorum vestrorũ merita cogitationesq; discutite, videte si quid boni iã vobiscũ intùs agitis, videte si in numero horũ agminũ, quæ breuiter tangendo perstrinximus, sortem vestræ vocationis inuenitis. Væ aũt animæ, quæ in se de his bonis quæ enumerauimus, minimè aliquid recognoscit: eique adhuc væ deterius imminet, si & se priuatam donis intelligit, & nequaquàm gemit. Quisquis ergo talis est, fratres mei, gemendus est valdè, quia non gemit. Pensemus ergo accepta electorũ munera, & virtute qua possumus, ad amorem tantæ sortis anhelemus. Qui in se donorum gratiã minimè recognoscit, gemat: quiverò in se minora cognoscit, alijs maiora non inuideat: quia & supernæ istæ distinctiones beatorũ spirituum ita sunt conditæ, vt aliæ alijs sint prælatæ. Fertur verò Dionysius Areopagita, antiquus videlicet & venerabilis pater, dicere, quòd ex minorum angelorum agminibus foras ad explendum ministerium vel visibiliter v[illegible]biliter emittuntur, scilicet quia ad humana solatia aut

Qui inter Potestates

Qui inter Principatus.

Qui inter Dominationes.

Exo. 7.

Qui inter Seraphin.

Dionysius Areopagita.

Videre cælestia.

Hierarchiæ cælestis cap. 13

Esai. 6.

Dan. 7.

Psal. 79.

Zach. 2.

Angeli alij ab alijs mittuntur

angeli, aut archangeli veniunt. Nam superiora illa agmina ab intimis nunquam recedunt, quoniam ea quæ præeminent, vsum exterioris ministerij nequaquam habent. Cui rei illud videtur contrarium, quod Esaias dicit: Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum. Sed in hac prophetiæ sententia vult intelligi, quia hi spiritus qui mittuntur, eorum vocabulum perci piunt, quorum officium gerunt. Quia enim vt peccata locutionis incẽdat, de altari angelus carbonẽ portat, Seraphim vocatur, quod incendiũ dicitur. Huic autem sensui & illud creditur non inconuenienter opitulari, quod per Danielem dicitur: Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. Aliud nanq; est ministrare, aliud assistere: quia ij administrant Deo, qui ad nos nunciando exeunt: assistunt verò, qui sic contemplatione intima perfruuntur, vt ad expleda foras opera minimè mittantur. Sed quia in quibusdam scripturæ locis quædam per Cherubim, quædam verò per Seraphim agi didicimus: vtrùm per se hæc faciant, an per subiecta agmina agantur, quæ, sicut dicitur, in eo quòd à maioribus veniunt, maiorum vocabula sortiuntur, nos affirmare nolumus, quod apertis testimonijs non approbamus. Hoc tamen certissimè scimus, quia ad explendum de supernis ministerium alij spiritus alios mittunt, Zacharia scilicet propheta testante, qui ait: Ecce angelus qui loquebatur in me, egrediebatur, & alius angelus egrediebatur in occursum eius, & dixit ad eum: Curre, & loquere ad puerum istum, dicens: Absque muro habitabitur Hierusalem. Dum enim angelis ad angelum dicit, Curre & loquere, dubium non est, quia alius alium mittit. Minora verò sunt quæ mittuntur, maiora quæ mittunt. Sed hoc quoq; de ipsis agminibus quæ mittuntur, certum tenemus, quia & cũ ad nos veniunt, sic exterius explent ministeriũ, vt tamen nunquã desint interiùs per contẽplationem. Et mittuntur igitur & assistunt, quia etsi circũscriptus est angelicus spiritus, summus tamen spiritus ipse qui Deus est, circunscriptus non est. Angeli itaq; & missi ante ipsum sunt, quia quolibet missi veniãt, intra ipsum currunt. Sciendũ quoq; est, quia plerunq; ipsi beatorũ spirituũ ordines, vicinorũ sibi ordinum vocabula sortiũtur. Thronos enim, scilicet sedes Dei, beatorũ spirituũ ordinẽ specialẽ diximus, & tamẽ per Psalmistã dicitur: Qui sedes super Cherubim, appare. quia videlicet dũ in ipsis distinctionib⁹ agminũ Cherubim Thronis iunguntur, sedere etiã super Cherubim Dominus ex vicini agminis æqualitate perhibetur. Sic quippe in illa summa ciuitate specialia quædã sin[illegible]orũ sunt, vt tamẽ sint cõmunia omniũ, & q[illegible] in se quisq; ex parte habet, hoc in alio ordine totũ possideat. Sed idcircò vno eodẽq; vocabulo cõmuniter nõ cẽsentur, vt ille ordo vocari priuato vniuscuiusq; rei nomine debeat, qui hãc in munere pleniùs accepit. Seraphim nanq; incendiũ diximus, & tamẽ amore conditoris simul oẽs ardẽt. Cherubim verò plenitudinẽ scientiæ diximus: & tamẽ quis ibi aliquid nesciat, vbi ipsum simul oẽs fontẽ scientiæ Deũ vidẽt? Throni quoq; illa agmina, quibus conditor præsidet vocantur: sed beatus esse quis potest, nisi creator suus eius menti præsideat? Quæ ergo ex parte ab omnibus habentur, eis in priuato nomine data sunt, qui hæc in munere pleniùs acceperũt. Nã & si qua illic sic alij habẽt, vt haberi ab alijs nequaquã possint, sicut speciali nomine dominationes & principatus vocãtur, cũcta ibi singulorũ sunt, quia per charitatẽ spũs ab alio in alijs habentur. Sed ecce dũ cælestium ciuiũ secreta rimamur, ab expositionis nostræ ordine longè digressi sum⁹. Suspiremus ergo ad eos de quib. loquimur, sed redeamus ad nos. Meminisse etenim debemus, quia caro sumus. Taceamus interim de secretis cæli, sed ante cõditoris oculos manu pœnitẽtiæ tergamus maculas pulueris nostri. Ecce ipsa diuina misericordia pollicetur, dicẽs: Gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiã agente, & tamen per prophetã Dominus dicit: Quia quacunq; die iustus peccauerit, oẽs iustitiæ eius erũt in obliuione corã me. Pensemus si possum⁹ dispensationẽ supernæ pietatis. Stantibus si ceciderint minatur pœnã, lapsis verò vt resurgere appetant, ꝓmittit misericordiã. Illos terret ne præsumant in bonis, istos refouet ne desperẽt in malis. Iustus es, iram pertimesce, ne corruas: peccator es, præsume de misericordia, vt resurgas. Ecce aũt iam lapsi sumus, stare nequaquã valuim⁹, in prauis nostris desiderijs iacemus. Sed qui nos rectos condidit, adhuc expectat & prouocat, vt sos reuo resurgamus. Sinum suæ pietatis aperit, nos quo-que ad se recipere per pœnitentiam quærit. Sed pœnitentiam agere dignè nõ possumus, nisi modum quoq; eiusdẽ pœnitẽtiæ cognoscamus. Pœnitentiam quippe agere, est & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam qui sic alia deplorat, vt tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat. Quid enim prodest, si peccata quis luxuriæ defleat, & tamẽ adhuc auaritiæ æstibus anhelat? Aut quid ꝓdest, si auaritiæ culpas iam lugeat, & tamẽ inuidiæ facibus tabescat? Sed min⁹ est valdè qđ dicimus, vt qui peccata deplorat, ploranda minimè committat: & qui plangit vitia, perpetrare vitia timeat. Nã cogitandũ summoperè est, ve qui se illicita meminit cõmisisse, à quibusdã etiã licitis studeat abstinere, quatenùs per hoc conditori suo satisfaciat: vt qui cõmisit prohibita, sibimetipsi abscindere debeat etiam concessa, & se reprehendat in minimis, qui se meminit in maximis deliquisse. Minima sunt quæ loquor: si hæc ex sacri eloquij testimonijs non affirmo. Lex cerꝰ tè veteris testamenti alienam vxorem concupisci prohibuit, à rege verò fortia iuberi militibus, vel desiderari aquam non pœnaliter vetat. Et

Angeli alij ab alijs mittuntur

Esai. 6.

Hierarchiæ cælestis cap. 13

Dan. 7.

Psal. 79.

Zach. 2.

Luc. 15.

Ezec. 33.

Vera pœnitentia.

Exo. 20.

cun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

2.Reg.11. cuncti nouimus, quòd Dauid mucrone concupiscentiæ transfixus, alienam coniugem & appetiuit & abstulit. Cuius culpã digna verbera sunt secuta, & malũ qd perpetrauit, per pœnitentiæ lamenta correxit. Qui cùm lõgè pòst cõtrà hostiũ cuneos sederet, aquam bibere de Bethleemitica cisterna ex desiderio voluit. Cuius electi milites inter cateruas aduersantium medias errumpentes, aquam quam rex desiderauerat, detulerunt illæsi. Sed vir flagellis eruditus, semetipsum protinùs cum periculo militum aquam desiderasse reprehendit, eamq; Domino fundens libauit, sicut illic scriptum est: Libauit eam Domino. In sacrificium quippe Domini effusa aqua conuersa est, quia culpam concupiscentiæ mactauit per pœnitentiam reprehensionis suæ. Qui ergo quondam concupiscere alienam coniugem nequaquam timuit, pòst etiam quia aquam concupisset expauit. Quia enim se illicita perpetrasse meminerat, contra semetipsum iam rigidus, etiã à licitis abstinebat. Sic fic agamus pœnitentiam, vt ea quæ commisimus, perfectè defleamus. Pensemus super nos diuitias conditoris nostri. Peccare nos vidit & pertulit. Qui nos ante culpam peccare prohibuit, etiam post culpam expectare ad veniam non desistit. Ecce ipse nos quem despeximus, vocat: auersi ab illo sumus, & tamen non auertitur. Vnde bene per Esaiam dicitur: Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient vocem post tergum monẽtis. Quasi in faciem suam homo monitus est, quando ad iustitiam conditus, præcepta rectitudinis accepit. Sed cùm hæc eadem præcepta contempsit, quasi conditori suo dorsum mentis in faciem dedit. Sed ecce adhuc post tergum sequitur & monet: quia iam & à nobis contemptus est, & tamen nos adhuc vocare non cessat. Quasi dorsum ei in faciem dedimus, cuius verba despicimus, cuius præcepta calcamus. Sed stans post tergum nos auersos reuocat, quia & videt quod despicitur, & tamen per præcepta clamat, per patiẽtiam expectat. Pensate ergo, fratres charissimi, si cuilibet vestrum loquenti famulus suus superbiret, terga in faciem mitteret, nunquid non contemptus dominus eius superbiam feriret, vulnera districtæ animaduersionis infligeret? Ecce nos peccando authori nostro terga in faciem dedimus, & tamen sustinemur. Superbè auersos benignè reuocat, & qui ferire nos auersantes potuit, vt reuertamur munera promittit. Tanta ergo conditoris nostri misericordia duritiam nostri reatus emolliat, vt homo qui malum quod fecit, experiri percussus poterat, saltem expectatus erubescat. Rem fratres breuiter refero, quam viro venerabili Maximiano, tunc patre monasterij mei atque presbytero, nunc autem Syracusano episcopo, narrante cognoui. Hanc itaque si solerter auditis, charitati vestræ nõ breuiter sufragari credo. Nostris modò temporibus Victorinus quidam extitit, qui alio quoque nomine Aemilianus appellatus est, non inopis substantiæ iuxta mediocritatem vitæ. Sed quia plerunque regnat in rerum opulentia carnis culpa, in quodam facinore lapsus est, quod debuisset valdè pertimescere, ac de suæ mortis immanitate cogitare. Reatus ergo sui consideratione compunctus, erexit se contra se, mundi huius omnia dereliquit, monasterium petijt. In quo nimirùm monasterio tantæ humilitatis tantæque districtionis extitit, vt cuncti fratres qui illic ad amorem diuinitatis excreuerant, suam cogerentur vitam despicere, dum illius pœnitentiam viderent. Studuit nanque toto mentis annisu cruciare carnem, voluntates proprias frangere, furtiuas orationes quærere, quotidianis se lachrymis lauare, despectum sui appetere, oblatam à fratribus venerationem timere. Hic itaque nocturnas fratrum vigilias præuenire consueuerat. Et quia mons in quo monasterium situm est, ex vno latere in secretiori parte prominebat, illuc consuetudinem fecerat ante vigilias egredi, vt se quotidiè in fletu pœnitentiæ quanto secretiùs, tãto liberiùs mactaret. Contẽplabatur nanq; districtionem venturi iudicis sui, ac iam eidẽ iudici concordans, puniebat in lachrymis reatũ facinoris sui. Quadam verò nocte abbas monasterij vigilans, hunc latenter egredientem intuitus, lento foras pede secutus est. Quem cùm in secreto montis latere cerneret in oratione prostratũ, expectare voluit quando surgeret, vt ipsam quoque longanimitatẽ orationis eius exploraret: cũ subitò lux cælitùs emissa, super eum fusa est, qui in oratione prostratus iacebat, tantaq; se in illo loco claritas sparsit, vt tota pars regionis illi ex eadem luce candesceret. Quam abbas vt vidit, intremuit & fugit. Cumq; post longũ horæ spatium idem frater ad monasteriũ redisset, abbas eius vt disceret an super se effusionem tãti luminis agnouisset, requirere eum studuit, dicẽs: Vbi fuisti frater? At ille latere se posse credens, in monasterio se fuisse respondit. Quo negante, abbas cõpulsus est dicere quid vidisset. At ille se vidẽs esse deprehensum, hoc quoq; quod abbatem latebat, aperuit, adiungens: Quando super me vidisti lumen de cælo descendere, vox etiam pariter venit, dicens: Dimissum est tibi peccatum tuum. Et quidem omnipotens Deus peccatum eius potuit tacendo laxare: sed loquendo per vocem, radiando per lumen, exemplo suæ misericordiæ, nostra ad pœnitentiam voluit corda conuertere. Miramur fratres charissimi, quòd persecutorem suum Saulum Dominus de cælo prostrauit, de cælo allocutus est. Ecce nostris quoque temporibus peccator & pœnitens vocem de cælestibus audiuit. Illi dictum est, Quid me persequeris? Iste vero meruit audire, Dimissum est tibi peccatum tuum. Longè est inferior meritis peccator pœnitẽs iste, quàm Paulus. Sed quia adhuc in hac re de Saulo loquimur, crudelitatem necis anhelante, liceat audenter dicere, quia Saulus propter superbiam vocem increpationis, iste verò propter humilitatem vocem consolationis audiuit. Hunc quia humilitas strauerat, diuina pietas erigebat: illũ quia superbia erexerat, diuina seueritas humiliabat. Habete ergo, fratres mei, fiduciã de misericordia conditoris nostri: cogitate quæ facitis, recogitate quæ feciſtis. Largitatem supernæ pietatis aspicite, & ad misericordem iudicem, dũ adhuc expectat, cum lachrymis venite. Considerantes nanq; quòd iustus sit, peccata vestra nolite negligere. Considerantes verò quòd pius sit, nolite desperare. Præbet apud Deum homini fiduciam Deus homo. Est nobis spes magna pœnitentibus, quia aduocatus noster factus est iudex noster, Qui viuit & regnat cum patre in vnitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

2.Reg.23. Libauit eam Domino.

Esai.30.

Dei erga peccatores patientia.

Exemplũ illustris pœnitẽtiæ

DOMINICA EADEM,
HOMILIA EVSEBII
Emeseni.

Erant appropinquantes ad Iesum publicani & peccatores, ut audirent illum, &c. Luc. 15.

1. Cori. 5. APostolus enim Corinthijs scribẽs, ait: Si quis frater nominatur & est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cũ eiusmodi nec cibum sumere. Cum talibus igitur Dominus cibum sumit, cum quibus Apostolus præcipit cibum non sumere. Et Dominus quidem, vt conuertat: Apostolus verò, vt terreat.

Quib terror, quib. blandimenta adhibenda.

Ille terret suos, ille vocat extraneos. Vtrunque igitur bonum est, & terrere proximos, & mulcere extraneos: illos mulcemus, vt conuertantur: istos terreamus, vt erubescant & à malo quiescãt. Errant igitur pharisæi, peccatores penitùs abominantes, non enim abominandi, sed vocandi sunt. Vocandi autem aut blanditijs, aut minis. Vocat eos Dominus blandiendo, & manducando cum illis: vocat eos Apostolus terrendo, nolens cibum sumere cum illis. Sequitur: *Et dixit ad illos parabolam istam, dicens: Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, & si perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonagintanouem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat illam? Et cùm inuenerit, imponit in humeros suos gaudens: & veniens domum, conuocat amicos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat.* Hoc autem quid significet, ipse subinferens ait: *Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm supra nonagintanouem iustis, qui non indigẽt pœnitentia.* Dicendũ est igitur, quid homo iste, quid centum oues, quid vna perdita, & quid desertũ significet: vt illud quoq; scire possimus, quid significent nonagintanouẽ iusti, & vnus peccator, qui pœnitentiã agit. Centum enim oues, tota angelorum & hominum multitudo intelligitur. Ex his aũt vna errauit, quando primus homo peccauit. Vnde Psalmista ait: Errani sicut ouis quæ perierat, require seruum tuũ Domine, quia mandata tua non sum oblitus. Remanserunt igitur nonaginta & nouem, per quas nouem angelorũ ordines figurantur, siquidem totus hic numer⁹ ex nouenis. Pro hac itaq; vna saluator noster de cælis descendit, nonaginta & nouem, de quibus modò diximus, ibi derelictis: Ibi, inquam, derelictis: vnde & cælum hoc in loco dici desertum. Quodam enim modo cælũ Dominus deseruisse videbatur, quando inter hõmines corporaliter conuersabatur. Hanc enim vnam ouẽ imponens in humeros suos, (Ibi enim onera ferunt dr) gaudens domũ redijt, cælos ascendit, vicinis & amicis, id est, angelis & archangelis lætitiam fecit, & tantam lætitiam, quantam ꝓ omnibus iustis, qui nunquã peccauerunt, vnquam habuerunt. Vtilissimum etenim est, vt quanuis eum plus nõ diligamus, maiorẽ tamen de illo lætitiã faciamus, quem de maiori periculo diuinitùs liberari videmus. Sequitur: *Aut q̃ mulier habẽs drachmas decẽ, si perdiderit drachmã unã, nonne accendit lucernã, & euertit domũ, & diligenter quærit donec inueniat? & cùm inuenerit, cõuocat amicas & vicinas, dicẽs: Cõgratulamini mihi, quia inueni drachmã, quã perdideram.* Hæc aũt similitudo eadem est, quæ superior. Idẽ enim significant decẽ drachmæ, qd centum oues: vna quoq; drachma & vna ouis perdita idẽ significant. Nouẽ verò quæ restant, nouẽ ordines angelorũ sũt. Quoniã aũt regis imago in drachma exprimitur, 9. drachmó immeritò per drachmã homo figuratur, quoniã ad sui regis imaginẽ fact⁹ est homo. Hanc igitur drachmã mulier (Dei sapiẽtia enim sic vocatur, Christus) quærere venit, lucernã sui corporis accẽdit (Diuinitas enim in capite, lumẽ est in lucerna) & huius mũdi amplissimã domũ euertit, sicut ipse ait: Nolite putare, quia veni pacẽ mittere in terrã. Non veni pacẽ mittere, sed gladiũ. Ex hoc enim erunt quinq; in domo vna: duo in tres, & tres diuidẽtur in duos. Sic igitur vt hanc drachmã inueniret, hanc domũ, id est, hunc mundũ Dominus euertit, inter filiũ & patrẽ, inter matrẽ & filiã, inter socrũ & nurũ discordiã ponens: alijs fidẽ & iustitiã impugnãtibus, alijs defendentibus. Nemo enim priùs ꝓ fide pugnabat, cũctis in errore cõcordantibus. Hanc aũt malã concordiã Dominus dissipauit, domũ euertit, & drachmã reperit. Vnde & Apostolus ait: Oportet hæreses esse, vt hi qui probati sunt, manifesti fiãt. Pro huius igitur inuentione oẽs vicinæ & amicæ, oẽs virtutes & dominationes simul cũ Dei sapientia in cælestib. gratulãtur. Cessent igitur murmurare scribæ & pharisæi: non dicãt nec inuidiosè reprehendãt, Quia hic peccatores recipit & manducat cum illis. Venit enim Dominus *quærere* & saluare, quod perierat: & non venit vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

Mulier, Dei sapientia.

Euersa domus, mundus.

Matt. 10. Luc. 12.

1. Cori. 11.

Luc. 19. Matt. 9.

Centum oues.

Ouis errans.

DOMINICA V. POST
Pentecosten, In Epistolam Concio exegetica.

Domi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

DOminica, quæ hanc proximè antecedit, ex D. Petro lectio proposita fuit, quæ admoneret nos ad perferendas æquo animo dæmonum & malorum hominum vexationes, quas necesse est sentire eos omnes, qui volunt in Christo piè viuere: hodiè commodissimè proponitur lectio ex D. Paulo, quæ mirabiliter animare nos potest & consolari in id genus persecutionib. & quibuslibet rebus aduersis. Eam igitur attentis auribus & cordibus audiamus. *Existimo quòd non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Exhortatio hæc, inquit hic D. Ambrosius, ad superiora pertinet, per quam ostendit parua esse, quæ hic possunt à perfidis irrogari, ad comparationem decreti muneris in futuro seculo. Propterea ad omnia exitia paratos esse debere, quia magna pro his repromissa sunt præmia, vt in tribulatione consoletur se animus, & spes crescat. Nam & quosdam, immò multos scimus pro præsentibus lucris, ad modicum vtique profuturis, quàm asperos & duros subire labores, & ad quæ aliquando (quia vita ipsa fragilis est & incerta) peruenire non possunt. Nautæ pro quibus commodis tantis se procellis & tempestatibus credunt, cùm sciant in his magis mortem ante oculos esse quàm vitam? Et milites spe præsentis præmij, cùm incerta victoria sit, in gladios insurgere non dubitant. Quantò ergo magis pro Christo patiendum est, cuius etiam protelata sunt nobis beneficia, qui pro paruis magnifica, & pro temporalibus perpetua præmia cum gloria pollicetur? Pro Christo dicimur pati, cùm nobis, non illi proficiat quod patimur. Sed quia ille occasionem quærit remunerandi nos, hoc præcipit. Vt bonus enim vel profusus largitor causas quærit, quomodò donet aut indignis, aut verecundis. Deniq; vt ipsa exitia tolerari possint, ipse suggerit vires. Hæc Ambrosius. Porrò Chrysostomus locum hunc exponens, Considera, inquit, & confortare illius gratia: iam siquidem parata labores tuos expectat. Si verò contristat, q̃ futura dicitur, scias hoc ipsum esse, quo debebas magis exhilarari. Ob id enim quòd magnifica est, inenarrabilis, & quæ præsentis vitæ statũ transcendat, in futurum reposita est. Neq; enim simpliciter posuit, præsentis temporis passiones, sed vt ostendat gloriam illam aliquando reuelãdam, non solùm qualitate, sed & quantitate vtricem esse. Passiones siquidẽ illæ, qualescunq; fuerint, præsentem tamen vitam tantummodò sortitæ sunt: futura verò bona ad infinita secula extenduntur, quę quidem quia non poterat sigillatim connumerare, aut sermone aliquo repræsentare, ab ea re sumpto nomine, quæ nobis potissimùm desiderabilis est, nimirùm gloria, vna dictione comprehendit. fastigium quippe ac caput bonorum illorum videtur esse gloria. Hæc Chrysostomus. Obiter tamen admonendi sunt pij, vt vel in bonis operibus, vel in afflictionibus suis æquo ferendis animo, non tam spectent beatitudinis præmium, vt id potissimùm pro scopo habeant, quàm æterni patris sui honorem & gloriam: hoc est, vt amore liberali potiùs quã mercenario faciant, quæcunque agunt, & in tolerandis rebus duris atque molestis non tam suam merce dem cogitent, quàm vt diuino ex animę obtemperent voluntati. Hoc enim propriè ad filios pertinet, & est argumentum generosi animi, non priuata sua lucra vel commoda venari, sed Dei patris omnipotentis voluntati non ob aliud parére, nisi quia ille dignissimus est omni cultu & obseruantia. Eiusmodi affectum mirabiliter in hominibus Deus amat, & quæcunque tales vel faciunt, vel patiuntur, immensa ab illo & ineffabili mercede in cælis afficiuntur. Hunc affectum feruens charitas efficit. Seruus timet verbera, Mercenarius sua captat emolumenta, Filius patrem colit liberaliter. *Nã expectatio creaturæ, reuelationem filiorum Dei expectat.* Creatura hoc expectat, ait Ambrosius, vt compleatur numerus filiorum Dei, destinatus ad vitam, vt tunc demũ etiam ipsa creatura possit liberari à seruitute corruptionis. Hæc ille. D. Augustinus hunc Apostoli totum locum refert ad creaturam rationalem. Verba eius ex libro 83. Quæstionum, Quæstione 67. huc adscribemus, quæ sunt hæc: Quod itaque ait Apostolus, Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat, hoc eum puto dicere. Nam & hoc ipsum, quod in nobis dolet, cùm facta carnis mortificamus, id est, cùm esurimus aut sitimus per abstinentiam, dum frænamus delectationem concubitus per castitatem, dum iniuriarum lacerationes & contumeliarum aculeos per patientiam sustinemus, dum neglectis atque reiectis voluptatibus nostris, pro fructu matris Ecclesiæ laboramus, quicquid in nobis in hac atque huiusmodi attritione dolet, creatura est. Dolet enim corpus & anima, quæ vtique creatura est, & expectat reuelationem filiorum Dei: id est, expectat quando appareat quod vocatum est, in ea gloria ad quã vocatum est. Quia enim filius Dei vnigenitus non potest appellari creatura, quandoquidem per ipsum facta sunt omnia, quæcunque Deus fecit, distinctè etiam nos vocamur creatura ante illam euidentiam gloriæ, & distinctè vocamur filij Dei, quanuis hoc adoptione mereamur. nam ille vnigenitus natura filius est. Ergo expectatio creaturæ, id est, expectatio nostra reuelationem filiorum Dei expectat: id est, expectat quando appareat quod promissum est, quando re ipsa manifestum fit, quod nunc spe sumus. Filij enim Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus autem, quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Ipsa est reuelatio filiorum Dei, quam nunc expectat expectatio creaturæ: non quòd creatura reuelationem expectet alterius naturę, quæ non sit creatura: sed ipsa qualis nunc est, expectat quando sit qualis futura est. Hæc Augustinus. *Vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe.* In Domini & creatoris potestate, inquit Ambrosius, posita creatura, non vtiq; spontè subiecta est vanitati. Non enim proderit sibi quòd subiecta est, sed nobis. Quid est ergo, in quo vanitati subiecta est, nisi quia quæ generat, caduca sunt? Operatur enim, vt fructus faciat corruptibiles. Corruptio ergo ipsa vanitas est. Omnia enim quæ nascuntur in mundo, infirma, cauduca & corruptibilia, ac per hoc vana sunt. Vana sunt enim, quia statum suum tenere non possunt. Nam cuncta deformata per fluxum semper in se redeunt confusa in naturam. Dicit de his & Salomon. Quia omnia hæc vanitas. Nec discordat ab his Dauid dicens: Veruntamen vanitas omnis homo viuens. Manducare enim & bibere, & res mundi curare, nónne vanitas est? & pdest tamen ipsa vanitas. Proficit enim hominibus natis in mundo, vt per hæc in corporibus exercitati, discant mysterium creatoris. Ad comparationem enim æternorum vana sunt: nam suo modo bona sunt, quippe cùm sint necessaria. Hæc Ambrosius. Porrò Chrysostomus hunc locum interpretans, Quid est illud, inquit, Vanitati creatura subiecta est? Corruptibilis facta est. Quã ob rẽ? Propter te videlicet hominẽ. Postq̃ enim corpus mortale adeptus es passionibusq; obnoxium, terra quoq; maledictionem recepit, spinas ferens & tribulos. Quod verò cælum etiam ipsum, esi terra simul inueteratum, ad meliorem tandem sortem transmutandum sit, audi Prophetam dicentem: A principio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi pereunt, tu verò permanes, & omnes velut vestimentum vetustate consumentur. Propter te ergo, ô homo, malè habet creatura corruptibilis facta, & tamen nihil iniuriarum ex hoc passa est. Rursus enim propter te incorruptibilis etiam erit. Hoc enim est, quod dicit, In spe. Cùm verò dicit, Subiecta est non volens, non ideò dicit, quòd velit illam mentis esse compotem, sed vt discas quòd totum hoc non illius virtute, sed Christi cura & dispositione factum sit. Hæc Chrysost. *Quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Quoniam, ait Ambrosius, contradicere nõ potest creatura conditori suo, eius causa subiecta est, non sine spe. Habet enim in labore posita hoc solatium, quoniã habebit requiem, cùm crediderint omnes, quos scit Deus credituros, quorum etiã causa subiecit. Et Chrysostomus, Non solus liberaberis, inquit, sed liberabitur & id, quod te inferius est. Communicabit tecum in illis bonis, quod neq; rationis neq; sensus tecum particeps est. Liberabitur enim, inquit, à seruiture corruptionis. Hoc est, Non erit amplius corruptibilis, sed corporis tui pulchritudinem sequetur. Quemadmodùm enim corpore tuo corruptibili facto, corruptibilis facta est & ipsa: ita rursus sequetur, quamprimùm incorruptionis statum indueris. Hoc scilicet indicat, subiungens: In libertatem gloriæ filiorum Dei. Hoc est, propter libertatem glorię filiorum Dei. Quemadmodùm enim nutrix regium puerum educans, quamprimùm is paternum adeptus fuerit principatum, bonis simul & ipsa fruitur: ita & creatura, inquit. Vides hominem vbiq; principalem ostendi, & propter ipsum omnia facta esse? Obserua quo pacto certantem soletur, ostendatq; ineffabilem Dei benignitatẽ. Quid enim, inquit, tentationum gratia doles? Non propter teipsum pateris, & creatura propter te? Non solùm autem consolatur, sed fide quoq; digna esse quæ dicit ostendit. Si enim creatura spem habet, quę tui gratia facta est: multò magis tibi sperandum fuerit, propter quem futurum est, vt & creatura bonis illis omnibus fruatur. Ad eum quippe modum & homines, si quando futurum est, vt filius ipse dignitatibus suis conspicuus sit apparituros, famulos quoq; splendidioribus stolis in gloriam filij exornant. Ita scilicet & creaturam Deus incorruptione circunda bit, idq; in libertatem gloriæ filiorum Dei. Hæc Chrysostomus. *Scimus enim, quòd omnis creatura ingemiscit, & parturit usq; adhuc.* Parturire, dolere est, ait Ambrosius. Ipse sensus est, quia omnis creatura per quotidianum laborem ingemiscit & dolet vsq; modò. Vsq; modò, tamdiù significat, quandiù legitur. Ipsa enim elementa cum solicitudine operas suas exhibent: quia sol & luna non sine labore statuta sibi implent spatia: & spiritus animaliũ magno gemitu arctatur ad exhibenda seruitia. Nam videmus illa gementia, cogi inuita ad laborem. Hæc ergo omnia expectant requiem, vt à seruili opere liberẽtur? Si autem hæc esset seruitus, quæ ad Deum proficeret promerendum, gauderet non doleret creatura: sed quia nostri causa subiecta est seruituti corruptionis, dolet. Videt enim quotidiè opera sua interire: quotidiè enim oritur & occidit opus eius. Rectè ergo dolet, cuius opus non ad æternitatem pertinet, sed ad corruptionem. Quantùm ergo datur intelligi, satis de nostra salute solicita est, sciens ad liberationem suam proficere, si modò nos citiùs agnoscamus authorem. Hæc itaq; scientes, omni cura diligentiaq; dignos nos præbeamus, alijs quoq; vt exẽplo simus. Hæc Ambrosius. Ingemiscit creatura, inquit Oecumenius, cupiés in posterum corruptionem deponere. Quòd si hæc creatura desiderat, quantò potiùs id nos velle debemus, nec terrenis adeò hîc inhiare rebus: quippe qui & verbo Dei honorati sumus, & adoptionem filiorũ præstolamur. Hæc ille. *Non solùm aũt illa, sed & nosipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionẽ corporis nostri.* Post creaturam mundanam, inquit Ambrosius, adiecit etiam nos hoc expectare, & ingemiscere ad Deum, vt hinc liberemur cuncti destinati

Rom. 8. Exiguæ ut sint uitæ huius afflictiões.

Afflictiões sunt temporariæ, præmium sempiternum.

Eccles. 1.

Psalm. 38.

Gen. 3.

Psal. 101.

Omnia facta propter hominem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christianis mundus hic pelagus est.

stinati ad vitam: quia Christianis mundus hic pelagus est. Sicut enim mare aduersis excitatur procellis, insilit, & tempestate nauigantibus facit uita & secula persidorum conspiratione commotũ, perturbat fidelium mentes, & tanta peruersitate agit inimicus, vt quid priùs euitandum sit ignoretur. Si enim potestas desinit esse aduersùm nos, priuatorum mẽtes exagitat. Si & hi compescantur, per domesticos conflat incendium. Et si hoc sopitum fuerit, arte sua inter ipsos germanos facit discordiam: vt quatuor angulis pulsata domus, ex aliqua parte faciat ruinã. Propter qđ vno consilio fugiendum est hinc Christianis.

Luc. 2. Exemplum enim debent sequi sancti Simeonis, qui sciens bellum hic geri contra perfidiam, in pace dimitti se postulauit. Hoc est quod singuli

Matt. 6. orantes, pro omnibus oramus, vt veniat regnum Dei. Hæc ille. Alij hæc verba de Apostolis accipiunt, qui primitias, id est, potiora & excellentiora spiritus sancti charismata perceperunt. Photius adoptionem filiorum interpretari volens, Qualem, inquit? Quid enim? an non eam accepimus per baptismum? Nónne ipse paulò antè dixeras, Spiritum adoptionis filiorum accepistis? Sanè, inquit. Quam igitur expectamus? Illam, inquit, quæ manifestatur per corporis redemptionem. Num aliam diuersamúe ab ea, quam dixeras? Absit: verùm eandem ipsam manifestiorem, & experimento ipso notiorem. Nam post redẽptionem corporis, tunc bonorum retributio, tunc ipsius corporis resurrectio & incorruptio, tunc cælorum regni hæreditas, tunc omnia ipsius adoptionis insignia & effectus perspicua erunt. Enimuerò nunc sub spe horum adoptionem accepimus. Hæc Photius. Hæc igitur tota lectio eò pertinet, vt nullis huius mundi aduersitatibus frangamur, sed auidi aspiremus ad futuram illã gloriam, vbi præparauit Deus diligentibus se,

1. Cori. 2. quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt: de qua præclarè dicit Chrysostomus in morali exhortatione Sermonis 14. in Epistolam ad Romanos: Omni gehenna grauius est ab hac gloria excidere: innumeris supplicijs peius est, ab hac sorte alienari. Faxit Dominus Deus noster gratia & benignitate sua, vt ad eam quandoque pertingere mereamur, AMEN.

DOMINICA QVINTA
post Pentecosten.
Luc. VI.

In illo tempore, Dixit Iesus discipulis suis: Estote misericordes sicut & pater uester misericors est. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Et reliqua. Homilia B. Augustini episcopi.

MOdò fratres cùm euangelium legeretur, audiuimus dicente Domino: Nolite iudicare, vt non iudicemini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Quid est hoc, cùm ipse Dominus in alio loco euangelij dixerit: Nolite secundùm faciem iudicare, sed iustum iudicium iudicate? Non enim sibi diuina lectio contraria esse potest, sed intellectum sobrium quærit. In conuersatione humana, dilectissimi, sunt aliqua, quæ rationabiliter reprehendũtur: sunt verò, quę nõ sine peccato iudicantur. Aperta enim mala & iudicari & argui debent. Illa verò quæ ignoramus, & vtrùm bono an malo animo fiant, scire non possumus, iudicare penitùs non debemus. Verbi gratia: Vides hominem frequentiùs ieiunare? Congaude, & noli nimis laudare: quia potest hoc & pro humana gloria fieri: sed & noli vituperare, quia potest & pro Deo, & pro animæ remedio ieiunare. Vidisti alium indicto ieiunio publico velle prandere? cum dilectione admone. Si dixerit se pro stomachi lassitudine ieiunare non posse, crede, & noli iudicare: quia vtrunque potest fieri, vt pro gula vel pro luxuria prandere velit, & præ infirmitate ieiunare non possit. Vidisti alterum subditis suis cum seueritate disciplinam imponere, & indulgentiam tardiùs dare? noli iudicare crudelem, quia forsitan non sit morbo iracundiæ, sed zelo disciplinæ & amore iustitiæ, propter illud quod scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me. Forte aliquis vicinus aut amicus tuus, dum animum suum habet in rebus sibi satis necessarijs occupatum, aut tardiùs te salutauerit, aut tardiùs occurrerit quàm debuit: noli eum superbum iudicare, noli malignum credere: sed magis hoc aut per obliuionem, aut per negligentiam, *quàm* per despectum, vel per superbiam factum crede: quia fortè & tibi hoc (vt est humana fragilitas) frequenter euenit, vt in rebus alijs nimis intentus, aliquid minùs cautè, aut minùs solicitè fecisse videaris, & tamen noluisti te pro hac re malo animo iudicari. In istis ergo & in his similibus, quæ vtrùm bono an malo animo fiant, scire non possumus, melius est vt ad partem dexteram animum nostrum declinemus: quia tolerabilius est nos in hoc præueniri, vt eos qui mali sunt, bonos esse credamus, quàm vt consuetudine iudicandi, etiam de bonis quod malum est suspicemur. De istis ergo rebus, quæ sunt Deo notæ, & nobis incognitæ, periculosè nostros proximos iudicamus. De ipsis enim Dominus dixit: Nolite iudicare, vt non iudicemini. De illis vero quæ aperta sunt & publica mala, iudicare & redarguere (cum charitate tamen & amore) & possumus & debemus, odio habentes non hominem sed peccatum: non vitiosum, sed vitium: detestantes morbum potiùs, quàm ægrotum. Nam publicus adulter, raptor, assiduè ebriosus, proditor, superbus, si iudicati vel castigati non

non fuerint, implebitur in eis illud, quod beatissimus martyr Cyprianus de talibus dixit: Qui peccantem verbis adulantibus palpat, peccati fomitem submministrat. Ad hanc rem pertinet, fratres charissimi, etiam illud, quod in hac ipsa euãgelica lectione audiuimus: *Quid enim vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Vidisti hominem subitò irascí? noli continuò iudicare, sed expecta paululũ. forsitan quàm velociter irascitur, tam celeriter mitigatur. Quid tamen festuca, quid trabes significet, videamus. Subita enim iracundia, festuca est: iracundia diù in corde seruata, trabes est. Ergo ira inueterata conuertitur in trabem. Et qua fronte ille, qui odium seruat in corde, illum iudicare præsumit, in cuius oculo nõ trabem, sed festucam esse cognoscit? nam cordis oculum festuca turbat, trabes excæcat. Quod dixi, fratres, scripturarum debeo testimonijs approbare. Quomodò ira cordis oculum turbat, audi Psalmistã: Turbatus est præ ira oculus meus. Quomodò autem odium oculum cordis excæcat, Ioannes euangelista testatur: Qui, inquit, odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò vadat, quoniã tenebræ obcæcauerunt oculos eius. Secundùm hæc ergo per subitaneam iracundiã cordis oculus turbatur, per odium lumen charitatis extinguitur. Ergo, fratres charissimi, capitula vobis quædam & indicula, qualiter hæc intelligere & accipere debeatis, insinuo. nam vos, Deo propitio, meliùs hæc capere & obseruare potestis. Vt hæc quæ dixi, tenaciùs vestris cordibus inferantur, breuiter repeto quod suggessi. In his enim rebus, sicut iam suprà dixi, periculosè alios iudicamus, de his, quæ dubium est vtrùm bono an malo animo fiant, id est, ieiunare, vigilare, eleemosynas facere, à vino & à carnibus vel abstinere, vel non abstinere, & reliqua his similia, quæ & pro Deo, & pro humana gloria fieri possunt. Et quia ignoramus quo animo fiant, iudicare penitùs non debemus: Propter hæc dicit Dominus: *Nolite iudicare, ut non iudicemini.* Propter apertam verò iniquitatem dictum est: Argue, obsecra, increpa cum omni patientia & doctrina. Et illud quod suprà memorauimus: Iustum iudicium iudicate. Hæc enim, fratres charissimi, si diligenter, sicut credimus, considerare, & cum grandi solicitudine Deo auxiliante obseruare volumus, de non paruo peccato eum Dei adiutorio liberamur. Maxima enim pars generis humani indiscreto iudicio ad reprehendendum prompta & parata esse probatur, cùm tamen se non ita velit ab alijs iudicari, quomodò vult alios iudicare. Propter hoc scriptura diuina admonens, dicit: Priusquam interroges, ne vituperes quéquam: & cùm interrogaueris, corripe iustè. Omnis homo priùs vult se interrogari, & posteà si reus est, patienter tolerat reprehendi. Et quia hoc nobis omnes volumus ab alijs fieri, iustum est, vt hoc in alijs studeamus implere.

Cyprianus

Festuca. Trabes.

Psal. 6.

1. Ioan. 2.

Ecclesi. 11.

Priùs cum patientia interrogemus, & soliciti simus: & cùm aliquid certius cognouerimus, tũc aut si mala sunt, reprehendere: aut si bona, defendere valeamus, propter illud quod scriptum est: Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis similiter. hæc est enim lex & prophetæ. Et quia, sicut ipsi videtis, plures ex nostris de ecclesia nunc absentes esse videntur, & illis qualemcunque admonitionem in aliam basilicam reseruemus: forsan inspirabit & illis Deus, vt vel ibi pro animæ suæ salute conueniant.

Matth. 7.

Vide hac de re Augustinum libr. 2. de Sermone Domini in monte.

EADEM DOMINICA,
Lucæ VI.

In illo tempore, Dixit Iesus discipulis suis: Estote misericordes, sicut & pater uester misericors est. Et reliqua. Homilia Erici.

DOminus Deus ea lege hominem inter omnia condidit, tantaq; dignitatis præcellentia donauit, vt si in suæ creationis voluisset beato perseuare principio, per se quæ agenda essent, sciret, & ad ea implenda sine vlla contrarij ferretur repugnantia. At postquàm diaboli suasionibus obtemperauit, tantam subitò mutabilitatem in seipso persensit, vt non solùm mortalis ex immortali fieret, verùm ipsam quoq; liberi arbitrij facultatem ita vitiatam deterioratamque experiretur, vt nil iam per se boni intelligere, nedum opere implere, sine auxilij diuini valeat miseratione. Quia ergo impossibile erat, semel prolapsum genus humanum per se ad agenda, quæ salutis expoſcit ratio, surgere, dignatus est Dominus sub habitu hominis apparens, per semetipsum apostolos, quos ex omni humani generis massa elegerat, erudire, & quo pacto ad filietatem Dei reparari possemus, ostendere. Dixerat enim superiùs: Inimicos vestros diligite, vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est; manifestè intimans sola dilectione diuinæ paternitatis gratiam posse promereri. Et post pauca: *Estote, inquit, misericordes.* In hac lectione sancti euangelij, non solùm misericordes esse docemur, sed etiam quomodò simus misericordes insinuatur nobis, cùm dicitur: *Sicut & pater uester cælestis misericors est.* Pater noster omnipotens Deus duobus modis dicitur: vel quia cùm non essemus, nos creauit: vel quia cùm perditi essemus, misericorditer nos recreauit. Misericors igitur Deus pater noster est, vel larga sua misericordia ingratis & malis temporalia bona tribuendo, super iustos & iniustos pluendo, super bonos & malos solem suum

Cur homo creatus à Deo.

Deus duobus modis pater noster est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

oriri faciendo: qua etiam iumenta pascit: eos in præsenti temporalibus ad votum successibus nihilominùs prouehi permittendo: vel etiam spiritualium bonorum munera speciali gratia suis electis conferendo, quos ita præsentibus vti concedit, vt eos perpetuis bonis quandoq; frui faciat. Ista magna Dei misericordia nobis imitanda proponitur, si filij Dei esse desideramus. Misericors autem à misero corde dicitur: quod nostræ fragilitati pro priæ coaptatur, qui miserijs subiacentes, ex nobis ipsis discimus, qualiter alijs misereri debeamus. Miseria autem non modò in Deum cadere non potest, qui suæ naturæ beatitudine sempiternè felix feliciterq; permanet sempiternus: verùm ne in hominem quidem iustum cadit, cum misereturalterius. Quis enim non contendit ab omni miseria liberum esse debere sapientem, cùm subuenit inopi, cùm cibum præstat esurienti, potumq; sitienti, cùm vestit nudum, cùm recipit tecto peregrinũ, cùm denique humanitatem suam vsque ad sepulturam porrigit mortuorum? Nam etsi id faciat mente tranquilla, nullis aculeis doloris instinctus, sed officio bonitatis adductus, misericors tamen vocandus est, eò quòd alijs condolescendo, miserum cor habere videatur. Huic enim nihil obest nomen, cui prodest diuinorum impletio mandatorũ. Misericors igitur dicitur omnipotens Deus, translato ab homine vocabulo, qui vtiq; super omnem creaturam suam misericors est, quam clementi protectione disponit & ordinat, ne ad nihilum redeat, sed potiùs æterna stabilitate subsistat. Aliter: Cùm ergo Deus misericors dicitur, nequaquam per hoc substantiæ eius proprietas demonstratur, sed nostro potiùs intellectui consulitur: & quia de eo sicut est, nihil cogitare possum⁹, agitur vt ad eius cognitionem per id, quod in nobis agitur, condescendamus. Misericors enim Deus dicitur, quia humanum genus quod potentialiter condidit, misericorditer gubernat & regit. Quòd enim salute corporum fruimur, quòd fructuum huberitate gaudemus, & læto aëre pascimur, quòd ipsius solis calore fouemur, totum misericordissimi Dei beneficio agi non dubitatur. Scire autem debemus, quòd aduerbium, sicut, non semper pro æqualitate ponitur, sed nonnunquàm etiam pro similitudine. Patet enim nos nulla ratione tantam habere posse misericordiam, quàm magnam Deus habere probatur: sed Deus, sicut immensus est, immẽsam etiam misericordiam exhibet. Nos quoq; ab eius potentia valdè dissimiles, vtpote qui puri homines sumus, inquantùm intellectus & possibilitas suppeditat, misericordes esse curemus, diligendo & beneficia cumulando, nõ solùm gratis & amicis, sed etiam ingratis & inimicis. Quisquis etiam bona temporalia vel spiritualia alijs pro amore diuino largitur, quisquis in se peccantibus indulgentiam misericorditer tribuit, sicut à Domino ipse veniam impetrare desiderat, hic proculdubiò imitator Dei efficitur. *Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini.* Quæri potest, cùm Dominus per Psalmistam dicat: Rectè iudicate filij hominum, cur hic idem prohibeat fieri, dicens: Nolite iudicare? Hoc dicendo, non tollit nobis intelligentiam iudicandi, sed illud admonet, ne damnemus aliquem, cuius vel cogitatio nobis cognita non est, vel nescimus qualis posteà futur⁹ sit. Nullatenùs enim ecclesiasticis præiudicare putandum est iudicijs, quibus negligẽtium culpas puniri mos est, sed necessarium discretionis moderamẽ intimatur. Hæc enim sententia ideò nobis principali er imperatur, vt ea facta, de quibus dubitare possumus quo animo fiant (quia sunt quædam media, quæ & bono & malo animo possunt agi) in meliorem semper partem interpretemur: Sicut (verbi gratia) sunt diuersorum ciborum perceptiones, & exquisitæ potionũ varietates, & cæteræ necessariæ corporum curationes, de quibus ab Apostolo iudicare prohibemur: Qui mãducat, inquit, nõ manducantem nõ spernat, & qui non manducat, mãducantem non iudicet: eò quòd possent humani cibi quilibet simplici animo sine vitio cõcupiscẽtiæ sumi. Horum ergo & similiũ operum, quæ indifferenter geri possunt, tempus quo iudicentur aduenier, cùm, sicut Apostolus docet, illuminabit Dominus abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. At verò de illis iudicare permittimur, de quibus dubium non est, quin praua intentione gerantur, qualia sunt, quę Apostolus opera carnis nominat, inquiens: Homicidia, ebrietates, fornicationes, & cætera talia, quæ authores suos & à regno Dei excludunt, & æternæ morti obnoxios faciunt, nisi digna pœnitudine dum viuitur, expientur. De quibus ipse Dominus alibi dicit: A fructibus eorum cognoscetis eos. Duo verò quædam præcipua sunt, in quibus temerarium iudicium debemus refugere, cùm videlicet incertum habetur, vt dictũ est, quo animo quid factũ sit: vel etiam cùm incertũ est qualis futur⁹ sit cras, qui hodiè vel bonus vel malus apparet. Verbi gratia: Si quis de infirmitate stomachi conquestus, ante horam comedere voluerit, & tu id nõ infirmitati, sed edacitati deputaueris, temerè iudicasti. De hoc non oportet nos iudicare, illo videlicet iudicio damnationis, vt de eius salute desperemus. Rursùm si apertã ebrietatem edacitatemq; cognoueris, & ita reprehẽderis, vt de correctione illius desperes, qui huiusmodi vitio subiacet, nihilominùs temerè iudicasti. Non ergo reprehendamus ea quæ occulta sunt, neq; ita reprehendamus quæ manifesta sunt, vt quenquam de emendatione desperemus, & tunc vitabimus iudicium, de quo dicitur: *Nolite iudicare, & non iudicabimini: dimittite, & dimittemini: date, & dabitur uobis.* Hæc sentẽtia omnia, quæ de conuersando cum inimicis per campos scripturarum sanctarum latissimè continentur,

Deus ut dicatur misericors.

Psal. 57.

Quale dictum minus philosophicum.

Matth. 7.

In sinum dari.

mia breuitate complexa sunt. Præcipit vt dimittamus peccantibus in nos, vt nostra à Deo nobis dimittantur peccata. Item præcipit vt demus beneficia, vt nobis quoq; à Deo detur vita æterna. Dicẽdo ergo, Dimittite, & dimittemini: & mox addendo, Date, & dabitur vobis, ostendit, quia non sufficit tantùm dimittere his qui in nos peccant, nisi etiam eis quæ possumus beneficia impendamus. Quisquis etiam bona temporalia vel spiritualia alijs amore diuino largitur, quisquis in se peccantibus indulgentiã tribuit, sicut ipse à Domino veniam impetrare desiderat, hic proculdubiò imitator Dei efficitur. *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum uestrum.* Quia enim nos Dominus ad pietatis officium prouocabat, futuræ etiam retributionis modum insinuat, quatenùs tanto magis largitati inseruiamus, quanto de plenissima remuneratione securi existimus. Ait ergo: Mensuram bonam .i. iustam & æquam: & confertam .i. plenam: & coagitatã .i. cõmotam, vel hinc inde .i. vndiq; concussam: & supereffluẽtem .i. superabundantem dabunt in sinum vestrum. Qui sunt isti, qui dabunt mensuram bonam, nisi pauperes quibus beneficia dederimus? Tale est & illud, quod veritas alibi dicit de pauperibus: Facite vobis amicos de mãmona iniquitatis &c. Nõ enim pauperes ipsi mercedem reddent his, qui eleemosynam illis largiuntur, sed Christus, pro cuius dilectione hoc faciunt. Quam tamen in sinum dare dicuntur, quia vt ipsam mercedem largitores eleemosynarum à Domino promereri potuissent, pauperes ipsi occasionem dederunt, cũ aut miserabiliter egentes, aut in petendo importuni existentes, fortiorum sunt beneficio sustentati, & nõnulli etiam eorum ad fidẽ Christi per dulcia beneficia prouocãti. Vel certè vt de inimicis aliquid dicamus, multi malorũ contra bonos sæuientes, eorum patientia vel beneuolentia ad rectitudinem charitatis sunt reuocati. Notandum, quòd in sinum nobis dare dicitur. Ea enim quę in sinu habemus, securi vtiq; possidemus. Pulchrè ergo hæc remuneratio in sinum dari dicitur, vt cum quanta securitate possidenda, quantaq; charitate retinenda sit, ostendatur. *Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur uobis.* Mensuræ nomine ipsam iudicij regulam significatam accipimus. Quod alius euangelista apertiùs ponit, dicens: In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Sed nũquid si nos temerè iudicauerimus, temerè etiam Deus iudicabit, qui iustus iudex est? Aut si iniqua mensura mẽsi fuerimus, nunquid & apud Deum iniqua mensura est, vnde nobis remetiatur? Sed hoc ideò dictũ est, quia temeritas qua noces alij, ipsa tibi noceat necesse est: & iustitia qua alium iuuas, restat etiam vt ipsa te adiuuet. Potest etiam hoc & de largienda eleemosyna simpliciter accipi. Vnde & egregius prædicator suis auditoribus dicit: Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Quanto enim quisq; in hac vita erga pauperes Christi magis misericors fuerit, tanto potiorem in futuro à Domino recipiet mercedem. Hoc autem quod de eleemosyna impendenda dicimus, generaliter de omnibus quæ cogitamus, loquimur, seu opere perficimus, sentiendum est, quia vnicuiq; secundùm sua restituendum est opera. *Dicebat autem illis & similitudinem: Nunquid potest cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foueam cadunt?* Huius versiculi sensus hæret sensui superioris sententiæ, vbi præcipitur eleemosyna tribui, & peccantibus offensa remitti. Ac si dicat: Si te contra inimicum ira cæcauerit, aut contra illum qui à te eleemosynam petit, auaritia obduxerit, nunquid eius vitium exhortãdo curare poteris, præsertim cùm & tua mens eodem vitio teneatur obstricta? Aut nunquid putas illum solum qui tibi iniuriam fecit, reum deputandum, & non etiam te, qui iniuriam portare patienter nescis, condemnandum? E contrà verò, si illius improbitas inuenerit mentem tuam mitem & tranquillam, & ille ad pœnitentiam mouebitur, & tu patientiæ munere donaberis. *Non est discipul⁹ super magistrum. Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius.* Magister cælestis, & Dominus omnium piè viuentium Christus est: à quo in quo totius virtutis & religionis est disciplina. Discipuli eius omnes sunt, quos Christianita tis exornat titulus, iuxta quod ab eo alibi audiunt: Magister vester vnus est Christus. Hic ergo tantus, tantæq; singularitatis magister homo factus est, cùm esset Deus, iniurias passus, læsionis vicem non redhibuit, qui vtpotè Deus nutu solius voluntatis obtrectatores suos punire valuit. Postremò ipsam subire mortem indignum non habuit, qui vitæ æternæ author extitit. Si ergo ille qui Deus erat, illatas sibi iniurias patienter tulit, quare nos eius discipuli, qui puri homines sumus, quique multa minari, parua implere possumus, contumelias perferre dedignemur? Si enimverè eius discipuli esse volum⁹, necesse est vt perfectionis, quam ab eo discimus, normam tenere studeamus. Quasi enim discipulus super magistrum erigitur, cùm Christianus quis iniuri as audire dedignatur, seque suis viribus vlcisci conatur. *Quid autem uides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est non consideras?* Et istud ad superiora referendum est, vbi cæcum à cæco duci, hoc est, peccantem ab eo qui grauiora dicitur. Multi igitur cùm sint superbi, fures, raptores, odiũ in corde tenẽtes, si alios, vel ad modicum viderint ira irrumpente, quasi festuca irruente turbatos, & à solita mentis tranquillitate mutatos, aut in qualibet offensa vel leui detentos, acriter eos dijudicant, sua crimina aut leuia aut nulla, illoruma utem grauia esse censentes. Et cùm Domini præceptum habeant, iudicare & condemnare prohibẽtis, ipsi immemores magis volunt iudicare & condemnare, quàm emen-

Pauperes quid reddent.

Luc. 16.

Matth. 15.

Christus, magister.

Discipuli Christi.

Matt. 23.

1. Cor. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dare & corrigere. Vnde adhuc infertur: *Aut quomodò potes dicere fratri tuo, Frater sine eijciã festucã de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabẽ nõ uides?* Oculos hoc in loco, intẽtio cordis, & mẽtis perspicacitas appellatur. Festuca verò, est ira repẽtino animi impulsu excitata. Trabes aũt intelligitur odiũ, hoc est, ira longa meditatione cordis, quasi assiduis arbor pluuijs enutrita. Quantũq; distat inter trabis magnitudiné, & festucæ gracilitaté, quasi tantũ intereſt inter irã & odiũ. Odiũ enim est ira inueterata: ira aũt subita animi turbatio, quæ nonnunquã etiã vtilis esse ꝓbatur. Potest nãq; fieri, vt si irascamur homini, velimus cũ corrigi: nunquam aũt fieri potest, vt cũ quẽ odimus, corrigi aut meliorari cupiamus. Pro qua causa Domin⁹ impossibile esse testatur, vt de oculo fratris sui festucã auferat, qui in suo oculo trabẽ portat. Et quidẽ non irasci impossibile est, quia irascibilis est homo naturæ. Vnde & irasci permittimur indulgentia Apostolica, vt ipsa ira breui coarctata cõpendio, modũ non excedat. Cũ enim dixisset, Irascimini: continuò addidit, Et nolite peccare. Nihil verò inter odiũ & homicidiũ distat, Ioãne attestante: Qui odit fratrem suũ, homicida est. Nõ ergo potest, sicut præmissum est, festucã educere è fratris oculo, qui suo in oculo trabẽ gestat: quia nemo aliquẽ ab ira potest corrigere, qui odiũ celat in mente. Proindè meritò talis acri inuectione arguitur, cùm dicitur: *Hypocrita, eijce primùm trabẽ de oculo tuo.* Hypocrita græcus sermo est, ex integro corruptoq; cõpositus. Hypo siquidẽ fallsum, crisis iudicium Græcè dicitur. Hypocrita ergo simulator dici potest, qui specietenùs iustitiæ sibi nomẽ vsurpat. Tractum est aũt hoc nomẽ à picturis, quæ diuersorũ sucis expressæ colorũ, similitudinẽ tantùm verorũ corporũ repræsentãt. Hypocrita etiã dici potest subauratus. Hypocrita quoq; Græcè, Latinè dicitur sub, chrysos aurum. Et hypocrita vocatur nõ solùm qui aliud corde gerit, & aliud opere agit, verùm & ille, qui cùm sit malus, quærit reprehendere bonos. Et nõnunquàm tales cùm ipsũ malitiæ atq; odij pleni sint, eorũ quos per odiũ corripiunt, cõsultores videri volunt. Quos tanto prudẽtiùs cauere atq; obseruare debemus, quãto faciliùs superducta sanctitatis specie falli possumus. Dicit ergo Dominus: *Hypocrita, eijce primùm trabẽ de oculo tuo, & tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui.* Quod est dicere: Primò repelle à te odiũ, quod grauius est, & deinceps poteris securiùs eum quẽ diligis, emendare de leuibus. Inter hæc verò sciendũ est nobis, & vigilantissimè attendendũ, vt cuius alidquãdo rei vtilitas quempiã poposcerit corrigendũ, primò cogitemus vtrùm illud peccatum, ex quo fratrẽ arguimus, aliquãdo habuerimus nec ne, seu adhuc eodẽ impliciti teneamur. Et si quidem inuenerimus nos minimè habuisse, agamus Deo gratias, cuius illud dono virare potuimus: cognoscamus nos tamẽ homines esse, & habere potuisse. Si verò perpẽderimus nos tale aliquid cõmisisse, & iam per donum Dei caremus, tãgat mentẽ cõmunis infirmitas, & quales erga nos cũ adhuc similes essemus, alios esse voluimus, tales quoq; erga fratrẽ esse studeamus, eadẽq; illi, qua nobis per alios subuentũ nouimus, pietate cõsulamus. Quòd si adhuc nosin eo, quo frater arguitur, errore persistere deprehẽderimus, nõ reprehẽdamus neq; obiurgemus, sed congemiscam⁹, & illũ nõ ad obtemperandũ nobis, sed ad pariter conandũ inuitemus, atq; ad remedium pœnitẽtiæ vnanimiter cõcurramus. Et hoc summo studio prouidendũ, vt quolibet malo correctionis rigor procedat, intentio tamẽ ad saluté & emendationẽ eius qui corrigitur tendat, quarenùs ita erga fratrẽ districtio foris sæuiat, ne intùs charitatis feruor tabescat. Sic enim nobis pro aliorum salute certantibus, fit vt ipsi nostrorũ consequamur veniã peccatorũ. Vnde prudẽtissimè doctores sãcti inter modos, quib. peccata laxatur, hoc quoq; posuerunt, beato id authorante Iacobo, qui dicit: Quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore vitæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum.

Oculus, cordis intentio. Festuca. Trabes. Ephes. 4. 1. Ioan. 3. In reprehẽdendo quis modus seruandus. Iacob. 5.

EADEM DOMINICA V. HOMILIA EVSEBII Emeseni.

ESTote (inquit) misericordes: sed quomodò? Sicut pater vester misericors est. Ipse est enim, qui solem suũ oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Ipse non solùm misericors, sed ipsa quoque misericordia est. Ipse est qui neminem vult perire, sed omnes vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Sic igitur & vos estote misericordes, hanc misericordiæ regulam tenete. Magna est virtus misericordiæ, omnibus alijs virtutibus superior est. Vnde & per prophetam dicitur: Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius. Vnde & benè apud Græcos oleum vocatur. Sicut enim in liquoribus oleum, ita & in bonis operibus misericordia superior est. Quencunq; enim liquorem in oleum fundas, oleum semper desuper natat: oleo baptismus sanctificatur, oleo Ecclesia consecratur. Nos quoq; ideò oleo toties sumus inuncti, vt semper misericordiæ memores simus, & nunquam pietatis & misericordiæ obliuiscamur. Hinc est etiam quod Dominus ait: Misericordiam volo, & non sacrificium. Sunt aũt & alia multa, quę de misericordia dici possunt, siquidem misericordia Domini plena est terra. Sed quis sapiẽ & custodiet hæc, & intelliget misericordias Domini? Estote ergo misericordes, & ita misericordes, sicut & pater vester misericors est. Omnes diligite, neminem odio habeatis. Orate pro persequentibus & calumniantibus vobis, vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est. *Nolite iudicare & non iudicabimini: nolite condemnare, & non*

& non condemnabimini. Quare ergo iudices constituti sunt? quare & leges positæ sunt? gaudeãt igitur homicidæ, lætẽtur adulteri, exultent sacrilegi: nihil eis vlteriùs timendũ est, si iã neq; iudicãdi neq; damnandi sunt. Quare ergo scriptũ est, Maledictus omnis, qui ꝓhibet gladiũ suũ à sanguine? Quare laudãtur filij Leui, qui zelo iustitiæ nec ipsis suis parẽtibus pepercerunt? Quare Dei sapiẽtia dicit: Diligite iustitiã, qui iudicatis terrã? Quare & Psalmist. ait, Iudicate egeno & pupillo, humilẽ & pauperẽ iustificate? Quare in lege toties ꝓcipitur, si quis fecerit hoc vel illud, morte moriatur? Aliter igitur intelligẽdũ est. Nõ iudicã dilicẽtia aufertur, nõ iustitia ꝓhibetur: temeritas tollitur, ambitio vetatur, & crudelitas interdicitur. Tale est igitur, ac si diceret: Nolite iudicare sine misericordia, vbi misericordia haberi & custodiri potest. Nolite condẽnare, nolite in dãda sentẽtia esse præcipites: expectate dũ ira trãseat, sustinete dũ mens à furore cõquiescat. Nõ in voluntate, sed in iustitia sit iudiciũ vestrũ: nõ secundũ voluntatẽ iudicetis, sed diù deliberate sentẽtiam, tandẽ nocentes & impios condẽnetis. Sic enim facit pater vester qui in cælis est, sicut facit ille, qui plenus est misericordia, qui etiã damnãdo impios nunquam recedit à misericordia. Ille (inquã) hoc facit, qui nõ vult mortẽ peccatoris, sed vt cõuertatur & viuat. Quare ergo eos occidit? quare eos dãnat & iudicat? Nõ vult quidẽ vt moriãtur, sic tamẽ si cõuertantur, si peruersè agere quiescant, & ad pœnitentiã redeant. Hoc aũt si feceritis, & si ita iudicaueritis, neq; iudicabimini, neq; condẽnabimini. Iudicare iniquos, dãnare superbos & impios: eos videlicet superbos & impios, qui neq; ad pœnitentiam redeũt, neq; à sua iniquitate quiescunt. In proprijs aũt causis, & in quibus iudices cõstituti non estis, omnibus dimittite, omnibus veniã date, vt nõ plùs contra vos fratres vestri valeant peccare, q̃ vos eis peccata dimittere. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorũ, & pater vester dimittet vobis peccata vestra. Cõtrà verò, nisi dimiseritis hominibus peccata eorũ, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. *Mensurã bonã, & confertã, & coagitatã, & superfluentẽ dabũt in sinũ uestrũ.* His aũt verbis quid aliud significatur, nisi quia omnibus bonis, omni lætitia, omni dignitate, omniq; beatitudine abũdabitis, si & in vos peccãtibus dimiseritis, & à pietate & misericordia nõ recesseritis? Vnde & subditur: *Eadẽ quippe mẽsura, qua mensi fueritis, remetietur uobis.* Dicebat aũt illis & similitudinẽ. *Nunquid potest cæcus cæcũ ducere? Nonne ambo in foueã cadũt?* Ac si dicat: Nõ omniũ est iudicare, nõ omniũ est cõdemnare, nõ ad oẽs pertinet de peccatis sententiã dare. Hoc solũmodò iudiciũ est, hoc solũmodò prælatorũ est. Cæci igitur sunt, & mẽtis oculos amiserunt, quicunq; id quidẽ quod sui officij non est, & quod eis interdictũ est, agere præsumũt. Tales aũt dũ temeritate quadã alios quãuis iniquos dãnant & iudicant, simul cũ eis in foueã cadunt: in foueã vtiq; damnationis æternæ. Et illi quidẽ ꝓpter peccata sua, isti verò propter temeraria & iniqua iudicia sua. *Nõ est discipulus super magistrũ, perfectus aũt omnis erit, si sit sicut magister eius.* Hoc aũt ad superiora respicit: & tale est ac si dicat: Dixi vobis, Estote misericordes, & ita misericordes, sicut & pater vester, sicut Dominus & magister vester misericors est. Non est discipulus super magistrũ: perfectus aũt omnis erit, si sit sicut magister eius. Illũ sequimini, illũ imitamini, illius formã & exemplũ tenere, ad illius exemplum & formã viuite. *Quid enim uides festucã in oculo fratris tui, trabẽ aũt quæ in oculo tuo est, nõ consideras? Et quomodò potes dicere fratri tuo, Frater, sine eijciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non uides?* Nolite, inquit, iudicare, & non iudicabimini. Iudica priùs teipsum quicunq; es, damna priùs & corrige peccata tua. *Eijce prius trabem de oculo tuo, & tunc perspicies, ut educas festucam de oculo fratris tui.* Hoc enim interest inter festucam & trabẽ, quod interest inter peccata & crimen. Apostolus aũt loquitur, dicens: Tu quis es, qui iudicas alienũ seruum? Domino suo stat aut cadit. stabit autẽ: potens est enim Deus statuere illum. Nolite itaque ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, & illuminabit abscondita tenebrarũ, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo, qui viuit & regnat, &c.

Hier. 48. Deut. 33. Sap. 1. Psalm. 81. Vt sit iudicandum. Matth. 6. Rom. 14. 1. Cor. 4.

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN, In Epistolam Concio exegetica.

HAbemus hac die ex Apostoli Petri Epistola priore lectionem auream, quę nos præclarè docet, quemadmodum virtutibus nauare operam, mala declinare, & aduersa forti animo ferre debeamus. Sæpè ex scripturis diuinis sancta mater Ecclesia id genus saluberrimas admonitiones & institutiones suis depromit filijs, non ignorans facilè in nobis arescere semen verbi diuini, nec facilè fructus proferre, nisi crebris & identidem repetitis doctrinę salutaris irrigationibus imbuatur. Ad ipsam beatissimi Apostoli lectionem venia- 1. Pet. 3. mus: *Omnes unanimes in oratione estote, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles.* Cùm maritorum, inquit Oecumenius, & vxorum monitiones absoluerit, communem ad omnes facit deinceps adhortationem, ad viros, mulieres, senes, iuuenes, reges, subditos, peregrinos, ciues, diuites, pauperes. Quid, inquit, opus est de priuatis loqui? In vniuersum omnibus dico. Hic enim finis est, & ad hoc scopus salutis omnibus spectat, & hæc lex omnibus charitatis est, ex qua humilitas, misericordia, compatientia & reliquiæ similiter virtutes oriuntur, quas hic enumerat: quarum

Scopus scripturæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quarum vnanimitas, consensio quædam & concordia circa aliquid est, cum studio, sine controuersia. Compatientia, est erga malũ aliquod patientes affectio, perinde ac si nosipsi pateremur. Amor fraternus, est dilectio, quæ ergo proximos tanquàm fratres debetur. Misericordia, est motio animæ benefaciendi & opem ferendi erga congeneres. Benignitas, (noster textus habet, modestia) est mãsuetudo & humanitas ergaoẽs, quæ inter amicos & familiares exhibetur. Humiliatio seu humilitas, est cũ quis opprobrio afficit, ferre: agnoscere peccatũ, accusatiões sustinere. Hæc ille. Obseruandũ aũt hoc loco in Græcis τὸ ἧς τέλους, id est, in summa, haberi. Nimis enim longũ fuisset singulatim præscribere omnibus, quid cuiq; præstandũ sit. Itaq; Apostolus Petrus generatim oẽs alloquitur, dicens: In fine, id est, in summa: tanquàm diceret: Et vt multa paucis comprehendã, Sitis omnes vnanimes. Multa latina exemplaria legunt. In fide autem vnanimes, sed Græca habent, vt diximus, In fine, id est, In summa. Quis verò dignè explicare sufficiat, quantoperè deceat Christianos vnius esse animi atque voluntatis? Ecce quàm bonũ, inquit Propheta, & quàm iucundũ habitare fratres in vnũ. Hãc vnanimitatẽ nõ efficit nisi charitas. Hæretici & schismatici, & impij oẽs nihil habẽt cũ hac virtute cõmercij. Quæ verò sit huius vnanimitatis vtilitas si quæras, lege Prophetam iam citatum, qui post pauca subiungit: Quoniã illic mãdauit Dominus benedictionẽ, & vitã vsq; in seculum. Vbi mãdauit? inquit Augustin⁹: In fratribus qui habitãt in vnũ. Qui sunt qui habitant in vnũ? Illi de quibus dictũ est: Et erat illis anima vna & cor vnũ in Deum. Sic Augustinus. Istis ergo diuinitùs præstatur benedictio & vita vsq; in seculum: atque è diuerso discordibus maledictio & mors sempiterna. Qui sic vnanimes sunt, haud dubiò etiã inuicẽ sibi cõpatiuntur. Cùm enim alij alios ex animo diligãt, qui possit fieri, vt alij aliorũ miserijs nõ cõdoleãt? Quod aũt sequitur, Fraternitatis amatores, idẽ est ac si dicat, Fratres amore prosequẽtes. Huius aũt fraternæ dilectionis tãta est energia, vt Apostolus Paulus disertis verbis dicat, eum qui diligat proximũ, legẽ implesse: immò Christus ipse dicat: In hoc cognoscent oẽs quia discipuli mei estis, si dilectionẽ habueritis adinuicẽ. Quid verò mirũ est, si sint misecordes erga eos quos diligũt? Audiũt Christũ in Euangelio sibi dicentẽ: Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est. Multa ad misericordiã præstandã nos inuitant: sed secundũ Ambrosiũ lib. 2. Officiorũ, ca. 28. hoc maximum incentiuũ est misericordiæ, vt cõpatiamur alienis calamitatibus, necessitates aliorũ quantũ possumus inuemus, & plus interdũ quàm possumus. Hęc Ambrosi⁹. Quod aũt sequitur, vt simus modesti & humiles, ijs verbis admonemur cauere omnẽ morositatẽ & arrogantiã, præbere nos fratribus affabiles, esse ab omni asperitate & crudelitate atque aliorum contemptione alieni. Addit deinde: *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto.* Scribit Gellius de Socrate philosopho quiddam memorabile in hæc verba: Cùm vxorem Xanthippem contumaciùs ac clamosiùs in se agentem diù toleraslet, postremò aqua ab ea esset perfusus, cœpit ridens dicere: Sciebã Xanthippem tonantẽ quandoq; pluiturã. Quotusquisq; hodiè Christianus eam seruat patientiam. Pleriq; putant effœminati hominis argumentum esse, nisi conuicia conuicijs, iniurias iniurijs egregiè pensẽt. Verũ hoc in Christi schola minimè didicerunt, qui cùm pateretur, non cõminabatur: cũ malediceretur, nõ remaledicebat. Est igitur Christiani hominis nõ solũ talionẽ nõ repercutere, verumetiã maledicẽtibus benè precari. Sic enim sequitur in Apostolo Petro: *Sed è cõtrario benedicẽtes.* Hoc quidẽ eximiæ virtutis est, & propterea inter homines admodũ rarę. Magnũ est, si quis vel æquo ferat animo alterius maledicta: porrò qui ex animo maledicenti benè precetur, rara auis est in terris. Et tamen Dominus noster Iesus Christus cùm in illis summis esset cruciatibus, & petulantissimis maledicorum Iudæorum linguis atrocissimè verberaretur, Pater, inquit, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Paulatim eò connitendũ est, vt ad hanc perfectionem peruenire queamus. *Quia in hoc vocati estis, vt benedictionem hæreditate possideatis.* Sic enim pijs omnibus in supremo die dicturus est Christus: Venite benedicti patris mei. Hanc vocem qui audire desiderant, exerceant se nunc in syncera & germana erga proximos omnes charitate. Hæc enim virtus facilè efficit, vt nullis iniurijs perturbemur, sed ipsis etiam inimicis ex animo benè capiamus, benè precemur. Si tales nos iam præbuerimus, ventemus ad illam sempiternam benedictionem, summam illam æternæ vitæ beatitatem, nunquam illam amissuri, sed hæreditariò possessuri. Beda in hunc locũ scribens, Quod quisq; inquit, in futuro inuenire desiderat, hoc in præsenti meditari & agere satagat, & conditorem videlicet & proximum syncera voce benedicere, & seipsum etiam diuina pariter ac fraterna benedictione dignum reddere. Hæc Beda. *Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos: coerceat linguam suam à malo, & labia eius ne loquantur dolum.* Hæc ex Psalmo trice simotertio mutuatus est Apostolus. D. Augustinus eum Psalmi versum exponens, Non hic quærat homo, inquit, dies bonos. Bonam rem quærit, sed non in regione eius illam quærit. Semper dies mali in seculo: semper dies boni in Deo. Ipse Dominus non habuit dies bonos in hoc seculo: cõtumelias, iniurias, crucem, & tanta mala patiebatur. Non ergo Christianus murmuret: videat cuius vestigia sequatur. Sed si dies bonos amat, audiat docentem & dicentem: *Coerceat linguam suam à malo, & labia eius ne loquantur dolum.* Facite illud. Nolò, dicit homo miser: & linguã meam nolo continere à malo, & vitam volo & dies bonos. Si operarius tuus tibi diceret, Vasto istã vineã, & exigo à te mercedem meã: nónne insanũ illum diceres? nónne illũ de domo tua repelleres? Tales sunt homines, qui & facere volũt mala, & iurare, & blasphemare, & murmurare, & fraudẽ facere, & inebriari, & litigare, & adulterari, & dies bonos videre. Dicitur illi: Non potes malè faciens quærere mercedem bonam. Ergo quid faciam? Quid vis? Vitã volo, dies bonos volo. Contine linguã tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolũ: id est, Nulli fraudem facias, nulli mendaciũ. Sed quid est, *Declinet à malo, & faciat bonum?* Parum est vt non expolies vestitum: vesti nudum. Si non expoliaueris, declinasti à malo: sed nõ facies bonum, nisi cùm peregrinum susceperis in domum tuam. Ergo sic declina à malo, vt facias bonum. *Inquirat pacẽ, & sequatur eam.* Quærimus hic pcaem, cõsequemur aũt in fine. Sed ex parte hic habeamus, vt ex toto illic habere mereamur. Quid est ex parte? Cõcordes simus: sic diligamus proximũ, quomodò nos. Sic diligẽ fratrẽ, quomodò teipsũ: habe cũ illo pacẽ. In ista vita pax vera non est, nec tranquillitas. Gaudium immortalitatis, societas angelorum promittitur. Sed quisquis non illam cùm hic est quæsierit, nec illam habebit cùm venerit. Hucusque Augustinus in Psalmum 33. Porrò D. Basilius Magnus eundem Psalmum edifferens, in hunc postremum versum ita scriptũ reliquit. Inquire, inquit, Domini pacem, & persequere eam. Persequẽris autem non aliter, quàm destinato studio currens, & enitens ad brauiũ supernæ vocationis Dei. Illic enim suprà vera pax est. Etenim quandiù huic aduicti sumus carni, multis admodùm obnoxij vinculis sumus, quæ nobis turbas cieant. Inquire pacẽ: nimirùm solutionẽ à tumultuarijs mundi istius curis: para tibi mentem tranquillã, statumq; animæ vnũ aliquem inquire, qui sit ab omni fluctuatione ac turbela curarum seiunctus, in quo nulla agiteris vitiosæ affectionis intemperie, à quo nullis sinas te auelli ac distrahi sectarum opinionibus, quanuis verisimili ementitis persuasione proficientium te & inuitantium ad consensionem, vt pacem illam Dei tibi concilies, omnem prorsus exuperantem sensum, corque tuum custodientem. Qui pacem quærit, Christum inquirit. *Quia oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum.* Quoniam omnis iusti actio digna est, quã Deus videat ac spectet, verbum item omne, cùm à iusto nihil otiosè dicatur, efficax est & mirè operatorium: ideò semper inspici iustum, semperq; exaudiri sermo hic explicat. Hactenus Basilius. *Vultus autem Domini super facientes mala.* Vultus in scripturis non rarò pro indignatione accipitur. Cauẽt sibi ab hoc vultu peccatis dediti & resipiscant, ne quandoque ad illorum numerum perueniant, de quibus Psalmo 20. dicitur: Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui.

Socratis patientia.

1. Pet. 3.

Non satis est abstinuisse à malo.

Pacem persequi.

Vultus Dei.

Et quis est qui nobis noceat, si boni æmulatores fueritis? De his, inquit Beda, dicit, quæ nobis ab aduersarijs per verba contumeliosa, per damna rerum temporalium, per tormenta corporis accidũt. Hæc enim & huiusmodi omnia, cùm fidelibus irrogantur, his duntaxat qui boni æmulatores sunt, & hoc secundùm scientiam, nequaquã eis nocere possunt: sed palmam magis patientiæ æquanimiter tolerantibus afferunt, & contrà illis qui irrogant pœnam accumulando æternã, plurimùm nocent. Si quis autem huiusmodi aduersis victus deficit, non huic ille qui malum intulit, sed ipse sibi, qui hoc patienter ferre recusauit, nocuit. Hæc Beda, qui etiam citat aureum Chrysostomi libellum, Quòd nemo læditur nisi à seipso. Possunt impij piorum corpora trucidare, sed animas contingere non possunt. Nulla ergo ratione pijs nocere possunt, modò ipsi sibi per iniquitatis consensũ non noceant. Illis autẽ, qui aduersa patiuntur, præclarum D. Augustinus præstat consilium Concione secunda in psalmum 34. Nullum, inquit, maius, nullum melius negotium est in tribulatione, quàm recedere ab eo strepitu qui foris est, & ire in interiora mentis secretaria. Ibi Deum inuocare, vbi nemo videt gementem & subuenientem. Illius cubiculi aduersùs oẽm extrinsecùs illatã molestiã ostiũ claudere, humiliare seipsum in confessione peccati, magnificare & laudare Deũ & corripientẽ & consulentem. Hæc ille. *Sed & si quid patiamini propter iustitiam, beati.* Hoc Christus quoq; in Euangelio dicit: Beati qui persecutionẽ patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnũ cælorum. Iam verò longè antè prædixit Paulus Apostolus, omnes in Christo piè viuere volentes, persecutionem passuros. Sed idem ipse Apostolus iam didicerat gloriari in tribulationibus, sciens quòd tribulatio patientiam operatur, patientia aũt probationẽ, probatio verò spem: spes autem nõ cõfundit. *Timorẽ aũt eorũ ne timueritis, ue nõ cõturbemini.* Qui ab hominibꝰ intẽtatur timor, ait Oecumenius, in nulla æstimatiõe haberi debet, cùm & diarius sit, & à diarijs hominibus proficiscatur. Si enim oculi Domini super iustos, & aures eius in preces ipsorum, superverò facientes mala facies Domini est, quæ perditionem eis minetur: prorsùs si mala hæc sunt, qui bonorũ est dispẽsator nullo modo vos sibi dilectos malis remuneraret: mala enim malis mittit. Nõ malæ igitur sunt afflictationes, quæ ob pietatẽ contingunt. *Dominum aũt Christum Esai. 8. sanctificate in cordibus uestris.* Sanctificare Dominũ in cordibus suis cum Esaia hortatur: id est, non in aperto gloriari & iactare, sed in occulto cordis conclaui sanctificationem Domini exercere, quæ in scelerum, id est, prauarum consuetudinum gentium segregatione existit. Sanctificate, inquit, Dominum ita, vt ex honesta vestra conuersatione alij homines ipsum glorificent. Quemadmodùm ipse etiam Deus

Impij pijs nocere nũ possunt.

Rom. 5.

Matth. 5.

2. Tim. 3.

& homo

Universidad de Deusto
Biblioteca

Matth. 5. & homo Christus præcipit, cùm ait: Ita fulgeat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Ita Oecumenius. Faxit Dominus Deus, vt Apostolicis institutionibus conuenienter viuamus in laudem & gloriam ipsius, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

Luc. V.

In illo tempore: Cùm turbæ irruerent ad Iesum, vt audirent verbum Dei, & ipse stabat secùs stagnum Genesaret. Et reliqua. Homilia beati Ambrosij Episcopi in 5. caput Lucæ.

BI Dominus multis impartiuit varia genera sanitatum, nec tempore nec loco cœpit à studio sanandi turba cohiberi. Vesper incubuit, sequebantur: stagnũ occurrit, vrgebant. Et ideò ascendit in Petri nauim. Hæc est illa nauis, quæ adhuc secundũ Matthæũ fluctuat, secundùm Lucã repletur piscibus: vt & principia Ecclesiæ fluctuãtis, & posteriora exuberantis agnoscas. Pisces enim sunt, qui hanc enauigant vitã. Ibi adhuc discipulis Christus dormit, hic præcipit. Dormit enim trepidis, perfectis vigilat. Sed quemadmodùm dormiat Christus, audi dicentẽ in prophetа: Ego dormio, & cor meũ vigilat. Et sanctus Matthæus rectè non prætermittendum putauit æternæ indiciũ potestatis, vbi imperat vẽtis. Nõ est enim humana doctrina, sicut audisti Iudæos dicere, Verbo imperat spiritibus: sed cœlestis maiestatis insigne. Quòd turbatũ sedatur mare, & diuinæ vocis imperio obsequuntur elementa, atq; insensibilia sensum accipiunt obsequendi, diuinæ mysterium gratiæ reuelatur. Quòd fluctus miteſcunt seculi, verbo immundus spiritus conquiescit, non alterũ altero refellitur, sed vtrunq; celebratur. Habes miraculũ in elemẽtis, habes documentũ in mysterijs. Ergo quia sanctus Matthæus illa prælibauerat, sanctus Lucas eam sibi nauim, in qua Petrus piscaretur, elegit. Non turbatur ista, quæ Petrum habet: turbatur illa, quæ Iudã habet: etsi multa illic discipulorũ merita nauigabãt, tamen adhuc eã perfidia ꝓditoris agitabat. In vtraq; Petrus. Sed qui suis meritis firmus est, turbatur alienis. Caueamus igitur perfidũ, caueamus proditorẽ, ne pervnum plurimi fluctuemus. Ergo non turbatur hæc nauis, in qua prudẽtia nauigat, abest perfidia, fides spirat. Quemadmodũ enim turbari poterat, cui præerat is, in quo Ecclesiæ firmamentũ est? Illic ergo turbatio, vbi modica fides: hic securitas, vbi perfecta dilectio. Denique etsi alijs imperatur vt laxent retia sua, soli tamen Petro dicitur: *Duc in altum*, id est, in profundum disputationũ. Quid enim tam altum, quàm altitudinẽ diuitiarum videre, scire Dei filiũ, & professionẽ diuinæ generationis assumere? Quã licet mens nõ queat humana plenè rationis inuestigatione comprehendere, fidei tamẽ plenitudo cõplectitur. Nam etsi non licet mihi scire quemadmodũ natus sit, non licet tamen nescire quòd natus sit. Serié generationis ignoro, sed authoritatẽ generationis agnosco. Nõ interfuimus, cũ ex patre filius Dei nasceretur, sed interfuimus, cũ à patre filius Dei diceretur. Si Deo non credimus, cui credemus? Omnia quæ credimus, vel visu credimus, vel auditu. Visus sæpè fallitur, auditus in fide est. An asserentis persona discutitur? Si viri boni dicerent, nefas putaremus non credere. Deus asserit, probat filius, refugiens sol fatetur, tremens terra testatur. In hoc altũ disputationis Ecclesia à Petro ducitur, vt videat hinc resurgentẽ filiũ Dei, inde spiritũsanctũ profluentẽ. Quæ sunt aũt Apostolorũ, quæ laxare iubẽtur, retia, nisi verborum complexiones, & quasi quidam orationis sinus, & disputationum recessus, qui eos quos ceperint non amittant? Et benè apostolica instrumenta piscandi retia sunt, quæ non captos perimunt, sed reseruant, & de profundo ad lumen extrahunt, fluctuantes de infernis ad superna transducunt. Est & aliud Apostolicum piscandi genus, quo genere solum Petrum piscari Dominus iubet, dicens: Mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit, tolle. Magnum quidẽ est & spirituale documentũ, quo Christiani viri sublimioribus potestatibus docentur debere esse subiecti, ne quis constitutionem regis terreni putet esse soluendam. Si enim censum filius Dei soluit, quis tu tantus es, qui non putes esse soluẽdum? Et ille censum soluit, qui nihil possidebat: tu autem qui seculi sequeris lucrum, cur seculi obsequium non recognoscas? Cur te supra seculum quadam animi arrogantia feras, quũ seculo sis misera cupiditate subiectus? Penditur igitur didrachma, quod erat preciũ nostræ redemptionis & corporis, in lege promissum, in euangelio persolutũ, non ociosè in ore piscis inuentũ. Ex ore enim tuo iustificaberis. Etenim precium immortalitatis est nobis nostra confessio, quia sicut scriptum est: Ore confessio fit ad salutem. Et fortassè primus hic piscis, primus est martyr, in ore habens didrachma, hoc est, precium census. Didrachma nostrum, Christus est. Habebat ergo primus ille martyr, Stephanus scilicet, in ore thesaurum, cùm Christum in passione loqueretur. Sed reuertamur ad propositum locum, & discamus Apostolicã humilitatem. *Præceptor, inquit, per totam noctem laborantes nihil cepimus, sed in uerbo tuo laxabo retia.* Et ego Domine scio, quia nox mihi est, quãdo non imperas. Nemo adhuc nomen suum dedit, adhuc noctem habeo.

Vt Christus dormiat. Can. 5.

Petri nauis nõ turbatur.

Petri piscatio.

Retia.

Matth.

Mat.

Mis

Misi iaculum vocis per epiphaniam, & adhuc nihil cepi: misi per diem, expecto vt iubeas, in verbo tuo laxabo retia. O vacua præsumptio, ô humilitas fructuosa: qui nihil antè ceperant, magnam in verbo Dei concludunt piscium multitudinem. Non hoc humanæ facundiæ opus, sed supernæ vocationis est munus. Cedunt disputationes hominum, fide sua plebs credit. Rũpuntur retia, nec labitur pisces. Vocantur ad adiumentũ socij, qui erant in alia naui. Quæ est illa alia nauis, nisi fortè Iudæa, ex qua Ioannes & Iacobus alleguntur? Facta est enim Iudæa sanctificatio eius. Hi igitur de synagoga ad nauim Petri, hoc est, ad Ecclesiam conuenerunt, vt implerent ambas nauiculas. Omnes enim in nomine Iesu genu flectunt, siue Iudæus, siue Græcus: omnia, & in omnibus Christus. Sed mihi cumulus iste suspectus est, ne plenitudine sui naues penè mergãtur. Oportet enim & hæreses esse, vt probentur boni. Possumus tamen & aliam Ecclesiam intelligere nauim alterius: Ab vna enim plures Ecclesiæ deriuantur. Ecce alia solicitudo Petri, cui sui iam præda suspecta est. Sed nouit perfectus, quẽadmodùm seruare possit recondi tos, qui scit quemadmodũ capere possit dispersos, Quos in verbo capit, verbo credit: negat suã prædam, negat suũ munus. *Exi, inquit, à me Domine, quia homo peccator sum.* Admirabatur enim dona diuina, & quò plùs meruerat, hoc præsumebat minùs. Dic & tu: Exi à me Domine, quia homo peccator sum, vt respondeat tibi Dominus: Noli timere indulgenti Domino peccatum fateri: noli timere etiã quæ tua sunt Domino deferre, quia quæ sua sunt, nobis ille concessit. Nescit inuidere, nescit eripere, nescit auferre. Vides quàm bonus Dominus, qui tantum tribuit hominibus, vt viuificandi habeant potestatem.

Psalm. 113

Nauis Petri, Ecclesia.

1. Cor. 11.

EADEM DOMINICA. HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Cùm turbæ irruerent ad Iesum, ut audirent uerbum Dei, & ipse stabat secùs stagnum Genezareth, & cæt. Luc. 5.

STagnum Genezareth ipsum est, quod mare Galilææ: vnde & Matthæus hæc eadem scribens, ait: Ambulans aũt Iesus secùs mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus & Andreã fratrem eius, mittẽtes rete in mare: (erant enim piscatores) & vocauit eos. Matthæus itaq; alijs omnibus, quæ in hoc Euangelio narrantur, prætermissis, solam vocationem Apostolorum scribit. Lucas autem non solùm Apostolorum vocationem, sed alia quæ nunc temporis Dominus egit, latiùs narrat. Nemo hic narrationis ordinẽ quærat, vbi ea quæ posteriùs scribuntur, tẽpore priora inueniuntur. *Et vidit duas naues stantes secùs stagnum: piscatores autem descenderant, & lauabant retia.* Duæ naues, duo populi sunt, Iudæorum scilicet, & Gentilium. Piscatores autem, vtriusq; populi doctores & rectores intelliguntur. Et in altera quidem pontifices & sacerdotes, in altera verò philosophi & poëtæ piscari solebant. Retia autem lauare est, suæ prædicationis sententias exponere & dilucidare. *Ascendens autem in unam nauem, quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere pusillum: & sedens docebat de nauicula turbas.* In nauiculam Simonis Dominus ascendit, quia ad synagogam & Iudæorum populum prædicare venit. Vnde ipse ait: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël. De hac enim Simonis nauicula Apostolus dicit: Qui operatus est Petro in Apostolatum circuncisionis, operatus est & mihi inter gentes. Simonis igitur nauicula, Synagoga est, in qua Dominus residens turbas docebat: quia ibi Euangelium prædicauit, vbi omnes gentes docentur, & ad fidem vocantur. *Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia uestra in capturam.* Tunc enim Dominus loqui cessauit, quando post passionem suam à prædicatione quieuit. Et tunc quidem præcipit Simoni, alijsque apostolis omnibus, vt nauiculã in altum ducerent, & retia in capturam laxarent, dicens eis: Ite in vniuersum mundum, prædicate euangelium omni creaturæ. Itemq;: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritusanctí. Mare igitur est mundus. Vnde Psalmista: Hoc mare magnum & spatiosum, illic reptilia quorum non est numerus. De cuius etiam altitudine & profundo sic ait: Deus noster refugium & virtus, adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis: propterea non timebimus dum conturbabitur terra, & transferentur montes in cor maris. Retia verò Euangelia sunt, quorum sentẽtijs fideles animæ capiuntur & illaqueantur. Multa enim retia, multosq; piscatores habet Ecclesia. *Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totã noctem laborantes nihil cepimus.* Sic enim & Synagoga, quanuis multùm laborasset, retia misisset, scripturas exposuisset, legem & prophetas prædicasset, tamen quia hoc in nocte, id est, in tenebris ignorantiæ faciebat, siquidem quid diceret nõ intelligebat, valdè paucos ex Gentili populo capere, & ad se conuertere potuit. *In uerbo aũt tuo laxabo retia. Et cũ hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinẽ copiosam.* Hoc est enim quod per Psalmistam dicitur: Annunciaui & loquutus sum, multiplicati sunt super numerũ. Itẽq;: Mihi autẽ nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum: dinumerabo eos, & super arenã multiplicabuntur. *Rumpebatur autem rete eorum: & annuerunt socijs qui erant in alia naui, ut uenirent & adiuuarent eos. Et uenerũt, & impleuerũt ambas nauiculas,*

Duo naues, duo populi.

Mat. 15

Gal. 2.

Mar. 16.

Matth. 28

Mare, mũdus.

Psalm. 103

Psalm. 45.

Retia, euãgelia.

Psalm. 39

Psal. 138.

ita

Universidad de Deusto
Biblioteca

ita ut penè mergerentur. Tunc enim Ecclesiæ & Apostolorum rete rumpitur, quandò Iudæi, hæretici, & infideles violentis argumentationibus Euangelicæ prædicationi contradicunt. Vnde

Rete rumpitur.

1. Cor. 16. Apostolus: Ostium mihi magnum apertum est & euidens, & aduersarij multi. Veniùt igitur his in adiutorium socij de alia naui, quia ex alijs omnibus Ecclesijs episcopi & sacerdotes vndiq; in vnum conueniunt, veritatem aperiunt, hæreticos damnant, & eos quos illi fraudulenter decerperant, ad fidem & Ecclesiam reuocant. *Quod quum uideret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum Domine. Stupor enim circundederat eum, & omnes qui cum illo erant, in captura piscium quam ceperant. Similiter autem Iacobum & Ioannem filio Zebedæi, qui erant socij Simonis.* Apostolus

1. Cor. 1. enim dicit: Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt perdat sapientia: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ea quæ non sunt, vt

Ibidem. ea quæ sunt destrueret. Itemq;: Quia non agnouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultos prædicatores saluos facere credẽtes. Quis igitur non obstupescat? quis non miretur per tales prædicatores mundũ cõuersum, philosophos superatos, mundi sapientiam destructã, & intra fidei retia atque in Ecclesiæ nauiculam, tantam piscium multitudinem esse collectam, præsertim quum prædicarent Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam? Sed quid significat, quòd Simon Petrus ait: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum,* nisi hoc quod in Canticis Canticorum Ecclesia

Can. 8. dicit, Fuge dilecte mi, fuge, assimilare capreæ hinnuloq; ceruorum super montes aromatum? Matth. 23 Vnde & ipse Iudæis Dominus loquitur, dicens: Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Diximus enim nauiculam Simonis, synagogam significare. Hanc igitur Dominum relinquere Petrus significabat, quando vt à se exiret, eum rogabat. *Et ait ad Simonem Iesus: Noli timere, ex hoc iam homines eris capiens.* Ne timeas, inquit, ne obstupescas, sed potiùs gaude & crede, quia maiori piscationi prædestinatus es. Vsq; modò pisces cepisti, amodò homines eris capiens: alia nauis, & alia retia dabuntur tibi. *Et subductis ad terram*

Hæc ex cap. 6. Lucæ huc adiecta sunt. *naubus, relictis omnibus secuti sunt eum.* Factum est autem in sabbato secundo primo, cùm transiret per sata, vellebant discipuli eius spicas, & manducabant, confricantes manibus. Quia alia omnia in Matthæo exposita sunt, hoc solùm restat, vt quid significet in sabbato secundo primo, dicamus. Tria enim prima. i. principalia & maxima Sabbata habebant Iudæi, quia tres in anno festiuitates primas & maximas celebrabant. Primum enim principale Sabbatum in Martio erat, id est, Pascha. Secundum verò, quando spicarum manipulos offerebant. Tertium autem in mense septimo colebatur. Secundum igitur primum, id est, principale & maximum Sabbatum,

Tria præcipua apud Iudæos sabbata.

Ibid. illud erat, in quo spicarum manipulos offerebant. Et de his quidem in Leuitico satis diximus.

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN,

In Epistolam Concio exegetica.

HAbemus hac die lectionem ex Epistola ad Romanos, cuius hæc ferè summa est, vt etiam totius scripturæ diuinæ, vt declinemus à malo & faciamus bonum. Multi sæpè gratia per Christum nobis oblata abutuntur ad peccandi maiorem licentiam, & adeò pro peccatis nostris Christum satisfeciſſe putant, vt nobis iam securis liceat dormire in vtramuis aurem, non virtutibus gnauiter incumbere, non magnoperè charitatis, misericordiæ, pœnitentiæ operibus vacare: omnia enim sola fide transigi. Hi nimirùm sibijpsis mi serè imponunt, & Christi gratia se reddunt indignos. Porrò ea persuasio ex multa animi ruditate, & scripturæ diuinæ praua intelligentia proficiscitur. Non opus habet longa confutatione: nam ipsa quoque recta ratio eam prorsùs respuit & explodit. Apostolum Paulum audiamus: *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in mortem ipsius baptizati sumus.* Hoc dicit, secundùm Ambrosium, vt sciamus baptizatos nos iam non debere peccare: quia cùm baptizamur, commorimur Christo. hoc est in morte eius baptizari. Illic enim omnia peccata nostra moriuntur, vt innouati deposita morte, resurgere videamur ad

Baptismus mortis Christi.

vitam renati. vt quomodò Christus mortuus peccato resurrexit, ita & nos per baptismum *spem* resurrectionis habeamus. Baptismum itaque mors peccati est, vt alia sequatur natiuitas, quæ corporis manente compagine, hominem mente innouat, sepulta omnium malorum actuum vetustate. Sic Ambrosius Latinus. audi & Græcum Chrysostomum: Quid est quod dicit, In mortem ipsius baptizati sumus? Hoc scilicet baptisma crux est, vt & nos quemadmodùm ipse mortuus est, moriamur. Quod igitur crux & sepulchrum Christo fuit, id nobis baptismus factus est, licet non omninò in rebus ijsdem. Ipse quidem carne & mortuus est & sepultus: nos verò peccato vtrunque sumus. Propterea non dicit, Complantati morti illius, sed similitudini mor-

Ritus.

tis illius. Mors quidem vtrinque est, & illa & ista: verùm non eodem subiecto. Illa siquidem, quæ Christi est, carnis: quæ verò nostra, peccati est. Quemadmodum autem verax illa, ita verax & ista. Veruntamen vt sit vera, oportet vt quæ nostræ partis sunt simul adiungantur. Hæc Chrysostomus. *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodò Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Mori prius oportet peccato, inquit in

Moriendũ peccato.

hunc locum Origenes, vt possis sepeliri cũ Christo. Mortuo enim sepultura debetur. Si enim viuis adhuc peccato, consepeliri non potes Christo, nec in nouo eius sepulchro collocari: quia vetus homo tuus viuit, & non potest in nouitate vitæ ambulare. Propterea nanque curæ fuit spiritui sancto tradere per scripturas, quòd & sepulchrum nouum fuerit, in quo sepultus est Iesus, & quòd in sindone munda obuolutus sit: vt sciat omnis, qui consepeliri vult Christo per baptismum, nihil vetustatis ad sepulchrum nouum, nihil immunditiæ ad mundam sindonem deferendum. Ista est ergo mors beata, de qua dicit Apo-

2. Cor. 4. stolus, Quia semper mortem Iesu Christi in cor-

Ephes. 4. pore nostro circunferimus. Et infrà: Nouitas vitæ est, ait, vbi veterem hominem deposuimus cũ actibus suis, & induimus nouum qui secundùm

Col. 3. Deum creatus est, & qui renouatur in agnitione Dei secundùm imaginem Dei, secundùm imaginem eius qui creauit eum. Neque enim putes, quòd innouatio vitæ quæ dicitur, semel facta sufficiat, sed semper quotidiè, si dici potest, ipsa nouitas innouanda est. Sic enim dicit Apo-

2. Cor. 4. stolus: Nam etsi is, qui foris est, homo noster corrumpitur: sed qui intùs est, renouatur de die in diem. Sicut enim vetus semper veterascit, & de die in diem vetustior sit: ita & nouus hic semper innouatur, & nunquam est, quando non innouatio eius augescat. Intuere denique eos, qui in fide proficiunt, & quotidiè in virtutibus enitescunt, quomodò semper bonis operibus adijciant meliora, & honestis actibus honestiora conquirant &c. Hæc Origenes. *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.* Tunc nos feliciter dicit posse resurgere, ait Ambrosius, si similitudini mortis eius fuerimus complantati: id est, si in baptismo omnia vitia deponentes, in nouam vitam translati, decæterò non peccemus: per quod simul & resurrectionis eius similes erimus. Similitudo enim mortis similem præstabit resurrectionem. Ita Ambrosius, cui pulchrè consentiens Chrysostomus, Duas, ait, hìc mortificationes, mortemque duplicem ponit Apostolus. Priorem quidé, qua sumus à Christo in baptismate regenerati: alteram verò quæ debeat à nobis, post acceptam gratiam, impensã nostra diligentia fieri. Quòd enim priora peccata nostra sepulta sunt, illius dono factum est: vt verò post acceptum baptisma peccato mortui perseueremus, nostræ diligẽtiæ requirit operam, licet & hìc videamus Deum in multis & maximis auxilio suo nobis adesse. Non enim ad hoc tantùm valet baptismus, quòd priora delicta delet, sed quòd & ad futura cauẽda munit. Quemadmodùm igitur ad priora peccata delenda fidem attulisti, ita & ad ea quæ futura sunt, animi veteris immutationem ostendere oportet, ne denuò teipsum pristinis sordibus contamines. His adiungamus etiam Ada-

Mors duplex.

mantium Origenem, ita dicentem: Videamus quid est complantari similitudini mortis Christi: in quo velut plantam alicuius arboris ostendit mortem Christi, cui nos complantatos vult esse, vt ex succo radicis eius radix quoque nostra suscipiens producat ramos iustitiæ, & fructus asserat vitæ. Quòd si vis de scripturis agnoscere, quæ ista sit planta, cui complantati esse debeamus, & cuius generis arbor, audi quid de sapientia scribitur: Arbor, inquit, vitæ est omnibus

Prou. 3.

sperantibus in se, & qui confidunt in ea tanquã in Domino. Christus ergo Dei virtus & Dei sapientia, ipse est arbor vitæ, cui complantari debemus, & nouo quodam atque amabilis Dei dono, mors illius arbor nobis vitæ efficitur. Igitur complantari nos vult mortis eius similitudini, qua peccato mortuus est semel, vt possimus & resurrectioni eius esse complantati. Ad vtrunq; enim subaudiri debet, complantati. Et vide quã necessariò formã plantationis assumpserit. Omnis etenim planta post hyemis mortem resurrectionem veris expectat. Si ergo & nos in Christi morte complãtati sumus in hyeme seculi huius & præsentis vitæ, etiam ad futurum ver inueniemur fructus iustitiæ ex ipsius radice proferentes: & si cõplantati sumus ei, necesse est vt pater

Ioan 15.

agricola purget nos tanquàm palmites vitis veræ, vt fructum plurimum afferamus. Hæc Origenes. *Hoc scientes, quia uetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultrà non seruiamus peccato.* Futuræ resurrectionis causam, secundũ Chrysostomum, simul & probationem ponit: & non dicit, Crucifixus est, sed, Simul crucifixus est cum illo, baptisma cruci quam proximè addu

Christus, arbor uitæ

cens. Vnde & suprà dixit, Cõplantati facti sumus similitudini mortis ipsius, vt aboleretur corpus peccati: non hoc corpus ita vocans, sed vniuersam illam malitiam nostram, quemadmodùm & omnem malitiam, veterem hominem vocat. Quòd verò non sit incerta quædam coniectura quod hìc dicitur, ex ijs quæ sequuntur, ipso Paulo idem ipsum interpretante, audire poteris. Cũ enim dixisset, Vt aboleretur corpus peccati, subiũxit, Vt posthac iam non seruiamus peccato. Volo siquidem, vt corpus hoc nostrum peccato sit mortuum, non vt perdatur & interimatur, sed vt non peccet. Sic Chrysostomus, cui Origenem placet adiungere, his verbis locum hũc interpretantem: Veterem hominem dicimus, *Vetus homo* qui secundùm Adam vixit præuaricationi ob- *noxius.*
noxius & peccato, & cui dominata est mors peccati, de quo chirographa peccati tenuit ille, qui habebat mortis imperium: Quæ quia Christus sanguine suo delens, cruci suæ affixit, etiam nos, *col. 2.*
qui peccato secundùm veterem hominem obnoxij fuimus, crucifixi esse debemus, vt destruatur corpus peccati, vt vltrà non seruiamus peccato. Hucusque Origenes. Porrò Theodoretus per veterem hominem non naturam, sed praua mentem dicit accipi oportere. Oecume-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nius, Vetus, inquit, homo, hoc est, condemnata vita, simul cum Christo crucifixa est per baptisma. Vnde etiam dicit Apostolus in eo destrui corpus peccati, hoc est, mala opera mortem expectare, quippe quæ corpus vocat peccati. D. Ambrosius per hominem veterem actus præteritos (scilicet ante baptismum) intelligit, addit-

Nouus homo. que: Quia sicut nouus homo per fidem & purã vitam ducitur, ita & vetus homo per diffidentiam & malos actus. Hos actus crucifixos dicit Apostolus, id est, mortuos, vt corpus destruatur peccati, quod est cuncta crimina. Omnia enim peccata limul, corpus appellat, quod destrui dicit per bonam vitam & fidem catholicam. Hæc Augustinus, *Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato.* De quouis istud homine dicit, ait Chrysostomus: nimirùm quòd quemadmodùm qui moritur, liber iam est à peccatis, quamprimùm mortuus deponitur: ita & qui à baptismate ascédit. Quandoquidem enim qui baptizatus est, in baptismate peccato mortuus est semel, oportet vt & in morte peccati perduret. Itaque si peccato in baptismate mortuus es, perseuera mortuus. Etenim quisquis moritur, vtique iam ampliùs peccare non poterit. Si verò peccaueris, perdes donum Dei. Hæc Chrysostomus. *Si autem mortui sumus cum Christo, credamus quia simul etiam uiuemus cũ*

Mori mũdo, & commori Christo. *illo.* Manifestum est, inquit Ambrosius, hos qui carnem crucifixerunt, id est, mundum cũ vitijs & concupiscentijs eius, mori mundo & commori Christo, æternæ quoque vitæ ac salutari coimaginari, vt gloriæ Christi similes effici mereantur. Caro verò, id est, corpus sic crucifigitur, si desideria eius calcentur, quæ manente in ea peccato, creantur ex præuaricatione primi hominis cœpta. In carne enim diabolus crucifigitur: ipse enim est, qui fallit per carnem. Caro ergo aliquando mundus, id est, elementa: aliquando verò corpus hominis intelligitur, vel ipsa anima sequens corporea vitia. Sic Ambrosius. Qui ergo volunt viuere in illa beata æternitate cũ Christo, hic interim moriantur vitijs, & ambulent in vitæ nouitate: carnis prauas cupiditates, mundi vanitatem & fastum, satanæ pestiferas suasiones pessum premant & profligent: sintque Domino suo pro ipsis crucifixo & mortuo fideles vsq; ad mortem, & accipient ab illo coronam vitæ. *Scientes quòd Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quòd autem uiuit, uiuit Deo.* Secundùm Ambrosium, securitatem æternitatis in resurrectione Saluatoris ostendit, ad quam venire contingit, si melioris vitæ fuerit æmulatio. Qui enim benè agẽdo viuit Deo, hic verè viuit, quia æternã habet vitã. Chrysostomi in hunc locum ista hæc est oratio: Obserua, inquit, iterum Pauli contentionem, quomodò ex contrarijs etiam hocipsum probet. Quandoquidem enim meritò quis propter crucem & mortem Christi turbari tumultuarique posset, ostendit quòd propter hocipsum, quòd crucifixus est & mortuus, confidentem deinceps esse oporteat. Non enim putandum, inquit, ideò mortalem illum esse, quòd semel mortuus est. etenim propter hocipsum immortalis manet. Mors siquidem ipsius, non ipsius sed mortis facta est mors. Propterea siquidem quòd mortuus est, iam non moritur. Mortem quippe illam peccato mortuus est. Quid est peccato mortuus? Hoc est, Non quòd illi esset obnoxius, sed propter nostrum peccatum mortuus est. Vt enim illud tolleret, neruosque illius atque omnem simul potentiam abscinderet, mortuus est. Vides quomodò terruerit? Si enim secundò Christus non moritur, alterum denuò non erit lauacrũ. Si verò lauacrũ non est alterũ, noli ad peccatũ procliuius esse. Hæc enim omnia dicit, vt resistat ei conuicio, quo dicebant quidam, Faciamus mala, vt eueniant bona. &: Maneamus in peccato, vt gratia abundet. Quòd verò viuit, Deo, inquit, viuit, hoc est, sine fine, vt qui dissolui deinceps nequeat. Hæc Chrysostomus. *Ita & uos existimate, uos mortuos quidẽ esse peccato, uiuẽtes autẽ Deo in Christo Domino nostro Iesu.* Quò scilicet imitatione Christi, ait Origenes, peccato moriamur, alieni ab eo effecti, & Deo viuamus, iungẽtes nos ei, vt vnus cum eo spiritus facti. Non sine causa hoc dixit, Existimate vos mortuos esse peccato. Qui enim cogitat vel existimat apud semetipsũ, esse se mortuũ, nõ peccat. Verbi gratia: si me cõcupiscentia mulieris trahit, si argẽti, si auri, si prædij cupiditas pulset, & ponam in corde meo, quòd mortuus sim cum Christo, & de morte cogitem, continuò extinguitur concupiscentia, & effugatur peccatum. Aut si odio vel ira inflammatus, ad necem cõciter inimici mei, si me existimem mortuum esse cum Christo, & cogitationes mortis ponam in animo meo, extinguitur sine dubio ira, furor cessat, odium conquiescit, peccato non datur locus: & hoc modo peccato quis mori inuenitur, & viuere Deo. Sed & hoc quod addidit, Viuentes Deo in Christo Iesu, non mihi otiosum videtur. Simile enim puto esse, quasi dixisset, Viuentes Deo in sapientia, in pace, in iustitia, in sanctificatione: quæ omnia Christus est. In his ergo viuere Deo, hoc est in Christo Iesu viuere Deo. Quòd si sine iustitia, & sine pace, & sine sanctificatione cæterisque virtutibus nemo viuit Deo, certum est quòd nemo viuat Deo, nisi in Christo. Hæc Origenes. Faxit Dominus Deus, vt peccatis moriamur, & ipsi vni viuamus, qui est benedictus in secula, AMEN.

DOMINICA

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN,

Matth. V.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Amen dico uobis, quia nisi abundauerit iustitia uestra plùs quàm scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Et reliqua. Homilia beati Augustini episcopi, Libro I. de Sermone Domini in monte.

POsteaquàm Dominus cohortatus est audientes, vt se præpararent ad omnia iustinenda pro veritate atque iustitia, & vt non absconderent bonum quod accepturi erant, sed ea benevolentia discerent, vt cæteros docerent, non ad laudem suam, sed ad gloriam Dei bona opera sua referentes: incipit eos iam informare & docere quod doceant, tanquàm si quærerent, dicentes: Ecce volumus omnia sustinere pro nomine tuo, & doctrinam tuam non abscondere: sed quid est hoc ipsum quod veras abscondi, & pro quo iubes omnia tolerari? Nunquid alia dicturus es contra ea, quæ in lege scripta sunt? Non, inquit: Nolite enim putare, quoniam veni soluere legem, & prophetas.

Matth. 5. Non veni soluere, sed adimplere. In hac sententia duplex sensus est: secundùm vtrunq; tractandum est. Nam qui dicit, Non veni soluere legẽ, sed adimplere: aut addendo dicit quòd minùs habet, aut faciendo quod habet. Illud ergo prius consideremus, quod primum posuimus. Nam qui addit quod minùs habet, non vtique soluit quod inuenit, sed magis perficiendo confirmat. Et ideò sequitur & dicit: Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota vnum, aut

Ibidem. vnus apex, non peribit à lege, donec omnia fiãt. Dum enim fiunt etiam illa quæ addũtur ad perfectionem, multo magis fiunt illa, quæ præmissa sunt ad inchoationem. Quòd autem ait, Iota vnũ aut vnus apex nõ tranlibit à lege, nihil aliud

Vide Aug. in. l. 1. Retract. cap. 19. potest intelligi, nisi vehemens expressio perfectionis, quando per literas singulas demonstratum est: inter quas literas iota minus est cæteris, quia vno ducto fit: apex autem est etiam ipsius aliqua in summo particula. Quibus verbis ostendit in lege ad effectum etiam minima quæque perduci. Deinde subiecit: Qui enim soluerit vnum de mandatis istis minimis, & sic docuerit homines, minimus vocabitur in regno cælorum. Mandata ergo minima significantur per vnum iota, & vnum apicem. Qui ergo soluerit & docuerit sic, id est, secundùm id quod soluit, nõ secundùm id quod inuenit & legit, minimus vocabitur in regno cælorum: & fortasse non erit in regno cælorum, vbi nisi magni esse non possunt.

Matth. 5. Qui autem fecerit & docuerit sic. Qui aũt fecerit, hoc est, qui nõ soluerit & docuerit sic, id est, secundùm id quod non soluit, magnus vocabitur in regno cælorum. Qui ergo magnus vocabitur in regno cælorum, sequitur vt etiam sit in regno cælorum, quò magni admittuntur. Ad hoc enim pertinet, quod sequitur: *Dico enim uobis, quia nisi abundauerit iustitia uestra plus quàm scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum,* id est, Nisi non solùm illa minima legis præcepta impleueritis, quæ inchoant homines, sed etiam ista quæ à me adduntur, qui non veni soluere legem, sed implere, non intrabitis in regnũ cælorum. Sed dicis mihi: Si de illis mandatis minimis, cùm superiùs loqueretur, dixit minimũ vocari in regnum cælorum quisquis vnum eorũ soluerit, & secundũ solutionẽ suã docuerit, magnum autem vocari, quisquis ea fecerit & sic docuerit: & ex eo iam in regno cælorum futurum esse, quia magnus est: quid opus est addi præceptis legis minimis, si in regno cælorum potest esse, quia magnus est, quisquis ea fecerit, & sic docuerit? Quapropter sic est accipienda illa sententia: Qui autem fecerit & docuerit sic, magnus vocabitur in regno cælorum. i. non secundùm illa minima, sed secundùm ea quæ ego dicturus sum. Quæ sunt autem ista? Vt abundet, inquit, iustitia vestra super scribarum & pharisæorũ: quia nisi abundauerit, non intrabitis in regnum cælorum. Ergo qui soluerit illa minima, & sic docuerit, minimus vocabitur. Qui autem fecerit illa minima, & sic docuerit, non iam magnus habendus est & idoneus regno cælorum, sed tamen nõ tam minimus, quàm ille qui soluit. Vt autem sit magnus, atque illo regno aptus, facere debet & docere, sicut Christus nunc docet. i. vt abundet iustitia eius super scribarum & pharisæorum. Iustitia pharisæorum est, vt non occidant: Iustitia eorum qui intraturi sunt in regnum Dei, vt non irascantur sine causa. Minimum est ergo nõ occidere: & qui illud soluerit, minimus vocabitur in regno cælorum. Qui aũt illud impleuerit vt non occidat, non continuò magnus erit & idoneus regno cælorum, sed tamen ascendit aliquem gradum: perficietur autem, si nec irascatur sine causa. Quod si perfecerit, multo remotior erit ab homicidio. Quapropter qui docet vt non irascamur, non soluit legem ne occidamus, sed implet potiùs, vt & foris dum non occidimus, & in corde dum non irascimur, innocentiã custodiamus. *Audistis ergo, inquit, quia dictum est antiquis, Non occides. Qui autem occid erit, reus erit iudicio.* Exod. 20. *Ego autem dico uobis, quia omnis qui irascitur fratri suo* Deut. 5. *sine causa, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo,* Vide 1. *racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit* Retract. *gehennæ ignis.* Quid interest inter reum iudicio, cap. 19. & reum concilio, & reum gehennæ ignis? Nam hoc postremum, quod grauissimum sonat, admonet gradus quosdam factos à leuioribus ad grauiora, donec ad gehennam ignis veniretur. Et ideò si leuius est esse reum iudicio, quã esse reum consilio: item leuius esse reum concilio, quàm reum gehennæ ignis: oportet vt leuius

Etiã Christi præcepta seruãda.

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse intelligatur irasci sine causa fratri, quàm dicere racha ? & rursùm leuius esse dicere racha, quàm dicere fatue. Non enim reatus ipse haberet gradus, nisi gradatim etiã peccata cõmemorarentur. Vnum aũt hic verbum obscurum positum est, quia nec Græcũ est nec Latinum, racha. Cætera verò in sermone nostro vsitata sunt. Nõnulli aũt de Græco trahere voluerunt interpretationem huius vocis, putantes pannosum dicere racha, quoniam Græcè pannu ῥάκος dicitur. A quibus tamen cùm quæritur quid dicatur Græcè pannosus, non respondent racha. Deinde posset Latinus interpres vbi posuit racha, pãnotum ponere, nec vti verbo quod in lingua Latina nullum sit, & in Græca inusitatum. Probabilius ergo est, quod audiui à quodam Hebræo, cùm id interrogassem. Dixit enim esse vocem non significantem aliquid, sed indignantis animi motum exprimentem. Has interiectiones grammatici vocant particulas orationis, significantes cõmoti animi affectũ, velut cùm dicitur à dolẽte, heu: vel ab irascente, hem. Quę voces quarũcunq; linguarum sunt propriæ, nec in aliam linguã facilè transferuntur. Quæ causa vtiq; coẽgit tam Græcum interpretem, quàm Latinũ, vocem ipsam ponere, cùm quomodò eam interpretaretur, nõ inueniret. Gradus itaq; sunt in istis peccatis, vt primòquisq; irascatur, & eum motum retineat corde conceptum. Iam si extorserit vocem indignãtis ipsa commotio, non significantẽ aliquid, sed ipsa commotio, non significanté aliquid, sed illum animi motum ipsa eruptione testanté, quaferiatur ille cui irascimur, plus est vtiq;, quàm si surgens ira silentio premeretur. Si verò nõ solũ vox indignãtis auditur, sed etiam verbum, quod iam certam vituperationem eius in quẽ profertur, designet & notet, quis dubitet amplius hoc esse, quàm si solus indignationis sonus ederetur? Itaq; in primo vnũ est. i. ira sola. In secũdo duo, & ira, & vox quæ iram significat. In tertio tria, & ira, & vox quæ iram significat, & in voce ipsa certa vituperationis expressio. Vide nunc etiã tres reatus, iudicij, concilij, & gehennæ ignis. Nam in iudicio adhuc defensioni datur locus. In cõcilio autem quanquam & iudicium esse soleat, tamen quia interesse aliquid hoc loco fateri cogit ipsa distinctio, videtur ad concilium pertinere sententiæ prolatio, quando non iam cum ipso reo agitur, vtrùm damnandus sit, sed inter se qui iudicant cõferunt, quo supplicio damnari oporteat, quem constat esse damnandum. Gehenna verò ignis, nec damnationem habet dubiam, sicut iudicium, nec damnati pœnam, sicut concilium. In gehenna quippe ignis certa est & damnatio, & pœna damnati. Videntur ergo aliqui gradus in peccatis & reatu, sed quibus modis inuisibiliter exhibeantur meritis animarum, quis potest dicere ? Audiendum est itaque, quantùm interfit inter iustitiam pharisæorum, & istam maiorẽ, quę in regnum cælorũ introducit: quę cùm sit grauius occidere, quàm verbo irrogare conuicium, ibi occisio facit reum iudicio, hic autem ira facit reum iudicio, quod trium illorum peccatorum leuissimum est: quia illi quæstionem homicidij inter homines agitabant, hic autem omnia diuino iudicio committuntur, vbi finis damnatorum est gehenna ignis. Quisquis autem dixerit, quòd grauiori supplicio in maiore iustitia punitur homicidium, si gehenna ignis punitur conuicium, cogit intelligi esse differentias gehennarum. Sanè in tribus istis sententijs subaudiri verborum intuenda est. Habet enim prima sententia omnia verba necessaria, vt nihil subaudiatur. Qui irascitur, inquit, fratri suo sine causa, reus erit iudicio. In secunda verò cùm ait: Qui autem dixerit fratri suo, racha, subauditur, sine causa, & ita iungitur, reus erit concilio. Iam in tertia vbi ait: Qui autem dixerit fatue, duo subaudiuntur, & fratri suo, & sine causa. Hoc est vnde defenditur, quòd Apostolus Galatas vocat stultos, quos etiam fratres nominat. Nõ enim id facit sine causa. Ideò autem hic frater subaudiendus est, quia de inimico posteà dicitur, quomodò etiam ipse tractandus sit maiore iustitia. Deinde hic sequitur: *Si ergo obtuleris munus tuum ante altare, & illic recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersùm te, relinque ibi munus tuum ante altare, & uade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc ueniens offeres munus tuum.* Hinc vtiq; apparet de fratre dictũ esse superiùs, quoniam sententia quæ sequitur, ea coniũctione connectitur, vt superiori attestetur. Nõ enim ait: Si autẽ obtuleris munus tuum ad altare, sed ait: Si ergo obtuleris munus tuum ad altare. Nã si irasci non est fas fratri sine causa, aut dicere racha, aut dicere fatue, multo minùs fas est animo tenere aliquid, vt in odium indignatio conuertatur. Ad hoc pertinet etiam quod alio loco dicitur: Non occidat sol super iracundiam vestram. Iubemur ergo illaturi munus ad altare, si recordati fuerimus aliquid aduersùm nos habere fratrem, munus ante altare relinquere, & pergere ac reconciliari fratri: deinde venire & munus offerre. Quod si accipiatur ad literam, fortasis aliquis credat ita fieri oportere, si præsens sit frater. Non enim diutiùs differri potest, cùm munus tuum relinquere ante altare iubearis. Si ergo de absente, & quod fieri potest, etiam transmare constituto aliquid tale veniat in mentem, absurdum est credere ante altare munus relinquendum, quod post tot terras & maria peragrata offeras Deo. Et idcircò prorsùs intrò ad spiritalia refugere cogimur, vt hoc quod dictum est, sine absurditate possit intelligi. Altare itaq; spiritaliter in interiore Dei templo ipsam fidem accipere possumus, cuius signum est altare visibile. Quodlibet enim munus offerimus Deo, siue prophetiam, siue doctrinam, siue orationem, siue hymnum, siue psalmum, & si quid tale aliud spiritalium donorum animo occurrerit, acceptũ esse non potest Deo, nisi fidei synceritate fulciatur, & ei fixæ atq; immobili tanquàm altari imponatur.

Racha quid sit.

Tres gradus ire.

Gal. 5.

Ephes. 4.

Altare quid sit.

ponatur, vt possit integrum atq; illibatum esse quod offertur. Nam multi hæretici non habentes altare, id est, veram fidem, blasphemias pro Dei laude dixerunt, terrenis videlicet opinionibus aggrauati, votum suum tanquam in terram proijcientes. Sed debet esse sana etiam offerẽtis intentio. Et propterea cùm tale aliquid oblaturi sumus in corde nostro, id est, in interiore Dei tẽplo, (Templum enim Dei sanctum est, inquit, quod estis vos: Et in interiori homine habitare Christũ per fidem in cordibus nostris) si in mentem venerit, quòd aliquid habeat aduersùm nos frater, id est, si nos eum in aliquo læsimus: tunc enim ipse habet aduersum nos. Nam nos habemus aduersùs illum, si ille nos læserit, vbi nos nõ opus est pergere ad reconciliationem. Nõ enim veniã postulabis ab eo, qui tibi fecit iniuriã, sed tantũ dimittes, sicut tibi à Domino dimitti cupis, quod ipse cõmiseris. Pergendũ est ergo ad reconciliationem, cùm in mentẽ venerit, quòd nos fortè fratrẽ in aliquo læsimus. Pergendũ autem non pedibus corporis, sed motibus animi, vt te humili affectu prosternas fratri, ad quẽ chara cogitatione cucurreris, in conspectu eius cui munus oblaturus es. Ita enim etiam si præsens sit, poteris eum non simulato animo lenire, atq; in gratiam reuocare veniam postulando, si hoc priùs coram Deo feceris, pergens ad eum nõ pigro motu corporis, sed celerrimo dilectionis affectu. Atque inde veniens, id est, intentionem reuocans ad id quod agere cœperas, offeras munus tuum. Quis autem hoc facit, vt fratri suo vel non irascatur sine causa, vel racha non dicat sine causa, vel eum fatuum non appellet sine causa, quod totum superbissimè admittitur: vel si fortè in horum aliquo lapsus fuerit, quod vnum est remedium, supplici animo veniam deprecetur, nisi quisquis inanis iactantiæ spiritu nõ inflatur? Beati ergo pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum

1. Cor. 3.

Matth. 5.

EADEM DOMINICA, HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Amen dico uobis, nisi abundauerit iustitia uestra plùs quàm scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum, &c. Matth. 5.

Matth. 23

SCRIbarum enim & pharisæorum iustitia fuit, vt benè prædicarent, & benè populum admonerent, nõ tamen ea faciebant, quæ prædicabant & admonebant. Vnde alibi Dominus ait: Super cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisæi: omnia ergo quæ dixerint vobis facite, secundùm opera eorũ nolite facere. Quare hoc? Dicunt enim, & non faciunt. Erat igitur eorum iustitia, dicere & nõ facere, legem soluere & non adimplere. Hæc aũt ad cælorũ regnũ properantibus non sufficiunt. *Audistis quia dictũ est antiquis: Non occides: qui aũt occiderit, reus erit iudicio. Ego aũt dico uobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: qui aũt dixerit fratri suo racha, reus erit concilio: qui autẽ dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Nõ, inquit, vobis sufficiunt ad iustitiã ea, quæ scribæ & pharisæi sibi sufficere nõ bene cogitabant. Maiora nouis quã antiquis præcepta dãtur: illis dicitur ne occidant, istis dicitur ne irascantur: illi ab homicidio, isti ab ira & odio coërcẽtur. Sed quid est, quod Dominus ait: Qui autẽ occiderit, reus erit iudicio? Non enim omnis qui occidit, reus mortis in iudicio iudicatur: neque verò lex omnes damnat qui occidunt, quoniã & ipsa multos occidere iubet. Determinãdus est igitur locus iste, sicut & cętera quę breuiter dicta minus aliquid habere videtur. Dicit enim lex: Quicunque sponte vel per odium & insidias hominem occiderit, ipse quoque occidatur. Cæteris verò tres ciuitates constituit, ad quas fugiant ne moriantur. Quod quid significet, nõ est huius loci exponere. Videamus quod sequitur. *Ego autem dico uobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* In quo iudicio? In hoc enim quod in Ecclesia fit, non tenetur ita. In illo verò districto iudicio, si omnis qui irascitur dãnabitur, nulli aut pauci saluari poterunt. Quis enim tam quietæ mentis est, vt aliquando non irascatur? Determinandum est igitur & istud, vt non de omni ira, sed de instanti & perseueranti intelligatur, quæ iam alio nomine odium vocatur. Ira enim inueterata, odium dicitur. Vnde & benè nõ præterito vel futuro, sed instanti tempore vtitur, dicens: Omnis qui irascitur. Et hoc quidem manifestum est, quia sic damnatur ille qui fratrem suum odit, sicut & ille qui occidit: vterque enim homicida vocatur. Hoc enim Ioannes Apostolus dicit: Omnis qui odit fratrem suum, homicida est: & scitis quòd omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. Sic igitur omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit cõcilio. Racha enim mentis affectum cũ indignatione & irrisione significat: velut quum irridendo inflatis faucibus aliquem insufflamus. Dicitur quòd racha interpretatur vanus. Sed nũquid tam magnum peccatum est dicere. Racha. i. aliquẽ quolibet sono vocis irridere, vt quicunque hoc dixerit, reus in concilio habeatur? Magnum enim peccatum est omnis iniuria. Dicatur ergo: Si quis dixerit fratri suo Racha, & eum irridendo qui irrisione dignus non est, ad indignationem & iram prouocauerit, in concilio episcoporum reus & culpabilis iudicabitur. Sæpè ex parua iniuria magnæ lites concitantur: quæ omnes in illius caput redundant, qui principalis causa earum extitit, secundùm illud: Qui effundit aquas, caput est iurgiorum. Vnde & in lege præci-

Euangelij præcepta maiora ij legis.

Exod. 21.

1. Ioan. 3.

Prou. 17.

Exod. 22.

Universidad de Deusto
Biblioteca

præcipitur: Si egressus ignis inuenerit spicas, & comprehenderit aceruos frugum, siue stantes segetes in agris, reddet damnum qui ignem succenderit. Nam & ipse Dominus ait: Væ illi, per quem scandalum venit. Si enim de verbo otioso rationem reddituri sumus, quanto magis de iniurijs & contumelijs? *Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Quid est hoc ô Domine? quid est hoc ô magister veritatis? Quid enim si hoc dixerit, & pœnitentiam egerit? Scimus enim multos sanctorum non solùm fatuos, sed hæreticos alios dicere non timuisse, eosq; de hæresibus accusatos victosq; damnasse. Nam & Apostolus Paulus scribens ad Galatas, insensatos & stultos eos vocauit: quod quidem non minoris iniuriæ est, quàm si fatuos dixisset. Ait enim: O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati? Et paulò pòst: Sic stulti facti estis, vt quũ spiritu cœperitis, nunc carne consummamini? Sic igitur dicamus: Qui superbiæ spiritu inflatus, non corrigendi gratia, sed inuidiosè & malitiosè fratrem suum fatuum dixerit, eumq; contra se ad indignationem & odium prouocare nõ timuerit, tamdiù gehennæ ignis reus erit, donec pœnitentia ductus, eum quem iniustè commouerat, quolibet modo, quantùm in se est, sibi reconciliet. Vt autem ipsum Dominum hoc sensisse intelligas, audi quod sequitur: *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersùm te, relinque ibi munus tuum ante altare, & uade prius reconciliari fratri tuo, & tunc ueniens offeres munus tuum.* Ac si dicat: Fratrẽ tuum fatuum vocasti, iratus est tibi, iustam causam habet aduersùm te, eius indignatio tuum peccatum est: non te recipio: vade priùs & reconciliare fratri tuo. Et fortasse ideò has, quas prædiximus, iniurias nominatim Dominus posuit, quia tunc temporis magis in vsu habebantur, & aut paruum aut nullum peccatum esse videbantur.

Matth. 18.

Matth. 12.

Gal. 3.

Ibid.

Nullũ peccatũ negligendum.

Dedit igitur nobis regulam, nouamq; legem cõstituit, vt nullum peccatum negligamus: quoniã etiam illa quæ minima esse putantur, nisi resecata fuerint, animas perdunt & damnant. Neq; verò quasi parua negligenda sunt, pro quibus Deus offensus, munera iam ante altare posita recipere dedignatur. Sequitur: *Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es in uia cum eo, ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris.* Hoc autem tale est, ac si diceret: Audisti quid dixerim. Hæc verba vitæ sunt & salutis: esto igitur consentiens eis. Hic est enim aduersarius tuus. Quis enim sic aduersatur homini, vt sermo diuinus? Vult enim iste occidere: dicit ille: Non occides. Vult iste mœchari: dicit ille: Non mœchaberis. Vult iste furari: dicit ille: Non furaberis. Et tandem vno sermone penè omnia comprehendens, ait: Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris. Esto igitur consentiens huic aduersario tuo. Hoc autem citò, interim dum es in via cum eo: citò enim hæc via finitur: pauca sunt milliaria. Tanta est hæc via, quanta est vita vniuscuiusque. Quanùis enim alijs longior, alijs q̃ue breuior sit, nulli tamen valdè prolixa est. Postquàm verò via completa fuerit, & vita finita, iam nihil proderit consentire velle. Quid igitur? Accusabit enim te aduersarius tuus, tradet te iudici. Cur non dicis optime Domine, Tradetque te mihi? Tu es enim, qui constitutus es à Deo iudex viuorum & mortuorum. Sed quid sequitur? Et iudex tradet te ministro. O quàm iniquo ministro ad cruciandum traditur, qui bono consiliario consentire noluit. Postea verò quid fiet? Et in carcerem mittaris. Carcer iste, internus est. Qualis minister, talis & carcer. Ille enim est crudelior omnibus, iste formidolosior & horribilior vniuersis, in quo tenebræ nunquàm deficiunt, in quo ignis nunquàm extinguitur, in quo vermis nunquam moritur. *Amen dico tibi, nõ exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.* Magnũ est hoc debitum, infinita & innumerabilis est pecunia ista, ad cuius nouissimum quadrantem nunquã venitur: qui semper soluitur, nunquam finitur.

Act. 10.

Carcer infernus.

Matth. 5.

DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN, In Epistolam Concio exegetica.

EX eodem capite, vnde Dominica superiori lectio deprompta fuit, etiam hodiè profertur. Sedulò id agit sancta mater Ecclesia, vt Apostolicis institutionibus filios suos diligenter imbutos, & à vitijs faciat abhorrere, & iustitiæ studiosos sese præbere. Qui enim Christo nomen dedimus, Christi vestigijs insistere debemus, qui peccatum nõ fecit. Monstrosa res est Christum ore confiteri, & interim tamen ab eius vita & doctrina improbis moribus turpiter discrepare. Ad Apostolicam lectionem accedamus, & sensa Spiritussancti, beatissimi Apostoli ore expressa, attentis auribus excipiamus. *Humanum dico propter infirmitatem carnis uestræ. Sicut enim exhibuistis membra uestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra uestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Pudorem quendam, ait Origenes, per hoc incutit Apostolus auditoribus, vt hoc saltem obsequij dependant iustitiæ & sanctificationi, quod priùs immunditiæ & iniquitati detulerant. Quid ergo tam humanum, hoc est, quid tam leue, quid tam sine onere, & quod nulla ratione prorsùs possit infirmitatis excusari? Sicut, inquit, exhibuistis membra vestra seruire iniquitati, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Inglorioſum quidem est, vt ita quis virtutibus sicut vitijs seruiat.

uiat. multò enim ampliùs, & multò intentiùs honoranda iustitia est. Sed & ego, inquit, humanè & communiter ago, eadem postulo, similia requiro. Dudum currebant pedes vestri ad dæmonum templa, nunc autem concurrant ad ecclesiam Dei. Currebant priùs ad effundendum, nunc autem ad liberandum sanguinem currant. Protendebantur manus priùs vt aliena diriperent, nunc protendantur vt propria largiantur. Circunspiciebant priùs oculi mulierem aut alienum aliquid ad concupiscendum, nunc circunspiciant pauperes, debiles, egenos, ad miserandum. Aures delectabantur auditu vano, vel bonorum derogationibus, nunc conuertantur ad audiendum verbum Dei, ad explanationem legis, & ad capiendam sapientiam & disciplinam. Lingua, quæ conuicijs, maledictis & turpiloquijs assueta, nunc conuertatur ad benedicendum Dominum in omni tempore, sermonem sanum proferat & honestum, vt det gratiam audientibus, & veritatem loquatur cum proximo suo. Sed quid opus est hæc singula persequi, cùm pateat etiam tibi, vniuscuiusque membri ministerium, quod exhibuit vitijs, aptare virtutibus, & actum quem exhibuit immunditiæ, ad castitatem nunc sanctificationemque conuertere? Videtur sanè hic iustitiam pro omnibus simul virtutibus nominasse: sicut è contrario iniquitatem pro omnibus simul vitijs posuisse. Addit sanè iustitiæ sanctificationem, quò videlicet castitatis partem & generaliter cum cæteris, & per semetipsam specialiter commendaret. Sed & illud aspice, quòd vbique per hæc arbitrij libertatem designat, & ostendit vnumquenque in sua habere potestate, vt quæ antè iniquitati ad iniquitatem seruitia dependebant, hæc conuersõ in melius proposito iustitiæ sanctificationique dependant. Quod vtique fieri non posset, si necessitas naturæ, vt quibusdam videtur, repugnaret, aut astrorum cursus obsisteret. *Cùm enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Cùm quis peccato seruit, iustitiæ liber est, hoc est, alienus à iustitia. hîc enim liberum, alienum dicit, & rectè quidem. Nemo enim potest & peccato simul & iustitiæ seruire, sicut Saluator dixit, Quia nemo potest duobus dominis seruire. Illud sanè notandũ est, esse & libertatẽ culpabilẽ & laudabilem seruitutem. Nam liberum esse iustitiæ, crimen est: seruum verò esse, laudabile. Quòd aût dicit, iustitiæ seruum fieri, simul intellige & sapientiæ, & pietati, & pudicitiæ, & omnibus vnà virtutibus: sicut è cõtrario qui peccat, seruus est simul & concupiscentiæ malæ, & iræ, & furoris, & impudicitiæ, & rapinæ, & omnibus simul vitijs ac sceleribus seruit. Vnde nosmetipsos discutere semper debemus per singula quæ gerimus, & in vnoquoque actu considerare cuinam seruiamus, peccato ne ad iniquitatem, an iustitiæ in sanctificationem. Hucusque Origenes. Addamus huic Chrysostomum, ita in hæc postrema verba scribentem: Talis quippe erat seruitus illa (nempè, peccati) vt illius vel meminisse tantùm, turpitudinem quandam & pudorem adferat. Si ergo ipsius commemoratio pudefacit, multò magis actus ipse. Duplex itaque lucrum nacti estis: & quòd à dedecore liberati estis, & quòd cognouistis in quibus aliquando fueritis: quemadmodùm & tunc duplici damno affecti estis, cùm quòd pudenda committebatis, tùm quòd erubescere etiam ignorabatis, id quod priori grauius erat, & tamen seruiendo perseuerabitis. Hæc ille. Meritò hic locus admonere homines deberet, vt sibi à peccatis caueant, quippe quæ post breuem voluptatem mirabiliter confundunt & pudefaciunt hominem, & intollerabiliter rodunt & angunt conscientiam. Aulus Gellius libro primo capite octauo de Demosthene commemorat, quòd cùm nobilissimi scorti Corinthiæ Laidis expetijsset concubitum, & illa more suo ingentem pecuniæ summam posceret, iter auerterit petulantia mulieris & pecuniæ magnitudine absterritus, dixeritque, Ego tanti non emo pœnitere. Rectè nimirùm, quia voluptatis comes est pœnitentia. Cicero in officijs voluptates blandissimas dominas vocat, sed est earum seruitus turpissima atque molestissima. *Nam finis illorum mors est.* mors vtique gehennæ, de qua scriptum est, Mors peccatorum pessima. Hæc est mors secunda, mors reuerà expauescenda, quæ depascet impios, non vt moriantur, sed vt ad noua supplicia ipsa mortis perpetuitate restaurentur. Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur. Hæc sunt breuissimè voluptatis certissima præmia, quæ stulti & impij & perditi longè maiori & studio & labore sibi comparant, quàm Deus exigat pro obtinendo regno cælorum. O filij hominum, vsquequò graui corde? Si tam estis appetentes voluptatum, cur non inhiatis illi sempiternæ beatitudini, in qua asfatim & sine vllo fine parauit Deus diligentibus se, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt? Quæ verò potest esse voluptas in rebus nefarijs, in vitijs & sceleribus, quæ vbi perpetrata sunt, conscientiam discrutiant, & obnoxios reddunt sui sectatores morti sempiternæ? *Nunc uerò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum uestrum in sanctificationem, finem uerò uitam æternam.* Illorum (putà, peccatorum) fructus est, ait Chrysostomus, turpitudo, etiam post apertam liberationem: horum verò, sanctifica-

Membra ut in Dei cultum conuertẽda.

Sanctificatio pro castitate.

Liberum arbitrium

Matth. 6.

1. Cor. 2.

Fructus peccati.

Universidad de Deusto
Biblioteca

catio, vbi verò sanctificatio, illic & plurima est fiducia: illorum finis mors est, horum verò vita æterna. Vides quomodò ostendat, quædam quidem iam data, quædam verò adhuc speranda esse, & quomodò ex ijs quæ data sunt, futura fidem inueniant, videlicet à sanctificatione vita æterna? Etenim ne causeris hîc omnia in spe tantummodò consistere, ostendit quòd iam & fructum huius rei adeptus sis. Primum, quòd à malitia liberatus es, malisq; illis, quorum & recordatio pudorem adfert. Alterum, quòd iustitiæ seruus constitutus es. Tertium, quòd sanctificatione potiris. Quartum, quòd & vitam consecutus es, vitam scilicèt non temporariam sed æternam. Itaque licèt hæc omnia, inquit, consecuti sitis, tantùm vel ex æquo hîc quoque seruite. Tametsi enim hîc & excellentior multò sit Dominus, & magna seruitutis præmiorumque, pro quibus seruitis, distantia, nihil tamen amplius exigo, quàm quantum anteà iniquitati præstitistis. Hæc ille. Legitur apud Gellium libro 16. capite primo, sententia memorabilis Catonis, quæ cùm hoc Pauli loco pulchrè quadrare videatur. Est autem eiusmodi: Cogitate, inquit, cum animis vestris, si quid vos per laborem rectè feceritis, labor ille à vobis citò recedet, benefactum à vobis dum viuetis non abscedet. Sed si qua per voluptatem nequiter feceritis, voluptas citò abibit, nequiter factum illud apud vos semper manebit. Hoc igitur nos, qui in baptismo Christo nomẽ dedimus, sedulò nobiscum expendamus, vt & ad sectandam iustitiam reddamur alacriores, & ad fugiendam peccati turpitudinem magis ac magis inflammemur. D. Ambrosius locum hunc exponens, Si accepta, inquit, remissione peccatorum, bonorum actuum æmuli fuerimus, acquirimus sanctitatem: finem verò habebimus, id est, exitum vitam perpetuam. A morte enim hac, quam finem dixit, transimus ad vitam, quæ sine fine est. Hæc ille. *Stipendia enim peccati, mors: gratia autem Dei vita æterna, in Christo autem Domino nostro.* Eant nunc peccati mancipia, & pro seruitute durissima, quã peccato exhibent, mortem expectent non qualemcunque, sed sempiternam. Iustitiæ autem stipendia, vita æterna: sed ne quis eam suis viribus tribueret, quod faciebant olim hæretici Pelagiani, addidit Apostolus, eam ex Dei gratia proficisci. Cùm enim Iacobus Apostolus apertissimè dicat, omne datum optimum & omne donum perfectum desursum esse, certũ est ex nobis ipsis nihil nos habere boni, sed si quid in nobis boni est, id nos gratiæ Dei meritò acceptum ferre debere. Ergo etiam ipsa merita nostra, quibus redditur vita æterna, rectissimè ab Augustino dicuntur esse dona Dei. Idémque Augustinus Epistola 105. ad Sixtum presbyterum, Vnde & ipsa, ait, vita æterna, quæ vtique in fine sine fine habebitur, & ideò meritis præcedentibus redditur, tamen quia eadem merita, quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud nisi quia gratis datur: nec ideò quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita quibus datur. Vbi autem inuenimus etiam vitam æternam gratiam nuncupari, habemus apud eundem magnificum gratiæ defensorem Apostolum Paulum: Stipendium, inquit, peccati mors est: gratia autem Dei vita æterna, in Christo Iesu domino nostro. Vide, obsecro te, in quanta breuitate quàm vigilanter verba posuerit, quibus diligenter consideratis, quæstionis huius aliquantulum dilucescat obscuritas. Cùm enim dixisset, Stipendium peccati mors, quis non congruentissimè & consequenter addere iudicaret, Stipendium autem iustitiæ vita æterna? Et verum est: quia sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito iustitiæ tanquam stipendium vita æterna. Aut si nollet dicere iustitiæ, diceret fidei, quoniam iustus ex fide viuit. Vnde etiam & merces appellatur plurimis sanctarum scripturarum locis: nusquam porrò dicta est merces iustitia vel fides, quia iustitiæ vel fidei redditur merces. Quod est autem merces operanti, hoc militanti stipendium. Sed beatus Apostolus aduersus elationem, quæ vsqueadeò magnis tentat irrepere, vt & sibi propter ipsam dicat datum angelum satanæ, à quo colaphizaretur, ne verticem præsumptionis erigeret: Aduersus hanc ergo elationis pestem vigilantissimè militans, Stipendium, inquit, peccati mors. Rectè stipendium, quia debetur, quia dignè retribuitur, quia meritò redditur. Deinde ne iustitia de humano se extolleret bono merito, sicut humanum meritum malum non dubitatur esse peccatum, non à contrariò retulit, dicens, Stipendium iustitiæ vita æterna, sed, Gratia, inquit, Dei vita æterna. Et hæc ne præter mediatorem aliqua alia via quæreretur, adiecit, In Christo Iesu Domino nostro, tanquàm diceret: Audito quod stipendium peccati sit mors, quid te disponis extollere ô humana non iustitia, sed nomine iustitiæ planè superbia, quid te disponis extollere, & contrariam morti vitam æternam tanquàm debitum stipendium flagitare? Cui debetur vita æterna, vera, & iustitia est. Si vera iustitia est, ex te non est, desursum est, descendens à patre luminum: vt haberes eam, profectò accepisti. Quid enim habes, quod non accepisti? Quapropter, ô homo, si accepturus es vitam æternam, iustitiæ quidem stipendium est, sed tibi gratia est, cui gratia est & ipsa iustitia. Hæc in Epistola ad Sixtum Augustinus, qui in libro de Gratia & libero arbitrio ca. 7. scribit in hæc verba: Homines non intelligentes, quod ait ipse Apostolus, Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis, putauerunt eum dicere, sufficere homini fidem, etiamsi malè viuat, & bona opera non habeat. Quod absit, vt sentiret vas electionis, qui cùm dixisset quodam loco, In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neq; præputium, mox addidit, Sed fides quæ per dilectionem operatur. Ipsa est fides, quæ fideles Dei separat ab immundis dæmonibus. Nam & ipsi, sicut dicit Apostolus Iacobus, credunt & cõtremiscunt, sed non benè operantur. Non ergo habent istam fidem, ex qua iustus viuit, id est, quæ per dilectionem operatur, vt reddat ei Deus vitam æternam secundùm opera eius. Sed quia & ipsa bona opera nobis ex Deo sunt, à quo nobis & fides est & dilectio, propterea idem ipse Doctor gentium etiam ipsam vitam æternam gratiam nuncupauit. Sic Augustinus. Præstet nobis vitam æternam ipsa vita æterna Dominus noster Iesus Christus, cui cum Patre & Spiritu sancto est omnis honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Fructus iustitiæ.

Sententia Catonis memorabilis.

Iac. 1.

Rom 3.

Gal. 5.

Iac. 2.

Abel.

2. Cor. 9.

Eutyches

DOMINICA VIII. POST Pentecosten. Marc. VIII.

In illo tempore, Cùm multa turba esset cum Iesu, nec haberent quod manducarent, conuocatis discipulis, ait illis. Misereor super turbam. Et reliqua.

Est in Sermonibus Augustini 209. sed hic mẽtio fit Eutychetis, qui errorẽ suum pro dem defun cto Augustino prodidit.

ALtitudinem diuinitatis suæ, & misericordiam humanitatis, multis & varijs modis in scripturis sanctis Dominus noster Iesus Christus ostendit, quemadmodùm solet in mysterijs & sacramentis, vt & petentes accipiant, & quærentes inueniant, & pulsantibus aperiatur. Omnia enim quæ in hoc mundo subfragilitate nostra exhibuit miracula, nobis proficiunt. Non vtiq; sine causa faciebat Dominus, vel quasi frustrà & inaniter. Verbum Dei est Christus, qui non solùm sonis, sed etiam factis loquitur hominibus. Hoc enim etiam, quod hodiè de sancto euãgelio lectum est, quærit intellectorem: & cùm fuerit intellectum, spirituale facit gaudium. Et in hac lectione simul consideranda est in vno eodemque redemptore nostro disiuncta operatio diuinitatis & humanitatis, atque omnimodis detestandus error Eutychetis, qui vnam tantùm in Christo dogmatizare præsumit operationem. In alterutra enim parte, vel qui solùm hominem fuisse dixerit, gloriam negabit conditoris: vel qui solùm Deum, negabit misericordiam redemptoris.

Nempe quòd super turbam miseretur Dominus, ne vel inedia, vel longioris vitæ deficiat labore, nouerimus affectum esse atq; compassionẽ humanæ fragilitatis. Quòd aũt de septem panibus & paucis piscibus satiauit quatuor millia hominum, credimus diuinæ opus esse virtutis. Attendat ergo sanctitas vestra, quia hoc nobis propositum est, quod cũ vestra charitate tractemus, quid sibi velit huius rei tantũ mysterium, quòd eo modo se Deum discipulis demonstrasse sancta testatur scriptura, quomodò euangeliũ narrat. Ait enim Euangelista in hodierna lectione: *Cũ multa turba esset cũ Iesu, nec haberent quod mãducarẽt, cõuocatis discipulis, ait illis: Misereor turbæ huic.* Sed requiramus quod ait superiùs, In illis diebus cũ turba multa esset. Superiùs enim accesserũt Iudæi ad saluatorem, accusantes discipulos eius, eo quòd nõ lotis manibus manducarent. Quos Dominus redarguit, quia ea quæ de corde mala procedũt, ea potiùs hominem coinquinarent. Et relictis illis, venit in finibus gentium, vbi mulier Chananæa (quæ est mater gentilium) pro filia sua, id est, Ecclesia Dominũ deprecatur. Quæ tãdiù postulauit, donec acciperet quod petebat. Post hæc iterum curauit mutum & surdũ. Ergo in his diebus cũ multitudo populi cõcurrisset, nec haberẽt quod manducarẽt. Turbas enim hic omnes gentes significare creaturas intelligimus, proquibus ipse Dominus misericordia commouetur, quod non haberent quod manducarent. Hic spiritualiter debemus intelligere, quòd ideò non habebant quod manducarent, quia gentes legem nõ habebant. i. quinq; libri Moysi, non prophetas, non prædicationem sancti Ioannis, quia gentes non per legem, sed per fidem venerũt ad redemptorem. Ideò triduò perseuerant, hoc est, in natiuitate, in passione, in resurrectione Domini: siue in patre, in filio, & spiritu sancto. Perseuerare enim, permanere est in confessione, sicut ipse Dominus ait: Qui aũt perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit. Dicit ergo Dominus: *Non habent quod manducent:* Quia legem nõ habent: & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via, vt qui per fidem Christi crediderunt, per fidem Christi saluarentur. *Quidam aũt ex his de longè uenerunt.* Lõgè enim erant gentes à Deo, errando per idola: & modò omnis qui peccat, longè est à Deo. *Dicũt discipuli eius: Vnde istos quis poterit saturare panibus in solitudine?* Adhuc Apostolos tenebat incredulitas, donec mysteria reuelarentur, nec recordabantur quod fecerat de quinq; panibus & duobus piscibus. *Et interrogauit eos Iesus: Quot panes habent. Qui dixerunt: Septẽ. Et præcepit turbæ ut discumberẽt super terrã. Et accipiens panes, gratias egit, & dedit discipulis suis, ut apponerẽt. Et pisces similiter benedixit, & posuit ante illos. Et mãducauerũt & saturati sunt, & sustulerũt septẽ sportas plenas. Erãt aũt qui mãducauerũt, quasi 4. millia, extra mulieres & infãtes.* Et virtutes quidẽ Domini manifestissimè credimus esse fa-

Matth. 7.

Triduum mysticè.

Matth 10. & 24.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctas in præsenti, sed quid lateat in mysterio, ipsius gratia donante requiramus. In superiori enim lectione de quinque panibus & duobus piscibus, quinque millia hominum satiauit: hic septem panibus saturauit quatuor millia hominum. Ibi discipuli suggerunt Domino, dicentes: Locus desertus est, & hora præterijt: dimitte turbas, vt euntes in castella, emant sibi escas. Hic penitùs tacent discipuli, sed ipse Dominus pro eis solicitus est. Videamus quare tacent.

Mar. 6.

Quia necdum missi fuerant prædicare gentibus, sed potiùs ad oues perditas domus Israël. Prior ergo illa parabola pertinet ad Iudæos, ista verò ad gentes. Ibi quinque panes fuerunt, hoc est quinque libri Moysi: hic verò septem panes, qui sunt septiformis spiritus dona, sicut ait sanctus Esaias propheta: Spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini. Ibi duodecim cophini pleni spiritu sancto, hic septem ecclesiæ, siue septem candelabra aurea. Ibi duo pisces, qui sunt duo testamenta, siue vnus liber omnium prophetarum, vel sancti Ioannis prædicatio: hic indefinitus numerus ponitur, quæ sunt dona gratiarum, sicut Apostolus ait: Alij per spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alij prophetia, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. omnia verò hæc operatur vnus atque idem spiritus. Ibi super fœnum recumbunt, & hic super terram. Vtrinque vna conuersatio, vna gratia, vna virtus, vna deitas. Ibi super fœnum discumbunt, hoc est, mortificant opera carnis, quia omnis caro fœnum, ait propheta. Hic super terram discumbunt, id est, opera terrena conculcant. Ibi quinque millia refecti, qui numerus pertinet ad Iudæos. nam post ascensionem Domini loquente sancto Petro, quinque millia sunt baptizati: hic autem quatuor millia, hoc est, de tota terra omnes gentes, à quatuor cardinibus cæli de septiformis spiritus gratia esse repletas in vitam æternam. Et ideò dilectissimi nos, qui non per legem, sed per fidem credimus in Domino nostro Iesu Christo, qui non ex operibus, sed ipsius gratia sumus redempti, qui non ex quinque panibus, id est, ex quinq; libris Moysi, sed ex septiformi gratia spiritus sancti sumus repleti, sicut beatus Esaias prophetauerat, dicens: Spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit illum spiritus timoris Domini. In hac ergo septiformi spiritus sancti gratia maneamus, in qua vocati sumus, repleti dono spiritus sancti per Dominum nostrum Iesum Christum, qui viuit & regnat in vnitate eiusdem spiritus sancti, per omnia secula seculorum, Amen.

Esai. 40.

Act. 9.

Esai. 11.

DOMINICA EADEM.
HOMILIA BEATI AVGVSTINI Episcopi ex libro 83. Quæstionum, Quæstione LXI. in Euangelium de septem panibus, &c.

SEcunda pastio populi, quæ de septem panibus facta est, ad noui Testamenti prædicationem rectè intelligitur pertinere. Non enim ab aliquo euangelista dictū est, quòd isti panes hordeacei fuerint, sicut de illis quinque dixit Ioannes. Hæc ergo pastio de panibus septem, ad gratiam pertinet Ecclesiæ, quæ notissima illa septenaria sancti spiritus operatione cognoscitur. Et ideò non hic duo pisces fuisse scribuntur, sicut in veteri lege, vbi duo soli vngebantur, rex & sacerdos: sed pauci pisces, id est, qui primi Domino Iesu Christo crediderunt, & in eius nomine vncti sunt, & missi ad prædicationem euangelij, & ad sustinendum turbulentum mare huius seculi: vt pro illo magno pisce, id est, Christo legatione fungerentur, sicut Paulus apostolus dicit. Neque in ipsa turba quinque millia hominum fuerunt, sicut illic vbi carnales legem accipientes, id est, quinque carnis sensibus dediti significantur: sed quatuor millia potiùs, quo numero significantur spiritales, propter quatuor animi virtutes, quibus in hac vita spiritaliter viuitur, prudentiam, temperantiam, fortitudinem & iustitiam. Quarum prima est cognitio rerum appetendarum & fugiendarum: Secunda refrænatio cupiditatis ab ijs quæ temporaliter delectant: Tertia, firmitas animi aduersus ea, quæ temporaliter molesta sunt: Quarta, quæ per cæteras omnes diffunditur, dilectio Dei & proximi. Sanè & ibi quinq; millia hominum, & hic quatuor millia, exceptis mulieribus & pueris fuisse memorantur: quod mihi videtur ad hoc pertinere, vt intelligamus ex ipso populo veteris testamenti fuisse quosdam infirmos ad implendam iustitiam, quæ secundùm legem est, in qua iustitia apostolus Paulus sine querela se conuersatum esse dicit: Fuisse item alios, qui facilè seducerentur in cultum idolorum. Quæ duo genera, id est, infirmitatis & erroris, mulierum & puerorum nominibus figurata sunt. Infirmus est enim mulierum sexus ad actionem, & facilis ad lusum pueritia. Quid autem lusui puerili tam simile est, quàm idola colere, quando & Apostolus ad hoc retulit hoc genus superstitionis, cùm ait: Neque idolis seruiamus, quemadmodum quidam eorum, sicut scriptum est: Sedit

populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Mulieribus ergo similes erant, qui in laboribus expectationis, quousque ad promissa Dei peruenirent, non viriliter perseuerantes tentauerunt Deum: pueris autem, qui sederunt manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Non solùm autem ibi, sed etiam in populo noui testamenti, qui non perdurant occurre in virum perfectum, vel infirmitate virium, vel mentis leuitate, mulieribus & pueris comparandi sunt. Nam illis dicitur: Si tamen initium substantiæ eius vsque in finem firmum retineamus, illis autem: Nolite pueri effici sensibus, sed malitia infantes estote, vt sensibus perfecti sitis. Et ideò neque in veteri, neque in nouo testamento tales admittuntur ad numerum: sed siue ibi quinque millia, siue hic quatuor millia, exceptis mulieribus & pueris fuisse dicuntur. Quanuis verò & illic & hic propter ipsum Christum, qui assiduè in scripturis mons appellatur, congruenter in monte vterque populus pascatur: hic tamen non in fœno discumbitur, sed in terra. Ibi enim celsitudo Christi propter carnales homines & Hierusalem terrenam, carnali spe & desiderio tegitur: hic autem remota omni cupiditate carnali, conuiuas noui testamenti, spei permanentis firmamentum, tanquàm ipsius montis soliditas, nullo fœno interposito continebat. Et quoniam rectissimè dicit Apostolus, Priùs autem quàm veniret fides, sub lege custodiebamur: hoc significare videtur & Dominus, cùm dicit de his, quos quinque panibus pasturus erat: Non opus habent ire, sed date illis vos manducare. Sub his enim verbis figuraliter tanquàm custodia detinentur, cùm hoc admonuissent discipuli, vt dimitteret eos. Huius verò turbæ, quæ ad septem panes pertinet, vitrò misereri se dicit, quòd iam tertius dies esset, ex quo ei ieiuni adhæsissent. In toto enim seculo generis humani tertium tempus est, quo fidei Christianæ gratia data est. Primum est ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia. Et quoniam quartum adhuc restat, quo ad plenissimam pacem Hierusalem cælestis venturi sumus, quò tendit quisquis rectè credit in Christum, propterea se dicit turbam illam reficere Dominus, ne deficiant in via. Ista enim dispensatio, qua nobis Dominus temporaliter & visibiliter in homine apparere dignatus est, & dedit nobis pignus spiritum sanctum, cuius operatione septenaria vegetaremur, Apostolica authoritate quasi paucorum piscium sapore coniuncto: hæc ergo dispensatio quid aliud agit, nisi vt ad palmam supernæ vocationis sine defectu virium peruenire possimus? Per fidem enim ambulamus, non per speciem. Et ipse Apostolus Paulus nondum se dicit comprehendisse regnum Dei, sed ea quæ retrò sunt oblitus, in ea quæ antè sunt extentus, secundùm intentionem sequor, inquit, ad palmam supernæ vocationis. Veruntamen in quod peruenimus, in eo ambulemus: quia tertio die Domino adhærentes, & ab illo pasti, non deficimus in via. Etiam hic sanè peruenire ad comedendi finem turba non potuit, sed relictæ sunt escæ. Non enim frustrà de futuro dictum est: Putas ne veniens filius hominis inueniet fidem super terram? Et credo ita futurum, propter mulieres & pueros: sed tamen septem sportas reliquiæ fragmentorum impleuerunt, ad quas Ecclesia septiformis, quæ in Apocalypsi etiam describitur, pertinet, id est, omnis qui perseuerauerit vsque in finem. Ille enim qui dixit, Putas ne veniens filius hominis inueniet fidem super terram? significauit quidem in extremo conuiuio relinqui posse & deseri escas suas: sed quoniam ipse item dicit, Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit: significauit non defuturam Ecclesiam, quæ septenario numero eosdem septem panes abundantiùs recipiat, & latitudine cordis, quæ ipsam perseuerantiam in sportis videtur significare, contineat.

Heb. 3.

1. Cor. 14.

Gal. 3.

Tria mūdi tempora. Quartū, ante futurū.

1. Cori. 5.

Philip. 3.

Luc. 18.

Apoc. 1.

EADEM DOMINICA
HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Cùm turba multa esset cum Iesu, nec haberent quòd manducarent, &c. Marc. 8.

LEgitur superiùs, quum venisset Iesus secùs mare Galileæ, ascendens in montem, sedebat ibi. Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos, & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos, ita vt turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, & claudos ambulantes, & cæcos videntes, & magnificabant Deum Israël. Meritò enim Iesus in montem ascendit tanta & talia miracula facturus, vt in monte, in quem ascendit, eius potestatis altitudo, & in miraculis quæ fecit, eius diuinitatis virtus appareat. Sequantur igitur eum super montes aromatum, quicunq; illi imitari & sanari desiderant. De quibus montib. Ecclesia dicit: Fuge dilecte mi, assimiliare capreæ, hinnuloq; ceruorum, super mōtes aromatum. Iesus autē vocatis suis discipulis, dixit: Misereor

Cant. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſereor ſuper turbam, quia ecce iam triduò ſuſtinent me, nec habent quod manducent. Tres enim dies, tria ſeculi tempora ſunt, ante legem ſcilicet, ſub lege, & ſub gratia. Tribus igitur diebus turbæ Domino perſeuerant, quia totis his tribus temporibus viri ſancti ſpiritu Dei pleni in Chriſtum credunt, Chriſtum expectant, eiuſq; panibus & doctrina magno deſiderio refici cupiunt: & non habent quod manducarent, quia panis viuus, qui de cælo deſcendit, nondum eis appoſitus fuerat, nondum leo de tribu Iuda librum aperuerat, neque ſeptem ſignacula eius ſoluerat. Tertio igitur die, id eſt, hoc ſuæ incarnationis tempore turbas reficit, neq; vlteriùs eas fame perire patitur. Vnde & dicit: Et dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via. Omnes enim in via ſumus, omnes ad patriam tendimus. De hac enim via Pſalmiſta ait: Viam mandatorum tuorum cucurri. Itēque: Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. In hac autem via deficiunt ieiuni, per hanc viam currere non poſſunt, qui Chriſti pane non ſunt refecti, præſertim ſi delongè venerunt. Longè eſt enim à peccatoribus ſalus. Sicut enim hæc via breuis & facilis eſt bonis, ita longa & difficilis eſt malis. *Et dicunt ei diſcipuli: Vnde iſtos poterit quis hic ſaturare panibus in ſolitudine?* Fortaſſe immemores erant Chriſti diſcipuli, quòd Dominus ex quinq; panibus quinq; millia hominum iam ſuperiùs ſatiauerat. Et ait illis Ieſus: Quot panes habetis? At illi dixerunt, Septem, & paucos piſciculos. Septem enim panes, ſeptem libri ſunt veteris teſtamenti, quos Heptateuchum vocamus: ſiue etiam ſeptem gratiæ ſpiritus ſancti. Pauci verò piſciculi, pauci libri noui teſtamenti. Valdè enim pauci ſunt libri noui teſtamenti comparatione veteris. Iſti tamen pauci ſi illis ſeptem panibus coniungantur, cunctis hominibus ad animarum refectionem ſufficiunt. Sine illis enim neq; comedi poſſunt, neq; ſaturitatem vel fortitudinem comedentibus tribuunt. Sunt enim ſeptem panes, ſapientia, & intellectus, conſilium, & fortitudo, ſcientia, & pietas, & timor Domini. Sed quis ſine ſapientia ſapiat? quis ſine intelligentia intelligat? quis ſine cōſilio prouidus? quis ſine fortitudine fortis? quis denique ſine ſcientia ſciens? ſine pietate pius? & ſine Dei timore fidelis? Non igitur iſti piſces ſine illis panibus comedi poſſunt. Et meritò piſces libri iſti dicuntur, quoniam in nouo fonte natāt, de quo ſcriptum eſt: Quoniam apud te eſt fons vitæ, & lumine tuo videbimus lumen. *Et præcepit turbæ, ut diſcumberent ſuper terram.* Super terram enim diſcumbunt, quicunq; terram & puluerem ſe eſſe cognoſcunt. Vnde & dicitur: Quid ſuperbis puluis & cinis? *Et accipiens Ieſus ſeptem panes, & piſces, gratias agens fregit, & dedit diſcipulis ſuis.* Frangit autem Dominus & panes & piſces, quoniam prout vult, & ſancti ſpiritus gratias vnicuiq; tribuit, & profunda ſanctarum ſcripturarum myſteria pandit. Sed quibus dat, niſi diſcipulis ſuis? quibus hæc prædicanda largitur, niſi epiſcopis & ſacerdotibus? Iſti enim ſunt, quos conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt dent illis cibum in tempore. Iſti cæteros paſcunt, iſti pane diuini eloquij totam Eccleſiæ turbam reficiunt. *Et comederunt omnes, & ſaturati ſunt.* Comedamus igitur & nos, vt ſaturemur: legamus, vt intelligamus. Hūc enim cibū qui plūs comedit, plūs cōedere appetit. Hic cibus mentem exhilarat, & quantò plūs cōeditur, tāto ampliùs ereſcit. Vnde & ſubditur: *Et quod ſuperfuit de fragmentis, tulerunt ſeptem ſportas plenas.* Plura ſunt fragmenta, quàm panes: quia plures ſunt qui nunc fragmenta ſuſcipiūt, quàm illi qui tunc illos panes & piſces comederunt.

Nónne vides quanta librorum volumina ex his quatuor Euangelijs multiplicata ſunt? Sed quid ſeptem per ſeptem ſportas, niſi ſeptem eccleſiæ ſignificantur, per quas omnes aliæ eccleſiæ intelliganturʔ Vnde & Ioannes euangeliſta ſeptem eccleſijs ſcribit. Vnde & Iſaias ait: Apprehendent ſeptem mulieres virum vnum in die illa, dicētes: Panem noſtrum comedemus: Panem nobis modò datum, panem quo repletæ & refectæ ſumus. Et quaſi dicerent: Nos enim ſumus illæ ſeptem ſportæ, quas plenas fragmentis olim in deſerto apoſtoli ſuſtulerunt. Quia igitur panem habemus, panem noſtrum comedamus. *Erant autem qui manducauerant quatuor millia hominum*, extra paruulos & mulieres. Quare autem paruuli & mulieres non numerantur, niſi quia in Dei populo computari digni non ſunt, qui vel paruulos in ſtultitia & fatuitate, vel mulieres in mollitie & & debilitate imitantur? Vnde Apoſtolus. Nolite (inquit) pueri effici ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote.

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.
In Epiſtolam Concio exegetica.

RVrſus ex Apoſtolo inſignis nobis lectio depromitur, id proculdubiò ſpectante Spiritu Dei, cuius inſtinctu ſapientiſsimè omnia ſūt in Eccleſia ordinata & inſtituta, vt dum perpetuò noſtris in auribus ſaluberrima vitæ præcepta perſonant, animus inflammetur ad ſtudium pietatis, & feruēti deſiderio ſeſe cupiat componere ad voluntatem Dei ac Domini ſui, quā ex literis diuinis tam crebrò ac propè indefinenter ſibi ſentit innoteſcere. Intonante enim quotidiè, vt inquit Leo Papa 1. Sermone 5. de Epiphania, auribus noſtris eloquio Dei, omnis homo quid diuinæ iuſtitiæ placeat ſcire conuincitur. Nec tamen ſatis eſſe debet cognouiſſe quid velit Deus, ſed oportet in eam quoque curam diligenter incumbere, vt cognitionem ſequatur operis effectus, & quæ facienda cognouimus, opere exequi conemur.

Nec hoc pijs filijs difficile admodum erit, quando, vt idem inquit Pontifex, & gratia prætendit auxilium, & obedientia mollit imperium. Apoſtolicam agè tubam audiamus: *Fratres, debitores ſumus, non carni, ut ſecundùm carnem viuamus.* Spiritum Chriſti habitare in nobis, inquit Origenes, & dona Spiritus nobis collata, ſuperiùs docuit. Conſequenter ergo nunc addit, quia debitores ſumus eorum ſine dubio, quæ à Chriſti ſpiritu conſecuti ſumus. Carnis autem, inquit, debitores non ſumus. Non enim propterea nos fecit Deus ad imaginem ſuam, vt carnis ſeruitio eſſemus obnoxij, ſed potiùs vt creatori ſuo animā deſeruiens, ipſa ſeruitio ac miniſterio carnis vteretur. Sed fortaſſe dicat aliquis: Quomodò carni non ſumus debitores, cùm & victum & veſtimentum prouidere naturæ neceſsitate cogamur? Sed vt oſtendat, non carni aliquid conferre: ſed ipſam vitam carni mancipare, culpabile haberi, ideò addit: *Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini.* Quid ſit autem ſecundùm carnem viuere, ſæpè iam dictum eſt: hoc eſt, carnis deſiderijs indulgere. In hoc ergo negat nos eſſe debitores, ſicut & alibi dicit: Et carnis curam ne feceritis in deſiderijs, & in concupiſcentijs: non vtique negans carnis curam habendam in neceſſarijs, ſed in concupiſcentijs.

Sic Origenes. Audi & Chryſoſtomum, pulchrè cum hoc concinentem: Cùm dixiſſet, inquit, Non ſumus debitores carni, ne rurſùs quæ dicta ſunt, aduerſus carnis naturam rapias, non quieuit quin ſubiungeret, Vt ſecundùm carnem viuamus. Multa ſiquidem carni debemus, nimirum, vt illam nutriamus, foueamus, refocillemus, morbidam curemus, veſtiamus, & reliqua, quæ innumera ſunt, adminiſtremus. Ne ergo putes miniſterium huiuſmodi tolli, cùm dixiſſet, Non ſumus debitores carni, interpretatur quid dicat, ſubiungens, Vt ſecundùm carnem viuamus. Illud enim, inquit, carnis ſtudium tollo, quod ad peccatum ducit: ea verò quæ illam curant, fieri ſeruariq́ue volo. Ergo quod dicit, Ne ſecundùm carnem viuamus, nihil eſt aliud, quàm ne dominam illam vitæ noſtræ faciamus. Non enim decet, vt illa imperet, ſed obediendo ſequatur oportet: neque vt vitam noſtram dirigat, ſed vt ſpiritus leges quibus obtemperet accipiat. Hæc ille. *Si autem ſpiritu facta carnis morti ficaueritis, uiuetis.* Hoc eſt opus noſtrum in hac vita, ait Auguſtinus Sermone 13. de Verbis Apoſtoli, actiones carnis ſpiritu mortificare, quotidiè affligere, minuere, frænare, interimere. Quàm multa enim proficientes iam non delectant, quę antea delectabant? Quando ergo delectabat, & non ei conſentiebatur, mortificabatur: quia iam non delectat, mortificatum eſt. Calca mortuum, tranſi ad viuum. Calca iacentem, conflige cum reſiſtente. Mortua eſt enim vna delectatio, ſed viuit altera: & illi dum non conſentis, mortificas: cùm cœperit omninò non delectare, mortificaſti. Hæc eſt actio noſtra, hæc eſt militia noſtra. In hoc agone cùm conſligimus, Deum habemus ſpectatorem: in hoc agone cùm laboramus, Deum poſcimus adiutorem.

Hæc Auguſtinus. Vides, inquit Chryſoſtomus, quòd non de natura corporis, ſed de carnalibus actibus dicat? Non enim dicit, Si verò ſpiritu naturam carnis mortificaueritis, viuetis, ſed actus, neque illos omnes, ſed tantùm malos. Declarat autem hoc in ſequentibus: Si enim hoc, inquit, feceritis, viuetis. Et quomodò poterit hoc fieri, ſi de omnibus hic corporis actibus diceret? Nam & videre, & audire, & loqui, & ambulare corporis actus ſunt, quos ſi mortificaturi ſumus, tantum aberit vt viuamus, vt & homicidij pœnas daturi ſimus. Quales itaque actus mortificandos dicit? Eos ſcilicet, qui ad nequitiam diriguntur, qui ad malitiam tendunt, quos neque aliter mortificare licet, quàm per ſpiritum. Alios ſiquidem ſi occideris, nihil aliud feceris, quàm quòd teipſum ſuſtuleris, id quod fas non eſt. hos verò licet per ſpiritū mortificare. Hic quippe ſi adfuerit, omnes illas affectuum vndas contraher, paſſioneśque peſſundabit, ita vt nihil ſit, quod nobis obſiſtere queat.

Hæc Chryſoſtomus. Si quis facta vel opera carnis noſſe velit, legat Epiſtolam ad Galatas, in cuius capite 5. enumerantur his verbis: Manifeſta autem ſunt opera carnis: quæ ſunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes & his ſimilia. Mortificat autem quis actus carnis, inquit Origenes, hoc modo. Fructus eſt ſpiritus, charitas: odium, carnis eſt actus. Odium ergo per charitatem mortificatur & extinguitur. Gaudium ſimiliter fructus eſt ſpiritus: triſtitia verò huius ſeculi, quæ mortem operatur, carnis eſt actus. Hæc ergo extinguitur, ſi ſit in nobis gaudium ſpiritus. Pax, fructus eſt ſpiritus: diſſenſio & diſcordia, carnis eſt actus: ſed certum eſt diſcordiam mortificari per pacem poſſe. Sic & patientia ſpiritus, violentiam carnis extinguit, & bonitas malitiam perimit, & manſuetudo ferociam, & continentia intemperantiam, & caſtitas impudicitiam necat: talique ordine qui per ſpiritum actus carnis mortificat, viuet. Sed ſcire debemus, quòd iſta mortificatio actuum carnis per patientiam fiat, & non ad ſubitum, ſed paulatim primò langueſcere eos neceſſe eſt in his qui incipiunt. Tum deinde, cùm ardentiùs proficere cœperint, & abundātiori ſpiritu repleri, actus carnis non ſolùm langueſcere, ſed & tabeſcere incipient. Vbi verò ad perfectum iam venerint, ita vt nulla in eis prorſùs vel in facto,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vel in dicto, vel in cogitatu peccati oriantur indicia, tandem actus carnis mortificasse, & ad integrum morti tradidisse credendi sunt. Hæc Origenes. *Quicunque enim spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei.* Corona sanè hæc, vt verbis Chrysostomi vtamur, priore multò est maior. Vnde neque simpliciter dicit, Quicunque Dei spiritu viuunt, sed, Quicúq; spiritu Dei ducuntur, vt ostendat, quòd spiritus ipse ita vitæ nostræ velit esse dominus, quemadmodùm nauigij est nauclerus, & iugatorum equorum auriga. Neque verò corpus tantummodò, sed & animam ipsam quoque eisdem habenis subijcit. Neque enim ipsam suo vult vti arbitrio, sed & ipsius potestatem potentiæ dominoque spiritus subdidit. Etenim ne ablutionis dono confisi, eam vitæ, quæ subsequi debet, conuersationem negligamus, dicit: Etiamsi baptisma acceperis, nisi & spiritu posteà ducaris, exhibitam simul dignitatem, adoptionisq; prærogatiuam & excellentiam perdidisti. Propterea non dicit, Quicunque patrem Deum acceperunt, ij filij sunt: sed, Quicunque spiritu Dei ducuntur, hoc est, Qui per omnem vitam ita conuersantur, ij sunt filij Dei. Hæc Chrysostomus, quem secutus Oecumenius, Non dixit, ait, Quotquot spiritum Dei acceperunt: verùm, Quotquot spiritu Dei ducuntur: hoc est, totius vitæ suæ aurigam & ducem eum præstituêt. Nam omnes dum baptizantur, accipiunt Spiritum sanctum, at non omnes ei præsidatum permittunt. Hæc ille. Hinc ergo licet intelligi, quinam sint filij Dei, ij nimirum, qui spiritu Dei agantur, quem sanè dubium nó est, ad virtutum omnium & religiosæ ac integræ vitæ studium hominem impellere, sicut è diuerso nequam spiritus in vitia & flagitia omnia miseros impellit. Itaq; quorum est pudica, religiosa, honesta, virtutum studiosa vita, ij filij sunt Dei: qui verò diuerso gradiuntur itinere, nouerint se ad filiorum Dei numerum minimè pertinere. *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterùm in timore.* In Exodo legimus, cùm Iudæis in monte Sina promulgata lex est, vt illic omnia plena fuerint terroris. Totus mons Sinai fumabat (sic enim habet textus) eò quòd descendisset Dominus Deus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo quasi de fornace: eratq; omnis mons terribilis, & sonitus buccinæ paulatim crescebat in maius, & prolixiùs tendebatur. Cunctus autem populus videbat voces & lampades & sonitum buccinæ, montemq; fumantem, & perterriti ac pauore concussi, steterunt procul. Horum autem causam ibidem explicans Moses, dicit ad populum: Vt probaret vos venit Deus, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis. Incussus est igitur spiritus seruitutis, seu timor seruilis illi populo duræ ceruicis: qui etsi nonnunquam retrahit à peccato formidine pœnæ, non tamen aufert peccandi libidinem. Nisi enim pœna timeretur, non deesset peccandi voluntas. Qui adhuc ideò benè agit, inquit Augustinus Sermone 13. de Verbis Apostoli, quia pœnam timet, Deum non amat, nondum est inter filios. Vtinam tamen vel pœnam timeat. Timor seruus est, charitas libera est, &, vt sic dicam, timor seruus est charitatis. Ne possideat diabolus cor tuum, præcedat seruus in corde tuo, & seruet dominæ venturæ locum. Fac, fac vel timore pœnæ, si nondum potes amore iustitiæ. Veniet domina, & seruus abscedet, quia consummata charitas foras mittit timorem. Hæc Augustinus. *Sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater.* Gratia Dei à timore liberati, inquit Ambrosius, accepimus spũm adoptionis filiorũ: vt cõsiderantes quid eram⁹, & quid dono Dei simus adepti, magna cũ diligentia vitam nostram ordinemus, ne nomen Dei patris in nobis iniuriam patiatur, & ea omnia, quæ euasimus, veluti ingrati incurramus, vt audeamus dicere Deo, Abba, id est, pater. Ideoque commonet, ne accepta fiducia in temeritatem vertatur. Si enim huic voci, qua dicimus, Abba, pater, dissimilem vitam exhibeamus, iniuriam Deo facimus, vocantes eum patrem. Idcircò enim bonitate sua hoc nobis indulsit, quod super naturam nostram est, vt quod substantia indigni sumus, operibus mereamur. Hæc Ambrosius.

Si vis Origenem quoque audire, eius hæc verba sunt: Quale sit videamus, inquit. Scriptum est & in Malachia propheta: Filius honorificat patrem, & seruus dominum suum. Et si pater ego sum, vbi est honor meus? Et si dominus ego sum, vbi est timor meus? dicit Dominus omnipotens. Certum est autem, quòd filius quis Dei per adoptionis spiritum fiat: seruus autem Dei per spiritum timoris seruiat. Initium ergo seruiendi Deo, quia initium sapientiæ timor Domini est, per spiritum timoris impletur, cùm paruulus adhuc quis dicitur. Et paruulis quidem pædagogus est timor. Hoc est ergo quod docet Paulus, quia posteaquàm cõmortui sumus Christo, & spús eius facit⁹ est in nobis, non iterũ spiritum seruitutis accepimus in timore, hoc est, non rursùs paruuli & initia habentes effecti sumus, sed quasi perfecti semel iam accepimus spiritum adoptionis, in quo spiritu clamamus, Abba, pater. Neque enim patrem alius quis nisi filius vocat. Quòd verò addit, Abba, patriæ linguæ vocabulo idipsum iterauit, velut si dixisset, Pater, pater. Hæc Origenes. *Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei.* Benè agentibus nobis, ait Ambrosius, & per hoc ipso manente in nobis Spiritu sancto, huic voci & animo nostro, quo clamamas in oratione Abba, id est, pater, spiritus Dei testimonium dat, dum manet in nobis, quoniam non temerè dicimus, Abba, pater. Dignam enim vitam huic voci exhibemus. & hoc est testimonium

Quicunque spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei.

Timor seruus est, charitas libera est.

Exod. 19.

Exo. 20.

Malach.

nũ filiorũ, si in eis per spiritũ videatur signum paternũ. Ita Ambrosi⁹. Audi & Origenem. Ipse ergo spũs adoptionis, inquit, per quẽ in filiũ quis adoptatur, reddit testimoniũ & cõfirmat spũm nostrũ, q̃ sumus filij Dei, posteaq̃ à spũ seruitutis in adoptionis spũm venerimus, cùm iam nihil ineſt timoris, id est, nihil, ppter pœnam gerimus, sed propter amorẽ patris cuncta perficimus. Potest aũt ad discretionẽ eorũ, qui spũ seruitutis aguntur in timore, & eorũ qui spũ filiorũ, etiã illud assumi, quòd Abrahã hæreditatẽ quidẽ suã dedit Isaac, filijs verò ancillarũ vel concubinarum non hæreditatem, sed dona dicitur dedisse vel munera. In quo sine dubio hoc obũbrabatur, q̃ nec illi quidẽ penitùs spernerentur, qui adhuc in timore seruiunt Deo, sed sunt illis dona, sunt munera: hæreditas tamen, per quã Christo conglorificantur, eorum est qui adoptionis spũm merẽtur accipere. *Si aũt filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Christus filius Dei patris vnigenit⁹ noluit solus paterna frui hæreditate, sed multos sibi fratres & tantæ beatitudinis consortes asciuit, qui & patris per gratiã hæredes, & ipsius æquè per gratiam sint cohæredes. Nostrũ est tales nos præstare, qui tanta gratia nõ simus indigni, ipso nos adiuuãte, qui cũ patre & Spũsancto viuit & regnat in ęterna secula, Amen.

Gen. 25.

1. Ioan. 4

DOMINICA IX. POST Pentecosten. Matth. VII.

In illo tẽpore: Dixit Iesus discipulis suis: Attendite à falsis prophetis, qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium, intrinsecus aũt sunt lupi rapaces. Et reliq. Homilia beati Augustini episcopi, lib. 2. de Sermone Domini in monte.

DE inuestigãda ac possidenda sapiẽtia Dominus iam incipit loqui, q⁹ est lignũ vitæ: cui vtiq; inuestigandæ ac possidendæ, i. cõtemplandæ talis oculus per omnia superiora perductus est, quo videri iã possit & arcta via, & angusta porta. Quia ergo deinceps dicit: Intrate per angustã portam, quia lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionẽ, & multi sunt qui intrant per eã: quàm angusta porta, & arcta via est quę ducit ad vitã, & pauci sunt qui inueniũt eam: nó ideò dicit, quia iugũ Domini asperũ est & sarcina grauis, sed quia labores finire pauci volũt, minùs credentes clamãti: Venite ad me oẽs qui laboratis & onerati estis, & ego reficiã vos: tollite iugũ meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, iugũ enim meũ iuaue est, & sarcina mea leuis est. Hinc ergo sermo sumpsit exordiũ de humilibus & mitibus corde, quoniã iugũ lene & leue sarcinã multi respuũt, pauci subeunt, eòq; sit arcta via q̃ ducit ad vitã, & angusta porta qua intratur in eã. Hic ergo illi, qui promittunt sapientiã cognitionẽq; veritatis, quã non habẽt, præcipuè cauendi sunt, licut sunt hæretici, qui plerunq; se paucitate cõmendant. Et ideò cùm dixisset paucos esse, qui inueniũt angustã portã & arctã viã, ne se illi tuppotarent nomine paucitatis, statim subiecit: *Cauete à pseudoprophetis, qui ueniunt ad uos in uestimentis ouiũ, intrinsecus aũt sunt lupi rapaces.* Sed illi nõ fallũt oculũ simplicẽ, qui arborẽ dignoscere ex fructib. nouit. Ait enim: *A fructib. eorũ cognoscetis eos.* Deinde similitudines adiũgit: *Nunquid colligũt de spinis uuas, aut de tribulis ficus? Sic oĩs arbor bona bonos fructus facit, mala aũt arbor malos fructus facit. Nõ põt arbor bona fructus malos facere, neq; arbor mala fructus bonos facere. Omnis arbor q̃ nõ facit fructũ bonũ, excidetur, et in ignem mittetur. Igitur à fructib. eorũ cognoscetis eos.* Quo loco illorũ error maximè cauẽdus est, q̃ de ipsis duab. arboribus, duas naturas opinãtur esse, quarũ vna sit Dei, altera verò neq; Dei, neq; ex Deo. De quo errore & alijs libris disputatũ est vberiùs, & si adhuc parũ est, disputabitur. Nũc aũt nõ eos adiuuare duas istas arbores docendũ est. Primò, quia de hominibus eũ dicere tã clarũ est, vt quisquis præcedẽtia & sequẽtia legerit, miretur eorũ cæcitatẽ. Deinde attendunt qd⁹ dictũ est: Non potest arbor bona malos fructus facere, neq; arbor mala fructus bonos facere: Et ideò putãt neq; animã malã fieri posse vt in melius cõmutetur, neq; in deterius bonã: quasi dictũ sit, Nõ potest arbor bona, mala fieri, neq; arbor mala, bona fieri. Sed dictũ est: Nõ potest arbor bona fructũ malos facere, neq; arbor mala fructus bonos facere. Arbor est ipsa anima. i. ipse homo: fructus verò opera hominis. Nõ ergo põt malus homo bona operari, neq; bon⁹ mala. Malus ergo si vult bona operari, priùs bonus fiat. Sic alio loco euidẽtiùs dicit ipse Dominus: Aut facite arborẽ bonã, & fructus eius bonos: aut arborẽ malã, & fructus eius malos. Quòd si duas naturas istorum his duabus arborib. figuraret, nõ diceret, Facite. Quis enim hominũ potest facere naturã? Deinde etiã ibi, cùm ipsarũ duarũ arborũ mentionẽ fecisset, subiecit: Hypocritæ, quomodò potestis bona loqui, cũ sitis mali? Quãdiũ ergo qui q; malus est, nõ potest facere fructus bonos. Si enim fructus bonos fecerit, iã malus nõ erit. Sic verissimè dici potuit, Nõ potest esse nix calida. Cũ enim calida esse cœperit, nõ iã eam niuẽ, sed aquã vocamus. Potest ergo fieri, vt quæ nix fuit, nõ sit: nõ põt aũt fieri, vt nix calida sit: Sic potest fieri, vt qui malus fuit, nõ sit malus: nõ tamẽ potest fieri, vt malus benè faciat. Qui etiã si aliquãdo vtilis est, nõ hoc ipse facit, sed fit de illo diuina ꝓcurante ꝓuidentia, sicut de pharisæis dictũ est: Quę dicũt, facite: quę aũt faciunt, facere nolite. Hoc ipsum qd⁹ bona dicebant, & ea quæ dicebant, vtiliter audiebãtur, & fiebant, nõ erat illorũ. In cathedra enim, inquit, Moysi sedent. Per diuinã ergo prouidentiã legẽ Dei prædicantes, possunt esse audientib. vtiles, cùm sibi non essent. De talib. alio loco per ꝓphetam dictũ est: Seminastis triticum, & spinas meteris: quia bona præcipiũt, & mala faciũt. Non ergo qui eos audiebant, & faciebant quæ ab eis dicebãtur, de spinis legebãt vuas, sed per spinas de vite legebãt vuas: tãquàm si manũ aliquis per sepẽ mittat, aut certè de vite, quæ sepi fuerit inuoluta, vuã legat, nõ spinarũ est fructus ille, sed vitis. Rectiss. sanè quæritur, quos fructus nos attẽdere voluerit, quib. cognoscere arborẽ posimus. Multi enim quædã in fructib. deputant, quæ ad vestitũ ouiũ pertinẽt, & hoc modo à lupis decipiũtur, sicut sunt vel ieiunia,

Matth. 7.

Matt. 11.

Heretici cauendi.

Error Manichæorũ.

Arbor, homo.

Fructus, opera.

Matt. 12.

Matt. 23.

Hier. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vel orationes, vel eleemosynę: q̃ oĩa nisi fieri etiã ab hypocritis possent, nõ iuperiùs diceret: Cauete iustitiã vrã facere corã hoib. vt videamini ab eis. Qua sentẽtia ꝓposita, ipsa tria exequitur, eleemosynã, orationẽ, ieiuniũ. Multi em̃ multa pauperib. nõ misericordia, sed ambitiõe largiũtur. Et multi orãt vel potiùs videñ orare, nõ intuẽtes Deũ, sed hominib. placere conãtes. Et multi ieiunãr, & mirabilẽ abstinentiã ꝓtendũt eis, quib⁹ ista difficilia videñt, & honore digna existimañt, & hutusce modi dolis eos capiũt, dũ aliud ostẽtant ad decipiendũ, aliud exerũt ad deprædandũ vel interficiendũ eos, q̃ sub isto vestitu ouino lupos videre nõ possunt. Hi ergo nõ sunt fruct⁹ de quib. cognosci arborẽ monet. Ista em̃ quũ bono aĩo in veritate fiũt, ꝓpriæ sunt ouib. vestes. Cũ aũt malo in errore, nõ aliud q̃ lupos cõtegũt. Sed nõ ideò debẽt oues odisse vestimentũ suũ, q̃ plerũq; illo se occultãt lupi. Qui sũt ergo fructus, quib. inuẽtis cognoscam⁹ arborẽ malã? Dicit ergo Apũs: Manifesta aũt sunt opera carnis, q̃ sũt fornicatio, immũditia, luxuria, idolorũ seruit⁹, veneficia, inimicitię, cõtentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, hæreses, sectę, inuidię, homicidia, ebrietates, comessatiões, & his similia, q̃ ꝑdico vobis, sicut ꝑdixi, qm̃ q talia agũt, regnum Dei nõ cõsequẽtur. Et qui sũt fructus, per quos cognoscamus arborẽ bonã? Idẽ ipse Apũs cõsequẽter dicit: Fruct⁹ aũt spũs est, charitas, gaudiũ pax, lõganimitas, bonitas, benignitas, fides, mãsuetudo, modestia cõtinẽtia. Sanè sciendũ est, hic gaudiũ ꝓpriè positũ. Mali em̃ hoĩes non gaudere, sed gestire ꝓpriè dicũtur, sicut superiùs diximus volũtatẽ ꝓpriè positã, quã nõ habẽt mali, vbi dictũ est: Oĩa quæcũq; vultis vt faciãt vobis hoĩes & vos facite illis. Ex ista ꝓprietate verbi, qua gaudiũ nõ dicitur nisi in bonis, etiã per ꝓphetã loquitur, dicẽs: Nõ est gaudere impijs, dicit Dñs. Ita quoq; posita est fides: nõ quęcũq; vtiq;, sed vera fides: & cętera q̃ hic posita sunt, habent quasdã imagines suas in malis hominib. & deceptorib. vt oĩno fallant, nisi quisq; iã mundũ oculũ & simplicẽ habuerit⁹, quo ista cognoscat. Optimo itaq; ordine primò actũ é de oculo mundãdo, & deinde dicta sunt, q̃ cauerent. Sed qm̃ quãuis quisq; oculo mũdo sit, i. syncero & simplici corde viuat, nõ pòt tũ cor alterius intueri: q̃cũq; in factis vel in dictis apparere nõ potẽrũt, tẽtationib. aperiũt. Tẽtatio aũt duplex é, aut in spe adipiscẽdi aliquod cõmodũ tẽporale, aut in terrore amittẽdi. Et maximè cauẽdũ est, ne tẽdentes ad sapientiã, q̃ in solo Christo inueniri pòt, in quo sunt oẽs thesauri sapiẽtiæ & sciẽtiæ abscõditi: cauendũ ergo é, ne ipso Christi nomine ab hęreticis, vel quibuslibet malè intelligentib. & seculi huius amatorib. decipiamur. Nã ideò sequit, & monet: *Nõ oĩs q̃ dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnũ cælorũ, sed q̃ facit voluntatẽ patris mei q̃ in cælis est, ipse intrabit in regnũ cælorũ*: ne putemus ad illos fruct⁹ iam pertinere, si quis Domino nostro dicat, Domine Domine, & ex eo nobis arbor bona videat: sed illi sunt fruct⁹, facere voluntatẽ patris qui in cælis é, cuius faciẽdæ seipsũ exẽplũ ꝑbere dignatus é. Sed meritò pòt moueri, quõ huic sẽtẽtię cõueniat illud Apostoli, vbi ait: Nemo in spũ Dei loquẽs dicit anathema Iesu: & nemo pòt dicere Dñs Iesus, nisi in spũsancto: quia neq; aliquos habẽtes spũsanctum possumus dicere nõ intraturos in regnũ cælorũ, si perseuerauerint vsq; in fin̄: neq; illos q̃ dicũt Domine Domine, & tũ nõ intrant in regnũ cęlorũ, posſum⁹, dicere habere spũsanctũ. Quõ ergo nemo dicit Dñs Iesus, nisi in spũsancto, nisi q̃a ꝓpriè Aplũs posuit verbũ qd⁹ est, Dicit, vt significet voluntatẽ atq; intellectũ dicẽtis? Dñs verò generaliter posuit verbũ, quod ait: Nõ omnis q̃ dicit mihi Domine Dñe, intrabit in regnũ cælorũ. Videtur em̃ dicere etiã ille, q̃ nec vult, nec intelligit qd⁹ dicit. Sed ille ꝓpriè dicit, qui voluntatẽ ac mentẽ suã sono vocis enũciat, sicut paulò antè quod dictũ est gaudiũ in fructib. spũs, ꝓpriè dictũ est, nõ eo modo, quo alibi dicit idẽ Aplũs: Nõ gaudet sup iniquitate: quasi quisq̃ posit super iniquitate gaudere: quia illa elatio ẽ animi turbidè gestiẽtis, nõ gaudiũ: nã hoc soli boni habẽt. Ergo dicere videntur etiã illi, qui nõ hoc quod sonãt, & intellectu cernũt, & volũtate agũt: sed tãtùm voce sonãt, secundũ quẽ sonum Dñs ait: Nõ ois q̃ dicit mihi: Dñe Dñe, intrabit in regnũ cęlorũ: sed qui facit volũtatẽ patris mei qui cælis est, ipse intrabit in regnũ cælorũ. Verè autẽ ac propriè illi dicunt, à quorũ voluntate atq; mẽte nõ abhorret prolatio sermonis sui, secundùm quã significationem dixit Apostolus: Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in spiritu sancto.

Gal. 5. E quibus fructibus mali cognoscantur

Vem boni.

Mali non gaudent.

Matth. 7.

Psal. 57.

Tentatio duplex.

Colos. 2.

1. Cor. 12.

Dicere, propriè quid sit.

1. Corin. 13.

Matt. 7.

EADEM DOMINICA
Homilia Eusebij Emeseni.

ATtẽdite, inquit, & cauete vobis à falsis ꝓphetis, à malis sacerdotib. & episcopis, attẽdite à Simoniacis & hæreticis, qui veniũt ad vos in vestimẽtis ouiũ. Ouiũ simplicitatẽ simulãt, ouiũ innocentiã fingũt, & ouiũ patiẽtiã mẽtiũtur. Quos quidẽ si interiùs videretis, si sub vestib. cerneretis, aliud ibi q̃ oué esse, cognosceretis. Latet em̃ lupus sub ouina pelle: & quos exteriùs oues esse putatis, intrinsecùs sunt lupi rapaces. Lupi em̃ rapaces sũt, q̃d hoc nõ venerũt vt gregẽ custodiãt, sed adhoc vt furẽtur & rapiãt, mactẽt & pdant. Quõ aũt eos cognoscere possitis, audite. Sicut em̃ vnaquęq; arbor à fructu suo cognoscitur, ita vnusquisq; homo in operib. suis cognosci pòt. Ideoq; nõ dixit à folijs eorũ, sed *à fructib. eorũ cognoscetis eos*. Si enim verba attẽdamus, nõ facilè boni discernũtur à malis. Vnde & alibi Dñs ait: Sup cathedrã Moysi sederũt Scribæ & Pharisæi: quæcũq; dixerint vobis facite, secundũ opera eorũ nolite facere. In quo aptissimè eos bñ dicere & malè facere ostendit. Qui igitẽ in verbis nõ discernũtur, in operib. cõprehẽdunt. Prædicẽt igitur quicquid velint, vos aũt opera cõsiderate, si fideles sunt, si mites, si patiẽtes, si misericordes, si humiles, si pacifici, si casti, si beneuoli, si auaritiã oderint, si pecuniã nõ abscõdũt, & similia, quæ enumerare longũ est. Isti sunt fructus bonæ arboris: horũ laudes, folia sunt. Qui enim laudãt hęc & nõ agũt, folia tãtũ & nõ fructus ostẽdũt. Sic igitẽ à fructib. eorũcognoscẽtis eos: Nã & spinę & tribuli à fructib. suis cognoscũtur: quoniã neq; in spinis vuæ, neq; in tribulis ficus colliguntur. *Sic omnis*

uis arbor bona fructus bonos facit, mala aũt arbor malos fructus facit. Nõ pòt arbor bona fructus malos facere, neq; arbor mala fructus bonos facere. Verũ est enim, ꝙomnis arbor bona facit fructũ bonũ, & omnis arbor mala facit fructum malũ. Sed quõ illud verũ est, quod verum esse veritas dicit, vt nulla bona faciat malũ, & nulla mala faciat bonũ? Nemo .n. tã iustus, qui aliquãdo nõ peccet. Hoc .n. Ioãnes Aplũs ait: Si dixerimus quia peccatũ nõ habemus, nosipsos seducim⁹, & veritas in nobis nõ est. Omne aũt peccatũ, malus fruct⁹ est. Malus igitur fructus etiã in bona arbore reperitur. Similiter aũt nemo tã iniquus, q̃ aliquãdo bonũ nõ agat. Neq; enim fieri pòt, vt salte verũ aliquãdo nõ dicat. Verũ aute dicere bonũ est. Inuenitur igitur bonus fructus & in arbore mala. Quid igitur? quõ verũ esse ꝓbabimus, quod verũ esse nõ dubitamus? Veritas enim mẽtiri nõ potuit. Verũ est ita q̃, ꝙ nulla arbor bona malos fruct⁹ facit, & nulla arbor mala fructus bonos facit. Verum vtiq; est, sed cũ determinatiõe verũ est. Dicatur ergo: Nulla bona arbor, secundùm hoc ꝙ bona est, fructus malos facit. Nullũ .n. cõtrarium, suũ contrariũ generat. Nã neq; dulce facit amarum, neq; sanitas ægritudinẽ, neq; frigus calorẽ, neq; veritas fallitatẽ. Nõ igitur bonũ facit malũ, neq; malũ bonũ. cõtraria .n. sunt. Omnis enim arbor secundùm suã naturã bona est, & bonos fructus facit. Secundũ corruptionẽ verò mala ẽ, & malos fruct⁹ facit. Quid aũt in arbore significetur intelligis. Arbor enim ita, homo est. Sed vis videre, quia nõ hoĩs natura, q̃ vtiq; bona est, facit fructũ malũ, sed eius corruptio & peccatũ? Audi quid Aplũs dicat: Nõ .n. quod volo bonũ, hoc ago, sed quod nolo malũ, illud facio. Si aũt quod nolo, illud facio, iã non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatũ. Inde igitur dicitur arbor mala, nõ q̃ secundũ se mala sit, sed q̃a in ea ẽ corruptio mali. Et si parũ quidẽ corrupta ẽ, quasi iã à corruptione sana, nõ mala, sed bona vocatur. Si verò multũ corrupta ẽ, mala & nõ bona vocatur. Ab eo enim suscipit nomẽ, quod magis in ea abũdat. Cognoscuntur igitur falsi ꝓphetæ à fructib. suis: quoniã & si aliquãdo bonũ aliquid facere videãtur, tũ quia vel ꝓ lucro, vel pro laude faciũt, eorũ simulatio diù celari nõ pòt. Quia enim omnia opera sua faciunt vt videãtur ab hominib. ipsum quoq; quod bonum esse videtur, bonũ nõ est. Sequitur: *Omnis arbor q̃ nõ facit fructũ bonũ, excidetur, & in ignẽ mittetur.* Tunc .n. arbores excinduntur, qñ hoĩes moriuntur. In ignẽ verò tunc mittẽtur, qñ dicetur eis, Ite maledicti in ignẽ æternũ. *Nõ ois q̃ dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnũ cælorũ: sed q̃ facit voluntatẽ patris mei q̃ in cælis ẽ, ipse intrabit in regnũ cælorũ.* Dicere enim, Dñe Dñe, adulatio ẽ: seruire aũt ei sicut Dño, amor ẽ, dilectionisq; probatio, & patris filijq; voluntas. Tantũ aũt interest inter dicere & facere, quãtum inter folia & fructus. Hæc igitur ad superiora spectãt, vbi ait, A fructib. eorũ cognoscetis eos. Sequitur: *Multi dicẽt mihi in illa die: Domine Domine, nõnne in noĩe tuo ꝓphetauimus, & in tuo noĩe dæmonia eiecimus, et in tuo noĩe virtutes multas fecimus? Et tũc cõfitebor illis, q̃a nunq̃ noui vos. Discedite à me, q̃ operamini iniquitatẽ.* Qui sũt isti multi, nisi illi quos modò paulò supius falsos ꝓphetas nominauit? Isti aũt multi, hæc turba nõ modica, dicẽt in illa die. In qua die? Nõ quæras nomẽ eius, quia notissimũ est. Quid dicent? Dñe Dñe, nõnne in noĩe tuo ꝓphetauimus? Prophetauit aũt Balaã, ꝓphetauit & Caiphas. Hoc em̃ dicit euangelista, quia quũ esset põtifex anni illius ꝓphetauit, dicẽs: Expedit vobis, vt vnus moriatur homo ꝓ populo, & nõ tota gẽs pereat. Dæmonia verò vsq; hodiè eijciunt, aliasq; multas virtutes faciũt, & q̃ baptizãt, & q̃ ꝑdicãt. Quot em̃ sunt crimina, tot sunt & dæmonia in vnoquoq;. Vnde & Dñs de Maria Magdalena dicit expulisse septẽ dæmonia, qm̃ (sicut alibi dicitur) dimisit ei pẽtã multa, quia dilexit multũ. Hæc aũt dæmonia eijciũtur, qñ euãgelica ꝑdicatione, à quocũq; nũcietur, peccatores pœnitẽt & cõuertunt. Faciũt aut & alias multas virtutes, quia cæcos illuminãt, leprosos curãt, & mortuos suscitãt. Has em̃ virtutes fecerũt in corpore aliquanti ꝑdicatores, in animaverò faciũt oẽs. Neq; verò minus est animam sanare, q̃ corpus. Corpus enim sanatur, & moritur: anima verò sanatur & nunquam moritur. Vis aũt scire, quæ anima sit cæca? Anima enim infidelis, q̃ Deũ nõ videt, & veritatẽ nõ intelligit, cæca ẽ. Leprosa verò est illa, q̃ vitiorũ masculis sordescit. Illa verò mortua ẽ, quæ in crimine pseuerat. Toties igitur ꝑdicatores cęcos illuminãt, leprosos curãt, & mortuos suscitãt, quoties iniq̃ hoĩes eorũ monitis & ꝑdicatione cõuertuntur, & pœnitẽtia ducti, diabolo & omnibus operib. eius abrenũciant, & suæ salutis medicinã ab illis suscipiũt. Sed quid hoc eis ꝓdest, quũ illis Dñs dicat: Nunq̃ noui vos: discedite à me, qui operamini iniquitatẽ? Quid est, Nunq̃ noui vos? Nunq̃ dilexi vos, nunq̃ vrã opa mihi placuerũt. Nouit enim eos Dñs atq; dilexit secundũ naturã, quã in eis creauit: Nõ nouit verò, neq; dilexit, secundũ corruptionem, qua eos vitiauit diabolus. *Omnis ergo homo, q̃ audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapiẽti, q̃ ædificauit domũ suã supra petrã.* Nõ ergo sufficit audire verba Dei. Hoc em̃ & Aplũs ait: Nõ auditores legis iustificabũt apud Deũ, sed factores. Audire enim omniũ ẽ, facere paucorũ. Domus aũt q̃ supra petrã fundata ẽ, firmũ & stabile fundamentũ habet. Sapiẽs igitur ẽ, q̃ sic ꝙdificat. Fundamentũ priùs quærendũ est. Sed videamus, q̃d hæc petra significet. Aplũs enim dicit, quia petra erat Christus. Itẽq; Fundamentũ em̃ aliud nemo pòt ponere, præter id quod positũ est, qd⁹ est Christus Iesus. Inueniti fũdamentũ, hic domũ ꝙdifica. Hic enim domũ ædificabis, si hæc mandata seruabis. Crede & fac quæ præcepit Christus, & fũdabis in fundamẽto Christi. Ipse erit tibi fundamentũ: ideoq; nõ timebis pluuias & ventũ. Hoc ẽ enim, quod ait: *descẽdit pluuia, et venerũt flumina, & flauerũt uẽti, & irruerũt in domũ illam, & nõ cecidit: fundata enim erat supra petrã.* Vis aũt videre domũ supra petrã fũdatã, quõ nec pluuias, nec flumina, nec vẽtos timeat? Certus fum, inquit Aplũs, quia neq; mors, neq; vita, neq; principat⁹, neq; potestates, neq; aliqua pie quærio potẽrit me separare à charitate Dei, quæ ẽ in Christo Iesu. Quãuis enim furore & terrore, flagellis & minis, omniũq; tormentorũ generibus, quasi quibusdã magnis ventorũ & tẽpestatũ procellis, sup sanctos seuiẽtes irrueret, eos tñ à Christi fide separare nullatenus poterãt. Hoc aũt ideo fiebat, q̃a bñ supra petrã fundati erãt. Videamus etiã de illa domo, q̃ nõ sup petrã, sed super arenã fũdata ẽ: et oĩs, inq̃t, *q̃ audit verba mea hęc, & non facit ea, similis erit viro stulto, q̃ ædificauit domũ suã sup arenã. Descẽdit pluuia, & venerũt flumina, & flauerũt uẽti, & irruerũt in domũ illã, & cecidit, & fuit ruina eius magna.* Qui enim verba Dei audire delectat

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur,& cuſtodire nō curant,ſuæ fidei domū ſeq; ipſos ſuper arenā ædificāt,quia facili aura pſequutiónis deijciūt. Quorū qdē ruina tūc magna erit, quādo malignorū ſpūum furore & ira,quaſi quodā magno impetu,pcellarū,in tartara pcipitabūt. De quo naufragio nos liberare dignet Ieſus Chriſtus Dñs noſter,q cū patre & ſpūſācto viuit & regnat in ſecula ſeculorū,Amē

DOMINICA X. POST

Pentecoſtē,In Epiſtolam Concio exegetica.

HAbem⁹ hodiè lectionē ex prioris ad Corinthios ca.10.qua Aplūs illi⁹ veteris populi peccata quędā cōmemorat,à quib.nos vult abſterrere, dū & pœnas illis irrogatas refert,& ob noſtricorrectionē ſcriptas ait. Ipſū Aplūm nobis loquentē attēdamus: *Nō ſimcōcupiſcētes malorū, ſicut & illi cōcupierūt.* Alebatur populus ille Iudaic⁹ in deſerto annis quadraginta pane cæ
Pſal.77 litūs miſſo,de quo in Pſalmo dicitur: Panē cæli dedit eis:panē angelorū māducauit homo. Fuit hoc incredibili ꝓpotētis Dei benignitate illis cōceſſum & pſtitū. Sed qd illi dura ceruice fecerūt? Faſtidito pane an
Num.11 gelorū,muſitabūdi dixerūt: Quis dabit nobis ad veſcendū carnes? Recordamur pilciū,quos cōedebam⁹ in Aegypto gratis:in mēte nobis venūt cucumeres,& pepones, porriq; & cæpe,& allia. Ita hodieq; ꝓ multi
Ioā.6. Chriſtiani faſtidiūt panē illū de cælo verū, q dat vitā mundo,& toti ſēper inhiāt dapibus,quib. nō nutriāt, ſed farciāt & onerēt putres vētres ſuos. Si lit vacādū reb.diuinis,ſi ſacra cōcio auſcultāda,jādudu animus illis in patinis & poculis ē. Nulla in eis cæleſtis patriæ deſideria,cogitatio & appetitio oīs in rebus vilib.ca ducis,noxijs verſatur. Hoc ꝓhibet hīc Aplūs, hortaturq; vt pernicioſis calcatis deſiderijs,ſalutaria & æterna appetam⁹. *Neq; idololatræ effictamur, ſicut qdam ex ipſis, quēadmodū ſcriptū eſt, Sedit populus māducare et bibere, et ſurrexerūt ludere.* Quām pronus ille populus fuerit in idolatriā,multis locis ſcripta diuina teſtant. Vix ex Aegypto egreſſi fuerant,& ecce cùm iā tātos terrores ex
Exo.32 Dñi in monte Sinai deſcēdētis ꝓſentia cōſternatis animis vidiſſent,& Moſes aliquāto tardiūs è mōte rediret,vitulū fecere cōflatilē,dixerūtq;, Hi ſunt dij tui Iſrael,q te eduxerūt de terra Aegypti. Quid hac amētia deploratiūs? Porrò verò quid aliud faciūt hoīes auari, qui Māmonā colūt,vt nō immeritò Aplūs auaGala.5. ritiā vocet idolorū ſeruitutē? Liberati à tyrānide ſatanæ,ampliſſimis futurorū bonorū,ꝓmiſſionib. inuitati,auertūt ſe à viuo & vero Deo,& nūmum,ꝓ Deo colūt. Et qd omninò ridiculū & amētiæ plenū eſt, pleruq; nec ipſi ſuis opib.fruūtur,ſed viuūt omninò ſordidè ac miſerè,vt rectè de illis dixerit Seneca,Auaro tā deeſt qd⁹ habet,q qd⁹ nō habet. Alij Venerē colūt,
Multi Chriſtiani idolatræ ꝓ multi Bacchū,vt dubiū nō ſit ꝓ multos Chriſtiana li cet religione initiatos, Chriſtū ſolis labijs colere, reaūt vera idololatras eſſe & dæmonū rerūq; viliſſimarū cultores: quod q itidē in Chriſtianis tāto maiorē habet vituperationē & grauiorē dānationē, quāto nobis maiora diuinitus ſūt collata beneficia,q illis rudibus Iudæis,q ferè carnalib. & tēporarijs ꝓmiſsis fulciebātur,cū nobis mox ab ipſo ꝓdicatiōis ſuæ exordio Chriſtus regnū cælorū annuntiauerit. Sunt hodiè nō pauci hæreſici,q Catholicos idololatriæ impudenter inſimulāt,eò q ꝓ diuos & diuorū imagines piè venerātur. Sed horū inſania iā multis antè ſeculis dānata ē, q iſti miſeri in hāc lucē fuerint editi. Lōgè alius cul⁹ eſt quē Deo impēdimus,q ſit ille,quo ſanctos & eorū imagines ꝓſequimur: immò quicquid venerationis ſanctis exhibemus,id totū in ꝓpotētis Dei cedit honorē & gloriā,quē in ſanctis ſuis mirabilē ꝓdicamus. *Neq; fornicemur, ſicut qdā ex ipſis fornicati ſunt, & ceciderunt una die viginti tria millia.* Balaā ariolus victus auaritiæ ſti
Nū.25 mulis,ſuggeſsit regi Moabitarū cōſiliū,quo populus Iſraēl à fœminis gentis eius ad illicitos ꝓuocatus cōcubitus,mox etiā ad earū colēda idola pertractus eſt, ſicut videre licet Num.25.cap. Eā rem grauis ſecuta ē vltio diuina,adeò vt etiā principes oēs Iſraēlitarū iubēte Dño patibulis affixi ſint. Nec Balaā impune tulit
Num.31 tā nefariū cōſiliū,nō diù pòſt ab Hebręis gladio peremptus. Cæca res auaritia,q Balaā ad tantā impietatē adduxit: nec minùs cæca libido,q vnius Dei cultores ad turpiſsimū Beelphegor idolū colendum impulit. Fuit.n.hoc fœdiſsimū Madianitarū idolū,& vſq; adeò turpi honorabat cultu, vt pudor ſit referre. An nō verò iniana libido ad abominādas turpitudines hoies ipſū deditos adducit? In q nō mala ruūt præcipites impuris amorib,addicti? Vitā ipſam perdūt, & gehennę incēdia breui eaq; ſpurca voluptate ſibi ipſis vltrò aſciſcūt,longè vtiq; beatiores futuri, ſi Chriſti amore carnis petulantiā calcarent,& vas ſuū, iuxta Apoſtoli 1.Th
cōſiliū,poſsiderēt in ſanctificatione & honore,nō in 4.
paſsiōe deſiderij. Nō vocauit nos De⁹ in immūditiā, inquit idē Aplūs, ſed in ſanctificationem. *Neq; tēteme⁹ Chriſtū, ſicut quidā eorū tentauerūt, & à ſerpentib. perierunt.* Locus eſt Num. 21. cap. Obſeruādum aūt Aplūm hic Chriſtū tentatū dicere, videlicet ob vnitatē perſonæ Dei & hoīs. Sic etiā Iudas Aplūs dicit Ieſum populū de terra Aegypti ſaluaſſe. Porrò notatu dignū eſt, ꝙ cōtra illā mortē,à ſerpentib. illatam, juſſus eſt Moſes erigere ſerpentē æneū, qui Chriſtū in cruce figendum
Ioā.3 prælīgurabat, cuius morte nos ſanati ſumus à morte peccati. D. Ambroſius in hunc locū ita ſcribit: Detrahentes de Deo, Chriſtū tētaſſe dicuntur, quia Chriſtus erat, qui ad Moyſen loquebat. Deniq; ne nos in eadē cauſā inueniſmur cōmonet, ne diabolo tradamur, cuius ſerpētes habēt figurā. Sic ille. *Neq; murmuraueritis, ſicut quidā eorū murmurauerūt, & perierūt ab exterminatore.* Frequēter durus ille populus murmurauit in deſerto. Dictū eſt autē illis à Moyſe: Nō cōtra nos eſt murmur veſtrū, ſed cōtra Dñm. Murmurabāt quidē illi cōtra Moyſen & Aaron, ſed in Dominū illud murmur redundabat. Ipſe em ait de Eccleſiæ præpoſitis:
Luc.10 Qui vos audit, me audit: & q vos ſpernit, me ſpernit. Cauēdū in primis eſt ſubditis, ne cōtra paſtores ſuos improbè murmurēt. Murmurare, inquit hīc Ambroſius, eſt falſò adinuicē de ꝓpoſitis & rectorib. queri, quantū ad mentē loci pertinet. Hæc ille. Quòd verò Aplūs dicit hic, murmuratores periſſe ab exterminatore, Oecumenius virtutē quandā exitialē interpretatur. Alij exterminatorē dicūt eſſe angelū illum, de quo Dñs luquēs, Ecce, ait, mitto angelū meū, q prędet te: obſerua eū, quia nō dimittet cùm peccaueris.
Exo.23 Valdè familiare eſt hęreſum & ſchiſmatū architectis, quò plures ſibi alliciāt, obtrectare Eccleſiæ ꝓfectis, eorū lacerare vitā, & in murmur cōcitare miſerā plebē. Cauendi ſunt igitur tanquā ſatanæ adminiſtri, & Chriſti⁹ potiùs audiēd⁹, qui ait: Super cathedrā Moyſi
Mat.23 ſederūt ſcribæ & phariſæi. Oīa ergo quęcunq; dicūt, facite: ſecundùm opera verò eorū nolite facere. Nihil illis ſcribis & phariſæis fuit ſceleratius, & tamen illis obtemperari voluit Chriſtus. Nemo igitur putet ſibi cōtemnēda eſſe præcepta paſtorū Eccleſiæ, etiāſi vita eorū mala fortaſsis ſit. Habēt illi iudicē ſuū. *Hæc autē omnia in figura cōtingebāt illis: ſcripta ſunt aūt ad correptionē noſtrā, in quos fines ſeculorū deuenerūt.* Per hæc exēpla, teſte D. Ambroſio, ad correctionē nos vitā prouocat, vt monitis eius aut præmiū, ſi obedientes fuerimus, aut
Cauēda cōtemptus ne labaris. ꝓpenſionē pœnā mereamur inobedientes. Non eſt em ambiguū illos peccantes plūs ſubijciēdos tormentis, quib. peccantiū pœnę ad hoc relatæ ſunt, ne peccarent. Fines aūt ſeculorū nos ſumus: quia tunc hæc ideò facta noſcūtur, circa retributionē illorū, vt nobis eſſent exēplo, q poſtremo ſeculo futuri eramus in fide Chriſti. Pro vtilitate em noſtra geſta ſūt, vt ſi terrore horū in Dei timore mā ſerimus, gloriā illis ꝓmiſſam accipiam⁹: ſi quo minùs, geminabit nobis pœna illorū, q a maior notitia legis magis facit reū. Hac ten⁹ Ambroſius. Quantū præſtat veritas figuris, tantū beneficia nobis collata beneficijs prioris illius populi, ſub priſca lege degētis: tanto quoq; noſtra ſupplicia ob matorē ingratitudinē illorū ſupplicijs grauiora erunt, ſicut etiā Chryſoſtom⁹ indicat hoc loco. Si ergo nō mouet nos amor Chriſti ad cauenda peccata, vel intentata gehennæ inextinguibilis ſupplicia impellant: ſicq; ſenſim veniemus in quandā non peccandi conſuetudinē, atq; iā ex amore vltrò præſtabimus, ꝙ priùs vix metus à nobis extorquere potuit. *Itaq; qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Chryſoſtomus ſic habet in hunc locū. Iterū eorū contundit ſuperbiā, q de ſe magna ꝓſumunt. Itaq; ſi ſtetiſti, caue ne cadas. Hoc in loco particula, ſtare, non firmiter ſtare ſignificat, quouſq; præſentis vitæ fluctibus liberemur, & ad trāquillum portū appellamus. Nolito igitur ſi, ſtas, nimium tibi confidere, ſed caue ne cadas. Nā ſi Paulus, q omnium firmiſsimus erat, formidauit, longè magis nobis formidandū eſt. Hæc Chryſoſtomus. Extat D. Bernardi memorabilis ſententia, huic loco pulchrè quadrans: In veritate didici, inquit Sermone 54. in Cantica, nihil æquè efficax eſſe ad gratiā ꝓmerendā, retinendā, recuperandā, q ſi omni tēpore corā Deo
Eccl.28 inueniaris nō altū ſapere, ſed timere. Beatus homo, q ſemper eſt pauidus. Time ergo cū arriſerit gratia, time cū abierit, time cū denuò reuertetur: & hoc eſt ſemper pauidū eſſe. Hæc Bernardus, qui in eodē ſermone veriſimè dicit, ſiue iam exiſtētem, ſiue nondū exiſtentē ſuperbiā, ſemp cauſam eſſe ſubtractæ gratiæ. Nemo ergo animo extollatur, ne gratia deſtitutus, corruat turpiter. Superbia deſertores angelos è cælo, primos hoīes è paradiſo eiecit. *Tentatio uos nō apprehendat, niſi humana.* D. Auguſtinus libr. de Baptiſmo paruulorū, vt citatur à Beda, hoīes, inquit, ſumus. Vnde aliquid aliter ſapere, q ſe res habet humana tentatio eſt. Nimis aūt amādo ſententiā, aut inuidēdo meliorib, vſq; ad præcidēdæ cōmunionis, & cōdendi ſchiſmatis vel hęreſis ſacrilegiū peruenire, diabolica eſt præſumptio. In nullo aūt aliter ſapere, q ſe res habet, angelica perfectio eſt. Quia itaq; hoīes ſumus, ſed ſpe angeli, quibus æquales in reſurrectione futuri ſumus, quandiù non habemus perfectionem angeli, non habeamus præſumptionem diaboli. Ideò dicit Apoſtolus: Tentatio vos nō apprehendat niſi humana. Hæc Auguſtinus. Græci non apprehendat ſed apprehēdit hīc legunt, vt idē ſit huius loci ſenſus,

qui illius ad Hebræos, Nondū vſq; ad ſanguinē reſti
Heb.12 tiſtis, aduerſus peccatū repugnātes. Chryſoſtomum ipſū audiamus: Cū Corinthios perterruiſſet, meritò, inqt, veterū exemplorū narratione, etiā ſolicitudinē his verbis iniecit, ne cadāt. Sūt aūt q multas tentationes tulerūt, & q in his ſæpenumerò exerciti ſunt: etenim in infirmitate, inquit, in timore & tremore multo fui apud vos: ne dicerēt, Quid nos perterres? quid formidinē incutis? nō fumus horū malorū immemores: etenim diminuti ſumus, & perſecutiones accepimus, & multa & frequētia pericula ſubiuimus: vt eorū ſedaret ſuperbiā, inquit: Tētatio vos nō apprehendit niſi humana, hoc eſt, parua, breuis, mediocris.
1.Cor.2
Quod em humanū eſt, id paruū dicit. Noluit ergo ſuperbire, inqt, tanq; tempeſtatē ſuperaueritis. Nondū em nouiſtis periculū mortis, nondū tentationē mortis. Ita Chryſoſtomus. *Fidelis aūt Deus eſt, q nō patietur uos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiā cū tētatione prouētū, ut poßitis ſuſtinere.* Hæc ſentētia pperuò debet affixa manere eorū animis, q multis iactantur difficultatibus, varijs fatiganē tētationibus, & rebus duris cōflictantur, vt ſeipſos ſpe bona conſolētur, certi non defuturū ipſis diuinū auxiliū tēpore opportuno. Deus nanq;, vt ait Chryſoſtomus, & patientiā dat, & celeritatē mutationis inducit, vt in hac parte tolerabilis ſiat tentatio. Et Auguſtinus in Pſalmū 61. diabolo, inqt, *Diabol⁹* poteſtas qdam eſt: plerunq; tū vult nocere & nō pōt, *certos* quia poteſtas iſta ſub poteſtate eſt. Nam ſi tātùm poſ⁹ *ſibi ha* ſet nocere diabolus quantū vult, nū aliquis iuſtorum *bet pra* remaneret, aut aliquis fideliū eſſet in terra? Ipſe per *fixos tē* vaſa ſua impellit quaſi parietē inclinatū, ſed tantū im *tandē li* pellit, quantā accipit poteſtatē. Vt aūt nō cadat pari- *mites.*
es, Dñs ſuſcipiet: qm qui dat poteſtatē tentatori, ipſe tētato præbet miſericordiā. Ad mēſurā .n. pmittitur tētare diabolus. Noli ergo timere permiſſum aliquid facere tētatorē: habes .n. miſericordiſsimū ſaluatorē. Tantū permittitur ille tentare, quantū tibi ꝓdeſt, vt exerceāris, vt ꝓberis, vt qui te neſciebas, à teipſo inueniaris. Hæc Auguſtinus. Præſtet nobis Dominus Deus, vt nulla vincamur vnquam tentatione, in laudē & gloriam ſuam, qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

DOMINICA X. POST

Pentecoſten. Luc. XVI.

In illo tēpore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolā hanc: Homo quidam erat diues, q habebat villicum, & hic diffamatus eſt apud illū, quaſi diſſipaſſet bona ipſius. Et rel Homilia de eadē lectione.

QVis eſt homo diues, niſi Chriſtus? Diues in cęlo, & diues in terra, diues vbiq; diues, plenus gratiæ & veritatis: & nos oēs de pleni-
Ioan.1 tudine eius accepimus. Diues, apud quem abſconditi ſunt oēs theſauri ſapiētiæ & ſcientiæ. Di-
Coloſ.2 ues in omnib. & in oēs, qui inuocant illū. Villicus aūt
Ro.10 eſt vnuſquiſq; Chriſtianus, qui in baptiſmo villica-
Villicus quis. tionem ſui accepit, & proximi. Chriſtianus em vnuſquiſq; nō tantū ſui cauſa viuit, ſed & ꝓximi: & nō tantum redditurus eſt rationē ꝓ ſua ſua, ſed & ꝓ eius cū quo viuit in hac vita, exercēs ſe corpore & ſaō, & adiuuans proximū documentis & exēplo: nec tantùm quærens quæ ſua ſunt, ſed & quæ aliorū. Hæc ē Chriſtianorū cura nobilis, & ſancta villicatio. Hinc ē iudiciū Chriſti tremēdū, & futura exactio. Et *hic diffamat⁹* ē

Universidad de Deusto
Biblioteca

apud illū, quasi dissipasset bona ipsius. Quotidiè diffamamur apud Deū, qui angeli nostri semper vidēt faciē patris,
Mat.18 & nunciāt ei oīa opera nostra. Quid ergo faciemus? Vbi abscondemur? Illi nos diffamāt, q nostra interiora vidēt. Illi nos diffamāt, q omni hora nos intuētur & Deū intuētur omnia nostra & Deū, quia nostra intuēdo, nūciāt Deo. Nō ē obstaculū, nō sunt tenebrę, quibus impediātur videre oīa nostra, quia diuinū lumen
Ps.138. quo illuminātur, penetrat oīa. Quia lux in tenebris lucet, & nox sicut dies illuminabit. *Et hic diffamatus ē apud illū, quasi dissipasset bona ipsius.* Quis oīa sibi tradita bona bene dispēsat in omnib. Quis nō aliquādo dormitat? Quādoq; bonus dormitat Homerus, & in multis offendimus oēs: Et si dixerimus quia pctū nō habem⁹,
Luc. 3. 1. Ioā. 1. nosmetipsos seducim⁹, & veritas in nobis nō ē. *Et vocauit illū, & ait illi: Quid hoc audio de te?* Quotidiè nos vocat Dūs: Venite filij, audite me. Venite ad me oēs qui
Psal.33 laboratis, & onerati estis. Et: O viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hoīm. Quotidiè loquit nobis. Loquit per pphetas, loquit per aplōs, loquit per seipsū in euāgelio, loquit per doctores, loqtur in cōsciētia. *Quid hoc audio de te?* Increpat malè cogitantes, increpat malè loquētes, increpat prauè agentes, increpat malè viuētes. Quid hoc audio de te? *Redde rationē villicatiōis*
Mat.10 *tuæ?* Quia de omni verbo ocioso, qd locuti fuerint homines, reddēt rationē in die iudicij. *Redde rationē villicationis tuæ:* Quid agas apud te, quid apud ꝓximū, quid cogites in corde, quale ꝓferas verbū, quid auditu delectet, & cui intēdas oculū. Redde rationē villicatiōis tuæ. Bona mea dissipas, bonis meis malè vteris, bona tuæ. Bona mea dās extraneis. Voco, & nō respōdes: porrigo manū, & nō respicis. Redde rationē villicationis tuę. *Iā enim nō poteris villicare.* Ad finē peruenisti, tēpus ē iudicij & rationis reddēdę. Iā nō poteris villicare. Citò hinc abitur⁹, citò moriturus es, iā nō poteris villicare. Post hāc. n. vitā nō est villicatio. Hic villicādo seruim⁹, ibi requiescēdo mercedē capim⁹. Hic acquirimus, quod ibi possideamus. Hic labor, ibi prēmiū. *Ait aūt villicus intra se:* Quid faciā, q *Dominus meus aufert à me villicationem?*
Eccl.7. Felix qui de fine cogitat, felix qui quotidiè cogitat se moriturū, quia melior est finis orationis q principiū. Et sancti dū finiūtur in seculo, fiūt in cælesti sede perpetui, quib. finis vitę viuēdi initiū cōfert. Quid faciā? Quō de malè dispēsata villicatione euadā? *Fodere non*
valeo. Postq̄ desecit huius vitæ villicatio, nō relinquitur actio post hāc vitā, ꝑ qua mereamur æternā vitā. Ibi iā non valeo fodere, quia ibi nō ē pauperes recreare, infirmos visitare, vigilijs sacris & rationib. insistere. Quid ē em aliud fodere, nisi sanctarū exercitijs a-
Fodere mystice ctionū terrā mētis & corporis excolere? Terrā fodimus, cū à nobis extirpamus vitia, & virtutes inserim⁹. Quod fieri nō pōt post hanc vitā, quia tēpus illud nō ē pœnitētiæ aptū, sed retributioni bonorū siue malorū operū. *Mēdicare erubesco.* Nē mihi dicatur, qd satuis
Mat.25 virginib. dictū ē: Ne fortè nō sufficiat nobis & vobis: ite potius ad vendētes, & emite vobis. Est mēdicatio bona, ē mēdicatio mala. Mēdicatio bona hic. Hic em
Mendicatio bona. Mala. Ibidem. benè mēdicam⁹ à doctorib. sapiētiā & doctrinā: à sanctis mēdicamus in litanijs, vt orēt ꝓ nobis. In alia vita mēdicatio erubescēda. Quis em nō erubescat dicere: Date nobis de oleo vrō, qa lāpades nostrę extinguūt? Ideō mēdicare erubesco. Verè mēdicatio erubescēda, vbi nihil recipitur, & egestis oim bonorū ꝑpetua comitatur. Ideō mēdicare erubesco. Ibi nō ꝓdest alieni boni mēdicatio, vbi deficit oē bonū suū. Nec pōt ab alio quisq̄ expectare qd ipse nō meruerit, cū vnicuiq; vix sua sufficiāt, & iustꝰ vix saluabit. Ideò mēdicare erubesco. *Scio qd facta, ut cū amotus fuero à villicatione, recipiāt*
me in domos suas. Salubre consiliū reperit ad finē, q ma- 1. Pet. 4
lè dispēsauit villicationē, scilicet vt daret pauca, recepturꝰ plura, & reciperetur in domos aliorū, cui ꝓpria deficiebāt. *Cōuocatis itaq; singulis debitoribꝰ. Domini sui, dicebat primo: Quantū debes domino meo? At ille dixit: Centū cados olei.* Cōmunem Dūm habemus, q vnū Deū colim⁹, cui oēs debemus, quicquid boni possumus. Sed quia oēs villici sumus, de iure villicationis nostræ debitorū Dñi pars ad nos refertur, vt nō solùm inueniamur debitores Dei, sed etiā inuicē nostri. Nō em solū iubemur diligere Deū, sed & ꝓximū. Debitores ergo Deo sumus Dei, debitores sum⁹ & ꝓximi: Deo tū totū debemus, etiā id quod ad proximū referimus, vt quicquid debem⁹, Deo debeamus. Habemus aūt spiritualia bona, habemus & corporalia. Spiritualia, vt, fidē, iustitiā, charitatē, & cætera, q Deo debemus & ꝓximo. Corporalia, vt aurū, argentū, triticū, vinū, & cætera, vnde Deo seruimus, & proximū adiuuamus. Quid meliùs per oleū possum⁹ intelligere, q̄ spiritualia qd rarius ē & leuius triticea soliditate, & lumen fouet: vt cultus virtutū illuminat mentē ad intuendā veritatē: & pstat ojb. liquidis, vt spiritualia corporalibus? Quid per triticū, nisi corporalia? Siquidē per speciē sæpe genus intelligitur. Villicus aūt primùm debitori loquitur olei, quia priora sunt spiritualia corporalib⁹. Qui debet centū cados olei, quia debet Deo quicquid spiritualis habet boni. Sic. n. sunt olei cadi plures, sicut spiritualis boni multæ species. Vas. n. olei cētenarium species designat oēs spiritualiū bonorū. Nā & centenarius plenitudinē sæpè significat, & finitus sæpè ponitur ꝓ infinito. Debet ergo centū cados olei, q debet Deo pfectionē spiritualis boni. Sed multū pertinet ꝓximo de hoc, qd debetur Deo. Multū enim offendimus, nisi fidē, iustitiā, & charitatē ꝓximo reddam⁹. Cùm igitur de centū cadis olei villicus quinquaginta scribi iubet, quod debetur Deo, cōfirmatur scripto, quia non dimittitur quod sibi debetur: non iubet scribi, quia dimittitur. Dimittit quod suum est, reliquit quod Dei est. De hoc quod sibi debetur, venia facit securū: de hoc quod debetur Deo, scripto sācit solicitū. Vnde sequitur: *Dixit illi: Accipe cautionē tuā, & sede citò, & scribe quinquaginta.* Ac si apertè diceret Quod mihi debes, dimitto tibi: qd debes Deo, cautē lā assume. Et q superbꝰ stas, sede citò, & humiliare: & quod parui pēdebas, vel obliuione ꝓ nihilo ducebas, scribe in tabulis cordis, & memoria tene, vt frequēter pœniteas & expies? donec & ipsū dimittatur tibi. Sede citò. i. ne differas de die in diē. Scribe quinquaginta. Numerꝰ pœnitētię & remissiōis. Vnde & annus quinquagesimus remissionis, & Psalmus quinquagesimus pœnitentialis. Quinquaginta ergo scribūtur, & quinquaginta dimittūtur. Similis numerꝰ similē significat offēctionē in Deū & hoiem. Vnde Dūs dicit in euāgelio: Diliges Dūm Deū tuū ex toto corde tuo, & ex tota ala tua, & ex tota mēte tua: hoc ē primū & magnum mādatū. Secūdū aūt simile ē huic: Diliges ꝓximū tuū sicut teipsū. Nā quorū similis ē dilectio, similis ē & offēlio. Sequtur: *Deinde alio dixit: Tu verò quātū debes? Qui ait*
Centū coros tritici. Cadus liquorū mēsura ē, & corus se-

minum.

Proximis quid debeamus. minū. Valdè timēdū est nobis, q plenitudinē corporaliū bonorū debemus ꝓximis: debem⁹, & tamē nō soluim⁹: debem⁹ totū, & vix parū soluim⁹. Quid ergo faciem⁹? Si nō possum⁹ soluere totū qd debemus alijs, dimittam⁹ saltē qd debetur nobis. Vnde sequitur. *Ait illi: Accipe literas tuas, et scribe octoginta.* Qui enim de centū scribit octoginta, quintā partē dimittit, quia de corporalib. hoc debetur ꝓximo, qd quinq; sensus corporis exigūt. Hoc scripto cōmendatur, qd diuinæ gratiæ per octonariū relinquitur. Rapuisti meū, abstulisti prēstitū, negasti cōmendatū. Si dimitto tibi, qd mea refert? Scribe octoginta. i. cōmenda memoriæ, ꝙ adhuc eges
Octonarius & septenarius quid significent. venia diuinę gratiæ. Siquidē euāgelij gratia significatur p octonariū, sicut austeritas legis per septenariū. Sed meretur octonarij gratiā, q prēcepta custodit quæ significātur per decē: vt per octonariū iūcto denario gratiā intelligam⁹ acquisitā prēcepto, vt q scribit octoginta, per decalogi custodiā pueniat ad octonarij gratiā. *Et laudauit Dominus villicū iniquitatis, qa prudēter fecisset.* Mira res. malus est villicus, & laudatur: malè dispēsauit, & parcitur: non emēdauit qd fecit, & indulgetur. Verè prudenter egit, quia dimisit pauca, vt reciperet plura: dimisit
Luc.6. tēporalia, vt æterna perciperet. Audierat em:
Matt.6. Dimittite, & dimittetur vobis. Et, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitorib. nostris. Verè prudēter egit, q Deū molitur facere debitorē suū, vt exigat ab eo debitā remissionē, quia remisit. Prudēter egit, qa cui erat obnoxius, ipsum sibi facit obnoxiū: & quē habebat durū exactorē, nūc pium habet debitorē, vt fiduciāliter dicat: Dimitte, qa dimisi: redde quā debes veniā, quia ego dedi veniā. *Quia filij huius seculi prudēciores filijs lucis in*
generatione sua sunt. Filij lucis laborāt, & vix merētur preciū: currūt, & vix ad brauiū perueniūt: parturiunt, & vix euadūt. Filij seculi post fraudes & illecebras ac illicitos mores, solùmodò dimittunt, & Deū debitorē tenēt: parcūt, & parcitur eis: condonāt, & donātur. Ideò prudentiores sunt filij seculi filijs lucis in generatione sua. i. quādo regenerātur Deo, & renouātur spirituali vita. *Et ego dico vobis: Facite vobis amicos de māmonā iniquitatis.* Māmona,
Diuitiæ iniquitatis cur dicantur. id est, diuitię, quę iniquitatis dicuntur, quia sine iniquitate non captantur, & quia iniquum est eas reuocare in proprios vsus, quas creauit communes Dominus. Vnde scriptum est: Pro iniquitate vidi tentoria Aethiopiæ. i. pro diuitijs captandis vidi hoies factos tabernacula nigredinis. i. vitiorū & dæmonū, vt q poterant esse tabernacula virtutū sectādo paupertatē, facti sint vitiorū tentoria ꝓ iniquitate cōgreganda. Quis nō videat multos periuria incurrere, homicidia facere, dolos machinari cōtra ꝓximos, rerū domesticarū & dominorū ꝓditores esse, ꝑpter diuitias? Hi sunt ꝓ iniquitate tētoria Aethiopiæ. Sed cū villicus fecerit superiùs & de spiritualib. & corporalib. cur Dūs finē cōclusit dicēdo parabolæ suæ de solis corporalibus? Citiùs dimittimus iniuriā factā, q̄ præstitā pecuniā: faciliùs damus fidē, q̄ possessionē: ꝓniores sumus dimittere odia, q̄ expendere nostra. Ideò Dūs parabola nobis ad misericordiā instructis, in ea parte misericordię cōcludit sermonē, quā nouit esse apud homines difficiliorē: & ad eā nos enixiùs hortatur in fine, ad quā videt nos difficiliùs inclinari, quia melior est finis orationis, q̄ principiū. Faciamus ergo
Eccles. 7. de diuitijs iniqtatis amicos pauperib. eas distribuendo, & debitorib. atq; his qui eas abstulerint dimittēdo. Sed quia iniquitatis diuitiæ aliæ paterna
Diuitiæ multis parent. possidētur successione, aliæ iusto conquirūtur labore, aliæ vsurpantur ex scelere vel impietate: de his certè amici nō fiūt, quę de scelere vel impietate veniūt. Nec putet quisquā ex his adiutores quærere salutis, quas ex mercimonio corrasit iniquitatis. Scriptū est enim: Hostiæ impiorū abominabiles, q̄ offerūtur ex scelere. Et immolātis ex iniquo,
Prou.21. Eccle.34 oblatio est maculata: Et: Qui offert sacrificium ex substātia pauperis, quasi qui victimat filiū in conspectu patris. Cū ergo præcipitur fieri amicos de māmona iniquitatis, discernendū est, vt eas intelligamus, quæ de successione vel iusto labore, puniūt. Quæ tñ & ipsæ iniquitatis dicūtur, quasi inqualitatis: quia cū eas in ꝓprietate tenemus, ꝙ qualitatē cū alijs hominib. nō seruam⁹. Sūt ergo illæ, de quib. amicos facere ꝓcipimur, diuitiæ & iniqtatis, & iustitiæ. Iniquitatis quidē, quātum ad Deū, qui oīa cōmunib. creat vīb⁹: Iustitiæ verò quantū ad seculū, quia iustitia secularis possidentur ab hominib⁹. Diuitiæ ergo q̄ iustè possidētur in terra, & iniustæ sunt quantū ad diuinā iustitiā, & iustæ quantū ad terrenā. Diuina iustitia cuiushibet, ꝓprietas alicuius possessionē defendit. Per terrenā iustitiā hoies ꝓpria colligūt, per diuinā iustitiā sua cōmunia faciūt. Diuitiæ verò q̄ sunt ex scelere, omninò sunt iniustę, nec illas iustitia diuina cōprobat, quas etiā terrena cōdēnat. Et iustæ Deo nullo modo sunt offerendę, q̄ de scelere sunt acq̄sitę. Et citò tū reddēdæ sunt, immò ꝓijciendæ, ne malefactor inueniatur in malo cœpto perseuerare. *Vt cū defeceritis, recipiāt vos in æterna tabernacula.* Exponit hic qd dixerat, Recipiāt vos in domos suas. Mā siones em æternæ dom⁹ sunt eorū, quib. impendit misericordia. Dom⁹, in q̄, eorū nō possessiōe, sed causa. Nō possessiōe, ꝙ eas possideāt, quas forsitā nō possidebūt: sed causa, ꝙ scilicet causa sunt suis būfactorib. possidēdi. In suas ergo domos nos recipiūt, qñ in æternas māsiones nos ire faciūt. Suas em reputam⁹, quas nō nisi p eos accipim⁹. Quas nobis quasi retribuūt, ꝑpter misericordiās quas acceperūt tēporaliū, æternorū retributores existunt, p eū q ꝙ ipsis reddidit qd debuerūt, Dominū nostrū Iesum Christū, qui viuit & regnat per omnia secula seculorū, Amen.

EADEM DOMINICA.

Homilia Eusebij Emeseni.

Homo quidā erat dives, q habebat villicū, &c. Luc.16.

Hæc aūt secundū literā plana sunt, & per singula exponere nō est necesse. Dicat tñ ipse Dūs, ad qd hāc similitudinē dederit. *Quia, inquit, filij huius seculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt.* Non enim villici iniquitatem, sed prudētiam dominus laudat. Hic autem domin⁹, qui villicū iniquitatis laudat, nō Dominus omnium, sed dominus villici intelligi debet. Non laudat eum de fraude quam fecit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

fecit, sed de ingenio, q̃ sibi in futurum prospexit. Nescies enim quomodò viueret, (siquidè fodere nõ valebat, mẽdicare erubescebat:) hoc singulare inuenit præsidiũ, vt qui priùs domini sui bona dissipauerat, hãc in finẽ fraudẽ cõmitteret. Laudatur igitur nõ de bonitate aliqua, sed de calliditate & fraudãdi astutia, vt qui bona domini sui iã furãdo rapere nõ poterat, celãdo & abscondẽdo subtraheret. Cui prudẽtiæ nõ solùm dominus villici, sed & Dominus omniũ applaudere videtur, dũ dicit: *Quia filij huius seculi prudẽtiores filijs lucis in generatione sua sunt.* Prudẽtiores sunt illi in malo, quàm isti in bono. Vix enim inueniũtur aliqui sancti, qui tantã prudentiã habeãt in acquirẽdis bonis æternis, quantã calliditatẽ isti habẽt in acquirendis bonis tẽporalib. & fugitiuis. Pro his enim die noctuq; vigilant, laborãt, angustiãtur, & per fraudes, rapinas, furta, q̃ditiones, periuria, homicidia, & his similia, has tales diuitias coaceruare nõ cessãt. Deniq; quis dicere valeat, quantã se vicissim decipiendo huius seculi prudentiã & calliditatẽ habeãt? Audiant igitur hæc filij lucis, & à filijs huius seculi vinci erubescãt. Ideò enim hæc scripta sunt, vt audiẽdo prudẽtiores fiant, nõ aũt vt iniquitatis villicũ imitando, fraudẽ in aliquo vel iniustitiã agãt. Vnde & subditur: *Et ego uobis dico: Facite uobis amicos de mãmona iniquitatis, ut quũ defeceritis, recipiãt uos in æterna tabernacula.* Facite, inquit, vobis amicos de mãmona iniquitatis, sed non eo modo, quo fecit villicus iniquitatis. Nõ fraudãdo aliena, sed largiẽdo vestra. Sicut igitur villicus iniquitatis, qui domini sui bona dissipauerat, sciẽs quia iã vlterius villicare non posset, fecit sibi amicos, ad quorũ auxiliũ post villicationẽ confugeret: ita & vos facite de mãmona iniquitatis, & diuitijs Domini vestri quas dissipastis, quia auarè eas retinuistis, & secundũ eius voluntatẽ non expẽdistis. Eas igitur pauperib. erogate, de his vobis amicos vos facite: vt quũ defeceritis, in ęterna recipiant vos tabernacula. Quæ diuitiæ quũ sua natura bonæ sint, vestra tenacitate iniquæ fiũt. Oẽs enim diuitiæ iniquæ sunt, quæ auarè retẽtæ, pprijs dominis nocẽt, vel quæ ex æqualitate nõ expẽduntur. Tũc enim ex æqualitate eas expẽdis, si & tibi tantũ reserues quantũ sufficere posit, & cætera indigẽtibus largiaris. Vnde Apostolus: Nõ enim vt alijs sit remissio, vobis aũt tribulatio, sed ex æqualitate in præsenti tẽpore, vestra abũdãtia illorũ inopiã suppleat, vt & illorũ abundantia vestræ inopiæ sit supplementum. In quo manifestè ostẽditur, quia nõ necessaria, sed superabundantia dare iubemur. Nõ enim vult Apostolus, vt sic in dãdo, pdigi simus, vt ipsi postea penuria tribulemur. Diuitiæ igitur, quę per se quidẽ inquę sunt, si sic diuidãtur, æternos vobis amicos & ęterna tabernacula pariũt. Per se quidẽ diuitiæ inquæ sunt, quia nisi diuidãtur, æquę nõ sunt. Diuisæ aũt, iã nõ sunt: iniquæ igitur sunt, quandiù sunt. Nõ enim dicũtur diuitiæ quæ nõ ad superfluitatẽ, sed ad necessitatẽ reseruãtur. Si igitur tollas ab eis superfluitatẽ, tolles & nomẽ iniquitatis. Sequitur: *Qui fidelis est in minimo, & in maiore fidelis est: & q̃ in modico iniquus est, & in maiore iniquus est.* Hæc enim specialiter de Apostolis, & per eos de cæteris Ecclesiæ dispensatorib. & prælatis dicũtur. Vnde & in huius Euãgelij principio dicitur, q̃ hæc Dominus dixerit ad discipulos suos. Maiora igitur Ecclesię nego Ecclesiæ tia eis cõmittenda & credẽda non sunt, qui in vita *maiores* priuata fideles nõ extiterũt, & de illo modico q̃ *functos* habebant, pietatis & misericordiæ opera nõ fecerũt. At verò illos in prioratu fore fideles dubitare *non debe-* nõ debemus, quos de modico q̃ posidẽt, libẽter *mus.* alijs subuenire videmus. Hic enim Apostol⁹ præ- Tit. 1. cipit Episcopos non cupidos esse, nec turpis lucri sectatores. Valdè igitur cõsiderãdũ est in electiõe prępositorũ, quales in modico fuerint, & quid pietatis & misericordię habuerint: quoniã qui in modico fideles nõ sunt, in magnis quoq; fideles non sunt. Vnde & subditur: *Si ergo in inquo mãmona fideles nõ fuistis, quod uestrũ est, quis credet uobis?* Si de diuitijs, quæ fugituæ & fallaces & transitorię sunt, misericordiã non feciſtis, quis Ecclesiæ dispensationem & regimen, quod verũ, æquũ, & sanctũ est, & sine dolo dispensari debet, vobis credere & cõmittere audeat? Et si in alieno fideles nõ fuistis, q̃ vestrũ est quis dabit vobis? Illa enim aliena sunt, & nõ nostra, quę sic possidemus, vt semper amittere timeamus. Nostra verò sunt, de quibus securi sumus, & nunquã amittere timemus. Tẽporales igitur diuitiæ alienæ sunt, nostræ verò æternæ, si boni fuerimus & in his tẽporalibus spẽ nõ habuerimus. Sed illa quę nostra sũt, & nobis predestinata sũt, nobis nõ dabũtur, si in hoc alieno fideles nõ fuerimus, quoniã sub ea cõditiõe & data & prædestinata sũt nobis, si huius fidelitatis virtus inuenjatur in nobis.

DOMINICA XI. POST

Pentecostẽ, In Epistolam Concio exegetica.

MVlta Sancti spũs charismata & dona nobis in hodierna lectiõe cõmemorat Apostolus, ad 1. Cor. quã explicandã iã accedimus. *Scitis quoniã cùm gẽtes essetis, ad simulacra muta, prout ducebamini, eũntes.* Spiritalia illis traditurus, inquit Ambrosius, exemplũ prioris cõuersationis memorat, vt sicut simulacrorũ fuerũt forma, colẽtes idola, & ducebãtur duce voluntate dæmoniorũ: ita & colentes Deũ, sint forma legis dominicæ, ambulãtes sicut placet Domino. Forma enim vniuscuiusq; legis in, pfessione & cõuersatione cultoris debet videri. Ille enim forma & imago legis Dei est, in cuius fide & cõuersatione Euãgelij veritas lucet. Hæc ille. Fuit hoc miserabile sanè & triste spectaculũ, videre homines ad Dei imaginẽ factos, contẽpto creatore, diuinos honores habere dæmonibus, qui in simulacris surdis & mutis nec vllo sensu prædits colebãtur. In ea cæcitate & nostri maiores quondã fuere, & nos hodieq; essemus, nisi per Christi gratiam ad vnius veri Dei notitiã peruenissemus: quæ tamẽ notitia parũ nobis cõtulerit, immò obfuerit potiùs, si non illi quoq; cõgruẽter viuamus. Vt ergo veri simus vnius veri Dei cultores, corde, ore, opere & tota vita illũ colamus. *Idcò notũ uobis facio, q̃ nemo in Spũ Dei loquens, dicit anathema Iesu.* Multi hæretici, dum vel affirmarent quæ Christo non congruebant, vel negarent quæ sine scelere & impietate de illo negari non possunt, dixerunt anathema Iesu. Lógum

Verorum & falsorũ vatum discrimen.

gum nimis esset enumerare portentosas hæreses de Christo impiè & indignè sentientes. Constat igitur non Dei, sed satanico spiritu illos impulsos fuisse. Porrò qui spiritu Dei mouente loquũtur, fieri nõ potest vt de Domino Iesu malè loquãtur, aut illi maledicant, cùm idem sit patris & filij spiritus. Oecumenius Chrysostomum sequens, colligit ex hoc loco vatum satanicorũ & verorum prophetarum duplicem differentiam. Veri, inquit, prophetæ, constantes ac maximè sobrij futura prædicunt: falsi verò, inconstantes, atque insani, ac veluti per vim à monentibus aguntur dæmonibus. Deinde veri nihil blasphemum, nihil non decens loquuntur, sed tanquàm theologi de Deo optima fantur, casteque omnia: falsi verò blasphemas & absonas voces, hasque cum fremitu eructant. Hæc Oecumenius. *Et nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.* Quis Dominum Iesum, ait Augustinus in Tractatu 74. in Ioannem, nisi qui eum diligit, si eo modo dicit, quo Apostolus intelligi voluit? Multi enim voce dicunt, corde autem & factis negant, sicut de talibus ait, Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Si negatur factis, procul dubiò etiam dicitur factis. Nemo itaque dicit Dominus Iesus animo, verbo, facto: corde, ore, opere nemo dicit Dominus Iesus, nisi in spiritu sancto: & nemo sic dicit, nisi qui diligit. *Diuisiones uerò gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Et diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. Et diuisiones operationum sunt, idem uerò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* His verbis consolatur Apostolus eos, qui minora dona acceperant, ne inuideant illis, qui donis sint potioribus aucti: & hos rursus ad humilitatem inuitat, ne donis acceptis extollantur, quòd labor maior exigatur ab ijs, qui maiora charismata sint consecuti. Porrò Chrysostomus gratiarum, ministrationum, operationum nomina quidem diuersa, sed res eadẽ esse dicit. Simul etiam aduertendum, quàm luculenter hoc loco Apostolus sacrosanctam exprimat Trinitatem, spiritum, dominum, & Deum nominans, primo quidem loco spiritum sanctũ ponẽs vt indicet parem esse trium personarũ maiestatem & dignitatem: quanquã sunt, qui & spiritus & domini & Dei voces ad ipsum spiritum sanctũ referendas censeant, contra impios Macedonianos hæreticos, qui Spiritui sancto diuinitatẽ ausi sunt detrahere, non vtiq; detracturi, si Spiritu sancto destituti non fuissent. Cùm autem dicit Apostolus Deum operari omnia in omnibus, ea scilicet dona, quæ hic enumerantur, facilè licet intelligi, quàm nulla cuiquã relinquatur sese efferendi materia, cùm Deus sit bonorum omniũ largitor & effector. Hoc igitur vnusquisq; sedulò curet, vt omni calcata animi elatione & arrogantia, donis sibi collatis fideliter vtatur in laudẽ & gloriã præpotẽtis Dei, à quo illa habet. *Vnicuiq; aũt datur manifestatio Spiritus ad utilitatẽ* Olim pleruq; visibili signo declarabatur Spiritus sanctus venisse in eos qui crediderant, & ideò Chrysostom⁹ per manifestationẽ spiritũs dicit hic signa accipi debere. Cui igitur dantur Sancti spiritus charismata, idcircò hauddubiè dantur, vt & accipienti & proximo proficiant ad salutem. Hæc aũt ita demũ consequemur, si donis Dei nõ ad nostrã sed Dei gloriã vtamur: si modis omnibus id agamus, vt nosipsos in primis, & deinde etiam proximos prouocemus ad ea sectanda & actitanda, quæ cedant in gloriã omnipotẽtis Dei. Nõ enim temerè neq; frustrà iua Deus dona largitur, immò verò etiã vsuras inde reposcit, vt nõ immeritò nos alibi hortetur Apostolus, ne in vacuũ aũt gratiam Dei recipiamus. In vacuũ aũt gratia Dei recipitur, si non vtamur ea in gloriã Dei, quod faciunt multi inepti & viles homũciones, qui ex donis Dei suam venantur gloriolam, sese inscienter iactitant, & vanissimas hominũ laudes aucupantur: atq; ita donis Dei abutuntur in suam perniciem. *Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ: alij sermo scientiæ, secundum eundem Spiritum.* Oecumenius ex Chrysostomo hunc locum interpretans, Sermo sapientiæ est, inquit, vt ipse habet Paulus, Petrus, Ioannes & huiusmodi, id-circò etiam primo loco posuit hunc. Sermo verò scientiæ est, quem illiterati fideles habent: quippe qui norunt sanè, sed alios docere nequeunt. Augustinus libro 12. de Trinitate, cap. decimoquarto dicit æternorum contemplationem, sapientiæ: actionem verò, qua benè vtimur temporalibus rebus, scientiæ deputari. Quãobrem, inquit paulò infrà, quicquid prudenter, fortiter, temperanter & iustè agimus, ad eã pertinet scientiam siue disciplinam, qua in euitandis malis, bonisq; appetendis actio nostra versatur, & quicquid propter exẽpla vel cauẽda, vel imitanda, & propter quarũq; rerũ, quæ nostris accõmodata sunt vsibus necessaria documẽta, historica cognitione colligimus. De his ergo sermo cùm fit, eum scientiæ sermonẽ puto differendũ à sermone sapientiæ, ad quã pertinẽt ea, quæ nec fuerunt, nec futura sunt, sed sunt, & propter æternitatem, in qua sunt, & fuisse & esse & futura esse dicuntur, sine vlla mutabilitate temporũ. Non enim sic fuerunt, vt esse desinerent: aut sic futura sunt, quasi nunc non sint: sed idipsum esse semper habuerunt, semper habitura sunt. Manẽt aũt nõ tanquã in spatijs locorũ fixa veluti corpora, sed in natura incorporali sic intelligibilia pręstò sunt mẽtis aspectibus, sicut ista in locis visibilia vel contrectibilia corporis sensibus. Hæc & multa alia Augustinus. *Alteri fides in eodem Spiritu.* Diuus Ambrosius fidem exponit, fidei professionem ac vindicandæ, pressa verecundia, facultatẽ. Igitur hoc loco non accipitur fides pro virtute theologica, sed pro fidei confitendæ inuicta cõstantia. *Alij gratia sanitatum in uno Spiritu.* Obiter aduertendũ, dona quæ hic enumerat Apostolus, ad eam gratiam pertinere, quam Theologi in scholis vocant gratis datam, quæ potest etiam

Sermo sapientiæ. Scientiæ. Trinitas personarũ

à ma-

Universidad de Deusto
Biblioteca

à malis haberi : quemadmodùm etiam sceleratissimus Iudas instar aliorum Apostolorum curauit ægros, & miracula fecit. Sunt ergo hæc munera, signa quidem præsentiæ Spiritussancti, sine cuius dono haberi non possunt, non tamen certò declarant eum, à quo habentur, habere spiritussancti eam gratiam, quæ vocatur gratum faciens, quæ reddit homines Deo acceptos. Atque eam ob rem non est quòd doleat quisquâ, si se hic donis omnibus non sentiat præditum, modò id curet, vt feruenter amet Deum. Charitas enim est, quæ nos vel maximè commendat Deo, sine qua cætera omnia parum prosunt. *Alij operatio uirtutum*, id est, signorum ac miraculorũ, naturæ facultatem excedentium, quæ omnipotens Deus in fidei Christianæ confirmationem fieri voluit, vt tarda hominum pectora admirandis operibus & effectibus citiùs ad credendum promouerentur. Et licet miracula non faciant, sed plerunque ostendant sanctitatem eorũ per quos fiunt, at tamen cùm à bonis fiunt, maximã habent vim & efficaciam ad persuadendum. Nostris temporibus permulti extitere hæresum fabricatores, sed nullus eorum vel canem cæcum, vel equum claudum curare potuit: & interim tamen, omni licèt destituti virtutum & signorum operatione, atque insuper omnibus cooperti flagitijs & vitijs, innumeros habuerunt, qui illorum errores pro ipsissima Euangelij luce amplecterentur. *Alij prophetia*, id est, inquit Ambrosius, vt spiritu repletus, dicat futura. Habent hoc donum interdum etiam mali: vt Balaam & Caiphas. Astrologi quoque ex astrorum inspectione volunt de rebus diuino humanoque arbitrio *Astrologi respuendi.* subiectis futura prædicere, sed talis diuinatio nec pili quidem facienda est: immò vt superstitiosa repudianda est. *Alij discretio spirituum.* Hoc quidem præclarum est donum, quod à multis seruet periculis eos qui Deo seruire cupiunt.

2. Cor. 11. Sæpè Satanas transfigurat se in angelum lucis, & cùm ad apertum & manifestum scelus hominẽ pertrahere non potest, sub specie virtutis fraudem machinatur. Sic multos nostra quoque ætate sub specie verbi Dei & puræ doctrinæ & Euangelij in fœdissimos pertraxit errores. Oportebat autem, iuxta beati Ioannis doctrinã, probare spiritus, vtrum ex Deo sint. D. Augustinus lib. 12. de Genesi ad literã cap. 13. & 14. Discretio sanè difficilima est, inquit, cùm spiritus malignus quasi tranquillus agit, ac sine aliqua vexatione corporis, assumpto humano spiritu dicit, quod potest. Quando etiam vera dicit, & vtilia prædicat, transfigurat se, sicut scriptum est, velut in angelum lucis, ad hoc vt cùm illi in manifestis bonis creditum fuerit, seducat ad sua. Hunc discerni non arbitror, nisi dono illo, de quo ait Apostolus, cùm de diuersis Dei muneribus loqueretur, Alij discretio spirituum. Non enim magnum est tunc eum discernere, cùm ad aliqua peruenerit vel perduxerit, quæ sunt contra bonos mores vel regulam fidei. tunc enim à multis discernitur. Illo aũt dono in ipso primordio, quo multis adhuc bonus apparet, continuò dijudicatur an malus sit. Hæc Augustinus. *Alij genera linguarũ, alij interpretatio sermonum.* Frequens fuit in primitiua Ecclesia donũ linguarum, & id Corinthij omniũ maximũ existimabant, propterea quòd id Apostoli primi accepissent. Porrò interpretatio sermonum dono linguarum ab Apostolo præferri videtur 1. Cor. 14. eò quòd ad maiorem cedat Ecclesiæ ædificationem. Potest autem interpretatio sermonum dici, vel cùm linguæ aliæ in aliam transferuntur, vel cùm obscurè dicta dilucidè explicantur. *Hæc autem omnia operatur unus atq; idem Spiritus, diuidens singulis prout uult.* Quod superiùs trium personarum dicit, ait Ambrosius, nunc per vnum Spiritum sanctum agi profitetur, vt quia vnius naturæ sunt & virtutis, quod vnus operatur, operantur tres, vnus tamen est Deus, cuius gratia diuiditur singulis prout vult, non ad meritum magis hominis, sed ad ædificationẽ Ecclesiæ suæ, vt omnia quæ mundus imitari vult, sed non implet, quia carnalis est, hæc in Ecclesia, quæ domus Dei est, singulorum officijs & dono & magisterio Spiritus sancti indulta, ad probationem veritatis in his, qui contemptibiles mundo sunt, videantur. Sic Ambrosius. Audi & Tertullianũ libro de Trinitate de Spiritu sancto loquentem: Hic est, inquit, Spiritus, qui prophetas in Ecclesia constituit, magistros erudit, linguas dirigit, virtutes & sanitates facit, opera mirabilia gerit, discretiones spirituum porrigit, gubernationes contribuit, consilia suggerit, quæque alia sint charismatum dona componit & digerit. Ideò Ecclesiã Domini vndiq; & in omnibus perfectam & consummatam facit. Hæc ille. Facilè ex hac Apostoli sententia, qua ait Spiritum sanctum diuidere sua dona singulis prout vult, cùm tamen ipse in donis non diuidatur, potest intelligi, & eum qui minora accepit, non debere inuidere maiora habentibus, sed vti benè illis quæ percepit, maiora à benignissimo Spiritu percepturus si acceptis benè norit vti: & eum contrà, qui magna consecutus est, non sibi tribuere, non animo inflari, ne perdat gratiam quam accepit, meminisse verò debere eius dominicæ sententiæ, Cui plus datũ *Luc.* est, plus requiretur ab eo. Maximè autem cauenda superbia est volentibus augeri donis Dei, quia superbis Deus resistit, humilibus autẽ dat *1. Pet.* gratiam. Orandum sæpè est & feruenter atq; humiliter imploranda benignitas clementissimi Spiritus, vt in nobis sua dona cumulet. Non enim dormientibus & otio atque ignauia torpentibus datur gratia Dei, sed orãtibus & obnixè laborantibus. Seruus piger qui vnũ talentum acceperat, desidiæ & inertiæ se tradens, non solũ nullis est pluribus auctus donis, sed etiam ob gratiam nõ benè collocatam affectus supplicio est. *Matth.* Præstet nobis Dominus Deus, vt tales nos præbeamus, qui maiorũ semper charismatũ & donorum capaces simus in ipsius laudem & gloriã sempiternam, Amen.

DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

Luc. XIX.

In illo tempore: Cùm appropinquasset Iesus Hierusalem, uidens ciuitatem, fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses, & tu. Et reliqua. Homilia beati Gregorij Papæ.

LEctionem breuẽ sancti Euangelij, breui, si possum, volo sermone percurrere, vt illis in ea prolixior detur intentio, qui sciunt ex paucis multa cogitare. Quòd flente Domino illa Hierosolymorum subuersio describatur, quæ à Vespasiano & Tito Romanis principibus facta est, nullus qui historiam euersionis eiusdem legit, ignorat. Romani enim principes denunciantur, cùm dicitur: *Quia uenient dies in te, & circundabunt te inimici tui uallo, & circundabunt te & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt.* Hoc quoque quod additur: *Et non relinquent in te lapidem super lapidem*, etiam ipsa iam eiusdem ciuitatis transmigratio attestatur: quia dum nunc in eo loco constructa est, vbi extra portam fuit Dominus crucifixus, prior illa Hierusalem, vt dicitur, fundiùs est euersa. Cui ex qua culpa euersionis suæ pœna fuerit illata, subiungitur: *Eò quòd nõ cognoueris tẽpus uisitationis tuæ.* Creator quippe omnium per incarnationis suæ mysterium hanc visitare dignatus est, sed ipsa timoris & amoris illius recordata non est. Vnde etiam per prophetam in increpatione cordis *Hier. 8.* humani, aues cæli ad testimonium deducuntur, cùm dicitur: Miluus in cælo cognouit tempus suum, turtur & hirundo & ciconia custodierunt tempus aduentus sui: populus autem meus non cognouit iudicium Domini. Sed quærendum priùs est, quid sit quod dicitur: *Videns ciuitatem, fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses, & tu.* Fleuit enim priùs redemptor ruinam perfidæ ciuitatis, quam ipsa sibi ciuitas non cognoscebat esse venturam. Cui à flente Domino rectè dicitur: Quia si cognouisses, & tu: subaudi fleres, quæ modò, quia nescis quod imminet, exultas. Vnde & subditur: *Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi.* Cùm enim carnis se voluptatibus daret, & ventura mala non prospiceret, in die sua quæ ad pacem ei esse poterant, habebat. Cur verò bona præsentia ad pacem habuerit, manifestatur cùm subditur: *Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Si enim à cordis eius oculis mala quæ imminebant, abscõdita non essent, læta in præsentibus prosperis nõ

Euersio Hierosolymæ.

fuissent. Cuius mox etiam pœna, quæ de Romanis, sicut prædixi, principibus imminebant, adiũcta est. Qua descripta, quid Dominus fecerit, subditur: *Quia ingressus templum, cœpit eijcere uendentes de illo & ementes, dicens illis: Scriptum est: Quia domus mea, domus orationis est: uos autem fecistis illam speluncam latronum.* Qui enim narrauit mala ventura, & protinùs templum ingressus est, vt de illo vendentes & ementes eijceret, profectò innotuit, quia ruina populi maximè ex culpa sacerdotum fuit. Euersionem quippe describens, sed vendentes in templo & ementes feriens, in ipso effectu sui operis ostendit, vnde radix prodijt perditionis. Sicut autem Euangelista alio teste didicimus, in templo columbæ vendebantur. Et quid *Matth. 21* per columbas, nisi spiritussancti donum accipitur? Sed vendentes & ementes è templo eliminat, quia vel eos qui pro munere impositionẽ manuũ tribuũt, vel eos qui donũ spiritussancti emere nituntur, damnat. De quo tẽplo mox subditur: *Domus mea, domus orationis est: uos autem fecistis illam speluncam latronum.* Qui enim ad accipienda munera in templo residebant, profectò quia à quibusdam non dantibus læsiones exquirerent, dubium non erat. Domus ergo orationis, spelunca latronum facta fuerat: quia ad hoc in templo assistere nouerant, vt aut non dantes munera studerent corporaliter persequi, aut dantes spiritaliter necare. Quia verò redemptor noster prædicationis verba nec indignis & ingratis subtrahit, postquàm disciplinæ vigorem eijciendo peruersos tenuit, donum gratiæ mox ostendit. Nam subditur: *Et erat docens quotidiè in templo.* Hæc iuxta historiam breuiter tractãdo transcurrimus. Sed quia euersam iam Hierusalem nouimus, atque euersione sua in melius commutatã, quia expulsos latrones è templo, atque ipsum iam templum erutum scimus: debemus ex rebus extertoribus introrsùs aliquam similitudinem trahere, atque ex euersis ædificijs parietum, morum ruinam timere. Videns enim ciuitatem, fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses, & tu. Hoc semel egit, cùm perituram ciuitatem esse nunciauit. Hoc quotidiè redemptor noster per electos suos agere nullatenùs cessat, cùm quosdam ex bona vita ad mores reprobos peruenisse considerat. Plangit enim eos, qui nesciunt cur plangantur, qui iuxta Salomonis verba, lætantur *Prou. 2.* cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis. Qui si damnationem suam quæ eis imminet agnouissent, semetipsos cum lachrymis electorum plangerent. Benè ergo perituræ animæ sententia quæ subditur, conuenit: *Et quidem in hac die tua, quæ ad pacẽ tibi: nunc aũt abscondita sunt ab oculis tuis.* Suam hic diem habet anima peruersa, quia trãsitorio gaudet in tempore: cui ea quæ adsunt, ad pacem sunt, quia dum ex rebus temporalibus lætatur, dum honoribus extollitur, dum in carnis voluptate resoluitur, dum nulla venturæ pœnæ formidine terretur, pacem habet in die sua, quæ

Ee graue

Esai. 56.

Qui uendentes & ementes è templo eijciantur

Universidad de Deusto
Biblioteca

graue damnationis suæ scandalum in die habebit aliena. Ibi enim affligenda est, vbi iusti lætabuntur, & cuncta quæ modò ei ad pacem sunt, tunc in amaritudinem rixæ vertentur: quia rixari secùm incipit, cur damnationem quam patitur, non expauit, cur à prospiciendis malis sequétibus oculos mentis clausit. Vnde ei dicitur: Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Peruersa quippe anima rebus præsentibus dedita, in terrenis voluptatibus resoluta, abscondit sibi mala sequentia, quia præuidere futura refugit, quæ præsentem lætitiam perturbent: dumque in præsentis vitæ oblectatione se deserit, quid aliud quàm oculis clausis ad ignem vadit? Vnde
Eccles. 11. benè scriptum est: In die bonorum ne immemor sis malorum. Et vnde per Paulum dicitur:
1. Cor. 7. Qui gaudent, tanquam non gaudentes sint: quia & si qua est præsentis temporis, ita est agenda lætitia, vt nunquam amaritudo sequentis iudicij recedat à memoria: quatenùs dum mens pauida extremæ vltionis timore transigitur, quantum nunc præsens lætitia, tantum post ira subsequés
Prou. 28. temperetur. Hinc nanque scriptum est: Beatus homo, qui semper est pauidus: qui verò mentis est duræ, corruet in malum. Sequentis enim ira iudicij tanto tunc districtior portabitur, quanto nunc & inter culpas minimè timetur. Sequitur: *Quia uenient dies in te, & circundabunt te inimici tui uallo.* Qui vnquam sunt humanæ animæ maiores inimici, quàm maligni spiritus, qui hanc à corpore exeuntem obsident, quam in carnis amore posítam, deceptorijs delectationibus fouét? Quam
Dæmones agunt animam malá vallo circundant, quia ante mentis eius oculos reductis iniquitatibus quas perpetrauit, hanc ad societatem suæ damnationis coarctant, vt in ipsa iam extremitate vitæ deprehensa, & à quibus hostibus circunclusa sit videat, & tamen euadendi aditum inuenire non possit: quia operari iam bona non licet, quæ cùm licuit agere contempsit. De quibus adhuc aptè quod sequitur, intelligi valet: *Circundabunt te, & coangustabunt te undique.* Maligni quippe spiritus vndique animam coangustant, quando ei non solùm operis, verumetiam locutionis, atque insuper cogitationis iniquitates replicant, vt quæ priùs se per multa dilatauit in scelere, ad extremum de omnibus angustetur in retributione. Sequitur: *Et ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt.* Tunc a-
Anima ut ram prosternatur. nima per cogitationem reatus sui ad terram consternitur, cùm caro quam vitam suam credidit, redire ad puluerem vrgetur. Tunc in mortem filij illius cadunt, cùm cogitationes illicitæ, quæ modò ex illa prodeunt, in extrema vitæ vltione dissipátur, sicut scriptum est: In illa die peribunt
Psalm. 145 omnes cogitationes eorum. Quæ scilicet duræ cogitationes intelligi etiam per lapidum significationem valent. Nam sequitur: *Et non relinquent in te lapidem super lapidem.* Peruersa etenim mens cùm peruersæ cogitationi adhuc peruersiorem adijcit, quid aliud quàm lapidem super lapidem ponit? Sed in destructa ciuitate super lapidem lapis non relinquitur, quia dum ad vltionem suam anima ducitur, omnis ab illa cogitationũ suarum constructio dissipatur. Quæ cur hoc patiatur, adiungitur: *Eò quòd non cognouerit tempus uisitationis tuæ.* Prauam quanque animam omnipotens Deus multis modis visitare cõsueuit. Nam
Vt Deus uisitet præuam animam. assiduè hanc visitat præcepto, aliquando autem flagello, aliquando verò miraculo, vt & vera quæ nesciebat audiat, & tamen adhuc superbiés atque contemnens, aut dolore compuncta redeat, aut beneficijs deuicta, malum quod fecit erubescat. Sed quia visitationis suæ tempus minimè cognoscit, illis in extremo vitæ inimicis traditur, cum quibus in æterno iudicio damnationis perpetuæ societate colligatur, sicut scriptum est: Cùm vadis cum aduersario tuo ad prin-
Luc. 12. cipem in via, da operam liberari ab illo, ne fortè trahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem. Aduersarius
Aduersarius non nostris carnalibus desiderijs in præsenti vita: à quo ipse liberatur, qui præceptis eius humiliter subditur. Alioquin aduersarius iudici, & iudex tradet exactori: quia ex sermone Domini contempto, reus peccator tenetur in examine iudicis: quem iudex exactori tradet, quia hunc maligno spiritui ad vltionem trahere permittet, vt compulsam animam ipse ad pœnam de corpore exigat, quæ ei ad culpam sponte consensit. Exactor mittit in carcerem, quia per malignum spiritum in inferno retruditur, quousque dies iudicij adueniat, ex quo iam in inferni ignibus simul & ipse crucietur. Expleta igitur perditione ciuitatis, quam nos ad pereuntis animæ similitudinem traximus, protinùs subditur: *Et ingressus templum, cœpit eijcere uendentes & ementes in illo.* Sicut Dei templum in ciuitate est, ita in plebe fideli vita religiosorum. Et sæpe nonnulli religionis habitum assumunt, & dum sacrorum ordinum locum percipiunt, sanctæ religionis officium in cõmercium terrenæ negociationis trahunt. Ven-
Vendentes in templo. dentes quippe in templo sunt, qui hoc quod quibusdam iure competit, ad præmium largiuntur. Iustitiam enim vendere est hanc pro præmij acceptione seruare. Ementes verò in templo
Ementes in templo. sunt, qui dum hoc persoluere proximo quod iustum est nolunt, dumq; rem iure debitam facere contemnunt, dato patronis præmio emunt peccatum. Quibus benè dicitur: *Domus mea, domus orationis est: uos autem fecistis illam speluncam latronum.* quia dum nonnunquam peruersi homines locum religionis tenent, ibi malitiæ suæ gladijs occidunt, vbi viuificare proximum orationis
Templum Dei. suæ intercessione debuerunt. Templum quoque & domus Dei, est ipsa mens atque conscientia fidelium. Quæ si quando in læsione proximi peruersas cogitationes profert, quasi in spelunca latrones resident, & simpliciter gradientes interficiunt, quando in eos qui in nullo rei sunt,

læsionis gladios defigunt. Mens enim fidelium non iam domus orationis, sed spelunca latronum est, quando relicta innocentia & simplicitate sanctitatis, illud conatur agere, vnde valeat proximis nocere. Sed quia contra peruersa hæc omnia verbis redemptoris nostri, per sacras pagi nas indesinenter instruimur, nunc vsque hoc agitur, quod factum fuisse perhibetur, cùm dicitur: *Et erat quotidiè docens in templo.* Cùm enim mẽtem fidelium ad cauenda mala subtiliter erudit, quotidiè veritas in tẽplo docet. Sed sciendũ nobis est, quia veritatis verbis veraciter erudimur, si extrema nostra formidolosè & indesinẽter a-
Eccles. 7. spicimus, iuxta hoc quod per quendam sapientẽ dicitur: In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Pensare quippe quotidiè debemus, quod ex eiusdem voce nostri redemptoris audiumus. *Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Dum enim districtus iudex sustinet, & adhuc manum non exerit in percussionem, dum à retributione vltionis vltimæ esse quædã temporis securitas videtur, debemus pensare malum quod sequitur, pensantes gemere, gementes vitare: ea quæ commisimus peccata, indesinenter aspicere, aspiciẽtes flere, flentes abstergere. Nulla nos prosperitatis transitoriæ lætitia dissoluat, nec mentis nostræ oculos ea quæ sunt transitoria, obstruant, ne cæcos ad ignem ducant. Si enim districtè pensetur, cuius sit ponderis improperium, ex ore veritatis agnoscitur, cùm negligenti & futura non prospicienti dicit: Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nũc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Nam cogitandum valdè est, quantùm nobis erit terribilis hora nostræ resolutionis, qui pauor mentis, quanta tunc omnium malorum memoria, quæ obliuio transactæ felicitatis, quæ formido & cõsideratio iudicis. Quid ergo esse nobis de præsentibus ad delectationem debet, quando cunctis simul transeuntibus nõ valet transire quod imminet? quando & hoc funditùs finitur quod diligitur, & illud incipitur, vbi dolor nunquam finitur? Tunc maligni spiritus egrediente anima, sua opera requirunt: tunc mala quæ suaserunt replicant, vt sociam ad tormenta trahant. Sed cur hoc de peruersa solũmodò anima dicimus, cùm ad electos quoque egredientes veniant, & suum in illis, si præualeant, aliquid requirant?
Ioan. 14. Vnus autem in hominibus extitit, qui ante passionem suam libera voce dixit: Iam non multa loquar vobiscum. venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Quia enim hunc mortalem hominem vidit, suum in illo princeps mundi aliquid inuenire se posse credidit. Sed sine vllo peccato à mundi corruptione exijt, qui sine peccato ad mundum venit. Hoc de se contra mundi principem nec Petrus dicere præsumpsit, qui audire meruit: Quæcunque
Matth. 16 ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis: & quodcunque solueris super terram, solutum erit & in cælis. Hoc nec Paulus dicere præsum-
2. Cor. 12. psit, qui priusquàm mortis debitum solueret, ad cæli tertij secreta peruenit. Hoc nec Ioannes
Ioan 13. dicere ausus est, qui pro amore præcipuo in redemptoris sui pectore in cœna recubuit. Nam cùm propheta dicat, Ecce enim in iniquitatibus
Psalm. 50 conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea: sine culpa esse in mundo non potuit, qui in mundum cum culpa venit. Hinc nanque idem
Psalm. 142 propheta ait*: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Hinc Salomon ait: Non est
Eccles. 7. homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Hinc Ioannes dicit: Si dixerimus quia
1. Ioan. 1. peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Hinc Iacobus ait: In mul
Iac. 3. tis offendimus omnes. Constat enim quia omnes qui de carnis delectatione concepti sunt, in eorum proculdubiò vel actione, vel locutione, vel cogitatione aliquid suum princeps mundi huius habuit. Sed idcircò illos vel post rapere, vel priùs tenere non potuit, quia eos ille à debitis suis eripuit, qui pro nobis sine debito mortis debitum soluit, vt nos ideò sub iure hostis nostri debita nostra non teneant, quia pro nobis mediator Dei & hominum homo Christus Iesus gratuitò reddidit, quod non debebat. Qui enim pro nobis mortem carnis indebitam reddidit, nos à debita animæ morte liberauit. Ait
Ioan. 14. ergo: Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Vnde curandum nobis est, & cum magnis quotidiè fletibus cogitandum, quàm sæuus, quàm terribilis sua in nobis opera requirens in die nostri exitus princeps huius mundi veniat, si etiam ad Deum carne morientem venit, & in illo aliquid quæsiuit, in quo inuenire nihil potuit. Quid itaque nos miseri dicturi, quid acturi sumus, qui innumera mala commisimus? Quid requirenti aduersario, & multa sua in nobis inuenienti dicemus, nisi solùm quòd nobis est certum refugium & solida spes, quia vnum cum illo facti sumus, in quo princeps huius mundi & suum aliquid requisiuit, & inuenire non potuit, quoniam solus est inter mortuos liber, & à peccati iam seruitio veraci libertate soluimur, quia ei qui verè liber est, vnimur? Constat enim, nec negare possumus, sed veraciter fatemur, quia princeps huius mundi habet in nobis multa: sed tamen mortis nostræ tempore iam nos rapere non valet, quia eius membra effecti sumus, in quo non habet quicquam. Sed quid prodest, quòd eidem redemptori nostro per fidem iungimur, si ab eo moribus disiungamur? Ipse etenim dicit: *Non*
Matth. 7. omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cælorum. Recta ergo opera, fidei re-
Recta opera recta fidei iungẽda. ctæ iungenda sunt. Mala quæ fecimus, per quotidiana lamenta diluamus: transactas nequitias nostras, surgentia ab amore Dei & proximi recta opera superent, nulla quæ possumus fratri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus impendere bona recusemus. Neque enim aliter redemptoris nostri membra efficimur, nisi inhærendo Deo, & compatiendo proximo. Sed quia ad amorem Dei & proximi plerunque corda audientium plùs exempla quàm verba excitant, charitati vestræ indicare studeo, quòd is qui præstò est filius meus Epiphanius diaconus, in Isauria prouincia exortus, in vicina factũ terra Lycaoniæ solet narrare miraculum. Ait enim, quòd in ea quidam Martyrius nomine, vitę valdè venerabilis monachus fuit, qui ex suo monasterio visitationis gratia ad aliud monasteriũ tendebat, cui spiritualis pater præerat. Pergens itaque, leprosum quendam, quem densis vulneribus elephãtinus morbus per membra fœdauerat, inuenit in via, volentem ad suum hospitium redire, sed præ lassitudine non valentem. In ipso verò itinere se habere perhibebat hospitium, quò idem Martyrius monachus ire festinabat. Vir autem Dei, eiusdem leprosi lassitudinis misertus, pallium quo vestiebatur, in terram protinùs proiecit & expandit, ac desuper leprosum posuit, eumque pallio suo vndiq; constrictum, super humerum leuauit, secumq; reuertens detulit. Cumq; iam monasterij foribus propinquaret, spiritalis pater eiusdem monasterij magnis clamare vocibus cœpit: Currite, ianuas monasterij citiùs aperite, quia frater Martyrius venit Dominum portans. Statim verò vt Martyrius ad monasterij aditum peruenit, is qui leprosus esse putabatur, de collo eius exiliens, & in ea specie apparens, qua recognosci solet ab hominibus redemptor humani generis, Deus homo Christus Iesus, ad cælum Martyrio aspiciente redijt, eiq; ascẽdens dixit: Martyri, tu me nõ erubuisti super terram, ego te non erubescam super cælos. Qui sanctus vir mox vt est monasterium ingressus, ei pater monasterij dixit: Frater Martyri, vbi est quem portabas? Cui ille respondit, dicens: Ego si scissem quis esset, pedes illius tenuissem. Tunc idem Martyrius narrabat, quia cùm eum portasset, pondus eius minimè sensisset. Nec mirum. Quomodò enim pondus sentire poterat, qui portantem portabat? Qua in re pensandum nobis est, quantùm fraterna compassio valeat, quantùm nos omnipotenti Deo misericordiæ viscera coniungant. Inde enim ei qui est super omnia, propinquamus, vnde nos per compassionem proximi etiam sub nosmetipsos deponimus. In rebus corporalibus nemo alta tangit, nisi qui tenditur: in rebus verò spiritalibus certum est, quia quanto plùs per compassionem attrahimur, tanto altis verius appropinquamus. Ecce autem redemptori generis humani ad ædificationem nostram minimè sufficit, q̃ in extremo iudicio dicturũ se esse perhibuit:

Martyrij monachi exemplum

Commiseratio erga proximos Deo gratissima.

Matth. 25 Quandiù fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis: nisi & ante iudicium hoc in se ostenderet, quod dixisset: vt videlicet demonstraret, quia quisquis nunc bona opera indigentibus exhibet, ei hoc specialiter impendit, cuius hæc amore exhibuerit: & tanto plùs quisque maiorem mercedem recipit, quanto nec eum despicit, qui ampliùs despiciendus videtur. Quid enim in humana carne sublimius carne Christi, quæ est super angelos exaltata? Et quid in humana carne abiectius carne leprosi, quæ tumescentibus vulneribus scinditur, & exhalantibus fœtoribus impletur? Sed ecce in specie leprosi apparuit, & is qui est reuerendus super omnia, videri despectus infra omnia dedignatus non est. Cur hoc, nisi vt nos sensu tardiores admoneret, quatenùs quisquis ei qui in cælo est, festinat assistere, humiliari in terra & compati etiam abiectis & despicabilibus fratribus non recuset. Loqui charitati vestræ sub breuitate decreueram: sed quia non est in homine via eius, decurrens sermo retineri non potest, quem disponit ipse de quo loquimur: qui viuit & regnat cum patre in vnitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

EADEM DOMINICA, HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Cùm appropinquaret Dominus Hierusalem, videns ciuitatem, fleuit super illam. &c. Luc. 19.

RESVSCITATO nanque Lazaro veniẽs Dominus Hierosolymam, sedens super pullum asinæ, quum iam appropinquaret ad descensum mõtis Oliueti, cœperunt omnes turbæ discipulorũ gaudẽtes laudare eum, voce magna dicentes: Benedictus qui venit in nomine Domini. Et quidã pharisæorum de turba dixerunt ad illum: Magister, increpa discipulos tuos. Quibus ipse ait: Dico vobis quia si isti tacuerint, lapides clamabunt. Lapides enim gentiles dicuntur, qui duri, steriles, & infructuosi erant, & ligna & lapides adorabant. Isti autem modò clamant, & Christi virtutes laudare non cessant. Vt igitur appropinquauit, videns ipsam ciuitatem in suam necem conspirantem, non de sua morte quam illa machinabatur, sed de illius ruina & perditione fleuit, dicens: *Quasi cognouisses, & tu.* Sicut, inquit, ego fleo qui omnia video, & futura cuncta cognosco: sic & tu fleres, si nunc ventura videres. Nobis fratres, nobis istæ lachrymę fiunt, vt magistrum imitemur, & ab hoc tanto præceptore nostro discamus, quid de nostrorum inimicorum morte & ruina agere debeamus. Vnde & ipse ait: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderũt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vobis.

Lapides gentiles.

Matth. 5

vobis. *Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* In hac, inquit, die, in hoc tempore tua sunt, quæ ad pacem tibi breui tempore data sunt. Nunc abscondita sunt ab oculis tuis ea mala, quæ subitò venient tibi in diebus tuis. Et hoc exponit: *Quia uenient dies in te, & circundabunt te inimici tui uallo, & circundabunt te & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt: & non relinquent in te lapidem super lapidem, eò quòd non cognoueris tempus uisitationis tuæ.* Hæc autem omnia sub Vespasiano & Tito filio eius completa sunt, sicut Iosephus plenissimè narrat: quando ex dura & longa obsidione tanta calamitas Iudæos oppressit, vt ipsæ matres filios deuorarent. Et hoc ideò, quia non cognouerunt tempus visitationis suæ, quãdo visitauit eos oriens ex alto. De qua visitatione Zacharias ait: Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ. Quod autem ait: Non relinquent in te lapidem super lapidem, hyperbolicè dictum est. Siue lapis super lapidem relictus non est, quo vel ipsa ciuitas, vel aliquis in tota ciuitate defendi potuisset. Priùs enim ciuitas ipsa, deinde turris quæ Antonia dicebatur, postmodùm verò templum illud nobilissimum, super quod aliquanti confugerant, magna vi captum & destructum est. Qui si se hostibus tradidissent, templum destructum non fuisset. In quod, quũ tam incenderetur, Titus intrasse, multumque illud laudasse dicitur. Huius autem ciuitatis destructio, cuiuslibet animæ perditionem significare potest: in qua, fide corrupta & virtutum populo deficiente, malignorum spirituum vitiorumque exercitus eam aggreditur, incendit, & dissipat. De tali autem anima, Domini nostri Iesu Christi exempla sequentes, nos quoque flere debemus: & tanto ampliùs flere, quanto ipsa de seipsa flere ignorat. Si enim suas infirmitates intelligeret, & calamitates quæ ei superuenturæ sunt cognouisset, fleret vtiq; & ipsa. Nunc autẽ abscõdita sunt ab oculis eius. Non enim muros ciuitatis, quamuis post modicũ perituros, sed animarum ruinam & perditionem flebat Iesus: nobisq; exemplum dabat, quid in tali re facere debeamus, quum peccatorem aliquem in æternam perditionem ruere videmus. Capta est aũt ciuitas Hierusalẽ post quadraginta & duos annos à Christi passione. Quod benè quidem Elisæus significauit, qui ascendens Bethel, quum pueri ipsius loci illuderent ei, dicentes: Ascẽde calue, ascende calue: maledixit eis in nomine Domini. Et statim egressi sunt duo vrsi de saltu, & occiderunt quadraginta duos ex illis. Ideò enim post quadraginta & duos annos à duobus vrsis, Tito videlicet & Vespasiano, Iudæi interfecti sunt, quia Christo illudentes, in Caluariæ montem eum duxerunt, ibique eum crucifixerunt. Sequitur: *Et ingressus templum, cœpit eijcere uendentes in illo & ementes.* Vnde & Matthæus ait: Et intrauit Iesus in templum Dei, & eiecit omnes vendentes & ementes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit. Audite hæc Simoniaci, audite nefandi negociatores: aut cessate à negocijs, aut exite de templo. Non enim vnum vel duos, sed indifferenter omnes & vendentes & emẽtes Dominus templi eiecit de templo. Ipse & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit. Vos nummularij estis, vos colũbas vẽditis, vos sine nũmo & precio nihil agitis. Colũbas enim vendũt, quicũq; vel Ecclesias, vel Sanctũ spiritus gratios precio largiuntur. Horũ autem cathedras Dominus euertit, vt per hoc eos non esse Episcopos intelligamus. *Et dicit eis: Scriptum est, quòd domus mea, domus orationis est: uos aũt fecistis eam speluncam latronum.* Latrones enim vos estis, quia per ostium non intrastis. Qui enim non intrat per ostium in ouile ouium, fur est & latro. Ostium enim Christus est, qui, quoniam per eum non intrastis, vestras cathedras euertit. Per hoc enim ostium illi soli intrant, qui secundùm canonum instituta Episcopi constituũtur. Exite igitur de domo orationis: quæ quoniam vos in ea habitatis, facta est spelunca latronum. Nusquam alibi corporaliter Dominus restitisse, alios impulisse vel eiecisse narratur. Si igitur eũ in hoc quoque imitari velimus, si aliter non possumus, violenter Simoniacos ab Ecclesia pellere debemus, si tamen vires supperunt, quibus hoc sine Ecclesiæ detrimento facere valeamus.

Euersatio Hierosolymæ, typus perditionis animæ.

Luc. 19

4. Reg. 2.

Matth. 21.

De ijs dicit, quibus id ex officij aut hoc ritate incumbit.

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN, In Epistolam Concio exegetica.

EO capite, vnde huius diei lectio excerpta est, beatissimus Apostolus prolixè versatur in adstruẽda fide resurrectionis futurę corporum nostrorum, quam quidam tum temporis malè persuasi negabant. Porrò vt certiùs persuadeat, quod docere instituit, mortuos scilicet in supremo mundi die resurrecturos, hodierna lectione Christum resurrexisse affirmat, & eius rei multos producit testes, à quibus post resurrectionem visus sit. Ipsum Apostolum audiamus: *Notum uobis facio, fratres, Euangelium quod prædicaui uobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & saluamini, qua ratione prædicauerim uobis, si tenetis, nisi frustrà credidistis.* Inde ab initio non solùm immanissimis infidelium & tyrannorum persecutionibus, sed etiam hæreticorum insidiosissimis & perniciosissimis dogmatis impugnata est & mirum in modum exagitata religio Christiana, sed ipsa sui oppug-

1. Cor. 15.

Ecclesia iã inde ab inuentio à quibus inuestata.

Universidad de Deusto
Biblioteca

natione creuit semper & in dies maiora accepit incrementa. Ipsa Apostolorum ætate extiterunt qui resurrectionem negarent, in qua, vt inquit Chrysostomus, cùm vniuersa fidei nostræ spes sita sit, ad oppugnandam eam magno se studio Satan comparauit. Non ergo debent pij vacillare, cùm vident etiam hac tempestate vehementer affligi & laborare fidem catholicam, dum tam varijs hæreticorum commentis & insidijs infestatur. Vetus hoc est in Ecclesia, & eò minùs mirandum, quo frequentius & vsitatius est.
Matth.18 Necesse est, ait Dominus Iesus, vt veniant scan-
Matth.25 dala: propterea idem ipse vigilare nos iubet, & esse solicitos ne circumueniamur à Satana, qui suos mittit satellites, & vt faciliùs fallat incautos, prauos errores splendido verbi Dei & puræ doctrinæ titulo fucatos obtrudit, sicq; perplures citiùs in suam trahit perfidiæ nassam, quàm se sentiant irretitos. Euersi sunt olim etiam ex Corinthijs nonnulli fraude pseudoprophetarũ, vt crederent non esse futuram resurrectionem. Ad eam euellendam ex animis impiam persuasionem multa Apostolus argumenta adhibuit, vt decebat medicum tam peritum. Dicit se illis *notum facere*, id est, in memoriam reuocare *Euangelium*, quod iam antè prædicatum illis erat, sed in obliuionem abierat. *Quod & accepistis*, inquit, velut depositum quoddam, vt exponit Chrysostomus, reposcens, ostendensq; non verbis sed re, sed signis, sed miraculis receptum, & quod teneant prorsus. *In quo & statis.* Vacillabant hi, ait Oecumenius, & tamen stare illos dicit, dissimulans de industriâ, ne redderet impudentiores. Potest tamen etiam aliter locus hic exponi. Nam secundùm Ambrosium, his dicit, qui firmi erãt in fide traditionis huius. Promiscuis enim loquitur, ait idem, vt & hi, qui in fide fixi sunt, gaudeant, & qui mutant, corripi se doleant & corrigantur. *Per quod & saluamini.* Qui enim credunt Euangelio & illi conuenienter viuunt, hauddubiè salui fiunt. Habeat enim Euangelium Christi nõ solùm amplissimas promissiones, sed etiam multa præcepta & salutares institutiones, quibus debemus humiliter obtemperare, vt possimus etiam promissionum esse
Matth.28 capaces. Itaq; Christus in cælum ascendens, ait discipulis vt irent in mundum vniuersum, & baptizarent omnes gentes, ac docerẽt eas seruare omnia quæcunque mandasset eis. Non enim Christus Dei patris æterna sapientia frustrà nobis tam multa in Euangelio facienda atque cauenda & omittenda proposuit, sed vt illis nos accommodemus, modò salui esse velimus. *Trædidi enim vobis inprimis, quod & accepi, quòd Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundùm scripturas.* Pertinent hæc ad tacitam Corinthiorum reprehensionem, qui cùm ab Apostolo iampridem didicissent Christi & passionẽ & resurrectionẽ, non debuerunt à cognita veritate desciscere, & resurrectionẽ negãtibus assentiri. Hoc aũt in Apostolo vel maximè imitari debẽt præcones veri Dei, vt nõ sui capitis somnia, sed quæ ex diuinis literis & Ecclesiastica traditione acceperũt, pro cõcione loquãtur: sicut Apostolus id se tradidisse Corinthijs scribit, quod acceperat. Addit etiã scripturarũ testimoniũ, vt magis pudefiant Corinthij, qui de rebus testatissimis dubitẽt. Lõ *Christi* gum esset omnia scripturæ loca ꝓferre, quibus *mors à* Christi mors prædicta est. Apud Esaiã cap. 53. tã *prophetis* luculenter Christi passio & mors describitur, vt *prædicta.* nõ res futura prædici, sed præterita referri videa tur. Inter cætera dicitur ibi: Ipse aũt vulneratus est ꝓpter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Hoc aũt mirabiliter faciebat ad cõ firmandã veritatẽ Apostolicæ prædicationis de morte & resurrectione Christi, ꝙ iam lõgè antè prophetarũ vaticinia & moriturũ & resurrecturũ Christũ declarassent. Et licet crucifixus Christus
1. Cor. 1 Iudæis scandalũ, gẽtibus stultitia fuerit, attamẽ manet incõcussa veritas scripturæ diuinæ, quę lõgè antè Christũ in cruce moriturũ prædixerat, atq; ex ipsa scriptura Iudæi pariter & gẽtiles consutãtur, dũ Christũ crucifixũ respuunt, quẽ scriptura crucifigendũ non vno loco testatur. Porrò credentium fides egregiè roboratur, dum quod de morte Christi Apostoli docẽt, scriptura veteris instrumẽti clarissimè prænunciauit. Et *quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die, secundùm scripturas.* Iam ad Christi resurrectionem venit, cuius multos adfert testes, vt ea asserta, euidentissimè euincat nos quoque resurrecturos. Cùm enim Christus sit caput omnium electorum, necesse est, vt quò caput præcesserit, eò sequantur & membra. *Et quia uisus est Cephæ*, id est, Petro. Fide præcipuè dignum testem ponit, ait Chrysostomus. Vni modò, inquit idem, & ei principi, & fide maximè digno visus est. Nam certissima mẽte præcipuè fuit opus, quę prima clarificatũ Dominũ videret. Itaq; Petro primùm apparet. Nam *Christus* qui Christum primus confessus erat, non ab re *cur Petro* primus etiam resurgentẽ vidit. Præterea cùm hu *primũ ap* ius se discipulũ esse negasset, quò minùs reiectũ *paruerit.* se putaret, præ cæteris hunc conspectu suo dignatur: ad hæc, quòd huic primo pascendas oues
Marc.16. cõmisit. Sic Chrysostomus. Porrò Euangelium asserit, vt hic habet Oecumenius, primũ apparuisse Christum Mariæ Magdalenæ: inter viros aũt primùm visus est Petro, vtpotè eximij illius discipulorum chori principi. *Et post hoc undecim.* Chrysostomus, Augustinus, Oecumenius legũt hîc, duodecim. Augustinus per synecdochẽ locũ hũc accipiendum dicit. Ait enim Quæst. 117. super Genes. Vbi pars major est aut potior, solet eius nomine etiã illud cõprehendi, qđ ad ipsum nomẽ nõ pertinet. Sicut ad duodecim apostolos iã nõ pertinebat Iudas, qui etiã mortuus fuit, cũ Dominꝰ resurrexit à mortuis, & tamẽ ipsi⁹ duodenarij numeri nomẽ Apostolus in Epistola sua tenuit, vbi ait, eum apparuisse illis duodecim. Cũ articulo enim hoc Græci codices habent, vt non

possint intelligi quicunq; duodecim, sed illi in illo numero insignes. Sic Augustinus. Audi etiã Oecumenium: Cæterùm post assumptionẽ Domini subrogatus fuit loco Iudæ Matthias: quomodò igitur ait, Deinde duodecim? Respondemus, vel errorem esse scriptoris, vel cùm vidisset Dominus præscio suo illo oculo hunc cum vndecim adnumerandum, ei quoque apparuerit, ne in hoc etiam minus quicquã haberet à cęteris Apostolis. Potiùs enim dicere possumꝰ, quòd gratia iuxta præscientiam Matthiam cum cæteris annumerauit, quàm Iudam post ipsam traditionem atque suspendium. Hæc ille. *Deinde uisus est plusquàm quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent usq; adhuc, quidam autem dormierunt.* Hic locus euidenter ostendit in Euangelio non oẽs scriptas esse visiones, nisi quæ sufficerent ad fidem. Hic autem, quoniam de Apostolis dixerat, etiam hoc addidit, ne Apostoli tanquàm intimi eius, putarentur esse mentiti. Et vt maior fides multitudini testium haberetur, etiam multi viuere dicũtur, qui possint interrogati dicere quæ viderunt. Ambrosius hoc sua fide Aplũm dicere ait. Chrysostomus hùnc locũ exponens, ex Apostoli persona dicit: Tametsi rẽ iamdudum gestã narro, tamen testes viuos adhuc ꝓferre possum. *Deinde uisus est Iacobo.* Hic Iacobus, frater Domi- *Iacobus frater Domini.* ni & Iustus est cognominatus, quem Aegesippus lib. 5. scribit ab vtero matris sanctum fuisse, vinũ & sicerã non bibisse, carnem nullam comedisse, nunquàm attonsum, nec vnctum vnguento, nec vsum balneo fuisse &c. D. Hieronymus in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorũ inter cætera de hoc Iacobo ex Euangelio secundùm Hebræos, quod ipse se in Græcũ Latinũq; sermonẽ trãstulisse testatur, hæc quæ subijcimus commemorat: Dominus cùm dedisset sindonẽ seruo sacerdotis, iuit ad Iacobum & aparuit ei. Iurauerat enim Iacobus se nõ comesturum panem ab illa hora, qua biberat calicẽ Domini, donec videret eum resurgẽtem à mortuis. Rursusq; post paululum, Afferte, ait Dominus, mensam & panẽ. Statimq; additur: Tulit panẽ, & benedixit ac fregit, & dedit Iacobo Iusto, & dixit ei: Frater mi comede panẽ tuũ, quia resurrexit filius hominis à dormientib. Hæc ibi. *Deinde Apostolis omnibus.* Hoc nõ solùm ad duodecim, sed etiam ad alios referendũ est, qui Apostoli dicti fuere, seu quos Dominus extra duodecim ad prædicãdũ misit. Post Petrũ, inquit Chrysostomus, promiscuè singulis apparet, paucioribus nunc, nunc pluribus, præceptores sibi testesq; mutuos, præsertim verò fide dignos, per hoc illos faciendo. *Nouissimè omnium, tanq̃ abortiuo uisus est et mihi.* Apparuit illi primũ in cęlo, inquit Ambrosius, pòst oranti in tẽplo. Abortiuum se dixit, quia extra tẽpus natus in Christo, Apostolatũ accepit iam Christo in cælos recepto cum carne. Hæc ille. Humilitatis sanè hoc verbum est, inquit Oecumenius: at non ꝓptereà minor Paulus quouis, ꝙ nouissimè ei visus sit. Est aũt abortiuꝰ, embryo imperfectus atq; informis. Hic quoq; inter oẽs perfectissimus Paulus, talisq; ac tantus, per humilitatis redũdantiã, quasi nondũ ab initio per fidem Christi formatus, sese nuncupat abortiuũ. Hæc Oecumenius. *Ego enim sum minimus Apostolorũ, qui non sum dignus uocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.* Videmus hîc quantũ se abijcit tantus Aplũs, nec id fictè & simulatè facit, sicut illi qui se nequiter humiliãt, sed ex animo. Didicit enim à Christo esse mitis
Matt. 11. & humilis corde. Ex vera & ꝓfunda cordis humilitate ista oratio Apostoli ꝓfecta est. Simul etiã accusat se, ꝙ olim persecutus sit Ecclesiam Dei. Iampridem hoc peccatum Christi clementia abolitum erat, sed à Pauli memoria abolitum nondum erat. Solent enim sancti, ne rectè factis suis & diuinitùs acceptis charismatis extollantur, ad memoriam reuocare peccata sua, & eorum contemplatione seipsos inflammare ad contemptũ sui: atq; hac ratione & seipsos à superbia seruant immunes, & Dei dona cumulatiùs accipere me-
1. Pet. 5. rentur. Humilibus enim Deus dat gratiam. Porrò verò si tam sublimes & omni virtute cõspicui amici Dei tam seipsos humiliant & abijciunt, & tam nihil sibi tribuũt, quàm turpe, quàm fœdum & abominabile est homines omni virtute vacuos, immò multis etiã sceleribꝰ coopertos animo intumescere, præ se alios contẽnere, sibijpsis impẽdiò placere? Et tamen id genus miseris homũcionibus plenus est mundus. Vtinam discamus nos se nosipsos, & cum omnib. sanctis ex animo contemnere nosipsos, atq; ipso etiam nostri contẽptu gaudere. *Gratia aũt Dei sũ id quod sum, & gratia eius in me uacua nõ fuit.* His verbis gratia Dei mirificè cõmendatur, & ita tamen, vt simul etiã nostra industria excitetur. Multa de gratia Dei apud Augustinũ diuersis locis legũtur, præsertim vbi pug- *Pelagianorum error*
nat cũ Pelagianis, qui auli sunt insolentissima arrogantia tribuere tantã vim libero hominis arbitrio, ꝙ sine gratia Dei possit sufficere ad bene beateq; viuendũ: sed paucis hoc dixisse sufficiat, nullam esse liberi arbitrij vim ad rectè agendum sine gratia Dei. Sine me nihil potestis facere, ait
Ioan. 15. Christus ipse. Nec tamen gratia Dei nos prouehet ad salutem, si nos velimus in malo perseuerare. In Baptismo igitur sine vllis præcedentibus meritis datur gratia Dei: à Baptismo verò vt gratia accepta conseruetur, iam etiam hominis industria & diligentia requiritur. Porrò, vt rectissimè ait Augustinus, libr. de Gratia & libero arbitrio, capi. sexto, cùm data fuerit gratia, ibi planè incipiunt etiã esse merita nostra bona, per illã tamẽ. Nã si se illa subtraxerit, cadit homo, nõ erectus sed præcipitatus libero arbitrio. Atq; sanè diligenter aduertendum est, quod eodem loco ait Augustinus: Sed cùm dicunt Pelagiani, inquit, hanc esse solam nõ secundũ meritanostra gratiam, qua homini peccata dimittuntur, illam verò quæ datur in finem, id est, æternam vitam, meritis nostris præcedentibus reddi, respondendum est eis, Si enim merita nostra

Universidad de Deusto
Biblioteca

sic intelligerent, vt etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia. Quoniam verò merita humana sic prædicant, vt ea ex semetipso habere hominem dicant, prorsus rectissimè respondet Apostolus, Quid autem habes, quod nõ accepisti? Hæc Augustinus. Nos cum Apostolo ingenuè cõfiteamur, quatenùs boni sumus, gratia Dei tales nos esse: ac nihilo minùs cum eodem Apostolo demus operam, ne gratia eius in nobis vacua sit, sed ea fideliter vtamur in laudem & gloriam eius, Amen.

1. Cori. 4.

DOMINICA XII.
Luc. XVIII.

In illo tempore: Dixit Iesus ad quosdam qui in se confidebant tanquam iusti, & aspernabantur cæteros, parabolam istam, dicens: Duo homines ascenderunt in templum ut orarent: unus pharisæus, & alter publicanus. Et reliqua. Homilia beati Augustini Episcopi.

Est Sermo 36. de Verbis Domini.

LEctio sancti euangelij ædificat nos ad orandum & credendum, & non de nobis, sed de Domino præsumendum. Quæ ad orandum maior exhortatio, quàm vt nobis de iudice iniquo proponeretur similitudo? Iudex enim iniquus, nec Deum timens, nec hominem reuerens, audiuit tamen viduam interpellantem se, victus tædio, non pietate inclinatus. Si ergo exaudiuit qui oderat qd rogabatur, quomodò non exaudit, qui vt rogemus hortatur? Cùm ergo nobis ista è contraria comparatione Dominus suaderet, quia oportet semper orare, & non deficere, adiecit & ait: Verumtamen cùm venerit filius hominis, putas inueniet fidem in terra? Si fides deficit, oratio perit. Quis enim orat, quod non credit? Vnde beatus Apostolus cùm ad orandum exhortaretur, ait: Omnis quicunq; inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Et vt ostenderet fidem fontem esse orationis, nec posse ire riuulum, vbi caput aquæ siccatur, adiunxit atq; ait: Quomodò ergo inuocabunt, in quem non crediderunt? Ergo vt oremus, credamus: & vt ipsa fides non deficiat qua oramus, oremus. Fides fundit orationem, fusa oratio fidei impetrat firmitatem. Etenim ne in tentationibus deficeret fides, propterea Dominus ait: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Quid est intentationem intrare, nisi à fide exire? Intantùm enim tentatio proficit, inquantùm fides deficit. Et intantùm tentatio deficit, inquantùm fides proficit. Nam vt apertiùs nouerit charitas vestra de fide, ne deficeret & periret, dixisse Dominum, Vigilate & orate, ne intretis in tentationem, eo loco euangelij ait: Hac nocte postulauit satanas vexare vos sicut triticum, & ego rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua. Rogat qui tuetur, & non rogat qui periclitatur? Quòd autem ait Dominus: Cùm venerit filius hominis, putas inueniet fidẽ in terra? de fide dixit, quæ perfecta est. Ipsa enim vix inuenitur in terra. Ecce plena est Ecclesia Dei. Quis huc accederet, si fides nulla esset? Quis nõ mõtes trãsferret, si plena esset fides? Attendite ipsos apostolos: Dimissis omnibus suis, & calcata spe seculi, Dominum non sequerentur, nisi magnam fidem haberent: & tamen si plenam haberent fidem, non dicerent, Domine auge nobis fidem. Vide etiam illum vtrunque de se confitentem. Vide fidem, & non plenam fidem. Quidam dum obtulisset domino filium suum à malo dæmonio sanandum, & esset interrogatus vtrùm crederet, respondit & ait: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Credo, inquit, credo Domine: ergo est fides. Sed adiuua incredulitatẽ meã: ergo nõ plena fides. Sed quia fides non est superborũ, sed humilium, dixit ad quosdam qui in se confidebant tanquàm iusti, & spernebant cæteros, similitudinem hanc: *Duo homines ascenderunt in templum orare, unus pharisæus, & unus publicanus. Pharisæus dicebat: Gratias ago tibi Deus, quia non sum sicut cæteri homines.* Diceret saltem, sicut multi homines. Quid est, sicut cæteri homines, nisi omnes præter meipsum? Ego, inquit, iustus sum, cæteri peccatores. *Nõ sum sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri &c.* Et ecce tibi ex vicino publicano maioris tumoris occasio. Sicut, inquit, publicanus iste. Ego, inquit, solus sum, iste de cæteris est. Non sum, inquit, talis qualis iste, per iustitias meas, quibus iniquus non sum. *Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo.* Quid rogauerit Deum, quære in verbis eius, nihil inuenies. Ascendit orare, noluit Deum rogare, sed se laudare. Parum est non Deum rogare, sed se laudare, insuper & roganti insultare. *Publicanus autem de longinquo stabat*, & Deo tamen ipse propinquabat. Cordis conscientia remouebat, pietas applicabat. Publicanus de longinquo stabat, sed Dominus eum de propinquo attendebat. Excelsus enim Dominus, & humilia respicit: excelsa autem, qualis erat ille pharisæus: excelsa autem à longè cognoscit, Deus autem à longè cognoscit, sed non ignoscit. Adhuc audi humilitatem publicani. Parum est, quia de longinquo stabat, sed nec oculos suos ad cælum leuabat. Respicere sursùm non audebat. Premebat conscientia, spes subleuabat: adhuc audi: *Percutiebat pectus suum.* Pœnas de seipso exigebat, propterea Dominus confitenti parcebat. *Percutiebat pectus suum, dicens: Domine, propicius esto mihi peccatori.* Ecce quid roget. Quid miraris si Deus ignoscit, quando ipse agnoscit? De pharisæo & publicano accepisti controuersiam, audi sententiam. Audisti superbum accusatorem, audisti reum humilem, audi nunc iudicem. Amen dico vobis, veritas dicit,

Luc. 18.

Rom. 10.

Ibidem.

Matt. 26.

Luc. 22.

Luc. 18.

Mar. 9.

Psal. 137.

dicit, Deus dicit, iudex dicit: *Amen dico vobis, descendit iustificatus de templo publicanus iste magis, quàm ille pharisæus.* Dic Domine causam. Ecce video publicanum iustificatum magis de templo descendere, quàm pharisæum: quæro, Quare? Audi quare: *Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.* Audisti sententiam, caue causam malam. Aliud dico: Audisti sententiam, caue superbiam. Videant nunc, audiant ista nescio qui impiè garrientes, & de suis virtutibus præsumentes. Audiãt qui dicunt, Deus me hominem fecit, iustum ipse me facio. O petor & detestabilior pharisæo. Pharisæus ille superbè quidem iustum se dicebat, sed tamen inde ille gratias Deo agebat: Gratias tibi Deus, quia non sum sicut cæteri homines. Gratias tibi Deus. Gratias Deo agit, quia non est sicut cæteri homines: & tamen tanquam superbus & inflatus reprehenditur, nõ quia Deo gratias agebat, sed quia velut nihil sibi addi cupiebat. Gratias tibi, quia non sum sicut cæteri homines iniusti. Ergo tu iustus, ergo nihil rogas, ergo iam plenus es? Ergo non est tentatio vita humana super terram? Ergo iam plenus es, ergo iam abundas? Ergo iam non est quare dicas, Dimitte nobis debita nostra? Quid est ergo qui impiè oppugnat gratiam, si reprehenditur qui superbè agit Deo gratias? Et ecce post dictam controuersiam, prolatamq; sententiam procedunt & paruuli, imò apportantur & offeruntur tangendi. Cui tangendi, nisi medico? Certè sani: cui offeruntur infantes tangendi? Cui? Saluatori. Si saluatori, vtique saluandi. Cui, nisi illi qui venit quærere & saluare quod perierat? Vbi isti perierant? Quantum ad ipsos propriè attinet, innocentes video: reatum quæro, vnde? Apostolum audio: Per vnum hominem intrauit peccatum in orbem terrarum. Per vnum, inquit, hominem intrauit in mundum peccatum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Veniant ergo paruuli, veniant. Audiatur Dominus: Sinite paruulos venire ad me. Veniant paruuli, veniant languidi ad medicum, veniant perditi ad redemptorem: veniant, nemo prohibeat. In ramo adhuc nihil commiserunt, sed in radice perierunt. Benedicat igitur Dominus pusillos cum magnis. Tangat medicus pusillos & magnos. Causam paruulorum commendauimus maioribus. Loquimini pro tacentibus, orate pro flentibus. Si non fruſtrà estis maiores, estote tutores. Tuemini eos, qui adhuc causam suam agere non possunt. Communis fuit perditio, sit communis inuentio: simul perieramus, simul in Christo inueniamur. Dispar est meritum, sed communis est gratia. Nihil habent mali, nisi quod de fonte traxerunt. Nihil habent mali, nisi quod de origine traxerunt. Non eos impediant à salute, qui ad id quod traxerunt multa addiderunt. Qui maior est ætate, maior est & iniquitate. Sed gratia Dei delet quod traxisti, delet & quod addidisti. Vbi enim abundauit peccatũ, superabundauit & gratia.

Contra Pelagianos hæreticos.

Iob 7.

Matth. 6.

Luc. 19.

Rom. 5.

Luc. 18.

Rom. 5.

EADEM DOMINICA
Luc. XVIII.

In illo tempore: Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent: unus pharisæus, & alter publicanus. Et reliqua. Homilia Erici.

ENsus huius lectionis hæret per omnia superioribus, vbi Dominus discipulos ad instantiam orationis prouocat, iudicis Deum non timentis, & viduæ inclamãtis introducta parabola, quamq; hoc modo terminauit: Veruntamen filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra? Ne verò sibi quisquã improbè de fide applauderet, humilitatis illicò documenta subiunxit, eam inter cuncta bonorũ operum exercitia plus valere, matremq; virtutũ esse demonstrans, sicut constat superbiam vitiorum omnium caput existere. Ad huius ergo singulare meritum declarandum vsus est comparatione duorum hominum, in altero quidem humilitatem laudans, in altero superbiam reprobans. *Duo, inquiens, homines ascenderunt in templum, ut orarent &c.* Videns Dominus quosdã Iudæorũ de ficta se sanctitate extollere, ac per hoc quasi excellentioris meriti essent cæteris præferre, hãc parabolam deduxit in medium, in qua & virtus humilitatis præcipuè cõmendatur, & præsumptiua superbia quàm sit cauenda ostenditur. *Dixit autem*, inquit euangelista, *ad quosdam qui in se confidebant tanquàm iusti, & aspernabantur cæteros, parabolam istam: Duo homines ascenderunt in templum.* Nobile illud templum & toto orbe famosum, quod à Salomone Hierosolymis affluentissimis sumptuitatis parte situm fuerat, in eminentiore ipsius ciuitatis parte situm fuerat, in mõte videlicet Moria. Pulchrè igitur dictum est, ascenderunt, quia ciuitas Hierusalem in cliuo montis, hoc est, in descensũ sita, ex parte erat in monte, & ex parte in valle: templum autem Domini, vt diximus, in eminentiori loco ipsius ciuitatis fuit collocatũ: & qui ad illud venire cupiebat, necesse erat vt illuc ascendendo perueniret. Vnde & in sequentibus legitur: Descendit hic iustificatus in domũ suam ab illo, hoc est, templo: vel descendit iustificatus publicanus ab illo, id est, ex comparatione pharisæi. Et in alio euangelio homo legitur descendisse ab Hierusalem in Iericho, & incidisse in latrones. Causa quoque ascensionis eorum subditur: *Vt orarent.* Ad hoc enim illud templum constat ædificatum, vt ibi populus tum primitiua sua, & reliqua quæ in lege præcipiebantur, offerret: tum etiam pro se suique regni statu,

Humilitatis præstãtia.

Luc. 18.

Universidad de Deusto
Biblioteca

statu, certis temporibus postularet. Ex his autem duobus hominibus, qui ascenderunt in templum vt orarent. *Vnus erat pharisæus, & alter publicanus.* Pharisæi, clerici & presbyteri erant Iudæorum, qui pro eo quod à cæteris se diuidebant, tanquam sanctioris ac potioris meriti, diuisi interpretantur, à Phares filio Iudæ mutuato vocabulo. E quibus iste fuisse deprehenditur, qui arrogantia tumens, in templum ascendit, non tam Deum oraturus, quàm se laudaturus. Publicani autem dicebantur, vel qui publicis flagitijs incumbebant, vel qui publicis negocijs inseruiebant, vectigalia reipublicæ persoluentes, id est, telonarij, vel etiam omnes qui per fas & nefas diuitias sibi accumulabant. Deinde publicanus iste ad membra supradictæ pertinet mulieris, sanctæ Ecclesiæ, de quibus suprà dicitur: Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se? Pharisæus verò ad illos, de quibus formidabilis in conclusione sententia subditur: Veruntamen filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra? *Pharisæus stans, hæc apud se orabat.* Quòd stans pharisæus hic orasse perhibetur, ad morem illius populi refertur, qui ad templum Domini venientes, non solo prostrati, sed toto corpore erecti orare cõsueuerant, quod gestus corporis attestatur. *Deus, gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri hominum.* Quatuor species à sanctis doctoribus numerantur, quibus omnis tumor arrogantium deprehenditur. Prima quidem species est, cùm homo putat se habere bonum, quod non habet: quem sententia Apostoli ex obliquo repercutit, dicẽs: Si quis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit. Secunda species est, cùm aliquis bonum quod habet, à seipso se arbitratur habere, diabolum profectò imitans, qui per elationem dixit: Nescio dominum. Et, Ego feci me ipsum. quem redarguit Apostoli sententia, dicentis: Quid enim habes, quod non accepisti? Tertia verò est, cùm quilibet etsi bonum quidem quod habet, cælitùs sibi datum nouit, sed tamen hoc pro suis meritis se accepisse confidit, contrarius Apostolo Paulo, dicenti: Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quarta nihilominùs est, cùm singulariter se aliquis bonum putat habere, & cæteris despectis, speculatiuè bonus videri appetit. Quo morbo pharisæus iste potissimùm laborasse probatur, qui sub quadam generalitate, omnibus infrà se positis, suaq; ponderans merita, etiam publicano oranti se prætulit. *Deus, inquiens, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus.* Raptores sunt, qui per vim aliena diripiunt: Iniusti, qui legem Dei, quæ summæ perfectæque iustitiæ index est, non custodiunt: adulteri, qui alienum thorum violant. *Ieiuno bis in sabbato.* Si quem mouet, cur se bis in sabbato ieiunasse iactet, huiusmodi quæstio sub tali citiùs sensu dissoluetur: Iudæos omnes dies suos à sabbato computasse manifestissimum est, hoc modo: Prima sabbati, secunda sabbati: sicque reliqui à sabbato dies nuncupabantur vsque sabbatum: sicut & nos primam & secundam feriam dicere constat. Non incongruè hoc loco nomine sabbati tota hebdomada intelligitur, quæ sabbato clauditur. Nemo enim tam dementissimus esse potest, qui hunc in vna die bis, quod vtique impossibile est, ieiunasse putet. Bis ergo in sabbato, id est, duobus diebus in hebdomada ieiunasse se perhibet. *Decimas do omnium quæ possideo.* Lege præcipiebatur, vt filij Israël annuatim omnium rerum suarum Domino decimas darent. Sed scribæ & pharisæi, vt cæteris decimas dantibus sanctiores apparerent, non modò reditus frugum, verùm etiam minima quæque olerum decimabant. Vnde & dignè alibi à Domino redarguuntur, cùm dicitur: Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentam & anethum, & cyminum, & relinquitis quæ grauiora sunt legis, hoc est, altiora præcepta legis, dilectionem videlicet Dei & proximi, vel iudicium & misericordiã. Hoc loco breuiter commemorandum, quòd Ezechiel propheta in mysticissima visione, quam refert sibi apparuisse iuxta fluuium Chobar, inter reliqua dicit se vidisse quatuor animalia plena oculis antè & retrò. Quæ cùm multiplicibus sint referta mysteriorum sensibus, speciatim sanctorum symbolum præferunt. Hæc ergo animalia rectè vndiq; oculata esse dicuntur, quia sanctorum actio vndiq; magna vigilantiæ cura circũspecta est. Ita enim bona desiderabiliter prouident, vt mala quæq; solerter caueant. Sic deniq; terrenorum sese impendunt actibus officiorum, vt à cælestibus non secernant animum. Sic postremò nouerunt frui temporalibus, vt semper intendant æternis: tantoq; etiam in bonis, quæ agunt, soliciti & prudentes sunt, quanto hostis versutissimi fraudes etiã in bonis subrepere solere non nesciunt. At hi quos minima vel nulla sui cura exercet, dũ alijs intendunt, frequenter alia negligunt: multumq; his sanctis dissimiles animalibus, circunspectionis oculum prouidè ad cuncta non porrigunt. Qđ huic pharisæo accidisse deprehenditur, qui ad Deo gratias agẽdas, ad eleemosynã dandã, ad ieiunia faciẽda sagaci oculo intẽdit, sed ad humilitatis obseruantiã negligẽter torpuit, & quasi omnes suæ ciuitatis aditus diligẽter emuniẽs, superbiæ cicatricẽ reliquit, per quam feroci hostiũ deprædationi subiacuit. Quẽadmodũ enim nihil prodest, cp tota ciuitas contra hostium custoditur incursum, si vnum in ea foramen relinquitur, per quod ab hostibus intretur: sic nihil iuuat, cp multas virtutes congregamus, si vnum in nobis vitiũ relinquimus, per quod à diabolo capiamur. *Et publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suũ.* Quot in pharisæo signa præcessere superbię, tot cõsequẽter in publi-

Pharisæi qui.

Publicani qui.

Luc. 18.

Quatuor arrogãtiæ species.

Gala. 6.

Exod. 5.

Eze. 29.

1. Cori. 4.

Rom. 11.

Iudæi in suos dies computarint.

Exod. 22.

Matth. 23

Ezechi. 1.

Habetur Apocalyp. 4. cap.

publicano humilitatis indicia describuntur. Ille enim sua merita prædicare, alijs se potiorem ostendere: econtrà iste suorum confessione peccatorum, demissione luminum, pectoris insuper verberatione diuinitatem sibi conciliat. Alongè stabat, quia se & peccatorem & prophanum veraciter intelligens, sanctuario appropinquare non audebat. A longè vtique stabat, quia peccando se longè à Deo recessisse nouerat. Oculos ad cælum leuare nolebat, quia sciebat se illum qui in cælis est, grauiter offendisse illicita conspiciendo: indignum certè existimans ijsdem obtutibus Deum vel Dei templum aspicere, quibus ad concupiscendum illicita plurima fuerat conspicatus: necdumq; eorum numero se sociare audebat, qui de peccatorum indulgentia fisi, cum Psalmista dicunt: Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cęlis. Pectus quoq; suum percutiebat, quoniam se nouerat plurima ibi cogitasse nefanda, vnde Deum offenderat: & quasi supplicium sibi de seipso exigens, veniam scelerum non tam impetrabat, quàm extorquebat à Domino. *Deus, inquit, propicius esto mihi peccatori.* Magna precis breuitas, sed mira robustaq; deuotione commendata, quæ & iudicis sententiam permutaret, & ex iniusto iustificatũ derepentè publicanum efficeret. Vnde sequitur: *Dico uobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo.* Maxima fiducia sub exemplo istius publicani dignè pœnitentibus prærogatur: Qui quoniam culpas præteritas humiliter defleuit, quãuis iniustus ad templum venerit, iustificatus tamen à templo recessit. Quòd verò dicit, Ab illo, dupliciter authores exponunt, vel ab illo scilicet templo: vel ab illo, subaudiendum, pharisęo, id est, plusquam ille. Hęc quia ad literã per se eminent, si quid mysterij supereſt, requiramus. Duo isti homines, duorum est typus populorum. Pharisæus quidem de meritorum excellentia inaniter se efferens, Iudaicum populum figuraliter exprimit, qui de acceptæ legis obseruantia tumuit, & redemptoris sui ad se in humilitate venientis aduentum superba mente recipere detrectauit: cùm inter cætera, quæ culparum immanitas exposcebat, illuc recto satis ordine peruenit, vt qui olim in prioribus patribus angelos hospitio receperat, iam secum vlteriùs habitare nolentes, in templo clamantes audiret: Recedamus ab his sedibus. Per publicanum verò, qui se humiliando, suaque peccata confitendo, exaltari meruit, gentilis æquè designatus est populus, qui Apostolicæ prædicationis veritate percepta, falsorum numinum portenta deseruit, suumque creatorem condigna pœnitudine sibi propiciare contendit: cuius dignè satis exaltationi contigit, vt qui pridem fuerat mancipium diaboli, efficeretur filius Dei. Qui quoniam ad Deum conuersus, peccata sua recognouit, & scelerum suorum perfectè pœnituit, non solùm veniam, sed etiam vt populum Iudęorum fidei dignitate precederet, accepit. *Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.* Hæc sententia & de vtroque populo valet intelligi, Iudaico scilicet atque gentili: quorum alter, vt dictum est, de diuinis beneficijs superbiens, humiliari: alter verò deuotè se in confessione peccatorum humilians, meruit exaltari: Et de omni superbo & humili potest conuenientissimè accipi, concordante super hoc Salomonis sententia: Ante ruinam exaltatur cor hominis, & ante gloriam humiliatur. At videmus multos honoribus & diuitijs huius seculi florere, & in eis vsque ad finem perseuerare: cernimus econtrà nonnullos paupertate & inopia laborare, & in eadem egestate vsque ad exitum vitæ permanere. Cũ ergo isti in inchoata felicitate, & illi in pristina paupertate vsque ad terminum vitæ permaneant: quomodò verum esse constat, quod Dominus dicit, omnem hominem exaltatum humiliari, atque humiliatum exaltari? Sed quoniam veritas falli non potest, sciendum quia si non in præsenti hoc semper adimpleri videtur, in futuro tamen complendum non dubitamus. Omnis enim qui in præsenti vita se exaltat, vt diuinis præceptis se subdere contemnat, hic in die iudicij cum superbis & impijs sociatus, humiliari cogetur, à Domino auditurus: Ite in ignem æternum. Qui autem amore diuino hic se humiliare studuerit, imitans illum qui dicit: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde: ipse in futuro iudicio à Domino exaltabitur, cùm optabilem vocẽ audire meruerit: Venite benedicti patris mei. Nos autem non solùm ex humilitate publicani exemplum humilitatis colligere debemus, verùm è diuerso & de verbis elati pharisæi formam humilitatis assumere. Ille enim confiderauit aliorum mala, & cœpit iactanter sua proferre bona: nos econtrà nostra mala debemus perpendere, & aliorum bona considerare. Vt sicut ille cæteris se præferens, ex eo quòd alio despexit, humiliatus est ad ruinam: ita nos bonis fidelibus impares iudicantes, ex eorum imitatione exaltati, proficiamus ad gloriam.

Cumque huiuscemodi deuotionis formam assecuti fuerimus, in quotidianis precibus hanc orationem à beato Beda editam, breuem quidem, sed omninò saluberrimam frequentando recitare studeamus:

Humilitas publicani.

Pharisæus & publicanus quorũ typum gerunt.

Pro. 18.

Matt. 25.

Matt. 11.

Precatio uenerabilis Bedæ

DEus omnipotens, miserere supplici tuo, quia non sum sicut innumeri serui tui, contemptu seculi sublimes, iustitiæ merito glorioſi, castitatis laude angelici, velut etiam multi illorum, qui post flagitia publica pœnitendo tibi meruerunt esse deuoti: qui etiam si quid boni tua gratia largiente fecero, quo fine hoc faciam, quaue à te districtione pensetur, ignoro.

EA

Universidad de Deusto
Biblioteca

EADEM DOMINICA,
HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Dixit Iesus ad quosdam, qui in se confidebant, & cæt. Luc. 18.

NVnquam arrogãtia placuit Deo, nunquam superbia iustificata est. Vnde & de his, qui omnia opera sua faciunt vt videantur ab omnibus, alibi Dominus ait: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tales erant & isti, quibus hæc verba Dominus loquebatur, qui se coram hominibus iustificantes, cæteros quasi peccatores abijciebant & aspernabantur. Dominus autem, qui non venit vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam, neminem repellebat, sed cum publicanis & peccatoribus manducabat. Duo (inquit) *homines ascenderunt in templum ut orarent, unus phariseus, & alter publicanus.* Dominus pharisæis loquebatur, qui inde etiam pharisæi dicuntur, inde diuisi, quoniam se præ cæteris meliores esse putabãt. Hic autem vnum pharisæum apposuit, in quo quasi in speculo cæteri se quales erant, videre potuissent. Et fortasse idem ipse ibi erat, de quo Dominus ista dicebat. *Pharisæus stans hæc apud se orabat, dicens: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum: raptores, iniusti, adulteri: uelut etiam hic publicanus, ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo.* Nihil horum reprehensibile est. Nam & Deo pro beneficijs gratias agere, & bis in hebdomada ieiunare, & de omnibus decimas dare, bonum valdè & laudabile est. Aliud est igitur, pro quo pharisæus iste dãnatur. Hoc aũt intus est, in corde est, in intẽtione est, quod quidé nisi à Deo videri non potest. Deus enim non quid, sed qua intentione aliquid dicamus, considerat. Non oris, sed vocem attendit cordis: non ad riuos, sed ad fontem respicit. Vnde manifestum est, pharisæum istum per superbiam & arrogantiam cuncta dixisse. Atque in his quæ faciebat, magis hominibus, quã Deo placere volebat. Stultus, qui pro tanto taliq; seruitio nihil nisi vanam gloriam pro mercede recipit. Sequitur: *Et publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* A longè stabat publicanus: qualis erat, talem se ostendebat. Inde enim dicuntur publicani, siue quia nec publicè peccare erubescant, siue qui publica vectigalia colligebant. Ex his enim fuit Matthæus publicanus, quem de telonio Dominus vocauit. Meritò ergo de publicanis ad pharisæos Dominus ait: Publicani & peccatores præcedent vos in regnum Dei. Stabat igitur à longè publicanus: & quia peccatorem se esse sciebat, propiùs accedere timebat. Nolebat autem nec oculos ad cælum leuare, ne in eo ipso Dominum offenderet, quòd ad superiora & ad sedem Dei, de limo profundi & de tanta voragine peccatorum respicere præsumpsisset. *Sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* Meritò autem pectus percutiebat, quia ibi peccauerat, ibi erat fons & fouea & origo mali. Ibi enim est cor, bonorum omnium atque malorum secretarium: inde omnia bona & omnia mala procedunt. Ex corde enim (ait Dominus) exeunt cogitationes malę, homicidia, furta, periuria, adulteria, & similia. Hoc igitur publicanus percutiebat, & percutiendo se, de ipso quodammodò vindicabat. Ideò enim Psalmista dicit: Cor mundum crea in me Deus. Quoniam si cor mundum fuerit, à quo consiliario omnia nostra consilia suscipimus, malum facere non poterimus, nisi fortasse tale aliquid, quod ignorantiæ imputetur: si tamen illud cor mundum dici possit, quod ignorantia maculatur. Propter hoc enim solis sacerdotibus pectusculum semper de sacrificijs datur, quia in eis totius populi cor & consilium, omnisq; doctrina & scientia continetur, vt benè cordati & pectorosi, semper sufficienter habeant, quod vnicuique interroganti respondeant. Percutiebat igitur iste pectus suũ, & dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori. Non attendas huius cordis praua consilia, dele peccata, & propitius esto. Nihil in me est, vnde tibi placere, & veniam consequi debeam, quoniã corde & corpore, cogitationibus & operationibus tibi peccaui. Omnibus iniquior ego sum, & nisi per misericordiam tuam saluari nó possum. Ideoq; propitius esto mihi peccatori. Sic igitur non minùs iste se accusabat, quàm ille pharisęus se iustificabat. Sed quo fructu? qua mercede? Sequitur: *Amen dico uobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo.* A quo illo? à templo, an à Deo? templo vtique, & à Deo. A templo enim descendit, sed à Deo iustificatus. Quare hoc? *Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.* Sicut igitur publicanus se humiliando exaltatus est, ita & pharisæus se exaltando humiliatus est. Radix omnium malorum superbia, custos omnium virtutum humilitas.

Matth. 6.

Luc. 5.

Matth. 9.

Matth. 21

Cor, omnis bonæ & malæ rei ergo. Matth. 15

Psalm. 50

Leui. 7.

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN,
In Epistolam Concio exegetica.

HAbemus hodiè breuem ex Apostolo lectionem, qua noui Testamenti excellentia, & quantùm veteri præstet explicatur: quadratq; pulcherrimè cum hodierno Euangelio. Magno enim studio data opera est à sanctis Patribus, vt Epistola & Euangelium inter se consentirent, quod etiam quidam & superiorũ & nostræ ætatis docti viri indicare conati sunt. Quamobrem tanto attentiùs semper & Epistolæ & Euangelij expositio catholica in sacris concionibus auscultanda & animo affigenda est, quanto maiori studio selecta & ordinata sunt à sanctis patribus, quibus vtique curæ fuit ea seligere, quæ præcipuam possent Christiano populo adferre vtilitatem. Sed agè Apostolus ipse loquatur: *Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum, non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Vbique beatissimus Apostolus mirabili vtitur modestia & humilitate, nusquàm quicquam sibi arroganter tribuens, sed bona sua omnia Deo accepta ferens, & illi gloriam omnem concedens atque transscribens. Quod quàm sit gratum Deo, quàm ipsi homini salutare, dici satis non potest. Nihil tam est capax diuinæ gratiæ, quã animus verè humilis. Potest hoc innumeris scripturæ sententijs confirmari. Exemplum vnum protulisse satis sit. Cùm populus Israël regem sibi posceret, licet plurimùm dehortante Samuele, ex omni eius populi frequentia electus est à Deo Saul, non minùs animo humilis, quàm corporis statura procerus. At idem ipse postea à Deo reprobatus est, & regnum eius in Dauidem translatum est. Causam tum electionis, tum reprobationis ex ipsa scriptura audiamus: Missus erat Saul ex Domini imperio, vt occideret Amalechitas. Non obtemperauit diuinę voluntati, sed regem Agag & prædam multam seruauit. Displicuit hoc summoperè Deo, & iuit ad eum Samuel, & dixit ei: Nónne cùm paruulus (id est, humilis) esses in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es? Porrò pro eo quòd abiecisti sermonem Domini (magnæ hoc vtiq; superbiæ fuit) abiecit te Dominus, ne sis rex.

2. Cori. 3.

Humilitas & grata Deo.

1. Reg. 5.

Ibidem.

Ergo humilitas regem eum fecit, superbia regno exuit. Itaque sancti viri nihil adeò solent cauere atque superbiam, quòd hæc certissimè omnem Dei gratiam ab homine excludat. Ita ergo & Apostolus, cùm se in superioribus nonnihil commendasset, re ipsa id deposcente, mox subijcit, eam fiduciam se authore Christo, vt exponit Chrysostomus, habere, additq; ne cogitare quidem se posse quicquam ex seipso, tantùm abest, vt præstare quicquam possit. Vbi etiam damnantur insolentissimi hæretici Pelagiani, qui suis viribus sine gratia Dei hominem iuste viuere posse in magnam Dei contumeliam affirmarunt. Vtinam cum Apostolo potiùs dixissent, Sufficientia nostra ex Deo est. *Qui & idoneos nos fecit ministros noui Testamenti: non litera, sed spiritu. Litera enim occidit, spiritus autem uiuificat.* Quanuis præferat Apostolicam dignitatem, inquit Ambrosius, in Dei tamen laudem prorumpit, non istud meritis humanis adscribens, sed eius gratiæ, qui dignatus est pro vita humana salutarem prædicationem ordinare, quæ quos lex vetus reos tenebat, saluaret, dans remissióe peccatorum per Iesum Christum Dominum nostrũ.

Literæ enim ad hoc datæ sunt Moysi, vt contemnentes legem occideret secundùm ius naturæ. Spiritus autem, id est, lex fidei, quæ non scribitur sed animo continetur, viuificat reos mortis, conuertentes tamen se, vt iustificati de cætero non peccẽt. Rectè ergo data fuerat lex, vt timor esset peccandi. Sed quia fragile est genus humanum, misericordia Dei data est in prædicatione Apostolis, vt donatis peccatis euaderent morté, credentes in Christum. Hæc est prædicatio noui Testamenti, quod promiserat Deus per prophetas. Ita Ambrosius. Quid igitur, inquit Chrysostomus, An lex illa non fuit spiritualis? Quó ergo dicit, Scimus q̃ lex spiritualis est? Spiritualis quidé, at non præbebat spiritum. Nõ enim spũm attulit Moyses, sed literas. Nobis autem credita est potestas dandi spiritum. Vnde & prosequitur idem, dicens: *Litera occidit, spiritus autem uiuificat.* Porrò hæc non temerè dicit, sed illos tacitè taxans, qui sibi placerent ob ritus Iudaicos. Cæterùm literam hic vocat legem, quæ punit delinquentes: spiritũ verò gratiam, quæ per baptismũ viuificat à peccatis mortificatos. Et infrà: In lege peccatum habet, punitur: hic autem qui habet peccata, accedens baptizatur, & fit iustus. Iustus autem factus, viuit liberatus à morte peccati. Et post pauca: Posteaquàm igitur viuificauit nos, maneamus viuentes, nec rursus ad priorem mortem reuertamur. Nam Christus non amplius moritur, quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: neque vult nos semper seruare per gratiam, alioqui nos vacui futuri sumus omnium. Quapropter vult & à nobis quiddam inferri. Offeramus igitur aliquid, & animam viuam conseruemus. Hucusq; Chrysostomus. Breuiter obseruandũ est, gratis nos & sine præcedentibus meritis vocari ad gratiam iustificationis, quæ rectè credentibus confertur in baptismo: at verò vt in hac gratia & iustificatione permaneamus, immò & proficiamus, nostra quoque industria, noster conatus & diligentia requiritur.

Rom. 7.

Litera, lex: Spiritus, gratia tus.

Rom. 6.

Hoc qui probè animaduertunt, facilè intelligũt plurimũ errare nostri temporis hæreticos, dum tantum tribuunt fidei, vt omne meritum detrahant operibus nostris, contra innumera scripturæ testimonia. In Baptismo gratis iustificamur, sed ibi iam incipiunt etiam merita nostra, vt rectè ait non vno loco Augustinus. Nam spiritu viuificati & adiuti, non iam mortua sed viua facimus opera, quibus Deus dignatus est promittere vitam æternam. *Quòd si ministratio mortis literis deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita ut non possent intendere filij Israël in faciem Moysi, propter gloriam uultus eius quæ euacuatur: quomodò non magis ministratio spiritus erit in gloria?* Augustinus libro de Spiritu & Litera, cap. 14. Aduerte, inquit, quam dicat Apostolus literam quæ occidit, cui velut è cõtrario viuificantem ingerit spiritum. Ea rectè est ministratio mortis in literis figurata lapideis, & ministratio damnationis, quia lex subin-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Rom. 5. trauit, vt abundaret delictum. Porrò autem præcepta ipsa tam sunt vtilia facienti atq; salubria, vt nisi quis ea fecerit, vitam habere non possit. Et infrà: Attende & vide, vtrùm quicquam propter circuncisionem vel sabbatum, vel quid aliud vmbratilis sacramenti, ac non totum propter hoc dicat, quòd litera prohibens peccatum non viuificat hominem, sed potiùs occidit augendo concupiscentiam, & iniquitatem prævaricatiõe cumulando, nisi liberet gratia per legem fidei, quæ est in Christo Iesu, cùm diffunditur charitas in cordibus nostris, per spiritum sanctum qui datus est nobis. Et post aliquammulta eodem capite: Apparet igitur literæ vetustatem, si desit nouitas spiritus, reos facere potiùs cognitione peccati, quàm liberare à peccato. Vnde & alibi scriptum est: Qui apponit scientiam, apponit & dolorem: non quia ipsa lex malum est, sed quia mandatum bonum habet in litera demonstrante, non in adiuuante spiritu. Quod mandatum si fit timore pœnæ, non amore iustitiæ, seruiliter fit non liberaliter: & ideò nec fit. Non enim fructus est bonus, qui de charitatis radice non surgit. Porrò autem si adsit fides, quæ per dilectionem operatur, incipit condelectari legi Dei secundùm interiorem hominem, quæ delectatio non literæ, sed spiritus donum est, etiamsi alia lex in membris adhuc repugnat legi mentis, donec ad nouitatem, quæ de die in diem in interiore homine augetur, tota vetustas mutata pertranseat, liberante nos de morte corporis huius gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Hæc Augustinus, qui rursus lib. 2. cap. 7. contra Aduersarium legis & prophetarum, sic habet: Putant isti diuinorum eloquiorum blasphematores, malam fuisse legem, quæ data est per Moysen, quia dicta est ministratio mortis in literis figurata lapideis: nõ intuentes propter eos esse dictũ, qui suo libero arbitrio legẽ sufficere arbitrabantur, & spiritu gratiæ non adiuti, rei prævaricationis sub eiusdem legis litera tenebantur. Et paulò pòst: Quid ergò mirum, si illa dicta est ministratio mortis, vbi litera occidit, malum prohibendo quod fit, & bonũ imperando quod non fit: ista verò dicta est ministratio spiritus, vtiq; viuificantis, vt à prævaricationis morte surgamus, & iustitiam non rei legamus in tabulis, sed liberi in cordibus & moribus habeamus. Hoc est Testamentum nouum distans à vetere, quia ibi vetus homo formidinis coarctatur angustijs, hîc nouus homo spatiatur latitudine charitatis. Quod autem dictum est de ministro veteris Testamenti Moyse, quòd non poterant intendere filij Israël in faciem eius propter gloriam vultus eius, signũ erat, quia in lege Christum intellecturi non erant. Et ideò velamen inter faciem Moysi & ipsos positum erat, vt nõ intẽderent, sicut scriptũ est, filij Israël vsq; in finẽ. Finis autem legis Christus, ad iustitiam omni credenti. Et post pauca: Sed ideò dictum est, quòd euacuetur hæc gloria, quia omnes vmbræ significantes euacuantur, cùm res quæ significatur aduenerit. Quemadmodùm enim scientia, quæ nunc est, euacuabitur, sicut idem dicit Apostolus, cùm venerit illa, quam dicit facie ad faciem: sic & ista, quæ in vmbris tradita erant Iudæis in veteri Testamento, necesse fuit euacuari reuelatione Testamenti nouι. Hactenùs Augustinus, cui libet adiungere Chrysostomum, ita hoc loco scribentem: Administrationem mortis, ipsam dicit legem. Vide interim, quomodò in ipsa etiam comparatione diligenter cauet, ne quam ansam præbeat hæreticis. Non enim dixit, lex facit mortem, sed, Est administratio mortis: Ministrat enim in mortem, non item ipsam mortem. Nam quod gignit mortem, peccatum erat: hæc autem pœnam induxit, & peccatum ostendit, nõ genuit. Retexit enim euidentiùs malum ac punijt. Non autem impulit ad malum: fuitq; ministra non vt fieret peccatum aut mors, sed vt qui peccatum admiserat daret pœnas. Vnde fit, vt peccatum hac ratione etiam sustulerit. Siquidẽ lex dum ostendit peccatum vsqueadeò formidabile, hocipso reddit illud manifestum, ac proinde fugiendum. Quemadmodùm igitur qui gladio arrepto nocenti caput amputat, minister est iudici ferenti sententiam, nec ipse est qui interficit hominem, licet amputet illi caput: vt ne is quidem, qui pronunciauit mortis sententiam, quiq; reum condemnauit, occidit illum, sed ipsius qui punitur iniquitas: itidem & hîc non ipsa lex interficit, sed peccatũ: hoc & occidebat & cõdẽnabat. Hîc verò dũ punitur, contraxit vim peccati, metu supplicij cohibens illud. At non sat habuit Apostolus hoc solùm protulisse ad eminentiæ probationem, verùm & aliud quiddam adijcit, dicens: *In literis deformata in lapidibus.* Vide vt rursus premit Iudaicos spiritus. Nihil enim aliud erat lex quàm litera. Nihil opis profiliebat ac spirabat à literis, ad subleuandos eos qui periclitabãtur, quemadmodùm à baptismo: sed erant columnæ ac syngraphæ mortem adferentes his, qui literas transgrediebãtur. Hæc Chrysostom⁹. Audiamus & Ambrosium: Multum, inquit, interest inter legem & legem. Tunc enim maculati peccato, vultum Moysi descendentis de monte, cum lege accepta in tabulis, intueri non poterant, quia gloriosa facta fuerat facies eius, ne à peccatoribus posset aspici, quia digni erant morte. Quæ nunc gloria euacuatur per legem spiritus, cùm accepta remissione peccatorum facti iusti, digni sunt aspicere & possunt gloriam Dei: sicut viderunt in monte Petrus & Ioannes & Iacobus gloriam Christi. Hæc ille, qui eodem capite aliquantò pòst etiam his vtitur verbis: Spẽ habere nos dicit Apostolus videndi gloriam, non talem, qualis fuit in vultu Moysi, sed eam quã viderunt tres Apostoli in mõte, reuelante sẽ Domino. Hinc igitur conijcere debemus, quantum nobis contulit diuina clementia, quãtumq; nos superioris gratiæ dono ditare dignata est, quàm dederat Iudæis. Iudæi enim, cùm minor esset gloria vultus Moysi, eam speculari nõ poterant. Nos verò non Moysi gloriam, quæ inferior est, sed excellentem saluatoris gloriam visuros nos credimus. Iudæi ergo serui gloriam non meruerunt videre, nos autem Domini communis gloriam sumus visuri. Ideoq; & nos vicẽ reddere inquantùm possumus debemus beneuolentiæ Dei, vt propensiores simus in eius amore, qui nobis fiduciam dedit, abluens nos à peccatis, videndi gloriam Dei. Nunc itaq; opus est, vt crescat in nobis fiducia, bonis actibus parata. Hactenus D. Ambrosius. *Nã si ministratio dãnationis in gloria est: multò magis abũdat ministerũ iustitiæ in gloria.* Sedulius hoc caput exponens, In cõparatione, inquit, Euangelicæ gloriæ, obumbratur gloria legis: sicut orto sole obtunditur lunæ lumen, cùm tamen suo tempore magnum habeat fulgorem. Sic ille. Porrò Apostolus ministerium damnationis vocat legem: ministerium iustitiæ, Euangelij gratiam. Obseruandum tamen est, quod ait Chrysostomus, Apostolum haudquaquam reprehendere vetus Testamentum, sed vehementer etiam commendare. Siquidem comparationes, vt inquit hoc capite, in rebus cognatis fieri solẽt. Postremo loco Oecumenium audiamus, ita hæc verba interpretantem: Ex syllogismo rationabili comparationem facit. Si enim, inquit, gloria in lege est, & quidẽ quæ mortis damnationisq; ministra erat: longè magis eadem cõsequentia non modò gloria in nouo Testamento est, immò verò exuperat: etenim exundat. Nam lege quidem peccatores & capiente & puniente, prædicatio peccatores in baptismate acceptos, non solùm emittit liberos (quippe qd' etiam sat esset) verumetiam iustificat, sanctificat, & in adoptionem vocat, ac futura eis pollicetur bona. Quamobrem etiam iustitiæ administrationem hanc vocat, quasi impios iustificantem. Hæc ille. Præstet nobis suam gratiam Christus Iesus Deus & Dominus noster, in secula benedictus, Amen.

Videm.

Eccles. 1.

Fructus bonus nõ nisi de radice charitatis.

Differimen veteris ac nouι Testamenti.

Rom. 10.

1. Cor. 13.

DOMINICA XIII.
Marc. VII

In illo tempore: Exiens Iesus de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos. Et reliq. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

Surdus & mutus, humani generis typus.

SVrdus ille & mutus, quem mirabiliter curatum à Domino modò cùm euangelium legeretur audiuimus, genus designat humanũ, in his qui ab errore diabolicæ deceptionis diuina merentur gratia liberari. Obsurduit nanq; homo ab audiendo vitæ verbo, postquàm mortifera serpentis verba contra Deum tumidus audiuit. Mutus à laude conditoris effectus est, ex quo cum seductore colloquium habere præsumpsit. Et meritò clausit aures ab audienda inter angelos laude creatoris, quas ad audiendam eiusdem creatoris vituperationem, sermonibus hostis incautus aperuit. Meritò clausit os à prædicanda cum angelis laude creatoris, quod velut ad meliorandum eiusdem opus creatoris, cibi vetiti prævaricatione superbus impleuit. Et heu miser generis humani defectus. Quod in radice vitiosum germinauit, vitiosius multo dilatari cœpit in propagine ramorum, ita vt veniente in carne Domino, exceptis paucis de Iudæa fidelibus, totus penè mundus ab agnitione & cõfessione veritatis surdus erraret & mutus. Sed vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. Venit nanq; Dominus ad mare Galilææ, vbi nouerat ægrotare quem sanaret. Venit suæ gratia pietatis ad tumẽtia, turbida & instabilia gentium corda, in quibus nouerat esse, qui ad suam gratiam pertinerent. Et benè inter medios fines Decapoleos ad mare Galilææ, vbi ægrotũ sanaret, venisse perhibetur: quia relicto ob perfidiam populo, qui decalogi mandata acceperat, exteras venit ad gentes, vt, sicut Ioãnes ait, filios Dei qui erant dispersi, congregaret in vnum. *Et adducunt ei surdum, inquit, & mutum: & deprecabantur eum, ut imponat illi manum.* Quia ipse surdus saluatorem agnoscere, mutus rogare nequibat: adducũt eum amici, & pro eius salute Domino supplicant. Sic nimirum, sic in spiritali necesse est curatiõe geratur, vt si quis humana industria ad auditum confessionemq; veritatis conuerti non potest, diuinæ pietatis offeratur aspectibus, atq; ad sanandum eum superna manus flagitetur auxilium. Nec tardat cælestis misericordia medici, si intenta precantium non hæsitat nec deficit oratio. Vnde statim subinfertur: *Quia apprehendens ægrotũ Iesus de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius, & expuens, tetigit linguam eius.* Digitos quippe surdo in auriculas mittit vt audiat, cum per dona spiritualis gratiæ diù non credentes, ad auditum sui verbi conuertit. Expuens, linguam muti vt loqui valeat tãgit: cùm per ministerium prædicationis rationem fidei, quam confiteri debeat, præstat. Per digitos nanq; Domini, spiritus sancti dona significari & ipse docet, dicens: Si ego in digito Dei eijcio dæmonia: quod alius euangelista manifestiùs ponit: Si ego in spiritu Dei eijcio dæmones. Et David vbi ait: Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum, id est, videbo sanctos, non suæ merito virtutis, sed tui munere spiritus à terrenis suspensos, & cælesti factos conuersatione sublimes. Sputum quoq; capitis & oris Domini, *sputum* verbum est euangelij, quod ex inuisibili diuinitatis arcano sumptum, visibiliter mundo vt sanari posset, ministrare dignatus est. Notandum sanè, ꝙ Dominus priusquàm auriculas linguamq; sanandi tangeret ægroti, apprehendens eum seorsùm duxit è turba. Prima nanq; salutis spes est,

Digiti Christi. Luc. 11. Matth. 12. Psal. 8.

Sputum Christi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quàliber assuetos vitiorũ tumultus turbasq; deferere, & sic ad suscipienda sanitatis munera humiliter caput inclinare. Neque vllatenùs saluari putandus est, quandiu quis inordinatis moribus adhærere, superuacuis verbis delectari, turbulentis cogitationibus non timet deuastari. At qui miserante & adiuuante Domino turbidam priscæ conuersationis vitam mutauit, qui inspirationem diuinæ gratiæ corde concepit, qui verbo doctrinæ cælestis confessionem veræ didicit fidei, restat vt confestim optata sanitatis gaudia consequatur. Vnde benè postquàm de turba segregat infirmum Dominus, postquàm mittit digitos in auriculas, postquàm sputo tangit linguam illius, subinfertur: *Suspiciens in cælum, ingemuit, & ait illi: Epheta, quod est, adaperire. Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius.* Et rectè sanaturus ægrotum Dominus, suspicit in cælum & ingemuit, vt vbi nobis speranda salus, & qua compunctionis vel lachrymarum sit deuotione quærenda ac petenda significet. Suspiciens in cælum ingemuit, quia nos quos ad possidenda cælestia creauit, longè in terrestria deiectos esse doluit. Suspiciens in cælum ingemuit, vt nobis, qui à cælestibus gaudijs per terrena oblectamenta discessimus, ad hæc per gemitus & suspiria insinuaret esse redeundum. Quod autem ait, Epheta, id est, adaperire, propter aures dicit sanandas, quas surditas diutina clauserat, sed ad audiendum iam tactus patefecit ipsius. Vnde credo mos increbuit Ecclesiæ, vt sacerdotes illius his, quos percipiendis baptismi sacramentis præparant, priùs inter cætera consecrationis exordia, de saliua oris sui nares tangãt & aures, dicentes: Epheta: per saliuam quidem oris sui, gustum quo initiandi sunt supernæ sapientiæ designantes: per tactum verò narium, vt abiectis delectationibus noxijs, solũ Christi amplectetur odorem, de quo dicit Apostolus: Christi bonus odor sumus Deo in omni loco, & vt meminerint se iuxta exemplum B. Iob, donec superest halitus in eis, & spiritus Dei in naribꝰ eorum, non loqui iniquitatem labijs, nec lingua mendacium meditari debere. Porrò per tactum aurium, vt relicto auditu linguæ nequam, audiant verba Christi, & faciant ea, similes viro prudenti, qui ædificauit domum suam supra petrã. Et vnusquisque nostrum, fratres charissimi, qui baptisma Christi ritè suscepit, hoc ordine consecratus est. Omnes quidem, qui salutare lauacrũ vel proximo hoc paschę tempore, vel aliquando aliâs ritè susceperuri sunt, ipso sunt ordine consecrãdi. Vnde multũ necesse est, vt qd Dominus in nobis propitius abluere & sanctificare dignatus est, ipsi passim contaminare & pro nihilo prophanare timeamus. Sed etsi qui cœnum nequitiæ sordidantis incidimus, festinemus rursum lachrymarum & pœnitentiæ fonte mundari. Renouemus aurium puritatem, quam nobis auditu fidei diuinitùs constat fuisse collatam, cauentes illud Apostoli, quod quibusdam exprobrans ait: A veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Cohibeamus linguam à malo, quæ confessione fidei sanctificata est. Timeamus in ipsa, qua benedicimus Deũ & maledicere homines, qui ad imaginem Dei facti sunt. Qui enim putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, huius vana est religio. Ecce enim dicitur, *Quia apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè.* Qui ergo rectè loqui baptismatis nostri tempore didicimus, corde credendo ad iustitiam, ore autem confessionem faciendo ad salutem: curandum summoperè est, ne post baptisma ad iniusta & noxia verba declinemus. Si enim ipso iudice attestante, omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij: quid putamus fieri de illis, qui non solùm otiosa, sed & criminosa loquuntur, qui impudicitiæ, iactantiæ, blasphemiæ, & (quod maximè minùs licet) detractationis sermonibus seruire non timent? qui proferunt mendacia, testes fallaces? qui seminant inter fratres discordias? Non solùm autem à malis aures, linguamque satis est castigare loquelis, si non etiam iuxta Psalmistam inclinemus aurem nostram in verba oris Dei, si nos nostrum loquatur sapientiam, & meditatio cordis nostri prudentiam. Sed & cunctos simul interioris exterioriſque hominis nostri sensus, qui cuncti in baptismo abluti sunt, oportet mundos ac bonis operibus seruemus insuper semper ornatos.

Curato autem surdo & muto, videamus quid sequitur. *Et præcepit, inquit, illis, ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, & eò amplius admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui.* Quare fratres charissimi, hæc acta credamus? Nunquid nam æstimandum est, qꝺ vnigenitus Dei filius signum faciens, & hoc abscondi voluerit, & contra voluntatem illius sit patefactum in turbas, nec potuerit silentio signum tegere si vellet, quod potuit facere cùm voluit? An fortè nobis exemplum dare voluit, vt virtutum opera facientes, vitium iactantiæ per omnia gloriamq; vitemus humanã, ne bona nostra actio per inanem vulgi fauorem & supernæ retributionis munere priuetur? Et tamẽ gloria ea sciamus, opera nostra si digna imitatione sunt, nullatenùs posse celari, sed ad vtilitatem fraternæ correctionis ipso dispẽsante patefieri, qui dicit: Non potest ciuitas abscondi super montẽ posita. Et alibi: Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur. Et reuerà ita omnimodis, ita intelligẽda est dominici dispensatio præcepti. Quod non ita tamen dictum quis æstimet, quasi bona facientes, fraternos cauere debeamꝰ aspectus, cùm Dominus dicat: Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona: sed vt per opera quæ fratribus ostendimus, non laudem ab illis, sed profectum quæramus. hoc est

Christus cur in cælum suspiciens ingemuerit.

Cæremoniæ baptismi.

2. Cori. 2.

Iob 27.

Matth. 7.

2. Tim. 4.

Iaco. 3.

Iaco. 1.

Rom. 10.

Matt. 12.

est enim, quod sequitur: Et glorificent patrem vestrum, qui in cælis est. Nam qui ea intentione bona ostendũt opera, vt ipsi solùm laudentur, non autem vt laudantes in bono proficiant, neq; vt pater qui in cælis est glorificetur, tales sunt nimirùm illa terribili increpatione plectendi, qua dicitur: Amen dico vobis, receperunt mercedẽ suam. Sed & hoc dicendum, quia si illi virtutes dominicas tacere nequeunt, qui tacendi præceptum acceperunt, multo ampliùs sit nobis diuinæ gratiæ præconijs semper insistendum, qui quotidianis inuicem nos verbis ac cælestibus alimonijs reficere præcipimur, dicente Apostolo Ioanne: Qui audit, dicat, Veni: id est, qui gratiam supernæ aspirationis mente concepit, qui verbũ exhortationis, quo vtiliter proximum confortare valeat, didicit, nequaquam quod nouit silentio abscondat, sed ipsum protinùs fratribus aperiendo communicet. Si enim ea quæ nouimus, benignè proximis dicere bona non negligimus, aderit ille in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ abscõditi, & quod nunc ex parte cognouimus, ad perfectum nobis lumen veritatis intimare dignabitur Iesus Christus Dominus noster vnigenitus patris, qui cum eo viuit & regnat in vnitate spiritus sancti, per omnia secula seculorum, Amen.

Matth. 6.

Apoc. 22.

Colos. 2.

EADEM DOMINICA
HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Exiens Iesus de finibus Tyri, uenit per Sidonem ad mare Galilææ, &c. Mar. 7.

DEscribit euangelista, per qꝫ viã in Galilæam Dominus redierit. Sicut autem Pentapolis à quinque, ita Decapolis à decem ciuitatibus nominatur. *Et adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum ut imponat illi manum.* Qui sunt isti, qui surdum & mutum Domino adducunt? Isti enim sunt Apostoli & doctores, isti sunt episcopi & sacerdotes, isti sunt quicunque alios sanare desiderant, & ad fidem peruenire persuadent. Surdus est enim omnis homo, qui audiendi aures non habet, & qui euangelij verba audire contemnit. Surdi erant illi, quibus Dominus dicebat: Qui est ex Deo, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. De talibus & Psalmista ait: Furor illis secũdùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas: quæ non exaudiet vocem incantantium, & veneficia, quæ incantantur à sapiente. Mutus verò est, qui Deum non laudat, qui Christum non confitetur, qui iustitiam non defendit, & qui iniustitiam non damnat. Tales illi sunt, de quibus dicitur: Canes muti, non valentes latrare. Hos igitur debemus ducere ad Iesum, & pro eis rogare, vt eis manum imponat. Sanatur enim quem tangit Iesus, sanatur quem tãgit Saluator, quia ipse est salus & vita. Non aliunde quærit herbas: ipse est medicus & medicina, tangit, & sanat, respicit, & medetur. Vnde & subditur: *Et apprehendens eum à turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius, & suspiciens in cælum ingemuit, & ait illi: Ephetha, quod est, adaperire.* Cognoscimus hic Ecclesiæ sacramenta, hæc nouiter ad fidem venientibus sacerdotes facere videmus. Dicunt Ephetha, quod est adaperire, non vt exterioris hominis sensus qui clausi non sunt, sed potius vt interioris hominis aures aperiant, & linguam soluant, quatenùs & verba vitæ diligenter intelligant, & intellecta alijs fideliter nuncient. Nisi enim aliud hoc significarer, hunc tantũ laborem in hoc homine sanãdo Dominus non suscepisset. Poterat enim eum solo verbo sanare, sicut multos alios sanare consueuerat. Hoc tamen non fecit. Sed quid fecit? De turba eũ traxit, digitos ei in auriculas misit, expuit, & tetigit linguam, in cælum suspiciens ingemuit, & ait illi: Ephetha, quod est, adaperire. Hæc enim turba, de qua hic homo à Domino trahitur, vitiorũ est multitudo, & malignorum spirituum turbulẽtus exercitus. Qui enim de hac turba non trahitur, à Domino non sanatur. Meritò igitur Dominus de turba eum traxit, quem sanare volebat. *Et misit digitos suos in auriculas eius*: Quia in illius auditũ sancti spũs gratiam infudit, vt haberet spũm sapientiæ & intellectus, sine quibus aures cordis nó aperiuntur. De hoc enim digito ipse quoq; alibi ait: Si ego in digito Dei eijcio dæmonia, qd Matthæus exponens, ait: Si ego in spiritu Dei eijcio dæmones, profectò peruenit in vos regnũ Dei. Expuit autem & tangit linguam eius, vt per hoc eum doceat superflua cuncta abijcere, si linguã vult habere solutam, & ad loquendum idoneã. Sæpè enim sputum ad loquendum linguæ facit impedimentum. Est enim sputus superfluitas quædam, & stomachi capitisq; purgatio. Qui igitur vult benè loqui, qui vult vt Deo & hominibꝰ verba sua placeant, omni superfluo humore omniq; impedimento & stomachum releuet & mentem, quam per caput intelligimus. Possumus aũt & per sputum Christi, quod ex capite quidẽ descendit, eius diuinitatis dulcedinem intelligere. Christi nanq; caput (ait Apostolus) Deus est. Hæc autem dulcedo, hæc saliua nostri redemptoris, linguas infantum fecit disertas, quas olim vetiti pomi amaritudo ligauerat. De hac autem dulcedine ait Psalmista: Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus, beatus vir, qui sperat in eo. Itemq;: Dulcis & rectus Dominus. Et Petrus Apostolus: Deponẽtes (inquit) omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & detractiones, sicut modò geniti infantes rationabiles lac sine dolo concupiscite, vt in eo crescatis in salutem, si tamen gustastis quàm dulcis est Dominus. Hæc igitur dulcedo, hæc saliua Christi, pellit antiquum venenum omnemque

Surdus quis.

Ioan. 8.

Psal. 57.

Mutus quis.

Esa. 56.

Cæremoniæ baptismi.

Turba vitiorum & dæmonum multitudo.

Sputum Christi cur.

Matth. 9.

Luc. 12.

Matth. 5.

Psal. 33.

Psal. 24.

1. Pet. 2.

1. Cori. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

amaritudinẽ de lingua fidelium. Hęc aũt saliua illorum linguas non tetigit, qui Christum non cõfitentur, & qui de fide interrogati, se credere non respondent. Si videas hominem mendacẽ, litigiosum, maledicum, malè loquentem, malè suadentem, & vaniloquijs vacantem, dic illius linguam non esse baptizatam, neq; Christi saliuam eam tetigisse. Si verò videas aliquem veracem, sapientem, benè loquentem, benè prædicantem, & Dei laudibus & orationibus vacantem, huius linguam Christi saliua nõ dubites esse insusam. Sequitur: *Et suspiciens in cælũ, ingemuit.* In cælum nanque Dominus suspexit, quia secundùm humanitatem pro nobis ad patrem interpellat. Sed quare ingemuit, nisi quia hominem, quem ad imaginem suam creauerat, nunc surdũ & mutum, & per omnia infelicem esse videbat, quem etiam per multas tribulationes & angustias ad pristinam dignitatem redire oportebat? Post hæc autem omnia *ait illi: Ephetha, quod est, adaperire,* quia non priùs sensus nostri Deo aperiuntur, non priùs eius doctrinæ pluuijs fœcundãtur, quàm à Christo de turba trahamur, eiusque manu tangamur, & ipsius saliuæ dulcedine omni amaritudine mundemur atq; sanemur. Vnde & hic dicitur: *Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est uinculum linguæ eius, & loquebatur rectè.* Non enim nisi rectè loqui poterat, quem Dei virtus & sapientia sic tangendo & medendo sanauerat.

Cur Christus ingemuerit.

Et præcepit illis, ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plùs prædicabant, & eò amplius admirabantur, dicentes: Benè omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui. Quid est hoc? Quare eis Dominus hoc præcipiebat, vnde eos inobedientes fore sciebat? Nobis fratres, nobis fiunt ista, ad nos respiciunt, & ad nostram iactantiam inclinant: qui si aliquid dignum laude aliquando fecerimus, hoc non ad vulgi fauorem extollere & prædicare, imò humiliter abscondere & celare debemus. Et hoc in contrarium vertitur: quia plùs laudantur illi qui facta sua abscondere volunt, quàm illi qui ea pro vana gloria manifestare cõtendunt. Vnde beatus Iob dixit, quòd laus hypocritæ ad instar pũcti. De sanctis verò dicitur: Rex verò lætabitur in Deo, & laudabuntur omnes qui iurant in eo, quia obstructum est os loquentium iniqua.

Iob 20.

Psal. 62.

DOMINICA XIIII. POST PENTECOSTEN,
In Epistolam Concio exegetica.

Epistola ad Galatas cur scripta.

HAbemus hodiè lectionem ex Epistola ad Galatas, quam Epistolam cur scripserit Apostolus si quis nosse velit, legat præfationem D. Augustini in expositionem eiusdem Epistolæ, vbi hæc scripta reperiet: Causa propter quam scribit Apostolus ad Galatas hæc est, vt intelligant gratiam Dei id secùm agere, vt sub lege iam non sint. Cùm enim prædicata eis esset Euangelij gratia, non defuerunt quidam ex circuncisione, quamuis Christiani nomine, nondum tamen tenentes ipsum gratiæ beneficium, & adhuc volentes esse sub oneribus legis, quæ Dominus Deus imposuerat, non iustitiæ seruientibus, sed peccato, iustam scilicet legem iniustis hominibus dando, ad demonstranda peccata eorum, non auferenda: Non enim aufert peccata, nisi gratia fidei, quæ per dilectionem operatur. Sub hac ergo gratia iam Galatas constitutos illi volebãt constituere sub oneribus legis, asseuerantes nihil eis prodesse Euangelium nisi circunciderentur, & cæteras carnales Iudaici ritus obseruationes subirent. &c. His ex D. Augustino breuiter præmissis, iam ipsam lectionem inspiciamus: *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit, Et seminibus, quasi in multis: sed quasi in uno, Et semini tuo, qui est Christus:* Hoc est, inquit Ambrosius, quod scriptum est in Genesi ad Abraham: Et in semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Quod vtique impletum est in Christo, in cuius nomine omnes gentes benedicuntur per fidem. Ideò nõ in multis, sed in vno firmata est promissio, qui est Christus. Hac disputatione sua Apostolus quasi reos falsati Testamẽti designat, qui credentes in Christum, & de lege aliquid sperãt, vt non solùm salus promissa in Christo, sed & in lege sit. Ideo probat promissionem benedictionis in solo Christo factam. Hæc Ambrosius. Aduertendum est Aplũm multis id agere, præsertim in Epistola ad Galatas, vt doceat hoiem sine operibus veteris legis iustificari, cùm è diuerso Iudæi de lege præsumerent, & Christi gratiam repudiarent. Sed quidam impudẽtes hæretici verbis Apostoli malè detortis & olim superioribus seculis, & nostra quoq; tempestate abusi sunt ad demõstrandũ solâ fidẽ iustificare, operabona nõ esse ad salutẽ necessaria: nec aduertũt neq; Apostolũ ipsum, neq; vllas alias vel scripturæ diuinæ, vel sanctorũ patrũ sentẽtias tantùm tribuere soli fidei: sed vbicunq; tribuitur fidei vis iustificãdi, necessariò intelligendũ est de fide quę sit cũ charitate coniuncta, quâ Aplũs dicit per dilectionẽ operari. Sic igitur accipiantur tum scripturæ sacræ, tũ Patrũ sententiæ, & facilè error omnis euitabitur. Legat qui volet Augustini librũ de fide & operibus, & pleraq; alia illius & aliorũ Patrũ scripta. Abraham igitur etiam priùs quàm lex promulgata est, amicus Dei appellatus est, & diuinis est confirmatus promissionibus, q̃ ex ipso Christus nasceretur, in quo omnes gentes benedicerentur, de qua benedictione loquens Apostolus ad Ephesios, Gratia, inquit, saluati estis per fidẽ, (& hoc non ex vobis: Dei enim donum est) non ex operibus (quæ vtique ante fidem bona esse non potuerunt) vt ne quis glorietur. Ne tamen putaremus iã per fidẽ iustificatis, bonis operib⁹ deinceps opus nõ esse, mox ibidẽ subiũgit Apostolus:

Gen. 12.

Gal. 3.

Ephes. 2.

stolus: Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu, in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Vt autem id possimus, non est vtique virium nostrarum, sed gratiæ diuinæ, quæ sicut iustificat gratis in baptismo impios sine præcedentibus operibus, ita iam iustificatis præbet vires adeptam iustitiam per bona opera & virtutum exercitia non solùm conseruandi, sed augendi etiam. Fieri enim non potest, vt iustificationis gratiam diù tueatur, qui est bonorum operum incuriosus: immò necesse est illius hominis posteriora peiora fieri prioribus, septem nequam spiritibus, id est, omnis generis vitijs illum rursus occupantibus, & in sordes peccatorum eum retrahentibus. *Hoc autem dico, Testamentum confirmatum à Deo, quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex, non irritum facit ad euacuandam promissionem.* Promiserat Abrahæ Deus, ait Chrysostomus, fore vt per semen ipsius benedicerentur gentes. Semen autem eius secũdùm carnem fuit Christus. Venit post quadringentos & triginta annos lex. Itaq; si lex confert benedictiones, vitam & iustitiam, repromissio illa irrita est. Ita´ne fit igitur, vt cùm hominis testamentum nullus irritum faciat, Dei testamentum post quadringentos triginta annos irritum sit? Etenim si quod illud Testamẽtum promisit, non præstat ipsum, sed lex pro illo præstat, nimirùm illud reiectũ est. Et quomodò possent hæc congruere rationi? Hæc Chrysost. Vult hoc Apostolus, legem non sufficere ad præstandã homini salutem, sed eam ex gratia Christi redẽptoris obtineri, cui qui fide viua inhærẽt, eos hæredes fieri vitæ æternæ, quã Deus Abrahæ promisit. Quòd si verò ex lege ea posset obtineri salus & vita æterna, irrita esset promissio Dei, & Christus frustrà promissus, frustrà pro nobis passꝰ esset. Sed absit, vt quisquã credat ex lege Mosaica nostrã pẽdere saluté, & nõ potiùs ex gratia Christi, qui dilexit nos & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo: neq; id ita tamen, vt iam nos desides & otiosi viuamus, sed vt sine timore de manu inimicorum nostrorũ liberati, seruiamus illi in iustitia & sanctitate corã ipso omnibus diebus nostris. Quàm aũt probè sibi constet numerus annorum quadringentorũ & triginta, quẽ hìc ponit Apostolus, si quis exactiùs nosse velit, legat Augustinũ lib. 16. de Ciuitate Dei, cap. 24. *Nam si ex lege hæreditas, iam nõ ex promissione.* Si lex præstat, vt hæredes simus vitæ æternę, nihil opus est Christi gratia, per quem Deus Abrahæ promisit gentes oẽs benedictionẽ consecuturas. Omnia hæc pugnant contra Iudæos, qui adeò de lege præsumebãt, vt gratiam Christi nõ requireret: nihil aũt faciũt pro eis, qui fidem solã volũt sufficere ad salutẽ, & operibus bonis omne meritum detrahunt. Nam simulatq; per gratiam in baptismo iustificamur, ibi iam incipiunt etiam merita nostra, modò in gratia permaneamus, qua freti, facimus opera Deo grata, immò ob immensam præpotentis Dei dignitatem, qui in nobis operatur & velle & perficere, etiam digna vita æterna. Qua de re non est magnoperè cum hæreticis contendendum, sed ad mortiferas istarum Sirenarum cantus obturatis auribus, ea Apostoli saluberrima adhortatio animo retinenda & crebrò attendenda, qua ait: Bonum autem faciẽtes non deficiamus: suo enim tempore metemus non deficientes. Debemus distinguere opera legis ab operibus renatorum. Finis legis Christus, qui nos ab oneribus legis absoluit, nec tamen voluit otiosos degere, sed nouam condidit legem, putà Euangelicam, cui nos vult conuenienter viuere, modò velimus cum illo perenniter viuere. Huius legis summa est, vt diligamus Deum ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus, & proximos sicut nosipsos. Hoc fac & viues. Habet hic Christianus omnis satis superque quod agat, & quò plus profecerit, eò plus sibi sentiet superesse quod agat. Verùm non deficiat animo, nec suis nitatur viribus, sed ope diuinæ gratiæ: maneat semper in via quæ Christus est, illius insistat vestigijs, & quemadmodùm ille ambulauit, sic sibi quoque nouerit ambulandum. Id autem tanto facilius poterit, quanto plus amauerit. Sinat hæreticos de sola fide disputare, & sub hoc prætextu vitijs omnibus laxare habenas: ipse Christum sequatur per arctam viam, quæ ducit ad vitam. *Abrahæ autem per repromissionem donauit Deus.* Non ergo ex lege iustitia, sed ex gratia Dei, quæ per Christum nobis parta & collata est: quam cùm etiam Abraham consecutus sit, fide viua credendo in Christum venturum, sicut nos credimus in eum iam missum, certum est non legem iustificare, quippe quæ longè post Abrahæ mortem promulgata fit, sed gratiam. Ex Christo ergo est iustitia nostra, sine quo nihil prodest lex. Inde est, quòd in ipso quoque Abraham o tanta enituit vitæ sanctimonia, & præcipua in Deum & proximos charitas: tum præsertim, cùm ad vocem præcipientis Dei sine vlla vel cunctatione vel calcitratione immolare voluit filium suum Isaac, quem vtique impensè amabat, sed longè infra Deum. Voluit autem Deus tentare illum hac re grauissima & naturæ molestissima, non vt ipse sciret, sed vt nos potiùs cognoscere-mus eximiam illius erga Deum obedientiam, ex feruentissimo amore proficiscentem, & faciliùs possemus contemnere eos, qui Abrahæ fidem iactant, insignem obedientiam & præclara virtutum opera aut non attendunt, aut eleuant, vt nos ab imitatione virtutum eius ad sterilem & inanem fidem abducant, cùm ipsi Abrahæ Dominum dixisse scriptura Geneſis testetur, Ego DEVS omnipotens: ambula coram me, & esto perfectus. Quod certè ille quoque non segniter præstare conatus est, mirabiliter se exercens in omni genere virtutis & bonorum operum,

Matth. 12

Apoc. 1.

Luc. 1.

Philip. 2.

Gal. 6.

Rom. 10.

Summa legis Euangelicæ.

1. Ioan. 2.

Gen. 22.

Gen. 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in quibus illa fuit mirabilis animi virtus, qua naturali omni calcato affectu, propriũ filium iam iamque immolare voluit: cuius facti nomine audiuit à Deo: Per memetipsum iuraui, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti vnigenito filio tuo, benedicam tibi, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. Gen. 22. Ecce quàm grata & quanti meriti fuit apud Deum, non sola fides, quod mentiuntur hæretici, sed fides cum eximia in Deum charitate & incredibili obedientia cõiuncta. Atq; hęc est illa fides, qua veteres sancti omnes & ante legẽ, & sub lege, atque etiam sub Euangelij gratia iustificati sunt, sine qua nemo vnquã saluus esse potuit. Sequitur hinc quæstio satis necessaria, inquit hoc loco Augustinus. Si enim fides iustificat, & priores sancti, quia apud Deũ iustificati sunt, per ipsam iustificati sunt, quid opus erat legem dari? Quam quæstionem tractandam sic intulit: *Quid ergo lex? propter trãsgressiones posita est, donec ueniret semen cui promiserat: ordinata per angelos in manu mediatoris. Mediator autem unius non est*: *Deus autem unus est.* Mediatorem, inquit ibidem Augustinus, Iesum Christum secundùm hominem dici, ex illa eiusdem Apostoli sententia fit planius, 1. Tim. 2. cùm ait: Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. Itidem & Chrysostomus & Hieronymus mediatorẽ hunc Christum intelligunt. Restat ergo, ait porrò diuus Augustinus, vt qui mediatore superbo diabolo superbia persuadente deiectus est, mediatore humili Christo humilitate persuadente erigatur. Et paulò pòst: Sanati sunt ergo ab impietate superbiæ, vt reconciliarentur Deo, quicunque homines humilitatem Christi, & per reuelationem antequàm fieret, & post Euangeliũ posteaquàm facta est, credendo dilexerunt, dili gendo imitati sunt. Oecumenius hunc locum ferè ex Chrysostomo exponens, At nequaquam, inquit, perpetuò duratura lex data fuit, sed quoad Christus veniret, cui fuerat repromissum, gentes vniuersas per ipsum benedicendas. Data proinde lex fuit atque composita, hoc est, administrata atque digesta per intercessores angelos, inquam, vel sacerdotes, vel omninò angelos. In manu, inquit, intercessoris, hoc est, per manũ ipsius Christi. Nam ostendere nititur, legem quoque ipsam per Christum datam, vt & abolendi eam ius ipse habeat. Qui enim dedit, etiam obliterandi potestatem habet. Intercessorem autem Christum, propterea quòd homines patri reconciliauerit, hoc est, in amicitiam adduxerit, vocauit. Hæc ille. Sensus huius loci est, legem non temerè impositam, sed vt peccandi licentia coërceretur, & vt homines cernentes se suis viribus peccato resistere & iustè viuere non posse, gratiam requirerent, qua freti & peccatum vincere & iustitiam colere possent. Eam gratuam Christus contulit, non litera legis Mosaicæ, quæ angelorum ministerio quidem tradita fuit, sed in manu, id est, potestate mediatoris Christi, qui eam posset cùm vellet abolere. Ita videmus post Christi aduentum abolitã circuncisionem, & plerasq; alias legis cæremonias, interim tamen manente decalogo, quem Christus in Euangelio confirmauit, disertis verbis dicens, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Matth. 19 Nec hoc renatis impossibile est, quippe in eorũ cordibus diffundente charitatem Spiritu sancto, Rom. 5. qua lex potest impleri. Plenitudo enim legis, est dilectio: hoc est, charitas præstat, vt lex posit impleri. *Lex ergo aduersus promissa Dei? Absit. Si enim data esset lex, quæ posset uiuificare, uerè ex lege esset iustitia.* Non auferebat peccata lex, sed ostendebat, nec potuit ex se vitæ spiritum conferre. Itaque coërcendo homines à peccato non solùm nõ est remorata promissiones Dei, sed ad eas capessendas etiam homines præparauit: nec sanè mediocris ea fuit legis vtilitas, quòd sua seueritate peccandi libidinem compescuit, vt vel pœnæ formidine retrænarentur, qui nondum amore iustitiæ ducerentur. Non ergo lex viuificauit, sed tamen ad vitam per Christum præstandam nonnihil aptauit Iudæos, quibus etiam peculiariter missus est Christus, sicut ipse ait, Non sum Matth. 10 missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël. *Sed conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide iesu Christi daretur credentibus.* Lex enim ostendebat peccatum esse, inquit hic Augustinus, quod illi per consuetudinem cæcati, possent putare iustitiam: vt hoc modo humiliati, cognoscerent non in sua manu esse salutem suam, sed in manu mediatoris. Maximè quippe humilitas reuocat, vnde nos deiecit superbia. Et ipsa humilitas accommodata est percipendæ gratiæ Christi, quæ singulare humilitatis exemplum est. Hæc ille. Breuiter ergo lex indicat homini suam infirmitatem & mittit ad Christũ, cuius gratia renouatus, charitate dilatante cor ipsius, viam mandatorum Dei currat alacriter, Psal. 118. & seruiat Deo in iustitia & sanctitate omnibus diebus vitæ suæ, in laudem & gloriam illius, cui est omnis honor in secula seculorum, AMEN.

DOMINICA XIIII. POST PENTECOSTEN.

Luc. X.

In illo tempore, Dixit Iesus discipulis suis: Beati oculi, qui uident quæ uos uidetis. Dico enim uobis, quòd multi reges & prophetæ uoluerunt uidere quæ uos uidetis, & non uiderunt: & audire quæ auditis, et non audierunt. Et reliqua. Homilia beati Ambrosij Episcopi libro 7. in Lucam.

Aperit

Aperit Dominus cæleste mysterium, quòd placuerit Deo, vt paruulis magis, quã prudẽtibus istius mundi suam gratiam reuelaret. Quod Apostolus Paulus stylo pleniore digessit, dicẽs: 1. Cori. 1. Nónne stultã fecit Deus sapientiã huius mundi? Nam quoniã in Dei sapientia non cognouit hic mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Paruulũ ergo accipiamus, qui se exaltare non nouerit, & phaleratis sermonibus artem suæ iactare prudẽtiæ, quod philosophi pleriq; faciunt. Paruulus erat, qui dixit: Domine non exaltaui cor meum, Psalm. 130 neq; elati sunt oculi mei: Neq; ingressus sum in magnis, neq; in mirabilibus super me. Et vt scires paruulum hunc, non ætate, non sensu fuisse, sed humilitate sui, & quadam declinatione iactantiæ, addidit, Sed exaltaui animam meã. Vides quàm excelsus fuerit hic paruulus, quanto virtutum sublimis vertice? Tales nos paruulos 1. Cor. 3. vult esse Apostolus, cũ dicit: Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, vt sit sapiens. Sapientia enim huius seculi, stultitia est apud Deum. Pulcherrimus connectitur fidei locus, quando omnia sibi tradita dicit à patre suo. Cùm omnia legis, omnipotentẽ agnoscis, nõ decolorem, nõ degenerẽ patris. Cùm tradita legis, filium confiteris, cui per naturam omnia vnius substantiæ iure sint propria, non dono collata per gratiam. Addidit: Nemo scit quis est filius nisi pater, & quis pater nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Ideò beatos dixit oculos illorũ, quibus datum est, Dei salutare Christum videre. Vt scias autem, quia sicut filius patrem quibus vult reuelat, ita etiam pater reuelat quibus vult filium: audi dicentem ipsum Dominum Iesum, cùm laudaret Petrum, quòd eum Dei filium Matth. 16 esse cõfessus sit: Beatus es, inquit, Simon bar Iona, quia non caro & sanguis reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est. Adhæret his lectio, qua exploduntur hi, qui sibi legisperiti videntur, qui verba legis tenent, vim legis ignorant: & ex ipso primo legis capitulo docet esse legis ignaros, probans, quòd in principio statim lex & patrem & filium prædicauerit, incarnationis quoque dominicæ annunciauerit sacramentum, dicens: Diliges Dominum Deum tuum, & diliges proximum tuum sicut teipsum. Vnde Dominus ait ad legisperitum: Hoc fac, & viues. At ille qui nesciret proximum suum, quia non credebat in Christum, respondit: Quis est meus proximus? Ita qui Christum nescit, nescit & legem. Quomodò enim potest scire legem, cùm veritatem ignoret, cùm lex annũciet veritatem? *Homo quidam ab Ierusalem descendebat in Iericho.* Vt eum locum, qui propositus est nobis, planiùs posimus absoluere, veterem ciuitatis Ieriho repetamus historiam. Meminimus itaque, quòd Iericho, sicut legimus in libro qui inscribitur Iesu Naue, magna ciuitas fuerit, muralibus septa parietibus, quæ non ferro peruia, non ariete posset esse penetrabilis: In ea Rahab habitasse meritricem, quæ exploratores quos direxit Iesus, hospitio recepit, consilio instruxit, postulantibus ciuibus abisse respondit, abscondit in tecto: & vt se suosq; vrbis excidio posset eripere, coccum in fenestra ligauit. Vrbis autem ipsius inexpugnabiles muros, septem tubarum sacerdotalium sono, & populi iubilantis vlulatu consono corruisse. Videte quemadmodùm vnusquisq; proprium seruet officium: explorator excubias, mysterium meretrix, fidem victor, religionem sacerdos. Hi periculum pro laude nõ metuunt, illa susceptos nec in periculis prodit. Iste solicitus magis fidem seruare, quàm vincere: meretricis priùs mandat salutem, quàm excidium ciuitatis. Religionis autem insignia, arma sunt sacerdotis. Iam illud quis non plenum putet esse miraculi, quòd ex tota vrbe nemo seruatus est, nisi quem meretrix liberauit? Hæc simplicis historia veritatis est, quæ si altiùs consideretur, admiranda signat mysteria. Iericho enim figura istius mundi est, in quam de paradiso, hoc est, de Ierusalem illa cælesti eiectus Adam, præuaricationis prolapsione descendit: hoc est, de vitalibus ad inferna demigrans, cui non loci, sed morum mutatio, naturæ suæ fecit exilium. Longè enim mutatus ab illo Adam, qui inoffensa beatitudine fruebatur, vbi in secularia peccata deflexit, incidit in latrones: in quos non incidisset, nisi his mandati cælestis deuius se fecisset obnoxium. Qui sunt isti latrones, nisi angeli noctis atque tenebrarum, qui se nonnunquã transfigurant in angelos lucis, sed perseuerare non possunt? Hi antè despoliant, quæ accepimus indumenta gratię spiritalis, & sic vulnera inferre consueuerunt. Nam si intemerata quæ sumpsimus, indumenta seruemus, plagas latronum sentire non possumus. Caue ergo ne antè nuderis, sicut Adam antè nudatus est, mandati cælestis custodia destitutus, & exutus fidei testamento, & sic letale vulnus accepit. In quo omne genus occidisset humanum, nisi Samaritanus ille descendens, vulnera eius acerba curasset. Non mediocris iste Samaritanus, qui eum quẽ sacerdos, quem leuita despexerat, nõ etiã ipse despexit. Nec vocabulo sectæ despicias, quẽ verbi interpretatione mirabere. Samaritani etenim vocabulo, custos significatur: hoc habet interpretatio. Quis est custos, nisi ille de quo dictũ est: Custodiens paruulos Dominus? Itaq; sicut Iudæus alius in litera, alius in spiritu: ita & Samaritanus alius foris, alius in occulto. Hic ergo Samaritanus descẽdit. Quis est qui descẽdit de cælo, nisi qui ascendit in cælũ, filius hominis qui est in cælo? Videns semiuiuũ, quẽ nemo poterat antè curare, sicut illam quæ fluxu sanguinis profluens, in medicos erogauerat omne patrimoniũ suũ: ve-

Paruulus quis sit.

Iericho, typus huius mũdi.

Latrones, mali dæmones.

Psal. 118.

Psalm. 114

Ioan. 3.

Luc. 8.

nit

Ioſ. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nit secùs eum, hoc est, factus compassionis nostræ susceptione finitimus, & misericordiæ collatione vicinus. *Et alligauit uulnera eius, infundens uinum & oleum.* Multa medicamenta medicus habet ille, quibus sanare consueuit. Sermo eius medicamentum est. Alius eius sermo constringit vulnera, alius oleo fouet, alius vinum infundit. Constringit vulnera austeriore præcepto, fouet remissione peccati, sicut vino compũgit denunciatione iudicij. *Et imposuit, inquit, eum in iumentum suum.* Audi quomodò te imponat. Hic peccata nostra portat, & pro nobis dolet: & pastor imposuit ouem lassam super humeros suos. Homo enim iumentis similis factus est. Et ideò supra iumentum suum nos imposuit, ne nos essemus sicut equus & mulus, vt per nostri corporis assumptionem, infirmitates nostræ carnis aboleret. Denique duxit nos in stabulum, qui eramus iumenta. Est autem stabulum, in quod fessi longo itinere succedere solent. *Duxit itaq; illum in stabulum* Dominus, qui suscitat à terra inopem, & de stercore erigit pauperem. *Et curam eius egit,* ne æger ea quæ acceperat, nequaquam præcepta seruaret: in quo cognouit asina præsepe Domini sui. Sed non vacabat Samaritano huic diù in terris degere: redeundũ eò erat, vnde descenderat. *Itaque altero die.* Quis est ille alter dies, nisi fortè ille dominicæ resurrectionis, de quo dictum est, Hic est dies, quem fecit Dominus? *Protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe.* Qui sunt isti duo denarij, nisi fortè duo testamenta, quæ imaginem in se habent æterni regis expressam, quorum precio vulnera nostra curantur? Redempti enim sumus precioso sanguine, vt vltimæ mortis vlcera vitaremus. Hos ergo duos denarios, licet horum quoq; librorum quatuor formas non absurdum sit intelligere, accepit stabularius. Quis? Ille forsitã qui ait: Aestimo vt stercora, vt Christum lucrifaciã, quò curam haberet hominis vulnerati. Stabularius itaq; ille est qui dixit: Misit me Christus euangelizare. Stabularij sunt isti, quibus dicitur: Ite in orbem vniuersum, & prædicate euangeliũ vniuersæ creaturæ. &: Qui crediderit & baptizatus fuerit, hic saluus erit: saluus vtique à morte, saluus à vulnere, quod infixum est à latronibus. Beatus ille stabularius, qui alterius vulnera curare potest. Beatus ille, cui dicit Iesus: *Quodcunq; supererogaueris, reuertens reddam tibi.* Bonus dispensator Paulus, cuius sermones & Epistolæ veluti ei rationi quam acceperat superfluunt, moderatum Domini mandatum propè immoderato labore mentis & corporis executus, vt multos ab ægritudine graui spiritalis alloquij dispensatione releuaret. Bonus ergo stabularius stabuli eius, in quo agnouit asina præsepe Domini sui, & in quo greges clauduntur agnorum, ne fremẽtibus ad caulas rapacibus lupis, facilis in ouilia sit incursus. Spondet ergo se rediturum. Quando reuerteris Domine, nisi in die iudicij? Nam licet vbique sis semper, & stans in medio nostrum, non cernaris à nobis, erit tamen tempus, quo vniuersa caro te aspiciat reuertentem. Redes ergo quod debes. Beati, quibus es debitor. Vtinam nos simus idonei debitores. Vtinam quod accepimus, possimus exoluere, nec nos aut sacerdotij, aut ministerij munus extollat. Quomodò reddes bone Iesu? Promisisti quidẽ in cælo bonis copiosam esse mercedem: reddes tamen & cùm dices: Euge bone serue & fidelis, quoniam super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Ergo quoniam nemo magis proximus, quàm qui vulnera nostra curauit, diligamus eum quasi Dominum, diligamus & quasi proximum. Nihil enim tam proximum, quàm caput membris. Diligamus etiam eum, qui imitator est Christi: diligamus eum, qui inopiæ alterius corporis vnitate compatitur. Non enim cognatio facit proximũ, sed misericordia, quia misericordia secundùm naturã. Nihil enim tam secundùm naturam, quã iuuare consortem naturæ. Dictum est igitur de misericordia, sed non vna est forma virtutis.

Multiplex Christi medicina.

Esai. 53. Luc. 15. Psalm. 48.

Psal. 112.

Esa. 1.

Psalm. 117

Philip. 3.

1. Cor. 1.

Matth. 16

EADEM DOMINICA.

Luc. X.

In illo tempore, Dixit Iesus discipulis suis: Beati oculi, qui uident quæ uos uidetis. Et reliqua. Homilia Erici.

AMILIARE & quodammodò proprium est diuinæ scripturæ, sequentia præcedentibus iungere, & ex præmissorum scientia ad sensum eorum quæ sequuntur, recto ordine informare. Vnde oportet ad huius lectionis seriem pernoscendam, paulò superiùs dicta sancti euangelistæ retexere, vbi legitur, quòd reuersis de officio prædicationis discipulis, & vt moris est hominũ exultantibus, quòd etiã dæmonia eis subijcerentur, ait eis Dominus: Nolite gaudere quia dæmonia vobis subijciuntur, sed gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælis. Et paucis interpositis, conuersus ad discipulos, ait: *Beati oculi, qui uident quæ uos uidetis.* In quibus verbis illud quammaximè quæri debet, vtrũ omniũ qui Christũ hominẽ videre poterãt oculi, ad hanc credantur beatitudinẽ pertinere, cùm non solũ boni quiq; & fideles, verumetiam mali & infideles possent eũ videre: nec modò ad videndũ eum, sed & ad iniurias irrogãdas expositũ haberent. Et vt scrupulus huius quæstionis elucidetur, necesse est, vt vtriusq; visionis modus distinctè in Domino consideretur. Aliter enim apostolis spiritualibus, aliter scribis & pharisæis, seu turbis carnalibus apparebat. Apostoli & cæteri fideles hominem esse cernentes, verũ quoque Deum esse non dubitabant: quod manifestat Petrus Apostolus, qui pro omnibus respondit Domino, dicens: Tu es Christus filius Dei viui. Pharisæi verò illud quod videbant, hoc solummodò credebant. Videbant eum oculis corporeis, & tantùm purum hominem esse credebant. Credebant dico, quia ab hominibus hoc credi volebant: alioquin lege & prophetis edocti, Christum illum esse nõ dubitabant: sed propter gloriam humanam, quam perdere timebãt, Christum illum cõfiteri metuebant. Vel ita: Pharisæi verò solo visu corporis Dominum metientes, nihil in eo diuinum cæca mente intelligebant. Vnde nec eum persequi, & iniurijs vel contumelijs ac probris insectari metuebant. Non ergo horum oculi beatificantur, qui eum hominẽ solummodò esse putabant: sed oculi Apostolorum & fidelium beati, qui Christum in decore suæ diuinitatis cernere merebantur: hoc est, qui illum & verum Deum & verum hominem esse credebant, de quibus ipse superiùs ad patrem loquens, dicebat: Gratias ago tibi pater Domine cæli & terræ, quòd abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, scribis videlicet & pharisæis: & reuelasti ea paruulis, id est, humilibus & mansuetis Apostolis: qui etsi illum viderunt communi infirmitate circundatum, crediderũt tamen & intellexerunt in homine latentem vnũ cum patre Deum. Felices etiam eorum oculi, & huius fine dubio beatitudinis cura Apostolis cõscij, qui omni vitiorum effusione detersa, & omni labis humore ad purum excocto, purgatissimã mentis acie Deum contemplari merentur: qui non solùm cum multis Dominum per fidem cognoscere, sed eius insuper diuinitatis naturã, quantum ipse permittit, sapienti ratione intueri festinãt. *Dico enim uobis, quòd multi prophetæ & reges uoluerunt uidere, quæ uos uidetis, & non uiderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt.* Reges, sanctos & iustos appellat, qui omnes corporis motus, omnes animi appetitus iuxta sui conditoris voluntatem regere & disponere nouerunt, animi imperio, corporis vtentes seruitio. Sed cùm constet Deum à patribus priscis temporibus visum, quid sibi vult quod dicitur: Multi prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt? Abraham siquidem Deum vidit, quem toties apparentem in tribus etiam angelorum personis hospitio recepit. Moyses quoque, vt testatur scriptura, solitus erat cum Deo loqui facie ad faciem, sicut loquitur homo ad amicum suum. Sed & magnæ vocis Esaias: Vidi, inquit, Dominum sedentem super solium excelsum. Sic Michæas, multiq; alij prophetæ verissimè sibi Deum apparuisse confirmant. Vnde & videntes sunt appellati: & penè cuncta scriptura relecta, patres antiquos ferè omnes Deum vidisse demonstrat. Si ergo sancti patres & prophetæ Deum viderunt, vt scriptura testatur, quid est quod Dominus dicit: Multi prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis? Sed aliud est videre per fidem, aliud per speciem. Viderunt siquidem præmemorati sancti Deum omnipotentem, sed per speculum, & per imagines, & in subiecta creatura. Omnes enim manifestationes, quæ in veteri testamento ad patres factæ fuisse memorantur, per inferiores creaturas, hoc est, per angelos peractæ à doctoribus affirmantur. Si enim in sua diuinitate vt est, absque vllis imaginibus Deum videbant sancti, quid est quòd Moyses, vt iam dictum est, cum Domino facie ad faciem loquebatur, tamen obnixè Dominum obsecrabat, dicens: Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi teipsum manifestè, vt videam te? Quem enim manifestè videre quærebat, vtique vsque ad illud tempus per imagines & figuras vidisse declarabat. Et beatus Stephanus de eodem Moyse dicit: Hic est Moyses, qui fuit cum angelo, qui apparuit ei in rubo. Verùm sancti Apostoli Dominum semper præsentem habebant, & cũ in omni familiaritate, tum etiam in conuictu illi familiarissimè adhærentes, quicquid cognoscere voluissent, nõ per speculũ, nõ per ænigma, sed per ipsum Dominũ interrogando discebãt. Vnde merito omnibꝰ retrò sanctis lege beatitudinis præferũtur, audientes à Domino: Multi reges & prophetæ voluerunt videre quæ videtis, & nõ viderunt: & audire quæ auditis, & nõ audierũt. Nam illi qui in veteri Testamento Deum vidisse narrantur, iuxta fidem defuncti sunt omnes, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes & salutantes. Sciendum verò per incrementa temporum creuisse diuinæ cognitionis augmentum. Apparuit enim Deus Abraham, sed longè pòst Moysi visus dicit: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, & nomen meum Adonai non indicaui eis. Quibus verbis plus aliquid de Deo Moyses, quàm præcedentes patres, cognouisse ostenditur. Beatus etiam Dauid multis pòst seculi temporibus natus, manifestè clamat, dicens: Super senes intellexi. Quod est apertè dicere: Præcunctis, qui ante me fuere, patriarchis & prophetis, subtilius aliquid de Dei maiestate cognoui. Quid verò de sanctis iam dicatur apostolis, qui ab ipsa & per ipsam Dei sapientiam eruditi, cuncta quæ de cælestibus & diuinis humana poterat sufferre scientia, plenissimè didicerunt? Quòd enim antiqui sancti maximum desiderium habuerint, vt Deum viderent in carne præsentem, quod hic ipse eos intueri desideraſſe asseuerat, ipsorum verba testantur, quibus se Dei filium incarnatum videre totis affectibus concupiuisse declarant. Hinc Esaias magno & incomparabili Deum videndi feruens desiderio, clamabat: Vtinam dirumperes cælos, & descenderes. Hinc Dauid pari cupiditate exæstuans, aiebat: Domine, inclina

Reges qui sint.

Gen. 18.

Exod. 33.

Esai. 6

2. Par. 18.

Christus non uidetur omnibus ad eo modo.

Patres ut uiderint Deum.

Exod. 33.

Act. 7.

Apostoli prioribus sanctis prælati.

Hebr. 11.

Exod. 3.

Psalm. 118.

Esaiæ 64.

Psal. 143.

Universidad de Deusto
Biblioteca

inclina cælos tuos,& descende. Optabant enim singuli,si fieri posset,vt suo quisq; tempore Dei filium incarnatum videret. Notandum autem, quia quos Lucas in præsenti lectione prophetas
Matth. 13 & reges dicit, Matthæus alibi distinctiùs loquês, prophetas & iustos appellat. Ipsi sunt enim reges magni,qui & iusti,qui tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere,sed regendo præesse nouerunt. *Et ecce quidam legisperitus surrexit tentans eum,& dicens: Magister, quid faciendo, uitam æternam possidebo?* Iste legisperitus,id est, legis doctor,vt Dominum quæstione tentaret, ex ipsius Domini verbis materiam sumpsit,quæ ad
Luc.10. discipulos superiùs specialiter dicta fuerãt: Gaudete quòd nomina vestra scripta sunt in cælis. Hoc iste audiens,& suum quoque nomen in cælo assignari cupiens,percontatus est, quid facere deberet,vt vitam æternam possideret: Intelligebat enim , quia in cælo scribi, nihil aliud est, quàm in æternitatis memoria titulari. Verùm quia à legisperito Dominus interrogatus fuerat, consequens erat,vt eum ad legis scientiam mitteret,vt suis verbis sibi ipsi satisfaceret. Vnde sequitur: *Ait illi Iesus: In lege quid scriptum est? quomodò legis?* Quia ipse legis doctor erat,vt dictum est, ideò de ipsa lege eum interrogat. Sed ille non tam Domino respondit , quàm sibi quæstionis
Dilectio Dei. obiectæ nondum aperit: *Diliges*, inquiens, *Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo*, id est, ex toto intellectu: *& ex tota anima tua*, id est, ex tota voluntate tua,vel ex omni quod viuis & sapis:& ex omnibus viribus tuis,hoc est,ex omni fortitudine: *& ex tota mente tua*, id est, ex omni memoria vel ratione. *Et proximum tuum sicut teipsum.* Post dilectionem Dei, iure secũdo loco ponitur dilectio
Dilectio proximi. proximi , quæ iam quadam certa determinatur mensura,cùm sicut nos, ita proximum diligere præcipimur. Nanque in dilectione Dei nullus modus constituitur , sed omnibus simul mentis & corporis officijs diligi mandatur. Ait enim a-
Rom. 15. postolus Paulus: Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Dum ergo Dominus legisperito se tentanti respondere dignatur, nostram ignorantiam erudit:in qua responsione iter patriæ cælestis nobis ostendit. Cùm enim suo tentatori mandatum dilectionis exponenti dicit, *Rectè respondisti, hoc fac,& uives*: apertè nobis
Sola dilectio aditus ad uitam æternam declarat, quia per solam dilectionem ad vitam æternam peruenire possumus,si hanc non verbo tantùm,sed opere seruamus : scilicet vt diligamus Deum ex toto corde,& ex tota anima,& ex omnibus viribus,& ex tota mente. Tunc etiam diligimus proximum tanquam nosmetipsos , si omnia quæ nobis à proximis fieri volumus, eadem & nos proximis faciamus. Sciendum præterea,omnẽ illũ decalogũ, in quo totius diuinæ legis perfectio constat , his duabus charitatis complecti sententijs. In decalogo enim tria sunt præcepta ad dilectionem Dei pertinentia,& septem,quibus fraternæ dilectionis mos instruitur.

Hinc Dominus dicit,Quia in his duobus man- Matth.22
datis vniuersa lex pendet & prophetæ. Nulli ergo iam de ignorantia excusandi locus conceditur,nulli de implendis mandatis Dei impossibilitatis argumentum relinquitur. Omnia enim legis & euangelij præcepta charitatem commendant. Hæc in singulis sola,in omnibus tota præcipitur. Hanc quisquis eo,quo in Deum & secundùm Deum seruanda est,ordine tenuerit, omnem profectò legis & euangelij summam, quæ ex hac pẽdet,implebit. Sola enim charitas virtutes inchoat,sola prouehit,sola perficit, vt meritò de hac per Psalmistam dictum sit: Ibunt san- Psalm.83
cti de virtute in virtutem. *Ait illi Iesus: Rectè respondisti. hoc fac,& uives.* Dum legisperiti Dominus responsionem approbat,& obiectæ quæstionis nodum soluit, & nobis,qua vitæ æternæ iter sequi debeamus,ostendit. Sed ille Domini se ore laudatum videns,maioris adhuc fauoris auidus, iteratò quem suum proximum scire deberet,interrogat. hoc est,quod euangelium ait: *Ille autem uolens iustificare seipsum*, hoc est,iustum & sapientẽ ostendere. Neque enim dignus erat numero eorum,de quibus suprà ad patrem dixerat: Reuela Luc.10.
sti ea paruulis, id est, humilibus & mansuetis Apostolis:sed illorum socius existebat, de quibus ait: Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus,scribis videlicet & pharisæis. Quia ergo laudatus fuerat à Domino,quòd optimè respondisset,vt suprà dictum est, quantulacunque ex hoc percepta iactantia, volens se iustum ostendere, dixit ad Dominum: *Et quis est meus proximus?* Quærit iste legis doctor,vtrùm is,qui consanguinitate tantùm aut propinquitate carnis affinis est, an potiùs omnis homo,qui misericordiam alteri impendit,proximus intelligi debeat. Cui Dominus ita respondet,vt &omnem hominem,qui alterius miseretur,proximum illius esse doceret: & tamen quia ipse per assumptam humanitatem proximus nobis fieri dignatus est, euidenter ostenderet. Iam verò quid Dominus fecerit,consequenter aperitur,cùm subditur: *Suscipiens autem Iesus,dixit.* Verbum,suscipio,duobus modis intelligitur. Aliquando ponitur pro eo, quod est accipio,vt est illud : Suscipiens Iesum in vlnas suas Luc.2.
Simeon. Aliquando verò significat, respondeo, sicut in præsenti loco cùm dicit: Suscipiens Iesus,id est,respondens,dixit: *Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho , & incidit in latrones.* Interrogante legisperito Dominum,quis esset eius proximus,proponit illi Dominus parabolã hominis descendentis de Ierusalem in ciuitatẽ Iericho,qui sit à latronibus in itinere despoliatus atque vulneratus: quem lenita & sacerdos,qui erant ex gente ipsius , inuenientes pertransierunt,nec illi misericordiam impendere studuerunt. Præteriens autem Samaritanus quidam, qui gentis erat alterius,misericordia motus alligauit vulnera eius,& imponens illum in iumentum suum , duxit in stabulum suum, hoc est,ad hospi-

hospitium suum, & curam illius cœpit habere. Sequenti autem die dans stabulario , videlicet hospiti suo, duos denarios, petiuit vt curam illius haberet,promittens in redeundo mercedẽ illi restituendam. Qua proposita parabola, interrogat Dominus doctorem legis, quis horum trium fuerit proximus illi , qui fuerat vulneratus : vtrùm Ieuita,vel sacerdos, qui ex eadem gente,imò ex eadem ciuitate erant , & misericordiam non fecerunt : an potiùs Samaritanus alienigena,qui ei misericordiam impendit. Et ex responsione scribæ patenter approbat, nullũ nobis ampliùs proximum esse, quàm illum , qui nostri miseretur : cui & præcipitur à Domino vt pergat,& similiter agere studeat. *Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho.* Quantum ad literam,ideo hominem ab Ierusalem in Iericho descendisse narrat,quia Ierusalem in montosis, Iericho verò ciuitas in campestribus sita est: atque ideò de Ierusalem in Iericho non nisi descendendo peruenitur. In quo itinere ferunt latrones in quibusdam speluncis ac foueis latitare, atque subinde de transeuntibus prædas agere.

Aliter: Ferunt,iuxta literam , inter Ierusalem & Iericho vallem fuisse frequentibus permeantiũ depredationibus & latrocinijs famosam,eo tempore quo decem tribus à Dauid regno defece- 3.Reg.12.
rant,atq; inter Roboam & Hieroboam intestina bella vigebant. Situs autem Ierichuntinus mira- Situs Ierichũtis
bilis fuisse à locorum scitis asseritur. Fuit enim vrbs illa instar lunaris hemisphærij, septemplici muro vallata,vnde lunæ nomen accepit. nam Iericho luna interpretatur. Sed ita ea, quæ literæ superficies exposcit,tangenda sunt,vt veritas allegoriæ efficaciter requiratur,eiusque inconcussè inhæreatur. Homo igitur iste,qui descendit de Homo in latrones incidens mysticè quis.
Ierusalẽ in Iericho , & incidit in latrones : Adã, & in eo causaliter genus humanum accipitur. Ierusalem autem ciuitas,de qua descendisse refertur,quæ visio pacis interpretatur,significat cęlestem Ierusalem,id est,illam habitationem patriæ cælestis,ad quam perpetualiter conte[illegible]plandam atque possidendam , primus homo [illegible]o fuerat creatus. A cuius felicitate tunc a[illegible],cũ superbiens ex paradiso expulsus est , atque visione diuinæ contemplationis alienatus. Quandiù enim in paradiso fuit , in consortio & societate angelorum per mentis contemplationẽ mansit. At vbi serpentis persuasione motus,contra creatorem superbiuit,statim à paradiso simul & à contemplatione sui conditoris decidit. Et hoc significat præsens parabola, quæ narrat hominem descendisse de Ierusalem: cuius nomine,videlicet Ierusalem, designatur illa beatitudo patriæ cælestis. Quò verò deciderit,ipse primus parens noster,postquàm à contemplatione cælestis Ierusalem alienatus est, manifestat Dominus cùm addit: In Iericho,hoc est, in hanc vitam mortalem,laboribus & defectibus plenam, in quam merito inobedientiæ infælix humana mortalitas expulsa , grauissimam præsumptionem superbiæ perpetuo deflet exilio. Hæc vita præsens nomine Iericho designatur. Et rectè per Iericho,quæ interpretatur luna,defectus nostræ mortis figuratur: quoniam sicut singulis mẽsibus luna decrescens deficit , ita & vita nostræ mortalitatis singulis momentis deficiẽs,quotidiè euanescit. Homo ergo iste tunc ab Ierusalẽ descendit in Iericho,quando parens humani generis,in quo omnes fuimus , peccando ab illis immortalibus sedibus paradisi ad hanc mortalẽ & ærumnarum plenam deuolutus est vitam. Sed videamus qui sint latrones , in quos primus homo incidit,vel quomodò ab eis despoliatus atque vulneratus,semiuiuus euaserit. *Et incidit in latrones.* Latrones olim dicebantur , quos modò satellites vocamus, quòd regum astarent lateribus. Sed modò latrones , à latendo prædones & fures consuetudo obtinuit nuncupari. Per latro- Latrones, maligni spiritus.
nes,qui à latendo dicti sunt, maligni spiritus intelliguntur,qui latrones dicuntur, quòd eo neq; quiùs,quò occultiùs sæuiunt. Si enim præuiderentur,fortasis aliquatenùs cauerentur. Pro eo enim quòd inuisibiles sunt, iter nostrũ latenter obsidẽt. In hos latrones homo ideò incidit,quia descendebat. Descensus aũt hic non alius quàm superbia intelligitur, de qua Dominus ait: Qui se exaltat humiliabitur. Nisi ergo superbiẽdo descẽdisset:in latrones nõ incidisset,qui primũ in se superbus , ac deinde tẽtatus, hostibus cessit. Scriptum nanque est: Ante ruinam exaltatur cor, & Luc.18. Prou.16.
ante gloriam humiliatur. Benè aũt priùs descendisse,& deinde latrones incurrisse dicitur. Iam enim primus homo interius ante Dei oculos per superbiam ruerat,quãdo cum sibi hostis tentando foris tam facilè sternebat, Qua de re conijci datur,neminem suggestione malorum spiritũ, nisi volentem, & vltrò tentandi occasiones appetentem,ad peccandum posse impelli. *Qui etiam despoliauerunt eum*, quando primum hominem illa immortalitatis & innocentiæ veste nudauerunt, & ex iustis & immortalibus peccatores & mortales fecerunt. Nisi enim superbiẽdo primus parens noster Adam peccasset, immortalis vtique permansisset. Hoc enim meritò designatum est per folia ficus, quibus pudẽda texerunt, asperi- Gen. 3.
tas scilicet peccatorũ, & pruritus illicitæ voluptatis. Sed & in vestibus pelliceis conditio præfigurata est mortalitatis. Hæc est enim illa stola, Luc.15.
quam prodigus filius recipere meruit, ad pietatem patris reuersus. *Et plagis impositis abierunt.* Quid vulnera plagarum, nisi illicitæ corruptiones intelliguntur peccatorum? Sicut enim plagis caro fauciatur , ita peccatis anima cruentatur. Quod intuens Psalmista , flebili lachrymatione Psal. 37.
semetipsum deplorat, dicens: Peccata mea sicut sagittæ infixa sunt in me: tanto vtique nequiùs quanto per hæc animæ,non corporis vita subducitur. Plagis igitur impositis, id est, peccatis cumulatis abijsse dicuntur,non quò ab hominum

Universidad de Deusto
Biblioteca

impugnatione aliquatenùs cessent, sed ipsa suas fraudes & nequitias spirituales callidè, ne cauerí vel deprehendi valeant, occultando. *Semiuiuo relicto.* Ex ea parte, qua homo Deum cognoscere potest, viuit: ex qua verò peccando Deum offendit, mortuus esse probatur, sicut legitur: Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Licet enim meliorem in homine partem, id est, animam, occiderunt, nequaquam tamen ei rationis & diuinæ imaginis dignitatem auferre potuerunt. Inquantùm enim homo peccatis contabescit, moritur. Quantùm verò ratione viget, & authorem suum cognoscit, non mortuus, sed viuus habetur. Latrones ergo, id est, dæmones, semiuiuum hominem reliquerunt, quia beatitudinem quidem ab eo immortalitatis tulerunt, sed rationē animi, qua Deum nosse potest, auferre minimè potuerunt. *Accidit autem, ut sacerdos quidem descenderet eadem uia, & uiso illo præteriit. Similiter & Leuita cùm esset secùs locum, & uideret eum, pertransijt.* Per sacerdotem & Leuitam, qui inspecto saucio tranSacerdos & Leuita, lex uetus. sierunt, significatur lex veteris testamenti & sacerdotium Iudæorum, quod maximè quondam in sacerdotibus & Leuitis emicuit. Vel vt distinctiùs loquamur, per sacerdotem quidem Aaron sacerdos cum omni sua progenie: per Leuitam verò Moyses similiter cum sua successione intelligitur. Qui Leuitā ideirco dicitur, quòd legis fuerit administrator. Qui eadem via descenderunt, quia vna qua & omnes mortis conditione per iter seculi decurrerunt. Sed viso saucio, sine vllius remedij effectu pertransierunt: quia vetus illa lex & sacerdotium peccata quidem valebant tantùm ostendere, sed neminem à peccato liberare. Peccatorum enim vulnera per legē & sacerdotium Iudæorum tantum mōstrari po-
Hebr. 10. terant, non autem curari. Vt enim Apostolus ait: Impossibile erat sanguine brutorum animalium auferri peccata, donec veniret illud singulare sacrificium, quod in cruce oblatum, peccata mundi exterſit: vnde sequitur: *Samaritanus autem quidam iter faciens, uenit secùs eum.* Samaritani non erant de populo Iudæorum, sed alienigenæ potius, & idolis seruientes. Cùm enim à rege Assy-
4. Reg. 17 riorum X. tribus propter peccata sua translatæ fuissent de Samaria, ne terra eorum habitatore vacua, redigeretur in solitudinem, iussu regis Assyriorum quidam de alienigenis, Assyrijs videlicet, missi sunt in Samariam, quæ erat caput decem tribuum, vt habitarent ibi, & terram excolerent. Cumq; cœpissent inibi degere, & idolis (vtpotè Deum ignorantes) deseruire, immisit in eos Dominus feroces bestias, ad quarum deuastationem interibant. Quo comperto, rex Assyriorum cum suis communicato consilio, direxit eis quendam de sacerdotibus Iudæorum, qui eos legitima Dei terræ doceret. Qui cùm diuinam eis legem dedisset (vt Regum plenissimè narrat historia) cœperunt timore cogente Deū colere, sed pristina adhuc infidelitate vigente, nihilominùs idola non destiterūt adorare. Istos ergo Iudæi abominationi & contemptui deputantes, Samaritanos & plenos dæmonijs vocabant, eò quòd dæmonijs deseruirent. Vnde & hoc pro summo conuitio Domino Christo obiecerunt: Samaritanus es tu, & dæmonium habes. Samaritanus hic, Domini Iesu Christi typus est, qui alibi Iudæis se blasphemantibus, & Samaritanum ac dæmonium eum habere dicentibus, Samaritanum se esse non abnuit, sed falsò illos quòd dæmoniū haberet, succensere declarauit, dicens: Ego dæmonium non habeo. Non ergo se Samaritanum vocari indignū tulit, quia in nota dedecoris, mysterium amplexus est veritatis. Samaritanus enim interpretatur custos. Custos autem noster nemo competētiùs, quàm humani generis redemptor accipitur, cui propheta in persona Ecclesiæ dicit: Custos quid de nocte? Et Psalmista: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam. Et idem Psalmista vt hos latrones spirituales euitaret: hunc custodem deprecabatur, dicens: Custodi me à laqueo, quem statuerunt mihi. Hic ergo Samaritanus, id est, Dominus Iesus Christus compassione finitimus, misericordia victinus, iter faciens secùs saucium venit, hoc est, iuxta genus humanum, quod peccatis eratvulneratum: quia Deus super omnia, factus est homo inter omnia: temporum conditor & locorum, in tempore & loco voluit comprehendi, quando assumpta humanitate in similitudine carnis peccati apparuit, vt per peccatum damnaret peccatum. Quasi enim quoddam iter habuit, quia de cælis venit in vterum virginis, de vtero venit in præsepe, de præsepi ad crucem, de cruce collocatur in monumento, de monumento iterùm surgens ascendit in cælum. Hinc & in epithalamio Ecclesiæ voce dicitur: Ecce iste venit saliēs in montibus, transiliens colles. Hoc iter peragēs Dominus, vidit saucium genus humanum, hoc est, misertus est eius. Secùs saucium venisse dicitur, qui quodammodò iuxta nos stetit, quando se hominibus in veritate susceptæ carnis appropinquauit. de quo benè dicitur: *Videns eum, misericordia motus est.* Solius enim diuinæ pietatis & misericordiæ fuit, quòd nos sub duræ mortis imperio constitutos indoluit. Hæc iustum vicit, & vt miseris subueniretur, obtinuit. *Et appropians, alligauit uulnera eius.* Per alligationem vulnerum intelligitur abolitio peccatorum. Tunc Dominus appropians, sauciati vulnera alligauit, quando veniens in hunc mundum, peccata quæ in hominibus inuenit, redarguendo cohibuit, dicens: Pœnitentiam agite. Alligauit ergo vulnera, dum peccandi consuetudine summota, iustitiæ & sanctitatis fascia mentes saucias astrinxit. Vnde & propheta peccatoris animam à prauo opere dolens non retipiscere, dicit: Vulnus & liuor & plaga tumens: nō est circumligata, neq; fota oleo. *infundens oleum & uinum.* Vinum plagis insusum mor-

Exechiel 18.

Ioan. 8.

Ibidem

Esa. 21.

Psalm. 126

Psalm. 40

Alligauit uulnera eius

Matth. 9

Esai. 1.

Vinum. mordet, oleum verò lenit & mollit. Per vinum autem aspera & acerba inuectio peccati accipitur: per oleum verò lenis & blanda curatio designatur. Vinum enim putridas carnes resecat. Et quodammodò vinum infudit, dum peccantes & non pœnitentes pœnarum seueritate perterruit,
Oleum. Matth. 3. dicens: Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur. Oleum nihilominùs infudit, cùm spem veniæ pœnitentibus repromisit, dicens: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Et
Ibid. *imponens illum in iumentum suum.* Iumentum accipitur caro saluatoris. Iumentum enim à iuuando dicitur. Et caro Domini iumentum fuit, quia nobis vt ad vitam repararemur æternam, adiumentum
Iumentū, corpus Domini. præstitit. Imposuit ergo saucium in iumentum, quando peccata nostra pertulit in corpore suo
1. Pet. 2. super lignum. Et mira Deus dignatione iumentum factus est, vt homo iumentum, fieret deus.
Psal. 31. Iumenta enim irrationabilia erāt homines, quibus dicitur: Nolite fieri sicut equus & mulus. Vnde & quasi iumenta in stabulum inducuntur.
Esaiæ 19. De hac humanitatis assumptione loquens propheta, dicit: Ecce Dominus ascendit super nubem leuem: hoc est, assumet corpus pondere peccatorum nequaquam grauatum. Hoc autem est, quòd hic dicitur vulneratum iumento suo
Luc. 15. imposuisse, quod & in alia parabola significatur, in qua pastor bonus inuentam ouem humeris suis imposuit, & sic reportauit ad gregem. Moraliter autem tunc quilibet super iumentum Domini imponitur & in stabulum ducitur, cùm ad baptismum veniēs, fidem sanctæ Trinitatis percipit, & in societate sanctæ Ecclesiæ collocatur.
Stabulū, Ecclesia. Nam sequitur: *Duxit in stabulum.* Stabulum autem in quod illum duxit, præsens sancta Ecclesia accipitur, in qua sancta Dei animalia, hoc est, fideles, frumento verbi Dei iugiter aluntur, & sacratissimo diuini corporis pane confirmantur, de
Psalm. 67 quibus dictum est: Animalia tua habitabunt in ea. Stabularius autem ordinem prædicatorum
Stabularius, prædicatores. designat, quibus sancta Ecclesia commissa est à Christo, vt pabulo verbi diuini eam reficere studeant. Stabulo etiam viatores fessi succedere solent, & sancti quiq; tumultuosis seculi actionibus defatigati, intra Ecclesiam quieti consistunt. *Et curam illius egit.* Non enim sufficit Domino quòd peccata prohibuit, quòd vitæ præcepta proposuit, nisi etiam ægerrimo generi humano conferret, vt prohibita vitaret, & præcepta impleret. Sed nō vacabat Samaritano huic diutiùs in terris morari, redeundum erat illuc vnde venerat. *Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe.* Prima dies, est tempus
Esa. 9. dominicæ incarnationis, quando, sicut scriptum est, sedentibus in tenebris & vmbra mortis, lux orta est eis. Altera verò dies, est post Domini resurrectionem, in qua splendor lucis æternæ cū claritate euangelij cunctis per orbem gentibus radiauit. Duo verò denarij, duo testamenta significant, vetus scilicet & nouum, in quibus æterni regis nomen & imago, hoc est, cognitio & cōtemplatio continetur. Altera igitur die Dominus duos denarios protulit, & dedit stabulario, quia resurgens ex mortuis, aperuit discipulis sensum, & vtriusq; testamenti mysteria ad eruditionem omnium gentium illis patefecit. Stabularius verò, vt præmissum est, ordo intelligitur prædicatorū, è quibus vnus est eximius Paulus apostolus, qui legis denarium in curam saucij expendens, dicebat: Hæc omnia contemno, Philip. 3.
& arbitror vt stercora. Duos ergo denarios stabularius accepit, quando apostolis vtriusq; testamenti scientia collata est, & ad prædicationē quasi ad curationē humani generis directi sunt. Quid enim est aliud dicere, Curam illius habe, nisi, Ite in mundum vniuersum, & prædicate eu- Marc. 16.
angelium omni creaturæ? *Et quodcunque supererogaueris, ego cùm rediero reddam tibi* Videamus quid supererogauerunt stabularij, id est, sancti prædicatores. Supererogauerunt apostoli, quando super euangelij præcepta, dictis suis & epistolis saluti hominum conduxerunt. Impleuit hoc magister gentium, qui fuit vnus sanctæ Ecclesiæ stabularius, qui super eam quam accepit rationem, aliquid erogauit, quando moderatum mandatū Domini propè immoderato labore execut⁹ est, quando etiam de his, de quibus præceptum nō acceperat, consilium dabat, dicens: De virgini- 1. Cor. 7.
bus præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Et rursùm: Dominus ordinauit his 1. Cor. 9.
qui euangelium annunciant, de euangelio viuere. Nos autem non vsi sumus hac potestate inter vos, ne quem vestrum grauaremus. Cui cùm venerit, hoc est, cùm in fine seculi vniuersæ carni apparuerit, supererogata restituet, quia iuxta aliam euangelij parabolam, super omnia bona Matt. 25.
sua illum constituet. Magni ergo meriti est hic stabularius, cui debitor est Christus. Quis enim non gaudeat saltem idoneus debitor esse Christi? Quantus est ergo iste, cuius ille est debitor, qui omnes habet debitores? Hinc ipse certus gloriatur, dicens: Nō negabit debitum, qui donauit indebitum. Perducto verò hucusq; similitudinis huius tenore, id quod susceperat concludit, legis peritum interrogat, quis horum triū illi, qui in latrones inciderat, proximus fuisse videretur: vtrùm videlicet sacerdos & Leuita, qui genere proximi, misericordia fuerant extranei: an Samaritanus, qui natione externus, compassione fuerat vicinus. At ille quod ratio persuadebat respondit, illum scilicet magis illi fuisse proximum, qui fecit misericordiam in illum. Et Dominus ad similem eum pietatis operam prouocans, *Vade, inquit, & tu fac similiter.* Quod est dicere: Vt ostendas te veraciter diligere proximū sicut teipsum, vade, & quicquid vales in vtilitate illius vel corporali, vel spirituali promptus operare. Imitare huius prædicabile Samaritani exēplum, & cuicunq; potueris misericordiæ munus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Omnis homo, noster proximus.

impartire. Tali argumento omnem hominem nostrum esse proximum & cognoscendo diligamus, & diligendo inopiæ ipsius affinitatis intuitu compatiamur. Plus enim misericordia quàm cognatio ꝓximũ facit, quia misericordia res est naturæ. Quid enim magis secundũ naturã, quã iuuare consortẽ naturæ? Spiritualiter verò proximus noster nullus ampliùs est quàm Christus, qui vulnera nostra curauit. Proximus vtiq; nobis est per diuinitatem, quia non longè est ab vnoquoq; nostrum. In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus. Proximus etiam nobis fieri dignatus est ex humanitate, quia cùm esset longè à nobis, vtpotè immortalis à mortalibus, iustus à peccatoribus, descendit ad nos, vt nobis fieret proximus, qui erat antè loginquus. Veneremur ergo eum quasi Dominum & Deum nostrũ: diligamus & quasi proximũ, quia ipse est caput nostrũ. Et constat, quia nihil est proximius quã caput membris. Hunc semper quasi membra fidelissima caput respectemus, eiusq; misericordiã iam de cætero securi poscamus. Nõ enim poterit non misereri subditis, qui sese proximũ præbere dignatus est indeuotis. Diligentes ergo se diliget, & ad contemplationem suam patrisque introducet, Iesus Christus Dominus noster.

Christus noster proximus Act. 17.

EADEM DOMINICA, HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Quidam legisperitus surrexit tentans Iesum & dicẽs: Magister, quid faciendo uitam æternam possidebo? & cæt. Luc. 10.

SVrrexit (inquit) legisperitus condi torem reprehendere volens: sed non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Deũ. Peritus quidem erat, quem ipse Dei filius peritum fuisse testatur. Sed quæ peritia vel sapientia ad diuinæ sapientiæ mensuram se extẽdere valeat? In hoc enim ꝓ ait, *Tentans eum*, manifestè ostendit, quia non ad hoc vt vitam æternam posideret, sed vt in aliquo eum reprehenderet si posset, cum interrogabat. *At ille dixit ad eum: in lege quid scriptum est? quomodò legis?* Si (inquit) legis peritus es, & legem nosti, vtiq; quid de vita æterna lex dicat, intelligis. Dic ergo, quid de hoc in lege scriptum sit. *Ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus uiribus tuis, et ex omni mente tua, & proximum tuum sicut teipsum. Dixitq; illi: Rectè respondisti, hoc fac, & uives.* Ecce quomodò Dominus comprehendit sapientes in astutia eorum. Ipse legisperitus suam intentionẽ reuelat, & ad quid Dominum interrogauerit manifestat. Ipse interrogat, ipse respondet, ipse suijpsius & magister & discipulus factus est. Sciebat enim, quid in lege scriptum erat: hoc enim Dominus eum fateri coẽgit. Cur ergo interrogabat, quod sciebat? Ideò vtiq;, quia Dominũ reprehendere volebat. Dominus tamen eum non reprehendit, sed rectè eum respondisse ait. *Ille autem uolẽs seipsum iustificare, dixit ad Iesum: Et quis est proximus meus?* Quia enim Deum & proximũ diligere ad iustitiã & vitam æternã possidendã sufficere posse audierat, ilicò seipsum iustũ ostẽdere voluit, quasi qui Deum & proximũ dilexisset, nisi fortè aliter quã ipse quis sit eius, ꝓximus, Dominus intelligeret. Vnde & ait: *Et quis est meus proximus?* Putabat enim fortasse illũ solũ sibi esse proximũ, qui vel amore vel carnis coniunctione sibi præ cæteris propinquior erat. Sed nõ est ita, dicente Domino: Si enim diligitis eos qui vos diligũt, quam mercedẽ habebitis? nónne & publicani hoc faciũt? *Suspiciens aũt Iesus, dixit: Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones: qui etiam despoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt, semiuiuo relicto.* Quid enim homo iste, nisi genus humanũ? Quid Ierusalem, nisi paradisus? Quid Iericho, nisi mundus iste intelligitur? Iericho nanq; interpretatur luna, quæ tantæ mutabilitati subdita est, vt nunquã in eodẽ statu, nũc crescendo, nunc minuendo permaneat. Vnde & non immeritò hunc mundũ significat, cuius mutabilitas perpetua est, & nisi mutationibus stare nonpotest. Vt enim de cælo & tẽpore, de diebus & mensibus, & annis taceamus, quæ semper voluuntur, & in se replicantur: neq; aër, neq; terra, neq; mare, neq; ipsi homines suã perpetuò seruant figurã. Quorũ omnium mutationes longũ est narrare per singula. Func igitur genus humanum ab Ierusalem descendit in Iericho, quando in hunc mundum primus homo de paradiso abiectus est. Totum enim humanum genus simul erat in eo: totum igitur simul descendit cum eo. Et incidit in latrones: latrones isti, maligni spiritus sunt, qui furtim & per latrocinium animarũ thesaurum cunctis diuitijs excellentiorẽ, virtutes scilicet & bona opera, nobis subripiunt. Qui etiam despoliauerũt eum, nimirũ illa tunica immortalitatis, qua primus homo exutus, nudum se intelligẽs, Domino interroganti vbi esset, respondit, dicens: Audiui Domine vocem tuã, & abscondi me, eò quòd nudus essem. *Et plagis impositis abierunt, semiuiuo relicto.* Tot enim plagas vnicuiq; homini diabolus imponit, quot vitijs eũ seruire compellit. Alios enim per superbiam, alios per auaritiam, alios per luxuriam, atq; alios alijs modis vulnerat & occidit. *Accidit autem, ut sacerdos quidam descenderet eadem uia, & uiso illo, præteriit.* Quis est iste sacerdos, nisi Aaron cum filijs suis, totusq; ille ordo sacerdotalis, quos pro cæteris orare Dominus iusserat? Iste autem eadem via descendebat, quia ipse morti & corruptioni subditus erat. Vnde & viso eo præteriuit, quia eum liberare non potuit. *Similiter & Leuita, quum esset secus locum, & uideret eum, pertransijt.* Leuita enim non solùm Moyses, sed & tota tribus Leuitica ea-

Descensio ad Ierusalem in Iericho

Gen. 3.

Iericho

Sacerdotio Aaron & eius successoribus cessuro.

Leuitæ tribus Leuiticæ.

ca intelligitur. Quamuis enim soli filij Aaron sacerdotio fungerentur, tota tamen tribus Leui orationibus insitabat, quoniam de decimis & eleemosynis viuebat. Pertransijt igitur & Leuita, quia neq; isti genus humanum à mortis periculo eripere potuerunt. *Samaritanus autem quidã iter faciens, uenit secus eum, & uidens eum motus est misericordia.* Seipsum Samaritanum Dominus dicit, quod nomen inimici sui Iudæi imposuerunt ei, dicentes: Nónne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Samaritanus autem interpretatur custos. Quo nomine ille quidem dignus est, cui per prophetã dicitur: Custos quid de nocte, custos quid de nocte? & Psal misita: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam. Hic autem iter faciens, & sicut cæteri homines ad finem tẽdens, sua misericordia hominem liberauit, & suo sanguine redemit. Vnde & subditur: *Et appropians alligauit uulnera eius, infundens oleum & uinum.* Qua in re Dominus docuit, qualiter infirmis & ad pœnitentiam venientibus mederi debeamus. Vulnera enim ligamus, quando hominem à peccato cessare iubemus. Quanto enim tempore in peccato homo perseuerat, tanto tempore vulnera soluta & aperta habet. Oleum autem infundimus, quando misericorditer consolando indulgentiam peccatori promittimus. Infundimus insuper & vinum, quando asperè redarguẽdo, ieiunare & carnem macerare iubemus. Non sit igitur sine oleo vinum, nec oleũ sine vino. Vnde Apostolus: Argue, inquit, obsecra, insta opportunè, importunè. Obsecrando enim oleum, & increpando vulneribus vinum infundimus. *Et imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, et curam eius egit.* Iumentum Christi eius humanitas est. Hoc enim ferimur, hoc ad stabulum & ad Ecclesiam ducimur. De quo ipse: Vt iumentum, inquit, factus sum apud te. & propheta: Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Christi enim humanitas nos docuit, nos redemit, nos in vnam fidem & in vnam Ecclesiam collegit. Ibi curam nostri agit, ibi nos quotidiè sanat & alit. *Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe, & quodcunque supererogaueris, ego cum rediero, reddam tibi.* Duo nanq; dies, duo tempora sunt. Primus dies ab Adam vsq; ad Christum, secundus verò vsq; ad finem seculi. Hoc igitur secundo die, id est, postquàm Dominus in mundũ venit, duos denarios prõtulit, eosq; stabulario dedit. Duo nanq; denarij, duo sunt testamenta. Primo itaque die vnus tantũ denarius datur, quia alter denarius nondum compositus erat: nunc autem duo denarij dantur, qui cunctis languentibus, ad Ecclesiam venientibus, ad omnem expensam sufficere possunt. Stabulum enim, Ecclesia est: vnde & in stabulo Dominus natus est. Stabularius, episcopus: ipse enim stabulum custodit, Ecclesiam regit, & Dei animalia diuini elo-

Samaritanus, Christus. Ioan. 8.

Esa. 21. Psalm. 126

Matth. 5.

Duo dies.

Duo denarij.

Stabulum. Stabularius.

quij pabulo reficit. Bonus stabularius, B. Paulus: qui & duos denarios sibi à Domino commissos fideliter distribuit, & magnum aliquid de suo supererogauit. Ait enim: De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Audiamus igitur consilium, quod supererogando Apostolus ait: Existimo, inquit, hoc bonum esse propter instantem necessitatem: quoniã bonum est homini sic esse. Alligatus es vxori? Noli quærere solutionem. Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem. Si autem acceperis vxorem, non peccasti: & si nupserit virgo, non peccauit. Hoc Apostolus supererogauit, hoc in duobus denarijs non accepit. Supererogauit autem & multa alia. Quum enim ei de Euangelio viuere liceret, de Euangelio tamen vi- 1. Cor. 9.
uere nolebat, sed laborem labori supererogabat. Possumus autem per banc supererogationẽ, ipsam quoq; bonam operationem intelligere. Qui enim testamentorum verba exponit, denarios expendit: qui verò agit quod exponit, etiã super denarios aliquid erogat. Cuius erogationis mercedem, Dominus se tunc redditurũ esse promittit, quando ad iudiciũ reuertetur. Sequitur: *Quis horum trium uidetur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiã in illum. Et ait illi Iesus: Vade & tu fac similiter.* Ille enim proximus est tibi, cui miserendo appropinquas. Qui verò nulli miseretur, nullum proximum habet. Magna est igitur misericordia, quæ ignotis etiam & extraneis nos proximos facit: magna est igitur misericordia, per quam vita possidetur æterna.

1. Cor. 7.

Ibid.

2. Tim. 4.

Et imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, et curam eius egit.

Psalm. 72. Esaiæ 53.

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN, In Epistolam Concio exegetica.

HOdierna die insignis nobis ex Epistola ad Galatas lectio proponitur, quæ vel sola sufficiat ad institutionem hominis Christiani, abundeq; demonsti et vt à verjs secernendi sint pseudochristiani. Multi enim Christum ore iactitant, sed re ipsa nihil minùs quàm Christum colunt, de quibus non immeritò dici posit illud Ieremiæ: Propè es tu ori eorum, & longè à renibus eorum. Præclara res est, nosse verum Deum, & eius vnicum filium Iesum Christum, sed præclaræ professioni mores quoq; & actiones præclaræ iungendæ sunt: alioqui dedecori potiùs quàm honori fuerit ipsa professio. Sed ad Apostoli aurea verba veniamus: *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis.* Ecce alteram, vt Chrysostomi verbis vtamur, indicat viam, quæ virtutem reddit facilem, ac præstat ea quæ dicta sunt:

Ieremi. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

uiã, quæ gignit charitatem, quæq; stricta redditur à charitate. Nihil enim, nihil, inquã, sic charitatẽ infert nobis, vt si simus spirituales: nec alia res æquè persuadet Spiritui, vt apud nos maneat, atq; vis charitatis. Hæc Chrysost. Monemur igitur spiritu, id est, ex sancti spiritus volũtate & instinctu, qui semper ad bona hortatur, ambulare, vel etiã ea sectari, quæ spiritus noster sancti spiritus gratia sanatus appetit, & esse spiritualibus exercitijs dediti: ita enim fiet, vt etsi carnis desiderijs afficiamur ex vitio naturæ deprauatę, nõ tamen ea perficiamus, sed potiùs pessũ premamus. Hoc nimirũ saluberrimũ est consiliũ, vt qui nolũt carnis desiderijs subdi, ita viuant vt imperat spiritus gratia sanatus. Vult caro comessationibus, cõpotationibus, ludis, scortationi & id genus noxijs studijs vacare: sed arripiantur arma spiritus, putà, preces feruentes ad Deum, piæ lachrymę, sanctæ meditationes, studium sobrietatis, castitatis, grauitatis & virtutum omnium, & ita hauddubiò, si non desit constantia, cedunt impura carnis desideria, & efficitur homo templum Spiritus sancti, eiusq; in dies donis potioribus auctus, fit verè spiritalis, ab omnibus carnis operibus fœdis & immundis prorsùs abhorrens. *Caro enim concupiscit aduersùs spiritum, spiritus autem aduersùs carnem. hæc enim sibimet inuicem aduersantur, ut non quæcunque uultis, illa faciatis.* Hæc concupiscentia carnis non fuit in primis parentibus nostris ante lapsum. Vnde autem illi à Dei lege desciuerunt, caro cœpit rebellare aduersus spiritum, nõ quòd caro per se mala sit, sed quòd anima peccato deprauata carnis appetat voluptates. Itaque caro corrupta appetit multa, quæ non possit admittere spiritus, modò Deo velit inhærere: & spiritus summò bono frui desiderans, cupit carnis appetitiones proterere: verũ sub hac pugna, vbi anima carnis infirmitate pressa, contra seipsam per carnem rebellat, licet spiritus diuino spiritu adiutus & sanatus, optima quæq; appetat, at tamen sæpè cogitur sentire vel pati quod nõ vult, carnis grauatus infirmitate, donec tandẽ à morte corporis huius liberatus, ad eam perueniat vitam, vbi ipsa quoque caro spiritalis erit. Verùm hoc interest inter bonos & malos homines in hac vita, quòd boni, licet sentiant prauas carnis appetitiones, non tamen illis succumbunt: aut si fortè interdum victi cadant, ilicò resurgũt & agunt pœnitentiã: mali verò carnis desideria perficiũt, ijsq; obsequũtur. Nõ enim dant operã exercitijs spiritalibus, quib⁹ caro dometur, & spiritus magis ac magis corroboretur. D. Cyprianus in Præfatione Operis de Cardinalibus Christi operibus, scribit in hæc verba: Insolubilis videtur hæc quæstio, Quare homo rationabilis in negata nitatur & vetita, & semper illicitis delectetur. Omninò rarum & difficile fieri bonum, facile & pronum est esse malum: & hac sine magistro, sine exemplo doctrina statim à pubescentibus annis imbuimur & docemur. Et infrà: Inprimis abrasa verecundia pudoreque conuulso, non absconditur scelus, nec nutat ratio, nec discretio reluctatur carnis affectibus: captiuus spiritus consentaneã exhibet clientelã. Hoc ipsum, quòd dico, carnis affectus, impropriè dico: quia hæc vitia propriè animæ sunt, quæ sentit & mouet & viuit, cui imputatur peccatum: quia ipsi datum est arbitrium, & iudicium, & scientia, & patientia, per quæ possit improbare malum, & eligere bonum. Corpore autem sic vtitur anima, sicut faber malleo vel incude, in qua format omnium turpitudinum idola, & fabricatur quælibet quarumcunq; voluptatum simulachra. Non est caro dictatrix peccati, nec inuentrix malitiæ, nec cogitatus format, nec disponit agenda: sed officina est spiritũs, qui in ea & per eam quæcunq; affectauerit, peragit & consummat. Quòd verò caro aduersùs spiritum, & spiritus aduersùs carnem contẽdere dicitur & repugnare, impropriè arbitror dictũ: quia solius animæ lis ista est, quę secum rixatur, & cũ proprio arbitrio litigat &c. Ita Cyprianus, cui consentit etiam Chrysostomus & Augustinus, cuius in Psalmũ 63. hæc sunt verba: Anima tua aduersùs te rebellat, non aliud aliquid. Ex quadã parte cohæres Deo, ex quadã parte delectaris seculo. Illud quo delectaris seculo, pugnat aduersùs mentẽ, quæ cohæret Deo. Sed quæ cohæret, cohæreat: non deficiat, non se dimittat: magnũ adiutoriũ habet. Vincit qd'in illa sibi rebellat, si perseueret in pugnando &c. Hæc Augustinus. Per carnem igitur, intelligẽda sunt carnalia vitia & desideria, quæ, vt D. quoq; Petrus ait, militãt aduersùs animã: vel, vt in schola loquũtur, per carnẽ portio animæ inferior & appetitus sensitiuus, per spiritum, animæ pars superior, & appetitus intellectiuus accipiatur. Et quia verissimè dixit Dominꝰ Iesus, Spiritus prõptus est, caro aũt infirma: ipsa carnis infirmitate sæpè præpeditur spiritus, vt non tantũ possit facere, quantum velit. *Quòd si spiritu ducimini, nõ estis sub lege.* Qui spiritum vt oportet habet, ait Chrysostomus, per hunc extinguit omnem prauam concupiscentiam. Porrò qui liberatus est ab his, nõ indiget legis auxilio, sed multò factꝰ est præceptis illis sublimior. Et paulò pòst: Hic mihi videtur, inquit, magnas etiã & admirãdas legis laudes retulisse. Quas illas? Quanquã, inquit, lex erat loco spiritus, iuxta suas vires, priusquã spiritus adueniret, nõ tamẽ ob id oportet manere in pædagogo. Tum quidẽ meritò sub lege eramus, vt metu castigaremus concupiscentias, nondum prodito spiritu. Nunc verò postea quã venit gratia, quæ non solũ iubet ab illis abstinere, verũ & ad altiora prouehit, & ad perfectiorem vitæ rationẽ adducit, quid opus est lege? Etenim qui ex sese suo fungitur officio, huic quid opus est pædagogo? Hæc ille. Audiamus etiam Augustinũ: Sub lege est (inquit libr. de Natura & Gratia, ca. 57.) qui timore supplicij quod lex minatur, non amore iustitiæ se sentit abstinere ab opere pec-

Ambulare spiritu.

Vnde prima concupiscentia.

Caro spiritus offuscata.

Sub lege quis sit.

peccati, nõdum liber nec alienus à voluntate peccandi. In ipsa enim voluntate reus est, qua mallet, si fieri posset, non esse quod timeat, vt liberè faciat quod occultè desiderat. Ergo si spiritu, inquit, ducimini, non adhuc estis sub lege, sub lege vtiq;, quæ timorẽ incutit, non tribuit charitatem: quæ charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, non per legis literam, sed per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Hæc est lex libertatis, non seruitutis: quia charitatis vtiq;, non timoris. Et pòst pauca: Inquantùm quisq; spiritu ducitur, non est sub lege: quia inquantùm condelectatur legi Dei, non est sub legis timore, quia timor tormentum habet, non delectationem. Ita Augustinus. *Manifesta sunt aũt opera carnis: q̃ sunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, uenefi cia, inimicitiæ, cõtentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia: quæ prædico uobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Ex hoc loco facilè est intelligere, quàm sit homini necessaria multa vigilantia & constantia, ne à vitijs superetur, præsertim cùm hîc disertis verbis affirmet Apostolus, eum qui hæc & id genus alia faciat, regnum Dei minimè consecuturum. Rectè ergo sciptura dicit, militiam esse vitam hominis super terram, & Christus atq; Apostoli eius, omnes nos vigilare iubent. Nunquam enim desinit malignus spiritus his alijsq; vitijs nos impugnare, & certè resistendum est illi, ni iacturã salutis nostræ facere velimus. Nihil autem possumus nostris viribus: ergo confugiendum est per preces attentas & assiduas ad Deum, vt is suã gratia nos confirmet. Nec deerit gratia petentibus, modò ne nos gratiæ desimus: sed ipsa gratia freti, vndique circũspecti & vigiles simus. Atq; ita totò vitæ spatio semper habemus quod agamus, & meritò explodendi sunt, qui solã fide omnia effici putant, cùm reuerà nõ id solùm exigatur vt credamus, sed vt etiam vitijs omnibus nuntium remittamus, & virtutibus operam strenuam naue-

Rom. 5.

Opera carnis.

Ioh 7.

Vitia ut superanda.

Philip. 4.

di consuetudine adeò implicantur, vt nullo neq; gehennæ metu, neq; Dei timore à vitijs reuocari queant. Sed tamen non debent tales desponderе animum, quia plus potest gratia, quàm quantũuis inueterata cõsuetudo. Erigant tandẽ sese, pudeatq; malorum dæmonum & turpium vitiorũ fœdissima premi seruitute: implorent diuinũ auxiliũ, matris Dei & sanctorũ cũ Christo in cælis degentium ambiant suffragia, cogitent mortem, diuinum iudicium, pœnas ignis ęterni, Christi vulnera & passionẽ, aliaq; quæ mollire possint animum, concipiantq; correctiùs viuendi propositum, conentur pro suo modulo excutere à suis ceruicib. iugum diabolicum, & ad Christum totos se conuertere. Et licet non statim omnia ꝓ voto succedant, non frangantur animo, perseueret bona voluntas & pius conatus, nec dubitent Christi misericordiam sibi adfuturam. Sentient paulatim, quàm longè iucundius sit seruire Christo, quàm diabolo, licq; eò tandem peruenient, vt iam toto animo ea detestentur, quæ priùs cùm magna voluptate sectabantur. Si quod enim huius vitæ gaudium est, id certè non alibi inuenire est, quàm in bona conscientia. Carnis voluptates & turpes & breues sunt, & non animæ tãtùm sed etiam corpori pernicioſæ sunt. *Fructus autem spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Aduersus huiusmodi non est lex.* Hoc loco Chrysostomus perfectam philosophiæ magistram vocat charitatem. Et D. Hieronymus locũ hunc interpretans, Et quæ alia, inquit, inter fructus spiritus debuit tenere primatum, nisi charitas, sine qua virtutes cæteræ non reputantur esse virtutes, & ex qua nascuntur vniuersa quæ bona sunt? Siquidem & in lege, & in Euangelio ipsa obtinet principatum. Gaudium stoici esse aiunt elationẽ animi, super his quæ digna sunt exultantis. Pax Christi tũc nobiscũ est, si tranquilla mens nullis passionib. perturbetur. Pòst pacẽ sequitur lóganimitas, siue patientia: quia vtroq; modo μακροθυμία possumus interpretari. Hinc cõtraria est pusillanimitas. Benignitas, virtus est lenis, blanda, trãquilla, & omnium bonorum apta cõsortio, inuitans ad familiaritatem sui, dulcis alloquio, moribus temperata. Bonitas à benignitate in eo differt, quia potest bonitas esse tristior, & fronte severis moribus irrugata: benè quidem facere, & præstare quod poscitur, non tamen suauis esse cõsortio, & sua cunctos inuitare dulcedine. Hæc & multa alia de his fructibus D. Hieronymus, quæ omnia huc adscribere longũ foret. Possunt autẽ breuiter hi fructꝰ sic describi, vt Charitas, sit omnium radix, Gaudium internũ, ex Dei præsentia proficiscẽs, Pax cordis, ex cõscientiæ serenitate ac libertate ꝓcedens, Patientia, in perferẽdis duris & aduersis rebus, Longanimitas, in sustinẽdis promissis Dei, Bonitas, qua profis & gratificeris proximo, Benignitas, qua idem facias libenter & suauiter. Mansuetudo, in verborum &

Fructus spiritus.

Charitatis præstantia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

morum erga alios comitate, & iræ refrænatione. Fides, non vulgaris, sed quæ etiam montes transferat. Modestia, qua in dictis & factis modum & moderationem adhibeas. Continētia, qua libidines, licēt impugnent, rationis imperio comprimuntur. Castitas, qua fit, vt impuræ carnis libidines fastidio & abominatiōi sint. *Aduersꝰ huiusmodi non est lex*: immò verò pro his faciunt omnes leges diuinæ, & hæc exigunt à nobis. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum uitijs & concupiscentijs.* Hic se iam vnusquisq; exploret, num Christi sit, an diaboli. Si seruit vitijs & prauis desiderijs, ad satanæ familiā pertinet: si ea pessum premit, in Christi membris se gaudeat numerari.

Qui igitur Deum syncere diligunt, perpetuam suscipiunt pugnam cum vitijs, perturbationibus & cupiditatibus noxijs, & quia sentiunt ad libidines & impuras ventris voluptates & ad prauia vitia se incitari, carnem ieiunijs, vigilijs, & alijs duris ac molestis exercitijs macerant & castigant, atq; in seruitutem redigunt, incumbunt precib⁹, vacant sanctis meditationibus, detestantur otiū, cibo & potu & somno non ad voluptatem sed ad necessitatem vtuntur, atq; ita sese gerunt & componunt intus & foris, vt vita Iesu in illorum conuersatione reluceat. Hoc est enim re vera esse Christianum, Christi vitam & exempla imitari. Præstet id omnibus nobis idemipse Deus ac Dominus noster, in secula benedictus, Amen.

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN, Luc. XVII.

In illo tempore: Dum iret Iesus in Ierusalem, transibat per mediam Samariam. Et cùm ingrederetur quoddā castellum, occurrerunt ei decem uiri leprosi. Et reliqua. Homilia beati Augustini episcopi, Euangelicarum Quæstionum lib. 2. Quæstione 40.

IN decem leprosis, quos Dominus ita mundauit, cùm ait: Ite, ostendite vos sacerdotib⁹, multa quæri possunt, quę meritò quærentes moueant, non solùm de numero, quid sibi velit quòd decē sunt, & q; vnus ex illis solus gratias agit: (Hæc enim liberè quæruntur, vt etiam non inuestigata, vel nihil, vel nō multùm impediant intentionem legentis:) sed illa potiùs, cùr eos ad sacerdotes miserit, vt cùm irent, mundarentur. Nullum enim eorum, quibus hæc corporalia beneficia præstitit, inuenitur misisse ad sacerdotes, nisi leprosos. Nā & illum à lepra mundauerat, cui dixit: Vade, ostende te sacerdotibus, & offer pro te sacrificium, qd⁹ præcepit Moyses in testimonium illis. Deinde querendum, qualis mundatio spiritalis possit intelligi eorū quos ingratos extitisse redarguit. Secūdum corpus .n. facile est videre posse hominē non habere lepram, & tamen animi esse non honi. Secūdùm significationem aūt huius miraculi conturbat consideranté, quomodò mundus dici possit ingratus. Quærendum igitur est, quid ipsa lepra significet. Non enim sanati, sed mundati dicuntur, qui ea caruerunt. Coloris quippe vicium est, non valetudinis aut integritatis sensuum atq; membrorum. Leprosi ergo non absurdè intelligi possunt, qui scientiam veræ fidei non habētes, varias doctrinas profitentur erroris. Non enim vel abscondunt imperitiam suā, sed pro summa peritia proferunt in lucem, & iactantia sermonis ostentant. Nulla porrò falsa doctrina est, quæ nō aliqua vera intermisceat. Vera ergo falsis inordinate permixta, in vna disputatione vel narratione hominis, tanquā in vnius corporis colore apparentia, significant leprā, tanquā veris fallisq; colorū fucis humana corpora variantem atq; maculantem. Hi aūt tā vitandi sunt Ecclesiæ, vt si fieri potest longiùs remoti, magno clamore Christū interpellent: sicut isti decem steterunt à lōgè, & leuauerūt vocem, dicentes: Iesu præceptor, miserere nostri. Nā & q̄p præceptorem vocant, quo nomine nescio, vtrùm quisquā Dominum interpellauerit, p̄ medicina corporali, satis puto significare, lepra falsam esse doctrinā, quā bonus præceptor abstergit. Sacerdotiū verò Iudæorū nemo se re fidelū dubitat figurā fuisse futuri sacerdotij regalis, qd⁹ est in Ecclesia, quo consecrantur oēs pertinentes ad corpus Christi, summi & veri principis sacerdotū. Nam nunc & oēs vnguntur, qd⁹ tunc regibus tantū & sacerdotibus fiebat: Et qd⁹ ait Petrus, ad Christianū populū scribens, Regale sacerdotiū, vtrunq; illi populo conuenire declarauit, quò illa vnctio pertinebat. Cætera itaq; vitia, tanquam valetudinis & quasi membrorū animæ atq; sensuum, per seipsum interiùs in conscientia & intellectu Dominus sanat & corrigit: Doctrina verò vel imbuendi per sacramenta, vel catechizandi per sermonem sonantem atq; lectionem, vbi color quidam intelligitur verus atque syncerus, quia in promptu est & foris eminentissimus: (non enim in occultis cogitationibus, sed in manifestis operationibus hæc aguntur) Ecclesiæ propriè contributa est. Itaq; & Paulus voce Domini audita, Quid me persequeris? &, Ego sū Iesus, quem tu persequeris: ad Ananiam tamen missus est, vt illo sacerdotio, quod in Ecclesia cōstitutum erit, sacramentum doctrinæ fidei perciperet, & verus eius approbaretur color: non quia non potest per seipsum Dominus omnia facere (nam quis alius hæc facit etiā in Ecclesia?) sed vt ipsa societas congregatorum fidelium approbādo inuicem atq; communicando veræ fidei doctrinam in omnibus quæ dicuntur verbis, vel fingantur sacramentis, tanquām vnam speciem veri coloris obducat. Ad hoc etiam pertinet, quod idem dicit Apostolus: Deinde post annos quatuordecim ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito. Ascendi autem secundùm reuelationem, & exposui eis euangelium, quod

Leprosi, hæretici.

Sacerdotium unde cum quid præfigurarit.

1. Pet. 2.

Act. 9

Luc. 5.

Leu. 14.

Galat. 2.

prædico in gentibus, seorsùm autem his qui videntur, ne fortè in vacuum curro aut cucurri. Et paulò pòst: Cùm cognouissent, inquit, gratiam quæ data est mihi, Iacobus, Petrus & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi & Barnabæ societatis. Ipsa enim collatio vnam doctrinæ speciem, exclusa omni varietate, monstrabat, quod salubriter etiam Corinthios monet, dicens: Obsecro autem vos fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes. Cornelius etiam cùm & eleemosynæ eius acceptæ, & preces eius auditæ, illi ab angelo nunciarentur: propter doctrinæ tamen sacramentorumq; vnitatem ad Petrum iubetur mittere, tanquàm illi & suis diceretur: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Nam & cùm irent, mundati sunt. Iam enim ad eos venerat Petrus, sed tamen ipsi nondum accepto baptismatis sacramento, nondum spiritaliter ad sacerdotes peruenerant: & tamen infusione spiritussancti, & admiratione linguarum, eorum mundatio declarata est. Quę cùm ita se habeant, iam facile est etiam illud videre, fieri posse, vt quisque in Ecclesiæ societate doctrinam integram veramque assequatur, & omnia secundùm catholicæ fidei regulam edisserat, distinguat à creatore creaturam, eoque manifestetur varietate mēdaciorum tanquàm lepra caruisse, & tamen ingratus sit Domino Deo mundatori suo, qui elatus superbia, gratiarum agendarum pia humilitate non sternitur, similisq; efficitur illis, de quibus Apostolus dicit: Qui cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. Quòd enim dicit eos Deum cognouisse, ostendit quidem à lepra fuisse mundatos, sed tamen statim accusat ingratos. Ideoq; tales in nouenario numero tanquam imperfecti manebunt. Vnum enim si addatur ad nouem, quædam effigies vnitatis impletur: quo sit tanta completio, vt vltrà iam non progrediatur numerus, nisi rursùs ad vnum redeatur, & hæc per infinitatem numeri regula custodiatur. Nouem itaq; indigēt vno, vt quadam vnitatis forma coagulentur, & decem sint: Vnum autem non eis indiget, vt custodiat vnitatem. Quamobrem vt illi nouem, qui gratias non egerunt, reprobi effecti, à consortio vnitatis exclusi sūt: ita vnus ille qui gratias egit, vnicæ Ecclesiæ significatione approbatus atque laudatus est. Et quia illi erant Iudæi, amisisse per superbiā declarati sunt regnum cælorum, vbi maximè vnitas custoditur. Iste verò Samaritanus, quod interpretatur custos, illi à quo accepit tribuens quod accepit, & quodammodò cantās illud de Psalmo, Fortitudinem meam ad te custodiam: per gratiarum actionem regi subiectus, vnitatem regni humili deuotione seruauit.

1. Cor. 1.

Act. 10.

Rom. 1.

Psal. 58.

DOMINICA EADEM, Luc. XVII.

In illo tempore: Dum iret Iesus in Ierusalem, transibat per mediam Samariam. Et reliq. Homilia Erici.

IN itinera Domini & saluatoris nostri, tū miraculis, tum etiam mysterijs plena semper fuisse sanctorum euangelistarum euidentissima declarat assertio. Neq; enim locali tantum ambulatione expletur necessitudo, verumetiam per hoc saluti aliquid, quidebatur humanæ. Ambulabat enim de loco transiens ad locum, vt omnibus adesset, omnibus subueniret, occurreret singulis, concurreret vniuersis: hos miraculis, illos prædicationib⁹ ad fidem cogeret. Qui & idcircò cùm diuinitate impleret omnia, humanitate loco voluit circunscribi, vt assumendo quod eramus, suæ nos diuinitatis participes esse donaret. Verùm non satis est, si hoc iter Domini solummodò carnaliter acceperimus, & non etiam si fortè aliquid mysterij lateat, inuestigauerimus. Iter ergo Domini, transitus est de terris ad cælum. Ibat enim, quia mox impleta passione, transito mundo, festinatò ad patrem repedabat. Ibat, quia de mortalitate ad immortalitatem, de pœna ad gloriam, de contemptu ad regnum festinabat. *Dum ergo iret in Hierusalem, transibat per mediam Samariam.* Memor Dominus salutis humanæ, ob quam restaurandam cælitùs aduenerat, instante iam suæ passionis articulo, ibat in Hierusalem ciuitatem, non reformidans gentem quamlibet atrocem, quālibet sui effusionem sanguinis anxiè sitientem. In Hierusalem enim erat templum Domini, ibi sacerdotium Iudæorum, ibi erat cultus sacræ religionis, ibi etiam ter in anno apparebat omne masculinum Iudæorum secūdùm præceptum legale: & ideò Dominus sæpè adibat illam ciuitatē, cupiens ibi pluribus annunciare verba salutis, & sua ostendere miracula. Vt ergo nec iter illius à videretur, *Transeunte illo per mediam Samariam & Galilæam, & ingrediente quoddam castellum, occurrerunt ei decem uiri leprosi*, ita vt erant legis decreto à communi domorum vel vrbium cohabitatione discreti. Samaria nanq; ciuitas vel regio fuerat, in qua olim regnū decem viguerat tribuū, antequā à cultura Dei deficientes, captiuitatem Assyriorū experirentur. Illis ergo à solo proprio in exiliū ductis, terras eorum missæ gentes ab Assyrijs incolebant. Galilæa verò maxima pars erat Iudaici regni, in qua & Nazareth fuit, patria (si dici fas est) Domini. Pergens ergo Dominus in Hierusalem, ad passionē, quæ è vestigio implenda erat, properans, has quoq; quincias in trāsitu visitabat, & miraculorū insignibus illustrabat. *Et dū ingrederetur quoddā castellū.* Pulchrè sanctus euangelista castelli huius vocabulū nominatim exprime-

Iter Domini ad cælum.

Deu. 16.

Leui. 13.

4. Reg. 17

Universidad de Deusto
Biblioteca

re noluit, vt ostenderet hos, qui Domino occurrere, leprosos nullã cum hominib. habere societatẽ, nusquam certũ cõsistendi locũ. Legis enim
Leui. 13. decreto sequestrati fuerant à consortio communis habitationis. Notandũ aũt, quia non legim⁹ occurrisse istos leprosos Domino in vico aut in castello vel ciuitate, sed potiùs in itinere, quia lex præcipiebat, vt quisquis leprosus esset, per ministerium sacerdotis ab omni plebe separaretur: & ideò isti à communi consortio segregati, non occurrerũt Domino in vico aut in castello, sed potiùs in itinere. Ingredienti Domino castellum occurrerunt, quia è vicino sanandi erãt. Vnde & auspicatò Dominũ præceptorẽ inclamant, à quo cum salute corporis vitæ æternæ præcepta suscipiebant. Sed Dominus vt doceret diuinę legi semper esse parendum, legis à se constitutæ mandatũ executus, eos ad sacerdotes direxit, dicens: *Ite, ostendite uos sacerdotib⁹.* Præcipiebat enim
Ibidem. lex, vt si quis lepræ maculam incurrisset, ad sacerdotem duceretur, & eius iudicio mundus vel immundus iudicaretur. Prouida ergo dispensatióe
Christus cur leprosos ad sacerdotes miserit. Dominus leprosos ad sacerdotes mittebat, multas ob causas. Primò quidem, vt eis aditum calũniandi obstrueret, illis magis parcens, qui eorũ garrula obloquia curabant. Secundò, vt vidẽtes à Domino leprosos mundatos, quos ipsi per sacerdotium & legem curare nequiuerant, aut crederent & saluarentur: aut si non crederent, inexcusabiles de eius aduentu redderentur. Tertiò, vt per hoc sanctæ Ecclesiæ sacerdotiũ altiùs cõmendaret. Si enim illud sacerdotium, quod in typo & figura agebatur, adeò venerabile suo tẽpore extitit, vt ab ipso Domino honoraretur, multo magis hoc, quod nunc iam non in figura, sed in veritate administratur, reuerẽdum & omni sit honore colendum. Aliter: *Quos ut uidit, dixit: Ite, ostendite uos sacerdotibus.* Inter oẽs, quos Dominus à diuersis infirmitatibus multipliciter curasse narratur, neminem illorum, quibus curam impendit, præter leprosos ad sacerdotes mittere voluit. Cuius rei quidem ad literam facilis est intellectus, quia patet illum ideò hoc egisse, ne calũniantibus sibi aduersarijs, aduersùm se iacula videretur ministrare, dum quererẽtur illum sacerdotibus suis debitum honorem ac reuerentiam non deferre, præsertim cum leprosorum curatio specialiter à sacerdotibus esset discernẽda. Si verò spiritualis in hoc facto intelligentia requiratur, constat quia illud sacerdotiũ Iudæorum, typus erat sacerdotij regalis & Christiani, qđ nunc per Dei gratiam in Ecclesia manet, quo etiam emundantur & consecrantur oẽs, ad veri sacerdotis membra pertinentes. *Et factum est, dum irent mundati sunt.* Velocem obedientiam, aptè festina sanitas est subsecuta. Et magna gestum prouidendẽtia, vt antequàm ad sacerdotes venirent, mundarentur, ne si in eorum præsentia mundari eos contigisset, arbitrarentur se fortasis eorũ ministerio, & non virtute mittẽtis fuisse curatos. Sed hæc quæ ad literã cursim exequimur, plena sacramentorũ esse, ipse rerum ordo manifestat. Mira-
Miracula Domini quam habeant prærogatiuam cula enim Domini hoc sibi specialiter priuilegiũ vendicant, vt & iuxta historiã veraciter facta credantur, & spũaliter excussa, interiùs recondita mysteriorũ aperiant suauitatẽ. Quod quando agunt, quid aliud quàm abstrusis fauorũ intimis mella producuntur? Leprosi ergo isti hæreticos non incongruè designare possunt. Lepra nanq; eiusmodi est naturæ, vt cutem quam infecerit, di-
Hæretici falsis vera pmiscent. uersis coloribus respergat. Sic & hæretici, vt verum se dicere mentiantur, vera falsis permiscẽt, & quasi vnius coloris dogma mẽdaciorũ superducta varietate intertingũt: quia si semper vera prosequerentur, hæretici nõ essent: si aũt semper falsa dicerent, nullus eis nisi dementissimus crederet. Permiscent ergo, vt dictũ est, vera falsis, vt dũ veritas superducta recipitur, latens intrinsecùs falsitatis morbus irrepat, more eorum qui venena propinantes, ora calicis melle liniunt, vt dũ mellis dulcedo intenditur, virus poculi auidiùs insumatur. Aliter: Sed quia lepra in vna eadẽq; cute diuersis permixta coloribus fœdum hominem reddit, non incongruè iuxta significationẽ spiritualem leprosorum nomine signantur hæretici, qui vnitatem fidei non habẽtes, diuersis insiciuntur erroribus. Sciendum verò est, nullã prorsus esse falsam doctrinam, quæ non aliqua sit veritate permixta: ne si aut apertè mendax fuerit, nõ recipiatur: aut si ex totò vera, hæretica nó sit. Quemadmodũ aũt vulnera in vnius corporis cute apparentia, diuersis coloribus carnẽ obducũt: ita in vniuscuiusq; hæretici doctrina, falsa veris respergũtur, vt sub obtentu veritatis, falsitas inimica prævaleat. Nam & qui venena porrigunt, priùs ora calicis melle liniunt, vt per gustum dulcedinis perueniatur ad poculum mortis. Huiuscemodi aũt pestes, authoritate principum Ecclesiæ ita sunt ꝓpellendæ, vt authores earũ à totius Christianitatis societate deiecti, magnis Dominum Iesum vocibus pro salute recipienda necessriò interpellare cogantur. Et attendendũ, q̃ sanctus euangelista ipsum quoq; numerũ signanter expresserit, cùm quot fuerint, indicare curauit. Ait enim: Occurrerunt ei decem viri leprosi. Pulchra quidẽ quatitate cõmendabiles, sed obscena cute deformes. Ergo hæretici intra denariam *Hæretico-* quodãmodò perfectionẽ sese iactant cõprehen- *rum vana* sos, dum diuinorũ, quę decalogo accipiũtur, mã- *iactantia* datorũ impletores se esse confirmãt, & Christianæ fidei professores se asseuerãt. Delectat numerus, sed offendit siniſtri dogmatis insyncerita-
2. Tim. 3 s. Hoc est, quod Aplũs de talibus ait: Habentes quidem speciem sanctitatis, virtutem aũt eius abnegantes. Hi tales à cohabitatione ciuitatis Dei, hoc est, à communione vniuersalis Ecclesiæ proijciendi sunt, vt saltem damnati, & ab omniũ consortio sequestrati, tandẽ longo suæ eliminationis tædio fatigati, Christũ magnis vocibus inclamare, & eum veritatis præceptorem fateri cogantur.

tur. Hoc enim est, quod euangelista ait: *Steterunt à longè, et leuauerunt uocem, dicentes: Iesu præceptor, miserere nostri.* Ideò à longè steterunt, nec Domino appropinquarunt, quia vt iam dictum est, à communi consortio separati erant. Et à longè stãtes leprosi vocem ad Dominum extollũt, ne tumultuantis turbæ strepitu possent aliquatenùs impediri. Et meritò præceptorem iam sanandi vocãt, in cuius fide ac doctrina se erasse considerant. Sed & in parte spiritualis intelligentiæ quàm cõgruè Iesum præceptorem hæretici vocant, in cuius verbis se recolunt deliquisse, dumq; ad eius magisterij regulam studiosè festinant recurrere, mox merẽtur optatæ salutis beneficia inuenire.
Lepra quadruplex. *Quos ut uidit, dixit: Ite, ostẽdite uos sacerdotibus. Et factũ est dum irent, mundati sunt.* Lepra quatuor habet differentias significationum. Designat enim infidelitatem paganorum, periudam Iudæorum, errorem hæreticorum, & maculas grauium peccatorum. Ab hac tam multiplici lepra quicunque expiari desiderat, necesse est Ecclesiam adeat, sacerdotes requirat, vt per eorum ministeriũ exui valeat maculis peccatorum, sine quibus constat neminem ab huiuscemodi valetudine posse curari. Quòd autem ad sacerdotes leprosi missi sunt, significat quia conuersi hæretici sacerdotibus vel magistris sanctę Ecclesiæ sese offerre debent, & praui dogmatis errorem, quasi morbidę cutis varietatem ad examinandum pandere, sicque ab eis fidei catholicæ regulis instructi, pristinæ munditiæ & pulchritudini restituãtur. Quanuis enim Dominus, qui summus pontifex veruſque magister est, interna sui eruditione quid tenendum sit valeat inspirare, magna tamẽ dispensatione vult doctoribus obsequi, vt per hoc qui docendi sunt, profunda humilitate solidentur, humiliati verò ad capienda fidei sacramenta potiores efficiantur. Sic etenim beatus Paulus, qui
Galat. 1. diuinis cælitùs reuelationibus fuerat instructus, quiq; se dicit euangelium non ab homine neq; per hominem accepisse, sed per reuelationem
Actor. 9. Iesu Christi, tamen missus est ad Ananiam, vt ab eo fidei veritatem acciperet, & reliqua, quæ ordo ecclesiasticus exposcit, impleret. Quid verò sibi vult, quòd antequam ad sacerdotes venissent, mundati sunt? Fortè illud præsignat, quòd multi fide feruentes, dum pro recuperanda animarum salute doctores sanctos expeterent, tanta sunt præuenientis Dei gratia donati, vt antequàm per baptismi lauacrum animæ lepram deponerent, spiritussancti illapsu ab originalibus
Actor. 10. peccatis emundari promeruerint. Hoc in Cornelio, eisque qui cum eo erant, impletum est, de quibus legitur: Quia disputante diù Petro,
Ibidem. cecidit spiritussanctus super eos, qui audiebant verbum. Et beatus Petrus: Quis, inquit, aquam prohibere potest, vt non baptizentur hi, qui spiritum sanctum acceperũt, credentes sicut & nos? Multiplex enim Dei misericordia hanc prælatis Ecclesiæ sacerdotibus potestatem contulit, vt & confitentibus pœnitentiæ sanctionem darent, & eadem salubri satisfactione purgãtos, ad ianuã reconciliationis admitterent, sic diuinæ voluntatis præsidijs ordinatis, vt indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri.
Vnus aũt ex illis ut uidit quia mundatus est, regressus est cũ magna uoce magnificans Deum. Magni meriti ingentisq; fidei istum vnum fuisse, ex hoc vel maximè conijci datur, q̃ cæteris ingratis remanentibus, ipse solus mundatori suo gratias acturus redijt, sacerdotum ad quos missus fuerat, conspectibus sese ostendere paruipendens, vero sacerdoti Christo, qui est sacerdos in æternum secun- Psalm. 109
dùm ordinem Melchisedech, quiq; põtifex pontificum, & sacerdos est sacerdotum, sua ora studuit præsentare. Vnus iste, qui cæteris ingratè abeuntibus, solus redijt, saluatori gratias agens, vnius Ecclesiæ deuotam Deo humilitatem significat, quæ verè Deo quotidie grates exoluit; quia repressis præsumptionis suæ cogitationib. infirmitatẽ suam humiliter aspicit, de bonis quę agit, nihil sibi tribuit, sed omnia à diuina clementia procedere confitetur. Pulchrè autem dicitur, quia regressus est cum magna voce. Cum magna voce rediit, quia magnam erga se Dei misericordiam mente persensit. Rectè magna voce Deum magnificans reuersus est, cuius omnipotentiam in tam subita sui restauratiõe expertus est. Quo in facto membrum se præcipuum sanctæ Ecclesiæ esse ostendit, quæ quotidiè Christum inter blasphemas hæreticorum & Iudæorum voces collaudare, eiq; gratias agere non desistit. De quo adhuc rectè subditur: *Quia cecidit in faciem suam, gratias agens.* Casus iste propriè electorum est. Reproborum autem retrorsùm semper est cadere, iuxta quod de Domini persecutoribus scriptum est, quia dicente Domino, Ego sum, abie- Ioan. 18.
runt & ceciderunt retrorsùm. Et de sequacibus Gene. 49
Antichristi sub figura Dan Iacob dicit: Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retrò. Qui enim retrò cadit, ibi cadit vbi quid doli lateat nescit. Qui verò in faciem cadit, ibi vtique cadit, vbi cũcta quæ fuerint aspicit. Reprobi enim *Mali cadũt* retrò cadunt, quia dũ mala præterita modò ante *retrorsùm* mentis oculos ducere negligunt, postmodùm retrò, hoc est, ad supplicia æterna quę prouidere noluerunt, inteliciter deuoluuntur. In faciẽm verò cadere, est de his quæ per ignorantiam seu per negligẽtiam commissa sunt, erubescere. Taliter nanq; in faciẽ cadẽtibus, Paulus aplũs loquitur: Quem ergo fructum habuistis tunc, in quibus Rom. 6.
nunc erubescitis? Quod verò sanctus Euangelista de suo tam studiosè interposuit, dicens: *Et hic erat Samaritanus*, non ex superfluo aut ociosè additum reperimus, si nominis mysterium considéremus. Samaritanus enim interpretatur custos. Quo nomine aptissimè declaratur is, qui perceptæ dona solpitatis, humilis & gratus

maluit

Universidad de Deusto
Biblioteca

maluit custodire, quàm tumens & ingratus amittere. Ideoq; veri illius Samaritani, qui saucij vulnera curauit, cognomine beatificari meruit. Et hic erat Samaritanus, id est, alienigena. Sæpè legimus in Euangelio, quia gentiles veniẽtes ad Dominum vt eum audirent, & sanarentur ab eo, sanitate percepta, gratias Deo referre studuerunt. Iudæi verò iugiter eius miracula videntes, & ab eo emundationem percipientes, semper ingrati perstiterunt. Spiritualiter Samaritanus, qui interpretatur custos, significat vniuersitatem populi gentilis per fidem ad Deum conuersi, qui custodiam habet ad humilitatem conseruandam. Dum enim gentilis populus ad Deum conuersus, omne bonum quod habet, ei tribuit à quo accepit, profectò beneficia diuinitùs sibi collata vigilanter custodit, decãtans cum Psalmista: Fortitudinem meam ad te custòdiam, &c. *Respondẽs autem Iesus, dixit: Nonne decem mundati sunt, & nouẽ vbi sunt?* Meritò saluator eos qui ingrati perstiterũt, quasi ignotos requirit cùm dicit, Nouẽ vbi sunt? Sicut enim eos quos eligit, scire comprobatur: ita eos quos reprobat, non incongruè nescire dicitur. Vnde & quibusdam in fine dicturus est: Nescio vos vnde sitis, discedite à me operarij iniquitatis, nõ quòd Deum aliquid lateat, sed quia impiorum vias, quorum figuram isti prætendũt leprosi, quasi ignotas reprobat. Sic & mẽtiri nescire vir verax dicitur, qui loqui per mẽdacium dedignatur: non quòd si mentiri velit nesciat, sed quia falsa loqui veritatis amore contemnat. Loquens ergo Dominus, dicit: *Nonne decem mundati sunt, & nouem ubi sunt?* Nouenarius numerus, si vnũ in augmentum sui percipiat, quandam formulã vnitatis explet, & in denarium surgit. Quo numero, id est, denario tanta fit complerio, vt vltra illum alius numerus non excrescat, nisi hic idem denarius repetatur à capite, hoc est, ab vnitate.

Luc. 10.

Samaritanus mysticè.

Psal. 58.

Luc. 13. Deus quos nesciat.

Vnum ergo ad vnitatem suam custodiendã non indiget nouem, nouem verò indigent vno, vt quædam effigies vnitatis compleatur, id est, denarius. Similiter & illi, qui intra vnitatem sanctę Ecclesiæ sunt collocati, qui designantur per vnũ, nũ indigent auxilio eorum, qui extrà sunt positi per infidelitatẽ: Illi verò qui foris sunt, indigent adiutorio electorum, vt per eorum ministerium atq; intercessionem mereantur sanctæ Ecclesiæ incorporari, quoniam aliter saluari non possunt. Adhuc quoq; de illis, qui ingrati remanserant, subditur: *Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Suprà decem mundatos asseruit, nunc autem neminem dicit inuẽtum, qui rediret & daret gloriam Deo, nisi illum alienigenam. Iuxta literam facile est hominẽ videri corpore sanatum, & tamen persistere ingratum. Spiritualiter autem mirum est, cur istos dicat esse sanatos, qui gratia Dei de infidelitate ad fidem cõuertuntur, & tamen permanere ingratos. Si enim perfectè mundus est aliquis per fidem & baptismum, quomodò est Deo ingratus, cuius misericordia ab infidelitate adductus est ad fidem? Et si ingratus, quomodò mundus? Sed sciendum, quia sunt quidam in congregatione fideliũ, qui mundantur quidem per fidem & baptismũ, ingrati verò persistunt per bonam operationem. De quibus dicit Aplus Paulus: Qui cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. Cùm enim dicit eos Dominum cognouisse, ostendit mundatos esse à lepra infidelitatis per baptismum: cùm verò addit, nõ glorificasse eos Deum, nec illi gratias egisse, accusantur ingrati. *Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo.* Qua sententia & duritiam Iudæorũ clàm percutit, & gentium ad credendum facilitatem collaudat. Penè enim in omnibus sancti Euangelij locis, & Iudæos ad fidem tardos & gentiles ad credendum impigros, immò paratissimos fuisse inuenimus. Hoc in illo beato centurione, de quo dictum est, Non inueni tantam fidem in Israel: hoc in gentilibus, qui circa passionem CHRISTVM videre desiderabant, considerari apertissimè potest. Ait ergo: *Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Tanquam diceret: Ciues me oderunt, alienigenæ complectuntur. Iudæi persequuntur, gentes ambiunt & venerãtur. Hi laborant, vt post tot beneficia perimant: illi certant, vt de perceptis gratias agentes, maioribus digni existant. *Et ait illi Iesus: Surge, vade, quia fides tua te saluum fecit.* Surge, videlicet à vitijs peccatorum, & vade ad operationem virtutum. Iacentem & suppliciter se adorantem laudat Dominus, eumq; vt surgat, diuini oris affatu animat, & quoperfectè credẽs perfectè saluari meruit, approbat. Nihilominus & quid illi, qui redire vt gratias agerent detrectarunt, meruerint indicat: quia si istum fides sua saluauit, illos profectò sua infidelitas damnauit. Sed & ilis, qui iam de perpetratis peccatis erubescere cœperunt, surgendum primo, deinde indicitur ambulandum. Priùs enim quasi surgimus, cùm à peccatis resipiscimus, cum malæ insitæ cõsuetudini resistimus, cũ nobisipsis qđ tales fuimus displicemus. Ambulamus verò, cùm in via mandatorum Dei, boni operis gressum ponimus, cum virtutum studijs desuetum iam & quasi ignauum animum exercemus. Spiritualiter quoq; possumus intelligere, quoniam si illos qui intra sanctam Ecclesiam consistunt, fides illorũ saluos facit, procul dubiò eos qui extrà manent, infidelitas eorũ damnat. Illud etiam in isto, qui iacens ante pedes Domini surgere iubetur, nobis innuitur, quia qui fidem rectam cum humilitatis obseruatione tenent, atq; conditori suo se humiliter subdunt, quorum figuram iste prætendit, qui mundatus ad gratias Deo agendas redijt, per diuini verbi consolationem à peccatis resurgere, & ad opera virtutum exercenda iubẽtur accedere, donec crescentibus quotidiè virtutum incrementis, ad illam perfectionem sublimentur, in qua Deum deorum in Sion perpetuò contẽplari mereantur, qui viuit & regnat.

Ingratitudo pseudochristianorum.

Rom. 1.

Surge, vade, cuntibus cũbere.

EA-

EADEM DOMINICA
HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Dum iret Iesus in Ierusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam, &c. Luc. 17.

OMnes in via sumus, omnes ad patriã festinamus: alij quidem ad cælestem Hierusalem, alij verò ad terram miseriæ & tenebrarum. Nulla mora est in itinere, quotidiè illuc quò tedimus appropinquamus. Hanc autem viam Dominus & Saluator noster currere non est dedignatus. Vnde & ipse quoque alibi ait: Exiui à patre, & veni in mundum: iterùm relinquo mundum, & vado ad patrem. Hanc autem viam quum Dominus teneret, quum mundum relinqueret, & ad patrem iret, transibat per mediam Samariam & Galilæam. Sed quid per Galilæam, nisi Iudæos: & quid per Samariam, nisi Gentiles intelligimus? Inde est enim quod dicitur, Non contuntur Iudæi Samaritanis. Per medium autem illorum transibat Iesus, quia hos & illos vocabat, his & illis prædicabat, hos & illos sanabat, & ad fidẽ cõuertebat. Quum autem hoc faceret, accidit vt ingrederetur quoddam castellum: per quod videlicet sanctam Ecclesiam intelligimus. Tunc enim priùs in eam ingressus est, quando eam prædicando & baptizando construere cœpit. Vnde ipse ait: Ego sto ad ostium, & pulso: & si quis aperuit mihi, introibo ad illum, & cœnabo cum ipso, & ipse mecum. Cur autem castellum Ecclesia dicatur, multæ rationes reddi possunt. Sed qui sunt decẽ viri leprosi, nisi omnes peccatores? Quia enim hic numerus omnes in se numeros continet, frequenter decem pro omnibus ponuntur. Vnde & de sanctis dicitur in Apocalypsi, Ecce missurus est ex vobis diabolus in carcerem, vt tentemini, & habebitis tribulationem diebus decem, id est, diebus omnibus. Omnis enim qui numerat, postquàm ad decem venit, nisi iterum à capite incipiat, quid dicat non habet. Vnde manifestũ est, quòd idem sunt decem quod omnes. Quantum enim ad animam Christo Domino venienti, omnes homines leprosi erant: quantum verò ad corpus, non omnes. Omnis fornicator, adulter, homicida, periurus, & sacrilegus, secundùm animam leprosus est. De leprosis autem præcipit Moyses, vt eijciantur extra castra. Cum adulteris verò & fornicatoribus dicit Apostolus nec cibum sumere. Quos enim pro suis iniquitatib. excommunicamus, quasi leprosus extra castra eijcimus. Valdè enim deterior est lepra animæ, quàm lepra corporis. Sed videamus quod sequitur: *Qui steterunt à longè, & leuauerunt uocem, dicentes: Iesu præceptor, miserere nostri.* A longè enim stabant, quia tales viri propiùs accedere non audebant. Similiter autem & nos tandiù à lõgè stamus, quandiù in peccatis perseueramus. Vt igitur sanemur, & à peccatorum nostrorum lepra curemur, clamemus magna voce, & dicamus: Iesu præceptor miserere nostri. Clamemus autem nõ ore, sed corde: cordis enim vox altior est, clamor cordis cælos penetrat, & ante thronum Dei sublimiùs eleuatur. *Quos ut uidit, dixit: Ite, ostendite uos sacerdotibus.* Respicere nanq; Dei, misereri est. Vidit igitur eos, & mox misertus eorum, ad sacerdotes ire præcepit. Non vt sacerdotes eos mundarent, sed vt mundos eos esse iudicarent. Præcepit enim lex, vt si plaga lepræ in homine appareat, ducatur ad sacerdotem, & secundùm eius arbitrium separetur septem diebus. Deinde sacerdos contempletur: & si viderit lepram non creuisse, mundum iudicabit. Omnia autem hæc (vt ait Apostolus) in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correctionem nostram. Nam & nos peccatores multis modis separamus: alios quidem à cibis, quibus priùs licitè vtebantur: alios à corpore & sanguine Christi, alios ab Ecclesiæ introitu, atq; alios à nostra communione: & alios quidem septem, alios plures vel pauciores & dies & annos separamus. In quibus si viderimus lepram non creuisse, mundos eos iudicamus, & Ecclesiæ reconciliamus. Hæc est igitur causa, quare Dominus ad sacerdotes hos leprosos ire præcepit. *Et factum est dum irent, mundati sunt.* Hoc peccatores audiant, diligenterq; intelligant. Facile est Domino peccata dimittere. Priùs enim multoties peccatori debita remittuntur, quàm veniat ad sacerdotem. Vna enim eademq; hora & pœnitet & saluatur. Peccator enim quacunq; hora conuersus fuerit, vita viuet, & non morietur. Videat tamen quomodò conuertatur. Audiat quid Dominus dicat: Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu: & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Intùs igitur in corde cõuertatur, quia cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Sed vide cuius obedientiæ fuerint isti leprosi. Ad sacerdotes eos ire Dominus iusserit: adhuc se leprosos esse videbant, adhuc ægritudinem sentiebant, tamen ad sacerdotes pergebant, quia non frustrà hoc eis Dominum iussisse credebant. Non tantæ obediẽtiæ fuit Naaman princeps militiæ regis Syriæ: cui quum Eliseus præcepisset, vt septies se lauaret in Iordane, acquiescere nolebat, sed potiùs indignatus abibat, donec saniori accepto consilio, fecit quod ei prophera imperauerat, lauit, & mundatus est. Et hoc fortasse isti audierant, eiusq; exemplo admoniti, quid fides & obedientia posit intelligebant. *Vnus autem ex illis ut uidit quia mundatus est, regressus est cum magna uoce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens, & hic erat Samaritanus.* Per hũc enim omnes illi figurantur, qui postquàm aqua baptismatis mundati sunt, aut per pœnitentiam curati, iam non diabolum sequuntur, sed Christum imitantur, post eum vadunt, eũ

Luc. 10.

Peccatores multis modis separantur.

Ezech. 18

Ioël. 2.

Psal. 50.

4. Reg. 5.

magnificant,eum adorant, illi gratias agunt,& ab eius seruitio non recedunt. *Respondẽs autem Iesus,dixit:Nónne decem mundati sunt,& nouẽ ubi sunt?Nõ est inuentus qui rediret,& daret gloriam Deo,nisi hic alienigena.* Hoc est enim,quod alibi ait: Quia multi sunt vocati,pauci verò electi. Multi enim sunt baptizati,multi à peccatorum lepra mũdati, qui quoniam non Christum sequuntur,& iterùm ad peccata reuertuntur,in electorum numero non computabuntur. Valdè enim pauci sunt boni,ad malorum comparationem. Sed quia iste alienigena fuit, plures ex Gentibus quàm ex Iudæis saluãdos esse significatur. *Et ait illi: Surge,uade,quia fides tua saluum te fecit.* Magna est igitur virtꝰ fidei, sine qua(vt Aplûs ait)impossibile ẽ placere Deo. Credidit enim Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Fides igitur saluat, fides iustificat,fides interiùs & exteriùs hominem sanat.

Matt. 20. & 22.

Heb. 11. Gen. 15. Fidei uiuæ efficacia.

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN,

In Epistolam Concio exegetica.

EAm lectionem,quã proxima abhinc dominica audiuimus,hodierna continenter consequitur, & vbi illa definit, hæc porrò sumit initium. Vtraq; mirabiliter confutat eos,qui fidem solam putant ad salutem sufficere,qui error &superioribus seculis,& hoc nostro infelici æuo permultos dementauit. Poterant autem homines,etiamsi nulla scripta diuina extarent', vel ipso naturalis rationis lumine admoneri & conuinci, hominem ratione præditũ non otio natum,sed optimis,honestissimis,sanctissimis actionibus & studijs,cùm vtiq; humanæ dignitatis præstantiam longo oporteat interuallo à brutis animantibus distare, ad quorum certè vilitatem vel maximè ij adducunt hominẽ, qui eum aiũt sola fide omnia posse efficere apud Deum:opera bona nullius esse meriti : quod si ita sit,nihil supereſt aliud,nisi vt edamus & bibamus,& genio indulgeamus. Vtinam audiant tales vel ethnicum illum Ciceronem,tum alia multa,tum hoc præclarè in Officijs dicentem,nó ita à natura generatos nos esse, vt ad ludum iocũq; facti esse videamur,sed ad seueritatem potiùs,& ad studia quædam grauiora atq; maiora. Sed Apostolum ipsum iam nobis concionãtem auscultemus: *Si spiritu uiuimus,spiritu & ambulemus.* Hoc est,Si de Christi spiritu viuimus vita gratiæ,non carnalibus desiderijs & oblectamentis dediti, sed spiritalibus simus studijs & exercitijs addicti,ita vt conuersatio nostra in cælis sit,& vita nostra nusquàm discrepet à voluntate spiritus sancti. Audi Ambrosium in hũc locum : Hoc dicit Apostolus, inquit, quia si benè & honestè viuimus,bonos debemus habere & mores. Hoc est enim spiritu viuere, incontaminatam vitam habere:& sic spiritu ambulamus, si paci studeamꝰ. hęc enim parit charitatem. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi,inuicem prouocantes,inuicem inuidentes.* Prorsus magnificè,inquit hic Augustinus,& omninò diuino ordine,posteaquàm instruxit eos (Galatas)aduersus illos,à quibus in seruitutẽ legis seducebantur,hoc in eis cauet,ne instructiores facti,& volentes iam calumnijs carnalium respondere,contentionibus studeant,&appetitu inanis gloriæ,legis oneribus non seruientes,vanis cupiditatibus seruiant. Hæc Augustinus. Chrysostomus hoc loco dicit inanem gloriam esse causam omnium malorum. Basilius Magnus in Constitutionibus Monasticis,cap. 11. Fugiamus,inquit, inanem gloriam,dulcem spiritaliũ opum exspoliatricem, iucundum animarum nostrarum hostem,tineam virtutum,blandissimam bonorum nostrorum deprædatricẽ,eandemq; mellis illitu fraudis suæ veneni coloratricẽ, & mortiferi hominum mẽtibus poculi porrectricem, quod opinor ea de causa facit,vt vitio se illi auidiùs ingurgitent,nec vlla illius expleãtur satietate. Dulce quid humana imperitis gloria est. Quin & qui ab hac captiui tenentur,ij facilimè ab ea impelluntur,vt à recto rerum iudicio aberrẽt. Qui enim hanc concupiscit,is spreto domesticorum consilio,id tantummodò perfectum & magnifa ciendum iudicabit,quod apud imperitam ac ꝓmiscuam multitudinem in admiratione esse animaduerterit. Hæc Basilꝰ,cuius si dicta,ꝑbè inspiciamus,inueniemus etiam impiorum dogmatũ & hæresum atq; sectarum architectos vanæ gloriæ & popularis applausus studio potissimũ impelli, vt in multorum perniciem prauos errores & quæ vulgo placeant dogmata comminiscãtur. Inde adeò efficiuntur obstinati,vt etiamsi ipsi se errare non nesciant,tamen nedesinant esse apud homines in precio & admiratione, nullo pacto eò adduci se sinant,vt suum errorem confiteantur & corrigant. Interim verò id genus superbos & arrogantes homunciones euidentissimè prępotens Deus hac solet ratione pudefacere, & apud cordatos & æquos rerũ æstimatores in summam ignominiam adducere, qꝰ finit eos à malis dæmonibus in varias pugnantesq; opiniones distrahi, ita vt nulla ratione alij alios sequi velint, sed certatim noui quippiamꝰ singuli cõminiscantur,quod ab alijs planè discrepet,vt de suo nomine singuli suas cõstituant synagogas, vnde increbiles inter illos oriuntur inuidię,cõtentiones, mutuæ ꝓuocationes & odia plusquàm Vatiniana. His aũt malis omnib. facilè carerent, si humiles essent,& à vanæ gloriæ & vilissimæ laudis studio alieni. Ex inanis.n. gloriæ studio,vt rectè inqt Chrysostomꝰ,nascitur inuidia:porrò ex inuidia hæc innumera mala. *Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto,uos q ſpũales estis,huiusmodi instruite in ſpiritu lenitatis,cõſiderans teipſum,ne & tu tẽteris.* Nihil sic ꝓbat spiritalẽ virũ,ait hic Augustinus,quàm peccati alieni tractatio,cùm liberationem eius potiùs quàm insultationem,potiusque auxilia quàm conuicia meditatur,& quantùm facultas tribuitur,suscipit. Deinde ne sibi quisq; videatur instruere,etiam cùm proteruè exagitat irridetq; peccantem,aut superbè tanquàm insanabilem detestatur. In spiritu,inquit,mansuetudinis,intendens teipsum,ne & tu tenteris. Nihil enim ad misericordiam sic inclinat, quam proprij periculi cogitatio. Ita eos nec deesse voluit fratrum correptioni,nec studere certamini. Pax igitur,& dilectio,& cõmunis periculi cogitatio in corde reseruet:modus aũt sermonis,siue acriùs siue blandiùs ꝓferatur, sicut salus eius quem corrigis videtur postulare,moderandus est. Et infrà: Nunquã alieni peccati obiurgandi suscipiendũ est negotium,nisi cùm internis interrogationib. examinantes nostrã conscientiam,li- quidò nobis coram Deo responderimus, dilectione nos facere. Quòd si conuicium,vel minę, vel etiam persecutiones eius, quem argueris, lacerauerint animũ,si adhuc ille per te sanari posse videbiꝫ,nihil respõdeas,donec saneris prior : ne fortè carnalibus motibus tuis ad nocendum consentias,& exhibeas linguam tuam arma iniquitatis peccato,ad reddendum malum,ꝓ malo, aut maledictum ꝓ maledicto. Quicquid.n. lacerato animo dixeris, punientis est impetus,non charitas corrigentis. Hactenùs Augustinus. Ambrosij in hunc locum verba sunt hæc: Nunc hos alloquitur,qui firmiores erant,ne inflatione bonæ vitę eum,qui fortè à peccato circunuẽtus fuisset,spernendũ putarent & abijciendum. Ideoq; consulendũ his. Cùm mansuetudine enim,ꝓuocandi sunt ad reformandos se:quia si acriùs authoritate fuerint correpti,nõ se patientur arguì: sed & defendere incipiẽt se, ne turpes videãtur, & incipient peiores fieri. Tolle enim hominem à contentione & audacia,& habebis eum subiectum. Humilitas enim etiam superbos solet inclinare. Hæc Ambrosiꝰ. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legẽ Christi.* Quoniã fieri nõ põt, inquit Chrysostomus,vt homo viuat absq; defectu,admonet ne rigidi sint expensores alienorũ delictorum,sed tolerẽt etiam proximorum defectus,vt & ipsorum delicta tolerentur ab alijs. Et Augustinus legem Christi,dicit legem Charitatis,additq;:Si aũt implet legem, qui diligit,ꝓximũ,dilectioq; proximi etiã in veteribus scripturis maximè cõmendatur, in qua dilectione dicit alio loco idem Aplûs recapitulari omnia mãdata legis,manifestum est etiam illam scripturã, quæ priori populo data est, legem Christi esse, quam venit implere charitate,quæ non impleba tur timore. Eadem igitur scriptura,& idem mandatum,cùm bonis terrenis inhiantes premit seruos Testamentum vetus: cùm in bona æterna flagrantes erigit liberos,Testamentum nouum vocatur. Ita August. Quod aũt dicitur, *Sic adimplebitis legem Christi,* Chrysostomus exponit, Simul oẽs implete,vos inuicem ferendo. Velut,Ille est iracundus,tu somnolentus. Tolera igitur illius acrẽ impetũ,vt vicissim ille tuã ferat segnitiẽ. Ita fiet,vt nec ille peccet,dũ abs te toleratur:neq; tu, dũ in his,in quib. molestus es,sustineris à fratre tuo. Ad hunc aũt modum vobis inuicem,vbi lapsus imminet periculum,manum porrigẽtes,mutuis officijs implete legem, sic vt vnusquisq; qđ ꝓximo deest,sua tolerantia suppleat. Hæc ille. *Nam si quis existimat se aliqđ esse cùm nihil sit,ipse se seducit.* Verum est,ait Ambrosius,nec latet quenquã, quia si actus nostros & mentem consideremus, nulli nos anteponimus,nec facilè quenquã iudicamus. Qui.n. extollitur quasi aliquid sit, errat: nescit enim,quia de humilitate crescitur. Verba .n. Saluatoris & gestã ante oculos non habet,qui cũ sit omniũ Dominꝰ, humiliauit se,vt nobis formam daret, quid sequi deberemus, si crescere velimus:& si nos erigeremus,inclinaremur : qđ facit imperitia cordis inflati, vt apud homines cõmendatior videatur. Spernens.n. & despiciẽs peccatores,iustũ se videri contendit,sicut & pharisæus ille,quẽ Dñs denotat. Nũquid nõ verè hic imperitꝰ ẽ,q ꝓsentis gloriæ cupidꝰ ẽ? Nũquid nõ verè de futuris desperãs,qui mercedem iustitiæ in præsenti vult consequi? Quare? Quia non est iustus in opere, sed per fallaciã fingit iustitiam. Qui enim vult iustus esse,alterum sibi præponit, vt verè iustus sit. Vnusquisq;.n. plus mala sua nouit,quàm alterius. Ita Ambrosius. *Opus aũt suũ probet unusquisq;,& sic in semetipso tantùm habebit gloriam, & non in altero.* Hic ostendit,ait Chrysostomus,ꝙ oportet nos vitæ nostrę expẽsores esse,nec seuiter,sed exacta cura ꝓbare quæ nobis gesta sunt: videlicet,fecisti boni quippiã,cõsidera ne fortè ꝓpter inanẽ gloriã,ne ꝓpter necessitatẽ,ne in odium,ne per simulationẽ,ne ob aliã aliquã causam humanam. Sicut enim aurum videtur quidẽ esse splendidũ,priusquã mittatur in fornacẽ,verùm vbi traditum fuerit igni,tum verò certò dignoscitur,eo quod adulterinũ est,ab eo quod est syncerum seperato. Sic & nostra opera, vbi diligenter examinaueris,tũ euidenter retegentur,vi debimusq; nosipsos multis criminib. obnoxios esse. Hęc Chrysostomus. Docet nos hic Apostoli locus,vt is qui sibi benè consscius est ob vitam ex Dei voluntate traductã, non debeat vanas homiũ laudes appetere, qđ stultissimũ est', sed gloriari in Domino,& frui bono testimonio conscientiæ suæ,sicut ipse Aplûs alibi dicit: Gloria nostra hæc est,testimoniũ cõscientiæ nostræ. Et habet reuerà animus sibi benè consscius verã ac solidã gloriam in Deo suo,cui totũ fert acceptum, quicquid habet boni:hominũ verò laudes non appetit,quia vanę sunt,& non mediocriter pernicioſæ illis,qui ijs delectentur. *Vnusquisq; enim onus ſuũ portabit.* Hoc q sapiẽter secũ ipse perpẽdit,nõ facilè inaniter gloriatur. Scit.n. alia esse Dei iudicia,alia hominũ: scit se habere onera sua, q portet in illo æquissimo Dei iudicio: semperq; intẽtus in mala sua quæ se feciſſe nouit,non se effert nec iactitat,ob bona quæ fecit. Eiusmodi cogitatio hominẽ seruat à pernicioſissima animi elatione,quæ destructrix est & dissipatrix omnium

Galat. 5.

Vana gloria, pestis exitiabilis.

Humilitas.

Mutuum obiurgãdis proximis quid obseruandum.

Lex Christi.

Rom. 13.

2. Cor. 1.

Vir spiritalis unde agnoscatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dei donorum. *Cõmunicet aũt is, qui catechizatur uerbo, ei q̃ se catechizat in omnib. bonis.* Illud vſitatũ præceptũ eſt, inquit Auguſtinus, vt prædicatori verbi Dei præbeat neceſſaria cui prædicatur. Cõſentit Auguſtino Chryſoſtomus, hunc locum ita exponens: Hic iam de doctoribus loquitur Aplũs. Vult enim illos diligenter curari ab his, quos inſtituũt. Et quamobrem, inquit? Chriſtus hoc ita præſcripſit, & in nouo Teſtamento lex hæc poſita eſt, vt qui Euangeliũ prædicant, ex Euangelio viuant: & in veteri ſimiliter multi prouentus erant Leuitis è ſubditis. *Nolite errare: Deus non irridetur.* Homo hominem fallere poteſt, Deum fallere nemo poteſt. Locus hic etiam illos perſtringere videtur, qui fortaſsis per mendacium ſuæ tenacitati paupertatem prætexentes, nolint illis, à quibus pro concione docẽtur & ſacramenta accipiunt, temporale ſubſidium præbere: qui etſi hominibus non ſe mẽtiri perſuadere queant, fruſtrà tamen Deo imponere nituntur. *Quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet. Quoniam q̃ ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionẽ.* Quemadmodũ in ſemente, ait Chryſoſtomus, qui ſeminat, non poteſt ex ordeo metere triticum, eò q̃ oporteat & ſementem & meſſem eiuſdem eſſe generis, ſic & in operibus. Qui in carne depoſuerit delicias, temulentiam, concupiſcentiam abſurdam, quæ hinc proueniunt, metet. Quæ aũt ſunt iſta? Supplicium, vltio, probrum, riſus, corruptio. Siquidem menſarum ſumptuoſarum & condimentorum nullus alius prouentus eſt, quàm corruptio. Nam ſimul & ipſa corrumpuntur, & corrumpũt corpora. *Qui aũt ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitã æternã.* Seminatio in ſpiritu eſt, inquit hîc Auguſtinus, ex fide cum charitate ſeruire iuſtitiæ, & nõ obaudire deſiderijs peccati, quanuis de mortali carne exiſtentibus. Meſsis aũt vitæ æternæ, cũ inimica nouiſsima deſtruetur mors, & abſorbebitur mortale à vita, & corruptibile hoc induet incorruptionẽ. In hoc ergo tertio gradu, quo ſub gratia ſumus, ſeminamus in lachrymis, cùm exiſtunt deſideria de animali corpore, quib. nó conſentiendo renitemur, vt in gaudio metamus, cùm etiam reformato corpore, ex nulla parte hominis vlla nos ſolicitabit moleſtia, vllumúe tentationis periculum. Huic ſententię propheta cõcinit, dicẽs, Qui ſeminat in lachrymis, in gaudio metet. Benè aũt ſeminare, i. benè operari, facilię eſt quàm in eo perſeuerare. Fructus enim ſolet laborem conſolari. Meſsis aũt noſtra in fine prouidentia etiã veſtiri pót. Non aũt veſtra cura factũ eſſe, vt ad hanc ſtaturã veniret corpus veſtrũ, ex hoc intelligi poteſt, q̃ ſi curetis & velitis

Seminatio in ſpiritu.

2. Cori. 15.

Pſalm. 125

Matt. 10. & 24.

diuerſitate ſementis, diuerſas nos facere meſſuras, centeſimum, & ſexageſimum, & triceſimum fructũ: quam ſegetem nemo poteſt metere deficiens. Qui enim perſeuerauerit vſq; in finem, hic ſaluus erit: ſicut & alio loco præcipitur: Eſto non deficiens. Quale eſt aũt, vt cùm peccatores quotidiè in malis operibus augeantur, nos in bono opere laſſemur? Hæc ille. *Ergo dũ tẽpus habemus, operemur bonum ad oẽs, maximè aũt ad domeſticos fidei.* Tempus ſementis, vt diximus, ait idem Hieronymus, tempus eſt præſens & vita quam currimus. In hac licet nobis quod volumus ſeminare. Cùm iſta vita tranſierit, operandi tempus aufertur. Ira ipſa & libido, & iniuria, quæ deſiderant vltionẽ: ſi me refrænem, ſi ꝓpter Deum taceam, ſi per ſingulos cõmotionis aculeos & incentiua vitiorum Dei deſuper me videntis recorder, fiunt mihi occaſio triumphorum. Ne dicamus in largiendo, Ille eſt amicus, hunc neſcio: hic debet accipere, iſte contemni. Imitemur patrem noſtrum, qui ſolẽ ſuũ oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Fons bonitatis omnib. patet. Seruus & liber, plebeiꝰ & rex, diues & pauper ex eo ſimiliter bibũt. Lucerna cùm accenſa fuerit in domo, omnib. lucet æqualiter. Quòd ſi in cunctos indifferenter liberalitatis fræna laxãtur, quanto magis in domeſticos fidei, & in Chriſtianos, qui eundem habent patrem, eiuſdem magiſtri appellatione cenſentur? Hæc ille. Faxit præpotens Deus, vt perpetim memores lectionis huius, illi conuenienter viuamus, Amen.

Ibidem.

Apoc. 2.

Matth. 5.

DOMINICA XVI. POST Pentecoſten, Matth. VI.

In illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Et reliq. Homilia beati Auguſtini epiſcopi, libro 2. De Sermone Domini in monte.

HAec verba diligenter conſideranda ſunt. Nam qui ſint duo Domini, deinceps oſtendit, cùm dicit: *Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ.* Mammona apud Hebræos diuitiæ appellari dicuntur. Congruit & Punicum nomen: nam lucrum Punicè Mammon dicitur. Sed qui ſeruit mammonæ, illi vtiq; ſeruit, qui reb. iſtis terrenis merito ſuę peruerſitatis præpoſitus, magiſtratus huius ſeculi à Domino dicitur. *Aut enim unum odio habebit homo, et alterum diliget*, id eſt, Deum: *aut alterum patietur, & alterum contemnet.* Patitur enim durũ & pernicioſum dominum, quiſquis ſeruit mammonæ. ſua enim cupiditate implicatus, ſubditur diabolo, & non eum diligit. Quis enim eſt qui diligit diabolum? ſed tamen patitur: ſicut in maiore aliqua domo, qui ancillæ alienę coniunctus eſt, propter cupiditatem ſuam duram patitur ſeruitutem, etiam ſi non diligat eum, cuius ancillam diligit. Alterũ autem

Mãmona quid ſignificet.

Matt. 6. Luc. 16.

Ioan. 12.

Vide Auguſt. lib. 1. Retract. cap. 19.

Eccleſ. 5.

Rom. 2.

Rom. 11.

Sapi. 1.

aũt contẽnet, dicit, nõ, odio habebit. Nullius. n. verè conſcientia Deum pót odiſſe. Contẽnit aũt, .i. non timet, cùm quaſi de eius bonitate ſecurus eſt. Ab hac negligentia & pernicioſa ſecuritate reuocat ſpũſſanctus, cùm per ꝓphetam dicit: Fili, ne adijcias peccatũ ſuper peccatum, & ne dicas, Miſeratio Dei magna eſt: ignorans quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit. Cuius. n. tanta miſericordia cõmendari pót, quàm eius qui omnia donat peccata conuerſis, & oleaſtrũ facit participem pinguedinis oliuæ? Et cuius tanta ſeueritas, quàm eius qui naturalibus ramis non pepercit, ſed ꝓpter infidelitatem fregit illos? Sed q̃ſquis vult diligere Deũ, & cauere ne offẽdat, nó ſe arbitretur duob. dominis poſſe ſeruire, & intentionem cordis ſui rectã ab omni duplicitate explicet. Ita enim ſentiet de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quæret illum. *Ideo (inquit) dico uobis, non habere ſolicitudinem animæ ueſtræ q̃d edatis, neq; corpori ueſtro quid induatis:* ne fortè quanuis iam ſuperflua non quærantur, ꝓpter ipſa neceſſaria cor duplicetur, & ad ipſa conquirẽda noſtra detorqueatur intentio, cùm quaſi miſericorditer aliquid operamur: id eſt, vt cũ cõſulere alicui videri volumus, noſtrum emolumentum ibi potiùs, quàm illius vtilitatem attendamus: & idcò nobis non videamur peccare, quia nó ſuperflua, ſed neceſſaria ſunt quæ conſequi volumus. Dominus aũt admonet, vt meminerimus multo amplius nobis Deum dediſſe, q̃ nos fecit & cõpoſuit ex anima & corpore, quàm eſt alimentum atq; tegumentum, quorum curam nos duplicare cor nõ vult. *Nónne anima (inquit) plus eſt quàm eſca?* Vt tu intelligas eum, qui dedit animam, multo faciliùs eſcam eſſe daturum. *Et corpus quàm ueſtimentũ*, .i. plus eſt, vt ſimiliter intelligas eum qui corpus dedit, multo faciliùs daturum eſſe veſtimentum. Quo loco quæri ſolet, vtrùm & ad animam cibꝰ iſte pertineat, cùm anima incorporea ſit, iſte aũt cibus corporeus. Sed animã hoc lõco ꝓ iſta vita poſitã nouerimus, cuius retinaculũ eſt alimentũ iſtud corporeũ. Secundùm hanc ſignificationẽ dictum ẽ etiã illud: Qui amat animã ſuã, perdet illã. Quod niſi de hac vita acceperimꝰ, quã oportet ꝓ regno Dei perdere, q̃ potuiſſe martyres claruit, contrariũ hoc præceptũ erit illi ſententię, qua dictũ eſt: Quid ꝓdeſt homini ſi totũ mundũ lucretur, animæ aũt ſuæ detrimentũ faciat? *Reſpicite (inquit) uolatilia cæli, quoniam non ſerunt, neq; metũt, neq; congregant in horrea ſua, & pater ueſter cæleſtis paſcit ea. Nónne uos pluris eſtis illis?* i. cariùs vos valetis? quia vtiq; rationale animal, ſicuti eſt homo, ſublimiùs ordinatum eſt in rerum natura, quã irrationabilia, ſicut ſunt aues. *Quis aũt ueſtrũ (inquit) curãs põt adijcere ad ſtaturã ſuã cubitũ unũ? Et de ueſtimento q̃d ſolliciti eſtis?* i. cuius poteſtate atq; dominatu factũ ẽ, vt ad hanc ſtaturã corpus veſtrũ perduceretur, eius ꝓuidentia etiã veſtiri pót. Non aũt veſtra cura factũ eſſe, vt ad hanc ſtaturã veniret corpus veſtrũ, ex hoc intelligi poteſt, q̃ ſi curetis & velitis adijcere vnũ cubitũ huic ſtaturæ, nõ poteſtis. Illi ergo etiam tegendi corporis curam relinquite, cuius videtis cura factum eſſe, vt tãtæ ſtaturæ corpus habeatis. Dandũ aũt erat etiã documẽtũ ꝓpter veſtimẽtum, ſicut datũ eſt propter alimentũ. Itaq; ſequitur & dicit: *Cõſiderate lilia agri quõ creſcũt: nõ laborãt, neq; nent. dico aũt uobis, quoniã nec Salomon in omni gloria ſua ſic ueſtitus eſt, ſicut unũ ex iſtis. Si aũt fœnũ agri quod hodiè ẽ, & cras in clibanũ mittitur, Deus ſic veſtit, quanto magis uos modicæ fidei?* Sed illa documenta nõ ſic allegoricè diſcutiẽda ſunt, vt quæramus quid ſignificent aues cęli aut lilia agri. Poſita ſunt. n. vt de rebus minoribus maiora perſuaderentur: ſicut eſt illud de iudice, qui nec Deũ timebat, nec hominem reuerebatur, & tamen ſæpè interpellanti viduæ ceſsit, vt eius cauſam conſideraret, nõ ꝓpter pietatem aut humanitatem, ſed ne tædium pateretur. Non enim vllo modo ille iniuſtus iudex perſonam Dei allegoricè ſuſtinet, ſed tamẽ quãtùm Deus, qui bonus & iuſtus eſt, curet deprecãtes ſe, hinc conijci Dominus voluit, q̃ nec iniuſtus homo eos, qui illũ aſsiduis precibus tundũt, vel propter tædium deuitandũ pót contemnere. *Nolite ergo, inquit, ſoliciti eſſe, dicentes: Quid edemus, aut q̃d bibemus, aut quo ueſtiemur? Hæc enim omnia gẽtes inquirunt. Scit enim pater ueſter, quia horum omniũ indigetis. Quærite primùm regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia apponentur uobis.* Hic manifeſtiſsimè oſtendit, non hæc eſſe appetenda tanquam talia noſtra bona, vt ꝓpter ipſa debeamus benefacere ſi quid facimus, ſed tamen eſſe neceſſaria. Quid enim interſit inter bonũ quod appetendũ eſt, & neceſſarium quod ſumendum eſt, hac ſentẽtia declarauit, cùm ait: *Quærite primùm regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia apponentur uobis.* Regnum ergo & iuſtitia Dei, bonum noſtrũ eſt, & hoc appetendũ, & ibi finis conſtituendus, propter quod omnia faciamus quęcunq; facimus. Sed quia in hac vita militamus, vt ad illud regnum peruenire poſsimus, quæ vita ſine his neceſſarijs agi non poteſt, Apponentur vobis hæc, inquit: ſed vos regnum Dei & iuſtitiam eius primùm quærite. Cùm enim dicit illud primùm, ſignificauit quia hoc poſteriùs quærendum eſt, non tempore, ſed dignitate. Illud tanquàm bonum noſtrum, hoc tanquã neceſſarium noſtrum: neceſſariũ aũt propter illud bonum. Neq; enim (verbi gratia) ideò debemus euangelizare, vt manducemus: ſed ideò manducare, vt euangelizemus. Nam ſi ꝓptereà euangelizamus vt manducemus, vilius habemus euangelium quàm cibum: & erit iam bonum noſtrũ in manducando, neceſſarium aũt in euangelizãdo. Quod etiam Aplũs prohibet, cùm dicit, licere ſibi quidẽ & permiſſum eſſe à Domino, vt qui euangeliũ annũciant, de euangelio viuant: id eſt, de euangelio habeant ea, quę huic vitæ ſunt neceſſaria, ſed tamen ſe non eſſe abuſum hac poteſtate. Erant. n. multi, qui occaſionem habere cupiebãt acquirendi ac vendendi euangelium, quibus eã volens Aplũs amputare, manibus ſuis victum ſuũ

Nõ omnia trahenda ad allegorias.

Luc. 18.

Regnum Dei, bonũ noſtrum.

1. Cor. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

2. Cori. 11. tolerauit. De his enim alio loco dicit, Vt amputem occasionem ijs, qui quærunt occasionem: quanquam etiamsi vt cæteri Apostoli, permissu Domini de euangelio viueret, non in eo victu finem constitueret euangelizandi, sed magis ipsi⁹ victus sui finem in euangelio collocaret: i. vt superiùs dixi, non ideò euangelizaret, vt perueniret ad cibũ, & si qua sunt alia necessaria: sed ideò ista sumeret, vt illud impleret, ne non volens, sed necessitate euangelizaret. Hoc enim improbat,
1. Cor. 9. cùm dicit: Nescitis quoniam qui in templo operantur, quæ de templo sunt, edunt: & qui altario deseruiunt, altario comparticipãtur? Sic & Dominus ordinauit his qui euangelium annunciant, de euangelio viuere: ego aũt nullius horum vsus sum. Hinc ostendit permissum esse, non iussum:
Ibidem. alioquin contra præceptum Domini fecisse tenebitur. Deinde sequitur & dicit: Non aũt scripsi hæc, vt ita fiant in me. Bonum est mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quisquam inanem faciat. Hoc dixit, quia iam statuerat propter quosdam occasionem quærentes, manibus suis victũ transigere. Si enim euangelizauero, inquit, non est mihi gloria: id est, si euãgelizauero vt ista fiant in me. i. si ꝓptereà euangelizauero, vt ad illa perueniam, & finem euangelij in cibo & potu & vestitu collocauero. Sed quare non est ei gloria? Necessitas enim, inquit, mihi incumbit: id est, vt ideò euangelizem, quia vnde viuam non habeo, vt acquiram temporalem fructum de prædicatione æternorum. Sic enim iam necesitas erit in euangelio, non voluntas. Væ enim mihi est, inquit, si non euangelizauero. Sed quomodò debet euangelizare? Scilicet vt in ipso euangelio, & in regno Dei ponat mercedem. Ita enim potest non coactus euangelizare, sed volés. Si enim volens, inquit, hoc facio, mercedem habeo: si autẽ inuitus, dispensatio mihi credita est: id est, si coactus inopia earum rerum, quæ temporali vitæ sunt necessariæ, prædico euangelium, alij per me habebunt mercedem Euangelij, qui Euangeliũ ipsum me prædicante diligunt: ego aũt non habebo, quia non ipsum Euangeliũ diligo, sed eius precium in illis temporalibus constitutum. Qđ nefas est fieri, vt non tanquam filius ministret quisque Euangelium, sed tanquam seruus, cui dispensatio credita est: vt tanquam alienum eroget, nihil inde ipse accipiat præter cibaria, quæ
1. Cor. 4. non de participatione regni, sed ad sustentaculũ miseræ seruitutis dãtur extrinsecùs. Quanquam alio loco dispensatorem se dicat. Potest enim & seruus in filiorum numerum adoptatus, eam rẽ in qua cohæredis sortem meruit, fideliter dispẽsare participibus suis. Sed nunc vbi ait, Si autem inuitus, dispẽsatio mihi credita est: talem dispensatorem intelligi voluit, qui alienum dispensat, vnde ipse nihil accipiat. Ergo quæcunq; res ꝓpter aliud aliquid quæritur, sine dubio inferior ẽ quàm id, ꝓpter quod quæritur. & ideò illud primùm est, propter quod istam rem quæris, nõ ista res quã propter illud quæris. Quapropter si Euãgelium & regnum Dei ꝓpter cibum quærimus, priorem facimus cibum, & posterius regnũ Dei, ita vt si non desit cibus, non quæramus regnum Dei. Hoc est ergo primùm quẽrere cibum, & deinde regnum Dei: id est, hoc priori loco ponere, illud posteriori. Si aũt ideò quæramus cibum, vt habeamus regnum Dei, faciamus qđ dictũ est: Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia apponentur vobis. Quærentibus enim primùm regnũ & iustitiam Dei. i. hæc præponentibus cæteris rebus, vt propter hæc cætera quęram⁹, nõ debet subesse solicitudo, ne illa desint quę huic vitę propter regnũ Dei sunt necessaria. Dixit. n. superiùs: Scit enim pater vester, quia horum omnium indigetis. Et ideò cùm dixisset: Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, non dixit: Deinde ista quærite, quanuis sint necessaria. sed ait: Hæc omnia apponentur vobis, .i. consequentur, si illa quæratis, sine vllo vestro impedimento: ne cùm ista quæritis, illinc auertamini: aut ne duos fines constituatis, vt & regnũ Dei ꝓpter se appetatis, & ista necessaria, sed hæc potiùs propter illud. Ita vobis non deerunt, quia non potestis duobus dominis seruire. Duobus aũt dominis seruire conatur, qui & regnum Dei pro magno bono appetit, & hæc temporalia. Nõ potest aũt simplicem habere oculũ, & vni Domino Deo seruire, nisi quęcunq; sunt cætera, si sunt necessaria, propter hoc vnum allumat. i. propter regnum Dei. Sicut aũt oẽs militantes accipiunt annonam & stipendium, sic oẽs euangelizantes accipiunt victum & tegumentum. Sed non oẽs propter salutem reipub. militant, sed propter illa quæ accipiunt: sic non oẽs propter salutem Ecclesiæ ministrant Deo, sed propter hæc temporalia, quæ tanquàm annonam & stipendia consequuntur, aut & propter hoc, & propter illud. Sed iuprà iam dictum est, Non potestis duobus dominis seruire. Ergo simplici corde tantummodò propter regnum Dei debem⁹ operari bonum ad oẽs: non aũt in hac operatione vel solam, vel cũ regno Dei mercedem temporalem cogitare. Quorum omnium temporalium nomine, crastinum posuit, dicens: Nolite ergo soliciti esse de crastino. Non enim dicitur crastinus dies, nisi in tempore, vbi præterito succedit futurum. Ergo cùm aliquid boni operamur, nõ temporalia, sed æterna cogitemus. Tunc erit illud bonum & perfectum opus.

Duobus dominis seruire.

EADEM DOMINICA.
Matth. VI.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Nemo potest duobus dominis seruire. Et reliq. Homilia Erict.

Do-

Luc. 19. Dominus ad hoc homo factus est, vt nos de potestate tenebrarum eriperet, & regnũ Deo patri nos faceret. Ait enim ipse in quodam euangelij loco parabolicõs loquens, quòd homo quidam nobilis abijt in regionẽ longinquam, accipere sibi regnum. Quibus verbis nullum alium quàm seipsum intelligi voluit, qui ad hoc de cælestibus in hanc ærumnarum ac mortis regionem venire dignatus est, vt imperium diaboli, quod fœdere quodam peccati, mortisque æternæ pacto persuaserat, dissiparet, & regnum suum iustitiæ ac mansuetudinis legibus exaltaret. Cùm ergo iam multi à regno diaboli deficerent, & edictis cælestibus parentes, fidei signa prompta deuotione subirent, hac oratione eos rex ille victoriosissimus alloquitur: *Nemo potest duobus dominis seruire.* Ac si verbis alijs ad spiritualis militiæ disciplinam exhortans, dicat: Si perfectè mei imperij ius eligitis, oportet vt per omnia prioris domini seruitium abnuatis. Neque enim simul vtrisque obtemperari potest, cùm contraria sibi sint, quæ ego & quæ ille præcipimus. Ego denique quæ sanctitatis atque honestatis sunt iubeo impleri, ille turpia omnia atque honestati repugnantia præcipit exerceri. Ego virtutum arma meum militem pro mansuetudine humilitateque seruanda alacriter excipere, ille cogit suos pro superbia mortem insontibus irrogare. Quomodò ergo potest ambobus par exhiberi famulatus, quorum dispar est dominatus? Hæc verba redemptoris nostri ad curas istius seculi euitandas nos instruũt, & vt contemnere temporalia, & cælestia studeamus semper appetere, exhortatur? *Nemo* (inquit) *potest duobus dominis seruire.* Quæ sententia iuxta literam apertissimè etiam non exposita claret, quia nemo scilicet duobus dominis carnalibus ita potest seruire, vt ambobus æqualiter placeat, vtrisq; æqualiter obsequatur. vnde subditur: *Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum sustinebit, & alterum contemnet.* Spirituali verò intellectu qui sint isti duo domini, subsequenter ostendit, cum subdit: *Non*
2. Cor. 6. *potestis Deo seruire & mammonæ*: id est, Christo & diabolo. Quæ enim participatio Christo & diabolo? aut luci ad tenebras? Adhuc verò de duobus dominis sequitur: *Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum sustinebit, & alterum contemnet.* Vnum odio habebit, si diabolum, qui odio habendus est, non per hoc quòd substantia, sed per hoc quòd malus est, oderit: & alterum diliget. i. Christum, qui velut mansuetus Dominus solummodò se diligi, solũmodò ex affe-
Matt. 22. ctu præcipit amari: Diliges, inquiens, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua: Aut vnum sustinebit, id est, diabolum tanquam durum & immitem dominum. Ipse enim durissimis imperijs amatores seculi quatit, & postquam semel hominum dominari potuerit, etiam nolentem inuitumque ad malè agendum compellit: nec sine grauissimis laboribus imperata peragunt. Frequenter enim exilia, naufragia, & rei familiaris damna, ipsam postremò mortem horum gratia perferunt. De talibus scriptura dicit: Vt malè a- *Hier. 9.*
gerent, laborauerunt. Hunc ergo talem dominũ sustinent potiùs inuiti, quàm seruiunt subditi: quia postquam semel eius super se dominium sponte susceperunt, nunquam de cætero suis viribus, nisi sola Dei validissima manu eripi possunt. Et alterũ (inquit) contemnet, hoc est Deũ. Et notanda proprietas verborũ dominicorum. Cùm enim præmisisset Dominus, dicens: Aut vnum odio habebit, & alterum diliget: non est subsecutus econtrà, vt diceret: Aut vnum diliget, id est, diabolũ: & alterum odio habebit, hoc est, Deum: quia nullius conscientia quantumuis peruersissima ad hoc potest eripere, vt dicat se Deum odio habere, aut diabolum diligere. Contemnet verò, id est, non timebit. Contemnitur enim Deus ab illis, qui peccantes sibi de impunitate scelerum blandiuntur, putantes aut nescire sua scelera Deum, aut visa statim indulgere: qui nesciũt quòd dissimulando eos diuina bonitas ad pœnitentiam prouocet, dicente Apo- *Rom. 2.*
stolo: An nescis, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundùm duritiam tuam, & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die irę, & reuelationis iusti iudicij Dei. Aliter: Conuenienter autem addidit, aut vnũ sustinendum, hoc est, diabolum, aut alterum contemnendum, videlicet Deum. Contemnit enim Deum, sed tamen non odit, quisquis præcepta illius contradicendo despicit. Sustinet verò diabolum, tanquam si quis durum & crudelem habeat dominum, sed tamen non diligit, quicunq; per cupiditatem diuitiarũ illi se subdit, qui prin- *Ioan. 14.*
ceps huius mundi habetur, dicente Domino: Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquam. Sed licet illum sustineat tanquã crudelem dominum, non tamen diligit. Verbi gratia: Si quis in maiori aliqua domo, ancillæ cuiuslibet hominis potentis copulatur, etiam si nõ diligat eum cuius ancillam diligit, propter vim tamen suæ cupidinis duram sustinet seruitutem, subijciendo se illi, cuius ancillam sibi coniunctam diligit. Sic & homo diligens diuitias, seruus diaboli est, qui caput & princeps est amatorum mundi. Diuitias enim possidere, indifferẽs opus est. Nam nec diuiti obsunt opes, si eis benè vtatur, nec pauperem egestas commendabiliorem facit, si inter sordes & inopiam peccata non caueat. *Non potestis Deo seruire & mammonæ.* Mammona apud Hebræos vel Syrios, diuitiæ interpretatur Latinè: Punicè autem Mammon lucrum dicitur. vtrunque autem ad vnum finem pertinet. Et rectè auaritiam specialiter posuit, vt ostenderet manifestè diuitiarum seruos, diabolo quoque seruos existere. Nam &

Universidad de Deusto
Biblioteca

Apostolus auaritiam idolorum seruitutem vocare non dubitauit, dicens: Et auaritiam, quæ est idolorum seruitus. Quo loco solerter notandum, quia non dicitur, Non potestis Deo seruire & diuitias possidere: sed, Non potestis Deo seruire & Mammonæ, id est, diuitijs. Multos enim sanctorum patrum legimus temporaliter & diuitias habuisse, & nihilominùs Deo deseruisse. Abraham nanq; ditissimus fuit, qui cum trecentis decem & octo vernaculis reges quinque bellica expeditione superauit, & Lot fratrē suū à captiuitate exemit. Iob quoq; ille maximū exemplum patientiæ, inter omnes orientales diuitijs affluisse, scripturæ testimonio declaratur. Quid de sanctissimo Dauid dicemus, cui & diuitiarum copia, & imperij magnificentia suppeditabat, eiq̃ à subiectis per circuitum nationibus munera deferebantur? Sed isti quanuis habuerunt diuitias, non seruierunt diuitijs, sed Deo: quia nequaquā spem suam diuitijs cómiserunt, nec custodierunt eas vt serui, sed ingenuè dispensauerunt vt domini, tenentes eas in vsu, non in desiderio, & tanquam ex latere sibi datas vtiliter disponentes. Hinc B. Dauid quanuis in regni solio constitutus, quòd nihil in fallacibus diuitijs sideret ostendebat, dicens: Egenus sum & pauper, sicut omnes patres mei. Diuites etiam vel qui erant, vel qui esse poterant, alloquens dicebat: Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Quisquis ergo custodit diuitias vt seruus, & non distribuit vt dominus, seruus est diuitiarum: & seruiendo diuitijs, compellitur seruire diabolo, quia cupiditate diuitiarum implicatus, diabolo se subdit, qui merito suæ prauitatis terrenis rebus præpositus est, & à Domino princeps huius seculi appellatur. Quapropter audiant ista diuites, & eligant magis Christi esse serui, quàm mancipia diuitiarum. Discant nō inniti tendum præsentibus, sed spem omnem inferendam perennibus, solumq; ad hoc velle habere diuitias, vt sit vnde pauperum indigentia expleri, vnde possint peccata redimi. *Ideò dico uobis, ne soliciti sitis animæ uestræ quid manducetis, neq; corpori uestro quid induamini.* tanquam dicat: Quia Deo simul & cupiditatibus mūdi seruire non potestis, quia in incerto diuitiarū confidere nō debetis, ideò dico vobis, ne soliciti sitis in aggregandis diuitijs, quib⁹ mēs implicita alienetur ab amore sui creatoris. Quæri verò potest, vtrùm cibus iste corporeus ad animam, an ad corpus pertineat, cùm constet animam incorpoream, cibum verò esse corporeum. Sed animæ nomine in scriptura sacra, vita præsens signari solet, iuxta quod Dominus alibi ait: Qui amat animam suam, hoc est, vitam suam, perdet eam. Et Apostolus Paulus: Non facio, inquit, animam meam pretiosiorem quàm me. Ergo & hic anima hoc sensu accipienda est, vt per animam præsens vita intelligatur, quæ alimentis ac vestibus retinetur: cuius vinculum atque conciliatio quædam est cibus iste corporeus, in cuius causa labor exercendus est ad eam sustentandam: solicitudo autem tollenda, vt habentes victum & vestitum, his contenti simus. Siue anima pro ipso corpore, quo continetur, est posita, à parte videlicet totum, sicut legimus Iacob descendisse in Aegyptum in animabus septuaginta, cùm animas non absque corporibus descendisse manifestum sit. Cæterùm de spiritali cibo ac vestimento valdè nos oportet esse solicitos. Adhuc tamen ipsa verba Domini ponderatiùs perpendenda sunt. Non enim ait, Ne quæratis quid mā ducetis, aut quo induamini: sed, Ne soliciti sitis: ac propterea non labor, sed solicitudo prohibita est. Sed cùm primo homini dictum sit: In sudore vultus tui vesceris pane tuo: quid est quòd nunc discipulis, immò cunctis fidelibus præcipit, ne soliciti sint quid manducare vel bibere vel induere debeant? Nunquid prohibet hominem laborare, qui priùs iussit in sudore vultus panem comedere? Nequaquam. Cui etiam ob hoc exercendi ruris & proscindendi agri peritia data est, vt labore proprio aleretur & vestiretur. Sed in his præceptis dominicis illa differētia est attendenda, vt ea, quæ ad cibum vel indumentū corporis sunt necessaria, vnusquisq; procurare studeat, ne deficientibus his quæ naturalis fragilitas expetit, vtpotè sine quibus non valet subsistere, etiam ipsa vita genuino adiutorio priuata deficiat. Solicitudinem autem in his adhibere vetat, quod intelligitur cura superflua. Vnde pulchrè hanc veteres ita definierunt, vt diicerent solicitudinem esse ægritudinem animi cū immoderata cogitatione. Solicitudo ergo quasi res superflua & plus iusto anxia tollitur: labor verò quasi res necessaria exerceri permittitur. Intā tùm deniq; laboris vsus minimè prohibetur, vt Psalmista beatum dicat, qui suis laboribus pascitur: & Apostolus laborandum manibus quod bonum est dicit, vt quis habeat vnde tribuat necessitatem patientibus. Quapropter labor exercendus est, vt necessitas eluctetur: solicitudo tollenda, qua non necessitati, sed cupiditati consulitur. *Nonne anima plus est quàm esca, & corpus plus quā uestimentum?* Ex his duabus substantijs constat homo, anima videlicet & corpore. Omne quod appetimus, aut propter se, aut propter aliud appetimus. Propter se enim sapientia, quæ Deus est, appetenda est: propter aliud verò, si quis (verbi gratia) emplastra habere cupiat, non vt emplastra possideat, sed vt ex eis sanitas corpori prouideatur. Nemo verò dubitat maius esse illud quod propter se, quàm illud quod propter aliud quæritur. Datur ergo hic intelligi, animam plus esse quàm escam, quòd ad hoc esca requiritur, vt vita præsens illa sustentetur. Corpus quoque plus quàm vestimentum, quod idcircò requiritur, vt nuditas illo tegatur. Admonet ergo nos Dominus hac sententia, vt meminerimus multo amplius nobis Deum dedisse in eo, quòd nos

Col. 3.

Gen. 14.

Iob 1.

Psal. 38.

Psal. 61.

Seruus diuitiarum quis sit.

Ioan. 12.

Act. 20.

1. Tim. 6.

Gen. 46.

Gen. 3.

Lilia agri, pro herbis omnibus.

Lilia, angelorum agmina.

cùm non essemus, composuit ex anima & corpore, quàm sit alimentum & tegumentum, vt sit sensus: Quia maiora nobis præstitit, id est, corpus & animam, præstabit vtiq; & minora, victum videlicet & vestitum. Quare ergo de minoribus soliciti sumus, qui maiora percepimus? *Respicite uolatilia cæli, quoniam non serunt, neq; metunt, neq; congregant in horrea, & pater uester cælestis pascit illa.* Volatilia cæli, aues per hunc aërem discursantes appellat. Quicquid cælo vicinius est, cælum in scripturis nuncupari consueuit. Ducit nos Dominus ad considerandā minora opera, quatenùs ex rebus minoribus maiora nobis faciliùs persuaderi possint. Nulli enim dubium est, quòd homo maius sit, quàm aliquod volatile. Homo ad Dei imaginem & similitudinem factus est, volatile verò creatura quidem est, sed tamen irrationalis, & cùm moritur, corpore & anima moritur: homo verò quanuis moriatur corpore, anima tamen viuit Deo. Ait ergo: Respicite, id est, considerate volatilia cæli, quoniam non serunt, id est, non seminant, neq; metunt, hoc est, non colligunt, neq; congregant in horrea, videlicet in granaria, & pater vester cælestis pascit illa, id est, nutu Dei aluntur. Si ergo volatilia, quorū mortalis est anima, prouidentia Dei creatoris aluntur, multo magis homines, quibus æternitas repromittitur, illius munificentia gubernantur. Quidam plus appetentes sapere quàm oportet, voluerunt hunc locū allegorica interpretatione discutere, dicentes per volatilia cæli angelos designari, qui absq; vlla cura viuentes, perpetua securitate & quiete potiuntur: non attendentes quod sequitur: *Nonne uos magis pluris estis illis?* Si ergo his volatilibus, quibus nulla colendi terras industria, nullus de segetum fœcunditate prouentus est, indeficientem diuina prouidentia sufficit alimoniam, turpe est homines causa solicitudinis fatigari, quibus & elementorum temperies, & terræ fœcunditas famulatur. Et meritò talium imprudentia exemplo irrationabilium auium coërcetur, quia aues nil sibi speciale vendicant, nesciunt alijs inuidere: hi verò propria defendunt, qui communia amiserunt. Ad suam proinde intuendam dignitatem, ad considerandam originem reuocantur, cùm subditur: *Nonne uos magis pluris estis illis?* Non dicit, Plures estis, quia plures ad numerum pertinet: sed pluris, ad dignitatem respiciens, id est, carioris precij estis vos, & plus quàm illa valetis. Illa enim irrationabilia sunt, nullo se intellectu regentia, quæ cùm moriuntur, corpore intereunt & anima: vos aūt ad imaginem Dei conditi, & ad æternitatem prædestinati, ac sublimiùs in rerum natura compositi estis. Debetis ergo quid sitis recolere, ne dum nimis terrenis dediti estis, in terrena & infima deficiatis. *Quis autem uestrum cogitans, potest adijcere ad staturam suam cubitum unum?* Vt faciliùs persuaderet nobis possibilia sine solicitudine, dedit etiam de impossibilibus exemplum: Quis, inquiens, vestrum cogitans, potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum? Quasi dicat: Si est aliquis vestrum, qui ad staturam suam vnum cubitum adijcere possit, vt vel longior vel latior videatur: cogitet & elaboret qui eiusmodi est, qualiter illud pascat & vestiat, quod ipse sibi adiecit. Cæterū quod Deus creauit, etiam sine vestra solicitudine vestire ac pascere procurabit. Nunc ergo quia neq; quod Deo minimū est, implere potestis, illius prouidentiæ curā tegendi & alendi corporis relinquite, qui fecit vt ad hanc staturam vestrum corpus perduceretur. Sed quia de alimentis datum fuerat documentū ex comparatione volatilium cæli, dandum etiam erat & de vestimētis exemplum collatione liliorū agri. Vnde sequitur: *Et de uestimento quid soliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt. Non laborāt* in crescendo, *neq; nent*, id est, non filant, vt suo labore operiantur. Quo morali præcepto persuademur, quia si etiam ea quæ sunt sensu & ratione carentia, sic Dei prouidentia vestiuntur, vt nullo vsu vel ad gratiam egeāt, vel ad ornatū: multo magis credas rationabilem hominem, si omnē sui spem in Deo collocet, nunquam posse egere, eò quòd præsumpserit de fauore diuino. Notandum verò, quòd lilia agri pro omnibus herbis agri Dominus posuit, quæ non laborant in crescendo, neque nent, id est, fila non contorquent, vt pulchra sibi indumenta coaptent. De quibus sequitur: *Dico autem uobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut unum ex istis.* Specialit nota pro generali vsus est, quod in sequentibus aperitur, vbi fœnum agri euidentissimè ponitur. Nec illud omittendum, quod quidam doctorum asserunt, nos hic angelorum exemplo esse præmonitos. Dicunt enim non ociosè accipiendum, quòd flos homini, vel certè plus quàm homini in Salomone confertur, qui pro sui excellentia plus aliud fuit quàm homo, adeò vt templum Deo conderet, & verum Salomonem, hoc est, CHRISTVM, in mysterio figuraret. Ergo per lilia, angelorum cælestium expressa est gloria, quorum & claritate ornamur, & odore sanctitatis delectamur. Hæc ergo lilia, angelica scilicet illa agmina, nulla solicitudine præpediuntur, nullo laboris vsu exercentur, sed diuinæ libertatis gratiam, & cælestis seruant dona naturæ. Addendum etiam, quòd lilia nullum requirant cultum, nec erga generationem huius floris, sicut erga prouentum fructuum cæterorum, redeat actus in orbem sollicitis labor agricolis. Et licet demisso flore, id quod extrinsecùs est, videatur arescere, interius tamen radicis virtute alitur, & mox verni temporis prouocata blanditijs, floris sui honore vestitur. Sic & angelicæ dignitates ex ea quam adeptæ sunt originis suæ sorte, vt sint semper accipiunt. His ergo floribus Salomon quanquàm magno decore circundatus, componi non potest, quia licet infirmitatem naturæ cor-

Hominis præstātia.

Psalmus 7

Ephes. 4.

Cicero 4. Tusc.

porea

Universidad de Deusto
Biblioteca

poreæ virtute quadam mentis & operum gloria exornaret, nullatenùs angelicæ potuit comparari celsitudini, quæ humanæ fragilitatis expers, incorruptæ bonitatis ornatum seruaret. Hanc immortalitatis pulchritudinem, hunc incorruptibilem habitum, in resurrectione se Dominus electis daturum repromittit, dicens: Erunt sicut angeli Dei in cælo. *Dico autem uobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut unum ex istis.* Inter omnes reges Israëlitarum Salomonem ditissimum fuisse, Regum narrat historia. Qui inter reliquas dignitatum diuitias, præcipuè decore vestium, ac diuersitate cum preciositate pollebat, adeò vt singula ministrantium officia, cum omnibus sibi subiectis, proprijs ac singularibus vterentur indumentis. Vnde & de regina Saba, quæ à finibus terræ venerat audire sapientiam eius, legitur: Quia videns ordinem ministrorum, & vestes quibus in ministerio vtebantur, non habebat vltrà spiritum. Sed quanuis tanto honore ac splendore vestium fuerit decoratus, non est tamen tanta pulchritudine coopertus, sicut vnum ex istis, subauditur, lilijs. Et reuerà quæ textura aut pictura texentium mulierum, valet florum pulchritudini coæquari? Quid enim sic rubet vt rosa? Quid ita candet vt lilium? Iam verò violæ colorem pulcherrimum, nulla purpura superare, nulla valet tinctura supergredi. Quod autem ait: *Nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis*: in omni gloria dicit, id est, in magnitudine regni, in pulchritudine deliciarum, vel, vt diximus, in distinctione & varietate vestium. Cur autem hanc de delicijs similitudinem præmiserit, subdendo manifestat: *Si autem fœnum agri quod hodiè est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic uestit, quanto magis uos minimæ fidei?* Fœnum agri idem appellat, quod & superius lilia agri, omnes scilicet herbas pulchris coloribus decoratas. Hoc autem aduerbium quod est, cras, non semper pro succedenti die, sed aliquando etiam pro futuro tẽpore in scripturis poni solet, iuxta illud quod Samuël à pythonissa excitatus, Sauli ait: Cras tu & filij tui mecum eritis. Et Iacob: Exaudiet, inquit, me cras iustitia mea. Sic ergo & hic quod dicitur, Cras in clibanum mittitur, de futuro tempore intelligi debet, & est sensus: Si Deus ea quæ citò decidunt & marcescunt, fœnum videlicet, quod hodiè est in sua viriditate, & cras in clibanum, id est, in ignem mittitur, tanto decore circundat: quanto impensiore diligentia ea quę vobis necessaria sunt prouidebit, qui ad æternã hæreditatem præparati estis? Quod quia non vt oportet creditis, sed adhuc ambigitis, idcircò minimæ fidei estis. Minimos autem fide appellat apostolos, qui necdum fidei perfectę culmen subierant. Vnde & Domino dicebant: Auge nobis fidem. *Nolite ergo soliciti esse dicentes, Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* Notandum quòd non ait, Nolite quærere, vel soliciti esse de cibo aut potu, sed quid (inquit) manducetis aut bibatis. Vbi illi propriè notantur, qui in congregationibus constituti, spreta communione aliorum, qui sub vno præposito generaliter aluntur, aut vestiũtur, lautiora vel austeriora præ cæteris cum quibus habitant, alimenta vel indumenta requirunt, vt per hoc vel potentiores cæteris, vel fortiores æstimentur. Vtrunq; sanè reprehensibile, vtrunq; notabile: quia & de nimis superbo habitu elatio gignitur, & de nimis abiecto & inculto vestitu, quasi ex religiosa specie, laus & appetendi fauoris materies ministratur. Inter vtrunq; proinde regia via gradiendum, vt nec vestis preciosa designet elatum, nec vilis notet plus iusto religiosũ. Quibus verò cibi & vestitus solicitudo conueniat, intimatur cùm subinfertur: *Hæc enim omnia gentes inquirunt.* Exceptis paucis Iudæis, qui legem habentes Deum cęli venerabantur, reliquæ per vniuersum orbem nationes idolis seruientes, gentes appellabãtur. De quibus hic loquens Dominus, dicit: Hæc omnia gentes inquirunt. Illi scilicet, qui ignorant, qui nescĩunt alia cogitare quàm terrena, quorum est propriè mundanis angi curis, quibus nulla futurorum spes est, nullus laborum respectus, sed tantùm præsentibus delectantur. Comparati enim sunt iumentis insipientibus, & similes facti sunt illis. Vos autem aliter instituti, & ad cælestem compositi dignitatem, de spiritualibus & perpetuis cogitate. Nec timendum, quia ista agẽtibus temporalium desit vsus bonorum, nec de Dei potentia diffidendum, qui & melius quàm nosipsi nouit quibus indigeamus, & multò salubriùs nobis prospicit, quàm nosipsi prouidere sciamus. Vnde & subditur: *Scit enim pater uester, quia his omnibus indigetis.* Hinc quidam superfluè dogmatizantes obijciunt: Si Deus (aiunt) antequàm petamus scit quibus indigemus, quid necesse est, vt eum pro nostris necessitatibus exoremus? Ergo frustrà scienti loquimur. Quibus respondẽdum est, quia non sumus narratores, sed potiùs rogatores. Aliud est enim nescienti narrare, aliud scientem humiliter exorare. Vult ergo se peti à nobis, qui etiam nouit ea quæ petere debemus, vt nostra petitio præmium consequatur. Quid verò nobis præcipuo mentis appetitu, summoq; studio sit requirendum, subiecta sententia perdocemur. *Quærite autem primùm regnum Dei, et iustitiam eius.* Primùm, non ponitur hoc loco pro numero, sed potius pro quantitate. Primùm, id est, ante omnia, & super omnia quærite regnum Dei. Regnum autem Dei in sanctis scriptu ris quatuor modis accipitur. Aliquando enim significat præsentem Ecclesiam, vt illud: Omnis scriba doctus in regno cælorum, hoc est, in præsenti Ecclesia, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera. Aliquando sanctam scripturam, vt illud: Auferetur à vobis regnum Dei, id est, intelligentia diuinarum scripturarum. Aliquando cælestem

Matth. 3. Luc. 17. Matth. 22. 3. Reg. 10. Natura uincit artem. Fœnum agri, pro herbis qui buslibet elegantis coloris. 1. Reg. 28. Gen. 30. Luc. 17. Pſal. 48 Cur Deus omnia fidelibus non statim præstet. Regnum Dei multis modis significat. Matt. 13. Matt. 21.

Matth. 3. stem patriam, vt Ioannes dicit: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Aliquando verò significat ipsum Dominum Iesum CHRISTVM, sicut ipse loquitur ad Iudęos: Regnum Dei intra vos est, id est, Christus per humanitatem intra homines habitat. Et sicut in præsenti lectione dicit: Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius: siue regnum Dei supernæ illius ciuitatis gaudia nuncupat, vbi summa pax, veraq; tranquillitas, vbi fructus certaminum, & laborum præmia sanctis debentur. Hoc regnum Dei vitæ nostræ stipendijs quæramus, ad illud continuè suspiremus, & pro eius perceptione quælibet dura & aspera libentissimè perferamus. Quæramus & iustitiam eius. Iustitia enim regni Dei, impletio ad mandatorum Dei. Iustitia regni Dei, omnia caduca & transitoria spernere, iacturam rerum præsentium lucra sequentium reputare. Ille nimirùm iustitiam Dei quærit, qui bona opera exercens, dictis & præceptis illius in omnibus obtemperat. Ita ergo nobis regnũ Dei & iustitiã eius requirentibus, illa quidem summa & vera bona dabuntur: hæc verò quasi minima adijcientur. Quæ licet in præsenti bona videantur, media sunt, & ad illa vera bona si comparentur, iam nec bona dicẽda sunt. Dantur verò sanctis in præsenti adhuc peregrinatione desudantibus, vt his quasi quodam viatico releuati, ad ea quæ in patria sunt percepturi bona perueniant. Debet enim in vsu haberi temporalitas, in voto æternitas. Nec si adsint bona præsentia, his est animus occupandus, ne nimis ingesta onerent, & quasi ne ad patriam perueniatur, quodam pondere mentem grauent. Sic ergo parcè & honestè bonis præsentibus vti debemus, quatenùs excursis longæui huius exilij spatijs, sempiternis perfrui valeamꝰ. Aliter: *Et hæc omnia adijcientur uobis.* Quia adhuc in hac vita manentes, ab sq; alimentis & indumẽtis illã transire nõ possumus, cũ præmisisset: Primũ quærite regnum Dei & iustitiam eius, statim addidit: Et hæc omnia (subaudiendum, bona temporalia) adijcientur vobis. Vbi notandum, quòd ideò iubentur maiora quæri, id est, regnum Dei & iustitia eius, vt minora possint consequi, id est, bona vitæ præsentis. De quibus non dixit, Dabuntur, sed, Adijcientur, tanquàm videlicet necessaria, quibus non fruamur, sed quasi in itinere positi vtamur.

Iustitia regni Dei

EADEM DOMINICA.
HOMILIA EVSEBII
Emesẽni.

Nemo potest duobus dominis seruire, &c.
Matth. 6.

MOdò enim Saluator noster superiùs de thesauro loquutus est: quẽ etiam quo in loco reponere debeamus ostendit, dicens: Thesaurizate vobis thesaurum in cælo, vbi neq; ærugo, neq; tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Nũc autem dicit quia non possumus duobus dominis seruire, Deo scilicet & mammonæ. Mammonæ nanq; diuitiæ interpretantur. Reponat igitur in cælo diuitias suas, qui Deo familiariter seruire desiderat. Qui enim diuitijs seruit, eius seruitium Deus non recipit. Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem in regnum cælorum introire. Diuitijs autem seruire est, subiectionem quandam eis exhibere, & pro necessitate vel vtilitate eas expendere timere. Aliud igitur est seruire diuitijs, aliud habere diuitias. Ille enim diues à paupere non multùm distat, qui in diuitijs spem non ponit, easq; vtiliter largiterq; distribuit. Hoc autem si ad literã non intelligatur, vt simplex sermo dicere videtur, non solùm duobus dominis, sed & multis dominis non est impossibile seruire. Idcoq; de quibus dominis hoc intelligere debeamus, confestim subdidit, dicens: *Non potestis Deo seruire & Mammonæ.* Istis enim duobus nemo simul seruire potest. Quis enim seruit mammonæ, nisi auarus? Auarus igitur Deũ contemnit & odio habet. Vnde hoc? Quia idolis seruit. Sic enim Apostolus ait: Hoc autem scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. De auaritia nanq; Zacharias propheta loquebatur, cùm diceret se vidisse amphoram egredientem, in qua mulier inclusa erat, quæ impietas vocabatur, cuius os ne egredi potuisset, massa plumbea claudebatur. Et ecce duæ mulieres, quæ habebant alas sicut milui, ferebant amphoram in terram Sennaar, vt ponerent eam ibi super basim suã. Hæc asit superiùs exposuimus in eo Euangelio, vbi Saluator noster loquitur, dicens: Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me. Sequitur: *Ideò dico uobis, ne soliciti sitis animæ uestræ quid manducetis, neq; corpori uestro quid induamini.* Hæc enim specialiter dicuntur Apostolis, eorumq; successoribus, cæterisq; omnibus, qui ad summum perfectionis culmen attingere cupiunt. Talibus enim nulla terrenorum bonorum est solicitudo, qui habentes victum & vestimentum, his contenti sunt. Facilè quidem & sine omni solicitudine his abundant, qui totam spem suam in Deum ponunt. Vnde Psalmista: Iacta, inquit, cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet. Itemq;: Non vidi iustum derelictũ, nec semen eius egens pane. *Nonne anima plus est quàm esca? & corpus plus quàm uestimentum?* Noli, inquit, quicunq; es qui mũdi gloriã spreuisti, & Deo

Matth. 6. Matth. 19 Diuitijs seruire. Ephes. 5. Zach. 5. 1. Tim. 6. Psalm. 54. Psalm. 36. Luc. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& Deo seruire & contemplationi vacare decreuisti, noli solicitus esse animæ tuæ, id est, vitæ tuæ: quia qui dedit vitam, dabit vel vnde regatur vita. Plus est enim anima, quàm esca: plus est vita, quàm regimen vitæ. Qui igitur dedit quod maius est, & illud vtique dabit quod minus est. Valdè enim hæc verba Apostolis erant necessaria, qui sine sacculo & pera vbique terrarum erant ituri. Quibus & Dominus ait: Ecce ego mitto vos sicut oues inter lupos. His autem (vt Apostolus ait) constituit Dominus, vt de euangelio viuerent. Dignus est enim operarius mercede sua. *Respicite uolatilia cæli, quoniam non seruunt neq; metunt, neque congregant in horrea, & pater uester cæle-stis pascit illa. Nonne uos magis pluris estis illis?* Nullum enim animal in hoc mundo Deus creauit, quod pluris amoris & dilectionis, & pluris precij & honoris sit apud Deum, quàm homo. Si igitur ea quæ propter hominem facta sunt, & quæ ad ipsius comparationem aut parua aut nulla sunt, sine labore & solicitudine omnipotens Deus pascit, quanto magis eos non derelinquet, qui ad eius imaginem facti, eius gratiæ sunt reconciliati? *Quis autem uestrum cogitans, potest adijcere ad staturam suam cubitum unum?* Hoc autem tale est, ac si diceret: Quod vos quidem nec solicitudine, nec cogitatione, nec arte, nec ingenio, nec labore facere potestis, vt videlicet ad staturam vestram vnum cubitum adijciatis, hoc sine vestra cogitatione & solicitudine Deus in vobis operatur, quos de matris vtero tam paruos egredientes, ad integram mensuram perfecti hominis produxit. Ergóne pascere non poterit, qui creare, viuificare, & hæc increméta dare potuit? *Et de uestimento quid soliciti estis? Considerate lilia agri quomodò crescunt: non laborant, nec nent. Dico autem uobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut unum ex istis.* Putatis (inquit) quòd vos sine labore & solicitudine vestire non possit, qui agros vestit floribus, & lilia distinguit coloribꝰ? Quomodò enim crescunt lilia? quomodò tam pulchris operimentis induuntur? Nam neque laborare neque filare nouerunt: insensibilia enim sunt: veruntamen satis excellentiùs ipso quoq; Salomone induta sunt, qui & diuitijs & sapientia cæteris illius gentis regibus excellẽtior fuit. Nemo enim vel arte vel sapientia, Dei operationis pulchritudinem imitari potest. *Si autem fœnum agri, quod hodie est & cras in clibanum mittitur, Deus sic uestit, quanto magis uos minimæ fidei?* Si de his quæ infrà vos sunt hanc curam habet, quam curam de vobis eum habere putatis? *Nolite ergo soliciti esse, dicentes: Quid manducabimus? aut quid bibemus? aut quo operiemur?* Quoniam ille nihilo indiget, qui vobis, si fidem habeatis, sufficienter omnia ministrabit. *Hæc enim omnia gentes inquirunt.* Vos autem hæc quærere non est necesse. Quærere (inquam) cum labore & solicitudine. Ideoque Dominus non ait, Nolite quærere, sed, Nolite soliciti esse.

Matth. 10. Luc. 10. 1. Cor. 9. Luc. 10.

Scit enim pater uester, quia his omnibus indigetis. Vnde Apostolus Petrus in epistolis suis loquitur, dicens: Omnem solicitudinem vestram proijcientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. *Quærite ergo primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis.* Quærite (inquit) primùm regnum Dei, quærite vitam æternam, quærite vt Ecclesia crescat, orate vt regnum Dei eueniat, suãque nobis iustitiam tribuat, vt qui omnium iudices facti estis, omnes in iustitia & æquitate iudicare possitis: & hæc omnia adijcientur vobis. Hoc est enim, quod alibi dicit, Centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. *Nolite ergo soliciti esse in crastinum.* Crastinum enim pro futuro posuit. Non enim vult Dominus de futuro nos esse solicitos, qui neque de præsenti certi & securi sumus. Et in eo quidem, quòd nos in crastinum solicitos esse prohibet, præsentium quodammodò solicitudinem concedere videtur. Vnde & beatus Paulus, quasi de præsenti solicitus, manibus suis laborabat, quod ei ad victum quotidianum sufficere posset. Hac enim solicitudine ociositas tollitur, nec tamen diuitijs seruitur. Cur autem de crastino soliciti esse non debeamus, adiunxit: *Crastinus enim dies solicitus erit sibijpsi.* Ac si dicat: Sicut hodiernam solicitudinẽ non interdico, ita neque crastinam, postquàm crastinus dies aduenerit. Sit igitur hodiernus dies de se solicitus, & non de alio: similiter & crastinus, & cæteri per ordinem. *Sufficit enim diei malitia sua.* Sufficit tibi, si huius præsentis diei malitiam transire valeas. Cur ergo malitiam malitiæ, laborem labori, angustiam angustijs, fatigationem fatigationi superaddere velis? Non enim pro malo, hoc in loco malitia ponitur, sed pro fatigatione & labore. Sic enim dicere solemus: Multa mala hodiè passi sumus, quando aliquo magno labore fatigamur. Hoc autem alicui inconueniens esse videtur, nisi fortè de solis Apostolis & similibus intelligamus. Ad quid enim oues, & boues, & cætera animalia, quæ hodiè necessaria habuimus, completo die teneamus & custodiamus, si omnino de crastino solicitudinem non habeamus? Ad quid prætereà agros & vineas colimus, eorumque fructum in cellaria recondimus? Patent & alia multa, quæ simili modo contra hæc dicere possumus. De illis igitur hæc intelligantur, quibus præter corporis necessaria, nihil in hoc mundo possidere placet. Tales enim prophetæ & apostoli fuerunt, tales & multos alios fuisse legimus. Si enim omnes homines tales esse vellent, non deesset Deo, vnde eos pasceret.

1. Pet. 5.

Quærat regnum Dei quid sit.

Matth. 19

Malitia dici, pro fatigatione.

DOMINICA

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN,

In Epistolam Concio exegetica.

Scriptura diuina omnis hoc modis omnibus agere, & apud nos efficere velle videtur, vt dum in corpore sumus, dũ in hoc exilio & peregrinatione versamur, ad aduersa & tristia perferenda parati simus. Itaq; & ipse vnigenitus Dei filius toto vitæ suæ spatio miserias multas perpeti voluit, & vt quiq; sanctitate illi proximi, ita multis perferendis aduersitatibus similimi fuêre: idq; adeò, vt Apostolus, veritus ne ad fidem conuersis gentibus offendiculo foret, aut certè quandam adferret pusillanimitatem, quòd ipsum cernerent & perciperẽt tot agitari vexationibus & molestijs, obnixè rogarit Ephesios, ne deficerent animo ob afflictiones illius. Neq; est certè, q; doleant pij, si in hac vita misera permulta tristia, rarò læta & iucunda experiantur, cùm videant hoc itinere ingressos esse ante se sanctissimos quosq;: est autem certè, quòd timeant impij, dũ in hoc exilio etiam inter multa scelera rebus ad voluntatem fluentibus, nihil admodùm molestiæ sentiunt. Sed ad Apostolicam lectionem veniamus.

Ephes. 3.

Ibidem.

Propter quod peto, ne deficiatis in tribulationibus meis pro uobis, quæ est gloria uestra. Manifestata spe, inquit Ambrosius, quæ est in mysterio Christi, cõmonet ne scandalum patiantur propter tribulationes, quæ sanctis à perfidis irrogantur. Ad gloriam enim pertinet illorum, si in tribulatione magistri non fuerint scandalizati discipuli, hac spe firmati, quia fidelium pressuræ futuri seculi gloria erigentur. Hæc enim fidelium probatio est, si fidei suæ spem aduertant. Chrysostomus hunc locum interpretans, Quomodò pro illis? inquit. Quomodo illorum est gloria? Quoniam illos Deus vsqueadeò dilexit, vt & filium suum pro ipsis dederit, & ferat sui illorum gratia malis afficerentur. Vt enim illi tantis potirentur bonis, vincula expertus est Paulus. Istud vtiq; multæ erat erga illos diuinæ dilectionis indicium, quod quidem & de prophetis suis dicit Deus, Occiderunt, inquit, eos propter verbum oris mei. Quomodò verò defecissent propter alterius afflictionem? Si videlicet perculsi turbatiq; fuissent. Ista & Thessalonicẽsibus scribẽs, dicit, Ne quisquam turbetur in afflictionibus istis. Non enim non dolere duntaxat, sed & gaudere oportet. Ita Chrysostomus. *Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini nostri IESV CHRISTI, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur, ut det uobis secundum diuitias gloriæ suæ uirtutem, corroborari per Spiritum eius in interiori homine, Christum habitare per fidem in cordibus uestris.* Genua hoc loco Chrysostomus pro corporalibus genibus, Hieronymus pro spiritalibus hominis interioris accipit. Chrysostomi verba sunt hæc: Quo affectu pro illis precatus sit, ostendit. Non dicit simpliciter, Oro: sed per id quod dicit, Flecto genua mea, ita se precari declarat, quomodò solent, qui rebus afflictis anxij precantur. Hieronymus verò inter cætera sic habet: Hæc autem spiritualiter exponentes, non statim iuxta literam orandi consuetudinem tollimus, qua Deum genu posito suppliciter adoramus, & fixo in terram poplite, magis quod ab eo possimus impetramus. Legimus enim & Paulum in litore sic orasse, & geniculationes in oratione præceptas. Et infrà: Quomodò Deus essentiæ suæ nomen atque substantiæ etiam cæteris impertit elementis, vt ipsa quoque esse dicantur: non quò secundùm naturam sint (fuit enim tempus, quando vniuersa non fuerunt, & rursum si voluerit, in nihilum reuertentur) sed vt esse dicantur: habent Dei bonitate donatum: sic & paternitatis nomen ex semetipso largitus est omnibus. Et post pauca: Sicut ergo solus bonus, bonos facit: & solus immortalis, immortalitatem tribuit: & solus verus, veritatis nomen impertit: ita & solus pater, quia creator est omnium, & vniuersorum causa substantiæ, præstat cæteris vt patres esse dicantur. Hæc Hieronymus. Et quia nullæ sunt vires humanæ, nisi diuinitùs corroborentur, petit Apostolus, vt præpotens Deus secundùm diuitias gloriæ, id est, gratiæ suæ præstet Ephesijs virtutem, qua interior homo corroboretur. Id enim maximè necessarium est, vti ne deficiamus in tentationibus, quibus abundat hæc vita. Petit etiam, vt Christus habitet per fidẽ viuam in cordibus eorum, hoc est, in interiori homine. Est enim pia & religiosa anima templũ Spiritussancti, cuius gratia mirabiliter vegetatur & confirmatur atque dirigitur in omnibus, quo nihil potest homini optabilius contingere: sicut è diuerso impij & sceleroſi homines domicilia sunt & habitacula immundorum spirituũ, à quibus ad omnia vitia & flagitia incitantur: vnde fit, vt piorum hominum mores & vita inuisa sit impijs, & horum itidem studia inuisa sint pijs, quandoquidem diuerso Spiritu ducuntur. Non enim potest Spiritus Dei quicquam habere cõmercij cum spiritu diaboli. Vt autem Apostolus ostendat, quæ sit illa fides, per quam Christus habitat in cordibus nostris, aptissimè subiungit, *in charitate radicati & fundati.* Charitas enim fidei adiuncta, facit nos Christi habitatione dignos, sicut ipse euidentissimè testatur, vbi ait: Si quis diligit me, sermones meos seruabit, & pater meus diliget eum: & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus: quem locum exponens Augustinus Tractatu 76. in Ioannem, Dilectio, inquit, sanctos discernit à mundo, quæ facit vnanimes habitare in domo, in qua domo pater & fi-

Flexis genibus effi-cacius precamur.

Act. 21.

Anima pia, templum Spiritussancti

Ioan. 14.

Osee 6. sententialiter.

1. Thess. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lius manſionem faciunt,qui donant & ipſam dilectionem, quibus donent in fine etiam ipſam ſuam manifeſtationem.Hæc ille.Nec negligenter obſeruandum venit, quòd Apoſtolus vult nos eſſe in charitate radicatos & fundatos.Nam qui parum firmi ſunt in Dei & proximi ſyncera charitate,ventis & fluctibus & tempeſtatibus tẽrationum irruentibus, facilè euertuntur & cadunt. Vt autem altas in nobis radices agat & benè fundetur charitas, id multis à Deo precibus contendendum & impetrandum eſt: atque huc vel maximè facit ſedula commemoratio innumerabilium & maximorum erga nos beneficiorum Dei, præcipuè quæ Chriſtus in vita & paſsione ſua incredibili dignatione & incõprehenſa ac ſtupenda prorsùs beneuolentia in nos declarauit.Certum eſt enim, qui his cogitandis & animo reuoluendis diligenter & ſedulò ſeſe exercent,eos in Dei amore mirabiliter proficere & confirmari, & Deo inprimis charos effici. His cogitationibus ſancti & fortiſsimi martyres ſeſe aduersùs cruciatus omnes muniebant,& dum Domini ſui vulnera cogitarent, ſua aut nõ ſentiebant,aut fortiter perferebãt amore illius. *Vt poſsitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo,& ſublimitas,& profundum.* Chryſoſtomus hæc ſimpliciter exponit de magnitudine dilectionis Dei,quomodò illa nuſquam non ſe extenderit.Ambroſius ſic habet: Hoc præſtare dicit habitantem Spiritum vel Chriſtum in nobis, vt fundati ſimus in charitate Dei, deuincti beneficijs eius:& poſsimus cum ſanctis, qui ſunt Apoſtoli & prophetæ, immenſum & inæſtimabilem cognoſcere Deum, omnia excedẽtem maieſtate virtutis ſuæ.Cùm enim dicit,latitudo,& longitudo,& altitudo,& profundũ, hoc vtique ſignificat,vt ſicut in ſphæra tanta longitudo eſt quanta latitudo,& tanta altitudo, quantum & profundum:ita & in Deo omnia æqualia ſunt immenſitate infinitatis.Sphæra enim definito modo concluditur: Deus autem non ſolùm implet omnia,ſed & excedit. Hæc Ambroſius.Porrò Auguſtinus multis locis copiosè hãc Apoſtoli ſententiam pertractat:at nos alijs prætermiſsis,ea tantùm huc adſcribemus,quæ legũtur in Epiſtola 112. ad Paulinã De videndo Deo: Ego hæc verba Apoſtoli Pauli, ait ibi Auguſtinus,ſic intelligere ſoleo: In latitudine,bona operã charitatis: In longitudine,perſeuerantiam in bonis vſque in finem:In altitudine,ſpem cæleſtium præmiorum: In profundo, inſcrutabilia iudicia Dei, vnde iſta gratia in homines venit. Et hunc intellectum coaptare etiam ſacramẽto crucis,vt in latitudine accipiatur trãſuerſum lignum,quo extenduntur manus,propter operũ ſignificationem: In longitudine,ab ipſo vſque in terram,vbi totum corpus crucifixum ſtare videtur:quod ſignificat perſiſtere, hoc eſt, longanimiter permanere:In altitudine, ab ipſo tranſuerſo ligno ſurſùm versùs, quod ad caput emi-

Latitudo. *Lõgitudo.* *Altitudo.* *Profundũ.* *Sacramẽtũ Crucis.*

net,propter expectationem ſupernorum,ne illa bona opera atque in eis perſeuerantia, propter beneficia Dei terrena atque temporalia faciẽda credantur,ſed potiùs propter illud, quod deſuper ſempiternum ſperat fides,quæ per dilectionem operatur:In profundo autẽ, pars illa ligni, quæ in terræ abdito defixa latet, ſed inde conſurgit omne illud quod eminet, ſicut ex occulta Dei voluntate vocatur homo ad participationẽ tantæ gratiæ,alius ſic,alius autem ſic.Supereminentem verò ſcientiæ charitatem Chriſti, eam profectò,vbi illa eſt pax, quæ præcellit omnem intellectum.Hæc Auguſtinus. *Scire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Poſt Dei patris,inquit Ambroſius,infinitam & incomprehenſibilem cognitionem,& inenarrabilem clementiam,Chriſti quoq; agnoſcere nos vult charitatem, quia ſupereminentis eſt ſcientiæ,& ſubintelligitur humanæ,vt ſuper ſcientiam hominum habeatur dilectio Chriſti. Quis enim poteſt colligere myſterij huius charitatis rationẽ, vt & Deus hominis cauſa naſcereꝰ,deinde moreretur pro hominibus,pro ſeruis Dominus,pro creatura creator, pro impijs pius?Propter quid ita dilexit nos?Aut vt quid noſtrũ haberet,qui nullius indiget?Nunquid non charitas hæc ſuper ſcientiam hominũ eſt? Aut quis hominum hanc poterit charitatem alicui exhibere? quanquam impar ſit, ac per hoc ſupereminet humana commenta. Hoc ergo vult nos ſcire,quia ſenſus noſter aſſequi non poteſt nec perſpicere profunditatem beneficiorũ Chriſti erga nos,vt perinde ſemper ei ſupplices & deuoti,& qui debitis nulla ratione ſatisfacere poſſumus,vel in fide eius vſque ad mortem perſeueremus. Ille enim pro magnificentia maieſtatis ſuæ ea geſsit pro nobis,quæ ſibi indigna ſunt, vt & nos inquantùm poſſumus ei famulemur. Hæc Ambroſius. Quod autem dicit Apoſtolus, *vt impleamini in omnem plenitudinem Dei*,non ſic accipere debemus, quemadmodùm etiam Auguſtini ætate quidam accepiſſe videntur,quòd hoc omninò futuri ſimus,quod Deus eſt: abſit hæc inſania à cordibus fidelium: ſed vt impleamur omni gratia & plenitudine donorum & chariſmatum Spiritusſancti: quod quidem tum demum perfectè conſequemur,vbi ad illam futuræ beatitudinis plenitudinem peruenerimus. Hîc interim laborãdum & ſudandum nobis eſt, vt poſsimus in dies diuinæ gratiæ donis potioribus augeri,& iuxta Pſalmographi vocem ire de virtute in virtutem,donec ad illam plenitudinẽ pertingamus, vbi reuerà replebitur in bonis deſiderium noſtrum,& erit Deus omnia in omnibus. *Ei autem, qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter quàm petimus,aut intelligimus, ſecundùm virtutem quæ operatur in nobis:ipſi gloria in Eccleſia & in Chriſto Ieſu, in omnes generationes ſeculi ſeculorum, Amen.* Hunc locum ſic interpretatur Diuus Hieronymus: Ad id,quod ſuprà dixerat, Propterea curuo

Philip. 1.

Chriſti charitas nos incõprehenſa charitas

Rom. 8.

Pſalm. 83.

1. Cor. 15.

curuo genua mea ad patrẽ,& cæt.nunc infert,Ei autem qui poteſt ſuper omnia facere abundantiùs quàm petimus aut intelligimus: hoc oſtendens, ſe quidem iuxta imbecillitatem hominis poſtulaſſe,quæ eis conducibilia videbantur: cæterùm quantùm ad rei ipſius pertinet veritatem, plus Deum valere tribuere quàm rogatur,& ſpes noſtras vinci effectibus,quia ſecundùm id quod oportet orare neſcimus,& ſæpè contra nos petimus, æſtimantes eſſe pro nobis. Quanto enim melius erat fornicatori ægrotare, & debilitate torqueri, quàm Chriſti templum facere membra meretricis? Potens eſt ergo Deus, non ſolùm ſuper id quod petimus, ſed etiam ſuper id quod intelligimus tribuere. Euenit interdum,vt ſenſum noſtrum non exprimamus in vocem,&mentem verba nõ explicẽt,tacitoq; cogitatu gemitibus inenarrabilibus,vt ipſe Apoſtolus ait,neſcio quid quod dicere non poſſumus,deprecemur. Præſtabit igitur ſuper quàm petimus,aut intelligimus,ſecundùm eam virtutem,quæ operatur in nobis: vt quomodò nunc non iuxta meritum noſtrum, ſed ſupra vota dat nobis aliqua, quæ nec petere auſi fuimus, nec ſi petiſſemus, æſtimauimus nos mereri: ita & cætera tribuat,quæ nec mens poteſt cogitare, nec lingua proferre.Ipſi itaque Deo ſit gloria,primùm in Eccleſia,quæ eſt pura, non habens maculam neque rugam,& quæ propterea gloriam Dei recipere poteſt,quia corpus eſt Chriſti:deinde in Chriſto Ieſu, quia in corpore aſſumpti hominis,cuius ſunt vniuerſa mẽbra credentium,omnis diuinitas inhabitet corporaliter. Quæ quidem gloria non in præſens tantùm tempus extenditur,& futuris ſeculis terminatur,ſed in omnes generationes,& ſeculum ſeculorum ineffabili æternitate permanet, creſcit,augetur. Hæc Hieronymus. Porrò Oecumenius ſic habet in hunc locum: Quoniam eum,qui tot tantaq; largitus eſt, laudibus extolli oportet. Itaque etiam laudationis ſermo, argumentum eſt magnitudinis conceſſorum nobis bonorum, ſpem omnem expectationemque humanam excedentium. Et rectè gloria eius eſt in Eccleſijs. Nam ex quo hæ manent continuè,in eis,inquit,ſit gloria Dei, vtà nobis iugiter laudetur, atque in omnes id generationes & ætates deriuetur & veniat. Hæc Oecumenius. Audi & Ambroſium:Ideò gloria Deo in Chriſto Ieſu,quia per ipſum omnia præſtat nobis: & quia honor patris in filio eſt. Et in Eccleſia, id eſt,in populo,quem ſibi adoptare dignatus eſt. In claritate enim filiorum,gloria patris eſt, dicente Domino:Sic luceat lumen veſtrum coram hominibus,vt videant opera veſtra bona,& magnificent patrem veſtrum,qui in cælis eſt,in ſecula ſeculorum,Amen.

Ephes. 5.

Matth. 5.

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN, Luc. VII.

In illo tempore: Ibat Ieſus in ciuitatem quæ vocatur Naim:& ibant cum illo diſcipuli eius,& turba copioſa. Et reliqua.Homilia Beati Ambroſij Epiſcopi.

Lib. V. Cõmentariorum in Lucam.

HIc locus vtrinq; redundat ad gratiam, & citò flecti diuinã miſericordiam matris viduæ lamentatione credamus,eius præcipuè,quæ vnici filij vel labore vel morte frangatur,cui tamen viduæ grauitatis meritum,exequiarum turba conciliet: & hanc viduam populorum turba ſeptam,plus videri eſſe quàm fœminam,quæ reſurrectionem vnici adoleſcẽtis filij ſuis lachrymis meruerit impetrare, eò quòd ſancta Eccleſia populum iuniorem à pompa funeris,atque à ſupremis ſepulchri, ſuarum reuocet ad vitam contemplatione lachrymarum.Quæ flere prohibetur eum,cui reſurrectio debebatur:qui quidem mortuus in loculo materialibus quatuor ad ſepulchrum ferebatur elementis:ſed ſpem reſurgendi habebat, quia ferebatur in ligno.Quod ſi nobis antè non proderat,tamen poſteaquàm Ieſus id tetigit, proficere cœpit ad vitam,vt eſſet indicio,ſalutem populo per crucis patibulum refundendam.Audito igitur Dei verbo, ſteterunt acerbi illi funeris portitores,qui corpus humanum letali fluxu naturæ materialis vrgebant.Quid enim aliud, niſi quaſi in quodam feretro,hoc eſt,ſupremi funeris inſtrumento iacemus exanimes, cùm vel ignis immodicæ cupiditatis exæſtuat, vel frigidus humor exundat,vel pigra quadam corporis habitudine vigor hebetatur animorum,vel concreta noſter ſpiritus labe, puræ lucis vacuus alit mẽrem?Hi ſunt noſtri funeris portitores.Sed quanuis ſuprema mortis, ſpem vitæ omnis aboleuerint,& tumulo proxima corpora iaceant defunctorum,verbo tamen Dei iam mortua reſurgũt cadauera,vox redit,redditur filius matri, reuocatur à tumulo,eripitur à ſepulchro. Quis eſt iſte tumulus tuus,niſi mali mores? Tumulus tuus perfidia eſt,ſepulchrum tuum guttur eſt.Sepulchrum enim patens eſt guttur eorum,vnde verba mortua proferuntur.Ab hoc ſepulchro te liberat Chriſtus,ab hoc tumulo reſurgis, ſi audias Dei verbum.Et ſi graue eſt peccatum,quod pœnitentiæ lachrymis ipſe lauare non poſsis, fleat pro te mater Eccleſia,quæ pro ſingulis tanquam vnicis filijs vidua mater interuenit.Compatitur enim quodam ſpirituali dolore naturæ,cũ ſuos liberos letalibus vitijs ad mortem cernit

Tumulus, mali mores.

Pſalm. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vrgeri. Viscera sumus de visceribus eius. Sunt enim & spiritalia viscera, quę habet Paulus, dicēs: Ita frater ego te fruar in Domino, refice viscera mea in Christo. Nos ergo viscera sumus Ecclesiæ, quoniam membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus. Doleat ergo pia mater: assistat & turba, non solùm turba, sed etiam multa, compatiatur bonæ parenti. Iam resurges in funere, iam liberaberis à sepulchro. Stabunt illi ministri tui funeris, incipies vitalia loqui, timebunt omnes. Vnius enim exemplo plurimi corriguntur. Laudabunt etiam Deum, qui tanta nobis remedia vitandæ mortis indulserit.

Ad Philemonem.
Ephes. 5.

EADEM DOMINICA.
Luc. VII.

In illo tempore: Ibat Iesus in ciuitatem quæ uocatur Naim: & ibant cum illo discipuli eius, & turba copiosa. Et reliqua. Homilia Erici.

Luc. 7.

SErmo euangelicus qui præcedit, narrat qualiter Dominus centurionis puerum obtentu magnæ eius fidei sanauerit, & quomodò ipsius centurionis, immo in eo gẽtium extulerit fidem. Illo igitur digesto miraculo, sequitur euangelista, quia *post hæc ibat in ciuitatem, quæ uocatur Naim.* De miraculo properatur ad miraculum, & quodam perfectu virtutis, de sanatione paralytici venitur ad resuscitationem defuncti. Beato nanq; Hieronymo dicente didicimus, quia Naim ciuitas est Gallilææ prouinciæ Iudæorum, duobus miliaribus distans à monte Thabor, in quo monte Dominus docuit octo beatitudines, & omnia penè mãdata noui testamenti. Interpretatur verò Naim fluctus vel commotio. Cuius portæ appropinquans Dominus, obuium habuit corpus defuncti, quod tumulandum extra ciuitatem efferebatur. In hac ciuitate ferunt chronographi esse Ecclesiam, quæ quondam fuerat domus viduæ, cuius Dominus hic legitur filium suscitasse. Ibat ergo Dominus virtutis euentui copiam præbiturus, ibant cum illo discipuli, illi videlicet, fidissimi comites itinerũ, comparticipes laborũ, cuius præsentia pascebantur, prædicatione instruebantur, miraculis firmabantur. *Cùm autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ, & hæc uidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa.* Non simplex hanc mulierem doloris anxietas stimulabat. Vidua erat, filij solatio destituta fuerat, cuius vtcunq; mortem leuiùs toleralsset, si non vnicus fuisset, si alter, qui parentis dolorem leniret, superfuisset. Verùm hinc iam beata erat, quòd Christi pietate mox eum receptura erat, quem sortis humanæ inclemẽtia amiserat. Nec illud sine diuina prouidentia gestum est, vt & cum Domino, & cum hac muliere multa turba esset, quò gerendi miraculi multi fierent testes, multi etiam diuinæ potentię laudatores. Quare autem multa turba ierit cum Domino, Ioannes euangelista manifestat, cùm dicit: Quia videbant signa quæ faciebat. Quia enim Dominus quocunq; ibat, miracula faciebat: id est, euangelium prædicando, verba salutis annunciabat, idcircò ibant cum eo discipuli eius adhærentes ei, ibat & turba copiosa. Hæc autem virtus à saluatore mirabiliter patrata, iuxta historiam apertissima est. Cæterùm spiritualiter intellecta, non modicam ædificationem audientium mentibus subministrat. Defunctus enim iste iuxta spiritualem vel moralem intelligẽtiam, qui extra portam suæ ciuitatis multis intuentibus est portatus, significat hominem peccatis mortuum, & letifero criminũ funere soporatũ. Qui cũ in anima mortuus existat, ipsam tamẽ animæ suæ mortem non iam occultis cogitationum latebris contegit, sed sicut per ostia ciuitatis, ita per indicium prauæ collocutionis, vel malæ operationis suam pessimam vitam malo exemplo ad multorum notitiam perducit: nec iam peccata sua erubescendo abscondit, sed audacior in malum factus, ea imitanda alijs proponit. De talibus propheta dicit: Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderũt. Et rursùm ad peccatricem animam: Frons (inquit) meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Per portam verò ciuitatis, qua defunctus efferebatur, vnus de quinq; sensibus intelligitur corporis. Quinq; enim sunt notissimi corporis sensus, locis sibi conuenientibus à natura compositi, videlicet visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus. Ciuitas enim vniuscuiusq; animę corpus est eius, in quo tanquam in ciuitate clausa inhabitat. Per huius ciuitatis portas mortuus effertur, cùm quis per aliquem corporis sensum malæ voluntatis indicium ostendens, mortuum se esse in anima declarat. Qui enim (verbi gratia) mulierem ad cõcupiscendũ viderit, qui sublimes oculos, & in fines terræ porrectos habuerit, iste per oculorum suorum portas signa suæ mortis emittit. Dum quilibet aurem suam aperit ad verba ociosa, & ad cantica turpia vel luxuriosa, siue ad suscipienda detractionis verba, hic talis aurem suam efficit portam mortis animæ suę. Qui odoribus meretricijs, & peregrini muris pellicula illectus, post odorem vnguentorum Dei currere negligit, hic per narium ianuam extrahitur mortuus. Qui verò os ad proferendas in Deum blasphemias, & dissemĩandas inter fratres discordias aperit, cuius os loquitur vanitatem, qui non solùm ociosis, sed & nociuis sermonibus linguam accommodat, nil aliud iste nisi mortem suæ animæ foris per oris elatus ostium prodit. Hinc & propheta quòd hi nostræ ciuitatis aditus incautè pateant, deflet, dicens: Intrauit mors per fenestras

Vide in locis Hebraicis.
Matt. 5. 6. 7.

Defuncta mysticè quem significet.

Esa. 3.
Hier. 3.
Porta ciuitatis.
Ciuitas.
Hier. 9.

Thre. 3.

stras nostras, ingressa est domus nostras. Rursumq; propheta: Oculus, inquit, meus deprædatus est animã meã. Quemadmodùm enim si hostis per fenestras intra vrbem iacula intorqueat, intus clausos sauciet & occidat: ita malignus spiritus cùm per aliquem de quinq; sensibus telum tentationis in mentem adegerit, mox animam à suo statu deijcit, & pestifera internecione perimit. Qui animæ penetralia irrumperę quærens, figuris se accommodat, permiscet se sonis, odoribus se ingerit, inserit saporibus, sicq; dum minùs vigilanter cauetur, morti (quæ secùs delectationem posita est) aditum pandit. Proinde diuina prouidentia à nobis est humiliter implorãda, vt cunctas nostræ ciuitatis portas custodiat, quas ne sæuiens inimicus obsideat, ipse eas contra machinas illius misericorditer claudat, & in portis nostris laudem suam iugiter annunciari permittat. Non autem transeunter est intuendũ, quòd iuuenis hic defunctus, filius vnicus matris viduæ fuisse perhibetur. Licet enim Ecclesia, quæ est mater cunctorum credentium, ex multis sit collecta personis, rectissimè tamen singuli quiq; fidelium, qui fidei Christianæ charactere attitulantur, filij sunt vnius matris, Ecclesiæ (dico) catholicæ. Quibus licet ætatis diuersæ, diuersiq; sint sexus, vnum tamen in Christo gratia regenerationis efficiuntur, cũ fiunt per adoptionem fratres vnici filij. Sed & vnusquisq; fidelis cùm rudimentis imbuitur fidei, filius est: cùm verò alios educat, mater. Sic Paulus Apostolus materno affectu Galatis loquebatur: Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur Christus in vobis. *Quam cùm uidisset dominus, misericordia motus super eam, dixit: Noli flere.* Quia duæ erãt in Christo substantiæ, Dei videlicet & hominis: idcircò pulchrè euangelista primò Dominum tanquàm verum hominem, misericordia motũ fuisse demonstrat, ac deinde tanquam verum Deum commemorat mortuum suscitasse: vt & in compassione qua viduæ miserus est, exemplum nobis imitandæ pietatis tribueret, & in effectu miraculi, potentiam diuinitatemq; illius, qua etiã mortuum suscitauit, admirandam prædicandamque proponeret. Noli, inquit, flere. Tanquam diceret: Noli velut mortuum flere, quem protinùs videbis à morte resurgere. *Et accessit & tetigit locum*, hoc est, feretrum in quo mortuus ferebatur, quod à ferendo nomen accepit. Tactu loculi in quo exanimis gestabatur, euidens suæ dignationis dedit indicium. Et quidem cùm posset solo verbo eum vitæ restituere, maluit primò feretrũ tangere, vt per hoc & signum clementiæ suæ daret, & matris viduæ deiectum mœrore animum erigeret. *Hi autem qui portabant, steterunt*, virtutis effectum mirabilem sustinentes. Cùm vidissent enim Dominum appropinquantem, qui mortuum ferebant steterunt, cupientes misericordiam illius in resurrectione mortui cernere.

Insidiæ maligni dæmonis.

Ioan. 6.

Gal. 4.

Sed hæc cùm ad literam per se satis emineant, superest vt quid mysterij contineant, indagemꝰ. Neque enim à sacramento persona huius viduæ potest esse ociosa, quæ & grauitatis honestæ, & continentiæ merito, nec non & exequiarum frequentia commendata, resuscitationem vnici filij à Domino meruit obtinere. Significat vtique sanctam Ecclesiam, matrem omnium rectè credentiũ, quæ verbo Dei fœta, spirituales illi quotidiè filios per lauacrum diuini fontis parere nõ desinit. Benè verò vidua hæc mulier fuisse dicitur. Vidua quasi à viro diuisa dicitur: quia iduare Græci dicũt diuidere. Et sancta mater nostra vidua est, quia virum suum Christum in carne præsentem non videt. Postquàm enim Christus vir illius, qui & redemptor eius est, per assumptionem humanitatis abijt in cælum, sancta Ecclesia tanquam vidua remansit in terris. Vnde Salomon quoq; in persona mulieris adulteræ, hoc est, hæreticorum ecclesiæ, de Christi absentia sibi blandientis, dicit: Non est vir in domo sua, abijt viam longinquam, sacculum pecuniæ secũ tulit, in die plenæ lunæ reuersurus est domũ suã. Cuius sententiæ talis est sensus: Non est vir in domo sua, hoc est, per humanitatem non est iam Christus in Ecclesia. Abijt viam longinquã, quia surgens à mortuis, cælorum sublimia, longè ab hac luce & habitatione vasti aëris interiectu distantia, penetrauit. Sacculum pecuniæ secum tulit, hoc est, carnem suam thesauro diuinitatis super cælos exaltatam, in patris dextera collocauit. In die plenę lunę reuersurus est domum suam, id est, impleto numero electorum in Ecclesia, in fine mundi rediturus est ad iudicium, vt assumat sibi sponsam suam Ecclesiam. Per loculum verò, in quo defuncti cadauer baiulãbatur, conscientiam hominis peccatoris accipimꝰ, in qua iam desperando sopitus malè quiescebat. Baiuli autem, qui exanimem in feretro, hoc est, supremo funeris instrumento ad sepeliendũ ferebant, vel immunda desideria, quæ hominem ad interitum pertrahunt, accipiuntur, vel colloquia mala sociorum malè decipientium. Qui dum blandis lenocinijs animam in securitatem mittunt, & malè agentibus fauent, ac per hoc ad peiora promptiores efficiunt; quodammodò eos superiecta humo operiunt, & ne respirare valeant, facto desuper telluris aggestu obruunt. De talibus Dominus dicit: Sine mortuos sepelire mortuos suos. Mortui nanq; mortuos sepeliunt, dum peccatores peccatoribus adulantur. Domino ergo loculum funeris tangente, baiuli substistunt: quia dum Dominus cor hominis peccatoris per internam inspiratione cõpungit, carnalia & immunda desideria atq; mala colloquia decipientium sociorum continuò conquiescũt, sicque in semetipsos reuersi, Dominum ad vitam vocantem audiunt, vocantique dignis conuersionis suæ operibus respondent. Quidam

Vidua, typus Ecclesiæ.

Iduare, lingua Hetruscorũ, est diuidere.

Prou. 7.

Loculus defuncti.

Portitores loculi.

Luc. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vide supra Ambrosium in hunc locũ.

magistrorum per loculum, lignũ primariæ præuaricationis intelligunt, in quo omnes sub conditione reatus illius mortui portabamur à quatuor vectoribus, qui materialia quatuor significant elementa. Quasi his quatuor vectibus ad interitum raptabamur, cùm vel cupiditatum noxio feruore exæstuaremus, vel frigidus luxuriæ humor inunda ret, vel pigra habitudo corporis vigorem obtunderet animorum, seu cum concreta noster spiritus labe, vacuam veræ lucis aleret mentem. Verùm Domino loculum tangente, acerbi huius funeris portitores gradum continuerunt, quia Domino mortalia tangente, & in similitudine carnis peccati apparẽte, nos qui iam tumulo proximi eramus, cursu his portitoribus interdicto resurgere meruimus. Tumulus enim noster, mali mores erant: tumulus noster, perfidia erat. Guttur nostrum, sepulchrum erat,

Psalm. 5. iuxta quod Psalmista de reprobis, Sepulchrum, inquit, patens est guttur eorum. Ab hoc sepulchro tactu Christi & auditu vocis ipsius liberati sumus. Quid enim illi est tangere, nisi miserãdo subuenire? Quid nobis vocem eius audire, nisi præcepta illius alacriter implere? *Et ait: Adolescens, tibi dico, surge.* Mortuus quidem erat ille, sed quia Domino omnia viuunt, mortuo velut viuo loquebatur, dicens: Tibi dico, surge. Inter dictum & factum Domini nulla distantia est:

Psal. 148. Ipse enim dixit & facta sunt, ipse mandauit &

Psal. 134. creata sunt. Et omnia quæcunque voluit fecit in cælo & in terra. Audita ergo voce Domini, *resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui.* Post resuscitationem suam mortuus loqui cœpit: vt videlicet per hoc vera resuscitatio illius monstraretur, quatenus non phantasma, sed veritas crederetur. *Et dedit illum matri suæ.* Resuscitato mortuo, & perfectè sanitati restituto, dedit illum Do-

Mortuum residere, spiritaliter quid sit minus matri suæ. Spiritualiter verò mortuus residet, cùm per internam compunctionem à morte animæ peccator ad vitam resurgit, & post letiferum peccati somnum ad bona opera se erigit. Incipit loqui, cùm fidem sanctæ Trinitatis confitendo, indicia suæ vitæ alijs pandit: vel cùm verbo exhortationis, atque exemplo suæ conuersionis alios ad pœnitentiam inuitat. Redditur matri, cùm per sacerdotale ministerium communioni reformatur Ecclesiæ. *Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum.* Nouum & seculis anteà inauditum miraculũ iustè magnus intuentium subsecutus est stupor, ita vt in laudes Dei priùs ora tacentia repentè laxarẽt. Quo loco morale aliquid datur aduertere. Sicut enim resuscitatio istius mortui, quæ visibiliter in corpore facta est, prouocauit homines vt exteriùs admirarentur: ita & resuscitatio spiritualis, quæ quotidiè in animabus fidelium fit, admonet nos, vt & interiùs à morte animæ resurgere studeamus. Quanto enim periculosior ac desperatior est mors animæ ad vitam redeuntis, tanto plures illius corriguntur exemplo, & ad vitam reuocantur. De gradu enim sublimiore deteriùs labitur: quo verò lapsus fuerit grauior, hoc fit subleuantis clementia gratior: sicq; dum is qui deterius ruerat erigitur, pluribus inde spes salutis generatur. Consideremus nanq; beatum Dauid & Petrum, quorum alter cùm *2. Reg. 11.* esset rex & propheta, in tantam perditionis descendit foueam, vt adulterium simul & homicidium perpetraret: alter de gradu apostolici cul- *Matth. 26* minis, ad præcipitium actus est trinæ negationis. Qui dum pœnitentes à morte animæ citò surrexerunt, multi pœnitentes salutem meruerunt. Qui quo maioris honoris & altioris gradus fuerunt, eo periculosius ceciderunt: & quo grauior fuit casus illorum, eo pietas Domini erigentis gratior in eis emicuit. Quo verò amplior Domini pietas in eis apparuit, eo firmior spes salutis cunctis ad pœnitentiam venientibus creuit. *Quia propheta magnus surrexit in nobis.* Simplices turbæ, ignorantes legem & prophetas, aduentum filij Dei Iudæis repromittentes, cùm viderent Deum & hominem inter homines corporaliter conuersantem, & ex virtute diuinæ potentiæ mirabilia opera facientem, putabant eum vnum esse ex prophetis, qui in populo Israëlitico mirabilia facere soliti erant: & ideò errore decepti, clamabant dicẽtes: Quia propheta magnus surrexit in nobis. Magnum prophetam, non aũt Deum, aut Dei filium appellabant, quia adhuc nubilo ignorantiæ cæcati erant, ac propterea in præcedentibus signanter tales turbarum sunt vocabulo nũcupati. Turbæ enim erãt, quia necdum cum Apostolis diuinitatis ipsius intima penetrauerant. Sed quanuis cum quadã animi deuotione errarent istæ turbæ, non in toto tamẽ errabãt. In hoc enim errabant, quòd eum purũ hominem tantũm esse putabant: in hoc aũt nequaquàm errabant, quòd eum prophetam esse dicebant. Ipse enim verus erat propheta, quia *Christus propheta.* quæ ventura erant, verissima assertione prædicabat. Nam & ipse Dominus prophetam se testatur esse, cùm dicit: Non capit prophetam perire *Luc. 13.* extra Hierusalem. Et alibi: Non est, inquit, pro- *Matth. 13.* pheta sine honore, nisi in patria sua. Propheta ergo erat, cùm dominus esset prophetarum, sicut rex regum, & Dominus dominantium. Addunt etiam: *Quia Deus visitauit plebem suam.* Per istum videlicet, qui talia miracula operatur, visitauit Deus pater plebem suam, mittendo verbũ suum incarnatum in mundum, quod pia subuentione illam redimeret, & à longa infirmitate, immò à morte, qua diutiùs torpebat, liberaret. Nec so- *Deus quotidiè ut suos fideles visitat per euangelium suum, siue per dicta prophetarum, atque exempla præcedentium patrum.* lùm tunc plebem suam visitauit, sed etiam quotidiè fideles suos visitat per euangelium suum, *siue* per dicta prophetarum, atque exempla præcedentium patrum. Visitat etiam Dominus plebem suam, cùm vnicuiq; electorum per administrationem sanctiSpiritus, vel terrorẽ æterni supplicij, vel dulcedinem cælestis patriæ intrinsecùs

secùs demonstrat, & quemadmodum à morte animæ resurgere valeat, occulta inspiratione docet. Siue aliter: Visitat quotidiè plebem suam, eã quam præsciuit & præordinauit conformem fieri imaginis filij sui, cùm per internam verbi sui inspirationem, ad amorem inuisibilium excitat, corumq; mentibus ingerit, quanta sint quæ eis

Gaudia cælorum. in cælo promissa sunt gaudia: Incolumitas sine debilitate, salus sine dolore, vita sine morte, facilitas sine impedimento, securitas sine fastidio: vbi electorum omnium societas sancta, solennitas certa, requies secura, pax vera, vita perpetua. Agamus ergo gratias Domino Deo patri creatori nostro, qui prioribus nostris patribus merito suæ iniquitatis in infidelitate relictis, nouissimis huius seculi temporibus super nos misericordiã suam confirmauit, mittendo filium suum Dominum nostrum ad redimendum genus humanũ. Agamus etiam gratias filio eius Domino nostro Iesu Christo, qui per assumptam humanitatem ad nos venire dignatus est, & præceptis mandatorum suorum obtemperantibus, cælestem beatitudinem repromittere. Ad quam vt peruenire quandoq;, & cũ ipso feliciter viuere mereamur, adiuuet ipse, qui & præsentia suæ incarnationis nos visitauit, & sanguine suæ passionis misericorditer redemit. Intereà collatis quatuor euan-

Tres mortui à Christo suscitati. gelistarum narrationibus, tres mortuos inueni- mus à Domino suscitatos, quanuis plures eum resuscitasse dubium non sit, licet scriptum non legatur. Multi ergo sine dubio sunt corporaliter à Domino suscitati, dicit beatus Augustinus, sed

Mar. 5. non frustrà tres commemorati, filia scilicet archi

Luc. 8. synagogi adhuc intra domum mortua iacens, &

Ioan. 11. iuuenis iste extra portam ciuitatis delatus, & Lazarus quatriduanus iam fœtens. Qui tres mortui

Tria genera peccatorum. significant tria genera hominum peccatorum, quos hodieq; in sancta Ecclesia à morte animæ suscitat Christus. Sed videamus, quæ sint ista tria genera mortuorum. Sunt nanq; nõnulli, qui malæ cogitationi consentiunt, & peccatum quidem intùs in corde habent, in facto tamen nondum ostendunt. Sed vt saluator peccatores huiusce modi in se viuificari posse significaret, suscitauit archisynagogi filiam adhuc intra domum iacẽtem, quasi nequitiam delicti in secreto cordis latentem. Alij peruersæ cogitationi inhærentes, post consensum peccati labuntur in factum, tanquàm extrà ferentes mortuum, vt quod latebat in secreto, iam appareat in publico. Sed ne isti quoq;, si pœniteant, sint desperandi, quòd in anima à Domino non possint viuificari, Dominus iuuenem extra portam ciuitatis delatum suscitauit, & matri reddidit: quia animam à peccato resurgere faciens, vnitati sanctæ Ecclesiæ restituit. Quidam verò non solùm cogitando vel faciendo illicita peccant, sed ipsa etiam consuetudine peccandi se quasi sepeliendo obruunt. Sed vt etiam talibus spes veniæ non deesset, si tamen adsint cogitationes solicitæ, quæ super eorum salute Christo inuigilent tanquam deuotæ sorores, suscitauit Lazarum quatuor iam dies in monumento habentem. Simul etiam vt ostenderet Dominꝰ leuiora peccata, quæ in corde & cogitatione fiunt, leuioris pœnitentiæ remedio posse curari, puellam in conclaui iacentem, breui ac facilima iusione euocat, dicens: Puella surge: quã *Luc. 8.* & propter facilitatem resurgendi, iam mortuam fuisse negauerat. Vt autem demõstraret grauiora peccata, quæ absq; verecundia alijs imitanda proponuntur, vel quibus longa consuetudine peccator ne resurgere valeat deprimitur, ampliori remedio pœnitentiæ indigere, elato foras iuueni, pluribus verbis vt resurgere valeat, dicit: Adolescens, tibi dico, surge. Lazarum verò re- *Ioan. 11.* suscitaturus, clausira monumenti reuelli præcepit, fremuit spiritu, rursùm fremuit, lachrymatus est, ac voce magna clamauit: Lazare, veni foras. Quartus verò mortuus Domino à discipulis nũ- *Matth. 8.* ciatur, sed hunc non resuscitauit, quia defuerunt viui, qui pro eius vita Dominum precarentur. Qui mortuus eos significat, de quibus Ioannes ait: Est peccatum ad mortem: non pro illo dico, *1. Ioan. 2.* vt roget quis. Peccatum enim ad mortem, est, in *Peccatum ad mortẽ.* peccato vsq; ad mortem perseuerare. Quicunq; ergo in aliqua ex supradictis tribus mortibus animæ, sese iacere cognouerit, pœniteat necesse est factorum: & fidelium preces sibi coniungẽs, diuinam iugiter precetur clementiam, vt celeriter ad vitam resurgere mereatur æternam, præstante Domino nostro Iesu Christo.

Homiliam Eusebij Emeseni in Euangelium huius Dominicæ, de uiduæ filio suscitato, lector offendet suprà, feria 5. post Dominicam Lætare.

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN, In Epistolam Concio exegetica.

AD lectionem Dominicæ superioris hodierna continenter cõsequitur, quam nunc exponendam suscipimus, breuẽ illam quidem verbis, sed grauidã apostolico spiritu dignis institutionibus. *Obsecro uos ego uinctus in Domino.* Præceptorum virtus est, inquit hoc loco Chrysostomus, nihil honoris, nihil gloriæ à subditis, sed salutem ipsorum quærere, atq; huius gratia nihil non facere, ita vt qui non istud, sed gloriam suam quærit, non iam præceptor, sed tyrannus sit. Non enim propterea Deus te illis præfecit, vt maius acquiras obsequium ac famulitium, sed vt neglectis rebus tuis, quicquid illorum est ritè dispensetur & ædificetur. Hoc videlicet doctoris est. Talis erat beatus Paulus, qui quidem omni fastu liber, non aliter erat affectus quàm vulgaris quispiam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

immò & minimus etiam istorũ. Propterea & seruum eorum seipsum vocat, & potissimùm per supplicandi modũ loquitur. Ita Chrysostomus, qui deinde prolixè admodùm versatur in prædicandis vinculis & catena Pauli, è quibus perpauca huc adferemus, tum vt accendamur ad libenter perferenda aduersa propter Christum, tum ob confutandos nostræ ætatis hæreticos, q cum damnato iam olim Vigilantio Diuorum reliquias nullo volunt in precio habendas. Ait ergo Chrysostomus sparsim in loci huius expositione: Nihil ita splendidũ, vt vinctum esse ꝓpter Christum, vt catenę sunt sanctis illis manibus circundatæ. Vinctum esse propter Christum, illustrius est, quàm siue Apostolum, siue doctorem, siue Euangelistam esse. Si quis Christum diligit, is nouit quid dico. Si quis erga Dominum insanit, vt ita dicam, & ardet, is nouit, quæ sit vinculorum virtus. Hic vtiq; prius habebit, optione data, vincula ferre propter Christum, quàm cælos inhabitare. Non enim caput ita splendidum reddit imposita corona margaritis conspicua, vt catena ferrea quæ propter Christum fertur. Puder diuitias & auream mundiciem huiusmodi conferre vinculis. Quòd si qs mihi vel vniuersi cæli, vel huius catenæ copiam & optionem largitus esset, catenam hanc ego planè elegissem. Deinde si aut mihi cum angelis fuisset standum sursùm, aut cum Paulo vincto, carcerem vtique præoptassem. Ad hæc si quis me aut in numerũ & ordinem collocasset cælestium potentiarum, earum etiam qui propè sunt thronum Dei, aut talem ligatum fecisset, talis vtiq; ligatus esse voluissem. Nihil hac catena beatius. Vellem etiam nunc in eis esse locis, in quibus ista dicuntur esse vincula. Et meritò: Celebrarem viros istos, qui huius erga Christum desiderij fuerunt. Cuperé videre catenas illas, quas quidem verentur & horrent dæmones, venerantur verò angeli. Non ita beatum dico Paulum, quòd in paradisum raptus, atq; quòd in carcerem est coniectus. Nõ ita beatum æstimo, quòd verba audiuit ineffabilia, atque quòd vincula sustinuit. Non ob id adeò beatum illum prædico, quòd in tertiũ cælum raptus est, atq; propter vincula. O beata vincula, ó beatas manus, quas catena illa exornauit. Quòd si mihi tẽporib. illis esse licuisset, tũ potissimùm illas circũplexus fuissem, inq; sinus meos collocassem. Vtiq; nõ cessassem exoiculari illas, quib. ꝓ Dño meo ligari licuit. Quòd si liberũ fuisset p curas ecclesiasticas, & corpus habuissé validũ, nihil vtiq; causæ fuissé, quò minùs tãta susceptа peregrinatione, catenas duntaxat illas, & carcerẽ, vbi ligatꝰ fuit, vidissem. Hęc pauca ex plurimis hoc loco è D. Chrysostomo cõmemorasse sufficiat. *Vt dignè ambuletis uocatione, qua uocati estis.* Hortat eos, inqt Ambrosius, vt rectè incedẽtes in ꝑceptis Dñi, ad ꝓmissam gloriã possint puenire. Sicut em peritus medicus obsecrat infirmos, vt benè se agẽtes possint salutarẽ recipere valetudinẽ: ita & magister gẽtiũ hortat, vt fidei suæ digna opera faciẽtes, possint ꝑcipere q̃ ꝓmissa sunt sanctis. Sic Ambrosius. Audi & Hieronymũ: Dignè vocatione ambulare credẽdus est, inqt, q ingreditur p eũ q dicit, Ego sũ via: & nõ declinat neq; ad dextrã, neq; ad siniſtrã, & auertit pedẽ suũ ab omni via mala, cõpleturq; in eo, A Dño gressus hoĩs dirigunt. *Cũ omni humilitate et mãsuetudine, cũ patiẽtia.* Qui terrã & cinerẽ esse se nouit, ait idẽ Hieronymus, & post paululũ in puluerẽ dissoluendũ, nunq̃ superbia eleuabit. Et q Dei ẽternitate perspecta, breue & benè ad pũcti instar humanæ vitę spatiũ cogitarit, ante oculos suos semper habebit interitũ, & erit humilis atq; dejectus. Oĩs aũt humilitas nõ tã in sermõe, q̃ in mẽte est, vt humiles nos esse conscientia nouerit, & nunq̃ nos vel scire, vel intelligere, vel esse aliquid æstimemus. Mansuetudo quoq; illa est, q̃ nulla passione turbatur, & specialiter ira & furore nõ rũpitur. Quã do. q habuerit, beatitudinẽ q̃ Dñi voce ꝓmissa est, cõsequetur, vt possideat terrã. i. imperet corpori suo domineturq; subiecto: & hæc sit eius prima hæreditas, in carne nõ carnaliter viuere. Ita Hieronymus. Porrò Chrysostomi in hũc locũ verba sunt hæc: Cũ omni animi submissione: nõ ea q̃ in verbis, neq; q̃ in rebus dũtaxat, sed q̃ & in habitu & in voce est: nõ erga hũc humilis quidẽ, erga illũ verò arrogãs sis. Humilis esto erga oẽs, siue amici sint siue inimici, siue magni, siue tenues. Istud eñ demũ est aĩo submisso esse. Et in rectè factis etiã humilis esto. Hęc Chrysost. *Supportãtes inuicẽ in charitate.* Hoĩes sumus fragiles & infirmi, & necesse ẽ, vt placidè & comiter alij alios feramus. Sũt pleriq; admodùm lyncei in aliorum ꝑspiciendis vitijs, in suis talpæ: nihil volũt dissimulandũ vel ferẽdũ in alijs, cùm ipsi plerũq; omnibus sint oneri. Si tu ꝓximũ, inquit Chrysostomus, ferre nõ potes, quomodò feret te Deus? Si conseruũ tuũ seruus ipse nõ fers, quomodò tolerabit te Dñs? Vbi dilectio est, ibi tolerabilia sunt oĩa. Hæc ille. *Soliciti seruare unitatẽ ſpũs in uinculo pacis.* Hic locus, vt ait D. Hieronymus, vel maximè aduersum hæreticos facit, q pacis vinculo dissipato atq; corrupto, putãt se tenere spũs vnitatem, cũ vnitas spũs in vinculo pacis conseruet. Quando eñ non idipsum oẽs loquimur, & alius dicit, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, diuidimus spũs vnitatẽ, & eã in partes ac mẽbra discerpimus. Hæc Hieronymus. Qui tales sunt, inquit Chrysostomus, nempe dilectione fratribus alligati, omnia facilè ferunt. Colliga teipsum illi, & illũ tibi: vtrũq; in tua potestate ẽ. Possumus eñ, si quẽ voluerimus, facilè nobis amicũ reddere. Studẽtes, inqt: (noster interpres habet, Soliciti) Nõ obiter istud agendũ, neq; cuiusuis est. Studẽtes, inqt, seruare vnitatẽ spũs in vinculo pacis. Quid est vnitas spũs? Quemadmodùm in corpore spũs est oĩa continens, quanq̃ diuersa sint membra, ita & hic. Nam ad hoc datus est Spiritus, vt genere ac moribus diuersis discretos vniat. Hic enim senex & iuuenis, pauper & diues, puer ephœbus & vir,

Propter Christum umeris astringi, quantæ sit gloriæ.

Nota Chrysostomi excellentem uirtutem.

Humilitas animi.

Mansuetudo.

Matth. 5.

Vnitas ſpũs in uinculo pacis.

& vir, mulier ac masculus, & omnis anima vnum quid fiunt, idque magis, quàm si corpus vnum essent. Est enim ista cognatione illa maior, & plenior huius vnitatis perfectio. Animæ siquidem propinquitas tanto est exactior, quanto est simplicior, & non diuersarum specierum.

Propinquitas animæ.

Quomodò verò custoditur? In vinculo pacis. In inimicitijs & dissensione consistere non potest. Cùm enim in vobis sint æmulationes, inquit, & contentiones, nónne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis? Quemadmodum enim ignis, si quando arida ligna nactus fuerit, vnam pyram ex omnibus facit: si verò humida fuerint, neque in illis operatur, nec illa conglutinat: ita & hîc nihil eorum quæ frigida sunt, vnitatem hanc complecti poterit, sed quicquid velut magna ex parte feruidum fuerit. Ex hoc igitur & dilectionis feruor nascitur. Vinculo itaque pacis omnes nos colligari vult Apostolus, nec simpliciter pacificos esse, nec vtcũque diligere, sed in omnibus vnam esse animam. Hæc ille. *Vnum corpus, & unus ſpiritus: ſicut uocati eſtis in una ſpe uocationis ueſtræ.* Quid est vnum corpus? inquit idem Chrysostomus. Omnes vbique terrarum fideles, & qui iam sunt, & qui fuerunt, quiq; futuri sunt, denique & qui ante Christi aduentum Deo placuerũt, vnum corpus sunt. Quomodò? quoniam & illi Christum venerati sunt. Itaq; & illi vnum corpus sunt. Nos hîc, quod ad vnitatẽ attinet, corpus accipimus, quod sub vno capite est. Si verò caput vnum, vnum est & corpus. Corpus ex honestis & inhonestis membris compositur. Veruntamen nec maius aduersus minus, etiamsi vilissimum sit, eleuatur aut insolescit, nec istud vicissim huic inuidet. Sunt autẽ quædam membra potiora, quædã verò minùs: vt, caput omni reliquo corpore præstantiꝰ est, ꝙ & omnes sensus, & imperium animæ habeat in seipso, & ꝙ sine capite nemo viuere queat, cùm amputatis pedibus multum temporis plurimi vixerint. Melius est ita q; reliquis membris, non solùm situ, sed & ipsa energia, ipsoq; ordinandi moderandiq; regimine. Quorsum ista dico? Sunt in Ecclesia multi. Horum quidam in sublime, capitis instar, euecti sunt: cælestia quidam, velut in capite oculi, contemplantes, multumq; à terrenis distantes, nihil cùm illis commune habentes. Alij verò in pedum sunt ordine, terram calcantes, pedum, inquam, sanorum. Non enim culpabile est pedibus terram calcare, sed ad malitiam currere. Neq; isti aduersùs pedes superbiãt, nec istis quicquam inuideãt illi: alioqui propria cuiusq; pulchritudo destruetur, & perfectus vsus impedietur. Et rursùs Sermone xj. in cap. 4. ad Ephes. Charitatem, inquit, à nobis requirit Paulus, non vulgarem, sed quæ nos coniungat, indiuulseqũe mutuò conglutinet, deniq; eam vnitatem ita q; exactam præstet, qualis est membri ad membrũ. Ipsa enim est, quę magna bona perficit. Propterea cùm dicit, Vnum corpus, per istud quomodò debeamus aliorũ malis compati, & rursùs aliorũ bonis non deijci, & magis congaudere, & simul omnia ostendit. Deinde quemadmodùm vocati estis, inquit, in vna spe vocationis vestræ. Deus, inquit, ad eadem vos vocauit. Omnibus immortalitatem, omnibus vitam ẽternam, omnibus glòriam immortalem, omnibus fraternã cognationem, omnibus hæreditatem largitus est. Cómune omnium caput factus est, omnes pariter & excitauit & secum sedere fecit. Hactenus Chrysostomus. Audiamus & Hieronymum. Quæritur, ait, quomodò vna spes vocationis sit, cùm apud patrem diuersæ sint mansiones? Ad quod, vnam spem vocationis, regnum cælorum, quasi vnam domum Dei patris esse dicemus, & in vna domo varias mansiones. Alia enim gloria solis, alia lunæ, alia stellarum. Hæc ille. *Vnus Dominus, una fides, unum baptiſma.* Hæc omnia eò cómemorat Aplus, vt qui tam multa habemus cómunia, vnum eundemq; Dominum, quem Ambrosius & Hieronymus Christũ interpretantur, vnam eandemq; fidẽ, à qua qui excidunt, nihil habent cómercij cũ corpore Christi mystico, quod est Ecclesia catholica, atq; idẽ deniq; baptisma, vnius quoq; animi & summa inter nos cócordia connexi simus. Olim D. Cyprianus & aliquot Africæ Episcopi in ea fuere sententia, non nisi in Ecclesia catholica conferri baptisma, ab hæreticis baptizatos rebaptizari oportere. Porrò q̃ nõ fuerit in hac opinione pertinax idẽ beatissimus martyr & pontifex Cyprianus, vel inde satis liquet, q ꝓ à sua cómunione minimè repellebat eos, q diuersæ esset opinionis. Secuti sunt postea Donatiani hæretici, & pertinacissimè ex Cypriano asserere voluerunt esse rebaptizandũ. Sed hos ob suã pertinaciã catholica dãnauit Ecclesia, cùm interim beatissimũ Cyprianũ nõ immeritò vel maximè suspiciat ac veneretur. Nulli em dubiũ esse potest, libentissimè eũ in Catholicæ Ecclesiæ sententia acquieturũ fuisse, si œcumenici alicuiꝰ ea de re definitio extitisset, sicut postea satis declaratũ est, etiã ab hæreticis baptizatos neutiq̃ denuò baptizari debere: quanq̃ certè à talibꝰ baptizari periculosum est, ꝙ verẽdum sit eos nõ debitã adhibere intentionẽ, cũ nihil tã illis studio sit, q̃ animas ꝑdere & iugulare. Nostra quoq; ætate multi sunt Anabaptistæ hæretici, in varias easq; portẽtosas species dissecti, è quib. pleriq; videnť esse arrepticij, multasq; absurdas & abominãdas sequunť opiniones. Vtinã verò & isti & alij oẽs huius calamitosi seculi sectarij ad Catholicæ pacis & Christianæ cõcordiæ vnitatẽ redeant. *Vnus Deus & pater omnũ, q ſuper oẽs, & ꝑ omnia, & in omnib. nobis.* Sup oẽs, inqt Chrysostomus, hoc est, Dominus in omniũ supremꝰ: Per omnia, ꝓuidens videlicet & gubernans: Et in omnibus nobis. i. inhabitans. D. Hieronymꝰ locũ hũc sic interpretat: Super oẽs est Deus Pater, quia author est omniũ. Per oẽs filiꝰ, quia cuncta trãscurrit vaditq; per oĩa. In omnibus Spũs sanctus, quia nihil absque eo est. Et paulò infrà:

Qui-

Propinquitas animæ.

1. Cor. 3.

Vnũ corpus Ecclesiæ.

Charitas non uulgaris exigitur à nobis.

Super oẽs.

Per oẽs.

In omnib.

Ioan. 14.

Pro. 20.

1. Cor. 15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quidam, inquit, hoc quod est scriptum, Super omnes, & per omnes, & in omnibus, ad Patrem & Filium & Spiritumsanctum sic æstimant esse referendum, vt super omnia Pater sit, quia author est omnium: per omnes Filius, quia per Filium creata sunt omnia: in omnibus Spiritussanctus: ipse enim credentibus datur, & templum sumus Spiritussancti. Hæc ille. Cùm igitur tam multis modis Apostolus commendet vnitatem, nihil ita horrere & fugere debet Christianus, sicut ea, quæ ab hac impediunt vnitate. Hæretici & schismatici ab hac vnitate se separant, & seipsos reddunt indignos omni gratia & habitatione Spiritussancti, cuius locus nō est nisi in pace.

Psal.132. Ecce quàm bonum & quàm iocundum, ait Propheta, habitare fratres in vnum. Quoniam illic, (in ea animorū dulcissima cōspiratione & Christiana vnanimitate) mandauit Dominus benedictionem & vitam vsq; in seculum: ergo hæreticis & schismaticis maledictionem & mortē sempiternam, à qua nos seruet Christus Deus ac Dominus noster, cui est cum Patre & Spūsancto omnis honor & gloria in secula seculorum, Amen.

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN, Luc. XIIII.

In illo tempore: Cùm intraret Iesus in domum cuiusdam principis pharisæorum sabbato manducare panem, & ipsi obseruabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

HYdropis morbus ab aquoso humore vocabulū trahit. Græcè enim ὕδωρ aqua vocatur. Est autē humor subcutaneus de vitio vesicæ natus, cum inflatione turgente, & anhelitu fœtido. Propriumq; est hydropici, quanto magis abundat humore inordinato, tanto ampliùs sitire. Et ideò rectè comparatur ei, quem fluxus carnalium voluptatum exhuberans aggrauat. Comparatur etiam diuiti auaro, qui quanto est copiosior diuitijs, quibus non benè vtitur, tanto ardentiùs talia concupiscit. *Hydropicus mysticè.*

Et respondens Iesus, dixit ad legisperitos & pharisæos: Licet sabbato curare? At illi tacuerunt. Quod dicitur respondisse Iesus, ad hoc respicit quod præmissum est, Et ipsi obseruabant eum. Dominus enim nouit cogitationes hominum. Sed meritò interrogati tacent, qui cōtra se dictum quicquid dixerint vident. Nam si licet sabbato curare, quare saluatorem an curet obseruant? Si non licet, quare ipsi sabbatō pecora curant? *ipse uerò apprehensum sanauit eum, ac dimisit.* Prouida dispensatione Dominus ante legisperitos & pharisæos hydropicum curat, & mox contra auaritiam disputat: vt videlicet per huius corporis ægritudinem in illis exprimeretur ægritudo cordis. Denique; post multa disputationis eius hortamenta, subiunctum est: Audiebant autem omnia hæc pharisæi qui erant auari, & deridebant eum. *Luc.16.* Hydropicus quippe quo ampliùs biberit, ampliùs sitit. Et omnis auarus sitim multiplicat, qui cùm ea quæ appetit, adeptus fuerit, ad appetenda alia ampliùs anhelat. *Et respondens ad illos, dixit: Cuius uestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die sabbati?* Sic obseruatores suos pharisæos conuincit, vt eosdem etiam auaritiæ condemnet. Si vos, inquit, in sabbato bouem, aut asinum, aut aliud quodlibet animal in puteum decidens eripere festinatis, non animali, sed vestræ auaritiæ consulentes, quanto magis ego hominem, qui multo melior est pecore, liberare debeo? Conuenienterq; hydropicum animali quod in puteum decidit, comparauit. humore enim laborabat. Sicut illam mulierem, quam de- *Luc.13.* cem & octo annis alligatam dixerat, & ab eadem alligatione soluebat, comparauit iumento quod soluitur, vt ad aquam ducatur. Et benè vtroq; loco bouem posuit & asinum, quia siue sapientes quosq; & hebetes, siue (vt suprà dictum est) vtrūque populum eos significare sentiamus, eum videlicet cuius ceruicem iugum legis attriuit, atq; eum quem quilibet seductor reperit, quasi brutum animal, atq; nulla ratione renitens, quo voluit errore subtraxit, omnes saluator aduenies satanæ vinculis adstrictos, omnes in vno concu piscentiæ puteo demersos inuenit. Non enim est *Rom.3.* distinctio. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in CHRISTO IESV. *Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens quomodò primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco.* Aperta quidem ad literam est hęc admonitio saluatoris, docens humilitatem non solùm apud Deum, sed etiam apud homines esse laudabilem. Sed quoniam hanc euangelista non frustrà parabolam vocat, breuiter intuendum quid etiam mysticè signet. Nuptias appellari CHRISTI & Ecclesiæ coniunctionem, multis locis apparet: è quibus vnum est: Nunquid possunt *Mar.2.* filij nuptiatum quandiù sponsus cum illis est, ieiunare? Aliud: Simile factum est regnum cælo- *Matt.22.* rum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, & misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias. Has ergo nuptias quisquis inuitatus adierit, id est, Ecclesiæ membris se fidei gratia coniunxerit, non discumbat in primo loco, hoc est, non se de meritis gloriando, quasi cæteris sublimior extollat, & quidem studeat, iuxta alterius loci *Ibidem.* parabolam, veste nuptiali vestitus, hoc est, virtutum fulgore coruscus apparere, sed ipsarum habitum virtutum loco deuotæ humilitatis exornet. *Ne fortè honoratior te sit inuitatus ab eo, & ueniens is qui te & illum uocauit, dicat tibi: Da huic locum: & tūc incipias cum rubore nouissimum locum tenere.* Honoratiori pòst inuitato locum dat ille, qui de longæ

longæ suæ conuersationis confidentia securior factus, cita illorum qui se in CHRISTO secuti sunt, agilitate præit. Et cum rubore nouissimum locū tenet, quando de alijs meliora cognoscens, quicquid de sua operatione celsum sentiebat, *Psal. 87.* humilians, dicit sibi cum propheta: Egens sum ego, & in laboribus à iuuentute mea: exaltatus autem, humiliatus sum & cōfusus. *Sed cùm uocatus fueris, uade & recumbe in nouissimo loco.* Quanto magnus es, inquit, humilia te in omnibus. Et Psalmi- *Eccle.3. Psalm. 118* sta gloriatur: Humiliatus sum vsquequaq; Domine, viuifica me secundùm verbum tuum: manifestè significans, ita se à Domino posse viuificari, si de suis ipse virtutibus humilia sentiret.

Vt cùm uenerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, ascende superiùs. Veniens Dominus, quem humilem inuenerit, amici nomine beatificās, superiùs ascen *Matth. 18* dere præcipiet. Quicunque enim humiliauerit se sicut paruulus, hic est maior in regno cælorū. *Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus.* Pulchrè dicit, Tunc erit tibi gloria, ne nunc quærere incipias, quod tibi seruatur in fine, quia sicut Sa- *Prou. 20.* lomon ait: Hæreditas ad quam festinatur in principio, in nouissimis benedictione carebit. Potest autē & in hac vita intelligi, qui in nouissimo loco recumbens inuenitur, Domino veniente sublimatur: quia quotidiè Dominus suas nuptias intrat, quotidiè mores, fidem, habitus conuiuantium dijudicat, & superbos despiciens, humilibus sæpè tanta sui spiritus munera præstat, vt eos meritò simul discumbentium, hoc est, in fide quiescentium cœtus vnanimi admiratione glorificet, stupēsq; in authoris sui laudationem *Psal.138.* prosiliat, dicens: Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. *Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.* Et ex hac conclusione manifestè claret, præcedentem Domini sermonem typicè intelligendum. Neque enim mox omnis, qui se coram hominibus exaltat, humiliabitur, aut qui se in cospectu hominum humiliat, exaltabitur ab eis: sed è contrario nonnunquam qui se vel in apice dignitatis, vel in alia qualibet acquiréda gloria subleuat, vsque in finem exaltari non cessat. Similiter & humilis quilibet ac verecundus, in sua, qua contentus est, vsque ad vitæ terminum mediocritate perseuerat. Et ideò iuxta veritatis sententiam, omnis qui se incautè de meritis alleuat, humiliabitur à Domino: & qui prouidè se de benefactis humiliat, exaltabitur ab eo. In eundem proculdubiò sensum præmissus sermo redemptoris, quo primos in nuptijs accubitus quæri vetat, congruit.

Dicebat autem & ei, qui se inuitauerat: Cùm facis prandium, aut cœnam, noli uocare amicos tuos, neq; cognatos, neque fratres tuos, neq; uicinos diuites. Fratres, amicos & diuites alterutrùm conuiuia celebrare, non quasi scelus interdicit, sed sicut cætera necessitatis hu *Luc.6.* manæ commercia, vbi & peccatores peccatoribꝰ

fœnerantur, vt recipiant æqualia, ad promerēda vitæ cælestis præmia nil valere ostendit. Deniq; subiungit: *Ne fortè & ipsi te reinuitent, & fiat tibi retributio.* Non ait, & fiat tibi peccatum, sed fiat, inquit, tibi retributio. Cui simile est, quod alibi dicit: Et si benefeceritis his qui vobis benefaciūt, *Ibidem.* quæ vobis est gratia? Neq; dicit, Peccatum est vobis, sed, Quæ vobis est gratia? Siquidem & peccatores hoc faciunt: quanuis sunt quædam mutua fratrum, amicorum, cognatorum, vicinorumq; diuitum conuiuia, quæ non solùm in præsenti retributionem, sed & damnationem percipiunt in futuro. Deniq; ab Apostolo inter opera tenebrarum annumerantur. Sic vt in die, inquit, honestè ambulemus, non in comessationibus & e- *Roma.13.* brietatib⁹. Comessationes quippè sunt luxurio- *Comessationes quæ* sa cōuiuia, quæ aut collatione omnium celebrā- *sint.* tur, aut vicibus solent à contubernalibus exhiberi, vt neminem pudeat inhonestè aliquid dicere aut facere: quia ad hoc conuenitur, vt fœda illic copia congeratur vini, & incitetur libidinis diuersa voluptas. *Sed cùm facis cōuiuium, uoca pauperes, debiles, claudos, cæcos, & beatus eris, quia nō habent retribuere tibi. retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum.* In resurrectione iustorum dicit, quia etsi oēs resurgant, eorum tamen nō immeritò quasi propria cognominatur, qui in hac se beatos non dubitant esse futuros. Ergo qui pauperes ad conuiuium vocat, in futuro præmium percipiet.

Qui amicos, fratres & diuites vocat, recipiet mercedem suam. Sed & si hoc propter Deum facit in exemplum beati Iob, sicut cætera fraternæ *Iob 42.* dilectionis officia, ipse qui iussit remunerat. Qui gulosos ac luxuriosos propter lasciuiam inuitat, pœna in futuro plectetur æterna. *Hæc cùm audisset quidam de simul discumbentibus, dixit ei: Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* Panis qui manducatur in regno Dei, non iuxta Cerintum corporalis intelligendus est cibus, sed ille vtique, qui ait: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. *Ioan. 6.* Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: id est, si quis meæ incarnationis sacramento perfectè incorporatus, meæ diuinæ maiestatis visione frui meruerit, hic perpetua vitæ immortalis beatitudine gaudebit.

EADEM DOMINICA, Luc. XIIII.

In illo tempore: Cùm intraret Iesus in domum cuiusdam principis pharisæorum. Et reliq. Homilia Erici.

Universidad de Deusto
Biblioteca

AEternus atq; inuisibilis rerũ conditor, humanum genus, quod per longa seculi transeuntis spatia mortis perpetuę legibus astrictum erat, saluare disponens, nouissimis temporibus homo fieri dignatus est, mirabili ordine, mirabili prorsus & natiuitate, vt homines quos iustitia censente damnauerat, clementia dictante redimeret. Et vt maioré circa nos suæ pietatis allegaret instantiam, nõ sõlùm homo, verumetiam pauper & humilis homo factus est: vt nostræ condescendendo paupertati, suarum nos diuitiarum participes esse donaret. Deniq; intantùm pauper pro nobis factus est, vt ne tugurium quidem ad subeundum haberet, iuxta quod ipse alibi ait: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput suũ reclinet. Hac de causa dignabatur hominum adire conuiuia, non quò affectaret epulas mortali manu apparatas, sed quo salutem doceret, fidemq; requireret.

Christus propter nos paup.

Matth.8. Luc.9.

Cur Christus ad cõuiuia accesserit.

Ad hoc sese festis hominum facilè vocatus impertiebat, vt & conuiuas miraculis illustraret, & familiæ quæ intra dominum ædes seruitio occupatæ erant, nec liberam accedendi ad eum copiã habebant, per hanc occasionem verbum salutis audirent, & authorem suæ saluationis agnoscerent. Nullam enim conditionem spernit, aut suæ

Sap.11.

misericordia indignam ducit: quia miseretur omniũ, & nihil odit eorũ quę fecit, similiterq; de omnib⁹ illa cura est. Item aliud exordium: Adibat Dominus carnalia hominum conuiuia, non tam vt exterioribus ministrantium epulis vesceretur, quàm vt ipse, qui est panis de cælo descendens, auditoribus suis dapes superni conuiuij erogaret. Quod inde verum esse probatur, quia vbicunque pransurus resedit, aut docuit aliquid, aut signa patrauit. Quod factum in hoc constat conuiuio, de quo præsens lectio texitur, in quo & miraculum patrauit, & prædicationem exhibuit. Agebat etiam hoc clementissimo pietatis affectu, vt familia quæ seruitute dominorum semper occupata, liberè ad illum vbicunq; esset cõfluere nequibat, ipso ad habitacula dominorum dignanter veniente, præsentia illius communiter frui, & doctrinis reficì, & miraculis possent lætificari. Simul etiam noui testamenti futuris prædicatoribus authoritatem præferebat, quatenùs verbũ salutis dominis & subiectis, liberis & seruis, superioribus & inferioribus omnibus absq; differentia personarum impartirent, & ab his quibus verbum vitæ nunciabat, humanitatis obsequia nõ refugerent exhiberi sibi-

1.Cor.9.

digno cõmercio, vt quibus spiritualia seminant, eorum carnalia metant. Vt ergo Dominus suæ dispensationis impleret officium, *intrauit in domũ principis pharisæorum sabbato manducare panem.* Dies sabbati sacerrimus, & ritu veteri celeberrimus habebatur, in quo ab omni opere cessantes, meditationibus & conuiuijs indulgebant. Cuius obseruationem mos Christianus ad diem dominicam competentiùs transtulit, ob reuerentiam dominicæ resurrectionis. Quòd autem vocato ad principis conuiuium Domino dicitur: *Et ipsi obseruabant eum*, de scribis & pharisæis subintelligendum est, qui ad hoc aderant, vt eum potiùs potuissent reprehendere, duplici videlicet malignitate: Vt siue curaret hydropicum, damnarẽt illum quasi legis contemptorem, & sabbati violatorem; siue non curaret, arguerent eum impietatis vel imposibilitatis. Sicut enim boni Dominum sequebantur, vt eius prædicationem audirent, & miracula viderent: sic econtrà scribæ & pharisæi aderant, vt eum in suis actibus potuissent calumniari. Obseruare dicimus, honestè & vigilanter custodire. Obseruabant ergo eum, hoc est, quòd callidè reprehẽsioni eius intendebant. Quarè verò eum obseruarent, ex eo quod sequitur, animaduerti potest. *Et ecce, inquit, homo hydropicus erat ante illum.* Quia enim sabbatum erat, considerabant vtrùm languidum eo die curaret, nec ne. Et si quidem curaret, dicturi erant:

Sabbatum mutatum in Dominicã diem.

Ioan.9.

Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit. Si verò eum curare nollet, infamarent eũ de imposibilitate. *Ecce* (inquit euangelista) *homo hydropicus erat ante illum.* Hydrops morbus, quem Latini veterum nuncupamus, ab aqua trahit originem nominis, quia Græcè ὕδωρ aqua dicitur. Est verò intercutaneus morbus, ex interruptione vesicæ natus, tumorem ventris, & anhelitus fœtorem faciens: Habetq; hoc proprium, vt quo amplìus biberit, eo magis noxiam in se sitim excitet. *Et respondens, dixit ad illos: Si licet sabbato curare? At illi tacuerunt. Ipse verò apprehensum sanauit eum, ac dimisit.* Quod respondisse dicitur ad eos, qui nihil dixerant, ad illud respicit, quod præmissum est, Et ipsi obseruabant eum. Qui enim non minùs cogitatus q̃ opera intuetur, non immeritò sic ad cogitata quasi ad dicta vel facta respondit. Interrogantur, non quò eorum Dominus spectaret sententiam, sed vt ex sua meliùs responsione vel taciturnitate confutentur. Vnde & illi vndique conclusos se aspicientes, meritò interrogati tacuerunt. Quicquid enim dixissent, contra se dictum videbant. Si dicerent, Licet, audituri erant, Quare ergo me obseruatis? Si autem dicerent, Non licet, nec sic euadere poterant. Nam diceret illis Dominus, quod & subinde eis obiecit: Quare vos vestra pecora curatis sabbato? Sua ergo eos conscientia repercussos & tacentes inspiciens, apprehensum ægrum sanauit, ac dimisit. Ideo sanauit Dominus hydropicum ante præsentiam scribarum ac pharisæorum, vt ostenderet eis, quia sicut ille sanatus est corpore, ita illi si in eum credere vellent, in anima sanari potuissent. Prudenti sanè dispensatione Dominus ante legisperitos & pharisæos hydropicum curat, & mox contra auaritiam disputat: vt per illã ægritudinem, quam iste patiebatur in corpore, de sig-

designaret illorum infirmitatem, qua tabescant in mente. Mysticè verò hydropicus iste, ipsum Iudæorũ significat populum, qui pessimo quodam veterno auaritiæ & libidinis prægrauatus erat. Nihil enim auarius gente Iudæorum fuit, nihil ad libidinem pronius. Hoc morbo assuetos eos Balaam hariolus prænouerat, quando Balach huiusmodi consilium dederat, vt eos per mulierum pulchritudinem idololatriæ prostitueret. Quid verò de spirituali dicimus fornicatione, cui adeò eadem plebs inseruiit, vt meretricis procacis, & adulteræ mulieris nomine per prophetam appelletur? Hydropicus verò qui sanatur, synagogam præfigurat, in qua pars illius populi fide à noxio auaritię & libidinis humore liberata est, adeò vt post Christi ascensionem, quotquot ex eis domorum vel agrorum possessores erant, vendentes quæ habere poterãt, precium ante pedes apostolorum deferrent, & causa amoris Christi vxoribus & omnibus seculi affectibus renuntiarent. Sed & moraliter hydropicus iste quemlibet designat auarum vel luxuriosum. Sicut enim hydropici sitis est inexplebilis, ita omnis auarus quandam sitim multiplicat: qui quo ampliora acquisierit, eo plura per fas & nefas acquirere laborat. Vnde Salomon ait: Auarus non impletur pecunia. Quia sitis eius nec inopia minuitur, nec copia expletur, illa super hoc concordante sententia, qua dicitur: Sèper auarus eget. Pari modo luxuriosus quisq; quo magis voluptatẽ carnis expleuerit, eo quoque ad peiora accenditur perpetranda: sicque fit vt vnde ad horam libidinis incendium extinguitur, inde mox deteriùs inflammetur. Diximus enim morbo hydropici auaritiam significari, quòd sicut ille aquam, ita iste sitit pecuniam. Quo vitio pharisæos laborasse euangelista manifestat, cùm post nonnullas parabolas subiungit, dicens: Audiebant enim hæc pharisæi qui erant auari, & deridebant illum. *Et respondens, dixit ad illos.* Cùm nullius interrogatio præcesserit, quid vult quòd tam sæpè respondisse dicitur ad legisperitos & pharisæos? Sed hæc locutio in sacris voluminibus habetur vsitata. Solet enim scriptura nullo interrogante, hoc modo respondentis voce proferre sententiam. Vnde est illud, quod alibi in euangelio legimus: In illo tempore respondens Iesus, dixit: Confiteor tibi pater Domine cæli & terræ. Et certè illo in loco nulla vel patris vel alicuius interrogatio præcesserat, vt eum respondisse sancta illa authoritas testaretur. Hinc est etiam, quòd sanctis mulieribus ad sepulchrum Domini flentibus nihilque interrogantibus, de angelo qui perennem Christi resurrectionem nuntiare venerat, dicitur: Respondens autem angelus, dixit mulieribus: Nolite timere vos. Sanato verò ac dimisso hydropico, inuehitur mox in auaritiam calumniatorum suorum: Nam sequitur: *Et ait illis: Cuius uestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die sabbati?* His verbis sic Dominus sibi calumniantes coarguit, vt eos auaritiæ studere conuincat. Ac si alijs verbis loqueretur: Si vos, inquiẽs, vestra animalia in die sanctificato, si fortè in puteum casu ceciderint, eripere etiam cum labore festinatis, non ipsis animalibus consulentes, sed auaritiæ vestræ operam dantes: quarè me reprehenditis, cur hominem ad imaginem Dei conditum, multoque animali præstantiorem, in die sabbati curem? Et pulchra ratione hydropicum animali in puteum decidenti comparat, quia animal in puteum labens, aquæ humore laborat, quemadmodum humore grauatur hydropicus. Sicut & in alio loco mulierem curuam, quam de cem & octo annis alligauerat satanas, iumento comparauit, quod soluitur vt aquatum ducatur. Verùm in apertissimis historiæ verbis intima redolet suauitas allegoriæ. Nam per bouem & asinum vterque populus, Iudæorum videlicet & gentium, intelligitur. Per bouem quidem, cuius ceruix iugo teritur, cuiusque labore proscissa terra versatur, Iudaicus conuenientissimè accipitur populus, qui legis iugum durissimũ traxerat: cuius superbiam legis pondus premebat, quique ob terrenam felicitatem, & rerum labentium copiam, Deo seruiebat. Graue enim iugũ Iudæis fuit circuncisionem sufferre, festiuitates tabernaculorum sub diuo, hoc est, sub asperitate imbrium, atque calore solis celebrare, ocium sabbatorum seu festiuitatum custodire, & cætera legis onera grauissima, in quibus retrò cunctis temporibus iam seruierunt, obseruare. Per asinum verò, animal nimis irrationale, & præcæteris animantibus magis oneriferum, gentilis populus figuratur, qui peccatorum pondere, & malè insitæ sibi consuetudinis mole præpediti, nequaquàm respirare, aut imponentibus resistere valebant, ad simulacra muta prout ducebantur, incedentes. Possunt quoque hæc animalia, duo hominum genera designare. Bos enim, qui prouentui frugum inludat, sapientes exprimit. Asinus verò ignobile animal & insipidum, stultos quosque & verbi ratione carentes, per typum ostendit. Rectè igitur Dominus in vtroque loco bouem & asinum in puteum labentes, vel à præsepio solutos, sub significatione Iudaici populi atque gentilis posuit: quia adueniens ipse mediator Dei & hominum in hunc mundum, omnes siue Iudæos siue gentiles, seu sapientes siue hebetes, durissimis peccatorum vinculis irretitos inuenit, atque in imo voluptatis & concupiscentiæ carnalis, tanquam in profunditate putei demersos reperit. Scriptum nanque est: Vinculis peccatorum suorum vnusquisque constringitur. Et Apostolus: Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Aptè verò de insultatoribus Domini sequitur: *Quia non poterant ad hæc respondere illi.* Splendidissima nanque luce veritatis euanescere videbantur omnes tenebras falsitatis. Verùm Dominus cùm vi-

Hydropicus mysticè.

Num. 31.

Exech. 16

Actor. 4.

Hydropicus moraliter.

Eccles. 5.

Luc. 16.

Matt. 11.

Matt. 28.

Luc. 13.

Bos & asinus mystice.

Prou. 5.

Rom. 3.

Universidad de Deusto. Biblioteca

deret eos respondere non posse,& tamen à malitia & inuidia nolle cessare, ad eorum quidem qui inuitati fuerant,exhortationem, qui fortassis ex eius prædicatione proficere poterant, sermonem conuertit. Intendebat enim non probo eos studio primos accubitus affectare. *Dicebat autem & ad inuitatos parabolam,intendens quomodò primos accubitus eligerent,dicens ad eos: Cùm uocatus fueris ad nuptias,non discumbas in primo loco.* Hæc admonitio saluatoris ad literam vtiliter intellecta, salutiferum cunctis documentum exhibet, humilitatem præcipuè commendans,& non solùm apud Deum,verùm etiam apud homines laudabilem esse declarat. Sed non ab re est,quòd sanctus euangelista hanc euangelicam lectionem, parabolam voluit nuncupare. Parabola enim Græcè,Latinè similitudo dicitur. In similitudine verò aliud est quod prætenditur per figurã, aliud quod innuitur per veritatem. Quòd per nuptias coniunctio Christi Ecclesiæq; signetur, pluribus ex locis sancti euangelij conijci datur. *Marc.2.* Ait enim: Nunquid possunt filij nuptiarum ieiunare,quandiù cum illis est sponsus?Alibi quo- *Matt. 22.* que parabolicè loquens:Simile est, inquit, regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Deus enim pater filio suo nuptias fecit, *Nuptiæ Christi & Ecclesiæ* quando per incarnationis mysterium sanctam ei Ecclesiam fidei & dilectionis dote coniunxit. In nuptijs nãq; sponsus sponsæ coniungitur, vt filij procreari possint. Ita vnigenitus Dei filius spõsam sibi de gentibus sanctam Ecclesiam coniunxit,& multos filios sibi spirituales per adoptionem effecit. Cuius sponsi thalamus, vterus virginis Mariæ fuit,in quo diuinitatem suam humanitati nostræ per suam incarnationem dignãter sociauit. Ad has nuptias omnes inuitati sumus,quicunq; Christianitatis titulo insignimur, quicunq; crucis stigmate præmunimur. Quisquis ergo has nuptias vocatus adierit, hoc est, quicunq; per gratiam fidei Ecclesiæ membris se coniunxerit,non discumbat in primo loco, hoc est,non de suis meritis gloriando,quasi de singulari priuilegio meritorum cæteris præferatur, sed semper humilia de se sentire studeat. Nescit enim, si fortè alius honoratior ab illo inuitatus sit. Honoratiori post se inuitato locum dat ille, qui securus de confidentia pristinæ suæ conuersationis,videt se præiri in bono opere cita agilitate ab illis,qui post se vocati sunt. Verbi gratia: Qui ab ipsis ætatis teneræ incrementis ad diuinum seruitium conuertitur,plerunq; eũ in bonis operibus illi præcedunt,qui nouiter de seculi actibus reuertẽtes,in sanctis actionibus fortes inueniuntur. Hi ergo & pòst inuitantur,& primi accumbunt, quia etsi ad religionis exercitium serò veniunt,fortiùs tamen se iustitiæ & sanctitatis lance edocent,& quod minus habent ex tẽpore,ex studij viuacitate compensant. Et cum rubore nouissimum locum tenere incipit, cùm de alijs quàm de se meliora cognoscens, quicquid priùs in sua actione magnum putabat,ex comparatione alieni meriti infimum humilimumq; dijudicat,cum propheta dicens: Pauper sum ego, *Psal. 87.* & in laboribus à iuuentute mea: exaltatus autẽ, humiliatus sum & confusus. Quid verò nobis agendum,seu qualiter in Ecclesia conuersandũ sit,præceptor disciplinæ cælestis mox aperire curauit. Cùm, inquiens, vocatus fueris ad nuptias, id est, cùm veneris in societatem sanctæ Ecclesiæ,recumbe in nouissimo loco,id est, humilia de te sentire cura,iuxta quod scriptum est: *Eccles.3.* Quanto magnus es,humilia te in omnibus: Et noli de tuis gloriari virtutibus, sed omnes tibi æstima superiores, minimum te omnium iudica,inferiorem cunctis deputa. Tanto enim eris in Dei oculis preciosior,quanto fueris in tuis oculis despectior:quantoq; ampliùs tibi vilueris, tanto magis Deo placebis. *Vt cùm venerit qui te inuitauit,dicat tibi: Amice,ascende superiùs.* Quam sententiam etiam in præsenti constat impleri. Quotidiè enim Dominus nuptiarum,nuptias Ecclesiæ ingreditur:habitus,confessus,moresq; dijudicat conuiuantium:& eum quem in humilitate inuenit fundatum,amici nomine sublimatum beatifi car,dicens illi: Amice,ascende superiùs: & qui locum videbatur habere inferiorem, ad summam ecclesiastici culminis promouet dignitatem: vt simul discumbentes,hoc est,in fide quiescentes, magna admiratione glorificent, & stupentes cũ Psalmista dicant: Mihi autem nimis honorati *Psalm.138* sunt amici tui Deus. Veniens ergo Dominus Iesus Christus ad iudicium,quemcunq; humilem inuenerit,glorificabit & exaltabit, atq; ad superiora ascendere præcipiet:quia scilicet illos sublimabit in æterna beatitudine, quos in hac vita de suis virtutibus humilia sentire perspexit,iuxta quod Petrus apostolus suos auditores exhor- *1.Pet.5.* tatur,dicens: Humiliamini sub potenti manu Dei,vt vos exaltet in die visitationis. Vnde & benè subditur: *Tunc erit tibi gloria coram simul discumbẽtibus.* Tunc,id est, in fine mundi erit tibi gloria. Verùm quia non de præsenti, sed de futuro dicitur, Tunc erit,ad illam quæ in fine mundi omnibus dabitur electis beatitudinem referendum est,quando Deum quisq; videbit sicuti est. Benè autem dicitur, Tunc, ne videlicet si quid boni agimus,laudem ab hominibus in præsenti requiramus: sed tunc,id est, in futura vita à Deo remunerationem expectemus. Scriptum nanq; *Pro.20.* est: Hæreditas ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit. Quisquis enim gloria vitæ præsentis fuerit delectatus, & summam gloriæ,quæ in futurũ debetur, in præsenti possidere desiderauerit,illa absque dubio æterna beatitudine carebit,quę electis ad supernam patriam tendentibus reseruatur. Quæ sententia euangelica potest & in hac vita iuxta literam veraciter intelligi. Qui enim in nouissimo loco recumbens inuenitur,veniente patrefamilias altiùs sublimatur: quia quotidiè Domin⁹ in consortium electorum spiritualiter atq; inuisibiliter veniens,suas nuptias intrat, quia quotidiè, vt diximus, habitus moresq; fidelium considerat,& superbis resistens,eos quos humiles inuenit,sæpè alijs præfert,ac tantis muneribus specialium donorum glorificat, vt tales illi qui simul discumbũt, hoc est,qui in eadem fide quiescũt, concordi admiratione efferant, proclamantes *Psalm.138* cum Psalmista: Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, &c. *Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat,exaltabitur.* Hæc subiecta conclusio euangelicæ lectionis,docet præcedentem quoq; parabolam debere mysticè intelligi. Patet enim, & non omnis qui se coram hominibus exaltat,mox in hac vita humiliatur: aut qui se in conspectu hominum humiliat, exaltatur:cùm è contrario nõnunquam contingere soleat, vt is qui in aliquo dignitatis apice sublimari incipit,vsq; ad finem vitę exaltari non desinat: Et rursùm is,qui humilis ac verecundus esse inchoat,in ipsa sua mediocritate vsq; in terminum vitæ perduret. Ergo quia Deus falli non potest, cuius verba sunt ista,& si hoc in præsenti vita nõ impletur,restat vt in futuro sine dubio impleatur, tunc scilicet, quando impij & superbi humiliabũtur cum diabolo in inferno, audien- *Matt. 25.* tes à Domino, Ite in ignem æternum: iusti autẽ & humiles exaltabuntur à Domino, percipiẽtes *Ibidem.* ab eo vocem exoptabilem, Venite benedicti patris mei,percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Quam vt audire mereamur,ipse nobis largiri dignetur, qui cum patre & spiritusancto viuit & regnat Deus,per omnia secula seculorum, Amen.

EADEM DOMINICA. HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Cùm intrasset Iesus in domum cuiusdam principis phariseorum sabbato manducare panem, & ipsi obseruabant eum,&c. Luc.14.

IN eo enim, quòd ad panem manducandum in domum principis Pharisæorum Dominum intrasse Euangelista scribit,eum solis necessarijs contentum,& non deliciosis cibis inhiasse ostendit, præsertim quum neq; in ipsius principis domo aliud manducasse dicatur. In pane tamen, qui in omnibus principatum cibis tenet, omnia ciborum genera intelligere possumus. Vnde & de *Pro. 31.* Ecclesia dicitur, quia panem otiosa non comedit. *Et ipsi* (inquit) *obseruabant eum*, id est, insidiabantur ei,vt vel in verbis eius aliquid audirent, vel in eius actionibus aliquid viderent, vnde eũ reprehendere & accusare potuissent. Quorum iniquam voluntatem Dominus cognoscens,eisdem ipsis materiam dabat, in qua suæ intentionis iniquitatem declararent. Hoc enim sequentia manifestant. *Et ecce quidam hydropicus erat ante illũ.* Hæc est enim materia,qua & Christi virtus,& Pharisæorum perfidia manifestetur. *Et respondens Iesus,dixit ad legisperitos & ad Pharisæos: Si licet Sabbato curare? At illi tacuerunt. Ipse uerò apprehensum sanauit eum,ac dimisit.* Respõdit vtiq; Iesus,sed cogitationibus respondit. Cogitabant enim Pharisęi,&intra se dicebant:Ecce hydropicus adest, & Sabbatum est,videamus quid iste agat. His enim cogitationibus respondens Dominus, ait: Si licet Sabbato curare? At illi vtrobiq; timẽtes, tacuerunt. Si enim dixissent quia licet, iam non *Versutia* erat in quo eum reprehendere possent. Si verò *pharisæo-* dixissent quia non licet,timebant sibi,quia & ip- *rum Christi* sum multa in Sabbato operabantur. Tacuerunt igi *sto insidi-* tur. Ipse verò sanauit eum, ac dimisit. Et quia iã *antium.* insultare,& eum reprehendere cogitabant, vtpotè qui contra legem fecisset, & Sabbatum violare non timuisset,præoccupauit eos,& respondẽs dixit: *Cuius uestrum asinus aut bos in puteum cadet, &c. Et non poterant ad hæc respondere illi.* Quid enim responderent,qui se tam euidenti syllogismo conclusos esse videbant? Sed videamus,quid hydropicus iste significet:significat enim aliquid. Hydropisis enim ab aqua dicitur infirmitas. Hydropicus autem quanuis aqua plenus sit,semper tamen sitiens,bibendo satiari non potest. Vnde & non immeritò auaros designat:quia quãto plus habent,tanto plus habere desiderant. Neq; verò habendo satiantur,quia insatiabilis amor habendi auaritia definitur. Hos tamen,si ad Christi cõ- *Auaritia quid sit.* uiuium veniant,& ibi abstinentiam discant, & quid appetere & quid abijcere debeant intelligant,sanat Iesus. *Dicebat autem & ad inuitatos parabolam,intendens quomodò primos accubitus eligerent,dicens ad illos: Cùm inuitatus fueris ad nuptias,&c.* Hæc autẽ subinferens exponit,dicens: *Quia omnis qui se exaltat,humiliabitur,& qui se humiliat,exaltabitur.* Inuitatus enim Dominus ad conuiuium, considerans & intendens quomodò digniores & primos accubitus omnes eligerent,& quomodò singuli se cæteris anteferre & exaltare desiderarent, hanc eis parabolam dixit,quæ ad literam quoq; intellecta,cunctis honestatem diligentibus valdè vtilis & necessaria est. Dat enim & minoribus gratiam,& maioribus reuerentiã. Sed quia parabola dicitur,aliquid aliud præter literam significatur. Videamus igitur quæ sunt istæ nuptiæ,qui sunt & illi,qui ad nuptias inuitantur. Istæ enim *Nuptiæ* nuptiæ quotidiè in Ecclesia fiunt: quotidiè Do- *Christi* minus nuptias facit,quia quotidiè Dominus fi- *quotidiã* deles animas sibi coniungit, alijs ad baptismum *næ.* venientibus,alijs hinc ad cælestia regna migrantibus. Ad has enim nuptias omnes nos inuitati sumus,quicunq; Christi fidem & signaculũ suscepimus. Hic illa mensa nobis apponitur,de qua dicitur: Parasti in conspectu meo mẽsam aduer- *Psal. 22.* sus eos qui tribulant me. Hic panis propositio- *Fercula* nis,hic vitulus saginatus,hic agnus qui tollit pec- *nuptiarũ* cata mundi,hic panis viuus qui de cælo descen- *Christi.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dit, hic calix noui testamenti apponitur nobis. Hic euangelia & Apostolorú Epistolæ, hic Moysi & pphetarum libri, quasi quædam fercula deliçijs omnibus referta apponuntur nobis. Quid igitur amplius quærimus? quid primos accubitus eligimus? Vbicunq; enim sedemus, omnibus abundamus & nihilo indigemus. Veruntamen hic si accubitus queris, vade & recumbe in nouissimo loco: non te superbia eleuet, non scientia
Eccles.3. inflet, non nobilitas extollat: sed quanto maior es, in omnibus te humilia, & coram Deo inuenies gratiam: vt suo tempore tibi dicatur, Amice ascende superiùs, & tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. In nouissimo quidem loco, quantum ad locum superiorem inuitasset, & ad filios Israël mittere voluisset, respondit:
Exod.4. Obsecro Domine, mitte quem missurus es. Non enim sum eloquens, neq; tanti (ac si dicat) officij
1.Reg.15. dignus. Saul quoq; quum humilis esset in oculis suis, rex à Domino constitutus est. Sic & Hieremias in primum locum ascendere timens, dice-
Iere. 1. bat: A, a, a, Domine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Similiter aút & Aplús, qui dicebat:
1.Cor.5. Ego sum minimus Apostolorú, qui non sum dignus vocari Aplús, quoniam persequutus sum Ecclesiam Dei. Primus igitur accubitus, primus in Ecclesia locus, nó ambitione, sed humilitate, nó nummis, sed virtutibus quærendus est. Ad hunc igitur & pueri, & loqui nescientes, ad hunc indocti, & indisciplinati ascendere timeant, ne fortè dicatur eis: Da huic locum, & tunc cú rubore tenere incipiant nouissimum locú. *Omnis enim qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.*

FERIA QVARTA QVATUOR temporum. Marc. IX.

In illo tempore: Respondens unus de turba, dixit ad Iesum: Magister, attuli filium meum ad te, habentem spiritũ mutum: qui ubicunq; eum apprehenderit, allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit. Et dixi discipulis tuis, ut ejicerent illum, & non potuerunt. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

NArratur in precedenti sanctæ huius lectionis capitulo, quia veniens ad discipulos suos Dominus, vidit turbam multam circa eos, & scribas conquirentes cum illis. Et confestim omnis populus videns eum, stupefactus est, & expauerút, & occurrentes salutabant eum. Notanda est omnibus lo-
Mens alia scribarũ, alia plebis. cis distantia mentis scribarum & turbæ. Erat aút cum discipulis turba, erant & scribæ. Sed adueniéte Domino, mox omnis turba stupefacta expauit, eumq; salutans occurrit: scribæ nihil deuotionis, fidei, humilitatis & reuerentiæ ei exhibuisse narrantur. Quid aút cum discipulis turbæ siue scribæ conquirerent, euangelista non dicit: potest verò (nisi fallor) aptè intelligi, de hoc quæstionem fuisse motam, quare ipsi cum essent discipuli saluatoris, saluare dæmoniacũ qui in medio erat positus, non possent. Quod ex sequentibus euangelij verbis potest conijci, cùm dicitur: Et interrogauit eos: Quid inter vos conquiritis? Statimq; subinfert euangelista hoc, quod modò lectum est: *Et respondens unus de turba, dixit: Magister, attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum: qui ubicunque eum apprehenderit, allidit eum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit: & dixi discipulis tuis, ut ejicerent illum, & non potuerunt.* Notandum autem, q̃ semper loca rebus congruunt. In monte Dominus orat, transformatur, discipulis arcana suę ma-
Loca ut cõgruant gestis Christi. iestatis aperit: in inferiora descendens, turbæ occursú excipitur, miserorum fletu pulsatur. Sursùm discipulis mysteria regni refert: deorsùm turbis peccata infidelitatis exprobrat. Sursùm patris vocem his qui eum sequi poterant, pandit: deorsùm spũs malos ab his qui vexabantur, expellit. Qui etiam nunc pro qualitate meritorum alijs ascendere, alijs verò non desistit descendere. Nam carnales adhuc & incipientes, quasi impetentes confortat, docet & castigat: perfectos aút, quorum conuersatio in cælis est, sublimiùs extollédo glorificat, liberiùs de æternis instruit, & sæpè ea quæ à turbis ne audiri quidem valeãt, docet. Dæmoniacum hunc, quem descendẽs de monte Dominus sanauit, Marcus surdum mutumq; describit, Matthæus verò lunaticum fuisse commemorat. Significat autem eos de quibus scriptum est: Stultus vt luna mutatur. Qui nunquam in eodem statu permanentes, nunc ad hęc, nunc ad illa vitia mutati crescunt atq; decrescũt: qui muti sunt nõ confitendo fidem, surdi nec ipsum aliquatenùs veritatis audiendo sermonem. Spumant aút, cum stultitia tabescunt. Stultorum nanq; & languentium atq; hebetum est, spumas saliuarum ex ore demittere. Strident dentibus, cùm iracũdiæ furore flammescũt. Arescunt, quũ ocio torpente langueſcunt, & nulla virtutis industria confortati, eneruiter viuunt. Quod aút ait: *Et dixi discipulis tuis ut ejicerent illum, & non potuerunt:* latéter accusat apostolos, cũ impossibilitas curandi interdũ nó ad imbecillitatem curantiũ, sed ad eorum qui curandi sunt, fidem referatur, dicente Domino: Fiat tibi secundùm fidem tuam. *Qui respondens eis, dixit: O generatio incredula, quandiù apud uos ero? quandiù uos patiar?* Non q̃ tædio superatus sit mansuetus ac mitis, qui non aperuit sicut agnus coram tondente os suum, nec in verba furoris erupit: sed q̃ in similitudiné medici, si ægrotum videat contra præcepta sua se gerere, dicat: Vsquequò accedam ad domum tuam? quousq; artis perdam industriam, me aliud iubente, & te aliud perpetrante? Intantùm autẽ non est iratus homini, sed vitio, & per vnum hominem Iudæos arguit infidelitatis, vt statim intulerit: *Afferte illũ ad me, inquit. & attulerunt eum. Et cùm uidisset illum, statim spiritus conturbauit illum, & elisus in terram, uolutabatur spumans.* Allatum Domino puerum spiritus dissipauit & allidit, quia sæpè dum conuertit ad Deum

Deũ post peccata conamur, maioribus nouisq; antiqui hostis pulsamur insidijs. Quod ob id vtiq; callid⁹ facit aduersarius, vt vel odiũ virtutis incutiat, vel expulsionis suæ vindicet iniuriam. Hinc est enim, vt de specie trãseamus ad genus, q̃ Ecclesiæ sanctæ primordijs tot grauissima inferebat certamina persecutionum, q̃ suo regno dolebat subitò animarum illata fuisse dispédia. *Et interrogauit patrem eius: Quantum temporis est, ex quo hoc ei accidit? At ille ait: Ab infantia: & frequenter eum & in ignem & in aquas misit, ut eum perderet.* Eru-
Iulianus Pelagian⁹, cui respondit Augustinus. bescat Iulianus, qui dicere audet oẽs homines absq; vllo peccati cõtagio nasci in carne, tam innocentes per omnia, quàm fuit Adam quando creatus est. Quid enim habuit iste puer, vt ab infantia dæmonio vexaretur acerbissimo, si nõ vllo originalis peccati vinculo tenebatur, qué cõstat nullum adhuc ꝓprium habuisse peccatum?
Rom.7. Confitetur catholicus, q̃ nemo immunis à noxa primæ præuaricationis nascitur, & inuocet gratiã Dei, qua liberetur de corpore mortis, per Iesum Christum Dominum nostrum. Intelligat scriba doctus in regno cælorum in hoc dæmoniaco à Domino curato, saluationem omnium fidelium esse designatam, qui originalis culpæ reatu adstricti veniunt in mundum, nec nisi vni⁹ redemptoris Iesu Christi fide sunt & gratia saluandi. Quod autem dictum est: *Et frequenter eum & in ignem, & in aquas misit*, maxima humanæ vecordiæ facinora designat. Ignis nanq; ardor ad feruorem iracundiæ referendus est, aqua ad voluptates carnis, quæ dissoluere mentem per delitias solet. Vel certè in ignẽ mitti ferũ dæmoniacus, quo adulterantium corda succensa sunt: &
Osee 7. in aquas, quæ solent extinguere charitatem. *Sed si quid potes, adiuua nos, misertus nostri. Iesus autem ait illi: Si potes credere, omnia possibilia credenti.* Aptum Dominus responsum reddit petenti. Ipse enim ait: Si quid potes, adiuua nos. Et Dñs, Si potes, inquit, credere, possum vos misertus adiuuare.
Fides non ficta. Matth. 8. Quia fides non ficta omnia quæ salubriter petit, impetrare meretur. Cui contrà leprosus, qui fideliter clamabat: Domine, si vis, potes me mundare, congruum fidei suæ accepit responsum: Volo: mundare. *Et continuò exclamans pater pueri cum lachrymis, aiebat: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam.* Nemo repentè fit summus, sed in bona conuersatione à minimis quisque inchoat, vt ad magna perueniat. Alia nanq; sunt virtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio. Si enim & ipsa fides ad perfectionem suam non quibusdã gradibus duceretur, iste interrogatus an crederet, non responderet, Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Si enim credebat, cur incredulitatem dicebat? Si verò incredulitatem se habere nouerat, quomodò credebat? Sed quia per occultam inspirationem gratiæ, meritorũ suorũ gradibus fides crescit, vno eodemq; tempore, is qui necdùm perfectè crediderat, simul & credebat, & incredul⁹ erat. *Et cùm uideret Iesus cõcurrentẽ turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius non introeas in eũ.* Comminatio Domini, diuini est virtus imperij. Non autem puero qui vim patiebatur, sed dæmoni qui inferebat, comminatus est: quia qui peccantem emendare desiderat, vitium vtiq; increpando & execrando debet exterminare, sed hominem amando refouere. Benè autem Dominus qui spiritum immundum pellit ab homine, simul ne ampliùs in eum ingrediatur imperat: quia ille veraciter à dæmoniaca do-
Liber à seruitute diabol. minatione liberatur, qui ad peccata, à quibus semel pœnitendo mundatus est, vitat malè viuẽdo reuerti. *Et clamans, & multùm discerpens eum, exijt ab eo.* Exiturus ab homine spiritus immundus, discerpsit eum, ac furenti clamore terruit intuẽtes: quia plerunq; diabolus dum de corde expellitur, acriores in eo tentationes generat, quã priùs excitauerat, quando hoc quietus possidebat. *Et factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent, quia mortuus est. Iesus autem tenens manum eius, eleuauit eum, & surrexit.* Quem hostis impius, iam fugere compulsus, strauit ac mortuo similem reddidit, hũc pius saluator miti suæ dexteræ tactu leuauit. Qui sicut verum se esse Deum potẽtia saluandi docuit, ita etiam veram se carnis habuisse naturam more tactus humani declarauit. Negat nanq; Manes
Manes, author sectæ Manichæorum. insanus veraciter eum carne fuisse indutum: sed ipse cùm tot languentes suo tactu erexit, mundauit, illuminauit, hæresim illius & antequàm nata esset, damnauit. *Et cùm introisset domum, discipuli eius secretò interrogabant eum: Quare nos non potuimus ejicere eum? Et dixit eis: Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione & ieiunio.* Dum docet Apostolos, quomodò dæmon nequissimus debeat expelli, omnes instituit ad vitam, vt scilicet nouerimus graviora quæq; vel immundorum spirituum vel hominum tentamenta, ieiunijs & orationibus esse superanda: iram quoq; Domini, cùm in vltionẽ nostrorum scelerum fuerit accensa, hoc remedio singulari posse placari. Ieiunium autem ge-
Ieiunium ab escis & uitijs. nerale est non solùm ab escis, sed & à cunctis illecebris abstinere carnalibus, imò ab omnibus vitiorum continere passionibus. Sic & oratio ge-
Oratio. neralis, non in verbis solùm est, quibus diuinam clemẽtiam inuocamus, verumetiam in omnib⁹, quæ in obsequium nostri conditoris fidei deuotione gerimus, testante Apostolo, qui ait:
1.Thes. 5. Semper gaudete, sine intermissione orate. Quomodò enim quis omnibus horis atq; momentis sine intermissione Deum potest inuocare sermonibus? Sed tunc sine intermissione oramus, cùm ea solùm opera gerimus, quæ nos pietati nostri commendent authoris. Quo nimirùm ieiunio & qua oratione, iuuante Domino, cunctas antiqui hostis debellabimus ac propulsabimus insidias.

Universidad de Deusto
Biblioteca

FERIA SEXTA QVATVOR TEMPORVM. Luc. VII.

In illo tempore: Rogabat Iesum quidam pharisæus, ut manducaret cum illo. Et ingressus domum pharisæi, discubuit. Et reliqua. Homilia beati Ambrosij episcopi, lib. 6. Commentariorum in Lucam.

HOC loco pleriq; pati videntur scrupulum, & serere quæstiones, vtrúmnam videantur euangelistæ duo discordasse de fide, an verò aliquam in dictorũ diuersitate, diuersitatem signare voluisse mysterij. Habes enim in euangelio secundùm Matthæum, quia Iesus cùm venisset in Bethaniam in domum Simonis leprosi, accessit ad eum mulier, habens alabastrum vnguenti pretiosi, & recumbente illo fudit super caput eius. Deinde isthic pharisæus intra se dicit, quòd si esset propheta, sciret peccatricem, & vnguentum eius vitare deberet: illic vnguẽto effuso discipuli conquerũtur. Vtrunq; igitur explicandum est, sed antè qđ scriptorum ordine prius est, priorem quoq; ordinem interpretationis accipiat. Venit ergo Dominus Iesus in domum Simonis leprosi. Apparet œconomia, q̃ leprosum non refugit, non vitat immundum, vt maculas humani corporis possit abolere. Domus autem leprosi erat in Bethania, quæ per interpretationem domus obeditionis dicitur. Omnis igitur locus Bethania, portio autem totius loci domus Simonis. Nónne tibi videtur Bethania mundus hic esse, in quo seruitij obedientis debemus obsequium? domus autem Simonis leprosi terra esse, quæ mundi portio est? Princeps autem seculi huius quidam leprosus est Simon. Ergo Dominus Iesus Christus ex illis superioribus locis venit in hunc mundũ, & descendit in terram. Non erat in hoc mundo, sed obediente pietate missus est in hunc mundum. Ipse dicit: Sicut misit me pater in hũc mundum. Audiuit ergo mulier ista venisse Christum, intrauit in domum Simonis. Neq; enim sanari potuisset hæc mulier, nisi Christus veniret in terram. Et fortasse ideò etiam ipsa ingreditur domum Simonis, q̃ speciem cuiusdam habebat superioris, animæ scilicet vel Ecclesiæ, quæ descendit in terram, vt bono odore sibi populum congregaret. Hanc ergo mulierem inducit Matthæus supra caput Christi effundentem vnguentum: & ideò fortè noluit dicere peccatricem. Nam peccatrix secundùm Lucam supra Christi pedes effudit vnguentum. Potest ergo non eadem esse, ne sibi contrarium euangelistæ dixisse videantur. Potest etiam quæstio, meriti & temporis diuersitate dissolui: vt adhuc illa peccatrix sit, iam ista perfectior. Etsi enim personam non mutet Ecclesia vel anima, tamẽ mutat profectum. Itaq; si constituas animam fideliter appropinquantẽ Deo, non peccatis turpibus & obscœnis, sed piè seruientem Dei verbo, habentem immaculatæ fiduciam castitatis, aduertis quòd ad ipsum Christi ascendit caput (Caput autẽ Christi Deus est) & odorem meritorum suorum spargit. Christi enim bonus odor sumus Deo. Deum quippe honorat, bonum fragrans odorem vita iustorum. Si hæc intelligas, videbis hanc fœminam, videbis planè beatam vbicunque prædicatum fuerit hoc euangelium, nominari, nec eius vnquàm exolescere memoriam, eò q̃ super caput Christi bonorum fragrãtiam morum, iustorumq; factorum effudit vnguentum. Qui accedit ad caput, nescit extolli, sicut ille frustrà inflatus mente carnis suæ, & non tenens caput. Sed qui caput non tenet Christi, vel pedes teneat, quia corpus vnũ copulatum & subministratum, crescit in augmẽtum Dei. Altera est illa vel persona, altera vel p̃fectu, quæ propinqua nobis est. Nondum enim peccatis nostris renunciauimus. Vbi sunt lachrymæ? vbi gemitus? vbi fletus? Venite, adoremus & procidamus ante eum, & ploremus ante Deum qui fecit nos, vt saltem pedes Iesu inuenire possimus. Nondum enim possumus ad caput: peccator ad pedes, iustus ad caput. Habet tamẽ & quæ peccauit, vnguentum. Defer mihi & tu post peccata pœnitẽtiam, Quocunq; vel in domum indigni, vel in domum pharisæi audieris iustum venisse, contende p̃ripere hospitis gratiam, p̃ripere regnum cælorum. A diebus enim Ioannis Baptistę regnum cælorum cogitur, & cogentes diripiunt illud. Vbicunq; audieris Christi nomen, accurre: in cuiuscunq; interiorem domum Iesum intrasse cognoueris, & ipse festina. Cùm repereris sapientiam, cùm repereris iustitiam in alicuius penetrabilib. recumbentem, accurre ad pedes: hoc est, vel extremam partem quære sapientiæ. Noli fastidire pedes. Fimbriam illa tetigit, & sanata est. Lachrymis confitere delicta. Dicat de te quoq; iustitia illa cælestis: Lachrymis suis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Et fortasis ideò non lauit pedes suos Christus, vt eos lachrymis nos lauaremus. Et bonæ lachrymę, quæ non solùm nostrum possunt lauare delictum, sed etiam verbi cælestis rigare vestigium, vt eius in nobis gressus exuberent. Bonæ lachrymæ, in quibus non solùm redemptio peccatorum, sed etiam iustorum refectio est. Iusti enim vox est: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panis die ac nocte. Et si ad caput Christi accedere nõ potes, tãgat pedibus suis caput tuũ Christus: & fimbria eius curat, & pedes curãt. Expande capillos, sterne ante eum oẽs tui corporis dignitates. Nõ mediocres capilli sunt, qui possunt pedes tergere Christi. Testatur hoc ille, qui quandiũ capillos habuit, vinci nequiuit. Deniq; & mulierem decaluatam orare non decet. Habeat planè capillos, quibus Christi cir-

Matth. 26.

Bethania, mundus.

Domus Simonis, terra.

Ioan. 20.

1. Cor. 11.

2. Cor. 2.

Coloss. 2.

Psal. 94.

Matth. 11.

Matth. 9.

Effectus piarum lachrymarũ

Psal. 41.

Samsonem dicit.

Iudic. 16.

1. Cor. 11.

cũnuoluat vestigia, quibus suæ criniculis pulchritudinis & decoris sapientiæ pedes tergat, vt extremo saltem diuinæ rore virtutis humescant. Figat iustitiæ pedibus oscula sua. Non mediocris hæc meriti est, de qua potest dicere sapientia: *Ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos:* vt aliud nisi sapientiam loqui nesciat, vt aliud nisi iustitiam diligere nesciat, vt aliud nisi castitatem libare nesciat, vt aliud nisi pudicitiam osculari nesciat. Osculum enim, mutui amoris indicium est, osculum pignus est charitatis. Beatus qui potest & oleo vngere pedes Christi. Deniq; adhuc Simon oleo non vnxerat, sed beatior quę vngit vnguento. Multorum enim florũ in vnum collecta gratia, spargit odorum varias suauitates. Et fortasis istud vnguentum non alius possit, nisi Ecclesia sola deferre, quæ diuersi spiraminis innumerabiles habet flores: quæ meritò speciem accipit peccatricis, quia Christus quoq; formam peccatoris accepit. Et ideò nemo tãtum potest diligere, quantum illa quæ in pluribus diligit. Nec Petrus ipse, qui dixit: Domine, tu nosti, quia amo te. Nec Petrus ipse, qui doluit, quia interrogatus est: Amas me? Quod enim manifestum erat, dolebat quasi incognitum quæri. Ergo nec Petrus ipse, quia Ecclesiã dilexit in Petro, nec ipse Paulus, quia Paulus quoq; eius est portio. Et tu plurimùm dilige, vt & tibi remittatur plurimùm. Multùm peccauit Paulus, qui etiã persecutor fuit: sed multùm dilexit, qui vsq; ad martyrium perseuerauit. Remissa sunt ei peccata multa, quia & ipse multùm dilexit, qui sanguine proprio pro Dei nomine non pepercit. Video œconomiam. In domo pharisæi peccatrix glorificatur, in domo legis & prophetiæ non pharisæus, sed Ecclesia iustificatur. Pharisæus enim non credidit, ista credebat. Deniq; ille dicebat: *Si esset hic propheta, sciret utiq; quæ & qualis esset mulier quæ tangit eum.* Domus autem legis Iudæa, quę non in lapidibus scribitur, sed in tabulis cordis. In hac iustificatur Ecclesia, iam lege maior. Lex enim peccatorum nescit remissionem, lex mysterium non habet quo occulta mundãtur: & ideò quod in lege minùs est, consummatur in euangelio. *Duo (inquit) debitores erant cuidam fœneratori: unus debebat denarios quingentos, alter quinquaginta.* Qui sunt isti debitores duo, nisi populi duo: vnus ex Iudæis, alter ex Gẽtibus, fœneratori illi thesauri cælestis obnoxij? Vnus (inquit) debebat denarios quingentos, alter quinquaginta. Non mediocris est iste denarius, in quo regis imago formatur, qui trophæum habet imperatoris expressum. Non materialẽ fœneratori huic debemus pecuniam, sed meritorum examina, æra virtutum: quarum meritum grauitatis pondere, iustitiæ specie, sono confessionis expenditur. Væ mihi, si non habuero quod accipiam, quia difficilè quisquam est, qui fœneratori huic integrum debitum possit exoluere. Væ mihi, si non petiero, concede mihi debitum. Non enim nos ita Dominus orare docuisset, vt petere-

Matth. 16.

Duo debitores, Iudæi & Gẽtiles.

Matth. 6.

Rom. 3.

remus nobis dimitti debita nostra, nisi sciret difficilè aliquos fore idoneos debitores. Sed quis est populus iste qui amplius debet, nisi nos, quibus amplius creditum est? Illis credita sunt eloquia Dei, nobis creditur virginis partus. Habes talentum, virginis partum, habes fidei centesimum fructum. Creditus est Emmanuẽl nobiscum Deus, credita Domini crux, mors, resurrectio. Etsi Christus pro omnibus passus est, pro nobis tamen specialiter passus est, quia pro Ecclesia passus est. Itaque non est dubium, quòd plus debeat, quæ plus accepit. Et secundùm hominem plus fortasse offẽdit, qui plùs debuerit: sed per misericordiam Domini causa mutatur, vt amplius diligat qui amplius debuit, si tamen gratiam consequatur. Gratiam enim & qui reddit habet: & qui habet, in eo ipso quod habet, soluit. Nam & reddendo habetur, & habendo redditur. Et ideo quoniã nihil est, quod Deo dignè referre possimus (Quid enim referamus pro susceptæ carnis iniuria? quid pro verberibus, quid pro cruce, obitu, sepultura?) væ mihi si non dilexero. Audeo dicere, Non reddidit Petrus, & ideò plus dilexit. Non reddidit Paulus. Reddidit quidem mortem pro morte, sed alia non reddidit, quia multa debebat. Audi ipsum dicentem, quia non reddidit. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Reddamus licet crucẽ pro cruce, funus pro funere, nunquid reddimus quòd ex ipso, & per ipsum, & in ipso habemus omnia? Reddamus ergo amorẽ pro debito, charitatem pro munere, gratiam pro sanguinis precio. Plus enim diligit, cui donatur amplius. Sed reuertamur ad illam superiorem, cuius consilium adhuc nec apostoli intelligũt, quod erat absconditum à seculis in Deo. Quis enim cognouit sensum Domini? Conquerebãtur ergo discipuli, quia mulier super caput effudit vnguẽtũ, & querebãtur, dicentes: Quare hoc sic perijt? Potuit venundari precio, & dari pauperibus. Quid vtiq; in eorum sermonibus displicuerit, non potes deprehendere, nisi mysterium intelligas. Luxuriosi enim hominis, vel potiùs non hominis est olere vnguentum. Certè & ipsi qui olent, vngere se, non perfundere solent. Quid displicuit, quia dictum est, Potuit hoc venundari precio, & dari pauperibus? Certè & ipse suprà dixerat: Quicquid vni minimorum horum feciſtis, mihi feciſtis. Sed ipse mortem suam pro pauperibus offerebat. Non est igitur simplex figura, & ideò respondit illis Dei verbum: Quid molesti estis mulieri? Semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper. Semper ergo tecum pauperẽ habes, & ideò benefac. Num igitur differre debes pauperem, quia tecum semper est, cùm tibi propheta dicat: Ne dixeris pauperi, cras dabo? Sed ille de sola misericordia est locutus, hic autem misericordiæ fidem prætulit, quæ tunc habet meritum, si fide præcedente cõferatur. Mit-

Rom. 11.

Ibidem.

Matth. 26.

Matth. 25.

Prou. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tens enim vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Non ergo vnguentum Dominus, sed charitatem dilexit, fidem suscepit, humilitatem probauit. Et tu si desideras gratiam, charitatem auge, mitte in corpus Iesu fidē resurrectionis, odorem Ecclesiæ, communis charitatis vnguentum, & ita progrediens pauperibus dabis. Plus tibi pecunia illa proderit, si non tanquam affluentem tribuas, sed tanquam profuturam Christi nomine largiaris: si ita eam conferas pauperi, vt deferas Christo. Non ergo iuxta literam tantummodò accipias superfusum
1. Cori. 3. capiti vnguentum (litera enim occidit) sed secūdùm spiritum, quia spiritus vita est. Quod ergo istius mulieris vnguentum est? Quis hoc audire potest? Quis tales aures habet, vt dicente Iesu verbum quod accepit à patre, imò quia ipse verbum est, posit tantam altitudinem capere mysterij? Et discipuli ex parte intelligunt, & si non totum intelligunt. Vnde & quidam putant dixisse discipulos, vnguenti precio emi fidem gentium debuisse, quæ sanguinis dominici tantùm precio debebatur. quod videtur verisimile. Deniq; Ioannes euangelista inducit sermone Iudæ
Ioan. 12. Scarioth æstimatum trecentis denarijs illud vnguentum, sicut habes. Potuit enim venundari trecentis denarijs, & dari pauperibus. Trecentorum autem æra, crucis insigne declarant. Sed Dominus non perfunctoriam mysterij præscientiā quærit, sed consepeliri in se fidem credentium mauult. Id tamen de cæterorum apostolorum vocibus intelligimus. Iudas autem cōdemnatur auaritiæ, qui pecuniam dominicæ prætulit sepulturę: qui etiam si de passione sensit, errauit. Tam vili auctione vult æstimari Christus, vt ab omni-
Matt. 10. bus ematur, ne quis pauper deterreatur. Gratis accepistis, gratis date. Pecuniam non quærit diuitiarum altitudo, sed gratiā. Ipse nos precioso sanguine emit, non vendidit. De quo plenius diceremus, nisi à nobis ipsis tractatum alibi recordaremur. Ergo secundùm dicta Domini, in quo
Col. 2. sunt thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, quos nemo potuit præuidere, operari me oportet in sepulturam eius, vt caro eius requieuisse, non corruptionem vidisse credatur: & mors corporis eius ita domum nostram odore sui compleat, vt credamus quia in manus patris commē
Luc. 23. dauit spiritum suum, & à morte sequestrata diuinitas, corporalium non subijt consortium passionum. Intellige quemadmodùm corpus filij
Corpus Christi. vnguentum oleat. Corpus illud est, quod exutum est, non quod amissum est. Corpus eius, traditiones sunt scripturarum: corpus eius Ecclesia est. Corporis eius odor sumus, & ideò decet, vt mortem corporis eius ornemus: & si nostros illa nō requirat ornatus, sed requirūt pauperes. Ornabo corpꝰ eius, si fiā sermonū eius prædicator, & possim gentibus crucis aperire mysteriū.
1. Cor. 1. Ornauit ille qui dixit, Quia prædicamꝰ Christū crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis verò vocatis Iudæis atq; Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapiē tiam. Ornatur crux, cùm id quod per imperitiā stultum putatur, per euangelium sapientius æstimatur, vt possimus discere, quemadmodùm virtus aduersaria per crucem Domini destruatur. Misi in Domini corpus vnguentum: spirare inci pit, quod mortuum putabatur. Ideò vnusquisq; adoriatur emere labore suo, nisuq; virtutū alabastrum vnguenti: non vile aliquid atq; commune, sed precioſum vnguentum alabastri, & vnguentum pistícum. Si enim quis fidei congreget flores, & prædicet Iesum Christum crucifixum, in omnem Ecclesiam, quæ Christi corpus est, mundo mortua, requiescens Deo, fidei suæ transfundit vnguentum. Olere incipit tota domus Domini passionem, olere incipit mortem, olere incipit resurrectionem, vt possit vnusquisque ex hoc sacræ plebis numero dicere: Mihi *Gal. 6.* autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Spirat odor, redolet vnguentum in *Ibid. Mundꝰ mihi crucifixus.* corpore, si quis possit, atq; vtinam ego possim, confidenter loqui, Mihi autem mundus crucifixus est. Non amanti diuitias, non amanti honores seculi, non amanti quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi: non amanti quæ videntur, sed quæ non videntur: non cupido vitæ, sed ei qui festinat dissolui, & cum Christo esse, crucifixus est mundus. Hoc est enim crucem tollere, & sequi Christum, vt & nos moriamur & sepeliamur cū eo, vt vnguentum quod ista mulier in sepulturā eius misit, olere possimus. Non mediocre istud vnguentum est, quo Christi longè lateq; diffunditur nomen. Vnde etiam propheticè dictū est: *Can. 1.* Vnguentum exinanitum est nomen tuum. Ideò exinanitum, vt maiore fides odore fragraret. Ex hac ergo muliere intelligimus illud apostolicū *Rom. 5.* quid sit: Superabundauit peccatum, vt superabū daret gratia. Nam si in ista muliere non superabundasset peccatum, non superabundasset gratia. Agnouit enim peccatum, & detulit gratiam. Et ideò lex necessaria. per legem enim peccatū *Lex necessaria.* agnoui. Si lex non fuisset, peccatum lateret. Agnoscendo peccatum, veniam peto. Per legem enim genera peccatorum, præuaricationis quoque crimen agnosco: curro ad pœnitentiam, gratiam consequor. Lex ergo author est boni, quæ mittit ad gratiam.

SABBATO QVATVOR TEMPORVM.
Luc. XIII.

In illo tempore: Dicebat Iesus turbis similitudinem hanc: Arborem fici habebat quidam plantatam in uinea sua, & uenit quærens fructum in illa, & non inuenit. Et reliqua. Homilia beati Gregorij Papæ.

DOMI-

DOminus ac redemptor noster per euangelium suum aliquādo verbis, aliquando rebus loquitur: aliquando aliud verbis, atq; aliud rebus: aliquando aūt hoc verbis, quod rebus. Duas etenim res ex euangelio fratres audistis, ficulneam infructuosam, & mulierem curuam, & vtriq; rei est pietas impensa. Illud aūt dixit per similitudinem, istud egit per exhibitionem. Sed hoc significat ficulnea infructuosa, quod mulier inclinata: & hoc ficulnea reseruata, quod mulier erecta. Dominus vineæ tertiò venit ad ficulneam, & fructum minimè inuenit: & mulier quæ erecta est, decem & octo annis fuerat curua. Hoc autem decem & octo annorū numero signatur, quod tertiò dominus vineæ ad infructuosam ficulneam venisse perhibetur. Quia igitur præmittendo summatim totum perstrinximus, iam per lectionis ordinem singula disseramus. *Arborem fici habebat quidam plantatam in uinea sua, & uenit quærens fructum in illa, & non inuenit.* Quid arbor fici, nisi humanam naturam designat? Quid mulier inclinata, nisi eandem naturam significādo denuntiat? Quæ & benè plantata est sicut ficus, & benè creata sicut mulier. Sed in culpam propria sponte lapsa, neq; fructum seruat operationis, neq; statum rectitudinis. Ad peccatum quippe ex voluntate corruens, quia fructum obedientiæ ferre noluit, statum rectitudinis amisit. Quæ ad Dei similitudinem condita, dum in sua dignitate non perstitit, quod plantata vel creata fuerat, seruare contempsit. Tertiò Dominus vineæ ad ficulneam venit, quia naturam generis humani ante legem, sub lege, sub gratia, expectando, admonendo, visitando requisiuit. *Dixit autem ad cultorem uineæ: Ecce anni tres sunt, ex quo uenio quærens fructum in Tertiò ad homines uenit Deus.* ficulnea hac, & non inuenio. Venit ante legem, quia per naturalem intellectum quid vnusquisque exemplo sui, qualiter erga proximum agere debuisset, innotuit. Venit in lege, quia præcipiendo docuit. Venit post legem per gratiam, quia pietatis suæ præsentiam exhibendo monstrauit. Sed tamen in tribus annis fructum se non inuenisse conqueritur: quia quorundam prauorum mentes nec inspirata lex naturalis corrigit, nec præcepta erudiunt, nec incarnationis eius miracula conuertunt. Quid *Cultor uineæ, Ecclesiæ præsecti.* verò per cultorem vineæ, nisi præpositorum ordo exprimitur? Qui dum præsunt Ecclesiæ, nimirùm dominicæ vineæ curam gerunt. Huius enim vineæ primus cultor Petrus Apostolus extitit. Hunc nos indigni sequimur, inquantùm pro eruditione vestra, docendo, † deprecando, increpando laboramus. Sed cum magno iam timore audiendum est, quod cultori vineæ de infructuosa arbore dicitur: *Succide eam, ut quid etiā terram occupat?* Vnusquisque iuxta modum suum, inquantùm locum vitæ præsentis tenet, si fructum bonæ operationis non exhibet, velut infructuosa arbor terram occupat: quia in eo loco, in quo ipse est, & alijs operandi occasionem negat. Sed in hoc seculo potest quilibet, si fructum non habet bonæ operationis, etiam impedimentum præstat cæteris: quia quicunq; sub ipso sunt, exemplo prauitatis illius, quasi vmbra peruersitatis eius premuntur. Stat desuper arbor infructuosa, & subter terra sterilis iacet. Infructuosæ arboris desuper vmbra densatur, & solis radius ad terram descendere nequaquàm permittitur: quia dum subiecti quilibet, patroni peruersi peruersa exempla conspiciunt, ipsi quoque infructuosi remanentes, veritatis lumine priuantur: & presi vmbra, calores solis non accipiunt: quia inde remanent à Deo frigidi, vnde in hoc seculo malè protegun tur. Sed de hoc peruerso quolibet & potente, penè iam requisitio Deo non est. Postquàm enim se perdidit, quærendum solummodò est, cur & alios premat. Vnde benè eiusdem vineæ dominus dicit: Vt quid etiā terrā occupat? Terram quippe occupat, qui mentes alienas grauat. Terrā occupat, qui locū quē tenet, in bonis operibus nō exercet. Sed tamē nostrū est protalibus deprecari. nam cultor vineæ quid dicat, audiamus. *Domine, dimitte illam & hoc anno, usque dum fodiam circa illam.* Quid est circa ficulneā fodere, ni- *Fodere circa ficum.* si infructuosas mentes increpare? Omnis quippe fossa in imo est. Et nimirùm increpatio dum mentem sibi demonstrat, humiliat. Quoties ergo de peccato suo aliquem corripimus, quasi ex culturæ debito circa infructuosam arborem fodimus. Post fossionem verò quid dicatur, audiamus: *Et mittam cophinum stercoris.* Quid est cophinus stercoris, nisi memoria peccatorū? Peccata e- *Cophinus stercoris.* tenim carnis, stercora vocātur. Vnde & per prophetam dicitur: Computruerūt iumenta in ster- *Ioel. 1.* core suo. Iumenta quippe in stercore suo cōputrescere, est carnales quoq; in fœtore luxuriæ vitā finire. Nos itaq; quoties carnalē mentem de suis peccatis increpamus, quoties ad eius memoriā vitia anteacta reducimus, quasi infructuosę arbori cophinū stercoris versamus: vt maiorū quæ egit memoriā recolat, & ad cōpunctionis gratiā quasi de fœtore pinguescat. Mittitur ergo cophinus stercoris ad radicē arboris, quādo prauitatis suæ conscientia tangitur memoria cogitationis. Cumq; se per pœnitentiā ad lamēta mens excitat, & ad bonæ operationis gratiam reformat, quasi per tactū stercoris redit ad fœcunditatē operis radix cordis. Plangit quod sciisse se meminit. Displicet sibi, qualē fuisse se recolit: intentionē contra se dirigit, atq; ad meliora animum accendit. Ex fœtore igitur ad fructum reuiuiscit arbor, quia de cōsideratione peccati ad bona se opera resuscitat animus. Et sunt pleriq;, qui increpationes audiunt, & tamen ad pœnitentiam redire contemnunt, & infructuosi

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctuosi Deo, in hoc seculo virides stant. Sed audiamus, quid ficulneæ cultor adiungat. *Si quidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam*: quia profectò qui hic non vult ad fœcunditatem pinguescere per increpationé, illic cadet vnde iam resurgere per pœnitentiam non valet, & in futurum succidetur, quanuis hic sine fructu viridis stare videatur. *Erat autem docens in synagoga eorũ sabbatis. Et ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo.* Paulò antè iam diximus, quia hoc trinus aduentus Domini ad infructuosam ficulneam, quod decem & octo annorum numerus ad curuam mulierem signat. Sexto enim die homo factus est, atque eodem sexto die opera Domini cuncta perfecta sunt. Senarius autem numerus in trigonum ductus, decem & octo facit. Quia ergo homo, qui sexto die factus est, perfecta opera habere noluit, sed ante legẽ, sub lege, atq; in exordio inchoantis gratiæ infirmus extitit, decem & octo annis mulier curua fuit. *Et erat inclinata, nec omninò poterat sursùm respicere.* Omnis peccator terrena cogitans, cælestia non requirens, sursùm respicere non valet: quia dum desideria inferiora sequitur, à mentis suæ rectitudine curuatur: & hoc semper videt, quod sine cessatione cogitat. Ad corda vestra fratres charissimi redite, quid horis omnibus in cogitationibus vestris voluatis aspicite. Alius de honoribus, alius de pecunijs, alius de prædiorum ambitu cogitat. Cuncta hæc in imo sunt, & quando mẽs in talibus implicatur, à statu suę rectitudinis flectitur: & quia ad cæleste desideriũ nõ assurgit, quasi mulier inclinata sursùm respicere nequaquam potest. *Hanc cùm uideret Iesus, uocauit ad se, & ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. Et imposuit illi manũ, & confestim erecta est.* Vocauit & erexit, quia illuminauit ipsam mulierem & adiuuit. Vocat, sed non erigit, quando quidem per eius gratiam illuminamur, sed exigẽtibus nostris meritis, adiuuari non possumus. Plerunq; enim videmus quę agenda sunt, sed opere non implemus: nitimur, & infirmamur: mentis iudicium rectitudinem conspicit, sed ad hanc operis fortitudo succumbit: quia nimirùm iam de pœna peccati est, vt ex dono quidem possit bonum conspici, sed tamẽ ab eo quod aspicitur, contingat per meritum repelli. Vsitata etenim culpa obligat mentem, vt nequaquàm surgere possit ad rectitudinem. Conatur, & labitur: quia vbi spontè diù perstitit, ibi & cùm noluerit, coacta cadit. Benè de hac nostra incuruatione ex typo humani generis per Psalmistam dicitur: Incuruatus sum & humiliatus sum vsquequaq;. Contemplatus quippe, quòd ad supernam lucem intuendam homo cõditus fuerat, sed peccatis exigentibus foras missus, mentis suæ tenebras secũ portat: superna nõ appetit, infimis intendit, cælestia nequaquã desiderat, terrena semper in animo versat: hoc qđ de suo genere doluit, in seipso exclamauit, dicens: Incuruatus sum & humiliatus sum vsquequaq;. Contemplationem nanq; cælestium perdens, si sola carnis necessaria homo cogitaret, incuruatus & humiliatus esset, sed tamen vsquequaq; non esset. Quem ergo à supernis cogitationibus non solùm necessitas deijcit, sed etiam voluptas illicita sternit, non solùm incuruatus, sed vsquequaq; incuruatus est. Hinc alius propheta de immundis spiritibus dicit: Qui dixerunt animæ tuæ incuruare, vt transeamus. Recta quippe stat anima, cùm superna desiderat, & nequaquam flectitur ad ima. Sed maligni spiritus cùm hanc in sua rectitudine stare conspiciunt, per eam transire non possunt. Transire nanq; eorum, est immunda illi desideria spargere. Dicũt ergo, Incuruare vt transeamus; quia si ipsa se ad ima appetenda non deijcit, contra hanc illorum peruersitas nullatenùs conualescit: & transire per eam nequeunt, quam cõtra se rigidam in superna intentione pertimescunt. Nos ergo fratres charissimi, nos viam malignis in nobis spiritibus damus, cùm terrena concupiscimus, cùm ad temporalia appetenda curuamur. Pudeat ergo terrena concupiscere, & dorsa mentium ascẽdentibus aduersarijs præbere. Terram semper intuetur qui curuus est, & quo præmio sit redẽptus nõ meminit, qui ima quærit. Hinc per Moysen dicitur, vt qui gibbo premitur, nequaquã ad sacerdotium promoueatur. Et quotquot Christi sanguine redempti sumus, membra eiusdem summi sacerdotis efficimur. Vnde & nobis per Petrum dicitur: Vos autem genus electum, regale sacerdotium. Sed qui gibbum tolerat, ima semper intuetur. à sacerdotio ergo repellitur: quia quisquis solis terrenis intentus est, ipse sibi testis est, quòd membrum summi sacerdotis non est. Hinc rursùs pisces qui pennulas non habent, ab esu fidelis populi prohibentur. Pisces quippe qui pennulas squamarum habent, dare etiam saltus super aquas solent. Quid ergo pẽnatis piscibus, nisi electorum animæ figurantur? Quæ profectò solæ in cælestis Ecclesiæ corpus transeunt: quæ modò virtutum pennulis fultæ, saltus dare per cæleste desiderium sciunt, vt superna per contemplationem appetant, quanuis in seipsis iterùm ex mortali carne relabantur. Si ergo iam bona patriæ cælestis agnouimus, displiceat nobis fratres charissimi, quòd curui sumus. Ponatur ante oculos mulier curua, & arbor infructuosa. Reminiscamur malorum quæ fecimus, mittamus ad radicem cordis cophinũ stercoris, vt tunc in retributionis fructu pinguescat, quod nobis hic per pœnitentiam fœrebat. Et si virtutũ summa operari non possumus, ipso Deus nostro gaudet lamẽto. Ex ipsa ei iustitię inchoatione placebimus, qui iniusta quæ fecimus, punimus. Nec mora erit in flentibus, quia tergũt citiùs transeunte lachrymas gaudia mansura, per Dominũ nostrũ Iesum Christũ, qui viuit & regnat cũ patre in vnitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Fœna peccati & male consuetudinis.

Psalm. 118

Esai. 51.

Leui. 11.

1. Pet. 2.

EO-

EODEM SABBATO, HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Arborem fici habebat quidam plantatam in uinea sua, & uenit quærens fructum in illa, & non inuenit. Dixit autem ad cultorem uineæ: Ecce anni tres sunt, ex quo uenio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio &c. Luc. 13.

IN hac ergo similitudine quanta sit Dei sapientia, quanta sit & hominis negligentia manifestatur. Dei enim ager & vinea, mundus dicitur: cuius arbores & vites, homines sunt. Et aliæ quidem fructuosæ, aliæ verò infructuosæ. Huius autem vineæ cultores, episcopi sunt & sacerdotes. Tres autem anni, tria tempora sunt, ante legem, sub lege, & sub gratia. Toties enim ad vineam suam Dominus venit, toties in eius arboribus fructum quærit, quoties hominem respicere & visitare dignatur. Est igitur ficulnea infructuosa, humana natura secundùm partem malorum, id est, vnusquisque iniquus & infidelis. Per tres igitur annos ad hanc ficulneam Dominus venit, & fructum in ea non inuenit: quoniam tales arbores neq; ante legem, neq; sub lege, neque sub gratia in hac vinea defuerunt. Sæpè enim plùs ficulneis infructuosis, quàm arboribus fructiferis huius mũdi vinea abundare videtur. Pauci enim sunt boni ad comparationem malorum. Multi enim sunt vocati, (vt Dominus ait,) pauci verò electi. Sequitur: *Succide ergo illã.* Quia (inquit) infructuosa est, quia inutilis est, quia boni operis fructum non reddit, succide illam. Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. *Vt quid etiam terram occupat?* Tales enim arbores inutiles terram occupant, cæterisque impedimentum faciunt, & harum vmbra nociua cæteræ arbores circumpositę corrumpuntur. Vna enim (vt dici solet) ab vmbra trahit liuorem, & vna ouis morbida totum gregem disipat, & modicum fermentum totam massam corrumpit, & qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. *At ille respondens, dixit illi: Domine, dimitte illam & hoc anno, usque dum fodiam circa illam, & mittam stercora. Et si quidem fecerit fructum: sin autem, in futuro succides eam.* Sic autem & Samuël pro arbore infructuosa ne succideretur orabat, lugens Saulem cunctis diebus. Fodit enim episcopus circa ficulneam, quando peccatoris facta omnemque eius vitam & prauitatem per illius confessionem diligentissimè inuestigat. Deinde verò & circa illam stercora mittit, dum illius peccata quàm turpia, quàm inhonesta & fœtida fuerint, ostendit. Stercora enim circa ficulneam posuerat Apostolus, qui dicebat: Quem ergo fructum habuistis tunc, in quibus nunc erubescitis. Vnde & Dauid horum stercorum fœtorem sentiens, ait: Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. Neque enim aliter peccator sanari potest, nisi priùs suorum vulnerum fœtorem sentiat, & sentiendo abhorreat. *Erat autem docens in synagoga eorum Sabbatis: & ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, & inclinata erat, nec omninò poterat sursùm aspicere. Quam cùm uideret Iesus, uocauit eam ad se, & ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. & imposuit illi manum, & confestim erecta est, & glorificabat Deum.* Hoc enim quod in muliere curua Dominus egit, expositio eorum est, quæ de ficulnea infructuosa dicta sunt. Vnum enim idemq; significat, & mulier curua, & ficulnea infructuosa. Ille etenim homo curuus est, qui terrenis voluptatibus deditus, sola terrena & transitoria diligit, ad cælestia contemplanda mentis oculos nõ erigit, & æternæ felicitatis diuitias non requirit. Hunc autem si Dominus tangat, & suæ misericordiæ manum super eum ponat, statim erigitur, & terrenorum oblitus cælestia contemplatur. Tales autem significabat Moyses, quum illà animalia immunda esse dicebat, quæcunque super manus suas gradiuntur: quorum morticina qui tetigisset, immundum eum vsq; advesperam esse præcepit. Illa enim animalia quæ gradiũtur super manus suas, non respiciendo ad superiora, faciem & oculos ad terram premunt. Omnes igitur illi immundi sunt, quicunq; cælestia spernentes, sola terrena & transitoria contemplantur & diligunt. Horum autem morticina illi tangunt, qui eorum opera iniqua, mortua & fœtida imitantur & agunt. Tales igitur immundi sunt vsq; ad vesperam, id est, vsq; ad ipsius peccati occasumẽ defectionem. Vesperã enim hoc in loco non diei, sed peccati intellige. Habet enim peccatum quoq; & ortum & vesperam: ortum quidem, prauæ cogitationis initium: vesperam autem, malæ actionis occasum & finem. Sequitur: *Respondens aũt archisynagogus, indignans quia sabbato Iesus curasset, dicebat turbæ: Sex dies sunt, in quibus oportet operari: in his ergo uenite & curamini, & non in die sabbati.* Malè ergo archisynagogus legem intelligebat, qui pietatis & misericordiæ opera in sabbato fieri nolebat. Lex enim nõ liberale, sed seruile opus in sabbato fieri prohibet. Bonũ enim opus omni die fieri licet, malum aũt nullo. *Respõdens ad illum Dominus, dixit: Hypocrita, unusquisq; uestrũ non soluit bouem suum aut asinum à præsepio, & ducit adaquare?* Si, inquit, in sabbato operari non licet, quare ergo vos in sabbato bouem & asinum ad potum ducitis? Hoc enim opus seruile est, quod si ad literam intelligatur, omnimodò in sabbato lege fieri prohibetur. Meritò igitur hypocrita vocatur, qui non in his quibus debet, sed in his quibus non debet, sabbatum veneratur, mala cõsentiẽs, & bona reprehẽdens. Vobis, inquit,

Ficus infructuosa. Tres anni

Matt. 20. & 22.

Matth. 3.

1. Cor. 5. Eccles. 13.

2. Reg. 15.

Rom. 6.

Leuit. 11.

Peccati ortus & occasus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

inquit, hypocritæ, vobis bouem & asinum in sabbato à præsepio soluere & adaquare licet: mihi autem hanc filiam Abrahæ, quam alligauit satanas ecce decem & octo annis, à vinculo isto soluere non licuit? Quod valet in minori, valet & in maiori: quod si etiam in minori non valuisset, in maiori tamen reprehendi non potuisset. Quis enim reprehendat, quod Dominus agit? Id ipsum autem per hos decem & octo annos, & per tres annos superiùs positos significatur. Ter enim sex, vel sexies tres, decem & octo fiunt. Ponamus igitur sex annos ante legem, & sex sub lege, & sub gratia sex, & erunt decem & octo. In his enim omnibus nec siculnea infructuosa defuit, nec mulier curua, quam sanaret Iesus. Hanc autem mulierem, quam satanas alligasse dicitur, propter peccata sua hanc ægritudinem incurrisse intelligere possumus, sicut & ille, cui Dominus ait: Vade, & iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. *Et quum hæc diceret, erubescebant omnes aduersarij eius. Et omnis populus gaudebat in uniuersis, quæ gloriosè fiebant ab eo.* Et illi quidem erubescebant, quia se victos esse videbant. Isti verò gaudebant, quia & in verbis & in miraculis Christi virtutem & gloriam cognoscebant.

Ioan. 5.

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN,

In Epistolam Concio exegetica.

EST hodiè breuis lectio ex priori ad Corinthios Epistola, qua Apostolus mirè commendat Corinthios, quos tamen ipsos carnales vocat. Laudantur igitur, vt agnoscant Dei beneficia, & se gratos præbere curẽt: reprehenduntur verò, vt qua in parte culpæ erãt obnoxij, in ea se corrigerent. Optimus & peritissimus medicus Paulus, qui & blanda & austera nouit adhibere fomenta, vinumque & oleum opportunè infundere. Ad ipsam lectionem accedamus: *Gratias ago Deo meo semper pro uobis*: Quanquam omnibus in Ecclesia scribat, ait Ambrosius, sed ita significat, cùm aliquando corripit, aliquando laudat, vt vnusquisque cùm Epistola legitur, intelligat quid pro se, quid aduersum se dicatur. In vna enim plebe duobus populis scribit, vt cùm arguit, qui malè conuersantur, sciant sibi hæc scripta. Similiter & cùm laudat, sciat qui in regula manet, ad se hoc dici. Ita Ambrosius. Chrysostomi in hunc locum verba sunt hæc:

1. Cor. 1.

Philip. 4.

Quod alios docet vt faciant, cùm inquit, In gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum, idem ipse quoque facit, monens vt ab orationibus semper incipiamus, & ante omnia Deo gratias agamus: cui nihil gratius, nihil acceptius est, quàm & sibi & alijs gratum esse beneficiorum. Hæc Chrysostomus, qui consequẽter exponens verba hæc, *Deo meo*, Et nimio, inquit, affectu Deum, qui communis est, suum appellat. qui mos prophetarum frequentissimus est. Deus, Deus meus: & eos hortatur, vt idem lo quantur. His enim verbis ab humanis omnibus rebus secedit ad eum, quem tanto studio appellat. Hoc ingenuè dicere potest, quicunque à secularibus ad Deum erectus, & rebus omnibus eum semper præfert, & gratiã agit perpetuò: non solùm pro iam data gratia, sed si quando aliquod posthac acceperit beneficium, pro hoc etiam ipso eãdem laudem reddit. Quare nõ simpliciter inquit, Gratias ago, sed, *Semper pro uobis*: quibus verbis ostendit, semper habendas gratias. Hæc Chrysostomus. Et est sanè Apostoli hoc saluberrimum exemplum, quo admonemur etiam nos in laudibus Dei & gratiarum actione assiduè versari. Sicut enim nullum momentum est, quo non magnis Dei beneficijs fruamur, ita nullum quoque momentum à laude & gratiarum actione vacare debet. Videmus etiam Prophetam, ad id suo exemplo nos inuitãtem: Benedicam, inquit, Dominũ in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Discimus tamen in Apostolo etiam præclarius quiddam, vt non solùm pro nobis, sed etiam pro alijs diuinitùs collatis beneficijs gratias semper agamus. Hoc quidem synceræ erga proximos est charitatis indicium, non minùs illorũ gaudere bonis, q̃ proprijs. Inuidi aliorum rebus bonis torquentur, tantum abest vt pro ijs gratias agant Deo. Sed qui germanè & purè diligunt proximũ, dona Dei in illo, haud secùs quàm si ipsis collata essent diligunt, atque hac ipsa charitate id efficiunt, vt illorum sint donorum participes, possideantque in alijs, quæ in seipsis non inueniunt. Imitemur ergo Apostolum, & in gratiarum actione sedulò permaneamus, tanto proculdubiò potiora & plura diuinitùs accepturi charismata & dona, quanto pro iam acceptis erimus gratiores. *In gratia Dei, quæ data est nobis in Christo Iesu.* id est, per Christum Iesum, vt interpretatur Chrysostomus. Sic enim alibi seipsum quoque exponit Apostolus, cùm ait: Vnicuique autem nostrũm data est gratia secundùm mensurã donationis Christi: quo loco etia versum illũ Psalmi 67. citat: Ascendẽs in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus: sic enim legit Apostolus, cùm Psalmus habeat, Accepisti dona in hominibus: quæ licet verbis inter se discrepent, re & sensu idem sunt. Dedit enim, quatenùs Deus est: accepit verò in corpore & membris suis, id est, in Ecclesia. Concordat his præcursor Domini Ioannes, cùm dicit, De plenitudine eius nos omnes accepimus. Ipse enim Christus semen illud est, in quo benedicuntur omnes gentes, qui dilexit nos & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & per gratiam suã mundatis & iustificatis dedit gratiam, per quam ser-

Psalm. 62.

Psalm. 33.

Ephes. 4.

Ioan. 1.

Gen. 12. 18. 22.

Apoc. 1.

Hebr. 12.

seruiamus placentes Deo, cum metu & reuerentia. Nam certum est per Christum abundènobis collatam esse atque etiam conferri gratiam: sed ne eam perdamus, immò auctiorem in dies & copiosiorem accipiamus, seruiendum est Deo cum metu & reuerentia. Quæ sit autem illa gratia, cuius nomine Paulus se scribit gratias agere Deo, verba sequentia aperiunt: *Quòd in omnibus diuites facti estis in illo, in omni uerbo & in omni scientia.* Olim in primis Ecclesiæ nascentis initijs donũ linguarum & prophetiæ & pleraq; alia copiosè diuinitùs dabantur credentibus, & certè Corinthij ipsi donum linguarum plurimi faciebant. Apostolus illis hic reddit insigne testimonium multiplicis acceptæ gratiæ, dum dicit in omnibus diuites factos in Christo, id est, per Christũ: hoc est, donis & charismatis spiritalibus affatim locupletatos, & specialiter in omni verbo & in omni scientia, vt & spiritali sint pleni cognitione & intelligentia, atq; ea quæ norunt & intelligũt, etiam sapienter & copiosè eloqui possint. Sunt enim multi, vt hoc loco ait Chrysostomus, qui scientiam quidem habent, sermonem autem minimè, quemadmodùm rudiores, qui quæ sentiunt, manifestè eloqui non possunt. *Sicut testimonium Christi confirmatum est in uobis.* Oecumenius in hunc locum citat Photij hanc expositionem: Vnde manifestum vos diuites factos & sermone & scientia? Ex hoc ipso videlicèt, quòd prædicatio fidei, quæ est in Christum, in vobis confirmata sit. Huius, inquam, in vobis confirmatio, sermonis atque scientiæ vobis testimonium fit.

Testimonium Christi

Testimonium Christi, voluntaria ac salutaris passio est, apertaq; pro nobis exinanitio & incarnatio Verbi. Vel testimonium Christi, signorum gratiam dicit ac munus. Sunt nanq; ista & fidei in Christum, & diuinitatis ipsius maiestatisq; testimonium. Erant profectò, erant, inquam, Corinthij diuites in his. Ex quo igitur, inquit, hæc in vobis vberè firmiterque cernuntur, rectè sanè iam diximus, in omni sermone, in omni scientia vos diuites effectos. Enimuerò pars quædam charismatum est tum sermo, tum scientia. Sermo quippe ad docendum prodest, scientia verò ad cognoscendum. *Ita ut nihil uobis desit in ulla gratia.* Hoc quidem præclarum est encomium, sed hauddubiè non ad omnes pertinens, verùm ad perfectos duntaxat. Sic enim accipienda sunt ea, quæ in laudem & vituperationem vel reprehensionem Corinthiorum hîc Apostolus dicit, vt quæ laudis sunt, ad firmos & perfectos: quæ reprehẽsionis, ad imperfectos & vitijs quibusdam obnoxios referantur. Etsi verò, vt hîc ait Chrysostomus, non multum veritatis laudes habeant (putà cùm promiscuè etiam infirmis & imperfectis tribuuntur) præparant tamẽ auditorem, & beneuolentiam conciliant. Quippe qui quamprimùm asperiùs exorditur, imbecilliorum aures claudit. Siue enim pares sint auditores, læsi irascuntur: siue multò inferiores, tristitia afficiuntur. Ne igitur hoc eueniat, ab his quæ laudem habere videntur, facit exordium. Neq; enim eorum laudi, sed diuinæ gratiæ hoc erat adscribendum. Siquidem abstinere se à peccatis, & iustos esse, superni & id erat muneris: & propterea his immoratur, quæ Dei ostendunt benignitatem, vt maximè eorum purget peccatum. Hæc Chrysostomus. Solent Theologi gratiam diuidere in eam, quæ dicitur gratis data, *gratis data* quæ est bonis malisq; communis: & eam, quam vocant gratum facientem, quòd hominem Deo acceptum & charum efficiat, quæ non inest nisi in solis bonis. Apostolus videtur vtranq; Corinthijs etiam cumulatè tribuere, vt mirum sit eos, qui tot erant diuinitùs aucti charismatibus, in cõtentiones & schismata se pertrahi permisisse. Verùm in tanta credentium turba non est admirandum etiam permultos imbecillos fuisse, qui firmioribus nulla ex parte vacillantibus, sed constanter in gratia Dei permanentibus, nonnihil titubarint, & in contentiones ac dissidia quædam prolapsi sint. Dolebat enim malo dæmoni Corinthum insignem vrbem idololatrię priùs addictissimam, deserto idolorum cultu ita repẽtè ad Christi fidem conuersam. Itaq; modis omnibus credentium fidem & charitatem euertere conabatur, maximè cùm non deessent illi apta instrumenta, homines secundi scientia & philosophiæ studijs tumidi, quorum non pauci erant Corinthi: immò verò. Chrysostomus plurimos ibi oratores & philosophos fuisse scribit, & in ijs vnum ex septem sapientium numero. Hi ergo, quòd ægrè ad fidem adduci possent, mundanæ sapientiæ fumo occæcati, hauddubiè conati sunt Corinthios à fide auertere: erant etiam alij, qui in partes & factiones eos distraherent, vt alij Pauli, alij Apollo, alij Cephæ se esse dicerent. Verùm hęc ad infirmos referenda sunt, nec quicquam detrahit perfectis, quibus rectè ab Apostolo hoc attributum est, quòd nihil illis defuerit in vlla gratia, scilicet cõducibili & necessaria ad veram salutem. Hoc autem etiam de gratia gratum faciente accipiendum esse, satis declarant ea quæ sequuntur: *Expectantibus reuelationem Domini nostri Iesu Christi.* Expectare enim aduentũ iudicis Christi propriè non nisi perfectorũ est, qui possunt cum Propheta dicere: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei? & cum Apostolo: Cupio dissolui, & esse cum Christo: itemq;: Mihi vivere Christus est, & mori lucrum. Porrò in iudicio reuelabitur & manifestus apparebit Christus bonis & malis omnibus, &, sicut Propheta ait, cognoscetur iudicia faciens, qui nunc interim ab impijs contemnitur, aut etiam penitùs ignoratur. Ea aũt illius reuelatio vt iustis summũ gaudium & felicitatem, ita iniquis extremam adferet miseriam & calamitatem. Vt autem tũc hilariter videri possit, curandum nunc est, vt animus ab omni vitiorum squalore & sordibus re-

1. Cor. 1.

Psal. 41.

Philip. 1.

Ibid.

Psalm. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Matth. 5. purgetur. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deũ videbunt. Huc meritò studia sua omnia conferre deberent homines Christiani, vt idonei & digni possent effici videre Deũ, qui cùm sit lumen immensum & incircunscriptum, nõ potest sine magno tormento videri ab ijs, quorũ interiores oculi sani nõ sunt: quemadmodũ videmus etiã solis corporei lucẽ molestã esse oculis ægris ac lippientibus. Est igitur hoc auctariũ quoddam encomij, quo Apostolus Corinthios prosequitur, quòd eos dicit expectare reuelationem Domini nostri Iesu Christi, quod nõ faceret, nisi eximio in Christũ amore flagraret. Nã qui sibi malè conscij sunt, fugiunt potius & pertimescunt quàm desiderent Christi aduentũ ad iudicũ: in quo certè exacta fiet inquisitio in cogitationes, verba & facta hominũ, vt non immeritò trepident, qui se secùs vixisse norunt, quàm sit diuina lege præscriptum. Porrò verò vt securi & intrepidi Christo occurrere possimus, toties ille in Euangelio nos excitat ad agendã pœnitẽtiam, ad vigilandũ, deniq; ad omnimodam vitæ

Matth. 4. sanctitatem. Pœnitentiam agite, inquit in ipso suæ prædicationis exordio: appropinquauit enim regnum cælorum. itemq;: Estote similes hominibus expectantibus dominũ suũ, quãdo reuertatur à nuptijs, vt cùm venerit & pulsauerit,

Luc. 12. confestim aperiant ei. Non potest aũt confestim aperire, qui vitiorũ somno oppressus, & dẽsa mẽtis caligine confusus, nihil minùs quàm aduenientem Dominũ expectat. Beati aũt serui illi, quos

Ibidem. cùm venerit Dominus, Inuenerit vigilantes, id est, ipsum ad iudiciũ venturũ alacriter expectantes. *Qui & cõfirmabit uos usq; in finẽ sine crimine, in die aduẽtus Domini nostri Iesu Christi.* Qui ad baptismum venit, stolã primã innocẽtiæ, annulũ fidei & mag-

Luc. 15. nam à Deo gratiã accipit: occiditur ei vitulus saginatus, dum in sacrosancto Eucharistiæ sacramento Christum re vera manducat. Est iam ex seruo peccati adoptatus in filium Dei, & Christi cohæredem. Ab hac gratia & innocentia nullo pacto discedendũ erat. Sed homines miseri, dũ non vident, quanto labore & dolore, quanta charitate & beneuolentia Christi à peccati dura seruitute in ineffabilem filiorũ Dei libertatẽ vindicati sint, tantam gratiã eiecunt pro nihilo, & incredibili stultitia ac amẽtia ducti, relabuntur in diaboli seruitutem, in summã optimi creatoris contumeliã, & ita se totos addicunt vitijs & flagitijs, quasi ludus & iocus sit, Christum suo sanguine & ineffabilibus cruciamẽtis nos patri suo reconciliasse. Atqui verò ingentem hic oportebat adhibere solicitudinem, ne semel à peccatis liberati, rursùs peccatis implicaremur. Videmus quantoperè caueant homines, ne restituti sanitati rursùs in morbum pristinum recidant. Eam curam longè potiùs ad animæ cauenda vulnera adhibere conueniebat, & vel maximè inuigilare, ne qua fraude inimici, vel peccati illecebra diuinitùs accepta gratia perderetur. Dei enim gratiam perdidisse, non leuis iactura putãda est. Ita ergo & Apostolus sibijpsi promittit fore, vt Deus sua gratia confirmet Corinthios, quò vitã agant inculpatã & nulli crimini obnoxiã, idq; vsq; in finem vitæ huius, vt in die aduentus Domini læti illi possint obuiam procedere. Porrò verò vt sine crimine vita transigatur, quod certè Christianis omnibus summoperè contendendũ est, labore & solicitudine multa opus est. Non est autem detrectandus labor, cui in cælis merces immensa reposita est. Proh hominum socordiam & stoliditatem, qui temporarij cuiusdam compendij causa nihil non agunt & patiuntur, Christi causa nihil facere, nihil perpeti volunt. Sed vtinã ille nos vsq; in finẽ confirmet sine crimine, quò possimus veniẽti iudici hilariter ire obuiã, cui cum Patre & Spiritusancto est omnis honor & gloria in secula seculorum, Amen.

DOMINICA XIX.
Matth. XXII.

In illo tempore: Accesserunt ad Iesum pharisæi, & interrogauit eum unus ex his legis doctor, tentans eum: Magister, quod est mandatum magnum in lege? Et reliqua. Est ex Homilia beati Ioannis episcopi.

Requẽter Iudęi diuersis interrogationibus Christũ tentantes, sibi quidem acquisierunt interitum, nobis autem prouiderunt salutẽ. Nam verba Christi illis profecerunt ad confusionem, nobis autem ad ædificationem: quoniam respõsis eius vincebantur, & non placabantur. Nam malitia frequenter quidem vincitur, nunquam autem placatur. Pharisæi sunt omnes, qui contra veritatem contendunt, qui non veritatem defendere cupientes certant, sed subuertere festinant. Qui enim pro veritate contendunt, & cognita veritate non cõsentiunt veritati, manifestum est quoniam priùs non pro veritate, sed contra veritatem certabãt. Audi igitur homo fidelis, qui contra hæreticũ libenter contendis. Si pharisęi victi placati sunt, & tu certando contra hæreticum, potes eum placare cùm viceris. Si autem pharisæi victi quidem sunt, placati autem non sunt, quomodò tu poteris eos placare cùm viceris? Nũquid Christo fortiores es, vt quos ille nõ placauit, tu places? Debuerunt quidem timere Sadducæorum exemplum, vt ne similiter interrogantes confundantur: sed ardens malitia dum se satiare festinat, non aspicit exitum rei, vt tantummodò alteri noceat, nec sibi parcens. Si neminem ante eos vicisset, forsitan iusta ratione se sperarent posse eum vincere, à quo nullus est victus. Nunc autem videntes, quoniam quotquot eum interrogare ausi sunt, omnes

Hæretici uinci possunt, placari non possunt.

omnes victi recesserunt, quid æstimãdi sunt isti? Nunquid fortiores quàm cæteri, qui victis omnibus vincere possint? Sed impudentiores quã omnes, qui confusis omnibus ante se, similiter erubescere non timuerunt. *Conuenerunt in unũ, & interrogauit eũ unus ex eis legis doctor.* Conuenerũt, vt multitudine vincerent, quem ratione superare non poterant. A veritate nudos se esse professi sunt, qui multitudine se armauerunt. Dicebãt enim apud se: Vnus loquatur pro omnibus, & omnes loquamur per vnum: vt si quidem vicerit, omnes videamur victores: si aũt victus fuerit, vel solus videatur confusus. O pharisæi, qui omnia propter homines cogitatis & facitis. Primùm quidem veniẽtes cum vno, vincendi estis per vnum. Tamen pone quia vno victo, homines non intelligunt omnes vos esse victos. Nunquid conscientiæ vestræ non sentiunt se esse cõfusas? Leuis est enim consolatio, qui in seipso cõfusus est, quòd ab alijs ignoratur. *Magister, quod est mandatum magnum in lege?* Magistrum vocat, cuius non vult esse discipulus. Simplicissimus interrogator, & malignissimus insidiator: de magno mandato interrogat, qui nec minimum obseruat. Ille enim debet interrogare de maiore iustitia, qui iam minorem impleuit. Dominus aũtem sic ei respondit, vt interrogationis eius fictam conscientiam statim primo responso percuteret, dicens: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*: id est, non sicut tu, qui deuotionem ostendis in ore, & fraudem meditaris in

Magnũ et minimum mandatũ. corde. Magnum autem & minimum mandatum dicimus, quantum ad dignitatem mandatorum, non quantum ad vtilitatem. Alioquin vtilitas omnium mandatorum vna est, & omnia mandata quasi vnum videntur esse mandatum: quia ita sibi cohærent, vt alterum sine altero esse non possit. Vtputa, si interroget te aliquis, in ædificatione domus quæ pars est melior? dicis, fũdamentum. Sed quemadmodùm ædificatio nõ potest esse, nisi fuerit fundamentum: ita nec fundamentum potest esse, nisi ædificatio fuerit subsecuta. Nec dicitur fundamentum, nisi sit ædificatio, cuius fundamentum dicatur. Ergo fundamentum ædificatione dignius est, non vtilius. Sic & caput dignius est quàm membra: tamen nec membra sine capite, nec caput sine membris. Sic digniores sunt sacerdotes quàm populus, non tamen vtiliores: quia nec populus sine sacerdotibus, nec sacerdotes sine populo esse possunt. Ita & dignius est hoc mandatum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, quàm illud, Non concupisces, Non occides: tamen vtilitas vna est. Nam qui diligit Deum, ille non occidit, nec concupiscit: qui autem occidit aut concupiscit, ille nõ diligit Dominum Deum suum. Esse autem minora mandata Dominus

Matth. 5. manifestat, dicens: Si quis vnum ex minimis mãdatis istis soluerit, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum. Diliges, inquit, non, Timebis, quia diligere maius est quã timere. Minoratio enim culturæ Dei habet timorem, perfectio autem dilectionem, dicente Ioanne: Perfecta autem dilectio foras mittit timorem. Donec enim homo timet Deum, non eum diligit. Cùm autem diligere cœperit, iam non eum tantummodò timet, sed etiam ampliùs diligit. Timere enim seruorum est, diligere filiorum. Timor sub necessitate est, dilectio in libertate. Qui in timore seruit Deo, pœnam quidem euadit, mercedem autem iustitiæ non habet, quia inuitus facit bonum propter timorem. Non vult ergo Deus, vt timeatur ab hominibus quasi dominus, sed vt diligatur quasi pater, qui adoptionis spiritum donauit hominibus. Nam si consideremus ab initio creati hominis causam, intelligimus quia Deus magis se patrem voluit esse hominum, quàm dominum. Non enim dixit tantummodò, Faciamus hominem, Gen. 1. sed, Faciamus hominem secundùm imaginem & similitudinem nostram. Similare autem conuenit filijs ad patres suos, non etiam seruis ad dominos suos. Quid est diligere Deum ex toto corde? Vt cor tuum non sit inclinatum ad vllius rei dilectionem ampliùs quàm Dei, nec delecteris specie mundi ampliùs quàm Dei, nõ in honoribus, non in auro vel argento, non in possessionibus aut vineis, non in animalibus aut mancipijs, non in ornamentis aut vestibus, non in filijs, aut parentibus, aut amicis, sed hæc omnia existimes tibi esse in Deo, vt præ his omnibus ames Deum. Si autem in aliquo horum amor cordis tui fuerit occupatus, iam ex toto corde non amas Deum. Pro quanta enim parte cor tuum fuerit ad aliquam rem, pro tanta parte minùs est ad Deum. Ecce si vir habeat vxorem, quomodò cognoscitur vxoris plena dilectio? Vxor neminem debet sapientiorem putare, quã virum suum: & si sit alter sapientior, tamen illa sapientiorem esse alterum intelligere non debet. Vxor neminem fortiorem debet putare, quàm virum suum: & si sit alter fortior, tamen illa intelligere non debet alterum fortiorem. Vxor neminem debet formosiorem putare, quàm virum suum: & si sit alter formosior, tamen coram oculis eius alter formosior non debet apparere. Perfectum enim odium, & perfectus amor rerum iudicium non cognoscit: vtputa, si perfectè odias aliquem, qualiacunq; fuerint apud illum, omnia tibi displicent, siue quę loquitur, siue quę agit: & si sint bona, tamen tibi mala videntur. Sic & si perfectè aliquem amas, quæcunq; sunt apud eum, placent tibi, siue quæ loquitur, siue quæ agit: & si mala sunt, tamen tibi bona videntur. Ergo & vxor si videns aliquem, dixerit, Quã sapiens vir, vtinam vir meus talis esset: iam amor eius minus habet aliquid de perfecto amore. Si vidẽs aliquem, dixerit, Quàm formosus homo, vtinam vir meus talis esset: iam amor eius minus habet aliquid de perfecto amore. Et pro

De seruili timore, perfectio autem dilectionem, dicente Ioanne: Perfecta autem dilectio foras mittit timorem. 1. Ioan. 4.

Diligere toto corde?

Deum ex toto corde delecteris

Perfecti in Matthæũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quanta parte ampliùs aliquid laudauerit in altero viro, quàm in suo, tanto dilectio eius minor est ad virum suum. Sic ergo & anima omnis Christiana, quæ sponsa est Christi, ita debet diligere Deum, vt nihil sit in mundo, quod amplius amet quàm eum. Pro quanta enim parte plùs aliquid amauerit, pro tanta parte minùs amat Deum. Quid est in tota anima diligere Deum? id est, Certissimum animum habere in veritate, & firmum esse in fide. Alius est enim amor cordis, & alius est amor animæ. Amor cordis quodammodò carnalis est, vt etiam carnaliter Deum amemus: quod facere non possumus, nisi recesserimus ab amore mundialium rerum. Sicut enim casta mulier, quæ virum suũ amat, nullum alium amat: si autem alterum amauerit, iam non amat virum suum: ita & homo si Deum amat, mundum non amat: si autem mundum amauerit, iam Deum ex toto corde non amat. Ergo cordis amor non intelligitur in corde, sed sentitur, quia quodammodò carnalis est. Amor autem animæ non sentitur in corde, sed intelligitur, quia amor animæ iudicium est: puta quòd didicisti vnum Deum ex quo omnia, & vnum Deum per quem omnia: si iterùm intellectus tuus alicuius doctrinæ seductione percussus, cœperit dubitare de substãtia Dei, in tota anima nõ diligis Deũ. Itẽ qui putat incãtationes aliquid posse, aut auguria aliquid intelligere, aut diuinationes aliquid nuntiare, ille nõ in tota anima diligit Deũ. Quis autem diligit Deum? Qui omne bonum credit apud Deum, & omne bonũ credit esse Deum: extra Deum non credit esse bonum: Qui omnem virtutem & sapientiam credit esse Deum, extra Deum neque sapientiã aliquam esse credit, neque virtutem: Qui credit Deum omnia facere, & sine Deo nihil posse fieri, ille tota anima diligit Deum. Quid est in tota mente diligere Deum? id est, vt omnes sensus tui qui pertinent ad mentem, Deo vacent. Cuius intellectus Deo ministrat, cuius sapientia circa Deum est, cuius cogitatio ea quæ Dei sunt tractat, cuius memoria quæ bona sunt recordatur, tota mente diligit Deum, sicut ait Apostolus, psallam spiritu, psallam & mente. Cuius autem aut intellectus quæ Dei sunt non intelligit, aut non secundùm Deum sapit, aut scientia illius vana est & secularis, aut recordatio illius non est bona, aut cogitatio displicens Deo, ille non tota mente diligit Deum. *Hoc est primum & maximũ mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Videtur Christus non ad interrogata respondere. Ille enim interrogauit, Quod est mandatum magnum? puta dixit, Diliges Dominum. Si voluit & alterum mandatum introducere, debuit minimum dicere, non secundum: secundum autem ad primum respicit. Sed vide quid voluit ostendere. Diliges Dominum, & primum & magnum est. Diliges proximum, magnum quidem est, primum autem non est: & ideò dixit, Simile est. Considera ergo mysterium. Quis est proximus noster? Christus: qui susceptens carnem nostram, factus est proximus nobis, sicut in parabola illa Christus ostendit, cùm dixisset pharisæus: Et quis est meus proximus? introducit hominem à latronibus vulneratum, & à sacerdote despectum, à Samaritano aũt receptum, qui est ipse Christus. Ergo primum mandatum est & magnum, Deum patrem diligere. Secundum & simile, Filium Dei diligere, id est, cognoscere. Vt aũt simpliciter intelligamus, proximum nostrum omnem hominem esse fidelem, qui hominem amat fidelem, simile est sicut qui Deum amat, quia imago Dei est homo. Sicut rex in sua imagine honoratur vel contemnitur, sic & Deus in homine vel diligitur, vel oditur. Non potest hominem odire, qui Deum amat: nec potest Deum amare, qui hominem odit, sicut ait Ioannes Apostolus: Qui dicit se diligere Deum, & non diligit fratrem suum, mentitur. Si enim fratrem quem vides, non diligis, Deum quẽ non vides, quomodò potes diligere? Quis honorat regem, & contemnit eius imaginem? aut quis honorat imaginem, & authorem contemnit imaginis? Aut ita: Quoniam pharisæi sciebant quidem, quod esset magnũ mandatum in lege, sed tentãtes inrerrogabant, volens eis ostendere, quia non sufficiebat eis solius Dei patris agnitio ad salutem, non solùm dixit: Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, sed addidit: Diliges proximum tuum sicut teipsum, qui erat ipse. Alioquin si ad solam interrogationem eorum respondisset, sufficeret dicere: Diliges Dominum Deum tuum, & non adderet, Et proximum tuum sicut teipsum, secundùm quod & alibi dicit: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Et vide quia non dixit, Cognosces Dominum Deum tuum, sed, diliges: quoniam cognoscere vnum Deum, penè proprium est humanæ naturæ: diligere autem eum, religiosi cordis & recti. Et quicunq; dilexerit Deum ex toto corde, non est possibile, vt non perueniat ad filij eius agnitionem, id est, proximi. Ipsa enim dilectio Dei, quæ in eo habetur, illuminans eum, præstat ei ducatum, vt post patrem cognoscat & filium. *In his duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ.* Qui proximũ suũ diligit, nec occidit, nec mentitur illi quem diligit, nec falsum testimonium dicit de eo quem diligit, nec concupiscit rem illius quem diligit, nec mulierem eius inuadit. Sicut odium omne malum suggerit, sic dilectio omne bonum. Vnde ait Apostolus: Est fides, quæ per dilectionem operatur. Aut ita: Quoniam de patre & filio omnis prophetarum & legis prædicatio existebat, per quos prophetas agnoscens quis proximum suum, hoc est, filium Dei, ad primum & magnũ mandatum perueniebat, vt diligeret Dominum Deum, melius cognoscens eum per ipsum.

Diligere in tota anima.

Amor cordis.

Amor animæ.

Diligere tota mẽte.

1. Cor. 14.

Christus, proximus noster. Luc. 10.

1. Ioan. 4.

Gal. 5.

AD-

ADMONITIO F. LAVRENTII SVRII ad Lectorem.

IN præcedenti Homilia, ex Opere imperfecto in Matthæum excerpta, quædam habebãtur in excusis exemplaribus hæresin Arrianam resipientia, qualia non pauca illo in Opere sparsim visuntur ab hæreticis intermixta. Ea nos expunximus, quòd non haberentur in vetustis codicibus manuscriptis. Quod idcircò Lectorem admonitum volui, ne quis putet me quicquam mea temeritate mutasse. Testantur autem docti viri, exemplaria quædam eius Operis vetustissima huiusmodi errores non habere, sed alia manu ad margines esse adscriptos: deinde ijs sublatis erroribus, reliqua inter se adeò aptè cohærere, vt prorsùs nulla sit sententiæ mutatio: quod euidenti argumento est, ab alijs nequam hominibus Operi esse insperfos: postremò pugnare hos errores cũ ipso authore, qui aliquot locis perspicuè ostendat se à dogmate Arriano abhorrere. Sed de his satis.

EADEM DOMINICA, HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Accesserunt ad Iesum pharisæi, & interrogauit eum vnus ex his legis doctor, tentans eum, & cæt.
Matth. 22.

PHarisæi autem audientes, quòd silentium imposuisset Sadducæis, conuenerunt in vnum. Recedentibus Pharisæis, veniunt Sadducæi. Iterùm recedentibus Sadducæis, veniunt Pharisæi. Nunc isti, nunc illi eum tentant: & quia rationibus eum capere & tenere non possunt, frequenti congressu eum mouere & fatigare conantur. Ipse tamẽ omnibus respondens, alijs satisfacit, alios sapientissimè concludit. Et *interrogauit eum vnus ex eis legis doctor, tentans eum: Magister, quod est mandatum magnum in lege?* Omnes eum tentant, omnes eum magistrum vocant: non tamen quasi à magistro veritatem ab eo volunt discere, sed potiùs (si fieri possit) eum quasi incautum in aliquo sermone capere desiderant. Sed quid eis prodest? nihil enim sapientia ignorat. Quid autem responderit Dominus, audiamus. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet, & prophetæ.* Hæc est igitur causa, quare hæc duo mandata prima dicuntur & maxima, quia tantum possunt hæc duo, quantum & cætera omnia. Aliter enim hæc mandata neque prima neq; secunda sunt, quoniam in tabulis lapideis scripta non sunt. Decem enim sunt verba legis, quorum primum est, Non habebis Deos alienos coram me. Primum igitur dicitur hoc mandatum, nõ quòd in ordine scripturæ primum sit, sed quòd in virtute significationis principale & maximum sit. Huic autem secũdum & simile est, Diliges proximum tuum sicut teipsum: quoniam secundas & similes vires habet post ipsum. Vnde Ioannes Apostolus ait: Qui enim non diligit fratrem suũ quem videt, Deum quem non videt quomodò potest diligere? Et hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suũ. Qui enim Deum non diligit, neq; seipsum, neq; fratrem diligit. Primum est igitur, vt Deum diligat, deinde seipsum, postmodùm verò fratrẽ sicut suum tanquam seipsum. Qui enim seipsum odit, si fratrem suum diligat sicut seipsum, & fratrem suum odit. Omnis enim qui diligit iniquitatem, odit animam suam: odit igitur & animam fratris sui, si fratrem suum diligat sicut seipsum. Nulli igitur alij dicitur, vt diligat fratrem suum sicut seipsum, nisi illi qui diligit seipsum. Nemo autem seipsum diligit, nisi ille qui Deum diligit. Sic igitur primum mandatum est diligere Deum, deinde verò proximum propter Deum. Modus autem dilectionis hic est, vt ex toto corde, tota anima, tota mente, & cunctis viribus Deum diligamus: proximum autem tanquam nosipsos. Plus est enim, si ex toto corde aliquem diligas, quàm vt sicut teipsum eum diligas: quia potest fieri vt teipsum non diligas, quem ex toto corde & tota anima diligis. Si vis igitur teipsum diligere, priùs dilige Deũ ex toto corde. Deinde verò quia iam diligis teipsum, dilige proximũ tuũ sicut teipsũ. Toto enim corde, tota mente, & cunctis viribus sancti apostoli & martyres Deum dilexerunt: qui occidi quidem potuerunt, ab eius tamen amore & dilectione separari nullo modo potuerunt. Et isti quidem benè dilexerunt seipsos, quia vitam æternam, gloriam & honorem, omnemq; felicitatem adepti sunt sibijpsis. Dilexerunt autem & proximos suos sicut seipsos, quoniam hanc eandem gloriã & beatitudinem desiderauerunt illis tanquàm sibijpsis. *In his enim duobus mandatis universa lex pendet & prophetæ.* Omnis enim qui peccat, aut in Deum, aut in seipsum, aut in proximum peccat. Qui verò prædicto dilectionis modo Deum & proximum diligit, quomodò eos offendet, quos tantoperè diligit? Nam & in seipsum peccare ti-

Mandata duo prima & maxima.

Ordo dilegat, deinde seipsum, postmodùm verò fratrẽ Actionis.

Psalm. 10

Modus dilectionis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

met, ne in hoc quoq; Deum offendat. Si igitur in his duobus mandatis charitas adimpletur, & omnia peccata tolluntur, manifestum est quòd in eis vniuersa lex pendet, & prophetæ. Quid enim aliud lex & prophetæ præcipiunt, nisi vt Deũ & proximum diligamus, & à vitijs & peccatis, cunctisq; offensionibus nos abstineamus? *Congregatis autem Pharisæis, interrogauit eos Iesus, dicens: Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei, Dauid.* Psal. 109. *Ait illis: Quomodò ergo Dauid in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si igitur Dauid vocat eum Dominum, quomodò eius filius est?* Idem enim ipse & filius est, & Dominus Dauid: filius quidem secundùm humanitatem, Dominus autem secundùm diuinitatem. De stirpe nanque Dauid secundùm carnem natus est Christus. Hoc autem Pharisæi non intelligebant, sed sicut cæteros, hominem tantùm & non Deum, Christum quem ipsi Messiam vocãt, fore credebant. Hac igitur interrogatione seipsum & Deum & hominem, omniumq; creaturarum regem & principem esse ostendit. Quia enim filius Dauid, homo est: Deus verò, quia eius Dominus est, & ad patris dexteram sedet. In eo autem, quòd omnes inimici illius pedibus sunt subiecti, omnium Dominus esse ostẽditur. Dauid enim in spiritu sancto videns Christum Dominum nostrum post resurrectionem suam ad patrem reuertentem, illa quæ ibi agebantur secreta intelligens, ait: Dixit Dominus pater Domino meo filio suo, sede à dextris meis: vt sicut in vna sede sedemus, ita æquales ab omnib⁹ esse credamur. Sede, inquam, donec ad iudicium reuertaris, omnesq; tui inimici tui s pedibus subijciantur. Et hoc quidem quia pharisæi non intellexerunt, *nemo illorum ei poterat respondere uerbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.*

Summa legis & prophetarum

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN,

In Epistolam Concio exegetica.

Frequens admodùm est Apostolus in adhortandis fidelibus, vt veterem hominem, id est, vitia & peccata abijciant, & induant nouum, hoc est, veris virtutibus animum excolant: vt posita vetustate, quam ex Adamo contraxerunt, totos se componant ad imitationem Christi, in cuius vita tanquam in speculo sic relucent virtutes omnes, vt nusquam alibi neque luculentiùs, neque perfectiùs appareant. Neque putandus est Apostolus frustrà hæc inculcare, quippè qui sciret primorum parentum illa infausta præuaricatione mirabiliter hominis naturam deprauatam, & semper in deteriora procliuem: porrò Christi sanctissimum Euangelium, & vitam atque doctrinam omnem ad optima quæque nos adhortari, quæ omnia eò faciãt, vt natura corrupta, si ea sectari velit, ad pristinã reuocetur integritatem. Non enim hoc solùm spectauit Christus vita & doctrina sua, vt illi fidem commodemus, sed vt eam imitemur, illi nos conformemus, & pro modulo nostro, quẽadmodùm Christus ambulauit, ita & nos ambulemus. Quòd cùm facimus, iam certè paulatim in nobis peccati corruptio aboletur, imago Dei in nobis per peccatum vitiata instauratur, virtutes transeunt in habitum, & gratia Dei iam totos nos sibi vendicat, qui priùs eramus natura filij iræ & serui peccati. Sed quia huc sine multo labore pertingi non potest, paucissimi mortales hac volunt via ingredi: pleriq; etiam eò amentiæ deuoluuntur, vt satis habeant credidisse in Christum, nihil verò cogitent minùs, quàm de imitando Christo. Verùm ad Apostolicæ lectionis verba veniamus: *Renouamini spiritu mentis uestræ, & induite nouum hominem qui secundùm Deum creatus est, in iustitia, & sanctitate ueritatis.* Renouari est, inquit Chrisostomus, quando quod inueterauit, aliud ex alio factum renouatur. Itaque eadem quidem manet substãtia & idem subiectum, immutatio verò fit circa accidens. Quemadmodum vnum quidem & idem est corpus, transmutatio verò fit iuxta id quod accidit: ita & hîc. Quomodò fit autem renouatio? In spiritu, inquit, mentis vestræ. Itaq; si veterem actum quisquam habuerit, nihil proficiet. Actus enim veteres non feret Spiritus. Spiritu, inquit, mentis vestræ, hoc est, spiritu, qui est in mente vestra. Ita Chrysostomus. Vbi obseruandum & Chrysostomum & græca scholia spiritum hîc accipere pro spiritu sancto: verùm alij pro humano spiritu, id est, ipsa mente accipiunt, in quibus est etiam Augustinus, qui libro 14. de Trinitate cap. 16. & aliquot sequentibus pulcherrimè scribit de hac renouatione, è quibus nonnulla huc adferemus. Quòd ait Apostolus, inquit cap. 16. Secundum Deum creatũ, hoc alio loco dicitur, Ad imaginem Dei. Sed peccando iustitiam & sanctitatẽ veritatis amisit, propter quod hæc imago deformis & decolor facta est: hanc recipit, cùm reformatur & renouatur. Quòd autem ait, Spiritu mentis vestræ, non ibi duas res intelligi voluit, quasi aliud sit mens, aliud spiritus mentis: sed quia omnis mens spiritus est, non autem omnis spiritus mens est. Deinde commemorat, quàm multis modis spiritus accipiatur: ac posteà subiungit: Quia ergo tot modis dicitur spiritus, spiritum mentis dicere voluit eum spiritum, qui mens

Christus quid sua uita & doctrina spectarit.

Ephes. 2.

Ephes. 4.

Spiritus mentis, est ipsa mens

mens vocatur. Et post pauca: Fit ergo ista renouatio reformatioque mentis secundùm Deum, vel secundùm imaginem Dei. Sed ideò dicitur, Secundùm Deum, ne secundùm aliam creaturã fieri putetur. Ideò autem, Secundùm imaginem Dei, vt in ea re intelligatur fieri hæc renouatio, vbi est imago Dei, id est, in mente. Et cap. 17. Sanè ista renouatio, inquit, non momento vno fit ipsius conuersionis, sicut momento vno fit illa in baptismo remissione omnium peccatorum: neque enim vel vnum quantulumcunq; remanet quod non remittatur: sed quemadmodùm aliud est carere febribus, aliud ab infirmitate, quæ febribus facta est, reualescere: itemque aliud est infixum telum de corpore demere, aliud vulnus quod eo factum est, secunda curatione sanare: ita prima curatio est causam remouere languoris, quod per omnium fit indulgentiam peccatorum: secunda, ipsum sanare languorem, quod fit paulatim proficiendo in renouatione huius imaginis. Et post paululum: In agnitione igitur Dei, iustitiaque & sanctitate veritatis qui de die in diem proficiendo renouatur, transfert amorem à temporalibus ad æterna, à visibilibus ad intelligibilia, à carnalibus ad spiritalia, atque ab istis cupiditatem frenare atque minuere, illisque se charitate alligare diligenter insistit. Item libr. 4. de Trinitate, cap. 3. idem sic habet: Resuscitatur anima per pœnitentiam, & in corpore adhuc mortali renouatio vitæ inchoatur à fide, qua creditur in eum, qui iustificat impium, bonisque moribus augetur & roboratur de die in diem, cùm magis magisque renouatur interior homo. Hæc Augustinus. Porrò Ambrosij in hunc locum commentaria sunt hæc: Iustum & verum est rectam viam sequi. Hic autem rectam sequitur, qui deuotus creatori suo, in voluntate eius ambulat, quam gentilitas nescit. Innouatus enim spiritu mentis, nouum hominem dicitur indutus, qui est Christus. Christum enim induitur, qui per fidem renatus in Christo, æmulus est vitæ, quam tradidit Christus, vt iuxta Deum creatus videatur. Hæc ille. Quod autem dicit Apostolus, nouum hominem secundùm Deum creatum, id Chrysostomus ad virtutem refert, aitque nouum hominem non ex aqua neque ex terra creari ampliùs, sed in iustitia & sanctitate veritatis, & ipsam noui hominis essentiam in iustitia esse & sanctitate veritatis. *Propter quod deponentes mendacium, loquimini ueritatem unusquisque cum proximo suo: quoniam sumus inuicem membra.* Quia in veritate, inquit Ambrosius, & iustitia creati sumus, renati in baptismate, idcircò vt in eo maneamus, mendacium deponere iubemur assumpta veritate, nec dolo aliquid cum fratre agere: vt quia vnius corporis membra sumus, caussis nostris in veritate inuicem faueamus. His conuenienter scribit etiam Chrysostomus. De eo, inquit mendacio Apostolus dicit, quo inter se alter alteri mentiebantur, hoc est, de dolo & fictione. Deinde adiungens quod magis vrget, Quoniam sumus, inquit, inuicem membra, nemo decipiat proximum suum. Nihil enim est, nihil est, inquam, quod ita pariat inimicitias, atque seductio & deceptio. Vide quomodò vbique illos per exemplum corporis vrgeat. Num pedem, inquit, fallit oculus, aut oculum pes? Vtpotè sicubi fouea profunda fuerit, quæ supernè insperfis arundinibus humoque occultis tecta, solidæ telluris speciem ipsa superficie ingeratoculis, nunquid vtetur hic pede, & cognoscet quale sit ibi solum, num subsit vacuum, aut resultet & repercutiat? Non fallit hic pes, sed verum indicat. Quid verò si serpentem viderit oculus, aut malam bestiam, num fallit pedem? An non mox periculum annuntiat? Et pes illud ex oculi indicio cognoscens, vltrà non progreditur. Quid verò si quando contigerit nec pede nec oculo rerum cognitionem haberi posse, sed totum ab odoratu percipi oportere, vtpotè, vtrùm pestiferum sit pharmacum nec ne: num ab odoratu fallitur os? Nequaquam. Quare? Quia seipsum simul perderet odoratus. Itaq; quod sibi sentit aduersarium esse, hoc indicat. Quid verò lingua? Num illa stomachum seducit? Non seducit: sed vbi amarum quid & acerbum deprehenderit, proijcit, dulce verò immittit. Hæc Chrysostomus. Solent Theologi mendacium distinguere in Iocosum, Officiosum & Pernitiosum. Augustinus duos egregios scripsit libros, alterum de mendacio, alterum contra mendaciũ, vnde multa possunt scitu vtilia peti. In horum priori, cap. 3. mendacium hunc in modum definit: Ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis vel quibuslibet significationibus enuntiat. Eiusdem libri cap. 21. concludit ex diuinæ scripturæ testimonijs, nunquam omninò esse mentiendum, additq; etiam hæc verba: Quisquis esse aliquod genus mendacij, quod mendacium nõ sit, putauerit, decipiet seipsum turpiter, cùm honestum se deceptorem arbitratur. *Irascimini, & nolite peccare. Sol non occidat super iracundiam uestram.* Hæc verba D. Ambrosius lib. 1. Officiorum, cap. 21. tribus modis exponit. Irascimini vbi culpa est, cui irasci debeatis. Nõ potest enim fieri, vt nõ rerum indignitate moueamur, alioquin non virtus, sed lenitudo & remissio iudicatur. Irascimini ergo ita, vt à culpa abstineatis. Vel sic: Si irascimini, nolite peccare, sed vincite ratione iracundiam. Vel certè sic: Si irascimini, vobis irascimini, quia cõmoti estis: & non peccabitis. Qui enim sibi irascitur, quia cõmotus est, definit irasci alteri. Qui autem vult iram suam iustam probare, plùs inflammatur, & citò in culpam cadit. Melior est autem secundùm Salomonem, qui irascundiam continet, quàm qui vrbem capit: quia ira etiam sortes decepit. Cauere igitur debem⁹, ne in perturbationes priùs incidam⁹, q̃ animos nostros ratio componat. Examinat enim mentẽ ple-

Reformatio mentis vt fiat.

Resuscitatur anima per pœnitentiam.

Christum induere.

Mendacium quis dicat.

Prou. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

plerunq; aut ira, aut dolor, aut formido mortis, & improuiso percellit ictu. Ideò præuenire pulchrum est cogitatione, quæ voluendo mentem exerceat, ne repentinis excitetur commotionib. sed iugo quodam rationis & habenis constricta mitescat. Et in eiusdem capitis initio, Caueatur, inquit idem Ambrosius, iracundia: aut si præcaueri non potest, cohibeatur. Mala enim illex peccati indignatio est, quæ ita animum perturbat, vt rationi nõ relinquat locũ. Primũ est igitur si fieri pót, vt morũ tranquillitas, vsu quodã, affectione apposito, in naturã vertatur. Deinde quoniam ita plerunq; motus infixus est naturę ac moribus, vt euelli atq; euinci non queat: si præuideri potuerit, ratione reprimatur. Aut si priùs occupat fuerit animus ab indignatione, quàm consilio prospici ac prouideri potuerit ne occuparetur, meditare quomodò motum animi tui vincas, iracundiam temperes. Et infrà: Non mediocre est, inquit, mitigare iracundiam, non inferius, quàm omninò non commoueri. Hoc nostrum est, naturæ illud. Hæc Ambros. Porrò Augustin⁹ in Præfatione in secundam enarrationem Psalmi 25. locum hunc exponens, Etsi, inquit, ex ipsa humana conditione & infirmitate mortalitatis quam portamus, subrepit ira Christiano, nõ debet diù teneri & fieri pridiana. Eijce illã de corde, antequàm occidat lux ista visibilis, ne te deserat lux illa inuisibilis. Sed & aliter meliùs intelligitur, quia est noster Sol iustitię & veritatis Christus, nõ iste sol, qui adoratur à paganis & Manichæis, & videtur etiã à peccatorib⁹, sed ille alius, cuius veritate anima humana illustratur, ad quẽ gaudent angeli. Cùm cœperit iste Sol in hoĕ habitare per fidem, non tantũ valeat iracundia quę in te nascitur, vt occidat super iracundiam tuam, id est, Christus deserat mentem tuam, quia non vult habitare Christus cum iracundia tua. Hæc August. *Nolite locum dare diabolo.* Tentat diabolus varijs modis hominem, nec vnquam tentare desinit. Multa habet instrumenta nocendi, & mille est artibus ad fallendum instructus: sed certè inuitum cogere non potest. Cùm ergo nos vincit, non id facit viribus suis, sed nostrapte culpa & negligentia. Si locum non daremus, abscederet turpiter confusus. Si intrauit & possedit, ait Augustinus in Psalmum 141. attende quia tu negligenter clausisti ostium, aut claudere neglexisti. Quid est autem claudere ostium? inquit ibidẽ. Hoc ostium tanquàm duas habet valuas, cupiditatis & timoris. Aut cupis aliquid terrenum, & hâc intrat: aut times aliquid terrenum, & hâc intrat. Timoris ergo & cupiditatis ianuam claude contra diabolum, operi ad Christum. Quomodò ipsas valuas aperis ad Christum? Cupiendo regnum cælorum, timendo ignem gehennarũ. Per cupiditatem seculi diabolus intrat, per desiderium vitæ æternæ Christus intrat. Per timorẽ pœnarum temporalium diabolus intrat, per timorem ignis æterni Christus intrat. Hæc & plura alia Augustinus. Cùm ergo tentat nos diabolus siue blanditijs & illecebris, vt fallat: siue terroribus & cruciamentis, vt frangat; nos illi intùs in animo locum non demus, & irustrà erit quicquid ille fecerit. Cùm proponit voluptates & diuitias & honores huius vitæ, animus transferatur ad appetendas illas veras & sempiternas cælestis patriæ delicias, opes, dignitates. Cùm minatur aduersa & molesta, cogitetur ignis æternus. Si molestum est momentaneos huius vitæ ferre dolores, quàm erunt intolerabiles gehennæ cruciatus? Ita clauus clauo repellitur. *Qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis, quod bonum est, vt habeat unde tribuat necessitatem patienti.* Vt noui hominis conuersatio maneat, inquit Ambrosius, hortatur ne rursùm ad præterita vitia & peccata redeatur: & nihil proderit nouum dici, quando vetus homo malis operibus approbatur. Non solùm ergo Christianus aliena non tollere iubetur, sed & de labore suo penuriã patientibus submini strare: vt bonis operibus deditus, rependat quæ priùs abstulerat, & de cętero thesaurizet sibi in futurum. Qui enim cessat à furto, veniam potest habere, non gloriam. Quid enim magnum, aut cuius meriti est ab alienis temperare? Ad meritum enim proficit, cùm quis de proprio tribuit egenis. Hæc Ambrosius. Obseruandum autem hìc est, quòd Apostolus non solùm iubet furem cessare à furto, sed etiam labori incumbere, vnde non sibi duntaxat victum paret, sed etiam egenis possit benignè facere & impertire. Hoc idem etiam in Psalmo 33. iubet Spiritus sanctus his verbis: Declina à malo, & fac bonum. Non satis est ad iustitiam abstinuisse à malo, oportet etiam bonis operibus incumbere. Sic etiam præcursor Domini Ioãnes hortabatur ad se venientes, vt facerent fructus dignos pœnitentiæ, quos certè non possunt facere, nisi qui & peccasse ex animo se dolent, & deinceps virtutibus & bonis operibus gnauiter studeant. Itaq; qui à peccatis volunt non fictè sed syncerè resipiscere, inprimis lugere debent superioris vitæ errata, atq; vnà etiam totos se accingere ad opera pietatis & exercitia virtutum, vt non modò à vitijs sese retrahant, sed etiam sedulam nauent operam veris virtutibus, & quemadmodùm peccando malo dæmoni seruierunt, ita bonis sectandis operibus Christi se seruos declarent. Vtinam hæc attendant pleriq; mortales omnes, qui semper in suis hærent fæcibus, quos non pudet contempto creatore seruire iniquitati & impuris dæmonibus, qui nihil minùs quàm Deo placere appetunt, quorum sunt pectora vastissimis oppressa tenebris, vt non videant neq; in quæ mala ruãt præcipites, neq; quibus bonis seipsos per summã stultitiam priuent. Faxit Dominus IESVS, vt Apostolicis obtẽperantes mandatis, post hanc breuem vitam ad illam æternã pertingamus, in qua ipse cum Patre & Spiritu sancto nobis videndus & fruendus promittitur in secula seculorum, AMEN.

Matth. 3.

Cupiditas & Timor, ostia

DO-

DOMINICA XX. POST Pentecosten. Matth. IX.

In illo tempore: Ascendens Iesus in nauiculam, transfretauit, & uenit in ciuitatem suam. Et reliqua. Homilia B. Ioannis episcopi.

Huius Homiliæ ferè pars dimidia habetur in Homilia 12. Ex uarijs in Matthæum locis, Chrysostomi.

CHRIStum, in humanis actibus diuina gessisse mysteria, & in rebus visibilib. inuisibilia exercuisse negocia, lectio hodierna monstrauit. *Ascendit, inquit, in nauiculam, & transfretauit, & uenit in ciuitatem suam.* Nónne hic est, qui fugatis fluctibus, maris profunda nudauit, vt Israëliticus populus inter stupentes vndas sicco vestigio velut montium concaua transiret? Nónne ipse est, qui Petri pedibus marinos vertices inclinauit, vt iter liquidum humanis gressibus solidum præberet obsequium? Et quid est, q; ipse sibi maris sic denegat seruitutem, vt breuissimi laci trãsitum sub mercede nautica transfretaret? *Ascendit*, inquit, *in nauiculam, & transfretauit.* Et quid mirum fratres? Christus venit suscipere infirmitates nostras, & sua nobis cõferre medicamenta sanitatis: quia medicus qui non fert infirmitates, curare nescit: & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem. Christus ergo si in suis manifisset virtutibus, commune cum hominibus nihil haberet: & nisi implesset carnis ordinem, carnis in illo esset otiosa susceptio. Sustinuit ergo has necessitates, vt homo verus humanis necessitatibus probaretur. *Ascendit in nauiculam.* Christus Ecclesiæ nauim à seculi fluctibus semper mitigaturus ascendit, vt credentes in se, ad cælestẽ patriam tranquilla nauigatione perducat, & municipes suæ ciuitatis faciat, quos humanitatis suę fecit esse consortes. Non ergo Christus indiget naui, sed nauis indiget Christo: quia sine cælesti gubernatore nauis Ecclesiæ per mundanum pelagus, per tanta & talia discrimina ad cælestem portum non valet peruenire. Hæc diximus, fratres, quantum ad intelligentiam spiritualem: verùm ipsius historiæ ordinem prosequamur. *Ascẽdens, inquit, Iesus in nauiculam transfretauit, & uenit in ciuitatem suam.* Creator rerum, orbis Dominus, posteaquàm se propter nos nostra angustauit in carne, cœpit habere humanam patriam, cœpit ciuitatis Iudaicæ esse ciuis, parẽtes cœpit habere, parentum omnium ipse parens, vt inuitaret amor, attraheret charitas, vinceret affectio, suaderet humanitas, quos fugarat dominatio, metus dispersserat, & fecerat vis potestatis extorres. *Venit in ciuitatem suam: & obtulerunt ei paralyticum iacentem in lectulo. Et uidens, inquit, Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Audit veniam, & tacet paralyticus, nec vllam respondet gratiam, quia plùs corporis quàm animæ tẽdebat ad curam, & temporales ærumnas resoluti corporis sic deflebat, vt æternas pœnas resoluti oris animæ non defleret, gratiorem sibi præsentem vitam indicans quàm futuram. Meritò ergo Christus offerentium fidem respicit, & vecordiã sic iacentis respicit, vt fidei alienæ suffragio, paralytici anima antè curaretur quàm corpus. *Respiciens*, inquit, *fidem illorum.* Cernitis in hoc loco, fratres, Deum non quærere insipientium voluntates, non expectare ignorantium fidem, non insimi stulta desideria perscrutari, sed ad alterius fidem subuenire. Et reuerà, fratres, quando medicus languentium aut quærit aut respicit voluntates, cùm semper contraria desideret & requirat ægrotus? Hinc est, quòd nunc serrum, nunc ignem, nunc amara pocula ingerit & apponit inuitis, vt curam sani sentiant, quam sentire non poterant ægrotantes. Et si homo iniurias despicit, maledicta contemnit, vt sauciatis manibus sponte vitam conferat & salutem, quanto magis Christus medicus bonitate diuina morbis saucios peccatorum, & phreneſi criminum laborantes, ad salutem etiam inuitos attrahit & nolentes? O si velimus fratres, ô si velimus mentis nostrę omnes paralyses semper videre, & animam nostram virtutibus destitutam, tacere inuitorum stratib. cerneremus, luceret nobis, quẽadmodùm Christus, qui nostras quotidiè noxias despicit voluntates, & ad salutaria nos remedia pertrahit, & perurget inuitos. *Fili*, inquit, *remittuntur tibi peccata tua.* Hæc dicens, Deum se volebat intelligi, qui per hominem oculis adhuc latebat humanis. Virtutibus etenim & signis cõparabatur prophetis, qui per ipsum fecerant & ipsi virtutes. Peccatis autem dare veniam, quia penes hominem nõ est, & est singulare deitatis insigne, Deum illum pectoribus inserebat humanis. Probat hoc pharisaicus liuor. Nam cùm dixisset, Remittuntur tibi peccata tua, respondérunt pharisæi: *Hic blasphemat. Quis enim potest peccata dimittere, nisi solus Deus?* Pharisæe, qui sciendo nescis, confitendo negas, cùm testaris, impugnas: Si Deus est qui remittit peccata, cur tibi Christus Deus non est, qui in vno indulgentiæ suæ munere, totius mundi probatur abstulisse peccata? Ecce, inquit, agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Vt autem possis maiora capere diuinitatis eius insignia, audi cũ pectoris tui penetrasse secretum, alpice eum ad cogitationũ tuarum latebras peruenisse, intellige eum cordis tui nudare consiliũ. *Et cùm uidisset, inquit, Iesus cogitationes eorum, dixit: Quid cogitatis mala in cordibus uestris? Quid est facilius dicere, Remittuntur tibi peccata tua: an dicere, Surge & ambula? Vt sciatis autem quia filius hominis potestatem habet dimittendi peccata, dixit paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & uade in domum tuam. Et surrexit, & abiit in domum suam.* Scrutator animorum præuenit mentium magna consilia, & deitatis suæ potentiam operis attestatione monstrauit, dum dissipati corpo-

Ioan. 1.

ris

Universidad de Deusto
Biblioteca

ris membra componit, neruos stringit, iungit ossa, complet viscera, firmat virtutem, & gressus ad cursum suscitat, in viuo cadauere iã sepultos. Tolle lectum tuum, hoc est, porta portantem, oneris muta vices, vt quod fuit infirmitatis testimoniũ, sit probatio sanitatis: vt lectus doloris tui, sit meę curationis indiciũ: vt receptæ fortitudinis magnitudinem, ponderis asserat magnitudo. Vade, inquit, in domum tuam, ne Christiana fide curatus, in vijs Iudaicæ perfidiæ iam moreris.

EADEM DOMINICA.
Matth. IX.

In illo tempore: Ascendens Iesus in nauiculam, transfretauit, & uenit in ciuitatem suam. Et reliq. Homilia Erici.

GReator rerum Dominus, postquàm se propter nos nostra angustauit in carne, cœpit habere humanam patriam, cœpit esse ciuis Iudaicæ ciuitatis, vt eos, de quibus humanitatem sumpserat, ad credendum sibi amore inuitaret, charitate suaderet, & affectuosa humanitate attraheret. Loquês ergo sanctus euangelista Matthæus de Domino Iesu, dicit: *Quia ascendens in nauim, transfretauit*, hoc est, trans fretum abijt. Fretum dicitur angustum mare, à feruore scilicet & ebullitione, quoniam mare ibi ampliùs feruet, vbi angustius habetur. Fretum autem hoc loco mare Galilææ debemus intelligere, quod Dominus frequenter transnauigabat, vt multitudinem incolarum circunquaque habitantium sua assidua prædicatione ad salutem inuitaret. Ciuitas autem Domini secundùm carnem Nazareth fuisse dicitur, conceptione pariter & nutrimento eius decorata. Quæstio sanè inter Marcum & Matthęum oritur, Quia Marcus dicit hoc ipsum miraculũ paralytici in Capharnaum factum, Matthæus verò ita narrat, quasi veniente Domino in ciuitatem suam, quam Nazareth diximus, obtulerũt ei paralyticum, quem & curauit. Quæ quæstio difficiliùs solueretur, si Matthęus in hoc loco etiam Nazareth nominasset. Sed quia & Nazareth & Capharnaum ciuitates vtræque in Galilæa prouincia habentur, veniens Dominus in Galilæam, rectissimè in ciuitatem suam venisse dicitur, in quocunque oppido Galilææ fuisset. Nam & ipsa Galilæa, tota videlicet prouincia, potest dici ciuitas Christi. Siquidem & illud regnum Iudæorum numerosis ciuitatibus quondam amplissimũ, vna domus Israël dicitur, nedum etiam vna ciuitas dicatur. Et hoc quid necesse est longiùs protrahere? Ipsa etiam Christi Ecclesia, quæ per totum orbem diffusa est, ciuitas appellatur. Dicit enim Psalmista: Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Cùm ergo Dominus hoc signum (sicut Marcus dicit) in Capharnaum fecit, non est dubium quòd in sua ciuitate hoc fecerit, præsertim quia & ipsa Capharnaũ in Galilæa, quæ erat prouincia Domini, ita excellebat, vt tanquam metropolis haberetur. Alio quoq; modo hæc quæstio à doctoribus soluitur, vt ꝙ dicit beatus Matthæus euangelista, transfretasse Dominum, & venisse in ciuitatem suam, prætermiserit, quid ibi fecerit Dominus, & transierit ad sequens miraculum, quod factum est de paralytico in Capharnaum. Marcus enim totum ex ordine quomodò gestum sit narrat. Vel certè ideò Capharnaum ciuitas Domini dicitur, quia in ea vel in finibus eius assiduè prædicauerit, & ibi maxima miracula operatus sit, sicut ipse Dominus alibi per semetipsum illi improperans, loquitur: Væ tibi Capharnaum, quæ vsq; ad cælum exaltata es, clarificatione scilicet miraculorum meorum, vsq; ad infernum detraheris. Quia si in Tyro & Sidone facta fuissent quæ in te facta sũt, olim in cinere & cilicio pœnitentiam agerent. *Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto.* Paralysin Græci dicunt dissolutionem membrorum, qui morbus partem corporis quam occupauerit, officijs vniuersis funditùs destituit: plerunq; verò & totũ corpus inuadit. *Et uidens Iesus fidem illorũ, dixit paralytico: Confide fili, dimittuntur tibi peccata tua.* Hæc dicens, Deum se volebat intelligi, qui adhuc per humanitatem latebat homines, vt videlicet per hoc quòd peccata dimittere poterat, qd' solummodò Dei esse constat, & non hominis, ad credulitatem fidei accedere non dubitarent. Intuendum autem, quãtum impetrare valeat fides vniuscuiusq; propria, si tantum aliena valuit, vt suo interuentu alteri salutem mentis & corporis subitò promereri potuerit. Non enim ait euangelista Dominum vidisse fidem illius qui portabatur, sed eorum potiùs, qui hunc offerebant. Qua in re magna quædam & vtilis nobis commendatur humilitas, vt veraciter credamus per eorum, qui Deo accepti sunt, intercessionem adiuuari eos, qui aut minùs digni sunt per se exaudiri, aut etiam propriæ infirmitatis conscij, bonorum hominum se intercessioni commendant, vt eorum opere & temporale & spirituale à Deo auxilium consequantur. Confide, inquit Dominus, fili. Miranda est humilitatis in redemptore nostro dignatio, qui hominem inualidum, & toto corpore tabefactum, filium vocare dignatur, quem scribæ & pharisæi nec dignabantur attingere. Quod si ad opus diuinum, quod in homine gerebatur, attendimus, meritò filium vocat, quem à peccatis absoluit. In hoc etiam, quòd curaturus à sua infirmitate hominem, priùs peccata illi dimittit, quibus eandem infirmitatem contraxit, & posteà eum sanitati restituit, ostendit eum ob meritum culparum damnatum fuisse debilitate membrorum, nec aliter posse euadere ægritudinem corporis, nisi priùs liberaretur ab infirmitate incommoda cordis. Dimittuntur, inquit, tibi peccata. Audiens igitur paralyticus veniam delictorum sibi à Domino repromitti, nec aliquid Christo respondet, nec gratiam vel laudem illi rependit: quia scilicet plùs corporis quàm animæ desiderabat salutem, & gratiorem sibi præsentem vitã iudicabat, quàm futuram. Sed Christus non vecordiam iacentis respicit, sed fidem offerentium intendens, ingrato peccata dimittit. Et quia semper virtutibus inuidia comes est, audiamus quid sequitur. Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se: *Hic blasphemat.* Non voce oris hoc dixerunt, sed in secreto cordis. Quod manifestat euangelista, cùm dicit: *Et cùm uidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus uestris?* Quid autem vocarent blasphemiam, Marcus manifestiùs exponit, dicens: Et cogitabant, inquit, quidam de scribis in cordibus suis, dicentes: Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus? Legerant siquidem scriptum in prophetis, dicente Domino: Ego sum, qui deleo iniquitates tuas. Et ideò indignabantur, quòd Christus, quem purum hominem existimabant, paralytico peccatorum veniam promisisset tanquam Deus. Quanuis ergo nescientes, verum dicunt scribæ & pharisæi, quia nemo potest peccata dimittere nisi solus Deus: qui per eos quoq; dimittit, quibus potestatem dimittendi tribuit. Et ideò Christus verus Deus esse probatur, quia peccata quibus vult, dimittere valet. *Et cùm uidisset Iesus cogitationes eorum, &c.* Scrutator animorum Deus, præueniens mentium mala consilia, ostendit scribis blasphemantibus se Deum esse, qui potest etiam occulta cordis eorum euidenter agnoscere, & quasi tacens loquitur: Vt cognoscatis me veraciter Deum esse, manifestum vobis sit, latebras etiam cogitationum vestrarum me apertissimè cognoscere. Ea ergo potestate deitatis, qua cogitationes vestras intueri valeo, cognoscite etiam hominibus peccata me posse dimittere. *Quid facilius est, dicere, Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, Surge & ambula?* Vtrùm paralytico peccata fuerint dimissa, solus Christus nouerat, qui dimittebat: Surgentem autem illum & ambulantem omnes qui assistebant, visu approbare poterant. Et ideò Dominus carnale signum sanitatis extrinsecùs operatus est, vt spirituale signum, hoc est, veniam peccatorum, intrinsecùs probaretur fecisse. *Vt sciatis autem, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico, Surge, &c.* Patet quia & si Deus, qui quãtum occasus distat ab oriente, longè fecit à nobis iniquitates nostras, & filius hominis habet potestatem dimittendi peccata, ergo idem ipse est Christus, & Deus & filius hominis. Deus, qui per diuinitatem peccata dimittit: filius hominis, qui per humanitatem pro peccatoribus mori potuit. Quod autem dicit, Tunc ait paralytico, verba sunt euangelistæ. *Tolle, ait, lectum tuum.* hoc est, porta portantem te, vt quod fuit testimoniũ infirmitatis, sit probatio sanitatis. *Et surrexit, & abijt in domum suam.* Inter dictum Domini & factum, nulla distantia est. Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Et omnia quæcunque voluit, fecit. Inter dicere autem nostrum & facere, plurima distantia est, quia facilè quidem loqui possumus, sed cum labore operamur. Christi verò dictum mox opera comitantur: quoniam ipse dixit, & facta sunt. Ait ergo: *Quid est facilius, dicere, Dimittuntur tibi peccata, an dicere, Surge & ambula?* Ac si dicat: Sicut facile est mihi, dicere paralytico, Surge, & continuò surget: sic facile est, dicere, Dimittuntur tibi peccata, & continuò dimittentur. Videntes turbæ, id est, populi signum quod fecerat, timuerunt Deum, & glorificauerunt eum, qui dedit potestatem talem hominibus: scilicet, vt homo inter homines positus, posset sanitatem cuicunq; vellet, tribuere. Confutatis igitur illis, qui Dominum blasphemiæ arguebant, meritò stupentes turbæ, in laudem creatoris prosiliunt, ad cuius imperium nulla interueniente mora, festina salus totum hominem repentè possedit. Ex curatione autem istius paralytici datur nobis intelligi, pleraſque incommoditates hominibus propter peccata contingere. Quinq; siquidem differentiæ causſarum traduntur, pro quibus corporibus humanis temporales molestię diuinitùs inferuntur, aut enim ad augenda merita per patientiam electi in infirmitate corporis grauantur, vt B. Iob & Thobiæ contigit. Aut ad custodiam virtutum, ne superbia tentante deijciantur, sicut Apostolo Paulo datus est stimulus carnis, ne magnitudine reuelationum extolleretur. Aut ad intelligenda & corrigenda peccata, sicut Maria soror Aaron, propter temeritatis verba lepra percussa est, sicut etiam paralyticus, de quo agimus, qui vt potuisset curari, primùm remissione peccatorum indiguit. Aut ad gloriam Dei, sicut infirmitas Lazari non ad mortem, sed pro gloria Dei fuit. Aut ad inchoationem æternæ damnationis, quod propriè reproborum est, sicut Antiochus & Herodes, qui quod in gehenna passuri erant, præsenti miseria cunctis ostendebant, quibus illud conuenit propheticum: Et duplici contritione contere eos. Vnde quoniam qua causa flagellemur, scire non possumus, necesse est vt in omnibus aduersis, quæ temporaliter patimur, humiliter Domino gratias agamus, & quicquid nos peccasse deprehenderimus, humili satisfactione purgemus, vt quandoq; de attributis diuinæ pietatis beneficijs perfectè gratulemur.

Hæc curatio paralytici à saluatore mirabiliter patrata, iuxta literam manifesta est. Sed quia in humanis actibus Christi diuina semper latent mysteria, considerandum quid transfretatio Domini in suam ciuitatem, allegoricè significet. Ait enim euangelista: Ascendens Iesus in nauiculam transfretauit, & venit in ciuitatem suam. Superiùs sanctus Matthæus narrauit,

quia

Mare Galilææ.

Marc. 2.

Psal. 86.

Fidei efficacia.

Mar. 2.

Esai. 43.

Psal. 102.

Psalm. 32. & 148. Psal. 134.

Causæ quinq; cur humanis temporales molestię diuinitùs inferuntur.

Num. 12.

Ioan. 11.

Ierem. 17.

Matth. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia Dominus postquàm in mari dormiuit, atq; excitatus tempestates sedauit, venit in regionem Gerasenorum, vbi hominem curauit, quem legio dæmonum inuaserat: moxq; sicut præsens lectio narrat, adiungitur, quia ascensa naui transfretauit, & venit in ciuitatem suam. Allegoricè per nauiculam quam Dominus ascendit, significatur crux dominicæ passionis, in quam Dominus ipse ascendit: vel ipsum corpus dominicum quod in ea pependit: vel specialiter anima vniuscuiusq; fidelis, siue generaliter vniuersa sancta Ecclesia. Per mare autem, quod Dominus transfretauit, designatur præsens seculum, quod frequentissimis tribulationum angustijs quasi quibusdam procellis commouetur. Per Nazareth verò ciuitatem, in qua Dominus conceptus & nutritus fuit, & interpretatur flos siue custodita, non immeritò designatur sancta Ecclesia, hoc est, multitudo electorum, quę ne florem fidei, & boni operis fructum amittat, gratia Dei mundatur à sordibus vitiorum, & custoditur ab incursu insidiantium dæmonum. Quòd ergo Dominus postquàm in mari dormiuit, regionem Gerasenorum adijt, atq; inde reuertens in patriam suam remeauit, significat, quia resurgens à somno mortis ad populum gentium, ab incursu dæmonũ curandum, per apostolos transiuit. Sed cùm intrauerit plenitudo gentium, mox ad ciues suos Iudæos per illius temporis prædicatores reuertetur. Ibi cursuit paralyticum, populum scilicet Iudæorum à peccatis, tã originalibus quàm actualibus, emundando omnes, qui præordinati sunt ad vitam æternam. Item alio modo: Ascendens Dominus in nauim, transfretauit & venit in ciuitatem suam. Quia ascendens in crucem, quæ designatur per nauim, post deuictos & calcatos fluctus perturbationum istius seculi, venit in ciuitatem suam. i. Ecclesiam, quæ testante Psalmista, ciuitas Dei appellatur. Gloriosa (inquit) dicta sunt de te ciuitas Dei. In quo loco nomine ciuitatis Ecclesia, hoc est, multitudo electorum significatur. Tunc autem Dominus in ciuitatem suam, id est, Ecclesiam, venit, cùm per prædicationem apostolorum in cordibus electorum ascendit.

Nauicula allegoricè.

Mare, seculum.

Psalm. 86.

Cùm enim sancti Apostoli auditores suos ad hãc fidem sua prædicatione perducebant, vt crederent diuinitatem filij Dei in vtero virginis humanæ infirmitati sociatam, & in eadem carne natũ, crucifixum, atq; sepultum, & tertia die resurrexisse, ac idem corpus ad cælos assumpsisse, & in eo ad dexteram patris in cælestibus consedere, atq; in ipso rediturum in fine seculi ad iudicandos viuos & mortuos: tunc Christus in sancta Ecclesia, hoc est, in cordibus credentium per fidem ascendit. *Et ecce offerebant ei paralyticum.* Paralyticus iste in lecto iacens, moraliter significat animam infelicem, quæ in delectatione peccati tanquàm in lecto quodam miserabiliter requiescit. Cuius paralytici curatio, designat curationem ac reparationem eiusdem languentis animæ, quæ post longum errorem carnalis voluptatis, ad creatorem suum reuerti desiderat. Sed & anima vt saluari queat, proprijs indiget portitoribus, hoc est, bonis doctoribus, qui sua doctrina spem salutis ei subministrent, & sua sanctitate opem intercessionis coram Domino impendãt. Qui benè, vt Marcus ostendit, quatuor fuisse reperiuntur, propter quatuor videlicet libros euangeliorum, quibus constat fundamentum totius doctrinæ: siue propter quatuor principales virtutes, quibus sanitas vniuscuiusq; constat animæ, prudentiam scilicet, fortitudinem, temperantiã, atq; iustitiam, quæ ab alijs nominantur sobrietas, sapientia, fortitudo, atq; iustitia, quibus vtilius nihil est in vita humana. Quæcunq; enim anima doctrina quatuor euangeliorum fuerit imbuta, & his quatuor virtutibus suffulta, citò merebitur à Domino integram sanitatẽ recipere, adeò vt surgat, lectum suum tollat, & ad domum redeat. Vnde & subditur: *Surge, tolle lectum tuum, & uade in domum tuam.* Per lectum designatur corpus vniuscuiusq; hominis. Sic enim anima in corpore, quemadmodùm corpus in stratu suo requiescit. Vel certè per lectum proximus noster intelligitur, ad quem tempore tribulationis & angustiæ tanquàm ad repausandum securi recurrimus. *Et surrexit & abijt in domum suam, magnificans Deum.* Fecit Dominus signum hoc tunc in paralytico corporaliter, facit & hoc quotidiè in sancta Ecclesia spiritualiter. Sicut enim tũc præcepit paralytico, vt surgeret & portaret lectum suum, à quo portatus fuerat: ita quotidiè nobis in vitijs carnalibus tanquàm delectabiliter in lecto iacentibus, iubet diuinitùs vt surgamus. Et postquàm à peccati, surrexerimus, imperat vt infirmitates quoque aliorum siue corporum, siue morum portare curemus, quemadmodùm & nos tempore nostræ infirmitatis à fratribus portati sumus. Et quoniam per lectum carnem etiã corporis nostri significari diximus, imperat etiã surgentibus, vt lectulum nostrum portemus, hoc est, vt carnem nostram, quæ nos portauit ad vitia, nos reportare studeamus ad virtutem continentiæ, vt quæ nos læta traxit ad culpam, afflicta reducat ad veniam. Imperat autẽ hoc nobis Dñs quotidiè per semetipsum, hoc est, per annunciationem euangelij, per dicta prophetarum, & per varia ac diuersa sanctorum exempla. Ait ergo Dominus paralytico: Surge, tolle lectum tuum: Ac si animæ dicat, in peccatis iacenti: Surge, de vitijs scilicet carnis, ad virtutes spirituales, & porta lectum tuum, hoc est, carnem corporis tui, quæ te portauit ad peccatum & culpam, reporta ad veniam. Vel, porta lectum tuum, id est, fratrem tuum, à quo & tu portatus es: & vade in domum tuam, id est, qui per diuersa vitiorum flagitia aberrasti, reuertere ad custodiã tui. Domum quippe redire, est vnumquenq; errantem ad custodiam sui reuerti, & semetipsum in mandatis sui creatoris constringere, vt totus homo,

Portitores, doctores res.

Mare. 2.

Sap. 8.

Lectus quid significet.

Paralyticus, anima uitijs debita.

Domum redire quid sit.

mo, interior videlicet & exterior, Deo possit placere. Domus etiam nostra intelligitur paradisus, à quo quia per incontinentiam cecidimus, necesse est vt per continentiam redeamus. Sed dum talis anima, quæ peccatis languerat, recurrit adveniam, fit plerunq;, vt multi hoc videntes, in Dei laude exardescant. Vnde & hic subditur: *Quia uidentes turbæ, timuerunt & glorificauerunt Deũ, qui dedit potestatem talem hominibus.* Hominibus dicit, vel paralytico scilicet, qui debilitate corporis contractus, ad iussionem Christi statim resurgere potuit, & lectum portare: vel potiùs Domino Iesu Christo, qui solo sermone sanitatem animæ simul & corporis homini membris dissoluto restituere valuit. Simili modo & in anima hominis languentis spiritualiter fit. Nam dum is, qui diutiùs in peccatis iacuerat, ad veniam recurrere conspicitur, multi fidelium glorificant Deum, qui dat potestatem talem hominibus, vt post lõgam vitiorum calamitatem resurgere valeant ad salutem animarum. Nam quæcunq; sanitas, siue in corpore, siue in anima alicui accedit, ab ipso tribuitur. Vnde & ipse Iesus, id est, saluator vocatur, quoniam ipse saluum facit populum suum à peccatis eorum: Qui viuit & regnat cum patre & spiritu sancto per omnia secula seculorũ, Amen.

Matth. 1.

EADEM DOMINICA, HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Ascendens Iesus in nauiculam, transfretauit, & uenit in ciuitatem suam, &c. Matt. 9.

HOC enim loco ciuitatem suã non Nazareth, sed Capharnaum intelligere debemus. Vtraq; enim ciuitas eius dicitur: illa quidem, quia ibi nutritus est: ista verò, quia ad tẽpus in ea habitauit. Sic enim superius dicitur, quia relicta ciuitate Nazareth, venit & habitauit in ciuitate Capharnaum maritima. *Et ecce offerebant ei paralyticum in lecto iacentẽ.* Spiritualiter autem ciuitas Dei, Ecclesia est. Quicunq; igitur es, qui aliqua infirmitate grauaris, & sanari desideras, veni ad Ecclesiam, veni ad ciuitatem Dei. Ibi illum medicum inuenies, qui (sicut de eo scriptum est) omnes languores sanat, & omnes infirmitates: ibi inuenies illa medicamina, quibus susceptis omnis infirmitas tollitur, & omnis ægritudo fugatur: ibi inuenies balneum, in quo æger vt lotus fuerit, confestim ab omni infirmitate sanabitur. Ibi renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua, & in nouam creaturam vetera omnia commutabuntur. Illuminantur cæci, curantur paralytici, mundãtur leprosi, & mortui suscitantur. Hanc igitur ciuitatem illa ciuitas significat, de qua modò hic dicitur, *quia uenit Iesus in ciuitatem suam: & ecce offerebant ei paralyticum in lecto iacentem.* Marcus autem dicit, quia paralyticũ iste à quatuor portabatur. Iste paralyticus, spiritus hominis est, qui & anima vocatur. Hic autem in lecto, id est, in corpore iacet, & inde grauatur, vnde quietem habere debuerat. Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animã. Ideò enim infirmatur spiritus, quia non benè iacet. Ille enim spiritus paralyticus est, qui suæ potestatis non est. Paralysis enim quodcunq; membrum arripuerit, quodammodò insensibile & quasi mortuum & inutile facit. Quæ enim anima paralytica est, nec oculos videndi, nec aures audiendi habet. Sed qui sunt isti quatuor, qui hunc paralyticum portant, & Domino offerunt? Per hos enim nescio qui melius, quàm quatuor Euangelistę intelligi possint. Nulla enim anima, nisi per istos, Domino offertur, nulla anima nisi per istorum fidem sanatur. Vnde & hic dicitur: *Et uidens Iesus fidem illorum, dixit Paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Ac si dicat: Tu quidem infirmus es, sed illi qui te ferunt, sani sunt: illorũ fides te sanat, si in illorum fide confidis. Confide igitur fili, factus es mihi filius per fidem, remittuntur tibi peccata tua. Vides quomodò ipse Dominus euangelium suum exponat? quomodò per ea quæ foris aguntur, si quis tamen oculos habeat, & nondùm totus paralyticus iaceat, intùs nos spiritualiter doceat? In hoc enim, quòd ait: *Remittuntur tibi peccata tua*, interiorem hominem, id est, spiritum, paralyticum esse demonstrat. Quæ est enim infirmitas animæ, nisi peccata? Hæc igitur auferantur, hic morbus tollatur, & sanabitur anima: Hoc enim non dixisset, si ad corporis infirmitatem respexisset. Non id. eò corpus sanatur, quia anima à peccatis liberatur. Apostolus enim dicit: Cùm autem infirmor, tunc fortior sum: significans carnis infirmitate spiritum corroborari. Hoc autem scribæ, qui ibi aderant, malè intelligẽtes, & non animæ, sed corporis paralysin attendentes, Christũ Deum blasphemasse dicebant. Vnde & subditur: *Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat. Et quum uidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus uestris?* Nam & isti interiùs paralytici erant, quanuis suam infirmitatem nõ sentiebant, qui Deum blasphemasse dicebant. Nec minùs Iesus eorum cogitationes iniquas, quàm illius infirmitatem considerabat. Dicebat igitur: *Vt quid cogitatis mala in cordibus uestris?* Neq; enim medicum scitis, neq; vim medicaminis agnoscitis. Bonus enim medicus ad morbi venam & radicem spectat: quam postquàm amputauerit, cætera ad sanandum facilius ducit. *Quid est enim facilius, dicere, Dimittuntur tibi peccata tua: aut dicere, Surge & ambula?* Si enim ad solum dicere attendamus, nescio quid horum facilius sit. Vtrunq; enim valdè facile est. Peccata autem dimittere, vel paralytico ad surgẽdum & ambulandum vires sufficere, difficile est. Sed quia alterum in-

Ciuitas Dei, Ecclesia.

Psalm. 102

Ibidem.

Matt. 4.

Portitores qui.

Morbus & animi, peccatum.

2. Cor. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

uisibile, alterum verò visibile erat, per visibile probat inuisibile, vt dum eum in corpore potestatem habere vident, in anima quoq; potestatẽ
Marc. 2. habere non dubitent. Dicebant enim: Nemo potest peccata dimittere, nisi solus Deus. Verum vtiq; dicebant. Quanuis enim Ecclesia peccata dimittat, (hoc enim Dominus ostendit, dicens:
Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt:) solus tamen
Ioan. 15. ille peccata dimittit, qui ait: Sine me nihil potestis facere. Ipse enim erat Deus, ipse erat & homo: imò ipse est Deus & homo: sed Deus per se, homo verò per Deum potestatem habet dimittendi peccata. Et hoc est, quod ait: *Vt autem sciatis quia filius hominis potestatem habet dimittendi peccata,* videte quod videre potestis, vt credatis quod videre non poteratis. Creditis quòd nemo possit dimittere peccata, nisi solus Deus: iã cognoscetis etiam quia filius hominis potestatem habet dimittendi peccata. *Tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et surrexit, & abijt in domum suam.* Probatum est igitur, quod quærebant: iam dubitare non debent, credant à peccatis animam esse solutam, dum corpus & à paralysi vident esse sanatum. Sed quid est quod ait: *Surge, tolle lectum tuum?* Diximus enim per lectũ corpus significari, in quo anima infirma iacebat. Animæ ergo dicitur vt surgat. Quid est enim surgere, nisi ad bonum opus vigilare? Vnde Aposto-
Ephes. 5. lus, Surge, inquit, qui dormis, surge à mortuis, & illuminabit te Christus. *Surge, tolle lectum tuum:* habeas potestatem in carne tua, dominare corpori tuo: tu porta, tu dirige, tu rege: tibi seruiat, tibi obediat, tibiq; amodò per omnia subijciatur. *Et vade in domum tuam:* reuertere in patriam tuam, reduc in patriam carnem tuam, quia ipsa te eiecit de patria tua. *Videntes autẽ turbæ timuerũt, & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.*

DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN,
In Epistolam Concio exegetica.

MVlta sunt pericula, innumeri laquei, multiplices tentationes vitæ huius, vt mirum sit tam altùm stertere cæcos mortales, & in vtramuis aurem intrepidos dormire, tanquã iam tranquilla & tuta sint omnia. Dici verò non possit, quot mala pariat ista hæc temeritas & perniciosa securitas. Clamat talibus
Deu. 32. scriptura, Gens absq; consilio est & sine prudentia: vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Quid tam stultum & omnis cõsilij alienum, quàm inter instructas & explicatas crudelissimorum hostium acies iacere supinũ, & vltrò se confodiendum obijcere? Si quod corpori periculum metuitur, quàm solent anxiè homines illud anteuertere & à se depellere? Animæ pericula ducuntur pro nihilo. Talibus ergo loquitur Apostolus in lectione hodierna, quæ ex 5. cap. Epistolæ ad Ephesios sumpta est: *Videte quomodò cautè ambuletis: non quasi insipientes, sed vt sapientes: redimẽtes tempus, quoniam dies mali sunt.* Sic et- Matth. 10
iam Christus ipse monet, Estote prudentes sicut serpentes. O si hominibus cordi esset sempiterna salus animarũ suarũ, expergiscerentur tandẽ & inuigilarent sibijpsis. Sed verissimè dixit Salo-
Eccles. mon: Stultorum infinitus est numerus. Nolunt homines cauere sibi à veris periculis, ludunt, saltant, tripudiant tum maximè, cùm in maximis versantur periculis: cẽduntur, sauciantur, jugulantur ab hostib. atrocissimis, nec est tamẽ quisquàm ferè, quem vel sui misereat. O cæcas hominum mẽtes, ô pectora cæca. Hóccine est, quemadmodum scriptura monet, cautè ambulare? Infestat ira, lacerat inuidia, inflammat spurca libido, inflat superbia, eneruat acedia, vastat auaritia, ventris ingluuies exagitat, mille artibus insidiantur dæmones, errores & hæreses illiciunt, & tamen nulla vsquàm cautio, nulla circunspectio adhibetur. An non hoc summæ dementiæ signũ est euidens? Monet ergo Apostolus, vt non simus
Vera sapientia. insipientes, sed sapientes. Vera sapientia est, declinare à malo & facere bonum: vera stultitia est, posthabito timore Dei, seruire iniquitati. Itaque qui in eam curam diligenter intentus est, vt immunem se seruet à vitijs, & tempus omne transigat in operibus bonis, vt possit venienti iudici paratus occurrere, is sapiens est. Porrò qui voluptatibus, honoribus, diuitijs cumulandis nauat operam, & precios issimum tempus, quod agendæ pœnitentiæ indultum est, comessando, potando, & alijs malis studijs transmittit, is licet vel Aristotele vel Platone sit sapientior, tamen stultus censendus est & hostis animæ suæ. Si enim
Psal. 10. qui diligit iniquitatem, odit animam suam, non potest non stultissimus haberi, qui sic odit animam suam, vt amando iniquitatem, perdat illam in gehennam. Tales certè non redimũt sed perdunt tempus: redimunt autem, qui illud in obseruatione mandatorum Dei & verarum exercitatione virtutum diligenter & gnauiter expendũt, nec sine fructu præterlabi sinunt. Quòd verò Apostolus dies malos dicit, nõ propter essentiam, Dies sunt mali.
vt inquit Chrysostomus, neq; propter creaturas, sed propter ea, quæ in illis fiunt, dicit. Quemadmodùm & nos dicere solemus, Molestum duxi hunc diem & malum. Quomodò quæso molestus est? Propter ea, quæ in illo contingunt. Paulò apertiùs hæc in Oecumenij scholijs sic promuntur: Non horæ, quæ in illis sunt, vel momenta mala sunt: absit: sed ex malis, quæ in eis à nobis perpetrantur, dies ipsos malos dixit: vt ipsi dicimus, Bonam seu malam diem peregi: non hoc dicentes, quòd ipsa diei natura mala aut bona sit, sed ex ijs
Matth. 6. quæ nobis accidunt, ita eam nominantes. Ob id etiam Christus ait: Satis sit diei malitia sua, i. mala, quæ in ea à nobis fiunt. Hæc ille. Augustinus Homilia x. in opere Homiliarum quinquaginta locum hunc Apostoli prolixè tractat. Inter cætera ait: Dies malos duæ res faciunt, malitia & miseria. Per malitiam hominum & miseriam hominum dicuntur dies mali. Sed miseria hominum communis est: non debet malitia esse communis, &c. *Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas* Dei. Philosophi huius mũdi, qui & sibi & alijs sapientissimi visi sunt, quia non nouerunt voluntatem De, immò pleriq; etiam Deum ipsum ignorauerunt, meritò audiunt il-
Rom. 1. lud ex Apostolo: Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, & obscuratum est insipiens cor eorũ. Quin & Christiani multi cùm alia multa studiosissimè nosse nitantur, nihil curant minùs, quàm intelligere quæ sit voluntas Dei. Ergo & ij omnes insipientes dicendi sunt. Non parua res est, nosse in singulis voluntatem Dei. Illi igitur cognoscendæ inprimis studeamus, & vbi cognouerimus, etiam exequi conemur. Hoc nimirùm est
1. Cori. 3. verè sapere. Est sapientia huius mũdi, sed ea stultitia est apud Deum. Est etiam prudentia carnis,
Roma. 8. sed ea mors est. Hinc ergo nos Apostolus reuocat, & hortatur vt intelligamus voluntatem Dei.
Rom. 12. Alibi Apostolus monet, vt probemus quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta, quẽ locum interpretãs Chrysostomus (est autem ad Romanos 12. cap.) Qui præsentibus, inquit, rebus afficiuntur, qui diuitias beatas existimant, qui paupertatem vilipendunt, qui potẽtatus sectantur, qui ad extremam gloriam anhelant, qui seipsos magnificiunt, si quando splendidas domos ædificarint, sepulchra preciosa comparauerint, mancipiorum greges habuerint, illi scilicet ignorant & quæ sibi vtilia, & quæ Dei sit voluntas. Quæ sunt ergo, quæ Deus vult? Vt in paupertate viuamus, in humilitate, in cõtemptu gloriæ, in temperantia, non delicijs: in tribulatione, non in remissione: in luctu, non in voluptate ac risu, inq; alijs, quæ singulis decreuit. Hæc ille. *Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Quomodò non
Matth. 6. possumus duobus dominis seruire, ait hic Hieronymus, Deo & mammonæ, sic non possumus spiritu impleri pariter & vino. Qui enim spiritu impletur, habet prudentiam, & mansuetudinem, verecundiam, castitatem. Qui vino, habet insipientiam, furorem, procacitatem, libidinem. Hoc quippe æstimo vno verbo significare luxuriam. Ita Hieronymus. Audi etiam Chrysostomum, pulchrè illi concinentem: Vini immodestia animosos, temerarios, molles, iritabiles, & molestos
Eccles. 30 homines facit. Ad animi lætitiam datum est vinum, non ad ebrietatem. Nunc verò res ista eò abijt, vt effœminatæ ridendæq; ignauiæ loco habeatur, nolle inebriari: vbi omnium maximè res debebat esse ridicula, vino inebriari. Et paulò
Psal. 103. pòst: Vinum lætificat cor hominis. Quomodò est ergo ex vino ebrietas? Nequit enim fieri, vt sibijpsi contraria operetur vinum. Non est igitur ex vino ebrietas, sed ex immodestia. Vinum nõ datur propter aliquid aliud, quàm propter corporis sanitatem. Illam verò impedit etiam immodestia. Audi quippe, quid beatus iste Paulus
1. Ti. 5. ad Timotheum scribat & dicat: Vino, inquit, modico vtere propter stomachum tuum, & crebras infirmitates tuas. Nam eius gratia Deus corpora nostra commensurata fecit, & quæ modicis saturentur, hinc nos instruens, quò ad aliam nos vitam accommodarit. Volebat quidem illam etiam ab initio dare, verùm quoniam indignos illa nosipsos constituimus, aliquousq; distulit: & neq; in eo tempore, quo distulit, immodico rerum vsu nos frui permisit. Vini quippe hemina & panis vnus ad implendum hominis ventrem sufficiũt: & eum, qui brutorum omnium dominiũ habet, minori contentum quàm ipsa sint bruta, si proportionem corporum spectes, fecit. Ad hæc & corpus breue dedit, nihil innuens aliud, quàm quòd aliã vitam festinamus. Ne inebriemini vino, inquit, in quo est luxus. Non enim saluat sed perdit, nõ corpus duntaxat, sed & animam. Hæc Chrysostomus. Extat Homilia insignis D. Basilij Magni in Ebrietatem & luxũ, vbi inter cætera sic ait: Tumescit corpus (de ebriosis loquitur) oculi humo Ebrietatis
ribus prægrauantur, ora siti ardentia, fauces con deterrimi
tinuè siccæ. Nam sicuti valles, donec torrentibus effectus.
inundantur, plenæ esse videntur: vnda verò desinente, statim siccæ vacuæq; remanẽt: sic & vinolentorum ora, vino ac potatione durantibus, exaturãtur, ac madescunt, paulò pòst continua siccitate laborant, ex quo ad frequenter bibendum inuitantur, vnde humor naturalis amittitur. Quenanq; est hominis structura adeò firma, quæ tantis ebrietatis malis resistat? Quis vnquam madidum semper & innatans vino corpus conseruabit, vt non exile, dissolutum & omnibus obnoxiũ morbis existat? Hinc tremores, hinc debilitates, confracto ac debilitato vitali spiritu, & excidentibus robore membris ac dissolutis excitantur. Valetudo enim omni corporis inflationi tumoriq; inest. Quis est, qui maledictionem Cain in
Gene. 4. seipsum transfert? An non qui vino tremit & vacillat per omnem vitam? Naturali nãque firmitate deficiente, necesse est corpus continuò vacillet atque moueatur. Quousque tandem vinum? quousque ebrietas? Periculum miser est, ne pro homine cœnum lutumq; fias. Sic penitùs vino deditus marcescis, ac quotidianam crapulam meri, & hoc tabidi, haud aliter quàm vasa putida redoles. Ita Basilius. Et est reuerà infelicissimum hominum genus, quod ebrietate delectatur. Vt enim animæ grauissima damna taceamus, tot mala suis corporibus adferunt potationi dediti, vt vel ob ea sola cauenda, meritò
ab hac amentia se reuocare debeant. Sed stulto- Eccle. 1.
rum infinitus est numerus, & plerosque etiam iuuat insanire. *Sed impleamini Spiritu sancto.* Prohibet Apostolus corporis ebrietatem, sed spiritus ebrietatem etiam præcipit vt sectemur. vult enim nos non vino, sed Spiritu sancto impleri: quemadmodum etiam in hymno

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ambrosiano canimus, Læti bibamus sobriam ebrietatẽ spũs. Impleri autẽ spũsancto quid est aliud, quàm eius donis & charismatis, quibus anima ceu pretiosissimis quibusdam monilibus & ornamentis decoratur, assatim locupletari? quibus si sit anima destituta, misera est & egena, immò verò etiam mortua, quemadmodũ corpꝰ, si sit sine anima. Hoc ergo vel præcipuum debet esse studium Christianorum, vt agant vitam rationi & virtuti consentaneam: ita enim fiet, vt capaces sint spiritus sancti, cui certè nihil est cõmercij cum iniquitate, sed amat pectora virtutis & pietatis studiosa, in ijsq; libẽter habitat, & mirabiliter ea implet multiplici gratia sua, quam quanto largiorem accipiunt, tanto fiunt maioris & copiosioris capaciora. Audiamus Chrysostomum, in hæc verba Apostoli ita scribentem: Quando mendacium, quando amarulentiam, quando fornicationem, quando immundiciam, quando auaritiam à mente nostra remouerimꝰ, quando facti fuerimus comes, misericordes, largientes nobismetipsis mutuò, quando nosipsos dignè accommodauerimus, quid prohibebit quin Spiritus sanctus adueniat, immò aduolet? Non solùm adueniet & ingredietur, sed & adimplebit cor nostrum. Tanta verò intra nos existente luce, non difficilis præstitu nobis deinceps virtꝰ erit, sed prompta & facilis. Hæc Chrysostomus. *Impleri spiritu sancto.*

Loquentes uobismetipsis in psalmis, hymnis & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus uestris Domino. Et canere, inquit Hieronymus, & psallere & laudare Dominum magis animo quàm voce debemus. Audiant hæc adolescentuli, audiant hi, quibus psallendi in Ecclesia officium est, Deo non voce sed corde cantandum: nec in Tragœdorum modum guttur & fauces dulci medicamine colliniendas, vt in Ecclesia theatrales moduli audiantur & cantica: sed in timore, in opere, in scientia scripturarum. Quanuis sit aliquis, vt solent illi appellare, φιλόφωνος, si bona opera habuerit, dulcis apud Deum cantor est. Sic cantet seruus Christi, vt non vox canentis, sed verba placeant quę leguntur: vt spiritus malus, qui erat
1. Reg. 15. in Saule, eijciatur ab his, qui similiter ab eo possidẽtur, & nõ introducatur in eos, qui de Dei domo scenam fecere populorum. Hæc Hieronymus. *Gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Iesu Christi.* Huic quid simile, inquit idẽ
1. Thes. 5. porrò Hieronymus, & in Epistola ad Thessalonicenses prima scriptum est: Semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Quod præceptum ille solus custodire potest,
Luc. 12. qui prouidentia Dei nouit etiam quinq; passeres, qui venduntur dipondio, gubernari, quorũ vnus non cadit in laqueum sine patris voluntate. Quod autem ait, Gratias agentes, & semper, & pro omnibus, dupliciter intuendum: vt & in omni tempore, & pro omnibus quæ nobis accidunt, Deo gratias referamus: vt non tantùm pro his, quæ bona putamus, sed etiam quæ nos coarctant, & contra nostram veniunt voluntatem, in Dei præconium mens læta prorumpat, & dicamus, Nudus exiui de vtero matris meæ, nudus & redeam: sicut placuit Domino, ita factum est. sit nomen Domini benedictum. Hæc actio gratiarũ apud prudẽtes viros & generaliter, & specialiter obseruatur. Generaliter, vt gratias agamus Deo, quòd nobis sol oritur, dies currit, nox mutatur in requiem, splendore lunæ tenebræ temperantur, & ortu occasuq; stellarum tempora mutãtur & redeunt: quòd nobis seruiunt pluuiæ, terra parturit, elementa famulantur: quòd tantæ animalium varietates vel ad vehendum, vel ad operandũ, vel ad vescendũ, vel ad tegmẽ, vel ad exẽplum, vel ad miraculũ datæ sunt: & ad extremũ, quòd nati sumus, quòd subsistimus, q̃ in mundo quasi in quadam domo potentissimi patris familias procurationem gerimus, & totum quicquid in mundo est, nostri causa intelligimus q̃ creatum. Specialiter verò, quando in Dei beneficijs, quę nobis accedunt, gratulamur. Sed hoc & gentilis facit, & Iudæus, & publicanus, & ethnicus. Christianorum propria virtus est, etiam in his quæ aduersa putantur, referre gratias creatori: si domus corruerit, si amantissima vxor & filij, vel captiuitate, vel veneno, vel naufragio intercepti sint, si diuitias proscriptione perdidimus, si sanitatem innumerabiles morbi, & semper expectanda miseris podagræ debilitas fregerit. Qui sibi sanctiores videntur, solent Deo referre gratias, q̃ de periculis vel de miserijs liberati sunt. Sed iuxta Apostolum, hæc virtus est maxima, vt in ipsis periculis atq; miserijs Deo gratiæ referantur, & semper dicamus: Benedictus Deus, minora nescio sustinere quàm mereor: hæc ad mea peccata parua sunt: nihil mihi dignum redditur. Hic animus Christiani est: hic crucem suam tollens sequitur saluatorem, quem nec orbitas, nec damna debilitant: quem, vt Flaccus in Lyrico carmine ait, si fractus illabatur orbis, impauidum ferient ruinæ. Hæc Hieronymus. Quod autem dicitur, *In nomine Domini nostri Iesu Christi Deo & Patri*, Oecumenius exponit, quòd per Christi nomen omnia nobis proueniant: & D. Hieronymus, Quòd nisi per Christum accedere non valeam ad patrem. *Subiecti inuicem in timore Christi.* Hoc est, inquit Chrysostomus, quod dicit, vt omnes affectiones superemus, vt Deo seruiamus, vt dilectionem mutuam alius erga alium conseruemꝰ: atq; tunc poterimus benignitate Dei digni esse. Hæc ille. Multi subiecti sunt maioribus timore pœnæ: cur non potius timore Christi? O si hæc subiectio vigeret apud omnes, nullæ hæreses, nulla schismata, nulla scandala lacerarent corpꝰ Christi, quod est Ecclesia. Præstet nobis Deus suam gratiam, qui est benedictus in secula, AMEN.

Iob 1.

In aduersis laudare Deũ, Christianorum est uirtus.

DO-

DOMINICA XXI.
Matth. XXII.

In illo tempore, dicebat Iesus turbis parabolam hanc: Simile factum est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Et reliq. Homilia beati Gregorij Papæ.

LEctionis euangelicæ textum, fratres charissimi, volo, si possum, sub breuitate transcurrere, vt in fine eius valeam ad loquendum largiùs vacare. Sed quærendum priùs est, an hæc apud Matthæum ipsa sit
Luc. 14. lectio, quæ apud Lucam sub appellatione cœnæ describitur. Et quidem sunt nonnulla, quæ sibi dissona esse videntur, quia hic prãdium, illic cœna memoratur: hic qui ad nuptias non dignis vestibus intrauit, repulsus est: illic nullus qui intrasse dicitur, repulsus esse perhibetur. Qua ex re rectè colligitur, quòd & hic per nuptias præsens Ecclesia, & illic per cœnam æternum & vltimum conuiuium designatur: quia & hanc nõnulli exituri intrant, & ad illam quisquis semel intrauerit, vlteriùs non exibit. At si quis fortè contendat hanc eandem esse lectionem, ego melius puto (salua fide) alieno intellectui cedere, quàm contentionibus deseruire: quoniam & intelligi congruè forsitan potest, quia de proiecto eo, qui cũ nuptiali veste non venerat, quod Lucas tacuit, Matthæus dixit. Quòd verò per illum cœna, per hunc autem prandium dicitur: nequaquam vel hoc nostræ intelligẽtiæ obsistit, quia cùm ad horam nonam apud antiquos quotidiè prandium fieret, ipsum quoq; prandium cœna vocabatur. Sæpè autem iam me dixisse memini, quòd plerunq; in sancto euãgelio regnum cælorum præsens Ecclesia nominatur. Congregatio quippe iustorum, regnum cælorum dicitur. Quia enim
Isai. 66. per prophetam dicit Dominus: Cælum mihi sedes est. Et Salomon ait: Anima iusti, sedes sapien
Sapien. 7. tiæ. Paulus item dicit, Christum Dei virtutem, &
1. Cor. 1. Dei sapientiam, liquidè colligere debemꝰ, quia si Deus sapientia, anima autem iusti sedes sapiẽtiæ, dum cælum dicitur sedes Dei, cælum ergo
Psal. 18. est anima iusti. Hinc per Psalmistam de sanctis prædicatoribus dicitur: Cæli enarrant gloriam Dei. Regnum ergo cælorum est Ecclesia iustorum, quia dum eorum coda in terra nil ambiũt, per hoc quòd ad superna suspirãt, iam in eis Dominus quasi in cælestibus regnat. Dicatur ergo: *Simile est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* Iam intelligit charitas vestra, quis est iste rex, regis filij pater: ille nimirùm, cui Psalmi-
Psalm. 71. sta ait: Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis. *Qui fecit nuptias filio suo.* Tunc enim Deus pater Deo filio suo nuptias fecit, quãdo hunc in vtero virginis humanæ naturæ conIunxit, quando Deum ante secula voluit fieri hominem in fine seculorum. Sed quia ex duabus personis fieri solet ista nuptialis coniunctio, absit hoc ab intellectibus nostris, vt personam Dei & hominis, redemptoris nostri Iesu Christi, ex duabus personis credamus vnitam. Ex duabus quippe atq; in duabus hunc naturis existere dicimus, sed ex duabus personis compositum credi, vt nefas vitamus. Apriùs igitur atq; securiùs dici potest, quia in hoc pater regi filio nuptias fecit, quo ei per incarnationis mysterium sanctam Ecclesiam sociauit. Vterus autem genitricis virginis, huius sponsi thalamus fuit. Vnde & Psalmista dicit: In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquàm sponsus procedens de thalamo suo. Tanquàm sponsus quippe de thalamo suo processit, qui ad coniungendam sibi Ecclesiam incarnatus Deus de incorrupto vtero virginis exiuit. Misit ergo seruos suos, vt ad istas nuptias amicos inuitarent. Misit semel, misit iterùm: quia incarnationis dominicæ prædicatores & priùs prophetas, & postmodùm apostolos misit. Bis itaq; seruos ad inuitandum misit, quia incarnationem vnigeniti & per prophetas dixit futurã, & per apostolos nunciauit factam. Sed quia hi qui priùs inuitati sunt, ad nuptiarum conuiuium noluerunt venire, in secunda inuitatione iam dicitur: *Ecce prandium meum paraui, tauri mei & altilia mea occisa sunt, & omnia parata.* Quid in tauris & altilibus, fratres charissimi, nisi noui & veteris testamenti patres accipimus? Quia enim vulgo loquor, etiam ipsa me necesse est verba euangelicę lectionis explanare. Altilia enim saginata dicimus. Ab eo enim quod est alere, altilia quasi alitilia vocamus. Cùm verò in lege scriptum sit: Di-
Leu. 19. liges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum, accepta tunc iustis licentia fuerat, vt Dei suosq; aduersarios quanta possent virtute comprimerent, eosq; iuregladij ferirent. Quod in nouo proculdubiò testamento compescitur, cùm
Luc. 6. per semetipsam veritas prædicat, dicens: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Qui ergo per tauros, nisi patres testamenti veteris significantur? Nam cùm ex permissione legis acceperãt, quatenùs aduersarios suos odij retributione percuterẽt, vt ita dicam, quid aliud quàm tauri erant, qui inimicos suos virtutis corporeæ cornu feriebant? Quid verò per altilia, ni si patres noui testamenti figurantur? Qui dum gratiam pinguedinis internæ percipiunt, æternis desiderijs innitentes, ad sublimia contemplationis suæ pennis subleuantur. In imo quippe cogitationem ponere, quid est aliud, quàm quædam ariditas mentis? Qui autem intellectu cælestium iam per sancta desideria de supernis delectationis intimæ cibo pascuntur, quasi largiori alimento pinguescunt. Hac enim pinguedine saginari
Psalm. 62. Propheta concupierat, cùm dicebat: Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. Quia

altilia mystici patres accipimus.

Tauri & altilia mystice.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ergo prædicatores dominicæ incarnationis missi, persecutionem ab infidelibus, & priùs prophetæ, & postmodùm sancti apostoli pertulerunt, inuitatis & venire nolentibus dicitur: *Tauri mei, et altilia occisa sunt, & omnia parata*: Ac si apertiùs diceretur: Patrum præcedentium mortes aspicite, & remedia vitæ vestræ cogitate. Notandum verò, quòd in priori inuitatione nil de tauris & altilibus dicitur: in secunda autem iam tauri & altilia mactata esse memorantur: quia omnipotens Deus cùm verba eius audire nolumus, adiungit exempla, vt omne quod impossibile credimus, tanto nobis ad sperandum fiat facilius, quanto per hoc transisse iam & alios audimus. Sequitur: *Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam, alius uerò in negotiationem suam.* In villam quippe ire, est labori terreno immoderatiùs incumbere. In negotiationem verò ire, est actionum secularium lucris inhiare. Quia enim alius intentus labori terreno, alius mundi huius actionibus deditus, mysterium dominicæ incarnationis pensare, & secundùm illud viuere dissimulat, quasi ad villam vel negotium pergens, venire ad nuptias regis recusat: & plerunq;, quod est grauius, nonnulli vocantis gratiam non solùm respuunt, sed etiam persequuntur. Vnde & subditur: *Reliqui uerò tenuerunt seruos eius, & contumelijs affectos occiderunt. Sed rex ista cognoscens, missis exercitibus perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit.* Homicidas perdit, quia persequentes interimit. Ciuitatem eorum igni succendit, quia illorum non solùm animæ, sed caro quoq;, in qua habitauerant, æterna gehennæ flamma cruciantur. Missis exercitibus extinxisse homicidas dicitur, quia in hominibus omne iudicium per angelos exhibetur.

Ad nuptias qui uenire nolunt.

Quid nanque sunt illa angelorum agmina, nisi exercitus regis nostri? Vnde & idem rex Dominus sabaoth dicitur. Sabaoth quippe exercituum interpretatur. Ad perdendos ergo aduersarios suos exercitus mittit, quia nimirùm vindictam Dominus per angelos exercet. Cuius vindictæ potentiam tunc nostri patres audiebant, nos autem iam cernimus. Vbi sunt enim superbi illi martyrum persecutores? Vbi illi, qui contra conditorem suum ceruicem cordis erexerant, & de huius mundi gloria mortifera tumebant? Ecce iam mors martyrum floret in fide viuentium, & hi qui contra illos de crudelitate sua gloriati sunt, nequaquàm ad memoriam nostram veniunt, vel in numero mortuorum. Rebus ergo cognoscimus, quod in paraboli audiuimus. Sed is, qui inuitantem se contemni conspicit, regis filij sui nuptias vacuas non habebit. Ad alios mittit: quia etsi apud aliquos laborat verbum Dei, quandoque tamen sermo Dei inuenturus est, vbi requiescat. Vnde & subditur: *Tunc ait seruis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus uiarum, & quoscunq; inueneritis, uocate ad nuptias.* Si in scriptura sacra vias actiones accipimus, exitus viarum intelligimus defectus actionum: quia illi plerunque facilè ad Deum ueniunt, quos in terrenis actionibus prospera nulla comitantur. Sequitur: *Et egressi serui eius in uias, congregauerunt omnes quos inuenerunt, bonos & malos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentium.* Ecce iam ipsa qualitate conuiuantium apertè ostenditur, quia per eas regis nuptias præsens Ecclesia designatur, in qua cum bonis & mali conueniunt. Permixta est quippe diuersitate filiorum, quia sic omnes ad fidem generat, vt tamen omnes per immutationem vitæ, ad libertatem spiritalis gratiæ culpis exigentibus non perducat. Quousq; nãq; hic viuimus, necesse est vt vitam præsentis seculi permixti peragamus: tunc autem discernimur, cùm peruenimus. Boni enim soli nusquam sunt nisi in cælo, & mali soli nusquam sunt nisi in inferno. Hæc autem vita, quæ inter cælum & infernum sita est, sicut in medio subsistit, ita vtrarunq; partium ciues communiter recipit, quos tamen sancta Ecclesia & nunc indiscretè suscipit, & postmodùm in egressione discernit. Si ergo boni estis, quãdiù in hac vita subsistitis, æquanimiter tolerate malos. Nam quisquis malos non tolerat, ipse sibi per intolerantiam suam testis est, quia bonus non est. Abel enim esse renuit, quem Cain malitia non exercet. Sic in tritura areæ grana sub paleis premũntur, sic flores inter spinas oriuntur, & rosa quæ redolet, crescit cum spina quæ pungit. Duos quippe filios habuit primus homo: vnus horum electus est, alter reprobus fuit. Tres filios Noë arca continuit, sed ex his duo electi sunt, & vnus reprobus fuit. Duos filios habuit Abraham, sed vnus electus est, alter reprobus fuit. Duos Isaac filios habuit, sed vnus electus est, & alter reprobatus. Duodecim filios habuit Iacob, sed ex his vnus per innocentiam venditus est, alij verò per malitiam venditores fratris fuerunt. Duodecim apostoli sunt electi, sed vnus ex his admixtus est qui probaret, vndecim qui probarentur. Septem sunt diacones ab apostolis ordinati, sed sex in fide recta permanentibus, vnus extitit author erroris. In hac ergo Ecclesia nec mali sine bonis, nec boni sine malis esse possunt. Anteacta itaq; tẽpora, fratres charissimi, ad mentẽ reducite, & vos ad malorũ tolerantiam roborate. Si enim fili electorũ sumus, restat necesse est, vt per eorũ exempla gradiamur. Bonus enim non fuit, qui malos tolerare recusauit. Hinc nanq; est, quòd de seipso beatus Iob asserit, dicẽs: Frater fui draconum, & socius struthionum. Hinc per Salomonem sponsi voce sanctæ Ecclesiæ dicitur: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Hinc ad Ezechielem Dominus dicit: Fili hominis, increduli & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas. Hinc Petrus beati Lot vitam glorificat, dicens: Et iustum Lot oppressum à nefandorum iniusta conuersatione eruit. Aspectu enim & auditu iustus erat, habitans inter eos,

Viæ.

Exitus uiarum.

Boni malis permixti in Ecclesia.

Actor. 6.

Iob 36.

Cant. 2.

Ezech. 2.

2. Pet. 2.

eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant. Hinc Paulus discipulorum vitam & laudat & roborat, dicens: In medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes.

Philip. 2.

Apoc. 2.

Hinc Ioannes Pergami Ecclesiæ testatur, dicẽs: Scio vbi habitas, vbi sedes est satanæ, & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam. Ecce fratres charissimi, penè omnia percurrẽdo cognoscimus, quia bonus non fuit, quem malorum prauitas non probauit. Vt enim ita loquar, ferrum animæ nostræ nequaquàm perducitur ad subtilitatem acuminis, si hoc non eraserit alienæ lima prauitatis. Terrere aũt nos nõ debet hoc, quòd in Ecclesia & multi mali, & pauci sunt boni: quia arca in vndis diluuij, quæ huius Ecclesiæ typum gessit, ampla in inferioribus, angusta in superioribus fuit, quæ in summitate etiam sua ad vnius mensuram cubiti excreuit. Inferiùs quippe bestias, quadrupedia, atq; reptilia, superiùs verò aues & homines habuisse credẽda est. Ibi lata extitit, vbi bestias habuit: ibi angusta, vbi homines seruauit. Quia nimirùm sancta Ecclesia in carnalibus ampla est, in spiritalibus angusta. Vbi enim bestiales hominum mores tolerat, illic latiùs sinum laxat. Vbi aũt eos habet, qui spiritali ratione suffulti sunt, illic quidẽ ad summum ducitur, sed tamen, quia pauci sunt, angustatur.

In Ecclesia multi mali, pauci boni.

Gen. 6.

Matth. 7.

Lata quippe via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui vadunt per eam: & angusta porta est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniũt eam. Eò aũtvsq; arca angustatur in summis, quousq; ad mensurã vnius cubiti perducatur: quia in sancta Ecclesia quanto sanctiores quiq; sunt, tanto pauciores. Quæ in summo ad illum perducitur, qui solus homo in hominibus, & sine alterius comparatione natus est sanctus, qui, iuxta Psalmistæ vocem, factus est sicut passer vnicus in ædificio. Tanto ergo magis mali tolerandi sunt, quanto ampliùs abundãt: quia & in areæ tritura pauca sunt grana, quæ seruantur horreis, & grandes acerui palearum, quæ ignibus comburuntur. Sed quia iam largiente Domino nuptiarum domum, id est, sanctam Ecclesiam intrastis, solerter fratres aspicite, ne aliquid de mentis vestræ habitu rex ingrediens reprehẽdat. Cum magno enim cordis timore pensandũ est, quod protinùs subditur: *Intrauit autem Rex, ut uideret discumbentes: & uidit ibi hominem non uestitum ueste nuptiali.* Quid, fratres charissimi, exprimi per nuptialem vestem putamus? Si enim vestem nuptialem baptisma vel fidẽ dicimus, quis sine baptismate & fide has intrauit? Eo enim ipso foris est, quo necdum credidit. Quid ergo debemus intelligere per nuptialem vestem, nisi charitatẽ? Intrat enim ad nuptias, sed cum nuptiali veste non intrat, qui in sancta Ecclesia assistens, fidem habet, sed charitatem non habet. Rectè enim charitas, nuptialis vestis vocatur, quia hanc in se conditor noster habuit, dum ad associandæ sibi Ecclesiæ nuptias venit. Sola quippe dilectione Dei actum est, vt eius vnigenitus mentes sibi electorum hominum vniret. Vnde & Ioannes dicit: Sic enim dilexit Deus mundum, vt filium suum vnigenitum daret pro nobis. Qui ergo per charitatem venit ad homines, eandem charitatem innotuit esse vestem nuptialem. Omnis ergo vestrũm, qui in Ecclesia positus Deo credidit, iam ad nuptias intrauit: sed cum nuptiali veste non venit, si charitatis gratiam non custodit. Et certè fratres, si quis ad carnales nuptias esset inuitatus, vestem mutaret, congaudere sponso & sponsæ ex ipso sui habitus decore ostenderet: inter gaudentes & festa celebrantes, despectis vestibus apparere erubesceret. Nos ad Dei nuptias venimus, & cordis vestem mutare dissimulamus? Congaudent angeli, cùm ad cælum assumuntur electi. Qua ergo mente hæc, spiritalia festa conspicimus, qui nuptialem vestem, id est, charitatem, quæ sola nos speciosos exhibeat, nõ habemus? Sciendum verò est, quia sicut in duobus lignis, superiori videlicet & inferiori vestis texitur, ita in duobus præceptis charitas habetur, in dilectione scilicet Dei & proximi. Scriptum quippe est: Diliges Dominũ Deũ tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua: & diliges proximum tuum sicut teipsum. Qua in re notandum est, quia in dilectione proximi mensura ponitur amoris, cũ dicitur, Diliges proximum tuũ sicut teipsum. Dei autem dilectio nulla mensura constringitur, cũ dicitur, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua. Non enim iubetur quisque quantùm diligat, sed ex quanto, cùm dicitur, Ex toto: Quia ille veraciter Deum diligit, qui sibi de se nihil reliquit. Duo ergo hæc necesse est vt charitatis præcepta custodiat, quisquis habere in nuptijs vestem nuptialem curat. Hinc est enim, quapud Ezechielem prophetam portæ ipsius ciuitatis in monte constitutæ vestibulum duobus cubitis mensuratur: quia nimirùm accessus nobis cælestis ciuitatis non panditur, si in hac Ecclesia, quæ pro eo quòd adhuc foris est, vestibulum dicitur, Dei & proximi dilectio non tenetur. Hinc est, quòd cortinis tabernaculi intexi coccus bis tinctus iubetur. Vos estis fratres, vos estis cortinę tabernaculi, qui per fidem inuestris cordibus secreta cælestia velatis. Sed cortinis tabernaculi bis tinctus coccus debet inesse. Coccus quippe ignis speciem tenet. Quid verò est charitas, nisi ignis? Sed ista charitas esse bis tincta debet, vt tingatur per amorem Dei, tingatur & per amorem proximi. Qui enim sic amat Deum, vt per contẽplationem illius negligat proximũ, coccus quidem est, sed bis tinctus non est. Rursus qui sic amat proximum, vt tamen contemplationẽ Dei per eius amorẽ relinquat, coccus est, sed bis tinctus nõ est. Vt ergo charitas vestra bis tincta coctus esse valeat, & ad amorẽ sc Dei, & ad amorẽ

Deut. 6.

Matth. 22.

Ezec. 40.

Exod. 25.

Vestis nuptialis, charitas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

proximi accendat: quatenùs nec ex compassiõe proximi contemplationem relinquat Dei, nec plùs quàm debet inhærens contemplationi Dei, compassionem abijciat proximi. Omnis itaque homo inter homines viuens, sic ad eum anhelet quem desiderat, vt tamen hunc non deserat, cũ quo currebat: & sic huic adiutorium ferat, vt ab illo nullatenùs torpeat, ad quẽ festinabat. Sciendum quoq; est, quòd ipsa dilectio proximi in duobus præceptis subdiuiditur, cùm quidam sapiens dicat: Omne quod tibi oderis fieri, vide ne ipse alteri facias. Et per semetipsam veritas prædicat, dicens: Quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis. Si enim & quod impendi nobis rectè volumus, alijs impertimur, & quod nobis fieri nolumus, hoc alijs facere ipsi deuitamus, charitatis iura illæsa seruamus. Sed nemo cùm quempiam diligit, habere se protinùs charitatem putet, nisi priùs ipsam vim suæ dilectionis examinet. Nam si quis quélibet amat, sed propter Deum non amat, charitatem nõ habet, sed habere se putat. Charitas autẽ vera est, cùm & in Deo diligitur amicus, & propter Deum diligitur inimicus. Ille enim propter Deum diligit eos quos diligit, qui iam & eos diligere à quibus non diligitur scit. Probari enim charitas per solam odij aduersitatem solet. Vnde & per semetipsum Dominus dicit: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Ille ergo securus amat, qui propter Deum & illum amat, à quo se intelligit non amari. Magna sunt hæc, alta sunt hæc, & multis ad exhibendum difficilia: sed tamen ista est vestis nuptialis. Quisquis autem hanc recumbens in nuptijs non habet, iam solicitus metuat ingredientem regem quando mittatur foras. Ecce enim dicitur. *Intrauit autem Rex ad nuptias, vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.* Nos sumus fratres, qui in nuptijs verbi Dei discumbimus, qui iam fidem in Ecclesia habemus, qui scripturæ sacræ epulis pascimur, qui coniunctam Deo Ecclesiam esse gaudemus. Considerate ergo rogo, si cum nuptiali veste ad has nuptias venistis, cogitationes vestras solicita inquisitione discutite, de rebus singulis corda vestra trutinate, si iam contra nullum odium habetis, si contra felicitatem alienam nulla vos inuidiæ face succenditis, si per occultam malitiam nemini nocere festinatis. Ecce rex ad nuptias ingreditur, & cordis nostri habitum contemplatur, atq; ei quem charitate non vestit. minuenit, protinùs iratus dicit: *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Mirandum valdè est, fratres charissimi, quòd hunc & amicum vocat, & reprobat, ac si ei apertiùs dicat: Amice, & non amice. Amice per fidem, & non amice per operationẽ. *At ille obmutuit.* Quia, quod dici sine gemitu non potest, in illa districtione vltimæ increpationis omne argumentum cessat excusationis: quippe quia ille foris increpat, qui testis conscientiæ intùs animam accusat. Sed inter hæc sciendum est, quia quisquis hanc virtutis habet vestem, sed tamen adhuc perfectè non habet, ad pij regis ingressum desperare de venia non debet: quia ipse quoque spem nobis per Psalmistam tribuens, dicit: Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur. Sed quia pauca hæc in consolatione labentis & infirmantis diximus, nunc ad eum qui hanc omnimodò non habet, verba vertamus. Sequitur: *Tunc Rex dixit ministris: Ligatis pedibus & manibus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium.* Ligantur tunc pedes & manus per districtionem sententiæ, qui modò à prauis operibus ligari noluerunt per meliorationem vitæ. Vel certè tunc ligat pœna, quos modò à bonis operibus ligauit culpa. Pedes enim qui visitare ægrum negligunt, & manus quæ nihil indigentibus tribuunt, à bono opere iam ex voluntate ligatæ sunt. Qui ergo nunc sponte ligantur in vitio, tunc in supplicio ligantur inuiti. Benè autem dicitur, quòd in exteriores tenebras proijciatur. Interiores quippe tenebras dicimus cæcitatem cordis, exteriores verò tenebras æternam noctem damnationis. Tunc ergo damnatus quisque non in interiores, sed in exteriores tenebras mittitur, quia illic inuitus proijcitur in noctem damnationis, qui hic sponte cecidit in cæcitatem cordis. Vbi fletus quoq; & stridor dentiũ esse perhibetur, vt illic dẽtes strideãt, qui hic de edacitate gaudebant: illic oculi defleant, qui hic per illicitas concupiscentias versabãtur in mundo: quatenùs singula quæq; membra supplicio subiaceant, quæ hic singulis quibusq; vitijs subiecta seruiebant. Sed repulso vno, in quo videlicet omne malorum corpus exprimitur, generalis protinùs sententia subinfertur, qua dicitur: *Multi autẽ sunt vocati, pauci verò electi.* Tremendum est valdè, fratres charissimi, quod audiuimus. Ecce nos oẽs iam vocati per fidem, ad calestis regis nuptias venimus, incarnationis eius mysteriũ & credimus & confitemur, diuini verbi epulas sumimus. Sed futuro die iudicij rex intraturus est: quia vocati sumus nouimus, si sumus electi nescimus. Tanto igitur necesse est vt vnusquisque nostrũ in humilitate se deprimat, quanto si sit electus ignorat. Nonnulli enim bona nec incipiunt: nõnulli verò in bonis quæ inceperunt, minimè persistũt. Alter penè totam vitã ducere in prauitate cõspicitur, sed iuxta finẽ vitæ à prauitate sua per districtæ pœnitẽtiæ lamẽta reuocatur. Alter electã videtur vitã ducere, & tamẽ hunc contingit ad erroris nequitiã iuxta finem declinare. Alius bonũ benè inchoat, melius consummat. Alius in malis actibus à primæua ætate se exercet, & in eisdẽ operibus semper seipso deterior cõsummatur. Tanto ergo vnusquisque sibi solicitè metuat, quãto ignorat quod restat. Quia qđ sæpè dicendũ est, & sine obliuioe retinẽdũ, multi sunt vocati, pauci verò electi. Sed quia

Tob. 4. *Matth. 7.* *Charitas vera.* *Luc. 6.* *Amicus per fidem, reprobatur.* *Psal. 138.* *Tenebræ interiores & exteriores.* *Non satis est per fidem esse vocatos.*

quia nonnunquàm mẽtes audientium plùs exempla fidelium, quàm docentium verba conuertunt, volo vobis aliquid de proximo dicere, qđ corda vestra tanto formidolosiùs audiant, quanto eis hoc de propinquo sonat. Neq; enim res lõgè antè gestas dicimus, sed eas de quibus testes existunt, eisq; interfuisse se referunt, memoramus. Tres pater meus sorores habuit, quæ cunctæ tres sacræ virgines fuerunt. Quarũ vna Tarsilla, alia Gordiana, alia Aemiliana dicebatur. Vno omnes ardore conuersæ, vno eodemq; tẽpore sacratæ, sub districtione regulari degentes, in domo propria socialem vitam ducebãt. Cumq; essent diutiùs in eadem conuersatione, cœperũt quotidianis incrementis in amorem conditoris sui Tarsilla & Aemiliana succrescere, & cùm solo hic essent corpore, quotidiè animo ad æterna transire. At contrà Gordianæ animus cœpit à calore amoris intimi per quotidiana detrimenta tepescere, & paulisper ad huius seculi amorem redire. Crebrò autem Tarsilla dicere Aemilianæ sorori suæ cum magno gemitu solebat: Video Gordianam sororem nostram de nostra sorte non esse. perpendo enim, quia foris defluit, & cor ad quod proposuit, non custodit. Quã curabãt blanda quotidiè redargutione corripere, atq; à leuitate morum ad grauitatem sui habitus reformare: quæ quidem resumebat vultum subitò grauitatis inter verba correptionis: sed cùm eiusdem correptionis hora transisset, transibat protinùs & superducta grauitas honestatis, moxq; ad leuia verba redibat. Puellarum gaudebat societate laicarum, eique persona valdè onerosa erat, quæcunq; huic mũdo dedita non erat. Quadam verò nocte huic Tarsillæ amitæ meæ, quæ inter sorores suas virtute continuæ orationis, afflictionis studiosæ, abstinentiæ singularis, grauitate vitæ venerabilis, in honore & culmine sanctitatis excreuerat (sicut ipsa narrauit) per visionem atauus meus Felix huius Romanæ Ecclesiæ antistes apparuit, eiq; mansionem perpetuæ claritatis ostendit, dicens: Veni, quia in hac te lucis mansione suscipio. Quæ subsequente mox febre correpta, ad diem peruenit extremum. Et sicut nobilibus fœminis vtrisq; morientibus multi conueniũt, qui eorum proximos consolentur: eadem hora eius exitus multi viri ac fœminæ lectulum eius circunsteterunt, inter quas quoque mater mea affuit. Cùm subitò illa sursùm respiciens, Iesum venientem vidit, & cum magna animaduersione cœpit circunstantibus clamare, dicens: Recedite, recedite, Iesus venit. Cumq; in eum intenderet quem videbat, sancta illa anima carne soluta est, tantaq; subitò fragrantia miri odoris aspersa est, vt ipsa quoque suauitas cunctis ostenderet illis authorem suauitatis venisse. Cumq; corpus eius ex more mortuorum ad lauandum esset nudatum, lõgæ orationis vsu in cubitis eius & genibus, camelorum more, inuenta est obdurata cutis excreuisse, & quid viuens eius spiritus semper egerit, caro mortua testabatur. Hæc autem gesta sunt ante dominici natalis diem. Quo transacto, mox Aemilianæ sorori suæ per visitationem nocturnæ visionis apparuit, dicens: Veni, vt quia natalem Domini sine te feci, sanctam Theophaniam iam tecum faciam. Cui illa protinùs de sororis suæ Gordianæ salute solicita, respondit: Et si sola venio, sororem nostram Gordianam cui dimitto? Cui, sicut asserebat, tristis vultu iterùm dixit: Veni: Gordiana etenim soror nostra inter laicas deputata est. Quam visionem mox molestia corporis est secuta, atq; ita vt dictum fuerat, ante dominicæ apparitionis diem eadem molestia ingrauescente defuncta est. Gordiana autem mox vt solam remansisse se reperit, eius prauitas excreuit, & quod priùs latuit in desiderio cogitationis, hoc post effectu prauæ actionis excreuit. Nam oblita dominici timoris, oblita pudoris & reuerentiæ, oblita consecrationis, conductorem agrorum suorũ postmodùm maritum duxit. Ecce omnes tres vno priùs ardore conuersæ sunt, sed non in vno eodemq; studio permanserunt: quia iuxta dominicam vocem, multi sunt vocati, pauci verò electi. Hæc ergo dixi, ne quis in bono iam operepositus, sibi vires boni operis tribuat, ne quis de propria actione confidat. Quia etsi iam nouit hodiè qualis sit, adhuc cras qualis futurus sit, nescit. Nemo ergo de suis iam operibus securus gaudeat, quando adhuc in huius vitæ incertitudine qui se finis sequatur, ignorat. Sed quia rem retuli, quæ vos ex diuina districtione perterruit, aliud adhuc è vicino refero, quod ex diuina misericordia perterrita corda vestra consoletur. Quod tamẽ in sermone alio iam dixisse me memini, sed vos nequaquam affuistis. Ante biennium frater quidam in monasterium meum, quod iuxta beatorum martyrum Ioannis & Pauli Ecclesiam situm est, gratia cõuersionis venit. Qui diù regulariter protractus, quandoq; fuscepturs est. Quem frater suus ad monasterium, non conuersionis studio, sed amore carnali secutus est. Is autem qui ad conuersionem venerat, valdè fratribus placebat. At contrà frater eius longè à vita eius ac moribus discrepabat: viuebat tamen in monasterio necessitate potiùs quàm voluntate. Et cùm in cunctis actibus peruersus existeret, pro fratre suo ab omnibus æquanimiter tolerabatur. Erat enim leuis eloquio, prauus actione, cultus vestibus, moribus incultus. Ferre verò nõ poterat, si quisquam illi de sancti habitus conuersatione loqueretur. Facta autem fuerat vita illius cunctis fratribus visu grauis, sed tamen, vt dictum est, pro fratris sui gratia erat cũctis tolerabilis. Aspernabatur valdè, si quis sibi aliquid de prauitatis suæ correctione loqueretur. bona non solùm facere, sed etiam audire non poterat. Nunquam se ad sanctæ conuersationis habitum venire, iurando, irascendo, deridendo

Exempli memorabile. *Nota quãtum sit fascinus uirginem Deo sacratam nubere.* *Aliud exemplum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

do testabatur. In hac autem pestilentia (quæ nuper huius vrbis populum magna ex parte consumpsit)percussus in inguine, est perductus ad mortem. Cumque extremum spiritum ageret, conuenerunt fratres, vt egressum illius orando protegerent. Iam corpus eius ab extrema fuerat parte præmortuum. In solo tantummodò pectore vitalis adhuc calor anhelabat. Cuncti aũt fratres tanto pro eo cœperunt enixiùs orare, quanto eum iam videbant sub celeritate discedere. Tunc repentè cœpit eisdem fratribus assistentibus annisu quo poterat clamare, & orationes eorum interrumpere, dicens : Recedite, recedite : ecce draconi ad deuorandum datus sum, qui propter vestram præsentiam deuorare me non potest. caput meum iam ore suo absorbuit : date locum vt me amplius non cruciet, sed faciat quod facturus est. Si ei ad deuorandum datus sum, quare propter vos moras patior ? Tunc fratres cœperunt dicere: Quid est, quod loqueris frater ? signum tibi sanctæ crucis imprime. Respondebat ille vt poterat, dicens: Volo me signare, sed non possum, quia à dracone premor. Cumque hoc fratres audirent, prostrati in terram , cùm lachrymis cœperunt pro ereptione illius vehementius orare: & ecce subitò cœpit meliora tus æger quibusvalebat vocibus exultare, dicens: Gratias Deo, ecce draco qui me ad deuorandum acceperat, fugit : orationibus vestris expulsus , stare non potuit. Pro peccatis meis modò intercedite , quia conuerti paratus sum , & seculare m vitam funditùs relinquere. Homo ergo, qui,sicut iam dictum est , ab extrema corporis fuerat parte præmortuus , reseruatus ad vitam, toto ad Deum corde conuersus est : longis & continuis in conuersatione eadem flagellis eruditus,atque ante paucos dies excrescente corporis molestia defunctus est. Qui iam draconem moriens non vidit , quia illum per cordis immutationem vicit. Ecce fratres charissimi, Gordiana, quam superiùs dixi , à sanctimonialis habitus excellentia corruit ad pœnam , & frater hic de quo narraui ista , ab ipso mortis articulo redijt ad æternam vitam. Nemo igitur scit,quid de se in occultis Dei iudicijs agatur , quia multi sunt vocati, pauci verò electi. Quia ergo nulli de se certum est electum se esse , restat vt omnes trepident, omnes de sua actione formident, omnes in sola diuina misericordia gaudeant , nullus de suis viribus præsumat. Est qui perficiat fiduciam vestram, ille scilicet , qui in se dignatus est assumere naturam nostram , Iesus Christus Dominus noster, qui viuit & regnat cum patre in vnitate spiritus sancti Deus,& cæt.

Signo crucis se munire.

EADEM DOMINICA
HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Simile factum est regnum cælorum homini regi, & cæt. Matth. 22.

VNc enim Deus pater, qui omniũ rex & Dominus est,filio suo Domino nostro Iesu Christo nuptias fecit, quando eum vt carnem nostram susciperet in mundum misit. Ipse enim speciosus forma præ filijs hominũ, nostræ carni coniunctus, tanquam sponsus processit de thalamo suo. Ipse sibi gloriosam Ecclesiam (vt Apostolus ait) sponsam elegit, non habẽtem maculam neq; rugam. In istarum enim laudibus nuptiarum, totus ille liber editus est, qui Cantica Canticorum vocatur. *Et misit seruos suos uocare inuitatos ad nuptias, & nolebant uenire.* Omnes enim patriarchæ & prophetæ ad Christi nuptias Iudæos inuitauerunt, omnes eius aduentũ prædixerunt, omnes noui testamenti delicias laudauerunt, ipsi tamen venire & eas recipere noluerunt. *Iterum misit alios seruos, dicens: Dicite inuitatis, ecce prandium meum parauj, tauri mei & altilia mea occisa, & omnia parata sunt, uenite ad nuptias.* Illi autẽ neglexerunt. Isti enim alij serui, Apostoli sunt & doctores, qui iam paratis nuptijs, & scripturis ad intelligẽdum apertis, prædicare & ad nuptias Iudæos & inuitare à Domino missi sunt. Totum enim hoc prandium quid aliud est, nisi spiritualis intelligentia vtriusq; testamenti ? Hic enim tauros & agnos, & aues, & cuncta ad alendum & edendũ delicioſa inuenies. His enim cibis reficitur anima, his delicijs saturatur & pinguescit intelligentia. Quasi enim tauri sunt quæque sententiæ maiores, & ad tenendum & intelligendum difficiliores. Aues enim sunt siue alites, quæ altiùs volando, & de spiritualibus loquendo, mentes nostras ad cælestia eleuant. Hæc aũt tunc occisa & parata sunt, quando intellectu & ratione superata, & memoriæ commendata, iam neq; fugere, neq; intelligentiæ resistere possunt. De tauris enim siue vitulis per Oseam dicitur: Omnem auferte iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum. Quid sunt enim vituli labiorum nostrorum, nisi sententiæ scripturarum , & laudes Dei quæ in eis continentur? Quòd verò etiam auis sacra scriptura dicatur, audi quid per Moysen Dominus dicat: Si ambulans per viam, nidum auis in arbore vel in terra inueneris, & auem pullis vel ouis desuper incubantem, dimitte auem, captos tenens filios, vt bene sit tibi, & longo viuas tempore. Hæc enim auis litera est, quæ sub alarũ velamine pullos vel oua, id est, spiritualem intelligentiã clausit. Quæ quidem per loca difficiliora in arbore, per planiora verò in terra nidificat. Per huius igitur voluminis viam ambulantes, huius nidum aliquando in arbore, aliquando in terra inuenimus. Vt igitur longo viuamus tempore, dimittamus auem, & literam quæ occidit: teneamus pullos & oua, id est, spiritualem intelligentiam quæ viuificat. Et isti quidem sunt illi tauri, hæ sunt illæ aues, hæc sunt illa altilia, quæ in nuptijs filij sui nobis Deus præparauit. Has autem delicias Iudæi neglexerunt, has recipere & comedere noluerunt. Ideoq; *abierunt alij in uillam suam, alij uerò in negociationem suam.* Nos enim in ciuitate Dei, nos in sancta Ecclesia harum nuptiarum delicias edimus: illi autem in villa morantur, illi autem in grosso pane literę & rusticano cibo delectantur. In villa enim sunt, quicunq; extra Ecclesiã sunt. Possunt autem Iudæorum villæ, singuli legis & prophetarum libri intelligi. Et quoniam Iudæi vbiq; terrarum de fraude mercato, vsura, & deceptione viuunt, non immeritò ad negociationẽ suam abijsse dicuntur. *Reliqui uerò tenuerunt seruos eius, & contumelijs affectos occiderunt.* Per hos enim illos intelligimus, qui primitiuam Ecclesiã persequuti sunt. Vnde & de Apostolis dicitur, quia ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumelias pati. *Rex autem quum audisset, iratus est, & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit.* Hæc autem quia secundùm literam facta sunt, allegoricè exponere non videtur esse necessarium. Post quadraginta nanq; & duos annos, exercitus suos, id est, Romanorum principes aduersus Iudæos Dominus misit, qui eos occiderunt & vendiderunt, & non solùm eorum ciuitates, verumetiam ipsum templum famosissimum succenderunt. *Tunc ait seruis suis : Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati erant, non fuerunt digni.* Quid nuptiæ significent, superiùs diximus: quibus quoniam Iudæi indigni fuerunt, gentilis populus ad eas comedendas vocatur. Quid est autem præparatio nuptiarum, nisi sanctarũ expositio scripturarum? *Ite ergo ad exitus uiarum, & quoscunq; inueneritis, uocate ad nuptias.* Non est enim personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Vbiq; suos discipulos mandat, omnes ad fidem vocat, cunctos ad regni sui gloriam inuitat. *Et egressi serui eius in uias, congregauerunt omnes quos inuenerunt, bonos & malos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentium.* In hac enim area frumentum & paleæ, triticum & zizania, boni & mali simul versantur. Impletæ sunt nuptiæ, conuenerunt gentes, annunciauerunt Apostoli & loquuti sunt, multiplicati sunt super numerum. *Intrauit autem Rex, ut uideret simul discumbentes, & uidit ibi hominem non uestitum ueste nuptiali.* Quomodò enim alicubi intrat, qui vbique est ? Quia enim omnipotens Deus non statim punit, & in multa patientia nos sustinens peccata nostra videre dissimulat, quasi abijsse videtur. Adest autem, quando nos punire & affligere incipit. Veste autem nuptiali indutus non est, qui fidem non habet , & Christum non imitatur. Vnde Apostolus ait: Exuite vos veterem hominem, & induite nouum. Quicunque enim baptizati estis in Christo Iesu , Christum induistis. *Et ait illi : Amice, quomodò huc intrasti , non habens uestem nuptialem? At ille obmutuit.* Hoc enim illis specialiter videtur dicere , qui ad Christi corporis & sanguinis sacramentum indignè accedunt. Poterat enim iste respondere, se cum veste nuptiali ad conuiuium venisse, sed etiam posteà amisisse, nisi quia stupore & timore oppressus obmutuit. *Tunc dicit Rex ministris : Ligatis pedibus & manibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium.* Hæc enim sententia datur in illos , qui excusationis verbum nullum habent, quod Deo respondeant. Semper enim his nuptijs Deus interest, semper benè & malè indutos videt: & quanuis ipse à nemine videatur , semper tamen alios ad pœnam, alios ad gloriam parat & iudicat. Quod enim pedes manusq; ligantur, sine viribus & fortitudine eos esse ostendit. Tenebræ verò exteriores sunt, vltra quas aliæ tenebræ non sunt. In fletu verò & stridore dentium, doloris immensitas significatur. *Multi autem sunt uocati, pauci uerò electi.* Multi enim vocantur ad nuptias, pauci verò introducũtur in regis thalamum & gloriam.

Primi seruj, patriarchæ & prophetæ

Alij serui, Apostoli & doctores

Signum crucis se munire.

Veste nuptiali destitutus.

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN,
In Epistolam Concio exegetica.

EAtio huius diei, quę sumpta est ex 6.cap. ad Ephesios, mirabiliter nos instruit aduersùs insidias & tentationes desertorum spirituum , qui per hunc aërem incredibili multitudine volitantes, sine vlla intermissione saluti hominum inuidia stimulante atrocissimè insidiantur, modisq; omnibus impedire conantur, ne illas quandoq; in cælis sedes occupent, vnde ipsi se norunt esse deturbatos. Apostolicæ tubæ aures accommodemus, & in intimos pectoris sinus saluberrimas admonitiones recõdamus: *Cõfortamini in Domino, & in potentia uirtutis eius.* Præcepta multa ediderat Apostolus, & vnumquemq; vt se gereret instruxerat. hic iam ostendit , vnde petendæ sint vires, quibus freti, possint homines facere quod iubentur. *Confortamini*, inquit, *in Domino, & in potẽtia uirtutis eius.* Ne metuatis, inquit, (Sic enim exponit Chrysostomus) proijcite spem in Dominum: is omnia reddet facilia. Hæc ille. Quod ergo viribus nostris non possum*, Christi virtute possu-

Ephes. 4. Gal. 3.

Psal. 44. Psalm. 18.

Ephes. 5.

Act. 5.

Act. 10.

Psalm. 39.

Osee 14.

vituli labiorum.

Deut. 22.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Philip. 4. possumus. Omnia, inquit alibi idem Apostolus, possum in eo qui me confortat. Cùm igitur infirmum te sentis, accede ad Dominum, & humiliter ac feruenter pete ab illo, vt te confirmet potentia virtutis suæ, vt te corroboret spiritu fortitudinis & gratia sua. Propterea multi sunt imbecilli, & facilè cedunt tentationibus, quia non sunt seduli in precibus, non pulsant ad ostiũ magni patrisfamilias, qui iusserit vt petamus, & petentes Matth. 7. Luc. 11. se exauditurum promisit. *Induite vos armaturam Dei.* Græcè est, τὴν πανοπλίαν, panopliam, quæ vox significat, vt vertit Ambrosius, vel interpres quo ille vtitur, armorum vniuersitatem. Vult igitur Apostolus, vt cùm nihil non fraudis aduersùm nos machinentur inimici, nos omni armorũ genere sic communiti simus, vt nulla ex parte lædere nos queant. Si admouet luxuriæ incitamenta, repellatur armis continentiæ. Si tentat superbia, scuto humilitatis retundatur. Si inflammat iracundiæ facibus, mansuetudinis spiritu flamma exitialis dispellatur. atque ita contra quæuis alia vitia, contrariarum arma virtutũ adhibeãtur. Satis autem hîc indicat Apostolus, quã sit vita hæc multis obnoxia periculis, & ideò stultissimos eos esse, qui ita viuunt securi, ac si tranquilla iam & tuta sint omnia. *Vt posßitis stare aduersùs insidias diaboli.* Non dixit, vt habet Chrysostomus, aduersùs pugnas, neq; aduersùs bella: neq; enim simpliciter nos, neque apertè impugnat hostis, sed insidijs. Quid est μεθοδεία, methodia? μεθοδεύσαι est fallere, & per compẽdium & abrupte adoriri, quod & arte fit, verbis & operibus, & certaminibus seducentium nos, vt exempli gratia: Nunquam aperta peccata proponit, idolatriã nõ dicit, sed idem aliter insidiosè struit, hoc est, persuasibilem ac verisimilem sermonẽ adornat, operculis vsus. Nouerat igitur istud Apostolus, atque in eo milites excitauit vigilareq; fecit, quòd persuasit ac docuit cum peritissimo nobis bellatore & hoste pugnam esse, qui non simpliciter neque apertè bellum gerat, sed cum multis insidijs. Et primùm quidem ab arte ac fraude eius arguit: deinde verò ab ipsius natura & multitudine discipulos excitat. Sophismata verò diaboli non ideò dixit & vigilare fecit, vt quos habebat sub se milites deijceret, sed vt excitaret & erigeret. Nam si de aduersariorum duntaxat potentia locutus sermonem clausisset, deiecisset eos vtiq;. Cùm verò antè & pòst ostendit posse illum prehendi & vinci, magis eos excitauit. Quantò enim clariùs aduersariorum robur domesticis nostris à nobis annuntiatur, tanto illos diligentiores facit. Hæc ille. *Quoniam non est nobis colluctatio aduersùs carnem & sanguinem, sed aduersùs principes & potestates, aduersùs mundi rectores, tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Ne quis existimet, inquit Augustinus De Agone Christiano, cap. 3. ibi habitare mala dæmonia, vbi solem, & lunam, & stellas Deus ordinauit: quæ mala dæmonia ideò Apostolus appellat spiritalia, quia etiam mali angeli in scripturis spiritus appellãtur. Ideò aũt rectores harum tenebrarũ eos dicit, quoniam peccatores homines tenebras appellat, quibꝰ isti dominãtur. Ideò & alio loco dicit: Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, quia ex peccatoribus iustificati erant. Non ergo arbitremur in summo cælo habitare diabolum cum angelis suis, vnde lapsum esse credimus. Et paulò superiùs cap. 1. & 2. exponens cur dæmones vocentur mundi rectores, & vt vincendi sint, Per cupiditatem, inquit, regnat in homine diabolus, & cor eius tenet. Tales sunt omnes, qui diligunt istum mundum. Mittitur autem diabolus foras, quando ex toto corde huic mundo renuntiatur. Sic enim renuntiatur diabolo, qui princeps est huius mundi, cùm renuntiatur corruptelis & pompis & angelis eius. Multi autem dicũt, Quomodò possumus vincere diabolum, quem non videmus? Ibi vincuntur inimicæ nobis inuisibiles potestates, vbi vincuntur inuisibiles cupiditates. Et ideò quia in nobis ipsis vincimus temporalium rerum cupiditates, necesse est vt in nobis ipsis vincamus & illum, qui per ipsas cupiditates regnat in homine. Quando enim dictum est diabolo, Terram manducabis, dictum est peccatori, Terra es, & in terram ibis. Datus est ergo in cibum diabolo peccator. Non simus terra, si nolumus manducari à serpente. Sicut enim quod manducamus, in nostrum corpus conuertimus, vt cibus ipse secundùm corpus hoc efficiatur, quod nos sumus: sic malis moribus per nequitiã & superbiam & impietatem hoc efficitur quisq; quod diabolus, id est, similis eius, & subijcitur ei, sicut subiectum est nobis corpus nostrum. Hæc Augustinus: vnde intelligimus spiritalia nequitiæ, id est, spiritales nequitias dæmones dici, eosque habitare in cælestibus, id est, in aëre, cui etiam Hieronymus consentiens, ait omnium doctorum hanc esse opinionem, quòd aër iste, qui cælum & terram medius diuidens, inane appellatur, plenus sit contrarijs fortitudinibus, id est, dæmonibus. Intelligimus etiam mundi nomine, cuius rectores vocat dæmones, significari homines peccatores, qui reuerà tenebræ sunt, id est, intùs in animo prorsùs tenebrosi, de quibus scriptura ait, Excæcauit eos malitia eorum. Porrò carnem & sanguinem, homines carni & sanguini deditos accipiamus, qui etsi sæpè affligant & persequantur bonos, non tamen cum illis nobis pugna est, sed cum principe tenebrarum, qui per illos nos infestat. Et ideò pro talibus, & non contra tales orandum nobis est, sicut è diuerso non pro dæmonibus, sed contra dæmones orandum est, vt ab illorum insidijs liberemur. Præclarè hoc loco dicit Chrysostomus: Si bellum est, si tales sunt instructæ acies, si incorporales principatus, si mundi domini, si spiritales nequitiæ aduersùm nos sunt, quomodò dic quæso delitiaris? quomodò adeò dissolutus ac distinctus es? quomodò inermes vincere poterimus? Ista quisque sibijpsi singulis diebus dicat, quando per fastum occupatur, quando per concupiscentiã, quando mollem vitam incõsultò ac frustrà quærit, &c. *Propterea accipite armaturam Dei, vt posßitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.* Hîc iterum monemur omniuarijs nos cõmunire armis contra tela & bella vndique imminentia. Quoniã contra atrocissimos hostes, inquit Ambrosius, & omni tergiuersatione callidos bellũ gerimus, idcircò omni cautela & solicitudine vigilare debemus, vt quacunq; tentauerint, munitos nos & præparatos inueniant. Necesse est enim, vt & Deus adiuuet, quos viderit in preciibus vigilare, & de armis eius expectare victoriã. In huiusmodi autem bello sobria mente opus est, & pura conscientia: quia non contra carnalia nequitiæ, sed aduersus spiritalia dimicatur. Contra terrigenos enim hostes corpus sagina roboratur, & poculis mens incitatur, vt repugnandi sumat audaciam. Aduersùs spiritalia autẽ nequitiæ spiritaliter repugnãdum est, & sobrietatis & abstinentiæ arma sumenda sunt, vt infusi sancto Spiritu, immundos & erraticos spiritus deuincamus. Ita Ambrosius. Porrò diem malũ, authore Chrysostomo, præsentem vitam dicit Apostolus, & seculum malum præsens hoc vocat, à malis illis quæ in eo fiunt. Possumus autem diem malum, etiam intelligere diem tentationis, quia sæpè vehemens est tentatio, & periculosa cum hostibus dimicatio. Rectè igitur faciunt, qui soliciti & peruigiles semper in diuino se timore continent, & animo sobrio & ab amore visibilium absoluto inhærent suo creatori, cuius auxilio & munimine tuti sunt ab hostiũ infestis machinamentis. Quòd autem dicitur, *In omnibus perfecti stare*, id eò pertinet, vt studeat vnusquisq; edomitis & extinctis vitijs & perturbationibus omnibus, quoad eius fieri potest, esse perfectus: quò etiam spectat illa Prophetæ precatio, Perfice gressus meos in semitis tuis, vt nõ moueãtur vestigia mea. Nam multi, vt ait Chrysostomus, istam adepti victoriam denuò cecidere. Oportet aũt & post victoriã persistere. Sed hæc paucissimi mortalium curant, cùm plerique non modò nullũ aduersùs vitia bellũ suscipiãt, sed etiam vltrò in vitijs iaceant, atq; in illis planè computrescant. *State ergo succincti lumbos vestros in veritate.* Ita in nobis totius corporis subiectum sunt lumbi, inquit Chrysostomus, quemadmodùm fundamentum est, super quod omnis structura ædificatur, quemadmodùm medicinæ studiosi dicunt. Initium itaque ac fontem nostrum constringit, dum lumbos cingit. Non autẽ istos lumbos intelligit, sed spiritaliter & intelligibiliter differit. Sed lumbos istos corporales zona coriaria cingimus: qua verò nos spiritales cingemus? Ea scilicet, quæ summa & caput cogitationum nostrarum esse debet. Nullum diligamus mendacium, res omnes per veritatem metiamur, non inuicem alius contra alium mentiamur. Et si gloria quærenda sit, veram quæramus: si vita, quæramus veram. Si hoc pacto nosipsos communierimus, si in veritate vixerimus, nemo nos vincet. Hæc ille. Audiamus etiã Hieronymum, Qui Christo, inquit, accinctus est veritate, vestimenta in altum colligit, & sursùm trahit, & nudorum laterum fœditatem balteo spirituali velat, stringit, includit, & paratus ad prælium est, & opera habet lucentia, quæ lucernæ dicuntur ardentes. *Et induti loricam iustitiæ.* Sicut difficilè vulneratur, ait porrò idem Hieronymus, in his vel maximè locis, quæ vitam tenent, qui consertam hamis & ferreis inuicem circulis se tenentem loricam virtutis indutus est: ita qui est circundatus multiplici veste iustitiæ, nec ad similitudinem cerui in iecur accipiet sagittam, nec in desideria corruet & furores: sed erit mundo corde, habens artificem huius loricæ Deum: qui vnicuique sanctorum omnia arma fabricatur, & non sinit eum à iaculo volante per diem, & à sagittis ardẽtibus percuti pariter & exuri. Hæc ille. Iustitiam verò, vt ait Chrysostomus, hîc catholicam & virtute præditam vitam vocat. Talẽ nemo vnquam deijcere poterit: sed vulnerare quidem conantur plurimi, vulnerabit ac proscindet tamen nemo, ne ipse quidem diabolus. Ac si dicat quispiam: Munitus pectoribus vestris per facta iusta. Ita Chrysostomus. *Et calciati pedes in præparationem Euangelij pacis.* Pedes sæpè in scripturis pro affectibus sumuntur. Eos igitur munire debemus, ne terræ inhæreant, sed ad cælestia erigantur: & ita parati erimus amplecti atq; etiam vita & moribus sequi Euangelium pacis: quòd ideò pacis dicitur, quia illi obtemperanti bus, & hîc pectoris, & in futuro æternitatis pacẽ certissimè consequi licebit. Dicitur etiam propterea pacis Euangelium, quòd pacem cũ Deo per Christum conciliatam nuntiet: verùm ea pax non pertinet nisi ad eos, qui Euangelio conuenienter viuunt. Non enim simpliciter & quibuslibet indiscriminatim, sed obtemperantibus sibi, vt habes in Epistola ad Hebræos, Christus factus est causa salutis æternæ. Vt autẽ hæc pax, quam Euangelium nuntiat, inuiolata perseueret, necesse est nullum dare locum peccato, quia non est pax impijs, sed viuere congruenter diuinæ voluntati, quam nobis luculenter exprimit Christus in Euãgelio. Verissimè enim dixit Propheta, Pax multa diligẽtibus legẽ tuã Domine. *In omnibus sumentes scutũ fidei, in quo posßitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Magnũ præsidium est fides vera, fides viua, qua diaboli ignitæ tẽtationes facilè eliduntur: sed nemo hæc accipiat de sterili illa fide, quam habent etiam mali. Fides ignita & feruens sit oportet, qua ignea satanæ iacula retundantur. Ignitæ sunt cupiditates, quas satanas immittit in pectora hominum: obijciatur illis scutum fidei, & extinguũtur. Feruet

Dæmones quarum rectores tenebrarũ. Ephes. 5.

Diabolus ut uincatur.

Gen. 3. Ibid.

Dæmones in aëre uersantur.

Sap. 2.

Diabolus per insidias nos ecuertit.

Dies mali, præsens uita.

Psalm. 16.

Luc. 12.

Euangelium pacis cur dicatur.

Esa. 48. & 57.

Psalm. 118

Heb. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in carne libido, adsit fides, statuat ob oculos æstuantis gehennæ ignem inextinguibilem, vermen nunquam morientem, ipsius Dei omnia cõtemplantis præsentem vultum, amplissimas Dei promissiones, si peccato nõ consentiamus, peccati turpitudinem, & id genus alia, maximè verò patientem pro nobis Christum filium Dei, & omnibus pœnis miserabiliter excruciatum, vt nos à peccato eximeret: & si adsit sedulitas, haudquaquam dubiè abscedet turpiter confusus inimicus. Idem de alijs quoq; tentationibus sentiendum est. *Et galeam salutis assumite.* Spem intelligit, quæ futurorum expectatione bonorum erigit nos, & facit constanter oblectari peccato, & feruere ac lucere in operibus bonis, ne qua ex parte inimico in nos aditus pateſcat. *Et gladium spiritus, quod est uerbum Dei.* Videmus certè ipsum Dominum Sal
Matth. 4. uatorem, cùm à satana insidiosissimè tentaretur, hoc gladio vel maximè illum retudisse. Porrò qui hoc se Dei verbo tueri volunt, oportet vt etiam amore illud complectantur, vt possint dice
Psalm. 118 re cum Propheta: Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud. D. Augustinus in Psalmum 34. Concione 1. sic habet: Dicit quodam loco arma nostra Apostolus scutum fidei, & galeam salutis, & gladium spiritus, quod est verbum Dei. Armauit nos talibus armis, qualibus auditis, laudabilibus & inuictis, insuperabilibus & splendidis, spiritalibus sanè atq; inuisibilibus, quia & hostes inuisibiles expugnamus. Si vides hostem tuum, videantur arma tua. Armamur earum rerum fide, quas non videmus, & sternimus hostes quos non videmus. Veruntamen charissimi arma ista ne putetis sic esse, vt quasi quod scutum est, semper scutum sit: aut quod galea est, semper galea sit: aut quod lorica est, semper lorica sit. Tamen ipsum Apostolum
1 Thess. 5. videmus dixisse quodam loco loricam fidei, &
Ephes. 6. alio loco dixisse, scutum fidei. Ergo ipsa fides & lorica potest esse & scutum. Scutum ergo est, quia tela inimicorum excipit & repellit: lorica est, quia interiora tua transfigi non sinit. Hæc Augustinus. Habemus arma, armemur illis, vt diuina muniti virtute, hostibus omnibus superiores euadamus, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui est cum Patre & Spiritu sancto honor & gloria in secula seculorum, Amen.

DOMINICA XXII.
Ioan. IIII.

In illo tempore: Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cùm audisset quia Iesus uenisset à Iudæa in Galilæam, abijt ad eum, & rogabat eum ut descenderet, & sanaret filium eius. Et reliqua. Homilia beati Gregorij Papæ.

Lectio sancti euãgelij, quam modò fratres audistis, expositione non indiget. Sed ne hanc taciti præteriisse videamur, exhortando potiùs quã exponendo, in ea aliquid loquamur. Hoc autem nobis solummodò de expositione video esse requirẽdum, cur is qui ad salutem filio petendam venerat, audiuit: *Nisi signa & prodigia uideritis, non creditis.* Qui enim salutem filio quærebat, proculdubiò credebat. Neq; enim ab eo quæreret saluté, quem non crederet saluatorem. Quare ergo dicitur, Nisi signa & prodigia videritis, non creditis, qui antè credidit, quàm signa videret? Sed Reguli dis
mementote quid petijt, & apertè cognoscetis, fidentia.
quia in fide dubitauit. Poposcit nanq; vt descẽderet, & sanaret filium eius. Corporalem ergo Domini præsentiam quærebat, qui per spiritum nusquam deerat. Minùs itaq; in illum credidit, quem non putauit salutem posse dare, nisi præsens esset & corpore. Si enim perfectè credidisset, proculdubiò sciret quia non esset locus, vbi non esset Deus. Ex magna ergo parte diffisus est, qui † virtutem non dedit maiestati, sed præ- † honori
sentiæ corporali. Et salutem itaq; filio petijt, & tamen in fide dubitauit: quia eum ad quem venerat, & potentem ad curandum credidit, & tamen morienti filio esse absentem putauit. Sed Dominus qui rogatur vt vadat, quia non desit vbi inuitatur indicat: solo iussu salutem reddidit, qui voluntate omnia creauit. Qua in re hoc est nobis solerter intuendum, quòd sicut euangelista alio testante didicimus, centurio ad Domi-
num venit, dicens: Domine, puer meus iacet pa Matth. 8.
ralyticus in domo, & malè torquetur. Cui à Iesu protinùs respondetur: Ego veniam & curabo eum. Quid est quòd regulus rogat vt ad eius filium veniat, & tamen ire corporaliter recusat: ad seruum autem centurionis non inuitatur, & tamen se corporaliter ire pollicetur? Reguli filio per corporalem præsentiam non dignatur adesse, centurionis seruo non dedignatur occurrere. Quid est hoc, nisi quòd superbia nostra rerũditur, qui in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores & diuitias veneramur? Cumq; pensamus quæ circa eos sunt, profectò interiora minimè peruidemus: dum ea consideramus quę in corporibus despecta sunt, negligimus pensare quod sunt. Redemptor verò noster vt ostenderet, quia quæ alta sunt hominum, sanctis despicienda sunt, & quæ despecta sunt hominũ, despiciẽda nõ sunt: ad filiũ reguli ire noluit, ad seruũ cẽturionis ire paratus fuit. Increpata est ergo superbia nostra, quæ nescit pensare homines propter homines: sola (vt diximus) quę circunstant hominibus, pensat: naturam non aspicit, honorem Dei in hominibus non agnoscit. Ecce ire non vult filius Dei ad filium reguli, & tamen venire paratus est ad sa-

lutem serui. Certè si nos cuiuspiam seruus rogaret, vt ad eum ire deberemus, protinùs nobis nostra superbia in cogitatione tacita responderet, dicens: Non eas, quia temetipsum degeneras: Honor tuus despicitur, locus vilescit. Ecce de cælo venit, qui seruo occurrere in terra non despicit: & tamen humiliari in terra contemnimus, qui de terra sumus. Quid verò apud Deum vilius, quid esse despectius potest, quàm seruare honorem apud homines, & interni testis oculos non timere? Vnde & in sacro euangelio ad Pha-
Luc. 16. risæos ait: Vos estis qui iustificatis vos corã hominibus, Deus autem nouit corda vestra: quia quod hominibus altum est, abominabile est apud Deum. Notate fratres, notate quod dicitur. Si enim quod hominibus altum est, abominabile est apud Deum: cordis nostri cogitatio tanto apud Deum in imo est, quanto hominibus in alto. Et humilitas cordis nostri tanto apud Deum in alto est, quanto hominibus in imo. Despiciamus ergo si quid boni gerimus: nulla nos nostra inflet operatio: non rerum abundantia, non gloria extollat. Si quibuslibet bonis affluentibus intùs intumescimus, Deo despecti sumus. Quo
Psalm. 114 contrà Psalmista de humilibus dicit: Custodiẽs paruulos Dominus. Qui quia paruulos humiles appellat, postquam sententiam protulit, consiliũ subiungit. Nam quasi quæreremus, quid ipse ad hæc faceret, adiunxit: Humiliatus sum, & liberauit me. Hæc ergo cogitate fratres, hæc tota intentione pensate. Nolite in proximis vestris mundi huius bona venerari. Hoc propter Deũ honorate in hominibus, quibus tamen commissi non estis, quòd facti sunt ad imaginem Dei: quod tũc proximis verè seruatis, si apud vosmetipsos priùs in corde nõ intumescitis. Nam qui se adhuc prorebus transitorijs extollit, nescit in proximo venerari quod maneat. Nolite ergo in vobismetipsis pensare quod habetis, sed quid estis. Ecce mundus qui diligitur, fugit. Sancti isti ad quorũ tũbam consistimus, florentem mundum mentis despectu calcauerunt. Erat vita longa, salus cõtinua, opulentia in rebus, fœcunditas in propagine, tranquillitas in diuturna pace. Et tamen cùm in seipso floreret, iam in eorum cordibus mundus aruerat. Ecce iam mũdus in seipso aruit, & adhuc in cordibus nostris floret. Vbiq; mors, vbiq; luctus, vbiq; desolatio. Vndiq; percutimur, vndiq; amaritudinibus replemur: & tamen cæca mente carnalis cõcupiscentiæ ipsas eus amaritudines amamus, fugientem sequimur, labenti inhæremus. Et quia labentem retinere nõ possumus, cum ipso labimur, quem cadentem tenemus. Aliquando nos mundus delectatione retraxit à Deo: nunc tantis plagis plenus est, † mittat
vt ipse nos iam mundus † inuitet ad Deum. Pensate ergo quia nulla sunt, quæ temporaliter currunt. Finis temporalium ostendit, quàm nihil sit quod transire potuit. Casus rerum indicat, quia res transiens, & tunc propè nihil fuit, cùm stare videretur. Hæc ergo fratres charissimi solicita consideratione pensate, in æternitatis amore cor figite: vt dum terrena culmina adipisci contemnitis, per- niatis ad gloriam quam per fidem tenetis, per Iesum Christũ Dominum nostrum, qui cum patre & spiritu sancto viuit &c.

EADEM DOMINICA.
Ioan. IIII.

In illo tempore: Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Et reliqua.
Homilia Erici.



Diuina iudicia quàm sint incõprehensibilia, quamque inscrutabilia, quantumque ab humanis iudicijs longè distantia, cùm in omnibus diuinæ scripturæ locis, tum vel maximè in præsenti euangelij lectione valemus aduertere. Ecce enim sicut subsequens sermo huius lectionis indicat, rogatus Dominus & redemptor vt ad reguli filium pergeret inuisendum, ire noluit, cùm tamen ali-
bi ad centurionis seruum etiam illo renitente, & Matth. 8.
indignum se reclamante, venturum se promittere dignatus sit. Quis autem ignorat regulum maioris esse potestatis, quàm centurionem? Sed apud omnipotentem Deum (cuius iudicia aliquando occulta sunt, semper autem vera) plùs fides centurionis valuit, quàm purpura reguli. Sic quondam Dauid puer maioribus, & quantum 1. Reg. 16
ad hominum iudicia pertinet, prudentioribus fratribus reprobatis, ad regnũ eligitur: & in fine seculi non oratores & nobiles, sed piscatores & ignobiles à Domino ad apostolatum vocantur. Hanc diuinorum iudiciorum subtilitatem Psalmista considerans, aiebat: Iudicia tua Domine, Psalm. 35.
abyssus multa. Et iterùm: Iudicia Domini vera, Psalm. 18
iustificata in semetipsa. Et Esaias de Christo Esa. 11.
præcinit: Non secundùm visionẽ oculorũ iudicabit, neque secundùm auditum aurium arguet. Sed hæc suo in loco meliùs videbuntur, quæ nos breuiter prælibasse non piguit: nunc ad exponendam sancti euangelij lectionem accedamus.

Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaũ.

Regulus per diminutionem nominis, quod est rex, dicitur, paruus videlicet rex, nec magna potestate sublimis. Quod nomen benè isti congruit, qui filio salutem popoſcit: quia videlicet non plenam, sed diminutã fidem habuisse probatur. Capharnaum autem ciuitas est Galilææ prouinciæ, in qua Dominus multa miracula ostendit, in qua etiam infirmus iacebat istius reguli filius. Hic ergo audiens Dominum aduenire à Iudæa in Galilæam, vbi nuper aquam in Ioan. 2.
vinum conuerterat, abijt ad eum, rogaturus pro sanitate filij morientis. Quanuis enim omnis

Universidad de Deusto
Biblioteca

terra duodecim tribuum, in qua Iudæi habitabant, Iudæa generaliter appellaretur, præcipuè tamen ac singulariter illa pars regni Iudæorum, in qua duæ tribus consistebant, Iudæ scilicet & Beniamin, Iudæa vocabatur. A qua parte veniente Domino, accessit ad eum iste regulus, rogans vt descenderet & sanaret filium eius. Quare? Incipiebat enì mori, id est, vrgebat eum vicina mors. *Dicit ergo Iesus ad eum: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* Signa dicuntur eò, quòd significent aliquid: prodigia verò quasi porrodicia, eò quòd porrò, id est, longè prætendant aliquid. Constat profectò Iudæos quasi ex natura insitam hanc consuetudinem habuisse, vt quibuscunq; rebus, licet diuinis, fidē nō nisi per signa cōmodarent. Vnde & apostolus Paulus di-
1. Cor. 1. cit: Iudæi signa petunt. Sed quærendum videtur, cur Dominus huic regulo dicat, Nisi signa & prodigia videritis, nō creditis, cùm ille antè crediderit, quàm signū videret. Quomodò nō crederet, qui salutem filio poposcit? Sed si attendamus quid petijt, apertè cognoscimus, quia non plenæ fidei fuit. Poposcit nāq; Dominū vt descēderet, & sanaret filiū eius: & hic præsentiā corporalē expetijt, quasi salutē in filio operari nō posset, nisi præsens corpore fuisset. Qui si perfectè credidisset, proculdubiò sciret non esse locum, vbi non esset Deus. Arguit itaq; hominem in fide tepentem, & tentare cupientem in sanitate si lij sui quis esset, aut quantùm posset. *Dicit ad eum regulus: Domine, descende priusquàm moriatur filius meus.* Vrgebat eum infirmitas filij, & ideò in precibus perseuerans, postulat illi salutem. *Dicit ei Iesus: Vade, filius tuus viuit.* Sicut alio euangelio narrante di-
Matth. 8. cimus, centurio ad Dominum venit, dicens: Domine, puer meus iacet paralyticus in domo, & malè torquetur. Cui respondit Dominus: Ego veniam, & curabo eum. Cēturio est, qui centum militibus præest. Cùm ergo maioris dignitatis sit regulus quàm centurio, vigilanter intuendū est, cur ad filium reguli rogatus corporaliter ire recusat, ad seruum verò centurioms etiam non rogatus se pergere pollicetur. Filio reguli non dignatur adesse, seruo centurionis non dedignatur occurrere. Sed in hoc facto, sola humilitate, quæ nobis in redemptore nostro semper imitanda proponitur, superbia nostra specialiter retunditur, qui in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores & diuitias veneramur. Vt enim ostenderet redemptor noster, quia quæ alta sunt hominibus, hoc est, dilectoribus huius seculi, electis despiciēda sunt, & quæ despecta hominibus videntur, sanctis despicienda non sunt, ad filium reguli noluit ire, ad seruum verò centurionis ire paratus fuit. *Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus, & ibat.* Ex hoc iam apparet, quantum profecerit iste ex increpatione saluatoris. Quia enim Dominus dixerat ei: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis, statim vt audiuit à Domino, Vade, filius tuus viuit, continuò credens ibat. *Iam autem eo descendente, serui ei occurrerunt & nunciauerunt, dicentes: quia filius eius uiueret. interrogauit ergo horam ab eis in qua melius habuerat, & dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris.* Non est vacuum à magno mysterio, quòd filium reguli euangelista narrat septima horaab infirmitate dimissum. Non solùm enim miracula Christi quæ corporaliter gesit, miracula nobis extstunt, sed etiam in ipsis operibus suis secreta sunt mysteria considerande. Septenarius numerus sacratus est donis spiritus sancti, quoniam omnia dona spiritualia, quæ à Deo cunctis fidelibus largiuntur, eodem septenario numero comprehenduntur. Septem enim sunt virtutes spiritualium donorum, quibus vita & status hominum in præsenti vita decentissimè ornatur, sapientia videlicet, intellectus, consilium & fortitudo, scientia, pietas, ac timor Domini. Sine gratia enim Dei nec sapiens quis esse potest, nec intelligens, nec consiliarius, nec fortis, nec eruditus, nec pius, nec plenus timore Domini. Quæ dona quia non aliter quàm gratia sancti spiritus homini tribuuntur, meritò etiam ipse spiritussanctus, qui nihil est aliud quàm verus Deus, eisdem nominibus nuncupatur. Sicut enim filius à patre procedens vocatur leo propter fortitudinem, ouis propter innocentiam, ostium quia per ipsum introimus ad patrem, lux quia luminat omnem hominem: vocatur & veritas atque resurrectio, multisq; alijs nominibus secūdùm quasdam proprietates: ita quoque & spiritussanctus procedens à patre simul & filio, his septem nominibus propriè appellatur, sapientia scilicet, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas, atque timor. Vnde & septiformis gratię dicitur, propter mysterium septenarij numeri, in quo summa perfectio intelligitur. Est enim compositus ex ternario & quaternario. Habet nanque in ternario significationem sanctæ Trinitatis, in quaternario, euangelij. Siue enim tres per quatuor, aut quatuor per tres multiplicentur, ad duodenariū numerum consurgit, quem etiam constat esse perfectissimum, quia mysterium sanctæ Trinitatis, & doctrina Euangelij per duodecim apostolos in quatuor mundi partes, orientem scilicet & occidentem, septentrionem ac meridiem deriuata est. Sunt quoque quatuor mundi elementa, & quatuor orbis (vt dictum est) climata, totidemq; anni tempora, quatuor etiam, quibus Ecclesia subsistit, habentur euangelia. Possumus quoque ternarium numerum ad interiorem nostrum referre hominem, hoc est, ad animam, quę triplicis est naturæ. Est enim irascibilis, concupiscibilis, & rationabilis. In vnaquaq; etiā rationali anima tria insunt, memoria, ingeniū & intellectus. Spiritū quoq; sanctum super Dominū corporaliter requieturum, Esaias propheta cùm de-
Esa. 11. Christo prophetaret, prædixit: Egredietur, inquiens, virga de radice Iesse, Dominus videlicet Iesus Christus de stirpe Dauid: & requiescit super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini. Ipse enim spiritus requieuit super Dominū Iesum Christum, quia in eius corpore omnis plenitudo diuinitatis plenissimè habitauit, nequaquàm per partes, vt in cæteris sanctis, quibus alijs datur sermo sapientiæ, alijs sermo scientiæ, alijs gratia virtutum, & cæteris quibus vnicuiq; datur secundùm mensuram fidei: sed plenissimè requieuit super eum, & perpetua mansit habitatione. Quia igitur per septenariū numerum ipse spiritussanctus designatur, à quo & per quem omnis sanitas, omnis fortitudo, atque vniuersa dona spiritualia cunctis fidelibus largiuntur, rectè septima hora diei filius reguli sanitati redditus ab euangelista refertur: quia quæcunq; sanitas, siue in corpore, siue in anima datur, eodem spiritu largiente tribuitur, qui per eundem septenarium numerum designatur. Benè ergo septima hora filius reguli sanatus est, quia tunc perfectam sanitatem totus homo consequitur, cùm creatura creatorem suum agnouerit, eiq; se digna humilitate ac seruitute subdiderit. Hic enim est ordo rectissimus, vt anima Deo, corpus verò spiritui mancipetur. Idē quoque septenarius numerus donis septiformis spiritus sacratus est, in quo, & per quem vera hæc sanitas, & remissio omnium peccatorum tribuitur. *Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Iesus, Filius tuus uiuit: & credidit ipse, & domus eius tota.* In hoc eodem euangelista paulò superiùs le-
Ioan. 4. gimus, quòd prædicante Domino in Samaria, ad vocem mulieris dicentis: Venite & videte hominem, qui mihi omnia dixit quæcunq; feci, plurimi Samaritanorum absq; vllius signi visione solo sermone in illum crediderunt. Ad istud autem tam magnum miraculū in Iudæa patratum, solus regulus cum domo sua credidit. Et hoc est, quod Dominus suprà dixerat: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. In quo etiam facto præfigurabatur, quòd paucitas Iudęorū esset in Deum creditura, & multitudo gentium ad fidem ventura. Iudæi nempe ipsum filium Dei signa facientem viderunt, apostolos illius prædicatores & magistros habuerunt, & tamen pauci ex eis fidei iugo colla submiserunt, cæteris in infidelitate persistentibus. Porrò gentium populus etsi Christum in carnis infirmitate positum, miracula operantem videre non potuit, sola tamen prædicatione apostolorum contentus, penè totus sacræ fidei acquieuit. Proinde illis tormentis perpetuis ob infidelitatem condemnatis, nobis, si quod fide credimus, operibus exornemus, æterna beatitudo repromittitur, dicente
Ioan. 20. nobis saluatore: Beati qui non viderunt, & crediderunt. Perfecta nanque Iudæorum conuersio circa finem seculi implenda est, quando ad prædicationem Eliæ & Enoch cōuertentur cor-

da patrum in filios, & corda filiorum ad patres eorum, & adimplebitur quod ait Apostolus: Cū plenitudo gentium intrauerit, tunc omnis Israel saluus fiet. Et Esaias: Si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris, reliquiæ saluæ fient. Et iterùm: In veritate conuertentur. Quod ipse præstare dignetur, qui viuit & regnat &c.

Rom. 11. Esai. 10. *Ibid.*

EADEM DOMINICA, HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum, &c. Ioan. 4.

Igni sunt reges, qui exaudiantur: nulli ita Deo familiares sunt, sicut boni reges. Valdè bonam significationē tenent reges in diuina scriptura. Omnis enim homo qui seipsum, & virtutum exercitum qui in eo est, honestè sapienterq; dis-
Rex quis sit. ponit & regit, vera definitione rex dici potest. Si ergo teipsum & familiam tuam benè rege & disponere vis, custodi sensus corporis tui, neque eos per illicita vagari permittas. Ipsi enim duces sunt, & in tota domo obtinent principatū. Auerte igitur oculos tuos, ne videant vanitatē. *Psalm 118.* Dic simul cum viro iusto: Pepigi fœdus cum oculis meis, ne de virgine cogitarem. Audi etiam *Iob 31.* quid Psalmista dicat: Oculi mei semper ad Do- *Psalm 24.* minum, quia ipse euellet de laqueo pedes meos. Qui enim semper oculos ad Deum habent, vana videre non deūderant. Sic ergo regitur visus. Sed quid dicam de auditu? Nam & ipse regendus est. Claude igitur aures tuas, ne detractionibus pateant, ne verba vana & inutilia libenter audiant: aperi eas ad Euangelium, aperi eas ad verbum Dei. Ideò enim Psalmista dicit: Audi fi- *Psalm. 44* lia & vide, & inclina aurem tuam. Ideò & Dominus ait: Qui habet aures audiendi, audiat. Ideò *Matth. 11.* & Esaias dicit: Audi cælum, & auribus percipe *Esai. 1.* terra, quoniam Dominus loquutus est. Lingua quoque regimine indiget: quam qui non regit, *Prou. 18.* rex dici non debet. Qui enim custodit linguam *Iac. 3.* suam, custodit & animam suam: mors & vita in manu linguæ. Qui in verbo non offendit, hic *Iac. 1.* perfectus est vir. Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suū, huius vana est religio. Vnde Psalmista ait: Di- *Psal. 38.* xi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Os quoque nisi custodiatur, in multus peccat. Peccat enim in crapula & ebrietate. Quod quidem si primi parentes benè custodissent, de ligno vetito non comedissent. Hoc autē Dominus nos regere docuit, qui diabolo malè suadenti respondit: Non in solo pane viuit ho- *Matth. 4.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

mo,sed in omni verbo Dei. Hoc & Apostolus
Act.10. benè regebat,qui ait : Nunquam commune & immundum introiuit in os meum. Regamus & manus,vt pauperibus aperiantur,& ad furtum& rapinam non extendantur. Tales manus notabat propheta,quum diceret: Manus vestræ sanguine plenæ sunt. Regamus & pedes, ne currant ad effundendum sanguinem,sed potiùs semper sint parati ad euangelizandum pacem, ad euangelizandum bona,vt calcare valeant super serpentes & scorpiones. De pedibus nanque Dominus
Ioan.13. ait: Qui lotus est,non indiget nisi vt pedes lauet.
Cant. 5. De pedibus & Ecclesia dicit: Laui pedes meos, quomodò inquinabo illos? Sic igitur reguntur corporis sensus. Sed quid de interiori familia dicam? Et ipsa quidem regimine indiget. Vnde
Psalm. 25. Psalmista ait: Proba me Domine,& tenta me, v-
Psalm. 50. re renes meos & cor meum. itemque: Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum inno-
Matth. 15 ua in visceribus meis. Ex corde enim (ait Dominus) exeunt cogitationes malæ,homicidia,adulteria,furta,periuria, fornicationes,blasphemiæ: hæc sunt quæ coinquinant hominem. Ideò ra-
Exod.28. tionale super cor & super pectus episcopi ponitur, vt bene regatur & custodiatur. Nemo igitur se regem non esse dicat,qui tantas habet ad regendum familias. Tales itaque reges iste regulus significabat, qui ad Christum accessit pro filio rogaturus. Et fortasse ideò non rex, sed regulus dicitur,quia nondum perfectè credebat. Vnde & Dominus ait: *Nisi signa & prodigia uideritis,non creditis.* Si enim perfectè credidisset, filius eius infirmus non fuisset. Quid enim per filium eius, nisi spiritum eius & nisi animam eius intelligamus? Hic autem filius reguli,id est,anima reguli,infirmabatur Capharnaum, quæ villa consolationis interpretatur. Mala villa ,mala consolatio. Hæc villa , caro est,in qua anima infirma iacet,& inde magis infirmatur,quia non benè con-
Gal. 5. solatur. Spiritus enim (ait Apostolus) concupiscit aduersus carnem, caro autem aduersùs spiritum. Vult autem conuerti,& ad pœnitentiam redire: sed dicit caro, & quasi consolando dicit: Noli adhuc,expectemus vsque cras,consilio faciamus,iuuenes sumus,multum nobis temporis restat: melius est non vouere,quàm vota nó reddere. Sic loquitur Capharnaum,sic loquitur caro,sic loquitur villa consolationis. Benè quidé loqui videtur,sed non benè loquitur. Vnde &
Eccles. 5. Salomon: Ne tardes (inquit) conuerti ad Dominum,& ne differas de die in diem: qui enim dedit hodiernum diem , non promisit dubium cras. Imitare igitur istum regulum,ô homo,quicunque es,cuius anima infirmatur: festina ad Iesum,vade ad medicum,roga eum vt descendat, roga vt tibi condescendat, roga vt tibi peccata tua dimittat,roga vt sanet animam tuam & liberet eam à morte sua : caue ne iaceat in Capharnaum,noli eam malè consolari & morti eam perpetuæ subiugare: noli signa & prodigia quære-
re,crede tantùm,& saluus eris. Insta simul cũ regulo,insta & dic: *Domine,descende priusquã moriatur filius meus.* hoc enim si feceris,audies & tu à pijssimo Domino,qđ ille regulus tũc audire meruit: *Vade* (inquit) *filius tuus uiuit.* Verum est igitur, & Ezech.18
sine dubio verum est, quia peccator quacunq; hora conuersus fuerit & ingemuerit,vita viuet& non morietur. Non enim dixit, *Viuet,* sed, *Viuit:* quia vna eademq; hora & pœnitentia nascitur,& vita datur. *Credidit homo sermoni,quem dixit ei Iesus, et ibat.* Iam non regulus,sed rex iste dicendus est. regulus erat quando venit,sed rex & plenus fide recedit. Credidit enim Abrahã Deo,& repu- Gen.15.
tatur ei ad iustitiã. Omnia possibilia sunt credẽti. *Iam autem eo descendente,serui occurrerunt ei,& nun* Mar.9.
ciauerunt, dicentes quia filius eius uiueret. interrogabat ergo horam ab eis in qua melius habuerat. Et dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris. Isti serui,episcopi & sacerdotes mihi esse videntur , qui peccatori ad pœnitentiam conuerso,vitam nunciant & sanitatem promittunt. Omnium enim serui sunt,qui omnibus ex debito seruiunt. Vnde & Romanus episcopus,episcoporum omniũ maximus,seruum seruorum Dei in suis epistolis se esse scribit. Neq; enim vacat à mysterio,quòd septima hora puerum febris reliquisse dicitur.
Septima nanque hora, & septima dies,hæc ætas 1. Cor.10
vltima est: de qua Apostolus ait: Nos sumus,in quos fines seculorum deuenerunt. Hac autem septima hora ad sanandum & viuificandũ Dominus venit. Ante hanc autem horam nemo sanabatur. Quicunque itaq; sanatur,hac & nó alia sanatur. *Cognouit ergo pater,quia illa hora erat, in qua dixit Iesus: Filius tuus uiuit: & credidit ipse,& domus eius tota.* Cognoscamus igitur & nos,firmiterque credamus quia in hac hora,in hoc tempore præfinito,in hoc tempore ante tempora prædestinato, venit Iesus: & pro nobis passus,præcepit vt viuamus,& vlteriùs non moriamur, sed sani & immortales ad regna cælestia transferamur. Qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum,Amen.

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN,
In Epistolam Concio exegetica.

EX Epistolæ ad Philippenses cap. 1. hodiè nobis lectio depromitur , quæ inter cætera perspicuè declarat, quantoperè Apostolus sitierit animarum salutem. Hinc ille in eius omnibus Epistolis ignitæ & assiduæ adhortationes ad pietatem: quia sciebat satis non esse ad salutem , benè inchoasse , sed oportere etiam perseuerare vsque in finem. Ardua res virtus est , & cum labo-

labore ac diligentia multa obtinenda : nec tamen etiam tum,cùm parta est , licet esse plus æquo securis : sed semper in statione permanendum est,nunquàm non occasionem nocendi captantibus illis atrocissimis salutis nostræ inimicis , qui per omnem orbem terrarum latè sua tendunt retia, animasque innumeras proh dolor capiunt,captasque deuorant horrendum in modum. Sed ad Apostolicam lectionem ve-
Philip. 1. niamus. *Confidimus in Domino Iesu, quia qui cœpit in uobis opus bonum,perficiet usque in diem Christi Iesu.* A Deo certè est & initium bonæ voluntatis,& consummatio boni operis. Sine me nihil potestis fa-
Ioan. 15. cere, ait ipse Dominus in Euangelio. Sed hîc iam videndum est,ne sic omnia expectemus à Deo, vt nos interim desides ac supini stertamus. Gratia Dei,sine qua nihil possumus, parata est omnibus. Cur igitur non omnes eam amplectuntur? Vitio proculdubiò suo multi gratiam oblatam negligunt,quidam etiam respuunt & repellunt,quales sunt illi,qui sic huic mundo & vitæ huius voluptatibus dediti sunt , vt nec audire quidem sustineant salutares adhortationes.
1.Tim. 4. Itaque Apostolus etiam perfectum discipulum Timotheum hortatur,ne negligat gratiam Dei. Nam si nos gratiæ cooperari nolimus , sed prauis obsequi propensionibus carnis & sensuum, citò nos inueniemus gratia destitutos. Porrò vbi adest studium & diligentia,ibi sanè non modò non se subtrahit, sed largiùs etiam communicat gratia,& fit animus in dies seipso robustior,maiori scilicet gratia in dies accedente. Potest hoc etiam multis scripturæ exemplis doceri,nisi res per se notissima,non tam probatione haberet opus,quàm solicitudine , tum ne gratia priuemur,tum vt in ea crescamus. Ambrosius hunc locum exponens,Securus,inquit,de bonitate & iustitia Dei Apostolus , & de horum fide non ambigens,confidit quòd Dei auxilijs adiuti,perseueraturi sint in fide vsque ad diem Domini,in quo remunerandi sint persistentes in fide. Nec aliud debuit de his sentire,quos semper inflexibiles in deuotione Dei expertus est, tam directum & infatigabilem eorum cursum videns , vt cogitaret dignos hos sibi participes
Operum & gratiæ & meritũ gaudij esse. Sic Ambrosius. Possumus verò ex hoc loco etiam operum bonorum colligere dignitatem & meritum,quippe quæ Deo operante fiant in nobis & per nos. Sic etiam alibi idem
Philip. 2. ait Apostolus : Deus est,qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate. Ne ergo desimus gratiæ Dei,sed vigilemus & audia-
Psal.84. mus quid loquatur in nobis Dominus Deus, & voluntati eius morem geramus , ne si se subtrahat iratus,nos deficiamus. Multi gratiam ore iactitant,& moribus profligant. Diem autem Christi hic Apostolus vocat supremum mundi diem,quo venturus est Christus ad iudicandos viuos & mortuos. *Sicut est mihi iustum hoc sentire pro omnibus uobis,eò quòd habeam uos in corde, & in uinculis meis,& in defensione , & confirmatione Euangelij, socios gaudij mei omnes uos esse.* Multum hic desiderij ostendit,inquit Chrysostomus. siquidem in corde illos habuit,& in ipso carcere vinctus,Philippensium recordatus est : id quod non modicum exprimit virorum istorum encomium. Neque enim præsumptionis est sancti huius dilectio,sed iudicij rectarumque rationum. A Paulo itaque adeò vehementer diligi,indicium est, magnum quendam & admirabilem esse. Et in defensione mea,inquit,& confirmatione Euangelij. Et quid mirũ,si in carcere illos in corde suo habuit? Neq; tum temporis , inquit, cùm carcerem defensurus me ingressus essem , memoria mea excidistis. Adeò quippe violentus est amor Vis amoris spiritalis
ille spiritalis, vt nullo tempore cedat, sed perpetuò amantis adhæreat animo , nullique tribulationi siue dolori permittat, vt animum hunc vincat. Quemadmodùm enim in fornace Babylo- Dan. 3.
nica flamma adeò vehementer in sublime lata, ros quidam beatis illis pueris erat: ita & amicitia diligentis Deoq; placentis animum nacta , omnem flammam excutit,roremq; ex illa mirabilé efficit. Et confirmatione Euangelij. Igitur vincula confirmatio erant Euangelij. Igitur erant ipsius defensio. Admodùm rectè. Nam siquidem vincula detrectasset,impostorem agi videri poterat. Cùm verò nihil non tolerat,& vincula quoq; & tribulationem,declarat non humanam quampiam subesse causam,propter quam ista patiatur, sed omnia se ferre propter Deum, qui aliquando rependat. Nemo enim vtiq; est,qui & morti cupiat,& tanta subire pericula : nemo qui tantum regem offendere sustineat (Neronem dico) nisi alium regem isto multò maiorem respiciat. Deinde ostendit dilectionem suam non præsumptionem esse,sed sanum iudicium. Vnde? Habeo vos , inquit, in vinculis meis & in defensione, propterea quòd participes simul mecum estis gratiæ. Quid hoc est? Erat istud Apostoli gratia,vinciri,exagitari , innumera mala ferre? Erat certè.
Nã sufficit,inquit,tibi gratia mea. Potẽtia quippe 2. Cor.12.
mea in infirmitate perficitur. Propterea,inquit, ibidem.
placeo mihi in infirmitatibus & contumelijs. Cũ itaq; videam vos virtutem ipsis operibus exprimere,& tantæ gratiæ participes esse,idq; cum animi promptitudine,meritò ista de vobis cõiecto. Ita Chrysostomus,qui gratiæ legit,vbi nos habemus gaudij: sed sensus idem est. Nam & pro Christo pati dura & aspera,gratiæ est: & in ijsipsis duris & asperis sancti exultant. Sic eodem hoc capite ad Philippenses scribit Paulus : Vobis donatũ Philip.1.
est pro Christo,non solùm vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini. Et idem ad Romanos Roma. 5.
scribens, Gloriamur,inquit,in tribulationibus: Et Iacobus Apostolus hortatur fideles , vt omne Iaco.1.
gaudium existiment, cùm in varias tentationes inciderint. *Testis enim mihi est Deus , quomodò cupiam omnes uos in uisceribus Iesu Christi.* Deum te-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtatur, inquit Ambroſius, vt affectum commendet iuſti. Qui enim multum de aliquo ſentit, vt credibile hoc faciat, teſtificatur: per quod & prouocat deſiderium illorum erga ſe, vt deſiderati deſiderent. Deſiderat ergo omnes hos, non humana cupiditate, ſed in amore Chriſti: non carnis affectu, ſed ſpiritus, vt participes hos habeat, & in ſenſu myſterij diuinitatis & incarnationis Domini Ieſu Chriſti. Sic Ambroſius. Audi & Chryſoſtomum: Deum teſtem, ait, non ideò citat, quòd fidem non mereatur: ſed multo iſtud affectu & ad hoc facit, vt vehementer perſuadeantur certoque confidant. Quoniam dixerat eos conſortes ſuos factos eſſe, ne putarent eum huius gratia iſto eſſe deſiderio erga ſe, propterea ſubiunxit, In viſceribus Ieſu Chriſti. Quid hoc eſt? Idem ſcilicet, quod, Secundùm Chriſtum, quaſi dicat: Quoniam fideles eſtis, quoniam Chriſtum amatis, propter dilectionem quæ ſecundùm Chriſtum eſt. Et non dixit dilectionem, ſed quod feruétius erat, nempe, viſcera Chriſti. Tanquàm parens veſter factus, inquit, propter cognationem, quæ ſecundùm Chriſtum eſt. Ipſa quippe vobis viſcera largitur, viſcera calentia & ignita. Germanis enim ſeruis ſuis viſcera ſua donat. In illis, inquit, viſceribus diligo vos, viſceribus non naturalibus, ſed feruentioribus, quippe ipſius Chriſti. Quàm deſiderem, inquit, vos omnes. Quoniam omnes tales eſtis, ſermone conſequi nequeo, quomodò vos deſiderem. Dici itaq; nequit, propterea Deo iſtud cognoſcendum permitto corda penetranti. Quòd ſi adulatus illis fuiſſet, Deum vtiq; teſtem non aduocaſſet. Neq; enim iſtud periculo caret. Hæc Chryſoſtomus. Apoſtolus nõ vno loco in ſuis Epiſtolis Deum teſtem adhibet. Inde ergo liquet, cùm grauis & iuſta ſubeſt cauſa, non eſſe illicitum iurare. Sed hodiè pleriq; ad tertiũ quodque verbum ferè adhibent iuramentum, quæ eſt reuerà peſſima conſuetudo: & dubium non eſt, quin tales ſæpè etiam ad res falſas magno ſcelere adhibeant iuramentum, & multis modis periurij crimine ſe obſtringant. Audiant illi quid dicat Auguſtinus Sermone de Decollatione Ioannis Baptiſtæ, qui extat: Falſa, inquit, iuratio, non eſt leue peccatum. immò tam magnum peccatum eſt falſum iurare, vt propter creatum falſæ iurationis Dominus prohibuerit omnem iurationem. Item Sermone alio in eodem feſto, qui etiam extat: Magnum malum eſt, inquit, falſa iuratio. Priùs ergo laborare debetis & confligere aduerſus conſuetudinem veſtram malam, malam, malam & valdè malam, & tollere iurationem de oribus veſtris, &c. *Et hoc oro, ut charitas veſtra magis ac magis abundet in omni ſcientia, & in omni ſenſu, ut probetis potiora.* Dilectionis menſura, inquit idem Chryſoſtomus, eſt, nequaquàm gradum figere. eſt enim iſtud inſatiabile bonum. Neque tamen ſimpliciter quamuis amicitiam, neque ſimpliciter dilectionem admiratur & celebrat, ſed eã quæ eſt ex cognitione, hoc eſt, qua non erga omnes ſit vtendum. Iſtud enim non dilectionis, ſed frigidi fuerit animi ac prius imbecillis. Quid eſt, In agnitione? Cum iudicio, cum ratione, cum ſenſu. Sunt enim, qui præter rationem quoſuis ſimpliciter ac fortuitò diligunt: vnde & fit, vt non ſint admodùm vehementes tales amicitiæ. In agnitione, inquit, & in ſenſu, vt probetis quæ ſint præſtãtia. Non propter me, ſed propter vos iſta dico. Timor enim eſt, ne quis hæreticorum dilectione corrumpatur. Sic Chryſoſtomus. Sunt quidem diligendi omnes, ſed non omnes familiariter. Hæreticum hominem, inquit Apoſtolus, poſt vnam & ſecundam correptionem deuita. Periculoſum eſt cum hæreticis miſcere familiaria colloquia, quia ſermo eorum vt cancer ſerpit. Vitanda eſt omnis occaſio peccati, quandoquidem fragiles ſumus, & multæ ſunt inſidiæ ſerpentis illius tortuoſi, qui per organa ſua multos euertit & perdit. Nec ſolùm hæretici, ſed etiam omnes alij vitandi ſunt, qui nos ab animæ ſalute impediant, etiam parentes & fratres atq; ſorores. Docet hoc Dominus in Euangelio multis locis, vt cùm ait de manu, pede, oculo ſcandalizante eruendo: & alibi: Qui non odit patrem ſuum & matrem, &c. Præclarè dictum eſt à D. Gregorio Papa libr. 7. in D. Iob. cap. 18. Sic propinquos ſicut noſmetipſos odio habere præcipimur, vt hos ad æterna rapientes, eorumque carnalem gratiam cùm præpedit poſtponentes, diſcamus temperata eos diſcretionis arte & conuenienter diligere, & ſalubriter odio habere, quatenùs ſic ſciat per amorem odium ſurgere, vt valeamus eos veriùs per odium amare. Et poſt pauca: Extra cognatos ergo quiſque ac proximos debet fieri, ſi vult parenti omnium veriùs iungi: quatenùs eoſdem quos propter Deum viriliter negligit, tanto ſolidiùs diligat, quanto in eis affectum ſolubilem copulæ carnalis ignorat. Debemus copulam terrenæ cognationis agnoſcere, ſed tamen hanc, cùm curſum mentis præpedit, ignorare: quatenùs fidelis animus diuino ſtudio accenſus, nec ea quæ ſibi ſunt in infimis coniuncta deſpiciat, & hæc apud ſemetipſum rectè ordinans, ſummorum amore tranſcendat. Hæc Gregorius. Eſt igitur ſemper in charitate progrediendum, & charitas impendenda omnibus, ſed tamen cum ſcientia, id eſt, vt vulgo loquimur, cum diſcretione, cum prudentia, vt nouerimus illos cautè fugere, à quibus ſaluti noſtræ periculum immineat: vti hac ratione probemus & amplectamur potiora atque vtiliora ſaluti. *Vt ſitis ſynceri, & ſine offenſa in diem Chriſti.* Hoc eſt, inquit Chryſoſtomus, ne adulterinum dogma dilectionis prætextu ſuſcipiatis. Quomodo igitur alibi, Cum omnibus, inquit, hominibus quãtùm in vobis eſt pacẽ habete?

Eſt Sermo 116. inijs, qui Louanij ſeparatim excuſi ſunt. Eſt ibid. Ser. 117.

Tit. 3. 2. Tim. 2.

Matt. 18.

Luc. 14.

Rom. 12.

Matt. 18. HEſterna die ſanctũ euangeliũ monuit nos, non negligere peccata noſtrorũ: ſed ſi peccauerit, inquit, in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolũ. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Si autem contempſerit, adhibe tecum duos vel tres, vt in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbũ. Si autem & ipſos contẽpſerit, dic Eccleſiæ. Quòd ſi & Eccleſiam contempſerit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Hodierna etiam die ad ipſam rem pertinet capitulũ quod ſequitur, quod modò cùm legeretur, audiuimus. Cùm enim dixiſſet hoc Dominus Ieſus Petro, ſubiecit & interrogauit magiſtrum, quoties ignoſceret fratri qui in illum peccaſſet, & quæſiuit vtrũ ſufficeret ſepties. Reſpondit illi Dominus: Non ſolùm ſepties, ſed etiam ſeptuagieſſepties. Deinde narrauit ſimilitudinem valdè terribilem: Quia ſimile eſt regnum cælorum homini patrifamilias, qui poſuit rationem cum ſeruis ſuis, in quibus inuenit debitorem decem millium talentorum. Et cùm iuſſiſſet vt omnia quæ habebat, & omnis eius familia, & ipſe venderetur, & debitum ſolueretur, aduolutus genibus domini ſui, rogabat eum dilationem, & meruit remiſſionem. Miſertus eſt enim eius dominus, (ſicut audiuim⁹) & omne debitum dimiſit illi. At ille debito liber, ſed iniquitatis ſeruus, poſtea quàm egreſſus eſt à facie domini ſui, inuenit etiam ipſe debitorem ſuũ, qui debebat non X. millia talentorum, quantum ipſius debitum fuit, ſed centum denarios. Cœpit eum ſuffocatum trahere, & dicere: Redde quod debes. At ille rogabat conſeruum, ſicut & ipſe rogauerat dominũ, ſed nõ talem iſte inuenit cõſeruũ, qualẽ ille dominũ. Nõ ſolũ remittere illi debitum noluit, ſed nec dilationem dedit, contortum rapiebat ad ſolutionem, iam debito domínico liber. Diſplicuit conſeruis, & renunciauerunt domino ſuo quid factum eſſet. Et dominus fecit adeſſe ſeruum, & dixit ei: Serue nequã, cùm mihi tanta deberes, miſertus tui, omnia dimiſi tibi: nónne ergo & te oportebat miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Et iuſsit omnia quæ illi dimiſerat, exigi cum tortura. Ergo hanc ſimilitudinem ad noſtram inſtructionem propoſuit, & admonendo nos perire noluit. Sic (inquit) & vobis faciet pater veſter cæleſtis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque veſtrum fratribus veſtris ex corde veſtro. Ecce fratres res in aperto eſt, admonitio vtilis ac valdè ſalubris: obedientia debetur, vt quod iuſſum eſt impleatur: quia omnis homo & debitor eſt Dei, & debitorem habet fratrem ſuum. Quis eſt enim, qui non ſit debitor Dei, niſi in quo nullum poteſt inueniri peccatum? Quis eſt autem qui non habeat debitorem fratrem, niſi in quem nemo peccauit? Putas ne quiſquam in genere humano reperiri poteſt, qui non & ipſe aliquo peccato

Eſt Sermo XV. De Verbis Domini. Matth. 18

DOMINICA XXIIII.
Matth. XVIII.

In illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis ſimilitudinem hanc: Simile factum eſt regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis. Et reliqua. Homilia beati Auguſtini.

to obstrictus sit fratri suo? Debitor est ergo omnis homo, habens & ipse debitorem. Ideò Deus iustus constituit tibi regulam in debitore tuo, quam faciet & ipse cum suo. Duo enim sunt opera misericordiæ, quæ nos liberant, quæ breuiter ipse Dominus posuit in euangelio: Dimittite, & dimittetur vobis: date, & dabitur vobis. Dimittite & dimittetur vobis, ad ignoscendum pertinet. Date & dabitur vobis ad præstandū beneficiū pertinet. Quod ait de ignoscēdo, & tu vis tibi ignosci cùm peccas, & habes alium cui possis ignoscere. Rursus qd pertinet ad tribuendū beneficiū, petit te mendicus, & tu es Dei mendicus. Omnes enim quando oramus, mendici Dei sumus, ante ianuam magni patrisfamilias stamus, immò etiam prosternimur supplices, ingemiscimus aliquid volentes accipere, & ipsum aliquid ipse Deus est. Quid à te petit mendicus? Panem. Et tu quid petis à Deo, nisi Christum qui dicit, Ego sum panis viuus qui de cælo descendi? Ignosci vobis vultis? ignoscite. Remittite, & remittetur vobis. Accipere vultis? date, & dabitur vobis. Sed quid in hac aperta præceptione mouere possit, audite. In remissione, vbi venia petitur, & ab ignoscente debetur, hoc potest mouere, quod & Petrum mouit:

Luc. 6. *Operum misericordiæ efficacia.*

Ioan. 6.

Matt. 18. Quoties (inquit) debeo ignoscere? sufficit vsque septies? Non sufficit, ait Dominus. Non dico septies, sed septuagiessepties. Iam tu enumera quoties in te peccauerit frater tuus: si potueris peruenire vsque ad septuagesimam & octauam culpam, vt transeas septuagies septies, tunc moliris vindictam. Ita ne verum est quod dicit? Et verè ita se res habet, vt si peccauerit septuagiessepties, ignoscas. Si autem peccauerit septuagiesocties, iam licet tibi non ignoscere? Audeo dicere, & si septuagies octies peccauerit, ignoscas. si aût peccauerit, vt dixi, septuagiesocties, ignosce: & si centies peccauerit, ignosce. Et quid dicā toties & toties? Omninò quoties peccauerit, ignosce. Ergo ego ausus sum supergredi modū Domini mei? Ille in septuagesimo & septimo numero ignoscendi limitem fixit: hunc ego limitem transilire præsumam? Non est verum, non sum ausus plus aliquid. Ipsum Dominum meum audiui loquentem in Apostolo suo, vbi modus

Coloss. 3. & numerus præfixus non est. Ait enim: Donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam, sicut Deus in Christo donauit vobis. Audistis formam. Si septuagiessepties peccata tibi Christus donauit, si hucusque ignouit, & vltra negauit: pone & tu limitem, & noli vlteriùs ignoscere. Si autem Christus millia peccata peccatorum inuenit, & tamen omnia donauit, noli subducere misericordiam, sed posce illius numeri solutionem. Non enim sine causa Dominus septuagiessepties dixit, cùm omnino nulla sit culpa, quam non debeas ignoscere. Ecce ille ipse seruus, de quo nobis sermo est, decem millium talentorum domino suo inuentus est debitor. Decem verò milllia talentorum, vt parum sit, decem millia peccatorum sunt. Nolo enim dicere vnum talentum, quòd omnia peccata concludat. Seruus autem ille quantum ei debebat? Centum denarios debebat. Iam plus est quàm septuagiessepties, & tamen iratus est dominus, quia non ei dimisit: Non solùm enim centum plus sunt quàm septuaginta septem, sed centum denarij fortè mille asses sunt. Sed quid ad decem millia talentorum? Ac per hoc omnes culpas, quæ in nos committuntur, parati simus ignoscere, si nobis desideramus ignosci. Si enim consideremus peccata nostra, & numeremus quid facto, quid oculo, quid aure, quid cogitatione, quid innumerabilibus motibus, nescio vtrùm dormiamus sine talento. Ergo quotidiè petimus, quotidiè diuinas aures orādo pulsa mus, quotidiè nos prosternimus & dicimus: Di- Matth. 6.
mitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimꝰ debitoribus nostris. Quæ debita tua? Omnia, an aliquam partem? Respondebis, Omnia. Sic ergo & tu debitori tuo. Hanc ergo regulam ponis, hanc conditionem loqueris, hoc pacto & pacto quando oras commemoras, vt dicas: Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Quid sibi ergo vult septuagiessepties? Audite fratres magnum mysterium, admirabile sacramentum. Quando Dominus baptizatus est, Lucas euangelista sanctus ibi Luc. 3.
commemorauit generationes eius, quo ordine, qua serie, quo stemmate ad illam generationem ventum fuerit, qua natus est Christus. Matthæus cœpit ab Abraham, & venit vsque ad Ioseph de- Matth. 1.
scendendo: Lucas autem ascendendo cœpit numerare. Quare ille descendendo, iste ascendendo? Quia Matthæus generationem Christi commendabat, qua descendit ad nos: ideò quando natus est Christus, cœpit numerare descendendo. Lucas autem, quia tunc cœpit numerare, quando baptizatus est Christus, vbi est initiū ascensionis, iste ascendēdo numerare cœpit: numerando autem complcuit generationes septuaginta & septem. A quo numerabat? Intendite à quo. Exorsus est numerare vsque ad ipsum Adam, qui primus peccauit, & nos cum peccati obligatione genauit. Peruenit vsque ad Adam, & numerantur generationes septuagintaseptem: hoc est, à Christo vsque ad Adam, quas diximus, septuagintaseptem, & ab Adam vsque ad Christum septuagintaseptem. Si ergo nulla generatio prætermissa est, nulla culpa præteritur, vbi non debeat ignosci. Nam ideò ipsius septuagintaseptem generationes enumeratæ sunt, quem numerum Dominus in peccatorum remissione commendabat, quoniam à baptismo cœpit numerare, vbi omnia peccata soluuntur. Et in hoc fratres adhuc accipite sacramentum maius. In septuagesimo septi-

Mysteria numeri septuagesimi septimi.

septimo numero, mysterium est remissionis peccatorum. Tot generationes inueniuntur à Christo vsq; ad Adam. Deinde paulò diligentiùs interroga ipsius numeri secretū, latebras q; inquire, pulsa diligentiùs vt aperiatur tibi. Iustitia lege Dei constat. Verum est, nam lex in X. præceptis commendatur: ideò ille debebat decem millia talentorum. Ipse est ille memorabilis decalogus, scriptus digito Dei, traditꝰ populo per Moysen famulum Dei. Debebat ergo ille X. millia talentorum: omnia peccata significat, propter numerum legis. Debebat & ille centum denarios, non minus ab eodem numero. Nam & centies centum, fiunt X. millia: & decies deni, fiunt centum. Et ille X millia, & ille decies denos. A legitimo enim numero non recessum est. In quo vtroq; inuenies vtraq; peccata. Vterq; debitor, & vterq; veniæ deplorator & impetrator. Sed ille seruus malus, seruus iniquus, ingratus, noluit rependere quod accepit, noluit præstare quod illi indigno præstitum fuit. Videte ergo fratres: Quisq; incipit à baptismo, liber exit, dimissa sunt ei X. millia talentorum: & cùm exierit, inuenire habet conseruum suum debitorem. Obseruet ergo ipsum peccatum, quia numerus vndenarius transgressio legis est. Lex enim denarius, peccatum vndenarius: lex enim per decem, peccatum per vndecim. Quare peccatū per vndecim? quia transgressio denarij est, vt eas ad vndenarium. In lege autem modus fixus est: transgressio autem peccatum est. Iam vbi transgrederis denarium, ad vndenarium venis. Adeò magnum mysterium figuratum est, quando iussum est tabernaculum fabricari. Multa ibi numerosa dicta sūt

Exod. 36. in magno sacramento. Inter cætera vela cilicina iussa sunt fieri, non decem sed vndecim, quia per cilicium ostenditur cōfessio peccatorum. Quid autem amplius quæris? Vis nosse omnia peccata contineri numero isto septuagesimoseptimo? Septimum solet pro toto computari, quoniam septem diebus voluitur tempus: & finito septenario rursus ad caput reditur, vt eadem forma voluatur. Per huiusmodi formæ reuolutiones secula transeunt, à septenario tamen numero nō receditur. Omnia enim peccata dixit, quādo septuagiessepties dixit: quia illud vndecim si ducas septies, fiunt septuagiessepties. Omnia ergo peccata dimitti voluit, qui ea septuagesimoseptimo numero præsignauit. Nemo contra se teneat nō ignoscendo, ne contra illum teneatur quando

Luc 6. orat. Dicit illi Deus: Dimitte, & dimittetur tibi. Sed ego prior dimisi, dimitte vel posteà. nam si non dimiseris, reuocabo te, & quicquid tibi dimiseram, replicabo tibi. Non enim mentitur veritas, non fallitur aut fallit CHRISTVS, qui sub-

Matt. 18. iecit, dicens: Sic & vobis faciet pater vester, qui in cælis est. Inuenis patrem, imitare patrem. Si enim imitari non vis, exhæredari disponis. Faciet ergo vobis ista, inquit, pater vester cælestis, si nō remiseritis vnusquisq; fratribus vestris ex cordibus vestris. Ne dicas in lingua, Ignosco, & corde differas. Supplicium enim tibi ostendit Deus, minando vindictam. Nouit Deus, vbi dicas. Vocem tuam homo audiuit, conscientiam tuam Deus inspicit. Si dicis dimitto, dimitte: melior es cùm clamas ore, & dimittis in corde quàm blādus ore, & crudelis in corde. Iam ergo obsecrant pueri indisciplinati, & nolunt vapulare, qui sic præscribunt nobis, quando volumus dare disciplinam: Peccaui, ignosce mihi. Ecce ignoui. Et iterùm peccat. Ignosce, ignoui. Peccat tertiò: Ignosce, tertiò ignoui: Iam quartò vapulet. Et ille: Nunquid septuagiessepties te fatigaui? Sic hac præscriptione seueritas disciplinæ dormiat, repressa disciplina, fœuit impunita nequitia. Quid ergo faciendum est? Corripiamus verbis, & si opus est, & verberibus, sed delictum dimittamus, culpam de corde abijciamus. Ideò enim Dominus subdidit, De cordibus vestris: vt si per charitatem imponitur disciplina, de corde lenitas nō recedat. Quid enim tam pium, quàm medicus ferens ferramentum? Plorat secandus, & secatur: plorat vrendus, & vritur. Non est illa crudelitas, absit vt fœuitia medici dicatur. Sæuit in vulnus, vt sanetur homo: quia si vulnus palpetur, homo perditur. Sic ergo ista monuerim fratres mei, vt fratres nostros, qui peccauerunt, omnimodò diligamus, de corde nostro charitatem in eos non dimittamus, & disciplinam cùm opus est demus, ne per solutionem disciplinæ crescat nequitia, & incipiamus propter Deum accusari, quia recitatum est nobis: Peccantes coram omnibus corripe, vt cæteri timorem habeant. Certè si quis quod solùm verum est, distinguit tempora, & soluit quæstionem, verum est. Si peccatum in secreto est, in secreto corripe. Si peccatum publicum est & apertū, publicè corripe, vt ille emendetur, & cæteri timeant. 1. Ti. 5.

Ex libri primi de Baptismo contra Donatistas cap. 12. sententia eiusdem Augustini.

REdire dimissa peccata, vbi fraterna charitas non est, Dominus apertissimè docet in euangelio de illo seruo, quem cùm inuenisset debitorem X. millium talentorum, deprecanti omnia dimisit. Ille autem conserui sui, qui ei debebat centum denarios, quum misertus non fuisset, iussit eum dominus reddere quæ ei dimiserat. Tempus ergo quo accipitur indulgentia per baptismum, tanquam tempus est reddendæ rationis, vt omnia debita quæ inuenta fuerint, dimittantur. Non tamen ille seruus posteà dedit conseruo suo mutuam pecuniā: quam cùm ille non posset reddere, non eius misertus est: sed iā ei debebat conseruus eius, cùm ipse rationem domino suo reddēs, tāti numeri debito solueretur: nec dimiserat cōseruo suo qd ei debebat, & sic accesserat, vt ei

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt ei dimitteret dominus. Hoc indicant verba conſerui,dicentis:Patientiam habe in me,& omnia reddam tibi. Alioquin diceret:Iam mihi hoc dimiſeras,cur iterum repetis? Hoc & ipſius Domini verba manifeſtiùs aperiunt. Ait enim:Egreſſus autem ſeruus ille, inuenit vnum de conſeruis ſuis,qui debebat ei centũ denarios. Nõ dixit, Cui centũ denariorũ iam debitũ dimiſerat. Si.n. dimiſerat,non ei debebat. Quia ergo dixit,Debebat ei,manifeſtũ eſt quia nõ dimiſerat. Et melius quidem fuerat atq; hoc potiùs congruebat tanto debitori reddituro rationem,& expectanti miſericordiam domini ſui, vt prior ipſe conſeruo dimitteret quod ei debebatur,& ſic ad rationem reddendam, vbi miſericordia domini imploranda erat,accederet. Nec tamen illud qđ nondum conſeruo dimiſerat, impediuit dominum eius,quò minùs in tempore illo accipiendę rationis dimitteret ei omnia quæ debebat. Sed quid profuit,quandoquidem in caput eius ꝓpter odiorum perſeuerantiam rurſùs omnia continuò replicata ſunt? Sic non impeditur baptiſmi gratia,quò minùs omnia peccata dimittat,etiam ſi odium fraternum in eius cui dimittuntur, animo perſeuerat. Soluitur enim heſternus dies, & quicquid ſupereſt ſoluitur,etiam ipſa hora momentumq; ante baptiſmum & in baptiſmo. Deinceps autem reus eſſe incipit continuò,non ſolùm conſequentium, ſed etiam præteritorum dierum,horarum, momentorum, redeuntibus omnibus quæ dimiſſa ſunt peccatis. Et ſæpè iſta contingunt in Eccleſia.

EADEM DOMINICA,
Matth. XVIII.

In illo tempore:Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc:Simile eſt regnum cælorum homini regi,qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis. Et reliq. Homilia.

SAluator noſter,dilectiſsimi, cum hominibus conuerſationem habens,non ſolùm peccata vitare nos docuit,ſed & qualiter à reatu peccatorum abſolui poſſemus, pio & quodam ſalubri conſilio nos inſtruere curauit. Eſt autem conſilium eius huiuſmodi, vt ſi volumus à debitis peccatorum noſtrorum coram Deo abſolui,nos quoq; offenſores noſtros à culpis,quibus erga nos rei tenetur, abſoluamus. Ad hæc autem non ſolùm frequenti noſtrorum exhortatione,ſed & operis executione nos inuitare dignatus eſt. Verborum exhortatione,cùm ait: Dimittite,& dimittemini. *Luc. 6.* Et rurſùm:Cùm ſtabitis ad orandum,dimittite, *Marc.11.* ſi quid habetis aduerſus aliquem. Et iterùm: Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater veſter cæleſtis peccata veſtra. *Matth. 6.* Et cùm interrogaretur à Petro, num vſque ſepties dimittendum eſſet fratri,ait: Non dico tibi vſq; ſepties,ſed vſq; ſeptuagieſſepties. *Matth.18* Operis quoq; executione grande ac memorabile huius rei nobis reliquit exemplum. Quidenim ait,cùm à crucifixorib. ſuis myrrha potaretur & felle,& ſubleuaretur in crucem? Pater,dimitte illis,quia neſciunt quid faciunt. *Luc.23.* Ita fratres Dominus Ieſus Chriſtus factus eſt nobis ſicut aquila,prouocans ad volandum pullos ſuos,& ſuper eos volitans. *Deu.32.* Parum illi viſum eſt ſolis verbis nos prouocaſſe ad volandum vſque ad eam perfectionem, qua diliguntur inimici, & ignoſcitur debitoribus, niſi & in ſeipſo eiuſdem rei nobis exemplum oſtendiſſet, & quaſi quodam ſublimi volatu ſuo ad imitandum ſe nos inuitaſſet. Certè homini ſenſato,& lapideum cor non habenti, ſolum hoc ſufficere debebat exemplum,& ſi omnis illa verborum exhortatio præmiſſa non fuiſſet. Et verbis quidem aliquando planis & manifeſtis ad hanc perfectionem nos inuitat, ſicut in præmiſsis patet exemplis. Aliquando verò & parabolicis,ſicut in euangelio quod præ manibus nunc habemus. Dicit enim: *Simile eſt regnum cælorum,* &c. Qui ſunt cæli,& quod eſt regnum cælorum,quod aſsimilatum eſt homini regi? Si, vt ait *Sapient.7* ſcriptura,anima iuſti ſedes eſt Dei, conſequens eſt,vt animæ ſanctorum cæli ſint. Sed & angelici ſpiritus cæli dicuntur,quos ad laudem Dei inuitat Pſalmiſta,dicens: Laudate eum cæli cælorum. *Pſal.148.* Regnum cælorum,id eſt,beatorum omnium,quid eſt niſi vita æterna? Vita autem æterna Chriſtus eſt,qui ait: Ego ſum via,veritas *Ioan.14.* & vita. Ipſe vtique terra viuentium,hæreditas ſanctorũ. Ipſe paradiſus voluptatis, locus ſpatioſus in quo ſtatuitur pes fidelium. Ipſe & rex & regnum ſanctorum,in quo,cum quo, & per quẽ regnant omnes electi. Regnum itaque cælorum, Chriſtus eſt. Benè autem hoc regnum cælorum comparatur homini regi,qui miſericors eſſe perhibetur debitorem abſoluendo, & iuſtus ingratum puniendo: quoniam & Chriſtus homo,& rex regum, & multùm miſericors miſericordiam quærentibus,& iudex durus ingratis.

Qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis. Tres ſunt ſerui regis noſtri, cum quibus rationem ponere habet de debitis ſuis. Vnus eſt, qui nunquàm à debito abſolui vel poſtulat, vel meretur. Alter, qui ad tempus quidem abſoluitur, ſed ingratus efficitur. Tertius, qui & abſoluitur, & gratus permanet. Seruus qui nunquam à debito abſoluitur,vniuerſus infidelium eſt populus,qui inæſtimabili debito coram creatore ſuo conſtrictus, abſolutionem nec vnquam meretur, nec vnquam inuenit,iamque à Deo iudicatus eſt. Duo reliqui ſerui,duo genera hominum ſunt, ad fidem Eccleſiæ venientium. Nam cùm electi & reprobi quotidiè ſacramẽta eccleſiaſtica ſuſci

Tres ſerui Chriſti, rationem reposcendi.

cipiunt, ſimul cum illis in Eccleſiæ gremio nutriuntur,ſed aduerſarij illis,& doloribus multis eos afficere non deſinunt, & coartat Eſau Iacob in viſceribus matris. Sunt ergo in Eccleſia ſerui duo, bonus & malus,electus & reprobus.

Duo ſerui intra Eccleſiam.

Nam tertius ille de quo diximus,foris eſt. Et omnes quidem ſerui ſunt ſummi regis, qui ad ſibi ſeruiendum ſeq; laudandum omnes ad imaginem ſuam condidit,ſed à ſeruitio eius duo recedunt,vnus autem permanet. Sed quod eſt debitum,quod debent ſinguli domino ſuo? Debiti nomine peccatum in ſcripturis appellari, ex hoc perpendimus,quòd dum docuiſſet ſaluator ſic nobis orandum eſſe: Dimitte nobis debita noſtra,ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: ſtatim poſt pauca ſubiecit: Si enim non dimiſeritis hominibus peccata eorum, nec pater veſter cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra. Hoc autem debito omnis homo obligatus eſt Deo.

Matth.6.

Omnes enim in peccatis concipimur, & in peccatis naſcimur,& in peccatis omni tempore viuimus. Ponit autem rationem cum ſeruis ſuis Dominus,quando per ora prædicatorum, ſiue etiam per occultam inſpirationem culpas quorumlibet delinquentium redarguit, & ſatisfactionem de peccatis exigit. Audit ſeruus ille infidelis,contemnit, induratur ad increpationem, veniam nec quærit,nec inuenit,ſed damnatur in infidelitate ſua. Audit ſeruus electus,compungitur,ſatisfacit,de peccatis abſoluitur,& permanet gratus,quia & delinquentibus in ſe conſeruis ſuis libẽter ignoſcit. Quid autem agat ille ſeruus reprobus, qui quidem cum electis ad tempus in Eccleſia conuerſatur,audiamus ex verbis euangelicæ lectionis is enim eſt,de quo dicitur: *Obtulit eſt unus,qui debebat decem millia talenta.* Debitor plurium talentorum, eſt homo multorum criminalium peccatorum reus,qualia ſunt adulterium,homicidium,ſacrilegium, furtum, periurium,rapina,aut etiam infidelitas & ſimilia. Talenti autem nomine aptè deſignantur quæ huiuſmodi ſunt,pro eo quòd hæc grauiſsima ſunt: ſicut hoc genus ponderis inter cætera pondera, quæ certis nuncupationibus diſtinguuntur,grauiſsimum eſt. Vnde & in Zacharia propheta talenti nomine impietas deſignatur, cum dicitur:Et vidi,& ecce talentum plumbi portabatur, & proiecit illud in medio amphoræ,& dixit: Hæc eſt impietas. Sicut autem talenti diuerſæ ſunt ſpecies, ita & ipſa criminalia inter ſe differentia ſunt. Et reuerà fortaſſe,quia nomine talenti peccata grauiſsima intelligi voluit,non adiecit vt diceret talenta auri,aut argenti,quia nomina hæc precioſarum rerum ſignificatiua ſunt, vtpotè virtutum atque ſcientiæ: ſed ſimpliciter dixit,Decem talenta. Mille verò talenta debere dicatur,qui quodlibet grande peccatum toties iterauerit, vt etiam in conſuetudinem duxerit. Aptè enim per millenarium, qui quartus eſt in ordine eorum numerorum, à quibus inchoatur numerandi progreſsio, conſuetudo peccati intelligi poteſt, quæ & ipſa in progreſſu peccatorum quartum obtinet locum. Sicut enim ab vnitate vſque ad decem per adiectionem vnitatum, & à decem vſque ad centum per adiectionem denariorum,& à centum vſque ad mille per adiectionem centenariorum numerando progredimur, ſic à delectatione peccati,quæ prima eſt,vſque ad conſenſum: à conſenſu vſque ad actum,ab actu vſque ad conſuetudinem progreſſio fit. Decies autem mille talenta debet, qui cuncta decalogi mandata iniqua conſuetudine violauit,iamque omnis iuſtitiæ cõtemptor effectus eſt. Sicut enim poſt mille, quintus inter limites numerorum eſt decem millia, ita poſt peccandi conſuetudinem quintum obtinet locũ contemptus, iuxta illud qđ alibi dicitur: Impiùs cùm venerit in profundum vitiorum, contemnit. Quòd ſi cui onerosa eſt expoſitio hęc, dicat ſimpliciter decem millia talenta debere eum,qui multa criminalia peccata commiſit,ſitque, vt fieri ſolet,numerus finitus pro infinito poſitus. Sequitur: *Cùm autem non haberet unde redderet,iuſſit eum dominus ſuus uenundari &c.* Peccator cùm arguitur à Domino per os miniſtri ſui, ſiue per propriam conſcientiam,non habet vnde reddat debitum,dum adhuc ad correptionẽ cor obdurat,dum nec timore concutitur, nec ſalubri dolore compungitur,nec ad lachrymas vſq; ſuccenditur. Iubet ergo dominus miniſtris ſuis venundare eum qui eiuſmodi eſt,cum vxore & filijs,vt debitum poſsit exolui. Iuxta eum loquendi modum,quo viuificare dicuntur animas, qui viuere eas pronunciant: & mortificare, qui mortuas eſſe teſtantur: etiam venundare peccatorem non incongruè dici poſſunt miniſtri Domini, qui eum poſt ſimplicem & blandam admonitionem aſpera inuectione minis gehennæ perterrent,atq; in poteſtatem ſatanæ venundatum eſſe pronunciant. Moneta quippe diaboli peccatum eſt,pro cuius breui delectamento in manus illius ſe tradit homo cùm peccat. Vnde in perſona peccatoris Apoſtolus loquens,ait: Ego autem carnalis, venundatus ſum ſub peccato. Et per prophetam peccatoribus dicitur: Gratis venũdati eſtis. Vtique gratis, quia peccatum pro quo ſe vendit homo,nullius eſt precij,& nihil eſt, & nihil fiunt homines cùm peccant. Vxorem quoq; peccatoris vnà cum filijs venundari, eſt concupiſcentiam eius prauam,atque opera iniquitatis, quæ ex ipſa propagata ſunt,pro æternis cruciatibus venundata, firmis aſſertionibus comprobare. Alium quoq; venundationis modum in hoc loco poſſumus intueri. Iubet eccleſiaſtica regula eos, qui manifeſtis criminibus detinentur, & correctionem non recipiunt,per excommunicationis ſententiam à communione Eccleſiæ alienos fieri,& ſic ſatanæ tradi,vt ſpiritus ſaluus fiat per pœnitentiam. Nunquid enim non bona venditio quædam eſt, cùm tradimus ſatanæ peccato-

Conſuetudo peccandi.

Prou. 18.

Roma. 7.

Eſai. 52.

Zach. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rem, vt recipiamus iustum pœnitentem? Sic vendidit Apostolus fornicatorem, de quo ad Corin-
1. Cor. 5. thios loquitur, dicens: Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui vt præsens eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, tradere huiusmodi satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat in die Domini nostri Iesu Christi. Sed quasi alium virum pro eo recepit, quando emendatum com-
2. Cor. 2. munioni Ecclesiæ admisit, scribens pro eo Corinthijs, vt consolarentur eum, & confirmarent illum in charitate. Vxorem quoque obstinati peccatoris vendere iubemur, quia non solùm secundùm spiritualem, sed & secundùm carnalem communionem à nobis alienandus est, vt & totus satanæ deditus appareat, videlicet spiritu & carne. Vxoris quippe nomine caro solet intelligi. Hinc Apostolus ait: Si is qui nominatur frater, est auarus, aut fornicator, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere. Nónne ergo benè vxorem impij vendunt nonnulli prælatorum, qui eisdem quos spirituali communione priuauerunt, vel ab alijs priuatos cognouerunt, alicuius familiaritatis causa carnaliter communicare non formidant? Filios similiter vendere, est eos qui consentiunt vel communicant excommunicatis, eadem ferire sententia. Horrendus est vterq; modus venditionis, & nonnunquàm durissima corda etiam reproborum non mediocriter conturbat, ita vt iniquitate sua ad tempus dimissa, cum lachrymis humilientur coram ministris Domini, & satisfactionem quantumlibet asperam exhibeant: quod est procedere ante Dominum: de qualium numero est seruus hic, de quo dicitur: *Procidens autem seruus ille, rogabat eum, dicens:*
Psalm. 6. *Patientiam habe in me.* Ac si diceret: Domine, ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias
ibidem. me. *Et omnia reddam tibi.* Quod est dicere: Lauabo per singulas noctes lectum meum, hoc est, per singula peccata quibus iram merui, cóscientiam meam emundare studebo. Sequitur: *Misertus autem dominus serui illius, dimisit eum, ac omne debitum dimi-*
Psal. 144. *sit illi.* Miserationes Domini super omnia opera eius: quia non solùm electis, sed & reprobis qui ad tempus credunt, siue ad tempus fructus pœnitentiæ exercent, per baptismum aut pœnitentiam peccata dimittit, sicut per prophetam promit
Ezech. 33 tit, dicens: Si dixero impio, Morte morieris, & conuersus egerit pœnitentiam à peccato suo, fecerit q; iudicium & iustitiam, omnia peccata eius quæ peccauit, non imputabuntur ei. *Egressus autem seruus ille, inuenit unum ex conseruis suis, qui debebat ei centum denarios.* Omne debitum quod homo homini obligari potest, parui ponderis est, respectu eius quo erga Deum reus tenetur, ac si decem millibus talentorum centum denarij comparentur. *Et tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Et procidens seruus ille, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit: sed abiens misit eum in carcerem, quousque redderet uniuersum debitum.* In verbo suffocandi, superba & tyrannica debiti exactio notatur, quæ fit cùm vel per vim vel per asperas obiurgationes debitor ita opprimitur, & quasi strangulatur, vt vix respondendi aut excusandi facultatem possit habere. In carcerem verò mittitur, dum coram iudice statuitur, ac per districtam iustitiam vndique coarctatur, vt nullus euadendi locus relinquatur. *Videntes autem conserui eius quæ fiebant &c.* Conserui nostri qui contristantur super iniquitate nostra, & Domino eam annunciant, iusti viri sunt, qui zelo iustitiæ accensi, dum enormitates nostras corrigere non valent, ad Deum suspirant, & correctionem nostram illi committunt.
Matth. 18 Sed & angeli Dei, conserui nostri dicuntur, qui semper vident faciem patris, & omnia nostra intuentes, in conspectu Dei singula annunciant. *Tunc uocauit eum dominus suus &c.* Seruus nequam de ingratitudine iudicandus à Domino vocatur, & tortoribus traditur, cùm de hac vita per mortem rapitur, & potestati pessimorum spirituum torquendus subijcitur. *Tradidit, inquit, eum tortoribus, quousque redderet uniuersum debitum. Sic & pater meus cælestis faciet uobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus uestris.* Formidanda nimium & horrore plena sententia in hoc loco fratres nobis intimatur, videlicet quòd si immisericordes exiterimus erga debitores nostros, non solùm ea peccata, quæ post remissionem commisimus, sed & ea quæ vel per baptismum, siue per pœnitentiam nobis dimissa sunt, in nobis esse puniendа. Vnde quidam ex patribus ait: Qui diuini oblitus beneficij, suas vult vindicare iniurias, non solùm de futuris peccatis veniam non meretur, sed etiam præterita quæ sibi dimissa credebat, ad vindictam replicabuntur. Idem rursùs ait: Peccatum quod ex Adam trahitur, temporaliter redditur, quia omnes propter hoc moriuntur, non autem in æternum eis, qui per gratiam renascuntur, si in ea permanserint. Item alius: Ex dictis euangelij constat, quia si quod in nos delinquitur, ex corde non dimittimus, & illud rursùs exigitur, quod iam per pœnitentiam dimissum gaudebamus. Alius quoque eadem affirmat, dicens: Considerandum est, quod dicit vniuersum debitum: quia non solùm peccata, quæ post baptismum gerit homo, reputabuntur ei ad pœnam, sed etiam originalia peccata quæ in baptismo ei dimissa sunt. Item ex verbis propheræ eadem sententia confirmatur, cum
Ezec. 18. dicitur: Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem secundùm omnes abominationes, quas operari solet impius, nunquid viuet? Omnes iustitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur. Si enim omnes iustitiæ quas fecit, in obli-

Peccata etiam commissa donata in quibus puniantur.

obliuionem ducuntur, ergo & pœnitentia quam pro peccatis exhibuit, in nihilum reputanda est. Restat igitur ad pœnam reuocari peccata, pro quibus pœnitentia exhibita fuerat, cùm nihil sit, quod illa excuset. Sed fortè quærit aliquis, quomodò peccatum quod imputatur peccatori ad pœnam, remissum fuit ei in baptismo aut pœnitentia? Ad quod dicimus, quoniam eo tempore in tali statu per gratiam Domini constitutus fuerat, in quo si permansisset, nequaquam ei præterita peccata nocitura fuissent: quod vtique fuit à peccatis esse solutum. Quid ergo fratres dicemus ad hoc? Horrenda planè, & supra modum timenda est sententia quam audistis. Quid obsecro proderit nobis baptizatos esse, animas nostras sæpiùs afflixisse ieiunijs, vigilijs, ac cæteris operibus pœnitentiæ, eleemosynas quoque pauperibus distribuisse, vt remissionem accipiamus peccatorum, si peccata nostra quæ his remedijs iam nobis à Deo dimissa sunt, iterùm prauitate nostra aduersùs nosmetipsos suscitamus? Quid prodest vulnerato plagam sanasse, si propria negligentia cicatricem corrumpat, ac denuò vulnus aperiat? Planè iuxta sermonem Domini, & patrum assertiones, vulnera nostra à cælesti medico iam sanata, videlicet peccata iam nobis dimissa, in nostram perniciem suscitamus, ita vt in futuro examine singula cruciatum suum nobis inferant, si odium erga debitores nostros gerimus, si veniam delictorum postulantibus, obstinatè & immisericorditer denegamus. Illud quoq; attendendum, quod non simpliciter, si non dimiseritis, sed si non dimiseritis, inquit, in cordibus vestris. Hoc quippe additamento si-
Simulata cõciliatio. mulatam reconciliationem exclusit, quæ fit cùm quis importunitate rogantium euictus, odio in corde retento, pacem cum inimico simulat, opportunum tempus vindictæ expectans. Restat
Grande peccatorũ remedium, facilis ignoscentia. ergo charissimi, vt grande illud remedium peccatorum, quod tanta diligentia sæpiùs à saluatore nobis commendatum est, & sine quo infructuosum nobis est, quicquid pro obtinenda coram Deo venia delictorum agimus, solerter seruare curemus. Supportemus cum omni mansuetudine iniurias proximorum, simus ad ignoscẽdum debitoribus mansueti, ad miserẽdum misericordiam quærentibus parati, vt & nos in conspectu districti iudicis nostri misericordiam inuenire possimus, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum patre, &c.

RISTE Rex, ipse est qui hæc loquitur, Deus & homo, Iesus Christus Dominus noster. Qui quotidiè cum seruis suis rationem ponit, quoniam per episcopos & sacerdotes hominum peccata dijudicat, dum vnusquisque ad pœnitentiam veniens, quantum debeat & in quibus peccauerit Domi-
Confessio sacramento no confitetur. Ille autem vnus, qui decem millia *talis.* talenta debebat, quis alius intelligitur, nisi omnes illi, qui plùs cæteris in omnibus peccant? Sed quare cum hoc priùs rationem Dominus ponere voluit, nisi vt huius exemplo cæteri intelligerent, quid in suis rationibus responderent, & quantam spem habere potuissent? Si enim ei, qui plus cæteris debebat, quoniam se humiliauerat, omne debitum Dominus dimisit, quanto magis alijs qui non tantum peccauerunt, si dignè pœnituerint, omnia peccata dimittet? Ideò enim decem millia talenta posuit, quia hoc debito nullum aliud debitum maius est. Omnes enim numeri in hoc numero continentur, quoniam ex denis numeris multiplicatur: cuius vnaquæque pars tam perfecta est, vt replicari quidem possit, crescere verò non possit. Quum enim vsq; ad decem numeramus, nisi iterùm ab vno incipiamus, nihil habemus quod dicamus. Similiter autem fit, vt quum venimus ad centum, & similiter quum venimus ad mille, atq; similiter quum venimus ad decem millia. Decies enim decem fiunt centum, & decies centum fiunt mille, & decies mille fiunt decem millia. Hoc igitur debito maius debitum non est. Sed videamus quid sequitur. *Quum autem non haberet unde redderet, iussit eum dominus eius uenundari, & uxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi.* Peccator enim ad pœni-
Peccatori, ut soluat debitum, quid agendum. tentiam veniens, non priùs habet vnde debitum soluat, donec ex toto humiliatus, sacerdotum consilio, semper omnibus obedire promittat. Ideoq; & à sacerdotibus dicitur: Nisi debitum solueris & pœnitentiam egeris, tu & vxor tua, filij tui, & cuncta quæ possides, in æternum peribitis. Per quod datur intelligi, quod ipse totus carneus simul cum anima sua, cunctisq; sensibus corporis sui, incendijs tradetur æternis: vt per vxorem animam, per filios verò, sensus corporis intelligamus. Qui enim cum his omnibus cruciatur, in nulla parte sui requiem habet. Si autem his auditis contemiserit, & satisfacere & obedire promittat, procidensq; à piissimo Domino pœnitentiam & misericordiam sibi fieri deprecetur, fiet ei: quod sequentia manifestant. *Misertus* (inquit) *Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit illi.* Ecce dimissum est tibi debitum: in bono perseueres, dimitte tu quoq; debitorib. tuis, sicut & tibi dimissum est debitum tuum. Quod si facere nolueris, audi & expecta quod sequitur. *Egressus autem seruus ille, inuenit unum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios: & tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes.* Valde paruum debitũ est centum denariorum, ad cõparationem decẽ mil-

EADEM DOMINICA,
HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Simile est regnum cælorum homini regi, qui uoluit rationem ponere cum seruis suis. Matth. 18.

Universidad de Deusto
Biblioteca

millium talentorum. Stultissimus igitur est, qui centum denarios non vult dimittere ea conditione, vt ei decem millia talenta dimittatur. *Et procidens conseruus eius rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, sed abijt & misit eum in carcerem, donec redderet debitum.* Fortasse iste non audiuit, aut si audiuit non intellexit, & paruipendendo neglexit, quod alibi Dominus ait: Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis. Estote ergo misericordes, sicut & pater vester misericors est. Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non cõdemnabimini: dimittite, & dimittetur vobis: date, & dabitur vobis. Ideò enim misericordia inter alias virtutes superior est, quia quicunque misericordiam nõ habuerint, ipsi quoq; sine misericordia cruciabũtur. Vnde & diuiti illi famoso & misero ab Abraham dicitur: Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. *Videntes autem conserui eius quæ fiebant, contristati sunt valdè: & uenerunt & narrauerunt Domino suo omnia, quæ facta fuerant.* Isti enim conserui, & angeli & homines intelliguntur. Omnes enim sunt conserui, qui vnius sunt Domini serui. Et isti quidem iniquorum oppressionem & miserorũ afflictionem Domino narrant, qui pro his assiduè ad Deum clamant. *Tunc uocauit illum dominus suus, & ait illi: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusq; redderet uniuersum debitum.* Tortores isti, maligni spiritus sunt, qui-bus miser homo ad puniendum traditur: neque de eorum potestate eripitur, donec vniuersum debitum reddat. Nunquam igitur de illorum potestate eripitur, quoniam hoc debitum semper redditur, nunquam tamen in integrum soluitur. Hanc autem totam similitudinem ad quid attulerit, ipse Dominus protinùs exponit, dicens: *Sic & pater meus cælestis faciet uobis, si non remiseritis fratri suo unusquisque de cordibus uestris.* Non enim sufficit labijs dimittere, nisi & ora & corda conueniant.

Luc. 6.

Misericordiæ præstantia.

Luc. 16.

Tortores, dæmones.

DOMINICA XXIIII. POST PENTECOSTEN,

In Epistolam Concio exegetica.

PVlcherrimè Apostolus huius diei lectione nos instituit, quid interfit inter veros & falsos Christianos. Multi Christum ore prædicant & iactitant, sed si eorum vitam & mores intuearis, nihil dixeris minùs eos esse, quàm Christianos, quales à Christo dici volunt. Ad id genus homines pertinet illud Ieremiæ: Propè es tu Domine ori eorum, & longè à renibus eorum. Horum animus præsentis vitæ oblectamentis totus addictus, fastidit & contemnit illa immensa bona, quæ præparauit Deus diligentibus se, quos propterea rectè dicit Apostolus terrena sapere. Atqui verò Christiani synceri & germani in hoc mundo vt exules & peregrini degunt corpore, animo versantur in cælis tanquàm in patria, ad quam aspirãt, cui se præparant quotidiè, & cauent diligenter ea, quæ ab illa possint remorari, vt sunt vitia & peccata & peccandi occasiones. Sciunt enim nihil coinquinatum in illam ingressurum. Ad Apostolum accedamus, & ab illo explicatiùs discamus: *Imitatores mei estote fratres, & obseruate eos, qui sic ita ambulant sicut habetis formam nostram.* Dixerat suprà, ait Chrysostomus: Cauete canes. Abduxerat eos ab illis: iam adducit, quos imitari oporteat. Si quisquam est, inquit, qui nos imitari vult, si quis est eadem via incedens, illos obseruate. Licet ego non adsim, nostis tamen incessus mei modum, hoc est, vitæ conuersationem. Non enim solis verbis docuit, sed & re ipsa. Quemadmodum in choro & exercitu choragum & ducem reliquos imitari oportet, atque ita compositè incedendum est. Potest enim ordo vel à statione dissolui & dissipari. Exemplar ergo erant apostoli, primarij quidam exemplaris imaginem seruantes. Cogitate quàm exacta illis vita fuerit, vt archetypum & exemplum viuasque leges alijs exhiberent. Quod enim literæ referebant, illud re ipsa omnibus conspicuum faciebant. Ea demùm est optima doctrina: ita discipulus induci & persuaderi poterit. Si enim doctor verbis quidem doceat ac philosophetur, operibus verò contraria fecerit, nondum doctor erit. Nam isthuc & discipulo facile præstitu fuerit, nempe verbis philosophari. Sed opus est admonitione & inductione, quæ fit ex ipsis operibus. Ista quippe & doctorem venerabilem facit, & discipulum obsequentem. Et infrà: Paulum, inquit, imitemur, & nulla nobis erit mœstitiæ causa. Quid enim talem, dic quæso, contristare poterit? Nihil, quousque à virtute abstracti non fuerimus. Omnibus erat hominibus iste beatior etiam hic, nedum in alio seculo. Sit enim virtute quisquam præditus, etsi vxorem habeat, & liberos, & pecunias, & gloriam multam, cum his omnibus virtute firmus & solidus manebit. Si ea verò amiserit, & sic quoque firmus & solidus erit, neque ab afflictionibus demersus, neque ab ipsa rerum prosperitate tumidus: sed vt petra tam procelloso mari quàm tranquillo æquè firma persistit, neque à procellis fracta, neque à tranquillitate aliud quicquàm perpessa: ita & animus solidus, tam in tranquillo, quàm in procellis firmus & inconcussus perstat. Hæc Chrysostomus. Ambrosius verò hunc locum exponit his verbis: Vult illos solicitos esse, ne prauorum hominum subtilitate capiantur, & notare

Apoc. 21.

Philip. 3.

Ibidem.

Vita Apostolorum, archetypus & viuæ leges.

Ier. 12.

tare vnumquemque qualiter & conuersetur & doceat: vt his iungantur, in quibus sensum magistri sui agnouerint. Ita Ambrosius. *Multi enim ambulant, quos sæpè dicebam uobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi: quorum finis interitus, quorum Deus uenter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Nihil est, ait Chrysostomus, quod adeò sit inconcinnum & alienum à Christiano, atq; requiem & recreationem quærere; & ad præsentem vitam nimium affici, alienum est à professione & militia nostra. Dominus tuus crucifixus est, & tu deliciaris? Et vbi sunt ista militis generosi? Propterea & Paulus dicit: Multi ambulant, de quibus sæpè dixi vobis, nũc autem & flens dico, inimici crucis Christi. Erant enim quidam simulantes quidem Christianissimum, remisse tamen & delicatè viuentes, hoc autem contrarium erat cruci. Quapropter ista dixit. Crux enim animi est ad aciem instructi & mortificati, nihilque remissi quærentis: illi verò contraria sunt conuersatione. Itaque etsi dicant se Christi esse, sunt tamen inimici crucis. Nam alioquin si crucem dilexissent, vitam studuissent viuere crucifixam. Non est crucifixus Dominus tuus? Imitare Dominum, crucifige teipsum, etiamsi nemo te crucifigat. Crucifige teipsum, non vt teipsum interimas, absit: esset enim hoc impium: sed quomodò Paulus dixit: Mihi enim, inquit, mundus crucifixus est, & ego mundo. Si diligis Dominum tuum, mortem illius morere. Disce quanta sit crucis virtus, quanta peregit, & quanta adhuc perficiat, quomodò sit munimentum vitæ. Per hanc perfecta redduntur omnia: baptisma quoque per crucem datur. Oportet enim signaculum istud assumere. Et manus imponuntur per crucem, & cruce vtimur siue in itinere simus, siue in domo, aut certè vbicunque simus. Magnum bonum est crux, salutaris armatura, scutum inexpugnabile. Cùm ergo sis illi inimicus, gestas crucem? Non solùm obsignatus sis cruce, sed & crucem patiens. Et post pauca: Isti degeneres, & vitæ & corporis amantes, inimici sunt crucis. Et quisquis delicijs gaudet vitæque huius securitate, inimicus est crucis. *Nunc autem, inquit, & flens dico.* Quare? Quoniam creuit malum, quoniam digni sunt isti, qui defleantur. Reuerà sunt lachrymis digni, qui deliciantur, qui indumentum quidem, id est, corpus benè saginantes, futuri verò supplicij, quod laturi sunt, nullam rationem habent. Esto delicieris, esto inebrieris hodiè & cras, & annos decem, & viginti, & triginta, & quinquaginta, & centum etiam, quod est impossibile: immò si voles, ponamus etiam quid vltra centum: quid verò lucraberis? Nihil. Talem ergo viuere vitam, non est lachrymis & lamentis dignum? *Quorum Deus uenter est.* Quid est illis Deus? Hoc scilicet, Comedamus & bibamus. Vides quantum malum sint deliciæ? Alijs quidem pecuniæ, alijs verò venter Deus est. An non & isti idololatræ sunt, illis quoque peiores? Et gloria in dedecore eorum. De circuncisione quidem hoc intelligunt, ego verò non hoc dico. Sed hoc est, quod dicit Apostolus: In quibus debebant pudefieri, in illis etiam gloriantur. Graue quidem est & malum turpia patrare: patrantem verò pudefieri mediocriter malum est. Quòd si verò quisquam malè agens gloriatur etiam, excellens est stupiditas. Et infrà: Quorum Deus, inquit, venter est, & gloria in dedecore eorum. Qui nam sunt illi? Qui terrestria, inquit, curant: (Noster interpres habet, Qui terrena sapiunt) Aedificemus domos. Vbi? In terra, inquiunt: Possideamus agros. In terra rursùs. Acquiramus principatum. Iterùm in terra. Potiamur gloria. In terra quoque. Ditescamus. Omnia in terra. Isti sunt, quorum Deus venter est. Qui enim nihil rerum spiritualium curant, sed hic omnia possident, & terrena ista curant, meritò Deum ventrem habent, dicentes: Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Ventrem accepisti vt nutrias, non vt saginando extendas: vt domineris illius, non vt tibi eum dominum habeas: vt tibi ad alendas reliquas corporis partes inseruiat, non vt tu ipsi inseruias, non vt terminos naturæ excedas. Tanta mala non facit mare fines suos transgressum, quanta venter, si corpus nostrum cũ nimia gula anima superauerit. Pone illi terminum, naturæ & uenis sufficientiã, quemadmodum Deus mari posuit arenam. Videamus quomodò Paulus seruierit Deo, videamus quomodò & gulosi seruiant ventri. Non innumeras mortes sustinent tales? an non ad impossibilia ventri seruiunt? Non mancipijs quibuslibet peiùs habent? *Nostra uerò conuersatio, inquit, in cælis est.* Ne quæramus ergo requiem in hac vita. In cælis splendidi sumus, vbi & conuersamur. *Vnde etiam saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Ex cælo, inquit, saluator noster veniet, & à loco & à persona grauitatem & sublimitatem Christi ostendens. Qui transfigurabit, inquit, corpus nostrum humile. Multa patitur nunc corpus, ligatur, verberatur, mille mala patitur: sed & Christi corpus tanta passum est. Hoc igitur innuit, dicens, Vt conforme fiat corpori suo glorioso. Igitur idem quidem est, induet verò incorruptionem. Transfigurabit. Ergo & habitum alium dabit: aut immutationem ita abusiuè vocauit. Corpus verò nostrum humile dixit, eò quòd abiectum nunc sit, & corruptioni ac doloribus obnoxium. Videtur vile esse, nihil præ cæteris habere præcipui. Vt conforme fiat, inquit, corpori suo glorioso. Papæ, illi ne quod ad dextram patris sedet, con-

Not a Christiane mollis & delicatule.

Crucis vis & efficacia.

Crucis signo uti antiquissimũ.

Quàm pertransgressum, quanta venter, si corpus nostrum cũ nimia gula anima superauerit.

Oo 3 for-

Universidad de Deusto
Biblioteca

forme fiet hoc corpus ? illi quod adoratur ab angelis ? illi cui adstant incorporales illę virtutes ? illi quod est super omnem principatum & potestatem & virtutem ? illi conforme fiet? Si ergo totus orbis sumptis lachrymis eos deflet, qui ab ista spe deciderunt, num dignè collachrymaretur quòd cùm promissio nobis sit facta, futurum corpus nostrum corpori Christi ita glorioso conforme, illi cum dęmonibus abeunt? Nihil curabo ampliùs gehennam, quæcunq; dixeris nullius æstimabo ad istam collata ruinam. Quid dicis ó Paule? Illi conforme fiet? Etiam, inquit. Deinde ne diffidas, rationem quoq; adduxit: *Secundùm operationem uirtutis suæ, qua etiam possit subijcere sibi omnia.* Potentiam habet, inquit, vt omnia subijciat sibi: itaque & corruptionem & mortem. Poterunt spes istæ quanuis pigrum ac somnolentum erigere. *Itaq; fratres mei charissimi & desideratissimi, gaudium meum, & corona mea, sic state in Domino charissimi.* Sic. Quomodò? Immoti. Vide quomodò post adhortationem subiungat encomia. Gaudium & corona mea: non simpliciter gaudium, sed & gloria: non simpliciter gloria, sed & corona. Cui gloriæ non fuerit adæquandum, quòd Pauli corona isti sunt? Sic state in Domino dilecti, id est, in spe Dei. *Euodiam rogo & Syntichen deprecor, idipsum sapere in Domino.* *Etiam rogo & te germane compar, adiuua illas, quæ mecum laborauerunt in euangelio cum Clemente & cæteris adiutoribus meis, quorum nomina sunt in libro uitæ.* Quidam dicunt eum hic obsecrare vxorem suam. Sed non est. Hucusq; prolixè Chrysostomus.

Quã sint miseri, qui se priuant beatitudine.

Error eorum, qui putant Apostolum habuisse uxorem.

Porrò Oecumenij in hunc locum hæc sunt: Ex hoc (puta, quòd dicit, Germane compar) quidã suspicati sunt vxorem habere Paulum, & huic scribere: sed insulsum est hoc. Quale enim esset, si Philippis eam hospitem & aduenam reliquisset, & neque Tarsi, vnde oriundus erat, neque Hierusalem, vbi nutritus? Sed dicimus, quòd vel maritus alterius fuit ex duabus illis, quarum fecerat mentionem, vel certè nomen proprium. Probatus autem fuit quidam, cui etiam quas dixerat mulieres commendat. Hæc Oecumenius: cui planè consentanea scribit Theophylactus: Commendat, inquit, has mulieres viro cuipiam admirando, qui aut frater fuit alterius ipsarum, aut maritus etiam. Forsan autem & custos ille fuit carceris. perinde quasi dicat: Iam tandem frater es germanus, nunc genuinus vir, si in opere Domini idem iugum trahas, adiuuans illas. Nonnulli hic in errorem inducti, aiunt Paulum hic propriam suam coniugem precari: verumenimuerò hoc esse haudquaquàm potest. Vt enim alia prætermittam, si suam vxorem intelligere voluisset, debuisset dicere genere fœmino, γνησία σύζυγε, id est, germana coniunx. Ita Theophylactus. Audiamus etiam Theodoretum, hunc locum his verbis interpretantem: Cõparem autem seu coniũgem nonnulli stultè existimarunt esse vxorem Apostoli, non attendentes ea, quæ scripta erant in epistola ad Corinthios, quòd scilicet se retulerit in numerum cælibum. Dico enim ijs, qui matrimonio iuncti nõ sunt, & viduis: bonum est eis, si maneant sicut ego. Et clarum quidem est, quòd siue esset cęlebs, hoc est, qui nunquàm duxisset vxorem, siue viduus, vxorem non habebat. Vxorem autem nunquam eum duxisse, est verius. adolescens enim vocatus est. Comparem ergo seu coniugem ipsum vocat, vt qui iugum pietatis secum trahat: & hortatur, vt optimarum sit mulierum adiutor, & vt concordiam inter se ineant, procuret. Hæc Theodoretus. Certè D. Hieronymus in Epistola ad Eustochium de custodia virginitatis, disertis verbis Paulum virginem fuisse asseuerat, ita scribens: De virginibus, inquit Apostolus, præceptum Domini non habeo. Cur? Quia & ipse vt esset virgo, non fuit imperij, sed propriæ voluntatis. Neque enim audiendi sunt, qui eum vxorem habuisse confingunt, cùm de continentia disserens, & suadens perpetuam castitatem, intulerit: Volo autem omnes esse sicut meipsum, &c. Hæc Hieronymus. Quòd verò Apostolus ait adiutorum suorum nomina esse in libro vitę, id his verbis magis etiã illustrat Chrysostomus: Vides, inquit, quantæ virtutis testimonium illis exhibeat? Quod apostolis dixit Christus, Non gaudete, quòd dæmonia vobis obediunt, sed ꝙ nomina vestra scripta sunt in libro vitæ: huius testimonium istis dat Apostolus, dicens, Quorum nomina sunt in libro vitæ. Hæc Chrysostomus. Quod ergo hortatur Apostolus, simus imitatores eius, & ad eam formam doctrinæ & morum, quam ab apostolis accepimus, pro viribus nos accommodemus, vt quemadmodùm illorũ, ita & nostra cõuersatio in cælis sit: non lectemur eos, quorum Deus vẽter est, qui terrena sapiunt, qui vastissimis peccatorum immersi tenebris, mundi hutus voluptatibus sese dedunt. Erit merces magna omnium rectè factorum, vbi Christus aduenerit, reformaturus corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, cui cum patre & spiritu sancto est omnis honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Paulus Apostolus uirgo fuit. *Ibidem.*

1. Cor. 7.

DOMINICA XXIIII. POST PENTECOSTEN, Matth. XXII.

In illo tempore: Abeuntes pharisei consilium inierunt, ut caperent Iesum in sermone. Et reliqua. Homilia beati Ioannis Episcopi.

Omnis

Est ex Homilia 42. Operis imperfecti in Matthæũ.

OMnis malitia confunditur quidem aliquoties ratione veritatis, corrigitur autem nunquam: maximè eorum, qui proposito malo, & non ignorantia peccant. Sic etenim sacerdotes postquàm terrere Dominum non potuerunt, dicentes: In qua potestate facis hæc? postquàm parabolarũ ratione constricti, suo iudicio ipsi se reos fecerunt, dicentes: Malos malè perdet: nemine contra eos dicente testimonium, nisi conscientia sola, nũquid cõpunxit eos timor peccati? Nũquid compescuit eos vel libertatis consideratio? Sed quid? *Abierunt & consiliũ acceperunt, ut eum caperẽt in sermone.* Quemadmodũ si aliquis claudere voluerit aquæ currẽtis meatum, si vna ex parte exclusa fuerit aqua, violentia aliundè sibi semitam rumpit: sic & eorũ malignitas ex vna parte cõfusa, aliundè sibi aditum adinuenit. Sicut enim nõ potest fieri, vt ligna mittendo extinguas incendium: sic nõ potest fieri, vt rationem dicẽdo places hominem malum. Sicut ignis quanto ampliùs ligna susceperit, in maiorem flammã erigitur: sic animus malus quanto magis veritatẽ audierit, eo ampliùs in malitiã excitatur. Abierunt ergo, & consilium acceperunt. Quò abierũt? Ad Herodianos. Nam ex eo quòd non dicit, Consiliati sunt, sed consiliũ acceperunt, & ex eo quòd pariter cum Herodianis venerunt, apparet, quia cum illis eiusmodi circunuentionis consiliu tractauerunt. Homo colonus, cuius terrã possidet, illius auxilio opus habet. Qui iustitiam tenet, nullius patrocinio indiget, nisi Dei. Qui in diaboli iniquitatibus ambulat, diaboli adiutorium necessarium habet. Colonus enim Dei, diaboli auxilium non requirit. Colonus aũt diaboli, auxilium Dei, & si quærit, non inuenit. Vidisti aliquando euntem ad furtum, Deum orare, vt bene prosperetur in furto? Aut qui vadit ad fornicationem, nunquid signum crucis sibi ponit in fronte, vt non cõprehendatur in crimine? Quod si fecerit, non solùm non adiuuatur, sed adhuc ampliùs traditur, quia nescit iustitia Dei patrocinium dare criminibus. Sic & isti expugnare Christum cupientes, conuenienter non ad seruos Dei viros religiosos, sed ad gentiles se contulerunt. i. ad Herodianos. Quale consiliũ, tales & consiliatores. Quis aũt dare poterat consiliũ contra Christum, nisi diabolus, qui erat aduersarius Christi? Consultabant enim apud se sacerdotes: Si nos soli euntes interrogauerimus Christum, quanuis dixerit quia non licet Cæsari dare tributum, tamen nemo nobis credet dicẽtibus contra eum. iam enim omnes sciunt, quia inimici eius sumus. Inimicorum autẽ testimonium in iudicio, & si verum fuerit, quasi suspectum reprobatur. Sed nec per seipsos Christum interrogare volebant, quia in magna suspicione inimicitiæ fuerãt apud Christum, ne fortè quasi suspecti circunuenire eum nõ possent. Nam inimicus manifestus melior est, quã amicus fictus. Ille dum timetur, facilè vitatur: iste dum non cognoscitur, prœualet. Miserunt ergo discipulos suos, quasi adhuc minùs cognitos, & minùs suspectos, vt aut abscõditè facilè deciperent eum, aut deprehensi, minùs erubescerent apud eum. Nam consilio malo deprehenso, tanto minor nascitur confusio, quanto fuerit persona deterior. Sed discipuli illi magistris suis ętate minores erant, malitia autem pares. Nam & pulli serpentium statura breuiores sunt, veneno autem æquales: & catuli luporum adhuc teneri constituti, & si venationem exercere non possunt, iam tamen sanguine gaudent, & morsibus ludunt. *Magister, scimus quia uerax es, & uiam Dei in ueritate doces.* Magistrum eum vocant, & veracem magistrum, vt quasi honoratus & laudatus, mysteriũ sui cordis simpliciter eis aperiat, tanquam volens eos habere discipulos. Hæc est enim hypocritarum prima potentia, simulata laudatio. Laudant enim quos perdere volunt, vt per delectationem laudis paulatim corda hominum ad simplicitatem benignæ confessionis inclinent: veluti si quis taurum validum, viribus non potest subiugare, & vinculo flectere, mollibus manibus nodosam eius fricat ceruicem, vt quem virtute tenere non potuit, per blandimentum comprehendat. Sic & isti catenam subdolæ laudis portantes in ore, & gladium malitiæ absconden tes in corde, taurum ecclesiastici gregis dolo laudis comprehendere festinabant. De quo tauro prophetans Iacob, iam tunc increpabat Leui filium suum, quia de Leui nascituri erant sacerdotes, qui interfecturi erant Christum. Simeon & Leui fratres consummauerunt iniquitates suas. In cogitationes eorum nõ veniat anima mea, & in consilia eorum non cadant præcordia mea: quia in ira occiderũt virum, & in furore suo subneruauerunt taurum. De talibus dicit propheta: Molliti sunt sermones eorum super oleum, & ipsi sunt iacula. *Quid tibi uidetur? Licet censum dare Cæsari, an non?* Non est iustum vt seruiamus. Si enim indignum est, vt duobus regibus homo alterius alteri obsequatur, & iniuriam facit suo, si subiacet alieno: quanto magis indignum est, vt cultores Dei, humanarum potestatum grauamina cognoscamus? *Cognita autem nequitia eorum Iesus,* non secundùm sermones eorum pacificos blandè respondit, sed secundùm conscientiam eorum crudelem & asperam *dixit:* quia Deus plerunque ad animam loquitur, non ad corpus: voluntatibus respondet, non verbis. *Hypocritæ, quid me tentatis? Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium.* Dicit eis: Hypocritæ, vt quod ab eo audierunt in aure, apud seipsos inueniant in corde: vt considerantes eum humanorũ cordium cognitorem, quod facere cogitabant, perficere non auderent. Vide ergo, quòd pharisæi

Ibid.

Signum crucis frõti imprimere.

Testimonium inimicorum suspectum

Pulli serpentium.

Psalm. 54

Gen. 49.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rilæi quidem blandiebantur vt perderent: Iesus autem confundebat vt saluaret, quia vtilior est homini Deus iratus, quàm homo propitius. *Et ait eis: Cuius est imago hæc et superscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.* Imago Dei non est in auro depicta, sed in hominibus figurata. Numisma Cæsaris, aurum est: numisma Dei, homo. In solidis Cæsar videtur, in hominibus Deus agnoscitur. Ideò diuitias vestras Cæsari date, Deo autem conscientiæ vestræ solam innocentiam reseruate, vbi Deus videt. Cæsaris enim imaginē manus artificis sculpsit, & corruptibilibus literis annotauit: Dei autem imaginem in homine diuina manus decem viuis apicibus demonstrauit. Quibus? Quinque sensibus carnalibus, & quinq; spiritualibus, per quos consideramus & apprehendimus quæ sunt vtilia, sicut Deus.

V. Sensus externi et interni.

EADEM DOMINICA,
Matth. XXII.

In illo tempore: Abeuntes Pharisæi consilium inierunt, ut caperent Iesum in sermone. Et reliqua. Homilia Erici.

Luc. 2.

Vca referente Euangelista manifestum est, quia Domino saluatore nato sub Cæsare Augusto, in toto orbe celebrata est descriptio: & inter omnes nationes totius orbis, quæ Romano imperio subiectæ erant, Iudæa quoq; eius sti pendiaria facta fuerat. Quam ob causam magna seditio tunc temporis in populo feruebat. Quidā enim dignum esse iudicabant, vt quia Romani pro securitate & quiete omnium assiduè militabant, censum eis deberent persoluere. At contrà pharisæi, qui sibi de falsa iustitia applaudebant, nitebantur asserere, quòd populus Dei qui decimas solueret, primitiua daret, & cætera legis decreta obseruaret, non deberet humanis legibus subdi. Quæ seditio intantùm conualuit, vt post Domini passionem in hac ipsa pertinacia & rebellione Iudæi perdurantes, Romanis sub hac occasione in vindictam necis saluatoris venientibus, amitterent locum, & gentem, & regnum, vitam etiam præsentem perderent ac futuram dū maluerunt hæc omnia cæcante auaritia perpeti, quā tributa Romanæ militiæ pendere. Quia ergo principes sacerdotum timore populi Dominū comprehendere non poterant, saltem vt in sermone eum caperent, laborabāt. *Abierunt ergo pharisæi, & consilium acceperunt.* Quò abierunt? Vtiq; ad Herodianos, qui erant milites Herodis, ac exigendis tributis præpositi. Nā ex eo, quòd nō dicit euāgelista, consiliati sunt, sed consiliū accepe-

Seditio apud Iudæos, propter tributum.

runt, & ex eo quòd dicit, cum Herodianis pariter venerunt, apparet, quia cū illis huiusce modi circunuentionis consilium tractauerunt. Cogitabāt enim apud se sacerdotes, dicētes: Si nos soli euntes interrogauerimus Christum, quāuis dixerit quia non licet Cæsari dare tributū, tamē talia dicentibus nobis contra eum, nemo credet, quia omnes iam sciunt, quòd inimici eius sumus. Inimicorum autem testimonium in iudicio, & si verum sit, tamen quasi suspectum reprobatur. Per seipsos ergo Christum interrogare nolebant, quia in magna suspicione inimicitiæ iam erant apud Christum, ne fortè quasi suspecti circunuenire eum non possent. *Et mittunt ei discipulos suos,* qui se iustos simulantes, saltem in sermone eū caperent, & sic potestati præsidis traderent, vt velut ipsi à morte eius immunes esse viderentur. Mittunt ergo discipulos suos ad illum, quasi adhuc minimè suspectos, vt aut facilè eum deciperent: aut si vincerentur (sicut & contigit) illi qui eos miserant, minùs erubescerent. Nam consilio malo deprehenso, tanto minor nascitur cōfusio, quanto fuerit persona deterior. Herodianos autem (vt diximus) milites Herodis appellat, qui in exigendis tributis erant præpositi. Dicunt ergo: *Magister, scimus quia uerax es.* Magistrū & veracem vocant, vt quasi homo eorum adulatione delectatus, secretū sui cordis eis simpliciter aperiat. *Scimus,* inquiūt, *quia uerax es, & uiam Dei,* id est, legē Dei, *in ueritate doces, & non est tibi cura de aliquo,* id est, in proferenda veritate, nullius vel amicitiam, vel inimicitiam curas. Quare hoc dixerint, manifestant cùm subdunt: *Non enim respicis personam hominum,* id est, nec propter pauperem, nec propter diuitem veritate relicta mendacium loqueris. *Dic ergo nobis, quid tibi uidetur? Licet censum dare Cæsari, an non?* Tanquam dicerent: Nos serui sumus summi regis, & ideò iniustum est, vt terrenis regibus seruiamus. Hoc autem dicentes, ad hoc illum perducere laborabant, vt magis Deum quàm Cæsarem timens, diceret non debere Romanis tributa solui, quatenùs hoc audientes Herodiani, id est, ministri præsidis qui præsentes erant, tenerent eum quasi seditionis principem contra Iudæos. Si verò diceret tributum esse reddendum, tanquàm destructorem legis illum calumniarentur. *Cognita autem Iesus nequitia illorum,* hoc est, considerans dolum & fraudes eorum, dixit: *Quid me tentatis hypocritæ?* Attendendum, quia non secundùm sermones eorum fictos blandè respondit, sed iuxta conscientiam eorum crudelem aspera obiecit, cogitationibus illorum, non verbis respondēs. Hypocritas aūt idcircò eos nuncupat, vt audientes ex eius ore quod ipsi cogitabant in corde, cōfiderarent eum humanorum cordium cognitorem, tanquam omnipotentem Deum, & quod facere in illū cogitabant, perficere non auderent. Hypocritæ autem subaurati dicuntur. Hypo enim græcè sub, chrysos aurū dicitur. Meritò ergo-

Versutia Iudæorum.

Hypocrita, est alienæ personæ simulator.

go tentatores suos hypocritas nuncupat, qui aliud nitebantur opere, aliud simulabant voce.

Ostendite mihi numisma censūs. Sapientia sapienter egit, vt suos tentatores proprijs illorum sermonibus vinceret. Ostendite, inquit, mihi numisma, id est, inscriptionem denarij, vel vt alij dicunt, monetam. Dictum autem est numisma à nomine, quod inscribebatur denario. Est autē denarius genus numi, quod pro decem numis imputabatur, & habebat nomen & imaginem Cæsaris. *Et ait illis: Cuius est imago hæc & superscriptio?* Ex hoc loco conijcere possunt veritatē, qui dicunt Dominum Iesum Christum causa ignorantiæ aliquando interrogasse Iudæos, & non potiùs causa dispensationis. Interrogat enim, cuius sit imago numi, & superscriptio eius, non quòd ipse nesciat, quod omnes scire poterant qui videbant denarium, sed ideò, vt ad sermonē eorum competenter respondere valeat. *Dicūt ei: Cæsaris.* In hoc loco Cæsar non Augustus Octauianus intelligendus est, sed Tiberius priuignus eius, qui successerat in imperio, sub quo & passus est Dominus. Sciendum verò est, omnes reges Romanorum Cæsares esse appellatos, à primo Caio Iulio Cæsare. Qui ideò sic appellatus est, quòd vel cæso vtero matris in lucem eruperit, vel quòd cum cæsarie capillorum fuerit natus. *Tunc ait eis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.* Reddite Cæsari quæ eius sunt, id est, numum, tributum, & pecuniam: & quæ Dei sunt, Deo, id est, decimas & primitias, & cætera donaria, quæ legis decreto mandantur. Quod Dominus faciendum præcepit, ipse quoq; opere adimpleuit. Nam cùm venisset Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt: Magister vester nō soluit didrachma? At ille ait: Etiam. Et cùm introisset Petrus domum, præuenit eum Iesus, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributū vel censum? à filijs suis, an ab alienis? At ille ait: Ab alienis. Dixit illi Iesus: Ergo liberi sunt filij. Ac si diceret: Si filij regum liberi sunt à tributo, ego qui sum filius regis æterni, atque de stirpe regis terreni generatus, à tributo liber esse deberem. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies statērem: illum sumens, da eis pro me & pro te. In quo loco dicit beatus Hieronymus ignorare se quid potissimùm mirandum sit, vtrùm præscientia saluatoris, an magnitudo eius virtutis. Præscientia quidem, quòd nouerit piscem habere statērem in ore, & quòd primùm ipse capiendus esset. Magnitudo autem virtutis, si ad verbum illius statim stater in ore piscis creatus est. Deo etiam reddidit Dominus Iesus Christus quæ Dei sunt, quoniam in omnibus operibus suis voluntatem patris adimpleuit, iuxta quod ipse loquitur: Non veni facere voluntatē meā, sed eius qui misit me patris. Spiritualiter sicut Cæsar exigit denarium à suis subiectis, in quo imago eius exprimitur: ita Deus requiret à nobis animā lumine vultus sui insignitam. Vnde Psalmista ait: Sig natum est super nos lumen vultus tui Domine. Quemadmodùm enim denarius signatur regis imagine, ita anima nostra diuini luminis illustratur claritate. Homo nanq; ad imaginē & similitudinē Dei conditus est, non in corpore, sed in spiritu, id est, anima. Quod Paulus apostolus manifestat, cùm dicit: Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouū hominē, qui secundùm Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis. Quibus verbis non in corpore, sed in spiritu ad imaginem & similitudinem Dei homo creatus esse ostenditur. Creatus est ergo homo ad imaginem & similitudinē Dei in spiritu, id est, in anima, vt sicut est Deus sanctus, iustus & verus, discernitq; inter bonū & malūtita & ipse homo sanctus, iustus & verus manens, discretionē æquè boni maliue retineat. Ad similitudinē nihilominùs Dei factus est, vt sicut est Deus perpetuus & immortalis, ita esset etiā homo (nisi peccasset) immortalis atq; æternus. Taliter ergo, vt diximus, ad similitudinem & imaginem Dei est homo conditus, non in corpore, sed in anima, ea distinctione seruata, vt imago accipiatur in sanctitate, similitudo autem in æternitate. Studeamus ergo renouari spiritu mentis nostræ, & induere nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est: vt mereamur ei reddere denarium suum, hoc est, vitam nostram sanctam & immaculatam. Aliter: Pharisæos & Herodianos, qui ad tentandum Dominum sunt missi, diuersæ constat fuisse voluntatis. Alij enim nil reddere Cæsari, alij verò tantùm Cæsari omnia censebant esse reddenda. Proinde duo isti ordines tentatorum, duo significant genera hæreticorum, quorū alterum docet tantummodò corpori obsequendum, & Cæsari, id est, ventri, qui & in libro beati Iob exactor vocatur, solummodò militandum. Alterum verò genus hæreticorum suadet corporis curam penitùs omittendam, & animæ tantummodò profectibus inuigilandū, nonnunquàm etiam ipsi corpori cauta animæ perniciem inferendam. Sed Dominus vtrunque abnuens, regia via docet esse gradiendum: & corpori quidem subsidium non negandum, animæ verò profectui pro vtilitate & tempore insinuat insistendum, discretione in omnibus conseruata, quatenùs & corpus subijcere valeat, & animus inedia corporis non tabescat. Item alio sensu, Cæsarem intellige diabolū, qui semel in paradiso homini malę persuasionis numum contulit, & quotidiè ab eo huius debiti reatum quærit. Cui tunc non sicut ille expetit, sed sicut vtilitas nostra poscit, censum reddimus, cùm peruersa agere despicimus, cùm peccatum quod ab eo suadente contraximus, digna pœnitentiæ satisfactione purgamus, cum vitia de-

Numisma, idem est quod nummus.

Matth. 17

Ioan. 6.

Pharisæi, et Herodiani figura hæreticorum.

Iob 3.

Corpori & animæ ut inseruiendum.

Psalm. 4.

Ephes. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

deserimus, eisq; cum suo authore abrenunciamus, vt tali tributo reddito, liberi ac securi deinceps viuamus. Sed postquàm ita diabolo quod ab illo accepimus reddimus, necesse est vt Deo omnipotenti quod ab illo sumpsimus, intemeratum restituamus, animam videlicet nostram & lumine vultus eius insignitam, & immaculatis actionibus adornatam. Moneta enim Dei sumus, à thesauro eius decidimus: errore detritum est, quod in nobis fuerat impressum. Quocircà solerter est studendum, vt ad imaginẽ Dei, quam peccando in nobis corrupimus, pœnitendo & dignè viuendo reparari satagamus: Ipso adiuuante, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

EADEM DOMINICA, HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Abeuntes Pharisæi consilium inierunt, ut caperent Iesum in sermone, &c. Matth. 22.

Tulti pharisæi, qui se in sermone verbum Dei capere putabant, & suis consilijs sapientiam fallere arbitrabantur. *Et mittunt ei discipulos suos.* Cum quibus? *Cum Herodianis*, i. cum Herodis ministris, qui tributa colligebant. Hæc est igitur ecclesia malignantium, hoc est consilium vanitatis. Mali magistri, mali discipuli, malis ministris sociantur: cũ fraude veniunt, cum calliditate loquuntur. Sed quid dicunt? *Magister, scimus quia uerax es, & uiam Dei in ueritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominũ.* Valdè benè loquuntur pharisæi, sed aliud ore & aliud corde loquuntur: è veneno so fonte dulcia verba prorumpunt. *Simulatio pharisæorum.*

Huic enim tantæ simulationi Psalmista respondens ait: Si verè vtique iustitiam loquimini, rectè iudicate filij hominum. Quem magistrum vocatis, & veracem dicitis, sicut magistrum & veracem diligite, colite, & sequimini. *Die igitur nobis, quid tibi uidetur? Licet censum dari Cæsari, an non?* Putauerunt enim isti Christum Dominum nostrum, quem pietatis & iustitiæ amicum esse cognouerant, respondere, vt potiùs templo & Deo offerrent, quàm Cæsari, homini scilicet, cui tributa darent. Qua occasione Herodiani commoti eũ raperent, & ad iudicem traherent, & quasi reum accusarent. Sed si censum dare non liceret, & si tributa soluere esset peccatum, ipse vtique tributum pro se non dari præcepisset. Sic enim superiùs ait: Quid tibi videtur Simon? reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum, à filijs suis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Respõdit Iesus: Ergo liberi sunt filij. Vt aũt non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit tolle, & aperto ore inuenies staterem: illum sumens, da eis pro me & te. Qui igitur ne scandalum fieret, quanuis non deberet, tributa persoluit, non erat conueniens, vt ad lites & scandala concitanda censum dare alios prohiberet. *Cognita autem Iesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ?* Stultũ est enim ei per hypocrisin & simulatoriè loqui, quem occulta non fallunt, qui corda videt, & cogitationes considerat. *Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium.* In denario autem scripta erant Cæsaris nomen & imago. *Et ait illis Iesus: Cuius est imago hæc & superscriptio? Dicunt ei, Cæsaris.* Vide quomodò ipsa sua responsione eos ligat. Vide quomodò Dei sapientia comprehendat huiusmodi sapientes in astutia eorum. Ipsi enim testes sunt Cæsaris hoc esse quod ostendunt: quod si Cæsaris est, quarè Cæsari non redditur? imò quarè Cæsari tollant, quod Cæsaris esse fatentur? *Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Nolite Cæsari iniuriam facere, nolite ei sua auferre, ne si ei sua auferre velitis, ipse qui vobis potentior est, & sua & vestra auferat vobis. Quàm benè huic loco conuenit, quod quidam ait: Arma tenenti omnia dat, qui iusta negat. *Et quæ sunt Dei, reddite Deo.* Nihil enim est, quod Dei non sit. Illud tamẽ specialiter eius esse dicitur, quod magis ab eo diligitur. Diligit enim omnem suam creaturam: (secundùm illud: Misereris omnium Domine, & nihil odisti eorum quæ fecisti:) sed illam præcipuè diligit, propter quam fecit cæteras creaturas. Sua igitur imago reddatur Cæsari, & sua imago reddatur Deo. Ad imaginẽ nanq; Dei factus est homo. Sic enim ipse Dominus ait: Faciamus hominẽ ad imaginẽ & similitudinẽ nostrã. Magnus honor, magna nobilitas ad Dei imaginẽ & similitudinẽ esse hominẽ factũ. Hãc aũt imaginẽ in primo homine amisimus, in secũdo recuperauimus. Primus enim homo (ait Apostolus) de terra terrenus, secũdus de cælo cæleſtis: sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cæleſtis. Reddamus Deo imaginem suam, reddamus Deo animas nostras. Nil carius habemus. Hoc igitur tributum soluere debemus. Audiamus Salomonem, audiamus sapientiam ipsam dicentem: Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequàm veniat tempus afflictionis tuæ, & dies de quibus dicas, Non mihi placent. Et paulò pòst: Antequàm rumpatur funis argenteus, & recurrat vitta aurea, antequàm confringatur hydria super fontem, & conteratur rota super cisternã, & puluis reuertatur in terram suam vnde erat, & spiritus redeat ad Deũ qui dedit illũ. Memento (inquit) creatoris tui, ad cuius imaginem & similitudinem factus es: ipsum imitare, ne eius similitudinẽ amittas. Quẽ enim imitatur homo, eius imaginẽ & similitudinẽ habet. Antequã veniat tempus afflictionis tuæ, per quod videlicet mortis horam intelligimus. Et dies, de quibus dicas, Non mihi placẽt. Hos autem dies habent impij, & æternæ morti condemnati: quia postquàm de hac vita exeunt, nihil vident, nihil audiunt, nihilque sentiunt, quod eis placeat. Hoc autem faciat homo in diebus iuuentutis suæ, id est, in diebus lætitiæ & prosperitatis, de quibus

Matth. 17. *Sap. 11.* *Gen. 1.* *1. Cor. 15.* *Eccles. 12.*

Gal. 6. Apostolus ait: Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. Sequitur: Antequàm funis argenteus rumpatur, & recurrat vitta aurea. Hoc enim interest inter corpus & animam, qd̃ est inter argentum & aurum: vt per argentũ corpus, per aurum verò animam ipsam claram & sapientem intelligamus. Hæc autem vitta aurea tunc recurrit, quando anima vinculis corporeis absoluta, cælestia petit. Inde enim & funis vocatur corpus, quia quibusdam naturæ legibus animam sibi ligat & stringit. Hic autem funis tunc rumpitur, quando anima à corpore separatur. Antequàm confringatur hydria super fontem, & conteratur rota super cisternam. Hydria vocatur homo, quia de terra factus est. frangitur autem hydria super fontem, quando homo nimia infirmitate grauatur, iamq; moti proximus nec ipsam aquam suscipere valet, quando alienis manibus vix de lecto erigitur, vt diù cõcupitam aquam suspiciat, quam ori appositam, spiritu attenuato & iam gutture intercluso glutire non valet. Et tunc quidem conteritur rota super cisternam, quia (sicut scriptum est) in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Rota enim cogitationum nostrarum, quæ super cisternam cordis nostri (de corde enim exeunt cogitationes) semper reuoluitur, tunc primùm conquiescit: quia iam vlteriùs neque facultas est, neque voluntas, vt vana & inutilia cogitare debeat. Nouit enim Dominus cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Puluis enim tunc reuertitur in terram suam vnde erat, quia (sicut primo homini Dominus ait) puluis es, & in puluerem reuerteris. Spiritus autem ad Deum redit, qui dedit ipsum, vt eius iudicio atque sentẽtia vel ad pœnam trahatur, si Dei imaginem & similitudinem non habet: vel ducatur ad gloriam, si Dei imaginem & similitudinem custodiuit. Sequitur: *Et audientes miratæ sunt, & relicto eo abierunt.* Mirantur pharisæi se tam facilè esse conclusos: & qui ad hoc venerant, vt Christum caperent in suo sermone, seipsos in suis sermonibus captos esse cognoscunt.

Corpus & anima ut inter se differant. *Psal. 145.* *Matth. 15* *Psal. 93.* *Gen. 3.*

DOMINICA XXV. POST PENTECOSTEN, In Epistolam Concio exegetica.

Vm omnium Christianorum vita nihil sit aliud, aut certè merito nihil debeat esse aliud, quàm cõtinua quædam profectio ad illam beatissimã cælestis Ierusalem patriam, extra quam hic degimus exules & peregrini: ist hæc autem profectio in eo potissimũ sita sit, vt mundi huius illecebras, & omne vitiorum genus constanter vitemus, & veris virtutibus animum excolamus: conueniẽtissimè nobis tam multæ saluberrimæ atq; sanctissimæ ex sacris literis proponuntur & identidem inculcantur adhortationes, nos ad virtutũ studiũ mirificè extimulantes: cuiusmodi etiam scatet hodierna epistola, quam nunc explanandam suscipimus. *Non cessamus,* inquit Apostolus, *pro uobis orantes & postulantes, ut impleamini agnitione uoluntatis eius, in omni sapientia & intellectu spirituali;* quem locum ita exponit Ambrosius: Audiens Apostolus deuotam ac promptam voluntatẽ illorum (Colossensium) circa fidem Christi, orat pro eis, vt propensiùs agnita voluntate Dei, rationabili opere explerent deuotionẽ, quã audita fide Christi didicerant: ne tam fida mentis ædificatio & robur fidei, dũ incõsultè aliquid & imperitè cõficeret, laboris sui fructũ amitteret. Hoc enim libenter accepto fertur, quod deuoto fit animo & prudẽter. Ita Ambrosius. Chrysostomi in hunc locũ sunt hæc: Quoniã audiuimus fidẽ vestrã ac charitatẽ, quoniã spem bonã nacti sumus, etiã de futuris spe bona Deum precamur. Quemadmodũ enim in certaminib⁹ eos potissimũ excitamus, qui nõ procul à victoria sunt: ita sanè facit & Paul⁹. Hos maximè adhortatur, qui plùs cæteris assecuti sunt. Ex quo die, inquit, audiuimus, nõ cessamus pro vobis orare. Nõ vnum aut alterũ, aut tres dũtaxat dies pro vobis intercedimus. Declarat hic quoq; dilectionẽ suã, & simul tacitè innuit, qp nondũ ad finẽ peruenerit. Hoc enim declarat, qp dicit, Vt impleamini. Nõ dicit, Vt incipiatis: cœperãt enim: sed qd̃ adhuc reliquũ est, Vt impleamini. Hæc Chrysostomus, quẽ Theophylactus sequẽs, ait: Obserua hic, qp multis orationibus nobis opus sit & assiduis. Nã & Paulus citra intermissionẽ orat, ac etiãsi nondũ perficeret, nõ desistit tamen. Sic Theophylactus. Itaq; loci huius hæc est sententia. Nõ cessam⁹ orare & postulare, vt plenã diuinæ volũtatis habeatis cognitionẽ. Hæc aũt nõ à philosophis discitur, qui Colossenses, teste Chrysostomo seduxerãt, sed multis & assiduis precibus à Deo petẽdũ est, vt nos omni vera & spirituali sapiẽtia & notitia volũtatis suæ illustret. Neq; tamẽ hic subsistendum est, vt satis esse putemus Dei voluntatem didicisse, sed adiungendum est, qd̃ Apostolus mox addit: *Vt ambuletis dignè Deo, per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei.* De vita hic & operibus dicit, *Fidei uitæ* ait Chrysostomus. Et enim & hoc vbique facit: *conuersationem* semper coniungit fidei vitæ conuersationem. *tio iungen*

Col. 1.

Quem-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quemadmodùm, inquit Apostolus, confestim & abunde seipsum vobis reuelauit, & quemadmodùm tantam accepistis scientiam: ita & vitæ conuersationem, quæ digna sit fide, ostendite. Exigit enim ista magnam rectæ vitæ conuersationem, & maiorem multo, quàm vetus. Et infrà: Non hoc solùm oramus, vt discatis, sed vt & ipsis operibus declaretis & exprimatis. Qui enim cognoscit & non facit, punietur etiam. Vt ambuletis, inquit: hoc est, semper: non semel duntaxat, sed perpetuò. Quemadmodùm necessarium nobis est vt ambulemus, ita quoque vt rectè viuamus. Atque hoc semper deambulationem vocat, & meritò: declarans talem nobis præscriptam esse vitam: sed mundana talis non est. Et multũ hic est encomij, quòd dicit, Vt dignè ambuletis Domino: &, In omni opere bono, vt semper pergatis ac crescatis, & nusquàm pedem figatis. Et metaphoricè, Fructificantes, inquit, & crescentes in cognitione Dei, quantùm homini possibile fuerit. Hucusque Chrysostomus. Audiamus etiam Theophylactum: Oro, inquit Apostolus, vt discatis vos, quòd seruati litis per vnigenitum, vt ambuletis vos, hoc est, vt secundùm virtutem viuatis. Qui enim clementiam Dei didicerit, quòd filium suum pro nobis dederit, quomodò non studebit seipsum dédere virtutis laboribus, adeoque eò, vt crucem ipsius tollat? Ambulare nanque ad vitam & conuersationem pertinet, vt dictum est. Et post pauca: Vt sic, inquit, viuatis, vt per omnia placeatis Deo. Qui verò hoc fit? Non aliter, nisi in omni opere bono. Vbi enim omne opus bonum est, ibi & plena Dei complacentia. Ita Theophylactus. Discimus igitur ex his, quàm debeamus esse studiosi cognoscendæ voluntatis Dei, ac deinde etiam illi congruenter viuendi: tum quoque, quàm non oporteat vnquam desidiæ & inertiæ locum dare, sed proficere semper, & crescere tum in operibus bonis, tum in scientia & cognitione Dei. Id genus adhortationibus plena est scriptura diuina: & ne labore frangamur, promittit nobis amplissimã in cælis mercedem: vbi proculdubiò quandoq; copiosissimè metemus, quicquid hic bonorum operum seuerimus. Debebant ergo hæc nos accendere & inflammare, vt tempus omne in Dei voluntate, & in studijs illi placitis expendamus: sed ô socordiam nostram. Nullius rei minor nos cura tenet, quàm procurandæ dum licet salutis nostræ: ita fit vt vbi è vita migrandum fuerit, nihil nobiscum bonæ frugis auferamus, sed omnibus bonis vacui, multisq; vitijs & flagitijs cooperti, ad Christi tribunal listamur, mercedem recepturi, qualem talis vita meretur. Sequitur: *In omni virtute confortati, secundùm potentiam claritatis eius, in omni patientia & longanimitate.* De tetationibus hic, ait Chrysostomus, & persecutionibus loquitur. Precamur, inquit, vt impleamini corroboreminique, ne torpescatis neque desperetis: vt talem animi alacritatem recipiatis, qualem dare decet imperium gloriæ ipsius. Quod dicit, tale est: Breuiter oramus, vt strenuam ac solidã vitam habeatis, conuersationeque Christiana dignam: & stetis firmiter, corroborati, quemadmodùm à Deo corroborari decet. Hæc Chrysostomus. Porrò Theophylactus ea, quæ hactenùs ex Apostolo allata sunt, ita breuiter & summatim comprehendit: Vt in summam, inquit, contrahamus sermonem, hoc dicit: Oramus, vt perfectè accipiatis agnitionem dogmatis, non in sapientia mundana, sed spirituali: vtque vitam virtutibus præditã habeatis, vt positis firmiter stare aduersùs tentationes, confortati, vt par est à Deo confortari: vt & erga exteros patientiam ostendatis, & erga fratres longanimitatem. Sic Theophylactus. Refert autem etiam Chrysostomus longanimitatem ad fratres ferendos, patiẽtiam ad exteros. Longanimes enim, inquit, erga eos sumus, quos vlcisci possumus: patientes verò erga eos, quos vlcisci non possumus. Sic Chrysostomus. Patientia in rebus duris, in molestijs & afflictionib⁹ æquũ præstat animũ: longanimitas verò ad æternæ illi⁹ beatitudinis præmiũ illũ extẽdit. Optimè igitur precatur Apostolus, vt Colossensiũ intellectus lumine cognitiõis illustretur, affectus ad virtutis studiũ & pietatis actiões inflammetur, roburq; & vires illis diuinitùs prębeantur ad perferenda mala & contraria, quæ nunquam desunt in hac vita, quæ perpetua quędam militia est: vbi sanè multa opus est patientia, ne animus mœrore frangatur, placidaque longanimitate, ne abs spe futuræ gloriæ excidamus. *Cum gaudio gratias agentes Deo patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorũ in lumine.* Hoc quidẽ raræ cuiusdam virtutis est, vt qui in afflictionibus degunt, non solùm gratias agant, sed etiam cum gaudio id faciant. Et tamen si vellemus æquo perpendere iudicio, quot bonorum nobis materiam concilient res triste & aduersæ, ingẽtem haberemus occasionem etiam lætantibus animis Deo gratias agendi, dum nobis aduersa occurrunt. Omne gaudium, inquit Iacobus apostolus, existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis. Sed quare id tandem? Scientes, ait, quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habet. Itaque & Paulus Apostolus alibi scribit se gloriari in tribulationibus: neque id temerè: sed sciens quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem. Porrò quòd hic dicitur, *Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine*, id luculẽter Chrysostomus hunc in modum exponit: Magnum est quod dixit. Talia sunt, inquit, quæ data sunt, vt non solùm dederit, sed & potentes fecerit ad accipiendum. Quòd ergo dicit, Qui idoneos se cit, multum esse dono huic ponderis ostendit: vtpotè si tenuis quispiã fuerit rex factus, poterit præfecturam dare cuicunque voluerit, & tantũ dis idoneos fecit.

Luc. 12.

Semper procedendum in bonis operibus.

Hominum socordia.

Iob 7.

Iac. 1.

Rom. 5.

poterit duntaxat, nempe dignitatem donare: idoneum verò ad principatum gerendum facere non poterit: quin plerunq; talem collatus honor ridiculum facit. Si quando cum ipsa dignitate idoneum etiam ad honorem faceret, & accommodum ad gubernandum, tum res ista honoris esset. Hoc igitur & hic dicit, nempe quòd non solùm honorem nobis, sed & vires ad amplectendum eum dederit. Duplicatur enim honor per id, quòd & idoneos ad collatum donum facit. Non dixit simpliciter, Qui dedit, sed, Qui idoneos fecit ad partem sortis sanctorum in lumine: hoc est, qui nos in album sanctorum retulit. Sed non simpliciter etiam hoc dixit, sed, qui ijsdem quoque cum illis potiri dedit. Pars enim est, quod quisque capit. Potest enim aliquis in eadem esse ciuitate, & tamen non ijsdem cum alijs potiri. Fieri verò nequit, vt qui eandem partem habet, non etiam ijsdem potiatur. Potest quisquã in eadem sorte esse, & tamen eandem non habere partem: vtpotè in eadem sorte sumus omnes, at non eandem partem habemus omnes. Hic verò isthuc non dicit, sed & partem simul cum sorte coniungit. Hæc Chrysostomus. *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum dilectionis filij sui.* Liberati de conditione tenebrarum, inquit Ambrosius, hoc est, eruti de inferno, in quo tenebamur à diabolo, tam ex proprio, quàm ex delicto Adæ, qui est pater omnium peccantium: translati sumus per fidem in regnum cæleste filij Dei, vt ostenderet nobis Deus, quo amore diligit nos, quando attollens nos de imo tartari, induxit in cælos cum vero filio suo. Iam enim omnes credentes, qui fixa mente deuoti sunt, exeuntes de seculo, duce dextræ partis angelo, inducuntur in cælos, quod ante deuictam mortem concessum non erat. Ita Ambrosius. Chrysostomus quoque, A potestate tenebrarum, inquit, id est, errorum, à tyrannide diaboli. Non dixit, A tenebris, sed, A potestate tenebrarum. Habebat enim multam in nos potestatem, & dominabatur nostri. Nam graue quidem est vel simpliciter esse sub diabolo: cũ potestate verò, illud demum grauius est. Sic Chrysostomus, cuius fusiorem expositionem comprehensiùs reddens Theophylactus, ea quę sequuntur, *Transtulit in regnum filij dilectionis suæ*, hunc in modum interpretatur: Ardua res est, & magna, à tenebris nos liberare: at in regnum etiam nos introducere, est longè maius: nec simpliciter, verùm vt simul regnemus cum filio dilectionis, hoc est, dilecto, qui hostes eramus ac tenebris immersi: quod & alio in loco ait: Si cõpatimur, & conregnabimus. Non dixit autem, Transposuit, quod totum transponentis esset: sed μετέστησεν, transtulit, siue transmutauit, vt esset aliquid etiam nostrum. Indicat autem per eam dictionem, facilitatem etiam potentiæ Dei, perinde ac si quis militem de loco in locum traducat. Hæc Theophylactus ex Chrysostomo. *In quo habemus redemptionem, & remissionem peccatorum.* Nisi enim nobis remissa fuissent peccata, ait Chrysostomus, eò vtique (puta, in regnum filij) translati non essemus. Tanta ergo beneficentia potiti, inquit idem, nunquam illius obliuiscamur, sed semper donum hoc Dei in nobismetipsis versare, quibusq; liberati & quæ consecuti simus, cogitare debemus: atq; ita erimus benè grati, ita dilectionem erga Deum intendemus. Quid dicis homo? Ad regnum vocatus, ad regnum filij Dei, & oscitabundus es totus, ac desidũ more scalpis ac torpes? Si nanq; singulis diebus vel in mille mortes insiliendum fuisset, an non omnia ferre oportebat? Atqui principatus gratia nihil non faceres: cùm verò consors futurus sis regni vnigeniti Dei, non obijcies te vel mille gladijs? nõ insilies in ignem? Et isthuc nondum graue quicquam fuerit. At tu luges etiam, quòd abiturus hinc es, & præsentibus libenter immoraris, plus æquo corporis curam agens. Quídnam hoc est? Et mortem etiam horrendum quid esse putas. Horũ verò causa sunt, deliciæ & vitæ remissio. Alioqui qui vitam viuit acerbam, auolare quoq; vellet, & ab hac vita liberari. Nunc verò idem patimur, quod euenit & auium pullis pigrescentibus, semperq; in nido manere cupientibus. Illi *sunt* quanto diutiùs hæserint, tanto redduntur imbecilliores. Nidus enim quidam est præsens hæc vita, ex festucis & luto compactus. Etsi magnificas mihi ostenderis ædes, etiam ipsas regias, auro multo & lapidibus pretiosis splendidas, nihil tamen illas ab hirundinum nidis differre putabo. Ingruente nanq; hyeme, cadent omnia sponte sua. Hyemen verò diem illum dico, non quidẽ omnibus hyemẽ. Nam & Christus illũ noctem simul vocat & diem: noctẽ propter peccatores, diem propter iustos: ita & ego nunc hyemẽ illũ voco. Hyems erit futurũ illud tẽpus, immò hyeme sæuius. Non enim illic torrentes vndarũ præcipitabunt, sed fluuij ignei: non fient ex nubibus tenebræ, sed tenebræ insolubiles, atq; adeò crassæ & obscuræ, vt neq; cælum videre liceat, neq; aẽrem: maioreq; premantur angustia improbi, quàm si qui in terrã defodiendi sint. Hæc & pleraq; alia Chrysostomus: quæ certè permouere nos debent, vt gratia & misericordia Christi erepti de potestate tenebrarum, & remissionem peccatorum consecuti, deinceps vitemus peccata, & bonis operibus studijsq; pietatis intẽti, mereamur ad regnũ illius peruenire, illo ipso nos adiuuante, qui, vt Apostolus ait, omnibus obtemperantibus sibi factus est causa salutis æternæ, Amen.

Similes plerique bus pigrescentibus.

Filius dilectionis, pro dilectus: Hebraismus est.

Hebr 5.

DOMINICA XXV. POST Pentecosten. Luc. VIII.

In illo tempore: Loquente Iesu ad turbas, ecce princeps unus accessit, & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modò defuncta est: sed veni & impone manum tuam super eã, & viuet. Et reliqua. Homilia beati Ambrosij, lib. 6. Comment. in Lucam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RElinquerat in Gerasenis synagogam Christus, vt diximus, & quem sui non receperant, excepimus alieni: excepimus quem expectabamus. Nec nobis igitur, à quibus expectabatur diù abfuit, nec ad illos si rogetur, fastidit redire. Vir enim iste princeps synagogæ, cui filia erat vnica, pro synagoge pereuntis remedio precabatur, quæ vrgebatur in mortem, quia deferebatur à Christo. Quem putamus synagogæ principem esse, nisi legē? Cuius contemplatione Dominus synagogam non penitùs dereliquit, sed medicinam salutis credentibus reseruauit. Ad hanc ergo principis filiam dum properat Dei verbum, vt saluos faceret filios Israël, sancta Ecclesia ex gentibus congregata, quæ inferiorum lapsu criminum deperibat, paratam alijs fide præripit sanitatem. Moraliter hunc locum satis putauimus exprimendum: & ideò nō illa quæ dicta sunt recensemus, sed mystica breui volumus sermone perstringere. An non ita factum est, vt Dei verbum cùm venisset ad Iudęos, ascisceretur à gētibus, & priùs ab illis, qui in legem non crediderāt, in gratiam crederetur? Nam sicut illa, quæ in medicos erogauerat omnem substantiam suam: ita etiam cōgregatio gentium amiserat omnia dona naturæ, & patrimonium vitale prodegerat, sancta, verecunda, religiosa, fide promptior, pudore constātior. Hoc enim pudoris & fidei, agnoscere infirmitatem, non desperare veniam. Verecunda ergo fimbriam tetigit, fidelis accessit, religiosa credidit, sapiens sanatam se esse cognouit. Sic sancta plebs gentium, quæ Deum credidit, peccatū erubuit, vt desereret: fidem detulit, vt crederet: deuotionem exhibuit, vt rogaret: sapientiam induit, vt sanitatem suam & ipsa sentiret: fiduciam sumplit, vt fateretur quod præripuisset alienum. Cur autem retrò tangitur Christus? An quia scriptum est: Post Dominum Deum tuum ambulabis? Quid etiam sibi vult, quòd & principis filia annorum duodecim moriebatur, & mulier ista ab annis duodecim fluxu sanguinis laborabat, nisi vt intelligatur, quia quandiù synagoga viguit, laborauit Ecclesia? Defectus illius, huius est virtus: quia illorum delictum, salus gentibus: & consummatio illius, huius exordium est: non naturæ exordium, sed salutis: quia cæcitas ex parte in Israël contigit, donec plenitudo gentium intraret. Non igitur tempore, sed specie sanitatis antiquior synagoga, quàm Ecclesia: quia quandiù illa credebat, ista non credidit, & per varias corporis atque animæ passiones immedicabili remedio ægra languebat. Audiuit ægrotare populum Iudæorum, sperare cœpit salutis suæ remedium: tempus venisse cognouit, quo medicus adesset è cælo. Surrexit vt occurreret verbo, vidit quia comprimebatur à turbis. Non enim credunt qui comprimunt, credunt qui tangunt. Fide tangitur Christus, fide Christus videtur. Non corpore tangitur, non oculis comprehenditur. Neq; enim videt, qui videns non videt: neq; audit, qui ea quæ audit non intelligit: neq; tangit, qui non fideliter tangit. Deniq; vt fidem tangētis exprimeret, ait: *Tetigit me aliquis. Nam & ego cognoui, virtutem de me exisse.* Quod est euidentis indicij, quia non intra possibilitatem conditionis humanæ, atq; in corporis claustrum inclusa sapientia, diuinitas coarctata est: non capitur angustijs corporalibus, non tenetur, sed vltra fines nostræ mediocritatis virtus exundat æterna. Non enim humana ope plebs gentium liberatur, sed Dei munus est congregatio nationum, qui etiam breui fide misericordiam inclinat æternam. Nam si consideremus quanta sit fides nostra, & intelligamus quantus sit Dei filius, videmus, quia comparatione eius fimbriā tantummodò tangimus, superiorē verò vestimenti eius partē nequimus attingere. Si igitur & nos curari volum⁹, fimbriā Christi fide tangamus. Non latet eum quicunq; fimbriā tetigerit, qui tetigeritauersum. Ne enim Deus indiget oculis vt videat, neq; corporaliter sentit, sed in se habet cognitionem omniū. Beatus ergo, qui vel extremam partem verbi contigerit. Nam totum quis potest comprehendere? Verùm vt ad illam, quæ adhuc ægra est reuertamur, ne per nostram morā, dum diù Christi moramur ingressum, mortua esse credatur: *Venerunt, inquit, serui, dicentes principi: Noli uexare illum, filia tua mortua est.* Et primum illud consideremus, quòd suscitaturus mortuam, ad faciendam fidem, hæmorrhoussam antè curauit. Et vt scias (exempli gratia) stetisse sanguinis fluxum, dum illa petitur, ista curatur. Sic & resurrectio temporalis in Domini passione celebratur, vt & perpetua illa credatur: sic & partura sterilis indicatur, vt conceptura virgo credatur. Deniq; audiuit parturā Elizabeth Maria, nec de sua generatione dubitauit. Venerunt (inquit) serui, dicentes principi: Noli vexare illum. Adhuc & hi increduli ad resurrectionem sunt, quam Iesus in lege prædixit, in euangelio compleuit. Ita q; cùm venisset in domum, paucos futuræ resurrectionis arbitros adsciuit, non enim à multis cōtinuò est credita resurrectio. Deniq; dicente Domino: *Non est mortua puella, sed dormit: deridebant, inquit, eum.* Quicunq; enim non credit, irridet. Fleant igitur mortuos suos, qui putant mortuos: vbi resurrectionis fides est, non mortis species, sed quietis est. Nec illud abhorret Matthæi, quòd dicit tibicines fuisse in domo principis, & turbam tumultuantē: vel quia more veteri tibicines ad incendendos excitandosque luctus ferebantur adhiberi, vel quia per legis & literæ cantilenam, exultationem synagoga non poterat capere spiritalem. Tenens ergo Iesus manum puellæ, sanauit eam, & iussit dare ei manducare. Quod est testimonium vitæ, vt non phantasma, sed veritas crederetur. Beatus ille, cui manum sapientia tenet. Vtinam meos quoque teneat actus, teneat manum iustitia, teneat Dei verbum, inducat in penetralia sua, spiritum auertat erroris, conuertat salutis, dari

Princeps synagogæ, lex.

Luc. 8.

Rom. 11.

Synagoga ut antiquior Ecclesia.

Christus ut tangatur.

dari mihi iubeat manducare. Panis enim cæleleſtis, est Dei verbum. Inde & illa sapientia, quæ diuini corporis & sanguinis sacrosancta altaria repleuit alimentis, Venite, inquit, edite panes meos, & bibite vinum quod miscui vobis. Quæ tamē tātæ diuersitatis est causa? Suprà publicè viduæ filius resuscitatur, hic remouentur plures arbitri. Sed puto, quòd in eo quoq; pietas Domini Iesu declaretur, quia vidua mater vnici nō patiebatur moras: & ideò ne ampliùs afficeretur, maturitas additur. Est etiam forma sapientiæ in viduæ filio, citò Ecclesiam crediturum: in archisynagogi filia, credituros quidem Iudæos, sed ex pluribus pauciores.

Prou. 9.

EADEM DOMINICA,
Matth. IX.

In illo tempore: Loquente Iesu ad turbas, ecce princeps unus accessit, & adorauit eum. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri, lib. 3. cap. 32. Cōment. in Luc.

Luc. 8. *Ecce uir uenit, cui nomen erat Iairus, & ipse princeps synagogæ erat.* Priori lectioni, quā de abiectione synagogæ, fideq; Ecclesiæ, atq; iterū instauratione synagogæ sumus interpretati, consequēter archisynagogi filia moriēs subiungitur. Quā dum suscitare properat Dominus, præoccupat hæmorrhoussa mulier, præripit sanitatem, fitq; vt præueniēs, prior salute potiatur. Aethiopia enim præueniet manus eius Deo, & cū intrauerit plenitudo gentiū, tunc omnis Israël saluus fiet. Princeps ita q; synagogæ nullus meliùs, quā ipse Moyses intelligitur. Vnde benè Iairus, id est, illuminās siue illuminat⁹ vocatur: quia qui accipit verba vitæ, dare nobis, & per hæc cæteros illuminat, & ipse à spiritu sancto, quò vitalia monita scribere vel docere possit, illuminatur. *Et cecidit ad pedes Iesu, rogās eū ut intraret in domū eius.* Si caput Christi Deus, pedes cōsequenter incarnatio, qua terrā nostræ mortalitatis tetigit, accipiendi sunt. Cecidit igitur archisynagogus ad pedes Iesu, quia legislator cū tota patrū progenie Christū in carne apparentē, longè sibi dignitatis gloria præferendū esse cognouit, illud Apostoli sedula deuotione protestans, Quia quod infirmū est Dei, fortius est hominibus. Rogauit eū intrare in domū suā, quia cōtinuis gaudiorum votis eius videre desiderabat aduentum. Anima aut mea, inquit Propheta, exultauit in Domino, & delectabitur super Iesu eius. Omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi? Et hoc est ad pedes Iesu cadere, eum super oēs singulariter magnū pia fide fateri. *Quia filia unica erat ei, ferè annorū duodecim, & hæc moriebatur.* Ipsa synagoga, quæ sola legali institutione cōposita, quasi vnica Moysi nata erat, quasi duodecimo ætatis anno, hoc est, tēpore pubertatis appropinquante moriebatur: quia nobiliter à prophetis educata, postquā ad intelligibiles annos peruenerat, postquā spiritales Deo fructus gignere debebat, subito error ūlanguore consternata, spiritales vitæ vias ingredi desperabiliter omisit: & si nō à Christo succurreretur, horrēdā per omnia corruisset in mortē. *Et cōtigit dū iret, à turba cōprimebatur.* Ad puellā pergens sanandā Dominus, à turba cōprimitur: quia genti Iudææ salutaria monita præbens, quibus ægrā vitijs eius conscientiā erigeret, noxia carnaliū populorū est cōsuetudine granatus. *Et mulier quædā Mulier sanguine fluens, typus Ecclesiæ.* *erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim.* Mulier sanguine fluēs, sed à Domino curata, Ecclesia est ex gētibus congregata, quæ ingenito carnaliū delectationū polluta fluxu, atq; à cœtu iam fuerat segregata fideliū. Sed dū verbū Dei Iudææ saluare decerneret, paratā iam promillamq; alijs præripuit spe certa saluté. Notandūq;, q⁹ & archisynagogi duodennis sit filia, & mulier hæc ab annis duodecim sanguine fluxerit: hoc est, eodē quo hæc nata sit tēpore, illa cœperit infirmari. Vna enim penè eadēq; seculi huius ætate, & synagoga in patriarchis nasci, & gentiliū natio per orbem cœpit idololatriæ sanie fœdari. Nā & gemini fluxus sanguinis, hoc est, & super idololatriæ prostitutione, & super his quæ carnis ac sanguinis oblectatione patrātur, potest intelligi. Vnde pulchrè sacra refert historia, tēpore quo Dauid adhuc puer Goliath gigantem strauit, Philistijm in finibus Domim, id est, sanguinū fuisse castrametatos, quia videlicet Dominus ad debellandū mundi principē humilis apparens, nō modò operibus infructuosis, sed & religioni spurcitsimæ deditos gentilium populos inuenit. Ergo quādiù synagoga viguit, laborauit Ecclesia. Defect⁹ illius, huius virtus est: quia illorū delicto, salus facta est gētibus. *Quæ in medicos erogauerat oēm substātiam suam, nec ab ullo potuit curari.* Medicos siue falsos theologos, siue philosophos, legumq; doctores secularium, qui multa de virtutibus vitijsq; subtilissimè differentes, vtilia se viuēdi credendiq; instituta mortalibus dare promittebāt: seu certè ipsos spiritus immūdos significat, qui velut hominibus consulendo, se iam pro Deo colendos ingerebant. Quibus vicissim audiendis, gentilitas quanto magis naturalis industriæ vires expenderat, tanto minùs potuit ab iniquitatis suæ sorde curari. Vnde Marcus benè de hac muliere scribens, ait: Et fuerat multa perpessa à compluribus medicis, & erogauerat omnia sua, nec quicquam profecerat, sed magis deteriùs habebat. Sed hæc vbi populum Iudæorū ægrotare, verumq; de cælo cognouit adesse medicū, cœpit & ipsa lāguoris sui sperare pariter & quæritare remedium. *Accessit retrò, & tetigit fimbriā uestimenti eius, et confestim fluxus stetit sanguinis eius.* Accedit, & Dominum tangit Ecclesia, quę ei per fidei veritatem appropinquat. Accedit autem retrò, siue iuxta id, quod ipse ait: Si quis mihi ministrat, me sequatur. Et alibi præcipitur: Post Dominum Deum tuum ambulabis: siue quia præsentem

Psalm. 67. Rom. 11.

1. Cor. 1.

Psalm. 34.

Matth. 9.

Mar. 5.

Ioan. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sentem in carne Dominũ non videns, peractis temporariæ dispensationis sacramẽtis, eius iam per hidem cœpit vestigia subsequi. Tangit autẽ fimbriã vestimenti eius, & vndã restringit sanguinis: quia beatus & verè mundandus, qui vel extremũ verbi, fidei manu cõtigerit. Nam rarus valdè, qui eius vel in pectore recumbere, vel caput mereatur pistica nardo perungere: cũ & ille magnus fuerit, qui se indignũ dicebat eius calceamenta portare: magna & illa, quæ vngere pedes eius, & capillis suis tergere promeruit. *Et ait Iesus:* Quis est qui me tetigit? Non vt ipse quæ nesciat doceatur, sed vt virtus fidei quam nouerat, imò quam ipse dederat, in muliere declaretur, interrogat. *Negantibus aũt omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te comprimunt & affligunt, & dicis, Quis me tetigit?* Quem turbæ passim comitantes comprimũt, vna credula mulier Dominũ tangit: quia qui diuersis inordinatè glomerantium hæresibus affligitur, solo catholicæ Ecclesiæ fideliter corde quæritatur. Nam sicut quidã videntes non vident, & audientes non audiunt: ita etiã tangentes non tangunt, qui non fideliter Christum tangunt. Vnde cuidam amãti quidem, sed nondum plenè credenti dicit: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meũ: apertè docẽs, quid sit eum veraciter tãgere, patri scilicet æqualem credere. *Et dixit Iesus: Tetigit me aliquis. Nam & ego noui virtutem de me exisse.* Dicat Pelagius, si placet, se suo conamine saluari. Dicamus autem nos, quia vana salus hominis: in Deo faciemus virtutem. Nam & ipse virtutẽ, quę propicietur omnibus iniquitatibus nostris, & sanet omnes languores nostros, non ex nobis ipsis, sed de se nouit exire. Non ergo latet eum qui fimbriã tetigerit. i. incarnationis mysteria, donec ad maiora capienda perueniat, perfectè amãdo credidерit. *At ipse dixit illi: Filia, fides tua te saluam fecit, vade in pace.* Ideò filia, quia fides tua te saluam fecit. Nec dixit, fides tua te saluam factura est, sed saluam fecit. In eo enim quod credidisti, iam salua facta es. *Adhuc illo loquente, venit quidam ad principem synagogæ, dicens ei: Quia mortua est filia tua, noli vexare illum.* Saluata à profluuio sanguinis muliere, mox filia principis mortua nunciatur: quia dum Ecclesia à vitiorum labe mundata, & ob fidei meritum filia est cognominata, continuò synagoga perfidiæ simul inuidiæq; leto soluta est. Perfidiæ quidem, quia in Christum credere noluit: inuidiæ verò, quia Ecclesiam credidisse doluit. Scriptum est enim in Actibus apostolorũ: Sequẽti aũt sabbato penè vniuersa ciuitas conuenit audire verbum Domini. Videntes aũt turbas Iudæi, repleti sunt zelo, & contradicebant his quæ à Paulo dicebantur, maledicentes viam Domini coram multitudine. Noli vexare illum, per eos hodieq; dicitur, qui adeò destitutũ synagogæ statum vident, vt restaurari posse non credant, ideoque pro resuscitatione illius supplicandum

Matth. 3.
Luc. 7.
Ioan. 11. & 12.
Ioan. 20.
Psal. 59.
Psalm. 102
Act. 13.

esse non æstiment: sed quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Vnde sequitur: *Iesus autem audito hoc uerbo, respondit patri puellæ: Noli timere, crede tantùm, & salua erit.* Pater puellæ, cœtus doctorum legis accipitur, de quo Dominus ait: Super cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisæi. Qui si credere ipse voluerit, etiã subiecta ei synagoga salua erit. *Et cùm peruenisset domum, non permisit secum quenquam introire, nisi Petrum & Iacobũ & Ioannem, & patrem & matrẽ puellæ.* Suprà publicè viduæ filius suscitatur, hic remouentur plures arbitri. Puto ergo, q̃ in eo quoq; pietas ibi Domini declaretur, quia vidua mater vnici nõ patiebatur moras: & ideò ne ampliùs afficeretur, maturitas additur. Est etiã forma sapiẽtiæ: in viduæ filio, citò Ecclesiã creditura: in archisynagogi filia, credituros quidẽ Iudæos, sed è pluribus pauciores. *Flebant aũt oẽs, & plangebant illam.* Nunquid possunt, inquit, filij sponsi lugere, quandiù cũ illis est sponsus? Venient aũt dies, cũ auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabũt. Igitur synagoga quia sponsi lætitiã qua viuere posset, amisit, quasi inter plangentes mortua iacens, ne hoc quidẽ ipsum quare plangatur, intelligit. *At ille dixit: Nolite flere: non est mortua, sed dormit.* Hominibus mortua, qui suscitare nequiuerant, Deo dormiebat, in cuius ditione & anima recepta viuebat, & caro resuscitãda quiescebat. Vnde mos Christianus obtinuit, vt mortui qui resurrecturi esse non dubitantur, dormientes vocentur, sicut Apostolus: Nolimus vos, inquit, ignorare de dormientibus, vt non contristemini sicut & cæteri, qui spem non habent. Sed & in parte allegoriæ, cùm anima quæ peccauerit, ipsa moriatur, tamẽ ea quę resuscitari à Christo meruerit, nobis quidẽ mortua fuisse, sed ei obdormisse dici potest. *Et deridebant eum, scientes quia mortua esset.* Quia verbũ resuscitantis deridere quã credere malebãt, meritò foras excluduntur, indigni qui miraculũ resurgentis viderent. *Ipse autem tenens manum eius, clamauit dicens: Puella surge.* In Marco scriptũ est: Ait illi: Tabitacumi, quod est interpretatũ: Puella (tibi dico) surge. & confestim surrexit. Vbi diligens lector inquirat, quare verax euãgelista dictum saluatoris exponens interposuerit de suo, Tibi dico, cùm in Syro sermone quẽ posuit, nõ plus sit dictũ, quàm, Puella surge. Tenens ergo manũ puellæ Iesus suscitauit eam, quia nisi priùs mundatæ fuerint manus Iudæorũ, quę sanguine plenæ sunt, synagoga eorũ mortua nõ cõsurgit: *Et reuersus est spiritus eius, & surrexit cõtinuò.* Marcus ita dicit: Et confestim surrexit puella, & ambulauit: spiritualiter insinuãs, quia quisquis à morte animæ Christo manũ sibi confortante resipiscit, non modò à sordibus exurgere vitiorũ, sed & in bonis cõtinuò proficere debet operibus. *Et iussit illi dare manducare.* Ad testimoniũ quidẽ vitæ resuscitatã manducare præcepit, vt nõ phantasma, sed veritas crederetur. Sed & si quis à spirituali morte resurrexit, cælesti necesse est mox pane

Luc. 18.
Matt. 23.
Luc. 7.
Marc. 5.
ibid.

satie-

satietur, & diuini scilicet verbi, & sacro sancti altaris participes effectus. Nam iuxta moralẽ intellectũ, tres illi mortui, quos saluator in corporibus suscitauit, tria genera resurrectionis animarũ significãt. Siquidem nõnulli cõsensum malæ delectationi præbẽdo, latente tantũ cogitatione peccati mortẽ sibi conscisc̃unt. Sed tales se significans viuificare saluator, suscitauit filiã archisynagogi, nondũ foras elatã, sed in domo mortuã, quasi vitũ secreto in corde tegentẽ. Alij nõ solũ noxiæ delectationi cõsentiendo, sed & ipsum malũ quo delectãtur agendo, mortuũ suũ quasi extra portas efferunt. Et hos te, si pœniteant, resuscitare demonstrans, suscitauit filiũ viduæ iuuenẽ extra portã ciuitatis elatũ, & reddidit matri suæ: quia resipiscentẽ à peccati tenebris animã, vnitati restituit Ecclesiæ, sicut & suprà docuimus. Quidã verò nõ solũ cogitãdo vel faciendo illicita, sed & ipsa peccandi cõsuetudine, se quasi sepeliẽdo corrũpunt. Verũ nec ad hos erigendos minor fit virtus & gratia saluatoris, si tamẽ adsint cogitationes solicitæ, quæ super eorum salute, velut deuotæ Christo sorores, inuigilent. Nã & hoc intimandũ resuscitauit Lazarũ, quatuor dies iam in monumẽto habentẽ, & sorore attestante iam fœtentẽ: quia pessima noxios actus solet fama comitari. Notandũ aũt, q̃ quanto grauior animæ mors ingruerit, tanto acrior necesse est, vt resurgere mereatur, pœnitẽtis feruor insistat. Quod occultè volẽs ostẽdere Dominus, iacentẽ in cœclaui mortuã, modesta leniq̃ voce resuscitat, dicens: Puella surge, quã & ob facilitatẽ resuscitãdi, iã mortuã fuisse negauerat. Delatũ aũt foras iuuenẽ, pluribus vt reuiuiscere debeat dictis corroborabat, cũ ait: Inuenis, tibi dico, surge. Quatriduanũ verò mortuus, vt longa prementis sepulchri claustra deponere posset, fremuit spiritu Iesus, turbauit seipsum, lachrymas fudit, rursùm fremuit, ac voce magna clamauit: Lazare, veni foras. & sic tandẽ qui erat desperatus, discusso tenebrarũ pondere, vitæ luciq; redditur. Sed & hoc notandum, quia publica noxa publico eget remedio: leuia autẽ peccata, leuiori & secreta queunt pœnitẽtia deleri. Puella in domo iacens, paucis arbitris exurgit, eisdemq; ne miraculum vulgarẽt, indicitur. *Et stupuerunt (inquit) parentes eius, quibus præcepit ne alicui dicerent, quod factum fuerat.* Iuuenis extra portã, turba multa comitante, atq; intuente suscitatur. Lazarus de monumento vocatus, tantum populis innotuit, vt ob eorũ, qui videre, testimoniũ plurimæ Domino turbæ cũ palmis occurrerent, & multi propter illũ abirẽt ex Iudæis, & crederent in Iesum. Quartũ verò mortuũ Dominus nũciãte discipulo agnoscit, sed quia qui pro eius ereptione Dominũ precarentur, viui defuerant: Dimitte, inquit, vt mortui sepeliãt mortuos suos: id est, mali malos noxijs laudibus grauẽt, & quia non adest iustus qui corripiat in misericordia, oleum peccatoris impinguet caput eorum.

Tria genera peccantium.
Luc. 8.
Luc. 7.
Ioan. 11.
Ioan. 12.
Luc. 9.
Psal. 140.

EADEM DOMINICA.

HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Loquente Iesu ad turbas, ecce princeps unus accessit, & adorabat eum, &c. Matth. 9.



Vid enim per hunc principem, nisi Abraham, Isaac, & Iacob, Moysen & Aaron, & cæteros illius populi principes intelligimus, qui semper pro filiæ suæ, id est, Synagogæ, morte & cæcitate ad Deum accedunt & intercedũt? Rogant igitur Dominum vt veniat, imponat manũ suã super eam, & viuet. Oẽs enim patriarchæ & prophetæ hoc orabant, oẽs Christi aduentũ expectabant & desiderabãt. Venit tandẽ Dominus Iesus, sed pro itineris longitudine nondũm ad puellam peruenit, nondũm super eam manũ posuit, adhuc mortua iacet. Ipse tamen ad eam vadit, & simul cum eo discipuli eius. Quotidiè enim ad huius puellæ resurrectionem, quotidiè ad synagogæ conuersionem propinquamus. Priùs tamen altera mulier sanabitur, quàm ad istam perueniamus: quia quum plenitudo gentium introierit, tunc Israël saluus fiet. Sed quid est, Filia mea modò defuncta est? quid est, Modò? Modò, inquit, venisti, modò prædicare cœpisti, modò filia mea defuncta est. Venit medicus, venit sanitas & vita, & quando sanari & conualescere debuit, tunc defuncta est filia mea. Ni si enim venisses, & loquutus eis fuisses, peccatũ non haberent: nunc autem excusationem nõ habent de peccato suo. Sic igitur mortua est filia mea: sed veni, impone manum super eam, & viuet. *Et surgens Iesus sequebatur eum, & discipuli eius.* Meritò, iste princeps vocatur Iairus, quem Iesus sequitur, & discipuli eius. Iairus enim illuminatus interpretatur. Vnde benè patriarchas & prophetas significat, quorum oculos sanctus spiritus illuminauit, quibus incerta & occulta sapientiæ suæ mysteria reuelauit. Hos autem sequitur Iesus & discipuli eius, quia eadem via misericordiæ & iustitiæ gradiuntur omnes: & quod illi prænunciauerunt, hoc isti facere & adimplere contendunt: illi loquendo & prophetando præcedunt, isti agendo & confirmando sequuntur. *Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxũ patiebatur duodecim annis, accessit retrò, & tetigit fimbriam uestimenti eius.* Quæ est enim hæc mulier, nisi Ecclesia gentium? Ad synagogam sanandam venerat Dominus, (hoc enim ipse ait: Non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israël:) & ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur, & secundùm legem immunda dicebatur, accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti eius, & sanata est. Fluxum enim sanguinis patiebatur, quia in suorum

Matth. 15
Leuit. 15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum peccatorum sanguine versabatur, quia sanguinum rapina & occisione nutriebatur. Retrò accessit, non in facie stetit, cum timore & verecũ-
Rom. 6. dia venit. Vnde Apostolus ait: Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Vestimẽtum tetigit, incarnationis eius
Christi testis. mysterium credidit. Christi nanque vestimentum, humanitas est, qua diuinitas induta videri non poterat. *Dicebat autem intra se: Si tetigero tantũ*
Mar. 5. *vestimenta eius, salua ero.* Hæc autem (vt alij Euan-
Luc. 8. gelistæ dicũt) omnem substantiam suam in medicos erogauerat, & nihil profecerat, sed deterius habuerat. Per hos enim medicos, ariolos & philosophos intelligere possumus, quorum persuasionibus cæteri credentes, & à fidei veritate oberrantes, ad animæ sanitatem attingere non
Psalm 118. valebant: quia longè est à peccatoribus salus. Animæ autem substantia & diuitiæ, virtutes sunt & mores honesti: quas illi quidem amittunt, qui fidem & spem suam in vanitatibus ponunt. *At Iesus conuersus, & videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora.* Im-
Heb. 11. possibile est sine fide placere Deo. Credidit A-
Gen. 15. braham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.
Abac. 2. Iustus autem ex fide viuit. Sancti per fidem vice-
Heb. 11. runt regna. Si habueritis fidem sicut granum si-
Matt. 17. napis, montes transferre poteritis. Omnia pos-
Marc. 9. sibilia sunt credenti. Magna est igitur fides, quã sic vbique commendat, secundùm fidem suam vnicuique tribuens. *Et quum uenisset Iesus in domum principis Pharisæorum, & uidisset tibicines & turbam tumultuantem, dicebat: Recedite, non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum multi.* Quod enim tunc temporis factum est in vna puella, hoc in fine temporum futurum est, vt fiat in tota synagoga. Tunc enim Dominus Iesus veniet cum discipulis in domum principis pharisæorum, quia tunc Christi fidem & Apostolorum doctrinam suscipiet omnis multitudo Iudæorum. Tunc enim iubente Domino tibicines & tumultuans turba recedet: quoniam tunc litera suauiter, sed infructuosè & inutiliter auditus hominum demulcens, eiusq; amatores cessabunt. Quid enim nisi tibicines erant scribæ & pharisæi, legem & & prophetas ad literam exponentes, & quid dicerent non intelligentes? Tibia enim dulcem sonum sine intelligentia reddit. Recedant igitur tibicines, recedat omnis turba tumultuans, recedant garruli perstrepentes, voce frementes & nihil intelligentes. Non est enim mortua puella, sed dormit. Iste cantus mortuorum est. Quãdiu has tibias audiuit synagoga, mortua fuit: imò istæ tibiæ eam interfecerunt. Litera enim occi-
1. Cor. 3. dit, spiritus autem viuificat. Litera igitur recedat, spiritus accedat, suscitet dormientem, faciat intelligentem, & consoletur vtrunq; parentem. Sed qui sunt illi stulti qui Dominum deridebãt, nisi illi qui resurrectionem non credebant? Et quidem multos tales & esse, & fuisse, & futuros esse non dubitamus. *Et quum ejecta esset turba, intrauit & tenuit manum eius, & surrexit puella.* Nondũ igitur ejecta est turba, nondum surrexit synagoga. Adhuc turbatur, adhuc in litera delectatur. Surget autem quando veniet Iesus, quando intrabit ad eam, & tenebit manum eius. Tunc enim Iesus intrabit ad eam, quando fugata literæ vetustate, hæc noua sacri Euangelij verba scribentur in corde eius. Et tunc quidem dicere poterit: Tenuisti manum dexteram meam, & in volũ-
Psal. 72. tate tua deduxisti me, & cũ gloria assũpsisti me.

DOMINICA XXVI. POST PENTECOSTEN,

In lectionem Epistolæ loco, Concio exegetica.

ACCEDImus iam ad illud tempus, quo Ecclesia quotannis solenniter celebrat Aduentum Domini: itaque ex Ieremia propheta hodiè loco Epistolæ lectio depromitur, eum aduentũ longè antè prænuntians. Est enim illud tam insigne & eximium Dei beneficiũ, quo dignatus est instaurandæ salutis nostræ causã è cælis ad nos descendere, inter homines perquã amanter & familiariter degere, pro maximis beneficijs ab impijs Iudæis nihil nisi conuicia, cõtumelias, iniurias recipere, deniq; ab ijsdem propter nos crucifigi, vt nullũ vnquã tẽpus satis esse queat ad eã filij Dei charitatẽ pro dignitate commemorandã, & quales oporteret gratias agẽdas. Ad lectionis explanationem veniamus. *Ecce dies uenũt, dicit Dominus: & suscitabo Dauid germen iustum: & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra.* Manifesta est prophetia de Christo, qui vt A-
Rom. 1. postolus ait, factus est ex semine Dauid secundùm carnem. Secundùm naturam enim, quã ex virgine matre susceptus, filius est Dauidis regis, cui diuinitùs dictum erat, De fructu ventris tui
Psal. 131. ponam super sedem tuam. Et ipse est germen iu-
1. Petr. 2. stum, qui peccatũ non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Rex est aũt secundũ vtranq; naturam: in forma Dei natus ex Deo patre, qui est
1. Tim. 1. rex seculorũ immortalis, inuisibilis: in forma serui ex regio Dauidis stẽmate procreatus, cui etiã
Matth. 28 data est à patre Deo omnis potestas in cælo & in terra. De regno illius dixit angelus virgini Ma-
Luc. 1. riæ: Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternũ, & regni eius non erat finis: quem locum interpretans Theophylactus, Audiens, inquit, thronum vel sedem Dauid, ne putes sensibile quoddam regnũ, sed diuinum, quo regnauit super oẽs gẽtes per diuinã prædicationẽ. Domus enim Iacob sunt hi, qui ex Hebræis crediderũt,

runt, atq; etiam qui ex alijs gentibus. Illi enim propriè Iacob & Israël. Et quomodò dicitur sedere super sedem Dauid? Audi. Dauid paruus
Matt. 11. erat inter fratres suos: & Dominus quoq; contemptus, & taxatus vt edax & vini potor, & fabri filius. Ille cùm benefaceret, persecutionem patiebatur: & Dominus quoq; miracula faciens accusabatur & lapidabatur. Ille per mansuetudinem vicit & regnauit: & Dominus per mansuetudinẽ susceptа cruce regnauit. Vides quomodò dicatur sedere super sedem Dauid? Nam sicut Dauid sensibile regnum susceptit: ita & Dominus spirituale. Hæc Theophylactus. Regnat ergo rex Christus in cordibus verè credentium per fidem & charitatem, qui sunt in Ecclesia militante, in
Luc. 19. qua etiam regnat per eos, quos voluit esse præpositos populi sui, quibus dicit: Qui vos audit, me audit. Regnat item in omnibus supernæ patriæ beatis spiritibus, id est, in Ecclesia triũphãte.
1. Cor. 1. Nec mirum id illi tribui, quòd erit sapiens, cùm sit Dei virtus & Dei sapientia, verbum Patris. Deus ex Deo genitus: humanitati quoq; illius longè supra creaturas omnes ineffabilis infusa scientia & sapientia est. Faciet autem iudicium &
Ioan. 5. iustitiã in terra: quia pater non iudicat quenquã, sed iudicium omne dedit filio: quòd pertinet etiã
Esa. 11. illud Esaiæ: Non secundùm visionem oculorum iudicabit, neq; secundùm auditum aurium arguet: sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ. Eius rei multa possunt ex Euangelio peti exempla, & quædam etiam à D. Hieronymo hunt Esaiæ locum exponente adducuntur: sed breuitatis studio id omittimus. *In dieb. illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit cõfidẽter.* In primo Christi aduentu scimus paucos ex Iudæis credidisse in illũ. Itaq; loc⁹ hic nõ de carnalib. illis Iudæis & Israelitis accipiẽdus ẽ, quos
Apoc. 2. & 3. videmus appellari satanæ synagogã: sed de ijs potiùs, qui tam ex gentibus quàm ex Iudæis in Christum syncerè crediderunt, eius nomen & doctrinam constanter confessi sunt, non verbis duntaxat, sed tota viuẽdi ratione, Deumq; sublimiter cõtemplati sunt. Illis enim per Christum salus allata & aucta est: habitaruntq; confidenter, quẽadmodum innumera sanctorum martyrum millia, incunctanter ad horrenda tyrannorum supplicia sese offerentium, satis superq; declararũt.
Actor. 5. Quin etiam de Apostolis ipsis legimus, eos iuisse gaudentes à conspectu concilij, q⁹ digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati. Tanta iam illis erat animi fidentia & securitas, vt inter verbera & plagas etiam lætandum sibi existimarent: tantum abest, vt vel tantillum ijs iniurijs & doloribus frangerẽtur. Eam autem animi
Cant. 8. fiduciam & securitatem nulla res alia præstat verius, atq; ingens Christi amor, qui certè erat in Apostolis maximus post acceptũ cælitùs spiritũ sanctum. Fortis est vt mors dilectio, inquit Salomon, dura sicut infernus æmulatio. Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Certa igitur salus & inconcussa fiducia præstatur illis, qui Deum medullitùs amant, & pro illius amore cum Apostolo omnia
Philip. 3. arbitrãtur vt stercora, quò Christum lucrifaciãt. Atq; ij propriè sunt Iuda & Israël. Et certè videmus in illis, qui post missum spiritum sanctũ primi Christo nomen dederũt, quẽadmodùm Christi charitate accẽsi, mox res facultatesq; suas om-
Actor. 4. nes abiecerint ad pedes apostolorum, maxima vtiq; in Deum concepta fiducia, q⁹ quæ essent vitæ degendæ necessaria, ille suppeditaret. Itaq; habitabant illi prorsùs confidenter, tametsi infestos paterentur eos, qui in Christum credere nolebant. Sed timorem oẽm foras mittit charitas
1. Ioan. 4. Christi, qua mirabiliter flagrabant. *Et hoc est nomẽ quod uocabunt eum, Dominus iustus noster.* In Hebræo hic aiunt haberi nomen Dei tetragrãmaton, q⁹ nulli creaturæ potest cõmunicari. Satis ergo perspicuè etiam hic locus ostendit Christi diuinitatem, sed Iudæi, homines cæci & perditi, dum suũ expectant Messiam, immò verò Antichristum, nõ cessant torquere scripturã, adeò vt hic quoq; cauillẽ tur in Hebræo legi, Et hoc est nomẽ, quo vocabit eum Dominus iustus noster. Sed habeãt illi suũ ꝓdigiosum Messiam, nobis Christus Iesus est Dominus iustus noster, sua gratia etiã nos
Apoc. 1. iustificans tanquàm verus Deus: qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Hic iam necesse est, vt quandoquidem ab illo est iustitia & sanctificatio nostra, grati illi simus, & ꝓ modulo nostro illi nos conformare studeamus. Habemus maxima ab illo nobis collata subsidia, præsertim illius veneranda sacramenta, quæ ceu canales quosdam nobis dereliquit, per quos eius in nos gratiam deriuemus, quæ nos in omni iustitia & sanctitate conseruet. Meminisse crebrò debemus saluberrimæ illius admonitionis, quæ est apud Sanctum Ioannem: Filioli,
1. Ioan. 3. inquit, nemo vos seducat. Qui facit iustitiam, iustus est, sicut & ille iustus est. Qui facit peccatum, ex diabolo est. Sicut ergo Christum vocamus Dominum iustum nostrum, à quo est omnis iustitia nostra: ita debemus operam dare, vt nos quoque iusti efficiamur. Non enim stertentibus & otio ac inertia diffluentibus suam ille impertit gratiam, qua fit vt nos etiam iusti simus: sed petere, quære-
Luc. 11. re, pulsare nos iusit. Certum est autem quemadmodum ille iustus est, ita quoque modis omnibus illum id vel maximè exigere à nobis, vt iustitiæ studiosi simus. Inde est illa eius oratio: Estote perfecti,
Matth. 5. sicut & pater vester cælestis perfectus est. *Propter hoc ecce dies ueniunt, dicit Dominus, & non dicetur ultrà, Viuit Dominus, qui eduxit filios Israël de terra Aegypti: sed, Viuit Dominus, qui eduxit & adduxit semen domus Israël de terra Aquilonis, & de cunctis terris, ad quas ejeceram eos illuc: & habitabunt in terra sua, dicit Dominus omnipotens.* D. Hieronymus ita scribit in hunc locum: Hui⁹ sensus est, quòd

Universidad de Deusto
Biblioteca

nequaquàm per Moysen populus Dei de Aegypto liberetur: sed per Iesum Christum de omni orbe terrarum, in quem dispersus fuerat. Quod ex parte & nunc completur in mundo, & ex toto cómplebitur, quando de oriente & occidente, septentrione & meridie venient, & discumbent cum Abraham, Isaac & Iacob: vt postquàm subintrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Israël saluus fiat. Hæc ille. Celeberrimum fuit apud Iudæos beneficium illlud, quo patres illorum eduxerat Dominus in manu valida de terra Aegypti: sed longè illud admirabilius, quo credentes omnes verus Messias Iesus Dominus noster è toto orbe terrarum congregat in Ecclesiam suam, & ex hac vita migrantes introducit in terram viuentium, quæ est terra pijs omnibus à Deo promissa, vt illic habitent. Itaq; huius posterioris beneficij magnitudo prioris illius memoriam propè obliterauit. Longè enim præstantiora sunt Christi incarnationis & passionis beneficia, quibus sumus è potestate & tyrannide satanæ extracti, quàm illa liberatio prioris populi è captiuitate tum Aegyptiaca, tum Babylonica. Potest autem huic loco nonnihil lucis accedere ex illis, quæ apud Ioannem leguntur, vbi prophetante Caipha, quòd expediret vnum hominem mori pro populo, ne tota gens pereat, Euangelista hæc subiungit: Hoc autem à semetipso non dixit: sed cùm esset pontifex anni illius, prophetauit, quòd Iesus moriturus erat pro gente: & non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum: quæ verba Theophylactus his commentarijs illustrat: Vide quanta potentia spiritus: fecit enim, vt à mala mente procederent verba mirabilem habentia prophetiam. Nam mortuo Christo, omnes qui crediderunt ex gente, à magno & æterno supplicio liberati sunt. Et non pro gente solùm Iudaica mortuus est, sed & vt alij filij Dei, hoc est, gentes, in vnum congregarentur. Filios autem Dei nominat gentes, vel ab eo quod erat futurum. Quando quidem enim erant futuræ filij Dei, sic eas nominat: quemadmodùm & alio loco inquit, Et alias oues habeo: ab eo quod futurum erat, etiam istas vocans. vel secundùm quòd omnium pater est, creándo nos generans: vel secundùm quòd decorauit nos, ad imaginem & similitudinem propriam condens. Igitur sicut & in Actis Paulus ad Athenienses concionans inquit, Genus igitur cùm simus Dei. Itaq; quia homo animal est principale (ἀρχικὸν) & secúdùm hoc assimilatum Deo, filius Dei dicitur omnis. Proinde cùm dispersos nos varijs modis satanas à Deo & ab inuicem diuulsit, vt vnusquisque fæuiret contra proximum propter diuitiarum amorem & vanam gloriam: Christus ita in vnam nos collegit Ecclesiam, & sub vnum coëgit iugum tam eos qui prope, quàm eos qui longè erant vnum corpus faciens, vt is qui Romæ habitet, eum qui in India est, suum membrum esse credat, & omnium vnum caput fateatur esse Christum. Hactenùs Theophylactus. Hic iam penset vnusquisq; quanti hoc beneficij sit, quòd præpotens Deus cùm totum ferè humanum genus ab eo se auertisset, & dæmonú cultui se miserabiliter addixisset, in summam illius iniuriam & cótumeliam (Quid enim possit in Deum fieri contumeliosius, quàm si diuini honores illi vni debiti, in teterrimos dæmones transferantur?) nihil tamen tantis motus iniurijs, cæcos & deploratos ad se clementissimè reuocauit, & innumeras gentes suo lumine illustrauit, atq; ex dæmonum mancipijs suos effecit filios, hæredes regni sui, cohæredes vnici & veri filij sui. Est ea profectò mutatio dexteræ excelsi. Verùm hic rursus ingens doloris acerbissimi materia se offert, quòd ij prohdolor, quos tam incredibili benignitate Deus ex omni natione intra suam adunauit Ecclesiam, daturus illis quandoque possidendam terram suam vt habitent in ea, terram illam lacte & melle manantem, terram cælestis semperq; virentis paradisi, multis modis tanta Dei gratia & benignitate se reddunt indignos, dum partim in vitia & omnis generis prauas cupiditates diffluunt, iterumq; se diabolicæ tyrannidi & captiuitati suapte sponte addicunt: partim in hæreses & schismata turpiter deflectunt, atq; à Catholicæ Ecclesiæ vnitate se separant: quibus certè melius fuisset non cognouisse viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato. Et est profectò nimis execrabile hominum genus, qui se miseris sectarum, schismatum, hæresum duces & authores præbent, atque à Christo intra vnum Catholicæ Ecclésiæ ouile collectos, rursùm horrendum in modum dispergunt: quorum erit longè omnium grauissima damnatio. Pæstet verò nobis Deus, vt sub Christo rege & capite nostro constanter in vna sancta Catholica & Apostolica Ecclesia permaneamus, fide integri & moribus incorrupti, ad ipsius laudem & gloriam sempiternam, Amen.

Matth. 8.

Rom. 11.

Psalm. 76

Ioan. 11.

2. Pet. 3.

Ioan. 10.

Actor. 17.

Vnitas ecclesiæ.

DOMINICA XXVI. POST PENTECOSTEN, Ioan. VI.

In illo tempore: Cùm subleuasset oculos Iesus, & uidisset quia multitudo maxima uenit ad eum, dicit ad Philippũ: Vnde ememus panes, ut manducent hi? Et reliq. Homilia beati Augustini.

Est Tractatus 24. in Euangelium Ioannis.

Miracula quæ fecit Dominus noster Iesus Christus, sunt quidem diuina opera, & ad intelligendum Deum de visibilibus admonent humanam mentem. Quia enim ille non est talis substantia, quæ videri oculis possit, & miracula eius quibus totum mundum regit, vniuersamque creaturam administrat, assiduitate viluerunt, ita vt penè nemo dignetur attendere opera

opera dei mira & stupenda in quolibet seminis grano: secundùm ipsam suam misericordiam seruauit sibi quædam, quæ faceret opportuno tempore præter vsitatum ordinem cursumq; naturę, vt non maiora, sed insolita videndo, stuperent, quibus quotidiana viluerant. Maius enim miraculum est gubernatio totius mundi, quàm saturatio quinq; millium hominum de quinq; panibus, & tamen hæc nemo miratur. Illud mirantur homines, non quia maius est, sed quia rarum est. Quis enim & nunc pascit vniuersum mundum, nisi ille qui de paucis granis segetes creat? Fecit ergo quomodò Deus. Vnde enim multiplicat de paucis granis segetes, inde in manibus suis multiplicauit quinq; panes. Potestas enim erat in manibus Christi: panes autē illi quinq; quasi semina erant, non quidem terrę mandata, sed ab eo qui terram fecit, multiplicata. Hoc ergo admotum est sensibus, quo erigeretur mens, & exhibitum oculis vbi exerceretur intellectus: vt inuisibilem Deum per visibilia opera miraremur, & erecti ad fidem, & purgati per fidem, etiam ipsum inuisibiliter videre cuperemus, quem de rebus visibilibus inuisibiliter nosceremus. Nec tamen sufficit hæc intueri in miraculis Christi. Interrogemus ipsa miracula, quid nobis loquantur de Christo. Habent enim, si intelligantur, linguā suam. Nam quia ipse Christus verbum Dei est, etiam factum verbi, verbum nobis est. Hoc ergo miraculum sicut audiuimus quàm magnum est, quæramus etiam quàm profundum sit. Non tantùm eius superficie delectemur, sed etiam altitudinem perscrutemur. Habet enim aliquid intrùs hoc, quod miramur foris. Vidimus, expectauimus magnum quiddam, præclarum quiddam, & omninò diuinum, quod fieri nisi à Deo non posset: laudauimus de facto factorē. Sed quemadmodùm si literas pulchras alicubi inspiceremus, nō nobis sufficeret laudare scriptoris articulum, quoniam eas pariles, æquales, decorasq; fecit, nisi etiā legeremus quid nobis per illas indicauerit: ita factum hoc qui tātùm inspicit, delectatur pulchritudine facti, vt admiretur artificem: qui autem intelligit, quasi legit. Aliter enim videtur pictura, aliter videntur literæ. Picturam cùm videris, hoc est totum, vidisse, laudasse: literas cùm videris, non hoc est totum, quoniam commoneris & legere. Etenim dicis cùm videris literas, si fortè non eas nosti legere, Quid putamus esse, quod hic scriptum est? Interrogas quid sit, cùm iam videas aliquid. Aliud tibi demonstraturus est, à quo quæris agnoscere quod vidisti. Alios ille oculos habet, alios tu. Nónne similiter apices videtis? Sed non similiter signa cognoscitis. Tu ergo vides & laudas: ille videt & laudat, legit & intelligit. Quia ergo vidimus, quia laudauimus, legamus & intelligamus. Dominus in monte. Multo magis intelligamus, quia Dominus in monte, verbum est in alto. Proinde non quasi humiliter iacet, quod in monte factum est: nec transeunter prætereundum est, sed suspiciendum. Turbas vidit, esurientes agnouit, misericorditer pauit, non solùm pro bonitate, verùm etiam pro potestate. Quid enim sola prodesset bonitas, vbi non erat panis, vnde turba esuriens pasceretur? Nisi bonitati adesset potestas, ieiuna illa turba & esuriens remaneret. Denique & discipuli qui erant cum Domino in fame, & ipsi turbas volebant pascere, vt nō remanerent inanes, sed vnde pascerent non habebant. Interrogauit Dominus, vnde emerentur panes ad turbas pascendas. Et ait scriptura: *Hoc autem dicebat tentans eum*, discipulum s. Philippum, quem interrogauerat. *Ipse enim sciebat quid esset facturus.* Cui ergo bono tentabat, nisi quia ignorantiam discipuli demonstrabat? & fortè in demonstratione ignorantiæ discipuli, aliquid significauit. Apparebit ergo, cùm ipsum sacramentum de quinque panibus cœperit nobis loqui, & quid significet, indicare. Ibi enim videbimus, quare Dominus in hoc facto ignorantiam discipuli voluit interrogādo quod sciebat ostendere. Nam interrogamus aliquando quod nescimus, audire volentes, vt discamus. Aliquando interrogamus quod scimus, scire volentes vtrùm & ille sciat, quem interrogamus. Vtrunque hoc nouerat Dominus: Et quod interrogabat sciebat, & quid esset facturus ipse nouerat, & hoc nescire Philippum sciebat similiter. Quare itaque interrogabat, nisi quia illius ignorantiam demonstrabat? Et hoc quare fecerit, vt dixi, postea intelligemus. *Andreas ait: Est hic puer quidam, qui habet quinque panes, & duos pisces. Sed hæc quid sunt inter tantos?* Cùm dixisset Philippus interrogatus, ducentorum denariorum panes non sufficere, quibus tanta illa turba reficeretur, erat ibi quidam puer, portans quinque panes hordeaceos & duos pisces. *Et ait Iesus: Facite homines discumbere. Erat autem ibi multum fœnum. & discubuerunt ferè quinque millia hominum.* Accepit autem Dominus Iesus panes, gratias egit, iussit frangi: fracti sunt panes, positi ante discumbentes, non iam quinque panes, sed quod adiecerat qui creauerat quod auctum erat. Et de piscibus quantum sufficiebat. Parum est turbam illam fuisse satiatam, etiam fragmenta resederunt: & etiam ipsa colligi iussa sunt, ne perirent. *Et impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum.* Breuiter vt curramus, quinque panes intelliguntur quinque libri Moysi, meritò non tricenarii, sed hordeacei, quia ad vetus testamentum pertinent. Nostis autem hordeum ita creatum, vt ad medullam eius vix perueniatur. Vestitur enim eadem medulla tegmine paleæ, & ipsa palea tenax & inhærens, vt cum labore exuatur. Talis est litera veteris testamenti, vestita tegminibus carnalium sacramentorum. Sed si ad eius medullam perueniatur, pascit & satiat. Ferebat ergo quidam puer quinque panes, & duos

Miracula Christi aliquid loquuntur nobis.

Pictura & scriptura non eodē modo inspicitur.

5.

V. panes, 5. libri Moysi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Puer, populus israëliticus.

& duos pisces. Si quæramus quis fuerit puer iste, fortè populus Israël erat, qui sensu puerili portabat, nec manducabat. Illa enim quæ portabat, clausa onerabant, aperta pascebant. Duo autem pisces videntur nobis significare illas duas in veteri testamento sublimes personas, quę vngebātur ad populum sanctificandum & regendum, sacerdotis & regis. Et ipse in mysterio venit aliquando, qui per illas significabatur. Venit aliquando, qui per medullā hordei ostendebatur, per paleam verò hordei occultabatur: venit ipse vnus vtranq; personam in se portans, sacerdotis & regis: Sacerdotis, per victimam quam seipsum obtulit pro nobis Deo: Regis quia regimur ab eo: & aperiuntur quæ clausa portabantur, Gratias illi. Impleuit per se, quod per vetus testamentum promittebatur. Et frangi iussit panes, frangendo multiplicati sunt. Nihil verius. Quinq; enim libri Moysi, quàm multos libros cùm exponuntur tanquam frangendo, id est, differendo secerunt? Sed quia in illo hordeo, ignorantia primi populi tegebatur, de quo primo populo dictum est: Quandiù legitur Moyses velamen supra corda eorum positum est: nondum enim velamen ablatum erat, quia nondum venerat Christus: nondum velum templi fuerat illo in cruce pendente conscissum, Quia ergo ignorantia populi erat in lege, propterea tentatio illa Domini, ignorantiam discipuli demonstrabat. Nihil igitur vacat: omnia innunt, sed intellectorem requirunt. Nam & ipse numerus pasti populi, populum significabat sub lege constitutum. Cur enim quinq; millia erant, nisi quia sub lege erant, quæ lex quinq; libris Moysi explicatur? Vnde & quinque illis porticibus languidi prodebantur, non sanabantur. Ille enim ibi curauit languidum, qui & hic turbas de quinq; panibus pauit. Nam & super fœnum discumbebant. Carnaliter ergo sapiebant, & in carnalibus quiescebant. Omnis enim caro fœnum. Quę sunt autem illa fragmenta, nisi quæ populus non potuit manducare? Intelligūtur ergo quædam secretiora intelligentiæ, quæ multitudo non potest capere. Quid ergo restat, nisi vt secretiora intelligentię, quæ non potest capere multitudo, illis credātur, qui idonei sunt & alios docere, sicut erāt apostoli? Vnde duodecim cophini impleti sūt. Factū est hoc & mirabiliter, quia magnū est: factū est & vtiliter, quia spiritualiter factum est. Qui tunc viderūt, admirati sunt: nos autem non miramur cùm audimus. Factum est enim, vt illi viderent: scriptum est autē, vt nos audiremus. Quod in illis oculi valuerunt, hoc in nobis fides. Cernimus quippe animo, quod oculis non potuimus, & prælati illi sumus, quoniam de nobis dictum est. Beati qui non vident, & credunt. Addo autem, quia fortè & intelleximus, qd illa turba non intellexit: & verè nos pasti sumus, qui ad medullam hordei peruenire potuimus. Deniq; homines illi viderunt hoc, quid putauerunt? *Illi, inquit, homines cùm vidissent quod fecerat signum, dicebant: Quia hic est verè propheta.* Fortè ad-

2. Cor. 3.

Ioan. 5.

Esa. 40.

Fragmēta colligi iussa.

Duodecim cophini.

Ioan. 20.

huc ideò prophetam Christum putabant, quia super fœnum discumbebant. Erat autem ille Dominus prophetarum, impletor prophetarum, sanctificator prophetarum, sed & propheta. Nā & Moysi dictum est: Suscitabo eis prophetam similem tui: similem secūdùm carnem, non secūdùm maiestatem. Et de ipso Christo illam Domini promissionem habere intellectum, apertè in Actibus apostolorum exponitur & legitur. Et ipse Dominus de se ait: Non est propheta sine honore, nisi in patria sua. Propheta Dominus, & verbum Dei Dominus, & nullus propheta sine verbo ꝓphetat. Cū ꝓphetis verbū Dei, & ꝓpheta verbū Dei. Meruerūt priora tēpora ꝓphetas asslatos & impletos verbo Dei: meruimus nos ꝓphetā ipsum verbum Dei. Sic aūt propheta Christ⁹, Dominus prophetarum: sicut angelus Christus Dominus angelorum. Nā & ipse dictus est magni consilij angelus. Veruntamen alibi quid dicit propheta? Quia non legatus neq; angelus, sed ipse veniens saluos faciet eos: id est, ad saluos faciendos eos non mittet legatum, non mittet angelum, sed veniet ipse. Quis veniet? Ipse angelus. Certè nō per angelum, nisi quia iste sic angelus, vt etiā Domin⁹ sit angelorū. Etenim angeli, nūtij sunt latinè. Si Christus nihil annunciaret, angelus non diceretur: si Christus nihil prophetaret, propheta non diceretur. Exhortatus est nos ad fidem, & ad capessendam vitam æternam. Ali quid præsens annunciauit, aliquid futurum prędixit. Ex eo quod præsens annunciauit, angelus erat. Ex eo quod futurum prædixit, propheta erat. Ex eo quod verbum Dei caro factum est, & angelorum & prophetarum Dominus erat.

Deu. 18.

Actor. 7.

Mar. 6.

Esa. 9. secundum septuagin.

Ioan. 1.

HOMILIA EVSEBII EMESENI IN EVANGELIUM Matth. 13. Simile est regnum cælorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo &c.

ET ego quidem aliud his superaddere timeo, ne dum lucem illuminare velim, potiùs obscurem. Illud autem valdè considerandū est, quòd Dominus ante messionis tempus zizania à tritico separare interdicit, ne fortè simul cum eis & triticum eradicetur. Ibi enim tolerandi sunt mali, vbi si commouentur, in magnum periculum veniunt boni. Vbi enim fides non perit, melius est eorum vitiosos mores & actus tolerare, quàm eos irritando, Ecclesiæ pacem & quietem soluere. Admoneantur igitur, non expellantur. Sunt enim qui faciliùs monitis vincantur, quàm minis. Illa igitur zizania maneant inter triticum, quæ sine tritici eradicatione euelli non possunt. In omnibus enim est habenda discretio, neque omnes vno modo habere oportet.

Mali quando tolerandi.

Aliam parabolam proposuit eis, dicēs: *Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod accipiens homo seminauit in agro suo: quod minimum est quidem omnibus seminibus: quum autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ita ut volucres cæli ueniant, & habitent in ramis eius.* Talis enim à principio fuit Ecclesia, quæ nunc regnum cælorum appellatur, ad comparationem aliorum regnorum, quale est granum sinapis ad similitudinem aliorum granorum. Minimum est enim præ cunctis seminibus, quæ frequenti vsu seminari solent ab hominibus. Crescens autem fit cæteris oleribus maius, quod ipso visu probari potest. Similiter autem & Ecclesia ab vno vel à paucis incipiens, in infinitam creuit multitudinem. Vnde & per Psalmistam Dominus ait: Annuntiaui & loquutus sum, multiplicati sunt super numerum. Itemq;: Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur.

Psalm. 39. Psal. 138.

Aliam parabolam loquutus est eis. *Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.* Hæc autem parabola eadem est, quæ superior. Sicut enim minimum granum sinapis in arborem crescit: ita & modicum fermenti magnā farinæ massam viuificat & crescere facit. Fermentum enim hoc in loco non corruptionem, sed viuificationem operatur. Regnum verò cælorum, Ecclesia est: mulier autem, Dei sapientia: tria verò sata farinæ, tres mundi partes, Asia scilicet, Africa, & Europa. Mulier igitur, id est, Dei sapientia accepit fermentum, id est, primitiuam Ecclesiam, & abscondit in farinæ satis tribus, dicens discipulis suis: Ite in vniuersum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Ex his enim totum penè mundum iam fermentatum & viuificatum, in Ecclesiæ corpus creuisse videmus. *Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas, & sinè parabolis nō loquebatur eis, ut adimpleretur quod dictum erat per Prophetam, dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi.* Est autem parabola, similitudo in qua aliud dicitur, & aliud rationabiliter intelligitur.

Regnum cælorum, Ecclesia.

Mare. 16.

Psalm. 77

HOMILIA EVSEBII EMESENI.

DE die autem illa & hora nemo scit, neq; angeli cælorum, *nisi pater solus.* (Alius autem euangelista addidit, neq; filius) Matthæi 24. Magnum est igitur hoc secretum, quod nemo scit nisi pater, id est, virtus & sapientia patris, quæ simul vna eadem est & filij & spūs sancti. Sola igitur Trinitas vnus Deus scit hoc secretū, & ipse quoq; filius ignorat secundùm hoc, quòd homo est & filius hominis. Si enim secundùm hoc quòd homo est omnia sciret, nequaquam dictum esset: Iesus autem crescebat sapientia & ætate coram Deo & hominibus. *Sicut autem in diebus Noë, ita erit aduentus filij hominis.* Et hoc exponit. *Sicut enim erāt in diebus diluuij comedentes & bibentes, nubentes & nuptum tradentes usque ad eum diem quo intrauit in arcam Noë, & non cognouerunt donec uenit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus filij hominis.* Mortuo enim Antichristo, tunc terris reddita pace, sanctis omnibus propter signa, quæ videbunt, diem vltimum expectantibus, infideles & peccatores sola terrena & transitoria cogitantes, omni voluptati sicut priùs operam dabunt, vendentes & ementes, comedentes & bibentes, & nuptias contrahentes, & similia facientes. Sed econtrà subitò cùm dixerint, Pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus. *Tunc duo erunt in agro: unus assumetur, & unus relinquetur.* Ager enim, mundus est, sicut ipse Dominus ait, exponens parabolam qua dicitur: Simile est regnum cælorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo. In hoc autem agro sunt duo, populus scilicet fidelis & infidelis. Et fidelis quidem assumetur in gloriā, infidelis autem relinquetur in pœnam. *Duæ molentes in mola: una assumetur, & una relinquetur.* Hæc enim mola, sancta Ecclesia esse videtur, in qua dum sententiarum frumenta frangimus, dum scripturas exponimus, dum in farinam cuncta conuertimus, verbi Dei panē, quo animæ nutriūtur, cōficimus. Molentes autem non omnes, sed soli boni in gloriam suscipientur. Et meritò quidem non duo, sed duæ dicuntur, quoniam ita molere ad animas pertinet. Quanuis hoc de Ecclesia & Synagoga satis congruē intelligi possit. Vtraq; enim molit, vtraq; scripturas exponit: altera tamen, & non ambæ assumuntur. *Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus uester uēturus est.* Vnde hoc? Quia de die illa vel hora (vt modò diximus) nemo scit. *Illud autem scitote, quia si sciret paterfamilias qua hora fur uenturus esset, uigilaret utiq;, & non fineret perfodi domum suam.* Quia igitur nescit, quia dormiens negligit, sæpè domus persoditur, & quicquid in ea melius est, fit rapina latronum. Vos autem estote parati, estote soliciti, & quia horam illam vnam nescitis, omnibus horis vigilate, ne in illa incauti & dormientes inueniamini. Et hoc est, quod ait: *Ideò & uos estote parati: quia nescitis qua hora filius hominis uenturus est.* *Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore?* Quis, inquit, nisi vnusquisq; vestrūm, & cæteri similes vestri, quis est fidelis seruus & prudens, quos ad hoc super familiam suam, super domum & Ecclesiam suam Dominus constituit, vt eam regatis, doceatis, & nutriatis, & pro tempore & mensura, ordine & ratione omnia faciatis? *Beatus ille seruus, quem quum uenerit Dominus eius, inuenerit sic facientem.* Sed vnde beatus? Vis audire? *Amen dico uobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.* Quis illo enim beatior erit, qui super omnia constituetur? In hoc enim fidelis seruus maior erit & superior omnibus, in quo se magis humiliauerit, & ministrauerit omnibus. *Si autem dixerit malus seruus ille in corde suo, Moram facit & sublitem Dominus* Humilior qui fuerit, idem erit maior.

Mar. 13.

Luc. 2.

Ager, mūdus.

Matt. 13.

Mola, Ecclesia.

1. Thes. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dominus meus uenire: & cœperit percutere seruos suos, manducet & bibat cum ebriosis: ueniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partemq; eius ponet cum hypocritis. Illic erit fletus, & stridor dentium. Qui enim se multùm in hac vita viuere sperat, sola caduca & transitoria diligens, cunctis carnis voluptatibus se subijciens, non cum sobrijs sobriè, sed intemperatè cum ebriosis mâducat & bibit, seruos percutit, familiam affligit, subiectos despicit: iste quidem & si non voce, corde tamen & opere clamat: Moram facit Dominus meus venire, securus sum, iam nihil timeo: meæ igitur obediam voluntati. Veniens igitur eius Dominus die qua non sperat, & hora qua ignorat, subitò eum de hac vita exire compellens, diuidit eum. Quid est enim mors, nisi corporis & animę diuisio & separatio? Tunc igitur homo diuiditur, quando corpus ab anima separatur. Ponit autem partem eius cum hypocritis, modò interim crucians animam, pòst verò corpus & animam.

Diuidi hominem quid sit.

HOMILIA EVSEBII EMESENI.

Dan. 9.

Vum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sacto (qui legit intelligat) Et reliq. Matthęi 24. Videam[9] modò, quid Daniel propheta de hac abominatione desolationis viderit, audierit, dixerit. Scito (inquit angel[9], qui ei loquebatur) & animaduerte: ab exitu sermonis, vt iterũ ædificetur Hierusalem, vsq; ad Christum ducem, hebdomades septem & sexaginta duæ erunt: & rursùm ædificabitur platea, & muri in angustia tẽporum. Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus, qui negaturus est eum. Et ciuitas, & sanctuarium dissipabitur cum duce venturo: & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum cum multis, hebdomada vna. Et in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium: & in templo erit abominatio desolationis, & vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio. Videamus igitur quid ista significent, & rogemus Deum omnipotentem, vt hæc sua mysteria tam occulta nobis reuelare dignetur.

Ibidem.

2. Esdr. 1. Temporibus, Artaxerxis regis. Neemias pin-
2. Esdr. 2. cerna eius erat, sicut ipse testatur. Qui cum ei ad mensam ministraret, dixit ei Rex: Cur facies tua tristior solito esse videtur? At ille, Rex (inquit) in æternum viue, quia ciuitas patrum meorum destructa est. Cui ille, Vade (inquit) & reędifica eã. Et hoc est qd[9] dicitur: Scito (inquit) Daniel, et animaduerte quia ab exitu illius sermonis, qui Neemiæ à rege dicetur, vt iterùm ædificetur Hierusalem vsq; ad Christum ducem, hebdomades sexaginta & duæ erunt. Si quis enim diligenter cõputare voluerit annos, mẽses, & dies regum, qui ab eo tempore fuerũt, inueniet sexaginta & duas hebdomadas esse cõpletas ab eo die, quo hic sermo ad Neemiam factus est vsque ad Christi passionem. Quinq; aũt plus hoc numero in chronicis esse videntur, quod quidem scriptorum ignorantia factum esse puto. Illi enim facile in numero falli potuerunt, Daniel verò falli non potuit. Quòd autem ait, hebdomades septem, sic est intelligere, ac si diceret, Ab exitu sermonis, quo præcipitur vt iterùm ædificetur Hierusalem, erũt hebdomades septem vsque ad integram murorum restaurationem. Quæ videlicet hebdomades septem vsq; ad diem quinquagesimum perueniunt. Vnde & Neemias ipse ait: Quia complet- 2. Esdr. 6.
us est murus vicesima quinta die mensis Elul, quinquaginta duobus diebus. Hę nanq; hebdomadę dierũ sunt. Illæ autem sexaginta duæ, quę à Neemia vsque ad Christi passionem perueniunt, annorum hebdomadæ vocantur. Sicut enim septem dies, ita & septem anni vnam hebdomadam faciunt. Complentur igitur sexaginta & duę hebdomadæ in annis quadringentis & octogintа tribus. Et tot quidem computantur à Neemia vsque ad Christum. Sic igitur se habet ordo. Scito (inquit) Daniel & animaduerte, quia ab initio sermonis, qui factus est Neemiæ, vt iterùm ædificetur Hierusalem, erunt hebdomades dierum septem vsque ad muri completionem. Similiter autem ab initio eiusdem sermonis vsq; ad Christum ducem, erunt hebdomades annorum sexaginta duæ. Et quia in paucis dieb. id est, in quinquaginta duobus, muri ciuitatis ædificati sunt, ideò subinferens, ait: Et rursùm ædificabitur platea & muri, in angustia temporum. Sequitur: Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est. Miseri Iudæi, qui ista non intelligunt, qui quoniam Christum negauerunt, & non habemus regem nisi Cæsarem dixerunt, non Dei, sed diaboli populus facti sunt. Videamus quod sequitur. Et ciuitas, & sanctuarium dissipabitur cum duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Post quadraginta nanque & duos annos & ciuitas & templum dissipatum est. Dux autem eorum qui venturus est, Antichristus intelligitur, qui quanuis multò pòst tempore veniat, tamen quasi de præsenti loquitur, quia semper eum colunt & venerantur. Finis autem ciuitatis vastitas erit, & post finem desolatio sempiterna. Confirmabit autem dux ille malignus pactum cum multis hebdomada vna, quia se omni tempore viuere & regnare promittet. Quid est enim hebdomada vna, nisi diebus septem? quid est autem diebus septem, nisi diebus omnibus? Non enim sunt dies nisi septẽ. Si igitur esset cum eis hebdomada vna, esset vtiq; cum eis diebus omnibus. Sed non erit ita. Vnde hoc? In dimidio enim hebdomadis deficiet

Hebdomas putare voluerit annos, mẽses, & dies regum, qui ab eo tempore fuerũt, inueniet sexaginta & duas hebdomadas esse cõpletas ab eo die, quo hic sermo ad Neemiam factus est vsque ad Christi passionem.

Ioan. 19.

deficiet hostia & sacrificium. Dimidium enim hebdomadis (si de annorum hebdomada intelligatur) tres annos facit & dimidium. Et tunc quidem eo pereunte, deficiet hostia & sacrificium. Sacrificium vtique Iudæorum, quod ipse prædicabit, quia ad veteris legis cæremonias & consuetudines vniuersa transferre cõnabitur. Vnde & subditur: Et in templo erit abominatio desolationis. In templo quidem erit, quia quasi rex & sacerdos in templo sedebit. De quo Apo-
2. Thes. 2. stolus ait: Qui exaltabitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. Meritò autem abominatio vocatur, quia ab omnibus abominandus est, per quem tanta vbiq; gentiũ desolatio fiet. Quæ videlicet desolatio vsq; ad eius consummationem, & vsq; ad finem illius turpissimum & indignissimum perseuerabit. *Cum autem videritis hanc abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto: (qui legit, intelligat.)* Quum (inquit) videritis abominari-

Abominatio desolationis, Antichristus.

onem desolationis, quum videritis abominandum & desolãdum Antichristũ, qui multas in populo Dei abominationes & desolationes faciet, in tantum eleuatum & exaltatum, vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus: tunc qui hæc & alia legit, intelligat iam finem rebus
Dani. 7. adesse. Regnabit enim (vt in Daniele scriptum est) per tempus & tempora & dimidium temporis, id est, per vnum & duos & dimidium annum: in quibus tanta persequutio fiet, vt omnis præterita persequutio, & si magna fuerit obliuioni tradatur. *Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua: & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam.* Magni terroris hæc verba indicatiua videntur, in quibus omnium oblitis omnibus sola fuga placere narratur. Allegoricè autem à Iudæa ad montes fugiunt, qui relicto Iudaismo, siue litera, in qua Iudæi confidebant, ad spiritualem intelligentiam vel ad Ecclesiam se transferunt. Qui verò in tecto sunt, & in fidei sublimitate, siue etiã qui maiores sunt, & Ecclesijs præsunt, non descendant ad fugitiua bona, & vilem substantiam se induant: sed potiùs omnibus relictis, iam Christo appropinquanti obuiam pergant. At verò qui in agro sunt, & nouum euangelij semen in populo seminant, nec reuertãtur, nec prioris tunicæ recordentur: sed currant, quia propè est vt veteribus exuti, nouam immortalitatis tunicam induantur. *Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.* Prægnantes enim sunt illæ animæ, quæ

Prægnantes animæ.

per hypocrisin peccata sua abscondere volunt, sed tamen per superbiæ inflationem abscondere nequeunt. Et intùs igitur peccata latent, &
Nutrientes. foris quodammodò parent. Nutriẽtes autem sunt, quæ iam quidem mala opera pepererunt, & in eis persistentes, ea facere non erubescunt. Atq; vtinam adhuc prægnantes essent, alijsq; peccandi occasionem suo exemplo non dedissent. Malum est igitur peccata celare, sed peius est hoc modo peccatum reuelare. Alter enim sibi, alter & sibi & alijs nocet. *Orate autem, ut non fiat fuga uestra hyeme uel sabbato,* ne fortè tunc fugere incipiatis, quando fugere non potestis. Temporis enim asperitate fuga in hyeme impeditur. In sabbato verò fugere non licet, quia lex fieri interdicit. *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usq; modò, neq; fiet.* Erit (inquit) tunc tribulatio magna. Quando? Vis audire quando? Cùm abominatio desolationis stabit in loco sancto. *Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi.* Non enim breuiabuntur dies illi, quantum ad Dei dispositionem: breuiabuntur tamen quantum ad spem & votum iniquorum: quia non tantum regnabit Antichristus, quantùm ipse seipsum & sui eum regnare sperabunt. Hoc autem fiet propter electos. Si enim tantum viueret, quantum eum infideles viuere sperabunt, valdè pauci saluari potuissent. Quid enim si semper viueret, faceret, qui in tribus annis tantas strages faciet? *Tunc si quis uobis dixerit, Ecce hic est Christus aut illic, nolite credere.* His enim verbis non solùm Antichristum, sed & multos alios tunc fore significat, quos propter varias simulationes miseri homines Christum esse putabunt. *Vnde & subditur: Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. ecce prædixi uobis.* Sed quare prædixi vobis? Vt cauti sitis, & non ab eis decipiamini. *Si ergo dixerint uobis, Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere.* Alij enim in deserto, vt Elias & Ioannes Baptista: alij in Synagogis & in domibus, sicut Christus, prædicabunt. Omnia enim simulabunt, quæ hos fecisse audient. *Sicut enim fulgur exit ab oriente, & paret usque in occidentem: ita erit & aduentus filij hominis.* Hoc est enim, quod Psal-
Psal. 49. mista ait: Deus manifestè veniet, Deus noster & non silebit. Non vt priùs veniet occultus, sed quasi sol in sua maiestate præfulgens vbiq; apparebit, vbiq; lucebit, cunctis etiam nolentibus reuelabitur. *Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilæ.* Aquilæ enim sanctorum animæ sunt, quæ altiùs volant & clariùs vident. Hæ autem tunc ad corpora propria venientes, vbicunque & quomodocunque dispersa sint, ea iterùm induentur, vt totus integer & immortalis homo resurgat. Potest autem & sic intelligi, vt vbicunq; Christi corpus fuerit, illuc & animæ conueniant, paratæ eius obedire præceptis. *Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & uirtutes cælorum commouebuntur: & tunc parebit signum filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & uidebunt filium hominis uenientem in nubibus cæli, cum uirtute multa & maiestate.* Quia enim tunc sol iustitiæ Christus Deus noster omni luce splendidior de cælo descendet, sol iste quem videmus obscurabitur: &

Aquilæ sanctorum animæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæc luna non dabit lumen suum, obscurante immenso splendore maioris lucis. Sicut enim luna & stellæ solis huius splendore pallescunt: ita illius inenarrabili fulgore ipse sol in tenebras conuertetur. Quòd autem stellas cadere dicit, vel sanctorum animas ad corpora descendere, vel ipsas iuxta literam quasi decidentes, & obeuntes, lumen solitum amittere significat. Cadent præterea stellæ, quia sancti (qui per stellas significantur) ab iniquis occidentur. Luna verò non dabit lumen suum, quia sancta Ecclesia solitum splendorem insignis & virtutibus non ostendet. Sol autem obscurabitur, quia hæretici, qui tunc erunt, solem iustitiæ Christum Dominum eiusque fidem damnare & reprehendere non timebunt. Virtutes autem cælorum commouebuntur, quia omnes illi angelorum exercitus Christum Dominum nostrum ad iudicium sequentur. Et *tunc apparebit signum filij hominis in cælo.* Per quod vel eius crucem, vel aliquod victoriæ signum intelligere possumus. Et *tunc plangent omnes tribus terræ.* Vnde & in Zacharia propheta scriptum est: Et plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum vt doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Hierusalem, sicut planctus Adadreni in campo Mageddon, & plangetterra: familiæ, & familiæ seorsum. Quomodò enim super eum non & plangant, quum eum in tanta gloria videbunt, quem cum tanto opprobrio crucifixerunt? Sequitur: Et *mittet angelos suos cum tuba & uoce magna, & congregabunt electos eius à quatuor uentis, à summis cælorum usque ad terminos eorum.* Angelorum enim ministerio ex omnibus mundi partibus sancti Dei colligentur & resurgent, à summis cælorum animabus descendétibus, & vsq; ad eorum terminos venientibus. Sed quoniam cæli sancti vocantur, possumus per summos cælorum, patriarchas & prophetas & apostolos: per eorum verò terminos, quoscunque alios fideles intelligere. Colligentur igitur electi Dei à summis cælorum vsq; ad terminos eorum: quoniam & maiores & minores, & primi & nouissimi, omnes simul in vnum conuenient. Quòd enim ait, *Cum tuba*, ipse exposuit, dicens: *& uoce magna.* Magna enim vox erit, quæ mortuos suscitabit, & mundũ vniuersum replebit. *Ab arbore autem fici discite parabolam, quũ iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, scitis quia propè est æstas: ita & uos quũ uideritis hæc omnia, scitote quia propè est in ianuis.* Sicut enim ficus nouis ramis & folijs oriẽtibus, æstatem proximam adesse annuntiat: ita & hæc omnia tam magna tamq; inusitata, Christi aduentum manifestissimè annuntiabunt. *Amen dico uobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiãt.* Hoc enim de scribarum & pharisæorũ generatione intelligitur, super quã omnem sanguinem iustum venire superiùs dixerat. Non priùs illa generatio præteribit, non priùs deficiet, nec tota à sua iniquitate cessabit, quàm ista omnia compleantur. *Cælum & terra transibunt, uerba autem mea non præteribunt.* Quod enim veritas dicit, immutabile est, & præterire non potest: alioquin veritas non esset. Cælum igitur & terra transibunt, quia secũdùm hoc quod modò sunt, in melius commutabuntur: sed verba veritatis à statu suo mutari non poterunt.

Signum Christi.

Zach. 12.

Matth. 23

IN DEDICATIONE ECCLESIAE, IN LECTIONEM

Epistolæ loco, Concio exegetica.

Serm. 4. de Dedicatione Ecclesiæ.

VOtiuis laudibus celebramus hanc diem, ait D. Bernardus, & festiuis eam gaudijs honoramus. Quòd si nec religiosis competit, nec sapiẽtes decet ignorare quid venerẽtur, aut celebrare quod nesciãt: quærendum nobis est, in cuius id agatur vel in quorum commemoratione sanctorum. Nec verò id mihi ex me arbitror præsumendum: prior loquatur alter, cuius testimoniũ maius sit, & credibilior videatur. Miramini fortè cur ista præloquimur, cùm vestris sese obtutibus ecclesia præsens manifestiùs ingerat, cuius anniuersaria dedicatio celebratur. Quis enim parietes eius sanctos dicere vereatur, quos manus sacratæ pontificum tantis sanctificauere mysterijs? Extunc quoq; & deinceps sanctarum inibi lectionum resultare frequentia, sanctarum orationũ deuota murmurare susurria, sanctarum reliquiarum honorari beata præsentia, sanctorum spirituum indefessa noscitur custodia vigilare. Et infrà: Licet parietes hos & dici sanctos & esse faciat consecratio episcoporum, frequentatio scripturarum, instantia orationum, reliquiæ sanctorum visitatio angelorum: minimè tamen eorum sanctitas propter se credenda est honorari, quos nec propter se certũ est sanctificari. Quinimmò sancta est propter corpora domus, corpora propter animas, animæ propter spiritum inhabitantẽ. Hæc Bernardus. Iam ad ipsam lectionem veniamus: *Vidi* (inquit S. Ioannes Euangelista) *sanctam ciuitatem Ierusalem nouam, descendentem de cælo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam uiro suo.* Lectio hæc ex Apocalypsi Ioannis Apostoli sumpta est, de qua præclarè dictum est à Hieronymo: Apocalypsis Ioannis tot habet sacramenta, quot verba. Parũ dixi, & pro merito voluminis laus omnis inferior est. In verbis singulis multiplices latent intelligentiæ. Hæc ille. Augustinus quoq;, In hoc quidem libro, inquit, cuius nomen est Apocalypsis, obscurè multa dicuntur, vt mentem legentis exerceant: & pauca in eo sunt, ex quorum manifestatione indagentur cætera cum labore. Eodem loco Augustinus ea quæ ex Apocalypsi iam recitauimus, verba sic exponit: De cælo descendere ista ciuitas dicitur: quoniam cælestis est gratia,

Apoc. 21.

In Epistola ad Paulinũ

De ciuit. Dei lib. 20 cap. 17.

tia, qua Deus eam fecit. Propter quod ei dicit etiam per Esaiam: Ego Dominus faciens te. Et de cælo quidem ab initio sui descendit: ex quo per huius seculi tempus, gratia Dei desuper veniente, per lauacrum regenerationis in spiritu sancto misso de cælo subinde ciues eius accrescunt. Sed per iudicium Dei, quod erit nouissimum per eius filium Iesum Christum, tanta eius & tam noua de Dei munere claritas apparebit, vt nulla remaneant vetustatis vestigia: quandoquidem & corpora ad incorruptionem atq; immortalitatem nouam, ex vetere corruptione atq; mortalitate transibunt. Hæc Augustinus. Aretæ Cæsareę Cappadociæ episcopi in hunc locum sunt hæc: Vetus quidem illa Ierusalem sanctissimum æstimabatur tabernaculum, in qua & templum, & omnia diuinæ religionis mysteria erant recondita. Hęc autem non ab ratione nunc dicitur noua, quatenùs illa per Domini aduentum vetustate abolita sunt. Est itaq; nunc etiam necessarium, sub vniuersi renouatione Ierusalem manifestari, etiam de cælo descendentem, vnde & innouator ipse Dominus Iesus Christus descendit. Ierusalem igitur noua quidem ob id dicitur: ciuitas verò, quòd omnium tum angelorum, tum hominũ futura sit domicilium. Ita Aretæ Commentaria.

Lib. 7. Cõmentario rum in Apocalypsin.

Audiamus etiam Haymonem, tertium episcopũ Halberstaten. virum certè doctissimum. Hæc ciuitas, inquit, sancta Ecclesia est: quæ idcircò ciuitas appellatur, quoniam à multis inhabitatur, & in quatuor mundi partes distenditur, habens habitatorem Deum. Hinc Paulus dicit: Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Sancta dicitur, quia quotidiè per baptismum sanctificatur. Vocatur quoq; Ierusalem, quæ visio pacis interpretatur: quia ad hoc laborat, vt visionem Dei in cælestibus percipiat. Noua dicitur, quia à vetustate peccati exuitur. Peccati enim perpetratio ad veterem Adam pertinet. Et ideò dum Ecclesia à peccato originali mundatur, à vetustate peccati ad nouitatem venit. Vnde Apostolus: Expoliantes vos veterem hominem, induite nouum, qui renouatur in agnitione Dei. Idcircò autem ciuitas hæc à Deo descendere dicitur, quia ab exordio sui iam cum capite suo descendit, cum quo & per quod sursum ascendit. Vnde idem Dominus dicit: Nemo ascendit in cælum, &c. Aliter: In hoc de cælo descendere dicitur, quia cælestis est gratia, quòd Deus eam fecit Ecclesiam, iuxta illud: Ego Dominus faciens te. Quicquid enim habet in fide, spe & charitate, cæterisque virtutibus & baptismo, desuper datum est illi. Vnde Iacobus: Omne datum optimũ, & omne donũ perfectũ desursum est, descendens à patre luminũ. *Paratam*: id est, fide cæterisq; virtutibus ornatam, vt mereretur fieri sponsa. *Sicut sponsam ornatam uiro suo.* Duo dicit, Sponsam & virum: in quo subintelligitur vxor: quia consuetudo est sanctæ scripturę, vt sponsos appellet viros, & sponsas vxores. Vnde est: Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo. Et Sephora ad Moysen: Sponsus sanguinum tu mihi es. In Euangelio quoq; ab angelo dicitur: Ioseph autem vir eius. Et in lege: Si inuenerit vir puellam in agro desponsatam, & dormierit cum ea, morte moriatur, quia humiliauit vxorem proximi sui. Sponsa itaq; nunc est sancta Ecclesia, per fidem, spem & dilectionem. Sed tunc erit vxor, quando ad amplexus viri, id est, ad contemplationem Dei omnipotentis peruenerit. Quod quotidiè quidem in singulis agitur electis: generaliter aũt in fine cõplebitur, cùm oẽs in cõmune audierint, Venite benedicti patris mei, &c. Ornatam dicit, id est, omnibus virtutibus cõpositam: iuxta illud Psalmistę: Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circũdata varietate. Hactenus Haymo. Græca Aretæ commentaria, in ea verba, *A Deo paratam*, isthæc habent: Quid enim sibi quisquàm strenuè præstare poterit salutare, si expers fuerit auxilij Dei? Figuratè autem, etiam vt tantam decet maiestatem, veluti sponsam ornauit, modò ex sensibiliter dictis, ad intelligibilem sanctorũ præstantissimam beatitudinem ac consuetudinem transferamus mentem nostram. Hæc ille. *Et audiui uocem magnam de throno.* Thronus, inquit Haymo, hic intelliguntur angeli & homines sancti, in quibus habitat Dominus. Ideoq; hæc vox magna, vox intelligitur Dei omnipotentis; quæ idcircò magna dicitur, quia de magnis loquitur, dicens: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.* Magna est enim Dei gratia, inquit idem Haymo, vt homines illius fiant tabernaculum, cuius magnitudinem non capit mundus. Tabernaculum Dei cum hominibus: id est: ipsi homines sunt tabernaculum Dei. Ioannes in hoc loco typum tenet sanctæ Ecclesiæ, quæ audit vocem dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, quando per internam inspirationem seipsam cognoscit esse Dei tabernaculũ. Et *habitabit cum eis.* Id est, cũ illis, qui tabernaculum Dei esse meruerunt. Vnde ipse Apostolus dicit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi. Et *ipsi populus eius erũt*: iuxta illud: Hęreditas mea Israël. Et *ipse Deus cum eis erit eorum Deus*, habitãs in eorum fide & dilectione, sicut ipse dicit: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eũ faciemus. Vnde & idẽ Ioãnes in epistola sua ait: Qui manet in dilectiõe, Deus in eo manet. Et ipsorũ Deus, est omnipotẽs Deus, cũ quib. habitare dignatur. Vnde Psalmista: Dominus pars hæreditatis meæ. Et ipse in Lege loquitur, dicens: Filijs aũt Leui non dabitis possessionem. ego enim hæreditas illorum. Quando enim homo peccando recedit à Deo, nõ est Dei populus, nec Deum possidet. Dum autem pœnitendo reuertitur ad Deum, populus Dei est: quia possidet Deum, & possidetur à Deo. Et *absterget Deus omnẽ lachrymam ab oculis eorum.* Hæc verba non ad præsentem vitam, luctu & lachrymis plenam

Ioan. 3.

Iacob. 1.

Ioël. 2.

Sponsus sanguinum tu mihi es. Exod. 4.

Matth. 1.

Deut. 22.

Matt. 25.

Psalm. 44

1. Ioan. 4.

Psal. 15.

Deut. 18.

Matt. 28.

Esai. 19.

Ioan. 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pertinent, sed ad futuram, quando omnis luctus auferetur à fidelibus, & perpetuũ gaudium posſidebitur, iuxta illud: Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Intuendum autem, quid ſit ꝙ oẽm lachrymam ab oculis ſanctorum dicit auferendam, cùm ſufficere potuiſſet, ſi diceret, Abſterget lachrymam ab oculis eorum. Sed ſcienſterget lachrymam ab oculis eorum . Sed ſcien- *Multiplices lachrymæ piorũ.* dum, quia diuerſę ſunt qualitates lachrymarum, quibus in hac vita affliguntur electi: aliquando ſcilicet propter timorẽ tormentorum, ne videlicet merito iniquitatis ſuæ pœnis tradantur vltricibus. Aliquando verò, ꝓpter amorẽ & conſortiũ ſupernorum ciuium. Poſtquàm enim veniã peccatorum conſequuntur, iterùm incipiunt flere, non iam quia timent damnari, ſed quia differuntur à regno. Aliquando quoq; deplorant aliorũ peccata, ſicut Samuel flebat Saul, eò quòd pœnituiſſet Dominum, ꝙ conſtituerit eum regem ſu- 1. Reg. 15. per Iſraël: & ſicut Paulus flebat Corinthios, qui poſt fornicationem & idololatriam non egerũt pœnitentiam. Oẽm ergo lachrymam ab oculis electorum Dominus abſterget, quia neque timore arctabuntur pœnarum, neque iam differentur à regno, quod præſentialiter poſſidebunt, neq; etiam aliorum peccata deflebũt, quia iuſto Dei iudicio damnatis reprobis, nullus deinceps peccare poterit. *Et mors ulterà non erit.* Poſtquam enim oẽs à mortuis reſurrexerimus, in electis iam vltrà mors non erit, neq; corporis, neq; animæ. Primus nanq; homo ea lege conditus eſt in paradiſo, vt ni ſi peccaſſet, immortalis manſiſſet, & completo electorũ numero, ab illo paradiſo terreno abſq; mortis interuẽtu tranſiret ad patriam cæleſtem. Sic autem eſt conditus, vt ſi peccaret, mori potuiſſet: quæ mors, quia eam per peccatum incurrit, deſtructa eſt per Domini mortẽ. Ideoq; locum in electis nõ habet, poſtquàm oẽs ad vitam reſurgemus, tales effecti, vt deinceps neq; mori, neq; peccare poſsimus. *Neq; luctus* erit in illa Eccleſia: quia, vt ſuperiùs dictum eſt, multis modis ſit in præſenti. *Neq; clamor, neq; dolor erit ultrà.* Clamor in hoc loco intelligitur querela praua ſuggeſtionis. Priùs enim quàm peccaret homo, in magna quiete erat, omniaq; membra ſibi ſubiecta, & nullo modo in aliquo repugnantia poſſidebat: ſed poſtquàm peccauit, ſtatim clamorem prauæ ſuggeſtionis contra ſe exurgentẽ ſenſit, videnſq; mulierem concupiuit: factumq; eſt Dei iuſto iudicio, vt qui noluit eſſe ſubiectus Deo, non poſſet habere membra ſibi ſubiecta.

Hunc clamorem oẽs deinceps ſuſtinemus, quo Rom. 7. laborare ſe oſtendit Paulus, dicens: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, &c. Sẽper fit enim hic clamor, quia ſemper caro ſpiritui reſiſtit. Sed cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatẽ, ceſſabit clamor tumultuari contra electos, qui eos in hac vita quieſcere nõ ſinebat. Ibi enim ceſſabit omnis praua ſuggeſtio, ibi nulla erit carnis delectatio. Sed & dolor poſt hæc non erit: quia videlicet caro electorum vltrà ſpinas & punctiones peccatorum, pro quibus dolere debeant, non generabit. *Quæ prima abierunt*: quia in præſenti ſeculo hęc omnia ſuſtinẽt: ſed cùm innouata cælum & terra fuerint, tunc electi innouabuntur, & nequaquã præteritas paſſiones ſuſtinebunt. *Et dixit qui ſedebat in throno*: id eſt, Deus omnipotens, qui præſidet tuæ Eccle- *Thronus Eccleſiæ.* ſiæ: *Ecce noua facio omnia*, ea ſcilicet, quæ ſuperiùs dicta ſunt, inter quæ etiam cælũ & terra innouabuntur. Hactenùs Haymo in Commentarijs ſuis in Apocalypſim. Aretæ verò commentaria eum locum, *Quæ prima abierunt*, ſic interpretantur: Prima illa, quæ à præuaricatione Adæ corruptionẽ comitabantur: ſiue moleſta & dolorioſa, quæ pijs ac Dei amicis propter virtutem nũquam deſunt: ſiue ea, quæ propter ſuperbiã inſipientiam mq; impios ac Dei vlores à tergo ſequuntur, omnia abierunt. *Et dixit qui ſedebat in throno*: Thronus Dei hi *Thronus Dei, hominꝰ ſanctiꝰ* ſunt, qui virtutibus ſeſe vehiculum præſtiterunt ipſius: de quibus is etiam, qui in ipſis ſedet, dixit: *2. Cor. 6.* Inhabitabo in eis & in ambulabo. Hæc Græcæ Aretæ Commẽtaria. Porrò etiam Auguſtinus ea verba, Abſterget Deus oẽm lachrymam ab oculis eorũ: & mors iam nõ erit, neq; luctus, neq; clamor: ſed nec vllus erit dolor, prorſus non vult de illo tempore (puta huius mortalis vitæ) eſſe accipienda. Ait enim: Quis tam ſit abſurdus, & obſtinatiſsima contentione vetanus, qui audeat affirmare in huius mortalitatis ærumnis, non dico populum ſanctum, ſed vnumquemq; ſanctorũ, qui hanc vel ducat, vel ducturus ſit, vel duxerit vitã, nullas habentẽ lachrymas & dolores: cùm potiùs quanto quiſq; eſt ſanctior, & deſiderij ſancti plenior, tanto ſit eius in orando fletus vberior? Et infrà: An ipſe Apoſtolus Paulus non erat ſuperiꝰ Hieroſolymitanus, vel non multo magis hoc erat, quando ꝓ Iſraëlitis, fratribus carnalibus ſuis, *Rom. 9.* triſtitia illi erat magna, & continuus dolor cordi eius? Quando aut mors non erit in iſta ciuitate, *Oſee 13.* niſi quando dicetur, vbi eſt mors contentio tua, vbi eſt mors aculeus tuus? Aculeus aũt mortis, ẽ *1. Cor. 15.* peccatum: quod tunc vtiq; non erit, quando dicetur, Vbi eſt? Nunc verò non quilibet infimus ciuis illius ciuitatis, ſed idemipſe Ioannes in Epiſtola ſua clamat: Si dixerimus quia peccatum *1. Ioan. 1.* non habemus, noſipſos ſeducimus, & veritas in nobis nõ eſt. Et poſt pauca: Verùm in his verbis, vbi ait, Abſterget Deus oẽm lachrymam ab oculis eorum, & mors iam non erit, neq; luctus, neq; clamor, ſed nec vllus dolor: tanta luce dicta ſunt de ſeculo futuro, & immortalitate atq; æternitate ſanctorũ, (tunc enim ſolùm, atq; ibi ſolùm iſta non erũt, vt nulla debeamus in libris ſacris legere vel quærere manifeſta, ſi hæc putauerimꝰ obſcura. Hæc Auguſtinus. Faxit aũt præpotens Deꝰ gratia & benignitate ſua, vt ſicut hodiè anniuerſariam templi huius dedicationẽ celebramus, ita etiam nos illius veriſsimũ templum eſſici mereamur, illumq; nos inhabitantem & in nobis inambulantem perpetim ſentiamus, Amen.

I N

IN DEDICATIONE ECCLESIAE VEL ALTARIS,

Sermo B. Auguſtini Epiſcopi.

Eſt in eius Sermonibus de Tẽpore 252.

QVotieſcunq; fratres chariſsimi, altaris vel templi feſtiuitatem colimus, ſi fideliter ac diligenter attendimus, & ſanctè ac iuſtè viuimus, quicquid in templis manufactis agitur, totum in nobis ſpirituali ædificatione completur. Non enim mentitus eſt ille, qui dixit: Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Et iterùm: Neſcitis quia corpora veſtra templum ſunt ſpiritus ſancti, qui in vobis eſt? Et ideò fratres chariſsimi, quia nul- *1. Cor. 3. & 6.* lis præcedentibus meritis per gratiam Dei meruimus fieri templum Dei, quantùm poſſumus cum ipſius adiutorio laboremus, ne Dominus noſter in templo ſuo, hoc eſt, in nobis ipſis inueniat, quod oculos ſuæ maieſtatis offendat: ſed habitaculum cordis noſtri euacuetur vitijs, & virtutibus repleatur: claudatur diabolo, & aperiatur Chriſto: & ita laboremus, vt nobis bonorum o- *Claues bonorum operum.* perum clauibus ianuam regni cæleſtis aperire poſsimus. Sicut enim malis operibus, quaſi quibuſdam feris ac vectibus, vitæ nobis ianua clauditur, ita abſq; dubio bonis operibus aperitur. Et ideò fratres chariſsimi, vnuſquiſque conſideret conſcientiam ſuam, & quando ſe aliquo crimine vulneratum eſſe cognouerit, priùs orationibus, ieiunijs vel eleemoſynis ſtudeat mundare conſcientiam ſuam, & ſic Euchariſtiam præſumat accipere. Si enim agnoſcens reatum ſuum, ipſe ſe à diuino altari ſubduxerit, citò ad indul- *Matt. 23.* gentiam diuinæ miſericordiæ perueniet. Quia ſicut qui ſe exaltat, humiliabitur: ita è contrario qui ſe humiliat, exaltabitur. Qui enim, ſicut dixi, agnoſcens reatum ſuum, ipſe ſe humiliter ab altari eccleſiæ pro emendatione vitæ remouere voluerit, ab æterno illo & cæleſti conuiuio excommunicari penitùs non timebit. Rogo vos fratres diligenter attendite, ſi ad menſam cuiuſcunq; potentis hominis nemo præſumit cum veſtibus conſciſsis & inquinatis accedere: quanto magis à conuiuio æterni regis, id eſt, ab altari Domini debet ſe vnuſquiſq; inuidiæ vel odij veneno percuſſus, iracundiæ furore repletus, cum reuerentia & humilitate ſubtrahere, propter illud, quod ſcriptum eſt, Vade priùs reconciliare *Matth. 5. & 22.* fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. & iterùm: Amice, quomodò huc intraſti, non habens veſtem nuptialem? Sic enim habet textus euangelicæ lectionis, quòd quidã rex fecerit nuptias filio ſuo, & intrauerit vt videret ſimul recũbentes: & videns ibi hominem non habentem veſtem nuptialem, dixit ad eum: Amice, quomodò huc intraſti, non habens veſtem nuptialem? Et illo obmutescente, dixit miniſtris: Ligate illi manus & pedes, & proijcite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dentium. Ecce qualem ſententiam merebitur audire, qui ad cõuiuium nuptiale, id eſt, ad altare Domini, aut ebrioſus, aut adulter, aut odium in corde retinẽs, præſumit accedere. Auertat hoc Deus à nobis, fratres chariſsimi, & concedat vt mala iſta aut nunquam velimus admittere, aut ſi admiſſa fuerint, ſine vlla mora pœnitentia vel pace ſtudeamus ſanare, & largioribus eleemoſynis feſtinemus abluere: ne fortè ſi cum peccatorum vulneribus ante tribunal æterni iudicis venerimus, ab illa æterna Eccleſia, & ab illa cæleſti Ieruſalem perpetua excommunicatione ſeparemur. Conſiderate fratres, rogo vos, ſi hodiè aliquis à conuẽtu eccleſiæ huius pro aliquo crimine proijciatur foras, in quanto dolore vel tribulatione erit anima ſua? Et ſi intolerabilis dolor eſt de illa eccleſia foras proijci, vbi ille qui proijcitur, & manducare, & bibere, & cum hominibus loqui poteſt, & habet ſpem, vt iterùm mereatur ad eccleſiam reuocari: quantus putatis dolor ille erit, ſi aliquis pro criminibus ſuis ab illa Eccleſia, quæ in cælis eſt, à conuentu angelorum vel ſanctorum omnium congregatione fuerit ſeparat? cui nec hoc ſolum ſufficit ad pœnam quòd foris proijcitur, ſed inſuper in tenebras exteriores, æterno incendio concremandus, excluditur. Qui enim in illa cæleſti Ieruſalem excommunicari meruerit, non ſolùm hoc pœnæ habebit, quòd nec manducare vel bibere poterit: ſed etiam flammas infernales ſuſtinebit, vbi eſt fletus & ſtridor dentium, vbi *Matth. 8.* vlulatus, lamentatio & pœnitentia ſine vllo remedio, vbi eſt vermis ille qui non moritur, & ignis *Eſai. 66.* qui nunquàm extinguitur, vbi mors quæritur & *Apoc. 9.* non inuenitur. Quare in inferno mors quæritur & non inuenitur? Quia quibus in hoc ſeculo vita offertur & nolunt accipere, in inferno quærũt mortem, & non poterunt inuenire. Vbi erit nox ſine die, amaritudo ſine dulcedine, obſcuritas ſine lumine: vbi nec diuitiæ, nec parentes, nec coniuges, nec filij, nec vicini poterunt ſubuenire: vbi nihil peccator inueniet, niſi quod de hoc ſeculo caſtè & iuſtè viuendo, per eleemoſynarum largitatem tranſmiſerit. Hæc ergo cogitantes, fratres chariſsimi, tam caſti, & tam ſobrij, & tam pacifici ad iſtud altare, Deo auxiliante, ſtudeamus accedere, vt ab illo æterno altari non mereamur excludi. Qui enim ad iſtud altare caſto corpore & mundo corde, cum ſyncera & munda conſcientia venit, ad illud altare, quod in cælis eſt, feliciter tranſmigratione perueniet. Ad extremum, fratres chariſsimi, non eſt graue nec laborioſum quod ſuggero: hoc dico, quod vos frequenter facere adſpicio. Omnes viri quando communica- *Reuerẽtia ergo ſacroſanctã Euchariſtiam.* re deſiderant, lauant manus ſuas: & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, vbi corpus Chriſti accipiant. Non eſt graue quod dico fratres: quomodò viri lauant aqua manus ſuas, ſic eleemoſynis lauent conſcientias ſuas. Similiter & mulieres quomodò nitidum exhibent linteolũ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vbi corpus Christi accipiant, sic corpus castum & cor mundum exhibeãt, vt cum bona conscientia Christi sacramenta suscipiant. Rogo vos fratres, numquid est aliquis, qui in arca sordibus plena velit mittere vestem suam? Et si in arca sordibus plena vestis non mittitur preciosa, qua fronte in anima, quæ peccatorum sordibus inquinatur, Christi Eucharistia suscipitur? Et quia istis verissimis exemplis loqui cœpimus, etiam & hoc qđ non nostis insinuo. Non puto esse aliquem hominẽ, qui in arca sua, vbi preciosas vestes habet repositas, acquiescat aut carbonem viuum, aut qualecunq; scintillam includere. Quare hoc fratres? Quia timet ne comburantur vestimenta, quibus in festiuitate induitur. Rogo vos fratres, qui in arca sua non vult scintillam ignis includere, quare in anima sua flãmam iracundiæ non timet accendere? Sed quarè hoc fiat, manifestè & euidenter cognoscimus. Ideò enim in arcam ignem nõ mittimus, quia diligimus vestem nostram: flammam verò iracundiæ ideò nõ extinguimus, quia non solùm non diligimus, sed etiam odio habemus animam nostram, secundùm id quòd scriptum est, Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. *Psal.10.* Et ideò fratres charissimi, exempla ista attentiùs cogitantes, arcellas interiores, id est, conscientias nostras quantùm possumus cum Dei adiutorio custodire diligentiùs studeamus: vt cùm dies iudicij aduenerit, in illa æterna & beata Ecclesia, vbi nunquàm habitare poterit malus, vnde nunquàm exiturus est bonus, non cum pannis ve teribus foras in tenebras exteriores excluſi appareamus, sed stola immortalitatis induti, castitatis vel iustitiæ gẽmis ornati, eleemosynarũ luce vel- *Matth.25* stiti, audire mereamur, Venite benedicti patris *ibidem.* mei, percipite regnum. & illud: Serue bone & fidelis, intra in gaudiũ Domini tui: ad quod gaudium nos Dominus sua protectione perducat, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

ITEM ALIVS SERMO eiusdem Augustini.

Est Sermo 255. de Tẽpore.

RECTÈ festa Ecclesiæ colunt, qui se Ecclesiæ filios esse recognoscunt. Hæc enim omnium credẽtium mater est, quæ natos ad mortem, regenerat ad salutem. Hæc est post synagogam quidem vocata, sed ante synagogam promissa. Hæc enim iam in primo homine præfigurata est. Nam sicut ex Adæ latere fabricata est Eua, ita ex Christi corpo- *Gen.2.* re & vulnere redempta creuit Ecclesia. Hæc intra aream diluuio exundante seruata, crucis be- *Gene.7.* neficium & baptismatis mysterium præsignauit. *Gen.21.* Hanc Sara sterilis & desperata in senectute, vnico pignore fœcundata, præcinuit. Ecclesia enim vnicum, id est, dilectissimum Deo populum, seculo senescente progenuit. Hęc est regina illa, de *Psalm.44* qua ad Dominũ dicitur: Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta varietate, id est, diuersarum circundata preciosо decore virtutum. Hæc est illa regina, quæ venit à partib. Aethiopiæ audire sapientiam Salomonis. Sed *3. Reg.10* hæc non tam ex vna regione, quàm ex vniuersis mundi partibus reges paritura conuenit, sicut etiam euangelista commemorat: Regina Austri ve- *Matth.12* nit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Venit Ecclesia ad redemptorẽ & eruditorẽ suũ, vt de stultitia erroris, doctrinam perciperet veritatis. De qua plenius, sicut audiuimus, Regnorũ scribit historia, ita dicens: Et ingressa regina Hie- *3. Reg.10* rusalem cum multo comitatu & diuitijs, cum camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas preciosas, venit ad Salomonẽ, & locuta est ei vniuersa, quæ habebat in corde suo. Ergo in figura reginæ huius, Ecclesia venit *Regina Saba, typus Ecclesiæ.* ex gentib. & à finibus terræ, imponẽs finẽ cupiditatib. vitijsq; terrenis, vt audiret sapientiam Salo- *Ephes.2.* monis. i. veri pacifici Domini nostri Iesu Christi, qui fecit vtraq; vnũ, soluens immicitias inter Deum & hominem, in carne sua. Venit post veteres & prophanas superstitiones, audire & discere de fidei illuminatione & iudicio futuro, de animæ immortalitate, de spe resurrectiõis & gloria. Venit ergo in Hierusalẽ cũ multo comitatu, id est, non iam cum vna tantùm gente Iudæorum, sicut priùs synagoga solos habuit Hebræos: sed cũ totius mundi gentibus, diuersisq; nationibus. Venit ergo exhibens munera digna Christo, aurũ & gemmas preciosas, & hoc camelis portanti- *Cameli gentiles.* bus. i. ex gentili populo veniẽtibus, qui priùs fuerant vitiorũ fœditate distorti, & malorũ onere curui, ac peccatorũ prauitate deformes. Cum his tanquã munerib. regina hæc ingreditur ad pacificũ regẽ Christũ, exhibẽs secũ redolentiũ aromata orationũ, fidei aurũ, puritatis incẽsa preciosa, splẽdoresq; gẽmarum, morũ scilicet insignia & ornamenta virtutũ: & locuta est ei vniuersa, quæ habebat in corde suo: .i. aperuit ei cor suũ, manifestauit ei occulta conscientiæ suæ, in confessione & pœnitudine præcedentium delictorum. Videamus quid agat hæc regina. Videns, inquam, regina Saba oẽm sapientiam Salomonis, & domũ quã ædificauerat, & cibos mensæ eius, & holocausta quæ offerebat in domo Domini, non habebat vltrà spũm. Quid erat rationis, vt prępotẽs regina, domus expẽsas & cibos regios tantopere miraretur? Ergo hoc loco aliqua maiora nos oportet inquirere. Vidit ergo Ecclesia ex gentibus congregata, sapientiam Christi .i. post carnalia instituta gentilium, post humanam & animalem doctrinam philosophorum, accepit intellectum salutis & vitæ, inspexit spiritalium membra bonorum, agnouit verum fabricatorem cæli & terræ, & potentissimum humani generis conditorẽ, de cuius sapientia dicitur: Omnia in mensu- *Sapien.11.* ra, & pondere, & numero cõstituisti. Vidit & domũ quam ædificauerat .i. incarnationem hominis assumpti, in quo habitat omnis plenitudo di- *Coloss.2.* uinitatis corporaliter. Vidit & cibos mensæ Salomonis, id est, illos de quibus Dominus dice- *Ioan.4.* bat: Meus est cibus, vt faciam voluntatem eius, qui misit me patris. Cibus enim Christi, salus nostra est. Reficitur cælestibus epulis, profectibus nostris. Cibus eius sumus, dum acquisiti Ecclesiæ, in membra eius corpusq; transimus: vel cibus eius, altaris sacramẽta cælestia sunt, de qui- *Psalm.77* bus dicitur: Panem cæli dedit eis, panem angelorum manducauit homo. Vidit & holocausta eius, orationum sine dubio supplicationumque mysteria, & obstupuit, vbi vidit inæstimabiles *3. Reg.10* Domini sui diuitias, dixitq; ad regem: Verus est sermo, quem audieram in terra mea super sermonibus tuis, & super sapientia tua, & non credebam narrantibus, donec ipsa veni & vidi oculis meis: & probaui, quòd media pars nuntiata mihi non fuisset. Maiora sunt sapientia tua & opera tua, quàm rumor quem audiui. Cùm ergo peruenerit regina hæc siue Ecclesia, siue quæq; anima sancta in æternam Hierusalem, id est, visionem pacis: & ingressa fuerit beatam requiẽ, & gloriam promissorum cælestium, multo plura & magnificentiora perspiciet, quàm ei iunt in hac terra per sacra eloquia prophetarum atq; *1. Cor.13.* apostolorum nunciata. Nunc enim tanquàm in speculo & in ænigmate, tunc autem oculis suis videbit, id est, facie ad faciem. Tunc beata & illustris anima, inter stupendas remuneratoris sui constituta diuitias, ineffabilibus reginæ huius verbis vti ad Deum poterit, dicens: Verus est sermo, quem audiui in terra mea super sermonibus tuis: maiora sunt opera tua, quàm rumor quem audiui. Et reuerà id quod parat Deus diligentibus se, fide non comprehenditur, spe non attingitur, charitate non capitur, desideria & vota transgreditur. Acquiri potest, æstimari nõ potest. Habebit de perceptione fructum, non habebit de satietate fastidium. Ad quæ nos bona perducat, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

IN DEDICATIONE ECclesiæ. Luc. VI.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Non est arbor bona, quæ facit fructus malos: neque arbor mala, faciens fructum bonum. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

VIa propitia diuinitate, fratres charissimi, solennia dedicationis Ecclesiæ celebramus, debemus congruere solenitati quam colimus: vt sicut ornatis studiosiùs eiusdẽ ecclesiæ parietibus, pluribus accensis luminaribus, amplificato numero lectionum, addita Psalmorum melodia, latis noctem vigilijs ex more transegimus, ita etiam penetralia cordium nostrorum semper necessarijs bonorum operum decoremus ornatibus. Semper in nobis flamma diuinæ pariter & fraternæ charitatis augeatur, semper in sanctuario pectoris nostri, cælestium memoria præceptorum, & angelicæ laudationis dulcedo sancta resonet. Hi sunt enim fructus bonæ arboris, hi boni thesauri cordis, hæc fundamenta sapientis architecti, quæ nobis hodierna sancti euangelij lectio commendat, non nos formam solummodò, sed virtutem potiùs habere pietatis. Quod etiam mystica veteris instrumenti nobis historia diligenter insinuat, quando vel Moyses tabernaculum, vel templũ Domino Salomon in sanctæ Ecclesiæ typũ condidit. Vtraque enim domus firmiter fundata esse refertur: tabernaculum quidem, quia compactos de tabulis habebat parietes super bases argenteas, templum autem super lapides quadros suppositos. Ligna quoque erãt impurtribilia, è quibus & tabernaculum omne factum, & templum intùs ornatum, ac desuper tectum fulgebat. Aurum etiam de thesauro bono optimũ proferebatur, de quo & tabernaculi parietes intùs & foris vestiti, & templi non tãtùm parietes, verumetiam laquearia, trabes, ostia, portæ, & paui menta erant cooperta. Sed & vasa vel vtensilia domus vtriusq; cuncta penè aurea: neque hæc nisi de auro purissimo fieri licebat. Fructus etiam arborum, qui in domum Domini offerebantur, purissimi & exquisiti esse iubebantur, hoc est, vitis, oliuæ, thuris, myrrhæ, vel stactis, & cæterarum huiusmodi. Quæ videlicet cuncta spiritaliter intellecta, veram nostræ fidei & operationis synceritatem denunciant. Domus nan- *Tabernaculum & Templũ, typi Ecclesiæ.* que vtraque, vt diximus, vniuersalis Ecclesiæ figuram præmonstrat. Neq; incongruum quis arbitretur, quòd duæ sunt domus Domini in mysterio factæ, cùm vnam Christi domum esse Ecclesiam nullus fidelis ambigat. Duę etenim sunt conditæ domus, ob significationem vtriusque populi in eandem fidem venturi, Iudæi scilicet & gentilis. Vnde benè tabernaculum sola plebs Hebræorum condidit in eremo: templi autem structuram proselyti, id est, aduenæ de gentibus, quotquot in populo Israël tunc inueniri poterant, deuota fide compleuerunt. Sed & rex potentissimus Tyri conductus à Salomone, commodatis artificibus & lignis, gratantissimè iuuit, quia nimirùm ante incarnationem do- *Psal.75.* minicam notus tantùm in Iudæa erat Deus. At postquàm ille in ea, qua natus & passus est, carne resuscitatus à mortuis, & exaltatus est super cælos Deus, continuò super omnem terram nominis eius gloria refulsit, orbisque vniuersus ad ædificationem domus illius, accepta ab eo promissione donorum cælestium, gaudens accurrit. Quid ergo ipse conditor & redemptor noster de constructione suæ domus, quæ nos sumus, in ea quæ nobis modò recitata est lectione sancti euangelij dicat, audiamus. *Non est arbor bona, quæ facit fructus malos: neque arbor mala, faciens fructum bonum.* Bonas ergo arbores, & bonos harum fructus, in constructionem

Animus uere cultum structuris ornandus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctionem sui templi rex sapiens quærit. At verò
Matth. 7. malæ arboris quis sit finis, idem alibi docet, dicens: Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Arbores nanq; homines, fructus verò dicit opera ipsorum. Vultis autem nosse, qui sunt arbores malę,
Gal. 5. qui mali fructus? Apostolus docet, dicens: Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, hæreses, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia. Vultis audire, an arbores quæ tales fructus faciunt, ad æterni regis cælestę templū pertineant? Subiungit Apostolus, dicens: Quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Bonæ quoq; arboris fructus subsequenter enumerat, cùm ait: Fructus aût spiritus est charitas, gaudiū, pax, patientia, bonitas, benignitas, fides, mansuetudo, continentia, de quibus & aliàs admonens,
Ephes. 5. ait: Vt filij lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate. Qui nimirū fructus cum arboribus, è quibus prodeūt, & hic ad domum fidei, & illic ad habitationē supernæ beatitudinis veraciter pertinent. Audiamus deniq; arborē bonā, de bonorū fructuum
Psalm. 51. prouentu lætantem. Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei, speraui in misericordia Dei mei in æternum, & in seculum seculi. Fructus quippe oliuæ, lucidum est opus misericor-
Fructus oliuæ. diæ: & ideò iurè in misericordia Dei sperat in templo æternitatis, qui in domo Dei præsenti misericordiæ gratia resplendet. Iurè se talis ad
Psalm. 22. templum magni regis pertinere confidens, alibi dicit: Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ, vt inhabitem in domo Domini in longitudine dierum. At contrà, mala arbor videamus quales ferat fructus, & ta-
Ierem. 17. les ipsi ferre vitemus. Dicit Propheta Ieremias: Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suū, & à Domino recedit cor eius. erit enim quasi myricæ in deserto. Myrica nanque est infructuosa arbor & humilis, gustu nimis amara, omniq; humana cultura prorsùs indigna, ac propterea fructificans in desertis. Cui meritò comparatur is, qui à diuino timore & amore recedens, ab hominibus regnum vel diuitias sperat. Qui quantùm à decore domus Dei sit extorris iudicandus, propheta
Ibidem. subdendo manifestat: Et non videbit cùm venerit bonum, sed habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis & inhabitabili. Nemo ergo sibi fratres mei, in occulto malè viuens, de fauore vulgi quasi bonus sit blandiatur: quia etsi folia verborum perpulchra, & si florem famæ gignit odoriferū, non est arbor bona, quæ facit fructus malos. Nemo cū recto corde bona quæ valet operatur, de sua salute desperet: quia non est arbor mala, quæ facit fructum bonum. *Vnaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur.* Hæc cognitio de apertis solummodò vitijs siue virtutibus accipienda est, qualia superiùs ex Apostoli sententia commemorauimus. Nanque sunt nonnulla, quæ quo animo gerantur, ignoratur à proximis, vnde & in vtranque partem possunt interpretari. Sed ambigua quęque iustiùs ab his qui bona diligunt, interpretantur in bonū, vt im-
1. Cor. 4. pleatur illud Apostoli: Nolite ante tempus iudicare. *Neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo uindemiant uuam.* Spinæ & rubus plenæ aculeis arbores, illorum corda designant, qui vel
Spinæ & rubus mysticè. luxuriæ, inuidiæ, concupiscentiæ stimulis fœdantur: vel certè iracundiæ, detractionis, odij, superbiæ, amaritudinis asperitatibus insuaues proximis, & quasi intractabiles existunt. Ficus autem dulcem regni cælestis memoriam, vua flagrantiam dominicę dilectionis significat. Nō ergo de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant vuam: quia quicunque adhuc vitiorum aculeis sordent, exempla vel doctrinā virtutum proximis ministrare nequaquā dignæ prævalent. *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, & malus homo de malo thesauro profert malum.* Thesaurus cordis, intentio est cogitationis, ex
Thesaurus cordis. qua prouentum operis internus arbiter iudicat. Vnde fit plerunq;, vt minora bona nonnulli maiori cælestis gratiæ mercede operentur, videlicet propter intentionem cordis, qua maiora voluerunt patrare bona si possent, & alij maiora virtutum opera ostentantes, ob incuriam cordis tepidi, minora à Domino præmia fortiantur.
Luc. 21. Denique opus viduæ, quæ duos numos detulit ad templum, innumeris diuitum denarijs ab interno cordium scrutatore præfertur. *Ex abundantia enim cordis os loquitur.* Humanum quidem iudicium sæpè fallit, quia cor proximi nescit nisi ex ore & opere pensare: Dominus autem ipsum odus & sermones nostros ex cordis radice perpē dit. Illius ergo ex abundātia cordis os loquitur, qui ex qua intentione promantur verba, non ignorat. Quod etiam subsequenter astruit, manifestè ostendens, quia locutio bona absq; operum attestatione nihil omninò profit. *Quid autem uocatis me Domine Domine, & nō facitis quæ dico?* Dominū nanq; vocare, boni donum thesauri, bonæ
Ioel. 2. videtur esse fructus arboris. Oīs enim quicunq; inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Sed li is qui inuocat nomē Domini, præceptis Domini peruersè viuendo repugnat, profectò patet, quia de bono cordis thesauro prolatū nō fuit bonū, quod lingua sonuit, nec talem fructū cōfessiōis, fici radix, sed spinæ, hoc est, horrida vitijs, & nō multitudine dominicę dulcedinis onusta cōsciē tia, pcreauit. Quę aût sit vera fructuū bonorū malorūq; discretio, Dominus sub alia figura subdē do designat. *Omnis qui uenit ad me, & audit sermones meos, & facit eos, ostendam uobis cui similis sit: Similis est homini ædificanti domum.* Homo aût hic domū ædificans,

Christus suæ Ecclesiæ architectus.
ficans, ipse est mediator Dei & hominū, homo Christus Iesus, qui dilectā sibi domum, sanctam videlicet Ecclesiam, in qua perpetuò maneret, ædificare & consecrare dignatus est. *Qui fodit in altum, & posuit fundamentum supra petram.* Quia in corde suorum fidelium quicquid terrenæ intentionis inuenit, funditùs extirpare studuit, quatenùs eiectis priscæ consuetudinis ruderibus ac cogitationibus superfluis, stabilem in eis ipse & in concussam possit habere mansionem. Ipse enim est petra, supra quā huiusce modi domus fūdamenta collocauit. Nam sicut in domo ædificā da nil petræ, cui fundamentum imponatur, anteseritur: ita sancta Ecclesia petram suam, videlicet Christum, imo habet in corde reconditam, neque aliquid fidei illius ac dilectioni præponit, adeo vt pro hac etiam mortem pati non
Matth. 16 dubitet. Cui nimirùm petræ princeps Ecclesiæ quia firmissimè adhæsit, ab ea nomen accepit, quando audiuit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, & nō potuit eam mouere: fundata enim erat supra petram.*
Ecclesia pulsatur quidem, at non deijcitur. Patet expositio, quia pulsata est sæpè pressuris Ecclesia, nec deiecta. Quòd si qui credentium malis victi cesserunt, ad hanc vtiq; domum non pertinebant: quia si supra petram fidei, & non potiùs supra arenam perfidiæ vel leuitatis fundati consisterent, labefactari nunquā prorsùs valerent.
Iac. 1. Notandū aût, quòd hæc inundatio tentationū, tribus modis Ecclesiam impugnat. Nā vel à sua concupiscētia tentatur quisq; abstractus & illectus, vel falsorum fratrum improbitate fatigatur, vel apertioribus externorum appetitur insidijs. Quæ videlicet tentamenta Dominus alibi portas inferni nuncupat: & meritò, quia nimirū si vicerint, in æternum trahunt interitum. Et fu-
Matth. 16 per hanc petram, inquit, ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersùs eam. Etsi ergo pulsant, non tamen deijciunt Ecclesiam Christi portæ diaboli: & si irruit inundatio perfidiæ, non subruit domum fidei. Quæ
Psalm. 60 enim adiutori suo veracitater dicere potest, Dū anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me. non debellatur ab extraneis, quia rabiem persequentium infidelium, cum corona martyrij patiendo superat. Non corrumpitur à falsis fratribus, quia & hæreticorum dogmata rectè credendo refutat, & vitiosa quorundam catholicorū exempla, sobriè & iustè & piè viuendo deuitat. Non obcę catur fumo propriæ cupiditatis, quia feruet interiùs solo ardore dominicæ charitatis. Huic autem homini, id est, redemptori nostro, qui Ecclesiam sibi vniuersalem inuincibili mentis fortitudine copulauit, pro modo suo quiq; similantur electi, quando quod ipse in tota Ecclesia generaliter facit, hoc illi in suis singuli cordibus agere specialiter curant. Nam quasi in altum fodiendo, suam vigilanter conscientiam discutiunt, ne quid in ea sordidum lateat, solerter inquirunt, cunctas à fundo cordis superuacuorū cogitatuum latebras manu sedulæ discretionis exhauriunt, quatenùs firmam in se quietamque sedem petræ illi fortissimæ, hoc est, Christo præparent, fitque vt per eius præsentiam insuperabiles inter seculi terrentis aduersa, & prospera blandientis perdurent. Hæc adiuuante Domino fratres charissimi, de euangelicæ lectionis expositione transcurrimus. Videtur aût congruū solennitati quā colimus, de ædificatione templi aliqua cōmemorare, & quā decenter ornatus illius Ecclesiæ significationi
3. Reg. 5. conueniat, indagare. Narrat ergo sacra scriptura, quia præceperit Salomon, vt tollerēt lapides grandes, lapides preciosos in fundamentū tēpli, & quadrarent eos. Lapides aût grandes & pre-
Lapides fundamenti. cios, qui in fundamento locati, totum onus tem pli sibi superimpositum portant, eximios sanctæ Ecclesiæ doctores insinuant, grandes nimirum *ti, apostoli, & doctores.* excellentia meritorum, preciosos claritate signorum: qui ab ipso Domino verbū audientes, totam Ecclesiæ crescentis fabricam sua prædicatione genuerunt. Quando enim in scripturis fundamenta plurali numero dicuntur, vel prædicatores sanctos, vel firmas iustorum cogitationes significant. Vnde est illud Psalmistæ: Funda
Psal. 86. menta eius in montibus sanctis. At cùm singulari numero fundamentum ponitur, ipsum sæpiùs authorem bonorum omnium indicat, de
1. Cor. 3. quo Apostolus ait: Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. & de quo rursùs ad
Ephes. 2. Ephesios: Sed estis, inquit, ciues sanctorum & domestici Dei, superædificati super fundamentum apostolorum & prophetarum. In hoc ergo fundamento lapides grandes & precioli, qui tēplum omne gestarēt, sunt positi: quia per ipsum ad propagandam toto orbe Ecclesiā, & priùs patriarchæ & prophetæ, & postmodū sunt apostoli instructi, qui quò arctiùs amori eius inhærebant, eò fortiùs lectatores suos in ædificio cælesti sustentabant. Quos videlicet lapides rex quadrare præcepit, vt magistros Ecclesiæ cōpositos moribus, & immobiles animo esse debere significaret. Sicut enim quadratū quacunq; vertitur parte, stat, ita nimirū vita perfectorū, quæ ad veritatis lineā solicitè directa est, nullis tentationū impulsibus à sua nouit stabilitate deijci. Erat aût tēplū de marmore Pario (qui est lapis albus) extructum, vt candorem ecclesiasticæ castitatis exprimeret, de quo in amoris cātico Dominus ait: Si-
Cant. 2. cut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.
3. Reg. 6. Habebat verò lx. cubitos in lōgitudine, & xx. cubitos in latitudine, & xxx. cubitos in altitudine. Lōgitudo aût templi, fidē sanctæ Ecclesiæ designat, per quā longanimiter inter opera sua bona, prauorū aduersa tolerat. Latitudo charitatē, qua ipsa intùs per viscera pietatis spatiatur. Altitudo spem, qua propter bona, quæ per charitatē operatur, cælestis vitæ præmia expectat. Et benè lōgitudo sexaginta est cubitorum. Senario enim

numero,

Universidad de Deusto
Biblioteca

numero, bonorum operum solet perfectio designari: quia & Dominus mundi ornatum sex diebus perfecit, & sex sunt huius seculi ætates, in quibus sancta Ecclesia pro æterna requie pijs actibus instat. Benè viginti sunt cubiti latitudinis, quia geminum est præceptum charitatis, qua Ecclesia in tribulatione dilatatur, quando perfectus quisque & conditorem ex toto corde, tota anima, tota virtute, & proximum tanquàm seipsum diligere probatur. Benè triginta in altitudine sunt cubiti, quia omnis electorum spes ad visionem sanctæ Trinitatis, quantum valet, se exercendo & purificando præparat. Sex igitur ad fidei longanimitatem, tria ad celsitudinem spei, duo pertinent ad latitudinem amoris, quibus tribus virtutum insignibus, totum sanctæ Ecclesiæ statum constat perfici. Quod autem per denarium, qui perfectus est numerus, singula hæc multiplicantur, multiplex eiusdem perfectionis augmentum figuratè denunciatur. Notãdum sanè, quod triginta cubiti altitudinis, non vsq; ad supremũ templi fastigiũ, sed vsq; ad laquearia pertingebant, deinde ad laquearia medij cœnaculi alij triginta cubiti altitudinis assurgebant. Porrò tertium cœnaculum quod superat, sexaginta habebat cubitos in altitudine: ac sic omnis altitudo domus, in centum viginti erat cubitos extenta. Prima igitur domus, triginta cubitis in altitudinem surgit, quia præsens Ecclesia ad videndam speciem sanctæ Trinitatis, tota intentione suspenditur. Superior domus triginta æquè cubitis in altum se attollit: quia solutæ corporibus animę perfectorum, vsq; ad diẽ vniuersalis iudicij, eiusdem beatæ & indiuiduæ Trinitatis præsenti visione fruuntur. Suprema domus bis tricenis alta est cubitis, quia resuscitati à mortuis omnes electi, in contemplatione eiusdem sui conditoris, qui in tribus personis vnus est Deus, æterna spiritus simul & carnis immortalitate gaudebunt. Factus est aũt medius paries in templo de tabulatis cedrinis, viginti cubitorũ altitudinis, qui diuideret oraculum, id est, sancta sanctorum à priore parte templi, habebatque oraculũ viginti cubitos longitudinis, & xx. cubitos altitudinis. Porrò ipsum templũ pro foribus oraculi, quadraginta cubitorũ erat, in quo erant mensa & candelabra de auro, sed & altare aureũ prope ostiũ oraculi, quatenùs incenso in eo thymiamate, vapor sumi ascendens operiret oraculũ, vbi erat arca testamenti, super quæ erãt Cherubim gloriæ obumbrantia propiciatorium. Prior ergo domus, præsentis Ecclesiæ statũ: interior, vitæ cælestis ingressum designat. Vnde rectè in priori mensa & candelabra sunt facta, quia nimirum in hac vita lumine sanctarum scripturarũ, & sacramentorũ cęlestium refectione opus habemus: in futuro aũt talibus non egemus subsidijs, vbi iuxta Psalmistæ vocem, quicunq; apparuerint cum iustitia, satiabuntur manifestata gloria Christi. In hac quoque vita corda iustorum, quasi altare incensi aureum, splendida fulgent per munditiam sanctitatis, aromatibus sunt referta desideriorum spiritalium, incendio flagrãt amoris continui, & quasi in proximo cælestis introitus posita, suauissimum suæ orationis vaporem iuxta sancta sanctorum in superna emittunt, vbi Christus est in dextera Dei sedens. Quẽ aptissimè arca testamenti, quæ erat intra velum, designat, in qua vrna erat aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ testamenti. Ipsa nanque arca, naturam humanitatis eius: vrna mannæ, plenitudinem diuinitatis: virga Aaron, potentiam sacerdotij eius inuiolabilem: tabulæ testamenti designant, quia ipse legẽ dedit, quique etiam benedictionem his qui legem faciunt dabit. Benè autem templum præ foribus oraculi quadraginta cubitorum erat lõgitudinis, quoniam in hac adhuc vita, ieiunijs & continentia nos castigari oportet, vt ad sempiternæ dulcedinis satietatem peruenire mereamur. Nanque hoc numero castigationem vitæ præsentis significari intelligit omnis, qui quadragenarium Moysi, vel Eliæ, vel ipsius Domini ieiunium rectè intelligere nouit. Benè ipsum oraculum, in quo arca per Cherubim gloriæ tegebatur, viginti cubitos longitudinis, latitudinis & altitudinis habebat, qui numerus perfectionẽ, vt diximus, geminæ dilectionis insinuat: quia quicquid in hac peregrinatione pro Deo geritur, totũ hoc in illa mansione patrię perennis, vbi magnificentia eius continua beatorum spirituum laudatione sustollitur, in sola dilectionis amplitudine perficitur. Erat & porticus ante templum viginti cubitorum longitudinis, iuxta mensuram latitudinis templi, & decem cubitorum latitudinis, habens ostium contra ostium templi ab oriente. Quæ videlicet porticus illam sanctæ Ecclesię plebem designat, quæ dominicę incarnationis tempora præcessit, nec tamen ab eiusdem incarnationis fide vacua remansit. Hoc signet. est enim, ostium porticus contra ostium templi esse ad ortum solis, fidem populi prioris de Christo eandem esse quam sequentis, eodemque gratiæ orientis lumine cunctorũ fideliũ corda illustrari. Vnde benè in eadem porticu duæ columnæ æreæ maximi & mirandi operis circa ostium templi narrãtur esse statutæ, & his capitella quasi opere lilij superimposita. Columnæ enim stant ante ostium templi, quia aduentum redẽptoris nostri (qui ait, Ego sum ostium: per me si quis introierit, saluabitur) præcesserunt doctores egregij, de qualibus dicit Apostolus: Iacobus & Cephas & Ioannes, qui videbãtur columnæ esse, qui eidem aduentui eius testimonium perhiberent. Vna enim à dextris ostij, alia stabat à sinistris: quia & populo Israël, qui tunc diuina fide & charitate calebat, incarnationẽ sui redemptoris futurã præcinebãt, & non minùs gẽtibus, quę adhuc quasi ad aquilonẽ positæ, perfidiæ frigore torpebãt, eiusdẽ redẽptoris ingressũ prędicabant

Altitudo templi Salomonis

Arca testamenti Christum designat.

Porticus templi quos designet.

Columnæ æreæ.

Psal. 16.

Matt. 21.

Ioan. 10.

Galat. 2.

Capitella columnarũ

bant esse pandendum. Quòd verò capitella columnarum quasi opere lilij fabricata erant, significat quia tota prædicationis eorum summa, de claritate perpetuæ beatitudinis insonuit, eiusq; videndam gloriam suis auditoribus promisit, qui æternus ante secula Deus existens, homo factus est in fine seculorum, vt quasi flos lilij interius colorem aurosum, exterius haberet candidum. Quid nanq; auri rubor in candore, nisi fulgor est diuinitatis in homine? Quem videlicet hominem & prius virtutibus clarum ostendit, & post mortem niueo incorruptionis splendore vestiuit. Hæc nos, fratres charissimi, in præsentis nostri festi gaudium de structura templi pauca ex pluribus fraternitati vestræ exposuisse libuit, quatenùs & miranda terrestris domus Domini fabrica delectaret auditum, & hæc eadem spiritaliter intellecta, mentes nostras ardentius ad amorem supernæ habitationis erigeret. Diligamus igitur, fratres mei, toto corde decorẽ domus æternæ, quam ex Deo habemus in cælis, & de loco tabernaculi gloriæ eius sedulò cogitare, ac nos alterutrum admonere curemus. Vnum ante omnia petamus ab eo, & hoc insatigabili intentione quæramus, vt inhabitare mereamur in domo eius omnibus diebus vitæ nostræ, hoc est, perenni vita ac luce felices. Non autem spernit, neq; despicit preces pauperum, quando hoc quod diligit ipse precamur: sed clementer exaudiens donabit nobis videre bona sua in terra viuentium, Christus Iesus Dominus noster, qui viuit & regnat cum Deo patre in vnitate spiritus sancti &c.

Psal. 26.

ITEM IN DEDICATIONE Ecclesiæ, Ioannis X.

In illo tempore: Facta sunt encænia in Hierosolymis, & hyems erat. & ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis. Et reliqua. Homilia uenerab. Bedæ presbyteri.

Encænia quid sint.

AVdiuimus ex lectione euangelica fratres charissimi, quia facta sunt encænia in Hierosolymis. Encænia autem vocabantur solẽnia dedicationis templi, quæ populus Dei ex antiqua patrũ traditione per annos singulos celebrare consueuerat. Quorum vestigia nos hodiè iuxta morem Christiani orbis sequentes, annuam dedicationis ecclesiæ nostræ diem, diuinis laudibus & vigilijs studuimus agere solennem. Et hanc nos festiuitatem eò maiore deuotione celebrare oportet, quò eam redemptori nostro gratissimã esse cognouimus, adeò vt in illa ipse templũ ingredi, & sermonem facere ad populum, ac diuinitatis suæ sacramenta pandere dignatus sit. *Facta sunt, inquit, encænia in Hierosolymis, & hyems erat. Et ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis.* Si ergo voluit in templo ambulare, in quo caro & sanguis brutorum animalium offerebatur, multo magis nostram orationis domum, vbi carnis ipsius ac sanguinis sacramenta celebrantur, visitare gaudebit. Si perambulare nõ despexit porticum, in qua rex quondam mortalis ac terrenus (quanuis potentissimus & sapientissimus) ad adorandum stare solebat: quanto magis penetralia cordium nostrorum inuisere atque illustrare desiderat, si tamen ea porticum esse Salomonis, hoc est, si ea timorem suum, quod est initium sapientiæ, habere perspexerit? Neq; enim putandum est, quia domus solummodò, in qua ad adorandum vel ad mysteria celebranda conuenimus, templum sit Domini, & non ipsi, qui in nomine Domini conuenimus, multo ampliùs templum eius & appellemur & simus, cùm manifestè dicat Apostolus: Vos enim estis templum Dei viui, sicut dicit Deus: Inhabitabo in eis, & inter illos ambulabo. Si ergo templum Dei sumus, curemus solerter, & bonis actibus satagamus, vt in eodem suo templo sæpiùs ipse & venire & mansionem facere dignetur. Caueamus hyemis exemplum, ne videlicet corda nostra Dominus adueniens à charitatis ardore torpentia reperiat, ideoque ea citiùs auersatus relinquat. Quid enim pertinuit ad euangelistam hyemis tempus commemorare, nisi quia duritiam perfidiæ Iudæorum, per asperitatem aurarum voluit designare brumalium, & quia plurimis eorum, quos tunc in templo inuenit, congruebat sermo quẽ dixit: Quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Sicut etiam subsequenter apertè denunciat, dicens: *Circumdederunt ergo eum Iudæi, & dicebant: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.* Non enim hæc veritatem fidei quærendo, sed illi quem interrogabant insidiando, & calumniam struendo dicebant. Christum nanque, quem fides orthodoxa verum Deum, verum confitetur & hominem, illi purum tantummodò hominem futurum, non aũt & Deum esse credebãt, memores videlicet quia de humanitate illius iurauit Dominus Dauid, de fructu ventris eius sedere super sedem suam, sed obliti quod ipse de diuinitate sua per eundem Dauid decinit, dicens: Dominus dixit ad me, filius meus es tu. Credebant ergo Christum de stirpe Dauid nasciturum, & regem cęteris omnibus excellentiorem esse venturum. Qua etiam dementia posteri eorum vsque in præsens tempus, & donec Antichristum pro Christo suscipiant, errare non cessant. Et si se Dominus Iesus Christum esse respõderet, cogitabant eum tradere potestati præsidis puniendum, quasi contra Augustũ repugnans, illicitũ sibi vsurparet imperiũ. Sed ipse nostræ saluti consulens, propter quos hęc scri ben-

Dedicationis peruetusta solennitas.

Psal. 131.

Psal. 3.

Matt. 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

benda erant, ita responsum temperauit suum, vt & calumniatorum ora concluderet, & quia Christus est, fidelibus aperta voce proderet. Illi enim de homine Christo quærebant, ipli autem diuinitatis suæ, qua æqualis est patri, palàm mysteria narrat. Circundemus ergo & nos eum charissimi, non sicut Iudæi, insidijs appetendo, sed vt fidelissima domus eius, placidam illi in nobis se-

Psalm. 45 dem parãdo, de quibus meritò dicatur: Sanctificauit tabernaculum suum altissimus, Deus in medio eius non commouebitur. Petamus eum, non vt illi vesaniendo, Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palàm. (Quid enim vesanius, quàm vt magistrum veritatis ideò sibi animam tollere quererentur, quia non eis incredulis & contradicentibus apertè

Sap. 1. suæ maiestatis arcana reserauit?) sed vt scriptura admonet, sentiendo de illo in bonitate, & in simplicitate cordis quærendo illum: quoniam inuenitur ab his qui non tentant illum, apparet aũt eis qui fidem habent in illum. Dicamus ei supplices, Quia tu es Christus: te filium vnigenitum Dei, patri & spiritui sancto coæternum esse & cõsubstantialem in diuinitate, nostræ substantiæ participem ex tempore factum esse cognouim⁹. Da vt quod interim pia fide veneramur, plena in futuro visione speculemur. Hæc est etenim v-

Vita & salus hominum. nica animæ nostræ salus & vita, tuum perpetuũ vultum, tuam cernere lucem. Nec dubitandum, quia rogantes exaudiet nos, quando quod ipse præcepit rogamus, quod dare ipse desiderat, intenta mente poscimus. Quomodò enim piè supplicantibus famulis negare credendus est bona, qui etiam rebellibus vltrà quã petebant, aperire non renuit? Qui cùm illum an homo Christus esset interrogarent, ipse non hominem tantùm, sed etiam Deum Christum, & Dei filium se esse non tacuit. *Respondit enim eis, dicens: Loquor uobis, & non creditis. Opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibent de me: sed uos nõ creditis, quia non estis ex ouibus meis.* Qui ergo se in nomine patris opera sua facere testatur: profectò quia filius Dei sit credendus insinuat. Sed illi duplici reatu tenentur obnoxij, qui nec verbis quæ locutus est, nec factis quibus veritatem verborũ adstruebat, ad fidem poterant inuitari: meritoque ex ouibus eius non esse dicuntur, quia non ouina simplicitate pastorem bonum sequi, sed ferina potiùs rabie satagebant persequi.

Verùm quia sunt nonnulli, qui fidem verbotenùs seruant, & habitu ouium beluina corda pretexunt, subsequenter ipse pastor quæ ouiũ suarum vita, quæ sit merces, edocet. *Oues meæ uocem meam audiunt, & ego agnosco eas, & sequuntur me: & ego uitam æternam do eis, & non peribunt in æternum.*

Seruari uolenti quid agendum. Quicunq; ergo æternum declinare interitum, ac vitam desiderat videre perpetuam, vocem Christi necesse est non solùm audiendo & credẽdo, sed & benè viuendo sequatur. Quòd autẽ se oues suas cognoscere dicit, eligere vtique, & ad regnum cæleste prædestinare significat. Vnde

Prou. 4. Salomon ait: Vias quæ à dextris sunt, nouit Do-

1. Cor. 14. minus. Et è contrario de reprobis Apostolus: Qui autem ignorat, inquit, ignorabitur. Pulchrè autem de his, qui audirent vocem eius & sequerentur, ait: *Et ego uitam æternam do eis, & non peribunt in æternum.* Visi sunt nanque martyres o-

Sap. 3. culis insipientium mori, visi sunt perire, cũ mortalem vitam diuersis pœnarum generibus subacti amitterent: sed non peribant in æternum, nõ videbant mortem in æternum: quia mox soluti carcere carnis, debita suo certamini præmia sortiuntur. De quibus adhuc apertè subditur: *Nõrapiat eas quisquam de manu mea.* Nitebantur quippe persecutores impij rapere pios Christi confessores de manu eius, quando vel eos ad negandam fidem tormentis cogebant, vt animas eorũ alienas redderent à Christo: vel à morientibus victi, nihilominùs exanima eorum corpora, aut in aquas dissoluenda, aut in ignem comburenda iactabant, vt quasi Christo refusitandi ea facultatem tollerent. Sed nemo rapiebat eas de

Matth. 11 manu eius, cui, sicut ipse alibi ait, omnia tradita sunt à patre: quia & certantes vt vincant adiuuat, & victores, vt perpetuè regnent, coronet: & eisdem etiam carnem in qua certauerunt, immortalem suo tempore reddet. Quibus verbis eorum quoque temeritatem, qui sibi laqueos mortis parabant, redarguit: manifestè insinuans, quia stultissimè de eius perditione dolis agerent, qui vitam dare posset immortalem, cui nemo raperet aliquem he his, quos suos esse ante secula prænosset. Sed ne hæc loquẽdo, suam videretur gloriam quærere, totam suam potentiam ad patris gloriam refert, cùm subiungit: *Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus pater quod est.* Maius autem omnibus, quod mediatori Dei & hominum Iesu Christo pater dedit, hoc est, vt sit vnigenitus Dei filius, in nullo gignenti vel natura dissimilis, vel virtute inferior, vel tempore posterior. Quam videlicet æqualitatem ipse Dominus in diuinitate habuit, priusquàm mundus esset apud patrem: ipse in humanitate ex tempore incarnationis accepit. *Et nemo potest rapere de manu patris mei.* Suprà de ouibus suis dixit: Non rapiet eas quisquam de manu mea. Et nunc subiungit: Et nemo potest rapere de manu patris mei: apertè dans intelligi, vnum atque indissimilem esse manum, hoc est, virtutem suam & patris: atque ideò Christum se fore credendum, qui non sicut cæteri, sanctificatus per gratiam ex tempore, sed verus semper extiterit Dei filius. Quod etiam sequenti sententia luce clariùs aperit, dicens: *Ego & pater unum sumus.* Vnum, inquit, sumus, vna nobis substãtia, vna est diuinitas, vna æternitas, perfecta æqualitas, dissimilitudo nulla. Quibus profectò verbis non præsentem solummodò Iudæorum quæstionẽ, qua an ipse esset Christus interrogabant,

bant, explicauit, sed etiam hæreticorum perfidiam, quam futuram præuidebat, quantùm sit execranda, monstrauit. Photinus enim dicit: Christus homo est tantùm, Deus non est. At cùm ipse dicat: Ego & pater vnum sumus, manifestè patet, quia vnum cum Deo patre substantialiter homo purus esse non pteſt. Et quia Christus idem quod pater est, cauenda est hæresis Photini, quæ hunc credi Deum prohibet. Arrius autem, Christus, inquit, factus à Deo, non ex Deo natus est: & ideò minor patre credendus est. Cui contradicens ipse: Ego, inquit, & pater vnum sumus. Quis enim non facile viderit, quia nulla creatura vnum cum illo, qui omnia creauit, naturaliter existere posit? Et quia naturaliter Christus vnũ cũ patre est, dãnanda est Arrij peruicacia, quæ illũ creaturã affirmat. Porrò Sabellius, Non sunt, inquit, duæ personæ patris & filij cõfitendæ: sed ipse pater quãdo vult pater est, quãdo vult filius est, quãdo vult spiritus sanctus est, ipse tamẽ vnus est. Quẽ memorata sententia filius ipse condemnat. Constat enim quia ego & pater, de vna persona dici non potuit: sumus, de vno dici non cõgruit. Quapropter etiam Sabellij errore cum cæteris abiecto, sequendo nobis apostolica B. Petri fides, qua Dominum confessus, ait: Tu es

Matth. 16 Christus filius Dei viui. Hæc de lectione euangelica, prout Dominus donauit, explanando transcurrimus: sed libet adhuc de encæniorum solennitate, quam & tunc Ierosolymitæ, & nos hodiè celebramus, fraternitati vestræ latiùs disserere. Hoc autem in primis notandũ est, quòd encænia quæ in lectione euangelica facta cognouimus, nõ ad primam templi dedicationem, sed ad vltimam pertinent: quod ex eo facilè colligitur, quia hyeme facta referuntur. Prima si-

3. Reg. 8. quidem eius dedicatio à Salomone tempore au-

1. Esdr. 6. tumni, media à Zorobabel & Iesu sacerdote

1. Mac. 4. tempore veris, vltima à Iuda Machabæo tempore hyemis facta est, quando specialiter constitutum esse legitur, vt eadem dedicatio per omnes annos in memoriam solennibus reuocaretur officijs, iuxta quod ad tempus vsque dominicæ incarnationis obseruatum fuisse cognouimus.

Hæc autem fuit causa secundæ & tertiæ dedicationis, quia Salomõ quidem templi opus, quod

3. Reg. 6. Domino Deo condidit, septem annis perfecit: octauo autem anno, hoc est, decima die mensis septemi, qui à nobis October appellatur, in magna regni gloria dedicauit. Quę videlicet dies & anteà per legẽ erat statuta solennis, ita vt in ea tabernaculum omne per singulos annos maioribus hostijs expiari deberet. Denique Zacharias pater beati Ioannis baptistæ eisdem expiationibus ad altare deseruiens, adueniente angelo, de dominicæ mysterio natiuitatis, gaudioque humanæ saluationis instruitur. Sed templum hoc

4. Reg. 25 post annos quadringentos triginta incenderunt Chaldæi, & Hierosolymorum vrbe destructa, populum Israël in Babyloniam adduxerunt ca-

Circa Christi diuinitatem error Photini.

Arrij.

Sabellij.

Leuit. 16. & 23. Num. 29. Luc. 1.

ptiuũ. Qui post annos septuaginta regnantibus *1. Esdr. 2.* Persis in patriam est remissus, rursusq; ædificatum est templum per annos quadraginta sex, & tertia die mensis duodecimi, quem nos vocamus Martium, opus ad finem vsque perductum. Cui videlicet tũc operi præfuerut duces plebis strenuissimi, vt diximus, Zorobabel de regio genere, & Iesus sacerdos magnus, sed & prophetæ Aggæus & Zacharias adiuuantes eos, atque aduersùs insidias hostium impedientium opus, cor populi corroborantes. Inde post annos ferè trecentos & quinquaginta sex, rex nefandissimus Græcorum Antiochus, fraude capta Hieru- *1. Mac. 1.* salem, templum idem sordibus idolorum prophanauit, auferens inde & confringens altare Domini aureum, mensãm propositionis, candelabrum luminis, & cætera vasa templi aurea, quæ inuenire potuit: sed & in templo, Iouis simulacrum statuens, populumq; tormentis ad sacrificandum idolis cogens. Qua persecutione multi de populo pro diuinæ legis custodia truci dati sunt, inter quos & mater illa septem filiorũ *2. Mac. 7.* meritò famosa, nobilissimam pro Domino cũ sobole martyrij coronam meruit. Sed Iudas Machabæus, cùm esset de genere sacerdotali, collecto exercitu iustorum, aduersùs Antiochi duces arma arripiens, eosque de Iudæa expellens, persecutioni fæuissimæ finem imposuit, ac templum ab idolorum imaginibus emundãs, noua rursùs altaria & cætera vasa vel ornamenta faciens, atque in templo reponens, dedicauit ea simul cum templo, quod purificauit & renouauit vicesimaquinta die mensis noni, qui apud nos appellatur December, & ad hyemem pertinere nulli dubium constat, statuitque decretũ, vt diximus, annis omnibus diem encæniorum, id est, innouationis ac dedicationis templi, festa deuotione celebrari. Quæ profectò omnia, sicut *1. Cor. 10* Apostolus docet, in figura facta sunt nostri, & propter nos vtique scripta sunt, ideoque nobis solertiùs spirituali ratione discutienda. Salomon quippe rex, qui interpretatur pacificus, ipsum redemptorem nostrum typicè designat, de quo Esaias ait: Multiplicabitur eius imperium, & pa- *Esai. 9.* cis non erit finis. Templum quod ædificauit, ca- *Templum* tholica eius Ecclesia est, quam de vniuersis per *Christi,* orbem credentibus, quasi de viuis lapidibus in *Ecclesia* vnam suæ fidei & charitatis compagem aggre- *catholica.* gat. Quòd autem septem annis ædificatum est templum, significat quia per totum huius seculi tẽpus, quod septem diebus euoluitur, sancte structura Ecclesiæ crescere nunquàm desinit. Quòd autẽ anno octauo dedicatum est, & celeberrima illa ac maxima solennitas à Salomone rege cunctis filijs Israël tempore completæ dedicationis exhibita, insinuat mystice, quia perfecto in fine mundi numero electorum, diù desideratæ immortalitatis est futura festiuitas, & peracto vniuersalis resurrectionis miraculo, mox omnes, qui ad pacifici regis, veri scilicet Sa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lomonis regnum pertinent, æterna cum eo gaudia patriæ cælestis intrabunt. Nam quia Dominus noster octaua die. i. post septimam sabbati à morte resuscitari voluit, rectè numerus octonarius nostræ quoque resurrectionis festa ventura designat. Quòd templum ab hostibus incensum, rursùm Domino miserante construitur, quòd ab idololatris coinquinatum, denuò supernæ pietatis auxilio mundatur, varios sanctæ Ecclesiæ insinuat euentus, quæ nunc infidelium persecutione premitur, nunc à persecutione redita liberior, tranquilla Domino seruitute famulatur: nunc in quibusdam suis membris hostis antiqui periclitatur insidijs, nunc instante solertia doctorum, fideles quos ad horam perdere videbatur, per pœnitentiam iam castigatos recipit. Quòd verò templum secundò quadraginta & sex annis ædificatũ est, ad significationẽ domini corporis, quod de virgine assũpsit, specialiter respicit, de quo ipse Iudæis: Soluite, inquit, templũ hoc, & in tribus diebus excitabo illud: quia videlicet solutum passione corpus suum, ipse die tertia resuscitauit ad vitam. Ferunt siquidẽ, quia ipsum corpus hominis quadragesimo sexto die post conceptionis initium, in membrorum distinctione formetur: atque ideò non casu gestum, sed diuinitùs procuratum est, vt eo annorum numero templum ædificaretur, quo dierum numero corpus dominicum, quod per templum figurabatur, in vtero virginali perfici oportebat. Quòd autem encænia per omnes annos celebrari sancitum est, hoc profectò nos admonet, vt memoriam & dominicæ resurrectionis, quam factam credimus, & nostræ, quam futuram speramus, semper animo retineamus, taliterque nos agamus, vt non ad iudicium, sed sicut Dominus his qui bona egerint, promisit, resurgere mereamur ad vitã. Nec sine discussione prætereundum, quòd dedicans templum Salomon, vbi compleuit preces, ignis descendit de cælo, & deuorauit holocausta & victimas. Holocausta nanque & victimæ veri Salomonis nos sumus, holocausta & victimæ summi regis omnes electi eius sunt, de quibus ait Apostolus Petrus: Quia & Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu. Ignis autem cælestis, feruor est eximię dilectionis, qua supernæ ciues patriæ, & in sua alterutrum beatitudine, & in sui conditoris contemplatione claritate semper ardere lætantur. Hinc est enim, quòd quædam cælestium virtutum agmina, quæ ex singulari propinquitate conditoris sui, incomparabili ardent amore, speciali nomine Seraphim, id est, ardentes vel incendentes vocantur. Completa ergo dedicatione templi, ignis è cælo descendens, oblatas Domino hostias deuorat: quia expleto tempore nostræ resurrectionis, cùm introierint in gaudium Domini sui fideles serui, flagrantia veri amoris, quo nunc angelicæ virtutes inflammantur, eorum quoque mentes visa specie sui redemptoris absorbet: qua quidem face dilectionis etiam nunc plurimos electorum in superna illa ciuitate plenè absorptos esse non dubium est. Sed tunc nimirùm hoc multò perfectiùs adimplebitur, quũ recepta sua carne immortali, receptis in eandem beatitudinem conseruis suis & fratribus cũctis, quos adhuc in terris certare conspiciũt, nó habebunt vltrà, quò intuitum cogitationis suæ foras vel ad modicum mittant, habentes secum intùs Deum, de cuius visione sempiterna gaudeant: habentes & proximos, quorum felicitati sempiternæ congaudeant, vbi illud primum mandatũ & maximum Domini ad integrum perficietur, ad cuius perfectionem in hac vita, iusti pro suis quique viribus accinguntur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & in tota mente tua: & diliges proximum tuum, sicut teipsum: quia quo vicinius præsentẽ Dei vultum cernunt, eo se ardentiùs eius dilectioni totos impendunt: quo proximos suos, omnes esse electos Deo ac dilectos agnoscunt, quo corda illorum non minùs quàm sua syncero amore referta perspiciunt, eo illos ipsi nó minùs quàm seipsos amare delectantur. Sed & hoc notandum, quia exposita dedicatione ac festiuitate, subsecuta ita scriptura conclusit: Et dimisit Salomon populos: qui benedicentes regi, profecti sunt in tabernacula sua, lætantes & alacri corde super omnibus bonis, quæ fecerat Dominus Dauid seruo suo, & Israël populo suo. Dimittet enim, peracto resurrectionis munere, Dominus electos suos in æterna tabernacula lætantes, non eos vtique vltertùs à sua præsentia remouens, sed à discrimine iudicij, quod in aëre futurum Apostolo docente nouimus, ad habitationem patriæ cælestis immittens, vt pro suis quisq; meritis promissam regni sedem percipiat. Quòd enim hic populi in sua tabernacula profecti esse dicuntur, hoc est profectò, quod in euangelio Dominus ait: Multæ mansiones in domo patris mei sunt. Benè autem dicitur, quia benedicentes regi profecti sunt in tabernacula sua: quia hæc est nimirùm sola actio quietissima ac felicissima ciuium supernorum, hymnos gratiarum suo dicere conditori. Hinc etenim scriptum est: Beati qui habitant in domo tua Domine, in seculum seculi laudabunt te. Hinc idem propheta vltimos septem psalmos in laudis diuinæ suauitatem compleuit. Porrò octauum ante finem psalterij, de victoria pugnæ, qua gigantẽ strauerat, Dominum benedicens confecit: vbi apertè dicit, quia omnes, qui hic maligni hostis certamina superant, illic in requie vera laudem sui redemptoris & adiutoris decantant. Benedicentes, inquit, regi, profecti sunt in tabernacula sua, lætantes & alacri corde super omnibus bonis, quæ fecerat Dominus Dauid seruo suo, & Israël populo suo. Lætantes quippe iusti super bonis,

Ecclesiæ varijs euentus.

Ioan. 2.

Vide Summæ Theolog. Sanc. Thomæ par. 3. quæst. 6. &c.

2. Par. 7.

1. Petr. 1.

Seraphim curitatis dicantur.

Matth. 25

Matt. 22.

3. Reg. 8.

Ioan. 14.

Psalm 83.

Psalm. 145

bonis, quæ à Domino accipiunt, tabernacula introeunt cælestium mansionum: quia quanuis graues huius seculi, quanuis longi fuerint labores, breue nimirùm videtur & leue totum, quicquid æterna beatitudine finitur. Vnde oportet charissimi, vt in ædificatione domus Dei vnusquisq; nostrum exhortando, obsecrando, increpando, ipse pijs actibus desudando, quantum valet insistat: ne si quempiam rex cælestis nunc desidem in opere sui templi conspexerit, hunc in tempore futuræ dedicationis, magnæ suæ solennitatis reddat exortem. Satagamus mutuo charitatis auxilio, vt omnes nos alacri corde, & indefessos in operibus, quæ ipse præcepit, inueniens, omnes ad præmia quæ promisit perpetuæ suæ visionis introducat, Iesus Christus Dominus noster, qui viuit & regnat cum patre Deus in vnitate spiritus sancti, per omnia secula seculorum, AMEN.

IN DEDICATIONE ECclesiæ. Luc. XIX.

In illo tempore: Ingressus Iesus perambulabat Hiericho. Et ecce vir nomine Zachæus: & hic erat princeps publicanorum, & ipse diues. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

Habetur lib. 5. cap. 76. Commentariorum eius in Lucã. Luc. 18.

QVæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Ecce enim camelus depositã gibbi sarcina, per foramen acus transit, hoc est, diues & publicanus relicto onere diuitiarũ, contẽpto cẽsu fraudũ, angustam portã arctamq; viam, quæ ad vitam ducit, ascendit: qui mira deuotione fidei ad videndũ saluatorem, quod natura minùs habebat, ascensu suppletarboris: atque ideò iustè quanuis ipse rogare non audeat, benedictionem dominicæ susceptionis quam desiderabat, accipit. Mysticè autem Zachæus, qui interpretatur iustificatus, credentem ex gentibus populum significat: qui quanto curis secularibus occupatior, tãto flagitijs deprimentibus erat factus humilior. Sed ablutus est, sed sanctificatus, sed iustificatus in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Qui intrantem Hiericho saluatorem videre quærebat, sed præ turba non poterat: quia gratiæ fidei, quam mundo saluator attulit, participare cupiebat, sed inolita vitiorũ consuetudo, ne ad votum perueniret, obstiterat. Eadem nanque turba noxiæ consuetudinis, quæ suprà cæcum clamantem, ne lumen peteret increpabat, etiam suspicientem publicanum, ne Iesum videat, tardat. Sed sicut cæcus turbarum voces magis ac magis clamando deuicit: ita pusillus necesse est turbæ nocentis obstaculũ altiora petendo transcendat, terrena relinquat, arbor crucis ascendat. Sycomorus nanq;, quæ est arbor foliis moro similis, sed altitudine præstãs, vnde & à Latinis celsa nũcupatur, ficus fatua dicitur. Et eadem dominica crux credentes alit vt ficus, ab incredulis irridetur vt fatua. Nos enim prædicamus, ait Apostolus, Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis verò vocatis Iudæis atque gentibus, Christum Dei virtutem & Dei sapientiam. Quam videlicet arborem pusillus Zachæus, quo exaltari posset, ascendit, dum quilibet humilis & propriæ conscius infirmitatis, cõfidens in Domino, proclamat: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Ascensa autem sycomoro, transeunte propè Dominum cernit: quia per hanc laudabilem fatuitatem, & si necdum vt est, solidè, iam tamen raptim & quasi in transitu luci sapientiæ cælestis intendit. *Et cùm uenisset ad locum, suspiciens Iesus, uidit illum.* Perambulans Hiericho saluator, venit ad locum, vbi præcurrens Zachæus sycomorum conscenderat: quia missis per mundum sui verbi præconibus, in quibus nimirùm ipse & loquebatur & ibat, venit ad populum nationum, qui passionis eius fide iam sublimis existens, etiam diuinitatis eius ardebat cognita facie beari. Suspiciens vidit illum, quia per gratiam fidei à terrenis cupiditatibus eleuatum, turbisq; infidelibus præeminentem elegit. videre enim Dei, eligere vel amare est. vnde est illud: Oculi Domini super iustos. Nam & nos quæ amamus, videre delectamur: ab his quę execramur, intuitum festinamus auertere. Vidit ergo Iesus videntem se, quia elegit eligentem se, & amauit amantem se. Hunc sanè ordinem proficiendi, hoc est, per fidem dominicæ incarnationis, ad cognitionem diuinitatis perueniendi, quasi per sycomorum Iesu faciem speculandi, doctor egregius ostendit, cùm ait: Non enim iudicaui me aliquid scire inter vos, nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum. Itemque alijs exprobans: Facti estis, inquit, quibus lacte opus sit, non solido cibo: Lac, infirma temporariæ dispensationis: cibum, ardua perpetuæ maiestatis appellans. *Et dixit ad eũ: Zachæe, festinans descende, quia hodiè in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, & excepit illum gaudens.* Manebat aliquando Dominus in domo principis pharisæorum, hoc est, in Iudæorum synagoga docebat: sed quia non baptizatum ante prandium, sabbato curantem, publicanos & peccatores recipientem, contra auaritiam disputantem, & cætera digna Deo gerentem, lingua venenata carpebant, pertæsus eorum facinora, discessit & ausugit, dicens: Relinquetur vobis domus vestra deserta. Hodiè autem in domo pusilli Zachæi oportet illum manere, hoc est, nouæ

Zachæus, figura gentium credẽtium.

Luc. 18.

Videre Dei.

Psalm. 33.

1. Cor. 2

Heb. 5.

Matth. 23

Universidad de Deusto
Biblioteca

lucis gratia coruſcante, in humili credentium nationum corde quieſcere. Quòd autem deſcẽdere de ſycomoro Zachæus, & ſic in domo ſua Chriſto manſionem præparare iubetur, hoc eſt
2. Cor. 13. quòd Apoſtolus ait: Quia & ſi cognouimus ſe-
2. Cor. 13. cundùm carnem Chriſtũ, ſed iam nũc nõ nouimus. Et ſi enim mortuus eſt ex infirmitate, ſed viuit ex virtute Dei. *Et cùm uiderent, omnes murmurabant, dicentes quia ad hominem peccatorem diuertiſſet.* Manifeſtum eſt Iudæos ſemper gentium odiſſe
Act. 13. ſalutem. Scriptum eſt enim: Sequenti verò ſabbato penè vniuerſa ciuitas conuenit audire verbum Domini. Videntes autem turbas Iudæi, repleti ſunt zelo, & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur blaſphemantes. Et alibi fideles e-
Act. 11. tiam fratres aduersùs apoſtolorum principem diſceptabant, dicentes: Quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis? *Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Alijs calumniantibus hominem peccatorem, ipſe Zachæus ſtãs, id eſt, in ea quam cœperat fidei veritate perſiſtens, non ſolùm ſe ex peccatore conuerſum, ſed etiam inter perfectos probat eſſe conuerſatum.
Matth. 19 Dicente enim Domino: Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus: quiſquis ante conuerſionem innocenter vixit, omnia conuerſus poteſt dare pauperibus: at qui aliqua fraude ſuſtulit, primò hæc iuxta legem reddere, deinde quod ſibi remanſerit, debet dare pauperibus: ac ſic & ipſe quia nihil ſibi reti-
Pſal. 111. net, omnia ſua diſpergit & dat pauperibus, iuſti-
Sapiens ue ritia eius manet in ſeculũ ſeculi. Et hæc eſt ſapiens rè Chri- illa ſtultitia, quã de ſycomoro publicanus quaſi
ſtianorum ſtultitia. fructum vitæ legerat, rapta videlicet reddere, propria relinquere, viſibilia contemnere, pro inuiſibilibus etiam mori deſiderare, ſeipſum abnegare, & eius qui necdum videatur Domini veſtigia ſequi concupiſcere. *Ait Ieſus ad eum: Quia hodiè ſalus domui huic facta eſt, eò quòd & ipſe filius ſit Abrahæ.* Filius Abrahæ dicitur Zachæus, nõ quia de eius ſtirpe generatus, ſed quia eius fidem eſt imitatus: vt ſicut Abraham terram, cognationem, domumque paternam ob ſpem futuræ hæreditatis Domino iubente deſeruit, ita & ille, quò theſaurum in cœlis acquireret, bona ſua pauperibus partienda relinqueret. Et pulchrè dicit, Et ipſe, vt non ſolũ eos qui iuſti perſeuerant, ſed & eos qui ab iniuſtitia reſipiſcunt, ad filios promiſſionis pertinere declaret. Aliter: Salus quæ olim Iudæorum domum implebat, hodiè populo nationum illuxit: eò quòd & ipſe populus filius ſit Abrahæ, credendo in eum, de quo dicit
Galat. 3. Apoſtolus: Si autem vos Chriſti, ergo Abrahæ
Rom. 4 ſemen eſtis. Et ſicut alibi dicit, quòd ipſe Abraham pater ſit circunciſionis, non his tantùm, qui ſunt ex circunciſione, ſed & his, qui ſectantur veſtigia fidei, quæ eſt in præputio patris noſtri Abrahæ. *Venit enim filius hominis quærere & ſaluum facere, quod perierat.* Hoc eſt, quod alibi dicit: Non
Matth. 9. veni vocare iuſtos, ſed peccatores. Pius ſanè magiſter, qui murmurantibus turbis ſua myſteria non dedignatur exponere, adeò ſcilicet peccatorum pœnitentiam non eſſe reſpuendam, vt ipſe Dei filius ob hanc maximè quærendam ſit deſtinatus ad terras. Qui vt pietatis ſuæ nobis diſpenſationem inculcet, ſæpiſsimè ſe filium hominis appellat, commendans ſolicitè nobis, quod factus eſt benignè pro nobis.

HOMILIARVM DE TEMPORE
FINIS.

HOMILIAE

HOMILIAE ET SERMONES DE SANCTIS.

IN VIGILIA SANCTI ANDREAE APOSTOLI: IOANNIS I.

In illo tempore: Stabat Ioannes, & ex diſcipulis eius duo. Et reſpiciens Ieſum ambulantem, dixit: Ecce agnus Dei. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ preſbyteri.

TANTA AC TALIS eſt diuinæ ſcripturæ ſublimitas, vt nõ ſolũ verba, quæ à ſanctis vel ab ipſo Domino dicta referuntur, ſed etiam circunſtantia rerum, quæ ſimpliciter poſita videtur, ſpiritalibus ſit plena myſterijs. Ecce enim narrante Euangeliſta, fratres chariſsimi, audiuimus: *Quia ſtabat Ioannes, & ex diſcipulis eius duo: & reſpiciens Ieſum ambulantem, dixit: Ecce agnus Dei:* ſtatimque cognouimus, immò iam notum ad memoriã reuocauimus, quare Ieſum præcurſor ſuus agnum Dei vocauerit, quia videlicet eum præ cæteris mortalibus ſingulariter innocentem, hoc eſt, ab omni peccato mundum nouit, quia nos ſanguine ſuo redemptũrũ, quia dona ſui velleris ſpõte largiturum, ex quo veſtem nobis nuptialem facere poſſumus, id eſt, exempla viuẽdi nobis relicturum præuidit, quibus in dilectione calefieri deberemus. Hoc eſt ergo teſtimonium præcurſoris Domini, quod ſicut facilè patet fidelibus, citum amoris intimi fomitem, audientium cordibus infundit. Sed non eſt putandum, quia ſine certi ratione myſterij hoc relaturus euangeliſta, præmiſerit ſtetiſſe Ioannem cum diſcipulis, Ieſum verò ambulaſſe, & illò vtique ambulaſſe, vbi ſequentibus ſe diſcipulis Ioannis, manſionem in qua habitabat oſtenderet, cæteraque huiuſmodi, quæ ſequentia lectionis euangelicæ commemorant, ſi enucleatiùs diſcutiantur, inuenimus cæleſtibus redundare myſterijs. Stabat enim Ioannes, & reſpexit Ieſum, quia in magno iam culmine perfectionis animi greſſum fixerat, vnde iurè celſitudinem diuinæ majeſtatis mereretur intueri. Stabat, quia illam virtutum arcem conſcenderat, à qua nullis tentationum poſſet improbitatibus deijci. Stabant cum illo & diſcipuli, quia magiſterium eius corde ſequebantur immobili. *Et reſpiciens*, inquit, *Ieſum ambulantem, dicit: Ecce agnus Dei.* Ambulatio Ieſu, diſpenſationem incarnationis, qua ad nos venire, ac nobis exempla viuendi præbere dignatus eſt, inſinuat: ſicut manſio eius, æternitatem diuinitatis, in qua ſemper eſt patri æqualis, aptiſsimè deſignat. Reſpiciens ergo Ieſum ambulantem Ioannes, dicit: Ecce agnus Dei: quia videns eum inter homines conuerſantem, profectumque illis vitæ cæleſtis & factis demonſtrantem & verbis, apertè pronunciabat, quia non ipſe, vt putabant, ſed ille eſſet, qui ad redemptionem generis humani à Deo patre miſſus eſſet in mundum: ille, qui formam innocentiæ & patientiæ in ſe credentibus eſſet daturus, de quo in carne venturo præcinens propheta dicebat: Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & ſicut agnus coram tondente ſe ſine voce, ſic obmuteſcet. Et iterùm: Ipſe autem vulneratus eſt propter peccata noſtra, & liuore eius ſanati ſumus. *Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Ieſum.* Teſtimonium perhibente Ioanne, quia Ieſus eſſet agnus Dei, ſecuti ſunt illum duo diſcipuli, magis deſiderantes ab ipſo Ieſu, quàm à præcurſore illius verbum gratiæ percipere, quò & ipſi mererentur in agnorum Dei ſorte computari. Benè autem duo diſcipuli ſunt inuenti, qui Dominum primi ſequerentur, vt etiam myſticè deſignarent, omnes qui illum perfectè ſequerentur, gemina dilectione deuotos eſſe debere: hoc eſt, & eiuſdẽ ſui redemptoris, & fratrum ſimul amore flagrãtes. *Conuerſus autem Ieſus, & uidens eos ſequentes ſe, dicit eis: Quid quæritis?* Non potuit ignorare Dominus, quid ſequentes ſe diſcipuli Ioannis quærerent: ſed in eo quòd ad illos ſe ſequentes conuertitur, quòd ipſe prior quid quærerent interrogat, quòd dat illis fiduciam quæque vellent rogandi, manifeſtè innotuit, quantùm bonis noſtris ſtudijs delectetur, quàm libenter iter veritatis inchoantibus, ipſe auxilium laturus occurrat. *Qui dixerunt ei: Rabbi, (quod dicitur interpretatum, magiſter) ubi habitas?* Nolebant tranſitorie magiſterio veritatis perfrui, ſed manſionem potiùs in qua habitaret inquirebant, quatenus & tunc liberiùs in ſecreto verbis illius imbui, & exinde ſæpiùs eum poſſent viſitare plenius inſtruendi. Vnde & ipſe, quia illos benè petentes, quærentes, pulſantes vidit, libens eis

Chriſtus cur agnus Dei dictus

Esa. 53.

Ibid.

Universidad de Deusto
Biblioteca

secretarium sui reserauit arcani, eosque introducens, veritatis euangelicæ rudimentis, quæ desiderabant, illustrauit. Nam sequitur: *Dicit eis: Venite & uidete.* Statimque subiungitur: *Venerunt & uiderunt ubi maneret, & apud eum manserunt die illo.* Quod si altiore sensu libet inspicere, quid nobis agendum insinuent discipuli in eo quòd ad Iesum quidem ambulantem venerunt, sed locum continuò vbi habitaret inquirebant: admonent vtique nos, vt quoties incarnationis eius transitum ad mentem reducimus, solicito semper eum corde rogemus, vt habitationem nobis æternæ suæ mansionis, quæ est apud patrem, ostendere dignetur, dicentes cum Moy
Exod. 33. se: Domine ostende nobis gloriam tuam. Quòd autem ipse discipulos venire, & vbi maneret videre præcepit, virtutum profectò studium, quibus ad æterna gaudia perueniamus, subeundũ nobis ostendit. Venire etenim post Iesum est, vt mansionem eius videre possimus, bonis operibus, quæ ipse præmonstrauit, insistere, horumque quotidianis profectibus ad celsitudinem diuinæ visionis attingere. *Venerunt, inquit, & uiderunt ubi maneret, & apud eum manserunt die illa: hora autem erat quasi decima.* Quia lex in decem præ-
Numeri denarij significatio ceptis data est, solet in denario numero perfectio legis indicari. Bene ergo decima hora venerunt discipuli, vt mansionem Iesu viderent: quia nimirùm necesse est, vt qui Deum videre desiderat, Dei se mandatis humiliter subdat: quique luce diuinæ contemplationis postmodùm frui appetit, priùs adiuuante Domino decalogum legis per opera lucis, quasi decem horas diei sole illustrante compleat. Et illi quidem die illo manentes apud Dominum, felicissima veritatis speculatione vesperam expectabant. At verò omnes electi post operũ bonorum perfectionem, post impleta legis Dei præcepta, perpetuum & nulli fini obnoxium diem sunt cum illo acturi, illum videlicet, quem videre desi-
Psalm. 83. derans propheta, cantabat: Quia melior est dies vna in atrijs tuis super millia. *Erat autem Andreas frater Simonis Petri unus de duobus, qui audierant à Ioanne, & secuti fuerant eum. Inuenit hic primùm fratrem suũ Simonem & dicit ei: Inuenimus Messiam, quod est interpretatum Christus: & adduxit eum ad Iesum.* Andreas Dominum quem inuenit, etiam fratri Simoni sequendum euangelizat: quia hoc est verè Dominum inuenire, vera illius dilectione feruere, fraternæ quoq; salutis curam gerere. Ille enim perfectè conditoris sui ducatum sequitur, qui etiam proximi quantùm valet habere comitatũ nititur. Inueninus, inquit, Messiam, quod est interpretatum Christus. Messias idem est, quod
Messias. Christus. Sed Messias Hebræo sermone, Chri-
Christus. stus dicitur Græco, Latinè autem vnctus interpretatur. Vnde & Christus Græcè, Latinè vnctio dicitur. Christus autem, id est, vnctus appel-
Vnctus Act. 10. latur Dominus, quia sicut Petrus ait: Vnxit eum Deus spiritusancto & virtute. Vnde etiam Psal-
Psalm. 44 mista in eius laudem loquitur: Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Cõsortes autem eius nos vocat, qui ad accipiendam spiritus sancti gratiam, in baptismo etiam chrismate visibili perungimur, & à Christi nomine Christiani vocamur. Sed ille præ consortibus
Ioan. 3. vnctus est, cui sicut Ioannes Baptista testatur, non ad mensuràm dat Deus spiritum, sed omnia dedit in manu eius. Nam de consortibus eiusdem vnctionis dicit Apostolus: Vnicuiq; au-
Ephes. 4. tem nostrum data est gratia secundùm mensuram donationis Christi. Vocabantur autem Christi, & sacerdotes, & reges in lege, in figuram nimirùm eiusdem veri regis & põtificis magni, Domini ac saluatoris, in cuius typo etiam materiali linebantur oleo. Non solùm autem illi, sed & nostri tẽporis fideles, vtà Christo Chri-
Christiani, à christmate Christi dicuntur. stiani, ita etiam ab ipsa sacri chrismatis vnctione, & ab ipsa spiritussancti gratia, qua consecrãtur, Christi rectè nuncupantur, propheta teste, qui ait: Existi in salutem populi tui, vt saluos facias Christos tuos. Exijt quippe in salutem po-
Abac. 3. iuxta septuaginta. puli sui, vt saluos faceret Christos suos, qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est, vt nos spirituali gratia perunctos ac sanatos, sui sancti nominis donaret esse participes. Sequitur: *Intuitus autem eum Iesus, dixit: Tu es Simon filius Ioanna.* Intuitus est Simonem Iesus, non exterioribus solùm oculis, sed & interiori diuinitatis intuitu, iuxta illud beati Samuelis: Homo videt in facie, Deus
1. Reg. 17. autem intuetur cor. Vidit cordis eius simplicitatem, vidit animi sublimitatem, cuius meritò cunctæ esset præferendus Ecclesiæ. Vidit quia vocante Andrea, feruenti ad se amore peruolauerit, ideoque venientem mox familiari affatur eloquio, Tu es, inquiens, Simon filius Ioanna. Nec magnum est Domino vocabulum cuiũslibet hominis vel patris eius dicere, qui omnium sanctorum nomina scripta tenet in cælo: sed posiurus discipulo nomen, meriti sublimioris dicaturus vocabulo, quod totius Ecclesiæ præsuli congrueret, primò voluit ostendere, quia quod à parentibus acceperat nomen, etiã ipsum significatione virtutis nõ careret. Simõ ergo obediens, Ioanna dicitur Domini gratia. Tu es Simõ filius Ioanna, tu es obediens filius gratiæ Dei. Et meritò ille obedientis nomine censetur, qui & prius inuitante Andrea, mox Dominũ videre cu-
Matth. 4. rauit: & postmodũ cùm ipse Dominus eũ ad discipulatũ vocaret, statim cũ eodem Andrea, quẽ pariter vocauit, relictis retibus quorũ vsu viuebat, eum sequi nõ distulit. Vnde & Andreę quoq; nomẽ, verã mẽtis eius imaginẽ præfert. Andreas nanq; Græcè, Latinè dicitur virilis. Et ille libenter Dominũ vel ad prædicationẽ Ioannis, vel ad ipsius Domini iussionem sequendo, ad eorum se sortem pertinere docet, qui temporalia quæ possident, fortiter æternorũ amore contemnũt: qui

qui credentes videre bona Domini in terra viPsalm. 26. uentium, donec hæc percipiant, expectare Dominum cum Psalmista, & viriliter agere, ac cor suum confortare contendunt. Quòd autem Simon filius fuit Ioanna, id est, gratia Dei, apertè demõstrat, quia quicquid deuotæ obeditionis Domino impendit, quicquid merito obedientiæ præmij perennis à Domino recepit, totũ hoc nimirùm præueniente se gratia supernæ pietatis vt habere posset accepit. Ecce audistis charissimi, quare primus apostolorum priùs Simon dictus, quo mysterio filius sit Ioãna: restat perscrutari, quid arcani contineat nomen, quo eum denuò saluator appellauit. *Tu, inquit, uocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Neq; verò Petri vocabulo, quasi Hebræo vel Syro, aliam interpretationem quærere oportet, sed pro certo nosse, quia idem Græcè & Latinè Petrus, quod Syriacè Cephas significat, & in vtraq; lingua nomen à petra deriuatum est. Vocatur autem Petrus, ob firmitatem fidei, vocatur Petrus inuincibile robur mentis, vocatur Petrus, quia illi soli-
1. Cori. 10. dissimæ petræ, de qua Apostolus ait, Petra autem erat Christus, vnica deuotione adhæsit. Hinc est enim, quòd eadem petra, videlicet Christus, cum interrogaret discipulos suos quẽ
Matt. 16. eum dicerent esse, ac Petrus responderet, dicens: Tu es Christus filius Dei viui: continuò puram eius confessionem iuxta vtriusq; nominis significantiam digna remuneratione donauit, sed & ipsa Petri appellatio quid in se sacramenti gestaret, aperuit. Primò nanque ait de Simone: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est. Ac deinde subiunxit de Petro: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Tu es, inquit, Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Tu es Petrus, & super hanc petram, à qua tu nomen accepisti, hoc est, super memetipsum ædificabo Ecclesiam meam. Super hanc fidei perfectionem, quam tu confessus es, ædificabo Ecclesiam meam: à cuius societate confessionis quisquis deuiauerit, quanuis sibi magna videatur agere, ad ædificium Ecclesiæ meæ non pertinet. Petrus igitur à firma petra, videlicet Christo, quẽ ardenter amauit, nomẽ acce-
Christus cur petra dicatur. pit. Christus etenim vocatur petra, quia inexpugnabile ad se confugientibus præsidium tribuit, quoniam sperantes in se, ab antiqui hostis insidijs munitos reddit & tutos. Nec prætereundum est, quòd ob hoc quoq; Dominus petra vocatur, quia spiritalium nobis charismatum fluenta ministrat, quia sacrosancta nos sui sanguinis communione purificat. Quod facilius intelligetur & iucundius fortè retinebitur, si ad memoriam re-
1. Cor. 10. uocetur, quæ sit iuxta historiam petra, de qua Apostolus mysticè quia Christum significaret ex-
Exod. 15 ponit. Liberatus nanque de Aegyptia seruitute populus, per mare rubrum venit in desertum, in quo per annos quadraginta, donec ad terram repromissionis veniret, iter agebat. Qui quodam tempore fame ac siti fatigatus in eremo, clamauit ad Moysen. At Dominus orante Moyse, Exod. 16. sicut scriptum est, pluit illis manna ad manducandum, panem cælde dit eis. Rursùs quoque præ- Exod. 7. cepit Moysi, vt percuteret virga petram. Quod Psalm. 77 dum faceret, exijt aqua, & bibit populus. Vnde dicitur in psalmo: Quoniam percussit petram, & Psal. 77. fluxerunt aquæ. Nos ergo, fratres charissimi, nos sumus populus Dei, qui Aegyptiæ seruitutis iugum per mare rubrum liberati euasimus, quia per aquam baptismi remissionem peccatorum, quæ nos premebant, accepimus, nos qui inter ærumnas vitæ præsentis, quasi in siccitate eremi, promissum nobis patriæ cœlestis expectamus ingressum. In qua videlicet eremo siti periclitamur, ac fame spiritali deficimus, si nõ redemptoris nostri nos dona confirment, si non incarnationis eius sacramenta renouent. Ipse est enim manna, quod nos victu cælesti, ne in huius seculi itinere deficiamus, recreat: ipse petra, quæ spiritalibus nos donis inebriat, quæ ligno crucis percussa, poculum nobis vitæ suo de latere manauit. Vnde dicit in euangelio: Ego sum panis Ioan. 6. vitæ. Qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet vnquam. Et congruenti satis figurarum ordine, primò populus per mare saluatus est, ac sic ad cibum mannæ, atq; ad petram mystici potus peruenit: quia primùm quidem aqua nos regenerationis abluit, ac deinde ad participationem sacri altaris, vbi redemptoris nostri carni & sanguini communicemus, tranfmittit. Hæc de mysterio petræ spiritalis, à qua & primus pastor Ecclesiæ nomen accepit, & in qua totius sanctæ Ecclesiæ fabrica immobilis & inconcussa persistit, & per quam ipsa Ecclesia nascitur & nutritur, latiùs exponendo dicere libuit, quia solent arctiùs multo & aliquanto dulciùs inhærere cordibus audientium, ea quæ figurarum antiquitate præmissa, sic demùm noua spiritaliter explanatione dilucidantur, quàm quæ sine vllis figurarum exemplis, simplici tantùm ratione credenda vel agenda monentur. Curemus autem fratres charissimi, vt huius petræ præsidio semper adhærentes, nulla labẽtium rerum contrarietate terrena, nulla blandiente serenitate, à fidei firmitate diuellamur. Neglectis delicijs temporalibus, sola nos in præsenti redemptoris nostri dona cælestia delectent, sola inter ærumnas seculi spes visionis illius consoletur. Recolamus seduli egregium Dauid prophetæ & regis exemplum, qui cum in tantis regni affluentijs ac diuitijs nullum animæ suæ solatium posset inuenire, tandem erecto ad superna desiderio mẽtis intuitu, memor fuit Dei, & delectatus est. Vtq; ad eandem eius visionem perueni- Psalm. 7
re mereamur, obstacula vitiorum, quæ hanc impedire solent, fugamus à nostro & corpore

Universidad de Deusto
Biblioteca

& mente excludere. Neq; enim ad eum nisi rectis operum gressibus peruenitur, neq; facies eius munda, nisi à mundis corde videtur. Beati
Matth. 5. autem mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Quod ipse nobis præstare dignetur, qui hoc promittere dignatur, Iesus Christus Deus & Dominus noster, qui viuit & regnat cum patre in vnitate spiritus sancti, per omnia secula seculorum, Amen.

IN VIGILIA S. ANDREAE, HOMILIA EVSEBII Emeseni.

ALtera die stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo: & respiciens Iesum ambulantem, dixit, &c. Ioan. 1. In exordio huius euangelij magna nobis quæstio oritur. Dicit enim euangelista, quia *altera die iterum stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo.*
Ioan. 1. *Et respiciens Iesum ambulantem, dixit: Ecce agnus Dei.* In crastinum autem ab hac die voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum, & dicit ei:
Ioan. 2. Sequere me. Tertia autem die nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ. Hæc igitur dies nuptiarum, quæ tertia est ab ea, de qua modò diximus, quarta videtur esse ab illa die, in qua Dominus baptizatus est.
Ioan. 1. Lege paulò superiùs, & diligenter attende quæ dicuntur. Dicit enim euangelista, quia miserunt Iudæi ab Hierosolymis sacerdotes & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum si esset Christus, si esset Elias, si esset ꝓpheta. Quibus B. Ioānes se non esse respondit. Altera autem die post hanc responsionem, vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et tunc quidem baptizauit eum. Altera autem die iterùm, de qua modò in principio huius euangelij dicitur, stabat Ioannes & ex discipulis eius duo, & vidit Iesum venientem, & similiter ait: Ecce agnus Dei. In crastinum autem inuenit Philippū, & dicit ei: Sequere me. Tertia verò die nuptiæ factę sunt in Cana Galilææ. Sed quomodò verum esse potest, vt dies nuptiarum
Matth. 4. Marc. 1. Luc. 4. quarta sit à die baptismi, quum alij euangelistæ dicant, quia statim vt baptizatus est, in desertum ductus est à spiritu? Si enim à die baptismi quadraginta diebus & noctibus in deserto Dominꝰ ieiunauit, nequaquam fieri potest, vt quarta die ad nuptias inuitatus cum discipulis manducasset. Illud quoq; quomodò verum esse potest, qđ
Ioan. 2. dicitur, quia viso vini miraculo, crediderunt in eum discipuli eius, cùm apostoli ibi non essent, neq; adhuc vocati vel electi essent? Nullum enim nisi Philippum solum adhuc Dominus vocauerat, cui modò dixit, Sequere me. Denique & illud quomodò verum est, quod tota Ecclesia verum esse credit, vt vna eademque die hæc tria miracula facta fuerint, quum non eadem, sed quarta die ad nuptias Dominus venerit? Hæc est igitur quæstio, ad cuius solutionem intentos modò vos esse volo. Eadem nanq; die, qua Magi ad Matth. 2.
Dominum venerunt. i. tertiadecima die post quā natꝰ est, eodem (inquam) iam tricesimo anno incipiente, veniens ad Iordanem, baptizatus est. Luc. 3.
Vnde & euangelista ait: Erat autem Iesus incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur filius Ioseph. Ab hac aũt die qua baptizatus est, iā penè toto anno euoluto, quū tres solummodò adhuc dies, restarēt, venit iterū vbi erat Ioānes. Hoc est aũt illa altera dies, de qua modò in principio huius euāgelij audiuimꝰ, quia altera iterū die stabat Ioānes, & ex discipulis eius duo, & vidit Iesū venientem, & ait: Ecce agnus Dei. Altera autem hoc in loco non ad hesternam refertur, sed pro alia ponitur. propriè enim de duobus dicitur altera. Ab hac autem altera die, tertia die veniente, nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ. Quæ videlicet dies nuptiarum anniuersaria ei fuit, in qua præterito anno Dominus baptizatus fuerat, & ei in qua Magi cum muneribus ad eum venerāt. Sic igitur tria ista miracula vna eademq; die facta sunt, quoniam eadem die qua Magi venerunt ad Iesum, ipsa eadem in trigesimo anno incipiente, baptizatus est. Quo videlicet trigesimo anno euoluto, eadem ipsa die ad nuptias Dominus venit. Dies igitur nuptiarum non quarta, sed potiùs anniuersaria est à die baptismi. Constat itaque Dominum & Saluatorem nostrum eo anno, quo baptizatus est, neq; publicè prædicasse, neq; miracula fecisse. Quo completo venit ad nuptias, ibiq; primum miraculum fecit. Deinde verò eius nominis fama totam subitò terram repleuit. Quòd autem ait, Et crediderūt in eum discipuli eius, non de apostolis, quos nondum habebat, sed de illis discipulis intelligendū est, qui eo tempore cum illo erant. Habebat enim aliquantos discipulos, sicut & Ioannes, qui eum sequebantur & audiebant. Nunc autem ad euangelij verba redeamus. *Altera (inquit) die iterum stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo: & respiciens Iesum ambulantem, dixit: Ecce agnus Dei. Et audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Iesum.* Crediderunt enim magistro loquenti, & Christo Domino testimonium perhibēti, & sequuti sunt Iesum, gaudentes se tandem illum inuenisse, de quo toties Ioannem loquentem audierant. Et relinquētes Ioannem, sequuti sunt eum, quem ipsius Ioannis testimonio cognouerūt esse magistrum ipsius quoq; Ioannis. *Conuersus autem Iesus, & videns eos sequentes se, dicit eis: Quid quæritis? Qui dixerunt ei: Rabbi, ubi habitas?* Quid autem significet Rabbi, euangelista exponit, dicens: *Quod dicitur interpretatum, Magister.* Quòd.n. ad eos Dominus conuertitur, eosq; respicit & cū eis loquitur, clemētię & bonę voluntatis indiciū est. Sciebat enim quales erāt, & quales posteà futuri erant, & quo affectu eum sequebātur. Omnes enim diligit Iesus, qui eum sequuntur: neminem ad se venientem repellit.

Quæ tria miracula eodem die ut sint facta.

Vnde & istis interrogantibus, Vbi habitas, respondit: *Venite & videte.* Non dixit, In illo, vel in illo loco: quod si dixisset, potiùs locum ostendere, quàm eos inuitare videretur. *Venerunt, & viderunt ubi maneret, & apud eum manserunt die illo,* cunctis diebus mansuri cum illo. *Hora autem erat quasi decima. Erat autem Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus, qui audierant ab Ioanne, & secuti fuerant eum. Inuenit hic primùm fratrem suum Simonem, & dicit ei: Inuenimus Messiam.* Quid sit autem Messias, ait euan-
Iudæi suũ Messiam expectāt. Ioan. 5. gelista, *Quod est interpretatum, Christus.* Expectabāt enim Iudæi Messiam, & adhuc quidem expectant, sed frustrà. Vnde & Dominus ait: Ego veni in nomine patris mei, & non recepistis me: alius venier in nomine suo, & illum recipietis. *Et adduxit eum ad Iesum.* Boni fratres, qui sic desiderāt videre Iesum. *Intuitus autem eum Iesus, dixit: Tu es Simon filius Ioanna, tu vocaberis Cephas.* Et hoc euangelista exponit, dicens: *Quod interpretatur Petrus.* Tu es (inquit) Simon, quod obediens dicitur: quem genuit Ioannes, id est, gratia Dei: tu vocaberis Cephas, id est, Petrus, à petra denominatus, à Christo corroboratus, quod tamen agnoscens interpretatur. Ipse enim præ cæteris Deum agno-
Matt. 16. scens, ait: Tu es Christus filius Dei viui. Cui Dominus: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, benè respondens & benè agnoscens. Non est autem intelligendum, vt Petrum & Andream tunc temMatth. 4. Marc. 1. Luc. 5. poris Dominus elegisset: quos (sicut alij euangelistæ scribunt) de piscatione Christus vocauit. Vnde & hic dicitur, quia manserunt apud illum die illo. Postquàm enim eos elegit, non vno die, sed omnibus cum eo manserunt. *In crastinum autē voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum, & dicit ei Iesus: Sequere me. Erat autem Philippus à Bethsaida ciuita-*
te Andreæ & Petri. Secundùm enim hæc dicta beaPhilippus uocatus ante oēs. ti Ioannis, primus omnium Apostolorum Philippus videtur esse vocatus. Et meritò quidem primus vocatur ille, qui os lampadis interpretatur: quatenùs & ipse, & cæteri post ipsum intelligāt, ad quale officium eligantur. Tale nanq; os tunc omnes receperunt, quando in linguis igneis Spiritus sanctus super eos descēdit. Legimus enim quando Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes, Matthæus euangelista vocati sunt: de cæteris autem non legimus. Habebat tamen tam tunc aliIoan. 2. quantos discipulos Iesus, cum quibus (vt in sequentibus legitur) ad nuptias vocatus est. Sed qui illi fuerunt, nescimus. *Inuenit Philippus Nathanael, & dixit ei: Quem scripsit Moyses in lege & prophe-*
te, inuenimus Iesum, filium Ioseph à Nazareth. Rudis adhuc erat Philippus: prædicare volebat, sed nescie bat. Dicit se inuenisse Iesum, de quo & Moyses scribit, & cæteri prophetæ. Verum quidem dicit: sed quod addit, Filium Ioseph, verum non dicit. *Et dixit ei Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse?* Ac si dicat: Bonum quidem aliquod potest esse à Nazareth, sed Christus Iesus nasciturus est in Bethleem. *Dicit ei Philippus: Veni & vide.* Veni (inquit) & vide, loquere cum eo, audi verba ipsius, vt quis & qualis sit intelligere valeas. Credidit Nathanael, & sequutus est eum. *Vidit Iesus Nathanael uenientem ad se, & ait de eo: Ecce uerè Israëlita, in quo dolus non est.* Magnus vir iste Nathanael, cui ipse Dominus tale perhibet testimonium. Magnus vtiq; est ille, in quo dolus non est. Sed quare Israëlita vocatur, nisi quia iam Deum videre & in eum credere incipiebat? Israëlita nāq;, videns Deum interpretatur. *Et dicit ei Nathanael: Vnde me nosti? Respondit Iesus, & dixit ei: Priusquàm te Philippus uocaret, quum esses sub ficu, uidi te.* Hoc autē quanuis ad literam intelligatur, vt re vera sub ficu esset Nathanael, quando eum Philippus vocauit, potest tamen altiori sensu intelligi. Primi nanq; parentes nostri, postquàm peccauerunt, Gen. 3. cognoscentes se esse nudos, consuerunt folia ficus, & facientes sibi perizomata, illas corporis partes operuerunt, in quibus generatio fit, & ex quibus totum genus hominum exiuit. Ibi igitur simul cum alijs erat Nathanael. Et hoc est forta se, quod ait: Cùm esses sub ficu (id est, sub folijs ficus) vidi te. Vidit enim Dominus Nathanael etiam tunc, qui omnia cognoscit & videt antequā fiant. *Respondit ei Nathanael, & ait: Rabbi, tu es filius Dei, tu es rex Israël.* Vnde enim tam citò Nathanael eum cognoscere potuit, nisi quia spiritꝰ sanctus (qui vbi vult spirat) eius mentem illuminauit? Ioan. 3. *Respondit Iesus, & dixit ei: Quia dixi, Vidi te sub ficu, ere dis: maius his uidebis.* Quia (inquit) sub vno prophetiæ verbo diuinitùs illuminatꝰ credidisti, multa maiora videbis ad tuæ fidei corroborationem. *Et dicit Iesus: Amen amen dico uobis, uidebitis cælum apertum, & angelos Dei ascendentes & descendentes supra filium hominis.* Hæc autem manifesta fiunt, si ad illū diem referantur, quo in suæ maiestatis sede ad iudicium Dominus veniet, & omnes angeli cū Matt. 25. eo. Tunc enim cælum apertum, & angelos ascendentes & descendentes sancti videbunt. Tunc & Nathanael, qui tam facilè credidit, maiora videbit, quando in sua maiestate Christus Dominus apparebit.

IN FERIIS S. ANdreæ, In Epistolam Concio exegetica.

CElebrantes hodiè gloriosum B. Andreæ triumphum, ait D. Bernardus, in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore eius, exultauimꝰ & delectati sumꝰ. Neq; enim locus poterat esse tristitiæ, vbi tam vehementer lætabatur & ipse. Nemo ex nobis compassus est sic patienti, nemo ausus est plangere exultantem. Alioquin & nobis ipse non incongruè dicere poterat, quod Saluator crucem baIuc. 23. iulans sequentibus se & lugentibus ait: Filiæ Ierusalem nolite flere super me, sed super vosipsas flete. Deniq; cùm duceretur ipse beatus Andreas ad crucē, populus qui sanctū & iustū dolebat iniustè

Sermone 1. in die S. Andreæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

iniustè damnari, prohibere voluit ne puniretur. Sed magis ipse instantissima prece prohibuit eos, ne non coronaretur, immò ne non pateretur. Desiderabat siquidem dissolui, & cum Christo esse, sed in cruce quam semper amauerat: desiderabat regnum intrare, sed per patibulum. Quid enim dicit illi amatæ suæ? Per te, inquit, me recipiat, qui per te me redemit. Ergo si diligimus eum, congaudemus ei, non solùm quia coronatus, sed & quia crucifixus, quia desiderium animæ eius tribuit ei Dominus, & posuit in capite eius coronam de lapide precioso. Hæc D. Bernardus, alludens ad historiam passionis Beati Andreæ, quam qui pleniùs nosse cupit, legat quæ de ea scripsere presbyteri & diaconi ecclesiarum Achaiæ. Nos ad epistolam explicandum accingimur, sumptam ex capite decimo Epistolæ ad Romanos. *Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Cor ipsum ore indiget, inquit Theophylactus. Quæ enim est commoditas credere quidem in animo, non confiteri autem coram hominibus? Fides quidem mentis iustificat, cæterùm perfecta salus est in confessione sita. Tum enim effulget fides, adeoq; plures adiuuantur. Eget autem & os ipsum corde. Siquidem multi ore confitentur Christum per hypocrisin, corde longè ab eo dissiti. Hæc Theophylactus. Haymonis verò in hunc locum sic habent commentaria. Fides in corde locanda est, quæ Deum trinitatem habere in personis, & vnitatem in omnipotentia mansuetatis credat, filiumq; humanatum, & secundum euangelium firmiter teneat genus humanum sanguine illius redemptum, & ea quæ circa humanationem eius sunt facta, deificè exhibita non hæsitet. In ore etiam confessio debet esse: quia fides cordis promenda est officio oris. Illa enim confessio fit ad salutem, si tamen exornata fuerit bonis operibus per spatium vitæ. Nam aliter fides sine operibus mortua est. Non dicit de salute corporis, qua potiuntur etiam qui non confitentur Deum: sed de salute interioris hominis, id est, animæ, quæ saluatur confessione veræ fidei, non temporaliter, sed æternaliter: quoniam salus huius confessionis sempiternalis est. Ita Haymo. *Dicit enim scriptura: Omnis qui credit in illum, non confundetur:* quod quidem idem Haymo de ea fide dicit accipiendum, quæ dilectionem operatur.

Rom. 10.
Fides cordis.
Confessio oris.
Iacob. 2.
Esai. 28.
Gal. 5.

Audiamus verò etiam Origenem: Quòd si omnis, inquit, qui credit in illum, non erubescit: erubescit autem omnis qui peccat, sicut Adam peccauit & eruhuit, & abscondit se: qui adhuc ruborem peccati incurrit, credere non videtur. Hæc Origenes, qui etiam exponens ea verba, quæ huius epistolæ lectionem proximè antecedunt, nempe, Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quod Deus suscitauit illum à mortuis, saluus eris: eiusmodi adfert interpretationem, quæ etiam hodiernæ epistolæ pulchrè conueniat. Ait enim: Qui verò & non falsò confitetur ore Dominum Iesum, & corde credit, pariter confitetur se dominatui subiectum esse sapientiæ, & iustitiæ, & veritatis, & omnibus quæ Christus est: nec sibi vltrà esse dominum mammonam, id est, neque auaritiam sibi vltrà, neque iniustitiam, neque impudicitiam, neque mendacium dominari. Semel enim Dominum Iesum Christum confessus, nulli horum se seruire profitetur. Sed & credens in corde suo, quòd Deus eum suscitauit à mortuis, certum est quia suscitauit eum ad iustificationem sui. Alioquin quid proderit scire me & credere, quòd Iesum suscitauit Deus à mortuis, si in meipso non habeam eum suscitatum? Ergo si non in nouitate vitæ ambulo, & vetustatis peccandi consuetudinem fugio, nondùm mihi Christus surrexit à mortuis. Ita Origenes. *Non enim est distinctio Iudæi & Græci. Nam idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum.* De vtrisque enim dicitur, ait Haymo: Omnis homo qui crediderit in illum, siue Iudæus, siue gentilis, non confundetur: & Dominus, qui est creator & Dominus Iudæorum, ipse est creator & Dominus gentium, id est, omnium hominum. Diues autem idcircò dicitur in omnes qui inuocant illum, quia potest omnes in se credentes à præsentibus tribulationibus eruere, & ad vitam æternam perducere, reddens eis præmium à se promissum. Vel ideò dicitur diues, quia potens est gentiles exaudire & saluare, sicut & Iudæos: quia personarum acceptio non est apud illum, nec sic intendit vni, vt se deneget alteri. Ergo si vox nostra ad omnes, qui audiunt, æqualiter venit, & tamen vna est: multo magis omnipotens Deus exaudire omnes misericorditer potest: nec dum vnum audit, alterius precum obliuiscitur. Sic Haymo. Porrò Origenes, Quòd autem idem sit, inquit, Dominus omnium, secundùm hæc accipies, quæ nuper edidimus, hoc est, si iustitia nobis, & veritas, & sanctificatio, & sapientia, quod totum est Christus Dominus, dominetur. Hæc Origenes. *Omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini saluus erit.* Quicunque inuocauerit nomen Domini, ait Haymo, sicut inuocari debet, scilicet fide, ore, opere: hic saluus erit. Origenes autem hunc locum interpretans, Neque enim omnes, inquit, quicunque inuocauerint nomen eius, salui esse possunt, etiam si non egerint opera inuocati nominis digna: maximè cùm & Sapientia Dei in Prouerbijs dicat: Erit enim tempus, cùm inuocabitis me, ego autem non exaudiam vos. In quo videtur mihi Sapientia coarctare & perurgere eos, qui saluari volunt, vt citiùs inuocent Sapientiam, neque morentur, neque differant: ne fortè cùm statutum tempus acceptabileque præterierit, in quo pœnitendi facultas est, tardè hi

Gen. 3.
Diues
Deus qui dicatur.
Act. 10.
Ioël. 2.
Prou. 1.

dè hi post hæc inuocent, vbi pœnitentiæ locus non est. Hæc Origenes. Est autem hæc sententia ex Ioëlis secundo capite citata, quo in loco Diuus Hieronymus prophetam illum explanàs, Non leue, inquit, esse credamus quòd ait, Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Licet enim idem Apostolus scribat, Nemo dicit Dominum Iesum, nisi in spiritu sancto: tamen hoc ipsum dicere, non sermone sed affectu cordis est ponderandum. Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Vnde & Paulus & Sosthenes scribunt ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu, vocatis sanctis, cum vniuersis qui inuocant nomen Domini Iesu Christi: secundùm illud quod in Psalmis legimus: Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius. Inuocabant Dominum, & ipse exaudiebat eos: in columna nubis loquebatur ad eos. Si igitur de credentibus Corinthijs, & de Moyse & Aaron ac Samuele scribitur, quòd inuocauerint nomen Domini: non incipientium, sed perfectorum hanc gratiam esse credamus. Ita D. Hieronymus. *Quomodò ergo inuocabunt eum, in quem non crediderunt?* Docet Apostolus, inquit Origenes, non posse inuocari nomen Domini, nisi priùs credatur in Christum. Cùm autem crediderit quis Christo, etiamsi nondùm sanctificatus sit & Ecclesiæ corpori sociatus, tamen necesse est vt iam inuocet eum cui credidit. Christus enim venit mundum reconciliare Deo, & credentes sibi offerre patri. Quos autem offert patri, spiritus suscipit vt sanctificet eos, tanquàm cælestis ecclesiæ primitiuorum membra viuificet, atque in soliditatem totius corporis perfectionemque restituat, vt ita demum Ecclesia Dei non habens maculam aut rugam appellari mereantur. Priùs ergo quàm ad gradum istius perfectionis accedant, tanquàm mediatoris Dei & hominum, inuocent nomen Domini nostri Iesu Christi. Posteà verò quàm spiritus Dei fuerit in corde eorum, clamans abba pater, ipse spiritus etiam eos nomen patris edocet inuocare. Hæc Origenes. *Aut quomodò credent ei, quem non audierunt?* Apertum est, ait Ambrosius, non posse credi illi, cui obedientia denegatur. Audierunt Iudæi Christum, inquit Haymo, & non audierunt. Audierunt aure corporis, sed non aure mentis. Ideoque non audierunt, quia non fuerunt obedientes. *Quomodò autem audient sine prædicante?* Nec hoc obscurum est, inquit Ambrosius: quia qui prædicanti resistit, authorem eius non recipit. *Quomodò verò prædicabunt, nisi mittantur?* Neque istud recipit quæstionem, ait idem Ambrosius: quia non erunt veri apostoli, nisi à Christo mittantur, nec poterunt prædicare sine authore: nulla enim his signa virtutum perhibent testimonium. Ita Ambrosius. *Sicut scriptum est: Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.* Quòd pedes hic speciosos non corporales, inquit Origenes, sed spiritales dicat, puto quòd quanuis amicus sit quis literæ, negare non possit. Neque enim in id ridiculi deduceret Apostolicum sensum, vt euangelistarum pedes, quòd corporeis oculis videri possint, putè ab eo decoros dici & speciosos. Sed illi sunt decori & speciosi pedes, qui ambulant per viam vitæ, secundùm illum qui dixit, Ego sum via. Intelige decoros & speciosos euangelizantium pedes, qui per talem viam merentur incedere. Isti sunt ergo pedes, quibus & Paulus cucurrisse cursum se dixit, sed sic cucurrisse vt comprehēdat. i. animo quo tenditur & properatur ad cælum. Sic Origenes. Pedes dicendo, ait Ambrosius, aduentum significat Apostolorum, circumeuntium mundum, & regnum Dei aduentare prædicantium. Aduentus enim ipsorum illuminabat homines, viam ostendens, qua itur in pace ad Deum, quam primus Ioannes Baptista venerat præparare. Hæc pax est, ad quam festinant credentes in Christum. *Sed non omnes obediunt Euangelio.* Verum est, ait porrò Ambrosius: quia quanuis illustretur mundus splendore disciplinæ dominicæ, sunt tamen qui repugnent, qui lumen tenebras vocant. Horum enim sic errore acies obtusa est mentis, vt nec veri luminis recipiant splendorē. Hæc Ambrosius. *Esaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro?* Hoc est, ait idem Ambrosius: Quis credidit quæ audiuimus abs te & loquimur? Haymo verò, Hoc loco, inquit, Esaias in persona loquitur apostolorum: eodem enim spiritu repletus fuit, quo & apostoli. Animaduertendum autem, quia in sacra scriptura aliquando, Quis, pro nullo, aliquando pro raro ponitur. Pro nullo, vt est illud: Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino? id est, nullus. Pro raro, vt hic: Pauci enim inuenti sunt, qui crediderunt ex Iudæis auditui apostolorum. Qui idcirco auditus illorum dicitur, quia intrinsecùs in mente, Domino inspirante, auditu spiritali audiebant, quid extrinsecùs voce corporali ad salutem auditorum proferre debuissent. Vnde & Paulus aliàs ait: An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? Et Dauid quidem dicit: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Ab hoc auditu apostolorum, id est, à prædicatione illorum subtraxerunt se Iudæi, renuentes in Christum credere. Hæc Haymo. *Ergo fides ex auditu: auditus autem per verbum Christi.* Ergo qui non credit, inquit Theodoretus, diuinis oraculis non credit: & qui credit verba diuina suscipiens, refert fructum auditionis, fidem. Hæc ille. Haymonis sunt ista: Primùm audit quis prædicatorem loqui quomodò debeat credere, deinde accipit fidem. Origenes porrò verbum Christi hoc loco prædicationem de Christo significare dicit. Neq; enim illi soli, inquit, crediderunt, qui verbum ab ipso Domino loquente audierūt: sed multo plures sunt, qui alijs eum prædicantib. audierūt. Sic Origenes. *Sed dico: Nūquid nō audierūt?*

Rom. 8.
Gal. 4.
Esa. 52.
Naum 1.
Psalm. 98.
Luc. 1.
Ioan. 1.
Ioan. 14.
1. Cor. 9.
Psalm. 88
Auditus Apostolorum.
2. Cor. 13.
Psalm. 84.

Hoc

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hoc est, ait Ambrosius: Audierunt, & credere no luerunt. Quanuis enim fides ex auditu sit, sunt ta
Sap. 2. men qui audientes non credunt. Audiunt enim
Psalm. 18. & non intelligunt: quoniam maleuolentia obcæcatum est cor illorum. *Et quidem in omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum.* Vsqueadeò prædicationem Dei à Iudæis auditam esse testatur, vt etiam impletum orbem diuina annuntiatione pronũtiet. Ipsa enim fabrica mundi prædicat creatorem. Quod enim Psalmographus de creatura dixit, hoc Apostolus de euangelistis: quia vbiq; audita est, & peruenit in omnem locum prædicatio nominis Christi. Vbi enim præsentia hominis prædicantis defuit, sonus tamen & fama peruenit: sicut peruenerat opinio fa
Iosue 2. ctarũ virtutũ in Aegypto ad oẽs gentes, teste Rahab meretrice. Si enim in omnem locum peruenit, non potuerunt non audire Iudæi apostolicã prædicationem, vt nemo ex his excusatus sit à crimine diffidentiæ. Hæc Ambrosius. Nostrum est modis omnib. in eam curam incumbere, vt corde syncero credamus, & fidem nostram verbis & factis testemur, ne nobis apostolica prædicatio, quæ in omnem terram sese diffudit, non ad salutem sit, sed ad exitium, si agnitæ veritati morem non geramus.

IN DIE S. ANDREAE.
Matth. IIII.

In illo tempore: Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ, uidit duos fratres, Simonem qui uocabatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare. Et reliq. Homilia beati Gregorij papæ.

AVDISTIS fratres charissimi, quia ad vnius iussionis vocẽ Petrus & Andreas, relictis retibus, secuti sunt redemptorẽ. Nulla verò adhuc eum facere miracula viderant, nihil ab eo de præmio æternæ retributionis audierant, & tamen ad vnum Domini præceptum, hoc quod possidere videbantur, obliti sunt. Quanta nos eius miracula videmus, quot flagellis affligimur, quantis minarum aspe
Duritia cordis huic mundo dediti. ritatibus deterremur? & tamen sequi vocantem contemnimus. In cælo iam sedet, qui de conuersione nos admonet. Iam iugo fidei colla gentiũ subdidit, iam mundi gloriam strauit, iam ruinis eius crebrescentib. districti iudicij sui diem propinquantem denuntiat, & tamen superba mens nostra non vult hoc sponte deserere, quod quotidiè perdit inuita. Quid ergo, fratres charissimi, quid in eius iudicio dicturi sumus, qui ab amore præsentis seculi nec præceptis flectimur, nec verberibus emendamur? Sed fortasse aliquis tacitis sibi cogitationibus dicat: Ad vocem dominicam vterq; iste piscator quid aut quantum dimisit, qui penè nihil habuit? Sed in hac re, fratres charissimi, affectum debemus pensare potiùs, quàm censum. Multum reliquit, qui sibi nihil retinuit: multum reliquit, qui quamlibet parum, totum deseruit. Certè nos & habita cum amore possidemus, & ea quæ minimè habemus, ex desiderio quærimus. Multum ergo Petrus & *Cupiditate renunciasse, plus reliquisse est.* Andreas dimisit, quando vterq; etiam concupiscentijs renunciauit. A sequentibus ergo tanta dimissa sunt, quanta à non sequentibus concupisci potuerunt. Nemo igitur etiam cùm quosdam cõspicit multa reliquisse, apud semetipsum dicat: Imitari mundi huius contemptores volo, sed qd relinquam, non habeo. Multum fratres relinquitis, si desiderijs terrenis renunciatis. Exteriora enim nostra Domino quamlibet parua sufficiũt. Cor nanq;, & non substãtiam pensat, nec perpendit quantum in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur. Nam si exteriorem substantiam perpendamus, ecce sancti negociatores nostri perpetuã angelorum vitam datis retibus & naui mercati sunt. Aestimationem quippe precij non habet, sed tamen regnum Dei tantum valet, quantum habes. Valuit nanq; Zachęo dimidium substãtię, Luc. 19.
quia dimidium aliud ad hoc quod iniustè abstulit, restituendum in quadruplum reseruauit. Valuit Petro & Andreæ dimissis retibus & naui. Valuit & viduæ duobus minutis. Valuit alteri calicẽ Matt. 10.
aquæ frigidæ. Regnum itaq; Dei, vt diximus, tantum valet, quantum habes. Pensate igitur fratres, quid vilius cùm emitur, quid carius cùm possidetur? Sed fortasse nec calix aquæ frigidæ suppetit, qui indigenti præbeatur. Etiam tunc securitatem nobis promittit sermo diuinus. Redemptore etenim nato, cæli ciues ostensi sunt, qui clamarent: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Ante Dei nanq; oculos nunquam est vacua manus à munere, si arca cordis repleta est bona voluntate. Hinc etenim Psalmista dicit: In me sunt Deus vota tua, quæ Psalm. 55.
reddam laudationes tibi. Ac si apertè dicat: Etsi exteriùs offerenda munera non habeo, intra memetipsum tamen inuenio, quod in ara tuę laudis impono: quia qui nostra datione non pasceris, oblatione cordis meliùs placaris. Nihil quippe offertur Deo ditius bona voluntate. Voluntas au *Voluntas bona quæ*
tem bona est, sic aduersa alterius sicut nostra pertimescere: sic de prosperitate proximi, sicut de *sit.*
nostro profectu gratulari: aliena damna nostra credere, aliena lucra nostra putare: amicum non propter mundum, sed propter Deum diligere: inimicum etiam amando tolerare: nulli quod pati non vis facere, nulli quod tibi iustè impendi desideras negare: necessitati proximi non solùm iuxta vires concurrere, sed prodesse etiam vltra vires velle. Quid ergo isto holocausto locupletius, quando per hoc quod Deo immolat, in ara *Cupiditas, bona nostra tatis excidium.*
cordis anima semetipsam mactat? Sed hoc bonæ voluntatis sacrificium Deo nunquam plenè persolui-

soluitur, nisi mundi huius cupiditas perfectè deseratur. Nam quicquid in eo concupiscimus, hoc
Cupiditas. proximis inuidemus. Videtur enim quia nobis hoc desit, quod alter assequitur. Et quia semper inuidia à bona voluntate discordat, mox vt hæc mentem ceperit, illa discedit. Vnde prædicatores sancti vt possent proximos perfectè diligere, studuerũt in hoc seculo nihil amare, nil vnquàm appetere, nil vel sine appetitu possi-
Esai. 60. dere. Quos benè Esaias intuens, ait: Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas? Vidit quippe eos terrena despicere, mente cælestibus propinquare, verbis pluere, miraculis coruscare: & quos à terrenijs contagijs sancta prædicatio & sublimis vita suspenderat, hos volantes pariter & nubes appellat. Fenestræ autem nostri sunt oculi, quia per ipsos anima respicit, quod exteriùs concupiscit. Columba verò simplex est animal, atq; à malitia fellis alienũ.
Columbæ ad fenestras. Quasi columbæ ergo ad fenestras suas sunt, qui nihil in hoc mundo concupiscunt, qui omnia simpliciter aspiciunt, & in his quæ vident, rapacitatis studio non trahuntur. At contrà miluus, & nó columba ad fenestras suas est, qui ad ea quæ oculis considerat, rapinæ desiderio anhelat. Quia ergo fratres charissimi, beati Andreæ apostoli natalitia celebramus, debemus imitari quod colimus. Ostendat nostræ obsequium deuotionis, immutatæ solennitas mentis. Despiciamus quæ terrena sunt: relictis temporalibus mercemur æterna. Si autem necdum possumus relinquere propria, saltem non concupiscamus aliena. Si necdum mens nostra accenditur igne charitatis, in ambitione sua habeat frenum timoris, vt profectus sui passibus vegetata, dũ ab alienorum appetitu compescitur, quandoq; ad propria contẽnenda perducatur.

IN EODEM FESTO,
Sermo B. Augustini Episcopi.

Est Sermo 21. de uerbis Domini. MIrum quibusdam videtur fratres charissimi, cùm audiunt Dominum dicentem: Venite ad me omnes qui laMatth. 11. borastis & onerati estis, & ego reficiam vos: tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris: iugum enim meũ suaue est, & onus meum leue est: & considerant eos, qui iugum ipsum intrepida ceruice subierunt, & illam sarcinam mansuetissimis humeris acceperunt, tantis agitari & exerceri difficultatibus huius seculi, vt non à laboribus ad quietem,
2. Tim. 3. sed à quiete ad laborem vocati videantur, cùm & Apostolus dicat: Omnes qui volunt in Christo pie viuere, persecutionem patientur. Ait ergo aliquis: Quomodò iugum lene est, & sarcina leuis, quando quidem iugum illud & sarcinam ferre, nihil aliud est, quàm piè viuere in Christo. Et quomodò dicitur: Venite ad me qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam: ac nõ potius dicitur: Venite qui vacatis, vt laboretis? Nã & vacantes inuenit, quos conduxit in vineam, vt ferrent Matt. 02.
æstum diei. Et sub illo iugo leni & sarcina leui audiamus Apostolum dicere: In omnibus com-2. Cor. 6.
mendantes nosmetipsos tãquàm Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, &c. Et alio loco in eadem epistola: A Iudæis quinquies quadrage 2. Cori. 11.
na minus accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui: Et cætera, quæ numerari quidem pericula possunt, sed tolerari nisi spiritu sancto iuuante non possunt. Omnia ergo illa, quæ commemorauit grauia & aspera, frequentiùs & abundantiùs sustinebat. Sed profectò aderat ei spiritus sanctus, qui in exterioris hominis corruptione, interiorem renouaret de die in diem, & gustata requie spirituali, in affluentia deliciarum Dei, in spe futuræ beatitudinis omnia præsentia deliniret aspera, & omnia grauia releuaret. Ecce quàm suaue iugum Christi portabat, & quàm leuem sarcinam, vt omnia illa, quæ superiùs enumerata dura & immania hominis auditus horresceret, leuem tribulationem diceret, intu-2. Cor. 4.
ens interioribus & fidelibus oculis, quanto precio temporalium emenda sit futura vita: non pati æternos labores impiorum, & sine vlla solicitudine perfrui æterna felicitate iustorum. Secari & vri se homines patiuntur, vt dolores non æterni, sed aliquanto diuturnioris vlceris, acriorum dolorum precio redimantur. Pro languida & incerta vacatione breuissimæ atq; vltimæ vitæ, immanissimis bellis miles atteritur, pluribus fortasse annis in laboribus inquietus, quàm in ocio quieturus. Quibus tempestatibus & procellis, quàm horribili & tremendæ sæuitiæ terræ & maris imponunt se mercatores, vt diuitias ventosas acquirant, maioribus quàm quibus acquisitæ sunt, periculis & tempestatibus plenas? Quos æstus, quæ frigora, quæ pericula, ab aquis, à fossis, à præcipitijs, à fluminibus, à feris perferunt venatores? quem laborem esuriendi & sitiendi, quantas vilissimi & sordidissimi cibi & potus angustias, vt bestiam capiant? Et interdum nec ipsius bestiæ carnes, propter quam hæc tanta sustinent, epulis sunt necessariæ. Quanquàm & si aper ceruusque capiatur, magis sit suaue venantis animo, quia captus est, quàm comedentis palato quia coctus est. Quantis cruciatibus propè quotidianarum plagarum tenera puerorum ætas subditur? quantis etiam in scholis vigiliarum & abstinentiæ molestijs exercentur, non propter discendam sapientiam, sed propter opes honores q; vanitatis, vt numeros & literas & diserta fallacias eloqui discant? Sed in his omnibus qui hæc non amant, ea-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dem grauia patiuntur. Qui verò amant, eadem quidem, sed non grauia pari videntur. Omnia enim sæua & immania, prorsùs facilia & propè nulla efficit amor. Quanto ergo certiùs & faciliùs ad veram beatitudinem charitas facit, quod ad miseriam quantum potuit cupiditas fecit? Quàm facile toleratur quælibet aduersitas temporalis, vt æterna pœna vitetur, æterna requies comparetur? Non immeritò ille vas electionis cum ingenti lætitia dixit: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Ecce vnde iugum illud suaue est, & sarcina leuis. Etsi angusta est via paucis eligentib. facilis tamen omnibus diligentibus. Dicit Psal- Rom. 8.
Psalm. 16. mista: Propter verba labiorum tuorum, ego custodiui vias duras. Sed quæ duræ sunt laborantibus, eædem ipsis mitescunt amantibus. Propter quod ita diuinæ pietatis dispensatione actũ est, vt interior homo, qui renouatur de die in diem, non adhuc sub lege positus, sed iam sub gratia exoneratus sarcinis innumerabilium obseruationum, quod erat reuerà graue iugum, sed duræ ceruici conuenienter impositum, facilitate simplicis fidei, & bonæ spei, & sanctæ charitatis, quic quid molestiarum exteriori homini forinsecùs intulisset ille princeps, qui missus est foras, interiori gaudio leue fieret. Nihil enim tam facile est bonæ voluntati, quã ipsa sibi. & hæc sufficit Deo. Quantumlibet ergo sæuiat iste mundus, verissimè angeli, nato in carne Domino, clamauerunt:
Luc. 2. Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ volũtatis: quia qui natus erat, suaue iugum eius est, & sarcina leuis, & sicut dicit Apostolus: Fidelis Deus, qui nos non sinit tentari supra
1. Cori. 10. id quod possumus ferre, sed facit cum tentatione etiam exitum, vt possimus sustinere.

EODEM DIE HOMILIA EVSEBII Emeseni.

AMbulans Dominus Iesus iuxta mare Galilææ, uidit duos fratres, Simonem qui uocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare: erant enim piscatores. Et ait illis: Venite post me, & faciam uos fieri piscatores hominum. Matthæi 4. Narrat superiùs euangelista, quia Dominus & saluator noster quum audisset quòd Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam. Et relicta ciuitate Nazareth, venit & habitauit in Capharnaum maritimam, in finibus Zabulon & Nephthalim: vt adimpleretur, quod dictum est per E-
Esai. 9. saiam prophetam: Terra Zabulon & Nephthalim, via maris trans Iordanem Galilææ gentium: populus qui sedebat in tenebris, lucem magnam vidit: & sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Manifestum est igitur, quia non alicuius rei timore secessit Dominus in Galilæã, relicta ciuitate sua Nazareth: sed vt prophetia cõpleretur, quæ in fines Zabulon & Nephthalim eum venturum esse prædixerat. Sic enim ait Esaias: Primo tempore alleuiata est terra Zabulõ, *Ibidem.* & terra Nephthalim. Sed quarè primo tempore? Quia statim in suæ prædicationis initio, & antequàm apostolos elegisset, veniens illuc, Petrum & Andream, Iacobum & Ioannem de piscatione vocauit, & eis vt post se venirent imperauit. Sic igitur primo tempore, suorum pondere peccatorum terra Zabulon & terra Nephthalim alleuiata est. Quæ ideò & via maris quidẽ dicitur, quia portuosa erat & nauigijs dedita. Vnde & Iacob *Gen. 49.* in benedictionibus ait: Zabulon in littore maris habitabit, & in statione nauium, pertingens vsq; ad Sidonem. Sed quare in Galilæam secessisse dicitur, cùm Lucas euangelista Nazareth in Gali- *Luc. 1.* læa esse dicat? Missus est Gabriel angelus à Deo in ciuitatem Galilææ, quæ vocatur Nazareth. In hoc quoq; euangelio superiùs legitur, quòd Io- *Matth. 2.* seph admonitus in somnis, venit in partes Galilææ, & habitauit in ciuitate Nazareth. Per quod datur intelligi, quòd Nazareth non in plena prouincia Galileæ, sed in extremis finibus sita est. Secessit igitur in Galilæam, id est, in ipsius quinciæ plenitudinem. Gentium autem illarum populus, qui ibi in tenebris sedebat, & veritatis nuntium non habebat, quia legem spiritualiter non intelligebat, tunc vidit lucem magnam. Ipsa *Ioan. 1.* est enim, quæ illuminat omnem hominem veni- *Ioan. 8.* entem in hunc mundum: quam qui sequitur, nõ ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Et sedentibus in regione vmbrę mortis, lux orta est eis. Illi enim sub vmbra mortis sedent, qui vitæ arborem ignorant. Mala vmbra, quæ sic refrigerat vt occidat, sic obscurat, vt penitùs lumen tollat. His igitur nisi lux ista illuxisset, vita pariter & lumine caruissent: quoniam & vmbra lumen eis tollebat, & mors vitam eis auferebat. Venit igitur lux, venit Dominus Iesus, qui simul eos & illuminauit & sanauit. Vnde & subditur: *Exinde cœpit Iesus prædicare, & dicere: pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum.* His enim verbis saluator noster suos auditores & illuminat & sanat. Christi enim prædicatio, & lumen & vita est. Sed vbi est necessarium accendere lumen, nisi in tenebris? Quibus necessarium est dare medicinam, nisi infirmis? At verò anima, quæ in peccatis est, *Anima peccatrix, pœnitentia curæ tur.* & infirma & sine lumine est. Huic igitur pœnitẽtia datur, cuius medicamine sanatur & illuminatur. Sic ergo populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis, & sanitas data. Fugerunt tenebræ veniente luce, & mors ipsa perijt veniente vita. Christus enim Iesus, & lux & vita est. *Pœnitentia, exordium prædicationis Christi.* Benè autem à pœnitentia prædicare Dominus inchoat, qui mentes hominum infirmas & errorum nebulis excæcatas, hoc vno singulari medicamine sanare & illuminare venerat. Idipsum enim

Matth. 3. nim prædicationis exordium Ioannes quoque Baptista suscepit. Nisi enim hæc medicina præcesserit, nullum aliud remedium est, quod infirmis mentibus valeat subuenire. Nam & si paruuli pœnitere nesciant, fides tamen & pœnitentia eos offerentium, pro eis suscipitur. *Ambulans autem iuxta mare Galilææ, uidit duos fratres, Simonem qui uocatur Petrus, & Andreã fratrẽ eius, mittẽtes rete in mare: erant enim piscatores. Et ait illis: Venite post me, & faciã uos fieri piscatores hominum. At illi relictis retibus, secuti sunt eum.* Ecce primos discipulos suos de mari Dominus vocat, quoniam multos alios per eos de huius mundi fluctuosa amaritudine ad fidem vocare disposuerat: vt quia de mari à Domino vocantur, ipsi quoq; periclitantium animas de mundi huius naufragio & de vitiorum insurgentibus procellis liberare discant. Et sicut ipsi secundùm carnem fratres erant, ita & cæteros & fi-
Omnes fratres sumus de & dilectione fratres esse doceant. Omnes enim fratres sumus, qui ex vna matre Ecclesia geniti, & vnius patris filij sumus. Vnde & simul om-
Matth. 6. nes dicimus: Pater noster qui es in cælis. Quia enim communis pater est omnium, communiter inuocatur ab omnibus. Vocat autem Dominus piscatores, quoniam tales ei necessarij erant, qui aquis assueti, & piscandi & baptizandi essent periti. Ideoq; non artem mutare eis præcepit, sed longè melioris piscationis & alterius generis piscium eos piscatores fore promittit, dicens: *Venite post me, faciam uos fieri piscatores hominum.* Nisi enim homines pisces essent, piscatores hominum apostoli fieri nõ possẽt. Tales enim pisces digni sunt conuiuio Dei, tales pisces in baptismatis fluuio natant: tales pisces hamo fidei & sanctæ prædicationis retibus capiuntur. De mari igitur in mare transferuntur, quoniam de mari Galilææ
Psal. 103. in hoc magnum & spatiosum mittuntur, vbi sunt reptilia quorum non est numerus: animalia pusillã & magna, per quæ omnia genera hominum significantur. Sed quid est dicere, *Venite post me.* Post Christum nanq; ire, est eius vestigia sequi, eius opera imitari, eiusq; patientiam & humilitatem tenere. Neq; enim sufficit nobis pedibus tantùm ire post Iesum, nisi & mente & dilectione eum sequamur. Operæprecium autẽ est considerare, quãta fuerit horum beatorum fratrum obedientia, *qui statim relictis retibus sequuti sunt eum.* Vnde non immeritò Simon obediens, Andreas verò respondens vel decorus interpretatur. *Et procedens inde, uidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius, in naui cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia: & uocauit eos. Illi autem statim relictis retibus & patre, secuti sunt eum.* Non minor autem in his, quàm in illis alijs obedientia inuenitur: qui ad vnius iussionis vocem, non solùm retia, sed & patrem relinquentes, Christum Dominum secuti sunt. Et isti quidem, sicut & illi, non solùm piscatores, verùm etiã fratres erant. O felix militia, quæ ex fratribus colligitur, quibus est cor vnum & anima vna. De quibus etiam per prophetam dictum fuerat: Ecce quàm bonũ *Psalm. 132* & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Quid est autem retia reficere, nisi sanctarũ scripturarum sententias, hæreticorum violentia conscissas & deprauatas, sana intelligentia exponere & restaurare? Hæc enim quatuor euãgelia quasi *Retia, li-* quatuor piscandi retia sunt. Similiter autem & *bri sacræ* quinq; libri Moysi, omnesq; prophetarum libri. *scripturæ* Deniq; tot sunt retia, quot & volumina. His autem retibus Christiani capiuntur, his omnes fideles in Ecclesiam colliguntur. Ite (inquit Do- *Marc. 16.* minus) in vniuersum mundum, prædicate euangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Vides igitur piscatores, quibus dicitur, Ite in vniuersum mundum. Vides & retia, id est, euangelium: de quo dicitur, Prædicate euangelium omni creaturæ. Vides & flumina, in quibus pisces capiuntur, id est, baptismum. Vides & ipsos pisces, eos videlicet, qui baptizantur & credunt.

IN OCTAVA S. ANDREAE. Matth. IIII.

In illo tempore: Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ, uidit duos fratres, Simonem qui uocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare. Et reliq. Homilia Ericl.

QVãtis notissimum est, quòd mare Galilææ propter diuersa loca sibi adiacentia, diuersis etiam appellationibus nuncupatur. Idem est enim mare *Vide Bedã* Galilææ, quod mare Tiberiadis, quod stagnum Genesar, *in caput 5.* quod lacus Cenereth, quod etiam lacus Sali- *Lucæ.* narum. Vocatur nanq; mare Galilææ ab adiacente sibi prouincia Galilæa. Appellatur & mare Tiberiadis, à proxima sibi ciuitate, quæ priùs vocabatur Cenereth, sed ab Herode tetrarcha instaurata, Tiberias est appellata in honorem Tiberij Cæsaris. Nuncupatur quoque & alio nomine stagnum Genesar siue Genesareth, eò quòd stans ibi aqua generet sibi auram. Agitante nãq; vento aquas, de ipso auram sibi excitare perhibetur. Nec putandum hoc mare simile esse mari magno, aut mari mortuo, vel Oceano: sed est lacus quidam, per cuius medium fluuius transiens Iordanis, suis eum replet copiosissimis aquis. Extenditur verò in longitudine sui centum quadraginta stadijs, hoc est, decem & septem millibus passuum & semis: faciunt leucas Gallicas vndecim, & partes duas duodecimæ. Nam milliarius vnus octo in se continet stadia. Stadium autem centum viginti quinq; passibus constat. In latitudine autem dilatatur ipse lacus stadijs quæ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

draginta, hoc est, quinq; millibus passuum, qui conficiunt leucas tres ac passus quingentos. Sed cùm sit ipsum stagnum haustu dulce & ad potandum habile, quærendum quare mare vocetur, cũ mare ab amaritudine nomen acceperit. Ad qd dicendum, consuetudinem esse Hebrææ linguę, omnem congregationem aquarum, siue sit dulcis, siue amara, mare nuncupare, iuxta quod in Genesi legitur: Congregationes aquarum appellauit maria. Oriuntur nanque duo fontes ad radices Libani montis, quorum vnus vocatur Ior, & alter Dan, qui simul iuncti, faciunt vnum fluuium, qui vocatur Iordanis, ex Ior & Dan compositum nomen habens: Qui morem cæterorum fluuiorum decurrens, maximum facit sinũ, quem suis replens abundantissimis aquis, trãsit per medium eius, & peruenit vsque ad mare mortuum, ibique amittit laudabiles suas aquas. Hoc ergo mare siue stagnum quia delectabiles aquas habebat ad bibendum, & copia piscium redundabat, ideò multitudinem incolarum circa se continebat. Quod Dominus idcircò frequenter transnauigabat, sicut in euangelio legimus, vt populis circumiacentibus miracula sua ostenderet, atque verbo suæ prædicationis eos ad viam salutis inuitaret. Secus hoc mare ergo redemptor noster ambulans, vidit duos fratres piscatores, mittentes retia in mare. Sed meritò quæritur, cur ad noui testamenti gratiam in mundo prædicandam, non filij regum, non scribæ primò vocantur, sed piscatores eliguntur. Nimirùm ideò, quia quæ infirma sunt apud homines, fortia sunt apud Deum. Piscatores enim vocantur, & non nobiles, ne potentes seculi istius superbirent, & dicerent, quia Christus fidẽ suã non nisi per illos inducere mũdo potuerit. Illiterati ad prædicandum mittuntur, vt materia superbiendi huius seculi sapientibus amputetur, dum vident euangelium non per eloquentes, sed per simplices prædicatores vsque ad fines terræ dilatatum. Bini autem ideò vocantur, quia geminam dilectionem prædicaturi, geminum etiam testamentum mundo erant tradituri. Spiritualiter verò, quòd ambulans Dominus secus mare Galilææ, vidit Petrum & Andream retia mittentes in mare, significat quia incarnatus Dei filius in mari istius mũdi spiritales piscatores vidit, quos ante mundi constitutionem ad opus prædicationis aptos esse præsciuit. *Et ait illis: Venite post me, & faciam uos fieri piscatores hominum.* Congruè piscatores piscium promittuntur esse futuri piscatores hominum, vt artis similitudine delectati, discipulatui saluatoris libentiùs colla submitterent. *At illi cõtinuò relictis retibus secuti sunt eum.* Forsitan dicat aliquis: Quid vel quantum isti dimiserunt, qui penè nihil habuerunt? Sed pensandum est, quòd multum reliquerunt, qui voluntatem habendi deseruerunt. Multum dimiserunt, qui omnia quæ habebant, vel habere poterant aut concupiscere, dimiserunt. Si enim habuissent amplas diuitias, & latas possessiones huius seculi, omnia pro Christi amore relinquerent, sicut nauim & retia reliquerunt. Tanta enim ab apostolis Dominum sequentibus dimissa sunt, quanta à non sequentibus concupisci potuerũt. Affectus ergo illorum magis pensandus est, quàm substantia. Arguit sanè Porphyrius & Iulianus Augustus atq; apostata, vel imperitiam historici mentientis: vel stultitiam apostolorum, qui ad primam iussionis vocem secuti sunt saluatorem, tanquam hominem quemlibet irrationabiliter vocantem, cùm scriptum sit: Ne sis facilis ad credendum. Sed si Dominus huiusmodi creaturas condidit, quæ alias ad se attrahere prævaleant creaturas: verbi gratia, sicut in magnete lapide & succinis cernimus, quibus tanta vis inesse dicitur atq; potentia, vt ferrum vel stipulam ad se attrahant, & sibi cohærere faciant: multo magis ipse omnium creaturarum conditor ad se sequendum attrahere poterat quos volebat. Vt enim beato Hieronymo referente compertum habetur, tantus splendor & maiestas occultæ diuinitatis in humana facie Christi relucebat, vt ex primo suo aspectu ad se venientes facilimè attraheret. *& procedens inde, uidit alios duos fratres, &c.* Hos apostolos vidit Dominus, quemadmodùm & superiores, hoc est, misertus est eorum. Videre enim illius, misereri est. Vocauit illos, vocauit & istos. Illuminauit illos mente, illuminauit & istos corde. Dimiserunt & isti omnia, sicut & illi. Secuti sunt Dominũ, quemadmodùm & illi. Sed quæri potest, quomodò primùm duos vocauerit, Petrum & Andream, & post paululum alios duos, Iacobum & Ioannem, sicut Matthæus & Marcus narrant, cùm Lucas dicat Petri socios fuisse filios Zebedæi, & impletis nauiculis multitudine piscium, ad extrahenda retia ab eode Petro fuisse vocatos. Vbi etiam cùm dixisset Dominus Petro, Ex hoc iam eris homines capiens, scribitur adductis ad terram nauibus, Dominum pariter fuisse secutos. Sed intelligendum est, hoc primò quidem factum esse quod Lucas narrat, nec tũc eos Dominum vocasse vt sequerẽtur: sed tantũ Petro prædixisse, quòd homines esset capturꝰ, & posteà, sicut Matthæus describit, binos & binos eos vocasse vt se sequerentur. Sciendum preterea, vt Ioannes euangelista refert, q; Andreas adhuc discipulus Ioannis Baptistæ, ipsum de Christo Ioannem audiuit dicentem: Ecce agnus Dei. Qua ilicò exhortatus sententia, voluntate propria simul cum alio Ioannis discipulo (cuius nomen tacet scriptura) secutus est Dominum, apud quem, vt idem euangelista narrat, vno manentes die, protinùs ad prædictum magistrum suum, videlicet Ioannem reuertuntur Baptistã, eiusq; madelicet Ioannem reuertuntur Baptistã, eiusq; magisterio inseruiunt, quousq; idem Andreas a Domino postmodum, sicut Matthæus in hoc describit euangelio, simul cum Petro ad discipulatum vocatus est. Et notandum, q; isti discipuli Dominum secuturi, reliquisse dicuntur retia, & patrẽ suum

Iordanis unde dictus.

Hieronym. in cap. 9. Matthæi.

Mar. 1.

Luc. 5.

Ioan. 1.

Ibidem.

suum Zebedæum. Zebedæus nanq; interpretatur fugitiuus, & significat diabolum. Retia autẽ implicamenta huius mundi significãt. Quisquis ergo Dominum fideliter sequi cupit, necesse est vt primò ab impedimentis humanarum rerum, à curis videlicet vitæ præsentis pedem excutiat, & sic diabolum tota virtute fugere satagat. Allegoricè isti quatuor discipuli à Domino de mari vocati, duos significant populos, de solicitudini bus & inquiete huius seculi ad soliditatem spiritualis studij per gratiam Dei vocatos. Nam Simon Petrus, qui interpretatur obediens, siue agnoscens, & Iacobus, qui supplantator dicitur, populum Iudaicum significant, qui prior per legislationem creatorem suum agnoscens, obedire præceptis eius promisit, dicens ad Moysen: Omnia quę locutus est nobis Dominus, faciemus, & erimus obedientes. Qui etiam gentilem populum supplantauit, idola contemnendo, & Deũ colendo. Andreas verò, qui virilis dicitur, & Ioannes, qui gratia Dei interpretatur, gentilem populum designant, qui postquàm ad fidem venit, in præceptis Dei viriliter ambulare studuit: & quicquid boni egit, non suis meritis, sed totum gratiæ saluatoris attribuit. Moraliter quoq; quatuor nomina ista in se vnusquisque fidelium valet recognoscere, si illorum interpretationes in quatuor principalib. virtutibus studuerit obseruare. Est enim vnusquisque fidelis Simon Petrus, cum per prudentiam agnoscit propria peccata, & his deletis, mandatis diuinis fortem exhibet obedientiam. Est Andreas, cùm viriliter per temperantiam sustinet tentationes sibi illatas. Iacobus quoq; non indebitè dicitur, si per fortitudinem mentis vitia supplantare probatur. Conuenienter etiam Ioannes nominari potest, si per iustitiam mandata creatoris adimpiens, nil sibi deputat, sed cuncta bonorum omnium largitori assignat. Quisquis ergo ad patriã cælestem venire desiderat, studeat necesse est, cũ Simone Petro, qui interpretatur agnoscens siue obediens, præceptis obedire diuinis, & propria recognoscere peccata, dicens cum propheta: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco. Curet etiam cum Andrea virili tentationibus diaboli viriliter resistere, & cum Iacobo supplantatore, omni fortitudine vitia supplantare. Satagat quoq; de bonis suis actibus, bonorum omnium largitori actiones gratiarum cum Ioanne, qui interpretatur gratia Dei, repẽdere, vt bonum quod agit, non sibi, sed Deo per omnia deputans, ab ipso in futuro remunerari mereatur, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Quatuor discipuli quos designarunt.

Exod. 24.

Psalm. 50.

De sancto Nicolao, quære in communi.

De conceptione beatæ Mariæ, quære in Natiuitate eiusdem.

De sancto Thoma apostolo, quære in communi.

De sancto Antonio, quære in communi.

IN NATALI S. AGNETIS, Homilia Maximi episcopi.

VM in toto mundo virgineus flos Mariæ immarcessibiles coronas innectat, & sceptrige ram pudoris aulam immaculato conseruet affectu, cousq; integritas perseuerauit ad palmam, vt in puellis trophæum sanctitatis arriperet, & per vestigia matris virginis ad cælestem thalamum perueniret. Hinc est quòd annulo fidei Agnes se asserit subarratam, & clamat se amore sponsi constrictam. O q̃ imitabile virginibus, virgo, tu amoris tradidisti exemplum? ô quàm sanctum pectoribus dandũ virgineis tribuisti responsum, contemnẽdo mundi diuitias, execrando carnis concupiscentias, & solam Christi pulchritudinem adamando. Accedite ad puellam puellæ, & discite in annis infantiæ quales in pectore suo circa amorem Christi flammas accendit. Dicit se amatori suo seruare fidem, & eius corpus concupiscere solùm, qui p amore hominum mortis non recusauit interitũ. Discite virgines Christi amorem in puella feruentem, & omnes mundi diuitias velut stercora recusantem. Ideò enim sanctorum per literas traduntur exempla, vt vnusquisq; pro qualitate sexus, & pro ætate annorum, modum sui propositi teneat, & sicut per virginem virgines, ita per coniugẽm coniuges vincere seculum pro Christi amore studeant, ac repugnatione animi, mundi dulcia recusantes, & eius non recusantes austera, ad delectationes perpetuas, & ad gaudia æterna pertingãt. Hæc dicentes, non vituperamus coniugum casta commercia, sed virginum perseuerantiam adornamus. Non enim virginitas malis rebus superponenda est, sed est rebus optimis præferenda. Quæ enim mundis mundior, & sanctis est sanctior, non indiget malarum rerum viuperatione laudari. Sequantur itaq; sancta coniugia patriarcharum, coniuges in religione posita, ac diuinis literis informatæ, Saram, Rebeccã, Rachelem, Annam, Susannam, Sephoram imitẽtur vxores: Christi verò virgines solam virginẽ, matrem luminis subsequantur. Huius pedissequa Agnes beatissima, magnum de se pudicitiæ excitauit exemplum, cùm virginitatem prætulit vitæ, omnemq; à se amorem cælestem expellẽs, trophæum crucis Christi arripuit, & tàm contra libidines, quàm etiam contra suppliciavniuersa, fide potiùs armata quàm ferro fortiter dimicauit, & vicit. Aspicit deniq; blandientem, & renuit: minantem incendium attendit, & ridet. Nescit amare aliquid quod transit, & dum nimis virginitatem diligit, nec ludibria, nec flammas, nec supplicia, nec carnifices metuit: postremò nec gladium furentis percussoris expauit. Compel-

Virginitas Mariæ immarcessibiles coronas innectat.

Sanctorũ exempla cur proponantur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

litur virgo ornamenta susciperе corporis, sed renuit: quoniam iam susceperat mentis. Et quia nō de elegantia corporis humani placere studebat, quia timebat de fœditate animæ Domino displicere, dabat intùs per fidem suę menti candorem, pulchritudinem excolebat animæ, & quantùm sitiebat vt animam suam pulchram faceret, tantùm in corpore erubescebat se esse formosam: tanto studens displicere carnalibus in carnis aspectu, quanto instituit Christo & eius angelis cō placere. Turbatur iuuenis à puella contemptus, & se muneribus complacere posse existimans, aurum, gemmas, congeminas vestes, prædia preciosa conuectat. Sed quia Christi charitas pecuniarum non habet preciū, virginitas sacratissima in suo gradu vsq; in sanguinis effusionē permansit, quoniam suo illam sanguine subarrauerat Christus. Ad concupiscentem igitur reuertitur census, & incōcussa virginitas Christo semel oblata perdurat. Discite virgines Christi, normam puellaris exempli, & oblata sub specie pietatis vi rorum munuscula, tota intentione respuite, & quasi rabidi canis morsus omni cum gaudio recusate. A quo non receperis quò timeas Deum, non accipias quò diligas mundum. Accipe virgo, sed quod amori æterno proficiat. Quotiescunq; ab homine cōsecuta fueris censum, sic accipe, vt te sponsam Christi cognoscas. Videt ille intùs in mente quid facias, & quàm expetenter eius virgines comiteris, attendit. Videte ergo quomodò Agnes sequitur Mariam per opprobria. Nullum potuit penitùs formidare supplicium, cui etiam lupanar turpitudinis, locus orationis efficitur: & vbi ei diabolus corruptionis præparauerat ignominiam, illic eam percipere fecit Dominus coronam suæ virginitatis & palmam. Hoc est in suis sedibus hostes vincere, captiuam ductam virginem ad penetralia regis libidinum, ipsum regem à virgine, quam captiuauerat, victum & victum cum virginis triumpho exire. Nam qui tenuerat, tentus est: qui traxerat, tractus est: qui occidere se putabat, occisus est. Deniq; vt probemus diabolū à virgine ista tunc fuisse victum, illius iuuenis factum ad animum reuocemus: quem contra Agnetis infantiam sic armauerat inimicus, vt nudam faceret trahi per vulgus ad lupanar, sub voce præconantis ducis, populum ad libidinem inuitātis. Hunc ergo ducem fuisse diaboli nemo qui dubitet, & victo duce populum superatum esse, omnibus notū est: superatis aūt cū duce suo populis, tyrannū teneri captiuū omnib. patet. Cōstat ergo diabolū supera-

Virginibus rorum munuscula respuenda.

Agnes oppugnanti diaboli *se* *ut uicerit.*

tum, quoties contra virginē arma arripuit. Nam se expoliata virgo tegitur crinib. & nudata ab hominib. malis, vestitur ab angelis bonis: & dānata in prostibulo turpitudinis, in gremio apparuit castitatis. Efficitur oratorium angelorum, locus qui perditarum fuerat animarum: & vbi semper naufragauerat castitas, illic est coronata virginitas. Denique populos quos præco ad libidinem inuitauerat, virgo ad castitatem obtinuit: & quos ad eam diabolus inquinatos induxit, illa à se mundos eiecit. Omnes nanque singulatim ingressi, vnus alterum sustinebat ingressum. Quem egressum dum non crederet mundum, se exhibebat immundum. Sed ingressus ad libidinem, ad adorandum Dominum meritis virginis tenebatur: & exibat inde Dei seruus, qui seruus diaboli intùs fuerat ingressus: & tot facti sunt Christi cultores, quot diabolus virginis se putauerat inuenisse corruptores. Remansit igitur iuuenis, qui author huius extiterat probrationis, qui se putabat defensorē virginis superare. Hic dum splendori cælesti non cessit dās honorem, vitam quam habere videbatur amisit, & mortem quam quærebat inuenit. Ridentibus lachrymæ succedunt, & insultantibus finem lamentationes imponunt. Attendit lugentem iudicem, & quem minantem antè contempserat, nunc deprecantem exaudit. Ilicò igitur vt cœpit orare pro mortuo, & à mortuis excitat saluum, qui mōrti fuerat deputatus: & ad gaudium euocat, qui fuerat præcipitatus ad luctum. Nam qui incestus fuerat mortuus, exurgit castus: & fit prædicator castimoniæ, qui persecutor extiterat castitatis. Ad hæc sacrilegi conturbantur in templis, & Christum hæc mirabilia facientem contremiscunt. Excitant seditiones ignobilis vulgi, vt ratio quæ suadebat fidem, seditionum clamoribus pulsa, locum in mentibus hominum inuenire non posset. Pater verò suscitato filio tristis absscessit, &, vt legitur, turbis furētibus vicarium dereliquit. Virgineo itaque corpori stridentes præparantur flammę sed corpus quod incendia libidinum superauerat, refrigerium in medijs flammis inuenit: & quæ ad hoc focos ingressa fuerat vt arderet, cœpit per sanctam virginitatem algere, vt disceret virginitas sibi flammas & incēdia penitùs dominari non posse. Nec illos periisse æstimes, quos pro nomine Christi consumpsit incendiū. Nanque cum legis Eliam ignibus raptum, & tres pueros in medijs flammis nulla ratione cōsumptos, aut dum Laurentium in craticulā assatum recolis, atq; Agnem sicut Teclam flammarum globos euasisse cognoscis, nullam in his suspiceris varietatem fidei tunc fuisse. Vna etenim fides sanctos Dei in passione exercuit, & diuerso genere gloriarum reddidit vtrosque victores. Nam qui consumptus est, martyr exultat: & qui euasit, victor exultat. Et Esaias sectus, martyrem se fecit: & Daniel leonum rabiem morsusque contemnens, probatissimum Dei confessorem expressit. Quo facto vtrosque Christus diaboli ostendit esse victores. Vnus enim moritur & triumphat, alius euadit & regnat. Veni iam virgo ad thalamum quē quęsisti, & pro amore sponsi gladium percussoris admitte: vt sponsam te virginitas immaculata comprobet Christi, & martyrem confessio probata consignet. Felix caterua virginū, quibus studium est

Mortuus excitatur precibus Agnetis.

4. Reg. 2. Dan. 3.

Psal. 6. & 14.

Virginum tuæ præconiū.

tuæ sequi confessionis vestigia. Habebunt enim tecum coronam in cælo, quę tecum superauerunt inimicum in mundo. Nam sicut tibi vestigia Mariæ prosequenti, participatio æternæ remunerationis apparuit: ita eis te imitantibus æterna credimus gaudia non neganda. Itaque ô splendida Christo, pulchra Dei filio, & omnibus angelis & archangelis grata, vt nostri meminisse digneris, quibus possumus precibus exoramus, vt nobis ille tribuat peccatorum indulgētiam, qui tibi tuorum omnium laborum tradidit palmam, qui regnat cum patre & spiritu sancto, quia ipsi est honor, laus, gloria, & potestas in secula seculorum, Amen.

Inuocat S. Agnetem.

Est Serm. 14. de Sanctis.

IN CONVERSIONE S. PAVLI, SERMO BEATI Augustini.

Odiè dilectissimi, de Actibus Apostolorum lectio hęc pronuntiata est, vbi Apostolus Paulus ex persecutore Christianorum, annunciator factus est Christi. Prostratuit enim Christus persecutorem, vt faceret Ecclesiæ doctorem: percutiens & sanans, occidens & viuificans. Occisus agnus à lupis, & faciens agnos de lupis. Ita enim in præclara prophetia, cùm Iacob patriarcha benediceret filijs suis, prælentes tangens, futura prospiciens, prædictum erat quod in Paulo contigit. Erat autem Paulus, sicut ipse testatur, de tribu Beniamin. Cùm autem Iacob benedicens filios suos, venisset ad benedicendum Beniamin, ait de illo: Beniamin lupus rapax. Quid ergo? Lupus rapax semper? Absit. Sed qui manè rapit prædā, ad vesperā diuidet escas. Hoc in Apostolo Paulo impletū est, quia & de illo prædictū erat: Iam si placet, audiamus illū manè prædā rapiētem, ad vesperā escas diuidentē. Manè & vesperū posita sunt pro eo, ac si diceretur priùs & posteà. Sic ergo accipiamus: Priùs rapit, posteà diuidit escas. Attendite raptorē. Saulus, inquit, acceptis literis à principibus sacerdotum ibat, vt vbicunq; inueniret Christianos, ad sacerdotes attraheret, & adduceret vtiq; puniendos. Ibat spirans & anhelās cædes. Hic est, manè rapiens. Nam & quādo lapidatus est Stephanus primus martyr pro nomine Christi, euidentiùs aderat & Saulus, & sic aderat lapidantibus, vt non ei sufficeret, si tantùm suis manibus lapidaret. Vt enim esset in omniū lapidantiū manibus, ipse omniū vestimenta seruauit, magis sæuiens omnes adiuuando, quàm suis manibus lapidando. Audiuimus, Manè rapiet: videamus. Ad vesperū diuidet escas. Voce Christi de cęlo prostratus, & accipiens desuper interdictum iam sæuiendi, cecidit in faciem suam.

Gen. 49.

Philip 3.

Act. 9.

Act. 7.

Prepetem.

priùs prosternendus, posteà erigendus: priùs percutiendus, posteà sanandus. Non enim posteà Christo viueret, nisi occideretur in eo, quòd malè anteà vixisset. Quid ergo prostratus audit? Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Quis erat qui loquebatur? Christus. Vnde loquebatur? E cælo. Vbi loquebatur? In terra. Et cui loquebatur? Saulo. Quid loquebatur? Quid me persequeris? ait. Quis eum tangebat? Aliquis. Vt ostenderet se in cælo pati, quod membra patiebantur in terra, ait: Quid me persequeris? Ille caput, & nos membra. Quicquid membra patiuntur, caput pro membris clamat. Si tibi aliquis forte pedem calcaret aut manum, siue latus foderet, caput pro membris clamaret, Calcar me. Et Saulus ad Dominum: Quis es Domine? Et vox Domini desuper: Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris. Membris adhuc in terra positis, caput in cælo clamat: et nō dicebat, Quid persequeris fideles meos? sed, Quid me persequeris? Et ille: Quid me iubes facere? Iam parat se ad obediendum, qui priùs sæuiebat ad persequendum. Iam informatur ex persecutore prædicator, ex lupo ouis, ex hoste miles. Audit quid facere debeat. Cæcus sanè factus est, vt interiori luce fulgeret cor eius. Exterior lux ad tempus subtracta est persecutori, vt redderetur prædicatori. Et eo tamen tempore quo cætera non videbat, Iesum videbat. Ita ex ipsa eius cæcitate informabatur mysterium credentium, qui credit in Christum, ipsum intueri debet. Cætera nec nata computare, vt creatura vilescat, & vt creator in corde dulcescat. Videamus ergo. Adductus est ad Ananiam: & Ananias interpretatur ouis. Ecce lupus rapax adducitur ad ouem sequendam, non rapiendam. Sed ne rapientem ouis expauescęret lupum, ipse pastor de cœlo, qui omnia faciebat, nuntiauit lupum venturum oui, sed non sæuiturum: & tamen tam immanis fama lupum illum præcesserat, vt non posset ouis audito eius nomine non conturbari. Nam cùm Dominus Iesus eidem Ananiæ nunciaret iam venisse Saulum, vt crederet ad eum Ananias ire se debere, ait Ananias: Domine, audiui à multis de viro hoc, quòd multa mala in sanctis tuis operatus est in Hierusalem: & nunc literas accepit à principibus sacerdotum, vt vbicunque inueniret tui nominis sectatores, pertrahat. Dominus autem ad illum: Sine, ego ostendam illi, quanta illum oporteat pati pro nomine meo. Mira & magna res geritur. Lupo sæuitia interdicitur: lupus ad ouem captiuus ducitur. Tanta autem præcesserat fama lupi raptoris, vt eius nomine audito, timeret ouis etiam sub manu pastoris. Confortatur ne iam putet sæuientē, ne timeat timentem. Ab agno pro ouibus mortuo, fit ouis secura de lupo. Ego, inquit, illi ostendam, quanta illum oporteat pati pro nomine meo. Vbi terror? vbi Saulus? Quod faciebat

Act. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

contra nomen pastoris, patitur pro nomine pastoris. O sæuitia, ô misericordia. Vides illum præparare ferrum? secaturus est, non peremptu-
rus: curaturus, non occisurus. Christus dicebat: Ego ostendam illi, quanta oporteat illum pati pro nomine meo. Sed quo fine? Ipsum qui pa-
Rom. 8. tiebatur audite: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Ac si dicat: Sæuiat mundus, fremat mundus, concrepet linguis, coruscet armis, quicquid potest faciat: Quid faciet ad id, quod accepturi sumus? Appendo quod patior contra id quod spero. Hoc nunc sentio, illud credo: & tamen plus valet quod credo, quàm quod sentio. Quicquid est quod sæuit pro nomine Christi, si potest viui, tolerabile est: si non potest viui, migrare hinc facit. Non extinguit, sed accelerat ipsum præmium, ipsam dulcedinem: quæ cùm venerit, sine fine erit. Opus cum fine, merces sine fine. Nam & operarius deficeret in via, nisi attenderet quid accepturus esset in patria. Ista cogitantes, non desperemus fratres: quia etsi peccatores sumus, magnum medicum habemus. Ipsum medicum audite.
Luc. 5. Non veni, inquit, vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Hoc ipse Apostolus commemorat in epistolis suis. Dicit enim ad hoc sibi
1. Tim. 1. veniã datam peccatorũ suorũ, vt nemo desperet de se, qui fuerit magnis peccatis inuolutus, & multis sceleribus irretitus, quasi non sit veniam accepturus, si conuersus fuerit ad eum, qui pendens in cruce pro persecutoribus orauit, dicés:
Luc. 23. Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Factus est ille ex persecutore prædicator & doctor gentium. Qui priùs, inquit, fui blasphemus & persecutor & iniuriosus. Vides quod meritum pro pœna consequitur. Gratia enim Dei efficimur salui à peccatis nostris, largiente ipso Domino nostro IESV CHRISTO, qui viuit & regnat & cæt.

IN FESTO CONVERSIONIS S. PAVLI, In lectionem Epistolæ loco Concio exegetica.

Act. 9. SAVLVS *autem adhuc spirans minarum & cædis in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum, & petijt ab eo epistolas in Damascum ad synagogas: ut si quos inuenisset huius uiæ uiros ac mulieres, uinctos perduceret in Ierusalem.* Opportunè, inquit Chrysostomus, de zelo Pauli hîc differit, vt ostendat quòd medio zelo vehebatur: nondum satiatus cæde Stephani, neque persecutione Ecclesiæ impletus ac dispersione, accedit ad principem sacerdotum. Vbi impletur, quòd à Christo ad discipulos dictum: Quia venit hora, quòd omnis qui occi- Ioan. 16.
dit vos, arbitratur se obsequium Deo offerre. Hic igitur sic faciebat, non vt Iudæi. Absit. Nam quòd zelo faciebat, manifestum ex eo, quòd in exteras ciuitates abibat. Illi autem etsi ea quę in Ierosolymis erant curabant, solùm vt gloriam obtinerent. Quare autem in Damascum ibat? Magna ciuitas erat ac regia. timebat igitur, ne & illa ciuitas præueniretur. Et videre licet desiderium ac ardorem, quomodò legitimè operatus est. Nam accedit ad principem, petit epistolas ab illo, vt quotquot inueniret esse in via. Viam eos, qui credebant, vocat, qui apud omnes sic tum nominabantur, fortasis ob hoc, quòd viam secabant ferentem in cælum. Quarè autem non accepit potestatem illic puniendi illos, sed in Ierusalem ducit? Vt ita maiore cum potestate ibi pœnam de illis sumat. Et vide quali periculo seipsum committebat: attamen & sic timet, ne quid mali patiatur. Sanè propter hoc & illos secum accipit, vt fidentiùs quotquot viros ac mulieres inueniret, vinctos adduceret in Ierusalem. *Et cùm iter faceret, contigit ut appropinquaret Damasco. Et subitò circumfulsit eum lux de cælo: & cadens in terram, audiuit uocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris?* Quarè hoc non est factum in Ierosolymis? quarè non est factum in Damasco? Ita vt non possent istud alij aliter narrare, sed ille fide dignus vt narret, qui propter hoc abierat. Hoc sanè dicit & Agrippæ rationem Act. 26.
reddens. Laborat autem & visu, eò quòd excellens lumen grauare solet. habent enim suas mensuras oculi. Dicitur autem excellens sonus surdos facere ac attonitos: sed hunc solùm excæcauit, & terrore suo furorem extinxit, ita vt audiret ille ea quæ dicebantur, Saul, Saul, quid me persequeris? Non dicit illi, Crede, neque aliud tale quippiam, sed crimen obijcit. Quid mali, quod aut magnum aut paruum tibi feci, quòd hæc facis? *Qui dixit: Quis es Domine?* Iam confessus est se esse seruum. *Et ille: Ego sum Iesus, quem tu persequeris. Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Quasi dicat: Ne putes tibi cum hominibus solis esse certamen. *Et tremens ac stupens, dixit: Domine, quid me uis facere?* Hæc planè fratres, in- Serm. 1. de
quit D. Bernardus, perfectæ conuersionis est conuers.
forma. Paratum, inquit, cor meum Deus, S. Pauli.
paratum cor meum. Paratus sum & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua. Domine, quid me vis facere? O verbum breue, sed plenum, sed viuum, sed efficax, sed dignum omni acceptione. Quàm pauci inueniuntur in hac perfectæ obedientiæ forma, qui suam ita abiecerint voluntatem, vt ne ipsum quidem cor propriũ habeant, vt non quid ipsi, sed quid Dominus velit omni hora requirant, dicentes sine intermissione, Domine, quid me vis facere? *Et Dominus ad eum: Surge & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi quid te oporteat fa-*
Sap. 8. *cere.* O sapientia suauiter verè vniuersa disponens. Eum cui tu loqueris, erudiendum de voluntate tua mittis ad hominem, vt socialis vitæ commendetur vtilitas, & edoctus per hominem, discat & ipse secundùm datam sibi gratiam hominibus subuenire. Hæc Bernardus. Porrò Chrysostomus, Vide, ait, quomodò non statim omnia illi reuelat, sed solùm illius mentem præmitigat: & dum præcipit quid ei faciendum, statim illi bonam spem dat, quòd iterùm visurus sit. *Viri autem illi, qui comitabantur cum, stabant stupefacti, audientes quidem uocem, neminem autem uidentes.* Cur non crediderunt, ait Oecumenius, qui cum eo erant? Vt testificantes id de Paulo, si de digni haberentur. Si enim credidissent, visi fuissent ad gratiam testificari. Qui sanè vocem quidem audiuerunt, non supernam, sed Pauli: neminem tamen viderunt, cui responderet. Nã
Act. 22. supernam vocem Paulus solus audiuit. Procedens enim, eum ita loquentem inducit: Qui verò mecum erant, lumen quidem viderunt, & terrefacti sunt: vocem tamen eius qui mecum loquebatur, non audiuerunt. Si enim vocem illam audiuissent, nequaquàm in diffidentia & perfidia perstitissent. Sed cùm viderent Paulum respondentem, admirabantur. Ita Oecumenius. *Surrexit autem Saulus de terra, apertisq; oculis nihil uidebat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum.* Spolium diaboli, inquit Chrysostomus, vasa eius quasi capta ciuitate ac metropoli quadam introducunt. Et quid hoc mirum? Illi hostes & inimici introducunt illum omnibus videntibus. *Et erat ibi tribus diebus non uidens, et non manducauit neque bibit.* Ligatus introductus est, non circumpositis illi vinculis, & trahebant illum, qui se iperabat alios tracturum. Quarè autem non comedit neque bibit? Compungebat se propter ea quæ fecerat, confitebatur, precabatur, orabat Deum. *Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias: & dixit ad illum in uisu Dominus: Anania. At ille ait: Ecce ego Domine. Et Dominus ad eum: Surge & uade in uicum, qui uocatur Rectus, & quære in domo Iudæ Saulum nomine, Tarsensem. ecce enim orat: & uidit uirum Ananiam nomine introeuntem & imponentem sibi manus, ut uisum recipiat.* Quarè nam per nullum ex præcipuis apostolis hunc vocauit, neque misit ad illius institutionẽ aliquem ex his? Quoniam nõ oportebat illum per homines, sed per Christum erudiri. Quoniam & hic docuit illum quidem nihil, baptizauit autem solùm. Simul autem cùm baptizaretur, accepit magnam spiritus gratiam ob zelum & alacritatem plurimam. Quòd autem & Ananias valdè insignis fuerit, manifestum fit ex his quæ ad illum dicit, & quæ ille respondet, dum dicit, *Domine audiui à multis de uiro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Ierusalem.* Si igitur contra Dominum locutus est, multò magis si angelus missus esset. Et propter Act. 8.
hoc ante hunc neque Philippus audit quid futurum, sed solùm videt angelum, & non dum spiritus iubet accedere & adhærere currui. Iam autem hoc loco metum illius minuit, & dicendo, Ecce orat, quasi hoc dicit: Cæcus est, & tu metuis? Ita & Moses timet. Vnde magis verba sunt Exod. 3. et
timentis, quàm non credentis. & audi verba ipsa: Domine audiui à multis de viro hoc. Quid 4.
dicis? Deus dicit, & tu dubitas? *Et hic habet potestatem à principibus sacerdotum alligandi omnes, qui inuocant nomen tuum.* Vnde hoc manifestum? Verisimile erat illos, qui in timore erant, curiosiores fuisse. Non igitur hoc dicit, quasi nesciat Christus: sed dubitat quomodò hæc fiãt, cùm illa ita se habeant. Ita & alibi discipuli dicunt: Quis potest Marc. 10.
saluari? Et vide quot res gerantur, vt credat venturo. In somnio vidit, prædixit illi. Orat, inquit: igitur ne time. Et quarè non dicit illi, quid factũ sit? Erudit nos, ne prædicemus opera nostra. Imò & timentem videns, neque sic dixit, Ne sis infidelis. Sed quid? Surge, vade. Vidit enim in visione virum, qui imposuit illi manus. Ideò in visione, quia cæcus erat. Et neque miraculum excellentia rapuit discipulum: ita metuit. At tamen per illum, Paulum cùm esset cæcus, videre Deus fecit. *Dixit autem ad eum Dominus: Vade, quoniã uas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Israël. Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Non solùm fidelis erit, inquit, sed & doctor, & magna dicendi libertate vtetur. Coram gentibus & regibus. Ita crescet doctrina, inquit, vt & populos & reges omnes vincat. *Et abijt Ananias, & introiuit in domum: & imponens ei manus, dixit: Saule frater, Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in uia qua ueniebas, ut uideas & implearis Spiritu sancto.* Statim illum familiarem facit nomine: Iesus, inquit, qui apparuit tibi in via. Porrò hoc non dixerat illi Iesus, sed à spiritu sancto didicerat. *Et confestim ceciderunt ab oculis eius tanquàm squamæ, & uisum recepit. & surgens baptizatus est. Et cùm accepisset cibum, confortatus est.* Solùm illi manus imposuit, & statim squamæ ab oculis illius deciderunt. Has quidam dicunt cæcitatis illius fuisse causas. Et quarè non excæcauit illius oculis? Hoc admirabilius erat. Nam & apertis oculis non videbat id quod patiebatur à lege, donec nomen appositum est Iesu. Et statim, inquit, baptizatus est, & sumpto cibo conualuit. Igitur infirmus *Paulus un*
factus erat & ex itinere, & ex metu, & ex ieiu- *de infir-*
nio, & ex tristitia. Volens igitur illius augeri tri- *mus.*
stitiam, cæcum manere permisit, donec venit Ana-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ananias : & vt ne quis putet cæcitatem phantasiam esse, propter hoc erant squamæ. Igitur non opus habebat alia doctrina, sed quod acciderat, doctrina erat. *Fuit autem cum discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot: & continuò ingressus in synagogas, prædicabat Iesum, quoniam hic est filius Dei.* Vide statim doctor factus est in synagogis: non erubescebat mutationem, neque formidabat destruere ea, in quibus anteà clarescebat. Non simpliciter erat doctor, sed etiam in synagogis. Ita ab initijs homo & erat occidens, & ad cedes compositus. Vides vt manifestum signum in illo factum. Hoc ipso & omnes obstupescere faciebat. Ideò & hoc manifestans, addit & dicit: *Stupebant autem omnes qui eum audiebant, & dicebant: Nonne hic est, qui expugnabat in Ierusalem eos, qui inuocabant nomen istud? & huc ad hoc uenit, ut uinctos illos duceret ad principes sacerdotum. Saulus autem multò magis conualescebat, & confundebat Iudæos qui habitabāt Damasci, affirmans quoniā hic est Christus.* Vtpotè in lege edoctus, obturabat illos, & non sinebat loqui. Liberati à Stephano, putarunt se liberatos ab huius rei disputatione, & nunc alium inuenerunt Stephano potentiorem. Non quòd surrexit Christus prædicauit, neque quòd viuat : sed quid? Valdè euidenter exponebat hoc dogma, quòd hic est filius Dei. Qui autem hæc audiebant, adhuc in incredulitate persistebant. Oportebat autem non credere solùm, sed etiam obstupescere. Et quarenam non simpliciter quòd persecutor fuerit dicunt, sed quòd expugnet inuocantes nomen hoc? Valdè furibundum per hoc declarabant : & non dicebant Iesum, præ inuidia neque nomen audire sustinentes. ita erant exasperati. Porrò Paulus, qui post alios venerat, magis quàm alij seruebat, & opere implebat illud, Cui dimittitur multum, magis diligit. Vnde quò posterius venit, hoc magis dilexit. Et propter hoc etiam priorem vitam suam fugillans, sæpè seipsum notabat, nihil satis esse putans ad priora occultanda. Hactenùs omnia ex Chrysostomo in Acta Apostolorum, demptis paucis, quorum authores annotauimus. Libet autem quædam his adijcere ex libri tricesimi tertij cap. 31. & 32. beati Gregorij Papæ in librum Iob, quæ lucem quandam adferant mysticorum sensuum, nonnullis ex his, quæ in hac lectione habentur. Carnali sapientia (inquit capite tricesimo primo) contra Deum Saulus obduruerat, quando cor eius nulla prædicationis euangelicæ sagitta penetrabat. Sed postquàm forti cælitùs increpatione iaculatus, & superno respectu cæcatus est, (lumen quippe vt acciperet amisit) ad Ananiam veniens illuminatur. In qua illuminatione quia defensionū suarum duritia caruit, benè de eo scriptum est: Ceciderunt quasi squamæ ab oculis eius. Carnalis videlicet tegumenti illum duritia presserat, & idcircò radios veri luminis non videbat. Sed postquàm superbæ repugnationes eius victæ sunt, defensionum eius squamæ ceciderunt. Quæ quidem sub Ananiæ manibus ab oculis ceciderunt corporis, sed antè iam sub dominica increpatione ceciderant ab oculis cordis. Cùm enim altæ inuectionis iaculo confossus iaceret, humili iam & penetrato corde requirebat, dicens: Domine, quid me vis facere? Repulsis videlicet squamis, iam ad cordis viscera veritatis sagitta penetrauerat, quando deposita elatione superbiæ, eum quem impugnauerat Dominum confitens, & quid ageret nescius requirebat. Intueri libet, vbi est sæuus ille persecutor, vbi lupus rapax. Ecce in ouem iam versus est, qui percunctatur pastoris semitam, quam sequatur. Et notandum, quòd cùm diceret, Quis es Domine? non ei à Domino respondetur, Ego sum vnigenitus patris, ego principium, ego verbum ante secula. Quia enim Saulus incarnatum Dominum credere contemnebat, & eius humanitatis infirma despexerat, de cælo hoc quod contempserat audiuit: Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris. ac si diceret: Hoc à me audi de superioribus, quòd in me de inferioribus despicis. Authorem cæli venisse despexeras in terram. ex terra ergo hominem cognosce de cælo, vt tanto in me ampliùs sacramenta infirmitatis metuas, quanto & hæc perducta in cælestibus ad excellentiam potestatis probas. Prosternens igitur te, nequa quàm tibi hoc adstruo, quòd ante secula Deus sum: sed illud à me audis, quod de me credere dedignaris. Postquàm enim dixit, Iesus: adhuc in expressione terrenæ inhabitationis subdidit, Nazarenus: velut si apertiùs diceretur: Humilitatis meæ infirma suscipe, & tuæ superbiæ squamas amitte. Hæc beatissimus Pontifex Gregorius. Vtinam verò etiam nos cum apostolo toto pectore ad Deum cōuertamur, præstante Domino nostro IESV CHRISTO, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat per infinita secula, AMEN.

Luc. 7.

Squamæ in oculis Pauli.

Cap. 32. lib. 33. in Iob.

IN EODEM FESTO.
Matth. XIX.

In illo tempore: Respondens Simon Petrus, dixit ad Iesum: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Quid ergo erit nobis? Et reliqua. Homilia beati Hieronymi, in cap. 19. Matthæi.

TVNC

TVNC *respondens Petrus, dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Grandis fiducia. Petrus piscator erat, diues non fuerat, cibos manu & arte quærebat: & tamen loquitur confidenter, Reliquimus omnia. Et quia nō sufficit tātùm relinquere, iungit quod perfectum est: *Et secuti sumus te.* Fecimus quòd iussisti. Quid igitur dabis nobis præmij? *Iesus autem dixit eis: Amen dico uobis, quòd uos qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël.* Non dixit, Qui reliquistis omnia. hoc enim & Socrates fecit philosophus, & multi alij diuitias contempserunt: sed, Qui secuti estis me, quòd propriè apostolorum est atque credentium. In regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, quando ex mortuis de corruptione resurgent incorrupti: sedebitis & vos in solijs iudicantium, condemnātes duodecim tribus Israël, quia vobis credentibus illi credere noluerunt. *Et omnis qui reliquerit domum, uel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitam æternam possidebit. Multi autem erunt primi nouissimi, & nouissimi primi.* Locus iste cum illa sententia congruit, in qua saluator loquitur: Non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim hominem separare à patre suo, & matrem à filia, & nurum à socru: & inimici hominis domestici eius. Qui ergo propter fidem Christi & prædicationem euangelij, omnes affectus contempserint, atque diuitias & seculi voluptates, isti centuplum recipient, & vitam æternam possidebunt. Ex occasione huius sententiæ, quidam introducunt mille annos post resurrectionem, dicentes nobis tunc centuplum omnium rerū, quas dimisimus, & vitam æternam esse reddendam: non intelligentes, quòd si in cæteris digna sit repromissio, in vxoribus appareat turpitudo, vt qui vnam prō Domino dimiserit, centum recipiat in futuro. Sensus ergo iste est: Qui carnalia pro saluatore dimiserit, spiritualia recipiet, quæ comparatione & merito sui ita erunt, quasi paruo numero centenarius numerus comparetur. Vnde dicit & Apostolus, qui vnam tantùm domum, & vnius prouinciæ paruos agros dimiserat: Quasi nihil habentes, & omnia possidentes. *Amen, inquit, dico uobis, quòd uos qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël.* Hic discimus cum suis discipulis iudicaturum Iesum. Vnde & alibi Iudæis dixit: Si ego in Beelzebub eijcio demonia, filij vestri in quo eijciunt? Ideò ipsi iudices vestri erunt. Nec quoniam super duodecim sedes sessuros esse ait, duodecim solos homines cum illo iudicaturos putare debemus. Duodenario quippe numero, vniuersa significata est iudicantiū multitudo, propter duas partes numeri septenarij, quo significatur plerunque vniuersitas. Quæ duæ partes, id est, tria & quatuor, altera per alteram multiplicatæ, duodecim faciunt. Nam & quatuor ter, & tria quater, duodecim sunt, & si qua alia huius duodenarij numeri, quæ ad hoc valeat, ratio reperitur. Alioquin quoniam in locum Iudæ traditoris apostolum Matthiam legimus ordinatum, apostolus Paulus, qui plus omnibus illis laborauit, vbi ad iudicandum sedeat, non habebit. Qui profectò cum alijs sanctis ad numerum iudicum se pertinere demonstrat, cùm dicit: Nescitis quia angelos iudicabimus? De ipsis quoque iudicandis, in hoc numero duodenario similis causa est. Non enim quia dictum est, Iudicantes duodecim tribus Israël, tribus Leui, quæ tertiadecima est, ab eis iudicanda non erit: aut illum solum populum, non etiam gentes cæteras iudicabunt. Quòd autem ait: In regeneratione, proculdubiò mortuorum resurrectionem nomine voluit regenerationis intelligi. Sic enim caro nostra regenerabitur per incorruptionem, quemadmodùm est anima nostra regenerata per fidem.

Matth. 10

Mich. 7.

2. Cor. 6.

Huc usq; Hieron. in Matthæū.

Luc. 11.

Matth. 12

Act. 1.

2. Cor. 15.

1. Cor. 6.

IN PVRIFICATIONE S. MARIAE, Sermo Beati Augustini.

HOdiernus dies, fratres charissimi, magnum nobis contulit gaudium, in quo Christus infans in templo est præsentatus. Exultent virgines, virgo peperit Christum. Nihil in eo quod voluerunt putent exterminatum. Manſit virgo post partum. Exultent viduæ, infantem Christum vidua Anna cognouit. Exultent coniugatæ, nasciturum Christum Dominum Elizabeth nupta prophetauit. Nullus gradus prætermissus est, de quo non haberet testimonium salus omnium. Nunquid enim solæ virgines ad cælorum regna perueniunt? Perueniunt & viduæ. Magni meriti fuit illa vidua sancta Anna. A virginitate enim sua septem annis vixerat cum viro suo. Quo defuncto, vsq; ad senilem ætatem peruenerat senectute sancta. Octoginta nanq; gerens annos, infantiam expectabat saluatoris, vt paruum videret annosa, paruum cognosceret anicula, intrantem in mundum saluatorem videret itura. Et in masculino sexu tria ipsa genera com-

Est Serm. 20. de Tēpore.

Luc. 2.

Luc. 1.

Annæ uidue laus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

commendata sunt. Ipse Dominus Christus natus puer, est in templo præsentatus. exultent pueri, continentiam vouentes puero. Ipse integritatem pueritiæ consecrauit, qui suæ matri fœcunditatem attulit, virginitatem non abstulit. Simeon ille senex diù vixerat, cuius ætas comparata est Annæ, & audierat responsum, quòd non esset visurus mortem, nisi priùs videret Christũ Domini. Intelligite fratres, quantum desideriũ habebant antiqui sancti videndi Christum. Sciebant ipsum esse venturũ, & omnes qui piè viuebant, dicebant: O si hic me inueniat illa natiuitas. O si quod credo in scripturis Dei, videam oculis meis. Et vt noueritis quantum desideriũ habebant sancti, qui nouerant de scripturis virginem pariturã, sicut audistis cùm Esaias legeretur, Ecce virgo in vtero concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Emmanuel quid sit, euangelium nobis aperuit, dicens: Quod interpretatur, Nobiscum Deus, (Non tibi ergo sit incredibile quæcunque infidelis anima, non tibi videatur impossibile, vt virgo pareret, virgo pariens permaneret: Intellige natum Deum, & non miraberis virginis partum.) Vt ergo noueritis antiquos sanctos & iustos desiderasse videre, quod concessum est huic seni Simeoni, Dominus noster Iesus Christus ad discipulos loquens, ait: Multi iusti & prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ vos auditis, & non audierunt. Multum senex iste Simeon fuit ad audiendum serus, sed ad videndum maturus. Non expectauit vt Christum audiret loquentẽ, quoniam vidit infantem. Et hoc illi concessum erat iam decrepito, quasi desideranti & suspirãti, & dicenti quotidiè in orationibus suis: Quando veniet, & quando nascetur? Putas hic me inueniet? Putas durabo? Putas isti oculi videbunt, per quem cordis oculi reuelabuntur? Dicebat ista in orationibus suis, & pro desiderio suo accepit responsum, quòd non gustaret mortem, nisi videret Christum Domini. Gestabat eum Maria mater eius infantem, vidit ille & agnouit. Vbi nouerat, quod agnouit? An intùs est reuelatus, qui foris est natus? Vidit & agnouit. Agnouit Simeon infantem tacentem, & occiderunt Iudæi iuuenem miracula facientem. Cùm ergo cognouisset, accepit eum in vlnas suas, hoc est, in brachia sua, & amplexatus est eũ, & portabat à quo portabatur & ipse. Ipse enim est Christus sapientia Dei, attingens à fine vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter. Quantus ibi erat, & quàm magnus, & quàm paruus factus erat. Paruus factus, paruos quærebat. Quid est paruos quærebat? Non superbos, non elatos, sed humiles & mites colligebat. In præsepi dignatus est poni, vt esset piorum cibaria iumentorum. Accepit ergo eum Simeon in brachia sua, & dixit: Nunc dimittis Domine seruum tuum in pace. Dimittis in pace, quia video pacem. Quare ergo dimittis in pace? Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Salutare Dei Christus Dominus. Annuntiate diem ex die, salutare eius. Habetis ergo pueri puerum Christum, sancti senes senem Simeonem. Si autem quæritis, vt de cõiugatis aliquis testimonium Domino perhibeat, Zachariam considerate. Nemo ergo quærat aliud, fratres mei. Christiani fideles, aut virgo, aut vidua, aut coniugata: aut vir, aut continens, aut vxoratus. Quicquid plus esse quisque voluerit, non inueniet quod ad Christum pertineat. Non inueniemus testimonium perhibuisse Christo adulteros, fornicatores, immundos. Sed vt tales testimonium perhiberent, ipse præstitit, ipse donauit. Non enim quisquam sanctus viribus suis. Sed nunquid sicut natus est Christus, sic remansit? Creuit, ad iuuentutem peruenit, sed in senectutem non declinauit. Crescat ergo & fides tua, robur inueniat, ad senectutem peruenisse nesciat. Sic pertinebis ad Christum filium Dei, in principio verbum apud Deũ, verbum Deum: sed verbum caro factum est, vt habitaret in nobis. Maiestas ibi latebat, vbi infirmitas apparebat. Simeon in manus suas infirmitatẽ accepit, sed maiestatem intùs agnouit. Nemo cõtemnat Christum natum, & infantem in templo præsentatum, si vult esse renatus. Ad illum pertinuit propter nos nasci, ad nos pertineat in illo renasci, qui venit in hunc mundum peccatores saluos facere, de quo Ioannes in euangelio dicit: Hic est agnus Dei, hic est qui tollit peccata mundi, Iesus Christus Dominus noster, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Esa. 7.

Matth. 1.

Matth. 13

Luc 2.

Sap. 8.

Ioan. 1.

IN FESTO PVRIFICATIONIS MARIAE, In Lectionem Epistolæ loco Concio exegetica.

GRatias redemptori nostro, inquit D. Bernardus, qui tam copiosè præuenit nos in benedictionibus dulcedinis, sacramentis infantiæ suæ gaudia nostra multiplicans. Celebratis siquidem paulò antè Natiuitate, Circumcisione & Apparitione eius, festus hodiè nobis oblationis eius dies illuxit. Hodiè nanque sistitur creatori terræ fructus sublimis, hodiè placabilis & Deo placés hostia virgineis manibus offertur in templo, portatur à parentibus, à senibus expectatur. Offerunt Ioseph & Maria sacrificium laudis, sacrificium matutinum, Simeon & Anna suscipiunt. Ab his quatuor celebrata processio est, quæ per quatuor orbis climata solẽnibus hodiè gaudijs ad memoriam reuocatur. Hæc Bernardus. *Sermone 2. de Purificatione.*

dus. Sed iam lectionem ipsam tractãda suscipiamus. *Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meã.* Hoc, vt inquit D. Hieronymus, ex persona Christi dicitur, quòd Ioannem miserit in deserto Iudææ prædicare baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Quod autem sequitur: *Et statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, & angelus testamenti quem vos vultis*: ita de se quasi de altero loquitur, iuxta cõsuetudinem scripturarum. Nullique dubium est, quin dominator iste Saluator sit, qui creator est omnium: & angelus testamenti, & magni consilij angelus appellatur. Alij verò hoc quod dicitur, Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam: ex persona patris dictum putant. & quod sequitur: Statim veniet ad templum suum dominator, &c. de Domino Saluatore ab eo dictum intelligunt. Præparat autẽ viam Ioannes, & rectas facit semitas Dei nostri in cordibus credentium, in quibus propter pranitatem & incredulitatem priùs Deus ambulare non poterat. Templum autem, vel Ecclesiam interpretantur, vel vnumquemlibet credentium in Ecclesia. Iudæi hoc quod dicitur, Ecce ego mitto angelum meum, de Elia propheta dictum intelligunt. & quod sequitur: Statim veniet ad templum suum dominator, &c. cæt. referunt ad μελλούμενον, hoc est, Christum suum, quem dicũt vltimo tempore esse venturum. Sed miror quomodò eos rerum exitus non doceat veritatem. Quod enim templum suum inueniet dominator, quod vsque ad fundamentum destructum est? aut si ab alio extruendum est, antequã Christus aduenias, quid Christus eorum ampliùs facturus est, cùm ab alio restituta sint omnia? Hæc Hieronymus. Potest verò per templum non inconuenienter accipi illud Hierosolymitanum, in quo hodierna die ab illa virgine singulari, quam sibi ex omni æternitate Christus elegit in matrem, idemipse est Deo patri ex legis præscripto oblatus, tametsi lege non teneretur: quippe legis conditor & ab omni peccato prorsùs immunis: in quo etiam anno ætatis suæ duodecimo inuentus est in medio doctorum sedens, illosque & audiens & interrogans, cunctis ad illius prudentiam & responsa stupentibus. In quo denique post annum ætatis tricesimum sæpè cõcionatus est & miracula edidit. Et huc potest accommodari illud Dauidicum: Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui: & quod ab Aggæo propheta luculẽter imprimis dictum est: Magna erit gloria domus huius nouissimæ, magis quàm primæ. Illustrauit enim illud templum posterius Christus præsentia sua, & doctrina cælesti, stupendisque operibus: sed infelicissimi Iudæi ijs omnibus nihil moti sunt, tametsi Messiam, vtpotè toties promissum expectarent. Diuus Augustinus ait his verbis Macarius. De Iachiã significare, Iudæos quidem secundùm scripturas quas legunt, Christum quærere & vel-

Malach. 3

Matth. 3.

Mar. 1.

Luc. 3.

Esa. 9. secundũ 70.

Luc. 2.

Psal. 42.

Agg. 2.

Lib. 18. de Ciuit. cap. 35.

le: sed multi eorum, inquit, quem quæsierunt & voluerunt, venisse non agnouerunt, excæcati in cordibus suis, præcedentibus meritis suis. Quòd sanè hic eum dixit angelum testamenti, nouum proculdubiò testamentum debemus accipere, vbi sempiternam: non vetus, vbi temporalia sunt promissa: quæ pro magno hic habentes plurimi infirmi, & Deo vero talium rerum mercede seruientes, quando vident impios abundare, turbantur. Hæc Augustinus: qui etiam eodem loco paulò superiùs, Nec mirándum est, inquit, quia omnipotentis Dei angelus dictus est Christus Iesus. Sicut enim seruus propter formam serui, in qua venit ad homines: sic & angelus propter euangelium, quod nuntiauit hominibus. Hæc ille. *Ecce uenit, dicit Dominus exercituum. Et quis poterit cogitare diem aduentus eius? Et quis stabit ad uidendum eum?* Hæc verba Augustinus loco memorato ad secundum Domini aduentũ vult pertinere. Possunt tamẽ etiã de eius incarnationis mysterio accipi, qd reuerà nemo pro dignitate cogitare potest. Et quanuis nato Saluatore paucis quibusdam ostensi sunt spiritus angelici, laudantes & benedicentes Deum, quod quidem ad nati pueri maiestatem pertinebat: attamen tanta fuit natiuitatis eius humilitas, vt paucissimis innotuerit eius diuinitas, nec nisi perpauci intelligerent eum Christum esse, iamque tandem aduenisse in carnem. Hieronymus hunc locum exponens, Suprà, inquit, legimus motam Domino quæstionem ab his, qui dicunt, Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, & tales ei placent: aut certè si displicent, vbi est Deus iudicij? hoc est, Vbi est iustitiæ veritas? Ad quam dissoluendam Domini sermo respõdit, Mittam angelum meum, qui præparabit viã meam: & veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis: qui iudex est veritatis, de quo dicitur in Psalmo: Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis. Non enim pater iudicat quenquam, sed iudicium omne dedit filio. Et ille est angelus testamenti, quem vos quæritis, cui mala non placent, qui personam in iudicio non accipit, qui nulla nec misericordia nec seueritate mutatur. Calix enim in manu Domini vini meri, plenus mixto: & inclinauit ex hoc in hoctid est, misericordia iustitiã temperat, & iustitia misericordiam. Iste igitur statim & velociter venietad templum suum, id est, Ecclesiam. Et quis poterit cogitare diem aduentus eius? Si cogitare præpotentia maiestatis eius nemo potest, ferre quis poterit? Et quis stabit ad videndum eum? Hoc est, quis eum poterit lippientibus & cæcutientibus oculis in sua claritate conspicere, qui est sol iustitiæ, & in cuius pennis est sanitas? Ita Hieronymus. Quidam hæc verba, *Et quis stabit ad uidendum eum?* de primo Christi aduentu exponunt. Cùm enim diuinitatis maiestatem incredibili humilitate, summa vitæ paupertate & abiectione diù mul-

Luc. 2.

Psalm. 71.

Ioan. 5.

Psal. 74.

Malach. 4

Malach. 3

Universidad de Deusto
Biblioteca

tumque occultaret, nemo ferè dignatus est
est enim vel intueri: alijs porrò etiam grauis fuit
Luc.23. ad videndum, quorum reprehendebat vitia &
improbos mores. Et Herodes ipse cùm nollet
coram eo miraculum edere, spreuit illum cum
exercitu suo, cùm eius admirãdam humilitatem
& modestiam suspicere potiùs & venerari de-
buisset. *Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi her-*
Psal. 49. *ba fullonum.* Ignis enim in conspectu eius ardebit,
ait Hieronymus, & in circuitu eius tempestas va
lida. Tunc vocabit cælum desuper & terram, vt
dijudicet populum suum: flumina ignis trabent
Heb.12. ante eum peccatores quosque voluentia. Ignis
1. Cor.3. autem dicitur Dominus, & ignis consumens, vt
ligna nostra, fœnum stipulamque comburat. Et
non solùm ignis, sed & herba fullonum. Ipse his
qui peccant grauiter, ignis conflans est atque
consumens: qui autem leuia peccata committũt,
herba fullonum, vt lotis munditiam restituat, se-
Esai. 4. cundùm illud quod scriptum est in Esaia: Lauabit Dominus sordes filiorum & filiarum Sió,
& sanguinem emundabit de medio eorum, spi-
ritu iudicij & spiritu combustionis. Qui sor-
des habent spiritu iudicij indigent, vt lauentur:
qui sanguine pleni sunt, spiritu combustionis, vt
sanguis qui in eis extrinsecùs litus est auferatur.
Et sedebit cõflans, & emundans quasi argentum: vt secun
dum Ezechiẽl, quicquid in auro nostro & argen
to, id est, sensu & eloquio, ære, stanno, ferro plũ-
boque commixtum est, in camino Domini per-
coquatur, vt purum aurum remaneat & argentũ.
Luc.12. Vnde & Dominus in Euangelio loquitur: Ignẽ
veni mittere super terram, & quid volo, nisi vt
ardeat? Hæc Hieronymus. Iam verò quòd ait,
(inquit Theodoretus, hunc prophetam expli-
cans) Sicut argentum & aurum: sic etiam per bea
1. Cor. 3. tus Paulus: Quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit: si cuius
opus manserit, quod superædificauit, merce-
dem accipiet: si cuius opus arserit, detrimentum
patietur. Existimo autem ex his prophetam
non hunc solùm significare, sed etiam spiritus
sancti expiationem. Nam in hoc mysticè adeun
Luc.3. tes conflat & renouat igne spiritus. Sic etiam Ioannes magnus inquit: Ille vos baptizabit in spiri
tu sancto & igne: atque etiam diuina gratia, tan-
quam herba quadam, peccatorum sordes eluit.
Ierem. 3. Et ad Ierusalem perbeatus Ieremias dixit: Si la-
ueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam bo
rith, maculata es iniquitate tua coram me, dicit
Dominus Deus. Ierusalem enim legalem ha
buit gratiæ herbã. Hoc autem loco propheticus
sermo nobis Dominũ tanquã quẽdam opificem
ostendit, sordes peccatorum veluti herba quã-
dam expurgantem, & ceu igne quodam animas
nostras eiusmodi veneno liberãtem. Hæc Theo-
1. Petr.4. doretus. *Et purgabit filios Leui.* Tempus est, ait Hie
Ezech.9. ronymus, vt incipiat iudicium a domo Dei, & ali
bi scribitur: A sanctis meis incipite. In filiis au-
tem Leui omnem sacerdotalem intellige digni-
tatem. Si autem sacerdotes purgandi sunt &
colandi, vt purum aurum remaneat & argentũ,
quid de cæteris est dicendum? Ita Hieronymus.
Et colabit eos quasi aurum & quasi argentum, & erunt
Domino offerentes sacrificia in iustitia. Qui cùm emun
dati fuerint & colati, inquit idem, tunc offerent
Domino iusta sacrificia, & placebit sacrificium
eorum, quod offerunt pro Iuda & Ierusalẽ, hoc
est, pro his qui Dominum confitentur, & pacem
eius mente conspiciunt. Hæc ille. *Et placebit Domi*
no sacrificium Iuda & Ierusalem, sicut dies seculi, & sicut
dies antiqui. Hoc de sacrificio corporis & sangui-
nis Christi, quod lex euangelica habet summum
atque sanctissimum, non immeritò pleriq; ex-
ponunt. Hoc enim nouimus primò Ierosoly
mæ oblatum, ac deinceps toto orbe terrarum. Id
verò multo etiam gratius est præpotenti Deo,
quàm vel legis veteris, vel dierum antiquorum,
quæ legem antecesserunt, sacrificia: de quo
præclarè dictum est ab Augustino: Vnde verus
ille mediator, inquantùm forma serui accipiens, mediator effectus est Dei & hominum,
homo CHRISTVS IESVS, cùm in forma Dei sacrificium cum patre sumat,
cum quo & vnus Deus est, tamen in forma ser-
uã sacrificium maluit esse quàm sumere: ne vel
hac occasione quisquam existimaret cuilibet sa
crificandum esse naturæ: Per hoc & sacerdos
est, ipse offerens, ipse & oblatio. Cuius rei sacra-
mentum, quotidianum esse voluit Ecclesiæ sa-
crificium: cùm ipsius corporis ipse sit caput, &
ipsius capitis ipsa sit corpus, tam ipsa per
ipsum, quàm ipse per ipsam suetus offerri. Huius veri sacrificij multiplicia variaque
signa erant sacrificia prisca sanctorum, cùm hoc
vnum per multa figuraretur, tanquàm verbis
multis res vna diceretur, vt sine fastidio multùm
commendaretur. Huic summo veroque sa-
crificio, cuncta sacrificia falsa cesserunt. Hæc Au
gustinus. Hoc igitur Ecclesiæ sacrificium non
potest non esse gratissimum Deo, cuius etiam
non obscurè meminit idem propheta Mala-
chias his verbis: Ab ortu solis vsq; ad occasum,
magnum est nomen meũ in gentibus, & in om-
ni loco sacrificatur & offertur nomini meo ob-
latio munda. Quæ verba citans Augustinus,
Hoc sacrificium, inquit, per sacerdotium Chri-
sti secundùm ordinem Melchisedech, cùm in
omni loco à solis ortu vsque ad occasum Deo
iam videamus offerri: sacrificium autem Iudæ-
rum, quibus dictum est: Non mihi voluntas
in vobis, nec accipiam de manibus vestris mu-
nus: cessasse negare non possunt, quid adhuc
expectant alium Christum, cùm hoc quod
prophetatum est legunt, & impletum vident, im
pleri non potuerit nisi per ipsum? Longè ante
Augustinum Irenæus martyr insignis scribit in
hæc verba: Sed & discipulis suis dans consilium
primitias Deo offerre ex suis creaturis, non
quasi indigenti, sed vt ipsi nec infructuosi nec in-

Legis Euã gelica sa crificium.

Malach.1.

Lib.18. de Ciuit. Dei cap.35.

Malach.1.

Li.4.c.33.

ingrati sint, eum qui ex creatura panis est accepit, & gratias egit, dicens: Hoc est meum cor-
pus. Et calicem similiter, qui est ex ea creatu-
ra, quæ est secundùm nos, suum sanguinem con
fessus est, & noui testamenti nouam docuit ob-
lationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens,
in vniuerso mundo offert Deo, ei qui alimenta
nobis præstat primitias suorum munerum in no
uo testamento, de quo in duodecim prophetis
Malach. 1 Malachias sic præsignificauit: Non est mihi vo-
luntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, &
sacrificium non accipiam de manibus vestris:
quoniam ab ortu solis vsque ad occasum nomẽ
meum glorificatur inter gentes, & in omni loco
incensum offertur nomini meo, & sacrificium
purum. Quoniam magnum est nomen meum
in gentibus, dicit Dominus omnipotens: mani-
festissimè significans per hæc, quoniam prior
quidem populus cessabit offerre Deo: omni au-
tem loco sacrificium offertur ei, & hoc purum:
nomen autem eius glorificatur in gentibus.
Hæc Irenæus sanctissimus martyr. Porrò verò
summoperè in hoc omnibus nobis incumben-
dum est, vt quemadmodùm hodiè filius Dei iu-
xta legem Deo patri voluit offerri, & eius pu-
rissima mater instar cæterarum mulierum sese
gerere, tametsi neque filius, neque mater legi
esset hac in parte obnoxia: ita nos quoque totos
nos Deo semper offeramus, & filij & matris
summam erga Deum obedientiam & incom-
parabilem humilitatem pro modulo virium no
strarum imitemur, præstante eodem Domino
nostro IESV CHRISTO, qui
cum patre & spiritu sancto viuit & regnat per in-
finita secula, AMEN.

IN EODEM FESTO.
Luc. II.

In illo tempore: Postquàm impleti sunt dies purga-
tionis Mariæ secundùm legem Moysi, tulerunt Iesum in
Hierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est
in lege Domini. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ
presbyteri.

SOLENNITATEM nobis hodiernæ celebritatis, quam quadragesimo dominicæ natiuitatis die debitis veneramur officijs, maximè eiusdem Domini saluatoris nostri, simul & intemeratæ virginis genitricis eius humilitate dedicatam, sacra euangelij lectio de-
signat, exponens eos, qui legi nihil debebant, implendis se legalibus per omnia subdidisse decretis. Sicut enim modò cùm legeretur audiuimus, *Postquàm impleti sunt dies purgationis*
eius, (videlicet matris illius) secundùm legem Moysi, tule- Leuit. 12.
runt illum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut
scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum ada- Exod. 13.
periens vuluam, sanctum Domino vocabitur. Præcepit Num. 8.
nanque lex, vt mulier quæ suscepto semine pe- Leuit. 12.
perisset filium, immunda esset septem diebus, &
in die octaua circumcideret infantulum, no-
menque aptaret: deinde etiam alios triginta-
tres dies ab ingressu templi ac viri thoro absti-
neret, donec quadragesimo natiuitatis die filiũ
cum hostijs ad templum Domini deferret. Pri-
mogenitum autem omne masculini sexus, san-
ctum Domino vocari, atque ideò munda quæ-
que offerri Deo: immunda autem mundis mu-
tari, vel occidi, & hominis primogenitum quin-
que siclis argenti debere redimi. Si autem
fœminam peperisset mulier, immunda fieri iussa
est quatuordecim diebus, & sexaginta ex alijs
diebus à templi ingressu suspendi, donec octo-
gesimo natiuitatis die, quæ dies purgationis
eius vocabatur, illò se suamque sobolem hostijs
sanctificatura veniret, ac sic demum ad thorum
viri libera redire deberet. Intueamur, fratres cha
rissimi, diligentiùs verba legis quæ proposuimus, & videbimus apertissimè, quàm beatissi-
ma Dei genitrix & perpetua virgo Maria simul
cum filio quem genuit, ab omni fuerit legis
subiectione liberrima. Cùm enim dicat lex,
mulierem quæ suscepto semine peperisset, im-
mundam decerni, & per longa tempora simul
cum prole quam genuisset, oblatis victimis debe
re mundari: pater profectò, quia illam, quæ sine
virilis susceptione seminis virgo peperit, vnà cũ
filio qui natus est ei, neque immundam descri-
bat, neque per hostias salutares doceat esse mun
dandam. Sed sicut Dominus ac saluator no-
ster, qui diuinitate legem dedit, apparens in ho-
mine fieri voluit sub lege, vt eos qui sub lege e- Gal. 4.
rant, redimeret, vt adoptionem filiorum recipe-
remus: ita etiam beata ipsius genitrix, quæ sin-
gulari priuilegio supra legem fuit, pro ostenden
do tamen humilitatis exemplo, legalibus subdi
non refugit institutis, iuxta illud viri sapientis:
Quanto magnus es, humilia te in omnibus. *Et ut* Eccles. 3.
dixerunt (inquit) hostiam, secundùm quod dictum est in lege Leuit. 12.
Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Ho-
stia hæc pauperum erat. Præcepit enim Domi-
nus in lege, vt qui possent, agnum pro filio vel fi
lia, simul & turturem siue columbam offerrent:
qui verò non sufficeret ad offerendum agnum,
duos iam turtures vel duos columbæ pullos of-
ferret. Ergo Dominus nostræ per omnia
memor salutis, non solùm homo fieri cùm esset
Deus, sed etiam cùm dives esset, pauper fieri dig 2. Cor. 8.
natus est pro nobis, vt nos sua paupertate simul
& humanitate diuitiarum & diuinitatis suæ do-
naret esse participes. Sed libet paulisper intueri,
cur hæ maximè volucres in hostiam Domini iu-
bentur

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gen. 15. bentur offerri. Nam & Abraham patriarcha tanto ante legem tempore has in holocaustum Domini legitur obtulisse, & in plerisque legis cæremonijs, qui mundandus esset, per has iubebatur mundari. Columba ergo simplicitatem,
Columba. turtur indicat castitatem: quia & columba sim-
Turtur. plicitatis, & castitatis amator est turtur, ita vt si coniugem casu perdiderit, non alium quærere curet. Vnde & in laudibus Ecclesiæ loquitur
Cant. 1. Dominus: Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis. Et iterùm: Ecce tu pulchera es amica mea, ecce tu pulchra, oculi tu columbarum. Genas quippe vt turturis habet, quæ ab omni impudicitiæ peste castam se custodit & immunem. Oculos habet columbarum, quæ nulli nocere desiderans, etiam inimicos simplici amore contuetur. Sed vtraque auis memorata, quia gemitum pro cantu edere solet, sanctorum in hoc seculo designat
Ioan. 16. ploratum, de quo Dominus memorat, dicens: Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini: sed tristitia vestra vertetur in gau-
Matth. 5. dium. Et rursùm: Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur. Meritò ergo turtur & columba Domino offeruntur in hostiam, quia nimirùm simplex & pudica fidelium conuersatio, gratum est sacrificium illi iustitiæ: quia qui labo-
Psal. 6. rat in gemitu suo, qui lachrymis stratum suum per singulas noctes abluit, acceptissimam prorsùs Deo victimam mactat. Cùm ergo vtraque auis ista propter consuetudinem gemendi, præsentes sanctorum luctus & superna desideria designet, in hoc tamen differunt, quòd turtur solitarius, columba autem gregatim gemere consueuit: & ob id iste secretas orationum lachrymas, illa publicos Ecclesiæ conuentus insinuat. Benè autem puer Iesus primò circunciditur, ac sic interpositis diebus Hierosolymam cum hostia defertur: quia & ipse iam iuuenis, priùs omnem corruptionem moriendo ac resurgendo calcauit, ac deinde interpositis diebus cum ipsa carne iam immortali, quam pro nostra salute hostiam Deo fecerat, ad gaudia supernæ ciuitatis ascendit. Et vnusquisque nostrum priùs aqua baptismi à peccatis omnibus quasi vera circunci sione purgatur, ac sic proficiente gratia noux lucis, ad altare sanctum salutari hostia dominici corporis & sanguinis consecrandus ingreditur. Nam & ipsa singulariter simplex & casta nostri saluatoris humanitas, quæ oblata est patri pro nobis, nõ incongruè per immolationẽ colũbæ siue turturis potest figuraliter exprimi. Sed & omnis in fine mundi Ecclesia, primò communi resurrectione cunctam terrenæ labem mortalitatis & corruptionis exuet, ac deinceps in regnum cælestis Hierusalem, bonorum victimis operum Domino commendata, transferetur.

Quòd autem Simeon & Anna, prouectæ videlicet ætatis vir & fœmina deuotis confessionum officijs Dominum, quem corpore paruum vidi-

cruce, impij lætitia stulta, pij tristitia iusta replebantur: sed resurgente à mortuis, & ascendente in cælum, horum lætitia mœrore, illorum mœstitia est gaudio mutata perenni. Sicque iuxta prophetiam B. Simeonis apparente in carne Domino, reuelatæ sunt ex multis cordibus cogitationes. Non hæc autem disparium reuelatio cogitationum tunc solùm acta in Iudæa, sed nunc etiam apud nos credenda est actitari. Et nunc enim Domino apparente, reuelantur ex multis cordibus cogitationes, cum lecto vel prædicato verbo salutis, alij audientium libenter auscultant, gaudentes perficere actu, quæ auditu didicerint: alij fastidientes quæ audiunt, non hæc agendo patrare, sed his potiùs insultando nituntur contraire. Vnde oportet, fratres, vt quoties verbum doctrinæ cælestis aliquid contrarium à duris auditoribus pati sentimus, imitemur tristitiam cordis eorum, qui passum in carne Dei verbum, digno dolore compassionis tenebant. Quoties verò idem verbum in auditorum fidelium mente per dilectionem resurgere, atq; ad gloriam conditoris nostri per bona opera proficere videmus, gaudeamus cum eis, qui Christum resurrexisse à mortuis, atque ad cælos ascẽdere votis aspexere felicibus. Sanè quoniam castas, simplices & gemibundas aues Domino offerri consueuisse cognouimus, quibus nostra sobrietas, simplicitas, & compunctio cordis authori nostro semper offerenda signatur: oportet intueri diligentiùs, quia non frustrà duo turtures aut duo pulli columbæ, & vnus ex his pro peccato, alter in holocaustum offerri debere præcipi-
Duo genera compunctionis. tur. Duo nanque sunt genera compunctionis, quibus semetipsos Domino fideles in ara cordis immolant: quia nimirùm, sicut ex patrum dictis accepimus, Deum situens anima, priùs timore compungitur, posteà amore. Priùs enim sese in lachrymis afficit: quia dum malorum suorum recolit, pro his perpeti supplicia æterna pertimescit, quòd est vnum turturem siue pullum columbæ pro peccato offerre. At dum longa mœroris anxietate fuerit formido consumpta, quædã iam de præsumptione veniæ securitas nascitur, & in amorem cælestium gaudiorum animus inflammatur: & qui priùs flebat, ne duceretur ad supplicium, postmodùm flere amarissimè incipit, quia differtur à regno: quod est de altero turture siue pullo columbino holocaustũ facere. Holocaustum nanq; totum incensum dicitur, & holocaustum se ipse Domino facit, qui spretis omnibus terrenis, solo supernæ beatitudinis desiderio æstuare, solam hanc per luctum ac lachrymas quærere dulce habet. Contemplatur etenim mens, qui sunt illi angelorum chori, quæ ipsa societas beatorum spirituum, quæ maiestas æternæ visionis Dei: & ampliùs plangit, quia à bonis perennibus deest, quàm flebat priùs, cùm mala æterna metuebat. Vtranque autem nostræ compunctionis hostiam gratanter accipere dignetur, qui & pro peccato lugentibus atque afflictis clementer errata dimittit, & pro ingressu vitæ cælestis tota mentis intentione feruentes, æternæ suæ visionis luce reficit, IESVS CHRISTVS Dominus noster, qui viuit & regnat cum patre in vnitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, AMEN.

IN PVRIFICATIONE SANCTAE MARIAE, SERmo Ambrosij Ansberti vel Audberti, presbyteri ordinis sancti Benedicti.

SI SVBTILITER A FIdelibus, quæ sit huius diei festiuitas perpendatur, eo deuotionis affectu hanc celebrandam suscipient, quo dominicæ Natiuitatis, Circuncisionis atque Apparitionis solennia sunt prosecuti. Illius est ista solennitas, cuius & illa: sed nec minor ista quàm illa. Quod vtique in hoc sermone apertis monstrabimus documentis. Huius quippe diei solennitas sicut à quibusdam Chri-
† non ig. stianis † ignoratur, sic à multis præ cæteris anni solennitatibus honoratior habetur: maximè autem eo loco, quo primatum Ecclesia catholica in primo pastore sortita est. In tãta enim reuerẽtia
Celebritas festi Purificationis. ab illis habetur, vt ea die cuncta ciuitatis turba in vnum collecta, immensis cereorum luminibus coruscans, missarum solennia deuotissimè concelebrent: nullusque aditum publicæ stationis intret, qui lumen manu non tenuerit: tanquã scilicet Dominum in templo oblaturi, immò etiam suscepturi fidei lumen, quo interiùs fulgent, exteriùs oblationis suæ religione demonstrent. Hodiè nanque iuxta legem atque euangelium peractis à natiuitate Christi quadraginta diebus, in templo est à parentibus idem Dominus præsentatus. Hodiè à sancto Simeone susceptus, patriq; cum sacris muneribus oblatus. Hodiè redemptionem Israël expectantibus, ab eodem Simeone & Anna publicè prædicatus. O quàm pium spectaculum, quo non nisi pij delectari probantur. Stat hinc virgo & mater, non cuiuscunque, sed Dei. Suscipitur hinc paruulus virginis filius, cuius diuinitatem non capit mundus. Occurrunt hinc inde prophetæ, atque vterque sexus de puero propheratur: offertur oblatio pro puero, non tamen quæ delicta emundet, sed quæ sacramenta declaret. Et quia hu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ius dicipræconium attollere cupio, libet ipſam euangelicam lectionem colloquendo tranſcurrere, in qua iſta narrari agnoſco: quatenùs ad ea quæ dico, illa reſpondeat: immò ad ea quæ illa narrat, vox exhortationis meæ reſpondeat. Denique Lucas euangeliſta veritatis hiſtoriam de Chriſti incarnatione pleniùs atque ordinatiùs cæteris euangeliſtis exequens, poſt annunciationem eius ab angelo factam, poſt natiuitatem angelorum vocibus declaratam, poſt circũ ciſinem octaui diei in domo parentum, hæc in ordine ſequitur, dicens: *Poſtquàm impleti ſunt dies purgationis matris eius, ſecundùm legem Moyſi, tulerunt illum in Hieruſalem, ut ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini: Quia omne maſculinum adaperiens uuluam, ſanctum Domino uocabitur.* Cunctis fidelibus liquet, nequaquàm redemptoris matrem ex eius natiuitate maſculam contraxiſſe, qua illorum dierum ſpatio à ſacris ædibus abſtinens purgaretur, quæ ſine humana concupiſcentia, ſine humano concubitu virgo concepit, ſine aliqua carnis corruptione virgo peperit, & ſine fine virgo permanſit. Ac per hoc nec maſculus ex ea natus, vuluam eius aperuit, ſed hoc iuxta legis narrationem Euangeliſta contegens, claudit impijs ſacramentum diuinæ incarnationis, matremque legem obſeruantem introducit. Sed nec mirũ, ſi mater obſeruaret legem, quam eius filius non venerat ſoluere, ſed adimplere. Sciebat enim quo ordine conceperat, quo vſu pepererat, & quis eſſet quem genuerat. Sed legem communem obſeruans, expectauit purgationis diem, celauit filij maieſtatem. Hinc eſt quòd eum in templo duodecim annorum inter doctores legis inueniens, filium Ioſeph vocat, dicens: Fili, quid feciſti nobis ſic? ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Quem proculdubiò ſciebat ſe ſine concubitu Ioſeph concepiſſe, ſine corruptione virginali edidiſſe. Sed cur abſcondit conceptionis ac natiuitatis illius ſacramentum, quem nouit Deum immenſum? Nunquid nam quia inuidet alijs, quem ad templum deferens, ſancti ſenis tradidit manibus? Abſit. Sed vt ſpiritu prophetiæ repleta, redemptionem mundi impijs non aperiat. Sciebat enim iam tunc gratia plena, ſpiritu diuinitatis afflata, quia ſi hunc huius ſeculi principes cognouiſſent, nunquàm pro ſalute noſtra crucifixiſſent. Offer ergo beatiſſima virgo, tanquàm legem obſeruans, in templo quem edidiſti, vt non omnibus, ſed paucis reuelatur, quis eſt quem genuiſti. Appareat interim lapis humilis abſciſſus de monte ſine manibus, vt reprobetur ab ædificantibus, vſquequò ſtatuam in pedibus percutiens, creſcat in montem magnam, impleatque vniuerſum orbem terrarum. O quàm paruus, ó quàm magnus eſt quem peperiſti: paruus in humanitate, magnus in diuinitate. Paruus in regno Iudæorum, magnus in regno gentium. Sed non ab omnibus in regno Iudæorum paruus æſtimatus. Nam & ipſa quæ hunc genuiſti, ex ipſo populo Iſraël in virgam creuiſti. Virga enim de radice Ieſſe ſurrexiſti, & floruiſti. Virga Aaron frondiuiſti, & nucem peperiſti. Et quia præ omnibus immenſitatem eius agnouiſti, quem tam paruiſſimum ex te natum vidiſti: proculdubiò quem infantem genuiſti, Deum omnipotentem tremens adoraſti, adorans tremuiſti: quem tamen, quia ſecundùm humanitatem filium recognouiſti, lactaſti, fouiſti, aluiſti. Quiſputas nobis poſſet indicare, inter huiuſcemodi obſequia, animi tui ſenſum ô beatiſſima virgo, cùm hinc cerneres ex te natum tantillum infantem, illinc attenderes Deũ immenſum: hinc creatum, illinc creatorem: hinc infirmum, illinc fortiſſimum: hinc alendum, illinc alentem: hinc non loquentem, illinc angelos docentem? Quis, inquam, tui pectoris arcana nobis referre valeat, quibus modis cogitatum ad vtraque flectebas, cùm vnum eundéq; Dei atque hominis filium manibus tenens, hinc adorares vt Dominum, illinc oſculareris vt paruulum? Quis ad tam ineffabile miraculum non obſtupeſcat? Quis non penè elinguis fiat? Generat puella ſuum & omnium creatorem: nutrit ſuum & omnium nutritorem: portat ad templum ſuum & omnium creatorem. O admirandum ſpectaculum, ad quod non ſolùm humana, verum etiam angelica ſtupeſcit natura. Ad hoc, fratres chariſsimi, fidei oculos erigite, ad hoc pietatis affectu conuenite. Ibi Chriſtum ſuſcipite pro vobis in carne humiliatum, ſed adorate in ſua diuinitate Deum excelſum. Amplectimini paruulum, ſed cogitate immenſum. Amate humiliatum, ſed timete excelſum. Iamverò dilectiſſimi ſi quæritur, quid myſticè ſignificatum fuerit in eo, quòd redemptor noſter à matre & parentibus ex propria ciuitate in Hieruſalem ad templum Domini ſe portari voluit: inuenimus ipſam glorioſam matrem & virginem, eiusq; propinquos, figuram geſsiſſe illius Eccleſiæ, quæ ex Iudæa in apoſtolis credidit. Quando enim Eccleſia

Virgo perpetuaſub dit ſe legi purificationis.

Matth. 5.

Luc. 2.

1. Cor. 2.

Dan. 2.

Eſai. 11.

Num. 17.

2. Cor. 11. ſia non virgo, cuius membra Apoſtolus affatur, dicens: Deſpondi vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto? Quãdo ipſa nõ mater, de qua

Pſalm. 86 Matth. 12 per Pſalmiſtam dicitur: Mater Sion, dicet homo: & Dominus in euangelio: Quicunq; fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater, ſoror & mater eſt? Quando electi non propinqui, qui fratres & ſorores ſunt appellati? Mater itaq; ac propinqui, redemptorẽ noſtrũ à †Nazareth in Hieruſalem ad templum Domini deſe-

† forte, Bethlehẽ. runt, quia primitiua illa in primis diſcipulis Eccleſia à Iudæis repulſa, eiuſdem redemptoris diſpenſationem ad notitiam gentium perduxit. Ipſa enim Eccleſia non ſolùm ex gentibus, verùm etiam ex Iudæis, Hieruſalem (id eſt, viſio pacis) rectè vocatur, de qua per Pſalmiſtam dicitur:

Pſalm. 121 Hieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipſum. Ipſa & templum, ſicut

1. Cor. 3. per Paulum fidelibus dicitur: Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Ac per hoc cùm apoſtoli ex Iudæa Chriſtum annuntiantes, veniunt ad gentes, nimirùm & Hieruſalem ad Hieruſalem conuenit, & templum ad templum occurrit, cùm hi omnes vna ſint Hieruſalem ciuitas, vnum & templum. In hac itaq; ciuitate atq; in hoc templo ab apoſtolis oblatus Chriſtus excipitur. Vnde & ipſa Eccleſia Pſalmiſtæ voce Deo patri loquitur, dicens: Suſcepimus Deus miſericordiam

Pſalm. 47 tuam, in medio templi tui: Subaudis, In medio Eccleſiæ, quæ eſt templum tuum. Siue autem iuxta hiſtoriam, ſiue iuxta myſticum intellectum, cur Chriſtus à parentibus ad ſanctam ciuitatem & templũ ducatur: cauſa manifeſtatur cùm ſubiungitur: *Vt darent hoſtias, ſecundùm quod dictum eſt in*

Leu. 12. *lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Præceptum ſiquidem legis fuerat, vt ſi cui fortè agnus defuiſſet, & vnum horum. i. aut par turturum, aut duos pullos columbarum inueniſſet, Deo in oblationem filij offerret. Nec prǫiudicaretur ex altero, qui vnũquodlibet horũ obtuliſſet. Sed quia vterq; Chriſti Eccleſiæq; ſacramẽta ſignificat, credendum eſt vtrunq; ad ſacrificium matrẽ inueniſſe atq; obtuliſſe. Deniq; in hac oblatione aulũ, illa præfigurabatur oblatio, quæ pro ſalute mundi oblata eſt veſpera diei, Domini videlicet paſsio, per quam ſumus Deo reconciliati. De hac quippe hoſtia per Paulum fidelibus di-

Epheſ. 5. citur: Ambulante in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo, in odorem ſuauitatis.

Gal. 2. Et rurſum: Qui dilexit me, inquit, & tradidit ſemetipſum pro me. Quia verò omnes electi membra ſunt Chriſti, in turture ſcilicet turtures, atq; in columba columbæ: deſignat etiam hæc auium oblatio mortificationem electorum, quibus per eundem Apoſtolum dicitur: Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra, hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem. Sed nulla eſſe poteſt accepta Deo mortificatiõis oblatio, in quibus non fuerit veræ fidei caſtitas, veræ charitatis concordia. Proinde non ſine cauſa ſacrificium, quod pro Domino myſticè oblatum perhibetur, ex turturibus & columbis fuiſſe narratur. In turture enim caſtitas inuenitur, & in columba charitas commendatur. Turtur nanque intemeratam ſeruat vni viro fidem: columba verò aliarum cohabitantium non deſerit vnitatem. Catholicus igitur Chriſtianus tunc verè ſpiritualis turtur efficitur, ſi veram Trinitatis fidem firma credulitate conſeruet, & hæreticæ prauitatis ſenſum, tanquam fornicationis inquinamenta repudiet. Tunc verè erit columba, ſi longanimiter vſque ad finem in catholica ſocietate permaneat, & contra tentationum ſcandala immobili firmitate perſiſtat: vt nec hæretica fornicatio corrumpat in corde fidei caſtitatem, nec amara diſſenſio eccleſiaſticæ charitatis diſſipet vnitatem. Hæc eſt enim Eccleſia catholica, quæ fidem vni Domino tanquã legitimo viro conſeruat, & congregationem multorum in fide multiplicat. Sequitur: *Et ecce homo erat in Ieruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte iuſtus & timoratus, expectans conſolationem Iſraël: & ſpiritus ſanctus erat in eo. Et reſponſum acceperat à ſpiritu ſancto, non uiſurum ſe mortem, niſi priùs uideret Chriſtum Domini. & uenit in ſpiritu in templum.* Nihil minus de ſanctitate iſti ſpecialiter homini adſcribitur, qui & in Hieruſalem, id eſt, in viſione pacis commoratur, & fidei operatione iuſtus, & reuerentia timoratus, & Iſraëlis conſolatione attonitus, & ſpiritu-ſancto repletus, eiusq; reſponſione de incarnati verbi viſione roboratus fuiſſe perhibetur. O quàm ardenti deſiderio homo iſte expectabat, ſecundùm ſpiritum ſancti promiſsionem, videre in carne redemptorem. Quæ putamus fuerit inſtantia orationis eius, qua diuino reſponſo meruit firmari de his quæ petebat? Quæ erant eius gemituum continuata verba in ſancta deprecatione? Non enim in petendo ceſſauit, vſquequò reſponſum acciperet ſuper his quæ poſcebat. Fuerunt ſiquidem in retroactis temporibus multi ſimili ſi deſiderio accenſi, Domino aſtante, qui ad diſcipulos ait: Multi reges & prophetæ voluerunt videre quæ videris, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Sed ex illis hoc iſti ſoli conceſſum eſt, qui in plenitudine temporis, horum vl-

Luc. 10.

Chriſtianus turtur

Columba.

Simeonis laus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

timus apparuit. Sed si vigilanti studio subsequẽ-
Philip. 1. tium sanctorum attendimus desiderium, quibus Christus viuere est, & mori lucrum, inuenimus eos non minoris anxietatis ardore diuinitatem eiusdem saluatoris intueri velle, quàm ille concupiuit inspicere carnem. Hinc Paulus dicit: Cupio dissolui & esse cum Christo : multo autem
ibidem. melius. Hinc Psalmista ex persona Ecclesiæ dicit: Sitiuit anima mea ad Deum viuum, quando
Psal. 41. veniam & parebo ante faciem Dei ? Quis ergo iam hinc non videat, in vno Simeone multos, per vnum cunctos significari electos, qui nunc iusti ex fide atq; operatione, & timorati ex futura expectatione, & attoniti inueniuntur ex ventura consolatione? In quibus etiam spiritussanctus inesse cognoscitur, quia & per Apostolum dicitur:
Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritumsanctum, qui datus est nobis. Et rursùm
1. Cori. 6. fidelibus dicit: Corpora vestra templum sunt spiritussancti, quem habetis ex Deo. Quicq; responsum accipiũt à spiritusancto, non visuros se mortem: nisi priùs videant Christum Domini: quia in hac adhuc corruptibili vita eiusdem spiritussancti gratia reuelante, apertis fidei oculis eum,
Matt. 28. qui se cum illis vsque in finem seculi mansurum esse repromisit, aspiciunt, non iam carne paruulum, sed diuinitate immensum. Qui etiam cum
2. Cor. 5. Apostolo dicunt: Et si noueramus Christum secundùm carnem, sed iam nunc non nouimus.

Habitant eriam isti in Hierusalem, atq; in spiritu
Ierusalem qui sint. in templum, quò Christus introducitur, veniunt. Ipsi enim sunt Hierusalem, qui habitant in Hierusalem : ipsi & templum qui veniunt in templum, in quibus & à quibus Christus excipitur. Breuiter fratres ista percurrimus, ne dum quæ sint huius diei sacramenta, quodq; sanctũ piumque præconium, indicare studemus, cuilibet in fastidium veniamus. Sequitur: *Et cùm inducerent puerum Iesum parentes eius, ut facerent secundùm cõsuetudinem legis pro eo, & ipse accepit eum in ulnas suas, & benedixit Deum & dixit : Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundùm uerbum tum in pace: quia uiderunt oculi mei salutare tuum.* Hinc vnius, hinc multorum, immò etiam omnium adimpletur expectatio iustorum. Sed dicamus priùs de vno, & sic loquamur de omnibus. Cupimus enim ad hoc studium nostrum inflectere, vt quòd de vno dicitur, de omnibus veraciter sentiatur. Et ecce dum specialiVirginis Mariæ prudentia ter de vno venerabili sene cupimus loqui, occurrit prædicanda virginis prudentia, non humana industria sulta, sed spiritu diuinitatis afflata: quæ filium oblatura veniens, suæq; naturæ humilitatem seruans, prophetæ tradidit manibus offerendum. Non ignara vtiq; quis esset, cuius manibus Deum hominemq; tradebat sacrificio dedicatum. Offert autem Dominum prophetarum ꝓphetæ, offert vnicum vni, immò omnibus in vno, quæ omnibus eundem peperit saluatorem. Non enim desinit nũcusq; offerre quem genuit, cùm suis sanctis interuentionibus eundem redemptorem electis vniri facit. Et vt verũ fatear, materno affectu idipsum pijssima facit. Omnes enim filios deputat, quos diuina gratia Christo consociat. Quando non ipsa mater electorum, quæ fratrem genuit eorum? Si, inquam, Christus credentium frater, cur non ipsa, quæ Christum genuit, sit credentium mater? Quamobrem obsecro, mi beatissima virgo, offer nobis Christum pijs suffragijs, quæ nescis inuidere filijs. Sed nec attendas filiorum iniurias, à quibus non vt dignum est honoraris. Tolerat enim pia mater irreuerentiam filiorum, quia amore vincitur generationis. Foue ergo, etsi tantis meritis indignos, pijs orationibus, quos in vno genuisti. Deprecare vnicum filium, pro excessibus multorum filiorum. Sed iam, fratres charissimi, Christum in vlnas suas suscipiens, quid vnus specialiter Simeon dicat, audiamus. Ait enim: *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundùm uerbum tuum in pace: quia uiderunt oculi mei salutare tuum.* Ac si diceret: Longa me expectatione fatigasti, diù retinuisti: sed tandẽ vi so quẽ expectaui, iã de humanæ vitæ scandalis in pace dimittis. Dimittis in pace, quia secundùm promissionem tuam per incarnati verbi mysterium solutis inimicitijs, tibi merui reconciliari. Dimittis in pace, quia video pacem. Ipse est enim pax nostra, qui facit vtraq; vnum. Hoc deniq; & omnes electi dicunt, qui Christum in vlnas susciEphes. 2. piunt, qui fidei oculis salutare Dei conspiciunt. Quid enim est Christum in vlnas suscipere, nisi pijs hunc operibus in membris suis amplecti? Christum accipere in ulnas. Per vlnas enim, id est, brachia, virtus operationis exprimitur. Cùm enim in alio esurientem Christum satiant, in alio sitientem potant, in alio hospitem suscipiunt, in alio nudum operiunt, in alio infirmum vel in carcere positum visitant, his proculdubiò, deuotis † actionibus tanquam brachijs, quotidiè eundemipsum puerum amplectuntur. Et quia hæc agentes, illum se in his susciMatth. 25 pere plena fide cognoscunt, illum se in his videre non dubitant, qui dixit: Quandiù feciſtis vni de his minimis meis, mihi feciſtis : atq; eisdem operibus vt ad pacem Dei redeant, à peccati scandalo absolui se credunt, rectè idem Simeon exclamauit, dicens: *Nunc dimittis seruum tuum Domine secundùm uerbum tuum in pace: quia uiderunt oculi mei salutare tuum.* Ac si electi dicant: Ideò nos à peccati scandalo secundùm promissionem tuam absoluens, iam in pace reconciliatos, passibus amoris propinquare cælestibus facis, quia fidei oculis salutare tuum, id est, Dominum Iesum Christum in membris eius intueri, eumq; pijs † operationibus amplecti meruimus. De quo adhuc, siue ille, siue isti, Deo patri dicunt: *Quod parasti ante faciem omnium populorum.* Nisi à toto pars intelligenda sit populorum, quæ saluatorem in carne viderit, iuxta literam ratio non stabit: quia eum nec carnis, nec fidei ocu-

† actionibus

† operibus

oculis omnes populi conspexerunt. Ante faciem ergo omnium populorum hoc salutare dicitur præparatum, quia ex omnib. populis in eum crediderunt, qui eum credentes fidei oculis aspexeIoan. 20. runt. Nam quod Dominus Thomæ dicit, Quia vidisti me, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt: hoc de visione corporali locutus est. de quo & subditur: *Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël.* Hoc ita q; lumine de tenebris reuelatæ, hoc inuẽtæ, hoc illustratæ sunt
Esai. 9. gentes, sicut scriptum est: Gentium populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. De hoc lumine Ioannes euangelista testatur,
Ioan. 1. dicens: Erat lumen verum, quod illuminat oẽm hominem venientem in hunc mundum. De hoc
1. Ioan. 1. in epistola sua dicit: Deus lux est & tenebrę in eo non sunt vllæ. De hoc lumine idem in euangelio
Ioan. 3. ait: Lumen venit in mũdum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucẽ. Et iterùm: Quan-
Ioan. 9. diù sum in mundo, lux sum mundi. Quod cùm sit etiam gloria gentium in eo, ad gloriã Israëlis dicitur præparatum. Quia siue in patriarchis, ꝓphetis atq; apostolis, immò etiã in ipso omnium capite Christo, siue in eloquijs Dei, ampliùs gẽs
† gẽtilitas. illa quàm † gentes gloriosa monstratur, Apostolo attestante, qui ait: Quid ergo amplius Iudæo?
Rom. 3. aut quæ vtilitas circunci sionis? Multum per oẽm modum. Primum quidem, quia credita sunt illis
Rom. 9. eloquia Dei. Et rursùm: Quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa: quorũ patres, & ex quibus Christus secundùm carnem, qui est benedictus Deus in secula, Amen. Sequitur : *Et erat Ioseph & Maria mater eius mirantes super his, quæ dicebantur de illo.* Quibus mirantibus etiam nos ipsi miramur, cur ipsi sint super his, quæ de illo à ꝓphe-
Matth. 2. ta sancto dicebantur, mirati. Nunquid enim Ioseph iam in somnis ab angelo non audierat, Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam cõiugem tuam. Quod enim in ea natum est, de spiritusancto est. Pariet aũt filium, & vocabis nomẽ eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum? Nunquid & ipsa sacratissima virgo, quæ salua virginitate filium se genuisse sciebat, priùs quàm pareret, ab angelo non au-
Luc. 1. dierat, Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres: spũssanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei? Quid ergo admirantur super his, quæ de illo narrantur, nisi quia cæteris mirantibus, vt sacramentum impijs occultent, quid sibi velint talia, quæ de tantillo infantulo ab homine sene dicuntur, & ipsi mirantur? Sed audiant adhuc de illo potiora, audiant adhuc de illo maiora. Deniq; sequitur: *Et benedixit illi Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionẽ multorum in Israel, & in signum cui contradicetur.* In vna redemptoris nostri Dei hominisq; persona, perfectam Dei, perfectamq; hominis inesse con- *Gemina in*
fitemur naturam : & ex vna quidem Dominum, *Christo na-*
ex altera seruum : ex vna fortem, ex altera infir- *tura.*
mum: ex vna magnum, ex altera paruum : ex vna creantem, ex altera creatum : ex vna pascentem, ex altera esurientem: ex vna recreantem, ex altera sitientem: ex vna miraculis coruscantem, ex altera iniurijs succumbentem : ex vna viuificantem, ex altera morientem : ex vna suscitantem, ex altera hunc prædicamus suscitatum. Et cùm aliud sit in eo Dominus, aliud seruus: aliud fortis, aliud infirmus : aliud magnus, aliud paruus: aliud creans, aliud creatus: aliud pascens, aliud esuriens: aliud recreans, aliud sitiens: aliud miraculis coruscans, aliud iniurijs succumbens: aliud viuificans, aliud moriẽs : aliud resuscitans, aliud resuscitatus: Non tamen alius Dominus, alius seruus: alius fortis, alius infirmus: alius magnus, alius paruus, alius creans, alius creatus: alius pascens, alius esuriens: alius recreans, alius sitiens: alius miraculis coruscans, alius iniurijs succumbens: alius viuificans, alius moriens: alius resuscitans, alius resuscitatus: sed vnus idemq; Dei atq; hominis filius : ex vno (vt dictum est) Dominus: ex altero seruꝰ: ex vno fortis, ex altero infirmus: ex vno magnus, ex altero paruus: ex vno creans, ex altero creatus: ex vno pascens, ex altero esuriens : ex vno recreans, ex altero sitiens : ex vno miraculis coruscans, ex altero iniurijs succumbens : ex vno viuificans, ex altero morieꝰ : ex vno resuscitans, ex altero intelligitur resuscitatus : Quicq; ante oculos mortalium positus, ex vno venerabatur vt Deus, ex altero despiciebatur vt homo. Deniq; *Vnde di-*
cùm hũc Iudæorum populus cerneret de quinq; *uersæ de*
panibus tot millia hominum pascentem, infir- *Christo tu-*
mos curantem, leprosos mundantem, ac mortu- *dæorum o-*
os suscitantem, Deum esse arbitrabatur. Rursùm *piniones.*
cum eundem aspiceret esurientem, sitientem, lassescentem, dormientem, atq; iniurijs succumbẽtem, purum esse hominem suspicabatur. Et hæc quidem apud incertas turbas, sed non apud discipulos. Neq; enim ita in cordibus eorum variabatur, qui illius assiduis priuatisq; eloquijs fruebantur, quibus & ab ipso dicitur: Vobis datum *Matt. 13.*
est nosse mysterium regni Dei : cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. At vbi ventum est ad passionem mortis, perijt fides, ablata est omniũ spes. Deniq; vt Euangelista testatur, omnes eo relicto fuge- *Matt. 26.*
rũt. Ex quibus dum vnus vinctum à longè sequitur, ad atriũ perueniens, eundem se cognouisse denegat. Et quis in mortis passione, illo ruente, non rueret, cùm eũ præcipuus eius amator, eũ auidus eius imitator, vnius ancillæ voce territus, nõ semel, sed ter abnegauerit ? Sed illo in carne à mortuis resurgẽte, resurrexerũt in aĩa discipuli. Vtrunq; autem ante passionẽ eius, eadẽ qua tradebatur nocte, in discipulis somno perfidiæ lapsis, ac suscitatione eiusdẽ redemptoris designatum

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum est. Mors ergo eius, facta est ruina multorum, resurrectio verò, vita multorum. Dicatur itaque: *Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israël.* Ac si diceretur: Eo moriente, multi existantibus ruent: eo resurgente, multi ex lapsis resurgent. Quia verò illo quidem moriente multi ruerunt, illo resurgente multi surrexerunt, sed in eum qui ex mortuis resurrexit, non omnes crediderunt, rectè subiungitur: *Et in signum, cui contradicetur.* Quod enim signamus, ab aliorum notitia abscondimus. Quid autem ante infidelium oculos aliud fuit caro redemptoris, quàm quoddam diuinitatis eius sigillum absconsionis? In signum itaq; redemptor noster positus fuit: sed cui, nisi illi cui contradictum fuit? Quæ causa cõtra dixit? Quid contradixit? cui contradixit? Vt autem tanquàm interroganti cuilibet breuiter respondeam. Quę causa contradixit, nisi mors carnis? Quid contradixit, nisi non esse Deum, qui mori potuit ab hominibus vt homo? Cui contradixit, nisi omni incredulo? Quæ videlicet & contradictio quibusdam in scandalum, quibusdam versa est in stultitiam, Apostolo attestante, qui ait: Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Sequitur itaq; venerabilis senex, iustus ac propheta, & dicit matri Iesu: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Solet nonnunquam in scriptura sacra gladij nomine tẽporalis tribulatio figurari. Psalmista attestante, qui illatas à persecutoribus passiones in ipsos exoptat reflecti, dicẽs: Gladius eorũ intret in corda eorũ. Hinc idẽ Psalmista de Ioseph loquitur, dicẽs: Ferrũ pertrãliuit animã eius, donec veniret verbũ eius. Ac si diceret: Tãdiù fuit in illa seruitutis vel carceris tribulatione, donec illud qd̃ prædixerat futurũ, veniret. Sed nec aliud hoc loco per gladium intelligimus figurari. Quanquàm autem multæ tribulationes animam transfoderint beatissimæ virginis, illa tamen hic specialiter designatur, quæ Domino in cruce morienti, materna viscera transfixit. Dicatur ergo eidem à sancto propheta: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Ac si diceretur: Maternis visceribus tribulationis gladio transuerberatis, videbis in cruce prudentem, quem angelo nunciante virgo concepisti, manente virginitate filium edidisti: quatenùs per hoc factum & Iudæorum insultantium iniquitas, & discipulorum fugientium infirmitas denudetur. Deniq; illo in cruce pendente, Iudæi præsentes insultabant vt descenderet: apostoli fugientes, de cruce illum descendere posse non credebant: quæ vt fierent, necesse fuit, materna piaq; viscera ex eiusdem redemptoris passione gladio tribulationis trãsfigi. Sed iam ista, vt cœpimus, quid typicè significent, breuiter demonstremus. Quis enim intra sanctam Ecclesiã constitutus, non videat in morte redemptoris nostri illos cadere, qui hunc aut solummodò hominem mortalem fuisse, aut veram carnem in passione vel in resurrectione non habuisse asseuerãt? Et quis in eius resurrectione non consideret illos resurgere, qui à perfidia malæ credulitatis diuina gratia separati, & in vera hũc carne, salua diuinitatis suæ in passibilitate, veraciter passum, & in vera carne veraciter à sua maiestate suscitatũ, affirmant? An non alijs in ruinam, alijs verò in resurrectionem Christus factus fuerat, cum Paulus de se suisq; socijs diceret: Christi bonus odor sumus Deo, & in his qui pereunt, & in his qui salui fiũt: & alijs odor mortis in mortem, alijs odor vitæ in vitam? De illis verò, quibus humanitas carnis, diuinitatem abscondit saluatoris, ita dicit: Et si opertum est euangelium nostrum, in his qui pereunt, est adopertum. Iam verò si deuotè (vt decet) attendamus, ipsam beatam virginem, cuius animam gladius transfodisse perhibetur, typum Ecclesiæ prætendisse reperimus, cuius animam gladius † pertransisset, scilicet verbum prędicationis. Quod enim per gladium prædicatio sancta figuretur, Paulus Apostolus testatur, dicens: Et gladium spũs, quod est verbum Dei. Gladius etenim animam Mariæ transuerberat, quia verbum Dei electorum corda penetrans, ab errore mortificans, in veritatem vitæ commutat. *Vt reuelentur,* inquit, *ex multis cordibus cogitationes.* Ac si diceret: Idcircò diuini verbi gladius sanctorum corda funditùs ab errore mortificans, in veritatis doctrinam cõmutat, vt dum quorũdam vitia virtutesq; loquendo examinant, vnicuiq; quib⁹ loquuntur, intima sua manifestent. Hinc Paulus ait: Si oẽs prophetẽt, intret autem quis infidelis vel idiota, conuincitur ab omnib. dijudicatur ab omnibus: occulta. n. cordis eius manifesta fiunt: & ita cadens in terram adorabit Deum, pronuncians quòd verè Deus est in vobis. Qui autem essent isti prophetæ, ipse paulò inferius aperuit, dicens: Prophetæ duo vel tres dicant, & cæteri dijudicent. Oremus autem necesse est, vt idem gladius nostra corda transfigat, quatenùs fidelium turbis nobis prædicantibus, & singulorum virtutes ac vitia exponentibus, vnicuiq; interiora sua patefiant. Sequitur: *Et erat Anna prophetissa filia Phanuel de tribu Aser, hæc processerat in dieb. multis, & uixerat cum uiro suo annis septem à uirginitate sua. Et hæc uidua usq; ad annos octoginta quatuor: quæ non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte ac die. Et hæc ipsa hora superueniens, confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionẽ Hierusalem.* Hæc iuxta historiam aperta sunt, nec habent aliquid obscuritatis. Commendant autẽ castitatem beatæ mulieris, institiam ieiuniorum atq; obsecrationum die nocteq; templo Dei inhærentis. Sed latent in his quædam Ecclesiæ sacramenta. Quæ enim per Annam, quæ gratia Dei interpretatur, nisi electorũ ecclesia designatur? Ad cuius membra Apostolus loquitur, dicens: Gratia salui facti estis per fidem. Quæ bene etiam

Gladius mysticè.

Psalm. 36.
Psal. 104.

† pertransijt.

Ephes. 6.

1. Cor. 1.

2. Cor. 2.

2. Cor. 4.

Ibidem.

Anna, typus Ecclesiæ.

Ephes. 2.

iam filia Phanuel, ac de tribu Aser fuisse perhibetur. Phanuel quippe interpretatur facies Dei: Aser verò, vocatur beatus. Et qui alij per faciem Dei figurantur, nisi qui spiritusancti gratia repleti, ad cognitionem Dei humana corda primi perduxerunt? Quia enim per faciem quilibet agnoscitur, iure facies Dei vocantur hi, per quos cognitio † veritatis reuelatur. Quiq; non immeritò Aser, id est, beati vocantur, quia ad æternam paternitatem, siue per inspiratam interiùs naturam, siue per datam exteriùs legem erudiri meruerunt. Vnde scriptum est, Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. In quibus verbis apertè monstratur, electorum Ecclesiam filiam esse patriarcharum ac prophetarum, quę scilicet siue in spiritu, seu in verbo, rectè etiam prophetissa nuncupatur. De qua adhuc subiungitur: Et vixerat cum viro sua annis septem à virginitate sua. Et quis eius alius est vir, nisi ille, de quo per Isaiam prophetam dicitur: In die illa apprehendent septem mulieres virum vnum, dicentes: Panem nostrum cõedemus, & vestimentis nostris operiemur, tantummodò inuocetur nomen tuum super nos: aufer opprobrium nostrum? Quis alius huius est vir, nisi ille, de quo in Ioannis Apocalypsi dicitur: Ciuitatem sanctam Hierusalem nouam vidi descendentem de cælo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo? Quæ etiam antequàm Christo sociaretur, ideò virgo vocabatur, vel quia tunc idola non colebat, vel certè quia non incorrupta, sed infœcunda erat. Tunc autem hanc sibi Christus vniuit, cùm naturam humanam susciperet, euangelium exorsus fuit. Quod itaque annis septem cum viro suo à virginitate vixisse describitur, tempus eiusdem prædicationis ipso septenario numero figuraliter cõcluditur, in quo & septiformem spũsancti gratiã ab ipso accepit, & ipsa in septem mulieribus vel septem ecclesijs mysticè eidem vniri meruit: & quia illo ascendente ad cælos, humanitatis eius præsentia desolata est, iure etiam vidua remansisse narratur. An non vidua rectè vocatur, de qua per beatum Iob hæreticorum facta mentione dicitur: Pauit sterilem quæ non parit, & viduæ bene non fecit? Illud itaque gaudij tempus, quo præsentia viri in carne fruebatur: illudque tristitiæ, quo eius præsentia desolanda erat Ecclesia, idem vir eius designans, dicit: Non possunt ieiunare filij sponsi, quandiù cum illis est sponsus. Veniet tempus, cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. In numero autem annorum octoginta quatuor, quibus vidua esse describitur, totum tempus vitæ præsentis exprimitur. Legimus enim filios Israël, vsquequò terram repromissionis ingrederentur, quadraginta & duas mansiones in itinere habuisse. Quibus scilicet quid aliud quàm peregrinatio vitæ præsentis figuratur, in qua eremi tribulationibus exercemur, vsquequò ad terram viuentium veniamus? Sed propter geminum testamentum, vetus scilicet & nouum, idem quadragenarius ac secundus numerus duplicatur, & fiunt octoginta quatuor. Sicut enim propter vtrunque testamentum duodenarius numerus duplicatus, in viginti quatuor senioribus Ecclesiam designat: sic etiam propter eadem duo testamenta quadragenarius ac secundus duplicatus, in octogenario quarto præsens Ecclesiæ tempus figurat: Et quod ibi per mansiones, hoc hic explicat per annos. Vtrunque enim concorditer peregrinationem eiusdem Ecclesiæ denunciat, de qua & benè subiungitur: Quæ non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte ac die. Ipsa enim est templum, quæ & vidua, ieiunijs & obsecrationibus seruiens in templo. Quæque ablata sponsi sui corporali specie, quia hunc necdum corporeis oculis intueri valet, ad nil aliud magis, quàm ad ieiunium & orationem vacat. Hinc Psalmista ait: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidiè, Vbi est Deus tuus? Dignè itaque præmittit ieiunia, ac deinde obsecrationes coniungit. Quæ enim esse potest obsecratio, vbi regnat comessatio? Quæ esse potest deprecatio vbi dominatur assidua potatio? Sed hæc dicens, cordis etiam vult intelligi ieiunium: quo nisi quis ab immundis cogitationibus ieiunare studeat, obsecrationibus Deo vniri non valet. Siue autem isto, siue illo ieiunio, simulque obsecrationibus sulta, die ac nocte seruire describitur: subaudis, Et in prosperis, & in aduersis ab hoc opere non cessat. Sequitur: *Et ut perfecerunt omnia secundùm legem Domini, reuersi sunt in Galilæam, in ciuitatem suam Nazareth.* Hic iam figuraliter vltima Iudæorum conuersio designatur, quando Enoch & Elia prædicantibus, Christus ad eos reuertitur, peractis scilicet omnibus in Hierusalem, id est, in Ecclesia gentium, secundùm legem Domini, noui videlicet testamenti. Quasi enim peracto sacrificio, ab Hierusalem in ciuitatem suam Christus cum parentibus reuertitur, cùm adimpleta plenitudine gentium, nouissimè cum prædicatoribus sanctis ad eos colligendos, ex quibus carnem susciperat, regreditur. Sequitur: *Puer autem crescebat & confortabatur, plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo.* Hæc de illo secundùm humanitatem dicta sunt, non secundùm diuinitatem. Neque enim in sua natura crescit, in qua plenus est: sed in nostra, in qua paulò minùs quàm angeli minoratus est. Neq; in sua confortatur, in qua omnium fortitudo est: sed in nostra, in qua pro nobis infirmatus est. Nec in sua adimpletur sapientia, in qua plenitudo sapientiæ est: sed in nostra, in qua pro nobis exinanitus est.

† diuinitatis.

Psalm. 93.

Esa. 4.

† prædicationis.

Apo. 21.

Iob 24.

Matth. 9.

Quadraginta duæ mansiones.

Psal. 41.

Ieiunium & oratio.

Ieiunium cordis.

Psal. 8.

Heb. 2.

Nec

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nec in sua gratiæ indiget, in qua omnibus gratiã tribuit: sed in nostra, in qua ea quæ cum patre habet, accepit. Quæ scilicet omnia meliùs ad eius corpus, quod est Ecclesia, quàm ad ipsum caput referri possunt. Vsquequò enim illud consummetur, quod Apostolus dicit, Donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, & vt iam non simus paruuli: quotidiè crescit in fide puer Iesus, quotidiè confortatur virtutibus puer Iesus, quotidiè verbo sapientiæ adimpletur puer Iesus, quotidiè gratia saluationis iustificatur puer Iesus. Hæc de tanti diei solennitate breuiter diximus, hæc de tam mysticis sacramentis succinctè transcurrimus: quia & prolixitatem euangelicæ lectionis attendimus, & ad hæc agenda moras breues habuimus. De cætero dilectionem vestram admoneo, charissimi fratres, si tamen animos vestros hæc locutio fecit intentos, vt attendatis qua deuotione huius diei solennitatem, de reliquo celebrare debeatis. Non sit vile illud spectaculum, in quo filius virginis Deus & homo complectitur, in quo & virgo & mater ostenditur, in quo prophetæ, immò prophetarum omnium expectatio adimpletur, in quo multa Ecclesiæ sacramenta declarantur. Quod ipse cordibus vestris imprimere dignetur, qui hodierna die sanctum iustumq; Simeonem spiritussancti illustratione interiùs pulsans, ad templum quo ipse à parentibus offerebatur, docuit, immò certè compulit ire: qui cum Deo patre & eodem spiritu sancto, æquali potestate, æquali virtute, æquali æternitate, æquali maiestate viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Ephes. 4.

IN EODEM FESTO.

Euangelium secundùm Lucam:

Post quàm impleti sunt dies purgationis Mariæ secundùm legem Moysi, tulerunt Iesum in Hierusalem, vt sisterẽt eum Domino. Et reliq. Homilia Erici.

IX verbis huius sacræ lectionis, maxima nobis redemptoris nostri dignatio, & intemeratæ genitricis eius beatæ Mariæ humilitas commendatur: quia videlicet tam ipse Dominus, quàm gloriosa eius mater, cùm legi nihil deberent, legalibus tamen decretis se subdere sponte voluerũt. Præcipiebat enim lex, vt infans octauo die natiuitatis circuncisus, post triginta & tres dies suæ circuncisionis ad templũ Domini deferretur, & daretur hostia pro eo: & si esset primogenitus, sanctus Domino fieret. Quòd si verba legis diligenter inspiciamus, videbimus quia non solùm Dominus sine peccato incarnatus, sed & ipsa beata illius genitrix ab omni subiectione legis liberrima fuerit. Dicit nanq; lex: Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septẽ diebus, & die octaua circuncidetur infantulus: ipsa verò triginta & tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Dicens enim mulierem suscepto semine parientem, vnà cùm prole oblatis victimis debere mundari, illã vtiq; ab hac necessitate distinguit, quæ sine susceptio viri semine, virgo concepit, & virgo peperit. Reliqui nanq; homines idcircò cum peccato originali oriuntur, quia cum delectatione carnis atq; cum ardore libidinis, in materno vtero concipiuntur. Dominus autem Iesus Christus, quia sicut absq; virili semine, ita etiam absque carnali delectatione in vtero virginis, spiritusancto cooperante conceptus est: ideò & sine peccato natus est. Sed sicut Christus legi subiectus esse voluit, vt nos à vinculo solueret legis: ita etiam beata Maria, cùm sub lege non esset, pro exemplo humilitatis legis instituta non refugit obseruare, memor illius præcepti, quod quidam sapiẽs ait: Quanto magnus es, humilia te in omnibus. *Post quàm ergo impleti sunt dies purgationis eius, uel Domini uidelicet, uel beatæ genitricis eius, tulerunt illum parentes illius ad templum Domini in Hierusalem, ut sisterent eum Domino*: hoc est, statuerent & consecrarent. Illi ergo paruuli, qui de toto regno Iudæorum ad templum Domini portabantur, si fuissent quidem ex tribu Leui, in ministerio domus Domini perpetuò tenebantur: quia eadem tribus tota in hoc ipsum templum fuerat dedicata. Sin aũt ex alia aliqua tribu precio dato à parẽtib. primogeniti redimebantur, ad propria referendi. Et puerorũ quidem purgatio, in hostiarum oblatione constabat: matrum verò in hoc, quòd pro masculo quadraginta, pro fœmina verò octoginta diebus à viri thoro, & ab ingressu templi Domini arcebantur: non quò culpa sit ex legitimo connubio filios gignere, sed ipse generis humani legitimus nuptialisq; conceptus non potest esse à culpa iniquitatis extraneus. Bonum enim nuptiarum ab initio generis humani diuinitùs institutum nouimus. Propter quod & Apostolus honorabile connubium in omnibus, & thorum immaculatum sine dubitatione commendat. Cùm igitur nuptiæ laudabiliter à Deo sibi tributam possideant in fide & charitate munditiam, tamen quia sine delectatione libidinis non possunt peragi, necessariò prolem edunt peccato primi hominis vitiatam. De nuptijs ergo bonis vsq; adeò bonum est quod nascitur, vt malum non sit, etiam si de adulterio vel fornicatione nascatur. Deus enim humanæ naturæ donum fœcunditatis contulit, libidinis verò malum est non creatura Dei, sed pœna peccati. Proinde de munditia nuptiarum, mundus homo non nascitur, quia interueniente sordida libidine seminatur. Quam libidinem castitas coniugalis non amat, sed

Luc. 2.

Leui. 12.

Eccles.

Libido pœna peccati.

sed ad propagandos filios necessariò tolerat.

Ob hoc sanctus Dauid legitimo fideliq; connubio natus, non sine grauissimo dolore maculam carnalis genituræ ita deplorat: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Hæc diximus, vt maculam originalis peccati non in legitimis nuptijs, sed in conceptu paruulorum esse nouerimus. Quòd autem mulieri pro masculo filio quadraginta diebus aditus templi interdicitur, ideò iuxta literam factum est, vt quot diebus infans formatur in vtero, tot etiã diebus purgatio illius peragatur. Dicitur enim conceptio humana sic perfici, vt primis sex diebus quasi lactis habeat similitudinem, sequentibus nouem diebus conuertitur in sanguinem. Deinde duodecim diebus solidatur: reliquis decem & octo diebus formatur vsq; ad perfecta lineamenta membrorum. Inde iam vsq; ad tempus pariendi reliquo tempore magnitudine sui augetur. Sex autem & nouem, & duodecim, & decem & octo in vnum cõacti, faciunt XLV. Si ergo minorem numerum in maiorem concludimus, videbimus præceptũ esse tot penè diebus hominem purgari, quot formatur in vtero. Cur autem pro fœminæ partu diuturnior purgatio iniungatur, quàm pro masculo, inquirendum est. Sic enim dicitur: Sin autem fœminam pepererit, immunda erit quatuordecim diebus, & sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Quia ergo mulier & se & virum decepit, ideò etiam in ortu suo maiori subiacet maledictioni. Ferunt etiam physici, fluxum sanguinis pro masculo septem esse dierum, pro fœmina verò dierum XIIII. vt quanto est sexu infirmior, tanta sit ipsa natiuitate inquinatior. Porrò quatuordecim & sexaginta sex, octoginta faciunt. In quo numerus superior, id est, quadragenarius duplicatur: quia mulier serpentis persuasioni cõsensit, & virum persuasioni suæ cõsentire coegit: Vir autem soli mulieri consensit. Hæc iuxta literam de distantia purificationis dicta sufficiant. Quòd verò Dominus priùs circunciditur, ac sic post dies aliquot in templum cum hostia offertur, significat spiritualiter, quòd nullus hominum in cõspectu Dei valet esse acceptus, nullus etiam cælestem Hierusalem perfectã valet conscendere, nisi circuncisus vitijs, & exutus omni fœce mortalitatis. *Sicut scriptum est in lege Domini, Quia omne masculinum adaperiens uuluam, sanctum Domino uocabitur.* Quòd dicit, Omne masculinum adaperiens vuluam, & de hominibus & de pecoribus dictum intelligitur. Omnia enim primogenita Domino sanctificabantur, & sacerdotum erant: ea tamen ratione, vt pro hominis primogenito sacerdoti precium daretur: primogenitum quoq; pecoris, quod immundum erat, quinq; redimeretur siclis argenti. Spiritualiter autẽ omnia illa primogenita significabant Dominum Iesum Christum, qui cùm esset vnigenitus in natura Dei patris, factus est primogenitus omnis creaturæ, id est, omnium hominum. Et ipse est veraciter & singulariter sanctus Domino, quia peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Moraliter quoq; omnia primogenita nostra Deo offerenda sunt, vt quicquid boni in corde concipimus, diuinæ gratiæ tribuamus. Et sicut illi immunda animalia quinque siclis redimebant, sic nos praua opera quæ gerimus, redimere debemus, perfectam agentes pœnitentiam de omnibus peccatis, quæ per quinq; sensus corporis contrahimus. Quòd ergo dicit, Adaperiens vuluam, non est credendum, vt hæretici affirmare conati sunt, quòd Christus vterum matris, quem ingressus sanctificauerat, egressus virginitate priuauerit. Ipsa est enim porta, de qua scriptum legimus: Porta hæc clausa erit, & vir non transiet per eam, quoniam dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa principi. Deus nãq; veram ex virgine suscipiens carnem, perfectionem ex ea humani corporis sumpsit, virginitatis ei gratiam nõ ademit. Neque enim decebat, vt creator humanæ carnis Deus, qui in prima conditione homini virginitatem tribuerat, idem quod fecerat redempturus, virginitatem carni de qua nascebatur, auferret. *Et ut darent hostiam secundum quod scriptum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Hostia hæc pauperum erat. Præcipiebat nanque lex, vt qui possent agnum inuenire, offerrent illum pro filio vel filia simul cum turture siue columba. Quòd si quis agnum reperire non posset, duos saltem turtures vel columbas iubebatur offerre. Dominus ergo Iesus memor salutis nostræ, quum esset diues, pauper pro nobis fieri, pauperem, p̃ se hostiam voluit offerri, vt nos sua paupertate diuitiarum spiritaliũ, & æterni regni donaret esse participes. Sed videam, cur hæ volucres præ cæteris in sacrificio Domini iubebantur offerri. Columba enim simplicitatem, turtur significat castitatem: Quæ adeò continentiam diligit, vt postquàm semel socium perdiderit, vltrius alterum non requirat. Vtraq; autem auis gemitum p̃ cantu habet. Et ideò nõ immeritò sanctorum in hoc seculo designant ploratum. Meritò ergo turtur & columba in sacrificio Domini offeruntur, vt apertè designetur, quia simplex & casta iustorum conuersatio gratissimum omnipotenti Deo sacrificium exhibet. Item columba, quæ gregatim volat, actiuam vitam significat, quæ multorum est. Turtur verò, qui soliuagus est, & singularitatẽ diligit, cõtemplatiuã vitã significat, paucissimis ac rarissimis imitabilẽ. Moraliter, cùm iuxta præceptũ euãgelicum intrãtes in cubiculum, oramus Dominum in abscondito, turturem offerimus. Verùm cùm ad simile opus alios quos possumus inuitamus, dicentes cum Psalmista, Venite, adoremus & procidamus & ploremus ante Dominum qui fecit nos, columbas ad diuinum altare portamus. Et *ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon.* Adueniens in carne

Psalm. 50.

Ibidem.

Exod. 13. & 34. Num. 8.

Ezech. 44.

Heb. 13.

Turtures & columbæ cur præ cæteris iussæ offerri.

Matth. 6.

Psalm. 94.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dei filius, non tantùm ab angelis & prophetis, sed etiam à senioribus & iustis testimonium laudis accepit. Decebat nanque, vt quia omnis ętas, omnis sexus, omnis conditio, per Christum erat redimenda, omnes etiam illi deuoto famularentur obsequio. *Et homo iste iustus & timoratus, expectans consolationem Israël: & spiritus sanctus erat in eo.* Rectè iustus & timoratus dicitur, quia iustitia sine timore Dei difficilè custoditur. Re enim vera iustus erat, qui non suam tantùm, sed totius populi consolationem expectabat: vt scilicet qui iam ex multis diebus dominio Herodis alienigenæ grauabantur, aduentu Domini saluatoris liberati, consolationem acciperent. *Et responsum acceperat à spiritu sancto, non uisurum se mortem, nisi prius uideret Christum Domini.* Magnum desiderium antiqui sancti habebant videndi Dominum Iesum Christum, quē sciebant esse venturū. Qđ huic Simeoni pro gratia meritorum sanctorum concessum est. Accepit enim responsum in mente à spiritu sancto, quòd non esset visurus mortem, nisi videret Dominum. Videri autem, pro experiri positum est. *Et uenit in spiritu in templum.* Quòd dicit, Venit in templum in spiritu, nequaquàm sine corpore venisse putandus est, sed inspiratus à spiritu sancto, à quo anteà responsum acceperat, aduenit in templum. *Et cùm inducerent puerum Iesum parentes eius, ut facerent secundùm consuetudinem legis pro eo, & ipse accepit eum in ulnas suas,* hoc est, in brachia sua. Quis autem valet perpendere, quanto animi gaudio & inenarrabili alacritate perfusus fuerit Simeon, cùm cæli terræq; creatorem & Dominum proprijs amplectens teneret in brachijs, quem & à prophetis prædictum, & ab vniuersis retrò sanctis votis multiplicibus nouerat expectatum? Figuraliter Simeon senex, mundum istum significat, quasi longo iam senio & ætate decliuem. Simeon insantem accepit, id est, mundus Christum agnouit, & vetustate peccati exutus, ad innocentiam Christianæ cōuersationis redijt. *Et benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundùm uerbum tuum in pace.* Sciebat beatus Simeon, quòd beati essent oculi, qui Christum essent visuri: & ideò donec illum ipse videret, nolebat morte dissolui: quem tamen vt vidit, mox optabat in pace dimitti. *Quia uiderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum.* Salutare Dei patris, Christum appellat, quem in primo aduentu ante faciem populorum Deus pater parauit, vt illum, quicunque in eum credere vellent, fide ac dilectione conspicerent. In secundo quoq; aduentu, hoc ipsum salutare ante faciem omnium populorum parabitur, vt videat eum omnis oculus, & reddat vnicuiq; secundùm opera sua. *Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël.* Vtriq; quidem populo, id est, Iudaico & Gentili Christus lumen est, sed Israëlitico populo specialiter gloria fuit: quia est prænuntiatus, in illis carnem assumpsit, inter eos miracula fecit. Gentium quoq; reuelatio fuit, quia oculos mentis eorum, profunda infidelitatis cæcitate dimersos, lumine suæ illustrationis reuelauit, id est, aperuit & illuminauit. Et rectè Christum priùs ad reuelationem gentium, ac deinde ad gloriam Israël venisse dixit, quia priùs gentiles quàm Iudæos credituros esse pręuidit. Tale quid & Psalmista ait: Notum fecit Dominus salutare suum, ante conspectum gentium reuelauit iustitiam suam. Priùs enim dixit Deum patrem iustitiam suam, quæ Christus est, gentibus reuelasse, ac deinde subiungit: Recordatus est misericordiæ suæ, & veritatis suæ domui Israël. Hinc Paulus ait: Cùm plenitudo gentium intrauerit, tunc omnis Israël saluus fiet. Hæc de lectione euangelica breuiter sunt dicta. Quæ licet causas hodiernæ festiuitatis plenè aperiat, non tamen ab re est, si de eius nomine aliquid compendiosiùs indagemus: Græco nanq; sermone ὑπαντὴν obuiare dicitur. Inde vtiq; ista dominica solennitas ὑπαντὴ vocatur, qđ scilicet hoc ipsa die allato in templum Domino, Simeon & Anna, & cæteræ fidelium personæ, quæ ibi erant, tempore suę purificationis occurrerunt. Agitur ergo ista festiuitas incipiente mense Februario, qui à Februo, id est, Plutone, qui lustrationum, hoc est purgationum potens à gētilibus credebatur, ita vocatus est. Cùm enim Romani tripartitum orbem sub tributo redegissent, ita vnaquęque ex ipsis tribus mundi partibus, Africa videlicet, Asia & Europa, per quinq; annos soluere et aurum, & rursùs per alios quinq; annos argentum, itēq; per aliud quinquēnium æs, quinto demum peracto anno, ac censu soluto, vniuersa ciuitas mense Februario ab vniuerso populo lustrabatur, vt sacrificia dijs infernalibus soluerentur, quorum se præsidio nationes orbis subiugasse putabant. Sed hanc lustrandi consuetudinem benè mutauit Christiana religio, cùm hac ipsa die festiuitatis beatæ Mariæ, plebs clerusq; & sacerdotes cū cereis & hymnis ecclesiarum loca circumeunt, non vtiq; ob recordationem paganæ superstitionis, aut imperij terrestris, sed in perennem regni cælestis memoriam, quando iuxta euangelicam parabolam, omnes electi cum lampadibus sponso & sponsæ sunt occursuri, atq; thalamum supernæ claritatis intraturi. Et hanc quidem lustrationem pagani faciebant semper XV. anno in fine mensis Februarij, hoc est, VII. Calendas Martij. Postmodùm verò augescente Christianitate, placuit vt in venerationem perpetuæ virginis, ad mensis initium transferretur. Cuius institutionis morem nos quoque pro modulo nostro hodierna die deuotè Deo iuuante imitaturi, Dei genitricem summissis votis obsecremus, vt sua potēti intercessione nobis apud filium suum purgationem impetret criminum, quæ purgationem temporalem suscepit sine sordibus peccatorum: Quæq; hac die cum filio templum Dei sacrificium oblatura conscendit, supernæ ciuitatis nobis obtineat ingressum, in qua diuinæ claritatis aspectibus libero cōtuitu perfruamur, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Deo patre & sancto spiritu viuit & regnat per infinita secula, Amen.

Simeon, mundum figuratè significat.

Apoc. 1. Apoc. 22.

Psalm. 97

Rom. 11.

Fercula cum cereis & hymnis in festo Purificationis.

Matt. 25.

IN EODEM FESTO, HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Postquàm impleti sunt dies purgationis Mariæ secundùm legem Moysi, &c. Luc. 2.

SCriptum est enim in lege Moysi, qđ mulier, quæ suscepto semine peperit masculum, immunda erit septē diebus, & die octauo circūcidetur infantulus. Ipsa verò triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Omne sanctum non tanget, nec ingredietur sanctuarium donec impleantur dies purgationis eius. Hac enim lege beata virgo Maria non tenetur, quæ nullo susceptо semine, virgo concepit, virgo peperit, clausa ante partum, & post partum clausa permansit. Ad cuius distinctionem Moyses non simpliciter dixit, Mulier quæ pepererit masculum: sed cum additamēto. Quæ suscepto semine masculū pepererit, immūda erit septem diebus. Spiritualiter autē mulier ista Synagoga esse videtur, quæ diuinæ legis semine susceptо tories masculum pariebat, quoties bonum aliquod agebat. Masculus enim filius bonum opus est. Et quanuis masculum peperisset, & multos boni operis filios genuisset, tamē septem diebus immunda erat. Septem enim isti dies omne illud temporis spatium significāt, qđ fuit à Moyse vsq; ad Christi incarnationem. Illa enim hebdomada finita natus est agnus, qui tollit peccata mundi. De quo scriptum est: Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Veruntamen quanuis septimana finita esset, & quāuis Christus natus esset, nondū tamen Synagoga penitùs mundata erat, quia Christi sanguis nondum fusus erat. Mansit igitur adhuc triginta tribus diebus in sanguine purificationis fuæ: expectauit diem, immò annum tricesimum tertium. Ipso enim anno immolatus est Christus, sine cuius sanguine mūdus mundari & lauari nō potuit. Quòd autem dies pro anno ponatur, in Ezechiele inuenies, vbi dicitur: Diem pro anno, diem, inquam, pro anno fili hominis dedi tibi. Quarè infantulus circuncidatur, valdè notum est: sed quarè octauo die, dicendum est. Octaua autem dies ipsa est, quæ & prima. In hac enim mundus cœpit, Christus surrexit: in hac & vniuersalis resurrectio fiet. Tunc autem non solum circuncisi, sed omnibus ab eis peccatis absciſis, mundi & immaculati æternum nomen sancti suscipient & hæreditatem. Et hæc quidem de filio masculo dicta sunt. Sin autem fœminam peperisset, immūda erat duabus hebdomadibus, & sexaginta & sex diebus manebat in sanguine purificationis suæ. Toties enim Synagoga fœminam parit, quoties iniquitatem operatur. Pro hac autem filia duabus hebdomadibus est immunda Synagoga: vna videlicet ante Christi incarnationem, altera verò post Christi incarnationem. Per has enim duas hebdomadas totum & hoc, & illud tempus significatur. Nisi igitur hanc iniquam filiam parere desistat, & ad Christi fidem se totam conuertat, nunquam mundabitur Synagoga. Dantur autem ei sexaginta & sex dies ad purificationem, per quos omnes dies seculi vsq; ad consummationem intelligere possumus. Hic enim numerus totus ex senarijs constat. In sex autem diebus etiam ipsis Iudæis operari licet. Neq; enim in sex diebus sabbatum continetur. Nulla igitur erit excusatio, si in his sexaginta & sex diebus purificati non fuerint. Quanuis autem purgationis dies ad beatam Mariam virginem non pertinerent, expectauit tamen ipsa, donec omnes purgationis dies complerentur, quos non sibi, sed alijs mulieribus lex constituerat. Non enim de ea dictum fuerat, Omne sanctum non tanget, quæ ipsum sanctum sanctorum in gremio tenebat, in sinu fouebat, & virgineo lacte nutriebat. *Completis autem diebus, tulerunt puerum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini, quòd omne masculinum adaperiens uuluam, sanctum Domino uocabitur.* Ex eo nanq; tempore, quo primogenita Aegyptiorum Dominus interfecit, omnia primogenita filiorum Israel sibi vendicauit, sibique offerri præcepit. Sed quare hoc, nisi vt omnia prima & maxima, omnia meliora & charіora Domino offeramus? Offeramus igitur ei fidem nostram, offeramus ei animas nostras, quæ non de terris, sed de cęlis originem habent, & quę prima in nobis, & præcipua, & maxima sūt. *Et ut darent hostiam, secundùm quod dictum in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Turtur enim castissimum animal est: columba verò felle & amaritudine caret. Qui igitur corporis & animæ castitatem & innocentiam custodiunt, illi equidem par turturum, aut duos pullos columbarum Domino offerunt. Et talis quidem hostia Domino placet, in qua nosipsos ei offerimus, & corpus & animam innocenter casteq; viuentes, ei dedicamus. Talem igitur hostiam matrem Domini offerre decebat, cuius tota vita castitas & innocentia fuit. Quia igitur dictum est, quid ista significent, dicendum est etiam, qualiter offerri debeant. Iubetur enim sacerdos, qui ea offert, turturis & columbæ caput & collum retorquere. Debet autem veliculam gutturis & plumam ad orientalem plagam proijcere. Debet prætereà earum ascellas cōfringere, & non penitùs secare, nec ferro eas diuidere debet. Tunc enim sacerdos turturis & columbæ caput ad collum retorquet, quando illum, qui per has aues significatur, docet & admonet, vt iam non erecta ceruice, sed humiliato capite incedere discat. Sicut enim in erecta ceruice superbia, ita & in ca-

Luc. 12.

Mulier, Synagoga.

Ioan. 1. Apoc. 1.

Ezec. 4.

Circuncisio eur octaua die facta.

Exod. 13. Num. 8.

Luc. 12.

Leuit. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pite inclinato humilitas manifestatur. Sed quid per vesiculam gutturis, vbi aues reponunt vnde viuunt, nisi ventris ingluuies designatur? Quid verò per plumas, nisi morum leuitas & mentis elatio significatur? Hæc autem homini proijcere & à se repellere bonum est. Sed vbi proijcere, nisi ad orientalem plagam? Semper enim ab ortu ad occasum tendimus, semper orientem fugimus, & ad occasum propinquamus. est enim occasus, finis vitæ. Quæcunq; igitur ad occasum nobiscũ non ducimus, ea iam à nobis proijcientes, post dorsum relinquimus. Quibus deniq; ieiunium & abstinentiam indicimus, eis proculdubiò gutturis vesiculam tollimus. Quibus verò omnem vagandi licentiam interdicimus, eis vtiq; ascellas frangimus, vt & nobiscum maneant, & ad inutilia volare desistant. *Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon: & homo iste iustus & timoratus, expectans consolationem Israël. & spiritus sanctus erat in eo.* Qualis etenim & quantus Simeon iste fuerit, breuiter ostendit, dum eum iustum & timẽtem Deum, populiq; consolationem expectare & desiderare dicit: cui & spiritus sanctus, qui in eo erat, filij Dei aduentum reuelauerat atq; promiserat. Et hoc est, quod ait: *Et responsum acceperat à spiritu sancto, non uisurum se mortem, nisi priùs uideret Christum Domini.* Quanto desiderio videndi Dominum senex iste beatissimus æstuabat, quem iam ætas de hoc seculo exire cogebat, sed Dei responsio retinebat? Mori enim cupiens, mori non poterat, quia Christum Dominum necdum viderat, de quo sibi factum responsum audierat, non visurũ se mortem, nisi priùs videret Christum Domini. Hoc igitur desiderabat, hoc mẽte tractabat, hoc semper cogitabat, dicens: Scio quia veniet, scio quia videbo eum. Sed quando veniet? quando videbo eum? Veni Domine Iesu, solue mihi hæc vincula, & me iam nunc in pace abire dimitte. Dũ autem hoc secum diceret, dum hoc desiderio æstuaret, dictum est illi à spiritu sancto: Ecce adest quem quæris: nunc eum videbis. Surge, propera, festina, vade ad templum. *Et spiritu iubente, uenit ad templum. Et cùm inducerent puerum Iesum parentes eius, ut facerent secundùm consuetudinem legis pro eo, & ipse accepit eum in ulnas suas.* Cùm, inquit, parentes eius puerum Iesum in templum inducerent, vt secundùm consuetudinem legis pro eo facerẽt, occurrit senex, brachia extendit, & parentibus ait: Mihi eum date, mihi debetur: mei officij est, ad hoc missus sum, huic obsequio reseruatus sũ. Deinde lætus & exultans, accepit eum in vlnas suas: mox senectus fugit, & iuuenilis vigor adfuit & fortitudo. Qui priùs seipsum ferre vix poterat, nunc leuiter puerum ferens exultat. Eleganter igitur dictum est: Senex puerum portabat: puer autem senem regebat, quem virgo peperit, & post partum virgo permansit, ipsum quem genuit, adorauit. *Et benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine secundùm uerbũ tuũ in pace, &c.* Te, inquit, Domine benedico: pmissio tua cõpleta est, completũ est & desiderium meũ, quia video Christum tuum, Dominum meum. Dimitte igitur seruum tuum in pace: quia vidi Dominum Iesum, quia vidi salutare tuum. Iesus enim Saluator siue salutaris interpretatur, de quo scriptum est: Notum fecit Dominus salutare suum, ante conspectum gentium reuelauit iustitiam suam. Hoc enim lumen, hanc lucem, hunc solem, hunc tantum splendorem parasti atq; misisti ante faciem omnium populorum. ad quid? Ad reuelationem, ad illuminationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël. Hoc enim lumine & gentes illuminantur, & Iudæi glorificantur. Magna enim gloria illis est, quòd de eorum gente hoc tantum lumen exortum est.

S. Simeonis pia suspiria.

Simeonis alacris deuotio.

In officio Ecclesiastico.

Psalm.97

IN CATHEDRA SANcti Petri, Sermo, partim S. Augustino adscriptus: & est 𝔛V. de Sanctis.

INstitutio festiuitatis hodiernæ, à senioribus nostris cathedræ nomẽ accepit, ideò quòd primus apostolorum Petrus hodie episcopatus cathedram suscepisse referatur. Rectè ergo Ecclesiæ per orbem sedis illius natalem colunt, quam Apostolus pro earum salute suscepit, dicente Domino: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Super hanc (inquit) petram, id est, super Dominum saluatorem, qui fideli confessori suo participium sui nominis donauit. Et portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Portæ inferi, tormenta & blandimenta sunt persecutorum, quæ à stabilitate fidei aliquos deterrendo vel emolliendo, introitum eis æternæ mortis aperiunt. Multæ itaq; sunt portæ inferi, sed harum nulla Ecclesiæ, quæ supra petram fundata est, prævalet. Meritò itaq; cunctis ecclesijs honorandus, qui caput ecclesiæ, & qui firmissimæ petræ soliditatem secutus, inimicos Christi authoritate sancti spiritus cõfudit, & infatigatæ patientiæ fortitudine triumphauit: nec inferni (vt dictum est) aduersùs eum porta prævaluit, qui sibi portæ æternalis ingressum, regem gloriæ confessus aperuit. Aut quomodò ei non pateret porta illa vitalis, qui plenitudine sancti spiritus repletus, in patre filioq; Dei inscrutabile vnicæ maiestatis asseruit sacramentum, edocens & ostendens, quæ esset in vno eodemque filio Dei & susceptæ carnis ratio, & naturalis priuilegium deitatis? Audierat profectò saluatorem ipsum dixisse: Ego & pater vnum sumus, &: Qui me videt, videt & patrem. Hæc illum confessio & honorabilem terris, & cælo reddidit gloriosum. Petrum itaque (vt diximus) fundamentum Ecclesiæ Dominus nominauit, & ideò dignè sun damẽtum hoc generalis Ecclesia colit, supra qd' ædificij sui celsitudo consurgit. Vnde conuenienter Psalmista dicit: Exaltent eum in Ecclesia plebis, & in cathedra seniorum laudent eum. Dignum ergo est vt fundamentum hoc in Ecclesia honoretur, per quod ad cælum conscenditur.

Matth.16.

Petrus in fel.

Psal.106.

Quòd natalis ergo cathedræ hodiè colitur, sacer dotale officium honoratur. Quæ etiam tanto necesse est plus habeat in Ecclesia dignitatis, quanto sacerdotale officium plus honoris. Dies ergo hæc à nobis, fratres charissimi, meritò honoratur, quia dum natalem cathedræ colimus, episcopatum etiam Petri apostoli veneramur. Tamen cùm frequenter intra Quadragesimæ dies euenerit, facere eam nobis debet sanctorum dierum reuerentia gratiorem. Et benè natalem cathedræ inter ipsa ieiuniorum initia nobis Deus præstitit, vt dies, quæ erat priùs intemperantiæ, nunc sit sobrietatis: quæ erat gulæ, sit abstinentiæ: quæ erat peccati, sit sanctitatis. Huius autem solennij religio sic ecclesijs introducta est: Cùm enim pertransiret apostolus disseminans verbum vitæ, & iaciens fundamentum Ecclesiæ, cùm appropinquaret Antiochiæ, cœpit per Nicetam & Aquilam tota ciuitas audire, quia Petrus aduentaret. Omnis autem populus Antiochiæ ciuitatis audientes Petrum aduenire Antiochiam, occurrerunt ei, & pene omnes maiores natu ac nobiles cineres sparserunt in capite, cilicio induti sunt, nudis pedibus pœnitentiam agentes, quòd contra prædicationem eius cum Simone mago consensissent. Hæc & his similia prosequentes, offerunt ei vexatos languoribus, & fatigatos dæmonijs, paralyticos quoq; & diuersa pericula patientes, & erat infinita multitudo simul languentium. Quos videns Petrus non solùm pœnitentiam agere de his, quæ de Deo malè sensissent per Simonem, verùm etiam tam integram fidẽ exhibere Deo, vt omnes diuersas ægritudines patientes, crederent per eum posse saluari: expandit manus suas ad cælum, & cum lachrymis orationem effundens, gratiasque referens Deo, dicebat: Benedico te pater prædicande, qui omne verbum & promissum filij tui adimplere dignaris, vt agnoscat omnis creatura, quia tu solus es Deus in cælo & in terra. Hæc & his similia dicens, ascendit in eminentiorem locum, & iussit ante se poni omnium ægrotantium multitudinem, quos omnes hac voce alloquitur: Similem vobis hominem me esse videntes, nolite putare quòd à me posſitis recuperare salutem: sed per eum qui de cælo descendens, ostendit sibi credentibus integram animæ & corporis medicinam. Vnde vestra fides testem habeat hunc omnem populum, quia ex toto corde creditis in Dominum Iesum Christum, vt sciant etiam semetipsos ab ipso posse saluari. Cunque omnis multitudo infirmãtium vna voce clamaret, hunc verum Deum, quem Petrus annuntiat, subitò immensum lumen gratiæ Dei in medio plebis apparuit, & cœperunt paralytici currere ad pedes Petri sani, cæci recepto visu clamare, claudi restaurato gressu gratias agere, languentes recepta sanitate gaudere: nonnulli etiam solo flatu viuentes, iam sine sensu & sine voce recuperati sunt: omnes quoque lunatici & dæmonijs pleni, liberati sunt. Tantam itaque spiritus sanctus in illa die gratiæ suæ virtutem ostendit, vt omnes à minimo vsque ad maximum vna voce confiterentur Deum. Et intra septem dies plùs quàm decem millia hominum credentes Deo, baptizati sunt, & sanctificatione consecrati, ita vt omni auiditatis desiderio, Theophilus qui erat cunctis potentibus in ciuitate sublimior, domus suæ ingentem basilicam Ecclesiæ nomine consecraret. In qua basilica Petro Apostolo ab omni populo constituta est cathedra, & omnis multitudo quotidiè ad audiendum verbum illuc conueniens, credebat sanæ doctrinæ, quam efficacitas sanitatum affirmabat. Tunc accedens Faustinus, procidit ad pedes Petri, dicens: Semina verbi tui, quæ ager mentis meæ accepit, iam nata sunt, atque ad fœcundam maturitatem prouecta: repone me in horreo dominico, faciens me mensæ diuinæ participem. Tunc Petrus cum omni alacritate apprehendens manum eius, tradidit eum Clementi & fratribus suis, dicens: Sicut patri filios restituit Deus, ita te patrem filij restituunt Deo. Indixit autem ieiunium omni plebi, & veniente die dominica baptizauit eum, atque in medio populi ex conuersione eius sumẽs materiam, omnes causas eius exposuit, ita vt omnis ciuitas quasi angelum eum suspiceret, & non minorem ei gratiam, quàm Apostolo exhiberet. Post hæc autem Petrus Romam veniens, multas turbas populorum ad fidem Domini nostri Iesu Christi sua prædicatione conuertit, cui est gloria & honor in secula seculorum, Amen.

Festum Cathedræ unde cœpit: ex lib. 10. Recognitionum Clementis.

IN EODEM FESTO. Matth. XVI.

In illo tempore: Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi: & interrogabat discipulos suos dicens: Quem dicunt homines esse filiũ hominis? Et reliq. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

LEctio sancti euangelij, quam modò fratres audistis, tanto intentiùs cogitanda, ac sine obliuione est iugiter retinenda, quanto constat, quia magnam nobis fidei perfectionem commendat, magnum eiusdem perfectæ fidei contra omnia tentamenta robur æquè demonstrat. Si enim scire volumus, quomodò in Christum credi oporteat, quid lucidius eo, quod ait ad eum Petrus: Tu es Christus filius Dei viui (Rursùs si audire dele

Matth.16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctit, quantùm hæc fides valeat, quid apertius eo, quod ait Dominus de Ecclesia, quæ super eum ædificanda erat, Et portæ inferi non prævalebũt aduersùs eam? Sed hæc suis in locis pleniùs exponentur. Nunc aũt reuertẽtes ad explanandam ordine lectionem dominicam, primò videamus de loco, in quo habita memoratur. *Venit (inquit) Iesus in partes Cæsareæ Philippi.* Philippus, vt Lucas testatur, erat tetrarcha Iturææ & Trachonitidis regionis. Hic ergo statuens ciuitatem in loco, vbi Iordanis ad radices oritur Libani montis, & est terminus Iudææ contra septentrionem, appellauit eam Cæsaream Philippi, in memoriam videlicet sui nominis, pariterque honorem Tiberij Cæsaris, sub quo ipse regnabat. In cuius partes veniens Iesus, interrogabat discipulos suos, dicens: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Non autem quasi nesciens sententiam de se vel discipulorum, vel extraneorum inquirit: sed ideò discipulos quid de se sentiant interrogat, vt confessionem rectæ fidei illorum digna mercede remuneret. Nam sicut interrogatis generaliter omnibus, Petrus respondit vnus pro omnibus: ita quod Petro Dominus respondit, in Petro omnibus respondit. Ideò quid alij de se sentiant inquirit, vt expositis primò sententijs errantium, discipuli probarentur veritatem suæ confessionis, non de opinione vulgata, sed de ipso percepisse dominicæ reuelationis arcano. Quem, inquit, dicunt homines esse filium hominis? Pulchrè homines appellat eos, qui de filio hominis tantum loqui nouerant, qui diuinitatis eius arcana nesciebant. Nam qui diuinitatis eius mysteria capere norunt, merito supra homines esse dicuntur, Apostolo attestante, qui ait:

Luc. 3.

1. Cor. 2. Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Qui cùm hæc de hominibus, hoc est, humana solùm sapientibus corde, aure & oculo, præmitteret, mox de se ac de sui similibus, qui generalem humanitatis scientiam transcenderent, adiecit: Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum. Cui simile est, quod hic Dominus cùm interrogasset discipulos, quem eum dicerent esse homines, & illi diuersas diuersorum opiniones prompsissent, dicit illis:

Vos autem quem me esse dicitis? quasi ab hominum generalitate illos sequestrans, & deos ac Dei filios per adoptionem iam factos insinuans, iuxta

Psal. 81. illud Psalmistæ: Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes. *Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus filius Dei viui.* Deum viuum appellat, ad distinctionem falsorum deorum, quos vario delusa errore gentilitas, vel de mortuis sibi hominibus instituit, vel maiore dementia de insensibili materia quos adoraret, creauit: de qualibus

Psalm. 113. canitur in Psalmo: Simulacra gentium, argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent, & non loquentur, &c. Notet autem dilectio vestra, quàm miranda distinctione sit factum, vt cùm de vtraque eiusdem Domini & saluatoris nostri natura, ab ipso Domino, & à fideli eius discipulo esset proferenda sententia, Dominus ipse humilitatem assumptę humanitatis profiteatur, discipulus excellentiam diuinæ æternitatis ostendat. Dominus de se quod minus est, discipulus de Domino intimat quod maius est. Dominus de se quod factus est propter nos: discipulus declarat de Domino, quia ipse est qui fecit nos. Sic & in euangelio Dominus multo crebriùs se filium hominis, quàm filium Dei appellare consueuit, vt nos admoneat eius dispensationis, quam pro nobis suscepit. Sed nos necesse est tanto humiliùs diuinitatis eius alta venerari, quanto illum meminimus pro nostra exaltatione ad humanitatis infima descendisse. Si enim inter sacramenta incarnationis eius, quibus redempti sumus, potentiam diuinitatis qua creati sumus, pia semper mente recolimus, fit vt ipsi quoque cum Petro supernæ beatitudinis mercede donemur. Nam confitente illo Christum filium Dei viui, videamus quid sequitur. *Respondens autem Iesus, dixit: Beatus es Simon Bar Iona.* Constat ergo, quia post veram Christi confessionem, vera beatitudinis præmia restant. Sed intueamur attentè, quale quantumúe sit nomen illud, quo perfectum sui nominis confessorem glorificat, vt huius etiam nos, veraciter eum confitendo, mereamur esse consortes. *Beatus, inquit, es Simon Bar Iona.* Bar Iona Syriacè, Latinè dicitur filius columbæ. Filius autem columbæ rectè vocatur apostolus Petrus, quia videlicet columba multùm simplex est animal: & ipse prudenti ac pia simplicitate Dominum sequebatur, memor illius præcepti, quod cum suis condiscipulis ab eodem magistro simplicitatis ac veritatis accepit: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. *Matth. 10*

Vel certè quia spiritusanctus super Dominum in columbæ specie descendit, rectè filius columbæ nuncupatur, qui spiritali gratia plenus extitisse monstratur. Et iusta satis laude dilectorem confessoremque suum Dominus remunerat, cùm eum sanctispiritus filium esse testatur, à quo ipse Dei viui filius asseueratur: quanuis hoc ipsum multùm dissimiliter fieri nullus fidelium dubitet. Dominus enim Christus filius Dei per naturam: Petrus, sicut & cæteri electi, filius est sancti spũs per gratiam. Christus filius Dei viui, quia de ipso natus est: Petrus filiꝰ spũssancti, quia de ipso renatus est. Christus filiꝰ Dei ante tempora (ipse est. n. Dei virtus & sapiẽtia, quæ dicit: Dominus possedit me in initio viæ *Prou. 8.* suæ, ante quàm quicquam faceret à principio:) Petrus filius spũssancti ex eo tempore, quo ab illo illuminatus, gratiam diuinæ cognitionis accepit. Et quia vna voluntas, eadẽ est operatio sanctæ Trinitatis, rectè cùm dixisset: Beatus es Simon Bar Iona, id est, filius gratiæ spiritalis: protinùs adiunxit: *Quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cælis est.* Pater quippe filio columbæ reuelauit, quia vna est gratia patris & spiritussancti, eadem quoque & filij: quod facilimis sacræ scripturæ probabitur exemplis. Dicit namque de patre Apostolus: Misit Deus spiritũ filij sui in corda nostra. Dicit ipse filius de spiritusancto: Cùm autem venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre. Dicit de spiritusancto Apostolus: Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Pater ergo misit spiritum, spiritus ipse vbi vult spirat: quia profectò, vt diximus, vna est voluntas & operatio patris & filij & spiritussancti: Et propterea conuenienter dicitur, quia pater qui in cælis est, reuelauerit filio columbæ mysterium fidei, quod ei caro & sanguis reuelare nequibat. Caro autem & sanguis rectè intelliguntur hominis sapientia carnis inflati, columbinæ simplicitatis nescij, ideoque à sapientia spiritus omnimodis auerti: de quibus suprà dictum est, quia Christum non intelligentes, alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam, aut vnum ex prophetis eum esse dicerent. De qualibus dicit Apostolus: Carnalis autem homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Sequitur: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meã.* Petrus, qui Simon anteà dicebatur, ob fortitudinem fidei, & confessionis suæ substantiam, à Domino Petri nomen accepit: quia videlicet illi firma ac tenaci mente adhæsit, de quo scriptum est: Petra autem erat Christus. Et super hanc petram, id est, super Dominũ saluatorẽ, qui fideli suo cognitori, amatori, confessori participium sui nominis donauit, vt videlicet à petra Petrus vocaretur, ædificatur Ecclesia: quia non nisi per fidem & dilectionem Christi, per susceptionem sacramentorum Christi, per obseruantiam mandatorum Christi ad sortem electorum, & æternam pertingitur vitam, Apostolo attestante, qui ait: Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est CHRISTVS IESVS. *Portæ inferi non prævalebunt aduersùs eam.* Portæ inferi, doctrinæ sunt nequam, quæ seducendo imprudentes, ad inferos trahunt. Portæ quoque inferi, & tormenta & blandimenta sunt persecutorum, quæ infirmos quosque deterrendo vel emolliendo à stabilitate fidei, introitum eis æternæ mortis aperiunt. Sed & praua infidelium opera, ineptaque colloquia portæ vtiq; sunt inferi, inquantùm suis vel auditoribus vel sequacibus iter perditionis ostendunt. Nam & fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa: Et corrumpunt bonos mores colloquia mala. Multæ itaque sunt portæ inferi, sed harum nulla Ecclesiæ, quæ supra petram fundata est, prævalet: quia qui fidem Christi intimo cordis amore perceperit, omne quicquid exteriùs periculi tentantis ingruerit, facilimè contemnit. At quicunque credentium fidem vel opere vel negatione deprauatus prodidit, non hic super petram Domino cooperante domum suæ professionis ædificasse, sed iuxta alterius loci parabolam super arenam sine fundamento posuisse credendus est: hoc est, non simplici ac vera intentione CHRISTVM sequi, sed terrenam quamlibet fragilemque ob causam habitum prætendisse Christiani. Sequitur: *Et tibi dabo claues regni cælorum.* Qui regem cælorum maiori præ cæteris deuotione confessus est, meritò præ cæteris ipse collatis claubus regni cælestis donatus est, vt constaret omnibus, quia absque ea fide & confessione regnum cælorum nullus posset intrare. Claues autem regni cælorum, ipsam discernendi scientiam potestamque nominat, qua dignos recipere in regnum, indignos secludere deberet à regno. Vnde manifestè subiungit: *Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Quæ soluendi atque ligandi potestas quanuis soli beato Petro videatur à Domino data, absque vlla tamen dubietate noscendum est, quia & cæteris apostolis datur, ipso teste, qui post passionis resurrectionisq; suæ triumphum apparens eis, insufflauit & dixit eis: Accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Necnon etiam nunc in episcopis ac presbyteris omni Ecclesiæ idem officium committitur, vt videlicet agnitis peccantium causis, quoscunque humiles ac vere pœnitentes aspexerint, hos iam à timore perpetuę mortis miserantes absoluãt: quos verò in peccatis quæ egerint, persistere cognouerint, illos perennibus supplicijs obligandos insinuent. Vnde aliàs Dominus de correpto semel & iterum, & tertiò, sed non pœnitente fratre, præcipit, dicens: Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Et ne leue quisquam putaret Ecclesiæ iudicio condemnari, mox terribiliter adiunxit: Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo. Omni ergo electorum Ecclesiæ, iuxta modum culparum vel pœnitentiæ, ligandi ac soluendi datur authoritas: sed ideò beatus Petrus, qui Christum vera fide confessus, vero est amore secutus, specialiter claues regni cælorum, & principatum iudiciariæ potestatis accepit, vt omnes per orbem credentes intelligant, quia quicunque ab vnitate fidei vel societatis illius quolibet modo semetipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolui, nec ianuam possint regni cælestis ingredi. Vnde nos necesse est tota intentione, fratres charissimi, & fidei quam docuit, sacramenta discere, & congruentia fidei opera demonstrare,

Gal. 4. *Ioan. 15.* *1. Cor. 12.* *Ioan. 3.* *Caro & sanguis.* *1. Cor. 2.* *1. Cor. 10.* *1. Cor. 3.* *Matth. 18* *Portæ inferi.* *Iac. 2.* *2. Cor. 11.* *Ioan. 29.* *Claues regni cælorum.* *Extra Ecclesiam quàm sit periculosũ degere.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

re: Necesse est omni vigilantia multiplices subtilesque portarum inferi cauere insidias, quatenus iuxta Psalmistæ vocem, de his adiuuante Domino eripi, atque ad annunciandas eius laudes, portas filiæ Sion, hoc est, gaudia supernæ mereamur ciuitatis intrare. Nec sufficere nobis ad salutem arbitremur, si turbis negligentium vel quorumlibet indoctorum fide vel actibus adæquemur, quibus in literis sacris vnica est credendi pariter & viuendi regula præscripta: sed quotiescunque nobis errantium ingeruntur exempla, nos confestim aduertentes oculos mentis nostræ ne videant vanitatem, magis quid veritas ipsa decernat, sedulo corde scrutemur, sequentes exemplum beati Petri, qui spretis errantium sectis, veræ fidei arcanum quod cognouerat, indubia oris confessione protulit, inseparabili cordis cura seruauit. Nam de fiducia confessionis hoc loco cognouimus: de virtute autem vnicæ in Christum dilectionis ipse alibi testatur: qui, cùm discederent ab eo quidam discipulorum eius, dicere tque ille ad duodecim: Nunquid & vos vultis abire? respondit ei Petrus, dicens: Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei viui. Huius ergo fratres mei pro modulo nostro exemplum si imitari satagimus, & nos cum illo beati & appellari & esse valebimus, nobis quoque Simonis, hoc est, obedientis Christo nomen congruet: nos propter simplicitatem fidei non fictæ acceptamque à Domino gratiam virtutum, filij columbæ vocabimur, congaudensque ipse spiritalibus animæ nostræ profectibus, dicet: Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es: oculi tui columbarum. Sicque fit, vt nobis supra petram fidei, aurum, argentum, lapides præciosos, hoc est, perfecta virtutum opera construentibus, nil tribulationum ignis detrimenti afferat, nulli tentationum turbines præualeant: quin potiùs aduersitatibus probati, accipiemus coronam vitæ, quam ille nobis antè promisit: Qui viuit & regnat Deus cum patre in vnitate spiritusancti, per omnia secula seculorum, Amen.

Psal. 9.

Ioan. 6.

Can. 4.

IN FESTO S. MATTHIAE APOSTOLI,

In lectionem Epistolæ loco, Concio exegetica.

Act. 1.

Petrus pastor Eccl.

IN *diebus illis: Exurgens Petrus in medio fratrum, dixit:* Quàm est feruidus, inquit Chrysostomus. Quàm agnoscit creditum à Christo gregem? Quàm in hoc choro princeps est? & vbique primus omnium incipit loqui. Hæc Chrysostomus. Porrò Oecumenius, Surgit Petrus, ait, non Iacobus, tum quia seruentior, tum quia discipulorum præsidentiam sibi commissam susceperat. Accedit, quòd mansuetus erat Iacobus, precibusque & quieti vtilior atque aptior, cùm alij videlicet rem tractarent. Vnde etiam Ierosolymitanam ei sedem concesere. Ita Oecumenius. *Erat autem hominum turba simul ferè centum viginti.* Aderant, inquit idem Oecumenius, centum & viginti ex ijs, qui Domino crediderant. Licet enim quingenti & septuaginta fuerint, quos vidisse Dominum asserit Paulus, 1. Cor. 15. postquàm resurrexit, hic tamen non nisi tot numero fuerunt, quos verisimile est selectiores fuisse & seruentiores, atque huiusmodi, quibus arcana consilia crederentur. Hęc ille. Chrysostomus verò, Cur non solus, inquit, à Christo postulauit, vt ipse daret aliquem substituendum in locum Iudæ? Deinde cur non potiùs per seipsos perficiunt electionem? Iam Petrus erat seipso factus melior. hoc ad priorem quæstionem responsum esto. Alterius verò, quamobrem non simpliciter aut vulgari modo, sed ex reuelatione postularint suppleri ministerium, duas causas adferemus: vnam quidem, quòd alijs rebus essent occupati: alteram, quòd hoc esset certissimum argumentum, Christum adhuc illis adesse. Quemadmodùm enim cùm præsens esset elegerat, ita & abiens elegit. Ea res non mediocre momentum habebat ad consolandos discipulorum animos. *Viri fratres, oportet impleri scripturam, quam prædixit spiritus sanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux eorum,* Psal. 108. *qui comprehenderunt Iesum, qui connumeratus fuerat in nobis, & sortitus est sortem ministerij huius.* Iam & illud considera, quàm Petrus agit omnia ex communi discipulorum sententia, nihil authoritate sua, nihil cum imperio. Neque simpliciter dixit, Hunc in locum Iudæ sufficimus: sed consolans illos super eo quod acciderat, vide quo pacto dicendi sumit exordium. Neque enim Iudæ factum mediocriter consternauerat illorum animos. Nec id tibi mirum videri debet. Etenim si nunc vulgus hoc factum traducit, quid illos tunc dixisse consentaneum est? Consolatur autem illos ex eo, quòd antè fore prædictum sit. Itidem & Christus vbique facit. Quem morem seruans & Lucas, ostendit nihil accidisse noui, sed quod iam olim prædictum erat fore. Non ait, Dauid dixit, sed spiritus per eum. Perpende quomodò prophetam reddit familiarem, eumque adducit in medium, sciens & ipsis fratribus expedire, vt intelligant hoc per Dauid fuisse dictũ, & non per alium prophetã. *De Iuda, inquit, qui dux fuit.* Vide & hic hominis prudentem moderationem. Non dicit contumeliam, neque insultat,

sultat, dicens, De sceleste illo, & omnibus sceleribus inquinato: sed simpliciter quod accidit indicat. Neque dicit, De eo qui prodidit: sed in alios detorquet crimen, per quos ad hoc deuenit. Ac ne illos quidem acriter mordet. Ac priusquàm eloquatur, vbi prædixerat hoc Dauid, narrat quod accidit Iudæ, vt ex præsentibus crederetque futura, ostenderetque Iudam iam dedisse pœnas. Hæc Chrysostomus. *Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia uiscera eius: & notum factum est omnibus habitantibus in Ierusalem, ita ut appellaretur ager ille lingua eorum Acheldemach, hoc est, ager sanguinis. Scriptum est* Psal. 68. *enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio eorum deserta, & non sit qui habitet in ea, & episcopatum eius accipiat alter.* Possedit vel comparauit agrum, non ad Iudam, ait Oecumenius, referens dixit. Non enim ipse fuit, qui emit agrum, sed sacerdotes pecunijs, quæ ab Iuda in templo proiectę fuerunt: sed quia tamen mercedem eam proditionis Iudæ tradiderant, ei agri comparatio adscribitur. Et quia ad sepulturam ager is assignatus erat, scriptura ea fuit expleta, quæ ait: Et commoratio eius deserta. quid enim sepulchris desertius est? Cùm vero, inquit, Et πρηνὴς γενόμενος, id est, pronus seu præceps effectus ac dejectus crepuit, id est, discissus est medius: ostendit eum simulac Dominum prodidit, ex nimia negligentia & ignauia desperando, sine hoc defunctum fuisse, dum sese suspensum præcipitem dejecisset. Quanquàm alij sunt, qui rupto fune, quo suspensus fuerat, pronum ac præcipitem in terram eum delapsum fuisse interpretentur, atque ita crepuisse. Alij superuixisse etiam aliquandiù post suspendium autumant. Cùm autem hæc de ipso post quadraginta dies commemoret, statim post proditionem contigisse ea ostendit. Commemorat autem hic Petrus præsentem Iudæ miseriam, propterea quòd imbecilliorum animi præsentibus maximè moueri ac corrigi consueuerunt: neque augeat atq; exaggerat peccatum, proditorem eum vocando, sed pœnam in quam incidit, dum quod passus est refert. Acheldemach autem agrum eum non ab Iuda, sed ab Iudæis vocatum fuisse asserit, Matth. 27. cùm inquit: Propria ipsorum lingua: quippe cùm etiam ipsi iniustè illud factum fuerint testificati. Hæc Oecumenius. Quod autem dicitur, Fiat commoratio eius deserta, etiam Chrysostomus de agro exponit, dicens: Quid enim desertius esse possit sepulchro? Itaque meritò debuit hoc nomine vocari ager. Etenim qui precium numerauit, etiamsi fuerunt alij qui emerant, tamen is meritò pro Domino habebatur magnæ desolationis. Hæc desolatio proœmium est Iudaicæ desolationis, si quis diligenter expendat. Nam & ipsi seipsos occiderunt fame, multosq; peremerunt, & ciuitas versa est in sepulchrũ hoVide Iosephum.

spitum ac militum. Sic Chrysostomus. Porrò Beda exponens ea verba, Hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, ita ait: Qui Dominum vitæ vendidit, terra viuentium amissa, agrum sanguinis & mortis æternæ, sceleris & nominis sui memoriã possidet. Alioquin nõ ipse Iudas emptum precio sanguinis agrum figuli, possidere meruit, qui relatis triginta argenteis, traditionis crimen criminosiore in se protinùs morte multauit. Sed more sacri eloquij, Possedit, dictum est, possidere fecit: sicut B. Iob ait: Et Iob 9. abominabuntur me vestimenta mea: id est, abominabilem me membra corruptibilia reddent. *Et suspensus crepuit medius.* Dignam sibi pœnam traditor amens inuenit, vt videlicet guttur, quo vox proditionis exierat, laquei nodus necaret. Dignum etiam locum interitus quæsiuit, vt qui hominum angelorumq; Dominum morti tradiderat, cælo terræq; perosus, quasi aëris tantummodò spiritibus sociandus, iuxta exemplum Achitophiel & Absalon, qui regem Dauid persecuti 3. Reg. 17 sunt, aëris medio periret. Cui vtique satis digno exitu mors ipsa succesit, vt viscera, quæ dolum proditionis conceperant, rupta caderent, & vacuas euoluerentur in auras. Cuius similima pœnæ mors Arrium hæresiarcham damnasse refertur, vt quia ille humanitatem Christi, iste diuinitatem extinguere moliebatur, ambo sicut sensu inanes vixerant, sic quoque ventre vacui perirent. *Fiat habitatio eius deserta, & non sit qui inhabitet in ea, & episcopatum eius accipiat alter.* Plani quidem sunt illi versiculi, & palàm beato Petro interpretante expositi: quia & Iudas meritam præuaricationis suæ pœnam excepit, abiensque in locum suum, gehennam videlicet infernalem, communem humanæ conuersationis habitationem immatura & impia morte deseruit, & nihilominùs accipiente sancto Matthia, locum ministerij illius & apostolatus, sacratissima perfectionis Apostolicæ summa restaurata est. Sed notandum, quòd nequaquàm iuxta vulgatam editionem de vno centesimo octauo psalmo totum testimonium est sumptum, verùm extrema pars tantùm: prior verò de sexagesimo octauo, in quo dictum est de Iudæis, Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Dum enim vellet beatus Petrus & Iudæ abiectionem, & electionem Matthiæ testimonijs adstruere propheticis, iunxit testimonium quod de episcopatu Matthiæ specialiter, & illud quod de Iudæorum, in quorum numero etiam Iudas erat, abiectione generaliter positum erat. Hucusque Beda, qui eodem loco etiam addit, in psalmo centesimo octauo triginta esse maledictiones in Iudam, Iscariotem illatas, iuxta numerum argenteorum, quibus Dominum vendere non timuit. *Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati, in omni tempore,*

Editio vtd gata hodiè sic non habet.

qua

Universidad de Deusto
Biblioteca

quo intrauit & exiuit inter nos Dominus IESVS, *incipiens à baptismate Ioannis, usque in diem qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri unum ex istis.* Communicat cum ipsis hoc, ait Oecumenius Chrysostomum secutus, ne res in certamen veniat, in contentionemque incidant. Propterea etiam in principio, Viri fratres, inquit, oportet ex vobis eligi: multitudini iudicium committens, vt simul & eligendos venerabiles reddat, & sese ab aliorum inuidia, absoluat. quodq; hoc oporteat fieri, Prophetæ testimonium adducit, qui ait: Et præsidentiam eius accipiat alter. Ex quibus autem hoc faciendum est? Ex ijs nimirùm, qui ex conuentu cum ipsis mora temporis experimentum sui exhibere potuerunt. Quocirca neque ex probis dixit, ne alios contumelia afficere videretur atque offenderet. Addidit autem, A Ioannis baptismate: Propterea quòd ea, quæ anteà facta fuerant, nemo ex ipsis visu & præsentia nouerat, nisi solus ille qui eos elegerat: sed spiritu tantùm perceperant. Testem verò resurrectionis dixit, eò quòd diuinitatis IESV summa ea præcipuè est. Miraculorum enim, quæ antè passionem fecerat, etiam ex infidelibus qui inspexerant, multi erant testes. Atenim explere Apostolorum numerum studebant, ne magistri electio quasi manca & detruncata relinqueretur, Sic Oecumenius. *Et statuerunt duos, Ioseph, qui uocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, & Matthiam.* Quarè non multos? inquit Chrysostomus. Ne maior fieret animorum perturbatio, néue res in multos distraheretur. Neque temerè non præfert illum, videlicet ostendens cum frequenter, qui apud homines in precio est, apud Deum esse inferiorem. Omnes tamen communiter orant, dicentes: *Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum ministerij huius & apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas, ut abiret in locum suum.* Tu inquiunt, non nos. Aptè cordium cognitorem appellant. hinc enim erat electio facienda. Hoc pacto confidebant, quòd oporteret omnes vnum fieri. Non dixerunt: Elige, sed, Ostende electum, hoc est, quem tu elegisti: scientes, quòd omnia priùs à Deo fuerant destinata. Ex his duobus, vt vnus accipiat sortem huius ministerij & apostolici muneris. Hoc ideò dicunt, quòd esset & aliud ministerium. Hæc Chrysostomus. Quòd autem dicitur, *Vt abiret in locum suum*, Oecumenius vel de suspendio putat intelligi, quo per proditionem dignum se reddidit, in quodque abijt Iudas: vel de loco, in quem expulso Iuda alter sibi proprium, præsidentia eius accepta, erat succeßurus. *Et dederunt sortes eis, & cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis.* Non hoc exemplo, ait Beda, vel quòd Ionas propheta sorte deprehensus sit, indifferenter sortibus est credendum, cum priuilegia singulorũ, vt Hieronymus ait, communem legem facere, omninò non possint. Nam ibi & gentiles viri tempestate coacti, authorem periculi sorte quærebant, & hìc Matthias sorte eligitur, ne apostoli electio à mandato discrepare legis veteris videretur, vbi summus sacerdos sorte quæri iubebatur, sicut de Zacharia dicitur, Secundùm consuetudinem sacerdotij sorte exijt, vt incensum poneret. Qui idcircò, vt reor, tunc sorte legebatur, vt typo figuraretur, verum semper quærendum fuisse sacerdotem, donec veniret, cui repositum erat: qui non in hostiarum cruore, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Cuius hostia tempore Paschæ immolata, sed die Pentecostes spiritu sancto in igne apparente, verè consumpta est. Veteris enim erat consuetudinis, acceptas Deo victimas cælesti igne consumi. Donec ergo veritas compleretur, figuram licuit exerceri. Inde est, quòd Matthias, qui ante Pentecosten ordinatur, sorte quæritur: septem vero diaconi, qui posteà, nequaquàm sortis agitatione, sed discipulorum tantùm electione, apostolorum verò oratione & manus impositione sunt ordinati. Quòd si qui necessitate aliqua compulsi, Deum putent sortibus exemplo apostolorum esse consulendum, videant hoc ipsos Apostolos non nisi collecto fratrum cœtu & precibus ad Deũ fusis egisse. Hæc Beda. Memorabile est, quod hoc loco Chrysostomus habet. Si credis, inquit, Dei esse electionem, ne indigneris: illi enim indignaris, & aduersùs illum iritaris. Illius enim est electio. Quòd si ipse elegit, tu verò audes huic indignari, idem facis quod Cain. Oportet enim probare, quod Deo placuit. At ille quoniam prælata est victima fratris, incensus est, indignatus est, cùm oporteret compungi. Ego verò non hoc dico, sed quòd Deus nouit vtiliter dispensare. Hæc & multa alia Chrysostomus, quæ nos debent admonere, ne temerè carpamus ecclesiarum præpositos. Faxit præpotens Deus, vt eius gratia & benignitate digni efficiamur, qui ab illo inter sanctos eligi, & cum electis omnibus annumerari mereamur, AMEN.

Ioan. 1.

In primã cap. ioãn.

Luc. 1.

Gen. 4

Cætera huius festi quærantur in Communi Apostolorum &c.

IN ANNVNTIATIONE B. MARIAE,

Sermo beati Augustini episcopi.

Habetur in Concilio ad Catechumenos, & tractatu. ult. de Symbolo.

VOS, inquam, conuenio ô Iudæi, qui vsque in hodiernum diem negatis filium Dei. Nónne vox vestra est illa, quando eum videbatis miracula facientem, atque tentantes dicebatis: Quousque animas nostras suspendis? Si tu es Christus, dic nobis palàm. Ille autem ad considerationem miraculorum nos mittebat, dicens: Opera quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me: vt Christo testimonium dicerent, non verba, sed facta. Vos autem non agnoscentes saluatorem, qui operabatur salutem in medio terræ vestræ, adijcientes in malo, aiistis: Tu de teipso testimonium dicis, testimonium tuum non est verum. Sed ad hæc ille quid vobis responderit, aduertere noluistis. Nónne scriptum est in lege vestra, quòd duorum hominum verum sit testimonium? Prœuaricatores legis, intendite legem. Testimonium quæritis de Christo? In lege vestra scriptum est, quòd duorum hominum testimonium verum sit. Procedant de lege vestra non tantùm duo, sed etiam plures testes Christi, & conuincãt auditores legis, nec factores. Dic Elaia testimonium Christo: Ecce virgo, inquit, in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuél, quod est interpretatum, nobiscum Deus. Accedat & alius testis. Dic & tu Ieremia testimonium Christo. Hic est inquit, Deus noster, & non æstimabitur alius absque illo, qui inuenit omnem viam scientiæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Ecce duo testes idonei ex lege vestra, ex quorum testimonio non sunt compuncta corda vestra. Sed alij atque alij ex lege Christi testes introducantur, vt frontes durissimæ inimicorum conterantur. Veniat & ille Daniel sanctus, iuuenis quidem ætate, senior verò scientia ac mansuetudine, conuincat omnes falsos testes: sicut conuicit seniores impudicos, ita suo testimonio Christi cõterat inimicos. Dic sanctè Daniel, dic de Christo quod nosti. Cùm venerit, inquit, sanctus sanctorum, cessabit vnctio. Quarè illo præsente, cui insultantes dicebatis: Tu de te testimonium dicis, testimonium tuum non est verum: cessauit vnctio vestra, nisi quia ipse est, qui venerat sanctus sanctorum? Si, vt vos dicitis, nondùm venit, sed expectatur vt veniat sanctus sanctorum, demonstrate vnctionem. Si autem (quod verum est) cessauit vnctio vestra, agnoscite veniße sanctum sanctorum. Ipse est enim & lapis ille abscißus de mõte sine manibus concidentium, id est, Christus natus de virgine sine manibus complectentium, qui tantùm creuit, vt mons magnus fieret, & impleret vniuersam faciem terræ. De quo monte dicit prophe-

Deut. 17.

Ioan. 8.

Esa. 7.

Baruch 3.

Esai. 2. Psalm. 67

ta: Venite, ascendamus in montem Domini. Et de quo dicit Dauid: Mons Dei mons huberrimus, vt quid suspicamini montes incaseatos, mõtem in quo placuit Deo habitare in ipso? Cùm enim ipse Dominus Christus discipulos suos interrogaret, quem dicerent homines esse filium hominis, responderunt: Alij Eliam, alij Ieremiã, aut vnum ex prophetis. Et ille: Vt quid suspica-

mini mõtes incaseatos, montem in quo placuit Deo habitare in eo? Hunc cognouit Petrus, dicens: Tu es Christus filius Dei viui. Agnouit montem, & ascendit in montem: testimonium dixit veritati, & dilectus est à veritate. Supra petram fundatus est Petrus, vt mortem susciperet illum amando, quem ter negauerat timendo. Dic & tu Moyses legislator, dux populi Israël, testimonium Christo. Prophetam vobis excitabit Deus de fratribus vestris. Omnis anima, quæ non audierit prophetam illum, exterminabitur de populo suo. Prophetam autem dictum Christũ, ipsum audi in euangelio: Nõ est, inquit, propheta sine honore, nisi in patria sua. Accedat autem Dauid sanctus, testis fidelis, ex cuius semine processit ille, cui lex & prophetæ testimonium reddunt: dicat & ipse testimonium Christo. Adorabunt, inquit, eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient illi. Cui seruient? Dic, cui seruient? Vis audire cui seruient? Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexterã meã: Donec ponã inimicos tuos scabellũ pedũ tuorum. Expressiùs atque nominatim. Quare, inquit, tumultuatæ sunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersùs Dominum, & aduersùs Christum eius: Accedat & alius testis. Dic & tu Abacuc testimonium Christo. Domine, inquit, audiui auditum tuum, & timui: consideraui opera tua Deus, & expaui. Quæ opera Dei iste miratus expauit? Nunquid fabricam mundi iste miratus expauit? Absit. Sed audi quid expauit. In medio, inquit, duũm animaliũ cognoscêris. Opera tua Deus: Verbum caro factum est. In medio duũm animalium cognosceris, qui quousq; descendisti, expauescere me fecisti: quia verbum, per quod facta sunt omnia, in præsepio iacuisti. Agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. In medio duũm animalium cognosceris. Quid est in medio duũm animalium cognosceris, nisi aut in medio duorum testamentorum, aut in medio duorum latronum, aut in medio Moysi & Eliæ, cum eo in monte sermocinantium? Ambulauit, inquit, verbum, & exiuit in campos. Verbũ caro factum est, & habitauit in nobis Hoc & Ieremias ait: Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Ecce quemadmodùm sibi conueniunt testes veritatis, ecce quemadmodùm conuincunt filios falsitatis. Sufficiunt vobis ista ô Iudæi, an adhuc ad vestram confusionem ex lege, & ex gente vestra alios introducemus testes, vt illi testimonium perhibeant, cui perdita mente insultantes dicebatis: Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuũ non est verum? Quòd si velim ex lege & prophetis omnia, quæ de Christo dicta sunt, colligere, facilius me tempus quàm copia deserit. Verumtamen senem illum ex gente vestra natum, sed in errore vestro non relictum, Simeonem

Deut. 18.

Matth. 13

Psal. 71.

Psal. 109.

Psalm. 2.

Abacuc 3.

Esa. 1.

Luc. 23.

Matth. 17

Ioan. 1.

Baruch 3.

sanctum

Universidad de Deusto
Biblioteca

sanctum introducam, qui meruit teneri decrepitus in hac luce, quo adusque videret veram lucē: quem quidem iam ætas compellebat ire, sed expectabat suscipere, quem sciebat venire: cùm iste senex admonitus esset à spiritu sancto, quòd non antè moreretur, quàm videret Christū Dei natum: quem cognoscens venit ad templum. Vbi verò eum portari matris manibus vidit, & diuinam infantiam pia senectus agnouit, tulit infantem in manibus suis. Ille quidem Christum ferebat, sed Christus senem regebat. Regebat qui portabatur, ne ille ante promissum à corpore solueretur. Quid tamen dixerit, quem confessus fuerit, aduertite inimici, non Christi, sed vestri. Benedicens Deum exclamauit senex iste, & dixit: Nunc dimittis Domine seruum tuū, secundùm verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum. Illi etiam parentes Ioannis, Zacharias & Elizabeth iuuenes steriles, in senecta fœcundi, dicant etiam ipsi testimonium Christo, dicant de Christo quid sentiant, & testem idoneum Christo nutriant. Aiunt enim suo paruulo nato: Tu puer propheta altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius. Ipsiq; matri & virgini Elizabeth ait: Vnde mihi hoc, vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Intelligens enim Ioannes matrem Domini sui venisse ad matrem suam, inter ipsas angustias vteri adhuc positus, motu salutauit, quem voce non poterat. Qui posteà ipse Ioannes præcursor & amicus, humilis & fidelissimus seruus, testis idoneus factus, tanto maior in natis mulierum, quanto æstimabatur esse quod non erat: Christum enim eum Iudæi esse credebant, sed ille se non esse clamabat, dicens: Quem me esse suspicamini, non sum ego: sed ecce venit post me, de cuius pedibus non sum ego dignus soluere corrigiam calceamenti eius. O fidelis testis & amice veri sponsi, quantùm te humiliasses, si ad corrigam calceamenti eius soluendam dignum te esse dixisses. Sed dum hoc non te dignum dicis, Iudæis falsis testibus contradicis. Et hæc à te dicta sunt antè, quàm Christum videres, qui cùm ad te ipse venit excelsus & humilis implendæ dispensationis suæ gratia, vt à te baptizaretur, qui nullum habebat omninò peccatum, quid respondeberis, quem cognoueris, quale testimonium protuleris, audiant inimici qui audire nolunt. Ecce, inquit, agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Eradicecit: Tu ad me venis baptizari? Ego à te debeo baptizari. Agnouit seruus Dominum, agnouit peccati originalis vinculis obligatus, ab omni nexu peccati liberum, agnouit præco iudicem, agnouit creatura creatorem, agnouit paranymphus sponsum. Nam & hæc vox Ioannis est: Qui habet sponsam, sponsus est. Amicus autem sponsi stat, & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem sponsi. Sufficiunt vobis

Luc. 2.

Luc. 1.

Ibid.

Luc. 3.

Iodn. 1.

Matth. 3.

Ioan. 3.

ista ô Iudæi, sufficiunt vobis tanti testes & testimonia ex lege vestra, ex gente vestra, an adhuc impudentia nimia audebitis dicere, quòd alterius gentis vel nationis homines Christo debēt testimonium perhibere? Sed si hoc dicitis, reipsò det quidem ille vobis: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël. Sed sicut vos in Actibus Apostolorum increpat Paulus: Vobis primùm oportuerat annunciare verbum Dei, sed quia repulistis illud, nec vos dignos vitæ æternæ iudicastis, ecce, inquit, conuertimus nos ad gentes: demonstremus etiam nos ex gentibus testimonium Christo fuisse prolatū, quoniam veritas non tacuit, clamando etiam per linguas inimicorum suorum. Nónne quando poëta ille facundissimus inter sua carmina, Iam noua progenies cælo dimittitur alto, dicebat, Christo testimonium perhibebat? In dubiū hoc veniet, nisi alios ex gentibus idoneos testes pluraque dicentes in medium introducam. Illum regem, qui vestram superbiam captiuando perdomuit, Nabuchodonosor regem scilicet Babylonis non prætermittam. Die Nabuchodonosor quid in fornace, quò tres viros iustos iniusè immiseras, dic quid tibi fuerit reuelatum. Nónne, inquit, tres viros misimus in fornacem ligatos? Et aiunt ei: Verè rex. Ecce, inquit, ego video quatuor viros solutos deambulantes in medio ignis, & corruptio nulla est in eis, & aspectus quarti similis est filio Dei. O alienigena, vnde tibi hoc? Quis tibi annuntiauit filium Dei? Nondum quidem mundo nascitur, & similitudo nascentis à te cognoscitur. Vnde tibi hoc? Quis tibi istud annunciauit, nisi quia sic te diuinus ignis intùs illuminauit, vt cùm illic apud te captiui tenerentur inimici Iudæi, sic diceres testimoniū filio Dei? Sed quia in ore duorū vel triū testium stat omne verbum, sicut ipse Dominus confutās vestram contumaciam, In lege, inquit, vestra scriptum est, quòd duorum hominum testimonium verum sit, etiam ex gentibus tertius testis introducatur, vt testimonium veritatis omni ex parte roboretur.

Act. 13.

Virgil. eclog. 4.

Dan. 3.

Deut. 19.

Quid Sibylla vaticinando etiam de Christo clamauerit, in medium proferamus, vt ex vno lapide, vtrorumque frontes percutiantur, Iudæorum scilicet atque paganorum, atq; suo gladio, sicut Golias, Christi omnes percutiantur inimici. Audite quid Sibylla dixerit:

Iudicij signum, tellus sudore madescet.
E cælo rex aduenict per secla futurus,
Scilicet in carne præsens vt iudicet orbem.
Vnde Deum cernent incredulus atq; fidelis,
Celsum cum sanctis, æui iam termino in ipso.
Sic animæ cum carne aderunt, quas iudicat ipse.
Cùm iacet inscitus densis in uepribus orbis.
Reijcent simulachra uiri, cunctam quoq; gazam.
Exuret terras ignis, pontumq; polumq;,
Inquirens, terri portas effringet auerni.
Sanctorum sed enim cunctæ lux libera carni

Vaticinia Sibyllæ Erythræ

Tra-

Tradetur, fontes æternaq; flamma eremabit,
Occultos actus retegens, tunc quisq; loquetur
Secreta, atq; Deus reserabit pectora luci.
Tunc erit & luctus, stridebunt dentibus omnes.
Eripitur solis iubar, & chorus interit astris.
Voluetur cælum, lunaris splendor obibit.
Deijciet colles, valles extollet ab imo.
Non erit in rebus hominum sublime uel altum.
Iam æquantur campis montes, & cerula ponti
Omnia cessabunt, tellus confracta peribit.
Sic pariter fontes torrentur, fluminaq; igni.
Et tuba tunc sonitum tristem demittet ab alto
Orbe, gemens facinus miserum uariosq; labores,
Tartareumq; chaos monstrabit terra debiscens.
Et coram Domino reges sistentur ad unum.
Decidet è cælo ignisq; & sulphuris amnis.

Hæc de Christi natiuitate, passione & resurrectione, atque secundo eius aduentu ita dicta sunt, vt si quis in Græco capita horū versuū discernere voluerit, inueniat Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτήρ, id est, IESVS CHRISTVS filius Dei saluator. Quod & in Latinum translatis eisdem versibus appareat, præterquàm quòd Græcarum literarum proprietas non adeò potuit obseruari.

Alios versus Sibyllinos, Christi passionem apertiùs demonstrantes, intentissimè audiamus.

In manus iniquas infidelium posteà ueniet.
Dabunt Deo alapas manibus incestis.
Et oribus immundis expuent saluas uenenosas.
Dabit autem in uerbera omninò innocens dorsum.
Et colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoscat
Quòd uerbum, & unde uenit, ut mortuis loquatur.
Et coronam portabit spineam:
In cibum autem fel, & ad sitim acetum dabunt.
Inhospitalitatis hanc monstrabunt mensam.
Ipsa enim stulta, Deum tuum non cognouisti
Ludentem mortalibus mentibus, sed & spinis
Coronasti corona, horridumq; fel miscuisti.
Templi uerò uelum scindetur, & die
Media nox tenebrosa nimis tribus horis.
Et mortis fatum finiet trium dierum somno suscepto.
Et tunc à mortuis regressus, in lucem ueniet,
Primus resurrectionis initium reuocatus ostendet.

Credo iam vos, ô inimici Iudæi, tantis testibus ita obrutos confutatosque esse ipsa veritate, vt nihil vltrà repugnare, nihil quærere debeatis.

ITEM SERMO IN eodem festo.

DEst nobis, dilectissimi, optatus dies beatæ ac venerabilis semper virginis Mariæ. Ideò cum summa exultatione gaudeat terra nostra, tāctæ virginis illustrata die sollenni. Hęc est enim flos campi, de qua ortum est preciosum lilium conuallium, per cuius partū mutatur natura protoplastorū, deletur & culpa. Præcisum est in ea illud Euæ infelicitatis elogiū, quod dicitur: In dolore paries filios tuos: quia ista in lætitia Dominum peperit. Eua enim luxit, ista exultauit. Eua lachrymas, Maria gaudium in ventre portauit: quia illa peccatorem, ista edidit innocentem. Virgo quippe genuit, quia virgo concepit. Inuiolata peperit, quia in conceptu libido non fuit. Vtrobique miraculum: & sine corruptione grauida, & in partu virgo puerpera. Descendit angelus de cælo missus à patre Deo in nostræ redēptionis exordiū, ac beatam salutando Mariam. *Aue, ait, gratia plena, Dominus tecum.* Impleta est ergo gratia, & Euæ euacuata est culpa. Maledictio Euæ, in benedictionem mutatur Mariæ. Aue, inquit, gratia plena, Dominus tecum. Tecum Dominus in corde, tecum in ventre, tecum in vtero, tecum in auxilio. Gratulare beata virgo. Christus rex è cælo suo, incarnatur in vtero tuo: ex sinu patris in vterum dignatur descendere matris. *Benedicta tu, inquit, in mulieribus,* quæ vitam & viris & mulieribus peperisti. Mater generis nostri pœnam intulit mūdo: genitrix Domini nostri salutē attulit mūdo. Authrix peccati Eua, authrix meriti Maria. Eua occidēdo obfuit, Maria viuificādo profuit. Illa percussit, ista sanauit. Pro inobedictia enim obedictia cōmutatur, fides pro perfidia cōpensatur. Læta igitur Maria gestat infantem, exultās amplexatur filium, portat à quo portabatur. Nec fortuitu (vt fingunt Sabelliani) reperit paruulū, sed decursis nouem mensibus peperit Christū. Plaudat nunc organis Maria, & inter veloces articulos tympana puerperæ concrepent. Concinant lætantes chori, & alternantibus modulis dulcisona carmina misceantur. Audite ergo, quemadmodùm tympanistria nostra cantauerit. Ait enim: Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est, & cæt. Causam igitur inhalescentis errati, miraculum noui partus eluicit, & Euæ planctum, Mariæ cantus excluſit. Denique post illius benedicibile angeli præsagium, dum tacita secum virgo mentis altercatione conflixit, qualis esset ista salutatio, nuntius interim cælestis exequitur: *Ne timeat Maria: inuenisti enim gratiam apud Dominum. Ecce concipies in utero, & paries filium, & uocabis nomen eius Iesum. Et illa: Quomodò, inquit, fiet istud, quo-*

Est in Sermonibus Augustini de Sanctis decimus octauus.

Luc. 1.

Gen. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

niam uirum non cognosco? Et angelus ad eam: Spiritus sanctus superuenit in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi. Ideóque & quod nascetur ex te sanctum, uocabitur filius Dei. Iam audisti quomodò fiet hoc, respondenunc verbum. Vitam quid tricas mundo? Audisti quomodò fiet hoc, quia spiritus sanctus superueniet in te, vt prolem gignas, & virginitatē non perdas: filium proferas, & post partum incorrupta permaneas. O beata Maria, seculum omne captiuum tuum deprecatur assensum, te apud Deum mundus suæ fidei obsidem fecit.

Noli morari virgo: nuntio festinanter responde verbum, & suscipe filium: da fidem, & senti virtutem. *Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundùm uerbum tuū.* Nec mora, reuertitur nuntius, & virginalem thalamū ingreditur Christus. Efficitur subitò prægnans Dei beata genitrix, & cuncta per secula prædicatur felix. Concepit mox ad credulitatem verbi, virilis ignara consortij. Impletur vterus, nullo humano poliutus complexu. Exultat itaque virgo cùm concepit, virgo grauida, virgo extat cùm parit, & virgo post partum. Præclara ergo illa virginitas, & gloriosa fœcunditas. Exultat Maria, & matrem se læta miratur, & de spiritu sancto se protulisse gaudet: nec quia peperit innupta, terretur: sed quia genuerit, cū exultatione miratur. Gaudeamus ergo & nos fratres in die tantæ virginis, quæ dum desponsaretur fabro, cæli nupsit architecto. Promittitur enim ei filius per visitationem sancti spiritus. Hæc illa audiens gaudet, cupitque effici mater. Quid ergo mirum, si sine corruptione nascitur, qui de sanctificatione concipitur? Non enim decebat, vt ille qui nobis afferebat salutem, matri præriperet integritatis dignitatem. Nam qui terra, mari cæloque non capitur, intra vnius corpusculi membra suscipitur. Hæc est illa nouitas, Ieremiæ prophetæ vaticinio prænuncia-
Ierem. 31. ta, Faciet, inquit, Dominus nouum super terrā: fœmina circundabit virum. O fœmina super fœminas benedicta, quæ virum omninò nō nouit, & virum suo vtero circundedit. Circundat virū
Gen. 3. Maria angelo fidem dando, quia Eua perdidit virum serpenti consentiendo. Salutat angelus puellam viri salutationis ignaram, terretur virgo nouitate verborum. Ad quam angelus, vt superiùs prætulimus, dixit: *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Dominum.* Ne, inquit, à conspectu meo terreris mater Domini mei. ego conceptionis tuæ minister aduenì, nō vt virginitatem amitteres interueni. Ipse me misit ad te, qui est nasciturus ex te. Concipies & paries filium, non cuiuslibet meriti hominem, sed totius seculi sal
Esai. 7. uatorem. Recole Maria in libro Esaiæ prophetæ virginem, quam parituram legisti, & gaude atque exulta, quia tu esse meruisti. Tu ibi præfigurata es virgo. Tu ecce concipies in vtero, non
Matth. 1. de viro, sed de spiritu sancto: & grauida eris, & incorrupta permanebis. Paries quidem filium, & virginitatis non patieris detrimentum: et ficteris grauida, & eris mater semper intacta: senties pondera ventris, & pudorem non perdes castitatis. Intumescent hubera tua, & intacta erunt genitalia tua. At illa dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm uerbum tuum.* O felix obedientia, ô insig *Ose. 6.*
nis gratia, qui dum fidem dedit humiliter, cæli in se opificem corporauit. Impleuit in ea Dominus, quod dudum prædixerat. Obedientiam, inquit, malo, quàm sacrificium, & scientiam Dei plùs quàm holocausta. Hæc fuit vera obedientia, omnique sacrificio gratior, hæc voluntas cūctis hostijs acceptior: hinc promeruit gloriam, quam ipsa postmodùm hausit. Ecce ait. Ex hoc beatam me dicent omnes generationes. O beata Maria, quis tibi dignè valeat iurè gratiarum, ac laudū præconia rependere, quæ singulari tuo assensu, mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persoluet, quę solo tuo commercio recuperandi aditum inuenit? Accipe itaque quascunque exiles, quascunque meritis tuis impares gratiarum actiones, & cùm susceperit vota, culpas nostras orando excusa: Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus: Fiat impetrabile, quod fida mente poscimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excusa quod timemus: quia tu es spes vnica peccatorum, per te speramus veniam delictorum, & in te beatissima, nostrorum est expectatio præmiorum. Sancta Maria, succurre miseris, iuua pusillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo sexu. Sentiant omnes tuum iuuamen, quicunque celebrant tuam commemorationē. Assiste parata votis poscentiū, repēde omnibus optatum effectum. Sint tibi studia assiduè orare pro populo Dei, quæ meruisti benedicta redemptorem ferre mūdi, qui viuit & regnat in secula seculorum.

IN FESTO ANNVNTIATIONIS B. MARIAE,
In lectionem Epistolæ loco, Concio exegetica.

RVrsùs lætitiæ nuntij, inquit Chrysostomus, rursùs liber- *In Cantic. de Annuntiationē.*
tatis indicia, rursùm reuocatio, rursùm reditus, rursùm gaudia, rursùm à seruitute liberatio. Angelus cum virgine loquitur, quoniam serpens cum muliere locutus fuerat. Missus est Gabriel, vt totius mundi salutem nuntiaret. Missus est Gabriel, vt scriptum reuocationis Adam adferret. Missus est Gabriel ad origine, vt mulieris dedecus in honorem conuerteret. Missus est Gabriel, vt

vt puro sponso thalamum pararet. Missus est Gabriel, vt inter creaturam & creatorem sponsalia celebraret. Missus est Gabriel ad animatū palatium regis angelorum. Missus est Gabriel ad virginem desponsatam quidem Ioseph, sed seruatam filio Dei. Missus est lucernæ splendor, qui iustitiæ solem annuntiaret. Missus est nitor aurorę, qui diei lumen præcurreret. Missus est miles, qui Imperatoris mysterium promulgaret: mysterium quod fide cognoscitur, & curiositate non inuenitur: mysterium adorandum, nō humana prudentia ponderandum: mysterium diuinis, non humanis rationibus explicandum.

Esai. 7. Hæc ex Chrysostomo præfati, iam ad lectionis expolitionem properemus. *In diebus illis: Locutus est Dominus ad Achaz, dicens: Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundū inferni, siue in excelsum suprà.* Hūc

Ibid. locum sic interpretatur D. Hieronymus: Qui priùs per prophetam locutus fuerat ad Achaz, Vide vt fileas: noli timere & cæt. illo non credente, & ideò non intelligente, ipse loquitur ad Achaz, vt saltem authoritate Domini territus, suscipiat quæ dicuntur. Quia tibi, inquit, videtur esse difficile, quòd regna potentissima breui tempore finienda sint, & tu cum populo tuo de magno periculo libereris: pete tibi signum, nequaquam ab idolis, quorum errore retineris: sed à Domino Deo tuo, qui tibi auxiliū pollicetur: & ipsum signum optionis tuæ est vnde postules, siue de profundo, siue de excelso. Sicut profundum, infernum significat: ita excelsum, supra cęlos intelligere debemus: vt cùm de inferno, siue de excelso signum acceperis, credas futura, quæ dixi. Vis, inquit, vt scindatur terra, & grandi hiatu inferi pateant, qui in corde terræ esse dicuntur, an vt aperiantur cæli? Quod vtrunque ad typum pertinet mortis Domini & ascensionis. *Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo Dominum.* Nō humilitatis est sed superbiæ, quòd non vult signum à Domino postulare. Quanquā
Deut. 6. enim scriptum sit in Deuteronomio, Non tenta-
Matth. 4. bis Dominum Deum tuum, & hoc contra diabolum saluator vsus sit testimonio: tamen iussus vt peteret, obedientia debuit explere præceptum:
Iudic 6. & 13. præsertim cùm & Gedeon & Manue signum petierint & acceperint. Sciebat enim rex impius, quòd si signum peteret, accepturus esset, & glorificaretur Dominus. Ergo quasi idolorum cul-
2. Par. 28 tor, qui in omnibus angulis platearū, & in montibus lociscque nemorosis aras constituerat, & pro Leuitis habebat phanaticos, non vult signum petere, quod præceptum est. *Et dixit: Audite ergo domus Dauid: Nunquid parum uobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo?* Hæc prophetā dicit, & est sensus: Quia non solùm prophetas perfequimini, & eorum dicta contemnitis, sed & præsentis & iubentis Dei sententiæ cōtradicitis, ita vt ei exhibeatis laborē. *Propterea dabit Dominus ipse nobis signū: Ecce uirgo concipiet & pariet filiū, & uocabitur nomen eius Emmanuel.* Quando dicitur, Dabit Dominus ipse vobis signum: nouum debet esse atque mirabile. Sin autem iuuenculave puella, vt Iudæi volunt, & non virgo pariat, quale signum poterit appellari, cùm hoc nomen ætatis sit, non integritatis? Ergo halma, non solùm puella vel virgo, sed cùm κεκαλυμμένου virgo abscondita dicitur & secreta, quæ nunquàm virorum patuerit aspectibus, sed magna parentum diligētia custodita sit. Quodq; sequitur: Et vocabis (sic enim legit Hieronymus) nomen eius Emmanuel, idē sic exponit: Ergo iste puer, qui nascetur ex virgine, ô domus Dauid, nunc à te appelletur Emmanuel, id est, Nobiscū Deus: quia rebus ipsis probabis, à duobus inimicis regibus liberata; Deum te habere præsentem: & qui posteà vocabitur Iesus, id est, saluator, eò quòd vniuersum hominum genus saluaturus sit, nunc à te Emmanuelis appelletur vocabulo. Verbum, quod omnes interpretati sunt, vocabis, potest intelligi & vocabit: quod ipsā scilicet virgo, quæ concipiet & pariet, hoc Christum appellatura sit nomine. *Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Ne cum putes, ô Domus Dauid, in phantasmate nasciturum, cibis vtetur infantiæ, butyrum comedet & lac. Et licet multa post secula de eo Euangelista testetur, Puer autem proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines: & hoc dicatur, vt veritas humani corporis approbetur: tamen adhuc pannis inuolutus, & butyro passus ac melle, habebit boni malique iudicium, vt reprobans mala, eligat bona: non quòd hoc fecerit, aut reprobauerit vel elegerit, sed quòd scierit reprobare & eligere: vt per hæc verba noscamus, infantiam humani corporis diuinæ non præiudicasse sapientiæ. Hactenùs D. Hieronymus, cui adiungemus ea, quę in hāc lectionē mellitis planè verbis scribit mellifluus Bernardus Sermone secundo in Aduentu Domini. Audiuimus, inquit, suadentem regi Achaz Esaiam, petere signum à Domino, siue in profundum inferni, siue in excelsum suprà. Audiuimus responsionem eius, formam quidem habentem pietatis, sed non virtutem. Propter hoc denique ab eo, qui intuetur cor, & cui confitetur hominis cogitatio, meruit reprobari. Non petam, inquit, & non tentabo Dominum. Elatus erat Achaz fastigio solij regalis, astutus humanę sapientiæ verbis. Audierat igitur Esaias à Domino: Vade dic vulpi illi, petat sibi signum à Domino in profundum. Habet enim vulpes foueam:
1. Cor. 3. sed in infernum quoque si descenderit, adest qui comprehendat sapientes in astutia sua. Iterē: Vade, ait Dominus, dic volucri illi, petat sibi signum in excelsum suprà. Habet enim volucris nidum: sed etsi in cælum ascenderit, illic est qui su
Eccles. 24 perbis resistens, propria calcat, virtute superborum & sublimium colla. Veruntamen dissimulat ille potestatis excellæ seu incomprehensibilis profunditatis sapientiæ quærere signum: & propterea signum bonitatis & charitatis domui

Achaz simulatore ligio.
1. Reg. 17.
Psalm. 75.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iacob ipse Dominus promittit, vt quos nec potestas nec sapiétia terruit, alliciat saltem exhibitio charitatis. Potest tamen in eo quòd ait, In profundum inferni, etiam charitas ipsa, qua maiorem nemo habuit, vt in infernum quoque pro amicis moriendo descenderet, non immeritò designari, vt præcipiatur Achaz vel in excelsum regnantis expauescere maiestatem, vel descendentis ad inferos amplecti charitatem. Molestus est ergo non solùm hominibus, sed etiam Deo, quisquis nec maiestatem cogitat in timore, nec charitatẽ cum amore meditatur. Propter hoc, inquit, dabit Dominus ipse vobis signum, in quo manifestè & maiestas & charitas innotescat. Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, quod interpretatur, Nobiscum Deus. Noli fugere Adam, quia nobiscum Deus. Ne timeas ô homo, nec audito Dei nomine terrearis, quia nobiscum Deus. Nobiscum carnis similitudine, nobiscum vtilitate. Propter nos venit tanquàm vnus ex nobis, similis nobis passibilis. Denique butyrum, inquit, & mel comedet: ac si dicat: Paruulus erit, & vescetur infantibus alimentis. Vt sciat, inquit, reprobare malum, & eligere bonum. Etiam hic bonum & malum audis, sicut in arbore vetita, sicut in ligno transgressionis. Sed multò melius à primo Adam secundus iste partitur. Eligens enim bonum, malum reprobat: non sicut ille, qui dilexit maledictionem, & venit ei, & noluit benedictionem, & elongata est ab eo. Nam & in eo quod præmisit, Butyrum & mel comedet, aduertere poteris paruuli huius electionem. Tantùm adsit eius gratia, vt quod præstat vtcunque sentire, dignè & accommodatè ad intelligendum proferre concedat. Duo sunt in lacte ouis, butyrum & caseus: butyrum pingue & humidum, caseus econtrà aridus & durus. Bene enim paruulus noster eligere nouit, qui butyrum comedens, caseum vtique non comedit.

Psalm.118 Quæ est enim ouis centesima, quæ errauit & in
Matth.18 Psalmo loquitur, Errani sicut ouis quæ perijt?
Luc.15. Vtique genus humanum, quod benignissimus pastor quærit, alijs sanè nonagintanouem ouibus in montibus derelictis. In hac igitur oue duo reperies, naturam dulcem, naturam bonam, & bonam valdè tanquàm butyrum, & peccati corruptionem vt caseum. Vide ergo, quàm optimè puer noster elegit, qui naturam nostram sine vlla peccati corruptione susceptt. Nam de
Psalm.118 peccatoribus legis, Coagulatum est sicut lac cor eorum: in quibus vtique lactis puritatem corruperat fermentum malitiæ, coagulum iniquitatis. Sic & apis habet mellis dulcedinem, habet etiam aculei punctionem. Apis verò est, quæ pascitur inter lilia, quæ florigeram inhabitat patriã angelorum. Vnde & ad ciuitatem Nazareth, quod interpretatur flos, aduolauit, & ad suaueolentem perpetuæ virginitatis florem aduenit: illi insedit, illi adhæsit. Huius apis, mel & aculeũ non ignorat, qui misericordiam ei & iudicium cum Prophetа decantat. Attamen ad nos veniens, solum mel attulit, & non aculeum, id est, misericordiam & non iudicium, ita vt suadentibus quandoque discipulis, vt ciuitatem, quæ suscipere eum noluit, præciperet igne consumi, responderit filium hominis non venisse vt iudicaret, sed vt saluaret mundum. Non habebat aculeum apis nostra, quodammodò deposuerat illum, quando tanta indigna patiens, misericordiam exhibebat & non iudicium. Sed nolite sperare in iniquitate, nolite peccare in spe. Habet enim apis nostra quandoque assumere aculeum suum, & acriter nimis infigere illum in medullas hominum peccatorum. Quoniã pater non iudicat quenquam, sed filio dedit omne iudicium. Nunc aût paruulus noster butyrũ & mel comedit, quãdo bonum naturæ humanę diuinæ misericordiæ sic vniuit in semetipso, vt esset homo verus, & peccatum non habens: Deus misericors, & iudicium non exhibens. Ex his manifestũ iam arbitror, quæ nã sit virga de radice Ieſſe procedẽs, quis verò flos, super quem requieſcit spiritus sanctꝰ: quoniã virgo Dei genitrix, virga est: Flos, filius eius. Flos itaq; filius virginis, flos candidus & rubicũdus, electus ex millibus. Flos, in quem prospicere desiderant angeli, flos ad cuius odorem reuiuiscunt mortui: & sicut ipse testatur, flos campi est, & non horti. Campus enim sine omni humano floret adminiculo, non seminatus ab aliquo, nõ defossus sarculo, non impinguatus simo. Sic omninò, sic virginis aluus floruit, sic inuiolata, integra & casta Mariæ viscera, tanquàm pascuæ æterni viroris, florem protulere, cuius pulchritudo non videat corruptionem, cuius gloria in perpetuum non marcescat. O virgo virga sublimis, in quàm sublime verticem sanctum erigis, vsque ad sedentem in throno, vsque ad Dominum maiestatis. Neq; enim id mirum, quoniam in altum mittis radices humilitatis. O verè cælestis planta, preciosior cunctis, sanctior vniuersis. O verè lignum vitæ, quòd solum fuit dignum portare fructum salutis. Deprehensa est, maligne serpens, versutia tua, nudata est planè falsitas tua. Duo imposueras creatori: mendacij & inuidiæ infamaueras eum. sed in vtroque conuictus es mentitus. Siquidem & ab initio moritur, cui dixeras, Ne-
Gen. 3. quaquàm morieris: & veritas Domini manet
Psalm.116 in æternum. Sed & nunc responde, si potes, quam ei arborem, cuius arboris fructum inuidere potuit, qui ne hanc quidem virgam electam, & fructum sublimem negauit? Etenim qui proprio
Rom. 8. filio non pepercit, quomodò non omnia simul cum illo donauit? Sed iam aduertistis, ni fallor, quoniam virgo regia, ipsa est via per quã saluator aduenit, procedens ex ipsius vtero, tanquam sponsus de thalamo suo. Tenentes ergo
Psalm. viam, quam priore, si meministis, cœpimus in-

Psal. 108
Luc. 9.
Ioan. 3.
Esaiæ 11.
Cant. 5.
1. Petr. 1.
Cant. 2.

ueſtigare

ueſtigare ſermone, ſtudeamus & nos dilectissimi, ad ipsum per eam ascendere, qui per ipsam ad nos descendit: per eam venire in gratiam ipsius, qui per eam in nostram miseriam venit. Per te accessum habeamus ad filium, ô benedicta inuentrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis: vt per te nos susciptat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis, & humilitas Deo grata nostræ veniam impetret vnitati. Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fœcunditas gloriosa fœcunditatem nobis conferat meritorum. Domina nostra, mediatrix nostra, aduocata nostra, tuo filio nos reconcilia, tuo filio nos commenda, tuo nos filio repræsenta. Fac ô benedicta per gratiam quam inuenisti, per prærogatiuam quam meruisti, per misericordiam quam peperisti: vt qui te mediãte fieri dignatus est particeps infirmitatis & miseriæ nostræ, te quoque intercedente participes faciat nos gloriæ & beatitudinis suæ. Hæc D. Bernardꝰ. Porrò Iustinus philosophus & martyr explicans ea verba, Dominus dabit ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet & pariet filium, ita ait: Si enim eo modo, quo cæteri omnes primigenij, hic etiam ex concubitu gignendus fuit, quòdnam etiam Deus signum, quod non omnium primigeniorum commune est, se daturum esse prædixit? Sed quod est verè signum, generique hominum † fidele futurum erat, hoc est, vt ex vtero virgineo primigenius creaturarum omnium filius, caro verè factus, nasceretur: id occupans spiritu prophetico, vt alio atque alio tropo vobis exposui, prædixit, vt cùm factum esset, vi & consilio eius, qui omnia condidit, factum cognosceretur: quemadmodùm ex vno Adami latere Eua facta est, & sicuti cætera animalia verbo Dei initio facta sunt. Vos autem in his etiã corrumpere & adulterare interpretationes senũ vestrorum, qui apud Ptolemæum Aegypti regẽ fuerunt, audetis, cùm dicitis non esse scriptum, vt illi interpretati sunt, sed, Ecce, inquit, adolescentula in vtero habebit: quasi magnæ res significarentur, si mulier ex concubitu paritura esset, quod omnes iuuenes mulieres faciunt, exceptis sterilibus, quæ etiam si Deus velit, vt pariant facere potest. Hæc Iustinus. Est autem hic dies Annuntiationis Dominicæ admodùm insignis, & plura de hac lectione ex patribus adduci possent, sed in præsens hæc sufficiant in laudem & & gloriam præpotentis Dei, Amen.

In Dialogo cum Tryphone.

† *πιστὸν el credibile.*

Septuaginta interpretes dicit.

IN EODEM FESTO,
Luc. 1.

In illo tempore: Missus est angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid: & nomen virginis Maria. Et reliqua. Homilia beati Ambrosij Episcopi.

Libro 2. Commentariorum in Lucam.

LAtent quidem diuina mysteria, nec facilè, iuxta propheticum dictum, quisquam hominum potest scire consilium Dei, sed tamen ex cæteris factis atque præceptis Domini saluatoris, possumus intelligere & hoc propensioris consilij fuisse, quòd ea potissimùm electa est, vt Dominũ pareret, quæ erat desponsata viro. Cur autem non antequàm desponsaretur, impleta est? Fortassè ne diceretur, quòd conceperit ex adulterio. Et benè vtrunque posuit scriptura, vt & desponsata esset, & virgo. Virgo, vt expers virilis cõcortij videretur. Desponsata, ne temeratæ virginitatis adureretur infamia, cui grauis aluus corruptelæ videretur insigne præferre. Maluit autem Dominus aliquos de suo ortu, quàm de matris pudore dubitare. Sciebat enim teneram esse virginis verecundiam, & lubricam famam pudoris: nec putauit ortus sui fidem, matris iniurijs astruendam. Seruatur itaque sanctæ Mariæ sicut pudore integra, ita inuiolabilis opinione virginitas. Oportet enim sanctos & ab his testimonium habere, qui foris sunt. Nec decuit ſinistra virginibus opinione viuentibus, velamen excusationis relinqui, quòd infamata mater quoque Domini videretur. Quid autem Iudęis, quid Herodi posset asscribi, si natum viderentur ex adulterio persecuti? Quemadmodùm autem ipse diceret, Non veni soluere legem, sed adimplere, si videretur cœpisse à legis iniuria, cũ partus innuptæ lege damnetur? Quinetiam locupletior testis pudoris maritus adhibetur, qui posset & dolere iniuriam, & vindicare opprobrium, si non agnoscereet sacramentum. Quid quòd etiam fides Mariæ verbis maior asciscitur, & mendacij causa remouetur? Videretur enim culpã obumbrare voluisse mendacio innupta prægnãs. Causã aût mẽtiendi indespõsata habuit, desponsata non habuit: cùm coniugij præmium, & gratia nuptiarum, partus sit fœminarũ. Non mediocris quoque causa est, vt virginitas Mariæ falleret principem mundi: qui cùm desponsatam viro cerneret, partum non potuit habere suspectum. Fallendi autem, vt dixi, principis mundi fuisse consilium, ipsius Domini verba declarant, cùm apostoli iubentur tacere de Christo, cùm sanati prohibentur gloriari de remedio, cùm dæmones præcipiũtur silere de Dei filio: quod etiã Apostolus declarauit, dicẽs: Sed
1. Cor. 2. loquimur Dei sapientiã in mysterio absconditam, quã nemo principũ huius seculi cognouit. Si enim cognouissent, nunquã Dominũ gloriæ crucifixissent: hoc est, nunquam me Domini morte redimi fecissent. Fefellit ergo pro nobis, fefellit vt vinceret: fefellit diabolum cùm tentaretur, cùm rogaretur, cùm Dei filius diceretur, vt nusquam diuinitatem propriam faceretur: sed tamen magis fefellit principem seculi. Diabolus enim etiã aliquando dubitauit, cùm dice-
Matth. 4.

Matth. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rer,Si filius Dei es,mitte te deorsum:tamen vel ſerò cognouit, & diſceſsit ab eo. Cognouerunt & dæmones,qui dicebant : Nouimus te,
Matth. 8. quia tu es IESVS Dei filius,quid veniſti
Marc. 1. ante tempus torquere nos?Et ideò veniſſe cognouerunt, quia præcognitum habebant eſſe vẽturum.Principes autem ſeculi non cognouiſſe, quo maiore poſſumus,quàm Apoſtolicæ ſententiæ probare documento?Si enim cognouiſſent,nunquam Dominum maieſtatis crucifixiſſent. Dæmonum enim malitia, facilè etiam occulta deprehendit:At verò qui ſecularibus vanitatibus occupantur,ſcire diuina non poſſunt. Benè autem ſibi diuiſerunt euangeliſtæ,vt ſanctus Matthæus Ioſeph ab angelo moneri induceret,ne dimitteret Mariam , Lucas euangeliſta teſtimonium ferret,quòd non cognouiſſet, hic ipſa Maria fatetur,cùm dicit angelo: Quomodò fiet iſtud,quoniam virum non cognoui?
Eſa. 7. Sed & ipſe S.Lucas virginem declarcuit,dicens: Et nomen virginis Maria. Et propheta edocuit, qui ait:Ecce virgo in vtero concipiet.Et Ioſeph deſignauit, qui quoniam prægnantem videbat quam non cognouerat,dimittere geſtiebat. Et Dominus ipſe in cruce poſitus manifeſtauit, cũ
Ioan. 19. dixit matri:Mulier, ecce filius tuus. Deinde diſcipulo:Ecce mater tua. Etiam vterque teſtatus eſt,diſcipulus & mater: quia ex illa hora ſuſcepit eam diſcipulus in ſua. Vtiq; ſi conueniſſent, nunquam virum proprium reliquiſſet, nec viram iuſtus paſſus eſſet à ſe diſcedere. Quomodò autem Dominus diuortium præcepiſſet,
Matth. 5. cùm ipſius ſit ſententia , quia nemo dimittere debet vxorem,excepta cauſa fornicationis?Pulchrè autem docuit S.Matthæus,quid facere debeat iuſtus,qui probrum coniugis deprehenderit,vt incruentum ab homicidio,caſtum ab adul
1. Cor. 6. terio præſtare ſe debeat. Qui enim coniungitur meretrici,vnum corpus eſt. Ergo vbique in Ioſeph iuſti gratia & perſona ſeruatur,vt teſtis or-
Pſalm. 36. netur. Os enim iuſti mendacium neſcit, & lingua eius loquitur iudicium. Iudicium eius loquitur veritatem. Nec te moueat,quòd frequenter ſcriptura coniugem dicit. Non enim virginitatis ereptio,ſed coniugij teſtificatio, nuptiarũ celebratio declaratur. Denique quam non accepit,nemo dimittit: & ideò qui volebat dimittere, fatebatur acceptam. Simul etiam mouere
Matth. 1. non debet,quòd ait euangeliſta: Et non cognouit eam, donec peperit filium. Illud enim vel vt idioma ſcripturæ eſt, ſicut habes alibi : Donec ſeneſcatis,ego ſum. Nunquid poſt illorum ſene
Eſai. 46. ctutem Deus eſſe deſiuit? Et in Pſalmo : Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum
Pſal. 109. tuorum. Nunquid poſteà non ſedebit? Vel quoniam qui cauſam agit,ſatis putat quod cauſæ eſt dicere , redunduntia non requirit? Satis enim eſt ei,vt cauſam ſuſceptam aſtruat, incidentem differat.Et ideò qui incarnationis incorruptum ſuſceperat probare myſterium,non putauit vberiùs proſequendum virginitatis Mariæ teſtimonium,ne defenſor magis virginis,quàm aſſertor myſterij crederetur.Certè quando iuſtum docuit Ioſeph,ſatis declarauit,quòd ſancti ſpiritus templum,matrem Domini,vterum myſterij violare non potuit.Didicimus ſeriem veritatis,didicimus conſilium:diſcamus & myſterium.Benè deſponſata,ſed virgo : quia Eccleſiæ eſt typus,quæ eſt immaculata , ſed nupta. Concepit nos virgo de ſpiritu ,parit nos virgo ſine gemitu.Et ideò fortaſſe S.Maria alij nupta,ab alio repleta:quia & ſingulæ eccleſiæ ſpiritu quidem replentur & gratia:iunguntur tamen ad temporalis ſpeciem ſacerdotis.*Et ingreſſus angelus ad eam, dixit : Aue gratia plena, Dominus tecum:benedicta tu inter mulieres.* Ipſa autem vt vidit eum, mota eſt in introitu eius. Diſce virginem moribus, diſce virginem verecundia,diſce oraculo, diſce myſterio. Trepidare virginum eſt, & ad omnes viri ingreſſus pauere,oẽs viri affatus vereri. Diſcant mulieres propoſitum pudoris imitari.Solã in penetralibus, quam nemo virorum videret, ſolus angelus reperit:ſola ſine comite, ſola ſine teſte,ne quo degeneri deprauaretur affatu , ab angelo ſalutatur.Diſce virgo verborũ vitare laſciuiam.Maria etiam ſalutationem angeli verebatur.*Erat tamen,inquit,cogitans,qualis eſſet iſta ſalutatio.* Et ideò cum verecundia, quia pauebat : cũ prudentia , quia benedictionis nouam formulã mirabatur,quæ nuſquam lecta eſt,nuſquam anteà comperta.Soli Mariæ hæc ſalutatio ſeruabatur.Benè enim ſola gratia plena dicitur,quæ ſola gratiam quam nulla alia meruerat, conſecuta eſt, vt gratiæ repleretur authore. *Et ait angelus ad eam : Ne timeas Maria , inueniſti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero , & paries filium, & uocabis nomen eius Ieſum.* Erubeſcebat ergo Maria, erubeſcebat etiam Elizabeth. Et ideò cognoſcamus , quid interſit inter mulieris, & virginis verecundiam.Illa de cauſa erubeſcebat, hæc per verecundiam.In muliere modus pudoris adhibetur, in virgine pudoris augetur gratia.*Hic erit magnus,& filius altiſſimi uocabitur.* Dictũ
Luc. 1. eſt quidem etiam de Ioanne ab angelo,quia erit magnus:ſed ille quaſi homo magnus,hic quaſi Deus magnus. Magnus enim Dominus & laPſal. 144 dabilis nimis,& magnitudinis eius non eſt finis. Et verè ille magnus,quia inter natos mulierum
Matth. 11 propheta maior Ioanne Baptiſta nemo eſt. Habet tamen maiorem, quia qui minor eſt in regno Dei,maior eſt illo. Magnus autem Ioannes,
ibid. ſed coram Domino : & magnus Ioannes vinum & ſiceram non bibit,hic cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit. Ille abſtinentia meritum colligit , cui potentia nulla naturæ: Chriſtus autem , cui naturaliter ſuppetebat delicta donare, cur eos declinaret ? quos abſtinentibus poterat præſtare meliores ? Simul myſticè non dedignatur eorum conuiuium, quibus

quibus daturus eſt ſacramentum. Hic ergo manducat,ille ieiunat. Vtriuſque populi typus, in illo ieiunat,in hoc paſcitur. Sed ieiunauit & Chriſtus,ne præceptum declinares:manducauit cum peccatoribus , vt gratiam cerneres,agnoſceres poteſtatem.Magnus ergo & Ioannes: ſed huius magnitudo habet principium , habet fi-
Matth.11 nem:Dominus autem Ieſus idem eſt finis atque principium,idem primus & nouiſsimus. Nihil ante primum, nihil vltra nouiſsimum. Neque te generationis humanæ conſuetudo ad vitium trahat,vt putes non primum eſſe, quia filius eſt.Sequere ſcripturas , vt errare non poſsis.
1. Tim. 6. Primus filius dicitur. Lectum eſt etiam , quia
1. Tim. 1. & ſolus pater , qui ſolus habet immortalitatem , & lucem habitat inacceſſibilem , ſicut legiſti , Et immortali ſoli Deo. Sed neque primus ante patrem , neque ſolus ſine filio. Si alterum negas,alterum adſtruis.Vtrunque ſequere,& vtrunque confirmas.Non dixit , Ego prior,& ego poſterior : ſed,Ego primus, & ego nouiſsimus.Primus eſt filius,& ideò coæternus.Habet enim patrem , cum quo ſit æternus. Audeo dicere:Primus eſt filius , ſed ſolus non eſt.Et benè dico,& religioſè dico. Quid erigitis ad impietatem hæretici aures?Laqueos quos tenditis,incidiſtis.Primus eſt filius,& ſolus non eſt.Primus,quia cum patre ſemper eſt. Solus non eſt,quia ſine patre nunquam eſt. Non ego
Ioan. 16. hoc dico,ſed ipſe dixit : Et non ſum ſolus, quia pater mecum eſt. Solus pater,quia vnus Deus. Solus pater , quia vna diuinitas patris & filij & ſpiritusſancti Et quod vnum eſt , ſolum eſt. Solus pater,ſolus vnigenitus,ſolus & ſpiritusſanctus. Neque enim qui filius, & pater: aut qui pater,& filius:aut qui ſpiritusſanctus , & filius. Alius pater,alius filius,alius ſpiritusſanctus.Le-
Ioan. 14. gimus enim:Rogabo patrem,& alium paracletum mittet vobis. Solus pater, quia vnus Deus, ex quo omnia Solus filius , quia vnus Dominus, per quem omnia. Solum diuinitas facit. Generatio & patrem teſtificatur & filium : vt nuſquam filius ſine patre, aut pater videatur eſſe ſine filio.Ergo nec ſolus,quia nõ ſolus immortalis, non ſolus lucem habitat inacceſſibilem: quia Deum nemo vidit vnquam , niſi vnigeni-
Ioan.1. tus filius,qui eſt in ſinu patris , qui ſedet ad dexteram patris.Et hinc quidam audent dicere inacceſsibilem lucem eſſe , quam habitat pater. Nunquid lux melior patre? Quæ autem lux inacceſsibilis ei , cui non eſt inacceſsibilis pater? Et ipſe lux vera,& genitor lucis æternæ,de qua-
Ioan.1. dictum eſt : Erat lux vera,quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Vide ne ipſa ſit lux inacceſsibilis , quam habitat pater,habitat & filius:quia pater in filio,& filius in patre.Benè ergo magnus. latè enim funditur Dei virtus , latè cæleſtis ſubſtantiæ magnitudo porrigitur. Nihil præſcriptum , nihil circunſcriptum,nihil dimenſum , nihil emenſum Tri-
nitas habet.Non loco clauditur , non opinione comprehenditur , non æſtimatione concluditur,non ætate variatur.Dedit quidem Dominus
Pſalm. 18. Ieſus hominibus magnitudinem. In oẽm enim terram exiuit ſonus eorũ , & in fines orbis terræ verba eorũ.Non in fines tamẽ mũdi,nõ in fines cæli,nõ vltra cælos. At verò in Domino Ieſu omnia condita ſunt in cælo & in terra , viſibilia & inuiſibilia,& ipſe eſt ante oẽs, & oia in ipſo conſtant. Cælũ aſpice,Ieſus illic eſt:terrã intuere,Ieſus adeſt. Aſcende verbo in cælũ,deſcende ver-
Pſalm.138 bo in infernũ,Ieſus adeſt. Etenim ſi aſcenderis in cælum,Ieſus illic eſt:& ſi deſcenderis in infernum,adeſt.Hodiè cùm loquor,mecum eſt intra hoc punctum,intra hoc momentũ:& ſi in Arme
1. Cor.12. nia nũc loquitur Chriſtianus,Ieſus adeſt. Nemo enim dicit Dominũ Ieſum niſi in ſpiritu ſancto. Abyſſos opinione ſi penetres,illic quoq; Ieſum videbis operari. Scriptũ eſt enim:Ne dixeris in
Rom. 10. corde tuo, Quis aſcẽdit in cælũ?id eſt,Chriſtum deducere:aut quis deſcendit in abyſſũ? hoc eſt, Chriſtũ à mortuis reducere. Vbi ergo nõ eſt,qui cæleſtia,inferna,terrena compleuit? Benè ergo magnus,cuius virtus mundum repleuit,qui vbique eſt & erit ſemper , quia regni eius non erit finis.*Dixit autem Maria ad angelũ: Quomodò fiet iſtud, quoniam uirum non cognoſco?* Videtur hic non credidiſſe Maria,niſi diligenter aduertas. Neque enim fas eſt,vt electa ad generandum vnigenitũ Dei filium,fuiſſe videatur incredula. Quo autẽ modo fieri poſſet,licet ſalua prærogatiua ſit matris,cui profectò fuit ampliùs deferendum : ſed vt prærogatiua maior, maior etiam fides ei debuit reſeruari : quo ergo modo fieri poſſet, vt Zacharias qui non crediderat,ſilentio condemnaretur: Maria autem ſi non credidiſſet,ſancti ſpiritus infuſione exaltaretur?Sed neq; non credere Maria , neq; tam temerè debuit vſurpare: non credere angelo,& vſurpare diuina. Neq; enim facilè erat ſcire myſterium abſconditum à ſeculis in Deo , quod nec ſuperiores poteſtates ſcire potuerunt.Et tamen non fidem renuit,non officium reſutauit , ſed accommodauit affectũ, ſpoſpondit obſequiũ. Etenim cùm dixit, Quomodò fiet iſtud?non de effectu dubitauit , ſed qualitatem ipſius quæſiuit effectus.Quanto téperatior iſta reſponſio , quàm verba ſunt ſacerdotis?Hæc ait:Quomodò fiet iſtud?Ille reſpondit:Vnde hoc ſciam ? Hæc iam de negocio tractat,ille adhuc de nuntio dubitat. Negat ille ſe credere,qui negat ſcire, & quaſi fidei adhuc alium quærit authorem. Iſta ſe facere profitetur, nec dubitat eſſe faciendum , quod quomodò fieri poſsit,inquirit:Sic enim habes:*Quomodò fiet iſtud,quoniam uirum non cognouit?* Incredibilis & inaudita generatio antè audiri debuit,vt crederetur.
Virginem parere, diuini ſignum eſt myſterij, Eſai. 7.
non humani.Denique accipe,inquit tibi ſignũ. Ecce virgo in vtero concipiet , & pariet filium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Legerat hoc Maria, & ideò credidit futurum: sed quomodò fieret, antè nó legerat. Nó enim quemadmodùm fieret, vel prophetæ tanto fuerat reuelatum. Tanti enim inauditum mysteriũ non hominis fuit, sed angeli orè promendum. Hodiè primum auditur: *Spiritus sanctus superueniet in te*: & auditur, & creditur. Deniq;, *Ecce*, inquit, *ancilla Domini, cõtingat mihi secundùm uerbũ tuũ*. Vide humilitatem, vide deuotionem. Ancillã se dicit Domini, quæ mater eligitur, nec repẽtino exalta ta promisso est. Simul ancillam dicẽdo, nullam sibi prærogatiuam tantæ gratiæ vendicauit, quæ faceret quod iuberetur. Mitem enim humilemq; paritura, humilitatem debuit etiam ipsa præferre. Ecce ancilla Domini, contingat mihi secundùm verbum tuum. Habes obsequium, vides votum. Ecce enim ancilla Domini, apparatus officij est: contingat mihi secundùm verbũ tuum, conceptus est voti. Quàm citò ergo etiam de impari conditione credidit Maria? Quid enim tam impar, quàm spiritus sanctus & corpus? Quid tam inauditum, quàm virgo prægnans, cõtra legem, contra consuetudinem, contra pudorem, cuius carior cura est virgini? Zacharias autẽ non de impari conditione, sed de senili ætate non credidit. Nam conditio congruebat. Ex viro & fœmina solennis est partus, nec incredibile debet videri, vbi natura concordat. Cùm enim ætas naturæ sit, non natura ætatis, sit plerunque, vt ætas impediat naturam. Non est tamen irrationabile, vt minor cedat causa maiori, & potior prærogatiua naturæ, vsum inferioris excludat ætatis. Huc accedit, q̃ Abraham & Sara filium in senectute susceperant, & Ioseph filius senectutis est. Quòd si quia risit Sara reprehenditur, iustiùs Zacharias condemnatur, qui nec oraculo credidit, nec exemplo. Maria autem cùm dicit: Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognoui? non videtur dubitasse de facto, sed de facti qualitate quæsisse. Liquet enim quia faciẽdum esse crediderat, quæ quomodò fieret, interrogauit. Vnde & meruit audire: Beata quæ credidisti. Et verè beata, quæ sacerdote præstãtior. Cùm sacerdos negasset, virgo correxit errorem. Nec mirum, si Dominus redempturus mundum, operationem suam inchoauit à matre: vt per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore. Et benè quæsiuit, quomodò fieret. Legerat enim quia virgo generaret, non legerat, quomodò generaret. Legerat, vt dixi, Ecce virgo in vtero accipiet, quomodò autem acciperet, in euangelio primùm angelus est locutus.

Humilitas B. Mariæ.

Gen. 21.

Gen. 18.

Luc. 1.

Esai. 7.

IN FESTO PHILIPPI ET IACOBI, IN lectionem Epistolæ loco, Concio exegetica.

MVlta sunt scripturæ diuinæ loca, quę duplex hominum genus nobis indicãt, bonorum & malorũ: è quibus alij ad ciuitatẽ Dei, alij ad ciuitatẽ huius mundi, vt Augustinus vocat, pertinent: quorum cùm sint longè dispares fines, alijs sese suaq; omnia ad Deum & beatam vitam, quæ in cælis sine vlla quorumlibet malorum permixtione in æuum agetur sempiternum, referentibus, alijs ad prauas cupiditates mortalisq; vitæ vt breues ita deformes & spurcas voluptates deflectentibus: necessariò hinc existit malorum in bonos odium, quippe quos cernunt diuersò longè itinere ingredi, atque ipsorum improbis studijs non modò non assentiri, sed obsistere etiam, eaque vbi possunt profligare. Porrò verò cùm stultorum infinitus sit numerus, & iniquorum hominum, naturæ deprauatæ imptus & affectus prosequentium, semper lõgè fertiliores sint prouentus quàm piorum: pij in hoc mundo ab impijs premuntur & diuexantur multis modis, Deo id permittente in augmentum virtutis & felicitatis eorum, cùm tanta sit illius incommutabilis bonitatis sapientia & virtus, vt possit etiam malis benè vti. Atvbi ventum erit ad illum extremi iudicij diem, qui hic ab improbis fuere oppressi, ad maximam filiorum Dei gloriam translati & electi, calcabunt hostes suos, ijsq; in summas gehennæ æstuantis miserias præcipitatis, cum Christo regnabũt in æternum. Sed his de rebus nos lectio hodierna luculenter instituet, quam nunc exponere tentabimus. *Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersùs eos, qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores illorum.* In supremo mundi die omnes adstabimus ad tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum. Tunc ad vocem tubæ pauebit terra cum populis: iudicaturo Domino lugubre mundus immugiet: tribus ad tribum pectora ferient: potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt. Itaq; quibus tunc bonum coram Deo testimonium conscientia perhibebit, læti & alacres venienti occurrent iudici, & qui se hic meminerint dura ab impijs perpessos, in magnas sæpè coniectos angustias, contemptos & ludibrio habitos labores suos & studia pietatis, maxima tunc erunt constantia prædita, & gladij anticipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Crudeles enim reges, tyranni, principes & præsides, sanctos Apostolos & martyres immanissimè trucidarunt, & inauditis supplicijs excruciarunt, eorumq; vitam & labores licet sanctissimos pro nihilo duxe-

Lib. 2. Ro tract.

Eccles. 1.

Psal. 149

2. Cor. 5.

Hieron. in Epistol. ad Heliodorũ

Matth. 13. duxerunt. At in illo die fulgebunt iusti sicut sol, & erunt terrori hostibus suis, quibus certè illorum gloria & stuporem adferet & dolorem: stuporem quòd à se contemptos atque olim in mundo pro nihilo habitos ad tantam sublimitatem peruenisse conspicient: dolorem verò, quòd eorum felicitate non poterunt non summè torqueri ob inuidiam, quæ in damnatis est maxima erga beatos, quos in hac vita sunt persecuti. *Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis.* Tunc enim loquetur ad eos Dominus in ira sua, & in furore suo conturbabit eos. Erit profectò timor horrendus prorsusq; intolerabilis, quo tunc impij corripientur, vbi viderint iudicem immensæ maiestatis ferre sententiam contra se, illos verò summis afficere honoribus, & inæstimabili beare felicitate, quos ipsi olim contempserant. *Gementes præ angustia spiritus, dicentes intra se pœnitentiam agentes: Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij.* Erit tunc quidem pœnitentia, sed sera. Nec tamen dolebunt impij se offendisse Deum, sed se in eas inexplicabiles calamitates & pœnas incidisse. Ita fit, vt ea pœnitentia non ex amore Dei, sed priuato illo ac vitioso sui amore proficiscatur. Videbunt autem tunc impleri, *Esa. 65.* quod ab Esaia longè antè prædictum est: Ecce serui mei comedent, & vos esurietis. Ecce serui mei bibent, & vos sitietis. Ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini. Ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis. Legimus in Ecclesiasticis historijs Iulianum Apostatam Christianos per contemptũ vocasse Galilæos, immò longè antè Suetonius in Nerone Christianos vocat genus hominũ superstitionis nouæ ac maleficæ. Sed videamus sequentia in hac lectione. *Nos insensati uitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore.* Hoc nimirùm est iudicium huius mundi, vt qui cupiunt sese totos accommodare ad voluntatem Dei, illi insanire & delirare videantur: qui verò in hoc mundo bonis omnibus affluunt, & magna vitę labẽtis prosperitate fruũtur, rebus ad voluntatem fluentibus, illi felices & beati prędicentur, etiamsi nulla eis cura sit vitæ ex Dei voluntate transigendæ. Sed mentitur iniquitas sibi. Ipse Dei filius, æterna patris sapientia, quæ nec fallit, nec fallitur, licet in hac vita viueret longè omnium sanctissimè, tamen ab impijs ludibriò habitus est, & tandem ea morte affectus, vt finis illius probrosissimus & ignominiosissimus mundi iudicio sit habitus. Sed abfit, vt propterea boni desciscant à sectanda virtute, quòd ea vita mundi amicis despectui est. Legimus in veteri Testamento Helisæum *4. Reg. 9.* prophetam misisse vnum è filijs prophetarum, qui vngeret Iehu in regem populi Israelitici: cunq; eo peracto negotio abiret, & vnctus à eo Iehu rediret ad principes exercitus, dixisse illos ad Iehu: Recténe sunt omnia? Quid venit insanus iste ad te? Filios prophetarum S. Hieronymus veteris Testamenti monachos fuisse dicit. Itaque insanum vocant, propterea quòd ob diuersam vitæ rationem non liberet illi cum ipsis pariter insanire. Longum esset enarrare quàm mundo huic despecti fuerint priscis seculis Christiani. Ipse Paulus palàm de se cæterisq; apostolis scribit: Puto quòd Deus nos apostolos nouissimos ostendit, tanquàm morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & angelis, & hominibus. Vsq; in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris. Maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus, tã quam purgamẽta huius mũdi facti sumus, omnium peripsema vsq; adhuc. Alibi in Sapientiæ libro scriptum legimus: Iusti visi sunt oculis insipientiũ mori. Inde adeò sic illi Christianorum hostes ferebant ad inferẽdas illis neces, putabant illos perire penitùs: sed addit scriptura: Illi autem sunt in pace. In ea vtique pace, de qua Psalmista scribit: In pace in idipsum dormiam & requiescam. Verùm priusquàm ad pacẽ Dei, quę exuperat oẽm sensum, pertingatur, multa præcedunt bella & certamina, sub quibus dum pij homines gemunt & suspirant, & propter verba labiorũ Christi Dei custodiunt vias duras, ab impijs tanquãfatui deridentur, ac miseri existimantur: sed veniet ille dies, quando dicturi sunt impij; quod in hac lectione sequitur: *Quomodò ergo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorũ est?* Hæc planè erit mutatio dexteræ excelsi, quãdo sancti Dei homines, quos hic infrà omnes infimos putauit mundus stultitia ebrius, illic habebuntur inter filios Dei. Planè tunc rebus in diuersa mutatis id eueniet, quod à Malachia prædictum est: Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die qua ego facio, in peculium: & parcam eis, sicut parcit vir filio suo seruienti sibi. Et conuertemini, & videbitis quid sit inter iustum & impium: & inter seruientem Deo, & non seruientem ei. Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus: & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem stipula: & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem & germen. Et orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius: & egredietimini, & salietis sicut vituli de armento. Et calcabitis impios, cùm fuerint cinis sub planta pedum vestrorum in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum. Ioannes Apostolus etiam in hac vita pios dicit vocari filios Dei: Videte, inquit, qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & simus: quem

Epist. 4. ad Rusticũ monachũ.

1. Cor. 4.

Sap. 3.

Psalm. 4.

Psalm. 16.

Malach. 3

1. Ioan. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tract. 4. in hanc Epistolam

quem locum interpretans Augustinus, Qui vocantur, ait, & non sunt, quid illis prodest nomẽ, vbi res non est? Quàm multi vocantur medici, qui curare non norunt? Quàm multi vocantur vigiles, qui tota nocte dormiunt? Sic multi vocantur Christiani, & in rebus non inueniuntur, quia hoc quod vocantur non sunt, id est, in vita, in moribus, in fide, in spe, in charitate. Hic autem quid audistis fratres? Ecce qualem dilectionem dedit nobis pater, vt filij Dei vocemur & simus. Propter hoc mundus non cognouit nos, quia non cognouit eum. Totus mundus Christianus est, & totus mundus impius. Per totum enim mundum impij, & per totũ mundum pij: illi illos non cognoscunt. Quomodò putamus quia non cognoscunt? Insultant bene viuentibus. Attendite & videte, quia fortè sunt & inter vos. Vnusquisque vestrum qui iam piè viuit, qui contemnit secularia, qui non vult ire ad spectacula, qui non vult se inebriare quasi solenniter, & quod est grauius, accedẽte patrocinio sanctorum dierum fieri immundus: qui ista facere noluerit, quomodò ei insultatur ab his qui faciunt? Nunquid insultaretur ei si agnosceretur: Quare autem non agnoscitur? Mundus eum non agnoscit. Quid est mundus? Inhabitatores mundi, quomodò dicitur domus, inhabitatores eius. Iam cùm auditis mundum in mala significatione, nó intelligatis nisi dilectores mundi: quia per dilectionem & per quod inhabitant, nomen habere meruerũt. Propter hoc mundus non cognouit nos, quia non cognouit eum. Ambulabat & ipse Dominus Iesus Christus in carne: erat Deus, latebat in infirmitate. Et vnde non est cognitus? Quia omnia peccata arguebat in hominibus. Illi amando delectationes peccatorum non agnoscebant Deum: amando quod febris suadebat, iniuriam medico faciebant. Quid ergo? Nos iamnati sumus ex ipso? Sed quia in spe sumus, Dilectissimi, inquit, nũc filij Dei sumus. Iam nunc? Quid est ergo quod expectamus, si iam filij Dei sumus? Et nondum, inquit, manifestum est, quid erimus. Quid autem erimus aliud, quàm filij Dei? Audi quid sequitur: Scimus quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Videbunt & impij, sed formam serui: formam Dei non videbunt. Quarè? Quia impij sunt, & ipse

Multi pseudo-christiani.

Matth. 5. Dominus dicit: Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Ergo visuri sumus quandam

1. Cor. 2. visionem fratres, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: visionẽ quandam, visionem præcellentem omnes pulchritudines terrenas, auri, argenti, nemorum atque camporum, pulchritudinem maris & aëris, pulchritudinem solis & lunæ, pulchritudinem stellarum, pulchritudinem angelorum: omnia superantem, quia ex ipso pulchra sunt omnia. Quid ergo nos erimus, quãdo videbimus? Quid nobis promissum est? Similes ei erimus, quoniã videbimus eum sicuti est. Quomodò potuit, lingua sonuit: cætera corde cogitentur. Tota vita Christiani boni, sanctũ desiderium est. Quod adhuc desideras, nondum vides: sed desiderãdo capax efficeris, vt cùm venerit quod videas, implearis. Sicuti enim si velles implere aliquem sinum, & nosti quàm magnum est quod dabitur, extendis sinum vel sacci, vel vtris, vel alicuius rei, nosti quantum missurus es, & si vides quia angustus est sinus, extendendo facis capaciorem: sic Deus differendo extendit desiderium, desiderando extendit animum, extendendo facit capacioré. Desideremus ergo fratres, quia implendi sumus. Hæc est vita nostra, vt desiderando exercea mur. Tantùm autem nos exercet sanctum desiderium, quantùm desideria nostra amputauerimus ab amore seculi. Hæc Augustinus, quæ eò faciunt, vt videamus, quæ maneat felicitas homines pios, qui in filios Dei adoptati, hæredes illius erunt, & Christi cohæredes, tanto illic maiori in omnem æternitatẽ gloria perfruituri, quantò hîc ab improbis indigniùs & contumelioſiùs habiti fuere. Quantæ sit autem præstantiæ & dignitatis & dici & esse Dei filios, nemo in hac vita satis potest comprehendere, nedum explicare. Cuius vt quandoque capaces esse possimus, debemus cum beatissimis apostolis & sanctis martyribus in hac vita æquanimiter perpeti vexationes, ludibria, sannas, iniurias, persecutiones, odia hominum malorum. Certum est enim ad eximiam hanc filiorum Dei dignitatem peruenire non posse, nisi per magnos labores. Consolari autem nos debet, quòd innumeros nos antecessisse videmus, qui iter ad hanc capessendam gloriam tritum nobis reddiderint: de quibus dicit propheta regius: Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua: Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Felices planè illos, & terque quaterq; beatos, qui post momentaneos huius breuissimæ vitæ labores inter Dei filios computari, & inter sanctos sortem habere suam merebuntur. Præstet id omnibus nobis gratia & benignitate sua, qui vt multos filios in gloriam adduceret, per passionem, eamque & acerbam & ignominiosam voluit consummari, Iesus Christus Deus & Dominus noster, cui cum patre & spiritu sancto est gloria sempiterna, Amen.

Vita boni Christiani

Psal.

Rom. 8.

IN FESTO PHILIPPI & Iacobi. Ioannis XIIII.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Non turbetur cor uestrum. Creditis in Deum, & in me credite. In domo patris mei mansiones multæ sunt. Et reliqua. Homilia beati Augustini episcopi.

ERI-

In Euangelium Ioannis Tract. 67.

ERigenda est nobis, fratres, ad Deum maior intentio, vt verba sancti euangelij, quę modò in nostris auribus sonuerunt, etiam mente capere possimus. Ait enim Dominus: *Non turbetur cor uestrũ, creditis in Deum, & in me credite.* Ne ergo mortẽ homini tanquã timerẽt, & ideò turbarẽtur, consolatur eos, etiam se Deum esse contestans. Creditis, inquit, in Deum, & in me credite. Consequens est enim, vt si in Deum creditis, & in me credere debeatis: quod non esset consequens, si Christus non esset Deus. Sed quid est quod sequitur: *In domo patris mei mansiones multæ sunt*, nisi quia & sibi metuebant? Vnde audire debuerũt, Non turbetur cor vestrum. Quis enim eorum

Luc. 22. non metueret, quum Petro dictum esset fidentiori atque promptiori, Non cantabit gallus, donec me ter neges? Tanquam ergo essent ab illo perituri, meritò turbabantur. Sed cùm audiunt, *in domo patris mei mansiones multæ sunt: Si quo minus, dixissem uobis, quia uado parare uobis locum:* à perturbatione recreantur, certi ac fidentes, posti pericula tentationum se apud Deum cum Christo esse mansuros: quia & si alius est alio fortior, alius alio sapientior, alius alio iustior, alius alio sanctior, in domo patris mei mansiones multæ sunt. Nullus eorum alienabitur ab illa domo, vbi mansionem pro suo quisque acceptu-

Matth. 20 rus est merito. Denarius quidem ille æqualis est omnibus, quem paterfamilias eis qui operati sunt in vinea, iubet dari omnibus, non in eo discernens, qui minùs & qui amplius laborarunt.

Denarius, vita æterna. Quo vtique denario vita significatur æterna, vbi nemo amplius viuit alio, quia viuendi non est diuersa in æternitate mensura: sed multæ mansiones, diuersa meritorum in vna vitæ æterna significant dignitates. Alia enim gloria solis,

1. Cor. 15. alia gloria lunæ, alia gloria stellarum. Stella enim ab stella differt in gloria: sic & resurrectio mortuorum. Tanquam stellæ, sancti diuersas mansiones diuersæ claritatis tanquam in cælo sortiuntur in regno, sed propter vnum denarium nullus separatur à regno. Atque ita Deus

1. Ioann. 4 erit omnia in omnibus, vt quoniam Deus charitas est, per charitatem fiat, vt quod habent singuli, commune sit omnibus. Sic enim quisque etiam ipse habet, cùm amat in altero, quod ipse non habet. Non erit itaque aliqua inuidia imparis claritatis, quia regnabit in omnibus vnitas charitatis. Proinde repuendi sunt à corde Christiano, qui putant ideò dictum multas esse mansiones, quia extra regnum cęlorum erat aliquid, vbi beati maneant innocentes, qui sine baptismo ex hac vita emigrarunt, qui sine illo in regnum cælorum intrare non poterunt. Hæc fides non est fides, quoniam non est vera & catholica fides. Et *si abiero, inquit, & præparauero uobis locum, iterum ueniam, & accipiam uos ad meipsum, vt ubi sum ego, & uos sitis.* Quomodò vadit & parat locum, si iam mansiones multæ sunt? Si quo minùs, dixissem, vado parare. Aut si adhuc parandus est, cur non meritò dixisset: Vado parare? Ao istæ mansiones & sunt, & parandæ sunt? Si quo minùs enim essent, dixisset, Vado parare. Et tamen quia ita sunt vt parandæ sint, non eas vadit parare sicut sunt, sed si abierit & parauerit, sicut futuræ sunt, iterùm veniẽs accipiet eos ad seipsum, vt vbi est ipse, sint etiam & ipsi. Quomodò ergo mansiones in domo patris non aliæ, sed ipsæ, & sine dubio iam sunt sicut parãdæ nó sunt, & nondum sunt sicut parandæ sunt: quomodò putamus, nisi etiam quomodò propheta prædicat Deum, quia fecit quæ futura sunt, sed, Qui fecit quæ futura sunt. Ergo & fecit ea, & facturus est ea. Nam neque facta sunt, si ipse non fecit: neque futura sunt, si ipse non fecerit. Fecit ergo ea prædestinando, facturus est operando. Sicut discipulos quando elegerit, satis indicat euangelistũc vtiq;, quãdo eos vocauit: & tamen ait Apostolus: Elegit nos ante constitu- *Ephes. 1.*
tionem mundi, prædestinando vtiq;, non vocando. Quos autem prædestinauit, illos & vocauit. *Rom. 8.*
Elegit prædestinando ante mundi constitutionẽ, elegit vocãdo ante mundi cõsummationem. Sic & mãsiones præparauit & præparat, nec alias: sed quas præparauit, has præparat, qui fecit quæ futura sunt. Quas præparauit prædestinãdo, præparat operando. Iam ergo sunt in prædestinatione. Si quo minùs, dixisset, Ibo & parabo. i. prædestinabo. Sed quia non sunt in operatione: *Et si abiero, inquit, & præparauero uobis locum, iterum ueniam, & accipiam uos ad meipsum.* Parat autem quodammodò mansiones, mansionibus parãdo mãsiones. Quippe cùm dixerit, In domo patris mei mãsiones multæ sunt. Quid putabimus esse domũ Dei, nisi templũ Dei? Quid aũt sit, interroget Apostolus, & respondeat: Templũ Dei sanctũ est, quod estis vos. Hoc est etiam regnũ Dei, *1. Cor. 5.*
quod filius traditurus est patri. Vnde dicit idem Apostolus: Initium Christus, deinde qui sunt *1. Cor. 15.*
Christi in præsentia eius, deinde finis, cũ tradiderit regnũ Deo & patri. i. quos redemit sanguine suo, tradiderit contẽplãdo etiã patri suo. Hęc ergo domꝰ Dei, hoc templũ Dei, hoc regnũ Dei adhuc ædificatur, adhuc fabricatur, adhuc paratur. In illo erunt mãsiones. sicut eas adhuc parat Dominus: in illo iam sunt, sicut prædestinauit iã Dominꝰ. Sed quid est, quòd vt præpararet abijs cùm profectò nosipsos præpararet, quod non faciet, si reliquerit? Agnosco Domine, vt possum. Nimirùm illud significãs, quia vt parentur istæ mansiones, viuere debet iustus ex fide. Qui enim à Domino peregrinatur, opus habet ex fide viuere, quia per hanc ad speciem contemplãdam paratur. Beati enim mundo corde, quoniã ipsi Deũ videbunt. Et fide mundat corda eorũ. *Matth. 5.*
Illud in euangelio, hoc in Actibus apostolorũ legitur. Fides aũt (qua eorũ qui Deũ visuri sunt, *Actor. 15.*

In Ioannẽ Tract. 68

quan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quandiù peregrinantur,corda mundãtur) quod non videt credit. Nam si vides,non est fides. Credenti colligitur meritum,videnti redditur præmium. Eat ergo Dominus & paret locum: eat ne videatur, lateat vt credatur. Tunc enim locus paratur,si ex fide viuatur. Creditus desideretur,vt desideratus habeatur. Desiderium dilectionis,
In Ioannẽ Tract. 69 præparatio est mansionis. Nunc est,dilectissimi, vt quantùm valemus,intelligamus de verbis Domini posterioribus priora, & de consequentibus præcedentia, in eo quòd audistis apostolo Thomæ interroganti esse responsum. Dixerat enim superiùs Dominus, cùm de mansionibus loqueretur,quas & esse dixit in domo patris sui, & ire se vt præpararet eas: vbi intelleximus & esse iam mansiones ipsas in prædestinatione, & præparari eas,cum eorum,qui ibi mansuri sunt, per fidem corda mundantur,quoniam ipsa Dei domus ipsi sunt. Et quid est aliud manere in domo Dei,quàm esse in populo Dei, cùm ipse populus est in Deo,& Deus in eo? Hoc vt præpararet Dominus abijt,vt credendo in eum qui non videtur,ea quæ in specie semper futura est,nũc per fidem mansio præparetur. Propterea ergo dixerat: *Et si abiero & præparauero uobis locum, iterum uenio & accipiam uos ad meipsum, ut ubi ego sum, & uos sitis: & quò ego uado, scitis: & uiam scitis. Ad hæc dicit ei Thomas: Domine, nescimus quò uadis, & quomodò possumus uiã scire?* Vtrunq; illos Dominus dixerat scire, vtrunq; dixit iste nescire,& locũ quò itur,& viã qua itur. Sed nescit ille mẽtiri. ergo isti sciebant, & se scire nesciebãt. Cõuincat eos iã scire, quod se putant ad hucusque nescire: *Dicit ei Iesus: Ego sum uia, ueritas & uita.* Quid est fratres? Ecce audiuimus discipulum interrogantem, audiuimus & magistrum docentem,& nondum capimus etiã post vocem sonantem, sententiam latitantem. Sed quid non possumus capere? Nunquid poterant ei dicere apostoli eius, cum quibus loquebatur, Nescimus te? Proinde si eum sciebant, & via ipse est, viam sciebant. Si eum sciebant,& veritas ipse est, veritatem sciebant. Si eum sciebant,& vita ipse est, vitam sciebant. Ecce scire conuicti sunt, quod se scire nesciebant. Quid ergo & nos in isto sermone non cepimus? Quid putatis fratres mei, nisi quia dixit, Et quò vado scitis,& viam scitis? Ecce cognouimus quòd sciebant viam, quia sciebant ipsum, qui est via. Sed via est qua itur, nunquid via est & quò itur? Vtrunque autem illos dixerat scire, & quò vadit,& viam. Opus ergo erat vt diceret, Ego sum via, vt ostenderet eos, quia eum scirent, viã scire, quam putauerant se nescire. Quid autem opus erat, vt diceret: Ego sum via,& veritas & vita, cùm via cognita qua iret, restaret nosse quò iret, nisi quia ibat ad veritatem, ibat ad vitam? Ibat ergo ad seipsum, per seipsum. Et nos quò imus, nisi ad ipsum? Et qua imus, nisi per ipsum? Ipse igitur ad seipsum per seipsum, nos ad ipsum per ipsum, immò verò ad patrem & ipse & nos. nam & de seipso alibi dicit: Ad patrem vado. Et hoc loco propter nos, *Nemo*, inquit, *uenit ad patrem, nisi per me.* Ac per hoc & ipse per seipsum, & ad seipsũ & ad patrẽ: & nos per ipsũ, & ad ipsũ, & ad patrẽ. *Si cognouissetis me, inquit, & patrẽ meũ utique cognouissetis.* Hoc est quod ait: Nemo venit ad patrem, nisi per me. deinde subiungit: *Et amodò cognoscetis eum, & uidistis eum.* Sed Philippus, vnus ex Apostolis, quid audierit non intelligẽs: *Domine, inquit, ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Cui Dominus: Tanto, inquit, tempore uobiscum sum, & non me cognouistis? Philippe, qui uidet me, uidet & patrẽ.* Ecce increpat, quòd tanto tempore cum ipsis erat, & non cognoscebatur. Nónne ipse dixerat, Et quò ego vado scitis,& viam scitis? & se nescire dicentes, hoc eos scire conuicerat, addendo atque dicendo: Ego sum via, veritas & vita? Quomodò nunc dicit, Tanto tempore vobiscũ sum, & non cognouistis me? cùm profecto & & quò iret,& viam scirent, non ob aliud, nisi quòd ipsum vtique scirent? Sed facilè ista soluitur quæstio, si dicamus quòd eum aliqui eorum sciebant, aliqui nesciebant, atque in his qui nesciebant,& Philippus erat: & quod ait, Et quò ego vado, scitis,& viam scitis, illis dixisse intelligatur, qui sciebant, non Philippo, cui dictum est: Tanto tempore vobiscum sum,& non cognouistis me Philippe? His ergo qui filium iam nouerant, etiam illud de patre dictum est, Et amodò cognoscetis eum,& vidistis eum. Dictum est enim propter omnimodam similitudinem, quæ illi cum patre est, vt ideò amodò dicerentur nosse patrem, quia nouerant similem filium. Ergo iam sciebant filium, & si non omnes, certè quidam eorum, quibus dicitur: Et quò vado scitis, & viam scitis. Ipse enim est via: sed patrem nesciebant. Ideò audiunt: Si cognouissetis me, & patrem meum cognouissetis, per me vtique & illum. alius enim ego sum, alius ille. Sed ne putarent dissimilem, Et amodò cognoscetis eum, inquit,& vidistis eum. Viderunt enim similimũ eius filium: sed admonendi fuerant, talem etiam esse patrem, quem nondum videbant, qualis est filius quem videbant. Et ad hoc valet, quod posteà dicitur Philippo: Qui me videt, videt & patrem: non quòd ipse sit pater & filius, (quod in Sabellianis, qui vocantur etiam Patripassiani, catholica fides damnat) sed quòd tam similes sint pater & filius, vt qui vnum norit, amborum duobus nouerit. Solemus enim de similimis duobus ita loqui eis, qui vnum illorum vident, & qualis sit alius, volunt nosse, vt dicamus: Vidistis illum? istum vidistis. Sic ergo dictum est: Qui videt me, videt & patrem: non quia ipse sit pater, qui filius, sed quod à patris similitudine in nullo prorsùs discrepet filius. Ideò magister discipulum arguebat, quoniam cor postulantis videbat. Tanquam enim melior esset pater quàm filius,

filius, ita Philippus patrem nosse cupiebat: & ideò nec filiũ sciebat, quo meliꝰ aliquid esse crederet. Ad sensum hunc corrigendum dictũ est: *Qui uidet me, uidet & patrem. Quomodò tu dicis, Ostende nobis patrem?* Video quomodò tu dicas. Non alterum quæris videre similem, sed illum putas esse meliorem. *Non credis quia ego in patre, & pater in me est?* Cur in similibus distantiam cupis cernere? Cur inseparabiles separatim desideras nosse? Deinde non ad solum Philippum, sed ad eos pluraliter loquitur: *Verba quæ ego loquor uobis, à meipso non loquor: pater autem in me manens, ipse facit opera.*
In Ioannẽ Tract. 71. Ergo & verbà opera sunt? Planè ita est. Nam profectò qui proximum loquendo ædificat, bonũ opus operatur. Sed quid est, A meipso non loquor, nisi à meipso non sum qui loquor? Ei quippe tribuit quæ facit, de quo est ipse qui facit. Pater enim Deus non est de aliquo, filius autem Deus est quidem patri æqualis, sed de patre Deo. Ideò ille Deus, sed non de Deo: & lumen, sed non de lumine: iste verò Deus de Deo, lumẽ de lumine. Verùm quia sic æqualis alter alteri, vt tamen alter ex altero: ideò non loquitur à semetipso, quia non est à seipso: & ideò pater in illo manens facit opera ipse, quia per quẽ & cum quo facit, non est nisi ab ipso. Deinde adiungit & dicit: *Non creditis, quia ego in patre, & pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite.* Antèa solus Philippus arguebatur, nunc autem non eũ ibi solum fuisse qui esset arguendus, ostenditur. *Propter opera, inquit, ipsa credite, quia ego in patre, & pater in me est.* Neque enim si separati essemus, inseparabiliter operari vlla ratione possemus. Sed quid est, quod sequitur: *Amen amen dico uobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad patrem uado, & quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam?* Ergo & illa maiora opera seipsum facturum esse promisit. Non se extollat seruus super Dominum, nec discipulus super magistrum. Maiora quàm ipse fecit, dixit esse facturos, sed in eis vel per eos se faciente, non ipsis tanquàm ex semetipsis. Et quippe cantatur: Diligam te Domine fortitudo mea. Sed quæ sunt tandẽ ista maiora? An fortè quòd ægros ipsis transeuntibus etiam eorum vmbra sanabat? Maius est enim, vt sanet vmbra quàm fimbria. Illud per se, hoc per ipsos, sed vtrunque ipse. Veruntamen quando ista dicebat, verborũ suorum opera commendabat. Sic enim dixerat: *Verba quæ ego loquor uobis, à meipso non loquor: pater autem in me manens, facit opera ipse.* Quæ opera tunc dicebat, nisi verba quæ loquebatur? Audiebant & credebant illi, & eorundem verborum fructus erat fides illorum. Veruntamen euangelizãtibus discipulis non tam pauci quàm illi erant, sed gentes etiam crediderunt. Hæc sunt sine dubitatione maiora. Nec tamen ait: Maiora horum facietis, vt solos apostolos ea putaremus esse facturos: sed, Qui credit in me, inquit, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. Ità ne quicunque credit in Christum, facit quæ Christus, vel maiora quàm Christus? Si ergo qui credit, faciet: non credit vtique, qui non faciet: sicuti est illud: Qui diligit me, mandata mea custodit: vnde profectò qui non custodit, non diligit. Quid est hoc fratres? Nunquid inter credentes in Christum non est computandus, qui non fecerit opera maiora quàm Christus? Durum est, absurdum est, ferri non potest: non toleratur, nisi intelligatur. Apostolum igitur audiamus: Credenti, inquit, in eum qui iustificat impium, deputatur fides eius ad iustitiam. In hoc opere facimus opera Christi, quia & ipsum credere in Christo, opus est Christi. Hoc operatur in nobis, non vtique sine nobis. Audi ergo iam & intellige. Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet. Priùs ego facio, deinde ipse faciet, quia facio vt faciat. Quæ opera, nisi vt ex impio iustus fiat? Et maiora horum faciet. Quorum obsecro? Nunquid nã omnium operũ Christi maiora faciet, qui cum timore & tremore suam ipsius salutem operatur, quod vtique in illo, sed non sine illo Christus operatur? Prorsùs maius hoc esse dixerim, quàm est cælum & terra, & quæcunque cernuntur in cælo & in terra. Et cælum enim & terra transibit, prædestinatorum autem, id est, eorum quos præscit, salus & iustificatio permanebit. In illis tantùm opera Dei: in his autem est etiam imago Dei. Sed & in cælis sedes, dominationes, principatus, potestates, archangeli, angeli, opera sunt Christi. Nunquid his operibus maiora faciet, qui operante in se Christo, cooperatur æternam salutem ac iustificationem suam? Non hic audeo præcipitare sententiam: intelligat qui potest: iudicet qui potest, vtrùm maius sit iustos creare, quàm impios iustificare. Certè enim si æqualis est vtrunque potentiæ, hoc maioris est misericordiæ. Hoc enim magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatũ est in spiritu, apparuit angelis, prædicatũ est in gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. Restat inquirere, quomodò accipiendum sit, *Quodcunque petieritis patrẽ meũ in nomine meo, hoc faciam.* Magnã ipsam Dominus suis promisit orantibus, dicens: *Quia ego ad patrem uado, & quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Sic ergo perrexit ad patrem, vt non relinqueret indigantes, sed exaudiret petentes. Sed quid est, Quodcunque petieritis, cùm videamus plerunque fideles eius petere & non accipere? An fortè propterea, quia malè petunt? Quando enim nos delectant mala & non delectant bona, rogare debemus potiùs Deum, vt delectent bona, quàm vt concedantur mala. Quomodò ergo intelligendum est, Quodcunq; petieritis, hoc faciam, si Deus aliqua petentibus fidelibus etiam consulendo non facit? An fortè solis Apostolis dictum debemus accipere?

In Ioannẽ Tract. 72. Ioann. 14.

In Ioannẽ Tract. 73. Rom. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

re? Absit. Nunquid enim in eum soli apostoli crediderunt? Ad eos itaque loquebatur, dicendo: Qui credit in me: in quibus eo donante etiam nos sumus, qui vtique non quodcunque petierimus, accipimus. Ipsos quoque beatissimos si cogitemus apostolos, inuenimus eum, qui plus omnibus laborauit (non autem ipse, sed gratia
1. Cor. 12 Dei cum illo) ter Dominum rogasse, vt ab eo discederet angelus satanæ, nec tamen quod rogauerat accepisse. Euigila homo fidelis, & vigilãter audi, quod illic positum est, In nomine meo. Ipsum enim, quodcunque, non ait petieritis vtcunque, sed, In nomine meo. Qui promisit ergo tam magnum beneficium, quid vocatur? Vtique CHRISTVS IESVS. Christus significat regem, Iesus significat saluatorem. Non itaque saluos nos facit quicunque rex, sed rex saluator. Ac per hoc quodcunq; petimus aduersùs vtilitatem salutis, non petimus in nomine saluatoris. Et tamen ipse saluator est, non solùm quando facit quod petimus, verumetiam quando non facit: quoniam quod videt peti contra salutem, non faciendo potiùs se exhibet saluatorem. Quapropter quando volumus vt faciat quodcunque petimus, non vtcunque, sed in nomine eius, hoc est, in nomine saluatoris petamus. Non ergo contra salutem nostram petamus. Quod si fecerit, non vt saluator facit, quod est nomen eius, fidelibus eius. Est quippe impijs & damnator, qui dignatur fidelibus esse saluator. Qui ergo credit in eum, quodcunque petierit in eo nomine, quod est illis qui credunt in eum, hoc facit: quoniam hoc sicut saluator facit. Si autem qui in eum credit, aliquid per ignorantiam contra salutem suam petit, non in nomine saluatoris petit: quia saluator ei non erit, si quod eius salutem impedit, fecerit. Vnde tunc expedit potiùs vt non faciendo propter quod inuocatur, faciat quod vocatur. Propterea non solùm saluator, sed etiam magister bonus, vt faciat quodcunque petierimus, in ipsa oratione quam nobis dedit, docuit quid petamus: vt etiam sic intelligamus non petere nos in nomine magistri, quod petimus præter regulam ipsius magisterij. Sanè quædam quanuis in nomine eius petamus. i. secundùm saluatorem & secundùm magistrum petamus, non tunc quando petimus facit, sed tamen facit. Neque enim quia & illud petimus, vt veniat regnum Dei, propterea non facit quod petimus, quia non statim cũ illo in æternitate regnamus. Differtur enim quod petimus, non negatur. Veruntamen orantes tanquàm seminantes, non deficiamus: tempore enim proprio metemus. Et simul petamus,
Gal. 6. quãdo benè petimus, vt nõ faciat quod nõ benè petimus: quia & ad hoc pertinet, quod in eadẽ oratione dominica dicimus, Ne nos inferas in
Matth. 6. tentationem. Neque enim parua est tentatio, si contra tuam sit causam tua postulatio.

IN FESTO APOSTOLORVM PHILIPPI ET IACOBI, Homilia Eusebij Emeseni.

Non turbetur cor uestrum, neque formidet, &c.
Ioan. 14.

EGo (inquit) vado, & quò ego vado, vos non potestis venire modò: venietis autem posteà. Sed *nõ turbetur cor uestrum* propter hoc, *neque formidet*. Nam etsi vado, vos tamen non relinquo. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vique ad consummationem seculi. *Creditis in Deum, & in me credite*. Non enim sufficit vobis credere in patrem, nisi & in filium credatis. Ego enim & pater vnum sumus. *In domo patris mei mansiones multæ sunt*. Ex quibus eas, quæ nobiliores sunt, vobis præparare & dare disposui. Vos enim estis qui permansistis mecum in tentationibus meis: & ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israël. *Si quò minus dixissem uobis, quia uado præparare uobis locum*, non tamen turbari, sed lætari deberetis. Si, inquit, minùs in aliquo, & non tam sufficienter dixissem vobis, quia vado præparare vobis locum, valdè tamen desiderare debuistis, vt quantocyùs illuc irem, & in illius tantæ beatitudinis gloriam vos introducerem. Nunc autem cùm toties vobis id dixerim atque promiserim, quid trepidatis? Certi ergo estote, & nolite dubitare, quia *si ego abiero & præparauero uobis locum, iterùm uenio & accipiã uos ad meipsum*. Quare? *Vt ubi ego sum, & uos sitis*. Vnde & superiùs dixit: Quia vbi ego sum, ibi & minister meus erit. Accipit enim Dominus sanctorum animas quotidiè ad seipsum, angelorum ministerio & ineffabili potentia sua. Hoc tamen tunc plenius & abundantiùs faciet, quando ad iudicium venies, corporibus animabus coniunctis, suis fidelibus loquetur, dicens: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Necesse autem fuit, vt ipse prius iret, & cæli ianuas aperiret, suoq; introitu singulis quibusq; conuenientia loca pararet. Multæ enim sunt ibi mansiones, quia (vt Apostolus ait) stella differt à stella in claritate. Sequitur: *Et quò ego uado scitis, & uiam scitis*. Quò enim ibat, nisi ad patrem? Sciebant autem Apostoli & patrem & ipsum, non specie tamen, sed fide, credendo enim sciebant, non videndo. Quia igitur & patrẽ sciebant, & ipsum, sciebãt vtiq; & quò ibat, quia patrem sciebant: & viam ipsam sciebant, quia ipsum sciebant. Sed quia hæc verba nondùm intelligebant, idipsum quod sciebant, se scire nesciebant. Vnde & Thomas respondens, ait: *Domine, nescimus quò uadis, & quomodò possumus uiam scire?* Quidam enim ex ipsis putabant, quia de morte diceret, sicut Petrus, qui modò superiùs
Ioan. 13. ait: Domine, quò vadis? Cui Dominus, Quò ego vado, non potest me modò sequi: sequeris autem posteà. At ille, Quare, inquit, non possum te modò sequi? animam meam pro te pono. Vides igitur quia de morte intelligebat, qui se simul cum ipso suam animam ponere dicebat.

Hinc est itaque, quod ait Thomas: Nescimus quò vadis: quia adhuc ignorabat, de quo itinere loqueretur, an mortis, an cæli. Et Dominus continuò sua responsione eis exposuit, qualiter hæc verba intelligere debuissent. Ait enim: *Ego sum uia, ueritas, & uita. Nemo uenit ad patrem, nisi per me*.
Ioan. 10. Si me, inquit, scitis, & viam scitis: quia ego sum via: & si me scitis, patrem quoque scitis: quia ego & pater vnum sumus. Si verò patrem scitis, & quò ego vado scitis: quia ego ad patrem vado.
Christus uia, Ego, inquit, sum via. Sed quare via? Quia nemo
Veritas, venit ad patrem, nisi per me. Ego sum veritas.
Matth. 11. Vnde hoc? Quia nemo cognoscit patrem, nisi per me. Nemo enim nouit patrem, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Nihil enim nisi veri-
Et Vita. tate cognoscitur. Ego sum vita: quia nemo viuit, nisi per me. *Si cognouissetis me, & patrem meum utique cognouissetis: & amodò cognoscetis eum, & uidistis eum*. Vultis, inquit, venire ad patrem? vultis eum cognoscere? Priùs me cognoscite quem videtis, & sic posteà cognoscetis eum, quem nondum videtis. Iam enim vidistis eum, sed in me. Vidistis quidem, sed mente & fide. Ipse enim loquitur in me: (quia ego à meipso non loquor) quemdum auditis, videtis. Qui enim mente audit, videt vtique quod audit: quia idem sunt & visus & auditus in mẽte, & non solũ isti, sed gustus quoque, odoratus & tactus. Vnde est illud:
Psalm. 33. Gustate & videte, id est, gustando videte. Sic igitur eum vidistis, dum eum loquentem audistis. Et amodò cognoscetis eum: quia apud vos manebit, & in vobis erit. *Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis*. Iste enim non mente solummodò & fide, sed carnis etiam
Exod. 33. oculis eum videre desiderabat: sicut & Moyses, qui ait: Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostẽde mihi faciem tuam, vt sciam te. Cui Dominus, Non me, inquit, videbit homo, & viuet. *Dicit ei Iesus: Tanto tempore uobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe qui uidet me, uidet & patrem meum*. Ille de exteriori visu loquebatur: Christus autem ad interiorem. i. ad intelligentiam & mentis oculos eos prouocabat. Tanto tempore vobiscum sum, tanto tempore inter vos conuersatus sum, vobisque in doctrina, in signis & miraculis diuinitatem & potentiam meam reuelaui, & nõ cognouistis me? Philippe, qui videt me, non (sicut tu intelligis) oculis carnis, sed (sicut ego dico) oculis mentis, videt & patrem. *Non credis quia ego in patre, & pater in me est?* Si enim hoc credis, & me & patrẽ vides: si hoc nõ credis, neqẽ me neq; patrẽ vides. *Verba quæ ego loquor uobis, à meipsõ non loquor*. Aquo igitur? A patre. Vbi est? *Pater in me manẽs, ipse facit opera*, ipse loquitur in me: loquendo enim operatur Deus. Ipse enim dixit & facta sunt. Psal. 148
Verbis enim & non herbis sanabat infirmos Iesus. Sed notandum valdè, quum ipse & pater vnum sint, vbique tamen patrem glorificat. Si enim dixisset, Ego à me secundùm humanitatem non loquor, sed diuinitas in me manens, ipsa facit opera, benè quidem dixisset. Hoc tamen non dicit, vt omnem ad patrem gloriam referat. *Non creditis ergo quia ego in patre, & pater in me est? Aloquin propter ipsa opera credite*. Si verbis, inquit, non creditis, operibus credite. Opera enim quæ ego facio, ipsa manifestè ostendunt, quia ego sum in patre, & pater in me est. Sed audite adhuc maius argumentum, & cui nemo contradicere possit. *Amen amen dico uobis, qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad patrem uado*. In hoc, inquit, apparet, quòd Dei filius ego sum, quia non solùm ego hæc omnibus admiranda opera facio, verùm etiã illi, qui in me credunt, similia & maiora opera facient: & hoc meritò: quia ad patrẽ ego vado. i. quia Dei filius sum, & ille mihi pater, ad quẽ vado. Et multùm quidem conuenit, vt illi talia operentur, qui redunt in filium Dei. Quòd autem ait: Et maiora horum faciet, tale est, ac si diceret: Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & horum. i. de his non qualiacunq;, sed ea quæ maiora & mirabiliora sunt facier. Sequitur: *Et quodcunque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur pater in filio*. Multum enim glorificatur pater in filio, dum talia fiunt in nomine filij.

IN FESTO INVENTIONIS S. CRVCIS, In Epistolam Concio exegetica.

CRVX, inquit Chrysostomus, nobis totius beatitudinis causa est. Hæc nos à cæcitate liberauit erroris, hæc è tenebris reddidit luci, hæc debellatos quieti sociauit, hæc alienatos Deo coniunxit, hæc longè constitutos, Deo proximos præsentauit, hæc peregrinantes ciues ostendit, hæc discordiæ amputatio est, hæc pacis firmamentũ, hæc bonorum omnium abundans largitio. Sed ad epistolæ explicationem veniamus, quam habemus hodiè depromptam ex quinto & sexto capite Epistolæ ad Galatas: *Fratres, confido de uobis in Domino, quòd nihil aliud sapietis*. Non dixit,
Homil. de Cruce & Latrone.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Scio, sed, Cõfido. Confido, inquit, Deo, & illius opem inuoco ad vestri correctionem. Nec simpliciter dixit, Confido de vobis, sed adiecit, In Christo, vbique enim laudem miscet accusationi: quasi dixisset: Noui meos discipulos, noui quàm sitis correctu faciles. Confido, partim ob Christum, qui non patitur quidlibet etiam perire: partim propter vos, qui facilè potestis reuocare vosipsos. Simul autem adhortatur, vt ipsi etiam studium adhibeant, tanquàm non possint à Deo consequi, nisi pariter quod in ipsis situm erat, adhiberẽt. *Qui autem conturbat uos, portabit iudicium, quicunque est ille.* Vtrinque delinit illos, tum ex eo, quòd illis addidit fiduciam: tum ex eo, quòd pseudapostolos execratur, aut potiùs prædicit illis euenturum supplicium. Tu verò iam illud mihi contemplator, vt nequaquàm nomen edidit insidiantium, ne fierent impudentiores. Quod autem dicit, illud est: Non quia vos nihil aliud sentitis, eò seductionis authores liberati sunt à supplicio, sed dabunt pœnas. Non enim par est, vt aliorum probitas aliorũ malitiã subleuet. Hoc autem facit, ne & alios rursùs inuadãt. Nec simpliciter dixit, Qui conturbat, sed exaggerauit sermonem, dicens, Quisquis fuerit. Ego *autem fratres, si circunci sionem adhuc prædico, quid adhuc persecutionem patior?* Quoniam traducebatur Apostolus hoc nomine, quod vbique Iudaizaret, ficteque prædicaret, vide quàm purè semet explicet à suspicione, ipsos appellans testes. Nam vos quoque scitis, inquit, istam fuisse persecutionũ mearum causam, quòd à lege iubeo desciscere. Nam si circuncisionem prædico, cur persecutionem patior? Neque enim aliud crimen mihi possunt intendere, qui ex Iudæis sunt, præterquàm hoc solum. Nam si concessissem, vt seruatis maiorum ritibus crederent, haudquaquã mihi fuissent insidiati, nec ij qui crediderunt, nec ij qui non crediderunt, cùm nihil ex ipsorũ institutis labefactaretur. Quid igitur? An non prædicauit circuncisionem? an non circuncidit Timotheum? Circuncidit quidem, at non prædicauit. Quid igitur est, quod hic dicit? Discite eius exactam in dicendo circunspectionem. Non dixit, Non facio circuncisionem, sed, Non prædico: hoc est, non ita iubeo credere. Etenim ne hinc caperes dogmatum confirmationem, circuncidi quidem, sed non prædicaui circuncisionem. *Ergo euacuatum est scandalum crucis.* Hoc est, obstaculum impedimentumque sublatum est, si verum est quod dicitis. Neque enim perinde crux offendiculo erat Iudæis, vt quòd non pareremus patrijs legibus. Etenim cùm Stephanum perduxissent in concilium, non dixerunt, Hic est, qui crucifixum adorat, sed loquitur, inquiunt, contra legem & locum sanctum. Idem crimen Christo impegerant, quòd legem solueret. Propterea Paulus ait: Si concessa est circuncisio, soluta est quam habent aduersùm nos contentio: nulla iam inimicitia manet aduersùs crucem & prædicationem. Quòd si quotidiè cædem exercent cõtra nos, quomodò hoc intendunt nobis crimen? Me quidem propter hoc adorti sunt, quòd incircuncisum induxissem in templum. An igitur adeò stultus sum, inquit, vt cùm permisserim circuncisionem, frustrà & incassùm tantũ in me reciperem mali, vt tantum offendiculum ponerem cruci? Videtis enim, quòd nullam aliã ob causam æquè nobis sunt hostes, atque ob circuncisionem. Num igitur adeò vecors eram, vt pro re nihili & ipse affligerer, & alijs essem offendiculo? Porrò crucis offendiculum vocauit, eò quòd etiam sermo crucis hoc imperabat, idque potissimum erat, quod offendebat Iudæos, & vetebat ne crucem reciperent, videlicet, quòd iuberentur à maiorum institutis discedere. *Vtinam & abscindantur, qui uos conturbant.* Vide quàm hic est amarulentus in eos, qui Galatas seduxerant. In initio torquebant accusationem in seductos, semel atque iterùm eos appellans stultos: verùm vbi illos rectè castigauit correxitque, deinceps in seductores fertur. Oportet autem nos & hanc Apostoli sapientiam perspicere, quomodò hos tanquàm proprios filios, & tanquàm correctionis capaces admonet, & ad mentem reuocat: eos verò qui seduxerant, velut alienos & insanabili morbo laborantes resecat, partim cùm ita dicit, Portabit iudicium suũ quisquis fuerit: partim cùm ait: Vtinam & abscindantur, qui vos conturbant. Quod autem dicit, hoc est: Nulla est mihi cura de illis. Hæreticũ enim, inquit, hominem post vnam & alteram admonitionem deuita. Si volũt, non solũ circunci dãtur, verùm etiam exerẽtur. *Quicunq; enim uolũt placere in carne, hi cogunt uos circuncidi, tantum ut crucis Christi persecutionem non patiantur. Neque enim qui circunciduntur, legem custodiunt: sed uolunt uos circunci di, ut in carne uestra glorientur.* Hic ostendit illos nõ sponte id facere, sed coactos pati, præbens illis occasionem redeundi, ac propemodùm illos excusans, hortansque vt citò resiliant. Quid autem est placere in carne? Probari apud homines. Quoniam enim apud Iudæos probro dabatur, quòd à patrijs consuetudinibus desciscerent, ne hoc, inquit, possit ipsis exprobrari, volũt vos corrumpi, per vestram carnem illis satisfacturi. Hoc autem dicit, vt ostendat illos nequaquàm propter Deum quæ faciebant facere: perinde quasi dixisset: Quòd fit, non innititur pietati: propter humanam ambitionem hæc omnia fiũt, vt placeant infidelibus, quòd fideles truncentur, & inducunt animum, vt Deum offendant, modò placeant hominibus. Hoc enim est in carne placere. Post hæc vt ostendat & à diuerso, eos procul esse à venia, rursùs illos redarguit, nõ solùm ob id, quòd alijs placere studerent, verùm etiam quòd suæ gloriæ causa hæc alijs præciperent: eoque subiecit, Vt in carne vestra glorientur, tanquàm qui discipulos habeant, sintq; doctores. Et vnde hæc probantur? Non enim, inquit.

Act. 5. Act. 16. Actor. 6. Gal. 5. 2. Cor. 4. 1. Ioan. 2. Tit. 3. Gal. 6. Gal. 5. placere in carne.

quit, ipsi legem seruant. Maximè igitur etiam si seruassent, erant accusandi. Nunc & scopus illorum insyncerus est. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Attamen res videtur esse probrosa: verùm in mundo & apud infideles. Cæterùm in cælis & apud fideles gloria est, & quidem maxima. Nam & paupertas probrosa est, sed nobis glorioſa. Item sperni, apud vulgus ridiculum est, at nos eo gloriamur. Ita crux nobis est gloriandi materia. Nec verò dixit, Ego non glorior, aut, ego non volo gloriari: sed, Absit vt ego glorier: perinde quasi de re portentosa loquens, abominatus est. & ad hoc præstandum, diuinam opem implorauit. Et quid est, quod de cruce gloriatur? Quòd Christus mea causa formam serui accepit, & mea causa quæ passus est, pertulit: propter me, inquam, qui seruus eram, qui inimicus, qui ingratus: & sic me dilexit, vt seipsum exponeret. Quid huic possit æquiparari? Etenim si serui dum tantùm laudantur ab heris, hisque eiusdem naturæ, vehementer sibi placent: an non gloriandum est, cùm ille Dominus, qui verus est Deus, non erubescit pro nobis crucem subire? Proinde ne nos quidẽ illius ineffabilis erga nos solicitudinis pudeat. Illum non puduit tua causa crucifigi, & te pudet eius inenarrabilem profiteri dispẽlationem? Et interim perinde facis, ac si quis antè non erubescens de rege, postquàm is adstãs ipsi in carcere, vincula suis manib⁹ detraxisset, ob hoc illius pudeseeret. Verùm hæc extremæ fuerint dementiæ. ob hocipsum enim maximè gloriãdum est. *Per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Mũdum hic appellat, non cælum neque terram, sed res temporarias, laudem ex hominibus, famulitium, gloriam, opes. Hæc igitur omnia, quæ vulgo videntur esse magnifica, mihi facta sunt mortua. Talem oportet esse Christianum, & hanc vocem semper habere in ore. Considera & hinc huius beati erga Deum charitatem. Non contentus est priore mortificationis modo, sed & alterum intulit, dicens, Et ego mundo: duplicem innuẽs mortificationem ac dicens: Et illa mihi mortua sunt, & ego vicissim illis: nec illa me capere possunt, neque manibus iniectis captiuum ducere, quippe semel mihi mortua: neque ego illorum cupidine teneri, quippe mortuus illis. Nihil hac mortificatione felicius. hoc est beatæ vitæ fundamentum. Hactenùs omnia ex Chrysostomo. Hieronymus ea verba exponens, Mihi autem absit gloriari, &c. Solus, inquit, potest in cruce Christi gloriari, qui tollit eam, & sequitur saluatorem: qui crucifixit carnem suam cum vitijs & concupiscentijs, qui mortuus est mundo, & non contemplatur ea quæ videntur, sed quæ non videntur: videns mundum crucifixum, & transeuntem figuram eius. Hæc Hieronymus. Audiamus & Ambrosium, hunc locum his verbis edisserentem: Quomodò pseudoapostoli tribulationes pro nomine Christi quasi nihil profuturas, per hypocrisin redimebant, erubescentes in his: ita & Apostolus gloriabatur de his, sciens magnam pro istis fore mercedem, quemadmodùm & apostoli eius, sicut scriptum est in actis Apostolorum: Tunc, inquit, cæsi exierunt apostoli de concilio, gaudentes quia digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Cuius ergo omnis spes in Christo est, hic gloriatur in cruce eius: huic & mundus crucifixus est, certus amorem crucis Christi vitam esse, mundi verò amorem parere mortem. Inuicé ergo sibi mortui sunt, & mũdus Apostolo, & Apostolus mũdo, dum nihil concupiscit Apostolus mundi, & dum nihil habet mũdus suum, quod agnoscat in Apostolo, sicut & Dominus ait: Ecce, inquit, princeps huius mundi venit, & in me inuenit nihil. Ita Ambrosius. Quòd verò superiùs dictum est ab Apostolo, Quicunque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circuncidi, tantùm vt crucis Christi persecutionem non patiantur, Heronymus hũc in modum exponit: Caius, inquit, Cæsar, & Octauianus Augustus & Tiberius successor Augusti leges promulgauerant, vt Iudæi, qui erant in toto Romani imperij orbe dispersi, proprio ritu viuerent, & patrijs cæremonijs deseruirẽt. Quicunque igitur circuncisus erat, licet in Christũ crederet, quasi Iudæus habebatur à gentibus. Qui verò absque circuncisione se non esse Iudæum præputio præferebat, persecutionibus tã gentilium quàm Iudæorum fiebat obnoxius. Has igitur persecutiones hi qui Galatas deprauauerãt declinare cupientes, circũcisionem pro defensione discipulis persuadebant, quam nunc Apostolus confidentiam in carne vocat: quòd scilicet tam gentilibus quos timebant, quàm Iudæis quibus volebant placere, circuncisionem in persecutione proponerent. Nam nec Iudæi persequi eos poterant, nec gentiles, quos volebant & proselytos circuncidere, & ipsos legis præcepta seruare. Hæc Hieronymus. De sanctæ crucis inuentione ita scripsit Ambrosius in ea oratione, quam præsente Honorio Augusto habuit de obitu Theodosij Imperatoris: Venit Helena, cœpit reuisere loca sancta: infudit ei spiritus, vt lignum crucis requireret, accessit ad Golgotham, & ait: Ecce locus pugnæ, vbi est victoria? Quæro vel vexillum salutis, & non inuenio. Ego, inquit, in regnis, & crux Domini in puluere? Ego in aulis, & in ruinis Christi triumphus? Ille adhuc latet & palma vitæ æternæ? Quomodò me redemptam arbitror, si redumptio ipsa non cernitur? Video quid egeris diabole, vt gladius quo peremptus es, obstrueretur. Sed Isaac obstructos ab alienigenis puteos eruderauit, nec latere aquam passus est. Tollatur igitur ruina, vt vita appareat. Promatur gladius, quo veri Goliæ caput est amputatum. Aperiatur humus, vt salus fulgeat. Quid egisti diabole, vt absconderes lignum,

Crux, materia gloriandi. Mundus Paulo crucifixus. Et ipse mundo. Cruxchristi ut inuẽta. Iudæis à quibus permissũ fuo ritu uiuere. Philip. 3. Ioan. 14. Gen. 28.

Universidad de Deusto
Biblioteca

num,nisi vt iterùm vincereris? Vicit te Maria, quæ genuit triumphatorem, quæ sine imminutione virginitatis edidit eum,qui crucifixus vinceret te,& mortuus subiugaret. Vinceris & hodiè,vt mulier tuas insidias deprehendat. Illa quasi sancta Dominum gestauit, ego crucem eius inuestigabo. Illa generatum docuit,ego resuscitatum. Illa fecit vt Deus inter homines videretur, ego ad remedium peccatorum diuinũ de ruinis eleuabo vexillum. Aperit itaque humum, decutit puluerem: tria patibula confusa reperit,quæ ruina contexerat,inimicus absconderat. Sed non potuit obliterari Christi triumphus. Incerto hæret vt mulier, sed certam indaginem sanctus spiritus inspirat, eò quòd duo latrones cum Domino crucifixi fuerint. Quærit ergo medium lignum. Sed poterat fieri, vt patibula inter se ruina confunderet, casus mutaret & inuerteret. Redit ad Euangelij lectionem, inuenit quia in medio patibulo prælatus titulus
Ioan. 19. erat, Iesus Nazarenus rex Iudæorum. Hinc collecta est sortes veritatis, titulo crux patuit salutaris. Hæc & plura alia Ambrosius. Videat etiam de hac inuentione sanctæ Crucis, qui volet, Nicephorum lib. 8. cap. 29. Eccles. Histor. Simeonem Metaphrasten in vita S. Helenæ, Cassiodorum lib. 2. Tripart. Hist. Theodoretũ li. 1. cap. 18. Eccles. Hist. Sulpicium Seuerum lib. 2. Historiæ sacræ. Russinum cap. 8. Hist. Eccles. Nos interim cũ Apostolo in cruce Christi gloriemur, & eius amore mundum nobis habeamus crucifixum, & nos mundo crucifixos exhibeamus, fastiditis omnibus mundi huius vanitatibus & voluptatibus, præstante eodem Deo ac Domino nostro, AMEN.

IN FESTO INVENTIONIS S. CRVCIS, Ioan. III.

In illo tempore: Erat homo ex pharisæis Nicodemus nomine, princeps iudæorum. Hic uenit ad iesum nocte, & dicit ei: Rabbi, scimus quia à Deo uenisti magister. Et reliqua. Homilia beati Augustini episcopi.

Tract. 11. in Euangelium Ioan. Ioan. 2.

NICODEMVS ex his erat, qui crediderant in nomine Iesu, videntes signa & prodigia quæ faciebat. Superiùs enim euangelista hoc dixerat: Cùm autem esset Hierosolymis in pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius. Quare crediderunt? Sequitur & dicit: Videntes signa eius quæ faciebat. Et de Nicodemo quid dicit? Erat homo ex pharisæis Nicodemus nomine, princeps iudæorum: hic uenit ad eum nocte, & ait illi: Rabbi, scimus quia à Deo uenisti magister. Et iste ergo crediderat in nomine eius. Et ipse vnde crediderat? Sequitur: Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Si ergo iste Nicodemus de illis multis erat, qui crediderant in nomine eius, iam in isto Nicodemo attendamus, quare se IESVS non credebat eis. Respondit Iesus, & dixit ei: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuò, non potest uidere regnum Dei. Ipsis ergo se credit Iesus, qui nati fuerint denuò. Ecce illi crediderant in eum, & Iesus non se credebat eis. Tales sunt omnes catechumeni. Ipsi iam credunt in nomine Christi, sed Iesus non se credit eis. Intendat & intelligat charitas vestra. Si dixerimus catechumeno: Credis in Christum? Respondet, Credo, & signat se. Iam crucem Christi portat in fronte, & non erubescit de cruce Domini sui. Ecce credit in nomine eius. Interrogemus eum: Manducas carnem filij hominis, & bibis sanguinem filij hominis? Nescit quid dicimus, quia Iesus non se credidit ei. Cùm ergo ex illo numero esset Nicodemus, venit ad Dominum, sed nocte venit. Et hoc fortè ad rem pertinet. Ad Dominum venit, & nocte venit: ad lucem venit, & in tenebris venit. Renati autem ex aqua & spiritu quid audiunt ab Apostolo? Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: vt filij lucis ambulate. Et iterũ: Nos qui diei sumus, sobrij simus. Qui ergo renati sunt, noctis fuerunt, & diei sunt: tenebræ fuerunt, & lumen sunt. Iam credit se illis Iesus, & non nocte veniunt ad Iesum, sicut Nicodemus, non in tenebris quærunt diem. Tales enim iam profitentur eum. Accedit ad illos Iesus, facit in illis salutem, quia ipse dixit: Nisi quis mãducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit vitam in se. Et quòd signum crucis habent in fronte catechumeni, iam de domo magna sunt, sed fiat ex seruis filij. Non enim nihil sunt, quia iam ad domum magnam pertinent. Quando autem magna manducauit populus Israël? Cùm transisset mare rubrum. Mare autem rubrum quid significet, audi Apostolum: Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt. Vt quid per mare transierunt? quasi causam quæreres ab illo, secutus ait: Et omnes per Moysen baptizati sunt, in nube & in mari. Si ergo figura maris tãtum valuit, species baptismi quantum valebit? Si quod gestum est in figura, traiectum populum ad manna perduxit: quid exhibebit Christus in veritate baptismi sui, traiecto per eum populo suo? Per baptismum suum traijcit credentes, occisus omnibus peccatis, tanquàm hostibus consequentibus, sicut in illo mari omnes Aegyptij perierunt. Quò traijcit fratres mei, quò traijcit per baptismũ Iesus, cuius figuram tunc gerebat Moyses, qui per mare

Catechumeni non se credit Iesus.

Crucem Christi in fronte portat.

Ephes. 5.

1. Thess. 5.

Ioan. 3.

1. Cor. 10.

Exod. 14.

Ioan. 6. mare traijciebat, quò traijcit? Ad manna. Quid est manna? Ego sum, inquit, panis viuus, qui de cælo descendi. Manna accipiunt fideles, iam traiecti per mare rubrum. Quare per rubrum mare? Iam mare, quare rubrum? Significabat mare illud rubrum, baptismum Christi. Vnde rubet baptismus Christi, nisi Christi sanguine consecratus? Quò ergo perducit credentes & baptizatos? Ad manna. Ecce dico manna. Notum est quod acceperint Iudæi, populus ille Israël, notum est quid eis pluisset Deus de cælo, & nesciunt catechumeni, quid accipiunt Christiani. Erubescant ergo, quia nesciunt: transeant per mare rubrum, manducent manna, vt quomodò crediderunt in nomine Iesu, sic se ipsis credat Iesus. Ideò intendite fratres, quid respondeat iste, qui nocte venit ad Iesum. Quanuis ad Iesum venerit, tamen quia nocte venit, adhuc de tenebris carnis suæ loquitur. Non intelligit quod audit à Domino, non intelligit quod audit à luce, quæ illuminat omnẽ hominem venientem in hunc mundum. Iam ei Dominus dixit: Nisi quis renatus fuerit denuò, non videbit regnum Dei. *Dicit ad eum Nicodemus: Quomodò potest homo nasci, cùm sit senex?* Spiritus ei loquitur, & ille carnem sapit. Carnem suam sapit, quia carnem Christi nondum sapit. Cùm enim dixisset Dominus Iesus: Nisi quis manducauerit carnem
Ioan. 6. meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam: scandalizati sunt quidam, qui eũ sequebantur, & dixerunt ad semetipsos: Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Putabant enim hoc dicere Iesum, quod eum possent concisum sicut agnum coquere & manducare. Abhorrentes à verbis eius recesserunt, & ampliùs eum non sunt secuti. Sic euangelista loquitur: Et Dominus ipse remansit cum duodecim. Et ille ad eum: Domine, ecce illi dimiserunt te. Et ille: Nunquid & vos vultis abire? Ostendere volens, quia ipse illis erat necessarius, non illi Christo erant necessarij, ne quis terreat Christum, quando dicitur vt sit Christianus. Quasi beatior erit Christus, si tu fueris Christianus. Bonum est tibi, vt sis Christianus. Nam si non fueris, malum
Psalm. 15. Christo non erit. Audi vocem Psalmi: Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Ideò Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Si fueris sine Deo, minor eris: si fueris cum Deo, maior Deus non erit. Non ex te maior ille, sed tu sine illo minor. Cresce ergo in illo. Noli te subtrahere, vt quasi ille deficiat, si recesseris. Reficieris, si accesseris: deficies, si recesseris. Integer manet te accedente, integer manet te cadente. Cùm ergo
Ioan. 6. dixisset discipulis, Nunquid & vos vultis abire? respondit Petrus, petra illa, voce omnium: Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Bene sapuit in ore ipsius caro Domini. Dominus autem exposuit eis, & dixit: Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam. Cùm dixisset, Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam: ne carnaliter intelligerent, Spiritus est, inquit, qui viuificat, caro autem nihil prodest. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Hunc spiritum & hanc vitam non sapiebat iste Nicodemus, qui nocte venerat ad Iesum. Ait ei Iesus: Nisi quis renatus fuerit denuò, non videbit regnum Dei. Et ille carnem suam sapiens, in cuius ore nondum sapiebat caro Christi. *Quomodò, inquit, potest homo nasci, cùm sit senex? Nunquid potest in uterum matris suæ iterùm introire, & nasci?* Non nouerat iste nisi vnam natiuitatem, ex Adam & Eua: ex Deo & Ecclesia, nondum nouerat. Non nouerat nisi eos parentes, qui generant ad mortem: nondum nouerat eos parẽtes, qui generãt ad vitã. Nõ nouerat nisi eos parentes, qui generant successuros: nondum nouerat eos, qui semper viuentes generant permansuros. Cùm ergo sint duæ natiuitates, ille vnam intelligebat. Vna est de terra, alia de cælo. Vna est de carne, alia de spiritu. Vna est de mortalitate, alia de æternitate. Vna est de masculo & fœmina, alia de Deo & Ecclesia. Sed ipse duæ singulæ sunt, nec illa potest repeti, nec ista. Rectè intellexit Nicodemus natiuitatem carnis. Sic & tu intellige natiuitatem spiritus, quomodò intellexit Nicodemus natiuitatem carnis. Quid Nicodemus intellexit? Nunquid potest homo denuò in ventrem matris suæ intrare, & nasci? Sic quicunque tibi dixerit, vt spiritualiter iterùm nascaris, responde quod dixit Nicodemus: Nunquid potest homo iterùm in ventrem matris suæ intrare, & nasci? Iam natus sum de Adam, non me potest iterùm generare Adam. Iam natus sum de Christo, non me potest iterùm generare Christus. Quomodò vterus non potest repeti, sic nec baptismus. Qui nascitur de Ecclesia catholica, tanquã de Sara nascitur, de libera nascitur. Qui nascitur de hæresi, tanquàm ad ancilla nascitur, sed ex semine Abrahæ. Aduertat charitas vestra magnum sacramentum. Testatur Deus & dicit: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. In istis tribus inuenimus parere liberas, parere & ancillas. Inuenimus ibi partus liberarum, inuenimus ibi & partus ancillarum. Intelligimus autem rem miram in istis partubus, id est, in istis fœtibus, in istis generationibus liberarum & ancillarum, quatuor scilicet genera hominum: in quibus quatuor generibus completur figura futuri populi Christiani, vt non sit mirum, quòd in istis tribus dictum est, Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. In omnibus enim Christianis (fratres intendite) aut per malos nascuntur boni, aut per bonos nascuntur mali, aut per malos mali, aut per bonos boni. Ampliùs istis quatuor generibus non potestis inuenire. Quæ iterùm repetam, aduertite, retinete, excutite corda vestra, nolite

Mare rubrum, typus baptismi.

Ibid.

Catechumeni non se credit Iesus.

Crucem Christi in fronte portat.

Ephes. 5.

1. Thess. 5.

Ioan. 3.

1. Cor. 10.

Exod. 14.

Duæ natiuitates.

Baptismus nõ potest repeti.

Quatuor hominum genera.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pigri esse. Capite, ne capiamini, quomodò quatuor sunt genera omnium Christianorum: aut per bonos nascuntur boni, aut per malos nascuntur mali, aut per bonos mali, aut per malos boni. Puto quia planum est: Per bonos boni, si & qui baptizant, boni sunt: & qui baptizantur, rectè credunt, & in membris Christi rectè numerantur. Per malos mali, si & qui baptizant, mali sunt: & qui baptizantur, duplici corde accedunt ad Deum, & non tenent eos mores, quos audiunt in Ecclesia, vt tibi non sint palea, sed frumentum. Quàm enim multi sint, nouit charitas vestra. Per malos boni: aliquando baptizat adulter, & qui baptizatur, iustificatur. Per bonos mali: aliquando qui baptizant, sancti sunt: qui baptizantur, tenere vias Domini nolunt. Puto ergo fratres notum esse in Ecclesia, & quotidianis exemplis manifestari ea quæ dicimus. Sed in prioribus nostris patribus ea consideremus, quia habuerunt & illi ista quatuor genera. Per
Actor. 6. bonos boni: Ananias Paulum baptizauit. Quid
Philip. 1. per malos mali: Dicit apostolus quosdam prædicatores euangelij, quos dicit non castè annunciare solere euangelium, quos tolerat in societate Christiana, & dicit: Quid enim? Dum omni modo siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuntietur: & in hoc gaudeo. Nunquid maleuolus erat, & de alieno malo gaudebat? Sed quia & per malos verum prædicabatur, & per malorum ora Christus annuntiabatur: si quos isti sui similes baptizabant, mali malos baptizabant. Si quos isti baptizabant, tales
Matth. 23 quales admonet Dominus, cù dicit: Quæ dicũt, facite: quæ aũt faciunt, facere nolite: mali bonos baptizabant. Boni malos baptizabant, quomo-
Actor. 8. dò à Philippo sancto Simon magus baptizatus est. Nota sunt ergo ista quatuor genera, fratres mei. Ecce iterũ ea repeto. Tenete illa, numerate illa, aduertite illa: Cauete quæ mala sunt, tenete quæ bona sunt. Per bonos boni nascuntur, cùm per sanctos sancti baptizantur. Per malos mali, cùm & qui baptizant, & qui baptizantur, iniquè & impiè viuunt. Per malos boni, cùm mali sunt qui baptizant, & boni qui baptizantur. Per bonos mali, cũ boni sunt qui baptizant, & mali qui
Ex Tract. 32. in Ioan. baptizantur. Regeneratio spiritalis vna est, sicut generatio carnalis vna est. Et quod Nicodemus Domino ait, verũ dixit: quia nõ potest homo cũ sit senex, redire rursùs in vterũ matris suæ, & nasci. Ille quidẽ dixit, quia homo cũ sit senex, hoc nõ potest: quasi & si infans esset, posset. Omnino enim nõ potest, siue recès ab vtero, siue annosa iam ætate, redire rursùs in materna viscera, & nasci. Sed sicut ad natiuitatẽ carnalẽ valent mulierbria viscera ad semel pariendũ: sic ad natiuitatẽ spiritalem valent viscera Ecclesiæ, vt semel quisque baptizetur. Propterea ne quis fortè dicat, sed iste in hæresi natus est, & iste in schismate natus est, amputata sunt omnia, si meministis quæ vobis disputata sunt de tribus patribus nostris, quorũ Deus dici voluit, non quia soli erant, sed quia in his solis expleta est integritas significãdi populi futuri. Dicit Dominus Nicodemo, & exponit ei: *Amen amẽ dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Tu, inquit, carnalem generationem intelligis cũ dicis: Nunquid potest homo redire in viscera matris suæ? Ex aqua & spiritu sancto oportet vt nascatur, propter regnũ Dei. Si propter hæreditatẽ patris hominis temporalẽ nascitur, nascatur ex visceribus matris carnalis: propter hæreditatẽ patris Dei sempiternã, nascatur ex viscera Ecclesiæ. Generat per vxorẽ pater filium, moriturus successurum: generat Deus de Ecclesia filios non successuros, sed secũ mãsuros. Et sequitur: *Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est de spiritu, spiritus est.* Spiritaliter ergo nascimur, & in spiritu nascimur verbo & sacramento: adest spiritus vt nascamur. Spiritus inuisibiliter adest vnde nasceris, quia & tu inuisibiliter nasceris. Sequitur enim & dicit: *Non mireris, quia dixi tibi, Oportet uos nasci denuò. Spiritus ubi uult spirat, & uocem eius audis: sed nescis unde ueniat, aut quò uadat.* Nemo videt spiritũ, & quomodò audimus vocem spiritus? Sonat psalmus, vox est spiritus: sonat prophetia, vox est spiritus: sonat sermo diuinus, vox est spiritus. Vocem eius audis, & nescis vnde veniat, & quò vadat. Sed si nascaris & tu de spiritu, hoc eris, vt ille qui non est natus adhuc de spiritu, nesciat de te vnde venias, & quò eas. Hoc enim secutus ait: *Sic est omnis, qui natus est ex spiritu. Respondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodò possunt hæc fieri?* Et reuerà carnaliter intelligebat. In illo fiebat, quod dixerat Dominus. Vocem spiritus audiebat, & nesciebat vnde veniret, & quò iret. *Respondit Iesus, & dixit ei: Tu es magister in Israël, & hæc ignoras?* O fratres, quid putamus Dominum huic magistro Iudæorum quasi insultare voluisse? Nouerat Dominus quid agebat, volebat illum nasci ex spiritu. Nemo ex spiritu nascitur, nisi humilis fuerit, quia ipsa humilitas facit nos nasci de spiritu. quoniam propè est Dominus obtritis corde. Ille magisterio inflatus erat, & alicuius momenti sibi esse videbatur, quia doctor erat Iudæorum. Deponit ei superbiam, vt possit nasci de spiritu. Insultat quasi indocto, non quia superior vult videri Dominus. Quid magnum, Deus ad hominem? veritas ad mendacium? Maior Christus quàm Nicodemus dici debet, dici potest: cogitandum est, si diceretur maior Christus quàm angeli, ridendum erat? Incomparabiliter enim maior creator omni creatura, per quem facta est omnis creatura. Sed exagitat superbiam hominis. Tu es magister in Israël, & hæc ignoras? Tanquam dicens: Ecce nihil nosti princeps superbe, nascere ex spiritu. Si enim natus fueris ex spiritu, vias Dei tenebis, vt humilitatem Christi sequaris. Sic enim al-

Non nisi humilis de spiritu nascitur.

Psalm. 50.

Philip. 2.

tus est super omnes angelos, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem. Et ne tibi mortis genus aliquod placeat, mortem autẽ crucis. Pendebat, & insultabatur ei. De cruce descendere poterat, sed differebat, vt de sepulchro resurgeret: pertulit superbos seruos Dominus, medicus ægrotos. Si hoc ille, quid illi quos oportet nasci ex spiritu? Si hoc ille verus magister in cælo, non hominum tantùm, sed & angelorum? Si enim docti sunt angeli, verbo Dei docti sunt. Si verbo Dei docti sunt, quærite vnde
Ioan. 1. docti sunt, & inuenietis: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Tollitur homini ceruix, sed aspera & dura, vt sit leuis ceruix ad portandum iugum
Matth. 11. Domini, de quo dicitur: Iugum meum lene est, & sarcina mea leuis. Et sequitur. *Si terrena dixi uobis, & non creditis, quomodò si dixero uobis cælestia, credetis?* Quæ terrena dixit fratres? Nisi quis natus fuerit denuò, terrenum est? Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, & nescis vnde veniat, aut quò eat, terrenum est? Si enim de esto vento diceret, sicut nonnulli intellexerunt, cùm quæreretur ab eis quid terrenum dixerit Dominus cùm ait, si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodò si cælestia dixero, credetis? Cùm ergo quæreretur à quibusdam, quid terrenum dixerit Dominus, angustias passi, dixerunt: Quòd ait, Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, & non scis vndè veniat, & quò eat, de vento isto dixit. Quid enim nominauit terrenum? Loquebatur de generatione spiritali: secutus ait: Sic & omnis qui natus est ex spiritu. Deinde fratres quis nostrum non videat (verbi gratia) austrum euntem à meridie ad aquilonem, aut aliũ ventũ venientem ab oriente ad occidentem? Quomodò ergo nescimus vnde veniat, & quò eat? Quid ergo dixit terrenum, quod non credebant homines? An illud, quod de templo suscitando dixerat? Corpus enim suum de terra acceperat, & ipsam terram, de terreno corpore susceptam, parabat suscitare: nõ ei creditũ est terrã suscitaturo. Si terrestria, inquit, dixi vobis, & non creditis, quomodò si dixero vobis cælestia, credetis? Hoc est, si non creditis quia templum possum suscitare deiectũ à vobis, quomodò credetis quia per spiritũ possint homines regenerari? Et sequitur: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, filius hominis qui est in cælo.* Ecce hic erat, & in cælo erat. Hic erat carne, in cælo erat diuinitate, immò vbique diuinitate: natus de matre, non recedens de patre. Duæ natiuitates Christi intelliguntur. Vna diuina, altera humana. Vna per quam efficeremur, altera per quam reficeremur: ambæ mirabiles. Illa sine matre, ista sine patre. Sed quia de Adã corpus acceperat, quia Maria de Adam, ipsumq; corpus suscitatur⁹ erat, terrenũ quiddã
Ioan. 2. dixerat: Soluite templum hoc, & in tribus diebus suscitabo illud. Cæleste aût quiddam dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non videbit regnum Dei. Eia fratres, Deus voluit esse filius hominis, homines voluit esse filios Dei. Ipse descendit propter nos, nos ascendamus propter ipsum. Solus enim descendit & ascendit, qui hoc ait: Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit. Non ergo ascensuri sunt in cælum, quos facit filios Dei? Ascensuri planè. Hæc enim nobis promissio est, Erunt æquales angelis Dei. Quomodò ergo nemo ascendit, nisi qui
Luc. 20. descendit? Quia vnus descendit, vnus ascendit. Quid de cæteris intelligendũ, nisi quia membra eius erunt, vt vnus ascẽdat? Propterea sequitur: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, filius hominis qui est in cælo.* Miraris quia & hic erat, & in cælo? tales fecit discipulos suos. Paulum apostolum audi dicentem: Nostra autem conuersatio
Philip. 3. in cælis est. Si homo Paulus apostolus ambulabat carne in terra, & cõuersãbatur in cælo, Deus cæli & terræ non poterat esse & in cælo & in terra? Si ergo nemo nisi ille descendit & ascendit, quæ spes erit cæteris? Ea spes est cæteris, quia ille propterea descendit & ascendit, vt in illo & cum illo vnum essent, qui per illum ascensuri essent. Non dicit, Et seminibus, ait Apostolus,
Gal. 3. quasi in multis, sed tanquàm in vno, Et semini tuo, qui est Christus. Et fidelibus ait: Vos autem
Ibid. Christi. Si autem Christi, ergo Abrahæ semen estis. Quod dixit vnum, hoc dixit omnes nos esse. Ideo in Psalmis aliquandò plures cantant, vt ostendatur quia de pluribus sit vnus: aliquandò vnus cantat, vt ostendatur quid fiat de pluribus. Propterea vnus sanabatur in illa piscina, & quis-
Ioan. 5. quis alius descendebat, non sanabatur. Ergo iste vnus commendat vnitatem Ecclesiæ. Væ illis, qui oderunt vnitatem, & partes sibi faciunt in hominibus. Audiant illum, qui volebat eos facere vnum in vno ad vnum: audiant illum dicentem: Nolite vos facere multos: Ego
1. Cor. 3. plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Sed neque qui plantat, est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Illi dicebant: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego verò Cephæ. Et ille: Diuisus est Christus? In vno estote, vnum estote, vnus estote. Nemo ascẽdit in cælum, nisi qui de cælo descendit. Ecce volumus esse tui, dicebant Paulo. Et ille: Nolo sitis Pauli, sed eius estote, cuius est vobiscum & Paulus. Descendit enim & mortuus est, & ipsa morte liberauit nos à morte. Morte occisus, mortem occidit. Et nostis fratres, quia mors ista per
Sap. 1. diaboli inuidiam intrauit in hunc mundum. Deus autem mortem non fecit, scriptura loquitur, nec lætatur in perditione viuorum. Creauit enim vt essent omnia. Sed quid ibi ait: In-
Sap. 2. uidia enim diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Ad mortem à diabolo propinatam

Christi duæ natiuitates.

non

Universidad de Deusto
Biblioteca

non veniret homo vi adductus. Non enim cogendi potentiam diabolus habebat, sed persuadendi versutiam. Si non consentires, nihil inuexerat diabolus. Consensio tua ô homo te perduxit ad mortem. A mortali mortales nati, & ex immortalibus mortales facti. Ab Adam omnes homines mortales. Iesus autem filius Dei, verbum Dei, per quod facta sunt omnia, vnicus, æqualis
Ioan. 1. patri, mortalis factus est: quia verbum caro factũ est, & habitauit in nobis. Ergo mortem suscepit, & mortem suspendit in cruce, & de ipsa morte liberantur mortales. Quod in figura factum est apud antiquos, cõmemorauit illud Dominus. *Et sicut, inquit, Moyses exaltauit serpentem in eremo, ita exaltari oportet filium hominis: ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Magnum sacramentum, & qui legerunt, nouerũt. Deinde audiant vel qui nõ legerunt, vel qui fortè lectũ
Num. 21. vel auditum obliti sunt. Prosternebatur in eremo populus Israël morsibus serpentum: fiebat strages magna multarum mortium. Plaga enim Dei erat corripientis & flagellantis, vt erudiret. Demonstratum est ibi magnum sacramentum rei futuræ: ipse Dominus testatur in hac lectione, vt nemo possit aliud interpretari, quã quod ipsa veritas de se indicat. Dictum est enim ad Moysen à Domino, vt faceret æneum serpentẽ, & exaltaret illum in eremo in ligno, & admoneret populum Israël, vt si quis morsus esset à serpẽte, illum serpentem in ligno exaltatum attenderet. Factum est: mordebantur homines, intuebãtur, & sanabantur. Quid sunt serpentes morden
Serpentes mordentes. tes? Peccata de mortalitate carnis. Quis est ser-
Serpens in ligno. pens exaltatus? Mors Domini in cruce. Quia enim à serpente mors, per serpentis effigiem figurata est mors. Morsus serpentum letalis, mors Domini vitalis. Attenditur serpens, vt nihil valeat serpens. Quid est hoc? Attenditur mors, vt nihil valeat mors. Sed cuius mors? Mors vitæ: si dici potest mors vitæ, immò quia dici potest, mirabiliter dicitur. Sed nunquid non erit dicendũ, quod fuit faciendum? Ego dubitem dicere, quod Dominus pro me dignatus est facere? Nõne vita CHRISTVS? Et tamen in cruce CHRISTVS. Nõne vita CHRISTVS? Et tamen mortuus est CHRISTVS. Sed in morte Christi, mors mortua est: quia vita mortua occidit mortem. Plenitudo vitæ deglutiuit mortem. Absorpta est mors in Christi corpore. Sic & nos dicemus in
1. Cor. 15 resurrectione, quando iam triumphantes cantabimus: Vbi est mors contentio tua? vbi est mors aculeus tuus? Interim modò fratres, vt à peccato sanemur, Christum crucifixum intueamur: Quia sicut Moyses, inquit, exaltauit serpentem in eremo, sic exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Quomodò qui intuebantur illum serpentem, non peribant morsibus serpentum: sic qui intuentur fide mortem Christi, sanantur à morsibus peccatorum. Sed illi sanabãtur à morte ad vitam temporalem: hic autem ait, vt habeant vitam æternam. Hoc enim interest inter figuratam imaginem, & rem ipsam. Figura præstabat vitam temporalem, res ipsa, cuius illa figura erat, præstat æternam.

IN INVENTIONE SANCTAE CRVCIS, HOmilia Eusebij Emesseni.

Erat homo ex pharisæis Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Hic uenit ad Iesum nocte, & cæt. Ioannis 3.

BOnus homo iste Nicodemus, iam credulus quidem, sed nondum in charitate perfectus. Perfecta enim 1. Ioan. 4.
Sep. 1. charitas foras mittit timorem. Hic autem nocte veniebat, quia Iudæos timebat: & tamen illuminari volebat. Sed quid dicit? *Scimus*, inquit, certi sumus & firmissimè credimus, *quia à Deo uenisti magister.* Vnde autem hanc fidem suscepit, adiungit. *Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum illo.* Valdè melius dixit Nathanaël, Ioan. 1.
qui ait: Tu es filius Dei, tu es rex Israël. Nondũ enim Nicodemus Christum esse confitetur Deum, quanuis Deum cum eo esse confiteatur. *Respondit Iesus, & dixit ei: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuò, non potest uidere regnum Dei.* Ad baptismum eum inuitat, vbi dum in Trinitate homo baptizatur, quid credere debeat, perfectè cognoscit. Sed quia obscurè loquitur, nondum Nicodemus eum intelligit. Vnde & ait: *Quomodò homo potest nasci, quum sit senex? Nunquid potest in uentrem matris suæ iteratò introire, & renasci?* Videns igitur eum Dominus ad huius sacramenti intelligentiam per se venire non posse, manifestiùs ait: *Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Rom. 6.
Apostolus enim dicit: Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortẽ: vt quomodò surrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. His enim verbis quid baptismus significet ostendit. Cùm enim in fide *Mortis*
Christi baptizamur, & sub aquas mergimur, *in baptismo, ut*
quodammodò ei cõmorimur & consepelimur: *sepulchro*
vt inde abluti & penitùs innouati resurgentes, *suscitemur.*
sic posteà in nouitate vitæ ambulemus, sicut Dei filius patris gloriam non amisit. Tanta est enim virtus huius sacramenti, vt subitò mundet hominem ab omni peccato. Vnde subditur: *Quod natum*

tum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritum est. Sicut, inquit, ex carne corrupta & peccatrice caro ei consimilis nascitur, tota videlicet vitiata & plena peccatis: ita & quod nascitur ex aqua & spiritu sancto, sanctum est & spirituale & mundum ab omni peccato. *Non mireris quia dixi tibi, Oportet uos nasci denuò.* Non enim hoc dixit tibi de carnali, sed de spirituali natiuitate. Carnalis enim natiuitas non fit nisi semel, sic & spiritualis. Sed qui semel ex carne oritur, nisi iterùm ex spiritu oriatur, non ad vitam, sed ad mortem oritur. *Spiritus ubi uult spirat.* Ideò (inquit) quod natum est ex spiritu, spiritus est, quia spiritus vbi vult spirat, quem vult illuminat, quem vult sanctificat, & spiritualem & mundum facit. *Et uocem eius audis, sed nescis unde ueniat, aut quò uadat.* Ac si dicat: Ille spiritus, qui sanctificat omnia, qui vbi vult spirat, ille (inquam) est cuius nunc vocem audis, & qui nunc in me & per me tibi loquitur. Sed quanuis vocem eius & in me & in discipulis meis audire valeas, nescis tamen vnde veniat, aut quò vadat. Quis enim sciat vnde veniat, aut quò vadat, qui vbique est, & omnia complet? Spiritus enim Domini repleuit orbem terrarũ. Nemo enim scit, quomodò à patre filioque procedat. Sacerdotem qui baptizat videre potes, & ipsas baptismatis vndas videre potes, vocẽ quoq; spiritus in sacerdote audire potes: ipsum vero spiritum omninò videre non potes: quia inuisibilis & incorporeus est. Sic omnis qui natus est ex spiritu, spiritus est: sicut omnis qui natus est ex carne, caro est. Siue etiam, *sic est omnis, qui natus est ex spiritu*, id est, sic fit & sic denuò oritur: semel quidem ex vtero matris, iterùm autem ex baptismatis aquis sic sanctificatur, sic illuminatur, & sic in nouum hominem reformatur. Potest autem & sic intelligi: Sicut (inquit) spiritus vbi vult spirat, sic & omnis qui natus est ex spiritu, spiritus est, si tamen non separetur à spiritu. Si enim à spiritu separatur, fit carnalis & animalis. Animalis autem homo (dicit Apostolus) non percipit quæ sunt spiritus Dei: spiritualis autem omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Spirat igitur vbi vult, siquidem omnia scrutatur. Nam & si modò fortasse non ad plenum videat, spiret, & intelligat, quæcunque velit, neque ad omnia secreta rimanda introducatur, tamẽ post hanc vitam quicquid voluerit videbit & habebit homo sanctus & spiritualis. *Respondit Iesus, & dixit ei: Tu es magister in Israël, & hæc ignoras? Amen amẽ dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod uidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis.* Affirmat saluator noster verum esse quod dicit, vtpotè qui ea loquitur quæ scit, & id testatur quod vidit. Ignorantia enim parit mendacium: & testis non suscipitur, nisi qui se & vidisse, & præsentẽ affuisse testatur. Et tale est, ac si diceret: Crede tantummodò, & noli dubitare: ne quæras de his, quomodò fiant. Cælestia enim sunt, & terreno intellectu capi non possunt. Vnde & subditur: *Si terrena dixi uobis, & non creditis, quomodò si dixero uobis cælestia credetis?* Veruntamen aliquid tibi dicam de cælestibus: *Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo.* Hæc enim cælestia sunt. Vnus enim idemque Christus Iesus, & filius Dei est, & filius hominis: sed æternaliter filius Dei, & temporaliter filius hominis. Et iste quidem filius hominis secundùm alterum, id est, secundùm diuinitatem descendit de cælo, secundùm quam semper est, & in terra & in cælo. Descendit enim non locum mutando, sed se humiliando & carnem suscipiẽdo. Ascendit verò, quantùm quidem ad humanitatem, locum etiam mutando: quantum verò ad diuinitatem, gloriam propriam manifestando. Vnde Psalmista: Exaltare (inquit) super cæ- Psalm. 56.
los Deus, & super omnem terram gloria tua. Deus enim, quia vbique est, aliter neque ascendere neque descendere potest. Et ipse quidem solus ac totus ascendit in cælum, omnia membra sua secum trahens in cælum. Eius nanque membra sunt omnes fideles, & ipse est caput totius Ecclesiæ. Vnde & alibi ait: Quod vni ex mi- Matt. 25.
nimis meis fecistis, mihi fecistis. Nemo igitur ascendit in cælum, nisi ipse & membra sua simul cum ipso: siue etiam ipse solus ascendit per se: alij verò per ipsum, & non per se. Ad hoc igitur filius hominis descendit de cælo, vt à terris exaltatus, omnia post se traheret in cælum. Et hoc est, quod ait: *Et sicut Moyses exaltauit serpentem in* Num. 21.
deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam. Ideò enim serpentem æneum in deserto exaltauit Moyses, vt homines à serpentibus percussi, eum viderent & sanarentur. Ideò & Christus in cruce exaltatus est, vt omnis qui mentis oculis eum videt: id est, omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Nulla est enim *Medicina*
alia medicina, qua à primi serpentis veneno homo sanari possit. Meritò autem in illo serpen- *crucis*
te se Dominus significari voluit: quoniam sicut *Christi*
ille serpentis quidem similitudinem habebat, serpentis autem venenum & malitiam non habebat: Ita & saluator noster cum iniquis deputatus & inter latrones crucifixus, carnis quidem peccati (vt Apostolus ait) similitudinem habebat, peccatum autem nullum habebat. Apparuit autem in similitudine carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatũ in carne. Vide ergo quantùm Deus hominem dilexerit, pro quo filium suum morti tradidit, vt non periret. Hoc est enim, quod ait: Sic enim dilexit Deus mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.

DE SAN-

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE SANCTIS INTRA PASCHA ET PENTECOSTEN. Ioan. XV.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Ego sum uitis uera, & pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum. Et reliqua. Homilia beati Augustini episcopi.

Tractatu 80. in Ioannem.

ISTE locus euangelicus, fratres, vbi se dicit Dominus vitẽ, & discipulos suos palmites, secundùm hoc dicit, quòd est caput Ecclesiæ, nosque membra eius, mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. Vnius quippe naturæ sunt, vitis & palmites. Propter quod cũ esset Deus, cuius naturæ nõ sumus, factus est homo: vt in illo esset vitis humana natura, cuius & nos homines palmites esse possemus. Quid ergo est, Ego sum vitis vera? Nunquid vt adderet vera, hoc ad eam vitem retulit, vnde ista similitudo translata est? Sic enim dicitur vitis per similitudinem, non per proprietatẽ, quemadmodùm dicitur ouis, agnus, leo, petra, lapis angularis, & cætera huiusmodi, quæ magis ipsa sunt vera, ex quibus ducuntur istæ similitudines, non proprietates. Sed cùm dicit: Ego sum vitis vera, ab illa vtique se discernit, cui dicitur: Quomodò conuersa es in amaritudinem vitis alienæ? Nam quo pacto est vitis vera, quæ expectata est vt faceret vuam, fecit autem spinas? *Ego sum*, inquit, *uitis uera, & pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructũ plus afferat.* Nunquid vnum sunt agricola & vitis? Secundùm hoc ergo Christus vitis, secundùm quòd ait: Pater maior me est. Secundùm id autẽ quòd ait, Ego & pater vnum sumus, & ipse agricola est. Nec talis, quales sunt, qui extrinsecùs operando exhibent ministerium, sed talis, vt det etiam intrinsecùs incrementum. Nam neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Sed vtique Deus est Christus, quia Deus erat verbum. Vnde ipse & pater vnum sunt. Et si verbum caro factum est quod non erat, manet quod erat. Deniq; cùm de patre tanquàm de agricola dixisset, quòd infructuosos palmites tollat, fructuosos autẽ purget, vt fructum plùs afferant, continuò etiam seipsum mundatorem palmitum ostendens. *Iam uos, inquit, mundi estis propter sermonem quem locutus sum uobis.* Ecce & ipse mundator est palmitum, quod est agricolæ, non vitis officium, qui etiam palmites operarios suos facit. Nam & si nõ dant incrementum, impendunt tamen aliquod adiumentum: sed non de suo: quia sine me, inquit, nihil potestis facere. Aut etiam ipsos confitentes. Quid autem est Apollo? Quid autem Paulus? Ministri per quos credidistis: & vnicuique sicut Dominus dedit. Ego plantaui, Apollo rigauit. Et hoc ergo, sicut vnicuique Dominus dedit. Non itaq; de suo. Iam verò quod sequitur: Sed Deus incrementum dedit, non per illos, sed per semetipsum facit. Excedit hoc humanam humilitatem, excedit angelicam sublimitatem, nec ominò pertinet, nisi ad agricolam Trinitatem. *Iam uos mundi estis*: mundi scilicet atque mundandi. Neque enim nisi mundi essent, fructum ferre potuissent: & tamen omnem qui fert fructum, purgat agricola, vt fructum plùs afferat. Fert fructum, quia mundus est: atq; vt plùs afferat, purgatur adhuc. Quis enim est in hac vita sic mundus, vt non sit magis magisque mundandus? Vbi si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est & iustus, qui dimittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate: Mundet itaque mundos, hoc est, fructuosos, vt tanto sint fructuosiores, quanto fuerint mundiores. *Iam uos mundi estis propter uerbum, quod locutus sum uobis.* Quarè non ait, Mundi estis propter baptismum, quo loti estis, sed ait, Propter verbum quod locutus sum vobis, nisi quia & in aqua verbum mundat? Detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum, etiam ipsum tanquàm visibile verbum. Nam & hoc vtiq; dixerat, quando pedes discipulis lauit. Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciẽte verbo? non quia dicitur, sed quia creditur. Nã & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manẽs. Hoc est verbum fidei quod prædicamus, ait Apostolus: Quia si confessus fueris in ore tuo quia Dominus est Iesus, & credideris in corde tuo, quia Deus suscitauit illum à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Vnde & in Actibus apostolorum legimus: Fide mundans corda eorum. Et in epistola sua beatus Petrus: Sic & vos (inquit) saluos facit baptisma, non carnis depositio sordiũ, sed conscientiæ bonæ interrogatio. Hoc est verbum fidei quod prædicamus, quo sine dubio, vt mundare possit, confecratur & baptismus. Christus quippe nobiscum vitis, cum patre agricola, dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea. Lege Apostolũ, & vide quid adiungat: Vt eam sanctificaret, inquit, mundans eam lauacro aquæ in verbo. Mundatio igitur nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento, nisi adderetur, In verbo. Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, vt per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem, etiam tantillum mundet infan-

Ieremi. 2. Esai. 5. Ioan. 14. Ioan. 10. 1. Cor. 3. Ioan. 15. 1. Cor. 3. Verbum in aqua mundat. Ioan. 13. Rom. 10. Act. 15. 1. Pet. 3. Eph. 5.

Baptisti mus paruulorum.

infantem, quanuis nondùm valentem corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem. Totum hoc sit per verbum, de quo Dominus ait: *Iam uos mundi estis propter uerbum, quod locutus sum uobis.*

Tract. 81 in Ioan.

Manete, inquit, in me, & ego in uobis. Non eo modo illi in ipso, sicut ipse in illis. Vtrunque autem prodest, non ipsi, sed illis. Ita sunt quippe in vite palmites, vt viti non conferãt, sed inde accipiãt, vnde viuant. Ita verò vitis est in palmitibus, vt vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis. Ac per hoc & manentẽ in se habere Christum, & manere in Christo, discipulis prodest vtrunque, non Christo. Nam præciso palmite, potest de viua radice alius pullulare: qui autem præcisus est, sine radice non potest viuere. Denique adiungit & dicit: *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in uite: sic nec uos, nisi in me manseritis.* Magna gratiæ commendatio, fratres mei: Corda instruit humilium, ora obstruit superborum. Ecce cui si audent respondeant, qui ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Ecce cui respondeant sibi placentes & ad bona opera facienda Deum sibi necessarium non putantes. Nónne huic resistunt veritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem, qui respondent & loquuntur iniquitatem, dicentes: A Deo habemus quòd homines sumus, à nobismetipsis quòd iusti sumus? Quid dicitis? quid vosipsos decipitis, non assertores, sed præcipitatores liberi arbitrij, ex alto elationis, per inania præsumptionis, in profunda submersionis? Nempe vox vestra est, quòd homo ex semetipso facit iustitiam: hoc est altum elationis vestræ. Sed veritas contradicit, & dicit: Palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite. Ite nunc per abrupta, & non habentes vbi figamini, vẽtosa loquacitate iactamini. Hæc sunt inania præsumptionis vestræ. Sed quid vos sequatur, videte, & si est in vobis vllus sensus, horrete. Qui enim à semetipso se fructum existimat ferre, in vite non est. Qui in vite non est, in Christo non est. Qui in Christo non est, Christianus non est. Hæc sunt profunda submersionis vestræ. Etiam atque etiam considerate, quid adhuc veritas adiungat, & dicat: *Ego sum, inquit, uitis, uos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere.* Ne quisquam putaret saltem paruum aliquem fructum posse à semetipso palmitem ferre, dum dixisset, Hic fert fructum multum, non ait, Quia sine me parum potestis facere, sed, Nihil potestis facere. Siue ergo parum, siue multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest. Quia & si parum attulerit palmes, eum purgat agricola, vt plus afferat: tamen nisi in vite permanserit, & vixerit de radice, quantumlibet fructum à semetipso non potest ferre. Quanuis autem Christus vitis non est,

Rom. 10. 2. Tim. 3. Sine Christi gratia nemo fert fructum.

nisi homo esset: tamen istam gratiam palmitibus non præberet, nisi etiam Deus esset. Verùm quia ita sine ista gratia non potest viui, vt mors in potestate sit liberi arbitrij: *Si quis, inquit, in me non manserit, mittetur foras ut palmes, ut arescet: & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Ligna itaque vitis tanto sunt contemptibiliora, si in vite nõ mãserint, quãto gloriosiora si mãserint: Deniq; sicut de his etiam per Ezechielem prophetam Dominus dicit, præcisa nullis agricolarum vsibus prosunt, nullis fabrilibus operibus deputantur. Vnum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis. Si in vite non est, in igne erit. Vt ergo in igne non sit, in vite sit. *Si manseritis in me, inquit, & uerba mea in uobis manserint, quodcunque uoluerit is petetis, & fiet uobis.* Manendo quippe in Christo, quid velle possunt, nisi quod conuenit Christo? Quid velle possunt manẽdo in saluatore, nisi quod nõ alienum est à salute? Aliud quippe volumus, quia sumus in Christo: & aliud volumus, quia sumus adhuc in hoc seculo. De mansione nanque huius seculi nobis aliquando subrepit, vt hoc petamus, quod nobis non expedire nescimus. Sed absit vt hoc nobis, si manemus in Christo, qui non facit quod petimus, nisi quod expedit nobis. Manentes ergo in eo, cùm verba eius in nobis manent, quodcunque voluerimus petimus, & fiet nobis: quia si petimus, & non fiet, non hoc petimus quod habet mansio in eo, nec quod habent verba eius, quæ manent in nobis: sed quod habet cupiditas & infirmitas carnis, quæ non est in eo, & in qua non manent verba eius. Nam vtique ad verba eius pertinet oratio illa, quam docuit, vbi dicimus: Pater noster, qui es in cælis. Ab huius orationis verbis & sensibus non recedamus in petitionibus nostris, & quicquid petierimus, fiet nobis. Tunc enim dicẽda sunt verba eius in nobis manere quando facimus quæ præcepit, & diligimus quæ promisit. Quando autem verba eius manent in memoria, nec inueniuntur in vita, non computatur palmes in vite, quia vitam non attrahit ex radice. Ad hanc differentiam valet, quod scriptum est: Memoria retinẽtibus mãdata eius, vt faciant ea. Multi enim memoria retinent, vt contemnant, vel etiam derideant, & oppugnent ea. In his verba Christi non manent, quia tangunt quodammodò, non cohærent. Et ideò non illis erunt in beneficium, sed in testimonium: & quia sic insunt eis, vt non maneant in eis, ad hoc tenentur ab eis, vt iudicentur ex eis.

Ezech. 15 Matth. 6. Verba Christi in quibus manent. Psalm. 102

IN VIGILIA BEATI Ioannis Baptistæ. Luc. I

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fuit in diebus Herodis regis Iudææ sacerdos quidam nomine Zacharias, de uice Abia, & uxor illi de filiabus Aaron, & nomen eius Elizabeth. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

VEnturus in carne Dominus & redemptor noster, multos dispensationis suæ testes præmisit & nuntios, qui diuersis temporibus, diuersis Israëliticæ plebis tribubus orti, non diuersa fide, sed vno eodemq; per omnia sensu, eiusdem incarnationis mysterium prophetando præcurrerent. Horum vltimus & quasi limes quidam legis & euangelij, figuræ & veritatis, Luc. 16. Ioannes apparuit, Domino attestante, qui ait: Lex & prophetæ vsque ad Ioannem: ex eo regnum Dei euangelizatur. Vnde etiam plusquàm Matth. 11 propheta dictus est, quia quem cæteri alongè prophetando solùm prædixerant, ille & primò venturum prophetando signauit, & mox venientem ostendendo monstrauit. Qui certæ gratia dispensationis, non solùm iustis, sed & de pontificali stirpe ortis parentibus natus asseritur. *Fuit enim sacerdos* (sicut ex lectione euangelica audiuimus) *nomine Zacharias, de uice Abia, & uxor illi de filiabus Aaron, & nomen eius Elizabeth. Erant autem iusti ambo ante Deum.* Iustis quippe parentibus erat genitus, vt eo confidentiùs iustitiæ præcepta populis daret, quo hæc ipse non quasi nouitia didicisset, sed velut hæreditario iure à progenitoribus accepta seruaret. De sacerdotali prosapia ortus est, vt eo potentiùs mutationem sacerdotij præconaretur, quo ipsum ad sacerdotale genus pertinere clarescceret. Redemptor etenim noster in carne apparens, sicut rex nobis fieri dignatus est, regnum cæleste tribuendo: ita etiam pontifex factus est, semetipsum pro nobis offerendo Deo hostiam in odorem suauitatis. Vnde scriptum est: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Melchisedech quippe (vt legimus) sacerdos Dei summi, longè legalis sacerdotij tempora præcessit, offerés, Deo panè & vinũ. Et ideò redemptor noster sacerdos esse dicitur secũdùm ordinem Melchisedech, quia ablatis victimis legalibus, idem sacrificij genus in mysterium sui corporis & sanguinis in nouo testamento offerendum instituit. Quis ergo cõgruentiùs translationem legalis, & substitutionem euangelici sacerdotij, quàm summi iuxta legem sacerdotis filius prophetaret? Qui cùm & ipsi summus sacerdos secundùm legem existere posse videretur, maluit docente intrinsecùs incommutabili ratione veritatis, noui sacerdotis præco, quã successor & hæres existere veteris. Maluit doctꝰ in spiritu, vocatis in desertũ populis noui testamenti sacramenta prædicare, quàm ad se venientibus in templum, glorioſissimo illo tunc temporis sacerdotij veteris officio præesse. Prætulit longam solitudinis sitim & esuriem, continuis hostiarum solennijs: pilis camelorum, & cinctui zonæ pelliceæ, auro textas pontificum postposuit stolas. Vt quid enim hæc, fratres mei, nisi vt is qui merito iustitiæ perfectioris, authoritatem sibi prædicandi asciuerat, ipse etiam neglecto ordine paterni pontificatus ostẽderet, quia non dubiè melioris põtificatus præco & præcursor existeret? Si verò fraternitatem vestram audire delectat, quis sit Abia, de cuius vice Zacharias genus duxisse perhibetur, hic temporibus Dauid regis summus erat sacerdos. Siquidem iubente Domino per Moysen, primò Exod. 25 vnus in lege pontifex Aaron est constitutus, post cuius mortem Eleazar filius eius sacerdotium Numer. 20. suscepit. Et hoc quoq; mortuo, Phinees filius Ios. 22. eius sacerdotij successor extitit: & sic vsq; ad tempora Dauid per annos circiter quadringentos septuaginta, vnus post vnum extitere pontificatus hæredes. At verò Dauid cum magno feruens studio religionis, templum Domino condere 2. Reg. 7. desiderasset, Dominus autem magis hoc per filium eius Salomonem vellet impleri, nihilominùs ipse Dauid omnia, quæ ad futuram eiusdem 1. Par. 22. templi constructionem vel reuerentiam pertinerent, solicitiùs præparare curauit. Vnde etiam 1. Par. 16. cantores statuit, qui tempore sacrificij quotidiè & psalmos cum melodia resonarent, atque animos populi circunstantis ad memoriam amoremq; cælestium, non solùm sublimitate verborum quæ dicebantur, sed etiam suauitate sonorum, qua dicebantur, erigerent. Volensq; vt crescente cultu & magnificentia templi, decus quoque ministerij illius, & ministrantium crescceret cœtus, conuocauit omnem progeniem filiorum 1. Par. 23 Aaron, & eos videlicet qui de Eleazar, & illos qui de Ithamar stirpe descenderant, diuisitque hos in partes viginti quatuor, ac de his singulis singulos pontifices eligens, cæteros qui in partibus erant, sacerdotij minoris, qui nunc presbyteratus vocatur, officio fungi præcepit: ea videlicet prouisione, vt dum quilibet pontificum vita decederet, quicunq; in eius parte optimus putaretur, ei in pontificatu succederet. Quas videlicet partes taliter ordinauit, vt singuli pontifices cum subiectis sibi sacerdotibus, per octonos dies, hoc est, à sabbato vsq; ad sabbatũ ministrarent. Et cùm omnes gradu sacerdotali essent æquales, vnus tamen in eis, qui dignior videretur, speciali reuerentia ac potestate præeminens, summi sacerdotis nomen haberet. Qui autem ordo partium earundẽ seruari deberet, missa coram Dauid rege & principibus familiarum sacerdotalium & leuiticarum sorte quærebatur. In quarum distributione sortium, Abia, de cuius vice & genere Zacharias oritur, octauo loco Ibid. positus inuenitur. Et rectè præco noui testamenti (in

Christus rex & sacerdos.

Eph. 5.

Psal. 109.

Gen. 14.

Sacrificiũ nouæ legis

quo gloria resurrectionis mundo declaratur) loco octauæ sortis nascitur: quia & Dominus noster vna sabbati, quæ est à die conditionis octaua, resurrexit à mortuis, & nobis post sex huius seculi ætates, ac septimam quietis animarum, quæ est in alia vita, octaua iam ætas perpetuæ resurrectionis in fine promittitur. *Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.* Sæpè contingit, vt hi qui iam perfecti hominum æstimatione iudicantur, adhuc in oculis interni arbitri minus aliquid perfectionis habeant: Et rursùs euenire solet, vt nonnulli quibusdam virtutum operibus immoderatiùs studendo, dum sine scientia Deo placere appetunt, proximorum oculos offendant. A qua vtraq; reprehensione parentes beati Ioannes immunes esse declarantur: de quibus cùm dictum esset, Erant autem iusti ambo, continuò subnectitur, Ante Deum. Et cùm adiũctum esset, Incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini, mox infertur, Sine querela. Ac si apertè dicatur: Adeò se in actibus pariter & in cogitationibus suis circunspectè agebant, vt & diuinis obtutibus in occulto, & in humano 2. Cor. 8. ris iudicio placerent, iuxta illud Apostoli: Prouidemus enim bona, non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus. *Et non erat illis filius, eò quòd esset Elizabeth sterilis, & ambo proecessissent in diebus suis.* Diuinitùs est procuratum, vt sterili matre, & vtroque parente prouectioris ætatis Ioannes nasceretur: quatenùs etiam ipso ortus eius miraculo patesceret, virum magnæ virtutis futurum esse qui nascebatur, vbi delinente omni lasciuia concupiscentiæ carnalis, constaret quia nulla in conceptione causa voluptatis, sed sola cogitata sit spiritalis gratia prolis. Sic Isaac Gen. 21. filius promissionis, qui in figuram redemptoris nostri factus est obediens patri vsque ad mortẽ, de veteranis parentibus & sterili diu matre natus est. Sic Iacob & Ioseph patriarchæ, sic Sampson fortissimus ducum, & prophetarum eximius Samuel, steriles diù corpore, sed fœcundas semper virtutibus habuere genitrices: vt miraculo natiuitatis, natorum dignitas nosceretur, & probarentur sublimes in vita futuri, qui in ipso vitæ exortu conditionis humanæ iura transcenderent. Quod verò sequitur: *Factum est autem cùm sacerdotio fungeretur Zacharias, in ordine uicis suæ ante Deum, secundùm consuetudinem sacerdotij sortc exijt, ut incensum poneret, ingressus in templum Domini:* Claret quidem omnibus, quia iam redeunte ex ordine septimana vicis suæ, quæ ei de vice Abia contigerat, templum ministraturus intrauit. Sed fortè aliquibus obscurum est, quia scriptura tacere videtur, quo hæc sint anni tempore gesta. Quibus intimandum, quia nec hoc scriptura prætermisit, sed ex eo quod addidit, latenter innuit: *Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi.* Vna etenim tantummodò per annum so-

Integritas parentum S. Ioannis.

Zachariæ quando uisus sit Gabriel.

lennitas erat, in qua pontifice ad orandum sancta sanctorum intrante, nullum prorsùs hominũ intra fores templi remanere liceret, sed omnes tempore oblationis exteriùs iuberentur orare. Hæc autem erat statuta solennitas septimo paschæ mense, decima die mensis, quæ dies propiciationis, siue expiationis vocabatur: quia videlicet oblatis in altari holocausti victimis, sanguis in sancta sanctorum ad expiandum inferebatur. Nec solùm sanguis ibi aspergebatur, sed & thymiama adolebatur: quod in præsenti lectione Zacharias fecisse memoratur. Dicit ergo de hac solennitate Dominus Moysi: Mense septimo, decima die mensis, affligetis animas vestras, nullumq; facietis opus. Expiabit autem sanctuarium pontifex, & tabernaculum testimonij atque altare, sacerdotes quoque, & vniuersum populum, eritq; hoc vobis legitimum sempiternum, vt oretis pro filijs Israël, & pro cunctis peccatis eorum semel in anno. Et paulò superiùs, cùm ritum eiusdem expiationis doceret, ait inter alia: Nullus hominum sit in tabernaculo, quando pontifex ingreditur sanctuarium, vt roget pro se, & pro domo sua, & pro vniuerso cœtu Israël, donec egrediatur. Longũ est de singulis huius diei cæremonijs scripturæ testimonia ponere, longius multo singula sufficienter, quomodò nunc in Ecclesia spiritualiter agantur, exponere. Vnde hoc maximè libet vestræ fraternitatis auribus intimare, quàm conuenienter electum sit tempus, in quo præcursoris Domini natiuitas & virtus futura nunciaretur. Septimus quippe mensis, & decima huius dies, sacratissimo huic oraculo dedicatur: quia nimirùm ille nasciturus prædicabatur, qui consummationem obseruantiæ legalis, & euangelicæ gratiæ prædicaret initium: quia ortus monstrabatur illius, qui primus omnium & venire, & iam adesse ostenderet Dominum saluatorem, de quo scriptum est: Finis enim legis Christus, ad iustitiam Rom. 10. omni credenti. Nam & septenario propter sabbatum, & denario numero propter decalogum, legis adimpletio rectè figuratur. Dies hæc propiciationis erat & explationis, in qua populus omnis ab operibus vacare, & per orationes atq; abstinentiam affligi & castigari præceptus est. Quod B. Ioannis & vitæ & prædicationi multùm congruit, qui & ipse à mundanis vacans operibus, cælestibus solùm studijs ac desiderijs animum dabat, & conuenientes ad se turbas à malis operibus abstinere, ac per pœnitentiam fidemque expiari, & Christo consecrari docebat, quia tempus iam diuinæ propiciationis instaret, in quo cunctis piè quærentibus regni cælestis pateret ingressus. Quod autem hac die pontifex sanctuarium, & tabernaculum testimonij atque altare, sacerdotes quoq; & vniuersum populum expiare iussus est, Ioannes ipse quis sit iste pontifex, vel quæ hæc expiatio, manifestat, cùm illo veniente ad baptismum suum loquitur, dicens: Ioan. 1.

Lœuit. 16.

Dies propiciationis & explationis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Quæ videlicet expiatio semel in anno statuta
Hebr. 9. est, quia sicut Apostolus ait, Christus semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata: secundò sine peccato apparebit expectantibus se in salutem. Quòd autem pontifice ad rogandũ ingrediente sanctuarium, neminem hominum in tabernaculo esse licebat, donec exiret, infirmitatem sanctæ Ecclesiæ designat, quæ pro fide eius pati necdum erat idonea. Quod in ipsis patefactum est Apostolis, qui inchoata eadẽ pas-
Matth. 26 sione illius, omnes relicto eò fugerunt. Egrediebatur autem expleta expiatione pontifex, vt & alijs tabernaculum intrandi facultas daretur: quia perfecto suæ sacrificio passionis, apparuit discipulis Christus, & data spiritussancti gratia, ad offerendas Deo hostias, non solùm deuoti operis & orationis, sed & proprij sanguinis, eorum quoque corda roborauit. Hæc de obseruãtia festiuitatis legalis latiùs exposuimus, vt agnosceret charitas vestra, quàm congruenter in ea nouę gratiæ præconia sumpsere exordium, in qua tam multipliciter opus eiusdem gratiæ, & totius mundi redemptio signabatur. *Apparuit autem oranti Zachariæ angelus, stans à dextris altaris incensi.* Qui notandum quòd non solùm virtute sermonum quos protulit, verũetiam statu temporis, & loci situ in quo apparuit, gratiæ quam euãgelizare venerat, testimonium perhibet. Tempore quippe oblationis sacerdoti apparuit, vt vere rum se æternumque pontificem, veram pro mũdi salute hostiam venturam prædicare signaret. Stabat iuxta altare incensi, vt noui testamenti
Duo templi altaria præconem se venisse doceret. Duo nanque altaria erant in templo, quæ duo testamenta signant in Ecclesia. Primum altare holocausti ære coopertum, & ante fores templi ad offerendas victimas & sacrificia positum, quod carnales veteris testamenti cultores significat. Deinde altare incensi auro tectum, prope ostium sancti sanctorum, ad adolenda thymiamata erat statutũ, quod interiorem perfectioremque noui testamenti & cultorum illius gratiam designat. Stabat etiam à dextris eiusdem altaris, vt non terrena & infima, sed gaudia cælestis & sempiternę beatitudinis, quæ per dexteram solent figurari, hominibus se monstrare promitteret: illis maximè, qui per cordis sui mundiriã ipsi altare aureum effici, qui prope ingressum regni cælestis sedula cogitatione assistere, qui ãromata orationum per ignẽ amoris Deo incendere, qui di-
Psal. 140. cere possunt cũ propheta: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Quod autem ait Zachariæ: *Quoniam exaudita est deprecatio tua, & uxor tua Elizabeth pariet tibi filium.* Non est arbitrãdum, quia pontifex, qui pro populo oraturus intrauerat, mutato repentè animo, pro priuatis negocijs cœperit rogare, maximè pro liberis, à quorum generatione tantũ homo senex ac decrepitus spem auerterat, vt neque angelo promitteret crederet nasci sibi filium posse. Sed hoc certissimè sciendum, quia pro populi saluatione rogabat, quem & maximo peccatorum languore vexatum, & insuper alienigenæ regis dominio pressũ nouerat. Vnde angelico oracul & se exauditum cognouit à Domino, & quo ordine salus quam quærebat, esset aduentura didicit: quia videlicet nasceretur sibi filius, qui propheta & doctor eximius existens, eundem populum ad viam veritatis spemque promerendæ salutis conuerteret, & mox sequeretur ipse saluator, qui ei regni cælestis gaudia præstaret. *Et uocabis, inquit, nomen eius Ioannes, & erit tibi gaudium & exultatio, & multi in nativitate eius gaudebunt.* Magnę laudis est & virtutis indicium, quoties in scriptu ris hominibus à Deo nomen imponitur, vel mutatur. Benè autem præcursor redemptoris nostri Ioannes vocari iubetur. Ioannes quippe Domini gratia, siue in quo est gratia, dicitur: quia & ipse specialem præ cæteris sanctis, eiusdem prę-cursionis gratiam accepit, & inauditam eatenùs mundo cælestis ingressus gratiam prædicare aduenit. Qui ergo & gratia plenus extitit, & cæteris Dei gratiam euangelizauit, rectè præconium gratiæ ipso etiam suo nomine signauit. Meritoque in eius natiuitate multis exultandum prędicitur, per quem suæ regenerationis mundo author ostenditur. *Erit enim magnus coram Domino.* Notandum quod idem laudis præconium Ioanni ab angelo, quod ab euangelista parentibus fertur illius. Et illi enim iusti ante Deum, & hic coram Domino magnus esse perhibetur. Quàm magnus autem coram Domino fuerit, ipse qui solus virtutem magnitudinis eius & donauit & nouit, Dominus insinuat, dicens: Non surrexit inter natos mulierũ maior Ioanne Baptista. Sed & angelus multifariã eius corã Domino magnitudinem subsequenter exposuit: *Et uinum, inquiens, & siceram non bibet, & spiritusancto replebitur adhuc ex utero matris suæ: & multos filiorum Israël conuertet ad Dominum Deum ipsorum.* Siquidẽ in eo, quòd illum à vino & sicera, id est, ab omni quod inebriare potest, continentiam habiturum asseruit, patenter indicauit, quia ab omnibus vitijs, & mũdi illecebris, quæ statum mentis solent euertere, futurus esset immunis. In eo autem, quòd illũ adhuc ex utero matris spiritusancto replendũ esse memorauit, profectò quia natus in mundũ, cunctis virtutum fructibus esset clarificandus, ostendit. Quid enim viuenti & conuersanti inter homines poterat deesse virturis, qui etsi vt homo in iniquitatibus conceptus est, contra morem tamen humanæ conditionis, non in delictis eum præuaricationis, sed in gratia remissionis mater sua peperit? Neq; enim dubitandum est, quin spiritussanctus qui eum replęuit, etiam à peccatis omnibus absoluit. Constat quippe veridica patrum sententia, quia lege non stringitur spiritussancti donum. Et propterea qui Cornelium & domum eius ante perceptionem baptismi

tismi sua gratia consecrauit, ipse vtiq; Ioannem non solùm ante circuncisionem, sed & ante natiuitatem eiusdem gratiæ munere perfudit: ita vt officium suæ præcursionis Domino adhuc in vtero positus, quia loquendo necdum poterat, iã
Luc. 1. gratulando præberet: quãdo, sicut sequentia S. euangelij testãtur, intrante beata Dei genitrice, & salutante Elizabeth, exultauit in gaudio infãs in vtero eius. Sed & in eo, quòd illũ multos filiorum Israël ad Dominum Deum ipsorum conuersurum asseuerat, manifestè angelus quã magnus coram Domino esset futurus, indicat, quem optimo genere conuersandi, vitam peracturum
Vita Deo Gratißima esse declarat. Quę enim inter homines sublimior, & Deo gratior esse cõuersatio potest, quã eorum qui se castigant à vitijs, qui virtutum studijs animum subiugant, insuper etiã alios quotidiano exercitio ad authoris sui gratiam studẽt conuertere, & crebra animarum fidelium acquisitione, gaudium semper patriæ cælestis augere? *Et ipse præcedet ante illum in spiritu & uirtute Eliæ.* Ioannes in spiritu & virtute Eliæ Dominũ præcedere dicitur, quia sicut Elias in magna virtute spiritus secundum eius aduentum prȩueniet: ita Ioannes non minore spiritus potentia præditus, prævenit primum. Sicut ille præcursor futurus est iudicis, ita iste præcursor factus est redemptoris. Nec solùm aduentus ordine, sed doctrinæ quoque similitudine, Ioannes in spiritu & virtute Eliæ Dominum præcesit. Nam sicut de Ioanne angelus subiungit, *Vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorũ:* ita & Dominus per prophetam non dispare de
Malach. 4 Eliæ prædicatione sententiã protulit, dicẽs: Ecce ego mittam vobis Eliã prophetam, antequàm veniat dies Domini magnus & horribilis: & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad
Opus Eliæ & Ioannis Baptistæ. patres eorum. Vnum igitur atq; idem vtriusque opus est, fidem scilicet atq; intellectum, quẽ habuere patres, filiorum mentibus prædicando infundere. Nam patres & iusti, appellantur vete
Matth. 13 res sancti, de quibus saluator ait discipulis: Multi prophetæ & iusti cupierunt videre quæ vos videtis, & non viderunt. Filij verò & increduli, illius ævi homines, quo vel Elias prædicaturus est, vel Ioannes prædicabat, vocantur. Conuertit aũt Ioannes corda patrum in filios: quia sapientiam, quam habuerunt patres Christum credentes, ac desiderantes in carne venire, transfudit in filios, docendo eos credere, & gaudere Christũ in carne venisse. Conuertit incredulos ad prudẽtiam iustorum: quia eos quos sine fide Christi Inuenit de operibus legis frustrà gloriantes, docuit credere in Christum, eiusq; se gratiæ tota inuentione submittere, ac præcedentium iustorum imitari prudentiam, qui & legem perficere diligentissimè studebant, & nihilominùs in gratia Domini Iesu, non autem in operum suorum
Actor. 15. iustitia salutem sperare didicerant. Hinc nanq;
Abac. 2. vnus ex ijs dicit: Iustus autem ex fide viuit. Vnde & aptè subiungitur: *Parare Domino plebem perfectam.* Hæc etenim pulcherrima dominicæ plebis perfectio est, quam & Ioannes suo tempore prędicando parabat, & nunc Dominus ipse donando per orbem latiùs adimplet, cùm nos euangelicis verbis instituti, & imbuti mysterijs, eandem fidem ac dilectionem habere discimus, quam legalibus præceptis edocti patres habuisse probãtur. Hoc perfectissimum sanctæ Ecclesiæ decus est, cùm ad eadem quæ illos intrasse constat, supernæ pacis gaudia suspiramus, atq; vt hæc etiã nos intrare meroamur, cælestẽ in terra exercere vitam contendimus: cùm eorum exemplo nulla quæ facimus vel percipimus bona, nostris meritis asscribimus, sed ad authoris nostri per omnia gratiam respicimus: de quo illorum quoque testimonijs edocemur, quia ipse est Deus, ipse se-
Psalm. 99 cit nos, & non ipsi nos: non solùm scilicet vt homines simus, verumetiam vt sancti & beati homines simus? Cuius dona gratiæ si puro semper & infatigabili corde sectamur, ipse iuxta eorũdem patrum promissa, propitius sit omnibus iniquitatibus nostris, ipse satiat in bonis desi-
Psal. 102. rium nostrum, ipse non in operibus iustitiæ quæ ex nobis habere potuimus, sed in miseratione & misericordia, quam ipse donauit nos in vitam coronat æternam, qui viuit & regnat cum patre & cæt.

Perfectio Christianorum.

IN NATIVITATE SANCTI IOANNIS BAPTIstæ, Sermo B. Augustini Episcopi.

Dei hodiernæ solennitas, solennẽ desiderat tãta expectatione sermonẽ. Ergo adiuuante Domino, *ctis: in ips* ministrabimus vobis quod dede *uerò, qui* rit, recolentes & animo tenentes *Ioannis* nostræ officium seruitutis, vt loquamur non tan *separatum* quàm magistri, sed tanquàm ministri, non discipulis, sed condiscipulis, quia nec seruis, sed con *excusi* seruis. Magister autem vnus nobis, cuius schola *sunt,* in terra est, & cathedra in cælo. Cuius præcursor Ioannes est natus, cuius natiuitatis dies hodiernus traditur, hodiè celebratur. Hoc maiorum traditione suscepimus, hoc ad posteros imitanda deuotione transmittimus. Ioannis ergo non euangelistæ, sed baptistæ natalem hodiè celebramus. Qua prima re posita, occurrit quæstio non prætereunda, quare natalem quo est natus ex vtero Ioannes, potiùs celebramus, quàm cuiuslibet apostoli, vel martyris, vel prophetæ, vel patriarchæ. Si interrogemur, quid respondebimus? Quantum mihi videtur, quantum mearum virium mediocritati occurrit, est causa hæc. Dis-
Cur natæ cipuli Domini nati sunt, & per ætatis accessum *lis Ioannis* ad annos capaciores perducti, in discipulatum *celebretur potiùs* assumpti sunt. Illorum posteà fides Domino ad-

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæsit, sed nullius illorum natiuitas Domino militauit. Recordemur & prophetas, recolamus patriarchas: nati sunt homines, ætatis accessu pleni spiritusancto Christum prophetauerunt. Nati sunt, vt posteà prophetarent. Ioannis autem Dominum Christum ipsa natiuitas prophetauit, quem conceptum ex vtero salutauit. Ista vt potuimus soluta quæstione, alteram aggrediamur, pro viribus quas dederit Dominus. Occurrit enim alia quæstio, aliquanto (vt mihi videtur) obscurior, & ad perscrutandum laboriosior: in qua me multùm adiuuabit vestra intentio, & pro mea exiguitate ad Dominum deprecatio.

Luc. 1.

Ioannes iste tanta excellens gratia, vt quemadmodùm dictum est, Dominum etiam ex vtero salutaret, nondum loquendo, sed exultando, cuius gratia in Deum iam tunc erat aperta, quando eius caro in carne erat exclusa: Hic ergo Ioannes non inuenitur inter discipulos Domini, sed inuenitur potiùs discipulos habuisse cum Domino. Quid est hoc? Quid est iste homo? Homo tantùm. Quis homo tantus? quantus tantus homo? Tamen non sequebatur inter discipulos Dominum, & sequebãtur eum discipuli: absit vt dicam contra Dominum, sed tamen quasi extra Dominum. Discipulos habebat Christus, discipulos habebat Ioannes. Docebat Christus, docebat Ioannes. Quid iam dicam? Baptizabat Ioannes, baptizabat Christus. Plus hic de baptismo dico, à Ioanne baptizatus est Christus. Vbi sunt, qui de ministerio baptismi, arrogantia tumidæ animositatis insultantur? Vbi sunt voces carentes humilitate, elatæ superbia, Ego baptizo, ego baptizo? Quid dixisses, si Christum baptizare meruisses? Magna iam, quantum aduertit sanctitas vestra, apparere & eminere causa cœpit, qua fuerat Christus à patre mittendus, & Ioannes à patre præmittendus. Prior missus est Ioannes, sed sicut ab obsequentibus anteceditur iudex. Posterior homo creatus est Christus, sed Ioannem creauit Deus CHRISTVS. Erat igitur Ioannes homo perfectus quidem, & cuius tanta gratia commendata est, vt ipse de illo Dominus diceret: In natis mulierum nemo exurrexit maior Ioanne baptista. Iste ergo tam magnus agnoscit Dominum in paruo magnum, agnoscit homo eum, qui venerat homo Deus. Si enim in natis mulierum, hoc est, in hominibus, nemo exurrexit maior Ioãne baptista, quis quis Ioanne plus est, non tantùm homo, sed & Deus est. Debuit ergo tantus iste & discipulos proprios habere, & cum discipulis suis magistrum omnium Christum cognoscere. Quod enim est maius testimonium veritatis, quàm se humiliando eum agnoscere, cui æmulando potuit inuidere? Putari Christus potuit & noluit, existimari Christus potuit, & noluit. Dixerunt homines cùm fallerentur in eo, Num fortè hic est Christus? Respondit ille quod non erat, vt maneret quod erat. Inde quippe Adam lapsus perdidit quod erat, quia quod non erat vsurpauit. Recolebat hoc iste magnus, sed in paruo Christo minimus. Nouerat hoc, recolebat hoc & tenebat, quia recipere quod perdiderat cogitabat. Homo ergo iste, vt dixi, magnus Ioannes, cui Dominus tale perhibuit testimonium, quê sic veritas commendauit vt diceret: In natis mulierum non surrexit maior Ioanne baptista: potuit credi Christus, imò iam ab eis, qui eius magnitudinis gratia fallebantur, credebatur Christus, & in illo morerentur, nisi ab illo confitente corrigentur. Respondit ergo putantibus, & ait: Non sum ego Christus, Tanquàm diceret: Certè in honorem meum ita fallimini, & certè mihi hoc putando magnam additis laudem: sed debeo cognoscere, vt vobis errantibus ille possit ignoscere. Si enim quod non erat, fallaciter putaretur, ab illo qui erat, veraciter amputaretur. Præmissus est ergo Ioannes, vt Dominum humilem baptizaret. Baptizari enim Dominus propter humilitatem voluit, non propter iniquitatem. Dominus Christus quarè est baptizatus? Dominus Christus Dei filius vnigenitus quarè est baptizatus? Inueni quarè est natus, & inuenies quarè sit baptizatus. Ibi quippe inuenies humilitatis viam, quam pede superbo non capis. Quam nisi humili pede calcaueris, ad celsitudinem, quò ducit, peruenire non poteris. Baptizatus est propter te, qui descendit propter te. Vide quantus factus sit tantillus. Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo. Non enim erat rapina, sed erat natura æqualitas filij cum patre. Ioannes si se Christum putari vellet, illi rapina esset. Non ergo rapinam arbitratus est esse æqualis Deo. Erat enim & sine rapina, erat coæternus, & ab æterno natus erat. Tamen semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, hoc est, formam hominis. Qui cùm in forma Dei esset, non formam Dei accepit: sed cùm in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit. Suscepit quod non erat, ita vt non perderet quod erat. Manens Deus, hominem assumpsit. Formam serui accepit, & factus est Deus homo, à quo factus est homo. Vide ergo quæ maiestas, quæ potestas, quæ sublimitas, quæ cum patre æqualitas. Venit propter nos ad indumentum formæ, & intellige illa à magistro tantæ humilitatis viam: quoniã plus est quod voluit homo fieri, quàm quòd voluit ab homine baptizari. Baptizat ergo, inquam, Ioannes Christum, seruus Dominum, vox verbum, Memẽtote enim, Ego sum vox clamantis in deserto: & mementote, quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Baptizat ergo, inquam, Ioannes Christum, seruus Dominum, vox verbum, creatura creatorem, lucerna solem: sed solem, qui fecit hunc solem, solem de quo dictum est: Ortus est mihi sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius. De quo impij serò pœnitentes, in fine dicturi sunt: Quid vobis prosuit superbia, aut quid

Contra Donatistas dicit.

Matth. 11

Luc. 3.

Ioan. 1.

Christus cur voluit baptizari.

Ioan. 1.

Ibid.

Malach. 4.

Sap. 5.

quid diuitiarum iactantia contulit nobis. Transierunt illa omnia tanquàm vmbra, & cum vmbris qui secuti sunt vmbras. Ergo, inquiunt, errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Illis non est ortus Christus, à quibus non est agnitus Christus. Sol ille iustitiæ, sine nube, sine nocte. Ipse non oritur malis, non oritur impijs, nõ oritur infidelibus. Nam solem istum de cælo corporeum quotidiè facit oriri super bonos & malos. Baptizauit ergo, vt dixi, creatura creatorem, lucerna solem, & non se extulit baptizator, sed subdidit baptizando.

Matth. 5.

DE EODEM FESTO.

Est Serm. 1. in Natiuit. Ioan. Bapt.

Sermo beati Maximi episcopi.

SOlennitatem nobis diuersorum martyrũ, fratres charissimi, vitæ præsentis occasus, & susceptа ab eis pro Christi nomine passio consecrauit. Multimoda nanq; veterũ relatione didicimus, nõnullos martyrum prostratos gladio, igne alios concrematos, cõplures bestiarũ dilaceratos dentibus, innumeros etiã varijs tormentorũ cruciatib⁹ affectos, spreta sui corporis morte, Christianæ fidei testimonium reddidisse. Beatus verò baptista Ioannes, cuius nunc festiuitate lætamur, cælestia mundo gaudia sterili ab vtero hodiè natus inuexit. Et illi quidem indubitata iam gloria regnantem confessi sunt Dei filiũ: hic autem & nasciturum Dominum prophetalis spiritus illuminatione præuidit, & natum priuilegio gratiæ singularis ostendit. Intantùm aũt specialis in eo præfulsit electio, vt antè mereretur annuntiare Dominum, quàm nascendi initium, vel linguam qua enuntiare posset, acciperet. Denique Elizabeth illa vetus mulier & noua mater, quæ ante partum suum de futuri filij lætabatur officio, veniente ad se beata Maria, in

Luc. 1.

ipso salutationis occursu, ait: Ecce ex quo facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Quid est hoc miraculi fratres, quæ tantorum nouitas gaudiorum, vt habere se in vtero Elizabeth testaretur infantem, qui necdum semetipsum sentiens, dominicum iam sentiret aduentum? Verè hic omnium beatissimus paruulorum, qui intra viscera adhuc materna conclusus, adesse saluatorem mundi, quia necdum sermone poterat, prophetico gaudio reuelauit. Nullus ignorat, charissimi, omnem paruulum materno ab vtero prodeũtem, inter ipsa lucis exordia, mœstis concrepare vagitibus solus baptista Domini vltra legem nascentium, natiuitatem suam lætitiæ exultatione præuenit. Et quàm decuit, fratres, vt de matre ste rili nasceretur, qui fœcunditatem virginis reuelabat, quatenùs mirabilem partum, mirabiliter natus ostẽderet. Illud etiã quã stupendũ, quãq; magnificum, quòd Zacharias sacerdos, pater futurus prophetæ, quia hoc ipsũ quod gerebatur, angelo loquenti non credidit, vsum loquẽtis amisit, donec promissione completa, natus noui hominis præco, paternæ linguæ vincula relaxaret. Os enim quod angelus clauserat, promissus ab angelo filius reserauit. Nam cùm de nuncupatione paruuli, cognatorũ vicinorũq; hęsitaret arbitrium, proprietatem veri nominis eius, quam angelo dictante didicerat, recepta subitò pristini facultate sermonis, pater mutus aperuit: vt cuius natiuitatem præceptione cælesti tacitus expectabat, nati vocabulum loqueretur, & agnosceret anxius senex per eum se sibi redditum, quem de se non crediderat nasciturum: nec dubitaret vltrà, cælitùs illum vel promissum fuisse vel natum, cuius causa & amisisse se probabat & recepisse sermonem. Quid hac fratres religione glorioſius? quid hac insignius fide? in qua sterilis concipit, virgo parturit, mutus loquitur, & in secreto maternorũ viscerum, paruuli totius mũdi gaudia futura præludunt. Nec enim poterat veteri sub lege ordinem suum mortalis seruare natura, quando per nouam natiuitatis gratiam nouum saluti omnium mysterium parabatur.

Hic ergo est Ioannes, de quo prophetauit Esaias, dicens: Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas Deo nostri. Vox, inquit, clamantis. quàm benè vox dicitur, qui venientem de cælestibus in carne hominis vnigenitum Dei pleno lætus ore clamabat. Rectè vox dicitur, cuius intonante præconio, sacramẽtum redemptionis humanæ, surda dudum cœpit audire mortalitas. Vt enim venerandus baptista muto patri aperuit linguam: ita aures hominum salutaris gratiæ innouauit auditu. Clamabat autem in deserto, vbi prædicationem eius nec insolens turba perstreperet, nec infidelis rideret auditor: sed hi tantùm audire possent, qui prædicantem verbum salutis, cura tantũ diuini cultus expeterent, & aduerterent eum vera annuntiare de Christo, qui per assertionem iustitię, vt illicitas Herodis nuptias increparet, nec regẽ timuisset offendere, nec squalorem carceris declinasset, nec tyrannico gladio refugisset occidi. Audiamus adhuc paululùm fratres, quid ad profectum omnium nostrum saluatoris nuntius prædicabat. Parate, inquit, viam Domino, rectas facite semitas Dei nostri. Verè dignus beatus Ioannes, cuius prophetica esset natiuitas, qui & illis de parentibus, quorum esset desperata posteritas, Dei munere nasceretur. Nam tanta authoritate, tantoque docendi pondere in vocem sanctæ prædicationis erupit, vt & instantem Domini nuntiaret aduentum, & in semitas rectas malè viuentium dirigeret prauitatem. Quid est enim parare

Esai. 40.

Ioannes Baptistæ vox.

Matth. 14.

Parare ut

Universidad de Deusto
Biblioteca

viam Domino, nisi aduentanti de cælo iudici, purgato à vitijs pectore, simplicis cordis habitatore? Quid est, Rectas facite semitas Dei, nisi vt tales actuum tuorum tibi munias vias, quas perambulare propitius veniens ad te Dominus delectetur? Ille viam Domino suo parat, qui luxuriantis carnis respuens voluptates, toto mentis suæ spiritu suspensus ad Deum, vigore se castitatis accingit. Optimam parat Domino viam, qui cogitationes suas auaritiæ fluctibus æstuantes, serenæ conscientiæ tranquillitate compescit. Viam Domino parat, qui idolorum vana atque omnium superstitionum figmẽta conculcans, vnum Dei viui cultum, & fidẽ veritatis inquirit. Quicunq; verò voluptuosis seculi huius languet illecebris, cupiditatibus auaritiæ feruentis insanit, in fraterna odia feralis inuidiæ facibus inardescit, atq; ad contumeliam Dei omnipotentis, per anfractas dæmonum semitas erraticus viator incedit, non parat Domino viam, sed inimico miser suo exitiabilem in semetipsum patefacit ingressum. Hi mores, & vita huiusmodi, ampla itinera, & largissimas vias barbaris nationibus in exitium communis salutis aperiunt. Hi mores plebem Dei inimicis gentibus iugo miseræ captiuitatis addicunt. Hi mores armatos dissipant populos, & munitas diruũt ciuitates. Et quid plura, charissimi? Quicquid potentiæ, quicquid virium videmus in hostibus, corruptione vitæ nostræ, nostraque infidelitate nutritur. Et inde est, quòd nihil fusa ad Deum supplicatione proficimus, quia incessabiliter impijs prauisque desiderijs inhærentes, viã Domino nostro secundùm prophetica monita non præparamus. Propter quod reuertentes ad beatissimi præcepta Ioannis, paremus Domino viam, rectas faciamus semitas Dei nostri: quatenùs videns in nobis Dominus itinera bonæ voluntatis, ouiculas suas multis iam periculis fessas, benignissimus pastor inquirat: vt sicut de baptistæ dominici hodiè natiuitate gaudemus, ita de Dei nostri reconciliatione lætemur: cui honor & gloria.

Rectas faciẽte semitas Dei.

Peccatorũ effectus.

IN FESTO NATIVITATIS S. IOANNIS BAPTISTAE,

In lectionem Epistolæ loco, Concio exegetica.

Matth. 11 HAC die, qua eius celebratur natiuitas, quem Christus ipse suo ore mirificè commendauit, quiq; Christum mundi peccata auferentem, solus baptizare meruit, lectio nobis ex Esaia propheta recitatur: quæ licet ad Christum propriè pertineat, potest tamen non inconuenienter etiam tam illustri & eximio illius mẽbro accommodari. *Audite insulæ, & attendite populi de longè: Dominus ab utero uocauit me, de uentre matris meæ recordatus est nominis mei.* Post vocationem reliquiarum Israël, ait Hieronymus, & abiectionẽ in incredulitate populi permanentis, de quibus dixerat, Nõ est pax impijs, dicit Dominus: transit ad Ecclesias de gentibus congregatas, & eis sub insularum nomine loquitur: quæ ita persecutorum insidijs, quasi maris fluctibus patẽt, & ex omni parte sæuiente naufragio, tunduntur potiùs quàm mouentur. *Et attendite populi de longè*, hoc est, ab extremis finibus terræ. Ita D. Hieronymus. *Dominus ab utero uocauit me, &c.* Videmus in euangelio Gabrielem Zachariæ denuntiantẽ nomen filij ipsi nascituri, vt etiam antè quàm in vtero cõciperetur, nomen diuinitùs impositum acceperit: idq; eiusmodi, quo haud obscurè indicetur, quàm fuerit gratiæ diuinæ largitate replendus, qui ab ipsa gratia appellatus est. *Et posuit os meum quasi gladium acutum.* De impijs alibi dicitur, Lingua eorum gladius acutus: sed illi verbis pestiferis necant credulos & incautos auditores: porrò Ioannes Domini præcursor peccata seueriter castigans, ne ab ipsius quidem Herodis regis obiurgatione abstinuit, malens in præsens vitæ discrimen se conijcere, quàm impio regi blandiri. Itaq; de illo præclarè dictum est in Homilia quadam Gregorij Pontificis: Mollibus Ioannes vestitus non fuit, quia vitam peccantium non blandimentis fouit, sed vigore asperæ inuectionis increpauit, dicens: Genimina viperarũ, quis vobis demonstrauit fugere à vẽtura ira? Vnde & per Salomonem dicitur: Verba sapientiũ quasi stimuli, & sicut claui in altum defixi. Clauis quippe atq; stimulis sapientum verba comparantur, quia culpas delinquentium nesciunt palpare, sed pungere. Hæc Gregorius. *In umbra manus suæ protexit me.* Frequens hęc metaphora est in scripturis diuinis, vt per vmbram protectionẽ significent. Vult ergo intelligi, cælestis gratiæ assidua & familiari protectione se fuisse muntum contra insidias malignorum dæmonum, quas declinare nemo potest, nisi diuinitùs protegatur. *Et posuit me sicut sagittam electam.* Sagittas Hieronymus dicit esse prophetas & apostolos, qui in toto orbe discurrunt. Euthymius quoq; in psalmũ 44. scribẽs, Per sagittas, inquit, Christi apostolos possumus intelligere. Ergo etiam beatissimus Ioannes sagitta, & quidem electa atq; singularis appellatur, qui ignitis sermonibus corda audientium penetrans, ictu certissimo compungit & vulnerat, sed non interimit: immò verò etiam eos, qui antè virtutibus erant mortui, viuificat, & ad Dei amorem pertrahit, vt possint cum Sponsa dicere etiam ipsi illud in Canticis: Vulnerata charitate ego sum, id est, sagittis & iaculis charitatis. Verborum eius effectum in Euangelio agnoscimus, cùm loquente illo ad turbas sanè acriter & feruenter, turbæ dixerunt: Quid ergo faciemus? Qui consilium expetunt, metu se percullos de-

Esai. 49.

Matth. 3.

Prou. 25.

Cant. 2.

Luc. 3.

declarant, cupiuntque vitæ emendatiùs instituendæ rationem & formam edoceri. Iam animis se saucios significant, sagittis verborum eius, immò spiritus sancti per illum loquentis, compunctos se sentiunt: timent ne si differant agere pœnitentiam, securi, quàm is ad radicem arboris positam dixerat, repentè præcidantur. In Ieremia propheta legimus Dominum dicentem: Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petram? Inde nimirum est, quòd sancti apostoli, pleni spiritu Dei, tam innumeros homines ab erroribus gentilismi ad vnius veri Dei cultum sacris concionibus suis traduxerunt, quia verba eorum, Deo per illos loquente, instar acutissimarum sagittarum in animos eorum quouis alioquì saxo stupediores penetrabant, & pulsis vastissimis tenebris, lucem secum adferebant, qua & suam illi viderent cæcitatem, & cognoscerent vnum verum Deum, à quo longissimè aberrârant. Itaque Apostolum confidenter pronuntiantem audimus, An experimentum quæritis eius qui in me loquitur CHRISTVS? Nec dubium, quin etiam in Baptista Ioanne idemipse locutus sit, vt iure se sagittam electam vocet, spiritu Christi per os eius sermones efficacissimos maximeque penetrabiles proferente. *In pharetra sua abscondit me.* Hoc quidem si de Christo accipiamus, de eius corpore exponendum est, in quo diuinitatis plenitudo habitauit. De Ioanne autem sic quidam interpretantur, vt sit diuina virtute absconditus, ne pateret vllis hostium telis. Horratur verò nos Apostolus, vt vita nostra abscondita sit cum CHRISTO in Deo. *Et dixit mihi: Seruus meus es tu Israël, quia in te glorificabor* Est seruus non manens in domo in æternum: & est seruus bonus & fidelis, intrans in gaudium Domini sui. Talis seruus, id est, bonus & fidelis, fuit Ioannes, qui Israël vocatur, quod de populo Israëlitico traxerit originem, in eoque multis sanè modis glorificatus est omniporens Deus, cùm eius vita & exempla sanctissima in maximam Dei gloriam cesserunt. Iubet enim Dominus Ieius, vt luceat lux nostra coram hominibus, vt videant opera nostra bona, & glorificent patrem nostrum qui in cælis est. Cùm igitur huius beatissimi Baptistæ vita tam fuerit illustris & insignis, vt CHRISTVS etiam putaretur, haud vulgariter in eo glorificatus est Deus. Inde adeò factum est, vt tam multi ad eum confluerent, & in ijs etiam Pharisæi, Sadducæi, publicani & milites, vitæ eius sanctitate illecti & permoti, quibus omnibus saluberrimas adhortationes adhibuit. Vt autem bonorum vita cedit in Dei gloriam, ita propter malos Christianorum mores blasphematur nomen Dei ab infidelibus & hæreticis, quod summoperè cauendum est. Sunt autem proh dolor tales hodiè multorum Christianorum mores, vt Turcis & Tartaris quoq; possint abominabiles & execrabiles videri. Et talibus sanè præstaret Christi nomen nunquam cognouisse. Christiani enim sunt solo nomine: vita omnis nihil habet, in quo Christum possis agnoscere, tantum abest, vt laudare & glorificare queas. Quod quidem turpe & probrosum est. Sed demus operam, vt ita nos totos ad Dei voluntatem conformemus, vt ille ab omnibus in nobis glorificetur. *Et nunc hæc dicit Dominus, formans me ex utero seruum sibi.* Apud Lucam Gabrielem dicentem legimus, Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. Ibi ergo vnctus est tanquàm bonus athleta, & indutus virtute ex alto: quia, vt ait Ambrosius, amplissimo certamini virtus eius parabatur. Præuenit eum Dominus in benedictionibus dulcedinis, & intra ipsa materna adhuc viscera constitutum sanctificauit. Rectè ab angelo dictum est, Erit enim magnus coram Domino. In Malachia quoque angelum eum videmus nuncupari: Ecce, inquit, mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam (sic enim hunc locum aduersus Luciferianos citat Hieronymus, vbi etiam mox addit: Planè angelum, qui post materni ventris hospitium eremi deserta sectatus, paruulus de serpentibus lusit: qui oculis spectantibus Christum, nihil aliud dignatus est aspicere: qui eloquijs Domini, quæ melle & fauo dulciora sunt, dignam Deo vocem erudiuit. Hæc Hieronymus. Fecit ergo Christus illum sibi seruum ex vtero, necdum natum sanctificans, & à puero in desertis locis commorantem, omni gratia & virtute confirmans. Sed sic, vt ait ibidem Hieronymus, decebat crescere præcursorem Domini. *Dedi te in lucem gentium, ut sit salus mea usque ad extremum terræ.* Dedi te, (inquit Hieronymus, de CHRISTO locum hunc exponens) in lucem omnium gentium, vt illumines vniuersum mundum, & salutem meam, per quam omnes salui fiunt, vsque ad extrema terræ facias peruenire. Hæc ille. Si de Ioanne interpretari velimus, non incongruè dici potest, illum quoque datum esse à Deo in lucem gentium, quando Christi factus præcursor, illum non solum venturum prædixit, sed etiam præsentem demonstrauit: quando saluberrima doctrina sua omnes ad se venientes pijssimè instituit, & Domino conatus est parare plebem perfectam, quæ idonea foret capessendæ doctrinæ euangelicæ. Et certè hodieque salutem eius doctrina adfert omnibus vbique terram degentibus, si ei obtemperent, studeantque illi conuenienter viuere. Nam ab ipsa pœnitentiæ præ-

Rectas faciẽte semitas Dei.

Ibid.

Ierem. 23.

Luc. 1.

Psalm. 56.

1. Cor. 13

Matth. 5.

Luc. 3.

Ibid.

Col. 2.

Col. 3.

Ioan. 8.

Matth. 25

Luc. 1.

Ibid.

Malach. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

prædicatione exorsus, omnibus viam ostendit ad beatitudinem, ad quam peccatori non datur aditus, nisi per pœnitentiam: idque adeò, vt etiam baptismus Christi remissionem peccatorum non conferat illi, quem scelerum suorum non pœnitet. Adfert itaque doctrina eius lucem toti mundo, & volentibus cum Deo redire in gratiam veramque adipisci salutem, certissimam commonstrat viam. Nec debent verba illius tanquàm hominis contemni, cùm sit missus
Ioan. 1. à Deo, vocatusque angelus, qui Christo viam præpararet. Præco ergo Christi fuit, & quæ ab illo dicta sunt, non tam illius, quàm Christi, per eum suam voluntatem omnibus significantis, verba existimanda sunt. Longè verò alia est do
Ezech. 13 ctrina hæreticorum, qui iuxta Ezechielem, consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad ca
Ibid. pendas animas: quibus omnia blanda & mol
2. Petr. 2. lia proponunt, dicentes, Pax pax, cùm non sit pax: promittentes miseris libertatem, cùm sint ipsi serui corruptionis. Sed illis contemptis, præco Christi Ioannes, & Christus ipse potiùs audiendi sunt, qui suam prædicationem à pœnitentiæ commendatione exorsi sunt. *Reges uidebunt & consurgent principes, & adorabunt Dominum Deum tuum, quia fidelis est, & sanctum Israël, qui elegit te.* Hoc quidem iam olim impletum esse, hodieque compleri videmus, vt diffusa per orbem terrarum fide Christi, & vera religione vbique disseminata, etiam reges & principes Dominum Deum, & sanctum Israël, id est, Christum adorent, qui Ioannem sibi peculiariter elegit. Detecta est enim idolorum vanitas, & homines à dæmonibus miserè priùs dementati & fascinati, conuersi ad Deum viuum & verum, eum vt fidelem & veracem adorant & colunt: eiusque pedibus suas coronas etiam potentissimi reges substernunt, agnoscentes ab illo se habere quicquid habent. Et licet in primis nascentis fidei initijs longo tempore tyranni diuinam Christi religionem omnibus modis sibi oppugnandam & profligandam sumpserint, attamen vicit tandem Christus, & suæ religioni etiam maximos subdidit Imperatores, reges & principes, per quos vbique augustissima sunt templa & basilicæ constructæ, & ministris Ecclesiæ magni reditus attributi, vt possent liberioribus animis rebus vacare diuinis, & ijs se totos mancipare, quæ ad Dei cultum pertinent. Eius rei permulta eaque illustria exempla habemus in magno illo Constantino, qui religioni Christianæ maxima attulit incrementa, qui-
Li. 3. c. 47 que, vt de eo scribit Eusebius in ipsius vita, in omnibus prouincijs ecclesias nouas extruxit, easq; effecit prioribus longè præstabiliores: Ciuitatem autem ipsius nomine nuncupatam (id est, Constantinopolim) eximio splendore illustrare instituens, permultis templis, hoc est, præclarissimis ecclesijs in honorem martyrum, illustrissimisque ædibus sacris adornauit: quæ partim in suburbijs erant, partim in ipsa vrbe, quibus tum martyrum celebrauit memorias, tum ipsam vrbem martyrum Deo consecrauit. Tantus item & tam diuinus amor, vt idem Eusebius ait, Imperatoris animum complexus est, vt in ipso palatij introitu, in ædificio omnium excellentissimo, in medio tecti laqueari inaurato, in tabula maxima explicata, salutaris passionis insigne (id est, crucem) ex lapillis pretiosis cuiusque modi, auroque multo politè elaboratis confectum, figendum curauerit. Istud Imperatori sanctissimo regni firmum videbatur esse propugnaculum. Hæc Eusebius. Vtinam apud Christianos ea pietas perdurasset. Faxit præpotens Deus, vt Baptistæ & præcursoris sui monitis obtemperantes, & precibus ac meritis eius adiuti, salutem consequamur ipsius gratia & benignitate, qui viuit & regnat per æterna secula, AMEN.

cap. 48.

IN EODEM FESTO,
Lucæ primo.

In illo tempore: Elizabeth impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Et audierunt uicini & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

PRæcursoris Domini natiuitas, sicut sacratissima lectionis euangelicæ prodit historia, multa miraculorum sublimitate refulget: quia nimirùm decebat, vt ille quo maior inter natos mulierum
Matth. 11 nemo surrexit, maiore præ cæteris sanctis in ipso mox ortu virtutum iubare claresceret. Senes ac diù infœcundi parentes, dono nobilissimæ prolis exultant. Ipsi patri quem incredulitas mutum reddiderat, ad salutandum nouæ præconē gratiæ os & lingua reseratur, nec solùm facultas Deum benedicendi restituitur, sed de eo etiam prophetandi virtus augetur. Excitati fama facti omnes vicini admiratione ac metu percelluntur, omnium qui tunc audiere, circunquaq; ad aduentum noui prophetæ corda præparantur. Vnde meritò sancta per orbem Ecclesia, quæ tot beatorum martyrū victorias, qui ingressum regni cælestis meruere, frequentat, huius tantùmodò post Domini etiam natiuitatis diem celebrare consueuit. Quod nullatenùs sine euangelica authoritate in consuetudinē venisse credendum est, sed attētiùs animo recondendū, quia sicut nato Do-

Luc. 2. to Domino pastoribus apparens angelus, ait: Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodiè saluator, qui est Christus Dominus: ita etiam angelus nasciturum Zachariæ prædicans Ioannē:
Luc. 1. Et erit, inquit, gaudium tibi & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt: & erit magnus coram Domino. Iure igitur vtriusque natiuitas festa deuotione celebratur, sed in illius tanquam in Christi Domini, tanquam in saluatoris mundi, tanquam in filij Dei omniporentis, tanquam in solis iustitiæ natiuitate, omni populo gaudium euangelizatur: in huius autem tanquā
Psal. 144 præcursoris Domini, in serui Dei eximij, in lucernæ ardentis & lucentis exortu, multi gaudium memorantur. Iste magnus coram Domino esse narratur: de illo propheta testatur, quoniam magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis. Iste peccatorum consortia declinans, ab omni quod inebriare potest abstinebat: ille inter peccatores cōuersatus, peccati omnis immunis permansit. Hic adhuc
Col. 2. ex vtero matris spiritusancto repletus est: in illo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, qui dono sui spiritus sedem sibi vteri virginalis, in quo carnem susciperet, ipse consecrauit. Iste multos filiorum Israël ad Dominum suo tempore prædicando conuertit: Ille multos quotidiè de vniuersis per orbem nationibus ad suam fidem & charitatem, interiùs illustrando, conuertere non destitit. Hic in spiritu & virtute Eliæ præcessit ante illum, vt plebem eius aqua baptizans, ad suscipiendum eum vbi appareret,
Matth. 3. doceret esse perfectam: huic successit ille in spiritu & virtute Dei patris, vt plebem suam spiritusancto & igni baptizans, ad videndam faciem patris sui donaret esse perfectam. Ioanne nato, congratulabantur vicini & cognati genitrici illius, quia magnificauit Dominus misericordiā suam cum illa: Domino autem nato, congratulabantur Ecclesiæ, quia venit tempus miserendi eius, spiritus angelici, qui sunt vicini & cognati, ciues videlicet eiusdem patriæ cælestis, quam & ipsa expectat: qui & hymnum gloriæ Deo canendo, quid illa per orbem esset actura, priores ipsi de cælis admonebant. Rectè igitur natiuitas celebratur illius, qui talis potentia magnitudinis, dominicis propinquabat operibus. Rectè ortus illius solennitas colitur, cuius tanta est vitæ sublimitas, vt quicquid illo sublimius est, hoc iam hominis naturam transcendere dubium non sit. Siquidem Dominus cùm ma-
Matth. 11 iorem eo neminem in natis mulierum esse dixisset, mox subdidit, dicens: Qui autē minor est in regno cælorū, maior est illo: seipsum videlicet insinuans, qui humana natiuitatę posterior Ioāne, sed cælestis regni esset apice præstātior. Nec vacatà mysterio, quòd Ioannis natiuitas cùm dies decrescere, Domini autem cū dies crescere inchoat, facta memoratur. Huius etenim secretū distantiæ reuelat ipse Ioannes: qui cū præ magnitudine virtutum Christus crederetur à turbis, Dominus autem præinfirmitate carnis à quibusdam non Christus, sed esse propheta putaretur: Illum, inquit, oportet crescere, me autē minui. Creuit Dominus, quia per totum orbem fidelibus quòd Christus esset, qui propheta credebatur, innotuit. Decreuit ac minoratus est Ioannes, quia qui Christus æstimabatur, quòd nō Christus ipse, sed præco Christi esset, apparuit. Ideoque iure nato Ioanne, lux diurna minorari incipit, cuius fama diuinitatis defitura, & baptismus in breui finem erat accepturus. Iure etiam nascente Domino, abbreuiata dies ad cremen-
Luc. 5. tum luminis redit: quia ille nimirùm apparuit, qui lucem suæ cognitionis, quam priùs sola Iudæa, & hoc ex parte habebat, cunctis gentibus aperiret, suæq; calorem dilectionis in totam mū
Ioan. 3. di latitudinem diffunderet. Notandum autem, quòd hæc eadē beati Ioannis natiuitas nonnullam habet similitudinem aduentus dominici, & gratiæ quam prædicare veniebat. Nam & con
Christus creuit. gruum valdè est, vt cui omnes prophetæ priores & patriarchæ, vel nascendo, vel moriendo, vel viuendo, vel prædicando testimonium præbuerunt, hunc multo ampliùs præcursor suus, qui plus quàm propheta extitit, non tātum in vita & passione, sed in ipsa quoq; sua natiuitate designet. Quid est enim, quòd veteranis parentibus natus est Ioānes, nisi quia illius mox secutura natiuitas signabatur, qui spiritalia noui testamenti proferens arcana, carnalem legis & sacerdotij vecteris obseruantiam, iam terminandam esse docet? Quod enim antiquatur & senescit, prope
Heb. 8. interitum est. Quid est quòd muto patre, princi
Zacharias princeps. pe videlicet tunc sacerdotum, ortus est præcursor Domini, nisi quia ipso apparente Domino, lingua iam sacerdotij veteris magna ex parte à
sacerdotiū. doctrina sensus spiritalis obmutuerat, solam literæ custodiam curantibus ac docentibus scribis & legisperitis, imò & ipsam literam plerisque in locis per suas traditiones corrumpentibus, iuxta quod eis Dominus in euangelio sæpiùs improperare probatur? Et quid quòd diù
Heb. 7. sterili genitrice nascitur, nisi quia lex, quæ auxilio sacerdotalis officij spiritalem Deo sobolem gignere iussa est, neminem ad perfectum adduxit, quia nimirùm suis cultoribus regni cælestis ianuas aperire non potuit? Sed factus sub lege author ipse legis, sterilitatis opprobriū legis abstulit, qui hanc spiritaliter intelligendam monstrauit, & supernæ beatitudiuis gratiū, quæ in euangelio nunc apertissimè lucet, in ea iam olim præfiguratam & quasi conceptam fuisse docuit. *Et factum est, inquit, in die octauo, uenerunt circuncidere puerum, & uocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater eius, dixit: Nequaquam, sed uocabitur Ioannes.* Ioannes interpretatur Domini gratia, siue in quo est gratia. Quo nomine & totam euangelicæ dispensationis gra-

Universidad de Deusto Biblioteca

gratiam quam prædicat,& ipsum specialiter Dominum signat, per quem eadem gratia mundo donata est. Qui verò natum puerum,patris Zachariæ nomine magis quàm Ioannem vocandum esse decernebant, eos profectò figurant, qui Domino noua gratiæ munera declarante, cuperent eum potiùs consueta sacerdotij veteris edicta prædicare. Vnde benè Zacharias memor Domini interpretatur, quia videlicet memoriam antiquæ obseruationis, quæ vtiq; à Domino data est, figuratè denuntiat. Contendebant ergo de nomine nati prophetæ hi qui conuenerant,& Zachariam hunc vocari satagebant. at contrà mater verbis, & pater scriptis, quia Ioannes magis appellandus esset adstruebant: quia fuerunt nonnulli cælestium sacramentorum minùs periti, qui in primordijs euangelij coruscantis, carnalia adhuc legalis sacerdotij statuta simul obseruanda esse decernerẽt. Quos pro certo ipsa legis doctrina de suscipienda gratia Christi, quasi Elizabeth de nomine Ioannis viua voce, confirmat,dicendo per legislato-
Deut. 18. rem:Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus vester de fratribus vestris tanquàm me, ipsum audietis iuxta omnia quæ locutus fuerit vobis. Ipsum quoque legale sacerdotium,tacitis cæremoniarum suarum typis,quasi mutis literarum figuris Zacharias,eidem gratiæ nascenti testimonium perhibet: quia nihil prorsùs in omnibus sacerdotij veteris obseruationibus actum vel dictum esse credendum est, quod non euangelij gratiam si rectè intelligatur,expresserit. Quòd autem declarato postmodùm & confirmato nomine Ioannis,apertum est os Zachariæ, & prophetauit benedicens Deum, patet vtique, quia manifestata per angelos gratia noui testamen-
Actor. 6. ti,multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei,relictaque taciturnitate nociua,ad confitenda,laudanda & prædicanda sui dona redemptoris se deuotè submittebat. Et quidem in die circuncisionis Ioannis,quando & nomen accepit: *Factus est timor super omnes uicinos eorum, & super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia uerba hæc.* Porrò in tempore dominicæ resurrectionis,vbi misso desuper spiritu,gloria nominis eius per apostolos mundo innotuit, timor continuò saluberrimus,non solùm Iudæorum(qui erant vicini,vel situ videlicet loci,vel scientia legis) sed & exterarum vsque ad fines terræ gentium corda concussit. Nec tantùm montana cuncta Iudææ,verumetiam omnia mundani regni mundanæque sapientiæ culmina, virtutis eius fama transcendit:ita vt relicta vbique cultura ac vita priori,ad percipienda fidei illius sacramenta cõ-
Circuncisiõis dies, typus resurrectio nis Christi fluerent. Rectè etenim circuncisionis dies dominicæ resurrectionis imaginem præfert, quia & hæc octaua die,hoc est,post sabbatum facta est: & sicut illa à reatu perpetuæ mortis absoluere solebat,ita ista perfectam vitæ immortalis nouitatem & in authore nostro exhibuit,& in nobis sperandam monstrauit. Quòd verò inter hæc Zacharias impletur spiritusancto,ac de redemptore nostro simul & nostra redemptione prophetat,significat mysticè,quia multi de stirpe sacerdotali,qui à confessione Christi diutiùs ora continuerant,postmodùm per susceptionem fidei illius, spiritusancti virtute replendi,dono prophetiæ sublimandi, & magisterij pastoralis officio populis essent præferendi. Quanuis eadem acceptione spiritus,& prophetia Zachariæ,hoc quoque conuenienter figurari credendum est,quia tunc instaret tempus, quo fidelibus panderetur, omnes legalis sacerdotij ritus & cæremonias,spiritali intùs scientia & propheticis exhuberare mysterijs,quæ mediatoris Dei & hominum,hominis Iesu Christi,vel dispensationi temporariæ, vel æternæ diuinitati testimonium ferrent,iuxta quod ipse Iudæorum du- Ioan. 5.
ritiã increpans,dicit:Si crederetis Moysi,crederetis forsitan & mihi.de me etenim ille scripsit. Quid autem prophetans & benedicens Deum Zacharias dixerit, audiamus:*Benedictus Dominus Deus Israël, quia uisitauit & fecit redemptionem plebis suæ.* In quibus profectò verbis notandum, quia beatus Zacharias quod inchoatum & proximè futurum in spiritu præuiderat,prophetico more quasi iam factum esset narrabat. Visitauit enim nos apparens in carne Dominus, quasi longiùs à se recedentes,quos in peccatis positos quærere & iustificare curauit. Visitauit quasi medicus ægrotus,qui vt inueteratum superbiæ nostræ lãguorem sanaret, nouum nobis suæ humilitatis exemplum adhibuit. Fecit redemptionem plebis suæ,qui nos venundatos sub peccato, & antiqui hostis seruitio addictos, dato sui sanguinis Cor.
precio liberauit. Vnde benignè nos hortatur Apostolus, dicens: Empti enim estis precio magno:glorificate & portate Deum in corpore vestro. Plebis autem suæ dicit,non vtique quam veniens plebem suam reperit,sed quam visitando & redimendo suam fecit. Vultis etenim audire fratres mei,qualem inuenerit eam,qualem reddiderit? Finis cantici huius, quod ob notitiã simul & prolixitatem sui, totum charitati vestræ recensere & explanare longum duximus, apertè denuntiat,dicens:*Visitauit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in uiam pacis.* Inuenit ergo nos sedentes in tenebris & vmbra mortis, hoc est, longa peccatorum & ignorantiæ cæcitate depressos, atque hostis antiqui fraude deceptos,obsessosque erroribus. Ipse etenim rectè mors & mendacium,sicut econtrà Dominus veritas vocatur & vita. Attulit autem nobis veram cognitionis suæ lucem,exclusisque errorum tenebris certum nobis iter patriæ cælestis aperuit. Direxit gressus operum nostrorum, quatenùs per viam veritatis quam monstrauit, incedere, atque ad mansionem perpetuæ pacis possimus intrare,quam promisit. Hæc igitur dona,fratres cha-

rissimi,supernæ bonitatis, hæc æternorum
Psalm. 33. donorum promissa habentes, benedicamus & nos Dominum in omni tempore, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ. Semper laus eius in ore nostro versetur, semper eius & me-
1. Petr. 2. moriam retineamus, & inuicem annunciemus virtutes eius,qui de tenebris nos vocauit in admirabile lumen suum. Eius continuè flagitemus auxilium,vt lucem scientiæ quam contulit,
Rom. 13. in nobis ipse conseruet, atq; ad perfectum vsq; diem perducat. Et vt digni simus exaudiri precãtes,abijciamus ipsi opera tenebrarum,& induamus nos arma lucis. Sic etenim supplicantes,cõcitè quæ desideramus accipiemus:quia nimirũ verba deuotæ orationis, adiuuat manus piæ operationis. Et quia beati præcursoris hodiè natalitia celebramus,oportet vt quem salutis æternæ præconem suscepimus, hunc etiam nostræ orationis adiutorem quæramus. Ipsum itaque intercedendo rogemus impetrare,vt ad eam cui testimonium perhibuit,lucem, vitam & veritatem,peruenire mereamur,Iesum Christum Dominum nostrum,qui viuit &c.

IN EODEM FESTO,

HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Elizabeth impletum est tempus pariendi, &c. Luc. 1.

Psalm. 8. NAscitur hodiè Ioannes baptista, maior prophetis, minor angelis: imò minor eo,qui minoratus est paulò minùs ab angelis. Vnde ipse Dominus ait: Inter natos mulierũ non surrexit maior Ioanne
Matth. 11. Baptista: qui autem minor est in regno cælorũ, maior est illo. Hoc autem Apostolus expo-
Hebr. 2. suit,dicens:Eum autem qui modico quàm angeli minoratus est,videmus Iesum propter passionem mortis,gloria & honore coronatum. Hoc igitur solo,id est, Christo, minor est Ioannes,quo nemo alius maior surrexit natus de mu-
Ioan. 3. liere. Vnde ipse quoque Ioannes ait: Me opor-
Ioan. 1. tet minui, illum autem crescere,qui post me venit,ante me factus est, cuius non sum dignus
Luc. 3. corrigiam calceamenti soluere. Minuitur enim Ioannes,capite truncatus:crescit vero Christus, in cruce exaltatus. *Et audierunt uicini & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei.* Erant enim steriles in opprobrium in Israël,quanuis hoc aliud significaret. Corporis nanque sterilitas non est peccatũ:
Steriles mente. Mente verò steriles,apud Deum in opprobrium sunt. Quantum igitur ad literam, magnam ei Dominus misericordiam fecit, qui tanto pignore illam fœcũdauit. Vnde & ipsa superiùs ait: Luc. 1.
Sic mihi fecit Deus in diebus, quibus respexit auferre opprobriũ meũ inter homines. *Et factũ est in die octauo, uenerũt circuncidere puerũ, & uocabant eum nomine patris sui Zachariam.* Hac circuncisione neq; Christus,neq; Ioannes indigebat,circuncisi tamen sunt,ne scandalum fierent, & vt legem adimplerent. Lex enim & prophetæ vsque ad Matth. 11.
Ioannem. De circuncisione multa ad Romanos Apostolus scribit,& non carnis,sed spiritus cir- Rom. 2.
cuncisionem laudat. Spiritualis nanq; circuncisio nõ in vno,sed in omnibus membris fieri debet, vt neq; manus operentur malum,neque pe- *Circuncisio spiritalis.*
des ad fundendum sanguinem currant,neq; aures detractionibus pateant. Sic omnia membra circunciduntur. Tali circuncisione omnia vitia & peccata tolluntur. Vnde octaua die meritò circuncidebat,in qua & vltima resurrectio fiet, quando membris omnibus circuncisis,id est, vitijs om- *Circuncisio cur octauo die.*
nibus & peccatis abscissis, totus ex integro innouatus,omnique superfluitate mundatus homo, ad immortalitatem resurget. *Et respondens mater eius,dixit: Nequaquam: sed uocabitur Ioannes.* Nequaquam,inquit,Zacharias vocabitur, quanuis & hoc nomen dignum sit veneratione:sed vocabitur Ioannes,quod Dei gratia interpretatur:quia nullus inter natos mulierum familiariùs illo Dei gratiam possidebat. *Et dicebant ad illam: Quia nemo est in cognatione tua,qui uocetur hoc nomine.* Hoc enim nomen angelus imposuit,non cognatio dedit. Sed vnde Elizabeth hoc nomen scire potuit? Zachariæ nanque,non Elizabeth dictũ fuerat:Et vocabis nomen eius Ioannem. Qua in re Luc. 1.
credendum est,quanuis id scriptum non est,vel angelica reuelatione,vel alia qualibet facta diuinitùs inspiratione eam hoc nomen didicisse. *Innuebant patri eius,quem uellet uocari eum.* Qui quoniam voce hoc eis indicare non poterat, *postulãs pugillarem,scripsit,dicens: Ioannes est nomen eius. Et mirati sunt uniuersi.* Mirati enim sunt,quare vtriq; parenti hoc nomen puero imponere placuit: quia quum nemo in illorum cognatione sic vocaretur,Dei nutu id fieri intellexerunt. *Apertum est autem illicò os eius & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum.* Sic enim angelus ei promiserat. Pro Ibid.
eo quòd non credidisti verbis meis,quæ implebuntur in tempore suo,eris tacens,& non poteris loqui vsque in diem,quo hæc fiant. Ingressus est enim(vt superiùs legitur)in templum Domini, & omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. Apparuit autem illi angelus Domini,stans à dextris altaris incensi:cui quia credere noluit,linguam amisit. Hæc autem solennitas Leuit. 16.
decima die mensis septimi agebatur,quando so- Hebr. 9
lus pontifex semel in anno non sine sanguine ingrediebatur sancta sanctorum, nullumq; alium in templo esse licebat. Quod quid significet,Apostolus exponit in Epistola ad Hebræos: Ibid.
Nos quoq; in Leuitico de hac solennitate suffi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cieter dixim⁹. Apparuit aũt illi angel⁹ Domini, ſtans à dextris altaris incẽſi. Stabat aũt angelus, & à dextris ſtabat, quoniam fortia & proſpera nunciabat. Et Zacharias turbatus eſt videns, & timor irruit ſuper eum. Ait autem ad illum angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita eſt

Boni angeli ut à malis interno ſcantur: deprecatio tua. Hæc enim angelorum conſuetudo eſt, (in qua etiã ab illis diſcernuntur, qui ſe transfigurant in angelum lucis) quòd in ſuæ loquutionis principio eos, quibus loquuntur, conſolantur & ne timeant adhortantur. Quòd autẽ ait, Quoniã exaudita eſt deprecatio tua: nemo putet Zachariam pro filio Deum exoraſſe, præſertim, quum de ſua ſuæq; vxoris ætate diffideret, angelo idipſum promittenti non crederet.

Leuit. 16. Quid igitur orabat, niſi id quod lex orare præciebat? Ait enim: Erit hoc vobis legitimum ſempiternum, vt oretis pro filijs Iſraël, & pro cunctis peccatis eorum, ſemel in anno. Hoc eſt igitur quod orabat, hanc deprecationem angelus exauditam eſſe dicebat. Et dixit Zacharias ad angelum: Vnde hoc ſciam? Ego enim ſum ſenex, & vxor mea proceſsit in diebus ſuis. Et fortaſſe nõ recordatur Zacharias, quòd Abraham & Sara in

Luc. 1. ſenectute filium genuerunt. Nihil enim Deo

Mar. 9. impoſsibile eſt, credenti quoq; omnia poſsibilia ſunt. Angelus promittit, & ſacerdos ſignum quærit, quaſi plùs ſigno quàm angelo credere debuiſſet. Et reſpondens angelus, dixit ei: Ego ſum Gabriel, qui adſto ante Deum, & miſſus ſum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare: cur ergo dubitas? quare non credis? neque ille qui me miſit, neq; ego tibi mentiri poſſum. Signum

1. Cor. 1. quæris: Iudæi enim ſigna petunt: dicis: Vnde hoc ſciam? dabitur tibi ſignum, quod poſtquàm acceperis, te fortaſſe accepiſſe pœnitebit. Hoc igitur erit tibi ſignũ. Ecce eris tacens, & nõ poteris loqui vſque in diem, quo hæc fiant, pro eo quod non credidiſti verbis meis, quæ complebuntur in tempore ſuo. Quia, inquit, verbis meis credere noluiſti, vel ſigno crede. Ecce eris tacẽs, donec ex te genita vox oriatur. Et quia vocẽ generaturus es, non te pœniteat aliquanto tempore tacuiſſe. Ex te enim orietur ille, qui di-

Iohn. 1. cet: Ego vox clamantis in deſerto. Et erat plebs expectans Zachariam, & mirabantur quòd tardaret in templo. Egreſſus autem non poterat loqui ad illos. Et cognouerunt quòd viſionem vidiſſet in templo: & ipſe erat innuens illis, & permanſit mutus. Poſſumus autem per ſenem Zachariam, vetus teſtamentum, & per Ioannem puerum, nouum intelligere. Eo enim tempore vetus teſtamentum vocem amiſit, quo nouum ex veteri fieri cœpit: quia poſtquàm nouam legem Apoſtoli & doctores prædicare & exponere cœperunt, vetus legis intelligentia ceſſauit. Sed vocem quam amiſerat, tunc tandem recepit, quando nouo teſtamento iam nato & vbique diuulgato, ab eo didicit quod loqueretur. Loquitur enim vetus teſtamentum, ſed iam non ſuo & priori ſenſu. Loquente autem Zacharia *factus eſt timor ſuper omnes uicinos eorum, & ſuper omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia uerba hæc. Et poſuerunt omnes qui audierunt in corde ſuo, dicentes: Quis putas puer iſte erit?* qui contra naturam natus eſt, in cuius natiuitate os diù clauſum aperitur, mutus loquitur, & tam noua miracula fiunt? *Etenim manus Domini erat cum illo.* Ipſa igitur hæc omnia operabatur in illo. *Et Zacharias pater eius repletus ſpiritu ſancto prophetauit, dicens: Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia uiſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ.* Viſitauit per præconem, viſitauit per filium, prædicauit per vtrunq;, fecit per alterum. Vterque ad baptiſmum populum vocauit, ſed alter ſolummodò plebem redemit, & in ſpiritu ſancto baptizauit. Vnde & eidem Ioanni dicitur: Super *Ioan. 1.* quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto: qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat Deus in ſecula ſeculorum.

IN VIGILIA APOSTOLORVM PETRI & Pauli. Ioan. vltimo.

In illo tempore: Dixit Ieſus Petro: Simon Ioannis, diligis me plùs his? Dicit ei: Etiam Domine, tu ſcis quia amo te. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ preſbyteri.

Virtutem nobis perfectæ dilectionis, præſens ſancti euangelij lectio commẽdat. Perfecta etenim dilectio eſt, qua Deum ex toto corde, tota anima, tota virtute, proximũ aũt tanquam noſmetipſos diligere iubemur. Et neutra harum dilectio ſine altera valet eſſe perfecta: quia nec Deus verè ſine proximo, nec ſine Deo verè poteſt proximus amari. Vnde Dominus toties interrogato Petro, an ſe diligeret, & illo reſpon *Ioan. 21.* dente, quòd eum ipſo teſtante diligeret, adiungebat per ſingula ita concludens: Paſce oues meas, ſiue agnos meos. Ac ſi apertè diceret: Hæc ſola & vera eſt probatio integri in Deum amoris, ſi erga fratres ſtuduerimus curã ſolicite exercere laboris. Nam quicunq; fratris opus pietatis quod valet impendere negligit, minùs iuſto ſe conditorem diligere oſtendit, cuius mandatum in ſuſtentanda proximi neceſsitate contemnit. Quæ profectò charitas, quoniam ſine diuinæ gratiæ inſpiratione minimè poſsit haberi, tacitè quodammodò Dominus inſinuat, qui Petrum de illa interrogans, Simonẽ eum Ioannis, quod nuſquam aliàs, cognominat. Simon (inquit) Ioannis, diligis me plùs his? Vbi quanuis ſimpliciter mentio facta terreni parentis eius poſsit intelligi, non tamen ab re eſt, ſi quis nomine Ioãnis donum ſupernæ generationis myſticè indicatum velit accipere, de quo Apoſtolus Ioannes

1. Ioan. 4. admonẽdo teſtatur: Chariſsimi, diligamus inuicem, quoniam charitas ex Deo eſt: & omnis qui diligit, ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum. Simon nanq; obediens, Ioannes dicitur Dei gra-

Simon Ioãnis. tia. Et propterea rectè primus apoſtolorum cũ de amore ſuo requiritur, Simon Ioannis, i. obediens Dei gratiæ vocatur: vt liquidò cunctis oſtendatur, hoc quòd maiore præ cæteris obediẽtia Domini iuſsis obtemperauit, quòd ardentiori illum charitate amplectitur, non humani meriti, ſed muneris eſſe diuini. Vnde & apoſtolus Pau-

Rom. 5. lus ea gratia confortatus, aiebat: Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritũ ſanctum, qui datus eſt nobis. Qui ergo cæteris flagrantiùs Dominum amare probatur, filius Ioannis cognominatur: quia nimirũm virtus eiuſdem amoris non niſi per gratiam ſpiritus percipitur. Qui tamen ipſe notandum quàm cautè &

Petri circunſpecta reſponſio. circunſpectè teſtimonium reddat ſuo amori, cũ Domino ſciſcitante, an ſe plùs alijs diligeret, nõ eſt auſus reſpondere, Tu ſcis quia amo te plùs his: ſed temperata ac ſimplici voce, Etiam, inquit, Domine: tu ſcis quia amo te. Quod eſt apertè dicere: Scio quidem, quia ipſe te, vt tu meliùs noſti, integro corde diligo: quantum verò te alij diligant, mihi quidem ignotum, ſed tibi omnia ſunt nota. Cuius cautela reſponſionis, noſtræ profecto eſt inſtructio locutionis ſimul & cogitationis, vt videlicet eius exemplo diſcamus, minùs de noſtræ conſcientiæ puritate præſumere, minùs temerè de fraternæ conſcientiæ occultis iudicare, in dubijs maximè rebus, & qua intentione vel neceſsitate gerantur, inſpicere nequimus. Nam de apertis fratrum erratibus non ſolùm poteſtatem, ſed & præceptum iu

Luc. 17. dicandi vt corrigantur habemus, dicente Domino: Si peccauerit frater tuus, increpa illum: & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi. Ambigua autẽ eorum geſta, & quæ in quamlibet partem interpretari poſſunt, diuino potiùs examini reſerua-

1. Cor. 4. re iubemur. Dicit nanq; Apoſtolus: Nolite ante tempus iudicare, quoadueq; veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarũ, & manifeſtabit conſilia cordium. Siquidem & ipſe Petrus idcircò ſe in hac Dominica interrogatione cautiùs reſpondendo cohibebat, quia meminerat ſe pridem imminẽte eius paſsione plus

Luc. 22. ſibi conſtantiæ tribuiſſe quàm haberet, reſpondendo videlicet ſe eſſe paratum & in carcerem & in mortem ire cum illo, qui necdum erat idoneus inſtante periculo ſaltem confiteri quia noſſet illum, vel quia fuiſſet aliquando cum illo. Inſtructus ergo periculo priore, cautiùs loqui cum Domino, quem benè didicerat humanæ conſcientiæ ſtatum meliùs noſſe, quàm ipſa ſe conſcientia vllatenùs noſſe ſui ſiceret, de fraterni quidem cordis occultis nil prorsùs audet definire: de ſui autem amoris integritate, nõ ſuimet ſolius, ſed & ipſius qui interrogabat Domini teſtimonium pandit, Etiam, inquiens, Domine tu ſcis, quia amo te. O quàm fœlix & pura conſcientia, quæ conditori ſuo, cuius nuda ocu- *Heb. 4.* lis & aperta omnia nouit, dicere non metuit, Domine, tu ſcis, quia amo te. Quàm caſta & ſancta anima, quæ & ſuam cogitationem Domino patere non dubitat, & ſe nil aliud, quàm ea quæ Dominus approbat, cogitare non ignorat. Vnde *Apoc. 5.* benè in Apocalypſi ſanctorum corda phialis aureis comparantur, dicente Ioanne: Et habebant ſinguli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum. Ci- *Citharæ* tharas quippe aureas habent electi, quia omnis *aureæ.* eorum ſermo, omne quod de illorum actibus ad notitiam proximorum fama vulgante perſonuerit, puræ dilectionis luce rutilum apparet. Phialas quoq; habent aureas, quæ ſunt vaſa patu la, amplitudine diffuſa: quia corda ſua quo ve- *Phialæ au* rius ſolo eiuſdem dilectionis ſentiunt igne ſplẽ *reæ.* deſcere, eo latiùs hæc dininis gaudent pandere conſpectibus. Vnde rectè ſubiungitur: Plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorũ. Phialæ nanq; aureæ odoramentorum plenitudine redundant, cum fulgida charitate iuſtorum præcordia, virtutum quoq; ſpiritalium opinione proximis innoteſcunt. Et pulchrè ipſe qui hæc videbat Ioannes, interpretando ſubdidit, Quæ ſunt orationes ſanctorum. Odoramenta etenim phialarum, ſunt orationes ſanctorum: quia quicquid boni operantur aut dicunt, qui ſimplici intentione Deo deſeruiunt, totũ profectò hoc vicem pro eis orationis adimplet, quando deuotionem mentis eorum diuinis commendat aſpectibus. Neq; verò aliter Apoſtolicum *1. Theſſ. 5.* illud præceptum, quo ait: Sine intermiſsione orate, perficere valemus, niſi omnes actus, ſermones, cogitatus, ipſa etiam ſilentia noſtra ita Domino donante dirigamus, vt ſingula hæc cùm timoris illius reſpectu temperentur, cuncta perpetuæ noſtræ ſaluti proficua reddantur. Prouida autem pietate Dominus tertiò Petrum an ſe diligat interrogat, vt ipſa trina confeſsione, vincula quæ illum ter negando ligauerant, abſoluat: & quoties territus eius paſsione quòd eum noſſet negauerat, toties eius reſurrectione recreatus, quòd illum toto amet corde, teſtetur. Proui da diſpenſatione tertiò confitenti amorem, tertiò æquè paſcendas ſuas oues commendat: quia decebat, vt quoties in paſtoris fide titubauerat, toties cum renouata fide paſtoris, membra quoque eiuſdem paſtoris iubeatur curare. Quod enim hic dicit ei, Paſce oues meas, hoc eſt vtique quod ei ante paſsionem apertiùs dixerat, Ego *Luc. 22.* aũt rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Paſcere ergo oues Chriſti, eſt credentes Chriſto *Paſcere o-* ne à fide deficiant confirmare, & vt in fide magis *ues Chri-* magisq; proficiant, inſtãter operã dare. Quãuis *ſti quid* ſorer *ſit.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

solertiùs intuendum, quòd eadem pastio gregis dominici, non vniformi, sed multimoda est solicitudine gerenda. Nã & terrena subsidia necesse est vt subditis rector ne desint diligenter prouideat, & exempla virtutis simul cum verbo prædicationis eisdem solicitus impendat: & si quos aut spiritalibus aut etiam communibus eorum commodis aduersantes deprehenderit, horum violentiæ quantum valet obsistat, ipsos quoque cum fortè errauerint subiectos, iuxta Psalmistæ
Psal. 140 vocem, corripiat iustus in misericordia & increpet, neq; oleo noxiæ consensionis eorum corda demulceat. Et hoc enim ad pij pastoris officium pertinet. Nam qui subditorum errata corrigere, & vulnera in eis peccatorum inquantùm sufficit curare neglexerit, inter pastores ouium Christi qua fronte se annumerare præsumit? Sed & hoc pastori est fixo corde tenendum, vt eos quibus præest, non quasi suos proprios, sed vt Domini sui gregem tractare meminerit, iuxta illud quod Petro dicitur: *Si diligis me, pasce oues meas.* Meas, inquit, non tuas. Meas tibi oues commendatas scito, & has quasi meas regere, si me perfectè amas, recole: vt meam videlicet in eis gloriã, meum dominiũ, mea lucra, nõ tua propria quæras. Sunt enim qui oues Christi, nõ amore Christi, sed suæ vel gloriæ, vel dominationis, vel quæstus gratia pascunt. Quorum multitudinem dolens Apostolus Paulus, ait Philippensibus: Spero
Philip. 2. autem in Domino Iesu Timotheũ me citò mittere ad vos. neminem enim habeo tam vnanimem qui syncera affectione pro vobis solicitus sit. Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi. Vnde Dominus in euangelio tales non pastores, sed mercenarios potiùs vo-
Ioan. 10. cat, dicens: Quia lupo veniente mercenarius fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus. Veri autem pastoris, & cui syncera
Signũ ueri pastoris est cura de ouibus, euidens ac speciale indicium est, cùm quisq; non solùm commodis omnibus vitæ temporalis carere, sed ipsam quoque vitam pro grege Christi ponere in promptu habet. Vnde nunc ipse, postquàm pascendas oues suas Petro, hoc est, plebes docendas gubernandasque commisit, subsequenter addidit, dicens: *Amen amen dico tibi, cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non uis.* In extensione etenim manuum, positionem membrorum eius, qua cruci erat aptandus, insinuat. In cinctione alterius, impositionem vinculorum quibus à persecutore arcendus erat, exprimit. In ductu quò nollet, ipsam mortis ac passionis acerbitatem indicat, quam corporalis eius infirmitas horrebat, cuius animi firmitas spiritalis etiam aduersa pro Domino lætabatur cuncta sufferre. Neque enim voluntatem suam, sed voluntatẽ quærebat, ius qui misit eum Christi. Præmissa igitur ouium suarum passione, adiungit mox eidem primò pastorum etiam passionis suæ triumphũ,

Malipastores.

Extendes, inquiens, manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis. Ac si patenter dicat: Quanta me charitate diligas, hinc liquidò probabis, cùm pro paruulorum meorum vita vsque ad mortem certando peruueneris, & vt illi in corpore possint pariter & mente saluari, ipsa tormenta corporis omnia, quæ aduersario affligere libet, forti mentis constantia toleraueris. Quod ipse quoq; euangelista subsequenter insinuat, cùm ait: *Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum.* Clarificauit quippe Petrus morte sua Deum, quando hoc indicio cunctis quantùm Deus esset colendus amãdusque, monstrauit, dum ipse data optione, mallet crucis subire tormentum, quàm à cælestis verbi prædicatione cessare. Qui notandum quòd non solùm morte, sed & vita sua & passionibus quæ mortem præcesserant, Deum clarificauit. Clarificauit nanque vita Deum, qui per omnia quæ gessit, non suam, sed conditoris propriam sui voluntatem laudemq; quærebat. Clarificauit & passionibus, quem à propositis superni amoris obsequijs, nulla persequentium valuit reuocare pressura. Verùm quia cùm memoria B. Petri, etiam coapostoli eius Pauli hodiè natalitia celebramus, videamus fratres charissimi, vtrum & ipse vel vita, vel passionibus, vel morte clarificauerit Deum. Clarificauit vtiq; & ipse. Testatur enim Lucas Euangelista, qui librum Actuum Apostolorum maxima ex parte agones ipsius & labores pro Christo describendo compleuit: testatur hoc & ipse, qui opus scriptorum suorum, quod quatuordecim epistolis conclusit, solo (vt ita dixerim) Christi odore respersit. Quicquid enim ibi legeris, aut fidei arcana reuelat, aut bonorum operum fructus ostendit, aut cælestis regni gaudia promittit, aut quid ipse tribulationũ hæc prædicans sustinuerit, pandit, aut quid inter tribulationes diuinæ consolationis acceperit, refert, aut generali exhortatione, quòd omnibus qui piè volunt viuere in Christo, persecutiones deesse non possint, insinuat. Testatur quantùm vita sua Deum clarificauerit, cùm in vinculis positus, & appropinquans passioni, Timotheo per epistolam exemplum sui operis proponit, dicens: Bonum certamen certaui, cursum cõ
2. Tim. 4. summaui, fidem seruaui. Monstrauit qualiter morte clarificaturus esset Deum, cùm præmisit: Ego enim iam immolor, & tempus resolutionis meæ instat. O quàm preciosa in conspectu Domini mors sancti illius, qui apertissimè nouerat, qui libera voce prædixerat, se occidi pro Domino non aliud esse, quàm gratissimam Deo mundissimamq; hostiam offerri. Clarificauit ergo & Paulus Deum, clarificauerunt & cæteri Apostoli, quia & ipsi puro corde Christum diligebant, ipsi syncera intentione oues Christi curabant. Quod enim Petro dictum est, Pasce oues meas, omnibus vtiq; dictum est. Hoc nanq; erãt cæteri Apostoli, quod fuit Petrus: sed primatus Petro petri.

Deum magnificat per martyrium.

Item de Apostolo Paulo.

Summa eius predicationis.

primatus eius.

Petro datur, vt vnitas Ecclesiæ commendetur. Pastores sunt oẽs, sed grex vnus ostenditur, qui & ab Apostolis omnibus tunc vnanima contensione pascebatur, & deinceps à successoribus eorum communi cura pascitur: quorum plurimi conditorem suum morte, oẽs aũt vita sua clarificare probantur. Non solùm aũt maxima illa Ecclesiæ luminaria, sed & reliqua electorum turba, vel viuendo vel moriendo, Deum suo quiq; tempore clarificat. Quorum vestigia nos quoque fratres mei nostro tempore sequi oportet, & vitæ videlicet nostræ ordinem, ad exempla bonorum dirigendo, & in proposita vitæ rectitudine ad mortem vsq; persistendo: vt socij conuersationis eorum existentes, socij etiam remunerationis mereamur effici. Hoc autem ita persiciemus, si iuxta huius sacratissimæ lectionis tenorem, & redemptorem nostrum debito affectu complectimur, & erga proximorum salutem fraterna solicitudine vigilamus, ipso opitulante, qui hæc & nos facere iubet, & se facta remunerare pollicetur, CHRISTO IESU Domino nostro, qui viuit & regnat & cæt.

IN EADEM VIGILIA, HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Dixit Iesus Simoni Petro: Simon Ioannis diligis me plùs his? & cæt. Ioan. 21.

Ioan. 21. INterrogat Dominus Petrũ, an se diligat, quem semper & vbiq; maiorem amoris affectionem erga se ostẽdere videbat. Sicut modò superiùs cùm cæteri ad eum nauigio venissent, ipse moras nauis expectare non potuit, sed amoris immensitate cogente, in mare se præcipitauit, vt velociùs ad Dominum venire posset. *Simon* (inquit) *Ioannis, diligis me plus his?* qui tui amoris affectum erga me ostendis plùs quã his? Dicit: *Domine, etiam, tu scis quia amo te.* Etiam Domine amo te, & tu scis quia amo te, scis etiã quãtùm diligo te: ego autem nescio, an plùs cæteris
Oues suas diligam te. Dicit ei: *Pasce agnos meos.* Non vult Do-
cui cõmittat Iesus. minus suos agnos alij committere, nisi illi qui eum diligit, quos ipse tantùm dilexit, vt pro eis mori dignaretur. Et ideò priùs Ecclesiæ pastorẽ interrogat, an se diligat, & sic postea pascendos agnos suos ei cõmittit. *Dicit ei iterùm: Simon Ioannis diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertiò: Simõ Ioannis amas me?* Tunc Petrus contristatus, & timens se haberi à Domino suspectum, *quia dixit ei tertiò, Amas me,* respondens dicit: *Domine tu omnia nosti: tu scis, quia amo te.* Dicit ei: *Pasce oues meas.* Priùs agnos, deinde
Petrus, pastor pastorum. oues cõmisit ei: quia nõ solũ pastorẽ, sed pastorũ pastorẽ eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit & oues: pascit filios, pascit & matres: regit & subditos & prælatos. Omnium igitur pastor est, quia præter agnos & oues in Ecclesia nihil est: nihil (inquã) quàm quod suis pastoribus Christus commiserit. Ecce Petrus qui ter negauerat, ter Dominum se amare respondet, quatenùs amor deleat culpam, & dilectio tollat offensam. *Et dicit ei Iesus: Amen amen dico tibi, quum esses iunior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas: quum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non uis.* Quod quid significet, euangelista exponens, ait: *Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum.* In crucis nanq; patibulo positus beatus Petrus, ibiq; manus extendens, ab alijs cinctus & ligatus est. Et meritò postquàm ter Dominum se amasse respondit, mortem suã ei Dominus nunciauit: in ea quantùm eum dilexerit, apertissimè demonstrauit.

IN DIE APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI, Sermo B. Leonis Papæ.

Est Sermo 1. in natali Apostolorum horum.

OMnium quidem solennitatũ sanctarũ dilectissimi totus mundus est particeps, & vniuersa fidei pietas exigit, vt quicquid pro salute vniuersorum gestum recolitur, communibus vbique gaudijs celebretur. Veruntamen hodierna festiuitas præter illã reuerentiam, quam toto terrarum orbe promeruit, speciali & propria nostræ vrbis exultatione veneranda est: vt vbi præcipuorum apostolorũ glorificatus est exitus, ibi in die martyrij eorum sit lætitiæ principatus. Isti enim sunt viri, per
Romæ quos tibi euangelij Christi Roma resplenduit, *quid Pe-*
& quæ eras magistra erroris, facta est discipula *trus &*
veritatis. Isti sunt patres tui, verique; pastores, qui *Paulus*
te regnis cælestibus inserendam, multò meliùs, *præstite-*
multoq; felicius condiderunt, quàm illi, quorũ *runt.*
studio prima mœnium tuorum fundamenta locata sunt: ex quibus is qui tibi nomen dedit, fraterna te cæde fœdauit. Isti sunt, qui te ad hanc 1. Petr. 2.
gloriam prouexerunt, vt gens sancta, populus electus, ciuitas sacerdotalis & regia, per sacrã beati Petri sedem caput orbis effecta, latiùs præsideres religione diuina, quàm dominatione terrena. Quanuis enim multis aucta victorijs, ius imperij tui terra mariq; protuleris, minus tamen est quod tibi bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subiecit. Deus nanq; bonus & iustus & omnipotens, qui misericordiam suam humano generi nunquã negauit, omnesq; in cõmune mortales ad cognitionem sui abundantissimis semper beneficijs erudiuit, voluntariam errantium cæcitatem, & procliuem in deteriora nequitiam, secretiori consilio & altiori pietate miseratus est, mittendo verbum suum, æquale sibi atq; coæternum. Quod caro factum, ita diui

Universidad de Deusto
Biblioteca

Romanũ imperium cur diuinitus præparatum.

nam naturam naturæ vniuit humanæ, vt illius ad infima inclinatio, nostra fieret ad summa prouectio. Vt aũt huius inenarrabilis gratiæ per totum mundũ diffunderetur effectus, Romanũ regnũ diuina prouidentia præparauit: cuius ad eos limites incrementa perducta sunt, quibus cunctarum vndique gentium vicina & contigua esset vniuersitas. Disposito nanq; diuinitùs operi maximè cõgruebat, vt multa regna vno cõfœderarentur imperio, & citò peruios haberet populos prædicatio generalis, quos vnius tenet regimen ciuitatis. Hæc autem ciuitas ignorans suæ prouectionis authorẽ, cùm penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium seruiebat erroribus: & magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem. Vnde quanto erat per diabolum tenaciùs illigata, tanto per Christum est mirabiliùs absoluta. Nam

Act. 2.

cùm duodecim Apostoli accepta per spiritum sanctum omnium locutione linguarum, imbuendum euangelio mundum distributis sibi terrarum partibus suscepissent, beatissimus Petrus, princeps apostolici ordinis, ad arcẽ Romani destinatur imperij, vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur salutem, efficaciùs se ab ipso capite per totũ mundi corpus effunderet. Cuius autem nationis homines in hac tunc vrbe nõ essent, aut quæ vsquã gentes ignorarẽt, quod Roma didicisset? Hic conculcandæ philosophiæ opiniones, hic dissoluendæ erant terrenæ sapientiæ vanitates, hic confutandi dæmonum cultus, hic omniũ sacrilegiorũ impietas destruenda, vbi diligẽtissima habebatur superstitione collectũ, quicquid vsquã fuerat vanis erroribus institutũ.

Petrus uenit Romã.

Ad hanc ergo vrbem tu beatissime Petre Apostole venire non metuis, & consorte gloriæ tuæ Paulo apostolo aliarũ adhuc ecclesiarũ ordinationibus occupato, syluam istam frementiũ bestiarũ & turbulentissimæ profunditatis oceanũ constãtior quã cũ super mare gradereris, ingrederis.

Matth. 14

Matth. 26

Nec mundi dominam times Romã, qui in Caiphæ domo expaueras sacerdotis ancillam. Nunquid aut iudicio Pilati, aut sæuitia Iudæorũ minor erat vel in Claudio potestas, vel in Nerone crudelitas? Vincebat ergo materiam formidinis, vis amoris: nec æstimabas terrori cedendũ, dum horum saluti consulis, quos susceperas alendos. Hunc autem intrepidæ charitatis affectum iam tunc profectò conceperas, quando professio tui

Ioan. 21.

amoris in Dominũ, trinæ interrogationis est solidata mysterio. Nec aliud ab hac mentis tuæ intentione quæsitum est, quàm vt pascendis eius quem diligeres ouibus, cibum quo ipse eras opimatus impenderes. Augebant quoq; fiduciam tuam tot signa miraculorum, tot dona charismatum, atq; experimenta virtutum. Iam populos, qui ex circuncisione crediderant erudieras, iam

Actor. 11.

Antiochenam Ecclesiam, vbi primùm Christiani nominis dignitas est orta, fundaueras. Iam Põtum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, atq; Bithyniam legibus euangelicæ prædicationis impleueras, nec aut dubius de prouectu operis, aut de spatio tuæ ignarus ætatis, trophæum crucis Christi Romanis arcibus inferebas, quò te diuinis præordinationibus anteibant, & honor potestatis, & gloria passionis. Ad quam beatus Apostolus tuus, vas electionis, & specialis magister gentium Paulus occurrens, eodem tibi consociatus est tẽpore, quo iam omnis innocẽtia, & omnis pudor, omnisq; libertas sub Neronis laborabat imperio. Cuius furor per omnium vitiorum inflammatus excessum, in hunc eum vsque torrentem suæ præcipitauit insaniæ, vt primus nomini Christiano atrocitatem generalis persecutionis inferret: quasi per sanctorum neces gratia Dei posset extingui, cuius hoc ipsum erat maximum lucrum, vt contemptus vitæ huius occiduæ, perceptio fieret felicitatis æternæ. Preciosa est ergo in conspectu Domini mors sanctorũ eius, nec vllo crudelitatis generi destrui potest sacramento crucis Christi fundata religio. Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur. Vnde duo ista præclara diuini germina seminis, in quantam sobolem pullularint, beatorum martyrum millia protestantur, qui apostolicorum æmuli triumphorum, vrbem nostram purpuratis & longè lateq; rutilantibus populis ambierunt, & quasi ex multarum honore gemmarum conserto vno diademate coronarunt. De quorum præsidio dilectissimi, diuinitùs nobis ad exemplum patientiæ & confirmationem fidei præparato', vniuersaliter quidem in omnium sanctorum commemoratione lætandũ est: sed in horum excellentia patrum meritò est exultantiùs gloriandum, quos gratia Dei in tantum apicem inter omnia Ecclesiæ membra prouexit, vt eos in corpore, cui caput est Christus, quasi geminum constituerit lumen oculorum. De quorum meritis atq; virtutibus, quæ omnẽ loquendi superant facultatem, nihil diuersum, nihil debemus sentire discretum: quia illos & electio pares, & labor similes, & finis fecit æquales. Sicut autem & nos experti sumus, & nostri probauere maiores, credimus atq; confidimus inter omnes labores istius vitæ, ad obtinendam misericordiam Dei, semper nos specialium patronorum orationibus adiuuandos: vt quantum proprijs peccatis deprimimur, tantùm Apostolicis meritis erigamur, per Dominum nostrum Iesum Christum, cui est cum patre & sancto spiritu eadem potestas, vna diuinitas in secula seculorum, AMEN.

Actor. 9.

1. Tim. 1.

Nero primus persequitur Christian.

Psalm. 115

IN EODEM FESTO.

Sermo B. Maximi episcopi.

Beatis-

Est Homilia 3. de hoc festo.

BEatissimorum Apostolorum Petri ac Pauli inseparabilem fidem passionemque germanam omnibus deuotione, fratres, necesse est celebrare: quia & laudabilis eos vita ad glorioßissimum perduxit occasum, & mirificus obitus perpetuam transmisit ad vitam. Et licet in Petro fides emineat, in Paulo doctrina præcellat: & magisteriũ tamẽ Pauli, fidei plenitudo est: & credulitas Petri, doctrinæ est fundamentum. Quos tanta cælestis electionis dignatio visitauit, vt hic fieret de piscatore doctor, ille de persecutore defensor. Sed in hoc omnipotentis Dei attollenda maiestas est, qui inspiratione mirabili, docendi gratiã tribuit imperito, & inimicum fecit amare quod oderat, & fidem quam impugnabat asserere. Illius piscationem non abstulit, sed mutauit: huius

Act. 9.

cæcauit oculos, vt purgatiore recepto lumine, clarißimæ mentis acie vltra humanum videre posset aspectum. Quanti igitur meriti apud Do-

Petrus totius Ecclesiæ gubernator.

minum suum Petrus erat, vt ei post nauiculæ paruæ remigium, totius Ecclesiæ gubernacula traderentur? Aut quantùm in apostolatus sui ministerio complacuisse Christo credimus Paulum, qui tantùm placere potuit persecutor? Placuit enim, quia non iniqui pectoris studio, sed simplicis ignorantiæ incauta deuotione certabat. Denique vt primùm sensibus eius spiritus veritatis infusus est, ostendit continuò non se Christi sæuisse odio, sed amore paternæ legis innocẽter errasse. De quo quid ego potißimùm dicam, cũ ipse fidelißimus sibi sit testis: qui cùm nec suas vellet iactare laudes, & Christi annunciare cuperet maiestatem, verecundiùs quod in se gestum

2. Cor. 12

est, confitetur. Etenim velut de altero quodam: Scio (inquit) hominem in Christo Iesu, raptum vsque ad tertium cælum, raptum in paradißum, & audiuit arcana verba, quę non licet homini loqui. Quid hoc apostolo magnificentius, cui in medio mortalium constituto, & supra cælos ire datum, & ad terras redire concessum est? Quid hoc beatius viro, qui inter secreta paradißi edißcere meruit, quod nec lingua hominis loqui possit, nec quißquam mereretur audire? Et cùm tantæ sint sublimitatis illa quæ docuit, vt comprehendere ea mens humana non possit, quantæ illud putamus esse gloriæ, quod prodere sibi asserit non licere? Quid etiam de Petro referam,

Matth. 16

cuius tanta à Deo est approbata iustitia, tantaque ei potestas attributa est iudicandi, vt in arbitrio eius poneretur cæleste iudicium? Perspicite ergo, & æstimate, quanto nobis sit Petrus apostolus honore reuerendus, cuius sententiam in terris prolatam, sempiterni iudicis æquitas non repellit. Et ideò diligenter intendite, quæ sit eius gloriæ magnitudo: cui dum claues regni committuntur æterni, cælum illi claudere & aperire permißum est. Horum itaq;, charißimi, per vniuersum mundum veneranda hodiè passio celebratur, hodiè horum concursu lætißimo excolit Roma martyrium: & quorum dudum impia persecuta est sanguinem, eorum nunc peculiari deuota patrocinio gloriatur.

Rome pas si Petrus & Paulus.

IN FESTO APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI,

In lectionem Epistolæ loco, Concio exegetica.

Maximus Hom. 2. de hoc festo.

APostolici natalis gaudio, fratres charißimi, Petri & Pauli, quorum hodiè beatißimis passionibus iucundamur, lætior per vniuersum mundum Christi exultat Ecclesia: quæ licet omnium sanctorum martyrio certa sit adornari, horum tamen victoria glorioßiùs illustratur, quandoquidem videt de hoc seculo ipsos fidei patres & magistros martyrum triumphasse. Hi sunt beatißimi Petrus & Paulus, qui sacramentum cælestis regni vno spiritu prædicantes, subvnius passione diei doctrinam suam pio sanguine & morte fortißima consecrarunt: qui etiam tanquàm Ecclesiarum omnium principes facti dispensatione cælesti, Romam petentes, sacratißima sua corpora in illius vrbis arce reconderent, quæ totius orbis obtinuerat principatum: quatenùs potentiam virtutis suæ CHRISTVS ostendens, vbi mundus caput habebat imperij, ibi regni sui principes collocaret. Hæc ex Maximo episcopo præfati, ad lectionem hodiernam accedamus. *In diebus illis: Misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia.* Hunc Herodem Iosephus Agrippam vocat: qua in re, vt inquit Eusebius libro secundo capite nono Historiæ Ecclesiasticæ, licet quibusdam videatur à scriptura sacra dißidere, tamen tempus & res gesta eundem fuisse declarant, & vel scribarum errore nomen esse immutatum, vel geminam eidem, vt multis alijs impositam appellationem. Hæc Eusebius. Porrò Chrysostomus, Sicuti bestia, inquit, absque omni ratione omnes inuadit. Non iam Iudæi, neque concilium, sed rex immittit manus vt affligat. Maior potestas, difficilius certamen: & hoc magis, quo gratificari Iudæis magis studebat. *Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio.* Hoc est quod dicebat CHRISTVS: Poculum quod bibiturus sum, bibetis: & baptißmo quo ego baptizor, baptizabimini. Occidit autẽ eum simpliciter & quasi fortuitò. Si autem quis rogarit, quarè Deus permiserit: dicemus quòd pro illis ipsis. Primùm quidem persuadebat

Idem Hom. 1.

Actor. 12.

Marc. 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

illis quòd prævaleant, licet occidantur: id quod & de Stephano actum est. Secundò dabat Iudæis, postquàm implessent furorem, vt reducantur ab insania: & tertiò ostendebat, quòd hæc permissione fierent. Et Iudæi quidem propter admonitionem Gamalielis continebant se in posterum à cædibus: neque causas inueniebant, & sic adumbrabant per alios sua. Quoniam autem & alius Iacobus erat frater Domini, propter hoc assignauit dicens fratrem Ioannis. Vides quòd hi tres summi erant, maximè autem Petrus & Iacobus. Hæc maxima condemnatio illorum erat. non enim iam humana prædicatio ostendebatur, & reuerà illud adimplebatur, Reputati sumus sicut oues occisionis. *Videns autem quia placeret Iudæis, apposuit apprehendere & Petrum,* O miram inhumanitatem. Qua in re gratificatur illis? Sine causa & simpliciter cædes faciens. Grata res Iudæis cædes, atque iniusta cædes. Magna dementia Herodis: illicitis eorum desiderijs ministrabat. Debebat diuersum agere, & illorum impetum morari: ille autem indulget sicut carnifex quidam ægrotantium, sed non medicus, quanuis innumera exempla habens, & aui & patris Herodis: & quomodò ille quidem propter cædem paruulorum innumera passus est mala, hic autem Ioanne occiso, graue bellum suscitauit. Hactenùs Chrysostomus, qui Herodem Herodis maioris filium, huius Herodis vel Agrippæ patrem dicere videtur: sed vt res tota certiùs pateat, adscribam huc quæ in hunc locum commentatus est vir doctissimus Ioannes Gagneius Theologus Parisiensis: Herode Antipa cum Herodiade sua Lugdunum in exilium misso à Claudio Imperatore, in eius locum Herodes Agrippa suffectus, primo sui regni anno, vt Iudæorum gratiam consequeretur, Iacobum Ioannis fratrem gladio occidi iussit, secundo Claudij Imperatoris anno. Herodes iste itaque non est ille Antipas, qui Baptistam decollauit propter Herodiadem, à Berenice, quo Christus in sua passione illusus est, sed teste Iosephho, filia Salomes, Herodis sororis. Hic etiam fratrem quartum Herodem habuit, & filium nomine Agrippam. Hæc Gagneius. Multos igitur Herodes interemit. Primus Ascalonita innocentes pueros iugulauit. Alter eius filius Herodes Antipas tetrarcha Galilææ, Ioannem Baptistam necidedit. Tertius Herodes Agrippa filius Aristobuli & nepos Herodis Ascalonitæ, Iacobum trucidauit. Quartus huius Agrippæ frater Chalcidis rex, pontifices instituendi potestatem ab Imperatore Claudio obtinuit: post cuius obitum Agrippa iunior, Herodis Agrippæ filius, rex Galilæorum à Claudio est appellatus, in eoque finem habuit regnum Iudaicum, cùm mortuus esset anno CHRISTI septuagesimosexto. Sed iam ad expositionis ordinem reuertamur. *Erant autem dies azymorum.* Iterùm superflua Iudæorum curiositas, ait Chrysostomus. Occidere quidem non prohibebant, in tempore autem tam sacro talia committebant. Hæc ille. *Quem cùm apprehendisset, misit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum ad custodiendum, volens post Pascha producere eum populo.* Quater quaternionibus, inquit Oecumenius, id est, sexdecim numero. quater enim quatuor, sexdecim euadunt. Fortasse quia per singulas custodias, id est, per vnumquodque trium horarum spatium, quatuor erant vigiles qui custodiebant. Tres horæ enim vigiliam vnam constituebant: vt in spatio totius noctis duodecim horarum quatuor vigiliæ continerentur, in quibus singulis per vices quatuor milites custodientes, omnes simul numero sexdecim erant. Hæc Oecumenius. Chrysostomus autem Herodem metuisse ait, ne Petrus propter timorem, quem ex morte Iacobi concepisset, secederet, & volens illum securè detinere, coniecit in vincula, tantò maiori diligentia custoditum, quò mirabilior foret ostentatio. Hoc autem erat pro Petro, qui hinc probatior factus, & fortitudinem suam declarauit. *Et Petrus quidem seruabatur in carcere: oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.* Erat enim grauissimum certamen, meticulososque illos faciebat, & quòd ille in carcerem coniectus erat, & quòd iste interfectus esset. Magni amoris inditium oratio. Patrem omnes quærebant, patrem mansuetum. Continua, inquit, oratio fiebat pro illo. Audite quomodò affecti erant erga præceptores: non comminantur, non tumultuati sunt, sed ad preces conuersi, præsidium reuerà inexpugnabile: ad illud confugiebant. Non dicebant, Humilis ego & nihili homo pro illo orarem? Quoniam dilectio erat, nihil tale cogitabant. Vis scire quanta fecerint Iudæi, etiam non voluntarij? Illos clariores reddiderunt, hos diligentiores fecerunt. Et vide in die festo tentationes intentari, vt clariores appareant hi. *Cùm autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, uinctus catenis duabus: & custodes ante ostium custodiebant carcerem.* Vide Petrum dormientem, & nequaquàm in mentis agone constitutum. Ista nocte, qua producturus erat illum, dormiebat, causam totam proiecerat in Deum. Non simpliciter autem dormiuit, sed inter duos milites, & catenis vinctus. Vides quã diligens custodia? *Et ecce angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo: percussóque latere Petri, excitauit eum dicens, Surge uelociter.* Simul dormientes erant custodes: ideò quid fieret, non sentiebant. Lux autem fulgebat, quam tamen nemo vidit præter illum, ne putet esse phantasiam. Nam licet etiam hoc factum

Act. 5.

Psalm. 43.

Matth. 14. Luc. 23.

Vigiles.

Quatuor quaternionibus militum.

Petri seruatio.

Noctibus surgẽdum ad preces.

Periculo.

factum sit, & nihilominùs putabant esse phantasiam, eò quòd sic inexpectati erat: si hoc non fuisset factũ, multo magis fuisset suspicatus se illudi. ita ordinarat aciem contra mortem. Faciebat hoc, quòd multis diebus illic manserat, & non seruatus erat. Et quarè, dicit quis, non permisit illum Deus, ne caderet in manus Herodis, & mox tunc eripuit? Quia illud quidem attonitos eos fecisset: hoc autem pro illis factum est. Nunquid habiti fuissent homines, si omnia diuino more fecisset? Porrò ne sit defes Petrus, percutitur latus eius: & non simpliciter audit, Surge, sed, Velociter, cum additamento. ita grauiter dormiebat. *Et ceciderunt catenæ de manibus eius. Dixit autem angelus ad eum: Præcinge re, & calcea te caligas tuas. & fecit sic. Et dicit illi: Circunda tibi uestimentum tuum, & sequere me.* Iterùm hoc loco ostendit, quòd non & dolis euasit. Nullus enim festinans, & euadere effodiendo volens, tantam diligentiam adhiberet, ita vt etiam sandalia accipiat, & se præcingat. *Et exiens sequebatur eum, & nesciebat quia uerum est, quod fiebat per angelum: existimabat autem se uisum uidere.* Meritò: maximæ enim res fiebant. Vides quantum signum? quomodò videntem terret? quomodò non sinit credibile esse? Si enim Petro videbatur tantoperè, quòd videret visionem, quanuis cinctus & calceatus, quid alius nõ passus esset? *Transeuntes autem primam & secundam custodiam, uenerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatẽ, quæ ultrò aperta est eis. Et exeuntes processerunt uicum unum: & continuò discessit angelus ab eo.* Ea sanè, quæ intùs gesta erant, magis mirabilia erant, hoc autem iam humanius. recedit enim angelus, cùm nihil prohiberet. Non enim per tot obstacula trãsisset Petrus: euerà enim stupor erat. *Et Petrus ad se reuersus, dixit: Nunc scio uerè, quia misit Dominus angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.* Nunc cognoui, inquit, non tunc. Hactenùs Chrysostomus. Porrò cùm in hac lectione dictum sit, ab Ecclesia sine intermissione ad Deum pro Petro preces fusas, & hoc eodem capite referat Lucas Petrum iuisse post sui liberationem ad domũ Mariæ matris Ioannis, vbi multi erant congregati & orantes, libet ex Chrysostomo subiungere, quæ ille vir admirabilis hoc loco subijcit, exhortans nos, vt noctis aliquã partem etiam precibus impendamus. Ait ergo: Nihil Ecclesia illa clarius fuit. Imitemur illos, æmulemur. Non ideò facta est nox, vt per totã dormiamus, & otiosi simus. Testantur hoc & opifices, nautæ, negotiatores. Ecclesia Dei medijs surgit noctibus: surge & tu, & vide astrorum choream, profundum silentiũ, & magnam quietem: obstupesce Dei tui miram dispensationem. Purior tunc est anima, leuior subtiliorque tunc est, sublimia videt ac expedita est. Tenebræ ipsæ silentiumque multum in compunctionem inducere sufficiunt. Si autem & cælum videris quasi innumeris interpunctum oculis, omni voluptate frueris, statim concepta opificis sapientia. Si consideraris eos, qui interdiu clamant, rident, lasciuiunt, saltant, iniustè agunt, auaritiæ intenti sunt, minantur, innumera mala inferunt, ibi tunc à mortuis nihil distare, condemnabis omnem humanam infirmitatem. Somnus accedit & naturam redarguit: imago est mortis, imago est consummationis. Si prospexeris in plateam, nullam vocem audies: si videris in domum, videbis omnes quasi in sepulchris iacentes. Hæc omnia sufficiunt excitare & inducere animam ad cogitandam mundi consummationem. Hic sanè mihi & ad viros & ad mulieres sermo est: flecte genua, ingemisce, ora Dominum vt tibi misericors sit: minimò inflectitur nocturnis precibus, si quando tu quietis tempus facias lamentorum tempus. Memor esto regis, qualia verba dicebat: Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Quantumuis delicatus fueris, non es illo delicatior: quantumuis diues, non es ditior Dauide. Et iterùm idem dicit: Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustitiæ tuæ. Tunc non interturbat vana gloria, omnibus scilicet dormientibus & non videntibus: tunc non ignauia & oscitantia insidiãtur, quando quidem animam tot ac tanta excitant & alacrem reddunt. Post tales vigilias dulces somni, & visiones mirabiles. Hoc fac & tu vir, non sola mulier. Si tibi etiam filij sunt, excita & filios, & fiat modis omnibus domus noctu Ecclesia. Si autem teneri sunt, & vigiliam ferre nequeunt, vnam & alteram orationem faciant, & iterùm finito quiescere. Tantùm surge, tantùm in consuetudine conserua teipsum. Crede mihi, non sic ignis sordes purgare solet, vt oratio nocturna sordes peccatorum nostrorum. Si nihil aliud, erubescamus quòd nocturni vigiles ac custodes propter hominum leges obambulant in frigore multùm clamantes, & in vicis euntes sæpè compluuntur, rigentque propter te ac tuam salutẽ, pecuniarũque tuarum custodiam. Illi pro tuis pecunijs tantam habent curã, tu autem neque pro anima tua. Sanè ego non cogo ambulare sub dio sicut illi, neque clamore disrumpi: sed in ipso promptuario conclauiq; tuo flecte genua, ora Dominum. Quare ipse CHRISTVS pernoctauit in monte? nónne vt typus nobis fieret? Tunc respirant plantæ, in nocte dico: tunc & animæ maximè & magis quàm illæ rorem suscipiũt. Nocturnæ lachrymæ quouis rore magis contra concupiscentias & ardores omnes demittuntur, nec sinunt grauiora pati. Hæc & multa alia Chrysostomus, quæ hoc frigidissimo seculo multis paradoxa videbuntur, cùm tamen longè magis paradoxum sit, quòd non pudet multos in multam stertere lucem, idq; etiã festis diebus, quibus

Somnus, mortis imago.

Psalm. 6.

Psal. 118.

Luc. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quibus oportebat sanctorum alacritate permoueri ad precandum Deum, non solùm interdiu, sed noctibus etiam, vt liberemur ab onere peccatorum, & Dei gratiam impetremus, ipso eodé præstante, qui viuit & regnat per infinita secula, AMEN.

IN EODEM FESTO.
Matth. XVI.

In illo tempore: Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis? Et reliqua. Homilia Erici.

HErodes maior, sub quo Dominus natus est, quatuor tradidit filios habuisse, Philippum videlicet qui hic commemoratur, quiq; (vt Lucas narrat) fuit tetrarcha Iturææ, & Trachonitidis regionis: Archelaum quoq; & Lysaniam, sed & Herodé, sub quo passus est Dominus. Philippus ergo iste princeps, vt præmonstratum est, quartæ partis regni Iudæorum, in honorem Tiberij Cæsaris ciuitatem statuit ad radices Libani montis, vbi Iordanis in duobus fontibus exoritur, quam Cæsaream Philippi in memoriam sui nominis, pariterq; in honorem Tiberij Cæsaris appellari constituit: quæ posteà pristino amisso vocabulo, Paneas dicta est, in qua etiam ciuitate tradũt antiquis regibus quondam tributa consueuisse persolui. Hoc autem fecit fauore huius Cæsaris ad imitationem patris sui Herodis, qui ex nomine Cæsaris ciuitatem Cæsaream nuncupauit, quę anteà Turris Stratonis vocabatur, qui etiam trãs Iordanem Iuliadem vrbem in monimentum filiæ ipsius Cæsaris condidisse in historijs inuenitur. Veniens ergo Dominus in partes Cæsareæ Philippi, discipulos, cuius apud homines opinionis haberetur, inquirebat. Et pulchrè satis hoc quammaximè his in partibus agere voluit, vt vbi quondam rex terrenus censum tributarium exigere solitus erat à sibi subditis, ibi veniens rex cælestis reciperet censum fidei à discipulis suis. Vbi sanctæ suæ Ecclesiæ rectoribus exempli quã sequerentur normam præsignauit, qui vicem Christi in administrandis eius gerunt negocijs, quò ipsi quoque ab his, quos fidei & conuersationis merito probato familiariùs cæteris colũt, cuius famæ apud subiectos sint percontentur. Et si quidem dignos se laudibus famæ esse deprehenderint, Dei totum gratiæ deputent, talesq; esse, quales fama vulgauit, insudent. Si verò secùs quàm decet ferri de se testimoniũ senserint, sic illud in seipsis corrigere, tamque pię & iuxta quod sacer præcellentiæ ordo postulat, viuere studeãt, vt tãtus ineis sanctitatis splẽdor eluceat, qui omnem maliloqui oris nebulam tergat, famamque de se mentiri prohibeat. Ait enim: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Non hoc quasi insciens percontatur, tanquam ignorare potuerit, quid de se homines sentirent: sed vt confessionem rectæ fidei illorum digna mercede remuneraret, & populum traditionibus falsis scribarum & pharisæorum corruptum, ab errore liberaret. Scribæ nanque & pharisæi, qui in populo Iudæorum honore ac sapientia eminebat, videntes se à populo deseri, & Dominum Iesum Christum sequi propter vitæ sanctitatem, ac prædicationem salutiferam, atque miraculorum signa, quæ ab eo assiduè fieri cernebant, zelo ducti inuidebant ei. Et licet lege & prophetis præ cæteris edocti, Christum illum esse scirent, timentes tamen gloriam humanam perdere, si populus doctrinam eorum desereret, & Domini præcepta sequeretur, laborabãt quibus modis poterant corda populorum subuertere, ne Christum illum crederent, qui in lege & prophetis patribus eorum fuerat repromissus. Vnde & Iudæi vsque hodiè existimant Dominũ IESVM CHRISTVM nec-dum in hunc mundum venisse, sed adhuc venturum esse. Cernens ergo Dominus scribarum & pharisęorum traditionibus plebem corruptã, & se non Christum æstimari à populo, sed potiùs Ioannem, aut Eliam, vel Ieremiam, voluit eos ab hoc errore liberare: & idcircò interrogans eos, inquirit quid alij de se sentiant, vt expositis diuersis opinantium erroribus, probarẽtur discipuli non de opinione vulgari percepisse veritatem suæ confessionis, sed potiùs reuelatione diuinæ inspirationis. Ait nanque: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Tanquã dicat: Me qui filius hominis dicor, hoc est, filius Mariæ, quem dicunt homines esse? Necait: Quem me dicunt homines esse, sed, filium hominis, ne iactanter vulgarem sententiam de se requirere videretur. Filius autem hominis sæpiùs quàm filium Dei se consueuit appellare, vt nos de dispensatione humanitatis, quam pro nobis assumsit, admoneat. Vbicunq; autem in veteri testamẽto filius hominis scriptum est, beatus Hieronymus in Hebræo filium Adam haberi testatur. Nam & Adã homo interpretatur. Et pulchrè homines appellat eos, qui de filio hominis tantum loqui nouerant, hoc est, de filij humanitate, quã oculis cernebant, & deitatis illius arcana nescire bant. Homines nanq; erant, id est, humana tantùm de eo sapiebant. Qui verò de filio Dei iam loqui didicerunt, non iam homines, sed dij appellari merentur: quales erãt sancti apostoli, qui iam spiritussancti magisterio edocti, nó solũ filium hominis Christum, verumetiã consubstantialẽ Dei patris filiũ illum esse intelligere meruerunt. Vnde & præmissis variis hominum opinionibus, ilicò apostolos quem se esse dicerẽt scisciatur: per hoc eos à cæterorum hominum generali-

Scribæ & pharisæi inuidebant Christo.

Hieron. in hunc locum.

Iudæorum studium per fusum.

neralitate discernens, atq; singularis priuilegio scientiæ supra humanam demonstrans esse naturam. Quam formam interrogationis etiam doctores Ecclesiæ obseruare oportet. Nam & ipsi perquirere debent à suis subiectis de fama sui nominis, quales apud vulgares & extrinsecùs habeatur, vt secundùm quod de se audierint, proprios mores corrigere, & seipsos modestiùs cunctis studeant conformare. *At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij uerò Ieremiam, aut unum ex prophetis.* Necessarium hic non est causas errorum vulgarium inquirere, cur scilicet Christum alij Eliam, alij Ioannem, alij putauerunt Ieremiã: cùm sic infideles in Elia & in Ieremia errare potuerint, quomodò Herodes in Ioanne er-
Marc. 6. rauit, dicens: Quem ego decollaui Ioannem, ipse surrexit à mortuis, & ideò virtutes operantur in eo. Sicut enim Herodes Christo miracula facientem, Ioannem quem ipse decollauerat, esse arbitratus est: sic nimirùm vulgus indoctum eũdem Christum Eliam, vel Ieremiam esse puta-
4 Reg. 2. uit: quorum alter raptus in cælum legitur, alte-
2. Mach. 15 rius verò mors in scriptura canonica apertè memoratur. Sed quæri potest, quarè Dominus Iesus Christus ab Herode vel à populo Ioannes sit æstimatus, cùm Ioannes nullis miraculorum claruerit signis, Christus autem maxima ac præcipua patrauerit signa. Leprosos nanq; mũdabat, cæcos illuminabat, dæmones ob obsessis corporibus eliminabat, claudis & paraliticis gressum reddebat, mortuos etiam suscitabat: quod Ioannem nunquam fecisse cognouimus. Ad quod dicendum, ideò ab Herode, siue à populo Christum Ioannem æstimari potuisse, qui post resurrectionem à mortuis miracula facere potuerit, quod antè non fecerat: quoniam eandem, quam & nos, de resurrectione mortuorum habebant fidem, credentes videlicet corpora mortuorum post resurrectionem maioris dignitatis & gloriæ futura esse, quàm priùs. Ieremias autem non immeritò Christus opinari potuit, propter ni-
Ierem. 1. miam sanctitatem, qua in populo excellebat: si-cut & Ieremias, qui in vtero matris sanctificatus, suis temporibus clarus emicuit. Elias verò idcir co credi poterat Dominus, quòd illum ante saluatoris aduentum sciebant esse venturum, dicen-
Malach. 4 te Malachia propheta: Ecce ego mittam vobis Eliam Thesbitem, antequàm veniat dies Domini magnus & horribilis, vt conuertat corda patrum in filios, & cor filiorum ad patres eorum. *Dicit eis Iesus: Vos aũt quem me esse dicitis?* Quasi ab hominũ generalitate illos sequestrans: deos ac Dei
Psalm. 81. filios per adoptionẽ factos insinuat, iuxta illud Psalmistæ: Ego dixi, dij estis, & filij excelsi oẽs. Ac si diceret: Illis qui homines sunt diuersa æstimantibus, vos qui dij estis, & per adoptionem iam filij Dei effecti, quem me esse dicitis? At verò Petrus fide ardentior, præ cæteris amore confessionis promptior, ex voce cunctorũ respõdit: *Tu es Christus filius Dei uiui.* Omnibus generaliter apostolis interrogatis, B. Petrus cunctorum in se personas assumens, ex abundãti sensu respondit: Tu es Christus filius Dei viui. Et reuerà ita expediebat, vt ille qui futurus erat vertex Ecclesiæ, ore loqueretur totius Ecclesiæ. Filium autẽ Dei viui dixit, ad distinctionem falsorum deorum, quos erronea gentilitas sibimet ad colendum, vel ex mortuis hominibus instituit, vel ex rebus insensibilibus quos adoraret creauit, de quibus scriptum est: Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Et hac breui sententia omnia, quæ de Christo diffusis sermonum excursibus dici possunt, decentissimè comprehendit, simulq; humanam lasciuiam, quæ secretorum inuestigandorum audax est, coércuit. Quarè enim nos de Christo quomodò ex Dei patris substantia natus sit, cùm gignens sine eo qui genitus est, nunquã fuerit: vel quomodò de matris virginis vtero homo factus exierit, & matrem integram intemeratamque reliquerit: quarè hæc & id generis plura de Christo quæramus, cùm B. Petro tantùm credere sufficerit, quòd ipse esset Christus filius Dei viui? Nam & B. Paulus nil aliud se scire iudicauit, nisi 1. Cor. 2.
Christum Iesum, & hunc crucifixum. Fidei igitur Christianæ finis, in confessione constitutus est Christi filij Dei. Non quidem licet scire quomodò sit genitus, licet tamen credere, quia sit genitus. Sed & hoc intuendum, quia Christus de filio hominis interrogauit, Petrus verò de filio Dei respondit. Oportet enim tanto magis diuinitatem illius venerari à nobis, quanto ipse humiliatus se submisit pro nobis. Iam verò audiendum, quali Christus laudatorẽ confessoremque suum præconio prosequitur. *Beatus es, inquit, Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelabit tibi, sed pater meus qui in cælis est.* Bar Iona Syriacè, Latinè dicitur filius columbæ. Iure autem Beatus Petrus apostolus filius columbæ vocatur, quia prudenti ac pia simplicitate Domino adhærebat. Nam & columba simplicissimum atque innocentissimum animal est, & præcæteris auibus simplicitate gaudet. Quod si altiùs accipere volumus, per columbam, in cuius specie spiritussanctus super Dominum baptizatum apparuit, eiusdem spiritussancti gratia figuratur. Meritò ergo Dominus Petrum filium columbæ nominat, quem spiritualium donorum gratia ipse repleuerat: qua docente interiùs didicerat, quod foris tam idoneè proferebat. Nonnulli simpliciter arbitrantur, quòd idem Petrus patrem habuerit nomine Ioannem, iuxta quod alibi à Domino interrogatur: Simon Ioannis, di-
Ioan. 21. ligis me? voluntque vt pro Bar Ioanna, quod est filius Ioannis, vitio scriptorum Bar Iona scriptum sit, vna syllaba dempta de medio. Interpretatur autem Ioanna gratia Dei. Vtrunque autem nomen ista mysticè valet intelligi, vt Petrus dicatur filius columbæ, id est, spiritussancti: & filius Ioannis, id est, gratiæ Dei, per quem dona spiri-

Petrus uer tex Eccl.

Psalm. 113

Matth. 3.

Petrus cur filius columbæ dictus.

5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

na spiritualia figurantur. Et notandum, quàm conuenientissima facta est laudis retributio. Beatus enim Petrus Dominum filium Dei esse dicebat: Christus eum filium spiritussancti consequenter appellat. Ergo dum beatus Petrus spiritussancti filius dicitur, Dei profectò filius esse
Ioan. 4. confirmatur. Deus enim spiritus est. Sed longè aliter, multumque distinctè Christus Dei filius, aliter beatus Petrus. Quod enim ille habet per naturam, hoc accepit iste per gratiam: & quod illi est semper essentialiter proprium, isti fuit temporaliter dono accidenti collatum. Quòd verò dicit, *Caro & sanguis non reuelauit tibi.* Carnis & sanguinis nomine, carnalem scribarum & phari sæorum traditionem & doctrinam accipere debemus. Caro enim & sanguis rectè intelliguntur homines sapientia carnali inflati, columbinę simplicitatis nescij. Caro autem & sanguis varia in sanctis scripturis significatione ponuntur. Ali
Gen. 2. quando enim caro pro ipsius naturæ substantia ponitur, vt in Genesi: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Nonnunquam
Ioann. 1. carnis appellatione synecdochicos totus homo signatur, sicut de Christo per Ioannem dicitur: Verbum caro factum est. Quod est apertè dicere, Deus homo factus est. Caro etiam & sanguis
1. Cor. 15. pro corruptione poni solet, Apostolo dicente, Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Plerunque etiam carnis & sanguinis nomine, carnalis & spiritualis intellectus subtilitate grossescens doctrina accipitur, Paulo de seipso dicen-
Gal. 1. te: Continuò non acquieui carni & sanguini. Quo sensu in hoc loco accipienda est caro, carnalis videlicet, & quantùm ad Deum stulta carnalium sapientia: quæ quanto se latiùs ad inuestiganda terrena & transitoria diffundit, tanto minùs ad intellectualis & veræ philosophiæ aditum peruenit. Non ergo caro & sanguis illi reuelauit, quia non mundana sapientia quòd Chri
Matth. 11. stus Dei filius esset, accepit, sed Deo patre, qui solus nouit filium, inspirante didicit. Siue etiam caro & sanguis, vt præmissum est, appellatur homines carnaliter de Christo sapientes, & columbinam simplicitatę non habentes, atq; ideò gratia sancti spiritus indigni: quales illi fuere, quorum superiùs de Christo opiniones euangelista
1. Cor. 2. retexit: de qualibus per Apostolum dicitur: Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. *Sed pater meus, qui in cælis est.* Cùm omnia dona spiritualia, quæ à Domino fidelibus tribuuntur, à spiritussancto largiri certissimũ sit, dicente Apo
1. Cor. 12 stolo: Alij datur per spiritum sermo sapientiæ, &cæt. vsque quo dicitur, Diuidens singulis prout vult: quomodò Dominus IESVS Christus à patre dicit reuelatum fuisse B. Petro sacramentum fidei? Sed sciendum, quia sicut vna est substantia patris & filij & spiritussancti, ita est in eis & vna operatio atque voluntas: ac per hoc conuenienter dicitur, quia pater qui in cælis est, reuelauerit Petro mysteriũ fidei, quod caro & sanguis reuelare nequibat. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus.* Ordo verborum est: Quia tu dixisti mihi, Tu es Christus filius Dei viui, & ego dico tibi, non sermone cassо, & nullum habente opus, sed dico tibi veraciter, quia tu es Petrus. Non nunc primùm accepisse Petrum hoc nomen credendum est, sed potiùs tunc, quando in initio dominicæ prædicationis (sicut Ioannes testatur) per Andream ad Dominũ adductus, in magnæ fidei suæ præsagium audiuit ab eo: Tu es Simon filius Ioanna, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus, vt eum hoc nomine modò appellauerit Dominus, dicens: Tu es Petrus. non enim ait, Tu vocaberis Petrus, sed, Tu es Petrus, quod vtiq; dictũ fuerat anteà. Sicut autem Christus dedit apostolis nomen, vt lux vel sal terræ vocarentur: ita huic egregio confessori suo, qui Simon. i. obediens anteà vocabatur, ob robur inuictæ fidei, Petri nomen indidit: quia videlicet illi tenaci mente inhæsit, de quo scriptum est, Petra autem erat Christus. Petra autem non per essentiam, sed per significationem. Quemadmodùm enim leo propter fortitudinem, vel agnus propter innocentiam: sic etiam petra dicitur propter firmitatem, quia sperantibus in se turris est fortitudinis à facie inimici, de quo Psalmista: Dominus, inquit, firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. *Et super hanc petram.* i. super me, quem ore tuo cõfessus es dicens, Tu es Christus filius Dei viui. Ipse est enim lapis ille preciosus, in fundamento Ecclesiæ constitutus, de quo Paulus, Fundamentum, inquit, aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, CHRISTVS IESVS. Siue super hanc petram, hoc est, super hanc fidem, qua me filiũ Dei viui cõfessus es, ædificabo Ecclesiam meam. Super Christum enim ædificat, qui fidem illius illibatè custodit. Super Christum etiam ædificat, qui per dilectionem Dei & proximi, & per obseruantiã mandatorum Dei, ad sortem electorum peruenire festinat. Meam verò addidit, ad distinctionem ecclesiæ hæreticorum, de qua per Psalmistam dicitur: Odiui ecclesiam malignantium, de quibus adhuc subditur: *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Non hoc dixit de conditione temporalis mortis, qua legimus cunctos penè apostolos martyrio consummatos, sed portas inferi, vitia atque peccata vocat. Portæ nanque inferi, mortifera hæreticorum dogmata sunt, quibus imprudentes quosque illiciunt, & ad perpetuæ mortis damnationem pertrahunt. Portæ etiam mortis sunt persecutorum callida blandimenta, siue aspera crudelitatis intentamenta, quibus vel persuadendo, vel terrorem incutiendo, fideles à suæ rectitudinis statu deijcere, & æternæ morti cupiunt obnoxios reddere. Sed & prauorum hominum opera atque inepta colloquia, quæ infidelibus introitum mortis aperiũt, portæ sunt vtique inferi, inquantùm suis auditoribus vel sequacibus iter perditionis ostendunt. Sed ex his vitiorum portis nulla prævalet aduersùs Ecclesiam, quæ supra petram fundata est: quia quicunq; super petram, quæ CHRISTVS est, per fidem & bonam operationẽ firmiter fundatus fuerit, nullis tentationum insidijs à statu rectæ fidei deijci, nullis aduersitatibus ad casum impelli poterit. Qui verò tentationi succumbit, hic non super petram solidã, sed super arenam pendulam fidei domum ædificasse credendus est: quia non amore veritatis, sed alicuius temporalis vtilitatis obtentu, falsò nomen Christi assumpsit. *Et tibi dabo claues regni cælorum.* Claues regni cælorum non debemus puemi cælorũ. riliter opinari cuiuscunq; esse materiæ, vtputa argenti vel auri: sed per claues ipsa discernendi sententia potentiaq; designatur, qua dignos sciret in regnum recipere, impios verò à beatudine illius felicitatis excludere. Quæ claues idcircò B. Petro apostolo, qui potiori confessione præ cæteris regem cælorum confessus est, specialiter sunt collatæ, vt constaret, quia absq; ea confessione & fide, qua ipse Christum declarauit, regnum cælorum nullus posset intrare. *Et quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Hæc soluendi atq; ligandi potestas, quanuis soli Petro à Domino collata esse videatur, omnibus quoq; generaliter apostolis sub eius persona collata est. Nam & post suæ resurrectionis no
Ioan. 20. bilem triumphum apparens illis omnibus, apertè dixit: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Nã sicut interrogatis generaliter omnibus, Petrus respondit pro omnibus: ita & quod Dominus Petro respondit, in Petro omnibus respondit. Quinetiam omnibus episcopis ac presbyteris in Ecclesia idem officium committitur, vt videlicet agnitis peccantium causis, iuxta modũ culparum vel pœnitentiæ, ligandi atq; soluendi exerceant potestatem: ita duntaxat, vt quod etiam hoc tempore in nonnullis sacerdotibus inuenitur, nec eos qui insontes vel innoxij sunt damnent, nec illos qui damnationem merentur, securos tanquàm de solutione præsumant reddere. Sunt enim quidam, qui dum minùs cautè extraordinariè hac volunt vti potestate, seipsos priuant concesso munere, dum videlicet pũtant se posse ligare eos, qui in diuino conspectu soluti sunt, atq; eos soluere, qui apud iudicium Dei proprio reatu ligati tenentur. Magna ergo vigilantia, magnoq; studio sanctis Ecclesiæ pastoribus hæc iudiciaria se veritas æquè libranda est, & illud semper suspectè cogitandum, quod de
Ezech. 13 peruersè iudicantibus per prophetam Dominus dicit: Mortificabant animas quæ non moriũtur, & viuificabant animas quæ non viuunt. Perspecta igitur causa peccati, quos viderint digna cõpunctione errata deflere, hos à vinculis æternæ mortis pronuntient absolutos: quos verò prohauerint segnes esse in pœnitentia agenda, nec solùm peccata non plangere, verùm in ipsis velle permanere, illos debent damnationis perpetuæ supplicijs adiudicare, vt sic apertæ damnationis exprompta districtione, salubria pœnitentiæ & humilitatis decreta cogantur subire. Deniq; B. Petrus, vt dictum est, qui Christum vera fide confessus, & inuicto est amore secutus, specialiter & claues regni cælorum, & arcem iudiciariæ potestatis accepit: vt omnes in Christo credentes intelligant, quia quicunq; ab vnitate fidei vel societatis illius quolibetmodo se segregant, tales nec vinculis peccatorum absolui, nec regni cælestis ianuam ingredi possunt. Cuius quia festiuitatem annuo recursu venerabilem, vtpotè principis apostolorum, celebri frequentamus officiorũ obsequio, eius inquantùm possumus exempla imitari satagamus, vbiq; suffragia poscere: vt quia ipsi sancta Ecclesia est specialiter commissa, nos qui eius membra vltima sumus, sedulis patrocinijs adiuuare, & in regni cælorum gloriam piè interueniendo dignetur inducere, præstãte Domino Iesu Christo, cui laus & gloria est cum patre Deo in vnitate spiritussancti, per cuncta semper secula, Amen.

IN EODEM FESTO. HOMILIA EVSEBII Emeleni.

Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi &c. Matth. 16.

INterrogat discipulos suos, quam opinionem de eo homines habeant, & quẽ eum esse putẽt: nõ q̃ diuersas vulgi sententias ignoret, sed vt eos veritatẽ instruat & doceat. *At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam, aut unum ex prophetis.* Iam enim Ioannes defunctus
Luc. 3. erat: qui quum adhuc viueret, omnes æstimabant, ne fortè ipse esset Christus. Herodes autẽ audiens famam Iesu, dixit pueris suis: Hic est
Matth. 14 Ioannes Baptista, & ipse surrexit à mortuis. Stultissimus populus, qui nunc Ioannem Christum, *Stultitia* nunc Christum Ioannem esse putabat. Stultissi- *iudæorum* mus (inquam) qui dum videt prophetas, eos persequitur & vituperat: post mortem verò eos veneratur, & monumenta eis ædificat, neq; tales vlteriùs nasci posse arbitrãtur, quales illi fuerant quos ipsi occiderant. Vnde videntes Ioannem, non Ioannem, sed Christum, vel Eliam, vel aliquem alium præcedentium propheturum eum esse putabant. Similiter autem Christum videntes, Christum non esse credebant. Sciebant enim eum esse venturum: sed quia non videbãt, credere non poterant. Quid enim? si Eliam vel

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ieremiam isti vidissent,non vtique eis credidissent. Viderunt enim eos patres eorum, eis tamẽ credere noluerunt. *Dicit illis Iesus: Vos autem quem me esse dicitis?* Hæc est (inquit) sententia populi, sic de me loquuntur qui me non cognoscunt, non me dicunt esse quod sum , dicunt me esse quod non sum: priùs Ioannem Christum esse dicebant,nunc me Ioannem esse dicunt: iam neq; me,neq; Ioannem putant esse Christum:vos autem quem me esse dicitis?nunquid & vos eandẽ opinionem habetis? *Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus filius Dei uiui.* Decuerat enim hoc Petrum respondisse,quatenùs ipse esset princeps fidei Christianorum, qui erat princeps Apostolorum.Sed videamus quid interrogauerit Christus,videamus quid responderit Petrus. Dicit enim Christus: Quem dicunt homines esse filiũ hominis?Dicit Petrus:Tu es Christus filius Dei viui.Ille de homine interrogat,iste filium hominis esse Dei filium dicit. Ille igitur qui est filius Dei viui,idem ipse est & filius hominis.Vnde& beata virgo Maria Theotocos vocatur , id est, Deum & hominem pariens. Quod quia Nestorius confiteri noluit,ab Ecclesia expulsus est & condemnatus. *Respondens autem Iesus,dixit ei: Beatus es Simon Bariona,quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cælis.* Beatus es (inquit) Simon Bariona.Simon, filius columbæ. Bariona enim filius columbæ interpretatur. Sed quare columbæ ? Sanctum Spiritum super Christum Dominum nostrum in specie columbæ apparuisse narrat Euangelista.Huius igitur columbæ filius est , qui tam sanum atque spiritualem sensum habet.Vt enim Dominus ait: Quod natum est ex carne,caro est,& quod natum est ex spiritu,spiritus est.Vnde & subditur:*Quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cælis.* Non est hæc sententia carnalis,non est hæc fides carnis & sanguinis,non parentes tui vel caro tua ista te docuerũt, sed pater meus qui est in cælis. Sic enim & Apostolus dicit: Quia non acquieuit carni & sanguini , sed venit Hierosolymam videre Petrum:*Et ego dico tibi , quia tu es Petrus , & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Tu dicis, & verum dicis , quia ego sum CHRISTVS filius Dei viui:& ego dico tibi, quia tu es Petrus,fide fortis & doctrina stabilis. Nisi enim in hoc nomine fortitudinem & stabilitatẽ Christus intellexisset, quarè ea quæ sequuntur protinùs addidisset,dicens,*Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam:* Si Petrum non intelligis, petram respice : Petra autem erat Christus. Sic igitur à petra Petrus , sic à Christo Christianus. Videamus itaque quid sit, Et super hanc Petrã ædificabo Ecclesiam meam.Super hanc petram, quam tu modò in fidei fundamentum posuisti: super hanc fidem , quam tu modò docuisti,dicens,Tu es Christus filius Dei viui : super hanc petram & super hanc fidem ædificabo Ecclesiã meam.Huic enim sententiæ Apostolus concordans,ait : Fundamentum enim aliud nemo potest ponere,præter id quod positum est , quod est Christus Iesus.Ac si dicat:Non est aliud fundamentum,nisi illa petra,quam Petrus posuit in fundamentum,quum diceret:Tu es Christus filius Dei viui.Super hanc petram ædificatur Ecclesia Dei.*Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.* Qui enim ceciderit super hunc lapidem,cõfringetur: super quem verò ceciderit lapis iste, conteret eum. Tanto enim impetu,tantaque fortitudine hæc petra fertur,vt muros conterat,portas comminuat , & nulla virtus vel fortitudo ei resistere valeat. Sed si vis & aliter intelligere portas inferi,cognosce priùs portas.Portæ nanque cæli,Apostoli sunt, Episcopi & sacerdotes, & alij quorum doctrina & exemplis cæli palatium animæ ingrediuntur. Sunt igitur econtrà portæ inferi,Iudæi & hæretici, omnesque seductores,& fidei catholicæ corruptores.Per hos enim infidelium animæ in infernum intrant, & in tenebras demerguntur. Et isti quidem contra hanc peccare,& aduersùs Ecclesiam , quæ super eam ædificata est,prævalere non poterunt.*Et tibi dabo claues regni cælorum.* Hoc enim quod principaliter Petro dicitur , cæteris quoq; Apostolis dictum esse intelligi debet:& non tantùm Apostolis , verumetiam episcopis & sacerdotibus. Istis enim claues & potestas à Domino data est, vt non solùm Ecclesiam,sed cælos alijs aperiant. *Et quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunq; solueris super terram,erit solutum & in cælis.* Hoc episcopi audiant:de munere gaudeant,de potestate non superbiant. Si enim sic ligauerint vt Petrus , si ita soluerint vt Petrus, quicquid ligauerint ligatum erit , & quicquid soluerint,solutum erit.Imitentur igitur illum in discretione & iustitia, quem imitari volunt in ligandi atque soluendi potestate. Si enim aliter egerint,non erit ratum quod egerint.Ideò enim hæc soli Petro dicta sunt , quia nemo fidelior, nemo iustior,nemo discretior, & nemo melior erat,cui hæc dici potuissent. Ideò enim soli illi dicta sunt,vt omnes alij se in illo quasi in speculo videant,sic viuendo , sic agendo, sic ligando, sic soluendo,& à pace & concordia non recedẽdo. Veruntamen sicut prælati , si iniustè ligant,ligandi potestate seipsos priuant:ita & subiecti,etiamsi iniustè ligati sunt, si tamen se ligatos esse paruipendant, ipsa sua superbia seipsos arctiùs ligant. Desiderent igitur solui etiam illi qui sic ligantur, spondeant satisfactionem: quam si prælatus recipere noluerit, tunc sciant se esse solutos.

In prima Synodo Ephesina.

Matth. 3.

Ioan. 3.

Gal. 1.

1. Cor. 10.

1. Cor. 3.

Matth. 16.

Portæ inferi.

Iusta prælatorum.

Temeraria.

IN COM-

IN COMMEMORATIONE SANCTI PAVLI, SERMO beati Ioannis Chrysostomi.

Est Hom. 3. de Laudibus S. Pauli.

BEatus Paulus,qui tantam vim humanæ alacritatis ostendit, vt ad cælum quoque ipsum valeat subuolare, prætermittens angelos & archangelos,aliasq; virtutes, aliquando quidem suo exemplo Christi nos fieri imitatores iubet,dicendo:Imitatores mei estote,sicut & ego Christi.Aliquando verò de se reticens,ad ipsius nos Dei imitationem extendit,dicens: Estote ergo imitatores Dei sicut filij charissimi.Iam verò demonstrãs, quia nihil ita hanc imitationem pariat, quàm si ita viuat aliquis,vt bonum eius in cõmuni proficiat,atq; vniuersis vtiliora prouideat,adiũxit: Ambulate in charitate.Ideò cùm dixisset,Imitatores mei estote , continuò de charitate disseruit,quia hæc præcipuè virtus homines Deo ꝓximos facit.Quantæ enim cunq; sint aliæ virtutes inferiorem locum tenentes,cunctæ erga hominum studia versantur:vt est contra concupiscentiam pugna,vt quod aduersus gulam geritur bellum,vt in auaritiæ interitum acies ordinata , vt cum iracundiæ furore conflictus. Diligere verò, nobis Deoq; commune est. propterea & Deus imperabat:Orate pro persequentibus & calumniantibus vos,vt sitis filij patris vestri,qui in cælis est.Hoc ergo & Paulus cunctorũ intelligens caput bonorum , omni in se studio exprimere curauit.Nemo enim ita dilexit inimicos, nemo insidiatoribus suis ita beneficus fuit,nullus pro afflictoribus suis tanta perpessus est. Non enim illa quæ patiebatur,sed naturæ copulam cogitabat:quantoq; ampliùs efferebantur inimici,tanto magis eorum miserabatur insaniam.Vt enim aliquis indulgentissimus pater afficitur erga filium phreneti comprehensum , cuius quantò magis conuicijs ictibusq;pulsatur,tantò eum potiùs miseratur ac deflet : ita Paulus qui de ipsa magnitudine passionum,eorum à quibus affligebatur,æstimaret furorem , maiora illis adhibebat fomenta pietatis.Audi igitur quàm compatienter, quanq; mansuetè nobis pro illis loquatur,qui cum quinquies verberauerant, qui catenis onerauerant,qui vinculis sæpè constrinxerant,qui ipsum eius sitiebant cruorem, quiq; illum quotidiè discerpere cupiebant.Testimonium,inquit,illis ego perhibeo,quòd æmulationem Dei habent,sed nõ secundùm scientiam. Rursùs eos,qui se supra illos superbiùs efferebant,refrenans:Noli,ait,altum sapere,sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Quia enim cognouerat dominicã ia in illos processisse sententiã, quod vnum & solum in sua erat potestate , præstabat: sæpè lachrymabatur, vehementer pro illis dolebat,volentes eis insultare prohibebat, atq; inquantùm poterat, laborabat vmbram eis aliquã excusationis obtendere.Et quia propter contumaciam eorum atq;duritiã,persuadere illis fidẽ sermone nõ poterat,ad orationes cõuertebatur assiduas. Fratres, inquit,voluntasquidẽ cordis mei & obsecratio ad Deum fit pro illis in salutẽ. Spe quoq; illos meliore solicitat, dicens : Sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei,vtnõ pertinaci vsq; ad finem desperatione moriãtur. Quæ vtiq; omnia sunt amantis , & valdè eorum vtilitatibus prouidentis , vt cùm dicit : Veniet ex Sion,qui eripiat & auertat impietatem Iacob. Mordebatur nanq; vehementer, ac penitùs dissecabatur,cùm eos pereuntes videret: propter quod & multa solatia adhibebat dolori,aliquãdo quidem dicens:Veniet ex Sion,qui eripiat& auertat impietatem Iacob:aliquando verò , Et isti non crediderunt in illorum misericordiam, vt & ipsi misericordiam consequantur.Putas autem,quia erga solos Iudæos talis extiterit, ad alios verò vel domesticos vel extraneos non se multo etiam præbuerit mitiorem ? Audi ergo quid ad Timotheum sit locutus : Seruum,inquit, Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes,docibilem,patientem , cum modestia corripientem eos qui resistunt , nequando det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem , & resipiscant à diaboli laqueis,à quo capti tenẽtur ad ipsius voluntatem. Vis autem probare , quàm modestè etiam cum illis loquatur,qui in peccata corruerunt ? audi quid Corinthijs dixerit : Timeo,inquit, ne cùm venero,humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex his,qui antè peccauerunt,& non egerunt pœnitentiam super immunditia & fornicatione & impudicitia quam gesserunt.Et ad Galatas : Filioli mei,quos iterùm parturio,donec formetur CHRISTVS in vobis. Et in causa eius,qui fuerat fornicatus, non minùs eo ipso,qui pro peccato suo lamentabatur, dolet,proq; illo alios deprecatur,dicens : Confirmate in illo charitatem.Sed & quando ab Ecclesiæ illũ corpore separabat,cũ multis hoc lachrymis gemituque faciebat.Ex multa,inquit, tribulatione & angustia cordis scripsi vobis per multas lachrymas,non vt contristemini,sed vt sciatis quam charitatem habeam abundantiùs in vobis.Et rursùs:Factus sum Iudæis sicut Iudæus, his qui sub lege erant,quasi sub lege essem,factus sum infirmis infirmus,omnibus omnia factus sum,vt omnes facerẽ saluos. Vidistine quæso animã omnia terrena superantem? Omnem enim prorsùs hominem Deo exhibere cupiebat, & omnes quantùm ad ipsum spectabat , exhibuit. Quasi enim vniuersum mundum ipse genuisset,sic perturbabatur,sic currebat,sic omnes

Eph. 5.

Luc. 6.

Charitas, bonorum caput.

Rom. 10.

Rom. 11.

2. Tim. 1.

2. Cor. 12.

Gal. 4.

2. Cor. 2.

Ibid.

1. Cor. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in regnum Dei festinabat inducere, docendo, tu orando pro ipsis, tum ipsis etiam supplicando, & terrendo, & dæmones animarum corruptores fugando: aliquando epistolis, aliquando præsentia, nunc sermone, nunc rebus, per discipulos, per semetipsum erigere labentes, stantes verò firmare, humi iacentes attollere, sanare contritos, torpentes oleo exhortationis animare, inimicis insonare terribile, hostes minaciter intueri, more optimi cuiusdam ducis & medici, artis suæ instrumenta gestantis. Cùm verò celsus in omnium consisteret arce virtutum, omnem tamen flammam præcipuo charitatis ardore vincebat. Vt enim missum in ignem ferrum, totũ profectò ignis efficitur: sic Paulus charitate succensus, totus factus est charitas: qui quasi communis totius mundi esset pater, ita in amore hominum ipsos eorum imitabatur parentes, immò cunctos non carnales modò, verumetiam spirituales patres solicitudine ac pietate superabat, & pecunias, & verba, & corpus, & animam pro his quos diligebat impendens. Propter hoc itaque charitatem, etiam plenitudinem legis vocabat, & vinculum perfectionis, & omnium bonorum matrem, & initium finemq; virtutum, propterea dicebat: Finis aũt præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide nõ ficta. Et rursùs: Non adulterabis, non occides, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Quia igitur & initium & finis & bona omnino vniuersa dilectio est, vel in ipsã Paulum studeamus imitari, etenim hic illius ope talis effectus est. Non enim mihi proponas mortuos, quos sæpiùs suscitauit, neque leprosos quos eadem virtute mundauit: nihil à te horum requirit Deus. Posside charitatem Pauli, & perfectam adipisceris coronam. Cuius verò ista sententia est? Ipsius nutritoris vtique charitatis, qui eam & mirabilibus & signis & alijs bonis mille præposuit. Quia enim ipse eam abundè ac vehementer impleuerat, idcircò etiam acriùs atq; examinatiùs vim eius intelligit. Per ipsam enim ille ad tam celsum perfectionis cacumen ascendit: nihilq; eum ita dignum Deo, vt virtus præstitit charitatis. & ideò dicebat: Imitamini dona meliora, & adhuc excelsiorem vobis viam demonstro, charitatem profectò optimam viam, planissimamq; pronuncians. In hac etiam nos ingiter ambulemus, vt & Paulum, immò Dominum Pauli videre mereamur, & incorruptibiles consequamur coronas, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi, cui gloria & imperium in secula seculorum, AMEN.

Rom. 13. Col. 3.

1. Tim. 1. Rom. 13.

Bona omnia, charitas.

2. Cor. 12

IN EODEM FESTO, Matth. XIX.

In illo tempore: Dixit Simon Petrus ad Iesum: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. quid ergo erit nobis? Et reliqua. Homilia beati Ioannis episcopi.

Ex Bed. 53. operis imperfecti in Matth.

VOniam possibile fuit Deo saluare Iudaicum populum, multas in lege diuitias possidentem, credentium Iudæorum multitudo testatur, siue per ipsum Christum, siue per apostolos eius: vt bonitatis illius inuestigabile pelagus humana æstimatio non apprehendat, sed victa miretur: tamen quia dixit Dominus, Apud homines hoc impossibile est, quantũ ad humanam naturam, apud Deum autem possibile, eccè subitò excitatur Petrus, vnus ex populo illo diuite & difficili, & ex persona credentiũ Iudæorum clamat, quasi testis potentiæ Dei factus, & confirmans Christi promissionem, & dicit: *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Quoniam autem & ipse Petrus, & omnes apostoli, cæteriq; credentium Iudæorum, contra possibilitatem humanam per Dei potentiam crediderunt in Christum, ipse testatur dicens ad Petrum: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est. Sermo iste conuenit ad omnes, vt singulis quibusque dicatur, quoniam beatus es tu, quia non caro & sanguis reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est. *Iesus autem dixit eis: Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël.* Futurum autem erat, vt in die iudicij responderent Iudæi: Domine, non te cognouimus filium Dei in corpore constitutam. Quis enim hominum videre poterat thesaurum in terra absconditum, solem nube celatum? Quis suspicabatur stellam matutinam nasci super terram? Quis putabat mulierem, quæ clausit paradisum, vt nemo in eum intraret, vt ipsa fieret prima porta paradisi, vt per illam lux procederet, per quam tenebræ intrauerunt? Ergo in iniuriam tuam nos non impulit contumacia cordis, sed decepit consideratio carnis. Vos respondebitis eis: Et nos homines fuimus sicut & vos, similem habẽtes animã, eandemq; carnis naturã. In vno viximus mũdo, eisdẽ factionibus mundialium spirituum perichitantes, ipsis protectionibus Dei adiuti. In hoc autem vos meliores fuistis nobis, quoniam nos fuimus homines piscatores, rustici & obscuri in plebe: vos autẽ sacerdotes & scribæ & principes populi. Nos illũ cognoscere potuimus, homines piscatores & rustici, & vos eũ cognoscere non potuistis sacerdotes & scribæ, qui habebatis præ oculis vestris scripturas, quasi lampades scientiæ? Nos antequã mirabilia eius videremus, intellexim⁹ eum: vos autem vel post testimonia tantarum virtutum intelligere non poteratis? Quomodò potuit fieri, vt penè tota gens ignoraret, quem duodecim cognouerunt? Esto, quia non credidistis ei, nescientes eum filium Dei: qua causa interficistis eum, nullam culpam inuenientes in eo? Sed in nobis bona voluntas facta est quasi lucerna

Matth. 19

Maria porta paradisi.

cerna rusticitatis nostræ: in vobis autem malitia facta est quasi caligo scientiæ vestræ. Adhuc autem audeo & subtiliorem introducere sensum, magis alterius cuiusdam viri sapientis referre. Exponit enim, quoniam sicut Iudæorum populus in duodecim tribus fuit diuisus, sic & vniuersus populus Christianus diuisus est in duodecim tribus, secundùm quasdam proprietates animarum & diuersitates cordium, quas solus Deus cognoscere & discernere potest. Vt quædam animæ sunt, quasi de tribu Ruben, quædam autẽ de tribu Simeon, vel Leui, vel Iuda. Puto enim sicut omnes sancti quinque virgines prudentes esse dicuntur, quanuis sint innumerabiles, propter quinque sensus spirituales: & omnes peccatores quinque virgines fatuæ, quanuis sint innumerabiles, propter quinque sensus carnales. Et sicut omnes Ecclesiæ Christi, septem dicuntur Ecclesiæ, quanuis multæ sint, propter septem spiritus. omnes enim sancti, in quibus præ cæteris virtutibus abundantior est sapientiæ virtus, vna habetur Ecclesia. Item in quibus præcæteris virtutibus abundantior est intellectus, altera dicuntur Ecclesia: & sic per singulos spiritus tractans, inuenies Ecclesias septem: similiter & propter gratias duodecim, quas in personis duodecim virginum exponit angelus in Pastore, si cui tamen placet illa scriptura, omnium Christianorum inueniuntur duodecim tribus esse. Vtpotè omnes animæ, in quibus præcellit virtus veritatis, vna est tribus. Nec enim omnes gratiæ in omnibus æqualiter sunt, sed vnus quidem amplius præcellit in ista, alius autem in illa. Omnes autem Christiani, in quibus habitat Christus, sedes sunt Christi. Quod ergo ait: *In regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, & vos sedebitis super duodecim thronos:* promittit eis tempus Christianitatis futurũ post ascensionem suam, quando omnes suscipient verbum Apostolorum in se, sicut verbum Christi. Illud enim est tempus regenerationis, quando homines regenerati per baptismum, facti sunt ex filijs hominum filij Dei. Illud est tempus, quando sedet CHRISTVS in sede maiestatis suæ, sicut testatur Propheta de gentium fide futura: Regnabit Deus super gentes, Deus super sedem sanctam suam. Quicunque enim Christum in se suscipiunt credendo, sedes sunt maiestatis eius. Et vide quia non de tempore futuri iudicij dicit, sed de vocatione gentium vniuersarum. Nec enim dixit, Cùm venerit filius hominis sedens super sedem maiestatis suæ, sed ita: Cùm sederit in sede maiestatis suæ. In sede autem maiestatis suæ ex eo cœpit sedere, ex quo gentes credere cœperunt in eum. Ex quo ergo Christus sedit super sedem maiestatis suæ, ex eo & Apostoli sederunt super duodecim thronos, id est, in omnibus Christianis secundùm diuersitates animarum, quas supra tetigimus. Omnis Christianus, qui suscipit verbum Petri, thronus sit Petri, & Petrus sedet in eo. Sic & omnium Apostolorum throni sunt, qui omniũ apostolorum doctrinam susceperunt, & tenent in se. Hanc interpretationem de diuersis tribubus populi Christiani, & de sessuris Apostolis in sedibus, commendat propheta, dicens: Hierusalem quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum. Illuc enim ascenderunt tribus tribus Domini, testimonium Israël: quia illic sederunt sedes in iudicio. Si ergo Hierusalem, quæ ædificatur vt ciuitas, Ecclesia est, sine dubio & qui illuc ascenderũt, tribus, Christianorũ sunt tribus, & sedes quæ sederunt illic, Apostoli sunt. Apostoli enim sunt sedes Dei. Nec modica gloria est apostolorum, vt sermones eorũ sedeant in hominibus fidelibus, sicut Christi sermones, & in sermonibus eorum vita hominum consistat, sicut in sermonibus Christi. Sic ergo sedentes apostoli in thronis Christianis, in duodecim distincti, secundùm differentias animarum, iudicant duodecim tribus Israël, id est, omnes Iudæos. Quando enim per verbum Apostolorum iudicant Iudæos, ipsi apostoli iudicare eos videntur. Sed videndum, si omnes Christiani & apostolorum sunt sedes & Christi, quare omnes Christiani in persona quidem Christi quasi vna sedes dicuntur. Nec enim dixit, Cùm sederit filius hominis super sedes suas, sed, super sedem suam. In persona autem Apostolorum, duodecim throni esse dicuntur omnis populus Christianus. Vide si habet rationem ista solutio: quoniam omnes apostoli omnia quidẽ bona habuerunt, non autem omnia ad perfectum, sed vnusquisq; eorum in aliquo bono priuato magis perfectus fuit quàm alter, vtpotè Petrus in fide fortior quàm cæteri, Ioannes innocentia simplicior quàm cæteri: Et sicut solus discernere potest Christus, qui animarum differẽtias nouit. Ita Petrus requiescit in fide, Ioannes in innocẽtia, & vniuscuiusq; apostoli illa virtus est thronus, in qua perfectior cæteris fuit. Christi autem omnes virtutes quasi vna est sedes, quia in omni virtute æqualiter ille solus perfectus est. Nam quoniam de retributione in hoc mundo Apostolis danda loquitur Christus, illud est testimonium quod sequitur, hoc modo dicens: *Et omnis qui reliquerit hoc & hoc, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit:* id est, non solũ vos, sed & omnes qui secuti me fuerint sicut vos. Si autem omnes in hoc seculo centuplũ recipiunt, sine dubio & apostolorum etiam in hoc seculo merces futura promittebatur. Ait ergo Dominus: *Et omnis qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Quoniam Petro interrogante ex persona apostolorum cæterorumque

Matth. 25

Psal. 121.

Matth. 25

Apoc. 1. Esa. 11.

Esa. 46.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rumque fidelium Iudæorum, quasi priore omniũ, Christus ita promisit, nó soli Petro, sed apostolis omnibus, ne fortè postmodũ legentes homines, hæc Christi promissa, æstiment Apostolis tantùm aut solis Iudæis esse promissa, vtiliter addidit, dicens: Et omnis qui reliquerit, id est, siue Iudæus, siue gentilis. Et in alijs quidem Euangelistis secundùm alium exposuimus iatellectum: hîc autem, secundùm quod adolescentem illum, qui de vita æterna magistrum requisiuit, proposuimus in mysterio Iudaici populi esse, & ipsum Petrum interrogantem, in mysterio credentium Iudæorum, interpretatio conuenit talis, vt de gentibus relinquentibus omnia quæ gentilia sunt, & ad Christi fidem confugientibus, omnia ista tradamus: id est, non solũ omnis Iudæus, sed etiam gentilis, qui reliquerit patrem suum diabolum, & matrem suam ignorantiam, per quam assiduè diabolus ex semine interfecti, id est, interdicti erroris generat filios: aut fratres, aut sorores, videlicet eiusdem erroris socios sociasque: aut si crediderit ille qui fuit sacerdos, relinquens idololatriam ipsam cõfugem suam, per quam quotidiè filios generabat & filias, & ipsos pariter cum matre eorũ relinquẽs: aut si alicuius professionis magister, relinquens ipsam professionem quasi agrum fertilem, credat in Christum: aut dignitatem secularem, quasi domum optimè se obumbrantem, despiciat propter fidem. Sed secundùm traditionem simplicem conuenit intellectus, vt cùm quis intellexerit quocunque modo filium Dei esse Christum, non propter affectus parentum suorum, aut fratrum, aut filiorum, aut facultatũ relinquat Christũ, manens in perfidia sua priore, sed propter fidem Christi despiciat omnia illa, & sequatur vestigia Christi. Sed hoc videamus, qui reliquerit omnia, centuplum in hoc seculo quomodò recipere potest? Hæc autem difficultas cõtingit, quia in hoc seculo recepturos dicit alter euangelista: alioquin in illo seculo difficile non est. Ergo secundùm sanam doctrinam ita nos conuenit intelligere quod dicit, Cẽtuplum recipiet, non vt ipsam rem quam dimittit, centuplum recipiat: nec enim possibile est, vt qui patrem aut matrem reliquit, centum patres aut matres recipiat: sed ita, tantam gloriam, tantam gratiam, tantam beatitudinem cõsequatur, vt centuplum valeat illi, quàm res fuit quam dimisit. Ecce reliquit patrem, & elegit sibi patrẽ Deum. Nónne plùs centuplum constabit ei, quã pater carnalis, vt illi obsequatur diebus ac noctibus, illius faciat voluntatem, illius hæreditatem expectet, qui postquã substantiã tradidit suis, nunquã moritur, nec relinquit orphanos filios suos? sed & filij quasi perfecti viri possidẽt diuitias eius, & pater semper illos sic tuetur, sic ꝓtegit, quasi semper infãtes. Qui matrẽ reliquit, vt diligat matrẽ Ecclesiã, nónne plꝰ est ei centuplũ, q̃ mater carnalis? illa enĩ carnẽ eius peperit corporalem, hæc autem animam eius regenerauit æternam. Qualis caro, talis & mater carnalis. Cùm enim mortua fuerit caro, perit generatio carnis, & soluitur generationis affectus. Ex illo enim nec ille illi filius, nec illa illi mater: quia anima nec generat nec generatur, & nullum cognoscit patrem, nisi eum cuius voluntate creata est: nullam cognoscit matrem, nisi Ecclesiam, quæ illam regenerauit in fide, quæ dedit ei mã data diuina ex duobus testamentis, quasi escam salutarem dulcissimi lactis ex duabus mamillis, quæ illi de aqua & spiritu texuit tunicam immortalem, quæ ad perfectum sanctitatis adduxit, vt digna fieret patris sui substantiam possidere. Qui reliquerit fratrem vt habeat CHRISTVM fratrem, nónne melius est ei, quàm centum fratres? Qui fratribus suis non inuidet, qui super hæreditate non certat, qui propter lucrum non rumpit fraternitatis affectum, qui non solùm omnia sua, sed etiam seipsum dare paratus est, qui cùm omnia dederit, nihil ei minuitur. Nam humana substantia semper pauper est, & quantumuis homo habuerit, nihil se putas habere. Illa autem substantia sola est, quæ omnium desiderium satiat, & adhuc superabũdat. Qui relinquit sorores, statim eum recipiũt gratiæ Dei quasi charissimæ sorores. Non enim vlla soror sic dulciter complectitur fratrem suum, quomodò gratiæ Dei complectuntur animam sanctam. Nam quoties gratiæ Dei in sensibus nostris hærent, & delectant nos, toties animas nostras complecti & osculari videntur. Si filios dimiserit, prouidet ei Deꝰ filios spirituales, quos doceat, quos erudiat, quibus dicat apostolica voce: Nam in Christo Iesu per euangelium ego vos genui: qui patris mortem non expectent. Nam filij carnales, si modicum fuerit pater eorum senex, tædiantur de vita ipsius, desiderant eum mori: & si citò mortuus non fuerit, contẽnunt eum quasi delirum. Filij autem spirituales, quanto perfectiores fuerint in fide, tanto ampliùs diligunt suum doctorem. Si dimittit substantiam, ab omnibus diligitur, ab omnibus honoratur, à quibusdam autem & timetur. Nam ipse Deus, cui se tradit, dat ei gratiam coram hominibus. Nónne meliùs est ei hoc, quàm vniuersa terra? Aut quæ substantia tantam gloriam præstat homini super terram, quantam opinio sanctitatis? Adhuc pro terrena substantia datur illi substantia spiritualis, quam iunior filius & lasciuus accepit à patre suo, & consumpsit viuẽdo luxuriosè, id est, sapientiam, scientiam, cæterasque virtutes innumerabiles, quas consequuntur, qui relictis facultatibus mundialibus se Deo tradiderint.

Marc. 10.

IN EODEM FESTO.

Sermo beati Maximi episcopi.

Cùm

Est Homil. 5. de hoc festo.

CVM omnes beatissimi apostoli parem gratiam apud Dominum sanctitatis obtineãt, nescio quo tamen pacto Petrus & Paulus videtur, præ cæteris peculiari quadam in saluatore fidei virtute præcellere. Quod quidem ex ipsius Domini iudicio possumus approbare. Nam Petro, sicut bono dispensatori, clauem regni cælestis dedit: Paulo, tãquàm idoneo doctori, magisterium ecclesiasticæ institutionis iniunxit: scilicet, vt quos iste erudierit ad salutem, ille suscipiat ad quietem: vt quorum corda Paulus patefecit doctrina verborum, eorum animabus Petrus aperiat regna cælorum. Clauem enim quodammodò à Christo scientiæ & Paulus accepit. Clauis enim dicenda est, qua ad fidem peccatorum dura corda reserantur, mentium secreta panduntur, & quicqd intrinsecùs clausum tenetur, in palàm rationabili manifestatione producitur. Clauis, inquam, quæ & conscientiam ad confessionem peccati aperit, & gratiam ad æternitatem mysterij salutaris includit. Ambo igitur clauces à Domino perceperunt, iste scilicet scientiæ, & ille potentiæ. Diuitias immortalitatis ille dispensat, scientiæ thesauros iste largitur. Sunt enim scientiæ thesauri, sicut scriptum est: In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi. Ergo beati Petrus & Paulus eminent inter vniuersos apostolos, & peculiari quadam prærogatiua præcellunt. Verùm inter ipsos, quis cui præponatur, incertum est. Puto enim illos æquales esse meritis, qui æquales sunt passione, & simili eos fidei deuotione vixisse, quos simul videmus ad martyrij gloriam peruenisse. Non enim sine causa factum putemus, quòd vna die, vno in loco, vnius tyranni tolerauere sententiam. Vna die passi sunt, vt ad Christum pariter peruenirent. Vno in loco, ne alteri Roma deesset. Sub vno persecutore, vt æqualis crudelitas vtrunq; constringeret. Dies ergo, puto, pro merito, locus, p gloria, persecutor decretus est, p virtute. Et in quo tandem loco martyrium portulerunt? In vrbe Roma, quæ principatum & caput obtinet nationum, scilicet vt vbi caput superstitionis erat, ibi caput quiesceret sanctitatis: & vbi gentilium principes habitabant, illic ecclesiarum principes morerentur. Cuius autem meriti sint beatissimi Petrus & Paulus, hinc possumꝰ intelligere, quòd cùm Dominus orientis regionem proprio illustrauerit passióe, occidẽtis plagã, ne quid minùs esset, vice sui apostolorum sanguine illuminare dignatus est. Et licet illius passio nobis sufficiat ad salutem, tamen etiam horum martyrium nobis contulit ad exemplum. Hodierna igitur die beati apostoli sanguinem profuderunt. Sed videamus causam, quarè ista perpessi sunt, scilicet quòd inter cætera mirabilia etiam magum illũ Simonem in orationibus suis de aëris vacuo præcipiti ruina prostrauerunt. Cùm enim idem Simon se Christum diceret, & tanquàm filium ad patrem assereret volando se posse conscendere, atq; elatus subitò magicis artibus volare cœpisset, tunc Petrus fixis genibus precatus est Dominum, & precatione sancta vicit magicam leuitatem. Prior enim ad Dominum ascendit oratio, quàm volatus: & antè peruenit iusta petitio, quã iniqua præsumptio. Antè Petrus in terris positus obtinuit quod petebat, quàm Simon peruenire quò tendebat. Tunc igitur Petrus velut vinctum illum de sublimi aëre deposuit, & quodã præcipitio in saxo elidens, eius crura confregit. Et hoc in opprobrio facti illius, vt qui paulò antè volare tentauerat, subitò ambulare nõ posset: & qui pennas assumpserat, plantas amitteret.

Matth. 16.

Confessio peccatorũ

Coloss. 2.

Petrus & Paulus Romæ una die passi.

Sed ne fortè hoc mirum videatur, quòd magus iste præsente apostolo per aërem aliquandiù volitauerit, hoc patientia Petri fecit. Permisit enim illum sublimiùs ascendere, vt altiùs caderet. Voluit eum in excelsum leuari ad conspectum omnium, vt ruentem illum de excelso oculi omniũ peruiderent. Hæc igitur iniquitatis est elatio, vt in altum se ferat, in sublime se erigat: sed sancta oratio omnem humiliat superbiam, vniuersam deijcit vanitatem.

IN EODEM FESTO.

Sermo B. Augustini episcopi.

Est Sermo 25. de Sanctis.

FIlioli mei, audite nos, & liberate vos. Currite pro vobis, & nobis præstatis & vobis. Commune erit gaudium nostrum, si vos viderimus induere Christum. Iuuenes & virgines, senes cum iunioribus ad gratiam festinent. Mater nostra pariendo non discernit ætates. Ipsa genuit Petrum, ipsa parturiuit & Paulum, vt ex lupo fieret agnus. Tanquàm ergo natus est Saulus, creuit, & factus est Paulus. Baptizatus est à matre, illuminatus à Deo patre, & cœpit velle Petrum videre: & cùm quæreret eum velle videre, magis eum Petrus cœpit timere. Audiuit enim Petrus, quia quæreret eum Saulus. Noli timere B. Petre, quia non Saulus te quærit, sed Paulus vas electionis te cupit videre. O sancte Petre benedic patrem, & suscipe fratrem, & habes cum quo potes defendere matrem. O beate Petre, quia conuersus est Saulus, miraris. Qualis es tu, erit & ipse talis, & vnus erit vobis natalis. Qui illum fecit ex Saulo Paulum, ipse te fecit ex Simone Petrum. Vnus vos honorauit, vnus vos coronabit. Mutauit persecutorem, mutauit & piscatorem. Et si te priorem, tamen ambos vno ditauit honore. Veni S. Paule, veni, sequere Petrum, sed docentem, non fugientẽ. Fugiebat, quando te nesciebat. Nam iste beatissi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Actor. 9. mus Paulus, sicut in lectione Actuum Apostolorum cùm recitaretur, audiuimus, cælesti voce prostratus est. Dum furit ad caulas in lupina rabie, & exosum sibi nomen innocentis agni persequitur, dum quærit discerpere aut vexare gregem, audiuit altisonam vocé, Saule Saule, quid me persequeris? Quid frustrà insanisti contra nomen meum, & occidisti martyrem meum? Act. 7. Olim quidem debui perdere te, sed Stephanus meus orauit pro te. Et ille: Quis es Domine? Et Dominus ad illum: Ego sum, inquit, Iesus Nazarenus, quem tu persequeris. Caput de cælo pro membris clamat. Inquietatur corpus, & de cælo intonat Christus: Saule Saule, inquit, quid me persequeris? Quid est quòd rugiente Saulo mugit arcanum, & contra fœuitiam Pauli militia conqueritur cæli, nisi vt qui non crediderat resurgenti, saltem crederet in cælo sedenti? Nam dicitur Ananiæ: Accede ad eum, & signa eum charactere meo: multa enim patietur pro nomine meo. Et ille: Domine, audiui à multis de viro hoc, quia multa mala fecit sanctis tuis. Ait illi Dominus: Vade, quoniam vas electionis est mihi. O beate Anania, meritò in timore trepidares, si forti manu non esset cui militares. Ideò prosternitur superbia, vt erigatur sanctitas. Venit ergo Ananias, baptizauit Saulum, & fecit Paulum: baptizauit lupum, & fecit agnum: & cœpimus habere prædicatorem, quem habuimus persecutorem. Deniq; cœpit prædicare Christum, cui anteà resistebat: posteà paratus pati pro eo, contra quem anteà pugnabat. Patitur Paulus, quod fecerat Saulus. Saulus lapidauit, Paulus lapidatus est: Saulus Christianos virgis 2. Cor. 11 affecit, Paulus pro Christo quinquies quadragenas vna minùs accepit: Saulus persecutus est Ecclesiam Dei, Paulus submissus est in sporta: Sau- Act. 9. lus vinxit, Paulus vinctus est: & dum Saulus sæ- Actor. 21. uiens quærit minuere numerum Christianorú, etiã ipse accesit ad numerú confessorú: & dum infert alijs necem, suscepit ipse pro eo mortẽ. Dũ intrat lupus rapax in stabula pecudis, subitò & ipse factus est ouis. Itaq; quis iam desperet de magnitudine criminis, aut de humilitate generis? Nam beatissimum Petrum piscatorem modò genibus prouolutis adorat gentium multitudo credentium, per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

SERMO EIVSDEM, vnde suprà.

Est Sermo 26. de Sanctis: est ueró etiã inter Ambro sij sermones 68.

NOtum vobis omnibus est, fratres, & vniuerso mundo notissimum, quòd beatissimorum Petri & Pauli natalis est hodiè, nec aliquam partem orbis latere potest tanta deuotio. Si quidem de ijs dicat Dauid propheta: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum: In omnem terram mirabilium Petri virtus diffusa est, & in fines orbis terræ epistolarum Pauli verba penetrarunt. Quis enim non audiuit, quòd primus apostolus Petrus sedenti ad Act. 3. speciosam portam templi claudo, & ex matris suæ olim ventre iam debili pedum restituerit firmitatem, vt quod natura minùs contulerat, apostolica gratia repararet? Cùm enim idem claudus stipem rogans, aliquid pecuniæ se ab Apostolis crederet accepturum, ait illi Petrus: Argentum & aurũ nõ habeo, sed quod habeo, hoc do tibi: In nomine Iesu Christi Nazareni, surge & ambula. Beata planè largitas, quæ petenti argentum quidem non contulit, sed contulit sanitatem. Beata largitas, quæ de thesauris suis aurum non protulit, sed protulit medicinam. Beatus & ille claudus, qui dum stipem quærit pecuniæ, diuitias incolumitatis accepit. Hoc enim ab apostolis donatum meruit, quod nullis thesauris à medicis redimere potuisset. Primum ergo signum mirabilium suorum Petrus fecit, claudo pedum restituendo vestigia. Diximus frequenter ipsum Petrum à Domino petram nuncupatum, sicut ait: Tu es Petrus, & super hanc petram Matth. 16 ædificabo Ecclesiam meam. Si ergo Petrus petra est, super quã ædificatur Ecclesia, rectè priùs pedes sanat: vt sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet. Rectè, inquam, primùm in Christiano pedes curat, vt iam non trepidus nec imbecillis posit super petram Ecclesiæ, sed robustus & fortis incedere. Vbi autem verba Pauli Apostoli non leguntur? quis locus ea non literis inscribit, corde retinet, conuersatione custodit? Qui Paulus à Domino vas ele- Act. 9. ctionis est nominatus. Bonum vas, in quo preciosa mandatorum Christi præcepta conduntur. Bonum vas, de cuius plenitudine substantia vitæ populis semper erogatur, & plenum est. Optima apostolorum nomina, petra & vas, necessaria domui saluatoris. Domus enim petrarum fortitudine construitur, vtilitate vasis ornatur. Petra ad firmitatem, ne labantur, sustentat populos: vas ad custodiam, ne tententur, operit Christianos. Exitus verò eorum de hoc seculo quàm beatus fuerit, nemo est qui nesciat. Nam prima hæc in illis beatitudo est, quòd ambo vna die passi esse noscuntur: scilicet, vt quos vna fides seruitio deuinxerat, vna dies martyrio coronaret. Deinde ipsa passio licet diuersa in singulis fuerit, tamen quanta referta est gratia sanctitatis? Nam Petrus crucis, sicut saluator, exitum tulit, & à dominicæ deuotionis similitudine nec morte discretus est: scilicet, vt quem imitabatur fide, imitaretur & passione. De Pauli verò ceruice, cùm eam persecutor gladio percussisset, dicitur fluxisse lactis magis vnda quàm sanguinis, & mirum in modũ S. Apostolũ baptismi gratia in ipsa cæde extitisse splendidũ potiùs q̃ cruentũ. Quæ quidé res in S. Paulo stupẽda non est. Quid .n. mirũ, si abundat lacte nutritor Ecclesiæ,

1. Corin. 3. clesiæ, sicut ipse ad Corinthios ait: Lac vobis potum dedi, non escam? Hæc est planè repromissionis illa terra, quã patribus nostris Deus promisit, dicendo: Dabo vobis terram fluentem lac Exod. 3. & mel. Non enim de hac terra locutus est, quæ manantibus aquis cœnum inuoluit, lutumque permiscet: sed de illa terra Pauli, & similium Pauli, quæ iugiter purum suaueq; distillat. Quæ enim Pauli epistola non melle dulcior, non lacte candidior? Quæ epistolæ tanquàm vbera ecclesiarum populos enutriunt ad salutem. De cer uice ergo Apostoli pro sanguine lac manauit.

1. Cor. 15. Legimus in ipso, quia caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Igitur iam Paulus possidet regnum, quoniam caret & sanguine, qui impedire dicitur regnaturum. Adhuc ergo Paulus in terris positus, iam in regni cælestis substantiam transformatur. Ideò fratres charissimi, quotiescunque martyrum memoriam celebramus, prætermissis omnibus seculi actibus, sine aliqua dilatione cõcurrere debemus ad domum Dei, reddere illis honorificentiam, qui nobis salutem effusione sui sanguinis pepererunt, qui tam sacratam hostiam pro nostra propiciatione Domino se obtulerunt, præsertim cùm dicat ad san Luc. 10. ctos suos omnipotens Deus: Qui vos honorat, me honorat: & qui vos spernit, me spernit. Quisquis ergo honorat martyres, honorat Christum: & qui spernit sanctos, spernit Christum Dominum nostrum, qui viuit & regnat, &c.

IN EODEM FESTO, Sermo B. Maximi episcopi.

Est Homilia prima in hoc festo.

GLoriosissimos Christianæ fidei principes annuis solennitatibus honorãtes, fratres charissimi, ipsum Dominũ ac Deum nostrum, qui huius author est fidei, debita religione veneramur. Apostoli nãq; latino sermone dicuntur missi. Qui ergo honorant missos, manifestum est eos honorare mittentem: quoniam dignitas, quæ defertur ministris, illi sine dubio cuius ministri sunt exhibetur, vt ait ipse Luc. 10. saluator ad discipulos suos: Qui vos audit, Matt. 10. me audit: & qui vos recipit, me recipit. Verè beata apostolorum merita, in quibus se Christus & recipi prædicat, & audiri. Beati nihilominùs & illi, quorum deuotio delata apostolis, recurrit in Christum. Tenentes itaque, fratres, tantæ huius promissionis fidem, de supplicijs patrum nostrorum pro Christi confessione susceptis, fidelibus gaudijs exultemus: quoniam qui de martyrum morte lætantur, martyres non dubitant cum Christo regnare post mortem. Nos verò ecclesiarum omnium reuerendissimos patres, Petrum dico & Paulum, pijssimis studijs honoremus, quibus Christi præstante gratia, factus est hodiè de morte Philip. 1. natalis, quibus finis vitæ viuendi initium dedit, quibus, vt ait Apostolus Paulus, viuere Christus est, & mori lucrum. Erat vtique eis Christus viuere, quibus vita non erat sine Christo. Erat eis Christus viuere, quia totum Christi proficiebat ecclesijs, quod viuebant. Erat eis & mori lucrũ qui tali morte vitã sibi mercabãtur ęternã. Erat eis mori lucrum, quorum corruptioni incorruptio succedebat, & damna præsentium temporum lucra perpetua sequebantur. Sed iam necessarium, charissimi, reor, vt proprias eorum specialesq; virtutes prout aridi tas linguæ nostræ ingenijque tenuitas patitur, immò vt misericors Deus annuerit, prælo quamur. Hic itaque ille est Petrus, qui confitendo Christum Dominum viui Dei esse filium, validissima inuictaque nobis credendi fundamenta constituit. Nam percontanti Domino, quis esse ab hominibus diceretur, respondit: Tu es Matth. 16 Christus filius Dei viui: id est, tu Domine de carne virginis factus es Christus, qui viui Dei es filius sempiternus. Tu Domine hominibus natus es homo, qui incogitabili maiestate Deus es apud Deum. Tu es Christus, qui pro redemptione nostra ad passionem veniens, impassibilis permanes apud patrem. Quis ergo vnquam in tantum hoc incomprehensæ deitatis arcanum humani sensus attollere potuisset obtutum, nisi ab ore Petri salutaris huius fidei veritas radiasset? Quis meritorum eius gloriam quanuis magno æquiparare posit eloquio, à quo nobis adorandæ diuinitatis fides & cœpit & permanet? Quid tanto gloriosius viro, qui fidem secreti inscrutabilis loquendo edidit, viuendo docuit, patiendo firmauit? Vt autem consessionis huius quãta esset magnitudo saluator ostenderet, ait illi: Beatus es Simon Bar Iona, *ibidem*, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est: & tibi dabo claues regni cælorum. Quis ergo Christum per carnem & in carne natum omnipotentis patris esse filium sentire potuisset, nisi propitius hoc ipse pater per Petrum nobis reuelasset è cælo? Hæc illi confessio dedit, vt antè claues regni cælorum acciperet, quàm cæli ianuas introiret. Sed ne qua vos, fratres, de creditis Petro clauibus regni more nostrarum clauium cogitatio terrena permoueat. Claues enim cæli, lingua est Petri: quia singulorum merita censendo apostolus vnicuiq; regnũ cælorũ aut claudit, aut aperit. Non est ergo clauis ista mortalis artificis aptata manu, sed data à Christo apostolis potestas est iudicandi. Denique ait eis: Quorum remiseritis peccata, remissa Ioan. 20. erũt: & quorũ detinueritis, detenta erũt. Hic est Petrus, quem Christi esse confidentissimũ, subiecta vestigijs eius maria probauerunt. Nam à Matth. 14

Do-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Domino suo nouos sibi dari in fluctibus gressus vt fidelis popoſcit , & vt dilectus emeruit: Qui ob hoc ſolùm trepidaſſe viſus eſt, vt fragilitas humana cognoſceret,quanta eſſet inter Dominum ſeruumque diſtantia , dum aggrauata peccatis caro mergitur,& immaculati neſcit plãta deſidere. Simul & illud,ne dum ſuper aquas ambulans Petrus pede intrepido peruenisſet ad Chriſtum,Domini fortè ſui virtutibus æquaretur.Sed quid illum tantoperè dicimus trepidaſſe , cui pia trepidatio ſua maiorem profecit ad fidem?Vt enim credidit Petrus imperio Domini ſui poſſe ſe à fluctibus ſuſtentari , ita nihilominùs dum mergitur , credidit ipſius Domini ſui ſe virtute ſaluandum. Verè beati Petri & dũ trepidat,mirabilis fides, quam nec perurgentis periculi potuit turbare formido . Clamando enim dum mergitur,Domine libera me,de ſe diffiſus eſt,non de Domino dubitauit. Ne quis ergo timorem hunc glorioſiſsimi Petri ducat in vitium , quoniam timor iſte quanuis primam eius turbauerit fidem, confidentiam tamen in eo reparatæ credulitatis ornauit.Hic eſt Petrus, cui Chriſtus Dominus communionem ſui nominis libenter indulſit. Vt enim, ſicut Apoſtolus Paulus edocuit,petra erat Chriſtus : ita per Chriſtum Petrus factus eſt petra,dicente ei Dominico: Tu es Petrus,& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.nam ſicut in deſerto dominico ſitienti populo aqua fluxit è petra:ita vniuerſo mundo perfidiæ ariditate laſſanti,de ore Petri fons ſalutiferæ confeſsionis emerſit.

Hic eſt Petrus,cui Chriſtus aſcenſurus ad patrẽ, paſcendas ouiculas ſuas agnoſque commendat, vt quos ille pietatis miſeratione redemerat,hic fidei ſuæ virtute ſeruaret. Et rectè ſanè ei arbiter occultorum Dei filius paſcendas oues ſuas tuendasque commiſit,cui nouerat in nutriendo grege dominico nec ſtudium deeſſe,nec fidem. Hic eſt Petrus,qui dum ad crucem tanquàm crucifixi diſcipulus duceretur , verſo ſe poſcens corpore crucifigi,paſsionem non renuit,ſed æqualitatem crucis dominicæ declinauit,vt oſtenderet vniuerſis,admirandæ ſe humilitatis virtutem,nouiſque myſterij diſciplinam & inter tormenta ſeruaſſe. Quàm ſecurus,chariſsimi,perrexit Petrus ad crucem,qui repulſo timore mortis , moriendi ordinem tam acerba in paſsione quæſiuit.Quid etiam de glorioſiſsimo referam Paulo,in quo Dominus fidem nominis ſui,dum ipſam fidem perſequeretur, elegit ? Qui dum velut acerrimus perſecutor Chriſtianam vaſtat Eccleſiam,inimico adhuc eius in pectore amicum ſibi cor CHRISTVS inuenit: dumque temporalia rapit ad ſupplicia Chriſtianos,ipſe perpetuam captus ad gratiam,factus eſt ſubitò paſtor ex lupo,ex prædone cuſtos,ex hoſte defenſor. Vnde patuit,nec Paulum malignæ mentis proposito plebem dominicam perſecutum,nec Chriſtum latuiſſe quem eligeret in Paulo. Hic eſt Paulus , qui Chriſti vocibus inclamatus è cælo, oculis in ſe Iudaicæ infidelitatis obtuſis,videndi aciem non perdidit,ſed mutauit. Amiſit oculos,& recepit, vt vno eodemq; tempore & in perſequentem cæcitatis vindicta procederet,& vocantis Dei gratia illuminaret electum. Ait nanque illi de cælo Dominus : Saule Saule,quid me perſequeris:id eſt,cur me perſequeris Saule ? Quæ mea odium erga me tuum excitauit iniquitas?Nunquid quia illuminaui cęcos,quia ſanaui ægrotos,quia fugaui dæmones, quia eſurientes populos quinq; panibus paui? An quia de tumulis mortuos ſuſcitaui? an fortè magis,quia fidelibus meis regnum cæleſte promiſi?Sed ſi præſtare me poſſe dubitas quæ promitto,aſpice,ſi tamen potes , vnde te vel qualis appello. Sed quarè me perſequeris Saule?aut quid me perſequendo proficies ? Nunquid aduerſus regnantem in cælo,vllum tua perſecutio habebit effectum?Nunquid nocere mihi quicquam poteris,quem non potes intueri ? Ego enim ſum Ieſus Nazarenus,quem tu perſequeris, qui terras cælo,crucem regno , mortem perpetuitate mutaui. De quibus omnibus non te debere cunctari,& ereptus tibi nunc,& poſt paulum redditus ſuadebit aſpectus. At beatiſsimus Paulus repentina quidem cæcitate coércitus,intellecta tamen maieſtate loquentis è cælo,continuò fidelis effectus,& à perſecutione deſtitit,& nouos intuendi Chriſtum oculos acquiſiuit.

Hic eſt Paulus , qui pro ſuarum remuneratione virtutum,vltra humana merita tertium raptus ad cælum,ſecreta cæleſtia cognouit:vt eccleſiarum futurus doctor,inter angelos diſceret,quod inter homines prædicaret.Aut quis ei impunè vltrà non credat , qui de ſacramentis dominicis non ſolùm audita loquitur , ſed & viſa teſtatur ? Quanta hoc, fratres, Dei noſtri actum eſt gratia, vt qui de cæleſtibus in apoſtolatum vocatus eſt , apoſtolatus eius conſecraretur in cælo ? Et poſt omnia, hic eſt Paulus,qui ceruices ſuas, quas aduersùs Chriſti nomen ſuperbus erexerat,perfidorum cædendas gladio humillimus pro Chriſti honore ſubmiſit : nec piguit eum pro illo mori , quem ſæpè probauerat viuere & regnare poſt mortem. Atq; ita factum eſt,vt glorioſiſsimum Paulum,qui in diuerſis gẽtibus pro fide Chriſti multo certamine dimicãdo innumera bella peregerat,velut victoré mũdi Roma ſuſciperet ad triumphũ.Hi ergo ſunt beatiſsimi Petrus & Paulus,qui ſacramentũ cęleſtis regni vno ſpiritu prædicãtes , ſub vnius paſſione diei,doctrinã ſuam pro ſanguine & morte fortiſsima cõſecrarunt:Qui etiã tanquã eccleſiarũ omniũ principes facti,diſpenſatione cæleſti Romã petẽtes,ſacratiſsima ſua corpora,in illius vrbis arce recondiderunt,quæ totius orbis obtinuerat principatũ:quatenùs potentiam virtutis ſuæ Chriſtus oſtendẽs,vbi mundus caput habebat imperij,ibi regni ſui principes collocaret.

Petrus Ro

Paulus Ro

IN

IN FESTO VISITATIONIS B. MARIAE,

In lectionem Epiſtolæ loco, Concio exegetica.

EX Euangelio ſecundùm Lucam diſcimus virginem Mariam concepto filio Dei properaſſe ad viſitãdam Elizabeth, non ſanè quadam animi leuitate permotam,ſed hauddubiè ſancti ſpiritus admonitione impulſam. Crebrò aũtem & quidem perlibẽter ſancta Dei Eccleſia huius ſacratiſsimæ virginis feſta celebrat, non ignorans totum cedere in honorem filij Dei, quicquid eius matri piè & religioſè impenditur. Solent verò hoc die pleræq; eccleſiæ recitare lectionem ex Canticis Cãticorum,quam nunc explanare conabimur. *Ecce iſte uenit ſaliens in montibus,tranſiliens colles.* Principiò hic diligenter aduertenda ſunt, quæ de his Canticis Canticorum ſcribit papa beatiſsimus Gregorius,ne quis impurus verba ſanctiſsimi& caſtiſsimi Cantici huius ſecùs atq; par eſt accipiat. Ait ergo:Solerter intuendum eſt, ne cùm exteriora audimus,ad exteriora ſentienda rema neamus, & machina quæ ponitur vt leuet , ipſa magis opprimat & aggrauet.Debemus in verbis exterioribus corporeis quicquid interiùs eſt quærere,& loquentes de corpore, extra corpus fieri.Debemus ad nuptias ſponſi & ſponſæ cum intellectu charitatis,id eſt , cum veſte nuptiali venire , ne ſi iſta careamus,ab hoc conuiuio in exteriores tenebras,id eſt,in cæcitatem ignorãtiæ repellamur. Debemus per verba paſsionis tranſire ad virtutem impaſsibilitatis. Litera enim occidit,ſpiritus viuificat. Sicut enim palea frumentum,ſic & litera tegit ſpiritum. Sed quia iumentorum eſt paleis,hominum frumentis veſci:qui humana ratione vtitur , paleas abijciat, frumenta ſpiritus edere diſponat. Humanæ conuerſationis verba audientes,quaſi extra humanitatem eſſe debemus,ne ſi humaniter quæ audiuimus capiamus,nihil diuinitùs de his ſentire poſsimus. Hæc Gregorius. Porro Hieronymus iam conſummatum virum & calcato ſeculo præparatum , in Cantico Canticorum ſponſi dicit iungi amplexibus. His ita præmiſsis propter homines carnales & animales,qui non percipiunt ea quæ ſunt ſpiritus Dei , noſtrum inſtitutum proſequamur. Ecce,inquit, *iſte uenit ſaliens in montibus,tranſiliens colles.* Vis audire quales ſaltus fecit? ait Angelomus. Tales,inquam,ſaltus fecit dilectus meus. De cælo venit in vterum,de vtero in præſepe,de præſepi venit in crucem,de cruce venit in ſepulchrum,de ſepulchro redijt in cælum. Ipſe eſt, qui eleuatus eſt etiam ſuper omnes montes & colles,id eſt,patres noui & veteris teſtamenti,qui merito virtutum & vertice fidei cæteris ſunt eminentiores. In his Dominus non ſolùm inhabitare , ſed tranſilire dicitur:quia non tantùm diuinitate, ſed humanitate incomparabilis apparuit. Hæc Angelomus. Theodoreti autem huius loci iſthæc eſt interpretatio:Docet hic ſponſa internecionem idolis illatam à ſponſo ſuo. Montes enim & colles vocat lucos & delubra dæmonum,in mũtibus olim ſita & ædificata: ſuper quæ verborũ ſapientia & miraculorum virtute ſaliens atque tranſiliens,penitùs euertit atque deſtruxit. Ita Theodoret⁹. *Similis eſt dilectus meus capreæ hinnuloq; ceruorum.* Hæc duo animalia , inquit Origenes, Homilia ſecunda in Cantica , interprete diuo Hieronymo , in ſcripturis frequentiùs nominantur,& quò ampliùs admireris, ſæpiùs iuncta ponuntur. Et hæc ſunt, ait, quæ manducabis: poſt paululùm inferens,capream & ceruum. In præſenti quoque libro pariter nominantur,ceruus & caprea. Quodam modo enim cognata ſibi ſunt & vicina iſta animalia. Caprea, id eſt , dorcas acutiſsimè videt : ceruus interfector ſerpentum eſt , ita vt ſpiritu narium eos extrahat de cauernis , & ſuperata pernicie veneni, eorum pabulo delectetur. Forſitan ſaluator meus caprea ſit iuxta theoriam, ceruus iuxta opera. Quæ nam iſta ſunt opera ? Interficit ipſe ſerpentes , contrarias fortitudines iugulat. Hæc Origenes. Porrò Angelomus , Chriſtum capreæ , inquit , comparatum non per detrimenta diuinitatis , quæ ſemper idem eſt,intelligimus, ſed per incarnationis myſterium , videlicet quia apparuit in ſimilitudine carnis peccati : in quo augmenta conſecuta eſt , cælo recepta carnis natura. Hinnulus ceruorum ideò dicitur , quia genitus eſt ex ſtirpe patriarcharum, qui ceruorum nomine prænotantur: ſed hinnulo ceruorum , propter humilitatis formam, necdum adhuc potentiæ cornibus exaltatis, quibus in ſecundo aduentu cauſaturus eſt mundum. Hinnulus enim ceruorum ſine cornibus eſt, amorem in ſe potiùs viſionis ſuæ, quàm terribilitatem oſtendit , ſicut Dominus noſter CHRISTVS in primo aduentu feciſſe dinoſcitur : de cuius primo aduentu mox ſubiungitur: *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum , reſpiciens per feneſtras , proſpiciens per cancellos.* Indutus pariete noſtræ mortalitatis , latuit ſubſtantia diuinitatis : ſed proſpiciens ad nos per cancellos & feneſtras, dum miracula fecit , vt ex miraculis appareret, qui ex paſsionibus latuit. Quiſquis enim per feneſtras vel cancellos reſpicit,nec totus videtur,nec totus non videtur. Redemptor enim noſter quia & diuina fecit, & humana pertulit,

quaſi

Universidad de Deusto
Biblioteca

quasi per cancellos & feneſtras ad homines venit vt Deus, vt appareret ex miraculis, ſicut dictũ eſt, & lateret ex paſsionibus, & homo cerneretur ex paſsionibus. Hæc Angelomus. *Et dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni. Iam enim hyems transijt, imber abijt & receſſit: flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit. Vox turturis audita eſt in terra noſtra: ficus protulit groſſos ſuos: vineæ florentes odorem dederunt.* Verba iſta, inquit Rupertus Abbas Tuitienſis, profectò deſiderantis verba ſunt. Quid autem eſt deſiderium dilecti, vel quid amor eius, niſi charitas, niſi ſpiritus ſanctus? Tali vtiq; deſiderio deſiderare, cum amore rectè dicitur
Pſal. 103. amare, dicitur etiam lætari, vt illic: Lætabitur Dominus in operibus ſuis. Quinetiam petere dicitur, nimirùm eodem deſiderio, iuxta illud
Deut. 10. in Deuteronomio: Et nunc Iſraël, inquit Moyſes, quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & diligas eum? Ampliùs autem non ſolùm petentis, verumetiam valdè optantis animo
Deut. 5. loquitur, cùm item in Deuteronomio dicit: Benè omnia ſunt locuti. Quis det talem eos habere mentem, vt timeant me & cuſtodiant vniuerſa mandata mea in omni tempore, vt benè ſit eis, & filijs eorum in ſempiternum? Et in Eſaia dicit:
Eſa. 48. Vtinam attendiſſes mandata mea: facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & iuſtitia tua ſicut gurgites maris. Hæc & his ſimilia multa ſcripta ſunt, teſtãtia quietum dilecti deſiderium, charitatem impaſsibilis, non paſsionem, ſed delectationem, qua ſemper optauit, ſemper cupiuit id, quod vtile eſſet creaturæ ſuæ, humano generi. Quòd ſi vnquàm aliquid rectè dicitur optaſſe vel deſiderare, quanto magis iſtud, in quo eſt ſumma ſalutis,
Gal. 4. iſtam plenitudinem temporis, in quo fieret ex muliere, fieret ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperent? Igitur hæc verba dilecti loquentis mihi, Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni &c. ſic accipite, quaſi verba deſiderantis, tanquàm feſtinantis & optantis iam adeſſe materiam tantæ ſalutis, ſcilicet me, cuius caro illi materia foret aſſumendæ carnis. Tanquàm præſenti loquebatur mihi, meque iubebat ſurgere & properare, id eſt, naſci, & hoſpitium ventris mei ſibi citò præparare. Et reuerà priuſquàm naſcerer, illi præſens aderam: antequàm fierem, benè illi cognita fueram. Si enim
Eph. 1. dicitis, & verè dicitis, Quia elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate: nónne & de me rectè ſentitis, & rectè ſentiendo dicitis, Quia elegit me ante mundi conſtitutionẽ, vt eſſem ſancta & immaculata in conſpectu eius
Prou. 8. in charitate? Et ſi ſapientia, vt ipſa teſtatur, iam antequàm fieret ludens erat coram eo in orbe terrarum, & deliciæ eius cum filijs hominum: quanto magis ludens erat & deliciabatur cũ iſta ancilla Domini, miraculo cunctorum filiorum vel filiarum hominum? Surge, inquit, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & in his omnibus Euæ oppoſita. Eua nanque quaſi inimica, Eua quaſi vipera, Eua quaſi deformis & ignominioſa: mihi inimica, viro ſuo vipera, ſibimet confuſa ignominia. Inimica per ſuperbiam, qua intùs tumuit: vipera per malitiam, quam ex ſerpente concipiens, foris tentata facilè ceſsit: ignominioſa per pruritum libidinis, qua ſtatim ſcaturire cœpit. Vnde & nudam ſe cognoſcens, folio pudenda contexit. Tu autem amica mea per humilitatem, columba mea per charitatem, formoſa mea per caſtitatem. Tu contra Deum non tumuiſti, immò mente humili altiſsimo cõ placuiſti: & ecce amica es. Tu ſerpenti aurem nõ præbuiſti, immò inimicitias inter te & ſerpentẽ ego poſui: & ecce columba es. Tu nuditatem libidinis non incurriſti, immò ſpiritus ſanctus obumbrabit tibi: & ecce formoſa es. Veni ergo Maria, veni: nam Eua ad latebras fugit. Veni & crede angelo euangelizanti: nam Eua credidit ſerpenti ſuſurranti. Veni & contere caput ſerpentis: nam Eua & capite illecta, & ventre oblectata, & cauda eſt obligata ſerpentis. Veni & dic, Ecce ancilla Domini: nam Eua ſe abſcondens pariter & defendens, Serpens, ait, decepit me, & comedi. Hæc eſt vox dilecti mei, & hæc loquitur mihi: Surge per fidem, propera per ſpem, veni per charitatem. Iam enim hyems tranſijt, imber abijt & receſsit: flores apparuerunt in terra noſtra &c. Ecce enim æquinoctium vernum iam præterijt, & adeſt feſtiuitas paſchalis, dum hæc loquor tibi, dum foris angelus annuntiat, & ego intùs vocem ſequor annuntiantis: quo tempore ſine dubio, ſecundùm curſum ſolis & naturam aëris, hyẽs iã tranſijt, imber abijt & receſsit. Ex ipſa ergo qualitate tẽporis, auſpiciũ cape magnæ felicitatis: quia per iſtud quod dicitur tibi, quod agitur tecum, tranſijt, id eſt, certiſsimè pertranſibit hyems peccati: abijt & receſsit, id eſt, certiſsimè abibit & recedet imber iræ cæleſtis: quæ videlicet hyems ex eo venit, quòd Eua iam dicta, fugiens abſcondit ſe à facie Dei: & qui imber idcircò terram, id eſt, omne genus humanũ verberauit, quia peccauit. Hic eſt imber, hæc eſt ira cæleſtis. Multiplicabo ærũnas tuas & conceptus tuos, &c. vſq; quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Hic talis imber abijt & receſsit, id eſt, certiſsimè abibit & recedet per me fructum ventris tui. Tunc apparuerunt, id eſt, certiſsimè apparebunt flores multi, flores ſancti ac diuerſi, alij videlicet martyrio rubicundi ſiue purpurei, alij confeſsione, ſiue ad imitationem noſtri virginitatis incorruptione candidi. Tunc & tempus putationis aduenit, & mox aderit, vt amputentur ea, quæ ſuperflua ſunt legis, dicaturque floribus, ſiue florentibus campis & arboribus noſtris: Viſum eſt enim ſpirituiſancto & nobis, nihil

Eua & Maria quantùm diuerſæ.

Gen. 3.

Gen. 3.

Aliter.

nihil vltrà imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſariò, vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione: & ea quæ vobis non vultis fieri, alijs ne feceritis. A quibus cuſtodientes vos, benè agetis. Tunc & vox turturis audita eſt, id eſt, certiſsimè audietur in terra noſtra. Vox, inquam, turturis, nimirùm paruulæ quidem, ſed caſtiſsimæ auis, ſcilicet prædicatio euangelij, cuius initium eſt pulchritudo noſtræ caſtitatis & virginei conceptus tui: audita eſt, id eſt, audietur in terra noſtra, in Eccleſia noſtra, in vniuerſa terra. Tunc ad vocem huiuſcemodi turturis ficus protulit, id eſt, certiſsimè proferet groſſos ſuos, vineę florentes dederunt, id eſt, certiſsimè dabunt odorem. Ficus, inquam, id eſt, Synagoga proferet & iactabit opera vel iuſtitias ſuas: ſed cadentibus huiuſmodi ficis, ipſa remanebit effœta: & ego
Matth. 21 veniens ad eam & quærens fructum, non inueniam. Vineæ autem florentes, id eſt, gentes credere incipientes, dabunt odorem, id eſt, bonam opinionem, ita vt amici gratulentur & dicant:
Rom. 1. Primùm gratias agimus Deo noſtro per Ieſum Chriſtum pro omnibus vobis, quia fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo. *Surge propera amica mea ſpecioſa mea & veni, columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ. Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Iterùm vox dilecti mei, iterùm loquitur mihi, & ad ſurgendum inuitat, ijſdem nominibus compellat: Surge, inquiens, amica mea, ſpecioſa mea, & veni columba mea. Et protinùs ac ſi quærerem, Quò ego ſurgam? vbi vel in quo ero columba gemituola? In foraminibus, inquit, petræ, in cauerna maceriæ. Scit enim ſitum vel habitum mentis meæ, quia claui eius, quos
Pſalm. 21. antè quàm fierent, mente prophetica præuidebam, & in Propheta legebam, dicente, Foderũt manus meas & pedes: & lancea lateris eius, quã ſimiliter præuidebam, & in propheta legebam,
Zach. 12. Videbunt enim, ait Zacharias, in quem tranſfixerunt, claui, inquam, eius & lancea iam eſſent animæ meæ vulnera, & in ipſis gemerem ſicut columba. Dicebat ergo: Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna macerię: id eſt, anima gemituoſa propter fixuram clauorum meorum, qui ſum petra: propter vulnus lateris mei, qui ſum maceria. Nam ego vnus idemque, aliàs petra, & aliàs maceria. Videlicet vbi adhuc mortalis & paſsibilis eram, ibi ego maceria: vbi autem reſurrexi à mortuis, ibi vel extunc petra ſolidiſſima. Sed non diſparuerunt in petram iam impaſsibili cauernæ ſiue foramina, quæ facta fuerant in maceria adhuc paſsibili: immò apparebunt eadem in die iudicij. Age quod agis, contemplare quod contemplaris: atque hoc modo ſemper oſtende mihi faciem tuam, & oſtendendo corrige, quod Eua peccauit, & abſcon-
dit à me faciem ſuam. Vbi abſcondit? In medio ligno paradiſi: videlicet in eodem, in quo peccauit: vtpotè quæ in peccato ſuo ſibi complacuit, & peccatum ſuum defendit. Non oſtendit mihi faciem ſuam, cùm dicerem, Vbi es? Non ſonuit vox eius in auribus meis, vox confeſsionis quæ ſonare debuiſſet, ſaltem cùm dicerẽ, Quarè hoc feciſti? ſicut & quando benedixi ei & viro eius, dicens, Creſcite & multiplicamini: non ſo-
nuit vox eius in auribus meis. Nullum enim cã tauit canticum gratiarumactionis pro tam magno beneficio, quo illam conſtituebam matrem tantæ generationis, poſſeſſuræ tantam hæreditatem regni Dei. Tu autem oſtende mihi, ſicut & oſtendis, faciem tuam: ſonet vox tua in auribus meis, & audiam ego, audiant & amici: quorum vnus vel primus audiuit, cùm adhuc eſſet clauſus in vtero matris ſuæ, & exultauit ad vocem tuam: quæ hoc modo ſonuit in auribus meis: Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Ibi ad vocem meam & ad vocem tuam audire atque exultare cœpit. Vnde & quodam loco dixit: Qui habet
Ioan. 3. ſponſam, ſponſus eſt: Amicus autem ſponſi, qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Hoc ergo gaudium meum impletum eſt. Igitur quia & amici auſcultant, & me delectat videre faciem fidei, & audire vocem cõfeſſionis atque gratiarumactionis, oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. In quo vox tua dulcis? In eo videlicet, quòd columba mea es, & intenta in foraminibus iam dictis, ita ſicut columba gemitum pro cantu habes. Canendo gemis, gemendo canis: & ipſa exultatio, qua exultauit ſpiritus tuus in Deo ſalutari tuo, plena eſt gemitibus, plena lachrymis. In quo facies tua decora? In eo videlicet, quòd magna eſt fides, magna eſt humilitas. Iſte eſt decor, quem
Pſalm. 44 concupiuit rex, quemadmodùm Pſalmus dicit: Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum & domum patris tui: & concupiſcet rex decorem tuum. Hactenùs Rupertus Tuitienſis Abbas, qui vt Abbas Spanhemienſis ſcribit, claruit multa ſanctitate, doctrina & miraculis coruſcans ſub Henrico V. anno Domini 1124. Porrò Angelomus, ex quo etiam nonnulla accepimus, monachus fuit Benedictinus, floruitque Anno CHRISTI 830.

IN EODEM FESTO, LVC. I.

Universidad de Deusto
Biblioteca

In illo tempore: Exurgens Maria, abijt in montana cum festinatione in ciuitatem Iudæ: & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elizabeth. & reliqua. Homilia beati Ambrosij Episcopi, libr. 2. Commentariorum in Lucam.

MOrale est omnibus, vt qui fidem exigunt, fidem adstruant. Et ideò angelus cùm abscondita nuntiaret, vt fides adstruetur exemplo, senioris fœminæ sterilisque conceptum virgini Mariæ nuntiauit, vt possibile Deo omne quod ei placuerit assereret. Vbi audiuit hoc Maria, non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo: sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio, in montana perrexit. Quò enim iam Deo plena, nisi ad superiora cum festinatione contenderet? Nescit tarda molimina sancti spiritus gratia. Discite & vos sanctæ mulieres sedulitatem præstare, quam prægnantibus debeatis exhibere cognatis. Mariam, quæ antè sola in intimis penetralibus versabatur, non à publico virginitatis pudor, non ab studio asperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardauit. In montana virgo cum festinatione, virgo officij memor, iniuriæ immemor, affectu vigente non sexu, relicta perrexit domo. Discite virgines non circuncursare per alienas ædes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones. Maria in domo seria, festina in publico, mansit apud cognatam suam tribus mensibus. Etenim quæ propter officium venerat, inhærebat officio. Mansit mensibus tribus, non quòd domus eam delectaret aliena, sed quia frequentiùs videri in publico displicebat. Didicistis virgines pudorem Mariæ, discite humilitatem. Venit propinqua ad proximam, iunior ad seniorem: nec solùm venit, sed etiam prior salutauit. Decet enim, vt quanto castior virgo, tanto humilior sit. Nouerit deferre senioribus: sit magistra humilitatis, in qua est professio castitatis: est & causa pietatis, est etiam norma doctrinæ. Contuendum est enim, quia superior venit ad inferiorem, vt inferior adiuuetur: Maria ad Elizabeth, Christus ad Ioannem. Denique etiam posteà vt sanctificaret baptismum Ioannis, Dominus venit ad baptismum. Citò quoque aduentus Mariæ, & præsentiæ dominicæ beneficia declarantur. *Simul enim vt audiuit salutationem Mariæ Elizabeth, exultauit infans in utero eius, & repleta est spiritu sancto.* Vide distinctionem, singulorumque verborum proprietatem. Vocem prior Elizabeth audiuit, sed Ioannes prior gratiam sensit. Illa naturæ ordine audiuit, iste exultauit ratione mysterij. Illa Mariæ, iste Domini sensit aduentum: fœmina mulieris, & pignus pignoris. Istæ gratiam loquuntur, illi intùs operantur, pietatisque mysterium maternis adoriuntur profectibus, duplicique miraculo prophetant matres spiritu paruulorum. Exultauit infans, repleta mater est: non priùs mater repleta quàm filius: sed cùm filius esset repletus spiritu sancto, repleuit & matrem. Exultauit Ioannes, exultauit & Mariæ spiritus. Exultante Ioanne repletur Elizabeth: Mariam tamen non repleri spiritu, sed spiritum eius exultare cognouimus. Incomprehensibilis enim incomprehensibiliter operabatur in matre. Et illa post conceptum repletur, ista ante conceptum. *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus uentris tui. Et unde hoc mihi, ut ueniat mater Domini mei ad me?* Nouit sermonem suum spiritus sanctus, nec vnquàm obliuiscitur: & prophetia non solùm rerum completur miraculis, sed etiam proprietate verborum. Quis est iste fructus ventris, nisi ille de quo dictum est, Ecce hæreditas Domini, filij merces fructus ventris? Hoc est, hæreditas Domini filij sunt, qui merces sunt fructus illius, qui de Mariæ ventre processit. Ipse fructus ventris, est flos radicis, de quo benè prophetauit Esaias, dicens: Exiet virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Radix enim est familia Iudæorum, virga Maria, flos Mariæ CHRISTVS: qui veluti bonæ arboris fructus, pro nostræ virtutis processu, nunc floret, nunc fructificat in nobis, nunc rediuiua corporis resurrectione reparatur. *Et unde hoc mihi, ut ueniat mater Domini mei ad me?* Non quasi ignorans dicit? Scit enim esse spiritus sancti gratiâ & operationem, vt mater prophetæ à matre Domini ad profectum sui pignoris salutetur. Sed quasi non humani hoc meriti, sed diuinæ gratiæ munus esse cognoscat, ita dicit: Vnde hoc mihi? Hoc est! quantum bonum mihi accidit, vt mater Domini mei veniat ad me? non cognosco meum. Vnde hoc mihi? qua iustitia? quibus factis? pro quibus meritis? Non vsitata hæc officia fœminarum sunt, vt veniat Mater Domini mei ad me. Miraculum sentio, cognosco mysterium. Mater Domini verbo fœta, Deo plena est. *Ecce enim ut facta est uox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in utero meo. Et beata quæ credidisti.* Vides non dubitasse Mariam sed credidisse, & ideò fructum fidei consecutam. Beata, inquit, quæ credidisti. Sed & vos beati, qui auditis & creditis. Quæcunque enim crediderit anima, & concipit & generat Dei verbum, & opera eius agnoscit. Sit in singulis Mariæ anima, vt magnificet Dominum: sit in singulis spiritus Mariæ, vt exultet in Deo. Si secundùm carnem vna mater est Christi, secundùm fidem tamen omnium fructus est Christus. Omnis enim anima accipit

Item virginibus.

Matth. 3.

Psalm.

Esai. 11.

Christus quorum fructus fit singulorum est.

Dei verbum, si tamen immaculata & immunis à vitijs, intemerato castimoniam pudore custodiat. Quæcunque igitur talis esse potuerit anima, magnificat Dominum, sicut anima Mariæ magnificauit Dominum, & exultauit spiritus eius in Deo salutari suo. Magnificatur enim Dominus, sicut & alibi legisti, Magnificate Dominum mecum. Non quòd Domino aliquid humana voce possit adiungi, sed quia magnificatur in nobis. Imago enim Dei, CHRISTVS est: & ideò si quid iustum religiosumque fecerit anima, illam imaginem Dei, ad cuius est similitudinem creata, magnificat. Et ideò dum magnificat eam, magnitudinis eius quadam participatione sublimior fit, vt illam imaginem splendido bonorum colore factorum, & quadam æmulatione virtutis in se videatur exprimere. Magnificat autem anima Mariæ Dominum, & exultat spiritus eius in Deo: eò quòd & anima & spiritu patri filioque deuota, vnum Deum, ex quo omnia, & vnum Dominum, per quem omnia, pio veneretur affectu. Sed Mariæ quo persona melior, eo prophetia plenior. Nec otiosum videtur, quòd & ante Ioannem Elizabeth prophetat, & Maria ante Domini generationem. Serpunt enim iam tentamenta salutis humanæ. Nam sicut peccatum à mulieribus cœpit, ita etiam bonum à mulieribus inchoatur: vt fœminæ quoque muliebria opera deponentes, infirmitati renuntient, & anima, quæ non habet sexum, vt Maria quæ nescit errorem, religioso imitetur studio castitatem. *Mansit autem Maria cum illa mensibus tribus, & reuersa est in domum suam.* Benè inducitur sancta Maria & exhibuisse officium, & mysticum numerum custodisse. Non enim sola familiaritatis est causa quòd diù mansit, sed etiam tanti vatis profectus. Nam si primo ingressu tantus profectus extitit, vt ad salutationem Mariæ exultaret infans in vtero, repleretur spiritu mater infantis: quantum putamus vsu tanti temporis sanctæ Mariæ addidisse præsentiam? Mansit autem Maria cum illa mensibus tribus. Vngebatur itaque & quasi bonus athleta exercebatur in vtero matris propheta, amplissimo enim virtus eius certamini parabatur. Denique tandiù mansit Maria, quandiù Elizabeth pariendi tempus impleret. Quod si diligenter aduertas, inuenies hoc nusquam positum, nisi in generatione iustorum. Deniq; impleti sunt dies, vt pareret Maria: impletum est tempus, vt pareret Elizabeth: impletum est vitæ tempus, cùm sancti viri ex hoc vitæ curriculo demigrarunt. Plenitudinem iusti vita habet, inanes autem dies sunt impiorum.

Psal. 33.

Gen. 3.

Iustorum vita plenitudinem impiorum

IN IDEM HVIVS FESTI EVANgelium habentur superiùs, feria sexta Quatuor temporum in Aduentu Domini, duæ egregiæ Homiliæ: altera venerabilis Bedæ presbyteri, pagina 28. altera Eusebij Emeseni, pagina 33. vnde potest ecclesiastes copiosam concionandi materiam petere: quem etiam eò remittimus.

IN OCTAVA APOSTOLOrum Petri & Pauli. Matth. XIIII.

In illo tempore: Iussit Iesus discipulos suos ascendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare. Et reliqua. Homilia beati Augustini.

Est Serm. 13. de uerbis Domini.

Matth. 14.

EVangelium quod recentissimè recitatum est de Domino Christo, qui super aquas maris ambulauit, & de apostolo Petro, qui ambulans timendo titubauit, & diffidendo mersus, confitendo rursùs emersit, admonet nos intelligere, mare præsens seculum esse, Petrum verò Apostolum Ecclesiæ vnicæ typum. Ipse enim Petrus in apostolorum ordine primus, in Christi amore promptissimus, sæpè vnus respondet pro omnibus. Ipse denique Domino Iesu Christo requirenti, quem nam eum homines dicerent esse, & opiniones varias hominum discipulis respondentibus, rursumque Domino interrogante & dicente: Vos autem quem me esse dicitis? respondit Petrus: Tu es Christus filius Dei viui: vnus pro multis dedit responsum, vnitas in multis. Tunc ei Dominus ait: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cælis. Deinde addidit: Et ego dico tibi, tanquam diceret: Quia tu dixisti mihi, Tu es Christus filius Dei viui, & ego dico tibi, Tu es Petrus. Simon quippe anteà vocabatur. Hoc autem ei nomen vt Petrus appellaretur, à Domino impositũ est, & hoc in ea figura, vt significaret Ecclesiam. Quia enim Christus petra, Petrus populus Christianus. Petra enim principale nomen est: ideò Petrus à petra, non petra à Petro: quomodò non à Christiano Christus, sed à Christo Christianus vocatur. Tu es ergo, inquit, Petrus, & super hanc petram, quam confessus es, super hanc petrã quã cognouisti, dicens: Tu es Christus filius Dei viui, ædificabo Ecclesiã meã. i. super meipsũ filiũ Dei viui, ædificabo Ecclesiã meã. Super me ædificabo te, non me super te. Nam volentes homi-

Matth. 16

1. Cor. 10

Universidad de Deusto
Biblioteca

1. Cor. 1. nes ædificari super homines, dicebant: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ipse est Petrus. Et alij qui nolebant ædificari super Petrum, sed super petrã, Ego autẽ sum Christi. Apostolus autem Paulus vbi cognouit se eligi, & Christum contemni, Diuisus est, inquit, Christus? Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? Quomodò non in Pauli, sic nec in Petri, sed in nomine Christi, vt Petrus ædificaretur super petram, non petra super Petrum. Idem ergo Petrus à Petra cognominatus, beatus, Ecclesiæ figuram portans, apostolatus principatum tenens, continuò post paululum iam audito quòd beatus esset, iam audito quòd Petrus esset, iam audito quòd super petram ædificatus esset, postea quàm audiuit futuram Domini passionem, quia prædixerat eam citò venturam discipulis suis, displicuit ei: timuit ne perderet morientem, quẽ confessus fuerat vitæ fontem: turbatur, dicens:

Matth. 16 Absit à te Domine, inquit, non fiat istud. propitius esto tibi Deus, nolo te mori. Petrus dicebat Christo, Nolo te mori, sed melius dicebat Christus, Volo pro te mori. Denique continuò reprehendit, quem paulò antè laudauerat & quem beatum dixerat, Satanam appellat. Redi, inquit, post me Satana, scandalum mihi es: non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum.

Quid nos vult facere ex hoc quod sumus, qui sic culpat quia homines sumus? Vultis scire quid

Psal. 81. nos velit facere? Audite Psalmum: Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes: sed humana sapiendo, Vos autem sicut homines moriemini. Idem ipse Petrus paulò antè beatus, posteà Satanas. In momento vno, infra pauca verba miraris differẽ tiam nominum, differentias attende causarum. Quid miraris, quia paulò antè beatus, posteà Satanas? Attende causam quare beatus, Quia non tibi reuelauit caro & sanguis, sed pater meus qui in cælis est. Ideò beatus, quia non caro & sanguis reuelauit. Si enim caro & sanguis hoc tibi reuelaret, de tuo: quia non caro & sanguis tibi

Ioan. 16. reuelauit, sed pater meus qui in cælis est, de meo, non de tuo. Quare de meo? Quia omnia quæ habet pater, mea sunt. Ecce audisti causam quare beatus, & quare Petrus. Quare autem illud, quod horrescimus, & repetere nolumus? Quare, nisi quia de tuo? Non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum. Hoc intuentes nos Ecclesiæ membrum, discernamus, quid de Dei, quid de nostro. Tunc enim non tubabimus, tunc in petra fundabimur, fixi & stabiles erimus aduersùs ventos, imbres, flumina, tentationes videlicet præsentis seculi. Illum tamen videte Petrum, qui tunc erat figura nostra. Modò fidit, modò titubat, modò immortalem confitetur, modò timet ne moriatur. Proinde quia Ecclesia Christi habet firmos, habet & infirmos, nec sine firmis potest esse, nec sine infirmis. Vnde dicit Apostolus Paulus: Debemus nos firmi, Rom. 15. infirmorum onera sustinere. In eo quod dixit Petrus: Tu es CHRISTVS filius Dei viui, firmos significat. In eo autem quòd trepidat & titubat, & Christum pati non vult mortem timendo, vitam non agnoscendo, infirmos Ecclesiæ significat. In illo ergo vno Apostolo, id est, Petro in ordine Apostolorum primo & Petrus & apostolus præcipuo, in quo figurabatur Ecclesia, vtrunq; primus & genus significandum fuit, id est, firmi & infirmi, præcipuus quia sine vtroque non est Ecclesia. Hinc est ergo & quod modò lectum est: *Domine si tu es, iube me uenire ad te super aquas.* Si tu es, iube me: non enim possum hoc in me, sed in te. Agnouit quid sibi esset à se, quid ab illo cuius voluntate se credidit posse, quod nulla humana infirmitas possit. Ergo si tu es, iube, quia cùm iusseris, fiet. Quod ego non valeo præsumendo, tu potes iubendo. Et Dominus, *Veni*, inquit: Et sine vlla dubitatione Petrus ad verbum iubentis, ad præsentiam sustentãtis, ad præsentiam regentis, sine vlla cunctatione desiliuit in aquas, & ambulare cœpit. Potuit quod Dominus, non in se, Ephes. 3 sed in Domino. Fuistis enim aliquãdo tenebræ, nunc autem lux, sed in Domino. Quod nemo potest in Paulo, nemo in Petro, nemo in vllo alio Apostolorum, hoc potest in Domino. Ideò benè Paulus vtiliter se contemnens, illum commendans, Nunquid Paulus, inquit, pro vobis 1. Cor. 1 crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? Non ergo in me, sed mecum; non sub me, sed sub illo. Ergo ambulauit Petrus super aquas in iussu Domini, sciens hoc te à se habere non posse. Fide valuit, quod humana infirmitas non valeret. Hi sunt enim firmi Ecclesiæ. Attendite, audite, intelligite, agite. Neque agendũ est cum firmis alibi, vt sint infirmi: sed agendum est cum infirmis, vt sint firmi. Multos autem impedit à firmitate præsumptio firmitatis. Nemo enim à Deo firmus, nisi qui se à seipso sentit infirmum. Pluuiam voluntariam segregãs Deus hæ Psal. 67. reditati tuæ. Quid præceditis, qui quod dicturus sum nostis? Temperetur velocitas, vt sequatur tarditas. Hoc dixi, & hoc dico. Audite, capite, facite, Nemo à Deo sit firmus, nisi qui se à seipso sentit infirmum. Pluuiam ergo voluntariã, sicut Psalmus dicit, volũtariam, non meritorum nostrorum, sed voluntariam: Pluuiam ergo voluntariam segregans Deus hæreditati tuæ: etenim infirmata est, tu verò perfecisti eam. Quia pluuiam voluntariam segregasti, non attendens hominum merita, sed tuam gratiam & misericordiam. Infirmata est ergo ipsa hæreditas, & agnouit se infirmam in se, vt firma esset in te. Non firmaretur si non infirmaretur, vt abs te in te perficeretur. Vide huius hæreditatis portiuncu lam. Paulum vide infirmatum, qui dixit: Nõ sum idoneus vocari Apostolus, quia persecutus sum 1. Cor. 15. Ecclesiam Dei. Quare ergo Apostolus es? Gratia

tia Dei sum id quod sum. Non sum idoneus, sed gratia Dei sum id quod sum. Infirmatus est Paulus, tu verò perfecisti eum. Iam verò quia gratia

Ibid. Dei est quod est, vide quid sequatur: Et gratia eius in me vacua non fuit, sed plùs illis omnibus laboraui. Vide ne præsumptione perdas, quod infirmitate meruisti. Benè hoc, benè, Non sum idoneus vocari apostolus, gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua nõ fuit. Omnia oprimè, sed, Plùs omnibus illis laborauí: Quasi tibi cœpisti tribuere, quod paulò antè Deo dederas. Agnosce & sequere. Non autem ego, sed gratia Dei mecum. Benè infirme, firmiſ simè eris exaltatus, quia non es ingratus. Tu es

2. Cor. 12 idem Paulus ipse, in te paruus, in Domino magnus. Tu es qui ter Dominum rogasti, vt stimulus carnis angelus satanę, à quo colaphizaberis, auferetur à te. Quid tibi dictum est? quid audisti quando hæc petisti? Sufficit tibi gratia mea. nam virtus infirmitate perficitur. Etenim infirmatus est, tu verò perfecisti eum. Sic & Petrus: *Iube, inquit, me uenire ad te super aquas.* Homo audio, sed non hominem rogo. Iubeat Deus homo, vt possit quod non potest homo. *Veni, inquit.* Et *descendens cœpit ambulare super aquas*: & potuit Petrus, quia iusserat petra. Ecce quid Petrus in Domino. Quid in se? *Videns uentum ualidum, timuit. Et cùm cœpisset mergi, exclamauit: Domine pereo, libera me.* Præsumpsit de Domino, potuit de Domino, tribuit vt homo, redijt ad Dominum. Si dicebã,

Psal. 39. motus est pes meus, psalmus loquitur, sancti cãtici vox est, & si agnoscamus, & nostra: immò si velimus, & nostra est. Si dicebam, motus est pes meus. Quare motus, nisi quia meus? Et quid sequitur? Misericordia tua Domine adiuuabat me. Non virtus mea, sed misericordia tua. Nunquid enim Dominus deseruit titubantem, quẽ

Eccles. 2. audiuit inuocantem? Vbi est, illud: Quis inuocauit Dominum, & desertus est ab eo? Vbi & illud: Et omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit? Continuò porrigens adiutorium dexteræ suæ, leuauit mergentem, increpauit diffidẽtem. *Modicæ fidei, quarè dubitasti?* De me præsumpsisti, de me dubitasti? Eia fratres sermo claudẽ

Mare, seculum. Temptatio, cupiditas. dus est: attendite seculum quasi mare, ventus validus & magna tempestas. Vnicuique sua cupiditas, tempestas est. Amas Deum? ambula super mare, sub pedibus tuis est seculi tumor. Amas seculum? absorbet te, & amatores suos vorare nouit, non portare. Sed cùm fluctuat cupiditate cor tuum, vt vinces tuam cupiditatem, inuoca Christi diuinitatem. Putatis tunc esse ventum contrarium, quando est huius seculi aduersitas? Quando enim bella, quando pestilentia, quando fames, quando tumultus, quando cuiq; hominum etiam singulo euenit priuata calamitas, tunc putatur ventus aduersus, ibi putatur inuocandus Deus: quando aũt tẽporali felicitate seculũ arridet, quasi nõ est ventus cõtrarius. Noli hinc interrogare temporis tranquillitatem, interroga, sed tuam cupiditatem. Vide si tranquillus es in te, vide si non te subuertit ventus interior, hoc vide. Magnæ virtutis est cum felicitate luctari ne illiciat, ne corrumpat, ne ipsa subuertat felicitas. Magnæ, inquam, virtutis est cum felicitate luctari, magnæ felicitatis est à felicitate non vinci. Discite calcare seculum, mementote fidere in Christo. Et si motus est pes tuus, si titubas, si aliqua non superas, si mergi incipis, dic: Domine, pereo, libera me. Dic, Domine pereo, ne pereas. Solus enim à morte carnis liberat te, qui mortuus est in carne pro te. Conuersi ad Dominũ Deum patrẽ omnipotentem, puro corde ei, quantũ potest paruitas nostra, maximas atq; veras gratias agamus, precantes toto animo singularem mansuetudinem eius, vt preces nostras in beneplacito suo exaudire dignetur, inimicũ quoq; à nostris actibus & cogitationibus sua virtute expellat, nobis multiplicet fidem, mentem gubernet, spiritales cogitationes concedat, & ad beatitudinem suam perducat, per Iesum Christum filium suum Dominum nostrum, qui cum eo viuit &c.

Luctari cũ felicitate.

IN NATALI S. FELICItatis, & 7. fratrum filiorum eius. Matth. XII.

In illo tempore: Loquente IESV ad turbas, ecce mater eius & fratres stabant foris, quærentes loqui ei. Et reliqua. Homilia beati Gregorij Papæ.

Sancti euangelij, fratres charissimi, breuis est lectio recitata, sed magnis mysteriorũ ponderibus grauida. Iesus etenim conditor & redemptor noster matrem se nosse dissimulat, & quæ ei mater sit, qui propinqui, nõ per cognationem carnis, sed per coniunctionem spiritus designat, dicens: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Quicunq; fecerit uoluntatem patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Quib⁹ nobis verbis quid aliud innuit, nisi quòd obsequentes iussionibus suis multos ex gentilitate colligit, & Iudæam, ex cuius carne est genitus, non agnoscit? Vnde & mater eius cum quasi non agnoscitur, foris stare perhibetur: quia videlicet synagoga idcircò ab authore suo nõ recognoscitur, quia legis obseruationes tenẽs, spiritalem intellectum perdidit, & sese ad custodiã literæ foris fixit. Sed cũ is qui voluntatẽ patris fecerit, soror & mater Domini dicitur, propter vtrunq; sexum qui ad fidem colligitur, mirum non est: mirandum verò valdè est, quomodò etiam mater dicatur. Fideles enim discipulos fratres vocare dignatus est, dicens: Ite, nunciate fra Matth. 28

Universidad de Deusto
Biblioteca

tribus meis. Qui ergo frater Domini ad fidem veniendo potuerit, quærendum est, quomodò etiam & mater esse possit. Sed sciendum nobis est, quia qui Christi frater & soror est credendo, mater efficitur prædicando. Quasi enim parit Dominum, quem cordi audientis infuderit: & mater eius prædicando efficitur, si per eius vocem amor Domini in proximi mẽte generatur. Ad quam rem nobis idoneè confirmandã, adest beata Felicitas, cuius hodiè natalitia celebramꝰ, quæ credendo extitit ancilla Christi, & prædicando facta est mater Christi. Septem quippe filios, sicut in gestis eius emẽdatioribus legitur, sic post se timuit viuos in carne relinquere, sicut carnales parentes solent metuere, ne mortuos præmittant. In persecutionis enim labore deprehensa, filiorum corda in amore supernæ patriæ prædicãdo roborauit, & parturiuit spiritu, quos carne pepererat: vt prædicatione pareret Deo, quos carne pepererat mundo. Considerate, fratres charissimi, in fœmineo corpore virile pectus. Ad mortem stetit imperterrita: amittere se inuicta cõ in filijs lumen veritatis timuit, si non fuisset orbata. Nunquid ergo hanc fœminam martyrem dixerim? sed plùs quàm martyrem. Certè Dominus cùm de Ioanne loqueretur, dixit: Quid existis in desertum videre? prophetam? Vtiq; dico vobis, & plùs quàm prophetam. Et Ioannes ipse requisitus, respondit dicens: Non sum propheta. Quia enim se plùs quàm propheta nouerat, esse se prophetam negabat. Qui idcircò plùs quã propheta dicitur, quia prophetæ est officiũ ventura prænunciare, non etiã ostendere. Ioannes verò plùs quàm propheta est, quia quẽ verbo prædixit, digito ostendit. Non ergo hanc fœminam martyrem, sed plùs quàm martyrem dixerim, quæ septem pignoribus ad regnum præmissis, toties ante se morientibus filijs moriebatur. Ad pœnas prima venit, sed peruenit octaua. Aspexit mater & cruciata & imperterrita filiorũ mortem: spei gaudium diluit dolorem naturæ. Timuit viuentibus, gauisa est morientibus. Optauit nullum post se relinquere: ne si quem haberet superstitem, non posset habere consortẽ. Nemo ergo ex vobis fratres charissimi existimet, quòd eius cor morientibus filijs, etiam carnalis affectus minimè pulsauerit. Neque enim filios, quos carnem suam esse nouerat, sine dolore poterat morientes videre: sed erat vis amoris interior, quæ dolorem vinceret carnis. Vnde & passuro Petro dicitur: Cùm senueris, extẽdes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu nõ vis. Neque enim si plenissimè Petrus nollet, pro Christo pati potuisset: sed martyrium quod per infirmitatem carnis noluit, per virtutem spiritus amauit. Qui dum per carnẽ ad pœnas trepidat, per spiritum ad gloriam exultat. Actumque est, vt cruciatum martyrij nolendo voluisset: sicut nos quoque cùm gaudium quærimus salutis, amarum poculum sumimus purgationis. Amaritudo quidem in poculo displicet, sed restituenda per amaritudinem salus placet. Amauit ergo iuxta carnem Felicitas filios suos, sed pro amore cælestis patriæ mori etiam coram se voluit quos amauit. Ipsa eorum vulnera accepit, sed ipsa in eisdem ad regnum præuenientibus excreuit. Rectè ergo hanc fœminam vltra martyrem dixerim, quæ & toties in filijs est desiderabiliter extincta, & dum multiplex martyrium sustinuit, ipsam quoque martyrij palmam vicit. Fertur apud veteres mos fuisse, vt quisquis consul existeret, iuxta ordinem temporum honoris sui locum teneret. At si quis posteriùs ad consulatum veniens, consul non semel, sed bis forta sse aut tertiò fieret, etiam illos laude & honore transcenderet, qui non plùs quàm semel consules extitissent. Vicit ergo beata Felicitas martyres, quæ tot ante se morientibus filijs pro Christo frequenter occubuit, quia ad amorem illius sola sua mors ei minimè sufficit. Consideremus fratres hanc fœminam, consideremus nos, qui mẽbris corporis viri sumus, in eius cõparatione quid existimabimur? Sæpè nanque agenda aliqua bona proponimus, sed si vnicus contra nos vel leuissimus sermo ab ore irridentis eruperit, ab intentione actionis nostræ fracti protinùs & confusi resilimus. Ecce nos plerunque à bono opere sola verba reuocant: Felicitatem verò à sancta intentione frangere nec tormenta potuerunt. Nos ad aurã maledictionis impingimur: hæc ad regnum etiam per ferrum exijt, nihilque esse quod obsistebat æstimauit. Nos ad præcepta dominica largiri nostra saltem superflua nolumus: hęc non solùm Deo suam substantiam contulit, sed pro illo etiam propriam carnem dedit. Nos cùm ex diuina iussione filios amittimus, sine consolatione lugemus: hæc eos velut mortuos plangeret, si non obtulisset. Cùm ergo ad illud terribile examen districtus iudex venerit, quid nos viri dicemus, cùm huius fœminæ gloriam viderimus. De debilitate mentis suæ quæ tunc viris erit excusatio, quando hæc ostendetur, quæ cum seculo & sexum vicit? Sequamur ergo, fratres charissimi, districtam & asperam redemptoris viam. Vsu quippe virtutũ ita iam plana facta est, vt per eam fœminis libeat ambulare? Despiciamus ergo cuncta præsentia: nulla sunt etenim, quæ transire possunt. Turpe sit diligere, quod constat citiùs perire. Non nos terrenarum rerum amor superet, non superbia inflet, non ira dilaniet non luxuria polluat, non inuidia consumat. Amore nostri, fratres charissimi, redemptor noster occubuit, & nos amore eius discamus vincere nosmetipsos. Quod si perfectè agimus, non solùm imminentes pœnas eua demus, sed communi cum martyribus gloria remunerabimur. Nã quanuis occasio persecutionis desit, habet tamẽ pax nostra martyrium suum: quia & si carnis colla ferro non subdimus, spiritali tamen gladio

Christi frater, soror, mater

Felicitatis inuicta cõstantia.

Matth. 11.

Ioann. 1.

Ioan. 21.

dio carnalia nostra desideria in mẽte trucidamus, ipso adiuuante, qui viuit & regnat, &c.

IN NATALI B. MARIAE Magdalenæ, Sermo sancti Augustini.

Est in lib. 50. Homiliarum, Homilia 23.

QVOD admonemur Domini eloquijs de diuinis lectionibus, hinc credentes Deum velle nos loqui, proferimus charitati vestræ, illo adiuuante, sermonem de remissione peccatorum. Euangelium enim cùm legeretur, attentissimè audistis, & res gesta narrata atque versata est ante oculos cordis vestri. Vidistis enim non carne, sed mente Dominum Iesum Christum in domo pharisæi recumbentẽ, & ab illo inuitatum non fastidientem. Vidistis etiam mulierem in ciuitate famosam, malæ vtique famæ, quæ erat peccatrix, non inuitatam irruisse conuiuio, vbi suus medicus recumbebat, & quæsisse pia impudentia sanitatem: irruentẽ quasi importunam conuiuio, opportunam beneficio. Nouerat enim quanto morbo laboraret, & illi sanando idoneum esse ad quem veniebat, sciebat. Accessit ergo non ad caput Domini, sed ad pedes. Quæ diù malè ambulauerat, vestigia recta quærebat. Priùs fudit lachrymas sanguine cordis, & lauit Domini pedes obsequio confessionis. Capillis suis tersit, osculata est, vnxit, tacita loquebatur. Non sermonem ꝓmebat, sed deuotionẽ ostẽdebat. Quia ergo tetigit Dominum rigando, tergendo, osculãdo, vngendo pedes eius, pharisæus qui inuitauerat Dominũ Iesum Christum, quia ex illo genere erat hominum superborum, de quibus propheta Esaias dicit: Qui dicunt, Longè recede à me, noli me tangere, quoniam mundus sum: putauit enim nescisse Dominum mulierem: hoc apud se cogitãs, dicebat in corde suo: Hic si esset propheta, sciret quæ mulier illi accessit ad pedes. Ideò nescire credidit, quia ille non repulit, quia accedentem nõ prohibuit, quia tangi se à peccatrice permisit. Nam illum nescisse vnde sciebat? Quid. n. sciebas, ô pharisæe inuitator & irrisor Domini? Dominum pascis, & à quo pascendus sis non intelligis. Vnde scis Dominum nescisse quæ fuerit illa mulier, nisi quia permissa est accedere? nisi quia illo patiente osculata est pedes eius? nisi quia tersit? nisi quia vnxit? Hæc enim nõ debuit permitti facere in pedibus mũdis, mulier immũda. Ad illi⁹ ergo pharisęi pedes si talis mulier accessisset, dicturus erat, qd Esaias de talib. dicit: Recede à me, noli me tangere, quoniã mundus sum. Accessit aũt ad Dominũ immunda, vt rediret munda. Accessit ægra, vt rediret sana. Accessit confessa, vt rediret professa. Audiuit. n. Dominus pharisæũ cogitantẽ. Iam hinc intelligat pharisæus, si nõ poterat videre peccantẽ, q potuit audire cogitantem. Proposuit ergo homini similitudinem de duobus, qui debebant vni fœneratori. Etiam ipsum sanare cupiebat, ne gratis a-

Luc. 7.

Esa. 52.

Esa. 52.

pud eum panem comederet. Ipsum pascentem esuriebat, ipsum emendare, ipsum mactare, ipsum manducare, ipsum in suum corpus traijcere volebat, sicut & illi mulieri Samaritanæ dixit, Sitio. Quid est sitio? Desidero fidem tuam. Dicuntur ergo verba Domini in hac similitudine, & agitur vtrunq;, vt & inuitator ille sanetur cum suis condiscumbẽtibus, Dominum nostrum Iesum Christum pariter videntibus, pariter ignorantibus: & vt illa mulier habeat fiduciam confessionis suæ, nec pungatur vlteriùs aculeis conscientiæ suæ. Debebat, inquit, vnus quinquaginta denarios, alius quingentos, & donauit ambobus. Quis eum plùs dilexit? Respondit cui similitudo proposita erat, quod respondere vtiq; ratio compellebat. Credo Domine, cui plus donauit. Et attendens mulierem, dixit ad Simonem: Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuã, aquam pedibus meis non dedisti: hæc lachrymis suis lauit mihi pedes, & capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti: illa ex quo ingressa est, non cessauit osculari pedes meos. Oleo caput meum non vnxisti: illa pedes meos vnxit vnguento. Ideò dico: Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Cui aũt modicum dimittitur, modicùm diligit. Oritur quæstio, ꝓfectò soluenda, quæ attentionem vestræ charitatis desiderat, ne fortè sufficere nõ possimus verbis ad totam eius obscuritatem remouẽdam, & dilucidandam pro angustia temporis: maximè cùm caro ista æstibus fatigata, iam recreari desideret, & debitum suum poscens, atq; animæ auiditatem impediens, ostendat quod dictum est: Spũs promptus est, caro autem infirma. Metuendum est, & valdè metuendũ, ne in his verbis Domini, non benè intelligentibus his, qui concupiscentijs suis carnalibus fauent, & ab eis in libertatem educi pigrescunt, subrepat illa sententia, quæ prædicantibus etiam Apostolis nata est in linguis maledicorũ. Vnde dicit Aplus: Et sicut quidam dicunt nos dicere, Faciamus mala, vt veniant bona. Dicit. n. aliquis: Si cui modicũ dimittitur, modicũ diligit: cui aũt plus dimittitur, plùs diligit: expedit plus diligere, quàm minùs diligere: oportet vt multũ peccemus, & multum debeamus, quod nobis dimitti cupiamus, vt dimissoré magnorũ debitorũ ampliùs diligamus. Peccatrix. n. illa mulier quanto plus debebat, tanto dimissoré debitorũ suorũ ampliùs diligebat, Domino ipso dicente: Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Quare autem dilexit multùm, nisi quia debebat multa? Deniq; addidit & adiunxit: Cui autem modicum dimittitur, modicùm diligit. Nónne expedit (inquit) vt multum mihi dimittatur quàm minus, vnde ampliùs diligam Dominum meum? Videtis certè profunditatẽ quæstionis, scio: videtis angustias temporis. & hoc videtis & sentitis. Accipite ergo pauca. Si magnitudini quæstionis nõ satisfecero, interim prætentẽ recondite

Ioan. 4.

Matth. 26

Rom. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sermonem,in futuro tenere debitorem. Da nũc duos homines,vt sub exemplis euidentioribus quod proposui cogitetis. Vnus eorum plenus est peccatis,diù pessimè vixit: alter eorum peccauit pauca. Accedũt ambo ad gratiã,baptizãtur ambo. Intrant debitores,exeunt liberi. Plus donatum est vni,minus alteri. Interrogo quantum quisq; diligat. Si inuenero plus diligere eum cui peccata plura dimissa sunt, quàm illum qui minima peccauit,vtilior erat multa iniquitas,ne esset tepida charitas. Interrogo alium quantùm diligat,inuenio minùs. Nam si inuenero tãtùm & illum diligere,quantùm & ille diligit,cui multa sunt dimissa, quomodò respondebo verbis Domini? Quomodò non verum erit,quod veritas dixit,cui modicum dimittitur,modicùm diligit? Ecce, ait quis, mihi modicum dimissum est,non multa peccaui, & tantùm diligo,quantùm iste cui multa dimissa sunt. Tu verum dicis, an Christus? Ad hoc tibi dimissum est mendacium tuum, vt mendacij dimissori crimen imponas? Si modicum tibi dimissum est,modicùm diligis. Si.n. modicum est tibi dimissum,& plurimùm diligis,contradicis ei qui dixit,Cui modicũ dimittitur,modicùm diligit. Illi verò plùs credo,qui te plùs nouit. Parum tibi dimissum putas? prorsùs parùm diligis. Quid ergo (inquit) facere debui? Multa mala committere,vt multa essent quæ posset ille mihi dimittere, vt ampliùs possem diligere? Angustat nos, sed Domin⁹ qui hæc vera proposuit,ab angustijs liberet me. Dictum est hoc propter pharisæum illum, qui vel nulla,vel pauca se putabat habere peccata. Non enim Dominum inuitaret,nisi aliquantulum diligeret. Sed quàm parum erat? Non osculum dedit,non saltem aquam ad pedes,& si non lachrymas: non illo obsequio prosecutus est,quo illa mulier quæ nouerat quid sanaretur,& à quo sanaretur. O pharisæe,ideò parum diligis,quia parum tibi dimitti suspicaris? Non quia parum dimittitur, sed quia parum putas esse quod dimittitur. Quid ergo inquit ille? Ego qui homicidium non feci, homicida deputandus sum? qui adulterium non admisi,pro adulterio puniendus sum? aut ista mihi dimitteoda sunt, quæ non commisi? Ecce iterùm constitue duos, & loquamur ad eos. Venit vnus supplex peccator, coopertus spinis tanquàm hericius, & nimis timidus tanquàm lepus: sed petra est refugium hericijs & leporibus. Venit ergo ad petram, inuenit refugium, accipit auxilium. Alius non multa commisit, quid ei faciemus vt multum diligat? quid persuadebimus? Contra verba Domini veniemus, Cui modicum dimittitur,modicùm diligit? Ita planè, cui modicum dimittitur. Sed ô tu dicis te non multa commisisse. Quare? Quo regente? Deo gratias, quòd motu & voce vestra intellexisse nos significastis. Iam vt video, soluta est quæstio. Hic multa commisit, & multorum debitor factus est. Ille gubernante Deo pauca commisit. Cui deputat ille quod dimisit, huic deputat & iste quod non cõmisit. Adulter non fuisti in illa vita tua præterita plena ignorantia, nondum illuminatus, nondũ bonum malumq; discernens, nondum credens in illum qui te nescientem regebat. Hoc dicit tibi Deus tuus: Regebam te mihi, seruabam te mihi. Vt adulterium non committeres, suasor defuit: vt suasor deesset, ego feci. Locus & tempus defuit: & vt hæc deessent, ego feci. Affuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus: vt non consentires, ego terrui. Agnosce ergo gratiam eius, cui debes & quod non admisisti. Mihi debet iste quod factum est, & dimissum vidisti: mihi debes & tu, quod non admisisti. Nullũ enim est peccatum, quod fecit homo, quod non posit facere alter homo, si desit rector, à quo factus est homo. Iam nunc quantùm potuimus quæstionem profundam in tantilla temporis breuitate soluimus: aut si non soluimus, debitores, vt dixi, teneamur. Illud potiùs breuiter videamus de remissione peccatorum. Homo putabatur Christus, & ab illo qui inuitauit, & ab eis qui pariter discumbebant. Nescio quid illa peccatrix plus in Domino viderat. Nam quare fecit illa omnia, nisi vt sibi dimitterentur peccata? Nouerat ergo illum posse peccata dimittere: illi autem nouerant hominem non posse peccata dimittere: & credendum est, quòd omnes, id est, & illi discumbentes, & illa mulier accedens ad pedes Domini, omnes hi nouerant hominẽ non posse peccata dimittere. Cùm ergo omnes hoc nossent, illa quæ credidit eum peccata dimittere, plusquàm hominem esse intellexit. Deniq; cùm dixisset mulieri, Dimittuntur tibi peccata tua, continuò ille: Quis est iste, qui peccata dimittit? Quis est iste, quem iam mulier peccatrix cognouit? Tu recumbens quasi sanus, medicum ignoras, quia maiori forsitan febre mentem etiam perdidisti. Nam & phreneticus ridens, ploratur à sanis. Illud benè nostis, benè tenetis: tenete quia homo non potest peccata dimittere. Illa quæ sibi à Christo peccata dimitti credidit, Christum non hominem tantùm, sed & Deum credidit. Quis est iste, inquiunt, qui etiam peccata dimittit? Et Dominus, Quis est iste dicentibus, non dixit, Filius Dei, verbum Dei: non hoc dixit, sed in eo quod putabant, aliquantùm eos manere permittens, soluit quæstionem & motus illorum. Qui enim videbat discumbentes, audiebat cogitantes conuersus ad mulierem: Fides tua, inquit, te saluam fecit. Isti qui dicunt, Quis est iste, qui etiam peccata dimittit, qui me putant hominem, hominem putent: fides tua te saluam fecit. Medicus bonus ægros non solùm præsentes sanabat, sed & futuros etiam præuidebat. Futuri erant homines, qui dicerent: Ego peccata dimitto, ego iustifico, ego sanctifico, ego sano quemcunque baptizo. Ex isto numero & isti sunt qui dicunt, Noli me tangere.

Psalm.103

De remissione peccatorum.

vsque-

vsque adeò ex ipso numero sunt, vt nuper in collatione nostra, quod etiam in gestis ipsi loqui poterimus, cum eis à cognitore esset confessus oblatus, vt sederent nobiscum, respondẽdum putarent: Scriptum est nobis cum talibus non sedere: scilicet ne per contactum subsellio-rum, ad eos velut nostra contagio perueniret. Vide si non est, Noli me tangere, quia mundus sum. Alio autem die, vbi opportunius erat, commonuimus eos huius miserrimæ vanitatis, cùm ageretur de Ecclesia, quia mali in ea non contaminant bonos: respondimus eis, quia ideò sedere nobiscum noluerunt, & dixerunt se scriptura Dei fuisse commonitos, quia videlicet scriptum est: Non sedi in consilio vanitatis: diximus, Si ideò nobiscum sedere noluistis, quia scriptum est, Non sedi in consilio vanitatis: quare nobiscum ingressi estis, cùm consequenter scriptum sit: Et cum iniqua gerentibus non introibo? Ergo in hoc quod dicunt, Noli me tangere, quia mundus sum, similes sunt illi pharisæo, qui Dominum inuitauerat, & propterea putabat eum nescisse mulierem, quia eam non prohibuerat à cõtactu pedum suorum. Sed in eo melior pharisæus, quia cùm putaret hominẽ Christum, nõ credebat ab homine posse dimitti peccata. Melior ergo Iudæis, quàm hæreticis apparuit intellectus. Iudæi dixerunt, Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? Audet sibi homo hoc vsurpare? Quid contrà hæreticus? Ego dimitto, ego mundo, ego sanctifico. Respondeat illi, non ego, sed Christus: O homo, quãdo ego à Iudæis putatus sum homo, dimissionem peccatorum fidei dedi. Non ego, sed respondet tibi Christus: O hæretice, tu cùm sis homo, dicis, Veni mulier, ego te saluam facio: Ego cùm putarer homo, dixi: Vade mulier, fides tua saluam te fecit. Respondent nescientes, sicut ait Apostolus, neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant: respondent & dicunt: Si non dimittunt homines peccata, falsum est quod ait Christus: Quæ solueritis in terra, soluta erunt & in cælo. Nescis quare hoc dictum sit, quomodò dictum sit? Daturus erat Dominus hominibus spiritum sanctum, & ab ipso spiritusancto fidelibus suis dimitti peccata, non meritis hominum volebat intelligi dimitti peccata. Nam quid es homo, nisi æger sanandus? Vis mihi esse medicus? mecum quære medicum. Nam vt hoc euidenter ostenderet Dominus, à spiritusancto, quem donauit fidelibus suis, dimitti peccata, non meritis hominum, quodam loco sic ait, resurgens à mortuis: Accipite spũmsanctum. & continuò subiecit: Si cui dimiseritis peccata, dimittũtur ei: hoc est, spiritus dimittit, non vos. Spiritus aũt Deus est. Deus ergo dimittit, non vos. Sed audi spiritum: Quid estis vos? Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Et iterùm: Nescitis quia corpora vestra templum est spiritussancti, quem habetis à Deo? Deus ergo habitat in templo suo, hoc est, in sanctis fidelibus, in Ecclesia sua. Per eos dimittit peccata, quia viua tẽpla sunt. Sed qui dimittit per hominem, dimittere põt & præter hominem. Neq; .n. minùs idoneus est per se dare, qui potest per alium dare. Per Ioannem quibusdam dedit: ipsi Ioanni per quẽ dedit? Meritò volens hoc Deus ostendere, & huic veritati attestari, cũ quidã in Samaria euangelizati essent, & baptizati essent, & baptizati à Philippo euangelista, vno de septem diaconis primitùs electis, non acceperunt spũmsanctum, & baptizati erant. Nunciatum est discipulis, qui erãt Hierosolymis, & venerunt ad Samariã, vt illi qui baptizati erant, per impositionẽ manus eorum acciperẽt spũmsanctum. Et ita factũ est. Venerunt, & imposuerunt eis manus, & acceperunt spũmsanctũ: quia tunc sic dabatur spũssanctus, vt etiã appareret datus. Qui .n. eũ accipiebãt, linguis omniũ gentium loquebantur, vt significarent Ecclesiã in gentibus linguis omniũ locuturam. Acceperunt ergo spũmsanctũ, & in eis euidẽter apparuit. Quod cùm vidisset Simõ, putans hoc esse hominum, voluit esse & suum. Quod hominum putauit, ab hominibus emere voluit. Quãtam, inquit, vultis à me pecuniam sumere, vt per impositionem manuum mearũ detur spũssanctus? Tunc eum detestans Petrus, ait: Non est tibi pars, neq; sors in hac fide. Donum Dei putas pecunia comparandum? Pecunia tua tecum sit in perditionem, & cætera quæ ibi congruenter locutus est. Quarè autem hoc ego cõmemorare volui, intendat charitas vestra. Oportebat vt Deus priùs ostenderet se per homines operari: sed deinde per se, ne putarẽt homines, quod putauit Simon, hominis illud esse, non Dei: quanquàm & ipsi discipuli hoc nouerant, nam centũ viginti homines collecti erant, quando in eos per nullius manus impositionem venit spiritussanctus. Quis enim tũc eis manus imposuerat? & tamen venit, & priùs impleuit. Post illud scandalum Simonis quid egit Deus? Videte doctorem non sermonibus, sed rebus. Idem ipse Philippus, qui baptizauerat homines, & nõ in eos venerat spiritussanctus, nisi cùm venissent apostoli, & eis manus imposuissent, baptizauit eunuchum, id est, spadonẽ quendam Candacis reginæ, qui adorauerat in Hierusalem, & rediens inde, legebat in curru suo Esaiam prophetam, & non intelligebat. Admonitus Philippus, accessit ad currum, exposuit lectionem, instruxit fidem, euangelizauit Christum. Credidit eunuchus in Christum, & ait cùm venissent ad quandam aquam: Ecce aqua, quis me prohibet baptizari? Ait illi Philippus: Si credis in Iesum Christum? Respondit ille: Credo filium Dei esse Iesum Christum. Continuò descendit cum illo in aquam. Impleto baptismatis mysterio & sacramento, ne hominum putaretur donum spi-

Biota Donatistarũ cecam arrogantiã.

Psalm.25.

1. Tim. 1.

Matth. 18

Ioan. 20

Ioan. 4.

1. Cor. 3.

1. Corin. 6

Actor. 2.

Actor. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

spiritusſancti,non expectatum eſt,ſicut tunc, vt venirent apoſtoli,ſed continuò venit ſpiritusſanctus. Soluta eſt Simonis cogitatio, ne in tali cogitatione haberet imitatores. Deinde aliud mirabilius exemplum: Petrus venit ad centurionem Cornelium, ad hominem incircunciſum, gentilem, cœpit prædicare Chriſtum Ieſum & illi,& eis qui cum eo erant. Adhuc loquente Petro,non dico,nondum manum imponente, ſed nondum etiam baptizante, cùm dubitarent qui erant cum Petro,vtrùm incircunciſi baptizandi eſſent, (Natum quippe erat inter eos qui crediderant,& eos qui fideles ex gentibus facti erãt, ſcandalũ,id eſt,Iudæos & Chriſtianos,'qui baptizabantur incircunciſi) vt hanc Deus tolleret quęſtionem,cùm loquitur Petrus,venit ſpiritusſanctus,impleuit Cornelium, impleuit eos qui cum illo erant, & ipſa atteſtatione rei magnæ quaſi clamatum eſt ad Petrum: Quid de aqua dubitas?Iam ego hîc ſum. Secura ergo quælibet anima,à multa nequitia per Domini gratiam liberanda,tanquàm immũda proſtitutione, mundanda in Eccleſia,credat,accedat ad pedes Domini,quærat veſtigia Domini, confiteatur lachrymas fundens,tergat capillis ſuis. Pedes Domini,prædicatores euangelij:capilli mulieris,ſuperfluæ poſſeſsiones. Tergat capillis,tergat prorſus,operetur miſericordiam:& cùm terſerit,oſculetur: accipiat pacem,vt habeat charitatem.

Actor. 10.

Acceſsit ad talem,baptizata eſt à tali,qualis erat

1.Cor. 11. Paulus Apoſtolus,audiat ab illo:Imitatores mei eſtote,ſicut & ego Chriſti. Baptizata eſt autem ab alio aliquo ſua quærente,non quæ Ieſu Chri

Matth.23 ſti,audiat à Domino: Quæ dicunt,facite:quæ autem faciunt,facere nolite. Secura ſit & in illo, ſiue in bonum euangeliſtam incurrat,ſiue in eũ,

Luc.7. qui quod dicit,non facit. A Domino enim ſecura audit: Vade mulier,fides tua te ſaluam fecit.

IN FESTO B. MARIAE MAGDALENAE, In lectionem Epiſtolæ loco,Concio exegetica.

NOn eadem apud omnes hodiè lectio recitatur: ſed cùm pleriq; eam, quæ de muliere forti agit,ex Prouerbiorum vltimo capite vſurpent, eius expoſitionem adferemus. *Mulierem fortem quis inueniet?* Mulier fortis Eccleſia catholica vocatur.

Mulier fortis, Eccleſia.

Mulier videlicet, quia ſpirituales Deo filios ex aqua & ſpiritu ſancto gignere conſueuit:fortis, quia cuncta ſeculi aduerſa ſimul &proſpera proconditoris ſui fide contemnit:quam ipſe in carne apparens, infirmam quidem inuenit, ſed inuentione ſua,hoc eſt,pia viſitatione fortem reddidit. Vnde poſt eius redemptionem ad cælos

Luc. 15. rediens,ſupernis ciuibus gaudens aiebat: Congratulamini mihi,quia inueni ouem meam,quæ perierat. *Procul & de vltimis finibus precium eius.* Procul videlicet ſtatu temporis,quod à diebus Salomonis vſq; ad partum virginis intererat. De vltimis autem finibus: quia à ſummo cælo egreſſio eius:qui non aliud pro noſtra redemptione precium,quàm ſeipſum obtulit. Vnde Apoſto-

Pſalm.18. Ephes.5. lus:Qui dilexit,inquit,nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis. *Confidit in ea cor viri ſui,& ſpoliis non indigebit.* Virum ſanctæ Eccleſiæ Dominum ac redemptorem eius, qui etiam precium eius fieri dignatus eſt,dicit. Sicut autem is,qui

Vir Eccleſiæ, Chriſtus. fortem fidelemque & caſtam habet coniugem, confidit in ea certiſsimè, quia nil contra ſuam voluntatem agere,nulla adulterina ſaltem cogitatione poſsit contaminari, & quoſcunq; valet, ad ſuam amicitiam conuertere deſiderat:ſic nimirùm redemptor noſter in Eccleſia confidit. Nouit enim ſpiritum gratiæ,quem dedit: nouit virtutem charitatis,quam eius præcordijs infudit. Ideoq; non dubitat eam non ſolùm à ſuæ fidei integritate nequaquàm poſſe corrumpi,ſed etiam perſeueranter inſiſtere,vt plures ad eiuſdem fidei congreget vnitatem. Hoc eſt enim, quod ſequitur: *Et ſpoliis non indigebit.* Spoliat enim diabolum Eccleſia, cùm per prædicatores ſuos eos, quos ipſe deceperat,ad veritatis iter reuocat. *Reddet ei bonum & non malum, omnibus diebus vitæ ſuæ.* Reddet quippe anima Chriſto bonum,cùm perceptis ab eo vitæ muneribus rectè viuendo reſpondet,cùm ea,quæ ipſa ſcire vel facere ab illo adiuta potuit, etiam alijs intimare ſatagit. Benè autem cùm dixiſſet, Reddet ei bonum:protinùs addidit,Et non malum:quia ſunt profectò,qui acceptis à Domino bonis mala rependunt: vel fidei myſteria,quæ perceperunt, hæretica fæce fœdando: vel fidem, quam profeſsione ſeruant,prauis operibus blaſphemando:vel mores bonos,quibus cum fide recta deſeruiunt, per colloquia mala corrumpendo.

Tit. 1.

Quæſiuit lanam & linum,& operata eſt conſilio manuum ſuarum. Poſſunt myſticè in lana,qui ouinus eſt Lana. habitus, omnia pietatis & ſimplicitatis opera, quæ proximis impendimus,accipi. Poteſt in lino,quod ex terra virens oritur,ſed lõgo ac multiplici exercitio amittit humorem natiuum,atq; ad gratiam noui candoris peruenit, caſtigatio noſtræ carnis intimari: cuius dum ingenitas vitiorum ſordes per continentiam excoquimus, dignam profectò eam, qua Chriſtũ induamus, efficim⁹. Quærit ergo mulier fortis lanã & linũ, & operata eſt conſilio manuum ſuarum, cùm Eccleſia ſancta ſolicitè perquirit, quibus ſe pietatis fructibus exerceat, quomodò à carnalibus emundet illecebris. *Facta eſt quaſi nauis inſtitoris, de longè portans panem ſuum.* Facta eſt fortis mulier quaſi nauis inſtitoris: quia ſicut nauis inſtitoris onuſta mercimonijs, quæ in

Linum.

ſua patria magìs abundant,porrò per mare petit peregrina,vt illic venditis quæ attulerat,charioſa ad domum reportet: ſic nimirùm ſancta Eccleſia,ſic anima quæq; perfecta, virtutũ diuitijs gaudet onuſtari, quibus maiora diuinæ gratiæ dona mercetur. Facta eſt ergo anima ſancta quaſi nauis inſtitoris,quæ tranſit deſiderio fluctus ſeculi præſentis, ſolaq; ſe in cælis accipere ſperat æterna gaudia:& pro his abundantius adipiſcendis quicquid valet inſtãter agere,quicquid aduerſum occurrerit,fortiter ſuperare contendit. De qua rectè dicitur,quia de longè portat panem ſuum:quia in cunctis, quæ temporaliter bona agit,æternam ſolummodò retributionem expectat,ſolam viui panis ſaturitatem deſiderat. *Et de nocte ſurrexit, dedítq; prædam domeſticis ſuis,& cibaria ancillis ſuis.* Surgit Eccleſia de nocte, cùm in ſuis fidelibus ad agendam proximorum curam ſe ſolicitè accingit. Dat prædam domeſticis ſuis,cùm eos,quos ab antiquo hoſte docẽdo eripere potuit, ſocietati illorum,qui in fide præceſſere,conciliat. Dat & ancillis cibaria,cùm humiles quosq; & debito timore ſua iuſſa ſeruantes,ne pro labore laſſeſcant,ſupernæ mercedis commemoratione reficit. *Conſiderauit agrum, & emit eum:de fructu manuum ſuarum plantauit vineam:* quia ſancta Eccleſia ſemper ſolicitè perquirit, quos ad fidem conuertere poſsit: & quoſcunq; dociles inuenerit, hos data verbi pecunia,in ſeruitium Chriſti emit: atq; in eis vineam Chriſti plantare,vel potiùs eos vineam Chriſti facere ſatagit. *Accinxit fortitudine lumbos ſuos,& roborauit brachium ſuum.* Accinxit Eccleſia lumbos ſuos fortitudine,cùm ſupernorum deſiderijs intenta,carnalibus illecebris ſuccumbere deſpexit. Roborauit brachium ſuum,cùm ſe ad agenda virtutũ opera præparauit. Et benè primò lumbos fortitudine accingere,ac poſtmodùm roborare brachium dicitur: quia nimirùm actio boni operis acceptabilis eſſe Domino minimè valet, ſi non fluxa luxuriæ quis priùs à carne ſimul & mente reſtringat. *Guſtauit & vidit, quia bona eſt negotiatio eius, nõ extinguetur in nocte lucerna eius.* Guſtauit Eccleſia ſancta,guſtauit quæq; anima perfecta, id eſt,intimo mentis deſiderio cognouit,quia bona eſt negotiatio vitæ immarceſsibilis,quam relictis illecebris temporalibus, æternam mercemur in cælis: atq; ideò nullis tribulationum tenebris,nec ipſa morte poteſt lucerna deuotiõis eius extingui. *Manum ſuam miſit ad fortia.* Fortia dicit perfecta in charitate Chriſti opera,quibus ſe gaudens Eccleſia, certa ſupernæ retributionis expectatione ſubdit:qualia ſunt, dilectio inimicorum,ſtudium perpetuæ continentiæ & virginitatis,contemptio facultatum: quæ perfectionis ſtudioſi pro Chriſti amore ſolent amplecti.

Surgit Eccleſia nocte.

Accingere lumbos. Roborare brachiũ.

Iſa. 1.

Porrò Synagogæ populus,cui dictum eſt: Si volueritis & audieritis me,bona terræ comedetis: tanto infirmior erat in opere iuſtitiæ, quanto minùs ſpe perpetuæ remunerationis erectus. At Eccleſia,quæ audit à Domino, Pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnũ cęlorum,meritò pro huius rei perceptione,dura quæq; lõganimiter ſuffert. *Et digiti eius apprehenderunt fuſum.* Digiti quibus apprehendere fuſum dicitur, ipſam intentionem diſcretionis, qua quiſq; operatur,inſinuant. Quicunq; ergo veraciter dicere cum Apoſtolo poteſt, Noſtra autem conuerſatio in cælis eſt: huius profectò digiti dextri apprehenderunt fuſum: quia diſcretione ſedula ꝑternis bonis laborare didicit. *Manum ſuam aperuit inopi,& palmas ſuas extendit ad pauperem.* Quod & de pauperibus eleemoſynarum, quæ generaliter fiunt in pauperes,accipi poteſt: ſed meliùs de verbo Dei,quod indumẽtum ſalutis animabus confert,intelligitur. Aperuit autem Eccleſia manum inopi,cùm myſteria fidei ignorantibus per operarios veritatis reuelauit. Palmas extendit ad pauperem,cùm longè lateq; prædicatores ad imbuendas æternæ ſalutis indigenas nationes diſperſit. *Non timebit domui ſuæ à frigoribus niuis.* Frigora niuis,corda ſunt reproborum,perfidiæ ſuæ torpore rigentia: quæ illa vtiq; niue peſsimè deprimuntur, quæ ob primæ ſuperbiæ meritum de cælo corruẽs in profunda tenebrarum, nihilominùs ſe velut angelum lucis adhuc ſtultis oſtentare præſumit. Non timebit autem Eccleſia domui ſuæ à frigoribus memoratæ niuis:quia Domino pollicente credit, quòd portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. *Omnes enim domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus*: & ſapientia videlicet,ad repellendas hæreticas falſorum fratrum doctrinas:& patientia,ad tolerandas aperatorum hoſtium pugnas. Vel induti ſunt veſte duplici:vna operis,altera mentis,fidei habentes factorumq; velamina: ſacramentis videlicet ſui redemptoris imbuti,& informati exemplis. *Stragulatam veſtem fecit ſibi.* Stragulata veſtis, quæ variante textura ſolet firmiſsima conſici,fortia Eccleſiæ opera,& diuerſa virtutum eius ornamenta ſignificat:de quibus propheta in ſummi regis viri videlicet illius,laude cecinit: Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumamicta varietate. *Byſſus quoq; & purpura indumentum eius.* Byſſus in cõuerſatione,purpura in effuſiõe preciosi ſanguinis. Byſſo induitur Eccleſia,cùm caſtigant corpora ſua electi,& ſeruituti ſubijciũt: purpura aũt,cùm eandẽ continentiã non ob fauorẽ vulgi,ſed ad acquirendã beatitudinẽ regni perennis exercent. *Nobilis in portis uir eius,quãdo ſederit cũ ſenatorib. terræ.* Vir ſanctæ Eccleſiæ, vir cuiusq; fidelis animæ,Dominus eſt:qui videbatur ignobilis,cùm ante tribunal præſidis ſtaret iudicandus,cùm ꝓbra,flagella,ſputa & ipſam crucis mortẽ ſuſciperet:ſed nobilis apparebit,cùm venerit iudicaturus orbẽ in æquitate, & oẽs angeli cũ eo. Sedebit aũt cum ſenatoribus terræ,i. ſanctis apoſtolis: Veteres in portis ſedere ad iudicandum ſolebant. *Sindonem fecit & vẽdidit,& cingulum tradidit Chananæo.* Sindonem Eccleſia fecit &

Matth. 3. Philip. 3. Frigora niuis myſticè. Matth. 16 Sapiẽtia. Patientia. Pſalm. 44 Lana. Linum.

ven-

Universidad de Deusto
Biblioteca

vendidit: quia fidem, quam credendo texuerat, loquendo dedit, & ab infidelibus vitam rectæ conuersationis accepit. Quæ & Chananæo cingulum tradidit, quia per vigorem demonstratæ iustitiæ, fluxa opera gentilitatis astrinxit, vt hoc quod recipitur, viuendo teneatur, Sint lubi vestri præcincti. Benè etenim nomine Chanaan, qui & gentilem populum procreauit, & interpretatur commutatus, conuersa ad fidem gentilitas designatur: quæ felicissima commutatione à vitijs ad virtutes, à diabolo transmigrauit ad Christum. *Fortitudo & decor indumentum eius, & ridebit in die nouissimo.* Fortitudo, ad toleran-
Fortitudo. dam peruersorum improbitatem: decor, ad
Decor. exercendam virtutum gratiam. Decor, quia operatur iustitiam: fortitudo, quia persecutionem patitur, ppter iustitiã. Et ideò ridebit in die nouissimo. i. gaudebit in retributione regni cælestis, quæ dolebat in certamine vitæ præsentis. *Os suum aperuit sapientiæ.* Ad hoc tantùm loquens os aperuit, vt sapientiam doceret, iuxta illud A-
Ephes. 4 postoli: Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad ædificationẽ fidei, vt det gratiã audiẽtibus. Vel certè os cordis aperuit ad discendam ab ipsa Sapientia interiùs veritatem, quam alios foris doceret. *Et lex clementiæ in lingua eius.* Illa videlicet, vt non statim more legis Mosaicæ peccantes puniret, sed misericorditer ad pœnitentiæ remedia vocaret. *Considerauit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit.* Semitas domus suæ considerat, quia cunctas conscientiæ suæ cogitationes subtiliter inuestigat: Panem otiosa non comedit, quia hoc quod de sacro eloquio intelligendo perceperat, ante æterni iudicis oculos exhibendo operibus ostendit. Panem quoq; otiosa non comedit, cùm sacrificium dominici corporis percipiens, studet imitari actu, quod in mysterio celebrat, mul-
1. Cor. 11. tùm solicita, ne indignè panem Domini comedendo & calicem bibendo, iudicium sibi manducet & bibat: sed vt patiendo pro Christo, ac lachrymas fundendo, bonis quoq; actibus insistendo, passionum exempla ipsius quantùm valet sequatur. *Surrexerunt filij eius, & beatissimam prædicauerunt: vir eius, & laudauit eam.* Quod futurum pro certo nouerat, more prophetico quasi iam factum refert. Surgent enim filij Ecclesiæ, videlicet omnes electi in nouissimo carnis immortalitate donati: & tunc matrem suam, quæ eos ex aqua & spiritu sancto Deo genuit, beatissimam prædicabunt, quæ nunc ab infidelibus quasi misera contemnitur. Surget vir eius, &
Matth. 25 laudabit eam, dicens in iudicio: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es uniuersas.* Multas filias ecclesias dicit hæreticorum, & malorum turbas catholicorum. Quæ congregauerunt diuitias, vi-
Opera si- delicet bonorum operum, orationes, ieiunia, e-
ne ulla fi- leemosynas, afflictionem & castimoniam car-
de. nis, continentiam linguæ, meditationem scripturarum, & cætera huiusmodi, quæ veræ sunt diuitiæ spiritus, vbi pura mentis synceritate geruntur. Vbi autem sine fide, quæ per dilectionem operatur, fiunt, nihil agentibus prosunt. Sed omnes istiusmodi filias Ecclesia catholica supergreditur, quæ fide casta & opere perfecto redemptoris sui vestigia sectatur. *Fallax gratia & vana est pulchritudo: mulier timens Dominum ipsa laudabitur.* Fallax est gratia laudis, quam ab homine accipit: vana pulchritudo charitatis vel operationis bonæ, quam hominibus ostentat anima, quę timore caret diuino. At illa conscientia vera est laude digna, quæ timorem Domini in omnibus seruat. Ipse est principium cunctarum custosq; virtutum, scriptura dicente: Timor Domini Eccli. 1.
principium sapientiæ. *Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius.* Hæc sunt verba viri illius, de quo dictum est, Vir eius, & laudabit eam: id est, Domini & Saluatoris nostri, qui angelis in fine præcepturus est, vt Ecclesiam post huius vitæ certamen, triturationem, afflictionem terrestrium, ad cælestis regni gaudia introducant, ac vitæ immortalitatis sibi sociam aggregent. Date ei, inquit, de fructu manuum Gal. 5.
suarum: quia fructum spiritus ferre curauit, Fructus spiritus.
charitatem, gaudium, pacem, benignitatem, bonitatem, modestiam, continentiam, fidem, patientiam: pro hoc illi debitam rependite mercedem. Et laudent eam in portis, hoc est, in iudicio, siue in ingressu patriæ cælestis, non hominũ fauores superuacui, sed opera ipsa quæ fecit: examinante, probante ac remunerante illo, cuius hæc donante gratia perfecit. Hæc omnia (passim breuitatis studio multis omissis) ad verbum ferè descripsimus ex illis Commentarijs in Prouerbia, quæ in operibus D. Hieronymi habentur: non sunt autem Hieronymi, quippe qui in ijspsis nominatim citatur: sed vetustissima manuscripta exemplaria ea Bedæ attribuunt. Potest autem præco verbi Dei ea, quæ de Ecclesia dicta sunt, facilè B. Mariæ Magdalenæ accommodare, cuius vtinam pœnitentiam imitemur, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

IN EODEM FESTO.
Luc. VII.

In illo tempore: Rogabat Iesum quidam de phariſæis, *ut manducaret cum illo. Et ingressus domum pharisæi, discubuit. Et reliq. Homilia beati Gregorij papæ.*

COgitanti mihi de Mariæ pœnitentia, flere magis libet, quàm aliquid dicere. Cuius enim vel saxeum pectus illæ huius peccatricis lachrymæ ad exemplum pœnitendi non emolliant? Considerauit nanq; quid fecit, & noluit moderari quid faceret. Super conuiuantes ingressa est: non iussa

sa venit, & inter epulas lachrymas obtulit. Discite quo dolore ardet, quæ flere & inter epulas non erubescit. Hanc verò quam Lucas peccatri-
Ioan. 12. Mar. 16. cem mulierem, Ioannes Mariam nominat, illam esse Mariam credimus, de qua Marcus septem
Septem dæmonia eiecta fuisse testatur. Et quid per septẽ
dæmonia, vniuersa vitia designantur? Quia
vniuersitas vitiorum. enim septem diebus omne tempus comprehenditur, rectè septenario numero vniuersitas designatur. Septem ergo dæmonia Maria habuit, quæ vniuersis vitijs plena fuit. Sed ecce quia turpidinis suæ maculas aspexit, lauanda ad fontem misericordię cucurrit, conuiuantes non erubescit. Nam quia semetipsam grauiter erubescebat intùs, nihil esse credidit, quod verecundaretur foris. Quid ergo miramur fratres? Mariam venientem, an Dominum suscipientem? Suscipientem dicam, an trahentem? Sed meliùs trahentẽ dicam & suscipientem: quia nimirùm ipse eam per misericordiam traxit intùs, qui per mansuetudinem suscepit foris. Sed iam textum sancti euãgelij percurrentes, ipsum quoq; ordinẽ quo venerit sananda, videamus. *Attulit alabastrum unguenti, & stans retrò secus pedes ieſu, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & unguento ungebat.* Liquet, fratres, quòd illicitis actibus priùs mulier intenta, vnguentum sibi pro odore suæ carnis adhibuit.
Quod ergo turpiter sibi exhibuerat, hoc iam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat: sed hos iam per pœnitentiam conterens, flebat. Capillos ad compositionem vultus exhibuerat: sed iam capillis lachrymas tergebat. Ore superba dixerat: sed pedes Domini oscu-
Oblectamenta uertit in holocausta. lans, hoc in redemptoris sui vestigia figebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se inuenit holocausta. Conuertit ad virtutum numerum, numerum criminum, vt totum Deo seruiret in pœnitentia, quicquid ex se Deum contemperat in culpa. Sed hoc pharisæus intuens despicit, & non solùm venientem mulierem peccatricem, sed etiam suscipientem Dominum reprehendit, dicens intra se: *Hic si esset propheta, sciret utiq; quæ & qualis esset mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Ecce Pharisæus veraciter apud se superbus, & fallaciter iustus, ægram reprehendit de ægritudine, medicum de subuentione: qui ipse quoque de elationis vulnere ægrotabat, & ignorabat. Inter duos autem egros medicus aderat: sed vnus æger in febre sensum integrũ tenebat, alter verò in febre carnis, & sensũ perdiderat mẽtis. Illa quippe flebat quod fecerat: pharisæus autem falsa iustitia elatus, vim suæ inualitudinis exaggerabat. In ægritudine ergo & sensum perdiderat, qui hoc ipsum quoq; quod à salute longè esset, ignorabat. Sed inter hæc nos gemitus cogit quosdam nostri ordinis viros intueri, qui sacerdotali officio prædi-
Vitia et in alijs castiganda. ti, si quid forte iustè exteriùs vel tenuiter egerint, protinùs subiectos despiciunt, & peccatores quosque in plebe positos dedignantur, eisq; compati culpã suam confitẽtibus nolunt, ac velut pharisæi more, à peccatrice muliere tangi despiciunt. Quæ profectò mulier si ad pharisæi pedes venisset, nimirùm calcibus repulsa discederet. Inquinari enim se alieno peccato crederet. Sed quia hunc vera sua iustitia non replebat, de alieno vulnere ægrotabat. Vnde necesse semper est, vt cùm peccatores quosq; conspicimus, nosmetipsos priùs in illorum calamitate defleamus, quia fortasse in similibus aut lapsi sumus, aut labi possumus, si lapsi non sumus. Etsi censura magisterij debet semper virtute disciplinæ vitia persequi, oportet tamen vt solicitè discernamus, quia districtionem debemus vitijs, compassionem naturæ. Si enim feriendus est peccator, nutriendus est proximus. Cùm verò iam per pœnitentiam percutit ipse quod fecit, iam noster proximus peccator non est: quia cùm Dei iustitiam contra se dirigit, & hoc in se punit, quod iustitia diuina reprehendit. Sed iste superbus & arrogans, qua sententia conuincatur, audiamus. De duobus quippe debitoribus ei paradigma proponitur, quorum vnus minùs, & alius ampliùs debet. Vtrorunq; debito dimisso, quis ampliùs largitorem debiti diligat, interrogatur. Quibus verbis protinùs ille respondit: *Ille pluis diligit, cui plus dimittitur.* Quia in re notandum est, quia dum sua sententia pharisæus conuincitur, quasi phreneticus funem portat, vnde ligetur. Enumerantur ei à Domino bona peccatricis mulieris, enumerantur mala falsi iusti, cùm dicitur: *Intrauit in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis ſuis terſit. Oſculum mihi non dediſti: hæc autem ex quo intrauit, non ceſſauit oſculari pedes meos. Oleo caput meum non unxiſti: hæc autem unguento unxit pedes meos.* Post enumerationem verò subinfertur sententia: *Propter quod dico tibi: remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Quid fratres mei esse dilectionẽ credimus, nisi ignem? Et quid culpam, nisi rubiginem? Vnde nunc dicitur: Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm. Ac si apertè diceretur: Incendit planè peccati rubiginem, quia ardet valdè per amoris ignem. Tanto nanq; ampliùs peccati rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno charitatis igne concrematur. Ecce ea quæ ad medicum venerat ægra, sanata est: sed de salute eius adhuc alij ægrotant. nã simul discumbentes conquesti sunt, intra se dicentes: *Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit?* Sed cælestis medicus ægros non respicit, quos etiam de medicamento fieri deteriores videt: Eam quam sanauerat, per pietatis sententiam confirmat, dicens: *Fides tua te ſaluam fecit, uade in pace.* Fides etenim saluam fecit, quia hoc quod petijt, posse se accipere non dubitauit. Sed ipsam quoque spei certitudinem iam ab illo acceperat, à quo per spem etiam salutem quærebat. In pace autem ire præcipitur, vt à veritatis itinere in viam scan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dasi vlteriùs non deriuetur. Vnde & per Zachariam dicitur: Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Luc. 1.

Tunc enim gressus nostros in viam pacis dirigimus, quando per illud actionum iter pergimus, in quo ab authoris nostri gratia non discordamus. Hæc fratres charissimi, historica expositione transcurrimus; nunc si placet,

Pharisæus typus Iudeorum.

ea quæ dicta sunt mystico intellectu differamus.

Peccatrix, gentilitas.

Quem nanq; pharisæus de falsa iustitia præsumens, nisi Iudaicum populum: quem peccatrix mulier sed ad vestigia Domini veniens, & plorans, nisi conuersam gentilitatem designat? Quę cum alabastro venit, vnguentum fudit, retrò iecus pedes Domini stetit, lachrymis pedes rigauit, capillis tersit, eosdemq; quos infundebat & tergebat pedes, osculari non destitit. Nos ergo nos illa mulier expressit, si toto corde ad Dominum post peccata redeamus, si eius pœnitentiæ luctus imitemur. Quid nanq; vnguento, nisi odor bonæ opinionis exprimitur? Vnde & Paulus

2. Cor. 2.

dicit: Christi bonus odor sumus Deo in omni loco. Si igitur recta opera agimus, quibus opinionis bonæ odoribus Ecclesiã respergamus, quid in Domini corpore nisi vnguentum fundimus? Sed secus pedes Iesu mulier stetit. Contra pedes enim Domini stetimus, cùm in peccatis positi, eius itineribus renitebamur. Sed si ad veram pœnitentiam post peccata conuertimur, iam retrò secus pedes stamus: quia eius vestigia sequimur, quem impugnabamus. Lachrymis mulier pedes eius rigat. Quod nos quoq; veraciter agimus, si quibuslibet vltimis membris Domini per compassionis affectum inclinamur, si sanctis eius in tribulatione compatimur, si eorũ tristitiam nostram putamus. Capillis mulier pedes quos rigauerat tersit. Capilli quippe superfluũt corpori. Et quid abundans terrena substantia, nisi capillorum speciem tenet? Quæ dum ad vsum necessitatis superfluit, etiam abscissa nõ sentit. Capillis ergo pedes Domini tergimus, quando sanctis eius, quibus ex charitate cõpatimur, etiam ex his quæ nobis superfluunt, miseremur: quatenùs sic mens per compassionem doleat, vt etiam larga manus affectum doloris ostendat. Rigat nanq; lachrymis redemptoris pedes, sed capillis suis non tergit, qui vtcunq; proximorũ dolori compatitur, sed tamen eis ex his quæ sibi superfluunt, non miseretur. Plorat & non tergit, qui verba quidem doloris tribuit, sed non ministrando quæ desunt, vim doloris minimè abscindit. Osculatur mulier pedes quos tergit: Quod nos quoq; plenè agimus, si studiosè diligimus, quos ex largitate cõtinemus: ne grauis sit nobis necessitas proximi, ne ipsa eius indigentia quæ sustentatur, fiat onerosa: & cùm manus necessaria tribuit, animus à dilectione torpescat. Potest quoq; per pedes ipsum mysterium incarnationis eius intelligi, quo diuinitas terram tetigit,

Ioan. 1. Christ pedes ungere

quia carnem sumpsit. Verbum enim caro factũ est, & habitauit in nobis. Osculamur igitur redemptoris pedes, cùm mysterium incarnationis eius ex toto corde diligimus. Vnguẽto pedes vngimus, cùm ipsam humanitatis eius potẽtiã sacri eloquij bona opiniõe prędicamus. Sed hoc pharisæus videt & inuidet: quia cùm Iudaicus populus gentilitatem Deum prædicare conspicit, iua apud se malitia tabescit. Sed redemptor noster facta eiusdem mulieris quasi bona gentilitatis enumerat, vt in quo malo Iudaicus populus iaceat, agnoscat. Nam sic pharisæus retunditur, vt per eum, sicut diximus, perfidus ille populus ostendatur. Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos. Aqua quippe extra nos est, lachrymarum humor intra nos est: quia videlicet infidelis ille populus, nec ea quæ extra se erant, vnquam pro Domino tribuit: conuersa autem gentilitas pro eo non solùm rerum substantiam dedit, sed etiam sanguinem fudit. Osculũ mihi non dedisti: hæc autem ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos. Osculum quidem dilectionis est signum. Et infidelis ille populus Deo osculum non dedit: quia ex charitate eum amare noluit, cui ex timore seruiuit. Vocata autem gentilitas, redemptoris sui vestigia oscularí non cessat, quia in eius amore continuò suspirat. Vnde & sponsæ voce de eodẽ redemptore nostro in Canticis canticorum dicitur: Osculetur me osculo oris sui. Osculum rectè conditoris sui desiderat, quæ ei obsequi per amorem parat. Oleo caput meum non vnxisti. Si pedes Domini mysterium incarnationis eius accipimus, congruè per caput illius ipsa diuinitas designatur. Vnde & per Paulum dicitur: Caput Christi Deus. In Deo quippe, & non in se, quasi in homine, credere Iudaicus populus fatebatur. Sed pharisæo dicitur: Oleo caput meum non vnxisti: quia ipsam quoq; diuinitatis eius potẽtiam, in qua se Iudaicus populus credere spopondit, digna laude prædicare neglexit. Hæc autem vnguento vnxit pedes meos: quia dum incarnationis eius mysterium gentilitas credidit, summa laude etiam eius ima prædicauit. Sed iam redemptor noster enumerata bona concludit, cùm per sententiam subdit: Propter quod dico tibi: remittuntur ei peccata multa, quoniã dilexit multùm. Ac si apertè dicat: Etsi durum est valdè quod coquitur, abundat tamen amoris ignis, quo etiam dura consumantur. Libet inter hæc considerationem tantæ pietatis intueri: peccatricis mulieris opera, sed pœnitentis, quæ æstimatione veritas apud se seruat, quæ eius aduersario sub tanta distributione enumerat. Ad pharisæi prandium Dominus discumbebat, sed apud pœnitentem mulierem mentis epulis delectabatur. Apud pharisæum veritas pascebatur foris, apud peccatricem mulierem, sed tamen conuersam, pascebatur intùs. Vnde & ei sancta Ecclesia, quem sub specie hinnuli ceruorum quærit, in Canticis Canticorum dicit:

Iudi-

Christus, hinnulus ceruorum

Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie. Ceruorum itaque hinnulus Dominus appellatur, iuxta assumptam carnem antiquorum filius patrum. Feruentior verò in meridie æstus ardescit, & vmbrosum locum hinnulus quærit, quem æstus igne non afficit. In illis cordibus Dominus requiescit, quæ amor præsentis seculi non incendit, quæ carnis desideria non exurunt, quæ incensa suis anxietatibus, in huius mundi concupiscentijs non ardescunt. Vnde & Mariæ dicitur: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Vmbrosa ergo loca in meridie ad pascendum hinnulus quærit: quia talibus mentibus Dominus pascitur, quæ per respectum gratiæ temperatę, corporalibus desiderijs non vruntur. Plùs ergo pœnitens mulier pascebat intùs, quàm pharisæus Dominum pascebat foris: quia ab æstu carnalium quasi hinnulus redemptor noster ad illius mentem fugerat, quam post vitiorum ignem pœnitentiæ vmbra temperabat. Pensemus quantæ pietatis fuit, peccatricem mulierem non solùm ad se admittere, sed etiam ei ad tangendum pedes præbere. Consideremus gratiam misericordis Dei, & damnemus multitudinem reatus nostri. Ecce peccatores videt & sustinet, & resistentes tolerat, & tamen quotidiè per euangelium clementer vocat. Confessionẽ nostram ex toto corde desiderat, & cuncta quæ delinquimus, relaxat. Temperauit nobis districtionem legis misericordia redemptoris. In illa quippe scriptum est: Si quis hoc vel illud fecerit, morte moriatur. Si quis hæc vel illa fecerit, lapidibus obruatur. Apparuit conditor noster in carne, confessioni peccatorum non pœnam, sed vitam promittit. Mulierem sua vulnera confitentem suscipit, & sanam dimittit. Inflexit ergo ad misericordiam duritiam legis: quia quos iustè illa damnat, ipse misericorditer liberat. Vnde benè quoq; in lege scriptum est: Quia manus Moysi erant graues. Sumentes igitur lapidem posuerunt subter, in quo sedit. Aaron autem & Hur sustentabant manus eius. Moyses quippe sedit in lapide, cùm lex requieuit in Ecclesia. Sed hæc eadem lex manus graues habuit, quia peccantes quosq; non misericorditer pertulit, sed seuera districtione percussit. Aaron verò mons fortitudinis: Hur autẽ ignis interpretatur. Quem itaq; iste mons fortitudinis signat, nisi redemptorem nostrum, de quo per prophetam dicitur: Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium? Aut quis per ignem, nisi spiritus sanctus figuratur? de quo idem redemptor dicit: Ignem veni mittere in terram. Aaron ergo & Hur, graues manus Moysi sustinent, atque sustentãdo leuiores reddunt: quia mediator Dei & hominum cum igne sancti spiritus veniens, mandata legis grauia, quæ dum carnaliter tenerentur, portari non poterant, tolerabiliora nobis per spiritualem intelligentiam ostendit. Quasi enim manus Moysi leues reddidit, quia pondus mandatorum legis, ad virtutem confessionis retorsit. Hanc nobis sequentis misericordiæ promissionem innuit, cùm per prophetam dixit: Nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat. Hinc iterùm sub Iudeæ specie vnicuiq; peccatrici animæ dicitur: Si dereliquerit vir vxorem suam, & illa recedens duxerit virum alium, nunquid reuertetur ad eum vltrà? Nunquid non contaminata & polluta erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus. Ecce paradigma turpis mulieris dedit, ostendit quòd post turpitudinẽ recipi non possit. Sed hoc ipsum paradigma qđ protulit, per misericordiam vincit, cùm dicit fornicantem mulierem nequaquàm recipi posse, & tamen ipse fornicantem animam vt recipiat, expectat. Penſate, fratres, pondus tantæ pietatis. dicit quod fieri non potest, & demonstrat, quia hoc ipse facere etiã contra morẽ potest. Ecce vocat, & quos inquinatos denunciat: hos etiam amplecti quærit, à quibus desertum esse se queritur. Nemo ergo tantæ misericordiæ tempus perdat, nemo oblata remedia diuinæ pietatis abijciat. Ecce superna benignitas nos reuocat auersos, & nobis reuertentibus suæ clementiæ sinum aperit. Vnusquisq; igitur pensẽt, quo debito constringitur, quando illum Deus expectat, ne contemptus exasperetur. Qui ergo permanere noluit, redeat: qui stare contempsit, saltem post lapsum surgat. Quanto nos amore conditor noster expectat insinuat, cùm per prophetam dicit: Attendi & auscultaui, nemo quod bonum est loquitur: non est qui recogitet in corde suo, & dicat, Quid feci? Certè nunquam cogitare mala debuimus: sed quia rectè cogitare noluimus, ecce adhuc sustinet vt recogitemus. Videte tantæ pietatis sinum, considerate apertum nobis gremium misericordiæ. Quos malè cogitantes perdit, benè recogitantes quærit. Ad vos igitur, fratres charissimi, ad vos oculos mentis reducite, & pœnitentem mulierem peccatricem in exemplum vobis imitationis anteferte. Quecunq; vos in adolescentia, quæcunq; in iuuentute deliquisse meministis, deflete, morum operumq; maculas tergite lachrymis. Amemus iam redemptoris nostri vestigia, quæ peccando contempsimus. Ecce, vt diximus, ad recipiendos nos supernæ pietatis sinus aperitur, nec maculosa in nobis vita contemnitur. Per hoc quòd inquinationem nostram perhorrescimus, internæ iam munditiæ concordamus. Reuertentes nos Dominus clementer amplectitur: quia peccatorum vita ei esse indigna iam non potest, quæ fletibus lauatur, in Christo Iesu Domino nostro, qui viuit & regnat cum patre Deus in vnitate spiritus sancti, per omnia secula seculorum, Amen.

Ezec. 18. tere. 3.

Luc. 1.

Misericordiã Dei ergo respicientes.

Exod. 17.

Lex habuit graues manus

Isa. 2.

Luc. 12.

Ieremi. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN FESTO S. IACOBI

Apostoli Concionem exegeticam in Epistolam, quære in Communi.

IN EODEM FESTO,

Matth. XX.

In illo tempore: Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi cum filijs suis, adorans & petens aliquid ab eo. Et reliq. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

DOminus Iesus Christus conditor ac redemptor noster, vulnera superbiæ nostræ sanare desiderans, & ipse cùm in forma Dei esset, forma hominis assumpta, humiliauit semetipsum, factus obediens vsq; ad mortem, & nos quoq; si culmen veræ sublimitatis conscendere volumus, iter humilitatis arripere præmonet, nos si veram vitam videre cupimus, & aduersa quæque præsentis seculi, & ipsam quoq; mortem patienter ferre præcepit. Promisit nobis dona gloriæ, sed præmisit certamina pugnæ. Dixit promittens: Erit merces vestra magna, & eritis filij altissimi: sed prædixit iubens: Diligite inimicos vestros, benefacite & mutuum date, nihil inde sperantes. Ita igitur præmia pollicetur electis, vt & digna præmijs merita præmonstret: sic vitam donat æternam, vt per angustam portam & arctam viam ad hanc perueniendum esse decernat. Vnde ait: Contendite intrare per angustam portam. Contentione etenim non parua opus est, si quis ad alta velit ascendere. Nam cùm tanto sudore vertices montium subeamus, quantùm necesse est conari, vt conuersationem in cælis habere, & in monte sancto Domini mereamur quiescere? Vnde etiam in hodierna sancti euangelij lectione, cùm filij Zebedæi ab eo sedes regni peterent, confestim illos ad bibendũ calicem suum, hoc est, ad imitandum passionis suæ agonem reuocat, vt meminissent, quia cælestium summa petere non nisi per abiecta & aspera terrestrium deberent. *Accessit, inquit, ad eum mater filiorum Zebedæi cum filijs suis, adorans & petens aliquid ab eo. Quid dixit ei: Quid uis? Ait illi: Dic ut sedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo.* Nemo autem æstimet matrem hæc pro filijs absque illorum consensu & voto petisse, sed potiùs intelligat vnanimi omnium eorum consilio fuisse dispositum, vt per matrẽ, quam maximè dilectam à Domino nouerant, suum illi desiderium patefacerent. Vnde hæc referens euangelista Marcus, tacito matris interuentu, discipulorum solummodò, quorum appetitum sciebat, facit mentionem. Et accedunt, inquit, ad eum Iacobus & Ioannes filij Zebedæi, dicentes: Magister, volumus vt quodcunque petierimus, facias nobis. At ille dixit eis: Quid vultis vt faciam vobis? Et dixerunt: Da nobis, vt vnus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram sedeamus in gloria tua. Illos ergo tantum accedere ad Dominum, & eum rogare asserit, quorum voluntatem in rogãdo potiorem conspicit, & quorũ hortatu matrẽ ad rogandũ nouit esse cõmonitam. Credendum est autẽ, quòd illa maximè causa vel mulierem matris affectus, vel carnales adhuc discipulorum animos ad hæc postulanda concitauerit, quia meminissent sermonis Domini, quem ait: Cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël: nossentq; inter discipulos specialiùs se à Domino diligi, se specialiùs cum B. Petro conscios sæpè factos arcanorum, quæ ignorarent cæteri, quod frequens sancti euangelij textus indicat. Hinc est enim, quòd ipsis quoq; quomodò Petro, nouum ab illo nomen imponitur: vt sicut ille, qui priùs Simon dicebatur, per fortitudinem ac stabilitatem fidei inexpugnabilis vocabulum Petri meruit: ita & isti Boanerges, hoc est, filij tonitrui vocarentur: quia videlicet & vocem patris super Dominum in monte clarificatum vnà cum Petro audirent, & plura alijs discipulis mysteriorum secreta cognoscerent, quodque ad rem plurimum pertinebat, se integro corde Domino adhærere, & maxima dilectione sentiebant amplecti. ideoq; non discredebant fieri posse, vt circa eum viciniùs ipsi in regno sederent: præsertim cùm viderent Ioannem pro singulari puritate mentis & corporis tanto amore habitum, vt super pectus ipsius in cœna recũberet. Sed quid eis dignitatem sedium quærentibus, ipse cognitor meritorum, ac sedium distributor responderit, audiamus. *Respondens autẽ Iesus, dixit: Nescitis quid petatis.* Nesciebant enim quid peterent, qui in regno cælestis patriæ quẽquam ad sinistram Christi sessurum esse putabant, cùm in illa discretione nouissimi examinis omnes electi ad dexteram summi regis ac iudicis legantur esse statuendi. Nihil quippe sinistrũ vita illa, nihil habet felicitas æterna reprobum, nihil pax sempiterna recipit caducum. Sinistra autem Christi cùm in bono accipitur, præsens sanctæ Ecclesiæ vita intelligitur. Vnde scriptum est: Longitudo dierum in dextera eius, in sinistra eius diuitiæ & gloria. Longitudo quippe dierum in dextera redemptoris nostri est, quia in illa supernæ habitationis patria, electis omnibus lux indefectiua donatur. In sinistra verò illius diuitiæ & gloria, quia & in huius exilio peregrinationis, diuitijs & gloria fidei, donec ad æterna perueniamus, reficimur. De qua videlicet gloria dicit apostolus: Et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus. De quibus itẽ diuitijs: Quia in omnibus, inquit, diuites facti estis

Philip. 2.

Luc. 6.

Matth. 7.

Luc. 13.

Mar. 10.

Psalm. 83.

Matth. 4.

Matth. 16.

Esa. 9.

Rom. 8.

1. Cor. 2.

estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia. Nesciebant quid peterent, qui autumabant humano arbitrio præeligi posse, quibus quisq; sedibus in futuro, qua retributione donetur. Et potiùs Dominum precabantur, vt fiduciam & gloriam spei, quam habebant, vsq; ad finem firmiter bono inhærendo perducerent, scientes quia quicquid boni agerent, ipse inæstimabili mercede remuneraret. Et quidem laude digna est pia simplicitas eorum, qui fiducia deuotæ mentis sedere in regno circa Dominum poscebant: sed multo digniùs laudabilis erit prudens humilitas eius, qui conscientia propriæ fragilitatis ait: Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Nesciebant quid peterent, qui sublimitatem potiùs præmiorum à Domino, quàm operum perfectionem quærebant. Sed cælestis eos magister, quid primò quærẽdum esset insinuãs, reuocat ad viã laboris, qua ad brauiũ pertingere possint retributionis. *Potestis, inquit, bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Calicem scilicet dicit amaritudinem passionis, qui infidelium acerbitate crebrò iustis offertur. Nam hanc quicunq; humiliter, patienter, ac gaudenter pro Christo susceperit, meritò cùm illo sublimiter regnabit. Quia ergo filij Zebedæi cum illo sedere desiderabãt, admonet eos primò passionis suæ sequi exempla, & ita demum optatæ maiestatis culmen appetere. Quem viuendi ordinem cunctis fidelibus sequendum docet Apostolus, dicens: Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul etiam resurrectionis erimus. *Dicunt illi: Possumus.* Mentem quidem deuotionemque suam, qualis in præsenti erat, simpliciter Domino pandebant, dum se calicem eius bibere posse testabantur: qui tamen quantæ infirmitatis adhuc essent, postmodum patenter ostendebant, dum adueniente tempore, quo ipse Dominus eundem calicem biberet, etiam illi cum cæteris discipulis eius relicto eo fugerunt. Sed non diù metus idem bibendi calicis eorum corda premebat: quin potiùs qui passuro Domino fugerunt, eo resurgente ocyus redierunt, & qui passionis turbine terrẽte trepidauerunt, fulgente resurrectionis eius triumpho, confirmati sũt: atq; accepta sanctiſpiritus gratia, firmum de reliquo pectus ad bibendum Domini calicem tenebant: quia ad patiendum moriendumq; pro illo iam inuincibiles esse cœperunt, impleta sua passione, qua dixit eos calicem suum esse bibituros. Nam sequitur: *Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam & sinistram, non est meum dare uobis, sed quibus paratum est à patre meo.* Sedet ad dexteram saluatoris, qui in superna beatitudine de præsenti eius visione lætatur. Sedet ad sinistram, qui in hac peregrinatione sanctæ Ecclesiæ sacerdotali regimine præsidet. Sed intuendum solertiùs, quomodò se petentibus discipulis dixerit verax magister: Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo, cũ alibi dixerit: Omnia mihi tradita sunt à patre meo, ideoq; constet, quia omnia quæcũq; pater dederit vel parauerit dona fidelibus, hæc eadẽ vnà cum filio vult parare siue dare. Nam & rursùm de patre dicit Dominus: Quæcunq; enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit. Si ergo omnia quæcunq; pater fecerit, hæc & filius similiter facit: quomodò dicit filius, Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo, nisi quia idem filius & Deus & homo est? Ideoque per euangelium suum aliquando ex voce diuinæ maiestatis, qua æqualis est patri: aliquando ex voce loquitur humanæ assumptionis, qua æqualis factus est nobis. In hac autem lectione, quia humilitatis formam erat præbiturus hominibus, cuncta maximè ex assumpti hominis natura loquitur. Nam & in principijs, vt mater ad eum cum filijs petitura aduenit, quæ iuit ab ea quid vellet, interrogans quasi homo, quasi nescius occultorum, quasi ignarus futurorum, qui in æternitate diuinæ potentiæ omnia nouit antequàm fiant. Et quia illa in precibus humanitatis eius potiùs, quàm diuinitatis memoriã prætulit, postulans sedem filijs à dextris eius & sinistris, qui in habitu corporeo dextram habuit & sinistram, sed in diuina maiestate, nulla est membrorum compositione formatus, consequenter & ipse tacita impassibilis gloria deitatis, memoriam passionis, quam humanitùs erat suscepturus, in medium protulit, atq; hanc discipulis imitandam proposuit, cùm deuotam eorum sponsionem sua etiam attestatione confirmasset, dicens: *Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam & sinistram, non est meum dare uobis, sed quibus paratum est à patre meo.* Ac si apertè diceret: Passionẽ quidẽ, quam secundùm carnem subeo, vos patiendo estis secuturi: sed non est meũ, secundùm ipsam, qua patior, humanæ fragilitatis substantiã, donorum cælestium vobis munera dare, quæ dignis quibusq; ad percipiendum sunt à patre parata, me pariter cum illo eadem in diuinitate parante ac dante: quia omnia quæcũque ille fecerit, hæc & ipse per diuinitatem similiter facio. Quia verò ijdem filij Zebedæi prõptum gerebant animum ad bibendum Domini calicem, constat eos cum cæteris apostolis dignitatem sedium accepisse, non tamen ea distinctione qua petebant, vt vnus à dextris illius in regno eius, alter sederet à sinistris, sed iuxta quã suprà exposuimus, ambo priùs ad sinistram eius ad tempus, ambo nunc ad dexteram eius sedere perpetuò meruerunt. A sinistris quippe Christi sedebant, cùm regendis in hac vita fidelium populis, apostolico iure præsiderent, illo nimirum in regno, de quo ipse ait: Regnum Dei intra vos est. Sedent à dextris eius nunc in illa quę mortem nescit, iudices mundi cum illo, vtranq; hanc sedem illis ipso filio cum patre parante. Neq; enim largitio donorum in eis separari po-

Matth. 11.

Ioan. 5.

Luc. 17.

Calix, acerbitas passionis.

Sedere ad Christi dexteram.

Rom. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

test,in quibus vnitas naturæ semper inseparabilis manet,eodem filio attestante,qui ait: Ego & *Ioan. 10* pater vnum sumus. Neq; hoc sine consideratione transeundum, quomodò dixerit Dominus indifferenter filios Zebedæi calicem suum bibituros,cùm nouerimus ex his vnum,Iacobum scilicet per effusionem sanguinis vitam finisse:aliũ verò .i. Ioannem in pace Ecclesiæ quieuisse. Nã *Acto. 12* de Iacobi martyrio Lucas apertè testatur, quia misit Herodes rex manus,vt affligeret quosdam de Ecclesia:occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio. De cuius passione etiam historia *Euseb. Histo. Eccles.lib.2. cap.8.* ecclesiastica rem quandam dignam memoria refert. Et is,inquit,qui obtulerat Iacobum ad martyrium, motus etiam ipse confessus est se Christianum,ductiq; sunt ambo pariter ad supplicium. Et cùm ducerentur,in via rogauit Iacobum dari sibi remissionem. At ille parumper deliberans,Pax tibi,inquit,&osculatus est eum. Et ita ambo capite plexi sunt. Porrò de Ioanne narrant historiæ fideles,quia cùm sciret sibi superuenisse diem recessus sui, conuocatis discipulis suis in Epheso,per multa signorum experimenta promens Christum, descenderit in defossum sepulturæ suæ locum, & facta oratione positus sit ad patres suos,tam extraneus à dolore mortis,quàm à corruptione carnis inuentur alienus. Quomodò ergo calicem Domini bibere dictus est, de quo constat,quia nequaquàm *Calix passionis duobus modis bibitur.* per mortem passionis de corpore exiuit, nisi quia duobus modis idem calix bibitur, vno videlicet cùm à persecutore illata mors, patienter suscipitur:alio,cùm mens ad passionem prompta habetur,& vita martyrio digna geritur? Nam & Ioannes ipse quàm sit paratus ad potandum pro Domino mortis calicem,docuit,quando cũ *Actor. 5.* cæteris Apostolis (sicut in Actibus eorum legimus)carcerem & verbera gaudenti animo tole- *Apoc.1.* rabat, quando propter verbum Dei & testimonium Iesu,in Pathmos insulam exilio relegatus est,quando(sicut historia narrat ecclesiastica) à Domitiano principe missus est in feruentis olei dolium,de quo tamen, propitio Domino,tam sospes & mundus exijt, quàm fuerat mẽte & vita castissimus: & in exilium ab eodẽ missus,quò magis humano solatio destitutus esse videbatur,eo ampliori supernorum ciuium meruit frequentia consolari. Vnde ipse quoq; veraciter calicem Domini cum fratre Iacobo, qui occisus est gladio,bibisse intelligitur: quia qui tanta ꝓ veritate sustinuit, quàm promptus etiam ipsam mortem si offerretur exciperet,ostendit. Sed & nos,fratres charissimi,etiam si nil tale perpetiamur,si non vincula,non verbera,nõ carceres,nõ supplicia corporis alia,nõ vllam hominum persecutionem propter iustitiam toleremus, calicẽ *Martyres ut efficiamur.* tamen saluatoris accipere, & martyrij palmam obtinere valemus, si castigare corpus nostrum, & seruituti subijcere curamus,si in spiritu humilitatis,& in animo contrito,Domino supplicare assuescimus,si illatas à proximo cõtumelias placida mente suscipere satagimus,si &eos,qui nos odio habent,qui iniurias nobis inferunt,diligere,his bene facere, pro horum vita & sospitate gaudemus exorare,si cum virtute patientiæ,bonorum quoq; operũ fructibus adornari contendimus. Taliter enim conuersantibus nobis,& *Rom.12* corpora nostra, iuxta Apostoli vocem, hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem exhibentibus,Domino largiente dabitur, vt communi cũ eis,qui membra tua in mortem pro Christo dederunt,gloria remuneremur:quia sicut mors illorum,sic & vita nostra preciosa fit in conspectu Domini:disruptisq; vinculis carnis, & ipsi atria supernæ ciuitatis intrare,atq; inter choros beatorum martyrum, vota gratiarum redemptori nostro reddere merebimur,qui viuit & reg.&c.

SERMO IN VINCVLIS
B. Petri Apostoli.

Matth. 16 Simon Ioannis filius, Petrus à petra vocatus, post pisces piscator hominum, Ecclesiæ fundamentum, confessor Dei filij, pastor ouilis dominici, quondam despectus crucifer, modò cælorum clauiger, tres per anni circulum dies festiuos facit & celebres. Primam cõsecrat Antiochiæ cathedra, secundam passio crucis gloriosa, tertia est hodierna, quæ titulatur ad vincula. De hac à plerisq; voluũtur opiniones diuersæ,quas nõ ex veritatis authoritate,sed ex dubietatis confingunt errore. Videtur eis hodierna solennitas inde venerationis exordium accepisse,ꝙ in hac nocte sanctus aplũs absolutus sit carcerali compede. Sed veritati non concordat ordo temporum,cùm nõ hodiè,sed azymorum diebus legatur in carcere missus, & *Act.12* post pascha de manu Herodis,& de omni expectatione plebis Iudæorũ liberatus. Qui credunt in Augusto legitimũ celebrari pascha,credãt hodiè Petrũ euasisse vincula. Et si volũt opponere, ꝙ dicitur,Post pascha, futurũ aliquid significare,quasi à pascha vsq; ad præsentem diẽ seruaretur in carcere:occurrit eis & Herodis sæuitia & Iudæorũ væsania, qui vix quo tentus est die,si- *Vide historias ecclesiasticas, in quibus hæc aliter narrantur.* uissent aplũm viuere,si paschale festũ nõ timuissent violare. Sunt & alij,qui solutionẽ apostolicã minimè credunt hodiè factam,sed statutũ esse à patrib⁹,vt hodierna die veneraretur à fidelibus,sicut Apostolorũ Simonis & Iudæ commemoratio quinto calendas Nouẽbris agitur,quorũ passio calendis Iulij facta describitur. Legimus etiã de alijs sanctis aliũ diẽ cõmemorationis,aliũ de seculo migrationis: de quibus plurima supperent exẽpla,si fastidiũ non generaret oratio ꝓlixa. Sed quid visum fuerit patrib⁹ hæc ita ordinasse,nõ est modò temporis per singula dicere: tantùm sub breuitate perstringã, quam hodierna festiuitas habuerit causam. Si legentiũ dis-

plicuerit iudicio,iustè reprehendi de falsitate non timeo:quia non quasi alicuius authoritatis publico mea, sed minùs capacibus aliorum aperio clausa. Augusti mensis calendas ante saluatoris aduentum celebrauit antiquitas, cuius celebritatis principiũ videtur sub breuitate pandendum. Octauianus Cæsar Augustus Romanis imperauit fascibus. Cui cùm rebellaret Aegyptus,bellum suscepit contra fines eius, in quo Cleopatrã, in quã ceciderunt vltima regna Ptolemæorũ,& incestuosum cũ copijs suis cõtriuit Antoniũ. Cunq; victor potitus Alexãdria, victrices aquilas reportasset Romam, vt victorẽ decebat,ab vtriusq; sexus populo susceptus est honorificè. Et quia intantũ opibus Alexãdriæ Romanum commodum auxit, vt duplicia, quã vsq; ad id fuerant,possessionum aliarumq; rerum precia statuerit,decretum est à primatibus ciuitatis,vt eius memoria victoriæ,singulis recoleretur annis. Placuit igitur consilio communi,commemorationem in sextilibus calendis fieri,vt in ipso mense ageretur dies victoriæ,qui ab aucta republica & Cæsare, Augustus denominaretur vocabulo. Exhinc consuetudo inoleuit, magna deliberatione primatum,vt in gloriã tanti principis per omne anniuersarium Romanus populus cõueniret in vnũ,& ob Cæsarianas victorias coronata ciuitas,sexti mẽsis initia plausibus & choreis honoraret,& nemo ex confluentium turba,in sua remearet,priùs quã simplicẽ panis scilicet & vitei liquoris sumptum libasset. Sic ergo huius obseruantia diei vicesimooctauo ante incarnationem Domini cœpit anno, & præualuit apud gentiles per tempora quadringentorum septem annorum,vsq; in vltima Christiani principis Arcadij tempora. Tunc apud paganos finem fecit,& deinceps ad Christianos transiuit. Transiuit ab infidelitate ad fidem,ab impietate ad pietatem,à gentium princip e in Christianorum principem,ab Augusto Cæsare in euangelicum piscatorem. Tunc solennizabatur in templis idolorum, nunc festiuatur in Ecclesijs sanctorum. Tunc exhibebatur dæmonibus, nunc exhibetur ei, qui est Deus deorum. Procedat dicere sermo,quomodò mutauit hãc Christiana religio. Arcadius Imperator Augustus,magni Theodosij filius, post mortem patris imperium gubernauit quatuordecim annis. Hic sublatus de medio,regnum reliquit Theodosio iuniori filio,qui vix ætatis annos contigerat octo. Cuius mater Eudoxia,memorabilis vitæ fœmina, virilem induens animum, strenuè gubernauit imperium,& facta filio virtutum disciplina,docuit eum vitæ paternæque bonitatis sequi vestigia. De diuinis enim legibus eum admonebat,& perfectè seipsam cum ipso erudiebat. Non regni fastigijs eleuabatur,sed potiùs diuino timore succendebatur. Magnitudo beneficij auxit ei desiderium benefaciendi. Non erubuit purpuram inclinare,& pauperum debitam matriliumque curam agere. Non seruos, non mini-

Calendæ Augusti ethnicis eruditorum olim celebres.

Matth. 25

Hæc fuit Eudocia, Theodosij iunioris coniunx.

stros ad infirmorum habitacula mittebat,sed ipsa per se veniens quæ necessaria erant ministrabat. Cibos ipsa parabat,panem frangebat, epulas ministrabat,calices lauabat,potum porrigebat. Læua ægrum sustentabat,dextera manu cibabat. Alia etiam quæ seruorum erant officia, compleuit humilis regina,cupiens ab ipso benè ministrandi gradũ promereri,quise in suis minimis positetur visitari. Propterea solicitudinem gerebat maximam,sacrilego gentilium ritu mũdare patriam,& hæreticæ paleas prauitatis, catholicæ fidei excutere granis. Inter hæc pietatis opera concepit animo Hierosolymorum visitare loca,saluatoris vestigia iachrymis rigare, crucifixum in sepulchro, non iam cum mortuis quærere,sed viuentem & in cælis regnantẽ adorare. Effectum habuit affectus, quem inspirauit spiritussanctus. Cum regio comitatu profecta, susceptа est ab Hierosolymis vt regina & domina,magnisq; muneribus à populo Iudæorũ honorata. Interfuit dona ferentibus potioris muneris vnus,licet aliorum oblatis videretur vilius. Alij argentum septies purgatum,alij aurum igne probatũ,alij lapidem prẽciosum & multũ,iste argento & auro lapideq; preciosius obtulit ferrũ, istas scilicet catenas,quibus Petrũ in carcere vinxit Herodis feritas,quasq; verbi sui claui disiecit angelicæ visitationis claritas. Si cui videtur incredibile,Iudæos vincula Petri vel pro honore seruasse,vel pro honore dedisse, quippe qui eius sanctitati non cessabant detrahere, sciat nihil impossibile diuinæ voluntati: quæ quandiù voluit,talem margaritam apud immundos sues conculcari permisit, donec reuelaret eam in tempore,quo fieret ornamentum Ecclesiæ. Voluit qui potuit,sui militis trophæum manifestare per Iudæum Eudociæ,qui per eiusdem incredulæ gentis hominem,suæ crucis stigmata detexit Helenæ:vt contrarius veritati populus,tanto maiori suæ confusionis suffunderetur rubore,quanto per seipsum crucifixi testes potioris confiteretur gloriæ. Quis dubitet Eudociam gaudio tripudiasse non minori, cùm agnouisset catenas Petri,quàm Helenam cùm diù desideratam vidisset crucem Domini? Vtriusque inuentricis potuit par esse gaudium,vtriusque tamen thesauri non audeo par profiteri meritum. Quem inuenit Helena, maioris est meriti, quantum ad personam imperatoris, ad personam Domini, ad personam magistri, ad personam sponsi, ad personam filij Dei: quem Eudocia reperit, est minoris meriti, quantum ad personam militis, ad personam serui, ad personam discipuli, ad personam amici, ad personam pertinet hominis filij. Vterq; tamẽ sanctus, vterq; magnus, vterq; nullis terrenis diuitijs comparãdus. Maior maiorẽ sanctificauit, quia persona personã iustificauit, imperator militẽ, dominus seruũ, magister discipulum, sponsus amicum, Dei filius hominis fi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lium. Christus iustificauit Petrũ. A Christo Petrus accepit, vnde catenam suam consecraret: à seipso Christus habuit, vnde crucem suam sanctificauit. Crux pœna latronum, facta est corona sanctorum: crux reprobatio mundi, facta est gloria cæli: crux mortis supplicium, facta est vitę remedium. Propter hoc libertatis priuilegiũ, meritis exuperat Petri vinculum: & quanuis sancta, quanuis veneranda boni piscatoris catena, præcellit tamen clementissimi saluatoris crux gloriosa. Regina verò optati muneris largitate potita, grates reddidit ei, à quo bona procedũt cuncta, & pro quibus venerat dispositis ad mentem, festina Romanam reuisit arcem. Intulit Latio vincula, quæ soluunt peccatorum ligamina, quæ iam non ligent iustum & sanctum, sed ab omni impietate soluant impium. Felicem silentio commisit euentum, dum in medium proferendi tempus occurreret aptum. Noluit famam rei subitò intonare auribus vulgi, ne verba quæ ad horam sine opere sonarent, hora transeunte transirent. Altiori consilio tractauit sic inuentum thesaurum Romanis commendare, vt quoad viueret religio fidei Christianæ, perpetuum haberet in sancta Ecclesia memoriale. Aspirauit bonæ voluntati cælestis gratia, vnde optantis animo benè conueniens occurrit causa. Videns igitur fideles infidelibus in hoc gentilitatis consentire ritu, vt singulis annis ob Cæsareanæ laudẽ victoriæ, Sextiles solennizarent calendas, copioso togatæ plebis apparatu, voluebat animo lactantem nascentis Ecclesiæ infantiam, lue superstitiosi erroris citò maculari posse, nisi diuinæ clementia bonitatis, tantæ cladibus pestilentiæ curaret quantocyùs finem imponere. Cogitauit regiæ maiestatis authoritate incultores veteris, sed curiæ sententiam, & primatum industriâ euertere non erat ex facili. Durum erat à priscæ consuetudinis intentione senatus decretum reuocare, maximè cùm per tot Christianorum imperia principum, vsque ad illud temporis longa senuisset ætate. Videbatur enim eiusdem fautoribus obseruantiæ, in hoc cultu nihil se contra Christianæ religionis propositum agere, cùm nec sacra imponerent aris, nec thura incenderẽt dijs, sed publicæ rei augmentum, Cæsariani plausus attollerent choreis. Et si studia senatorij ordinis in suæ partis voluntatem inclinasset, minoris manus officij, in seditionis versa tumultum, valdè restitisset, quippe quibus esset contrarium, exterminari annuum sui ocij cultum. Ideò erat (vt dixi) difficilè apud ipsos antiquitatis ritum subuersum ire, sicut hodieque in Christiano orbe, plurimi vanæ superstitionis obseruantur ritus, quorum memoria deleri potest aut vix, aut nullatenùs. Deo ergo amabilis regina, egregium reuocauit animum in id consilij, nequaquàm in regiæ maiestatis honorem seditionem tumultuantis excitari populi, ne inconsulta res se verteret in peius, dum videretur

Crucis encomion.

tractari duriùs. Disposuit humilitatis precibus impetrare, quod credebat minarum terroribus sine periculo extorqueri non posse. Prudentis arcanum animi. Romanæ sedis patefecit præsuli, qui eiusdem iam extiterat voti, sed rudi timebat Ecclesiæ, si iret contra torrentem brachia tendere. Fecit eum ad plebem suæ precis oratorem, vt eadem, qua eatenùs, obseruantia constarent Augusti calendæ, sed potioris principis titularentur ex nomine. Sanior ergo pars populi assensum præbuit verbis apostolicis: qui verò timuerunt cultum exterminari, nisi sunt excitare seditionem vulgi. Vt autem à prioribus intellexere, non de cultus exterminatione, sed de nominis mutatione petitionem esse, tumultuantis turbæ cessauit commotio, & communi laude approbata est potioris nominis inscriptio. Tunc Eudocia delati ab Hierosolymis thesauri coràm dedit confessionem, & ingrediens cum papa, de vinculis Petri sermonem plenum deuotionis & compunctionis verbum fecit ad plebem. Docuit in eis esse medicinam salutarem ad interioris & exterioris hominis salutem, & per eum, in cuius sacratissimo consecrata sunt corpore, omnium peccatorum absolutionem promereri posse: quia multum est illi facile quicquid voluerit ab illo impetrare, à quo habet in potestate animarum nexus soluere atque ligare. Inseruit etiam sermoni mentionem de illa catena, quam tulit Apostolus sub Neroniana custodia, quam quintus à beato Petro papatus minister curationum largam edocuit Alexander, quamque in augmentum salutis suæ reuelauit Balbinæ Quirini filiæ. In conclusione autem sermonis ex Dei voluntate obtinuit hoc petitionis, vt (sicut dixi) eadem obseruantia constaret Augusti mensis calendæ, sed principis Apostolorum titularentur ex nomine, & eiusdem celebritatis gaudia, quæ eatenùs Cæsaris victoria, deinceps Petri appellarentur vincula. Ad cuius deliberationis decretum sine fine confirmandum, Augustæ sumptus & papæ supplementum Domino eliminauerunt, & chrismauerunt templum, in quo dignè reposita clementissimi Petri vincula, indigentibus plurima præstant beneficia: ibique perpetui anathematis sententia percussa est Cæsariani plausus vesania, vt apostolicæ liberationis victoria, liberiori regnaret per orbem memoria. Imaginauit etiam pontifex ad impietatis similitudinem, hanc pietatis formam, sicut Augusticolæ panis & vini hodierna die libauere sumptum, ita Christicolas dominici corporis & sanguinis gustare sacramentum, & educti mortis ergastulo, angelicum sequerentur ducatum cum Petro: qui nos peccatorum absolutos vinculis, introducat in ianuam regni cælestis: vbi nos reficiat sui aspectus satietate, in quẽ desiderant angeli semper prospicere, cui proclamant: Sanctus, sanctus, sanctus, sine intermissione

sione laudantes vnum verum Deum in trinitate, qui viuit & regnat sine fine, Amen.

SERMO B. MAXIMI
episcopi, in eodem festo.

Hom. 4. de Petro apostolo, hoc initio, Adstruximus superiore, &c.

AVdistis, fratres charissimi, beatum Petrum in saluatoris passione suis erroribus profeciſſe, & postea quàm negauit Dominum Deum, fuisse meliorem. Fidelior enim factus est, postquàm fidem se perdidisse desleuit: atque ideò maiorem gratiam reperit quàm amisit. Tanquam enim bonus pastor tuendum gregem accepit, vt qui sibi antè infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum: & qui ipse interrogationis tentatione nutauerat, cæteros fidei stabilitate fundaret.

Petrus, ecclesiarum petra. Matth. 16

Denique pro soliditate deuotionis, ecclesiarum petra dicitur, sicut ait Dominus: Tu es petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Petra enim dicitur, eò quòd primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile, totius operis Christiani compagem molemq; contineat. Petra ergo pro deuotione Petrus dicitur, & petra pro virtute Dominus nuncupatur, sicut ait Apostolus: Bibebant autem de spiritali sequente eos petra: petra autẽ erat Christus. Rectè consortium meretur nomi nis, qui consortium meretur & operis. In eadem enim domo Petrus fundamentum ponit. Petrus plantat, Dominus incrementum dat, Domi nus irriguum subministrat. Petrus ergo tentationibus suis proficit, fletibus suis gaudet, periculis suis crescit. Sic nanq; in mari, dum super vndas temerarius viator ingreditur, nutat incessu, sed conualescit affectu: periclitatur corpore, sed deuotione non labitur: mergitur pedibus, sed Christi dextera sustentatur. Sustentabat enim fides, quem vnda mergebat: & quem fluctuum procella turbabat, saluatoris dilectio confirmabat. Ambulauit enim in mari Petrus magis dilectione quàm pedibus. non enim videbat, vbi pedum vestigium poneret: videbat autem, vbi figeret vestigium charitatis. In naui enim positus considerat Dominum, & amore eius ductus, descendit in mare. Non cogitat labentes a quas, nõ fluenta currentia: & dum Christum respicit, non respicit elementum. Credit fide etiam inter vndas solidum inuenire vestigium. Iactetur licet fluctibus mare, ventis pelagus conturbetur, non tamen turbatur Petri semita, quæ ducit ad Dominũ. Ambulat igitur super aquas Petrus, & sub pedibus eius mollis vnda non cedit. Legimus in veteri testamẽto filios Israël per mare rubrũ siccis itineribus ambulasse, & ad securitatẽ gradientium, ne laberetur vnda, in soliditatem quãdam eam fuisse mutatam: Quanto hic melius, vbi ambulante Petro nec mutatur vnda, nec labitur, nec solidatur aqua, nec refugit. Melius, inquam, est ubi eadem vnda, quæ fluctuat, & sustẽtat: vbi idem gurges qui mergit, & famulatur. Illic vt portaretur per mare populus Israël, meatum suum natura perdiderat: hic portatur in aquis Petrus, cursum suum fluenta non perdunt. Temerarius ergo viator Apostolus, noui itineris viam carpit: modò curuati gurgitis molem ascendit, modò subsidentis sinus vndã descendit, & inter marinos fluctus ascensus illi itineris descensusq; non deest. Sed vbi turbatus ventis, exagitatus procellis incipit timere quod credidit, statim ei gurges subtrahitur, vnda subducitur. Mox defatiscente fide, fatiscit semita. Tunc exclamans Dominum Iesum, saluum se fieri deprecatur: quem apprehensa manu saluator liberat & obiurgat, dicens: Modicæ fidei, quare dubitasti? hoc est, cur tam paruæ fidei es, vt qui credendo mare ambulare cœperas, non id perseuerando transires? Scriptum est enim: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Sed dum cunctaris & dubitas, iter quod ingressus fueras, perdidisti. Cur, inquam, tam modicæ fidei es, vt non ea fide, qua venire cœperas, peruenires? Intelliga ergo, quia in mari credulitas te portabat, perfidia submergebat. Igitur, fratres, sanctus Petrus dum fluctuat, dum mergitur, dum periclitatur, sic peruenit ad Dominum, ostendens nobis, quòd non nisi per pericula properetur ad Christum. Multi enim diabolici fluctus sunt in hoc mundo, tentationum multa naufragia: à quibus ita liberari possumus, si clamantibus manum suã saluator extenderit. Nos ergo clamare ad Dominum non cessemus: ille auxilium solitum nõ negabit, Iesus Christus Dominus noster, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Matth. 14

Exod. 14.

1. Cor. 10

Concionem exegeticam in Lectionem Epistolæ loco, & Homiliam in Euangelium quære suprà in festo apostolorum Petri & Pauli.

DE S. LAVRENTIO MARtyre, Sermo B. Leonis Papæ.

CVM omnium, dilectissimi, summa virtutum, & totius plenitudo iustitiæ, de illo amore nascatur, quo Deus proximusque diligitur, in nullis profectò hic amor sublimiùs excellere, clariusque fulgere, quàm in beatissimis martyribus inuenitur: qui Domino Iesu Christo pro omnibus hominibus mortuo, tam propinqui sunt imitatione charitatis, quàm similitudine passionis. Quanuis enim illi dilectioni, qua Dominus nos redemit, nulla cuiusquam benignitas

charitas, virtutum fons & origo.

posit

Universidad de Deusto
Biblioteca

posſit æquari: quia aliud eſt, pro iuſto mori hominem ſua neceſsitate moriturum, aliud, pro impijs occumbere à debito mortis alienum: multum tamen vniuerſis hominibus etiam martyres contulerunt, quorũ fortitudine ita eius largitor vſus eſt Dominus, vt pœnã mortis & atrocitatẽ crucis, nulli ſuorũ vellet eſſe terribilẽ, ſed multis faceret imitabilẽ. Si ergo nullus bonus, ſibi ſoli eſt bonus: nec cuiuſquã ſapientis ſibi tantũ ſapiẽtia eſt amica, & hæc verarũ natura virtutũ eſt, vt multos à tenebroſo abducat errore, qui earũ clarus eſt lumine: ad erudiendũ Dei populum nullorũ eſt vtilior forma, quàm martyrum eloquẽtia. Facilis ad exhortandum ſit ratio, efficax ad ſuadendum: validiora tamen ſunt exempla quã verba, & plenius eſt opere docere quàm voce. In quo excellentiſsimo genere doctrinæ B. martyr Laurentius, cuius paſsione dies hodiernus illuſtris eſt, quàm glorioſa polleat dignitate, etiam perſecutores eius ſentire potuerunt, cùm illa mirabilis animi fortitudo, de Chriſti principaliter amore concepta, non ſolùm ipſa non cederet, ſed etiam alios exemplo ſuæ tolerantiæ roboraret. Cùm enim furor gentilium poteſtatum, in electiſsima quæque Chriſti membra ſæuiret, ac præcipuè eos, qui ordinis erant ſacerdotalis, impeteret, in leuitam Laurentiũ, qui non ſolùm miniſterio ſacramentorum, ſed etiam diſpẽſatione eccleſiaſticæ ſubſtãtiæ præeminebat, impius perſecutor efferbuit, duplicem ſibi prædam de vnius viri comprehenſione promittens: quẽ ſi feciſſet ſacræ pecuniæ traditorem, faceret etiam veræ religionis exortem. Armatur itaq; gemina face homo pecuniæ cupidus, & veritatis inimicus: auaritia, vt rapiat aurum: impietate, vt auferat Chriſtum. Poſtulat ſibi ab immaculato ſacrarij præſule opes eccleſiaſticas, quibus auidiſsimus inhiabat, inferri. Cui leuita caſtiſsimꝰ, vbi eas repoſitas haberet oſtendens, numeroſiſsimos ſanctorum pauperum obtulit greges, in quorũ victu atq; veſtitu inamiſsibiles condiderat facultates, quæ tanto integriùs erant ſaluæ, quanto ſanctiùs probabantur expenſæ. Fremit ergo prædo fruſtratus, & in odium religionis, quæ talem diuitiarum vſum inſtituiſſet, ardeſcens, direptione theſauri potioris aggreditur, apud quem nullam denariorum ſubſtantiã reperiſſet: vt illud depoſitum, quo ſacratiùs erat diues, auferret. Renunciare Chriſtum Laurentium iubet, & ſolidiſsimam illam leuitici animi fortitudinẽ diris parat vrgere ſupplicijs. Quorum vbi prima nil obtinent, vehementiora ſuccedunt. Laceros artus & multa verberum ſectione cõſciſſos, ſubiecto præcepit igne torreri, vt per cratem ferream, quæ iam de feruore continuo vim in ſe haberet vrendi, conuerſorum alterna mutatione membrorum fieret cruciatus vehementior, & pœna productior. Nihil obtines, nihil proficis, ſæua crudelitas. Subtrahitur tormentis tuis materia mortalis, & Laurentio in cælos abeunte, tu deficis flammis tuis. Superari charitatis Chriſti flamma non potuit, & ſegnior fuit ignis qui foris vſit, quàm qui intùs accendit. Sæuiſti perſecutor in martyrem, ſæuiſti, & auxiſti palmam, dum exaggeras pœnam. Nam quid non ad victoris gloriam ingenium tuum reperit, quando in honorem tranſierunt triumphi, etiam inſtrumenta ſupplicij? Gaudeamus igitur, dilectiſsimi, gaudio ſpirituali, & de feliciſsimo inclyti viri fine gloriemur in Domino, qui eſt mirabilis in ſanctis ſuis, in quibus nobis & præſidium conſtituit, & exemplum, atque ita per vniuerſum mundum clarificauit gloriam ſuam, vt à ſolis ortu vſque ad occaſum, leuiticorum luminũ coruſcante fulgore, quàm glorificata eſt Hieroſolyma Stephano, tam illuſtris fieret Roma Laurentio. Cuius oratione & patrocinio adiuuari nos ſine ceſſatione confidimus, vt quia omnes (ſicut Apoſtolus ait) quicunque in Chriſto piè volunt viuere, perſecutionem patiũtur, corroboremur ſpiritu veritatis, & ad ſuperandas omnes tentationes, conſtantis fidei perſeuerantia muniamur, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum viuentem & regnantem cum patre & ſpiritu ſancto in ſecula ſeculorum, AMEN.

Constantia & fortitudo ſancti Laurentij.

Cruciatus Laurentij

SERMO B. MAXIMI
epiſcopi, in eodem feſto.

Eſſod.

Sanctũ eſt, fratres, ac Deo placitum, vt natalem B. Laurentij præcipua deuotione veneremur, cuius radiantibus flãmis, victrix in hunc quoque diem toto orbe Chriſti coruſcat Eccleſia. Qui cũ in ſede glorioſiſsimi patriarchæ, diaconatus fungeretur officio, puritate innocentis vitæ, fortiſsimæq; mortis triũpho, apoſtolico ſe conſortio copulauit. Nec immeritò eum apoſtolorũ ſupparẽ prædicamus, cui & caſtitas animi leuiticũ miniſterrũ dedit, & plenitudo fidei martyrij contulit dignitatem. Quem venerabilis Sixtus Romanæ vrbis antiſtes, cùm impietatẽ iguientis mundi per tormenta ſuperaret, & regnis eſſet cæleſtibus iam vicinus, videretq; eum paterna de morte triſtiſsimũ, ita illũ ſpiritu præſcientiæ compellaſſe narratur: Noli fili mœſtus eſſe, poſt triduum me ſequeris. Vnde apparet, chariſſimi, beatum Laurentium non de ſacerdotis ſui victoria habuiſſe triſtitiã, ſed doluiſſe quia non etiã ipſe mundũ cum ſuo pariter ſacerdote vincebat. Noli, inquit, fili mœſtus eſſe, poſt triduũ me ſequeris: hoc eſt, noli triſtis eſſe velut apud ſeculũ derelictus: nam nec te fides vitaq; tua tali morte priuabit. Nulla te de meo tranſitu, quo ego gaudeo, perturbet anxietas, quia mox & tu habiturus

Excellentia S. Laurentij.

habiturus es de tua paſsione lætitiam. Verè beati Laurentij gloria ſingularis, qui tantum de Deo ſuo conſecutus eſt gratiæ, vt ei martyr de martyrio prophetaret, quem pro ſuorum prærogatiua meritorum, antè victoria lætificauit, quam pugna terreret. Ergo vt comperit ore ſacerdotis & martyris ſe quoque omnimodis aſſumendũ, congregatis inopum turbis, eccleſiaſticum cenſum religioſa liberalitate diuiſit. Quàm profundum ſpiritalis viri, & quàm cæleſte conſilium, vt & egenis conſuleret, & multitudine conſumente quæ dederat, inueniri non poſſet quod raperet perſecutor, illam nimirum ſecutus ſententiam: Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in æternum. Miſericordiæ fuit, quòd alimoniam pauperibus dedit: Iuſtitiæ autẽ, quod vt vir prudentiſsimus procurauit, ne ſanctorum ſubſtantiam auaris manibus ſacrilegus occuparet. Iuſtitia, inquit, eius manet in æternũ. Quomodò non hæc in æternum manebit iuſtitia, quã & ſancto impleuit opere, & glorioſiſsimo martyrio conſecrauit? Hoc itaque dolore furor gentilis accenſus, craticulam continuò parat ignitam, ſuper quam cremandum Laurentium per membra diſtenderet, vt indignationis ſuæ flammas impijs ignibus vindicaret. Ardet profectò totis viſceribus fortiſsimus martyr & vritur, ſed regnum cæli promiſſaque Dei fideli mente pertractans, refrigerio conſcientiæ victricis exultat: nec pœnali flexus incendio, cuius in pectore inſuperabili ſancti ſpiritus flamma feruebat. Aut nunquid cedere poterat momentaneæ corporis vſtioni, cuius fides æternum gehennæ extinguebat ardorem? Superatis itaque flammarum miniſtris, omne mundanæ inſaniæ reſtrixit incendium: & ad hocuſque diabolica profecit intentio, vt & vir fidelis ad Dominum ſuum glorioſus aſcenderet, & crudelitas perſequentium, cum ſuis ignibus confuſa torpreſceret.

Ps. 111.

IN FESTO S. LAVRENTII,
In Epiſtolam Concio exegetica.

Maximus epiſcopus homil. 3. de S. Laurentio.

Beatiſsimi Laurentij, fratres chariſſimi, annua ſemperque noua feſtiuitas Eccleſiam Dei iugiter in gaudia lætitiæ ſpiritualis accendit, admonens vniuerſitatem credentium, vt ſicut ille perfectæ deuotionis ardore furentibus nõ ceſsit incendijs, ita nos diuerſarum tribulationum ignis, & malorum ſecularium flamma à Chriſti ſocietate nõ moueat. Sed his ex Maximo breuiter præmiſsis, ad diei huius Apoſtolicam lectionẽ veniamus.

Qui parcè ſeminat, parcè & metet. Significare vult hominem auarum, cui extorquetur cum violentia, vt aliquid largiatur. Ergo qui parcè ſeminat, parcè & metet: id eſt, qui parum tribuit pauperi, parum accipiet mercedis: ſicut & ad literam ille qui parum ſeminat, parum colligit. Hæc Haymo. *Et qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Rem ſemen vocauit, inquit Chryſoſtomus, vt ſtatim ad retributionem ſpectes, meſsiſque recorderis, & diſcas quòd plura accipis, quàm das. Ideò non dixit, Qui dat, ſed, Qui ſeminat: & non dixit, Vos ſi ſeminaueritis, ſed generalem ſermonem facit: neq; dixit, Largiter, ſed, In benedictionibus, quod illo multo maius eſt. Ita Chryſoſtomus. *Vnuſquiſq; prout deſtinauit in cordẽ ſuo, non ex triſtitia, aut ex neceſsitate*: id eſt, inquit Haymo, quantum diſpoſuit in animo ſuo dare Deo & pauperibus, tantum tribuat: quia melius eſt non promittere corde aut verbo, quã promiſſum non adimplere. Docet autem Apoſtolus læto animo eandem eleemoſynam vel votum perficere: quia ex omnibus his, qui †infe- †*forte, of*
runt aliquid, hunc elegit Deus cui retribuatur, *ferunt.*
qui deuoto corde hoc operatur. Vnde præcipit, Non ex triſtitia, inquiens, animi hoc faciat aliquis veſtrum, aut ex neceſsitate, id eſt, coactus aut inuitus, & non ſpontaneo deſiderio. Ex triſtitia hoc adimplet & ex neceſsitate, qui non ſperat ſe mercedem recipere: ſed propter præſentem pudorem & verecundiam inuitus hoc agit, ne alijs hoc agentibus, ipſe auarus & turpis videatur: ideoq; ex hoc non fructur mercede æterna. Dicit enim B. Auguſtinus, quia ſi panem dederis triſtis, & panem & meritũ perdidiſti, quoniam quod in præſenti tribuis, amittis, & in futuro mercede carebis. Læto verò animo eleemoſynam erogat pauperi, qui certus eſt de remuneratione æternorum præmiorum, quam dabit ei Dominus, apud quem theſaurizat. *Hilarẽ enim datorem diligit Deus.* Hilaris debet eſſe, qui Domino fœneratur: & ille placet Deo, qui quod tribuit, poſtmodùm non dolet quaſi amiſſum, ſed quaſi de duplicato gaudet. Hæc Haymo. *Potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in uobis.* Rationem, ait Chryſoſtomus, quæ hanc liberalitatem nonnihil impugnat, tollit: eam, inquam, quæ etiam nunc multis obſtaculo eſt. Etenim pleriq; timent eleemoſynam dare, dicentes. Ne fortè pauper fiam, ne fortè alijs indigeam. Hũc autem ſoluens metum, opponit orationem, dicens: Omnem gratiam abundare faciat erga vos. Non ſimpliciter impleri, ſed, Abundare faciat, inquit. Quid autem eſt gratiam abundare? Impleri, inquit, vos tantis, vt poſitis abundantes eſſe in hac liberalitate. *Vt in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.* Vide etiam in oratione illius magnam philoſophiam: Non diuitias precatur, neque abundantiam, ſed

Tractatu in Pſalmũ 41.

omnem

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnem sufficientiam. Et non solùm hoc est in illo mirabile, sed quòd superfluum non precatur. Ita neque affligit illos, neque cogit de penuria dare, attemperans se illorum infirmitati: sed sufficientiam petit, & ostendit simul, quomodò donis à Deo datis vti oporteat. Vt abundetis, inquit, in omne opus bonum: propter hoc, inquit, & peto, vt & alijs suppeditetis & abūdetis. Nam in carnalibus sufficientiam illis petit: in spiritualibus autem & abundantiam, non in eleemosynam solùm, sed & in alijs omnibus, in omne opus bonum. Deinde Prophetam illis adducit, consultum testimonium, quod ad liberalitatem illos prouocare possit, inquirens

Apostoli prudentia.

Psal. 111. dicit: *Sicut scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in seculum seculi.* Hoc est, Abundetis. Nam quòd dicit, Dispersit, nihil aliud manifestat, quàm quòd cū liberalitate dedit. Nam quāuis hæc non maneant, manent tamen quæ ex illis nascuntur. Etenim mirabile est, quòd quæ custodiuntur, pereunt: quæ autem dispergunturmanent, & manent semper. Iustitiam autem hoc loco misericordiam vocauit. Etenim iustos facit eleemosyna, peccata quasi ignis consumens, quando cum liberalitate effuderitis.

Eleemosynæ efficacia.

Hæc Chrysostomus. Porrò Haymonis hunc in locum sunt eiusmodi. Iustitiam, inquit, hic appellat largitatem substantiæ temporalis, vel mercedem eiusdem substantiæ distributæ, quæ largitas benè iustitia appellatur: quia iustum est, vt sicut terra omnibus hominibus communiter à Deo data est ad possidendum, & sicut calor solis & humor pluuiarum omnibus communiter tribuitur à Deo: ita etiam quæ in terra Dei dono nascuntur, communiter dispensentur & communiter vtantur. Et hæc est iustitia, vt quia illud Deus gratis dat, retribuat ex eo & homo, cui deest. Notandum quòd dicitur de viro sancto, quia dispersit & diuisit pauperibus substantiā sibi à Deo datā, ac dedit pauperibus, qui nō habent quod ei redderent in præsenti: & non diuitibus huius seculi, à quibus speraret eadem iterùm aut plura recipere: & quoniam vsus est præcepto Domini, dicentis, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Idcircò iustitia eius, id est, merces largitatis eius, & retributio ipsius iustitiæ manet in æternum: quia ibi posuit diuitias suas, & ibi thesaurizauit, vbi fures non effodiunt nec furantur. Sic Haymo. Chrysostomus hîc copiosus est in hortandis auditoribus ad præstandam eleemosynam. Ne igitur multo, inquit, scrutinio vtamur, sed non cunctabunda manu seminemus. Non vides, quanta alij dant mimis, & mulieribus scortis? & si dimidium Christo dederis: quæ illi salutantibus dant, & liberaliter his, qui in fornicibus, tanta tu vel esurienti da. Nam illi quidem corpus scortorum auro multo vestiunt: tu autem neque tenui veste Christi carnem, eamque nudam videns. Quali hoc venia dignum? quantum hoc non meretur supplicium? quando ille quidem perdenti & cōfundenti se tanta suppeditat: tu autem neque minimum saluanti te & facienti clariorem: sed in ventrem quidem & ebrietatem ac intemperantiam insinuans, nullius paupertatis memores. Vbi autem paupertatem iuuare oportet, omnibus es pauperior. Et parasitos quidem pascēs, & adulatores quasi ex largis fontibus fouens gaudes: si autem pauperem alicubi videas, nūc tibi paupertatis metus incidit. Sanè propter hoc & per nosipsos, & per alios tunc condemnabimur, tam hos qui probè egerunt, quàm qui peccarunt. Dicet enim tibi: Quarè nō fuisti ita magnanimus in his quæ congruunt, sicut ille qui scorto dat? nihil tale cogitauit, quod tu daturus Domino, qui dixit, Ne solicitus sis: tu verò metu plenus es ac tremore. Et qua venia dignus eris? Si enim homo qui receperit non despicit, sed habet gratiam: multo magis Christus. Item post multa hæc quoque subiungit: Disperge pecuniam, vt congreges iustitiā: neq; enim illa cū pecunijs adesse vult. Sed & per illas quidem, nō cum illis, nobis adest. Non enim simul habitant pecuniarum cupiditas & iustitia, sed tabernacula separata habent. Ne igitur contēdas, quæ commiceri nequeunt coniungere, sed expelle tyrannum auaritiam, si vis reginam recipere iustitiam. Ista enim est regina, & liberos ex seruis facit, & non è diuerso illa. Vnde cum magna diligentia auaritiam caueamus, iustitiam amplexemur, vt & hic libertatem consequamur, & regno cælorum fruamur. Hæc Chrysostomus. *Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen uestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ uestræ.* Hoc dupliciter, inquit Haymo, intelligi potest, & iuxta literam, & iuxta spiritalem intelligentiam. Omnipotens Deus, qui administrat homini semen ad seminandum, si eleemosynæ fuerit deditus, ipse præstabit ei panem ad manducandum ex semine, & multiplicabit semina eius in terra: vt qui seminauit quinque modios, colligat quinquaginta: qui decem, colligat centum. Et multiplicabit augmenta frugum iustitiæ vestræ, id est, substantiæ vestræ, quæ benè iustitia appellatur. Aliter: Deus qui administrat homini semen ad seminandum, id est, substantiam temporalē, vnde eleemosynam possit erogare, ipse vtique ei præstabit in futuro panem ad manducandū, æternam scilicet satietatem, quæ erit visio præsentissimi vultus omnipotentis Dei: de quo pane dicit Dominus in Euangelio, Beatus qui mā ducabit panem in regno Dei: & Psalmista de eadem satietate, Satiabor, inquit, dum manifestabitur animæ gloria tua. Et non solùm ibi præstabit æternam satietatem, sed hic multiplicabit substantiam eius, sicut suprà diximus, vt habeat vnde valeat eleemosynam largiorem impendere,

Pauperibus dandū non diuitibus.

Luc. 16.

Matth. 6.

pendere, pro qua augebitur illi augmentum, id est, merces & retributio iustitiæ eius. Ergo quia omnia bona, quæ habemus, Dei sunt, & semina, & nascentia, & Dei nutu crescunt, pullulant & multiplicantur ad vsus hominum, & ipse præcepit de his communicare eis qui indigent, debemus dare ista temporalia, vt mereamur accipere æterna: sicut plurimi sanctorum fecerunt, inter quos partem beatæ retributionis beatissimus martyr Christi Laurentius obtinet: qui verus dispensator temporalium diuitiarum existens, meruit possidere cælestes & æternas atque immarcessibiles coronas. Hactenùs Haymo. Audiamus etiam Chrysostomum, ita hunc locū exponentem. Maximè quis hinc sapientiam Pauli admiretur, quòd cùm à spiritualibus & à carnalibus adhortatus esset, iterùm nunc istud in retributione facit, geminas retributiones ponens. Nam quòd dicit, Dispersit, dedit pauperibus, iustitia illius manet in seculum, spiritualis est retributionis. Quòd verò dicit, Multiplicet semen vestrum, carnalis retributionis est. Et tamen non hic subsistit, sed iterùm ad spiritualia continuò transit, permutatim illa ponens. Nam quòd dicit, Augeat prouentus iustitiæ vestræ, iterùm spirituale est. Hoc autem hac ratione facit, vt extirpet radicitùs illorum parùm virilem & flaccescentem animum, paupertatisque metum vndique eneruet, idque exemplo hoc. Nam si terram seminantibus dat Deus, & si his qui corpus pascunt liberaliter suppeditat: multo magis his, qui cælum colunt, animarum rationem habentibus. etenim hæc maiori cura dignatur. Cæterùm istud quidem non syllogismo quodam ponit, nec quemadmodùm nunc dixi, sed in orationem vertit, simul etiam manifestam ratiocinationem manifestans, & magis illos in spem inducens, non solùm ab his quæ fiunt, sed etiam à precibus suis. Et post pauca: Non enim simpliciter eleemosynam petit, sed eam quæ cum largitate. ideò & semen istam continuò vocat. Quemadmodùm enim triticum, quod seminatur, prægnantes aristas ostendit: ita & eleemosyna multos manipulos iustitiæ efficit, & ineffabiles prouentus profert. Ita Chrysostomus. Libet hoc loco ex D. Ambrosio commemorare ea, quæ sanctus ille episcopus de beatissimo martyre Laurentio refert, quæ propter tanti viri authoritatem pondus apud nos habere debent. Ait ergo: Non prætereamus etiam sanctum Laurentium, qui cùm videret Sixtum episcopum suum ad martyrium duci, flere cœpit, non passionem illius, sed suam remansionem. Itaque his verbis appellare cœpit: Quò progrederis sine filio Pater? quò sacerdos sancte sine diacono properas? Nunquā sacrificium sine ministro offerre consueueras. Quid in me ergo displicuit pater? Num degenerem probasti? Experire certè, vtrùm idoneum ministrum elegeris. Cui commisisti dominici sanguinis consecrationem, cui consummandorum consortium sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas? Vide ne pereclitetur iudicium tuum, dum fortitudo laudatur. Abiectio discipuli detrimentum est magistri. Quid quòd illustres & præstantes viri discipulorum certaminibus magis quàm suis vincunt? Denique Abraham filium obtulit, Petrus Stephanum præmisit. Et tu pater ostende in filio virtutem tuam, offer quem erudisti, vt securus iudicij comitatu nobili peruenias ad coronam. Tunc Sixtus: Non ego te fili relinquo ac desero: sed maiora tibi debentur certamina. Nos quasi senes leuioris pugnæ cursum recipimus, te quasi iuuenem manet gloriosior de tyrāno triumphus. Mox venies, flere desiste: post triduum me sequeris. Inter sacerdotem & leuitam hic medius numerus decet. Non erat tuum sub magistro vincere, quasi adiutorem quæreres. Quid consortium passionis meæ expetis? Totā tibi hæreditatem eius dimitto. Quid præsentiā meam requiris? Infirmi discipuli magistrum præcedant, fortes sequantur: vincant sine magistro, qui iam non indigent magisterio. Sic & Elias Eliseum reliquit. Tibi ergo commendo nostræ virtutis successionem. Talis erat contentio: digna sanè, de qua certarent sacerdos & minister, quis prior pateretur pro Christi nomine. In fabulis ferūt tragicis, excitatos theatri magnos esse plausus, cùm se Pylades Orestem dicerer, Orestes, vt erat, Orestem se esse asseueraret: ille vt pro Oreste necaretur, Orestes ne Pyladē pro se pateretur necari. Sed illis non licebat viuere, quòd vterq; esset parricidij reus: alter qui fecisset, alter qui adiuuisset. Hic Laurentium sanctum ad hoc nullus vrgebat, nisi amor deuotionis. Tamen & ipse post triduum, cùm illuso tyranno impositus super craticulam exureretur, Assum est, inquit: versa & manduca. Ita animi virtute vincebat ignis naturam. Hæc Ambrosius. Propter quod, vt verbis Maximi episcopi sermonem concludamus, exultemus & lætemur in Domino, non dubitantes & persecutorē martyris pro ignibus, quos accendit, præparata impijs incendia sustinere, & ipsum beatissimum martyrem pro flamma, quam pertulit, apud omnipotentem Deum incorruptæ lucis illuminatione fulgere.

Pauli sapientia. Geminæ retributiones.

Homilia 3. de S. Laurētio.

Lib. 1. of Offices, cap. 41.

Sacrificiū sine ministro.

IN EODEM FESTO.
Ioan. XII.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Amen amen dico uobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuū fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua. Homilia beati Augustini episcopi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tractatu 51. in Ioã. Philip. 2.

HVmilitatis magister est Christus, qui humiliauit semetipsum, factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis. Non itaque amittit diuinitatem, quando nos docet humilitatem. In illa patri est æqualis, in hac nobis similis. Per quod patri est æqualis, nos vt essemus creauit: per quod nobis est similis, ne periremus redemit. Ecce, sicut in præcedentibus loquitur euangelium, Iudæi volunt eum occidere, gentes videre. Ex occasione igitur gentilium illorum, qui eum videre cupiebant, annunciat futuram plenitudinem gentium, & promittit iam iamque adesse horam glorificationis suæ: qua facta in cælis, gentes fuerant credituræ. Vnde prædictũ

Psalm. 56. est: Exaltare super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua. Hæc est gentium ple-

Rom. 11. nitudo, de qua dicit Apostolus: Cæcitas ex parte in Israël facta est, donec plenitudo gentium intraret. Sed altitudinem glorificationis oportuit vt præcederet humilitas passionis. Ideò secutus adiunxit hoc, quod modò cùm recitaretur, audistis: *Amen amen dico uobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Se autem ipsum Iesus dicebat. Ipse erat granum mortificandum & multiplicandum. Mortificandum infidelitate Iudæorum, multiplicandum fide populorum. Iam verò exhortans ad passionis suæ sectanda vestigia, *Qui amat*, inquit, *animam suam, perdet eam.* Quòd duobus modis intelligi potest. Qui amat, perdet: id est, si amas, perde. Si cupis vitam tenere in Christo, noli mortem timere pro Christo. Item alio modo: Qui amat animam suam, perdet eam. Noli amare, ne perdas. Noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita. Hoc autem quod posteriùs dixi, magis habere videtur euangelicus sensus. Sequitur enim: *Et qui odit animam suam in hoc mundo, in uitam æternam custodit eam.* Ergo quod suprà dictum est, Qui amat, subintelligitur, in hoc mundo, ipse vtique perdet. Qui autem odit, vtique in hoc mundo, in vitam æternam ipse custodiet eam. Magna & mira sententia, quemadmodùm sit hominis in animam suam amor vt pereat, odium ne pereat. Si malè amaueris, tunc odisti. si bene oderis, tunc amasti. Felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando. Sed vide ne tibi subrepat, vt ipsum velis interimere, sic intelligendo, quòd debes odisse in hoc mundo animam tuam. Hinc enim quidam maligni atque peruersi, & in seipsos crudeliores & scelerationes homicidæ, flammis se donant, aquis se præfocant, præcipitio collidunt & pereunt. Hoc CHRISTVS non docuit, immò etiam diabolo præcipitium suggerenti respon-

Matth. 4. dit: Redi retrò Satanas, scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum. Petro autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deũ: Cùm esses iunior, cingebas te, & ibas vbi volebas. cùm autem senueris, alter te cinget, & feret quò tu non vis. Vbi satis expressit, non à seipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi. Cũ ergo causæ articulus venerit, vt hæc conditio proponatur, aut faciendum esse contra Dei præceptum, aut ex hac vita emigrandum, quorum duorum homo cogatur alterum eligere, comminante mortem persecutore, ibi eligat dilecto Deo emori, quàm offenso viuere: ibi oderit in hoc mundo animam suam, vt in vitam æternam custodiat eam. *Si quis mihi ministrat, me sequatur.* Quid est, Me sequatur, nisi me imitetur? Christus enim pro nobis passus est, ait Apostolus Petrus, relinquens nobis exemplũ, vt sequamur vestigia eius. Ecce quod dictum est, Si quis mihi ministrat, me sequatur. Quo fructu, qua mercede, quo præmio? *Et ubi sum, inquit, ego, illic & minister meus erit.* Gratis ametur, vt operis quo ministratur illi, precium sit esse cum illo: Vbi enim benè erit sine illo, aut quando esse malè poterit cum illo? Audi euidentiùs. *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus.* Quo honore, nisi vt sit cum filio eius? Quòd enim superiùs ait, Vbi ego sum, illic & minister meus erit: hoc intelligitur exposuisse, cùm dicit, Honorificabit eum pater meus. Nam quem maiorem honorem accipere poterit adoptatus, quàm vt sit vbi est vnicus, non æqualis factus diuinitati, sed consociatus æternitati? Quid est autem ministrare Christo, cui operi merces tanta proponitur, hoc potiùs debemus inquirere. Si enim hoc putauerimus esse Christo ministrare, ea quæ sunt corpori necessaria præparare, aut cœnanti cibum coquere, vel apponere, vel poculum dare, potumque miscere, fecerunt hoc illi, qui potuerunt eum in corpore præsentem habere, sicut Martha, & Maria, quando & Lazarus vnus erat ex discumbentibus. Sed eo modo Christo etiam Iudas perditus ministrauit. nam & loculos ipse habebat, & quanuis ex eis quæ mittebantur, sceleratissimè furaretur, per illum tamen etiam necessaria parabantur. Hinc est illud, quòd cùm ei diceret Dominus, Quod facis, fac celeriùs: arbitrati sunt quidam, quòd eum iusserit propter diẽ festum necessaria præparare, vel indigentibus aliquid dare. Nullo modo igitur de huiuscemodi ministris diceret Dominus, Vbi sum ego, illic & minister meus erit: &, Si quis mihi ministrauerit, honorificabit illum pater meus: quoniam Iudam talia ministrantem, reprobatum potiùs quàm honoratum videmus. Vt quid ergo alibi quærimus, quid sit ministrare Christo, & non potiùs in istis ipsis verbis agnoscimus? Cùm enim dixit: Si quis mihi ministrat, me sequatur, hoc intelligi voluit, ac si diceret: Si quis me non sequitur, non mihi ministrat. Minister ergo

ergo Iesu Christo, qui non sua quærunt, sed quę Iesu Christi. Hoc est enim, Me sequatur: vias amet meas, non suas, sicut alibi scriptum est:

1. Ioan. 2. Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Debet etiam, si porrigit esurienti panem, de misericordia facere, non de iactantia: non aliud ibi quærere, quàm opus bonum, nesciente sinistra, quid faciat dextera, id est, vt alienetur intentio cupiditatis ab opere charitatis. Qui sic ministrat, Christo ministrat, recteque illi dicitur: Cùm vni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti. Nec ea tantùm, quæ ad misericordiam pertinent temporalem, sed omnia bona opera propter Christum faciens (tunc

Rom. 10. enim bona erunt: quoniam finis legis Christus ad iustitiam omni credenti) minister est Christi vsque ad illud opus magnæ charitatis, quod est animam suam pro fratribus ponere. Hoc est enim & pro Christo ponere: quia & hoc propter sua membra dicturus est, Cùm pro istis fecisti, pro me fecisti. de tali quippe opere etiam se mi-

Matth. 20 nistrum facere & appellare dignatus est, vbi ait: Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & animam suam ponere pro multis. Hinc ergo est vnusquisque minister Christi, vn de est minister & Christus. Sic ministrantem Christo honorificabit pater eius honore illo magno, vt sit cum filio eius, nec vnquam deficiat felicitas eius. Cùm ergo auditis, fratres, Dominum dicentem, Vbi ego sum, illic & minister meus erit: nolite tantummodò bonos episcopos & clericos cogitare. Etiam vos pro modulo vestro ministrate Christo benè viuendo, eleemosynas faciendo, nomen doctrinamque eius quibus potueritis prædicando: vt vnusquisque etiam paterfamilias hoc nomine agnoscat paternum affectum suæ familiæ se debere. Pro Christo, & pro vita æterna, suos oẽs admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat beneuolentiam, exerceat disciplinam. Ita in domo sua ecclesiasticum & quodammodò episcopale implebit officium, ministrans CHRISTO, vt in æternum sit cum ipso. Nam & illam maximam passionis ministrationem multi ex vestro numero ministrarunt. Multi non episcopi, neque clerici, iuuenes & virgines, senes cum iunioribus, multi coniugati & coniugatæ, multi patres matresque familiâs Christo ministrantes, etiam animas suas in eius martyrio posuerunt, & honorificante patre, coronas gloriosissimas receperunt.

IN EODEM FESTO, HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Amen amen dico uobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet, &c. Ioan. 12.

HOc est enim illud granum frumenti, quod virgo & inarata terra produxit. De quo Psalmista ait: Veritas *Psal.* 84. de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit. Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Huius autem grani immensa multiplicatione, omnia ecclesiæ horrea repleta sunt. De hoc frumenti grano ille panis conficitur, de quo ipse Domi-

Ioan. 6. nus ait: Ego sum panis viuus, qui de cælo descẽdi. Constat autem hoc & ad literam verum esse, quòd frumenti granum si in arca seruetur non crescit: si autem seminetur, si in terra seruetur & moriatur, multum fructum affert. Nihil infructuosum diligit Deus. Nihil in horto suo, nihil in vinea sua, nihil in agro suo vult esse infructuosum. Vnde & ipse alibi ait: Omnis arbor quæ *Matth.* 7. non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur. Et in alio loco: Ego sum (inquit) vitis *Ioan.* 15. vera, & pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum purgabit eum, vt fructum plurimum afferat. Hæc est enim illa vera *Vitis uera, Christus.* vitis, de qua totum hoc vinum profluxit, quod nobis in hoc euangelio propinatur. Hæc est illa vitis semper fructuosa, cuius omnes palmites fructiferi sunt, quicunque ei fideliter inhærent. Ideò enim infructuosi de ea tolluntur, qui quamuis per baptismi sacramentum in ea sint, per vitæ tamen meritum in ea non sunt. Talis arbor *Palmites infructuosi.* infructuosa erat illa, de qua ad cultorem vineæ Dominus ait: Ecce tres anni sunt, ex quo venio, *Luc.* 13. quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: succide ergo illam. Vt quid etiam terram occupat? Quæ quidem ilicò succisa fuisset, nisi ille bonus vineæ cultor pro illa intercessisset, dicens: Domine dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam & mittam stercora: & si quidem fecerit fructum: sin autem, in futuro succides illam. Talis erat & illa ficulnea, in qua quia fructum non inuenit, Dominus eam ma- *Matth.* 21 ledixit, & aruit. Tales sunt & multæ aliæ arbores infructuosæ, quæ tandẽ excidẽtur & in ignẽ mittentur. Et ego quidem non crediderim aliquam arborem infructuosam in paradiso fuisse plantatam, præsertim quum primo homini Dominus dicat: De omni ligno paradisi comede, de *Gen.* 2. ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: in quacunq; enim die comederis ex eo, morte morieris. In eo enim quod de omnibus comedere dicit, omnes illas arbores fructuosas fuisse *Paradisus,* ostendit. Quum igitur paradisus Ecclesiã signi- *typus Ec-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ficet, Ecclesię quoque arbores omnes fructiferas esse oportet. Multæ nanque arbores sunt in Ecclesia. Ibi enim est lignum vitæ: de quo qui comederit, si tamen dignè comederit, non morietur. De hoc enim ligno scriptum est: Et erit tanquàm lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et alibi: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei. Ibi est & illa arbor, quæ ait: Ego autem sicut oliua fructifera in domo Domini, speraui in misericordia Dei mei in æternum & in seculū seculi. Sed quid de illis nobilissimis arboribus dicam, quibus ipse Dominus ait: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos vt eatis, & fructū afferatis, & fructus vester maneat? Tales igitur, quales fuerunt apostoli, bonæ arbores significabant: Illam autem arborem, de qua Dominus primum hominem comedere interdixit, hæreticos significare puto, quorum quidem fructus mortiferi sunt, quorum poma venenosa sunt, quorū doctrinam qui susceperit, mortem incurret sempiternam. Sequitur: *Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in uitam æternam custodit eam.* Hoc enim Dominus non dixisset, si animas nostras & benè & malè amare, & iterùm benè & malè odisse non possemus. Ipse enim exponit, quid sit malè amare, & ipse exponit, quid sit benè odisse. Malè enim amat animā suam in hoc mundo, qui propter hunc mundū & propter hanc vitam præsentem eam amat. Iste enim eam perdet, quia sic amando æternæ morti & perditioni tradet eam. Qui enim benè amat animam suam, sic eam amat, vt in æternum viuat, non vt breui tempore in delicijs viuat. Vnde & in vitā æternā eam custodit, qui sic in hoc mundo suam animam odit. Ille enim animam suam & vitam suam odisse videtur, qui mori nō timet, qui ieiunijs & vigilijs, qui paupertate & nuditate alijsq; similibus eam affligit. Ille denique, qui sic amat animam suam, vt eam (si necesse sit) pro Christi fide ponere nolit, perdet eā. Qui verò sic odit, vt eam in tali necessitate ponere non recuset, in vitam æternam custodit eā. *Si quis mihi ministrat, me sequatur*: vt sicut ego pro ipso, ita & ipse (si necesse fuerit) pro me moriatur. Sequi enim, imitari est. Ministrant enim Deo non solùm episcopi & sacerdotes, cæteriq́ue illius ordinis: verùm etiam qui facit eleemosynas, qui vestit nudos, visitat infirmos, aliaque his similia misericordiæ & pietatis opera facit, Domino ministrat. Vnde ipse quoque Dominus ait: Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis: ostendens eos ministrare sibi, qui ipsius membris ministrant. Sed quid eis sibi ministrasse proderit? Sequitur: *Et ubi ego sum, illic & minister meus erit.* Dicis fortasse non hoc tibi sufficere. Audi quod sequitur: *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus.* Magnus honor, magna gratia, immensæ diuitiæ. Beatus ille, quē Deus honorificabit. Ille, n. ditabitur illis bonis, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se. Deniq; qui ibi erit vbi ipse est, quid melius vnquam habere potest? Hoc enim Psalmista desiderans, ait: Beati qui habitant in domo tua Domine, in seculum seculi laudabunt te. Itemq;: Vnā petij à Domino, hanc requirā, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Et Apostolus: Cupio, inquit, dissolui, & esse cum Christo.

Psal. 1. Apoc. 2. Psal. 91. Ioan. 15. Arbor uitæ, hæretici. Ministrare Christo Matth. 25 1. Cor. 2. Philip. 1

IN VIGILIA ASSVMPTIONIS B. Mariæ. Luc. I.

Exurgens Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elizabeth. Et reliqua. Homilia beati Ambrosij Episcopi.

Morale est omnibus, vt qui fidem exigunt, fidē adstruant. &c. Hanc Homiliam suprà habes in festo Visitationis beatæ Mariæ.

IN ASSVMPTIONE B. MARIAE VIRGINIS, Sermo beati Hieronymi.

COgitis me, ô Paula, & Eustochiū, imò charitas Christi me compellit, qui vobis dudum tractatibus loqui consueueram, vt nouo loquendi genere sanctis, quæ vobiscum degunt virginibus, latino vrens eloquio, exhortationis gratia sermonem faciam de assumptione beatæ & gloriosæ semper virginis Mariæ, more eorum qui declamatoriè in Ecclesijs solent loqui ad populum: quod vtique genus docendi necdum attigerā. Sed quia negare nequeo quicquid iniungitis, nimia vestra deuictus dilectione, experiar quæ hortamini, affectu infantium more balbutientium, qui quæcunque audierint, fari gestiunt, cùm necdum possint ad plenum verba formare: maximè quia propter simpliciores quasq; id me depromere compellitis, vt habeant sermone latino, quibus se occupent laudibus eadem die, quibus ue diuinis vacent lectionibus: præsertim cùm & eadem in multis festiuitatibus, multorum sanctorum patrum studia miro cuderint eloquio, quæ de hac quidem vberiùs vbique in scripturis diuinis prædicata leguntur. Quid enim aliud sonant euangelia, nisi nascentem Dominū ex Maria virgine? & omnia incrementa eius

ta eius quousque fuit in mundo duntaxat, diuinis efferunt præconijs. Porrò ab exordio sancti euangelij Gabrielem archangelum colloquentem Mariæ audistis, & deinceps reliqua omnia plenius legistis. Ad præsepe quoque, ô Paula te teste, nato puero, multitudinem angelorum inter crepundia noui partus, & querelas nescij ploratus, professe ninis, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, cantantem audisti, & radiantem stellam vidisti, pastoribus insuper euangelizantibus credidisti. Magos præterea tria deferentes munera in visione beatis oculis conspexisti, ipsa eadem munera benè intelligendo, votis omnibus fide Deo obtulisti. Nam & cum eisdem magis Deum puerum in præsepi adorasti. Sed fortè conquesta, me delatorem quòd te prodiderim, clamabis. Ad quod ego: Si celatum esse volebas teste conscientia, mihi narrare ante præsepium, vbi plurimùm lachrymata es, non deberes: quod vt verum fatear, Christi præconia, etiam si voluero adiuratus, neq; tuas laudes omninò tacere queo. Idcircò tuæ te interrogent filiæ, quas lacte nutris, tu ea meliùs referabis, quæ nescio si per speciem aliquam, aut certè in spiritu vidisti. Vnde vos, ô filiæ, pulsate matrem precibus, pulsate ad ostium inuitantis amici, si quo modo vobis tandem aperiantur, quæ reserata sunt matri. Veruntamen de his quid plura dicam? Omnia saluatoris gesta, & beatæ Mariæ obsequia, nec non & actus vitæ ex euangelio didicistis. Et nunc quid superest, vt ab aliquo doctorum requiratis? De assumptione tamen eius qualiter assumpta est (quia vestra id deposcit intentio) præsentia absens scribere vobis curaui, quæ absentia præsens deuotus obtuli: vt habeat sanctum collegium vestrum in die tantæ solennitatis munus latini sermonis, in quo discat tenera infantia lactis experiri dulcedinem, & de exiguis eximia cogitare: qualiter, fauente Deo, per singulos annos tota hæc dies expendatur in laudem, & cum gaudio celebretur: ne fortè si venerit vestris in manibus illud apocryphum de transitu eiusdem virginis, dubia pro certis recipiatis: Quod multi latinorum pietatis amore, studio legendi charius amplectuntur: præsertim cùm ex his nihil aliud experiri possit pro certo, nisi quòd hodierna die gloriosa migrauit à corpore. Monstratur autem sepulchrum eius cernentibus nobis vsque ad præsens in vallis Iosaphat medio, quæ vallis est inter montem Sion & montem Oliueti posita, quam & tu Paula oculis conspexisti: vbi in eius honorem fabricata est ecclesia miro lapideo tabulatu, in qua sepulta fuisse, vt scire potestis, ab omnibus ibidem prædicatur, sed nunc vacuum esse Mausoleum cernentibus ostenditur. Hæc idcircò dixerim, quia multi nostrorum dubitant, vtrùm assumpta fuerit simul cum corpore, an obierit relicto corpore. Quomodò autē, vel quo tempore, aut à quibus personis sanctissimū corpus inde ablatum fuerit, vel vbi transpositū, vtrū ue resurrexerit, nescitur: quanuis nonnulli astruere velint eam iam resuscitatam, & beata cum Christo immortalitate in cælestibus vestiri. Quod & de beato Ioanne euangelista eius ministro, cui virgini à Christo virgo commissa est, plurimi asseuerant, quia in sepulchro eius, vt fertur, non nisi manna inuenitur, quod & scatu rire cernitur. Veruntamen quid horum verius censeatur ambigimus, meliùs tamen Deo totum, cui nihil impossibile est, committimus, quàm aliquid temerè definire velimus authoritate nostra quod non probamus: sicuti & de his, quos cum Domino, teste euangelio, resurrexisse credimus, sed vtrùm redierint in terræ puluerē, certum non habemus: nisi quòd legimus, quia multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt, ac venerunt in sanctam ciuitatem, scilicet Hierusalem, & apparuerunt multis. De quibus profectò nonnulli doctorum senserunt, etiam & in suis reliquerunt scriptis, quòd iam in illis perpetua sit completa resurrectio. Fatentur enim, quòd veri testes non essent, nisi & vera esset eorum resurrectio. Vnde & B. Petrus dixisse legitur, cùm de Dauid loqueretur in testimoniū: Et sepulchrum, inquit, eius apud nos est, quasi non sit ausus dicere, quòd ipse aut corpus eius apud nos est, sed tantùm sepulchrum, quo conditus fuerat. Hinc aiunt resurrexisse & ipsum cū cæteris sanctis, & ideò vacuum remansisse Mausoleum, vti nunc beatæ Mariæ cernitur. Quod sanè factum & de alijs quibuslibet locis scripturarum affirmare conantur, quòd hi iam cum Christo regnēt, resuscitati in æterna societate. Quod, quia Deo nihil est impossibile, nec nos de beata Maria factum abnuimus: quanquam propter cautelam salua fide pio magis desiderio opinari oporteat, quàm inconsultè definire, quod sine periculo nescitur. Vnde de his, ex quibus certi sumus, tantisper loquamur, ad exhortationem vestram qualicunque sermone ad ædificationē & laudem nominis Dei, vt & religio conseruetur pro famulatu, & deuotio augeatur pro affectu: quoniam hæc est virgo, quæ sola interemit vniuersam hæreticam prauitatem, sola post Deum, quæ nos confirmet in omni veritate, suisq; commendet meritis, & precibus auxilietur, vt & ipsi digni inueniamur in eius laudibus. Quòd si quæritur post ascensionē Domini quid egerit, vnum pro certo est, quia virgo sancta corpore ac mente permansit. Quam sanè angelus Gabriel ac ſt cælestis paranymphus intactam custodiuit, & Ioannes Apostolus atq; Euangelista, cui Christus eam de cruce cōmisit, virgo virginē seruauit, suisq; ei deseruiuit obsequijs nōquòd eam eximius ille sanctorum chorus apostolorū deseruerit, inter quos post resurrectionem Domini intrans & exiēs familiariùs cōtulit de Christi incarnatione: tanto si quidem veriùs, quanto

Paula uisio. Luc. 2. Ioann. 19. Matth. 27 Act. 2. Sepulchrum B. Mariæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ab initio pleniùs per ſpiritũ ſanctũ cuncta didi-
cerat,&perſpexerat oculis vniuerſa:licet & apo-
ſtoli omnia per eundẽ ſpiritum ſanctũ cognoue
rint,& in oẽm edocti peruenerint veritatẽ. Quã
ſanè beatã virginem & ſi oẽs venerati ſunt diſci
puli,eiq; famulabantur officio dilectionis,Ioan
nes tamen ampliùs ac ſpecialiùs vſq; ad finẽ vi-
tæ,qui ſibi cõmiſſam accepit in ſuã, quaſi matrẽ
Ioan. 19. filius,cui benignus magiſter de cruce: Mulier,
inquit,ecce filius tuus:ad diſcipulũ aũt,Ecce ma
ter tua: vt virgo virgini cohæreret, & deſeruiret
officioſiſsimè cura adoptionis. Non enim pudi-
ciſsima virginitas alicui diſcipulorũ rectiùs,quã
virgini cõmendaretur:vt eſſet ad inuicẽ grata ſo
cietas & floridus aſpectus, nec non & venuſtus
conuerſandi vultus,vernansq; alternatim pudi-
citiarũ ſplendor decoratus. Vna ſiquidẽ virtus
virginitatis in ambobus,ſed altera proportio in
Maria:altera quidem,quia fœcundior,ſed ipſa:
ipſa verò,ſed altera: quia etſi ipſa eademq; in-
corruptio,tamen fœcunditas integritatis longè
glorioſior quàm virginitas. Idcircò & fœcundi-
tas in illa tota deifica eſt & virginitas. Alioquin
nuſquàm ſecundùm naturã naſcendi virginitas
vbi fœcunditas prædicatur,neq; fœcunditas vbi
virginitas integra conſeruatur. Ideoq; totum ſu
perexcellit de illa quæ dicuntur,quia ſunt diui-
na atq; ineffabilia. Vnde virginitas & fœcundi-
tas prolis,ſupereminens nouitas eſt,quanquàm
humanum cernatur,ex carne quod naſcitur.
Veruntamen & ſi magnificentior multùm virgi
nitas in Maria propter gratiæ excellentiam,vna
tamen integritas carnis & vna virtus, quæ adin-
uicem quaſi cognata ſociatur. Hinc quoq; Io-
annes quicquid eſt quod Maria genuit,euange
Ioan. 1. lizando ſuo commendat eloquio, dicens: In
principio erat verbum, & verbum erat apud
Deum,& Deus erat verbum. Hoc quippe ver-
bum,quod erat in principio, & apud Deum e-
rat,& Deus erat,ipſum genuit beata & glorioſa
virgo Maria ex ſe carnem factum. Idcircò &
virginitas longè ſacratior,& fœcunditas (vt ita
dicam)multo ineffabilior,quàm ſuo potuerit il-
le explicare eloquio. Veruntamen quanto virgi
nitas cognatior virginitati,tanto B. euangeliſta
cæteris excellẽtior & vicinior verbo. Ideò quic
quid eſt quod virgo genuit, totum prout potuit
homo per ſpiritum ſanctum nobis referauit ma-
niſeſtiùs & docuit. Cæterùm ad exemplum hu-
manæ vitæ, conuerſatio eius poſt aſcenſionem
Chriſti generaliter cum Apoſtolis fuit,quouſq;
diſpergerentur, ſicuti Lucas meminit, dicens
Act. 1. quòd regreſſi quidem à monte Oliueti,Hiero-
ſolymam venerunt, & aſcenderunt in cœnacu-
lum,vbi manebant Paulus& Ioannes,Iacobus&
Andreas,Philippus & Thomas, Bartholomæus
& Matthæus,Iacobus Alphæi & Simon Zelotes,
& Iudas Iacobi. Hi omnes,inquit,erant perſeue
rantes vnanimiter in oratione cum mulieribus,
&Maria matre Ieſu,& fratribus eius. Ecce Ieſu
aſcendente, cum quibus virgo vacat in ſchola *Conuer-*
virtutum,& meditatur in lege mandatorũ Dei, *tio B.*
vt & ipſa ſit forma diſciplinæ Chriſti, & exem- *virg.*
plum perfectionis virginibus. Conuerſatur aũt *Chriſti*
cum teſtibus ſanctæ reſurrectionis,& ipſa teſtis: *aſcen-*
conuerſatur cum ſenatoribus cæli infra curiam *ſionẽ.*
paradiſi, ſub ſancti ſpiritus diſciplina, & magi-
ſterio totius diuinæ maieſtatis. Inuenitur prima
inter primas ſummi regis cohortes, quorum vi-
ta iam non erat de terris,in quibus Chriſtus præ-
liabatur,ſed de cælis. Hinc aſcendiſſe leguntur
in cœnaculũ,quo paſcha digniſsimè celebratur.
Ibi quippe manebant cum Maria matre Ieſu v-
nanimiter aſpirati in charitate,perſeuerantes in
oratione,donec induerentur virtute ex alto. Cœ
perant enim iam orare,qui dudũ cũ Domino cõ
uerſantes,virtutibus & miraculis paſcebãtur. Et
benè perſeuerãtes in oratione,nihil hæſitantes,
donec acciperent munera ſpirituſſancti quę po-
ſcebant. Quos & vos,ô filiæ,imitamini,quæ in
ſchola Chriſti permanere vouiſtis: perſeuerate
in orationibus vnanimiter viuentes,quouſq; in-
trare poſsitis gaudia æternæ vitæ,quò B. virgo ſe
liciter hodie introiuit, alternantibus hymnidi-
cis angelorũ choris intra paſcua æternæ viridita
tis:vbi vna ſocietas oĩm ſupernorũ,vbi dulcis ſo
lennitas angelorũ,vbi poſt labores & ærũnas fe-
lix & ſuauis refectio animarũ. Hodiè nãq; glo-
rioſa ſemper virgo Maria cælos aſcẽdit:rogo gau
dete,quiavt ita fatear,ineffabiliter ſublimata,cũ
Chriſto regnat in æternũ. Regina mundi hodiè
de terris & de præſẽti ſeculo nequã eripitur:ite-
rũ dico,gaudete,quia ſecura de ſua imarceſsibi
li gloria,ad cælitã peruenit palatiũ. Exultate,in-
quã,ac gaudete,& lætetur oĩs orbis, quia hodiè
nobis oĩbus eius interuenientibus meritis, ſalus
aucta eſt. Vobis quoq; diligẽtib⁹ eã honor & vir
tus,vnà cũ reliquis virginib⁹ ſacris,amplior præ-
ſtatur & gratia. Idcircò dilectiſsimæ,lætamini &
laudate,quia ſi Deũ ore ꝓphetico in ſãctis ſuis *Pſal. 67.*
laudare iubemur,multo magis eũ in hac celebri-
tate B. virginis matris eius oportet cũ hymnis &
cãticis ſpiritualib⁹ diligẽtiùs extollere,& dignis
Deo iubilare præconijs,& myſticis honorare mu
neribus. Nulli dubiũ,quin totũ ad gloriã laudis
eius pertineat, quicquid dignè genitrici ſuæ im
penſũ fuerit,atq; ſoleniter attributũ. Ex quo ti-
meo ſatis,& valdè pertimeſco, dũ veſtris cupio
parere ꝓfectibus, ne fortè ſicut improbus, ita &
indignus laudator inueniar:profectò cũ nec ſan
ctitas vel facũdia ſupperat,vt beatã & glorioſam
virginẽ dignè laudare queã:quoniã,vt verũ fa-
tear,quicquid humanis dici poteſt verbis,minus
eſt à laude cęli,quia diuinis eſt & angelicis excel
lẽtiùs prædicata & laudata præconijs. A ꝓphetis
quidẽ prænũciata, à patriarchis figuris & ænig-
matib⁹ præſignata,ab euãgeliſtis exhibita & mõ-
ſtrata,ab angelo venerabiliter & officioſiſsimè ſa
lutata. Prætereà qualis & quãta eſſet, ab eodẽ di
uinitùs declaratur,cũ ait: Aue gratia plena, Do- *Luc. 1.*
minus

minus tecum,benedicta tu in mulieribus. Tali-
bus nanq; decebat virginem oppignerari mune
ribus vt eſſet gratia plena,quę dedit cęlis gloriã,
terris Deum, pacẽq; refudit,fidem gẽtibus,ſinẽ
vitijs,vitæ ordinem,moribus diſciplinam. Et be
nè angelus ad virginem mittitur, quia ſemper
eſt angelis cognata virginitas. Profectò in car-
Virginita- ne præter carnẽ viuere,non terrena vita eſt,ſed
tis ſtudiũ, cæleſtis. Vnde in carne angelicam gloriam ac-
vita cæle- quirere, maius eſt meritum,quàm habere. Eſſe
ſtis. enim angelum, felicitatis eſt: eſſe verò virginẽ,
virtutis: dum hoc obtinere virib. virgo nititur
cũ gratia,qd' habet angelus ex natura. Vtrunq;
tamen & eſſe virginem vel angelum, diuini mu
neris eſt officium, non humani. Aue,inquit,
gratia plena. Et benè plena, quia cæte-
ris per partes præſtatur, Mariæ verò ſimul ſe-
tota infudit plenitudo gratiæ. Hoc quippe eſt,
Pſalm. 71. quod Dauid canit: Deſcendet ſicut pluuia in
vellus. Vellus itaq; cum ſit de corpore, neſcit
corporis paſsionem. Sic & virginitas cùm ſit in
carne,vitia carnis neſcit. Cæleſtis planè imber
in virgineum vellus placido ſe infudit illapſu,&
tota diuinitatis vnda ſe contulit in carnem,quã-
do verbum caro factum eſt: ac deinde per cru-
cis patibulum expreſſum,terris omnibus pluui-
am ſalutis effudit, & ſtillicidia gratiæ humanis
præſtitit mentibus. Dominus tecum,inquit. Mi
ra res: Et iam erat cum virgine,qui ad virginem
mittebat angelum,& præceſsit nuncium ſuum
Deus,ſed à Deo non receſsit. Nec teneri potuit
locis,qui omnibus habetur in locis, & totus v-
biq; eſt,ſine quo nihil. Totum ergo verbum pa
tris nunquam à patre diſcedens, homo pro no-
bis fieri dignatus eſt,ſecreto ſuo myſterio quo
ipſe nouit. Qui quoniam totum ſuſcepit quod
eſt hominis,homo totus eſt: & totum retinens
quod Dei eſt,omninò aliud quàm Deus,qui na
tus eſt ex Maria,eſſe non potuit. Scit enim De-
us omnia & poteſt. Propterea quia ita eſt,ſciuit
ſe ac potuit in vtero virginis ſine ſui corruptio-
ne miſcere atq; vnire,vt vnus eſſet Chriſtus De-
us & homo,vna perſona,vnaque ſubſtantia. Ob
quod Dei genitrix electa & præelecta, iurè ab
angelo gratia ſalutatur & prædicatur plena.
Verè plena, per quam largo ſancti ſpiritus im-
bre ſuperfuſa eſt omnis creatura. Et ideò ſatis
eam deuotiſsimè primùm angelus veneratur &
ſalutat. Miratur itaq; & ipſe,qualis aut quanta
Salutatio ſit quam ſalutat. Non enim ſimplex fateor,vel
angelica, cõſueta fuit illa ſalutatio, ſed omni admiratiõ
omni admi- ne digna. Siquidẽ venerationis fuit delatio,obla
ratione di- tio muneris,famulatus obſequij: quia & ſi in ſan
gna. ctis patribus & prophetis gratia fuiſſe creditur,
non tamen eatenùs plena. In Mariam verò to-
tius gratiæ,quæ in Chriſto eſt,plenitudo venit,
quanquàm aliter. Et ideò inquit: Benedicta tu
inter mulieres,id eſt, plus benedicta quàm om-
nes mulieres. Ac per hoc quicquid maledictio-
nis infuſum eſt per Euam,totum abſtulit bene-
dictio Mariæ. Inſuper & gratiam refudit Chri-
ſti ortus, quam non habuit priùs omnis mun-
dus. Igitur quod natura non habuit, vſus neſci-
uit,ignorauit ratio,mens non capit humana,pa-
uet cælum, ſtupet terra, creatura omnis etiam
cæleſtis miratur,hoc totum eſt, quod per Ga-
brielem Mariæ diuinitùs nunciatur, & per Chri
ſtum adimpletur. Qua de cauſa,de tali tantaque
loqui me indignum fateor. Sed & puto quòd
nemo præſumat, niſi qui quanta ſint quæ pan-
duntur,penitùs ignorat. Tamen etſi ad hæc ne-
mo idoneus inuenitur, votis tamen omnibus
ceſſare non debet quilibet etiam peccator à lau
dibus, quanuis explere non queat quod ſentit-
tur. Vnde ſermo diuinus,cum de peccatore a-
geret in Pſalmis,Sacrificium, inquit,laudis ho- *Pſalm. 49*
norificabit me. protinùs addidit: Et illiciter,
quo oſtendam illi ſalutare Dei: ac ſi patenter di
cat: Illic iter eſt laudis ad æternã laudem ſine fi- *Iter ſalu-*
ne manſuram,ſed nemo apprehendit illud, niſi *tis in lau-*
ego præmonſtrauero. Propterea chariſsimæ, *dib. Dei.*
quia iter ſalutis noſtræ in laudibus eſt ſaluato-
ris,hortor vos & commoneo in hac ſacra ſolen-
nitate genitricis Dei Mariæ,nolite ceſſare à lau-
dib⁹. Quòd ſi virgo es,gaude quia meruiſti eſſe
& tu,qd' laudas: tantùm cura vt ſis,quæ dignè
laudare poſsis. Quòd ſi continens & caſta es,
venerare & lauda: quia non aliunde conſtat vt
poſsis eſſe caſta,quã de gratia Chriſti, quæ fuit
pleniſsimè in Maria quã laudas. Quòd ſi coniu *Eccleſ. 15.*
gata es certè aut peccatrix,nihilominùs confite-
re & lauda,quoniam inde miſericordia omni-
bus profluxit & gratia, vt laudent. Et quanuis
non ſit ſpecioſa laus in ore peccatoris, noli ceſ-
ſare à laude: quia inde tibi promittitur venia,
vnde & omnibus,vt laudes. Alioquin niſi iuxta
modulum ingenij noſtri Deum laudare in ſan-
ctis ſuis ſtudeamus, quomodò eum ſecundùm *Pſal. 150.*
quod canimus,iuxta multitudinem magnitudi-
nis eius laudare poterimus? Omninò prætermittendum non eſt, quod impleturi ſumus
quandoque ſecundùm quod dicitur: Beati qui *Pſalm. 83.*
habitant in domo tua Domine, in ſecula ſe-
culorum laudabunt te. Interim verò quia im-
menſus eſt,quod voce non poſſumus,nec facun
dia valemus, exequamur votis & medullis cor-
dis:quia magnus & bonus eſt atque immenſus,
tantus ac talis, quantum & qualem ipſe ſe no-
uit,ore ac ſpiritu confiteamur ad iuſtitiam & ſa
lutem. Hinc rogo omnes pariter feſtiuitatẽ glo
rioſæ ſẽper virginis Mariæ deuotiſsimè celebre
mus,quia hæc eſt dies omni ſeculo veneranda,
in qua meruit exaltari ſuper choros angelorũ,
& peruenire vltrà,quàm noſtræ humanitatis eſt
natura. Vbi non ſubſtantia tollitur, ſed gloriæ
magnitudo monſtratur,cùm eleuatur in dexte-
ram patris,vbi Chriſtus pro nobis introiit pon- *Heb. 6.*
tifex factus in æternum,ad cæli palatium. Hæc
eſt,inquam,dies, in qua vſq; ad throni celſitu-
dinem intemerata mater & virgo proceſsit,atq;
in regni ſolio ſublimata,poſt Chriſtum glorio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sa resedit. Sic itaque vbique confidenter sancta Dei canit Ecclesia, quod de nullo alio sanctorum fas est credere, vt vltra angelorum vel archangelorum merita transcenderit : quia & si similitudo repromittitur sanctis, veritas tamen negatur. Hoc quippe priuilegium non naturæ est, sed gratiæ beatæ virginis Mariæ, de qua natus est ipse Deus & homo. Idcircò & ipsa plus est meritis, & non natura, quàm virgo & homo. Vnde etsi cæteræ virgines imitantur illam vsque ad conceptum partus, & Gabrielis nouæ salutationis obsequium, deinceps totum diuinum est
Luc. 1. quod operatur in ea, teste angelo, quia spiritu sancto & virtute altissimi obumbratur. Ante hoc ipsum sanè vterus Mariæ virginis quanuis mundus, quanuis impollutus & alienus à contagione peccati, quanuis sanctus, tamen adhuc vilitate humanitatis induitur: (vt ita dicam) ac si lana candidissima, suoque colore dealbata. Ad quam sanè cùm accessisset spiritus sanctus, quasi ipsa eademque lana cùm inficitur sanguine conchylij vel muricis, vertitur in purpuram : versa est & ipsa sine coitu in matrem, vt non sit iam amodò quod fuerat, sed purpura verissima ad indumentum & gloriam summi regis diuinitùs aptissimè dedicata, vt nulli deinceps ea vti vsu fœmineo licuerit, nisi Deo.

Quippe, vt ita loquar, beata & gloriosa virgo Maria eo modo, quanuis dudum incomparabilis esset vniuersis quæ sub cælo sunt virginibus, vt decenter posset in se suscipere diuinitatis admixtionem, salua vtraq; natura: tamen cum gratia repletur, cùm spiritu sancto perfunditur, cum virtute altissimi obumbratur, fit precio sior meritis, cellis sublimior fastigijs, pulchrior sanctitate, glorio sior suorum prærogatiuis meritorũ : ita vt nullis iam vsibus sit ipsa eademque mancipanda, nisi diuinis. Vnde, ô sanctissimæ virgines, & si imitari oportet tantam ac talem virginem, tamque præclaram : venerari multùm conuenit, & vltra angelicam quodammodò dignitatem, quantum fas est, cum gaudio laudibus dignissimè efferre. Quæ, vt diximus, non temerè per Christi gratiam super choros angelorum exaltata, deuotissimè hodiè prædicatur : quia præcesit eam Dominus & saluator noster ex ea
Ioan. 14. vera fide genitus, ad cælestia, vt pararet ei, sicut ipse suis promisit discipulis, in æthereis mansionibus locum. Hinc quoque Dauid propheta o-
Psal. 18. lim gratulabundus Christo canit: A summo, inquit, cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius. Ascendit ergo eandem gloriam resumpturus, licet non amiserit, quam priùs habuerat, antequàm mundus fieret. Ascendit & præparauit huic sanctissimæ & glorio sissimæ virgini locum immortalitatis, vt cum eo regnare
Festum B. Mariæ cæteris festiuitatibus præstãti. posset in perpetuum. Et hæc est præsentis diei festiuitas, in qua glorio sa & felix ad æthereum peruenit thalamum. Quæ profectò festiuitas, sicuti & virgo incomparabilis est cæteris virgini bus, ita incomparabilis est omnium sanctorum festiuitatibus, & admiranda etiam virtutibus angelicis. Propter quod ex persona supernorum ciuium in eius ascensione admirans spiritus sanctus, ait in Canticis : Quæ est ista, quæ ascendit Cant. 3. per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus? Et benè quasi virgula fumi, quia gracilis & delicata, quia diuinis extenuata disciplinis, & concremata intùs in holocaustum incẽdio pij amoris, & desiderio charitatis. Vt virgula, inquit, fumi ex aromatibus. Nimirùm quia multis repleta erat virtutum odoribus, manans ex ea fragrabat suauissimus odor etiam spiritibus angelicis.

Ascendebat autem de deserto præsentis seculi, virga de radice Iesse olim exorta: sed mirabantur electorum animæ præ gaudio, quæ nam esset, quę etiam meritorum virtutibus angelorum vinceret dignitatem. De qua rursus idem spiritus sanctus in eisdem Canticis : Quæ est ista, quæ Cant. 8. ascendit, inquit, quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? Admiratur autem spiritus sanctus, quia omnes de ascensu huius virginis admirantes facit, quòd quasi noui diluculi aurora rutilans ascensu suo resplendeat, multis freta & vallata sanctorum agminibus. Vnde dicitur: Terribilis vt castrorum acies ordinata. Siquidem terribilis suis facta virtutibus, vt castrorum acies admodùm ordinata, hinc inde sanctorum angelorum fulta præsidijs. Pulcha, inquit, vt luna, immò pulchrior quàm luna : quia iam sine defectu sui coruscat, cælestibus illustrata fulgoribus: electa vt sol, fulgore virtutum, quia ipse eam elegit sol iustitiæ, vt nasceretur ex ea. Ad cuius profectò exequias, quantùm fas est credere, famulabantur angeli, & vniuersæ cælorum congratulabantur curiæ. Nec mirum, quia honor maternus eius est, qui natus est ex ea, quem omnis cælorum ordo veneratur, & adorat super se eleuatum, cum patre in fede maiestatis Domini. Legimus enim quàm sæpè ad funera & ad sepulturas quorumlibet sanctorum angelos aduenisse, & ad exequias eorum obsequia præstitisse, nec non & animas electorum vsq; ad cælos cum hymnis & laudibus detulisse, vbi & vtriusq; sexus chori commemorantur frequenter auditi, laudesque cecinisse, interea & quod perspicacius est, multo nonnunquàm lumine eosdem resplenduisse, insuper & adhuc viuentes in carne, ibidem miri odoris fragrantiam diutiùs persensisse. Quòd si ad recreandã spem, dilectissimæ, & corroborãdam fidem interdum assistentium saluator noster Christus, ob merita suorum ampliùs comprobanda, talia & tanta dignatus est exhibere per suos cæli ministros circa defunctos : quanto magis credendum est hodierna die militiam cælorum cum suis agminibus festiuè obuiam venisse genitrici Dei, eamq; ingenti lumine circumfulsisse, & vsque ad thronum, olim sibi etiam ante mũdi cõsti-

tutionem paratum, cum laudibus & canticis spiritualibus perduxisse? Nulli dubium, omnem illam cælestem Hierusalem tunc exultasse ineffabili lætitia, tunc que iucundatam esse inæstimabili charitate, tuncque cum omni gratulatione iubilasse : quoniam festiuitas hæc, quæ nobis hodiè reuoluitur annua, illis omnibus facta est continua. nec immeritò. Creditur enim, quòd saluator omnium ipse, quantùm datur intelligi, per se totus festiuus occurrit, & cum gaudio eam secum in throno collocauit. Aliàs autem quomodò impleuisse creditur, quod in lege ipse præce
Exod. 20 pit, Honora patrem tuum & matrem tuam? Porrò q̃ patrem honorauerit, ipse sibi testis est,
Ioan. 8. cùm ad Iudæos ait : Ego gloriam meam non quæro: est qui quærat & iudicet: sed honorifico patrem meum, & vos inhonoras tis me. De
Luc. 2. matre verò euangelista, Cùm rediret, veniens, ait: Nazareth, erat subditus illis. Sed alia est natura, qua Deus pater secundùm se honoratur: alia, qua idem parentibus subditur: in vtraq; tamen vnus idemque Christus rectè creditur, eò
Ioan. 1. quòd verbum caro factum est, & habitauit in nobis: vnus Emmanuel, quod est, Nobiscũ Deus. Hanc quippe vnionem diuinitatis atque humanitatis, inconfusam indiuisamque catholica fides seruat. Quam sanè intelligendo cognoscit naturalis, atque secundùm subsistentiam conuentio vnitatis, vt neq; conuersio in alteritatem duarum substantiarum partem recipiatur, neque diuisio. Sic nanque credere, honorare est matrem Domini, quæ & Deum nobis genuit & hominem: neque sine Deo hominem, neque sine homine Deum, sed Deum & hominem, vnum & verum Iesum Christum. Alioquin Dei genitrix dici non posset (quod multi hæreticorum negare conati sunt) nisi Deum verè genuisset incarnatum. & propterea in Christo duas rectè confitemur natiuitates, vnam videlicet de patre sine initio, & sine tempore sempiternam, & coæternam Deo patri : aliam de matre cum tempore, quando miserationem induens & misericordiam, spontanea voluntate ad nos descendit natus homo Deus : ac per hoc iuxta veritatem, & matris gestatur vtero, qui semper Deus agnoscitur. Hinc etiam Theotocon eam veraciter confitemur, Dei scilicet genitricem: necnon & Christotocon. non quòd verbum carnem secum detulerit, neque olim præfatæ carni copulatum sit: sed tunc quando verbum caro factum est ex carne virginis, diuinitatis atq; humanitatis substantia in vtero ita inconfuse vnitur, vt vna persona sit Deus & homo Christus. Ex duabus siquidem naturis, sine confusione alterius, non nisi vnus inuenitur Iesus Dominus, ma
Philip. 2. nens Deus in forma Dei, qui semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens : manens vnus idemque in forma serui, quam suscepit. Totus quippe Deus in carne virginis, de qua natus est, & totus homo. Hinc quoq; Apostolus : In quo habitat, inquit, omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Quapropter ô filiæ estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ: vt ex prudentia perfectæ intelligentię annulum fidei vestræ, & margaritam pro qua omnia reliquistis, integram inuiolatamq; seruetis, ne dotem simul & arrham spiritus sancti, quod absit, perdatis. Diligentiùs itaq; procurate, si quo modo simplicitas columbæ, quæ fuit in Maria, illæsa inuiolataque custodiatur. De qua Salomon in Canticis, quasi in eius laudem: Veni (inquit) columba mea, immaculata mea. iam enim hyems transijt, imber abijt & recessit. Ac deinde inquit: Veni de Libano, veni, coronaberis. Non immeritò igitur venire de Libano iubetur, quia Libanus cãdidatio interpretatur. Erat n. candidata beata virgo Maria multis meritorũ virtutibus, ac dealbata niue candidiùs spiritus sancti muneribus, simplicitatem columbæ in omnibus repræsentans : quoniam quicquid in ea gestum est, totum puritas & simplicitas, totum gratia & veritas fuit, totum misericordia & iustitia, quæ de cælo prospexit: & ideò immaculata, quia in nullo corrupta. Circundedit enim virum in vtero, sicut Ieremias sanctus testatur, & non aliunde accepit. Faciet, inquit, Dominus nouum super terram, & mulier circundabit virum. Verè nouum, & omnium nouitatum supereminens nouitas virtutum, quando Deus, quem ferre non potest mundus, neq; videre aliquis vt viuere possit, sic ingressus est hospitium ventris, vt corporis claustra nescirer, sicq; gestatus, vt totus Deus in eo esset: & sic inde exiuit, vt esset, sicut Ezechiel fatetur, porta omninò clausa: Vnde canitur in eisdem Canticis de ea: Hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuæ paradisus. Verè hortus deliciarum, in quo consita sunt vniuersa florum genera, & odoramenta virtutum: sicque conclusus, vt nesciat violari neq; corrumpi vllis insidiarum fraudibus. Fons itaq; signatus sigillo totius Trinitatis, ex quo fons vitæ manat, in cuius lumine omnes videmus lumen: quia, iuxta Ioannem, ipse est, qui il-
Ioan. 1. luminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Cuius profectò emissio vteri, supernorum ciuium omnium est paradisus. De isto nanq; ventris agro patriarcha Isaac longè odorans, aiebat: Ecce odor filij mei sicut odor agri
Gen. 27. pleni, quẽ benedixit Dominus. Quanuis putent parum intelligentes, q̃ priores sancti minus de Christo intellexerint mysterium incarnationis, cũ & ipsi eadem saluati sint gratia. Vnde constat tẽpus nõ præiudicasse sacramẽto vniti hominis ac Dei, ita vt iã esset in illo per vnitatem personæ ab initio seculi, qui necdũ erat natus de Maria virgine : q̃ multis scripturarũ declaratur indicijs. Vnde Domin⁹ ad Iudæos: Anteq̃ Abraham
Ioan. 8. fieret, inquit, ego sũ. Quib⁹ vtiq; verbis ostẽdit se q̃ loquebatur, in eo sẽper fuisse mysterio vnitatis, q̃ vt cõmendaret, ante Abrahã, inquit, ego sũ.

Nam

Coloss. 2.
Matt. 10.
Cant. 2.
Cant. 4.
Psalm. 84
Ierem. 31.
Exod. 33.
Ezec. 44.
Cant. 4.
Ioan. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nam Abraham antequàm fieret, humanitatis est breuitas: Ego autem sum, æternitas declaratur naturæ. In qua nimirùm æternitate iam se fuisse qui loquebatur, per sacramentum suæ incarnationis insinuat. Quod Apostolus Iudas volens dilucidare apertiùs, Iesus, inquit, populum ex Aegypto saluans, secundò eos qui non credi-
1. Cor. 10 derunt, perdidit. Et alibi Paulus: Neq; tentemus Christum, sicut quidam eorum tentauerunt: nó quòd iam esset Iesus aut Christus natus ex Maria virgine, sed quia in illo vnico filio Dei, iam
Ephes. 2. vnitas personæ commendabatur, quæ occulta erat in mysterio. Quod & alibi euidenter, Qui elegit nos, inquit, ante mundi constitutionem in ipso. quia profectò quicquid Deus fecit ab initio, Christus fecit totum per vnitatem sacramenti. Et ideò iam Iesus erat in filio, qui populum educebat, & Christus in eo qui tentabatur, quoniam semper per sacramenti vnitatem in Deo fuisse non dubitatur. Alioquìn nisi ita credideris, aut Christus Deus non erit omninò, aut con-
Psalm. 80. tra prophetam Deus recens videbitur. Sed ne talibus quatiamur calumnijs, scrutandæ sunt scripturæ, in quibus vnitas in Christo commendatur personæ, quoniam non præiudicat tempus, ne vnus semper dicatur. Hinc quoq; beatus Petrus
Actor. 15 loquens de patribus, ait: Per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmo-
Deut. 32. dùm & illi. Nanq; illos Dominus solus ducebat, & non erat cum eis Deus alienus. Vnde nec nobiscum Deus recens, quia vnus idemq; est, qui eorum ductor fuit, & noster per passionem carnis suæ redemptor. Vnus siquidem sua in carne, vnus in sacramento, atq; vnus in spiritu: nec admittit ratio, vt alius filius hominis, alius filius Dei intelligatur, qui nec tempore præscribitur, nec passione separatur, sed totus Deus in Christum, & Christus in Deum transijt: vt quicquid Dei filius est, Christus dicatur: & quicquid in carne Christus pertulit, id Deus pertulisse rectè credatur. Alioquìn si ad rationem respicias, & ad sensus humanos, nequaquàm ita eatenùs potuerunt inter se conuenire deitas & humana códitio. Conuenerunt tamen in Christo, & vnus exambabus Emmanuel. Rogo vos ô virgines, rogo & viduæ, imitamini Paulam matrem viduam, exemplar continentiæ & castitatis, imitamini Eustochium, quam habetis vobiscum, virginem, & formam perfectæ integritatis. Quòd si minus est in illis, quàm in matre Domini, imò quia est, habetis prole fœcundam, & virginem perpetuam: quia sicut in comparatione Domini nemo bonus, ita in comparatione matris Domini nulla inuenitur perfecta, quanuis eximia comprobetur. Vnus est pater noster, qui in cælis est, vnus & magister: vna est & forma virginitatis in Maria, cui vos omnes vt imaginem reformetis integritatis, faciem imprimere debetis in sculptura spiritus sancti. Quoniam hæc est hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viuentium: ad quam nulli potuerunt doli irrumpere, nec præualuit fraus inimici: sed permansit sancta mente & corpore, multis donorũ priuilegijs sublimata. Idcircò hãc imitamini moribus, sequimini castitate, huius implorate auxilium.

IN ASSVMPTIONE B. MARIAE VIRGINIS,

In lectionem Epistolæ loco, Concio exegetica.

LEctionis huius capitulum, inquit Haymo, specialiter laudem æternæ Dei sapientiæ, per quam omnia creata sũt, commendare videtur. Sed hæc particula à catholicis & eruditis patribus in solennitate perpetuæ virginis Mariæ, de qua eadem Dei sapientia carnem assumpsit, ad legendum ordinata est: & potest pars quædam illius non incongruè eidem Dei genitrici aptari, quæ ab ipsa Dei Sapientia talis creata est, vt per illam ad redimendam humanam naturam, Dei filius sine humana cõcupiscẽtia crearetur. Quid enim absurdum, quidue contrarium est, si hoc quod ait, *In omnibus requiem quæsiui, & in hæreditate Domini morabor*, Dei genitrici cõuenire dicamus? Ipsa quip pe in omnibus requiem quæsiuit, quæ vt in requie sempiterna partem inuenire posset, prima omnium virginitatem suam sine macula seruare deuouit: sicut angelo Gabrieli, Domini conceptionem nuntianti, respondit: Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco? i. ne cognoscerem disposui. Ipsa in hæreditate Domini morata est, quæ non peccando à possessione Domini discessit, sed integrã suã animã à cõcupiscẽtia, & carnẽ à corruptione seruãs, portio hereditatis Dei effecta ẽ, cantãs cũ ꝓpheta & dicẽs: Et enim hæreditas mea præclara est mihi. Cui personæ conuenire videtur, quod sequitur: *Tũc præcepit & dixit mihi creator omnium, & qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Quis autem creator omnium credendus sit, Ioannes in euangelio declarat: qui cùm dixisset, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, adiecit: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. & Dauid: Omnia in sapientia fecisti. Iste igitur creator omnium in eius tabernaculo requieuit, quando verbum Dei, per quod omnia facta sunt, vt homo verus fieret, intra virginis vterum carnem susceperit. Quapropter cessat latrare Manichæorum hæretico grunnitu præsumptio, qui ausi sunt dicere, Christum ex virgine veram non assumpsisse carnem: dicat autem ipsa Dei Sapientia in persona virginis: *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi: in Iacob inhabita, & in Israel hæreditare.* Iacob, qui supplãtator interpretatur, illorum significat actiones, q vt in virtutibus animæ proficere valeant, viriliter viciorum blandimenta calcant. In illis ergo habet Dei Sapientia tabernaculum, qui vitia supplantantes, hoc habent in opere, quod Iacob significat in nomine, sicut ipse dicit, Et inhabitabo in illis, & inambulabo. Israel verò idem Iacob appellatus est, postquàm angelum superans, Deũ videre meruit. vnde meritò vir videns Deum interpretatur. Igitur post supplantationẽ vitiorũ, ad contemplationem Dei tendens anima, hæreditas efficitur Dei sapientiæ, id est, Christi, iuxta illud Apostoli: Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. *Et in electis meis mitte radices.* Iubetur nihilominùs & in electis mittere radices, id est, cogitationum suarum semina illorum mentibus occulta inspiratione immittere, quos nouit fructum boni operis germinare. Non ergo in reprobis, sed in electis radices mittit, in quorum cordibus ita radicibus spiritalibus bona ligatur voluntas, vt antequàm ad maturitatis fructũ perueniat, non arescant. Sed qui modò euntes & flentes mittunt semina sua, in futuro venientes venient cum exultatione, portantes manipulos suos, à pio iudice audientes: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi. Esurui enim, & dedistis mihi manducare, &c. Sequitur: *Et sic in Sion firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui, & in Ierusalem potestas mea.* Sion in ipsa Ierusalem posita est, nó solùm ad defensionem munitior, sed etiam ad contemplandum sublimior: vnde congruè speculum vel speculatio interpretatur. Cuius nominis interpretatio congruit Ecclesiæ, quæ ne inuisibilium hostium insidijs pateat, superiora per spiritale desiderium petit, atque cælestia per mentis munditiam contemplatur, orans cum Propheta & dicens: Esto mihi Domine turris fortitudinis. Ciuitas autem sanctificata, sancta Ecclesia est, quæ ab illo sanctificari se optat, cui quotidiè in oratione dicit: Sanctificetur nomen tuum: considerans solicitè admonitionem Domini, dicentis: Sancti estote, quia ego sanctus sum Deus vester.
In ciuitate ergo sanctificata Dei sapientia requiescit, quia in illorum mentibus requiescit, qui sanctimoniam diligunt. Quòd verò subditur, *Et in Ierusalem potestas mea*, ad hoc pertinet, quia quandam potestatem in illorum cordibus tenẽt, qui visionem intimæ pacis toto affectu diligunt. Sequitur: *Et radicaui in populo honorificato, et in partes Dei mei hæreditas illius.* Populum honorificatum, populum dicit sanctum: quia, vt ait Apostolus, gloria, honor & pax in omnem animam hominis operantis bonum. In tali ergo populo radicasse dicuntur, qui non flatu tentationis velut faúilla rapiuntur, sed firmiter in amore Dei radicati perseuerant, iuxta admonitionem Apostoli, dicentis: In charitate radicati & fundati, vt possitis cõprehendere cũ omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, & sublimitas, & profundũ. Huius igitur populi partes, Dei hereditas est, qui eius amori nil anteponunt, & in eius comparatione nihil carum æstimant, de quibus in lege dicitur: Tribui autem Leui non dabis hæreditatem: ego enim pars & hæreditas illius. & de quibus ait Psalmista: Beata gens, cuius est Dominus Deus eius, populus quem elegit in hæreditatem sibi. & ipse clamans dixit ad illum: Dominus pars hæreditatis meę & calicis mei, tu es, qui restitues hæreditatẽ meam mihi. Qui ergo tales sunt, ad perseuerantiam tendere debent. Vnde & subditur: *Et in plenitudine sanctorũ detẽtio mea.* Plenitudo sanctorum, perfectio est operum. Plenitudinem habent, qui in bonis operibus consummantur. Hactenùs Haymo. Porrò Radulphus Ardens Pictauus, qui floruit ab anno Domini 1040. vsque ad annum 1100. ita scribit in hunc locum, & ea quę deinceps sequũtur: *Et radicaui in populo honorificato*, cui dicit Dominus, Tu es populus meus, & ego Deus tuus: quod exponẽs, subdit: *Et in partes Dei mei hæreditas illius*, id est, in illo populo radicaui, quem elegit Deus in partem, & qui Deum elegit in hæreditatem. *Et in plenitudine sanctorum detentio mea.* Vbi enim maior sanctimonia, ibi diuina magis inuitatur & detinetur sapientia. Cùm autem in omnibus his diuina requiescat sapientia, præcipuè & singulariter requiescit in Maria. Ipsa enim omnia hæc, & plus quàm hæc habet. Quis enim sic fuit Iacob, id est, luctator contra vitia, vt Maria? Quis fuit sic electus, immò præelectus, vt Maria? Quis fuit sic Sion, id est, speculatiuus, vt Maria? Quæ ciuitas sic fuit sanctificata, vt ciuitas & claustrum Dei Maria? Quis fuit sic Ierusalem, id est, pacificus, vt mediatrix Dei & hominum Maria? Quis fuit populus sic honorificatus, & pars vel hæreditas Dei, vt singularis Dei mater & virgo, & regina cælorum Maria? Quis habuit tantam sanctimoniæ plenitudinem, quantam Maria? Singulariter igitur & superexcellenter Dei sapientia requieuit in Maria. Sequitur: *Quasi cedrus exaltata sum in Libano.* Sed cùm diuina Sapientia non possit esse maior vel altior, quàm semper fuerit, quomodò dicit se esse exaltatam? Non quia in se, sed quia in suis, dum eos exaltat, exaltatur.
Diuina quippe sapientia facit, quòd sancti à vitijs surgentes, in alto virtutum se collocant, & quòd virtutem virtuti, bonum bono accumulãt. & hoc est, quod dicit: *Quasi cedrus exaltata sum in Libano, & quasi cypressus in monte Sion: quasi palma exaltata sum in Cades.* Per Libanum, qui candidatio interpretatur, candor innocentis vitæ significatur. Per cedrum verò, cuius odor fugat serpentes, dicente Poëta, Disce & odoratam stabulis accendere cedrum: & cuius resina libros à tineis & vetustate conseruat, fides accipitur, cuius intelligentia fugat hæreticos, & sensum scripturarum à corruptione conseruat.
Per Sion altitudo speculationis intelligitur: per cypressũ verò, quæ odorifera est, fortitudo spei æterna odorãtis & superari nescientis, accipitur.

Per

Gen. 32.
Rom. 8.
Psalm. 125
Matth. 25
Psalm. 60
Luc. 11. & 12.
Ioan. 1.
Psalm. 91
Num. 2.
Ephes. 3.
Num. 18.
Deu. 18.
Psal. 32.
Psal. 15.
Zach. 13.
Virgil. 3. Georgic.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Per Cades, quæ mandatum vel sancta interpretatur, mandatum Dei intelligitur. Per palmam verò, quæ gracilis est circa radicem, & desuper dilatatur cum gratia foliorú semper virentium, & suauium pomorum, charitas, quæ ab angusto incipit, & posteà vsq; ad inimicos dilatatur, & semper viret & fructificat, significatur. Diuina igitur Sapientia quasi cedrus in Libano, quasi cypressus in monte Sion, quasi palma in Cades exaltatur, dum per eam sancti in innocentia fidem, in contemplatione spem, in mandato charitatem obseruantes, exaltantur. Se verò speciosam ostendit, cùm subdit: *Quasi plantatio rosæ in Iericho: quasi oliua speciosa in cãpis, et quasi platan⁹ exaltata sum iuxta aquam in plateis.* Per plantationẽ rosæ in
Iacob. 2 Iericho, corona martyrij designatur. Per oliuã, cuius liquor supernatat omnibus liquoribus, misericordia, quæ superexaltat iudicium, accipitur. Per platanum, sic dictam à latitudine foliorum, & quia patula & ampla est, quæ nascitur iuxta aquam in plateis, magnanimitatem significat: quæ iuxta mandatum diuinæ sapientiæ, & latitudine charitatis, & animi amplitudine cunctos recipit, protegit, cunctisq; benefacit. Diuina igitur Sapientia est speciosa quasi plantatio rosæ in Iericho, & quasi oliua speciosa in campis, & quasi platanus exaltata iuxta aquã in plateis: quoniam quosdã odore bonorum operũ, etiam martyrio coronat: alios in campo, huius vitæ, virtute misericordiæ & compassionis decoratialios latitudine charitatis, magnitudine beneficiendi latiùs illustrat. Se verò esse odoriferam ostendit, cùm dicit: *Sicut cinnamomum & balsamum aromatizans, odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris.* Per cinnamomum humilitas significatur, quæ se quasi breuem & vilem deijciens, etiam læsa magis humiliatur, & quasi visibile spiramentum boni dicti vel facti, suis læsoribus reddit. Per balsamum verò benignitas significatur, quæ semper albens & virens, etiam læsa læsoribus gratiam beneficiorum reddere nouit. Per myrrham etiam, quæ amara est, & corpora incorrupta conseruat, castimonia & mortificatio carnalium desideriorum significãtur, quæ corpus & animam à vitijs conseruant incorruptam. Diuina igitur Sapientia est odorifera sicut cinnamomum & balsamum & myrrha: quoniam sanctos suos virtute humilitatis, benignitatis & castitatis redolere facit. Et si, fratres mei, Sapiẽtia Dei patris, Dominus noster Iesus Christus sic exaltat, sic decorat, sic redolere facit cæteros sanctos, quanto magis dilectissimam & singularem matrem suam? & mandatum, quod
Exod.20. de honorificatione patris & matris nobis dedit, quanto magis ipse custodit? Exaltauit itaq; dilectissimam matrem suam sicut cedrum in libano, sicut cypressum in monte Sion, & sicut palmam in Cades: qui eam in via super altitudinem fidei, spei & charitatis, cæterarumque virtutum omnium superexcellenter exaltauit, & in patria
B. Mariæ sublimitas super omnem angelorum & archangelorum celsitudinem singulariter sublimauit. Decorauit quoq; eam sicut plantationem rosæ in Iericho, & sicut oliuam speciosam in campis, & platanum exaltatam iuxta aquam in plateis: quoniam eam etiam in via, martyrij, testante Simeone, dicente quòd eius animam pertransiret gladius, & misericordiæ, & magnanimitatis, cæterarumq; virtutum operibus decorauit: & in patria omni corona, omniq; gloria, omni pulchritudine, claritate & honore, plùs quàm cor hominis capere possit, mirificauit. Redolere quoque fecit eam sicut cinnamomum & balsamum aromatizans, & sicut myrrham electam: quoniam tam bono odore, tam bona opinione humilitatis, benignitatis, virginitatisq; singularis cæterarumq; omnium virtutum eam aromatizauit, quòd vniuersi fideles, tam illi qui adhuc sunt in via, quàm illi qui iam sunt in patria, omnisque militia cælestis in fragrantia illius incomparabili delectentur & admirentur, dicentes: Quæ est ista, quæ ascendit de deserto sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & omnis pulueris pigmentarij? Ineffabilem igitur fragrãtiam sacratissimæ virginis & Dei matris, fratres charissimi, admiremur, admirando delectemur, delectando æmulemur, æmulando de longè pro viribus nostris imitemur, omnem maculam, omnem turpitudinem fugientes, studia virtutum morumq; bonorum sequẽtes, castitatem mentis & corporis conseruantes, ieiunijs & orationibus insistentes, operibus compassionis & misericordiæ semper radiantes, bonæ opinionis exẽplo alios inuitantes, gloriosam Dei matrem, vt nostram adiuuet tarditatem, fletibus & suspirijs flagitantes & dicentes: O gloriosa Dei mater, meritis & precibus tuis trahe nos post te: curremus in odore vnguentorum tuorum. Nec poterit eam non exaudire de nobis, qui pro nobis de ea dignatus est nasci, Dominus noster Iesus Christus, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia secula seculorũ, Amen. Hæc ex Radulphi Ardentis Homilia in festo Assumptionis beatissimæ Mariæ virginis.

IN EODEM FESTO.
Lucæ X.

In illo tempore: Intrauit Iesus in quoddam castellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domũ suam. Et reliqua. Homilia beati Augustini.

VERBA Domini nostri Iesu Christi, quæ modò ex euangelio recitata sunt, admonẽt nos esse vnum aliquid quo Deum tendamus, quando in huius seculi multitudine laboramus. Tendimus autem adhuc

huc peregrinantes, nondum manentes: adhuc in via, nondum in patria: adhuc desiderando, nondum fruendo. Tamen tendamus, & sine pigritia, & sine intermissione tendamus, vt aliquando peruenire mereamur. Martha & Maria duæ sorores erant, ambæ non solũ carne, sed etiam religione germanæ. Ambæ Domino cohæserunt, ambæ Domino in carne presenti concorditer seruierunt. Suscepit eum Martha, sicut solent suscipi peregrini, sed tamen suscepit famula Dominum, ægra saluatorem, creatura creatorẽ. Suscepit aũt spiritu pascẽda, in carne pascendum. Voluit enim Dominus formam serui accipere, & accepta forma serui, in illa pasci à seruis, dignatione, non conditione. Nam & ista dignatio fuit, se præbere pascendum. Habebat carnem, in qua esuriret quidem & sitiret, sed
Matth. 4. nescitis, quia in eremo esurienti angeli ministrabant? Ergo quod pasci voluit, pascenti præstitit. Quid autem mirum, si & de sancto Elia
3. Reg. 17 præstitit viduæ, quem priùs coruo ministrante pascebat? Nunquid pascendo defecerat, quando ad viduam mittebat? Non pascendo defecerat, quando ad viduam mittebat, sed religiosam viduam per obsequium exhibitum seruo suo benedicere disponebat. Sic ergo susceptus est
Luc. 2. Dominus tanquàm hospes, qui in sua propria venit, & sui eum non receperunt. Sed quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, adoptans seruos, & fratres faciens, redimens captiuos, & faciens cohæredes. Ne quis tamen vestrum forsitan dicat: O beati, qui Christum susciperé in domum propriam meruerunt. Noli dolere, noli murmurare, quia temporibus natus es, quando iam Dominum non
Matth. 25 vides in carne. non tibi abstulit istam dignationem. Cùm vni, inquit, ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Hæc de Domino pascendo, pascente spiritu, pauca pro tempore dixerimus. Veniamus ad causam, quam de vnitate proposui. Martha Dominum pascere disponens & præparans, circa multum ministerium occupabatur. Maria soror eius pasci magis elegit à Domino, deseruit quodammodò sororem suam circa multum ministerium laborantem, & sedit ipsa ad pedes Domini, & vacans audiebat verPsalm. 45 bum eius. Auris fidelissima audierat: Vacate & videte, quoniam ego sum Deus. Illa turbabatur, ista epulabatur. Illa multa disponebat, ista vnum aspiciebat. Vtrunq; officium bonum, sed tamen quid sit melius, quid nos dicamus? Habemus quem interrogemus, patienter audiamus quid sit melius. Iam cùm legeretur, audiuimus, & me commemorante iterùm audiamus. Interpellabat Martha hospitem, ad iudicem deponit postulationem piarum querelarum, quòd eam soror deseruerit, & sic laborantem in ministerio adiuuare neglexerit. Non respondente illa, sed tamen præsente, iudicat Dominus. Maria causam suam tanquàm ociosa iudici maluit committere, nec in respondendo voluit laborare. Si enim pararet respondendi sermonem, remitteret audiendi intentionem. Respondit ergo Dominus, qui in verbo non laborabat, quia verbum erat. Quid ergo dixit? *Martha Martha*, repetitio nominis, indicium est dilectionis, aut fortè mouendæ intentionis. Vt audiret intentiùs, bis vocata est: Martha Martha, audi: *Tu circa multa es occupata, unum autem opus est*, id est, vnũ necessarium est. Non vnum opus, quasi singulare opus: sed opus est, expedit, necessarium est, quod vnum elegerat Maria. Vnum cogitate fratres mei, & videte in ipsa multitudine si delectat nisi vnum. Ecce Deo propitio quàm multi estis. Quis vos ferret, nisi vnum saperetis? Vnde in multis quies ista? Da vnum, & populus est: tolle vnum, & turba est. Quid est enim turba, nisi multitudo turbata? Sed audi Apostolum: Obse- 1. Cori. 1.
cro autem vos fratres. Multitudini dicebat, sed omnes vnum facere volebat. Obiecro autem vos fratres, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Sitis autem perfecti in eodẽ sensu, & in eadem scientia. Et in alio loco: Vna- Philip. 2.
nimes, vnum sentientes: nihil per contentionẽ, neq; per inanem gloriam. Et Dominus ad patrẽ de suis: Vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Ioan. 17.
Et in Actibus apostolorum: Multitudinis autẽ Acto. 4
credentium erat cor vnum, & anima vna. Ergo Psalm. 33
magnificate Dominũ mecum, & exaltemus nomen eius in vnum, quia vnum est necessarium. Vnũ illud supernum, vnum, vbi pater & filius & spiritussanctus sunt vnum. Videte nobis commendari vnitatem. Certè trinitas est Deus noster: Pater non est filius, filius non est pater, spiritussanctus nec pater est, nec filius, sed amborum spiritus: & tamen ista tria non tres dij, non tres omnipotentes, sed vnus Deus omnipotens. Ipsa Trinitas vnus Deus, quia vnum est necessarium. Ad hoc vnum non nos perducit, nisi multi habeamus cor vnum. Bona sunt ministeria circa pauperes, & maximè circa sanctos Dei seruitia debita, obsequia religiosa. reddũtur enim, non dantur, dicente Apostolo: Si nos vobis spi- 1. Cor. 9.
ritualia seminauimus, magnum est si carnalia vestra metamus? Bona sunt, exhortamur ad hęc, & in verbo Domini ædificamus vos. Nolite pigri esse ad suscipiendos sanctos. Aliquando nescientes suscipiendo quos nesciunt, angelos susceperunt. Bona sunt hæc: melius est tamen, qd elegit Maria. Illud enim habet ex necessitate occupationem, istud autem ex charitate suauitatem. Vult homo occurrere quando ministrat, & aliquando non potest. Quæritur quod deest, paratur quod adest, distenditur animus. Nã si Martha sola sufficeret, adiutorium sororis nõ poscereꝛ. Multa sunt, diuersa sunt, quia carnalia sunt, temporalia sunt. Et si bona sunt, transitoria sunt. Mariæ autem quid ait Dominus? *Meliorem partem elegit*. Non tu malam, sed illa meliorem. Audi vnde meliorem. *Quæ non auferetur ab ea.* A

Universidad de Deusto
Biblioteca

re autem auferetur aliquando onus necessitatis, æterna est dulcedo veritatis. Non auferetur ab ea, quod elegit. Non auferetur, sed tamen augebitur. In hac autē vita augetur, in alia vita perficietur, nunc am auferetur. Cæterùm tu Martha (pace tua xerim) in bono ministerio bene dicta, pro isto labore tuo mercedē quæris quietem: modò occupata es circa multum ministerium. Pascere vis mortalia corpora, licet sanctorum: nunquid cùm veneris ad illam patriam, inuenies peregrinū quem hospitio suscipias? Inuenies esurientem, cui panem frangas? Sitientē, cui potum porrigas? Aegrum, quem visites? Litigantem, quem concordes? Mortuum, quem sepelias? Omnia ista ibi non erunt. Sed quid ibi erit? Quod Maria elegit. Ibi pascimur, non pascimus. Ideò hoc erit plenum atq; perfectum, qđ hic elegit Maria. De illa mensa opulenta, de verbo Domini micas colligebat. Nam vultis nosse, quid ibi erit? Dominus ipse dicit de seruis suis: Amen dico vobis, quia faciet eos recumbere, & trāsibit & ministrabit eis. Recumbere quid est, nisi vacare? Recumbere quid est, nisi quiescere? Quid est, transibit, & ministrabit eis? Priùs transit, & sic ministrat. Sed vbi? In illo conuiuio sempiterno, de quo dicit: Amen dico vobis, multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cū Abraham & Isaac & Iacob in regno cælorū. Ibi Dominus pascit, sed priùs hinc transit. Nam vt noueritis, pascha transitus interpretatur. Venit Dominus, fecit diuina, passus est humana. Nunquid adhuc cōspuitur? nūquid adhuc expalmatur? nūquid adhuc flagellatur? nūquid adhuc crucifigitur? nūquid adhuc lancea vulneratur? Trāsiuit. Deniq; & euangelium sic loquitur, quando pascha fecit cum discipulis suis. Quid dicit euangelista? Cùm autem venisset hora, vt Iesus transiret ex hoc mundo ad patrem. Ergo ille transiuit, vt pascat: nos sequamur, vt pascamur.

Luc. 12.

Matth. 8.

Ioan. 13.

ITEM IN EODEM FESTO.
Lucæ X.

In illo tempore: Intrauit Iesus in quoddam castellum, & mulier Martha nomine excepit illum in domum suam. Et reliq. Homilia beati Anselmi episcopi.

Apocal. 5. 1. Pet. 5. Leuit. 16. Matth. 25 Luc. 12. Psalm. 57. Ioan. 7. Psalm. 68 Malac. 14 Psal. 120.

IN scriptura sacra res vna & eadem multoties inuenitur diuersa significare, sicut leo, hœdus, ignis & aqua, vel etiam sol & alia multa. Est enim leo de tribu Iuda, est leo qui circuit quærens quem deuoret. Est hœdus emissarius, qui peccata nostra portauit: est hœdus à sinistris, qui damnatur. Est ignis quem misit Dominus in terram, & quem vult vt ardeat: est ignis, qui super impios cadit, vt non videant solem. Est aqua, cuius flumina fluunt de ventre credentis: est aqua, cuius tempestas non nos demergat. Est sol iustitię, qui nos illuminet: est sol, qui nos non vrat per diem. Licet ergo castellum aliàs malum significet, vt illud de quo dicitur, Ite in castellum: vbi & additur, Quod cōtra vos est. plane manifestat quid significat: tamen hic castellum, in quod intrauit Iesus, singularem & intemeratam virginem, eiusdem Iesu genitricē (salua scripturarum regula) per similitudinem accipimus. Castellum enim dicitur quælibet turris, & murus in circuitu eius. Quæ duo inuicem sese defendunt, ita vt hostes per murum ab arce, & à muro per arcem arceantur. Huiusmodi castello non incongruè virgo Maria assimilatur, quam virginitas mentis & corporis quasi murus ita vndiq; vallauit, vt nullus vnquam libidini esset ad eam accessus, nec sensus eius aliqua corrumperentur illecebra. Et quia virginitatem, cùm libido non possit, solet impugnare superbia, est in eadem virgine turris humilitatis, quæ à muro virginitatis omnem repellit superbiam. Et quia humilitatem cùm superbia nō possit, solet impugnare libido, murus virginitatis à turre humilitatis omnem repellit libidinē. Itaq; hæc duo, murus videlicet virginitatis, & turris humilitatis, ab alterutro muniuntur, vt nunquam in humili virgine fuerit nec superba virginitas, nec inquinata humilitas: sed semper in ea permanserit & humilis virginitas, & virginalis humilitas. Quanuis autem quod dicitur ita verum sit, vt nihil verius fides Christiana credere possit, ponamus tamen aliqua de euangelio virginitatis ipsius & humilitatis testimonia. Quippe cùm ab angelo filius ei promitteretur, respondit: Quomodò fiet istud, quoniam virū non cognosco? Si cuilibet virgini desponsatæ, in animo suo disponenti nubere diceretur, Filium habebis, non miraretur, neq; interrogaret quomodò illud fieret, vtpote quia se desponsatam, & in proximo nupturam sciret, & à viro fœcundari vsu speraret naturæ. Hæc autem non immeritò mirata est, & quomodò quod promitebatur fieret, sciscitata: quoniam quanuis desponsatam, tamen se nunquam nupturam, neq; virum cognituram certissimè sciebat. Hoc de virginitate. De humilitate autem dicendum, quòd cùm ab angelo salutaretur, mater Dei eligeretur, quomodò fieret salua virginitate, cui tantùm timebat, doceretur, benedicta super omnes mulieres prædicaretur, respondit: Ecce ancilla Domini. Et in alio loco: Quia respexit humilitatē ancillæ suæ. O sublimis virgo, mater Dei: ô humilis mater, ancilla Dei. Quid sublimius esse posset? quid humilius de se sentire posset? Sunt qui castellum hoc Magdalum esse arbitrātur, à quo Maria Magdalena cognominatur. Qđ si verum est, prædictæ interpretationi famulatur. Magdalus. n. turris dicitur, & humilitati cōparatur. hic verò non nominatur, sed tantùm quoddā dicitur, quod indiscussum prēterire nō debemus. Quoddā. i. singulare castellū fuit virgo Maria. Quāuis. n. multæ aliæ & murum virginitatis

Matth. 21

Luc. 1.

Ioan. 19.

Matth. 2.

Luc. 2.

1. Cor. 1. Coloss. 2.

Psalm. 33. Psal. 35.

nitatis habeant, & turrim humilitatis. i. virgines sint & humiles: tamen salua virginitate matres esse non possunt, neq; filios generare, quod ista sola fecit. Et ideò castellum hoc meritò quoddam. i. singulare dicitur, quia ista singulariter & virgo & mater fuit, quod nulla alia potuit vel poterit. Verùm concedamus aliquam posse & matrem esse & virginem, quanuis sit impossibile, etiam sic virgo Maria erit singularis, quia vnicū Dei filium genuit, qui sicut est vnicus vnico patri, ita est vnicus vnicæ matri. Et ideò etiamsi virgo pariat, nulla vel eundem vel alium talem generabit. Est ergo castellum quoddam, in qđ intrauit Iesus. Porta verò per quam intrauit, fides est. Quia enim credidit, perfecta sunt ei à Domino quæ ab angelo dicta sunt, sicut ait ad eam Elizabeth. Nec quia Iesus intrauit in castellum hoc, violatum est. Iesus enim saluat, nō violat: confracta solidat, nec confringit solida. Secundùm nomen eius, ita & opus eius. *Et quædam mulier Martha nomine, excepit illum in domum suam. & huic erat soror nomine Maria.* Duæ sorores istæ, sicut sancti patres nobis plenissimè exposuerunt, duas in Ecclesia sancta vitas designant. Martha scilicet actiuam, Maria contemplatiuam. Ista laborat ad exhibenda indigenti omnia humanitatis officia: illa vacat & videt, quoniam Deus est. Ista circa exteriora occupatur, illa interiora contemplatur. Sicut autem mater Dei est singularis, ita & istarum effectus vitarum, quarum istæ duæ sorores typum tenent, in ea extitit singularis. Nun quàm in aliqua persona Martha sic operata est, nunquam aliàs Maria sic contemplationi vacauit, nunquam illa vel hæc aliàs quod suum est, sic exhibuit. Cùm Martham vel Mariam dico, earum significata intelligo. Sed iam videamus actionē huius Marthæ, deinde conijciamus cōtemplationem huius Mariæ. Et vt planiùs id faciamus, quid alij per Marthā operantur, & quid ista operata sit, conferamus. Alij quemlibet hospitem in domo suscipiunt, ista non quemlibet, sed proprium Dei filium, qui non habet vbi caput suum reclinet, non in domo, sed in vtero suscepit. Alij nudum quemlibet veste mutabili atque corruptibili vndelibet compositā operiūt: verbum Dei in eadem virgine carnem in vnitate personæ assumpsit, quæ sine fine incommutabilis atq; incorruptibilis permanebit. Alij quēlibet esurientem & sitientem cibo vel potu exteriori reficiunt: ista Deum hominem humanitùs indigentem, non solùm exterioribus cibis vel potibus pauit, verùm etiam vteri sui lacte aluit. & vt breuiter sex illa misericordiæ opera percurramus, quæ cùm vni ex minimis eius fiunt, Deus sibi facta confitetur: ista non quemlibet ex minimis, sed summum Dei filium hospitem suscepit, nudum carne, vel etiam pannis operuit, esurientem pauit, sitientem lacte potauit, infirmum per infantiam & iacentem non solùm visitauit, sed etiam balneando, fouendo, leniendo, gestando frequentauit, vt meritò de ea dicatur: *Martha autem satagebat circa frequens ministerium.* Cōprehenso & crucifixo quasi in carcere posito affuit, sicut scriptum est: Stabat autem iuxta crucem Iesu mater eius. Inter hæc autem turbabatur & solicita erat, cùm fugeret in Aegyptum à facie Herodis, qui suum talem filium adeò persequebatur, vt multos suspectæ ætatis pueros occideret. Turbabatur cùm Iudæos insidiantes, & mortem ei inferre molientes cognosceret. Ad vltimum turbata est valdè, & iuxta Simeonis vocem, suam ipsius animam pertransiuit gladius, cùm videret suum talem filium comprehendi, ligari, flagellari, conspui, spinis coronari, derideri, colaphyzari, crucifigi, mori, sepeliri. Vnde benè ei congruit, quod dicitur: Martha Martha, solicita es & turbaris erga pluri ma. Nemo verò dubitet, quòd beata virgo Maria filium suum vellet liberari de omni tribulatione, & seipsam adiuuari in turbatione à diuinitate, quam eidem filio sciebat inesse per theoriam, quæ est pars Mariæ. Hoc est, quod Martha conqueritur, quòd eam soror reliquerit solam ministrare, & eius auxilium in ministerio flagitat. Hæc de parte Marthæ. Porrò de parte Mariæ, quæ optima prædicatur, quanta vel qualis in beata fuerit Maria quis dignè loquatur? Si talis est, vt diximus, immò quia melior est quàm diximus, in beata Maria pars Marthæ, quæ quidem à Domino non laudatur, sed tamen non vituperatur: qualis est pars, quam optimam Maria elegit, quæ sic laudatur, vt ab ea non auferri dicatur? O quàm magna multitudo dulcedinis Dei fuit in beata virgine, quando spiritusanctus in eam superuenit, & virtus altissimi obumbrauit ei, & de eodem spiritusancto concepit. Quid de Deo non sapiebat, in qua sapiētia Dei latebat, & in cuius vtero sibi corpus aptabat? Christus est, vt ait Apostolus, Dei virtus & Dei sapientia, & in eo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Christus autem in Maria: ergo Dei virtus & Dei sapientia, & omnes thesauri sapientiæ & scientiæ in Maria. Hæc non tantùm ad pedes, sed etiam ad caput Domini sedens, audiebat verbum ex ore eius. Hæc conseruabat omnia verba angelorum, pastorum, magorum, nec non ipsius filij sui, conferens in corde suo. Nemo vnquam, sicut ista, gustauit, quàm suauis est Dominus. Inebriabatur ab vbertate domus DEI, & torrente voluptatis eius portabatur. Nec mirum, quoniam apud eam, immò intra eam erat fons vitæ, de quo manabat tanta perfectio vtriusque vitæ. Circa plurima verò vt Martha occupabatur, circa vnum vt Maria delectabatur, quia vnum est necessarium: plurima auferuntur, vnū manet. Singulariter igitur partem Marthæ peregit, singulariter optimam partem partem Mariæ

Porta, fides. Luc. 1.

Matth. 25

B. Maria ut Martha se præstiterit.

B. Maria ut Martha præcesserit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

elegit. Sed pars Marthæ ei aufertur. Iam enim non erit ſolicita vt miniſtret ei ſicut puero, cui omnes angelorum ordines miniſtrant ſicut Domino. Iam non turbabitur fugiens in Aegyptum cum eo à facie Herodis, quia ipſe aſcendit in cælum, & Herodes deſcendit ad infernum à facie eius. Iam non turbabitur erga plurima, quæ fecerunt filio ſuo Iudæi, quia omnia ſubiecta ſunt ei. Iam filius Mariæ à Iudæis vel militibus non flagellabitur, nec occidetur:
Roman. 6. quia Chriſtus reſurgens à mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Pars ergo Marthæ ei aufertur, ſed bono ſuo: pars verò Mariæ ei perficitur, quæ non auferetur ab ea. Exaltata eſt enim ſuper choros angelorum. In bonis repletum eſt deſiderium ſuum: videt Deum facie ad faciem ſicuti eſt, gaudet cum filio in æternum. Hæc eſt pars optima, quæ non auferetur ab ea, cuius & nos participes ſimus meritis & precibus eius, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui viuit & regnat Deus in ſecula ſeculorum, Amen.

IN EODEM FESTO,

Homilia Euſebij Emeſeni.

Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum, &c.

Luc. 10.

OMnia opera Saluatoris noſtri plena ſunt ſacramentis: quicquid vbiq; agit, ſignificatio eſt. Quod enim tunc temporis in quodam caſtello corporaliter egit, quotidiè in ſancta Eccleſia ſpiritualiter agit. Nam hæc Eccleſia, caſtellum eſt: & non qualecunque, ſed forte & inſuperabile, vtpote ſuper montem poſitum, muro circundatum, turribus munitum, & angelorum exercitu virtutumque præſidijs armatum. In hoc igitur caſtellum Dominus Ieſus quotidiè ingreditur, hoc aſsiduè viſitare non dedignatur: in hoc à Martha ſuſcipitur, eiusque in domum inducitur. Videamus itaque quid ſignificet Martha, videamus quid ſignificet Maria. Vtraque enim magnum aliquid ſignificat. In his enim duabus Eccleſia conſiſtit. Altera enim actiuam, altera contemplatiuam vitam deſignat: Et actiuam quidem Martha, Maria verò contemplatiuam. Vnde non Maria, ſed Martha Chriſtum in domum ſuam ſuſcepiſſe dicitur. Maria enim non habet domum: quia vita contemplatiua omnem huius ſeculi ſpernit habere poſſeſsionem. Sufficit ei ad pedes Domini ſedere, ſufficit ei ſemper legere & orare, & in Dei contemplatione vacare. Sufficit ei prætereà verbum dei ſemper audire, & mentem potiùs quàm ventrem nutrire. Tales enim prophetæ fuerũt, tales & Apoſtoli, tales & multi alij, omnia relinquentes, mundum fugientes, Domino adhærentes, tanquàm nihil habentes & omnia poſsidentes. Hanc autem vitam non habent niſi boni. Actiuam verò habent ſimul & boni & mali. Inde enim & actiua dicitur, quia ſemper in actu eſt, ſemper in fatigatione & labore eſt, & vix aliquando in quiete eſſe poteſt. Sed nos de illa actiua non dicimus, quæ latrones exercet, tyrannos mouet, auaros ſolicitat, adulteros inquietat, & omnes iniquos ad iniquitatis opera incitat. Sicut enim non loquimur de alia Martha, niſi de illa quæ ſoror eſt Mariæ: ita non loquimur de alia vita actiua, niſi de illa cui proxima eſt contemplatiua. Illa enim actiua, quæ munda & ſine peccato eſt, contemplationi proxima eſt. Quòd enim Apoſtolus prædicat, quòd baptizat, quòd manibus proprijs laborat vnde viuat, quòd diſcurrit per ciuitates, quòd ei ſolicitudo eſt omnium Eccleſiarum, ad quam vitam niſi ad actiuam pertinet? Vnde & hic de Martha dicitur, quia ſatagebat circa frequens miniſterium. Videmus enim vſque hodiè eccleſiarum præpoſitos & miniſtros ſolicitè diſcurrere, laborare, æſtuare, & multis modis fratrum neceſsitatibus inſudare, vt eos quoque non immeritò circa frequens miniſterium ſatagere dicamus. Quanuis igitur contemplatiua vita melior ſit quàm actiua, quia ſine ſolicitudine eſt, & nunquam fallit: actiua tamen tam neceſsaria eſt, vt ipſa contemplatiua quoque in hac vita ſine ea eſſe non poſsit. Altera igitur indiget altera. Hæc enim orat, illa laborat: altera mentem, & altera ventrem replet. Vnde Apoſtolus: Si nos, inquit, vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt ſi carnalia veſtra metamus? Qui enim ſic ſeminat, ad ſupernæ felicitatis contemplationem mentes audientium eleuat. Dicatur ergo: *Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium: quæ ſtetit, & ait: Domine, non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? Dic ergo illi, ut me adiuuet.* Sæpè enim ſtat actiua, & (ſi dici poteſt) inuidet contemplatiuæ. Qui igitur ſoli contemplationi vacare deſiderat, ſolitariam vitam eligat, ne dum in conuentu multorum à contemplatione ſurgere non vult, cæteros ſtare faciat, & opus cunctis neceſsarium impediat. Quanuis enim Mariæ partem Dominus laudat, in eccleſijs tamen & multorum congregationibus plùs Martha quàm Maria vtilis eſt. *Martha, Martha, ſolicita*

Ecclesia, caſtellum.

Martha et Maria qd ſignificẽt.

Act. 20. 2. Theſſ. 3. 2. Cor. 11. 1. Cor. 11.

licita es, & turbaris erga plurima. porrò unum eſt neceſſarium. Sed quod vnum? Vis audire quod? *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Illud igitur neceſſarium eſt, quod non auferetur, & æternum eſt. Veruntamen neq; Martham à ſolicitudine Dominus ceſſare iuſsit, neq; Mariam eam adiuuare præcepit. Oſtendit autem eis quid neceſſarium ſit, & ad quem finem vtri-
1. Cor. 11. uſq; intẽtio tendere debeat. Bona eſt enim omnium Eccleſiarum ſolicitudo, quam ſe Apoſtolus quoq; habuiſſe dicit: ſed non illa, quæ abæternæ dulcedinis contemplatione mentem penitùs extorqueat. Fruſtra enim ſolicitus eſt, qui non pro amore Dei, ſed pro vana gloria, & lucro temporali, & huius ſeculi dignitatibus ſoli-
Matth. 6. citus eſt. De talibus enim Dominus ait: Quia receperunt mercedem ſuam. Benè verò ſolicito
Matth. 25 quid dicit? Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui. Bona eſt igitur ſolicitudo Marthæ, ſi tamen non mundo, ſed Domino miniſtret. Debet autem Maria aliquãdo ſurgere, & ſororem ſolicitam adiuuare. Surgens autem videat, ne aſſuetæ contemplationis penitùs obliuiſcatur: ne fortè dum alijs proſeſe deſiderat, ſui ipſius detrimentum faciat. Quũ enim viri religioſi, ſolitarij & quieti, & diuinæ contemplationi dediti, multorum precibus Eccleſiaſtica regimina ſuſcipiunt, tunc vtiq; ſurgit, & ſororem ſolicitam Maria adiuuare venit. Sic igitur fit, vt illa quæ priùs quieta, ſterilis, & infœcunda erat, iam laborare incipiat, multosq; Deo filios pariat & nutriat. Hoc igitur ſignificauit Ra-
Gen. 29. chaël, priùs quidem ſterilis, ſorore eius fœcun-
Gen. 30. da, & in multorum filiorum progenie gloriante: ſed poſtea ipſa quoq; concepit, & filios parere cœpit. Hæ autem duæ mulieres prudentiſsimæ, totius Eccleſiaſtici exercitus duces & præuiæ ſunt. Has cætera turba ſequitur. Alij poſt Martham, alij poſt Mariam vadunt. Nulli enim cæleſtem illam patriam ingrediuntur, niſi qui hãc vel illam ſequuntur. Meritò ergo ſancti patres conſtituerunt, vt in hac ſolennitate beatæ virginis Mariæ hoc Euangelium legeretur, quæ ſpecialiter quidem per has duas mulieres ſignificatur. Ipſa enim inter omnes creaturas beatiſsima virgo vtriuſque vitæ, actiuæ videlicet & contemplatiuæ plus cæteris omnibus priuilegia cuſtodiuit. Ipſa quoque ſicut Martha, immò meliùs quàm Martha, ſuſcepit Chriſtum, non ſolùm in domum ſuam, verùm etiam intra
Luc. 2. clauſtra vteri ſui. Ipſa eum concepit, ipſa eum genuit, ipſa eum peperit, & portauit, & plùs quàm Martha & frequentiùs ei miniſtrauit. Ipſa denique ſicut Maria eius verbum non ſolùm audiebat, verùm etiam in corde ſuo conferebat, nobisque ad legendum & audiendum cuſtodiebat. Sic enim ſcriptum eſt: Maria autem conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo. Ipſa eum non ſolùm ſecundùm humanitatem, verùm etiam ſecundùm diuinitatem, & contemplari & plùs omnibus cognoſcere meruit. Ipſa igitur optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

IN FESTO BARTHOLOMAEI APOSTOLI.

Concionem exegeticam in Epiſtolam quære in Communi.

IN EODEM FESTO,

Lucæ XX.

In illo tẽpore: Facta eſt contentio inter diſcipulos Ieſu, quis eorum uideretur eſſe maior. Et reliq. Homilia uenerabilis Bedæ preſbyteri, in caput 22. Lucæ.

SICVT bonis eſſe moris ſolet, in ſcripturis ſemper exempla patrum præcedentium, in quibus ad meliora proficiant, quibus agnitis de ſuis actibus humilientur, inquirere: ſic è contrario reprobi ſi quid fortè in electis reprehenſibile repererint, quaſi ſuas ex eo nequitias obtecturi, aut pro iuſto defenſuri, libentiſsimè ſolent amplecti. Ideoq; multo ardentiùs legunt, quòd facta eſt contentio inter diſcipulos Chriſti, quis eorum videretur eſſe maior, quàm quòd multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna. Multo recolunt tenaciùs, quòd facta eſt diſſenſio inter Barnabam & Paulum, ita vt diſcederẽt ab inuicem, quàm quod idem Paulus ait: Cùm ſit enim inter vos zelus & contentio, nónne carnales eſtis? nónne homines eſtis? quaſi nobis infirmitas ſanctorum imitanda proponatur, & non illud potiùs, quia conualuerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello: hoc maximè in loco, vbi & ipſa contentionis eorum cauſa eſt nobis incognita. Neq; enim incredibile eſt, quia iuxta hoc quod alibi præcipitur: Contendite intrare per angu-
Luc. 13. ſtam portam, honore ſe inuicem præueniendo certauerint. Verùm qualibet ex cauſa contenderint, nos potiùs non carnales adhuc diſcipuli quid geſſerint, ſed ſpiritualis magiſter quid inſerit, videamus. *Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici uocantur: Vos autem non ſic: ſed qui maior eſt in uobis, fiat ſicut iunior: & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator.* Certantibus de prioratu diſcipulis, pius magiſter eos non initæ contentionis arguit, ſed formam quam ſequantur humilitatis, modeſta ratione deſcribit. In qua tamen forma obtinenda maiores & præceſſores, id eſt, doctores Eccleſiæ non minima diſcretione opus habent, ne videlicet regũ gentium inſtar dominari ſubiectis, ſeque ab eis gaudeant ſuperuacuis laudibus attolli: ſed ad exemplum re-

Act. 4.

1. Cor. 3.

Heb. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gis æterni, quasi iuniores eis quibus regendis præsunt, efficiantur ac ministri: quia nimirùm necesse est, vt sic benè agentibus per humilitatẽ sint socij, quatenùs contra delinquentium vitia per zelum iustitiæ sint erecti, vt & bonis in nullo se præferant, & cùm prauorum culpa exigit, potestatem protinùs sui prioratus agnoscant.

Ne enim præsidentis animus ad elationem pote statis suæ delectatione rapiatur, rectè per quen-
Eccles.32. dam sapientem dicitur: Ducem te constituerũt? noli extolli, sed esto in illis quasi vnus ex illis.
1.Pet.5. Hinc etiam Petrus ait: Non dominantes in clero, sed forma facti gregis. Et tamen nonnunquã grauiùs delinquitur, si interperuersos plùs æqualitas, quã disciplina custodiatur. Quia enim
1.Reg.3. & 4. falsa pietate superatus ferire Heli delinquentes filios noluit, apud districtum iudicem semetipsum cum filijs crudeli damnatione percusit.

Vnde necesse est, vt rectorem subditis, & matrẽ pietas, & patrem exhibeat disciplina, atq; inter hæc solicita circunspectione prouidendum, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa. *Nam quis maior est, qui recumbit, aut qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio uestrum sum, sicut qui ministrat.* Ad verba exhortationis suimet adiungit exemplа, quæ Ioannes euangelista plenius com-
Ioan.13. memorans, inter cætera scribit: Si ergo ego laui vestros pedes Dominus & magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes: quanuis etiam verbo ministrandi possint omnia quæ Deus in carne gesit, intelligi. Nam & ipsum sui sanguinis sacramentum in ministrando nobis se fun-
Matt.20. dere significat, cùm dicit: Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis: Et hoc quoque maioribus Ecclesiæ præcipuum ministrandi genus ostendens, vt non solùm misericordes eleemosynæ, doctrinæ salutaris, spiritualis exempli ministeria fratribus impendamus, verumetiam sicut ille pro nobis animam suam posuit, ita & nos pro inuicem animas ponere discamus. *Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. & ego dispono uobis, sicut dispositit mihi pater meus, regnum.* Nõ inchoatio patientiæ, sed per-
Perseuerã tia, uirtutum collũna. seuerãtia cęlestis regni gloria donatur. Quia nimirũ perseuerãtia, quæ alio noie cõstantia vocatur, robur quoddam & fortitudo mentis, cunctarumq; (vt ita dixerim) est columna virtutum. Quæ cùm benè recta & firma consistit, nihil est certius, nihil tutius bonis moribus. Quòd si aliquo deijciatur impulsa turbine, non sola labitur: omnia enim prorsus animi bona simul corruunt. Sicut ergo pater disposuit filio regnum
Philip. 2. (quem factum obedientem vsque ad mortem, mortem autem crucis, exaltauit, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen) sic & filius idem permanentes secum in tentationibus, æternum ducit ad regnum. Si
Rom.6. enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. à cuius sublimitate promissi Iudas infelix excipitur. Nam & antequàm hæc Dominus diceret, exisse credendus est, qui non modò permanere cum illo in tentationibus spreuit, verùm ipsos tentationum eius iuuit authores. Excipiuntur & illi, Ioan.6. qui auditis incomprehensibilibus sacramenti verbis, abierunt retrò, & iam non cum illo ambulabant. Non enim recedentes à Domino, nisi quotquot pœnitendo redierunt, potuere saluari. *Vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Mensa hæc proposita omnibus sanctis ad fruendum, cælestis est gloria vitæ, cibus potusq; ille, de quo aliàs dicitur: Beati qui esuriunt & sitiunt Matth.5. iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur, fruendo scilicet olim desiderato & amato gaudio veri & inconcussi boni. *Et sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israel.* Hæc est illa, quam Psalmista Psalm.9 canit, immutatio dexteræ excelsi: Vt qui nunc humiles gaudent ministrare conseruis, tunc super Domini mensam sublimes, vitę perpetuæ dapibus alantur: Et qui hic in tentationibus iniustè iudicati, cum Domino permanent, illic cum eo super tentatores suos iusti iudices veniant: & quanto huic mundo magna humilitate despecti sunt, tanto tunc acceptis sedibus, maiori culmine potestatis excrescant.

IN DECOLLATIONE
S. Ioannis Baptistæ, Sermo B. Ioannis Chrysostomi.

HEV me, quid agam? Vnde sermonis exordium faciam? Quid dicam, *Est hic* vel quid taceam? Non enim ego tantùm in stupore mentis factus sum, *uerũ* sed & omnes qui audierunt euange- *Matthæi* lij vocem, & mirantur mecum vel Ioannis constantiam, vel Herodis leuitatem, vel impiarum mulierum feruidam dementiam. Quid enim audiuimus? Herodes, inquit, apprehensum Ioannem posuit in custodia. Quamobrem? Propter Herodiadẽ vxorem Philippi fratris sui. Et reprehensam forsitan leuitatem Herodis, à miserrimis mulieribus inductam? Quid enim quis dicat, & quomodò enarret quis mulierum illarũ crudelem malitiam? Et quidem ego existimo nullam in hoc mundo esse bestiam comparabilem mulieri malæ. Sed nunc mihi de mala muliere sermo est, non de bona & honesta. Noui enim multas bonas & honestas, in omne opus bonum promptas, quarum me vitam commemorare oportet ad ædificationem audientium, & ad honorem bonarum excitandum in mentibus singulorũ. Nulla ergo in hoc mundo bestia similis é mulieri malæ. Quid inter quadrupedia animalia leone sæuius? Sed nihil ad hanc. Aut in ser-

pentibus quid dracone atrocius? sed ne hoc quidem iuxtà mulierem malam & linguosam conferri potest. Nam & leo & draco in malo in-
Eccles. 25 feriores sunt. Attestatur huic sermoni meo sapiẽtissimus Salomon, dicens: Cohabitare leoni & draconi melius est, quàm cum muliere mala & linguosa. Et ne putes prophetam in ironia hoc dixisse, & ex ipsis rebꝰ disce manifestiùs: Danie-
Dan. 14. 3.Reg.21. lem leones in lacu reueriti sunt, iustum verò illũ Naboth Iezabel interfecit. Cetus Ionã in vẽtre
Ion.2. custodiuit. Dalila autem Samsonem circunuen-
Iudic.16. tum illecebris, raso etiam capite deformatum, alienigenis tradidit. Dracones & aspides & cornutæ bestiæ Ioannem Baptistam in deserto viuentem subdita feritate tremuerunt: Herodias verò eidem caput abscidit, & tanti viri mortem
3.Reg.17 in precium saltationis accepit. Eliam corui in monte pauerunt, & Iezabel eum post illam redditæ per ipsum terris pluuiæ gratiam persequebatur, vt pœnam mortis ei redderet, cuius orationibus depulsa generis humani fame, & ipsa licet indigna, viuebat. Quid enim dixit post illud admirabile beneficium? Si tu es Elias, & ego sum Iezabel. Hæc mihi faciant dij, & hęc apponant, nisi crastina hac hora ponam animam tuã, sicut animam vnius eorũ qui interfecti sunt. Et timuit Elias, & abijt secundùm animam suam, & perrexit in desertum, viam quadragintadierum, & cœpit quasi tædians in defectione animæ postulare vt moreretur, & dixit: Domine Deus, sufficit iam, accipe animam meam: quia non sum ego melior super patres meos. Væ mihi. Quid adhuc dicam, si ille tantus propheta timuit mulierem, qui totius mundi statum, & cæli pluuiã & agri speciem in linguæ potestate portauerat,
4.Reg.1. 3.Reg.17 qui ignem è cælo eduxerat, & per virtutem orationis mortuos suscitauerat? Hic timuit mulierem? timuit inquam. Nulla enim malitia æmulari potest mulierem malam. Attestatur iterùm
Eccles. 25 huic verbo meo sapientissimus Salomon: Quia non est caput super caput serpentis, & non est malitia super malitiam mulieris. O malum summum, & acutissimum diaboli telum mulier. Per
Gen.3. mulierem Adam in paradiso prostrauit, & de paradiso exterminauit. Per mulierem mitissimum illum Dauid vt necem militis sui innocentis V-
2.Reg.11. riæ Ethæi in epistola dolo mandaret, armauit.
3.Reg.11. Per mulierem sapientissimum Salomonem in
Iudic.16. præuaricationis sacrilegium præcipitauit. Per mulierem fortissimum Samsonem illusum rasumque cæcauit, vt & virtute crinili, & decoris oculis spoliatus, ludibrio foret hostibus, quibus fuerat antè terrori, & cum his captiuus moleret,
Gen.39. quibus dominabatur inuictus. Per mulierem castissimum illum Ioseph vinculis alligatum detrusit in carcerem. Per mulierem illã totius mundi lucernam Ioannem capite truncauit. Et quid dicam de hominibus? Per mulierem angelos è cælo deposuit, id est, homines sanctos, qui ad cælum pergebant: per mulierem cuncta omni-

nò prosternit & iugulat, omnes interficit, omnes elidit, repletos ignominia, & honore vacuos. Mulier enim impudens nemini parcit, nõ leuitã honorat, non sacerdotem reueretur, nõ prophetæ defert honorem. O malum omni malo peius, muliere mala, siue illa pauper sit, siue diues, duplex malum est. Si habeat facultatem malitiæ suæ cooperantem, malum duplex, intolerabilis vipera, immedicabile venenum. Scio ego & aspides blandimentis incantantium mitigari, & leones, & tigrides, & pardos domita feritate mansuescere. Mulier mala & si iniuriam patitur, insanit: & si honorem accipit, extollitur. At si potentis alicuius vxor sit, non cessat die ac nocte virum suum callidis stimulare sermonibus, blanda nequiter & importuna violenter, donec mentem extrudat, & ad sui consensum furoris exacuat, vt sibi similem faciat maritum: improbis malè suadet consilijs, sicut Herodias fecit Herodi. Si verò paupere m virum habeat, ipsum quoque ad iracundias & rixas incitare non desinit. Et si vidua sit, ipsa per semetipsam omnes passim despicit, ad omnem audaciam spiritu superbiæ inflatur. Timore enim Dei non refrenat linguam suam, nec futurum iudicium prospicit, neque ad Deum intendit. Non amicitiæ iura seruare, non religionis fidem nouit vereri. Nihil ei est virum suum tradere ad mortem. Denique iustũ illum Iob mulier sua ad mortẽ trade-
Iob.2. bat, dicens ei: Dic verbum in Dominum, & morere. O malignitas ineffabilis, ó voluntas impia. Non misserta est viro suo, cùm videret omnia membra eius atque vitalia vlceribus ignitis ardentia, & totam carnem eius vermibus inuolutam. Non inflexa est ad misericordiam, videns eum totum doloribus inuolui, & duris cruciatibus constrictum, agone funereo dimicare, & vlulatũ lachrimabili dolores suos intentione laterum tabidorum expressis vocibus decantare. Non mitigata est affectione mens vxoris, cùm illum quẽ regali quondã purpura amictũ viderat, nunc in aggere stercoris nudato corpore iacentem videret. Non recordata est pristinæ cum eo consuetudinis suæ, neque quanta per ipsum gloria & diuitijs & honoribus floruisset, sed oblita omnium bonorum, quid ait? Dic verbum in Dominum, & morere. O gratia coniugalis, ó magna doloribus leniendis accommodatum, ó charitatis vnanimæ constans fides. Dic mihi mulier, Putásne eum, si te in simili tribulatione positam ille vidisset, tale ad te verbũ potuisset emittere, & non orationibus & benefactis pasionem tuam absterssisset? Non sufficiebat sibi temporalis castigatio, nisi tu doloribus & vulneribus eius grauior accederes, quæ sempiternam illi blasphemiæ peccato adduceres pœ-
Matth.20 nam? An ignoras, quòd omne peccatum & blasphemia remittitur hominibus, *in spiritũ autem sanctum blasphemanti non remittitur, neque in isto seculo, neque in futuro?* Vis videre & aliã

Universidad de Deusto
Biblioteca

malitiæ huius parem? Da mihi Dalilam. Nam & ipsa fortissimum illum Samsonem virum suum nouacula ratum & vinctum, Allophylis hostibus in prædam & ludibrium tradidit: Illum cubilis sui coniugem, cui mollissimè blandiebatur, cui simpliciter adulabatur, quem seipsa chariorem habere existimabatur, quem hesterno die vnanimis amplectebatur, hodiè vt inimica decepit. Quem paulò antè callidis malè blãda palpabat illecebris velut diligens, hunc paulò pòst morti tradebat illudens. Et quid dicemus? Quibus odiorum causis displicuerat vxori? Forte nõ erat speciosus. Et quis eo pulchrior sub illo tempore videbatur, qui septem crines sacrato vertice in septiformis gratiæ imaginem præferebat? An verò non erat fortis, & contemptu ignauiæ spernabatur? Et quis illo fortior, qui leonem terribilem vianti sibi obuium, solus & inermis innexis sibi manibus strangulat, & vt scriptum est, sicut hœdum caprarum discerpsit? Et qui vna de vetustis ossibus asini arente maxilla Allophylos mille proftrauit? Sed præterea & sanctus erat, atque in tantum sanctus, vt cùm sitisset post laborem pugnæ, in loco sicco deprecatus in defectu animæ suæ Dominum, statim ex ipsa, quam in manu tenebat, maxilla erumpente aqua biberit, atque inde sitis æstum ex eodem mortui pecoris ore quo vicerat, refectus extinxerit. Et hunc talem & tantum virum, & pulchritudine, & virtute, & sanctitate præstãtem, sua vxor sicut inimicum decipiens & alligans, Allophylis tradidit. Vnde autem illa mulier illi tam forti viro præualuit, vnde nisi ingenita illi simplicitate bonitatis, & suæ malitiæ calliditate? Nõ solùm enim curiosa, sed & subdola irrepsit in præcordia mariti simplicis, & importunis obsecrationibus atq; illecebrosis blãditijs fatigatum, arcano illo virtutis suæ mysterio spoliauit, atque ita derasis crinibus, virtute nudatum funditùs euertit: vt quem multa millia hostium armata non vicerant, & ab inermi prostrata corruerant, hunc vna muliercula sine armis dolo malitiæ armata vicerit. Propter hoc
Mich. 7. annuntiat tibi propheta, & dicit: A coniuge tua custodi te, ne manifestes ei cor tuum. Die ergo mihi, quæ bestia contra masculum suum talia aliquando meditata est? Quæ draccena vult coniugem suum perdere? vel quæ leæna marem suũ
Eccles. 2. iugulandum tradidit? Vides ergo, quia aptè dixit sapientia, quoniam non est caput super caput serpentis, & non est malitia super malitia mulieris. Et ideò quisquis habet mulierem malam, cognoscat quoniam iniquitatum suarum mercedem portat. Non caret testimonijs veritatis hic sermo. Audi denuò sapientiam dicentẽ:
Ibid. Mala mulier & iniqua, portio dabitur pro operibus malis. Sed hactenùs mihi de muliere mala sermo habitus, hic habeat finem. Oportet enim nunc vicissim commemorare bonas, maximè propter eas quæ adsunt. Bonæ enim fœminæ, bonarum virtutes sicut proprias intuẽtur, & illarum castos labores suas esse coronas exi-
4. Reg. 4 stimant. Mulier bona & hospitalis beata Sunamitis, quæ virum suum deprecata, mansionem Eliseo ædificauit, vt præteriens & diuertens ad eos, quod facere consueuerat, secretum haberet refectionis locum. Posuit ergo ei lecticam (vt scriptura declarat) & lucernam & mensam. Lectum verò non vtique vacuũ tegumentis, sed habentem competentia strato indumenta: & lucernam non sine oleo, sed cum stupa & oleo habentem lumen: & mensam non sine panibus, sed instructam cibis necessarijs. Quid aũt dignè
3. Reg. 17 dicamus & de beata illa vidua, quæ suscepit Eliam, quam in nullo impediuit rerum inopia, diuitem bona voluntate, cui non erat neque frumentum, neque vinum, neque pulmentũ, neq; aliud vllum terrestris alimoniæ genus, ad paupertatis exhaustæ consolationem? Non ager illi frugifer semen panis præbebat, non vinea præduici fluentibus vuam racemis de vite vberem ministrabat, non arbor fructum pomi suauissimum ramis felicibus afferebat, non ei palmo terræ ad arandum locus proprius erat, neq; vel cubiti spatium adminiculabatur: sed semper messis in tempore procedens in campos, & lento ineuruata progressu, raras segetis abscissæ reliquias scrutabatur, & residuas vel caducas progressis messibus spicas, breui gremio colligebat, in quo velut dimissa sibi æstimatione, numeratam pro anni spatio reponebat annonam. Ad hanc ergo missus à Domino venit Elias in tẽpore famis, quando totus defectu pluuiarum siccatus penè aruerat mundus, & inopia ingenti tabefactis animantibus victum negabat, quando cælum æstiuo igne exaruerat, terra & crassus aër nebulosis vaporibus caligabat, subductis q; imbribus nubila refrenata pendebant: quando non herbæ, non flores, neque vlla germina pullulabant, quando flumina tenuata hyemis algore, aluei breuitas agebat, & fontium vberatos riuos sol diuturno ardore restrinxerat. Tunc ergo Elias, vir cui totus mundus erat inferior, ad illam inopem viduam venit: nostis fratres solitas viduarum angustias: & omissis prophetæ diuitibus, qui etiam in tempore famis solent panibus abundare, descendens à monte, ad istã pauperem venit. Quarè autem vir ille, qui verbo ignem de cælo adduxerat, panem sibimetipsi non deposuit? Nunquid non poterat? Vtique poterat. Sed ideò non fecit, ne præparata ad bonum opus vidua, hospitalitatis mercede priuaretur, & vt illum modicum pugillum farinæ, & stillicidiũ olei benedictio Domini multiplicaret in ore susceptæ prophetæ. Non enim pro sua tantum requie ad eam missus est propheta, vt ab inope pasceretur: quãtum vt egentẽ pasceret, & vt manifestaret occultum in corde bonæ illius voluntatis affectum. Hoc facit etiam ipse Dominus, qui potest omnes sanctos suos, qui sunt

sunt in hoc mundo, per semetipsum sufficienter alere, continet tamen manum suam ab impendio ministrandi, vt ad bonum promptas mẽtes in tempore necessitatis de fructibus humanitatis ostendat, & animarum affectiones operum qualitate discernat. Quòd si non fuerint volen
1. Reg. 17 tes aut digni, qui sanctos Dei suscipiant, tunc eos Dominus aut per aues pascit, sicut Eliam in monte secretum: aut per prophetam aliunde
Dan. 14. transmissum, sicut Danielem in lacu leonum:
Ion. 2. aut per maritimum animal, sicut Ionam per cetum: aut ipse per semetipsum Deus pastor alimẽta suppeditat, sicut patribus nostris in deserto.
Exod. 16. Cùm enim nõ essent in solitudine, qui susciperent filios Israël, de cælo manna esurientibus mi
Exod. 17. nistrabat, & de petra aquâ sitientibus educebat.
Num. 20. Cùm ergo in hoc mundo iusti & iniusti permixtim versantur, nunc interim sanctos suos tribulationem & inopiam ferre permittit, vt det gratiam eis, qui circa eos voluerint opera pietatis & humanitatis exercere, vt sibi per præsentia & terrena beneficia thesaurizent æterna & cælestia. Abijt ergo Elias ad viduam illam, cui nihil in promptuario erat, nisi pugillus farinæ, quo
1. Reg. 17 accepto fame cogente moritura esset cum filijs. Et quid ait ad eam propheta? Affer mihi modicum aquæ in vasculo, vt bibam. At illa mox abeũte, post ipsam iterùm clamauit: Affer mihi & panem in manu tua. Illa simpliciter quod non habebat, dixit: quod autem habebat, confessa est. Quid enim ait? Viuit Dominus, si est mihi in repositio, nisi hoc modicum farinæ & exiguum olei. O rem laudabilem, quòd in tanta escarum penuria modicum ipsum, quod ei residuum erat, non negauit. O detestanda & insatiabilis hominum auaritia. Quanti verò nunc, qui aurum & argentum sicut lutum habent, cùm rogantur vt indigentibus opem præstent, aut ad tempus commodent, renuunt, & non habere se iurant: aut si quando per multas obsecrationes flectantur vt præstent, scripturas & cautiones obligãt, & præiudicia quædam ferro duriora cõfingunt, & illius mutuantis manum primùm callidis cõscriptionibus ligant, insuper fideiussores & interuentores fœnoris commodati accipiunt.

Illa autem paupercula nostra, ad vnam vocem quod postulata est, habere seipsam non negauit, palmulam vnam farinæ. Et quid illi propheta respondit? Festina, inquit, & fac subcinericiũ panem in primis mihi: posteà tibi facies & filijs tuis. Tentatio erat verbum prophetæ, probatio cordis, examinatio voluntatis. Et erat sicut in libra positum cor beatæ illius viduæ, quod in prophetici sermonis imperio, quasi quæstionis tormento interrogabatur, & anceps in vtrunq; pendebat, quo. nam vrgeret voluntatem, sibi ne potiùs & filijs consuleret, an magis prophetæ obtemperaret. Verùm illa elegit se potiùs & filios suos angustare, quàm Dei prophetam renuere, atque illi potiùs de inopiæ suæ residuo refectionem parare. Et illa quidem necdum CHRISTVM loquentem, vt nos mo
Matth. 10 nentem, audierat, ita dicentem: Qui susceperit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui potauerit sitientem calice aquæ frigidæ in nomine discipuli, non perdet mercedem suam. Quid est autem quòd propheta dixit, Festina? Nunquid tantùm esuriebat, vt indifferenter festinatione mulieris indigeret? Non vtique, sed docere illam voluit, prõpto animo esse, & feruenti spiritu, & hilarem, & manu paratam ad boni operis effectum, non ex tristitia, & tanquàm ex necessitate præbentem. Hilarem enim datorem diligit Deus. Fe-
2. Cor. 9. stina, inquit, & fac primùm mihi. Sicut Abraham in angelorum aduentu festinauit ad boues,
Gen. 18. & vitulum ad eorum prandium detulit. Et sicut Sara properauit ad panes subcinericios faciendos, vt acciperet illum in cælis absconditum panem. Festina, & fac sicut Abraham hostias Deo, non primùm tibi, & posteà mihi: non sicut Cain, & Ophni & Phinees filij Heli sacerdotis, qui
1. Reg. 2. despiciebant honorem Dei, primùm sibi sacrificiorum primitias eligentes ex omnibus donis, quæ Deo offerebantur. Illa ergo vidua quod imperatum est ei à propheta, festinanter effecit, & fructum suum celeriter impleuit, prouidens locupletem esse fructum operantibus in Deo repositum. Propheta verò præparationem viduæ suscepit, gustauit, locutus est, domum eius omnibus repleuit bonis. Non deficiet, inquit, farina hydriæ, & oleum de capsace, donec det Dominus pluuiam super terram. Et quarè vsque ad illud temporis, finem benedictionis dedit? Necessariò vtique. Oportebat enim noua gratia sicut pluuia superueniente in terram, veterem legem terminum accipere, & consequens est opus verbo. Vides quomodò hospitalitatis mercedes benedicta vidua citò vindemiauit? Bonorum etenim laborum fructus gloriosus est, &
Sap. 3. inconcussa radix prudentiæ. Audistis ô mulieres & malarum mulierum pessimos actus, & bonarum gloriosos triumphos. Illarum ergo facinora calcate, harum verò exempla sectamini. Illas execramini, has verò imitamini: vt cùm sanctarum fœminarum cursum & vestigia consecutæ fueritis, in earum choro atq; consortio pari gratia annumerari mereamini, gaudentes & lætantes semper cum Christo Iesu, cui honor & gloria in secula seculorum, AMEN.

IN EODEM FESTO.
Matth. XIIII.

In illo tempore: Audiuit Herodes tetrarcha famam Iesu, & ait pueris suis: Hic est Ioannes Baptista. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

Concionẽ exegeticã in Epistolam quæ in cõmuni

NA-

Universidad de Deusto
Biblioteca

NAtalem, fratres charissimi, B. Ioannis diē celebrātes, oportet vt nō solùm constantiam passionis illius pia deuotione recolere studeamus, sed & eorum à quibus passus est, malitiā in arma vertamus sa-

in scriptu ris quæ cō templāda

lutis. Tunc etenim scripturis sanctis vtiliter animum intendimus, cùm non solas in eis virtutes ac præmia iustorum, verumetiam vitia vindictamque reproborum ad incitamenta nobis benè agendi proponimus. Hoc siquidem & ipsius Domini docemur exemplo, qui vt humanæ superbiæ ceruicem frangat, ac sublime nobis humilitatis iugum imponat, non suæ tantùm humilitatis formam quam sequamur insinuat, dicēs:

Matth. 11. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde: sed etiam angelicæ superbiæ deiectionem, quā caueamus, ad memoriam nobis reuocat, dicens:

Luc. 10. Videbam satanam quasi fulgur de cælo cadentē: quatenùs non solo nos suæ diuinæ bonitatis, sed & dæmoniacæ prauitatis exemplo ad obseruantiam summæ virtutis accendat. *Audiuit igitur Herodes tetrarcha famam Iesu, & ait pueris suis: Hic est Ioannes Baptista: ipse surrexit à mortuis, & ideò virtutes operantur in illo.* Qui benè intellexit mortuum posse hominem resuscitari ad vitam, benè de resurrectionis gloria sensit, qui iustos post resurrectionem maioris potentiæ quàm mortalis fragilitas capit, futuros esse perspexit: sed miserè desipuit, qui quod de homine puro spontè credere potuit, hoc de Deo homine credere tot miraculis attestantibus, tantis prædicatorū præconijs consonantibus, nulla ratione consensit.

Quarè hoc, fratres charissimi, nisi vt nos apertè intelligamus, non incredibile resurrectionis miraculum, sed prauorum animos à credendi gratia peccatis obstantibus esse præpeditos, maioresque illi gratias referamus, qui nostris cordibus, ablato erroris velamine, lucem veritatis aperire dignatus est? *Herodes enim tenuit Ioannem, & alligauit eum, & posuit in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris sui. Dicebat enim illi Ioannes: Non licet tibi*

Luc. 1. *habere eam.* Impletum videmus de Ioanne, quod de illo angelus Zachariæ priusquàm nasceretur prædixit, quia præcederet ante Dominum in spiritu & virtute Eliæ. Ambo nanq; continenter virtutes, ambo habitu inculti, ambo in solitudine degentes, ambo præcones veritatis, ambo regis & reginæ persecutionem propter iustitiam perpessi sunt. Ille, Achab & Iezabel, iste He

4. Reg. 2. rodis & Herodiadis. Ille ne ab impijs occideretur igneo curru est raptus in cælum: iste ne ab impijs vinceretur, perfecto martyrij certamine, spiritu cælestia regna petiuit, angelorum vtique

Psalm. 67 subuectus auxilio, de quibus scriptum est: Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætan-

Psal. 103. tium, Dominus in illis. Et iterum: Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrētem. Sed quærit fortè aliquis, quis sit iste Herodes, quísue frater eius, quæ etiam Herodias, de quibus sermo est. Herodes iste, qui & Ioannem decollauit, & in passionem redemptoris nostri Pilato assensum præbuit, filius est Herodis illius, sub quo Dominus natus est. Qui cùm post natiuitatem dominicam pauco tempore regnaret, sicut Euangelica testatur historia, Archelaus Matth. eius filius successit in regnum. Quo cùm vix decem annis potiretur, accusantibus insolentiam eius Iudæis, pulsus est regno ab Augusto, ac perpetuo damnatus exilio. Deinde Augustus vt regni Iudaici minueret potētiam, diuisa in quatuor partes prouincia, quatuor fratres Archelai eidem regēdæ præfecit, qui singuli à principatu quartæ partis græco sermone sunt tetrachæ vocati. E quibus Philippus Herodiadem filiā Aretæ regis Arabum accepit vxorem, quā idem Areta postmodùm ablatam ab eo, dedit Herodi, eò quòd ipse esset maioris potestatis & famæ, factumq; est adulterium publicum: quod sicut perfidis causa est pereundi, ita fidelissimo præconi nostri redemptionis materia triumphādi, qui prohibendo regis iniusti scelera, morte quidē iniusta meruit plecti, sed post mortis gustū, à rege iustitiæ, cui testimonium perhibebat, iustā vitæ perennis coronā accepit. *Dicebat ergo illi Ioannes: Non licet tibi habere eam. Et uolens, inquit, eum occidere, timuit populum, quia sicut prophetam eum habebant.* Non populus tantùm, sed ipse etiam Herodes Ioannem sicut prophetam habebat, teste euāgelista Marco, qui ait: Herodes enim metue Marc. bat Ioannem, sciens eum virum iustum & sanctum, & custodiebat eum. Et audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. Sed vicit amor mulieris, eumque in illum, quem sanctum esse nouerat & iustum, manus mittere coēgit. Qui quoniā noluit cohibere luxuriā, ad homicidij reatum prolapsus est, minusq; illi peccatum, maioris erat causa peccati. Cui districto Dei iudicio contigit, vt propter appetitum adulteræ, quā detestandā sciebat, sanguinē funderet prophetæ, quem Deo acceptum esse cognouerat. Hæc nāq; est illa diuini dispensatio examinis, de qua dicitur: Qui nocet, noceat adhuc: & qui Apoc. 22. in sordibus est, sordescat adhuc. At contrà quod sequitur, Et sanctus sanctificetur adhuc, ad beati Ioannis personam conuenienter aptatur, qui sanctus existens, sanctificabatur adhuc, dum per officium euangelizādi ad martyrij peruenit palmam. *Die autem natalis Herodis saltauit filia Herodiadis in medio triclinio, & placuit Herodi. Vnde cum iuramento pollicitus est ei dare, quodcunque postulasset ab eo.* Tria pariter impiorum scelera audiuimus, celebrationem natalis infaustam, saltationem puellæ lasciuam, iuramentum regis temerarium: Quibus singulis oportet nos ne talia geramus, instrui. Non enim festis diem nostri natalis in memoriam reuocare, non vllum tempus illecebris indulgere carnalibus, sed diem potiùs exitus nostri debemus lachrymis & precibus, crebrisque

brisque præuenire ieiunijs. Hinc etenim vir sa-

Eccles. 7. piens admonet, dicens: In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum nō peccabis. Sed nec membra nostra, quæ iam Domino consecrata sunt, lusibus atque ineptis da-

1. Cor. 6. re motibus decet. Dicit nanq; Apostolus: Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meritricis? Absit. Vnde & alibi obsecrat per

Rom. 12. misericordiam Dei, vt exhibeamus corpora nostra hostiam viuentem, sanctam, Deo placētem. Quantùm verò temeritatem iurandi vitare de-

Matth. 5. beamus, & ipse in euangelio Dominus, & Iacobus in epistola sua docet, dicens: Ante omnia autem fratres mei, nolite iurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcunque iuramentum. Sit autem sermo vester, Est, est, Non, non, vt non sub iudicio decidatis: Illo videlicet iudicio, sub quo decidit Herodes, vt vel peierare, vel ob periurium cauendum aliud necesse haberet patrare flagitium. At si aliquid incautiùs fortè nos iurasse contigerit, quod obseruatum scilicet peiorem vergat in exitum, liberè illud consilio salubriori mutandum nouerimus, ac magis instante necessitate periurandum nobis, quàm pro vitando periurio in aliud crimen

Eccles. 23. grauius esse diuertendum. Denique iurauit Dauid per Dominum occidere se Nabal virum stultum & impium, atque omnia quæ ad illum pertinerent, demoliri, sed ad primam intercessionem Abigail fœminæ prudentis, mox remisit minas, reuocauit ensem in vaginam, neque aliquid culpæ se tali periurio contraxisse doluit. Iurauit Herodes dare saltatrici, quodcunque postulasset ab eo, & ne periurus diceretur à conuiuis, ipsum conuiuium sanguine polluit, dum prophetæ mortem saltationis præmium fecit. Non solū in iurando, sed & in omni quod agimus, hæc est moderatio solertiùs obseruanda, vt si talem fortè lapsum versuti hostis inciderimus insidijs, ex quo non sine aliqua peccati contagione surgere possimus, illum potiùs euadendi aditum petamus, in quo minus periculi nos perpessuros esse cernimus, iuxta exemplum eorum, qui hostilibus clausi muris, dum euadere desiderant, sed portarum accessum sibi interdictum considerant, ibi necesse est desiliendi locum eligant, vbi muro existente breuiore, minimum periculi cadentes incurrant. Sequitur: *At illa præmonita à matre sua: Da mihi, inquit, hic in disco caput Ioannis Baptistæ. Et contristatus est rex.* Tristitia regis non absolutto est, sed confessio sceleris. Hæc etenim est superni iustitia iudicij, vt plerunque reprobi & agnoscant se & fateantur errasse, certamque erroris sui pœnitudinem gerant, nec tamen ab errore quiescant: quatenùs eadem confessione ac pœnitētia cōtra se ipsi testimoniū dent, quia non nescij delinquunt, dum se à peccato quod culpant, prohiberi detrectant, eoque iustiùs pereant, quò soueam perditionis, quam præuidere valuerant, declinare neglexerant. Talis quippe est tristitia Herodis, qualis pœnitentia Pharaonis & Iudæ, quorum quisque facinora sua, postquàm accusante conscientia inuitus prodidit, vecors augmentauit. Itaque Herodes caput Ioannis petitus, tristitiā quidem prætendebat *Simulata Herodis tristitia.* in vultu, qua se ipse damnaret, ostendendo cunctis liquidè, quia insontem & sanctum nouerat, quem esset neci daturus. Verùm si diligentiùs cor nefandum inspicimus, lætabatur occultè, quòd ea petebantur, quæ & anteà facere, si excusabiliter posset, disponebat. Qui si caput Herodiadis peteretur, nulli dubium quin illud dare veraciter tristis abnueret. *Propter iuramentum autem, & eos qui pariter recumbebant, iussit dari. Misitq; & decollauit Ioannem in carcere, & allatum est caput eius in disco.* Indignum quidem natali suo rex spectaculum præbuit, qui conuocatis ad epulas principibus, tribunis ac ducibus gentis, spectandum in disco caput occisi protulit: indignæquè conuiuæ, an potiùs inuitatori suo condigni? E quibus nullus inuentus est, qui hominem inter festa, qui ab adulteris iustum, qui iudicem à reis capite plecti vetaret: præsertim cùm rex assumpta specie mœstitiæ, coactum se hoc facere protestaretur, esseтque opportunum, quò hortatu conuiuantium à promisso scelere reuocari deberet, si non illum hæc industria præstruxisse cognoscerent, immò ipsos quoque par eiusdem sceleris amor irretiret. Sed diguam supernis aspectibus virtutem sui certaminis beatus præcursor dominicæ natiuitatis, prædicationis & mortis ostendit, qui, vt scriptura ait, etsi coram Sap. 3. hominibus tormenta passus est, spes illius immortalitate plena est. Cuius diem natalis meritò festa celebritate repetimus, quem ipse nobis *Festum decollationis Ioannis Baptistæ.* solennem reddidit, quem roseo sanguinis sui fulgore decorauit. Meritò memoriam illius cū spiritali gaudio veneramur, qui testimonium quod Domino perhibuit, martyrij signaculo conclusit. Neque enim dubitandum est, quia beatus Ioannes pro redemptoris nostri, quem præcurrebat, testimonio carcerem & vincula sustinuit, pro ipso & animam posuit. Cui non est dictum à persecutore, vt Christum negaret, sed vt veritatem reticeret, & tamen pro Christo occubuit. Quia enim Christus ipse ait: Ego sum ve- Ioan. 14. ritas: ideò vtiq; pro Christo, quia pro veritate, sanguinem fudit. Et cui nascituro, prædicaturo, baptizaturo, priùs nascendo, prædicādo, ac baptizando testimonium perhibebat, hunc etiam passurum prior ipse patiendo signauit. Quorū tamē passiones diuerso ordine consūmari, certa supernæ prouisionis dispēsatione gestū est, vt videlicet redēptor noster extra portā ciuitatis cū-cto assistēte populo subleuaretur in crucē: præcursor verò eius, collectis in domū cōuiuij magistratibus atq; optimatibus plebis, misso tantū spiculatore in abdito carceris capite truncaretur. Et quidē congruū videbatur, vt mysterium

do-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dominicæ crucis crucifixus præfiguraret Ioannes: sed quia idem Ioannes testimonium Domino perhibens, aiebat: Illum oportet crescere, me autem minui: hoc est, illum quem prophetam magnum esse miramini, Christum Dominum ac Deum verum oportet intelligi: me autem, quem Christum esse arbitramini, non Christū, sed esse prophetam Christi patebit: disparem vtriusque qualitatem, dispar modus passionis insinuat, non in carnificum potestate constitutus, sed cælesti ratione prouisus. Quia enim iterùm dicit idem Ioannes: Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur: qui autem de cælo venit, super omnes est: præfatam minorationem eius, qui de terra est, decollatio illa in carcere, & in obscuro patrata capitis ablatio designat. Porrò crementum eius, qui de cælo venit, & super omnes est, illa in cruce exaltatio, quæ sub diuo & omni spectante populo facta est, apertè denunciat. Exaltatus quippe in cruce, caput erectum ad cælos tenuit, manus supra terras ad aquilonem tetendit & austrum, vt & cæli se esse Dominum, & vniuersam terram omnesque potestates aëreas suæ ditioni subditas, ipso etiam corporis situ figuraret. Infima crucis ipsius terræ abdita penetrabant, vt inferorum regnum passione illius transfixum ac destructum esse figuraretur. Regem hunc esse credendum, scripto in cruce titulo, adstantes Hebræi, Græci & Romani legebant: vt videlicet eius imperium appareret per omnes gentes esse dilatandum. Quæ cuncta Apostolus breuiter vna sententia complectitur, dicens: Factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus illum exaltauit, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Decollato autem Ioanne, & allato capite eius in disco, sequitur: *Et datum est puellæ, et detulit matri suæ. Et accedentes discipuli eius, tulerunt corpus eius, & sepelierunt illud.* Et hoc ad minorationem præcursoris pertinet, quòd corpus eius sepulturæ absque capite datur. Nanque vt in Ecclesiasticis inuenimus historijs, corpus eius in ciuitate Samaria, quæ nunc Sebaste vocatur, caput autē in Hierosolymis humatum est. Decollatus verò est in castello quodam Arabiæ, quod Machæruncta nominant. In quibus videlicet historijs hoc quoque reperimus, quod caput eius sanctissimum longo post decollationem tempore ab ipso reuelatum sit duobus monachis orientalibus, qui orationis gratia venerant Hierosolymam, atque inde in Edessam Phœniciæ ciuitatē perlatum, debito fidelium sit honore frequentatum. At verò ossa eius tempore procedente de Samaria Hierosolymam translata, ac mox Alexandriam missa, nunc ibidem in ecclesia, quæ nominis ipsius est honore consecrata, seruantur. Quod diuina prouidentia constat actum, vt scilicet per plura loca deportatis beati martyris reliquijs, plura virtutum signa fierent, pluresque per memoriam doctrinæ & vitæ illius ad fidem & dilectionem eius quem prædicabat, confluerent. Inter hæc sanè considerandum est, & attentiùs memoriæ commendandum, quomodò omnipotens Deus electos dilectosque suos famulos, quos ad vitam regnumque prædestinauit æternum, intantùm in hac vita prauorum patitur persecutione conteri, tot ac tantis pœnarum mortiumque generibus consumi, quatenùs perspectis perfectorum virorum passionibus, minùs de his, quæ nobis fortè aduersa contigerint, doleamus, ac potiùs discamus omne gaudium existimare, cùm intentationes varias inciderimus, memoriaque retineamus, quia quem diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. Nam etsi principalis sententia constat, quia in multis offēdimus oēs, quis tamen nostrum dicere audebit, beatum Ioannem in actu, vel dicto, vel habitu, vel victu peccasse? Cuius austeritatē indumenti, cuius parsimoniam alimenti euangelica laudat historia: cuius omne quod loquitur, aut veritati testimonium reddit, aut eos qui contradicunt redarguit: cuius opera iustitiæ etiam qui non amabant, venerationi habebant. Quis in eius præcordijs peccato poterat esse locus, quem & ante natiuitatem spiritussancti consecrauit aduētus? Quando saltem humanæ conuersationis intuitu valuit à virtutis via vel ad modicum deflecti, qui totam ab ineunte pueritia vitam solitarius peregit? Et tamen talis ac tantus vir, præsentis vitæ terminum post longam vinculorum afflictionem, sanguinis effusione suscepit. Ille qui libertatem supernæ pacis euangelizabat, ab impijs in vincula conijcitur: clauditur obscuritate carceris, qui venit testimonium perhibere de lumine: quique ab ipsa luce, quæ Christus est, lucerna ardens & lucens appellari meruit, quo in natis mulierum maior nemo est, ad petitionem mulierum turpissimarum capite plectitur, & ipse proprio cruore baptizatur. Cui redemptore mundi baptizare, cui vocem patris super illum audire, cui spiritussancti gratiam in eum descendentis videre donatum est. Sed non erat graue, immò leue ac desiderabile erat talibus, tormenta pro veritate temporalia perpeti, quæ perpetuis nouerant remuneranda gaudijs. Optabile habebant mortem, quæ naturæ necessitate ineuitabilis imminebat, confesso Christi nomine, cui palma vitæ perennis excipere. Vnde benè dicit Apostolus: Quia vobis donatum est à Christo, non solùm vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini. Qui ideò donum esse dicit Christi, vt pro illo patiantur electi, quia, sicut idem dicit, Non sunt condignæ passiones huius temporis ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Cùm ergo tam eximios regni cælestis hæredes tanta in huius exilio mortalitatis pati vi derimus, quid nobis inter hæc, fratres charissimi, restat agendum, nisi vt tāto magis humiliemur in conspectu pij conditoris & redemptoris nostri, quanto nos patenter animaduertimus eos nec vitæ imitatione sequi posse, nec mortis? Itaq; iuxta vocem primi pastoris, Humiliemur sub potenti manu Dei, vt nos exaltet in tempore visitationis. Humiliemur cum Ioanne, ieiunemus, & obsecrationes faciamus assiduas, exultemus minui coram hominibus, exerceamur, & deficiat paulisper spiritus noster: noster vtique, id est, carnalis & superbus, qui solebat inflari, vt bonæ actionis profectibus ante illum crescere, & cum illo exaltari valeamus, qui de cælo ad terras venire dignatus est, vt nos qui de terra sumus, subleuaret ad cælos, Iesus Christus Dominus noster, qui viuit & regnat cum patre in vnitate spiritussancti Deus, per omnia secula seculorum, AMEN.

Ioan. 3.

Ibid.

Mystica interpretatio Christi à cruce pendentis

Philip. 2.

Vide Iosephum Antiq. lib. 18 cap. 7.

Matth.

Luc.

Prou.

Hebr. 12.

Matth.

Matth.

Rom.

Philip.

IN EODEM FESTO, HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Audiuit Herodes tetrarcha famam de Iesu, &c. Matth. 14.

Luc. 3.

QVius opinionis beatus Ioannes Baptista fuerit, & quàm sanctus ab omnibus habebatur, satis manifestè his verbis declaratur. Omnes enim (vt in alio euangelio legitur) existimabant, ne fortè ipse esset Christus. Audiens igitur Herodes virtutes, quas per eum Dominus operabatur, neque credens aliquem esse præter Ioannem, qui talia facere potuisset, putabat eum resurrexisse à mortuis, vnde & maioribus sumptis virtutibus ea operaretur. Hinc autē Euangelista narrat, qualiter virum sanctum Herodes impius interfecerit. *Herodes enim tenuit Ioannem, & alligauit eum, & posuit in carcerem, propter Herodiadem uxorem fratris sui. Dicebat enim illi Ioannes: Non licet tibi eam habere.* Non enim licet fratri (sicut lex dicit) fratris sui vxorem accipere, nisi ad suscitandum semen fratris sui, si tamen sine liberis defunctus fuerit. Iste autem non ad semen fratris sui suscitandū, sed ad libidinis voluptatem exercendam, Philippi fratris sui, adhuc etiam viuentis, vt dicitur, vxorem duxit. Quia igitur beatus Ioannes hoc tantum scelus interdicebat, captus & ligatus, & in carcerem positus est. Volebat autem Herodes eum occidere, sed non audebat: tum quia sciebat eum virum esse sanctum & iustum, tum etiam quia timebat populum, quoniam sicut prophetam eum habebat. Hac igitur causa eius mors aliquanto tempore dilata est. *Die autem nato Herodis saltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi.* Quid enim placeat viro stolido & luxurioso, nisi vana gloria, comessatio, luxuriæ videlicet fomenta & instrumenta? In eo verò, quòd puella non Herodis, sed Herodiadis filia dicitur, Philippi filia fuisse mōstratur. Huius autem saltatio placuit Herodi, & nimiùm placuit. *Vnde cum iuramento pollicitus est dare, quodcunque postulasset ab eo.* Ebrietas enim stultitiæ & vanitati cō iuncta, intantùm hominem præcipitat, vt ea quę dicit non consideret. Quid enim si puella oculos suos Herodem postulasset, nunquid eos eruisset & dedisset illi? Si enim non dedisset, poterat eum de periurio appellare. Iurauerat enim se daturum illi esse, nihilo excepto, quodcunq; ab eo postulasset. Et plus quidem illa postulat, quàm oculos Herodis: Non autem illa, sed mater eius impia & adultera per illam. *Præmonita enim à matre sua, Da mihi, inquit, in disco caput Ioannis Baptistæ.* Meritò enim scriptum est de muliere mala: Non est malitia super malitiam mulieris. Poterat enim regni medietatem habere, si voluisset. Sed hoc pro nihilo ducit: petit caput Ioannis. *Et contristatus est rex propter iusiurandum autem & eos qui simul recumbebant, iussit dari.* Pœnituit eum iurasse, mentiri timet, vincit verecundia, facies hominum erubescit, & iustitiæ obliuiscitur. Malum est quidem mendacium, sed peius est homicidium. Multo meliùs fecit Dauid: qui quum se Nabal occidere iurasset, victus tamen precibus Abigail, non eum occidit. Vbi igitur sine maiori peccato aliquis euadere nō potest minus peccatum, faciat illud quod minus est, ne maius peccatum incurrat. Si enim dixeris, quòd aliquem hominem innocentem hodiè interficies, si eum occideris, verum dicis: si non occideris, mentiris. Sed melius est non occidere eum & mentiri, quàm occidere & verum dicere. Melius fuerat Herodi de periurio iudicari, quàm vt de tanto homicidio damnaretur. *Misit igitur, & decollauit eum in carcere: & allatum est caput eius in disco, & datum est puellæ, & puella attulit matri suæ.* O impietas, ô crudelitas: iustus decollatur, caput eius in disco affertur, conuiuantibus apponitur, magnum quidem ferculum, sed ad videndum horribile. *Et accedentes discipuli, tulerunt corpus eius, & sepelierunt illud: & uenientes nunciauerunt* IESV.

Ebrietatis effectus.

Eccles. 25

1. Reg. 25.

IN NATIVITATE B. Mariæ virginis, Sermo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CReatoris matré omnis creatura magnificet, eius gloriosæ maiestati se inclinent cęlũ & terra, & omnis plenitudo eorũ. Exaltẽt matré in Ecclesia filij, dicantq; ei qui redẽpti sunt à Domino: Mentẽ & oculos pariter cum manibus ad te regina mũdi attollimus, & coram tuæ celsitudinis gloria genu flectimus, ceruicem inclinamus, ac plenas suspirijs ad te preces in cęlum transmittimus. Tu de altitudine cæli beatos oculos tuos, quibus incomprehensibilem illam gloriam lucis æternæ cum desiderio semper intueris, ad tuos supplices, in hãc mũdi sentinã de alto proiectos, inclinare non despicias. Ecce corã tremendo iudice peccatores assistimus, cuius manus terribilis gladium iræ suæ vibrat super nos. Et quis auer tet eã? Nemo Domina tã idoneus, vt gladio Domini manum pro nobis obijciat, vt tu Dei amantissima, per quam primùm in terris suscepimus misericordiam de manu Domini Dei nostri.

Aperi itaq; tu mater clemẽtiæ benignissimi cordis tui ianuam suspiriosis precatibus filiorum Adam, qui ex omnibus finibus terræ ad tuę protectionis vmbraculum confugimus à facie formidinis Domini. Ad te Domina stillant oculi nostri, tecq; cum deuotionis clamore valido obsecramus, vt filij tui iram, quã grauiter peccando succendimus, erga nos mitiges, eiusq; gratiam, à qua ingrati excidimus, nobis tua prece cõcilies.

Esai. 51. Eius liuore sanati sumus, eius iterũ medelã de-
Psal. 37. poscimus, quia putruerunt & corruptæ sunt cicatrices nostræ, & nõ est in nobis sanitas. Attende Domina, & vide dolores vulnerũ animæ nostrę, quia tibi reuelauimus causam nostrã cum fiducia. Te enim inæstimabilis benignitatis fœminam, & reuerà matrem misericordiæ esse cognouimus, ex eo quòd tu, quæ mundũ hunc immundũ & lubricum impolluto calle transisti, & adhuc inter peccatores degens, tanta ante Deũ sanctitate claruisti, vt sola solio æterni regis approximare merueris: tamen peccatorem quan-

Misericordia matris Dei.

tumlibet fœtidum non horres, non despicis, si ad te suspirauerit, tuumq; interuentum pœnitẽti corde flagitauerit. Tu illum à desperationis barathro pia manu retrahis, spei medicamen aspiras, ac toti mundo despectum materno affectu amplecteris, foues, nec deseris, quousq; horrendo iudici miserum reconcilies. Famosum huius tuæ benignitatis testimonium est per te restauratus gratiæ Theophilus. Nec mirum, ó Domina, si tam copioso misericordiæ oleo, tui cordis perfusum est sanctuarium, cum illud inæstimabile opus misericordiæ, quod prædestinauit Deus ante secula in redemptionem nostram, primùm in te à mundi artifice fabricatum sit.

Quando enim complacuit gratiæ supernæ, vt habitaret in nobis, à quibus diù elongata fuerat: tu sola digna inuenta es, vt in tua virginali aula rex regum & Dominus dominantiũ à regalibus sedibus veniens, primam sibi mansionem inter filios hominum eligeret. Verè beneplacitum erat Deo habitare in te, quando ex ipsa illibatæ carnis tuæ substantia, quasi de lignis Libani, ineffabili architectura domũ sibi ædificauit Dei sapientia. Suffulsit eam septem columnis argenteis, reclinatorium aureũ in ea collocauit. Hi sunt septẽ spiritus Dei, & hæc est vnica illa, in qua sola quæsitã in omnibus requiẽ inuenit, atque in eius sinum oẽs thesauros suos absque mensura transfudit. Benè in te spiritui sancto complacuit, ô Maria, cùm ad tam diuina mysteria vterum tuum consecrare dignatus est. Ipse est enim ignis consumens, qui sanctissima manimam tuam in seipso inflammauit, ac splendore diuinæ maiestatis impleuit, tuumque vterum ineffabili modo imprægnauit, fecitq; vt Deum & hominẽ clausa conciperes, clausa pares, & post partum virgo permaneres. Iam ergo vterum tuum Domina velut sacratissimum Dei viui templum totus mundus veneratur, quia in eo salus mundi initiata est. Ibi decorem indutus est Dei filius, ac prælectæ sponsæ suæ Ecclesiæ formosus in stola candida exultanter occurrit, desiderarum diù osculum porrexit, ac præordinatas à seculo nuptias virgo cũ virgine in virgine prælibauit. Ibi primùm ruptus est paries inimicitiarum, quem inter cælum & terram protoplastorum inobedientia construxerat. Ibi cõfœderata sunt terrenis cælestia, & obuiauerunt sibi in osculo pacis misericordia & veritas, quando in vnam eandemque personam cõcurrerunt diuinitas & humanitas, factumque est nouum illud super terram, vt esset Deus homo, & homo Deus. Ibi magnus Eliseus in mensuram suscitãdi pueruli sese contraxit. Ibi antiquus dierũ patriarcha prælecto filio suo tunicam induit polymitam. Ibi Rebecca futurorum præscia, magnifi candi filij manibus pelliculas hœdorum circundedit, & colli nuda protexit. Ibi enim cooperãte gratia spiritus sancti, filius à Deo patre hæreditandus in omnibus gentibus, diuinæ maiestatis potentiam similitudine carnis peccati coopertuit, qua absconditus est vultus eius, vnde nec reputauimus eum. Ibi alti consilij prouidentia inescatus est hamus, qui ad extrahendũ serpentem antiquum in hoc mare magnum de cælo traiectus est. Inde egressa est armilla aurea, vnde perforaretur maxilla Leuiathan, vt euomeret mortuos non suos, quos ab origine mundi securè deglutiuerat. Hortus deliciarum nobis est tuus sacratissimus vterus, ó Maria, quia ex eo multiplices gaudij flores colligimus, quoties mente recolimus, quàm magna multitudo dulcedinis vniuerso orbi inde profluxerit. Hortus conclusus tu es sancta Dei genitrix, ad quem defloradum manus peccatoris nunquã introiuit. Tu sanctorum areola aromatum, à cæli

à cælesti confita pigmentario, virtutum omniũ speciosis floribus delectabiliter vernans: inter quorum pulcherrimos trium in te miramur excellentiam. Hi sunt, quorum odore suauissimo totam domum Dei reples, ó Maria: viola humilitatis, lilium castitatis, rosa charitatis. Meritò de tali areola flos ille speciosus forma præ floribus paradisi egressus est, super quem requieuit spiritus Domini. Et cui te assimilabimus, ô mater pulchritudinis? Verè paradisus Dei tu es, quia lignum vitæ mundo protulisti, de quo qui manducauerit, viuet in æternum. Fons vitæ, qui ex ore altissimi prodijt; de medio ventris tui exiliuit, atque inde in quatuor capita sese differtiens, ad irrigandam faciem arentis mundi emanauit, lætificans ciuitatem Dei. Omnis enim qui biberit ex eo, non sitiet in æternum. Ecce plusquàm paradisus hic. De illius enim aqua si quis biberit, sitiet iterum. O quantum mundo contulisti, quæ tam salubris aquæ, aquæductus esse meruisti. O lampas luculentissima, quantos lætificasti, quanto splendore gloriæ Dei illustrata, desideratum illud lumen, quo inuenta est drachma decima, sedentibus in tenebris & vmbra mortis protulisti? Te nimirùm ille diuini epithalamij præcentor à longè intuitus est, cùm in admirationis vocem ita prorupit, dicens: Quę est ista, quæ progreditur quasi aurora cõsurgẽs, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? Sicut aurora valdè rutilans in mundum progressa es, ó Maria, quando veri solis splendorem, tantæ sanctitatis iubar præcurristi, vt verè diem salutis, diem propiciationis, diem quam fecit Dominus, à tua claritate initiari dignum fuerit. Felix aurora, felicis diei nuncia extitisti. Talem auroram talis dies, & talem diẽ talis aurora decuit. Et rectè quidem auroræ implesti officium. Ipse enim sol iustitiæ de te processurus, ortum suum quadam matutina irradiatione præueniens, in te lucis suæ radios copiosè transfudit, quibus potestates tenebrarum, quas Eua induxerat, in fugam conuertisti, atque ita desideratum cunctis gentibus solem mundo inuexisti. Tu pulchra vt luna diceris, eique non immeritò compararis. Illa enim astrorum omnium sola soli similima, & candore venusta argenteo, cæteris in cælo præmicat syderibus. Tu veri solis imago expressissima, inter millia astrorũ Deo assistentiũ, virginali puritate in cælis gloriosa præfulges. Illa transfuso in se solari lumine noctem illuminat: tu virtutum à Deo tibi inditarum, magnificis exemplis ad imitationem tui nos prouocas, sicque nostram noctem illumi nas. Qui enim vias tuas insectatus fuerit, non ambulabit in tenebris, sed lumen vitæ inueniet. Tu ergo pulchra es vt luna, immò & pulchrior luna: quia tota pulchra es, & macula non est in te, neque vicissitudinis obumbratio. Tu electa vt sol, ille, inquam, sol solis conditor. Ille enim electus ex millibus virorum, tu electa ex millibus fœminarum. Ille electus ex omnibus, quæ per illum sunt: tu terribilis vt castrorum acies ordinata. Quid enim? An non horruerunt principes tenebrarum, quando viderunt præter morẽ instructam omni armatura fortiũ contra se procedere fœminã? Fœminã fortem, & ad bella doctissimam, cuius enfis super femur suum propter timores nocturnos: et in circuitu eius acies valida spiritualium virtutum, suo se inuicẽ ordine tuentium: siquidem ordinatione perseuerat dies. Sed & innumerabile m beatorum spirituum militiam, ad ministerium tanti principis delegatam nullatenùs ambigimus, vtpotè qui custodirent lectulum Salomonis gratissimum, ac prouiderent, ne præparatum æterno regi hospitium, alienus hospes inuaderet. Nimirùm timor & tremor venerunt super eos, ita vt dicerent: Ecce plusquàm Eua hîc. Castra Dei sunt hæc. Fugiamus Israëlem. Tu ergo bellatrix egregia, primò eum, qui primus Euam supplantauit, expugnare viriliter aggressa es. Tu enim spiritũ elationis ea virtute humilitatis † complosisti, quam in te respexit Dominus, vt ipsius merito supra oẽs choros angelorũ te sublimari dignam æstimauerit. Nunquã enim supra omnes angelos glorificata ascẽdisses, nisi priùs infra omnes homines humiliata descendisses. Tu & ardoré vetitæ concupiscentiæ virtute castitatis in tua virginea carne eatenùs extinxisti, vt is, in cuius conspectu nec astra munda sunt, tantæ mundicię carnem tuam iudicauerit, vt etiam diuinæ puritati eam agglutinare non despexerit. His ergo primarijs ducibus tenebrarum à te fortiter expugnatis, omnis ante faciem tuam militia spiritualium nequitiarum in fugam conuersa est.

Gloriosa dicta sunt de te genitrix Dei, sed adhuc locus est tuæ laudationi, adhuc in tuis laudibus omnis lingua balbutit. Non enim sunt loquelæ neque sermones in omni natione, quæ sub cælo est, quibus amplitudo gloriæ tuæ ad plenum valeat explicari. O magna, ô pia, ô multùm amabilis Maria. Tu nec nominari quidem potes quin accendas, nec cogitari quin recrees affectus diligentium te. Tu nunquam sine dulcedine diuinitùs tibi insita piæ memoriæ portas ingrederis. Et nunc sequimur te, ó Domina, ex totis præcordijs vociferantes ad te: Adiuua imbecillitatem nostram, aufer opprobrium nostrum. Vides hanc tunicam pelliceam, quæ nos circundedit? Tunica Euæ parentis nostræ hæc est, quam olim ad nos transmisit, ac superuestinit carnem filiorum suorum, sicut diploi de confusione sua. De manu quippe illius duplicis mali seminium terra nostra suscepit, & concepit & peperit nobis spinas & tribulos iniquitatis in anima, calamitatis in corpore, & per hæc mortẽ vtrobique. O infelix hæreditas, ó dira humanæ carnis infirmitas, vsquequò patiemur te? Multũ

Cant. 5.

Psal. 118.

Gen. 32.
Exod. 14.

† *forte, explosisti.*

Iob. 25.

Cant. 6.

Cant. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dorsa nostra incuruasti, quia grauis es valdè, & diù te portauimus: multùm nos minuisti ab angelis, quos & iumentis insipientibus comparasti. Nimis inualuisti, quæ non nisi morte filij Dei sanari potuisti. Nimis supra nos te extulisti, quando & vsque ad eum qui super omnia est, incautè ascendisti. Et quis nos liberabit à corruptela miserrimæ huius pelliculæ? Gratia saluatoris nostri filij tui, ô Maria: qui vt infirma nostra tolleret, sponte infirmatus est: & vt mors mortis nostræ ipse fieret, innocens pro peccatoribus mortuus est. Et quis tam idoneus, vt pro nobis loquatur ad cor Domini nostri IESV CHRISTI, sicut tu felix Maria, quæ in secretissimis amplexibus amantissimi filij tui suauiter cubas in meridie sempiterno, eiusque familiarissimo collo quio cum plena cordis lætitia perfrueris? Loquere Domina, quia audit filius tuus. Inuoca bonum nomen eius super nos, vt curemur à lepra carnis & spiritus. Exuge virus hoc mortiferum, quod de pomi sui reliquijs Eua nobis propinauit. Vtinam poculum suum ebria illa aut totum ebibisset, aut totum effudisset.

Psalm. 48

Ose. 13.

Te exorante omne iugum nostrum computrescat à facie olei misericordiæ Dei. Renouetur vt aquilæ iuuentus nostra, vt noui, noua voce, nouum canticum nouis ciuibus aggregati, illic vbi noua sunt omnia, iubileum sempiternum celebrantes, in cymbalis iubilationis concinamus. Tollatur crassa hæc nebula ab oculis nostris, vt reuelata facie gloriam Domini speculantes, in immensum illud pelagus diuini luminis absorbeamur à Domini spiritu, ac Deo nostro in vinculis charitatis astricti, vnus cum ipso spiritus efficiamur. Præstet hoc nobis, ô Maria, filius tuus Dominus noster Iesus Christus, cui laus & gloria & gratiarum actio in sempiterna secula, Amen.

Esai. 10.
Psalm. 102

IN NATIVITATE BEATAE MARIAE VIRG.

In lectionem Epistolæ loco, Concio exegetica.

VEHEMENTER quidem nobis, dilectissimi, vir vnus & mulier vna nocuere, sed gratias Deo, per vnum nihilominùs virum & mulierem vnam omnia restaurantur, nec sine magno fœnore gratiarum. Neque enim sicut delictum, ita & donum: sed excedit damni æstimationem beneficij magnitudo. Sic nimirùm prudentissimus & clementissimus artifex, quod quassatum fuerat non confregit, sed vtiliùs omninò refecit, vt videlicet nouum nobis formaret Adam ex veteri, & Euam transfunderet in Mariam. Et quidem sufficere poterat CHRISTVS: siquidem & nunc omnis sufficientia nostra ex eo est: sed nobis bonum non erat esse hominem solum. Congruum magis, vt adesset nostræ reparationi sexus vterque, quorum corruptioni neuter defuisset. Fidelis planè & potens mediator Dei & hominum, homo CHRISTVS IESVS, sed diuinam in eo reuerentur homines maiestatem. Absorpta videtur in deitatem humanitas, non quòd mutata sit substantia, sed affectio deificata. Non sola illi cantatur misericordia, cantatur pariter & iudicium: quia etsi didicit ex his quæ passus est compassionem, vt misericors fieret, habet tamen & iudiciariam potestatem. Denique Deus noster ignis consumens est. Quidni vereatur peccator accedere, ne quemadmodùm fluit cera à facie ignis, sic pereat ipse à facie Dei? Iam itaque nec ipsa mulier benedicta in mulieribus videbitur otiosa: inuenietur equidem locus eius in hac reconciliatione. Opus est enim mediatore ad mediatorem istum, nec alter nobis vtilior quàm Maria. Crudelis nimirùm Eua, per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus insudit: sed fidelis Maria, quæ salutis antidotum & viris & mulieribus propinauit. Illa enim ministra seductionis, hæc propitiationis: illa suggesit prævaricationem, hæc iniecit redemptionem. Hæc diuus Bernardus in sermone de verbis illis Apocalypsis, Signum magnum apparuit in cælo &c. quibus in laudem tantæ virginis præmissis, iam ad huius diei lectionem explanandam nos conferamus, quam quidem Radulphus Ardens, scriptor vetustus & eruditus, his verbis in Homilia, huic diei attributa, exponit.

1. Cor. 1

Apoc. 12

Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honestatis. Hæc verba, fratres mei, verba sunt sapientiæ, non mundanæ quæ reprobatur, sed illius quæ ex ore altissimi prodijt, & per quam DEVS pater mundum creauit & redemit. Hæc itaque tanquàm pijssima mater, ad vbera dulcissimæ doctrinæ suæ nos inuitat, & hoc modo: Primò se fructiferam demonstrat, secundò nos ad se inuitat, tertiò qualis ipsa sit dicit, quartò quàm ipsa sit vtilis ostendit. Primò igitur demonstrat se fructiferam esse, cùm dicit: Ego quasi vitis fructificaui &c. ac si apertè dicat: Non sum sterilis sicut mundana sapientia, quæ non generat nisi mortem: sed sicut vitis fructificaui per prophetas, per Apostolos, cæterosque sanctos, qui mihi adhærent tanquàm palmites viti. Porrò vitis tria habet: Nullum tibi fructum reddit, nisi diligenter excolas: exculta verò dabit tibi flores suauiter olentes, & fructus inebriantes. Diuina quoque sapientia nihil tibi proderit, nisi eam cum summo studio & labore excolueris. pigros enim & somnolentos odit. Vnde & ipsa clamat: Beatus qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidiè. Exculta verò dabit tibi flores redolentes, & fructus inebriantes. Cùm enim diuinæ sapientiæ cœperis indesinenter inuigilare, incipiet paulatim te magis ac magis suo mirabili odore delectare & allicere, & tandem suo mirabili sapore inebriare, & mentem tuam à terrenis ad amorem cælestium alienare, vt possis dicere cum Propheta: Et calix meus inebrians quàm præclarus est. Hoc musto erant ebrij apostoli in die pentecostes. Hoc musto vsque hodiè sunt ebrij viri spirituales, qui sola inuisibilia desiderantes, omnia terrena tanquàm stercora aspernantur. vnde quasi stulti & amentes in hoc seculo reputantur. Inebriat quidem & calix Babylonis, id est, sapientia mundanæ cupiditatis quosdam: sed calix iste non est præclarus, quoniam non illuminat mentes hominum, sicut diuina sapientia: sed potiùs eas excæcat, & in foueam æternæ damnationis præcipitat. Et quid fructificauisti? *Suauitatem odoris*, & flores suauiter olentes, videlicet virtutes & opera earum, quæ sanctos ita reddunt famosos & bonæ opinionis, quòd etiam absentes & remotissimos delectét. *Et flores mei, fructus honoris & honestatis.* acsi dicat: Flores mei non sunt inanes & infructuosi, quemadmodùm flores mundanæ & carnalis sapientiæ, de qua dicitur: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquàm flos agri. Exiccatum est fœnum, & cecidit flos: verbum autem Domini manet in æternum. Sed flores mei, id est, virtutes & bona opera, quibus meos florere facio, generant fructus honoris & honestatis, id est, vitam æternã & beatam, vbi nullus honorabitur sine honestate, & nullus honestabitur sine honore, sicut in hoc misero seculo, vbi multi habent honorem sine honestate, & multi habent honestatem sine honore. Deinde qui sunt illi flores, & qui sunt illi fructus, apertiùs exponit, cùm subdit: *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei.* Dilectionem Dei & proximi cæteris virtutibus præponit ideò, quia ipsa est causa omnium virtutum. Quam & pulchram vocat ad differentiam carnalis dilectionis, quæ plerunque turpis & fœda est. Cui etiam adiungit timorem: quoniam diligere debemus cum timore, & timere cum dilectione. Sed quia nec verè diligere, nec verè timere possumus, nisi quid sit diligendũ & quid timendum agnouerimus, adiungit agnitionem, id est, fidem: quam ideò agnitionem vocat, quia per eam solam agnoscimus, quid timere & diligere debeamus. Quibus etiam adiungit spem: quoniam inutiliter diligimus, inutiliter timemus, inutiliter Deum credimus, nisi in eum sanctam, id est, firmam spem habeamus. *In me*, inquit, *omnis gratia viæ & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis*: id est, vitæ æternæ, quæ semper est virtuosa & virens. Sequitur pars secunda, in qua Dei sapientia nos ad se inuitat, cùm subdit: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini.* Tria dicit, videlicet, Qui, & quomodò, & qua vtilitate ad eam accedamus. Qui? concupientes. Vnde & Danieli diuina secreta per angelum reuelantur, quia vir, inquit, desideriorum es. Negligentes enim & tepidi ad veram sapientiam venire non possunt. Quomodò? Transeundo, à malo scilicet ad bonum, ab ignauia ad probitatem, à somnolentia ad vigilantiam, à vitijs ad virtutes, à temporalibus ad æterna. Soli enim Hebræi, id est, transeuntes, carnes agni digni sunt manducare: & redemptor noster se videndum promittit in Galilæa, id est, in transmigratione. Qua vtilitate? A generationibus, id est, fructificationibus meis implemini. Porrò vera sapientia mentem reficit: mundana verò sapientia non reficit, sed inflat. Vnde & benè significatur per siliquas sonoras, inflantes non reficientes, quibus filius prodigus cupiebat implere ventrem suum, & non poterat: quoniam secularis sapientia garrula est & inflatiua, cibus magis porcorum, quàm hominum. Sequitur pars tertia, in qua diuina sapientia ostendit, qualis ipsa sit. Ostendit autem se esse dulcem, se esse æternã, se esse desiderabilem. Sanè se esse dulcem ostendit, cùm dicit, *Spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum.* Si aliquid dulcius inuenisset, illud posuisset. Et quidem inspiratio diuinæ sapientiæ in sanctis, quanuis sit particularis & vmbratilis, tamen super omnem dulcedinem est. Sed quanta putatis erit dulcedo in aperta perceptione & hæreditate illius, quæ in Dei visione fiet? Se verò æternam esse ostendit, cùm subdit: *Memoria mea in generatione seculorum.* ac si apertè dicat: Sapientia mundanorum peribit, & non erit memoria eius, quoniam in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. At ego in æternum maneo, & mei memores in æternum manere facio: & notitia, quam habent de me in hac vita, non auferetur, immò perficietur eis in æterna vita. Se esse desiderabilem ostendit, cùm subdit: *Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient.* Hoc siquidem interest inter delicias corporales & spirituales, & inter terrenas & æternas: quòd deliciæ corporales & terrenæ cùm non habentur, magnæ putantur & desiderantur: enimverò cùm consuetæ fuerint, vilescunt & in fastidium vertuntur. At contrà, spirituales & æternæ

Deut. 4
Hebr. 12

Ephes. 3

Charitas, fortitudo, sapientia mundi.

Dan. 9.

Psalm. 22. Ad. 2.

Psal. 103

Matth. 26

Luc. 15.

Psal. 145

Differimẽ inter delicias.

Ggg 3 ternæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

ternæ deliciæ,cùm non habentur, nullæ putantur:habitæ verò desiderium accendunt, ita tamen,quòd in ipso desiderio satietas est,& in ipsa satietate desiderium.Sequitur pars quarta,in qua diuina sapientia ostendit,quàm nobis vtilis sit, cùm subdit:*Qui audit me,non confundetur:& qui operantur in me,non peccabunt:& qui elucidant me,uitã æternam posſidebunt.* Qui audit,inquit,me, subaudi,corde & proposito obediendi, &si non habeat tempus operandi, tamen non confundetur in die iudicij ad damnationem:quia audierit hoc consilium sapientiæ, vt confunderetur ad pœnitentiam. Hoc est,quod ipsa sapientia
Luc. 9. patris dicit in euangelio: Qui non erubuerit me,nec meos sermones, hunc filius hominis non erubescet,cùm venerit in maiestate sua,& sanctorum angelorum. *Et qui operantur,* inquit, *in me,non peccabunt*:subaudi, ad mortem: quoniam si peccabunt,iam non operabuntur in me.

Et qui, inquit,*elucidant me,* id est,qui me verbo & exemplo alijs exponunt & explanant, *uitam æ-*
Dan. 12. *ternam posſidebunt.* Hoc est,quod alibi legitur, quoniam sicut stellæ firmamenti fulgebunt,qui erudiunt multos.Porrò gradus est in his tribus, sicut in merito,vel in præmio.Magnum est audire corde sapientiam, maius operari secundùm ipsam,maximum est, verbo & exemplo elucidare alijs illam. Similiter magnum præmium accipient,qui audiunt corde sapientiam, maius qui operantur secundùm illam, maximum qui verbo & exemplo explanant illam. omnes tamen vitam habebunt sempiternam. Cùm itaque,fratres mei,hæc verba sint sapientiæ, possunt & beatæ virgini cõuenire, quam ipsa patris sapientia in singulare reclinatoriũ sibi præelegit,fabricauit & ornauit. Est enim tropus, qui metonymia nuncupatur, quãdo videlicet quod contenti est,continenti attribuitur.Potest igitur beata virgo nos ad admirationem,& ad venerationem,id est,ad exemplum sui nos inuitando, dicere: *Ego quasi uitis fructificaui suauitatem odoris*: non solùm exemplum sanctæ vitæ & bonæ opinionis vniuerso mundo præbendo,sed etiam illum, cuius odore mortui resurgunt, generando.Ego enim sum illa virga,de qua prædixit E-
Esa. 11. saias:Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. *Et flores mei* non sunt inanes,sed sunt *fructus honoris & honestatis.* Filius quippe meus ipse flos,ipse & fructus,flos suauitatis & fructus satietatis. De eius suauitate Isaac in
Gen. 27. persona Dei patris ait:Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. De
Psal. 16. eius satietate Psalmista prædixit,dicens: Satiabor,cùm apparuerit gloria tua. Ipse est fructus honoris & honestatis:quoniam omnem honorem & honestatem & in se habet,& cui vult præbet.*Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei.* Harum scilicet, cæterarumq; virtutum non solùm exempla præbendo,sed etiam illum,qui est dilectio,fides, timor & spes omnium fidelium,generando.*In me gratia omnis uiæ & ueritatis, in me omnis spes uitæ & uirtutis*: quoniam non solùm hæc in me per exemplum ostẽdo,sed etiam illum,qui est plenus gratiæ & veri- Ioan. 1.
tatis,qui est via,veritas & vita:qui est spes, vir- Ioan. 14.
tus & refrigerium omnium fidelium, in meo vtero gesto.*Transite ad me* per imitationem,*qui concupiscitis me,* id est,vitam,sanctimoniam & gloriã meam:*& à generationibus meis,* id est, ab vnigeniti mei benedictionibus implemini. *Spiritus enim meus,* id est,spiritus sanctus,qui singulariter in me superuenit & requiescit,*super mel est dulcis,& hæreditas mea,* quam scilicet habeo cum filio meo super choros angelorum,est *super mel & fauum. Me-*
Luc. 1. *moria mea in generatione seculorum*:quia ex hoc beatam me dicent omnes generationes. *Qui edunt me,adhuc esurient: & qui bibunt me,adhuc sitient*:quia quanto aliqui fideles mores & virtutes meas percipere & imitari incipient, tanto magis & magis eas admirabuntur,& eas magis sitient.

Qui audit me per imitationem,*non confundetur*: *& qui operantur in me,* id est,secundùm me,*non peccabunt. Et qui elucidant me,* id est,mores, virtutes & sanctitatem meam verbis & factis exponunt & prædicant,*uitam æternam habebunt.* Ecce Domina & mater nostra,nos minimi serui tui tuam sanctitatem & gloriam admiramur, laudamus,& prædicamus,sed tamen dignè imitari non valemus:Ideò potentissimis precibus tuis nos adiua.fac nos desiderio transire ad te,fac nos fugere vitia & peccata nostra,& transire ad mores & virtutes tuas:fac nos contemnere terrena,& desiderare cælestia:sustine nos inter tẽtationes carnis, inter insidias diaboli, inter tribulationes huius mundi,quibus te auxiliante,te duce valeamus peruenire ad illa gaudia, in quibus turin æternum cum filio tuo lætaris:cui est honor & gloria cum patre & spiritu sancto,per omnia secula seculorum, Amen. Hactenùs Radulphus Ardens.

IN EODEM FESTO,
Matth. I.

Liber generationis Iesu Christi,filij Dauid,filij Abraham. Abraham genuit Isaac,Isaac autem genuit Iacob. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

Liber generationis IESV CHRISTI. Secundùm hanc enim Christus filius hominis est, quod etiam se ipse sæpissimè appellat, commendans nobis, quid misericorditer dignatus sit esse pro nobis.

nobis.Nam illa superna & æterna generatio, secundùm quam filius Dei vnigenitus est ante omnem creaturam,quia omnia per ipsum facta
Esai. 53. sunt,ita est ineffabilis, vt de illa dictum à propheta Esaia intelligatur: Generationem eius quis enarrabit? Quanquàm & de temporali eius natiuitate dictum sit, qua verbum caro factum est, & virgo spiritu sancto grauida filium peperit,& virgo permansit. *Filij Dauid,filij Abraham.* Ordo præposterus,sed necessariè commutatus. Si enim primùm posuisset Abraham,& posteà Dauid,rursùs ei repetendus foret Abraham,vt generationis series texeretur. Ideò autem cæteris prætermissis,horum filium nuncu-
Genes. 22. pauit, quia ad hos tantùm facta est de Christo repromissio.ad Abraham: In semine, inquit,
Psalm. 113 tuo benedicentur omnes gentes terræ. Ad Dauid verò ait: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob.* Exequitur ergo humanam generationem Christi Matthæus,ab ipso promissionis Christi exordio,hoc est,ab Abraham genitores commemorans, quos perducit ad Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Christus. Mysticè autem quomodò de gentilitatis caligine, quasi de Aegyptiaca seruitute, per quadragintaduos viros demonstrat,acsi per eiusdem numeri mansiones ad virginem Mariam, plenam sanctispiritus gurgite fluentem,ac si intelligibilem Iordanem duce Domino Iesu Christo,velut Iosue filio Nun ventum sit, ipsumque Christum de Maria natum esse testatur:qui velut hamus in retis capite, sic in fine genealogiæ positus,& in mare huius mundi à patre missus, tortuosum serpentem aduncatum occisus occidit, atque humani generis mortem mortuus mortificauit. Et ideò velut fune duplicato, iterato videlicet vniuscuiusque nomine, in retis
Iob 40. similitudinem genealogiæ ordo contexitur,do nec ab huius principio,hoc est, ab Abraham vsque ad hamum,id est,ad Christum aduenia tur, de quo ad sanctum Iob dicitur:Nunquid aduncabis Leuiathan hamo tuo,aut armilla perforabis maxillam eius? In hamo ergo incarnationis Christi iste captus est, qui dum in illo appetit escam corporis, transfixus est aculeo diuinitatis. *Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar.* Notandum quòd in genealogia saluatoris nullam sanctarum assumit mulierum, sed eas quas scriptura reprehendit: vt qui propter peccatores venerat, de peccatricibus nascens,omnium peccata deleret. Vnde & in sequentibus Rahab meretrix, & Ruth Moabitis ponitur, & Bethsabee vxor Vriæ. Ad interiorem verò intellectum in omnibus istis quatuor, ventura ad Dominum Ecclesia de gentilitatis errore figuratur: quæ priùs aliena, ignominijs plena & sterilis habebatur,sed ad CHRISTVM vt legitima coniuncta est matrona, & plures adoptiuos parit filios Deo, quàm synagoga, quæ priùs vt proprium videbatur habere Dominum virum. Thamar ergo interpretatur amaritudo, vel commutans, siue palma. Et meritò hæc omnia conueniunt sanctæ Ecclesiæ: quæ amara priùs fuit in idolatria & turbida conuersatione: sed modò dulcis est per fletum compunctionis, & studium pij laboris. Hæc commutans rectè dicitur, quia ex peccatrice commutata est in iustam, & ex odiosa in amatam. Quæ palmæ ritè assimilatur, propter certamen laborum, & victoriæ præmium. De illa quippe benè per Psalmistam dicitur: Iu-
Psalm. 91. stus vt palma florebit, & sicut cedrus Libani multiplicabitur. Rahab quoque latitudo, vel fames, seu impetus interpretatur. Et quid in hoc, nisi sanctæ Ecclesiæ nobilitas prædicatur? Cui Esaias dicit: Dilata
Esa. 54. locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas. Habet ergo famem ista, non famem panis, neque
Amos 8. sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei, & faciendi voluntatem eius. De quo quidem impetus ingreditur, quia velocitas prædicationis flante spiritu sancto in totam mundi latitudinem dirigitur. Denique Ruth, quæ vel videns, vel festinans, seu deficiens interpretatur, meritò Ecclesiam significat, quæ in puritate cordis Deum contemplatur, & secun-
Psalm. 67 dùm Psalmistam,festinat manus eius dare Deo. Hæc definit,id est,firmiter in fide & dilectione Dei persistere decernit.Bethsabee verò, quæ
Pro Bethsabee, legit Bersabee. interpretatur puteus septimus, abundantiam gratiæ spiritus sancti in Ecclesia fieri designat. Dono deniq; spiritali, hoc est, septenario facta est Ecclesia puteus satietatis, quia factus est in ea fons aquæ salientis in vitam æternam. *Naason autem genuit Salmon.* Ipse est Naason princeps tri-
Num. 1. bus Iuda,sicut legimus in Numeris. *Iesse autem genuit Dauid regem.* Regem dicit Dauid, non quòd ipse solus in ista genealogia regũ fuerit positus, cùm ab ipso vsq; ad transmigrationem Babylonis qui scribuntur,plures regnauerint, sed quia Dauid primus de tribu Iuda rex fuit, per quem ordo decurrit genealogiæ. *Dauid autem rex genuit Salomonem ex ea,quæ fuit Vriæ.* Quæritur,cùm tres reliquæ extraneæ mulieres nominibus proprijs sint positæ, cur solummodò non nominetur Bethsabee, sed hoc solùm dicatur, quòd vxor fuit Vriæ. Ideò hoc putatur factum, quia tres aliæ supradictæ licet criminosæ fuerint,in partubus tamen filiorum,per quos currit genealogia,non solùm non culpari, sed etiam laudari meruerunt. Hæc verò adulterio & homicidio perpetrato, Dauid regi genuit filium, intantùm culpabili coniugio,vt meritò in

Universidad de Deusto
Biblioteca

saluatoris genealogia non videatur nominata. Nomen verò viri eius, id est, Vriæ, quasi iusti homini s ponitur, vt ex hoc etiam sceleris immanitas memoretur, dum vxoris causa occisus, in memoriam reuocatur. Mysticè autem Dauid Christum significat, qui interpretatur manu fortis, & desiderabilis. Et quid fortius leone, qui vicit de tribu Iuda, radix Dauid? Quomodò verò sit desiderabilis, scriptura ostendit, dicens:

Apoc. 5.

Agg. 2. Ecce veniet desideratus cunctis gentibus. Et

1. Pet. 1. Petrus ait: In quem desiderant angeli prospicere. Vrias verò, qui interpretatur lux mea Dei, significat diabolum, qui transfigurat se in ange-

Esa. 14. lum lucis, audens Deo dicere: Lux mea Dei, & ero similis altissimo. *Ioram autem genuit Ioathan.* In

4. Reg. 11 quarto regum volumine, de Ioram Ochoziam fuisse legimus generatum. quo mortuo, Iosabeth filia regis Ioram, soror Ochoziæ, tulit Ioas filium fratris sui, & eum internecioni quæ exercebatur ab Athalia, subtraxit. Cui successit in regnum filius eius Amasias, post quem regnauit Azarias filius eius. Cernis quòd secundùm fidem historiæ tres reges in medio fuerunt, quos hic euangelista prætermisit. Ioram quippe non genuit Oziam, sed Ochoziam, & reliquos quos enumerauimus. Verùm quia euangelistæ propositum erat, tres tessaradecades in diuerso temporum statu ponere, & Ioram generi se miscuerat impijssimæ Iezabel, idcircò vsque ad tertiam generationem eius memoria tollitur, ne in sanctæ natiuitatis ordine poneretur. Dictum quoque ita erat per prophetam, non nisi quarta generatione in throno regni Israël quenquam de domo Achab esse sessurum. Purgata igitur labe familiæ gentilis, tribusque præteritis, iam regalis in quarta generationum consequentium origo numeratur.

Et post transmigrationē Babylonis Iechonias genuit Salathiel. Si voluerimus Iechoniam in fine primæ tessaradecadis ponere, in sequenti non erunt quatuordecim, sed tredecim. Sciamus ergo Iechoniam priorem ipsum esse, quem & Ioakim, secundum autem, id est, Ioachin filium, non patrem. Quorum prior per κ & μ, sequens per χ & μ scribitur: Quorum nomen scriptorum vitio & longitudine temporum apud græcos latinosque confusum est. Hæc beatus Hieronymus historiam sequens ita exposuit. Nam & ipse Iechonias interpretatur præparatio Dei. Sic ergo iam non quadragintaduo, quæ faciunt ter quatuordecim, sed propter vnam bis numeratam, quadraginta generationes fiunt, si ipsum Christum annumeremus, qui huic regendæ vitæ nostræ temporali atq; terrenæ tanquàm numero quadragenario regaliter præsidet.

IN EODEM FESTO,
Matth. I.

Liber generationis IESV CHRISTI, *filij Dauid, filij Abraham. & reliqua: Homilia Albini.*

BEatus Matthæus euangelista, dilectissimi, non immeritò inter cætera cælestium secretorum animalia, facie hominis describitur: quia longè ab antiquis patribus exordium euangelij sumés, lucidiùs cæteris genealogiam dominicæ humanitatis prænotauit. Sed sciendum est, quia horum omnium nomina allegorici & moralis sensus pleniter in se contineant intellectus. Abraham pater multarum gentium, Isaac gaudium, Iacob supplantator, Iudas confessio interpretatur. Phares diuisio, Zara oriens, Esrom sagittam videns, Thamar palma dicitur. Aram electus, Aminadab populus spontaneus, Naason augur fortis, Salmon sensibilis accipitur. Booz in ipso fortitudo, Rahab lata, Obeth seruiens, Ruth festinans subauditur. Iesse incendium, Dauid manu fortis vel desiderabilis, Salomon pacificus, Vrias lux mea Deus, Bethsabee filia iuramenti subintelligitur. Roboam latitudo populi, Abia pater Dominus, Asa tollens, Iosaphat Dominus iudicauit exprimitur. Ioram excelsus, Ozias robustus Domini, Ioathan perfectus, Achaz apprehendens dicitur. Ezechias fortitudo Domini, Manasses obliuiosus, Amon fidelis, Iosias salus Domini interpretatur. Iechonias præparatio Domini, Salathiel petitio mea Deus, Zorobabel iste magister, Abiud pater meus iste subauditur. Eliachim Dei resurrectio, Azor adiutus, Sadoch iustus, Achim frater meus subintelligitur. Eliud Deus meus, Eleazar Deus adiutor, Mathan donum, Iacob supplantator exprimitur. Ioseph appositus siue auctus, Maria illuminatrix siue stella maris, Iesus saluator, Christus vnctus interpretatur. Igitur per hos patriarchas Christus Dominus Deus noster veniens in mundum, horum omnium in seipso allegoricè gessit officium, & in eorum interpretatione nominum nostram salutem designauit. In Abraham, pater est cunctorum credentium, in quo, iuxta Apostolum, clamamus Abba pater. In Isaac gaudium est omnium fidelium, de quo angelus dixit: Ecce annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo. In Iacob supplantator est: quia ipse subneruauit & contriuit diabolum vastatorem humani generis, & vasa eius diripuit. In Iuda confessio, quia ipse

Rom. 8

Luc. 2.

Matth. 11. ipse dixit: Confiteor tibi pater Domine cæli &
Matth. 25 terræ. In Phares diuisio, quia segregat oues ab hœdis, id est, bonos à malis, electos à reprobis.
Luc. 1. In Zara oriens, sicut scriptum est, Visitauit nos oriens ex alto. In Thamar palma victoriæ,
Ioan. 16. sicut ipse dixit: Confidite, ego vici mundum.
Esa. 42. In Aram electus, de quo pater loquitur: Ecce puer meus quem elegi, electus meus: dedi super eum spiritum meum. In Aminadab populus spontaneus, qui spontè posuit animam suam, vt nos efficeret populum sibi spontaneum. Deoque acceptabilem. In Naason augur, id est, propheta fortis, cùm dicit: Cùm venerit filius hominis in maiestate sua, tunc sedebit vt iudicet orbem terræ in æquitate. In Salmone sensibilis, id est, intellectualis, de quo
Luc. 11. Psal. 93. scriptum est: Ipse autem vt vidit cogitationes eorum. & iterùm: Dominus nouit cogitationes hominum: & scrutans corda & renes Deus. In Booz fortitudo in ipso est, quia à nemine fortitudinem accepit, de quo dictum est:
Psal. 23. Dominus fortis & potens, Dominus potens
Num. 12. in prælio. Et ipse in Euangelio: Omnia tradam ad meipsum. In Rahab latitudo potentiæ eius exprimitur, quem totus non capit orbis, & cuius regni non erit finis. In Obeth seruiens, quia non venit ministrari, sed ministrare, formam serui accipiens. In Ruth festinans ad
Luc. 1. salutem nostram, qui festinanter vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, dicens in Euangelio: Pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnum cælorum.
Matth. 4. Luc. 12. In Iesse incendium agnoscitur, vt ait: Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt ardeat? & sicut Ioannes dixit: Ipse vos baptizabit
Matth. 3. in spiritu sancto & igne. In Dauid desiderabilis, quia speciosus erat forma præ filijs hominum. In eodem manu fortis, quando flagellum
Ioan. 2. de funiculis in manu tenens, immensam vēdentium & ementiū multitudiné eiecit de templo: vel quando diabolum vicit, & calumniatorem nostrum contriuit. In Salomone pacificus,
Ioan. 14. Ephes. 2. sicut ipse dixit: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. & Apostolus: Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. In Bethsabee fi-
Psal. 109. lius iuramenti, de quo dictum est: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es sacerdos in æternum. In Roboam latitudo populi est, cùm dicit Matth. 8. Multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cælorum. In Abia pater Dominus, qui ait Matth. 23. Nolite vobis patrem vocare in terra: vnus est enim pater vester, qui in cælis est. In Asa tollens, de quo Ioannes Ioan. 1. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. In Iosaphath iudex, quia ipse
Ioan. 5. est iudex viuorum & mortuorum, sicut ipse ait: Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio. In Ioram excelsus, quia ipse ascendit super omnes cælos, vt adimpleret omnia: & sicut Psalmista dicit, Excelsus super
Psalm. 112 omnes gentes Dominus, & super cælos gloria eius. In Ozia robustus Domini, quia ipse captiuitatem humani generis in manu robusta liberauit, & in alta cælorum deduxit. In Ioathan perfectus, sicut in Euangelio ait Matth. 3. Nos enim decet implere omnem iustitiam. In Achaz apprehendens, qui cælum palmo ponderauit, & terram pugillo concludit. In Ezechia
1. Cori. 1. fortitudo Domini, quia iuxta Apostolum, Christus est Dei virtus & Dei sapientia. In Manasse obliuiosus iniquitatis, sicut scriptum est Ezechielis 18. In qua die conuersus peccator fuerit ab iniquitate sua, omnium iniquitatum eius nō recordabor. In Amon fidelis, iuxta Paulum Hebr. 2. vt misericors fieret & fidelis pontifex ad Deum: & iuxta Ioannem, Qui est testis fide-
Apoc. 1. lis. In Iosia salus Domini: quia omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. In Iechonia præparatio Domini, qui ait:
Ioan. 14. Si abiero & præparauero vobis locum. In Salathiel petitio mea Deus, qui ait Ioan. 17. Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi. In Zorobabel magister peccatorum & publicanorum, vt eos ab errore viæ suæ reuocaret, & sicut ipse ait: Nec vocemini magistri:
Matth. 23 quia magister vester vnus est CHRISTVS. In Abiud pater meus, quia ipse est pater & caput omnium credentium. In Eliachim Domini resurrectio, vt ait Ioann. 11. Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, non morietur in æternum: sed ego resuscitabo eum in nouissimo die. In Azor adiutus, vt ait Ioann. 8. Qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum. Et iterùm Ioann. 14. Opera quæ ego facio, à meipso non facio: sed pater qui mecum est, ipse facit opera. In Sadoch iustus, sicut scriptum est Roma. 3. Vt sit ipse iustus, iustificans eos qui ex fide Abrahæ sunt. In Achim frater meus, vt ait Matth. 12. Si quis fecerit voluntatem patris mei, ipse meus frater, & soror, & mater est. In Eliud Deus meus: quia ipse est Deus ex substantia patris ante secula genitus, qui in patibulo crucis dixit: Eli,
Matth. 27 eli, hoc est, Deus meus, Deus meus. In Eleazar Deus adiutor: quia ipse adiutor in
Psalm. 9. opportunitatibus, in tribulatione, & protector omnium sperantium in se. In Mathan donum: quia ipse ascendens in altum,
Psalm. 17. captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus: & quia per ipsum pater Deus omnia dona perdonauit. In Iacob, vt suprà diximus, supplantator est hostis antiqui, qui fidelibus dedit potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici. In Ioseph auctus, cui dedit pater gentes in

Psalm. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in hæreditatem suam, & in possessionem suam terminos terræ. Vel augmentum vitæ æternæ
Ioan.10. est, sicut ipse dixit: Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant. In sancta & perpetua
Ioan.8. virgine Maria stella maris ipse est, id est, lux mundi, sicut ipse ait: Ego sum lux mundi. & Ioannes, Erat, inquit, lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.
In proprio nomine Iesu salutaris vel saluator est, angelo exponente, qui ait Matt. 1. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Idem verò Christus, id est, vnctus appellatus est, quem vnxit Deus in humanitate oleo lætitiæ, id est, vnctione sancti spiritus in sacerdotem & regem sempiternum: quatenùs Christianos, ex suo nomine vocatos, per id quòd saluator est, à peccatis saluaret: per id quòd sacerdos est, Deo patri reconciliaret: per id quòd rex est, in regnum sempiternum collocaret. Moraliter hæ quoq; interpretationes nominum ad nostram ædificationem multimodis pertinere noscuntur. Sicut Christus vbiq; nostræ salutis gerebat causam, ita & patriarcharum nomina nostrum profectum designant: In Abraham, vt patres simus multarum virtutum, & hereditatis iure multiplicationem bonorum possideamus. In Isaac, vt gaudium habeamus in Domino, & non in hoc mundo, iuxta hoc quod ipse dixit Luc. 10. Gaudete quòd nomina vestra scripta sunt in cæ-
Philip. 4. lo. & iuxta Apostolum: Gaudete in Domino semper. In Iacob, vt supplantatores simus vitiorum nostrorum, & carnale desiderium viuaci pede à diaboli potestate calcemus. In Iuda, vt secundùm Psalmistam Psal. 44. præueniamus faciem Domini in confessione, & confiteamur nomini sancto eius. In Phares, vt diuidamus nos ab impijs, & abstrahamus ab omni fratre ambulante inquietè, & non communicemus operib. eius malis. In Zara, vt lucifer verus oriatur in cordibus nostris, & sol iustitiæ splendeat in nobis vbiq;, & vt luceat lux nostra coram hominibus, vt videant opera nostra bona, & glorificent patrem nostrum, qui in cælis est. In Esrom, vt sa-
Psal. 119. gittæ simus salutis Domini, vt de nobis dici possit: Sagittæ potentis acutæ. In Thamar, vt cum palma victoriæ pompas diaboli & concupiscen tias mundi superemus propter eum, qui dilexit
1. Pet. 2. nos. In Aram, vt simus genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, & annuntiemus virtutes eius, qui de tenebris nos vocauit in admirabile lumen suum. In Aminadab, vt spontaneus Domini populus simus, in ædificationem corporis Christi. In Naason, vt augurijs gentium derelictis, diuinis promissis fidem adhibeamus. In Salmon, vt sensibiles, id est, intellectuales veritatis Dei & factores inueniamur: quia non auditores legis, sed facto-
Ephes. 6. res iustificabuntur. In Booz, vt iuxta Apostolũ, confortemur in Domino, & in potentia virtutis eius, succincti lumbos nostros in veritate, induti lorica iustitiæ, sumentes scutum fidei, & galeam salutis, & gladium spiritus, quod est verbum Dei. In Rahab, vt latum mandatum Domini nimis diligenter obseruantes, Dominum Deum ex toto corde, tota anima, tota virtute diligamus, & proximum sicut nosmetipsos amplectamur. In Obeth, vt seruiamus Domino per spiritum timoris & dilectione sancta, quatenùs rationabile sit obsequium nostrum, & acceptabile fiat sacrificium nostrum. In Ruth, vt festinantes ingredi in illam requiem, id est, in cælestem Ierusalem, dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes: quia non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. In Iesse, vt incensum orationum nostrarum in ara cordis nostri, in spiritu contribulato & humiliato Domino offeramus, cum Psalmista dicẽtes: Dirigatur Domine oratio mea sicut incẽ- Psal. 140.
sũ in cõspectu tuo. In Dauid, vt manu fortes cõtra Gloiã spiritualem pugnantes, & exhibentes corpora nostra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, desiderabile templum efficiamur spiritui sancto. In Salomone, vt quantum ex nobis est, cum omnibus hominibus pacem habeamus, illud dominicum intendentes: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. In Matth.
Bethsabee, vt iuramentum omnimodis custodiamus, ne periurio incidamus in laqueum diaboli. In Vria, vt lux nostra Deus sit, videlicet vt eum sequentes, non ambulemus in tenebris mortis, sed habeamus lumẽ vitæ. In Roboam, vt longè lateq; per orbem terrarum populus dispersus, vnitatem spiritus in vinculo pacis & charitatis habeamus, vnum Dominum, vnam fidem, vnum baptisma profiteamur, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. In Abia, vt charitate fraterna inuicem diligentes, vnum patrem habeamus, Dominum in cælis, qui
Luc. 1. nos voluntariè genuit verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius, & benedictionem hæreditate possideamus, & gloriemur in spe gloriæ filiorum Dei. In Asa, vt tollamus membra nostra de luto & sterquilinio vitiorũ, ne seruiant immũditię & iniquitati ad iniquitatẽ, sed iustitiæ in sãctificationẽ: quia nõ vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. In Iosaphat, vt rectè iudicemus omni personæ, sicut scriptum est Psal. 57. Rectè iudicate filij hominum: & quodcunque volumus vt faciant nobis homines, faciamus & illis similiter, scientes quia mensura, qua mensi fuerimus, remetietur nobis. In Ioram, vt excelsi vel sublimes effecti, quæ sursùm sunt quæramus, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursùm Luc. 1.
sunt sapiamus, non quæ super terram: quoniam omne datum optimum & omne donum perfectum desursùm est, descedens à patre luminum. In Ozia, vt robusti in Domino effecti, in omnibus persecutionibus nostris & tribulationibus, quas sustinemus, exemplum accipiamus laboris & patientiæ prophetas, qui locuti sunt in
Iacob. 5 nomine Domini Iesu. In Ioathan, vt perfecti simus, sicut & pater noster cælestis perfectus est,
Matth. 5. in omnibus nosipsos exemplum præbẽtes, & docẽtes omnem hominem in omni sapiẽtia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum. In Achaz, vt apprehẽdamus disciplinam, nequando
Psalm. 2. trascatur Domin⁹, & pereamus de via iusta, quę
Ioan. 14. Christus est, qui dixit: Ego sum via, veritas & vita. In Ezechia, vt sortes Domini resistamus aduersario nostro diabolo, qui tanquàm leo rugiens circumit, quærens quem deuoret: non
Psalm. 117 in nostra virtute confidentes, sed Domini fortitudinem cum Psalmista collaudantes, Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. In Manasse, vt obliuioni simus iniuriarum nostrarum, & eis qui contra nos agunt, propter nomẽ Domini ignoscamus, ne illud maledictum incurramus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. In Amon, vt fideles in fide
Ephes. 6. radicati & fundati, in omnibus sumamus scutum fidei, in quo possimus omnia tela nequissimi ignea extinguere. In Iosia, vt salutem Domini & animarum semper deposcamus, ne obcæcemur in infidelitate, ne claudicemus in vijs mandatorum eius, ne surdi ad audiendum verbum Dei efficiamur, ne moriamur in peccatis: sed vt semper saluemur ab eo, qui saluos facit sperantes in se. In Iechonia, vt præparati simus in aduentu Domini secundo, vigilantes & orantes ne intremus in tentationem, sed cum illis intrare ad nuptias mereamur, de quibus ipse dicit: Beati sunt serui illi, quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes. In Salathiel, quatenùs petitio nostra ad Deum semper dirigatur, vt gaudium nostrum sit plenum: non huius seculi mœrore permixtum, sed infinita beatitudine sempiternum: & hoc in nomine saluatoris, vt impetrare possimus quod petimus. In Zorobabel, vt magistri simus veritatis, prohibentes magisteria & confusiones hæreticorum, & quæ verbis docemus, exemplis
Psalm. 49 commendemus, ne de nobis dicat Deus, Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsùm. In Abiud, vt sit nobis Deus in patrem, & nos illi in filios, habentes spiritum ad-
Rom. 8 optionis, in quo clamamus, Abba pater. Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. In Eliachim, vt resurgamus à tumulis vitiorum ad celsitudinem virtutum, de terrenis ad cælestia, de morte ad vitam, de Gaza ad Galilæam, id est, de inferno ad æternam transmigrationem: vbi

sancti ibunt de virtute in virtutem, donec videbitur Deus deorum in Sion. In Azor, vt adiuti diuina gratia, cuncta nobis aduersantia patienter supportemus, & Dominum adiutorem nostrum cum Psalmista collaudemus, dicentes: Dominus adiutor & protector meus, & in ipso sperauit cor meum, & adiutus sum. In Sadoch, vt iusti appareamus ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela, vt cum iustis mereamur audire vocem, dicentis: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est à constitutione mundi. In Ioachim, vt fratres Iesu Christi mereamur appellari, non per cognationem carnis, sed per vnctionem spiritus sancti, quem effudit in nos abundè: vt facientes voluntatem ipsius, sobriè & iustè & piè viuendo in hoc seculo, ad patrem suum & patrem nostrum, ad Deum suum & Deum nostrum ascendere possimus in futuro. In Eliud, vt nullum habeamus Deum, nisi Dominum IESVM Philip. 2.
CHRISTVM, cui omne genu flectitur, & omnis lingua confitetur: & vt ipsi soli sacrificium laudis immolemus, & vota nostra reddamus, ipsumque solum adore- Ioan. 4.
mus, quem oportet adorari in spiritu & veritate. In Eleazar, vt nullum quæramus adiutorem, nisi Dominum IESVM CHRISTVM, qui potens est omnia facere superabundanter, quàm petimus aut intelligimus: & vt quodcunque facimus in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini faciamus, Psalm. 123
dicentes cum Propheta: Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram. In Mathan, vt donum supernæ gratiæ, spiri- Esa. 11.
tum scilicet sapientiæ & intellectus, spiritum consilij & fortitudinis, spiritum scientiæ & pietatis, spiritumque timoris Domini retinentes, discretionem habeamus inter bonum & malum, quæ est mater omnium virtutum. In Iacob, vt supplantemus à nobis zizania vitiorum, & plantemus in nobis aromata virtutum: vt sicut cinnamomum & balsamum aromatizans, & quasi myrrha electa odorem demus, & plantati in domo Domini, floreamus in æternum ante Dominum. In Ioseph, vt de die in diem virtuti virtutem, sanctificationi sanctificationem apponentes, merito & numero augeamur, & in eo crescamus in salutem: & vt per scalam in cælum erectam quotidiè de gradu in gradum ascendamus, donec spiritaliter formetur CHRISTVS in nobis.
In sancta & perpetua virgine MARIA, quæ stella maris, vel illuminatrix interpretatur, vt illuminatores mundi, id est, doctores sanctæ Ecclesiæ simus, & in cordibus credentium lumen

Universidad de Deusto
Biblioteca

lumen fidei & amorem Christi per doctrinam veritatis & exempla sanctitatis oriri faciamus, & Deo habitaculum præparemus. In Iesu Domino nostro, vt saluatores animarum nostrarũ esse valeamus, manifestè declaratur. Quisquis enim in fide, spe & charitate, vigilijs, ieiunijs & orationibus, castitate, sobrietate, eleemosynarũ largitione, dilectioneque Dei & proximi vsq; in finem perseuerauerit, & conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorũ. In Christo autem, vt ita Christiani simus, quatenùs sicut ille ambulauit, & nos ambulemus: & sicut ille pro nobis animã suam posuit, ita & nos pro fratribus nostris animas ponamus: & sicut ipse horum nominum interpretationes in se naturaliter gerebat, ita & nos in omni actiua & contemplatiua vita, vt dictum est, spiritualiter recolamus. Ad hoc enim Christus passus est, nobis exemplum relinquens, vt sequamur vestigia eius, & abnegemus nosmetipsos, & tollamus crucem nostram, & sequamur eum perducentem nos ad gloriam sempiternam, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quam præparauit Deus diligentibus se. Ipsi honor, laus & imperium per infinita secula seculorum, Amen.

Iacob. 5

1. Pet. 2.

1. Corin. 2.

IN EODEM FESTO,

Homilia Eusebij Emeseni.

Liber generationis Iesu Christi, &c.

Matth. 1.

QVare beatus Matthæus Euangelista à Christi generatione initium sumat, hanc maximam & principalem causam esse putamus, vt saluatorem nostrũ de progenie Dauid & de tribu Iuda secundùm carnem descẽdisse ostendat. Incipiens itaque ab Abraham, & per Iudæ lineam veniens ad Dauid, totam sibi succedentium genealogiã ex ordine texit, vsq; dum veniat ad Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Nam & Abrahæ & Dauid Christus Dominus noster promissus fuerat: & quòd de tribu Iuda originem duceret, prophetarum fuerat. Dixerat enim Dominus Abrahæ, In semine tuo hæreditabo omnes gentes. Hoc autem Apostolus exponens, ait: Nõ dixit in seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, Et semini tuo, quod est Christus. Iudæ quoque filio suo Iacob patriarcha benedicens, ait: Iuda te laudabunt fratres tui: manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, & adorabunt te filij patris tui. Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti vt leo & quasi leæna. quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femoribus eius, donec veniat qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium. In hoc quoq; euangelio (sicut in sequentibus) legitur, quum Herodes principes sacerdotum & populi interrogaret vbi Christus nasceretur, responsum illi est ab illis: In Bethleem Iudæ: sic enim scriptum est per prophetam: Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam es minima in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israël. Vides igitur, quia saluator noster Abrahæ fuerat promissus, & secundùm prophetarum dicta de tribu Iuda nasciturus expectabatur. Videamus igitur, quid regi Dauid de eodem dictum fuerat. Dicat hoc ipse Dauid: Iurauit (inquit) Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum, De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Itemq;: Semel iuraui in sancto meo si Dauid mentiar, semen eius in æternum manebit. Ecce enim non solùm promittitur, verùm etiã & iuratur, quòd de stirpe Dauid secundùm carnem Christus oriatur. Vnde non immeritò factum est, vt pluribus in locis filius Dauid Christus vocetur. Hoc enim & pueri clamabant, Hosianna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini. Hoc & mulier Chananæa dicebat: Miserere mei Domine, fili Dauid. Vnde ipse quoq; Iudæos interrogans ait: Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei, Dauid. Quis igitur Christum esse aliquem credere posset, nisi priùs de stirpe Dauid certissimè natum esse constaret? Meritò igitur euangelista de Christo loquuturus, statim in principio suæ locutionis eum de semine Abrahæ, de tribu Iuda, & de progenie Dauid natum esse ostendit. Ostensa autem causa, cur tale exordium euangelista scripserit, Iudæis & hæreticis cæterisque respondeamus, quibus hanc eandem causam nihil ad rem pertinere videtur, nisi filium Ioseph Christum credamus esse. Non enim hoc loco Mariæ, sed Ioseph generatio texitur. Quid enim ad Christum pertinet, quòd Ioseph probatur esse filius Dauid, quum non de Ioseph, sed de Maria natus sit Christus? Sicut enim secundùm diuinitatem saluator noster nullam habuit matrẽ, ita & secũdùm humanitatẽ nullũ habuit patrem. Audiant igitur isti hoc, quod in lege præcipitur, vt videlicet omnes viri ducant vxores de tribu & cognatione sua, & cunctæ fœminæ maritos de eadem tribu accipiant, vt hæreditas permaneat in familijs, nec sibi commisceantur tribus, sed ita maneant, vt à Domino separatæ sunt. Probatum est igitur legis testimonio, virginem Mariam atq; Ioseph de eadem tribu & cognatione fuisse. Neque enim aliter secundùm legem coniũgi potuissent, nisi de eadẽ tribu ambo fuissent. Si enim aliquis mihi obijciat, multos de alia quoq; & non tantũ de ppria tribu duxisse vxores: respondeo, non solũ hoc, sed multa alia plerunq; contra legem Iudæos fecisse. Ioseph verò contra legem agere non poterat, vtpotè qui iustus erat, & Deũ in omnib. offẽdere timebat. Hæc aũt lex & si fortasse nõ ad plenũ ab alijs custodiebatur, ab illis tamẽ mulieribꝰ custodiri necessariũ erat, quæ quando fratres nõ habebãt, parentibus suis in hæreditatẽ succedebant. Sic enim præcipit Moyses, immò Dominus per Moysen, vt si aliquis sine filijs defũctus fuerit, ad filias eius transeat illius hæreditas. Quæ si de alia tribu maritos acceperit, hæreditatem quoq; in aliam tribum transire oporteret. Tales igitur necesse est aut de sua tribu accipere, aut omninò viros non accipere: ne si de alia accipiant, possessiones & hæreditates cõmisceantur, quod quidem nullatenùs fieri licet. Vnde manifestum est beatissimã virginem Mariã, quæ nobilissima hæres parentibus suis in hæreditatem successerat, siquidẽ nec fratres habuit nec habuisse legitur, neminẽ de alia tribu coniugem accipere potuisse. Sed fortasse dicis eam nõ habuisse hæreditatem. Lege ergo in Leuitico, & inuenies quod nemo hæreditatem suã ex toto vendere poterat, etsi vsum eius vendere potuisset. Veniente nanque Iubileo, omnis hæreditas ad propriũ dominum reuertebatur. Quomodò ergo sine hæreditate esse poterat, quæ ex tam nobilissimis parentibus orta fuerat? His igitur rationibus manifestissimè cõprobatur, & Ioseph & beatam virginẽ Mariã de eadẽ tribu fuisse. Sed ideò per Ioseph euangelista generationẽ texere voluit, quoniam vsus est sanctarũ scripturarũ vbiq; per viros, & nusquã per mulieres generationis seriem ordinare. Oẽs ergo generationes ab Abraham vsq; ad Dauid, generationes quatuordecim. Et à Dauid vsq; ad transmigrationẽ Babylonis, generationes quatuordecim, & à transmigratione Babylonis vsq; ad Christum, generationes quatuordecim. Hoc autem verum est, si vna eademq; persona bis numeretur, sitq; alterius ætatis initium, quæ alterius finis fuerat. Aliter autem non procedit. Christi autem generatio sic erat. Cùm esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequàm conuenirent, inuẽta est in vtero habens de spũsancto.

Genes. 22. Gal. 3.

Gen. 17

Gen. 49

Matth. 2

Matth. 2

Psalm. 109

Psalm. 131

Matth. 1

Matth. 1

Matth. 1

Num. 36.

IN FESTO EXALTATIonis S. Crucis, Quære suprà in Inuentione S. Crucis.

IN VIGILIA MATTHAEI apostoli. Lucæ V.

In illo tempore: Vidit Iesus publicanum nomine Leui, sedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me. Et reliq. Homilia uenerabilis Bedæ. Lib. 2. Commentariorũ in Lucam.

IDem Leui, qui & Matthæus est: sed Lucas Marcusq; ppter verecundiã & honorẽ euangelistæ noluerũt nomen ponere vulgatũ. Ipse aũt Matthæus iuxta illud qd scriptũ est: Iustus accusator sui est in primordio sermonis, Matthæũ se & publicanũ nominat: vt ostendat legentibus, nullũ debere conuersum de salute diffidere, cùm ipse de publicano in apostolũ, de telonario in euangelistã sit repentè mutatus. *Et relictis omnibus, surgens secutus est eum.* Intelligens Matthæus quid sit veraciter Dominũ sequi, relictis omnib. sequitur. Sequi. n. imitari ẽ. Ideoq; vt pauperẽ Christũ nõ tã gressu quàm affectu consectari potuisset, reliquit ppria, qui rapere solebat aliena: perfectamq; nobis abrenunciationis seculi formã tribuens, non solùm lucra reliquit vectigaliũ, sed & periculũ contempsit, quod euenire poterat à principib. seculi, quia vectigaliũ rationes imperfectas atq; incompositas reliquerit. Tanta. n. cupiditate sequendi Dominũ ductꝰ ẽ, vt in nullo prorsùs huiꝰ vitæ respectũ vel cogitationẽ sibimet reseruauerit: ppter qd iusta mercede dũ humana sedulus negotia deserit, dominicorũ fidelis dispensator meruit esse talentorũ. *Et fecit ei conuiuiũ magnũ Leui in domo sua.* Qui domicilio Christũ recipit interno, maximis delectationib. exhuberantiũ pascitur voluptatũ. Itaq; Dominus libenter ingreditur, & in eius qui crediderit, recũbit affectu. Et hoc ẽ bonorũ operũ spũale conuiuiũ, quo diues populus eger, pauper epulatur. *Et erat turba multa publicanorũ, & aliorum, qui cũ illis erant discumbentes.* Viderũt publicanũ à peccatis ad meliora conuersum, locũ inuenisse pœnitentiæ, & ob id etiã ipsi non desperant salutẽ. *Et murmurabãt pharisei & scribæ eorũ, dicentes ad discipulos eius: Quarè cũ publicanis & peccatoribus mãducatis & bibitis?* Conuiuantib. cũ Domino publicanis, pharisæi murmurãtes, de ieiunio gloriantur. Vbi primo legis & gratiæ quanta sit distantia, declaratur, quia qui legẽ sequuntur, ieiunæ mentis famẽ patiũtur æternã: qui verò verbũ in interioribꝰ animæ receperunt, alimenti cælestis & fontis vbertate recreati, esurire & sitire non possunt. Deinde retributionis futuræ species præfiguratur, quando epulantibus cũ Christo electis, perfidia superborũ ieiuna torquebitur, quibus dicitur: Meretrices & publicani præcedent vos in regnũ dei. Quòd si per Matthæi electionẽ, fides gentiũ (quæ priùs mundi lucris inhiabant, sed nunc corporis Christi sedula deuotione reficiuntur) exprimitur, profectò supercilio pharisæorũ, Iudæorũ inuidiã, qua de gentiũ salute torquentur, insinuat. *Et respondẽs Iesus, dixit ad illos: Non egent qui sani sunt medico, sed qui malè habent. Nõ ueni uocare iustos, sed peccatores in pœnitentiã.* Sugillat scribas & pharisæos, qui iustos se putantes, peccatorũ consortia declinabãt. Seipsumnãq; medicũ dicit, qui miro medicandi genere vulneratus est propter iniquitates nostras, & liuore eius sanati sumus. Sanatos aũt, & iustos appel-

Pro. 18:

Matth. 11.

Esai. 53.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lat eos, qui ignorantes Dei iustitiã, & suã volentes statuere, iustitiæ Dei nõ sunt subiecti: qui ex lege præsumẽtes, euangelij gratiã non quærunt. Porrò malè habẽtes & peccatores vocat eos, qui suæ fragilitatis conscientia deuicti, nec se per legem iustificari posse videntes, Christi se gratiæ pœnitendo submittunt. Vbi simul ostenditur, ꝙ non in pristinis vitijs permanentes, vt scribæ & pharisæi murmurabant, sed pœnitentiã agentes publicani venerint ad Iesum, & ipse quoq; Iesus cõuiuia peccatorũ, vt occasionẽ haberet docendi, & spũales inuitatoribus suis præberet cibos, adire dignatus sit. Deniq; cũ frequẽter pergere ad conuiuiũ describatur, nil refertur aliud, nisi quid ibi fecerit, quid docuerit: vt & humilitas Domini eundẽ ad peccatores, & potẽtia doctrinæ eius in pœnitentiũ conuersione monstretur.

IN FESTO S. MATTHAEI APOSTOLI, IN Epistolam Concio exegetica.

Ephes. 4. *VNicuiq; autem nostrum data est gratia, secũdum mensurã donationis Christi.* Licet Deus pater, inquit D. Hieronymꝰ, super oĩa sit, & per oẽs, & in omnib. tamẽ gratia iuxta mensurã credẽtibus datur: non ꝙ ad mensuram spũm & gratiã tribuat Deus (magnificentiæ .n. eius non est finis) sed ꝙ iuxta mensuram vasculorũ infundat liquorẽ, tantũ muneris largiens, quantũ potest ille cũi donatur accipere. Nec enim ad mensurã dat Deus spũm, aut potest habere mensurã, qđ æqualiter vbiq; diffusum est. Quod vt manifestum fiat, imperfectum licet & non implens similitudinem, tamen per quod posit intelligi quod dicitur, sumamus exemplum. Mare certè immensum est, & capacitas eius Dei soli nota. Ex hoc si quis velit multis hominibus secundùm id, quod gestare queunt, tradere, necesse é vt ad mensuram vnicuiq; tribuat, & partes eius mensurã recipiant, cuius solsum immensurabile est. Ita & spũs sanctus immensus quidem est, & nullo fine concluditur, tamen vnicuiq; datur, secundùm quod expedit. *Propter quod dicit: Ascendẽs in altũ, captiuã duxit captiuitatẽ, dedit dona hominibus.* Quia suprà dixerat, Vnicuiq; aũt nostrũ data est gratia secũdùm mensurã donationis Christi: vt confirmaret hæc ipsa dona à saluatore esse donata, testimoniũ de sexagesimoseptimo psalmo assumpsit, vt sciamus illas esse manubias hominibus distributas, quas Christus victor emeruit. Ascendens quippe in altum, captiuã duxit captiuitatem. Nos qui nũc in Christo credimus de gentibus congregati, cũm essemus creatura Dei, à diabolo capti sumus, & eius satellitibus distributi. Venit igitur Dominus noster Iesus Christus, secundùm Ezechielem vasa secũ captiuitatis apportans, & operto capite, ne ab aduersarijs cognosceretur, prædicauit his qui capti erant remissionem, & qui tenebantur in vinculis, solutionem: & nos de catenis hostium & de cõpedibus liberauit, sicut illam in euangelio mulierem, de qua ipse commemorat: Hanc autem filiam Abraham, quam ligauit satanas iam decem & octo annis, non oportuit solui de vinculo hoc in die sabbati? Liberatosq; nos & per nouem captiuitatem de captiuitate veteri erutos, secum duxit in cælum: & his ipsis, quos de inimicorum manu victor eripuit, diuersa gratiarum dona largitus est. Et eleganter hic posuit, Dedit dona in hominibus, cùm in Psalterio scriptum sit, Accepit dona in hominibus. Verùm ibi quia necdum factum erat, sed futurum promittebatur, propterea dicitur accepisse. Hic verò cùm Apostolus scribit, quia iam dederat, & in vniuerso orbe ecclesiæ fundatæ erant, idcircò non accepisse scribitur, sed dedisse. Hæc D. Hieronymus. *Quòd autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ?* Interrogabat Apostolus semetipsum, ait Haymo, & dixit: Quid est quod dixi, Ascendit? Quomodò potest Deus ascendere, qui vbiq; est? Certè nihil est aliud, nisi quia & descendit. Et primùm descendit in inferiores partes terræ ad infernum, ac deinde in cælum ascendit. Ergo non secundùm diuinitatem, quæ omnia implet, ascendit ipse neq; descẽdit, sed secũdùm humanitatẽ. In anima quidã sola descẽdit ad infernũ, & iterùm in corpore & anima ascẽdit super oẽs cælos. Notandum, quia per hoc quòd dicit, Descendit ad inferiores partes terræ, ostendit infernum infra terram esse. *Qui descendit*, subaudis, ad inferiores partes terræ, *ipse est & qui ascendit super omnes cælos, ut adimpleret omnia*, id est, oracula legis & prophetarum, quæ de se erant scripta: vel omnia, id est, quasdam dispensationes, quas ipse cum patre disposuerat, & quas ipse solus cum illo sciebat. Hæc Haymo. *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas: alios verò euangelistas: alios autem pastores, et doctores, ad cõsummationem sanctorũ, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.* Ex hoc loco, inquit Hieronymus, manifestissimè comprobatur patris & filij vna diuinitas. Siquidem hoc quod nũc Christus tribuisse describitur, in prima Epistola ad Corinthios Deus pater dedisse narratur. Alios enim, ait, posuit Deus in Ecclesia, primò apostolos, secundò prophetas, tertiò doctores, deinde virtutes, & dona sanitatum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum. Quod Sabellius non intelligens, patrem confundit & filium, dum eandem operationem esse non putat diuersorum. Et simul notandum, quòd hic apostolos, prophetas, euangelistas, pastores & magistros dedisse Christus, ibi verò eosdem pater posuisse memoretur. Posuit ítaq; siue dedit pater & filius primò apostolos, secundò prophetas, non illos qui futura vaticinentur, quales in veteri legimus testamento: sed qui

Psalm. 67

Ezech. 9.

Luce 13.

Psalm. 67

1. Cor. 13

Prophetæ qui fuerũt. 1. Cor. 14 Esa. 52. qui infideles & imperitos arguant atq; dijudicent. Tales quippe prophetas noui testamẽti in alia epistola esse definit. Tertiò euangelistas, quorũ speciosi pedes sunt ad annuntiandã pacẽ. Nec verò putandũ, ꝙ sicut in superioribus trib. alios dixit esse apostolos, alios prophetas, alios euangelistas, ita & in pastorib. & magistris officia diuersa posuerit. Non .n. ait, Alios aũt pastores & alios magistros, sed, Alios pastores & magistros: vt qui pastor est, esse debeat & magister: nec in ecclesijs quãuis sãctus sit, pastoris sibi nomẽ assumere, nisi possit docere quos pascit. Vel certè aliter, vt vnus atq; idem præses ecclesiæ, sit pastor & doctor: pastor ouiũ, magister hominũ.

Psal. 35. Homines quippe & iumenta saluos facies Domine. Arbitror hodiè quoq; in ecclesijs, quemadmodũ propheta & euangelista, pastor quoq; inuenitur & doctor: ita posse & aplũm reperiri, in quo apostolatus signa & indicia cõpleãtur: & è regione esse plurimos tam foris quàm intùs, tã in Ecclesia, quàm in hæresibus, qui pseudoapostoli sint & pseudoprophetæ, & pseudoeuangelistæ, & pseudopastores, & pseudomagistri. Et de hæresibus quidẽ nulla dubitatio est, quin secundùm falsam fidem falsa vniuersa possideãt: in ecclesijs aũt nónne vobis vidẽtur falsi esse pastores, qui nõ pascũt oues cũ disciplina, sed quasi mercenarij nequaquàm gregis saluté cogitãt,

Ezec. 34. quod errauit non conuertẽtes, & quod perijt nõ quærentes: sed tantũmodò de ouibus lac & lanam, cibos videlicet & vestimẽta captantes. Nec verò absq; ordine in hæc putemus Aplũm subitò prorupisse: verùm quia præmiserat esse Deũ super omnia, & per omnia, & in omnibus, & vnicuiq; sanctorũ datã gratiã secũdùm mensurã donationis Christi: nunc addit alios apostolos, alios prophetas, alios euangelistas, alios pastores & magistros esse in Ecclesia distributos, qui necessarij sint ad pfectionẽ institutionẽq; sãctorũ in opꝰ ministerij, in ædificationẽ corporis Christi. Quia cũ corpꝰ Domini Ecclesia sit, & Ecclesia de viuis lapidibus cõstruatur: hi quos suprà memorauimus in Ecclesia cõstitutos, id habent operis, vt secũdũ dispensationẽ & officia sibi credita, Ecclesiã Christi .i. corpus eius ædificent. *Donec occurramus oẽs in unitatẽ fidei & agnitionis filij Dei.* Quærendum quos oẽs dixerit occurrere, in vnitate fidei: vtrumnã oẽs hoies, an oẽs sãctos, an certè oẽs qui rationis capaces sunt. Videtur aũt mihi de omnib. hominib. dicere, quia multi venti doctrinarũ sunt, & flatu eorũ fluctib. cõcitatis, huc atq; illuc homines incerto cursu & vario feruntur errore. Vnde omni studio laborandũ, primùm in fidei occurrere vnitate: deinde in eadẽ vnitate habere agnitionẽ filij Dei. Quorũ cùm fuerit secura possessio, paruuli esse cessantes, & mensurã interioris hominis recipientes: quæ mensura plenitudinis, mensura Christi est: perfecti viri vocabulũ sortiemur, ita tamẽ vt ad cõsummatã ætatẽ plenitudinis Christi omnis credentiũ turba perueniat, & nequaquàm in dogmatib. fluctuans, adinstar paruulorũ gurgite infidelitatis feratur incerto: dum venti hinc inde perflantes, hæreticorũ videlicet siue sapientiũ seculi, diuersæ cõpugnantesq; rationes naufragiũ audientib. aut inferunt, aut minantur, dũ alij absq; voluntate fallaciæ ea tamen quæ falsa sunt prædicant: alij verò omni calliditate erroris laqueos cõponentes, nos decipere & vincere festinant. Hæc Hieronymus. Porrò Theophylactus ea Apostoli verba, *Ad cõsummationẽ sanctorum, in opus ministerij, in ædificationẽ corporis Christi*, ita interpretatur: Vides dignitatẽ? Vnusquisq;, inquit, perficit, cõsummat, vnusquisq; ministrat ad extructionẽ corporis Christi, siue Ecclesiæ. Quid itaq; ægrè fers, ceu minus donũ acceperis? Nam & tu ad consummationẽ sanctorũ, hoc est, ad cõ moditatẽ fideliũ & perfectionẽ cõmodas. Caue igitur, ne accepto dono vt alios ædifices, teipsũ cùm maiorib. inuides subuertas. Prætereà si ad cõsummationẽ fideliũ alius accepit maius donũ, cogita ꝙ & maiori ideò labore ac ministerio defatigetur, vnde & maior negligentem in suo charismate culpa manet. Porrò aũt quí non ex satana letale isthuc virus profluat, eaq; affectio virulenta prodeat, inuidere te cõsummanti & ædificanti corpus Christi? Est .n. isthuc hominis Deo planè reluctãtis. *Donec occurramus oẽs in unitatem fidei & agnitionis filij Dei.* Eousque, inquit, operari oportet oẽs, qui dona acceperunt, & ędificare & laborare, donec peruenerimus ad vnitatem fidei, hoc est, vsq; dũ demonstremur oẽs vnã & eandẽ fidẽ habere, neq; dogmatibus differre, neq; quò ad vitã sectis quibusdã inter nos disidere. Tunc .n. vera est fidei vnitas & vnio, tum agnoscimus filiũ Dei, quando & in doctrina rectã sententiã habuerimus, & charitatis vinculũ seruauerimus. Charitas .n. Christus est, *in unũ perfectũ, in mensurã ætatis plenitudinis Christi.* Virũ perfectũ & mensurã ætatis, perfectiorẽ dogmatũ cognitionẽ dicit: quemadmodũ & plenitudinẽ Christi, omnimodam atq; integrã ipsius cognitionẽ & fidẽ, ꝙ vnus ex Trinitate cùm esset, & æqualis patri, factus sit homo, vna persona in duabus naturis & voluntatib. & operationibus, & cum corpore patri adsidet, venietq; cum ipso, & quæcunq; alia de ipso rectè intelligũtur ac dicũtur. Quó igitur aliãs imperfectã dicit cognitionẽ nostrã? Rectè profectò, vt opponatur futuræ post fata nostra cognitioni. Hic verò cognitionẽ perfectã dicit eius respectu, ꝙ facile sit mortalibus à recto statu, atq; adeò à virtute excidere. Quando enim à Christo non exciderimus, tum perfecti sumus. Ita Theophylactus. Haymonis in hunc locum sunt hæc: Ex superioribus ista pendent. Ipse, inquit, dedit pastores, qui ædificent corpus illius, donec occurramus oẽs post resurrectionẽ generalẽ in virũ pfectũ. Quidã hoc modo illud intelligũt, ꝙ in generali

Minores nõ debent inuidere maioribus

1. Cor. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

resurrectione omnes in eadem ætate resurgent, in qua Christus resurrexit, cuiuscunq; etiam ætatis fuerint, & in nomine virorum comprehendantur & mulieres. Quòd dicit in virum perfectum, licet contra fidem non fit, tamen hoc melius est, vt aliter intelligamus. Virum appellat Christum cum omni corpore suo, quod non erit perfectum, quousq; omnes electi compleantur. Completo autem numero electorum, occurremus omnes in virum perfectum: id est, omnes electi occurrent capiti suo Christo, vt iam postmodùm vnus sit vir Christus & Ecclesia, perfectus & integer. Et in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Sicuti homo per ætates singulas crescit, donec perfectus sit vir: sic quotidiè crescit vsq; ad diem iudicij Christus, non in se, sed in nobis, qui sumus corpus eius. Completa autem mensura ætatis, id est, perfecto & integro numero electorum, ex quibus plenitudo corporis impletur, obuiabimus ei. Sic Haymo. Libet hic adijcere, quæ D. Ambrosius in quintum caput Lucæ scribit his verbis : Sextum est opus, quo Matthæus Leui noua quadam figuratur forma: sexto autem die factus est homo. Sexto igitur Christi opere reformatur iam non vetus sed noua creatura, & quædam forma peregrina: & ideò tanquàm noua creatura conuiuium Christo exhibet, eò quòd & in ipso Christus delectaretur, & ipse partem delectationis mereretur habere cum Christo. Ad hûc igitur informandum præcepta dat Dominus. Sequebatur enim iam lætus, alacer & exultans, dicens: Iam non publicanum gero, iam non porto Leui. Exui Leui, postquàm Christû indui. Odi genus meû, fugio vitam meam priorem: solum te sequor Domine Iesu, qui sanas vulnera mea. Quis enim me separat à charitate Dei, quæ in te est? Tribulatio, an angustia, an fames? Ligatus sum fidei clauis quibusdam, & bonis compedibus charitatis innexus sum. Omne mandatum tuum sicut cauteriû impressum tenebo. Et si vrit cauteriû mandati, tamen putrefacta carnis exurit, ne ad viuum serpat contagio. Etsi mordet medicamentum, tamen vitium vulneris tollit. Auser igitur Domine Iesu potenti machæra tua meorum putredines peccatorum. Dum me habes ligatum charitatis vinculis, feca quodcunq; vitiosum est. Veni citò incidens occultas & latentes variasq; passiones: aperito vulnus, ne noxius serpat humor. Emunda omne quod fœtidum est peregrino lauacro. Audite me terreni homines, qui peccatis vestris cogitationes ebrias geritis. Et ego Leui talibus palsionibus eram sauciatus. Inueni medicû, qui in cælo habitat, & in terra spargit medicamenta. Hic solus potest sanare vulnera mea, qui sua nescit: hic auferre cordis dolorem, pallorem animæ, qui nouit occulta. Hæc Ambrosius. Præstet omnibus nobis Christus Iesus, vt cû beatissimo Matthæo apostolo, spretis omnib⁹, ipsum constanter sequamur, Amen.

Christi corpus quando perfectû erit.

Gen. 1.

Rom. 8.

IN EODEM FESTO,
Matth. IX.

In illo tempore: Cùm transiret Iesus, vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me. Et surgens secutus est eum. Et reliq. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

EGimus Apostolo dicẽte, Quia omnes peccauerunt, & egẽt gloria Dei, iustificati gratis per gratiam illius. Qui & iterùm inæstimabilem eiusdem gratię magnitudinem cõmendans, ait: Vbi autem abûdauit peccatum, superabundauit gratia: quia nimirùm quanto grauiorem Dominus in electis suis peccatorum lãguorem curauit, tãto ampliorem cunctis gratiæ medentis potentiam monstrauit. Vnde & ex lectione euangelica audiuimus, quia sedẽtem in telonio Matthæum, ac temporalibus curis intentum, repentè miseratus Dominus vocauit, & de publicano iustum, de telonario discipulũ fecit: quem etiam proficientibus eiusdem gratiæ crementis, de communi discipulorum numero ad apostolatus gradum promouit: nec solùm prædicandi, verumetiam scribendi euangelium illi ministerium commisit: vt qui curam terrestriũ omiserat, cęlestium talentorum dispensator esse inciperet. Quod ob id vtiq; prouidentia superna fieri disposuit, vt nullum enormitas suorum, aut numerositas scelerum à speranda venia reuocaret, cùm hunc tantis mundi nexibus absolutum tam cælestem factum conspiceret, vt communicato cũ angelicis spiritibus vocabulo, euãgelista nominaretur & esset. *Vidit*, inquit, *Iesus hominem sedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me.* Vidit autem non tam corporei intuitus, quàm interiæ miserationis aspectibus, quibus & Petrum negantem, vt reatum suum cognoscere ac deflere posset, respicere dignatus est: quibus populum suum Aegyptia seruitute depressum, vt eriperet aspexit, dicens ad Moysen: Videns vidi afflictionem populi mei qui est in Aegypto, & gemitum eius audiui, & descendi liberare eum. Vidit ergo hominem, miseratus est eum, qui humanis tantùm studijs deditus, necdum angelico nomine dignus extiterat. Vidit sedentem in telonio, pertinaci videlicet animo temporalibus lucris inhiantem. Matthæum, inquit, nomine. Matthæus Hebraicè, Latinè dicitur donatus. Quod profectò nomen illi aptè congruit, qui tantum gratiæ supernæ munus accepit. Nec prætereundum est, quòd idem Matthæus est binomius : nam & Leui vocabatur: quod etiam nomen eidem gratiæ, qua donatus est, testimonium perhibet. Interpretatur enim additus, siue assumptus, significans quia assumptus est per electionem à Domino, & additus ad numerum gradus apostolici. Hoc autem illum nomine Marcus & Lucas in hac lectione magis appellare voluerunt, ne consortem operis euangelici de prisca conuersatione palam notabilem redderent. At verò vbi ad describendum duodecim apostolorum catalogum peruenerunt, tacito Leui vocabulo, Matthæum illum apertè nuncupauerunt. Prior ipse Matthæus (iuxta hoc quod scriptum est, Iustus prior accusator est sui: venit amicus eius, & inuestigauit eum) vulgato se nomine appellat, cùm de telonio vocatum narrat. Sed & in catalogo apostolorum cum additamẽto se publicanum cognominat. Thomas, inquit, & Matthæus publican⁹: quatenùs maiorem per hoc publicanis & peccatoribus adipiscendæ salutis confidentiam præbeat. Quam docendi formulam Paulus quoq; secutus, ait: Quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorũ primus ego sũ. Sed ideò misericordiã cõsecutus sum, vt in me primò ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad exemplum eorum, qui crediturí sunt illi in vitam æternam. Vidit ergo Iesus publicanum: & quia miserando atq; eligendo vidit, ait illi : Sequere me. Sequere autem dixit, imitare. Sequere dixit, non tam incessu pedum, quàm executione morum. Qui enim dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare: qd⁹ est, non ambire terrena, non caduca lucra sectari, fugere honores seculi, contemptum mundi omnem pro cælesti gloria libenter amplecti, cunctis prodesse, amare, iniurias nulli inferre, at sibi illatas patienter sufferre, sed & inferentibus à Domino veniam postulare, non vnquam suam, sed conditoris semper gloriam quærere, quotquot valet secum ad amorẽ supernorum erigere. Hæc & huiusmodi gerere, Christi est vestigia sequi. Et *surgens*, inquit, *secutus est eum*. Non enim mirandum, quòd publicanus ad primam iubentis Domini vocem terrena quæ curabat lucra reliquerit, opibusq; neglectis, illius comitatui, quem nil diuitiarum habere cernebat, adhæserit. Ipse enim Dominus, qui eum foris verbo vocauit, intùs inuisibili instinctu vt sequeretur edocuit, infundens menti illius lumẽ gratiæ spiritalis, qua intelligeret, quia is, qui temporalib⁹ vacabat in terris, incorruptibiles in cælis dare thesauros valeret. Surgens, inquit, secutus est eum. Surrexit vt sequeretur, dimisit caduca quæ gerebat, vt consequeretur æterna, ad quæ illum veritas inuitabat, quale est illud: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Et *factum est discumbẽte eo in domo, ecce multi publicani & peccatores uenientes, discumbebant cum Iesu et discipulis eius.* Vnius publicani conuersio, multis exemplum pœnitentiæ & indulgentiæ publicanis ac peccatoribus tribuit. Non enim dubitandum, quia publicani ac peccatores esse desierãt, qui cum Iesu & discipulis eius discumbebant: nec si in peccatis perseuerare decernerẽt, ei qui sine peccato est, conuesci auderent. Publicani quippe vocantur, qui vel publicè sceleribus fœdantur, vel publicis implicantur negocijs, quæ sine peccato aut vix aut nullatenùs valent administrari. Et pulchro satis præsagio qui apostolus & doctor gentium erat futurus, in prima sua cõuersione peccantium post se gregem trahit ad salutem, officiumq; euangelizandi, quod proficiente merito virtutum erat expleturus, à primis iam fidei suæ rudimentis incipit. Neq; enim solùm qui fratrem verbo erudit, sed etiam qui exemplo ad meliora conuertit, ministerium gerit doctoris. Deniq; ijdem publicani non tunc solummodò cum Domino discumbebant, verùm & deinceps abiectis secularibus negocijs, ad imitationem Matthæi, illum sequi gaudebãt, teste euangelista Marco, qui ait: Multi publicani & peccatores discumbebant cum Iesu & discipulis eius. Erant enim multi, qui & sequebantur eum. Notandum autem, quòd Lucas hæc referens, dicit quia Dominus in domo eiusdem Matthæi cum publicanis discubuerit, & quia ipse conuiuium illi magnum parauerit. Qui quidem Matthæus, quantum ad generale iudicium respicit, congruam beneficijs cælestibus vicem rependit, vt à quo perennia bona sperabat, illi sua temporalia commodaret: eumq; corporalibus epulis reficeret, quo ipse donante gustum spiritalis acceperat suauitatis. Porrò si altiore intellectu quæ gesta sunt indagare cupimus, nõ tantùm in domo sua terrestri conuiuium Domino corporale exhibuit, sed multo gratius illi conuiuium in domo pectoris sui per fidem ac dilectionem parauit, ipso attestante, qui ait: Ecce ego sto ad ostium & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Stat quippe Dominus ad ostium & pulsat, cùm memoriam suæ voluntatis, vel per os docentis hominis, vel per suam intùs inspirationem nostro cordi infundit. Audita autem voce eius, ianuam vt recipiatur aperimus, quando illius siue secretis siue apertis admonitionibus libenter assensum præbemus, & his perficiendis quæ facienda cognoulmus, operam damus. Intrat verò, vt & ille nobiscum, & nos cum illo cœnemus: quia in cordibus electorum per amoris sui gratiam inhabitat, vt & ea semper luce suæ præsentiæ reficiat, quatenùs ad superna desideria magis magisque proficiant, & studijs eorum cælestibus quasi gratissimis dapibus ipse pascatur. Sequitur: *Et uidentes pharisæi, dicebant discipulis eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister uester?* Duplici errore tenebãtur pharisæi, quum magistro veritatis de susceptione peccatorum detrahebant: quia & se iustos arbitrabantur, qui superbiæ fastu à iustitia longè discesserant, & eos criminabantur iniustos, qui relipiscendo à

Matth. 10

1. Tim. 1.

Luc. 19.

Exod. 3.

Vacabat, procare. Gal.

Ephes. 5.

Mar. 2.

Luc. 5.

Mar. 3. Luc. 6. Pro. 10.

Rom. 3.

Rom. 5.

Matth. 26

Publicani.

Mar. 2.

Luc. 9.

Apo. 3.

Pulsat Christus.

Nos aperimus.

Intrat ad nos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccatis,non parùm iam iustitiæ propinquabãt. Inuidia nanq; fraternæ salutis obcæcati, recolebant quia publicanus erat Matthæus, publicani & peccatores erant multi alij,qui cum Domino discumbebant : sed meminisse nolebant,quia idem Matthæus,sicut Lucas scribit,relictis omnibus quæ gerebat,secutus est eum. Sed & alij publicani ac peccatores eo animo cum illo discumbebant,q; illi deinceps adhærere disponebant.Errabant ergo pharisęi,qui nec aliena,nec sua saltem corda nouerant.Sed qui nouit occulta cordis,qui venit quęrere & saluum facere qđ perierat,& eos quos iam pœnitẽtes susceperat, ampliùs in fide confortat,& eos quos adhuc superbos tolerat & impios,ad humilitatis gratiam ac pietatis prouocat.Nam sequitur: *Non est opus ualentibus medico,sed malè habentibus.* In eo etenim, quòd malè habentibus medicum se aduenisse testatur,auget spem obtinendæ sanitatis & vitæ eis,qui de peccatorum suorum languore turbati, saluatoris ac viuificatoris magisterium iam sequi cœperant.In eo aũt,quòd valentibus non opus esse medico dicit, illorum temeritatẽ redarguit,qui de sua iustitia præsumentes, gratiæ cælestis auxilium quærere detrectabant. Quis nanque iustus esse poterit,vt diuina opitulatione non egeat, cùm ille, quo in natis mulierum maior nemo est, de se Ioannes apertissimè dicat:Non potest homo accipere à se quicquã,nisi ei datum fuerit de cælo?Dum verò subiungit: *Euntes autem,discite quid est, Misericordiam uolo & non sacrificium*: eisdem pharisæis, de falsa iustitia tumentibus,etiam consilium correctionis ostendit.Admonet nanque eos,vt per opera misericordiæ sibimetipsis supernæ misericordiæ præsidia conquirant,& non contemptis pauperum necessitatibus,per oblationem se sacrificiorum Dominum placare confidant. Proposuit autem eis testimonium de propheta, & hoc illos euntes discere iussit,euntes videlicet à temeritate stultæ vituperationis,ad diligẽtiorem scripturæ sanctæ meditationem : vt qui eum peccatores susciperentem contra scripturarum decreta facere calumniabantur, ipsi se potiùs intelligerent quæ essent Dei præcepta,nescisse,vel agnita non fecisse. Qui enim quotidianis in templo oblationibus instantes, nulla delinquentibus compassione miserebantur,patet profectò, quia contra sermonem propheticum sacrificium potiùs quàm misericordiam quærebant. At verò Dominus,qui sicut scriptum est,pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo,& quoties templum intrauit, magis inibi languentes curare,erudire nescios,contumaces redarguere, vel etiam foras deturbare, quàm victimas studuit offerre : liquet vtique, quia voluntatis diuinæ, quam propheta monebat,iussa perfecit, misericordiæ scilicet opus exequendo, & non sacrificium celebrando.

Luc. 5.

Luce 19.

Matth. 11

Ioan. 3.

Osee 6.

Actor. 10

Qui etiam reprehensoribus suis,quarè cum publicanis & peccatoribus manducaret,rationem reddere non despexit, vt vel sic eos à superuacua murmuratione cohiberet, atq; ad sequenda pietatis suæ dona prouocaret.*Non enim,inquit, ueni uocare iustos,sed peccatores.* Idcircò igitur Dominus peccatorum conuiuia frequentabat, vt insidiatores suos docendo, cælestes inuitaret ad epulas.Sed mouet fortè aliquem,quomodò Dominus dixerit non se venisse ad iustos, sed magis ad peccatores vocandos, cùm cunctis legentibus constet,quòd etiam illos, quos secundùm Mosaicæ legis instituta iustos inuenit, ad euangelicæ perfectionis culmen plurimos vocauit.Si enim solos peccatores,& non etiam iustos vocaret, nequaquàm Nathanaël discipulatus illius consors existeret, quem ad se primò venientem,tanta laude dignum putauit,vt diceret:Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est. Si non iustos vocaret, Petrum & Andręam in apostolatus arce non haberet:q quanto amore iustitiæ flagrauerint, docuerunt cùm ad testimonium præcursoris continuò Dominum videre & audire gauisi sunt .Quomodò ergo non venit vocare iustos,sed peccatores,nisi quia Lucas hæc referens,apertiùs dicit:Non veni vocare iustos,sed peccatores in pœnitentiam? Omnes nanque electos ad regnum cæleste Dominus vocat : sed illos solùm ad pœnitentiam vocat,quos grauioribus peccatis inuolutos inuenit. Quos verò iustitiæ operibus deditos reperit, non eos ad pœnitentiam præteritæ conuersationis, sed ad profectum magis vitæ perfectioris inuitat. Vocat peccatores,vt per pœnitentiam corrigantur : Vocat iustos, vt magis magisque iustificentur. Quanuis & ita rectè possit intelligi,quod ait: Non veni iustos vocare,sed peccatores: quia non illos vocauerit, qui suam iustitiam volentes constituere, Dei iustitiæ non sunt subiecti : sed eos potiùs, qui fragilitatis suæ conscij,non erubescunt profiteri, quia in multis offendimus omnes. Si quos autem & de illis, qui fallaciter sunt iusti, correctos vocat ad veniam,etiam in illis implebitur eius sermo,quia non venerit vocare iustos, sed peccatores, id est, non elatos, sed humiles: non de sua iustitia inflatos, sed ei qui iustificat impium,deuota mente substratos.Nam & tales vbi conuertuntur,nequaquàm se iustos,sed peccatores necesse est syncero corde testentur. Libet autem meminisse,fratres charissimi,ad quãtam Dominus arcem iustitiæ Matthæum(quem de publicanis actibus elegit, vt spem remissionis peccatoribus ampliaret)aduexerit. Qualis nanque sit factus, ipse apostolorum numerus, cui insertus est,docet.Docet & ipsa gens Aethiopum,quam de finibus terræ vltimis ad sanctæ Ecclesiæ societatem prædicando conuertit, ablutamq; fonte baptismatis, de fusca formosam reddidit:quia vitiorum nigredine exuit,ac virtutum decorauit ornatu. Docet ipsum euangelium,

Luc. 5.

Ioan. 1.

Ezech. 1.

Christus ut uocauit

1 Cor. 4.

Dignitas Euangeliorum.

Matthæus conuertit Aethiopes

Romano 3.

Iacob. 3.

lium,in quo scribendo noui testamenti consecrauit exordium:cui speciali priuilegio donatũ est,vt dominicæ incarnationis mysteria,quę cuncti à seculo prophetæ futura præcinebant, ipse primus omnium iam facta descripserit, & credentibus legenda transmiserit. Quod videlicet euangelium ad ædificandam fidem Ecclesiæ primitiuæ, quæ ex Hebræorum maximè populo collecta est,Hebræo sermone cõposuit. Dilatata autem per orbem Ecclesia,& Græcis ac barbaris in eiusdem fidei vnitatem confluentibus,curauerunt præsules fidelium, vt idem etiam in Græcum Latinumque transferretur eloquium: quomodò etiam Marci,Lucæ & Ioannis euangelia, quæ deinceps Græca lingua ediderunt, mox in Latinum transfudere sermonem,quatenùs hæc omnes per orbem nationes legere& intelligere possent. Testatur & Ezechiel propheta,quantùm idem Matthæus inter præcipua sanctæ Ecclesiæ membra effulserit, dum sub figura quatuor animalium admirabiles omnium euangelistarum virtutes,quas cælesti visione didicerat,plentsimo sermone describit. Sed & Ioannes apostolus,qui erat vnus ex eis,& ipse visione doctus spiritali, inter prima Ecclesiæ membra sacram eorundem euangelistarum facit mẽtionem. Tantæ quippe erant dignitatis illi,qui redemptoris nostri facta & dicta scribẽdo memoriæ tradiderunt, vt non solùm prophetico, sed & apostolico essent testimonio commendãdi. Tantæ erãt dignitatis,vt vtriusque testamenti scriptura eis meritò testimoniũ daret, eorumq; cæli ciues non ante exortum tantummodò eorum,verumetiam post inchoatum vel expletum sanctissimi munus operis hominibus ad memoriam referrẽt, & quanti apud Deum habeantur, ostenderent.Multa ergo de illis Ezechiel, multa eximius ipsorum commemorauit Ioannes. Sed nos in præsenti,quia sermo claudendus est, vnum Ioannis testimonium commemorare sufficiat. Et cùm darent,inquit, quatuor animalia gloriam & honorem & benedictionem sedenti super thronum, viuenti in secula seculorum, procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno,& adorabant viuentẽ in secula seculorũ, & mittebant coronas suas ante thronum.Oportet nanque, vt quoties regis æterni magnificẽtiam in sanctis euangelistarum libris prædicari cognouerimus,procidamus humiles ante illius misericordiam, & deuotis precibus imploremus, & quicquid boni operis habere possumus, non nostris meritis hoc, sed eius gratiæ semper tribuamus, qui sedens in throno patris,vnà cum spiritu sancto viuit & regnat Deus in omnia secula seculorum, AMEN.

Apoc. 4.

IN EODEM FESTO. HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Cùm transiret IESVS, *uidit hominem sedentem in telonio,Matthæum nomine. &c. Matth. 9.*

SIC enim de se beatus Matthęus quasi de alio loquitur. Quod & Moysen & quosdã alios fecisse legimus, humilitatem docentes, & vanam gloriam amputantes. Vocatur autem alio nomine Leui, quod penè idem significat. Matthæus enim donatus,Leui autem appositus interpretatur.Appositus nanq; Apostolorum ordini,pro magno munere sanctæ Ecclesiæ donatus est. Et benè quidem de telonio vocatur,vt qui publica vectigalia colligebat,nos quoq; tributa soluere doceat. Quid enim aliud nos in hoc euangelio docet,nisi quæ & qualia & quomodò tributa nostra Domino reddamus?In cũctis enim quæ iubente Domino agimus,nihil aliud facimus, nisi quòd tributa persoluimus. *Et factum est,discumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores uenientes, discumbebant cum Iesu & discipulis eius.* Ait enim Lucas,Quia fecit illi magnum conuiuiũ Leui in domo sua. Vnde factum fuisse puto, vt publicani & peccatores &cæteri eiusdẽ ordinis homines illuc ad conuiuium conuenirent.Veruntamen neque illud conuiuium,neq; illum conuentum publicanorum,sine aliqua significatione fuisse intelligendum est. Illud enim conuiuiũ,quod tunc Leui Domino præparauit, hoc euangelium significabat, quod post eà scripsit,cuius delicijs nunc in Christo animæ nostræ reficiuntur.Ad hoc autem quia Iudæi venire noluerunt, publicani & peccatores introire compulsi sunt. Vnde alibi Dominus ait:Quia nemo illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.*Et uidentes Pharisæi, dicebant discipulis eius: Quarè cum publicanis & peccatoribus manducat magister uester?* Similiter enim & fideles aduersùs beatum Petrum postea scandalizati sunt, eò quòd Cornelio incircunciso communicauerit. Quibus & ipse rationem reddit, sicut & Dominus istius rationem reddere non est dedignatus.Ait enim:*Non est opus ualentibus medico, sed malè habentibus.* Ac si dicat:Ad sanandum veni non ad manducandum: Medicus sum,non conuiua. Immò ideò conuiua,quia medicus. Hoc genus morbi nusquam tam benè sicut in conuiuio sanatur,in illo vtique conuiuio, quod per hoc conuiutum significatur,Tale nanq; conuiuium quotidiè in

Matthæus euangelium scripsit Hebraicè.

Luc. 5.

Conuiuiũ Matthæi mysticè.

Luc. 14.

Actor. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecclesia sit. Hoc conuiuium animorum est. Quoties enim episcopi & sacerdotes in Ecclesia prædicant, toties hoc conuiuium præparatur. In hoc autem conuiuio tales potiones, taliaque antidota infirmis anteponuntur, quibus cæci illuminantur, leprosi mundantur, paralytici curãtur, mortui suscitantur, omnesque morbi & omnes infirmitates sanantur. Tale igitur conuiuiũ beatus Matthæus Apostolus & Euangelista nobis præparauit, tale nos quoque alijs præparare docuit. Et talis quidem conuiuij præparandi, talis potionis & antidoti dandi peritissimus me-
1. Cor. 9. dicus Apostolus fuit, qui ait: Factus sum infirmis tãquàm infirmus, vt infirmos lucrifacerem: omnibus omnia factus sum, vt omnes saluos facerem. Hæc igitur est causa, quare Dominus & saluator noster cum publicanis & peccatoribus manducare venit, vt eos videlicet sanaret, & veri medicaminis rationem monstraret. Non enim dedignatur Christus eos in conuiuio recipere, quorum mortalitatem non est dedigtus assumere. Reficit exteriùs corpora, reficit interiùs mentes. Non potest ibi esse fames, vbi est
Ioann. 6. panis viuus, qui de cælo descendit. Panis igitur
1. Reg. 2. detur famelicis, de quibus dicitur: Et famelici saturati sunt. Medicus subueniat infirmis, qui aliter sanari non possunt. *Euntes discite quid est: Misericordiam uolo, & non sacrificium.* Hoc enim in Osea
Ose. 6. scriptum est. Quod si Pharisæi intellexissent, hæc talia non loquerentur. Quæ sit autem hæc misericordia, subdidit dicens: *Non enim ueni uocare iustos, sed peccatores.* Quòd enim peccatores vocantur & saluantur, misericordia est: quòd verò illi reprobantur, qui se iustos esse iniustè arbitrantur, iustitia est. Non potuit autem saluari mundus per sacrificium, saluatus est verò per misericordiam: quia Christi sacrificium misericordia fuit.

RELATIO DE DEDICATIONE ECCLESIÆ BASILICÆ Michaëlis, & miraculis ostensis.

MEmoriam beati Michaëlis archãgeli toto orbe venerandam, ipsius & opere condita, & consecrata nomine demonstrat Ecclesia, quæ non metallorum fulgore, sed priuilegio est commendata signorum: vili facta schemate, sed cælesti prædita virtute, vtpotè quam fragilitatis humanæ memor archangelus, è cælo veniens, ad promerendam ibi mortalibus supernorum ciuium societatem, propria manu condere dignatus est. Vertice siquidẽ montis excelsi posita, de corpore eiusdem saxi speluncæ instar præcauata ostẽditur. Est autem locus in Apuliæ finibus, vbi inter sinum Adriaticum & montem Garganum ciuitas Sipontina sita est. Qui à mœnibus ciuitatis ad duodecim millia passuum erectus, in cacumine supremo beati archãgeli, quã præfatus sum, gestat Ecclesiam. Hanc mortalibus hoc modo cognitam, libellus in eadem ecclesia positus indicat. Erat in ea ciuitate vir prædiues quidã Garganus nomine, qui ex euentu suo monti vocabulũ indidit. Huius dum pecorã, quorum infinita multitudine pollebat, passim per deuexi mõtis latera pascerentur, contigit taurum armenti gregis consortia spernẽtem, singulariter incedere solitum, & ad extremum redeunte pecore domum non esse regressum. Quem Dominus collecta seruorum multitudine per deuia quæque requirens, inuenit tandem in vertice eiusdem montis foribus cuiusdam assistere speluncæ. Itaque ira permotus, cur soliuagus incederet, arrepto arcu appetit illum sagitta toxicata: Quæ veluti venti flamine retorta, eum à quo iacta est, mox reuersa percussit. Turbati ciues & stupefacti, qualiter res fuerit effecta: non enim accedere propiùs audebant, consulunt episcopum, quid facto opus sit. Qui indicto ieiunio triduano, à Deo monuit esse quærẽdum. Quo peracto, sanctus Domini archangelus episcopum per visionem alloquitur, dicens: Iam benè iecisti, quod homines latebat, à Deo quærendo mysterium, causam videlicet hominis suo telo percussi. Sciatis autem hoc mea gestum voluntate. Ego enim sum Michaël archangelus, qui in conspectu Domini semper assisto, locumque hunc in terris incolere, tutumque seruare instituens, hoc volui indicio probare, omnium quæ ibi geruntur, ipsius quoque loci me esse inspectorem atque custodem. Hac reuelatione comperta, consuetudinem fecerunt ciues hic Dominum precibus per sanctum deposcere Michaëlem. Duas quidem ibi ianuas cernentes, quarũ vna australis, quæ & maior erat, aliquot gradibus in occasum vergentibus adiri poterat: sed nec vltra cryptam intrare ausi, pro foribus quotidiè orationi vacabant. Inter hæc Neapolitani paganis adhuc ritibus oberrantes, Sipontinos & Beneuentanos, qui centum quinquaginta millibus à Siponto distant, bello lacessere tentant. Qui antistitis sui monitis edocti, tridui petunt inducias, vt triduano ieiunio liceret eis quasi fidele patrocinium sancti Michaëlis implorare præsidium. Quo tempore pagani ludis scenicis falsorũ inuitant auxilia deorũ. Ecce aũt nocte ipsa, quę belli præcesit diẽ, adest in visione sanctus Michaël antistiti, preces dixit exaudiras, victoriam spopondit affuturam, & quarta diei hora bello præmonet hostibus occurrendum. Læti ergo mane, & de angelica certi victoria, Domini cordati Spiritu, obuiant Christiani paganis. Atque in primo belli apparatu Garganus mons immenso tremore concutitur, fulgura crebra volãt, & caligo tenebrosa totũ mõtis cacumen obduxit, impleta prophetia, quę Dominum
Psal. 103. laudans ait: Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammã ignis. Fugiunt itaq; pagani, partim ferro hostium, partim igniferis impulsi sagittis, ad Neapolim vsque sequentibus, atq; extrema quæque cædentibus aduersarijs, mœnia tandem suæ vrbis moribundi subintrant.

Qui autem euasere periculum, cõperto quòd angelus Dei in adiutorium venerit Christianis: nam & sexcentos fermè suorum fulmine videbant interemptos: regi regum Christo continuò colla submittentes, armis induuntur fidei. Cumque domum reuersi victores, vota Domino gratiarum ad templum referrent archangeli, vident manè iuxta ianuam septentrionalem (quã prædixi instar posterulæ pusillæ) quasi hominis vestigia marmori arctiùs impressa: agnoscunt beatum Michaëlem hoc præsentiæ suæ signum voluisse monstrare. Vbi posteà culmen appositum, & altare impositum, ipsa ecclesia ob signa vestigiorum Podonia est vocata. Multa dubitatio fuit inter Sipontinos quid de loco agerent, vtrùm intrare & dedicare ibi debeant ecclesiã. Vnde collatione facta, ad meridiem loci illius beatri Petri Apostolorum principis nomine condunt Ecclesiam & dedicant: In qua etiam beatæ semper virginis Mariæ, sanctique Ioannis Baptistæ altaria statuunt. Tandem antistes salubri reperto consilio, Romanum episcopum, quid de his agendum sit, per nuncium scisciatur, qui tunc fortè in monte Soracti, quinquagesimo ferè milliario à Romana vrbe distante, fuerat, quem incolæ sancti Sylvestri cognomine vocãt, eò quòd ipse ibi quondam exul, pro fidei persecutione delituerat cum suis. Taliaque mandata remittit: Si hominis est, illam dedicare basilicã, hoc maximè die, quo victoria data est, fieri oportet. Sin autem aliud sancto prouisori loci placuerit, eodem præcipuè die illius in hoc voluntas est inquirenda. Hoc ergo tẽpore imminente, agamus ambo triduanum cum ciuibus nostris ieiunium, sanctam Trinitatem rogantes, vt munera, quæ per summum suæ sedis ministrum conferre dignatus est, ad certum vsque finem perducat. Factum est, vt suggesserat antistes. Nocte verò constituti ieiunij suprema, angelus Domini Michaël episcopo Sipontino per visionem apparens: Nõ est, inquit, vobis opus hanc, quã ego ædificaui, dedicare ecclesiam. Ipse enim qui cõdidi, etiam dedicaui. Vos tantùm intrate, & me assistente patrono, precibus locum frequentate. Ette quidem ibi cras missas celebrante, populus iuxta morem communicet. Meum autem erit ostendere, quomodò per memetipsum locum sacrauerim illum. Illi adueniunt manè cum oblationibus, & magna instantia precum intrant regiam australem: & eccè longa porticus in aquilonem porrecta, atque illam attingens posterulam, extra quam fastigia marmori diximus impressa. Sed priusquàm huc peruenias, apparet ad orientem basilica, qua per gradus ascenditur. Hæc cum ipsa porticu quingentos ferè homines capere videbatur, altare venerandum, rubroque contectum palliolo, prope medium parietis ad meridiem ostendens. Erat autem ipsa domus angulosa, non in more operis humani parietibus erectis, sed instar speluncæ præruptis & sæpiùs eminentibus asperata scopulis, culmine quoque diuersæ altitudinis, quod hic vertice tangi, alibi manu vix posit attingi. Credo docente archangelo, Deum non ornatum lapidũ, sed cordis quærere & diligere puritatem. Vertex verò montis extrinsecùs partim cornea sylua tegitur, partim virenti planicie dilatatur. Missarum itaque celebratione completa, magno attoniti gaudio, quique redierunt in sua. Episcopus autem delegato ministrorum, cantorum, sacerdotumque officio, & mansione constructa, omnem ibidem quotidiè psalmorum, hymnorum, missarumque cursum congruo præcepit ordine celebrari. Nullus autem huc nocturno est tempore ausus ingredi, sed aurora transacta matutinos ibidem cantant hymnos. Ex ipso autem saxo, quo sacra tegitur ædes, ad aquilonem altaris, dulcis & nimiũ lucida guttatim aqua dilabitur, quam incolæ stillam vocant. Ob hoc & vitreum vas, eiusdem receptui præparatum, argentea pendet catena suspensum, morisque est populo communicato singulos ad hoc vasculum ascendere per gradus, donumque cælestis degustare liquoris. Nam & gustu suauis est, & tactu salubris. Denique nonnulli post longas febrium flammas hac hausta stilla, celeri confestim refrigerio potiuntur salutis. Innumeris quoque & alijs modis ibi & crebrò sanantur ægroti, & multa, quæ angelica tantùm congruunt potestati, geri illic miracula comprobantur: maximè tamen eiusdem diei natali, cùm & de prouincijs circũquaque positis plùs solito confluа turba recurrat, & angelicæ virtutis maior quodammodò credatur adesse frequentia, vt quod spiritualiter dixit Apostolus, etiam corporaliter agi videatur: Quia angeli sunt administratorij spiritus, in
Hebr. 1. ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, in CHRISTO IESV DOMINO nostro, qui viuit, & cæt.

IN FESTO S. MICHAELIS ARCHANGELI, In lectionem Epistolæ loco, Concio exegetica.

IN *diebus*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Apoc. 1.

IN diebus illis: *Significauit Deus, quæ oportet fieri citò.* Hoc loco, Significauit, non ab ostensione, sed à signo positum intelligere debemus, & hoc esse dictum, Significauit, quod est, sigillauit. Dicendo ergo, Significauit, & infidelibus claudi, & fidelibus spiritali exercitio docuit aperiri. Reuelat autem Christus Ioanni, id est, Ecclesiæ suæ, & ea quæ citò transeunt, & ea quæ citò aduenturi sunt: vt dum tẽporaliter se cernit affligi vel prosperari, cogitet breuitatẽ istius tẽporis, & q̃ velociter transeant gaudia & tribulationes cum tempore, & quàm velociter appropinquent eadem sine fine mansura: ac per hoc nequaquàm malorum prosperitatibus inuideat, sed potiùs in suis aduersitatibus gaudeat. *Mittens per angelum suum seruo suo Ioanni.* Iste angelus in figura Christi apparuit beato Ioanni. Quia enim cum patre & spiritu sancto filius vnus est Deus, omnia reuelans, vtiq; & angelum illum repleuit: atque in illius corde habitans, per eum locutus est Ioanni. Ipse autem Ioannes figuram Ecclesiæ tenet. Quòd autem dicit, Mittens per angelum suum seruo suo Ioanni, morem sanctorum patrum tenet, qui in suis dictis sic de se quasi de alio loquuntur. Vnde est: Erat Moyses vir mitissimus super oẽs, qui morabantur in terra. *Qui testimonium perhibuit uerbo Dei, & testimonium Iesu Christi.* Perhibuit testi-
Ioan. 1. monium verbo Dei Ioannes, cùm dixit: In principio erat verbum, & cæt. quæ in eodem loco
ibid. de diuinitate verbi sequuntur. Perhibuit testimonium Iesu Christo, cùm dixit: Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Non tamen diuidimus personam cùm ista dicimus, sed vtranque ostendimus naturam. Quòd verò ait: In his *quæcunq; uidit*, subintelligendum est, Quæcunque de incarnato Dei verbo siue in diuinitate, siue in humanitate cognouit. Aliud verò vidit oculis corporeis, atque aliud oculis mentis. Oculis mentis vidit diuinitatem, oculis corporeis humanitatem. Vidit eum ante omnia secula à patre genitum, cum patre omnia fecisse: vidit in fine temporum natum ex matre pro nostra salute, deinde passum, à iusto homine sepultum, à mortuis resuscitatum, atque in dextera patris subleuatum, deinde ad iudicium venturum.
Ioan.. 19 Vidit itaque hæc omnia, & testimonium perhi-
& 21. buit, & scimus quia verũ est testimonium eius. *Beatus qui legit & qui audit uerba prophetiæ huius, & seruat ea, quæ in ea scripta sunt.* In his verbis duorum personæ comprehenduntur, Doctorum videlicet, qui legunt, & alijs exponunt: & auditorum, qui audiunt & retinent, & opere perficiunt ea, quæ in ea scripta sunt. Licet enim hic liber multa habeat in se profunda mysteria, tamen multa sunt ibi, quæ etiam ad literam custodita, magnam vtilitatem & salutem præstant suis obseruatoribus. Seruant autem ea quæ in ea scripta sunt, qui fidem Christi & Ecclesiæ non violant, qui cauent prohibita & implét iussa, metuunt minata supplicia, amant promissa cælestia. Hinc autem liquidò colligitur, quantæ sit authoritatis quantæque excellentiæ, cùm inter omnes libros noui testamenti hic solummodò prophetia nominatur: quam qui obseruauerit, beatus esse perhibetur. Ad quod & subiungitur: *Tempus enim propè est*, iudicij scilicet, quando redditurus est vnicuique iuxta opera sua. ac si diceret: Felix qui fidei sacramentis imbutus, & quæ in his iubentur custodit, & quæ prohibentur non præsumit: quia & obseruationis tempus non longas moras innectit, & retributionis dies quodammodò in ianuis consistit. *Ioannes septem ecclesijs, quæ sunt in Asia.* Asiæ duæ sunt, maior scilicet & minor: quæ minor in sortem venit beato Ioanni: in qua sunt septem ciuitates metropolitanæ, quarum caput est Ephesus. Sed cùm maior minori iungitur, penè medietatem mundi occupant. Huic tantæ regioni DEVS omnipotens per suam misericordiam præposuit prædicatorem beatum Ioannem, & ideò ille specialiter ecclesijs Asiæ suam dirigit prophetiam. Verùm quod loquitur septem ecclesijs Asiæ, vtiq; omni Ecclesiæ dicit: quæ cùm vna sit, septenario numero comprehenditur, quo sæpè solet vniuersitas designari, iuxta illud: Septies in die laudem dixi tibi: vel propter innumera dona, quæ percipit à spiritu sancto, qui cùm vnus sit spiritus, replens orbem terrarum, id est, vniuersam Ecclesiam, dicitur etiam septiformis à propheta super Dominum requieuisse propter septem, id est, multiplicia dona, quæ præstat fidelibus. Vna est itaque Ecclesia, sicut vnus est spiritus: vnde & Catholica Græcè dicitur, id est, vniuersalis, & septiformis spiritus munere est repleta. Vnde & in Zacharia legimus candelabrum totum aureum, habens super se septem infusoria & septem lucernas. Quem etiam septiformem Ecclesiam Christo coniungi Esaias commemorat, dicens: Apprehendent septem mulieres virum vnum in die illo, dicentes: Panem nostrũ comedemus, corpus scilicet tuum, nobis à Deo datum manducabimus: vestimentis virtutum ornabimur, tantummodò inuocetur nomen tuum super nos: auser opprobrium nostrum, vt sis vir noster, ne improperando dicant nobis Iudæi, quòd non habeamus virum. Vnde & Salomon dicit, quia sapientia excidit sibi columnas septem. Columnas septem excidit & domum fecit, quia ab amore præsentis seculi dura corda gentilium septiformi spiritu implenda separauit, atque ad fortitudinem cælestis ædificij erexit. *Gratia uobis.* Gratia dicitur gratis data, non merces reddita, sed venia gratis collata. Quæ gratia specialiter in hoc est

Apocalyp. i. Psis quam ad hoc ritatis.

Apoc. 22

Filius Deus est.

Psal. 101

Actor. 1.

Psalm. 118

Sap. 1. Esa. 11.

Zach. 4.

Esai. 4.

Ierem. 7.

Ephes. 5.

Ioan. 20.

est accipienda, quia sine merito hominum misit Deus filium suum, qui nos suo sanguine redemit, & ad filiationem Dei perduxit. Vnde & sequitur: *Et pax*: quia videlicet ipse per suam passionem genus humanum Deo patri pacificauit. Et notandum, quòd non dicitur, Pax & gratia: sed præmittitur gratia, ac deinde subiungitur pax, quia nullus ad pacem reconciliationis venire poterit, nisi hunc gratia misericordiæ præcesserit: quia vt ad pacem Dei venire possimus, à Dei gratia præuenti sumus. Generaliter autem omnia, quæ à Deo percipimus, siue in fide, siue in opere, in abstinentia, in ieiunio, & in cæteris, gratis à Deo nobis tribuũtur sola illius misericordia. *Abeo qui est, & qui erat, & qui uenturus est*, ad iudicium scilicet, vt reddat vnicuique iuxta opera sua. In his enim verbis filium ostendit, qui solus cum patre & spiritu sancto habet esse, quia semper est immutabilis. vnde Psalmista: Tu autem idem ipse es. Erat verò, quia antequàm de beata virgine nasceretur in tempore, cuncta cum patre fecit tempora. Venturus est ad iudicium, iuxta illud angelorum promissum: Sic veniet, quemadmodùm vidistis eum euntem in cælum. Sed cùm hæc non nisi soli filio congruere videantur, & hanc gratiam Ecclesia iustorum à patre & filio atque spiritu sancto percipiat: quia quorum inseparabilis est vnitas, inseparabilis est etiam operatio: quid sibi vult hoc, quòd solummodò mentio fit filij vel spiritus sancti? Sed sciendum, quia mos est sacræ scripturæ, vt vbi vnius sit mentio personæ de Trinitate, tota simul Trinitas intelligatur. Ergo vbi in persona filij fidelibus gratiam tribuere legentes audiuimus, simul in ipsa datione patrem & filium & spiritum sanctum intelligere debemus. Iterùm quæritur, cùm sit vnus spiritus, qui replet orbem terrarum, cur Ioannes in hac reuelatione septem spiritus introducit? Nimirùm propter septenariam, id est, multiplicem eius operationem. Simplex itaque est proprietate naturæ, multiplex verò gratiarum distributione. Hinc Salomon dicit eundem spiritum vnicum & multiplicem. *Et à septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt.* Thronus Dei sunt angeli sancti & homines iusti, in quorum mentibus per fidem requiescit. Vnde est: Anima iusti sedes est sapientiæ. In cuius throni conspectu spiritus sanctus est, quia in sanctorum memoria, vt diximus, requiescit, & illos possidet, eorumque opera disponit, & ad Dei amorem & proximorum accendit dilectionem: ad quem etiam specialiter remissio pertinet peccatorum, quæ fit in baptismate opere spiritus sancti. Vnde dicit Apostolus: Accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Quare septem dicantur spiritus, suprà dictum est. Hæc omnia ex Commentarijs Haymonis in Apocalypsim. Vbi tamen aduertendum est, quod hic dicitur, A septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt, rectè etiam de beatissimis angelicis spiritibus accipi, eosque omnes sub hoc septenario numero contineri. Et ita hunc locum interpretatur Aretæ Cæsareæ Cappadociæ episcopi Commentaria. Nunc porrò ex Haymone audiamus eorum quæ sequuntur explanationẽ. *Et à Iesu Christo, qui est testis fidelis.* Quia de Christo erat plura locuturus, iterùm repetit eius personam, dicens: Et à Iesu Christo, qui est testis fidelis, id est, verax, quoniam patri perhibet testimonium, dicens Iudæis: Pater in me
Ioan. 14. manens, ipse facit opera: & multa his similia. Sed sicut filius est testis fidelis, ita etiam pater, ita & spiritus sanctus. Ait enim pater de filio, testimonium illi perhibens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. Ipseq; filius de spiritu perhibet testimonium, cùm dicit: Spi-
Matth. 3. ritus est qui viuificat. &: Spiritus vbi vult spirat.
Ioann. 6. &: Paracletus ipse vos docebit omnia. Spiritus
Ioan. 3. quoq; sanctus de filio testimonium dicit, quòd
Ioan. 14. sit veritas, sicut scriptum est: Spiritus est qui te-
1. Ioan. 5. stificatur, quoniam Christus est veritas. Et ipse filius dicit: Ille testimonium perhibebit de me.
Ioan. 15. Vnde sciẽdum est, quòd sicut hi tres vnum sunt, sic eorum testimonium vnicum est, quanquã alterius testimonio alter insinuetur. Specialiter autem filius testis vocatur, quia pro testimonio veritatis vsque ad mortem peruenit carnis: quia & cùm omnis Ecclesia in prædicatoribus Christo testimonium perhibeat, illi specialiter testes vocantur, qui pro Christi nomine moriũtur. *Primogenitus mortuorũ.* Primus homo ea conditione creatus est, vt nisi peccasset, immortalis mansisset. Sed quia peccauit, mortuus est, & redijt in matrem suam, hoc est, in terram de qua fuerat
Gen. 3. conditus, dicente sibi Domino: Terra es, & in terram reuerteris, de qua assumptus es: quia formatus ex limo terræ in animam viuentem, quasi ex matris vtero viuus processerat. Postquã autẽ factus est ille mortalis, genuit filios mortales & peccatores, qui omnes mortui, in matrem suã reuertuntur. Veniens ergo Deus in carne, eadẽ lege mortuus est, atq; in vtero matris sepultus. Sed quia tertia die à mortuis iam victurus in æternum surrexit, & mors illi vltrà non dominabitur, primogenitus mortuorũ appellari debuit. Licet enim surrexerint alij antè, sicut Lazarus, nõ
Ioan. 11. tamẽ surrexerunt in æternũ victuri: quia iterùm mortui, carnis debitũ soluerunt. Vnde nõ surrexisse vel vixisse cõputandi sunt. Ille ergo primogenitus mortuorũ rectè vocatur, qui sic surrexit à mortuis, vt vltrà non moreretur. Potest & aliter intelligi: Omnes electi, qui se mortificant cũ vitijs & peccatis, & voluptates carnis in se occidunt, mortui sunt peccato, & viuunt Deo: quorũ primogenitus dignè vocatur Christus, quia peccatum non fecit, & mortificationem vitæ carnalis ostendit. *Et princeps regum terræ.* Reges terræ appellantur omnes electi, qui
Reges terræ, iusti. vitiorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

vitiorum tyrannidem in se consurgere non sinunt, sed eis iure dominantur. Possunt autem & reges terræ specialiter intelligi prædicatores, qui dum corda carnalium à prauitate restringũt, super terram vt reges imperant, cæterùm bonis & spiritualibus viris in nullo se præferunt.

Actor. 10 Hinc est, quòd Petrus Cornelio se coæqualem
Act. 5. fatetur, Ananiæ verò animam gladio verbi perimit. Sciendum est autem, quia prædicatores Ecclesiæ etiam ipsis carnalibus ita dominari appetunt, quatenùs & compassionem naturæ, & vitijs rectitudinem exhibeant. Eorum itaq; princeps est Christus, qui est rex regum & dominus
Apoc. 19. dominantium. de quo adhuc sequitur: *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Quo enim amore filius Dei nos dilexerit, passiones illius ostendunt, quas pro nobis pertulit.
Ephes. 5. De hac dilectione ait Apostolus: Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea. Ad cuius etiam dilectionem imitandam hortatur fi
Ibid. deles, dicens: Ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis. Dilexit autem nos pulcher fœdos, pius impios, sine peccato peccatores: nec quales eramus nos dilexit, sed quales ipsa dilectione nos fecit. Vnde & subditur: *Et lauit nos à peccatis in sanguine suo.* Iste est amor ineffabilis & incõprehen
Rom. 5. sibilis: quia cùm pro iusto vix aliquis moriatur, CHRISTVS secundùm tempus mortuus est pro impijs, vt nos offerret Deo: iustus vtique pro iniustis. Et cùm effemus maculati delictis, lauit nos suo sanguine, vt exhiberet sibi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, vel aliquid huiusmodi. Qui etiam sanguinem suæ passionis vertit nobis in mysterium ablutionis: vt in fide mortis eius baptizati, ab omnibus mundemur peccatis. Hinc Aposto
Rom. 6. lus dicit: Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Est autem & secundùm baptismum effusio lachrymarum, quo momentis singulis baptizantur publi-
Luc. 7. cani & peccatores: quomodò videlicet Maria
Matth. 26 post multas criminum lachrymas, & Petrus ablutus est post ternam Domini negationem. Hactenùs omnia ex Commentarijs Haymonis in Apocalypsim. Sed quia beatissimi Michaëlis & omnium angelicorum spirituum solennitatem celebramus, summoperè curandum nobis est,
Serm. 1. de S. Michaële. vt quemadmodùm D. Bernardus ait, illorum offensam caueamus, & in his maximè nos exercea mus, quibus eos nouimus oblectari. Sunt enim plurima quæ eis placẽt, & quæ in nobis inuenire delectat: vt est sobrietas, castitas, paupertas volũtaria, crebri in cælum gemitus, & orationes cum lachrymis & cordis intentione. Attamen super omnia hæc vnitatem & pacem à nobis exigunt angeli pacis, vt idipsum sentiamus, idipsum dicamus omnes, & non sint in nobis schismata, præstante Domino nostro IESV CHRISTO, qui viuit & regnat in secula seculorum, AMEN.

IN EODEM FESTO
Matth. XVIII.

In illo tempore: Accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Quis putas maior est in regno cælorum? Et aduocans Iesus paruulum, statuit eum in medio eorum. Et reliqua. Homilia beati Maximi episcopi.

SI diligenter, fratres, audistis euangelicam lectionẽ, intelligere potestis, quæ ministris ac sacerdotibus reuerentia debeatur, vel qua ipsos clericos inuicem humilitatis sedulitate se oportet præuenire. Ait enim Dominus percontantibus discipulis, quis eorũ in regno cælorum maior esset futurus, statuto coram omnibus puerulo: *Quicunq; humiliauerit se sicut puer iste, hic maior erit in regno cælorum.* Vnde intelligimus, quòd humilitate peruenitur ad regnum, simplicitate penetratur ad cælum. Quisquis ergo cupit diuinitatis tenere fastigia, humilitatis ima sectetur. Quicunq; vult fratrem præuenire regnando, priùs illum præueniat obsequendo, sicut ait Apostolus: Honore inuicem præuenientes. Vincat eum officijs, vt possit vincere sanctitate. Si enim te non læsit frater, obsequium meretur vt diligas. Quòd si forsitan læsit, magis obsequium meretur vt vincas. Hæc enim nostræ Christianitatis summa est, vt amantibus vicissitudinem, lædentibus patientiam rependamus. Qui ergo fuerit patientior ad iniuriam, potentior constituetur in regno. Non enim ad imperium cælorum peruenitur superbia, diuitijs, præfectura, sed humilitate, pauperie, lenitate. Arcta enim & angusta via est, quæ ducit ad regnum. Quisquis ergo honoribus inflatus fuerit, & auri thesauris dilatatus, tanquàm onustum & impeditum animal per angustum regni iter transire non poterit. Simul etiam vt se existimat peruenisse, sarcinam eius exigua porta non capiens, repercusso limine retrorsùm redire cogetur. Tam enim angusta est diuiti porta cælestis, quàm est camelo acus foramen exiguum. Vnde ait Dominus: Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum. Sicut enim camelum animal tortuosum atq; deforme, exigua cauerna præterire non patitur: ita diuitem auarum atque mendacem arcta cæli ianua minimè intrare permittit. Nam ideò nudi in seculo nascimur, nudi etiam accedimus ad lauacrũ, vt nudi

vt nudi quòque & expediti ad cæli ianuã propere mus. Quàm autem incongruum & absurdum est, vt quem nudum mater genuit, nudum suscipit Ecclesia, diues intrare velit in cælum? Propterea adolescenti illi diuiti, qui sibi iustus videbatur & sanctus, & omnia mandata legis complesse, in euangelio à saluatore dicitur: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia tua, & da pauperibus. Vsqueadeò enim nuda virtus apta cælo est, vt quanuis iustus, quanuis sanctus, aurum vel diuitias possidens, non possit esse perfectus. Talem enim voluit adolescentem illum Dominus ad paradisum redire, qualis Adam fuerit nondũ de paradisi sublimitate deiectus. Nudus enim
Gen. 3. Adam incola paradisi fuit: denique post peccatum nuditatem suam peruidens, solijs pudenda contexit. Priùs enim quàm peccaret, honestatis erat colore vestitus: atque ideò nuditatem inhonestam non natura instituit, sed delicti reatus inuenit. Nam & sancti angeli in splendidissimo habitu constituti, nunquid tunicis operiuntur & pallijs? Sed cùm sit in illis natiuitatis suæ nuda substantia, vestiti videntur esse, quòd sancti sunt. Sic igitur & Adam custodiens honestatis angelicæ dignitatem, erat quidem nudus mundanis vestibus, sed immortalitatis erat splendore vestitus. Nil prauum respiciebant eius oculi, non cor eius turpe aliquid cogitabat. Erat apud honestas mentes nuditas ipsa vestita. Sicut enim apud nequam homines turpis cogitatio à concupiscentia vestibus non arcetur: ita apud sanctos viros honesta simplicitas ad concupiscendum nuditate non trahitur. Sed sicut vitiosis ad corruptelam nuda sunt omnia, ita religiosis ad castimoniam operta sunt vniuersa. Quid autem
Marc. 18. ait euangelica lectio? *Qui autem scandalizauerit unũ de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & mergatur in profundum maris.* Pusillos hic non ætate pueros, sed malitia paruulos dicit, sicut Apostolus ait: Malitia paruuli estote, vt sensibus perfecti sitis. Qui sunt isti, nisi clerici idonei, monachi religiosi vel laici? Quisquis igitur his irreuerens aut contumeliosus extiterit, hac beluina pœna plectetur, vt informi saxo religato illi ad collũ, præcipitetur in mare. Sed videamus cur scandalizantibus Christianos ista pœna decreta sit, aut quid sibi velit ista sententia. Puto enim illam aliquod mysterium continere. Quasi verò non sufficeret in mare homini demergendo saxum qualecunq;, non magnum aut enorme, sed molæ asinariæ lapis ei religetur ad collum, vt cùm perituro homine pereat res vsui necessaria. Sed puto hoc magis esse, quòd in scripturis asini populus gentilium nuncupatur, qui clausis oculis circa ignorantiæ molam erroris sui gyro pertrahitur, & sine vlla cursus directione, vestigijs in se sæpè redeuntibus, inuitus vsui laborat alieno. Nonne enim tibi videtur molam asinariam voluere gentilis populus, quandiù in imperitiæ suæ labore versatur, naturæ quidem vinculis alligatus, vt verbum Dei molat, Dominum cæli quærat: sed opertæ mentis cæcitate suffusus, vultum animi erigere ad Deum, oculos cordis leuare non possit ad cælum? Sed quoniam molam asinariam saxum esse constat, videamus si & paganorum talis est mola. Talis est planè. Saxea enim mola est paganorum Iupiter, Herculesque lapideus, circa quos cæcis oculis frequenti errore circumeunt. Cæcos, inquam, dixerim eorum oculos, qui putant se videre quod non vident. Aspicientes enim saxum, Deum se videre confidunt. Attamen qui molam voluit, consummandi aliquando finem operis habet, exuendi spem gerit laboris. Cui verò mola asinaria ad colla suspenditur, portat lapidem, qui portare debuerat iugum Domini. Asinus ergo ad molam, cæcus ad lapidem, gentilis ad saxum, qui adorat eum quem non videt, nec agnoscit. Deus enim non in manufactis habitat, nec in metallo aut saxo cognoscitur. Hic ergo gentilis populus cùm persecutionem Christiano intulerit, hac pœna plectetur, vt cum sacrilega sua mola iudicandi seculi fluctibus demergatur.

Cæcitas gentilium

Actor. 17

IN EODEM FESTO,
HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Quis putas maior est in regno cælorum? &c. Matthæi XVIII.

ACcesserunt vtique discipuli ad Iesum, non loquẽdo, sed cogitando. Audiebat enim Dominus eorũ cogitationes non minùs, quàm loquutiones, quoniam simili modo in eius auribus vtraque sonabãt. Vnde & cogitationibus sæpè respondet. Hoc autem ideò præmisi, quia
Marc. 9. alij euangelistæ discipulos ad Iesum non accesLuc. 9. sisse, sed cogitasse & inter se in via tractasse dicunt, quis eorum maior esse videretur. Hanc autem disceptandi siue litigandi occasionem ex eo præcipuè Apostoli sumpsisse videntur, quòd Romanis ministris tributum exigentibus, beato Petro Apostolo Dominus præcipiens, ait:
Matth. 17 Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit tolle, & aperto ore eius, inuenies staterem: illum sumens da eis pro me & pro te. Quia enim dixerat, Da eis pro me & te, cæteris eum prætulisse arbitrati sunt. Vnde & dicebant:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quis putas maior est in regno cælorum? Et aduocans Iesus paruulum, statuit in medio eorum, & dixit: Nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Meritò paruulum Dominus vocat, vt eius exemplo instruantur, qui maiores videri volũt. Videtis (inquit) hunc paruulum? Nisi ab hac stulta dignitate, quæ vestros animos perturbat, ad huius patientiã & humilitatẽ cõuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli sine inuidia, sine odio, sine superbia, sine ambitione, non solùm maiores in regno cælorum non eritis, verũ etiam illuc non intrabitis. Ideò enim diabolus inde eiectus est, quia maior ibi esse voluit. Deponit enim Dominus potẽtes de sede, & exaltat humiles. *Quicũq; ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cælorum.* Quicunq; (inquit) ex vobis plus se humiliauerit, plùs exaltabitur, & maior fiet. Et si ad huius paruuli similitudinem omnes vos humiliaueritis, omnes inter maiores ibi eritis. Non igitur ambitio, sed humilitas maiores facit: ille maior, qui humilior. *Et qui susceperit unum paruulum talem in nomine meo, me suscipit.* Talem videlicet non ætate, sed conuersatione: vt quod isti attulit ætas, hoc illi afferat sanctitas & humilitas. Sit igitur humilis & patiens, sit absque odio & inuidia, sit sine dolo & simulatione, sit sine superbia & ambitione: sine his paruuli sunt, sine his & Apostoli fuerunt. Qualescunq; enim priùs fuerint, magistri tamen monita non surdis auribus suscipientes, tales posteà facti sunt, quales eos fieri monuit. De his igitur paruulis Dominus dicit: *Qui susceperit unum paruulum talem in nomine meo, me suscipit.* Quid est in nomine meo, nisi propter nomen meum? quia Christianus est, quia discipulus meus est, quia meo nomine insignitus est. Qui autem hunc in Christi nomine suscipit, non solùm suscipit istum, verũ etiam CHRISTVM habitantem in isto. *Qui autem scandalizauerit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Multis enim modis scandalizantur homines, multisque modis dicuntur scandala: quocunque in modo aliquem offendas, & ad iram & indignationem commoueas, scandalum est. Tale autem scandalum non est ad mortem. In fide verò scandalizare aliquem, qualiter Iudæi & hæretici sæpè Ecclesiam scandalizant, ad mortem est. De hoc autem Dominus ait: Beatus qui non fuerit scandalizatus in me. Melius est igitur homini vt moriatur, & non qualicunque morte, sed illa quæ magis tremẽda videtur, videlicet vt cũ magno lapide in profundũ maris demergatur, quã simplicẽ aliquẽ & pusillũ in Christum credentem scãdalizet, & à fide catholica deuiare faciat. Melius est enim occidi, quàm occidere: qui enim occiditur, non ideò beatitudine priuatur. Legimus enim quosdam sanctorum martyrum lapidibus collo ligatis in profundum maris fuisse demersos: non ideò tamen eos credimus esse beatitudine priuatos, qua priuantur illi, qui aliquem scandalizant. Melius est igitur homini, vt in corpore occidatur, quàm vt in fide aliquem scãdalizet. *Væ mundo à scandalis.* Væ illis qui scandala concitant, & qui scandalizantibus credunt: vt hæreticis & schismaticis, & his qui illorum sequuntur errores. *Necesse enim est, ut ueniant scandala.* Vnde Apostolus ait: Oportet hæreses esse, vt hi qui probati sunt, manifesti fiant. Quod igitur hæreticis & schismaticis fuit væ, hoc viris catholicis necessarium & vtile fuit. Per hoc enim Ecclesiæ fides magis claruit: & illi multo ampliùs nocuissent, si semper occulti latuissent. Necesse igitur fuit bonis, vt venirent scandala. *Veruntamen uæ homini illi, per quem scandalum uenit.* Quanuis enim multa bona ex hoc malo subsequuta sunt, væ tamen illi, per quem scandalum venit. Non ideò mala faciebat malus, vt bona venirent: quæ si fecisset, non tamen pro se, sed contra se fecisset. Sicut & illi, de quibus Apostolus ait: Faciamus mala, vt veniant bona: quorum damnatio iusta est. *Si autem manus tua uel pes tuus scandalizat te, abscinde eum & proijce abs te. Bonum est tibi ad uitam ingredi debilem uel claudum, quàm duas manus uel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.* Quid enim per manum & pedem intelligimus, nisi amicos & propinquos nostros, quos velut propria membra diligimus, qui etiam quasi manus & pedes nobis necessarij sunt? Isti autem si nos in fide scandalizant, & eorum iniqua conuersatione animas nostras perire sentimus, abscindamus eos à nobis, & à nostro consortio separemus. Nihil enim est quod contra animam diligere debeamus, non patrem, non matrem, non fratrem, neque vxorem vel filios. Melius est enim nobis, vt sine his ad vitam intremus, quàm vt simul cum eis ad pœnas & mortem ducamur æternam. Idipsum autem per oculum significatur. Sic enim dicere solemus de his, qui nobis aliquem valdè amicum & necessarium auferunt: Oculum mihi eruit, pedem mihi abscidit, manum mihi abstulit: non tamen ipsa re, sed quadam rei similitudine. *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis.* De illis pusillis dicit, qui à superba altitudine se humiliantes, patientia & humilitate pusilli & paruuli sponte sua fiunt. Tales autem contemnẽdi non sunt. De quibus adhuc subditur: *Dico autem uobis, quia angeli eorum in cælis semper uident faciem patris mei, qui in cælis est.* De angelis eorum Apostolus ait, quia sunt administratores spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem-

Luc. 1.

Multiplex scandalum

Matth. 11.

Luc. 19. capiunt salutis. Venit enim filius hominis saluare quod perierat. Valdè igitur timendum est, ne quis eos scandalizet & in errorem inducat, pro quibus Dei filius in mundum veniens & carnem suscipiens semetipsum humiliauit, factus obediens vsq; ad mortem.

IN EODEM FESTO,
Matth. XVIII.

In illo tempore: Accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Quis putas maior est in regno cælorum? Et reliqua. Homilia Haymonis.

VOTIES LEgimus discipulos Domini de ordine prioratus inter se contendisse vel interrogasse, non liuori & inuidiæ deputare debemus, sed humanæ fragilitati ac infirmitati, quippe qui qui rudes erant ac nouelli. Quia enim audierãt eum suam resurrectionem prædicantem, & nõdùm spiritusancti gratia illuminati, cæleste regnum perfectè amare didicerant: quia, vt ait Euangelista Ioannes, nondùm erat spiritus datus, quia Iesus nondùm fuerat glorificatus: putabãt quòd ipse resurgens à mortuis, corporaliter regnum teneret, & ipsi honoribus sublimarentur. Vnde passionis illius tempore facta est contentio inter eos, quis eorum maior esset in regno cælorum. Hac suspicione seducta fuerat mater filiorum Zebedæi, quando accessit ad Dominum, dicens: Domine, dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & alius ad sinistrã tuam in regno tuo. Hinc Cleophas & alius discipulus, quibus cùm Dominus post resurrectionẽ in specie peregrini apparuisset, dicebant: Nos autem sperabamus, quòd ipse esset redempturus Israël. Et quidã discipulorũ interrogantes eum, dicebant: Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël? Occasio autem interrogandi Dominum, quis illorum maior esset in regno cælorum, fortasis ex superioribus acciderat. Nam vt suprà euangelista retulit, accesserunt ad Petrum qui didrachma accipiebant, & dixerunt ei: Magister vester non soluit didrachma? Ait, Etiã. Et cùm intrasset domum, præuenit eum Iesus, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum? à filijs suis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Iesus: Ergo liberi sunt filij. Ne autem scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit, tolle, & aperto eius ore inuenies staterem: illum sumens, da eis pro me & te. Quia ergo alij discipuli viderant Petrum in redditione census Domino coæquari, cõputãtes eum illis omnibus esse prælatũ, *in illa hora accesserunt ad Iesum, dicentes: Quis putas maior est in regno cælorum?* Sed magister humilitatis, qui ait in euangelio: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris: vt ostenderet regnum cælorum non per superbiam, sed per humilitatem esse quærendum, illumque fore maiorem in eo, qui propter Deum se humiliat, *Aduocans paruulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico uobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Quod duobus modis potest intelligi. Possumus enim paruulum hic Dominum Iesum Christum accipere, qui cùm sit magnus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non sit finis, vt nos excelsos faceret, paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis. Et est sensus: Nisi meo exemplo vos humiliaueritis, qui non veni ministrari, sed ministrare, & factus sum in medio vestrũm sicut qui ministrat, sed non qui vel quasi recumbens, regnum cælorum, quod humilibus est præparatum, intrare non potestis. Si autem simpliciter quemlibet paruulum intelligamus, facilè patet, quia non solùm ad humilitatem, sed etiam ad simplicitatem seruandam hoc exemplo nos hortatur. Ac si diceret: Sicut paruulus iste, cuius vobis exemplum proposui, videns pulchram mulierem non concupiscit, non alienas diuitias appetit, læsus non relædit, non aliud cogitat, aliud loquitur, & iratus non perpetuas tenet discordias: ita & vos nisi talem habueritis innocentiam in mente, qualem iste habet in corpore, regnum cælorum, quod humilibus & simplicibus est præparatum, intrare nequaquàm potestis: cuius viam nemo superbus graditur, nemo tumidus incedit: quia ardua via est & angusta, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam. Cùm ergo ait: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum*, tale est, acsi dixisset: Iã si vos delectat locus sublimis, priùs exerceat humiliatio vitæ innocentis: non quòd Apostolos corpore vellet esse paruulos, sed vt innocentiam paruulorum in mente possiderent. Huiusce modi paruulos Dominus suos volebat esse discipulos, quibus dicebat: Sinite paruulos venire ad me. talium est enim regnum cælorum. Et Paulus Apostolus talium innocentiam paruulorum suos volebat habere discipulos, quibus per epistolam præcipiebat: Nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote: sensibus autem

Luc. 22.

Matth. 20

Luc. 24.

18. 1.

Matth. 17

Matth. 18

Matth. 19

1. Cor. 14

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem perfecti sitis. Talem se nouerat rex ille propheticus, qui in regali solio sublimis, sed mente humilis, dicebat: Custodiens paruulos Dominus: humiliatus sum, & liberauit me. Et iterùm: Ludam, & vilior fiam plùs quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis. Paruulus enim est, qui sibi displicet, vt Deo placeat: tantoque ante Deum erit pulchrior, quanto apud semetipsum erit humilior. Vnde & subditur: *Quicunque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno cælorum.* Habeamus ergo virtutem humilitatis, si volumus habere in regno cælorum locum celsitudinis: quoniam sicut saluator ait in euangelio: Omnis qui se humiliat, exaltabitur: & qui se exaltat, humiliabitur. Vnde & nos alibi scriptura admonet, dicens: Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Et iterùm: Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis. Et ne putares illum esse contemnendum, qui propter Deum hic se humiliat, congruam sententiam adiunxit, dicens: *Et qui susceperit unum paruulum talem in nomine meo, me suscipit.* Hoc est, quod Dominus in futurũ se promisit dicturũ: Quandiù fecistis vni ex minimis meis, mihi fecistis. Et signãter ait: Qui susceperit vnum paruulum talẽ in nomine meo, me suscipit. Quanuis enim non sit eligendum, cui iuxta scripturæ vocem benefacere debeamus: illis tamen qui propter Deum parui & humiles esse eligunt, in cuius vitæ moribus CHRISTVM esse cognoscimus, specialem beneuolentiam impendere debemus. Vnde cùm pius pater filium instrueret, ait: Panem tuum & vinum tuum super sepulturam iusti constitue, & ne communicaueris ex eo cum peccatoribus. Et iterùm: Desudet eleemosyna in manu tua, donec inuenias iustum, cui tradas eam. Hinc & Apostolus ait: Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes: maximè aũt ad domesticos fidei. Qui enim bona temporalia illis impendit, in quorum vita & moribus Christum habitare cognoscit, profectò illi tribuit, pro cuius amore impendit. Vnde benè dicitur, In nomine meo. Multi enim bona temporalia non in nomine Christi, sed vt laudem hominum captare possint, tribuunt. De quibus scriptum est: Quæ fierunt gloriam hominum magis quàm Dei. Et Dominus alibi: Omnia enim opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus. Et iterum: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Et ne ad suscipiendos hospites vel peregrinos pigri remaneremus, seipsum in his suscipi promisit, cum ait: Qui susceperit vnũ paruulum talem in nomine meo, me suscipit. Vnde & ipse alibi dicit: Qui suscipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui suscipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et iterùm: Qui vos recipit, me recipit: & qui vos spernit, me spernit. Sicut autem susceipientibus merces promittitur, ita duris & auaris pœna indicitur, cùm subinfertur: *Qui autem scandalizauerit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Vbi considerandum est, quàm graue peccatum sit scandalizare fratrem, quando etiam scãdalizantibus talis vindicta comminatur. Quòd autem ait: Expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris: carnales quosque & mundi amatores à regimine ecclesiastico prohibet: quoniam melius est quod mundi amator in seculo viuens carnaliter, se solum perdat, quàm in regimine ecclesiastico constitutus, se & alios peruersè viuendo ad interitum trahat: quia cuius vita despicitur, restat vt eius prædicatio contemnatur: quoniã dum infirmi discipuli patroni sequuntur exemplum, & ipsi pereũt, & illorũ perditio in eius caput redundat, qui author est criminis. Siue certè per molam asinariam doctores intelliguntur: quia sicut mola granum tritici frangitur, vt medulla eius ad sustentationem vel refectionem humanæ naturæ ostendatur: ita quoque & doctores occultas sententias scripturæ sacræ aperientes, interiorem sensum earum manifestant, vel vitam siue refectionem animarum sanctarum. *Væ mundo ab scandalis.* Mundus cui væ dicitur, non ille est quem venit filius hominis quærere & saluare, sed ille qui in maligno positus est, id est, mundi amatores, de quo Dominus alibi ait: Pater iuste, mundus te non cognouit. Qui enim mẽte & desiderio seculum incolunt, rectè mundus appellantur, de quibus Ioannes ait: Mundus transibit, & concupiscentia eius. Mundi enim amatores dum propter cupiditates seculi alios non metuunt scandalizare, tamen ipsi scandalum sustinent, aliquando quidem

dem corpore, semper autem mente. Et ideò væ illis, quia ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Quibus per Iacobum dicitur: Qui voluerit amicus esse huius seculi, inimicus Dei constituitur. ad quos pertinet, quod adhuc subiungitur: *Necesse est enim, ut ueniant scandala: uerumtamen uæ homini, per quem scandalum uenit.* Quod autem ait, Necesse est: tale est, ac si diceret: Non potest esse, vt scandala non veniant. Oportet enim & hæreses esse, sicut ait apostolus, vt probati manifesti fiant. Et alia scriptura: Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Pacis autem tempore non facilè decerni potest, quis bonus malus ue sit. Sed cũ scandalizatorum flauerit vẽtus, faciles & tenues proijciet, quasi paleas ante faciem venti, grana verò congregabit in horrea Christi. Væ ergo homini illi, qui talem se exhibet, vt malum quod venturum est, pereius ministerium impleatur. de quibus Dominus ait: Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & tradent ea in caminum ignis ardentis. Quod faciliùs intelligimus, si vnum ad medium deducamus, Iudam scilicet Domini proditorem, de quo ipse tempore passionis suæ ait: Filius hominis vadit, sicut scriptum est de illo. væ aũt homini illi, per quem tradetur. Necesse enim erat, vt filius Dei pro nobis passionem sustineret: sed væ Iudæ, qui nostrum bonum, suum fecit malum. Et ne aliquis sub occasione proximorum vel amicorum à via Dei sibi recedendum putaret, omnem magister veritatis errorem tollit, cùm subiũgit: *Si autẽ manus tua uel pes tuus scandalizet te, abscinde eum, & proijce abs te. Bonũ est tibi ad uitam ingredi debilem uel claudum, quàm duas manus uel duos pedes habentem, mitti in gehennam ignis. Et si oculus tuus scandalizet te, erue illum, & proijce abs te. Bonum est tibi cum uno oculo intrare ad uitam, quàm duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis.* Iuxta literam quantum abhorreat hoc, facilè patet. Sed cùm à litera excludimur, spiritualis sensus est requirendus. Per hoc, quòd manus, pes, oculus, nostris vtilitatibus necessariora sunt, propinquorum & charissimorum affectus his membris in hoc loco designatur: ac si diceret Dominus: Si quis tibi fuerit preciosus vt oculus, propinquus vt pes, necessarius vt manus, & à via Dei te recedere persuaserit, huius amorẽ abscinde, & abs te proijce. Melius est te solum intrare ad vitam, quàm cũ multa turba propinquorũ mitti in ignem æternum. Quid proficit homini, si totum lucretur mundũ, animæ aũt suæ detrimentũ patiatur? Verbi gratia: Blanditur vxor, minatur pater, persuadet mater, lachrymatur frater & soror: tu autem in via Dei sta firmus, ne illos inutiliter amando à Dei amore recedas: sed iuxta illud, quod alibi ait, Sine mortuos sepelire mortuos suos: tu autem sequere me. Neque hoc dicimus, quòd parentibus & amicis ingrati & inobedientes esse debeamus: sed quãndo nos à via Dei remouere voluerint, tunc eorum amorem abscindamus à nobis. Cæterùm cùm eos Deũ amare cognouerimus, dupliciter nobis amandi & honorandi sunt: Primũ, quia iusti sunt: deinde, quia propinqui, Domino dicente in lege: Honora patrem tuum & matrem, vt benè sit tibi, & lõgo viuas tempore. Hinc & Apostolus ait: Si quis suorum curam non habet, & maximè fidelium, fidem negauit, & est infideli deterior. Quantam autem solicitudinem & curam Dominus de his habeat, qui totam spem in eo ponunt, manifestat cùm subiungit: *Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis.* Qui enim pusilli & humiles in præsenti vita propter Deum sunt, nequaquàm contemnendi sunt. Pusilli nanque sunt, vt diximus, qui coram oculis suis humiles sunt & despecti, de quibus saluator ait in euangelio: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. Quisquis ergo tales scandalizare non metuit, offendit Deum qui habitat in illis, sicut ipse per propheram dicit: Qui tangit vos, quasi qui tangit pupillam oculi mei. Et iterùm: Nolite tangere christos meos, & in prophetis meis nolite malignari. De quibus valdè dulce est, quod adhuc subinfertur, quarè non sint contemnendi. *Dico enim uobis, quia angeli eorum in cælis semper uident faciem patris mei, qui in cælis est.* In hoc loco discimus, quia vnusquisque fidelium angelum ob sui custodiam deputatum habet, qui eum & à tentationibus defendit, & in virtutibus iuuat, sicut Apostolus in Epistola ad Hebræos ait: Sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Et Psalmista de iusto quoli- bet: Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis: & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Hinc de Petro in Actibus apostolorum legimus, quia cùm ab angelo de carcere eductus, ianuam pulsare cœpisset, fideles qui conuenerant, dicebant: Non est Petrus, sed angelus eius. Angeli ergo paruulorũ semper vident faciem patris, quia sic propter nos foras exeunt, vt ab eius visione nunquàm recedant, sicut ipse angelus Raphaël ad Tobiam ait: Ego sum vnus de septem spiritibus, qui assistimus ante Deum. Et Daniel: Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. Angeli enim, qui custodes sunt vitæ nostræ, orationes & opera nostra Deo nunciare creduntur, sicut angelus ait Tobiæ: Cùm orares, ego obtuli orationes tuas ante Deum. Et Daniel: Ex die qua posuisti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conspectu Dei, exaudita sunt verba tua, & ego veni propter sermones tuos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SERMO IN NATALI sancti Lucæ Euangelistæ.

CVm in diuinis atque sacris voluminibus studiosè lectitãdo perquirerem, ex qua ortus prosapia, à quibus instructus, quoq; imitatus sit viros, quibus ue in partibus beatissimus Lucas euangelista scripserit atque docuerit, quo ue pausauerit, eiusq; sacrum deportatum fuerit cadauer loco, in singulis singula reperi: & pòst pauca de pluribus carpens, prout sensu capere potui ingenioli mei, partim stylo proprio explicare conatus sum, partim autem sicut à quibusdam reperi scripta doctoribus exarans, vestræ intentis charitatis auribus noster subsequens sermo declarabit. Igitur glorioßissimus Apostolus & Euangelista Iesu Christi Lucas, natione Syrus, Antiochensis, arte medicus, Apostolorum discipulus, almificos eorum actus prout vidit, lucido diserto q; sermone prosecutus, in breui libello ad charissimum scripsit Theophylum. Deinde Paulum secutus egregium doctorem gentium vsq; ad triumphum passionis eius, quem cum Apostolo Petro Romæ excepit, indiuiduus comes peregrinationis eius existens, vbiq; cum eo permansit. Cuius præcipuè peregrinationis & sacræ doctrinæ gesta, eorundem annectens Apostolorum libello, ad laudem nominis & memoriam ipsorum, & vniuersalis Ecclesiæ stabilimentum texuit. Dumq; eundem glorioßissimum Paulũ idẽ venerabilis Lucas sequeretur in plurimis terræ marisq; tribulationibus, dignè ab illo huiusmodi testimonij elegantia meruit laudari.

Col.4. Sic enim Colloßensibus scribens, ait de eo: Salutat vos Lucas medicus charissimus meus in Do-
2. Tim.4. mino. Et Timotheo illustri viro scribens, ait: Lucas solus mecũ est. Et in alio loco epistolę sue ait
2. Cor.8. de illo inter reliqua salutationis Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi: Misimus etiã fratrem nostrũ, cuius laus est in euangelio per omnes ecclesias. Non solùm autem, sed & ordinatus est ab Ecclesijs, comes peregrinationis nostræ. Verè enim (vt ita dicam) omnium ore laudabilis est hic Domini euangelista, qui meruit à tanto Apostolo & doctore gentium prædicari. Laudemus ergo eum cum ipso & nos pariter charissimi, & cõsona voce, corde & ore extollamus, & verum à Deo missum medicũ animarũ prædicemus eũ. Cuius omnia doctrinæ verba nihil aliud resonare videntur, nisi animæ languentis medicinam. Propterea non immeritò ille tale sortitus est nomen: Lucas siquidẽ Aeolicè, in nostra aũt lingua interpretatur consurgens siue eleuans. Rectè ita q; cõsurgens siue eleuans dicitur, qui terrenis despectis, sese ad cælestia cõsurgendo eleuauit, & toto mẽtis conamine liber expeditus que est Dominũ secutus. Vnde & eius prædicare euãgelium adhuc in ergastulo corporis retentus, & suis sequacibus scribere est dignus habitus, multosq; etiã verbo suæ prædicationis ad Iesu Christi Domini perduxit fidẽ. O Luca sanctißime euãgelißta, dominica atq; veridica personans lon gè lateq; verba, cuius fragor Aeolicis quidẽ primũ intonãs auribus, gyrat penetralia cælorũ adinstar tonitrui: at demũ, vt psalmographus ait vates, non solũ occiduas vsq; protenditur partes, Psalm.18. vox omni suauitate melliflua, sed & in omnibus terræ finibus personuit. O insignis præconij & almitatis euangelicæ lucifer, ab orientalibus partibus emittens nobis lumen fidei, & cælestis itineris patẽter scandere volentibus callẽ demonstrans. O animæ salubre medicamentũ, beatißime Luca, qui velut nardi pistícæ precioßum vnguentũ redolés, & interiora pectoris nostri arca na permulcés, ad semper mãsura gaudia, vbi nullus languor, nullus dolor, nullusq; gemitus inuenitur, voce incessabili nos inuitare omnimodò non desistis. Rectè enim hinc versiculus poẽtæ cuiusdam epigrammatis potest aptari: Viuere post obitum vatem vis nosse viator? Quod legis, ecce loquor, vox tua nempe mea est. Hic prorsus cùm descripta essent euangelia, per Matthæũ quidã in Iudæa, per Marcũ verò in Italia, instigãte spiritu sancto, magis auditu quàm visu, in Achaiæ Bithyniæq; partibus historicè suũ compo suit euangelium Attico sermone, sicut ab his traditum habuit, qui ab initio viderunt, eiq; magistri fuerunt sermonis Dei. Incipiensq; à sacerdo Luc.1. tum regũq; temporibus, in hunc videlicet modum: Fuit in diebus Herodis regis Iudææ sacerdos quidã nomine Zacharias, eam historiã plena digestione prosequitur. Huius quoque strenuißimi euangelistæ Lucæ librũ, cum quatuor euangeliorũ libris intelligendum, arbitrati sunt doctores per vituli speciẽ figurari. Vitulus denique sacerdotalis est victima, quæ in redẽptoris nostri immolatione cõpleta est, qui pro salute totius mundi in patibulo crucis suspẽsus, semetipsum patri hostiã viuam exhibuit. De quo euã gelista pulchrè Sedulius presbyter in paschalis descriptione carminis, heroico percurrens carmine ait: Iura sacerdotis Lucas tenet ore virẽti. Et Paulinus Nolanæ sedis præsul de isto Domini venerabili viro, benè ludens versibus canit:

Bis medicus Lucas, prius arte, deinde loquela.
Bis medicus Lucas, ut quondam corporis ægros
Artus consolidat, & nunc in mentibus ægris,
Composuit geminos ultæ medicamina libros.

Nam quid plura referam de tam veridico eximioq; euangelista, qui meruit à tantis ac talibus laudari doctoribus, hoc est, Hieronymo, Ambrosio, alijsque plurimis, qui muri sunt ecclesiarum, & eloquentiæ fontes? Quid ue dignè resonem ignoro, cùm mihi si ferrea esset vox, & omnium membrorum meorum artus verterẽtur in

in linguas, pleniter in eius laude minimè explere valerem, quæ meretur. Sed amore tanti viri ductus, & non præsumptionis temeritatem gerens homo imperitus, sed quorundam fratrum victus precibus charitatis, hæc vestræ dilectioni compulsus sum exarare. Nunc autem quæ omisimus prosequamur. Ecce enim vt nostri oris ratio roboretur, eiusdem luculenti doctoris Am-
Ambrosi. in Præfatione in Commentaria in Lucam. brosij exempla nostro huic cõpendioso opusculo annectemus. Sic enim dicit: Sanctus Lucas velut quendam historicum tenẽs ordinem, plura nobis gestorum Domini miracula reuelauit: ita tamen, vt omnis sapientiæ virtutes euangelij sui complecteretur historia. Quid enim præcellentius ad sapientiam naturalem, quàm ꝓ spũm sanctum creatorem etiam dominicæ incarnationis extitisse reserauit? Vnde & Dauid naturalPsal.103. lem sapientiam docens, Emitte, inquit, spũm tuum, & creabuntur. Docet moralia in eodem libro, cùm me in illis beatitudinib. docet mores, quemadmodùm non referire & repercutere verberantem, quemadmodùm benefacere, mutuũ dare cum de sperationeLuc.16. recuperationis, & cum remuneratione mercedis. Merces enim facilius sequitur non expectantem. Docet etiam rationalia, cum lego: Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est. Quid adhuc de naturalibus dicam, ꝓ docuit virtutes cælorum moueri, Dominum solum esse vnigenitum Dei filium, in cuius passione tenebræ per diem factæ sunt, terra tremuit, sol refugiens radios suæ claritatis abstraxit? Ergo omnem, quem mũdana sibi prudentia falsò vendicat principatum, sapientia verè posidet spiritalis: præsertim cùm audaciùs, vt aliquid vsurpemus, ipsa fides nostra, ipsum mysterium Trinitatis sine hac triplici sapientia esse non possit, nisi credamus & illum naturalem patrem, qui nobis genuit redemptorem: & illum moralem, qui patri vsq; ad mortem secundùm hominem obediens, nos redemit: & illum rationabilem spiritum, qui rationem colendæ diuinitatis & vitæ regẽdæ humanis pectoribus infudit. Nulla ergo operationum distantia, nulla discretio est, vbi vel in patre, vel in filio, vel in spiritu sancto, nulla secunda plenitudo virtutis est. Nunc ad narrationis ordinem redeamus:
Matth.7. Omnis ait Dominus, qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur. Aperi ergo nobis pulsantibus Domine, qui tenes clauem scientiæ, vt aliquid adhuc congruè in laudem tanti euangelistæ tui beati Lucæ, ad ædificationem audientium dicere valeamus. Igitur vt idẽ Domini apostolus in procœmio euangelij sui testatur, plures fuerunt qui euangelicam conati sunt ordinare narrationem rerum, quæ in nobis completæ sunt, sicut tradiderunt nobis, vt superiùs diximus, qui ab initio viderunt sermonem filij Dei, & ministrauerunt ei, & perseuerantia vsq; ad præsens tempus monumenta declarant, quæ diuersis authoribus edita, diuersarum hæresum fuerunt principia, vt est illud quod appellatur euangelium iuxta Aegyptios, secundùm Thomam & Matthiam, & Bartholomæum, duo- *Vide Ambrosium in Procœmiũ Lucæ.*
decim quoq; apostolos, ac Basilidem atq; Apellem, & cæteros, quos enumerare longum est, dũ hoc tantùm in præsentia necesse est dicere, extitisse quosdam qui sine spiritu & gratia Dei conati sunt ordinare magis narrationem, quàm historiæ texere veritatem. Quibus iure illud propheticum congruit: Væ qui prophetant de corde Eze.13. suo, qui ambulant post spiritum suũ, qui dicunt: Hæc dicit Dominus, & Dominus non misit eos. De quibus & saluator in euangelio dicit: Om-Ioan.10. nes qui ante me venerunt, fures & latrones fuerunt. Qui venerunt, dicit Dominus, non qui missi sunt. In venientibus præsumptio temeritatis, in missis obsequium seruitutis est. Ecclesia autem, quæ supra petram Domini est voce fundata, quam adduxit rex in accubitum suum, & ad quam per foramen descensionis occultæ manum suam misit, similis hinnulo ceruorum, qua-Cant.5. tuor fluminum paradisi instar, eructans de vno fõte quatuor euãgelia, quatuor & annulos & angulos habet, per quos quasi arca testamenti Domini lignis imputribilibus vehitur. Hæc est & illa in Zacharia quadriga, quæ per orbem eue-Zach.6. cta, iugo fidei colla cunctarum gẽtium subijcit. Quatuor præterea flumina pulchrè dicuntur de Gene.2. vno paradisi procedere fonte, per quæ quatuor euangelistarum numerus demonstratur, & quatuor perfectæ virtutes. I. prudentia, temperãtia, fortitudo, atq; iustitia designantur. Nam sicut à quatuor saluberrimis luculentisq; fluminibus Domini irrigatur paradisus, ita & cor nostrum irrigatur à quatuor euangelistarum instrumentis. Ex quo perlucido Iesu Christi Domini fonte sanctus iste velut Euphrates ꝓcedens, de quo nobis sermo est, apostolus Lucas euangelici disputator libri, cor nostrum sæpiùs rigare & madefacere non cessat. Et vt Euphrates fertilis, seu fertilitas & vbertas nuncupatur: ita & iste magnæ fertilitatis atq; vbertatis, seu euangelij dogmate sanctæ Ecclesiæ toto terrarum orbe diffusæ, augens verbo doctrinæ suæ, fidei incrementum, radio suæ claritatis velut iubar ab æthere veniens, ac multorum hominum pectora illustrans, quotidiè illuminare non desinit, cùm eius verba veluti bonum nunciũ in Ecclesia legun tur. Euangelium quippe Atticè, Romanè bonũ nuncium dicitur, seu noua annunciato. Nunciat enim incarnationem sanctamq; natiuitatẽ Christi, passionem quoq; ac resurrectionem, necnó & in cælos ascensionem, venturumq; eum esse ad iudiciũ cum gloria & regno. Hæc sunt quippe septem sigilla, quibus Ioannes dicit librũ esse Apoc.5. signatum, quem nullus potest aperire, neq; in cælo, neq; super terram, neq; sub terra, & signacula eius soluere, nisi solummodò leo de tribu Iuda, id est, Christus. Vel ideò euangelium bonum dicitur nuncium, quia annunciat regnũ post labo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rem, vitam post mortem. Rectè ergo hoc ipsum euangelium iste euangelista Lucas ad eundem, vt præfati sumus, scripsit Theophylum, ad quē & librum Actuum apostolorum .i. ad Dei dilectum. Ergo & nosse te conuenit quisquis es, ō homo: quia si Deum diligis, ad te scriptum est euangelium. Et si ad te scriptum est, suscipe pretiosissimum margaritarum munus euangelistæ, & pignus amici in penetralibus animi diligenter obserua. O quale munus vel quale pignus. Si consideres, si attendas, si mēte pertractes, si benè & peruigil obseruaueris, ad semper mansura gaudia te felicem perducet, vbi sociatus angelorum choris, incessabiliter exultabis. Hic etiam B. Lucas examussim Græco fuit eloquio eruditus, cui extra ea, quæ euangelicæ disputationis ordo deposcit, ea maximè necessitas laboris fuit, vt primū Græcis fidelibus incarnationē Domini nostri Iesu Christi fideli narratione ostenderet, ne vel Iudaicis genealogijs intenti, solo legis desiderio tenerentur: vel hæreticis fabulis & stultis solicitationibus seducti, excedendo laberentur. Deinde velut cælestis agricola semina doctrinæ euangelij sui innumerabilium mētibus hominum serens, ac vomere suæ insignis linguæ nunciando sulcans, ad creatoris sui fidē conuerteret. Duplicatis etenim talentis Domini sui, & centesimum secum afferens fructum, ad gemmea cæli palatia perenniter regnaturus, ardenti animi desiderio satagens properauit. Nam martyrium suo corpori assiduis lamentationibus, crebrisq; vigilijs membra sua macerans, indixit. Hic etiam ab ipso pueritiæ suæ tēpore castus omnimodò perseuerans, neq; vxorem, neq; filios perhibetur habuisse. Ideoq; nō immeritò inter angelorū agmina, & glorioſum Apostolorum chorum, inter laudabilem, pphetarum numerum, atq; candentia lilia virginum, & immarcessibiles martyrum rosas & flores coruscat, omniumq; beatorum perfruitur consortijs sanctorum. Tradunt prætereà nonnulli, hūc euangelistam vnum esse ex illis duobus discipu
Luce 24. lis, quibus in castellum Emaus euntibus Dominus se sociauit, atq; in peregrino habitu se ostendens, illis sensum aperuit, & in fractione panis vt eum cognoscerent, mirabiliter patrauit. Hic dū octuagesimum & quartum ætatis suæ annum ageret, obijt in Bithyniæ partibus quintodecimo calendas Nouembris, & à viris catholicis corpus eius humatum est. Cuius sanctum cadauer pluribus iam euolutis annorum circulis, Constantio Augusto regnante, ad Constantinopolitanam vrbem cum gloria est transla tum, & decenter locatum. Vbi quanta & qualia prodigiorum miracula ad nominis sui laudē, per merita huius gloriosissimi euāgelistæ Lucæ Dominus Iesus Christus frequenter efficiat, quia ad notitiam nostrā minimè peruenerunt, omitto retexere. Hoc aūt diuina prouidentia cōstat actum, vt scilicet per plura deportatis loca huius Lucæ Euangelistæ venerabilibus reliquijs, plura virtutum signa fierent, pluresq; per memoriam doctrinæ & virtutis eius ad fidem ac dilectionem Domini nostri Iesu Christi, quem prædicauit, confluerent: Qui cum Deo patre sanctoq; spiritu viuens, regnat per immensa secula seculorum, Amen.

IN EODEM FESTO, Lucæ X.

In illo tempore : *Designauit Dominus Iesus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciē suā, in oēm ciuitatem & locum, quò erat ipse uenturus. Et dicebat illis* : *Messis quidem multa, operarij uerò pauci. Et reliqua. Homilia B. Gregorij papæ.*

DOminus & saluator noster, fratres charissimi, aliquando nos sermonibus, aliquando verò operibus admonet. Ipsa etenim facta eius, præcepta sunt: quia dum aliquid tacitus facit, quid agere debeamus innotescit. Ecce. n. binos in prædicatione discipulos mittit. Quia .n. duo præcepta sunt charitatis, Dei videlicet amor & proximi, & minùs quàm inter duos haberi charitas non potest (nemo etenim propriè ad seipsum habere charitatem dicitur, sed dilectione in alterum tēdit, vt esse charitas possit) binos ad prædicandum discipulos Dominus mittit: quatenùs hoc nobis tacitus innuat, quia qui charitatē erga alterum nō habet, prædicationis officium suscipere nullatenùs debet. Benè autem dicitur, quia misit eos ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum, quò erat ipse venturus. Prædicatores enim suos Dominus sequitur, quia prædicatio præuenit, & tunc ad mentis nostræ habitaculum Dominus venit, quando verba exhortationis præcurrunt, atq; per hæc veritas in mente suscipitur. Hinc nanq; eisdem prædicatoribus Esaias dicit: Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. Hinc illis Psamista ait: Iter facite ei, qui ascendit super occasum. Super occasū nanq; Dominus ascendit, quia vnde in passione occubuit, inde maiorē gloriam suam resurgendo manifestauit. Super occasū videlicet ascendit, quia morte quā pertulit, resurgēdo calcauit. Ei ergo qui ascendit super occasum, iter facimus, cūm nos eius gloriā vestris mentib. prædicamus, vt eas & ipse pòst veniēs, per amoris sui præsentiam illustret. Missis aūt prædicatorib. quid dicat, audiamus: *Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suā.* Ad messem multam, operarij pauci sunt, quod sine graui loqui mœrore non possumus: quia etsi sunt qui bona audiant, desunt qui dicant. Ecce mundus sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valdè inuenitur operator: quia officium quidem sacerdotale suscipimus, sed op⁹ officij nō implemus. Sed pēsate fra

tres mei, pensate quod dicitur: *Rogate ergo Dominū messis, ut mittat operarios in messem suā.* Vos pro nobis petite, vt digna vobis operari valeamus, ne ab exhortatione lingua torpeat, ne post quā prædicationis locū suscepimus, apud iustum iudicē nostra nos taciturnitas addicat. Sæpè enim pro sua nequitia, prædicantium lingua restringitur. Sæpè verò ex subiectorum culpa agitur, vt eis qui præsunt, prædicationis sermo subtrahatur.
Psalm. 49 Ex sua quippe nequitia prædicantiū lingua restringitur, sicut Psalmista ait: Peccatori aūt dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas? Et rursū
Ezec. 3. ex vitio subiectorū vox prædicantiū, phibetur, sicut ad Ezechielē Dominus dicit: Linguā tuam adhærescere faciā palato tuo, & eris mutus, nec quasi vir obiurgans, quia domus exasperans est. Ac si apertè dicat: Idcircò tibi prædicationis sermo tollitur, quia dū me in suis actibus plebs exasperat, nō ē digna cui exhortatio veritatis fiat. Ex cuius ergo vitio prædicatori sermo subtrahatur, nō facilè agnoscitur: quia verò pastoris taciturnitas aliquādo sibi, sēper aūt subiectis noceat, certissimè scitur. Sed vtinā si ad prædicatiōis virtutē nō sufficimus, loci nostri officiū innocētia vitæ teneamus. Nā subditur: *Ecce ego mitto uos sicut agnos inter lupos.* Multi. n. cū regiminis curam suscipiūt, ad lacerandos subditos inardescūt, terrorē potestatis exhibēt, & quib. prodesse debuerant, nocēt: & quia charitatis viscera non habēt, domini videri appetunt, patres se esse minimè recognoscunt: humilitatis locū in elationem dominationis immutant: & si quando extrinsecùs
Matth. 7. blandiuntur, intrinsecùs sæuiunt. De quib. aliàs veritas dicit: Veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecùs aūt sunt lupi rapaces. Cōtra quę omnia cōsiderandū nobis est, quia sicut agni inter lupos mittimur, vt sensum seruantes innocētiæ, morsum malitiæ non habeamus. Qui .n. locum prædicationis suscipit, mala inferre nō debet, sed tolerare: vt ex ipsa sua mansuetudine irā sæuientiū mitiget, & peccatorū vulnera in alijs ipse afflictionib. vulnerat⁹ sanet. Quē & si quando zelus rectitudinis exigit vt erga subiectos sæuiat, furor ipse de amore sit, non de crudelitate: quatenùs & iura disciplinę foris exhibeat, & intùs paterna pietate diligat, quos foris quasi insequendo castigat. Quod tunc benè rector exhibet, cùm seipsum diligere per amorē priuatum nescit, cùm nulla quæ mundi sunt appetit, cùm terrenæ cupiditatis oneribus nequaquàm mentis colla supponit. Vnde & subditur: *Nolite portare sacculum neq; peram, neq; calceamenta, et neminem per uiam salutaueritis.* Prædicatori enim tanta in Deo debet esse fiducia, vt præsētis vitæ sumptus, quāuis non prouideat, tamen sibi hos non deesse certissimè sciat: ne dum mens eius occupatur ad temporalia, minùs alijs prouideat æterna. Cui etiam per viam neminem salutare conceditur, vt sub quāta festinatione iter prædicationis peragere debeat, ostēdatur. Quæ si quis verba etiā per allegoriam velit intelligi, in sæculo pecunia *Pecunia* clausa est. Pecunia verò clausa, est sapientia oc- *clausa.*
culta. Qui igitur sapientiæ verbum habet, sed hoc erogare proximo negligit, quasi pecuniam
Eccles. 41 in sæculo ligatam tenet. vnde scriptum est: Sapientia abscondita, & thesaurus occultus, quæ vtilitas in vtrisq;? Quid verò per peram, nisi o- *Pera.*
nera seculi, & quid hoc loco per calceamēta, ni- *Calceamēta*
si mortuorum operum exempla signantur? Qui *ta.*
ergo officium prædicationis suscipit, dignū nō est, vt onus secularium negociorum portet: ne dum hoc eius colla deprimit, ad prædicanda cælestia non assurgat: nec debet stultorum operum exempla conspicere, ne sua opera quasi ex mortuis pellibus credat muniri. Sunt etenim multi, qui prauitatem suam ex alienis prauitatib. tuentur. Quia enim alios talia fecisse considerant, se hæc facere licenter putant. Hi quid aliud faciūt, nisi pedes suos ex mortuorū animaliū munire pellibus conantur? Omnis verò qui salutat in via, ex occasione salutat itineris, non ex studio optandæ eiusdem salutis. Qui igitur non amore æternæ patriæ, sed præmiorum ambitu salutem audientibus prædicat, quasi in itinere salutat: quia ex occasione & non ex intentione salutem audientib. exoptat. Sequitur: *In quancūq; domū intraueritis, primum dicite: Pax huic domui. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super eam pax uestra. Sin autem, ad uos reuertetur.* Pax quæ ab ore prædicatoris offertur, aut requiescit in domo, si in ea filius pacis fuerit, aut ad eundem prædicatorem reuertitur: quia aut erit quisq; prædestinatus ad vitam, & cæleste verbum sequitur quod audit: aut si nullus audire voluerit, ipse prædicator sine fructu non erit, quia ad eum pax reuertitur: quoniam ei à Domino pro labore sui operis merces recompensatur. Ecce autem qui sæculum & perā portare prohibuit, sumptus & alimenta ex eadē prædicatione concedit. Nam sequitur: *In eadem autem domo manete, edentes & bibentes, quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua.* Si pax nostra recipitur, dignum est vt in eadem domo maneamus, edentes & bibētes quæ apud illos sunt: vt ab eis terrena stipendia consequamur, quib. præmia vitæ cœlestis offerimus. Vnde etiam Paulus hæc ipsa pro minimo suscipiens, dicit: Si nos
1. Cori. 4. vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si vestra carnalia metamus? Et notandum qd⁹ subditur: *Dignus est operarius mercede sua*, quia iam de mercede sunt operis ipsa alimēta sustētationis, vt hic merces de labore prædicationis inchoetur, quæ illic de veritatis visione perficitur. Qua in re considerandum est, quòd vni nostro ope- *Duplex*
ri duæ mercedes debentur, vna in via, altera in *merces u-*
patria: vna, quæ nos in labore sustentet: alia, quę *nius ope-*
nos in resurrectione remuneret. Merces itaque *ris.*
quæ in præsenti recipitur, hoc in nobis debet agere, vt ad sequentem mercedem robustiùs tendatur. Verus ergo quisque prædicator, non

ideò

Universidad de Deusto
Biblioteca

ideò prædicare debet,vt in hoc tempore mercedem recipiat,sed ideò mercedem recipere, vt prædicare subsistat. Quisquis nanq; ideò prædicat,vt hic vel laudis vel muneris mercedẽ recipiat,æterna proculdubiò mercede se priuat.

Quisquis verò per ea quæ dicit,ideò placere hominibus appetit,vt dum placet quod dicitur,per eadem dicta non ipse,sed Dominus ametur,vel idcircò terrena stipendia in prædicatione conse quitur,ne à prędicationis voce per indigentiam lasſetur:huic proculdubiò ad recipiendam mercedem nihil obstat in patria,quia sumptus sumpsit in via.Sed quid nos(quod tamen dicere sine dolore non possumus)quid nos,ô pastores,agimus,qui & mercedem consequimur, & tamen operarij nequaquàm sumus ? Fructus quippe sanctæ Ecclesiæ in stipendio quotidiano percipimus,sed tamẽ ꝓ æterna Ecclesia minimè in prædicatione laboram⁹. Pẽsemus cuius dãnationis sit,sine labore hic percipere mercedem laboris. Ecce ex oblatione fidelium viuimus, sed nunquid pro animabus fidelium laboramus ? Illa in nostrum stipendium sumimus , quæ pro redimendis peccatis suis fideles obtulerunt, nec tamẽ contra peccata eadem vel orationis studio, vel prædicationis,vt dignum est, insudamus.

Vix pro culpa sua quempiam aperta voce reprehendimus,& adhuc(quod est grauius)aliquando si persona in hoc mundo potens sit,eius forsitan & errata laudantur, ne si aduersetur, per iracundiam munus subtrahat quod impendebat. Sed debemus sine cessatione meminisse,

Osee 4. Peccata populi qui comedent. quod de quibusdam scriptum est:Peccata populi mei comedent. Cur autem peccata populi comedere dicũtur,nisi quia peccata delinquentium fouent,ne temporalia stipendia amittant? Sed & nos qui ex oblationibus fidelium viuimus,quas illi pro suis peccatis obtulerunt,si cõedimus & tacemus,eorum proculdubiò peccata manducamus. Pensemus ergo cuius sit apud Deum criminis,peccatorum precium mãducare,& nihil contra peccata prædicando agere.Au

Iob 31. diamus quid de talibus beati Iob voce dicitur: Si aduersùm me terra mea clamat , & cum ipsa sulci eius defluent,si fructus eius comedi absq; pecunia. Terra etenim cõtra possessorem suum clamat,quando contra pastorem suum iustè ecclesia murmurat. Cuius etiam sulci deflent , si corda audientium,quæ à præcedentibus sunt patribus prædicationis voce , & vigore inuectionis exarata,vident aliquid,quod lugeãt de vita pastoris.Cuius videlicet terræ fructus possessor bonus sine pecunia nõ manducat , quia discretus pastor prærogat talentũ verbi, ne ad damnationẽ suã de ecclesia stipendiũ sumat alimẽti. Tũc.n. de terra nostra cũ pecunia fructus cõedimus,quãdo sumẽtes ecclesiastica subsidia , in prædicatione laboramus. Præcones nãq; vẽturi iudicis sumus. Quis ergo secururũ iudicẽ nunciat,si præco tacet?Proinde considerandũ nobis est, vt inquantùm valet quisq;,inquantùm sufficit,& terrorẽ venturi iudicij, & dulcedinẽ regni susceptæ ecclesiæ insinuare contendat. Et quia vna eadẽq; exhortationis voce nõ sufficit simul cunctos admonere,debet singulos inquantũ valet instruere,priuatis locutionib. ædificare, exhortatione simplici fructũ in filiorũ suorũ cordibus quærere.Debemus nanq; pensare continuè,quod sanctis apostolis dicitur , & per apostolos nobis:Vos estis sal terræ. Si igitur sal sumus,cõdire mentes fideliũ debemus. Vos igitur qui pastores estis,pẽsate quia Dei animalia pascitis.De quib. ꝓfectò animalib. Deo per Psalmistam dicitur:Animalia tua habitabunt in ea. Et sæpè videmus,ꝙ petra salis brutis animalib. anteponitur, vt ex eadẽ salis petra lãbere debeant & meliorari. Quasi ergo inter bruta animalia petra salis,debet esse sacerdos in populis.Curare nanq; sacerdotẽ necesse est,quæ singulis dicat,vnũquenq; qualiter moneat:vt quisquis sacerdoti iungitur,quasi ex salis tactu æternæ vitę sapore condiatur.Sal etenim terræ non sumus,si corda audientiũ nõ condimus.Quod profectò condimentũ ille veraciter proximo impẽdit,qui prædicationis verbũ non subtrahit.Sed tũc verè alijs recta prędicamus,si dicta rebus ostendim⁹, si nosipsi diuino amore cõpungimur , & humanæ vitæ(quæ sine culpa transiri nequaquã põt) quotidianas maculas lachrymis lauamus. Tunc aũt de nobis verè cõpungimur,si studiosè patrũ præcedentiũ facta pensamus,vt ex conspecta illorum gloria,in nostris oculis nostra nobis vita sordescat.Tunc verè cõpungimur,cùm præcepta Dei studiosè perscrutamur,& per hæc proficere ipsi contendimus, per quæ iam profeciſſe nouimus quos veneramur. Hinc est enim, qd de Moyse scriptum est : Posuit & labrũ æneũ,in quo lauarẽtur Aaron & filij eius,cũ ingrederẽtur in sancta sanctorũ:quod fecit de speculis mulierum,quæ excubabãt in ostio tabernaculi.Labrũ quippe æneum Moyses ponit,in quo sacerdotes lauari debeant, & sancta sanctorum ingredi: quia lex Dei priùs nos lauari per compunctionem præcipit, vt nostra immunditia ad penetrandã secretorũ Dei munditiã non sit indigna. Quod benè labrũ de speculis mulierũ perhibetur factũ , quæ ad tabernaculi ostiũ indesinẽter excubabãt.Specula quippe mulierũ sunt præcepta Dei,in quibus se sanctæ animæ semper inspiciunt,& si quæ in eis sunt fœditatis maculæ deprehendunt,cogitationũ vitia corrigũt, & quasi renitentes vultus velut ex reddita imagine cõponunt: quia dũ præceptis dominicis solerter intendunt,in eis proculdubiò,vel quid in se cælesti viro placeat,vel quid displiceat cognoscunt. Quæ quandiù in hac vita sunt,æternũ tabernaculũ ingredi nequaquã possunt.Sed tamẽ ad ostiũ tabernaculi mulieres excubant, quia sanctæ animæ etiã cũ infirmitate adhuc carnis grauantur, amore tamẽ continuo ingressum æterni introit⁹ ob-

obseruant.Moyses ergo labrum sacerdotib. de speculis mulierum fecit,quia lex Dei lauacrum cõpunctionis peccatorum nostrorum maculis exhibet,dum ea per quæ sanctæ animæ superno sponso placuerunt,intuenda nobis cælestia precepta præbet:quibus si diligẽter intendimus,internæ nostræ imaginis maculas videmus: videntes aũt maculas,in pœnitentiæ dolore cõpungimur, cõpuncti verò quasi in labro de speculis mulierũ lauamur.Est aũt valdè necessariũ,vt cũ de nobis in cõpunctione afficimur,etiam commissorum nobis vitã zelemus.Sic ergo nos amaritudo cõpunctionis afficiat,vt tamẽ à proximorũ custodia non auertat. Quid enim prodest,si amantes nosmetipsos, relinquamus proximos? vel quid rursùm prodest , si amãtes vel zelantes ꝓximos,relinquamus nosmetipsos?In ornamẽto quippe tabernaculi bis tinctus coccus offerri præcipitur , vt ante Dei oculos charitas nostra Dei & proximi amore coloretur.Ille aũt verè se diligit,qui purè diligit authorem. Tunc ergo coccus bis tingitur, quando erga se & proximũ ex amore veritatis animus inflammatur.Sed inter hæc sciendum nobis est,vt sic exerceatur zelus rectitudinis contra praua acta proximorum, quatenùs in feruore districtionis , nullo modo relinquatur virtus mansuetudinis. Ira etenim sacerdotis nequaquàm debet esse præceps & perturbata, sed magis ex consilij grauitate metienda.Et portare igitur debemus quos corrigimus, & corrigere quos portamus:ne si ex vtroq; vnũ defuerit,vel in feruore,vel mansuetudine actio sacerdotalis non sit. Hinc nanq; est,ꝙ in templi ministerio in basibus templi , sculptorio opere leones & boues & Cherubim expressa sunt.Cherubim quippe est plenitudo scientiæ. Sed quid est,ꝙ in basibus nec leones sine bobus,nec boues sine leonibus fiunt?Quid enim aliud signãt bases in templo,nisi sacerdotes in Ecclesia, qui dum solicitudinẽ regiminis tolerant, quasi more basium superimpositum onus portant?In basibus igitur Cherubim exprimuntur, quia decet nimirum , vt sacerdotum pectora plenitudine scientiæ sint referta.Per leones autem terror seueritatis,per boues verò patientia mansuetudinis figuratur.Itaq; in basibus nec leones sine bobus,nec boues sine leonibus exprimuntur:quia semper in sacerdotali pectore cum terrore seueritatis custodiri debet virtus mãsuetudinis:vt & tram mansuetudo condiat,& eandẽ mansuetudinem,ne fortè dissoluta sit, zelus districtionis accẽdat.Sed ista cur loquimur,cùm adhuc plerosq; grauari factis atrocioribus videamus?Vobis enim sacerdotibus lugens loquor,quia nonnullos vestrum cum præmijs facere ordinatiões agnouimus,spiritualem gratiam vendere, & de alienis iniquitatibus cum peccati damno temporalia lucra cumulare . Cur ergo ad memoriam vestrã non redit,quod vox dominica præcipiẽs dicit:Gratis accepistis,gratis date?Cur non ante mentis oculos reuocatis , ꝙ templum redẽptor noster ingressus,cathedras vendentium columbas euertit, & nummulariorum effudit æs ? *Ioan. 2.* Qui nanq; sunt in templo Dei hodiè qui columbas vendunt,nisi qui in Ecclesia precium de impositione manus accipiunt, per quam videlicet impositionem spiritussanctus cælitùs datur? Columba igitur vẽditur,quia manus impositio,per quam spiritussanctus accipitur,ad precium præbetur.Sed redemptor noster cathedras vendentium colũbas euertit,quia talium negociatorum destruit sacerdotium.Hinc est enim,quòd sacri canones Simoniacam hæresim damnant, & eos sacerdotio priuari præcipiunt,qui de largiendis ordinibus precium quærunt. Cathedra ergo vendentium columbas euertitur,quando hi qui spũalem gratiã venũdant,vel ante humanos,vel ante Dei oculos sacerdotio priuãtur . Et quidẽ multa sũt talia præpositorũ mala,quæ humanos modò oculos latent:& plerunq; se pastores sanctos hominibus exhibẽt, atq; in occultis suis videri turpes ante interni arbitri oculos nõ erubescunt.Veniet profectò ille dies, & nõ longè est,in quo pastorũ pastor appareat, & vniuscuisq; facta in publicum deducat: & qui modò subditorũ culpã per præpositos vlciscitur, tunc præpositorũ mala per semetipsum sæuiens damnet.Vnde & ingressus templũ,per se quasi flagellum de funiculis fecit , & de domo Dei prauos negociatores eijciens,cathedras vendentiũ columbas euertit:quia subditorũquidẽ culpas per pastores percutit,sed pastorum vitia per semetipsum ferit.Ecce modò hominibus negari potest,quod latenter agitur. Ille certè iudex ventturus est,cui tacendo quisq; nõ potest celare , quẽ negando nõ potest fallere.Est aliud,fratres charissimi,quod me de vita pastorũ vehementer affligit:sed ne cui iniuriosũ videatur fortasse qd asserо,me quoq; pariter accuso : quanuis barbarici timoris necessitate compulsus , valdè in his inuitus iaceo. Ad exteriora enim negocia dilapsi sumus,& aliud ex honore susciꝑimus,atq; aliud ex officio actionis exhibemus.Ministerium prædicationis relinquimus , & ad pœnã nostrã, vt video,episcopi vocamur,qui honoris nomẽ, nõ virtutis tenem⁹.Relinquũt nãq; Deũ hi,qui nobis cõmissi sunt,& tacemus.In prauis actibus iacẽt,& correctionis manus nõ tẽdimus. Quoti diè per multas nequitias pereũt,& eos ad infernũ tẽdere negligẽter videmus.Sed quando nos vitã corrigere valemus alienã,qui negligim⁹ nostrã?Curis enim secularib.intenti,tanto insensibiliores intùs efficimur,quanto ad ea quæ foris sunt studiosiores videmur.Vsu quippe curæ terrenæ à cælesti desiderio anim⁹ obdurescit,& dũ ipso suo vsu durus efficitur per actionem seculi,ad ea emolliri non valet;quę pertinent ad charitatem Dei. Vnde benè sancta Ecclesia de membris suis infirmantibus dicit: Posuerũt me custodem in vineis, vineam meã nõ custodiui. *Can. 1.*

Vineæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vineæ, actiones nostræ.

Vineæ quippe nostræ actiones sunt, quas vsu quotidiani laboris excolimus. Sed custodes in vineis positi, nostram vineam minimè custodimus, quia dum extraneis actionibus implicamur, ministerium actionis nostræ negligimus. Nullum puto, fratres charissimi, ab alijs maius præiudicium, quàm à sacerdotibus tolerat Deus, quando eos quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla prauitatis cernit: quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus. Plerunq;, quod est grauius, sacerdotes qui propria dare debuerant, etiam aliena diripiunt. Plerunq; si quos humiliter, si quos continenter viuere conspiciunt, irridentes. Considerate rogo quid de gregibus agatur, quando lupi pastores fiunt. Hi enim custodiam gregis suscipiunt, qui insidiari gregi dominico non metuunt, contra quos Dei greges custodiri debuerunt. Nulla animarum lucra quærimus, ad nostra quotidiè studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus. Et quia eo ipso, quo cæteris prælati sumus, ad agenda quęlibet maiorem licentiam habemus, susceptę benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum: Dei causas relinquimus, ad terrena negocia vacamus: Locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur. Impletum est in nobis profectò, quod scriptum est: Et erit sicut populus, sic sacerdos. *Osee 4.* Sacerdos enim non distat à populo, quando nullo vitæ suæ merito vulgi transcendit actionem. Ploremus Ieremiæ lachrymis: consideret mortem nostram, & deplorans dicat:

Thre. 4. Quomodò obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum? Aurum quippe obscuratum est: quia sacerdotum vita quondã per gloriam virtutum clara, nunc per actiones infimas ostenditur reproba. Color optimus est mutatus: quia ille sanctitatis habitus per terrena & abiecta opera ad ignominiam despectionis venit. Lapides verò sanctuarij intrinsecùs habebantur, nec sumebantur in summi sacerdotis corpore, nisi cum sancta sanctorum ingrediens, in secreto sui conditoris apparebat. Nos ergo sumus, fratres charissimi, nos sumus lapides sanctuarij, qui apparere debemus semper in secreto Dei, quos nunquàm necesse est foris cõspici, id est, nunquàm in extraneis actibus videri. Sed dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omniũ platearũ: quia hi q per vitam & orationem intùs semper esse debuerant, per vitam reprobam foris vacant. Ecce iam penè nulla est seculi actio, quam nõ sacerdotes administrẽt. Dum ergo in sancto habitu constituti, exteriora sunt quæ exhibent, quasi sanctuarij lapides foris iacent.

Aurũ obscuratum.

Lapides sanctuarij

Quia enim Græca voce platea à latitudine vocatur, sanctuarij lapides in plateis sunt, cùm religiosi quiq; lata mundi itinera sectantur. Nec solùm in plateis, sed & in capite platearum dispersi sunt: quia & per desiderium mundi huius opera peragunt, & tamen de religioso habitu culmen honoris quærunt. In capite ergo platearum dispersi sunt, quia & iacent per ministeriũ operis, & honorari volunt de imagine sanctitatis. Quanto autem mundus gladio feriatur aspicitis, quibus quotidiè percussionibus intereat populus, videtis. Cuius hoc nisi nostro præcipuè peccato agitur? Ecce depopulatæ vrbes, euersa sunt castra, ecclesiæ ac monasteria destructa, in solitudinem agri redacti sunt. Sed nos pereunti populo authores mortis extitimus, cui esse debuimus duces ad vitam. Ex nostro etenim peccato populi turba prostrata est, quia faciente nostra negligentia, ad vitam erudita non est. Quid autem animas hominum, nisi cibum Domini dixerim? Quæ ad hoc sunt conditæ, vt in eius corpore traijciantur, id est, vt in æternæ Ecclesiæ augmentum tendant. Sed huius cibi condimentum nos esse debuimus. Sicut enim paulò superiùs præfati sumus, missis prædicatoribus dicitur: Vos estis sal terræ. Si igitur cibus Dei est populus, condimentum cibi sacerdotes esse debuerunt. Sed quia dum nos ab orationis & eruditionis sanctæ vsu cessamus, sal infatuatum est, condiri non valet cibus Dei: atq; idcircò ab authore non sumitur, quia exigente fatuitate nostra minimè conditur. Pensemus ergò, qui vnquam per linguam nostram conuersi, qui de peruerso opere suo nostra increpatione correpti pœnitentiam egerunt. Quis luxuriam ex nostra eruditione deseruit? Quis auaritiam, quis superbiam declinauit? Pensemus quod lucrum fecimus Deo. Nos talento accepto ab eo, ad negocium missi sumus. Etenim dicit: Negociamini, dum venio. Ecce iam venit, ecce de nostro negocio lucrum requirit. Quale ei animarum lucrum de nostra negociatione monstrabimus? Quot eius conspectui animarum manipulos de prædicationis nostræ segete allaturi sumus? Ponamus ante oculos nostros illum tantæ districtionis diem, quo iudex veniet, & rationem cum seruis suis, quibus talenta credidit, ponet. Ecce in maiestate terribili, inter angelorum atque archangelorum choros videbitur: in illo tanto examine electorum omnium & reproborum multitudo deducitur, & vnusquisq; quid sit operatus ostenditur. Ibi Petrus cum Iudæa conuersa, quam post se traxit, apparebit. Ibi Paulus conuersum (vt ita dixerim) mundum ducens, ibi Andreas post se Achaiam, Ioannes Asiam, Thomas Indiam in conspectu sui iudicis conuersam ducit. Ibi omnes dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebũt, qui sanctis suis prædicationibus Deo post se subditum gregem trahunt. Cùm igitur tot pastores cum gregibus suis ante æterni pastoris oculos venerint, quid nos miseri dicturi sumus, qui ad Dominum nostrum post negocium vacui redimus, qui pastorum nomen habuimus, & oues quas ex nutrimento nostro debeamus ostendere, non habemus? Hic enim pastores vocati sumus, & ibi gregem non ducimus. Sed nunquid si nos negligimus, omnipotens Deus deserit oues suas? Nullo modo. nam *Ezec. 34.* ipse eas, sicut per prophetam pollicitus est, per semetipsum pascit, omnesq; quos præordinauit ad vitam, flagellorum stimulis, compunctionis spiritu erudit. Et per nos quidem fideles ad sanctum baptisma veniunt, nostris precibus benedicuntur, & per impositionem manuum nostrarum à Deo spiritum sanctum accipiunt, atq; ipsi ad regnum cæleste pertingunt, & ecce nos per negligentiam nostram deorsùm tendimus. Ingrediuntur electi sacerdotum manibus expiati cælestem patriam, & sacerdotes ipsi per vitam reprobam ad inferni supplicia festinant. Cui ergo rei, cui similes dixerim sacerdotes malos, nisi aquæ baptismatis, quæ peccata baptizatorum diluens, illos ad regnum cæleste mittit, & ipsa in cloacas descendit? Timeamus hæc fratres: cõueniat actioni nostræ ipsum ministerium nostrũ. De peccatorum nostrorũ quotidiè relaxatione cogitemꝰ, ne vita nostra peccatis obligata remaneat, per quã omnipotens Deus quotidiè alios soluit. Consideremus sine cessatione quid sumꝰ, pensemus negocium nostrum, pensemus pondus quod suscepimus, faciamus nobiscum quotidiè rationes, quas cum nostro iudice habebimus: & sic debemus agere curam nostram, vt nõ negligamus curam proximi, vt quisquis ad nos iungitur, ex linguæ nostræ sale condiatur. Cùm vacantem quempiam & lubricum videmus, admonendus est, vt coniugio frenare studeat iniquitatem suam, quatenùs per hoc quod licet, discat superare quod non licet. Cùm coniugatum videmus, admonendus est vt sic exerceat curam seculi, ne postponat amorem Dei: sic placeat voluntati coniugis, vt non displiceat conditori. Cùm clericum videmus, admonendus est, quatenùs sic viuat, vt exemplum vitæ secularib. præbeat, ne si quid in illo iustè reprehenditur, ex eius vitio ipsa religionis nostræ æstimatio grauetur. Cùm monachum videmus, admonendus est, vt reuerentiam habitus sui in actu, in locutione, in cogitatione sua semper circunspiciat, & ea quæ mundi sunt, perfectè deserat: & qđ ostendit humanis oculis habitu, hoc ante Dei oculos moribus prætendat. Iste itaq; iam sanctus, admoneatur vt crescat: ille verò qui adhuc iniquus est, admoneatur vt se corrigat: quatenùs quisquis se ad sacerdotem iũxerit, sale sermonis eius conditus recedat. Hęc fratres vobiscum solicitè cogitate, hæc & proximis vestris impendite, omnipotenti Deo fructum vos reddere de negocio quod accepistis, parate. Sed ista quæ dicimus, meliùs apud vos orando quàm loquẽdo obtinebimus. Oremus: Deus qui nos pastores in populo vocari voluisti, præsta quęsumus, vt quod humano ore dicimur, in tuis oculis esse valeamus, per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit, &c.

Animæ boni Dei

Sacerdotes mali cui similes

Matth.

Luce.

Matth.

Oratio.

In festo undecim millũ virginũ, quære de virginibus.
De S. Seuerino, quære in communi.
De festo SS. Simonis & Iudæ, quære de Apostolis.

IN VIGILIA OMNIVM SANCTORVM.

Luc. VI.

In illo tempore: Eleuatis Iesus oculis in discipulos suos, dicebat: Beati pauperes, quia uestrum est regnum Dei. Et reliq. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

Est in eius Commentarijs in 6. caput Lucæ.

Vanùs generaliter omnibus loquitur, specialiùs tamen oculos saluator in discipulos leuat, vt his qui verbum intenta aure cordis percipiũt, latiùs saporis intimi lumen aperiat. Cui simile est, quod Matthæus ait: *Matth. 5.* Et cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius: & aperiens os suum, docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu. Nã quibus os in monte sedens aperit, vt magna sublimiter audiant, in eos oculos stans in campo dirigit, vt audita patenter intelligant. Beati itaque pauperes, non vtiq; omnes, sed illi tantummodò, qui omne præsentis seculi, tametsi altum videatur, pro nihilo culmen ducunt. Qui meritò regni cælestis perhibentur munere digni, quia delectationis humanæ probantur cupiditate nudati: qualem se rex Dauid pauperiem sustinuisse declarans, ait: Ego verò egenus & pauper sũ. *Psalm. 69* Et alibi non modò terrestria, sed & ipsa pro Domino supercælestia paruipendens, dicensq́ue: *Psal. 72.* Quid enim mihi restat in cęlo, & à te quid volui super terram? mox vbi spei fixisset ancoram, subdendo manifestat: Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meã. Alioquin nonnulli miserrima conditione paupertatis, & hic seculi gaudijs ob inopiam rerũ, & ibi regno Dei ob meritorum nequitiã carent. *Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini.* Quid esurire beati, quid sitire debeant, Matthæus exponit, videlicet iustitiam, aptissimè nos instituens, nunquam nos satis iustos æstimare debere, sed quotidianum iustitiæ semper amare, immò ardere, profectum. Cuius perfectam saturitatem non in hoc seculo, sed in futuro posse prouenire, supernorum desiderio Psalmista flagrans ostendit, qui ait: Ego autem cum iustitia apparebo in conspectu tuo: satiabor dum manifestabitur gloria tua. Potest & simpliciter accipi: Beati qui nunc esuritis, qui castigatis corpus vestrũ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& seruituti subijcitis, qui in fame & siti verbo operam datis, quia cælestium tunc gaudiorum habetis vbertate perfrui. *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.* Non temperalium damna commodorũ, sed virtutum detrimenta spiritualium qui flent, æterna beatitudine consolabuntur: vbi non nostra solùm, sed & proximi iubemur commissa deflere. Quem si vt nos diligimus, consequenter illius & profectu gratulari & defectu necesse est tribulari: nec solùm tribulari, verùm ad la-
1. Reg. 15. chrymas vsq; succendi. Sic enim Samuel & Da-
2. Reg. 1. uid peccatum Saulis & interitum lugent: sic pec
Luc. 16. catricem Dominus ipse fleuit super ciuitatem:
Ioan. 11. & mœstis compassus sororibus, Lazarum quem diuina erat maiestate resuscitaturus, humana priùs miseratione deflebat: mysticè significans, eos qui peccati morte sopiuntur, vt reuiuiscere queant, à proximis esse plangendos. Quòd autem nunc flentes, risuros esse promittit, non pueriliter accipiendum est, sed scripturæ more, risus nomine, mentis exultatio & affectus quidã lætior intelligendus est esse designatus, sicut Sa-
Gen. 22. ra: Risum, inquit, fecit mihi Dominus. Et in Iob
Iob 8. dictum est: Os autem veracium replebitur risu. Per quæ, vt dixi, nomina, gaudium animæ figuratur interius. *Beati eritis, cum vos oderint homines, et cùm separauerint vos, & exprobrauerint.* Qui propter diuitias hæreditatis Christi in sanctis, propter panem vitæ æternæ, propter spem cælestium gaudiorum, fletus, esuriem, pa upertatemq; patidesiderat, beatus est: Multo autem beatior, qui has inter aduersa virtutes seruare non trepidat: quia odiant licet homines corde nefando, dilectum cor Christo lædere ne queunt: seperent & synagoga depellant, Christus inuenit & confirmat: exprobrent nomen crucifixi, ipse commortuos sibi conresuscitat, & consedere facit in cælestibus. *Et eiecerint nomen uestrum tanquàm malum propter filium hominis.* Nomen vestrum quod dicit, nomen Christianorum significat, quod à gẽtilibus Iudæisq; sæpissimè (quantum ad ipsos) memoriæ abrasum, & ab hominibus est abiectum: nulla iam existente causa odij, nisi propter filium hominis, quia videlicet nomen Christi credentes suum voluerunt facere cognomẽ: atq; ideò nominis summi persecutores, hominũ non immeritò nomine notantur. Beati, inquit, eritis, cùm vos oderint homines: docens eos ab hominibus infectandos, sed vltra homines esse beandos. *Gaudete in illa die, & exultate. etenim merces uestra multa est in cælo.* Non hoc à quolibet patiente, sed ab eo, qui supernæ tantùm mercedis intuitu patitur, præceptum potest impleri: vt scilicet inter odia cordium, inter probra linguarum, inter ipsas persequentium manus, æquali, immò lætiori adhuc corde versetur. Non ad hoc nostri similes valent, sed eorum est, qui ibant gau-
Actor. 5. dentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.

Qui ergo multa in terris ꝓ Christo sustinet aduersa, multa in cœlis à Christo recipiet dona. Cæterùm quanta ab Elia verborum iacula falsi sustinuere prophetæ, quos deridens, aiebat: Cla- 3. Reg. 18
mate voce maiore. deus enim est Baal, & forsitã loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certè dormit, vt excitetur. Quantam dedere stragem, qui octingenti simul & quinquaginta sunt Ibid.
interempti? Verùm quia Baal, & non Christus in causa erat, nec irrisi gaudebãt, nec occisi palmã, sed pœnam meruere perennem. *Secundum hæc enim faciebant prophetis patres eorum.* Benè exemplo adhortatus est, quia vera dicentes solent persecutionem pati, nec tamen ideò prophetæ antiqui timore persecutionis à veritatis prædicatione defecerunt. Notandum sanè, quia sicut Matthæus per octo, quas posuit, beatitudines, octauam spei nostræ perfectionem, quæ resurrectionis gloria dedicatur, insinuat: ita Lucas per quatuor, virtutes amplectitur cardinales. Beati Temperãtia.
enim pauperes, qui per temperantiam à mundi refrenantur illecebris. Beati esurientes, qui sua commoniti fame esurientibus esse miserendũ, Iustitia.
& ipsi per iustitiam miserentur vbi valent. Nam eleemosynam, qua Christo non nostra donamus, sed sua reddimus, iustitiam rectè dici testatur Psalmista, qui ait: Dispersit, dedit pauperib⁹: Psalm. 111
iustitia eius manet, in seculum seculi. Iustitia enim est, qua sua cuiq; tribuimus, nemini quicquàm debentes, nisi vt inuicẽ diligamus. Beati, Prudẽtia.
qui per prudentiã inter bonum dignoscentes & malum, occidua flere, & ad æterna norunt anhelare. Beati, qui per fortitudinem fidei omnia va- Fortitudo
lent molesta tolerare. Igitur qui necdum cõsummatæ virtutis arcem conscendere valent, generalis interim perfectionis sunt beatitudine persouendi, quatenùs à bonis paulatim ad meliora progressi, dum consistente in planitie Domino libenter auscultant, ad hunc quandoq; in monte sedentem sublimiter ascendant. Nam quorum adhuc edomandis, instruendisq; cordibus insistit, hos quasi stans (qui situs laborantis est) affatur: quos verò longo studij spiritualis exercitio promptos, iamiamq; ac dociles inuenit, his libertate ac dignitate magistri quasi quietus salutor residẽs, mystica quæq; de supernis intimat. Quæ spiritualium differentia profectuum, in Israëliticæ plebis est habitu pulcherrimis expressa figuris, vbi vulgus omne quibuslibet vestibus vtens, in quatuor angulis palliorum hyacinthi- Num. 15.
nas sibi fimbrias est facere præceptum: sacerdo- Exod. 39.
tes quatuor habere vestes, totidem mystícis coloribus mira varietate distinctas: pontifices & Leuit. 8.
ea quæ sacerdotes, & alia quatuor indumenti genera, colorum quidem eorundem, sed sublimioris gratia dignitatis, & auro interlucente coruscа, & patriarcharum atq; ipsius Domini nomine redimita gestare: quæ per singula vel exponere, vel solùm proponere, ad proprij industriã spectat operis.

SER-

SERMO IN FESTO OMNIVM SANctorum.

Est sermo 17. in Sermonibus Augustini detentis. Quidam codex manuscriptus Albino eũ attribuit.

HOdiè, dilectissimi, omnium sanctorum sub vna solennitate lætitię celebramus festiuitatem, quos terra editos preciosus Christi sanguis gratuita pietate ad cælestia euocauit: quorum societate cælum exultat, quorum patrocinijs terra lætatur, quorum triumphis Ecclesia sancta coronatur, quorum confessio quanto in passione fortior, tanto est clarior in honore: quia dum creuit pugna, creuit & pugnantium gloria: & martyrum triumphus multiplici passionum genere adornatur, quia per grauiora tormenta grandiora fuere & præmia, dũ catholica mater Ecclesia, per totũ orbem longè lateq; diffusa, in ipso capite suo Christo Iesu edocta cõtumelias, crucem & mortem non timere, magis magisq; roborata sit non resistendo, sed perferendo. Vniuersos autem, quos carcer pœnalis inclusit, pari & simili calore virtutis ad gerendum certamen gloria triumphalis inspirauit. O verè beata mater Ecclesia, quam sic honor diuinæ dignationis illuminat, quam vincentium gloriosus martyrum sanguis exornat, quam inuiolatæ confessionis candida induit virginitas. Floribus eius nec rosæ, nec lilia desunt. Certent nunc, charissimi, singuli vtriusq; honoris amplissimas accipere dignitatis coronas, vel de virginitate candidas, vel de passione purpureas. In cælestibus castris pax & acies habent flores suos, quibus milites Christi coronãtur. Dei enim ineffabilis & immensa bonitas etiam hoc prouidit, vt laborum quidem tempus & agonis non extenderet, nec longum faceret aut æternum, sed breue, & vt ita dicam, momentaneum: vt in hac breui & exigua vita agones essent & labores: in illa verò, quæ æterna est, coronæ & præmia meritorum sine fine durarẽt: vt labores quidem citò finirentur, meritorum verò præmia sine fine manerent: vt post mundi huius tenebras vi suri essent candidissimam lucem, & accepturi maiorem pro passionum cunctarum acerbitatibus beatitudinem, testãte hoc idem Apostolo, qui ait: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis. O quàm læto sinu de prælio reuertentes ciuitas cælestis excipit, de hoste prostrato trophæa ferentibus occurrit. Cum triumphantibus viris & fœminæ veniunt, quæ cum seculo sexum quoq; vicerunt, & gemmata gloria militiæ, virgines cum pueris teneros annos virtutibus transcendentes. Sed & cætera fideliũ turba aulæ perpetuæ regiã intrãt, qui syncerítate fidei incõcussis præceptorũ cælestiũ disciplinis vnita pace obseruauerũt. Ergo nunc fratres agite, aggrediamur iter vitæ, reuertamur ad ciuitatẽ cælestem, in qua scripti sumus & ciues decreti. Non sumus hospites & aduenæ, sed su- Ephes. 2.
mus ciues sanctorum & domestici Dei. Huius nobis vrbis ianuas aperiet fortitudo, & fiducia latum præbebit ingressum. Consideremus ergo inclytam vrbis illius felicitatem, inquantùm considerare possibile est. Vt enim verè est, com prehendere nullus sermo sufficiet. Dicitur de Esa. 35.
ea in quodam loco sic, quòd aufugiet ibi dolor, & tristitia, & gemitus. Quid hac vita beatius, vbi non est paupertatis metus, non ægritudinis imbecillitas, nemo læditur, irascitur nemo, inuidet nemo, cupiditas nulla exardescit, nullum cibi desiderium, nullius honoris aut potestatis pulsat ambitio, nullus ibi diaboli metus, insidiæ dæmonum nullæ, terror gehennæ procul? Ibi mors neq; corporis erit neq; animæ, sed immortalitatis munere vita iucunda. Nulla erit tunc discordia, sed cuncta consona, cuncta conuenientia: quia erit omnium sanctorũ vna concordia. Pax cuncta & lætitia continet, tranquilla sunt omnia & quieta, atq; iugis splendor: non iste qui nunc est, sed tanto clarior quanto felicior, quia ciuitas (vt legitur) illa non egebit lumine Apoca. 22
solis & lunæ, sed Deus omnipotens illuminabit eam, & lucerna eius est agnus: vbi sancti fulge- Dan. 12.
bunt vt stellæ in perpetuas æternitates, & sicut splendor firmamenti, qui erudiunt multos. Quapropter nox ibi nulla, nullæ tenebræ, concursus nubium nullus, nec frigoris siue ardoris asperitas vlla: sed talis quædam erit rerum temperies, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, nisi illorum qui ea digni perfrui inueniuntur, quorũ nomina scripta sunt in libro vitę, qui & lauerunt stolas suas Apoc. 7.
in sanguine agni, & sunt ante sedem Dei, & seruiunt ei die ac nocte. Non est senectus ibi, nec senectutis miseria, dum omnes cõcurrunt in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Verùm super hæc omnia est consociari angelorum & archangelorũ cœtibus, thronis etiam & dominationibus, principatibus & potestatibus, omniumq; cælestium supernarũq; virtutum contubernijs perfrui, & intueri agmina sanctorum splendidiùs sideribus micantia, patriarcharum fide fulgentia, apostolorum in duodecim tribubus Israël orbem iudicantia, martyrum purpureis victoriæ coronis lucentia, virginumq; choros candentia serta gestantes inspicere. De rege autem, qui horum agminum medius residet, dicere vox nulla sufficiet. Effugit enim omnem sermonem, atq; omnem sensum humanæ mẽtis excedit decus illud, illa pulchritudo, illa virtus, illa gloria, illa magnificentia, illa maiestas. Vltra enim omnem sanctorum est gloriam, ipsius inæstimabilem adipisci conspectum, & splendore maiestatis eius irradiari.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Si enim quotidiè oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam paruo tempore tolerare, vt Christum videre possemus in gloria venientem, & sanctorum eius numero sociari, non erat dignum pati omne quod mœstum est, vt tantæ bonitatis gloriæ participes haberemur? Quæ erit illa, fratres charissimi, iustorum gloria, quàm magna sanctorum lætitia, cùm vnaquæq; facies fulgebit vt sol, cùm ordinibus distinctis populum suum Dominus in regno patris sui cœperit recensere, & meritis atq; operibus singulorum præmia restituere, pro terrenis cælestia, pro temporalibus sempiterna, pro modicis magna præstare, adducere sanctos in visionem paternæ gloriæ, & facere in cælestibus consedere, vt sit Deus omnia in omnibus, æternitatemq; suis amatoribus & immortalitatem largiri, ad quam eos sanguinis sui viuificatione reparauit, denuò ad paradisum reducere, & regna cælorum in fide & veritate suæ pollicitationis aperire? Hæc hæreant firmiter sensibus nostris, hæc intelligantur plena fide, hæc toto corde diligantur, hæc indefinentium operum magnanimitate acquirantur. Res posita est in potestate facientis, quia regnum cælorum vim patitur. Res ista, ô homo, id est regnum cæleste aliud non quærit precium, nisi teipsum. Tantum valet, quantum es. Tu te da, & habebis illam.

Matth. 11

Quid turbaris de precio? Christus semetipsum dedit, vt acquireret te regnum Deo patri. Ita & tu teipsum da, vt sis regnum eius, ac non regnet peccatum in mortali tuo corpore, sed spiritus in acquisitionem vitæ. Ad hanc igitur operum salutarium, dilectissimi, delectemur palmam, libenter ac promptè certemus, omnes in agone iustitiæ Deo & Christo spectante curramus, & qui seculo & mundo maiores esse iam cœpimus, cursum nostrum nulla seculi & mundi cupiditate retardemus. Si sic expeditos, & sic celeres in hoc operis agone currentes, dies nos vltimus inuenerit, nusquam Dominus meriti ac præmij deerit remunerator. Qui coronam in persecutione purpuream pro passione donauit, ipse in pace viuentibus pro iustitiæ meritis dabit & candidam. Nam nec Abraham, nec Isaac, nec Iacob occisi sunt, & tamen fidei & iustitiæ meritis honorati, inter patriarchas primi esse meruerunt. Ad quorum congregatur conuiuium, quisquis fidelis & iustus ac laudabilis inuenitur. Memores esse debemꝰ, voluntatē nos non nostram, sed Dei facere debere: quia qui fecerit eius voluntatē, manebit in æternum. Quapropter, charissimi, mente integra, fide firma, virtute robusta, charitate perfecta parati ad omnem voluntatem Dei simus, conseruantes fortiter mandata dominica in simplicitate innocentiam, in charitate concordiam, modestiam in humilitate, diligentiam in administratione, vigilantiam in adiuuandis laborantibus, misericordiam in fouendis pauperibus, in defendenda veritate constantiam, in disciplinæ seueritate censuram, ne aliquod exemplum bonorum factorum desit in nobis. Hæc sunt enim vestigia, quæ nobis sancti quiq; reuertentes in patriam reliquerūt, vt illorum semitis inhærentes, sequamur & gaudia. Patriam quoq; nostram paradisum cum illis computemus: parentes, patriarchas & prophetas habere iam cœpimus. Cur non properamus & currimus, vt ad patriam nostram venire, & parentes salutare possimus? Magnus illuc nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos & copiosa turba desiderat, iam de sua incolumitate secura, adhuc de nostra salute solicita. Ad eorum, fratres, complexum & conspectum venire, quanta & illis & nobis in commune lætitia est? Qualis illic cælestium voluptas conseruorum societatem expectantium, quàm summa & perpetua exultatio? Illic apostolorum gloriosus chorus, illic prophetarum exultantiū numerus insignis gaudet, illic populus innumerabilis martyrum ob certaminum victoriam coronatus tripudiat, illic confessorum fortitudo lætatur, illic etiam clarissima virginum turba exultat. Sed & illorum remuneratio censetur, qui præcepta dominica seruantes, ad cælestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt. Ad hos dilectissimi, tota auiditate properemus: vt cum his citò esse, & citò ad Christum peruenire nos contingat optemus, eumq; illius itineris ducem habeamus, salutis authorem, lucis principem, lætitiæ largitorem, qui viuit, &c.

Rom. 6.

1. Ioan. 2.

IN EODEM FESTO.
SERMO RABANI
presbyteri.

EGitur in ecclesiasticis historijs, quòd sanctus Bonifacius, qui quartus à beato Gregorio Romanę vrbis episcopatum tenebat, suis precibus à Phoca Cæsare impetrauerit donari Ecclesiæ Christi templum Romæ, quod ab antiquis Pantheon anteà vocabatur, quia hoc quasi simulachrum omnium videbatur esse deorū. In quo eliminata omni spurcitia, fecit ecclesiā in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ atque omnium martyrum Christi: vt excluſa multitudine dæmonum, multitudo ibi sanctorum in memoria haberetur, & plebs vniuersa in capite calendarum Nouembrium sicut in die natalis Domini, ad ecclesiam in honore omniū sanctorum consecratam conueniret. Ibiq; Missarū solennitate à præsule sedis Apostolicæ celebrata, omnibusq; ritè peractis, vnusquisq; in sua cū gaudio remearet. Ex hac ergo cōsuetudine sanctæ Romanæ Ecclesiæ, crescente religione Christiana, decretum est, vt in ecclesijs Dei, quæ per

per orbem terrarum longè lateq; construuntur, honor & memoria omnium sanctorum in die qua prædiximus haberetur: vt quicquid humana fragilitas per ignorantiam vel negligentiam, seu per occupationem rei secularis in solennitatibus sanctorum minùs plenè peregisset, in hac obseruatione solueretur: quatenùs eorum patrocinijs protecti, ad superna polorum gaudia peruenire valeamus. Nunc ergo, fratres charissimi, in omnium primordijs sanctorum nos nominare, laudare & glorificare condecet eum, qui cunctos condidit sanctos, per quem omnia facta sunt, per quem cuncta subsistunt elementa, cuius maiestas nec incipit, nec desinit in seculum. Vnde meritò omne principium ac finis creaturæ nominatur, vt de eo per quendam prudentem dictum est: Omnis sapientia à Domino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante æuū. Altitudinem cæli, & latitudinem terræ, & profundum abyssi quis dimensus est? Arenam maris, & pluuiæ guttas, & dies seculi quis dinumerauit? Ipse solus inuestigare, metiri ac dinumerare omnia potest, qui cæli ambitū sua circumit sapientia, & profundum abyssi sua penetrat virtute. Vnde egregius ille verificator Dei sapientiam omnia posse atq; nosse considerabat, dicens: Qui stellas numeras, quarum tu nomina solus, signa, potestates, cursus, loca, tempora nosti. Cuius principatum atq; virtutem Apostolus spiritusancto præuentus, supra modum esse humanum inuestigare commemorat, dicens: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi honor & gloria in secula seculorum, amen: Qui superna cælorum regna spiritibus angelicis ad laudem & gloriam atq; honorem sui nominis ac maiestatis in perpetuum miro ordine collocauit: de quibus loqui plura pertimescimus, quia soli Deo scire est, quomodò vel quē admodùm eorum nobis inuisibilis, & absq; vlla cognitione seu diminutione in sua sola puritate consistat natura. Sed tamen nouem esse ordines angelorū ad Dei iudicia ac ministeria cōplenda, testante sacro eloquio cognouimus: quorum principatus atque potestates subtiliter ac mirabiliter Dei omnipotentis nutu distinguuntur. Alij ex illis ad nos in mundum missi, futura prædicando perueniunt: alij ad hoc sunt constituti, vt per eos signa & miracula frequentiùs fiant: alij subiectis angelorū spiritibus præsunt, eisque ad explenda diuina ministeria disponendo principantur. Alij mira potentia cæteris præeminent, pro eo quòd eis ad obediendū alia angelorum agmina subiecta sunt. Alij tanta diuinitatis gratia replentur, vt in eis Dominus sedeat, & per eos sua iudicia decernat. Alij verò tantò perfectiore scientia pleni sunt, quantò claritatem Dei viciniùs contemplantur. Alia verò ita Deo coniūcta sunt angelorum agmina, vt inter hæc & Deū nullalij spūs interfint: qui tantò magis ardent amore, quantò subtiliùs claritatē diuinitatis eius aspiciunt. Talibus, vt diximus, à primordio incipientis vitę beatorum spirituum distinctionibus, superna cælorum regna à Deo conditore in perpetuum mirabiliter collocata subsistunt. His omnibus, fratres, tam decoris, ac Deo dilectis angelorum agminibus, huius diei solennitatem credimus consecratam. Sed ecce dum cælestium ciuium secreta rimamur, supra modum nostræ fragilitatis digressi sumus. Taceamus interim de secretis cælestibus, & ante conditoris oculos tergamus peccatorum maculas, vt ad eos de quibus loquimur, peruenire valeamus. Adhuc tamen aliquid de hac eadem tā pulchra atq; præclara solennitate loqui incipiamus: quæ non solùm angelorum (vt prædixim⁹) spiritibus, verumetiam sanctis omnibus, qui in terra sunt ab exordio mundi creati, honorabiliter dedicata consistit. E quibus primi fuerunt patriarchæ, viri religiosi in vita sua, patres prophetarum & Apostolorum: quorum memoria non derelinquetur, & nomen eorum manet in æternum, quia Deo digni inuenti sunt, fide præclari, hospitalitate præcipui, astuti in sensu, sapientes in opere, rebus secularibus locupletes, reparatores orbis ac recreatores, iustitia insignes, longanimes in spe, obedientes in præceptis, creduli in promissionibus, susceptores angelorum effecti, facie ad faciem Deum videntes, in consilio prudentes, in prælijs victoriosi, statum mūdi regentes, sceptrum regni obtinentes. Quorum imperij posteritas non cessauit, quoadusque Christus ex eorum germine per vterum intactæ virginis Mariæ (qui spes est omnium gētium) natus in mundo coruscans apparuit, & primatum totius orbis atq; monarchiam capiendo retinuit. Hos sequitur electio prophetarum, cum quibus locutus est Dominus, & ostendit illis secreta sua, vt ea quæ ventura sunt, quasi præsentia illuminati spiritusancto, agnoscere atque annuntiare possent, principes populorum ventura prædicando facti, alij in vtero, alij in pueritia, alij in iuuentute, atque alij in senectute Deo cogniti & sanctificati inuenti sunt. Fide pleni, deuotione summi, industria solertes, acuti sensu, excellentes ingenio, scientia prædicti, in exercitatione disciplinæ sanctæ instructi, in sancta meditatione assidui, metuq; mortis intrepidi. Verberauerunt tyrannos, sacrilegos interfecerunt, clauserunt refrenatis imbribus cælum, iterum parcendo aperuerunt. Peccata populi plangentes, eorum se vltioni opponentes, multis quoq; miraculorum signis effulsere. Hominum nanq; infirmitates curabant, mortuorum corpora resuscitabant. Christi verò per virginem natiuitatem, passionem ac resurrectionem siue a-

Patriarchæ.

Prophetæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

sessionem spũssancti aduentũ, futurũ in cõsummatione mũdi iudiciũ edocti, clara voce prædixere. Hos oẽs proculdubiò veneranda huius diei festiuitate, nullo modo priuatos credim⁹, sed consortes esse eius intuendo speramus. Nos ergo, fratres charissimi, antiquorum memoriam præcedentium patrũ, quos ante legem, & sub lege scriptura sacra demonstrante cognouimus, ad hoc tantùm proferimus, vt faciliùs intelligere valeatis, quanta vel qualis sit huius sacratissima præsentis diei festiuitas. Nunc ergo reuertamur ad eos, quos vnda baptismatis, & effusio sanguinis Christi ab errore paterni delicti, ab squalore vetustæ gentilitatis, in nouo testamento per gratiam spũssancti abluendo purgauit:

Luc. 10. quorum oculi beati, qui Christum in carne videre meruerunt. Huic tam præclaræ visioni Io-
Ioannes Baptista. annes Baptista sociatur, qui eodem angelo, quo Christus, denũciante conceptus, in exordio prædicationis atq; baptismatis primatum tenebat:

Ioan. 1. qui Christum peccata mundi tollentem videndo agnouit, & digito demonstrauit: quo inter
Matth. 11 natos mulierũ nõ surrexit, Christo attestãte, maior: q meritò præcursor Domini, præco iudicis, propheta altissimi nuncupatur: quia nondùm
Luc. 1. editus, Christum mundo venturum prophetauit, & ad redemptionem animarum ad inferos descendentem, gloriosa præcucurrit passione.

Apostoli. Huic athletæ Dei electo concordat duodenus apostolorum numerus, quos primos miraculorum virtutibus ad componendũ nouæ fidei fundamentum, erigendumq; adhuc tenere statum Ecclesiæ, prouidentia diuina ex omnibus quos
Psalm. 18. capiebat mundus elegit, vt in omnem terram sonus eorum prædicationis exiret, & in fines orbis terræ eorum procederent verba. Qui veræ viti, id est, Christo tanquàm palmites adhæserunt, quorum fructus in sempiternum permanẽs, nõ marcescet, quibus ipse Dominus locutus est, di-
Matth. 5. cens: Vos estis lux mundi. &: Non potest ciuitas
Ibid. abscondi supra montem posita: neq; accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrẽ
Ioan. 15. vestrum, qui in cælis est. Et iterum: Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunq; audiui à patre meo, nota feci vo-
Matth. 18 bis. Et quæcunq; ligare voluissent super terram, ligata esse in cælis, & quæ soluerent super terrã,
Matth. 19 soluta esse promisit. Et iterùm cùm veneritad iudicandum seculum, eos super sedes duodecim sessuros, & secum iudicaturos orbẽ terræ prædixit. Talibus, vt credim⁹, patronis hæc dies subiecta declaratur. His subiectũ est triũphale martyrũ nomẽ, qui p diuersa tormẽtorũ genera, Christi passionem nõ lassescentibus præcordiorum mentibus imitabantur, alij ferro perempti, alij flammis exusti, alij flagris verberati, alij vectib. perforati, alij patibulo cruciati, alij pelagi periculo submersi, alij viui decoriati, alij vinculis mancipati, alij linguis priuati, alij lapidibus obruti, alij frigore afflicti, alij fame cruciati, alij verò truncatis manibus, siue cæteris cæsis membris, spectaculum angelis & hominibus facti, contumelias in populis nudi propter nomẽ Dei portantes. Hi sunt triumphatores & amici Dei, qui contemnentes sceleratorum iussa principum, modò coronantur & accipiũt palmas laborum: quia fundati erant supra petram firmam, id est, Christum. De talibus & eiusmodi Apostolus *Heb. 11.* mente compunctus & ingemiscens, ait: Sancti ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, & cætera, quæ sequuntur. Et beatus papa Grego- *Homil. 29 in Euang.* rius in expositione cuiusdam euangelij, de istiusmodi bellatoribus memoriam faciendo, Ecce, inquit, electi Dei carnem domant, spiritum roborant, dæmonibus imperant, virtutibus coruscant, præsentia despiciunt, æternam patriam vocibus moribusq; prædicant: eam etiam moriendo diligunt, atq; ad illam per tormenta pertingunt: occidi possunt, & flecti nequeunt. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. In paucis vexati, in multis benè disponentur: quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se. Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos. Nunc ergo martyrum Christi certamina & victorias audiuimus. Eis nimirùm hunc diem tanto credimus sanctificatum, quanto in semetipsis vt sanctificarentur, laborare per torméta non cessauerũt. Christi verò sacerdotib. atq; doctoribus siue confessoribus huius festiuitatem diei non ignotam esse credi- *Confessores.* mus: qui corda fidelium spiritaliter quasi imbribus irrigauere cælestibus, vt feliciter proferre immarcessibilem bonorum operum possent fructum: qui talenta sibi credita non solùm reddere, verumetiam sine fraude amplificare procurauerunt: quia bonum quod per gratiam spiritussancti intelligendo didicerunt, non sibimet tantummodò, sed & alijs subiectorum mentibus profuturum tradiderunt, atq; secundùm *2. Tim. 4.* Apostoli præceptum, arguendo, obsecrando, increpando, curamq; faciendo, inferere nitebãtur. Quorum mens lucidissima, manus verò plenæ fuere munditia, eò q; in mensa altaris sacrosancta Christi corporis & sanguinis mysteria celebrantes, & in sui cordis penetralibus hostiam viuam, sanctam, Deo placẽtem, id est, semetipsos sine macula, absq; admixtione praui operis, offerre non destiterunt. Et licet persecutorũ non sensissent gladium, tamen per vitæ meritum

Martyres etiam sine ferro. tum Deo digni, martyrio non priuantur: quia martyrium non sola sanguinis effusione, sed abstinentia peccatorum, & exercitatione præceptorum Dei perficitur. Beata quoq; Dei genitrix & semper virgo Maria, templũ Dei, sacrariũ spiritussancti, virgo ante partum, virgo post partum, præsentis solennitatis diei cum suis virginibus expers nullo modo credenda est: quæ Dei populum faciendo monebat spernere perituri luxus seculi, & lenocinia mortalis naturæ declinare, carnis pudicitiam cum virginitatis honore intra cordis hospitia obseruare, eamq; omnium virtutum reginã, fructum salutis perpetuæ, sociã esse angelorum, suis affirmabat exemplis: ita vt innumerabilis multitudo vtriusq; sexus, eius sequatur vestigia, vt relictis nuptiarum copulationibus, spretaque liberorum propagine, sponso qui in cælis est perenni, mente, actu, habitu, & gestu sese applicare maluerint: orationibus instãtes, teiunijs adhærentes, vigilias sacras adamantes, eleemosynas sectantes, pauperes recreantes, nudos vestientes, infirmos visitantes, in tribulatione gaudentes, in verbis calumniæ vel contumeliæ patientes, in augmento suæ profectionis humiles, in damno rerum temporalium Deo gratias agentes. Hæc omnia & his similia pro desiderio regni cælestis, & propter spem æternę remunerationis, ardentissimo amore indesinenter atque libenter insistunt: & sic in charitate Dei, ac proximorum amore perseuerantes, Deo soli gaudent vitam finire. Anachoretarum singulare propositum ab huius diei solennitate nõ separatum esse confidimus, qui per singula loca eremi, speluncis & exiguis cellarum tugurijs muniti, modico contenti pabulo demorabantur, bestijs sociati: multi auibus subministrati, ciborum spernentes delicias, luxus seculi calcantes, laudem temporalem non amantes, visus hominum fugientes, angelorum assueti loquelis: pluribus virtutum effulsere signis. Cæcis visum innouabant, claudis gressum firmabant, surdis auditum tribuebant, superabant dæmonia, mancis manus restituebant, mortuos suscitabant.

Anachoretæ.

Virgines.

Ergo, fratres charissimi, tantorum patrocinia intercessorum, de quibus locuti sumus, tota mẽtis intentione quæramus, vt per temporalia gesta quæ gerimus, eorum meritis intercedentibus ad æterna peruenire solennia valeamus. Transeunt cuncta, quæ temporaliter festiuè celebrantur. Curate qui his solennitatibus interestis, ne ab æterna solennitate separemini. Quid enim prodest interesse festis hominum, si deesse contingat festis angelorum? Nolite ergo pensare in vobis temporalia, quæ possidetis, sed considerate quid estis. Ecce mundus qui diligitur, fugit. Sancti isti, quorum hodiè mentionem facimus, florentem mundum toto mentis despectu calcauerunt. Tunc enim erat vita longa, salus continua, opulentia in rebus, fœcunditas in propagine, tranquillitas in diuturna pace: & tamen cùm in seipso floreret, iam in eorum cordibus mundus aruerat. Ecce iam in seipso mũdus aruit, & adhuc in cordibus nostris floresçit. Vbique est luctus, vbique desolatio: vndique percutimur, vndique amaritudinibus replemur: & tamen cæca mente carnalis concupiscentiæ, ipsas eius amaritudines amamus. Fugientem sequimur, labenti inhæremus: & quia labẽtem retinere non possumus, cum ipso labimur, quem cadentem tenemus. Aliquando nos mundus retraxit à Deo: nunc tantis plagis plenus est, vt ipse iam nos inuitet ad Dominum. Pensate ergo, quia nulla sunt, quæ temporaliter currunt. Finis enim temporalium ostendit, quia nihil sit, quod transire potest. Casus rerum indicat, quia res transiens, & tunc propè nihil fuit, cùm stare videretur. Hæc igitur vobiscum agite, hæc in mente sedula cogitatione versate. Etsi adhuc hic tenemur infirmitate corporis, tamen ad eos, de quibus loquimur, toto corde tendamus, vt cum ipsis postmodùm in æterna secula gaudere mereamur, auxiliante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Deo patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus per infinita secula seculorum, Amen.

IN FESTO OMNIVM SANCTORVM,

In lectionem Epistolæ loco, Concio exegetica.

ECCE ego Ioannes vidi alterum angelum, ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui, & clamauit voce magna quatuor angelis, quibus datum est nocere terræ & mari, dicens: Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus. *Apoc. 7.* Alius angelus Dominum significat Iesum Christum, de quo scriptum est: Vocabitur nomen eius magni consilij angelus. Ab ortu solis ascendit, quia tertia die resurrexit à mortuis, & sua resurrectione totum mundum illuminauit per euangelicam doctrinam. Vnde Psalmista dicit: Qui ascendit super occasum, Dominus nomen est illi. Venit ergo ab ortu solis, & præcepit quatuor angelis, ne nocerent terræ & mari: quia surgens à mortuis, prohibuit dæmones à læsione eorum, qui ad vitam æternam sunt prædestinati. *Quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* Vbi intuendum, quia cùm superiùs vnum angelum se vidisse dicat Ioannes, ipse angelus nunc pluraliter loquitur, dicens: Quoadusq; signemus, Ego scilicet & apostoli mei. Quod enim fecerũt apostoli, ipse Christus fecit, qui in ipsis habitat, iuxta

Esa. 9.

Psalm. 67

Universidad de Deusto
Biblioteca

illud: Ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi. Signum hoc, quo signātur oēs
Matth. 28
Signum S. crucis.
serui Dei in frontibus, ipsum signum est sanctæ crucis, quod fideles in Ecclesia dupliciter, in corpore scilicet & anima portant. In corpore scilicet, quia signantur in fronte in nomine patris & filij & spiritus sancti. In anima verò, quia Christi passionem imitantur, crucifigentes se cum vitijs & concupiscentijs. Vnde in ve-
Exod. 12.
teri Testamento præceptum est, vt super vtrunque limen de sanguine agni ponerent: quia non prodest hoc signum exteriùs quicquam, nisi ipsum quis accipiat & interiùs. Fides e-
Isa. 2.
nim si non habeat opera, mortua est. *Et audiui numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israël.* In hoc loco numerus finitus ponitur pro infinito: nec pertinet solummodò ad duodecim tribus filiorum Israël, sed ad omnem Ecclesiam, quæ per hunc numerum comprehēditur in suis electis: quod etiam natura ipsius numeri demonstrat. Ternarius enim summum bonum significat, id est, sanctā Trinitatē. Quaternarius verò sacratus est similiter, propter quatuor libros Euangelij, vel propter quatuor flumina paradisi, seu propter quatuor virtutes principales. Siue igitur ducātur tria per quatuor, siue quatuor per tria, duodecim faciunt: qui & ipse sacratus est propter duodecim tribus Israël, & propter duodecim apostolos. Millenarius enim numerus perfectionem significat, quia sæpè pro vniuersitate poni-
Psal. 104.
tur. Vnde est: Verbi quod mādauit in mille generationes. Ecclesia igitur, quia Trinitatis notitia ex vniuersis generationibus aggregatur, quatuorq; paradisi fluminibus irrigatur: & in quatuor mundi partes distenditur, rectè in duodenis millibus figuratur: sed si in eo quod credidit perficiatur, necesse est vt duodenarius millium numerus quadra soliditate iungatur. Ducātur ergo duodecim millia per quatuor, & quadraginta octo millia fiant. Vt verò quod credidit, ad Trinitatis contemplationem pertingat, rursùm quadraginta octo millia ter multiplicentur, & de se centum quadraginta quatuor millia reddant. Nam & centenarius numerus, qui à læua transfertur ad dexteram, generalem significat sanctorum numerū: qui in perfectione operis inuenti, in dextera sunt collocandi. *Ex tribu*
Matth. 25
Iuda, duodecim millia signati. Manifestè in hoc loco ostēditur, non nos hic debere accipere carnalē generationē, per hoc quod non secundùm ordinem natiuitatis suæ filij Iacob ponuntur in hoc catalogo. Nam Iudas, qui hic primus ponitur, vtiq; quarto loco natus est. Gad quoque hic est tertius, ibi octauus inuenitur. Similiter de cæteris est intuendum. Quod quarè factū sit, ipsa nominum interpretatio manifestat. Iudas quippe interpretatur confessio siue laudans: in quo Ecclesia comprehenditur, quæ de peccatis præteritis pœnitentiam agit, & à laude creatoris non cessat. Ruben dicitur videns filium: & in hoc loco ipsam Ecclesiam significat, quæ filios, id est, bona opera videt. vnde est: Videas filios si-
Psal. 127.
liorum tuorum. Filij quippe filiorum, intelligitur remuneratio operum. Spiritualis itaque est ista prosapia: quia & in Iuda præcesit initiū confessionum, & in Ruben succedunt incrementa virtutum: qui si primus poneretur, ordo natiuitatis suæ confunderetur. Priùs enim recedit per confessionem à malis, deinde proficimus ad subsequentia bona, vt informemur rectis & placitis. Hactenùs omnia ex Commentarijs Haymonis in Apocalypsim: sed breuitatis studio libet horum nominum interpretationē ex Aretæ Cæsareæ Cappadociæ episcopi Commentarijs huc adscribere. Tribum, inquit, ex Iuda ortam (quem si interpreteris, confessionem sonat) eos designare dicimus, qui per respiscētiam & dilectionem erga Christum, qui ex ipso ortus est, seruantur. Tribum autem Ruben, qui significat quasi videns filius, seu visio filij, illos qui mundi sunt corde, & qui per spiritū vident. Tribum verò Gad, qui significat tentationem, seu tentationis locum, eos innuit, qui per afflictiones tentationesque, quasi aurum igni, examinati sunt fidei probatione. At tribum Aser, per quem beatitudo significatur, illos designare dicimus, qui obseruatione beatitudinum, quas Deus ipse docuit, beatitudinem illam nacti sunt, quæ finem nescit. Sed tribum Nephthalim, qui significat intelligens, vel truncus appensus, eos qui eidem circuligati sunt trunco, quę est crux Christi, & intelligentia coronati, & eodem dæmones quasi cornu petunt. Tribum verò Manasse, qui ab obliuione interpretationem accipit, eos qui patriarum rerumque familiariū obliti sunt propter Christum, iuxta illud: Obliuiscere populi tui ac domus patris tui. Tribum autem Simeon, qui obedientiam indicat, eos qui per bonos ac puros actus diuinis præceptis obtemperant. Item tribum Leui, qui præuentū significat, eos qui à Deo præuenti sunt ad electionem, iuxta verbum Psalmi, ac in diuinis inhabituri sunt tabernaculis. Tribum verò Isachar, qui est merces, eos qui virtutibus operam dare decreuerunt, quò earum mercede futura præmia consequantur. Rursùm tribum Zabulō, quem præoccupatam liberationem interpretantur, eos designare, qui diuitias distribuunt pauperibus, & à Christo accipiunt. Tribum verò Ioseph, qui bonorum additio dicitur, eos qui in additionis parte ad regnum cælorum nutriti sunt, vitæq; necessaria à Domino, qui non mentitur, percipiunt. Porrò Beniamin tribum, quem interpretari potes filius doloris, vel filius diei, eos denotare dicimus, qui propter multitudinē dolorum, qui in corde sunt, diuinam inunctionem, quæ certantes expeditissimos aptissimosque reddit, accipiunt. Verùm Dan cognominationem, quanuis & ipse princeps tribus fuerit, cæteris

cæteris non copulauit, quòd ex ipsius tribu dubio procul nasciturus sit Antichristus. Hæc ex Areta. Iam ad Haymonis explicationem redeamus, qui Aretæ consentiens, De Dan, inquit,
Gen. 49.
nasciturus est Antichristus, iuxta illud Iacob, Fiat Dan coluber & cæter. Eijcitur itaque ex hoc loco Dan, vt ostendatur Antichristus ex numero sanctorum eijciendus: & sicuti Dan de hoc catalogo spirituali est eiectus, ita omnes reprobi eijcientur de consortio sanctorum in die iudicij. *Post hæc uidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Hoc est, postquàm auditui numerum fidelium, qui comprehenduntur in duodecim tribubus Israël, vidi turbam, quam dinumerare nemo poterat. Numerus electorum apud Deum finitus est, sed apud homines est infinitus. Vnde ad homines est referendum, quod dicitur, Quam dinumerare nemo poterat. *Ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis.* Cùm dicit, Ex omnibus gentibus, & deinde subinfertur, Et tribubus: ostendit quia in omnium gentiū nomine comprehendūtur fideles omniū tribubum, & econtrà in tribuū nomine comprehenduntur fideles omniū gentiū. Sancta Ecclesia in tres ordines diuiditur, in prælatos, cōiugatos & contiuentes. Numerus ergo præmissus nō est accipiendus pro finito, sed pro infinito.
Stantes ante thronum, & in conspectu agni. Per thronum intelligitur Ecclesia, quæ est sedes Dei, secundùm illud, Anima iusti sedes sapientiæ. Stat Ecclesia ante thronum, id est, ante seipsam, quia circunspecta est & sibi prouidet, ne aliquid indecens faciat. Stat, dum animum suum in so-
Psal. 39.
liditate dilectionis & fidei roborat. Hinc Psalmista: Statuit supra petram pedes meos. In conspectu etiam agni stat, quia de sua conscientia fida, omnia opera sua vult videri à Deo, à quo remuneretur. Vnde & vnus ex his adstantibus
Apoc. 18. & alibi.
dicebat: Viuit Dominus, in cuius conspectu sto.
Amicti stolis albis. Per stolas albas accipe synceritatem & puritatem baptismi, purgationem occulti & aperti martyrij, ablutionemq; fontis lachrymarum. Ante mediatoris aduentū corda humani generis maculis peccatorū erāt respersa, sed dealbata postea sunt tribus modis superiùs dictis. (id est, baptismo, martyrio, lachrymis) Sunt multi, qui has stolas post baptismi ablutionem mundas conseruant, quia nullū mortiferū crimē admittunt. Alij sunt, qui coinquinantur diuersis sceleribus, sed vt ad pristinum decorem redeāt, se occulto vel aperto martyrio, gemitibusq; lachrymarum candificant: sicq; fit, vt omnes fideles stolas habeant superiùs positas. *Et palmæ in manibus eorum.* Per palmas triumphus victoriæ designatur: per manus verò virtus operationis exprimitur. Palmas ergo in manibus habent electi, dum quolibet tempore triumphant de antiquo hoste, & huius seculi voluptatibus. Vel per manus intellige potestatem. Quòd enim per manus potestas designetur, habes in Euangelio,
Ioan. 10.
dicente Domino: Nemo potest rapere oues meas de manu mea, hoc est, de potestate. Potestatem enim accepimus, vt filij Dei essemus, dicē te B. Ioanne: Quotquot crediderunt in eū, dedit eis potestatē filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Palmas habemus in manibus, hoc est, victorias, cùm operibus bonis cōtra diabolum & incentiua carnis triumphamus: cuius nimirùm victoriæ summa in capite membrorū constitit. *Et clamabant uoce magna, dicentes:* Vocem magnam non strepitū vocis, sed desideriū summum sanctorum accipiamus. Vnde est: Desi-
Ioan. 1.
derium pauperum exaudiuit Dominus. Hinc Moysi cùm nihil exteriùs diceret, sed intùs tantùm
Psal. 9.
gemens oraret, Dominus ait: Quid clamas ad
Exod. 14.
me? *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum & agno.* Salus omnibus quæcunque tribuitur hominibus, siue in corpore, siue in anima, ipsi est deputanda. Vnde Psalmista: Domini est sa-
Psal. 3.
lus, & super populum tuum benedictio tua. Salus Deo nostro, id est, Deo patri: & agno, id est Dei filio, qui sedet super thronum: qui agnus appellatur propter innocentiam & victimationem. Sicuti autem hic introducit patrem & filium sedentem, & intelligitur spiritus sanctus: ita superiùs, vbi solum filium commemorauit, pater & spiritus sanctus pariter intelliguntur. Tale quid legimus in Euangelio, Do-
Ioan. 17.
mino dicente: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Ista est enim consuetudo diuinæ scripturæ, sicut supradictum est, vt vbi ponit patrem & filium, simul intelligatur spiritus sanctus. Super thronum sedet, id est, super Ecclesiam, quæ est sedes Dei, regnatque in cordibus fidelium habitando. *Et omnes angeli stabant in circuitu throni, & seniorum, & quatuor animalium.* Quod sunt throni, hoc sunt seniores, hoc & quatuor animalia. Genus in genere est in hoc loco, sicut legimus suprà de arca & de octo animabus. Ecclesia enim propter diuersa officia diuersis modis exprimitur. Quia enim Dominus in Ecclesia regnans, singulariter cuncta examinat, rectè per vnum thronum designatur: quia verò ipsa Ecclesia in capite suo aliorum facta iudicat, rectè per seniores: quia quoque pascuis virentibus per fidem iam in quibusdam membris inhæret, in quibusdam verò per speciem fruitur, benè per animalia: quia hæc ventura prædicando annuntiat, aptè per angelos: quia etiam ex diuersis gentibus aggregatur, iurè per turbam figuratur. Vnde & author huius reuelationis vt hanc turbam innumerabilem ipsos esse angelos ostenderet, solummodò eorum casum commemorat. Neque enim conuenit, vt angelis adorantibus, homines rigida ceruice starent. Angelos itaq; hic accipimus ipsos electos, qui designantur per vigintiquatuor seniores, qui rectè angeli vocantur, quia vitam æternā annuntiant. Ipsi sunt in circuitu throni, quia Ecclesiam doctrina, prece, exemplo vndique ambiunt. *Et ceciderunt*
I. Petr. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

runt in conspectu throni in facies suas. Casus iste humilitatis indicium est, quia electi quicquid boni habét, non suis meritis, sed gratiæ Dei deputant, à quo omnia bona sumuntur secundùm illud: Omne datum optimum & omne donum perfectum desursùm est, descendens à patre luminum. Et nota, quòd electi in faciem, reprobi verò retrò cadunt: quia electi videlicet in futuro sibi prospiciunt, reprobi verò quæ eos in futuro sequantur, prouidere negligunt. *Et adorauerunt Deum, dicentes, Amen. Benedictio & claritas & sapientia & gratiarum actio, honor & virtus & fortitudo Deo nostro in secula seculorum, Amen.* Hæc omnia cùm pertineant ad sanctam Trinitatem, quæ vnus & verus est Deus, specialiter tamen ad incarnati verbi personam referuntur, & infidelium ora Iudæorum hac authoritate claudúntur. Hucusque omnia ex Haymone. Pauca huc adferemus ex Catechismo, iussu Pij V. Pontificis maximi edito, de veneratione & inuocatione sanctorum. Veneratio, inquit, & inuocatio sanctorum angelorum & beatarum animarum, quæ cæli gloria perfruuntur, aut etiá corporú ipsorú sanctorumq; cinerú cultus, quó semper Catholica Ecclesia adhibuit, diuinæ legi non repugnat. Quis enim adeò demens est, qui edicente rege, ne se pro rege quisquá gerat, aut regio cultu atque honore affici patiatur, continuò putet nolle regem, suis vt magistratibus honos deferatur? Etsi enim angelos Christiani adorare dicuntur exemplo sanctorum veteris Testamenti, nó eam tamé illis veneratione adhibent, quam Deo tribuunt. Quòd si legimus interdum angelos recusasse, ne se homines venerarentur, eò fecisse intelligédum est, quòd sibi eum honorem haberi nolebant, qui soli Deo deberetur. & infrà: Tantum abest, vt sanctis, qui in Domino dormierunt, honore afficiédis atque inuocandis, & sacris eorum reliquijs cineribusque venerandis Dei gloria minuatur, vt eo maximè augeatur, quo magis hominum spem excitat, confirmat, & ad sanctorum imitationem cohortatur. quod officium Niceno altero, & Gangrensi ac Tridentino Concilijs, & sanctorum patrum authoritate comprobatur: ad quorum rationem, quod caput est, accedit consuetudo ab Apostolis accepta & in Ecclesia Dei perpetuò retenta & conseruata. Hæc ille insignis Catechismus. Præstet nobis bonus & præpotens Deus meritis & precibus sanctorum omnium, vt ita nos in hac vita geramus, vt in omné æternitatem cum illis in cælis ipsum videre, amare, laudare, benedicere mereamur, Amen.

Iac. 1.

In Explicatione Decalogi.

Apoc. 19. 22.

IN EODEM FESTO.
Matth. V.

In illo tempore: Videns Iesus turbas, ascendit in montem. Et cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius. Et aperiens os suum, docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Et reliqua. Homilia beati Leonis papæ.

PRædicáte, dilectissimi, Domino nostro Iesu Christo Euangelium regni, & diuersos per totam Galilæam curante languores, in oém se Syriá virtutum eius fama diffuderat, & multæ ex vniuersa Iudæa turbæ ad cælestem medicum confluebant. Quia enim tarda est humanæ ignorantiæ fides ad credenda quæ non videt, & speranda quæ nescit, oportebat diuina eruditione firmandos corporeis beneficijs & visibilibus miraculis incitari: vt cuius tam benignam experiebantur potentiá, non ambigerent salutarem esse doctrinam. Vt ergo exteriores medelas Dominus ad remedia interiora transferret, & post sanitates corporum, curationes operaretur animarum, segregatus à circunstantibus turbis, secessum vicini montis ascendit, aduocatis apostolis, quos sublimioribus institutis ab edito mysticæ sedis imbueret, ex ipsa loci atque operis qualitate significans se esse, qui Moysen quondam suo dignatus fuisset alloquio: illicquidem terribiliore iustitia, hic autem sacratiore clementia, vt impleretur quod fuerat propheta Ieremia dicente promissum: Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & consummabo super domum Israël & super domú Iuda testamentum nouum. Post dies illos, dicit Dominus, dabo leges meas in sensu ipsorum, & in corde ipsorum scribam eas. Qui ergo locutus fuerat Moysi, locutus est & Apostolis, & in cordibus discipulorum velox scribentis manus, noui testamenti decreta condebat, nulla, vt quondam, circunfusa nubium crasitudine, neq; per terribiles sonos atq; fulgores populo ab accessu montis absterrito: sed patente ad aures circunstantiú tranquillitate colloquij, vt per gratiæ lenitatem remoueretur legis asperitas, & spiritus adoptionis auferret formidinem seruitutis. Qualis igitur doctrina sit Christi, sacræ ipsius sententiæ protestantur, vt qui ad æternam beatitudinem peruenire desiderant, gradus felicissimæ ascensionis agnoscant. *Beati, inquit, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* De quibus pauperibus Dominus loqueretur, fortè esset ambiguum, si dicens, Beati pauperes, nihil adderet de intelligenda pauperum qualitate, & sufficere videretur ad promerendum regnum cælorum ea sola inopia, quam multi sub dura & graui necessitate patiuntur. Sed cùm ait, Beati pauperes spiritu, ostendit eis regnum cælorum tribuendum, quos humilitas commendat animorum, magis quàm indigentia facultatum. Dubitari autem nó potest, quòd humilitatis istius bonum faciliùs pauperes quã diuites assequantur, dum & illis in tenuitate amica est mansuetudo, & istis in diuitijs familiaris elatio. Veruntamen & in plerisque diuitibus inuenitur hic animus, qui abundantia sua nõ ad tumorem superbiæ, sed ad opera benignitatis vtantur, idque pro lucris maximis numerent, quod ad redimendam miseriam alieni laboris impenderint. Omni generi atque ordini hominum datur in hac virtute consortium, quia possunt esse proposito pares & impares censu: nec interest quantùm sint in terrena facultate dissimiles, qui in spiritalibus bonis inueniuntur æquales. Beata igitur illa paupertas, quæ rerum temporalium amore non capitur, nec mundi opibus augeri appetit, sed cælestibus bonis ditescere concupiscit. Huius nobis magnanimæ paupertatis exemplum primi post Dominum Apostoli præbuerunt, qui omnia sua sine differentia relinquentes, ad vocem cælestis magistri, à captura piscium in piscatores hominum alacri conuersione mutati sunt, & multos sui similes fidei imitatione fecerunt, quando illis primitijs Ecclesiæ vnum cor omnium, & anima erat vna credentium, qui vniuersis rebus suis possessionibusque distractis, per deuotissimam paupertatem bonis ditabantur æternis, & ex Apostolica prædicatione gaudebant se nihil habere de mundo, & omnia habere cum Christo. Hinc beatus Petrus Apostolus, cùm ascendens ad templum à claudo eleemosynam posceretur, Argentum, inquit, & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do. in nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula. Quid hac humilitate sublimius? quid hac paupertate locupletius? Non habet præsidia pecuniæ, sed habet dona naturæ. Quem debilem edidit mater ex vtero, saluum fecit Petrus ex verbo: & qui imaginem Cæsaris in numo non dedit, imaginem Christi in homine reformauit. Huius autem thesauri opibus non solùm ille adiutus est, cui gressus est redditus, sed etiam quinque millia virorum, qui tunc ad exhortationem Apostoli ob eiusdem curationis miraculum crediderunt. Et ille pauper, qui non habebat quod petenti daret, tantam dedit diuinæ gratiæ largitatem, vt quemadmodùm vnum hominem redintegrarat in pedibus, sic tot millia credentium sanaret in cordibus, faceretque eos in Christo alacres, quos in Iudaica perfidia inuenerat claudicantes. Post prædicationem huius felicissimæ paupertatis addidit Dominus, dicens: *Beati mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram.* Mitibus ac mansuetis, humilibus ac modestis, & ad omnium iniuriarum tolerantiam præparatis, possidenda terra promittitur. Nec parua æstimanda est hæc, aut vilis hæreditas, tanquàm à cælesti habitatione discreta sit, cùm regnum cælorum alij intelligantur

intrare. Terra ergo, promissa mitibus, & in possessionem danda mansuetis, caro sanctorum est, quæ ob humilitatis meritum felici resurrectione mutabitur, & immortalitatis gloria vestietur, in nullo iam spiritui futura contraria, & cum voluntate animi perfectæ vnitatis habitura consensum. Tunc enim exterior homo, interioris hominis erit quieta & intemerata possessio. Tunc mens videndo Deo intenta, nullis corporeæ molis impedietur obstaculis, nec iam dici necesse erit: Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem: quoniam habitatori suo non reluctabitur terra, nec immoderatum aliquid contra imperium sui rectoris audebit. Possidebunt enim illam mites pace perpetua, & nihil vnquam de eorum iure minuetur, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, vt periculum vertatur in præmium, & quod fuerat oneri, sit honori. Post hæc Dominus addit, & dicit: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Luctus hic dilectissimi, cui consolatio æterna promittitur, non est cum huius mundi afflictione communis, nec beatum quenquam faciunt ista lamenta, quæ totius humani generis deploratione funduntur. Alia est ratio sanctorum gemituum, alia beatarum causa lachrymarum. Religiosa tristitia aut alienum peccatum luget, aut proprium: nec de hoc dolet, quod diuina iustitia agitur, sed de eo mœret, quod humana iniquitate committitur. Vbi magis plangendus est faciens maligna quàm patiens: quia iniustum malitia sua demergit ad pœnam, iustum autem tolerantia ducit ad gloriam. Deinde ait Dominus: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiã, quoniã ipsi saturabuntur.* Nihil hæc esuritio corporeũ, nihil expetit sitis ista terrenũ, sed iustitiæ bono desiderat saturari, & in omnium occultorum introducta secretum, ipso Domino optat impleri. Felix mens, quæ hunc concupiscit cibum, & ad talem æstuat potum, quem vtique non expeteret, si nihil de eius suauitate gustasset. Audiens autem dicentem sibi propheticum spiritum, Gustate & videte, quoniam suauis est DOMINVS: accepit quandam supernæ dulcedinis portionem, & in amorem castissimæ voluptatis exarsit, vt spretis omnibus temporalibus, ad edendam bibendamq; iustitiam toto accenderetur affectu, & illius primi mandati apprehenderet veritatem, dicentis: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua: quoniam nihil est aliud diligere Deum, quàm amare iustitiam. Denique sicut illic dilectioni Dei, proximi cura subiungitur: ita & hic desiderio iustitiæ virtus misericordiæ copulatur, & dicitur: *Beati misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus.* Agnosce Christiane tuæ sapientiæ dignitatem, & qualium disciplinarú artibus ad quæ prę mia voceris,

Terra mitibus promissa.

Sap. 9.

1. Cor. 15.

Psal. 33.

Deut. 6.

Matth. 22.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ris,intellige.Misericordem te misericordia, iustum vult esse iustitia,vt in creatura sua creator appareat,& in speculo cordis humani per lineas imitationis expressa Dei imago resplendeat.Secura esto operantium fides: Aderunt tibi desideria tua,& his quæ amas,sine fine potieris. Et
Luc. 11. quoniam tibi per eleemosynam omnia munda sunt,ad eam quoque beatitudinem,quæ consequenter est promissa,peruenies,dicente Domino:*Beati mundo corde,quoniam ipsi Deum uidebunt.*
Magna felicitas, dilectissimi, cui tantum præmium præparatur. Quid ergo est habere cor mundum,nisi eis,quæ suprà dictæ sunt, studere virtutibus?Videre autem Deum quantæ sit beatitudinis,quæ mens concipere, quæ lingua valeat explicare? Et tamen hoc consequetur,cùm
1.Cor.13. transformabitur humana natura, vt non iam
Ioan. 1. per speculum in ænigmate,sed facie ad faciẽ, ip
2.Cor. 2. sam quam nullus hominum videre potuit,sicuti est,videat deitatem, & quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, per ineffabile gaudium æternæ contemplationis obtineat.Meritò hæc beatitudo,cordis promittitur puritati.Splendorem etenim veri lumi nis fordens acies videre non poterit:& quod erit iucunditas mentibus nitidis, hoc erit pœna maculosis. Declinentur igitur terrenarum caligines vanitatum, & ab omni squalore iniquitatis oculi tergantur interiores, vt serenus intuitus tantùm Dei visione pascatur. Ad hoc enim promerendum illud intelligimus pertinere,quod sequitur:*Beati pacifici, quoniam filij Dei uocabuntur.* Beatitudo ista,dilectissimi,non cuiuslibet consensionis,aut qualiscunque concor
Rom. 5. diæ est,sed illius,de qua dicit Apostolus:Pacem habete ad Deum.& de qua dicit propheta Da-
Psal. 118. uid:Pax multa diligẽtibus legẽ tuã,& non est illis scandalum.Hanc pacem etiam arctissima amicitiarum vincula,& indiscretæ similitudines animorum non veraciter sibi vendicant, si non cum Dei voluntate concordant. Extra dignitatem pacis sunt improbarũ parilitates cupiditatum,fœdera scelerum,& pacta vitiorum. Amor mũdi cum Dei amore non congruit, nec ad societatem filiorum Dei peruenit, qui se à carnali generatione non diuidit. Qui autem semper
Ephes.4. mente cum Deo sunt, soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis,nunquàm ab æterna le
Matth.6. ge dissentiunt,fideli oratione dicentes:Fat voluntas tua sicut in cælo, & in terra. Hi sunt pacifici,hi benè vnanimes, sanctæq; concordes, vo-
Rom. 8. candi æterno nomine filij Dei, cohæredes autem Christi: quia hoc merebitur dilectio Dei & proximi, vt nullas iam aduersitates sentiat, nulla scandala pertimescat: sed finito omnium tentationum certamine,in tranquillissima Dei pace requiescat,per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum patre & spiritusancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

IN FESTO S. MARtini, quære in Communi de Confessoribus.

De sancta Catharina, quære in Communi de Virginibus.

IN DIE ANIMARVM, SERMO BEATI AVgustini episcopi, de Verbis Apostoli, Vt de dormientibus non contristemur.

Est tom. 32. de temp. ser. 44.

ADmonet nos beatus Apostolus,vt de dormientibus,hoc est,mortuis charissimis nostris non contristemur,sicut & cæteri qui spem non habent, spem scilicet resurrectionis & incorruptionis æternæ. Nam ideò & dormientes eos appellat veracissima scripturæ consuetudo,vt quum dormientes audimus,euigilaturos minimè desperemus.Vnde etiam cantatur in Psalmo: Numquid qui dormit,non adijciet vt resurgat?Est ergo de mortuis eis qui diliguntur, quædam tristitia quodammodò naturalis.Mortem quippe horret non opinio,sed natura: nec huiusmodi mors accederet,nisi ex pœna, quam præcesserat culpa. Quapropter si animalia,quæ ita creata sunt,vt suo quoque tempore moriantur, morte fugiunt,diligunt vitam: quanto magis homo, qui sic fuerat creatus, vt si viuere sine peccato voluisset,sine termino viueret?Hinc itaque necesse est vt tristes simus, quando nos moriendo deserunt quos amamus: quia etsi nouimus eos non in æternum relinquere nos mansuros, sed aliquantulum præcedere secuturos: tamen mors ipsa quam natura refugit,cùm occupat dilectum,contristat in nobis ipsius dilectionis affectũ. Ideò admonuit Apostolus,non vt nõ contristemur,sed non sicut cæteri,qui spem non habent. Contristamur ergo nos in nostrorum mortibus necessitate amittendi,sed cum spe recipiẽdi. Inde angimur,hinc cõsolamur:inde infirmitas afficit,hinc fides reficit: inde dolet humana conditio, hinc sanat diuina promissio. Proinde pompa funeris, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepulturæ,monumentorũ opulenta constructio, viuorũ sunt qualiacunq; solatia,non adiutoria mortuorum. Orationibus verò sanctæ Ecclesiæ,& sacrificio salutari, & eleemosynis,quæ pro eorũ spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cùm eis misericordiùs agatur à Domino,quàm eorũ peccata meruerunt. Hoc enim à patribus traditum

tum vniuersa obseruat Ecclesia,vt pro eis:qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt,cùm ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur oretur,ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cùm verò eorum commendandorum causa,opera misericordiæ celebrantur,quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Nõ omninò ambigendum est ista prodesse defunctis,
Mal. 5. sed talibus,qui ita vixerint ante mortem,vt possint eis hæc vtilia esse post mortẽ. Nam qui sine fide,quę per dilectionem operatur,eiusq; sacramentis de corporibus exierunt, frustrà illis à suis huiusmodi pietatis impẽduntur officia,cuius dum hic essent,pignore caruerunt, vel non susci pientes,vel in vacuum susci pientes Dei gratiam,& sibi non misericordiam thesaurizantes, sed iram. Non ergo mortuis noua merita comparantur, cùm pro eis boni aliquid operantur sui,sed eorum præcedentibus consequentia ista redduntur.Non enim dictum est,nisi cùm hic viuerẽt,vt eos hæc aliquid adiuuarẽt,cũ hic viuere destitissent:& ideò istam finiens quisque vitam,nisi quod meruit in ipsa,non poterit habere post ipsam.Permittantur ergo pia corda charorum de suorum morte contristari dolore sanabili,& consolabiles lachrymas fundant conditione mortali, quas citò reprimat fidei gaudium,qua creduntur fideles quando moriũtur, paululùm à nobis abire, & ad meliora transire. Consoletur eos etiam fraterna obsequia, siue quæ funeribus exhibentur,siue quæ dolentibus
Wisd.63. adhibentur,ne sit iusta querela dicentium:Sustinui qui simul contristaretur,& non fuit: & consolantes,& non inueni.Sit pro viribus cura sepeliendi,& sepulchra construendi: quia & hæc in scripturis sanctis inter bona opera deputata sunt. Nec solùm in corporibus patriarcharum aliorumque sanctorum,& humanis cadaueribus quorumque iacentium, verumetiam in ipsius Domini corpore prædicati atq; collaudati sunt, qui ista fecerunt. Impleant hæc homines erga suos officia postremi muneris, & sui humani lenimenta mœroris. Verùm illa quæ adiuuant spiritus defunctorum, oblationes,orationes,erogationes,multo pro eis obseruantiùs,instantiùs, abundantiùs impendant,qui suos carne,non spiritu mortuos,non solùm carnaliter, sed etiam spiritaliter amant.

SERMO B. AVGVSTINI EPISCOPI DE VERBIS APOstoli, Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi,vt recipiat vnusquisq; prout gesit, siue bona, siue mala 2.Cor.5.

Mnium Christianorũ spes, fratres charissimi,in futurũ tempus extenditur,vt quod hic seruimus Deo, alibi nos seruisse lætemur. Hic enim nobis posita sunt certamina,sed in futuro seculo certaminum præmia reseruata. Iustè siquidem & prouidè diuina sapientia separauit tempus laboris & præmij. Hic ergo laboramus,hic Deo seruimus,& mandata eius seruamus, vt in futuro seculo,id est,in cælorum regno, æterna præmia capiamus.Scire enim debemus,fratres dilectissimi, quid nobis scriptura diuina commendat, id est,futurum esse iudicium Dei,quod post resurrectionem complebitur mortuorum. Hoc est,quod præcipuè Christianos à gentili errore secernit, quia illi hanc tantummodò vitam esse credũt,& ideò sine Deo esse,& diuersis peccatis atque criminibus non metuunt inquinari. Nos verò ita in hac vita conuersemur,vt nos ad aliam præparemus,in qua & bonis bona,& malis mala retribuentur,sicut dixit Apostolus: Omnes nos 2.Cor. 5.
manifestari oportet ante tribunal Christi,vt recipiat vnusquisq; prout gesit,siue bona,siue mala. Sicut hic modò astamus in Ecclesia,& nos in- *Quales adstabimus ante tribunal Christi.*
uicem præsentes aspicimus:ità etiam post resurrectionem mortuorum astituri sumus ante tribunal Christi. Hanc enim etiam ipsam animam tunc habebimus, quam modò habemus,& in hoc ipso,quo nunc induimur, sumus corpore resuscitandi.Non enim sicut muta animalia facti sumus,non sicut equi & boues,vt æterna morte pereamus:quia post quàm hic vixerimus, alibi iudicabimur, vt aut pro peccatis pœnas,aut pro bonis operibus præmia consequamur æterna.Nemo ergo,fratres mei charissimi,de resurrectione desperet, in qua Christianorum spes tota consistit.Credite fratres Apostolo prædicãti,& nihil de resurrectione dubitantes,ad diem iudicij vos præparate.An fortè sicut impij & increduli non putatis fieri posse, vt à mortuis resurgamus?Planè dicat hoc, qui omnipotentem non credit esse Deum, qui hoc promittit futurum. Nos autem,qui scimus Dei omnipotentis esse virtutem, quia promisisse Deum legimus, quòd resurrectionem mortuorum faciat, non possumus de resurrectione mortuorum dubitare,quam se facturũ esse promittit, qui & omnipotens est,& mentiri nescit.Sed te appello, quicũq; infideli animo de resurrectione dubitas,& putas nõ posse mortuos resuscitari. Quid est amplius,ex nihilo homines facere qui viuant, an eos qui facti sunt atq; vixerunt, reparare post mortem? Vtiq; plus est facere quod nunquam fuit,quàm reparare quod fuerit. Quomodò erdo impossibile esse dicis,vt Deus qui hominem formauit ex nihilo,reformet? Quomodò nos suscitare non potest conuersos in puluerẽ, qui si etiam in nihilum rediremus, facere poterat vt

Præmia bonorum operum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

essemus,sicut & fecit nos esse, cùm anteà nunquàm fuissemus?Ita enim beatus Apostolus Paulus dixit:Sed dicunt aliqui: Quomodò resurgunt mortui?Quali autem corpore veniunt? Insipiés tu quod seminas nõ viuificatur, nisi priùs moriatur. Et quod seminas, non corpus quod futurum est seminas,sed nudum granum, vtpotè tritici,aut alicuius cæterorum: Deus autem dat illi corpus sicut voluit,& vnicuiq; seminum proprium corpus. Noli ergo,incredule homo, de resurrectione dubitare: qui grana seminum mortua & putrefacta viuificat, per quæ in hoc seculo viuas,multo magis teipsum resuscitabit, vt viuas in æternum. Qui illa reparat quæ tibi sunt necessaria, quomodò teipsum non reparat,propter quem & alia reparare dignatus est? Itaque si velimus considerare,quæ in isto seculo videmus,diuinæ administrationis opera, signa sunt futurorum.Tota ergo huius mũdi administratio,testimonium est resurrectionis futuræ. Videmus certè hyemis tempore vel aduentu,arbores spoliari pomis, nudari foliis: sed eas rursùs verno tempore speciem resurrectionis exprimere,quæ primò quidem incipiunt turgere in gemmis,tunc ornari in floribus,vestiri & foliis,& postmodùm pomis grauari. Interrogo te, infidelis homo,qui de resurrectiõe dubitas,vbi sunt ista,quæ tempore quo Deus disposuit,producuntur?Dic mihi,vbi latitant antequàm producantur,quæ nusquam quidem videntur, sed tamen Deus qui omnipotens est, & ea ex nihilo condidit, secreta sua virtute producit?Hinc iam ad campos & prata respicite,quæ æstate transacta herbis suis spoliantur ac floribus,& nuda remanent ipsa spatia terrarum: sed iterùm verno tempore reuestiuntur,& nouo vbique germine incipiente lætatur agricola. Certè herba quæ antè vixit & moritur,rursùs reuiuiscit ex semine:sic etiam & nostrum corpus reuiuiscit ex puluere.Sed dicis,ô homo incredule: Ideò credimus futurum, vt arbores & herbæ & omnia reuiuiscant,quia illa iam facta cognoscimus. Vnde autem cognoscere possumus,quia mortui resurgunt, quum adhuc à mortuis nemo surrexerit? Quisquis hoc dicis vel cogitas,audi patienter,& intellige sapienter. Ideò enim Dominus noster Iesus Christus mori voluit & resurgere, ne tu de resurrectione dubitares. Tamen quomodò potes dubitare, quia non sumus resurrecturi à mortuis,quum hoc promittat Deus, qui nescit aliquando mentiri, qui potest facere quicquid vult,quia omnipotens est, & implet omnia quæ promittit,quia verax est,& mendaciũ in eo nõ est? Et dedit nobis pius & misericors Dominus virtutis suæ pignus,& grãdi testimonio nobis spem resurrectionis ostendit,quia vnigenitum filium suum pro nobis hominem factum & mortuum, à mortuis suscitauit. Ideò enim Dominus noster Iesus Christus nasci ex homine, id est, ex Maria virgine est dignatus, & à Iudæis crucifigi,& die tertia resurgere, vt nos tali exemplo animati, resurrectionem ex mortuis certissimè crederemus:quam qui non credit futuram, nec hoc quidem credit, quòd Christus resurrexit à mortuis. Qui autem Dominum Iesum resurrexisse à mortuis cõfitetur,nec de sua poterit dubitare. Abstinete ergo vos ab omni opere malo,ab inimicitijs,ab ebrietate,à fornicatione,à furto,à periurio,à falso testimonio,à detractione: quia hæc omnia odit Deus,& eos qui ista faciunt,puniet in futuro. Estote autem benigni,misericordes,inuicem honorem habentes, & ea semper operantes, quæ in sanctis suis diligit Deus,vt positis cum sanctis eius ad æternam & immortalem gloriam peruenire,& viuere in secula seculorum,Amen.

1. Cor. 15.

Testimonia futuræ resurrectionis.

TRACTATVS B. AVGVSTINI EPISCOPI DE EO, QVOD scriptum est in euangelio S. Ioannis, cap. XI. Erat autem quidam languens Lazarus.

NTer omnia miracula, quæ fecit Dominus noster Iesus Christus, Lazari resurrectio præcipuè prædicatur. Sed si attendamus quis fecerit, delectari debemus potiùs quàm mirari. Ille suscitauit hominem,qui fecit hominem. Ipse est enim vnicus patris,per quem,sicut nostis, facta sunt omnia. Si ergo per illum facta sunt omnia,quid mirum est,si surrexit vnus per illũ, cùm tot quotidiè nascantur per illum? Plus est homines creare quàm resuscitare. Dignatus est tamen & creare & resuscitare:creare omnes, resuscitare quosdam. Nam cùm multa fecisset Dominus Iesus, non omnia scripta sunt, sicut idem ipse sanctus euangelista testatur, multa Dominum Iesum & dixisse & fecisse, quæ scripta non sunt. Electa sunt autem quæ scriberentur, quę saluti credentium sufficere videbantur. Audistis enim quia Dominus Iesus mortuũ suscitauit:sufficit tibi vt scias,quia si vellet, omnes mortuos suscitaret. Et hoc quidem sibi ad finẽ seculi reseruauit. Nam quem audistis magno miraculo quatriduanũ mortuũ suscitasse de sepulchro,veniet hora,sicut ipse dixit,quando omnes qui sunt in monumentis,audient vocem eius,& procedent. Resuscitauit putentem, sed tamen in cadauere putente adhuc erat forma mẽbrorum. Ille in nouissimo die ad vnam vocem cuiusres est restituturus in carnẽ. Sed oportebat vt modò aliqua faceret,quibus datis velut suæ virtutis indicijs,credamus in eum,& ad illam resurrectionem

Ibid.

Tres à Domino excitati.

ctionem præparemur, quæ erit ad vitam,non ad iudicium. Ita quippe ait: Veniet hora, quando omnes qui in monumentis sunt,audient vocem eius:& procedent, qui bona fecerunt,ad resurrectionem vitæ: qui mala egerunt, ad resurrectionem iudicij. Tres tamen à Domino resuscitatos mortuos in euangelio legimus, & fortè non frustrà. Domini quippe facta non sunt tantummodò facta,sed signa. Si ergo signa sunt, præter id quòd mira sunt,aliquid profectò significant:quorum factorum significationem inuenire,aliquanto est operosius,quàm ea legere vel audire. Admirantes audiebamus, tanquàm magni miraculi spectaculo ante oculos nostros constituto,cùm euangelium legeretur,quemad modùm reuixerit Lazarus. Si attendamus mirabiliora opera Christi,omnis qui credit, resurgit. Si attendamus omnes & intelligamus detestabiliores mortes,omnis qui peccat, moritur: sed mortem carnis omnis homo timet, mortem animæ pauci. Pro morte carnis, quæ sine dubio quandoque futura est,curant omnes ne veniat. Inde est,quòd laborãt. Laborat ne moriatur homo moriturus,& nõ laborat ne peccet homo in æternum victurus. Et cùm laborat ne moriatur, sine causa laborat. Id enim agit,vt multùm mors differatur,non vt euadatur. Si autem peccare nolit,non laborabit,& viuet in æternum. O si possemus excitare homines mortuos, & cum ipsis pariter excitari, vt tales essemus amatores vitæ permanentis,quales sunt homines amatores vitæ fugientis. Quid non facit homo sub mortis periculo constitutus?Gladio impendente cruribus,prodiderunt homines, quicquid sibi vnde viuerent,reseruabant. Quis non continuò prodidit,ne percuteretur?Et post proditionem fortasse percussus est. Quis non vt viueret, continuò perdere voluit vnde viueret,eligens vitam mẽdicantem,quàm celerem mortem?Cui dictũ est:Nauiga ne moriaris,& distulit? Cui dictum est,Labora ne moriaris, & piger fuit? Leuia Deo iubet,vt in æternũ viuamus,& obedire negligimus. Non tibi Deus dicit, Perde quicquid habes,vt viuas exiguo tempore in labore solicitus: sed,Da pauperi vnde habes,vt viuas semper sine labore securus. Accusant nos amatores vitæ temporalis,quam nec cùm volunt,nec quandiù volunt,habent: & nos inuicem nõ accusamus,tam pigri,tam tepidi ad capessendam vitam æternũ, quam si voluerimus,habebimus: cùm habuerimus,non amittemus. Hanc autem mortem quã timemus,etiamsi noluerimus,habebimus. Si ergo Dominus magna sua gratia,& magna sua misericordia animas suscitat,ne moriantur in æternum,benè intelligimus tres illos mortuos,quos in corporibus suscitauit, aliquid significare & figurare de resurrectionibus animarum, quæ fiunt per fidem: Resuscitauit filiam archisynagogi adhuc in domo iacentem:Resuscitauit iuuenem filium viduæ, extra portas ciuitatis elatum:Resuscitauit Lazarum sepultum quatriduanum.Intueatur quisque animam suam:si peccat, moritur. Peccatum,mors est animæ. Sed aliquãdo in cogitatione peccatur. Delectauit quod malum est:consensisti,peccasti. Consensio illa occidit te. Sed intùs est mors,quia cogitatũ malum nondum processit in factum. Talem animã resuscitare se significans Dominus, resuscitauit illam puellam,quæ nondùm erat foras elata,sed in domo mortua iacebat: quasi peccatum latebat. Si autem non solùm malæ delectationi consensisti,sed etiam ipsum malum fecisti, quasi mortuum extra portam extulisti:iam foris es,& mortuus elatus es:tamen & ipsum Dominus resuscitauit,& reddidit viduæ matri suæ. Si peccasti,pœniteat te,& resuscitat te Dominus, & reddet Ecclesiæ matri tuæ. Tertius mortuus, est Lazarus. Est genus mortis immane,mala consuetudo appellatur. Aliud est enim peccare,aliud peccandi consuetudinem facere. Qui peccat & continuò corrigitur,citò reuiuiscit, quia nondùm est implicatus consuetudine,non est sepultus. Qui autem peccare consueuit,sepultus est,& bene de illo dicitur,Fœtet. Incipit enim habere pessimam famam, tanquàm odorem teterrimum. Tales sunt omnes assueti sceleribus, perditis moribus. Dicis ei,Noli facere. quando te audit,quem terra sic premit,& tabe corrumpitur,& mole consuetudinis prægrauatur? Nec ad ipsum tamen resuscitandum minor fuit virtus Christi. Nouimus,videmus quotidiè: videmus homines pessima consuetudine permutata, viuere meliùs,quàm viuant qui reprehendebant. Detestabaris hominem. Ecce ipsa soror Lazari (si tamen ipsa est,quæ pedes Domini vnxit vnguento,& terfit capillis suis,quos lauerat lachrymis)meliùs suscitata est,quàm frater eius. De magna malę consuetudinis mole est *lib* erata. Erat enim famosa peccatrix,& de illa dictum est: Dimittũtur ei peccata multa,quoniã dilexit multũ. Videmus multos nouimus multos: nemo desperet,nemo de se præsumat. Et desperare malũ est,& de se præsumere. Sic noli desperare, vt eligas de quo debeas præsumere. Ergo & Lazarum Dominus suscitauit. Audistis qualem, id est, quid significet Lazari resurrectio. Legamus itaque iam,& quoniam multa in hac lectione manifesta sunt,expositionem in singulis non quæramus,vt necessaria pertractemus. *Erat autem quidam languens Lazarus à Bethania, de castello Mariæ & Marthæ fororum eius.* In superiori lectione meministis,quòd Dominus exijt de manibus eorum, qui eum lapidare voluerant, & discessit trãs Iordanẽ,vbi Ioannes baptizabat. Ibi ergo Domino constituto, infirmabatur in Bethania Lazarus, quod castellum erat proximum Hierosolymis. *Maria autem erat,quæ unxit Dominum unguento,& extersit pedes eius capillis suis,cuius frater Lazarus infirmabatur. Miserunt ergo sorores eius ad eum,dicentes.* Iam

Ioan. 11.

Tria genera peccatorum.

Mala consuetudo.

Luc. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

intelligimus quò miserunt, vbi erat Iesus: quoniam absens erat, trans Iordanem scilicet. Miserunt ad Dominum, nunciantes quòd ægrotaret frater earum: vt si dignaretur, veniret, & eum ab ægritudine liberaret. Ille distulit sanare, vt posset resuscitare. Quid ergo renúciauerũt sorores eius? *Domine, ecce quẽ amas, infirmatur.* Non dixerũt, Veni. Amãti enim tantũmodò nunciandũ fuit. Non ausæ sunt dicere, Veni & sana: nõ ausæ sunt dicere, Ibi iube, & hic fiet. Cur enim nõ & istæ, si fides illius centurionis inde laudatur? Ait enim: Matth. 8. Non sum dignus, vt intres sub tectum meũ: sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus. Nihil horum istæ, sed tantummodò, Domine, ecce quem amas, infirmatur. Sufficit, vt noueris. Non enim amas, & deseris. Dicit aliquis: Quomodò per Lazarum peccator significabatur, & à Domino sic amabatur? Audiat eum dicentem: Non Matth. 9. veni vocare iustos, sed peccatores. Si enim peccatores Deus non amaret, de cælo ad terrã non descenderet. *Audiens autem Iesus, dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei.* Talis glorificatio ipsius non ipsum auxit, sed nobis profuit. Hoc est ergo, quod ait, Non est ad mortem: quia & ipsa mors non erat ad mortem, sed potiùs ad miraculum: quo facto crederent homines in Christum, & vitarent veram mortem. Sanè videte, quemadmodùm tanquàm ex obliquo Dominus Deum se dixit, propter quosdam qui negant filium Deum esse. Nã sunt hæretici, qui hoc negant, quòd filius Dei Deus sit. Ecce audiant: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei. Qua gloria? Cuius Dei? Audi quid sequitur: Vt glorificetur filius Dei. Infirmitas ergo hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam. Per quam? Per illam infirmitatem. *Diligebat autem Iesus Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum.* Ille languens, illæ tristes, omnes dilecti: sed diligebat eos & languentium saluator, immò etiam mortuorum suscitator, & tristium consolator. *Vt ergo audiuit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.* Nunciauerunt ergo illi, mansit illic ille. Tandiù tempus ductum est, quousque quatriduum compleretur. Non fruſtrà, nisi quia fortè, immò quia certè & ipse numerus dierum intimat aliquod sacramẽtum. *Deinde post hæc dicit discipulis suis: Eamus in Iudæam iterum.* Vbi penè fuerat lapidatus: qui propterea inde discesisse videbatur, ne lapidaretur. Discesserat enim vt homo, sed in redeundo quasi oblitus infirmitatem, ostẽdit potestatem. Eamus, inquit, in Iudæam. Denique hoc dicto, videte quemadmodùm discipuli territi fuerint. *Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quærebant te lapidare Iudæi, & iterum vadis illuc? Respondit Iesus: Nónne duodecim sunt horæ diei?* Quid sibi vult ista responsio? Illi dixerunt: Modò te lapidare volebant Iudæi, & iterùm vadis illuc, vt te lapident? Et Dominus: Nónne duodecim sunt horæ diei? *Si quis ambulauerit in die, non offendit: quia lucem huius mundi uidet. Si autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.* De die quidem locutus est, sed in nostra intelligentia quasi adhuc nox est. Inuocemus diem, vt expellat noctem, & cor lumine illustret. Quid enim Dominus dicere voluit? Quãtum mihi videtur, quantum sublucet altitudo profunditasque sententiæ, redarguere voluit dubitationem illorum & infidelitatem. Voluerunt enim consilium dare Domino, ne moreretur, qui venerat mori, ne ipsi morerentur. Sic etiam quodam alio loco Petrus sanctus diligens Dominum, sed adhuc non plenè intelligens cur veniisset, timuit ne moreretur: & vitæ displicuit, id est, ipsi Domino. Nam cùm indicaret discipulis, quòd esset Hierosolymis à Iudæis passurus, respõdit Petrus inter cæteros, & ait: Absit à te Domine: ppitius esto tibi. nõ fiet istud. Et cõtinuò Dominꝰ: Redi post me satanas. nõ enì sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominũ. Et paulò antè confitẽs filiũ Dei, laudẽ meruerat. Audierat enim: Beatus es Simõ Bar Iona: quia nõ tibi reuelauit caro & sanguis, sed pater meus qui in cælis est. Cui dixerat, Beatus es, illi dicit, Redi retrò me satanas: quia beatus à se nõ erat. Sed vnde? Quia nõ tibi reuelauit caro & sanguis, sed pater meus qui in cælis est. Ecce vnde beatus es, non de tuo, sed de meo. Nõ quia pater ego, sed quia omnia quę habet pater, mea sunt. Si beatus de ipsius Domini, satanas de cuius? Ibi dicit, rationẽ quippe reddidit beatitudinis, cũ diceret: Non caro & sanguis tibi reuelauit hoc, sed pater meus qui in cælis est. Hæc est causa beatitudinis tuæ. Quòd verò dixit, Redi post me satanas, audi etiam huius rei causã. Non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominũ. Nemo ergo se palpet: de suo satanas est, de Dei beatus est. Quid est enì de suo, nisi de peccato suo? Tolle peccatũ qd' est tuũ, iustitia, inquit, de meo est. Quid enim habes quod non accepisti? 1. Cor. Cũ ergo vellent dare consiliũ homines Deo, discipuli magistro, serui Domino, ęgroti medico, corripuit eos, & ait: Non ne duodecim sunt horę diei? Si quis ambulauerit in die, nõ offẽdit: me sequimini, si nõ vultis offẽdere. Nolite mihi cõsiliũ dare, quos à me consiliũ oportet accipere. Quò ergo pertinet, Nõ ne duodecim sunt horę diei? Quia vt diẽ se esse ostẽderet, duodecim discipulos elegit. Si ego sum, inquit, dies & vos horæ: nũquid horæ diei consiliũ dant? Horę diẽ sequũtur, non dies horas. Si ergo illi horæ, quid ibi Iudas? Et ipse inter duodecim horas? Si erat hora, lucebat: si lucebat, quomodò diẽ ad mortẽ tradebat? Sed Dominus in hoc verbo nõ ipsũ Iudã, sed ipsius successorẽ præuidebat. Iuda enim cadente, successit Matthias, & duodenarius numerus mansit. Non ergo fruſtrà duodecim discipulos elegit Dominus, nisi quia ipse spiritalis est dies. Sequantur ergo horæ diẽ, prædicent horæ diẽ, horæ illustrentur à die, horæ illuminentur

minentur à die, & per horarum prædicationẽ credat mundus in diem. Hoc ergo ait de compendio, Me sequimini, si non vultis offendere. Et post hoc dicit eis: *Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut à somno excitem eum.* Verum dixit: sororibus mortuus erat, Domino dormiebat: hominibus mortuus erat, qui eũ suscitare non poterant. Nã Dominus tãta eum facilitate excitabat de sepulchro, quãta tu nõ excitas dormientẽ de lecto. Ergo secundũ potentiã suã dixit dormientẽ, quia 1. Thess. 4. & alij mortui dicti sunt in scripturis sępè dormientes, sicut Apostolus dicit: De dormiẽtibus aũt nolo vos ignorare fratres, vt nõ cõtristemini sicut & cæteri, qui spẽ nõ habent. Ideò & ipse dormientes appellauit, quia resurrecturos prænunciauit. Dormit ergo omnis mortuus, & bonus & malus. Sed quomodò interest in ipsis, qui quotidiè dormiunt & exurgunt, quid quisq; videat in somnis (alij sentiũt læta somnia, alij torquentia, ita vt euigilãs dormire timeat, ne ad ipsa iterum redeat) sic vnusquisq; hominũ cũ causa sua dormit, cũ causa sua surgit: & interest quali custodia quisq; recipiatur, ad iudicẽ posteà producẽdus. Nã & receptiones in custodia pro meritis causarũ adhibentur. Alios iubẽtur custodire lictores humanũ & mite officiũ atq; ciuile: alij traduntur optionibus, alij mittuntur in carcerẽ: & in carcere ipso non oẽs, sed pro meritis, grauiorũ causarum in ima carceris contrudẽtur. Sicut ergo diuersæ custodiæ agentiũ in officio, sic diuersa custodia mortuorũ, & diuersa merita resurgentiũ. Receptus est pauper, receptꝰ est & diues: sed ille Luc. 16. in sinu Abrahæ, ille vbi sitiret, & guttã aquæ non inueniret. Habent ergo omnes animæ, vt ex hac occasione instruam charitatem vestram, habent oẽs animæ cùm de sęculo exierint, diuersas receptiones suas. Habent gaudiũ bonæ, malæ tormẽta: sed cũ facta fuerit resurrectio, & bonorũ amplius gaudium erit, & malorũ tormenta grauiora, quando cum corpore torquebuntur. Recepti sunt in pace sancti patriarchę, prophetę, apostoli, martyres, boni fideles: omnes tamen adhuc in fine accepturi sunt, quod ꝓmisit Deus. Promissa est enim resurrectio etiam carnis, mortis consumptio, vita æterna cum angelis. Hoc oẽs simul accepturi sumus. Nam requiẽ quæ cõtinuò post mortẽ datur, si ea dignus est, tunc accipit quisq; cũ moritur. Priores acceperũt patriarchæ, posteriores prophetę, recẽtiùs apostoli, multò recẽtiores sancti martyres, quotidiè boni fideles: & alij in ista requie tandiù sunt, alij nõ tãdiù, alij annis paucioribus, alij recenti tẽpore. Cũ verò ab hoc somno euigilabunt, simul oẽs quod promissum est accepturi sunt. Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt à somno excitem eum. *Dixerunt ergo discipuli:* quomodò intellexerunt, sic responderunt: *Domine, si dormit, saluus erit.* Solet enim esse somnus ægrotantium, salutis indicium. *Dixerat autem Iesus de morte eius: illi autem putauerunt, quia de dormitione somni diceret.* Tunc ergo dixit eis Iesus manifestè. Subobscurè enim dixerat, Dormit. Ait ergo manifestè: *Lazarus mortuus est, & gaudeo propter uos, ut credatis, quia non eram ibi.* Et scio quia mortuus est, & non eram ibi. Aeger enim, non mortuus fuerat nũciatus. Sed quid lateret eum qui creauerat, & ad cuius manus anima morientis exierat? Hoc est quod ait: Gaudeo propter vos, vt credatis quia non ibi eram: vt iam inciperent admirari, quia Dominus potuit dicere mortuum, quod non viderat, nec audierat. Vbi sanè meminisse debemus, quòd adhuc etiam ipsorum discipulorum, qui in eum iam crediderant, miraculis ædificabatur fides: non vt ea, quæ non erat, esse inciperet, sed vt ea iam quæ esse cœperat, crescceret: quanuis tali verbo vsus sit, quasi tunc credere inciperent. Non enim ait: Gaudeo propter vos, vt vestra fides augeatur, siue firmetur: sed ait, Vt credatis, quod intelligendum est, vt ampliùs robustiusq; credatis. *Sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didimus, ad condiscipulos: Eamus & nos, & moriamur cum illo. Venit itaq; Iesus, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habẽtem.* De quatuor diebus multa quidem dici possunt, sicut se habent obscura scripturarum, quæ pro diuersitate intelligentium multos sensus pariunt. Dicamus & nos, quid nobis videatur significare mortuus quatriduanus. Quomodò enim in illo cæco intelligimus quodammodò humanum genus, sic fortè & in isto mortuo multos intellecturi sumus. Diuersis enim modis vna res significari potest. Homo quando nascitur, iam cum morte nascitur, quia de Adam peccatũ trahit. Vnde dicit Apost. Per vnũ hominem Rom. 5. peccatũ intrauit in mundũ, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt. Ecce habes vnũ diem mortis, quod homo trahit de mortis propagine. Deinde crescit, incipit accedere ad rationales annos, vt legem sapiat naturalem, quam omnes habent in corde fixam: Quod tibi fieri non vis, alij ne feceris. Nunquid hoc de paginis discitur, & non in natura ipsa quodammodò legitur? Furtum vis pati? Vtique nõ vis. Ecce lex in corde tuo: Quod non vis pati, facere noli. Et hanc legem transgrediuntur homines. Ecce alter dies mortis. Data est etiam lex diuinitùs per famulum Dei Moysen. Dictum est illic: Non occides, non mœchaberis, non falsum testimonium dices, honora patrem & matrem, non concupisces rem proximi tui, non concupisces vxorem proximi tui. Ecce lex scripta est, & ipsa contemnitur. Ecce tertius dies mortis. Quid restat? Venit & euangelium: Prædicatur regnum cælorum, diffamatur vbique CHRISTVS, minatur gehenna, vita promittitur æterna, & ipsa contemnitur. Transgrediuntur homines euangelium: ecce quartus dies mortis. Meritò iam putet. Nũquid & talibus neganda est misericordia? Absit. Etiã ad tales Dominus excitandos non dedignatur accedere. *Multi autem ex Iudæis uenerant ad Martham*

Exod. 20.

Quatuor dies mysti cè.

Ioan. 9.

Tob. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& Mariam, ut consolarentur eam de fratre suo. Martha ergo ut audiuit quia Iesus uenit, occurrit illi. Maria autem domi sedebat. Dixit ergo Martha ad Iesum: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. *Sed & nunc scio, quia quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus.* Non dixit, Sed & modò rogo te, vt resuscites fratrem meum. Vnde enim sciebat, si fratri eius resurgere vtile fuerit? Hoc tantùm dixit, Scio quia potes: si vis, facis. vtrùm enim facias, iudicij tui est, non præsumptionis meæ. Sed & nunc scio, quia quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus. *Dixit illi Iesus: Resurget frater tuus.* Hoc ambiguum fuit. non enim ait: Modò resuscito fratrẽ tuum, sed, Resurget frater tuus. *Dicit ei Martha: Scio quia resurget in resurrectione, in nouissimo die.* De illa resurrectione secura sum, de hac vita incerta sum. *Dicit ei Iesus: Ego sum resurrectio & uita.* Dicis, Resurget frater meus in nouissimo die: verũ dicis. Sed per quem tunc resurget, potest & modò: quia ego sum, inquit, resurrectio & vita. Audite fratres, audite quid dicat. Certè tota expectatio erat circũstantiũ, vt reuiuisceret Lazarus, vnus mortuus quatriduanus. Audiamus & resurgamus: Quàm multi sunt in hoc populo, quos premit malæ consuetudinis moles. Forte audiũt me quidam, quibus dicitur: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Dicunt, Nõ possumus. Forte audiunt me aliqui immundi, lasciuijs & flagitijs inquinati, quibus dicitur: Nolite hoc facere, ne pereatis. Et respondent, Non possumus tolli à consuetudine nostra. O Domine, istos resuscita. *Ego sum*, inquit, *resurrectio & uita.* Ideò resurrectio, quia vita. *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet. Et omnis qui uiuit, & credit in me, non morietur in æternum.* Quid est hoc? Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, sicut Lazarus mortuus est, viuet? Quia non est Deus mortuorum, sed viuorum. De olim mortuis patribus, hoc est, de Abraham, & Isaac, & Iacob tale Iudæis responsum dedit: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. non est Deus mortuorum, sed viuorum: Omnes enim illi viuunt. Crede ergo, & si mortuus fueris, viues. Si autem non credis, & quũ viuis, mortuus es. Probemus & hoc, quia si nõ credis & viuis, mortuus es. Cuidam Dominus differenti sequi eum, & dicenti, Eam priùs sepelire patrem meum: Sine, inquit, mortuos sepelire mortuos suos: tu veni, sequere me. Erat ibi mortuus sepeliendus, erant ibi & mortui mortuum sepulturi. Ille mortuus in carne, illi in anima. Vnde mors in anima? Quia non est fides. Vnde mors in corpore? Quia non est ibi anima. Ergo animæ tuæ vita, fides est. *Qui credit in me,* inquit, *etiam si mortuus fuerit* in carne, *uiuet* in anima, donec resurgat & caro, nunquam posteà moritura. Hoc est, qui credit in me, licet moriatur, viuet. Et omnis qui viuit in carne & credit in me, etsi moriatur ad tempus propter mortem carnis, non morietur in æternum, propter vitam spiritus, & immortalitatem resurrectionis. Hoc est, quod ait: Omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. *Credi: hoc? Ait illi: Vtique Domine, ego credidi quia tu es* CHRISTVS *filius Dei, qui in hunc mundum uenisti.* Quandò hoc credidisti? Credidi quia tu es resurrectio, credidi quia tu es vita, credidi quia qui credit in te, etsi moriatur, viuet: & qui viuit & credit in te, non morietur in æternum. *Et cùm hæc dixisset abijt, & uocauit Mariam sororem suam silentiò, dicens: Magister adest, & uocat te.* Aduertendum est, quemadmodùm suppressam vocem silentium nuncupauit. Nam quomodò siluit quæ dixit: Magister adest, & vocat te? Aduertendum etiam, quemadmodùm euangelista non dixerit, vbi vel quãdo vel quomodò Mariam Dominus vocauerit, vt hoc in verbis Marthæ potiùs intelligeretur, narrationis breuitate seruata. *Illa ut audiuit, surgit citò, & uenit ad eum. Nondum enim uenerat Iesus in castellum, sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha. Iudæi igitur qui erant cum illa in domo, & consolabantur eam, cùm uidissent Mariam, quia citò surrexit & exijt, secuti sunt eam, dicentes: Quia uadit ad monumentum, ut ploret ibi.* Quarè hoc pertinuit ad euangelistam narrare? vt videamus quæ occasio fecerit, vt plures ibi essent, quando Lazarus resuscitatus est. Putantes enim Iudæi propterea illam festinare, vt doloris sui solatium lachrymis quæreret, secuti sunt eam, vt tam grande miraculum quatriduani mortui resurgentis testes plurimos inueniret. *Maria autem cùm uenisset ubi erat Iesus, uidens eum, cecidit ad pedes eius, & dixit ei: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Iesus autem ut uidit eam plorantem, & Iudæos qui cum illa erant plorantes, fremuit spiritu, & turbauit semetipsum, & dixit: Vbi posuistis eum?* Nescio quid nobis insinuauit fremendo spiritu, & turbando seipsum. Quis enim eum posset, nisi se ipse turbare? Itaque fratres mei, primò hic attendite potestatem, & sic inquirite significationem. Turbaris tu nolens, turbatus est CHRISTVS, quia voluit. Esuriuit Iesus, verum est, sed quia voluit. Dormiuit Iesus, verum est, sed quia voluit. Contristatus est Iesus, verum est, sed quia voluit. Mortuus est Iesus, verum est, sed quia voluit. In illius potestate erat sic vel sic affici, vel non affici. Verbum enim animam suscepit & carnem, totius hominis sibi coaptans in personæ vnitate naturam. Nam & anima Apostoli verbo illustrata est: anima Petri verbo illustrata est, anima Pauli & aliorum apostolorum ac sanctorum prophetarum verbo illustratæ sunt animæ: sed de nulla dictum est, Verbum caro factum est. de nulla dictum est, Ego & pater vnum sumus. Anima & caro Christi cum verbo Dei, vna persona est, vnus Christus est: ac per hoc

hoc vbi summa potestas est, secundùm voluntatis nutum tractatur infirmitas: hoc est, turbauit semetipsum. Dixi potestatem, attendite significationem. Magnus reus est, quem mortis quatriduum & illa significat sepultura. Quid est ergo, quòd turbat semetipsum Christus, nisi vt significet tibi, quomodò turbari tu debeas, cùm tanta mole peccati grauaris & premeris? Attendisti enim te, vidisti te reum, computasti tibi. Illud feci, & pepercit mihi Deus: illud commisi, & distulit me: euangelium audiui, & contempsi. Baptizatus sum, & iterùm ad eadem reuolutus sum. Quid facio? quò eo? vnde euado? Quando ista dicis, iã fremit Christus, quia fides fremit. In voce fremẽtis apparet spes resurgẽtis. Si ipsa fides est intus, ibi est Christus fremẽs. Si fides in nobis, Christus in nobis. Quid enim aliud ait Apostolus, Habitare Christũ per fidẽ in cordibus vestris? Ergo fides tua de Christo, Christus est in corde tuo. Hinc est illud, quòd dormiebat in naui: & cùm periclitarentur discipuli, iam imminente naufragio, accesserunt ad eum, & excitauerunt eum. Surrexit Christus, imperauit ventis & fluctibus, & facta est tranquillitas magna. Sic & tu. Intrant venti cor tuum, vtiq; vbi nauigas, vbi hanc vitam tanquam procellosum & periculosum pelagus transis, intrant venti, mouent fluctus, turbant nauim. Qui sunt venti? Audisti conuicium, trascris: conuicium ventus est, iracundia fluctus est. Periclitaris, disponis respondere, disponis maledictum pro maledicto reddere, iam nauis propinquat naufragio. Excita Christum dormientem. Ideò enim fluctuas, & mala pro malis reddere præparas, quia Christus dormit in naui. In corde enim tuo somnus Christi, obliuio est fidei. Nam si excites Christum, i. recolas fidem, quid tibi dicit tanquam vigilans Christus in corde tuo? Ego audiui, Dæmonium habes, & pro eis oraui. Audit Dominus, & patitur: audit seruus, & indignatur? Sed vindicari vis. Quid enim? Ego iam sum vindicatus? Cùm hæc loquitur tibi fides tua, quasi imperatur ventis & fluctibus, & fit tranquillitas magna. Quomodò ergo hoc est excitare Christum in naui, excitare fidem: sic in corde hominis, quem premit magna moles & consuetudo peccati, in corde hominis transgressoris etiam sancti euangelij contemptoris pœnarum æternarum, fremat Christus, increpet se homo. Audi adhuc: Fleuit Christus, fleat se homo. Quarè enim fleuit Christus, nisi quia flere hominem docuit? Quare fremuit, & turbauit semetipsum, nisi quia fides hominis sibi meritò displicentis fremere quodammodò debet in accusatione malorum operum, vt violentiæ pœnitendi cedat consuetudo peccandi? *Et dixit: Vbi posuistis eum?* Scisti quia mortuus sit, & vbi sit sepultus ignoras? Et ista significatio est, quia sic perditum hominem quasi nescit Deus. Non au sus sum dicere, nescit. Quid enim ille nescit? sed quasi nescit. Vnde hoc probamus? Dominum audi dicturum in iudicio: Non noui vos. Discedite à me. Quid est, Non noui vos? Non vos video in luce mea, non vos video in illa iustitia quam noui. Sic & hic tanquàm nesciens talem peccatorem, dixit: Vbi posuistis eum? Talis est vox Dei in paradiso, posteaquàm homo peccauit: Adam vbi es? *Dicunt ei: Domine, ueni & uide.* Quid est, Vide? Miserere. Videt enim Dominus, quando miseretur: vnde illi dicitur: Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea. *Et lachrymatus est Iesus. Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodò amabat eum.* Quid est, Amabat eum? Non veni vocare iustos, sed peccatores in pœnitentiam. *Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci, facere ut & hic non moreretur?* Qui noluit facere vt non moreretur, plus est quod facturus est, vt mortuus suscitetur. *Iesus ergo rursùm fremens in semetipso, uenit ad monumentum.* Fremat & in te, disponis reuiuiscere: Omni homini dicitur, qui premitur pessima consuetudine. Venit ad monumentum. *Erat autem spelunca, & lapis superpositus erat ei.* Mortuus sub lapide, reus sub lege. Scitis enim, quia lex, quæ data est Iudæis, in lapide scripta est. Omnes autem rei, sub lege sunt: benè viuentes, cùm lege sunt. Iusto lex posita non est. Quid est ergo, lapidem remouete? Gratiam prædicate. Apostolus enim Paulus ministrum se dicit noui testamenti, non litera, sed spiritu. Nam litera occidit, inquit, spiritus autem viuificat. Litera occidens, quasi lapis est premens. *Remouete,* inquit, *lapidem.* Remouete legis pondus, gratiam prædicate. Si enim data esset lex quæ posset viuificare, omninò ex lege esset iustitia. Sed conclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Ergo remouete lapidem. *Dicit ei Martha, soror eius qui mortuus fuerat: Domine, iam fœtet: quatriduanus enim est. Dicit ei Iesus: Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, uidebis gloriam Dei?* Quid est, Videbis gloriam Dei? Quia & putentem & quatriduanum resuscitat. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei: &, Vbi abundauit peccatum, superabũdauit & gratia. *Tulerunt ergo lapidem. Iesus autem eleuatis sursùm oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis: sed propter populum qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti. Hæc cùm dixisset, uoce magna clamauit.* Fremuit, lachrymauit, voce magna clamauit. Quàm difficilè surgit, quem moles malæ consuetudinis premit. Sed tamen surgit: occulta gratia intùs viuificatur, surgit post vocem magnã. Quid est factum? Voce magna clamauit: *Lazare, ueni foras. & statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes institis, & facies illius sudario erat ligata.* Quomodò processit ligatis pedibus miraris, & non miraris quia surrexit quatriduanus? In vtroque potentia Domini erat, non vires mortui. Processit, & ad-

Eph. 5.
Matth. 22
Matth. 8.
Ephes. 3.
Matth. 8.
Ioan. 7.
Ioan. 1.
Ioan. 10.
Matth. 7. & 25.
Gene. 3.
Psalm. 24
Matth. 9.
Exod. 13. Deut. 9.
1. Tim. 1.
2. Cor. 3.
Gal. 3.
Rom. 3. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

huc ligatus est, adhuc inuolutus, tamen iam foras processit. Quid significat? Quando cõtemnis, mortuus iaces: & si tanta quanta dixi contemnis, sepultus iaces: quando confiteris, procedis. Quid enim est procedere, nisi ab occulto velut exeundo te manifestare? Sed vt confitearis, Deus facit magna voce clamãdo, id est, magna gratia vocando. Ideò cùm processisset mortuus adhuc ligatus, confitens & adhuc reus, vt soluerentur peccata eius, ministris hoc dixit Dominus: *Soluite illum, & sinite abire.* Quid est, Soluite, & sinite abire? Quæ solueritis in terra, erunt soluta & in cælo. *Multi ergo ex Iudæis, qui uenerant ad Mariam, & uiderant quæ fecit Iesus, crediderunt in eum. Quidam autem ex ipsis abierunt ad pharisæos, & dixerũt eis quæ Iesus fecit.* Non omnes ex Iudæis, qui conuenerant ad Mariam, crediderunt, sed tamen multi. Quidam verò ex eis, siue ex Iudæis qui conuenerant, siue ex eis qui crediderant, abierunt ad pharisæos, & dixerunt eis quæ fecit Iesus: siue annunciando, vt & ipsi crederent: siue potiùs prodẽdo, vt sequirent. Sed quomodolibet & à quibuslibet ad pharisæos ista perlata sunt: *Collegerunt pontifices & pharisæi concilium, & dicebant: Quid facimus?* Nec tamen dicebant, Credamus. Plus enim perditi homines cogitabant, quomodò nocerent vt perderent, quàm quomodò sibi consulerent ne perirent: & tamen timebant, & quasi consulebant. Dicebant enim: *Quid faciemus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & uenient Romani, & tollent locum nostrum & gentem.* Temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitauerunt, ac sic vtrunq; amiserunt. Nam & Romani post Domini passionem & glorificationẽ tulerunt eis locum & gentem, expugnando & transferendo, & illud eos sequitur, quod est alibi dictum: Filij autem regni huius ibunt in tenebras exteriores. Hoc autem timuerunt, ne si omnes in Christum crederent, nemo remaneret qui aduersùs Romanos ciuitatem Dei templũq; defenderet: quoniam cõtra ipsum templum, & contra suas paternas leges, doctrinam Christi esse sentiebant. *Vnus autem ex ipsis Caiphas, cùm esset pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quicquam, nec cogitatis, quoniam expedit uobis ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Hoc autem à semetipso non dixit: sed cùm esset pontifex anni illius, prophetauit. Hic docemur etiam homines malos prophetiæ spiritu futura prædicere. Quod tamen euangelista diuino tribuit sacramento, quia pontifex fuit, id est, summus sacerdos. Potest autem moueri, quomodò dicatur põtifex anni illius, cùm Deus vnum constituerit sacerdotem summum, cui mortuo vnus succederet. Sed intelligendum est, per ambitiones & contentiones inter Iudæos postea constitutum, vt plures essent, & per annos singulos vicibus ministrarent. Nam & de Zacharia hoc dicitur: Factum est autem, cùm sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum, secundùm consuetudinem sacerdotij, sorte exijt, vt incensum poneret, ingressus in templum Domini. Hinc apparet plures eos fuisse, & vices suas habuisse. Nam incensum non licebat ponere, nisi summo sacerdoti, & forte etiam vnum annum plures administrabant, quibus alio anno alij succedebãt, ex quibus sorte exibat quis, vt incensum poneret. Quid est ergo, quod prophetauit Caiphas? *Quia Iesus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* Hoc euangelista addidit. nam Caiphas de sola gente Iudæorum prophetauit, in quibus erant oues, de quibus ait ipse Dominus: Non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israël. Sed nouerat euãgelista esse alias oues, quæ nõ erãt de hoc ouili, quas oportebat adduci, vt esset vnum ouile, & vnus pastor. Hæc autem secundùm prædestinationem dicta sunt. Nam neq; oues eius, nec filij Dei adhuc erant, qui necdum crediderant. *Ab illo ergo die cogitauerunt, ut interficerent eum. Iesus ergo iam non palàm ambulabat apud Iudæos, sed abijt in regionem iuxta desertum in ciuitatem quæ dicitur Effrem, & ibi morabatur cum discipulis suis.* Non quia potentia eius defecerat, in qua vtiq; si vellet, & palàm cum Iudæis conuersaretur, & nihil ei facerent: sed in hominis infirmitate, viuendi exemplum discipulis monstrabat, in quo appareret non esse peccatum, si fideles eius, qui sunt membra eius, oculis persequentium se subtraherent, & furorem sceleratorum latendo potiùs deuitarent, quàm se offerendo magis accenderent.

Confessio sacramentalis.

Matth. 18

Matth. 8.

Prophetiæ spiritu futura prædicere.

Prophetauit non uoluit.

Luc. 1.

Act. 3. & 4. & 9.

Matth. 9.

Psal. 22.

COM-

COMMVNE SANCTORVM.

DE APOSTOLIS, SERMO FVLGENTII episcopi.

DElectat tantorum tractare margaritas sanctorum, delectat gemmas intueri dulcium piscatorum: nec modus in colore, nec numerus in virtute: splendor varius, & diuersus ornatus. Hos lapides si cæcus aspexit, illuminatus effulsit: si gestauit surdus, verbo Domini claros percepit auditus: si aspexit hos lapides claudus in porta Speciosa, cursum recepit, & templum fortiter intrauit. Testis est Petrus ad Tabithan, qualis sit splendor harum margaritarum, quando tantus exultauit numerus viduarum. Ergo & nos singuli, singulos contemplemur. Quis eligens Petrum, respuat Paulum? Quis quærens Andream, contemnat Iacobum & Ioannem? Nulla est diuersitas nominum, quia vna est corona gemmarum: vnus natalis apostolorum, vna est lætitia populorum. Remotum est omne naufragium, timor excluditur piratarũ, qui ab arce subueniunt dulcium piscatorum. Tuta sunt litora per apostolica retia. Petrus in capite scaphæ cælestis triumphat in litore. Si Andream contempleris, vnus est vterus, vnus vsus, vnus innocens captus. Per pisces, piscatorum paupertas tollebatur: per animas in captura conclusas, gratia demonstratur, & regni cælorum diuitiæ publicantur. In scapha Petri quis numerat pisces? Quis in euangelio Pauli enumerat gentes? Diuersa nomina, & vna captura. Ecce Iacobus & Ioannes neglecto patre, contempta matre, dimisso reti, secuti sunt pijssimum redemptorem. Fiat itaq; in solennitate sanctorum tam grande conuiuium. Ecce Matthæus præparat prandium, & Christus pransor ingreditur cum multitudine peccatorum. Pransor innocens, & rei conuiuæ. Vnde cùm conuiuij sui societate peccatores faceret in suo sacramento gaudere, Iudæi dicebant: Quomodò cum publicanis & peccatoribus manducat? Nemo peccator secernitur, nemo reus auellitur. Omnes hospites Christi sunt, commune conuiuium est omnibus. Præparat prandium gaudiorum solennitas apostolorum. Iustus pascitur de gratia, peccator reficitur de indulgentia: & si murmurant Iudæi, sed ditantur rei facta secum: Parasti in conspectu meo mensam, aduersùs eos qui tribulant me. Simon ille Chananæus, qui mutauit nomen gentis, & inseruit florem suum coronæ virtutis, aptatus manibus saluatoris, fulget de ista corona igneo vigore decoratus. Iudas Zelotes zelans Domino, non commercium quærens Christum vendendo: pro illo zelabatur, non de illo paciscebatur. Inuenimus etenim ibi de iugato colore separatum lapillum Iudam Domini traditorem, speciem cum commercio detœdantem. O nomen & nomen. Ille dicebat, Zelans zelaui Domino omnipotenti: & Iudas proditor pacta crudelia deducebat. Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? Matth. 26 Ille zelatus est affectu Domini, iste excluditur dominici nota conuiuij. Sed delectat magis primum Petrum cernere piscatorem, quia horrescit nouissimum respicere traditorem. Exclusus est de corona, complenda est ipsa corona. Qui elegit, ascendit: qui tradidit, malè pependit. Quis suppleat numerum in ista corona gemmarum? Præponitur sortis diuinæ iudicium: Christus Matthiam deligit in cælo, qui Act. 1. duodecim ornauit in campestri palatio. Aperiuntur sancta sanctorum, profertur vrna aurea, vt verè de cælesti auro decorata. O sors bona, quæ elegit discipulum, vt integra permansisset corona gemmarum, quia Iudas solus pependit in laqueo. Ecce duodecim à vestris oculis fulget picta corona, de cuius aspectu vt vis afflata scintillis fulget congregatio vestra. Vbi est ille vas electionis? claudat coronam pietatis, & lapidem euangelij toto mundo tonantis. Bonus vltimus, quem elegit primus & nouissimus. Saulus durus, Paulus factus est mansuetus. quibus tornulis aurificis iste est lapis aptatus? Testãtur Act. 16. fundamenta carceris nocte commota, reorum vincula soluta, optioni data gratia, & Apostoli probata corona. Pedes eius erant in neruo, & gressus eius in cælo: dicebat per carceris tenebras canticum nouum, vt vltimo neruo chordarum tredecim citharæ lectorum cantet vobis lætitiam sempiternam apostolica corona sanctorum.

IN VIGILIA APOSTOLORVM. Ioannis XV.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Ego sum uitis uera, & pater meus agricola est. Et reliq. Homilia B. Augustini episcopi.

ISte locus euangelicus, fratres, vbi se Dominus dicit vitem, &c. Quære hanc homiliam suprà De Sanctis intra Pascha & Pentecosten, pagina 816.

DE

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE APOSTOLIS IN

Epistolam Concio exegetica Radulphi Ardentis Pictaui.

Ephes. 2. *IAm non estis hospites & aduenæ, &c.* Hæc loquitur Apostolus Paulus Ephesijs discipulis suis: sed & eadem loquitur vobis, fratres charissimi, si tamen iuxta Dei præcepta & Apostolicam doctrinã viuitis. Dicit itaq; tria. Primò dicit nos esse ciues ciuitatis Dei. Secundò, quod maius est, etiam lapides eiusdem ciuitatis, per ædificationé Christi. Tertiò, quod maximum est, esse etiam templũ Dei. Primò igitur ostẽdit nos esse ciues ciuitatis Dei, cùm dicitur: *Iam non estis hospites & aduenæ.* Porrò hospites dicuntur, breuiter manentes: aduenæ, aliundè venientes. Hospites verò in ciuitate Dei sunt, falsi Christiani, qui in Ecclesia ista militante sunt, numero non merito, nomine non numine, tandem tanquàm inutiles paleæ ventilandi & comburendi. At vos, fratres mei, si in fide & charitate Dei perseueratis, hospites nõ estis. Rursùs aduenæ nõ estis: quoniã in illa cælesti ciuitate, in qua in primo homine creati estis, desiderio & spe iam manetis. *Sed estis ciues*, id est, conciues, *sanctorum, & domestici Dei.* Porrò tria faciunt conciuem eiusdem ciuitatis, Cohabitatio, eorundem legum & morum obseruatio, eiusdem communionis & reipublicæ dilectio. Est autem, fratres mei, ciuitas nostra illa Ierusalem cælestis & beata, cuius ciues omnes beati sunt, qui iam sunt. Cuius quoq; nos ciues, Deo largiente, futuri sumus, & etiam iam in parte sumus, si in illa beata ciuitate spe & desiderio habitamus, si mores & leges sanctorum obseruamus, si communionem & rempublicam sanctorum toto ardore diligimus, desideramus & quærimus, si pro ea laboramus, & vsque ad mortem decertamus. At qui in mundo amore habitant, qui leges & mores mundanorum sectantur, qui communionem fraternitatis scindunt, & pro temporalibus proprietatibus litigant & pugnant, ab illa beata ciuitate prorsùs exules erunt. Duo quoq; faciunt domesticum, videlicet familiare obsequium & conscientia secretorum. Nos quoq;, fratres mei, si Deo iuxta voluntatem suam familiariter & specialiter seruire satagimus, si per sacram scripturam & spiritus reuelationem secreta Dei iam ex parte cognoscimus, iam proculdubiò nõ solùm ciues, sed etiam domestici sumus. Sequitur pars secunda, in qua Apostolus ostendit nos, si veri Christiani sumus, esse etiam lapides supernæ ciuitatis, cùm subdit: *Superædificati super fundamentum apostolorum & prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* Fundamentum apostolorum & prophetarum vnum solum Christus, qui dicitur fundamentum triplici ratione. Sicut enim fundamentum sustinet totum ædificium, & à nullo sustinetur: ita Christus totam Ecclesiam regit & portat, & à nemine portatur vel regitur. Rursùs sicut ædificium sine fundamento stare non potest: ita nulla structura virtutum vel bonorum operum sine fide Iesu Christi stare potest. Impossibile est enim aliquid sine fide Deo placere. Rursùs sicut fundamentum non videtur, & tamen inde tota structura surgit: ita fides Iesu Christi de inuisibilibus est, & ex ea omnis virtutum & bonorum ædificatio procedit. Cui fundamento quia prophetæ & apostoli primi adhæserunt, & alios adhærere docuerunt, dicuntur & ipsi denominatiuè fundamenta Ecclesiæ. Vnde Psal. mista, Fundamenta, inquit, eius in montibus sanctis, id est, in Apostolis. Hi adinstar montium primi radios fidei susceperunt, super quorum fundamentum ædificati sumus, iuxta quod Petrus ait: Ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo verò electum & honorificatum, & ipsi tanquam lapides viui superædificamini in domos spirituales. Porrò lapis, qui in ædificio est collocandus, priùs de lapidicidio malleis sequestratur. Deinde omnis impostura & tortura ferramentis ab eo resecatur: deinde ad regulam quadratur: ad vltimum cum cemento in ædificio collocatur. Sic vnusquisq; nostrum, fratres mei, vt in ædificio cælestis ciuitatis valeamus collocari, primò à massa perditionis malleis comminationum, gratia Dei operante, sequestramur. Quasi enim quidam malleus est, cùm dicitur nobis: Agite pœnitentiam, quia securis ad radicem arboris posita est. Deinde per disciplinam doctorum omnis tortura & impostura vitiorum à nobis resecatur. Tertiò, ad regulam diuinorum præceptorum quadramur, vt scilicet solidi simus & firmi, vt nec per prosperitatem à dextris, nec per aduersitatem à sinistris, nec per apertam tentationem antè, nec retrò per occultam deijciamur: nec per superbiam sursùm, nec per desperationem deorsùm commoueamur. Sed & cementum charitatis necessarium est nobis, sine quo nec Deo nec proximo compaginari, nec in cælesti ædificio valemus collocari. Hac enim non habita, frustrà habentur cætera. Hoc autem cæleste ædificium fundatur & perficitur, non homine authore, *sed ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* Tria dicit de Christo: quòd ipse est lapis, quòd summus, & quòd angularis. Lapis est, quia immobilis & firmus, quia effundit aquam viuam, vnde bibunt homines & iumenta, quia scintillat virtutibus & miraculis. Reprobis verò est lapis offensionis & petra scandali: super quẽ qui ceciderit, confringetur: super quem verò ceciderit, conteretur. Summus est, quia sicut ipse fundator & fundamentum sanctæ Ecclesiæ: ita est

Hospites ciuitatis Dei, pseudochristiani

Christus fundamentum triplici ratione

Heb. 11.

Apostoli fundamenta.

Psalm. 86.

1. Pet. 2.

Agge. 1.

est perfector & perfectio eiusdem. Ipse quippe est principium & finis: finis non consumptionis, sed consummationis. Angularis est, quoniam ipse mediator, reconciliãs in se hominem Deo, & Deum homini: pacificans in se angelos hominibus, & homines angelis: vniens in se Iudæos gentilibus, & gentiles Iudæis. Quicquid igitur, fratres mei, ædificamus, quantumcunq; rectitudiné in moribus & in bonis operibus habere videamur, tamen super arenam & in vacuum ædificamus, nisi Christum & fundamentum & lapidem angularem, id est, principium & finem habeamus. *In quo omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctum in Domino*: siue constructa sit ex pluribus personis in eiusdem Ecclesiæ vnioné: siue ex pluribus virtutibus, bonis moribus & bonis operibus, in eiusdem personæ sanctificationem. Est autem hæc pars tertia, in qua ostendit nos, si veri Christiani sumus, esse templum sanctum Domini, & etiam habitaculum Dei, cùm pòst subditur: *in quo & uos coædificamini in habitaculum Dei in spiritu sancto.* Non solùm, fratres charissimi, quotquot sumus fideles, sumus simul vnum templum & habitaculum Dei: sed etiam vnusquisq; fidelis templum & habitaculum est Dei, teste Paulo, qui dicit: Nescitis, quia membra vestra templũ sunt spiritus sancti, quem habetis à Deo, & non estis vestri? Et templum quidem est: quoniam sicut in templo Deus adoratur & ei sacrificatur, & exoratur: ita in anima vniuscuiusq; fidelis Deus adoratur, & ei sacrificatur, & exoratur. In anima quippe Deus per fidẽ veriùs adoratur. Vnde ait Dominus ad Samaritanam: Venit hora, quando nec in monte hoc, neq; Ierosolymis adorabitis patrem: sed veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate. Spiritus est Deus: & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. In anima quoq; veriùs Deo sacrificatur per compunctionem & contritionem, dicente Psalmista: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies. In anima etiam Deus veriùs exoratur, dicente Domino: Cũ oratis, non eritis sicut hypocritæ tristes, qui amãt in synagogis & angulis platearum stantes orare, vt videãtur ab hominibus. Tu autem cùm oras, intra in cubiculum, i. cordis secretum, & clauso ostio, ora patrem tuum: & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Habitaculum verò siue domus Dei, est anima fidelis: quoniam sicut vnusquisq; dominus in domo sua habitat, pascitur & requiescit: ita Deus in anima fidelis pascitur, habitat & requiescit. Habitat per gratiam inhabitantem, ipso Domino dicente: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Pascitur in anima per voluntatis & desiderij deuotionem, ipso dicente: Ecce ego sto ad ostium & pulso: Si quis mihi aperuerit, intrabo ad eum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Requiescit in anima per mentis pacem & quietem. Vnde idem Dominus dicit: Super quem requiescam, nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos? Itaque fratres mei, quia templum & habitaculum Dei dicimur & sumus, eliminemus à nobis omnem turpitudinem & immunditiam, ne habitatorem offendamus, & à nobis excludamus. Si enim grauiter fert Deus templum suum manufactum immunditijs pollui & prophanari, multò grauiùs fert & vindicat templum suum spirituale criminibus violari & prophanari. Vnde Paulus: Nescitis, quia membra vestra templum sunt spiritus sancti, qui habitat in vobis? Si quis autem templũ Dei violauerit, disperdet illum Deus. Propterea, fratres charissimi, omnem sordem, omne vitium & spurcitiam euitemus, virtutum & morum ornamentis nos decoremus, & omni studio tales nos præparemus, qui digni simus in quibus habitet Deus, & nos in eo. Quod ipse intercedentibus sanctis apostolis concedat, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

Esa. 66.

1. Corin. 6.

ITEM DE APOSTOLIS

alia Concio exegetica in Epistolam, eiusdem Radulphi Ardentis.

Rom. 8. *SCimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, &c.* Quatuor hîc Apostolus, fratres mei, dicit. Primò siquidem dicit omnia electis in bonum cooperari. Secundò demonstrat, quo ordine Deus propositum electionis suę compleat in eis. Tertiò dicit neminem posse eis nocere. Quartò, nihil posse eos à Deo separare. Primùm igitur demonstrat omnia in bonum electis cooperari, cùm dicit: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*: tacsi dicat: Nos Apostoli Dei, quorum authoritati credendum est, scimus non per solam scientiam, sed etiã per experimentum, q̃ omnia cooperãtur in bonum diligentib. Deum. Sed quoniã quidam diligunt Deum ad horã, addit: *His, qui secundùm propositum* diuinæ electionis *uocati sunt*, vt sint *sancti*. Aequè omnia, prosperitas & aduersitas, sanitas & infirmitas, fauor & contradictio, pax & certamen, amor & odiũ, vita & mors, & cætera vniuersa. Sicut. n., prosperitas, sanitas, fauor & pax, amor & vita dant benè agendi opportunitatem & materiã electis: ita & ijs contraria dant eisdẽ benè agendi occasionẽ & exercitationẽ. Per aduersitatẽ quippe exercetur sanctorũ patientia, per infirmitatẽ humilitas, per contradictionẽ sapientia, per certamen fortitudo, per odiũ beneuolentia, per mortẽ ingressus ad requiẽ aperitur. Nec sola ista, fratres mei, cooperantur electis in bonum: sed etiam ipse excessus & casus, quoniam humilio-

Omnia electis cedũt in bonum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Reprobis omnia in malum.

liores resurgunt & doctiores. Econtrariò quoq; reprobis omnia cooperantur in malum: nec solùm mala, sed etiam ipsa bona, dum de eis superbiunt, dum Deo ingrati existunt, dum eis abutuntur, dum ea inutiliter occultant, dum non perseuerant. Propterea fratres mei, semper timeamus, & Dominum suspirijs, Dominum gemitibus & lachrymis incessanter exoremus, quatenùs de numero reproborum nos eripiat, & in numero electorum suorum nos per misericordiã suam adscribat, & omnia nobis faciat in bonum cooperari. Sequitur pars secunda, in qua demóstrat Apostolus, quo ordine Deus propositum electionis suæ perficiat in sanctis, cùm subdit: *Nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos aũt prædestinauit, hos & uocauit. Et quos uocauit, hos & iustificauit. Et quos iustificauit, hos & glorificauit.* Sed quoniã præscire & ad bona & ad mala se habet, determinat ad quantã gloriã eos præsciuit, cũ subdit, *Cõformes fieri imaginis filij sui &c.* Vt scili-

Coloss. 1. 2. Cor. 15

cet fiant priùs mentis nouitate, & pòst immortalitate conformes filij sui, qui est imago patris: vt sicut portauerunt imaginem terreni, portent & imaginem cælestis: ita tamen, vt sit ipse Christus primogenitus, scilicet primus sine peccato conceptus & natus, & primus resurgens in multis fratribus, hoc est, inter multos fratres: quos non in eo quòd vnigenitus, sed in eo quòd primogenitus est, non confunditur fratres vocare. Quos prædestinauit, id est, antequàm essent, eis gratiã præparauit. Quos aũt prædestinauit, hos cùm iã essent, ad illã gratiã vocauit prædicatione, vel alio modo. Quos aũt sic vocauit, hos per illiº gratiæ collationẽ iustificauit, vt in æterna beatitudine ei similes sint. Similiter ecõtrariò dicere possumº de reprobis: quoniã quos Deus præsentit futuros similes diabolo, hos reꝓbauit: & quos reprobauit, hos quãuis ad fidẽ aliquos eorũ vocauerit, abiecit. Et quos abiecit, hos in reprobũ sensũ & in passiones ignominię tradidit: & quos in hoc tradidit, damnauit. Sed differt, quoniam dãnandos reꝓbauit Deus, quia præsentit eos futuros malos: sed electos nõ ideò prædestinauit, quia pręsciuit eos futuros bonos: immò potiùs ideò futuri erant boni, quia Deus prædestinauit eos. Non enim, fratres mei, Deus electos propter futura merita eorum prædestinauit: sed potiùs gratis prædestinauit, gratis vocauit, gratis iustificauit, gratis magnificauit: damnatos verò propter merita eorum reprobauit, abiecit & damnauit. Quare? Quia electi non à se, sed à Deo boni sunt: mali verò non ex Deo, sed ex se mali sunt. Neminem tamen, fratres charissimi,

Gratia Dei nulli negatur.

Deus à sua gratia repellit: omnibus eam offert. Non repellit, nisi repellentem se. Itaq; si volumus, & prædestinamur, & saluamur. Volumus, si benè operamur, quantùm possumus. Quòd si non operamur, patet quia perfectè non volumus. Sequitur pars tertia, in qua demonstratur neminem posse electis nocere, cùm subditur: *Quid ergo dicemus ad hæc?* subaudi, nisi quòd ex Deo nobis omnia, & nemo poterit nobis nocere? *Si Deus est*, inquit, *pro nobis*, non existentes sci licet prædestinando, aduersos vocando, peccatores iustificando, mortales glorificando: *quis contra nos*, subaudi, poterit valere, vt non omnia nobis Deus cooperetur in bonum? Nullus prorsus. Sunt quidem mali contra sanctos voluntate, sed non efficacia: immò potiùs dum eis nocere studeant, eis prosunt, & sibi nocent: iuxta illud: Draco ille, quem formasti ad illudendum *psal. 103.* ei. Qui etiam, inquit, hoc singulare & admirabile beneficium nobis contulit, *quòd proprio filio suo non pepercit, sed pro omnibus* etiam peccatoribus hostiam sufficientem *tradidit illum. Quomodò non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Argumentum est à maiori. Qui enim dedit nobis ipsum Dominũ, dedit nobis res ipsius Domini. Vnde idem Paulus, Omnia, inquit, vestra sunt, siue Paulus, siue *1. Cor. 3.* Apollo, siue Cephas, siue hic mundus, siue vita, *Omnia vestra sunt.* siue mors, siue præsentia, siue futura. Boni quippe homines siue angeli, nostri sunt, quia nos iuuant. Mali, siue homines, siue dæmones, nostri sunt, quoniam nos exercent. Mundus noster est, vt eius seruitio benè vtamur. Vita prẹsens nostra est, vt per eam benè mereamur. Mors nostra est, vt per eam ad requiem transeamus. Præsentia bona nostra sunt, vt per ea in seruitio Dei consolemur. Futura nostra sunt, vt eorum felicitate in æternum perfuamur. *Quis*, inquit, *accusabit aduersùs electos Dei?* ita scilicet, quòd accusatio eorum noceat electis Dei? Nullus. *Deus est, qui iustificat, quis est qui condemnet?* id est, pro peccato inferat pœnam? Nullus: quia Deus non vult, alius non potest. *Christus*, inquit, *Iesus, qui* pro illis saluandis *mortuus est: immò*, quod maius est, *qui & resurrexit, qui est ad dexteram Patris*, ei æqualis in honore: *qui etiam* inter nos & Deum medius, humanitatis suæ repræsentatione *interpellat pro nobis*, cuius postulatio inefficax esse non potest? Ecce, fratres, si fideles sumus, & Christus interpellat pro nobis, & Deus pater est pro nobis, & omnia sunt nostra, & omnia nobis cooperantur in bonum. Quis ergo poterit nobis nocere? Nullus. Sequitur pars quarta, in qua ostenditur, quòd nulla res potest separare electos à charitate Dei, cùm subdit: *Quis nos separabit à charitate Dei?* acsi apertè dicat: Tantùm nos diligit, & tanta beneficia nobis confert Deus: quis ergo nos separabit à charitate Dei? Scilicet separabit nos *tribulatio* corporis, *an angustia* mentis, *an fames, an nuditas*, id est, penuria victus & vestitus: *an persecutio* de loco ad locũ, *an periculum* mortis, *an gladius*, id est, ipsa mors? Non vtiq;. Et fiunt ne ista aliquib. vt separentur à charitate Dei? Fiunt vtiq;: *sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis*, quę nihil valent, nisi ad occidẽdum. *Psalm. 43.*

Sed

Sed in his, inquit, *omnibus superamus*, non propter nos, sed *propter eum qui dilexit nos*: acsi dicat: Quãuis ea, quæ enumeraui, magis in hoc seculo timeantur, tamen nos propter Deum, quem timemus & diligimus super omnia, illa superamus. *Certus enim sum*, inquit, ex promissione Dei, dicentis: Non te deseram, non te derelinquam: *quòd neq; mors*, quam scilicet minantur: *neq; uita*, quam scilicet promittunt: *neq; angeli, neq; principatus, neq; uirtutes*, id est, neque gloria minoris, vel mediocris, vel maioris ordinis promissa: vel minorum, vel maiorum, vel maximorum dæmoniorum minæ: *neq; instantia*, id est, præsentia, *neq; futura* bona vel mala: *neq; fortitudo*, id est, alicuius violentia: *neq; altitudo*, humanæ scilicet potestatis, vel elcuatio satanæ: *neq; profundum*, id est, infernus ostensus à diabolo minante præcipitium: vel altitudinem & profundum vocat prosperitatem & aduersitatem: *neq; creatura*, inquit, *alia* quælibet, vel alia contra naturam facta, vt equus biceps, vel qualia fecerunt incantatores Pharaonis: *poterit nos separare à charitate Dei*, quam Deus habet ad nos, & nos ad eum, *quæ est*, id est, apparet *in Christo Iesu*. Enumerauit Apostolus tam ea, quæ magis timentur, quàm ea quæ magis amantur in hoc seculo: vt ostendat electos & ea quæ magis timentur in hoc seculo, propter Deum, quem præ cæteris timent, non timere: & ea quæ magis hic amantur, propter Deum, quem præ cæteris diligunt, contemnere. Qui ergo plùs timet aliquid vel diligit quàm Deum, in hoc ostendit se non esse de numero electorum. Porrò diuitias, honores & voluptates Deo plùs diligit, qui eas Deo præponit, qui propter eas contra Deum facit: de cuiusmodi ipse Dominus dicit: Qui amat patrem, aut matrem, aut vxorem, vel aliquid aliud plùs quàm me, non est me dignus. Itaq; fratres sentiamus de nobis, quod Paulus sentiebat de se & similibus sui: in amore Dei inardescamus, nimiam charitatem, quam ipse habuit erga nos, semper recolamus, mandata eius sequi contendamus, nullis amaritudinibus, nullisq; voluptatibus à Deo diuellamur, pro eo animas nostras ponere semper parati simus, quatenùs ipse faciat omnia nobis cooperari in bonum, & nos adscribat in numero electorum suorum.

DE APOSTOLIS.

Matth. X.

In illo tempore: Misit Iesus duodecim discipulos suos, præcipiens eis & dicens: In uiam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: sed potiùs ite ad oues, quæ perierunt domus Israël. Et reliq. Homilia B. Gregorij papæ.

Vm constet omnibus, fratres charissimi, quia redemptor noster in mundum pro redemptione gentium venit, cùm Samaritanos quotidiè ad fidem vocari conspicimº, quid est, quòd in prædicationem discipulos mittẽs, dicit: *In uiã gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed potiùs ite ad oues quæ perierunt domus Israël*: nisi hoc, quod ex facti fine colligimus, quia priùs soli Iudææ voluit, & postmodùm cunctis gẽtibus prædicari: vt dum illa cõuerti vocata renueret, prædicatores sancti ad vocationem gentium per ordinem venirent: quatenùs redemptoris nostri prædicatio à proprijs repulsa, gentiles populos quasi extraneos quæreret: & quod Iudæis fiebat in testimonium, hoc gentibus gratiæ esset incrementum? Erant etiam tunc, qui de Iudæa vocandi essent, & de gentibus vocandi non essent. Nam in apostolorum Actibus prædicante Petro legimus, & priùs Hebræorum tria millia, *Act. 3. 4.* & postmodùm quinq; millia credidisse. Et cùm *Act. 16.* prædicare apostoli gentibus in Asia voluissent, per spiritum prohibiti esse memorantur: & tamen ipse spiritus, qui priùs prædicationem prohibuit, hanc Asianorum cordibus postmodùm infudit. Nam diù est, quòd Asia cuncta iam credidit. Idcircò ergo priùs prohibuit, quod postmodùm fecit: quia tunc in illa erant, qui saluandi non erant: tunc in illa erant, qui necdùm ad vitam reparari merebantur: sed tamen vtiliter eis prædicationis officium subtrahitur, ne grauiùs de contempta prædicatione iudicari merentur. Subtili ergo occultoq; iudicio, à quorundam auribus prędicatio sancta subtrahitur, quia suscitari per gratiam non merentur. Vnde necesse est, fratres charissimi, vt in omne quod agimus, omnipotentis super nos Domini consilia occulta timeamus, ne dum mens nostra exteriùs fusa à sua se voluntate non reuocat, intùs contra eã iudex terribiliter aduersa disponat. Qđ benè Psalmista intuens, ait: Venite & videte o- *Psalm. 65.* pera Dei, quàm terribilis in cõsilijs super filios hominũ. Vidit nãq;, quòd alius misericorditer vocatur, alius iustitia exigente repellitur: & quia alia parcẽdo, alia irascẽdo Dominº disponit, expauit quod penetrare non potuit: & quem non solùm inuestigabilem, sed in quibusdam suis sententijs etiam inflexibilem vidit, terribilem in consilijs esse memorauit. Missis aũt prædicatoribus quid præcipiatur audiamus: *Euntes prædicate, dicẽtes, quia appropinquauit regnum cælorum.* Hoc iam, fratres charissimi, etiamsi euangelium taceat, mundus clamat. Ruinę nanque illius, voces eius sunt. Qui enim tot attritus percussionibus à gloria sua cecidit, quasi iam nobis è proximo regnum aliud quod sequitur ostendit. Ipsis iam *Mundi a-* & à quibus amatur, amarus est. Ipsæ eius ruinæ *mor respu-* prædicant, quòd amandus non est. Si enim rui- *endus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

nam sui domus quassata minaretur, quisquis in illa habitaret fugeret, & qui stantem dilexerat, recedere quantocyùs à cadente festinaret. Si igitur mundus cadit, & nos eum amando amplectimur, opprimi volumus potiùs quàm habitare: quia nulla nos ratio à ruina illius separat, quos eius passionibus amor ligat. Facile ergo est nunciam, cùm destructa omnia cernimus, animum nostrum ab eius dilectione disiungere: sed hoc illo in tempore difficillimum fuit, quo prædicare cælorum regnum inuisibile mittebantur, cùm longè lateq; omnes cernerent florere regna terrarum. Vnde & adiuncta sunt prædicatoribus sanctis miracula, vt fidem verbis daret virtus ostensa, & noua facerent, qui noua prædicarent, sicut in hac eadem lectione subiungitur: *infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite.* Florente mundo, crescente humano genere, diù in hac vita subsistente carne, exuberante rerum opulentia, quis cùm audiret vitam esse aliam crederet? quis inuisibilia visibilibus præferret? Sed ad salutem redeuntibus infirmis, ad vitam resurgentibus mortuis, carnis munditiam recipientibus leprosis, ereptis à iure Immundorum spirituum dæmoniacis, tot visibilibus miraculis exactis, quis non crederet, quod de inuisibilibus audiret? Ad hoc quippe visibilia miracula coruscant, vt corda videntium ad fidem inuisibilium pertrahant: vt per hoc quod mirum foris agitur, hoc quod intùs est, longè mirabilius esse sentiatur. Vnde nunc quoque cùm fidelium numerositas excreuit, intra sanctam Ecclesiam multi sunt qui vitam virtutum tenent, & signa virtutum non habent: quia frustrà miraculum foris ostenditur, si deest quod intùs operetur. Nã iuxta magistri gentium vocem, Linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus. Vnde & idem prædicator egregius inter prædicationis verba dormientem cadentemq; de fenestra Eutychum, atque à vita funditùs extinctum, coram cunctis infidelibus orando suscitauit. Meliten veniens, & plenam infidelibus insulam sciens, patrem Publij dysenteria febribusq; vexatum, orando sanauit. Peregrinationis verò suæ comitem, & sanctæ prædicationis adiutorem Timotheum ex infirmitate stomachi lassescentem, non verbo curauit, sed medicinali arte reparauit, dicens: Modico vino vtere propter stomachum, & frequentes tuas infirmitates. Qui ergo infirmum infidelem vna prece saluat, cur ęgrotum socium prece non roborat? Quia nimirùm ille foris per miraculum saluandus erat, qui viuus interiùs non erat: vt per hoc quod exterior potestas ostenderet, hunc ad vitam interior virtus animaret. Aegrotante autem socio fideli, exhibenda foris signa non fuerant, qui salubriter intùs viuebat. Sed concessa potestate prædicationis, concessis virtutum miraculis, quid redemptor noster adiungat, audiamus: *Gratis accepistis, gratis date.* Præsciebat nanque nonnullos hoc ipsum donum accepti spiritus in vsum negociationis inflectere, & miraculorum signa ad auaritiæ obsequium declinare. Hinc est enim, quòd Simon magus per impositionem manus edita miracula conspiciens, percipere donum spiritussancti pecunia voluit, scilicet vt deteriùs venderet, quod malè cõparasset. Hinc de tẽplo redẽptor noster, flagello de resticulis facto, turbas eiecit, cathedras vẽdentiũ colũbas euertit. Colũbas quippe vẽdere, est impositionẽ manus, qua spiritus sanctus accipitur, non ad vitæ meritum, sed ad præmium dare. Sed sunt nonnulli, qui quidem numorum præmia ex ordinatione non accipiunt, & tamen sacros ordines pro humana gratia largiuntur, atque de largitate eadem laudis solummodò retributionem quærunt. Hi nimirùm quod gratis acceptum est, gratis non tribuunt, quia de impenso officio sanctitatis, numum fauoris expetunt. Vnde benè cùm iustum virũ describeret, ppheta, ait: Qui excutit manus suas ab omni munere. Neq; n. dicit, Qui excutit manus suas à munere, sed adiunxit, ab omni: quia aliud est munus ab obsequio, aliud mun⁹ à manu, aliud munus à lingua. Munus quippe ab obsequio, est subiectio indebitè impẽsa: munus à manu, est pecunia: munus à lingua, fauor. Qui ergo sacros ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in diuinis rebus nõ solùm nullam pecuniam, sed etiam humanã gratiam non requirit. Sed vos fratres charissimi, quos secularis habitus tenet, cùm quæ sint nostra cognoscitis, mentis oculos ad vestra reuocate. Cuncta ergo vos vicissim gratis agite: nolite operis vestri in hoc mundo retributionem quærere, quẽ cum tanta lam cernitis velocitate defecisse. Sicut malè acta abscondi vultis, ne alij videant: ita & bona ne ad humanam laudem appareant cauete. Neque mala quoquo modo, nec bona pro temporali retributione faciatis. Ipsum testem vestri operis quærite, quem iudicem sustinetis. Occulta nunc esse bona vestra videat, vt ea retributionis suæ tempore in publico ostendat. Sicut carni vestræ, ne deficiat, cibos quotidiè præbetis: sic mentis vestræ quotidiana alimenta bona sint opera. Cibo corpus pascitur, pio opere spiritus nutriatur. Quod morituræ carni tribuitis, victuræ in perpetuum animæ non negetis. Si quando enim repentinus ignis habitaculum absumit, quisquis eius possessor extiterit, rapit quod valuerit, & fugit. Lucrum deputat, si quid secum ex ignibus tollat. Ecce tribulationum flamma mundum concremat, & cuncta quæ in eo speciosa videbantur, finis iam proximus velut ignis deuastat. Lucrum ergo fratres maximum credite, si vobiscùm aliquid de illo rapiatis, si quid fugientes tollitis, si hoc quod perire remanendo poterat, ad retributionem perpetuam vobis largiendo seruatis. Terrena quippe omnia seruando amittimus, sed benè largiendo seruamus. Cum velocitate tempora fugiunt. Ad videndum ergo citiùs iudicem nostrum quia cum magna importunitate compellimur, ei ex bonis actibus festinanter præparemur, adiuuante Domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat cum patre in vnitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Miracula cur Apostolis adita.

1. Cor. 14.

Act. 20.

1. Tim. 5.

Act. 8.

Ioan. 2.

Columbas vendere.

DE APOSTOLIS.

Ioan. XV.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Hæc mando uobis, ut diligatis inuicem. Si mundus uos odit, scitote quia me priorem uobis odio habuit. Et relig. Homilia beati Augustini episcopi.

Tractatus 87. in Ioannem. Ioan. 15.

IN lectione euangelica, quæ hanc antecedit, dixerat Dominus: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat, vt quodcunq; petieritis patrem in nomine meo, det vobis. De quibus verbis iam nos quod dedit Dominus, disseruisse meministis. Hic autem dicit, sequenti scilicet lectione, quam modò cùm recitaretur, audistis: Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. Ac per hoc intelligere debemus, hunc esse fructum nostrum, de quo ait: Ego elegi vos vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Et quod adiunxit, Vt quodcunque petieritis patrem in nomine meo, det vobis: tunc vtique dabit nobis, si diligamus inuicem, cùm & hoc ipsum ipse dederit nobis, qui nos elegit non habentes fructum, quia non eum nos elegeramus, & posuit nos vt fructum afferamus, hoc est, inuicem diligamus. Quem fructum sine illo habere non possumus, sicut palmites facere sine vite nihil possunt. Charitas ergo est fructus noster, quam definit Apostolus de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Hac diligimus inuicem, hac diligimus Deum. Neq; enim vera dilectione diligeremus inuicem, nisi diligentes Deum. Diligit enim vnusquisq; proximũ suũ tanq̃ seipsum, si diligit Deũ. Nam si Deum non diligit, nõ diligit seipsum. In his enim charitatis duobus præceptis tota lex pendet, & prophetæ. Hic est fruct⁹ noster. De fructu itaq; nobis mãdans: *Hæc mãdo*, inquit, *uobis, ut diligatis inuicem.* Vnde & Apostolus Paulus, cùm contra opera carnis commendare fructum spiritus vellet, à capite hoc posuit. Fruct⁹, inquit, spiritus charitas est. Ac deinde cætera tanquàm ex isto capite exorta & religata, contexuit, quæ sunt, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia. Quis autem benè gaudet, qui bonum non diligit vnde gaudet? Quis pacem veram, nisi cum illo potest habere, quem veraciter diligit? Quis est longanimis in bono opere perseueranter manendo, nisi feruecat diligendo? Quis est benignus, nisi diligat cui opitulatur? Quis bonus, nisi diligendo efficiatur? Quis salubriter fidelis, nisi ea fide, quæ per dilectionem operatur? Quis mansuetus vtiliter, cui dilectio non moderetur? Quis ab eo continet vnde turpatur, nisi diligat vnde honestatur? Meritò itaque magister bonus dilectionem sic sæpè commendat, tanquàm sola præcipienda sit, sine qua non possint prodesse cætera bona, & quæ non potest haberi sine cæteris bonis, quibus homo efficitur bonus. Pro hac autem dilectione patienter debemus etiam odia mundi sustinere. Necesse est enim vt nos oderit, quos cernit nolle quod diligit. Sed plurimùm nos de seipso Dominus consolatur: qui cùm dixisset, Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem, adiecit atq; ait: *Si mundus uos odit, scitote quia me priorem uobis odio habuit.* Cur ergo se membrum super verticem extollit? Recusas esse in corpore, si non vis odium mundi sustinere cũ capite. *Si de mundo, inqt, essetis, mundus quod suum erat diligeret.* Vniuersæ hoc vtique dicit Ecclesiæ, quam plerunque etiam ipsius mundi nomine appellat, sicut est illud: Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. Itemque illud: Non venit filius hominis vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Totus ergo mundus Ecclesia est, & totus mundus odit Ecclesiam. Mundus ergo odit mundum, inimicus reconciliatum, damnatus saluatum, inquinatus mundatum. Sed iste mundus, quem Deus in Christo reconciliat sibi, & qui per Christum saluatur, & cui per Christum omne peccatum donatur, de mundo electus est inimico, damnato, contaminato. Ex eadem quippe massa, quæ tota in Adam perijt, fiunt vasa misericordiæ, in quibus est mundus pertinẽs ad reconciliationem, quem mundus odit, ex eadem massa, pertinens ad vasa iræ, quæ perfecta sunt ad perditionem. Denique cùm dixisset Dominus: Si de mundo essetis, mundus quod suum erat, diligeret, continuò subiecit: *Quia uerò de mundo non estis, sed elegi uos de mundo, propterea odit uos mundus.* Ergo & ipsi inde erant, vnde vt non essent, electi sunt inde: non meritis suis, quorum nulla præcesserant bona opera: non natura, quæ tota fuerat per liberum arbitriũ in ipsa radice vitiata: sed gratuita, hoc est, vera gratia. Qui enim de mundo mundum elegit, fecit quod eligeret, non inuenit. Si autem quæratur, quomodò se diligat mundus perditionis, qui odit mundum redemptoris: diligit se vtique falsa dilectione, non vera: proinde falsò se diligit, & verè odit. Qui enim

Sine charitate nihil prosunt cætera.

1. Corin. 3.

Ioan. 3.

Mundus odit mundum.

Mali homines ut se amant.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nim diligit iniquitatem, oditanimam suam.
Psal. 10. Sed diligere se dicitur, quoniam iniquitatem qua iniquus est diligit, & rursùs odisse se dicitur, quoniam quod ei nocet, hoc diligit. Odit ergo in se naturam, diligit vitium. Odit quod factus est per Dei bonitatem, diligit quod in eo factum est per liberam voluntatem. Vnde nos quoque illum diligere & prohibemur si rectè intelligimus, & iubemur. Prohibemur scilicet, vbi nobis dicitur: Nolite diligere mundum:
1. Ioan. 2. iubemur autem, vbi nobis dicitur: Diligite inimicos vestros. Ipsi sunt enim mundus qui nos
Luc. 6. odit. Ergo prohibemur diligere in illo, quod ipse diligit in seipso: & iubemur diligere in illo, quòd ipse odit in seipso, Dei scilicet, opificium & diuersas bonitatis suæ consolationes. Vitium quippe in illo diligere prohibemur, iubemurq; diligere naturam: cùm ipse in se diligat vitium, oderitque naturam: vt nos eum & diligamus & oderimus rectè, cùm se ipse diligat oderitq; peruersè. *Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis, Tractatus non est seruus maior domino suo: Si me persecuti sunt, &* 88. in Ioan *vos persequentur. Si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt.* Dicendo autem: Non est seruus maior domino suo, nónne euidenter ostendit, quemadmodùm intelligere debeamus, quod superiùs dixerat, Iam non dicam vos seruos? Ecce enim seruos eos dicit. Nam quid est aliud, Non est seruus maior domino suo: si me persecuti sunt, & vos persequentur? Manifestum est igitur illum seruum, qui non manet in domo in æternum, illum pertinentem ad timorem, quem foras charitas mittit, esse intelligendum, vbi dictum est, Iam non dicam vos seruos: hic autem vbi dicitur, Non est seruus maior domino suo: si me persecuti sunt, & vos persequentur: illum significari seruum, pertinentem ad timorem castum, qui permanet in seculum se-
Matth. 25 culi. Hic enim seruus est auditurus: Euge serue bone, intra in gaudium Domini tui. *Sed hæc omnia, inquit, facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui me misit.* Quæ omnia facient, nisi quæ dixit, odio habebunt scilicet, & persequentur, sermonemque contemnent? Quoniam si sermonem non seruarent eorum, nec tamen odissent eos, neque persequerentur, vel etiam si odissent, nec tamen persequerentur, non omnia facerent. Hæc autem omnia facient vobis, inquit, propter nomen meum. Quid est aliud dicere, quàm me in vobis odio habebunt, me in vobis persequentur, & sermonem vestrum, quia meus est, ideò non seruabunt? Hæc enim omnia facient vobis propter nomen meum: non vestrum, sed meum. Tanto igitur miseriores, qui propter hoc nomen ista faciunt: quanto beatiores, qui propter hoc nomen ista patiuntur, sic-
Matth. 5. ut ipse alio loco dicit: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: hoc est enim propter me, vel propter nomen meum: quia sicut docet Apostolus, factus est nobis sapientia à 1. Cor. 1. Deo, & iustitia & sanctificatio, & redemptio, vt quemadmodùm scriptum est: Qui gloriatur, in Ierem. 6. Domino glorietur. Faciunt quippe ista mali malis, sed non propter iustitiam: & ideò miseri vtrique, & qui faciunt, & qui patiuntur. Faciunt & boni malis: vbi etsi faciunt isti propter iustitiam, non tamen illi propter iustitiam patiuntur. Sed quæri potest, si etiam mali persecutionem faciunt malis, sicut impij reges & iudices, cùm essent persecutores piorum, vtique & homicidas & adulteros, & quoscunque malefi-
cos, quos contra leges publicas fecisse cognoscerent, puniebant: quomodò intelligendum est, quod ait Dominus: *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum est, diligeret?* Neque enim quos punit mundus, diligit, à quo videmus supradicta scelerum genera plerunque puniri: nisi quia mundus est in eis, à quibus talia scelera vel puniuntur: mundus est & in eis, à quibus talia scelera diliguntur. Mundus itaque ille, qui intelligitur in malis atque impijs, & odit quod suum est, *Mundus & odit & amat.* ex ea parte hominum qua sceleratis nocet: & diligit quod suum est, ex ea parte hominum qua eisdem ipsis conscleratis fauet. Ergo hæc omnia facient vobis propter nomen meum, vel ita dictum est, propter quod vos patimini: vel ita, propter quod & ipsi faciunt, quia & hoc in vobis dum persequuntur oderunt. Et addidit: *Quia nesciunt eum, qui me misit.* Hoc secundùm eam scientiam dictum intelligendum est, de qua & alibi scriptum est: Scire autem te, sensus est con- Sap. 8. summatus. Hæc quippe scientia qui sciunt patrem, à quo missus est Christus, nullo modo persequuntur eos, quos colligit Christus, quia & ipsi cùm eis colliguntur à Christo. *Si non uenissem* Tractat. *& locutus eis fuissem, peccatum non haberent.* Su- 89. in Ioan. periùs dixerat Dominus, Si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt: sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui me misit. De quibus autem hoc dixerit, si quæramus, inuenimus eũ ad hæc verba venisse, ab eo quod dixerat, Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Nunc verò quod addidit, Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent, Iudæos ostendit expressiùs. De his ergo & illa dicebat: nam hoc indicat verborum ipsa contexio. Iudæi ergo persecuti sunt Christum, quod euidentissimè indicat euangelium: Iudæis locutus est Christus, non alijs gentibus. In eis ergo voluit intelligi mundum, qui odit Christum, & discipulos eius: immò verò non in eis solis, sed hos quoque ad eundem mundum pertinere monstrauit. Quid est ergo, Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent? Nunquid sine peccato erant Iudæi, antequam Christus ad eos in carne venisset? Quis hoc vel stultissimus dixerit? Sed magnum quoddam pec-

peccatum, non omne peccatum, quasi sub generali nomine vult intelligi. Hoc est enim peccatum, quo tenentur cuncta peccata, quod vnusquisque si nó habeat, dimittuntur ei cuncta peccata. Hoc est autem, quia non crediderunt in Christum, qui propterea venit, vt credatur in eum. Hoc peccatum, si non venisset, non vtique haberent. Aduentus quippe eius, quantùm credentibus salutaris, tantùm non credentibus exi-
1. Cori. 2. tiabilis factus est: tanquam & ipse caput & princeps Apostolorum, quod de se ipsi dixerunt, extiterit quibusdam quidem odor vitæ in vitam, quibusdam verò odor mortis in mortem. Sed quod adiunxit atque ait: *Nunc autem excusationem non habent de peccato suo,* potest mouere quærentes, vtrum hi ad quos non venit Christus, nec locutus est eis, habeant excusationem de peccato suo. Si enim non habent, cur hic dictũ est propterea istos non habere, quia venit & locutus est eis? Si autem habent, vtrùm ad hoc habeant, vt à pœnis allenentur, an vt mitiùs puniantur? Ad hæc inquisita, pro captu meo Domino donante respondeo, habere illos excusationem, non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non est locutus. Sed non in eo sunt numero hi, ad quos in discipulis venit, & quibus per discipulos est locutus, quod & nunc facit. Nam per Ecclesiam suam venit ad gentes, & per Ecclesiam suam loquitur gentibus. Ad hoc
Matth. 10 enim pertinet, quod ait: Qui vos recipit, me recipit: & qui vos spernit, me spernit. An vultis
Luc. 10. (inquit Apostolus Paulus) experimentum accipere eius, qui in me loquitur Christus? Restat
2. Cor. 13. inquirere, vtrùm hi qui priusquàm Christus in Ecclesia veniret ad gentes, & priusquàm euangelium eius audirent, vitæ huius fine præuenti sunt, seu præueniuntur, possunt habere hanc excusationem. Possunt planè, sed non ideò possunt effugere damnationem. Quicunque enim
Rom. 2. sine lege peccauerunt, sine lege & peribunt: & quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Tanta est autem suppliciorum, quanta est diuersitas peccatorum. Quæ quomodò se habeat, altiùs iudicat sapientia diuina, quàm coniectura scrutatur aut effatur humana. Isti certè ad quos venit, & quibus locutus est Christus, non habent de magno infidelitatis peccato illam excusationem, qua possint dicere, Non vidimus, non audiuimus, siue non acceptaretur ista excusatio ab illo, cuius inscrutabilia sunt iudicia, siue acceptaretur, & si non vt ab omni damnatione liberarentur, certè vt aliquanto leniùs damnarentur. *Qui me odit, inquit, & patrem meum odit.* Hic nobis fortasse dicatur: Quis potest odisse, quem nescit? Et vtique antequàm diceret, Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent, dixerat discipulis suis: *Hæc facient uobis, quia nesciunt eum qui me misit.* Non itaque dissimulanda nascitur quæstio, quomodò possint odisse quem nesciunt? Si enim Deum non quod est ipse, sed nescio quid aliud eum suspicantur aut credunt, & hoc oderunt, vtique non ipsum oderunt, sed quod sua mendaci suspicione vel vana credulitate concipiunt. Si autem quod est, hoc de illo sentiunt, quomodò eum nescire dicuntur? Et de hominibus quidem fieri potest, vt eos sæpè quos nunquam vidimus diligamus: ac per hoc nec illud econtrariò impossibile est, vt eos quos nunquam vidimus oderimus. Fama quippe de aliquo sermocinante, seu benè seu malè, fit non immeritò, vt amemus vel oderimus ignotum. Sed si fama sit verax, quomodò est de quo vera didicimus, dicendus ignotus? An quia eius faciem non vidimus? Quam cùm & ipse non videat, nulli tamen potest notior esse quàm sibi. Non igitur in eius facie corporali nobis intimatur cuiusque notitia, sed tunc nobis ad cognitionem patet, quando eius mores & vita non latent. Alioquin nec seipsum nosse quisquam potest, qui videre faciem suam non potest. Sed vtique tanto certiùs, quàm notus est alijs, ipse se nouit, quanto certiùs interiori conspectu potest videre quod sapit, videre quod cupit, videre quod viuit. Quæ cùm aperiuntur & nobis, tunc verè fit cognitus nobis. Proinde sicut fieri potest, vt homo bonus hominem bonum oderit nesciens, vel potiùs diligat nesciens: ipsum enim diligit, cùm bonum diligit: quia id quod est ille, hoc iste diligit: oderit autem nesciens, non ipsum, sed quod putat esse ipsum: ita fieri potest, vt etiam homo iniustus dum æstimat se sui similem iniustum diligere, nesciens diligat iustum, & tamen dum eum credit iniustum, diligat non ipsum, sed quod putat esse ipsum: quemadmodùm autem hominem, ita & Deum. Denique si interrogarentur Iudæi, vtrùm diligerẽt Deum, quid se aliud quàm diligere responderent? Nec ex animo mentientes, sed errando potiùs opinantes. Quomodò enim diligerent patrem veritatis, qui haberent odio veritatem? Nolunt enim facta sua damnari, & hoc habet veritas, vt talia facta damnentur. Tantùm igitur oderunt veritatem, quantùm oderunt suas pœnas, quas talibus irrogat veritas. Nesciunt autem illam esse veritatem, quæ tales quales ipsi sunt damnat. Oderunt ergo quam nesciunt, & cùm illam oderunt, profectò & eum de quo nata est, nisi odisse non possunt. Ac per hoc quia veritatem, qua iudicante damnantur, de patre Deo natam nesciunt, vtique etiam ipsum & nesciunt & oderunt. O miseros homines, qui cùm esse volunt mali, nolunt esse veritatem qua damnantur mali. Nolunt enim eam esse quod est, cùm seipsos debeant nolle esse quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tractatus 91. in Ioannem.

sunt, vt ipsa manente mutentur, ne ipsa iudicante damnentur. Deinde Dominus addidit: *si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Peccatum scilicet illud magnum, de quo & superiùs ait: Si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent: hoc est, peccatum quo in eum loquentem & operantem non crediderunt. Neque enim nullum habebant peccatum, antequàm loqueretur eis, & operaretur in eis: sed hoc peccatum, quo in eum non crediderunt, ideò sic commemoratur, quia ipso peccato tenentur & cætera. Hoc enim si non haberent, & in eum crederent, dimitterentur & cætera. Sed quid est hoc, quòd cùm dixisset, Si opera non fecissem in eis, mox addidit, quæ nemo alius fecit? Nulla quippe in operibus Christi videntur esse maiora, quàm suscitatio mortuorum, quod scimus etiam antiquos fecisse prophetas.
3.Reg.17 Fecit enim hoc Elias, fecit Eliseus, & cùm in hac
4.Reg.4. carne viueret, & cùm in suo monumento sepul-
4.Reg. 5 tus iaceret. Nam quidam portantes mortuum, cùm irruentibus hostibus eò refugissent, eumque ibi posuissent, continuò resurrexit. Fecit
Matth.14 tamen aliqua Christus, quæ nemo alius fecit,
Matth.15. quòd scilicet quinque millia hominum de
Matth.14 quinque, & quatuor millia de septem panibus pauit, quòd super aquas ambulauit, & Petro vt
Ioan.2. hoc faceret præstitit, quòd aquam mutauit in
Ioan. 9. vinum, quòd aperuit oculos cæci nati, & alia multa, quæ commemorare longum est. Sed respondetur nobis, & alios fecisse, quæ ipse non fecit, & quæ nemo alius fecit. Quis enim nisi Moyses Aegyptios plagis tot tantisque percussit? diuiso mari rubro populum eduxit, &
Exod.7. manna de cælo esurientibus impetrauit, aquam
Exod.14. de petra sitientibus fudit? Quis nisi Iesu Na-
Exod.16. ue populo transituro Iordanis fluenta diuisit, &
Exod. 7. currente solé emissa ad Dominū oratione frena
Ioſu.4. uit & fixit? Quis præter Samsonem propter suam
Ioſ.10. sitim maxilla mortui asini exundante satiatus
Iud.15. est? Quis præter Eliam curru igneo in alta
4.Reg.2. subuectus est? Quis præter Eliseum, quod
4.Reg.13 paulò antè commemoraui, sepulto suo cadaue-
Dan.6. re, cadauer alterius reddidit vitæ? Quis præ-
Dan.3. ter Danielem inter ora incluſorum secum leonum esurientium vixit innocuus? Quis præter tres viros Ananiam, Azariam, Misaëlem, in flammis ardentibus & non vrentibus deambulauit illæsus? Prætereo cætera, quoniam hæc satis arbitror esse quibus demonstretur & alios sanctos quædam opera miranda fecisse, quæ nemo alius fecit. Sed qui tam multa vitia, & malas valetudines vexationesque mortalium tanta potestate sanaret, nullus omninò legitur antiquorum. Vt enim taceatur, quòd iubendo sicut occurrebant saluos singulos fecit, Mar-
Mar.1. cus euangelista quodam loco ait: Vespere autem facto cùm occidisset sol, afferebant ad eum omnes malè habentes, & dæmonia habentes, & erat omnis ciuitas congregata ad ianuam, & curauit multos qui vexabantur variis languoribus, & dæmonia multa eijciebat. Id autem cùm commemoraſſet Matthæus, etiam testimonium propheticum addidit, di- Matth.8
cens: Vt adimpleretur quod dictum est per Esa.53.
Esaiam prophetam, dicentem: Ipse infirmitates nostras recepit, & ægrotationes portauit. Item in alio loco dicit Marcus: Et quo- Marc.6.
cunque introibat in vicos, vel in villas, aut in ciuitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent: & quotquot tangebant eum, salui fiebant. Hæc nemo alius fecit in eis. Sic enim intelligendum est quod ait, In eis, non inter eos, vel coram eis, sed prorsus in eis, quia sanauit eos. Hæc quippe intelligi voluit, quæ non solùm facerent admirationem, verumetiam manifestam conferrent salutem: pro quibus beneficijs vtique amorem, non odium retribuere debuerunt. Omnia quidem cæterorum miracula superat, quòd est natus ex virgine, matrisque integritatem solus potuit nec conceptus violare, nec natus: sed hoc nec coram eis factum est, nec in eis. Ad cognoscendam quippe huius miraculi veritatem, nec communi cum eis aspectu, sed discreto ab eis discipulatu apostoli peruenerunt. Iam verò illud, quòd die tertia in carne, in qua occisus fuerat, de sepulchro se reddidit viuum, & nunquam deinde moriturus cum illa ascendit in cælum, superat etiam cuncta quæ fecit. Sed neque hoc factum est in Iudæis, neque coram eis, & nondum hoc fecerat quando dicebat, Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit. Nimirùm ergo sunt illa, quæ in eorum valetudinibus tanta miracula salutis ostendit, quanta in illis anteà nemo donauit. Hæc enim viderunt, & hoc eis exprobrans adiungit, & dicit: *Nunc autem & viderunt, & oderunt & me & patrem meum. Sed ut impleatur sermo,* Psalm.
qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis. Eorum legem dicit, non ab ipsis inuentam, sed ipsis datam, sicut dicimus: Panem no- Matth.
strum quotidianum, quem tamen à Deo petimus, addendo, da nobis. Gratis autem odit, qui nullum ex odio commodum quærit, nec incommodum fugit. Sic oderunt Deum impij, sic diligunt iusti: hoc est, gratis, vt alia præter illum non expectent bona, quoniam ipse erat in omnibus omnia. Quisquis verò altiùs attenderit CHRISTVM dicentem, Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, sed hæc & si pater aut spiritussanctus fecit, nemo alius fecit, quia totius Trinitatis vna est substantia; inueniet ipsum fecisse, si quando quispiam homo

mo Dei tale aliquid fecit. Potest quippe ipse cuncta per seipsum, nemo autem potest aliquid sine ipso. Christus nanque cum patre & spiritusancto non sunt tres dij, sed vnus Deus, de quo
Psal. 71. scriptum est: Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia solus. Nemo ergo alius fecit, quæcunq; in eis opera fecit: quoniam quisquis alius homo aliquid eorū fecit, ipso faciēte fecit: hæc autem ipse, non illis facientibus fecit.

DE APOSTOLIS.
Ioan. XV.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Hoc est præceptum meum, ut diligatis inuicem, sicut dilexi uos. Et reliqua. Homilia beati Gregorij papæ.

VM CVNCTA sacra eloquia dominicis plena sunt præceptis, quid est quòd de dilectione quasi de singulari mandato Dominus dicit: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis inuicem*, nisi quia omne mandatum de sola dilectione est, & omnia vnum præceptum sunt? Quia quicquid præcipitur, in sola charitate solidatur. Vt enim multi arboris rami ex vna radice prodeunt, sic multæ virtutes ex vna charitate generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis: si non manet in radice charitatis. Præcepta ergo dominica, & multa sunt, & vnum. Multa per diuersitatem operis, vnum in radice dilectionis. Qualiter autem ista dilectio tenenda sit, ipse insinuat, qui in plerisque scripturæ suæ sententijs & amicos iubet diligi in se, & inimicos diligi propter se. Ille enim veraciter charitatem habet, qui & amicum diligit in Deo, & inimicum diligit propter Deum. Nam sunt nonnulli qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis & carnis: quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt. Sed aliud est quòd sponte impenditur naturæ, aliud quod præceptis dominicis ex charitate debetur obedientiæ. Hi nimirùm & proximum diligunt, & tamen illa sublimia dilectionis præmia non assequuntur: quia amorem suum non spiritaliter, sed carnaliter impendunt. Proinde cùm Dominus diceret: Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem: protinùs addidit, Sicut dilexi vos. Ac si apertè dicat: Ad hoc amate, ad quod amaui vos. Qua in re, fratres charissimi, solerter intuendū est, quòd antiquus hostis dum mentes nostras ad rerum temporalium dilectionē trahit, infirmiorem contra nos proximum excitat, qui ea ipsa quæ diligimus, auferre moliatur. Nec curat antiquus hostis hæc faciens, vt terrena tollat, sed vt charitatem in nobis feriat. Nam in odium repentè exardescimus, & dum foris inuicti esse cupimus, intùs grauiter ferimur. Dum parua foris defendimus, intùs amittimus maxima: quia dum rem diligimus temporalem, veram amittimus dilectionem. Omnis quippe qui nostra tollit, inimicus est. Sed si odio cœperimus habere inimicum, intùs est quod perdimus. Cùm ergo aliquid exteriùs à proximo patimur, contra occultum raptorem interiùs vigilemus: qui nunquàm meliùs vincitur, nisi cùm raptor exterior amatur. Vna quippe & summa est probatio charitatis, si & ipse diligitur qui aduersatur. Hinc est, quòd ipsa veritas & crucis patibulum sustinet, & tamen ipsis suis persecutoribus affectum dilectionis impendit, dicens: Pater, ignosce illis, Luc. 23.
quia nesciunt quid faciunt. Quid ergo mirum, si inimicos diligant discipuli dum viuunt, quando & tunc inimicos diligit magister, cùm occiditur? Cuius dilectionis summam exprimit, cùm subiungit: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Mori etiam pro inimicis Dominus venerat, & tamē posturum se animam pro amicis dicebat: vt profectò nobis ostenderet, quia dum diligendo lucrum de inimicis facere possumus, etiam ipsi amici sunt qui persequuntur. Sed ecce nos vsque ad mortem nemo persequitur. Vnde ergo probare possumus, an diligimus amicos? Sed est quòd in pace sanctæ Ecclesiæ fieri debeat, vn de clarescat, si persecutionis tempore mori pro dilectione valeamus. Certè idem Ioannes dicit: Qui habuerit substantiam mundi huius, & vi- 1. Ioan. 3.
derit proximum suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodò charitas Dei manet in eo? Hinc etiam Ioannes Baptista ait: Qui habet duas tunicas, det non habenti. Luc. 3.
Qui ergo tranquillitatis tempore non dat pro Deo tunicam suam, quando in persecutionis tē pore daturus est animā suam? Virtus ergo charitatis vt inuicta sit in perturbatione, nutriatur per misericordiam in tranquillitate, quatenùs omnipotenti Deo primùm discat sua impendere, postmodùm se. Sequitur: *Vos amici mei estis.* O quanta est misericordia conditoris nostri, serui digni non sumus, & amici vocamur. Quanta est dignitas hominum, esse amicos Dei? Sed audistis gloriam dignitatis, audite & laborem certaminis. *Si feceritis, quæ ego præcipio uobis.* Amici mei estis, si ea quæ præcipio vobis, facitis. Ac si apertè dicat, Gaudetis de culmine, pēsate quib⁹ laboribus peruenitur ad culmē. Certè dū filij Zebedæi, interueniente matre, quærerēt, vt vnus à dextris Dei, & alius à finistris sedere debuissent, audierūt: Potestis bibere calicē, quē ego bibitur⁹ Matth.20.
sum? Iam locū celsitudinis quęrebāt, ad viā illos

Universidad de Deusto
Biblioteca

veritas reuocat, per quã ad celsitudinẽ venirent. Ac si dicatur: Iam vos delectat locus celsitudinis, sed priùs via exerceat laboris. Per calicem pertingitur ad maiestatem. Si mens vestra appetit quod demulcet, priùs bibite quod dolet. Sic sic per amarũ poculum cõfectionis, peruenitur ad gaudium salutis. *Iam non dicam uos seruos, quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos meos, quia omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci uobis.* Quæ sunt omnia quæ audiuit à patre suo, quæ nota fieri voluit seruis suis, vt eos efficeret amicos suos, nisi gaudia internæ charitatis, nisi illa festa supernæ patriæ, quæ nostris quotidiè mentibus per aspirationem sui amoris imprimit? Dum enim audita supercælestia amamus, amata iam nouimus, quia amor ipse notitia est. Omnia ergo eis nota fecerat, quia à terrenis desiderijs immutati, amoris summi facibus ardebant. Istos verò amicos Dei aspexerat propheta, cùm dicebat: Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus. Amicus enim quasi animi custos vocatur. Quia igitur Psalmista prospexit electos Dei à mundi huius amore separatos, custodire in mandatis cælestibus voluntatem Dei, miratus est amicos Dei, dicens: Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus. Et tanquam si ab eo protinùs causas honoris tanti nobis insinuari quæreremus, illicò adiũxit: Nimis confortatus est principatus eorum. Ecce electi Dei carnem domant, spiritum roborant, dæmonibus imperant, virtutibus coruscant, præsentia despiciunt, æternam patriam cum voce & moribus prædicant, eam etiam moriendo diligunt, atque ad illam per tormenta pertingunt. Occidi possunt, & flecti nequeunt. Nimis ergo confortatus est principatus eorum. In ista ipsa passione, qua ceciderunt in morte carnis, videte quantũ fuerit culmen mentis. Vnde hoc, nisi quia confortatus est principatus eorũ? Sed sic magni forsitan pauci sunt, subiunxit: Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur. Totum mundum fratres aspicite, martyribus plenus est. Iam penè tot qui videamus non sumus, quot veritatis testes habemus. Deo ergo numerabiles, nobis super arenam multiplicati sunt, quia quanti sint, à nobis comprehendi non possunt. Sed quisquis ad hanc peruenit dignitatem, vt amicus vocetur Dei, sese in se conspiciat: dona autem quæ percepit super se, nihil suis meritis tribuat, ne ad inimicitias erumpat. Vnde & subditur: *Non uos me elegistis, sed ego elegi uos, & posui uos, ut eatis & fructum afferatis.* Posui ad gratiam, plantaui, vt eatis volendo, fructum afferatis operando. Eatis enim volendo dixi, quia velle aliquid facere, iam mente ire est. Qualem verò fructum afferre debeant, subditur: *Et fructus uester maneat.* Omne quod secundùm præsens seculum laboramus, vix vsque ad mortem sufficit. Mors nanque interueniens, fructum nostri laboris abscindit.

Psal. 138.

Martyribus plenus est orbis.

Quod verò pro vita æterna agitur, etiam post mortem seruatur, & tunc apparere incipit, cùm laborum carnalium fructus cœperit non videri. Ibi ergo illa retributio inchoat, vbi ista terminatur. Quisquis igitur iam æterna cognouit, apud eius animũ tẽporales fructus vilescant. Tales ergo fructus operemur, qui maneant. Tales fructus operemur, qui cũ mors cũcta interimat, ipsi ferentis exordium à morte sumant. Nam quòd à morte incipiat fructus Dei, testatur propheta, qui ait: Cùm dederit dilectis suis somnũ, hæc est hæreditas Domini. Omnis qui dormit in morte, perdit hæreditatem. Sed cùm dederit dilectis suis somnum, hæc est hæreditas Domini: quia electi Dei postquã peruenerint ad mortem, tunc inueniũt hæreditatem. Sequitur: *Vt quodcunq; petieritis patrem meum in nomine meo, det uobis.* Ecce hic dicit, Quodcunq; petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Rursũ alibi per eundẽ euãgelistam dicit: Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. vsq; modò non petistis quicquam in nomine meo. Si omne quod petimus in nomine filij, dat nobis pater, quid est quòd Paulus ter Dominum rogauit, & exaudiri non meruit, sed dictum est illi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur? Nunquid ille tam egregius prædicator in filij nomine non petijt? Quarè autem non accepit quod petijt? Quomodò ergo verum est, quia quicquid petierimus patrem in nomine filij, dat nobis pater, si auferri à se angelum satanæ petijt Apostolus in nomine filij, & tamen quod petijt non accepit? Sed quia nomen filij Iesus est, Iesus autem saluator, vel etiam salutaris dicitur, ille in nomine saluatoris petit, qui illud petit, quod ad veram saluté pertinet. Nam si id quod non expedit, petitur, non in nomine Iesu petitur pater. Vnde & eisdem Apostolis adhuc infirmantibus Dominus dicit: Vsque modò non petistis quicquam in nomine meo. Ac si apertè dicat: Non petistis in nomine saluatoris, qui nescitis quærere æternam salutem. Hinc est, quòd & Paulus non exauditur: quia si liberaretur à tentatione, ei non prodesset ad salutem. Ecce vidimus fratres charissimi, quàm multi ad solennitatem martyris conuenistis: genua flectitis, pectus tunditis, voces orationis ac confessionis emittitis, faciem lachrymis rigatis. Sed pensate quæso petitiones vestras: videte si in nomine Iesu petitis, id est, si gaudia salutis æternæ postulatis. In domo enim Iesu Iesum non quæritis, si in æternitatis templo importunè pro temporalibus exoratis. Ecce alius in oratione quærit vxorem, alius petit villam, alius postulat vestem, alius dari sibi deprecatur alimentum. Et quidem cùm hæc desunt, ab omnipotente Deo petenda sunt. Sed meminisse continuè debemus, quod ex mandato eiusdem redemptoris nostri accepimus: Primùm quærite regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Et hæc itaque ab Iesu petere, non est errare, si tamen non nimiè petantur. Sed adhuc, quod est grauius, alius postulat mortem inimici, eumque quem gladio nõ potest persequi, persequitur oratione. Et viuit adhuc qui maledicitur, & tamen is qui maledicit, iam de morte illius reus tenetur. Iubet autẽ Deus vt diligatur inimicus, & tamen rogatur Deus vt occidat inimicum. Quisquis itaque sic orat, in ipsis suis precibus contra conditorem pugnat. Vnde & sub Iudæ specie dicitur: Fiat oratio eius in peccatum. Oratio quippe in peccatum, est illa petere, quæ prohibet ipse qui petitur. Hinc veritas dicit: Cùm statis ad orandum, remittite si quid habetis in cordibus vestris.

Quales fructus afferendi.

In nomine Iesu petendum.

Psal. 108.

Matth. 5.

Quam virtutem remissionis apertiùs ostendimus, si vnum testimonium veteris testamenti proferamus. Certè cùm Iudæa conditoris sui iustitiam culpis exigentibus offendisset, prophetam suũ ab oratione Dominus prohibet, dicẽs: Non assumes laudem & orationem pro eis. Si Moyses & Samuel steterint coram me, non est anima mea ad populum istum. Quid est quòd intermissis relictisque tot patribus, soli Moyses & Samuel in medium deducuntur, quorum mira obtinendi virtus ostenditur, dum nec ipsi intercedere posse dicuntur? Ac si apertè Dominus dicat. Nec illos audio, quos propter magnum petitionis suæ meritum minimè contemno. Quid ergo est, quòd Moyses & Samuel cæteris patribus in postulatione præferuntur, nisi quòd duo hi tantummodò in cuncta testamenti veteris serie, etiam pro inimicis suis legũtur exorasse? Vnus à populo lapidibus petitur, & tamen pro lapidatoribus suis Dominum deprecatur. Alter ex principatu deijcitur, & tamen petitus vt exoraret, fatetur dicens: Absit à me hoc peccatum in Dominum, quò minùs cessem orare pro vobis. Dicit ergo: Si Moyses & Samuel steterint coram me, non est anima mea ad populum istum. Ac si apertè dicat: Nec illos modò pro amicis audio, quos magnæ virtutis merito, orare etiam pro inimicis scio. Virtus ergo veræ orationis, est celsitudo charitatis: & tunc quisque quod rectè petit adipiscitur, cùm eius animus in petitione nec inimici odio fuscatur. Sed plerunque reluctantem animum vincimus, si etiam pro inimicis oramus. Effundit os pro aduersarijs precem, sed vtinam cor teneat amorẽ. Nam sæpè & orationem pro inimicis nostris impendimus, sed hanc ex præceptione potiùs fundimus quàm ex charitate. Nam & vitam inimicorũ petimus, & tamen ne exaudiamur, timemus. Sed quia internus iudex mentẽ potiùs quàm verba considerat, pro inimico nil postulat, qui pro eo ex charitate non orat. Sed ecce nobis inimicus grauiter deliquit, damna intulit, iuuantes læsit, amantes persecutus est. Retinenda hæc essent, si remittenda nobis delicta non essent. Aduocatus etenim noster precem nobis in causa nostra cõposuit, & ipse eiusdem causæ iudex est, qui aduocatus. Preci autem quam composuit, conditionem inseruit, dicens: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Quia ergo ipse iudex venit, qui aduocatus extitit, ipse precem exaudit qui fecit. Aut ergo non facientes dicimus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, & nosmetipsos hoc dicendo ampliùs ligamus: aut fortasse hanc conditionem in oratione intermittimus, & aduocatus noster precem quam composuit non recognoscit, atque apud se protinùs dicit: Scio quid monui, non est ipsa oratio quã fecit. Quid ergo nobis agendum est fratres, nisi vt veræ charitatis affectum impendamus fratribus? Nulla in corde malitia remaneat. Cõsideret omnipotens Deus erga proximum charitatem nostram, vt nostris iniquitatibus impendat pietatem suam. Mementote quod monemur: Dimittite, & dimittetur vobis. Ecce & debetur nobis, & debemus. Dimittamus ergo quod debetur nobis, vt dimittatur quod debetur à nobis. Sed ad hæc mens renititur, & vult implere quod audit, & tamẽ reluctatur. Ad martyris tumbã cõsistimus, qui ad cæleste regnum ex qua morte peruenit scimus. Nos si pro Christo corpus non ponimus, saltem animum vincamus. Placatur Deus isto sacrificio: approbat iudicio pietatis suæ, victoriam pacis nostræ. Certamen enim cordis nostri aspicit, & qui post vincentes remunerat, nunc decertantes iuuat Iesus Christus Dominus noster, qui viuit & regnat Deus in secula seculorum, Amen.

Matth. 6.

Luc. 6.

Num. 7.

Num. 15.

Deut. 17.

Hier. 12.

Exod. 32.

Luc. 6.

IN NATALI APOSTOlorum, Homilia I. Eusebij Emeseni.

Hoc est præceptum meum, ut diligatis inuicem, &c. Ioan. 15.

DEcem sunt mandata legis: Quorum primum illud est, quo dicitur: Non habebis Deos alienos corã me. Secundum autem: Non habebis simulachrum in domo tua. Tertium verò: Non accipies nomen Dei tui in vanum. Quartum aũt, Cole diem sabbati. At verò quintum, Honora patrem tuum & matrem. Alia verò quæ sequuntur, hæc sunt: Non occides: Nõ mœchaberis: Non furtũ facies: Non falsum testimonium dices. Non concupisces rem proximi tui. In his aũt omnia legis & prophetarum præcepta continentur. Quare autem decem sint mãdata legis, quare decem cortinæ tabernaculi, quare decẽ virgines in euangelio, quare quoq; decem talenta, quare decem plagis flagellatur Aegyptus, &c.

Exod. 20. Deut. 5.

Exod. 36.

Matth. 25

Exod. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Apoc. 2. Aegyptus, quare decem diebus sancti tribulationem patiuntur, eadem ratio, eademq; significatio est. Cùm igitur decem sint præcepta legis, quid est quòd in hoc loco Dominus ait: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis inuicem, sicut dilexi uos:* nisi quia omnia in decem, & decem in hoc vno, Rom. 13. præcepta concluduntur? Vnde & Apostolus ait: Quia plenitudo legis est dilectio: dilectio vtiq;, Matth. 22 qua Deum & proximum diligimus. In his enim duobus præceptis, vniuersa lex pendet & prophetæ. Sed hæc quoq; ideò vnum sunt: quia quicũq; diligit Deum, diligit & proximum, secundùm 1. Ioan. 4. illud: Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodò potest diligere? Et hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. Similiter autem qui proximum diligit, & Deum diligit, si tamen vera dilectione eum diligat. Nõ est enim vera dilectio, quę temporales vtilitates attendit, & non ad æternæ beatitudinis gloriã tendit. Si enim pro talibus vtilitatibus diligas fratrẽ tuum, sic diligis eum, sicut equum tuum & asinũ tuum. In his enim simul cum ipsis vtilitatibus deficit amor. At verò charitas nunquam deficit.

Cant. 8. Vnde scriptum est: Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent eã. Quia fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus, æmulatio: de qua æmulatione Apostolus 2. Cor. 11. ait: Aemulor enim vos Dei æmulatione. Vera igitur dilectione proximum diligit, qui nõ carnis affectione, nec terreno commodo eum diligit, sed propter Deum & præcepta Dei. Talem enim dilectionẽ se habere ipse Dominus ostenMatth. 12 debat, cùm diceret: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Qui fecerit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse mea mater, & soror, & frater est. Diligo, inquit, matrem meam, & fratres meos: nõ quia mater mea est, & fratres mei, sed quia faciunt voluntatem patris mei. Apparet igitur, quòd quicunq; diligit proximum, diligit Deum: si quidem proximum diligit propter Deum. Similiter autẽ & qui Deũ diligit, proximũ diligit: quoniam qui Deũ diligit, præceptum eius custodit. Et hoc est præceptum eius, vt nos inuicem diligamus, sicut ipse dilexit nos. Quomodò ipse dilexit nos? plena & perfecta dilectione. *Maiorem enim hac dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Hanc autem dilectionem erga nos habuit Iesus. Hanc igitur & nos habeamus. *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio uobis* Non sunt igitur eius amici, qui eius præcepta non custodiunt. *Iam non dicam uos seruos.* Quare? *Quia seruus nescit, quid faciat dominus eius.* Quid igitur? *Vos autem dixi amicos.* Et hoc quare? *Quia omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci uobis.* Meritò eis mutat nomina, quibus mutat officia: Non quia serui desierint esse, sed quòd magis familiares esse cœperint. Iam nõ solũ ad laborem mittuntur vt serui, sed ad secreta cõsilia vocantur vt amici. Quid sibi tamen vult, quod Dominus ait, *Iam non dicam uos seruos*: cùm vnicuique suorum fidelium in fine dicturus sit, Euge bone serue? Quandam mihi inter bonum Matth. 25. & malum seruum differentiam facere videtur. Seruus enim non ideò quia seruus est, sed quia amicus est & fidelis, ad domini sui secreta & cõsilia vocatur. Serui nanq; nomen, oppfobrij est: amici verò & honoris & dignitatis. Possumus autem intelligere, quòd Dominus & saluator noster fideles suos non increpando vel imperando, sed blandiendo & congaudendo seruos dicat, si quando seruos eos dicit. Multa de bono & malo seruo loquitur Moyses. Multa de seruo Exod. 21. Hebræo, qui post multum laborem dominũ reliquit. Mũlta de illo bono seruo, qui quoniã domino relinquere noluit, aures ad audiendum habet perforatas. Bon⁹ ille seruus Abrahæ, qui adDeut. 15. duxit vxorẽ domini sui Isaac. Bonus ille seruus Gen. 24. Dauid, qui ait: Ego sum seruus tuus, & filius ancillæ tuę. De malo aũt seruo qđ dicitur: Serue male & piger, quia non dedisti pecuniam meam ad Psal. 118. misericordiam. Itemque: Serue nequam omne Matth. 25. debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Tales Matth. 18. autem serui non sunt amici: & ideò tales serui non dicuntur, qui Dei sunt serui. Sequitur: *Quæcunq; audiui à patre meo, nota feci uobis.* Omnia enim quæ audiui à patre, nota feci eis: illo tamen tempore notificanda eis, quando & necessaria eis. Vnde & in sequentibus ait: Adhuc multa habeo Ioan. 16. vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm aũt venerit ille spiritus veritatis, docebit vos oẽm veritatẽ. Sic multa determinanda sunt, quæ vniuersaliter dici videntur. Quale est illud: Ioan. 12. Cùm exaltatus fuero à terris, omnia traham ad meipsum. Itemque: Prædicate euangelium Mar. 16. omni creaturæ. Et Apostolus de charitate: Om- 1. Cor. 13. nia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Et multa alia his similia. Nam & id, quod modò diximus, Docebit vos omnem veritatem, similiter determinandum est. Alioquin verum non esset, quod ait Apostolus: Nunc cognosco ex parte, tunc cognoscam, sicut & cognitus sum. Nemo enim in hac vita cognoscit omnem veritatem. Dicit ergo Iesus discipulis suis: Quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis. Hic igitur subauditur, necessaria vobis, & reuelanda vobis. Non enim sunt modò omnia dicenda vobis: quia non est vestrum nosse tempora & Actor. 1. momenta, quæ pater posuit in sua potestate. *Non uos me elegistis, sed ego elegi uos, & posui uos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus uester maneat.* Quid est, quod in Canticis canticorum Ecclesia dicit: Dilectus meus candidus & Cant. 5. rubicundus, electus ex milibus, si ipsi eum nõ elegerunt? Quid est etiam, quòd Psalmista ait: psal. 17. Et cum electo electus eris? Elegit igitur Dominus discipulos suos, elegerunt & discipuli Dominum. Sed ipse priùs elegit eos, & ipsi posteà elegerunt

gerunt eum. Quod vtique non fecissent, nisi priùs eos elegisset. Et ipse quidem elegit eos, vt eius discipuli essent: ipsi verò elegerunt eum, vt Marc. 16. eorum Dominus esset. Ego (inquit) *elegi uos.* Ad quidẽ vt eatis in vniuersum mundum, & prædicetis euangelium omni creaturæ. *Et fructum afferatis.* Iste fructus omnium fidellum multitudo Ioan. 11. intelligitur. De quo benè subditur, *Et fructus uester maneat.* Hoc est enim, quod alibi ait: Qui credit in me, non morietur in æternum. *Et quodcunq; petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis:* Sic tamen, si talia petieritis, quæ sint necessaria & vtilia vobis, quæ Dei dispositioni non sint contraria, vestræq; saluti inimica. Quod Dominus promisit futurum, nos videmus esse completum. Scimus enim apostolos in nomine Iesu Christi cæcos illuminasse, paralyticos curasse, leprosos mundasse, mortuos suscitasse, & alia omnia suscepisse, pro quibus patrem deprecati sunt in nomine 1. Cor. 12. filij. Apostolus tamen dicit: Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus sathanæ, vt me colaphizet. Propter quod & Dominum ter rogaui vt discederet à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur. Ac si diceret: Aduersùm te rogas, & contraria postulas, virtutis lorica expoliari petis. Et mox Apostolus cognita ratione, lætus valdè quòd exauditus non fuerat, ait: Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Benè igitur exauditus est, qui modò lætatur, quòd exauditus non est.

IN NATALI APOSTOlorum, Homilia II. Eusebij Emeseni.

Hæc mando uobis, ut diligatis inuicem, & cæt. Ioan. 15.

MAgna est virtus charitas, quæ toties discipulis à Domino commẽ datur. Qui hoc vnum mandatum custodit, legem & prophetas adimpleuit. De hoc enim per prophetam dicitur: Quia verbũ abbreuiatum faciet Dominus super terram. *Si mundus uos odit, scitote quia me priorem uobis odio habuit.* Nolite (inquit) mirari, si mundi amatores vos persequuntur & perdere nituntur: sed potiùs scitote, & memores estote, quia me priorem vobis, quia me omnium hominum maiorem & Dominum, non solùm odio habuerint, verumetiã occiderint. *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret.* Quomodò enim de mundo non sunt, qui de hominibus nati sunt, & de terra facti sunt? Fuerunt, inquam, de mundo, sed iam nunc non erant de mundo: quia nullum amorẽ habebant in gloria & voluptate mundi. Vnde subditur: *Quia uerò de mundo non estis, sed ego elegi uos de mundo, propterea odit uos mundus.* Non enim dixit, Quia de mundo non fuistis, sed potiùs quia de mundo non estis: quoniam & si tunc de mundi huius amatoribus non erant, de mundo tamẽ assumpti & electi erant. Et idcircò mundus, id est, mundi amatores eos non diligebant, quia sibi operibusq; suis contrarios esse videbant. Vnde & de saluatore nostro dicebant: Venite Sap. 2. & interficiamus iustum: quoniam contrarius est operibus nostris. *Mementote sermonis mei, quem ego dixi uobis: Non est seruus maior domino suo.* Hoc autem ad quid dixerit, audiamus. *Si me* (inquit) *persequuti sunt, & uos persequentur: Si sermonem meum seruauerunt, & uestrum seruabunt.* Nec in vobis fieri dubitetis, quod in me fieri videtis. *Sed hæc omnia facient uobis*, non propter vos, *sed propter nomen meum*, quod prædicabitur à vobis. Et hoc ideò, *quia nescierunt eum, qui misit me.* Si enim scirent patrem, scirent & filium cuius est pater. Sed quare nesciunt? quia scire nolunt. Scire autem, credere est. Venit ad eos, locutus est eis, scripturas aperuit, veritatem reuelauit, signa multa & inaudita miracula fecit, & tamen credere noluerunt. Nulla igitur eis est excusatio. Hoc est, quod ait: *Si non uenissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Quid est hoc, Si non venissem, peccatum non haberent? Ergo non habebant Iudæi peccatum, priusquàm veniret ille, qui venit peccata tollere? Habebant quidem peccata: hoc tamen peccatum non habuissent, si Christus non venisset. Non enim de quolibet peccato hoc debet intelligi, sed de peccato infidelitatis, quòd in Christum credere noluerunt, quòd eum oderunt & occiderunt. Vnde & subditur: *Qui me odit, & patrem meum odit.* Non parum igitur & leue videatur eis qui me oderunt, quia simul mecum & patrem oderunt. Ego enim & pater vnum su- Ioan. 10. mus. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Hoc enim Iudæis solum sufficere debuit, quòd Dei filium se esse dicebat, & tanta miracula faciebat. Quæ vtique facere non posset, si mentiretur. *Nunc autem & uiderunt, & oderunt, & me & patrem meum. Sed hoc totum factum est, ut adimpleatur sermo, qui in lege eorũ scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis.* Sed dicet aliquis: Psal. 34. Quid igitur ad eos, si ideò hoc Iudæi fecerunt, & 68. vt sermo legis adimpleretur? Multum quidem. eorum enim iniquitas fuit causa, vt hoc de eis propheta prædiceret. Quod si ille non prædixisset, tamen nihilominùs euenisset. Quamuis igitur quod ille prædixit, non euenire non potuit: non tamen propheticus sermo, sed eorum iniquitas huius tanti mali causa fuit. Consi- Apostoli derate verò, fratres mei, quanta deuotione quàm sint sanctos apostolos honorare debeamus, quos honorãdi

ipse

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipſe Dominus iam non ſeruos, ſed amicos vocat. De quibus ipſe ait : Quia non ſunt de hoc mundo, ſed de mundo electi, mundum vicerũt cum principe mundi. Quibus ipſe teſtimonium perhibet, dicens: Vos eſtis ſal terræ. Vos eſtis lux mundi. Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis. Iſti ſunt illi duodecim, quorum affluentia omnis terra ſanatur. Venit (inquit Moyſes) populus in Elim, vbi erant duodecim fontes aquarum. O quantus fons iſte eſt, qui hæc ſcripſit beatus Ioannes euangeliſta. Iſti ſunt duodecim horæ diei, & duodecim portæ cæleſtis Hieruſalem, de quibus dicitur: Ab oriente portæ tres, ab occidente portæ tres, à meridie portæ tres, ab aquilone portæ tres. De quibus Propheta ait: Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob. Et reuerà magis diligit ſolas Eccleſiæ portas, quàm omnia ædificia Synagogæ. Iſti ſunt lapides viui, qui voluuntur ſuper terram. Qui poſiti in rationali ſummi pontificis, etiam ſine voce docent & prædicant. Prædicant enim non clamando, ſed ſignificando. Hos ſemper in pectore habere debemus, quibus corda noſtra & inſtruantur & muniantur. Ad hos totus populus reſpiciat, & quid ſignificet diligenter inquirat. Iſti ſunt fundamentum, turres, & columnæ Eccleſiæ. Iſti mõtes, qui exultauerunt vt arietes. Iſti cedri libani, iſti cerui qui venenum non timebunt, & ſerpẽtes interficient. Iſti galli in nocte cantantes, & leones ſæuientes, qui ſuccinctis renibus & fortiſſimi beſtiarum, ad nullius timebunt occurſum. Sed quid dicam? Iſti ſunt cæli, qui enarrant gloriam Dei.

Matth. 5.
Luc. 8.
Exod. 15.
Ioan. 11.
Apoc. 21.
Pſalm. 86
Exod. 39.
Pſal. 1.
Prou. 30.
Pſal. 18.

IN NATALI APOSTOLORUM, Homilia III. Euſebij Emeſeni.

Ecce ego mitto uos, ſicut oues in medio luporum, &c. Matth. 10.

Matth. 10

DIxerat ſuperiùs in hoc euangelio Dominus & ſaluator noſter diſcipulis ſuis: Euntes prædicate dicentes, quia appropinquauit regnum cælorum. Gratis accepiſtis, gratis date: & nolite portare ſaculum, neq; peram. Nolens autem eos vagos & inſtabiles eſſe, ait: In quamcunque ciuitatem aut domum intraueritis, illic manete, donec exeatis inde, comedentes & bibẽtes, quæ apud illos ſunt. Dignus eſt enim operarius mercede ſua. Poſteà verò dixit: *Ecce ego mitto uos ſicut oues in medio luporum.* Ego, inquit, Dominus & magiſter veſter. Ego Deus omnipotens, Ego cui nemo reſiſtere valet. Ego (inquam) mitto vos, ſicut oues in medio luporum. Scitis, & benè ſcitis vtriuſque naturam. Ad patiendum itis, patientiam & innocentiam cuſtodite. Non vos defendatis, quia oues eſtis. Sæuiant illi, qui lupi ſunt. *Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* De ſerpente nanque dicit Moyſes, quia callidior cunctis erat animantibus terræ. Serpentes autem maligni ſpiritus & iniqui homines vocantur: quoniam venenoſi ſunt, & recto itinere nõ incedũt. Sicut igitur illi prudentes ſunt in malo, ſic & vos, dicit Dominus, prudentes eſtote in bono. Videte ne vos decipiant aſtutia ſua: quia filij huius ſeculi prudentiores ſunt filijs lucis in generatione ſua. Prudentes igitur eſtote: ſed ita prudentes, vt ſimplicitatem non amittatis. Sitis autem ſimplices, ſicut columbæ. Simplex (inquit) ſine fraude, ſine veneno, ſine dolo, ſine felle omniq́ue amaritudine, ſit prudẽtia veſtra. *Cauete autem ab hominibus. Tradent enim uos in concilijs, & in ſynagogis ſuis flagellabunt uos, & ad reges & præſides ducemini propter me in teſtimonium illis & gentibus.* Cauete, inquit, vobis ab hominibus, vbi prudentia neceſſaria erit, ne vos decipiant, ne vos ſeducant minis & flagellis, ne vos blanditijs & perſuaſionibus à veritate deuiare faciant. Multis enim modis vos tentabunt, multis argumentis, multisque inſidijs vos decipere conabuntur. Tradent enim vos, flagellabunt vos, ad reges & præſides ducent vos. Hoc autem propter me, quatenùs & illis & cunctis gentibus teſtimonium detis de me. *Cùm autem tradent uos, nolite cogitare quomodò aut quid loquamini. Dabitur enim uobis in illa hora, quid loquamini. Non enim eſtis uos qui loquimini, ſed ſpiritus patris ueſtri, qui loquitur in uobis.* Quid enim loquerentur idiotæ & piſcatores, quid loquerentur ruſtici & illiterati? Quid loqueretur os mutum & mandibula aſini? Scriptũ tamen eſt, quòd ſapientia aperuit os mutum, & linguas infantium fecit diſertas. Hos autem ſignificauit Samſon ille fortiſſimus vir, qui mille viros & ampliùs cum ſola aſini mãdibula interfecit. Sæpè equos hinniẽtes, & aues canentes, & aliorũ animaliũ voces audimus: nulla vos minùs delectat, quàm vox aſini. Tales igitur priùs erãt apoſtolorum voces, tales illorum mandibulæ & ora, de quibus Apoſtolus ait : Quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt confundat fortia, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret. Sic igitur & noſter Samſon cum mandibula aſini, id eſt, per ſtultos & illiteratos, per ora priùs muta & indiſciplinata hoſtes ſuos vicit, & mundi ſapientiam deſtruxit. Ipſe enim eſt Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Non igitur Apoſtoli loquebantur, ſed ſpiritus ſanctus in eis. Ipſi quaſi tubæ, per quas voces ſonarent. Ipſi quaſi pſalterij chordæ, quæ ſapienter tactæ aures delectarent. Nec illud quidem vacat à myſterio, quod de mandibula aſini fons aquæ profluxit, quo Samſon ille fortiſſimus ſitim extinxit.

Matth. 10
Luc. 10
1. Cor. 1
Iudic. 15
Pſalm. 23
Iudic. 15

tinxit. Magna nanq; ſapiẽtiæ flumina ex Apoſtolorũ ore manarũt, quibus in ſeruis ſuis Dominus ſatiatur. Ipſe. n. ſatiatur in nobis, ipſe cibatur, & potatur in nobis. Hoc enim ipſe ait: Eſuriui, & dediſtis mihi mãducare. Quod enim vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Cùm igitur ab iniquis ſancti apoſtoli ad concilia traherentur, quia non ipſi loquebantur, ſed Spiritus ſanctus in eis, ſecuri ibant quocunque ducebantur ab eis. Securus enim ad prælium vadit, qui talibus armis & ſub tali principe pugnat. Securus & ille ad concilium pergit, qui tali prolocutore cauſam ſuam defendit. Cum ſanctis philoſophos diſputaſſe legimus: ſed hos à puellis & hominib. illiteratis ſuperatos fuiſſe audimus. Hoc autem quis faciebat niſi Spiritus ſanctus, qui loquebatur in eis? *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & ſurgent filij in parentes, & morte eos afficient. Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* Hæc autem prophetia quia iam impleta eſt, expoſitione non indiget. Ipſa enim eius adimpletio, expoſitio fuit. *Qui autem perſeuerauerit uſque in finem, hic ſaluus erit.* Omnis enim homo in eo iudicatur, in quo inuenitur. Quacunque hora conuerſus fuerit, vita uiuet, & non morietur. Sed ſortè expectas, vt conuertaris in vltima hora. audi quid Dominus dicat: Vigilate, quia neſcitis diem neque horam. Illi igitur qui vltimam horam ſic expectant, falli poſſunt. Qui enim in bono perſeuerarint, falli non poſſunt. Nunquam enim niſi in bono iudicantur, qui ſemper in bono inueniuntur.

Matth. 25
Ezech. 18
Matth. 25

IN NATALI APOSTOLORUM, Homilia IIII. Euſebij Emeſeni.

Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, &c. Matth. 19.

NArrauit ſuperiùs euangeliſta, iuuenem quendam acceſsiſſe ad Ieſum, & dixiſſe ei: Magiſter bone, quid faciam vt habeam vitam æternam? Cui Dominus ait: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Non occides, non mœchaberis, non furtũ facies, non falſum teſtimonium dices: honora patrem & matrem, diliges proximum tuum ſicut teipſum. Dixit illi adoleſcens: Omnia hæc cuſtodiui à iuuẽtute mea, quid adhuc mihi deeſt? Et Dominus ad eum. Si vis (inquit) perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni ſequere me. Ille autem triſtis abijt, quia multas habebat poſſeſsiones. Si enim, vt Apoſtolus ait, plenitudo legis eſt dilectio: aut iſte benè non intellexit, Diliges proximum tuum ſicut teipſum: aut ſi intellexit, non benè reſpondit, dicens: Hæc omnia cuſtodiui à iuuentute mea. Quid enim ei deeſſe poteſt, qui totam legem cuſtodiuit? Putabat igitur iſte, ſicut videtur, proximum ſuum ſe benè diligere, quia eum non occidebat, quia bona ſua ei non auferebat, aliasque iniurias ei non faciebat. Ideoque qualiter hoc intelligere debeat, Dominus ſubinferens, ait: Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo: & veni ſequere me. Hæc eſt vera menſura perfectionis. Ille implet legem, qui iſta cuſtodit: nec in Dei dilectione peccat, qui Chriſtum ſequitur: nec in dilectione proximi, qui indigẽtibus omnia largitur. Non deſperet tamen, cui ad hanc perfectionem venire non datur. Multi enim ſaluantur, qui neque omnia linquunt, neque omnia pauperibus tribuunt: ad culmen tamen perfectionis non perueniunt, Zachæus enim non omnia, ſed dimidium bonorum ſuorũ ſe daturum promiſit, dicens: Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Confeſtim autem audire meruit, quòd eſſet filius Abrahæ. Sequitur autem: Cùm audiſſet autem adoleſcens verbum, abijt triſtis. Erat enim habens multas poſſeſsiones. Ecce qualis erat adoleſcens, oſtendit. Bonus erat, quia alijs non nocebat. Sed non erat bonus, quia alijs non ſubueniebat: nec ſua largiri, nec aliena rapere nouerat. Loquebatur cum Deo, qui veras diuitias ei oſtendebat. Magis tamen in terrena poſſeſsione, quàm in cæleſtis theſauri promiſſione ſpem habebat. De talibus ait Apoſtolus: Præcipe diuitibus huius ſeculi, non ſperare in incerto diuitiarum. Aliud eſt enim diuitem eſſe, aliud in diuitijs ſpem habere. Qui enim in diuitijs ſpem ſuam ponunt, valdè difficilè ſaluari poſſunt. Vnde & Dominus ſubinferens, ait: Amen dico vobis, quia diues difficilè intrabit in regnum cælorum. Et iterùm dico vobis, faciliùs eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem introire in regnum cælorum. Priùs difficile, deinde impoſsibile dixit. Impoſsibile eſt enim, vt diuites in diuitijs ſpem habentes, intrent in regnum cælorum. De illis enim hoc intelligitur. ſic enim Marcus narrat: Filioli, quàm difficile eſt confidentes in pecunijs, regnum Dei introire. Sed quid per camelum, cui vnicum & ſingulare officium eſt onera portare, niſi eos intelligamus, qui peccatorum pondere prægrauentur? Quibus ſe Pſalmiſta connumerans, ait: Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum: ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. De diuitibus autem quid dicit? Ecce homo qui non poſuit Deum adiutorem ſibi, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum, & prævaluit in vanitate ſua. Facilius igitur eſt camelũ,

Luc. 19.
1. Tim. 6.
Matt. 19.
Mar. 10.
Pſal. 37.
Pſalm. 51.

Universidad de Deusto
Biblioteca

id est,aliquem valdè peccatorem transire per foramen acus,id est,per arctam & angustam viam, quàm huiusmodi diuitem intrare in regnum cælorum:quoniam ille facilius à peccatis , quàm iste à diuitiarum spe separari potest.Auditis autem his,discipuli mirabantur valdè , dicentes: Quis ergo poterit saluus esse?Hoc enim discipuli non dixissent, si de quo diuite Dominus loquebatur intellexissent.Aspicieas aût Iesus, dixit illis : Apud homines hoc impossibile est,apud Deum autem omnia sunt possibilia. Quod enim ait,Apud homines,hoc est,secundùm humanum intellectum,non secundùm spiritualem & diuinum. Non est enim impossibile Deo qualemcunque diuitem ad suæ voluntatis viam conuertere:quanuis valdè difficile sit,vt pauper esse velit,qui semper diues fuerat.Si igitur ad literam intelligatur,sicut homines intelligunt,impossibile est vt per foramen acus transeat camelus. Si verò spiritualiter,sicut modò exposuimus,& sicut Dominus ipse intelligebat,impossibile non est per arctam & angustam viam peccatorem intrare in regnum cælorum. *Tunc respondens Petrus,dixit ei:Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te:quid ergo erit nobis?* Ille, inquit, diues,de quo superiùs loquutus es,neq; omnia dimittere,neq; sequi te voluit. Cui etiam quid responderis,audiuimus:de nobis aût quid dicis,qui & omnia reliquimus & te secuti sumus? Omnia enim Petrus reliquerat,quia non solú ea reliquerat quæ habebat, sed & ea quæ habere poterat, vt vlteriùs in hoc mundo nihil proprium possideret,nihilq; possidere desideraret. Vnde Ioan
1. Ioan. 2 nes apostolus admonet,dicens : Nolite diligere mundum,neq; ea quæ in mundo sunt. Et maius quidem est habendi voluntatem, quàm ipsum habere,derelinquere.*Iesus autem dixit illis:Amẽ dico vobis,quòd vos qui secuti estis me,in regeneratione,cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël.* Duo Petrus proposuerat, sed alterum Christus assumpsit.Non enim dixit , Vos qui reliquistis omnia,sed dixit,Vos qui secuti estis me, Omnia relinquit,qui perfectè sequitur Iesum. Sufficiens ergo fuit alterum dicere , quia vtraq; in vnum continebantur.Vos,inquit,qui secuti estis me,qui mecum per eandem viam inceditis,qui ad cælestia festinatis,qui terrena cuncta despicitis,qui iustitiã & veritaté,pacem &misericordiã diligitis,vos sedebitis super sedes duodecim,iudicantes duodecim tribus Israël. Sedebunt vtique Apostoli super sedes duodecim , sedebunt & alij super suas,qui eorum exemplo vixerunt, & Christum Dominum secuti sunt.Plures enim ibi sunt sedes quàm duodecim , plures iudices ibi erũt.Non solùm enim episcopi & sacerdotes
Matth. 12 ibi iudicabunt,verumetiã,vt superiùs dicitur,regina Austri & Niniuitæ resurgent in iudicio cũ generatione ista,& condemnabunt eam. Sed quæ sunt istæ sedes,super quas isti iudices sedebunt?Istæ sedes,singulæ ecclesiæ sunt. Vnde & episcopi ecclesias quibus præsunt,sedes suas vocare consueuerunt. Sedebit igitur vnusquisque in populo,quem rexit & prædicauit,& maior & sublimior apparebit.Sedebit autem & Dominus in sede maiestatis suæ, quoniam excelsus super omnes gentes Dominus,cunctis & angelis & hominibus præsidebit. Iudicabit igitur Dominus,iudicabunt & apostoli , iudicabunt insuper episcopi & sacerdotes. Omnes præterea ibi iudicabunt , quorum exemplo cæteri damnabuntur.*Et omnis qui reliquerit domum, & fratres, aut sorores, aut patrem,aut matrem, aut uxorem,aut filios,aut agros propter nomen meum,centuplum accipiet,& uitam æternam possidebit.* Alij autem euangelistæ dicunt,centuplum accipiet,& post hanc vitam,vitam æternam.Quibus & Marcus addit, Cum persecutionibus. Centuplum enim cum persecutionibus in hac vita suscipiunt sancti: quia quicunque Deum diligunt,eiusque voluntatem faciunt,sanctorum fratres & sorores, patres & matres , amici & propinqui fiunt.Sic enim de seipso Dominus ait:Quicunque fecerit voluntatem patris mei qui in cælis est,ipse mihi frater,soror,& mater est.Fratres autem & sorores, patres & matres , vxores & filij dicuntur, non natura , sed officio & affectione. Quos enim multùm diligimus , his nominibus vocare solemus.

Sedes,ſingulæ eccleſiæ.

Psal. 112.

Exod. 25.

Luc. 18.

Matth. 19.

Marc. 10.

Luc. 18.

Num. 11.

Apostoli successores episcoporum.

IN NATALI APOSTOlorum, Homilia V. Eusebij Emeseni.

Messis quidem multa,operarij autem pauci. &c. Matth. 9.

BEatus Lucas euangelista ficait: Quia designauit Dominus & alios discipulos septuaginta duos, & misit eos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum,quò ipse erat venturus, & ait illis:Messis quidem multa,operarij autẽ pauci. Duodecim filios habuit Iacob , septuaginta verò & duos viros ex senioribus Israël,iubente Domino,elegit Moyses, quorum consilio & auxilio tanti populi onus faciliùs ferre potuisset. Sic igitur Dominus saluator noster , qui per hos duos significabatur,& duodecim apostolos elegit,& septuaginta duos discipulos designauit. Et apostolorum quidem vicem modò tenent episcopi : allorum verò discipulorum officium gerunt presbyteri. Binos autem eos misit Dominus ad prædicandum , quia duo sunt præcepta charitatis.Insuper etiam scriptum est: Væ soli,qui cùm ceciderit,non est qui subleuet eum. Duo sunt præterea testamenta , quæ semper simul

simul pergunt,simul docent & prædicant. Quæ si nostri pectoris ciuitatem intrauerint, Domino venienti mansionem & hospitiũ parant,sicut & illi discipuli tunc temporis faciebant. Miseri Iudæi,ad quorum hospitium non duo discipuli,id est,duo testamenta, sed vnum solummodò venit:& ideò quid dicat,non intelligunt. Hoc enim significabant illi duo Cherubin,qui positi super arcam testamenti se mutuò respiciebant, versis vultibus in propiciatoriũ. Cherubin nanque scientiæ plenitudo interpretatur. Sed vbi quæso tanta scientia, quanta in vtroque testamẽto?Quòd autem duo Cherubin mutuò se respiciunt , amborum testamentorum amicitiam & concordiam significant. Idem enim testantur ambo , idem dicunt & prædicant ambo. Habent autem vultus versos in propiciatorium,quo tegitur arca , quatenùs ab omnibus videantur & cognoscantur,nullusque in arca,id est, in Ecclesia,sanctorum congregatione sit,qui eorum faciem extraneam & incogitatam habeat.Hoc autem illi audiant,qui sacras literas meditari negligunt. Vt enim de alijs taceamus, ipsi quoque episcopi Cherubin istos aliquando non cognoscunt , & quanuis ad eos vt cognoscantur vultus conuertant, ipsi tamen eos despiciunt. Non pergant igitur sine se,qui tantùm diligunt se: simul eant, simul prædicent,simul castellis & ciuitatibus Christum venientem annunciant. Sequitur: *Messis quidem multa,operarij autem pauci.Rogate ergo Dominum messis , ut mittat operarios in messem suam.* Tantus est ager,quantus & mundus. Multa igitur messis, quia multi sunt homines. Pauci sunt operarij, quia pauci sunt prædicatores. Multi enim officium prædicandi habent,qui tamen prædicãdi laborem habere contemnunt, neq; attendunt Apostolum dicentem:
1. Cor. 9. Si non euangelizauero,væ mihi erit. De quibus
Esa. 56. propheta ait: Canes muti, non valentes latrare. Vult autem Dominus rogari,vt mittat operarios in messem suam, quatenùs fideles sui non solùm de operatione, verùm & de affectu & voluntate remunerentur. Et
Matth. 10 *conuocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum,ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.* Non mirum, si reges & principes,tyrannos & potestates Christi discipuli vincere potuerunt, qui super ipsos malignos spiritus,eorum videlicet imperatores & dominos potestatem susceperunt. Et modò quoq; episcopi & sacerdotes hoc agunt in animabus,quod tunc Apostoli in corporibus operabãtur.Nam & spiritus immundos ejiciunt, & omnium mẽtes ab ægritudine omni curant, & animas iamdefunctas ad vitam resuscitant. Cur enim Dominus & discipuli eius corpora sanabant subitò , nisi vt per hoc sanaretur anima in æternum victura?Neque enim credidissent, nisi signa & prodigia vidis-
1. sent. Hoc enim ipse Dominus ait : Nisi signa & prodigia videritis,non creditis.Si verò non credidissent , ad salutem animæ peruenire nonpotuissent.Maius est animam sanare quàm corpus, quoniam maius est illud quod per se fit, quàm illud quod per aliud fit.*Duodecim aũt apostolorũ nomina hæc sunt:Primus Simõ,qui dicitur Petrus,et Andreas frater eius,Iacobus Zebedæi et Ioãnes frater eius,Philippus & Bartholomæus , Thomas & Matthæus publicanus, Iacobus Alphæi & Thaddæus,Simon Cananæus, & Iudas Iscariothes,qui tradidit eum.* Isti sunt illi duodecim lapides precioſi , de quibus toties loquuti sumus,quos in rationali pontificis Moyses ponere iussit. Siquidem Iudæ proditoris locum Mat
Actor. 1. thias suscepit.*Hos duodecim misit Iesus præcipiens eis, & dicens:In uiã gentium ne abieritis , & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed potiùs ite ad oues, quæ perierunt domus Israël:* Quia per se & sui corporis præsentiã Iudæis prædicare venerat, gentilibus verò per Apostolos & doctores. Vnde & discipulis suis,quibus modò in viam gentiũ ire & in ciuitates Samaritanorũ introire interdicit,posteà
Marc. 16. præcepit,dicens:Ite in vniuersũm mundũ,prædicate euangelium omni creaturæ. Priùs enim Iudæos,deinde gentiles vocare voluit.Samaritani autem secuti Hieroboam,idola coluerunt:vnde hic non immeritò gentibus aggregantur.*Euntes autem prædicate,dicentes,Quia appropinquauit regnum cælorum.* Tollãtur igitur regnum malorum,destruatur & pereat regnum dæmoniorum, quia iam in terris ædificatur regnum sanctorum,quia nobiscum & inter nos habitat rex angelorum. Huius sermonis hęc erit probatio:*Infirmos curate, mortuos suscitate,leprosos mundate,dæmones ejicite:gratis accepistis,gratis date.* Hæc enim non humana sunt,sed diuina: non terrena,sed cælestia. Quis itaque cælorum regno , regem & Dominum adesse dubitet , cùm in nomine Iesu infirmitas fugiat,mors pereat,vita & sanitas redeat, lepra recedat,& maligni spiritus,(qui hominibus dominabantur) excludantur ab hominibus?*Gratis accepistis , gratis date.* Hoc audiant Simoniaci : Hoc audiant illi,qui sancti spiritus gratias emere & vendere non timent. Sed dicet Simoniacus:Ego gratis non accepi,gratis dare non possum.Si gratis non accepisti,à Domino non accepisti. Dominus enim nulli dat nisi gratis. Non enim tibi ista dicuntur?*Nolite possidere aurũ, neq; argentum,neq; pecuniam in zonis uestris:non peram in uia,neq; duas tunicas,neq; calceamenta, neque uirgam: Dignus est enim operarius mercede sua.* His enim verbis omnis cupiditas,& auaritiæ occasio tollitur, omne superfluum amputatur, & sola necessaria conceduntur. His denique expeditur via,fugit timor,& crescit securitas. Vnde non immeritò quidam ait:Cantabit vacuus coram latrone viator.Sed quare peram & sacculum, quibus cogi- Iuuenalis Satyra 10
tare de crastino non liceat? In his enim reponitur & custoditur, quod in futurum reseruatur. Sed quid reponet,qui sibi nihil reseruat?Neque verò duas tunicas ferant, quatenùs expeditiùs

Universidad de Deusto
Biblioteca

currant,& onere inutili & superfluo non grauentur.In vna enim tunica tantum vestimenti intelligitur, quantum ad frigus arcendum vnicuiq; sufficere possit. Virga verò & calceamenta in Marco concedi, in Matthæo & Luca interdici videntur.Veruntamen quia dixit,Neq; duas tunicas,& statim calceamenta suppossuit, possumus intelligere, vt neque duas tunicas ferant, neque calceamenta ferant duplicia. Siue etiam illa calceamenta non ferant, quibus cæteri homines vtebantur,sed quoddam aliud calceamẽtorum genus iter agentibus habile,quo pes nó constringitur,& planta salua custoditur. Et hoc est quod Marcus significare videtur,dicens scilicet,calceatos sandalijs.Hoc enim non dixisset, nisi aliquam distantiam eos ab alijs in calceamẽtis habere voluisset.Si quis autem hoc aliter interpretari velit,hoc in eo sit:veruntamen euangelistas nemo putet esse contrarios. Ego quidẽ non crediderim Dominum penitùs calceamenta interdixisse, cùm cæteris corporis membris indumenta concesserit,quæ non tantum laboris vt pedes patiuntur, præsertim cùm Apostolus dicat: Calceati pedes in præparatione euangelij pacis.De virga verò quid dicemus? Dicũt alij,Neque virgam.Dicit Marcus, Nisi virgam. Hoc autem, nisi secundùm diuersa ista distinguatur,solui non potest,si tamen de eadem virga intelligatur.Virga enim ad pastores pertinet. Pastores autem nondum erant Apostoli. Nondum enim Petro dictũ fuerat, Pasce oues meas. Nondùm spiritus erat datus,quia Iesus nondùm fuerat glorificatus. Nondùm eis Dominus sensum aperuerat,vt scripturas intelligerent. Nondùm igitur erant pastores,quia nondùm nouerant pascere oues. Nondùm enim virgam ferebant.Neque enim decebat vt virgas ferrent,cùm adhuc ille pastorum omnium maximus inter eos corporaliter conuersabatur. Virgam igitur & pastoris officium corporaliter susceperunt, quando eis à Domino dictum est:Ite in vniuersum mundum,prædicate euangelium omni creaturæ. Non est igitur inconueniens, quòd virgã ferre & non ferre dicuntur,siquidem hæc secundùm diuersa tempora intelliguntur. Quod autem ait:*Dignus est operarius mercede sua*: Tale est,ac si diceret, Nihil in euangelium feratis, in eo laborate,de ipso viuite.Dignus est operarius mercede sua. Vnde Apostolus, Si vobis spiritualia seminauimus, non magnum est, si carnalia vestra metamus. Itemque: Non alligabis os boui trituranti.*In quãcunque autem ciuitatem aut castellũ intraueritis,interrogate quis in ea dignus sit, & ibi manete, donec exeatis inde.* Ibi (inquit)manete. Vbi? in domo illius qui dignus est.In hoc enim vagandi licentia tollitur,& de domo in domum transire prohibetur. In vna domo manete,ibi vobis ministret qui ministrare velit.*Intrantes autem in domum,salutate eam,dicentes:Pax huic domui.Et si quidem fuerit domus digna,veniet pax uestra super eam.Si autem non fuerit digna,pax uestra ad uos reuertetur.* Meritò enim pacem offerunt, qui Christum prædicant. Ipse enim est pax nostra,qui fecit vtraq; vnum. Vbi non est pax & concordia, ibi Christus manere & habitare non potest.Vnde scriptum est: Et factus est in pace locus eius.Illa igitur domus est digna pace, quæ digna est vt in ea habitet Christus.Si autem non fuerit digna, pax vestra advos reuertetur.Quomodò enim ad eos reuertitur,quæ ab eis non recessit? Reuertitur quidẽ, quia maior fit in eis & duplicatur,dum bonum quod sentiunt in se esse,in alijs quoque desiderant esse. Vnde fit vt mercedem suscipiant, non solùm de pace quam habuerunt,verumetiam de illa quam alijs obtulerunt.Hæc igitur pax quam prædicant,duplicata ad eos reuertitur.*Et quicunque non receperit,neque audierit sermones uestros,exeuntes foras de domo & de ciuitate, excutite puluerem de pedibus uestris.* Quicunque(inquit)vos non receperint, vobisq; charitatis & misericordiæ viscera non aperuerint,neque vestros sermones & fidẽ quam prædicatis,audierint, relinquite illos,separamini ab illis,exite de medio illorum, excutite puluerem de pedibus vestris: vt de illorum infidelitate & impietate,de illorum sordibus & immunditia, de illorum iniqua operatione & terrena conuersatione,nihil vobis adhæreat,ve strosque pedes & sancta itinera commaculet. Propter hoc enim dicitur:Qui lotus est,non indiget nisi vt pedes lauet. Hoc autem erit illis in testimonium, quoniam iniqui & reprobi fuerunt,& à sanctorum consortio sunt expulsi,tanquàm puluis quem proijcit ventus à facie terræ. *Amen amen dico uobis,tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij,quàm illi ciuitati.* Per quæ vtique intelligitur,quòd illi qui audita veritate acquiescere noluerunt, grauiori pœnæ subijciantur, quàm illi quibus veritas nunciata non fuit.

Marc. 6.
Luc. 9.
Marc. 6.
Ephes. 6.
Ioann. 21.
Ioan. 7.
Luc. 24.
Mar. 16.
1. Cor. 9.
Ibid.
Ephes. 2.
Psal. 75.
Ioan. 4

IN NATALI VNIVS martyris Sermo.

DIe beati martyris natalis hodiè illuxit dies, quem vobiscum fratres charissimi, nos voluit Dominus celebrare, aliquid donante illo de martyrum gloria & patientia disseramus. Gloria quidem mundana ab his contempta est, & deò patientia probata est. Nam gloria eorum abscondita latebat in cælis,quia patientia eorũ exercebatur in terris.Qui non exhorret eorum patientiam,peruenit ad gloriam. Miseria putatur pati dura & aspera in carne,quia reuerà molestum est.Nisi esset omnibus molestum,non esset martyribus gloriosum.Multis ergo lasciuis & auaris martyres sancti insanire visi sunt, quando pro Christi nomine tanta patiebantur. Etenim vt eum negarent,vrgebantur.Alij ergo virgis & flagellis diutissimè sunt verberati, alij fustibus & plumbatis cæsi,alij membratim laniati,alij gladio occisi,alij excoriati,pice plumboq; liquato perfusi, alij ardore prunarum excruciati,& alij flammis exusti, alij quidem in mare mersi,alij bestijs deputati,alij carcerum sunt horrore & fame necati. Quot enim genera pœnarũ & mortium hostis excogitare poterat,tot martyribus sine vlla miseratione infligebat. Sed ipsi licet in aperto horrida paterentur,in occulto tamen ineffabiliter coronabantur. Multi quidem gloriam terrenam quæsierunt, multi viri fortes pro patria sanguinem fundendum esse duxerũt, nec fundere dubitauerunt,quò gloriã post mortem etiam apud posteros haberent: sed quæ illorum gloria martyribus comparatur?Quis potuit inuenire Imperator, quod potuit inuenire piscator ? Imperatorum, consulum & virorum fortium,qui orbem armis domuerunt & subiugauerunt,sepulchra sunt Romæ.Ad cuius sepulchrum intrare dignatus est Imperator? Et tamen diademate deposito,ad sepulchrum suũ orantem suscepit eum piscator. Ecce si terrena gloria fuerat concupiscenda martyribus,nec ipsi fraudati sunt,qui honorem tantum inter angelos quæsierunt. Videmus eorum glorias in terris,& stupemus:quid pateremur,si in cælis videremus? Quantus nos stupor admirationis apprehenderet, si videremus martyres inter angelos gloriantes, quorum natalitia videmus populos celebrantes?Sed nos volumus gaudere cum sanctis,& tribulationem mundi nolumus sustinere cum illis.Qui enim sanctos martyres inquantũ potuerit,imitari noluerit, ad eorum beatitudinem non poterit peruenire. Sic & Apostolus prædicat,dicens:Si fuerimus socij passionum,erimus & consolationum.Et Dominus in euangelio:Si mundus,inquit,vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Recusat esse in corpore, qui odium mundi non vult sustinere cum capite.Sed dicit aliquis:Et quis est,qui possit beatorum martyrum vestigia sequi? Huic ego respondeo,quia nõ solùm martyres,sed etiã ipsum Dominum cum ipsius adiutorio,si volumus,possumus imitari.Audi non me, sed ipsum Dominum generi humano clamantem,& dicentem:Discite à me,quia mitis sum & humilis corde. Audi & beatum Petrum apostolum admonentem:Christus,inquit, pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum,vt sequamur vestigia eius.Similiter Paulus apostolus clamat: Imitatores Dei estote,sicut filij charissimi.Quid ad hæc respondebimus fratres, vel quam excusationem habere poterimus?Si tibi aliquis dicat,vt

Gloria & patientia martyrum.

virtutes quas fecit Deus, debeas imitari,iusta potest esse excusatio tua:quia virtutes & mirabilia facere,non omnibus datum est:iustè & castè viuere,& charitatem cum omnibus custodire,cum Dei adiutorio promptum est.Nam & ipse Dominus noster Iesus Christus non dixit: Discite à me mortuos suscitare, super aquas siccis pedibus ambulare. Sed quid ait? Quia mitis sum & humilis corde.Et iterùm:Diligite inimicos vestros,benefacite his qui oderunt vos, vt sitis filij patris vestri qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos. Et licet sint alia multa, in quibus Deum debeamus & beatos martyres imitari, ista tamen duo præcipua sunt, id est, vt mites simus & humiles corde & inimicos nostros toto corde & totis viribus diligamus. De diligendis inimicis, fratres charissimi, nullus vnquam in veritate se poterit excusare. Potest mihi aliquis dicere: Non possum ieiunare, non possum vigilare, non possum res meas omnes pauperibus dare & ecclesijs. Nunquid potest dicere, Non possum diligere? Sed dicit aliquis: Tanta mala inimicus meus mihi fecit, vt eũ nulla ratione possim diligere. Attendis quid fecerit tibi homo, & non attendis quid tu feceris Deo?Si conscientiam tuam diligenter discutis & inquiris, sine vlla compẽsatione maiora tu peccata commisisti in Deum, quàm in te cõmiserit homo. Et qua fronte vis, vt tibi Deus dignetur dimittere multũ, qui non vis dimittere parum? Vos autem fratres,quia quotidiè dicitis Deo in oratione, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: dimittite,& dimittetur vobis.Ipsa enim veritas clamat terribiliter &dicit:Si vos nõ dimiseritis hominibus peccata eorũ, nec pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra. Imitemur ergo sanctos martyres in fide, in humilitate,in mansuetudine,in patientia,in longanimitate,in dilectione, & sic poterimus ipsos martyres apud Dominum habere intercessores: ita vt peccata nostra deleantur,& præmia nobis æterna conferantur, præstãte Domino nostro, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Matth. 11.
Matth. 5.
Matth. 6.
Hucusq; habetur in Augustini Sermone supradicto.

DE VNO MARTYRE, Homilia beati Ioannis episcopi.

Est pars maxima Sermonis De Pentecoste,Ioannis Chrysostomi.

PEregrarunt à Domino missi Apostoli orbem terrarum, & infirmum eum inuenientes,ad sanitatem reduxerunt: & in ruina positum,ad stabilitatem reuocauerunt:non scuta mouentes,non arcus tendentes,non sagittas mittentes,non pecunias largientes,non eloquentia confidentes. Et erant nudi quidem seculo,sed induti Christo:pauperes,sed diuites:pecunia indigentes,sed regnum

Universidad de Deusto
Biblioteca

cælorum posidentes: non humana solatia habẽtes, habentes aũt Dominum suũ. Ego, inquit, vo-
Matth. 28 biscum sum omnibus diebus, vsque ad consũmationẽ seculi. Peragrarũt vniersum orbẽ terrarũ, oues simul cum lupis. Quis vidit? Quis au-
Matth. 10 diuit? Dicit: Mittam vos vt oues in medio luporum. Quis vnquam pastor oues mittit in medio luporum? sed magis si viderit lupos, congregat oues. At verò Christus contraria fecit. Oues ad lupos direxit, & vulneratæ à bestijs non sunt, sed magis lupi ad ouium mansuetudinem sunt conuersi. Et vt ne dicerent illi, Oues sumus, & mittis nos in escam luporum, timorem illorum vno sermone abstulit. Non dixit, Ite: nec enim eorum virtute mittebat eos: sed, Ecce, inquit, ego mitto vos. Infirmi quidem vos, sed qui mittit, potens est. Quis es tu? Ego sum, qui cælum extendi, qui terram fundaui, qui mare infrenaui, qui mortem dissolui, qui chirographũ quod contra vos erat, cruci affixi, qui veterem legem immutaui, qui vos ad pristinam patriam reuocaui, qui fortia dissoluo, & dissoluta conforto. Quid mari fortius? Sed parua arena intolerabilem illius impetum retundit &, continet. Ecce (inquit) ego mitto vos, qui morti, & vitæ habeo potestatem, qui de cælo descendi. Ecce ego mitto vos, quasi oues in medio luporum. Tanquàm murus quidam bestiæ fiebant ouibus, vt nec fuga conseruarent salutem circunuallati vndique. O virtus mittentis in medio luporum oues. In circuitu lupi, & mutati sunt lupi, & facti sunt oues. Nec enim natura, sed voluntate lupi erant. Ecce ego mitto vos. Quid ergo nobis præcipis? Estote prudentes sicut serpentes, & simplices vt columbæ. Serpens etsi millies vulneretur, caput autem suum saluet, totus est sanus. Sic & tu, si pecuniam aduersarius tollere vult, libens cede. Et si omnes facultates auferre conatur, d'imitte. Et si ipsam temporalem vitam tuam extorquere cupit, ne resistas. Tantummodò fidei tuæ simplicitatem custodi. Illa illæsa manente, vniuersa in-
Eccles. 5. gruentia mala facilima erunt. Nudus existi de ventre matris tuæ, nudus & ibis. Sed forsitan in
Psal. 23. exilium mitteris. Tu dicito: Domini est terra, & plenitudo eius. Sed forsitan mors occupabit. Non est timenda, quia transitus est. Tantummodò fidem serua, thesaurum indeficientem, diuitias sempiternas. Horum quæ dico, beati martyres testes sunt, qui fidem non perdiderunt, & post excessum de corpore fortiores sunt viuis. Propterea, inquit, homo factus sum, propterea carnem indui, vt orbem vniuersum saluarem. Multùm enim Deo chara est Ecclesia, non muris circundata, sed fide circunsepta. Propter Ecclesiam nanque extensum est cælum, diffusum est mare, distentus est aër, terra fundata est, paradisus plantatus, & mirabilia multa facta
Exod. 14. sunt. Pelagus scindebatur, & iterùm consueba-
Exod. 17. tur. Petra findebatur, & iterùm iungebatur. Man
Exod. 16. na pluebat de cælo, & tanquàm pruinosa appo-
nebatur mensa. Propter Ecclesiam prophetæ, propter Ecclesiam apostoli. Et quid plura dicam? Propter Ecclesiam vnigenitus filius Dei, homo factus est, sicut dicit Paulus: Qui proprio filio suo non pepercit, vt Ecclesiæ mederetur, sanguinem filij fudit propter Ecclesiam. Hic sanguis irrigat Ecclesiam: & ideo plantaria eius marcescere non possunt, nec amittunt folia arbusta eius. Non subiacet necessitati temporis, nec est conditioni obnoxia, vt per æstatem coma foliorum tegatur, hyeme autem amittat. Non tenetur temporum qualitate, sed spiritus eam sancti gubernat gratia. Et ideò non senescit, nec cõtrahitur, & multis impugnantibus non opprimitur. Quanti enim ab initio impugnauerunt Ecclesiam, cùm fidei semina iacerentur, & arma cõtra eam commota sunt? Sed quanto magis impugnabatur, tanto clarior reddebatur. Sed nunquidem propter Dei gratiam, & reges, & duces, & milites, ac vniuersus orbis fide repletus est. Nam in principio, & (vt ita dicam) in cunabilis Ecclesiæ, reges fuere impij, duces insani, populus seditioni deditus. Edicta iudicum vbiq; dabantur, aræ incendebantur dæmonibus, fumus & odor pessimus ipsum maculabat aërem: Terra coinquinabatur sanguine, dæmones debachabantur, diabolus dominabatur: Pater abdicabat filium, filius inhonorabat patrem. Natura quidem scindebatur, sed pietas non diuidebatur. Vbi sunt nunc, qui audebant Ecclesiæ contraire? Quàdo nouella erat, in nullo potuit lædi: & nunc quando vsq; ad cælum peruenit, æstimas eam posse superari? Et tunc quidem cùm vndecim essent Apostoli, nullus eos superare potuit, sed pauci homines totum ceperunt mundum: & nunc quando terra & mare & orbis terrarum, & inhabitabiles regiones, & ciuitates, & omnes fines terræ pietate repleti sunt, putas eam te posse lædere? Sed non poteris. Christus enim propter eam passus est, portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Faciliùs cælũ exterminari potest, & terra perire, quàm aliquid mali pati Ecclesia. Quis est, qui hæc dicit? Ipse Christus loquitur: Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Benè: Verbum enim Dei ipso cælo validius est, quia cælum opus verbi est. Dixit quippe Deus: Fiat cælum, & verbum in opus apparuit. Currebant naturæ & nemo impediebat, quia naturæ Dominus imperabat, qui facere & immutare potest. Ego eam ædificaui, qui cælum statui. Sed propter cælum nõ fudi sanguinem, propter cælum crucifixus non sum, nec propter cælum cæleste corpus accepi. Et quid dicam cæli? Angelorum corpus non assumpsi, vt discas quoniam cælo & angelis & omni creatura honorabilior Ecclesia est. Ideò cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Assit gentilis, assit Iudæus: Si hæc inania sunt verba, redarguant. Si autem veritas est quæ dicta sunt, adorent virtutẽ Dei.

Dicit

Dicit Christus: Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Facilius est cælum præterire, & terram deuorari, quàm verba mea excidere. Quæ autem sint verba, adducamus in mediũ, videamus ne fortè interciderint. Nõ dubitans dico, sed hæreticos obcludo. Quæ ergo sunt verba? Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Qui sermones? Quæ verba? Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Super hanc petram: nõ dixit, super Petrum. Non. n. super hominẽ, sed super fidem ædificauit Ecclesiam suam. Quid aũt erat fides? Tu es Christus filius Dei viui. Petram vocauit Ecclesiam, suscipientem fluctus, & non titubantem. Etenim Ecclesia tot suscipit tentationes, non tamen vincitur. Quid est super petram? Hoc est, super confessionem Petri, super sermones pietatis. Sed forsitan interrogabis, vtrum hæc ædificatio suscipiat lapides aut ligna, aut ferrum? Non, inquit: Nec enim est sensibilis ædificatio. Quòd si talis esset, dissolueretur tempore. Confessionem autem pietatis, neq; dæmones, neq; vlla creatura vincere potest. Testantur martyres, quorum latera radebantur, sed fides non frangebatur. O noua rerum materies. Paries effoditur, & thesaurus non aufertur. Caro scinditur, & fides non rumpitur. Talis quippe est martyrum virtus. Etenim super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Attendite diligentiùs verbo: Portas inferi, pericula vocat quę mortem pariũt. Quid ergo? In inferno intrauit quisque, quando periclitatur? Etiam. Sicut enim portæ introitus ciuitatum sunt, sic pericula introitus mortis fiunt. Et cur, inquit, non prohibet tentationes? Vt ostendat virtutem eius. Si nemo eam impugnare posset, dicere poterant: Quoniã si impugnaretur, vtiq; vinceretur. Propterea permitto eam impugnari, vt non imbecillitas impugnantium, sed fides victoriæ imputetur. Et portæ inferi, non dixit, non appropiabunt ei, sed non præualebunt aduersùs eã. Quid ergo? Impugnabitur quidem, non tamen vinci poterit. Tempestates suscipit Ecclesia, sed non demergitur. Iacula in eam mittũtur, sed nõ perforatur. Machinamenta præparantur, sed turbis non eliditur. Et quid dico Ecclesiam? Vnum sermonem locutus est piscator, & sicut turris im-
Psalm. 15 mobilis perseuerat. Tu es (inquit) Christus filius Dei viui. Quanti tyranni verbum hoc delere conati sunt, sed non potuerunt? Supra petram enim fundatum erat. Considera tyrannos, reges, diademata, gladios acutos, bestiarum dẽtes mortem minantes, caminos, sartagines, ferreas manus & vncos, & omnia machinamenta parata. Et pharetram quidem suam euacuauit diabolus, sed nihil læsit Ecclesiam. portæ enim inferi non præualebunt aduersùs eam. Testatur res ipsa, testatur eorum quæ fiunt astipulatio. Quanti impugnarũt, & nemo præualuit? Et impugnatores quidem taciturnitati & obliuioni sunt dati, Ecclesia aũt quotidiè virtutibus augmẽtatur. Vbi nunc Claudius? vbi Augustus? vbi Nero? vbi Tiberius? Nomina sunt nuda, eorum aũt nemo, nec vlla eorum mentio. Et quia Ecclesiam impugnarunt, ideò & memoriam perdiderunt: Ecclesia aũt clarior resplendet. Vbicunq; ieris, ad Indos, ad Mauros, ad Britannos, ad Hispanos, vsq; ad vltimos terrarum fines, inuenies, In prin- Ioan. 1.
cipio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, & vniuersa religione plena. Ante hoc enim vniuersa erant impietate repleta: Nunc aũt non solùm ciuitates religione florent & fide Christi, sed etiam eremus in nomine Domini gloriatur. Anteà nanq; & reginæ Mar. 6.
in conuiuijs virorum saltabant, sicut filiam Herodiadis fecisse legimus: nunc verò vix famula dignatur hoc facere. Antiquitùs gentis Persarũ filij parentib. sociabantur connubio, & soror fratri iungebatur impune: nunc verò virginitatem appetunt. Ante hoc aũt erat quædam gens, quæ Immanes
humanis vescebatur carnibus: nunc ieiunijs resi- Anthropo
ciunt animam suam. Massagetæ & Berbuces mi- phagi.
seros putant, qui ægrotatione moriantur, & parentes, cognatos, propinquos, cùm ad senectutẽ venerint, iugulatos deuorant, rectiùs esse dicentes, vt à se potiùs quàm à vermibus consumãtur. Nũc verò post passionem Christi & resurrectionem eius, abstinentia & castitate deuotè militãt Christo, & propè oẽs gentes paratæ sunt pro nomine Domini fundere sanguinem suum. Ante hoc impij & persecutores erant reges, nunc verò ad cælum proferunt pietatem, & ingrediẽtes limina ecclesiæ, deponunt coronam, & crucem Christi in suis depingunt frontibus. Foris arma, hic mysteria. Foris scuta, hic sacramentorum celebratio. Theodosius pater, & filius Theodosij, religione ac pietate insignes. Ideoq; pro his omnibus gratias agamus Domino, per Christum Iesum Dominum nostrum, cui est gloria & potestas cum spiritu sancto, per immortalia secula seculorum, Amen.

DE VNO MARTYRE,

In Lectionem Epistolæ loco, Concio exegetica Radulphi Ardentis.

Vstus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Cùm præ- Sap. 4.
cipuè iusti patiantur in hoc seculo tribulationes, infirmitates & persecutiones, & plerunq; gladio, vel aliqua alia morte festinata, sine testamento & sine rerum dispositione tollantur de hoc mundo, considerantes hoc mundani ho-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mines,putant eos vel à Deo reprobatos esse,vel Deum mundana non curare. Contra istam igitur mundanorum opinionem loquitur sapiens in hac lectione,ostendens tria:Primò,quòd iustus quantuncunq; præoccupatus videatur, tamen requiem ingreditur.Secundò, quòd in bona senectute moritur.Tertiò demonstrat, quare tam citò de mundo tollatur.Primò igitur demonstrat,quòd iustus quantuncunq; præoccupatus videatur,tamen requiem ingreditur. Benè autem dico,Præoccupatus videatur: quoniam præoccupatus non est, sed videtur. Qui enim semper paratus expectat mortem, præoccupari non potest. Qui verò paratus non est,etsi senex & decrepitus moriatur,tamen præoccupa-
Psalm. 54. tus moritur. Vnde Psalmista: Viri impij non dimidiabunt dies suos. At iustus,cui est oneri vita præsens,& qui venturam desiderat,ad illam totis viribus se præparat,similis hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptijs.Et si in prima,vel secunda,vel in tertia,
Luc.12. vel in quarta vigilia venerit , beatus est quem Dominus suus inuenerit vigilantem : quoniam super omnia bona sua constituet eum.Quia igi-
1.Thes.5. tur dies Domini sicut fur in nocte veniet, semper fratres mei vigilemus , semper parati simus. mortem nobis instare semper cogitemus.Propter hoc quippe voluit Dominus mortis nostræ terminum nobis esse incertum , vt semper mortem quasi præsentem timeremus, & ad eam suscipiendam præpararemur.Secundò demonstratur,quòd iustus quantuncunq; sit morte præoccupatus,tamen in bona senectute moritur, cùm subditur : *Senectus enim uenerabilis est: non diuturna*, id est,non dierum neq; annorum numero computata. *Cani enim sunt sensus hominis*:id est,sapientia est bona canicies hominis : *& ætas senectutis,uita immaculata*:id est,bona vita est bona senectus.

Duæ senectutes. Duæ senectutes nobis demonstrantur: vna annorum,altera morum. Prima sine secunda, est pessima:prima simul & secunda,bona: secunda sine prima,optima.Senex.n.diebus & nó moribus,abominabilis est.scriptũ est enim:Puer centum annorũ maledictus erit.Quæ.n.maior abo-
Esa.65. minatio,q̃ canescere corpore & non corde,mẽto & nõ mẽte:quàm gestare exteriꝰ rugosũ senẽ, interiùs iuuenẽ lasciuientẽ? Tales erant illi duo senes inueterati dierũ malorũ,qui puellã tenerã
Dan.13. Susannã corrũpere voluerũt, sed ab ea superati sunt. Huiusmodi senes præ cunctis ætatibus tanto dãnabiliores sunt, quãto in eis nec frigiditas ætatis ardorẽ libidinis,nec grauitas corporis leuitatẽ mentis superare potest. Senex verò diebꝰ simul & morib.bonꝰ &venerabilis ẽ:q cõueniẽter respõdet maturitate cordis maturitati corporis,& cãdore mẽtis cãdori mẽti,& grauitate animi grauitati carnis. Tales erant illi duo sanctissimi senes,Simeon & Anna , qui ante Deũ erant
Luc.2. iusti & timorati,non recedẽtes à templo,seruiẽtes Deo ieiunijs & obsecrationib. die & nocte.

Et ideò meruerũt à spũ sancto illustrari & respõsum accipere vidẽdi Christũ,anteq̃ morerentur,& ipsum in vlnas accipere,& de eo,pphetare. Senex verò morib.& nó diebus,tãto sanctior é & admirabilior,quãto virtute mẽtis superat naturã ætatis,obseruans in iuuẽtute maturitatẽ,in carnis calore castitatẽ,in ætatis læuitate grauitatẽ.Tales senes fuerunt Daniel,& pueri in fornacẽ missi. Talis senex fuit Ioseph : talis senex fuit Ioãnes Baptista,& Ioãnes euãgelista:tales senes fuerũt innumerabiles virgines,quę nõ solùm ætatẽ,immò etiã sexũ & seculũ & etiã ipsam mortẽ superauerũt,& per immanitatẽ tormentorum ad Deũ peruenerũt.Vera est igitur , fratres mei, sentẽtia,quoniã iustus quantũcunq; præoccupatus moriatur,tamẽ nõ moritur nisi canus & maturus.Canicię igitur morũ & maturitatẽ vitæ habere satagamus,fratres mei:quã habẽtes, mortẽ securi expectamꝰ,prẽueniri à morte nõ possumꝰ: nõ in dimidio,sed in plenitudine dierũ de mundo ad cælũ trãsmigramus.Tertiò demonstratur, quarè iusti citò de mũdo tollũtur.ponũtur autẽ hic quinq; causæ.Prima é,quoniã ideò citò de mũdo tollitur iustus,quoniã Deus diligit eum, & vult eũ citò in beatitudine sua habere secum. Hanc causam innuit,cùm subdit:*Placens Deo factꝰ est, dilectus*:ac si dicat:Quia placuerat Deo immaculata vita,ideò vult Deus, vt fiat ei dilectus & familiaris in beata vita.Secũda est , quoniã iustus ideò citò de mũdo tollitur,quoniã eo dignꝰ nõ erat mũdus.Hãc causam ponit,cũ subdit: *Viuens inter peccatores,trãslatꝰ est*:ac si apertè dicat:Quia sanctè viuebat inter peccatores,nec tamẽ peccatores ad exemplũ & doctrinã eius corrigebãtur, ideò meritò indignis subtrahitur ad eiꝰ gloriã, & ad illorũ cõfusionẽ. Ad eius quippe gloriam fuit,q̃ inter peccatores benè vixit.Nõ .n. gloria magna inter sanctos sanctè vixisse: sed inter peccatores sanctè vixisse,valdè laudabile est . Hinc laudatur Iob,cùm dicitur : Erat vir in terra Hus nomine Iob,simplex & rectus. Hinc & in Canticis canticorũ dicitur: Sicut lilium inter spinas,sic amica mea inter filias. Ad confusionẽ eorũ est,qui nec ad exemplũ,nec ad doctrinã eius præsentẽ emẽdari voluerunt,nec festinatã sancti de gentis inter eos subtractionẽ,irã Dei esse cõtra illos intellexerũt. Hinc etenim scriptũ est:Ecce quõ moritur iustus,& nemo percipit corde:& viri iusti tollũtur,& nemo cõsiderat.A facie iniquitatis ablatus est iustus,& erit in pace memoria eiꝰ. Hãc irã Dei,fratres,multũ formidare debemus, quãdo videmus aliquẽ sanctũ de medio nostrũ subtrahi : ne videlicet ideò nobis subtrahatur, quia eius contẽnentes doctrinã,eo digni nõ eramus. Tertia causa est,quoniã aliquãdo iustus citò de mũdo subtrahitur,ne in tã lubrica huius mũdi via aliquãdo labatur. Hãc causã ponit,cũ subdit:*Raptus est,ne malitia mutaret intellectum illius, aut fictio deciperet animam illius* : id est , ne malitia eorum , cum quibus conuersabatur , vel malo

malo exemplo, vel mala doctrina,vel grauiori persecutione mutaret intellectum illius de bono ad malum : aut fictio,id est,tentatio occulta vel carnis , vel diaboli deciperet animam illius, sicut plerisque multoties euenit. Quarta causa est, quoniam ideò iustus citò de mundo tollitur, quoniam in meritis erat consummatus.

Hanc causam ponit,cùm subdit : *Consummatus in breui,expleuit tempora multa* : ac si apertè dicat:Quanuis breui tempore vixerit, tamen plenus dierum & consummatus meritorũ mortuus est : quoniam illa, quæ alij per longa tempora comparant,merita iste breui tempore comparauit. Etnónne fratres mei, probior & felicior videtur ille,qui in breui multa perfecit , quàm ille,qui nisi per multa tempora illa perficere nó potuit ? Nonne felicius est citò quàm tardè ad brauium peruenire ? *Placita enim*,inquit,*erat Deo anima illius.* Et propterea dedit ei in breui perficere , quæ cæteri non faciunt nisi in longo tempore. *Propter hoc*,id est, propter hanc & propter prędictas causas,*properauit educere eum de medio iniquitatum.* Quinta verò causa est, quoniam ideò aliquando iustum Dominus citò de mundo aufert,vt parcat laboribus eius.Hanc causam innuit,cùm subdit:*Quia gratia Dei & misericordia in sanctos eius,& respectus in electos illius.* Gratia , quando eis in via huius seculi gratiam virtutum confert. Misericordia, quando eos inter tribulationes, ne deficiant,sustinet. Respectus ,quandò citò de labore ad requiem eos transfert. Oremus igitur fratres mei , oremus gemitibus & suspirijs Deum & Dominum nostrum,quatenùs nobis seruulis suis gratiam suam,per huius mundi tenebras illuminatricem & conductricem conferat,sustentamentum misericordiæ suæ nobis inter tribulationes huius mundi,præbeat,de huius mundi laboribus ad refrigerium æternæ beatitudinis nos transferat,Amen.

DE VNO MARTYRE.
Luc.XIIII.

In illo tempore:Dixit Iesus discipulis suis:Si quis uenit ad me,& non odit patrem suum , & matrem, & uxorem, & filios,& fratres,& sorores , adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et reliqua. Homilia beati Gregorij papæ.

Si consideremus, fratres charissimi, quæ & quanta sunt, quæ nobis promittuntur in cælis, vilescunt animo omnia, quæ habentur in terris. Terrena nanque substantia, supernæ felicitati comparata, pondus est,non subsidium. Temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potiùs dicenda quàm vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis, quid aliud est quàm quædam prolixitas mortis ? Quæ autem lingua dicere , vel quis intellectus capere sufficit illa supernæ ciuitatis quanta sint gaudia, angelorum choris interesse , cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere , præsentem Dei vultum cernere, incircunscriptum lumen videre,nullo mortis metu affici,incorruptionis perpetuæ munere lætari? Sed ad hæc audita inardescit animus, iamq; illic cupit assistere , vbi se sperat sine fine gaudere. Sed ad magna præmia peruenire non potest , nisi per magnos labores. Vnde & Paulus egregius prædicator dicit:Non coronabitur,nisi qui legitimè *2.Tim.2* certauerit. Delectat ergo mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum. Vnde ad se venientibus veritas dicit: *Si quis uenit ad me, & non odit patrem suum,& matrem, & uxorem,& filios,& fratres,& sorores, adhuc autem & animam suam,non potest meus esse discipulus.* Sed percõtari libet,quomodò parentes & carnaliter propinquos præcipimur odisse,qui iubemur & inimicos diligere? Et certè de vxore veritas dicit: Quod Deus coniunxit,homo non separet. Et *Matth.19* Paulꝰ ait:Viri,diligite vxores vestras,sicut Chri- *Ephes.5.* stus Ecclesiam.Ecce discipulus vxorem diligendam prædicat,cùm magister dicat:Qui vxorem non odit,non potest meus esse discipulus.Nunquid aliud iudex nunciat , aliud præco clamat? An simul & odisse possumus,& diligere? Sed si vim præcepti perpendimus , vtrunq; agere per discretionem valemus : vt eos qui nobis carnis cognatione coniuncti sunt, & quos proximos nouimus,diligamus, & quos aduersarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo nesciamus. Quasi enim per odium diligitur, qui carnaliter sapiens , dum praua nobis ingerit,non oditur. Vt autem Dominus demonstraret hoc erga proximos odium non de affectione procedere, sed de charitate,addit protinùs , dicens: Adhuc autem & animam suam. Odisse itaq; præcipimur proximos,odisse & animam nostram. Constat ergo,quia amando debet odisse proximum,qui sic eum odit,sicut semetipsum. Tunc enim benè nostram animam odimus, cùm eius carnalibus desiderijs non acquiescimus,cũ eius appetitum frangimus, eius voluptatibus reluctamur. Quæ ergo contempta ad melius ducitur , quasi per odium amatur. Sic sic nimirùm exhibere proximis nostris odij discretionem debemus, vt in eis & diligamus quòd sunt , & habeamus odio,quòd in Dei nobis itinere obsistunt. Certè dum Paulus Hierosolymam pergeret,prophe ta Agabus zonam illius apprehendit, suisq; pedibus alligauit,dicens : Virum cuius hæc zona *Act.21.* est,sic alligabunt Iudæi in Hierusalem . Sed is qui animam suã perfectè oderat, quid dicebat? Ego non solùm alligari,sed & mori in Hierusalem paratus sum pro nomine Domini Iesu:

Cognati q amandi, q fugiendi.

Odiũ iust.

nec

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec facio animam meam precioſiorem quàm me. Ecce quomodò amando animam ſuam oderat, immò odiens amabat, quam cupiebat pro Ieſu nomine morti tradere, vt hanc ad vitam de peccati morte ſuſcitaret. Ab hac ergo diſcretione odij noſtri, trahamus formam ad odium proximi. Ametur quilibet in hoc mundo aduerſarius, ſed in via Dei contrarius non ametur etiam propinquus. Quiſquis enim iam æterna concupiſcit, in ea quam aggreditur cauſa Dei, extra patrem, extra matrem, extra vxorem, extra filios, extra cognatos, extra ſemetipſum fieri debet, vt eo veriùs cognoſcat Deum, quo in eius cauſa neminem recognoſcit. Multum nanq; eſt, quòd carnales affectus intentionem mentis diuerberant, eiusq; aciem obſcurant.

Affectus carnales premendi.

Quos tamen nequaquàm noxios patimur, ſi eos premendo teneamus. Amandi ergo ſunt proximi, impendenda charitas omnibus, & propinquis & extraneis, nec tamen pro eadem charitate à Dei amore flectendum. Scimus autem, quia cùm de terra Philiſtinorum arca Domini ad terram Iſraëlitarum rediret, plauſtro ſuperimpoſita eſt, & vaccæ plauſtro ſubiunctæ ſunt, quæ fœtæ fuiſſe memorantur: quarum vitulos clauſe-

1. Reg. 6.

runt domi. Et ſcriptum eſt: Ibant autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethſamis. Vno itinere gradiebantur, pergentes & mugientes, & non declinabant neq; ad dexteram, neq; ad ſiniſtram. Quid igitur vaccæ, niſi fideles quoſq; in Eccleſia deſignant? Qui dum ſacri eloquij præcepta conſiderant, quaſi ſuperimpoſitam ſibi Domini arcam portant. De quibus hoc etiam eſt notandum, quòd fuiſſe fœtæ memorantur: quia ſunt pleriq;, qui in via Dei intrinſecùs poſiti, foris carnalibus affectibus ligantur. Sed non declinant à recto itinere, qui arcam Dei portant in mente. Ecce enim vaccæ Bethſamis pergunt. Bethſamis quippe domus ſolis dicitur, & pro-

Malach. 4

pheta ait: Vobis autem qui timetis Dominum, orietur ſol iuſtitiæ. Si igitur ad æterni ſolis habitationem tendimus, dignum profectò eſt, vt de Dei itinere pro carnalibus affectib. non declinemus. Tota enim virtute penſandum eſt, quòd vaccæ Dei plauſtro ſuppoſitæ pergunt & gemunt, dant ab intimis mugitus, & tamen de itinere non deflectunt greſſus. Sic nimirùm prædicatores Dei, ſic fideles quique eſſe intra ſanctam Eccleſiam debent, vt compatiantur proximis per charitatem, & tamen de via Dei non exorbitent per compaſſionem. Hoc ipſum verò odium animæ qualiter exhiberi debeat, veritas ſubdendo manifeſtat, dicens: *Et qui non baiulat crucem ſuam, & uenit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Crux quippe à cruciatu dicitur. Et duobus modis crucem Domini baiulamus, quum aut per abſtinentiam carnem afficimus, aut per compaſſionem proximi, neceſsitatem illius, noſtram putamus. Qui enim dolorem exhibet in aliena neceſsitate, crucem portat in mente. Sciendū verò eſt, q̄ ſunt nónulli, qui carnis abſtinentiā nō p̄ Deo, ſed p̄ inani gloria exhibēt. Et ſunt pleriq;, qui cōpaſſionē proximo nō ſpiritaliter, ſed carnaliter impendūt, vt ei nō ad virtutē, ſed quaſi miſerando ad culpas faueant. Hi itaq; crucem quidem videntur ferre, ſed Dominum non ſequuntur. Vnde rectè hæc eadem veritas dicit: *Qui non baiulat crucem ſuam, & uenit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Baiulare etenim crucem, & poſt Dominum ire, eſt, vel carnis abſtinentiam, vel compaſſionem proximo ſtudio æternæ intentionis exhibere. Nam quiſquis hæc pro temporali intentione exhibet, crucem quidem baiulat, ſed ire poſt Dominum recuſat. Quia verò ſublimia præcepta data ſunt, protinùs compatio ædificandæ ſublimitatis adiungitur, cùm dicitur: *Quis enim ex uobis uolens turrim ædificare, non priùs ſedens computat ſumptus qui neceſſarij ſunt, ſi habeat ad perficiendum: ne poſteaquàm poſuerit fundamentū, & non potuerit perficere, omnes qui uiderint, incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare.* Omne quod agimus, præuenire per ſtudium conſiderationis debemus. Ecce enim iuxta veritatis vocem, qui turrim ædificat, priùs ædificij ſumptus parat. Si igitur humilitatis turrim ædificare cupimus, priùs nos præparare ad aduerſa huius ſeculi debemus. Hoc enim inter terrenum & cæleſte ædificium diſtat, quòd terrenum ædificium expenſas colligendo conſtruitur, cæleſte verò ædificium expenſas diſpergendo. Ad illud ſumptus facimus, ſi non habita colligamus: ad iſtud ſumptus facimus, ſi & habita relinquam⁹. Iſtos ſumptus diues ille habere non potuit, qui multas poſſeſſiones poſsidens, magiſtrum requiſuit, dicens: Magiſter bone, quid faciendo vitam æternam poſſidebo? Qui cùm præceptum relinquendi omnia audiſſet, triſtis abſceſsit, & inde eſt anguſtatus in mente, vnde foris fuit latior in poſſeſsione. Quia enim in hac vita amabat ſumptus celſitudinis, tendendo ad æternam patriam habere noluit ſumptus humilitatis. Conſiderandum verò eſt, quod dicitur: Omnes qui viderint, incipiant illudere ei: quia, iuxta Pauli vocem, ſpectaculum facti ſumus mundo, & angelis, & hominibus: Et in omni quod agimus, conſiderare occultos noſtros aduerſarios debemus, qui ſemper noſtris operibus inſiſtunt, ſemper ex noſtro defectu gratulantur. Quos intuens propheta, ait: Deus meus in te confido, non erubeſcam, neque irrideant me inimici mei. In bonis enim operibus intenti, niſi contra malignos ſpiritus ſolicitè vigilemus, ipſos irriſores patimur, quos ad malum perſuaſores habemus. Sed quia de conſtruendo ædificio comparatio data eſt, nunc ex minore ad maius ſimilitudo ſubditur, vt ex rebus minimis maiora penſentur. Nam ſequitur: *Aut quis rex iturus committere bellum aduerſus alium regem, non ſedens*

Crux ferꝛ tur duob. modis.

Quisquis agis, prouide age.

Matth. 19

1. Cori. 4

Pſalm. 24

ſedens priùs cogitat, ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus uenit ad ſe? Alioquin adhuc illo longè agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis ſunt. Rex contra regem ex æquo venit ad prælium, & tamen ſi ſe perpendit non poſſe ſufficere, legationem mittit, & ea quæ pacis ſunt poſtulat. Quibus ergo lachrymis nos ſperare veniam debemus, qui in illo tremendo examine cum rege noſtro ex æquo ad iudicium non venimus, quos nimirùm conditionis infirmitas & cauſa inferiores exhibet? Sed fortaſſe iam mali operis culpas abſcidimus, iam praua quæque exteriùs declinamus. Nunquid ad reddendam rationem cogitationis noſtræ ſufficimus? Nam cum viginti millibus venire dicitur is, contra quem minimè ſufficit iſte, qui cum decem millibus venit. Decem millia quippe ad viginti millia, ſimplum ad duplum ſunt. Nos autem ſi multum proficimus, vix exteriora noſtra opera in rectitudine ſeruamus. Nam etſi iam luxuria carnalis abſciſſa eſt, tamen adhuc à corde funditùs abſciſſa non eſt. Ille autem qui iudicaturus venit, exteriora ſimul & interiora iudicat, facta pariter & cogitationes penſat. Cum duplo ergo exercitu contra ſimplum venit, qui nos vix in ſolo opere præparatos, ſimul de opere & cogitatione diſcutit. Quid igitur agendum eſt fratres, niſi vt dum nos cum ſimplo exercitu contra duplum illius ſufficere non poſſe conſpicimus, dum adhuc longè eſt, legationem mittamus, rogemus ea quæ pacis ſunt? Longè enim eſſe dicitur, qui adhuc præſens per iudicium non videtur. Mittamus ad hunc legationem lachrymas noſtras, mittamus miſericordiæ opera: mactemus in ara eius hoſtias placationis, cognoſcamus nos cum eo in iudicio non poſſe contendere. Penſemus virtutem eius fortitudinis, rogemus ea quæ pacis ſunt. Hæc eſt noſtra legatio, quæ regem venientem placat. Penſate fratres quàm benignum ſit, quòd is qui ſuo aduentu valet opprimere, tardat venire. Mittamus ad hunc, vt diximus, legationem noſtram, flendo, tribuendo, ſacras hoſtias offerendo. Singulariter nanque ad abſolutionem noſtram, oblata cum lachrymis & benignitate mentis ſacri altaris hoſtia ſuffragatur: quia is qui in ſe reſurgens à mortuis, iam non moritur, adhuc per hanc in ſuo myſterio pro nobis iterùm patitur. Nam quoties ei hoſtiam ſuæ paſſionis offerimus, toties nobis ad abſolutionem noſtram, paſſionem illius reparamus. Multos, vt arbitror, veſtrum fratres chariſsimi, contingit noſſe hoc, quod volo ad memoriam veſtram narrando reuocare. Non longè à noſtris fertur temporibus factum, quòd quidam ab hoſtibus captus, longè traductus eſt. Cumq; diu teneretur in vinculis, eum vxor ſua cùm ex eadem captiuitate non reciperet, extinctum putauit. Pro quo iam velut mortuo, hoſtias hebdomadibus ſingulis curabat offerre. Cuius toties vincula ſoluebantur in captiuitate, quoties ab eius coniuge hoſtiæ fuiſſe oblatę pro animæ eius abſolutione. Nam longa poſt tempora reuerſus, admirans valdè ſua indicauit vxori, quòd diebus certis hebdomadis ſingulis eius vincula ſoluebantur. Quos videlicet dies eius vxor atq; horas diſcutiens, tunc eum recognouit abſolutum, cùm pro eo ſacrificium meminerat oblatum. Hinc ergo fratres chariſsimi, hinc certa conſideratione colligite, oblata à nobis hoſtia ſacra quantùm in nobis ſoluere valeat ligaturam cordis, ſi oblata ab altero, potuit in altero ſoluere vincula corporis. Multi veſtrum, fratres chariſſimi, Caſsium Narnienſis vrbis epiſcopum nouerunt: cui mos erat quotidianas Deo hoſtias offerre, ita vt penè nullus dies vitæ eius abſcederet, quo non omnipotenti Deo hoſtiam placationis immolaret. Cui cum ſacrificio valdè etiam concordabat vita. nam cuncta quæ habebat in eleemoſynis tribuens, cùm ad horam offerendi ſacrificij veniſſet, velut totus in lachrymis defluens, ſemetipſum cum magna cordis contritione mactabat. Cuius & vitam & exitum quodam venerabilis vitæ diacono, qui ab eo fuerat nutritus, referente cognoui. Aiebat enim, quòd quadam nocte eius presbytero per viſum Dominus aſtitit, dicens: Vade, & dic epiſcopo: Age quod agis, operare quod operaris: non ceſſet pes tuus, non ceſſet manus tua, natali apoſtolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam. Surrexit presbyter: ſed quia è vicino apoſtolorum natalitius dies imminebat, tam propinqui exitus diem epiſcopo nunciare pertimuit. Alia nocte Dominus redijt, eiusq; inobedientiam vehementer increpauit, atq; eadē iuſsionis ſuæ verba retexuit. Tunc presbyter ſurrexit vt pergeret, ſed rurſus infirmitas cordis, impedimentum facta eſt indicandæ reuelationis. Ad admonitionem quoq; iteratæ iuſsionis obduruit pergere, & quæ viderat, neglexit manifeſtare. Sed quia magnam manſuetudinē contemptæ gratiæ maior ſolet ſequi ira vindictæ, viſione tertia Dominus apparēs, iam verbis addidit verbera, & tam diſtricta cæde mactatus eſt, vt in eo duritiam cordis emollirent vulnera corporis. Surrexit ergo eruditus ex verbere, perrexit ad epiſcopū, eumq; iam ex more iuxta beati Iuuenalis martyris ſepulchrum ad offerendū ſacrificium conſiſtentem reperit, ſecretum à circūſtantibus petijt, ſeq; eius pedibus ſtrauit. Cūque eum vbertim flentē epiſcopus vix ad ſe leuare potuiſſet, lachrymarū cauſas cognoſcere ſtuduit. Illē verò relaturus ordinem viſionis, priùs veſtimento ex humeris deuoluto, detexit plagas corporis (vt ita dicam) teſtes veritatis & culpæ: monſtrauit quanta animaduerſione diſtrictionis membra illius accepta verba liuore inflicto ſulcauerant. Quæ mox vt epiſcopus vidit, exhorruit, & quis ſibi talia facere præſumpſiſſet, cum magnæ obſtupefactionis vocibus inqui-

Caſsius Narniensis epiſcopus ſanctiſsimus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quisiuit. At ille respondit, hæc se pro ipso fuisse perpessum. Excreuit cum terrore admiratio. Sed nullas iam presbyter inquisitioni eius moras adijciés, secretum reuelationis aperuit, eiq; iussionis dominicæ, per ea quæ audierat verba narrauit, dicens: Age quod agis, operare qđ operaris: non cesset manus tua, non cesset pes tuus: natali apostolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam. Quibus auditis episcopus in oratione se cum magna cordis contritione prostrauit, & qui oblaturus sacrificium ad horam tertiam venerat, hoc pro extensæ orationis magnitudine, ad horam nonam vsque protelauit: atque ex ipso iam die magis magisque aucta sunt ei lucra pietatis, factusque est tam fortis in opere, quàm certus ex munere: quippe qui eum cui ipse debitor fuerat, ex ea promissione iam cœperat habere debitorem. Huic autem consuetudo fuerat, singulis annis natalitio apostolorum die Romam venire, iamq; ex hac reuelatione suspectus, venire iuxta morem noluit. Eodem ergo tempore solicitus fuit: secundo quoque anno vel tertio in mortis suæ expectatione suspẽsus, quarto quintoq; & sexto similiter. Qui desperare iam de veritate reuelationis poterat, si verbis fidem verbera non fecissent. Cùm ecce anno septimo vsque ad expectati natalis sacras vigilias incolumis peruenit: sed lenis hunc in vigilijs calor attigit, atque ipso die natalitio filijs suis se expectantibus, Missarum solennia implere se posse recusauit. Illi verò quia de eius erant pariter egressione suspecti, simul ad eũ omnes venerunt, sese vnanimiter adstringẽtes, vt die eodem nequaquàm acquiescerẽt Missarum solennia celebrare, nisi pro eis ad Dominum idem antistes suus intercessor accederet. Tunc ille compulsus, in episcopi oratorio Missas fecit, & manu sua corpus dominicũ, pacemq; omnibus tribuit. Qui cuncto ministerio oblati sacrificij peracto, ad lectulum redijt, ibique iacens, dum sacerdotes suos ac ministros circunstetisse se cerneret, quasi vale vltimum dicens, de seruando eos vinculo charitatis admonebat, & quanta debuissent concordia inter se vniri, prædicabat: cum subitò inter ipsa sanctæ exhortationis verba, voce terribili clamauit, dicens: Hora est: moxq; assistentibus ipse suis manibus linteum dedit, quod ex more morientium sibi contra faciem tenderetur. Quo tenso, emisit spiritum. Sicque sancta illa anima ad gaudia æterna perueniens, à carnis corruptione soluta est. Quem fratres charissimi, quem vir iste in morte imitatus est, nisi eum quem in vita sua fuerat contemplatus? Dicens enim, Hora est, de corpore exijt: quia & Iesus peractis omnibus, cùm dixisset, Consummatum est, inclinato capite tradidit spiritum. Quod ergo Dominus fecit ex potestate, hoc egit famulus ex vocatione. Ecce quotidianæ hostiæ, illa cum eleemosynis & lachrymis missa legatio, quantam cum rege veniente gratiæ pacem fecit. Relinquat ergo omnia qui potest: qui autem omnia relinquere non potest, cùm adhuc rex longè est, legationem mittat, lachrymarum, eleemosynarum, hostiarum munera offerat. Vult enim placari precibus, qui scit quia portari non possit iratus. Quòd adhuc moram facit venire, legationem pacis sustinet. Venisset iam nanq; si vellet, & cunctos aduersarios suos trucidasset. Sed & quàm terribilis veniat indicat, & tamen ad venien-
dum tardat, quia non vult inuenire quos puniat: sed reatum nobis cõtemptus nostri denunciat, dicens: *Sic ergo omnis ex uobis, qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*: & tamen sperandæ salutis remedium confert, quia qui per iram non potest ferri, per postulatæ pacis vult legationem placari. Lauate ergo fratres charissimi, lachrymis maculas peccatorum, eleemosynis tergite, sacris hostijs expiate. Nolite possidere per desiderium, quæ adhuc per vsum minimè reliquistis. Spem in solo redemptore figite, ad æternam patriam mente transite. Sic enim nihil in hoc mundo amando possidetis, & iam possidendo cuncta reliquistis. Ipse vobis gaudia desiderata concedat, qui nobis æternæ pacis remedia contulit, Iesus Christus Dominus noster, qui viuit & regnat cum patre. &c.

DE VNO MARTYRE.

Matth. X.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Nolite arbitrari, quia uenerim pacem mittere in terram. Non ueni pacem mittere, sed gladium. Et reliqua. Homilia beati Hilarij in Cõmentarijs in Matthæum Canone 9. Ex Eusebio Emiseno episcopi.

Væ ista diuisio est? Inter prima enim legis præcepta accepimus: Honora patrem tuum, & matrem tuam. Et ipse Dominus ait: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Quid sibi vult missus potiùs gladius in terram, & separatus à patre filius, & filia à matre, & nurus aduersùs socrum, & hominis domestici, eius inimici? Igitur exinde publica authoritas impietati proferetur: vbique odia, vbique bella, & gladius Domini inter patrem & filium, & inter filiam matremque desæuiens? Et in Luca quidem talis de hoc sermo est: Erunt enim ex hoc quinque in vna domo diuisi: tres in duos, & duo super tres diuidentur. Nunquid non in maiorem numerum potest agnitionis domestica familia dif-

diffundi? Aut præscripto temporis continebatur, vt ex hoc essent quinq; tantùm in domo vna, ijdemque diuisi? Ergo qui sit gladius in terra, quæ proprietas nominum, & in numero quinq; quæ ratio, & quomodò tres in duos, & duo super tres diuidendi, & quatenùs homini domestici eius inimici, contuendum est. Singularum quidem rerum & vniuersæ quæstionis primùm natura est explicanda, nec minùs intelligentiam nostram sensus & superior & consequens adiuuabit. Gladius, telorum omnium telum acutissimum est, in quo sit ius potestatis, & iudicij seueritas, & animaduersio peccatorum. Et huius quidem teli nomine, nouam euangelij prædicationem appellatam, frequens in prophetis authoritas est. Dei igitur verbum nuncupatum meminerimus in gladio, qui gladius missus in terram est, id est, prædicationem eius hominum cordibus infusam. Hoc igitur quinq; habitantes in vna domo diuidit, & diuidit tres in duos, & duos super tres. Sed tria tantùm in homine reperimus, id est, corpus, & animam, & voluntatem. Nam vt corpori anima data est, ita & potestas vtrique vtendi se vt vellet, indulta est: atque ob id lex est præposita voluntati. Sed hoc in illis deprehenditur, qui primi à Deo figurati sunt, in quibus cœptæ originis ortus effectus est, non traductus aliunde: sed ex peccato atque infidelitate primi parentis, sequentibus generationibus cœpit esse corporis nostri pater, peccatum: mater animæ infidelitas. Ab his enim ortum per transgressionem primi parentis accepimus. Nam voluntas vnicuique sua adiacet. Ergo iam vnius domus quinque sunt, pater corporis peccatum, mater animæ infidelitas, & incidens voluntatis arbitrium, quod totum hominem quodam coniugij sibi iure astringit. Huic infidelitas socrus est, nos ex ea natos, atque à fide metuq; Dei peregrinantes accipiens, vt inter infidelitatem voluptatemq; possessos, & ignorationeDei, & in omnium vitiorum oblectatione detineat. Cùm ergo innouamur baptismi lauacro, per virtutem eius ab originis nostræ peccatis atque authoribus separamur, recisiq; quadam exectione gladij Dei, à patris & matris affectionibus disidemus, & veterem cum peccatis atque infidelitate sua hominem exuentes, & per spiritum anima & corpore innouati, necesse est ingeniti & vetusti operis consuetudinem oderimus. Et quia corpus ipsum per fidem mortificatum, in naturam animæ, quæ ex afflatu Dei venit, quanuis idipsum adhuc in materia sua extet, euadat: quia communio ipsis inuicem concilietur ex verbo: idcircò iam vnum atque idem cum anima velle cœpit effici, scilicet vt illa est spiritualis, quibus libertas voluntatis à socru sua, id est, ab infidelitate diuisa, ius suum omne concedit, vt quod erat libertas voluntatis, deinceps animæ sit potestas. Fitq; grauis in domo vna dissensio, & domestica nouo homini erunt inimi-

Gladius, verbum Dei.

ca: quia ille per verbũ Dei diuisus ab illis, manere & interior & exterior, i. & corpus & anima in spũs nouitate gaudebit: ea verò, quæ ingenita & à quadam prosapiæ antiquitate deducta, consistere in his quibus oblectata sunt concupiscũt, & origo carnis, & origo animæ, & libertas potestatis, in duos diuidentur, animam scilicet & corpus hominis noui, quæ vnum atque idem velle cœperunt, diuisique tres, duobus subiacebunt, in dominatum eorum de spiritus nouitate potioribus. Et idcircò illi, qui domesticas nominum charitates dilectioni eius prætulerint, futurorum bonorum indigni erunt hæreditate. Pergit deinde eorum præceptorum & intelligentiæ decursu. Nam posteaquàm relinquenda omnia, quæ in seculo charissima sunt, imperauerat, adiecit: *Qui non accepit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Quia qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs: & indignus est Christo, qui non crucem suam, in qua compatimur, commorimur, consepelimur, conresurgimus, accipiens, Dominum sit secutus, in hoc sacramẽto fidei spiritus nouitate victurus. *Qui inuenerit animam suam, perdet eam: & qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam,* verbi scilicet potestate, & veterum diuisione vitiorum, proficiet lucrum animæ in mortem, & damnum in salutem. Ergo suscipienda mors est in nouitate vitæ, & cruci Domini configenda sunt vitia, & aduersùs persequentes contemptu præsentium gloriosæ confessionis retinenda libertas est, & damnosum animæ lucrum refugiẽdum, scientes cuiquam ius in animam non relinqui, & detrimento breuis vitæ fœnus immortalitatis acquiri. *Qui recipit uos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit.* Vniuersis doctrinæ affectum, & præceptorum sedulitatem impendit. Et qui periculum non recipientium apostolos, excussi pulueris testimonio denunciasset, recipientium merita vltra gratiam sperati officij commendat: docetq; in se etiam mediatoris officium, qui cùm sit receptus à nobis, atque ille profectus ex Deo sit, Deus per illum transfusus in nos sit: atq; ita qui apostolos recipit, Christũ recipit: qui verò Christum receperit, patrem Deum recipit: quia non aliud in Apostolis recipit, quàm quod in Christo est: neque in Christo aliud est, quàm quod in Deo est: perq; hunc ordinem gratiarum, non aliud est apostolos recepisse quàm Deum: quia & in illis Christus, & in Christo Deus habitat. *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet.* Qui prophetam recipit, habitantem recipit in propheta, fitq; prophetę mercede dignus, prophetam prophetę nomine recipiens. Par quoq; recepisse iustum merces deputatur, fitq; iustus ex honore iustitiæ, ac sic consummatur iustitia ex fide, & mercedem acquirit officium, plures consequendæ æternitatis occasiones Deo largiente: quando in recipiendo iusto & propheta, ipse reue-

Gal. 5.

Ioan. 19.

Luc.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rentiæ affectus,& iusti honorem accipiat & prophetæ. *Et quicunq; potum dederit uni ex minimis meis, calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli, amen dico uobis, non perdet mercedem suam.* Non inane esse bonæ conscientiæ opus docuit, neq; spem fidei alienæ infidelitatis crimine laborare. Prouidens enim plures futuros tantùm apostolatus nomine glorioſos, omni verò vitæ suæ opere improbabiles, eosdemq; diù fallere, diù mentiri, tamé obsequium quod ipsis sub religionis opinione delatum sit, mercede operis sui speiq; non fraudat. Nam licet ipsi minimi essent, id est, peccatorum omnium vltimi, (minimum autem est, quo minus nihil aliud est) non inania tamen in eos etiam leuia, quæ sub frigidæ aquæ nomine designat, officia esse decernit. Non enim peccatis hominis, sed discipuli nomini honor præstitus est: atque ita probitatem obsequentis, fallentis de se probra non lædunt, cùm mercedem suam dantis fide, non assumentis mendacio consequatur.

Opus bonæ conscientiæ, mercede non frustratur sua.

DE VNO MARTYRE.

Luc. IX.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Si quis uult post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucem suã quotidiè, & sequatur me. Et reliqua. Homilia beati Gregorij papæ.

OMNIA dominus ac redẽptor noster nouus homo venit in mundum, noua præcepta edidit mũdo. Vitæ etenim nostræ veteri in vitijs enutritæ, cõtrarietatem opposuit nouitatis suæ. Quid enim vetus, quid carnalis homo nouerat, nisi sua retinere, aliena rapere si posset, concupiscere si non posset. Sed cælestis medicus singulis quibusque vitijs obuiantia adhibet medicamenta. Nam sicut arte medicinæ calida frigidis, frigida calidis curantur: ita Dominus noster contraria opposuit medicamenta peccatis: vt lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis præciperet humilitatem. Certè cùm se sequentibus noua mandata proponeret, dixit: Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Ac si apertè dicat: Qui per vitam veterem aliena concupiscitis, per nouæ conuersationis studium & vestra largimini. Quid verò in hac lectione dicat, audiamus: *Qui uult post me uenire, abneget semetipsum.* Ibi dicitur, vt abnegemꝰ nostra: hic dicitur, vt abnegemus nos. Et fortasse laboriosum nõ est homini relinquere sua, sed valdè laboriosum est relinquere semetipsum. Minus quippe est abnegare quod habet: valdè etenim multum est, abnegare quod est. Ad se autem nobis venientib. Dominus præcipit, vt renunciemus nostris: quia quiq; ad fidei agonem venimus, luctamen contra malignos spiritus sumimus. Nihil autem maligni spiritus in hoc mundo proprium possident. Nudi ergo cum nudo luctari debemus. Nam si vestitus quisq; cum nudo luctatur, citiùs ad terram deijcitur, quia habet vnde teneatur. Quid enim sunt terrena omnia, nisi quædã corporis iudumenta? Qui ergo contra diabolũ ad certamen properat, vestimenta abijciat, ne succumbat. Nihil in hoc mundo amando possideat, nullas rerum labentium delectationes requirat, ne vnde ad votum tegitur, ad casum inde teneatur. Nec tamen sufficit nostra relinquere, nisi relinquamus & nos. Quid est quod dicimꝰ, relinquamus & nos? Si enim nosmetipsos relinquimus, quo ibimus extra nos? Vel quis est qui vadit, si se deserit? Sed aliud sumus per peccatũ lapsi, aliud per naturam conditi: aliud quod fecimus, aliud quod facti sumus. Relinquamus nosmetipsos, quales peccando nos fecimus: & manemus nosmetipsi, quales per gratiam facti sumus. Ecce enim qui superbus fuit, si conuersus ad Christum humilis factus est, semetipsum reliquit. Si luxoriosus quisq; ad continentiam vitam mutauit, abnegauit vtique quod fuit. Si auarus quisq; ambire iam desijt, & largiri didicit propria, qui priùs rapiebat aliena, proculdubiò semetipsum reliquit. Ipse quidem est per naturam, sed non est ipse per malitiam. Hinc enim scriptum est: Verte impios, & non erunt. Conuersi nanque impij non erunt, non quia omnino non erunt in essentia, sed scilicet non erunt in impietatis culpa. Tunc ergo nosmetipsos relinquimus, tũc ipsos nos abnegamus, cùm vitamus quod per vetustatem fuimus, & ad hoc nitimur, quò per nouitatem vocamur. Pensemus quomodò se Paulus abnegauerat, qui dicebat: Viuo aũt iam non ego. Extinctus nanq; fuerat sæuus ille persecutor, & viuere cœperat pius prædicator. Si enim ipse esset qui priùs, pius profectò non esset. Sed qui se viuere denegat, dicat: Viuo autem iam non ego. Vnde & post sancta verba, quæ per doctrinam veritatis clamat, protinùs subdit: Viuit verò in me Christus. Ac si apertè dicat: Ego quidem à meipso extinctus sum, quia carnaliter non viuo: sed tamen essentialiter mortuus nõ sum, quia in Christo spiritaliter viuo. Dicat ergo veritas, dicat: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum: quia nisi quis à semetipso deficiat, ad eum qui super ipsum est, non appropinquat: Nec valet apprehendere quod vltra ipsum est, si nescierit mactare quod est. Sic olerum plantæ transponuntur, vt proficient, atque (vt ita dixerim) eradicantur vt crescant. Sic rerum semina in terræ ad-

Christus vitijs contraria opposuit præcepta.

Luc. 14.

Relinquamus nosmetipsos, sed non deserendo.

admixtione deficiunt, vt in reparatione sui generis vberiùs assurgant. Vnde enim videntur perdidisse quod erant, inde accipiunt hoc apparere quod non erant. Sed iam qui se à vitijs abnegat, exquirendæ ei virtutes sunt, in quibus crescat. Nam cùm dictum est: Qui vult post me venire, abneget semetipsum, protinùs additur: Tollat crucem suam quotidiè, & sequatur me. Duobus etenim modis crux tollitur, cùm aut per abstinentiam afficitur corpus, aut per compassionem proximi affligitur animus. Pensemus qualiter vtroque modo Paulus crucem suam tulerat, qui dicebat: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè alijs prædicans, ipse reprobus efficiar. Ecce in afflictione corporis audiuimus crucé carnis, audiamus nunc in cõpassione proximi crucem mẽtis. ait enim: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Perfectus quippe prædicator vt exemplũ daret abstinentiæ, crucẽ portabat in corpore: Et quia in se trahebat dãna infirmitatis alienæ, crucem portabat in corde. Sed quia ipsis virtutibus quædam vitia iuxtà sunt, dicendum nobis est, quod vitium abstinentiam carnis, & quod obsideat compassionem mentis. Et vicino nanque abstinentiam carnis nonnunquàm vana gloria obsidet, quia dum tenuitas in corpore, dum pallor in vultu respicitur, virtus patefacta laudatur. Et tanto se celeriùs foras fundit, quanto ad humanos oculos per ostentum pallorem exit. Et plerunque fit, vt hoc quod causa Dei agi creditur, pro solis humanis fauoribus agatur. Quod benè Simon ille significat, qui inuentus in itinere, crucem dominicam in angaria portat. Aliena quippe onera in angaria portantur, quando per vanitatis studium aliquid geritur. Qui ergo per Simonem designantur, nisi abstinentes & arrogantes, qui per abstinentiam quidem carnem afficiunt, sed fructum abstinentiæ interiùs non requirunt? Crucem ergo dominicam in angaria Simon portat, quia cùm ad opus bonum ex bona voluntate non ducitur, rem iusti sine fructu peccator operatur. Vnde idem Simon crucem portat, sed non moritur: quia abstinẽtes & arrogantes per abstinentiam quidem corpus afficiunt, sed per desiderium vanæ gloriæ mundo viuunt. Compassionem verò animi plerunque latenter obsidet pietas falsa, vt hanc nonnunquam vsque ad condescendendum vitijs pertrahat, dum ad culpas quisque non debeat compassionem exercere, sed zelum. Compassio quippe homini, & rectitudo vitijs debetur, vt in vno eodemque homine & diligamus bonum quod factus est, & persequamur mala quæ fecit: ne dum culpas incautè remittimus, non iam per charitatem compati, sed per negligentiam condescendisse videamur. Sequitur: *Qui enim uoluerit animam suam saluam facere, perdet eam: & qui perdiderit animam suam propter me, saluam faciet illam.* Sic dicitur fideli: Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam: & qui perdiderit animam suam propter me, saluam faciet eam: ac si agricolæ dicatur: Frumentum si seruas, perdis: si seminas, renouas. Quis enim nesciat, quòd frumentum cùm in semine mittitur, perit ab oculis, in terra deficit? Sed vnde putrescit in puluere, inde virides cit in renouatione. Quia verò sancta Ecclesia aliud tempus habet persecutionis, atque aliud pacis, redemptor noster ipsa eius tempora distinguit in præceptis. Nam persecutionis tempore ponenda est anima, pacis autem tempore ea quæ ampliùs dominari possunt, frangenda sunt desideria terrena. Vnde & nunc dicitur: *Quid enim proficit homo, si lucretur totum mundum, se autem perdat, & detrimentum sui faciat?* Cùm persecutio ab aduersarijs deest, valdè vigilantiùs cor custodiendum est. Nam pacis tempore, quia licet viuere, libet etiam ambire.

Quæ profectò auaritia benè compescitur, si ipse status ambientis solicitè consideretur. Nam cur instet ad colligendum, quando stare non potest ipse qui colligit? Cursum ergo suum quisque consideret, & cognoscet sibi posse sufficere parua quæ habet. Sed fortasse metuit, ne in huius vitæ itinere sumptus desint. Longa nostra desideria increpat via breuis. Incassum multa portantur, cùm iuxtà est quò pergitur.

Auaritiæ remedia.

Plerunque autem & auaritiam vincimus, sed adhuc obstat, quòd vias rectitudinis minori tenemus custodia perfectionis. Nam sæpè labentia cuncta despicimus, sed tamen adhuc humanæ verecundiæ vsu præpedimur, vt rectitudinem quam seruamus in mente, nondùm exprimere valeamus in voce. Et tanto Dei faciem ad iustitiæ defensionem negligimus, quanto humanas facies contra iustitiam veremur. Sed huic quoque vulneri congruum subiungitur medicamentum, cùm Dominus dicit: *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cùm uenerit in maiestate sua, & patris, & sanctorum angelorum.* Sed ecce nunc apud se homines dicunt: Nos iam Dominum & sermones eius non erubescimus, quia aperta eum voce profitemur. Quibus ego respondeo, quòd in hac plebe Christiana sunt nonnulli, qui Christum ideò confitentur, quia cunctos Christianos esse aspiciunt. Nam si nomen Christi in tanta hodiè gloria non esset, tot professores Christi sancta Ecclesia non haberet. Non ergo ad probationem fidei vox sufficit professionis, quam defendit à verecundia professio generalitatis. Est tamen vbi se quisque interroget, vt in confessione Christi se veraciter probet, si non iam nomen eius erubescit, si plena virtute mentis humanum pudorem subdidit. Certè enim persecutionis tempore erubescere poterant fideles, substantijs nudari, de dignitatibus deijci, verberibus affligi. Pacis autem tempore, quia hæc à nostris persecutionibus desunt, est aliud vbi

Universidad de Deusto
Biblioteca

ostendamur nobis. Veremur sæpè à proximis despici, dedignamur iniurias verbi tolerare. Si contingat iurgium fortasse cum proximo, erubescimus priores satisfacere. Cor quippe carnale dum vitæ huius gloriam quærit, humilitatem respuit. Et plerunque ipse homo qui irascitur, discordanti sibi reconciliari appetit, sed ire ad satisfaciendum prior erubescit. Pensemus facta veritatis, vt videamus quo iaceant nostræ prauitatis actiones. Si enim membra summi capitis sumus, imitari eum cui connectimur, debemus. Quid nanque ad nostræ eruditionis ex-
2. Cori. 5. emplum Paulus egregius prædicator dicit? Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos: obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Ecce inter nos & Deum discordiam peccando fecimus, & tamen ad nos Deus suos legatos prior misit, vt nosipsi qui peccauimus, ad pacem Dei rogati veniamus. Erubescat ergo humana superbia, cõfundatur quisque si non satisfaciat prior proximo, quando post culpam nostram, vt ei reconciliari debeamus, & ipse qui offensus est, legatis interuenientibus obsecrat Deus. Sequitur: *Dico autem uobis: Veré sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt*
Regnum Dei, Ecclesia. *mortem, donec uideant regnum Dei.* Regnum Dei, fratres charissimi, non semper in sacro eloquio venturum regnum dicitur, sed nonnunquàm
Matth. 13. præsens Ecclesia vocatur. Vnde scriptum est: Mittit filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala. In illo quippe regno scandala non erunt, vbi profectò reprobi non admittuntur. Quo videlicet exemplo colligitur, quòd hoc loco regnum Dei præsens Ecclesia vocatur. Et quia nonnulli ex discipulis vsqueadeò in corpore victuri erant, vt Ecclesiam Dei constructam conspicerent, & contra huius mundi gloriam rectam, consolatoria promissione nunc dicitur: *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec uideant regnum Dei.* Sed cùm tanta Dominus subeundæ mortis præcepta ederet, quid necessarium fuit, vt ad hanc subitò promissionem veniret? Quod si subtiliter perpendamus, quanta dispensatione pietatis agatur, agnoscimus. Discipulis enim rudibus etiam de præsenti vita aliquid promittendum fuit, vt possent robustiùs in futura solidari. Sic Israëlitico populo ex Aegypti terra liberando, repromissionis terra promittitur, & cùm vocandus esset ad dona cælestia, terrenis promissionibus suadetur. Cur hoc? Vt dum esset aliquid, quod è vicino perciperet, illud iam fidelius crederet, quod de longinquo audire potuisset. Carnalis etenim populus si parua non acciperet, magna non crederet. Omnipotens ergo Deus largiendo terrena, suadet cælestia, vt percipiens quod videret, sperare disceret quod minimè videbat: & tanto solidior de inuisibilibus fieret, quanto eum ad spei certitudinem visibilia promissa fulcirent. Vnde
Psal. 104 rectè quoque per Psalmistam dicitur: Dedit eis regiones gentium, & labores populorum possederunt, vt custodiant iustificationes eius, & legem eius requirant. Sic ergo hoc loco rudibus discipulis veritas loquens, videndum regnum cælorum promittit in terra, vt hoc ab eis fideliùs in cælo præsumatur. Ex ipso itaque regno, quod iam videmus in mundo esse sublimatum, speremus regnum quod in cælo credimus percipiendum. Nam sunt nonnulli, qui *Christiani solo nomine.* Christianitatis nomine censentur, sed Christianitatis non habent fidem: sola esse visibilia æstimant, inuisibilia non appetunt, quia nec esse suspicantur. Ad sanctorum martyrum corpora consistimus fratres mei. Nunquid isti carnem suam in mortem darent, nisi eis certissimè constitisset esse vitam pro qua mori debuissent? Et ecce qui ita crediderunt, miraculis coruscant. Ad extincta nanque eorum corpora viuentes ægri veniunt, & sanantur: periuri veniunt, & dæmonio vexantur: dæmoniaci veniunt, & liberantur. Quomodò ergo viuunt illic vbi viuunt, si in tot miraculis viuunt hic, vbi mortui sunt? Rem, fratres, dico breuem verbo, sed nõ paruam merito, quam religiosis quibusdam senioribus enarrantibus agnoui. Go- *Exempli de muliere Sarephtana.*
thorum tẽpore matrona quædam fuit valdè religiosa, quæ ad horũ martyrum ecclesiã crebrò veniebat. Quadam aũt die dum ex more ad orã- *Eorum.*
dum venisset, egrediens duos stãtes sub peregrino habitu monachos inuenit: peregrinos credidit, dari eis aliquid eleemosynæ præcepit. Sed priusquàm eius erogator eis ad largiendam eleemosynam propinquasset, astiterunt illi viciniùs, & dixerunt: Tu nos modò visitas, nos te in die iudicij requiremus, & quicquid possumus, præstabimus tibi. Quo dicto, ab eius oculis ablati sunt. Territa illa ad orandum redijt, seseque in lachrymis prolixiùs effudit, & facta est post hoc tanto instantior in prece, quanto
Heb. 11. certior de promissione. Si autem iuxta Pauli vocem est, fides sperandarum substantia rerũ, argumentum non apparentium: nequaquam iam dicimus, vt venturam vitam credatis, quia ecce ipsi qui in illa viuunt, humanis obtutibus visibiliter præsentantur. Quod.n. videri potest, melius dicitur sciri quàm credi. Venturam ergo vitam nos Dominus magis voluit scire quàm credere, qui eos quos inuisibiliter recipit, apud se viuere nobis etiam visibiliter ostendit. Hos er- *Sanctorũ captanda patrocinia.*
go, fratres charissimi, in causa vestri examinis, quam cum districto iudice habetis, patronos facite, hos in die tanti terroris illius defensores adhibete. Certè si apud quendam magnum iudicẽ causa quælibet vestra esset die crastino ventilanda, totus hodiernus dies in cogitatione duceretur: patronum vestra fraternitas quærerer, magnisq; precibus ageret, vt apud tantum iudicem sibi defensor veniret. Ecce districtus iudex Iesus venturus est, tanti illius angelorum archangelorumque concilij terror adhibetur. In illo conuentu causa nostra discutitur, & tamen nos patronos modò non quærimus, quos tunc defensores habeamus. Assunt defensores nostri sancti martyres, rogari volunt, atq; (vt ita dixerim) quærunt vt quærantur. Hos ergo adiutores vestræ orationis quærite, hos protectores vestri reatus inuenite: quia ne punire peccatores debeat, rogari vult & ipse qui iudicat. Vnde & tam longo tempore comminatur iram, & tamen misericorditer expectat. Sic autem nos misericordia eius refoueat, vt nullo modo negligentes reddat: sic peccata nostra perturbent, vt mens in desperationem non proruat: Quia & si præsumentes metuimus, & metuentes speramus, æternum regnum citiùs adepturi sumus, per eum qui viuit & regnat &c.

IN NATALI VNIVS MARTYRIS, HOMILIA

Prima Eusebij Emeseni.

Matth. 16 *Si quis uult post me uenire, abneget semetipsum, &c. Matth. 16.* Paulò antè dixerat discipulis suis Dominus Iesus, quia oportet eum ire Hierosolymam, & multa pati à senioribus, & scribis, & principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere. Et assumens eum Petrus, dixit: Absit à te Domine, non erit tibi hoc. Et conuersus, dixit Petro: Vade post me satana. Scandalum es mihi, quia non sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Inde verò volens ostendere, qualiter post eum ire, & qualiter illum sequi debeamus, subdidit dicens: *Si quis uult post me uenire abneget semetipsum.* In eo enim, quòd Dominus futura prædixit, & se spontè pati ostendit, eorum fidem confirmat: secũdùm quod ipse ait: Et nunc dico vobis priusquàm fiat, vt cùm factum fuerit credatis. Quòd verò beato Petro ait: Vade post me satana, scandalum es mihi: tale est, ac si diceret: Vade post me, sequere & imitare me: vt sicut ego moriar pro te, ita & tu moriaris propter me. Noli mihi esse contrarius, noli meæ volũtati resistere, noli diuinis consilijs obuiare. Sic enim oportet fieri, quia sic est ante tempora prædestinatum, & à prophetis prænunciatum. Hoc est enim, quod alibi ait: O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ loquuti sunt prophetæ. Nónne sic oportuit pati Christum, & resurgere à mortuis, & ita intrare in gloriam suam? Sapiebat igitur Petrus quæ hominum sunt, quia humanum consilium dabat: sed non sapiebat quæ Dei sunt, quia hæc secreta diuini consilij, quibus homo redimeretur, ignorabat. *Tunc Iesus dixit discipulis suis: Si quis uult post me uenire, abneget semetipsum.* Debet enim *Vt se neget quis de-*
vnusquisque homo negare semetipsum, non *beat.*
quòd homo sit, non quòd fidelis & Christianus sit: Sed si idololatra fuit, si infidelis, si adulter, & fornicator, si cupidus & auarus, talem se esse neget, talem se non esse ostendat. Ostendat autem non voce tantùm, sed operatione. Dicat cum Apostolo: Viuo autem iam non ego, viuit verò in Gal. 2.
me Christus. Viuebat enim Apostolus, sed non ipse: viuebat non Saulus, sed Paulus. Negauerat igitur seipsum, multùm differens à seipso. Sequitur: *Et tollat crucem suam, & sequatur me.* Crucem enim suam tollit, qui carnem suam cum vitijs & concupiscentijs cruciat & affligit. Sed quia non sufficit crucem tollere, ideò mox subdit, dicens: Et sequatur me. Qui enim Dominum non sequitur, ei quidem, neque crucem tollere, neque carnem affligere prodest. Et Do-
Matth. 6. minus de ijs, qui omnia opera sua faciunt vt videantur ab hominibus, quanuis multùm ieiunent, & carnem crucient & affligant, dicit tamẽ, quia receperunt mercedem suam. Non prodest igitur Iudæo, non prodest hæretico & hypocritæ crucem portare. Quare? Quia nó sequuntur Christum. Christum enim sequitur, *Christum*
qui eum imitatur. Vis sequi Christum? Esto hu- *quis sequa-*
milis, patiens & misericors. Esto sine odio & si- *tur.*
mulatione. Sis Deo obediens & proximum diligens. Hac enim via Christus incedit: per hanc igitur ambula, si vis eum sequi. Nisi enim per hanc ambulaueris viam, non sequeris eum, etsi sequi videaris. Multi enim diabolum sequuntur, qui Christum sequi videntur. *Qui enim uoluerit animam suam saluam facere, perdet eam.* Quis igitur saluabit animam suam, si ille eam perdit, qui eam saluare contendit? Quæ est ista anima, *Anima,*
quam perdere debemus? Ista enim anima, vita *pro uita*
præsens est. Qui igitur alterius vitæ oblitus, hãc *præsente.*
solam præsentem vitam diligit, & hanc quidem perdit, & aliam non habebit. *Qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* Beati itaque Martyres, qui hanc vitam perdiderunt, & animas suas vsq; ad mortem non dilexerunt. Isti enim inuenient vitam, non qualemcunq;, sed æternam vitam. *Quid enim prodest homini, si mundum uniuersum lucretur, animæ uerò suæ detrimentum patiatur?* Quid enim prodest Romanorum principibus mundum ad tempus possedisse, & pro animarum salute nihil egisse, cùm illorum cadauera in puluerem conuertantur, & animæ in inferno torqueantur? Si enim diceretur tibi, Sis toto hoc mense diues & potens, facias quicquid velis, vtere carnis voluptatibus, sicut placet, ea tamen conditione, vt tibi oculi posteà eruantur, omne solatium tollatur, & toto tempore vitæ tuæ in fame & siti, in omni cruciatu, & omni mi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

seria viuas, nunquid tale illud bonum hoc tempore susciperes? Et quidem tota hæc vita præsens, nec mensis est, nec vnius diei vel horæ spatium, ad illius æternæ felicitatis vel miseriæ comparationem: Cui miseriæ neque finis est, neque similis pœna inuenitur. *Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Nulla enim commutatio est, nullum precium est, quo saluari possit anima, nisi fide & pœnitentia. Si enim quis sine his de hac vita exierit, iam nullo precio vlteriùs redimi potest. Vnde Psalmista ait:

Psalm. 48 Qui cõfidũt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur: frater non redimet: redimet homo? Non dabit Deo placationem suam, & precium redemptionis animæ suæ: ideoque laborabit in æternum, & viuet in æternum vsque in finem. *Filius enim hominis uenturus est, in gloria patris sui cum angelis suis, & tunc reddet unicuiq; secundùm opera eius.* Venit enim priùs humilis, vt iudicaretur filius hominis. Veniet autem iterùm sublimis & excelsus in gloria, & honore, & maiestate paterna, vt iudicet mundum, & reddat vnicuique secundùm opera sua.

Psalm. 49 Deus enim manifestè veniet, Deus noster, & non silebit. Et quasi aliquis diceret: Vtinam illam gloriam aliquando videamus, subdidit, dicens: *Amen dico uobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec uideant filium hominis uenientem in regno suo.* Si enim de illo regno & de illa gloria hoc intelligamus, in qua modò cum angelis suis se iudicaturum venire promisit, stare non potest. Nemo enim ibi erat, vbi Dominus dicebat, qui mortem iam non gustauit, ipse tamen ad iudicium nondùm venit. Qualiter hæc intelligi debeant, sequentia manifestant:

Matth. 17 Et post dies sex assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsùm, & transfiguratus est ante eos. Isti igitur sunt, de quibus modò dixerat, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo, id est, apparentem in virtute & gloria regni sui. Transfiguratus enim Dominus, talis tunc in monte tribus istis suis discipulis apparuit, qualis post hanc vitam in regno suo cunctis suis fidelibus apparebit.

IN NATALI VNIVS MARTYRIS, HOMILIA II. Eusebij Emeseni.

Si quis uenit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, &c. Luc. 14.

Vm enim alibi Dominus dicat: Diliges proximum tuum sicut teipsum, & non solùm hoc, verumetiam, Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: quid est, quòd modò dicit, vt patrem & matrem, vxores & filios, fratres & sorores, & ipsas animas nostras odio habeamus? Ioannes quoque Apostolus ait: Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et Psalmista: Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam. Concluditur ergo, vt soli iniqui & homicidæ Christi discipuli esse possint, si quidem soli sunt eius discipuli, qui parentes suos, & seipsos odio habent, quod est inconueniens. Dicit ergo: Si pater, aut mater, vel aliquis propinquorum tuorum, te à Christi fide separare voluerit, hunc fuge, hunc quasi hostem time, & quasi membrum satanæ odio habe. Vnde & Matthæus manifestiùs ait: Qui amat matrem aut patrem plusquàm me, non est me dignus. Et alibi: Si oculus tuus scandalizat te, erue eum & proijce abs te. Animam autem pro vita posuit. Vitam enim suam odio habent, qui pro iustitia & Christi fide mori desiderant, & carnem suam cum vitijs & concupiscentijs crucifigentes, nullas huius vitæ voluptates sequuntur. Isti quoque post Christum crucem baiulant: quia omnibus derelictis solam carnis mortificationem in corpore suo ferentes, toto mentis & cordis desiderio post eum vadunt. Sed valdè notandũ est, quod ait: Si quis hoc vel illud non fecerit, non potest esse meus discipulus. Aliud est Christianum esse, aliud Christi discipulum esse. Septuaginta nãq; & duos discipulos Dominus elegit, præter eos quos apostolos nominauit. Isti autem mundum spernentes, omnia relinquentes, Domino adhærentes, Christi discipuli specialiter dicti sunt. Horum igitur nomen & locũ illi tenent, qui eos vita & moribus imitantur. Vnde & in conclusione huius euangelij dicitur: Sic ergo omnis ex vobis, qui nõ renũciat omnib. quæ possidet, nõ potest meus esse discipulus. Ipsi. n. discipuli quanuis secundùm nominis interpretationem, oẽs apostoli essent, non oẽs apostoli tamẽ dicuntur. Interpretatur enim Apostolus missus. De ipsis aũt scriptum est, q̃ misit eos Dominus ante faciem suam. Missi igitur erant, qui mittebantur. Quare ergo Apostoli non vocantur? Ideò quidem, quoniam solos duodecim ex eis Dominus elegit, quos & Apostolos nominauit. Similiter autem quanuis omnes Christiani Christi discipuli sint, soli tamen septuagintaduo, & cæteri, qui eos vita & moribus imitantur, hoc tanto nomine digni habentur. His enim præcepit Dominus, non ferre sacculum, neque peram, neque pecuniam in zonis habere. His præcepit, vt nihil in hoc mundo possiderent, & de crastino

Matth. 5.
1. Ioan. 3.
Psalm. 10.
Luc. 10.
Matth. 10
Matth. 16
Ibid.
Ibid.

no non cogitarent. His denique præcepit, vt de euangelio viuerent, & alia non haberent. Si ergo hæc omnibus vniuersaliter dicta sunt, & nulli de crastino cogitare licet, quarè domos ædificamus? quarè vineas plantamus? quarè agros emimus? cur frumenta in horrea colligimus? cur in cellaria vinum reponimus? cur denique animalia custodimus, & alia in futurum nobis reseruamus? Nam neque Zachæus omnibus quæ possidebat renunciauit, sed tantùm dimidium bonorum suorum pauperibus dedit, & factus est filius Abrahæ. Vnde manifestum est, alia quibusdam, & non omnibus: alia perfectis, & alia minùs perfectis Dominum præcepisse. Possumus tamen intelligere eos etiam, qui multa possident, omnia reliquisse, si tamen hoc secum & in corde suo proposuerunt, vt si fortè necessitas incubuerit, omnia pro Christi nomine & fide tuenda amittere paruipendant. Qui igitur Christi discipulus esse & dici desiderat, sedeat priùs & computet, si discipulorum vitam tenere, patientiam habere, laborem sustinere, & simul cum eis turrim possit ædificare, contra hostes pugnare, & cætera quæ sequuntur agere valeat. Hoc est enim, quod ait: *Quis enim ex uobis uolens turrim ædificare, nonne priùs sedens computat sumptus qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum? ne posteaquàm posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui uident incipiãt illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Magnam enim turrim ædificare incipit, qui mundi honores, diuitias, & dignitates contemnens, omnia relinquit, & apostolorũ vitam & monachorum conuersationem promittit. Sed iste priùs computare debet, quàm arctam & laboriosam vitam ingrediatur, & quàm magnum & difficile opus agere incipiat. Debet & cogitare, si habeat sumptus, qui necessarij sunt ad perficiendum, id est, si humilitatem, patientiam, obedientiam tenere & custodire valeat, sine quibus hoc ædificium ædificari non potest. Si enim aliter egerit, & à bono proposito declinare cœperit, omnes incipient ei illudere, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare. Sed quid ei cœpisse profuit? Non enim qui cœperit, sed qui perseuerauerit, saluus erit. Sequitur:

Luc. 19.
Luc. 10. *Aut quis rex iturus committere bellum aduersus alium regem, nonne priùs sedens cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum uiginti millibus uenit ad se? Alioquin illo adhuc longè agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt.* Hæc autem similitudo eadem est, quæ est & superior. Nihil enim aliud his verbis admonemur, nisi ne vltra vires nostras nos extendamus. Vnde Apostolus ait: Si se non continet, nubat: melius est nubere, quàm vri. Vnusquisq; proprium donum habet ex Deo. Probet igitur seipsum homo, & sic ad altiora conscẽdat. Sit vel seruus, qui nõ potest esse discipulus. Nec omnes episcopi, nec omnes sacerdotes, nec omnes monachi. Quanuis enim, vt Apostolus ait, omnes vnum corpus sumus in Christo, omnia tamen membra non eundem actum habent. Rex aũt est vnusquisq; fidelis, qui seipsum & virtutum exercitum, qui in eo est, benè regere nouit. Hic autem aduersùs regem alium bellũ committit, per quem diabolum intelligimus. Quem quidem etsi maiorem exercitum habet, facilè tamen superamus, si non in nostra, sed in Dei virtute confidamus. Sed sciendum est, quia fortiùs eos diabolus aggreditur, quos ad maiora & Deo propinquiora festinare cognoscit. Vnde scriptum est: Fili accedẽs ad seruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem. Ideò & fiduciam habere dicitur, quòd influat Iordanis in os eius. Ad hunc autem legationem mittere & pacem cum eo facere, est eius tentationibus acquiescere. Et si quidem primæ tentationi homo succubuerit, adhuc eo longè agente, pacem facit. Multi enim sunt, qui cum eo pacem non faciunt, quanuis propè sit, & multo tempore eos violenter impugnet. Sicut igitur isti, de quibus modò diximus, neque turrim ædificare, neque contra hostem pugnare valent, nisi secum diligenter priùs pertractent, si sumptus ad ædificandum & vires ad pugnandum habent: Sic omnis, qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest Christi esse discipulus. Omnibus enim renunciat, qui quanuis aliqua possideat, omnia tamen, si necesse sit, pro Christi nomine amittere paruipendit. Nam ipsi quoque Apostoli & vestimenta, & calceamenta qualiacunque habebant, quibus tamen iam sæpè renunciauerãt, & quoties necesse esset, ea simul cum ipsa vita perdere non timebant.

Rom. 12.
Eccles. 1.
Iob 40.

IN NATALI VNIVS Martyris, Homilia III. Eusebij Emeseni.

Ego sum uitis uera, & pater meus agricola est. IOAN. 15.

EGce vitis vocatur Christus, & vitis vera. Sed quarè vitis, & quarè vera? Vitis enim vocatur, quia vinum fert. Omnia enim hæc euãgeliorum verba vinum sunt, & non qualecunque sed optimum vinum, non de alia, nisi de hac vite vindemiatum & expressum. Inde est enim, quòd in suæ prædicationis initio, aquas DOMINVS conuertit in vinum: quatenùs noua vitis nouum vinum funderet; quo illas nuptias & architriclinum inebriaret. Dicitur enim & vitis vera, forasse ad illius vitis distinctionem,

Christus quarè uitis.
Ioan. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioan. 15. ctionem, quæ pro vuis labruſcas, & pro vino dedit acetum. Huius vinũ dulce ſemperq; ſuaue: huius verba ſemper vera & nullius falſitatis admiſtione corrupta. Dicat ergo: *Ego ſum uitis uera, & pater meus agricola eſt.* Sed quid facit iſte agricola? Vis audire quid? *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum purgabit eum, ut fructum plus afferat.* Quot ſunt Chriſtiani, tot ſunt & palmites huius vitis. Alij quidem boni, alij autem mali. Et boni quidem fructiferi, mali autem infructuoſi. Tolluntur infructuoſi & incenduntur, fructiferi verò purgantur, & gladio ſpiritus amputãtur, vt fructum Epheſ. 5. plus afferant. Gladius ſpiritus, eſt verbum Dei, & iſte ſermo ſancti euangelij, de quo ſubditur: *Iam uos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum uobis.* Audis igitur, quòd ſermo Dei gladius eſt & ferramentum, quo ab omni nociua ſuperfluitate iſti & mundati & purgati ſunt. Primi enim palmites huius vitis, fuerunt apoſtoli, quibus modò Dominus ait: *Manete in me, & ego in uobis.* Et quarè maneant, reddit cauſam. *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi in uite manſerit, ſic nec uos, niſi in me manſeritis. Ego ſum uitis, & uos palmites.* Ipſe Dominus exponit, qualiter eius verba intelligere debeamus. Siccatur enim palmes, ſi à vite ſeparetur, quoniam humorem totamque vitam habet in vite. Iam & Chriſtianus, ſi à Chriſto ſeparetur, moritur: quia ſeparatur à vita.

Ioan. 14. *Qui manet in me, & ego in eo, hic affert fructum multũ.* Ille, inquit, affert fructum multum, qui manet in me, & quaſi membrum adhæret mihi, & in quo ego maneo: qui ſapientia ſum & veritas & vita. Ideò enim apoſtoli tantum fructum de ſuæ predicationis ſemine attulerunt, quia ab eius fide & dilectione nullatenùs ſeparari potuerunt. Inſuper & Dominus ipſe in eis erat, qui eorum ſemini incrementum dabat. Nam, vt Apoſtolus 1. Cor. 3. ait, Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat: ſed qui incrementum dat Deus. Vnde & ſubditur: *Quia ſine me nihil poteſtis facere. Et ſi quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet: & colligent eum, & in ignẽ mittent, & ardet.* Qui enim in Chriſti fide non manet, de Eccleſia & ſanctorum collegio foras eijcitur, areſcit & moritur, à malignis ſpiritibus rapitur, in ignem æternum & inextinguibilem mittitur, & ibi ſine fine cruciatur & ardet. *Si manſeritis in me, & uerba mea in uobis manſerint, quicquid uolueritis petetis, & fiet uobis.* Beati igitur, qui manent in Chriſto, & in quibus ma-
In Chriſto qui mæneant. nent verba Chriſti. Illi autem manent in Chriſto, qui neque amore neque timore, qui neque minis neque blanditijs, qui ab eius dilectione, ab eius fide & amplexibus nulla ratione ſeparari valent. Taliter quidem Apoſtolus in Chriſto
Rom. 8. manebat, qui de ſeipſo ſcribens, ait: Certus ſum autem, quia neque mors, neque vita, neque tribulatio, vel anguſtia, neque altitudo, neque profundum, neque creatura aliqua poterit me ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Manent autem in eis verba Chriſti, qui eius præcepta mẽte tenent, corde credunt, & nunquàm eorum obliuiſcuntur. Præceptum nanque Domini eſt: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potiùs eum timete, qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam. Præceptum Domini eſt: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Præceptum Domini eſt: Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.

Chriſti uerba in quibus manent. Matth. 10. Matth. 16 Luc. 14.

Hæc igitur & ſimilia ſunt illa verba, de quibus modò Dominus ait: Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis. Magna promiſsio eſt, magnum & incomparabile donum. Qui manent in Chriſto, & in quibus manent verba Chriſti, petant quod volunt, & fiet eis. Si enim voluerint malè, & malè petierint, iam nec ipſi manent in Chriſto, nec in ipſis manent verba Chriſti. Recordentur igitur verborum Chriſti, immò non recordentur, ſed firmiter teneant, ſemperque in memoria habeant, & ſic petant, ſicut verba Chriſti petere docent. Quærant igitur primùm regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur eis. Petant in fide nihil hæſitantes, & ea petant, quæ ad ſalutem pertinent, & quæ Dei diſpoſitioni, & verbis euangelicis non ſint contraria. Sed hæc ſpecialiter dicuntur apoſtolis, quorum ſanctas petitiones ſemper & vbique Dominus exaudiuit. Rogauit enim Apoſtolus Dominum, & ter rogauit, ſeque benè à Domino exauditum intellexit, poſtquàm ſe contra ſeipſum petiſſe cognouit. Exauditur enim homo, ſi fiat, quod vult. factum eſt autem quod Apoſtolus voluit: quia poſtquàm ſuam petitionem contra ſeipſum eſſe cognouit, iam exaudiri noluit. Vnde & ait: Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus CHRISTI. Nam neque hic ſimpliciter dicitur, Quodcunque petetis, ſed, Quodcunque volueritis, petetis & fiet vobis. *In hoc clarificatus eſt pater meus, ut fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei diſcipuli.* In hoc, inquit, & propter hoc, me reuelante & docente, pater meus manifeſtatur & clarificatus eſt vobis, vt vos quoque vbique prædicando & clarificando, fructum plurimum afferatis, & multas gentes ad eum conuertatis, & efficiamini mei diſcipuli, me imitando non ſolùm vita & doctrina, verumetiam in miraculorum operatione. Verè enim illi diſcipuli ſunt, qui magiſtrum per omnia imitantur. Vnde & Dominus alibi ait: Qui credũt in me, opera quæ ego facio, & ipſi facient: & horum quidem non ſolùm

Matth. 6. 2. Cor. 12. Ibid.

ſolùm minora, verumetiam quæ maiora ſunt, facient. Sic enim ſe habet ordo & intelligentia. Sequitur: *Sicut dilexit me pater, & ego dilexi uos, manete in dilectione mea.* Multum enim debet diligere, qui multùm diligitur. *Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea: ſicut & ego patris mei præcepta ſeruaui, & maneo in eius dilectione. Hæc locutus ſum uobis, ut gaudium meum in uobis ſit, & gaudium ueſtrum impleatur.* In illis eſt gaudium Chriſti, qui tale gaudium habent, quale habet CHRISTVS, ſiue de quorum conuerſatione ſancta gaudet Chriſtus. Plenum igitur gaudium habent, ſiquidem in tali gaudio mœror & triſtitia eſſe non poteſt.

DE MARTYRIBVS.

SERMO BEATI Leonis Papæ.

OVOTIESCVNque, fratres chariſsimi, ſanctorum martyrum ſolennia celebramus, ita ipſis intercedentibus expectemus à Domino conſequi temporalia beneficia, vt ipſos martyres imitando, accipere mereamur æterna. Ab eis enim ſanctorum martyrum in veritate feſtiuitatum gaudia celebrantur, qui ipſorum martyrum exempla ſequuntur. Solennitates enim martyrum, exhortationes ſunt martyriorum, vt imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Sed nos volumus gaudere cum ſanctis, & tribulationem mundi nolumus ſuſtinere cum illis. Qui enim ſanctos martyres, vel inquantum potuerit, imitari noluerit, ad eorum beatitudinem non poterit peruenire. Sic enim Apoſtolus Paulus prædicat, dicens: Si fuerimus ſocij paſsionum, erimus & conſolationum. Et Dominus in Euangelio: Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. Recuſat eſſe in corpore, qui odium mundi non vult ſuſtinere cum capite. Sed dicit aliquis: Et quis eſt, qui poſsit beatorum martyrum veſtigia ſequi? Huic ego reſpondeo, quia non ſolùm martyres, ſed ipſum Dominum cum ipſius adiutorio, ſi volumus, poſſumus imitari. Audi non me, ſed ipſum Dominum generi humano clamantem: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Audi & beatum Petrum Apoſtolum admonentem: Chriſtus pro nobis paſſus eſt, relinquens vobis exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. Ecce Chriſtus dicit, Diſcite à me. beatus Petrus dicit: Vt ſequamini veſtigia eius. Similiter Paulus Apoſtolus clamat: Imitatores Dei eſtote, ſicut filij chariſsimi. Quid ad hanc reſpondebimus fratres, vel quam excuſationem habere poterimus? Si tibi aliquis dicat, vt virtutes quas fecit DOMINVS, debeas imitari, iuſta poteſt eſſe excuſatio tua: quia virtutes & miracula facere non omnibus datum eſt. Iuſtè & caſtè viuere, & charitatem cum omnibus cuſtodire ex Dei adiutorio, cunctis præceptum eſt. Nam & ipſe Dominus non dixit: Diſcite à me mortuos ſuſcitare, ſupra aquas ſiccis pedibus ambulare. Non hoc dicit.

Epheſ. 5.

Sed quid ait? Quia mitis ſum & humilis corde. Et iterùm: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, atque orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, vt ſitis filij patris veſtri qui in cælis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos. Et iterùm: Eſtote & vos perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Et licet ſint alia multa, in quibus debeamus Dominum & beatos martyres imitari, iſta tamen duo præcipua ſunt, id eſt, vt mites ſimus & humiles corde, & inimicos noſtros toto affectu diligamus. De diligendis inimicis, fratres chariſsimi, nullus vnquàm in veritate ſe poterit excuſare. Poteſt mihi aliquis dicere, Non poſſum ieiunare, non poſſum vigilare. nunquid poteſt dicere, Non poſſum diligere? Poteſt dicere, Non poſſum res meas totas pauperibus erogare, & in monaſterio Deo ſeruire. nunquid poteſt dicere, Non poſſum diligere? Si dixeris, quia non poſſum à vino & carnibus abſtinere, credimus tibi: Si autem dixeris, quòd non poſsis in te peccantibus indulgere, omninò non credimus. Itaque nulla nobis remanet excuſatio, dum non de cellario, ſed de corde iſtam eleemoſynam iubemur implere, vt per viam vitæ ad æternam patriam mereamur peruenire. Duobus enim præceptis, id eſt, Diliges Dominum Deum tuum, &, Diliges proximum, quaſi duobus ſpiritalibus pedibus, ſi per viam veræ charitatis volumus currere, ad cæleſtem poſſumus patriam feliciter pertingere. Iſtis pedibus currebat Paulus Apoſtolus, quando dicebat: Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum. Qui ergo dilexerit inimicos ſuos, illud in eo impletur, quod dixit Dominus, videlicet: Vt ſitis filij patris veſtri, qui in cælis eſt. Elige modò, quod tibi placuerit. Si inimicos dilexeris, non ſolùm amicus, ſed etiam filius Dei eſſe mereberis. Si verò inimicos amare nolueris, propitium Deum habere non poteris, quia ſcriptum eſt: Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.

Matth. 5. Ibid. 1. Cor. 9. Matth. 5. 1. Ioan. 3.

Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

1. Ioan. 2. Et iterùm: Qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quoniam tenebræ obcæcauerũt oculos eius. Et iterũ alia scriptura est: Itinera eorũ qui iniuriam retinent, Dominus labefacit in mortem. Nunquid hæc verba mea sunt, fratres charissimi? De catholicis libris & sanctis libris proferuntur. Vt ergo ne homicidæ simus, ne in tenebris remaneamus, studeamus non solùm amicos, sed etiam inimicos diligere: vt pium & misericordem Dominum possimus secundùm cautionis suæ vinculum libera conscientia conuenire. Ipse enim dixit: Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cælestis peccata vestra. Si autem non dimiseritis, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. Diligenter attendite fratres, & scitote aliud esse in Deum peccare, aliud in hominem. Quãdo enim in nos peccant homines, si pœnitentibus veniã non indulgemus, peccatũ incurrim⁹. Quãdo aliquis in Deũ peccauerit, si sine grandi districtione indulgere voluerimus, participes nos peccatis eorum efficimur. Dicit ergo Dominus: Si dimiseritis hominibus peccata eorũ, dimittet & vobis pater vester cælestis peccata vestra. Rogo fratres, quid dulcius dici potest? In potestate nostra positum est, qualiter in die iudicij iudicemur. Non dixit, Vade in orientem, quære iustitiam: nauiga vsq; in occidentem, vt accipias indulgentiam. Dimitte inimico tuo, & dimittetur tibi: indulge, & indulgebitur tibi: da, & dabitur tibi. Nihil à te extra te quæritur. Ad teipsum & ad conscientiam tuã te Deus dirigit. In te enim posuit, quod requirit. Non itaque medicamenta vulneribus tuis lõgè habes inquirere. Peccatorum tuorum indulgentiam si vis, intùs in cellario cordis tui poteris inuenire. Sed dicit aliquis: Tanta mala me inimicus meus compulit sustinere, vt eum nulla ratione possim diligere. Attendis quid tibi fecerit homo, & non attendis, quid tu feceris Deo. Si conscientiam tuam diligenter discutis & inquiris, sine vlla compensatione maiora tu commisisti in Deum peccata, quàm in te commiserit homo. Et qua fronte vis vt tibi Deus dignetur dimittere multum, cùm tu nõ acquieseis dimittere parum? Sed si hæc, quæ suprà diximus, spiritalia medicamenta, sicut Deo propitiante consueuistis, libenter accipitis, & in armario sancto conscientiæ vestræ recondita diligentissimè custoditis, auxiliante Domino venena diaboli nõ timebitis, & per odium vel iracundiam aut nunquàm vobis amara vulnera ingerentur, aut si forte subrepserint, per charitatem citò ad pristinam salutem reuocantur, præstante Domino nostro IESV CHRISTO, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Matth. 6.

Plùs nos in proximi in nos.

DE MARTYRIBVS, CONCIO EXEGETICA Radulphi Ardentis in Lectionem Epistolæ loco.

IVSTORVM *animæ in manu Dei sunt, &c.* Infideles & falsi Christiani cùm vident in hac vita iustos deprimi, contumelias, iniurias & tribulatiões pati, & de hac vita per angustias & cruciatus egredi, putant vel Deum non esse, vel mortales non curare, & homines animam & corpore deperire. Nobis credentibus animas mori non posse, sed animas iustorum semper beatè viuere, & animas iniquorum semper pœnas luere, dicunt, Vbi sunt animæ iustorum? Cõtra hos igitur, fratres charissimi, loquitur hic sacra scriptura, demonstrans tria, Vbi scilicet animæ iustorum sint, & quòd illi mortui non sint, & ad quanta bona per tribulationes peruenerint. Primùm igitur ostendit, vbi animæ iustorũ sint, cùm dicit: *Iustorum animæ in manu Dei sunt.* Sed nónne omnia sunt in manu Dei? Sunt vtiq;, sed alio alioq; modo. Manus quippe Dei, dicitur vel potestas Dei, in qua sine exceptione sunt omnia, quia in manu eius sunt omnes fines terræ: vel pœna à Deo inflicta. Manus Domini, inquit Iob, tetigit me: vel protectio Dei. vnde prophetа, Manus, inquit, Domini erat mecum, confortans me. Sic ergo, fratres mei, iustorum animæ sunt in manu Dei, quoniam sunt in protectione Dei. Quod exponens, subdit: *Et non tanget illos tormentum mortis* æternæ, vel tormentum malitiæ, quod scilicet debetur malitiæ reproborum, in perpetuum puniendæ. Animæ igitur iustorum sunt proculdubiò in cælestibus æternæ beatitudinis mansionibus, quæ ab initio eis præparatæ sunt, dicente Domino: In domo patris mei mansiones multæ sunt: vbi vtique sunt in manu Dei omnia bona & iucunda eis largientis, & omnia mala & tristia ab eis auferentis, iuxta illud: Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum, & mors non erit ampliùs, neque luctus, neque clamor. Animæ verò reproborum proculdubiò in pœnis gehennæ perpetuò cruciantur, quam subtus terram credimus, dicente prophetа: Liberasti animam meam ex inferno inferiori: cuius in Siciliæ montibus, perpetuum ignem eructantibus † multi esse autumant, eò quòd animæ † *desp. de multæ quid.*

Sap. 3.

Deut. 32.

Psalm. 94.

Iob. 19.

Ezech. 1.

Iohel. 2.

Apoc. 21.

Psal. 85.

4. 4. dial. c. 30 multa reproborum à dæmonibus illic deferri visæ vel auditæ sint. Refert enim Gregorius, quòd quidam eremita, qui in Sicilia habitabat, viderit animam Theodorici tyranni & hæretici, qui Symmachum & Boëthium viros religiosos occiderat, in illam ollam Vulcani præcipitari. Animas verò peccatorum, qui tamen in confessione & pœnitentia, & proposito emendationis ab hac vita migrauerunt, legimus non in inferno, sed in pœnalibus locis secundùm Dei dispositionem purgari, quousque penitùs examinatæ, cælestes subeant mansiones. Vnde legimus in Dialogo, beatum Germanum Capuanum episcopum, Paschasij Romani diaconi animam in caloribus balneorum inueniisse, & eo orante veniam consecutam fuisse. Legimus ibidem quendam sacerdotem valdè religiosum, cùm quotidiè ad vicina balnea, antequàm Missas faceret, iret se lauatum, inuenisse ibi quempiam sub miserabili habitu, qui calceamenta detraxit & ei ministrauit. Cui cùm sequenti die panem deferret, respondet ei illic se defunctum esse, & ibi se pœnitentiam agere, nec pane materiali egere, sed potiùs sacrificijs & orationibus: Hæc quæso, inquit, fac pro me, & si rediens me non inueneris, scias pro certo me indulgentiam consecutum esse. Quod & factum est. Animæ verò reproborum, quæ in tormentis gehennalibus cruciantur, timent iudicij diem aduenire, eò quòd tunc resumptis corporibus, supplicia quoque sint eis duplicanda. Animæ verò electorum illum desiderant, eò quòd tunc sicut in anima, sic in corpore sint perfectiùs glorificandæ. Vnde Ioannes in Apocalypsi, Vidi, inquit, sub altare Dei, id est, in sancta secretaque quiete animas interfectorum propter verbum Dei, dicentes voce magna: Vsquequò Domine, sanctus & verus, non iudicas & non vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra? Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis, vt requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus fratrum suorum. Secundò demonstratur, quòd iusti etsi mori videantur, tamen æternaliter & beatè viuunt, cùm subditur: *Visi sunt oculis insipientium mori, & existimata est afflictio exitus illorum: illi autem sunt in pace.* Porrò insipientes habent oculos tantùm corporales, quos habent & bruta animalia: spirituales verò nõ habent oculos, quibus Deus & inuisibilia vidétur. Et ideò nulla alia esse æstimant, nisi quæ carnalibus oculis vident. Et ideò sola visibilia proni tanquàm pecudes petunt: inuisibilia verò non curant, quia nec esse suspicantur. *Et existimata est*, inquit, *afflictio exitus illorum, & quod à nobis est iter exterminij*: ac si aperttùs dicatur: Mortem iustorum, quæ est exitus ad requiem, & iter ab hoc seculo ad patriam, existimant tantùm esse afflictionem, id est, supplicium: & exterminium, id est, à vita alienationem. Pulchrè siquidem mortem sanctorum vocat exterminij exitum & iter, eò quòd tunc exeant & eant de carcere ad libertatem, de timore ad securitatem, de tenebris ad lucem, de tristitia ad iucunditatem, de exilio ad patriam, de miseria ad beatitudinem. *Illi*, inquit, *sunt in pace*: habentes videlicet pacem ab omnibus & cum omnibus: à dæmonibus, ab hominibus, à propria carne. Iam quippe decæterò non dæmones possunt eos infestare, qui longiùs relegati sunt: nec homines possunt eos infestare, qui ibi nisi quieti esse non possunt: nec caro rebellionem facere, quæ à voluntate spiritus non poterit dissonare. Pacem cum omnibus, cum Deo, cum proximis, cum semetipsis. Tanta quippe, fratres mei, in illa beata vita est conuenientia, quòd sancti nullatenùs à diuina voluntate, nec abinuicem poterunt dissonare. Tertiò verò octo bona ponuntur, quæ iusti per tribulationes huius mundi adipiscuntur. Primum est, immortalitas animæ & corporis, de qua subditur: *Etsi coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est.* Et spes quidem hypocritarum, qui propter vanam gloriam patiuntur, vacua est. Vnde Iob, Spes, inquit, hypocritæ peribit. Spes verò iustorum, qui propter Deum patiuntur, desiderij sui consequetur plenitudinem: quoniam absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum, & cæter. Secundum verò, est diuinorrm multiplicatio præmiorum, de qua subditur: *In paucis uexati, in multis benè disponentur.* Hoc est, quod ait Apostolus: Existimo quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Passiones enim præsentes paucæ, modicæ & momentaneæ sunt: præmia verò multa, ingentia & æterna erunt. Tertium est dignitas, de qua subditur: *Quoniam Deus tentauit*, id est, probauit *illos*, & *inuenit illos dignos se.* Quia nanque per multas tentationes à Deo separari non potuerunt, ideò digni sunt meritis, quatenùs ad tantam præmiorum dignitatem sublimentur, vt amici filijque Dei sint, & nuncupentur hæredes quidem Dei, cohæredes autem CHRISTI. Quartum verò bonum, quod sancti per tribulationes adipiscuntur, omnimoda est munditia, de qua subiungitur: *Tanquàm aurum in fornace probauit eos.* Aurũ per fornacem examinatum redditur & mundũ. Sic & sancti per tribulationes ab omni macula purificantur, & omninò fiunt mũdi & puri, quatenùs diuino sint cõspectu digni. Quintũ, est acceptabilitas, de qua subiungitur. *Et quasi holocausti hostiam accepit illos.* Vnum solum verum fuit holocaustum, id est, totum incensum & concre-

Octo bona per afflictiones obtinent iusti.

Iob 8.

Apoc. 21.

Rom. 8.

Rom. 8.

matum

Universidad de Deusto
Biblioteca

matum flamma charitatis in cruce, Dominus noster Iesus, in quo Deus pater odoratus est odorem suauitatis. Ad cuius fidem & exemplum sancti quoque se totos in sacrificium, ardore charitatis incensum, Deo obtulerunt: in quo quoque Deus odorem suauitatis odoratus est, & ei beneplacitum est. Sextum, est fulgor, de quo subditur: *Fulgebunt iusti.* Hoc est, quod Dominus in euangelio dicit: Fulgebunt iusti tanquàm sol in regno patris mei. Et si fulgebunt sicut sol singuli, quanto magis fulgebunt simul vniuersi? Septimum, est potestas iudicandi, de qua subditur: *Et tanquàm scintillæ in arundineto discurrent, iudicabunt nationes.* Hoc est, quod Dominus in Euangelio dicit: Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, iudicãtes duodecim tribus Israël. Porrò per arundines designatur congregatio reproborum, qui adinstar arundinis sunt leues, vacui & flammæ destinati. Per scintillas verò, sententiæ iudiciariæ significantur, quæ adinstar scintillarum sunt subtiles, lucidæ & succẽdentes. Sancti igitur tanquã scintillæ discurrent per iudiciariam sententiam reproborum, eos subtiliter discernendo, manifestè iudicando, eos pro materia cremandorum, magis minusq; æternis incendijs concremãdo. Octauum, est dominium siue regnum, de quo subditur: *Et dominabuntur populis.* Hoc est, quod Psalmista dicit: Et dominabuntur eorũ iusti in matutino: haud dubium, quin reproborum. *Et regnabit*, inquit, *Dominus illorum in perpetuum*, cum quo & ipsi regnabunt, Domino eis dicente: Venite benedicti patris mei, percipite regnũ quod vobis paratum est ab origine mundi, quibus nos adiungi faciat Deus & Dominus noster Iesus Christus, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus, Amen.

Matth. 13

Matth. 19

Luc. 22.

Psalm. 48

Matth. 25

DE MARTYRIBVS.
Luc. VI.

In illo tempore: Descendens Iesus de monte, stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis. Et reliqua. Homilia Haymonis.

NOn solùm per mysterium incarnationis de cælo in terram descendens Dominus Iesus Christus, humanæ infirmitati condescendere dignatus est, sed etiam in suis sanctis sermonibus ad humanam ignorantiam instruendã, ita doctrinã suam temperauit, vt non solũ perfecti, sed etiam minùs perfecti cibum vitæ inuenire possent. Denique vt suprà euangelista retulit, cùm ascendisset in montem, secuti sunt eum discipuli eius: vbi cùm perfectiora mandata quasi capere valentibus dedisset, nolens propter eos simpliciores turbas relinquere, iterùm descendens de monte, stetit in loco campestri. In quo suo facto, ostendit in prædicatione iuxta capacitatem auditorum, temperandum esse sermonem doctorum. Mons enim in hoc loco perfectiorem significat doctrinam: loca verò campestria, humiliorem prædicationem atque communem. Qui enim tales sunt, vt cum apostolis audire possint: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, sublimiùs instruendi sunt. Qui verò propter mentis infirmitatẽ, ad altiorem nõ possunt ascendere doctrinam, minimis præceptis sunt erudiendi: vt qui idonei nequaquàm existunt ad facienda bona, saltem non sint promptiores ad perpetranda mala. Quod alibi Dominus suo exemplo ostendit, quum cuidam quærenti, Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? quasi in conuallibus moranti respondit: Mandata nosti? Non occides, non mœchaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces rem proximi tui, honora patrem & matrẽ. Sed illo respondente, Hæc omnia custodiui à iuuentute mea: ostendit ei montem perfectioris doctrinæ, dicens: Adhuc vnum tibi deest: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me. Sed quia hunc montem difficilè, qui seculi diuitijs onerati sunt, ascẽdere possunt, subiunctum est ilicò: Ille autem abijt tristis, quia multas habebat possessiones.

Matth. 5.

Matth. 19.

Luc. 18.

Huius quoque exemplum Paulus Apostolus secutus, cum discipulis montem ascenderat, quibus dicebat: Sapientiam loquimur inter perfectos. Quasi cũ quibusdã in conuallibus morabatur, quando dicebat: Ego fratres non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Non enim omnes omnia capiunt, neque omnes æqualiter instruuntur. Aliter quippe admonendi sunt superbi, aliter humiles: aliter casti, aliter adulteri: aliter ebrioſi, aliter sobrij: aliter viri, aliter fœminæ: aliter coniugati, aliter virgines: aliter pij, aliter impij: aliter contemptores mundi, aliter amatores: aliter pacifici, aliter discordes: aliter sua dantes, aliter aliena rapientes: vt & isti audiant de promissione æternæ vitæ quod ament, & illi de supplicio æterno quod timeant. Sæpè etenim quod vni morbo prodest, alteri nocet: & venenum cùm sit mors hominis, vita est serpentis: & lenis sibilus equos mitigat, catulos instigat. Iuxta hoc ergo exemplum doctores suam prædicationem debent temperare, vt & perfecti inueniãt quod semper discant, & infirmi talia audiant, in quibus non refugiant. Quod suo nobis exemplo beatus patriarcha Iacob ostendit: qui cum oues auunculi sui Laban pasceret, & varia quæque pro

1. Cor. 3.

1. Cor. 3.

pro mercede recepturus esset, tulit virgas populeas & amygdalinas, quas ex parte decorticauit, & ex parte cũ corticibus reliquit: posuitque eas in canalibus tempore quo ducebantur ad aquandum oues, vt in earum aspectu conciperent varios fœtus. Iacob enim pastor ouium, pastores significat animarum, quorum primo dictum est: Si diligis me, pasce oues meas. Aqua autem scripturam sacram designat, iuxta illud Salomonis: Aqua profunda, verba ex ore viri, & torrens redundans fons sapientiæ. Virgæ autem variæ, sententiæ sunt scripturarum. Ducũtur ad aquandum oues, cùm ad audiendum verbum Dei conueniunt fideles. Cumq; ex eloquijs diuinis diuersæ sententiæ ad medium proferuntur, quasi virgæ in canalibus ponuntur. Quæ ex parte cum decorticandæ sunt, & ex parte cum corticibus relinquendæ: quia (vt diximus) perfectiores allegorico sensu instruendi, simplices verò & minùs intelligentes, iuxta veritatem historiæ sunt pascendi. Vnde & Dominus cùm discipulos in monte docuit, & turbas in conuallibus curare voluit, ostendit vt illi qui ex doctrina verborum credere non poterant, saltem ex virtutibus miraculorum crederent. Quod (vt diximus) suo Dominus exemplo declarauit, quãdo *descendens de monte, stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis ab omni tudæa & Hierusalem, & maritima Tyri & Sidonis, qui venerant ut audirent eum.* Maritima enim hic magni maris loca intelligere debemus, maximè cum de Tyro & Sidone, quę in corde maris sitæ sunt, adfuisse memorãtur. In quo loco cognoscimus, quia virtutes eius non solùm ad Iudæorum regnum, sed etiam ad vicinas & exteras regiones peruenerant, quando omnes concurrebant, nõ solùm vt audirent verbum Dei, sed vt *sanarentur à languoribus suis.* Vnde & subditur: *Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat oẽs.* Multi enim eũ tangere cupiebant, à quo omnis virtus procedit, & qui est Dei virtus, & Dei sapientia, & in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Et ideò quia de illo omnis virtus exibat, omnes volebant eum tangere. Nam & suprà tangendo leprosum curauerat, & nunc omnis turba quærebat eum tangere, vt intelligamus quia tactus eius sanitas est. Quod experta est illa mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, & cùm tetigisset fimbriam vestimẽti eius, statim sanata est ab infirmitate sua. Ad cuius tactum virtus de illo exibat intantùm, vt quasi nescius Dominus quæreret, Quis me tetigit? Et discipuli ad eum: Rabbi, turbæ te comprimunt & affligunt, & dicis, Quis me tetigit? Et ille: Tetigit me aliquis, nam & ego noui virtutem de me exisse. Spiritualiter verò Christum tangit, qui eum verum Deũ credit, & recta fide confitetur. At verò pagani, Iudæi & hæretici Christũ minimè tangunt, quia eum verum Deum credere contemnunt, & fide recta hunc confiteri nolunt. Vnde & Marię, quæ Dominum resurrexisse non credebat, sed eum mortuum inter mortuos quærebat, volenti illum tangere, dictum est: Noli me tangere. nõdùm enim ascendi ad patrem meum. Ac si ei diceretur: Quia manu fidei me tangere noluisti, manu corporis noli me tangere. Curatio verò dæmonum, non solùm per eius præsentiam fiebat, sed etiam inuocatione ipsius nominis in sui absentia, sicut discipuli quoque Domino gaudentes dicunt: Domine, in tuo nomine etiam dæmonia nobis subijciuntur. Sequitur: *Et ipse eleuatis oculis in discipulos, dicebat: Beati pauperes, quia uestrum est regnum Dei.* Etsi generaliter Dominus omnibus loquebatur, specialiter in discipulos oculos leuauit, quos maiori gratia digniores fecit. Eleuatio quippe oculorum Christi, amplioris misericordię munera significat. Et in discipulos oculos leuauit, quos specialiùs virtutibus ditauit, iuxta quod alibi legimus: Quia cùm dixisset ei quidam, Ecce mater tua & fratres tui foris stant, quærentes loqui tecum: ipse eleuatis oculis in discipulos suos, dicebat: Ecce mater mea, & fratres mei. Qui autem eleuatis oculis dicat, audiamus: *Beati pauperes, quia uestrum est regnum Dei.* Et quæ virtus talem inter reliquas beatitudines tenere debet principatum, nisi sponta nea paupertas? Ex ipsa enim cæteræ virtutes exordium quoddam & originem sumunt. Sicut denique ex vna radice arboris multi rami & folia prodeunt, sic ex spontanea paupertate multæ virtutes generantur. Qui enim spontaneam amat paupertatem, erit misericors per largitatem, non tenax per auaritiam. Erit consequenter & mitis, quia non diuitias quærit per iactantiam, qui paupertatem diligit cum humilitate. Erit etiam pacificus, quia non erit occasio rixandi, vbi non est voluntas acquirendi. Habebit etiam & cordis munditiam, quia sicut illi qui diuitias diligunt, turbulenti sunt animo: ita qui spontaneã paupertatem amant, soliciti sunt quæ Dei sunt, quomodò placeant Deo. Sed illud diligenter considerandum, quia illa paupertas laudabilis est, quæ aut habere non cupit, aut si fortè habet, propter Deum distribuendo relinquit. Vnde Matthæus euangelista vt hanc paupertatem ad beatitudinem pertinere ostenderet, cum additamento ait: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Alij enim sunt pauperes spiritu & rebus, alij nec rebus nec spiritu, alij rebus & non spiritu, alij spiritu & non rebus. Rebus sunt pauperes & non spiritu, qui nihil habentes, multa habere concupiscunt. Spiritu sunt pauperes, & non rebus, sicut illi qui secundùm Apostolum, tanquàm nihil habentes, & omnia possidentes sunt, quales fuerunt Abraham, Iabob: & Dauid, qui regali solio sublimatus erat, pauperem se ostendit spiritu, dicens: Ego autem mendicus sum & pauper. Et iterùm: Egens sum, & in laboribus à iuuentute mea.

Luc. 10.

Marc. 3.

Paupertas uoluntaria, uirtutum origo.

Psalm. 39.

Psalm. 87

Universidad de Deusto
Biblioteca

mea. Nec rebus nec spiritu sunt pauperes, diuites superbi, qui facultatibus locupletati, nihilominùs mente sunt turgidi: de quibus dicitur in
Psalm. 72. Psalmo: Ecce ipsi peccatores & abundantes in seculo, obtinuerunt diuitias. Rebus & spiritu sunt pauperes perfecti monachi, qui propter Deum omnia relinquentes, nec corporis proprij potestatem in suo arbitrio relinquunt: & ideò quanto hic propter Deum pauperiores,
Matth. 19 tanto in futura vita sunt ditiores, iuxta promissionem Domini, dicentis: Omnis qui reliquerit domum, agros, patrem & matrem, fratres & sorores, vxorem & filios propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. *Beati qui nũc esuritis, quia saturabimini.* Quid esurire vel sitire debeant, qui ad beatitudinem peruenire desiderant, alius euangelista manifestiùs declarat, di-
Matth. 5. cens: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Iustitiam quippe esurire & sitire, est præcepta Dei libenter audire, & libentiùs opere implere. Tales enim saturabuntur, quando ad videndum Deum, cuius hic mandata cum magna mentis esurie susceperunt, per-
Psal. 16. ducẽtur, dicentes cũ Psalmista: Ego aũt in iustitia apparebo conspectui tuo, satiabor dum manifestabitur gloria tua. Vnde Salomon ait: Di-
Sap. 1. ligite iustitiam, qui iudicatis terram. *Beati qui nũc fletis, quia ridebitis.* Beati dicuntur flentes, non illi qui flent propter temporalium damna commodorum, propter amissionem charorum, sed qui flent propter remissionem peccatorum, vel qui flent propter regni cælorum, qui veraciter
Psalm. 55. cum Psalmista dicere possunt: Deus vitam meã annunciaui tibi, posuisti lachrymas meas in cõ-
Psalm. 41. spectu tuo. Et iterùm: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidiè, vbi est Deus tuus? Tales enim ridebunt,
Ioan. 16. quando implebitur illud quod Dominus ait: Nunc quidem tristitiam habetis, iterùm autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Risum autem hic non pueriliter accipere debemus, sed mentis exultationem & gaudiũ. Vnde & Sara ex repro-
Gen. 21. missione prolis lætabunda, ait: Risum mihi fecit
Iob 8. Deus. De quo per beatum Iob dicitur: Et os veracium implebitur risu. De quo etiam risu in
Prou. 31. laudibus Ecclesiæ dicitur: Accinxit fortitudine lumbos suos, & ridebit in die nouissimo. Quia verò per humilitatis meritũ peruenitur ad martyrij præmium, rectè post alias beatitudines subinfertur: *Beati eritis cùm uos oderint homines, & cùm separauerint uos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen uestrum tanquàm malum propter filium hominis.* Vbi ostenditur quia persecutio prauorum non est timenda, sed potiùs cùm affuerit toleranda:
Iac. 1. quia sicut dixit Iacobus apostolus, Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Verùm subtiliùs discernendum est, quia non nos ad nostram persecutionem prauos homines commouere debemus, sed potiùs cum iustitia & rectitudine quantùm possumus cùm fuerint commoti, mitigare. Quòd si quiescere noluerint, magis persecutionem tolerãdam, q̃ iustitiã relinquẽdam. Quod
Matth. 5. alius euangelista manifestiùs declarat, dicens: Beati qui persecutionẽ patiũtur propter iustitiã, quoniam ipsorũ est regnũ cælorum. Sustinent enim multas tribulationes homicidæ, adulteri, fures, alienarum rerum inuasores: nec tamen talis persecutio beatitudinem parit: sed illa persecutio ad beatitudinem perducit, quæ propter iu-
1. Petr. 4. stitiam sustinetur. Vnde nos admonet B. Petrus, dicens: Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut adulter, aut rapax. Si autẽ vt Chri-
1. Petr. 4. stianus, non erubescat, sed glorificet Deum in isto nomine. Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Sed & si quid patimini propter iustitiam, beati. Vnde rectè saluator cõcludit, dicẽs: *Gaudete in illa die, & exultate. ecce enim merces uestra multa est in cælo.* Nõ enim dolendũ est in persecutionibus, sed potiùs gaudẽdum: quia quanto hic quisq; propter iustitiam durius affligitur, tanto dulciùs in cælo remunerabitur. Vn-
Iac. 1. de Iacobus admonet, dicens: Omne gaudium existimate fratres, cùm in tentationes varias inciderit is, scientes quòd probatio fidei vestræ multo preciosior est auro, quod per ignem probatur. Et alia scriptura: Vasa figuli probat for-
Eccles. 27 nax, & homines iustos tentatio tribulationis. Hinc & saluator cùm discipulos ad persecutionem tolerandam hortaretur, sui exemplum po-
Ioan. 15. suit, dicens: Si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. Et iterùm: Si de mũdo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mũdo, propterea odit vos mundus. Quapropter studeamus iuxta Domini præceptum vel exemplũ, seculi huius cunctas aduersitates æquanimiter ferre: scientes quia si electi sumus ab eo, non ad gaudia mundi, sed sicut ipse missus est à patre, quem pro humani generis redemptione incarnari constituit, ad passiones mittimur in mundum. Inter scandala igitur persecutorum, tolerantia sit passionum, terrena desideria quæ separant à Deo, fugientes, vt cælestia mereamur consequi præmia, Amen.

DE MARTYRIBVS.
Luc. XXI.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Cùm audieritis prælia & seditiones, nolite terreri. Oportet primùm hæc fieri, sed nondùm statim finis. Et reliqua. Homilia beati Gregorij Papæ.

QVIA

VIa longiùs ab vrbe digressi sumus, nec ad reuertendum nos tardior hora præpediat, necesse est vt expositionem sancti euangelij breuior sermo transcurrat. Dominus ac redẽptor noster perituri mundi præcurrẽtia mala denunciat, vt eò minùs perturbent venientia, quò fuerint præscita. Minùs enim iacula feriũt, quæ præuidẽtur. Et nos tolerabiliùs mala mũdi suscipimus, si contra hæc per præscientiæ clypeũ munimur. Ecce etenim dicit: *Cùm audieritis prælia & seditiones, nolite terreri. Oportet primùm hæc fieri, sed nondũ statim finis.* Pensanda sunt verba redẽptoris nostri, per quæ nos aliud interiùs, aliud exteriùs passuros esse denunciat. Bella quippe ad hostes pertinent, seditiones ad ciues. Vt ergo nos indicet interiùs exteriusq; turbari, aliud nos fatetur ab hostibus, aliud à fratribus perpeti. Sed his malis præuenientibus, quia non statim finis sequatur, adiungit: *Surget gens contra gentem, & regnũ aduersùs regnum, & terræmotus magni erunt per loca, & pestilentiæ & fames, terroresq; de cælo, & signa magna erunt.* Vel sicut in quibusdam codicibus inuenitur, terroresq; de cælo, & tempestates. Atq; pòst subditur: Et signa magna erũt. Vltima tribulatio multis tribulationib⁹ præuenitur, & per crebra mala quæ præueniunt, iudicatur mala perpetua quæ subsequuntur. Et ideò post bella & seditiones nõ statim finis: quia multa debent mala præcurrere, vt malum valeant sine fine nũciare. Sed cùm tot signa perturbationis dicta sint, oportet vt eorum considerationem breuiter per singula perstringamus: quia necesse est vt alia è cælo, alia è terra, alia ab elementis, alia ab hominibus patiamur. Ait enim: Surget gens contra gentẽ: ecce perturbatio hominum. Erunt terræmotus magni per loca: ecce respectus iræ desuper. Erunt pestilentiæ: ecce inæqualitas corporum. Erit fames: ecce sterilitas terræ. Terroresque de cælo & tẽpestates: ecce inæqualitas aëris. Quia ergo omnia consummãda sunt, ante consummationem omnia perturbantur, & qui in cunctis delinquimus, in cunctis ferimur, vt impleatur quod dicitur: Pugnabit pro eo orbis terrarũ contra insensatos. Omnia nanque quæ ad vsum vitæ accepimus, ad vsum conuertimus culpæ. Sed cuncta quæ ad vsum prauitatis infleximus, ad vsum nobis vertuntur vltionis. Tranquillitatem quippe humanæ pacis, ad vsum vertimus vanæ securitatis. Peregrinationem terræ pro habitatione dilexim⁹ patriæ: salutem corporum redegimus in vsum vitiorum. Vbertatis abundantiam, non ad necessitatem carnis, sed ad peruersitatem intorsimus voluptatis. Ipsa serena blandimenta aëris, ad amorem nobis seruire coẽgimus terrenæ delectationis. Iure igitur restat, vt simul nos omnia feriant, quæ simul omnia vitijs nostris malè subacta seruiebant: vt quot priùs in mundo incolumes habuimus gaudia, tot de ipso postmodùm cogamur sentire tormenta. Notandum verò quod dicitur, Terroresque de cælo & tempestates. Cùm tempestates hyemales venire ex ordine temporum soleant, cur hoc loco tempestates venire in perditionis signo prædicuntur, nisi quòd eas tempestates Dominus venire denuntiat, quæ nequaquã ordinem temporum seruant? Quæ enim ordinatè veniunt, signa non sunt. Sed tempestates in signum sunt, quæ ipsa quoque temporum statuta confundunt. Quod nos quoque nuper experti sumus, qui æstiuum tempus omne conuersum in pluuijs hyemalibus vidimus. Quia autem cũcta hæc non de iniustitia ferientis sunt, sed de merito mundi patientis, facta prauorum hominum prẽmittuntur, cùm dicitur: *Sed ante hæc omnia injicient uobis manus suas, & persequentur: & tradent uos in synagogis, ducentes ad reges & ad præsides, propter nomen meum.* Ac si apertè dicat: Priùs corda hominum, & pòst elementa turbantur: vt cùm rerum ordo confunditur, ex qua iam retributione veniat demonstretur. Nam quanuis finis mundi, ex ipso suo ordine pendeat, peruersiores tamen quosque inueniens, quia dignè ruinis illius opprimantur, innotescit. Et subditur: *Ducentes ad reges & præsides propter nomen meum. Cõtingent autem hæc uobis in testimonium.* In testimoniũ videlicet quorum, nisi eorum qui aut persequẽdo mortes inferunt, aut videndo non imitantur? Mors quippe iustorum, bonis in adiutorium est, malis in testimonium: vt inde peruersi sine excusatione pereant, vnde electi exemplum capiunt vt viuant. Sed auditis tot terroribus, turbari poterant infirmorum corda: atq; ideò consolatio adiungitur, cùm protinùs subinfertur: *Ponite ergo in cordibus uestris, non præmeditari quemadmodùm respondeatis. Ego enim dabo uobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij uestri.* Ac si apertè membris suis infirmãtibus dicat: Nolite terreri, nolite pertimescere: vos ad certamen acceditis, sed ego prælior. Vos verba editis, sed ego sum qui loquor. Sequitur: *Trademini autem à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis: & morte afficient ex uobis.* Minorem dolorem mala ingerunt, quę ab extraneis inferuntur. Plus verò in nobis ea tormenta sæuiunt, quæ ab illis patimur, de quorum mentibus præsumebamus: quia cum damno corporis, mala nos cruciant amissæ charitatis. Hinc est enim, q̃ de Iuda traditore suo per Psalmistã Dominus dicit: Et quidẽ si inimicus meus maledixisset mihi, supportassem vtique. Et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu. Et rursùm: Homo pacis meæ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

meæ,in quo sperauí,qui edebat panes meos,am pliauit aduersùm me supplantationem. Ac si de traditore suo apertis vocibus dicat: Transgressionem eius tanto grauiùs pertuli,quanto hanc ab eo qui meus esse videbatur,sensi. Omnes ergo electi,quia summi capitis membra sunt, caput quoque suum in passionibus sequuntur, vt ipsos quoque aduersarios in sua morte sentiãt, de quorum vita præsumebant:& tanto eius crescat merces operis, quanto eis virtutis lucrum proficit ex alienæ damno charitatis. Sed quia dura sunt,quæ prædicuntur de afflictione mortis,protinùs consolatio subditur de gaudio resurrectionis, cùm dicitur:*Capillus de capite uestro non peribit.* Scimus fratres,quia caro incisa dolet, capillus incisus nõ dolet. Ait ergo martyribus suis:Capillus de capite vestro nõ peribit:videlicet apertè dicens:Cur timetis ne pereat quod incisum dolet, quando & illud in vobis perire non potest,quod incisum non dolet. Sequitur:

Animæ possessio cur patientiæ tribuatur.

In patientia uestra possidebitis animas uestras. Idcircò possessio animæ in virtute patientiæ ponitur, quia radix omnium custosque virtutum,patientia est. Per patientiam verò possidemus animas nostras: quia dum nobismetipsis dominari discimus, hoc ipsum incipimus possidere quod sumus. Patientia verò est, aliena mala æquanimiter perpeti, contra eum quoque qui mala irrogat,nullo dolore morderi. Nam qui sic proximi mala portat,vt tamen tacitus doleat, & tempus dignæ retributionis quærat,patientiam non exhibet,sed ostendit. Scriptum quippe est:Chari-

Patientia quid sit.

1. Cor. 11. tas patiens est,benigna est. Patiẽs nanque est, vt alíena mala toleret. Benigna verò est, vt ipsos etiam quos portat,amet. Hinc nanque per se-

Matth. 5. metipsam veritas dicit: Diligite inimicos vestros,benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Virtus itaque est coram hominibus, aduersarios tolerare:sed coram Deo,diligere:quia hoc solum Deus sacrificium accipit,quod ante oculos eius in altari boni operis flamma charitatis incendit. Sciendum verò,quòd plerunque ideò patientes videmur, quia retribuere mala non possumus. Sed qui idcircò malum non retribuit,quia nequaquàm valet,proculdubiò(vt diximus)patiens non est: quia patientia non in ostensione inquiritur,sed in corde. Per impatientiæ autem vitium, ipsa virtutum nutrix doctri-

Prou. 19. na dissipatur. Scriptum nanque est:Doctrina viri per patientiam noscitur. Tanto ergo quisque minùs ostenditur doctus, quanto conuincitur minùs patiens. Neq; enim potest veraciter bona docendo impendere, si viuendo nesciat æquanimiter aliena mala tolerare. Quanto enim culmine virtus patientiæ polleat, rursùm Salo-

Prou. 16. mon indicat,dicens:Melior est patiens viro forti:& qui dominatur animo suo expugnatore vrbium. Minor est ergo victoria vrbes expugnare,quia extrà sunt,quæ vincuntur. Maius autem est,quod per patientiam vincitur, quia ipse à se animus superatur: & semetipsum sibimetipsi subijcit,quando eum patientia in humilitatis tolerantia sternit. Sciendum verò est,quòd plerúque euenire patientibus solet,vt eo quidem tẽpore,quo aduersa patiuntur, vel contumelias audiunt,nullo dolore pulsentur,& sic patientiã exhibeant, vt custodire etiam cordis innocentiam curent. Sed cùm post paululum hæc ipsa quæ pertulerint,ad memoriam reuocant, igne vehementissimi doloris instigantur, argumenta vltionis inquirunt,& mansuetudinem quam tolerantes habuerunt, in retractatione sua semetipsos dijudicantes perdunt. Callidus nanq; aduersarius bellum contra duos mouet, vnum videlicet inflammans,vt contumelias prior inferat:alterum verò prouocans,vt contumelias lætus reddat. Sed quia iam eius victor extitit, quẽ ad proferendas contumelias commouit,contra eum acriùs dolet, quem ad reddendas iniurias commouere non potuit. Vnde fit, vt tota se virtute contra eum erigat, quem contumelias fortiter pertulisse considerat. Quem quia commouere in ipsa iniuriarum iaculatione non potuit,ab aperto certamine interim recedens, in secreta cogitatione deceptionis tempus inquirit:& qui in publico bello perdidit,ad exhibendas occultè insidias exardescit. Quietis nanque iam tempore ad victoris animum redit, & vel damna rerum,vel iniuriarum iacula ad memoriam reducit:cuncta quoq; quæ sibi illata sunt, vehementer exaggerans,fuisse intolerabilia ostendit,& quiescentis animum tanto furore conturbat,vt plerunq; vir patiẽs illa se æquanimiter tolerasse etiam post victoriam captiuus erubescat,seque non reddidisse contumelias doleat, & deteriora rependere, si occasio præbeatur, quærat. Quibus ergo isti sunt similes,nisi his qui per fortitudinem in campo victores sunt, sed per negligentiam postmodùm intra vrbis claustra capiuntur? Quibus isti sunt similes,nisi his quos irruens grauis languor à vita non subtrahit, sed leniter veniens recidua febris occidit? Ille ergo veraciter patientiam seruat, qui & ad tempus aliena mala sine dolore tolerat,& hęc eadem retractans,pertulisse se talia exultat: ne bonum patientiæ quietis tempore pereat,quod in perturbationibus custoditur. Sed quia natalẽ martyris hodierna die colimus,fratres mei,nequaquàm vos à virtute eius patientiæ existimare extraneos debemus. Si enim adiuuante nos Domino virtutem patientiæ seruare conté dimus,& in pace Ecclesiæ viuimus, & tamen martyrij palmam tenemus. Duo quippe sunt martyrij genera,vnum in mente,aliud in mente simul & actione. Itaque esse martyres possumus, etiamsi nullo ferro percutientium trucidemur. Mori quippe à persequente,martyrium in aperto opere est:ferre verò contumelias, odientem diligere,martyrium est in occulta cogitatione.

Nam

Nam quia duo sint martyrij genera,vnum in occulto opere, aliud in publico, testatur veritas,

Matth. 20 quæ Zebedæi filios requirit, dicens:Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Cui cùm protinùs respondissent,Possumus:ilicò Dominus respondit,dicens: Calicem quidem meũ

Matth. 26 bibetis. Quid enim per calicem, nisi dolorem passionis accipimus? De quo alio loco dicit:Pater,si fieri potest,transeat à me calix iste. Et Zebedæi filij,id est,Iacobus & Ioannes,non vterq; per martyrium occubuit, & tamen quòd vterq; calicem biberet, audiuit. Ioannes nanque nequaquàm per martyrium vitam finiuit: sed tamen martyr extitit, quia passionem quam non suscepit in corpore,seruauit in mente. Et nos ergo hoc exemplo sine ferro martyres esse possumus, si patientiam veraciter in animo custodimus. Non abs re arbitror,fratres charissimi,si vnum vobis exemplum seruandæ patientiæ ad ædificationem loquar. Fuit quidam diebus nostris Stephanus nomine, pater monasterij iuxta Reatinæ vrbis mœnia constituti, vir valdè sanctus,patientiæ virtute singularis. Et supersunt multi,qui illum nouerunt,eiusque vel vitam vel obitum narrant. Erat autem huius lingua rustica,sed docta vita. Hic pro amore cælestis patriæ cuncta despexerat,possidere aliquid in hoc mũdo fugiebat. Tumultus deuitabat hominum, crebris ac prolixioribus orationibus intentus erat. Virtus tamen patientiæ in eo vehementer excreuerat,ita vt eum sibi amicum crederet,qui sibi molestiæ aliquid irrogasset. Reddebat contumelijs gratias. Si quod in ipsa sua inopia ei damnum fuisset illatum,hoc maximum lucrum putabat. Omnes suos aduersarios nihil aliud, quàm adiutores æstimabat. Hunc cùm dies mortis eius egredi de corpore vrgeret,conuenerunt multi,vt tam sanctæ animæ de hoc mundo recedenti,suas animas commendarent. Cunque circa lectum illius hi qui conuenerant,omnes assisterent,alij corporeis oculis ingredientes angelos viderunt,sed dicere aliquid nullo modo potuerunt. Alij omninò nihil viderunt,sed omnes qui aderant, ita vehementissimus timor perculit, vt nullus egrediente illa sancta anima, illic stare potuisset. Et hi ergo qui viderant, & hi qui omninò nihil viderant, vno omnes timore perculsi & territi fugerunt, nullusque illic assistere illo moriente potuit. Pensate ergo fratres,omnipotens Deus qualiter terreat,quando districtus iudex venturus est,si sic assistentes terruit,quando gratus remunerans venit. Aut qualiter timeri potest cùm videri poterit, si sic mentes præsentium strauit, & quando videri non potuit? Ecce fratres charissimi, seruata illa & in ecclesiastica pace patientia, ad quantum hunc retributionis culmen euexit. Quid huic suus conditor intus dedit, de quo nobis tantam gloriam in die exitus eius & foris innotuit? Quibus hunc credamus,nisi sanctis martyribus

Exemplũ Patientiæ.

sociatum,quem attestantibus corporeis quoq; oculis,à beatis spiritibus constat esse susceptũ? Nullo iste gladio percussus occubuit, & tamen coronam patientiæ quam in mente tenuit, in egressione percepit. Probamus quotidiè verum esse,quòd ante nos dictum est,quia sancta Ecclesia electorum floribus plena, habet in pace lilia,in bello rosas. Sciendum prætereà est, quòd tribus modis virtus patientiæ exerceri solet. Alia nanque sunt quæ à Deo,alia quæ ab antiquo aduersario, alia quæ à proximo sustinemus. A proximo nanque persecutiones, damna & contumelias:ab antiquo aduersario, tentamenta:à Deo autem flagella toleramus. Sed in omnibus his tribus modis vigilanti oculo semetipsam debet mens circunspicere, ne contra mala proximi pertrahatur ad retributionẽ mali, ne contra tentamenta aduersarij seducatur ad delectationem vel consensum delicti,ne contra flagella opificis,ad excessum proruat murmurationis. Perfectè enim aduersarius vincitur,quando mens nostra & inter tentamenta eius ad delectationem atque consensum non trahitur,& inter contumelias proximi custoditur ab odio,& inter flagella Dei compescitur à murmuratione. Nec hæc agentes,retribui nobis præsentia bona requiramus. Nam pro labore patientiæ, bona speranda sunt sequentis vitæ: vt tunc præmium nostri laboris incipiat, quando omnis iam labor funditùs cessat. Vnde & per Psalmistam dicitur:Non in finem obliuio erit pauperis,patiẽtia pauperum non peribit in finem. Quasi enim perisse patientia pauperum cernitur, cùm nil pro illa in hac vita humilibus recompensatur. Sed patientia pauperum in finem non peribit: quia tunc eius gloria percipitur,cũ simul omnia laboriosa terminãtur. Seruate ergo fratres in mẽte patientiam, eamque cùm res exigit,exercete in operatione. Nullum vestrum ad odium proximi contumelioſa verba commoueant, nulla perituraruṁ rerum damna perturbent. Si enim fixa mente mansura damna pertimescitis,damna rerum transeuntium grauia non putatis. Si æternæ retributionis gloriam concupiscitis, de temporali iniuria non doletis. Tolerate ergo aduersarios vestros,sed vt fratres diligite quos toleratis. Aeterna præmia pro damnis temporalibus quærite. Nec quisquam vestrum suis se viribus hanc implere posse confidat, sed obtinete precibus,vt ipse hanc qui imperat,præstet. Et scimus quia petentes libenter exaudit, quando hoc petitur largiri quod iubet. Cùm continuò pulsatur in prece,concitè opitulatur in tentatione IESVS CHRISTVS Dominus noster, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus in secula seculorum, AMEN.

Ecclesiæ rosæ & lilia.

Quid agẽdum in iniurijs,

In tentationibus,

In flagellis

Psalm. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE MARTYRIBVS.

Matth. V.

In illo tempore: Videns Iesus turbas, ascendit in montem. & cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius: & aperiens os suum, docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu. Et reliqua. Homilia beati Augustini episcopi.

Libro. 1. De Serm. Domini in monte, in ipso initio

SERMONEM quem locutus est Dominus noster IESVS CHRIstus in monte, sicut in Euangelio secundùm Matthæum legimus, si quis piè sobrieque considerare valuerit, puto quod inueniat in eo, quod ad mores optimos pertinet, perfectum vitæ Christianæ modum. Quod polliceri non temerè audemus, sed ex ipsis eiusdem Domini verbis conijcientes. Nam sic ipse sermo concluditur, vt appareat in eo præcepta esse omnia, quę ad informandam vitam pertinent. Sic enim di-

Matth. 7. cit: Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabo eum viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram. Descendit pluuia, venerunt flumina, flauerunt venti, & offẽderunt domum illam, & non cecidit. Fundata enim erat supra petram. Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similabo eum viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenã. Descendit pluuia, venerunt flumina, flauerunt venti, & offenderunt domum illam, & cecidit: & facta est eius ruina magna. Cùm ergo non dicit: Qui audit verba mea tantùm, sed addidit, dicens: Qui audit verba mea hæc, satis (vt arbitror) significauit, hæc verba quæ in monte locutus est, tam perfectè instruere vitam eorum, qui voluerint secundùm ea viuere, vt meritò comparentur ædificanti super petram. Super petram autem dixit, vt appareat istum sermonem omnibus præceptis, quibus Christiana vita informatur, esse perfectum. Nam de hoc capitulo diligẽtiùs suo loco tractabitur. Huius igitur sermonis initium sic assumitur. *Cùm vidisset Iesus turbas multas, ascendit in montem. Et cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius. Et aperiens os suum, docebat eos.* Si quæ-

Maiora et minora præcepta.

ritur quid significet mons, benè intelligitur significare maiora præcepta iustitiæ, quia minora erant, quæ Iudæis data sunt. Vnus tamen Deus per sanctos prophetas & famulos suos, secundũ ordinatissimam distributionem temporum, dedit minora præcepta populo, quem adhuc timore alligari oportebat: & per filium suum maiora populo, quem charitate iam liberari conuenerat. Cùm autem minora minoribus, maiora maioribus dantur, ab eo dantur, qui solus nouit congruentem suis temporibus generi humano exhibere medicinam. Nec mirum est, quòd dantur præcepta maiora propter regnum cælorum, & minora data sunt propter regnum terrenum, ab eodem vno Deo, qui fecit cælum & terram. De hac ergo iustitia quæ maior est, dicitur per prophetam: Iustitia tua sicut montes Dei. Et Psalm. 35. hoc benè significat, quòd ab vno magistro, solo docendis tantis rebus idoneo, docetur in monte. Sedens autem docet, quod pertinet ad dignitatem magistri. Et accedunt ad eum discipuli eius, vt audiendis illius verbis hi essent etiam corpore viciniores, qui præceptis adimplendis etiam animo appropinquabant. Et aperiens os suũ, docebat eos. Ista circũlocutio, qua scribitur: Et aperiens os suum, forta sis ipsa mora commendat aliquanto longiorem futurum esse sermonem: nisi fortè non vacet, quòd nunc eum dictum est aperuisse os suum, quòd ipse in lege veteri aperire soleret ora prophetarum. Quid ergo dicit? *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Legimus scri- Eccles. 6. ptum de appetitione rerum temporalium: Omnia vanitas, & præsumptio spiritus. Præsumptio autem spiritus, audaciam & superbiam significat. Vulgo etiam magnos spiritus superbi habere dicuntur: & rectè, quandoquidem spiritus etiam ventus vocatur. Vnde scriptum Psal. 148. est: Ignis, grando, nix, glacies, & spiritus tempestatis. Quis verò nesciat superbos inflatos dici, tanquàm vento distentos? Vnde est etiam illud 1. Cor. 8. Apostoli: Scientia inflat, charitas ædificat. Quapropter rectè hic intelliguntur pauperes spiritu, humiles & timentes Deum, id est, nõ habentes inflantem spiritum. Nec aliundè omninò incipere oportuit beatitudinem, si quidem peruentura est ad summam sapientiam. Initium autem sapientiæ timor Domini: Quoniam & econtrariò, initium omnis peccati superbia scribitur. Superbi ergo appetant & diligant regna terrarum: Beati autem pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. *Beati mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram.* Illam credo terram, de qua in Psalmis dicitur: Spes mea tu es, portio mea in terra viuentium. Significat enim quandam soliditatem & stabilitatem hæreditatis perpetuæ, vbi anima per bonum affectum tanquàm in loco suo requiescit, sicut corpus in terra: & inde cibo suo alitur, sicut corpus ex terra. Ipsa est requies & vita sanctorum. Mites autem sunt, qui cedunt improbitatibus, & non resistunt malo, sed vincunt in bono malum. Rixentur ergo immites, & dimicent pro terrenis & temporalibus rebus: beati autem mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram, de qua pelli non possunt. *Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur.* Luctus est tristitia de amissione charorum: conuersi autem ad Deum, ea quæ in hoc mundo chara amplectebantur, amittunt. Non enim gaudent his rebus, quibus antè gaudebant, & donec fiat in illis amor æternorum, nonnulla mœstitia sauciantur. Consolabũtur ergo spiritu sancto, qui maximè propterea paracletus nominatur, id est, consolator, vt temporalia amittentes, æterna lætitia perfruantur. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Iam istos amatores dicit veri & inconcussi boni. Illo ergo cibo saturabuntur, de quo ipse Dominus dicit: Meus cibus est, vt faciam voluntatem patris mei, quod est iustitia. Et illa aqua, de qua quisquis biberit, vt idé dicit, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. *Beati misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus.* Beatos esse dicit, qui subueniunt miseris, quoniam eis ita rependitur, vt à miseria liberentur. *Beati mũdicordes, quoniam ipsi Deum videbunt.* Quàm ergo stulti sunt, qui Deum istis exterioribus oculis quærunt, quum corde videatur, sicut alibi scriptum est: Et in simplicitate cordis quærite illum. Hoc est enim mundum cor, quod est simplex cor: & quemadmodùm lumen hoc videri non potest, nisi oculis mundis: ita nec Deus videtur, nisi mundum illud sit, quo videri potest.

Beati pacifici, quoniam filij Dei uocabuntur In pace perfectio est, vbi nihil repugnat. Et ideò filij Dei pacifici, quoniam nihil in his resistit Deo, & vtiq; filij similitudinem patris habere debent. Pacifici autem in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes & subijcientes rationi, id est, menti & spiritui, carnales q; concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei: in quo ita ordinata sunt omnia, vt id quod est in homine præcipuum & excellens, hoc imperet cæteris non reluctantibus, quæ sunt nobis bestijs q; communia. Atq; idipsum quod excellit in homine, id est, mens & ratio subijciatur potiori, quod est ipsa veritas, vnigenitus filius Dei. Neq; enim imperare inferioribus potest, nisi superiori se ipse subijciat. Et hæc est pax, quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis: hæc vita consummati perfectiq; sapientis. De huiusmodi regno pacatissimo & ornatissimo missus est foras princeps huius seculi, qui peruersis inordinatisque dominatur. Hac pace intrinsecùs constituta atque firmata, quascunque persecutiones ille qui foras missus est, forinsecùs concitauerit, auget gloriam quæ secundùm Deum est: non aliquid in illo ædificio labefactãs, sed deficientibus machinis suis, innotescere faciens, quanta firmitas intùs extructa sit. Ideò sequitur: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Sunt autem omnes istæ octo sententiæ. Iam enim cæteros compellans, loquitur ad illos qui aderant, dicens: Beati eritis, cùm vos maledicent, & persequentur vos. Superiores autem sententias generaliter digesserat. Non enim dixit: Beati pauperes spiritu, quoniam vestrum est regnum cælorum: sed, quoniam ipsorum est, inquit, regnum cælorum. Neque beati mites, quoniam vos possidebitis terram: sed, quoniam ipsi possidebunt terram. Et ita cæteras vsq; ad octauam sententiam, vbi ait: Beati qui persecutionem patiũtur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Inde iam incipit ioqui præsentes compellans, cùm & illa, quæ suprà dicta sunt, ad eos etiam pertinerent, qui præsentes audiebant, & hæc posteà quæ videntur præsentibus specialiter dici, pertineant etiam ad illos, qui absentes vel pòst futuri erãt. Quapropter iste sententiarum numerus diligenter considerandus est. Incipit enim beatitudo ab humilitate. Beati pauperes spiritu, id est, non inflati: dum se diuinæ authoritati subdit anima, timens post hanc vitam ne pergat ad pœnas, et iam si fortè in hac vita sibi beata esse videatur. Inde venit ad diuinarum scripturarum cognitionem, vbi oportet eam se mitem præbere pietate, ne id quod imperitis videtur absurdum, vituperare audeat, & peruicacibus concertationibus efficiatur indocilis. Inde iam incipit scire, quibus nodis seculi huius per carnalem consuetudinem ac peccata teneatur. Itaq; in hoc tertio gradu, in quo scientia est, lugetur amissio summi boni, quia inhæretur extremis. In quarto autem gradu labor est, vbi vehementer incumbitur, vt sese animus auellat ab eis, quibus pestifera dulcedine innexus est. Hic ergo esuritur & sititur iustitia, & multum necessaria est fortitudo: quia non relinquitur sine dolore, quod cum delectatione retinetur. Quinto autem gradu, perseuerantibus in labore, datur euadendi consilium: quia nisi quisq; adiuuetur à superiore, nullo modo sibi est idoneus, vt sese tantis miseriarum implicamentis expediat. Est autem iustum consilium, vt qui se à potentiore adiuuari vult, adiuuet & infirmiorem, in quo est ipse potentior. Ideoq; beati misericordes, quoniam ipsorũ miserebitur Deus. Sexto gradu est cordis munditia, de bona conscientia bonorum operum, valens ad contemplandum illud summum bonum, quod solo puro & sereno intellectu cerni potest. Postremò est septima ipsa sapientia, id est, contemplatio veritatis, pacificans totum hominem, & suscipiens similitudinem Dei, quæ ita concluditur: Beati pacifici, quoniam ipsi filij Dei vocabuntur. Octaua tanquam ad caput redit, quia cosummatum perfectumq; ostendit & probat. Itaq; in prima & in octaua nominatũ est regnum cælorum. Beati pauperes spũ, quoniam ipsorum est regnum cælorũ. Et, Beati qui persecutionẽ patiuntur propter iustitiã, quoniã ipsorũ est regnũ cælorũ, cùm iam dicitur: Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculũ? an gladius? Septem sunt ergo quæ persiciũt: nam octaua clarificat, & quod perfectũ est, demonstrat: vt per hos gradus perficiãtur & cæ-

Humilitas, beatitudinum initium.

Consilium euadendi peccati nexus.

Rom. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

teri, tanquàm à capite rursùs exordiens. Videtur ergo mihi etiam septiformis operatio spiritus sancti, de qua Esaias loquitur, his gradibus sententijsq; congruere: sed interest ordinis. Nā ibi enumeratio ab excellentioribus cœpit, hic verò ab inferioribus. Ibi nanq; incipit à sapientia Dei, & desinit ad timorem Dei, sed initium sapientiæ timor Domini est. Quapropter si gradatim tanquam ascendentes numeremus, primus ibi est timor Dei, secunda pietas, tertia scientia, quarta fortitudo, quintum consilium, sextus intellectus, septima sapientia. Timor Dei congruit humilibus, de quibus hic dicitur: Beati pauperes spiritu, id est, non inflati, non superbi, de quibus Apostolus dicit: Noli altum sapere, sed time, id est, noli extolli. Pietas congruit mitibus. Qui enim piè quærit, honorat sanctam scripturam, & non reprehendit quod nondum intelligit: & propterea non resistit, quod est mitè esse. Vnde hic dicitur: Beati mites, quoniā ipsi hæreditate possidebunt terram. Scientia congruit lugentibus, qui iam cognouerunt in scripturis, quibus malis vincti teneantur, quæ tanquam bona & vtilia ignorantes appetierunt, de quibus hic dicitur: Beati qui lugent nunc. Fortitudo congruit esurientibus & sitientibus. Laborant enim desiderantes gaudium de veris bonis, & amorem à terrenis & corporalibus auertere cupiētes: de quibus hic dicitur: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Consilium congruit misericordibus. Hoc enim vnum remedium est de tantis malis euadendi, vt dimittamus sicut nobis dimitti volumus, & adiuuemus in quo possumus alios, sicut & nos in quo non possumus, cupimus adiuuari. De quibus hic dicitur: Beati misericordes. Intellectus congruit mundis corde, tanquam purgato oculo, quo cerni possit, quod corporeus oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: de quibus hic dicitur: Beati mundicordes. Sapientia congruit pacificis, in quibus iam ordinata sunt omnia, nullusq; motus aduersùs rationem rebellis est, sed cuncta obtemperant spiritui hominis, cùm & ipse obtemperet Deo, de quibus hic dicitur: Beati pacifici. Vnum autem præmium, quod est regnum cælorum, pro his gradibus variè nominatum est. In primo, sicut oportebat, positum est regnum cælorum, quod est perfectæ summæq; sapientiæ animæ rationalis. Sic itaq; dictum est: Beati pauperes spiritu, quoniā ipsorum est regnum cælorum: tanquam dicere tur, Initium sapientiæ timor Domini. Mitibus hæreditas data est, tanquam testamentum patris cum pietate quærentibus. Beati mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram. Lugentib. consolatio, tanquàm scientibus quid amiserint, & quibus mersi sint. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Esurientibus & sitientibus saturitas, tanquàm refectio laborantibus fortiterq; certantibus ad salùtem. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Misericordibus misericordia, tanquàm vero & optimo consilio vtentibus, vt eis hoc exhibeatur à potentiore, quod inualidioribus ipsi exhibent. Beati misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus. Mundis corde facultas est videndi Deum, tanquam purum oculum ad æterna intelligenda gerentibus. Beati mundicordes, quoniam ipsi Deum videbunt. Pacificis Dei similitudo est, tanquam perfectè sapientibus, formatisq; ad imaginem Dei per regenerationem renouati hominis. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Et ista quidem in hac vita compleri possunt, sicut impleta esse in apostolis credimus. Nam illa omnimoda, & in angelicam formam mutatio, quæ post hanc vitam promittitur, nullis verbis exponi potest. Beati ergo qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Hæc octaua sententia, quæ ad caput redit, perfectumq; hominē declarat, significatur fortasse & circuncisione octaua die in veteri testamento, & Domini resurrectione post sabbatum, qui est vtiq; octauus, idemque primus dies, & celebratione octauarum feriarum, quas in generatione noui hominis celebramus, & numero ipso pentecostes. Nam septenario numero septies multiplicato, quo fiunt quadragintanouem, quasi octauus additur, vt quinquaginta compleantur: & tanquam redeatur ad caput, quo die missus est spiritus sanctus, eo in regnum cælorum ducimur, & hæreditatem accipimus, & consolamur, & pascimur, & misericordiam consequimur, & mundamur, & pacificamur, atque ita perfecti omnes extrinsecùs illatas molestias pro veritate & iustitia sustinemus. *Beati critis, inquit, quum uobis maledicent, & uos persequentur, & dicent omne malum aduersum uos mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces uestra multa est in cælis.* Animaduertat quisquis delicias huius seculi, & facultates rerum temporalium quærit in nomine Christiano, intrinsecùs esse beatitudinem nostram, sicut de anima ecclesiastica ore prophetico dicitur: Omnis gloria eius filiæ regis abintùs. Nam extrinsecùs maledicta & persecutiones detractionesq; promittuntur, de quibus tamen magna merces est in cælis, quæ sentitur in corde patientium, eorum qui iam possunt dicere: Gloriamur in tribulationibus, scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem: spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum qui datus est nobis. Non enim ista perpeti fructuosum est, sed ista pro Christi nomine non solùm æquo animo, sed etiam cum exultatione tolerare. Nam multi hæretici in nomine Christiano animas decipientes, multa talia patiuntur. Sed ideò excluduntur ab ista mercede, quia non

Esai. 11.

Psal. 110. 7. Dona spiritus sancti, ut congruāt beatitudinibus.

Rom. 11

Matth. 6.

1. Corin. 2.

Vide August. lib. 1. Retract. cap. 19.

Psalm. 110

non dictum est tantùm, Beati qui persecutionē patiuntur: sed additum est, Propter iustitiam. Vbi autem sana fides non est, non potest esse iustitia, quia iustus ex fide viuit. Neque schismatici aliquid sibi ex ista mercede promittant, quia similiter vbi charitas non est, non potest esse iustitia. Dilectio enim proximi, malum non operatur. Quam si haberent, non dilaniarēt corpus Christi, quod est Ecclesia. Quæri aút potest, quid interfit q̄d ait, Cùm vobis maledicēt, & dicent omne malum aduersùm vos: cùm maledicere, hoc sit malū dicere. Sed aliter maledictū iactatur cū contumelia corā illo, cui maledicitur, sicut Domino nostro dictū é: Nónne verum dicimus, quia Samaritanus es, & dæmonium habes? Aliter cùm absentis fama læditur, sicut de illo item scribitur: Alij dicebant, quia propheta est: alij dicebant, Non, sed seducit populum. Persequi autem, est vim inferre, vel insidijs appetere, quod fecit qui eum tradidit, & qui eum crucifixerunt. Quid est sanè, quòd hoc etiam non est nudè positum, vt diceretur, Et dicent omne malum aduersum vos: sed additum est, Mentientes: additum est etiam, Propter me? Propter eos additum puto, qui volunt de persecutionibus & de famæ suæ turpitudine gloriari: & ideò dicere ad se pertinere Christum, quòd multa de illis dicantur mala: cùm & vera dicantur, quando & de illorum errore dicuntur: etsi aliquando etiam nonnulla falsa iactantur, quod temeritate hominum plerunq; accidit, non tamen propter Christum ista patiuntur. Non enim Christum sequitur, qui non secundùm veram fidem & catholicam disciplinam Christianus vocatur. *Gaudete, inquit, & exultate, quoniam merces uestra multa est in cælis.* Non hic cælos dici puto superiores partes huius visibilis mundi: Non enim merces nostra, quæ inconcussa & æterna esse debet, in rebus volubilibus & temporalibus collocanda est: sed in cælis dictum puto, in spiritualibus firmamentis, vbi habitat sempiterna iustitia: in quorum comparatione terra dicitur anima iniqua, cui peccanti dictum est: Terra es, & in terram ibis. De his cælis dicit Apostolus: Quoniam conuersatio nostra in cælis est. Sentiunt ergo iam istam mercedem, qui gaudent spiritalibus bonis: sed tunc ex parte perficietur, cùm etiam mortale hoc induerit immortalitatem.

Zelat. 2. Item schism. matici. Romā. 13.

Vide sup. cap. 10.

Luc. 8.

Luc. 7.

Rom. 5

Hæretici frustrāpo tiuntur.

DE MARTYRIBVS.
Luc. XII.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Attendite à fermento pharisæorum, quod est hypocrisis. Et reliqua.

Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

D hoc fermentum pertinent omnia, quæ recumbens apud pharisæum superiùs disputauerat Dominus, de quo & Apostolus præcipit: Itaque epulemur non in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis. Nam sicut modicum fermenti totam farinæ, cui miscetur, massam corrumpit, vniuersamque mox conspersionem suo sapore commaculat: sic nimirùm simulatio cuius semel animum imbuerit, tota virtutum synceritate & veritate fraudabit. *Nihil autem opertum est, quod non reueletur: neque absconditum, quod non sciatur.* Et quomodò in præsenti seculo, multorum diù latet hypocrisis? Ergo de futuro tempore intelligendum, quando iudicabit Deus occulta hominum. Nam sicut vnus amicorum beati Iob verissimè dixit: Laus impiorum breuis est, & gaudium hypocritæ adinstar puncti: si ascenderit vsque ad cælum superbia eius, & caput illius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur. In fine, inquit, perdetur, qui in principio florere videbatur. Et est sensus: Attendite ne æmulemini simulatores, quia veniet profectò tempus, in quo & vestra virtus omnibus, & eorum reueletur hypocrisis. Verùm qd' sequitur, *Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur: & quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis:* non solùm in futuro, quando cuncta cordiù abscondita proferentur in lucem, sed in præsenti etiam tempore potest congruenter accipi: quoniam quæ inter tenebras quondam pressurarum, carcerumq; vmbras, vel locuti vel passi sunt apostoli, nunc clarificata per orbem Ecclesia, lectis eorum actibus, publicè prædicantur. Sanè quod ait, Prædicabitur in tectis, iuxta morem prouinciæ Palestinæ loquitur, vbi solent in tectis residere. Non. n. tecta nostro more culminibus sublimata, sed plano schemate faciunt æqualia. Vnde lex præcepit, vt qui nouam domū ædificaret, murum tecti poneret in gyro, ne fun deretur ibi sanguis innoxius, labēte aliquo, & in præceps ruente. Et in templi constructione legimus: Texit quoq; domum laquearib. cedrinis, & ædificauit tabulatū super oēm domū quinq; cubitis altitudinis. Ergo prædicabitur in tectis, cunctis audientibus palàm dicetur. *Dico autem uobis amicis meis, ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent ampliùs quid faciant.* Si persecutores sanctorum occisis corporibus non habent ampliùs, quod contra illos agant, ergo superuacua furiunt insania, qui mortua martyrum membra feris auibusque discerpenda projiciunt, vel in auras extenuari, vel in vndas solui, vel per flammas in cinerem faciunt redigi: cùm nequaquàm omnipotentiæ Dei, quin ea resuscitando viuificet, obsistere possint.

Iob 20.

Deut. 22.

3. Reg. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sint. *Ostendam autem uobis, quem timeatis. Timete eum, qui postquàm occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico uobis, hunc timete.* Quia duo sunt genera persecutorum, vnum palàm sæuientium, alterum fictè fraudulenterque blandientium: contra vtrunque munire nos atque instituere volens saluator, & suprà ab hypocrisi pharisæorum attendere, & hic à carnificum cæde præcepit non timere: quia videlicet post mortem nec horum crudelitas, nec illorum valeat simulatio durare: Domino potiùs, qui semper videat, placendum: Dominum qui semper punire vel liberare queat, esse timendum. *Nonne quinque passeres ueneunt dipondio, & unus ex illis non erit in obliuione coram Deo?* Si minutissima, inquit, animalia, & quæ quolibet per aëra feruntur volatilia, Deus obliuisci non potest: vos qui ad imaginem facti estis creatoris, non debetis terreri ab his, qui occidunt corpus: quia qui irrationabilia gubernat, rationabilia curare non desinit. Dipondius, quo quinque passeres veneũt, id est, venduntur, genus est ponderis leuissimi, ex duobus assibus compositi. Quærit fortè aliquis, quomodò dicat Apostolus: Nunquid de bobus cura est Deo? cùm vtique bos passere preciosior existat. Sed aliud est cura, aliud verò scientia. Denique numerus capillorum, de quo consequenter ait: *Sed & capilli capitis uestri omnes numerati sunt*: non in actu computationis, sed in facultate cognitionis accipitur. Non enim solicitam Deus curæ numerantis intendit excubiam, sed cui cognita sunt omnia, quasi numerata sunt omnia. Benè tamen numerata dicuntur, quia quæ volumus seruare, numeramus.

Persecutorũ duplex genus.

Prouidentia Dei.

1. Corin. 9

Vbi immensam erga homines Dei ostendit prouidentiam, & ineffabilem signat affectum, quòd nihil nostrum lateat Deum, & parua etiam ociosaq; dicta eius scientiam non fugiant. Deridet intelligentiam ecclesiasticam in hoc loco, qui carnis resurrectionem negant: quasi nos ipsam terrenam materiam, quæ discedente anima sit cadauer, ita resurrectione reparandam dicamus, vt ea quæ dilabuntur, & in alias atque alias aliarum rerum species formasque vertuntur, quanuis ad corpus redeant vnde delapsa sunt, ad easdem quoque corporis partes vbi fuerint, redire necesse sit. Alioquin si capillis capitis redit, quod tam crebra tonsura detraxit: si vngulibus, quod toties dempsit exectio: immoderata & indecens cogitantibus, & ideò resurrectionem carnis non credentibus, occurrit informositas. Sed quemadmodùm si statua cuiuslibet solubilis metalli aut igne liquesceret, aut conteretur in puluerem, aut confunderetur in massam, & eam vellet artifex rursùs ex illius materiæ quantitate reparare, nihil interesset ad eius integritatem, quæ particula materiæ cui membro statuæ redderetur, dum tamen totum ex quo constituta fuerit resumeret: ita Deus mirabiliter atque ineffabiliter artifex, de toto, quo caro nostra constiterat, eam mirabili & ineffabili celeritate restituet. Nec aliquid attinebit ad eius redintegrationem, vtrùm capilli ad capillos redeant, & vngues ad vngues, an quicquid eorum perierat, mutetur in carnem, & in partes alias corporis reuocetur, curante artificis prouidentia, ne quid indecens fiat. *Nolite ergo timere: multis passeribus pluris estis uos.* Non plures estis, legendum est, quod ad comparationem numeri pertinet: sed, pluris estis, hoc est, maioris apud Deum meriti, dignitatis & æstimationis, quàm innumera passerum vel corpora vel genera, computamini. *Dico autem uobis: Omnis quicunque confessus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei. Qui autem negauerit me coram hominibus, denegabitur coram angelis Dei.* Respicit ad superiora, vbi dictum est operta quælibet & abscondita esse reuelanda, concludens hanc reuelationem non in vili quolibet conciliabulo, sed in conspectu supernæ ciuitatis æternique regis ac iudicis agendam. Et ne ex eo, quòd ait, eos qui se negauerint, esse denegandos, vna cunctorum, hoc est, eorum qui studio, & eorum qui infirmitate vel ignorantia negant, conditio putaretur, continuò subiecit: *Et omnis, qui dicit uerbum in filium hominis, remittetur illi. Ei autem, qui in spiritum sanctum blasphemauerit, non remittetur.* Qui scandalizatur carne mea, me hominem tantùm arbitrans, quòd filius sim fabri, & fratres habeam, Iacobum & Ioseph & Iudam, & homo vorator ac vini potator sim: talis opinio ac blasphemia, quanquàm culpa non careat erroris, tamen habet veniam propter corporis vilitatem. Qui autem manifestè intelligens opera Dei, cùm de virtute negare non possit, eadem stimulatus inuidia calumniatur, & Christum Deique verbum & opera spiritussancti dicit esse Beelzebub, isti non dimittetur neque in præsenti seculo, neque in futuro: non quòd negemus & ei, si pœnitentiam agere possit, posse dimitti ab eo, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, sed quòd ipsi iudici & largitori veniæ credentes, qui & se pœnitentiam semper accepturum, & hanc blasphemiam nunquàm dicit esse remittendam, credamus hunc blasphemum, exigentibus meritis, sicut nunquàm ad remissionem, ita nec ad ipsos dignæ pœnitentiæ fructus esse peruenturum, iuxta quod Ioannes euangelista de quibusdam, blasphemiæ suæ merito excæcatis, verissimè scripsit: Propterea non poterant credere, quia iterùm dixit Esaias: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & intelligant corde, & conuertantur, & sanem illos. Quidam sanè volunt, illum dicere verbum vel blasphemare in spiritum sanctum, qui vnitati Ecclesiæ, vbi in spiritu sancto fit remissio peccatorum, corde impœnitenti resistit, dicentes vnum esse effugiũ, ne sit irremissibilis blasphemiæ culpa, cor impœnitens caueatur. Quorum multis sententia nequaquàm firma videtur, quia videlicet quisquis vnitati Ecclesiæ corde impœnitenti resistit, siue ille Iudæus, siue gentilis, siue etiam hæreticus sit, potest vtiq; remissionẽ habere peccatorum in spiritu sancto, si ad vnitatem Ecclesiæ corde pœnitenti refugerit. Sed dicunt: Quandiù corde impœnitenti quis spiritui gratiæ resistit, tandiù non habet remissionem. At illi obijciunt, hanc conditionem in cunctis constare criminibus. Quomodò enim quandiù quis fornicationem, idololatriam, adulterium, masculorum concubitum, cæteraq; flagitia gesserit, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei: his verò criminibus abdicatis, potest ablui, sanctificari in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri? ita, inquiunt, etiam impœnitens quandiù cor impœnitens habuerit, nõ potest habere veniam: mox verò vt pœnituerit, consequetur & veniam. Nullo; discrimine impœnitentia cæteris obligatior aut irremissibilior inuenitur esse peccatis, quæ in similitudinem scelerum cæterorum vsque ad pœnitentiam manens, mox acta pœnitentia delebitur. Sola autem blasphemia in spiritum sanctum, qua quisq; in similitudinem diaboli & angelorum eius, contra suam conscientiam, maiestatem deitatis oppugnare non trepidat, non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti, sicut euangelista Marcus euidenter exprimit: qui posito hoc Domini testimonio, subiunxit, atq; ita ait: Quoniam dicebant, immundum spiritum habet. Nam neque hi, qui spiritum sanctum non esse, neq; qui hunc esse quidem, sed Deum non esse, neq; qui hunc Deum quidem esse, sed patre filioq; minorem credunt & confitentur, quia non inuidentia diabolica, sed humana ignorantia ducti faciunt hoc, irremissibilis blasphemiæ crimine tenentur. Quapropter principes Iudæorum, & quique similis inuidiæ peste corrupti, maiestatem blasphemant, sine fine peribunt.

Corporũ nostrorum qualis futura excitatio.

Blasphemia in Christum.

Blasphemia in spiritum sanctum.

Ioan. 12. Esai. 6.

DE MARTYRIBVS.

Matth. X.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Nihil est opertum, quod non reuelabitur: & occultum, quod non sciatur. Et reliqua. Homilia beati Hieronymi.

IAm quomodò in præsenti seculo multorum vitia nescIuntur? Sed de futuro seculo scribitur, quando iudicabit Deus abscondita hominum, & illuminabit latebras tenebrarum, & manifesta faciet consilia cordium. Et est sensus: Nolite timere persecutorum sæuitiam, & blasphemantium rabiem: quia veniet dies iudicij, in quo & vestra virtus, & eorum nequitia demonstrabitur. 1. Cor. 4.

Quod dico uobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Quod audistis in mysterio, apertiùs prædicate: quod didicistis absconditè, publicè loquimini: quod vos erudiui in paruulo Iudææ loco, in vniuersis vrbibus & in toto mundo audacter dicite. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Si qui corpus occidunt, animam non possunt occidere: ergo anima inuisibilis & incorporalis est: secundùm crassiorem dico corporis nostri substantiam. Vel eo certè tempore punietur, & supplicia sentiet, quando pristinũ corpus receperit: vt cum quo peccauit, cum ipso & puniatur. *Eum timete, qui potest & corpus & animam perdere in gehennam ignis.* Nomen gehennæ in veteribus libris non inuenitur, sed primùm à saluatore ponitur. Quæramus ergo, quæ sit sermonis huius occasio. Idolum Baal fuisse iuxta Hierusalem ad radices montis Moria, in quibus Siloa fluit, non semel legimus. Hæc vallis & parua campi planities irrigua erat, & nemorosa, plenaque delicijs, lucusque in ea idolo consecratus erat. In tantam autem populus Israël dementiam venerat, vt deserta templi vicinia, ibi hostias immolaret, & rigorem religionis deliciæ vincerent, filiosque suos dæmonijs incenderent, vel initiarent: & appellabatur locus ille Gehennom, id est, vallis filiorum Ennom. 3. Reg. 11

Hoc Regum volumen, & Paralipomenon, & 4. Reg. 23 Ieremias scribunt plenissimè. Et comminatur 2. Par. 28. Deus se locum illum impleturum cadaueribus Ierc. 7. 19 mortuorum, vt nequaquàm vocetur Topheth & 32. & Baal, sed vocetur polyandrium, id est, tumulus mortuorum. Futura ergo supplicia, & pœnæ perpetuæ, quibus peccatores cruciandi sunt, huius loci vocabulo denotantur. Duplicem autem esse gehennam, nimij ignis, & frigoris, Iob 24. in Iob plenissimè legimus. *Nonne duo passeres asse ueneunt? Et unus ex illis non cadet super terram sine patre uestro. Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus pluris estis uos.* Hæret sibi sermo dominicus, & sequentia pendent ex superioribus. Prudens lector, caue semper superstitiosam intelligentiam, vt nõ tuo sensui attemperes scripturas, sed scripturis iungas sensum tuum, & intelligas quid sequatur. Suprà dixerat: Nolite timere eos, qui corpus

Universidad de Deusto
Biblioteca

pus occidunt, animam autem non possunt occidere: nunc loquitur consequenter: Nónne duo passeres asse veneũt, & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? Et est sensus: Si parua animalia & vilia absque Deo authore nõ decidunt, & in omnibus est prouidentia, & quæ in his peritura sunt, sine Dei voluntate non pereunt: vos qui æterni estis, non debetis timere, quòd absque Dei viuatis prouidentia. Iste sensus & suprà dictus est: Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester cælestis pascit illa. Nónne vos pluris estis illis? Ac deinceps: Considerate lilia agri, quomodò crescunt, & reliqua. Si autem fœnum agri, quod hodiè est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos minimæ fidei? Quidam coactè duos passeres, animam interpretantur & corpus: quinque quoque passeres, secundùm Lucam, qui duobus asibus veneunt, ad sensus referunt. Sed quomodò illa intelligentia toti euangelici sermonis corpori coaptetur, non paruæ est difficultatis. *Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos.* Manifestiùs nostræ expositionis superior sensus expressus est, quòd timere non debeant eos, qui possunt corpus occidere, & animam nõ possunt. Quia si sine Dei scientia parua quoque animalia non decidunt: quanto magis homo, qui apostolica fultus est dignitate? Quòd autem ait, Vestri & capilli capitis omnes numerati sunt, immensam Dei erga homines ostendit prouidentiam, & ineffabilem signat affectum, quòd nihil nostrum Deum lateat, etiam parua & ocio se dicta eius scientiam non fugiant. Deridٍent intelligentiam ecclesiasticam in hoc loco, qui carnis resurrectionem negant, quasi nos & capillos qui numerati sunt, & à tonsore decisi, omnes dicamus resurgere: cum saluator non dixerit, Vestri autem & capilli omnes saluandi sunt, sed, numerati sunt, Vbi numerus est, scientia numeri demonstratur, non eiusdem numeri conseruatio.

Matth. 6.

Luc. 12.

Prouidentia & beneuolẽtia Dei erga homines.

IN NATALI PLVRIMORVM MARTYRVM, HOMILIA

Prima Eusebij Emeseni.

Qui uos audit, me audit: & qui uos spernit, me spernit, &c. Luc. 10.

HOc autem ideò Dominus & saluator noster dicere videtur, quòd neque ipsum, neq; discipulos eius Samaritani susciperе voluerunt. Sic enim superiùs ait euangelista: quia factum est, dum complerentur dies assumptionis eius, & ipse faciem suam firmauit, vt iret in Hierusalem. Et misit nuncios ante conspectum suum: & euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum, vt parerent illi. & non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Hierusalem. Factum est, inquit, cùm iam dies assumptionis eius complerentur, & tempus eius passionis, resurrectionis & ascensionis siue assumptionis propinquaret, firmauit Dominus vt iret Hierusalem, sicut in eius vultu & facie manifestè apparebat. Facilè enim in vultu voluntas discitur. Et misit nuncios ante conspectum suum, & euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum, & non receperunt eum. Quare? Quia facies eius euntis erat in Hierusalem. Nó enim, vt alibi dicitur, coutuntur Iudæi Samaritanis. Ideoque Samaritani Iesum recipere noluerunt, quia se in Hierusalem ire velle ostendebat: iam quasi inimicum eum deputantes, sicut qui eorum diligeret inimicos. Vsque hodiè nanque omnes iniqui ideò Iesum & eius nuncios, eiusq; euangelium non recipiunt, quia in Hierusalem eos, ad pacem, ad misericordiam & pietatem tendere & festinare cognoscunt. Hierusalem nanque visio pacis interpretatur. Cùm audissent autem hoc discipuli eius, Iacobus & Ioannes, dixerunt: Domine, vis dicimus vt ignis descendat de cælo, & consumat illos? Et conuersus, increpauit illos, dicens: Nescitis, cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas hominũ perdere, sed saluas facere. Et abierunt in aliud castellum: nesciebant enim cuius spiritus essent, qui se tantoperè vindicare cupiebant. Si enim se spiritus pietatis, patientiæ & mansuetudinis seruos & discipulos esse nouissent, nequaquàm aliqua sui spiritus commotione, tot homines irati occidere voluissent. Hoc enim posteà probatum est, cùm pro inimicis & persecutoribus orarent. Et ait illis Iesus: *Qui uos audit me audit, & qui uos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui me misit.* Quod tale est, acsi diceret: Non vos tantùm, sed & me spreuerũt Samaritani. Hæc itaq; verba discipulis suis eorumq; successoribus, episcopis scilicet & sacerdotibus, locutus est Dominus. Quicunque igitur es, qui episcopos & sacerdotes audire contemnis, & eorum verbis & exhortationibus acquiescere despicis, saltem Dominum ipsorum non paruipendas, & eum audire non fastidias. Despicis sacerdotem audire, sed non mirum: quia pauper est, quia imbellis & humilis est, quia vilis & despicabilis est, quia de pauperibus natus est. Audi vel Dominum in eo loquentem, per eum te admonentem, & ad vitam reducentem. Apostolus enim dicit: An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? Sic igitur in episcopis & sacerdotibus Christus loquitur, atque in eis ab alijs honoratur, & ab alijs reprobatur. Sustinet modò, nec facilè vindicat iniu-

Luc. 9.

Luc. 10.

In episcopis & sacerdotibus Christus attenditur.

2. Cor. 13.

Psal. 42. Psalm. 82. iniurias suas. Sed audi eum dicentem: Tacui, Nunquid semper tacebo? Dicit Psalmista: Deus quis similis erit tibi? ne taceas, neq; compescaris Deus. Quoniam ecce inimici tui sonuerunt, & qui te oderunt, extulerunt caput. Noli itaque spernere discipulos & nuncios Christi, immò noli Deum ipsum spernere in discipulis suis. Nisi enim in discipulis suis sperneretur, nequaquàm dixisset: *Qui uos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui me misit.* Hoc Iudæi audiant, & audientes timeant, & timentes pœniteant, vt sic placare videant, quem offendere non timuerunt. Ipsi enim non solùm spreuerunt, verùm etiam crucifixerunt Christum Dominum. *Reuersi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo.* Hos enim, vt superiùs dicitur, miserat Dominus binos ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum, quò ipse erat venturus. Quid autem isti significent, & quare sic ante eum Dominus miserit, cur etiam binos eos ire iusserit, iam alibi exposuimus. Nunc aũt reuersi, Domino omnia dicenti, cũ gaudio referebãt, ea quæ nec ipsi, sed ipse in illis fuerat operatus. Gaudebant enim de nomine Christi, cuius virtutem experti erant: gaudebant & de gratia immensa sibi à Domino attributa: quoniam non solùm infirmitates curabant, verùm etiam dæmonibus imperabant, & sibi subditos esse videbant, quibus mundi huius principes, reges, omnesq; homines iniquos subditos esse sciebant. Dicebant ergo: Domine non solũ languores, & infirmitates, non solùm homines iniqui, sed & ipsi dæmones subijciuntur nobis in nomine tuo, quibus subiecta sunt omnia, quæ longè sunt à consortio tuo.

Luc. 10.

Et ait illis: *Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem.* Ecce dedi uobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, Cælum enim Ecclesia, vel sanctorum animæ intelliguntur. Videbat igitur Dominus satanam de cælo cadentem, videbat diabolum Ecclesiam vel sanctorum habitacula fugientem: & hoc quod discipuli ei narrabant, iam se præuidisse & cognouisse firmabat. Vnde & alibi ait: Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Nisi enim hoc præuidisset, quarè in mundum venisset, & quarè carnem susce pisset? Ad hæc enim Dominus in mundum venit, vt diabolum fugaret, & de illius impia potestate animas hominum liberaret. Quod igitur nunc fieri incipiebat, antequam fieret, præuidebat, & hoc ipsum fieri disponebat. Videmus itaque & nos vsque hodiè satanam sicut fulgur de cælo cadentem, & cum magno furore & indignatione sanctam Ecclesiam relinquentem. Quoties enim flagitiosus aliquis ad pœnitentiam redit, toties satanas de cælo cadit. Multi enim adulteri, periuri & homicidæ sunt in Ecclesia, quæ regnum cælorũ vocatur: qui statim vt conuertuntur, à diabolo relinquuntur, & non velociùs de cælo cadit fulgur, quàm de illorum mentibus cadit diabolus. Cadit autem & nunc de cælo satanas, quando aliquis hæreticus ab Ecclesia separatur, qui priùs in ea per doctrinam magno fulgore splendere videbatur. Talis enim erat Simon magus, quem beatus Petrus Apostolus pro suis iniquitatibus priùs de Ecclesia eiecit, posteà euolare nitentem, de aëre præcipitauit. Hinc est autem, quod in Apocalypsi Ioannes Apostolus ait: Quia angelus tuba cecinit, & cecidit de cælo stella magna, ardẽs tanquã facula, & cecidit in tertiã partẽ fluminum, & fontes aquarum: & nomen stellæ dicitur Absynthium. Toties enim, vt modò diximus: de cælo stella cadit, quoties aliquis ab Ecclesia per hæresim separatur. Sed quanto sapientior & astutior est, tanto maiorem flammam ferre videtur. Et quanuis totus de cælo cadat, tamen non vbique cadit. Cadit autem in tertiam partem fluminum. Duo nanque flumina, duo sunt testamenta. Fontes autem tot sunt, quot & doctorum libri. In his autem nemo cadit, quoniam nulla hæresis in eis est. Tertium autem flumen in quo hæretici cadunt, ipsum est, quod ipsi faciunt: faciunt enim, quoniam eorum error & doctrina in prædictis fluminibus non inuenitur. Multa enim flumina, & multa librorum volumina fecerunt hæretici. Et meritò hæc stella Absynthium vocatur, quoniam ad illius herbæ similitudinem, quæ hoc nomine censetur, felle omnique amaritudine plena est. De qua qui gustauerit, morte morietur. Fuge igitur has aquas Christiane, noli eas bibere. Nota sunt flumina, noti sunt fontes aquarum, salientium in vitam æternam: de quibus si biberis, non sities vltrà. Sequitur: *Ecce dedi uobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil uobis nocebit.* Serpentes & scorpiones non solùm maligni spiritus, verùm & tyranni, omnesque Ecclesiæ persecutores intelligi possunt, quoniam & venenosi sunt, & nunquam recta incedunt via. Virtus autem inimici quid meliùs intelligi potest, quàm Nero & Simon magus, Diocletianus, & Maximianus, & ipse Antichristus perditionis filius. Est præterea virtus inimici, superbia, auaritia omnisque luxuria, à quibus multi vincuntur, & diabolo subijciuntur. Vnde & Iob, cùm de eo loqueretur, ait: Virtus eius in lumbis eius, & fortitudo illius in vmbilico ventris eius. Hæc autem Christi discipulis non nocebant, Domino eos protegente, & vbique defendente. Non nocebant vtique, quia repugnauerunt, eisque non assenserunt. Sequitur: *Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus uobis subijciuntur: gaudete autem, quia nomina uestra scripta sunt in cælis.* Multi enim sunt, quibus dæmonia subijciuntur: quos non gaudiũ quidẽ, sed luctus & mœror expectat. Quibusdã enim in iudicio dicẽtib⁹, Domine, nónne in tuo nomine ꝓphetauim⁹, dæmonia eiecimus, & virtutes

Simon magus.

Apoc. 8.

Flumen hæreticorum.

Serpentes & scorpiones qui sint.

Iob 40.

Matth. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tutes multas fecimus, dicturus est Dominus: Ite operarij iniquitatis: amẽ dico vobis, nescio vos. Non ergo gaudeant Christi discipuli, quia dæmonia subijciuntur eis: gaudeãt autem quia nomina eorum scripta sunt in cælis. Illud enim gaudium vanum & temporale est: hoc autem vtile & æternum. Illud ad vanam gloriam respicit, hoc ad gloriam spectat æternam. Et illud quidem simul habere possunt & mali & boni, hoc autem non habebunt nisi boni.

IN NATALI PLVRIMORVM MARTYRVM EVSEBII Emeseni Homilia II.

Cùm persequentur uos in ciuitate ista, fugite, &c. Matth. 10.

Matth.10 ALia sunt præmia Christi, talia sunt bella noui testamenti. Sic Christi fideles pugnare nouerunt. Dixerat eis Dominꝰ superiùs: Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Præceperat eis, vt essent prudentes sicut serpentes: nunc autem dicit eis vt fugiant, & persecutoribus se sequentibus non resistant. Fugerunt Israëlitæ, & Aegyptios vicerunt: fugit & Dauid, & rex à Domino constitutꝰ Exod.12. est. Hanc aũt fugam Iacob patriarcha significauit, qui post magnam & longam seruitutẽ simul Gen. 31. cum vxoribus & liberis, omniq; possessione sua Laban socerum suum fugisse legitur. Quem Laban ipse septem diebus persecutus, tandem inuenit eum in monte Galaad. Laban enim qui candidus interpretatur, hunc mundũ significat. Valdè enim sibi proxima sunt, & idem quodammodò hæc duo nomina significare videntur, candidus & mundus. Quod enim candidus est, mun-Mundus cur sic dictus. dus quoque esse videtur. Puto autem, quòd fabricã suam ideò tali nomine omnipotens Deus vocari voluit: quia vidit cuncta quæ fecerat, & Gen.1. erant valdè bona. Si enim omnia bona erant, nihil nisi mundum in eis erat. Ex eo aũt ipse mundus est immundus, ex quo terra in sanguinibus Gen. 6. corrupta narratur. Quòd igitur Iacob simul cum vxoribus & filijs, omniq; sua possessione Laban fugisse legitur, hoc significare videtur, vt nos quoq; mundum istum fugiamus, & amicos, & propinquos, & quoscunq; possumus de eius seruitute eripiamus. Septem diebus Laban sequitur Iacob: quia quandiù viuimus, mundus iste persequi nos non cessat. Non enim sunt dies nisi septem. Igitur qui septem diebus nos persequitur, nullo tempore à persecutione quiescit. Quò igitur fugiemus? Fugiamus ad montem Galaad, ibiq; tentoria figamus. Galaad nanq; aceruus testimonij interpretatur, per quem vtriusq; testamenti librum intelligimus, in quo omnia legis & prophetarum, apostolorum & doctorum exempla & testimonia collecta sunt: In quo Ioannes Apostolus clamat: Nolite diligere mundum, 1. Ioan. 2. neque ea quæ in mundo sunt. Vbi ipse Dominus discipulis ait: Si de mundo fuissetis, Ioan. 15. mundus quod suum erat diligeret. Vos autem de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Talia & his simi lia audiuntur in monte Galaad. Illuc igitur fugiamus, & Dominum dicentem audiamus: *Cùm uos persecuti fuerint in ciuitate ista, fugite in aliam. Amen dico uobis, non consummabitis ciuitates Israël, donec ueniat filius hominis.* Vbiq; patientiam & innocentiam Dominus docet: non resistere, sed fugere admonet. Fugite (inquit) malos, fugite persecutores, fugite in aliam ciuitatem. non enim deerunt vobis ciuitates, ad quas fugere possitis. Priùs enim veniet filius hominis, priùs ad iudicium reuertetur, quàm vos omnes ciuitates Israël cõsummetis & ad fidem conuertatis. Mea exempla vos doceant, ad me respicite: quod in me fieri videtis, hoc in vobis ne formidetis. *Non est enim discipulus supra magistrum: nec seruus supra dominum suum.* Qui me offendere & persequi non timent, vos quoq; offendere & persequi non timebunt. *Sufficit discipulo, ut sit sicut magister eius: et seruo, sicut dominus eius.* Hoc aũt dicens de seipso, se Magistrũ & Dominum vocat. Si enim magister indoctus fuerit, nõ sufficit discipulo ignorantia magistri. Et si dominus pauper & miser fuerit, non sufficit seruo miseria domini. Si enim sufficeret, nihil amplius quæreret. Quòd aũt hoc de seipso & non de alio dicat, sequentia manifestant. *Si enim patrem familias Beelzebub uocauerunt, quanto magis domesticos eius?* Ipse est enim pater familias, cuius familia est omnis Ecclesia, de quo tamen Iudæi dicere non timuerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit Luc.11. dæmonia. *Non ergo timueritis eos:* quia nec ego timui, sed patienter cuncta sustinui. Hæc autem quæ dico, operta sunt, nondum videntur: de futuris loquor, omnia in suo tempore manifestabuntur. *Nihil enim opertum, quod non reueletur: & occultum, quod non sciatur.* Vnde Apostolus: Nolite (inquit) ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: *Quod dico uobis in tenebris, dicite in lumine.* Quod in ænigmate & figura auditis, quod vobis in consilijs manifesto, dicite palàm & apertè: *& quod in aure auditis, prædicate super tecta.* In aure enim auditur, quod secretè & quasi sub silentio dicitur. Latent autem, quæ sub tecto sunt. Super tecta igitur prædicare, est in aperto & cunctis audientibus loqui. *Et nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Prædicate (inquit) euangelizate, officium vestrum implete. Multi quidẽ erũt qui

qui vos persequentur, qui vos affligent & occident: sed *nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Occiditur enim, quod mortale erat. Nam & si non occiderent, morereretur tamen: *animam autem non possunt occidere:* anima enim immortalis est: quæ dum peccat, moritur, & à vera vita, quæ Christus est, separatur: gladijs tamen occidi non potest. *Sed potiùs eum timete, qui potest animam & corpus perdere in gehennam.* Illi in solo corpore, hic in corpore & anima potestatem habet. Illorum pœna citò transit, istius nunquàm finitur. Illi quoque nec in ipso corpore potestatem habuissent, nisi eis à Domino datum fuisset. *Nonne duo passeres asse ueneunt, & unus ex illis non cadit super terram sine patre uestro?* Si igitur illi, qui tam vili precio venduntur, sine Dei voluntate & permissione cadere 1.Cor.6. non possunt: quanto magis vos, qui empti estis precio magno, & Christi sanguine redempti estis? *Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt.* Sæuiant tyranni quantùm velint, nullo tamen tormentorum genere vos delere & consumere poterunt. Non est autem difficile ei capillos numerare, cui difficile non fuit creare. In hoc autem quòd eorum capillos numeratos esse dicit, totam hominis substantiam resurgere, & nihil de ea perire significat. Si omnes enim capilli numerati sunt, omnesq; resurgent, quarè & non toti resurgerent? Quis enim credat, vt capillus ex parte resurgat, & ex parte pereat? Sed fortasse inconueniens tibi esse videtur, vt tam longi capilli in homine resurgant. Necesse quidem est, vt totus homo resurgat, sed non est necesse, vt tota hominis substantia sua in ea parte resurgat, vbi priùs in corpore fuerat. Sicut enim in vasis aureis & argenteis quum iterum conflãtur, materia quidem tota seruatur, partium tamẽ positio non eadem seruatur: vt quod videlicet in fundo, vel in summitate prioris vasis fuerat, hoc in eisdem subsequẽtis partibus fiat: Ita & in hoie substãtia tota resurget, tota tamẽ in eisdem partib. necessariò nõ resurget. Ac per hoc nihil superfluũ, nihil minus, nihil indecẽs & inconueniens resurget in homine. Qđ enim in alijs partibꝰ superabũdat, alijs partibus supplementum dabit. *Nolite ergo timere: multis passeribus,* & pluris precij, & *meliores estis uos.* Qui itaq; de illis curam habet, multo magis vos non deseret neq; derelinquet. *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui est in cælis.* *Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui est in cælis.* Determinanda sunt eloquia saluatoris nostri. Nam neq; omnes confitebitur Dominus, qui eum confitentur: neq; omnes negabit, qui eum negant. Ipse enim Matth.7. dicit: Non omnis, qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cælorum. Beatus quoque Petrus qui eúm negauerat, ab eo non negabitur. De illis igitur intelligatur, qui in tormentis positi, non in eius nominis confessione vsq; ad mortem firmiter fideliterq; persistunt. Qui enim timore mortis Deum negant, nisi digna pœnitentia satisfecerint, dubium non est, quin pereant in æternum. Omnia enim hæc illis dicuntur, qui pro Christi nomine persequutionem patiuntur.

IN NATALI PLVRIMORVM MARTYRVM, EVSEBII Emeseni Homilia III.

Nolite arbitrari, quia uenerim mittere pacem in terram, &c. Matth. 10.

QVid est ergo quod Psalmista ait: Orietur in diebus eius iustitia & abundãtia pacis: cùm ipse Dominus dicat, Non veni mittere pacem? Venit enim mittere pacem, venit & distribuere pacẽ. Venit mittere pacem inter bonos, & gladium inter bonos & malos. Pacem enim habebant illi de quibus Act. 4. dicitur: Multitudinis aũt credentiũ erat cor vnũ & anima vna. In talibus igitur orta est abundantia pacis. Sed quid est, quod Apostolus ait: Si fieri potest quod ex vobis est, cum omnibus homi Roma.12. nibus habentes? Si enim cum omnibus hominibus pacem habere debemus, inter quos gladiũ saluator noster mittere venit? Debemus quidẽ pacem habere cum alijs, vt eos diligamus, eos ad salutem animæ inuitemus, & nihil mali eis tractemus. Sit tamen gladius inter nos & illos, vt eos non imitemur, eorum fidem & facta non sequamur, eorumq; consilijs iniquis non consentiamus. Venit igitur Dominus mittere pacẽ, sed non illam, qua mali inter se in malo concordãt. Vnde & subditur: *Veni enim separare hominem aduersum patrem suum, & filium aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam: & inimici hominis domestici eius.* Omnes enim isti in malo cõcordabant: oẽs isti pacem & concordiã in malo habebant. Hanc pacem non venit mittere Dominus, hanc cõcordiam non approbat Iesus. Isti sunt, inter quos nõ pacem, sed gladium mittit, gladiũ vtiq; separationis, vt alijs in infidelitate persistentibus, alij ad fidem conuertantur. Vnde fit, vt qui priùs erant domestici hominis, eiusdem postea inimici fiant, & quasi hostem eum persequãtur. Et ne fortè aliquis diceret, Rem valdè difficilẽ, ô Domine, & quodammodò intolerabilem iubes, vt videlicet à fratribus & filijs & parentibus tantoperè separemur, subdidit dicens: *Qui amat patrẽ aut matrem plusq̃ me, non est me dignus. Et q̃ amat filium aut filiam plusq̃ me, non est me dignus.* Et amplius: acsi diceret, super hæc, *qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus.* Legimus filios Leui ex Exod.23.

Universidad de Deusto
Biblioteca

præcepto Moysi per medium castrorum transisse,& fratres & filios, parentes & propinquos, & magnam hominum multitudinem interemisse, qui à Domino viuo & vero recesserant, & vitulũ aureum adorauerant. Quibus protinùs ait Moyses: Consecrastis manus vestras hodiè Domino, vnusquisq; in filio & fratre suo, vt detur vobis benedictio. Abraham quoq; non pepercit filio suo vnigenito propter Dominum, vnde & à Domino audire meruit: Nunc cognoui q̃ timeas Dominum, eò q̃ non pepercisti filio tuo vnigenito propter me. Similiter autem & Iepte filiam vnicam interfecit, ne votum frangeret, & Dominum offenderet. Tales igitur sint nobis exemplũ, vt Dominum plùs omnibus diligamus, & neque filios, neq; fratres, neq; aliquid aliud eius amori præponamus. Audiamus ipsum dicentem: Si oculus tuus scandalizatte, erue eum & proijce abste. Et siue pater sit, siue frater, siue vxor, siue filius sit, qui nos ab amore eius separare velit, hunc à nobis repellamus, & quasi hostẽ habeamus. Sequitur: *Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Qui enim accipit crucem suam, & sequitur Christum, non solùm plusquàm patrẽ & matrem, & filium & filiam Christum diligit, verumetiam plusquàm seipsum: seipsum autem, dico vitam suam. Qui enim vitam suam pro Christo ponere non timet, plùs vtiq; diligit Christũ, quàm vitam suam. Crucem autem accipere dicit, non lignum crucis portãdo, sed & eius passionẽ imitando, siue & per abstinentiã carnẽ domando & cruciando. In cruce enim omnia tormentorum genera designãtur: vnde & cruciari dicitur, qui quolibet modo affligitur. Crucem autem ferebat Apostolus, qui ait: Mihi autẽ absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quẽ mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. *Qui inuenit animam suam, perdet illam. Et qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* Animam enim in hoc loco pro vita posuit, quoniam omnis vita nostra in anima est. Alij igitur in hoc seculo vitam suam inueniunt, quoniam amore huius vitæ, non quæruntaliam vitam. Et isti simul quidem perdunt vtranq; vitam, quia amore alterius vitæ pro nihilo ducunt istam vitam. Et isti igitur qui perdiderunt hanc vitam, in vitam æternam custodient, & possidebunt æternam vitã. Quid enim vitam æternam, nisi in æternum? *Qui recipit uos, me recipit.* Dixit enim superiùs, quia tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm illi ciuitati quæ non receperit eos. Nunc autem quantam gratiam à Domino consequantur, qui eos recipiunt, ostendit. Quia (inquit) vos membra mea estis, & ego in vobis sum, qui recipit vos, me recipit. Similiter autẽ quia ego & pater vnum sumus, & ego sum in patre, & pater in me est: qui me recipit, recipit eum qui misit me. Vnde manifestum est, quia & patrẽ & filium totamq; Trinitatem recipit, qui Dei ministrum veneratur & recipit. Qui verò Dei ministro iniuriam facit, Deo omnipotenti, Trinitati inseparabili iniuriam facit. Mittitur autẽ filius à patre, quia vna est eademq; voluntas totius sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, qua Dei filius in mundum missus & incarnatus est. *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet.* Ille enim recipit prophetam in nomine prophetæ, qui non affectu carnis eum recipit, sed quia Christi fidem prophetat & nunciat: ideoq; accipiet mercedem prophetæ, quia eandẽ mercedem habebit iste de receptione, quam ꝓpheta de prophetia. Qui igitur Dei sacerdotes pro Christi nomine veneratur & recipit, mercede sacerdotis non priuabitur. *Et qui recipit iustum in nomine iusti,* id est, quia iustus est, *mercedem iusti accipiet.* Meritò enim iustitiæ mercedem accipiet, qui intantùm iustitiam diligit, vt omnibus hominibus ex affectu seruiat, in quibus iustitiam esse cognoscit. *Et quicunque potum dederit unum ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli, amen dico uobis, non perdet mercedem suam.* Non tantùm, inquit, de maiori obsequio, sed de minimo quoq; mercedem suscipient, quicunq; in nomine discipuli vobis seruierint. Multi enim seruiunt episcopis & sacerdotibus, non quia episcopi & sacerdotes sunt, sed quia temporalem aliquã retributionem ab eis expectant. Isti autem in nomine discipuli non seruiunt. Si igitur hic mercede caruerint, ibi propter hoc mercedem non habebunt.

Ibid.

Genes. 22.

Iudic. 11.

Matth. 18

Crucem accipere quid sit.

Gal. 6.

Matth. 10

Ioan. 10. Ioan. 14.

IN NATALI PLVRIMORVM MARTYRVM, HOMILIA IIII. EVSEBII Emeseni.

Videns Iesus turbas, ascendit in montem. Matth. 5.

Vlta turba sequebatur Iesum, & nõ solùm sequebatur, verùm etiam opprimebat & tãgere conabatur: quia virtus de illo exibat, & sanabat oẽs. Fugant se contraria, & qui inimici sunt, se vicissim impugnãt. Ideoq; languores & infirmitates in eis manere non poterant, qui ad Christum accedebant, & eum tangebant. Ipse est enim salus & vita, de quo quia virtus exibat, & sanabat omnes, ideò post eum accurrebant omnes. *Videns autem turbas, ascendit in montem.* Quòd enim in montem Christus ascendit, magnum aliquid se loquuturum esse significat. Ideò enim Propheta ait: Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion. Ibi enim discipulos docet, quos maioris intelligentiæ esse sciebat. Sed quid est quod ait, Aperiens os suum, docebat eos? Nunquid enim clauso ore loqui Dominus consueuerat? Ipse enim qui olim ore prophetarum locutus fuerat, nunc proprio ore discipulis loquebatur. Magna igitur veneratione euangeliorum verba suscipi debent, quæ non per alium, sed per seipsum & proprio ore Dei filius locutus est. Sed quid dicebat? *Beati pauperes spiritu.* Non dicit simpliciter: Beati pauperes, quoniam nec omnes pauperes beati, nec omnes diuites miseri sunt. Multos enim pauperes latrones, homicidas, adulteros, periuros, & proditores videmus, qui & in hac vita miseri sunt, & post hanc vitam infelices erunt. Diuites autem plures fuisse legimus, qui in sancta conuersatione Domino placuerunt. Talis fuit Abraham, talis Iacob, & Dauid, talis posteà Zachæus publicanus. Beati igitur pauperes spiritu, sed non omni spiritu. Est enim spiritus bonus, & est spiritus malus. Beati igitur sunt, qui spiritu malo pauperes sunt. Illi quoque beati sunt, qui spiritu bono diuites sunt. Est enim spiritus superbiæ, spiritus fornicationis, spiritus discordiæ, & multi alij spiritus sunt, quibus cùm pauperes sunt, beatos esse non dubium est. Beati sunt quoque, qui spiritu sapientiæ & intellectus, spiritu consilij & fortitudinis, spiritu scientiæ & pietatis, & timoris Domini diuites esse meruerunt. Sed quarè beati? *Quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Qui enim sunt mites, nisi patientes & humiles? Perit omnis virtus sine patientia. Vnde & Dominus ait: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Qui igitur impatiens est, nec animam suam, nec terram suam possidere potest. Quomodò animam suam possidet, qui animi sui furorem & iram cohibere non valet? Quomodò autem terram suam possidet, qui neq; oculos ab illicito visu, neq; aures ab illicito auditu, neq; nares ab illicito odoratu, neq; os ab illicito gustu, neque manus ab illicito tactu compescere valet? Possumus tamen per hanc terram, terram viuentium intelligere. Ac per hoc non minus possiderent mites, quàm possiderent pauperes spũ: quoniã cùm illi cælum, isti verò terram possideant, idẽ tamen per cælũ & per terrã significatur. Quando verò fidelibus suis Christus Dominus noster talia promittit, nónne tibi in monte, & in regia sublimitate sedere videtur? Sequitur: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Quid enim si pro amissione rerum temporalium lugeant? Quid si pro morte pignorum lugeant? Quosdam enim flere videmus, quoniam illatas sibi iniurias vindicare non possunt. Quas quidem quando vindicant, nequaquàm tunc beati sed miseri sunt. Sic igitur dicatur: Beati qui lugent peccata, quæ fecerunt. Beati qui sua & aliorum peccata plorant. Sic enim Samuel flebat Saulem cũctis diebus vitæ suæ. Nam & Dauid quia pœnituit & flebat, beatus est. Ait enim: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Ipse quoq; saluator posteà pro morte Lazari lachrymatus est.

Euangelij dicta aut recipienda.

Matth. 5.

Beati mites qui.

Luc. 21.

Beatitudines non probabilis

Psalm. 41. Psalm. 41.

Esa. 40.

Videns etiam perituram Hierusalem, fleuit de miserijs eius. Fleuit beatus Petrus, & beatitudinem non amisit. Beati igitur qui sic lugent, quoniam ipsi æterna lætitia consolabuntur. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.* Illi autem iustitiam esuriunt & sitiunt, qui sic in obseruanda iustitia delectantur, ac si magnis epulis reficiantur. vnde Psalmista ait: Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam omni tempore. Hoc audiant reges & principes, hoc audiant potentes & iudices. Hoc & nos audiamus, nos, inquã, episcopi & sacerdotes. Huius capituli semper memores simus, sine quo cætera capitula tractare nequimus. Sed notã, quòd non solùm illi qui faciunt iustitiam, sed etiam qui eam esuriunt & sitiunt, id est, qui eam facere concupiscunt, & si non possint facere quod desiderant, tamen beati sunt: quia quantum in ipsis est, faciunt quod desiderant. Et isti quidem saturabuntur, quando illorum desideria complebuntur. Sicut enim cibo saturatur corpus, ita satiatur suo desiderio anima. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Statim post iustitiam misericordiam posuit. Vnde Psalmista ait: Misericordiam & iudiciũ cantabo tibi Domine. Bona est iustitia, bona est & misericordia. Habet illa suum locum, habet & ista suum. Neque verò perit iustitia, si in quibusdam causis misericordia temperatur. Est autem misericordia quædam affectio animi qua affligimur alienis malis. Cui inuidia contraria est, per quam homo affligitur alienis bonis. Siue igitur in nos delinquentibus parcimus, siue miseris & indigentibus subueni-mus, siue errantes ad viam veritatis reducimus, misericordia est. Qui autem misericordiam non habuerit, misericordiam non inueniet. Eadem enim mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis. Sequitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt.* Ex corde enim, vt ait Dominus, exeunt cogitationes malæ, furta, homicidia, adulteria, falsa testimonia & similia. Hæc sunt quæ coinquinant hominem. Tale autem cor mundum non est. Si enim mundum esset, totum hominem suo stercore non coinquinaret. Illud igitur cor est mundum, ex quo talia non procedunt. Ideò & Dauid rogat Dominum, dicens: Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribꝰ meis. Si n. cor fuerit mundum à prauis cogitationib. totus homo erit mundus ab iniquitatibus. Ibi n. oriuntur peccata, ibi radices figunt: quæ vbi succisæ fuerint, non est vbi crescãt. Vnde scriptũ est: Beatus qui tenebit, & allidet paruulos suos ad petrã. Vnde & sacerdotes comã nutrire interdicũtur. Qualiter aũt mundi corde Deum videant, vel quibus oculis Deũ videant, dubitari quidem potest, facilè autem solui non potest. Aplùs tamẽ dicit: Videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognosco ex parte, tunc cognoscam, sicut & cognitus

Luc. 19. Matth. 26

Psalm. 105

Luc. 6.

Matth. 25.

Misericordia quid. Inuidia.

Psalm. 50

Psal. 136.

1. Cor. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

1. Ioan. 3. sum. Et Ioannes Apostolus: Scimus, inquit, quia cùm apparuerit, similes ei erimus: quia videbimus eum sicuti est. Magnus erit ille oculus, qui claritate sui visus eum, qui continet omnia, comprehendere poterit. *Beati pacifici, quoniam filij Dei uocabuntur.* Pacifici sunt enim, qui discordes pacificant, qui mundum Deo reconciliant, qui inter cæteros pacem & concordiam semi-
Heb. 12. nant. Apostolus enim dicit: Pacem sequimini cum omnibus, sine qua nemo videbit
Roman. 12 Deum. Itemque: Si fieri potest quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem ha-
Psal. 119. bentes. Et Psalmista: Cum ijs qui oderunt pacem eram pacificus. Et benè quidem filij Dei
Ephes. 2. vocabuntur pacifici, quia ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Ipse est rex pacificus, qui in seipso angulari lapide duos parietes coniungens, pacem fecit his qui longè erant, & his qui propè. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Propter iustitiam dicit, non propter mundi honores, non propter diuitias, non propter superbiam & iniquitatem. Multos enim videmus, qui propter hæc & similia persequuntur alios, & persequuntur ab alijs. Propter iustitiam enim apostoli & martyres persecutionem ab impijs passi sunt. Si enim à prædicatione iustitiæ cessare voluissent, persecutionem passi non essent. Vsque hodiè quoque in sancta Ecclesia persecutionem patiuntur, quicunque iustitiam prædicare & tenere nituntur.

Non igitur omnes qui persecutionem patiuntur beati sunt, siquidem iniqui se inuicem persequuntur: sed illi soli propter persequutionem sunt beati, qui eam propter iustitiam patiuntur. Videat autem vnusquisque hæc audiens, si in aliqua istarum beatitudine cõtinetur. Quòd si in aliqua se inuenerit, sit securus, beatus erit. Hoc enim veritas dicit: Veritas aũt mentiri nõ potest. *Beati estis cum maledixerint uobis homines, & persecuti uos fuerint & dixerint omne malum aduersùs uos mentientes propter me. Gaudete & exultate: quoniam merces uestra copiosa est in cælis.* Beati, inquit, estis, cùm vos homines maledixerint. Ne timueritis eorum maledictiones, sed potiùs gaudete & exultate: quoniam eorum maledictiones, eorum persecutiones, eorum maledicta & mendacia, gaudium vobis præparant in cælis, exultationem, magnamque mercedem & retributionem. *Sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante uos.* Non est hoc nouum, non est inusitatum: sic Esaiam, sic Hieremiam, sic & alios prophetas persecuti sunt. Illorum igitur exemplum vos doceat, si illorum beatitudo vos delectat.

IN NATALI PLVRIMORVM MARTYRVM, EVSEBII Emeseni Homilia V.

Cùm audieritis prælia & seditiones, nolite terreri, &c. Luc. 12.

VEnerat Dominus in Hierusalem, & cùm egrederetur de templo, accesserunt discipuli eius, vt ostenderent ei ædificationes templi. Ipse autem respondens, dixit illis: Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur. Hæc autem sub Tito & Vespasiano completa sunt, quando non solùm templum, verumetiam tota ciuitas funditùs destructa est. Tunc enim multis millibus Iudæorum interfectis, cæteri in captiuitatem ducti sunt. Sedente autem eo super montem Oliueti, accesserunt ad eum discipuli secretò, dicentes: Die nobis quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui & consummationis seculi? Ipsa interrogatio eorum docet, quid Christi discipuli intellexerint. Audientes enim templi destructionem, seculi consummationem subitò & post modicum fore putabant. Quòd verò toties in montem Oliueti Dominus ascendebat, nos pacem & misericordiam diligere docebat. Ἐλεημοσύνη enim Græcè, Latinè misericordia dicitur. Et respondens Iesus, dixit eis: Videte ne quis vos seducat: Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum: & multos seducent. Hoc enim Simonem magum fecisse legimus, hoc & Antichristum facturum esse legimus. Ipse enim, vt Apostolus ait, se exaltabit supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur: ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. *Cùm autem audieritis prælia & seditiones, nolite terreri. oportet primùm hæc fieri, sed nondum statim finis.* A Christi nanque natiuitate, ex quo angeli cecinerunt, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: quanto tempore princeps pacis Dominus noster in hoc mundo conuersatus est, magna vbiq; gentium, pax & concordia fuit. Quo recedente, paulatim prælia fieri, seditiones moueri, & bellorum rumores vndique audiri cœperunt. Sed non erant hæc signa finis, seculiq; consummationis. Multo enim maiora illa erunt, magisq; terribilia, quę mundi finem præcedent, de quibus subditur: *Consurget gens ingentem, & regnum in regnum, & erunt pestilentiæ, & fames, & terræmotus per loca. Hæc autem omnia, initia sunt dolorum.* Omnia enim hæc iam præcesserunt, sed ad comparationem illorum quæ futura sunt, tam parua fuerunt, vt illa cùm venerint, pro signo habeantur, & iam mundum stare, & diutiùs durare non posse, manifestè denuncient. Vt enim in sequentibus dicitur, & erit tunc tribulatio talis, qualis non fuit, neque fiet. Quia enim tunc nascetur perditionis filius, bella, lites & contentiones & omnia mala vbique fieri oportebit. Veluti enim pax præcessit Christum, ita discordia præcedet Antichristum. *Tradent enim uos in concilijs, & in synagogis suis flagellabunt uos, & ante reges et præsides ducemini propter me, ut testimonium detis illis de me.* Hæc autem prophetia quia iam completa est, expositione non indiget. Ipsa enim eius adimpletio, expositio fuit. *Ponite ergo in cordibus uestris, non præmeditari quemadmodùm respondeatis.* Quid enim responderent, si tantum per seipsos responderent piscatores & idiotæ? quid responderent rustici & illiterati? Ipsi enim sunt, de quibus Apostolus ait: Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt perdat sapientia: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia. Non multum igitur erat præmeditandum eis, quia illius erat, qui loquebatur in eis. Vnde etiam & subditur: *Ego enim dabo uobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij uestri.* Sed quarè non os sine sapientia? Quarè non sapientiam sine ore? Sed simul vtrunq;, os & sapientiam se daturum esse promittit. Nocet enim multoties os sine sapientis. Inutilis est aliquando sapientia sine ore. Vnde scriptum est: Sapientia occulta & thesaurus absconditus, quæ vtilitas in vtrisque? Hæretici autem os sine sapientia habuerunt, ideoque sibi & alijs plurimum nocuerunt. Non sit igitur os sine sapientia, neque sapientia sine ore. Qui intelligit, loquatur: qui non intelligit, melius est vt taceat, quàm vt nociua & fidei non conuenientia loquatur. Propter hoc enim ad tabernaculum construendum, aurum simul & argentum, & æs Dominus offerri præcepit. In auro nanque sapientia, in argento eloquij puritas, in ære verò loquendi facundia intelligitur. Sine his autem Dei tabernaculum ædificari non potest. Et de auro quidem scriptum est, quia desiderabilis thesaurus requiescit in ore sapientis. De argento verò, Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum. De ære autem: Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalũ tinniens. Os enim & sapientiam acceperat ille, qui dicebat: Sapientiam loquimur inter perfectos. Os autem sine sapientia habuit Arrius, qui tot homines sua loquacitate in errorem induxit. Quia igitur os & sapientiam habuerunt sancti, idcircò eis resistere, eisque contradicere nõ poterunt omnes aduersarij Christi. Legimus enim pharisæos & sapientes à rusticis & illiteratis, insuper & ab ipsis mulieribus sæpè loquendo fuisse superatos. Scio autem quia mouebitur aliquis, quia multa in hoc volumine vel addita, vel mutata reperiũtur, quæ in illo, de quo excerpta sunt, non inueniantur. Sed aliter hic, & aliter ibi loquendum fuit: quia aliter pro populo, aliterque scholasticis loqui oportet. *Tradent autem fratrem frater in mortem, & pater filium, & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient: & eritis odio omnibus propter nomen meum: & capillus de capite uestro non peribit.* Considerate modò, quanta crudelitate tyranni cæterique homines iniqui in eos sæuiant, quibus ipsi quoque parentes & propinqui non parcunt. Quòd autem dicit, quia capillus de capite vestro non peribit: in eo loco expositum est, in quo dicitur, Quia capilli capitis vestri omnes numerati sunt. *In patientia uestra possidebitis animas uestras.* Magna est virtus patientia, sine qua perditur, & per quam anima possidetur.

Ibid. Matth. 10 Matth. 24 Luc. 21. 1. Cor. 1. Ibid. Eccli. 20 Exod. 25. 2. Thess. Luc. 21. Prou. 21. Psalm. 11. 1. Cor. 13 Cor. 2. Matth. 10 Luc. 12. Luc. 21. Matth. 24

DE CONFESSORIBVS.

Sermo Fulgentij Episcopi.

DOminicus sermo, quem debemus omnes non solũ studiosè, verumetiam sapiẽter audire, cui nos oportet humiliter ac delectabiliter obedire, moderationis suæ tenens vbique temperiem, vt nec ouibus desint pabula, nec pastoribus alimenta: quædam specialiter solis præcipit nobis, quædam verò generaliter & nobis & vobis. Nobis nanque, id est, seruis, quos pater ille familias rerum omnium Dominus, ad hoc in magna sua domo constituit, vt populo eius verbum gratiæ ministremus, specialiter iniungitur sanctæ prædicationis officium: generaliter verò & nobis & & vobis salutaris indicitur obedientia mandatorum. In quibus denuò mandatis tanquàm ditissimis ferculis, sic cælestium deliciarum copia spiritalis exuberat, vt in verbo Dei abunder, quod perfectus comedat, abundet etiam quod paruulus sugat. Ibi est enim simul & lacteus potus, quo tenera fidelium nutriatur infantia: & solidus cibus, quo robusta perfectorum iuuentus, spiritalia sanctæ virtutis accipiat incrementa. Ibi prorsùs ad salutem vniuersis cosulitur, quos Dominus saluare dignatur. Ibi est quod omni ætati congruat, ibi quod omni professioni conueniat. Ibi audimus præcepta quæ faciamus, ibi cognoscimus præmia quæ speremus. Ibi est iussio, quæ nos per literam doceat & instruat ad scientiam: ibi promissio, quæ per gratiam trahat & perducat ad gloriam. Seruorum igitur, quos populo suo præposuit Dominus, speciale volens officium demonstrare, ait quod ex euangelio modò audiuimus: Quis putas est fidelis

Universidad de Deusto
Biblioteca

fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille seruus, quem cùm venerit Dominus, inuenerit ita facientem.
Quis est iste Dominus fratres? Christus sine dubio, qui suis discipulis ait: Vos vocatis me magister & Domine, & benè dicitis. sum etenim.
Ioan. 13.
Quæ est etiam huius domini familia? Nimirùm illa est, quam ipse Dominus de manu inimici redemit, & suo dominio mancipauit. Hæc autem familia est sancta Ecclesia catholica, quæ per orbem terræ copiosa fertilitate diffunditur, & redemptam se precioso sui Domini sanguine gloriatur. Filius etenim hominis, si-
Matth. 20 cut ipse ait, non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro mul-
Ioan. 10. tis. Ipse est etiam pastor bonus, qui animam suã posuit pro ouibus suis. Grex ergo boni pastoris, ipsa est familia redemptoris. Dispensator verò quis sit, quem oportet esse fidelem pariter & prudentem, Paulus nobis ostendat apostolus,
1. Cor. 4. qui de se suisque socijs loquens, ait: Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Ne quis autem nostrum solos apostolos dispensatores factos existimet, neglectoque militiæ spiritalis officio, seruus piger infideliter imprudenterque dormitet, ipse beatus Apostolus episcopos quoque dispensatores esse o-
Tit. 1. stendens, ait: Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem. Serui ergo patrisfamilias sumus, dispensatores Domini sumus, mensuram tritici quam vobis erogemus accepimus. Quæ verò sit ista mensura tritici si quæramus, ipsam quoque nobis beatus Paulus
Rom. 12. ostendit, dicens: Vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei. Quam ergo mensuram tritici Christus nuncupat, ipsam mensuram fidei Paulus appellat, vt cognoscamus non aliud esse spiritale triticum, quàm Christianæ fidei venerabile sacramentum. Huius tritici mensuram vobis in nomine Domini damus, quoties illuminati dono gratiæ spiritalis, secundùm regulam veræ fidei disputamus: & eandem tritici mensuram per dominicos dispensatores accipitis, cùm quotidiè per Dei famulos verbum veritatis auditis. De ipsa ergo nunc tritici mensura loquamur: ex ipla sicut Deus diuidit, vniuersi pascamur, inde alimenta bonæ vitæ sumamus, vt ad æternæ vitæ præmia peruenire possimus: in illum credetes, in illũ sperantes, illum præ omnibus & in omnibus diligentes, qui seipsum nobis & alimentũ præstat, ne deficiamus in via, & præmium seruat, vt gaudeamus in patria. Christus
elt enim alimentum nostrum, Christus erit præmium nostrum, Christus est cibus & consolatio currentium viatorum, ipse satietas & exultatio quiescentium beatorum. Ad ipsam itaque tritici mensuram pertinet, quod Dominus ait:
Luc. 12. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam: facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis, quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit. Magnum bonum est, fratres, valdè congruum, valdè commodum, & maximè Christianis omnibus appetendum, & maximè Christianis omnibus appetendum, vt vnusquisque deficere non delectetur in peius, sed omnes proficere studeamus in melius. Arbores sumus in agro dominico constitutæ, Deus autem noster est agricola. Ille nos compluit, ille colit. Ipse fœcunditatem donat, ipse fructificandi gratiam submministrat. Pluuia Dei, est sermo sanctæ prædicationis: cultura Dei, est infusio gratiæ spiritalis. Deus igitur præcepto nos compluit, adiutorio colit. Dum compluit, aufert à nobis ignorantiæ siccitatem: dum colit, benè viuendi condonat vbertatem. Dum pluit, terram nostri cordis irrigat, dum verò colit, de ipsa terra spinas & tribulos mundanæ cupiditatis extirpat. Debemus itaque fœcundari cælestibus pluuijs, debemus congrua fructificationi manibus superni respondere cultoris. Etsi non possunt omnes arbores æquales fructus afferre, nulla tamen debet in agro dominico sterilis permanere. Multùm metuenda est nobis, fratres, illa sententia comminantis, qua dicitur:
Matth. 3 Omnis arbor quæ nõ facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Quòd si sterilitas in ignem mittitur, rapacitas quid meretur? Aut quid recipiet qui alienum tulerit, si semper ardebit, qui de suo non dederit? Et si iudicium sine misericordia erit illi, qui non fecit misericordiam, quale iudicium erit ei, qui fecerit & rapinam? Timeamus ergo fratres, timeamus actus nostros. Obediens Christo vendat
Contemnendus mundi lucrum facturus quæ possidet, & eleemosynam det, vt de terra cor ad cælum leuet, vt auaritiam calcet, vt ad perfectionis culmen tota mentis intentione festinet, vt non sit solicitus quæ sunt mundi, sed quæ sunt Domini, vt mundum sibi crucifixum habeat, seque mundo crucifixum exhibeat, vt sit omninò pauper in seculo, & diues in Christo. Quis ignoret boni huius magnitudinem? Videmus autem, non omnibus vendendarum
1. Cor. 7. rerum suarum ineste virtutem. Vnusquisque enim proprium habet donum à Deo, alius quidem sic, alius autem sic. Ecce hoc tam magnum bonum, implere pauci possunt, multi non possunt. Nunquid quia paucis donatur ista perfectio, propterea debent esse pessimi, quicunque in bono nondùm possunt esse perfecti? Nunquid propterea Christianus debet vitio rapacitatis insistere, quia fortè nondùm potest omnia sua pauperibus erogare? Aut ideò debet aliena concupiscere, quia propria necdum potest omninò contemnere? Absit hoc, fratres, ab omnibus Christianis, auertat hoc Deus à fidelibus suis. Apostolus enim ve-
1. Cor. 6. raciter dicit: Quia neque auari, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Manifestum est autem,

tem, quia omnes qui à regno Dei alienabuntur, in æterno igne cum diabolo eiusq; angelis damnabuntur. Proinde dilectissimi, si non omnes
Luc. 12. possunt implere quod Dominus ait, Vendite quæ possidetis: illud tamen quod adiecit, dicés: Date eleemosynam, omnibus est possibile. Si assit bona voluntas, omnibus facilè: si non obstat dira cupiditas, omnibus salubre: si ferueat charitas, cunctis debet esse commune, vt omnibus donetur æterna felicitas. Qui ergo tantam virtutem accepit à Domino, vt omnia quæ in mundo sunt, cælestis regni amore contemnat, quæ habet vendat, & egenis expendat. Qui verò tantæ virtutis nondum est, de his quæ habet, inquantum habet, eleemosynam faciat. Tantum operetur bona voluntas, quantum suppetit facultas. Perfectus possideat primum virtutis locum, imperfectus saltem perueniat ad secundum. Efficiatur ille gloriosè dignus, sit iste laudabiliter largus. Sit ille sanctæ paupertatis ardentissimus amator, sit iste sanctorum pauperũ
pijssimus cõsolator. Habeat iste apud Dominũ patronos pauperes, quos ille se gaudet virtutis habere consortes. Sit ille talis, qui cum Domino iudicaturus sedeat: sit iste talis, qui ad dexteram iudicandus assistat: sit ille talis, qui æterna tabernacula perpetuo iure possideat: sit
Luc. 17. iste talis, quem ille recipiat. Admonet enim nos Dominus, dicens: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, qui vos recipiant in æterna tabernacula. Hoc ergo, fratres, necessarium est omnibus nobis, vt in bonis operibus nemo sit segnis, nemo sit sterilis, nemo præsentium delectatione futura contemnat, nemo æterna despiciens, sola temporalia peruersus aspiciat, nemo spiritalibus corporalia præferat, nemo terrena cælestibus anteponat. Thesaurum nostrum, fratres, in cælis ponamus, vt etiam cor nostrum in cælis habere possimus. Necesse est enim, vt quò præcesserit dilectionis thesaurus, illuc etiam
Matth. 6. cogitationis sequatur affectus. Ideò veritas ait: Vbi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrũ erit. Vt ergo in cælis thesaurizemus, cælestia diligamus. Vis nosse vbi thesaurizas? Attende quod amas. Vis nosse quod amas? Attende quod cogitas. Ita fiet, vt thesaurum tuum ex tuo amore cognoscas, vt amorem tuum indicio tuæ cogitationis intelligas. Ostendens autem Dominus, quomodò in cælis thesaurizare possimus,
Luc. 12. ait: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardẽtes. Si istum Domini sermonem secũdùm literã velimus accipere, nihil in eo commodi spiritalis possumus inuenire. Quid.n. proficit ad animæ salutem, si aliquis corporaliter aut lumbos suos præcingat, aut lucernam accendat? Alia ergo in præcinctis lumbis & lucernis ardentibus quærẽda est intelligentia spiritalis, quæ scilicet diuino sit præcepto condigna, quæ nostræ saluti cõgrua reperiatur & commoda. Neque enim fru-
Ioan. 6. strà quodam loco ipse Dominus ait: Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. In
Lumbi accincti. lumbis igitur concupiscentia carnalis ostenditur, in lucernis verò fides & charitas Christiana monstratur. Iubens igitur Dominus lumbos nostros præcingi, concupiscentias carnales sine dubio præcepit refrenari. Imperans
Lucernæ ardentes. autem, vt lucernas ardentes habeamus, hoc vtique iubet, vt & lumine veræ fidei splendeamus, & sanctæ charitatis operibus ferueamus. Iubens vt sint lumbi nostri præcincti, mandat vt mala desideria atque opera fugiamus: Iubens vt sint lucernæ nostræ ardentes, monet vt bona diligamus atque faciamus. Ista quæ de euangelio proposuimus, cum propheticis sermonibus conferamus. Vtrunque enim testamentum Deus vnus instituit, vnus Dominus dedit. Etsi sunt vtriusque testamenti diuersa pro temporibus sacramenta, concordat tamen in vtroque salutis humanæ sententia, qua præcipitur vt non peccemus, & iubetur vt bonis operibus insistamus.
Præcepit itaque Dominus per beatum Dauid, dicens: Declina à malo, & fac bonum. Per Esaiã
Psalm. 36. Esa. 1. quoque omnes his admonet verbis: Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere peruersè, discite benè facere. Hoc ergo nunc Dominus per seipsum præcipit, quod nobis etiam per sanctos patriarchas prophetasque mandauit. Quid est enim, Sint lumbi vestri præcincti, nisi, Declinate à malo? Quid est, Sint lucernæ ardentes, nisi, Facite bonum. Quid est, Sint lumbi vestri præcincti, nisi, Quiescite agere peruersè? Quid est, Sint lucernæ ardentes, nisi, Discite benè facere?
Præcinguntur ergo fidelium lumbi, dum concupiscentia mala comprimitur, dum iniqua cogitatio cohibetur, dum libidini resistit animus, dum lasciuiæ denegatur effectus, dum calcatur luxuria, dum auaritia contemnitur & rapina, dum proximi læsio deuitatur, dum superbia vincitur, dum inuidia superatur. Ardent verò lucernæ fidelium, dum rectæ fidei regulam seruant, dum in sinu matris Ecclesiæ longanimiter perseuerant, dum terrena contemnunt, & cælestia concupiscunt, dum solicite pacem custodiunt, dum se inuicem purè diligunt, dum mutuo se honore præueniunt, dum mansuetudine cordis & humilitate proficiunt, dum misericordiæ opera libenter atque hilariter faciunt, dumque in operibus bonis non hominibus, sed Deo placere contendunt. Om-
Christidnis omnibus ut lũbi accincti, & lucernæ ardentes habeãt. nis ergo Christianus præcinctos habeat lumbos, vt fugiat libidinem: ardentem habeat lucernam, vt custodiat castitatem. Præcinctos habeat lumbos, vt aliquid alienum nec rapiat, nec furetur: ardentem habeat lucernã, vt de suo misericorditer operetur. Præcinctos habeat lũbos, vt minorẽ non opprimat: ardentem habeat lucernã, vt oppresso velamẽ iustę dũtaxat defensionis

Universidad de Deusto
Biblioteca

sionis impendat. Præcinctos habeat lumbos, vt habenti non auferat cibum : ardentem habeat lucernam, vt esurienti tribuat alimentum. Præcinctos habeat lumbos, vt non expoliet vestitum : ardentem habeat lucernam, vt vestiat nudum. Præcinctos habeat lumbos, vt domum nullius inuadat : ardentem habeat lucernam, vt peregrinos Christi libenter excipiat. Præcinctos habeat lumbos, vt fugiat elationem: ardentem habeat lucernam, vt seruet humilitatem. Præcinctos habeat lumbos, vt expellat à se inuidiam & liuorem: ardentem habeat lucernam, vt puram cunctis exhibeat charitatem.

Rom. 6. Præcinctos habeat lumbos, vt non exhibeat membra sua arma iniquitatis peccato : ardentem habeat lucernam, vt exhibeat membra sua arma iustitiæ Deo. Hæc est, fratres, catholicæ fidei vera sanaq; doctrina, hæc est mensura tritici, de qua Domini redemptoris est pascenda familia. Ex hac vobis quantum Dominus tribuit damus, ipsumque Dominum iugiter exoramus, vt & nos & vos in timore gratiæ suæ pascere dignetur auxilio. Auferat à nobis dominationem pravæ cupiditatis, doner omnibus profectum & perseuerantiam charitatis. Lumbos nostros ipse præcingat, lucernas nostras ipse ardere faciat, ardentesque custodiat, vt nec frigescat nostra charitas, nec aliqua nobis dominetur iniquitas. Sed Dominus ac redemptor noster omnibus gratiam tribuat, vniuersis donum sanctæ illuminationis ac virtutis infundat. Nobis donet, vt quod ab illo audimus, rectè intelligamus, & sicut oportet faciamus, vobisque facicndum sermone sufficienti & congruo prædicemus. Vobis quoque donet, vt quod ab illo per seruos eius auditis, & corde intelligatis, & opere faciatis. Hoc ergo diuina misericordia operetur in omnibus nobis, vt nos quos voluit esse dispensatores, fideles faciat & prudentes: Vos quoque faciat obedientes & humiles, vt mensuram tritici dominici, quam vobis damus, communem vobiscum salubriter atque vtiliter habeamus.

DE CONFESSORIBVS.

In lectionem Epistolæ loco, Concio exegetica.

HAbemus propositum nobis insigne totius sanctitatis exemplar, virum beatissimum, cuius hodiè festum diem celebramus: habituri procul dubiò cum illo summæ & sempiternæ beatitudinis cõsortium, si non piguerit eum imitari, cuius eximias virtutes non possumus non suspicere & admirari. Est autem citra dubium is sanctæ matris Ecclesiæ scopus in celebrandis solenniter sanctorum memorijs, vt, quemadmodùm S. Augustinus ait, meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur : vbi præmisit idem vir sanctus, fieri hoc etiã ad excitãdam imitationẽ. Non enim debemus otiosi esse spectatores vel auditores tantùm rerum ab illis præclarè gestarum, sed eorum exempla ceu calcar quoddam addere nobis debent ad insistendum illorũ vestigijs, quantum quidem nostrarum fert virium imbecillitas. Sed ad lectionem veniamus, quæ ex Ecclesiastici capitibus 44. & 45. ita contexta est, vt & quæ sanctis Confessoribus conueniãt, magno iudicio depromãtur, & hincinde intermittantur pleraque, quæ minùs congruere visa sint. *Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus.* Nullum verè sanctitatis, & iustitiæ certius possit produci argumẽtum, quàm sic placuisse Deo, qui cùm sit totius virtutis, iustitiæ & sanctitatis fons, immo ipsa sanctitas & iustitia, nihil ei placere potest, nisi qd̃ sanctũ & iustũ sit. Dicitur autem sacerdos magnus, puta gradus vel ordinis dignitate, vitæ sanctimonia, & cælestis beatitudinis sublimitate & excellẽtia. Magna est sacerdotij dignitas, ita vt in Malachia propheta sacerdos angelus Domini exercituum vocetur: eò cùm accedit excellens virtus, fit multo etiã maior: virtuti autem eximiæ non potest noncontingere præcipuum in cælis præmium. *Et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.* Ita de Moyse scribit beatus Hieronymus, quòd sexcentis millibus armatorum hominum impetrarit à Deo veniam : nec cuiquam ambigendum, quin olim in terris degens hic vir sanctus, crebrò suis precibus Dei iram flexerit & auerterit à populo ipsius curæ credito. *Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi.* Vnusquisq; proprium donum habet à Deo, inquit Apostolus. Ita fit, vt alij atque alij sancti in alijs & alijs virtutibus excellant, habeantque singuli suas quasdã peculiares dotes. Omnium autem hæc præcipua cura fuit, vt conseruarent legem Dei excelsi: cunque in quibusdam alij alios excellerent, in singulis aliquid eiusmodi gratiæ eminere visum est, vnde vix similem habere putarentur alium, qui illis in seruanda lege diuina posset æquiparari. *Ideò iureiurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam.* Creuit in dies sanctæ vitæ meritis, creuit opinione & fama sanctitatis, Christi bonus odor factus in omni loco, creuit sacerdotij amplissima functione : idque iureiurando, nempe certissimo diuinæ prouidentiæ decreto. Eiusmodi enim sancti viri ineffabili Dei benignitate in Ecclesia existunt, atque illorum verbis, exemplis, precibus, permulti ab iniquitate reuocantur ad iustitiam, & qui boni sunt, ad perfectiorem viuendi rationem magis ac magis incitantur. Nec parui habendum est beneficij loco,

cõ, cùm populo suo viros multa sanctitate conspicuos præficit Deus, quorum cõsilijs regatur. Diuus Ambrosius sancti Ioseph consilium Aegypto vniuersæ profuisse scribit, vt non sentiret septem annorum sterilitatem, aliosque populos miseræ famis leuaret ieiunio. Danielem quoque ex captiuis regalium consultorum arbitrum factum, consilijs suis emendasse præsentia, annuntiasse futura. Denique Moysis omnem Israël quotidiè consilia præstolatum: vbi etiam addit Ambrosius: Quomodò dubitare homines de eorum mentibus possent, quibus Deus tantam conferebat gratiam? Idem ipse Ambrosius, quemadmodùm in eius vita scribit Paulinus, flere solebat amarissimè, quotiescunq; nuntiatum illi fuisset de cuiuscunque sancti sacerdotis obitu. Intelligebat sapientissimus pontifex, quantum decederet populo Dei, ex vita subtractis sanctis episcopis. *Benedictionem omnium gentium dedit illi.* Apud omnes peruulgata eximię sanctitatis eius fama id effecit, vt omnibus admirationi esset & venerationi, omnes illum prædicarent & celebrarent: neque id in illius vitæ duntaxat: sed in hunc vsque diem ab omnibus laudatur, & in sancto suo Deus benedicitur. Id verò quanti sit apud Deum meriti, ita se gessisse in vita, vt inde ad omnes promanet gratissimus quidam virtutis odor, dici satis non potest: sicut è diuerso summè ille Deo inuisus est & hominibus maximè pernicios us, cuius vita sit alijs occasio ruinæ & peccandi incitamentum. Væ enim homini illi, per quem scandalum venit.

Et testamentum suum confirmauit super caput eius. Caput in scripturis diuinis nonnunquàm pro mente solet accipi. Itaque testamentum super caput sancti huius confirmatum esse, ita potest intelligi, scripturæ diuinæ magnam notitiam diuinitus illius animo esse collatam, qua posset etiam alios pro cuiusque captu & conditione sapienter ac copiosè instituere. Eius verò tanto fuit doctrina efficacior, & sermo ad persuadendum validior, quanto vita sanctior, & exemplis optimis instructior. Facilè enim apud auditoris animum oratio dicentis suam quandam vim exerit & energiam, si præstet ipsius opere, quod alijs nititur persuadere. Quorum autem flagitiosa est vita, etsi præclarè docere norunt, at tamen facilè patent contemptui, & audiunt velint nolint, Medice, cura teipsum. *Cognouit eũ in benedictionibus suis.* Cognoscere dicitur Deus, quos approbat: nescire, quos damnat. Ita dicturus est multis in illo iudicij die: Amen dico vobis, nescio vos: discedite à me omnes operarij iniquitatis. At hunc sanctum virum quàm approbarit, quàm charum habuerit Deus, testãtur tot egregia animi decora, tot dona charismatum, tot virtutum ornamenta, quibus eum toti orbi fecit venerabilem. Nec ille in vacuum accepit Dei gratiam : sed collata sibi diuinitùs gratiæ dona semper in se augere studuit, nunquàm otio torpescens, nunquàm insolenter animo sese efferens, sed diuino semper inhærens timori, quæ retro sunt oblitus, in anteriora sese extendebat: vtrinque sibi diligentissimè cauens, ne vel desidia & ignauia Dei gratiam negligeret, vel ex acceptis charismatis animo intumesceret. *Conseruauit illi misericordiam suam.* Id nimirùm merebatur studium irremissum gratiæ cumulandæ, & animus coram Deo syncerè & religiosè summissus ac humilis, ab omni tum desidia, tum fastu alienus. Contrà de Saule ad regni fastigium sublato scriptura diuina commemorat, dixisse Samuelem ad illum: Nónne cùm paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es? Pro eo verò, quòd abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis rex. Hoc erat auferre ab illo misericordiam suam: quod maximè formidandum est omnibus Christianis, ne malè & flagitiosè viuendo prouocent contra se iram Dei, & illius gratia & misericordia destituantur. *Et inuenit gratiam coram oculis Domini.*

O verè felices illos, qui gratiam inueniunt apud Deum. Ab angelo Gabriele dictum est ad beatissimam Mariam: Ne timeas Maria: inueni- Luc. 1. sti enim gratiam apud Deum. Sed ad tantam gratiam, quantam illa obtinuit, nulla adspirat creatura : nempe vt concipiat & pariat filium Dei. Placuisse Deo, hoc est, gratiam inuenisse coram oculis Domini. Christo autem quid potest placere, inquit Ambrosius, nisi pax animi, puritas cordis, charitas mentis? Hæc sunt, in 6. cap. Lucæ. quæ hominem efficiunt iustum, Deique fauorem ingentem illi conciliant. Multi multis modis, & plerunque parum honestis hominum præsertim potentum ambiunt gratiam, & sibi beati & felices ea adepta videntur. At sancti Dei homines vni Deo placere vel maximè studuerunt, humanos fauores ex animo declinantes. At interim tamen ob eximiam virtutem etiam magnis regibus & principibus fuere charissimi: & hoc est, quod sequitur: *Magnificauit eum in conspectu regum.* Tanta res virtus est, vt sui possessorem quamuis alioqui vilem & humilem humano iudicio, tamen etiam potentissimis dynastis reddat venerabilem. De Antonio In Vita S. sanctissimo eremita scribit magnus ille Athanasius, quanto in precio fuerit apud Constantinum Augustum, eiusque filios Imperatores. Antonij. Quis enim non veneretur præsentem in hominis pectore Christum, qui mirabilis est in sanctis suis, & per eos mira ac stupenda operatur? Pſalm. 67. Herodes ille impius & crudelis tyrannus, sciens Ioannem Domini præcursorem iustum & sanctum, libẽter illum audiebat, & audito illo multa faciebat. Quid 'ni enim obseruaret hominem tam sanctum, in quo diuina majestas suæ præsentiæ haud obscura prodebat argumenta? Sed interim tamen viri sancti non solùm non delectantur eiusmodi regum & hominum fauore, sed cruciantur etiam. Soli enim Deo placere cupientes,

Marc 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pientes,hominum ſalutem ardenti amore& indefatigabili ſtudio promouere nituntur:magni verò fieri ab illis,& haberi in precio , prorsùs non appetunt. *Et dedit illi coronam gloriæ.* Hoc videlicet eſt,quod ſancti viri vnicè concupiſcunt, vt digni poſsint haberi apud Deum , qui ſint participes illius gloriæ ſempiternæ.Quanquàm poteſt etiam accipi de corona pontificiæ dignitatis,qua hunc ſanctum Deus in hac vita inſigniuit,vt authoritate & gloria ſpectabilis haberetur. Extant certæ hiſtoriæ,è quibus diſci poteſt,quàm ſubmiſsè & reuerenter etiam maximi reges erga ſanctos pontifices ſe geſſerint. *Statuit illi teſtamentum ſempiternum*: quod quidam de euangelica lege interpretantur, cui alia non ſuccedet : nempè vt illi conuenienter viueret: quod etiam huic beatiſsimo viro magnæ curæ fuit. *Et dedit illi ſacerdotium magnum*,vt eſſet pontifex,& paſtor gregis ipſi creditl : quod ſacerdotium in Eccleſia excellentius eſt,quàm fuit in ſynagoga. *Et beatificauit illum in gloria:* vbi nunc fruitur in omnem æternitatem gaudio Domini ſui,
1. Cor. 2. & percipit ea,quæ nec oculus vidit,nec auris audiuit,nec in cor hominis aſcenderunt. *Fungi ſacerdotio,& habere laudem in nomine ipſius.* Non exiguæ laudis eſt,nec vulgaris meriti,probè & integrè perfungi ſacerdotio. Itaque ſanctus hic pontifex vel ſacerdos, cuius hodiè ſolennitate lætamur,ob rectè & inculpatè, immò verò etiam præclarè adminiſtratum ſacerdotium nobis debet eſſe admodùm venerabilis. Sunt in tanto honore multæ peccandi & à virtute deflectendi occaſiones : quibus omnibus nihil potuiſſe permoueri,eximiæ virtutis eſt. Habebit itaque hic vir ſanctiſsimus laudem ſempiternam, idq; non in ſuo nomine:(non enim in ſe,ſed in Domino laudari voluit,certiſsimè ſciens,& gratiſsi
1. Cor. 15. mo animo confitens cum Apoſtolo:Gratia Dei ſum id quod ſum)ſed in Dei nomine, qui eum in hac vita tot egregijs illuſtrauit virtutum & chariſmatum ornamentis, & in illa beata æternitate ſuprà quàm dici aut cogitari queat, immenſis affecit gaudijs,& felicitate beauit inæſtimabili & incomprehenſibili. *Et offerre illi incenſum dignum in odorem ſuauitatis.* Quis verò pro dignitate queat explicare,quas ſanctæ compũctionis lachrymas,quæ contriti cordis ſuſpiria, quæ ardẽtiſsimi amoris deſideria tum pro ſeipſo,tũ pro aliorum ſalute beatiſsimus hic Dei amicus cùm eſſet adhuc in terris,quotidiè Deo obtulerit?Ea verò ſpirant Deo odorem ſuauiſsimum, & eum mirè conciliant. Legimus in Pſalmis
Pſal. 140. Dauidem dicentem: Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo: in quem locum ita ſcribit Euthymius Græcus author : Incenſum olim multa conficiebatur cum impenſa at-
Exod. 30. que munditia iuxta legis mandatum, & gratiſsimus Deo eſſe videbatur is vapor , qui illinc aſcendebat , eò quòd odoratiſsimus eſſet, & quia nouum alium Dei cultum præſignabat: Dirigatur igitur,inquit,oratio mea coram te,nõ ſecùs atque legale illud incenſum ad te in cælũ dirigitur: oratio,inquam,mea, quæ incenſi inſtar ex corde meo euaporat.Cor etenim meum igne quodam promptitudinis,veluti focus atq; altare quoddam accenſum eſt. Ita Euthymius. Et nos quoque hunc ſanctum Dei confeſſorem imitantes,vt Radulphi Ardentis verbis vtar,diſcamus Deo offerri ſacrificium, non alienum vt Cain,qui ſe deſerens,alienum obtulit:ſed offeramus ſacrificium dignum,cor ſcilicet contritũ & humiliatum.Nec offeramus cum igne alieno, id eſt,cum igne terrenæ cupiditatis,vt Nadab& Abiu,qui ob hoc à Deo percuſsi ſunt:ſed cumigne diuino,id eſt,cum charitate. Nec offeramus illud cũ tepore,vt tepidi,qui à Deo euomuntur: ſed cum feruore deuotiſsimæ orationis: quatenùs Deus noſtra deuotione odoretur & delectetur. Quod huius ſanctiſsimi Confeſſoris precibus nobis Deus concedere dignetur, A M E N.

Gen. 4

Leuit. 10.

Apoc. 3.

DE CONFESSORIBVS.

Matth. XXV.

In illo tempore; Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc:Homo quidam peregrè proficiſcens, vocauit ſeruos ſuos,& tradidit illis bona ſua. Et reliqua. Homilia beati Gregorij Papæ.

LECTIO SANCTI euangelij,fratres chariſsimi, ſolicitè conſiderare nos admonet, ne nos qui plus cæteris in hoc mundo accepiſſe aliquid cernimur,ab authore mundi grauiùs inde iudicemur. Cùm enim augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum. Tanto ergo eſſe humilior,atque ad ſeruiendum promptior quiſque debet ex munere,quanto ſe obligatiorem eſſe conſpicit in reddenda ratione. Ecce homo qui peregrè proficiſcitur, ſeruos vocat, eisq́ue ad negocium talenta partitur: poſt multum verò temporis poſiturus rationem reuertitur,benè operantes pro apportato lucro remunerat,ſeruum verò à bono opere torpentem damnat. Quis itaque homo iſte eſt qui peregrè proficiſcitur,niſi redemptor noſter,qui in ea carne quam aſſumpſerat,abijt in cælum ? Carnis enim locus propriè terra eſt,quæ quaſi ad peregrinãdum ducitur, dum per redemptorem noſtrum in cælo collocatur. Sed homo iſte peregrè proficiſcens,ſeruis ſuis bona ſua tradidit, quia fidelibus ſuis ſpiritalia dona conceſsit. *Et uni quidem dedit quinque talenta,alij autem duo:alij verò commiſit unum.* Quinque etenim ſunt ſenſus corporis, videlicet , Viſus,auditus,guſtus, odoratus & tactus. Quinque igitur talentis donum quinq; ſenſuum,id eſt,exteriorum ſcientia exprimitur: duobus verò intellectus & operatio deſignatur: vnius autem taléti nomine,intellectus tantummodò deſignatur. *Sed is qui quinque talenta acceperat,alia quinque lucratus eſt:* quia ſunt nonnulli,qui &ſi interna ac myſtica penetrare neſciunt, pro intentione tamen ſupernæ patriæ, docent recta quos poſſunt de ipſis exterioribus quæ acceperunt:dumq́ue ſe à carnis petulantia, à terrenarum rerum ambitu,atque à viſibilium voluptate cuſtodiunt, ab his etiam alios admonendo compeſcuntEt ſunt nonnulli,qui quaſi duobus talentis ditati, intellectum atq; operationẽ percipiũt,ſubtilia de internis intelligũt, mira in exterioribus operantur:cunq́; intelligẽdo& operãdo alijs prædicant,quaſi duplicatum de negocio lucrum reportant.Benè autem alia duo, vel alia quinq; in lucrum veniſſe referuntur, quia dum vtrique ſexui prædicatio impenditur,quaſi acceptа talenta geminantur. *Sed is qui unum talentum acceperat,abiens fodit in terram,& abſcondit pecuniam domini ſui.* Talentum in terra abſcondere , eſt acceptum ingenium in terrenis rebus implicare, lucrum ſpirituale non quærere, cor à terrenis cogitationibus nunquam leuare. Sunt nanque nõnulli,qui donum intelligentiæ perceperunt,ſed tamen ſola quæ carnis ſunt,ſapiunt : de quibus per prophetam dicitur:Sapientes ſunt vt faciant mala,benè autem facere neſcierunt.Sed Dominus qui talenta ſeruis contulit,rationem poſiturus redit:quia is qui nunc piè ſpiritalia dona tribuit,diſtrictè in iudicio merita exquiret: quid quiſque accepit,conſiderat, & quod lucrum de acceptis reportet,penſat.Seruus qui geminata talenta retulit,à Domino laudatur,atque ad æternam remunerationem intromittitur,cùm ei voce dominica dicitur: *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis ſuper multa te conſtituam:intra in gaudium Domini tui.* Pauca quippe ſunt bona omnia præſentis vitæ , quamlibet multa eſſe videantur.Sed tunc fidelis ſeruus ſuper multa cõſtituitur,quando deuicta omni corruptionis moleſtia,de æternis gaudijs in illa cælesti ſede gloriatur.Tunc ad Domini ſui gaudium perfectè intromittitur,quando in æterna illa patria aſſumptus,atque angelorum cœtibus admixtus,ſic interiùs gaudet de munere, vt non ſit iam quod exteriùs doleat de corruptione. Seruus autem qui operari de talento noluit, ad Dominum cũ verbis excuſationis redit,dicens : *Domine, ſcio quòd homo durus es:metis ubi non ſeminaſti,& congregas ubi non ſparſiſti:& timens abij & abſcondi talentum tuũ in terra.ecce habes quod tuum eſt.* Notandum quòd inutilis ſeruus durum Dominum vocat, cui tamen ad lucrum deſeruire diſsimulat, & timuiſſe ſe dicit,in lucrum talentum expendere, qui hoc ſolùm timere debuerat , ne hoc ſine lucro

Talenta quinq. Duo. Vnum.

Talentũ terra abſcõdere

ad Dominum reportaret. Sunt enim pleriq; intra ſanctam Eccleſiam,quorum iſte ſeruus imaginem tenet,qui melioris vitæ vias aggredi metuunt,& tamen iacere in ſui torporis ignauia nõ pertimeſcunt. Cunq́ue ſe peccatores conſiderant,ſanctitatis vias arripere trepidant, & remanere in ſuis iniquitatibus non formidant. Quorũ benè Petrus adhuc in infirmitate poſitus ſpeciem tenet , cùm viſo miraculo piſcium,dixit: Exi à me Domine,quia homo peccator ſum. Immò ſi te peccatorem conſideras, oportet vt à te Dominum non repellas.Sed qui idcircò melioris habitus vias & rectoris vitæ apprehendere arcem nolunt, quia infirmos ſe eſſe conſpiciunt,quaſi & peccatores ſe fatentur,& Dominũ repellunt, eumq́ue quem in ſe ſanctificare debuerant,fugiunt,& velut in perturbatione conſilium non habent,dum moriuntur, & vitam timent.Vnde & huic ſeruo protinùs reſpondetur: *Serue male et piger,ſciebas quia meto ubi non ſemino, & congrego ubi non ſpargo.oportuit ergo te dare pecuniam meam nummularijs,& ego veniens, recepiſſem utiq; quod meum eſt,cum uſura.* Ex verbis ſuis ſeruus piger conſtringitur,cùm Dominus dicit: Meto vbi non ſemino,& congrego vbi non ſpargo. Ac ſi apertè dicat:Si iuxta tuam ſententiam,& illud exquiro quod ad erogandum non dedi,quanto magis à te exigo,quod ad erogandum dedi? Oportuerat ergo te dare pecuniam meam nummularijs,& ego veniens vtique recepiſſem quod meum eſt,cum vſura. Pecuniam verò nummularijs dare , eſt eis ſcientiam prædicationis impendere,qui hanc valeant & dictis & operibus exercere.Sed ſicut noſtrum periculum aſpicitis,ſi dominicam pecuniam teneamus, ita veſtrum,fratres chariſsimi, ſolicitè penſate, quia cum vſuris à vobis exigitur, quod audiſtis. In vſura quippe pecunia etiam non data recipitur. Cùm enim hoc redditur, quod acceptum fuerat,etiam illud ſuperimpenditur, quod acceptũ non eſt.Penſate ergo,fratres chariſsimi,quia de accepta hac verbi pecunia vſuras ſoluetis,& curate,vt ex eo quod audiſtis,etiam alia ſtudeatis intelligere quæ non audiſtis,quatenùs alia ex alijs colligentes,etiam illa diſcatis ex vobiſmetipſis agere,quæ necdum ex prædicatoris ore didiciſtis.Pigrum verò ſeruum quæ ſententia feriat, audiamus. *Tollite ab eo talentum,& date ei, qui habet decem talenta.* Opportunum valdè videbatur , vt quum à malo ſeruo vnum talentum tollitur, ei potiùs, qui duo,quàm qui quinque talenta acceperat,daretur. Illi enim dari debuit,qui minus quã qui plus habuit.Sed ſicut ſuperiùs diximus, per quinque talenta , quinque videlicet ſenſus,id eſt , exteriorum ſcientia deſignatur: per duo autem , intellectus & operatio exprimitur. Plus ergo habuit qui duo , quàm qui quinque talenta acceperat: quia qui per quinq; talenta exteriorum adminiſtrationem meruit, ab intellectu internorum adhuc vacuus fuit.

Seruus piger, quorũ ſit typus.

Pecunia danda nũmularijs.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vnum ergo talentum, per quod intellectum significari diximus, illi dari debuit, qui benè exteriora quæ acceperat, ministrauit. Quod quotidiè in sancta Ecclesia agi cernimus: quia plerique dum benè ministrant exteriora quæ accipiunt, per adiunctam gratiam ad intellectū quoque mysticum perducuntur: vt etiam de interna intelligentia polleant, qui exteriora fideliter administrant. Generalis etiam mox sententia subditur, qua dicitur: *Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod uidetur habere, auferetur ab eo.* Habenti nanq; dabitur, & abundabit: quia quisquis charitatem habet, etiā dona alia percipit. Quisquis charitatem nō habet, etiam dona quæ percepisse videbatur, amittit. Vnde necesse est, fratres mei, vt per omne quod agitis, erga charitatis custodiam vigiletis. Charitas autem vera est, & amicum diligere in Deo, & inimicū diligere propter Deum. Quam quisquis non habet, omne bonum amittit quod habet, talento quod acceperat, priuatur, & iuxta dominicā sentētiam, in tenebras exteriores mittitur. Per pœnam quippè in exeriores cadet, qui per culpam suā sponte in exteriores tenebras cecidit. Illic coactus patitur tenebras vltionis, qui hic libenter sustinuit tenebras voluptatis. Sciēdum verò est, quòd nullus piger ab hac talenti acceptione securus est. Nullus nanque est, qui veraciter dicat: Talentum minimè accepi, nō est vnde rationem ponere cogar. Talenti enim nomine, cuilibet pauperi etiam hoc ipsum reputabitur, quod vel minimum accepit. Alius nanq; accepit intelligentiam: prædicationis ministerium debet ex talento. Alius terrenam substantiam accepit, erogationē talenti debet ex rebus. Alius nec intelligentiam internorum, nec rerū affluentiam accepit, sed tamen didicit artē qua pascitur. ipsa ars ei in talenti acceptione reputabitur. Alius nihil horum assecutus est, sed tamen fortasse locum familiaritatis apud diuitem meruit: talentum profectò familiaritatis accepit. Si ergo nihil pro indigentibus loquitur, pro talenti retentione damnatur. Habens igitur intellectum, curet omninò ne taceat. Habens rerum affluentiam, vigilet ne à misericordiæ largitate torpescat. Habens artem qua regitur, magnoperè studeat, vt vsum atque vtilitatem illius cum proximo partiatur. Habens alloquendi locum apud diuitem, damnationem pro retento talento timeat, si cùm valet, non apud eum pro pauperibus intercedat. Tantum quippe ab vnoquoq; nostrum venturus iudex exigit, quantum dedit. Vt ergo de talenti sui rationibus redeunte Domino quisque securus sit, cum timore penset quotidiè quod accepit. Ecce nanque iam iuxtà est, vt ille qui peregrè profectus est, redeat. Quasi peregrè quippe abijt, qui de hac terra, in qua natus est, longè discesit. Sed profectò reuertitur, vt de talentis rationes ponat: quia si à bona actione torpescimus, de ipsis donis quæ contulit, nos districtiùs iudicat. Consideremus igitur quæ accepimus, atq; in eorum erogatione vigilemus. Nulla nos à spirituali opere terrena cura impediat, ne si in terra talentum abscondit, talenti Dominus ad iracundiam prouocetur. Piger etenim seruus cùm iam iudex culpas examinat, talentum de terra leuat: quia sunt plerique, qui tunc se à terrenis desiderijs vel operibus subtrahunt, quando iam peranimaduersionem iudicis ad æternum supplicium trahuntur. Antè ergo de talenti nostri ponenda ratione vigilemus: vt cùm iam iudex ad feriendum imminet, lucrum nos quod fecimus, excuset.

Sine charitate cætera dona pereunt.

Matth. 22

Nemo talenti expers est.

DE CONFESSORIBVS.

Matth. XXV.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam peregrè proficiscens, uocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Et reliqua. Homilia Haymonis episcopi.

IN similitudinibus, quas ad ignorantiam nostrā instruendam Dominus proposuit, solicitè considerandū est, quia sic quædam ad nostram proponuntur admonitionem, vt specialiter ad ipsum Dei & hominum pertineant mediatorem. Quod in huius lectionis serie comprobatur, cùm dicitur: *Homo quidam peregrè proficiscens, uocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua.* Homo enim iste per similitudinem Dominus IESVS CHRISTVS accipiendus est, qui cùm sit Deus ante secula, homo factus est in fine seculorum, de quo scriptum est: Homo factus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. Iste autem homo peregrè profectus est, quando carnem, quam ex hominibus assumpsit, ascendēdo in cælum eleuauit. Ex eo enim tempore, quo primo homini dictum est: Terra es, & in terram ibis, locus propriè carnis, terra est. Sed iste homo peregrè profectus est, quia caro quam assumpsit, nōcorruptionem vidit, sed post resurrectionem in cælos ascendit. Huius hominis serui, homines sunt, quos ad seruiendum sibi, seque laudandum rationabiles condidit. Huic autem homini seruire, summa libertas est: ab eius seruitute recedere, turpissima seruitus est. Huius se seruum gloriabatur Paulus Apostolus, cū dicebat: Paulus seruus Christi Iesu. Et iterùm: Gratias ago Deo meo, cui seruio à progenitoribus meis.

Gen. 3.

Rom. 1.

2. Tim. 1.

Et

Psalm. 115. Et Psalmista: Ego seruus tuus, & filius ancillæ
Psalm. 118 tuæ. Et iterùm: Seruus tuus sum ego. Bona autē huius hominis, spiritualia dona sunt, id est, virtutes animæ, quæ de eius bonitate sunt natæ, & illius largitate nobis collatæ: qualis est, charitas, pax, patientia, humilitas, castitas, sobrietas, & his similia. Ergo peregrè profecturus, vocatis seruis tradidit bona sua, quia spiritualibus spiritualia dona concessit. Et quia eadem dona non omnes æqualiter accipiunt, sed secundùm dantis distributionem, alius plùs, alius minùs proficit, rectè dicitur: *Et uni dedit quinque talenta, alij duo, alij verò unum: unicuique secundum propriam uirtutem: & profectus est statim.* Sicut talētum apud antiquos varijs modis librabatur, ita dona spiritussancti diuersa sunt iuxta accipientium merita, non in se, sed in illis qui ea accipiunt. Nam
1. Cor. 12. ab vno Domino diuersa dona seruis dantur, iuxta illud quod ait Apostolus: Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundùm eundem spiritum: alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in vno spiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. In quinque ergo talentis, quinque sensus corporis designantur, per quos exterior homo regitur, visus videlicet, auditus, gustus, odoratus, & tactus: in duobus autem, intellectus & operatio designatur. Et vnius talenti nomine intellectus solummodò exprimitur. Plus ergo accipit cui duo, quàm cui quinque talenta commissa sunt: quia sunt nonnulli, qui per exteriores sensus bona quæ possunt operantur, & tamen in intellectu spirituali minùs proficiunt. Sunt verò & aliqui, qui & extrinsecùs magna agunt, & interiùs maiora intelligunt. Sunt etiam aliqui, qui vnum tantùm talentum accipiunt: quia bona quidem intelligunt, sed operari minimè studeant, de quibus scriptum est: Sapientes sunt vt faciant mala, benè autem facere nescierunt. Quòd autem studiosè multiplicandis bonis operibus insistere debeamus, manifestatur cùm subditur: *Abijt autē qui quinq; talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter qui duo acceperat, lucratus est alia duo.* Iam superiùs per quinque talenta, quinque corporis sensus: & per duo, intellectum & operationem diximus designari. Quinque ergo talenta geminare, est per exteriores sensus deuotissimè Deo seruire, tribuendo esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestitum, in carcere posito requirendo, infirmum visitando, mortuum sepeliendo, aliaque pietatis opera implendo. Quasi enim talenta multiplicando geminantur, quando nonnulli tardiores in sensu, per consuetudinem boni operis in intellectu spirituali proficiunt. Duo quoquè talenta geminant, qui bene viuendo & benè docendo Ecclesiam Dei multiplicare non negligunt, illud attendentes, quod ad Timotheum scribitur: Doctrinam quam accepisti à me, fidelibus commenda hominibus, qui idonei sint & & alios docere. Taliter accepta talenta seruis spiritualibus geminare suadebat Apostolus, cùm dicebat: Habentes donationes secundùm gratiam, quæ data est nobis, differentes: siue prophetiam, secundùm rationem fidei: siue ministerium, in ministrando: siue qui docet, in doctrina: qui exhortatur, in exhortando: qui tribuit, in simplicitate: qui præest, in solicitudine: qui miseretur, in hilaritate. *Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui.* Quasi enim vnum talentum in terra abscondit, qui ingenium quod à Deo accepit, in terrenis actibus occupat, seseque totum in mundi amore obligat. Sed veniet tempus, quando spirituales de acquisito lucro gaudeant, & mundi amatores pro suis cupiditatibus erubescant. vnde & subditur: *Post multum uerò temporis uenit Dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis.* Post multum tempus Dominus redire dicitur, quia longum spatium est inter Domini ascensionem, & secundum eius aduentum. Tunc enim ratio cum seruis ponetur, quando districtè à nobis exiget dona, quæ misericorditer nobis tribuit: quando astabimus ante tribunal CHRISTI, vt Apostolus ait, rationem pro his quæ gessimus, reddituri. Felix autem, qui in illa hora discussionis talis inuentus fuerit, qualis iste memoratur, de quo subditur: *Et accedens qui quinq; talenta acceperat, obtulit alia quinq; talenta, dicens: Domine, quinq; talenta tradidisti mihi, ecce alia quinq; superlucratus sum.* Ex quinque enim talentis alia quinque lucratur, qui per quinq; sensus corporeos quos suprà diximus, bona quæ potest, operatur. Sunt enim nonnulli in Ecclesia, qui cùm tardiores videantur ingenio, tamen dum per exterius ministerium fideliter Deo seruiunt, eius munere ad spiritualem intellectū perducuntur, intantum vt etiam aliquando in ecclesiasticum magisterium eligantur. Qualem autem mercedem sit recepturus, manifestatur, cū subditur: *Ait illi Dominus eius: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.* Pauca enim sunt omnia præsentis vitæ ad comparationem futurorum bonorum, quanuis magna esse videātur. Qui ergo super pauca fidelis fuit, super multa constituitur: quia is qui terrenam substantiam benè dispensauit, pro rebus transitorijs perpetuam accipiet mercedem, audiens ab ipso iudice: Venite benedicti patris mei, percipite regnū quod vobis paratum est à constitutione mundi. *Accessit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo superlucratus sum.* Similiter alia duo lucratur talenta, qui à Domino duo acceperat, quando is qui intel-

Rom. 14.

2. Tim. 2.

Talentum in terra abscōdere

Matth. 25

Universidad de Deusto
Biblioteca

lectũ & operationẽ habet, non solùm benè viuẽdo, sed etiã benè docendo plurimos ad amorem Dei vocat. Notandum autem, quòd & is qui de quinque talentis decem, & is qui de duobus quatuor reportauit, æquali voce collaudatur, cùm vtrique à Domino dicitur: *Euge serue bone & fidelis*, quod est, benè gaude. Et qualiter seruus cũ Domino gaudeat, declaratur, cùm subinfertur: *Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.* Cui rectè dicitur: *Intra in gaudium Domini tui*: quia cum tantis, & pro tantis mercedem accipiet, quantos benè viuendo, benè docendo lucratus est. In quibus verbis intelligimus, quia illi maiorem mercedem sunt à Domino in æterna vita recepturi, qui benè viuendo (vt diximus) & benè docendo, ad aliorum eruditionem vel doctrinam spiritualiter inuigilant. Quod alibi Dominus apertiùs declarat, cùm dicentibus Apostolis: Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes? Respondit: Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus suus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore? Beatus ille seruus, quem cùm venerit Dominus eius, inuenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniã super omnia bona sua cõstituet eũ. Qui enim super omnia bona cõstituitur, duplicem mercedem accipiet, non solùm quia sanctè vixit, sed etiam quia dignè docuit. Vnde Daniel cùm de resurrectione mortuorum loqueretur, vt ostenderet magistros spirituales super omnia bona constituẽdos, ait: Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Quam desiderabilẽ vocem, & ineffabile gaudium audire desiderans beatissimus pater noster, cuius hodiè festiuitatẽ celebramus, talentum sibi creditum benè docendo & benè viuendo studuit erogare, vt geminatum illud Domino reportaret, non tantùm monendo pios, sed etiam comprimendo reprobos. Et ideò quia iuxta scripturæ vocem, gaudium patris est filius sapiens, tanta huius excrescunt merita gaudiorum, quanta incrementa proficiunt spiritalium filiorum. Vnde necesse est, vt vnusquisque nostrum, fratres charissimi, huius beatissimi patris nostri vestigia sequentes, talẽtum quod à Deo accepimus, non in terra abscõdamus, sed cum magno desiderio erogare studeamus, vt geminatum Domino referamus. Et quia alius artem legendi, alius cantandi, alius prædicandi, alius pingendi, alius ea quæ ad ornatum ecclesiæ pertinent, fabricandi talentum accepit, alijs hoc quod didicit, studeat erogare. Non solùm in ecclesiasticis ministerijs, sed etiã sunt tales in hoc populo, qui diuersas artes habent quibus victitant, alij cæmentarij, alij lignarij, alij fabri, alij sectores: & vnicuique ars qua pascitur, pro talenti commendatione reputabitur: & si in hoc quod scit, alios instruit, mercedem in futuro recipiet. Qualiter autem huiusmodi talentum quod accepit, erogare debeat, Dominus ostendit cùm ait: Gratis accepistis, gratis date. Vnde necesse est, fratres dilectissimi, vnicuique nostrum, vt cum summa diligentia vigilanter cogitet, quatenùs talentum quod accepit, duplicatum Domino repræsentet. Si autem suæ talentum vtilitatis prodesse alijs non vult, timeat increpationem, quam is qui talentum vnum in terra abscondit, à Domino audiuit: *Serue male & piger, quare non dedisti pecuniã meam nummularijs, & ego ueniens, recepissem utiq; quod meum est, cum usura?* Et implebitur, quod sequitur; *Tollite ab eo talentum, & date illi, qui habet decem talenta.* quia quicunque sine charitate operatus est, bona in conspectu Dei non sunt, quanuis bona coram hominibus videantur. Tanto enim quisque ampliorem gloriam cum Domino possidebit, quanto largiùs talentum acceptum pro eius amore erogauerit: quod ipse præstare dignetur, qui cum patre & spiritusancto viuit &c.

Merces bonæ uitæ & doctrinæ.

Matth. 10

Luc. 12.

Dan. 12.

Prou. 10.

DE CONFESSORIBVS.
Luc. XIX.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reuerti. Et reliqua. Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

Liber 4 Commentariorum in cap. 19. Luce.

QVONIAM DIscipuli suprà audita Domini passione vel resurrectione Hierosolymis impleuda, non intelligebant, quæ dicebantur, existimantes continuò regnum Dei esse venturum: hanc eorum ignorantiam illuminans, ostẽdit se primò sui regni fidem toto orbe dispersurum, ac sic in fine mundi iudicem omnium seculorum regemque venturum. Dixit ergo: *Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam, accipere sibi regnum, & reuerti.* Homo nobilis ille est, cui superiùs cæcus clamabat: Fili Dauid, miserere mei: & venienti Hierosolymam concinebat, Hosanna filio Dauid: benedictus qui venit in nomine Domini rex Israël. Longinqua regio, Ecclesia est ex gentibus, de qua eidem homini nobili, qui loquitur, Ego autem constitutus sum rex ab eo: dicitur à patre: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Quæ videlicet hæreditas ac possessio, bifaria ratione regio longinqua vocatur: vel quia à finibus terræ clamat ad Dominum, vel quia longè est à peccatoribus salus: & cùm Deus vbique sit præsens, longè tamen

Luc. 19.

Psalm. 9

men ab eorum sensu, qui idola colunt, Deus verus abest. Sed qui erant longè, facti sunt propè in sanguine CHRISTI. *Vocatis autem decem seruis suis, dedit eis decem mnas.* Denarius numerus ad legem pertinet propter decalogum. Vocat igitur paterfamilias decem seruos, quia elegit discipulos per literã legis imbutos. Dat eis decem mnas, quia dicta legis spiritualiter intelligenda reuelat. Post passionem quippe resurrectionemq; suam aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas. Mina nanque, quam Græci mnam vocant, centum drachmis appenditur. Et omnis scripturæ sermo, quia vitæ cælestis profectionem suggerit, quasi numeri centenarij pondere fulgescit. Et *ait illis: Negociamini dum uenio.* Verba, inquit, legis ac prophetarum mysti ca interpretatione discussa populis offerte, atq; ab eis fidei confessionem, morũq; probitatem recipite, iuxta quod Psalmista suis auditoribus præcipit, dicens: Sumite psalmum, & date tympanum, hoc est, laudem prædicationis in cordis intentione percipite, & deuotionem operis in carnis castigatione redhibete. Tympanum quippe, est pellis in ligno extenta. Pellis verò in ligno extenta, caro est nostra ad exemplum dominicæ crucis afflicta. *Ciues autem eius odorant eum, & miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos.* Ciues impios Iudæos dicit, de quibus alibi protestatur: Nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & patrem meum. Qui non solùm præsentem vsque ad mortem crucis oderunt, sed etiam post resurrectionem eius immiserunt apostolis persecutionem, & prædicationem regni cælestis spreuerunt. Et *factum est ut rediret accepto regno.* Significat tempus, quando in manifestissima & eminentissima claritate venturus est, qui eis humilis apparuit, cùm diceret: Regnum meum non est de hoc mundo. *Et iussit uocari seruos, quibus dedit pecuniã, ut sciret quantum quisque negociatus esset.* Vt sciret, inquit: non quòd eum quid lateat, cui verissimè dictum est: Domine, tu omnia scis: sed scire dicit, id est, scire omnes faceret. Tunc enim omnium opera & cogitationes palàm omnibus ostenduntur, quomodò in Deuteronomio: Tentat, inquit, vos Dominus Deus vester, vt sciat si diligitis eũ, hoc est, sciri faciat. Nemo sanè arbitretur, eos solummodò quibus gratia prædicandi data est, nõ autem & eos quibus prædicata est, ad iudicium tunc esse vocandos: ipsi sunt enim pecuniæ, quam boni serui acquisiere mercando: quin etiam sciat eos quoque, quibus nunquam est prædicatum, ibidem esse damnandos, de quibus infrà dicemus. *Venit autem primus, dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisiuit.* Primus seruus, ordo doctorum est in circuncisionem missorum, qui vnam mnam negociaturus accepit: quia vnum Dominum, vnam fidem, vnum baptisma, vnum Deum prædicare iussus est. Sed hæc eadem mna, decem mnas acquisiuit: quia populum sub lege constitutum, sibimet docendo sociauit. *Et ait illi: Euge serue bone, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens supra decem ciuitates.* In modico seruus est fidelis, qui non adulterat verbum Dei, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquitur. Quicquid enim in præsenti percipimus donorum, in comparatione futurorum perpaucum est & modicum: quia ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus: cùm autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Ciuitates autem decem, sunt animæ per legis verbum ad gratiam euangelij venientes, quibus tunc iure glorificandus ille præponitur, qui eis pecuniam verbi dignè Deo commodauerat. Vnde quidam negociator egregius ciuitates, quibus præerat, hoc est, animas quas regendas acceperat, alloquens: Quæ est, ait, spes nostra, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nónne vos ante Dominum Iesum? *Et alter uenit, dicens: Domine, mna tua fecit quinq; mnas.* Seruus iste, cœtus est eorum, qui præputio euangelizare missi sunt: Cui Dominus ad prædicandum eunti, vnam mnam, id est, vnam eandemque fidem, quę & circuncisioni credita est, præstiterat. Sed hæc quinque mnas fecit, quia gentes corporis sensibus anteà mancipatas, ad fidei euangelicæ gratiam conuertit. *Et huic ait: Et tu esto supra quinq; ciuitates*, hoc est, ex earum, quas imbueras, animarum fide & conuersatione, magnus sublimisque fulgeto. De quibus mysticè dicit Esaias: In die illa erunt quinque ciuitates in terra Aegypti, loquentes lingua Chanaan. Quinque enim ciuitates in terra Aegypti, quinque sunt corporis sensus, quibus in hoc mundo vtimur, videlicet visus, auditus, gustus, olfactus, & tactus. Et qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, qui auertit aures suas ne audiat pauperem, qui inebriatur vino, in quo est luxuria, qui coronari se gaudet rosis antequàm marcescant, cuius sanguine plenæ sunt manus, & dextera repleta est muneribus: huius quinque ciuitates loquuntur lingua Aegypti, id est, vniuersi sensus faciũt opera tenebrarum. Aegyptus enim tenebras sonat. At qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos ne videat malum, & qui gustat & videt quàm suauis est Dominus, qui castigat corpus suum, & seruituti subijcit, qui potest dicere cum Apostolo: Christi bonus odor sumus Deo: huius ciuitates loquuntur lingua mutata, quod interpretatur Chanaan. Et qui eas à tenebris docendo commutauerit, rectè quinq; ciuitatibus præfici memoratur: quia non de suis tantùm, sed & de auditorum suorũ quos ad lucem vocauit, profectibus honoratur. *Et alter uenit, dicens: Domine, ecce mna tua, quã habui repositam in sudario. Timui enim te, quia homo austerus es: tollis quod non posuisti, & metis quod non seminasti.* Seruus qui negociari iussus, acceptam Domini pecu-

Rrr 3

Psalm. 80

Esa. 19.

Matth. 5.

Ephes. 5.

Sap. 2.

Psalm. 25.

Esa. 33.

2. Cor. 2.

1. Cor. 13.

1. Thess. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pecuniam in sudario reposuit, ostendit eos, qui ad prædicandum idonei, prædicationis officiũ iubente Domino per Ecclesiam vel saltem susci-
Pecuniam in sudario ligare. pere, vel susceptum dignè gerere detrectant. Pecuniam quippe in sudario ligare, est percepta dona sub ocio lenti torporis abscondere. Sunt enim homines hac sibi peruersitate blandientes, vt dicant: Sufficit vt de se vnusquisque rationem reddat, quid opus est alijs prædicare, vt etiam de ipsis rationem reddere quisque cogatur? cùm apud Dominum etiam illi sint inexcusabiles, quibus lex data non est, neque audito euangelio dormierũt, quia per creaturam poterant creatorem agnoscere. Hoc est enim quasi metere, vbi non seminauit, id est, eos etiam impietatis reos tenere, quibus verbum legis aut euangelij ministratum est. Hoc autem veluti periculum iudicij deuitãtes, pigro languore à verbi ministratione conquiescunt, & hoc est quasi in sudario ligare quod acceperunt. *Dicit ei: De ore tuo te iudico serue nequam.* Seruus nequam vocatur, quia & piger & deses est ad exercendum negocium, & procax, & superbus ad accusandũ Domini iudicium. *Scicbas quòd ego austerus homo sum, tollens quod non posui, & metens quod non seminaui. Et quarè non dedisti pecuniam meã ad mensam?* Quod putauerat se pro excusatione dixisse, in culpam propriam vertitur. Si, inquit, durum & crudelem esse me noueras, & aliena sectari, ibique metere vbi non seuerim, quare istiusmodi cogitatio tibi non incusit timorem, vt scires me mea diligentiùs quæsiturum, & dares pecuniam meam siue argentum ad mensam? Vtrunque enim
Psalm. 11. ἀργύριον Græcus sermo significat. Eloquia Domini, inquit, eloquia casta, argentum igne examinatum. Pecunia ergo & argentum, prædicatio euangelij est, & sermo diuinus, qui dari debuit ad mensam, hoc est, promptis paratisque fidelium cordibus intimari. Ad quam videlicet mensam, id est, auditorum mentem, non alia quàm dominica est deferenda pecunia, vt omnis sermo docentis, scripturæ sensum sequatur. Nam quòd hic Dominus non quamlibet pecuniam, sed suam dicit nummularijs esse fœ-
1. Petr. 4. nerandam, exponit Apostolus, dicens: Si quis loquitur, quasi sermones Dei. *Et ego ueniens, cum usuris utique exegissem illud.* Qui verbi pecuniam à doctore percipit emitque credendo, necesse est eam cum vsuris soluat operando, vt quod auditu didicit, exequatur & actu. In vsura quippe pecunia etiam non data recipitur. Vel certè de accepto verbi fœnere vsuras soluit, qui ex eo quod audit, etiam alia studet intelligere, quæ necdum ex prædicatoris ore didicit.
Et astantibus dicit: Auferte ab illo mnam, & date illi qui decem mnas habet. Et dixerunt ei: Domine, habet decem mnas. Rectè amittit collatam gratiam, quam prædicando alijs cõmunicare neglexit, vt ei augeatur, qui inde laborauit, iuxta quod angelo Ephesi ecclesiæ dicitur: Et mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. Et cùm regium chrisma, quod superbiendo Saul amisit, Dauid obediendo promeruit: Spiritus, inquit, Domini discessit à Saul, & directus est in Dauid à die illa, & deinceps. Quòd verò ablata à nequam seruo mna, ei qui decem mnas habebat, dari iussa est, mysticè, vt reor, indicat, intrante plenitudine gentium, omnem Israël saluum futurum, & tunc abundantiam gratiæ spiritualis, quam nos modò tepenter exercemus, illius populi doctoribus esse conferendam. *Dico autem uobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo.* Hoc ad superiorem sententiam respicit, docens & illum posse amittere munus Dei, qui habens non habet, id est, non vtitur: & in eo augeri, qui habens habet, hoc est, benè vtitur. Quæ gratiarum mutatio, quoniam in hac vita geri solet, notandum quòd illud Domini redeuntis examen, etiam nunc ex parte celebratum, sed tunc est vniuersaliter implendum. Quotidiè nãque accepto à patre regno redit, quia peregrinãtis in terra Ecclesiæ semper statum conspicit. Quotidiè in tanto fidelium seruorum numero, huic pecuniam negociaturo commodat, in altero modum consummati operis examinati. Hunc fideliter prudenterque laborantem, amplioris gratiæ munere donat: illum desidias molles & marcida luxu ocia sectantem, & eo quod dederat, priuat. Verùm vniuersali manifestato iudicio, quod dictu quoque terribile est, multi qui ad docendũ videbãtur idonei, ob negligentiæ suæ noxã inter indoctos reputabũtur. At alij simpliciores fratres, & elementorũ penitùs ignari, ob conuersationis tamen eximiæ deuotionem, inter apostolicos doctores præmia summa percipient. Qui enim recipit prophetam in nomine ꝓphetæ, mercedẽ ꝓphetę accipiet. In hoc autem quod sequitur: *Veruntamẽ inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me:* impietatem Iudæorum vel omnium reproborum, ad Christum conuerti nolentium, significat in die iudicij puniendam: vt per duos fideles seruos, vtriusq; populi doctores: per decẽ & quinq; mnas, id est, credentes populi: per seruum nequam, mali catholici: per inimicos, qui eum super se regnare noluerunt, impietates eorum, qui verbum fidei aut nunquàm audire, aut malè interpretando corrumpere maluerunt: permessionem ruris non seminati, eorũ etiam quos verbum Dei nec audire contigit, discussio signetur. Quibus quinque personis omne genus humanum, quod in die iudicij futurum est, exprimitur.

DE CON-

DE CONFESSORIBVS.

Lucæ XII.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Sint lumbi uestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus uestris. Et uos similes hominibus expectantibus dominũ suum, quando reuertatur à nuptijs. Et reliq. Homilia beati Gregorij papæ.

Sancti euangelij fratres charissimi, aperta vobis est lectio recitata. Sed ne aliquib⁹ ipsa eius planities alta fortaſ se videatur, eam sub breuitate transcurrimus: quatenùs eius expositio ita nescientibus fiat cognita, vt tamen scientibus non sit onerosa. Quia viris luxuria in lumbis sit, fœminis in vmbilico, testatur Dominus, qui de diabolo ad beatum Iob loquitur, dicens: Virtus ei⁹ in lumbis eius, & fortitudo illius in vmbilico ventris eius. A principali igitur sexu, lumborum nomine luxuria designatur, cùm Dominus dicit: *Sint lumbi uestri præcincti.* Lumbos enim præcingimus, cùm carnis luxuriam per continentiam coarctamus. Sed quia minus est mala non agere, nisi etiam quisq; studeat & bonis operibus insudare, protinùs additur: *Et lucernæ ardentes in manibus uestris.* Lucernas quippe ardentes in manibus tenemus, cùm per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus. De quibus profectò operibus Dominus dicit:
Matth. 5. Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Duo autem sunt quæ iubentur, & lumbos præcingere, & lucernas tenere: vt & munditia sit castitatis in corpore, & lumen veritatis in operatione. Redemptori etenim nostro, vnum sine altero nequaquam placere potest, si aut is qui bona agit, adhuc luxuriæ inquinamenta non deserit: aut is qui castitate præeminet, necdum se per bona opera exercet.
Nec castitas ergo magna est sine bono opere, nec bonum opus est aliquid sine castitate. Sed & si vtrunque agitur, restat vt quisquis ille est, spe ad supernam patriam tendat, & nequaquam se à vitijs pro mundi huius honestate contineat. Qui etsi quædam bona aliquando pro honestate inchoat, in ea tamen intentione non debet permanere: nec per bona opera præsentis mundi gloriam quærere, sed totam spẽ in redemptoris sui aduentu constituat. Vnde & ꝓtinùs subditur: *Et uos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptijs.* Ad nuptias quippe Dominus abijt, quia resurgẽs à mortuis, ascendens in cælum, supernam sibi angelorum multitudinem nouus homo copulauit: Qui tunc reuertitur, cùm nobis iam per iudicium manifestatur. Benè autem de seruis expectantibus subditur: *Vt cùm uenerit & pulsauerit, confestim aperiant ei.* Venit quippe, cùm ad iudicium ꝓperat. Pulsat verò, cùm iam per ægritudinis molestias esse mortem vicinam designat. Cui confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus. Aperire enim iudici pulsanti non vult, qui exire de corpore trepidat, & videre eum quem contemp fisse se meminit, iudicem formidat. Qui autem de sua spe & operatione securus est, pulsanti cõfestim aperit, quia lætus iudicem sustinet: & cùm tempus propinquæ mortis agnouerit, de gloria retributionis hilarescit. Vnde & protinùs subditur: *Beati sunt serui illi, quos, quum uenerit Dominus, inuenerit uigilantes.* Vigilat, qui ad aspectum ve- *Vigilare quid sit.*
ri luminis mentis oculos apertos tenet. Vigilat, qui seruat operando quod credit. Vigilat, qui à se torporis & negligentiæ tenebras repellit.
Hinc etenim Paulus dicit: Euigilate iusti, & no- *1. Cor. 15.*
lite peccare. Hinc rursùs dicit: Hora est iam *Roma. 13.*
nos de somno surgere. Sed veniens Dominus, quid vigilantibus seruis exhibeat, audiamus: *Amen dico uobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Præcingit se, id est, ad retributionem præparat. Et faciet illos discumbere, id est, in æterna quiete refoueri. Discumbere quippe nostrum, in regno quiescere
Matth. 8. est. Vnde rursus Dominus dicit: Venient & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob. Transiẽs autem Dominus ministrat, quia lucis suæ illustratione nos satiat. Transire verò dictum est, cũ de iudicio ad regnum redit. Vel certè nobis Dominus post iudicium transit, quia ab humanitatis forma, in diuinitatis suæ contemplationem nos eleuat. Et transire eius, est in claritatis suæ speculationem nos ducere, cùm eum quem in humanitate in iudicio cernimus, etiam in diuinitate post iudicium videmus. Ad iudicium quippe veniens, in forma serui omnibus appa-
Ioan. 19. ret, quia scriptum est: Videbunt in quem transfixerunt. Sed cùm reprobi in supplicium corruunt, iusti ad claritatis eius gloriam pertrahuntur, sicut scriptum est: Tollatur impius, ne videat *Esa. 36.*
gloriam Dei. Sed quid si serui in prima vigilia negligentes existunt? Prima quippe vigilia, primæ ætatis custodia est. Sed neque sic desperandum est, & à bono opere cessandum. Nam longanimitatis suæ patientiam insinuans Dominus, subdit: *Et si uenerit in secunda uigilia, & si in tertia uigilia uenerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi.* Prima *Prima uigilia.*
quippe vigilia, primæuum tempus est, id est, pue- *Secunda.*
ritia. Secunda, adolescentia vel iuuentus, quæ *Eccle. 11.*
authoritate sacri eloquij vnum sunt, dicente Sa- *Tertia.*
lomone: Lætare iuuenis in adolescentia tua. Tertia autem, senectus accipitur. Qui ergo vigilare in prima vigilia noluit, custodiat vel secundam: vt qui conuerti à prauitatibus suis in pueritia neglexit, ad vias vitæ saltem in

Universidad de Deusto
Biblioteca

tempore iuuentutis euigilet. Et qui in secunda vigilia vigilare noluit, tertiæ vigiliæ remedia nõ amittat: vt q in iuuẽtute ad vias vitæ nõ vigilat, saltem in senectute resipiscat. Pensate fratres charissimi, quia conclusit pietas Dei duritiam nostram. Non est iam, quid homo excusationis inueniat. Deus despicitur & expectat, contemni se videt & reuocat, iniuriam de contemptu suo suscipit, & tamen quandoque reuertentibus etiam præmia promittit. Sed nemo hanc eius longanimitatem negligat, quia tanto districtiorem iustitiam in iudicio exerit, quanto longiorem patientiam ante iudicium prærogauit. Hinc etenim Paulus dicit: Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm duritiam autem tuam, & cor impœnitens, thesaurizas tibi irá in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei. Hinc Psalmista ait: Deus iudex iustus, fortis & longanimis. Dicturus quippe longanimem, præmisit iustum: vt quem vides peccata delinquentium diù patienter ferre, scias hunc quandoq; etiam districtè iudicare. Hinc per quendã sapientem dicitur: Altissimus enim est patiens redditor. Patiens enim redditor dicitur, quia peccata hominum & patitur & reddit. Nã quos diù vt conuertantur tolerat, non conuersos duriùs damnat. Ad excutiendam verò mentis nostræ desidiam, etiam exteriora damna per similitudinem ad medium deducuntur, vt per hęc animus ad sui custodiam suscitetur. Nam dicitur: *Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur ueniret, uigilaret utiq;, & non sineret perfodi domũ suam.* Ex qua præmissa similitudine etiam exhortatio subinfertur, qua dicitur: *Et uos estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis uenit.* Nesciente etenim patre familias, fur domum perfodit, quia dum à sui custodia spiritus dormit, improuisa mors veniens, carnis nostræ habitaculum irrumpit: & eum quem dominum domus inuenerit dormientem, necat: quia cùm ventura damna spiritus minimè præuidet, hunc mors ad supplicium nescientem rapit. Furi autem resisteret si vigilaret, quia aduentum iudicis qui occultè animam rapit, præcauens, ei pœnitendo occurreret, ne impœnitens periret. Horam verò vltimam Dominus noster idcircò nobis voluit esse incognitam, vt semper possit esse suspecta: vt dum illã præuidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur. Proinde fratres mei, in conditione mortalitatis vestræ mentis oculos figite, venienti vos iudici per fletus quotidiè & lamenta præparate. Et cùm certa mors maneat omnes, nolite de temporalis vitæ prouidentia incerta cogitare. Terrenarum rerum vos cura non aggrauet. Quantislibet enim auri & argenti molibus circundetur, quibuslibet preciosis vestibus induatur caro, quid est aliud quàm caro? Nolite ergo attendere quid habetis, sed considerate quid estis. Vultis audire quid estis? Propheta indicat, dicens: Verè fœnum est populus. si enim fœnum populus non est, vbi sunt illi, qui ea quæ hodiè colimus, nobiscum transacto anno beati Felicis natalitia celebrauerũt? O quanta & qualia de præsentis vitæ prouisione cogitabant: sed surripiente mortis articulo, repentè in his quæ præuidere nolebant, inuẽti sunt, & cuncta simul temporalia congregata, quæ quasi stabiliter tenere videbantur, amiserunt. Si ergo transacta multitudo generis humani per natiuitatem viruit in carne, per mortem aruit in puluere, videlicet fœnum fuit. Quia igitur momentis suis horę fugiunt, agite fratres charissimi, vt in boni operis mercede teneantur. Audite quid sapiens Salomon dicat: Quodcunq; potest manus tua facere, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos, quò tu properas. Quia ergo & venturæ mortis tempus ignoramus, & post mortem operari non possumus, superest vt ante mortem tempora indulta rapiamus. Sic enim, sic mors ipsa cùm venerit, vincitur, si priusquàm veniat, semper timeatur.

Rom. 2.

Psalm. 7.

Eccle. 5.

Hora mortis cur nobis incerta.

Esai. 40.

Eccle. 9.

DE CONFESSORIBVS.

Luc. XII.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Sint lumbi uestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus uestris. Et reliqua. Homilia Haymonis.

INter cæteras virtutes, quas Dominus noster Iesus Christus discipulis tradidit, & per discipulos nobis, maximam & præcipuam castitatem ostendit. Nam cùm superiùs ad spontaneam paupertatem amandam nos incitasset, dicens: Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis, quò fur non appropiat, nec tinea corrumpit: continuò de seruanda castitate adiecit, dicens: *Sint lumbi uestri præcincti.* Quòd enim luxuria viris in lumbis sit, & fœminis in vmbilico, Dominus testatur, cùm de diabolo loquitur ad beatum Iob: Virtus eius in lumbis eius, & fortitudo eius in vmbilico ventris eius. Lumborum ergo nomine hic luxuria designatur, cùm dicitur: *Sint lumbi uestri præcincti.* Lumbos enim præcingimus, cùm ardorem libidinis amore castitatis refrænamus. Taliter lumbos præcinctos habebat Ioannes Baptista, de quo scriptum est: Quia erat vestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius: nec erat de

Castitatis præstãtia.

Luc. 12.

Iob 40.

Marc. 1.

de immundis, qui propter fluxum seminis eijciebantur extra castra: sed castitatem quam in mente habebat, in ipso habitu corporis demonstrabat. Sic & Elias zonam circa lumbos habebat. Qui enim non propter amorem filiorũ iunguntur, sed propter libidinem explendam, lumbos præcinctos non habent: sed potiùs de illis sunt, qui propter immunditiam extra castra eijciuntur, comparati iumentis insipientibus. Qui verò tollens membra Christi, facit ea membra meretricis, nequaquàm lumbos habet præcinctos: quoniam, sicut verè ait aplûs Paulus, sine pace & castimonia nemo videbit Deum. Quantum enim incorruptio carnis Deo placeat, ipse per prophetam testatur, dicens: Hæc dicit Dominus eunuchis, qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ volui, tenuerintq; fœdus meum: dabo eis in domo mea & in muris meis locum nominatum, & nomẽ melius à filijs & filiabus, nomen sempiternum quod non peribit. Et in Apocalypsi de talibus dicitur: Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. Quod cùm omnibus fidelibus generaliter obseruandum sit, specialiter tamen ministris ecclesiastici ordinis custodiendum iniungitur: quando in veteri lege carnes agni, qui in figura corporis & sanguinis dominici immolatus est, non priùs comedere permissi sunt, quàm renes accincti haberent, Domino dicente: Sic ergo comedetis illum. renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus. Item: Et dixit Dominus ad Moysen: Loquere ad Aaron, & ad filios eius: Homo de semine vestro, in quo fuerit macula, non accedat ad altare. Si gibbus fuerit, si lippus, si albuginem habens in oculo, si impetiginem in corpore, vel iugem scabiem, si cæcus fuerit vel claudus, si fracto pede, vel torto naso, si fuerit ponderosus vel hernio sus. Qui enim sacra mysteria manib⁹ tractare, & alijs ministrare debẽt, dignum est, vt ab omni immũda pollutione sint alieni, vt scilicet & mente sint casti, & corpore pudici. Quod in opere Dauid discimus: qui cùm veniisset ad Achimelech sacerdotem, non priùs panes sanctificatos accipere potuit, quàm se suosq; mundos à mulieribus testaretur: non vtiq; solũ ab alienis, neq; à concubinis, sed etiam à proprijs vxoribus. Ait enim: Et quidem si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri & nudiustertius, quando egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum munda. Quapropter consideret vnusquisq; conscientiam suam, & si se incontinentẽ senserit in corpore, abstineat se à sacra communione, ne forte ad iudicium accipiat, quod fidelibus datum est ad remedium, timens illud, q⁹ terribiliter clamat Apostolus, dicens: Quicunq; manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim mãducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Vel certè aliter lumbos præcingimus, cùm omnia impedimenta mundi postponimus, vt in via mandatorum Dei gressum mentis firmiter figere valeamus. Qui enim discinctus est, ipsis suis vestimentis impeditur, ne liberè ambulet. Qui verò præcinctus est, quaquauersùs liber discurrere potest. Præcingitur ad prælium miles, & circa renes gladium portat, quo aduersarium suum percutiat. Et tu ergo qui cupis esse miles Dei, præcinge lumbos tuos, id est, omnia fluxa & impedimenta mundi postpone, vt pugnare valeas, non aduersùs carnem & sanguinem, sed aduersùs mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestib⁹: vt impleatur in te, quod idem Aplûs subiungit: State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti lorica iustitiæ, & calceati pedes in præparatione euangelij pacis. Taliter miles castrorum lumbos præcinxerat, quando audiuit: Accinge sicut vir lumbos tuos. Vnde & in laude Ecclesiæ dicitur: Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum. Quisquis aũt talis est, alijs ad exẽplum imitationis proponendus est, quia sicut ait Dominus, Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super cãdelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Vnde postquàm dixit: Sint lumbi vestri præcincti, adiunxit: Et lucernæ ardentes. Quid per lucernas, nisi opera designantur? Lucernas ardentes habere, est bona opera alijs ad imitandum ostendere, iuxta illud, quod Dominus alibi ait: Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrũ, qui in cælis est. Cõsiderandum autem illud est, q⁹ duæ sunt quæ præcipiuntur, lumbos scilicet præcingere, & lucernas ardentes habere: quia nec castitas, q⁹ dest sine bono opere, nec bonum opus aliquid valet sine castitate. Primùm enim præcipitur lumbos restringere, & pòst lucernas tenere: quia ille ad aliorum exemplum promouendus est, in cuius pectore salutaria desideria vigent, & cuius mentem carnalis voluptas nõ occupat. Quod in lege præfiguratum est, cùm per Moysen præcipitur, vt Leuitæ vsq; ad quinquagesimum annum ministrent: post annum autem quinquagesimũ custodes vasorum fiant, legitimum tempus attendentes, siue ad regendũ, siue ad officium prædicationis suscipiendum. Sed quæritur, quarè præcipiat lucernas tenere, cùm alibi dicat: Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum? Ad quod dicendum, quia illis præcipitur bonum opus ad exemplum aliorum ostendere, qui tam perfecti sunt, vt ab hominibus laudati non extollantur. Illis autem, qui imperfecti sunt, aut quos fauor humanus extollit, præcipitur: Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum: & cùm facis eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. Et quia iuxta Ioannis

Lucernæ ardentes. Matth. 5.

Num. 8.

Matth. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

annis vocem, Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus in die iudicij: qui cunq; lumbos habent præcinctos & lucernas ardentes, aduentum Domini non tam timere debent, quàm diligere. Vnde & subditur: *Et uos simi les hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptijs: ut cùm uenerit & pulsauerit, confestim aperiant ei.* Ad nuptias quippe Dominus noster abijt, quando ascendens in cælum, multitudinẽ angelorum nouus homo sibi sociauit. Tunc aũt reuertetur ad seruos suos, quando per iudicium manifestari cœperit. Siue certè aliter Dominus nobis quotidiè venit, cùm conscientias nostras per suam gratiam visitat, & cor nostrum suo amore inflammat. Pulsat verò, quando per ægritudinis molestiam, vicinam mortem denunciat. Cui ille statim aperit, qui lętus de corpore exit, & eius speciem, quem semper desiderauit, videre concupiscit. Pulsanti iudici aperire timet, qui eius præceptis se minimè obtemperasse cognoscit, & videre eum exiens de corpore trepidat, quem contempsisse se meminit: & quasi videre iudicem metuit, cuius iussis se obtemperasse non recognoscit. Sicut enim iudicis aduentum in ciuitate eius iusti diligunt, fures & latrones timent: ita & aduentum Domini illi timent, qui eius præceptis minimè se obtęperasse sciunt. Soli autem illi diligunt, qui rectè se viuere recolunt. quod illorum est facere, qui vitam suam, quantùm humana fragilitas patitur, inculpabilem custodiunt, & cor suum de terreno amore in cælestis patriæ gaudio ponunt. Talis erat Paulus Apo
2. Ti. 4. stolus, qui de bonis actibus securus, dicebat: Ego autem iam delibor, & tempus meæ resolutionis instat. Bonum certamen certaui, cursum cõsummaui, fidem seruaui: de reliquo reposita est
Philip. 1. mihi corona iustitiæ. Et iterùm, Cupio dissolui & esse cum Christo. multo enim melius. Et rursùs: Viuo autem iam non ego, viuit verò in me
Gal. 2. Christus. Taliter pulsanti iudici beatus Martinus aperire paratus erat, quando inter ægritudinis molestiam constitutus, discipulorum fletib. commotus, dicebat: Grauis est Domine pugna laboris, quã hucusq; certaui: sed si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso propter eos subire laborem: fiat voluntas tua. Talibus qualis remuneratio præparata sit, Domin⁹ manifestat, cùm subdit: *Beati serui illi, quos cùm uenerit Dominus, inuenerit uigilantes.* Vigilare enim, est in bono opere vnumquenq; solicitum esse. Ille verò benè vigilat, qui rectè credit & rectè viuit. Vigilat, qui ad aspectum veri luminis apertos tenet oculos mentis. Vel certè vigilat, qui torporẽ & negligẽtiam à se excutit, & diuinis mandatis ardenti animo inhæret. Taliter Paulus Apostolus vigilare
1. Cor. 15. monebat, quibus dicebat: Euigilate iusti, & no-
Rom. 13 lite peccare. Et iterùm: Hora est iam nos de som
1. Cor. 16. no surgere. Et rursùs: Vigilate & orate, & state in fide. Adhuc etiam ipsius remunerationis qualitas insinuatur, cùm subditur: *Amẽ dico uobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Præcingi verò Dei, est ad retributionem se præparare. Nostrum autem discumbere, est in æterna beatitudine quiescere, iuxta quod Matth. 8. ipse alibi ait: Multi venient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cælorum. Transire verò dicitur, cùm post iudicium ad regnum properat. Vel certè cùm Dominus transiens nobis ministrabit, cùm de forma humanitatis vsq; ad contemplandam claritatem diuinitatis nos perducet. Omnibus enim in iudicio in forma humanitatis apparebit, iustis scilicet & iniustis, sicut scriptum est: Et Esa. 40. Luc. 3. videbit omnis caro salutare Dei nostri. Sed reprobis iusto iudicio damnatis, iuxta illud quod Esai. 26. scriptum est: Tollatur impius, ne videat gloriã Dei: solis electis transiet, quos de visione humanitatis vsq; ad contemplandam claritatẽ diuinitatis sublimabit: vt qui modò intuentur tantùm hominẽ, tũc facie ad faciẽ mereãtur videre Deũ, qualiter pater in filio, & filius maneat in patre. Sed quia omnibus præsentis vitæ terminus incertus est, rectè subiungitur: *Et si uenerit in secunda uigilia, & si in tertia uigilia uenerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi.* Antiqui enim noctem in quatuor vigilias diuidebant, ita vt vnaquæq; vigilia trinas haberet horas. Varietates nanq; horarum, diuersitatem significant humanæ vocationis. Prima enim vigilia, primæuum est tempus nostræ ætatis, id est, pueritia. Secunda vigilia, adolescen
Eccles. tia, vel iuuentus, quæ penè idem sunt, Salomone dicente: Lętare iuuenis in adolescentia tua. Tertia vigilia, est senectus. Cùm verò Dominus nonnullos in pueritia benè operantes ab hac vita vocat, quasi ad seruos vigilantes in prima vigilia venit. Cùm verò alios in adolescentia vel iuuentute ab hac vita ducit, quasi in secunda vigilia venit. Si quis ergo in prima vigilia vigilare noluerit, saltem in secunda vigilet: id est, si quis in pueritia à bono opere torpuit, saltem in adolescentia vel iuuentute somnum torporis à se excutiat, & dum virtus corporis viget, in bono opere se exerceat. Si quis autem tam negligens & desidiosus fuerit inuentus, vt nec in prima, nec in secunda vigilia vigilauerit, saltem in tertia, id est, in senectute iã resipiscat, & tunc vigilare non timeat, cùm parum vigilaturus est. Neq; enim serò conuersos diuina pietas despicit, qui
Ezech. 33. per prophetam ait: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur &
Ecc. 18. viuat. Et iterùm: Peccator quacunq; die conuersus fuerit & ingemuerit, saluus erit. Sed quia solet antiquus hostis in hac parte tepidos decipere Christianos, vt quibus suadet culpam, longam promittat & vitam, adhuc Dominus admonendo, similitudinem incerti finis subdit, dicens: *Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur ueniret, uigilaret utiq;, & non sineret perfodi domum suam.* Iuxta literam ita est, quia paterfamilias thesaurum reconditum habens in domo, si fu-

ris aduentum sciret, vigilias instrueret, custodias adhiberet, in firmiora loca muniret, & ne sua domus aliqua fraude perfodi posset, solicitus præcaueret. Spiritualiter autem paterfamilias iste, noster est animus, qui tunc malè securus dormit, quando diem mortis obliuiscens, à bono opere torpet, & breuissimum tempus vitæ præsentis, quasi longum sibi promittit. Furis autem aduentus, mors est, quæ improuisa subitò dum non speratur veniens, thesaurum animæ nostræ ad pœnas rapit. Huius ergo furis aduentum vt præcauere possimus, necesse est vt diem mortis semper ante oculos habeamus. Multum enim nos aduersùs peccatum iuuat, si finis vitæ à memoria non recedat, monẽte scriptura: In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Vnde & Dominus admonendo subiungit, dicens: *Et uos estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis uenit.* Si autem terminum vitæ nostræ sciremus, aliud tempus fortasse voluptati, & aliud tempus pœnitentiæ deputaremus. Cùm verò omnibus incerta sit hora mortis, non debet esse conscientia secura à bono opere: quia Dominus omnipotens, qui neminem vult perire, sed omnes ad cognitionem veritatis venire, ideò voluit nos latere vltimum diem, vt dum ignoratur vnus, obseruentur omnes. Quod autem ait, Quia qua hora non putatis, filius hominis veniet: si ad diem iudicij referamus, manifestum est quia incertus est omnibus & incognitus, sicut ipse dicit in euangelio: De die autem illa & hora nemo scit, neque angeli in cælo, neque filius hominis, nisi pater solus. Et iterùm: Sicut fuit in diebus Noë, sic erat aduentus filij hominis. Et rursùm: Sicut fulgur egreditur ab oriente, & penetrat in occidentem, sic erit aduentus filij hominis. Et post suam resurrectionem quærentibus discipulis ait: Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. Hinc Petrus Apostolus dicit:
2. Pet. 3. Dies Domini sicut fur in nocte ita veniet. Sed quod tunc generaliter futurum est omnibus in resurrectione animarum & corporum, quotidiè fit in singulis animabus. Dum enim non putamus, filius hominis venit, quando subita morte præuenti, ipsum habemus terminum peccandi, quem & viuendi. Et dum mala non deserimus, sed à malis deserimur, seram agimus pœnitentiam, non attendentes illud quod scriptum est: Ne tardes conuerti ad Deum, neque differas de die in diem, ne subitò veniat ira eius, & in tempore vindictæ disperdat te.

DE CONFESSORIBVS.

Lucæ XI.

In illo tempore, Dixit Iesus discipulis suis: Nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit, neq; sub modio, sed super candelabrũ, ut qui ingrediuntur, lumen uideant. Et reliq. *Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.* Lib. 4. Comment. in 11. cap. Lucæ. Luc. 11.

DE ipso Dominus hæc loquitur, ostendens etsi suprà dixerit nullum generationi nequam, nisi signum Ionæ dandum, nequaquam tamen lucis suæ claritatem fidelibus occultandam. Ipse quippe lucernam accendit, qui testam humanæ naturæ flamma suæ diuinitatis impleuit. Quam profectò lucernam, nec credentibus abscondere, nec modio supponere, hoc est, sub mensura legis includere, vel intra vnius Iudææ gentis terminos voluit cohibere. *Sed supra candelabrum, inquit, ut qui ingrediuntur, lumen uideant.* Candelabrum Eccle- Candelabrum, Ecclesia.
siam dicit, cui lucernam superposuit, quia nostris in frontibus fidem suæ incarnationis affixit, vt qui Ecclesiam fideliter ingredi voluerint, lumen veritatis palàm queant intueri. Qua sententia Iudæorum quoq; proceres condemnat, qui signa quærentes exteriùs, apertam lucis ianuam noluerint intrare credendo. Deniq; præcipit, ne opera tantummodò, sed & cogitationes & ipsas etiam cordis intentiones, mundare & castigare meminerint. Nam sequitur: *Lucerna corporis tui, est oculus tuus.* Corpus quidem dicit opera, quæ palàm cunctis apparent: oculum verò Oculus, intentio.
ipsam mentis intentionem qua operatur, & de cuius merito eadem opera, lucis an tenebrarum sint opera, discernuntur, sicut ipse consequenter exponit, dicens: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit.* Si (inquit) pura rectaq; intentione, quæ potes agere bona studueris, lucis profectò sunt opera quæ facis, etiamsi coram hominibus imperfectionis aliquid habere videantur: quoniam diligentibus Deum omRom. 8.
nia cooperantur in bonum, his qui secundùm propositum vocati sunt sancti. Si autem peruersa est intentio quæ præcedit, prauum est omne opus quod sequitur, quanuis rectum esse videatur. *Vide ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint:* hoc est, ne ipsa cordis intentio, quæ lumen est animæ, vitiorum caligine fuscetur, sedula discretione perpende, iuxta quod alibi præcipitur: Om
Prou. 4. ni custodia serua cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit. *Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te.* Totũ corpus nostrũ, omnia opera nostra dicit: quia & Aplũs membra nostra nuncupat quædam opera,

quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ improbat,& mortificanda præcipit,dicens:
Coloss. 3. Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram,fornicationem,immunditiam, libidinem,& cætera talia. Si igitur ipse bonum bona intentione patraueris,non habens in tua conscientia aliquam partem tenebrosæ cogitationis,etiamsi contigerit aliquem proximorum tua bona actione noceri,verbi gratia,aut de pecunia quam à te indigens & petens acceperat, facere vel pati aliquid mali, aut de verbo exhortationis,quo errantem corrigere volebas, fortè perniciosiùs errare,tu tamen pro tuo simplici & lucido corde,& hic & in futuro lucis gratia donaberis.

DE CONFESSORIBVS.
Luc. X.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: *Qui uos audit, me audit: & qui uos spernit, me spernit. Et reliq.* Homilia uenerabilis Bedæ presbyteri.

Lib. 3. Cõment. in 10. cap. Lucæ.

Luc. 10.

IN superioribus planxit Dominus ciuitates,quę post magna miracula atque virtutes factas in se,non pœnituerũt, peioresque gentilibus, qui naturale solummodò ius dissipabãt, post descriptum legis contemptum , filium quoque Dei conculcare,gratiamq; ingrati spernere non timuerunt. Et ne quis putaret hanc increpationem illis tantummodò ciuitatibus vel personis,quæ Dominum in carne videntes spernebant,& non omnibus,qui hodieq; euangelij verba despiciunt, conuenire, consequenter adiunxit,dicens: *Qui uos audit, me audit: & qui uos spernit, me spernit*: vt in audiendo quoq; vel spernendo euangelij prædicatore , non viles iam quasque personas,sed Dominum saluatorem,immò ipsum patrem se spernere vel audire disceret. Nam sequitur: *Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* Quia proculdubiò in discipulo magister auditur,& in filio pater honoratur. Potest & ita
Matth. 25 intelligi: Qui vos spernit,me spernit: qui non facit misericordiam vni de fratribus meis minimis,nec mihi facit: quia & ipse pro his formam serui , & pauperis habitum suscepi. Qui autem me spernit,nolens credere Deum,& filium
Ioan. 10. Dei conculcans,spernit eum qui me misit, quia ego & pater vnum sumus. *Reuersi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes* : Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo. Benè quidé confessi sunt,deferẽtes honorẽ nomini Christi :sed quia infirma adhuc fide gaudebant in virtutibus,vide quid audiant. *Et ait illis: Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem.* Non modò video,sed priùs videbam quando corruit. Quòd autem ait,sicut fulgur, vel præcipitem de supernis ad ima lapsum significat, vel quia deiectus adhuc transfigurat se in angelum lucis. Quia ergo discipulos de signorum operatione vidit elatos, exemplo eos terret , atque ad humilitatem reuocat,eius qui primus superbiendo cecidit: vt qui hunc ob superbiam de cælo recordarentur eiectum, multo magis se de terra editos,si superbierint,humiliandos agnoscant. *Ecce dedi uobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & supra omnem uirtutem inimici, & nihil uobis nocebit*: Hoc est, omne genus immundorum spirituum de obsessis corporibus eijciendi,quanuis & ad literam rectissimè posset accipi. Siquidem & Paulus à vipera inuasus,nil aduersi patitur,& Ioannes,vt historia tradit,hausto veneno non læditur. Hoc sanè inter serpentes qui dente,& scorpiones qui cauda nocent,distare arbitror,quòd serpentes apertè sæuientes,scorpiones clanculò insidiantes,vel homines vel dæmones significent: Serpentes,qui inchoandis virtutibus venena prauæ persuasionis obijciunt:scorpiones,qui consummatas virtutes ad finem vitiare contendunt. *Veruntamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus uobis subijciuntur.* De subiectione spirituum , cùm caro sint, gaudere prohibentur: quia spiritus eijcere,sicut & virtutes alias facere , interdùm non eius est meriti qui operatur : sed inuocatio nominis Christi hoc agit ad condemnationem eorum qui inuocant, vel ob vtilitatem eorum qui vident & audiunt,conceditur: vt licet homines despiciant signa facientes,tamen Deum honorent, ad cuius inuocationem fiant tanta miracula. Nam in Actibus apostolorum filij Sceuæ videbantur eijcere dæmones , & Iudas apostolus cum animo proditoris multa signa inter cæteros apostolos fecisse narratur. *Gaudete autem, quòd nomina uestra scripta sunt in cælis.* Si satanas, inquit, per superbiam cæli sedem cum socijs amisit, non oportet vos de illorum humiliatione,sed de vestra subliAct. 16. matione gaudere, quatenus vnde illi ruêre subleuati,vos humiles ascendatis. Non autem pueriliter sapiendum,quasi Deus ad remedium obliuionis bonos in cælis,malos scribat in terris;di Ieremias 17. cente Ieremia : Vniuersi qui derelinquunt te, confundentur:recedentes à te ,in terra scribentur:sed salubriter intelligendum, quòd siue cælestia ,siue terrestria quis opera gesserit, per hæc quasi literis annotatus, apud Dei memoriam sit æternaliter affixus.

DE CONFESSORIBVS.
Matth. V.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis : *Vos estis sal terræ. Quod si sal euanuerit, in quo salietur. Et reliqua.* Homilia B. Augustini episcopi.

Lib. 1. De Sermone Dominj in monte.

SErmone superiori Dominus exemplo adhortatus est,quia vera dicentes, solent persecutionem pati: nec tamen ideò prophetæ antiqui tempore persecutionis à veritatis prædicatione defecerunt. Rectissimè itaq; sequitur : *Vos estis sal terræ*, ostendens fatuos esse iudicandos , qui temporalium bonorum vel copiam sectantes, vel inopiam metuentes,amittunt æterna , quæ nec dari possunt ab hominib⁹,nec auferri. *Itaq; si sal infatuatus fuerint, in quo salcietur?* id est, si vos, per quos condiendi sunt quodammodò populi,metu persecutionum temporalium amiseritis regna cælorum , qui erunt homines , per quos à vobis error auferatur, cùm vos elegerit Deus,per quos errorem auferat cæterorum? Ergo *ad nihilũ ualet sal infatuatus, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Non itaque calcatur ab hominibus, qui patitur persecutionem , sed qui timẽdo persecutioneminfatuatur. Calcari enim non potest, nisi inferior. Sed inferior non est, qui quanuis corpore multa in terra sustineat; corde tamẽ fixus in cælo est. *Vos estis lux mundi.* Quomodò dixit superiùs sal terræ , sic nunc dicit lux mundi,Nam neq; superiùs ista terra accipienda est,quam pedibus corporeis calcam⁹: sed homines,qui in terra habitant, vel etiam peccatores, quorum condẽndis & extinguendis putoribus Apostolicum salem Dominus misit. Et hic mundum non cælum & terram,sed homines qui sunt in mundo,vel diligunt mundum , oportet intelligi , quibus illuminandis apostoli missi sunt. *Non potest ciuitas abscondi, super mõtem constituta*, id est,fundata super insignem magnamq; iustitiam,quam significat etiam ipse mons, in quo disputat Dominus. *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio.* Quid putamus ita esse dictum sub modio, vt occultatio tantùm lucernæ accipienda sit:tanquàm si diceret,Nemo accendit lucernam,& occultat illam? An aliquid etiam modius significat , vt hoc sit ponere lucernam sub modio , superiora facere corporis commoda, quàm prædicationem veritatis: vt ideò quisque veritatem non prædicet , dum timet ne aliquid in rebus corporalibus & temporalibus molestiæ patiatur? Et benè modius dicitur, siue propter retributionem mensuræ , quia ea quisque recipiet , quæ gessit in corpore , vtillic (inquit Apostolus) recipiat vnusquisque quæ gessit in corpore : & tanquàm de hoc modio corporis alio loco dicitur : In qua enim mensura mensi fueritis , in ea remetietur vobis : Siue quoniam temporalia bona , quæ corpore peraguntur,certam dierum significant mensuram,& inchoantur,& transeunt,quam fortasis significat modius : æterna verò & spiritalia nullo tali fine coërcentur. Non enim ad mensuram dat Deus spiritum. Sub modio ergo lucernam posnit , quisquis lucem doctrinæ bonæ commodis temporalibus obscurat & tegit : Super candelabrum autem , qui corpus suum ministerio Dei subijcit,vt superior sit prædicatio veritatis , & inferior sit seruitus corporis : per ipsam tamen corporis seruitutem excellior luceat doctrina,quæ per officia corporalia, id est per vocem & linguam ,& cæteros corporis motus in bonis operibus insinuatur discentibus. Super candelabrum ergo ponit lucernam Apostolus,cùm dicit : Non sic pugno, tanquàm aẽrem verberans : sed castigo corpus meum , & seruituti subijcio,ne fortè alij prædicans , ipse reprobus inueniar. Quòd verò ait : *Vt luceat omnibus qui in domo sunt*, domum puta dictam habitationem hominum,id est,ipsum mundum,propter id quod superiùs ait: Vos estis lumen mundi. Aut si domum quisquam vult accipere Ecclesiam,neque hoc absurdum est. *Sic luceat (inquit) lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum qui in cælis est.* Si tantummodò diceret: Sic luceat lumen vestrum coram hominibus , vt videant bona facta vestra,finem constituisse videretur in laudibus hominum,quas quærunt hypocritæ, & qui amblunt honores,& captant inanissimam gloriam: contra quos dicitur, Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Et per prophetam , Qui hominibus placent , confusi sunt , quoniam Deus nihil fecit illos. Et iterùm : Deus confringit ossa hominibus placentium. Et rursùm Apostolus : Non effi- Gal. 6. ciamur inanis gloriæ cupidi. Et ipse iterùm : Probet autem se homo,& tunc in semetipso gloriam habebit,& non in altero. Non ergo tantùm dixit, Vt videant bona facta vestra , sed addidit : Et glorificent patrem vestrum qui in cælis est : vt hoc ipso, quòd homo per bona opera placeat hominibus, non ibi finem constituat, vt hominibus placeat, sed referat hoc ad laudem Dei,& propterea placeat hominibus, vt in illo glorificetur Deus. Hoc enim laudantibus expedit,vt non hominem , sed Deum honorent,sicut in ipso homine, quem portabant, Dominus ostendit : vbi admiratæ turbæ de paralytico sanato virtutes eius,(sic vt in euangelio scriptum est) timuerunt & glorificauerunt Deum,qui dedit potestatem talem hominibus. Cuius imitator Aplus Paulus dicit: Tantùm audientes erant,quia qui aliquando nos persequebatur,nunc euangelizat fidem,quam aliquando vastabat: & in me magnificabant Deum. Posteà ergo quàm cohortatus est audientes,vt se præpararent ad omnia sustinenda pro veritate atq; iustitia, & vt non absconderent bonum quod acepturi erant, sed ea beneuolentia discerent,vt cæteros docerent,non ad laudem suam, sed ad gloriam Dei bona sua opera referentes, incipit iam eos informare & docere quod doceant : tanquam si quærerent , dicentes : Ecce volumus

1. Cor. 11.

1. Cor. 9.

Matth. 9.

Gal. 1.

Psalm. 52.

ibid.

Gal. 6.

ibid.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lumus & omnia sustinere pro nomine tuo, & doctrinam tuam non absconderemus? Sed quid est hoc ipsum, quod vetas abscondi, & pro quo iubes omnia tolerare? Nunquid alia dicturus es contra ea, quæ in lege scripta sunt? Non, inquit: *Nolite putare, quoniam veni soluere legem, aut prophetas. Non veni soluere, sed adimplere.* In hac sententia duplex sensus est: secundùm vtrunque tractandum est. Nam qui dicit, Non veni soluere legem, sed adimplere: aut addendo dicit, quod minùs habet, aut faciendo quod habet. Illud ergo priùs consideremus, quod primùm posuimus. Nam qui addit quod minùs habet, non vtique soluit quod inuenit, sed magis perficiendo confirmat. Et ideò sequitur & dicit: *Amen dico uobis, donec transeat cælum & terra, iota unum aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Dum enim fiunt etiam illa, quæ adduntur ad perfectionem, multo magis fiunt illa, quæ præmissa sunt ad inchoationem. Quòd autem ait, Iota vnum aut vnus apex non transiet à lege: nihil potest aliud intelligi, nisi vehemens expressio perfectionis, quando per literas singulas demonstrata est, inter quas literas iota minus est cæteris, quia vno ductu fit: apex autem est etiam ipsius aliqua in summo particula. Quibus verbis ostendit, in lege ad effectum etiam minima quæque perduci. Deinde subiecit: *Qui enim soluerit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus uocabitur in regno cælorum.* Mandata ergo minima significantur per vnum iota, & per vnum apicem. Qui ergo soluerit & docuerit sic, id est, secundùm id quod soluit, non secundùm id quod inuenit & legit, minimus vocabitur in regno cælorum, & fortassè non erit in regno cælorum, vbi nisi magni esse non possunt. *Qui autem fecerit & docuerit sic.* Qui autem fecerit, hoc est, qui autem non soluerit & docuerit sic, secundùm id quod non soluit. Quòd verò magnus vocabitur in regno cælorum, sequitur, vt etiam sit in regno cælorum, quò magni admittuntur. Ad hoc enim pertinet, quod sequitur: *Dico enim uobis, quia nisi abundauerit iustitia uestra plusquàm scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum,* id est, nisi non solùm illa minima legis præcepta impleueritis, quæ inchoant homines, sed etiam ista quæ à me addun tur, qui non veni soluere legem, sed adimplere, non intrabitis in regnum cælorum. Sed dicis mihi: Si de illis mandatis minimis cùm superiùs loqueretur, dixit minimum vocari in regno cælorum, quisquis vnum eorum soluerit, & secundùm suam solutionem docuerit: magnum aùt vocari, quisquis ea fecerit, & sic docuerit, & ex eo iam in regno cælorum futurum esse, quia magnus est: quid opus est addi præceptis legis minimis, si iam in regno cælorum potest esse, quia magnus est, quisquis ea fecerit, & sic docuerit? Quapropter sic est accipiẽda illa sententia: Qui aũt fecerit, & docuerit sic, magnꝰ vocabitur in regno cælorũ. i. nõ secundùm illa minima, sed secũdùm ea quę ego dicturus sum. Quæ sunt aũt ista? Vt abundet (inquit) iustitia vestra super scribarum & pharisæorum: quia nisi abundauerit, non intrabitis in regnum cælorum. Ergo qui soluerit illa minima, & sic docuerit, minimus vocabitur: qui autem fecerit illa minima, & sic docuerit, non iam magnus habendus est, & idoneus in regno cælorum, sed tamen non tam minimus, quàm ille qui soluit. Vt autem sit magnus atque illi in regno aptus, facere debet & docere, sicut Christus nunc docet, id est, vt abundet iustitia eius super scribarum & pharisæorum, per quam intret in regnum Dei, Amen.

Vide Augusti. libr. 1. Retract. cap. 19.

IN NATALI CONFESSORVM, HOMILIA I. EVSEBII Emeseni.

Homo quidam peregrè proficiscens, uocauit seruos suos, &c. Matth. 25.

HOMO iste Dominus & Saluator noster intelligitur, qui de hoc mundo ad patrem rediens (hoc est enim peregrè proficisci) priùs fidelibus suis bona sua largitus est. *Et uni dedit quinque talenta, alij uerò duo, alij uerò unum. Vnicuique secundum propriam uirtutem, & profectus est statim.* Quinque enim talenta, quinque sunt corporis sensus. Duo verò, intellectus & operatio. Vnum autem, intellectus tantùm. Hæc autem etsi naturaliter ab initio hominibus data sunt, ea tamen fidelibus suis iterùm Dominus dedit, & quodammodò innouauit, dum magis interiùs, quàm exteriùs habenda monstrauit. Habet enim & anima visum & auditum, gustum & odoratum & tactum: & quidem multo digniores illis, qui in corpore sunt. Sensus enim corporis cum animalibus communes habemus. *Abijt autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Qui autem unum acceperat abiens, fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui.* Hæc autem in sequentibus exponemus. *Post multum uerò temporis uenit Dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum illis.* Post multum verò temporis venit, quia multum temporis est inter primum & secundum aduentum Christi. Tunc enim cum seruis suis rationem Dominus ponet, quia, vt Apostolus ait, Omnes astabimus ante tribunal Christi, vt reddat vnusquisque rationem de his quæ gessit, siue bona, siue mala fuerint. *Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit quinque illa talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinq;*

Sensus animæ.

2. Cor. 5.

Luca vl. *quinque superlucratus sum.* Visum mihi dedisti, operatus sum in eo, & multos illuminaui. Quæ vidi, ostendi: quæ intellexi, docui: non celaui, non abscondi ea, quæ tu meis oculis reuelare dignatus fuisti. Habeo igitur hoc talentum multiplicatum. Dedisti mihi & auditum: in hoc quoque operatus sum, & multis alijs aures aperui, tuorumq; secretorum verba eos audire & intelligere docui. Hoc enim talentum Dominus requirebat, cùm diceret: Qui habet aures audiendi, audiat. Itemq;: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Gustum quoq; mihi dedisti, quo tuæ dulcedinis saporem intelligens dico: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & fauũ ori meo. Et in hoc quidem operatus sum, aliosque mecum ad degustandum inuitaui, dicens: Gustate & videte quàm suauis est Dominus, beatus vir qui sperat in eo. Sed quid dicam de odoratu, quo fideles tuos instruxi, qua ratione discernere valeant inter catholicam doctrinam & fœtentem hæreticam prauitatem. Hoc enim ferui tui illecti te sequuntur, dicentes: Trahe nos post te, & curremus in odorem vnguentorum tuorum. Pro hoc & sancta Ecclesia de naso laudatur, vbi dicitur: Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum: At verò & in tactu operatus sum, & non minùs in eo, quàm in alijs talentis lucratus sum. Tactus animæ, fides est. hoc enim Deus tenetur & tangitur. Quanto enim vnusquisq; fidelior est, tantò familiariùs & propiùs Deum tangit. Alij enim ipsum, alij eius vestimenti fimbrias tangunt. Hoc autem talentum duplicamus, quando fidem nostram alijs prædicamus. Sed audiamus, quid huic Dominus responderit, qui ei quinq; talenta duplicata obtulit. *Euge serue bone & fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.* Euge nanque, vox gaudentis est. Sed nota, quòd pauca Dominus reputat, quæ in hoc mundo meliora habemus. Qua in re illius regni diuitias inæstimabiles esse ostendit, de quibus Apostolus ait: Quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Parua igitur sunt hæc talenta, illis diuitijs comparata: siquidem eas quales sunt, per hæc neque videre, neque audire, neque ad plenum cogitare possumus. Quis enim illud cogitare valeat, quod in cor hominis non ascendit? *Intra in gaudium Domini tui.* De hoc enim gaudio Psalmista ait: Beati qui habitant in domo tua domine, in seculum seculi laudabunt te. Itemq;: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Hæc autem de quinque talentis dicta sunt: nunc verò de duobus audiamus, per quæ intellectum & operationem significari diximus. Quæ nimirum etsi numero sint pauciora, precio tamẽ & significatiõe nõ sunt inferiora. Qui. n. benè intelligit, & quæ intelligit operatur, nihil in visu & auditu, nihil in gustu & odoratu & tactu minus habet. In his enim duob. illa quinque plenissimè continentur: quæ quidem sibi mutuo coniuncta sunt, & sine altero alterum nõ valet. Inutilia enim sunt & intellectus sine operatione, & operatio sine intellectu. Vnde benè dicitur: Intellectus bonus omnibus facientibus eum, laudatio eius manet in seculum seculi. *Accessit igitur & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo superlucratus sum.* Intellectum & operationem mihi dedisti. Tu enim das intelligentiam intelligentibus, tu & bonam voluntatem, & benè operandi affectum tribuis. Vnde Apostolus, Neque volentis, inquit, neque currentis, sed miserentis est Dei. Nam neque volentis est voluntas, neq; currentis est cursus, sed miserentis est Dei: qui priùs benè agendi voluntatem, deinde benè currendi tribuit facultatem. Duo igitur talenta mihi dedisti, ecce duo superlucratus sum. Quoniam quid intelligant, & qualiter intelligentes operari debeant, alios docere piger non fui. Huic itaque Dominus respondens & congaudens, non minora bona largitur, quàm illi alij modò superiùs largitus fuerat. Beati isti serui, qui Domino suo talenta duplicata reddiderunt: beati, in quorum manibus Domini sui pecunia non est minorata: beati, qui animi splendorem, quem intùs habebant, alios quoque illuminando foras ostendebant. Inde est enim, quòd arcam de lignis setim fieri iusit, & intùs & extra de auro purissimo deaurari præcepit. Arca enim, & tota Ecclesia, & vnusquisque fidelis intelligi possit, in quibus cælestis sapientiæ thesauri recondit, sunt. Intùs enim & extrà deauratus est, qui sapientia, qua interiùs est illuminatus, foris quoque alios illuminare non cessat. Qui enim sibi datam sapientiam celant, illi intùs & non foris deaurati sunt. Cùm enim Apostolus dicit: Sapientiam loquimur inter perfectos, tunc & intùs & foris se deauratum esse significat. Hoc enim significabat illa lamina aurea, quam pontifex ex Dei præcepto in fronte ferebat. Inde est etiam, quòd mensam propositionis & candelabrum aureum, non intra velum, sed potiùs extra Dominus poni iusit, quatenùs ab omnibus viderentur, & nulli illuc accedere volenti celari potuissent. Si enim cibos spirituales & fidei lumen Dominus celare voluisset, nequaquàm extra velum, sed potiùs intra, mensam & candelabrum poni præcepisset. Nunc autem etiam de illo videamus, qui abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui. Per quem scilicet eos intelligimus, quibus ingenium & intellectum Dominus dedit, quẽ ipsi in terreno & carneo corde suffodientes

Psalm 110

Exod. 25.

Arca, Ecclesia, uel singuli Christiani.

1. Cor. 2.

Exod. 20.

Exod. 26.

& 40.

Talentum qui abscondant.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& abſcondentes, neque in ſua, neque in aliorum ſalute eum expendunt. Tales autem multos vidimus, qui ſi voluiſſent, multis prodeſſe potuiſſent. Et iſti quidem dignè ſatis amiſſo intellectu, quo malè vſi fuerant, dum ſe excuſare parant, iudicis iram contra ſe prouocant, dicentes: *Domine, ſcio quòd homo durus es, metis ubi non ſeminaſti, & congregas ubi non ſparſiſti: & timens abij, & abſcondi talentum tuum in terram. ecce habes quod tuum eſt.* Si enim intellectum habuiſſent, & ſenſum non amiſiſſent, nequaquàm durum & iniuſtum vocarent, cuius beneuolentiam captabant. Talis igitur excuſatio quàm ſit vana & inutilis, omniſque ingenij & rationis expers, ipſe Dominus oſtendit, dicens: *Serue male & piger, ſciebas quia meto ubi non ſemino, & congrego ubi non ſparſi. oportuit ergo te committere pecuniam meam nummularijs, & ego ueniens recepiſſem utiq; quod meum eſt cum uſuris.* Ac ſi diceret: Non fuit conueniens, vt meam pecuniam nummularijs committeres, cum me tam fortem eſſe cognoueras, vt non ſolùm mea, verumetiam aliena mihi vendicare valeam? Qua in re nullam te excuſationem habere manifeſtum eſt. Hæc autem pecunia, verba vitæ æternæ ſunt. Nummularij verò, quibus ea committitur, ſi tamen in ea negociantes, ocioſam eſſe non patiuntur. Hanc autem cum vſura Dominus recipit, quia multi fideles cum fructu boni operis eam acquirunt.

Pecunia. Nummularij.

Nuſquam eſt autẽ, vbi Dominus non ſeminauerit, nuſquam eſt vbi ſuæ gratiæ ſementem non ſparſerit: quia præter hoc, quòd in omnem terram exiuit ſonus apoſtolorum, omnibus hominibus rationem & intellectum, memoriam & ingenium largitus eſt. Conſtat igitur hunc malum ſeruum aduerſus eum eſſe mentitum. De quo Dominus ſubinferens, ait: *Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet quinque talenta.* Per quod intelligere poſſumus, ſolos bonos eam beatitudinem poſsidere, quam ſimul cum eis & mali poſſediſſent, ſi in bonitate permanſiſſent. Talentum enim, id eſt, talenti retributionem & meritum ſoli boni habebunt. Vnde & ſubditur: *Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod uidetur habere, ab eo auferetur.* Quicunq; enim hæc talenta duplicata habuerit, ei talentorum meritum dabitur, & omnium diuitiarum plenitudine abundabit. Ei autem qui talentum non habuerit duplicatum ſed ocioſum, & ſine fructu illud eſſe permiſit, & iam id quidem videtur habere, auferetur ab eo: quoniam ſine ratione & intellectu ſtultus & inſipiens apparebit. *Et tunc inutilis ſeruus eijcietur in tenebras exteriores: illic erit fletus & ſtridor dentium*

Pſalm.18.

IN NATALI VNIVS CONFESSORIS, HOMILIA II. EVSEBII Emeſeni.

Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam, accipere ſibi regnum, &c.
Luc. 19.

HOMO ISTE NOBILis ipſe eſt, qui hæc loquitur, Saluator noſter: qui non ſolùm ſecundùm diuinitatem, qua & angelorum & hominum creator & Dominus eſt: verumetiam ſecundùm humanitatem ex nobili genere ortus eſt. De tribu nanq; Iuda & de progenie Dauid natus eſt Dominus: quæ inter alias tribus nobilior, regnum tenuit & principatum. *Hic autem abijt in regionem longinquam,* quando cælos aſcendens ad patrem redijt. Vnde ipſe ait: *Exiui à patre & veni in mundum: Iterum relinquo mũdum, & vado ad patrem.* Hæc autem regio longinqua eſt, quia cum multo labore illuc peruenitur. Per multas enim tribulationes, ait Aplûs, oportet nos intrare in regnum cælorum. Ab hac aũt vnuſquiſq; tanto longiùs eſt, quanto inter cæteros iniquior eſt. Ad hanc igitur Dominus redit *accipere ſibi regnum & reuerti.* Tunc enim ſibi Dominus regnum accepit, quando eius humanitas ſuper cælos exaltata eſt, eiq; à patre dictum eſt: Sede à dextris meis, donec ponã inimicos tuos ſcabellũ pedum tuorũ. Reſtat igitur vt reuertatur, & ad iudicium rediens cum ſeruis ſuis rationem ponat. Priùs enim quàm illuc aſcenderet, *uocatis decem ſeruis ſuis, dedit illis decem minas,* quæ alius euangeliſta talenta vocat. Decẽ ſunt ſerui, decem ſunt & talenta. Noli dicere pauci ſunt, conſidera priùs quid decem ſignificent. Hoc .n. numero nullus alius maior eſt: quia omnes numeri in hoc ſolo continentur. Decem igitur aliquando multos, aliquando ſignificant omnes. Vocauit igitur decem idem Dominus ſer uos ſuos, & dedit illis decem minas, id eſt, omnia talenta ſua, quod alibi dicitur, Et dedit illis bona ſua. *Et ait ad illos: Negociamini dum uenio.* Bonus negociator beatus Paulus, qui omnibus omnia factus eſt, vt omnes lucrifaceret. Quotidiè nanque in Eccleſia nundinæ fiunt, quotidiè Dei theſaurus in Eccleſia venditur. Theſaurus enim deſiderabilis requieſcit in ore ſapientis. Dei aũt negociatores omnes ſunt ſerui, & nihil aliud niſi ſeruos emunt. Nihil enim aliud de mundi diuitijs, niſi ſolos ſeruos eorum Dominus concupiſcit. Vnde & de templo eos eiecit, qui malènegociantes, illicita ibi vendebant & emebant. Hoc autem de ſeruis dictum eſt, nunc de ciuibus audia-

Ioan.8.
Act.14.
Pſal.109.
Matth.25
Matth.21

audiamus. *Ciues autem eius oderant illum, & miſerunt legationem poſt illum, dicentes: Nolumus hunc regnare ſuper nos.* Iſti ciues Iudæi ſunt, qui ſuper te omnium regem & Dominum Chriſtum Ieſum regnare noluerunt, dicentes: Non habemus regem, niſi Cæſarem. Et iſti quidem hanc prauã legationem poſt eum mittunt: quia ex quo ab eis receſsit, in hac mala voluntate perſeuerant. Quæ voluntas, quia CHRISTVS eam cognoſcit & audit, quaſi quædam legatio in illius ſemper auribus ſonat. *Et factum eſt ut rediret acepto regno: & iuſſit uocari ſeruos, quib. dedit pecuniam, ut ſciret quantum quiſq; negociatus eſſet.* Hoc aũt erit in iudicio, quando boni & mali omnes aſtabunt ante tribunal Chriſti, vt vnuſquiſq; pro ſe rationem reddat. *Venit autem primus, dicens: Domine, mina tua decem minas acquiſiuit.* Tunc enim vnum talentum decem acquirit, quando aliqua gratia nobis à Deo conceſſa, in multas virtutes creſcit: aut multos peccatores ad fidem & iuſtitiam conuertit. *Et ait illi: Euge ſerue bone, quia in modico fuiſti fidelis, eris poteſtatem habens ſupra decem ciuitates.* Et hoc quidem alius euangeliſta manifeſtiùs poſuit, dicens: Supra multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui. Itemq;: Beatus ſeruus ille, quem cũ venerit Dominus, inuenerit vigilantem: Amẽ dico vobis, ſuper omnia bona quæ poſsidet, conſtituet eum. Hoc eſt igitur ſupra decem ciuitates poteſtatem ei dare, quod eſt ſuper omnia quæ poſsidet, eum conſtituere. Dixi enim per decem minas, omnes ſignificari. Et ſupra omnia quidem quæ Dominus poſsidet, vnuſquiſq; conſtituitur, quia omnia ei obediunt, eiusq; voluntatem omnia faciunt. Tanta enim ibi concordia erit, vt vnuſquiſq; quaſi maior veneretur ab omnibus, & quaſi minor, veneretur omnes. *Et alius uenit, dicens: Domine, mina tua fecit quinq; minas.* Ille quoque in talento ſibi credito operatus eſt, ſed non tantum quantum ille, de quo modò diximus, in eo lucratus eſt. Nam & ſi omnes laborent benè, non æqualiter tamen omnes laborant. Vnde Apoſtolus: Ego, inquit, plûs omnibus laborani: non autem ego, ſed & gratia Dei mecum. Qua in re in talento, & in gratia ſibi data, ſe plûs cæteris laborаſſe oſtendit. *Et huic ait: Et tu eſto ſupra quinque ciuitates.* Sicut enim nec in labore, ita neque in mercede æquales ſunt. Qui enim plûs laborauerit, plus mercedis accipiet. Stella enim, vt Apoſtolus ait, differt à ſtella in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum. Quanuis igitur omnes beati erunt, non tamen omnes æquales erunt. Quod quidem in eo ſignificatur, quòd alij ſupra decem, alij ſupra quinque ciuitates conſtituti dicuntur. *Et alius uenit, dicens: Domine ecce mina tua, quam habui repoſitam in ſudario. Timui enim te, quia homo auſterus es, tollis quod non poſuiſti, & metis in quod non ſeminaſti.* In ſudario nanque talentum reponit, qui gratiam ſibi datam in hac carne, laboribus & fatigationibus tradita, torpeſcere ſinit. Mentitur autem ille malus ſeruus, dum eum auſterum vocat: de cuius dulcedine Pſalmiſta loquitur, dicens: Dulcis & rectus Dominus, propter hoc legem ſtatuit delinquentibus in via. Talis igitur excuſatio quàm vana & inutilis ſit, ipſe Dominus oſtendit, dicens: *De ore tuo te iudico ſerue nequam. Sciebas,* vt ipſe fingis, *quòd ego auſterus homo ſum, tollens quod non poſui, & metens quod non ſeminaui. Et quarè non dediſti pecuniam meam ad menſam, & ego ueniens, utique cum uſuris exegiſſem illam?* Ac ſi dicat: Non fuit conueniens, vt meam pecuniam ad menſam nummulariorum committere timeres, cùm me tam fortem & potentem eſſe cognoueras, vt non ſolùm mea, verùm & aliena vbique mihi vindicare valeam. Qua in re nullam te habere excuſationem manifeſtum eſt. Hæc autem pecunia, verba vitæ æternæ ſunt: menſa, Eccleſia: nummularij, auditores, quibus omnis iſta pecunia nunciatur & creditur. Hanc autem cum vſura Dominus recipit, quia multos fideles cum fructu boni operis per eam acquirit. Nuſquam autem eſt, vbi Dominus non ſeminauit, nuſquam eſt vbi ſuæ gratiæ ſementem non ſparſerit: quia præter hoc, quòd in omnem terram exiuit ſonus eorum: omnibus hominibus rationem & intellectum, memoriam & ingenium largitus eſt. Conſtat igitur hunc ſeruum nequam aduerſus eum eſſe mentitum. De quo ipſe ſubinferens, ait: *Auferte ab illo minam, & date illi qui decem minas habet.* Per quod intelligere poſſumus ſolos bonos eam beatitudinem poſsidere, quam ſimul cum eis & mali poſsiderent, ſi in bonitate perſtitiſſent. *Et dixerunt illi: Domine, habet decem minas.* Decem vtique iam habebat, quibus vna ſuperaddita, vndecim fiunt. Quid eſt quòd non vndecim, ſed decem tantùm habere dicitur: niſi hoc quod ſuperiùs diximus, quia idem ſignificant decem, quod omnes? Secundùm quam ſignificationem magis fuit decem dixiſſe quàm vndecim, quia vndecim non ſignificant niſi vndecim, decem verò ſignificant omnes. Poteſt autem & ſic intelligi, quod dicitur: Domine habet decem minas, ac ſi diceretur: O Domine, decem quidem minas habet, ſatis ei ſufficere poſſunt, cur etiam plus dari iubes? Quibus Dominus ait: *Dico autem uobis, quia omni habenti dabitur & abundabit: ab eo autem qui non habet, & quod habet auferetur ab eo.* Omnis enim qui fidem habet, & dignam fidei operationem, ſicut iſti qui talenta ſic multiplicauerunt, dabitur ei Eccleſiæ multitudinis retributio. Ab eo verò qui non habet, etiam hoc quod in opinione hominum habet, id eſt, hoc quod videtur habere, vt alius euangeliſta ſcribit, auferetur ab eo. *Veruntamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare ſuper ſe, adducite huc, & interficite ante me.* Miſeri Iudæi, aduerſus quos iſta dicuntur, de quibus

Ioan.19.
Pſalm.24.
Pſalm.18.
Matth.25

Universidad de Deusto
Biblioteca

suprà dixerat: Ciues enim eius oderant illum. Isti enim tunc interficientur, quando dicetur eis: Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius. Tunc & boni audient: Venite benedicti patris mei: percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.

Ibid.

IN NATALI CONFESSORVM, HOMILIA III. EVSEBII Emeseni.

Sint lumbi uestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus uestris, &c. Luc. 12.

Iob 40.

Prou. 31.

Ibid.

Leui. 16.

Matth. 5.

Nuptiæ in cælo & in terra.

Vòd enim lumbos præcingere nos Dominus præcipit, castitatis gloriâ & obseruantiam cõmendat. In lumbis enim luxuria dominatur: Vnde & de diabolo dicitur. Virtꝰ eius in lumbis eius, & fortitudo illius in vmbilico ventris eius. De Ecclesia quoq; dicitur: Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum. Itemq;: Sindonem fecit & vẽdidit, & cingulum tradidit Chananæo. Inde est, qꝺ sacerdotes in lege balteos & femoralia habere iubentur, sine quibus ad altare non accedant, neq; tabernaculum ingrediantur. His igitur & similibus comprobatur, quantùm Deo placeat obseruantia castitatis. Sequitur: *Et lucernæ ardentes in manibus uestris.* Ardent enim lucernæ nostræ, si benè circunquaq; fulgeant, alioſq; illuminent & doctrina & opera nostra. Vnde & Dominus ait: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videntes opera vestra bona glorificent patrem vestrũ, qui in cælis est. Illorum enim lucernæ extinctæ sunt, qui neq; doctrina, neq; operatione alios illuminant. Debemus aũt similes esse hominib. Dominum suum expectantibus, quando à nuptijs reuertatur, ne nos imparatos & dormientes inueniat. Dominus enim noster tunc ad nuptias reuertetur, quando sponsam suam matrem nostrã, sanctam videlicet Ecclesiam, omni corruptione liberam, castis complexibus in æternæ felicitatis thalamum introducet. Venit aũt & nũc ad nuptias per singulos dies, quando sanctorũ animas, quæ & ipsæ illius sponsæ sunt, ad se vocat, & secũ in æternæ beatitudinis cubiculũ collocat. Quotidiè igitur Saluator noster nuptias facit: quotidiè ad se venientibus sanctorum animab. delicias summi boni, & ineffabilis dulcedinis epulas ministrat. Siue ergo per ablatiuum dicatur à nuptijs, siue per accusatiuum ad nuptias, non est inconueniens: quoniam & in cælo & in terra nuptiæ fiunt. De nuptijs itaq; ad nuptias Dominus venit, quia & hic & ibi sponsam habet. Hęc est aũt illa sponsa, de qua scriptum est: Vna est columba mea, sponsa mea, immaculata mea. De his autem nuptijs alibi quoq; Dominus ait: Simile est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Ad has autem nuptias priùs Iudæi inuitati sunt: sed quia non fuerant digni, gentes Dominus vocare præcepit. In his patriarchæ & prophetæ, in his apostoli & doctores, magnas & ineffabiles epulas ministrant. De his aũt nuptijs totus ille liber scriptus est, qui Canticũ Canticorũ vocatur. In his ipse Dominꝰ sponsus ẽ & minister, qui ait: Nõ veni ministrari, sed ministrare. Vnde etiam subditur: *Beati serui illi, quos cùm uenerit Dominus, inuenerit uigilantes. Amen dico uobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Ibi est & Dauid cum Psalterio & cithara, & schola cantorum ibi recumbit, & reficitur omnis ordo sanctorũ. Beati igitur serui illi, quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes. De his .n. vigilijs Aplus ait: Vigilate iusti, & nolite peccare. Itemq;: Vigilate & orate, & state in fide: viriliter agite & confortamini in Domino: omnia vestra in charitate fiant. Qui enim sic vigilauerint, beati erunt. Hos faciet Dominus secum discumbere, & per hos transiens, ministrabit eis. Vnde & discipulos consolans, ait: Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis: & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus, regnum, vt edatis & bibatis super mensam meã in regno meo. In eo verò, qꝺ ait: Quia præcinget se: & quia transiẽs ministrabit illis: quo affectu, quo amore, quibus charitatis visceribus eos suscipiat, & in gloriam illis præparatam inducat, manifestissimè ostendit. Non enim hoc ad literam intelligi debet, sed in exteriori apparatu, cordis intentio declaratur. *Et si uenerit in secunda uigilia, et si in tertia uigilia uenerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi.* Tres vigiliæ, tria tempora sunt, ante legẽ, sub lege, & sub gratia. Quoniam aũt in prima vigilia, neq; per legem, neq; per prophetas mundũ Dominus visitauit, ideò nihil hic de prima vigilia dicitur. In secunda autem vigilia non solùm per leges & prophetas, verùm etiã per seipsum mundũ visitare dignatus ẽ. Vnde Aplus ait: Multifariè & multis modis olim Deus patrib. loquẽs in pphetis, nouissimè dieb. istis locutus est nobis in filio. Tertia aũt vigilia hæc est, in qua non solùm venire, verumetiã se semper adesse testatur, dicẽs: Ecce ego vobiscũ sum omnib. diebus, vsq; ad consummationẽ seculi. Sequitur: *Hoc aũt scitote, quia si sciret paterfamilias qua hora fur uenire t, uigilaret utiq;, & nõ sineret perfodi domũ suã.* Quia igitur nescit, quia dormiẽs negligit, sæpè domꝰ perfoditur, & quicquid in ea meliꝰ ẽ, fit rapina latronũ. Vos aũt estote parati, estote soliciti: & quia illã vnã horã nescitis, omnib. horis vigilate: ne in illa hora incauti & dormiẽtes inueniamini. Et hoc ẽ, qꝺ ait: *ideò & uos estote parati, qa qua hora nõ putatis, filius*

Cant. 5.

Matth. 25

Matth. 20

Luc. 22.

Tres vigiliæ, tria tempora.

Hebr. 1.

Matth. 8

filius hoìs ueniet. Ait autẽ ei Petrus: Domine, ad nos dicis hãc parabolã, an ad oẽs? His enim verbis intelligere possumus, quædam specialiùs ad discipulos, quædam generaliùs ad omnes Dominum dixisse. Qualia sunt: Nolite cogitare de crastino: & nolite soliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori quid induamini: & multa alia. *Dixit autem Dominus: Quis putas fidelis est dispensator & prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille seruus, quem cùm uenerit Dominus, inuenerit ita facientẽ.* Constat igitur, quòd non solis Apostolis, sed & cæteris Ecclesiæ ministris & dispensatoribus, episcopis & sacerdotibus ista dicãtur. Hos enim constituit Dominus supra familiam suam: hos constituit supra Ecclesiam & domum suam, vt eam regerent, eam docerent, ei necessaria ministrarent, & tritici mensurã pro tempore darent. Hoc enim triticum, doctrina euangelica intelligitur, quam non solùm ad mensuram, sed & suo tempore dare oportet. Non enim omne tempus aptum est doctrinæ: nec æqualiter omnibus, nec omnia omnibus prædicare conuenit. Fidelis igitur dispensator & prudens diligẽtissimè considerare debet, quando, & quid, & quantum vnicuique tribuat. Vnde in lege quibusdam sacrificijs solis sacerdotibus, quibusdã & alijs vesci licitum erat. Locus quoque & tempora constituta erant, in quibus ea offerre licebat. Beatus igitur ille seruus, quem cùm venerit Dominus, inuenerit ita facientem. Vnde autem beatus sit, audiamus: *Verè dico uobis, quia supra omnia quæ possidet, constituet eum.* Supra omnia, quidem vnusquisque constituitur, quia omnia ei obediunt, eiusque omnia faciunt voluntatem. Tanta enim ibi concordia erit, vt vnusquisque quasi maior veneretur ab omnibus, & quasi minor veneretur omnes. Non est igitur inconueniens, vt vnusquisque ibi supra omnia constituatur.

Matth. 6. Luc. 12.

Prudentia dispensatoris.

DE CONFESSORIBVS. Homilia IIII. Eusebij Emeseni.

Dixit Iesus discipulis suis: Vos estis sal terræ, &c. Matth. 5.

HAEC autem verba & alia multa tunc discipulis suis in monte DOMINVS loquutus est, quando octo beatitudines prædicauit. Vos, inquit, *estis sal terræ.* Vos estis hominum condimentum: vestro exemplo instrui, vestra sapientia doceri, vestra humilitate & patientia componi cæteri debent. Quòd *si sal euanuerit*, si prædicator vires amiserit, si episcopus luxuriæ & vanitati se dederit, *in quo salietur? Ad nihilum ualet ultrà, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Tale enim sal, quia infatuatum est, foras mittitur: quoniam falsus prædicator eiusq; doctrina, quæ vana, sine sapore & inutilis est, ab Ecclesia pellitur. Conculcatur aũt ab hominibus, quia dignus est, vt ab omnibus despectui habeatur. *Vos estis lux mundi.* Quod enim sol & luna præstant corpori, hoc Apostoli & doctores præstãt animæ. Illi illuminant oculos mentis. Sunt igitur lux mundi, quia maiorem & meliorem mundi partem illuminant. *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.* Sic enim sunt apostoli & episcopi supra Ecclesiam, sicuti ciuitas supra montem. Non possunt abscondi, altiùs sedent, omnium oculi ad eos respiciunt. Qui si pulchri fuerint, & sui ordinis decorem & honestatem tenuerint, venerantur ab omnibus, mirantur & laudantur ab omnibus. *Neq; accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed supra candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.* Ad hoc lucerna accenditur vt luceat, ad hoc episcopus ordinatur, vt cæteros illuminet. Lucerna enim, episcopus est: lumen, gratia spiritus sancti, siue euangelica prædicatio: candelabrum, Ecclesia. Qui ergo super Ecclesiæ cã delabrũ positus est, videat ne gratiam spiritus sancti, qua illuminatus est, sub modio ponat, vi deat ne talentum sibi traditum terræ fussodiat. Scriptum est enim: Sapientia occulta, & thesaurus absconditus, quæ vtilitas in vtrisque? Inde & qui abscondit frumenta, maledicetur in populis. Vnde & Apostolus ait: Si non euangelizauero, væ mihi erit. Vnde Ezechieli Dominus dicit: Fili hominis speculatorem posui te domus Israël. Si ergo non annũciaueris iniquo iniquitatem suam, animam eius de manu tua requirã. Hinc etiam mensam propositionis & candelabrum aureum, non intra, sed extra velum Domini iussit, quatenùs ab omnibus viderentur, & nulli absconderentur, qui vel fidei splendore illuminari, vel cibis spiritualibus satiari desiderant. Hoc autem significabant & tintinabula aurea, quæ inter mala punica posita erant in veste pontificis, vt sonus audiretur semper, & quando ingrediebatur sanctuarium, & quando egrediebatur de sanctuario, & non moreretur. Siue enim ingrediatur sanctuarium, siue egrediatur de sanctuario, hoc agere debet: quia quãdiù in Ecclesia est, quandiù circa se populum cernit, populus sanctuarium est, semper ædificationis verba eorum auribus sonare & instillare cõuenit. Quod quidem si episcopus fecerit, nõ morietur. Non autem sermone tantùm, sed & opere episcopus lucere debet. Vnde & subditur: *Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra bona opera, & glorificent patrem uestrũ qui in cælis est.* Lux, inquit, estis, & sermone & opere lucere debetis.

Ecclesi. 20 & 41. Prou. 11. 1. Cor. 9. Ezech. 3. & 33. Exod. 26. & 40. Exod. 28.

Candelabrum. Lumen.

Universidad de Deusto
Biblioteca

debetis. Magis enim operando quàm loquendo proficitis : quia maior est splendor operis, quàm sermonis. Vnde non ait: Vt audientes vestrum bonum sermonem, glorificent patrem vestrum. Sed quid ait? *Vt videntes uestra bona opera, glorificent patrem uestrum qui in cælis est. Nolite putare quoniam ueni soluere legem aut prophetas. non ueni soluere, sed adimplere.* Venerat enim Dominus non tantùm ad soluendum & exponendum hoc, quod lex & prophetæ iubebant, verùm & ad agendũ. Venerat præterea Dominus non ad hoc tantùm, vt legem & prophetas solueret & exponeret, sed vt ea quæ minùs habebant adimpleret. Multis enim modis, nisi ipse venisset, lex & prophetæ adimpleri non poterant. Prædixerant eius natiuitatem, passionem, resurrectionem, ascensionem, & virtutes quas in homine operatus est: quæ nequaquàm adimpleri possent, nisi ipse venisset. Multum igitur minùs habebant lex & prophetæ, spiritualem videlicet intelligentiam, quæ nisi per Christum adimpleri non poterant. Apoc. 5. Hoc enim Ioannes Apostolus & Euangelista testatur: qui cùm multum fleret, eò quòd nemo inuentus posset, qui librum septem sigillis signatum aperiret: dictũ est ei, ne fleret: quia ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid aperire librũ, & soluere septem signacula eius. *Amen dico uobis, donec transeat cælum & terra, iota unum aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Quomodò enim non fiant, quæ ipse Dominus ventura esse prædixerat? Alioqui mentiretur, qui mentiri nõ potest. Iota autem & apex, quæ in literis minima sunt, quamlibet legis & prophetarum paruissimam sententiam significant. Sequitur: *Qui soluerit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus uocabitur in regno cælorũ. Qui aũt fecerit & docuerit, hic magnus uocabitur in regno cælorum.* Nõ veni, inquit, legem soluere & exponere: sed ea quæ lex præcepit, agere veni & adimplere. Quarè hoc? Vis audire quarè? Quia qui scripturas solummodò soluit & exponit, & non facit quæ scripturæ præcipiũt, minimus vocabitur in regno cælorum. In quo regno cælorum? Dicitur enim non solùm patria cælestis, verùm & Ecclesia regnum cælorum. Sed quomodò ibi minimus vocabitur, qui neque magnus, neque minimus erit ibi? De Ecclesia igitur hoc intelligatur, quæ multis in locis regnum cælorum vocatur: In qua sancti Apostoli, martyres, & confessores, magni valdè venerantur & habentur, qui legis mandata & fecerunt & docuerunt. Cæteri verò qui minimi sunt quid attinet dicere, cùm neque in memoria apud homines habeantur, neque in cælis inter sanctos connumerentur? Et quidem multos tales in Ecclesia videmus, plerosque fuisse non dubitamus, qui benè certè prædicare sciunt, benè autem facere nesciunt. Isti igitur non immeritò minimi vocantur & sunt in regno cælorum: quoniam etsi ab alijs magni videantur, ab illis tamen despiciuntur, in quibus cælorum Dominus regnat & habitat. Sed videamus quid significet: Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis. De quibus istis, nisi de his quæ in lege continentur, quam se non soluere, sed & facere prædixerat? Quomodò autem aliquod mandatum minimum esse intelligere possumus, quod qui non facit vocatur minimus, & qui facit vocatur magnus? Tale enim mandatum non minimum, sed maximum esse videtur. Ego quidem his verbis significari puto, quòd omnia legis mandata non facientibus minima sunt, facientibus autem maxima: quoniam illos minimos, istos verò maximos faciunt. Sunt præterea minima in minimis, & magna in magnis, & illi ea habẽt pro minimo, & isti ea habẽt pro maximo. Potest autem & sic intelligi, quod dicitur: Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum. Ac si diceretur: Qui legis ac prophetarum mandata etiam quæ minima esse putantur, soluerit, & non custodierit, & vel sermone, vel prauo exemplo idipsum facere docuerit alios, minimus & vocabitur & habebitur. Vnde non ait, Minimus erit, sed, Minimus vocabitur in regno cælorum: quia quanùs ibi nõ sit, ab his tamen qui ibi sunt, minimus & vocari & haberi potest. Quæ sint autem legis & prophetarum minima mandata, non facilè patet, quanuis ea quę maxima sunt, Domino reuelante, sciamus. Sic enim ipse ait: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Maxima igitur hæc duo sunt, & illa decem, quæ digito Dei in tabulis lapideis scripta sunt. Ad horum itaque comparationem, alia omnia vel minora, vel minima intelligi possunt. Quæ qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. *Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tenebrosum erit. Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Hanc autem similitudinem ad quid attulerit Dominus, non clarè apparet, nisi fortasse quia discipulis loquebatur, quibus in huius sermonis exordio dixerat: Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi: vt per hoc videlicet intelligant, quales in Ecclesiæ corpore episcopi & doctores esse debeant. Et tale est, ac si diceret: Sicut oculus est lucerna corporis, ita & vos estis lucerna Ecclesiæ. Qui si simplex & sine macula fuerit, totum corpus lucidum erit. Si verò nequam & sine lumine fuerit, totum corpus tenebrosum erit. Nam neque manus quò extendantur, neque pedes quò ambulent, neque cætera membra cognoscent, ad quam partem se dirigere debeant. Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sint, & illud

Ecclesia, regnum cælorum.

Mandata ut minima & maxima.

Matth. 22.

& illud in se lumine careat, neque seipsum illuminare valeat, sine quo cætera membra lumen nõ habent, considera modò ipsæ tenebræ quãtæ erunt? Tantæ vtiq;, quanta & mẽbra. Sicut enim vnius lumine omnia illuminãtur, ita vnius tenebris omnia excæcantur. Necesse igitur est, vt Ecclesiæ oculus, necesse est vt sacerdos & episcopus simplex sit, sine macula sit, sine errore sit, quatenùs de eius vita, de eius doctrina, de eius moribus & sancta conuersatione omnia membra illuminentur. Si verò quod absit, nequam fuerit, si hæreticus fuerit, si fornicator & adulter fuerit, totum corpus tenebrosum erit. Non dixit, Totum corpus nequam erit, sed, Totum corpus tenebrosum erit: quoniam non omnes eius nequitiam imitantur, quanuis eius tenebris omnes inuoluantur. Omnes enim inuoluuntur tenebris, quando extincta est in eis lucerna luminis. Non enim ex tenebris oritur lumen, neq; ex mendacio nascitur veritas. Si ergo totius corporis lumen vertatur in tenebras, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Hoc autem & de anima intelligi potest, cuius oculus est intentio & intellectus. Quæ intentio si bona fuerit, omnis eius operatio lucida erit. Vnde & quidam sapiens ait: Nõ magnoperè considerandũ est quidaliquis agat, sed qua intentione hoc faciat. Vnde & modò supèrius Dominus dixit: Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Isti autem quia ĩtulta & vana intentione hoc faciunt, dicit Dominus, quia receperunt mercedẽ suam. Similiter autem & illi, qui omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus, nullam aliam mercedem habebunt. At verò illis, qui bona intentione hoc agunt, præcepit Dominus vt opera sua coram hominibus faciant. Sic, inquit, luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est. Sola igitur intentio facit, vt opera nostra vel bona, vel mala Domino appareant. Homo videt in facie, Deus autem intuetur corda. Vnde & ipse ait: Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. Iudicatis quæ nescitis, condemnatis multoties quæ ignoratis. Aliter vobis, & aliter mihi videtur: cognoscite priùs intentionem, & sic iudicate. Potest enim vnum fieri & simile opus, vt non vna intentione fiat. Palàm enim eleemosynas dare, bona & non bona intentione fieri potest. Si enim ideò das, vt ab hominibus videaris, non est bona intentio. Si verò ideò das, vt bonum exemplum alijs tribuas, & Deus inde glorificetur, bona intentio est. Sic igitur in omnibus sola intentio quærenda est: quæ si bona fuerit, totum corpus virtutũ, totaque massa operationum lucida erit.

DE VIRGINIBVS.

In Epistolam Concio exegetica Radulphi Ardentis.

GLORIATVR, *in Domino glorietur.* Hæc lectio tripartita est, fratres mei. Primò enim monet Apostolus gloriantem in Domino gloriari: Secundò, optat suam insipientiam supportari. Tertiò dicit se zelare nos zelo Dei. Primùm igitur monet, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Porrò ad hoc, quòd aliquis in Domino glorietur, tria concurrunt: & quòd gaudium suum & causam eius Deo attribuat, & quòd ei inde gratias agat, & quòd gaudij sui Deum finem constituat. Sunt enim quidã, qui gaudium suum & causam gaudij sui, sibi, non Deo attribuunt, & superbi sunt: vt illi qui dicunt: Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia. Et sunt quidam, qui gaudium suum & causam gaudij sui Deo attribuunt, sed non illi debitas gratias agunt, & ingrati sunt: vt nouem leprosi, qui ad reddendum ei gratias, quem curationis suæ authorem nouerant, non redierunt. Et sunt quidam, qui & gaudium suum, & causam gaudij sui Deo attribuunt, & ei gratias agunt, sed finem gaudij sui ad aliquam vanam intentionem deflectunt, & vani sunt: vt hypocritæ & omnes vanitatis amatores. Qui ergo & quòd gaudet, & vnde gaudet, Deo attribuit, & inde ei gratias agit, & eiusdem finem eum constituit, in Deo profectò gloriatur, & benè gloriatur, si de bono glorietur. Sunt enim quidam, qui de malo in bono gloriantur, vt Paulus & cæteri legis æmuli, qui gloriabantur in persecutione apostolorum, arbitrantes se obsequium præstare Deo. Habebant quidem zelum Dei, sed non secundùm scientiam. Sunt & qui de bono in malo gloriantur, vt hypocritæ, & peiores sunt. hypocritæ enim de bono, si quod faciunt, vanè gloriantur. Sunt & qui de malo in malo gloriantur, & pessimi sunt: vt illi, qui lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis. Sunt & qui de bono in bono gloriantur, & boni sunt: vt illi, qui de bono quod habent, in Deo gloriantur. Qui ergo de bono in bono gloriantur, benè vtique & discretè faciunt. Quarè autem homo debeat non in se, sed in Deo gloriari, ostendit cùm subdit: *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat*: id est: Non ex hoc, quòd aliquis se probat, est probatus & laudabilis: sed ex hoc, quòd Deus eum probat & commendat. Sunt enim, qui in conspectu hominum vanis laudibus vel simulatis operibus sese probant, & re-

2. Cor. 10

Deut. 32.

Luc. 17.

Ioan. 16.

Rom. 10.

Prou. 2.

pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

probantur : vt iactatores & hypocritæ. Sunt & alij, qui in conspectu Dei, de fide & charitate sua præsumentes, sese probant : & inde non reprobantur, sed magis improbantur & humiliantur, vt suam recognoscant infirmitatem : vt Petrus, qui de
Matth. 26 se præsumens, dixit : Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Permissus est cadere, vt de cætero suam infirmitatem agnosceret, & non in se, sed in solo Deo confideret. Sic & Dauid cùm quasi de se præsumen-
Psalm. 29 do dixisset : Ego dixi in abundantia mea, Non mouebor in æternum : mox de hac præsumptione se correctum esse demonstrat, cùm subdit : Auertisti faciem tuam à me, & factus
Psalm. 118 sum conturbatus. Similiter cùm de se præsumendo dixisset, Iurauí & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ : mox de hac præsumptione se correctum esse ostendit, cùm subdit : Humiliatus sum vsquequaque, Domine viuifica me secundùm verbum tuum. Sunt & alij, qui coacti humiliter & sine debito se probant, nec tamen ex hoc reprobantur, sed potiùs ex hoc Deus eos probat & commendat : vt Paulus,
2. Cor. 11. qui coactus à pseudoapostolis, sese commendat Corinthijs, vt magis eum audiant prædicantem vera, quàm pseudoapostolos prædicantes falsa. Homo igitur se laudat solis verbis, Deus autem laudat hominem factis.

Laus hominis. Homo se laudat, laudabilem tantùm se esse dicendo : Deus verò laudat hominem, eum lau-
Laus Dei. dabilem faciendo, conferendo videlicet ei gratias suas, & præcipuè virtutem humilitatis, qua instruatur semper humiliter de se sentire, nihil de se, sed semper de Deo præsumere, omnia Deo attribuere, & ad Deum omnia referre. Hæc hominem probatum atque laudabilem faciunt. Quanto enim quis magis fugit gloriam, tanto magis eum gloria sequitur. Secundò, optat Apostolus suam insipientiam supportari,
1. Cor. 11. cùm subdit : *Vtinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ, sed & supportate me.* Porrò suam insipientiam vocat Apostolus, hoc quòd seipsum commendare est compulsus, cùm scri-
Prou. 27. ptum sit : Laudet te os alienum, & non tuum. Nunquàm enim sunt alicuius probitates ita splendidæ, quin ex eius ore fiant sordidæ. Esset igitur verè insipientia, quòd Apostolus se commendat, nisi hoc humiliter & debito sine faceret, & nisi magis in se Deum, quàm seipsum commendaret. Tres enim causæ inueniuntur in sacris literis, quibus sancti coguntur sua bona humiliter retractare : Videlicet aut quando premuntur vehementi aduersitate, bona sua ad consolationem & spem humiliter retractant,
Iob 29. vt Iob, qui dicebat : Oculus fui cæco, & pes claudo : Aut quando mouere volunt Deũ, summum iudicem, ad misericordiam : vt Eze-
Esa 38. chias, cui cùm dictum esset à Domino, Morieris tu, & non viues, ait : Memento Domine, quomodò ambulauerim coram te in veritate : Aut quando volunt persuadere auditoribus, vt sibi magis acquiescant, quàm pseudoprædicatoribus, vt hic Paulus : Ministri, inquit, Chri-
2. Cor. 11 sti sunt, & ego : vt minùs sapiens dico, Plus ego. Hanc ergo insipientiam suam optat Apostolus sustineri, acsi dicat, Opto vt meam personam commendantem non redarguatis, sed sustineatis : sed, quod plus est, supportate me. Sustinemus enim ea, quæ non approbamus : supportamus ea, quibus consentimus. Est ergo perinde, ac si dicat : Si infirmitates & excessus patris vestri spiritualis sustinere & excusare debetis, & maledictus est, qui sicut
Gen. 9. Cam pudenda patris irridet : quanto magis vos meam propter vos susceptam insipientiam supportare debetis ? Quarè autem eum in hoc supportare debeant ostendit, cùm subdit :
Aemulor enim uos Dei æmulatione : ac si apertiùs dicat : Propter hoc debetis me supportare in hoc, quia propter dilectionem & salutem vestram facio totum hoc. Est autem hæc pars tertia, in qua Apostolus dicit, se nos zelare zelo Dei. Aemulor enim, pro zelo positum est. Sanè qui zelat sponsam suam, quatuor facit : Eam ardenter amat, eam cultibus exornat, omnes personas suspectas ab ea sequestrat, eam monitionibus, minis & verberibus castigat. Sic faciebat Paulus : sic facere debet
Ecclesiam sibi creditam pastor zelari debeat. omnis pastor ecclesiasticus. Debet enim Ecclesiam sibi commissam ardenter amare, bonis moribus & virtutibus eam exornare, hæreticos, criminosos & omnes animarum corruptores ab ea sequestrare, eam promissis, exhortationibus, minis, verberibus ad castitatem & sanctitatem prouocare. Cui autem pastor ecclesiasticus debeat zelare Ecclesiam, ostendit Apostolus, cùm subdit : *Despondi enim uos uni uiro uirginem castam exhibere Christo.* Multi enim sunt paranymphi, sed vnus solus sponsus est IESVS CHRISTVS : & multæ sunt personæ Christo desponsatæ, sed vna sola est Christi sponsa, videlicet Ecclesia, quæ quãuis tam ex incorruptis quàm ex corruptis corpore constet, tamen propter fidei integritatem inuiolabiliter conseruatam, virgo casta nuncupatur. Quãuis aũt hæc despõsatio in vtero virginali sit celebrata, tamen Paulus ait, Desponsaui : eò quòd desponsationis nuntius & conciliator, quantùm ad Corinthios, fuit. Porrò in desponsatione quatuor concurrunt, videlicet, cõsensus, pactio coniugalis, ex parte virginis arrha, & dos ex parte viri. Hęc cadẽ sunt in despõsatione christi & Ecclesię. Cõsentit. n. Ecclesia, siue quęlibet fidelis anima spontè, vt Christo inhæreat per fidem. Cùm enim cætera possit homo facere nolẽs, credere nó potest nisi volẽs. Paciscitur se in dilectione & obseruatione mandatorũ Dei perseueraturum. CHRISTVS verò sponsus largitur ei æternæ hæreditatis dotem. Itaque fratres mei, quia spopondistis in baptismo vos per fidem Christo sponso adhærere, quia pacti estis vos in charitate eius & mandatis perseuerare, quia spiritum sanctum accepistis in peccatorum remissione : considerate diligenter, si in his perseueratis, proculdubiò beati estis, quoniam percepturi estis dotem æternæ hæreditatis. Quòd si consensum & pactum desponsationis vestræ fregistis, festinate quàm citiùs poteritis illud per pœnitentiæ remedium renouare : quoniam benignus & misericors est Dominus, qui post multas fornicationes animam non solùm recipere dignatur, immò vt ad seipsum redeat hortatur. Vnde ipse per Ieremiam
Ierem. 3. dicit : Si recedens à viro suo mulier duxerit alterum virum, nunquid reuertetur ad eum vltrà ? Nunquid non polluta erit mulier illa ? Et tu fornicata es cum amatoribus multis : tamen ad me reuertere, & ego te suscipiam, ait Dominus. Quis viscera diuinæ misericordiæ pensare sufficiat ? Homo peccator mulierem post fornicationem ad se redeuntem recipere dedignatur : & Deus, qui ipsa munditia est, animam post multas fornicationes, vt ad se redeat, hortatur. Iam nobis nullus excusationis relinquitur locus. Propterea fratres mei, post multas turpitudines & præuaricationes ad Deum reuertamur, scelera nostra lachrymis veræ pœnitentiæ diluamus, operibus misericordiæ redimamus : ieiunijs & afflictionibus corpora nostra castigemus, orationibus & bonis operibus superni sponsi gratiam imploremus, ad eum totis suspirijs & gemitibus clamemus : quatenùs ad suas æternas nuptias nos introducere dignetur, & dotem promissam nobis concedat Dominus noster IESVS CHRISTVS, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia secula, Amen.

DE VIRGINIBVS,
Matth. XIII.

In illo tempore : Dixit IESVS *discipulis suis parabolam hanc* : *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro* : *quem qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius uadit, & uendit uniuersa quæ habet, & emit agrum illum.* Et reliqua. Homilia Haymonis.

VIrtus & sapientia Dei, Dominus Iesus Christus non solùm ad suscipiendam humanam naturam hominibus compati dignatus est, sed etiã humanæ ignorãtiæ condescendens, suis sanctis sermonibus, rerum temporalium similitudines frequẽ ter adhibuit, vt ex collatione rerum visibilium, ad inuisibilium amorem animos audientium incitaret. Vnde cùm cælestem gloriam studiosè amandam doceret, illarum rerum similitudinẽ adhibuit, quas homines plurimũ diligere solẽt, dicẽs : *Simile est regnũ cælorũ thesauro absc̃ōdito in agro, quẽ qui inuenit homo abscõdit.* Vbi thesauri nomine spiritualiter cælestis patriæ amorem intelligere debemus, vbi sunt diuitiæ quæ non deficiunt, thesaurus qui nunquàm marcescit : vbi nos Dominus thesaurizare admonet, iuxta quod alibi loquitur, dicens : Thesaurizate vobis thesauros
Matth. 6. in cælo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur : &, Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Qui profectò thesaurus tanto magis cumulatur, quãto magis temporalis thesaurus atque facultas studiosiùs pro Deo expenditur. Vnde de eo, qui thesaurum inuenit, dicitur : *Et præ gaudio illius uadit, & uendit uniuersa quæ habet, & emit agrum illum.*

Similitudines à Domino exhibitæ.

Ager in quo thesaurus latet.

Ager in quo thesaurus absconditus inuenitur, nos sumus, si tamen in nobis cæleste manet desiderium. Quem ille vẽditis oĩbus cõparat, qui corpus suum per cęlestis patriæ disciplinam affligit in ieiunijs, in vigilijs & orationibus. Sed & ille agrum cum thesauro inuento datis omnibus emit, qui crucifigens membra sua cum vitijs & cõcupiscentijs, Christum sequitur, & quodammodò spirituali venundatione seipsum immutat, declinando à malo, & faciendo bonum. Hunc enim thesaurum absc̃ditum in agro, cuidam Dominus emere persuadebat, cùm dicebat : Si vis perfectus esse, vade & vende omnia
Matth. 19 quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo : & veni, sequere me. Illud autem notandum, quòd thesaurus inuentus absconditur vt seruetur : quatenùs intelligamus, quàm studiosè in bono opere vanam gloriam cauere debeamus. Sic est enim præsens vita, quasi via : latrones autem iuxta viam, immundi sunt spiritus, qui illis maximè inuident, quos cum spirituali thesauro ad cælestem patriam tendere cognoscunt, sicut per prophetam de eorum capite dicitur : Sedet in insidijs cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem. Illorum ergo diuitias isti latrones rapiunt, qui per inanem iactãtiam bona sua opera coram hominibus denudant. Vnde necesse est, vt cùm opus bonum exteriùs agimus, intentionem Deo placendi semper in occulto teneamus, iuxta quod ipse

Vana gloria cauẽda

Psalm. 9.

nos

Universidad de Deusto
Biblioteca

Matth. 6. nos admonet, dicens: Cùm facis eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. Et
Ibid. iterùm: Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculũ: & clauso ostio, ora patrem tuum: & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Ad accendendam autem mentem in amorem cælestis desiderij, alia similitudo datur, cùm subinfertur: *Iterùm simile est regnum cælorum homini negociatori, quærenti bonas margaritas: inuenta autem una pretiosa margarita, abijt & uendidit omnia quæ habuit, & emit eam.*

Pretiosa margarita

Vbi præciosæ margaritæ nomine, dulcedo vel claritas æternæ patriæ intelligitur, quæ preciosior est cunctis preciosis rebus, & suauior omnibus delectationibus. Negociatores autem spiritualiter nos sumus, qui de terrenis facultatibus cælestem gloriam mercari iubemur. Notandum autem quòd ait, Vendidit omnia quæ habuit, & emit eam: quia ille preciosam margaritã vnam, id est, cælestem patriam datis omnibus emit, qui non solùm terrenis facultatibus, sed etiam proprijs renunciat voluntatibus.

Qui verò sua pauperibus tribuit, sed adhuc proprijs voluntatibus seruit, preciosam margaritam nondum emit: quia quod charius Deo poterat offerre, retinuit. Non enim Deus nostra, sed nos quærit, qui terrenam substantiam non nisi propter lucrum animarum dare præcepit. Quia ergo negociatori bonas margaritas quærenti, bonisque margaritis sumus comparati, debemus seruare in opere, quæ accepimus in nomine. Et sicut terrenos negociatores non maris pericula ab officio negociandi prohibent, non latronum insidiæ terrent, non asperi casus itineris vetant, non hyemis frigus, non æstatis calor retinet, tantùm vt terrenum lucrum acquirere possint: ita & nos qui spirituales sumus negociatores, ab amore cælestis patriæ nulla mundi blandimenta retineant, nulla eius aduersitas terreat, nec aliqua tribulatio prohibeat, vt preciosam margaritam amantes, cum Apostolo dicere valeamus: Quis ergo nos separabit à charitate CHRISTI? Tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an
Rom. 8. nuditas? an periculum? an gladius? Certus sum autem, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Imitemur & aliud negociatorum opus. Habent enim hoc proprium hi, qui negociandi operibus insistunt, vt si in vno negocio damnum incurrerint, studiosius negociandi operibus insistant, quousque quod in vna re perdiderunt, in alia acquirant. Ita ergo & nos, si in aliquo casu damnum animæ inciderimus, studiosius incepto bono operi insistamus: vt quod per negligẽtiam amisimus, per bonum opus recuperemus: quatenùs ad preciosæ margaritæ lucrum peruenire possimus, & vocem Domini audire mereamur, dicentis: Euge serue bone & fidelis, quia
Matth. 25 in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituã: intra in gaudium Domini tui. Hæc autem margarita tam chara est, vt nullis terrenis diuitijs possit comparari: tam vilis, vt sola bona voluntate possit acquiri. Hanc margaritam preciosam multis facultatibus Zachæus comparare studuit: qui cùm huius margaritæ largitorem in
Luc. 19. domo sua suscepisset, præ nimio gaudio dixit: Domine, dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si cui aliquid tuli, in quadruplum restituo. Hanc quoque margaritam vidua illa duobus æris minutis in gazophylacio iactatis comparauit. Cuius precium ipse testis conscientiæ, Dominus scilicet, collaudauit dicens: Amen
Marc. 12. dico vobis, quia vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophilatium. Omnes enim ex eo quod abundauit illis, miserunt: hæc verò de penuria sua quod habuit, misit totum victum suum. Huius margaritæ pulchritudinem, beatissima N. cuius hodiè festiuam colimus celebritatem, multis diuitijs datis comparauit, quando pro eius amore regni potentiã derelinquens, & thorum regalis matrimonij spernens, ad spontaneam paupertatem se contulit. Vnde sine dubio quia regis terreni consugium contempsit, sponsa effecta est regis cælestis: & quæ noluit cum terreno rege regnare in mundo, regnat cum Christo in cælo. Et quia salutationes & officia refugit regaliũ ministrorum, ministrat nunc Christo, coniuncta cœtibus angelorum. Et ideò dignum est, vt qui temporalem reginam honore debito veneramur, hanc Deo acceptam reginam deuotis precibus supplicemus, vt quia nos suo exemplo in nomine Christi congregauit, suis nos meritis & orationibus in præsenti vita iucundos efficiat, & in futura acceptos reddat. *Iterùm simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti.* Pulchrè sagenæ assimilatur Ecclesia, quia & piscatori est commissa, & intra rete fidei quotidiè homines capit. Sicut enim piscatorum est, cum sagena de profundis gurgitibus pisces ad litus trahere: sic quotidiè Ecclesia per doctrinam prædicatorum, de turbulentis & amaris gurgitibus mundi, mentes hominum ad veram lucem retrahere studet. Et quoniam quandiù in præsenti vita est Ecclesia, cum bonis colligit & malos, rectè de eadem sagena subditur:
Quam, cùm impleta esset, educentes, & secus litus sedentes, elegerunt bonos in uasa sua, malos autem foras miserunt, Vbi cùm boni & mali nominantur, præsentis temporis Ecclesia designatur. Boni enim soli nusquam sunt, nisi in cælo: mali autem nusquã soli sunt, nisi in inferno. Hæc autem Ecclesia, quæ in medio consistit, vtriusque partis ciues recipit, sicut per Psalmistam dicitur: Annunciaui & locutus sum, multiplicati sunt super numerum. Vbi considerandũ est, quia supra numerũ ele-
Psalm. 39.

ctorum modò in Ecclesiam multi reprobi intrare possunt, sed in regnum cælorum non possunt. Vnde & benè dicitur: *Elegerunt bonos in uasa sua, malos autem foras miserunt.* In quibus verbis manifestè discretio electorũ & reproborum in fine seculi futura esse ostenditur. Sicut enim mare seculum, sic litus maris, finem significat seculi. In litore enim sedentes, elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt: quia in fine seculi electi assumentur ad gloriam, & reprobi separabuntur ad pœnam, iuxta quod alibi Dominus ait in euangelio: In illa nocte erunt duo in lecto vno: vnus assumetur, & vnus relinquetur. Vnde & exponens Dominus similitudinem, adiunxit: *Sic erit in consummatione seculi. Exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & stridor dentium.* Hoc est quod Dominus alibi in euangelio dicit: Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala. Et item de zizanijs, quæ inimicus homo superseminauit tritico, interrogatus ait: Sinite vtraque crescere vsque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum. Idipsum est, quod alibi dicitur à Domino: Cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis, & cæt. In eo autem quod subiungitur: *ibi erit fletus & stridor dentium,* manifestè qualitas pœnarum describitur. Oculi enim præ nimio fumo fluere lachrymis solent, dentes vehementi frigore stridescere. Cùm verò ait, Ibi erit fletus & stridor dentium, ostendit quia reprobi in gehenna & frigus intolerabile, & calorem inæstimabilem sustinebunt, iuxta illud, quod per beatum Iob dicitur: Ad calorem nimium transibunt ab aquis niuium, & vsque ad inferos peccatum illius: obliuiscatur eius misericordia, dulcedo illius vermes. Finita autem similitudine, de eius intellectu saluator discipulos requirit, ostendens pijs magistris, vt alios possint erudire, aliquando interrogare debere. Ait enim: *intellexistis hæc omnia?* Illisque dicentibus, *Etiam,* de profectu illorum gloriabatur, dicens: *Ideò omnis scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & uetera.* Quod specialiter ad apostolos pertinere, ex eo manifestum est, quòd homini patrifamilias comparantur, proferenti de thesauro suo noua & vetera. Si enim per noua & vetera, vetus & nouum testamentum accipimus, Abraham & Moysen, cæterosque patres, qui ante Domini aduentum fuerunt, noua cum veteribus non protulisse cognoscimus: quia etsi noua narrauerunt, Domini tamen incarnationem nouam corporalibus oculis non viderunt, sicut ipse discipulis suis ait: Multi reges & prophetæ
Luc. 10. voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Apostoli autem noua & vetera spiritaliter intellexerunt, & noua corporalibus oculis viderunt:
Ioan. 13. quibus ipse ait: Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem. Siue aliter: Vetera ad pœnam, noua pertinent ad gloriã. Vetustum enim erat homini post peccatum ire ad pœnam, cui aliquid nouum per redemptoris aduentum contigit, quando benè operantibus gloria est repromissa. Cùm ergo Dominus discipulos collaudat, dicens: *Omnis scriba doctus in regno cælorũ, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & uetera:* ostendit hunc ordinem doctoribus in prædicatione seruandum, vt vetera proferant de terrore supplicij, & noua de promissiõe præmij. Quod & in huius lectionis serie suo exemplo Dominus ostendit, cùm in prioribus similitudinibus incitauit ad præmium, & in sequentibus comminatur supplicium: ostendens, vt dictum est, doctoribus, quia sic benè operantibus debent promittere gloriam, vt non cessent peccantibus comminari pœnam.

Concionatori quis ordo seruandus.

Quod etiam in lege figuratè ostendit, quando per Moysen tale præceptum dedit, dicens: Non
Deut. 24. accipies loco pignoris superiorem & inferiorem molam, quia apposuit tibi animam suam.
Mola superior & inferior. Superior enim & inferior mola, spes & timor accipitur. Quasi enim à debitore pignus accipimus, cùm confessionem peccatoris recipimus. Cui si pœnitenti spem non repromittimus, veniam negamus, superiorem molam tollimus. Si autem peccanti securitatem damus, inferiorem abstrahimus. Sed vtrunque obseruandum est, vt sic pœnitentibus promittamus veniam, quatenùs in peccato perseuerantibus comminemur pœnam: vt quos non prouocant ad benè agendum præmia promissa, saltem denunciata terreant supplicia.

DE VIRGINIBVS.

Matth. XXV.

In illo tempore: Dixit IESVS *discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum decem uirginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso & sponsæ. Et reliqua. Homilia beati Augustini episcopi.*

Est Sermo 23. de Verbis Domini.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVAE sint decem virgines dictæ, quarum sunt quinq; prudentes, quinque stultæ, non facilè indagari potest. Verùntamen secundú ea, quæ continet ipsa lectio, quæ charitati vestræ de euangelio hodiè est recitata, quantùm mihi Dominus intellectum donare dignatur, non mihi videtur ista parabola vel similitudo ad eas solas pertinere, quæ propria & excellentiori sanctitate virgines in Ecclesia nominantur, quas etiam vsitatiori vocabulo sanctimoniales appellare consueuimus: sed (nisi fallor) hæc similitudo ad vniuersam Ecclesiam pertinet: quanuis et si illas solas intelligeremus, quæ sanctimoniales vocantur, nunquid decem sunt? Absit vt tanta virginum multitudo, ad tam exiguum numerum reuocetur. Fortè autem dicat aliquis: Quid si multæ sunt nomine, & tam paucæ sunt in veritate, vt vix decem inueniantur? Non est ita: nam si solas decem vellet intelligi bonas, non ibi ostenderet esse quinque fatuas. Si enim multæ sunt virgines quæ vocantur, & veræ virgines decem inueniuntur, quarè contra quinque ostia domus magnæ clauduntur? Intelligamus ergo charissimi, ad omnes nos, id est, ad vniuersam omninò Ecclesiam istam pertinere parabolam: non ad solos præpositos, nec ad solas plebes, sed prorsùs ad omnes. Quarè ergo quinq; & quinq; virgines istæ? Quinq; & quinque virgines, omnes omninò sunt animæ Christianorum. Sed vt dicamus vobis, quod Deo inspirante sentimus, non qualescunque animæ, sed tales animæ, quæ habent catholicam fidem, & habere videntur opera bona in Ecclesia Dei: & tamen ex ipsis quinq; sunt prudentes, & quinque fatuæ. Quarè ergo appellatæ sunt quinque, & quarè virgines, prius videamus, ac deinde cætera consideremus. Omnis anima in corpore ideò quinario numero censetur, quia quinque sensibus vtitur. Nihil est enim, quod sentimus in corpore, nisi ianua quinq; partita, aut videndo, aut audiendo, aut odorando, aut gustando, aut tangendo. Qui ergo se abstinet ab illicito visu, abstinet ab illicito auditu, ab illicito odoratu, ab illicito gustu, ab illicito tactu, propter ipsam integritatem, virginis nomen accepit. Sed si bonum est abstinere ab illicitis sentiendi motibus, & ideò vnaquæq; anima Christiana nomen virginis habet, quare quinq; admittuntur, & quinque repelluntur? & virgines sunt, & repelluntur? Parùm est, quia virgines sunt: & lampades habent. Virgines propter abstinentiam ab illicitis sensibus, lampades habentes propter opera bona. *Matth. 5.* De quibus operibus Dominus dicit: Luceant opera vestra bona coram hominibus, vt videãt bona facta vestra, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Item discipulis dicit: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. In lumbis accinctis, virginitas: in lucernis ardentibus, opera bona. Non solet vtiq; dici virginitas in coniugatis, & tamen etiam ibi est fidei virginitas, quæ exhibet pudicitiam coniugalem. Nam vt nouerit sanctitas vestra, nó importunè secundùm animam, & secundùm integritatem fidei, qua etiam fide ab illicitis abstinetur, & bona opera fiunt, vnumquenq; vel vnáquanq; animam virginem dici, hoc est, totam Ecclesiam, quæ constat ex virginibus & pueris, & maritatis fœminis, & vxoratis viris: vno nomine virgo est appellata. Vnde hoc probamus? Apostolum audi dicentem, non solùm sanctimonialibus, sed vniuersæ prorsùs Ecclesiæ: Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Et quia huius virginitatis corruptor diabolus cauendus est, continuò ipse Apostolus cùm dixisset: Despondi vos vni viro virginem castã exhibere Christo, adiunxit & ait: Timeo autem, ne sicut serpens Euam seduxit versutia sua, sic & sensus vestri corrumpantur à castitate, quæ est in Christo. In corpore pauci virginitatem habent, in corde omnes habere debent. Si ergo ab illicitis abstinentia bona est, vnde virginitas nomen accepit, & si opera bona laudabilia sunt, quæ significantur lampadibus, quare quinque admittuntur, & quinque excluduntur? Si & virgo est, & lampadem fert, & tamen non admittitur: vbi se videt, qui nec virginitatem ab illicitis seruat, nec opera bona volens habere, in tenebris ambulat? De istis ergo fratres mei, de istis potiùs disputemus. Qui non vult videre quod malum est, qui nõ vult audire quod malum est, ab illicitis sacrificiorum nidoribus auertit odoratum, ab illicitis sacrificiorum cibis auertit gustum, fugit complexum alienæ, frangit panem esurienti, hospitem inducit in domum, vestit nudum, concordat litigiosum, visitat ægrotum, sepelit mortuum: ecce virgo, ecce habet lampadem. Quid quærimus ampliùs? Adhuc quæro. Quid adhuc quæris, inquis? Adhuc quæro. Intentum me fecit euangelium sanctum. Etiam ipsas virgines, & ferentes lampades, alias dixit prudentes, alias stultas. Vnde intuemur, vnde discernimus? De oleo. Aliquid magnum significat oleum? Valdè magnum. Putas non charitas est? Quærendo dicimus, non sententiam præcipitamus. Vnde mihi videatur per oleum charitas significari, dicam vobis. Apostolus dicit: Adhuc supereminentiorem viam vobis demonstro. Supereminentiorẽ viam quã demonstrat? Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æramentum sonans, aut cymbalum tinniens. Ipsa est supereminens via, id est, charitas, quæ meritò oleo significatur. Omnibus enim humoribus oleũ supereminet. Mitte aquam, & superinfũde oleum, oleũ supereminet. Mitte oleũ, & superinfunde

Virgines sanctimoniales.

Cur quinque.

Virgines quæ hic dicantur.

Lampades

Luc. 12.

2. Cor. 11.

Oleum charitas.

1. Cor. 12.

1. Cor. 13.

aquam, oleum supereminet. Si ordinem seruaueris, vincit: si ordinem mutaueris, vincit. Charitas nunquam cadit. Quid ergo fratres? Iam disceptemus de quinque virginibus prudẽtibus, & quinque fatuis, quæ voluerunt ire obuiàm sponso. Quid est ire obuiàm sponso? Corde ire, expectare eius aduentum. Sed ille tardabat. Dum tardat ille, dormierunt omnes. Quid est, omnes? Et sapientes & fatuæ obdormitauerunt & dormierunt. Putamus bonus est somnus istæ? Quid est somnus iste? Ne fortè tardante sponso, quoniam abundat iniquitas, refrigescit charitas multorum? Siccine intellecturi sumus istum somnum? Non mihi placet. dico quarè. Quia sunt ibi prudentes. Et vtique quãdo dixit Dominus, Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum, subiecit & ait: Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Vbi vultis esse istas prudentes? Nónne in his, quæ perseuerauerunt vsque in finem? Non ob aliud fratres, non ob aliud prorsùs admitterentur intrò, nisi quia perseuerauerunt vsque in finem. Non ergo eis obrepsit frigus charitatis, non in eis refriguit charitas, sed ferbuit vsque in finem. Quia feruet vsque in finem, ideò sponsi ianuæ patuerunt, ideò dictum est eis vt intrarẽt, sicut illi optimo seruo: Intra in gaudium domini tui. Quid est ergo, Dormitauerunt oẽs? Est alius somnus, qué nemo euadit. Nõ recordamini Apostolũ dicentẽ? De dormientibus autẽ nolo vos ignorare fratres, id est, de his qui mortui sunt. Quarè, n. dormientes vocãtur, nisi quia suo die resuscitantur? Ergo dormiũt oẽs. Putas quia prudẽs est, ideò non habet mori? Fatua sit virgo, prudens sit virgo, somnum mortis omnes patiũtur. Aliquando autem dicunt sibi homines: Ecce iam dies iudicij venit: tãta mala fiunt, tantę tribulationes crebrescunt, ecce omnia quæ prophetæ dixerunt, penè completa sunt, iam dies iudicij instat. Qui hoc dicunt, & fideliter dicunt, tanquàm obuiàm eunt sponso cogitationibus talibus. Sed ecce bellum super bellum, tribulatio super tribulationem, terræmotus super terræmotum, fames super famem, gens super gẽtem, & nondùm sponsus venit. Cùm ergo expectatur vt veniat, dormiunt omnes illi qui dicunt, Ecce venit, & dies iudicij hîc nos inuenit. Cùm dicit, Dormit: Ergo obseruet ad somnum suum, & perseueret in charitate vsq; ad somnum suũ: expectantem illum inueniat somnus. Putas enim, quia dormiunt: Nunquid qui dormit, non adijciet vt resurgat? Dormierunt ergo omnes. & de illis prudentibus, & de illis fatuis dictum est, Dormierunt. *Ecce media nocte clamor factus est.* Quid est media nocte? Quando non speratur, quando non creditur. Noctem posuit pro ignorantia, ne aliquis quasi computet sibi & dicat: Ecce ab Adam tot anni transierunt, & ecce complentur sex millia annorum, & continuò, quomodò quidam tractatores computauerunt, continuò veniet dies iudicij. Et veniũt & transeunt computationes, & adhuc remoratur sponsi aduentus, & dormiunt virgines quæ obuiàm ierant. Ecce dum non speratur, dum dicitur, Sex millia annorum expectabantur, & transierunt: vnde scimus iam, quando veniet? Media nocte veniet. Quid est, Media nocte veniet? Dum nescitur, veniet. Quarè dum nescitur veniet? Ipsum Dominum audi: Non est vestrum nosse tempora, quæ pater posuit in sua potestate. Dies DOMINI, Apostolus ait, tanquàm fur in nocte ita veniet. Ergo vigila in nocte, ne furem patiaris. Nam somnus mortis, velis nolis, veniet, sed cùm factus fuerit clamor media nocte. Quis iste clamor, nisi de quo Apostolus dicit: In ictu oculi, in nouissima tuba? Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Denique clamore facto media nocte, quo clamabitur, Ecce sponsus venit, quid sequitur? *Surrexerunt omnes.* Quid est, surrexerunt omnes? Veniet hora (dixit ipse Dominus) quando omnes qui sunt in monumentis, audient vocem eius, & procedent. Ergo ad tubam nouissimam surrexerunt omnes. *Prudentes autem illæ tulerunt oleum secum in uasis suis: stultæ uerò illæ non tulerunt oleum secum.* Quid est, Nõ tulerunt oleum secùm in vasis suis? quid est, In vasis suis? In cordibus suis. vnde dicit Apostolus: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Ibi oleum, magnum oleum, de dono Dei hoc oleum est. Denique homines oleum mittere intrò possunt, oliuam creare non possunt. Ecce habeo oleum, de Dei dono est. Habes oleum, porta tecum. Quid est, Porta tecum? Intùs habe, ibi Deo place. Etenim ecce istę virgines stultæ, quæ non portauerunt oleum secùm, abstinentia sua qua virgines appellantur, & bonis operibus suis, quando lampades ferre videntur, hominibus volunt placere, & si hominibus volunt placere, & ideò omnia ista laudabilia faciunt, oleum secum non portant. Tu ergo tecum porta, intùs porta, vbi Deus videt: ibi porta testimonium conscientiæ tuæ. Qui autem ambulat ad testimonium alienum, oleum non portat secum. Si ideò abstines ab illicitis, & facis opera bona, vt ab hominibus laudaris, non est intùs oleum. Denique cùm cœperint homines non laudare, deficient lampades. Intendat itaque charitas vestra. Antequàm dormirent illæ virgines, non est dictum, quia extinguebantur lampades illarum. Sapientium lampades ardebant de oleo æterno, de conscientiæ securitate, de interiori gloria, de intima charitate. Ardebant tamen & illarum fatuarum. Quarè tunc ardebant? Quia non deerant laudes hominum. Posteà verò quàm surrexerunt, id est, in resurrectione à mortuis, cœperunt aptare lampades suas, id est, præparare Deo operum suorum reddere rationem. Et quia tunc nemo est qui laudet, om-

Matth. 24.

Matth. 25.

Matth. 25.

Rom. 13.

Clamor factus nocte.

1. Cor. 15.

1. Thess. 5.

Act. 1.

Ioan. 5.

1. Cor. 15.

2. Cor. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis homo causæ suæ vacat, nemo est tunc qui non de se cogitet. Non ergo erant, qui oleum venderent. Cœperunt deficere lampades, & conuerterunt se fatuæ ad quinque prudentes: *Date nobis de oleo uestro, quia lampades nostræ extinguũtur. At illæ: Ne forte (inquiũt) nõ sufficiat nobis & uobis, ite potiùs ad uendentes, & emite uobis.* Non consolentium, sed irridentium est ista responsio. Quare irridentium? Quia sapientes erant, quia sapientia erat in illis. Non enim sapientes de suo erãt, sed illa in illis erat sapientia, de qua scriptum est in quodam libro, quæ dicit contemptoribus suis, cùm venerint ad mala, quæ illis minata sunt: Et ego vestræ perditioni superridebo. Quid mirum est, quia sapientes irrident fatuas? Quid est irridere? Ite ad vendentes, & emite vobis, quæ non solebatis benè viuere, nisi quia vos homines laudabant, quia vobis oleum vendebant. Quid est, Vobis oleum vendebant? Laudes vendebant. Qui vendunt laudes, nisi adulatores? Quanto magis non acquiesceretis adulatoribus, & intùs oleum portaretis, & propter bonam conscientiam omnia opera bona faceretis, tunc diceretis: Emendabit me iustus in misericordia, & arguet me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Meliùs, inquit, emendet me iustus, arguat me iustus, corrigat me iustus, colaphizet me iustus, quàm impinguet caput meum oleum peccatoris.

Prou. 1.

Psal. 40.

Quid est oleum peccatoris, nisi blandimenta adulatoris? Ite ergo ad vendentes, & emite vobis. hoc enim facere consueuistis: nos autem nõ vobis damus. Quarè? Ne fortè non sufficiat nobis & vobis. Quid est, non sufficiat? Non desperatione dictum est, sed sobria & pia humilitate. Quanuis enim bonus habeat bonam conscientiam, vnde scit quemadmodùm iudicet ille, qui neminem fallit? Habet bonam conscientiam, nõ illum titillant crimina in corde concepta, sed propter quotidiana quædam vitæ humanæ peccata, licet conscientia bona sit, tamen dicit Deo: Dimitte nobis debita nostra, quia fecit quod sequitur: sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Fregit panem esurienti ex corde, vestiuit nudum ex corde, de oleo interiori fecit opera bona, & tamen in illo iudicio trepidat ipsa bona conscientia. Vide quid est, Date nobis de oleo. Audierunt, Ite potiùs ad vendentes, quia laudibus humanis benè viuere consueuistis, vobiscùm oleum non portatis: non autem nos damus, ne fortè nõ sufficiat nobis & vobis. Vix enim de nobis iudicamus, quanto minùs possumus iudicare de vobis? Quid est, vix de nobis iudicamus? Quia cùm rex iustus sederit in throno, quis gloriabitur castum se habere cor? Fortè tu non inuenies aliquid in conscientia tua, & inueniet ille qui meliùs videt, cuius acies diuina penetrat altiora. Videt fortè aliquid, inuenit fortè aliquid. Quanto meliùs illi dicis, Ne intres in iudiciũ cũ seruo tuo? Etiam quãto meliùs discis: Dimitte nobis debita nostra? quia & dicitur tibi propter illas faces, propter illas lampades Esuriui, & dedistis mihi manducare. Quid ergo? Et illæ non illud fecerunt? Non fecerunt ante illum. Sed quomodò fecerunt? Quomodò prohibet Deus, qui dixit: Cauete facere iustitiã vestram coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin non habebitis mercedem apud patrẽ vestrum, qui in cælis est. Et nolite similes esse hypocritis, quando oratis. amant enim stare in plateis & orare, vt videantur ab hominibus. Amen dico vobis, quòd perceperunt mercedem suam. Emerunt oleum, precium dederunt, emerunt, non sunt fraudati laudibus humanis, quæsierunt laudes hominum, habuerunt. Istæ laudes humanæ, in die iudicij non eos adiuuant. Illæ autem quomodò fecerunt? Luceant opera vestra coram hominibus, vt videant bona facta vestra, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Non ait, vos: non enim de tuo habes oleum. Iacta te, & dic: Habeo. Sed non habes. Quid enim habes, quod non accepisti? Ergo illæ sic fecerunt, illæ sic. Non est autem mirandum, cùm eunt emere, cùm quærunt à quibus laudentur, & non inueniunt: cùm quærunt à quibus adiuuentur, & non erunt: cùm quærunt à quibus consolentur, & non inueniunt: aperta est ianua, venit sponsus & sponsa, tunc glorificata cum Christo Ecclesia, vt singula membra ad totum se colligant: & intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausum est ostium, & illæ fatuæ postea venerunt. Sed nunquid oleum emerunt, autà quibus emerent, inuenerunt? Ideò clausas ianuas inuenerunt, pulsare cœperunt, sed serò. Dictum est, verum est, non fallaciter dictum est: Pulsate, & aperietur vobis. Sed quomodò? Quando tẽpus est misericordiæ, non quando tempus est iudicij. Non enim possunt confundi ista tempora, cùm misericordiã & iudiciũ cantet Domino sua Ecclesia. Tempus est misericordiæ, age pœnitentiam. Tempore iudicij illam habes agere? Eris in virginibus illis, contra quas clausum est ostium. *Domine, Domine, aperi nobis.* Nunquid non pœnitentiam egerunt, quia secùm oleum non portauerunt? Et quid illis profuit sera pœnitentia, quando illas irridebat vera sapientia? Clausum est ergo ostium. Et quid illis dictum est? Non noui vos, ait. Non illas nouit, qui omnia nouit? Quid ergo est, Non noui vos? Improbo vos, reprobo vos: in arte mea non vos agnosco: ars mea vitia nescit. Hoc est autem magnũ: & nescit vitia, & iudicat vitia. Nescit faciendo, iudicat arguendo. Sic ergo non noui vos. Ierũt ergo, & intrauerunt quinque prudentes. Quàm multi estis, fratres mei, in nomine CHRISTI: sint in vobis quinque prudentes, sed nolite quinque homines. Sint in vobis quinque prudentes, ad istam prudentiam quinarij numeri pertinẽtes. Veniet enim hora, & quando nescimus veniet. Media nocte veniet, vigilate. Sic clausit

Psalm. 142.

In Dei iudicio trepidat bona conscientia.

Matth. 6.

Matth. 25

Matth. 6.

Matth. 5.

2. Cor. 4.

Psal. 100.

Matth. 7.

clausit euangeliũ: *Vigilate, quia nescitis diẽ, neq; horã.* Si ergo dormituri sumus, quomodò vigilabimus? Corde vigila, fide vigila, spe vigila, charitate vigila, operibus vigila. Et quãdo corpore dormieris, veniet tempus vt surgas, Cùm autem surrexeris, præpara lampades: tunc non extinguantur, tunc interiori conscientiæ oleo vegetentur. Tunc te sponsus ille incorporeis nexibus amplectatur, tunc te introducet in domum, vbi nunquàm dormias, vbi nunquàm tua lampas possit extingui. Hodiè verò laboramus, & lampades nostræ inter ventos huius seculi tentationesq; fluctuant: sed ardeat in robore flamma nostra, vt ventus tentationis augeat ignẽ potiùs quàm extinguat.

Vigilia usq; ad finem Christiano necessaria.

DE VIRGINIBVS.

Matth. XIII.

In illo tempore: Dixit IESVS *discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum decem uirginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiàm sponso & sponsæ. Et reliqua. Homilia beati Gregorij papæ.*

SAEPE VOS, FRAtres charissimi, admoneo praua opera fugere, mundi huius inquinamenta deuitare: sed hodierna sancti euangelij lectione compellor dicere, vt & bona quæ agitis, cũ magna cautela timeatis: ne per hoc quod à vobis rectum geritur, fauor & gratia humana requiratur, ne appetitus laudis subrepat, & quod foris ostenditur, intùs à mercede vacuetur. Ecce enim redemptoris voce decem virgines, & omnes dicuntur virgines, & tamen intra beatitudinis ianuam non omnes sunt receptæ: quia earum quædam dum de virginitate sua gloriam foris expetunt, in vasis suis oleum habere noluerunt. Sed priùs quærendum nobis est, quid sit regnum cælorum, aut cur decem virginibus comparetur, quæ etiam virgines prudentes & fatuæ dicantur. Dum enim cælorum regnum constat quia reproborum nullus ingreditur, etiam fatuis virginibus cur simile esse perhibetur? Sed sciendum nobis est, quòd sæpè in sacro eloquio regnum cælorum præsentis temporis Ecclesia dicitur: de quo alio in loco Dominus dicit: Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala. Neque enim in illo regno beatitudinis, in quo pax summa est, inueniri scandala poterunt quæ colligantur. Et vnde rursùm dicitur: Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum. Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Mandatum quippe soluit & docet, quando hoc quisque voce prædicat, quod viuendo non implet. Sed ad regnum æternæ beatitudinis peruenire non valet, qui nõ vult opere implere quod docet. Quomodò ergo in eo minimus vocabitur, qui ad hoc nullo modo intrare permittitur? Quid itaq; per hanc sententiam, nisi præsens Ecclesia regnum cælorum dicitur? In qua doctor qui mandatum soluerit, minimus vocatur: quia cuius vita despicitur, restat vt & prædicatio conténatur. In quinq; autem sensibus corporis vnusquisque subsistit. Geminatus autem quinarius, denarium perficit. Et quia ex vtroque sexu, fidelium multitudo colligitur, sancta Ecclesia decem virginibus similis esse denunciatur. In qua quia mali cum bonis, & reprobi cum electis commixti sunt, recte similis virginibus prudentibus & fatuis esse perhibetur. Sunt nanque pleriq; continentes, qui ab exteriori se appetitu custodiunt, & spe ad interiora rapiuntur: carnem macerant, & toto desiderio ad supernam patriam anhelant: æterna præmia expetunt, pro laboribus suis recipere laudes humanas nolunt. Hi nimirùm gloriam suam non in ore hominum ponunt, sed intra conscientiam contegunt. Et sunt pleriq; qui corpus per abstinentiam affligunt, sed de ipsa sua abstinentia humanos fauores expetunt: doctrinæ inseruiunt, indigentibus multa largiuntur. Sed fatuæ profectò sunt virgines, quia solã laudis transitoriæ retributionem quærunt. Vnde & aptè subditur: *Quinq; fatuæ acceptis lãpadibus, non sumpserunt oleum secum: prudentes autem acceperũt oleum in uasis suis cum lampadibus.* Per oleum quippe nitor gloriæ designatur. Vascula autem nostra sunt corda, in quibus ferimus cuncta quæ cogitamus. Prudentes ergo oleum in vasis habent, quia nitorem gloriæ intra conscientiam retinent, Paulo attestante, qui ait: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Fatuæ autem virgines oleum secùm non sumunt, quia gloriam intra conscientiam non habent, dum hanc ab ore proximorum quærunt. Notandũ verò, quòd omnes lampades habent, sed oleum omnes non habent: quia plerunque bona in se opera cum electis & reprobi ostendunt. Sed soli ad sponsum cum oleo veniunt, qui de his quę foris egerint, intùs gloriam requirunt. Vnde per Psalmistam quoque de sancta electorum Ecclesia dicitur: Omnis gloria eius filiæ regis ab intus. *Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes & dormierunt.* Quia dum venire iudex ad extremum iudicium differt, electi & reprobi in mortis somno sopiuntur. Dormire etenim, mori est: ante somnum verò dormitare, est ante mortem à salute langueſcere: quia per

Decem virgines. Ecclesia.

Oleum. Vascula.

2. Cor. 1.

Psalm. 44

Universidad de Deusto
Biblioteca

pondus ægritudinis, peruenitur ad somnũ mortis. *Media aũt nocte clamor factus est, Ecce sponsus uenit, exite obuiam ei.* De aduẽtu sponsi clamor in media nocte fit, quia sic dies iudicij surrepit, vt præuideri non valeat quando non venit. Vnde scriptum est: Dies Domini sicut fur in nocte ita veniet. Tunc omnes virgines surgunt, quia electi & reprobi à somno suæ mortis excitantur. Lampades ornant, quia sua secum opera numerant, pro quibus æternã recipere beatitudinẽ expectant. Sed lampades fatuarum virginum extinguuntur, quia earum opera quæ clara hominibus foris apparuerant, in aduentu iudicis intùs obscurantur, & à Deo retributionem non inueniunt, quia pro eis receperunt ab hominibus laudes, quas amauerunt. Quid est autem, quòd tunc à prudentibus oleum petunt, nisi quòd in aduentu iudicis, cùm se intùs vacuas inuenerint, testimonium foris quærunt? Acsi à sua fiducia deceptæ, proximis dicant: Quia nos quasi sine opere repelli conspicitis, dicite de nostris operibus quod vidistis. Sed prudentes virgines respõdent, dicẽtes: *Ne fortè nõ sufficiat nobis & uobis.* In illo enim die (quod tamen de quibusdam in pace Ecclesiæ quiescentibus loquor) sibimetipsi testimonium vniuscuiusque vix sufficit: quantò minùs & sibi & proximo? Vnde & protinùs per increpationem subdunt: *Ite potius ad uendentes, & emite uobis.* Venditores quippe olei, adulatores sunt. Qui enim accepta qualibet gratia, vanis suis laudibus nitorem gloriæ offerunt, quasi oleum vendunt. De quo prosecto oleo Psalmista dicit: Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Principale etenim nostrum, caput est. Appellatione autem capitis, ea quæ principatur corpori mens vocatur. Impinguat ergo caput oleum peccatoris, cùm demulcet mentem fauor adulantis. *Sed dum irent emere, uenit sponsus:* quia cùm vitæ suæ testimonium à proximis quærunt, iudex venit, qui non solùm operum, sed & cordium testis est. *Quæ autem paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua.* O si sapere in cordis palato posset, quid admirationis habeat quod dicitur, Venit sponsus: quid dulcedinis. Intrauerunt cum eo ad nuptias: quid amaritudinis, & clausa est ianua. Venit quippe ille, quia in aduentu suo elementa concutit, in cuius conspectu cælum & terra contremiscit. Vnde etiam per prophetam dicitur: Adhuc semel, & ego mouebo non solum terram, sed etiam cælum. Ad cuius examen omne humanum genus deducitur, cui ad vindictam malorum, remunerationemque bonorum, angeli, archangeli, throni, principatus & dominationes obsequuntur. Pensate, fratres charissimi, ante conspectum tanti iudicis qui in illo die terror erit, quando iam in pœna remedium non erit: quæ illa confusio, cui reatu suo exigente, continget in conuentu omnium angelorum hominumque erubescere: qui pauor, eum quem & tranquillum mens humana capere non valet, etiam iratũ videre. Quẽ diem benè propheta intuens, ait: Dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris. Pensate fratres charissimi, extremi diem iudicij super corda reproborum qua asperitate propheta vidit amarescere, quem tot appellationibus non valet explicare. Quanta verò tunc erit electorum lætitia, qui de eius merentur visione gaudere, de cuius conspectu vident & elementa omnia contremiscere? cum eo simul ad nuptias intrare, qui & in sponsi nuptijs gaudent, & tamen ipsi sunt sponsa: quia in illo æterni regni thalamo visioni nostræ Deus coniungitur, quæ scilicet visio nunquàm iam in perpetuum ab amoris sui amplexibus euellitur? Tunc regni ianua lugentibus clauditur, quæ modò quotidiè pœnitentibus aperitur. Erit nanque & tunc pœnitentia, sed fructuosa iam non erit. quia nequaquàm tunc veniam inuenit, qui modò aptũ veniæ tempus perdit. Hinc etenim Paulus dicit: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Hinc propheta ait: Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum propè est. Vnde & easdem fatuas virgines inuocantes Dominus non audit, quia intercluſa regni ianua, is qui nunc per exauditionem propè esse poterat, propè iam non erit. Nam subditur: *Nouissimè ueniunt & reliquæ uirgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens, ait: Amen dico uobis, nescio uos.* Ibi iam à Domino non potest mereri quod petit, qui hic noluit audire quod iussit: quia qui tempus congruæ pœnitentiæ perdidit, frustrà ante regni ianuam cum precibus venit. Hinc est enim, quod per Salomonem Dominus dicit: Vocaui & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo eum vobis id quod timebatis aduenerit: cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio & angustia. tunc inuocabunt me, & non exaudiam: manè consurgent, & non inuenient me. Ecce aperi clamant, & repulsionis suæ dolore compulsæ, appellationem dominantis ingeminãt, dicẽtes: *Domine, Domine, aperi nobis.* Preces offerunt, sed nesciuntur: quia tunc velut incognitos Dominus deserit, quos modò suos per vitæ meritum non agnoscit. Vbi aptè quoque generalis ad discipulos exhortatio subinfertur, cùm dicitur: *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.* Quia post peccata Deus pœnitentiam suscipit, si sciret quisque de præsenti sæculo quo tempore exiret, aliud tempus voluptatibus, atque aliud pœnitentiæ

1 Thess. 5.

Adulatores oleum uendunt.

Psal. 140.

Agg. 2.

Prou. 1.

Pœnitentia sera.

2. Cor. 6. Esa. 55.

pœnitentiæ aptare potuisset. Sed qui pœnitenti veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit. Semper ergo extremum diem debemus metuere, quem nunquam possumus præuidere. Ecce hunc ipsum diem, in quo loquimur, ad inducias conuersionis accepimus, & tamen mala quæ fecimus, flere recusamus. Non soùm commissa non plangimus, sed etiam quæ desleantur, augemus. At si nos aliqua ægritudo corripiat, si signa ægritudinis vicinam mortem denuncient, inducias viuendi quærimus, vt peccata nostra defleamus, & eas cum magno æstu desiderij petimus, quas acceptas modò pro nihilo habemus. Rem fratres charissimi refero, quam si intentè vultis audire charitas vestra, ex consideratione illius vehementer instruitur. Quidam vir nobilis in Valeria prouincia nomine Chrysaurius fuit, quem lingua rustica populus Chrysery vocabat: vir valdè idoneus, sed tantùm plenus vitijs, quantùm rebus: superbia tumidus, carnis suæ voluptatibus subditus, in acquirendis rebus auaritiæ facibus accensus. Sed cùm tot malis Dominus finem ponere decreuisset, sicuti à religioso quodam, qui nunc superest, propinquo illius didici, corporis languore percussus est. Qui ad extremum veniens, ea hora qua iam de corpore erat exiturus, apertis oculis vidit tetros & nigerrimos spiritus coram se assistere, & vehementer imminere, vt ad inferna claustra se raperent. Cœpit tremere, pallescere, sudare, & magnis vocibus inducias petere, filiumq; suum nomine Maximũ, quem ipse iam monachus monachũ vidi, nimijs & turbatis clamoribus, vocare, dicens, Maxime curre, Maxime curre: nunquàm tibi aliquid mali feci, in fide tua me suscipe. Turbatus mox Maximus affuit, lugens & perstrepens familia conuenit. Eos autem quos ille insistentes sibi grauiter tolerabat, ipsi malignos spiritus videre non poterant, sed eorum præsentiam in confusione & pallore ac tremore illius qui trahebatur, videbant. Pauore autem tetræ eorum imaginis, huc illucque vertebatur in lectulo. Iacebat in sinistro latere, aspectum eorũ ferre non poterat: vertebatur ad parietem, ibi aderant. Cumque constrictus nimis, relaxari se iam posse desperaret, cœpit magnis vocibus clamare, dicens: Inducias vel vsque manè, inducias vel vsq; manè. Sed cùm hæc clamaret, in ipsis suis vocibus de habitaculo suæ carnis euulsus est. De quo nimirùm constat, quia pro nobis ista, non pro se viderit: vt eius visio nobis proficiat, quos adhuc diuina patientia longanimiter expectat. Nam illi tetros spiritus ante mortem vidisse, & inducias petijsse, quid profuit, qui easdem inducias quas petijt non accepit? Nos ergo, fratres charissimi, nunc solicitè ista cogitemus, ne nobis in vacuum tempora pereant, & tunc quæramus ad benè agendum viuere, cùm iam compellimur de corpore exire. Mementote quid veritas dicat: Orate, ne fiat fuga vestra hyeme vel sabbato. Per legis quippe mandatum, ambulare longiùs in sabbato non licet. Hyems quoque ad ambulandum impedimentum est, quia gressus ambulantium torpor frigoris astringit. Ait ergo: Orate, ne fiat fuga vestra hyeme vel sabbato. Acsi dicat: Videte ne tunc quæratis peccata vestra fugere, quando iam non licet ambulare. Illud ergo tẽpus quo fugere nõ licet, nũc debet cogitari dum licet. Illa hora est exitus nostri semper intuẽda, ista redemptoris nostri admonitio ante mentis oculos semper ponenda, quia ait: Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.

Matth. 24

Hyems vltima dies semper horrẽdus.

Pœnitentia non differenda.

DE VIRGINIBVS, SERMO.

Est Homilia 52. ex Opere imperfecto in Matthæum, quod quidam uolũt esse Chrysostomi.

IVNC *simile est regnum cælorum decem uirginibus.* Et *perfecto* reliqua. Notandũ quòd in Matthæo priorem quidem parabolam de doctoribus dicit, hanc autem de popularibus: tamen etsi spiritualem intellectum habeat parabola, nihil nocet interpretari eam etiam carnaliter. *Tunc simile erit,* cùm diebus suis completis, solutus fuerit mundus, cùm venerit iudex omnium occultorum. Modò autẽ interim omnes homines nobis inuicem mentimur. Alij fingunt se iustos, cùm sint iniqui: alij humiliant se vt peccatores, cùm sint sancti: alij autem turpes actus suos vsq; ad mortem abscondunt, ampliùs homines erubescentes, quàm Deum timentes: & semper sunt in vulnere, dum pro tempore nolunt apparere vulnerati. Qui aũt Deum timet, homines non erubescit. Nec enim peior potest esse timor terrenus, quàm pœna cælestis. Quibus simile erit? *Decem uirginibus.* Quidã putant hic virgines dici, de quibus Apostolus loquitur, vt sint sanctæ & corpore & spiritu. Et sapiens quidem virgo est, quæ & corpore & animo virgo est, vt neq; habeat virũ, neq; habere desideret. Quid enim, si aut parentes eius propter votum suum in virginitate eam tenuerũt, cùm ipsa tamẽ post votũ nubere voluerit? Quid si pro aliqua occasione quæsita, non est talis? Hæc si nõ est nupta, voluntatẽ tamen nubendi habuit, corpore quidem virgo est, animo aũt nupta: quia corpus opere sordidatur, animus aũt voluntate. Quanuis frequenter occasione necessitatis carnalis, Deus præstet hominibus misericordiã spiritualem, si tam ẽ post eà voluntas necessitati consentiat, nõ solùm aũt vt nõ concupiscat, sed etiam abstineat se ab omni re vt mala: neque faciat, neq; loquatur,

Peccata non abscõdenda.

1. Cor. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur, neque cogitet quod displiceat Deo: quia corpus fornicatur, quando cum viro coniungitur: anima autem, quando diaboli voluntatibus sociatur. Quæ hæc non seruat, fatua est ipsa virgo. Et verè fatua est, quæ per solam virginitatem corporis putat se Deo placere. Ecce enim quemadmodùm cùm manducas & bibis, non anima manducat, sed corpus: res enim incorporalis, corporali cibo non pascitur: sic cùm vir mulieri, aut mulier viro coniungitur, non anima copulatur, sed corpus. Propterea frequenter fit, vt nupta si aliàs non peccet, melior sit quàm illa, quæ virgo est, & aliàs peccat. Quoniam si illa non peccat quæ nupta est, corpore quidem nupta est, animo autem virgo est. Quæ autem aliàs peccat, & virgo est, corpore quidem virgo est, animo autem fornicaria. Sed ne desperare faciamus etiam virgines bonas, quia diximus per concupiscentiam animas fornicari, sciendum est, quòd aliud est concupiscere, aliud velle. Concupiscere passionis est, velle autem arbitrij. Frequenter enim concupiscimus, etiam quod nolumus. Si ergo concupiscentiæ non consentit voluntas, concupiscentia sola non damnat, magis autem & gloriosiorem facit virginitatis coronam. Nunc veniamus ad spiritualem eius narrationem. Decem virgines, omnes homines dicit, quorum vita decem sensibus sustentatur, quinque carnalibus, & quinque spiritualibus. Omnium enim hominũ duæ sunt partes: Aut enim peccatores sunt, aut iusti. Peccatores, qui secundùm carnales ambulant sensus. Iusti, qui secundùm spirituales. Ergo & omne genus peccatorum in quinque diuiditur, & omne genus iustorum in quinque secundùm numerum sensuum, non secundùm numerum hominum. Has autem virgines diuidendas profert Christus, quando & iusti ab iniustis, & sancti à peruersis per verbum suum diuidendi sunt, vt quinq; quidem ponantur ad dexteram iusti iudicis, hoc est, sapientes: quinque autem ad sinistram, id est, fatuæ. Secundum autem mysterium, & Moyses in duabus tabulis legem suscepit decem verborum: quinq; quidem mandata in tabula vna, quinq; autem in tabula altera. Sicut ergo tabulæ testamenti illius in vno quidem hærebant, tamen non poterat fieri, vt ambæ fierent ad dexteram legentis: sed necesse erat vt vna quidem cum quinq; esset ad dexteram, altera autem cum quinq; alijs esset ad sinistram: sic omnes Christiani in vna tenentur vocatione. Non est autem possibile, vt omnes ad dexteram fiant sedentis: sed necesse est vt iusti quidé fiant ad dexteram, id est, quinq; sapientes: iniusti autem ad sinistram, id est, insipientes. Quidam putant hanc parabolam ad omnes pertinere, & ad hæreticos, & ad Iudæos, præterquàm ad Gẽtiles, quoniam illi idolorũ cultura corrupti sunt, & virgines dici non possunt. Verè autem nec ad Iudæos pertinet, nec ad hæreticos: quia non possunt Iudæi dici virgines, qui proiecto & crucifixo sponso, adulterum super se diabolum susceperunt. Neque hæretici virgines dici possunt, qui & ipsi adulterino sensu corrupti sunt, & virginitatem veritatis Christi adulterino sermone corrumpunt. Sed ad Christianum tantummodò populum pertinet, de quibus scriptum est: Statui vos vni viro virginem castã exhibere Christo. Timeo autem ne sicut serpens seduxit Euã astutia sua, si corrũpantur sensus vestri à castitate, quæ est in Christo Iesu. Fatuæ autem virgines sunt, quæ fidem quidem Christi integram habent, opera autem iustitiæ non habent. Iudæi verò & hæretici neq; fidem habent, neq; opera possunt habere. Sed & si operum oleum habeant, nihil eis prodest: quia lampades fidei non habent, quas accendant. *Tunc simile erit.* Benè tũc, quia interim nõ apparet quæ prudẽtes sint, quæ fatuæ: quousq; tunc multæ fatuæ fient prudentes, & multæ quæ videntur prudentes, fatuæ efficientur. *Quæ acceperunt lampades suas.* Lampas, dicitur fides: quia sicut lampas illuminat domum, in qua est: sic fides illuminat animam, cuius est. Accenditur autem hæc lampas igne diuini verbi. Verbum enim Dei ignis est, sicut dicit Dominus: Ignem veni mittere in terram. Item dicente Apostolo: Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Accipiunt autẽ homines hanc lampadem, quando venientes ad Christum, per sacerdotes accipiunt traditam sibi veritatis doctrinam. Aut, sicut alius putat, verbum Dei, quod accepimus accedentes ad Christum, lucerna est, secundùm quod scriptum est: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Oleum autem, doctrina sacerdotum, aut cæterarum scripturarum. Quoniam sicut lucerna, nisi ei subministraueris oleum, extinguetur: sic verbum fidei nostræ, quod credentes accepimus, nisi assiduis nutriatur doctrinis, aut meditationibus scripturarum, extinguitur, & non satis illuminat animam. Aut oleum dicitur opus misericordiæ: Quia sicut oleum lumen lampadis fouet, sic opera bona subministrant confidentiam fidei, & vigorem accendunt. *Et uenerunt obuiàm sponso & sponsæ.* Benè ait, Venerunt: Quando? Ex illa die, qua homo credit Christo, quasi de seipso egressus, & de mundo, ire videtur obuiàm Christo: quia quotidiè Christi expectat aduentum. Sicut enim qui obuiàm vadit alicui, in via stat, & expectat eum quandiu veniat: ita qui credit in CHRISTVM, sic deberet viuere in hoc seculo, quasi peregrinus: & non in suis, sed in transitu positus. Propterea & Iudæi exituri de Aegypto, expediti & præcincti agnum iussi sunt manducare, & ad exeundum parati: ostendentes nobis, quomodò quicunq; nostri agni Eucharistiam manducant, ita debent semper esse expediti, quasi quotidiè exituri de mundo. Nec mireris

Animæ fœcortatio.

Concupiscere & nolle differũ.

Decem virgines, omnes homines.

Matth. 25.

Iudæi & hæretici virgines dici non possunt.

2. Cor. 11

Virgines fatuæ.

Psalm. 118

Exod. 12.

ris quia dixit ire obuiam sponso & sponsæ, cùm Ecclesia inter nos habeatur sponsa. Sicut enim Christus cùm sit inter nos, tamen venturus dicitur, cum apparuerit in gloria: sic & Ecclesia quanuis sit inter nos, tamen ventura dicitur, cum apparuerit in gloria sua. Propterea dicit Apostolus: Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cùm autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. *Fatuæ autem accipientes lampades suas, non sumpserunt oleum secum.* Sicut lampas non ex oleo accenditur, sed ab igne, per oleum tamen nutritur, & nisi oleum ei subministraueris, extinguitur: sic & fides non ex operibus accenditur, sed ex verbo Dei, sicut ait Apostolus: tamen per bona opera nutritur, & nisi subministraueris ei opera bona, deficit. Sicut enim non potest in Deum sperare, nisi qui aliqua opera bona facit: sic non potest credere Deo, nisi qui facit aliquid dignum Deo. Inde est, quòd peccatores non credunt Deo, siue cùm de gloria sanctorum quis eis loquatur, siue de pœna peccatorum. Et dum non credunt futurum esse quod dicitur, neque de bono futuro delectantur, neque de malo terrentur. Verè fatui sunt omnes homines, qui aut solùm existimant sibi posse sufficere ad salutem, quia credunt in Christum, & Christiani dicuntur, & non festinant semetipsos bonis operibus commendare, nec audiunt Iacobum dicentem: Quia fides sine operibus mortua est. *Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes uirgines, & dormierunt.* Hoc significat sermo, quia tardante consummatione, non solùm peccatores, sed etiam iusti & spirituales ad negligentiã sunt reuoluendi: & relicta via virtutis, ad carnalia delectamenta sunt aliquatenùs transituri, vt & illud impleatur, quod propheta dicebat: Saluum me fac Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminuti sunt fideles à filijs hominum. Et hoc est, quod Christus dicebat: Putas cùm venerit filius hominis, inueniet fidem super terram? Nam vigilare, est iustitiam facere: dormire autem, est negligere eam, sicut dicit: Vigilate ergo, quia nescitis qua hora veniet Dominus. Et verè non tardat, sed quantùm ad nostram inconstantiam tardare videtur. Nam si consideremus ex quo Christus in cælum ascendit, & quantùm viuebant homines ante diluuium, & propè tantum spatium est, quanto tempore erat vita vniuscuiusque eorum. Si quis autem oculos habet apertos, intelligit, quia mysterium huius verbi in nobis impletum est. Omne enim studium spirituale relinquimus, & ad carnalia delectamenta transimus. Quem enim inuenies modò, non dicam laicum, sed aut presbyterum, aut episcopum, qui ad perfectum contemnat seculi bona, credens consummationem esse propinquam? Vnusquisq; enim dicit in corde suo, infidelitatis spiritu præualente: Ecce ex quo Christus fuit in terris, semper dicitur, Consummatio veniet, & ecce nondùm venit. Ne fortè non præparandi causa, sed terrendi ista scripturæ loquuntur? Qui autem non verè credit consummationem esse propinquam, non ex verbis quæ dicit aut audit, sed ex operibus quæ agit, cognoscitur. Qui enim verè credit cõsummationem esse propinquam, nihil curat de mundo, nec in posterum aliquid seruat: quia nec peregrè exitur⁹ aliquid secum portat in via, nisi fortè panem, quem necessarium habet in via. *Media nocte clamor factus est,* quasi clamor præcurrentium & prætubantium angelorum. Qui clamor? *Ecce sponsus uenit, exite obuiám ei.* Vnde putas iubet exire? de domibus, de ciuitatibus? Non. nec enim est ratio: sed vt exeant de mundo, exeant de iniqua carnis natura. Ex eo quòd Apostolus ait, In nouissima tuba mortuos suscitandos: datur nobis occasio æstimandi, clamorem illum esse, de quo Dominus dicit: Ecce clamor factus est. Aestimemus clamorem esse tubarum præcedentium, quas Ioannes in reuelatione sua exposuit: quarum tubarum clamores sunt ipsa signa, quæ fiunt ab eis. Qui ergo intelligit illa signa clamantia seculi finem, ille audit clamorem tubarum clamantium, quia venit sponsus: quarum vocem nõ corporis auris audit, sed animæ intellectus. *Tunc surrexerunt omnes uirgines illæ.* Hoc est: Cùm clamor factus fuerit, non solùm iusti, sed etiam peccatores de somno negligentiæ surgent. Tunc incipient timere & festinare, tunc credent quia verè finiendus est mundus. Nam quemadmodùm securitas etiam diligentes homines, negligentes facit: sic timor præsentis periculi etiam negligentes homines, exhibet diligentes. Sed nihil eis sedulos reddit. diligentia illa, quam generat timor, nõ fides. Tunc intelligent, quia nihil est quod vixerunt in mundo. Tunc incipient sapere, quòd nihil eis proderit sapuisse. *Et composuerunt lampades suas.* Id est, tunc incipient omnes aspicere & discutere fidem suam: tunc considerabunt singuli opera sua, qui benè fecerunt, qui malè, & interrogabunt conscientias suas. Quemadmodùm enim superuenturo sponso festinat se sponsa componere, ne fortè ex aliqua parte displiceat sponso: ita singuli semetipsos iudicabunt apud se. Hoc est enim præparare fides suas. Quòd si semper nos ita iudicaremus, quemadmodùm tunc iudicaturi sumus, nunquam peccaremus in Deum. Sicut ergo virgo deformis & debilis sine causa se componit, sic & tunc peccatores sine causa se præparabunt. Naturalem rem loquitur. Sicut rex cum tyranno bellum facturus, si voluerit aspicere exercitum, & considerare arma illorum, iubet mitti tubam, vt fiant admoniti. Tunc omnes milites festinant arma sua aspicere, vbi sit gladius eius, vbi lorica sit posita, vbi iaceat scutum: & qui securitatis tempore arma sua studuit immacu-

Luc. 12.

Rom. 10.

Matth. 24. & 25. Luc. 12.

Psal. 11.

Luc. 18.

Matth. 24. & 25. Luc. 12.

Apoc. 4. & 8.

Securitas negligentes, timor sedulos reddit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

maculata custodire, paratus & lætus currit ad inspectionem : & qui tempore securitatis gladium suum æruginare dimiserit, aut loricam sordescere, scutum frangi aut rumpi: cùm audierit tubam, & ipse quidem excitatus timore, festinat limare gladium suum, detergere loricam, ligare aut stringere scutum, sed non poterit celare negligentiam suam : quia vrgens necessitas non permittit longi temporis opus implere. Sic & Domino absente, malus seruus non aspicit opera sua, quod facit, quod non facit, aut quomodò credit : nec cogitat, quia venturus est Dominus eius, & opera perspecturus & fidem : sed cùm viderit eum venientem de longè, tunc aspicit opera sua, tunc incipit festinare : sed nihil ei proderit festinatio eius, quia multorum dierum negligentia non potest vna hora expleri. *Fatuæ autem sapientibus dixerunt : Date nobis de oleo uestro, quia lampades nostræ extinguuntur.* Extinguitur lampas hominis, quando fides eius deficit ac desperat. Sicut enim qui benè sibi conscius est, fiduciáliter & magnanimiter agit : quemadmodùm si quis infuso oleo addat lumen lucernæ : sic & ille consideratione operum bonorum suorum semetipsum confortat, & fidei suæ addit audaciam : Qui autem sibi malè conscius est, semper pusillanimis ac timidus est: & quemadmodùm subducto oleo, minuitur lumen lucernæ : sic & ille consideratione operum suorum malorum semetipsum confundit, & infidelitatis suæ adhuc diffidentiam addit. Ideò ergo timentes peccatores, ad sanctos dicturi sunt: Date nobis de oleo vestro: hoc est, vos sancti, qui habetis opera larga iustitiæ sufficientia vobis, non solùm ad euadendam pœnam, sed etiam ad gloriam consequendam, accommodate nobis auxilium operum bonorum vestrorum, id est, intercedite pro nobis peccatoribus ad Dominum : quia iustitia vestra sufficiens est & vos glorificare, & nos excusare. *Responderunt autem prudentes, dicentes : Ne forte nec nobis, nec uobis sufficiat.* Ostendit in his verbis, quòd ita futurum est terribile iudicium illud, vt nulla innocentia sibi confidat. Et verè quis est homo natus de muliere, qui credit iustum se esse inueniendum in conspectu illius, de quo beatissimus Iob dicit: Stellæ in conspectu eius non sunt mundæ, & cælum sine crimine non est? Si ergo impeccabilis natura stellarum & cæli, quantum ad iustitiam Dei, inuenitur esse peccatrix : quomodò ante eum homo appareat iustus, cuius & sine voluntate peccandi, natura ipsa peccatum est? dicente Apostolo: Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. quod enim operor, non intelligo : non enim quod volo, hoc ago: sed quod nolo, illud ago: & iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Tantus ergo timor tunc erit omnium, etiam sanctorum, vt nemo speret se iustum inueniendum, sed adhuc timeat ne fortè reus existat. Quis enim potest ad perfectum dijudicare conscientiam suam, & cognoscere cor suum, cùm scriptum sit : Quia de omni verbo otioso reddituri sumus rationem? Quomodò ergo pro peccatoribus tunc intercedant sancti, cùm timeant ipsi de se? Nam sicut tempus misericordiæ iudicium non suscipit, sic & tempus iudicij misericordiam non recipit. Ideò in primo aduentu, cùm tempus esset misericordiæ, dicentibus Apostolis super inhumanitatem ciuitatis alicuius : Vis dicamus, vt descendat ignis de cælo? respondit Iesus: Nescitis cuius spiritus estis. Non enim veni iudicare mundum, sed saluare. Ostendens, quia cùm venerit in secundo aduentu, iudicij tempus similiter locum misericordiæ non habebit. Vbi autem misericordia locum non habet, nec intercessio valet. Aut hæc ideò dicit, quoniam indignæ sunt passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Si ergo maior erit gloria, quæ præparata est sanctis à Deo, quàm quod vnusquisque sanctorum meretur: quomodò sufficiat & alijs ad salutem vniuscuiusque opus eorum, cùm nec sibi soli sufficiat ad gloriam illam iusto iudicio consequendam? *Ite potiùs ad uendentes, & emite uobis.* Venditores operum bonorum vel doctrinæ, sacerdotes sunt, qui præcepta iustitiæ in populo dant, quasi precium aliquod accipientes fidem ipsorum, qui peccatores per pœnitentiam soluunt, precio confessionis eorum placati. Aut certè hoc precium doctrinæ accipiunt, quando sic docentes eos audierit populus. Populus quidem per obediétiam suam mercatus est sibi salutē: sacerdotes autem, qui docuerunt & laborauerunt circa eos, recipient à Deo doctrinæ suæ labores. Bonum ergo est consilium sanctorum ad peccatores, vt eant ad sacerdotes, & fideliter audiant eos: & cùm audierint, faciant: & habebit virtutem olei fides eorum, si tamen habuerint tempus. *Abeuntibus autem eis, ecce uenit sponsus: & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo, & clausa est ianua.* Ostenditur nobis per hæc verba, quòd illo in tempore inter angustias diuersorum terrorum videntes se peccatores, anxiabuntur & current huc & illuc ad sacerdotes, doctrinam & pœnitentiam sibi quærentes: alij autem interroganter, quid eos oporteat facere : sed festinante iudicio, & necessitatibus alijs super alias venientibus, cùm non sit docendi licentia, nec tempus faciendæ iustitiæ, aut agendæ pœnitentiæ, festinatio eorum vacua erit. Hoc enim & in quotidiano vsu videmus fieri. Quotidiè enim sacerdotes clamant in Ecclesia : Qui peccauit, pœnitentiam agat : qui non peccauit, permaneat in Deo. Neque seducant vos honores, diuitiæ temporales, quia tempus vestrum propè est: & si consummatio vestra tardauerit, mors vestra nó tardat; & nemo credit, nemo obaudit. Cùm autem venerit super illos mors, festinant & anxiantur, vocant sacerdotes, pœnitentiam volunt agere, quando iam pœnitentiæ locus non est. Itaq; dum exponunt peccata sua, dum accipiunt pœnitentiæ tempus, & præcepta iustitiæ, capitur anima eorum, & vadunt vacui, magis autem ligati iusto iudicio Dei: quia non propter odium peccatorum displicentes sibi volebant pœnitentiam agere, sed propter mortis timorem. Adhuc enim si viuere potuissent, non sibi displicuissent. Alius autem venditores olei, id est, boni operis, pauperes dicit. Hortantur prudentes virgines fatuas, vt eant ad pauperes, si patitur eas tempus, vt facientes eis bona iustitiæ, misericordiam consequantur ab eis: quoniam per misericordias factas in eos, olei, id est, misericordiæ merces acquiritur. Illæ autem dum vadunt, volentes tunc aliquid boni facere, propter quod possint cum fiducia occurrere Christo, venturus est Christus repentè, & nihil eis proderit anxietas illa, tunc incipientibus benè agere, cùm tempus benè agendi concluditur. *Nouissimè autem uenerunt & reliquæ uirgines, dicentes : Domine Domine, aperi nobis.* Nihil prodest ex necessitate repetita confessio eius, qui ex voluntate nec semel confessus est. Nam voluntaria confessio, & modica sufficit Deo: ex necessitate autem, neque magna. *At ille respondens ait: Amen dico uobis, nescio uos qui estis.* Signa spiritûs mei in vobis non video. Sicut enim qui immundum spiritum habet, opera bona facere non potest : sic qui spiritum sanctum habet, opera non facit mala. Quare igitur vos opera non facitis bona, sed mala? Imaginem meam non cognosco in vobis. Imago autem mea, est fugere malum, & sequi bonum: vos autem econtrà fugistis bonum, & operati estis malum. Non potestis meorum militum præmia accipere, qui tyranni vexilla portatis. Non possum meos dicere, in quibus meum nihil cognosco.

Opera bona præsūãt fiduciam.

Iob 25.

Rom. 7.

Matth. 25

Sacerdotes bonorum operum uenditores.

Sacerdotes quid quoti die clamẽt.

IN NATALI VIRGINIS VNIVS, HOMILIA EVSEBII Emeseni.

Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, &c. Matt. 13.

REgnum cælorum hoc in loco cælestem patriam dicit : quæ meritò thesauro in agro abscondito comparatur, quoniam eius diuitiæ nondum omnibus manifestè apparent. Inuenitur tamen, etsi non ad plenum : quoniam sanctorum prædicatione, qualis quantusue sit, magna ex parte declaratur. Hunc autem thesaurum ipso Domino prædicante, sancti apostoli inuenerunt, & præ gaudio illius venditis omnibus, eum emerunt. Si vis, inquit Dominus, perfectus esse, vade, vende vniuersa quæ habes, & da pauperibus, & sequere me, & habebis thesaurum in cælo. Sic igitur ager iste cum thesauro suo perfectissimè diuiditur. Hunc autem thesaurum ille abscondit, qui cognito qualis sit, corde retinet, mente diligit, eiusque nullo modo obliuiscitur. Illud enim abscondimus, quod carum habemus, & amittere timemus. *Iterùm simile est regnũ cælorũ homini negociatori, quærenti bonas margaritas. Inuenta autem una pretiosa margarita, abijt & uendidit uniuersa quæ habuit, & emit eam.* Hæc autem similitudo, cum ea quæ superiùs dicta est, penè idem significat: præter hoc, quòd regnum cælorum, non cælestis patria, sicut ibi, sed sancta Ecclesia intelligitur. Quod verò ibi thesaurus dicitur, hic margarita vocatur. Simile igitur est regnum cælorum, id est, sancta Ecclesia, homini negociatori: quoniam sicut ille vnius margaritæ desiderio omnia vendidit, & emit eam: ita & ista pro amore cælestis patriæ & æternæ felicitatis, non solùm ea quæ habuit, vendidit, verùm & seipsam seruituti subiugauit, vt emere & possidere valeat. Callidus enim negociator est, qui ex his quæ diù possidere non potest, tale aliquid emit, quod nunquam amittere timeat, & in quo vniuersa possidet. Possumus autem per hunc negociatorem Dominum nostrum & saluatorem intelligere, qui inuenta vna preciosa margarita, per quam sanctam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam intelligimus, omnia quæ habuit vendidit, id est, seipsum vendi & occidi permisit, & emit eam. Sic enim Apostolus ait : Empti enim estis precio magno: glorificate & portate Deum in corpore vestro. *Iterùm simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Quam cùm impleta esset, educentes, & secus litus sedentes elegerunt bonos in uasa, malos autem foras miserunt.* Meritò enim regnum cælorum, id est, sancta Ecclesia, sagenæ similis dicitur, quia & piscatoribus commissa est, & in aquis baptismatis quotidiè innumerabiles pisces concludit & capit, de quibus ipse Dominus suis discipulis ait: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Hanc autem sagenam tunc in mare Dominus misit, quando eisdem discipulis præcepit, dicens : Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Mare enim vocatur mundus iste, de quo Psalmista: Hoc mare magnum, inquit, & spatiosum : illic reptilia, quorum non est numerus. Congregauit autem hæc sagena ex omni genere piscium, quando sancta Ecclesia ad fidem vocauit, & in sinu suo collegit ex omni genere hominum. Ibi enim simul

Matth. 19

Thesaurũ abscõdere

Negociator, Ecclesia.

Negociator Christus.

Ephes. 5.

1. Cor. 6.

Ecclesia, sagena.

Matth. 4.

Matth. 28

Psal. 103.

Universidad de Deusto
Biblioteca

simul Iudæi & Græci, Latini & Barbari, diuites & pauperes, sapientes & insipientes, frumentum & zizania, granum & palea, iusti simul & peccatores. Nondum autem impleta est, adhuc pisces ingrediuntur, adhuc homines baptizantur: implebitur verò, quando plenitudo gentium in ea introierit. Tunc igitur eam educentes, & secus litus sedentes, bonos pisces eligent, malos autem foras proijcient. Litus nanque maris, finis est seculi. Hoc autem ipse Dominus exponens, ait: *Sic erit in consummatione seculi. Exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus & stridor dentium.* Caminus iste, infernus est, in quo neque vermis moritur, neque ignis extinguitur. In fletu verò & stridore dentium, nimietatem & pœnarum intolerantiam significat. *Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei, Etiam. ait illis: Ideò omnis scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamiliâs, qui profert de thesauro suo noua & uetera.* Acsi diceret: Illis in parabolis locutus sum, & non intellexerunt: vobis autem parabolas ipsas exposui, & intellexistis. Et illis quidem quia veteres sunt, protuli vetera: vobis autem quia noui estis, noua & vetera. Illis prophetarum consuetudine, vobis doctoris & magistri more locutus sum. Sic igitur loquimini, sic docete, hanc loquendi regulam tenete. Aliter enim in regno cælorum, aliter in conuentu scribarum & pharisæorum, aliter in Ecclesia, aliter in synagoga loqui oportet. Omnis scriba doctus in regno cælorum: omnis Ecclesiæ doctor & prædicator, si sapiens est, si doctus est, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo, de diuitijs pectoris sui, noua & vetera. Synagogæ scribæ, quia docti non sunt, proferunt vetera. Ecclesiæ verò scribæ, quia docti sunt, & noua proferunt, & vetera. Illi solam literam, isti & literam sequuntur & spiritum. Istis denique datum est nosse mysterium regni Dei, illis autem non est datum: vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos clauserunt ne videant & conuertantur, & sanem eos. Hæc enim vetera sunt, & de libro Esaiæ prophetæ assumpta. Cætera autem noua sunt, quæ in similitudinib. locutus est Dominus, ab eo loco, in quo ista ait. Sic igitur Ecclesiæ doctores secundum magistri consuetudinem proferre debent de thesauro suo noua & vetera. Ideò enim binos discipulos ante se Dominus mittebat: ideò & duo Cherubin se vicissim respiciebant: ideò abyssus inuocat abyssum, .i. nouum vetus, & vetus nouũ inuocat testamentum. Abyssus enim vtrunque testamentum dicitur, propter altam sapientiæ & scientiæ profunditatem. Inde est etiam, quod Psalmista Ecclesiæ doctoribus loquitur, dicens: Si dormiatis inter medios cleros, eritis pennæ columbæ deargentatæ. Duo nanque cleri, duo sunt testamenta: columba verò, Ecclesia est. Quæ ideò deargentata dicitur, quia cunctis virtutibus & præcipuè veritate decorata est. Inter hos autem duos cleros, Ecclesiæ doctores & magistri dormiunt, si in vtriusque testamenti scientia & doctrina, quasi in somno & quiete delectantur, & nunc noua veteribus, nunc vetera nouis confirmant. Hoc enim faciendo fiunt pennæ columbæ, quia tam sapienti & rationabili prædicatione sanctam Ecclesiam volare docent, & secum ad cælestia transferunt. Propter hoc enim de sanctis dicitur, quia assument pennas vt aquilæ, volabunt & nõ deficient. Propter hoc & tabernaculum maxima ex parte opere plumario factum est, vt omnes alas suscipiamus, & volare discamus. Sequitur: Et posteriora dorsi eius sequantur vos in specie auri. Prima nanque Ecclesiæ pars, apostoli fuerunt, & quicunque eorum in tempore crediderunt. Posteriores verò nos sumus, & quicunque vsq; ad seculi consummationem crediturí sunt. Posteriores itaque sequuntur primos, & cœlestis sapientiæ splendore nitentes, & eadem via post eos, eisdemq; virtutum alis ad cælestia conuolabunt. Hoc autem ideò fiet: quia sapientes Ecclesiæ scribæ, qui eos docent & prædicant, inter medios cleros dormientes, de thesauro suo proferunt noua & vetera. Hoc enim ipse Dominus faciebat, hoc & discipulos suos facere docuit. Et ideò quidem omnis scriba doctus in regno cælorum, similis esse debet patrifamilias homini, id est, Domino nostro Iesu Christo, qui profert de thesauro suo noua & vetera.

Esa. 66.
Scribæ Synagogæ et Ecclesiæ.
Matth. 13
Esai. 6.
Luc. 10.
Exod. 37.
Psalm. 41.
Psalm. 67
Esa. 40.
Psalm. 67

IN NATALI VIRGINVM, HOMILIA II. EVSEBII Emeseni.

Tunc simile est regnum cælorum decem uirginibus, quæ accipientes lampades suas, &c. Matth. 25.

DIxerat superiùs Dominus & salua tor: De die autem illa & hora nemo scit, nisi pater solus. Ideoque estote parati, quia nescitis, qua hora filius hominis venturus est. Beatus autem ille seruus, quem cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantem. posteà verò dixit: *Tunc simile est regnum cælorum decem uirginibus.* Sed quare tunc? Nunquid & modò simile non est? Simile quidem est & modò, sed hæc similitudo nondum manifestè apparet. Tunc igitur simile est, quando hæc similitudo manifesta est. Nondùm enim apparet, quæ virgines fatuæ sint, & quæ prudentes. Multæ enim exteriùs videntur esse prudentes, quæ interiùs fatuæ sunt. Quicunque enim opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus: fatui quidem sunt, & si prudentes esse videantur. Magna enim fatuitas est, ieiunare, vigilare, carnem suam affligere & macerare, & per hoc nullam aliam mercedem, nisi vanam gloriã expectare. De talibus enim Dominus ait: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Itemque: Lucerna corporis tui est oculus tuus: qui si tenebrosus fuerit, totum corpus tenebrosum erit. Inde enim virgines dicuntur omnes, quia boni videantur ab hominibus. Sunt igitur in actione virgines, in intentione corrupti: quia oculum tenebrosum habent, & bona quæ agũt, nõ casta & syncera intentione faciũt. Sed quare hę virgines decem dicuntur? Hic enim numerus omnes significat, quia omnes in se numeros continet. Quod ergo ait: *Simile est regnum cælorum decẽ uirginibus*: tale est, acsi diceret: Similis est sancta Ecclesia cunctis virginibus. Et mox ipsam similitudinem exponit, dicens: *Quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso & sponsæ.* Quia enim quotidiè morti appropinquamus, quotidiè spõso & sponsæ, id est, Christo & Ecclesiæ obuiam pergimus. Hæc enim via simul cum vita finitur. Lampades autem accipimus, si bona opera nobiscum ferimus. Quòd enim bona opera lampades dicantur, ipse Dominus ostendit, dicens: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videntes bona opera vestra, glorificent patrem vestrum, qui in cælis est. *Quinq; aũt ex eis erant fatuæ, & quinq; prudentes.* Quod quidem alios in Ecclesia vanos & fatuos, alios verò prudentes & iustos esse significat. Quanuis & in ipso numero aliquid intelligi potest. Quinque enim sunt corporis sensus, quibus aut prudentes, aut fatui, omnes homines fiunt, in quibus & ipsa eorum fatuitas manifestissimè declaratur. *Sed quinq; fatuæ acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum.* Talis autem fuit Dina filia Liæ, talesque significabat: quæ dum Iacob moraretur iuxta vrbem Salem, egressa est sicut fatua & stulta, vt videret mulieres regionis illius: quam Sichem filius Emor princeps illius terræ rapuit, & dormiuit cum ea. Quid enim per Dinam filiam Liæ nisi simplices quosque, sanctos & carnales intelligimus, qui ad matris similitudinem, lippitudinem in oculis habentes, & lampades extinctas secum ferentes, facilimè decipi possunt? Quid verò per Sichem, qui humerus interpretatur, nisi hæretici intelliguntur, qui quasi viri fortes quoscunque decipere possunt, in suum gregem ferre conantur? Benè autem Sichem filius Emor esse dicitur, quoniam Emor asinus interpretatur. Hic igitur humerus & hic asinus multos ferunt in perditionẽ æternã. Benè autem hæretici asini, & filij asini dicuntur, quia sanum & rationabilem intellectum non habent, magisque in magna & clamosa voce, quàm in aliqua ratione confidunt. Egreditur autem Dina ad videndum mulieres regionis illius, quando simplices & fatui viri ab Ecclesia separantur, quos hæreticorum & philosophorum dogmata audire delectat. Mox igitur capiuntur & decipiuntur, & in hæreticorum gregem transferuntur. Vnde fit, vt anima Deo desponsata, scortum diaboli esse incipiat. Talis igitur fuit Dina, tales & virgines fatuæ, quæ per eas significantur. Sed non talis filia Iephte, quæ sicut virgo prudentissima duobus mensibus virginitatem suam fleuisse narratur. Nota est historia: Iepthe enim contra hostes pugnaturus, cùm hostium exercitum conspexisset, votum vouit Domino, quia si ei de inimicis victoriam daret, quicquid ei domum redeunti primùm occurreret, ei immolaret. Commisit igitur & vicit, eique domum reuertenti, filia eius vnica cum choris & tympanis prima occurrit. Cui ipse ait: Heu filia mi, decepisti me & decepta es. Aperui enim labia mea Domino, & aliter esse non poterit. Ad quem ipsa: Si, inquit, labia tua Domino aperuisti, fac in me sicut promisisti. Sed vnum est quod postulo, vt me permittas flere virginitatem meam duobus mẽsibus, cum sodalibus meis. Sed quid per Iephte, nisi viros fideles, & catholicos intelligimus? Isti quidem contra suos pugnant inimicos, quando vitia & malignos spiritus, carnis voluptates & concupiscentias superant. Quid verò per vnicam eius filiam, nisi anima designatur, quæ quidem de tali victoria plùs omnibus gratulatur? Hæc autem melior est, & ad Dei imaginem & similitudinem facta est, digna vtique, quæ Deo offeratur. Plangit itaque virginitatem suam, quia multùm dolet quòd plùs non laborauit, quòd non maiorem fructum Domino obtulit, & quòd plures boni operis filios non genuerit. Virginitas enim hoc in loco pro sterilitate ponitur, quoniam quæ virgo est, sterilem quoque esse necesse est. Steriles enim in opprobrium erant in Israël. Considera igitur, quàm prudens virgo ista fuerit, quæ non de morte, sed de sterilitate potiùs lamentatur.

Iephte quoque prudentia laudabilis est, qui ne votum frangeret, filiam interfecit. Qui enim amat animam suam, perdet eam. De voto autem Psalmista ait: Vouete, & reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu eius affertis munera. Dedimus itaque formam atque exemplum, quæ virgines fatuæ sint, & quæ prudentes. *Sed quinq; fatuæ acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum. Prudentes uerò acceperunt oleum in uasis suis cum lampadibus.* Quasi enim sine oleo sunt fatuarum lampades: quia & si ad tempus earum opera lucere videantur, simul tamen cum eis extinguuntur, quoniam post hanc vitam nullũ lumen eis ministrant. At verò prudentium lampades, quoniam syncero pietatis & misericordiæ oleo nutriuntur, tunc clariùs lucẽt, quando de his tenebris ad vitam transferuntur. Ideoq; Apostolus ait: Nolite itaque ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit

Matth. 24
Matth. 25
Matth. 6.
Iudic. 11.
tephte typus
catholicorum.
Gen. 34.
Psalm. 75
Ioan. 12
1. Cor. 4

Universidad de Deusto
Biblioteca

minabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo. Tunc enim quæ lampades habent oleũ, & quæ non habent, omnibus reuelabitur.

Tunc fiet sermo, qui scriptus est de Ecclesia: Prou. 31. Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius. *Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes & dormierunt.* Moratur enim sponsus & venire retardat, donec ad iudicium Dominus veniat. Tanta igitur est hæc mora, quantum est & huius seculi spatium. Interea autem omnes dormitant & dormiunt, quia per multos languores, tandem somno mortis oculos claudunt. Quasi enim ante somnum dormitare, est ante mortem langueſcere & ægrotare. *Media autem nocte clamor factus est, Ecce sponsus uenit, exite obuiam ei.* De hoc enim clamore Apostolus a it: 1. Cor. 15. Clanget enim tuba, & mortui resurgent incorrupti. Hic autem clamor media nocte 1. Thess. 5. fiet, quia cunctis ignorãtibus dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. In nocte enim fit, quod in tenebris ignorantiæ fit. *Tunc surrexerunt omnes uirgines illæ, & ornauerunt lampades suas.* Vt au- 1. Cor. 15 tem Apostolus ait, Omnes quidem resurgemus, sed nõ omnes immutabimur. Lampades autem ornant, dum opera sua secum retractant, & dignæ responsionis verba inuenire interiùs cogitant. Quæ postquã fatuæ inuenire non possunt, mendicare incipiunt, & de suo testimonio diffidentes, aliorum pro se testimonia flagitant. Et hoc quidem ait: *Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo uestro, quia lampades nostræ extinguũtur.* Oleum fatuæ quærunt, quoniam misericordia indigent. Et tale est, acsi dicerent: Quia opera nostra lucere deficiunt, illuminate eas vos testimonio vestro. *Responderunt sapientes, dicentes: Ne fortè nõ sufficiat nobis ute potiùs ad uendentes, & emite uobis.* Non vobis, inquiunt, oleum quæratis, neque nos mentiri admoneatis: ite potiùs ad venditores, ite ad adulatores, qui vili precio laudis & fauoris omnia bona vestra vobis surripuerunt: quoniam ideò cuncta agebatis, vt videremini ab eis. Nos enim de nobisipsis nondùm ad plenum securæ sumus, nedum de vobis testimonium demus. Vnde beatus Pe- 1. Petr. 4. trus Apostolus ait: Et si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi apparebunt? *Dum autem irent emere, uenit sponsus. & quæ paratæ erant, intrauerũt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua.* Dum emere, inquiunt, irent, id est, dum ad ea quæ in hoc seculo egerant, mente redirent, dum opera sua qua intentione ea fecissent, secum tractarent, dum se pro eis laudis mercedem iam suscepisse recogitarent, venit sponsus. Emere enim tunc nihil aliud erit, nisi emptionis & venditionis modum cogitare. *Nouissimè autem ueniunt & reliquæ uirgines, dicentes: Domine Domine aperi nobis. At ille respondens ait: Amen dico uobis, nescio uos.* Deus enim qui omnia scit, fatuas virgines se nescire dicit, quoniam earum nomina non sunt scripta in libro vitæ. Nescire nanque Dei, reprobare est. *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.*

IN DEDICATIONE ECclesiæ, Homilia Eusebij Emeseni.

Ingressus Iesus, perambulabat Iericho. Et ecce uir nomine Zachæus: & hic princeps publicanorum, & ipse diues. &c. Luc. 19.

EX quo tempore primus homo descendit ab Ierusalem in Iericho, incidit in latrones. Omnes per Iericho ambulamus, quicunque hunc mundum inhabitamus. Iericho nanque interpretatur Luna, cuius tanta mutabilitas est, vt nunquàm in eodem statu permaneat. Vnde & non immeritò hunc mundum significat, cuius mutabilitas perpetua est, & nisi mutationibus stare non potest. Vt enim de cælo & tempore, de diebus & mensibus & anno taceamus, quæ semper voluuntur & in se replicantur: neque aër, neque ipsi homines suam perpetuam seruant figuram. Quorum omnium mutationes quis vnquam per singula enarrare valeat? Meritò ergo mundum istum Luna significat, quia ad illius similitudinem tantis semper mutationibus variatur. Hanc autem mutabilitatem DOMINVS & saluator noster secundùm humanitatem susc ipere dignatus est, vt hominem à latronibus vulneratum sanaret, & mundum à morte perpetua liberaret. Vnde & meritò per Iericho ambulasse dicitur: quia cùm sit immutabilis secundùm diuinitatem, nostras tamen mutationes in carne sua suscepit. Esuriuit enim atque sitiuit, & super puteum fatigatus sedit. *Et ecce uir nomine Zachæus,* qui digne satis iustificandus interpretatur, quoniam à Deo vocatus & iustificatus est. Hic autem erat non solùm publicanus, verumetiam publicanorum princeps: erat insuper & dives, quem difficile est intrare in regnum cælorum. Difficile vtique, & apud homines impossibile: sed quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Et quanuis talis esset, quærebat tamen videre Iesum. Quærebat quidem, sed videre non poterat. Sed quarè non poterat? *Præ turba, & quia statura pusillus erat.* Hæc enim duo valdè impediunt hominẽ, ne videre valeat Iesum. Mala turba, quæ à tãto taliq; bono hominem deturbat. Turba ista vitiorum

Mundi inconstantia

Luc. 10.

Ioan. 4.

Matth. 19

Quæ impediant, ne videat Iesum.

vitiorum est, qua qui circundatus fuerit, Christum videre non potest. Statura verò pusillus est, qui ad scientiæ ætatem & perfectionem nõdùm peruenit. Vnde Apostolus nos admonet 1. Cor. 14 dicens: Nolite pueri effici sensibus, sed malitia 1. Cor. 3. paruuli estote. Et iterùm: Tanquàm paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam. Nondùm enim poteratis, sed necdùm quidem potestis. adhuc enim carnales estis. Qui igitur vult videre Iesum, exeat de turba, fugiat vitia & peccata, vitet malorum consortia, erigat & extendat se, crescat in fide & scientia, & proficiat in omni bonitate. Hoc significat Zachæus, quando *præcurrens ascendit in arborem sicomorum.* In arborem quidem ascendit, quatenùs inde videret, quem præuidere non poterat.

Arbor, fides.

Hæc arbor fides est, ad quam multi venientes, & in eam ascendentes, quatenùs statura paruuli fuissent, & nondùm in scientia multùm creuissent, inde tamen Iesum videre & cognoscere meruerunt. Vnde & hic dicitur: *Quia inde erat transiturus.* Hac enim via & iuxta hanc fidei arborem transit Iesus: Inde videtur & videt, inde cognoscitur & cognoscit. Eos enim Dominus respicere & ad se vocare dignatur, qui in hanc arborem ascendunt, cuius fructus sanguineus est, per quem martyres significantur, qui fidei arbori adhærentes, propter fidei constantiam proprio sanguine cruentati sunt. Tales itaque fructus fert sicomorus, talia poma fert arbor fidei, quæ tam firmiter ei inhærent, vt potiùs occidi, & proprio sanguine cruentari, quàm à sua arbore, id est, à Christi fide valeant separari. Inde igitur Dominus transiens, suspiciens vidit Zachæum, & dixit ad eum: *Zachæe festinans descende, quia hodiè in domo tua oportet me manere.* Hodiè, inquit, me quærere cœpisti, hodiè in domo tua oportet me manere. Verum est igitur, quod Ezech. 18 per Prophetam dicitur, quia peccator quacunque hora conuersus fuerit, & ingemuerit, vita viuet, & non morietur. Quod enim tunc in Zachæo factum est, quotidiè in alijs peccatoribus fieri non dubium est, si ex corde conuertantur, si Christum quærant, & fidem teneant. Sequitur: *Et festinans descendit, & excepit illum gaudens.* Iam enim igne fidei interiùs ardebat, qui sic exteriùs obedientiam & obsequium exhibebat. Multùm iam fide creuerat, & si statura pusillus erat. *Et cùm uiderent omnes, murmurabant, dicentes: quòd ad hominem peccatorem diuertisset.* Omnes enim sciebant Zachæum esse peccatorẽ, vtpotè publicanorum principem. Sed iste peccator multo melior erat, quàm alij qui murmurabant, & se iustos esse fingebant. Hoc autem sequentia manifestant, dum dicitur: *Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Hac enim vna voce omnes illi eò à murmuratione cessauerunt, tam subitam

Fructus fidei sanguinei.

Conuersio perfecta Zachæi.

publicani pœnitentiam & conuersionem admirantes. Et fortasse nemo ibi erat, qui hanc tantã professionẽ, etiam coactus facere voluisset. Dies enim erat valdè, quem ipse euangelista diuitem fuisse testatur: & tamen omnium bonorũ suorum medietatem se pauperibus dare promittit, & in quadruplum reddere, si quid aliquem defraudauit. Vide ergo à quanta perfectione cœpit, qui tunc primùm Christum Dominum viderat, & prædicantem audierat. Verùm est vtique, quòd homines vident in facie, Deus au- 1. Reg. 16 tem corda intuetur. Qualem Dominus hunc, & quàm iustum post modicum futurum videbat, quem tam peccatorẽ homines iudicabant. *Ait ie sus ad eum: Quia hodiè salus domui facta est huic, eò quòd ipse filius sit Abrahæ.* Hodiè, inquit, domui huic salus facta est, & omni ægritudine, omni morbo, omni vitiorum contagione fugata, sanata est, & tota interiùs & exteriùs sanctificata est: eò quòd ipse, qui huius domus habitator est, iam non publicanus sit, sed filius Abrahæ. Abrahæ nanque filij sunt, quicunque Abraham imitantur, & Abrahæ fi lij qui. Abrahæ opera faciunt. Et Abraham quidem angelos, Zachæus verò angelorum Dominum hospitio suscepit. Illis enim diebus, quibus Abraham circunciſus est; cùm staret ad ilicem Mambre, vidit tres viros venientes ad se, quibus occurrens adorauit & dixit: Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, transite & requiescite in loco isto. Illis verò acquiescentibus, tulit Abraham butyrum & lac, & vitulum quem coxerat, & posuit coram eis. Postquàm autem consederunt, dicunt quòd reuertò anno eodem tempore habebit Sara filium. Postquàm autem Abraham circunciſus est, postquàm vt Apo- Rom. 4. stolus ait, accepit signaculum iustitiæ fidei (quod enim sicomorus Zachæo, hoc circunciſio præstitit Abrahæ,) Postquàm, inquam, hoc fecit, Christum inde adorare & hospitio suscipere meruit. Neque enim magis Zachæus fidem & amorem suum, arborem ascendendo ostendere potuit, quàm Abraham seipsum circuncidendo, & carnem propriam vulnerando. Si igitur vtriusque fides reuelata est, alterius per arborẽ, alterius per circunciſionem (quia impossibile Heb. 11. est sine fide placere Deo) quicunque es qui Iesum videre desideras, imitare Zachæum, imitare & Abraham: cresce in fide sicut illi: qui vt possis, clama & dic: Domine, auge nobis fidem. A- Luc. 17. braham enim non solùm in fide creuit, verùm etiam quodammodò ipsius fidei initium fuit. Quod enim ante id temporis omnibus incognitum fuerat, ipse diuinitùs inspiratus in Trinitate Deum vidit, & in vnitate adorauit: Non quòd Trinitatem ipsam viderit, quæ vtiq; inuisibilis est, sed quia per hoc quod viderat, in Trinitate & vnitate Deũ cognoscere meruit. Vnde cùm tres viderit, non tamen nisi vnum Deum adorat. De hoc enim in euangelio Dominus ait: Abraham pater vester exultauit vt videret Ioan. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

diem meum, vidit & gauisus est. Probauit igitur Abraham, probauit & Zachæus quanta sit
Iob 31. virtus fidei, quãta sit & virtus hospitalitatis. Beatus quoque Iob de seipso ait, quia non comedit buccellã solus, sed ostium suum viatori patuit.
Luc. 24. Ideò etiam illi duo discipuli, qui Dominum & saluatorẽ nostrũ in specie peregrini in suũ hospitium coegerũt, quẽ per totum diem non cognouerant, tandem in hospitio, in fractione panis cognoscere meruerunt. Nunquàm enim sic cognoscitur IESVS, sicut in panis fractione: nunquã sic ostenditur Dominus, sicut in sanctarum expositione scripturarum. Hoc enim pane reficitur anima. De hoc pane ipse Do-
Matth. 4. minus ait: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Hic autem panis tunc frangitur, quando scriptura sacra exponitur, quando euangelia diligentiſsimè inuestigantur. Hinc enim est, quod Domi-
Exod. 30. nus Moysi ait: Sume tibi aromata, stacten, onichen, galbanum boni odoris, & thus lucidiſsimum: æqualis ponderis erunt omnia: faciesque thymiama compositum opere vnguentarij, mistum diligenter & purum. Cumque in tenuiſsimum puluerem vniuersa contuderis, pones ex eo coram testimonio tabernaculi. Quid enim
Virtus Euangeliorum. per has quatuor species odoriferas, quarum virtute naturali vulnera curantur & sanantur, nisi quatuor euangeliorũ libros intelligimus, quorum virtute ad mirabili omnes languores sanantur, omnia viti a curantur, & omnes infirmitates pelluntur? Hæc autem quatuor æqualis ponderis sunt, quoniam vnius eiusdemque veritatis sunt & authoritatis. Miscentur autem omnia simul, vt quod in vno euangelio non habetur, in alio reperiatur: atque dum in quibusdam inter se vicissim concordant, in nullo autem discordant, sua uiorem reddunt odorem. Et hæc
Euangelia ut exponenda. quidem quando ordine, ratione, & secundùm eam veritatem, qua scripta sunt, populis exponuntur, tunc nimirùm fit ex eis thymiama compositum opere vnguentarij, mistum diligenter & purum. Huius autem compositionis
1. Cor. 3. peritiſsimus vnguentarius Apostolus fuit, qui
1. Cor. 2. sicut sapiens architectus fundamentum posuit,
1. Cor. 9. & inter perfectos sapientiam loquens, omnibus omnia factus est, vt omnes lucrifaceret. Hoc etiam thymiamate redolens, ipse dicebat: Gratias
2. Cor. 1. & 2. ago Domino meo, qui dedit pignus spiritus in cordibus nostris, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco in ijs qui salui fiunt, & in ijs qui pereunt. Alijs enim sumus odor vitæ ad vitam, alijs odor mortis ad mortem. Tunc autem in tenuiſsimum puluerem vniuersa contundimus, quando euangeliorum sententias subtiliter indagantes, & frequenti ruminatione frangentes, ad spiritualem intelligentiam redigimus. Sicut enim aromata, quando terũtur, suauiùs redolent: ita sacra scriptura, quanto plùs ruminatur & frangitur, tanto suauiorem pa-
rit odorem. Ponimus autem ex hoc thymiamate coram tabernaculo testimonij, quando euangeliorum verba Ecclesiæ nunciamus. Panem itaque frangimus, & in tenuiſsimum puluerem aromata contundimus, quando sacras scripturas diligenter exponimus. In tali igitur fractione cognoscitur Iesus. Sic enim discipuli eum cognouerunt in fractione panis. Propter quod & Abraham in hospitium eum susIoan. 3. cepit, & cibos ei apposuit, quatenùs in comestione & ciborum fractione pleniùs eum cognoscere posset. Angeli enim quando volunt, ex aẽre corpus assumunt, quo videri & tangi & loqui & manducare & bibere possunt. Sicut enim verum corpus est aër, ita & corpora quæ sumunt ex aëre. His autem ad tempus induuntur, quæ cùm se expoliauerunt, mox in eundem aërem resoluuntur. Angelus tamen Raphaël ad Tobiã Tob. 12. loquens, ait: Pax vobis, nolite timere. Etenim cùm essem vobiscùm, videbar manducare & bibere: sed ego cibo inuisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor. Secundùm igitur hanc sententiam, & cæteros angelos manducare & bibere intelligant, quibuscunque impossibile esse videtur, vt angeli manducent & bibant. Moyses tamen eos comedisse testatur. Gen. 18.
Sequitur: *Venit enim filius hominis quærere & saluum facere, quod perierat.* Non enim venit vocare iustos Matth. 9. sed peccatores ad pœnitentiam. Quia non Luc. 5. indigent qui sani sunt medico, sed malè habentes.

HOMILIA EVSEBII EMESENI, de Pœnitentia Niniuitarum.

DVM sacro volumine Ionæ Prophetæ gesta replicantur, forsitan aliquis secùm cogitat & dicit: Tri duò & Niniue subuertetur: subuertetur planè, cùm calcatis deterioribus studijs, ad meliora conuertetur: subuertitur, inquam, dum purpura in cilicium, affluentia in ieiunium, lætitia mutatur in fletum. Vbi sunt, qui negant remedia pœnitentiæ, qui eam vel accipiendam, vel communionem post labores emeritos munerandam esse non credunt? Primo loco hic intelligamus, quàm sit accepta Deo satisfactionis oblatio, ad cuius medicinam vt confugere populus discaret, cælestis illa prouidentia offensæ suæ nunciAngeli corpora sumunt aëreu. Pœnitentia studia. um destinauit. Dicit Nouatianus, Pœnitentiam agere debeo, non accipere. Non ita est. Nam Deus erudiendis peccatoribus per prophetam adiutoria procurat, neminem sibi per se sufficere posse confirmat. Errant itaque, qui interdantem & accipientem velut corporale interuenire arbi-

arbitrantur officium. Quid est enim dare, nisi remedia demonstrare peccatis? Quid est accipere, nisi obedire præceptis, lachrymis & ieiunijs interpellare miserationis auditum? Quàm
Abstinere & cessare. felix abstinentia, cuius prædicando deuotio in illa plebe felicissima diuino semel quidem est approbata iudicio, sed quotidiano multiplicatur & celebratur exemplo. Specialem quondã prætulit fidem, nunc generalem operatur salutem. Nam quoties per lectionem profectus eius auditur, fructus illius dilatatur. Quàm felix abstinentia, quæ actione temporaria fuit, & nunc vtilitate perpetua est. Tunc vni ciuitati profuisse memoratur, tunc vagitus infantium, pecorum balatus, armentorum mugitus, vno in loco sub dierum paucitate sonuerunt: nunc miseri omnem terram clamoribus replent, & vsque in finem seculi personabunt. Inter fideles quisque non dubitet hostias precum, holocausta votorum, sacrificia lachrymarum ad diuinum familiariter ascendere posse conspectum. Ecce ad aurem Domini gemitus etiam brutorum animalium peruenerunt quidem: dum fide hominum militant, cælum cum supplicatione hominum penetrarunt. Videamus si eos contra hæreticam persuasionem, post pœnitentiæ opus, in communionem recipit propitiata maiestas. Quod vtiq; tunc dicimus impletum, quando sicut lectio docet, Misertus est (inquit) Dominus super malitiam, quam locutus est vt faceret eis. & item: Ego non parcam Niniuæ ciuitati magnæ? Tunc eis absque dubio communicauit, quando imminentem cælitus iram remouit: gratia fuit communicantis, indulgentia remittentis. Tunc eis communicauit, quando eorum vota susceptit. Remissio illa, reconciliatio & communicatio fuit. Cùm ergo ad prophetam ita Dominus dicat: Putásne benè irasceris tu? non tibi videtur, quòd errorem Nouatianorum Dominus arguat in propheta vtique Iona, qui inclinatum pœnitentia populum cùm videat humiliari, nequaquàm optat absolui? & ideò impugnator occultus apertè beneficium negat, cuius interdicit officium. absque dubio rebus ipsis eam suscipiendam non esse pronunciat, quam perpetua obligatione subtracta absolutionis fine condemnat. Ergo Niniuitæ pro pœnitentia atq; abstinentia iræ desuper imminentis suspenderunt ruinam, & paruuli ac pecora pariter abstinentes, egressam à Domino plagam, atq; sententiam iam cadentem (vt sic dixerim) retorserũt: tam manifestum indicantes afflictionis remedium, vt sibi etiam animalium crederẽt profuturum esse ieiunium. Secundùm hæc valdè ad clementiam diuina seueritas inuitatur, quando videt aliquem fœdas peccatorum notas, & veteres maculas intimis animæ visceribus impressas, satisfactionis lachrymis & pœnitentiæ remedijs abluentem, quando videt aliquem delicta sua præoccupato iudice voluntaria districtione & animaduersione damnantẽ, & tanquàm inimicũ dico, quia nullus nobis tam occultus inimicus est, quàm caro nostra. Quæ dum improbis cupiditatibus fatigat animum, in æternam vtriusque hominis pœnam, Dei armat offensam, & spiritus generositatem seruituti † exterioris addicit dominante peccato. Cui vtique tantam vim nostro vitio ministramus, vt animam mori faciat, quam non potest facere mortalem. Beatus qui hic mala sua deflere, qui hic debita sua festinat exoluere, & innocentiam, quam iam non potest reparare per baptismum, recuperare studet per summum pœnitentiæ fructum. Qui placiturus est Deo, ipse sibi displicet, ipse sibi quodammodò sub priuatæ cognitionis sententia & testis & accusator & iudex est. Ad tales meritò ipse DOMINVS loquitur: Non iudicabo bis Nahum. 1. in idipsum, id est, quod tu in te seuerus agnoscis, ego propitius ignoscam: quod tu tristis accusas, ego lætus absoluam: quod tu recordaris in publicum, ego obliuiscar in æternum: & quia per pœnitentiam tuam præueneristi sententiam meam, recondam gladium meum, ac me tibi ad remunerationũ tempora reseruabo. Ergo charissimi, vnusquisq; respiciens se, arguat intra se gesta improba, & ante se constituat peccata sua, pronuncians cum propheta: Et delictum meum contra me est semper. Ante vos sit, vt contra vos esse non possit. Ita illud conuersatio obliuiscatur, vt compunctio recordetur. Ita illud reatus confessionis ostendat, vt virtus satisfactionis abscondat. Ita viuat in conscientia, vt moriatur in vita.

† *Pœnitentia & abstinentia vocata sæpe pro Deũ.*

Caro quã infesta spiritui.

† *forte, inferioris.*

Psal. 50.

IN LAETANIIS, ET DE IEIVNIJS Niniuitarum Homilia.

LEgimus in prophetis, cùm Niniuæ ciuitati subuersio diuinitùs immineret, & iuxta sententiam Dei, destruendi illam tempus ingrueret, consistentes in ea aliud non habuisse præsidium, nisi vt abiectis crapulosis epulis, ieiunia cõtinuata susciperent, & diuitiarum ambitione sepositа, humilitate se paupertatis induerent, scilicet vt exinde remedium perciperent, vnde ijs perditio contingebat, hoc est, vt iram diuinitatis, quam luxuriando prouocauerant, abstinendo lenirent, & offensam, quam in eos superbia contraxerat, humilitas mitigaret. Dicitur enim in illa tribulatione ipse rex depositа imperiali purpura, regali ambitione submota, membra sua cilicio præcinxisse, atque in sacco se diebus ac noctibus volutasse. Sapiens ergo rex, qui sciret quemadmodùm aduersa sibi superare deberet. Hostes enim virtute superabat, Deum autem humilitate vincebat. Sapiens planè rex, qui intel-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ligeret,quibus armis vteretur pro temporis qualitate:cùm enim insidiantur illi homines,apprehenditarma bellica:cùm irascitur ei Deus,corripit arma iustitiæ.Sapiens inquam rex, qui pro salute ciuium peccatorem se magis confitetur esse,quàm regẽ.Obliuiscitur enim se regẽ esse, vbi Deum regem omnium pertimescit:nec potentiæ suæ meminit, vbi potentiã diuinitatis agnoscit.Obliuiscitur ergo se regem esse , dum proijcit purpuram,dum diadema deponit, cilicio autem vestitur & sacco, ieiunijs perseuerat, orationibus immoratur.Mira res:dum se regem hominum esse non meminit, rex incipit esse iustitiæ. Religiosus igitur princeps non perdidit imperium,sed mutauit: principatum enim antè militaris disciplinæ tenuit,nunc cælestium disciplinarum obtinet principatum. Non, inquam,perdidit imperium,quiasiue ferro,siue iustitia pro ciuium salute primus inuigilat: primus planè inuigilat:quia vt tota ciuitas ieiunaret,famem sibi rex primus indixit, & solus omnium causã prior cœpit esurire , quàm miles: necesse enim erat,vt qui potentior cunctis fuerat,deuotior fieret vniuersis. Exemplo igitur suo præparat religioni exercitum , non armis, sed sola deuotione munitum:iubet omnem sexum,omnem ætatem à diurnis epulis abstinere, additur religioso exercitui numerus,cùm in tali deuotione etiam infantia militare compellitur: pietas enim esse creditur in tali causa , paruulis quoque cibi substantiam denegare : non enim sufficiebat ad placandum Deum peccantium satisfactio,nisi seniorum quoque peccata paruulorum innocentia deploraret,& fletibus alienis delicta sua iuuentus ablueret. Ista autem,fratres,omnia in commonitionem nostri facta esse,nemo est qui nesciat, vt quotiescunque tribulationibus perurgemur,ad hæc præsidia concurramus:vtputà,aduersarius imminet, inimicꝰ in promptu est,ieiunemus , & vincamus.Solent quidam homines , quotienscunque necessitatem arduam nimis patiuntur, ad proximas gentes auxilij causſa destinare legatos : nos, quod est melius,legationem ad Deum per ieiunia destinemus:ab ipso imploremus auxilia,ad ipsum nos corde & orationibus conferamus:auxilium enim illi non aliunde rogando petiuerunt , sed de suis ieiunando visceribus exegerunt.Cur ergo petat ab altero , qui intra se potest inuenire, quod quærit?quanto enim Deo viciniores fuerimus,tanto aduersarij nostri à nobis longiùs repellentur.Oportet igitur nos proximos fieri Deo,quoniam dicit propheta:Ecce, qui elongant se à te,peribunt. Quòd si à Deo qui longè sunt,peribunt,vtique qui sunt proximi saluabũtur:aliter ergo proximi Deo esse non possumus, nisi ad eum ieiunijs,orationibus,& eleemosynis propinquemus.Deus enim ipse misericors,ieiunus,& sanctus est : atque ideò qui vult proximus Deo esse , debet imitari hoc esse , quod Deus est. Tota igitur in tribulatione Niniuitarum ciuitas ieiunauit,benè dixi,tota:non solùm enim senes,iuuenes & infantes,sed etiam pecudes legimus ieiunasse.Mira res:ieiunat pro ciuitatis peccato , quem peccati conditio non constringit. Vnde & nos,fratres , temporum angustias sustinentes, omnes pariter ieiunare debemus, & misericordiam Dei cunctorum abstinentia deplorare:nam quale sit hoc Christianũ, pro salute sua non facere,quod pecudes pro hominum salute fecerunt?nisi quod stolidior pecude est,qui indicto pro se à sacerdote ieiunio nõ ieiunat:nónne enim pecus est , qui non intelligit,quid illi immineat,quid incumbat? & pecus quidem videns declinat foueam, cauet præcipitia:tu autem non vis ieiunando periculum declinare , quod cernis?desperationis enim genus est,tunc te manducare, cùm abstinere debeas, tunc gaudere,cùm debeas deplorare. De hac desperatione Apostolus dicit , quod à nobis auertat Deus:Manducemus , & bibamus:cras enim moriemur.Ieiunemus ergo fratres, sine intermissione , vt hostes nostros orationibus,& abstinentia superare possimus.

psalm.11.

1. Cor.15. Esa.22.

FINIS. HOMILIARVM PATRVM DE tempore, & de Sanctis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX RERVM, VERBORVM, ATQVE SENTENTIARVM COPIOSVS ET cum primis necessarius in homilias Patrum : in quo numerus paginam, a. primam columnam, b. verò secundam columnam designat.

A.

Aaron de tribu Iuda 24.b
eius ordinem sacerdotum designat 152.a
eius virga sicca, floret 27.b
Abel quos designet, quidue significet 82.a
Abel iustus à Cain occisus 80.82.a
Abel gloria martyrij beatus 149.b
Abel sanguis quomodo clamet 106.b
Abel cur dictus iustus 82.a
Abel sanguinem requiri 80.b
Abel Christi, Cain Iudeorum typus 324.a
Abel esse non potest, quem Cain malitia nõ exercet 690.b
Abel quæ & quos designet 37.b
Abia, unde Zacharias ortus, quis 818.b
Abrenuntiare nos & nostra debemus 986.b
Abominatio desolationis, Antichristus 733.a
Abrenuntius quis 607.a
Abraham uidit Deum paruo tempore, nos uerò diu 52.b
Abraham cur alijs patribus præponatur 11.a
Abraham à cæde filij prohibetur 195.a
Abraham tres uiros suscepit hospitio 263.a
Abraham fidei exordium 194.a
Abraham trinitatem cognouit 1059.b
Abraham Deus cur tentauit 158.a
Abraham quem secutus 194.b
Abraham quanta sanctimonia enituerit 619.b
Abrahami Iudæi filij cur dicantur 228.a
Abrahami fidei initium, imitandus 1059.b
Abraham quando uidit diem Christi 328.a
Abraham cur dictus Abraham 125.a
Abraham primus circuncisus 124.a
Abraham ubi uiderit Angelos 350.a
Abrahæ & diuitis collocutio qualis 256.b
Abrahæ quid promiserit Deus 618.b
Abrahæ qui filij 392.a.1059.b
Abrahæ semini manebit gloria perennis 31.b
Abrahæ obedientia promptißima 194.b
Abrahæ sinus 543.a
Abrahæ promißio facta, qualis 118.a
Abscindendus peccator quando 318.b
Absentiæ uirtus 1061.a
Absentari se à malo non sat est 573.a
abstinendum ab uxoribus quando 46.a
abstinendum à concubinarum consortio 46.a
abstinendum à carnalibus desiderijs 129.a
abundantia maxima quæ 213.a
abusus rerum uertitur in ultionem 999.a
abyssus abyssum inuocat 1056.a
acceptio personarum apud Deum non est 119.a
accingere lumbos : roborare brachium 863.a
achas cur signum renuit 795.a
achas simulata religio 795.b
acies mentis obtunditur satietate carnis 25.b
acies hominis interioris purganda 320.b
actibus nostris non fidendum 448.b
adam & Noë sacrificia Deo accepta 121.b
adam ut reparetur, nascitur Christus 52.a
adam secundus à primo partitur 796.a
adam primus, per secundum erigitur 38.b
adam homo interpretatur 838.b
adam miserabiliter sauciatus 625.a
adam nudus incola fuit paradisi 925.a
adam cur se cooperuerit 7.a.625.b
adam & Euam liberare Dominus uenit 505.b
adam primus & secundus, quales 137.b
adam doli ignarus 188.a
adam uxta literas quid denotet 303.b
adam cæcos nos genuit 312.a
adam per uxorem seducitur 187.b
adam per mundum disseminatus 303.b
adam quid acceperit à Deo 262.b
adam quando peccauit 113.a
adam unde tentatus 213.b
adam quando peccauit, erubuit 754.a
adhortatio ad ieiunium 26.b
admiratio sanctorum qualis 218.a
adolescentes quibus impediantur 182.b
adolescentuli ut se habeant in Ecclesia 688.a
adoratores ueri qui 290.b
aduentus Christi duo qui 321.a
aduentus Domini cur in Ecclesia celebretur 1.a
aduentus Christi humilis 6.b
aduentus Christi eximium beneficium Dei 726.b
aduentus tempore ad pietatem Ecclesia nos incitat 2.a
aduentus sacramenta quibus reuelauit Dominus 173.b
aduentus Christi fecit unum ouile 9.a
aduentus Christi in carnem quibus profuit. 550.b
aduentus Christi quibusdã exitialis 965.a
aduentus Domini quid contulerit 114.a
aduentus Christi testimonium 415.b
aduentus quis, qualis & quadruplex 1.a
aduentus sponsi incertus 1047.b
aduentum Christi omnes orabant patriarchæ 725.b
aduentum Domini qui præcesserint, qui uerò secuti 7.b
aduentum impietas formidat 55.a
aduentum Christi quid annuntiabit 734.a
aduentum Domini patres desideratißimè expectarunt 1.b
aduentum Dei qui prænuntiarunt 159.a
aduentum suum secundum ubi insinuauerit Dominus 249.b
aduentum expectant, quales 55.a
aduentum Domini qui habere possunt 11.a
aduentum iudicis boni diligunt 1030.a
aduentum suum cur Dominus in nocte affuturum dicat 7.b
aduentum Domini immaculati suscipere satagemus 44.b
aduentuum Domini explicatio breuis 1.a
adueniens Christus quid attulerit 6.a
aduenæ sumus & peregrini 429.a
aduersarius ne inueniat in te occasionem 556.b
aduersarius noster, sermo dei 602.b
aduersitates seculi tolerandæ 598.b
aduersis quis emendetur 39.a
aduersitatibus mundi frangi, utile est 552.b
adulatio à charitate absit 146.b
adulatores peccata fouent 934.a
adulatores uendunt laudes 1048.a
adulatores qui 543.a
adulatores oleum uendunt 1050.a
adulterij immanitas 240.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

ægri quando cucurrêre ad medicum 112.b
ægrotabant qui 389.b
ægyptum qui inhabitauerint 109.a
æqualitas patris & filij 73.b
æquitatis fundamentum quale 54.b
ætas hominis mysticè distributa 178.a
ætas senilis non potest generare 194.a
ætatis labentis seculi sex, quæ,& quid designent 149.b
ætates quatuor quæ 319.a
ætates mundi 177.b
ætates mundi sex 289.b
æternum quomodo ametur 191.b
affectus induendi qui 141.a
affectus in Christo qualis 346.b
affectus benevolentiæ ubi deest, dæmonibus nos assimilat 10.a
affectus quomodo dirigendi 26.a
affectus quomodo constringuntur 175.b
affectus & fidei pugna 107.a
affectus piorum quid efficiant 267.a
affectus coërcendi 4.a
afflictio medicina salutis 345.a
afflictiones huius uitæ ut sint exiguæ 564.a
afflictiones temporariæ, præmium sempiternum ibid.
afflictiones hominum internæ & externæ 999.a
afflictiones quæ bonæ 573.b
agar ancilla Abrahæ 295.b
agentes mala, bona quæ in ijs sunt, non uidemus 43.b
ager euangelicus quis 189.a
ager sanguinis 355.b
ager, mundus 731.b
ager in quo thesaurus latet 1043.b
ager mundus, operarij prædicatores 975.a
agnes qualis uirgo 761.b
agnes oppugnantem diabolum ut uicerit 762.a
agnetis precibus mortuus excitatus 762.a
agnoscе teipsum 1028.a
agnus Dei Christus est, innocens est 134.b
agnus in nocte editur 412.a
agnus paschalis quid denotarit 348.b
agnus Christus, leonem diabolum prostrauit 376.a
agnus nec aqua coctus, nec crudus comedendus 412.b
agni paschalis mystica interpretatio 390.b
agni paschalis esus 412.a
agricolæ qui dicantur 257.b
agricultura mystica quæ 32.b
alabastrum mysticè 339.b
alæ orationis duæ 205.a
alexander apud Paulum, qualis 202.b
alexaneer magnus ut leo 16.a
alienigenæ Christo perhibent testimonium 792.b
alienos magis suscipimus 276.b
allegoria scripturæ inspicienda 82.a
allegoriâ qui, & quando uti debeat 114.a
allegorijs apud fideles Apostolus utitur 295.b
alleluia cur Hebraicè cantetur 468.b
alleluia cur omittatur 175.a
alleluia cur intermittatur in Quadragesima 468.b
alleluia cur inter Pascha & Pentecosten frequens 468.a
alma quid significet 795.b
altare quid significet 257.b
altare mysticè quid 82.a
altare spirituale, fides uera 580.b
altare Abraham ædificat 195.a
altaria templi duo 82.a.820.a
alter alterius eget opera 141.b
amalechitæ mysticè 551.b
amando quomodo curramus 175.b
amanti nunciandum erat 952.a
amanti nihil difficile 118.b
amare benè 343.b
ambitio pontificum quæ 341.b
ambitio damnatur 251.b
ambitio taxatur 215.b
ambitio cæca 105.b
ambitione non ascendendum ad Ecclesiasticа officia 77.b
ambitiosi filij 195.b
S. Ambrosius flevit de morte pij sacerdotis 101.a 1019.a
ambulare spiritu 630.a
ambulare cautè negligimus 686.b
ambulandum in Domini uia 508.a
amen cur manserit, & quis sæpius usurpet 227.b
amentia nostra quàm serpina 241.a
amentia eorum, qui diabolo obsequuntur 556.a
amicæ & uicinæ uirtutes angelicæ 558.b
amicitia uera quæ 39.a
amicus mundi, inimicus Dei 15.a
amicus de uia 451.a
amicus de uita quis 447.b
amicus noster Deus est 451.b
amicus per solam fidem reprobatur 692.a
amicus summus Deus 447.b
amici quos Domino obuiàm mittimus 161.b
amici & uicini, chori angelorum 558.a
amicum esse Dei magna est dignitas 967.b
amicos nobis facere debemus 598.a
amor quid faciat 485.a
amor mundi cum Dei amore non congruit 948.a
amor Christi exigat, quod alioquin timor 86.b
amor spiritus sanctus est 478.b
amor omnia suauia facit 174.b
amor discipulorum Christi imperfectus arguitur 483.b
amor cordis & animæ 676.a
amor naturalis etiam in feris 204.b
amor & exemplum Christi nobis proposita 288.a
amor carnalis qualis 204.b
amor qui separat bonos à malis 164.a
amor delet culpam 110.a
amor notitia Dei est 968.a
amor omnia facit facilia 718.a
amoris spiritualis uis 709.b
amos quomodo occisus 82.b
amphora clausa quæ 169.a
anabaptistæ hæretici diuisi 657.b
anachoretæ quales 94.a
ananias quid sonet 765.b
ananias qualis discipulus 767.a
ananias, paterfamilias 1031.a
andreas quis rectè uocatur 75.b
andreas quomodo Dominum inuenit ibid.a
andreas quàm libens ascenderit crucem 754.a
angelus Mariam consolatur 23.b
angelus quis rectè uocetur 20.a
angelus cur in dextra in stola candida sederit 380.a 789.a
angelus testamenti Christus 789.a
angelus unicuique fideli designatus 529.b
angelus cur pastoribus, & stella Magis apparuerit 129.b
angelus ad urginem diuino conferendam partu mittitur 23.a
angelus quod, quale nomen 20.a
angelus stans & sedens quid 573.b
angelus Christus 231.b
angelus nomen officij 559.a
angelus bonus cui apparet 120.a
angeli non æqualiter sancti 353.b
angeli administratorij spiritus 317.a
angeli procuratores Dei 182.b
angeli mediatorem Dei & hominum agnoscunt 59.b
angeli lætantur 68.a
angeli in cælis semper Deum laudant 59.b
angeli duo, duo testamenta 406.b
angeli de Domino mirantur 220.a
angeli alij ab alijs mittuntur 561.a
angeli boni ut à malis internoscantur 830.a
angeli nomen IESV priùs uocant, deinde Apostoli, inde & cuncti credentes 52.a
angeli electi dicuntur 945.b
angeli cur cum luce apparent 61.b
angeli quomodo apparuerint sanctis 526.b
angeli nos protegunt 50.b
angeli corpora sumunt aërea 1060.b
angeli duo in monumento 404.a
angeli orationes nostras Deo commendant 929.b
angeli nos non despiciunt 56.b
angeli olim permittebant se adorari, at modo non ibid.
angeli & Archangeli 559.a
angeli habent linguam 190.a
angeli quare ex nomine designentur 23.a
angelo apparente, charitas cur apparuit & quando 59.a
angelorum nouem ordines 554.b
angelorum gaudium quale 319.a
angelorum agmina exercitus Dei 690.a
angelorum exercitus quid operaturus 15.b
angelos charitatis lege contineri 163.a
angelos qui uidere mereantur 380.b
angelis uirtutes quæ placeant 924.a
angelica natura qualis 191.a
angelica salutatio omni admiratione digna 883.a
animalia plena oculis retrò & antè, qui 610.b
animalia quæ, pascuntur quomodo 61.a
animalia unde alantur 645.a
animalia uerbo Dei facta 797.a
animus carnalis quis, qualis 19.b
animus rector corporis 266.b
animus non lætetur de bono opere 43.b
animus ut in bono perseueret, quid requiratur 12.a
animus noster ubi sordescat 198.a
animus ut sit stabilis 19.b
animus trahitur amore 495.a
anima uirtutum studijs ornanda 739.a
animo non dormiendum 164.b
anima quo pane nutriatur 391.b
anima quo obstaculo retardatur 502.a
anima quando reddit bonum DEO 862.b
anima quomodo amanda 880.a
anima uita præsens 641.a
anima cæca, leprosa, mortua 593.b
anima sedes iusti 262.a
anima hominem totum significat 404.a
anima nauis institoris 863.a
anima à sordibus expurganda 378.b
anima Deo subijci debet 264.a
anima quomodo moritur 318.b
anima nostra quomodo sit odienda 981.b
anima peccatis referta 247.a
anima peccatrix pœnitentia curator 758.b
anima ut diuinis uacare possit, quid ei faciendum 25.b
anima fidelis suscipere debet charitatem 39.a
anima quinario numero censetur 1046.a
anima infelix quæ 226.b
anima quomodo ornanda 238.b
anima pro uita præsente 989.b
anima fœda quomodo mundetur 542.a
anima ut reddat fructum 239.b
anima quomodo saturatur 1013.b
anima Christi plenam suæ deitatis habuit notitiam 524.a
anima quomodo aggrauetur 522.a
anima quomodo saluetur 990.a
anima pia templum Spiritus sancti 649.b
animæ uita quis 200.b
animæ sanctorum quibus muniantur 226.b
animæ plena beatitudo 482.b
animæ propinquitas 657.a
animæ nutrientes 733.a
animæ reproborum ubi sint 994.b
animæ iustorum ubi sint ibid.
animæ quædam liberatæ à pœna 995.a
animæ possessio cur patientiæ tribuatur 1000.a
animæ scortatio 1052.a
animæ prægnantes 7[illegible]
animæ, cibus Dei 9[illegible]
animæ beatæ quæ 4[illegible]
animæ mors quæ 2[illegible]
animæ uocabulo quid 8[illegible]
animæ uir Spiritus rationalis 28[illegible]
animam prauam ut opus uisitet 602.b
animam Deus requirit 717.b
animam odisse & amare quid 343.b
anima ut ad terram prosternatur 602.a
animam qui amat perdit 878.a
animam DEVS reuertentem suscipit 1043.d
animam se habere nemo dubitat 193.b
animarum imbecillitati consulendum 127.b
animarum salus à nobis negligitur 41.b
anna typus Ecclesiæ 778.b
anna qualis mulier 116.a
annæ uiduæ laus 767.b
annonarerum & caritas unde 269.a
annorum nostrorum decimas Deo damus 214.a
annulus quid indicet 262.b
annus acceptus qualis 169.b
anthropophagi immanes 979.b
antichristus unde nasciturus 945.a
antichristus à quo Spiritu loquatur 307.b
antichristus qualis erit 305.a
antichristus superbissimus, ut Deum blasphemare gaudeat 16.b
antichristus meritò abominandus 733.a
antichristus Enoch & Heliam occidere curabit 16.b
antichristi tempus 434.b
antichristi tempore tribulatio maxima 16.b
antichristi extollentia 350.a
antichristi regnum 16.b 733.b
antichristi extrema persecutio 535.a
antichristi persecutio qualis 104.b
antiochiæ primò cæperunt Christiani 834.a
antonius magnus apud imperatorem 1019.b
apex & iota quid 579.a
apis mellis habet dulcedinem 96.a
apocalypsis quantæ authoritatis 922.b
apocalypsim Ioannes scripsit 98.b
apostolica retia 574.b
apostolus opibus non inhiabat 18.4.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

apostolus quid 367.b
apostolus orans non est exauditus 971.a
apostolus ab undis seruatus 184.a
apostolus cur non est exauditus 446.b
apostolus cur inuisus iudæis 808.a
apostolus uult bona esse communia 10.a
apostoli quod fecerunt, fecit & Christus 943.b
apostoli tradunt regulas uiuendi 119.b
apostoli prophetæ, sapientes, scribæ dicuntur 81.a
apostoli fundamenta 938.b
apostoli quantum laborarint 128.a
apostoli quàm sint honorandi 971.b
apostoli à Domino corripiuntur 282.a
apostoli in uerberibus gaudebant 40.b
apostoli in nomine Iesu dæmonia eiecerunt 447.a
apostoli ad quid missi 417.a
apostoli minus fortes ante aduentum Spiritus sancti 537.b
apostoli à Galilæa 384.a
apostoli qualia reliquerunt 760.b
apostoli quo musto ebrij 905.a
apostoli, à Christo eduicti 538.a
apostoli sorte usi 790.b
apostoli cur filij pharisæorum 273.b
apostoli quando rogare Iesum cœperunt 447.a
apostolorum chorus duodenus 498.a 942.a 975.b
apostoli dij fuere 839.a
apostoli quam in Christo gloriam uiderint 77.a
apostoli quibus familiares 212.b
apostoli quando ieiunijs se subdidere 470.a
apostoli uarijs linguis cur locuti 477.a
apostoli operati uirtutes in nomine Iesu 498.a
apostoli cur permissi hæsitare 462.a
apostoli prioribus sanctis prælati 623.b
apostoli quando missi sunt 177.b
apostoli prudentia 876.a
apostolum qui accipit, accipit Christum 361.a
apostolum reuelationes habuisse 185.a
apostolorum potestas qualis 418.a
apostolorum certitudo 437.b
apostolorum partus 433.b
apostolorum consilium quale 315.a
apostolorum auditus 755.b
apostolorum inermium audacia 478.a
apostolorum duorum Petri & Pauli quælis beatitudo 848.b
apostolorum nomina diuersa, sed una captura 937.a
apostolorum numerus semper perfectus 315.b
apostolorum natalis, populorum lætitia 957.a
apostolorum ministerium 6.b
apostolorum de Christo testimonium 530.b
apostolis collata facultas signorum 498.b
apostolis succedunt episcopi; 72. discipulis, presbyteri 974.b
apparitio angelorum qualis 527.b
apparitiones à morte Christi quinque 394.b
apparitiones Christi resurgentis quæ & quales 409.a
appetitiones coërcendæ 240.b
aqua mutata in uinum 132.a
aqua sacræ scripturæ scientia 149.a
aqua olim in alias species mutata 132.a
aqua charitas in scriptura 331.b
aqua sextæ hydriæ dulcissima 153.a
aquæ populi sunt 101.b
aquæ motus quid 331.b
aquam cur Dominus in uinum mutauit 149.b
aquarij signo nati, quales 130.a
aquila nidum suum tuetur 80.b
aquilæ, sanctorum animæ 733.b
aquilo quid designet 168.a
ara cruois extra portam 258.b
arbitrij libertas 583.a
arbor homo 591.b 593.a
arbor mundi quæ 36.a
arbor mala non facit fructum bonum 740.a
arbor bona ut non edat malos fructus 593.a
arbor euangelica, fides est 1059.a
arbor uetita, hæretici 880.a
arbori malæ quid conuenit 36.a
arbores hominum, fructus opera ipsorum 740.a
arbores maledictionis quæ 32.b
arca & Ecclesia quid 237.b
arca Ecclesia, uel singuli Christiani 1035.b
area testamenti CHRISTVM designat 742.b
arcadius, Theodosius Imperatores 871.a
arcæ qualitas qualis 691.a
archelaus typus Antichristi 126.a
archelaus quis & qualiter occisus 125.b
architriclinus quis 153.a
architriclinus mysticè 184.b
aretas quis fuerit 231.b
aridi qui dicantur 1026.a
ἀργύριον quid inferat
arma, quibus obuiàm imus hosti 647.a
armilla quid 405.b
aromata quibus ungitur IESVS 383.a
arrius non tractus à patre 475.b
arrij error 491.b
arrij piaculum quale 74.a
arrij mors qualis 789.b
arrij pertinacia damnatur 745.a
arrij hæresis contunditur 74.a
arrianorum lapsus 521.b
arrianis iudæi prudentiores 537.b
arrogantia quantum malum 348.b
arrogantis quibus damnabilis 353.b
arrogantiæ species quatuor 618.a
arrogans bestia non homo 348.b
arroganter non sentiendum de nobis 147.b
ars quæ nesciat uitia 1048.b
artifices laudantur in operibus suis 32.b
arundinem uentus agitat 39.b
arundines, congregatio reproborum 996.a
ascensus noster qualis 72.a
ascensus Christi occultus 554.a
ascensio Christi nostra est prouectio 462.b
ascensio in cælum quomodo fiat 572.a
ascensionem suam Christus prædixit 437.b
ascendente Christo chyrographum damnationis abolitum 461.a 626.b
ascendere ex aduerso 626.b
ascendens Dominus in cælum, quid reliquerit 6.a
aser quid sonet, & quos designet 779.a
asia ad fidem conuersa 962.b
asiæ duæ sunt 922.b
asinus quem designet 58.b
asinus typus gentilium 925.a
asina & pullus mysticè 349.a
asina Synagoga, pullus gentiles 343.a
asinis homines qui comparentur 4.b
aspera immutantur in uias planas 35.b
assumptionis festiuitas dignissima 884.a
astrologi reprehendi 600.a
astutia hostis illusa 69.b
auaritia quid efficiat 377.b
auaritia quàm periculosa 169.a
auaritiæ detestatio 324.b 554.a
auaritia idolorum seruitus 269.a
auaritia uiuus rei sit 213.b
auaritia hominum detestabilis 897.a
auaritia quid sit 663.b
auaritiæ remedia 987.b
auaritiam detestantur nonnulli 186.a
auarus difficile intrat in cælum 924.b
auarus cui seruiat 647.b
auarus parum largitur 875.b
auaritidololatræ 594.a
auditio uerbi dei operosa 435.b
auditores beati, qui 189.a
audientes uerbum Dei speculo comparantur 442.a
audire filium Dei 236.b
audire uerba Dei quid 219.b
audire omnium, facere paucorum 593.b
auis dominus dictus 461.b
auis ætas quæ 572.b
aues quæ die excæcantur, quos designent 353.a
aues Deo uiciniores 522.a
augustinus Confirmationem uocat Sacramentum 489.b
augustinus Hippone Stephani miracula expertus 88.a
august quid uocet modestiam 41.a
augustini oratio ad B. uirginem Mariam deuota 794.b
augustus mensis nomen unde habeat 871.a
augustus Cæsar tempore Christi apicem regni tenebat 56.b
augusti Cæsaris triumphus 871.a
auguria qui sequantur 146.a
aureola quæ speratur 102.b
aures cordis quales 186.a
aures claudendæ 423.a
aurora quid 113.a
aurum obscuratum 93.a
aurum, thus, myrrha, quando offerunturDeo 134.a
aurum, argentum, & æs anagogicè 499.b
auster quid innuat 168.a
author generis nostri quomodo ceciderit 214.b
authoritas Moysis & prophetarum de resurrectione Christi 396.a
auxilium periclitantis primum 2.b
auxilium Dei quibus proficiat 185.a

B.

BAculi uirtutes sunt 391.a
balaam & Saul prophetæ 390.b
balaam cur fleuerit 186.a
balaam consilium 661.a
balaam consilium & ultio 594.b
baptisma qui mereantur 136.a
baptisma non reiterandum 367.a
baptisma quos saluat 276.a
baptismus per quid designetur 233.b
baptismus Christi & Baptistæ 534.a
baptismus non potest repeti 234.a. 511.a 811.b
baptismus paruulorum 817.a
baptismus Ioannis umbra 4.b
baptismus ut sit inefficax 554.a
baptismus quatenus nihil prosit 490.a
bapt smus quid præstet 176.b
baptismus per aquam 415.b
baptismus cur in Pentecoste collatus 474.a
baptismus Christi quis 34.b
baptismi gratia dimittuntur omnia peccata 708.a
baptismi cæremoniæ 616.a
baptismi forma consulto mutata 486.a
baptismi effectus 511.a
à Baptismo quid faciendum 54.a
baptista dissimilis alijs 46.b
baptista ad certamen paratus 855.a
baptista carnem suam crucifixit cum uitijs 49.b
baptista lucerna ardens 65.b
baptista quando apertè Christum prædicauit 50.a
baptista redemptionis solatium annuntiat 48.b
baptista ante & post Christum quomodo sit 47.b
baptista ad uocem misit populum ibid. a
baptista corrigiam non potest soluere 49.b
baptista missus à Deo 65.b
baptistæ & Eliæ comparatio 46.b
baptistæ uita qualis 820.a
baptistæ uita illustris 825.a
baptistæ uirtutes nobis imitandæ 801.a
baptistæ corpus & caput ubi sepulta 800.a
baptizatum in nomine IESV cur 486.a
baptizari à quo debeamus 137.a
baptizari in morte Christi quid 576.b
baptizatis aperitur cælum 214.b
barachias & Ioiada idem 81.b
barachias quid sonet 80.a
barrabas filius diaboli 356.a
beatus qui fideliter credit 2.b
beatus cuius manum sapientia tenet 722.b
beatus uerè quis dicendus 18.b
beati qui quomodo 272.b
beati qui rectè dicantur 221.b. 423.b 844.b
beati ob iustitiam 1014.a
beati, qui à Christo dicantur 30.a
beati omnes esse uolunt 515.a
beati quibus contingit maledici 313.a
beati cum quibus ambulat IESVS 389.b
beatitudo uera ubi sit 515.a
beatitudo quàm expetenda 79.b
beatitudo cæli 139.b
beatitudo consitenti quæ contingat 74.b
beatitudo certa ubi sit 197.b
beatitudo una omnes excipiet 46.a
beatitudinis gradus 946.b
beatitudine qui se priuant, miseri 714.a
beatitudines octo quæ 838.b
beatitudinum initium, humilitas 1003.b
beelzebub quid 270.a
behemoth quid nouerit 383.a
bella quando cœperint 1014.b
bella unde uentant 241.a
bellum perpetuum homini Christiano 54.a
benedictus, per quem nomen Domini benedicitur 45.a
benedictio Dei in unanimes 572.a
benedicti qui sint 217.b
benedictione Dei quis dignus 42.a
beneficia Dei qualia 140.a. 268.b
beneficia Domino quæ soluenda 58.b
beneficia quæ iudæis facta 365.b
beneficia Dei erga homines 180.b
beneficia impartienda 54.b
beneficia nobis per Christũ exhibita præstantiora quàm iudæis data 728.a
beneficiorum diuinorum & humanorum comparatio quàm inæqualis 181.a
beneficiorum Deo obliuisci nullo modo debemus 63.a
benignitas quid 572.a
benignitas Dei ad pœnitentiam te inuitat 508.b
beneuolentia Dei quæ 112.b
bernice filia Salomes, Herodis sororis 836.a
S. Bernardus imitatione dignissimus 327.a
D. Bernardi oratio ad beatam uirginem deuota 797.a
bersabeæ cur non ligatur 907.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

bestia nulla similis mulieri malæ 895.a
bestiarum quatuor apud Danielem explicatio 15.b.16.a
bethania quid significet 358.b
bethania quale castellum 314.b
bethania quid 368.a.400.b.666.b
bethaniam Christus frequentauit 221.b
bethsamis domus solis 982.a
bethleem quid sonet 56.38.a.132.b
bethleem cur beata 107.b
bethsabeæ ut interpretetur 907.b
bini ad prædicationem missi, quid 932.b
blasphemia in Christum 1006.b
blasphemia in Spiritum sanctum 1006.b
blasphemia in Christum qualis 222.b
blasphemos lapidandos 79.a
boanerges qui uocentur 868.b
bonus monendus ut permaneat 84.b
bona quando dispensanda 500.b
bona temporalia impendenda pauperibus 928.a
bona in conspectu Dei quæ 1024.b
bona qui docet, & mala facit 400.b
bona temporalia quatenus petenda 449.a
bona temporia in hominibus non miranda 699.a
boni & mali ubi soli sint 1044.b
boni è quibus cognoscantur fructibus 592.a
boni audiunt quæ uolunt 256.a
boni dextra, mali sinistra 398.a
boni malis permixti in Ecclesia 690.b
boni & mali similiter uersantur 695.a
boni bonos, mali malos producunt 812.a
boni bonam uocem audituri 46.b
boni & mali Christum quæsierunt 248.b
bonitati potentia adest 729.b
bonis lætitia, malis tristitia in die Aduentus Domini 15.b
bonis melius est, quàm malis 108.a
à Bono facilè resilimus 858.b
bonorum & malorum mos quis 993.a
bos quem designet populum 68.b
bos & asinus mysticè 661.b
boues qui uendant 302.b
boum iuga quinque, quinque sensus 551.a
brauium quod propositum nobis 240.a
brachium Domini quid 30.a
butyrum & mel quis comesturus 796.b
buxus quos in Ecclesia denotet 37.b

C.

CAEcitas cordis 283.b
cæcitas Iudæorum 232.b
cæcitas pharisæorum 282.b
cæcus mendicat 192.b
cæcus bis tinctus quid 691.b
cæcus bis tinctus, gemina charitas 935.a
cæcus illuminatus, imitandus 311.b
cæcus pharisæos arguit 313.a
cæcus ad natatoria Siloe missus 157.b
cæcus quid mysticè denotet 190.b.312.a 392.a
cæcus omnis quomodo 272.b
cæcus typus humani generis 309.a
cæci qui sint 196.b 231.b
cain uerbum Dei seruare cõtempsit 479.b
cain & Ioas quos designent 80.b
caiphas prophetiæ donum habuit 190.b
caiphas qualis propheta 341.a
caiphæ prophetia 956.b
calamitas mundi nos ad Deum ire hortatur 13.a
calceamenta quæ 262.b
calceamenta in pedibus habere 413.a
calceamenta quid significent 47.b
calceamenta unde fiant 43.b
calceamenta soluere quid 43.a
calendæ Augusti ethnicis cur olim celebres 871.a
inter Cæleste & terrenum ædificium quid distet 982.b
cælestis ædificatio quæ, qualis 958.b
cælestis imitator quomodo excipiendus 45.b
à Cælesti itinere nemo impediatur 57.a
cæli aperti quid indicant 214.b
è Cælo omne bonum 301.a
cælum Ecclesia uel animæ iustorum 1009.a
cælum cur dicatur desertum 557.b
cælum qui quærit, quid faciendum 198.a
calix passionis 195.b
calix passionis duobus modis bibitur 870.a
calix, acerbitas passionis 869.a
calicis nomine quid designetur 254.b
calices duo 225.a
calliditas hominum mundo deditorum 598.a
calor naturalis 284.a
calumniantur nonnulli uerè 1005.a
cameli gentiles 738.b
candelabrum mysticè 76.b
candelabrum ecclesia 1631.b
cantandum ut Deo placeamus 102.a
cantandum Domino in cordibus 171.a
canticum nouum quale 102.a
canticum uetus quod ibid.
canticum uirgineum quare quotidiè in ueperis frequentetur 31.b
cãtica spiritualia mysticè intelligẽda 851.a
cantici uirginei expositio 29.b
canes prædicatores mysticè 543.a
canum linctio ibid.
canum lingua qualis 256.a
capaces ut simus Spiritus sancti 472.a
capharnaum ciuitas Christi 502.a
capharnaum ciuitas Christi cur 157.b
capharnaitarum peruersus intellectus 811.a
capillus incisus non dolet 1000.a
capita leuare quid 15.a
caprea & ceruus cur sæpius nominentur 851.b
capra quos designet 217.a
caput Christi quis percutiat 556.b
caput nostrum Christus quando clarificatus 414.b
caput nostrum, quis 198.b
caput & pedes Christi 406.b
caput in scripturis quid significet 13.a 1013.a
carbones quî congregentur super caput inimici 155.b
carcer, infernus est 582.b
caroli primi imper. encomium 513.a
caro trahit ad culpam 214.a
caro & sanguis quid faciant 787.a
caro qualis, talis & mater carnalis 846.b
caro Christi quibus sapuit 811.a
caro Christi, tabernaculũ perfectius 325.a
caro refrenanda 250.a
caro quomodo affligenda 214.a
caro redemptoris quid peperit 778.a
caro hominem intelligit 35.b
caro & sanguis quid in scripturis significent 840.a
caro Christi in sepulchro, Anima apud inferos 533.b
caro quomodo roboranda 353.b
caro pro quibus accipiatur 578.a
caro CHRISTI in Eucharistia 497.a
caro quàm sit infesta spiritui 1061.b
caro Spiritus officina 630.b
caro non est trucidanda 176.a
carnis incorruptio placet Deo 1019.a 1020.b
carnis locus terra est 589.b
carnis actus qui mortificandi 67.a
carnis uocabulo quid 136.b
carnis infirmitas edomanda 136.b
carnis integritas sub Euangelio creuit 460.b
carni quæ debeamus 589.a
carnalis
carnalis generatio quæ, qualis 66.b
carnalia qui dimittit pro Domino, spiritualia accipiet 767.a
carnales affectus relinquendi 846.a
carnales affectus premendi 982.a
carnes crudæ qui comedit qualis 412.b
cæremoniæ reuerenter habendæ 175.b
cæremoniæ baptismi 617.b
cæremoniæ Ecclesiæ 379.b
In Cæremonijs Ecclesiæ nihil otiosum. 1.a
cæsarea Philippi unde 786.a
cæsari non facienda iniuria 718.b
cæsaream Philippi quis ædificauerit 838.a
cæsares Romani reges unde dicantur 717.a
cæsius episcopus sanctissimus 983.b
cæsellum Ecclesia 637.a
cæsitas nostra requiritur 240.a
cæsitas coniugalis bona, continentia uidualis melior 148.a
cæsitas, charitas 775.b
cæsitas & bona opera adiungenda 1027.a
castitatis præstantia 1028.b
catechumeni qui 310.a
catechumenis non se credit Iesus 810.b
catena Pauli 656.a
catenas quis inuenerit 871.b
cathedra Moysi quæ 251.a
cathedræ Petri festum unde habuerit initium 78.b.785.a
cathedræ uendentium columbas 2.a
catholica Ecclesia quæ 775.b
catholica fides tenenda 134.a
catholicæ fidei doctrina 1018.a
catholicæ Ecclesiæ quæ uox 154.b
catholici testes ueri 323.a
catholici ab hæreticis quid perpessi 212.b
catholici mundis animalibus similes sunt 64.a
catholicus columba 775.b
catholicos prouocari ad disputationem 78.a
catonis sententia memorabilis 584.a
cauendum ne in culpas recidamus 88.a
cauere solicitè debemus ab omni peccato 705.a
causa uirtutis apud Deum meredem habet 204.a
causa acta omnium in quo 370.b
causam tuam Deus aget 155.a
cautus quis 188.a
cautus siue incautus quis 1053.b
cedrus quæ, qualis 37.a
cedri nomine qui denotentur 37.a
centenarius numerus perfectus 189.b
centurio quomodo accesserit ad Iesum 161.a
centurio primitiæ gentium 158.b
centurio acceßit Dominum 157.b. acceßit olim Eliam alius 158.a
centurio miles Romanus 201.a
censores rigidi qui 170.a
censuram diuinæ scripturæ qui minuit, maledictus 75.a
certandum strenuè pro optimo bono 31.b
chaldæorum turmæ quid 416.a
chananeæ mulieris exemplum in orando sequendum 243.b
chananæi quales habiti à Iudæis 245.b
chaos magnum 256.b
charismata Dominus distribuit qualiter 298.b
charitas non uulgaris exigitur à nobis 657.a
charitas uera 449.b
charitas ut omnia credat 463.b
charitas angelos suos facit alumnos 191.a
charitas quid pariat 190.b
charitas manet in æternum 191.a
charitatis mutua officia 367.b
charitas nos reddit speciosos 542.a
charitas symbolum perfectionis 465.a
charitas peccatorum operit multitudinem ibid.
charitas semper creseit 192.a
charitas purgat cordis oculos 542.a
charitas est fructus noster 963.a
charitas in Stephano qualis 78.a
charitas nihil nouit angustum 264.a
charitas otiosa non est 163.b
charitas uinculum absolutiss. est 170.b
charitas exulat 162.a
charitas quibus comitata uirtutibus 192.a
charitas nulla lege constringitur 163.a
charitas, cementum dicitur 958.b
charitas Spiritus sancti donum, & uirtus theologica 527.a
charitas uirtutum omnium causa 873.b 905.a.967.a
charitas apud multos refrixit 190.b
charitas cur attribuatur Spiritui sancto 12.a
charitas uincit dura 184.b
charitas legis summa 162.b
charitas qualia membra habeat 540.b
charitas semper occupata 557.a
charitas quomodo nutrienda 549.a
charitas discernit inter nos 170.b
charitas pura facit pacem & concordiam 9.a
charitas bonorum caput 843.a
charitas perfecta 830.b
charitas perfecta quæ 39.a
charitas unde 111.a
charitas fons omnis boni 84.b
charitas non fatigatur 111.b
charitas martyres reddit inuictos 83.b
charitas facit discrimen inter filios Dei & diaboli 10.a
charitas Christi erga nos 268.a
charitas simulata quæ 146.b
charitatis quid officij 118.b
charitatis, debitum perpetuum 162.b
charitatis præstantia 631.b
charitatis præcepta, duo dies 291.a
charitatis præcepta seruantibus regna cælorum debentur 21.b
charitate una quid efficiamus 162.b
charitate quis sit præditus 967.a
sine Charitate, nulla est uirtus 449.b
sine Charitate cætera non prosunt 963.b
charitate una diligitur Deus & homo 527.b
charitate seruire inuicem decet 58.a
cherubim duo quid 404.a
cherubim duo duorum testamentorum indicat concordiam 975.a
chiliastæ hæretici quales 127.a
chirographum hostis amisit 69.b
chirographum peccati quis tulit 236.b
cholericus moderetur animo 436.a
chrisma cur in Confirmatione 489.b
chrismate cur uncti simus 570.b
chrismate iam olim uncti baptizati 385.a
christiana libertas 297.a
christianæ fidei syncritas & harmonia 93.a
christianæ religionis perfectio 423.a
christianæ religionis summa, ut nos mutuo diligamus 10.a
christianæ uitæ forma 1002.a
christianus quis 40.b
christianus quis non sit 466.a.817.a
christianus populus per quid designetur 234.a
christianus omnis uicinus noster 390.a
christianus quando probatur 345.a
christianus omnis filius Dei 119.a
christianus mollis & delicatulus taxatur 713.a
christianus separatus à Christo, moritur 992.a
christianus ut caueat ne relabatur 425.a
christianus quis dicendus 422.b
christianus discipulus Christi 926.a
christianus ut sit moderatus in uestitu 197.a
christianus ut gaudeat 323.b
christianus populus unde 59.b
christianus turtur 775.b
christianꝰ populus diuisus in duodecim tribus 815.a
chri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

christiani se doceant psalmis 171.a
christiani filij Abrahæ 229.a
christiani sunt membra Christi 219.b
christiani ad quas nuptias uocati simus 662.b
christiani oues Christi 428.a
christiani discipuli 569.b
christiani cur & à quo dicamur 57.b
christiani quotidiè intrent Ecclesiam 168.b
christiani uita, desiderium sanctum est 801.b
christiani negligentes 140.b
christiani, à suauissima Domini fiducia recessimus 41.a
christiani à chrismate Christi dicuntur 750.b
christiani quomodo uiuere debeant 269.b
christianismi summa 924.b
christiani quales olim 171.a
christiani à Iudæis occisi 90.a
christiani cur non omnes sacerdotes 152.a
christiani palmites sunt 992.a
christiani fastidiunt panem 594.a
christiani quibus studijs esse dediti debeant 55.a.674.a
christiani est benè precari maledicentibus 572.a
christiani dignitas qualis 947.b
christiani unde dicti 123.a
christiani quid petant 452.b
christiani sunt citharœdi Dei 101.b
christiani qui solo nomine 259.b.988.b
christiani hominis notæ quæ 211.b
christiani templa Sp. sancti 959.a
christiani omnes in una uocatione sunt 1052.a
christiani ueri qui 416.b.429.b
christiani quomodo cognoscantur 443.b
christiani ut sint liberi 430.b
christiani uani quales 378.b
christiani ut sint unius animi 572.a
christiani impatientes 154.a
christiani mundo despecti 801.b
christiani intelligunt circuncisionem 124.b
christiano quomodo sit uigilandũ 1049.a
christianam quid decet æquitatem 156.a
christianum quomodo te ostendas 549.a
christianum qualia decet loqui 272.b
christianis mundus hic pelagus est 566.a
christianis unde principium 324.a
christianis tempus exultationis semper 379.a
christianis qualia gaudia ex passione 324.a
christianis quid curandum 55.b
christianorum uitia 594.a. mores execrabiles, 825.b. spes, 849.b. professio, 241.b. perfectio, 821.b. impietas, 119.a
christianos quid faciat perfectos 357.a
inter Christianos ueros & falsos quid intersit 712.a
christus matrem quam uoluit, & tempus quod uoluit elegit 56.b
christus quomodo sedeat in cordibus nostris 6.b
christus petra 856.a
christus quomodo in nobis magnificatur 855.a
christus hinnulo ceruorum comparatur 851.b
christus matrem suam cur non agnoscit 857.b
christus filius Dei uiui 839.b
christus se medicum dicit 913.b
christus quales quærebat 768.a
christus sol iustitiæ 26.b
christus tentatus quid egerit 213.b
christus salutare Dei 782.a
christus quomodo gloriam patris quæsierit 305.b
christus creuit, Ioannes decreuit 827.b
christus cur descenderit 38.b
christus rex & sacerdos 818.a
christus crucifixus intuendus 814.a
christus cur lachrymatus 317.a. 601.a 955.a
christi saltus 461.b.851.a
christus fundamentum triplici ratione 958.b
christus cur nasci uoluerit de desponsata uirgine 797.b
christus in medio duorum testamentorum agnitus 791.b
christus in Bethleem nascitur 56.a
christus cur Ioannes arbitratus 839.a
christus matrem suam commendauit discipulo 149.a
christus ubiq; est 50.b
christus cur filius hominis 838.b
christus subiectus suis parentibus 143.b
christus cur circuncisus 781.a
christus omnibus sine offensione 245.b
christus redemptor noster sine iniquitate conceptus 24.a
christus confirmare uoluit promissiones patrum 10.b
christus, ut homo liberaretur, factus est homo 68.a
christus duas habuit naturas, diuinam & humanam 67.a
christus uia, ueritas & uita 134.a. 807.a
christus finis legis 124.b
christus quid obiecerit diabolo 68.b
christus natus de spiritu sancto & Maria uirgine 27.b
christus cur è semine Dauid nasci noluit 23.a
christus uæ minatur ridentibus, Apostolis gaudere iubet, quomodo 40.b
christus eodem modo quo ascendit, etiam descendit 35.b
christus quomodo regnet in domo Iacob 24.a
christus se nobis coniunctissimũ fecit 10.a
christus facilè nos exaudiet 25.b
christus quid suis largietur 444.b
christus omnibus abundans, hic tamẽ parum perrimus fuit 58.b
christus ut posset uideri, factus est homo 62.a
christus, ut de nobis gaudeat, quid faciendum 44.b
christus cur pacis tempore natus 57.a
christus non nitorem uestium, sed animarum affectum requirit 44.b
christus in suis membris persecutus 87.a
christus ut baptizet in Spiritu sancto 135.b
christus quid suo ieiunio nos docuerit 138.b
christus cur baptizari uoluerit 82.a
christus sine matre ante tempora ex patre generatur 43.a
christus uisibilis corpore, inuisibilis maiestate 43.a
christus filius Dauid 912.b
christus pharetra 825.a
christus fictè non inuenitur 723.a
christus erga nos affectũ ostendit 469.a
christus quomodo uitis, leo, agnus 816.a
christus ut sponsus coniunctus Ecclesiæ 45.b
christus suæ Ecclesiæ, architectus 241.a
christus illusus & flagellatus 254.a
christus lauat pedes sui proditoris 366.b
christus amari mauult quàm timeri 170.b
christus ecclesiæ inhabitator 336.a.337.b
christus cur petra dicatur 751.a
christus mundum uenit reconciliare 755.a
christus quomodo tangi queat 722.a
christus cur agnus dei dictus 749.a
christus regnat in cordibus fidelium 727.a
christus suos non uult remanere ieiunos 56.a
christus illuminat tenebras nostræ ignorantiæ 38.b
christus omnes diligit 58.a
christus quomodo usus utroq; lumẽto 8.b
christus cur ex uirgine natus. 69.a
christus lux mundi 312.a. lux uera 322.b
quomodo lux 76.a
christus bis uenit ad pascha 301.b
christus quomodo fuit de mundo 250.a
christus homo & stella 133.a
christus cur nos redemerit 55.b
christus cur ingemuit 618.a
christus fructus honoris & honestatis 906.a
christus ob quid uenerit 245.a
christus ut dormierit 164.b.574.a
christus nos non ad figuras reiecit 177.a
christus in quorum cordibus requiescat 289.b
christus cur ad conuiuia accesserit 660.a
christus sponte sua passus 195.b.332.b 504.b
christus singula loca perlustrauit 280.a
christus, arbor uitæ 577.b
christus nobilis sanguine, genere 306.b
christus non potest nobis auferri 103.b
christus quomodo suis fidelibus in regno suo apparebit 990.a
christus dies, Apostoli horæ 315.b
christus petra qualis 177.a
christus suos refecturus est 58.b
christus nos lauit 672.b
christus ubi sit 173.a
christus non uenit soluere legem 1040.a
christus factis quoque loquitur nobis 385.a
christus sequendus seriò 240.a
christus Dei uirtus quomodo 525.a
christus quibus gratus 242.b
christus Ecclesiæ sponsus 15.a
christus unde corpus assumpsit 20.a
christus inuitis Iudæis tanua salutis 539.b
christus cur in cælum suspiciens ingemuerit 616.a
christus quanta polliceatur 564.a
christus nobis dormijt 167.b
christus à parentibus pauperibus nasci uoluit 193.b
christus propheta 654.b
christus qualis inimicis 332.b
christus non ad mensuram accepit spiritum, qui dat 524.a
christus terræ mariq; Dominus 164.a
christus uili auctione æstimatus, ut ab omnibus emi posset 668.a
christus proximus noster, & quomodo 628.a.676.b
christus quid sua uita & doctrina spectarit 678.b
christus ut uideretur quid fecit 347.a
christus seipsum suscitauit 172.a
christus cur duodecim elegerit 253.b
christus in baptismate quid præstabit 176.b
christus quomodo magnus factus 348.a
christus, paterfamilias est 181.b
christus propter nos pauper 660.a
christus non eodem modo ab omnibus conspectus 622.b
christus spolia Samariæ accepit 286.b
christus in mundo prosperari noluit 193.b
christus imperat hostibus quotidiè 167.b
christus non omnes admisit 200.b
christus dormit ut homo 166.a
christus Iesus homo peregrè profectus 1022.b
christus cur leprosos ad sacerdotes misit 634.a
christus uitijs contraria præcepta opposuit 986.a
christus cur uitis 991.b
christus in suis odio habetur 964.a
christus angularis lapis 959.a
christus lapis, summus & finis 958.b
christus omnium patrum gessit officium 908.b
christus pulsat 917.b
christus cur uermis 345.b
christus simul Deus & homo 72.b
christus creuit in populi æstimatione 35.a
christus quomodo uenerandus 292.b
christus cur commercium habuerit cum Gentibus 246.a
christus fugiens cuius nos admoneat 333.a
christus medicus 275.a
christus cur se à Sathana tentari permiserit 215.a
christus Dominus fleuit 107.a
christus ut est patris sapientia 525.b
christus carnem ex Maria habuit 272.a
christus cur Iudæorum sæuitiæ se subduxerit 341.b
christus natus in alieno 56.a
christus à quibus occisus 213.a
christus maior Moyse, & Elia 165.b
christus cur uestigia uulnerum seruarit 395.a.462.b.396.b
christus cur circuncisus 122.b
christus cur suam in cælos ascensionem distulerit 457.b
christus quomodo uenturus ad iudicium 458.b
christus noster paracletus 472.b. Spiritus sanctus item ibid.
christus quomodo sit cum Ecclesia præsentia corporali 455.a
christus non filius spiritus sancti 529.b
christus quid sit 496.a
christus uno tempore in sepulchro iacuit & infernum uisitauit 533.b
christus uerbum & caro 529.a
christus sacerdos & sacrificium 532.a
christus christianos suos saluat 910.a
christus quomodo uicit hostem 210.a
christus nobis quando aderit 409.a
christus quibus appareat 394.b
christus suum corpus per clausas intulit ianuas 423.a
christus pariter in cælo & in terra 532.b
christus cur se malis non manifestet 483.a
christus prorsus innocens 424.b
christus uerbum, nunquàm separatus à patre fuit 883.a
christus plenus gratia & ueritate 529.b
christus uenit uerax 492.a
christus cur mediator 532.a
christus quomodo omnia nota fecerit, & adhuc multa habeat dicere 454.a
christus nobis imitandus 399.a
christus orans, nos ad orandum inuitat 497.b
christus quomodo apparuerit discipulis suis 457.b
christus patri æqualis 484.a
christus quando palàm sit locutus 447.a
christus placidus ascendit, redibit terribilis 461.b
christus ipsa resurrectionis die quinquies apparuit 394.a
christus ut clarificetur 361.b
christus uerus Deus, & uita æterna 496.a
christus cur passus 424.a
christus ut pro nobis intercedat 443.b
christus rex declaratus 356.b
christus pro Ecclesia supplicat 360.a
christus cur se ostenderit peregrinũ 387.a
christus cur de cruce non descendit 381.a
christus mundo uisibilis factus 447.b
christus quid nobis concrediderit 304.a
christus à patre quomodo exijt 445.b
christus nusquàm melius, quàm in communione cognoscitur 391.b
christus medicus noster 448.b
christus à Gentibus crucifixus 356.a
christus quomodo docendus 386.b
christus ut omnia traxerit ad se 371.b
christus in fractione panis cognoscitur 387.a
christus quomodo in patre, nos in Christo, & Christus in nobis 473.a
christus duos discipulos probat 391.b
christus cur taceat 354.b
christus ueri hominis assumpsit affectus 360.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

christus quomodo uendendus 351.b
christus pro quibus mortuus 372.a
christus qualia à Iudæis passus 385.b
christus ad matrem quando ierat 384.a
christus & agnus, & hœdus 389.b
christus est dies gratiæ 2.b
christus substantia nostræ fragilitatis sese obnubilauit 24.b
christus per Ecclesiam loquitur nobis 965.a
christus ad nos intrat 917.b
christus granum frumenti 878.a
christus non respondet temerè 355.a
christus uerus Messias 77.b
christus cur in præsepi positus 71.a
christus clauso prodit sepulchro 375.a
christus corporaliter editur & bibitur 352.b
christus nos dilexit 924.a
christus quomodo uenerit in ecclesiã 684.a
christus sanguine intrauit in sancta 122.a
christus à turba amatur 292.a
christus ubi inueniatur 145.a
christus himnulus ceruorum 867.a
christus suorum considerat actus 45.b
christus quorum sit fructus spiritaliter 854.b
christus peccatores non horret 339.b
christus natus omnibus 128.b
christus principium 249.a
christus non poterat adulationis notari 21.b
christus paupertatem non refugit 59.b
christus pro nobis quàm se abiecerit 128.b
christus cur de cælo descenderit 813.b
christus cur ad nuptias ierit 131.b
nec casu cò uenit 148.b
christus filus dei & hominis 47.b
christus quibus causa pœnæ 107.b
christus omnia in omnibus 50.b
christus præcepit perfecta 202.a
christus nobis ministrauit 255.b
christus prorsus sine peccato 329.a
christus uoluntate natus & passus 248.a
christus quantum se humiliauit 21.a
christus cur ex desponsata Maria nasci uoluerit 23.a
christus cur baptizari uoluerit 137.a
christus suos ministros magni facit 17.a
christus sapientia Dei 149.a
christus cur mittat ad sacerdotes 246.a
christus angelus dicitur 233.b
christus quomodo loquitur cum extraneis 227.a
christus ostendit Deum & hominem 678.a
christus cur se legi submiserit 111.a
christus quæ de eo prophetæ prædixerunt, opere fecit 21.b
christus mira suauitate locutus 307.a
christus cur in patria sua multa signa fecerit 275.a
christus in iuuentute passus 329.b
christus cur natus in mundum 309.a
christus inserit cælo, quos impius rex eximit è mundo 129.a
christus filium hominis cur se crebriùs dicat 254.a
christus cur tam gloriosè Hierusalem intrauerit 4.b
christus natus hodiè, quid 59.b
christus nobis stertentibus nihil proderit 2.a
christus pro nobis cum hoste conflixit 67.a
christus cordis uidet secreta 270.a
christus in quem ingreditur 200.b
christus mortem non detrectauit 220.a
christus quomodo omnes diligat 94.b
christus quomodo nos redemerit 325.a
christus unus idemq; in utraque forma 530.b
christus traditus à multis 254.a
christus ut uocarit peccatores 918.a
christus uoluntate & natus & passus est 307.a
christus quare agnus 101.a
christus resurrectio & uita 316.b
christus totus apud patrem, & totus apud Mariam matrem 50.b
christus ubi sit 133.b
christus quomodo uidendus 807.a
christus rex Dauid & Ecclesiæ 24.a
christus sua diuinitate in mundo 310.a
christi una persona, gemina natura 511.b
christi triumphus quando incepit 377.b
christi erga nos incomprehensa charitas 650.b
christi minæ in malos 424.b
christi natiuitas omnibus causa lætandi 67.b
christi potentia & impotentia qualis 74.a
christi flagella adhuc uidentur 254.a
christi uestigia sequi debemus 977.a
christi sanguine loti sumus 924.a
christi natiuitatem nos Angeli celebrare docent 59.b
christi ministrum esse, gloriosum est 17.a
christi immensus erga nos amor 548.b
christi resurrectio ut celebranda 376.b
christi frater, soror, mater 858.a
christi clementia in Iudæos 504.b
christi cibus qualis 397.a
christi & Ecclesiæ nuptiæ diligendæ 151.a
christi gratia liberamur à peccatis 150.a
christi præcepta seruanda 579.b
christi uestigijs insistendum 582.b. 142.b
christi uestis 726.a
christi mors ignominiosa 801.a
christi signum 734.a
christi doctrina & sua & non sua 307.b
christi testimonium de Ioanne 42.b
christi & Stephani collatio 83.b
christi increpatio ad Paulum 850.b
christi maiestatis sedes quæ 845.a
christi plebs qualis 828.b
christi uerba in quibus maneant 992.b
christi pedes ungere 866.a
sine Christi gratia nemo fert fructum 817.a
christi duæ natiuitates 813.a
christi propria, qui 76.b
christi meritum quid nobis conciliauerit 10.b
christi morte quid effectum 811.b
christi ascensus & descensus qualis 845.b
christiani à chrismate Christi dicuntur 750.b
christi schema non solum intuendum 6.a
christi carnem ut accipiamus 265.b
christi incarnatio quid contulerit 70.a
in Christo qui maneant 992.a
christo qui credit, uiuit 316.b
à Christo prorsus pendemus 86.a
à Christo quid discere debeamus 212.a
christo ministrare 880.a
de Christo sentiendum in simplicitate 744.a
christo placere uolentes quid agere debeant 39.a
christo nullum tempus defuit sine miraculo 101.a
christo pulsanti aperiendum 917.b
in Christo qui scandalizati 10.b
in Christo duæ natiuitates 885.a
christum non omnes recusabant 66.a
christum sui recipere recusabat ibid.
ad Christum per pericula uenitur 873.b
christum quomodo induere debeamus 4.a
christum sequi debemus 235.b
christum contemnunt qui, quales 274.b
christum quis sequatur 989.b
christum qui cruci adigit 259.b
christum quis tangat 997.a
per Christum accedimus patrem 688.b
christum qui diligit, liberatur à malo 96.b
christum suscipere in ulnas 776.b
christum quales occiderunt 353.b
super Christum quis ædificet 840.b
christum quoties inuitamus 154.b
christum quis uerè amet 473.b
christum ut sequamur in montem 587.b
christum in âuere quid 119.a. 679.a
chrysostomi excellens uirtus 656.a
cibus Christi ut frugiferè sumatur 92.a
cibus qualis apponatur mensæ cælesti 45.b
cibus Christi qualis 289.a
cibi à quibus abstinendum 216.a
cilicium habitus pœnitentiæ 278.b
cinnamomum & balsamum quid 888.a
circuncisi omnibus membris 124.a
circuncisio apud quos recepta 120.b
circuncisio prima, secunda, quæ 124.b
circuncisio nostra qualis erit 123.b
circuncisio perpetua 121.a
circuncisio à quo & cur instituta 121.b. 305.b
circuncisio quid prosuit 124.a
circuncisio spiritualis 124.a. 829.b
circuncisio interior quæ 123.b
circuncisio quid significet 120.a
circuncisio quæ à nobis exigitur 117.b
circuncisio tres ob causas data 306.a
circuncisio typus baptismi ibid.
circũcisio cur die octaua facta 783.a 829.b
circuncisionis effectus 122.b
circuncisionis mysterium 120.b
circuncisionis dies, typus resurrectionis Christi 828.a
cithara aurea 831.b
ciuem eruia faciunt 958.a
cines sumus ciuitatis supernæ 958.a
ciuitas Dei, Ecclesia est 685.a
ciuitas quæ de cælo descendit 734.b
ciuitas animæ 652.b
ciuitas ut sit tuta 610.b
ciuitates decem, quæ 1025.b
ciuitates quinq;, quæ ibid.
clamantes cur non exaudiantur 345.a
clamare quomodo Spiritus dicatur 111.b
clamat Dominus cur 188.b
clamor media nocte 1047.a
clamor qui exaudiatur 196.b
clamor, id est, querela, quando desinet 736.a
claritas Christi ex resurrectione 455.a
claritas nouæ lucis necesse ut appareret 59.a
clarificatio Christi 453.a
claustra inferorum cuius uirtute deiecta 375.a
claudi qui uocentur 231.b
claudi & cæci qui dicantur 551.b
claues regni cælorum 787.b. 841.a
clauis carnes suas configere 363.a
clementia Christi in oue perdita 287.b
clericus quomodo uiuere debeat 937.a
cogitare extrema quid prosit 41.a
cogitamus facilè mala de alijs 18.b
cogitationes quæ reuelandæ 116.a
cogitationes Deus nouit 661.a
cogitationes malæ triplices 446.a
cogitationes ad actum ueniunt sæpiùs 243.b
cogitationes malæ unde 282.a
cogitationes quorundam quomodo reuelatæ 772.b
cogitationes noxiæ Dei uerbis repellendæ 144.a
cognatio terrena cognoscenda ubi & ubi non 704.b
cognati qui amandi, qui fugiendi 981.b
cognati ut amandi 227.a
cognitio propriæ infirmitatis ab elatione te auocat 639.b
cognitio patris & filij una 322.a
cognitio Dei, uita æterna 454.a
cognitio Dei qualis & quæ 250.b
ad cognitionẽ Christi quomodo perueniatur 502.b
cognitionem sequi debet operis effectus 589.a
cognoscere quid 428.b
cognoscere & diligere Deum quid 676.b
cohæredes Christi esse possumus 203.a
coinquinat nos quid 281.b
collatio Christi & Moysis 308.a
colloquia non miscenda cum hæreticis 704.b
colloquijs pijs adest Christus 194.b
colonus Dei & diaboli 715.a
columba simplicitatem, Turtur castitatem indicat 771.a
columba designat Spiritum sanctũ 480.a
columbæ natura 138.b
columbæ naturam qui sequantur 135.a
columnæ æreæ 742.b
columbæ ad fenestras 757.a
columbæ specie Spiritus descendit 135.a
columbas uendere 935.b. 962.b
columbas qui uendant 222.a. 302.b
columnarum capitella 743.a
collybistæ sine Bellaria 221.a
comessationes & ebrietates quando instituimus malè 378.b
comessationes quæ sint 3.a. 659.b
commiseratio erga proximos Deo gratissima 604.a
communia omnia quomodo sint 264.a
commune quid apud Iudæos 281.a
communio esse debet fidelium 239.b
communio lucis ad tenebras nulla 379.a
commutatio corporis & sanguinis Christi 352.a
communicatio est negociatio 147.a
comparem quem uocat Paulus 714.b
compassioni se iungit pietas falsa 987.a
compatientia quid 572.a
compelluntur ad Deum qui 552.b
compunctionis duo genera 773.a
cœna agni 399.a
cœna mysticè 366.b
cœna Christi in anima 358.b
cœna Euangelia dicuntur 554.a
conciliorum contemptus in Deum redundat 486.a
concionatori quis ordo seruandus 1045.b
conciones publicæ quomodo habẽdæ 128.a
concordandum uitæ Spirituum beatorum 60.a
concordia esse non potest, ubi opera diuisa sunt 271.a
concordia Spiritus, animæ & corporis 278.a
concordiã nihil suauius 9.b
concordia crescit amore 206.a
concordiam qui diligunt, habent Deum 396.b
concupiscentia quid pariat 318.a
concupiscentia prauæ unde 630.a
concupiscere & uelle differunt 1052.a
conditio miserabilis quæ 228.a
conditio hominis Deum non amantis 175.b
conditionis nostræ memores simus 292.b
conditor adorandus, non creatura 70.a
conditor noster patrifamilias similis 177.b
conditor omnium unus 39.a
condonandum quomodo 170.b
confessi singuli suam imbecillitatem sancti 603.a.b
confessio peccatorum 49.a 116.a 269.a 317.b 418.a 446.a 847.a
confessio latronis 173.a
confessio non semper uox peccatoris 171.b
confessio peccatorum quid sit 543.a
confessio uoluntaria modica sufficit 1015.a
confessio sacramentalis 711.b 956.a
confessio peccatorum est initium bonorum 487.b
confessio uirginitatis Mariæ 50.a
confessio oris 754.a
confessionem qui facit, se à morte exuscitat 172.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

confessionem multi cum tædio faciunt 379.b
confessionem Deus requirit 867.a
confessionem Deus ab Adam quærit 188.a
confessores christi imitandi 1020.b
confiteri quid sit 494.b
confidentia cauenda, ne labaris 595.a
confirmatio, sacramentum 489.b
confirmationem solie piscopi conferuntur ibid.a
confugiendum ad Deum 41.b
confusio uera atq; bona qualis 92.b
confusionem ut uitemus, quid agendum 304.a
coniugati habent exempla sua 761.b
coniugatorum bonorum finitus 189.b
coniugium inire non est malum 102.a
coniugium uiolatum quàm contristet nos 240.b
coniugatos Iesus non abijcit 151.a
connubium honorabile 780.b
connubia non coniungenda cum alienigenis 245.b
conscientia bona ad altaris Dei accedendum 46.b.85.b
conscientia mala non latet 92.b
conscientia tranquilla ubi, quæ 41.b
conscientia laude digna 864.b
conscientia infirma 243.a
conscientia custodienda diligenter 738.a
scrutanda 238.b
conscientia bona trepidat in Dei iudicio 1048.a
conscientia damnat 350.b
conscientia ne sit secura à bono opere 103.a
conscientiæ fœditate pollutus quid mereatur 44.b
conscientiam pollutam qui habent 280.b
conscientijs simulatricibus quis inhabitet 224.a
consecratio episcopi parietes templi sanctificat 734.b
consilium euadendi peccati nexus 1003.b
consilium nullum contra Deum 628.a
consilium Christi ut à peccatis saluemur, quale 708.a
consolatio certanti bona 54.b
consolatio fidelium in Christo 540.a
consolatio quibus necessaria 40.b
consolationem Christus nobis offert efficacissimam 55.b
consolationem Deus differt, cur 191.a
consolari quid nos debeat in tribulatione 41.a.802.b
consortia mala fugienda 233.a
constantia in aduersis 165.a
constantia & humilitas 242.a
constantinus imper. quantus in religione Christiana 826.a
constantiensis Concilij sententia, de una Sacramenti specie, ab alijs Concilijs approbata 17.a
constantinopolis Deo dicata 826.b
constitutiones humanæ nequaquàm contemptui habendæ 17.a
consuetudo peccandi 709.b
consuetudo mala 318.a. 951.b. pessima quæ 704.a
consuetudo non peccandi unde 678.b
consuetudo prisca non facilè mutatur 872.a
consuetudo Ecclesiæ sequenda 465.b
consuetudo Christi quæ 291.b
consuetudinis malæ moles 954.a
consuetudine pessima qui implicati 631.b
contagia nostra quis tulerit 69.a
contemni nemo debet 119.b
contemnentium mos qualis 311.a
contentio inter Iudæos & Samaritanos 287.a
contempti suis rebus abundant 647.b
continentia utilis & præpostera quæ 267.b
continentiæ exempla rara 3.b
continentiæ qui causentur difficultatem 102.b
continentes quem adferunt fructum 189.b
continenter posse uiuere 102.a
contraria qui præcipiant 643.a
contumacia quæ 188.a
contumelias qui ferre non potest 1000.b
conuersatio Christiana digna agenda 720.b
conuersatio qualis habenda 439.b
conuersio unius multos ad pœnitentiam inuitat 917.a
conuersationis piæ decorum seruandum 3.a
conuersationis religiosæ forma 220.b
conuenire quid 53.a
conuentus malignantium 365.b
conuiuium ultimum domini 399.a
conuiuæ Christi obediant Deo 550.b
conuiuia mutuo non improbantur 659.b
conuiuia ne sint nimis sumptuosa 46.b
conuiuia pauperi facienda 559.b
conuiuijs Christi interesse 110.a
conuiuijs Christus non delectatus 132.a
cooperari debemus gratiæ 294.a
cophinus stercoris 669.b
cophini duodecim 301.b.730.a
cor sursum habendum 248.a
cor mundum initium omnis boni 1013.b
cor mundum quod 1003.a.
ubi sit 197.b
cor ubi esse debeat 458.b
cor maximè conuenit Deo 520.a
cor omnis boni & mali origo 612.b
cor Christi ut cera 436.a
correquirit Deus 216.b
cor paratum 764.b.altum 370.b
corda debent concurrere 32.b
corda nosse, diuinitatis est 446.a
in Corde terræ quid sit 273.a
corde Deum qui & qualiter honorauit 281.a
cordis mundities 948.a
cordis duritia huic mundi dediti 756.a
corinthij diuisi 673.b
cornelius quàm deditus pietatis operibus 385.a
corona spinea quid 356.a
corona, diaboli flagitia 433.a
corpus nostrum quando conforme erit gloriosо corpori Christi 713.b
corpus unum Ecclesiæ 657.a
corpus & anima ut inter se differant 719.a
corpus Christi quando perfectum erit 916.a
corpus Christi dignè sumendum 864.a
corpus qui occidant 365.a
corpus sordidatur opere, animus uoluntate 1051.b
corpus Christi quomodo sumendum 355.b
corpus Christi & palpabile & incorruptibile 417.a
corpus Christi ut simus 201.b
corpus unde regatur 193.b
corpus diaboli quale 273.a
corpus Christi 668.a
corpori & animæ ut inseruiendum 787.b
corpore exuti ad cælum imus quomodo 178.b
corpora uiua & mortua 140.b
corpora nostra ut sint hostiæ ibid.a
corpora iustorum qualia resurgent 535.b
corpora impiorum 536.a
corpora nostra uasa fictilia 116.a
corpora nostra resuscitabuntur 345.a 535.b
corporum nostrorum qualis futura exercitatio 1006.a
correctio salutis non asperè accipienda 84.a
correptio & oratio peccantibus adhibenda 84.a
correptio ferenda æquanimiter 327.b
corum quorum typus sit 139.a
copula multi pereunt 211.b
copulam quæ mala sequantur 3.b
cras ut accipiatur 646.a
creator pannis induitur 71.a
creator omnium quis 886.b
creator intus operatur 495.b
creatori, non creaturis seruiendum 26.a
creatorem purè quis diligat 59.a
creatio prima qualis 536.b
creatura quomodo fiat immunda 281.b
creatura collata creatori 237.a
creatura hominis seruat imperium, licet ipse denegarit creatori obsequium 180.a
creatura quid expectet 564.b
creatura deo obedit 158.b
creatura quomodo mala 450.b
creaturam qui nimium amat, à deo alienus 481.b
credè & fac 593.b
non Credens quo se priuat 416.b
credens in Christum cur signa non faciat 805.b
credere non potest, nisi uolens 444.b
credere debemus in patrem & in filium 886.b
credere & baptizari necessarium 312.b
credere Deo, Deum, & in Deum 305.b
credere in Christum quibus prosit 485.a
credere in Christum, quanta meriti sit 65.b
credere cui debemus 238.a
credentes sciunt filium Dei 323.a
credulitas Samaritanorum condemnat iudeorum perfidiam 289.b
criminosi excommunicantur 539.a
crucis uis & efficacia 347.b.713.a
crucis signum dupliciter fertur 944.a
crucis patibulum cur subijt Iesus, & quando 374.a
crucis figura, duo ligna 275.b
crucis signum frontè imprimitur 715.a 390.a
crucis scandalum 808.b. encomion 872.a
crucis inuentio ubi habeatur 810.a
crucis signum exprimere 694.a
crucis signo uti, antiquissimum 713.a
crucis Christi medicina 815.b
crucifixus Iudæorum & Gentilium dominus 410.a
crucifixus dominus gloriæ 532.b
crucifixi patientia, & crucifigentium insania 362.a
crucem suam quinq; tollere 989.b
crucem accipere quid sit 1012.a
crudeles quid passuri 220.a
crudeles feris similes 47.a
crux Christi apud Iudæos & Philosophos quid effecerit 362.b
crux non erubescenda 236.b
crux duobus modis tollitur 987.a
crux Christi truncus 944.b
crux fertur duobus modis 982.a
crux Christi ut inuenta 809.b
crux Christi adoranda 371.a
crux materia gloriandi 809.b
crux Christi in fronte 810.b
crux diabolum fugat 276.b
crux Christi, credentium gloria 524.b
crux perpetim ferenda 363.a
crux beatitudinis causa 807.b
cubiculum quod Christo dicatur 204.b
cultor uineæ, Ecclesiæ præfecti 669.a
cultorem suum Deus exaudit 311.b
cultus mysticus natalis Domini 45.b
cultus superstitiosus damnatur 197.a
cultus rationalis quis 140.b
cultus Dei quibus potissimum uirtutibus constet 12.b
cultui Dei oratio nostra obnoxia 348.a
cupiditas, bonæ uoluntatis excidium 756.b
cupiditas quid subeat 174.b
cupiditas & timor ostia 680.a
cupiditas charitatis excidium 549.a
cupiditati renunciasse, plurima reliquisse est 756.b
cura transferenda ad cælestia 41.b
in Curatione spirituali quid agendum 615.b
curantur quædam difficilè 234.a
curiositas damnabilis 551.a
cursus huius uitæ qualis 113.a
cursus Petri & Ioannis 410.b
custos noster Christus Dominus 626.b
cyprianus ab hæresi excusatur 657.b
cyrenenses quales 78.a

D.

Damnatio manet uoluptatibus deditis 55.a
damnationis æternæ indicium 241.a
damnatis ad pœnam seruatur cognitio & memoria 545.b
dæmon quotidiè expellitur 270.a
septem Dæmonia, uniuersitas uitiorum 865.a
dæmonis impulsu qui impelluntur 141.b
dæmonis maligni insidiæ 653.a
dæmones arma qualia 271.a
dæmones quarum rectores tenebrarum 696.b
dæmones in aëre uersantur ibid.
dæmones inuiti confitentur Deum 348.a
dæmonum concordia 273.a impudentia 505.a
dæmonum insolentia 425.b. uersutia 363.b
dæmonia malitia occulta deprehendit 798.a
à Dæmonibus quid separet nos 585.a
dans ignorat quo nomine pauper accipit 198.a
dauid rexit populum temporaliter, at Christus spiritualiter 24.a
dauid mysticè 908.a
dauid quomodo percussus 258.a
dauid & Petrus turpiter lapsi 654.b
dauid homicidium in Vria perpetrauit 316.b
dauid quanto studio flueret religionis 818.b
dauidis historia breuiter 44.a. eius humilitas ibid.
dauidis sepulchrum 881.b
debita nostra infinita 706.b
debitor Dei, omnis homo 705.b
debitores duo, iudæi & Gentiles 667.a
debitores & proximi 596.b
debitoribus dimittere debemus 277.a
decalogi præcepta quando implemus 214.a
decalogi præcepta cur decem sint 969.b
deceptio parit inimicitias 679.b
decimæ soluendæ 610.b
decimæ dandæ Deo quales 214.a
dedicatio templi ter facta 336.a
dedicationis peruetusta solennitas 743.a
defunctus mysticè quem significet 652.b
defunctus effertur 313.b
defuncti dormientes uocantur 315.b
defuncti loculus 653.b
defuncti adiuuantur precibus & suffragijs Ecclesiæ 948.b
deitatis ueræ uis 455.b
Dei erga perditum hominem charitas 528.b
dei manus, Dei uirtus 490.a
dei iudicia quàm exacta 544.a
dei præceptis cur obediendum 307.a
dei iustitia & misericordia 529.a
dei habitaculum est anima fidelis 959.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

dei thronus 923.a
dei una essentia 517.b
delectatio mundi non te intricet 553.b
delectæ animæ in paradiso positæ 550.a
deliciæ sint opera pietatis 210.a
delictum ubi abundauit, ibi abundat & gratia 615.b
deludunt seipsos qui 442.a
denarius unus quis 181.b
denarius omnium unus 17.b
denarius uita æterna 803.a
denarius mystice ut soluendus 57.b
denarij duo 622.a.629.a
denarij duo, duo testamenta 627.b
denarius numerus omnium maximus 1036.b
dente nemo lædendus 138.b
denudatio tegularum quid 502.b
deo fortiter inhærendum 42.a
deo qui ministrant, qui assistunt 561.a
deo quis indignus 961.a
deo nihil non possibile 294.b
à Deo qui longè recedunt 261.a
deo quid offerre debeamus 130.b
deo imponere non potes 640.a
à Deo quid petendum 197.a 447.a
deo non possumus reddere æquiualens 180.b
deo nihil admirabile 159.a
deo qui placet, hominibus quoque placet 1019.b
deo inuisus quis ibid.a
deo sua imago reddenda 718.b
in Deo non est accidens 517.b
deploratio peccatoris 317.a
descensus ab Hierusalem in Hiericho 628.b
descriptio mundi, natiuitatis Christi tempore facta 56.b
descriptio totius mundi quid significauerit 57.a
desertum quid sit 215.a
desertores filij quales 486.a
desiderium dilecti quietum 852.a
desiderium sumendi corpus Christi 177.b
desiderium antiquorum quale 421.a
desideria sancta dilatione crescunt 303.b
desidia ab animo repellenda 159.b
desidia nostra in quærenda animæ salute taxatur 41.b
desperatio quomodo tollatur 246.a
desperationi non est locus 182.a
desperationem quid adducit 443.a
desperare nemo debet 79.a
desperandum non est in oratione 245.a
detractio non moueat nos 19.b
detractatoribus quid continget 616.b
deum nescire, quomodo 524.b
deum nihil latet 315.b
deum qui nesciunt, iniqui in famulos eius sunt 328.a
deum omnia scientem cur precemur 646.b
deum qui diligit, proximum diligit 63.a
ad Deum in necessitate excitamur 458.a
deum laudare in aduersis, Christianorum est uirtus 688.b
deum laudamus, cùm nos accusamus 172.a
deum qui multum tentat 216.a
ad Deum confugere quæ nos cogant 11.b
deum quis uerè diligat 478.b
deuotionis ut simus participes 39.b
deus cur iustos permittat affligi hic 800.b
deus plures exaudit 279.b
deus omnium bonorum author 435.a
deus dona sua non dat temerè 599.b
deus nos suis donis capessendis idoneos facit 720.b
deus mortem filij sui, & proditoris præuidit iniquitatem 352.a
deus ut sit per Petrum clarificatus 832.b
deus regno cælorum adest 975.b
deus à creaturis coli uult 508.a
deus mirabilis in suis sanctis 874.b
deus ubiq; totus 521.b
deus uidet cogitationes 206.b
deus nos multis modis uocat 552.b
deus quos nescit 636.a
deus quotidiè uisitat plebem suam 654.b
deus ut sit malis 523.a
deus apud quem faciat mansionem 478.b
deus quomodo locutus per filium 531.a
deus duobus modis pater noster est 567.b
deus cur in cælis habitare dicatur 522.a
deus offensus, temperat indignationem 156.a
deus prouidit saluti humanæ 482.a
deus omnia complet & continet 518.b
deus nusquam, & ubiq; deus 510.a
deus suos fideles facit fortes 30.a
deus uenit tertiò ad homines 669.a
deus ut uenerit & quomodo uenturus 216.b
deus quomodo cuncta operetur 76.a
312.a
deus in sanctis mentibus est 287.a
deus à quibus inueniatur 38.b
deus humani cultus habitum assumpsit 57.b
deus sæuitiam hostis execratus 387.b
deus neminem uult perire 50.b
deus ut solus pater & magister 252.a
deus ad cor respicit 200.a. 290.a 1059.b
deus ubi habitet 287.a
deus quos exaudiat 247.a
deus cur passus 341.b
deus in unitate est 411.a
deus ut apparuit patribus 320.a
deus seipsum testimonio reliquit 39.a
deus quid clamet in Euangelio 122.b
deus author fidei, spei & charitatis 11.a
deus non angelum, sed filium misit 122.a
deus nobiscum quàm efficaciter 46.b
deus nobis etiam malis, amicus 267.b
deus omnium Dominus est 7.b
deus quomodo à nobis impediatur 530.a
deus diligendo nos reparat 5.b
deus nos uocat, nostrum est uocationem facere 6.a
deus præmium beatorum 96.b
deus quid respiciat in homine 39.a
deus quibus indigeamus, prænoscit 193.a
deus ubiq; glorificandus 240.b
deus ut habitet in homine 540.a
deus ut dicatur misericors 518.a
deus quid sit 510.a. ut adsit pijs 527.a. ut irascatur 522.b. à quibus contemnatur 644.b
deus homo uocatur 264.b
deus propter quos incarnatus 39.a
deus non acceptor personarum 300.a 66.b
deus, ut mala minus noceant, quid agere debeamus, docet 22.b
deus ut pace nos impleat, orandus 11.b
deus ad quid nos creauerit 54.b
deus nos uult esse bonos 39.a
deus operatur quæ uult 27.b
deus quomodo celatur à nobis 26.a
deus iudex infallibilis 18.a
deus alieno subsidio non indiget 30.a
deus scrutator est animorum 683.b
deus ut uideretur, factus est homo 67.b
deus lapsos reuocat ad pœnitentiam 561.b

deus plus dare potest, quàm oratione petamus 651.a
deus nostræ humilitatis naturam in unitatem suæ deitatis assumpsit 531.b
deus quare aliquos labi permittat 38.b
deus quomodo mundo consuluerit 67.b
dextra & sinistra quæ 206.b. qualia 212.a
dextera quæ in scriptura 204.a
diabolus quid per mulierem fecerit 187.a
diabolus quomodo uenit 229.b
diabolus quatenus nos æstimet 282.a
diabolus quando adest homini 226.a. quando exeat ibid.
diabolus caput iniquorum omnium 213.a
diabolus ubi sedem suam posuerit 182.a
diabolus quibus auferat uerbum 189.a
diabolus ut leo circuit, nullus igitur esse debet locus iocandi 268.a
diabolus quomodo bonos tentet 216.b
diabolus corruptor uirginitatis 1046.b
diabolus quando regnat, & quando expellatur 126.a
diabolus adulatur ut canis 79.a
diabolus ubi & quando destructus 326.a
diabolus inuisibilis hostis 172.b
diabolus inuentor mortis 68.a
diabolus nox omnium peccatorum 8.a
diabolus quibus nos aggrediatur machinamentis 32.a
diabolus suam pharetram euacuauit 979.a
diabolus princeps mundi 438.b. & cuius mundi 484.a
diabolus est mundi ciuis 261.b. & ubi dicatur 264.b
diabolus tentat uarijs modis 680.a
diabolus unde occasionem habeat 251.b
diabolus carnem & sanguinem instigat 696.b
diabolus maiorem habet exercitum 991.b
diabolus quorum pater 356.a
diabolus ut uincatur 696.b
diabolus nostri dominabatur 721.a
diabolus pater, sociijq; perditionis relinquendi 846.a
diabolus in hamo captus 405.b. quo deuctus sit 382.b
diabolus tot plagas imponit, quot uitijs seruire compellit 628.b
diabolus quomodo intret & exeat 274.a
diabolus habet præfixos tentandi certos limites 595.b
diaboli muscipulam qui uitet 165.a
diaboli inuidia mortem peperit 816.b
diaboli satellites 428.b. quales 216.a
diaboli nequitia, improbitas iudæorum 505.a
ex Diaboli faucibus difficilè eripitur 643.b
diaboli insidias nota 556.a. per has nos euertit 696.a. quomodo has euadamus 12.a. iactantia 68.b. ornamenta quælia 274.a
diabolo discipuli eius nequiores 276.a
diabolo qui renuntiant 638.a. quid uideat 133.b
diabolo natiuitatis Sacramentum absconditum 131.b
diabolo qui se similes faciant 119.a
à Diabolo qui præfocentur 155.a. quis possideatur 272.b
diabolum quis diligat 641.a
diabolum qui, quomodo sepeliunt 285.a
diabolum qui sequuntur, cæci sunt 196.b
diabolum quid fecerit 141.b
diabolum fugere debemus 109.b
diaconi septem eliguntur 77.b
dicere propriè quid sit 592.b
dicturos liberos esse oportere 78.b
dies Domini occultus, sed uicinus 25.b
dies quando incrementum accipit 73.b
quando abbreuiata 827.b
dies nouissimus ante oculos ponendus 13.b
dies quatuor mysticè 95.b
dies natiuitatis Domini optatissimus 40.a
dies extremus terribilis 1050.a
dies quos magis obseruare debeamus 209.b
dies Domini nostram arguet uanitatem 4.a
dies uitæ supremus semper metuendus 1051.a
ad Dies festos quomodo nos præparare debeamus 46.a
dies inter Pascha & Pentecosten quàm utiles 462.a
dies bonus qualis, quis 389.a
dies octaua ipsa est & prima, quid peractũ in ea 125.a
dies tres, tria mundi tempora 588.a
dies inuocandus pro illuminatione 952.b
dies extremus terribilis 936.b. seriò cogitandus 484.b
dies mortis neglectus, quid mali afferat 108.a
dies propitiationis & expiationis 819.b
dies mali, præsens uita 697.a
cur mali 686.b
diem Domini in proximo esse 16.b
diem nascendi quem elegit Dominus 71.b
differtur, non negatur quod petimus 806.a
difficilè quis, qualis excitatur 314.a
difficile quis surgit 955.b
diffidentia reguli 698.b
digitus Dei qualis 270.b
digiti Christi 625.b
discretio 863.b
digito Dei scriptæ tabulæ 293.b
dignatio Dei ineffabilis 58.a 385.b
dignitas humani generis 38.b. & uindicanda 56.b
dignitas diuinæ maiestatis quomodo erit in nobis 39.a
dignitas humanæ naturæ quæ & qualis 68.b
dignitates non quærendæ 195.b
dilectio constat duobus præceptis 691.b
dilectio Dei ubi probata 540.a
dilectio qua se homines diligunt 163.b
dilectio uera non diligit temporaliter 970.a
dilectio mutua expellit schismata 9.b
dilectio ignis est 865.b. quàm efficax 163.a. quid exigat 162.a
dilectio Petri 402.a
dilectio sola aditus ad uitam æternam 624.a
dilectio fortis ut mors 727.a
dilectionis modus, ordo 677.b
dilectionis nulla excusatio 202.b
dilectionem qui diligit, Deum diligit 542.a
dilectionem ueram qui habeant 548.a
dilectionem res temporalis impedit 967.b
dilectores suos diligit CHRISTVS 473.b
dilige & fac quod uis 540.b
diligendi omnes, sed non omnes familiariter 704.b
dimittere qui nolunt quales 278.b
dimittere iubemur fratribus 977.b
dina quos designet 1057.a
dionysius Areopagita cælestis Theologus 560.b
dipondius, pondus quale 1006.a
disciplina apprehendenda 386.b. 911.a
à quibus exercenda 293.b. ut seruãda 894.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

discipulus qui recubuit in sinu Iesu quis 361.a
discipulus usurpans nomen magistri 253.b
discipuli duo primi qui 749.b
discipuli duo, duo testamenta 364.a
discipuli quatuor quos designarint 761.a
discipuli Domini qui sint 497.b.990.b primò rudes 927.a.carnales 196.a. comites 652.a. domestici 156.a quorum filij 270.b.cur subditi 164.b uariè persecuti 80.a. bini uocati 76.a
discipuli abiectio, detrimentum est magistri 877.b
discipuli duo duorum typus populorum 413.b
discipuli credidêre Iesu 132.b
discipuli Christi comitantur sanctitatem 164.a
discipuli nos docuere 301.a
discipuli Ioannis rudes 21.a
discipulum Christi esse, gloriosum est 311.a
discipulorum cunctatio nostram confirmat fidem 459.a
discipulorum dubitatio unde 463.a ignorantia 310.b.obedientia 759.a
discipulos suos elegit Dominus 971.a
discipulos maiora facturos quàm Dominũ, quomodo 805.a
discordia præcedet Antichristum 1015.a
discordia exordium iniustitiæ 163.a
discretio, donum optimum 600.a. uirtus eximia 212.a ubiq; undiq; 701.b
discrimen inter filios Dei & filios diaboli 269.b
discrimen inter delicias uentris & mentis 549.b.905.b
discordia per pacem mortificatur 589.b
discordia inter angelos & nos 56.b. quomodo resarcita ibid.
dispensatio in carne redemptoris nostri est mundi reconciliatio 394.b
dispensatores episcopi 1016.a
disputatio cum Stephano 78.a
distantia inter seruum, mercenarium, & filium 262.b
distantia nulla inter facere & dicere Christi 162.a
diuersorium Christi ubi, quale 71.a
diuidi homineni quid sit 732.a
diuidere debemus necessaria proximis 36.b
dives epulo cuius typus 542.b
dives & impius qui 391.a
dives Deus quì dicatur 754.b
diuitem esse aliud est, & aliud in diuitijs spem habere 973.b
diuites abundant, ut pauperibus subueniant 37.a
diuites fieri cupimus 41.b. non omnes damnari 644.a. non facilè sanari 169.a
diuites quibus uitijs exagitentur 169.a
diuites pauperes esse possunt 947.a
diuitiæ cur iniquitatis dicantur 597.a
diuitiæ multis modis parantur 597.b
diuitiæ bonæ sunt 108.a. fallaces 185.b spinis comparantur 185.b. impedimenta salutis 41.b. optimæ quales 264.b. falsæ 108.b. ueræ ibidem
diuitiæ ad quid perducant 256.b
diuitiæ non afferunt satietatem 108.b
diuitiarum serui, diaboli serui 644.a
diuitiarum comites qui 186.b
diuitias ut benè expendas 598.a
diuitias possidere, indifferens opus est 643.b
diuitias quare Deus dederit 108.b
diuinitas & humanitas Christi breuiter complexa 306.b
diuinitas quomodo adiunxerit humanitatem 524.a
diuinitas ubique est 117.b.193.a 533.b
diuinitas latitans in CHRISTO potuit per humanitatem eius intelligi 67.a
diuinitas tempus præteritum & futurum non habet 328.a
diuinitas Christum hominem non dimisit 333.b
diuinitas Christi quomodo reuelata 131.b
diuturniores tempore qui 211.b
docendum uerbo & exemplo 176.a
docti sine doctore qui 105.
doctrina noua iam recipitur 352.b
doctrina secularis nihil habet solidi 261.b
doctrina catholica ubi prædicetur 402.a
doctrina Ecclesiæ qualis 313.a
doctrina cotis habet officium 232.a
doctrina tanquam color unus ingenuus, seruanda 632.b
doctrina patris, uerbum patris 305.a
doctrinæ uenti uarij 915.a
doctrinas Dei qui negligunt 281.a
doctus quis sit 1000.a
doctoris sermo qui ociosus 480.a
doctores praui quàm arrogantes 183.b uitandi 281.b
doctores ne more gẽtium dominentur subditorum 893.b
doctores aperiunt sensum scripturæ 928.b
doctores Ecclesiæ subditos possunt interrogare 899.a
doctores curari debere 640.a
doctorum officij quid 151.a
dolor minor qui ab extraneis infertur 992.b
dolor quis permittendus ob uita functos 949.a
domestieum duo faciunt 958.a
dominica dies quæ 125.a. cur Solis dicatur 482.a
domina nostra potens auertere gladium 802.a
dominus liber peccatis in inferno deambulauit 382.a
dominus egit foris & intus apud discipulos 387.a
dominus propè est, quomodo 4.a
dominus Spiritu semper plenus 137.b
dominus cur bis scribat in terra 292.b
dominus quærendus & quid offerendum 118.a
dominus corpore ubi fuerit 201.a. ubi habitet 222.b
dominus cur in Bethleem natus 58.a
dominus cur dormiat in naui 167.a
dominus quasi medicus usitauit ægrotos 828.b
dominus dæmonia se loqui prohibuit 507.a
dominus excitandus 165.a
dominus quos confitebitur 1011.a
dominus quomodo in terra tribus diebus & noctibus fuerit 223.b
dominus noster semper paratus audire 247.b
dominus quos defleat 601.b
dominus qualis esset ostendit 208.a
dominus quorum facit uoluntatem 449.a
dominus ipse saluat populum suum 730.b
dominus diligit portas Sion 97.a
dominus transiens ex mundo, cuius fideles admoneat 366.a
dominus à quo prælio nos eripuit 23.a
dominus neminem repellit 160.b
dominus cur flagellatus 356.a. fugatus 104.a.ubi regnet 27.a
dominus redemptionem fecit 828.b
dominus omnibus imperat 165.b. omnia potest 52.b
dominus ut intret sub tectum credentium 158.b
dominus cur suos discipulos de se interrogauerit 838.a
dominus tanquam hospes susceptus 889.a
dominus quales quærat 139.a. quàm beneficus sit 147.a
dominus probat quomodo 230.b
dominus desertum posuit in stagna aquarum, quomodo 37.a
dominus orbis quando cognoscitur 71.b
dominus ex paucis creat multa 39.b
dominus cur ad festiuitates uenerit celebrandas 303.b
dominus nobis spem salutis dat 60.a
dominus per carnem gentibus innotuit 43.b
dominus dedit benignitatem 28.b
dominus quibusdam in ruinam positus 116.b
dominus natus inter homines quid fecerit 142.b
domini dictum & factum nihil distant 683.b
domino baptizato cur cæli aperti 137.b
domino nascituro mundus describitur 56.a
domino immmente, cessat solicitudo seculi 41.b
dominum in quibus debeamus imitari 993.b
dominum ut fideliter quæramus 507.b
domitianus persecutor Christianorũ 99.b
domus ornata qualis 271.b
domus Dei, templum Dei 803.b
domus euersa, mundus 563.b
domus Dei quàm piè obseruanda 302.a
domus Iudæorum deserta 83.a
domus Iacob Ecclesia catholica 24.a
domus Dei cur ædificata 220.b qui ea abstuntur ibid.
domus scopis mundata & ornata 274.a
domus supra petram fundata 593.b
domus quæ eligenda 500.b.quæ digna pace 976.b
domus Dei ubi, quotuplex 143.a
domum redire quid sit 684.b
domum nostram Christus libenter usitat 743.b
dona cælestia ut mereamur 829.a
dona sine charitate pereunt 1021.a
dona septem spirituss. 226.b.274.a.ut consignant beatitudinibus 1004.a
dona quis multa accipiet 938.b
dona cælestia nos delectent 751.b
dona uarta discipulorum 80.a. diuersa distributa 528.a
dona bonæ uoluntatis Deo ob Christi nativitatem offerenda 60.a
dona data hominibus 914.b
dona gloriæ promissa & pugnæ certamina 868.a
donatiani Hæretici qui 657.b
donatistarum insania 822.a.cæca arrogantia 86.a
donec, quid importet 798.a
donum Dei quod 286.a
donum præcipuum Spiritus sancti quod 92.b
ad Donum Dei quando properandum nobis 849.a
donum linguarum olim usitatum 673.a
donum & donatum quomodo intelligatur 527.b
donum Spiritus sancti non stringitur lege 820.b
donorum rationes quando crescunt 1020.b
donis Dei utendum fideliter 145.b
donis Dei qui abutantur, qualis eorundem damnatio 465.b
donis si careas, quid agendum 600.a
donis nostris non superbiendum 466.a
dormire, mori est 1049.b
drachma quando perdita 558.b
drachmæ quid indicatur 563.b
dubietas inerat discipulis 407.b
dulcedo Christi qualis 617.b magna 66.a
duodenarius numerus Apostolorum quare 278.b

E.

Ebionitarum hæresis quæ 115.b
ebrietas est ira 436.b
ebrietas perdit corpus & animam 687.b
ebrietas spiritualis quæ 688.a
ebrietatis deterrimi effectus 687.b.801.b
ecce admirantis est 52.a
ecclesia, tabulum 61.a
ecclesia supra petram fundata 235.a
ecclesia quibus hominum generibus constet 21.a
ecclesia noua sursum 296.a
ecclesia non destituitur diuinis muneribus 275.b
ecclesia creuit persecutionibus 212.b
ecclesia quando aduersa passura 208.a
ecclesia per mundũ diffusa 127.b. unde facta 152.a. 259.a. quomodo collecta 342.a
ecclesia cur mons Sion 101.a
ecclesia uniuersa ligat & soluit 97.a
ecclesia curat, ut Euangelium suos habeat fructus 15.a
ab Ecclesia fœdè aberramus 3.b
ecclesia quomodo habeat gaudendi materiam 126.b
ecclesia Stephani precatione habet Paulum 79.b.87.a
ecclesia & templum nobis quæ 182.a
ecclesia per mundum diffusa 127.b.334.b quomodo collecta 27.b.342.a
ecclesia quos amet 139.a
ecclesia surgit nocte 863.a
ecclesia hic quatitur tentationibus 95.b
ecclesia quo teneatur uinculo 277.a
ecclesia & Iudæa dissentiunt 125.a
ecclesia indicat Iesum 342.b
ecclesia non est sine zizanijs 142.a
ecclesia ex Apostolis gaudio affecta 128.a
ecclesia sponsa secundi Adam 35.a.137.b
ecclesia quando liberatur à malis 96.a
ecclesia ut oret pro peccatore 242.b
ecclesia fedes Dei dicitur 217.a hæreditas filij 258.b
ecclesia olim qui murmurauit 265.b
ecclesia, Ioanne prædicante, crescere cœpit 22.a
ecclesia concinit beatitudinem uirginis Mariæ 35.b
ecclesia quando bysso induitur 863.b
ecclesia suos deplorat, quomodo 110.a suos ut consoletur 295.b
ecclesia uirtutum germine quando abundat 105.a
ecclesia uirgo, sed nupta 798.b. casta 1042.b
ecclesia quid olim sitierit 286.b
ecclesia ut oret pro peccatore 314.a
ecclesia multas habet maculas 266.a
ecclesia quomodo peccata excutere conetur 14.b
ecclesia est nostra ciuitas 57.a.887.a
ecclesia delectatur odore Christi 63.b
ecclesia quibus nubibus fœcundetur 205.b
ecclesia martyrio sanctorum adornatur 835.b
ecclesia sagenæ similis 1055.b
ecclesia ad spirituale gaudium nos hortatur 40.a
ecclesia decem uirginibus similis 1049.b
ecclesia quos fouet & educit 80.b
ecclesia libenter celebrat Mariæ festiuitates 851.a
ecclesia est duplex 57.a
ecclesia cur uidua dicatur 277.a. 313.b
ecclesia unde claues habeat 96.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

ecclesia arca, extra hanc nemo saluatur 152.a
ecclesia sanguinem Christi suscepit 149.a
ecclesia nihil otiosum tractat 175.b
ecclesia quo repleta grano 343.b
ecclesia unde habeat tot professores 987.a
ecclesia catholica sanctorum adornata passionibus 939.a
ecclesia quale Sabbatum habeat 312.b
ecclesia fœcundior, quàm Synagoga 907.b
ecclesia quid ab Apostolis didicit 236.b
ecclesia catholica nauis, in qua sedet Dominus 165.a.166.b.167.b
ecclesia quid prosit confitenti 172.a
in Ecclesia multi mali, pauci boni 691.a
ecclesia habet officium piscatorũ 1044.b
ecclesia liberari expectat 97.a
ecclesia quanto desiderio feratur in Deum 104.a
ecclesia spoliat diabolum 862.b
ecclesia multum chara Deo 978.a
ecclesia ex quibus constet partibus 162.a 224.a
ecclesia sæpè oppugnata 165.b
ecclesia non deserenda propter malos 154.b
ecclesia quando creuit 382.b
ecclesia corpus est Christi 90.a. quomodo 201.a. Christi columba 135.b. Austri regina 152.b
ecclesia electorum quo pertingat 398.a
ecclesia bonos & malos habet 399.b
ecclesia à quibus infestata 605.b
ecclesia unanimes habet 127.b
ecclesia collecta ex duobus 428.b
ecclesia quando timida, & quando robo rata 461.b
ecclesia non nisi masculos parit 434.b
ecclesia ante thronum Dei stat 945.a
ecclesia tentari permittitur 167.a
ecclesia quàm feliciter nauiget ibid.
ecclesia fraternitas nostra 556.b
in Ecclesia qui solo nomine sunt 259.b
ecclesia honorabilior omni creatura 978.b
in Ecclesia multi credunt, sed non ad salutem 192.a
ecclesia inter hæreticorum blasphemias gratias agit 635.b
ecclesia habet firmos & infirmos 856.a
ecclesia semper fuit contenta Laicis una Sacramenti specie 17.b
ecclesia fundata super fidem, non super hominem 979.a
ecclesia per duodecim millium numerũ significatur 944.a
ecclesia ex bonis operibus redolet 866.a
ecclesia castellum dicitur forte 892.a
ecclesia Baptistæ natiuitatem celebrat 826.b
ecclesia portis inferi non cessit 787.a
ecclesia diuersis modis exprimitur 945.b
ecclesia fabricata in honorem Michaëlis ubi 920.b
ecclesia Hierusalem uocatur 774.b
ecclesia exuenda à labe 772.a
ecclesia ex latere Christi, omnium credentium mater est 738.a
ecclesia pulsatur quidem, at non deijcitur 167.a. 741.a
in Ecclesia catholica sedendum 464.b
ecclesia uinea est 177.b. regnum cælorum 181.b. 400.b. 689.a. 1040.a. 1055.b. mulier Chananæa 585.b. mulier amicta sole 433.b. templum Dei 150.a. familia Dei 1010.b. mater credentium 633.a
ecclesiæ & Christi nuptiæ 262.b
ecclesiæ persecutores morte uindicandos 104.b
ecclesiæ uarij euentus 746.a. somnus 353.b
ecclesiæ iuge sacrificium 263.a
ecclesiæ horrea unde repleta 879.b
ecclesiæ initia in quos homines inciderint 978.b
ecclesiæ typus mulier quæ 277.a
ecclesiæ regnum quis dedit 63.a
ecclesiæ fortia quæ 863.a
ecclesiæ origo cœpit in Iudæa 103.b
ecclesiæ doctorum symphonia 263.a
ecclesiæ regnum quibus traditum 364.a
ecclesia Gentilium fœdata pressuris 207.a
ecclesiæ uitijs qui offendantur 212.a
ecclesiæ columnæ qui 237.a
ecclesiæ luctus, ploratus 104.a
ecclesiæ festa qualia 265.a
ecclesiæ cultores, operarij 469.b
ecclesiæ tempora ultima qualia 104.b
ecclesiæ ornamenta uirginitas 102.b
ecclesiæ hæreticorum non cohærent 101.b
ecclesiæ ouile quos modo suscipiat 179.a
ecclesiæ conuersatio qualis 166.b
ecclesiam collectam per prædicatores 59.a
ecclesiæ munditia 125.b
ecclesiæ prælaturas qui cupiunt, & ambiunt 315.b
ecclesiæ defensor Dei filius 167.a
ecclesiæ imago ubi 158.b
ecclesiæ dicendum quid sit 277.b
ecclesiæ mater gratia 135.b
ecclesiæ sæpius frequentandæ 144.a
ecclesiæ unitas non scindenda 212.a
ecclesiæ proceres ut sint fideles 17.b
ecclesiæ solemnitatum scopus 1018.b
ecclesiæ prospera & aduersa 208.b
ecclesiæ ministri absoluunt 317.b
ecclesiæ aquæ quales 80.b
ecclesiæ apostolus Paulus seruatus 184.b
ecclesiæ spes quomodo fundata 235.a
ecclesiæ catholicæ sententijs acquiescendum 17.b. 127.b
ecclesiæ ornamento sunt pij uiri 1020.a
ecclesiæ pestes sunt hæreses 103.a
ecclesiæ domus, quomodo frequentanda 141.b
ecclesiæ pax quomodo constet 459.a
ecclesiæ claues soluunt 208.b
ecclesiæ partus in baptismo 433.a
ecclesiæ regnum semper mansurum 150.a
ecclesiæ cibus qualis 434.b. authoritas 486.a
ecclesiæ functiones quibus mandandæ 398.b
ecclesiæ rosæ & lilia 1001.b
ecclesiæ uiscera sumus 139.b. 652.a
ecclesiam quotidiè uisitat Christus 392.b
ecclesiam Christus quomodo diligat 292.b
ecclesiam cur Deus tentari permittat 979.a
extra Ecclesiam nemo saluatur 636.b. non datur Spiritus s. 463.a
extra Ecclesiam quàm sit periculosum degere 787.b
ecclesiam hæretici ut lupi deuastarunt qui, quales 99.b
ecclesiam qui aspernãtur nequaquam sunt absoluendi 841.b
ecclesiam sibi creditam ut pastor zelare debeat 1042.b
ecclesiam persecutiones passuram 103.b
ecclesiam quis fœcundat 358.a. qui edificant 161.b
ecclesiam ut intres quid agendum 126.a
ecclesiam futuram per orbem 201.a
ecclesiam Christus quomodo intrarit 221.b

ecclesiasticis functionibus præficiendi, quales esse debeant 77.b
egent qui & quomodo 261.b
elatio unde existat 190.b
elargitionibus non pauperamur 267.a
electi cadunt in faciem 946.a
electi malorum improbitate fugantur 104.a
electi quomodo confidant se ascensuros in cælum 512.a
electi omnes beati, sed non æqualiter 1037.a
electi in libro uitæ scripti 56.a 93.b
electorum & improborum discrimẽ 429.b
electis omnia cedunt in bonum 959.b
electio dat gratiæ incrementum 77.b
eleemosyna læto animo facienda 875.b
ex eleemosyna substantia crescit 876.b
eleemosynâ nitescit sanctitas 32.b
eleemosyna cuius uirtutis 39.b
eleemosyna pauperi data cui ascribitur 218.a
eleemosynam faciens non depauperaberis 875.b
eleemosynæ uirtus quanta 36.b. 876.a
laus eximia 547.b. quibus prosint 199.a. quomodo faciendæ 206.b
eleemosynam faciunt infrugiferè qui 204.b
eleemosynarum remedia salutaria 95.b
eleemosynas quando frequentiùs faciendas 46.a
elementa congratulantur Christo surgẽti 379.b
elementa Paulo, quæ 110.b
elementa Deum testata 129.b
elementa ad nutum creatoris pendent 132.a
ex Elementis quatuor subsistimus 214.a
elias præcursor iudicis, Ioannes redemptoris 42.b
elias & Ioannis Baptistæ opus 821.a
elizabeth humilitas 29.a. 33.b. 854.b
dolet 34.b
elizabeth quid prædicauerit 29.a
elizabeth uoce magna usa 28.b
elizabeth futurorum habuit & præteritorum notitiam 29.b
eloquentia quæ inanis 190.b
emanuel quid significet 52.a 795.b
emanet in templo 602.b
empti qui sint 103.a
encænia festiuitas Iudæorum 335.b
encænia quid sint 743.a
encomium matris Dei 532.b
endoxia Theodosij iunioris coniunx, matrona sancta 871.b
enoch translatus ad cælum 460.b
enutriti Ecclesiæ lacte qui 178.a
ephrem Ecclesiam præfigurauit 341.b
epiphaniæ celebritas quid contineat 131.b
episcopi honorabiles omnibus 1039.b
episcopi sunt dispensatores Sacramentorũ Dei 17.a
episcopi & pastores quales se debeãt præstare 17.a. 1041.a
episcopi successores Apostolorum 418.a
in Episcopis & sacerdotibus Christus attendendus 1008.b
ericus scriptor qualis 81.a
error de duabus naturis 281.b
error quò mittat nos 264.b
error Græcorum quis 112.a
error insipientium 817.a
error eorum, qui putant Apostolum habuisse uxorem 714.a
errores eorum qui nuptijs contradicunt, quomodo destructi 151.a
esaias quomodo occisus 82.b
escam uitalem nauseabundi accipimus 92.b
escis in regno Dei non utendum 396.a
esurientes quî satientur 30.b
ethnicus & publicanus qui 277.b
ethnici qui dicantur 293.b
ethnici licet benè uiuant, non tamen norũt, quò id referant 491.a
eua dolorem omnium attulit 52.a 793.b
euæ inobedientia tollitur 52.a
euæ & Mariæ quanta diuersitas 852.b
euangelistæ quatuor flumina 931.b
euangelistæ quid de Christo scribant 64.b
euangelistæ incarnationis dominicæ dispensationem ostendunt 48.a
euangelistæ sibi non contrarij 976.a
euangelistæ qui cum domino in terra ambulent 64.b
euangelistæ aliquando non uerba ipsa, sed sensum producunt 48.b
euangelistarum consensus 116.b
euangelium bona nuntiatio 48.a. 931.b
euangelium pacis cur dicatur 697.b
euangelium omnes suscipit 15.a
euangelium contemnitur, sed à quibus 316.a
euangelium Ioannis dignum quod aureis literis scribatur 91.a
euangelium quid dicat nobis 442.b 463.b
euangelij præcepta maiora quàm legis 581.b
euangelium nos saluat 606.a
euangelium quibus prædicandum 459.b
euangelium legem fecit fructiferam & manifestam 15.a
euangelium longè maiora, quàm lex exigit 546.a
euangelium sonuit per totum orbem 474.b
euangelij præcepta posse impleri 111.b
euangelij Ioannis sublimitas 98.a
euangelij dicta ut excipienda 1013.a
euangelij mysteria inquirenda 150.a
euangelio non dignè uiuimus 141.a 755.b
euangelio Christi firmiter credendum 64.a
euangelia ut exponenda 1060.a
euangelia sonant uitam Iesu 880.b
euangelica doctrina quàm stabilis 235.b
euangeliorum uirtus 1060.a
eucharius presbyter Hispanus 87.b
eucharistia sumens quid accipias 158.b
in Eucharistiam fides adhibenda 390.b
eucharistia sacramentum & sacrificium 359.b
eucharistia quàm syncerè sumenda 378.b. & quomodo 737.a
eucharistiæ sacrosanctæ reuerentia 737.b
eucharistiam qui manducant, quales esse debeant 1052.b
eucharistiam sumpturus lachrymis se purget 412.b
eudoxia rexit Romanum Imperium 871.a
eustochium imitanda uirginibus 886.a
eutychetes damnatus in Synodo Chalcedonensi 272.a. 585.a
eutychetis error 585.a
exaltatio Christi in cruce 249.b
exaltatio nostra unde 278.b
exaltationis qui tulerit pœnam 428.a
exaltare quomodo contingat 252.b
exaudimur non semper 185.b
excommunicatio à cælesti mensa quàm intolerabilis 737.b
excommunicare ad quos pertineat 279.a
excommunicandi qui sint 709.b
excusatio in iudicio extremo nulla 218.b
excusatio non seria 551.a. 1036.a
excusatio nulla nobis relinquitur 977.b 1028.a
excusationẽ qui possint prætẽdere 965.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

excusationem de peccatis habere non possumus 178.a
excusationem mali operis habere non potevimus 187.a
exempla sanctitatis exhibenda 199.a
exempla benè uiuendi quis monstrauerit 57.b
exempla credentium primorum nobis imitanda 470.b
exempla bonæ generationis 80.b
exempla uirtutis ab alijs sumenda 37.b
exemplo Christi quid faciendum 170.b
exemplum memorabile narrat D. Gregorius Pontif. 693.a
exemplum memorabile Theophanij comitis 553.b
executio ubi facit Christianum 442.b
exitus noster lachrymis prosequendus 898.b
exorcistæ Iudæorum 270.b
expectatio nostra 564.b
exterminator quis fuerit 594.b
externa nil iuuat mundities 282.b

F.

FAber uerus quis 275.a
fabrica mundi prædicat creatorem 756.a
fæces Israël conuertendas 230.a
facies decora, magna fides 853.b
facies Domini qui uidenda 81.a
facies cum ostenditur, corrigitur peccans 853.b
faciem lauare 197. b. exterminare 199.a
factis magis quàm uerbis Christianos nos esse oportere 101.b
facit contra Deum, qui facit contra dilectionem 540.a
facultates mundi ut habendæ 555.a
falx uerbi Dei 290.b
fama non negligenda 154. a. pessima 951.b
fama de Iesu paruulo 113.b. latè dispersa 385.a
fames animæ 264.b
fames in regione longinqua 261.a
familia una ex diuersis 377.b
familia ad templum admittenda 660.a
familia Christi qui 181.b
fatuitas Ecclesiæ quæ 747.b
fatui etiam mundo sapientes dicuntur 1057.a
fatum nihil 130.a
febris auaritiæ, libidinis, luxuriæ, ambitionis, amoris 505.a
febri qui fauet, quid accidat 393.a
februarius unde dictus 782.b
felicitas quæ manet pios 802.b
felicitas septem habuit filios 858.b
felicitas seculi calcanda 857.b
felicitas inuicta constantia 858.a
felices qui 11.b
felices uiri & fœminæ 375.a
felix qui fidei sacramentis imbutus 922.b
feræ inter homines manentes 15.b
fercula Christi nuptiarum 663.b
fermentum pharisæorum quale 252.b
ferrum igni immissum ignis efficitur 844.a
ferrum, tribulatio est 116.a
feruor perfectè pœnitentium 558.a
festa ad quem finem instituta 508.a
festiuitas omnium sanctorum unde habuerit initium 940.b
festiuitati corpore & non mente quis interfit 44.b
festiuitates bonis operibus celebrandæ 302.a
festinandum ut uideamus Dominum, quomodo 62.a
festucæ & trabis discrimen 571.b
festus dies quomodo agatur 335.b
fides resurrectionis Christi & nostræ non fallit nos 395.b
fides sanctos reddidit uictores 762.b
fides nobis necessaria 307. b. uiuida qualis 415.a
fides & dilectio quid operatur 340.b
fides uera in quibus 212.a
fides sola non sufficit ad salutem 42.a 54.a 91.a. 239.b. 441.b
fides quæ iustificet 118. b. iustificat peccatorem 69.b
fides catholica sola uiuificat 514.a
fides operibus declaranda 194.a. 512.b
fides pro mentis deuotione 119.a
fides catholica de S. Trinitate 537.a
fides ante & post Christum una 350.a
fides ubi mortua 241.a
fides mulieris chananææ 242. a. leprosi quanta 160.a
fides quam exigit Deus 305.a
fides inutilis sine charitate 190.b
fides quanto explicatior est, cò salus nostra propior 2.b
fides est de inuisibilibus 958.b
fides nostra ubi potissimum constabilita sit 396.a
fides nutritur bonis operibus 1053.a
fides credentium quæ 167. b. cordis 754.a
fides in uoluntate est 91.a
fides initium salutis 515. b. porta salutis 891. a. origo uirtutum 217.b 438.a. uia lucis 193.b. uita animæ 319.b
fides unde sumpsit constantiam 32.b
fides uera 364.a. 419.a. 459.b. 665.a
fides dæmonis quæ 41.b
fides quàm creuerit apud exteras nationes 392.b
fides nostra tarda est 946.b
fides saluat quomodo 865.b
fides Genezareth terræ quanta 208.a
fideles omnes pastores qualiter 62.b
fideles ut sint corpus Christi 457.a
fideles in Ecclesia dimittunt peccata 861.b
fideles ante mundi constitutionem dilecti 852.a
fideles Christi sunt unum cum illo 521.a
fideles uerè qui 459.b
fideles quomodo confortentur à Spiritu sancto 538.a
fidelium conuersatio gratum Deo sacrificium 772.a
fidelium probatio 649.a
fidei merces qualis 305. a. cognita 332.a
fidei rudimenta Christus quomodo iecerit 151.a
fidei locus pulcherrimus 174.a. 621.a
fidei diffinitio 191.b. 194.a. 418.b. principium 682.a
legium 194.a efficacia 386.b
fidei adiungenda pœnitentia 719.b
fidei uitæ conuersatio iungenda 842.b
fidei fundamentum Christus 965.a
fidei obliuio, somnus est 692.b
per fidem esse uocatos non satis 176.a. 695.a
fidem solam non sufficere 365.a
fidem Christianam negantes, mortui sunt 235.a
fidem qualem condidit Deus 259.a
fidem Christi qui conentur eripere 681.b
fidem alienam respicit Christus 388.a
fidem nostram confirmat curiositatum rum 286.a
fidem sitit Iesus 222.b
fidem Dominus esurit 118.b
fidem Iudæi qualem habuerant 178.b
ad Fidem ueniunt multi 494.a
per Fidem ingredimur ouile 726.a
fide Christum tangimus 407.a. saluamur
fide iustus uiuit, quomodo 66.b
à Fide Catholica aberrant qui 260.b
fide iacula diaboli retunduntur 697.b
fiduciam habere in die iudicij 541.a fiduciæ

filutia spei qualis 70.a
filum Synagoga 222. b. infructuosa 671.a
ficus & mulier contracta mysticè 669.a
ficus sterili qui comparentur 32.b
filia Sion Ecclesia 349.b
filia dæmoniaca, anima peccatrix 242.b
filius senior quis 263.a
filius Dei factus filius hominis 73.a
unigenitus filius quomodo traditus pro Gentili populo 266.a
filius hominis ut descendit de cælo, &c. 511.b
filius fecit matrem suam 53.a
filius hominis mori potuit 254.a
filius Dei ut uenerit in uirginem 532.a
filius hominis cur à Stephano uisus 85.a
filius homo cur uocetur à Deo 502.b
filius solus naturam assumpsit humanam 531.b
filius Dei uerbum patris uocatur 48.b
filius Dei naturaliter quis 203.a
filius DEI seruiuit regi homini 58.a
filius Dei pro nobis satisfecit 55.a
filius quare nunc æqualis, nunc minor patre dicatur 530.b
filius qualiter iudicat 323.a
filius quomodo obseruet patrem 111.b
filius altissimi quando magnus factus 27.a
filij Ecclesiæ sunt hæredes Dei 297.a
filij Leui, sacerdotes 770.b
filij naturæ & gratiæ 295.b
filij dilectionis sumus participes 721.a
filij & serui Dei sumus, quomodo 112.a
filij Dei qui 590.a. regni qui 201.b
filij parentibus sociati coniugio olim 979.b
filij huius seculi 597. a. quid agant 393.b
filij duo 264.a
filij Israël ascendere in montem nequeunt 156.a
filij boni Abrahæ 89.a
filij persona incarnata & passa 249.b
filij Dei in baptismo efficimur 451.a
filij parentibus prodesse non poterunt nec obesse 36.a
filij uenenati qui 35.b
filiorum Israël ex Aegypto profectio quid innuat 375.b
filiorum Zebedæi martyrium 870.a
filiorum Zebedæi promptus animus 869.b
ex Filijs diaboli facti filij Dei 341.b
fimbria uestimenti quis 201.b
fimbriæ cuius admoneant 253.a
firmus ut sis, infirmitatem tuam agnosce 856.b
flagella Domini patienter ferenda 233.a
flagella quibus prosint 186.b
flagella incrementa malarum actionum 302.b
flentes qui beati sint 938.a
flentibus quibus addi debeamus 147.b
fletibus regnum cælorum rapitur 38.b
flos de radice Iesse quis 168.b
flos citò arescit 301.a
flores sancti, martyres sunt 852.b
flores martyrum qui 107.b
fœdus secundum conditum ab eo à quo primum 484.b
fodere circa ficum 669.b
fodere mysticè 596.a
fœmina à diabolo seducta 23.a
fœminæ à preciosarum uestium appetitu compescuntur 20.a
fœminæ quando baptismum conferre possunt 489.a
fœminæ resurrectionem nuntiant 375.a
fœnum quid 586.a
fœnum pro herbis quibuslibet 646.a
fons, beneuolentia 331.b
fons bonorum Deus 509.a
formam quam Dominus assumpsit 73.a
forma corporis Christi uli cernatur 276.a
formido sublata, non pugna 32.a
fornicatio & auaritia quibus familiarior 269.a
fornicatio spiritualis quæ 229.a
fortitudo ad omnia necessaria 164.b
fortitudo non hominis, sed Dei est 353.a
fragilitati nostræ quid necessarium 177.a
fragilitate Christi qui offensi 306.b
fragiles in fide punientur 165.a
fragmenta colligi iussa 299.b. 730.a
fragmenta multa 588.b
fratrem qui odit, non diligit Deum 542.b
fratres qui lædunt, quales 119.b
fratres carnales quales 335.a
fratres CHRISTVS discipulos uocat 375.b
fratres quot modis dicantur 333.b
fratres Christiani omnes 112.a. 202.b 759.a
fratres Domini 333.b. qui dicantur 225.a
fratris uxorem quatenus frater habere possit 801.a
fraus pharisæorum 293.a
fremitus & turbatio quid sibi uelint 322.a
frigora niuis mysticè 863.b
fructus quales afferendi 968.b
fructus bonus non nisi de radice charitatis 614.a
fructus terræ sublimis 29.a
fructus reddendus qualis 258.b
fructus fidei sanguineus 1059.a
fructus Mariæ benedictus 28.b
fructus spiritus 632. b. qui 864. b
fuga hyeme uel Sabbato 1051.b
fugere in solitudinem 434.b
fundamentum quid in sacra scriptura 741.b
fundamentū iustitiæ quod 141.b charitatis 190.b
furor mentem præcipitat 79.a
fur, diabolus intelligitur 189.a

G.

GAbriel quid interpretetur 23.a
Gabriel ad Mariam missus 559.b. consiliator uirginis 53.a
galaad quid designet 1010.b
galilæa transmigratio facta, uel reuelatio 407.b
galilæa ciuitas Christi 682.a. Ecclesiam significat 409.b
in Galilæa Dominus uidetur 375.b
in Galilæam ire quid 353.a
gallinæ similitudo 80.82.b
gallinæ alæ quæ 82.b
gamaliel qualis fuerit 150.b
garganus qualis fuerit 920.b
gaudium in domino necessarium 40.b
gaudium mundi & Dei 40.b (11.b
gaudium quale petere debeat Christianus
gaudium magnum cui populo 59.a. plenū quale 444.b. purum unde 963.b. uanidum quod 212.b
gaudium huius uitæ dolore mistum 990.a
gaudium finis, ad quem dirigendus 1041.b
gaudio spirituali nihil nos impediat 40.b
gaudia mundi uana 444. b. celorum 655.a
gaudendi copia semper est 40.b
gaudendum de qua re 40.b. quomodo 40.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

gazophylacium locus qualis 322.a. area Dei 370.a
gazophylacia mysteria scripturarum 322.a
gehenna unde nomen habeat 1007.b. quid contineat 580.a
gemina industria Ecclesiasticæ dispensionis 84.a
genera humanæ locutionis decem 519.b
generatio Dei ineffabilis 525.a. 907.a
adultera quæ 223.a
generatio spiritualis, carnalis 511.a
generationis malæ exempla 80.b
generationes duæ ibid.
generationes omnes debitis obligatæ 706.b
genitrix Dei à lege libera 771.b
genitrix Dei quibus exemplis præfulserit ut imitetur 28.a
genimina uiperarum qui 35.b
gens quæ Christum debet occidere 353.b
gens tota ignorauit, quem duodecim cognouerunt 84.b
gentes quando resipiscere cœperant 261.b
gentes æquè ac Iudæos Christo gratias agere debere 11.a
gentes iumentis similes 646.b
gentes quàm præcipites ruant in peccata 240.b
gentes adorant Christum 159.a
gentes ad Christum pertinuisse 45.b
gentes lapides dicuntur 36.a
gentiles signis ad Deum ducuntur 129.b
gentiles quando uocati 178.a
gentiles Iudæis feliciores 701.a
gentiles qui uenerant Hierosolymam 343.a
gentiles quid Christo debeant 10.b
gentilitas & Iudæa quid à mediatore acceperint 34.b
gentilitas quid de Christo intellexit 339.b
gentilitas ex Aegypto uocanda 104.b
gentilitas quibus dedita 275.b
gentilis populus quale canticum Deo decantet 263.b
gentilitatis principia quando cessata fuere 245.a
gentilium cæcitas 925.b
gentium lumen Christus 777.a plenitudo 878.a
gentium opiniones falsæ 120.b
gẽtibus Christus noluit manifestari 230.b
genua cur non flectamus intra Quinquagesimam 469.b
genibus flexis efficacius precamur 649.b
gerazeni quærunt salutem 280.b
germen domini in magnificentia 29.a
getulia non habet piscatores 130.a
gladius in scriptura quid 115.b.117.b 778.a
gladius effectus dominicæ passionis 772.b
gladius spiritus 364. uerbum Dei 698.a 985.a
gladius missus quid sibi uult 984.b
gladij duo, duorum testament. 364.b
gladio siue pœna qui perituri 354.a
gloria uana se miscet abstinentiæ 987.a
gloriam Dei qui enarrent 469.a
gloria quid sit 454.a
gloria Christi, in Ecclesijs 651.a. magna 330.a
gloria carnis non magnipendenda 184.a
crucis 371.b
gloriæ temporalis incertitudo 346.b
gloria nostra quæ sit 1049. b. unde 529.a
gloria omnis Deo attribuenda 19.a
gloria uana cauenda 1043.b. pestis excitalis 638.b
gloria uana in benefactis uitanda 335.b
gloria uana, peccatum est 253.a
gloria quomodo conseruetur 424.a
gloriam Deo dare quid 310.b
gloriam qui quærit, quid meretur 206.a
gloriam mundi plerique frustrà aucupantur 552.a
gloriam multi uenati sunt 977.a
gloriam qui mercantur 334.a
glorificatio quæ cui prodest 315.a
gloriatio nostra quæ, & ubi 112.a
glorificatio patris 453.a
glorificandus quis 662.b
grabatum suum tulit infirmus 157.b
græcorum imperium ad Germanos translatum 392.b
gradus esse iustitiæ 202.a
grande peccatorum remedium facilis ignoscentia 711.a
granum sinapis minimum 731.a
gratia Dei, misericordia respectus 981.a
gratia & pax cohærent 923.a
gratiâ baptismi filij Dei efficimur 138.a
gratia Dei destitutus qualis 126.b
gratia dei uolenti occurrit 298.b
gratia Dei quibus apparuit 53.b
gratia Dei, est unum uerbum 113.a
gratia Dei nulli negatur 960.a
gratia gratis data & gratum faciens 673.b
gratia iuxta mensuram fidei 159.b
gratia transfertur ab alijs ad alios 392.
gratia stertentibus non impartitur 727.b
gratia septiformis 399.a
gratia passionis dominicæ 231.b
gratia omnium donorum in Spiritu. 528.a
gratia res incomparabilis 490.b
gratiam infundere quis potest 66.a
gratia Dei qui digni sunt 148.b
gratia Dei non in uacuum recipienda 211.a
gratia Dei saluamur 53.b
gratia agit, ut fiant bona 508.b
gratia gratuita in Christo qualis 53.b
gratia Dei expultrix peccati 297.b
gratia Spiritus sancti gratis danda 302.b
gratia Dei quibus detur 600.b. quibus optulatur 607.b
gratiæ efficientia 393.a
gratiæ agendæ in aduersis 683.b. 172.a 688.a
gratiæ agendæ bene uiuendo 99.b
gratiæ agendæ in precibus, quomodo 41.b
gratiæ quanta efficacia 481.a
gratiam Spiritus sancti quando accipimus 50.a
gratis qui odit 966.b
gratis dandum, quod gratis acceptum 962.b
gratitudo Deo probatur 655.b
gratitudinem Deus exigit 435.a
gratos esse debere nos 606.a
gratulandum nobis de infirmitate 505.b
gregorius pontifex quale narret de quodam exemplum 379.b
grex boni pastoris, familia redemptoris 1016.a
gregem unam quis faciat 376.a
gubernatio mundi magnum miraculum 729.a
gula & uentris studium pernitiosum 713.b

H.

HAbitaculum cordis nostri dignè seruandum 294.a
habitans in nobis Spiritus sanctus quid efficit 650.a
habitus corporis quid ostendat 238.b
habitus hominis non intuendus 553.b
hæredes mali unde 549.a hæ-

hæreditas per quem acquisita 326.a
hæreditas cælestis quibus debeatur 591.a
hæreditas quam habebimus qualis 112.b
hæreditas Domini, filij sunt 854.b
hæreditas quando gratissima 662.b
hæreditas nostra regnum Dei 471.b
hæretica prauitas quid efficiat 224. quomodo præcipitet mentem 271.b
hæretica prauitas fœtet 1035.a
hæresiarchæ septem 434.a
hæreticus quomodo Spiritui immundo similis 271.a
hæreticus quando cadat de cælo 1009.b
hæreticus Theodorus quis 207.b
hæreticus munda quærit sordidare 224.a
hæreticus uitandus quando 704.b
hæreticus non prorsus abijciendus 202.a
hæretici Ecclesiæ filios perdere semper sunt conati 165.b
hæretici amorem non habent 164.a
hæretici opera bona reijciunt 618.b
hæretici confunduntur qui, quales 136.b
hæretici latitant in angulis 334.b
hæretici oracula prophetarum negantes 113.b
hæretici quid obijciant contra merita operum 509.a
hæretici negantes Christum fuisse ante Mariam, qui 99.a
hæretici asini, & filij asini 1057.a
hæretici ab Ecclesia sequestrandi 1042.b
hæretici nihil habent commune cum filio Dei 347.a
hæretici taxantur 282.a
hæretici damnant eos, qui ab ijs ad Ecclesiam redeunt 89.b
hæretici extra Ecclesiam pereunt 329.a
hæretici ut sint utiles Ecclesiæ 926.b
hæretici negantes filium Dei 952.a
hæretici Christum non tangunt 997.a
hæretici mali pisces 402.b
hæretici non resecandi 808.b
hæretici phantasticum Christum corpus assumpsisse qui dicunt 208.b
hæretici scandalo sunt Ecclesiæ 926.a
hæretici blanda loquuntur 826.a. spiritu satanico impelluntur 598.b
hæretici cur Christianos persequantur 297.a
hæretici quid somniant de iudicio extremo 216.b
hæretici semper discunt 127.b. frustrà patiuntur 1004.b
hæretici Sacramentarij quos imitentur 177.a
hæretici nostri Confirmationi infensi 490.a
hæretici quid de fide blaterant 486.a
hæretici oppugnant charitatem 9.b
hæretici quid disputationibus quærant 78.a
hæretici cum unitate nihil habent commune 572.a
hæretici in quatuor mundi partibus suos prædicatores habuerunt 16.a
hæretici quomodo suam discessionem ab Ecclesia causentur 154.b
hæretici filij diaboli 210.a. leprosi sunt 632.b
hæretici quos obruunt opprobrijs 212.b
hæretici quomodo blandis uerbis seducant plebem 269.a
hæretici uinci possunt, placari non possunt 674.b
hæretici à fide exciderunt 657.b
hæretici altare non habent 581.a
hæretici negantes perpetuam uirginitatẽ Mariæ 781.b
hæretici Arriani qui 315.a
hæretici Sacramentarij Christi cibum fastidiunt 92.a
hæretici ut se iactent 127.b. uacui spiritu san. 477.a. ecclesiam scindunt 398.a
hæretici habent os sine prudentia 1015.a
hæretici dissensioni studeant 465.b.
hæretici indignè sentiunt de sacrificio Missæ 326.a
hæretici corruptores diuini uerbi 212.a
falsis uera permiscent 634.b
hæretici nuptijs qui detrahunt 148.a
hæretici manent in morte 548.a
hæretici nostri miraculis carent 600.a
hæretici in Christi personam iniqui 67.a
hæretici fugiendi 282.a. 490.b 592.a
hæretici Spiritum sanctum non possunt dare 397.b
hæretici ad impietatem erigunt aures 799.a
hæretici illuminatos se gloriantur 49.b
hæretici cur pranos seminent errores 638.b
hæretici quomodo errant in fidei operibus 613.b
hæretici cur eijciantur foras 297.a
hæretici semper dubitant 410.a
hæretici quàm blasphemi in Deum 466.a
hæretici & schismatici ursi & leones sunt 427.b
hæretici qui Deo aurum denegant 130.b
hæretici non æquè sentiunt de utroq; testamento 48.a
hæretici quid crepent 183.b. quomodo confutentur 430.a. unde uulnerentur 423.a
hæretici nostri homines ad ethnicismum induxere 386.b
hæreticorum fructus mortiferi 880.a
hæreticorum dogmata portæ inferi 840.b
hæreticorum figuræ Pharisæi & Herodiani 717.b
hæreticorum disciplinæ non suscipiendæ 499.b
hæreticorum conuitia surda aure transeunda 464.a
hæreticorum arrogantia 861.a. uana iactantia 634.b
hæreticorum errores de Christo 65.a Ioannes E. hos diligenter refutat ibid.
hæreticorum insatiabilis auaritia 183.b
hæreticorum Ecclesia demergitur in naufragium mortis 167.b
hæreticorum perfidia per mulierem confusa 272.a
hæreticorum flumen 1009.b
hæreticorum fermenta proiecta 377.b
hæreticorum error de Saluatore 75.b
hæreticorum tenebras Ioannes depulit 99.b
hæreticorum persuasiones uitandæ 423.a
hæreticorum est perniciosa temeritas 18.a. 247.b
hæreticorum regnum Arrij & Constantij imp. tempore creuit 15.a
hæreticorum insania olim ministrata 337.b
hæreticorum perfidiam Ioannes Euangelista contundit 64.b
hæreticos confundendos ut Babel 127.b
hæreticos nuda fide dæmonibus tradẽdos 54.b
hæreticos sequitur ignominia 347.b
hæreticos qui damnent 576.a
hæreticos euangelistæ confudêre 75.b
hæreticis creditur 393.a
hæreticis relinquẽda inanis sua fides 55.b
hæreticis nõ dãda occasio 211.a. nõ est pax ab Hæreticis ne decipiamur 592.a 611.b
cum Hæreticis non contendendum 619.b
hæresi quomodo resistatur 428.b
hæresis quomodo cohibita 430.a hæ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæresis Simoniaca prohibita 935.b 221.a
hæresis Euangelium expellit 127.b
hæresis Corinthi qualis 39.b
hæresis Sabelliani confunditur 50.b
hæresis quid agat 11.b
hæresis quid patriæ nostræ minitetur 391.b
hæresis aut latent in angulo, aut scinduntur in plures factiones 458.a
hæreses de corpore Christi 115.b
hæreses cur adeò mualuere 183.a
hæreses quomodo destruantur 429.b
hæreses & sectas quæ, quomodo introducunt 155.a
hæreses quomodo desinerint esse 141.a
hæreses qui seminant, mentiuntur 13.a
hæreses quando agant radices 146.a
hæreses Euangelium Lucæ susceptiunt 114.a
hæresum architecti obtrectant Ecclesiæ præfectis 594.b
hebræi soli digni esu carnis agni 905.b
hebræorum infantes quare interfecti sint 19.a
hebdomadæ duæ 783.b.62.nt sint completæ 732.a
helena crucem inuenit 871.b
heli filios malè educauit 894.a
heli filij quales 897.b
helias 40 dies ieiunauit 313.b
helias ad quale cælum transuectus sit 460.b
helias hospitatus apud uiduam 897.a. timuit mulierem 895.a
herba emundans quæ 770.a
herodes Christum spreuit 82.b. cur spreuerit 770.a
herodes natali suo indignum dedit spectaculum 899.b
herodes quis affixerit Ecclesiam 833.b
herodes quomodo comparetur uulpi 82.b
herodes quem perdere uolebat 103.b
herodes peßimus sibi 105.b. regno depulsus 898.b
herodes quare tot occiderit infantes 109.a
herodes typus hypocritarum 130.a
herodes fremit in diabolo 104.b
herodis obitus quid 104.b. fallacia 128.b
herodes fratris sui habuit uxorem 801.a
herodis simulata tristitia 899.b
herodem quid accusauerit 106.a
herodem deludere uoluit Dominus, cur 58.a
herodum trium differentia 836.a
herodias ad quid instigauerit Herodem 895.b
herodiani qui, quales 717.b
heros uineæ ubi occisus 258.b
hieremias lapidatus 82.b
hiericho cecidit 47.a. quomodo capta 196.a
hiericho quid in scriptura 192.a
hiericho typus huius mundi 621.b
hiericho mundum mysticè signat 628.b
hierosolyma celebris 477.a
hierosolyma euersa typus animæ pereuntis 605.a
hierosolymæ euersio 601.a
hierusalem Ecclesiam significat 126.b
hierusalem qui sint 776.a
hierusalem congeminatio populi ruinæ 82.b
hierusalem noua 735.a
hierusalem sanctam designat Ecclesiam 144.b
hilaris placet Deo 875.b
hilaritas dantis gratiam habet 146.b
hispanica hæresis 531.a
historia ciuitatis hiericho 621.b
hœdus typus Christi 351.a
hœdus quid referat 263.b
hœdi reprobi dicuntur 217.a
holocaustum incensum totum dicitur 773.a
homicidæ quomodo amici Christi 99.b
homicidæ Christi quomodo dispersi 258.b
homicidium est, odisse animam fratris 548.b
hominis consensio perduxit mortem 814.a
hominis primi conditio 923.b
hominis præstantia 645.a
homines quando se cognouerunt nudos 262.b
homines contemnunt promissa Dei 550.b.
homines qui rectè dicantur 786.a
homines nocte ad peccandum audaciores redduntur 2.b
homines scelerati habitacula spirituum immundorum 649.b
homines perpetuò fuerunt cum Christo 409.a
homines mali ut se ament 963.b
homines cur contempserint Christũ 408.a
homines sancti eius auxilio fecerint mirabilia 966.a
homines resurrecturi omnes 352.a. quare tione 1011.a
homines brutis imprudentiores 3.b
homines quomodo filij Dei fiant 77.a
homines uitiorum sarcina grauati 128.a
homines ratione præditos quid facere oporteat 5.a
homines soli Deo non obtemperant 165.b
homines qui dicantur 168.a
homines concipimur & nascimur in peccatis 24.a
homines quando rationales & prudentes facti sint 5.a
homines multi subito casu pereunt 13.b
homines inter angelos quomodo collocandi 560.a
homines quomodo coërceantur à peccandi licentia 620.a
homines simplices testes resurrectionis 385.b
hominum status ante Christum, qualis 425.b
hominum quantum interfuerit, Christum agnoscere 128.b
hominum erga Christũ ingratitudo 326.b
hominum præposteræ curæ 951.a. socordia 720.a
hominum genus duplex 800.b. tria, quæ lia 20.b. quatuor
hominibus qui placere cupiunt, mercedem apud Deum perdunt 137.b
homo quando non Dei populus 735.b
homo Deo curæ 648.a. Deo non seruit 180.b
homo exauditur ob bonum suum 922.b
homo præmortuus, seruatus ad uitam 694.a
homo hominem charum habere debet 54.b
homo nascitur mortuus 316.a. 956.b
homo unde habeat potestatem dimittendi peccata 666.a
homo omnis bonus 229.a. creatura 469.b. fœnum 16.a
homo ut saluaretur, quid fecerit Deus 66.b
homo honestis studijs natus 638.a
homo à Deo creatus bonus, malus à diabolo fit 205.b
homo per liberum arbitrium seregerit uoluptatem 261.a
homo imitator sui authoris 295.a
homo malus producit doctrinam bonam nonnunquam 251.a
homo quàm feliciter creatus 187.a. quam incautus 1018.
homo animal principale 728.a. 180.a 204.b
homo & amicus & inimicus 172.b
homo omnis mendax 323.a. uisibilis hostis 172.b
homo quid sit 188.a

homo excusationem apud Deum non habet 5.b
homo curuus quid 672.b
homo quando orare desinet 112.b
homo quomodo captus & occisus 372.a
homo commune omnium uocabulum 404.b
homo sine operibus legis iustificatur 618.b
homo in latrones incidens mysticè quis 625.a
homo nobilis Christus 1024.b
homo nouus 578.a
nouus induendus 241.b
homo uetus 577.b ueteris deponendus 68.b.286.b.678.a
homo obedientiam & contemptum habuit in potestate
homo omnis proximus noster 628.a
homo soluitur utriusq; testamenti fide & doctrina 8.a
homo duplex crimen incurrit quomodo 180.a
homo timuit 373.a
morti adijcitur 187.b
homo ad imaginem Dei conditus 516.a 717.b. cur 38.b. 567.b
honor in scripturis quid 283.a
quotupliciter accipiatur 280.b
honoris nominatione quid intelligi debeat 146.b
honoris culmen quale 186.a
hora sexta mysticè 286.a
undecima quæ sit 182.a
hora cœnæ 550.a passionis 131.b
horæ canonicæ seruandæ 470.b
hortus quibus arboribus consitus 368.a
hortus conclusus, fons signatus 885.b
hosanna quid interpretetur 7.b
hospitalitas commendatur 147.a 387.b
hospitalitatis exempla & commendatio 465.a præmium 37.a
hospites & aduenæ qui 958.a
hospites ciuitatis Dei pseudochristiani 958.a
hostia qualis placeat Deo 784.a
iuuenis quæ 140.b
hostia quando, & quæ offertur 214.a
hostiæ quotidianæ cum eleemosynis ualent. 984.a
hostilis aduersitas quomodo uicta 357.a
hostis quomodo profuit 107.b
quos decipiat 1030.b ut uincatur 211.a
hostis suo laqueo captus 69.b
hostis nec Christo pepercit 210.a
hostis noster, inimicus orationibus 464.b
hosti obuiandum 556.a
hostes, quomodo habebimus 568.b
quibus cum certandum 140.a
hostes habuit Israël. 139.b
hostes qui nobis insidiãtur 176.b 241.b
humana peruersitas nihil potest 292.a
humana creatura quæ 430.a
humana malitia contra Deum nihil ualet 130.a
humana iudicia non formidanda 18.a
humanitas Christi omnium salus 76.a
ubi commendetur 285.a
humanitas in Christo paßibilis 250.a
humanitate Christus nostri miseretur 195.a
humanum iudicium sæpè fallit 17.b
humanum genus quod superbia perierat, quomodo restauratum 28.a
humanum genus quomodo uindicatum à morte 198.b
humiles uerbum prædicationis accipiũt 34.b exaltantur 30.b. 44.a
humiles nascuntur ex spiritu 812.b
requirit Spiritus sanctus 476.b
humiles accipiunt dona 35.a
humiles, ualles sunt 34.b
humilitas animi 656.b
humilitas suadetur ubiq; 920.a. laudabilis 658.b exaltatur 196.a meruit uirtutem 479 itur ad gloriam 924.b. custos uirtutum 43. uulnerum medicina 142.a
humilitas nati pueri 61.a
publicani 611.a
humilitas ad quid reuocet 620.b
humilitas ex corde exiat 252.a
humilitas in Christo in nobis elatio mentis 700.a
humilitas uera quæ sit 137.a
quæ pariat bona 348.b
humilitas quam grata Deo 615.a
quid mereatur 347.b
humilitas naturæ nostræ in Christo exaltata 456.b
humilitas Christi filij Dei 196.a
humilitatis præstantia 609.b
humilitate crescimus 639.b exaltamur 255.b
humilitate Dauid clarus 150.a
humiles esse debemus 170.a 366.b
humilium exempla 664.a
humilibus quales nos exhibere debeamus 148.a
humilior quanto quisque fuerit, tanto erit sublimior 555.a 731.b
hydria praua intelligentia 290.b
amor mundi 289.a
hydriæ sex, sex seculi ætates designant 149.b
hydropicus mysticè 658.a. moraliter 661.a
hydropicum cur sanarit Iesus 660.b
hyems peccati 852.b
hyems quid. 336.a
hyena qualis bestia, quem referat 80.b
hypocrisis ubi appareat. 18.b
hypocriseos maculam ferè pleriq; habemus 204.a
hypocrisi qui ornati 224.b
hypocrisim quid tollat 200.a
hypocrita quid sit 204. a 570.a quis 570. a quid habeat in corde 199.b
hypocrita est alienæ personæ simulator 716.b
hypocritæ qui sint 199.a. 283.b
quid quærant 1033.b
hypocritarum prima potentia 716.b
hypocritarum mos qualis 198.b
hyssopus quid notet 160.b

I.

Iacob Deus per angelum apparuit 52.b
iacob pastor ouium, animarum designat pastores 997.a
iacob quomodo credidit dominum 159.a
iacob quid & quos designet 886.b
iacob & Ioãnes à Christo paßi 870.a
iacobus frater domini 607.a
iacobus occisus ab Herode 835.b
iacobus & Ioannes quid paßi 195.b
iacobi apostoli epistolæ authoritas 435.
iactantia nostra reprehenditur 143.b
iactantia ubi esse potest 197.a
idiotis data sapientia 386.a
iairus Israëlis princeps 159.a
quos designarit 725.b
ianuam patriæ cælestis ne nobis intercludamus 138.b
iduare quid sit 653.b
ieiunandi & orandi tempus 420.b
ieiunandum à peccatis 26.a
ieiunandum quando 421.a
ieiunium cordis 226.a 779.b corporis 226.a
ieiunium carnale & spirituale quale 26.a
ieiunium quid acquirat 39.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

ieiunium decimi 32.b. quadrageſimale 550.b
ieiunium deuotè amplectendum 199.a
ieiunium quibus temporibus attribu-tum, quid nos doceat 26.a
ieiunium quadrageſimale ſuſcipiendum 210.b
ieiunium laudatur 211.b quale Deus approbat 214.b quatenus utile 253.a
ieiunium 40. dierum miſticè 213.b
ieiunium ab eſcis & uitijs 665.b
ieiunium omnibus ſalubre 294.b
ieiunij uirtus, & quomodo celebrãdum 26.a
ieiunij effectus 200.a
ieiunij quadrageſimalis & poſtea eius relaxationis ratio 421.a
ieiunio diabolus infenſus 267.a
ieiunio hoſtis uincitur 1062.a
ieiunia noſtra qualia 422.a
ieiunia Pentecoſtes ab Apoſtolis pro-fecta 470.a
ieiunia cur continuẽtur numero quadra genario 469.b
ieſus à quo Spiritu ductus in deſertum 213.a
ieſus quid ſignificet 51.b
ieſus diligit omnes 752.b ſaluator omnium 52.a
ieſus factus nobis aquila 708.b
ieſus cur uenerit in mundum 51.b
ieſus in panis fractione cognoſcitur 1060.a
ieſus hortulanus 404.b
ieſus inter notos quæritur 144.b
ieſus quomodo creuerit 116.b
ieſus quale nomen ſit, quàm frugiferum & quibus 27.a
ieſus quo uelamine tegebatur 144.b
ieſus Nazarenus ſalutaris 380.b
ieſus fatigatus 285.b
ieſus cur Iudæis ceſſerit 342.b
ieſus ubi inueniatur 144.b 222.a 234.b. 289.a 799.b
ieſus cur dictus ſit 123.a
ieſus in uirtute quid egerit 168.b
ieſus crucifixus hora tertia & hora ſe-xta quomodo 365.b
ieſus ubi ſit & quomodo ad eum ue-niendum 331.a
ieſus in Nazareth literas legit 168.b
ieſus in ſcholis nunquam uiſus 168.b
ieſus quomodo ueniat ad infirmũ 161.a
ieſus per quos interpellandus 161.a
ieſus ut adiuuet, excitandus 167.b
ieſus quando dormiat 167.b
ieſus uenit & præteriit, quid 509.a
ieſus quando aſcẽdit ad patrem 404.b
ieſus fidelis teſtis 923.b
ſequendus opere 193.b
ieſus uerbis ſanabat infirmos 807.b
ieſus ad pacem ſpectat 1008.b
ieſus filius Naue cuius typus 152.b
ieſus fremit & turbatur 317.a.
Ιησοῦς χριστὸς ὁ υἱὸς θεοῦ σωτὴρ quid ſonet 793.a
ieſu & Ioſeph collatio 125.a
ieſu Chriſti natalem ſuſcepturi quid fa-ciendum nobis 44.b
in Ieſu nomine qui petant 279.b 444.a 968.b
ieſu nihil abſcondi poſſe 145.a
ieſu ambulatio quid 749.a
eſum ſequi qui contemnit 193.b
ieſum ne uideas quid impediat 1058.b ut habeas, quid agendum 71.b
ieſum tangere 404.b
ieſum accedimus quomodo 925.b
ieſum noſſe uolenti quid faciendũ 233.a
iephte typus uirorum catholicorum 1057.b
à Ieremia nouitas prænunciata 794.a
ierichuntis ſitus 625.a
in Iericho roſa 888.a
ignis conſumens Deus eſt 770.a
ignis purgatorius 536.a
ignis & columba ad tempus durarunt 530.b
ignis diabolo paratus, qualis 218.a
in ignem quis mittitur 665.a
ignominiam qui laturi ſint 424.a
ignoſcendum lingua & corde 707.b
ignoſcendum proximo quoties pecca-uerit in te 85.b 706.a
ignoſcentiæ exempla duo quæ 279.a
illicita in nocte perpetrantur 2.a
illicita qui fecit, quid agere debeat 35.b
illicita qui perpetrauit, ab illicitis abſti-neat 561.b
illuminati ſequuntur Ieſum 197.a
imago Dei quid requirat 57.b quo-modo in nobis renouetur 39.b
ad imaginẽ Dei cur creati ſimus 589.a
imitatione ſimus filij Dei 205.b
imitatores Dei eſſe debemus 45.a quales 268.a
imitatores Pauli ut ſimus 714.b
immaculatum ut te cuſtodias 443.b
immortalitas nobis cõfertur ex Eucha-riſtiæ communione 177.a
immunditia & malitia quæ 436.b
immunis ſit à peccato qui alium arguit 292.b
impatiens inutilis ſibi 1013.a
impatientia noſtra quæ 86.a
impedimenta quæ ad deum cõuerti pro-hibent 702.a
imperator probat affectũ ſuorum 44.b
imperatoris eſt meliora & plura noſſe cæteris 513.b
imperatoris natalis dies quanti habea-tur 44.a
imperatoris largitas quæ, qualis 44.b
imperatores olim baſilicas erexerunt 826.a
imperium ad Germanos translatum, modò labaſcere uidetur 127.b
impia natio quæ 526.a
impietas iudæorum 564.b
impietas talentum dicitur 709.a
impietas cæca 129.a
impij pijs nocere non poſſunt 573.b pa-cem non habent 11.a
impij relinquendi prorſus 976.b
impij hic lætantur 432.a deſpiciunt pauperes 46.b
impij dormiunt ſomnium ſempiternum 79.b
impij infelices & miſeri 55.a
impijs quid contingat 801.b
impijs Chriſtus damnator 806.a
ab impijs nos diuidere 910.a
imprecationes iuſtorum quomodo in-terpretandæ 202.b
improbus dicendus quis 112.a
impudicitiæ qui ſe tradidêre 241.b
inimici plus diligẽdi, quàm amici 203.b
inanes relinquantur qui 31.a
incarnatus dominus quaſi calceatus apparuit 45.b
incarnatus quis 531.b
incarnatio, miſsio eſt filij 250.b
incarnatio ſaluatoris multis ſeculis ex-pectata 148.a
incarnationis Chriſti neceſſitas 69.a
incarnationis dominicæ prædicatores qui fuêre 689.b
incarnationem Chriſti nemo compre-hendere poteſt 49.b
incurioſus Dei gratiam non poteſt diu tueri 619.a
indigentibus ſubuenire, quàm laudabile 36.b
indignus Chriſto quis 985.b
indigni reſponſo qui 355.b
indignos quid nos faciat cæleſti menſa 45.b
infans exultat in materno utero 33.a
infantia ignorantiæ plena 319.a
infantes planè innocentes 106.a

inferi portæ 784.b 787.a 840.b
inferorum exultatio ex Chriſti aduentu 384.a
inferorum pœnæ 145.a
inueſtiſſimus omnium amicus eſt 155.b
infidelitas quid fouit 188.b quid affe-rat mali 158.a quid mereatur 278.a
infidelitatis uirus 450.a
infideles per ſigna conuerſi 463.b
infideles mortui 200.b
infideles quomodo non potuerint uidere ſpiritum dei 472.b
infideles occidendi qui 49.a
infirmi Chriſto offeruntur 209.a
infirmis quomodo medendum 629.a
ingrati eſſe non debeamus 157.a
ingratitudo pſeudochriſtianorum 636.b
ingratitudo quorundam 425.b
ingratus quis 425.a
inhumanitas filiorum in parentes 283.a
inimicitiarum paries ubi ruptus 802.b
inimicus qui ſibi ipſi 268.b
inimicus noſter ut Ieo 215.a
inimicus quomodo deluſus 131.b quomodo diligendus 202.a
inimicus ne habeat occaſionem calumnian-di nos 172.a
inimici diligendi 79.b 85.a 147.b
inimici noſtri uerſa diaboli 172.a
inimici quos odio habere debent Iudæi 205.a
inimici ut uincendi 155.b
inimici domeſtici 785.b
inimicis repugnandum 118.a
iniquitas facit miſerum 2.a
iui inimica 369.b
iniqui cur ferantur 359. a
iniqui membra diaboli 213.a
iniquorũ multitudo per q. deſignata 60.b
initia probant exitum 692.b
initium ſapientiæ, initium peccati 1002.b
iniurias obliuiſci debemus 911.a
in iniurijs quid agendum 1001.b
iniuſtus non poteſt aſſidue precantem con-temnere 641.b
iniuſti de ultione gement 55.b
innocentia ſimulata 370.a
innocentia unde diſcenda 103.b
innocentes non ſumus 448.b
innocẽtes Chriſto dant teſtimonium 221.b
innocentes martyres quales 103.a
innocentes extra baptiſmum ubi maneant 803.a
innocens occiditur falſa accuſatione 52.b
inſidiæ dæmonum 210.a
exſcunt 363.b
inſidijs hoſtis noſtri pulſamur 66.a
inſipientiæ proprium quid 183.b
inſipientes oculos habent carnales 995.a
intellectus uir animæ 290.a
intellectus ubi 206.b 364.a
intentio imponit operi tuo nomen 1041.a
intentio facit opera Deo grata 199.b ut ſit bona 1031.b
intentionem Deus conſiderat 612.a
interceſsio ubi non ualeat 1054.b
interceſsione aliorum nos adiuuari poſſe 682.b
interiora quis cernat 201.a
interpretatio uerbi Dei mala 285.b
interpretes diuini uerbi fœcundi 299.b
inteſtina uoranda 413.a
intrare in tentationem 353.b
inuidia hoſtis quomodo creſcat 467.a
inuidia Principum in Chriſtum 349.a
inuidia quid mereatur 275.b qui exarſe-runt 222.b comes uirtutibus 683.a
inuidia quid ſit 1013.b quid efficiat 105.b
inuidia diaboli in quos exacuettur 539.a quid pepererit 67.a
inuidentia excæcat homines 392.b
inuocatio & uenceratio ſanctorum 995.a
de inuocatione ſanctorum exemplũ 988.b
inuocare Dominum uerè 754.b
inuocare Deum in ueritate 449.a
ioannes Baptiſta cui ſocietur 942.a
ioannes blandiri noluit 824.b
ioannes baptiſmum docuit & dedit 49.a
ioannes ſpiritum S. uidit 130.b
ioannes collis eſt 38.a aquilæ ſimilis 64.b
ioannes Euangeliſta altius alijs aſcendit 75.b
ioannes & Iacobus quomodo uitam finie-runt 255.a
ioannes Bapt. magnus 798.b uox 825.b uirgo 314.b angelus dicitur 48.a 825. b lumen gentium 828.b quid clamaue-rit 34.b
ioannes quid proponat Chriſto 19.a
ioannes Euangeliſta quàm diligenttr ſuum ſcripſerit Euangelium 301.b
ioannes habuit æquales, non maiores 22.a
ioannes Euangelium unde auſpicatus & ubi terminauerit 48.a quando ſcrip-ſerit 99.b
ioannes ex piſcatore quãtus euaſerit 92.b
ioãnes ad magna nos opera admonet 38.a
ioannes myſterium incarnationis perſcruta-ri ſe indignum dixit 33.a
ioannes Euang. quid ſignificet 96.b
ioannes ſuam agnouit humilitatem 42.b
ioannes ut mortuus 98.b
ioãnes quomodo phibeat teſtimoniũ 99.b
ioannes quanti habitus à populo 35.a
ioannes quare tantoperè amatus à Chri-ſto 97.98.a
ioannes Euang. quomodo in ſepulchro dor-miat 94.a
ioannes cur præ cæteris dilectus 98.a
ioannes Euangeliſta quid è pectore ſalua-toris ſuxerit 64.b 97.a
ioannes plus quàm propheta 20.b
ioannes Chriſtum præſentem oſtẽdit 22.a
ioannes mœret 34.a
ioannes in ſeipſo pœnitentiæ exemplum exhibuit 21.b
ioannes ut Elias, & non Elias 22.b
ioannes qualiter ueſtitus 20. 21.a
ioannes arundo non fuit 19.b
ioannes & Elias perſecuti ſunt 898.a
ioannes potentes æquè ac impotentes ar-guit 21.b
ioannes quàm aſperè redarguit peccantes 49.b
ioannes in carcere quid à Chriſto inquirat 21.a
ioannes finis legis 12.b
ioannes Synagoga, Petrus Eccleſia 410.b
ioannes quem prædicauit 34.a
ioannes comprobat aliorum Euangeliſta-rum Euangelia 519.a
ioannis ſoliditas in confeſsione 42.b exĩ-lium 98.b
ioannis Bapt. de Chriſto teſtimoniũ 792.a
ioannis gaudium quale 35.a baptiſ-mus qualis 34.43.b
ioannis nataiis cur potius celebretur quàm aliorum 821.b
ioannis domini gratia dicitur 820.b
ioanni quid reuelatum 92 2.a
ioas beneficiorum oblitus 80.a
ionæ quid prætenderit 225.b cuius rei ſignum fuerit 223.a
ionæ typus Chriſti 223.a
ionæ ſignum ad Chriſtum 273.a
iordanis fluuius 419.a unde dictus 760.a quid 125.a
ioſeph iuſtus quomodo 798.a
ioſeph teſtis certiſs. integritatis Mariæ 23.a
ioſeph ſuſpicione liberatur 53.a
ioſeph humilitas quæ 51.a
ioſeph Mariæ neceſſaria miniſtrauit 23.a
ioſeph nutritius Ieſu 113.b miniſter gene-rationis Chriſti 5.a
ioſeph iuſtitia quæ 51.a excuſatur ab iniu-ſtitia 51.a
ioſeph cur uir Mariæ dicatur 50.b cur pa-ter domini 115.a
ioſeph famulus non maritus uirginis 53.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

ioseph inuenit Mariam grauidam 53.a cur noluerit Mariam 51.a
ioseph qui typus Christi 285.b
ioseph baiulus matris Christi 274.b
iosias salus dicitur 909.b
iota & apex quid innuant 1034.a
iouiniani hæresis quæ 102.b
ira temperanda 436.a causa peccati 155.a cur ueniat 269.b quomodo uitanda 79.a
iræ gradus tres 580.a
iracundia pessimum uitium 79.a
iratus deus utilior, quàm propitius homo 717.a
irasci cui & quando debeamus 679.b quatenus liceat 580.b
isaac caligans oculis quos designarit 150.a
isaac & Ismaelis lusus 296.b
isaac encomium 194.b obedientia insignis 194.b
isaac quos significat 295.b typus Christi 195.a
ismael typus Iudaici populi, Isaac Christiani 295.b
israel electus olim populus 127.a salutem iri 1026.b
israel quid interpretetur 31.a qui dicti sint 159.a
israeliticus populus quomodo conuertendus 535.b
iter domini, transitus ad cælum 633.b
iudaica gens ab obedientia sese subtraxit 131.b
iudaicus populus puerilis 310.b
iudæa multis regibus erat subiecta 34.a
iudæa protegi despexit 81.a
iudæam deus elegerat 66.a
iudæam reuersuram ad fidem 125.b
iudæ desperatio 355.a
iudæ qui & qualiter similes 379.b
iudas cur signum dedit 354.a
iudas nostrum bonum, suum fecit malum 929.a
iudas sibi causa perditionis 359.b diaboli minister 324.a
iudas admonetur, sed frustrà 360.a
iudas malè accepit panem 496.b quomodo suspensus crepuerit 789.b
iudæi ierunt ad negociationem suam 695.a
iudæi bestiæ non homines 373.b nunquam sine peccato 965.a
iudæi suum Messiam expectant 753.a
iudæi exosi gentium salutem 748.a quate neantur dementia 743.b
iudæi mirantur de Christo 303.b
iudæi ad legem suam mittuntur 791.a
iudæi ciues Christi, non interficiendi 1058.a
iudæi rebellarunt Domino, suo malo 369.b
iudæi malè quærunt Iesum 332.a quomodo occiderunt 365.b
iudæi ob ingratitudinem repudiati sunt 485.b
iudæi quid petant 452.b quales fuêre 177.a
iudæi contra conscientiam locuti 392.b
iudæi pœnitentes redempti sanguine quem fuderunt 477.b
iudæi cũ Arrianis fœdè in Christo errant 503.a
iudæi & hæretici uirgines dici non possunt 1052.b
iudæi circuncisionem non intelligunt 124.b
iudæi à quibus damnandi 274.a
iudæi ut suos dies computarint 610.b
iudæi legem non intelligebant 305.b
iudæi gentem & locum perdidêre 342.a
iudæi literæ inhærent expertes spiritus 554.b
iudæi ciuiles, Gentiles agrestes 552.a
iudæi Christum blasphemant 271.b & quærunt temerè 330.b
iudæi & gentiles duo filij 261.a
iudæi ueri qui sint 290.b
iudæi Christum perdere omnes quærebant 248.b
iudæi quotidie sepeliuntur 257.a
iudæi quomodo seruierant 227.b quomodo perterriti 318.b
iudæi quando crediturí 85.a 265.b 104.b
iudæi cur Christum occidere uolebant 338.a
iudæi & Iudas odio tradidêre Christum 254.a
iudæi repugnant Christo 133.a
iudæi ciues impij 1025.a
iudæi uiderunt & audierunt 701.a
iudæi cur Christo nolunt credere 256.b
iudæi panem portant non comedunt 310.b
iudæi detestantur Samaritanos 285.b
iudæi qualia signa quærebant 223.a
iudæi locum natiuitatis Christi sciuerunt 129.b
iudæi cur sæuierint in Mariam 50.b
iudæi quomodo mundi, quomodo immundi redditi 325.b
iudæi filij Abrahæ esse desierunt 36.a
iudæi de generis nobilitate se ostentant 36.a
iudæi filij eorum qui prophetas occiderunt 89.a
iudæi quomodo & ubi mirentur Iesum 145.a
iudæi ubi quærant Iesum 144.b
iudæi habent tempus pœnitentiæ 8.a
iudæi superbi dispersi 33.b
iudæi quomodo Christum nouerunt, & quomodo non nouerunt 306.b
iudæi lapidea corda habebant 337.b
iudæi stultè respondent 249.a
iudæorum & gentilium collatio 866.b
iudæorum stultitia 841.b uersutia 716.b
iudæorum nomine inimici Ecclesiæ intelliguntur 423.a
iudæorum de suo Messia persuasio 254.b qualem quærant 727.b
iudæorum mores quales modò 536.b
iudæorum temeritas in obseruanda festiuitate 559.b superstitio in fimbrijs 251.b cæcitas & zelus præposterus 519.a immanis blasphemia 305.b stulta persuasio 858.b crudelitas in pueros 388.b importunitas 356.a obstinatio 289.b. obduratio 362.a duritia 129.b amentia 375.a iniquitas 814 dolus 338.b
iudæorum canones quid contineant de die nouissimo 35.b
iudæorum responsum temerarium 260.a
iudæos testimonijs prophetarum ad credendum posse induci 48.a
iudæis quid traditum 260.a quid lex contulerit 245.b
iudæis Christus multum tribuit 287.b
iudæis à quibus permissum suo ritu uiuere 809.b
iudex omnium Christus stat & sedet quomodo 461.a
iudex Deus terribilis & blandus 375.a
iudex quos seperabit à sorte fidelium 179.a
iudex trepidat 369.a
iudex Deus in iudicio metuendus nimis 136. 419.b
iudex supernus examinat omnia 178.b
iudex omnium hominum quis 321.b
iudex quàm districtè ueniat 131.a
iudicis boni officium quale 430.a
iudicem qui contemnit 199.a
iudices quos habuit Iesus 370.b
iudicare secundum faciem 30.a
iudicandum quomodo 571.a
iudicatus qui non credit 487.b
iudicaturus est Christus uiuos & mortuos 455.a
iudicaturus mundum quis 767.b

iudicium mundi 440.b
iudicium iustum quis profert 306.a
iudicium mundo quale 544.a
iudiciũ quale prohibuerit Dominus 568.b
iudicium extremum quàm seuerum erit 41.a
iudicium rectum iudicandum 910.b
iudicium ad quos pertineat 571.a
ad iudicium qui uocandi 1025.a
iudicium humanum sæpè fallit 740.b
iudicij futuri terror 1001.a
iudici pulsanti quis lætus aperit 1027.b
iudicia Dei occulta, sed tamen iusta 508.b
iudicia Dei & hominum uaria 540.a
iudicia diuina incomprehensibilia 699.b
iudicia temeraria 566.b
iugum domini leue & sarcina leuis 117.a 174.a 757.b
iulianus Pelagianus, cui respondet Augustinus 665.a
iulianus apostata qualis in Christianos 801.a
iumentum Christi, humanitas 629.a
iumentum, corpus domini 627.a
iumentis qui comparentur 225.b
iurare quatenus liceat 899.a
iuramentum temerarium Herodis 801.b
iuramentum quibusuis uerbis addere, quàm turpe 704.a
iustitia Phariseorum & Scribarum 401.a 581.a
iustitia, qualem sibi facit homo 494.a
iustitia discipulorum Christi 438.a fidelium 438.a perfectorum 209.b
iustitia, lux est 370.a regina 876.b
iustitia eorum qui intraturi sunt regnum Dei qualis 579.b
iustitia quomodo facienda coram hominibus 206.a
iustitia quid 204.a
iustitia implenda, quomodo 137.a
iustitia uera compassionem, falsa dedignationem habet 557.b
iustitiæ officia quæ 54.b pars 204.a fructus 587.a
iustitiæ & peccato seruire non possumus 583.a
iustitiæ coniunctus timor 782.a
iusti hic quoq; possunt bona habere 543.b
iusti q dicantur 624.a qui olim dicti 821.a
iusti in cælis sæpe aspectãt dãnatos 545.b
iusti cur hic affligantur 503.b
iusti cur citò è medio tollantur 580.b
iusti pœnitentes 558.a
iusti gaudebunt de munere retributionis 35.b
iusti in cælis nulla erga damnatos miseratione mouentur 545.b
iusto quomodo lex non sit posita 111.b
iustorum uita plena, impiorum inanis 855.a
iustus bonis tribuat exemplum 181.a
iustus charitate ornatur 118.b
iuuenes studere debent continentiæ 240.a
iuuentus neglecta quanta mala pariat 3.a

L.

Labor pro regno Dei non recusandus 55.b
labor manuarius non refugiendus 211.b
labor Ecclesiæ uarius 207.a
labor breuis, sed requies merces æterna 939.a
laborem nostrum quem constituit Deus 189.b
labores leues respectu mercedis 174.b
laborum bonorũ gloriosus fructus 897.b
laborare bonum, murmurare malum est 183.a
laborandum, ut Dominum in dextera Dei sedentem uideamus 62.a
labium æneum 934.b
lachrymæ piorum multiplices 716.a
lachrymæ mouent Iesum 320.a
lachrymarum piarum effectus 666.b
lagunculæ quid denotent 90.a
lamenta reuocant nos ad patriam 131.a
lampas fides dicitur 1052.b
lampades bona opera sunt 1046.a 1057.a
lana & linum mystice 862.b
languidi mystica interpretatio 232.a
lapis lex, & litera legis 320.a 317.b
lapis, piscis quid 452.a
lapidis duritia 450.a
lapidem qui mittunt 93.b
lapides sanctuarij 916.a
lapides gentiles 604.b
Lapides fundamenti, Apostoli, & doctores 741.b
lapides uiui sumus 294.a
lapsus hominis 523.b
lapsi ut resurgant 126.b
lætandum ob Christi resurrectionem 388.a
à lætalibus qui liberatur 488.a
læti qui domino occursuri 800.b
lætitia uera adhibenda 388.b quomodo agenda 602.a
lætitia seculi quæ, qualis 40.b spiritualis quid requirat 51.b
latrones unde & qui 625.b
latitudo, longitudo, altitudo, profundum 650.a
latro mystice quis 221.a
latro uenerabilis quis 38.b
latro quando uenerit ad uineam 178.a
latrones mali dæmones 621.b
laudatio indefessa in Deum 39.b
laudem humanam uix effugere nos posse 267.a
Laudes beneuolentiam conciliant 673.a
laudibus Dei adesse, iucundum 105.a
laus Christi toto orbe 354.b
laus hominis, laus dei 1042.b
S. laurentius dispensator temporalium 877.a
S. laurentius cuius monitum uelit lectorem 677.a
S. laurentij constantia et fortitudo 874.a excellentia 875.a cruciatus 874.a
lazarus à quibus solutus 418.a quomodo purgatus 545.a quorum figura 542.b
lazarus quomodo esse possis 558.b
lazarus quid designet 172.a 257.a 315.b
Lazari dolorem quid auxit 544.b
lazari suscitati præcipuum miraculum 314.b
lectus quid significet 684.b
lectus noster quis 232.b
lectus terræ quis 8.a animæ 234.b
lectum portare mystice 505.b
legatio nostra ad deum 983.a
à lege liberari qui potest 111.a
sub lege quis sit 630.b
legem formidinem afferre 10.b habere fidem 77.b
legem qui & per quem dedit 111.a
legem non solui, quoniam sit renouatio bonis 504.b
legifer noster uerus 415.b
legis mandata multa 113.a
legis formam quis ostentet 598.b
legis sermo, aduersarius noster 401.b
legis & gratiæ distantia 913.b
legis decreta seruanda 302.a
legis sarcina sumus exonerati 118.a onus non ablatum 111.a
legis & Prophetarum summa 619.b 678.a
legis uim qui ignorant 621.a arcana qui intelligant 474.b
legis ueteris quæ mutata, quæ non 357.b
lepra quadruplex 635.a
lepra animi 157.a animæ 637.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

lepra dei cur dimittatur homini 156.b
leprosa anima qualis 160.b
leprosus cur domino occurrerit. 160.a
leprosus non tangendus 24.b
leprosus adorat dominum 156.b
leprosus quid designet 160.b
leprosi curatio nihil habet dissonantiæ 506.a.
leprosi soli habitant 634.a
leprosum cur dominus tangat 157.a
leprosos cur miserit ad sacerdotes 632.a
leui tribus non habuit sortem 887.b
leui idem qui & Matthæus 913.b
leuita, tribus Leui 628.b
leuiathan quid notet 405.b
leuiathan captus 907.a cauendus 406.a
lex homini in corde 953.b
lex quid ostenderit 112.b
lex proximum diligere præcepit 362.a
lex pædagogus noster quare, quibus 178.b
lex necessaria 668.b
lex continentiæ asscripta temporibus 26.a
lex habuit graues manus 867.a
lex cur data fuerit 118.a semper manebit 124.b
lex euangelica 241.a naturæ 316.a
lex data in terrore 590.a
lex non præstat salutem 619.a
lex quid prohibuerit in sabbato 672.b
lex dimittendi fratri peccata 280.a
lex in mundum tangere prohibet 160.a
lex in corde seruanda 251.b
lex Christi qualis 639.a
lex & prophetæ Christum prædicant 237.a
lex quando data, & Spiritus sanctus quando uenerit 474.a
lex per famulum, gratia autem per filium 467.b
lex ad Christum duxit 620.a
lex iubet, non adiuuat 401.b
libanus candidatio dicitur 885.b
liber à seruitute diaboli 665.b
liber signatus quis 117.a
liber à debito quis sit 707.a
libertas uera dicendi 78.b
libertas uera quæ 630.b Christiana 296.b
liberi arbitrij assertio 240.b
liberum arbitrium nobis relictum 180.a 523.a 82.b 257.b 281.b quid agatur 117.b
liberum arbitrium in angelis & hominibus 528.b
libertini qui dicti 78.a
libido pœna peccati 780.b cæca 594.b
libido iuuentutis refrenanda 120.b
libido febre flagrantior 505.b
libidinis mancipia qui 240.b
libidinum occasiones uitandæ 121.a
libidinum incendia in nobis unde ueniant 240.b
libræ signo nati quales 130.b
libri Moysi & Prophetarum sufficiunt 256.b
lingua quàm ferax uitiorum 442.b
lingua obtrectantium non facilè potest uitari 294.a
lingua cohibenda 266.b cur homini data 443.a
lingua eleemosyna danda 20.b
linguæ angelorum, hominum quæ 190.a
lilia agri pro omnibus herbis 645.b
lilia angelorum agmina 645.b
linteum mysticè 366.b
linteamina Christi mysticè 414.a
litera occidit, Spiritus uiuificat 693.a
litera, lex, Spiritus, gratia 613.b
loca arida & aquosa 224.a 226.b 274.a
loca ut congruant gestis Christi 664.b
locus Caluariæ 356.b
locus qualis præparandus Spiritui sancto 464.b
locustæ alacres 49.b
locutio de Deo propria, translatitia & reo Latina 519.b
longanimitas qualis uirtus 720.b
loqui de Iesu bonum 389.
lotio pedum mysticè 367.a
lotiones crebræ apud Iudæos 280.b
loth quid fecerit 147.a
lucas cur uituli forma signetur 930.b
lucas unde Euangelium suum inceperit, & quousq; perduxerit 48.a
lucas à martyrio non alienus 932.a
lucas Pauli comes ab eoq; laudatus 930.a
lucas generationis catalogum qualem texat 278.b
lucas qualis fuerit 930.a
lucas scripsit de omnibus necessarijs 457.a
lucem quærere debemus 193.a
lucerna uera quæ fuerit 173.b
lucernæ ardentes 1017.b 1027.a 1029.a
lucernam ponere sub modio 1033.a
lucernas quis, quales accenderit 321.a
lucifer qualis stella 379.b quàm diu luceat 207.b
luciferi elatio 347.a 559.b
lucra uisus, auditus, gustus, odoratus, & tactus 2035.a
lucrum temperarium non recusat laborem 175.b
lucrum ex uirtutibus quale 170.a
lucrum qui quærit 426.b
lucrum iniustum quid afferat 108.a
luctari cum felicitate 857.b
luctus beatus quis 947.b probabilis & improbabilis 1015.a
lugenda superioris uitæ errata 680.b
lumbi debent esse præcincti 697.b
lumbi accincti 1017.b
lumbos præcingere 1027.a
lumen uerum quod 173.b quale 127.a
lumen quando tenebræ 198.a quando lumen ibidem.
lumen mentis nostræ quis 174.a
lumen quo pascha celebratur 358.a
lumen Christus quale 321.a
luna indicat mundum 554.a
luna mysticè 192.b
lupi rapaces qui 592.b
lupi foris 492.a
lupus an ouis sit, quomodo dinoscendum 197.a
lupus rapax ad ouem ductus 763.b
lupus diabolus est 426.b
luterani quomodo psalmos corruperint ac decantent 171.a
lutum de terra 309.b
luxuria peperit homicidium 898.b
luxuria unde nascatur 215.b
luxuria inquinati 554.b
luxuria quomodo displiceat, iterũ placeat 186.a
luxuria uiris & fœminis ubi 1027.a
luxuria nos putrescere facit 150.b
luxuria diabolus ualet 415.a
lux ubi charitas est 290.a
lux mundi qualiter nata 59.a
lux quæ illuminat & illuminatur, quid interfit 65.b
lux quando in tenebris luxerit 76.a
lux maturè apprehendenda 344.b
lux inaccessibilis 799.a
lux illuminans hominem quæ 205.b
lux Christus. 65.b diuinitas 320.b

M.

Macedoniani hæretici 599.a
maceria ut desiderijs nostris obijcitur 552.b
maculæ diluendæ maturè 151.a
madian & Epha quales regiones 128.a
mariæ modum pariendi Angelus explicat 27.b
magdalena unde dicta 890.b
magdalenæ lachrymæ 858.a
magi primitiæ gentium 132.b 128.a
magi illuminati tres fuêre 128.b quid per stellam intellexêre 133.a quos designent 59.a
magi quid obtulerint, quidue munera significarint 130.b
magi complent suum desiderium 129.a
magi quando è Bethlecm recesserũt 109.a
magi adorauerunt Deum 156.b
magister in discipulo auditur 1032.a
magorum diligentia & deuotio 128.a
magna quem decent 165.a
magnes ferrum attrahit, Christus corda discipulorum 760.b
magni qui sunt 173.a
magnificare dominum quid sit 33.b
mahometani quibus & ob quid dominẽtur 392.b
maiestas quæ colenda 70.a
maior quis 255.b
maior ætate, minor iniquitate 609.a
mala quæ passuri erant discipuli prædixit Iesus. 467.b
mala prætrisa Ienius feruntur 539.a
mala quæ fecimus recogitanda 38.b
mala aperta debent argui 566.b
mala præscita minus nocent 255.b
malebo quid contigit 354.a
malè qui petant 449.a
maledicti qui 218.a
maledictio primæ matris exclusa 29.a
maledictiones non confitenti trinitatem quæ 75.a
maledicit dominus quotidie, quibus 222.b
mali non gaudent 592.a
mali prophetant etiam 956.b
mali quando tolerandi 730.b
mali ad mortem, boni ad uitam prædestinati 219.b
mali naturâ qui 155.b
mali cadunt retrorsum 635.b
mali non sunt imitandi 400.a
mali cur oderunt bonos 335.a
mali pios damnare solent 212.b
mali quomodo ferendi 154.b
mali ut moueantur 430.a
mali è quibus fructibus cognoscãtur 592.a
malitia diei pro fatigatione 648.b
malitia quo excæcauit 126.b
malitia odio prosequenda 146.b
malitia confunditur, sed non corrigitur 715.a
malitia in corde non retinenda 969.
malitia uetus fermentum 378.a
è malis duobus minus eligendum 899.a
à malo consortio expelli, laudabile 311.b
malorum & bonorum quando sit discretio 929.a
malorum & bonorum discrimen 630.a
malum pati & malum esse, quid intersit 108.a
malum & bonum à mulieribus 855.a
malus qui hodie, cras fortè bonus erit 179.a
malus hortandus, ut conuertatur 84.b
malleus qui nobis offertur 958.b
mammona quid significet 640.b
manasses mundatus 157.a
mandata Christi omnia seruanda 55.b
mandata duo prima & maxima 677.b
mandata ut minima & maxima 1040.b
mandata generalia duo 5.b
mandatũ soluere quid 1049.b magnum & minimum 675.a
mandibula asini quid 973.a
manes, autor manichæorum 665.b
manere in domo dei 804.a
manichæi hæretici 225.a
manichæorum error 592.b
manna qui spiritualiter manducauerunt 496.b
manus dei 994.b
manus & pes mysticè 926.b
manus nõ debemo nobisipsis imijcere 303.a
manus potestas est 945.a
manus pauperis, gazophylacium Christi 500.b
manuum impositio 490.a
mansionem apud quos non facit Iesus 485.a
mansiones in dei domo 803.a
mansiones quadragintα duæ 779.a
mansiones æternæ quibus debentur 597.b
mansueti uerbũ domini suscipiunt 291.b
mansuetudo cõmendatur 170.a 656.b
mansuetudo, humilitas & dilectio 995.b
marcion, Cerinthus, Ebion hæretici tempore Ioannis 99.b
marcionitæ quid sentiant 115.b
mare Galileæ 682.a
mare seculum, littus maris, finis seculi 1045.a
mare mysticè 298.b
mare quid significet 810.a
mare rubrum quid 176.b
mare seculum 382.a 397.b mundus 166.b 575.b
mare seculum, tempestas, cupiditas 857.a
mare rubrum, typus Ecclesiæ 811.a
mare præsens seculum, Petrus typus Ecclesiæ 855.b
mare qualia sortiatur nomina 759.b
margarita in sterquilinio 547.a
margarita præciosa 1044.a
margaritæ & caritas & uilitas 1044.b
maria incitat ad Dei inuocationem omnes 30.a
maria gladio non est occisa 115.b
maria uerba Christi scribenda conseruabat 64.a
maria egit cum Apostolis 882.a
maria suæ mansuetudinis signa manifestat 32.b
maria humilitatis exemplum 28.a
maria Dei genitrix credenda ac confitenda 67.a
maria sciuit à se nasciturum Christum 29.b
maria modum pariendi interrogat 27.b
maria doctrix Apostolorum, qui & nobis tradiderunt 64.a
maria ubi habitauerit 26.b
maria benedicta inter mulieres 23.b
maria non incredula uerbis angeli 24.a 799.b
maria semper clausa 61.a cur desponsata 50.b 252.b à quibus inuenta 50.b
maria ut Mariam se præbuerit 891.b
maria mater Iesu cur ad monumentum non ierit 384.a
maria magdalene Ecclesiam indicat 385.a
b. maria ut Marthæmse præstiterit 891.a
maria soror Lazari quæ 314.b
maria & Ioseph de eadem tribu 912.b
maria, castellum singulare 890.b
bellatrix egregia 803.b
maria exemplis ad fidem inducitur 24.b
maria mater regis & domini omnium 50.a
maria mater & uirgo 50.b
maria θεοτόκος dicitur 533.a 842.a
maria quomodo conferebat uerba Dei in corde suo 62.b
maria commendata Ioseph. 51.a
maria quid interpretetur 23.b
maria uirgo cælos ascendit 882.b
maria montana petit 28.a
maria indigebat uiri auxilio 52.b
maria uirgo genuit 793.b quem genuerit 50.b qualem filium pepererit 27.a
maria & martha duces Ecclesiastici exercitus 893.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

maria credendo concepit 53.b
maria mater nostra, Christus frater noster 776.b
maria a lege maledictionis exempta 27.a
maria suæ uerecundiæ habuit respectum 29.b
maria quid in uita egerit 881.b
maria sermone Angeli turbata 27.a
maria quid prophetauerit 29.b
maria aduocata nostra 904.a gratia plena 23.b 27.porta paradisi 844.b
maria lignum uitæ 803. a semper uirgo 52.b maior Elizabeth 28. a sacerdote præstantior 806.a
maria cognouit sensum Iesu 117.a
maria quomodo cognouit prophetias in se compleri 63.a
maria Christum cum dolore uidit 115.b
maria nullis terrenis afficitur 29.b
mariæ ministerium non detractat 28.a
maria serpentis persuasione non decepta 52.a
mariæ exemplo simus humiles 31.b
mariæ exẽplũ matronis proponitur 854.a
mariæ duæ duarum gentium typus 574.b
mariæ propositum de uirginitate 24.a 886.b
mariæ alloquio Ioannes repletur Spiritu sancto 28.b
mariæ oblatio qualis 117.a
mariæ dominus magna fecit & quæ 336.
mariæ anima Dominum magnificat, quomodo 29.b
mariæ exemplo Christi famulos nos conformemur 25.a
mariæ uirginitas, sedulitas 143.b sublimitas 888.a humilitas 800.a prudentia 776.a prærogatiua 882.b
mariæ assumptio quomodo facta 881.a
mariæ beatitudinem mirantur omnes 30.a
mariæ uirginitas plurimos sui fecit sectatores 761.b
mariæ exẽplo uerba Dei ruminanda 64.a
mariæ similis in gratia nullus 27.a
mariæ uirginitas diabolo exclusa. 54.b
mariæ festum cæteris festiuitatibus præstantius 884.a
mariæ Magdalenæ feruor 303.a
mariæ Sepulchrum 881.a
mariæ conuersatio post Christi ascensionem 882.b
mariæ & Elizabeth colloquium 854.b
mariam Deus à terrenis ad cælestia deiderandа sustulit. 25.b
marcus testimonijs prophetarum utitur 48.a
marcus Gentiles ad Deum prouocat 48.a
marcus Euangelium suum quo usque perduxerit 48.a
marcus cur Euangelium inchoauerit à filio Dei 48.a
martha quàm moderata 316.b
martha & maria quid significent 892.a
martha & mariæ duæ sorores 889.a
martha solicita maria quieta 319.a
marthæ confessio 159.a
martinus paratus ad mortem 1030.a
martyrem quid faciat 190.b
martyres quomodo orant ut uindicentur 205.a
martyres imitari debemus 977.a
martyres in pace 1000.b
martyres etiam sine ferro 942.b
martyres ut efficiamur 870.a
martyres osculati Christum 340.b
martyres quo loco apud Deum habeantur 105.a
martyres non perijsse 337.a
martyrij species quæ 18.b
martyrij monachi exemplum 604.a
martyrij genus & baptismatis quale 415.b
martyrij gloriam in pace adipisci possumus 940.a
martyribus plenus est orbis 968.a
martyrium duplex 1000.b triplex 77.a
martyrum ordines duo 82.a
martyrum persecutores extincti, cùm ipsi floreant 690.a
in martyrum nece, geminum bonum 353.b
martyrũ caro quando immortalis 744.b
martyrum morte qui lætantur, credunt illos cum Christo regnare 849.a
martyrum solennitates sunt exhortationes martyriorum 993.a
martyrum nomen triumphale 942.a
martyrum gloria & patientia 976.b obitus 432.b natalitia 372.b 432.b
martyrum caput quid fecerit 365.a
masculi qui dicantur 434.b
materia mali 256.a
materia gaudendi quæ 40.b
mater obiurgationem filij non molestè tulit 132.a
mater & fratres Domini 225.a
mater munditiæ ubi habitauerit 26.b
mater Iesu ad quid conseruarit uerba Iesu 145.b
mater Christi obseruat legem 774.a
mater filiorum Zebedæi quod petierit à Domino 195.b 868.b
mater Spiritalis Christi 225.a
matris filiorum Zebedæi ambitio unde 254.b
matrem Christus quomodo honorarit 148.
matres infantum consortes præmiorum 10.b
matres steriles qui habuerint 819.a
matrimonio iuncti quid cogitent 24.b
mathematicorum opinio quæ error 458.a
matthæus conuertit Aethiopes 918.b
matthæus librum suum à filio hominis aspicatur, quousq; perduxerit 48.a
matthæus cur Christi generationem ab Abraham incipiat 912.b
matthæus Euangelium scripsit Hebraicè 349.b 919.a
matthæus cur facie hominis describatur 908.b
matthæus binomius 916.b 919.b
matthæi conuiuium misticè 919.b
matthæi conuersio 316.a
matthias è 70. discipulis 339.a
matthiæ electio in Apostolatum 789.b
maxima pro paruis redduntur 1015.a
mediator dei & hominum quis 95.b
mediator Dei habuit personam sacerdotis & regis, & quid ex utraque notandum 25.a
mediatore opus ad iudicem 924.b
medicina cuius nos cõmonere debeat 32.a
medicina Christi multiplex 622.a
medicus bonus ad radicem respicit 685.b
medicus pertulit ægrotos 813.a
medicus sanãs & dimittens peccata 860.b
medicus dominus deus 157.a
medicus animarum Christus 506.a
medici promittentes salutem qui 735.b
mendici omnes sumus 706.a
medico adueniente filia defuncta 725.b
in medio quomodo stetit mulier 295.b
melior quis sit 110.b
quis æstimandus à Christo 910.b
membra ut sint sancta 1402.b
membra terrena 541.b cælestia ibid.
membra necessariora affectus sunt, pro pinquorum 929.a
membra unius corporis sumus 465.a
membra ne seruiant immunditiæ 910.b
membra ut in Dei cultũ conuertenda 585.a 229.b
mendacium unde fit 679.b
quis dicat exprobabilis 1058.a
mendicatio bona, mala 596.a
mendici cur expressum nomen, & diuitis suppressum 1015.a 544.a
mensura siue remuneratio qualis tibi detur. 569.a
mens ubi collocanda. 252.a
mens nostra à nociuis cogitationibus mundanda 31.b
mens secura optimum bonum 95.a
mens fidelium quomodo erudiatur 603.a
mens quomodo ad mansuetudinem emolliatur 35.b
mens arca Dei sit 370.a
mens, ratio, memoria, intellectus, ubi sedem habeant 284.a
mens alia scribarum, alia plebis 664.a
mente uaga qui orant, quales 247.a
mentis altitudo ascendenda 310.a
mercatores quid non laborum subeant ob pecuniam 174.b
mercatores quantis se exponunt periculis 757.b
mercenarius quis 426.a
mercenarius episcopus 428.b
mercenarij qui sint 261.b. 265.a
merces bonæ uitæ & doctrinæ 1024.a
merces operum 420.b
merces sequitur facilius non expectantem 931.a
merces prophetæ quæ & qualis 36.b
merces timentium deum quæ 433.a
merces iniquitatum, mulier mala 896.a
merces duplex unius operis 933.b
merces recipientium Apostolos 965.b
mercedem duplicem qui accipient 1024.a
merentur sublimia uidere, qui solicitè præsunt 56.a
merita cumulanda 181.a
meretrices quid significent 26.b
meritum omne breue est compensatione donorum 181.a
meritum humanum Dei amorem sequitur 445.b
meritum largientis quale, & per quos contingat 45.a
meritis nostris non saluamur 349.a
messis fidei quæ 289.a quomodo dispersa 289.b
messias pastor certus 425.b
messias, Christus, unctus 287.b 750.a
messores Ecclesiæ 291.a
metus ac timor habendus qualis 70.b
michael, Gabriel, Raphael, ut interpretẽtur 559.b
michael bellum composuit 921.a
michaëlis memoria ubi præcipuè 921.b
milites cur resurrectionem domini celarint 373.
militia cælestis obuiã uenit matri dei 884.b
millenarius numerus 299.a
milui auis rapacissima, quos designet 169.a
mina seu mina quid denotet 1025.a
ministrandi uerbo quid intelligatur 894.a
ministerium quid dicatur 146.a & cum modestia eo utendum ibidem.
ministri Ecclesiæ debent uiuere continenter 1029.a quales esse oporteat ibid.b
ministri ecclesiæ cui afferunt uinum 153.a
ministri mysticè qui 150.b
ministri doctores 152.a
ministri Christi cum illo 878.b
ministrare Christo quid 878.b
ministrant Christo qui 343.b
maiores non debent inuidere maioribus 915.b
à minoribus ad maiora sensus exurgere debent 47.b
miracula tria eodẽ die ut sint facta 752.a
miracula Christi aliquid loquuntur nobis 729.a
miracula Christi ut accipienda 297.b ad quid inuitare nos debent 192.a
miracula spiritalia potiora externis 460.a
miracula Christus plura quàm scripta sunt fecit 318.a
miracula Christi maxima quæ 966.a
miracula spiritualia Ecclesiæ 498.b
miracula cum Apostolis adiuncta 962.a
miracula Domini quam habeant prærogatiuam 634.b
miracula Dei populis nunciare cuius sit 160.a
miraculum maximum quod dominus fecit, quale fuerit 220.b
in miraculis Christi etiam mysteria contemplanda 700.b
mirandum nobis de Christi factis 63.b
mirantur de Iesu omnes 113.b
mirica arbor infructuosa 740.a
miseria unde, in quem cadat 568.a
miseria communis est 687.a
miseriæ nostræ author quis 528.b
miseri qui dicantur 11.b 182.a
misericordia ne auferatur à nobis quomodo obtineatur 1019.b 210.b
misericordia excludat hypocrisim 146.b
misericordia & iudicium cantatur domino 904.b
misericordia dei erga resipiscentes 867.b
misericordia Dei absoluimur 5.a quanta 33.b
misericordia quibus exhibenda 565.a
misericordia matris Dei 802.a
misericordia quid sit 1013.b
misericordia ἔλεος Græcè 570.b
misericordia ipsa deus 180.a
misericordiæ opera in æterna uita non excercentur 99.b
misericordiæ opera supernum acquirunt auxilium 918.a
misericordiæ opera exercẽda 295.a quantum ualeant 36.b
misericordiæ diuinæ immensitas 478.a
misericordiæ incitamentum 170.b præstantia 712.a
misericordiam qui frustrà petit 256.b quomodo consequimur 170.b
misericordes oliuæ assimulantur 37.b
missa sacrificium incruentum 325.b
missa à Ioanne celebrata 98.101.b
missa iuge Ecclesiæ sacrificium 263.a 877.a
missa olim celebrata 921.b
missæ sacrificium præstantius alijs omnibus 770.b
missæ sacrificiũ quantæ sit efficaciæ 983.a
missæ sacrificium in Ecclesia 390.a
non missi non debent prædicare 402.a
missio filij Dei in mundum 530.a
missio Christi, incarnatio est 249.b
mites qui sint 1002.b
mittere se deorsum 215.b
mitti quoq; incarnari dicitur 417.b
modestia quid operetur in nobis 40.b
modicum quale Christo 431.b
modus plagarum quis 184.a
modus in reprehendendo quis seruandus 570.a
mola, Ecclesia 731.b
mola superior & inferior 1045.b
molares lapides duo, & quid significent 14.b
molere quid sit 14.a
mollia quis suadeat 191.a
mollis uestitus mysticè quid 20.a
mollibus uestiti ubi sint 22.b
momentum nullum in quo Dei beneficia non fruamur 672.b
monachus quomodo uitam ducat 937.a
monachi ad cõtemplatiuã uitam apti 99.b
monachi olim filij prophetarum 801.b
monachi perfecti pauperes spiritu & rebus 998.a
monachis caput Ioannis reuelatum 800.b
monarcha ut orbi præsit necesse est 57.a
monasticæ uitæ professores quomodo tractentur 212.b
moneta diaboli peccatum 709.b
montes tot, quot propbetæ 410.a
in monte apparuit Dominus 407.b
montẽ populus ascendere nõ uoluit 498.a
in montem excelsum qui ducantur 216.a
mons iustitia insignis 1033.a Euangelium 409.b
mons quid significet 596.b
mons oliueti 291.b mysticè quid 349.a quî digni ascendere 352.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

mons Syna coniunctus Hierusalem 296.a
mons Pharan 451.b Dauidis 410.a
monumenta pastorum ubi 65.a
monumentum Rachaelis 104.a
monumentum Christi quid discimus 414.a
morborum causa quæ 211.b 308.b
morbus animi, peccatum 685.b
mores nostros de quotidiè intuetur 659.a
mores professioni tangendi 629.b
mores orantium dignè qui 247.a
mori mundo, & commori Christo 578.a
moriendum peccato 577.a
morimur in baptismo ut resurgamus 84.b
mortalitas quomodo redierit ad æternitatem 362.b
mors Christi abolet omnes præuaricationes 326.a
mors Christi, mortis mors 578.b
mors ubi non habet locum 736.a
mors sanctorum preciosa 85.a illis optabilis 800.b
mors nostra duplex, Christi simplex 223.b
mors crucis cur ante secula à Domino electa 276.b
mors Christi turbauit Apostolos 462.a
mors, fur dicitur 1031.a
mors Christi cui necessaria 215.a
mors animæ, corporis 534.b 577.a
mors animæ timenda 951.a
mors animæ periculosa 654.a
mors Christi à prophetis prædicta 606.b
mors pessima quæ 314.a
mors in anima unde 914.a
mors secunda horrenda 585.b
mors inuida cui præualet 316.a
mors Christi quæsita à multis 126.b
mors per inuidiam intrauit 487.a
mors Aegyptiorum quid 176.b
mors quos secum trahat 113.a
mors ut per fœminam, ita quoq; uita per eam 25.a 405.a
mors quomodo intret in animam 652.b
mors iustorum in adiutoriū illis est 999.b
mors quando non erit 736.b
mortis dies prima 2.3.4. 216.a
mortis hora cur nobis incerta 1028.a
mortis & resurrectionis species quando apparet 358.a
morti acceleramus quotidie 186.a 637.a
mortem iustus libens excipit 980.a
mortem cur Dominus nobis uoluit occultam 980.a
mortem quis fecerit 813.b quis confudit 487.a
mortem qui sibi tendant 337.a
mortem non gustare quid 329.b
morte præoccupatur quis 980.a
à morte Christus citò surrexit 405.a
morte omnes morimur corporali 496.b
mortifera peccata, quæ, qualia 3.b
mortificatio duplex 809.a
mortificationem membrorum docet scriptura 114.b
mortui ut sepeliant mortuos 285.a 653.b
mortui à Domino tres resuscitati 655.a 951.a quid significent 314.a 318.a
mortui dormientes dicuntur 724.b 918.b
mortui sumus cum Christo 578.b
mortuus residet, quid sit 654.a
mortuus peccatum dicitur 329.a
mortuus quomodo resurgat 317.b
mos condendorum cadauerum 351.b
mos scriptorum antiquorum 319.a
moyses præcipuus inter prophetas 389.b
moyses ieiunauit 213.b
moyses & Samuel prohibentur orare pro populo 969.a
moyses unde nomen habet 415.a
moyses quid offerri præceperit 160.b
moyses quomodo uiderit Deum 526.a
moyses an sit mortuus 94.a
moyses quomodo ereptus 109.a
moyses typus Christi 109.a ductor 176.b
moyses, Eliæ & Christi ieiunarunt 421.a
moyses fidelis Domino 158.b
moysi libri continent uetus & nouum testamentum 310.b
moysi sermones non fuerunt omnipotentes 113.a
moysi qualis facies 614.b
moysi nata una quæ 725.a
moysi credendum 543.b
mulier bona, quantus thesaurus 896.b
mulier relictis sanctis ad fontem misericordiæ confugit 244.b
mulier Chananæa, typus Ecclesiæ 242.b 246.a
mulier quomodo percussa 187.b
mulier, quæ plebs Israëlitica 289.b
mulier quantis fuerit occasio mali 895.a
mulier Samaritana Ecclesia 286.b
mulier, Synagoga 783.a
mulier mater peccati 244.a
mulier fortis, ecclesia 862.a
mulier sanguine fluens, typus Ecclesiæ 723.b
mulier saluanda 116.a
mulier sancta est Ecclesia 432.a
mulier adultera, anima hæretica 293.b
mulieris uocabulo quid significetur 73.a
mulieris parientis tristitia 433.b
mulieri puerperæ cur ingressus ab Ecclesia interdicatur 781.a
mulieri malæ nulla bestia comparanda 894.b
mulieres cur olim non numeratæ 587.a
mulierum consilio moritur homo 320.a
mulieribus apparuit Iesus 377.a
multi in necem Christi conspirauêre 125.a
multi cur cedant tentationibus 696.a
multi uocati, pauci electi 671.a
multitudo maxima sequuta dominū 298.a
multitudo hominum ad cælos quanta peruentura 560.a
mundanda corda & corpora 45.b
mundus Mariæ responso saluatus 792.a
mundo sacerdotū peccatis affligitur 936.b
mundus & cæli mysticè 472.b
mundus iudicandus à uerace 250.b
mundus, mundi amatores 431.b 547.b 668.b
mundus cui crucifixus 668.b
mundus nos à Deo trahit 699.a
mundus cur sic dictus 1060.a
mundus crebrescentibus malis ad finem uergit 13.b
mundus quid habeat 54.b
mūdus quotidiè nouis malis affligitur 13.b
mundus quos odit, amat Christus 547.b
mundus sanguine Christi mercatus 166.b
mundus atrium diaboli 270.b
mundus conditorem agnoscere potest 59.b
mūdus ut saluaretur, quid fecerit de 66.a
mundus subiectus Christo 208.b
mundus in quorū cordibus floreat 945.a
mundus à Christo redargutus 438.a
mundus per quos conuersus 127.b 576.a
mundus Paulo crucifixus 809.a
mundus senescenti corpori similis est 13.b
mundus per quos & quomodo subactus 385.b
mundi amatores quales 75.b 929.a
mundi tempora tria, quartum uitæ futuræ 587.a
mundi inconstantia 1058.b
mundi nomine qui significētur 66.a 76.b 456.a 802.a
mundi facultates contemnendæ 1016.b
mundi partes quatuor 168.a etates sex 123.b
à mūdi illecebris ut simus immunes 475.b
munditia cordis quid promeretur 191.b
mundo qui dediti, quales erga pios 801.a
de mundo qui, & qui non erant 249.a 455.b
mundo qui benè utatur 553.a
mundū quomodo Christus reliquit 445.b
mundum qui uincat 416.a
munera Deo reddenda 157.b
munera magorum quid indicent 133.b
murmurans populus percussus 512.b murmurans non accipit regnum Dei 178.b
murmuratione uel maximè offenderūt ira ēlitæ Deum 496.b
murmurare non decet 39.a. 594.b
murus, uirginitas 890.b
murum opponere 426.b
mutari nos oportet in eum quem sumimus 358.b
mutus quis 617.a
mutus & surdus quis 664.b
mysteria quæ spiritus sancti testimonio reserata 467.a
mysteria numeri septuagesimi septimi 707 a. numeri quinquagenarij 469.a
mysterium mortis & resurrectionis Christi 374.a
mysterium regni qui noscant 188.b
mysterium incarnationis à seculis absconditum 507.a
mysterio promissa ut impleta 359.b
mystica interpretatio Christi à cruce pendentis 800.a

N.

Naaman mundatus 156.b. typus gentium 275.b
naaman non promptè obediens 637.b
nabuth lapidatus 82.b
nabuchodonosor diabolus 150.a
naim ciuitas Galilææ 652.a
nathanaël uir magnus 753.b. melior Nicodemo 814.b
nativitas Christi humilis fuit 769.b. prorsus noua 69.a
nativitas Christi quoties celebretur 61.a
nativitas Christi ad quid homines redegerit ibid.
nativitati Christi quid debeamus 70.b
nativitatem Christi angelorum cantus indicauit, filium perditionis lites præcedēt 15.a
nativitatem Domini susceptur quid agere nos oporteat 45.a
nativitate Christi renouari atq; inter filios Dei computari possumus 22.b
nativitates duæ, Christi & Ioannis celebrātur 827.a
nativitates duæ in Christo 73.b
nativitates duæ hominis 811.b
naturā summæ diuinitatis singulari numero designari 528.b
natura nostra est mutabilis & proclivis ad deteriora 32.a
natura utraq; in Christo 68.a. 76.a. 213.b 350.b. 359.a. 533.a. 777.b. ubi cōmendetur 303.a. & una persona 68.a
natura Dei incommutabilis 455.b
natura nostra licet sit imbecillis, habet tamen semper subsidia 32.a
natura uiperarum quæ 89.b
natura nostra peccatum est 1054.a
naturæ lex quæ 692.a
naturæ bona quid efficiant 261.a
natus, qui migrauit ex hac uita 432.b
nauicula pectoris quæ 209.a
nauicula sancta est Ecclesia 209.a. 575.a
nauicula mystice 684.a
naues duæ, duo populi 575.b
nauem cur Christus ascenderit 681.a
nazareth quid sonet 57.b. mysticè quid 684.a
nazareth ciues quales 274.b
nazareth ciuitas Christi 116.b
nazareth conceptionis, Bethleem natiuitatis honore celebris 57.b
nazarenus Dominus uocandus 125.b
nazaræus quis rectè uocetur 57.b
necessaria nobis nota facta sunt 970.b
necessitas despōsandi Ioseph Mariam 50.a
nesciat sinistra quid faciat dextra, quomodo intelligatur 204.b
negare se quomodo quis debeat 589.b
negant Deum qui 310.b
negocia quæ iustè, & quæ non exequantur 397.b
negocia terrena clerici tractant 936.a
negociatio à pectoris domo desit 221.a
negociator Christus 1055.b
negociatores nos esse debere 1044.a
negocij nomine quid intelligatur 241.a
nemo de peccatorum remissione desperare debet 118.b
nequam spiritus septem, qui 224.b
nequam coloni Iudæi 259.a
nero primus pſequitur Christianos 834.b
nestorij hæresis 531.a
nicodemus amicus Christo 335.a
nicodemus doctor 159.a. 810.b
nicodemus quæ à Christo didicerit 510.b
niniuitæ peccatis obnoxij 223.b
niniuitæ Iudæos condemnabunt ibid.
niniuitarum rex quàm sapiens 1062.a
niniuitis Dominus pepercit 1061.a
nocte surgendum ad preces 837.a
nolentes non compelluntur 90.b
nomen Christi quomodo exaltatum 381.a
nomen Iesus quare datum 122.b
nomen cui diuinitùs datum 820.b
nomen bonoris, non uirtutis qui tenent 235.b
nomina electorum scripta in cælis 57.a
nomina scripta quorum 256.a
nominis Christi dignitas seruanda 57.b
non peccare impossibile 234.b
nouella germina sanctitatis 420.a
nouissimi ad uitam præordinati nos sumus 181.b
nota qua discipuli Christi internosci possint 162.b
noxia imperfectio ubi non nocet 399.b
nox in scriptura quid 113.a
nox quando uergere cœpit 113.b
nox & dies quid 105.a
nox, ignorantia 451.a
nox in Christi natiuitate quid 61.b
nox impiorum 309.b
nox quæ nobis potissimùm seruanda 376.a
nox antiquæ cæcitatis præcessit 59.b
nox in quot uigilias diuisa 1030.b
nubes lucida sacra scriptura 238.a
nubes Christum indicat esse regem cælorū 458.b
nubes leuis, uirgo Maria 109.a
nubes quæ uocem dederunt 166.a
nudi à ueritate, se multitudine armant 675.a
nudus uirtutibus qualis 169.b
numerus quadragenarius 234.a. quinquagenarius 596.b. centenarius 402.b
numeri quinquagenarij mysteria 474.b septenarij perfectio 700.b. denarij significatio 750.a. duodenarij perfectio 700.b
numisma idem quod numus 717.a
numularij pecunia 1036.a
numularij in templo 220.b qui 302.b
nuptiæ spirituales 15.b. bonæ quæ 151.a
nuptiæ Christi quotidianæ 663.b. Christi & Ecclesiæ 662.a
nuptiæ in cælo & in terra 1038.a
nuptiarum locus primus quis 148.b
nuptias quando fecit Deus filio suo 689.a
nuptias qui neglexerint 690.a
ad Nuptias sanctas intraturi, quibus opus uestibus 45.b
nuptijs cur Christus interfuerit 148.a
nutritor animarum fidelium quis 59.a

O.

Obedientia sacrificio gratior 794.b obedientia mandatorum quibus iuncta 1015.b. quid promereatur 634.a
obedientia Christi quæ 347.b. ministri 132.a
obedientiæ exemplum in Apostolis 461.a in Obiurgandis proximis quid obseruandū 639.a
oblatio Mariæ quid innotet 117.b
oblatio pro puero 773.b
oblectamenta uersa in holocausta 865.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

obumbrare quid sit 24.b
occasus fines uitæ 784.a
occisi in domini morte qui 369.b. abinanitu qui 103.b
occurrere quibus debeamus 182.a
octo bona p afflictiones obtinet iusti 995.b
octonarius & septenarius quid 597.b
oculus columbinus in Ecclesia 138.b
oculus mysticè 926.b
oculus intentionem indicat 198.a. 579.a 1031.b.1041.a
oculi quales uident Deum 540.b. quorum beati 623.a
oculi in lapide septem qui 149.a
oculi Iesu mysticè 298.b
oculi quatuplices 114.b
oculi mundi quem usturi sint 216.b
oculorum Christi eleuatio 997.b
oculos qui illuminat, cor quo purgat 311.a
odire animam quã, 343.b
odium omne malum suggerit 676.b
odium & ira quid differant 370.a
odium quàm pernitiosum uitium 85.b
odium ut facilè profligetur 548.b
odij materiam facilè inuenire ibid.
odio quàm ferueamus 146.b
odiorum flamma fuganda 446.a
odor suauis 888.b
offensio nulli danda 266.b
officium Meßiæ quale 290.b
oleum peccatoris 1048.a
oleum de petra qui fuxerunt 417.b
oleum mysticè 596.b
oleum ἀλοιφὴ Græcè 570.b
oleum charitas est 1046.b
oliuæ Ecclesiæ quæ 293.a
oliuæ fructus 740.a
omne & totum differunt 284.a
omnes in saluatore resurreximus 388.b
omnes unius Domini seruos nos esse 46.a
omnes quæ sua sunt quærunt 190.b
omnia propter hoiem creata 459.b. 565.b
omnia ut sint nostra 960.b
omnia in põdere, numero & mẽsura 428.b
omnibus dictum, Sequere me 110.a
omnipotens facit quæ uult 950.a
ὁμιλητὴς quid 321.b (oportet 9.b
onera & infirmitates aliorũ nos portare 864.a
opera sine uitæ fide 864.a
opera si defecerint baptizato 54.a
opera bona charitas 844.a
opera nostra sequitur æterna retributio 962.b (384.b
opera bona sunt alimenta
opera quorumlibet intuenda 592.b
opera bona sectanda 412.b. inculcãda dilectio 153.b
opera fidei iungenda 603.b (gẽter
opera mortua 525.b. tenebrarum quæ 2.b
Diaboli qualia 273.
opera pietatis sectanda 210.b. tria 39.b
quid promeruerunt 217.b
opera nostra quando grata Deo 140.a 198.a. quomodo Deo placeant 54.a
sine charitate nulla 190.a
opera carnis 589.b. qualia 631.a
opera Christi qualia 336.b
opera quælibet debito tẽpore agenda 2.b
opera bona aßiduè facienda 728.a. in quẽ finem 198.b. præstant fiduciã 1054.b
opera nostra quando grata Deo 140.a 198.a. quomodo Deo placeant 54.a
opera iustitiæ abluunt sordes 198.b
opera patris per Christum 309.a
opera nostra meritum habent uitæ æternæ 54.a
opera charitatis spiritualia 217.b
opera Trinitatis qualia 518.b
operator in uinea quis, qualis 177.b
operari recta debemus semper 772.b
operarios mittit Dominus 177.b
operarius dignus sua mercede 500.a. 972.a. mercede solatur 764.a
operarij in uinea Domini pauci 932.b
operator Christus semper 309.b
opera quæ mortificanda 198.a
operum misericordiæ efficacia 706.a. dignitas ut meritum 703.a
operum bonorum præmia 949.b. clauis 737.a
in Operibus bonis ambulandum 55.b. 54.a
quid cauendum 1049.a
opinio peruersissima de fide 442.a
opinio sinistra in Deum diluitur 114.a
opiniones diuersæ de Christo unde 777.b
opus prophetarum omnium Christus 485.a
opus bonæ conscientiæ, mercede sua nõ fraudatur 936.a
opus ferule quod 310.a
opus hominis in hac uita 589.a
orandum pro inimicis quomodo 202.b
orandum ubiq; 247.b. semper 247.b. 665.b. quomodo 231.a
orantes cur ad orientẽ nos uertimus 522.a
orantes temerè qui 241.b
orare debemus pro inuicem 367.b
orare in monte 501.b
oratio ualdè necessaria 147.a. plurimorum utilis 45.a
oratio Cypriani ad Spiritum sanctũ 476.a
oratio Christi discipulorũ ædificatio 453.a
oratio res spiritalis 421.a (837.b
oratio nocturna purgat sordes peccatorũ
oratio ab Ecclesia pro Petro 836.b
oratio in peccatum qualis 969.a
oratio quando purior 837.a
oratio ubi, ibi & infirmatio 247.b
oratio ut sit frugifera 608.a
oratio quid mereatur 39.b
oratio quæ esse potest fructuosa 243.b
orationis alæ 205.a. uirtus 193.a. 196.b. 969.a
orationis uirtus thure exprimitur 130.b
orationes sanctorum non semper exaudiuntur 207.a. & cur 206.b. 279.b
orationum pauperũ non obliuiscetur Deus 207.a
orationibus aßiduis nobis opus est 719.b
ab Orationibus opus incipiendum 67.a
ordo in prædicando seruandus 408.a
ordo sacerdotum Iudæorum 818.b
ordo hominis utriusque optimus quis & qualis 701.a
ordo correctionis fraternæ 279.a. restauratione 506.a
ordo ligandi & soluendi 279.b
ordo in correptione adhibendus 277.b
ordines bonorum & malorum 217.a
ordines distincti & functiones Angelorum 941.a
ordines tres in Ecclesia 945.a. diuersitas Ecclesiæ 38.a
ordinum cælestium breuis explicatio 961.a
origenes hæresiarcham detestatur 114.b
originis hæresis 48.a
originis error de dæmonum reparatione 218.b
ornamenta diaboli 226.b
ornamenta cælorum quæ 480.b
ornari nos oportet sanctis operibus 350.a
os in multis offendit 701.b
oscitantes esse non debemus 51.a
oscula coruina qualia 135.a
osculum dilectionis signum 667.a. 866.b
osculum & unguentum quid 339.b
ossa Christi quando dispersa 346.a
ostium ouium Christus 493.a
ostium quid significet 205.a 222.b
otia nescit amor 479.a. damnantur 169.b
otio beatitudo non acquiritur 55.b
otiosi & quieti qui sint 20.b
otiosus quis dicendus 178.a
oues centum 563.a. mysticè quid 557.b
oues qui uendant 302.b. quis nouit 495.b
oues Christi pascere quid sit 831.b
oues suas cui committat IESVS 833.a
oues simplices 217.a. CHRISTI 336.b 61.b
oues ad pascua uocandæ 978.a
oues Christus mittit inter lupos
ouis errans 563.a. quæ 796.a. quomodo erret 492.b
ouile Christi, Ecclesia 491.b
ouile Christi ex Iudæis & Gentibus 427.a
ouum resurrectionem innuit 452.a. spem exprimit 450.a

P.

PAcem Ecclesia quando habitura 104.b
Pacem Angeli optant ac mandant hominibus 60.a
Pacem qui oderunt 154.b
Pacem Ecclesiæ quid conturbet 141.b
Pacem bella præcedunt 801.b
Pacem in mundo qui habeant 363.a
Pacificus uir quo signo agnoscatur 42.a
Pacifici filij Dei 1014.a
Pacifici in seipsis 1003.a
Pacis indicium quale 57.a
Pacis author æternæ pacis gaudia prædicauit 57.a
Pacis participes qui non sunt 42.a
Pacis filij quando dici possimus ibid.
Pædagogus pueris adhibetur 118.b
In Palæstina qualia tecta 1005.b
Palma quid 342.b
Palma uictoriam significat 945.b
Palmes unde ferat fructum 817.a
Palmites infructuosi 879.b
Palmites amnes quomodo in Christo sunt 215.b
Panem esurire quàm bonum 494.b
Panem nos esse necesse erit 132.b
Panem Angelorum quando sumimus 176.b
Panem nobis quis fregerit 391.b
Panem octoſa non comedit quid 864.a
Panes tres, Trinitas 447.b
Panes tres qui 451.a
Panes & pisces comedendi 310.b
Panes frangere 301.a. quomodo fracti 299.a
Panes quinque, quinq; libri Moysi 298.b
Panes ut edantur, quid necesse 310.b
Panis regni Dei quis 659.b
Panis qui crescat 301.a
Panis uerbo Dei comparatur 261.b
charitas est 449.b
Panis contradictus 499.a
Panis mysticè 452.a
Panis uitam ubi natus 132.b
Panis nomine quid comprehendatur 215.a. 663.a
παρεγορία quid sonat 696.a
Pantheon quale templum 940.b
Par pari referre quorum sit 154.a
Parabolis plebs permouetur 296.a
parabolis Dominum usum sæpiùs 188.b.
paracletus quid & quis 472.a
paradisus typus Ecclesiæ 879.b
paradisi claustra perquàm aperta 178.b
paralyticus spiritus 685.b
paralytici curatio quid 502.a
paralyses nostræ magnæ 681.b
parentes nostri quando se cooperuere 753.b
parentes honorandi quomodo 146.b
parẽtes quomodo Iesum perdiderãt 244.b
parentum imbecillitati quomodo consuluerit Deus 280.b
parentum malorum malæ soboles 35.b
parentum S. Ioannis integritas 819.a
partem habituri qui 368.b
partes mundi tres ungunt Iesum 383.b
à Paruis ad maiora descenditur 110.b 298.a
paruulus quis sit 173.a. 621.a
paruulus qui sibi displicet 928.a
paruuli non ætate, sed malitia 925.a
paruuli in hac uita sumus 191.b
paruuli exemplum proponitur 927.b
paruuli offeruntur Domino, medico 609.a
paruulo ut prouideatur 110.a
paruulorum beatissimus quis 823.a
paruulos nos esse oportet 103.b
paruulis quid reuelatum 173.b
pascere qui debeant 62.b
pascha unde habeat nomen 366.a
pascha cæteras antecellit solennitates 411.b
pascha transitus 351.a 368.b. qui celebrẽt 378.a. quomodo celebrandum 298.b
à quibus legitimè celebretur 363.b
ad pascha qui uentant securi 310.a
pascha Iudæorum cuius typus 144.b
pascha quale celebrarunt Iudæi 342.b
pascha Hierusalem celebratur 78.a
pascha agnus dicitur 332.a
pascha celebrandum 413.b
paschale festum quomodo suscipiendum 239.a
paschale festum negligere piaculum 362.b
paschatis tempore quid faciendum 297.b
paschatis nostri typus 375.b
pascua electorum 427.a
passer auolans 261.a
passeres duo mysticè 160.b
passio Christi imitanda 412.a. ad quid inuitet 326.b. mouet corda 325.b
passio Christi uoluntaria 348.b
passio Christi ante æterna secula præfinita 360.a
passio Christi quid innuat nobis 422.a
passio Christi palàm facta 390.b
passio Christi durat semper 363.a
passio & resurrectio Christi cur necessaria 396.a
passionis Christi contemplatio quid præstet 402.b
passione Christi quid reuelatum 117.a
passionem suã Christus cur prædixit 253.b
pastor quando dormire uidetur 167.b
pastor ouibus quid debet 426.a
pastor Ecclesiæ lapsus 355.a
pastor uerus quis 217.a. 425.b
pastor Ecclesiæ quomodo misereri alijs debeat 380.b
pastoris sententia etiam iniusta timenda 418.b
pastoris nostri uestigijs insistendum 426.a
pastoris ueri signum 832.a
pastores quando fiunt lupi 936.a
pastores mali 833.a. boni qui fuerunt 427.b
pastores cur uigilent 59.a. quos designent ibid. (62.b
pastores ecclesiæ mysteria Dei prædicent
pastores beati qui 64.a
pastores, episcopi & doctores 61.a
pater & filius quomodo uita 525.b
pater & magister noster quis 253.b
pater Deus semper cum filio 261.a
pater quid dederit filio 337.a
pater cælestis quomodo uadat & ueniat 483.b
pater principium 249.a
pater quid præcipuum dederit filio 338.b 448.b
pater uerax est 249.b
pater cælestis quàm pronus ad misericordiam 448.a
pater quomodo filium sanctificarit 337.b
pater sine filio nunquam fuit 75.b
pater puellæ quis 723.b
pater non exercebit iudicium 535.a
pater & filius similes 804.b. unum 517.a
pater quos trahat ad filium 495.a
pater quomodo traxerit 495.b
pater in Christo per duas operatur naturas 534.b
pater & ingenitus non idem 519.a
pati de Deo quomodo dicatur 520.a
patientia radix Christianæ sapiẽtiæ 190.b
Christiano necessaria 556.b. ut seruanda 155.b
patientia quid sit 1000.a
patientia Dei erga peccatores 562.a
patientia Christi insignis 305.b. nobis imitanda 327.b
patientia nobile uincendi genus 79.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

patientia Dei 155.b.295.a.non abutendum ibid.
patientia Dei magna, nostra aũt impatientia qualis 213.b
patientia in tribulatione 147.a
patientia uirtus eximia 242.a. ubi cernatur 170.a
patientiæ exempla 154.a.1001.a
patientiæ exemplum illustre 186.b.562.a
patrem qui nescit qualis 306.b
patrem qui nescit, & filium nescit 308.b
patrem Deum qui malè uocent 112.b
patres ante Christum uenaces 492.a
patres ut uiderint Deum 623.b
patres aut magistros uocare q liceat 252.a
patres familiæ quomodo suam familiam curare debeant 158.a
patris scientia quid operetur 964.b
patri, filio & Spiritui sancto proprium 518.a
patria unde excidimus quærenda 175.b
patria Christo cur uiluerat 275.a
à Patria cælesti multo tempore exulauimus 379.a
in Patria cur minoris habeamur 275.b
patria cælestis appetenda 327.a. quàm diligenter quærenda 350.b
patria Christi 275.a
patriarchæ in qua ætate fuere 152.a
patriarchæ primi ad uitam prædestinati 181.b
patriarchæ non martyres 940.a
paucis etiam consulendum 410.b
paula uiduis imitanda 886.a
paulæ uisio 881.a
paulus stimulum quem habuit 185.a
paulus Apostolus urgo fuit 714.b
paulus unde infirmus 765.b. cecidit & surrexit 84.b
paulus de tribu Beniamin 763.a
paulus quomodo Deum glorificauit 832.b
paulus Ecclesiæ magister 150.b
paulus cur seipsum commendarit 185.a
paulus quantus & qualis fuerit 176.a
paulus seipsum insipientiæ accusat 184.a
paulus in rebus duris gaudebat 40.b
paulus consentiens lapidationi Stephani 79.a
paulus omnes Deo exhibere uoluit 843.b
paulus per Christum eruditus 765.a
pauli securitas de corona 42.a
pauli peccatum graue 86.b. mors qualis 849.a
pauli desiderium 703.b. humilitas 607.b sapientia 877.a
in Pauli oculis squamæ 766.a
pauli in suos dilectio, modestia 843.a
pauli conuersio qualis 79.a.766.b
paulum qui carpebant, quomodo hos uocarit 183.a
pauper ut sit particeps tuorum bonorum 46.a
pauperes quid reddent 569.a
pauperes & debiles ad cœnam ueniunt 551.b
pauperes non sunt despiciendi 546.a.b 647.a
pauperes uarij 997.b. quales Dominus requirat 169.a
pauperes quærendi, ut sint aduocati 546.a
pauperes quales beati aut miseri 937.b
pauperes qui domino curæ sint 218.a
pauperes sustentandi per nos 45.a.219.b
pauperes ad conuiuia inuitandi 46.b
pauperes spiritu, beati 1013.a
pauperum quando meminisse decet 422.b
pauperibus dandum, non scortis, non parasitis, adulatoribus 876.b
pauperibus dandum, non diuitibus 876.a
paupertas uoluntaria, uirtutum origo 997.b
paupertas quid conciliet 256.b
paupertas Christiana diues semper 266.b
paupertatis magnanimæ exempla 947.a
paupertatis exemplum à D. Gregorio propositum 547.a
pax imprecanda 933.b
pax & gladius quatenùs habenda 1011.b
pax finis noster 452.b beata uita 536.b
pax mundi quæ 483.b
pax in mundi descriptione designata 60.b
pax ubi habitare posit 11.b
pax animæ quomodo conseruetur 697.b
pax CHRISTI 483.b. quæ, qualis 171.a
pax quid operetur 11.b. perfectissima quæ 42.a
peccando decalogum transgredimur 278.b
à Peccando quid deterreat 386.a
peccando homo quid amisit 374.b
peccando extranei à DEO sumus 56.b
peccans frater ut tractandus 292.a
peccant qui nolunt confirmari 990.a
peccanti remedia data, ne desperet 406.a
peccanti fratri semper dimittendum 278.b
peccare in Deum & in hominem differunt 994.b
peccare per ignorantiam & per superbiã, quid differat 259.a
peccata causa molestiarum 683.b
peccata mundi quis tollat 135.a
peccata quanta mala inducant 2.b
peccata nostra quomodo tolerat Deus 480.b
peccata dimissa quomodo resuscitamus 711.b
peccata, tenebræ, murus sunt 127.a
peccata populi qui comedant 934.a
peccata quomodo deleantur 423.b 116.a
peccata quomodo obliterentur 40.b
peccata etiam condonata, in quibus puniantur 710.b
peccata non abscondenda 1055.a
peccata solus Deus dimittit 683.a. quomodo 502.b
peccata parua neglecta occidunt 488.a
peccata quomodo manebunt ibid.
peccata frustra plangi, nisi abstineatur 297.a
peccati gradus quatuor 316. a. fructus 583.b
peccati initium, superbia 30.a
peccati occasio uitanda 704.b
peccati seruos esse nos non debere 55. a
peccati fomitem quis subministrat 567.a
peccati ortus & occasus 672.b. stipendiũ 584.b
peccatis uacare iucundissimum 76.b
à Peccatis quis caueat 163.b
peccatis mori quàm utile 394.a
à Peccando quid nos auocare debet 395.a 1053.b
in Peccato non mori quomodo 249.a
peccato carere nequimus 135.b
peccatis dare ueniam, cuius sit 681.b
peccator qui mortuus ex culpa 38.b
peccator quando uiuet uita 320.b
peccator non saturatur 265.a. difficulter resuscitatur 318.a
peccator moritur iusto resurgente 388.a
peccator dum pœnitet, saluatur 637.b
peccator quæ uia ueniat ad Deum 265.a
peccator pœnitens semper susapitur 382.a
peccator non effugiet iram 35.b

peccatores redeunt ad uitam 405.b
peccatores ut à doctoribus soluantur 349.b
peccatores multis modis separantur 637.b
peccatores quomodo à Deo exaudiantur 311.a
peccatores, equi diaboli: sancti, Dei 6.b
peccatores omnes, decem leprosi 637.a
peccatores Deus non despicit 65.b 292.a
peccatori, ut soluat debitum, quid agendum 711.b
peccatorum effectus 824.a
peccatorum diuersitas meretur supplicio-rum diuersitatem 965.a
ob peccatorum molem turbari debes 955.a
peccatorum tria genera 655.a 724.b 951.b
peccatorum nexus quis soluat 135.b
peccatricis pœnitentia 866.b
peccatum, fructus malus 593.a
peccatum in luxu & precioso uestitu esse 29.a
peccatum absconditum emendandum 45.b
peccatum cogitationis, operis 318.b
peccatum originale quomodo expiatur 306.a
peccatum ad mortem 202.b 655.b non ad mortem 202.b
peccatum ne regnet in nobis 117.b
peccatum & crimen differunt 293.b
peccatum nullum negligendum 582.a
peccatum unum irremissibile 441.a
peccatum maius euadendum 801.b
peccatum prauæ consuetudinis 319.a
peccamus nos plus in Deum, quàm proximi in nos 994.a
peccemus ut dimittantur nobis peccata, quomodo intelligatur 860.a
pectora tundere 171.b cur tundatur 611.a super pectus Iesu quis recumbat 110.b
pendes ieiunarunt 1062.b
pende quis stolidior 1062.b
pecuniæ danda numularijs 1021.b
pecuniæ clausa 933.b
pecuniâ quid intelligatur 499.a
pecuniæ cui obediant 169.a
pecuniam sudario ligare 1026.a
pedes qui speciosi 755.b
pedes quando lauamus mutuò 368.b
pedes Christi quomodo Iudæi sordident 340.a
Pelagij error, se sua uirtute posse saluari 724.a
pelagianus error pessimus 262.a 435.a 607.b 609.a
pelagiani iustitiam suis uiribus obtinere arbitrati 584.a
pelagiani hæretici quid senserint 466.a
pentecostes solennitas 469.a eius præstantia 481.a
pentecoste in utroq; testamento solennis 473.b
pera prohibita 499.a
pera, calceamenta quid 935.b
percussio gemina, duo ligna crucis 497.a
peregrini ad hospitium inducendi 387.a
perfectionis mensura quæ 973.b
perfecti quomodo esse queamus 206.a
perfecti in Ecclesia qui 189.b
perfectis & minus perfectis quid iussum sit 991.a
perfectis quid liceat 184.a
perfidiæ argumenta, per resurrectionem Christi ablata 381.a
pericles quàm patiens 154.a
pericula quæ nos affligunt 147.a 127.b
pericula animæ maius quàm corporis 16.a
periculum confidentiæ sui 324.b
per octauas pentecostes cur stantes oramus 470.a
persecutio Ecclesiæ quando cæperit 344.a
persecutionem nos posse fugere 504.b
persecutores bonorum sibijpsis pernitiosissimi 107.b
persecutores martyrum quid profecerunt 372.b
persecutorum duplex genus 1006.a
persequentium furori cedendum 328.b
perseuerantia, uirtutum columna 894.a
perseuerantia est uirtus boni operis 303.a ubiq; laudatur 448.a
perseueratio in malitia quid mereatur 219.b
perseuerantia exaudiri meretur 242.a
perseuerantiæ studium optimum 640.a
perseuerandum in oratione & petendo 451.b 247.a
persona tertia, cur spiritus sanctus dicatur 316.b
personæ unitas in Christo 886.a
personæ trinitatis inseparabiles 519.a
perunctio olei quid affert 291.b
pestilentia nobis impendet 12.b
petenda à Deo qualia 450.b
petentium diuersi affectus 968.b
petentes cur non accipiant semper 444.a 805.b
petere, quærere, pulsare 448.a
petere quomodo debeamus 444.b
petitionem malam qui non faciunt 279.b
petra spiritualis quæ 124.a
petræ maceria & cauerna 139.a
petri authoritas Antiochiæ 785.b
petri securitas in summo periculo 836.b
petri nauis non turbatur 574.a
petri primum signum 848.b mors qualis 850.a
petri infirmitas & constantia 538.a
petri uirtutes quæ, quales 849.b
petri catenæ cuius efficaciæ 872.b
petri circumspecta responsio confessio de Christo 786.b
petri solennitates tres 870.b
petri pœnitenntia 355.a feruor 208.b fides beata 850.a
petri primatus 832.b priuilegium 574.b largitas beata 848.b
petro cur Christus apparuerit 606.b
petro Dominus mortem nunciauit 110.a genus mortis prædictum 832.a
petronia mulier quid meritis reliquiarum Stephani obtinuerit 88.a
petrum quis confirmauit 375.b
petrus & Paulus Romæ martyrium una die passi 847.a 850.b 855.b
petrus cur tam fœdè lapsus 380.b
petrus quando id nominis primùm acceperit 840.b cur nominatim expressus 384.a
petrus non fuit diues 767.a
petrus rete trahit ad littus 398.a
petrus uenit Romam 834.a
petrus primus inter Apostolos 367.a 368.b 856.b tum præcipuus 856.b quomodo primus Apostolus 95.b
petrus filius spiritus sancti 786.b cur filius columbæ dictus 83.a.b
petrus redijt ad officium derelictum 397.b
petrus quàm fortis 481.a
petrus & Paulus alios Apostolos præcellunt 847.a
petrus totius Ecclesiæ gubernator 835.a pastor 788.a fundamentum 784.b & uertex Ecclesiæ 839.b
petrus à Christo reprehensus 856.a
petrus quomodo ambulauerit in mari 873.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

petrus baptizat Cornelium 862.a
petrus unde nomen habeat 95.b 751.a cur ex nomine designatur 780.a
petrus pauperi qualem dederit eleëmosynam 947.a
petrus lapsus funere quodam 324.b
petrus quãdo ambulauit super mare, quando mersus fuerit 208.b
petrus quid optauerit 236.a quid fieri uoluit 238.a
petrus dissolutus à uita agit cum Christo 94.b
petrus secatus Dominum 97.b
petrus pastor pastorum 110.a 833.a Ecclesiarum petra 873.a
petrus uxorem habuit, Ioannes non 110.b
petrus Christum multum dilexit 94.b
petrus ut nostra opera bona adiuuet 39.b
petrus quali martyrio occidendus 97.b
petrus mortem crucis ut Christus expertus est 94.a
petrus Ecclesiæ typus 278.a
phantasmata qui putent Dominũ 207.b
phantasma peccatorum 192.b
pharisæus typus Iudæorum, peccatrix gentilium 566.a
pharisæus & publicanus quorum typum gesserint 618.a
pharisæus & mulier peccatrix qui 339.a
pharisæi obseruabant Christum 660.b
pharisæi ægri fuerunt 557.b
pharisæi qui 610.a quibus absimulentur 47.b
pharisæi & Sadducæi tentant Christum, non tamen uincunt 677.a
pharisæi non ingressi per ostium 491.a
pharisæi cur deteriores semper facti 272.b
pharisæis qui similes sint 251.b
pharisæorum fastus 252.a malitia qualis 280.b
pharisæorum uersutia Christo insidiantium 663.b
phialæ aureæ 851.b quid significent 20.b
philippus diaconus 489.a uocatus ante omnes 753.a
philippus unus fuit è septem diaconis 5.b
philippus instruit Eunuchum 861.b
philippum cur tentarit Dominus 310.a
philippenses ut sint modesti 40.b
philosophi non uerbis, sed factis 155.b
philosophi non omnes sapientes fures & latrones 491.a
philosophi quàm inquieti 93.a mundi quales 92.b
photini error circa Christi diuinitatem 745.a
phrenetici sunt inimici nostri 205.a
phylacteria Iudæos ferunt 253.b quæ sint 251.b
physica ratio de humani corporis formatione 303.b
pictura & scriptura non eodem modo inspicitur 729.a
pietas congruit mitibus 1004.a uera qualis 55.a
pietatis opera instituenda 350.b quando potissimum exhibenda 239.a
piger quando emendetur 1022.b
pigritia quàm damnabilis 147.a
pij & reprobi quomodo tractandi 380.b
pij in hoc mundo premuntur 800.b hic lugent 432.a
pij quando discernentur à malis 108.a
pij soli Christum uiderunt rediuiuum 473.a
pilatus non est insons 356.a
pilatus cuius caput 213.a
pilati iniquitas 370.b
pios nos debere semper inueniri 266.b
piscari in dextra quid sit 402.a
piscari in nocte ibid.
piscatorem qui mutauit, persecutorem quoque mutauit 847.b
piscatores uocati 760.a 759.a
piscatores doctores 575.b Apostoli 402.a
piscatorum officium 1044.b
piscationes duæ, quæ 399.b
piscem assum cur Dominus comederit 398.b
pisces centum quinquaginta tres 398.a
pisces magni qui sint 400.b
pisces duo 299.a quid indicent 730.a
pisces quos fugiant 402.a
piscandi pauci 588.a
pistium unguentum 351.b
piscina probatica 231.a
piscina baptismus est 310.a
piscis assus & fauus mellis semper offerendus 397.a
piscis fides est 450.a
piscis primus, protomartyr 574.b
pius quisq; humiliter de se sentit 18.a
placere in carne 808.b
planctus iniustorum 203.a
plantatio quæ manet, quæ non 281.b
plantationes Dei quæ 283.b
plantationes eradicandæ quæ 283.b
plateæ unde dictæ 204.b
pluuia & cultura Dei 1016.b
pluuia spiritualis quos irriget 203.a
pluuia Dei quæ 205.b
pœna amouetur à confitente 418.b
pœna hominem quomodo detineat 95.a
pœna peccati & malæ cõsuetudinis 670.a
pœnitentia publica cui agenda 269.a
pœnitẽtia peccatorũ non respuitur 748.b
pœnitentia exordium prædicationis Christi 758.b
pœnitentia intolerabilis non imponenda 253.a
pœnitentia Niniuitarum deum placauit 1061.a
pœnitentia in deum non cadit 138.a
pœnitentia sera 93.b 801.a 1050.b uera 234.a 562.a moderata 251.a quomodo agenda 562.a
pœnitentia agenda tempore misericordiæ 1048.b
pœnitentia per quid significatur & quid conferat 125.a ibidem.
pœnitentia peccatricis 859.a
pœnitẽtis peccata Deus obliuiscitur 908.b
pœnitentiæ studia 1060.b ordo quis 161.a
pœnitentiæ fructus dignus quis 38.b
pœnitentiæ exempla nõ negligẽda 461.b
pœnitẽtiæ amaritudo nõ aspernanda 193.b
pœnitentiæ exempla 406.a
feræ exemplum 1031.a
pœnitentiam agere optimum nunciũ 48.a
pœnitendi modus 355.a
pœnitere dei quale 238.a
pœnitudo quando sera 509.b
pondus diei & æstus ferre quid 178.b
pontifex Iudæorum quomodo intrauerit in sancta sanctorum 525.a
pontifex summus Christus 529.a
pontifex noster quis 171.b
populus quis cessauerit offerre 771.a
populus Dei nos sumus 751.b
sanctificatus quis 887.a
populus Iudaicus quàm ad mandatorũ obseruantiam instigatus 169.b
populus Dei tubarum sonitu quid faceret 47.a 55.b
populus ad uirtutem adhortandus 58.b
populus uterq; ad Euangelium fluxit 58.b
populus Iudaicus minis à malo coërcebatur 110.b 760.b
porphyrij & Iuliani insania 73.b
porta clausa quæ 842.b
portæ cæli & inferi 382.a
portæ mortis dæmones 261.b
porcos pascere quid sit 264.b
qui pascant 742.b
porticus templi quos designet 336.a
porticus Salomonis 231.a
porticus quinq; quid portitores

portitores loculi 653.b
portitores mali 313.b
portitores quatuor 685.b
portitores, doctores 684.b
possibilia apud Deum omnia 177.a.
potentia Dei ubiq; 158.a
potentiam suam Dominus quando uoluit ostendit & abscondit 328.b
potentes qui dicantur 30.b
potestas Christi 453.b (787.b
potestas ligandi atq; soluendi quibus data
potestates, principatus, dominationes, throni 559.b
obtestate ligandi nõ temerè utendũ 841.a
potus aquæ salutaris 92.a
præcepta Dei non impossibilia 202.a
præcepta legis priscæ, num seueriora præceptis Euangelij 544.a
præcepta Dei unum sunt 970.a
præcepta Dei cognoscẽda et faciẽda 367.b
præcepta legis & Euangelij quid promouent 624.b
præcepta maiora & minora 1002.a
præceptis duobus innitendum 993.b
præceptum Dei quale & quod 970.a
præceptorum obseruatio duplex 204.a
quæ uirtus 655.b
præconium uteri uirginei 30.a
præcursor quo tempore acceperit uerbum prædicationis 34.a
præcursoris humilitas qualis 47.b
præestimare quos Deus dicat 960.a
præstimatio ut fiat 219.b
prædestinatus ad peccatum nemo 219.b
prædicandum non propter mercedem aut laudem 934.a
prædicare qui debeant 364.b
prædicare benè multi sciunt, benè facere nesciunt 1040.a
prædicarunt Christum qui 71.b
prædicatio quibus subtrahitur 961.b. prædicatio à malis contemnitur 1049.b
prædicationis officiũ quib. iniunctũ 1015.b
prædicationis officium qui non debeant assumere 932.b
prædicantis lingua cur restringatur 933.a
prædicator catholicus parat uias Domini 48.a
prædicator ut uiam faciat planam 35.b
prædicator ut sit irreprehensibilis 176.a
prædicator qualis esse debeat 933.a
prædicatores uoce non armis debent pugnare 47.a
prædicatores reges terræ 924.a
prædicatores quando tacent 152.b
prædicatores Ecclesiæ tubis similes 47.a
prædicatores uerbi Dei exeluserunt Iudæi à suis finibus 258.b rint (961.b
prædicatores quatenùs ad gentes transierint
prædicatores fuerunt medicamentũ 257.a
prædicatores conuuia instituunt 920.a
prædicatores quomodo suam prædicationem debeant instituere 996.b
prædicatores uerba quatenus suscipienda uel non 252.b
prædicatorum ordo 550.a
prædicatoribus æs amputatum 499.b
præfecti Ecclesiæ extirpent uitia 142.a
prælati remissi quantum noceant 146.a
prælati iniusta sententia non contemnenda 842.b
prælati ut se gerere debeant 252.a
prælati Ecclesiæ quid attendant. 255.b
præmia magna non habentur sine magno labore 981.b
præmium nostrum quale 176.a
præpositis Ecclesiæ obediendum 431.a
præsentia corporalis Christi ut non in mundo 456.b
præsentibus parcè utendum 647.a
præsepe, scriptura diuina 61.a
præsidium magnum uera fides 556.a
præsumptio mala est 239.a
preces quomodo fundere debeamus 464.b
preces dæmones impediunt 247.a
precibus fidelium annuit Deus 506.b
presbyteri Græcis qui 178.a
princeps mundi huius diabolus 344.a
princeps mundi in morte quàm sæuè adierit 603.b
principatus electorum cõfortatus 968.a
primitiæ Deo offerendæ 435.b
primitia dormientium Christus 407.b
primogenita deo offerenda 771.b
primogenitus quis 60.b
primogenitum cur Dominum uocauerit Euangelista 58.a
primus homo qualis 114.b
priscillianistarum hæresis qualis 130.a
processio filij ex patre 329.a
processiones cum cereis & hymnis in festo purificationis 782.b
procuratores Dei angeli 182.b
prodire foras quid sit 172.a
professionis qui obliuiscimur 429.a
professionem nostram prophanamus 141.a
professionem fidei tantum habentes 55.a
proles decem imprecante matre diuinitus puniuntur 88.a
promissiones quæ nobis propositæ 169.b
propensio ad malum in nobis 378.a
prophetæ apostolis uiã præparaũt 289.b
prophetæ in Israël qui 159.a (291.a
prophetæ olim uncti 586. b. quid fecerint
prophetæ præterito tempore aliquando usi 454.a
prophetæ collocuti cum Domino 941.b
prophetæ qui sunt 913.a falsi ut sciantur 593.a
prophetæ cur in faciem cadebant 115.b
prophetæ ministerium 20.a
prophetæ de Christo prædixerunt 6.a
prophetæ apud suos minoris, quàm apud exteros habiti 275.a
prophetam qui sustentat, quæ ei debeatur merces 36.b
prophetam ẽlẽ Dominus promiserit 828.a
prophetã qui Christũ appellauerũt 220.a
prophetarum dominus quis ibid.b
prophetarum officium quale 22.a
prophetarum chorus quando missus 258.a
prophetarum uoces lectas 392.b
prophetia quomodo utendum 145.b
prophetia potest esse etiam in malis 593.b
prophetiæ spiritualiter intelligendæ 22.b
prophetiam habent etiam mali 341.a
propinqui fratres uocantur 227.a
prosapia spiritalis filiorum Israël 944.b
proselyti quales 478.a
prosperitas huius uitæ timenda 545.a
prosunt qui nocere quærunt 960.b
prouidentia & benenolentia Dei erga homines 1008.a
prouidentia Dei 292.a. 1006.a
proximus non despiciendus 179.a. quo loco habendus 147.b. re ipsa diligendus 549.b. ut amandus 205.b
proximus noster Christus, & post hunc qualis 624.b
proximi tribulationibus qui compatiũtur, myrto similes 37.a
proximi omnes quomodo simus 202.a
proximi qui censendi 39.a
proximum non diligit, qui subtrahit ei necessaria 36.b
proximis quid debeamus 295.a. 597.a
proximis consolationis temperamẽta proferenda 37.b
prudentia dispensatoris 1039.a
prudentia nostra sit simplex 972.b
prudentia diaboli stultitia facta 267.b
prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis, iustitiæ breuis explicatio 586.b
psalmus quis de Christo scriptus 344.b
psalmi qui dicantur 171.a
psalmodia quomodo cantanda 688.a
psalterij finis qualis 468.b
pseudochristiani multi 802.a
pseudoprophetæ signis suis falsis conantur seducere homines 15.a
pseudoprophetæ qui 176.a

publica

Universidad de Deusto
Biblioteca

publica noxa, publica remedio eget 725.a
publicanus, conuersus 917.a
publicani qui dicantur 203. b. 610. a. 917.b
puer populus israëliticus 730.a. populus iudaicus 299.a
puer infirmus, anima 161.a
puer paralyticus 158.a
puer non immunis à peccatis 665.a
puerperæ lex 771.b
pueri Christi incrementum 69.b
pueri Christi laudes quæ 63.b
pueri Dei, Apostoli 451.b
pueri patris familias 448.a
puerorum purgatio 780.a
pugna Gedeonis quid significauerit 89.b
pugna in quolibet nostrum 54.a
pugnæ spiritalis apparatus 32.a
pulus quomodo excutiatur 500.b
purgatorium 995.a
purificationis festi celebritas 773.b
pusillos qui scandalizat, offendit Deum 929.b

Q

Quadragesima salubriter instituta 266.b. cur 239.b.468.a
quadragesima & Quinquagesima à Christo instituta 469.a
in Quadragesima gulæ qui indulgent 422.a
quales nos expectet in patria cælesti 459.a
quærere regnum Dei quid 648.b
quæstio stulta quæ 178.b
quæstiones aliquot de S. Spiritu 479.b
queruli plerunq; sumus 39.a
qui non diligunt, Antichristi sunt 540.a
qui homines inter dominationes, Thronos, Cherubim, Seraphim, Archangelos, Virtutes, Potestates, Principatus collocandi 560.a
quinq; uiri, quinq; sunt sensus 286.b
quinq; libri Moysi, quinq; uiri 290.a. quinque iuga boum 554.b. 290.a
quinq; panes & septem quid 586.a
quinq; panes, quinq; libri Moysi 729.b
in Quinquagesima cur nõ ieiunemus 482.b cur instituta 468.a
quinquagesimæ solennitas 468.a
quisq; accipiet pro meritis 536.a
quo animo esse debes in aduersarium tuum 134.b
quo peruenire quisq; cupiat 200.a
quotidiana Dei miracula 419.b
quousq; operari oporteat 915.b

R.

Racha quid sit 580.a
Rachel typus Ecclesiæ 104.a. Ecclesiam significat 100.a
rachaël prima Ecclesiæ persona 107.a
rahab fames dicitur 927.b
rama quid denotarit 109.b
ramus oliuæ quos designet 139.b
rami arborum 350.a
rami infructuosæ arboris 36.a
ramos de arboribus qui cædant 9.a
raphaël ad Tobiam missus 559.b
rapacitas quid mereatur 118.b
rapacitas iniquissima 1016.b
ratio humana non capit opera Dei 417.a
ratio quos illumiret 65.a
rationẽ reddituri de operib. nostris 386.a 596.a.936.b
realem præsentiam in Eucharistia qui negent 177.a
reatus quotidiani quõ remittantur 367.a
reatu duplici qui obnoxij sint 714.a
rebus caducis non inhærendum 458.a
rebus suis malè utens, peccat 544.a
recidiuatio peccatorũ cauẽda 70.a 378.b
reclinatio capitis quid 200.b
rectas facere semitas Dei 824.a
rector si desit, quid sperandum de homine 860.b
redẽptionis consiliũ patrib. reuelatũ 121.b
redemptionis nostræ summa in quo consistat 23.b
refectio inæqualis 45.a
reformatio mentis ut fiat 679.a
reges crucẽ pingũt in suis frontib. 979.b
reges qui sint 623.a
reges ubi irascuntur 130.b
reges terræ iusti 923.b
reges obediunt fidei 127.b
regi terreno qui tantũm militent 19.b
regij uiri Christum inquirunt 128.b
regimini qui præsunt, quales esse debeant
regina Saba, typus ecclesiæ 738.b (933.a
regina Austri, ecclesia 226.a
regio longinqua 264.b
regio nostra quæ, quomodo quærẽda 131.a
regnum Dei æstati comparatur 13.a
regnum nihil habet sinistrum 868.b
regnum Dei quibus paratũ 196.a. 869.b
regnũ et iustitia Dei bonum nostrũ 641.b
regnum Dei sacra scriptura 25.a
regnum Dei ubi sit 273.b. quale 458.a
regnum cælorum quibus debeatur 255.a quibus pateat 38.b
regnum Dei multa significat 646.b
regnum Dei quibus datum & quibusablatum 127.a (38.a
regnum cælorum quomodo uim patiatur
regnum Dei & iustitiam eius quærere debemus 449.b
regnum Dei, Ecclesia dicitur 352.b. 689.a 731.a. 988.a
regnum Dei quantum ualeat unicuique 756.b
regnum Dei diuisum 270.a
regnum Dei à Iudæis ablatum 260.b
regni cælorum quale precium 940.a
à Regno Dei quid nos excludat 568.b
regno Christi qui connumerentur 27.a
regulus qualis fide 700.a
reguli & Centurionis collatio 698.b
rei sub lege sunt 955.b
relabimur facilè ad peccata 674.a
relatio ad aliud aliquid refertur 517.a
religio quomodo declaranda falsa 554.a
religio ad quid religare nos debeat 509.a
religionis insignia, arma sacerdotis 621.b
religionis caput est charitas 190.a
religionis Christianæ summa 443.b
religiositatem tenentes quid promereantur
religiosus à malis improbatur 334.b (358.b
religiosus princeps quis 1006.a
relinquere sese quid sit 986.b
reliquiarum insignis commendatio 696.a
reliquiæ Stephani infidelem ad fidem conuerterunt 87.b
reliquiæ superant panem, quomodo 301.a
remedium peccati quis attulerit 68.a
remedia aduersus peccatum originis 121.b contra insultus dæmonum 32.b
remissionem peccatorum quis non habeat 1007.a
remissionem peccatorum per quem habemus 527.a
remuneratio quæ maneat iustos 1010.a
remuneratio nostra quæ 44.a
renouari quid 678.b
reparatio per Christum 533.b
reprehendi qui & quomodo debeãt 585.a
reprehensio tua laus est 172.a
reprobi à consortio unitatis excluſi 685.a
reprobi ad unam generationem referuntur 80.81.b
reprobi deteriores semper euadunt 328.a
reprobi agnoscunt sua errata, & tum maxime illis desistunt 899.a
reprobos ignorat Deus 317.a
reprobis omnia cedunt in malum 960.a
requies à morte statim dignis contingit 953.a
requies uera in unitate 398.b
requies uera animi in hac uita 475.b
ad Requiem ueram qui tendant 475.a
res gestæ aliquid faciendũ significãt 380.a
res quomodo fit melior 269.b
res una in scriptura inuenitur diuersa significare 890.a
res nulla separat nos à Deo 860.b
responsiones mulieris Samaritanæ 287.a
resurrectio Lazari miraculũ præcipuum 930.b
resurrectio astruitur ex Physica ratione ibid.a (535.a
resurrectio duplex, animarum & corporũ
resurrectio Christi promissionem impleuit 393.b
resurrectio corporum astruitur 419.b
resurrectio quãfideliter asserta 395.a qd exi
resurrectio prima quæ 392.a. (gat 377.b
resurrectio quàm firmiter inculcata hominibus 393.a
resurrectionis Iesu summa 790.a
resurrectionis futuræ testimonia 950.a. signum 386.a (898.a
resurrectionis miraculum non incredibile
resurrectionem Domini discipuli uix capere potuere 394.a
resurrectionem suam Christus certissimè astrinxit 457.a
resurrectionem astruit Paulus 606.a
resurrectioni Christi contradicitur 115.b
resurrectione facta gaudium bonorum ampliusne erit 953.a
resurge difficilè, quem moles malæ consuetudinis premit 317.b
resuscitatur anima per pœnitentiã 679.a
rete rumpitur 576.a
retia, libri sacræ scripturæ 759.b
retia, Euangelia 575.b
retia diruptra, schismata 400.a
retia iussit Dominus mitti in mare 398.a
retributto gemina 877.a
retributio bonorum ac malorum actuum districta 544.b
retributio qualis iustis reddetur 846.a
reuerti in se qd sit 261.b. ad uomitũ 271.b
reus iudicio, concilio, gehennæ, quid 579.b
rex quis sit 701.b
rex in sua imagine honoratur, sic Christus in homine 676.b
rex timet puerum 133.a
res quis & qualis nos saluos faciet 806.a
risus mentis exultatio 598. a. detestabilis 131.b (4.a
rixa amica intempestiuis compotationibus
roma caput nationum 847.a. quid Petro & Paulo debeat 833.b
romæ passi Petrus & Paulus 835.b
romani uenerunt in Iudæam 695.a
romana respub. unum habuit præsidentem 34.a
romanus episc. seruorũ Dei maximo 702.b
romani tulerunt Iudæorum gentem 956.a
romanũ imperium cur diuinitus præparatum 834.a
romanorum regnum ad magnam potentiã peruenit 16.a quibus ordinibus cõstet ibid.
romula magnis prædita uirtutibus 546.b
rota cogitationum nostrarum quando conquieſcit 719.a
ruina salutaris quæ 115.b
rusticitas, non lotis manibus manducare 284.a

S.

Sabaregio & regina 128.a
Saba regina uenit Hierusalem 224.a
sabbatismus perpetuus 536.b
sabbatismus quibus relinquitur 237.a
sabbatum spirituale 232.b seruare spiritualiter 310.a
sabbatum Christus quõ honorarit 305.b
sabbatum qui obtinebunt 475.a
sabbatum mutatũ in diem Dominicũ 660.b
sabbati dies ad quietem 189.b
sabbata apud Iudæos tria præcipua 576.a
sabbatizare à peccatis 312.b
sabellius patrem & filiũ confundit 914.b
sabellij error reijcitur 745.a
sabelliani idẽ qui & patripassiani 804.b
sacculus & pera 364.b (1012.b
sacerdos & minister Christi suscipiendus
sacerdos & leuita, uetus lex 626.a
sacerdos Aarõ & eius successores 628.b
sacrdos summus incensum posuit quis olim dictus 818.b
sacerdos cur semel in anno intrauerit in sancto sanctorum 830.a
sacerdos quando non distat à populo 936.a digniores populo 675.a
sacerdotis ira non sit præceps 935.a
sacerdoti non uacuus ostendendus 159.b
sacerdotes iniquitatem portant 252.b
sacerdotes quid clament quotidiè 1054.b
sacerdotes bonorum operum ut sint uenditores ibid.
sacerdotes qui, tempore Christi 34.a
sacerdotes docent te Christum 145.a
sacerdotes & confessores Christi 942.b
sacerdotes cur femoralia habere iubebantur 1038.a
sacerdotes qui pharisæo similes 865.b
sacerdotes ecclesiæ quid attendunt 221.a
sacerdotes reuocãt animas defunctas 975.a
sacerdotes Angelos uocari 20.a. 48.b
sacerdotes mali cui similes 937.a
sacerdotes ne mortuum accedant 329.a
sacerdotes pro quibus interpellant 161.a
sacerdotes indiscreti qui 251.a
sacerdotes suum impleant officium 138.b
sacerdotes quales eligendi 160.a. qui fieri possint 182.b
sacerdotes curis terrenis non implicentur 499.a
sacerdotes adduenit surdum 617.a
sacerdotes ut sint lucernæ 1040.b
sacerdotum officium quod 160.b. 935.a ministerium quale 45.b
sacerdotibus mundus plenus 932.b
sacerdotium Iudaicum quid præfiguraut 632.b
sacerdotium Iudæorum scissum 354.b
sacerdotij magna dignitas 1018.b. à Christo honorata 251.a
sacerdotali officium quàm sit honorandum 785.a
sacramentum corporis Christi quàm sit salutare 134.b
sacramentum quando accedimus, quid faciendum 161.b
sacramenta crucis 650.a
sacramentum salutis nemini negatũ 362.b
sacramentum aliud, aliud uirtus sacramenti 496.b
sacramentum corporis & sanguinis Christi Deum nobis adiungit 52.b
sacramentum salutis humanæ non tacendum 359.a
sacramentum pœnitentiæ 425.a
sacramentum promissum quale 68.b
sacramenti una specie nos contentos esse debere 17.a
sacramenti diuini nemo non capax 101.a
sacramenta malitia migistri non impediuntur 812.a
sacramenta humanitatis ad altiora nos inuitant 142.b
sacramenta baptis. et cõfirmationis 488.b
sacramẽta Ecclesiæ exhibẽt gratiã 237.b
sacramenta sunt tanquam canales 727.b
sacramenta nostræ salutis decenter sumenda 298.a
sacramentorũ inuisibilis gratia 815.805.a
sacrificium laudis quale Dominus acceptet 172.b
sacrificium legis euangelicæ 770.b. nouæ legis 818.a
sacrificium Ecclesiæ nouum in Pentecoste 474.b
sacrificium acceptum Deo quaele 181.b
sacrificio Christi mundus erutus 324.a
sacrificia olim quid prætenderint 121.b
sagena euãgelica quãdo implebitur 1036.a
sagenæ ecclesiæ sanctæ quæ 218.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſcriptus uitulus quis 26.b
ſcriptura, prophetæ & apoſtoli 824.b
ſcriptura unde uenerit 569.a
ſcriptæ infantium 372.b
ſcriptus fatuatum 1039.b
ſcripturæ dicatores ſunt 934.b
ſcriptura Chriſti quid efficit 618.a
ſalomon omnium regum ditiſſimus 646.a
ſalomonis gloria myſticè 738.b.templi altitudo 742.a
ſalomonis holocauſta nos ſumus 746.a
ſaluator ante uirginem fuit 75.b. occurrit matri 885.a. cur in ruinã uenerit 115.a
ſaluatoris ſententia de humilitate, quomodo intelligenda 611.b
ſaluatorem qui eiecerint 504.a
ſaluatorem qui cũ gaudio expectent 60.a
ſaluari nos in Eccleſia tantũ 232.a 636.a
ſalutare in uia quid 933.b
ſaluatur quis 353.a
ſalus in unitate Eccleſiæ 231.a
ſalus quibus allata & aucta 727.a
ſalus noſtra per Chriſti aduentum propè facta eſt 2.a
ſalus à peccatoribus longè 260.a
ſalutis noſtræ ſcopus 571.b
ſalutis iter in laudibus Dei 883.b
ſalutem noſtram cui aſſcribere debeamus 31.a
ad Salutem quod pertinet, omni die facere licet 308.a
ſalutem qui habere non merentur 276.a
de Salute nullus diffidat 913.b
ſamaria quid, & quid denotet 286.b
ſamaria & Galilæa quæ regiones 633.b
ſamaritanus Chriſtus 629.a uerus 327.b unde deſcenderit 621.b.myſticè 636.a
ſamaritani qui & unde 626.b
ſamaritani ſecuti fuerunt Hieroboã 975.b
ſamaritanũ ſe Chriſtus proteſtatur 329.b
ſamſon mandibula aſini multos occidit myſticè 972.b
ſamſon capillis uinctis 666.b
ſamſon, Gaza, Philiſtæi, quid deſignent 381.b
ſamſon plures moriendo, quàm uiuendo occidit 382.b
ſamſon fortiſſimus deceptus per mulierem 896.a
ſanari qui uelit, quid faciendum 208.a
ſanator languentium quis 315.a. (169.a
ſanctificator quantum honorandus 488.b
ſanctificatio pro caſtitate 563.a
ſanctificatio noſtra plena 401.a
ſanctimonia ubi maior, maior ſapientia 887.b
ſanctimonialis ad uitam reuocatur 87.b
ſanctus non mouetur de breuitate ſua 43.a quis ucrè ſit 251.a
ſancti quomodo pugnauerunt 89.b
ſancti antiqui maximum habuerunt deſiderium uidendi Chriſtum 623.b
ſancti quando Deum uidebunt 377.a
ſancti inuidos oculos non habent 618.b
ſancti in Deo quæ uideant 546.a
ſancti ueteris teſtamenti 941.a
ſancti quid ſuperrogauerint 627.b
ſancti in cælis pro nobis orant 445.a.de ira excuſantur 582.a
ſancti qualia habeant teſtimonia 797.b
ſancti ut ſua prædicauerint bona 1042.a
ſanctorum murmurare quomodo 178.b
ſanctorum deſiderium 476.a.gloria incomparabilis 940.a. intellectus eximus 357.a
ſanctorũ orationes ſunt odoramẽta 831.b
ſanctorũ fratres ſunt tuentes Deũ 974.b
ſanctorum uitæ inſeruiendum 37.b.captã da patrocinia 388.b
ſanctorũ interceſſiones expetendæ 243.b
ſanctorũ feſtiuitates quõ inſtitutæ 870.b
ſanctorum animas quomodo ſuſcipiat Dominus 806.b
ſanctorum preces excitant Dominũ 167.a
ſanctorum ueſtigia ſequenda 105.a
ſanctorum exẽpla cur proponantur 761.b
ſanctorum nullus contra animæ ſalutẽ precatur 167.b
ſanctorum ob exiguas paſſiones retributio immenſa 939.a (396.b
ſanguis Chriſti pro ſalute noſtra fundẽdus
ſanguis Chriſti cuius nos admoneat 388.b
ſanguis Chriſti ubi, & quid operetur 54.a quàm efficax 325.b. quibus nihil proſit 325.b
ſanguinem agni qui ponunt ſuper utrumq; poſtem 390.a
ſanguinem omnium iuſtorũ requiri 81.b
ſapiens unde quis eſſe poſſit 66.a
ſapiens & eruditus quis 18.b
ſapiens uerè Chriſtianorũ ſtultitia 748.a
ſapiens ubiq; ſui ſimilis 92.b
ſapientes animæ non mouentur 363.b
ſapientia patris quis ſit 250.b
ſapientia 680.b.mundana 904.b
ſapientia ubi habitet 142.b ubi habitauerit 887.b
ſapientia conſuetudine acquiritur 144.a in corde eſt 76.a
ſapientia ubi, ibi tenebræ non ſunt 322.b
ſapientia ſine ore inutilis 1015.a
ſapientia Dei nos protegit 82.b
ſapientia huius mundi & carnis 687.a
ſapientia diuina quos odit 905.a
ſapientia ad quid inducat 92.b
ſapientiã quis nouit apprehendere 91.b
ſara cur ſic dicta 123.a
ſara renaſcentiæ forma 296.b
ſara ſterilis parit 194.b
ſaram ſterilem ſanauit Deus 158.a
ſaræma mundi moleſta 174.a
ſata tria mundi partes 432.a
ſathanas ſuperbiendo è cælo cecidit 1032.b
ſathanas ut ſe transfigurat 600.a
ſathanas quando cadat de cælo 1009.a
ſathanas ubi habeat locum 271.a
ſathanæ laqueos quis euadat 18.a
ſathanæ calliditas 239.a. triũphus 422.b
ſathan quos ducat in deſertum 215.a
ſathan calumniator 18.a
ſathan occupat Iudam 361.b (215.b
ſathã quos ſupra pinnaculũ templi ſtatuat
ſatietatẽ qlẽ nobis promittat dominꝰ 227.b
ſaulus quantũ adiuuerit lapidatiõe Stephan 763.a
ſaulus lapidauit Stephanũ 179.a(ni
ſaulus fit Paulus 18.a
ſcandalum quid ſit 281.b
ſcandalum multiplex 926.a
ſcandalum uitandũ etiã in ſcandalis 354.a
ſcãdala quantoperè cauenda 184.b.quomodo uitantur 277.b
ſcandala in regno beatitudinis non ſunt 1049.a
ſcandalum paſſionis pollicitatione compẽſantur 216.b
ſcandalizare fratrẽ magnum malũ 928.b
ſcelerato quid eueniet 45.b
ſcientia legis profunda 299.a
ſcientia inflat 143.b
ſcientiam qui habeant ad ſui damnationem 190.b
ſcire credere eſt 971.b
ſchiſma quid 310.a ubi ſit 253.b unde 142.b
ſchiſmatici fruſtrà patiuntur 1005.a
ſchiſmatici ſpiritu Chriſti nõ uiuunt 164.a 271.a.indigni omni gratia 658.a
ſchiſmatici longè abſunt à Chriſtiana ſenſione 9.b
ſchiſmatici diſpergunt 271.a
ſcœnopegia quid præfigurarit 334.b
ſcopæ malæ quæ 226.b
ſcorpio myſticè 450.b
ſcortatio malum uitium 240.a
ſcribæ Synagogæ & Eccleſiæ 1056.a
ſcribæ cur operati ſint bona 253.a
ſcribæ & phariſæi inuidẽt Chriſto 838.b
ſcribarum & phariſæorũ duritia 330.b
ſcribi in cælis quid 624.a
ſcripta diuina quo ordine exponẽda 542.b
ſcriptura diuina uocatur aqua 152.a
ſcriptura ſacra omnis lex dicitur 337.b
ſcriptura quàm ſibi cohæreat 49.a
ſcriptura ornatur ueſtimentis diſcipulorũ Chriſti 9.a
ſcriptura diuina ſequenda 799.a. cum iudicio legenda 9.b.quomodo diſpenſanda 153.a
ſcriptura quando ſuauius redoleat 1060.a
ſcripturæ ſine dubitatione credendũ 49.a
ſcripturæ totius ſumma 267.b.378.a.ſcopus 520.b
ſcripturæ proprium quid 622.b
ſcripturarum fluentis aſſidendum 139.a
ſcripturarum conſonantia de Chriſto 70.b
in Scripturis quæ contemplanda 898.a
ſcripturis quomodo utendũ, & ad qã 351.a
ſcurrilitas quid 268.a
ſcrutator ſeculi quis 197.a
ſcrutæ Deum non habent 411.a
ſecuri nunquam eſſe debemus 697.a
ſecuris quid, & quomodo ad arboris radicem poſita 36.a
ſecurus quis eat ad conciliũ 973.a
ſecuritas multa parit mala 686.a
ſecuritas negligentes, timor ſedulos reddit 1053.b
ſecuritatis clypeus 410.a
ſedere pertinet ad magiſtrum 1002.b
ſedere ad Chriſti ſiniſtram, item ad dextrã 869.a
ſedere ſiue ſtare Dei quid 78.b
ſedes iudicantium quales 974.a
ſedes Dei quæ 217.a
ſedes Dauid Chriſto data 23.b
ſedes animæ ubi 282.a
ſedes, ſingulæ Eccleſiæ 974.b
ſeditio apud Iudæos propter tributum 717.a
ſeductor Dominus noſter appellatus 373.a
ſeducuntur qui 332.b
ſemen cauſa arboris 410.b
ſemen promiſſum contriuit inimici caput 68.b
ſemen Abrahæ, Chriſtus 619.a
ſemen, uerbum Dei 188.b
ſemen Abrahæ qui, quales 31.a
ſeminatores qui 290.b
ſeminatio in ſpiritu 640.a
ſenectus duplex 980.a
ſenes ſapientia maturiores 264.b
ſenex uenerabilis 980.b
ſenſus animæ 1034.b
ſenſus ſcripturæ qualis ante, & qualis poſt aduentum Chriſti 149.a
ſenſus quinq;, externi & interni 717.a
ſenſum uiros ſanctos magis attendere, quã ſenſuum lucra 1035.a (uerba 48.b
ſententia grauis ſuper negligentem 45.b
ſentimam exhaurire quid 488.a
ſeptem mali ſpiritus qui, quales 226.b
ſeptenarius numerus myſticè 280.a
ſeptima hora & ſeptima dies 702.b
ſeptimus numerus myſticus 401.a
ſeptuagies ſepties quid ſit 278.a
ſeptuageſimæ tempus Eccleſia cur recolat 175.a
ſepulchrũ Chriſti fruſtrà cuſtoditur 356.b
ſepulchrum diligentiſſ. obſeruatum à Iudæis 393.a
ſequi imitari eſt 913.b
ſeraphin ac Cherubin quid 560.a
ſeraphin cur ita dicantur 746.a
ſerenitas pacis quæ 57.a
ſeruus nunquam uenitur ad uineam 178.a
ſermo ſapientiæ, ſcientiæ 599.b
ſermo omnipotens quõ uenerit 113.b
ſermo Dei non impunè contemnitur 259.b gladius eſt 992.a.cibus mẽtis eſt 186.a
ſermo Dei quid efficiat in homine 480.a
ſermo Dei aduerſarius noſter 582.a
ſermo Dei aromatum inſtar 407.a
ſermo malignus 369.b
ſermones Chriſtianorum quales eſſe debeãt 465.b
ſermones inanes qui 269.a
ſerpens æneus, Chriſtus 512.b
ſerpens æneus quid 487.a
ſerpens quomodo infecerit 187.b
ſerpens in ligno 814.a
ſerpens æneus typus Chriſti 594.b
ſerpentes mordentes 814.a
ſerpentes maligni uocantur 972.b
ſerpentes & ſcorpiones qui ſint 1009.b
ſerpentum & ſcorpionum diſcrimẽ 1032.b
ſerpentum ignitorum plagæ 512.a
ſerpentum pulli 715.b
ſeruare honorem apud homines nihil deſpectius 699.a
ſeruari uolenti, quid agendum 744.a
ſeruire Deo ſumma libertas 1022.b
ſeruitus peccati abominabilis 583.b.indigna quæ 183.b
ſeruus piger quorum ſit typus 1021.b
ſeruus malus quando cognoſcit Dominum 323.b
ſeruus nequam 1026.a.fidelis 825.a. diuitiarum quis ſit 644.a
ſerui Chriſti undiq; miſſi 554.b
ſerui primi, patriarchæ et prophetæ 694.b
ſerui boni & mali differentia 970.b
ſerui miſſi ad agricolas 257.b
ſerui diaboli qui 215.a
ſerui quibus ſubeſſe debeant 431.a
ſerui, non filij ſunt, qui ſuã uenãtur gloriã 709.a.(466.a
ſerui tres Chriſti, rationem reposcendi 708.b
ſerui quomodo habendi 239.a
ſerui ſecundi qui inuitabant ad nuptias, Apoſtoli 694.b
ſerui peccati qui, quales 227.b
ſeruũ negligentem Dominus damnat 216.b
cum Seruis ratio ponenda 1034.b
ſeruiendum Deo libenter 296.b
ſeßio Domini quid 291.b
ſeueritas quibus neceſſaria 239.b
ſex hydriæ, ſex ætates 151.b
ſextilem mẽſem quõ egerint pagani 872.a
ſexus uterq; gratulatus Chriſto 772.b
ſibyllæ Erithræ uaticinium 792.b
ſichem filius Emor quid 1057.a
ſidonea & Sarepta quid 275.b
ſigna & prodigia quid differant 700.a
ſigna aduentus Domini quæ fuere, & quæ ſecundum præceſſura ſunt 15.a
ſigna tria in uno homine facta 270.a
ſigna faciendi facultas quibus & cur data 77.b
ſigna propriè quæ 999.b
ſigna quotidiè in eccleſia 464.a
ſigna cur olim facta & modò non fiant 460.a
ſigna præcedentia futura indicant 13.b
ſigna Eccleſiæ ſpiritalia 460.a
ſignificatio & ſignificatum 351.a
ſigno Chriſti nos credimus 116.b
ſignum amoris Dei quale 218.b
ſignum cui contradicitur quale 115.b
ſilentium ſuppreſſa uox 954.b
ſilentia tria, quæ 112.b
ſiliqua quid deſignet 261.b
ſiloë natatoria quid 309.b
ſimeon quantum deſiderauit aduentũ Chriſti 768.a
ſimeon mundum figuratè ſignificat 782.a
ſimeonis laus 775.b.alacris deuotio 784.a pia ſuſpiria 784.a
ſimiles filio Dei qui 483.a
ſimiles plerique ſunt anibus pigreſcentibus 721.b
ſimilitudo quæ paßionis Chriſti completur ſacramentum 257.b
ſimilitudines cur à Domino exhibitæ
ſimon primus diſcipulus 851.a (1043.b
ſimon magus 1000.b. cupidus peccuniæ 487.a.quo ſpiritu plenus 138.a. hæreſiarcha 488.b
ſimon à Petro deteſtatus 861.b
ſimon Cyrenenſis quos deſignet 987.a
ſimon Cananæus Gentilem populum deſignat 371.a
ſimon ferens crucem quid 356.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

Simon leprosus fuerat 351.b
Simoniaci redarguuntur 222.d. *à quibus expelli debeant* 605.b
Simoniaci in Ecclesia ibid.
Simoniaci se excusare nituntur 975.b
simplicitas falsa quæ 146. a. *quæ placeat Deo* 480.a
Simplices ac mundicordes uult Spiritus sanctus 138.a
simulata conciliatio 711.a
simulatio Phariseorum 718.a
simulatio non potest celari 593. a. *fermentum est* 1005.b
Sina & Seir quid 451.b
sinistra quæ dicatur 204.a
in Sinum dari 569.a
sinus Abrahæ 256.a
sion quid & quos significet 887.a
sisti in Hierusalem quid 120.a
sitis commendabilis 331.a
sitis Domini qualis 285.b
sixti consolatio ad Laurentium 874.b
sobrietas quæ, qualis requiratur 54 b
sobrij & uigilantes ut simus 555 b
societas boni cum malo qualis 44.b
societas Christi esca Christiani 482 b
socios nobis adiungendos 20 b
socratis patientia 572 b
socrus Petri 506.b. *synagoga* 284.b
socrus mysticè 985.a
sol iustitiæ in terris 481 b
sol iustitiæ spiritualis quibus oritur 203.d
sol undiq; resplendet 248.a
sol Christus non habitat cum ira 680 a
solis occubitus quid 507.a
solem iustitiæ qui neglexerunt 822.a
solatia sanctorum ne desint 266.b
solennitas scœnopegiæ 331.a
solēnitas intrandi in sancta sanctorū 819.b
solennitates ut agendæ 419.b
solennitati ut congruamus 739.a
solicitudo moderata non prohibita 41.a
solicitudo amputanda 555.b. *qualis requiratur* 146.a
solicitudo interdicta 6 ; 4 b. *quibus* 45.b
solicitudines suffocant uerbum 186.b
soluendi & ligandi potestas ut exercenda 527.b (418.a
solus Deus ut accipiendus 315.b 319.b. 935.a
somnus salutis indici 315.b 319.b. 935.a
somnus Stephani qualis 86.b
somnus quàm impediat salutem animæ 2.a
somnus animæ ibid. mortis 1047.a. *peccati* 320.a
somnus mortis imago 837.b. *dimidium uitæ* 211.b
à Somno surgere quid 2.a
sordidus ac pollutus quis 44.b
soror nupta uiro 329.a
sors bona quæ, qualis 957. b. *nobis una communis* 721.a
sortem fidelium qui non habent 179.a
spe præmij nos consolari in rebus duris debemus 176.a
specula mulierum 934.b
spem futurorum habere debemus 203.b
spes galea salutis 698.b
spes quàm diu erit 191.b
spes sanctorum à quo pendeat 148.b
spes una uocationis nostræ 657.b
spes orantibus magna relicta 805.b
spes habenda firma 38.b. 905.b
spes bona de operibus nostris 54.b
spinæ & rubus mysticè 740.b
spinæ quid significent 37.a. 189 a
spiritus ueritatis 441.a
spiritus quomodo iudat & ubi maneat 336. a
spiritus immensus 914.a (271.b
spiritus immundus exit & redit ad Iudæos
spiritus quid effecerit 74. b. *confortauit apostolos* 438.b
spiritus scientiæ, fortitudinis 467.a
spiritus cooperator natiuitatis Christi 51.b
spiritus Ecclesiæ moderator 127.b. *cur bis datus* 481 b 527.b
spiritus quomodo uiscera Mariæ repleuerit 24.a
spiritus super Christum 135.a
spiritus adiuuat 401.a
spiritus ut dicatur relatiuè 116.b
spiritus & caro luctantur inuicem 121.a
spiritus digitus Dei 273.b
spiritus maligni ubi habitent 264.b. *quibus nutriantur* 264.b
spiritus quō in nobis manere dicatur 136.a
spiritus ut donum Dei 516.b
spiritus sancti nomina in scripturis proprium quid 441.a
spiritus maligni quàm laborent impedire homines ab æterna felicitate 695.b
spiritus immundus quando exeat 224.a
spiritus. Mariam elegit 802.b
spiritus. nec genitus nec ingenitus 519.b
spiritus. ut Christum clarificarit 439.a
spiritus gratiæ ignoratur 511.b
spiritus Deus est 290. b. *qualis doctor* 29.a
spiritus. ut Christo testimonium perhibuerit 538.a
spiritus. quomodo se declararit 476.b
spiritus. per apostolos arguit mundum 440.b
spiritus quorum fortiantur uocabula 561.a
spiritus quomodo testificetur 416.a
spiritus. quomodo bis datus 417.b. *& cur* 481.b. 528.b
spiritus quid Elizabeth inspirauerit 29.a
spiritus. non contristandus 439.b
spiritus. donum 286.a
spiritus. ubi habitet 436.b
spiritus. aduocatus consolator 47?.a. *ecclesiæ moderator* 127.b
spiritus. ut non loquatur à seipso 438.b
spiritus. cur dictus paracletus 438.a
spiritus. adest Ecclesiæ 331. b. *tribulatis adest* 174.b
spiritus mentis, ipsa mens est 678.b
spiritus sancti memoria quomodo ruminanda 435.a
spiritus. autor bonorum 212.a. *sua dividit bona* 600.b
spiritus contribulatus nos Deo commendauit 16.b
spiritus aqua uiua 532.a
spiritus. cur uenerit quinquagesimo die 471.a
spiritus. cur in linguis igneis apparuerit 479.b. *cur in columbæ specie* 158.a
spiritus. à patre & filio procedit 466. *cur procedere dicatur* 538.b
spiritus. quomodo mittendus & quando 440. *in quos ueniat* 486.b
spiritus sancti Aduentus cur dilatus 457.b
spiritus nequam qui, quales 774.b
spiritus diuinus quid agat 191.a
spiritus Dei arrha est electis 111.b
spiritus. cur ignis 471.b
spiritus bonus datur petentibus 450.b
spiritus. ut apparuerit 530. a. *ut missus in mundum* ibid.
spiritus. quid reseruandum 435.a
spiritui qui faciat contumeliam 259.b
spiritum qui minorem dicunt patre 74.b
spiritum adoptionis unde habeamus 566.a
spiritum. negat, qui Concilijs aduersatur 17.b
spirituum diuersa genera 191.a
in Spiritum propriè quis peccet 441.a
spiritum. qui expectat quid faciendum 463.a
spiritu sancto impleri 688.a
à Spiritu. quid habeamus 490.b
spiritu sancto scripsisse Euangelistas, & uiros sanctos 49.a 66.b
spiritualis generatio quæ, qualis 177.a
spiritualia qui non intelligant 271.a
spolia diaboli hostis quæ 148.b
sponsa Christi, Ecclesia ibid.
sponsus, Christus 1047.a
sponso ire obuiam quid sporta

sporte septem 588.b
sputum mysticè 312.a
sputum Christi 617.b. 615.b. *quid* 309.b
stabulum, stabularius Paulus 629.a. *prædicatores* 627.a
stabularij qui dicantur 622.a
stationes & uigiliæ militares 207.a
stella super stellam 133.b
stella magis apparens, cæteris illustrior 128.b. 131.
stellæ propter hominem 130.a
stellæ cadent quid 733.a
stephanus de Iudæorum cæcitate dolet, & orat pro illis 79.b
stephanus quale exemplum reliquerit 78.a
stephanus cur primus martyr 83.a. *qualis martyr* 77.a. *quibus armis præcinctus* 83.b
stephanus Iudæorum impietatē redarguit 77.b
stephanus Christi imitatus exemplum 86.b
stephani reliquiæ, quæ miracula fecerunt 87.a
stephani animus in cælis 78.b. *mira charitas* 85.a
stephano insidiabantur Iudæi 78.a
sterilis in bonis operibus nemo sit 1017.a
steriles mente 839.a
sterilitas uineæ Domini 258.a
stola prima quæ 265.a. *qualis* 262.b
stolæ singulæ & binæ 445.a *albæ* 945.a
stolas lauare quid 105.a
studijs qui aburantur 190.b
stulti gaudent laudari 204.b
stultiloquium quid 268.a
substantia quæ nos satiat qualis 846.b
substantia diuisa 261.a. *una in diuinitate* 136.a
subditus præpositum suum agnoscere debet ac reuereri 17.a.b
subditi ut obediant, quorum exemplo 145.a
sublimia rudibus paulatim tradenda 50.a
sublimis uenturus qui humilis uenit 219.a
sudarium capitis 411.a. 414.a.
sudandum hic, ut donis repleamur 650.b
sudor sanguineus 364.b
suffragia sanctorum 343.a
summa epistolarum Pauli 832.b
sumptus qui nobis necessarij 991.a
superbia deijcitur, humilitas exaltatur 383.a
superbia hostis antiqui 69.b
superbia mentis nostræ quæ, qualis 328.b
superbia alienat nos à Deo 136.a
superbia se immiscet bonis actionibus 368.b *se præfert alijs* 346.b
superbia prostrata, erecta sanctitas 848.a
superbia nostra conuincitur 327.b. *taxatur* 698.b
superbia nobis aufert Deum 600. b. *scribarum qualis* 225.b (430.b
superbia detestabilis 555 *aquorū despiciēda*
superbiam nostram damnari 128.b
superbus, fornicator, cæcus 196.b
superbi oratio non exauditur 608.b. *à Deo respuuntur* 551.b
superbi inflati dicuntur 1002. b. *montes* 34.b
superbi qui dicantur, quid agant 30.b
superbos nomine sapientiū intelligi 173.a
superbientes quid dicturi 44.a
supplicium quid meretur 19.a
supportare nos inuicem debemus 170.a
surdus & mutus, humani generis typus 615.a
surdus quis 617.a
surgere à uitijs, uirtutibus incūbere 636.b
surgere, uigilare est 686.a
susceptor noster Deus ob misericordiam eximiam 179.b
suspensus cum latronibus ubique adoratur 260.b
suspiciones cauere demus 18.b
sustentatio Domini magna 258.
sycomorus qualis arbor 747. b. *quid Zachæo contulerit* 1059.b
symbolum breuiter complexum 385.a
synagoga creditura Christo 125.b
synagoga repudiata Ecclesia ascisceitur 296.b
synagoga ut antiquior Ecclesia 722.a
synagoga non uidet Iesum 313.a
synagoga ejici 310. b. *quos Iudæi ejecere* 539.a
synagogæ fuerunt uariæ apud Iudæos 75.a
synagogæ princeps, lex 722.a

T.

Tabernaculum & templum, typi Ecclesiæ 739.b
tabernacula quot necessaria 237.b *mysticè quid innuant* ibid.
tabulæ testamenti quid 238.a
taciturnitas meretur gratiam 443.a
talentum in sudario reponere 1037.a. *in terra abscondere* 1021.a. 1023.b
talentū non abscondendum 20. a. *qui abscondant* 1035.b
talenti nomine quid exponitur 709.a
talentī expers nemo 1022.a
in Talenta mille quid 809.a
talenta duo, unum, quinq; 1021.a
talenta ut duplicentur 1023.a
tangere Christum & eius uestimenta quid 209.b
tangere ut nos uelit Iesus 238.a
tauri & altilia mysticè 689.b
terræmotus in resurrectione domini 374.b
terrena qui loquātur & capiuntur 813.a
terrena largiēdo suadentur cælestia 988.a
terrena altitudo quādo confundatur 129.a
terrena cui promittantur 263.a
terrenis qui semper inhæret Dominus minatur uæ 78.b
terra quæ reddit fructum 186.b
terra bona, melior, optima 189.a
terra mitibus promissa 947.b
terra qui sint dicanturue 127.a
terra clamans contra possessorem 934.a
terra Zabulon & Nephtalim quomodo alleuiata 758.a
terra, corda terrena 479.b
terra nostra quale susceperit seminarium 803.b
testamentum nouum per quod significatur testamēta duo, duæ Ecclesiæ 296.a (216.a
testamentum uetus quando amisit uocem 830.a
testamentū uetus Christus cōpleuit 124.b
testamentum uetus & nouum ut differant 326.b. 614.a
testamenti noui decreta ubi & quomodo, & per quem condita 946.b
testamenti utriusq; consensus 70.b
testes de Christo qui, quales 291.a
testes qui ueri sunt 323.a. *falsi* 321.b
testes dispensationis Christi multi fuere 818.a
testibus idoneis credendum 791.a
testimonium Christi uerum 323.a. *inimicorum suspectum* 715.a
testimonium Christi 673.a. *conscientiæ* 1047.b
testimonium ueritatis maximæ, est sui humilitas 822.a
testimonia natiuitatis Christi quæ, qualia 71.b
testimonia scripturæ de Christo 791.a
tetrarchæ qui dicti 898.b
templū Dei 602.b. *corporis Christi* 303.a
templum quis ædificauerit & reædificauerit ibid.
templum Hierosolymis 333. b. *eius situs* 6-9.b
templum Dei nos sumus 743.b
templum quid designet 82.a
templum Domini quale sit 769.a
templum Christi, Ecclesia catholica 302.a 743.b 745.b
templum secundò quadraginta & sex annis ædificatum 746.

Universidad de Deusto
Biblioteca

templi dedicatio quoties celebrata 745.a
templi baſes 935.a
tempus omnirei 156.b
tempus filij peregrinationis quale 15.a
tempus qui redimunt benè, qui malè 686.b
tempus Chriſti 334.a. diluculi 291.b. operandi 309.b.640.b
tempora nulla ſine diuinis muneribus 266.b
tempora ſeculi tria 148.b
tempora uariata non fides 492.a
tempora Deus in ſua habet poteſtate 458.a
temporum ordo in Chriſti reſurrectione mutatus 374.b
temporum uices 180.b
temporale quomodo diligatur 191.b
tenacitas damnatur 218.b
tempeſtas in mari cur exorta 164.b
tenebræ damnationis 320.b
tenebræ multiplices 322.b
tenebræ qui uocentur 269.b. exteriores et interiores 162.a.692.b
tenebræ qui Apoſtolo dicantur 172.b
tenebræ impediunt nos 413.b
tenebræ peccatores 65.b
tenebras qui ſequitur quid eueniet 319.b
tentare Deum quomodo dicatur 524.b
tentare bonos diabolus poteſt 274.a
tentari iuſtos plurimum 239.a
tentat nos Deus quomodo 500.a
tentatio humana 595.b
tentatio Chriſti quid cõtulerit nobis 215.a
tentatio ſit tribus modis 213.a. 215.a. 1001.b
tentatio perſeuerat 493.a
tentatio eſt uita humana 238.b
tentatio quando acrior 239.a
tentationes huius uitæ 294.a
tentationum duo genera 170.a. tria 416.a.592.a
tentationũ inundatio tribus modis eccleſiã impugnat 741.a
in Tentationibus, in flagellis quid agendũ 1001.b
tepidi ſapientiã non inueniunt 905.b
tepiditas fugienda 147.a
ternarius S. Trinitatem deſignat 944.a
terror & blandimenta quibus adhibenda 563.a
teſtimonium patris de Chriſto 236.a
thamar amaritudo eſt 907.b
theodoricus tyrannus ubi uiſus 995.a
theophylus quis fuerit 457.a
theotimi fornicatoris temeritas 505.b
theſaurus quò reponendus 200.a
theſaurus cordis 740.b
theſaurum abſcondere 1055.b
theſaurizandum ubi 1043.b
thomæ conſtantia 319.b
thomæ incredulitas noſtram confirmat fidẽ 418.b
thomæ dubitatio profuit 423.b
thronus Dei quis 735.b.736.b
thronus Dauid quid innuat 726.b
thronus Eccleſia 736.b
tibicines ut recedant quid 726.a
timendus Deus ne timeatur 419.b
timens non amat Deum 675.b
timentem ſe Chriſtus complectitur 91.b
timentes Deum regnum Dei conſequuntur 156.b
timere quid debeamus 373.b
timor timori additur 133.a
timor quotuplex 133.a.542.a
timor & amor Dei uincit omnia 961.a
timor initium boni 541.b. ſeruus charitatis 590.b. introducit charitatem 541.b
timoris utriuſq; exemplum 91.b
timore non operandum bonum 401.b
timotheus curatus à magiſtro ſuo Paulo 962.a
tinea, fauor humanus 199.a
tintinnabula quid 47.a
tintinnabula aurea quid 1039.b
titus & Veſpaſianus urſi 605.a
tolerantia poſtulanda 236.a
tormentis quid meruerunt 432.b
torpor huius ſeculi execrabilis 92.a
torpori quid apponendum 170.a
tortores, dæmones 712.a
traditiones Apoſtolicæ obſeruandæ 39.b
traditiones Iudæorum quæ 283.a
trapezitæ non ſunt ubiq; 130.b
transfiguratus Dominus cur 237.a
transfretatio Domini quid 684.a
tranſcendere ad ſuperiora iubemur 72.a
tranſeundum nobis ad Bethleem uſq; quo modo 61.b
tranſeundum à morte ad uitam 384.b
tranſſubſtantiatio ſacramẽti altaris 134.b
tribulatio proxima, uicina promiſſio 32.a
in Tribulatione agendæ gratiæ 720.b
tribulationes ultimæ excellunt ſuperiores 14.a
tribulatis Deus adeſt 207.a
ad Tribunal Chriſti aſtabimus 949.b
ex Tribu Dan oriturus Antichriſt. 944.b
tribus regia & ſacerdotalis ferè ſemper cõiunctæ 25.a
tribus Domini animæ iuſtæ 845.b
triduum myſticè 585.b
trinitas non triplex dicendus Deus 58.a
trinitas ſola nouit ſecretum 731.a
trinitas æqualiter beata 527.a
trinitas, unitas 523.a
trinitas tota ubi unius perſonæ fit mentio 923.a
trinitas agricola 816.b
trinitas tota unus deus 27.b.331.b ſolus uerus Deus 453.b.889.b
trinitas ut colenda, amanda 513.a
trinitas ub.q; tota 522.b. æqualiter beata 527.a
trinitas quid habeat commune 441.b
S. trinitas ſemper eſt, uiuit, intelligit 557.a ſuper omnes, per omnes, in omnibus 657.b
trinitas perſonarum 599.a
trinitas ad hominis lineamenta non eſtimãda 75.a
trinitas manet 72.b
trinitatis menſura ſufficit 153.a
trinitatis una operatio 263.a. 471.a. quam ſis 308.b
trinitatis fides 398.b. cognitio 488.b. cõmunio 305.a. dilectio & unio 416.b. aſſertio firma 509.b
trinitatis una ſubſtantia 517.b. 521.a
trinitatis fide capimur 302.b
trinitatis prouidentia in omnibus 509.b
trinitatis myſterium exprimitur 133.b 138.a. 321.b
trinitatem quomodo ſuſcipimus 1012.b
trinitatem unum eſſe Deum 515.b
trinitatem negãti quæ maledictiones 75.a
triſtia ferenda 649.a
triſtibus læta ſubiunguntur 254.b
triſtitia Chriſti 353.a
triſtitia quomodo ſoluatur 41.b
triticum myſticè 596.b
tubæ quid ſignificent 47.a. 89.b
tunica magis neceſſaria quàm pallium 364.b
tunicas duas habere non debemus 499.a
tumulus mali mores 651.b
turba ſemper incerta 305.b
turba docente Domino affuit 501.b
turba quæ nos à clamore impedire conatur quæ 196.b
turba declinanda 234.b
turba uitiorum & dæmonum 617.b
turba plurima 350.a
turbæ quæ impediunt 192.b
turbatio ſpiritualis & carnalis 361.a
turpitudo eliminanda 959. b. quid ſit 268.a
turris nobis ædificanda magna 992.a
turris, humilitas 890.b
turtures & columbæ cur præ cæteris oblatæ offerri 781.b
typum qui habeant catechumenorũ 304.a
tyrannus quomodo inſidietur animabus noſtris 363.a
tyranni crudeles quo loco habituri in iudicio 800.b
tyrannorum nulla mentio, Eccleſiæ manet 979.b
tyrus & Sidon quid deſignent 242.b

V.

Vacantes uocati ad laborem 174.a
uacca rufa quid 329.a
uaccæ mugientes qui 982.a
uæ indignis Eccleſiæ miniſtris 77.b
uæ qui unitatem oderunt 823.b
uagandi licentia adempta 976.a
ualdè mane quid ſit 383.b
uale charum lumen, quis dixerit 505.b
uanitas noſtra corripitur 127.a
uanitatibus ſeculãribus occupati, non poſſunt ſcire diuina 798.a
uaſa iræ & miſericordiæ 295.b
uaſa ſex, quibus unum contentum fuit, myſticè quid deſignent 149.a
uaſtatio Iudæorum 341.a
uatum diſcrimen uerorum et falſorũ 5,9.a
uelum templi ſciſſum 117.a
uenatorum labor 174.b
uendentes & ementes 221. a. è templo eiiciuntur 601.b
uendentes in templo 602.b
uendentes ubi ſederint 302.a
uenia cur danda 277.278. à Deo ſperanda 355.a
de Venia non deſperandum 389.a
in Veniẽtibus præſũptio temeritatis 831.a
uenire poſt Ieſum quid 750.a
uenire ad patrem 262.a. ad lucem 487.b
uenter quorum Deus eſt 73.b
uentris uoracitas intractabilis 176.a
uentus quando ceſſauit 209.a
uentus contrarius 208.a
uenti intrantes animam tuam quomodo ſedentes 955.a
uenti quos deſignent 167.a. 168.a
uenti obediunt ei qui eos creauit 166.a. 168.a
uera eſſe de Chriſto omnia ſcripta 115.b
uerba opera quoq; ſunt 805.a
uerba arcana Apoſtoli audiuit 185.a
uerba Chriſti in quibus maneant quibus erunt in damnationem ibid.
uerba ſapientum ſtimuli 20.a
uerba erunt bona, modo opera noſtra fuerint non mala 171.b
uerba Dei memoriæ commendanda 323.b
uerba extrema ſaluatoris noſtri 55.b
uerbum infructuoſum quid 251.a
uerbum Dei cælo ualidius eſt 978.b
uerbum Dei auidè audiendum 435.b
uerbum qui audiunt, qui ſpernunt 501.a
uerbum patris ſyllabis non conſtat 76.a
uerbum Dei in manſuetudine audiendum 437.a
uerbum Dei aſpectus eſt 138.b
uerbum otioſum quod ſit 20.b.436.a. cauendum 20.b.46.b
uerbum in aqua mundat 816.b
uerbum diuerſimodè auditur 773.a
uerbũ Dei corda electorũ penetrat 778.b
uerbum natum quod, quale 72.a
uerbum Dei non uno modo ab omnibus auditur 327.b. quõ impediatur 186.a
uerbum fidei quantum ualeat 816.b
uerbum abbreuiatum, charitas eſt 971.a
uerbum Dei quomodo exponendum 465.b
uerbum omne ſignificat aliquid 47.a
uerbo Dei honorati ſumus 565.b
uerborum prophetarum magna concordia 48.b
ueritas quibus ſe reuelet 501.b. quibus abſcondatur 328.b
ueritas ſemper eſſe habet ibid.a
ueritas fidei ubi non eſt, quid ſit 167.a
ueritas ſimplex mentiri non poteſt 322.b non fallit 387.a
ueritas à quo genita 228.b
ueritas quos odit & damnat 965.b
ueritatis uerba immutabilia 734.a
ueritatis ſimplex natura 249.b
ueritatem mali oderunt 965.b
ueritatem facere 487.b
uerus Chriſti cultor 363.a
ueſpera Iudæorum quando cœpit 208.a
ueſpera quid 113.a
ueſpera quando lux ceſſerit 374.a
ueſperi expelluntur dæmonia 284.b
ueſtales uirgines quales olim 102.a
ueſte nuptiali deſtitutus 695.b
ueſtes albæ quid indicent 461.a
ueſtes apoſtolicæ 349.b
ueſtem nuptialem oſtẽtans, nõ habẽs quis, quid mereatur 44.b
ueſtis nuptialis, charitas 691.a
ueſtis nuptialis 658.b
ueſtis cui adhærendum quæ 201.b
ueſtigia præcedentium amplecti debemus 940.b
ueſtigia Chriſti alacriter ſequenda 62.a 424.a. intuenda 439.b
ueſtigia quorum ſequimur, eorum conſortio iungemur 470.b
ueſtimenta qui ſternant 7.a
ueſtimenta & frondes quæ ibid.
ueſtimentum aliud delitiarum, aliud pœnitentiæ 649.
ueſtimentis precioſis quõ peccas 544.a
uetus & nouus homo 577.a
uia laboris præcedat culmen honoris 254.b
uia humilitatis amplectenda 822.b
uia hominis prima & ſecũda qualis 17.b
uia ſanitatis quæ 74.b.234.b. qualis 74.b
uia Domini ad cor quomodo dirigẽda 43.a
uia Chriſtus eſt 804.a. fideles uocãtur 764.b
uia quæ ducit ad uitam arcta 796.b ad perditionem lata 691.a
uia intrandi & exeundi mundum 46.a
uia quæ perdit quæ ſaluat 134.a
uia ſalutis arcta 109.b
uiæ Domini quæ 196.b. quibus ad nos ueniat 47.a
uiæ noſtræ ſpinis ſeptæ 552.b
uiæ & exitus uiarum 690.b
uiam parare Domino 823.b. quis paret 34.b
uias rectas qui negligant 47.b
uicini & amici 563.b
uicini congratulati quando 827.a
uictoria tentationis unde 414.b
uictoria piorum 167.b
uictores pro Chriſto 107.a
uidere Domini quid intelligendum 308.b
uidere Dei quid 747.b
uidere Domini quid ſit 262.a.916.b
uidua, typus Eccleſiæ 275.b. quæ 653.b
uigilia prima, ſecunda, tertia 1027.b
uigilia quælibet trium horarum 836.b
uigiliæ probæ ſiue improbæ 211.b
uigiliæ quid innuant 208.a
uigiliæ tres, tria tempora 1038.b
uigilandũ in oratione 41.b. in uita 1030.a ſemper 210.a
uigilare quid ſit 1027.b. quid nos monere debeat 12.b
uigiles ſancti patres 303.b
uilla, concupiſcentia carnalis 261.b
uilla, terrena ſubſtantia 550.b
uillicus quis 595.b
uincula ægris præſtant ſalutem 872.b
uinea Domini quæ 181.b.257.b. qui excolunt 178.a
uineæ actiones noſtræ 936.a
uinũ ex aqua facere diuinitatis eſt 151.b quõ fecerit Dominus 150. myſticè 148
uinum Chriſti quale 132.a
uinum ad quid datum 687.a
uinum quibus conceditur uti 422.a
uinum & oleum quid 627.a
uiolentia qua regnũ Dei acquirimus 21.a
uirga de radice Ieſſe quæ 796.b (22.b
uirga quid deſignet 238.a. quid interdicatur

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicatur 499.a
uirga benedicta & flos 33.a
uirgo perpetua subdit se legi purificationis 774.a
uirgo mulieris uocabulo significatur 111.a
uirgo qualis eligitur 68.a
uirginis quid sit 798.b
uirgini quid reseruatum 110.a
uirginem Deo sacratam nubere, magnum est facinus 695.b
uirgines imitentur Mariam 854.a
uirgines quæ in Euãgelio dicãtur 1046.a
uirgines fatuæ 1052.b
uirgines unde corruptæ dicantur 1057.a
unde glorientur 102.b
uirgines amat Christus ibid.a
uirgines solam Mariam habent 762.a
uirgines sese non extollant 103.a
uirgines decem omnes homines 1052.a
uirginum preconium 762.b.882.a
uirginibus uirorum munuscula respuenda 762.a
uirginalis perfectio optima 148.a
uirginitas sterilitatem designat 1057.b
uirginitas non uiolatur falsa opinione 52.b
uirginitas humilitatem conseruatur 103.a
uirginitatis studium uita cælestis 883.a
uirginitatis Mariæ oracula quæ & qualia 50.b
uirginitatem in corpore pauci habent, quã in corde habere debemus 1046.b
uirgilij testimonium de Christo 792.b
uir spiritalis unde agnoscatur 638.b
uir à dæmonio mundatus quis 506.b
uir animæ fidelis, Deus 552.b.863.b
uir Ecclesiæ, Christus 862.b
uiri sancti humilitatis uirtutem custodire studeant 43.b
uiri sancti quantum prosint Eccles. 1018.b
nunquã de sè præsumunt 18.a.43.b
uiri insignes absque signo circumcisionis 120.b
uiri seculares Ecclesiæ quantum prosint 37.b
uiro stolidè quid placeat 801.b
uirorum sanctorum nomina, Noë, Daniel, Ezechiel, ad quos pertineant 21.a
uirorum nomine qui intelligantur 299.a
uirtus baptismi & sanguine Christi 54.a
uirtus possessorem reddit suspiciendum alijs 92.b
uirtus nuda cælum intrat 925.a. res ardua 702.b
uirtus ineffabilis Spiritus sancti 481.a
uirtutes sunt ornamenta nostra 169.b
uirtutes sine humilitate congregare quàm uanum sit 44.a
uirtutes quid 559.b
uirtutes Iesu diuulgatæ 997.a
uirtutes quas homo sectari debet 26.b
uirtutes quæ ornent, & uitia quæ dedocerant 348.a
uirtutes optimè reddent Domino 339.b
uirtutes ut fiant sine hypocrisi 592.a
uirtutes cardinales quatuor 503.a. 938.b
uirtutes quæ mereantur corpus & sanguinem Domini 45.b
uirtutum quærundam explicatio breuis 631.b
uirtutum studium nobis commẽdari 169.b
uiscera misericordiæ induenda 170.a
uisio Dei quibus oculis cernatur 520.b
cognitio eius est 62.b
uisiones Christi post resurrectionem non omnes scriptæ 607.a
uisum qui perdidere 114.b
uisus appetitum parit 256.a
uita à curis quieta 502.b
uita hæc quibus gaudeat 261.a
uita tranquilla quomodo acquirenda 18.b
uita cælestis qualis 28.a
uita quæ infirma apud Deum 186.a
uita temporalis non potest æternæ comparari 981.a
uita bonorum cedit in gloriam Christi 825.a
uita uera, Christus 708.b.779.b
uita beata quorum 62.a
uita odio habenda 990.b
uita & salus hominum 744.a
uita ubi, ibi deest mors 319.b
uita hominis, militia 140.a.241.b
uita Deo gratissima 821.a
uita carnalis deserenda 372.a
uita immortalis quæ, qualis 96.a
uita peculatiua ubi inchoatur 99.b
uita æterna, merces bonorum operum 509.a
uita solitaria tranquilla 892.b
uita nostra perfectio dicitur 719.b
uita gratiæ deficit in nobis, si non alimento corporis Christi foueamur 92.a
uita hæc breuis bonis, malis difficilis 588.a
uita nostra dissoluta 484.b
uita Christi nostræ uitæ exemplar 333.a 534.a
uita nostra fragilis, peccatis non caret 448.b
uita religiosorum qualis esse debeat 221.a
uita examinanda 327.b
uita nostra impura 10.a. quomodo configuratur Christo 534.b
uita occidit mortem 946.a
uita hæc misera & breuis 110.a. quomodo amanda 381.b
uita præsens nidus 722.b
uita nostra indiget expoliatione 294.b
uita actiua & contemplatiua 99.b.892.b placent Domino 319.a
uita apostolorum archetypus & uitæ leges 712.b
uitæ nostræ esse debemus expensores 639.b
uitæ spiritualis signa 547.a
uitæ duæ figuratæ per Petrum & Ioannem 110.b
uitæ arborem ignorant, qui sedent sub umbra mortis 758.b
uitæ æternæ felicitas 939.b
uitæ duæ, mortalis & immortalis 381.a
uitam miseram ducimus 95.a
ad uitam bonam quando induci possumus 178.a
ad uitam quomodo resurgimus 393.b
uitam beatam quando habebimus 95.a
uitia aliorum facilè uidemus 656.b
uitia ut superanda 631.a (188.a
uitia animi magis quàm corporis desfenda 181.a
uitia peccator exhorreat
uitia corporis et animæ dimittere cuius est 503.a
uitia fugienda 985.b. quomodo 186.b
uitia profligãda 210.b. non nominanda à Christianis 268.a
uitium odio habendum in homine non natura 946.a
uitiorum secreta non uelantur 505.b
uitijs renuntiandum 141.a. qui ualedixerũt 632.a
uitijs indulgens claudit uiam Domino 45.a
uitijs ut in alijs castiganda 865.b
uitis uera quis 816.a
uittæ hyacinthinæ quæ 253.a
uitulus saginatus 262.b
uituli labiorum 694.b
uiuendo benè ministratur Christo 879.a
uiuendo luxuriosè quid prodimus 264.b
uiuendum benè ad quid 491.a
uiuendum cui sit 171.b
uiuentes peruersè non exaudiũtur 444.a
uiuere qui uelit, quid agat 497.a
uiuere Deo in Christo 578.b
uiuere debemus semper iustè 238.b
uiuunt qui pro Christo mortui sunt 106.a
ulmo qui comparentur 37.b
umbra protectio significat 814.b
unanimes in Ecclesia sunt capaces Spiritus sancti 476.a
unctio extrema, Apostolicæ traditionis 501.a

unctio Spiritus sancti 479.a
undam baptismatis cur Christus susceperit 122.a
unguentum quo delectatur Dominus 358.b
unguentum domum implet 668.b
ungere se oleo, luxuriosi est 667.b
ungere caput & faciem quid 197.b
unitas spiritus in uinculo pacis 656.b
unitas fidei Catholicæ quàm necessaria 218.b
unitas Christi & Ecclesiæ 317.b. credentium 728.a
unitas Ecclesiæ seruanda 57.b. sacramentorum tenenda 633.a
unum necessarium 889.b
uocati multi 159.b
uoce hominem cognoscimus 208.b
uoces clamantium iudeorum quæ 343.a
uoluntas praua filios facit diaboli 51.b
uoluntas patris quæ 289.a.592.b
uoluntas Dei quæ 141.a. 525.a. opus est 156.b
uoluntas habendi relinquenda 974.a
uoluntas quid efficiat 140.a
uoluntas bona quæ sit 39.b.60.a.756.b
semper habenda 118.b. sufficit Deo 758.a
uoluntas est opus deuotæ mentis 247.b
uoluntas ut coronetur 116.b
uoluntas facultas est 422.b
uoluntas ut dignoscatur 180.b
uoluntas bonorum in manu Dei 256.b
Bonæ uoluntatis nos esse debere 60.a
uoluntati bonæ quid facile 175.a
uoluntatem Dei qui ignorent 141.a.687.a
uoluntate Christum accedimus 494.b
uoluntate obstinata peccantes meritò plectuntur 218.b
uoluptas syncera quæ 101.b
uoluptates spirituales animi 495.a
uoluptates mundi dediti, expertes sunt cælestis gaudij 11.a
uotum continentiæ 116.a
uox cordis nostri ad Dominum exaltanda 192.b
uox Ioannes, uerbum Christus 47.a
uox habuit figuras multas ibid.
uox desiderabilis qualis 217.b
uox ante uerbum 42.b
uox capitis, salus corporis 360.b
uox è cælo qualis audita 136.b
uox turturis est prædicatio Euãgelij 753.a
uox salutis qualis 493.a
uox uiua excitat 380.a
uriæ lux mea dicitur 908.a
urna quid indicat 237.b. quæ laudabilis 1037.b
usus rerum discretus qualis 39.b
usu malæ consuetudinis inuolutis quid faciendum 35.b
utilicitis quis posit ibid.
uulnera cur Christus pertulerit 425.a
uulnerum alligatio 626.b
uulpes sunt maligni spiritus 285.a
uultus uolũtatem indicat hominis 1008.b
uultus Dei 573.a
uuluam matris quis aperuit 120.a
uxor ut suum amet uirum 675.b
uxor Petri, Ecclesia 284.b
uxor uendenda quid 710.a
uxor Pilati laudatur 355.b
uxor carnis uoluptas 551.a
uxorem qui habeat piè & honestè 553.
uxorem post uotũ qui ducunt quales 241.b
uxorem ducere non ita malum ibid.

X.

Xenia noua quæ offerantur 107.a

Y.

Υἱὸς unde uenit 660.b
ὑπαντὴ dominica qualis solennitas 782.b

Z.

Zacharias quorum typus 82.a
Zacharias memor Domini dicitur 828.a
zacharias pro populo ut orauit 820.b
zacharias quis, quomodo occisus 808.a
zacharias incredulus 830.a. mutus factus 823.b
zacharias filius Ioiada põtificis 25.a. Christus mysticè 90.b
zacharias princeps sacerdotum 827.b
zachariæ quando uisus sit Gabriel 819.a
in Zacharia quadriga 931.b
zachæus figura gentiũ crediturarũ 747.a
zachæus uocatus à Deo 1058.b. quomodo Christum susceperit 290.b
zachei conuersio perfecta 1059.a
zebedæus quid sonet 761.a
zebedæi uxor Christo familiaris 195.b
zelus bonus 303.a
zelo Dei seruere oportet 148.b
ζήλοτυπ quam uim habeat 55.a
zizania quo mittantur 218.a
zizania uitiorum supplantanda 911.b

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca